20

✝
BIBLIOTECA
DEL REAL MONASTERIO
DE HUERTA.
Núm. 236.

Entd 20
And 5a
Vol 2

SEBASTIANI BARRADAS

OLYSSIPONENSIS E SOCIETATE IESV,

DOCTORIS THEOLOGI

ET IN EBORENSI ACADEMIA
quondam Sacrarum literarum Professoris


COMMENTARIORVM IN CONCORDIAM ET HISTORIAM QVATVOR EVANGELISTARVM,

Tomus Secundus.

MVLTIS IN LOCIS, ET HEBRAICIS & Syriacis vocibus, vbi deerant, auctus, & pluribus in locis emendatus, & citationibus atque marginalibus additionibus illustratus.

Cum duplici INDICE, Scripturæ & rerum seu sententiarum copiosissimo.

Quid complectatur hoc opus, post Epistolam ad Lectorem, inuenies.



BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

ANTVERPIÆ,
Sumptibus Hæredum Martini Nutij, & Ioannis Meursi.
M DC. XIII.
Cum gratia & Priuilegio.

SEBASTIANI

BARRADAS

OLYSSIPONENSIS

SOCIETATIS

IESV

DOCTORIS THEOLOGI

ET IN EBORENSI ACADEMIA

COMMENTARIORVM IN CONCORDIAM

ET HISTORIAM

EVANGELISTARVM

Tomus Quintus.

ILLVSTRISSIMO Dno

D. FERDINANDO MASCARENÆ

EPISCOPO ALGARBIENSI, &c.

ALEXANDRINVS Clemens, Pontifex ampliſſime, ſermones, orationes, ac libros, animæ noſtræ filios eſſe aſſerit, initio ſtromatôn: Pulchrum (inquit) & honeſtum eſſe exiſtimo, iis etiam, quipoſtea futuri ſunt, bonos filios relinquere. Ac filij quidem, corporum; animæ autem ſunt fœtus, λόγοι, id eſt, orationes, & ſermones, &c. Adumbrat hoc, id quod antiqui commenti ſunt, Mineruam, id eſt, ſapientiam, ex capite, id eſt, mente & intellectu, Iouis, ortam eſſe. In ſacris etiam litteris ſapientia inſtar filij concepta dicitur & parturiri, Prouerb. 8. *Nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram: ante omnes colles ego parturiebar*, &c. Et D. Epiphanius hæreſi 69. illud eiuſdem cap. 8. *Dominus poſſedit me*, vertit: *Dominus inſtar pulli excluſit me*: videlicet ſapientiam excluſit Deus, velut eximiam, admirabilemque volucrem, nempe altiſſimo præditam volatu aquilam. Denique admirabile ipſum Dei Verbum, infinitaque ſapientia Patris, Patris Filius & eſt, & dicitur. Eumdem in modum (ſi parua licet componere magnis) hominis verba, conceptus, ſermones, & libri, in quibus elucet ſapientia; hominum filij appellantur. Quemadmodum verò ex corporum filiis, vt Clemens appellat, quidam fœdiſſima monſtra ſunt, alij pulcherrimi: ſic ex filiis animæ, ſiue mentis, id eſt, ex libris, quidam deformes ſunt, alij ſpecioſi. fœdiſſima monſtra libri ſunt, vel hæreſeôn venenis, vel laſciuiæ ſpurcitiis contaminati. Quales matres, tales filij; quales mentes, tales libri. Ex fœdiſſimis harpyiis, ſimiles harpyiæ oriuntur, quæ fœdant omnia ſua lectione, ac contaminant. Pulchri hi ſunt fœtus, eaque volumina, quæ de diuinis rebus mens parit ſapiens, fidelis, pudica; qualia Auguſtini ſunt, Hieronymi, Ambroſij, Chryſoſtomi, & aliorum, quorum fœcundæ mentes ad noſtrum vſque ſæculum præclara opera protulerunt. Mens quoque noſtra, obedientia ſic ſtatuente, fœtum hunc qualemcumque enixa eſt, fidelem quidem ac pudicum, pulchrum minimè dixerim. Vt enim Ambroſius teſtatur lib. 8. epiſt. 63. ad Sabinum, vnumquemque fallunt ſua ſcripta, & aurem prætereunt: atque vt filij etiam deformes delectant, ſic etiam ſcriptorem indecores ſermones ſui palpant, &c. Suumque cuique pulchrum, vt eſt in prouerbio, etiam ſi non ſit pulchrum. Qualis qualis eſt, ô ſortem duram, & periculoſam aleam; latêre non poteſt; oppida, vrbes, orbem vt percurrat, neceſſe eſt, neque in conſpectum ſolùm,

verùm in manus etiam hominum venire cogitur. Vtinam veniat in manus, non in vngues. Sunt enim Momi quidam, Zoilos nolo dicere, ſunt Critici, in quorum non manus, ſed vngues, huiuſmodi fœtus incidunt. Ea illi vngue perſtringunt, quibus beneuoli lectores manum appingunt. Patrono igitur indiget, ſub cuius tutela tot vrbes, totque regna peragret, neque in vngues perſtringentes veniat; ſed beneuolas blandaſque manus inueniat. Ad te confugit, ô Maſcarenææ domus inclytum decus, & ornamentum præſul clariſſime; tibi ſe tradit, ac dicat: ſub tua tutela ſe fore arbitratur tutum, ſub tua cura ſecurum, ſub tuo ſplendore ſplendidum, ſub tua luce prodire audet in lucem; ſub hoc tecto imbres non formidat, ſub hoc clypeo tela non timet, ſub tuo præiudicio, Criticorum ſubire non veretur iudicia, ſub tanti Pontificis benedictione Zoili non horret maledictionem. Vt naturalis hiſtoriæ ſcriptor præſtantiſſimus narrat, lib. 36. cap. 9. Thebis obeliſcus fuit, quem viginti hominum millia feciſſe dicuntur. Cùm verò ſubrecturus obeliſcum Rex ipſe eſſet, vererenturque, ne machinæ non ſufficerent ponderi, quò maius periculum curæ artificum denuntiaret, filium ſuum alligauit cacumini, vt ſalus eius apud molientes prodeſſet lapidi. Hac admiratione operis effectum eſt, vt cùm oppidum id expugnaret Cambyſes Rex, ventumque eſſet incendio ad crepidines obeliſci, extingui ignem iuberet, molis reuerentia, qui vrbis nullam habuerat. Alligauit Rex ille filium obeliſco, vt obeliſcum celſiſſimum tueretur. Aſt ego mentis hunc fœtum præſtantiori alligo pyramidi, addico, dedico non vt pyramidem defendat, ſed vt ab ea defendatur, vtque ſub tantæ ſublimitate ac reuerentia molis, ab omnibus ſit tutus malis. Celſitudinis atque ſplendoris notæ ſunt obeliſci & pyramides. etenim obeliſci ſoli ſacrati fuere, teſte eodem Plinio, ſoliſque radiorum gerebant effigiem, pyramidum verò nomen ab igne ductum, fulgorem præfert igneum. Celſus obeliſcus, celſaque pyramis, atque ſplendida, tu mihi es Pontifex illuſtriſſime. Celſa in te ſunt omnia atque ſplendida. Celſum & ſplendidum genus, ſapientia, virtus, dignitas. Maſcarenarum familiam illuſtriſſimam eſſe, viriſque coruſcare nobiliſſimis, ignorat nemo. Ex hac illuſtriſſimi Indiæ proreges, ex hac regij legati præclariſſimi, ex hac duces prodiere præſtantiſſimi, qui ſplendida veluti ſydera Luſitanam rempub. illuſtrarunt. Hiſtoriam ſi ſcriberem, præclara illuſtriſſimæ domus facta, magna cum voluptate proſequerer, verùm inſtituti, & breuitatis, quam epiſtola flagitat, memor, cogor pergere. Nefas tamen erit te præterire tacitum, ô heros præclariſſime D. Petre Maſcarenas, Indiæ Prorex inclyte, Ioanniſque III. apud Pont. Max. legate, quo adminiſtro Deus vſus eſt, & Ioannes III. Luſitaniæ Rex, vt Societatem noſtram ex Romana vrbe, Orbiſque magiſtra, in Luſitanum hoc regnum Indiamque adduceret. Erat apud Pont. Max. Ioannis III. legatus D. Petrus Maſcarenas, quo tempore Societas noſtra Auroræ inſtar, roſeos incipiebat currus inferre mundo. In Indiam vſque orientalem vt illa

Obeliſci erectio admirabilis.

Gens Maſcaregnha in Luſitania nobiliſſima.

Petrus Maſcaregnhas Societatem noſtram in Indiam inuexit.

illa pergeret, Euangeliiq́ue luce atram idololatriæ caliginem diſcuteret, Rex optauit, legatoq́ue id curare iuſſit, ac perficere. Curauit, perfecitq́ue. Duos viuida virtute Patres impetrauit, M. Simonem Rodericum, qui in Luſitania manſit, Societatiſq́ue in ea fundamenta iecit; & M. Franciſcum Xauier illum, qui in extremas vſque Orientis oras Euangelij intulit ſplendorem. Itaque Maſcarenæ Societatem noſtram in hoc regno, India, atque Braſilia, collocarunt; ac dilexerunt. Poſtea verò nonnulli etiam illi ſe totos manciparunt. Ex his quatuor fuerunt fratres tui, Præſul clariſſime, quorum duo vitam hanc mortalem cum immortali in Societate iam commutarunt, duo ſunt ſuperſtites. Franciſcum Maſcarenam in ipſo ætatis flore inuida mors nobis abſtulit, ſed in cælum extulit. Petrus Maſcarenas hodieq́ue ætherea veſceretur aura, ſi pro Rege ſuo Chriſto Optimo Maximo in certamen crudeli cum gigante, vt Dauid alter, non deſcendiſſet. Imitatus eſt Maſcarenas ſuos. ſed illi cum hominibus, hic cum ipſa morte giganti ſimili pugnauit, victuſq́ue vincentem vicit. Is enim vincit, qui pro Deo moritur. Dira graſſante luc hac in vrbe, Maſcarenæo animo, Chriſtiq́ue cupido, Dauidis inſtar, certamen depopoſcit, difficilè impetrata facultate, deſcendit in arenam; ſponte atque alacriter, in ædes illas ſe contulit, in quibus peſtilenti morbo affecti curabantur, vbi in medicinam animarum ita incubuit, vt vitam nobiliſſimo in certamine profuderit, clariſſimumq́ue de morte triumphum egerit. O Maſcarenarum decus ampliſſimum. Reſtant duo alij in vita fratres tui egregij Chriſti, & milites, & duces. Siue enim ſub ſignis ſint, ſiue ſigna ipſi ducant, aduerſus tartareas phalangas ſtrenuè dimicant. Vtinam tecum Neſtoris, & Mathuſalem ſuperent annos πολυχρόνιοι, καὶ μακρόβιοι. Quid ego nunc vulnus refricem? quid D. Hieronymum Maſcarenam fratrem etiam tuum commemorem Ormuzij Ducem generoſiſſimum? Multis ille quidem flebilis occidit, vt cum Poëta dicam; Nulli flebilior, quàm tibi & nobis, quos magna complectebatur beneuolentia. Itaque domum noſtram deferri voluit æger, ex illaq́ue inter noſtrorum Patrum manus in cælum euolare,

Hieronymus Maſcarenas moribundus domum noſtram deferri voluit.

Heu pietas, heu priſca fides, inuictaq́ue bello,
Dextera.

Verùm occinit nobis Ethnicus Poëta;

Iuuen.

Stemmata quid faciunt? quid prodeſt Pontice, longo
Sanguine cenſeri, pictoſq́ue oſtendere vultus
Maiorum?

Tota licet veteres exornent vndique ceræ

Atria, Nobilitas ſola eſt, atque vnica virtus.

Occinat ille aliis, non tibi, qui clariſſimorum natalium nobilitati veram adiunxiſti nobilitatem, qui ſtemmata nobiliſſima virtutis, ſapientiæque nobilitate, radiiſque illuminaſti; cuius atria non veteres ſolùm ceræ exornant, ſed etiam virtutis, ſapientiæque lumina illuſtrant. Studiis tuis vtramque regni huius Academiam, Conimbricenſem, Eborenſemque apud omnes gratioſus, & amabilis illuſtraſti; Conimbricenſem verò multis annis integerrimè gubernaſti, Rectoris fungens munere, quod primariis tantùm viris ſolet à Rege concedi. Neque verò poſtquam Tiara caput exornauit, ſtudiis remiſiſti nuntium, quin potiùs inter multiplices curas ac negotia, maximis, hoc eſt Theologicis, ſucciſiua impendis tempora, tamquam amœnum in hortum diuertens. Commentarios in primam ſecundæ Angelici Doctoris præclaros ſcripſiſti, ſed, proh dolor, cùm Pharenſem vrbem hoſtes inuaſerunt, pretioſum hunc theſaurum exportarunt. At verò quod de ramo aureo Poëtarum princeps cecinit, hîc verum erit:

Virg. in 6. Æn.

Primo auulſo, non deficit alter

Aureus, & ſimili frondeſcit virga metallo.

His auulſis & ablatis commentariis; non deficient aurei alij, quos nobis aurea fœcundaque mens proferet. Aureus iam apparuit ramus ad Regiam miſſus maieſtatem, noſtris temporibus nobilem controuerſiam *de auxiliis diuinis* nobiliter excutiens, atque enodans; ſequentur, vt ſperamus alij, & ſimili frondeſcet metallo mens aurea. Meritò non inermem, ſed armatam Palladem depinxere antiqui, videlicet, quia armatam oportet eſſe ſapientiam, armatam, inquam, panoplia illa, quam Paulus deſcribit ad Epheſios 6. *Induite*, inquit, *vos armaturam Dei*, Græcè πανοπλίαν, panoplian. Armaſti, Pontifex maxime, tuam Palladem; vt in aciem prodire poſſet, in quam Pontifices prodire ſolent. ſic verò armata illa eſt prudentia, iuſtitia, temperantia, vigilantia, charitate, beneficentia, ceteriſque virtutibus, vt omnibus honoribus, omnibuſque titulis par eſſe videaris. Ad meritum igitur meritò euectus honorem Epiſcopalem, ornaris, & ornas; ita vt illud in te quadret, quod de Onia Pontifice ſcribit Eccleſiaſt. cap. 50. *Gloriam dedit ſanctitatis amictum*, &c. Græcè ἐδόξαζε περιβολὴν ἁγιάσματος, hoc eſt, *Glorificauit veſtem ſanctam ac ſacerdotalem.* Antiqui pontificatus amictum exornabat Onias, tu verò noui Pontificatus veſtem ſanctam tua exornas virtute, ſapientia, nobilitate. Accipis quidem ex pontificis dignitate decorem, ſed viciſſim illam decoras: illuſtraris ab illa, par pari reddis, illuſtran-

Liber de auxiliis diuinis laudatur.

illuſtrantem illuſtras. ſic ſmaragdus, ſic pyropus, inſertus auro, & affert, & accipit decorem, atque ornamentum. Præes, non vt præſis, ſed vt proſis, idque eniteris, vt oues potiùs, quàm te ipſum paſcas, illis diſſimilis, de quibus legitur Ezechiel 34. *Væ paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos*, &c. Calcaribus minimè indiges, vt largiaris, vt indigent multi, ſed audeo dicere, fræno potiùs; tanta eſt animi munificentia. Ipſas Craſſi, vel Crœſi opes, ſi poſſideres, beneficentiſſimæ voluntati tuæ non eſſet ſatis. Nobili tuæ diœceſeos ciuitati Lacobrigæ, ab hoſte direptio immine-re credebatur. Rege per litteras iubente, equitum peditumque manu non exigua tuo ſumptu congregata, accurriſti, tuliſtique periclitantibus ouibus ſuppetias Paſtor inclyte, egiſtique non ſolùm munificum paſtorem, verùm etiam quantùm Antiſtiti fas erat, ducem. Ad hæc in Caſtellanos milites triremibus tunc aduectos, tua effuſa eſt munificentia, quos commeatu carentes, ad duo ferè millia pauiſti. Secuta eſt peſtilentiæ lues in regno Algarbiorum, & fames. Nauarchum procella probat. Non vertiſti vela paſtor generoſiſſime; proſilis in medium, forti animo ac generoſo, quæ peſtis fameſque inuaſerat oppida percurris, corpora pecunia & alimonia iuuas, animos diuinis communis Sacramentis. Hoc demum eſt eſſe pontificem, pontes nempe facere, quibus in regna cæleſtia oues pertranſire poſſint. A ponte enim faciendo Pontificis nomen ducitur. Luporum præterea rabiem ouibus inſidiantium arcere conatus es, Mauros dico, qui ex maritimis tuæ diœceſeos locis prædas agere, incolaſque in captiuitatem redigere ſolent. Expenſis tuis triremem extrui, omniq; bellico apparatu iuſſiſti inſtrui, quæ maritimam tueretur oram, oueſq; tuas à periculo tanto liberaret. Repulſi lupi ſunt, aliquando etiam, dum prædam captant, ipſi capti præda fuere. Macte noua virtute præſul, quis tibi Salomonis non optet opes, quas ſi haberes, neque fame pauperes conficerentur, neque maria prædonibus infeſtarentur? Denique noſtram quoque Societatem beneficentia tua complexa eſt, ex ſummo enata amore, quo illam proſequeris. In regno Algarbiorum ſedem vt figeret, operam dediſti, in eaque vrbe, in qua ſedes eſt pontificia, vt ouibus tibi à ſummo paſtore traditis ſalutaria miniſtret pabula, domum illi fundaſti; inclyti Diui Petri Maſcarenæ inſiſtens veſtigiis, quam ille in Luſitaniam inuexit, tu diligis, foues, tueris, beneficiiſque afficis. Gratias & habet, & agit, & quoquo modo poteſt, obſequio ſuo, atque miniſterio referre cupit. Ego verò tuam erga me beneuolentiam expertus, gratias adiungo meas, ſi quid illæ momenti habent, & munus hoc ſi offerentem ſpectes, paruum, ſi in

Ab hoſtibus ſuam ditionem præſul tuetur.

Pontifex verus eſſe dicitur.

Societas in regno Algarbiorum eius opera ſedē habet.

materiam coniicias oculos, nempe Christi Optimi Maximi gesta, maximum, obsequentissimo animo offero. Gratum vtinam sit benignitati tuæ Pontifex illustrissime. Manebit odor, & gratia, quam à tuis manibus collegerit; sicut suauis odor rebus manet, quæ manus tangunt odoriferas.

Sebast. Barradas.

LECTO-

LECTORI OPTIMO.

IVCVNDVM *est, lector optime, diuinarum rerum studiis vacare, suauissimo sacrarum literarum pabulo mentem pascere, cum sapientia conuiuere, ac conquiescere. Hinc illud Sapientis, Sap.* 8. Intrans domum meam conquiescam cum illa. Non enim habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius, sed lætitiam, & gaudium, &c. *& illud Chrysostomi loco infrà citato: Ad Scripturam si attentus fueris, anxietatem à te depellet, cordi tuo inseret incredibilem voluptatem, &c.* Scripturæ laudes & encomia. *Hic sol est, qui tædij nubila pellit corde: hæc cælestis Siren, quæ dulci cantu, oblectat animum: hoc Homericum Nepenthes, quod mœstitiam fugat: hæc odorifera Panacea, quæ vulneribus medicinam affert: hoc diuinum nectar, quod humanum pectus reficit, ac recreat: hæc diuina pascua, quibus Christi oues aluntur, iuxta illud D. Ambrosij* Psal. 118. Oct. 14. *Bona pascua libri sunt Scripturarum cælestium, in quibus quotidiana lectione pascimur, in quibus recreamur, ac reficimur, cùm ea quæ scripta sunt degustamus, &c. Hæc florida prata, ex quorum floribus doctores veluti apes, cælestia mella conficiunt, vt idem sanctissimus pater docet* ser. 5. *Pro variis actionibus: Sacerdotes, inquit, sicut apes, de diuinarum Scripturarum flosculis, suauia mella conficiunt. Et quidquid ad medicinam pertinet animarum, oris sui arte componunt, &c. Hic amœnissimus hortus, quem Spiritus sancti suauis aura perflat, vt Chrysostomus ait* tom. 1. homil. *habita quo tempore extra Ecclesiam deprehensus est Eutropius: Suaue, inquit, est pratum, & hortus. Vtroque tamen suauius multo spirat diuinæ Scripturæ lectio. illic siquidem flores inuenire est, sed qui tempore marcescunt, hic autem occurrunt sententiæ in natiuo vigore perennantes. Illic aspirat Fauonius, hic afflat aura Spiritus sancti, &c. Paradisum appellat Ambrosius* epist. 31. ad Sabinum. *Deambulat, inquit, in paradiso* Scriptura paradisus est. *Deus, cum Scripturas lego. Paradisus est Geneseos liber, paradisus Deuteronomium, paradisus Euangelium, in quo arbor vitæ bonos fructus facit, &c.* In primo illo voluptatis paradiso Adamum posuit Deus, vt operaretur, & custodiret illum, Gen. 2. *In hoc spiritalis voluptatis paradiso, doctores similiter ponit, vt operentur, & custodiant illum. Operentur, inquam, interpretando: & custodiant illum, serpentes fugando. Sicut enim paradisum illum serpens ingressus est, vt fœminam deciperet, sic serpentes illius serpentis filij, id est, hæretici, hunc ingrediuntur, vt fallacibus interpretationibus indoctam fallant plebeculam. Operantur autem, & custodiunt paradisum hunc doctores, alij quidem solo verbo docentes, alij vero etiam scribentes. Omnibus enim ætatibus Ecclesiæ suæ doctores dat Deus, qui non doceant solùm, verùm etiam scripta edant. Qua in re fælicem ætatim nostram appello, in qua* Aetas nostra in quo fælix. *præclara doctorum volumina in lucem edita magna cum voluptate lego, quæ tum Scripturæ, tum vniuersæ Theologiæ lucem maximam attulere. Illud enim in me quadrare nolim Horatij,* Epist. ad Augustum lib. 2.

Et nisi quæ terris semota, suisque
Temporibus defuncta videt, fastidit, & odit.
Pontificum libros, annosa volumina vatum,
Dictitat Albano Musas in monte locutas.

Illud potius iunioris Plinij mihi assumo lib. 6. epist. ad Caninium: *Sum, inquit, ex iis, qui mirer antiquos: non tamen, vt quidam, ingenia nostrorum temporum despicio. Neque enim quasi lassa, & effœta natura, nihil iam laudabile parit, &c. Antiquos laudo, ac veneror, nostrorum verò temporum ingenia non despicio, sed suspicio. Neque est lassa & effœta* Aetas nostra ingeniorum ferax. *Ecclesia, ingenia etiam nunc optima gignit, sempérque gignet, quæ scripta lectu dignissima proferant. Neque est finita sacrorum librorum, vel Theologiæ vindemia, semper priores, quos decerpant botros, spicasue relinquent posterioribus. Ager (ait D. Ephræm* in orat. de Transfig.) *quando est messis, minuitur, vitis quando fuerit vindemiata efficitur abiecta, & humilis: Scriptura autem quotidie metitur, & spicæ interpretum in ea non deficiunt · quotidie vin-*

die vindemiatur, & botri eius numquam consumuntur, &c. Hinc illud Ruperti in præfatione de glorificatione S. Trinit. ad Pont. Max. Non est, ait, bene videntium, imo inuidentium est, tali similitudine vti, vt dicant, sicut Exod. 36. *offerebat populus plusquam necessarium fuit, ita nunc plures scribuntur libri, quàm necessarium sit, &c.* Et in prologo Apocal. *Quis, inquit, rectè indignetur, eo quòd in eadem possessione, post vnum, aut duos puteos, quos foderunt patres præcedentes, plures faciant filij succedentes?* Gen. 26. Isaac alios puteos fecit, præter illos, quos fecerunt serui patris sui Abraham. *Nobis quoque concedant post illos puteos, quos fecerunt Patres, & priores nostri, & alios facere, dummodo viuam & nos aquam reperire possimus. hæc ille. Verùm tamen vnusquisque, quod onus humeris suscipiat, diligenter consideret, ne illud in aliquos iactari possit,*

Scribimus indocti, doctique poëmata passim.

Non cuiuslibet est hæc vindemia, hæc fœcunda messis, hæc puteorum effossio, sed hominis diu in Scripturarum studio, patrumque lectione versati, linguarum Hebrææ, Græcæ, ac Latinæ cognitione præditi, sensus literalis, qui reliquorum fundamentum est, perscrutatoris. Ego quidem lector Opt. non puto mittere me falcem in alienam messem, aut corbem in alienam vindemiam, siquidem his in studiis ad canos vsque attriui ætatem; cum Scripturæ sacræ sapientia conuixi, & conquieui, hoc meum nepenthes, hæc panacea, hoc nectar, & ambrosia, hic meus amœnissimus hortus, hic paradisus terrestris, in quo me Deus per sacram collocauit obedientiam, vt operarer, & custodirem illum. Pro mea parte tenui operatus sum annis multis, tum verbo, tum scripto, in tenebris opera iacere noluit obedientia, in lucem iussit vt prodirent. Ea præeunte fæliciter tomus prodiit primus, nunc prodit secundus, qui Christi Opt. Max. gesta continet, à baptismo ad id vsque tempus, quo Galilæam penitus deseruit, Iudæamque petiuit ad subeundam crucis mortem. Tertius ad finem properat. Interim hoc fruere, lector Opt. amicoque animo perlege, neque admodum critico. Placere solent amico, quæ minus placent critico. ξυλοφορίαν *fecimus altari Domini. Vtinam ignis ardeat. Illud enim Ruperti, nobis quoque in votis est, in præfatione indicata. Opera, inquit, mea sic æstimo, vel æstimari cupio, tamquam ligna, quibus nutriri possit ignis charitatis in altari Domini, id est, in corde cuiuspiam legentis, siue audientis, &c.*

Auctor S. Scripturæ à tenera ætate studiosus.

SERIES

SERIES ATQVE ORDO
HISTORIÆ QVATVOR
EVANGELISTARVM,

quæ hoc tomo 2. continetur.

De Christi infantia, ac pueritia, ad annum vsque 12. egimus tom. 1.

HOMO hoc 2. de gestis illius sermo habetur, ab anno 29. iam exacto, vsq; ad annum 33. quo Galilæam penitus reliquit. Versatus verò in Iudæa deinceps est vsque ad crucem.

LIB. I.

Ioannes incipit baptizare. Antequam docere inciperet Dominus, præcursorem Baptistam misit, annum 30. ætatis tũc agentem. Missus præcursor anno 15. imperij Tib. Cæsaris, baptizare cœpit, ac docere. tom. 2. lib. 1. cap. 1. & seq.

Christus baptizatur. Ad Baptistam venit Christus, baptizatus est, Patrisque voce ex cælo aperto, & Spiritus sancti in specie columbæ descensu, admirabiliter demonstratus. lib. 1. c. 12. &. seq.

LIB. II.

Ieiunium Christi & tentationes. Post Baptismum in solitudinem abiit, diebus 40. ieiunauit, tentatusque à Satana, tentatorem vicit, ac fugauit, lib. 2. cap. 1. & seq.

Primus annus post baptismum. Post baptismum Christi, testimonium tulit de Christo Ioannes, & Iudæorum legatis rogantibus
Legatio Iudæorum. quis esset, respondit. lib. 2. cap. 12. & seq.

Ecce agnus Dei. Idem Ioannes Christum Agnum Dei demonstrauit. lib. 2. cap. 16. & seq.

1. Pascha post baptis. hoc anno continetur. Duo Ioannis discipuli Christum secuti sunt, quorum alter erat Andreas, qui fratrem suum Petrum ad Christum adduxit. In Galilæam vero abiturus ex Iudæa, Dominus Philippum vocauit, Philippus autem Nathanaelem adduxit. lib. 2. cap. 18.

LIB. III.

2. anno post baptis. Nuptiæ Cana. Ex Iudæa in Galilæam venit Dominus, nuptiis interfuit in oppido Cana, eodẽ die, quo est baptizatus post annum, sexta die Ianuarij, conuertitque aquam in vinum egregium. lib. 3. cap. 1. & sequentib.

2. Pascha post baptismum. Post nuptias vrbem petiuit Capharnaum, cum matre sanctissima, & cognatis. Pascha celebraturus
Exiicit è templo vẽdentes. abijt Ierosolymam, & vendentes, oues, atque boues, ex templo expulit. lib. 3. cap. 7. & seq.

De templo Ierosolymitano, & ministris templi agitur, lib. 3. cap. 10. & seq.

LIB. IV.

Nicodemus. Cum Ierosolymis esset, Dominum conuenit noctu Nicodemus, audiuitque ab eo de baptismo, & aliis, doctrinam singularem. lib. 4. cap. 1. & seq.

Baptizãtur discipuli Christi. Post hæc in Iudæa demoratus est Dominus, & discipulos baptizauit, simul baptizante Ioanne, antequam in carcerem coniiceretur. Cuius discipuli de purificatione cum Iudæis habuere quæstionem, magistroque nuntiarunt Christum baptizare, magnosque ad illum hominum concursus fieri. At Baptista præclarum de Christo testimonium protulit, seque multò inferiorem illo esse ostendit. lib. 4. cap. 6. & 7.

Carcer Ioan. Baptista circa hoc tempus in carcerem coniicitur. lib. 4. cap. 8.

Samaritana. Postquam in carcerem cõiectus est Baptista, discessit ex Iudæa Dominus, reuersusq; in Galilæam, cum Samaritana fœmina apud puteum Iacob collocutus est. lib. 4. cap. 9. & seq.

Regulus. In Galilææ opidum Cana peruenit, vbi aquam conuerterat in vinum, eo venit etiam Regulus, sanitatemque filio morienti impetrauit. lib. 4. cap. 14. & 15.

Annus 3. post bapt. hoc fere loco sumit initium. Emendandus locus p. 484. col. 1. art. De annis Domini, & ætate, suo loco dicemus. Incipit Dominus publicè in Galilæa prædicare: Pœnitentiam agite, &c. Circuit Galilæam totam prædicans in synagogis Euangelium regni, faciensque miracula. Noluit autem in patria Nazareth habitare, sed in vrbe maritima, atque frequentiori Capharnaum. *Populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam*, &c. lib. 5. cap. 1. & seq.

LIB. V.

Vocatio Petri & Andreæ, &c. Vocat discipulos piscatores quatuor ex mari Galilææ, Petrum, & Andream, Iacobum, & Ioannem. lib. 5. cap. 4. & seq.

His discipulis comitatus Capharnaum ingreditur, habetque sermonem in synagoga magna cum auditorum admiratione, & pellit ex homine dæmonem. lib. 5. cap. 7.

Socrus Petri sanatur. Ex synagoga egressus, domum Petri, & Andreæ petit, Petrique socrum febricitantem restituit sanitati. lib. 5. cap. 8.

In domo Petri prandet, in eaque manet illa die sabbati. Multi ad eum ægri post solis occasum fluunt, quibus sanitatem confert. lib. 5. cap. 9.

Noctem in domo Petri agit, summo surgens mane, in desertum abit locum, vacatque orationi. Quæsitus à Petro, & aliis, à turba quoque, inuenitur. Ne abeat retinetur. At ille, *oportet*, inquit, *alijs ciuitatibus euangelizare regnum Dei*, & in alia Galilææ oppida discedit, sequuntur turbæ, ac circundant, vt ab illis se auellat, discipulos trans mare iubet nauigare. Petenti scapham Scriba vnus in discipulum, comitemque sese offert; cui respõsum huiusmodi reddit; *vulpes foueas habent*, &c. Quidam alius vocatus facultatem patris sepeliendi postulat. At Dominus; *Sequere*, ait, *me, & dimitte mortuos, sepelire mortuos suos.* Tertius quoque; *Sequar*, inquit, *te. Sed permitte mihi primum renuntiare iis, quæ domi sunt. Cui Dominus respondit: Nemo mittens manum ad aratrum*, &c. lib. 5. cap. 11. & seq.

Vulpes foueas habẽt, &c.

Tempestas sedatur. Nauigat cum discipulis trans mare Galilææ, somnum in scapha capit; turbulentissima excitatur tempestas; vigilat, sedatque ventos, ac fluctus. lib. 5. cap. 15. & 16.

Dæmones in porcos. Sedata tempestate in regionem Gerasenorum peruenit, quæ trans mare erat: à duobus dæmoniacis pulsos dæmones in porcos ingredi, præcipitesque

teſque in aquas dare permittit. lib.5.cap.17. & 18.

Paralyticus per tectum demiſsus. Ex regione Geraſenorum in Galilæam reuertitur; in vrbe Capharnaum paralyticum per tectum demiſſum ſanat. lib.5.cap.19.& 20.

Matthæi vocatio. Ad mare venit Galilææ, ex telonio Publicanum Matthæum vocat. A Matthæo conuiuio excipitur, Phariſæis murmurantibus, quòd cum publicanis & peccatoribus cibum ſumat, reſpondet: *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores.* lib.5.cap.21.& 22.

Ioannis diſcipuli, Phariſæi, atque Scribæ, Chriſtum rogant: *Quare diſcipuli Ioannis, & Phariſæorum ieiunant, tui autem diſcipuli non ieiunant? Reſpondet. Numquid poſſunt lugere filij ſponſi, quamdiu cum illis eſt ſponſus, &c.* lib.5.cap.23.

Filia archiſynagogi. Accedit Iairus Archiſynagogus, filiæ ſanitatem poſtulat: ſequitur Dominus poſtulantem, in via fœminam ſanguinis fluxu laborantem ſanat tactu fimbriæ. domum archiſynagogi peruenit, puellam que vita functam in vitam reuocat. libr.5.cap. 24.& 25.

Cæci duo. Poſtquam puellam vitæ reſtituit, domo egreſſum ſequuntur cæci duo, amiſſum oculorum lumen magno affectu, ac clamore petentes: tactis oculis lumen amiſſum reddit, mutum præterea dæmoniacum, eiecto dæmone ſanat. libr.5. cap.26.

Lib. VI.

3. *Paſcha poſt baptiſmum.* Piſcina. Poſt hæc ex Galilæa in Iudæam ſe confert: petit Ieroſolymã, Paſchatis feſtum celebrat, iacentemque paralyticum apud piſcinam probaticam, die ſabbato ſanitate donat. lib.9 cap.1.& ſeq.

Quoniam die ſabbato ſanitatem ægris conferebat, perſequuntur Iudæi Dominum. Probat ille fas eſſe ſibi in ſabbato operari, ratione ſumpta à diuinitate, quia Dei Filius eſt. De ſua cum Patre operatione agit, de poteſtate item reuocandi in vitam mortuos, eoſque iudicandi. Profert de ſe teſtimonia, Patris, Ioannis Baptiſtæ, ſuorum operum, Moſis, & Scripturarum. libr.6. cap.5.& ſeq.

Spicas vellunt diſcipuli. Sabbato ſecundo primo prope ſegetes facititer: vrgente fame diſcipuli ſpicas vellunt, confricant manibus, grana edunt, à magiſtro excuſantur, lib.6.cap.9.10.

Manus arida. Alio ſabbato ſynagogam ingreditur, dexteram hominis manum arefactã ſanat. Phariſæi cum Herodianis aduerſus eum conſilium ineunt. Recedit ad mare, ſequuntur turbæ, ægris multis ſanitatem confert, impletur Iſaiæ 4. vaticinium: *ecce puer meus, quem elegi*, &c. lib.6.cap.11.&.12.

Electio Apoſtolorũ. Poſt hæc in montem aſcendit, & pernoctat in oratione. Manè diſcipulos vocat, ex illis duodecim eligit, quos nominat Apoſtolos. lib.6.c.13.14.& 15.

lib. VII.

Sermo in monte. In monte ſermonem habet celeberrimum, qui ſermo Domini in mõte appellatur; octo beatitudines proponit, diſcipulos terræ ſalem, mũdi lucem, ciuitatem eſſe ait ſupra montem poſitam: iram, concupiſcentiam, peccati occaſionem, iuramenta fugienda docet, malo non reſiſtendum, inimicos diligendos, inanem gloriam cauendam, in cælo theſaurizandum, & alia. lib.7.cap.1.&.ſeq.

lib. VIII.

Deſcendit ex monte: ſermonem alterum ſimilem habet ei, quem in monte habuerat, hunc Lucas deſcribit, lib.8.cap.1.

Leproſum ſanat. lib.8.cap.2. Leproſus.

Poſt ſanatum leproſum Capharnaum ingreditur, & famulo Centurionis ſanitatem confert. lib.8.cap.4.&.5. Centurio.

Petit ciuitatem Naim, occurrit adoleſcens vita functus viduæ filius, quem reducit in vitam. lib.8. cap.6.& 7. Viduæ filius.

Erat hoc tempore in carcere Ioannes. Audit Chriſti miracula, duos ex diſcipulis ad illum mittit, qui rogent: *Tu es qui venturus es?* &c. Chriſtus reſpondet operibus, laudat Baptiſtam, Phariſæos incuſat. lib.8.cap.8.& ſeq. Tu es qui venturus es? &c.

Phariſæus Dominum inuitat, accedit peccatrix mulier, pedes Domini vnguento vngit pretioſo, rigat lacrymis, extergit capillis. lib.8. cap. 12.& ſeq. Magdalenæ conuerſio.

Dæmonium mutum eiicit, blaſphemant Phariſæi, *in Beelzebub*, aiunt, *eiicit dæmonia*. Probat Dominus in digito Dei pellere ſe dæmones: peccatum in Spiritum ſanctum aſſerit non remitti. Signum ex cœlo quidam petunt: datur illis ſignum Ionæ Prophetæ. Fœmina ex turba extollens vocem laudat Dominum. Ille beatos eſſe illos ait, *qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* lib.8.cap.15.& ſeq. Dæmonium mutum. Signum ex cœlo petitur.

Adſunt virgo Deipara, Chriſtique cognati, cum eo volentes loqui, at ille cognationem carnis à cognatione Spiritus ſuperari docet. libr. 8.cap.21.

lib. IX.

Parabolas proponit Dominus, primam ſeminantis. lib.9.cap.1.& 2. ſecundã zizaniorum. lib.9. cap.3.& 4. tertiam ſeminis ſenſim creſcentis, cap. 5. quartam grani ſinapis, cap.6. quintam fermenti, cap.7. ſextam theſauri, & margaritæ. cap.8. ſeptimam ſagenæ miſſæ in mare, cap.9. Parabolæ.

Dictis parabolis abit, in patriam Nazareth venit, Iſaiæ vaticinium in ſynagoga explicat, ſcandalizantur Nazareni, ex monte præcipitem dare volunt. lib.9.cap.10. Venit Dominus Nazaretham.

Mittit Apoſtolos binos, ad docendos Iudæos, quomodo in miſſione ſe debeant gerere docet. lib. 9.cap.11.& ſeq. Miſsio Apoſtolorũ.

Celebrat conuiuio natalem ſuum diem Herodes; ſaltatrix puella Herodiadis filia Ioannis Baptiſtæ caput petit, occiditur Baptiſta, traditur puellæ caput. lib.9.cap.16.& 17. Baptiſta occiditur.

Nuntiant Ioannis diſcipuli Chriſto, magiſtrum ſuum ab Herode eſſe interfectum. Reuertuntur ex miſſione Apoſtoli; nauigat Dominus in ſolitudinem, puſillam requiem illis, qui laboraverant, impertitur. lib.9.cap.18.

lib. X.

Abijt trans mare Tiberiadis, ſequitur multitudo magna, quinque panibus, & duobus piſcibus, quinque hominum millia ſaturat prope Paſcha. lib.10.cap.1.& 2. 5 millia hominum ſaturabantur. 4. *Paſcha poſt baptiſmum.*

Poſtquam quinque hominum millia mirabiliter ſatiauit, diſcipulos verſus Bethſaidam, in Capharnaum renauigare compellit. Nauigantes noctu procella inuadit horrida, adeſt Dominus ſuper vndarum ambulans vortices, vigilia noctis quarta. Petrus ſuper aquas graditur. tempeſtas à Domino ſedatur: in terram Geneſar peruenit. lib. 10.cap.3.& 4.

Turba illa, quam ſatiauit Dominus, ex vlteriore lacus ripa, in citeriorem reuertitur, venit Capharnaum, vbi Chriſtus erat. Suadet illi, vt panem quærat, qui non perit, habetque ſermonem de augu-

Sermo de augustissima Eucharistia.

augustissima Eucharistia, scandalizantur ex discipulis nonnulli, abeuntque retro. lib. 10. cap. 5. & seq.

Pharisæi discipulos arguunt.

Post hæc Pharisæi, & Scribæ Ierosolymitani discipulos reprehendũt, quòd illotis manibus cibum sumerent, seniorumque traditiones transgrederentur. Reprehendentes verò Dominus reprehendit, quòd mandatum Dei de honorandis parentibus frangant: & quæ sint veræ sordes docet, nempe peccata. lib. 10. cap. 10. & seq.

Chananæa.

Secedit in partes Tyri, & Sidonis; filiam Chananææ fœminæ, à dæmone oppressam liberat. lib. 10. cap. 13. & 14.

Surdus, & mutus.

Ex finibus Tyri discedens, venit per Sidonem in mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos, surdumque & mutum hominem sanitate donat. lib. 10. cap. 15. & 16.

Quatuor hominum millia saturantur.

In montem mari Galilææ vicinum ascendit: accedit turba magna, cibum illi suppeditat, saturatq; quatuor hominum millia, ex septem panibus, & paucis pisciculis. lib. 10. cap. 17. & 18.

Magedan.

Dimissa turba in scapham ascendit, trans mare Galilææ nauigat in fines Magedan, vel in partes Dalmanutha. Pharisæi & Sadducæi signum ex cælo petunt. Reprehendit illos, quòd ex signis serenitatem scirent cognoscere, & tempestatem; aduentum autem Messiæ ex tot signis intelligere nollent. lib. 10. cap. 19.

Fermẽtum Pharisæorum.

Relictis Pharisæis ac Sadducæis, ex regione Magedan, quæ vltra mare erat, discedit: discipulos monet vt à fermento, id est, doctrina Pharisæorum, & Sadducæorum caueant. lib. 10, cap. 20.

Cæcus sanatur.

Ex regione Magedan venit Bethsaidam, quæ cis mare erat: cæco oculorum restituit lucem, qui prius quidem imperfectè vidit, homines velut arbores ambulantes, postea vidit perfectissimè. lib. 10. cap. 21.

Tibi dabo claues regni cælorũ.

Cæsaream Philippi petit, discipulos rogat: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Petro cælorum claues, summumque pollicetur pontificatum. lib. 10. cap. 22. & seq.

Præcipit discipulis, vt nemini dicant se esse Messiam, passionem suam illis prædicit, & resurrectionem, Petrumque aliud suadentem repellit. lib. 10. cap. 25.

Prædicit passionem Dominus.

De abnegatione agit cum discipulis crucemque tollenda, & martyrio. lib. 10. cap. 26. & 27.

Abnegatio

Postquam de passione egit, tranfiguratum se tribus Apostolis ostendit in mõte Thabor. Apparent Moyses, atque Elias, cum quibus de Passione colloquitur, quam discipulis prædixerat. lib. 10. cap. 28. & 29.

Transfiguratio.

Post transfigurationem quæstionem proponunt Christo discipuli, de aduentu Eliæ, quem viderant in monte Thabor. Respondet Eliam persona, ante Messiam in secundo aduentu vẽturum: Eliam spiritu, id est, Ioannem Baptistam venisse ante primum. lib. 10. cap. 30.

Elias.

Descendentem ex monte Thabor Dominum turba stupefacta salutat, Dæmonem pellit, quem discipuli pellere nequiuerant. In ieiunio, & oratione dæmones docet eiiciendos. lib. 10. cap. 31.

Pellitur dæmon.

Prædicit iterum discipulis passionem, & resurrectionem: venit Caphaanaum; soluit mirabiliter tributum, statere in ore piscis reperto. lib. 10. c. 32.

Soluit Dominus tributum.

In via, qua Capharnaum petebant de primatu discipuli disputant, humilitatem docet magister, proposito ante oculo paruulo, cui nos vult fieri similes. De scandalis agit, & angelis custodibus. lib. 10. cap. 33. & 34.

Quis putas maior est in regno cælorum.

Postquam de scandalis egit, agit de correctione fraterna. lib. 10. cap. 35. & 36.

Rogat Petrus; *Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vsque septies?* Respondet Dominus, semper fratri esse ignoscendum, nulloq; numero esse coarctandam remissionem. Parabolam proponit Regis, qui decem millium talentorum debitum remisit, & serui, qui centum denarios remittere noluit. lib. 10. cap. 37. & 38.

Si peccauerit in te frater.

Parabola Regis qui dimisit decem millia talenta.

Post hæc ex Galilæa discessit Dominus in Iudæam, vbi ad crucem vsque permansit, quod sequens tomus fauente Deo indicabit.

INDEX

INDEX SINGVLORVM EVANGELISTARVM CAPITA INDICANS,

quæ hoc Tomo II. explanantur.

D. MATTHÆI CAPITA.

Cap. 3.



ENIT *Ioannes Bapt. prædicans in deserto, &c.* quære lib.1. cap. 1.

Tunc venit Iesus ad Ioan. vt baptizaretur, ab eo, vsque in finem capitis, lib.1.cap.12.

4. *Ductus est Iesus in desertum.* lib.2.cap.1. & seq. illud.

Cùm audisset quòd Ioannes traditus esset, secessit in Galilæam. lib.4.cap.9. Pars secunda capitis; *& relicta Nazareth, habitauit in Capharnaum, &c.* item, *circuibat totam Galilæam*, vsque in finem capitis. lib.5.c.1. de vocatione Petri, Andreæ, &c.

Ambulans iuxta mare vidit duos fratres, &c. lib.5. ca.4.

5. De beatitudinibus, lib.7.cap.1. & seq.

Vos estis sal terræ, &c. ibid.

Nisi abundauerit iustitia vestra, &c. ibid.

Audistis quia dictum est antiquis: Non occides, &c. lib.7. cap.17.

Non mœchaberis, &c. lib.7.cap.19

Non iurare omnino, &c. lib.7.cap.20.

Oculum pro oculo, &c. lib.7.cap.21.

Diligite inimicos vestros, &c. lib.7.cap.22.

6. *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, &c.* lib.7.cap.23.

Cùm oratis non eritis sicut hypocritæ, &c. lib.7. cap.24. Oratio Dominica *Pater noster qui es in cœlis, &c.* lib.7.cap.24.

Cùm ieiunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes, &c. lib.7. cap.25.

Nemo potest duobus dominis seruire, lib.7.cap.26.

7. *Nolite iudicare, vt non iudicemini, &c.* lib.7. cap.28.

Petite, & dabitur vobis, &c. ibid. & cap.29.

Intrate per angustam portam, ibid.

Attendite à falsis Prophetis, &c. vsque ad finem capitis, lib.7.cap.30.

8. *De leproso,* lib.8.cap.2.& 3.

De centurione, lib.8.cap.4.&.5.

De socru Petri sanata, lib.5.cap.8.

Vespere autem facto, &c. lib.5.cap.9.

Vulpes foueas habent, &c. lib.5.cap.11.

De sedata tempestate, lib.5.cap.15,

De dæmoniis expulsis in regione Gerasenorum. lib.5. cap.17.

9. *De paralytico,* lib.5.cap.19.

De vocatione Matthæi, lib.5.cap.21.& 22.

De quæstione proposita à discipulis Baptistæ, lib.5.cap.23.

De filia archisynagogi, & hæmorrhoussa, lib.5. cap.24. & 25.

De duobus cœcis, & dæmonio muto, lib.5.cap.26.

10. Totum, *De missione Apostolorum*, lib.9. cap.11. & seq.

11. *De nuntio Ioannis, tu es qui venturus es? &c.* lib.8. cap.8.

12. *Discipuli spicas vellunt,* lib.6.cap.9.& 10.

De manu arida sanata, & testimonia Isaiæ, lib.6.cap.11.

De dæmone muto eiecto, de blasphemia Iudæorum, de petitione miraculi ex cælo, lib.8.cap.15.16.& seq.

Ecce mater & fratres stabant foris, &c. lib.8.cap.21.

13. *De parabolis, seminantis, zizaniorum, grani sinapis, fermenti, thesauri absconditi, margaritæ, sagenæ,* lib.9. cap.1.& seq.

De aduentu in patriam Nazareth, lib.9. cap.10.

14. *De carcere Ioannis,* lib.4.cap.8.

De nece Ioan. lib.9.cap.16.& 17.

Secessit inde, lib.9.cap.18.

De saturatione quinque millium hominum, lib.10.cap.1. & 2.

Ambulans super aquas venit ad discipulos, lib.10. cap.3. & 4.

15. *Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? &c.* lib.10.cap.10,

Populus hic labiis me honorat, &c. ibid.

De Chananæa, lib.10.cap.13.& 14.

De saturatione quatuor millium hominum, lib.10.ca.17. & 18.

Venit in fines Magedan. lib.10.cap.19.

16. *De petitione miraculi ex cælo,* lib.10.cap.19.

Cauete à fermento Pharisæorum, &c. lib.10.cap.20.

Tibi dabo claues regni cælorum, &c. lib.10. cap.22.23. & 24. Reliqua pars capitis 16. Matth. explicatur, lib.10.cap.25.& 26.

17. *De Transfiguratione,* lib.10. cap.28.& seq. Reliqua pars capitis explanatur, eodem lib. cap.30. & seq.

18. *Quis putas maior est in regno cælorum? &c.* lib.10. cap.33.&c.

Si peccauerit in te frater tuus, &c. lib.10.cap.35.& 36.

De parabola Regis qui talenta remisit, lib. 10. cap.37. & 38.

Capita D. Marci.

Cap. 1. DE *Baptista,* lib.1.cap.1.

De Baptismo Christi, lib.1.cap.12.

De tentationibus & ieiunio Domini, lib.2.cap.1.

Postquam traditus est Ioann. venit Iesus in Galilæam, &c. lib.5.cap.1.

De vocatione Petri, &c. lib.5.cap.4.

De expulso dæmone in synagoga, lib.5.cap.7.

De socru Petri, lib.5.cap.8.

Afferebant ad Dominum ægros, lib.5. cap.9. sequentia explicantur, lib.5.cap.11.

De leproso sanato, lib.8.cap.2.& 3.

2. *De paralytico,* lib.5.cap.19.

De vocatione Matthæi, lib.5.cap.21.

Et erant discipuli Ioannis & Pharisæi ieiunantes, &c. lib.5.cap.23.

De discipulis vellentibus spicas, lib.6.cap.9.& 10.

3. *De manu arida,* lib.6.cap.11.

De electione Apostolorum. lib.6.cap.13.

Et veniunt domum, &c. & *De dæmone muto eiecto*, lib.8. cap.15.

Et veniunt mater eius, & fratres, &c. lib.8.cap.21.

4. *De parabolis,* lib.9.cap.1.& seq.& cap.5.6.& 7.

De tempestate, lib.5.cap.15.

5. *De legione dæmonum in porcos,* lib.5.cap.17.

De filia Iairi, lib.5.cap.24.

6. *De aduentu Christi in patriam Nazareth,* lib.9.cap.10.

De missione Apostolorum, lib.9.cap.11.

De carcere Ioannis, lib.4.cap.8.

De nece, lib. 9. cap. 16.
De reditu Apostolorum, lib. 9. cap. 18.
De quinque millibus saturatis, lib. 10. cap. 1. & 2. Reliqua pars capitis, lib. 10. cap. 3.
7. *De reprehensione Pharisæorum*, lib. 10. cap. 10.
De Chananæa, lib. 10. cap. 13. & 14.
De sanato surdo & muto, lib. 10. cap. 15.
8. *De saturatione quatuor mill. hominum*, lib. 10. cap. 17.
De signo petito ex cælo, lib. 10. cap. 19.
Cauete à fermento Pharisæorum, &c. lib. 10. cap. 20.
De sanato cæco, lib. 10. cap. 21.
Quem me dicunt esse homines? &c. lib. 10. cap. 22. & 23. Reliqua pars capitis vsque in finem. lib. 10. cap. 25. & 26.
9. *De transfiguratione*, lib. 10. cap. 28. & 29. Cætera quæ sequuntur explanantur, lib. 10. c. 30. 31. 32. 33.

Capita D. Lucæ.

Cap. 3. De *Ioanne Baptista*, lib. 1. cap. 1. & seq.
De carcere Ioannis, lib. 4. cap. 8.
De baptismo Christi, lib. 1. cap. 12.
De genealogia Christi, quære tom. 1. lib. 5. cap. 29.
4. *De ieiunio Christi, & tentationibus*, lib. 2. cap. 1.
Et regressus est in Galilæam, &c. lib. 5. cap. 1.
De aduentu in patriam Nazareth, lib. 9. cap. 10.
De expulsione dæmonis in synagoga, lib. 5. cap. 7.
De socru Simonis sanata, lib. 5 cap. 8. Reliqua pars capitis explicatur, lib. 5. cap. 9. & 11.
5. *Ascendit in nauim Simonis, &c.* lib. 5. cap. 4.
De leproso, lib. 8. cap. 2.
De paralytico, lib. 5. cap. 19.
De vocatione D. Matthæi, lib. 5. cap. 21.
Quare discipuli Ioannis ieiunant? &c. lib. 5. cap. 23.
6. *Discipuli spicas vellunt*. lib. 6. cap. 9.
De manu arida sanitati restituta. lib. 6. cap. 11.
De electione Apostolorum, lib. 6. cap. 13.
De sermone in loco campestri, lib. 8. cap. 1.
7. *De centurione*, lib. 8. cap. 4. & 5.
De filio viduæ in vitam reuocato, lib. 8. cap. 6.
De nuntio Ioannis. Tu es qui venturus es? lib. 8. cap. 8.
De conuersione Magdalenæ, lib. 8. cap. 12.
8. *De parabola seminantis, &c.* lib. 9. cap. 1.
Venerunt ad illum mater, & fratres, lib. 8. cap. 21.
De tempestate sedata, lib. 5. cap. 15.
De legione dæmonum in porcos ingressa, lib. 5. cap. 17.
De filia archisynagogi à mortuis excitata, lib. 5. cap. 24.
9. *De missione Apostolorum*, lib. 9. cap. 11.
Audiuit Herodes, lib 9. cap. 16.
Reuersi Apostoli narrauerunt, &c. lib. 9 cap. 18.
De saturatione quinque millium hominum, lib. 10. cap. 1.
Quem me dicunt esse turbæ? lib. 10. cap. 22.
Oportet Filium hominis multa pati, &c. lib. 10. cap. 25.
Abneget semetipsum, & tollat crucem, lib. 10. cap. 26.
De Transfiguratione, lib. 10. cap. 28.
De ejecto Dæmone. lib. 10 cap. 31. & Reliqua pars capitis exponitur, lib. 10. cap. 32. & 33.
11. *De dæmone muto*, lib. 8. cap. 15. &c.
De petitione signi ex cælo. Si oculus tuus fuerit simplex, &c. ibid.

Capita D. Ioannis.

Cap. 1. pars. De *plenitudine eius nos omnes accepimus, &c.* lib. 2. cap. 12.
De legatione Iudæorum ad Ioannem, lib. 2. cap. 13.
Ecce agnus Dei, &c. lib. 2. cap. 16.
De vocatione Andreæ, Petri, Philippi, & Nathanaëlis, lib. 2. cap. 18. vsque ad finem.
2. *De nuptiis Cana*, lib. 3. cap. 1.
De expulsione vendentium ex templo, lib. 3. cap. 7. vsque ad finem capitis.
3. *De colloquio cum Nicodemo*, lib. 4. cap. 1.
De baptismo discipulorum Christi, lib. 4 cap. 6.
De testimonio Baptistæ, vsque ad finem capitis, lib. 4. cap. 6.
4. *De Samaritana*, lib. 4. cap. 9.
Abiit in Galilæam, &c. & de Regulo, lib. 4. cap. 14.
5. *De piscina*, lib. 6. cap. 1.
De dictis Christi post sanatum ægrum apud piscinam, lib. 6. cap. 5.
6. *De saturatione quinque millium hominum*, lib. 10. cap. 1.
De S. Eucharistia, &c. & reliqua quæ re lib. 10. ca. 3. & cap. 5. & 6. & 7. & 8.

Cætera capita, quæ à principio Euangelistarum desiderantur, explanata sunt tomo. 1.

CENSV-

GENSVRA OPERIS.

TOMVM hunc ſecundum Commentariorum Doct. SEBASTIANI BARRADAS, olim in Academia Eborenſi Sacræ paginæ Profeſſoris, ex ſacra Religione Societatis Ieſu, ad caput decimum octauum D. Matthæi incluſiuè vidi, & omni animi ſtudio perlegi; nihilque in eo offendi bonis moribus, aut ſanctorum Patrum dictis, aut denique Fidei orthodoxæ definitionibus repugnans. Imò eſt opus non ſolùm Scripturæ ſacræ ſtudioſis, ſed etiam diuini verbi concionatoribus vtiliſſimũ, in quo ſapientiſſimi Patris doctrina, & Chriſtiani pectoris pietas, atque in explicandis difficillimis ſacri textus ſenſibus fœlicitas, & ingenium, ad animaſque in cœleſtis beatitudinis deſiderium inflammandas vis, & efficacia magnopere cernitur. Quare in communem omnium vtilitatem, & commodum typis debet mandari. Olyſſipone, in Conuentu D. Franciſci Denxobregas, anno Domini 1603. die 4. Iunij.

Fr. Ludouicus ab Angelis.

FACVLTAS SVPREMI INQVISITIONIS CONCILII.

POTEST typis mandari ſecundus hic tomus Comment in Euangelia. 5. Iunij 1603.

Marcus Teixeira. *Ruy Pires da Veiga.*

FACVLTAS ORDINARII.

POTEST typis mandari ſecundus hic tomus Comment. in Euangdlia. 9. Iunij, 1603.

Simão Borges.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV *in Luſitania.*

EGO Antonius Maſcarenhas Societatis IESV in prouincia Luſitaniæ Prouincialis, poteſtate ad hoc mihi facta, à Reuerendo admodum Patre noſtro Claudio Aquauiua, Præpoſito noſtro Generali, facultatem concedo, vt tomus ſecundus Comment. in Euangelia, eorumque concordiam à Patre SEBASTIANO BARRADAS noſtræ Societatis, Sacræ Theologiæ Doctore, & ſacrarum literarum profeſſore compoſitus, eiuſdemque Societatis Patrum iudicio iam approbatus, typis mandetur. Olyſſipone 3. Aprilis, 1604.

Antonius Maſcarenhas.

SEBASTIANI BARRADAS E SOCIETATE IESV DOCTORIS THEOLOGI COMMENTARIORVM IN QVATVOR EVANGELIA EORVMQVE CONCORDIAM

TOMVS SECVNDVS.

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

De præcurſore Chriſti Ioanne Baptiſta.

MATTH. CAP. III.

IN diebus autem illis venit Ioannes Baptiſta, prædicans in deſerto Iudææ, & dicens: Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum. Hic eſt enim, qui dictus eſt per Iſaiam Prophetam dicentem: Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius. Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos; eſca autem eius erat locuſtæ, & mel ſilueſtre. Tunc exibat ad eum Ieroſolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem, & baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata ſua. Videns autem multos Phariſæorum, & Sadducæorum venientes ad baptiſmum ſuum, dixit eis: Progenies viperarum, quis demonſtrauit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. Et ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham: dico enim vobis, quoniam potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Iam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur Ego quidē baptizo vos in aqua, in pœnitentiam: qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt, cuius non ſum dignus calceamenta portare: ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto & igni: cuius ventilabrum in manu ſua; & permundabit aream ſuam, & congregabit triticum ſuum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.

MARC. CAP. I.

INITIVM Euangelij Ieſu Chriſti, filij Dei: ſicut ſcriptum eſt in Iſaia Propheta: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit vitam tuam ante te. Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius. Fuit Ioannes in deſerto baptizans, & prædicans baptiſmum pœnitentię in remiſſionem peccatorum, & egrediebatur ad eum omnis Iudææ regio, & Ieroſolymitæ vniuerſi: & baptizabantur ab illo in Iordanis flumine, confitentes peccata ſua. Et erat Ioannes veſtitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos eius: & locuſtas, & mel ſilueſtre edebat. Et prædicabat dicens: Venit fortior me poſt me; cuius non ſum dignus procumbens ſoluere corrigiam calceamentorum eius. Ego baptizaui vos aqua, ille verò baptizabit vos Spiritu ſancto.

LVC. CAP. III.

ANNO autem quintodecimo imperij Tiberij Cæſaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, Tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius Tetrarcha Iturææ, & Trachonitidis regionis, & Lyſania Abilinæ Tetrarcha, ſub Principibus Sacerdotum Anna & Caipha: factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem, Zachariæ filium, in deſerto. Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum: ſicut ſcriptum eſt in libro ſermonum Iſaiæ Prophetæ: Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius. Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur. Et erunt praua in directa, & aſpera in vias planas: & videbit omnis caro ſalutare Dei. Dicebat ergo ad turbas, quæ exibant vt baptizarentur ab ipſo: Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira? facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, & ne cœperitis dicere, Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Iam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur: Et interrogabant eum turbæ, dicentes: Quid ergo faciemus? reſpondens autem dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet eſcas, ſimiliter faciat. Venerunt autem & publicani, vt baptizarentur, & dixerunt ad illum: Magiſter quid faciemus? At ille dixit ad eos: Nihil amplius, quàm quod conſtitutum eſt vobis, faciatis. Interrogabant autem eum & milites, dicentes: Quid faciemus & nos? & ait illis: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis; & contenti eſtote ſtipendiis veſtris. Exiſtimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Ioanne, ne fortè ipſe eſſet Chriſtus: reſpondit Ioannes, dicens omnibus: Ego quidem aqua baptizo vos. Veniet autem fortior me, cuius non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamentorum eius: ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto & igni. Cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Multa quidem & alia, exhortans, euangelizabat populo.

CA-

CAPVT I.

De tempore, quo Ioannes à Deo miſſus eſt.



ANNO *xv. imperij Tiberij Cæſaris*. Expoſuimus ſuperiori tomo ea, quæ de diuina humanaque generatione, & Chriſti Optimi Maximi infantia, ac pueritia, Euangeliſtę memoriæ prodiderunt. Reliquum eſt, vt ad ea exponenda gradum faciamus, quæ in virili ætate admirabiliter geſſit. In primis verò de præcurſore agendum eſt, quem antequam Sol ſplendidiſſimus optatiſſimum orbi vultum oſtenderet, nouum veluti luciferum præmiſit. Tempus quo præmiſſus eſt Lucas indicauit: *Anno* (inquit) *quintodecimo imperij Tiberij Cæſaris, quo Pontius Pilatus Iudæam prouinciam adminiſtrabat: Galilæa imperabat Herodes, filius infanticidæ Herodis: Iturææ & Trachonitidis regionis principatum obtinebat Philippus, huius Herodis frater: Abilinæ dominabatur Lyſanias: Principes verò ſacerdotum erant Annas & Caiphas:* ex eremi latebris Ioannes exire iuſſus à Deo eſt: & in conſpectum hominum ſe dare.

Luca 3.

Ætas Chriſti & Ioannis.

Chriſti ætas tunc viginti nouem annorum erat: Ioannes verò ſex menſibus anteibat. Natus enim Chriſtus eſt anno 42. Auguſti Cæſaris: is autem 56. annis imperio potitus eſt, vt ait Euſebius in chronico & alij. Vixit ergo Chriſtus, Auguſto imperante, annis quatuordecim. Succeſſit Auguſto Tiberius. Anno Tiberij decimo quinto, annorum erat Dominus viginti nouem.

Cur Lucas Romani meminerit Imperatoris.

Nec verò abſque cauſſa Lucas & tempus & Principes memorauit: id quod Prophetæ quoque faciunt: quoniam ad oſtendendam hiſtoriæ veritatem, temporis perſonarumque notatio pondus habet. Et Prophetæ quidem Iſraëlitarum Reges memorant. At Lucas Romani Imperatoris annos ſupputat, propterea quod Iudæa in prouinciam iam redacta, Romanorum parebat imperio. Imperatori addit Iudææ Præſidem, Iudæorum Pontifices, tetrarchas quoque, Herodem & reliquos.

Tiberius, Romanorũ Imperator tertius.

Tertius Romanorum Imperator fuit Tiberius. Iulius Cæſar Romanæ Reipublicæ formam mutauit, & ad monarchiam traxit. Poſt annos verò tres, viginti tribus vulneribus confoſſus, è vita imperioque abiit. Attulere vulnera Cæſari mortem, ſed non attulere Reipublicæ libertatem. Etenim quod Iulius fecit, Auguſtus perfecit. Primùm quidem (vt ſcribit Suetonius capite octauo) cum Marco Antonio Marcoque Lepido, deinde tantùm cum Antonio, per duodecim ferè annos, nouiſſimè per quatuor & quadraginta ſolus, Rempublicam felix Imperator tenuit. Adeò verò felix habitus eſt, vt vſque ad Iuſtiniani tempora (teſte Platina in vita Euariſti ſummi Pontificis) in creatione Principum acclamatum fuerit: Felicior ſit Auguſto, ac Traiano melior. Summam orbis felicitatem illius vidit imperium: nempe tot optatum ſęculis Chriſti Optimi Maximi diem natalem, totius felicitatis parentem. At eam, & quidem maximam habuit infelicitatem tanta Auguſti felicitas, quod ſuo natum tempore, cæli terræque Imperatorem, nec coluit, nec nouit. Vrbem Romam, teſte Suetonio, capite vigeſimo octauo, ita excoluit, vt iure ſit gloriatus, marmoream ſe relinquere, quam lateritiam accepiſſet.

Felicior Auguſto, Traiano melior, in creationibus Imperatorum acclamatum.

Auguſtus Romã lateritiam accepit, marmoream reliquit.

Meliori iure gloriari poteſt multo Auguſtior Auguſto Petrus, cæleſtem ſe feciſſe Romam, quam Tartaro addictam inuenit. Petri enim in terris Dei vices gerentis, cæleſti cathedra, cæleſtibuſque clauibus ita eſt adornata: vt cęleſtis potius vrbs, quàm terreſtris meritò debeat appellari. Dabat olim orbi iura terrena, nunc iura dat cæleſtia: in corpora dominatum olim obtinebat, nunc obtinet in ipſos etiam animos: ligabat olim, ac ſoluebat ferreis compedibus carnem, nunc ligat, ſoluitque ſpiritualibus vinculis ſpiritus. Lateritiam Romam accepit, marmoream, immò auream reddidit Petri cathedra.

Petri cathedra Romã lateritiam accepit, aureã reddidit.

Auguſto Cæſari Tiberius Cæſar ſucceſſit: viginti tribus annis principatu potitus eſt. Eo imperium adminiſtrante, Chriſtus Optimus Maximus in Crucem actus; tertio die in vitam immortalis rediit, totique terrarum orbi Euangelium promulgari iuſſit. Non obſtitit Tiberius Euangelij promulgationi, quin potius fauit. Chriſtianorum enim accuſatoribus, vt Tertullianus ſcribit in Apologetico, capite quinto, periculum comminatus eſt, retulitque ad Senatum, vt Chriſtus Deus haberetur. Vetus, ait Tertullianus, erat decretum, ne quis Deus ab Imperatore conſecraretur, niſi à Senatu probaretur. Tiberius, cuius tempore nomen Chriſtianum in ſæculum introiuit, annuntiatum ſibi ex Syria Palæſtinæ, quod illic veritatem illius diuinitatis reuelauerat, detulit ad Senatum, cum prærogatiua ſuffragij ſui; Senatus, quia non in ſe probauerat, reſpuit. Cæſar in ſententia manſit, comminatus periculum accuſatoribus Chriſtianorum, &c. Oroſius item libro ſeptimo, capite quarto: Tiberius cum ſuffragio magni fauoris retulit ad Senatũ, vt Chriſtus Deus haberetur. Senatus indignatione motus, cur non ſibi prius, ſecundum morem delatum eſſet, vt de ſuſcipiendo cultu prius ipſe decerneret, conſecrationem Chriſti recuſauit, &c.

Tertull.

Tiberius ad Senatum retulit vt Chriſtus Deus haberetur.

Oroſius.

Quæ autem in Iudæa Chriſtus egerat, ea ad Tiberium ſcripſiſſe Pilatum Tertullianus teſtatur, eiuſdem libri capit. 21. Ea, inquit, omnia ſuper Chriſto Pilatus, & ipſe iam pro ſua conſcientia Chriſtianus, Cæſari tum Tiberio nuntiauit. Euſebius quoque lib. 2. Hiſtor. cap. 2. Factum eſt, ait, vt ea quæ de reſurrectione Seruatoris noſtri per totam Palæſtinam vulgata fuerant, Tiberio communicauerit Pilatus, adiectis etiam portẽtis, quæ de eo audierat. Et Oroſius loco indicato: Pilatus, inquit, ad Tiberium & Senatum retulit de paſſione & reſurrectione Chriſti, conſequentibuſque virtutibus, quæ vel per ipſum palàm factæ fuerant, vel per diſcipulos eius fiebant. Et de eo quod creſcente plurimorum fide Deus crederetur, &c. in Anacephalæoſi Hegeſippi exſtat de Chriſti rebus geſtis epiſtola Pilati. Scripſit quidem Pilatus; ſed an illa illius ſit epiſtola, iudicent alij.

Pilatus ad Tiberium Imperatorẽ de Chriſto ſcripſit. Euſebius.

Oroſius.

His igitur quæ à Pilato acceperat, & ex publicis fortè monumentis, prætore Pilato, ſcriptis (quorum Iuſtinus in apologia ad Antoninum, de paſſione Chriſti agens, illis verbis meminit: Hæc geſta eſſe ex iis actis, quæ Pontio Pilato Prætore facta ſunt, perſpicere poteſtis) Permotus Tiberius Chriſtum Diis voluit annumerari. At inter fictitios Deos referri & Senatus auctoritate, ac approbatione Deus haberi Chriſtus noluit. Nec enim Senatus commendatione & approbatione vera diuinitas indigebat; nec inter falſos Deos, ſed ſolus cum Patre, & Spiritu ſancto, Diis omnibus commentitiis abiectis

Acta publica Prætoris Pilato in Iudæa. Iuſtinus.

Cur Chriſtus à Senatu Romano non ſit in numerum Deorum receptus.

Eusebius l. 2. hist. c. 2.

iectis, Christus colendus erat. Vnde Eusebius causam reddens, cur, quod Cæsar de Christo proposuerat, Senatus non approbarit: Factum, inquit, est illud verè ex hac caussa; quòd salutaris illa diuinæ prædicationis doctrina nulla opus habebat humana approbatione & commendatione, &c.

Suetonius.

Huic Imperatori cùm suaderent Præsides, vt Suetonius ait, in eius vita cap. 32. onerandas tributo prouincias rescripsit: Boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere: hoc est, lanam, non pellem detrahere. Significabat hac sententia, boni esse Imperatoris ac Regis prouincias tributis immodicis minimè onerare: Idem prouinciarum Præsides cum muscis contulit; quod vt muscę sanguinem vlceris, sic illi prouincialium opes sugerent. Lege Iosephum libr. 18. antiquit. capit. 8. Scribit eodem libro capite tertio idem auctor, Herodem Tetrarcham in amicitiam Tiberij receptum, vrbem iuxta mare, siue lacum Galilææ condidisse, & à Tiberio Tiberiadem appellasse. Hæc illa est Tiberias, cuius apud Ioannem mentio fit: *Abiit*, inquit, IESVS *trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis.*

Imperator bonus prouincias immodicis tributis non onerat.

Prouinciarũ Præsides muscis similes.

Tiberias à Tiberio dicta Ioan. 6.

PROCVRANTE *Pontio Pilato Iudæam*. Græcè ἡγεμονεύοντος, id est, Præsidem agente, & prouinciæ Iudææ curam gerente Pilato. Iudææ Præses datus est Pilatus post Valerium Gratum, teste Iosepho libro 18. Antiquit. capite 3. Erat Gratus quartus Iudæorum Præses à Romanis missus, Pilatus quintus fuit. Primus Coponius, secundus Marcus Ambiuius, tertius Annius Ruffus, quartus Valerius Gratus, quintus Pilatus. Quintum tamen vocat Iosephus Gratum, quoniam inter Præsides nominat Cyrinum, siue Quirinum, qui Iudæos descripsit. Sed is fuit Præses Syriæ, vt Lucas ait cap. 2. Præfuit Iudææ annos decem Pilatus, teste eodem Iosepho, eodem lib. cap. 5. Missus in prouinciam est anno Tiberij duodecimo, vt docet Euseb. libr. 1. Histor. capit. 9. Lege quæ diximus tom. 1. lib. 5. in fine capitis vigesimi octaui.

Præsides Iudææ à Romanis missi vsque ad Pilatum. Iosephus.

Herodes ille primus, qui infantes occidit, tres filios in vita reliquit, Archelaum, Herodem Antipam & Philippum. His paternum diuisit regnum Cæsar Augustus, vt Iosephus docet libro 17. antiquit. capit. 13. & lib. 2. de Bello, capit. 4. Mediam, inquit, regni Herodis partem dedit Cæsar Archelao; reliquam dimidiam in duas tetrarchias diuisit, duobusque aliis Philippo & Antipæ attribuit, &c. Archelao Iudæa est tradita; sed decimo Principatus anno ad Cæsarem delatus, vt idem Iosephus scribit lib. 17. antiquit. cap. 15. regno priuatus est, & in exsulium Viennam missus, vbi Galliæ. Iudæa verò tunc in prouinciam redacta, contributaque Syriæ, eodem Iosepho teste, à Romanis moderatoribus deinceps procurata, quorum quintus Pilatus fuit.

Iudæa redacta in prouinciã.

Is eodem, quo Archelaus supplicio affectus, in eandemque vrbem Galliæ Viennam dicitur relegatus, totque exagitatus calamitatibus, vt manus sibi intulerit. Orosius lib. 7. cap. 5. Pilatus tantis, irrogante Caio, angoribus coarctatus est, vt sua se transuerberans manu, malorum compendium mortis celeritate quæsierit, &c. Eusebius lib. 2. Hist. cap. 7. Neque illud, inquit, ignorari debet, Pilatum, imperante iam Caio, in tantas & tam graues, vt fertur, calamitates incurrisse, vt propria sibi manu mortem conscisceret, &c. Ado in chronico: Pilatus perpetuo exsulio Viennæ recluditur, &c. Suidas Græcus, verbo, Nero, scribit Pilatum à Nerone capite obtruncatum, quod Christum absque Romani Imperatoris iussu occiderit. Philo in libro de legatione ad Caium pag. 863. illius crimina his verbis recensetur: Veritus est, ne si mitteretur legatio, cetera quoque detegeret eius crimina, venditas sententias, rapinas, iniurias, clades, tormenta, crebras cædes indemnatorum, crudelitatem sæuissimam, &c. eodem loco, pertinacis durique ingenij fuisse significat. Lege Iosephum lib. 18. antiquitat. capit. 3. & 4. & libr. 2. de Bello cap. 8.

Pilatus multis exagitatus calamitatibus à Caio.

TETRARCHA *autem Galilææ Herode.* Tetrarcha Princeps dicitur, qui Regis caret nomine; proprie is appellatur, qui quartæ alicuius regionis parti imperat. Herodes autem hic est, qui Ioannem Baptistam occidit, & Christum Optimum Maximum illusit. Easdem quas Archelaus & Pilatus pœnas subiit, à Caio Imperatore, Tiberij successore, mulctatus perpetuo exsulio, apud Lugdunum vrbem Galliæ, vt Iosephus narrat lib. 18. antiq. capit. 9. Libr. autem 2. de Bello capit. 8. Scribit in Hispaniam fugisse, & in Hispania obiisse. Ab Herodiade sollicitatus Romam petiit, vt regium honorem sibi compararet; sed vbi regnum se inuéturum sperauit, ibi inuenit exsulium; documentum relinquens posteris, vt sua quisque sorte contentus viuat. Quam administrabat Galilææ tetrarchiam Herodi Agrippæ largitus est Caius Imperator; duas quoque reliquas tetrarchias, Philippi & Lysaniæ, eidem tradidit.

De Herode Tetrarcha.

Herodes relegatus.

Fuit hic Agrippa infanticidæ Herodis nepos, ex filio Aristobulo, quem vita pater priuauerat. Cùm verò venisset Romam, maximis coluit officiis Caium adhuc priuatum; extensisque manibus à Deo petiuit aliquando celeriter vt Caium, mortuo Tiberio, Imperatorem videre concederet. Hanc ob caussam Tiberij iussu in vincula est coniectus. Paucos post menses voti compos factus, mortuo Tiberio, Caium Imperatorem vidit. Is hominem restituit libertati. Parum hoc; accersitum ad se domum, tonderi, vestemque mutare præcipit; impositò deinde regio diademate, tetrarchiæ, quæ Philippi fuerat, Regem constituit, adiecta Lysaniæ quoque tetrarchia; & pro ferrea catena auream dat, pari pondere. Inuidit regium diadema fratri soror Herodias: Agrippæ enim soror erat Herodias. Itaque Herodem Tetrarcham, cui pro vxore erat, eò impulit, vt Romam nauigaret ad Imperatorem. Apud quem per litteras ab Agrippa accusatus, quod optabat minimè assecutus est, quod verò habebat amisit. Lege Iosephum libr. 18. antiquit. capit. 8. & 9. & libr. 2. de Bello capite 8.

Agrippa Herodes Rex creatus à Caio Imperatore.

Herodias, quæ peccati caussa fuit, fuit etiam caussa supplicij, & exsulij.

PHILIPPO *etrarcha Iturææ, & Trachonitidis regionis.* Philippus hic Herodis primi filius fuit & Tetrarcha Iturææ; quæ regio in sorte erat Tribus Nephtalim, ad Libani montis radices. Tetrarcha quoque Trachonitidis regionis. Ea verò vltra Iordanem est, in sorte dimidiæ Tribus Manassæ, prope Libanum & Damascum. Hæc terra Hus esse dicitur, in qua Iob habitauit. Lege Adrichomij Theatrum terræ sanctæ, & Bochardum prima parte cap. 4. §. 11. Fuit Philippus, vt scribit Iosephus lib. 18. antiquit. capit. 6. vir perpetuo modestus, & amator quietis ac otij, degebatque semper in ditione sua. Obiit anno principatus Tiberij vigesimo. Quoties domo progrederetur, teste eodem Iosepho, cum paucis selectis comitibus faciebat iter, sella subsequente, in qua sedens iura solebat reddere. Siquis verò ex occursu opem eius implo-raret, absque procrastinatione, mox sella posita residẽs, caussam cognoscebat; aut fontem damnaturus, aut innoxium absoluturus. Egregium sane iudicibus Regibusque cunctatoribus, expediendi velociter litium nodos, exemplum propositum.

Ituræa vbi & Trachonitis regio.

De Philippo Tetrarcha.

Philippum sella sequebatur, in qua ius dicebat.

Iudices cũctatores.

Ab

Ab hoc Philippo & à Cæſare dicta eſt Cæſarea Philippi, vrbs, quæ aliis nominibus Dan & Paneas appellatur, prope Libanum montem ſita; vbi duo fontes celeberrimi Ior & Dan commiſcentur, fluuiumque Iordanem coniunctis aquis efficiunt. Hanc enim ille tetrarchiæ ſuæ ſedem elegit, vt Adrichomius ait, & mirabilibus ædificiis inſtaurauit, nouoque nomine Cæſaream Philippi dixit. Erat hæc vrbs terminus regionis Iſraëliticæ verſus Septentrionem, quemadmodum Berſabee verſus Auſtrum. Hinc illud: *Cognouit vniuerſus Iſrael à Dan vſque Berſabee, quod fidelis Samuel Propheta eſſet Domini.* Et: *Dixit Dauid ad Ioab; Vade, numera populum à Dan vſque Berſabee.* Similiter aliis locis. Significantur his verbis duo regionis termini, Septentrionalis & Auſtralis.

Cæſarea Philippi.

1. Reg. 3. 1. Reg. 24.

LYSANIA *Abilinæ Tetrarcha.* Nicephorus lib. 1. cap. 18. Beda in Lucam, Caiet. & alij, exiſtimant hunc Lyſaniam Herodis infanticidæ filium fuiſſe, fratrem Herodis Tetrarchæ & Philippi. Sed opinio falſa eſt. Nam Ioſephus inter Herodis primi filios nullum Lyſaniam numerat; numeraſſet autem, ſi filius fuiſſet atque heres. Quiſnam fuerit latet; neque verò id inueſtigare magni eſt momenti. Abilina Regio & tetrarchia prope tetrarchiam erat Philippi, iuxta, vel in monte Libano, vt ex Ioſepho colliges, lib. 19. antiquit. cap. 4. Abilam, inquit, Lyſaniæ, & quæcumque in Libano erant monte, adiunxit Claudius Agrippæ, &c. Abila vrbs fuit, ab vrbe Abilina Regio eſt appellata. Meminit Abilæ Plinius lib. 5. capit. 18. Lucas autem huius tetrarchiæ meminit, quoniam ceteris vicinus erat.

An Lyſanias fuerit filius Herodis primi?

Ioſephus.

SVB *Principibus Sacerdotum Anna & Caipha.* Non ſatis fuit diuo Lucæ Romani imperij moderatorem, Iudææ Præſidem, Galilææ, Trachonitidis, Iturææ Abilinæque Tetrarchas commemorare; etiam Iudaici ſacerdotij Principes iis adiungit. *Sub Principibus*, inquit, *Sacerdotum Anna & Caipha.* Cur autem duos eo anno Sacerdotum Principes nominarit, difficile eſt explicatu. Etenim vt compertum ex diuinis litteris eſt, Sacerdotum Princeps, ſiue Pontifex in populo Iſraëlitico vnus tantùm erat, non duo, aut plures.

Luc. 3. Cur Lucas eodem anno Ti. Tiber. Cæſar. duos Principes Sacerdotũ nominarit?

In primis, dicet aliquis, Lucam hoc loco duos Pontifices nominaſſe, vt annos, quibus Chriſtus Opt. Maxim. poſt baptiſmum ad mortem vſque docuit, indicaret. Cuius ſententiæ videtur Euſebius lib. 1. hiſt. cap. 10. Iam verò, ait, ſacra ſcriptura aſſerit Chriſtum omne tempus doctrinæ, & prædicationis ſuæ, ſub Anna & Caipha, Principibus Sacerdotum, confeciſſe. Quo argumento oſtendere vult vniuerſum tempus, quo ſalutarem Euangelij cognitionem enunciarit, eo annorum ſpatio, quod inter horum miniſterium intercedebat, omnino fuiſſe expletum. Quandoquidem hoc ipſum prædicandi munus ordiebatur, Anna ſummo ſacerdotio fungente, idemque ad Caiphæ procurationem continuabat; quod temporis ſpatium vix integrum quadriennium efficit. Hæc ille. Inter Annam autem & Caipham quadriennium interceſſiſſe probat Euſebius ex Ioſepho libr. 18. cap. 4. quo capite ſcribit, ab Anna ad Caipham vſque, quatuor ſummos Sacerdotes interfluxiſſe. Ioſephi hæc ſunt verba: A Tiberio Cæſare quintus Iudæorum Præſes miſſus eſt Valerius Gratus. Hic, adempto Anano ſacerdotio, Iſmaelem iuſſit eſſe Pontificem; quo paullo poſt deiecto, in Eleazarum, Anani Pontificis filium, eum honorem tranſtulit; elapſo deinde anno & hunc redegit in ordinem, & Simoni pontificatum tribuit. Hic quoque anno in hac dignitate exacto, iuſſus eſt eam cedere Ioſepho, qui cognominabatur Caiphas, &c. Ab Anano igitur, ſiue Anna, vſque ad Caipham quatuor fuere Pontifices: Annas, Iſmael, Eleazarus, Annæ filius, Simon; poſt hos Caiphas Annæ gener. Sed quid ex his verbis Ioſephi Euſebius inferat, videamus. Perſpicuum, inquit, eſt vniuerſum tempus, quo Saluator noſter euangelicam doctrinam in finibus Iudææ diſſeminauit, non quatuor omnino annos integros complexum eſſe. Qua temporis intercapedine, quatuor ſummos Sacerdotes, ab Anna vſque ad deſignatum Caipham, annuum obiiſſe miniſterium conſtat, &c.

Euſebij ſententia.

Ab Anna vſque ad Caiphã interfluxit ſex integrum quadriennium. Ioſephus.

At verò hæc obiicimus Euſebio. Chriſtus baptizatus eſt anno xv. Tiberij Cæſaris; poſteaque docere incœpit. Hoc autem anno nec erat Pontifex Annas, nec Iſmael, nec Eleazarus, nec Simon, nec fuit poſtea ex iis quiſquam à Valerio Grato creatus: ergo tempus prædicationis Chriſti non eſt expletum, ea temporis intercapedine, qua ij pontificatum geſſerunt. Illud ſolum confirmandum reſtat, nec anno xv. Tiberij Cæſaris, nec poſtea pontificatum geſſiſſe illos ſacerdotes. Confirmatur autem hunc in modum. Nullus ex illis Pontificibus functus eſt ſummo ſacerdotio poſt diſceſſum Grati ex Iudæa. Nam ille, vt ex Ioſepho liquet, omnes pontificatu expulit. Gratus autem prouinciam Iudæam ante Pilatum adminiſtrauit: ergo nec procurante Pontio Pilato, & anno xv. Tiberij Cæſaris; nec poſtea illi Pontifices à Grato ſunt creati, & à pontificatu eiecti. Iam ante hunc annum, cuius Lucas meminit, illa temporis intercapedo tempore Valerij Grati exacta erat; ideoque Euſebij ſententia falſa eſt. Præterea Annas, vt ex Ioſepho conſtat loco indicato, Pontifex fuit pluribus annis, à Coponio Præſide primo, vſque ad Gratum Præſidem quartum, à quo pontificatu eſt priuatus. Cur igitur Euſebius vnum tantum annum illi tribuet? Cur etiam Iſmaeli tribuet alterum, quem Ioſephus paullo pòſt creationem ſummo ſacerdotio abdicatum ait? Denique, diuus Lucas, vt legenti exploratum erit, annum illum voluit indicare, quo Ioannes ad docendum miſſus eſt; non autem annos, quibus Chriſtus eſt concionatus.

Refutatur ſententia Euſebij.

Aliam reddit rationem diuus Auguſtinus, cur Lucas Annam Caiphæ adiunxerit: ſcilicet, quia viciſſim pontificatu hi duo fungebantur; tractatu 113. in Ioannem: Alternis, ait, intelligendi ſunt agere ſolere ambo Pontifices, qui erant Annas & Caiphas, quos Lucas commemorat capite tertio. Proinde iſti ambo Pontifices viciſſim ſuos annos agebant, &c. Et tractatu 49. ad illa verba Ioannis: *Cùm eſſet Caiphas Pontifex anni illius:* Poteſt, inquit, mouere, quomodo Caiphas dicatur Pontifex anni illius, cùm Deus vnum conſtituerit ſummum Sacerdotem, cui mortuo vnus ſuccederet. Sed intelligendum eſt, per ambitiones & contentiones inter Iudæos poſtea conſtitutum, vt plures eſſent ſummi Sacerdotes, & per annos ſingulos vicibus miniſtrarent, &c. Hanc rationem reddit etiam Caietanus: Non quòd eſſent, inquit, ſimul Principes Sacerdotum: ſed alternatim Annas & Caiphas. Eandem ſequitur Ianſenius & Maldonatus.

Sententia Auguſtini.

Per ambitiones & contentiones conſtitutũ: vt plures eſſent Pontifices.

Non placet cauſſa; quoniam diuus Lucas, annum vnicum ac certum vult ſignare, quo cœpit Ioannes concionari. Quod ſi alternatim pontificatu fungebantur Annas & Caiphas, incertum annum indicat, cùm duos Pontifices nominat,

Refutatur ſententia.

quorum alter tantùm Pontifex erat illo anno. Præterea ex Ioſepho conſtat, non adminiſtraſſe alternatim ſummum Sacerdotium Annam & Caipham. Annas enim, vt ille teſtatur, à Cyrenio eſt creatus Pontifex, geſſitque pontificatum ad tempora vſque Valerij Grati; ab hoc Iudææ Præſide honore priuatus eſt. Neque verò illi ſucceſſit Caiphas, ſed vt iam dictum eſt Iſmael, Iſmaeli Eleazarus, Eleazaro Simon, Simoni Caiphas, Caiphæ, qui honore potitus eſt ad Vitellium vſque, non Annas, ſed Annæ filius Ionathas ſucceſſit. Quodnam ergo eſt huius alternationis fundamentum?

Quo tempore fuerit Pontifex Annas.

Lyrani tertia eſt ratio: Quia, inquit, Annas erat ſummus Sacerdos, quando Ioannes cœpit prædicare, & Caiphas, quando paſſus eſt Chriſtus: ideò Lucas de iſtis duobus tantùm mentionem fecit. Et Dionyſius Carthuſianus: De his, ait, duobus facit Euangeliſta mentionem, quia ad Chriſti magis pertinent paſſionem: frequentius quoque dicuntur ſibi in pontificatu ſucceſſiſſe: & quod affinitate coniuncti fuerunt, &c. Ex Bedæ commentariis in Lucam petitur hæc ratio: Incipiente, inquit, prædicatione Ioannis, Annas & Caiphas Principes Sacerdotum fuere. Sed Annas illum annum, Caiphas verò eum, quo Dominus Crucem aſcendit, adminiſtrabat: & quidem tribus aliis in medio, pontificatu perfunctis. Verùm iis maximè, qui ad Domini paſſionem pertinerent, ab Euangeliſta commemoratis, &c. At hæc ratio litteralis minimè eſt. Etenim Lucas, vt diximus, certum annum vult indicare, quo Ioannes cœpit docere: quorſum igitur illius meminit Pontificis, qui poſt aliquot annos, Chriſto mortem ſubeunte, Pontifex fuit, tunc autem Pontifex non erat? Præterea quod ait Beda & Lyranus, Annam fuiſſe Pontificem cùm Ioannes docere cœpit, falſum eſſe ex Ioſepho oſtenditur. Annam enim Valerius Gratus Præſes, antequam Pilatus in Iudæam veniret, pontificatu priuauit: nec poſtea Pontifex creatus eſt, ſed alij, vt Ioſephus teſtatur: ergo tempore, quo Pilatus Rempublicam adminiſtrauit, anno decimo quinto Tiberij, non erat Annas Pontifex, ſed Caiphas, qui Pontifex creatus eſt à Grato, cui ſucceſſit Pilatus, iisque annis, quibus Pilatus Iudææ imperauit, pontificatum geſſit vſque ad Vitellium. Lege Ioſephum lib. 18. antiquit. cap. 4. & 6.

Sententia Bedæ & Lyrani.

Refutatur ſententia.

Card. Cæſar Baronius quartam profert rationem, cur Caiphæ Pontifici adiunxerit Euangeliſta Annam: ſcilicet, quia Annas illius magni concilij, vel iudicij princeps erat, quod Synedris appellatur. Huiuſmodi autem honore præcelluiſſe illud indicat, quod ad Annam, priusquam ad Caipham Pontificem, Chriſtus Optim. Maxim. Ioan. 18. ductus eſt. Indicant idem verba illa Act. *Factum eſt, vt congregarentur Principes eorum, & Seniores, & Scribæ in Ieruſalem, & Annas Princeps Sacerdotum, & Caiphas, & Ioannes, & Alexander, & quotquot erant de genere Sacerdotali.* En tibi magnum concilium Synedrin. Antefertur autem Caiphæ Pontifici Annas. quæ cauſſa? videlicet, quoniam concilio præerat.

Card. Baronij ſententia in annalibus.

Act. 4.

Verùm hæc forſitan minimè probant opinionem. Cur enim Chriſtus prius ad Annam ductus fuerit, quàm ad Caipham, longè diuerſam cauſſam refert Ioannes: *Adduxerunt*, inquit, *eum ad Annam primum: erat enim ſocer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius.* Quòd ſi illa alia cauſſa vera erat, hanc reddere non oportebat: quis enim cauſſam exſpectaret, cur ad Principem concilij deferretur Dominus, ad quem deferri neceſſe erat? Secundus locus ex Actis apoſtolicis ſuadet potius Annam tunc temporis fuiſſe Pontificem. Nam Princeps Sacerdotum Annas appellatur eo loco; Caiphas verò nullo inſignitur titulo: erat ergo Annas Princeps Sacerdotum; Caiphas verò pontificatu iam exceſſerat. Obijcies: Ex Ioſepho, vt dictum eſt, colligitur Caipham fuiſſe ſummo Sacerdotio functum toto Pilati magiſtratu: atque adeò hoc tempore, de quo ſermo in Actis apoſtolicis habetur: Ergo non erat tunc temporis ſummus Sacerdos Annas. Reſpondemus Ioſephum non omnia ſcripſiſſe: potuit igitur creari Annas Pontifex illo anno, rurſusque poſtea Caiphas. Quòd ſi hæc ſententia non placet, cauſſam reddat is, cui non placet; cur Caiphas Pontifex, Pontificis nomine non appelletur à Luca Act. 4. Annas verò Princeps Sacerdotum nominetur. Numquid conſeſſus, nomen Pontificis Pontifici detrahebat? numquid, quòd adeſſet Præſes Annas, ſuo nomine fraudandus erat Sacerdos ſummus illius populi? His adde, concilio illi ipſum Pontificem præeſſe ſolitum, non alium, cùm de rebus ad fidem attinentibus agebatur. Quamobrem Caiphas tunc præfuit, cùm in Chriſtum Optimum, Maximum Matthæi 26. ſententia dicta eſt. Quod ſi velis Caipham fuiſſe pontificem Act. 4. non Annam, vt ex Ioſephi ſcriptis ſupra collegimus, dicito Annam appellari Principem Sacerdotum, quòd Pontifex iam fuiſſet, præponique Caiphæ, quòd illius ſocer eſſet ætate prouectior, Caipham verò Pontificem appellare noluiſſe Euangeliſtam, quòd pontificatus ille typicus, vero Petri pontificatu iam eſſet obliteratus. Denique parum curauit in Actis Lucas illorum Sacerdotum ordinem ac dignitates; quorum ſacerdotium finem iam per Chriſti Crucem acceperat.

Sententia Auguſtini.

Ex diuo Auguſtino tractatu 49. in Ioannem elicitur ratio quinta. Fortè, inquit, vnum annum plures ſummi Sacerdotes adminiſtrabant, quibus alio anno alij ſuccedebant, &c. Reſponderi ergo poteſt, vtrumque Annam & Caipham fuiſſe ſummos Sacerdotes ſimul, illo anno decimo quinto Tiberij Cæſaris, ſocerum & generum: atque ideò à Luca vtrumque commemoratum. Hæc ratio paucis obiectionibus conuelli poteſt. Si enim obijcias non fuiſſe fas duos Sacerdotes pontificatu ſimul fungi: reſpondebitur, nec fuiſſe fas viuentem Pontificem pontificatu priuare: vt hoc, ſic illud factum eſſe. Si probes ſolum fuiſſe Pontificem Caipham, non autem Annam, ex Ioanne: *Adduxerunt*, inquit, *eum ad Annam primum: erat enim ſocer Caiphæ, qui*, ſcilicet Caiphas, *erat Pontifex anni illius.* Reſpondebitur, Chriſto patiente non fuiſſe Pontificem Annam, fuiſſe tamen anno decimo quinto imperij Tiberij Cæſaris, de quo Lucas loquitur. Adde Ioannem aſſeruiſſe Caipham fuiſſe Pontificem; non tamen dixiſſe, ſolum fuiſſe Pontificem: non ergo probant verba illa, Annam non fuiſſe ſimul cum Caipha Principem Sacerdotum illo etiam anno. Confirmatur hæc ſententia ex apertis Lucæ verbis: *Principibus*, inquit, *Sacerdotum Anna & Caipha.* A ſolito enim loquendi modo non receſſit Euangeliſta: ſolitus autem loquendi modus indicat illo anno XV. Tiberij, quem ſignat, Principes Sacerdotum fuiſſe hos duos. Hæc igitur ſententia ſequenda, vel ea, quam huic mox adiungam.

Annas & Caiphas ſimul Pontifices fuerũt illo anno.

Ioan. 18.

Sub Luca 3.

Reſpondemus tandem propoſitæ quæſtioni, propterea duos eo anno Principes Sacerdotum à Luca nominatos, quoniam duos anno illo pontificatu fungi præter morem ac fas contigit. Vel potius reſpondemus Caipham ſolum fuiſſe Pontificem,

tificem, nominatum autem ſimul Annam, quòd Pontifex iam fuiſſet, quòd inter reliquos Sacerdotes auctoritate Princeps, quòd Caiphæ Pontificis ſocer, quòd eiuſdem in pontificatu coadiutor eſſet. Credibile enim eſt generum pontificatus honorem cum ſocero, qui Pontifex iam fuerat, communicaſſe. Euthymius in Lucam ſentit, Annam, illo anno Tiberij decimo quinto, pontificatum geſſiſſe; coadiutorem verò fuiſſe Caipham. Sed ex Ioſepho iam oſtendimus Pontificem fuiſſe Caipham, potius quàm Annam; ideoque dicimus hunc illius coadiutorem fuiſſe. Euthymius tamen ab hac opinione ſtat, cuius hæc ſunt verba: Coniunxit Euangeliſta Caipham tamquam adiutorem: erat enim gener Annæ, & communem inter ſe gubernationem habebant. Siquidem, etiam poſtmodum Annas opitulabatur Caiphæ in pontificatu illius. Hæc ille. Opitulatum autem, ait, Annam Caiphæ in pontificatu eo tempore, quo ad illum Chriſtus Opt. Maxim. Ioannis 18. vinculis conſtrictus, adductus eſt.

Sententia ſequenda.

A qui in eremo, ab omni hominum conſortio alienus, latebat: iuſſuſque eſt ſummi Regis aduentum Iudæorum auribus inſonare.

His verbis oſtendit Lucas, Ioannem non vſurpaſſe ſibi docendi officium, ſed à Domino miſſum eſſe, tamquam Prophetam verum. *Quomodo enim prædicabunt*, ait Paullus, *niſi mittantur?* ſicut ſcriptum eſt: *Quàm ſpecioſi pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona*, &c. O ſpecioſos Ioannis pedes, Ioannis, inquam, optatiſſimam pacem euangelizantis, cunctisque ſæculis exſpectata Meſſiæ bona iam adeſſe nuntiantis. Quod ſi ſpecioſi pedes, quàm ſpecioſa erat lingua, quàm ſpecioſa vox, quàm ſpecioſum pœnitentia ſqualidum corpus, quam ſpecioſus omnium virtutum decore ſplendeſcens animus? Verbum Domini factum eſt ſuper Vocem, hoc eſt, ſuper Ioannem, qui Vox Verbi erat. Silebat in eremo Vox, prodire iuſſa eſt à Verbo, & circa Iordanis vndas perſonare, Verbum iam loqui, Agnum peccata mundi tollentem indicare.

Ioannes miſſus à Deo.

Rom. 10. Iſaiæ 52.

B

Quanam ex eremo prodire iuſſa ſit dubium eſt. In triplici eremo verſatus dicitur Ioannes, vt ſcribit Antonius Aranda, ex ſacra diui Franciſci familia monachus, terræque ſanctæ explorator, in deſcriptione prouinciæ Iudææ, capite 37. Ab vrbe Ieruſalem quinque milliaribus diſtans exiguus pagus templum habet, omni ex parte egregia pictura decoratum, eoque loco, in quo olim domus erat Zachariæ & Eliſabethæ, exædificatum. In templo ſacellum viſitur ſanctiſſimo Baptiſtæ ortu venerabile. Huic alterum propinquum eſt templum, quod etiam dicitur fuiſſe Zachariæ domus: etenim oſtenditur in illo locus ille felix, in quo Deiparam Virginem Eliſabetha ſummo excepit cum gaudio. Ab hoc loco paruo, vnius milliaris ſpacio, profunda ſeiungitur vallis & anguſta. In latere vallis rupes eſt; in rupe exciſum antrum; in antro puerili ætate Ioannes habitaſſe fertur. Hæc vallis prima dicitur fuiſſe Ioannis eremus, ab Hieroſolymis diſtans 6. milliaribus, cuius aſperas cautes monachi quondam Baptiſtæ veſtigiis inhærentes coluerunt.

Ioannes in triplici eremo verſatus eſt.

De eremis, in quibus vixit Ioannes.

Prima Ioannis eremus.

C

D

Proiectiore ætate in alterum locum diſceſſiſſe aiunt, & in eremo latuiſſe, quæ prope vrbem Hebron eſt, ab Ieroſolymis verſus Auſtrum leucis 8. diſiuncta. In hac ſecunda eremo, ait indicatus auctor, vitam degiſſe Baptiſtam, cùm factum eſt Verbum Domini ſuper illum. Ex hac, iuſſu Dei, egreſſus, in vaſtam illam ſolitudinem venit, quæ cis fluuium Iordanem eſt, non longè ab Hiericho & Hieruſalem; quæ tertia eſt eremus.

Secunda eremus.

Tertia eremus.

In Prato ſpirituali, quod exſtat tom. 2. Bibliothecæ Patrum, capite 1. monachum quendam, qui montem Sinai petebat, & in paruam quandam ſpeluncam ægrotus diuerterat, non procul à Iordane; diuus Ioannes his verbis dicitur allocutus: Ego ſum Ioannes Baptiſta, & ideo tibi iubeo vt nuſquam recedas. Nam ſpelunca iſta breuis, maior eſt monte Sina; quippe in hanc ſæpius Dominus noſter Ieſus, cùm me viſitaret, ingreſſus eſt: Pollicere ergo mihi quòd hic habitabis, & ego mox tibi ſanitatem reſtituo. Monachus ſpopondit ſe in eadem ſpelunca permanſurum, & continuo ſanus effectus; perſeuerauit ibidem toto ſuæ vitæ tempore. Speluncam verò illam fecit Eccleſia; congregauitque fratres; appellatur autem locus ille Sapſas. Hæc ex Prato.

E

Speluncæ Baptiſtæ.

CAPVT II.

De eremis Ioannis & loco, in quem miſſus venit.

FACTVM *eſt verbum Domini ſuper Ioannem, &c.* Illa erat Iudaicæ Reipublicæ forma miſerrima, quam ſuperiori vidimus capite. Rege Iudæi carebant, Romanorum iugo premebantur: Tiberio Imperatori Pilatoque Præſidi, hominibus ethnicis, obtemperabant: regnum in Tetrarchias erat diſcerptum; pontificatus quoque, qui vnum tantùm Pontificem flagitabat, in multos lacerabatur. En terram illam promiſſionis Abrahamo à Deo promiſſam: En regionem Abrahami poſteris poſt longum tempus traditam: En terram lacte & melle manantem, ad quam, poſt tot eremi labores Iſraëlitæ peruenerunt: En regnum Dauidis viri ſanctiſſimi, Salomonis, Ezechiæ, Ioſiæ: En domum Iacob de populo eductam barbaro, tot Dei beneficiis cumulatam, tot opibus locupletatam, tot ornamentis decoratam, quot ſacræ prædicant litteræ. Libet cum Marco Tullio, officiorum libr. 1. exclamare: O domus antiqua, heu quàm diſpari dominaris domino. Dominus tuus Tiberius Cæſar eſt, ſimulacrorum cultor: Præſes tuus Pilatus eſt, veri Dei inſcius: Romanis idololatris obtemperas, quæ olim ſanctiſſimis obtemperabas Regibus: Pontificatus tuus, nec ſanctimoniæ meritis, nec generis claritati, ſed nunc his, nunc illis, idololatrarum tribuitur voluntate. Hoc tua meruere crimina. Sed ecce criminum aduenit expiator: Ecce adeſt Rex, cuius ſuaui iugo ſi ſubiicias colla, mala effugies omnia. Si nondum videtur, iam per eremi ſolitudines vox eius auditur. *Factum eſt*, ait Euangeliſta, *verbum Domini ſuper Ioannem, Zachariæ filium, in deſerto*. En vocem Regis tui Ioannem, vias illi præparantem: para viam, excipe Regem. Heu, parabis crucem, crucifiges Regem: crucifixo Rege, quæ ruinam iam minitaris, rues.

Reipub. Iudaicæ forma miſerrima.

Cicero.

Luc. 3.

Cùm igitur aduentus inſtaret magni Meſſiæ, magnique Verbi Dei, & Vox eſſet, quæ viam pararet præmittenda, tali digna Verbo: Factum eſt verbum Domini ſuper Vocem, id eſt, Ioannem,

Adrichom. Adrichomius in descriptione tribus Iudæ, numero 101. puerum Ioannem non iuxta paternam domum; sed longè ab illa, in deserto Iudææ vixisse ait, & in eo pœnitentiam prædicasse. Rursus in tribu Beniamin, numero 97. Quarentanam desertum esse scribit, inter Ierusalem & Hiericho, quod incipit iuxta Anathoth, & extenditur supra Galgala vsque ad desertum Techuæ & Engaddi, iuxta mare mortuum. Hìc ait commoratum Ioannem, extructumque eius in memoriam templum ac monachorum cœnobium; hìc venientem ad se Christum, vt baptizaretur, digito demonstrasse. Hìc Christum ieiunium 40. dierum seruasse. De deserto hæc satis. Iam dicendum quò abire ex deserto iussus sit magnus Baptista.

Desertũ Iudææ, in quo Baptista est cõmoratus.

Ioannes non venit in opida Iudææ.

VENIT *in omnem regionem Iordanis.* Iussus est Ioannes in omnem Iordanis regionem exire, ait diuus Lucas. Dubium est, an vrbes & pagos, qui in regione illa erant percurrere iussus sit, ibique concionari? Respondendum, non fuisse iussum percurrere, ac ingredi opida, quæ in regione Iordanis sita erant, sed in solitudine, quæ iuxta Iordanem erat, officio suo fuisse functum. Probatur ex Matthæo: *In diebus*, inquit, *illis venit Ioannes Baptista, prædicans in deserto Iudææ*, &c. Marcus item: *Fuit Ioannes in deserto baptizans.* & Isaias: *Vox clamantis in deserto.* Concionabatur ergo non in opidis, sed in solitudine. Adde illa verba Christi apud Matth. *Quid existis in desertum videre arundinem vento agitatam? &c.* Exibant ergo Israelitæ ad Ioannem videndum & audiendum in desertum. Quod etiam Marcus docet, & Matth. his verbis: *Exibat ad eum Ierosolyma & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem, & baptizabantur ab eo, &c.* Itaque in deserto, non vrbibus & pagis munus suum Ioannes obibat. Lucas ait: *Venit Ioannes in omnem regionem Iordanis*: Matthæus verò ait: *Exibat ad Ioannem omnis regio circa Iordanem*; Græcè dicitur vtroque loco, περίχωρος Ἰορδάνου, id est, *circum regio Iordanis.* Ioannes venit ad regionem Iordanis, & regio Iordanis venit ad Ioannem; quoniam Ioannes ex deserto egressus, in quo latuerat, in desertum, quod circa Iordanem est, venit. Incolæ verò regionis illius, quæ Iordani adiacet, ad Ioannis verba audienda, baptismumque percipiendum, aliique ex aliis locis plurimi confluxerunt.

Matth. 3. Marci 1. Isaiæ 40.

Ioannes non percurrebat opida, sed in deserto concionabatur.

Matth. 11. Marci 1. Matth. 3.

Luca 3. Matth. 3.

Marci 6. Oppono dictis. Herodes Tetrarcha, teste Marco: *Audito Ioanne multa faciebat, & libenter eum audiebat*: Ergo Ioannes Herodis aulam, vrbemque ingrediebatur, nec solùm in solitudine concionabatur. Sanè non leue dubium est; Num Ioannes ad Herodem, an potius Herodes ad Ioannem iuerit? Nam Ioannem ad Herodem non iuisse suadet aspera illius vita, ab vrbibus hominumque, præcipuè aulicorum consuetudine maximè disiuncta. Vnde illud Christi apud Matth. *Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt*; quasi diceret, Ioannem à domibus Regum longè abfuisse. Atqui Herodem ad audiendum Ioannem venisse, regius dissuadet fastus. Illud quoque dissuadet magnopere, quòd ad videndum, & audiendum Christum nunquam venerit. Passionis enim tempore, vt Lucas ait: *Viso Iesu gauisus est valde, erat enim cupiens ex multo tempore videre eum*: Ergo nunquam viderat, aut audiuerat. Si verò ad Ioannem ire consueuisset, Christum quoque aliquando adiisset.

An Ioannes ad Herodẽ iuerit.

Matth. 11.

Luca 23.

Respondeti potest, concedendum potius Herodem venisse ad Ioannem in eremum; quàm Ioannem iuisse ad Herodem. Neque enim videtur verisimile vocem clamantis in deserto in aulam se intulisse. Neque obstat regius Herodis fastus: regium enim erat audire conciones, præsertim Ioannis viri admirabilis.

Non iuit Ioannes ad Herodem.

Cur verò ad Christum audiendum non venerit, caussa est ignota. Fortè causssa fuit, quia Ioannes certo loco se continebat, & concionabatur; Christus loca multa percurrebat, nec certum concioni locum aut tempus destinabat. Apud Chrysostomum aliud inuenies; videlicet, Baptistam non solùm in eremo versatum; verùm in vrbes quoque venisse: In sollennitatibus, inquit, in ciuitatem veniebat Ioannes, vt in medium Dei doctrinam proponeret, & ex miraculis vtilitatem. Inde sæpe Iordanem petebat; semper autem in frequentioribus locis versabatur, studio vt prodesset quàm plurimis, &c. Sed in codicibus emendatioribus hæc non de Ioanne, sed de Christo dicuntur. De Christo autem intelligenda probatur; quia Ioannes nullum fecit miraculum: in iis autem verbis significatur eum miracula feciisse, quod est falsum.

Cur Herodes nõ venerit ad audiendum Christum. Chrysost. hom. 28. in Ioan.

Petit hic locus vt de Iordane fluuio dicamus, cuius tum hìc, tum alibi sæpe in sacris litteris mentio fit. Israëlitarum regionem Iordanis alluit. Tribus celebrioribus prouinciis Orientalis est, Galilææ, quæ Septentrionem spectat, Iudææ, quæ ad Austrum vergit, & Samariæ, quæ vtramque interiacet. A Septentrione fluit in Austrum. Oritur enim prope Cæsaream Philippi, quæ Israëliticæ regionis terminus est Aquilonaris. Duos habet fontes, alter Ior, alter Dan nominatur; qui prope Cæsareæ portam confluentes, & fluuium coniunctis aquis efficiunt, & Iordanis nomen coniunctis nominibus illi præbent. Oriuntur autem hi fontes ex Panio & Phiala.

De Iordane fluuio.

Panium, vt scribit Iosephus lib. 15. antiq. cap. 13. spelunca est in monte Libano amœnissima, eique subiecta in immensum hians terræ deuexitas, plena aquis stagnantibus. Sub spelunca scatent Iordanis fontes. Phiala lacus est, siue fons, de quo idem auctor sic scribit: *Phiala est, quà in Trachonitidem ascenditur, ad 120. stadium à Cæsarea, ad dexteram, non longè a via.* Et propriè quidem ex rotunditate Phiala dicitur, lacus rotæ speciem præferens. Semper autem intra eius labra vnda cohibetur, numquam deficiens, vel exuberans, &c.

Panium & Phiala, vnde Iordanis oritur.

Iosephus l. 3. de Bello c. 18

Iordanis verò aquas ex Phiala originem ducere Philippus Tetrarcha deprehendisse fertur, missis in Phialam paleis, quæ in Panium peruenerunt. Iosephus loco indicato: Iordanis, inquit, fons Panium esse videtur; sed re vera huc terra conditus fertur ex ea, quæ vocatur Phiale. Cumque hoc esse Iordanis principium nesciretur, à Tetrarcha Trachonitidis Philippo deprehensum est. Is, namque missis in Phialam paleis, inuenit eas apud Panium redditas; vnde antea fluuius nasci credebatur. Oritur ergo, teste Iosepho, Iordanis, occulto ortu, ex Phiala lacu vel fonte, qui à Cæsarea Philippi 120. stadiis distat. Ex antro Panio manifestum flumen incipit. Vnde Plinius: *Iordanis*, inquit, *oritur è fonte Paneade, qui cognomen dedit Cæsareæ, &c.* Nam Cæsarea Philippi dicitur etiam Paneas.

Tetrarcha deprehendit aquas Phialæ in Iordanem fluere missis paleis

Plin. l. 5. cap. 15.

Duorum fontium Ior & Dan, diuus Hieronymus Matthæi 16. meminit, his verbis: *Iordanis oritur ad radices Libani, & habet duos fontes, vnum nomine Ior, alterum Dan, qui simul mixti Iordanis nomen efficiũt.* In libro verò de locis Hebraicis: *Iordanis*, ait, *a loco Dan sortitus est nomẽ; Ior quippe, fluuiũ siue riuũ Hebræi vocãt.* Hoc loco putat Iordanẽ dici fluuiũ Dan, id est, vrbis Dan: Cæsarea enim iuxta quam oritur, appellabatur Dan. Fluuio similis sæpe dicitur vita hominis, & quidem

Hieron.

quidem Iordani similis est. Nam Iordanis fluuium significat iudicij; vita verò nostra vt fluuius iudicij labitur perpetuò, seuero tandem iudicio examinanda.

Iordanis cursus. In Aquilone ortus Iordanis iuxta Cæsaream Philippi, Austrum versus pellucidis aquis, Tago nostro minor, labitur; & cœnosas primùm Semechonitis lacus paludes secat. Hinc in alueum receptus, per 120. stadia funditur, auctore Iosepho, lacumque alterum influit, qui dicitur Genesar, siue Genesareth, siue mare Tiberiadis. Deinde vastam per solitudinem mare mortuum petit; à quo, vt Plinius ait, lib. 5. cap. 15. postremò ebibitur, aquasque laudatas perdit pestilentibus mixtas. Heu quot Iordanes mare mortuum ebibit; quot præclara ingenia crystallinis fluentia aquis, quot præclara corpora, quot præclaros ebibit animos mundus. Laudatas aquas, vt Plinius ait, pestilentibus maris mortui aquis mixtas Iordanis perdit; laudibus digna ingenia, vires, opes, naturæque nobiles dotes, pestilentibus mortui mundi moribus mixtas, homines corrumpunt. Denique, quemadmodum Iordanis amœnus fluuius, vt Plinius testatur, & quatenus locorũ situs patitur ambitiosus, in mare mortuum influit; ita homines etsi omni diuitiarum, voluptatum, honorumque amœnitate floreant, in mortem illabuntur.

Plinius.

Iordanis laudatas aquas pestilentibus mixtas perdit, homines laudatos mores pestilẽtibus mixtos corrumpunt.

Adrichom. Abulensis. Iordanis autem longitudo, vt ait Adrichomius, in Tribu Nephtalim, & Abulensis Genes. 13. quæst. 69. qua ab ortu suo, sub monte Libano, vsque ad mare mortuum & desertum Pharan se extendit, centum circiter milliaria conficit. Toto hoc decursu, ait Adrichomius, ex vtraque parte, latis, amœnis, argillosis, & vberrimis campis cingitur. Campi verò vtrimque multis, & altissimis montibus sibi inuicem cohærentibus circumdantur. Hæc de Iordane satis sint: de lacu Genesar, siue mari Tiberiadis dicemus postea.

Vox *clamantis in deserto.* Ioannem in desertum venisse missum à Deo, & in deserto populum docuisse confirmat Lucas, Isaiæ testimonio, petito ex capite 40. Agit illo loco Vates de Messiæ aduentu; felicique nuntio Israëlitas consolatur. *Isaia 40.* *Consolamini*, inquit, *consolamini populo meus, dicit Deus vester.* Verbum ob maximam consolationis caussam repetit. *Loquimini ad cor Ierusalem, & aduocate eam; quoniam completa est malitia eius; dimissa est iniquitas illius; suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis.* Loquimini, inquit, nuntij ad cor Ierusalem, id est, verbis suauibus ac dulcibus lenite dolorem eius. Sic Genes. 50. Hebraicè legitur: *Consolatus est Ioseph fratres suos, & locutus est ad cor eorum*; noster interpres rectè vertit: *Et blandè ac leniter est locutus.* Gen. 34. Sichem locutus est ad cor Dinæ; sic Hebraicè noster interpres transtulit; *tristem deliniuit blanditiis.* Ex quibus sit compertum, *Quid sit loqui ad cor?* loqui ad cor, idem esse, quod leniissimis verbis cum aliquo agere, eumque consolari, vt docet diuus Hieronymus hoc Isaiæ capite. Qui, inquit, mœrenti loquitur, & blandiens consolator est, ad cor loqui dicitur. Consolationis caussa additur: *Quoniam completa est malitia eius*, sic correcta habent Biblia, hoc est, afflictio eius. Ita accipitur *Matth. 6. Quid sit, cõpleta est malitia eius?* malitia apud Matth. *Sufficit diei malitia sua*, id est, labor suus. Septuaginta vertũt in eumdem sensum: *completa est humilitas eius*, id est, humiliatio, siue vexatio eius; à peccatis videlicet & iniquitate, quæ animum maxime affligit. Nomen Hebræum, צבא seba, militiam significat, & pro labore atque afflictione, quæ in militia maxima est, vsurpatur à nostro interprete, & à Septuaginta.

Potest etiam verti: *Completa est malitia eius*; sicut, sub vexillo satanæ: id est, sub peccato. Ideo forsitan interpres vertit: *Completa est malitia eius*; id est, peccatum eius, cuius iugo premebatur: Aliter: Completa est malitia, completum est bellum eius aduersus satanam & peccatum, reportata à Christo victoria. Vel: Completa est militia eius sub Mose, sub Mosis lege; alius adest Dux Christus; sub cuius vexillo deinceps totus orbis militabit.

Seba, etiam dicitur significare tempus statutum ac prescriptum, quale est tempus militiæ. Hac significatione sensus esse potest: Completa est Seba eius, id est, tempus redemptioni destinatum; iam venit plenitudo temporis. Iuxta illud Paulli: *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, &c.* *Galat. 4.*

Sequitur: *Dimissa est iniquitas illius* per Christi sanguinem: *suscepit de manu Domini duplicia*; hoc est, grauissima supplicia pro omnibus peccatis suis. *Recepit duplicia quid sit.* Sed quænam supplicia suscepit Ecclesia pro omnibus peccatis suis? nimirum Christi acerbissimos cruciatus, qui magni ac duplices dicuntur: propterea quòd non exæquarunt solùm peccata omnia, verùm etiam longe superauerunt.

Post hęc, Vates: *Vox*, inquit, *clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur; & erunt prauа in directa, & aspera in vias planas. Et reuelabitur gloria Domini; & videbit omnis caro pariter quòd os Domini locutum est, &c.* De præcursore Messię agit in hunc sensum: Vox Messiam præcurret præcursoris clamantis in deserto: Parate viam Domini, Hebraice יהוה ADONAI, hoc est, Deo, Messiæ venienti viam sternite: *rectas facite Dei nostri Messiæ semitas in solitudine:* & flexa ac distorta itinera dirigite. Translatio sumpta est ex hominum more Regem præstolantium. Hi enim venienti Regi vias muniunt, repurgant, rectas faciunt, obstantia cuncta remouent, si quæ loca sunt elata, ea deprimunt, si quæ sunt depressa, eleuant, viamque totam complanant. Ad hunc morem alludunt verba Baptistæ: *Omnis*, inquit, *vallis implebitur, omnis mons & collis humiliabitur. Et erunt prauа in directa, & aspera in vias planas.* Hoc est, si qui sunt elati montes in media via, solo æquabuntur; si quæ sunt valles depressæ, aggesta humo attollentur; viæ prauæ, id est, flexuosæ ac distortæ, ad rectam normam dirigentur; viæ asperæ, planæ, atque expeditæ fient. Similem in modum loquitur Baruch: *Constituit*, ait, *Deus humiliare omnem montem excelsum, & rupes perennes, & conualles replere in æqualitatem terræ, vt ambulet Israel diligenter in honorem Dei, &c.* Munit autem, & parat viam Deo Messiæ pœnitentia; hæc montes sternit, hæc valles attollit, hæc prauas distortasque vias dirigit. Hanc Ioannes prædicabat.

Vox clamãtis, &c. exponitur. *Isaia 40.* *Luc. 3.* *Omnis vallis implebitur, &c. explicatur.* *Baruch 5.* *Pœnitentia munit Dei viam.*

Sequitur apud Isaiam: *Et reuelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est.* Hoc est, gloria Messiæ Domini in Iudæa mortalibus apparebit. Et videbit omnis homo carne constans, quòd, vel quia os Domini locutum est; os inquam Domini, quod mentiri non potest. Videbit igitur omnis homo oris diuini veritatem, videbit Messiam Patribus à Deo promissum, & tandem post multa sæcula missum. Septuaginta sic habent: *Et videbit omnis caro salutare Dei*; quos secutus est diuus Lucas. Hoc est: Videbit omnis homo in Iudæa à Deo missum Saluatorem. Hoc testimonio Isaiæ explicato tres Euangelistæ vtuntur, Matth. cap. 3. Marcus 1. Luc. 3. Ioannes quoque Baptista à Iudæis *Isaia 40.*

rogatus, eodem, quis esset, indicauit.

Marci 1. Malach. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum.* Diuus Marcus aliud adhibet de Ioanne testimonium, Malachiæ Prophetæ: *Ecce*, inquit Deus, *ego mitto Angelum meum, id est, nuntium meum, & præcursorem Ioannem. Qui præparabit viam ante faciem meam. Et statim post præcursorem veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis; & Angelus testamenti, id est, fœderis, quem vos vultis, id est, Messias.* Appellatur Christus dominator & Rex, quem Iudæi quærebant, & exspectabant: appellatur etiam Angelus testamenti, hoc est, nuntius noui fœderis cum hominibus initi. Nouum enim pactum cum hominibus percussit, nuntiauit verbis, confirmauit sanguine. Verba huius testimonij nonnihil immutauit Marcus, & Christus apud Matth. quibus locis hoc modo legitur: *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Sunt verba Patris filium alloquentis. Idemque sensus est; etsi verba sint aliquantulum immutata.

Testimoniũ Malachiæ explanatur.

Marci 1. Matth. 11.

Exiſtit hoc loco quæstio, quam Diuus Hieronymus in epistola de optimo genere interpretandi proponit, nec tamen soluit. Nam Diuus Marcus hæc Malachiæ verba tribuere videtur Isaiæ; sic enim scribit: *Initium Euangelij Iesu Christi, Filij Dei, sicut scriptum est in Isaia Propheta: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius, &c.* Conflat ergo Euangelista ex duobus vnum testimonium, tribuitque illud Isaiæ Prophetæ; cùm tamen duorum sit prophetarum, Malachiæ & Isaiæ. Ducit autẽ initium Euangelij sui à Ioanne; quoniam præcursor Christi fuit. *Initium*, inquit, *Euangelij Iesu Christi Filij Dei*: quasi dicat: Exordimur Christi Euangelium; hoc illius initium est. Deinde testimonium ex duobus Prophetis adhibet, qui de Ioanne sunt vaticinati. Si Græci codices sequendi essent, facile nodus dissolueretur. In illis enim legitur, hoc modo: *Sicut scriptum est in Prophetis*; scilicet, Malachia & Isaia. Ita legunt Theophylactus, Euthymius, Diuus Irenæus lib. 3. cap. 18. Caietanus & alij. D. Hieronymus putat nomen Isaiæ scriptorum vitio additum; aut certè de diuersis testimoniis vnum corpus effectum. Sed scriptorum vitio nomen Isaiæ non esse additum, constat ex Bibliorum noua correctione, quæ sequenda est. Syriacum quoque Euangelium nomen habet Isaiæ, & codices Latini. Lege notationes Lucæ Brugensis. Auctor quæstionum ex nouo Testamento tom. 4. Augustini, sic respondet: Non potuit, inquit, latere Marcum quid scriberet; nec enim expers erat lectionis, qui ab infantia diuinis litteris imbutus, & exercitatus erat in lege; maximè cùm Apostolos sit secutus. Sciens autem omnia ad Auctorem referenda dicta, hæc ad Isaiam reuocauit, qui sensum istum prior intimauerat, dicens: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri. Denique post verba Malachiæ, statim subiecit Euangelista, dicens: Vox clamantis in deserto; vt jungeret verba vtriusque Prophetę ad vnum sensum pertinentia, sub prioris Prophetæ persona. Hæc ille.

Marci 1.

Exordium Euangelij Marci explicatur.

Respondendum est, illud testimonium contextum quidem esse ex duobus testimoniis, altero Malachiæ, altero Isaiæ: sed Isaiæ tributum, quia præcipuus fuit Vates, ac Malachia prior, idem quod Malachias, si non verbis iisdem, certe sensu eodem vaticinatus est. Itaque scriptum est in Isaia Propheta totum testimonium non verbis iisdem, sed sensu eodem. Vel dicendum, Marcum verba Malachiæ recitasse, nomine Prophetæ prætermisso; Isaiam verò Prophetam clarissimum solum citare A voluisse. Aliter dici potest, verba Marci sic esse dispungenda: *Initium Euangelij Iesu Christi Filij Dei, sicut scriptum est in Isaia Propheta*: Id est: Principium prædicationis euangelicæ, sicut Isaias vaticinatus est, sic se habuit. Venit enim Ioannes præcursor ante Christum, *Vox clamantis in deserto*, sicut Isaias prædixit. Ita Euthymius dispungit, & interpretatur. Ait, inquit, Euangelista, quòd principium nouę Christi legislationis ita fuit, sicut in Prophetis scriptum est, &c. Et Theophylactus: Ioannem vltimum Prophetarum, initium Euangelij esse dicit Euangelista, &c. Quo sensu, verba sequentia Malachiæ non tribuuntur Isaiæ. Nam postea duo testimonia citat, alterum Malachiæ, alterum Isaiæ; sed Prophetas non nominat. Correcta Biblia priorem dispunctionem sequuntur. Sic habent: *Initium Euangelij Filij Dei.* Hoc loco additur punctum. Sequitur: *Sicut scriptum est in Isaia Propheta, &c.* *Marci 1.*

CAPVT III.

De vestitu, cibo & officio Ioannis.

IPSE *autem habebat vestimentum de pilis camelorum, &c.* diximus de tempore, quo missus est Ioannes, & eremis, in quibus est versatus; dicemus hoc loco de vestitu, quo erat amictus, & cibo, quo solebat vti. Ioannis vestimentum, ait Diuus Matth. & Diuus Marcus, ex pilis camelorum fuisse contextum. Erat igitur vile & asperum, quale pœnitentiam prædicanti congruebat. *Matth. 3. Marci 1.*

Mira est Nouatorum nouitas, qui dicere ausi sunt, vestem Ioannis ex pilis camelorum benè fuisse contextam, & ceteris eius loci hominibus vulgarem. Addit vero quidam, iis vestibus fuisse similem, quas vndulatas, Lusitanè *de chamalote* dicimus. Abhorrent à saccina veste, à cilicio & carnis maceratione. Malè illos pungunt camelorum pili. Attamen non eas habent vires, vt magnum Baptistam ornatissimo pœnitentiæ indumento possint exuere. Pœnitentiam Ioannes prædicabat ore, prædicabat etiam corpore, amictuque corporis aspero atque inculto. Prophetarum indumentum saccus erat, siue cilicium, vt indicat illud Zacharię: *Non operientur pallio saccino, vt mentiantur.* Scilicet, falsi Prophetæ. Imitabantur enim veros, vt fallerent. Hieronymus eodem loco: Hic, ait, erat habitus Prophetarum, vt quando populum ad pœnitentiam prouocabant, induerentur cilicio. vnde & Isaiæ cap. 20. præcipitur, vt auferat saccum de lumbis suis, & nudus incedat, nequaquam enim esse tempus pœnitentiæ, sed captiuitatis: hæc Hieronymus. Si ergo Prophetarum habitus saccus erat ac cilicium: quisnam alius habitus Ioannem decuit? Nónne Propheta, imo plusquam Propheta Ioannes erat? Cur igitur cùm alij Prophetæ saccum induerent, plusquam Propheta ad prædicandam pœnitentiam vestem assumpsit vndulatam? Extremo tempore Elias & Enoch in conspectum hominum se dabunt, amicti saccis, vt testatur Euangelista, aduersus Antichristum concionaturi; eundem in modum alter Elias Ioannes, indutus cilicio, in conspectum hominum venit, aduersus scelera declamaturus, Magnoque Messiæ per pœnitentiam viam paraturus. *Haretici pretiosis vestibus indutum fuisse Ioannem volunt.* *Zach. 13.* *Habitus Prophetarum cilicij.* *Apoc. 11.*

Quid existis videre, ait Dominus, *hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt.* Non igitur mollibus tunicis, aut lineis, aut vndulatis vestibus, sed asperis camelorum pilis Ioannes induebatur. Quamobrem illius vestis qualis esset, Euangelistæ exposuerunt; cùm tamen de *Matth. 11.*

de veſte Chriſti ſiluerint. Videlicet, veſtis Chriſti A vulgaris erat, ceterisque Iudæis communis; Baptiſtæ verò indumentum cilicium erat à communi conſuetudine alienum. Gerebat Ioannes, ait *Anſelmus.* diuus Anſelmus, Matthæi 3. habitum pœnitentiæ, dum cilicio camelino indutus eſſet, & cibos ſilueſtres comederet. *Haymo.* Haymo in cap. 11. Matth. Quia, inquit, Ioannes pœnitentiam prædicabat, ipſam pœnitentiam in cibo, potu, & habitu prætendebat. Quaſi diceret populis ad ſe confluentibus; Si ego qui iuſtus ſum abſtinentiam ſector, & vos pœnitentiæ habitum ſumere debetis multo magis, vt veniam conſequamini, &c. *Druthmar.* Druthmarus; Ioannes licet nobiliter natus, delicatè nutritus, tamen in eremum ingreſſus, & auſterè vixit, & auſterioribus B veſtimentis contectus eſt; quia de pilis camelorum *Theophyl.* veſtimentum habuit, &c. Theophylactus: Veſtis Ioannis ex pilis erat, & illum oſtendebat à deliciis *Paulinus.* alienum. Diuus Paulinus epiſtola 10. ad Seuerum: Ioannem pili camelorum hirſuto tegmine veſtiebant, &c. *Bernard.* Bernardus in Sermone de Baptiſta. Venit Ioannes, neque manducans, neque bibens, ait Dominus, plane neque veſtiens. Sicut enim non eſt locuſta cibus, niſi aliquorum fortè irrationabilium animalium; ſic nec pilus cameli humanum eſt indumentum, &c. *Ambroſ.* Ambroſius Sermone 3. de eodem: Quæ maior cauſſa humilitatis in Propheta, quàm contemptis mollibus veſtimentis, pilorum aſperitate veſtiri? Et *Chryſoſt.* Chryſoſtomus homil. 10. in Matth. Ioannes propterea veſtimentum de pilis camelo- C rum habuit, vt habitu quoque ipſo mundi contemptum doceret. Ille habitus pœnitentiæ indicia præferebat, &c. Auctor imperfecti, hom. 3. De aſperioribus ſetis cameli habuit Ioannes veſtimentum, vt ipſa aſperitas ad virtutem patientiæ animum exerceret, &c. Item: Tale Ioannes habebat veſtimentum, vt de virtute animæ eius ipſe habitus corporis loqueretur. Addit: Indicabat in habitu veſtem religioſiorem, non mollem, neque delicatam, ſed cilicinam, grauem & aſperam, & conterentem corpus potius, quam fouentem, &c.

De Zona Baptiſtæ 4. Reg. 1. Et *Zonam pelliceam circa lumbos ſuos.* Ioannis zona pellicea Eliæ zonæ erat ſimilis; qui dicitur zona pellicea accinctus renibus. Sed dubium eſt, num D *An Ioannis Zona carnis adhæſerit? Hieron.* zona hæc ad affligendam carnem corpori ſub veſtibus adhæreret; an veſtes cingeret? Nonnulli exiſtimarunt corpori adhæſiſſe. Quæ videtur fuiſſe Hieronymi ſententia in epiſtola 8. ad Demetriadem: Stupebat, inquit, ad conuerſationem Eliæ & Ioannis Baptiſtæ: quorum vterque zona pellicea aſtrinxit, & mortificauit lumbos ſuos, &c. Atqui non mortificantur lumbi, niſi illis cilicium adhæreat. *Abulenſis.* Abulenſis Matth. 3. ſic ſcribit: Aliqui putant, quòd Ioannes habebat iſtam zonam circa carnem, nullo intermedio; quia dicitur ab Euangeliſta, quòd habebat zonam pelliceam circa lumbos. Non tamen conſtat an ſic haberet; quia poteſt intelligi, quòd haberet zonam iuxta carnem, vel E quòd haberet ſuper veſtem; quia vtroque modo erat ſuper lumbos. Magis tamen videtur conuenire litteræ, quod eſſet iuxta carnem, quàm ſuper veſtes. Hæc ille.

Verum ex zona Eliæ colligitur, Ioannis zonam veſtem ex pilis cameli contextam cinxiſſe. Nam Eliæ zona veſtem cingebat, vt conſtat ex lib. Regum. *4. Reg. 1.* Cùm rogarentur nuntij: *Cuius figuræ & habitus eſt vir ille qui occurrit vobis? reſponderunt: Vir piloſus, & Zona pellicea accinctus renibus.* Viderunt ergo nuntij zonam Eliæ, quoniam veſtem coërcebat. Quòd ſi carni adhæreret, tecta eſſet, nec videri poſſet. Dicitur autem Baptiſta zonam circa lumbos habere; quoniam zona lumbos ſupra veſtem præcingebat: iuxta illud Domini: *Sint lumbi veſtri præcincti.* *Luca 12.*

Esca *eius erat locuſta & mel ſilueſtre.* Ioannis cibus tenuis erat potusque; quod maximè illa Chriſti verba indicant: *Venit Ioannes nec comedens,* *Matth. 11.* *nec bibens:* Hoc eſt, parciſſimo cibo vtens. Veſcebatur autem locuſtis, & melle ſilueſtri, vt Euangeliſtæ teſtantur. Tam de locuſtis, quàm de melle quæſtio eſt: non enim omnes idem ſentiunt.

Nouatores locuſtas, aiunt, fuiſſe quoddam genus *De locuſtis Ioannis hæreticorum opinio.* cancrorum, id eſt, optimorum piſcium, quos piſcatores, quòd lege prohibiti eſſent, proijcerent; Ioannes Euangelica libertate vtens ederet. In locuſtis Ioannis, homines libertatis amantes Euangelicam libertatem repererunt. Si piſces, & quidem optimos edebat, cur Chriſtus ait, illum neque bibiſſe, neque manducaſſe? Numquid piſces illi in ſolitudinem, in qua Ioannes degebat, volabant? At à piſcatoribus, aiunt, quòd lege prohibiti eſſent, proijciebantur. cur non in lacum potius proijciebantur, quàm in eremum, ne quis repertos manducaret, legemque frangeret? Commentum hoc eſt hominum à ciborum abſtinentia abhorrentium. Audiant Auguſtinum, ſi tamen aures habent: Ioannes, ait, in eremo, locuſtis, & melle agreſti nutritur; non animalium carnibus, non volucrum ſuauitatibus paſcitur. Poterat vtique iuxta Iordanem poſitus piſcium ſibi exhibere delicias: ſed pœnitentiam prædicaturus, rigorem ieiunij, exemplo ſuo, magis debuit & factis oſtendere, quàm voce, &c. Sed ad noſtros veniamus. *Auguſt. ſer. 65. de tempore.*

Locuſtæ, Græcè ἀκρίδες dicuntur, quod nomen propriè locuſtas ſignificat; ſed vt Theophylactus, ait: quidam herbas, alij fructus agreſtes, ἀκρίδας, eſſe cenſuerunt. Et Euthymius: Locuſtas, inquit, quidam herbarum eſſe virgulta dixerunt, quidam autem herbam dictam locuſtam, &c. D. Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 132. ad Timotheum lectorem: Locuſtæ, inquit, quibus Ioannes alebatur, non ſunt animantia, vt quidam imperitè putant, ſcarabæis ſimilia: abſit. Verùm herbarum aut plantarum ſummitates, &c. Et epiſt. 5. ad Nilum: Si cibos & veſtitum monaſticæ vitæ iuxta Deũ perfectæ, in Ioanne Baptiſta didicimus; pilis, ſi fieri poteſt, ad obtegendum corpus contenti erimus: herbarum autem ac foliorum ſummitatibus, ad exiguam alimoniam, &c. Abulenſ. præterea Matth. 3. ait Borchardum *Abulenſis.* in deſcript. terræ ſanctæ narrare, ſe in Paleſtinæ Cœnobiis, quæ vicina ſunt Iordani, herbas ediſſe ſæpè, quas ibi monachi locuſtas appellabant. Illis verò locuſtis ſolitum veſci Ioannem aiebant. *An ſint herba locuſtæ? Euthymius. D. Iſidorus Peluſiotæ.*

Cum D. Hieronymo lib. 2. aduerſus Iouinianum, & Ionæ cap. 4. D. Hilario in Matthæum, Beda, D. Thoma, Theophyl. Marci 1. & aliis, dicendum eſt, locuſtas, quibus Ioannes veſcebatur, non *Locuſtæ Ioannis ſunt animalia.* fuiſſe herbas, ſed animalia ſatis nota. Fuiſſe autem à Iudæis in cibum vſurpatas locuſtas lex indicat, quæ inter cibos mundos locuſtas numerat: *Quid-* *Leuit. 11.* *quid ambulat quidem ſuper quatuor pedes, ſed habet longiora retro crura, per quæ ſalit ſuper terram, comedere debetis: vt eſt bruchus in genere ſuo, ac locuſta, &c.* Diuus *Hieron.* Hieronymus loco indicato, Orientales & Libyæ populos his veſci ſolitos docet: *Orientales*, inquit, *& Libyæ populos, quia per deſertum & calidam eremi vaſtitatem locuſtarum nubes reperiuntur, locuſtis veſci moris eſt.* Plinius quoque lib. 6. cap. 30. refert, partem *Plinius.* quandam Æthiopum locuſtis tantùm viuere, fumo & ſale in annua alimenta duratis; & lib. 11. cap. 29. locuſtas Parthis in cibo gratas eſſe ſcribit. Lege Ioannem Barrium Luſitanum 3. lib. decadis 2. cap. 4. eo capite ſcribit, noſtris quoque temporibus, locuſtas in cibum vſurpari ab iis, qui Arabiæ & Africæ ſolitudines incolunt. Multa præterea à noſtris

ſtris Luſitanis vaſa apud Indos, tum in opidis, tum etiam in nauibus Mahometanorum reperta; in quibus locuſtæ condimento aſperſæ aſſeruabantur. Addit à Mahometanis cibum hunc in pretio haberi, & à freto ſinus Arabici venalem exportari. Nonnulli Luſitani, eodem teſte, qualis hæc eſca ſit, experti, locuſtarum carnem, gambarorum carni candore ſimilem, ſaporisque iucundi eſſe aſſeruerunt.

Locuſtæ in cibum à Mahometanis ſurpantur, & in pretio habentur.

De melle ſilueſtri, quo Ioannes veſcebatur. Beda.

Mel illud ſilueſtre Beda Matth. 3. folia arborum eſſe putat: Mel, inquit, ſilueſtre folia ſunt arboris miræ dulcedinis, quod doctrinæ Ioannis nimiam ſuauitatem oſtendit. Et in libro de locis ſanctis: In deſerto ſunt arbores folia lata habentes & rotunda, lactei coloris & melliti ſaporis, quæ natura fragilia manibus confricantur, & eduntur. Hocque eſſe mel ſilueſtre dicitur, &c. Hanc opinionem

Lyranus. tribuit Lyranus Matthæi 3. Rabano: *Secundum Rabanum*, ait, *ſunt folia arborum alba & tenera, quæ manibus contrita, habent ſaporem quaſi mellis*. D. Thomas

D. Thom. Matth. 3. Proprie, ait, mel ſilueſtre dicitur id, quod non reconditur in alueis artificioſè factis, ſed inuenitur in ſiluis, in aliquibus arboribus. Alij dicunt, quòd eſt canna mellis, & quoddam, quod in-

Iſidorus Peluſiota. uenitur intus in cannis valde dulce, &c. Iſidorus Peluſiota epiſtola 132. citata, mel eſſe montanum, non dulce, ſed amarum, his verbis ſcribit: Non eſt herba quædam mel ſilueſtre: ſed mel montanum,

An fuerit amarum Ioānis mel? quod ab agreſtibus apibus conficitur, ſummeque amarum eſt, & guſtatui omni infeſtum atque inimicum. Quibus ex rebus, ſingularem quandam, ac penè incredibilem corporis afflictationem Ioannes præ ſe ferebat: vt qui non inedia duntaxat, verùm etiam victus aſperitate, omnem corporis appetitionem amaram redderet. Hæc ille. Exiſtimo

Mel Ioannis dulce. mel ediſſe Baptiſtam, non arboris folia: mel, inquam, è fauis expreſſum, quos in vaſta illa ac ſilueſtri ſolitudine apes ſilueſtres conficiebant. Neque verò amarum fuiſſe mel videtur, ſed dulce. Apes enim, etſi agreſtes ſint, dulce tamen mel deſertis in locis efficiunt. In illa verò regione, quæ lacte & melle manare dicebatur, apum magnam fuiſſe multitudinem credibile eſt, quæ etiam in ſolitudine fauos fingerent, & dulci melle complerent.

Hic Ioannis cibus fuit, quem non ſollicitudo,

Aqua, potus Ioannis. Luca 1. ſed ſolitudo ſuppeditabat: potus, aqua. Nam vt Angelus Zachariæ prædixit: *Ioannes vinum & ſiceram non bibit*. Hoc pacto vitam ille ſeraphicam potius, quàm humanam egit, nec de veſtitu, nec de potu, aut cibo ſollicitus, rerum cæleſtium contemplationi intentus, ab hominum conſuetudine ſemotus, humili antro abditus, quouisque prodire ex antro, munereque ſibi à Deo præparato fungi iuſſus eſt. Quod autem illius munus fuerit, eſt explicandum.

De munere Ioannis hæretici quid ſentiant. Qui ab Eccleſiæ caſtris, in caſtra ſatanæ & hæreſeos transfugerunt, in Ioannis munere & vita explicanda toto cælo aberrarunt. Cum parentibus habitaſſe aiunt; dici verò habitaſſe in deſerto, quòd montana Iudææ, in quibus domus Zachariæ erat, propter montes terræque ſterilitatem, vulgò deſertum appellarentur. Prædicaſſe item in deſerto aſſerunt, hoc eſt, in opidis deſerto adiacentibus. Vitæ detrahunt; munus amplificant. Etenim munus Baptiſtæ fuiſſe dicunt, Moſis legem abrogare, atque adeò illam abrogaſſe, baptiſmumque in noua permanſurum lege inſtituiſſe. Non ferunt lucentis & ardentis lucernæ, hoc eſt, Ioannis fulgorem imbecilles oculi, lippitudine hæreſeos pleni: lucem tantam exſtinguere, virum admirabilem in gregem reliquorum hominum redigere, ſibique ſimilem efficere, deſertum illi, cæleſtemque vitam ab hominum conſortio ſemotam abripere conantur. At non abripient: lucerna erit Ioannes, ſemper eremiticæ vitæ ſplendore lucens; ſemper cæleſtium rerum contemplatione ardens. Non habitauit cum parentibus Ioannes, ſed cum feris potius in ſolitudine. Quod manifeſtè docet Euangeliſta Lucas his verbis: *Puer creſcebat, & confortabatur ſpiritu, & erat in deſertis, vſque in diem oſtenſionis ſuæ ad Iſraël*. Non in domo parentum, ait Lucas, fuiſſe puerum Ioannem, ſed in deſertis. Numquid habitare in deſertis, eſt in domo parentum habitare?

Luca 1. Ioannes in ſolitudine, non in domo parentū habitauit.

At, montana, inquiunt, Iudææ, in quibus domus erat parentum, deſertum vocantur. Interpretatio falſa eſt: quoniam domus Zachariæ non erat in deſertis, ſed in ciuitate Iuda, vt conſtat ex illis verbis: *Abiit Virgo in montana cum feſtinatione in ciuitatem Iuda, & intrauit in domum Zachariæ*. Ergo domus Zachariæ in ciuitate erat, non autem in deſertis. Quod ſi in deſertis domus erat, & deſertum vocabatur locus ille; cur non dixit Lucas, abiit in deſerta Virgo, & intrauit domum Zachariæ? Præterea, quæ ſequuntur verba interpretationis falſitatem indicant: *Erat*, inquit, *puer in deſertis, vſque in diem oſtenſionis ſuæ ad Iſraël*. Non ergo erat Ioannes in domo parentum omnium oculis expoſitus, non verſabatur cum hominibus, ſed in deſerto erat abditus vſque ad diem oſtenſionis ſuæ. Vnde D. Hieron. in Dial. contra Luciferian. capit. 3. Ioannes, ait, poſt materni ventris hoſpitium eremi deſerta ſectatus, paruulus de ſerpentibus luſit oculis ſpectantibus Chriſtum, nihil aliud eſt dignatus adſpicere. Et Chryſoſt. hom. 10. in Matth. Ioannes ab ipſis incunabulis in eremo ſemper habitauit. D. Chryſologus: *Viderat diabolus Ioannem vrbium delicias, ſqualentis eremi habitatione mutaſſe: mollitiem carnis, veſtis aſperitate calcaſſe: agreſti cibo mundi totum frenaſſe luxuriam, &c.* Nazianz. in præceptis ad Virgines: Melle famem agreſti repulit vilique locuſta, Zacharia genitore ſatus, texitque cameli Membra pilis; haburque domum verſatile cælum. Cibus inſuper ipſe Ioannis deſertum indicat. Nec enim domui parentum ac ciuitati, ſed eremo mel ſilueſtre ac locuſtæ conueniunt. Erat illi, ait Chryſoſt. loco indicato, impræparata menſa, & tali menſa facilior amictus, & habitatio facilior amictu. Neque enim vel tecto indiguit, vel lecto; non menſam, vel aliqua huiuſmodi requiſiuit: ſed angelica quadam vita in carne mortali reſplenduit, &c.

Hieronym. Ioānes paruulus eremū incoluit. *Chryſoſt. Chryſolog. ſerm. 13.* *Nazianz.* *Domus Ioannis verſatile cælū.* *Chryſoſt.*

Ad hæc. Si in domo parentum vixit Baptiſta, notus omnibus fuit: quorſum igitur Legatos ad eum Iudæi miſerunt, qui quærerent, quiſnam eſſet? quorſum quiſierunt an eſſet Elias homo is, qui in domo Zachariæ patris nutritus fuerat, ad id vſque tempus cum hominibus verſatus? Equidem, quia eatenus in eremo ignotus omnibus latitarat; ideò, quiſnam eſſet rogabant. His adde illam, quam de ſe Ioannes admirationem concitauit; quæ ſatis probat in intima ſolitudine vixiſſe, & tunc primum in hominum conſpectum ſe dediſſe. Adde etiam id quod Niceph. ſcribit de eximia Regina Helena, Conſtantini Imperatoris maximi matre, loquens: Ad ſacrum, inquit, Iordanem conuerſa, circa ſpeluncam, vbi olim domicilium Baptiſta habuit, perpulcram ædem illi erexit. En totius Regina orbis teſtis eſt, Ioannem in ſolitudine & ſpelunca habitaſſe; quam præclaro templo, ad eius rei monumentum ſempiternum, voluit exornare.

Niceph. l. 8. c. 20.

Illud autem, quod aiunt iidem Nouatores, in opidis Iordani adiacentibus prædicaſſe, ſupra iam refutauimus. Affirmant enim Euangeliſtę, & Iſaias, prædicaſſe in deſerto: ait Chriſtus: *Quid exiſtis in deſer-*

Ioannes in deſerto prædicauit.

deſertum videre? &c. Ex opidis ergo in deſertum Ioannis auditores confluebant. Idque probat baptiſmus, quem non in opidis, ſed in deſertis exhibebat. Vbi verò baptizabat, ibidem conciones habebat. De Ioannis deſerto lege quæ diximus tom. 1. lib. 8. in fin. cap. 2. & cap. 3. prærogatiua 11. & ſequentibus.

Quod verò de Ioannis munere affirmant, adeò falſitatem prodit, vt nulla refutatione indigeat. *Chriſtus ſolus legis nouæ auctor.* Quis enim, ſi hos homines excipias, qui cælum terræ miſcere volunt, vnquam cenſuit, alium quempiam, præter Chriſtum, vel legem nouam inſtituiſſe, vel veterem abrogaſſe? Vt Chriſti fuit nouam legem ferre; ita eiuſdem fuit veterem reſcindere: noua enim veteri ſucceſſit. A Deo latam legem nemo niſi Deus potuit antiquare. Vnde, *Galat. 3.* Paullus ait: *Chriſtus nos redemit de maledicto legis.* *Galat. 4.* Item: *Lex propter tranſgreſſionem poſita eſt, donec veniret ſemen*, id eſt Chriſtus; & : *Vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant redimeret; vt adoptionem filiorum reciperemus.* Item: *Iam non ſumus ancillæ filij, ſed liberæ, qua libertate Chriſtus nos liberauit, &c.*

Chriſtus nos à lege veteri liberauit. Chriſtus, inquam, nos ab onere veteris legis liberauit, non Ioannes. Tàm Ioannes ipſe, quàm Chriſtus legem Moyſis obſeruarunt, vt liquet: quippe dum Ioannes, Chriſtusque vixere, vixit etiam lex; Chriſto verò obeunte, obiit; iuxta illud illius verbum è Cruce pendentis: *Conſummatum eſt:* hoc eſt, tum Prophetarum omnia dicta conſummata ſunt; tum lex ipſa, me moriente, morietur. Sed quorſum in re perſpicua immoramur? Baptiſmus Ioannis qualis fuerit capite ſequenti oſtendemus.

Inducti ſunt in hunc errorem, quòd verborum Chriſti ſenſum non perſpexerunt. Etenim quia, *Luca 16.* Chriſtus ait: *Lex & Prophetæ vſque ad Ioannem*; litteræ facie decepti, legem Moſis à Ioanne antiquatam aſſeruerunt. Sed nos ſuo loco hæc Domini verba explicabimus. Interim illud *Ambroſ.* Ambroſij accipe, initio lib. 8. in Luc. *Lex*, inquit, *& Prophetæ vſque ad Ioannem: non, quia lex deficit; ſed quia incipit Euangelij prædicatio. Videntur enim minora compleri, cùm maiora ſuccedunt.* Hæc ille. Lege quæ hac de re diximus, tom. 1. lib. 8. cap. 4. prærogatiua Ioan. 24.

Non id fuit præcurſoris munus quod fingunt nouatores; ſed id quod Euangeliſtæ & Prophetæ docuerunt. Ioan. *Ioan. 1.* *Hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine.* Matth. *Matth. 3.* *Venit Ioannes Baptiſta prædicans in deſerto Iudææ, & dicens: Pœnitentiam agite.* Luc. *Luca 3.* *Venit in omnem regionem Iordanis prædicans Baptiſmum pœnitentiæ.* Iſai. *Iſaiæ 40.* *Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini.* Malach. *Malach. 3.* *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* Zach. Ioannis pater: *Luca 1.* *Tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius: ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius, in remiſſionem peccatorum, &c.* Ecce Ioannis munus & *Ioannis Baptiſtæ munus.* officium. Chriſto teſtimonium perhibere, vt ait Ioannes: pœnitentiam, pœnitentiæque baptiſmum prædicare, ac exhibere, vt ſcribunt Matth. & Luc. viam optato Meſſiæ parare, vt vaticinantur Iſaias & Malach. eumdem antegredi, & ſalutarem populo ſcientiam tradere, vt teſtatur Zacharias. De Baptiſmo pœnitentiæ primùm, poſtea de teſtimoniis dictisque Baptiſtæ, verba faciemus.

CAPVT IV.

De baptiſmo & confeſſione Ioannis Baptiſtæ.

Ioannis baptiſma à Chriſti baptiſmate longè differt. PRædicans *baptiſmum pœnitentiæ, in remiſſionem peccatorum.* Ad Ioannis munus pertinuit Iudæos baptizare, vnde Baptiſtæ nomen habuit. Longè autem à Chriſti baptiſmo baptiſmus Ioannis diſtat, quidquid imperitè atque ineptè aliqui hæretici oblatrent. Quorum imperitiam iam olim D. *Hieron.* Hieron. arguit, in Dialogo contra Luciferianos cap 3. his verbis: Ita tu, inquit, peruersè religioſus, dicente ipſo Ioanne: Illum oportet creſcere, me autem minui; dum ſerui baptiſmo pluſquam habuit, tribuis; dominicum deſtruis, cui nihil amplius relinquis, &c. & D. Cyrill. Euangeliſta *D. Cyrillus l. 2. in Ioan. c. 56.* Ioannes videbat, Spiritus gratia illuminatus, quàm neceſſarium eſſet ea narrare, quibus, quantùm Chriſti baptiſmus, Ioannis baptiſmo præſtaret, aperiretur. Perſpexit non multo pòſt futuros aliquos, qui aut nullam inter baptiſmum, & baptiſmum differentiam facerent; aut meliorem eſſe baptiſmum Ioannis putarent. Nullum enim eſt tam turpe facinus, quod imperitia non audeat aggredi; nulla blaſphemia tam magna, vt aduerſus ſacratiſſima Eccleſiæ dogmata non dicatur libenter ab iis, qui omnia recta peruertunt. Hæc Cyrillus.

Nouatores ex illis ſunt, qui omnia recta peruertunt, nihil non audent, baptiſmumque Ioannis à Chriſti baptiſmo non differre aiunt. Erat autem *Baptiſmum Ioannis ſi ago gicus, ſiue introductorius erat & imperfectus. Cyrillus.* Ioannis baptiſmus, vt idem D. Cyrillus ait, imperfectus & iſagogicus, ſiue introductorius, quemadmodum & lex vetus. Veluti lex Moſaica, ait Cyrill. futurarum rerum, & ſpiritualis cultus præparatio quædam fuit, occultam veritatem parturiens; ſic baptiſmus Ioannis ad baptiſmum Chriſti collatus, præparationis vim obtinebat, &c. Similiter D. Ioan. Damaſc. Ioannis, ait, baptiſma *Damaſc. l. 4. Fidei c. 10* rudimentarium fuit, eos, qui baptizabantur ad pœnitentiam ducens; vt Chriſti fidem poſtea amplecterentur, &c. D. Baſil. Ioannis baptiſma *Baſil. hom. 13.* initiatorium erat, Chriſti verò baptiſma perfectorium, &c.

Inter Chriſti & Ioannis baptiſmata differentia. Nullam gratiam baptiſmus Ioannis ex opere, vt loquuntur Theologi, operato conferebat; nullo baptizatos charactere notabat. Peculiare hoc eſt baptiſmatis Chriſti, remiſſionem criminum, gratiamque conferre, & ſacro charactere ſuſcipientiũ animos ſignare. Quod Ioannes teſtatus eſt, illis verbis: *Ego aqua baptizo vos: ipſe*, ſcilicet Chriſtus, *vos baptizabit Spiritu ſancto & igni*: Hoc eſt, baptiſmus meus ſolius aquæ eſt, corpus abluit, animo Spiritum ſanctum, peccatorum remiſſionem & gratiam non confert. Chriſti baptiſmus tum corpus abluet, tum animo Spiritum ſanctum, peccatorum remiſſionem & gratiam tribuet. Sed Patres quid ſentiant audiamus. *Luca 3.* *Baptiſmus Ioannis nec remiſſionem peccatorum, nec gratiam conferebat.*

Antiqui Patres. Magnus Gregor. Hom. 7. in Euangelia: Ioannes non in Spiritu, ſed in aqua baptizabat; quia peccata ſoluere non valens, baptizatorum corpora per aquam lauabat; ſed mentem per veniam non ſanabat. Item Hom. 20. Ioannes baptiſmum ſuum in remiſſionem peccatorum dare non potuit: remiſſio enim peccatorum in ſolo nobis baptiſmo Chriſti tribuitur. D. Hieronym. in Dialogo citato: Si Ioannes, vt confeſſus eſt ipſe, non baptizauit in Spiritu, conſequenter nec peccata dimi-

sit: Quia nulli hominum sine Spiritu sancto peccata dimittuntur, &c. Theophyl. Luc. 3. Baptismus Ioannis remissionem peccatorum non habebat. Chrysostomus homil. 10. in Matth. Remissionem peccatorum baptismus Ioannis non habebat; sed hoc munus baptismatis illius erat, quod postea Christus instituit. Gregorius Nazianz. or. 39. Baptizauit Ioannes, non in aqua solum, sed etiam ad pœnitentiam, nondum tamen prorsus spiritaliter. Baptizat Christus, sed in spiritu; quod quidem omnibus numeris absolutum baptismum reddit. Basil. Homil. 13. Ioannes baptismum pœnitentiæ prædicauit, Christus adoptionis filiorum baptismū longè præclariùs annuntiat. Initiatorium erat Ioannis baptisma, istud verò perfectorium. Et in lib. de Baptismo: Domini baptisma omnem humanam rationem superat, ac maiore gratiæ & virtutis supereminētia reliqua superat, quam Solis splendor stellas excellit. D. Leo epist. 4. cap. 6. Baptismi Ioannis alia gratia, alia fuit ratio: neque ad eandē pertinuit virtutem, qua per Spiritum sanctum renascuntur: de quibus dicitur: *ex Deo nati sunt*. Augustin. in libr. de vnico Baptismo cap. 7. Baptismus Ioannis non erat baptisma Christi, sed tamen militans Christo: sicut legis vetera sacramenta præcursorio quodam, & præfiguratorio fungebantur officio. Et in Enchiridio cap 49. Non renascebantur, qui baptismate Ioannis baptizabantur; sed quodam præcursorio illius ministerio, qui dicebat: Parate viam Domino; huic vni, in quo solo renasci poterant, parabantur. Denique D. Thom. 3. part. quæst. 38. artic. 6. Baptismus, inquit, Ioannis neque gratiam conferebat, neque characterem imprimebat, &c. Lege Augustin. tract. 5. in Ioan. & lib. 5. de Baptismo contra Donatist. c. 9. & sequentib. Tertull. quoque lib. de baptism. cap. 10.

Ioan. 3.

Quid plura? Synodus Tridentina Can. 1. sess. 7. sic statuit. Siquis dixerit baptismū Ioannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi, anathema sit. Id manifestè constat ex facto Paulli, qui eos Christi baptismo abluit, qui à Ioanne iam fuerant baptizati. Erat ergo Ioannis baptismus à Christi baptismo diuersus. Vnde D. Hieron. in dialogo contra Lucifer. ca. 3. Ioannis, ait, baptisma in tantum imperfectum fuit, vt constet, postea Christi baptismate baptizatos, qui ab eo fuerant baptizati, Act. 19. &c. Et D. August. lib. 5. de Baptis. contra Donatistas cap. 9. Dominus tali baptismo mundat Ecclesiam, quo accepto, nullum alterum requiratur. Ioannes autem tali baptismo prætingebat, quo accepto, esset baptisma etiam dominicum necessarium. Baptizatos à Paullo legimus eos, qui iam baptismo Ioannis baptizati fuissent; non ob aliud, nisi, quia baptismus Ioannis non fuerat baptismus Christi. Hæc ille.

Actor. 19. Christi baptismo Paulus baptizat iam pridem Ioannis baptismo baptizatos.

Huic sententiæ illa verba aduersari videntur: *Venit Ioannes in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum*. En, Lucas ait, baptismum Ioannis fuisse baptismum pœnitentiæ ad remittenda peccata. Non solum ergo corpora abluebat, sed crimina etiam remittebat. Adde D. Basil. cuius, initio libri de Baptismo, hæc sunt verba: Baptismus Ioannis nullam prorsus faciebat ad gratiam Dei & Christi ipsius perueniendi dilationem. Simulatque accesserat quis, & peccata sua, quantacumque & qualiacumque fuissent, confessus fuerat, in Iordanis flumine baptizabatur, & confestim remissionem peccatorum accipiebat, & cet. D. quoque Chrysolog. Serm. 13. Viderat, inquit, diabolus Ioannem, quod solum Deitatis insigne est, hominibus dimisisse peccata, &c.

Luc. 3.

An per Ioannis baptismū peccata remissa sint?

Chrysolog. ser. 13.

D. Gregorius & Beda Luc. 3. verba D. Lucæ de baptismo Christi exponunt, in hunc sensum: Venit Ioannes prædicans baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum: Hoc est, prædicans baptismum pœnitentiæ à Christo instituendum, per quem peccata remitterentur. Itaque Ioannes, iuxta hanc sententiam, baptismum suum conferebat, qui peccata minime abluebat: baptismum verò pœnitentiæ in remissionem peccatorum, hoc est, baptismum Christi, prædicabat. Iuxta illud: *Ipse vos baptizabit Spiritu sancto & igni*. D. Gregor. Hom. 20. in Euangelia: Ioannes, baptismum, quod peccata solueret, quia dare non poterat, prædicabat. Vt sicut incarnatum Verbum Patris præcurrebat verbo prædicationis; ita baptismum pœnitentiæ, quo peccata soluuntur, præcurreret suo baptismate, quo peccata solui non possunt, &c. Eadem verba leges apud Bedam Luc. 3. D. August. lib. 5. de Baptismo contra Donatistas cap. 10. censet, Ioannem prædicasse baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum; ita vt ab eo baptizatis remitterentur peccata, non re, sed spe. Ita, inquit, credo baptizasse Ioannem in aqua pœnitentiæ, in remissionem peccatorum: vt ab eo baptizatis in spe remitterentur peccata; re ipsa verò in Domini baptismo id fieret; sicut resurrectio, quæ exspectatur in finem, spe in nobis facta est, &c. Similiter & D. Hieronym. in dialogo aduersus Luciferianos, cap. 3. Ioannis baptisma non tam peccata dimisit, quàm baptisma pœnitentiæ fuit, in peccatorum remissionem; id est, in futuram remissionem, quæ esset postea per sanctificationem Christi subsecutura, &c. D. Chrysost. Homil. 10. in Matth. Cùm dixisset Euangelista, quare venerit Ioannes prædicare baptismum pœnitentiæ in deserto Iudææ, intulit: in remissionem peccatorum. Quasi diceret: Ego illis confiteri peccata sua, & pœnitentiam agere persuasi, non vt castigarentur omnino, sed vt facilius postea remissionis dona susciperent. Nisi enim seipsos ante damnasset, neque sanè gratiam requisissent, &c. Theophyl. Luc. 3. Baptismus Ioannis remissionem peccatorum non habebat, sed ad remissionem conferebat; hoc est, præparabat homines vt acciperent baptisma, quod habet remissionem peccatorum, &c. Tertull. in libr. de Baptismo cap. 10. Agebatur baptismus pœnitentiæ, quasi candidatus remissionis, & sanctificationis in Christo subsecuturæ. Nam quod prædicabat baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum; in futuram remissionem enuntiatum est, &c.

Gregor. Beda.

Luc. 3.

Interpretatio D. Augustini & aliorum.

Verisimilius est Euangelistam baptismum Ioannis, baptismum pœnitentiæ appellasse, in remissionem peccatorum. Nam Paullus Ioānis baptismum, baptismum pœnitentiæ appellat: *Ioannes*, inquit, *baptizauit baptismo pœnitentiæ populum*, &c. Erat enim pœnitentiæ baptismus, quoniam ab iis, quos abluebat, pœnitentiam, id est, peccatorum detestationem, contritionem & vitæ correctionem, fructusque dignos pœnitentia Baptista exigebat.

Actor. 19.

Quo autem modo peccata detestari, doloremque & contritionem animo deberent concipere, ipse edocebat. Ea contritione, & fructibus dignis pœnitentia, peccata remittebantur. Ideoque baptismus dicitur pœnitentiæ, in remissionem peccatorum. Non quidem quòd baptismi; sed quod pœnitentiæ vi, crimina abluerentur. Vnde Abulens. Matth. 3. q. 59. Licet, inquit, baptismus Ioannis non conferret remissionem peccatorum, pœnitentia tamen confert remissionem peccatorum. Vnde quocumque statu & lege, semper per pœnitentiam peccata remittuntur: Fuit Ioannes prædicās baptismum

Cur baptismus Ioānis dicatur baptismus pœnitentiæ in remissionem peccatorū.

mum pœnitentiæ, in remiſſionem peccatorum: id eſt, prædicabat baptiſmum pœnitentiæ, quæ pœnitentia confert remiſſionem peccatorum. Hæc ille. Baptiſmus igitur Ioannis externa tantum erat corporis ablutio, & pœnitentiæ profeſſio, animo nihil afferens vi ſua gratiæ aut remiſſionis: quam tamen ipſa pœnitentia per Chriſti merita afferebat. Baptiſmus autem Chriſti non externa ſolùm eſt ablutio; ſed ſacramentum eximium gratiam continens, eamque vi cæleſti in animo efficiens.

An formam aliquã habuerit baptiſma Ioãnis.

Baptiſmi Ioannis materiam fuiſſe aquam eſt compertum. Formane aliqua verborum huic materiæ fuerit adiecta, controuerſum. Magiſter in 4. d. 2. D. Thomas, & D. Bonauent. eodem loco, Hugo Victor. lib. 2. de Sacramentis part. 6. capit. 6. Abulenſis Matth. 3. q. 42. & alij, arbitrantur baptiſmum Ioannis materiam habuiſſe aquam, formam verò verborum hanc, vel ſimilem: *Ego te baptizo in nomine Chriſti venturi.* Venturi, inquam, quoniam licet iam eſſet natus, nondum tamen ad baptizandum, & docendum, mortemque pro hominibus ſubeundam, venerat. Colligitur forma ex verbis Pauli: *Ioannes*, inquit, *baptizauit baptiſmo pœnitentiæ populum: dicens, in eum, qui venturus eſſet poſt ipſum, vt crederent.* Fauet D. Hieronym. Ioelis 2. In Actibus, inquit, Apoſtolorum, qui baptizati erant baptiſmate Ioannis, in eum, qui venturus erat, id eſt, in nomine Domini Ieſu reſponderunt, &c. & D. Ambroſius libr. 1. de Spiritu ſancto capit. 3. Ioannes, ait, in remiſſionem peccatorum, in aduenientis Ieſu, non in ſuo baptizauit nomine. Probabilis eſt ſententia. Contrariam ſequitur Durandus in 4. lib. ſententiarum, & alij. Scotus in 4. d. 2. quæſt. 2. vtramque veriſimilem eſſe cenſet.

Actor. 19.

Mihi veriſimilius fit, Ioannem, nulla adhibita verborum forma, Iudæos baptiſaſſe. Erat enim baptiſmus ille externa tantùm, vt diximus, ablutio, vt aliæ Iudæorum ablutiones, quibus verborum nulla forma adiiciebatur. Præterea, Ioannes Chriſtum baptizauit, neque verò illam tunc formam adhibuit: *Ego te baptizo in nomine Chriſti venturi*: abſurda enim fuiſſet forma: Ergo, vel Chriſti baptiſmus diuerſus fuit à baptiſmo aliorum ſecundum formam; vel, ſi fuit idem in reliquis quoque abluendis, nulla forma Baptiſta vtebatur. Paullus verò Actor. 19. non affirmat Ioannem baptizaſſe in nomine venturi; ſed prædicaſſe, vt crederent in eum, qui venturus erat, id eſt, Chriſtum: Nimirum verba erant illa docentis, non forma baptizantis.

An fuerit ſacramentũ baptiſma Ioannis?

Quæres: Fuerítne Sacramentum Ioannis baptiſma? Affirmat Hugo Victorinus lib. 2. de Sacramentis part. 6. cap. 6. Magiſter in 4. d. 2. Abul. Matth. 3. q. 40. Reſpondeo cum D. Thom. vt omittam alios, 3. p. q. 38. ar. 1. ad primum, non fuiſſe per ſe Sacramentum, ſed quaſi quoddam ſacramentale, diſponens ad baptiſmum Chriſti. Quamobrem Iuſtinus Martyr quæſt. 37. præludium vocat, ſiue prooemium gratiæ euangelicæ: Rabanus lib. 2. de Inſtitut. clericor. cap. 26. veluti catechiſmum ad baptiſmum Chriſti: Damaſcen. baptiſmum rudimentarium: Baſil. initiatorium: Cyril. introductorium: Auguſt. præcurſorium appellant: quorum verba ſupra iam retulimus.

Baptizatis baptiſmo Ioannis, baptiſmus Chriſti neceſſarius erat.

Magiſter in 4. d. 2. §. vltim. à veritate aberrat, dum cenſet baptiſmo Ioannis ablutis non fuiſſe opus Chriſti baptiſmo. Aperte à Paullo redarguitur, quem conſtat Actor. 19. baptiſma illis contuliſſe, qui Ioannis baptiſma iam ſuſceperant. Redarguitur etiam à Domino, cuius illa ſunt verba:

Ioan. 3.

Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. At qui à Ioanne baptizabantur, non renaſcebantur ex aqua & Spiritu ſancto: non enim per baptiſmum Ioannis Spiritus ſanctus dabatur, vt liquet ex dictis: ergo non poterant intrare in regnum Dei, niſi lauacro Chriſti expiarentur. Baptiſmus Ioannis via erat ad Chriſti baptiſmum; nemo in via conſiſtit, ſed ad terminum viæ properat: non igitur in baptiſmate Ioannis conſiſtendum, ſed ad Chriſti lauacrum feſtinandum erat. D. Auguſtinus tract. 5. in Ioannem: Qui, inquit, baptizati ſunt baptiſmate Ioannis, oportebat, vt baptizarentur baptiſmate Chriſti, &c.

An infantes & ethnici à Ioanne baptizatiſint?

Dubitas, vtrum Ioannes baptiſmo ſuo infantes etiam, atque ethnicos quoque ablueret? Reſpondet D. Thom. 3. p. q. 38. ar. 4. ad 3. his verbis: Quia ille baptiſmus erat pœnitentiæ, quæ pueris non conuenit, ideò baptiſmo illo pueri non baptizabantur. Conferre autem gentilibus viam ſalutis, ſoli Chriſto reſeruabatur, qui eſt exſpectatio gentium, vt dicitur Gen. 49. Sed & ipſe Chriſtus Apoſtolis inhibuit gentibus Euangelium prædicare ante paſſionem & reſurrectionem. Vnde multo minus conueniebat per Ioannem gentiles ad baptiſmum admitti. Hæc D. Thomas.

Marci 1. Ioan. 1.

Baptizabantur ab illo in Iordanis flumine, confitentes peccata ſua. Locus huius baptiſmi Iordanis fuit, vt conſtat ex his verbis Marci, & ex Ioanne: *Hæc*, inquit, *in Bethania facta ſunt, trans Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans.* Baptizabat ergo Ioannes trans Iordanem, in ipſo Iordane. De Bethania ſuo loco dicemus. Scribit Aranda cap. 27. eo Iordanis loco baptizaſſe, quo Iſraëlitæ ex Ægypti ſeruitute erepti, Iudæam per arentem fluminis alueum ingreſſi ſunt. Et Remigius: Fertur, inquit, quòd in eo loco prædicauit Ioannes, circa Iordanem, vbi, iubente Deo, duodecim lapides de medio alueo Iordanis ſublati, poſiti ſunt, &c. Eadem eſt ſententia Ruperti, & D. Thomæ Matth. 3. Is autem locus eſt, per quem Iſraëlitæ Iordanem tranſierunt. Abulenſ. Matth. 3. poſt quæſtion. 61. Fortè, inquit, Ioannes erat circa locum illum, per quem Iudæi tranſierunt, &c. Eſt is locus propinquus Iericho. Nam, vt legimus Ioſue 4. Poſtquam Iordanem tranſierunt Iſraëlitæ, in Galgalis caſtra metati ſunt, contra orientalem plagam vrbis Iericho. Exſtabat eo loco templum D. Ioanni dicatum, ad perpetuam baptiſmi memoriam. Baptizauit præterea Baptiſta in Ænon, iuxta Salim; quia aquæ multæ erant ibi; vt ſcribit Ioannes c. 3. qua de re poſtea agemus.

De loco, in quo Ioannes baptizabat.

Matth. 3. Marci 1.

Baptiſmum peccatorum confeſſio comitabatur. Sic enim ſcribunt Euangeliſtæ, Matthæus & Marcus: *Baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata ſua.* Vnde conſtat eos, qui a Ioanne abluebantur, crimina confiteri ſolitos. Dubium eſt, num peccata ſigillatim confiterentur, an generatim peccatores ſe eſſe, & peccata multa commiſiſſe profiterentur? Caietan. Marc. 1. ſic reſpondet: Confitebantur peccata, non in ſpecie, ſed in genere, profitendo ſe peccaſſe; computando ſe ipſos non inter iuſtos, ſed inter peccatores. Hæc ille. Abul. idem ſentit Matth. 3. q. 54. Tertullianus verò in libr. de baptiſmo cap. 20. ſigillatim peccata enarraſſe videtur exiſtimare. Sic enim ſcribit: Ingreſſuros baptiſmum, orationibus crebris, ieiuniis, & geniculationibus, & peruigiliis orare oportet, & cum confeſſione omnium retro delictorum; vt exponant (id eſt, repræſentent) etiam baptiſmum Ioannis: tingebantur, inquit Euangeliſta, confitentes delicta ſua. Hæc ille. Idem videtur ſentire D. Baſil. in libro de baptiſmo, cùm ait: Si-

Qualis fuerit confeſſio illa, quam Ioãnes exigebat.

mulatque acceſſerat quis, & peccata ſua, quantacumque, & qualiacumque fuiſſent, confeſſus fuerat, in Iordanis flumine baptizabatur; & confeſtim peccatorum remiſſionem accipiebat, &c. Et in Regulis breuioribus interrogatione 288. Neceſſariò, inquit, iis peccata aperiri debent, quibus credita eſt diſpenſatio myſteriorum Dei. Siquidem rationem hanc in pœnitentia etiam veteres illos cernimus ſecutos fuiſſe; quando & in Euangelio ſcriptum eſt, quòd Ioanni confitebantur peccata ſua; & in Actis, Apoſtolis ipſis, à quibus etiam baptizabantur cuncti. Hæc Baſilius. In Actis hæc leges: *Multi credentium veniebant, confitentes, & annuntiantes actus ſuos, &c.* Adde D. Cyrillum Ieroſolymitanum, cuius Catecheſi 3. hæc ſunt verba: Baptizabantur à Ioanne, confitentes peccata ſua; primùm oſtendebant vulnera, deinde ille medicamenta ponebat; & credentes liberabat ab igne æterno, &c. Auctor imperfecti hom. 3. Baptizabantur confitentes peccata ſua. Confeſſio peccatorum, eſt teſtimonium conſcientiæ timentis Deum. Qui enim timet iudicium Dei, peccata ſua non erubeſcit confiteri; qui autem erubeſcit, non timet: perfectus enim timor ſoluit omnem pudorem, &c. Item Phariſæos & Sadducæos ad baptiſmum Ioannis venientes, ita facit loquentes: Imus, & confitemur peccata noſtra, quantum eſt in vna hora erubeſcere? &c. Erubeſcebant ergo qui confitebantur: non igitur generatim id faciebant: generalem enim confeſſionem pudor non ſequitur. Id ipſum illi videntur credere, de quibus Euthymius Matth. 3. ſic ſcribit. Dicunt aliqui, quòd vnumquemque baptizatorum in aquam ad collum vſque immiſſum detinebat Ioannes, quouſque peccata ſua confeſſus eſſet; & poſt confeſſionem aſcendebat de aqua. Hæc ille.

Actor. 19.

Sigillatim peccata grauiora ſaltē hi confitebantur.

Detinebat Ioannes baptizatos quouſque peccata confiterentur: ergo ſigillatim ea narrabant: alioqui ſi ſatis erat peccatores ſe dicere, quid detentione, aut mora vlla opus fuit? Crediderim ſigillatim peccata confeſſos illos, qui à Ioanne baptizabantur, ſaltem grauiora, quæ conſcientiam acrioribus ſtimulis pungebant. Id verba Euangeliſtarum indicant. Confiteri enim peccata plus ſignificat, quàm generatim peccatorem ſe profiteri. Non erat autem confeſſio illa ſacramentalis, ſed noſtræ confeſſionis typus quidam & præparatio; quemadmodum baptiſmus, baptiſmi noſtri præludium erat & introductio.

Confeſſio Iudæorum.

Quæret aliquis, an Iudæis aliquis fuerit confeſſionis modus? Reſpondetur fuiſſe. Qua de re libet adſcribere quæ Genebrardus ſcripſit in commentariis Pſalmi 31. Obligabantur, ait, peccatores ad confeſſionem peccati, & oblationem pro peccato, ſi remiſſionem conſequi à Domino cuperent. Leuit. 5. Num. 5. & Rabbini illic, & in lib. Siphri. ex quibus has iſtius confeſſionis habemus circumſtantias. Primo, illa fiebat, inquit, Rabbi Leui ante ſacerdotem. Secundo, imponendo manus capiti hoſtiæ immolandæ, & id quidem inter cornua. Tertio, diſtinctè commemorando peccatum, de quo pœnitentiam ageret. Quarto, deteſtando ſuum peccatum, & promittendo ſe numquam reuerſurum. Id autem appellabant confeſſionem verborum, quòd fieret conceptis verbis & ſollenni more. hæc ille. Lege Galatinum libr. 10. cap. 3. & Card. Bellarm. lib. 3. de pœnitentia cap. 3.

An Ioannes ſatisfactoria opera cōfitentibus iniunxerit?

Exiſtit hîc dubium aliud; Num Ioannes ſatisfactoria opera confitentibus impoſuerit? Negat Abulenſis Matth. 3. q. 56. At veriſimilius Hugo Victorinus grauis auctor, lib. 2. de Sacramentis part. 6. cap. 6. affirmat: Ioannes, inquit, peccatores aqua tinxit, & peccata confitentibus pœnitentiam iniunxit. & D. Thom. in caput 11. epiſtol. ad Rom. Baptiſmus, ait, Ioannis, erat baptiſmus pœnitentiæ; quia ſcilicet accipiendo illum, quodammodo ſe profitebantur pœnitentiam accepturos de peccato ſuo. Et ideo conueniens erat vt confiterentur, vt ſecundum modum peccati eis pœnitentia ſtatueretur. Et in 4. d. 2. q. 2. art. 2. Baptiſmus Ioannis dicitur eſſe in remiſſionem peccatorum; quia baptizatis Ioannes imponebat dignos fructus pœnitentiæ agere, quibus peccatorum remiſſionem conſequerentur; vnde baptiſmus ille erat quaſi quædam proteſtatio & profeſſio pœnitentiæ. Hæc D. Thomas: non tamen exiſtimo, ad opera illa ſatisfactoria præſtanda, præcepto aliquo fuiſſe obſtrictos qui baptizabantur, ſed tantùm conſilio. Si vero petas, num ad baptiſmum Ioannis & confeſſionem præcepto aliquo Iudæi alligarentur. Reſpondeo cum Abulenſi Matth. 3. quæſtione quinquageſima prima, nullum de illo baptiſmo & confeſſione fuiſſe præceptum. Erat ergo conſilium tantummodo; quod Phariſæi & Scribæ ſpreuiſſe dicuntur.

Fueritne præceptum traditū de baptiſmo Ioannis?

Matth. 21.

Ritus baptizandi à Deo eſt.

Denique illud animaduertendum eſt, non excogitaſſe Ioannem huiuſmodi baptizandi ritum; ſed à Deo emanaſſe. Deus enim Ioannem iuſſit baptizare; quod aperte indicant illa verba eiuſdem Baptiſtæ: *Qui me miſit baptizare in aqua, ille mihi dixit,* &c. Miſſus ergo eſt à Deo baptizare. Quorſum verò baptizare ſit miſſus, docet idem Baptiſta: *Vt manifeſtetur, inquit, in Iſraël,* ſcilicet, Chriſtus: propterea veni ego in aqua baptizans. Itaque baptizabat Ioannes & concionabatur, vt confluentibus ad baptiſmum & conciones, Meſſiam iam veniſſe nuntiaret. Hæc prima baptiſmi cauſſa fuit. Secundam reddit Auguſtinus tract. 5. in Ioannem, vt ipſum Chriſtum baptizaret. Quare, ait Auguſt. miſſus eſt Ioannes baptizans? quia oportebat Chriſtum baptizari, &c. In baptiſmo autem, vt infra dicemus, præclariſſima quadam manifeſtatione oſtenſus eſt Chriſtus. Tertia eſt, vt baptiſmum Chriſti, & confeſſionem ſuo baptiſmo & confeſſione, præcurreret; Iudæosque ad Chriſtum excipiendum per pœnitentiam, quam exigebat à baptizatis, præpararet.

Ioan. 1.

Ibid.

Cauſſa, cur Ioannes baptizarit.

Tunc exibat ad eum Ieroſolyma, & omnis regio circa Iordanem, & baptizabantur, &c. Miri concurſus Iudæorum ad Ioannem fiebant; tum ex ciuitate Ieruſalem, & vniuerſa Iudææ prouincia, quæ diſtincta eſt à Samaria & Galilæa, tum ex omni regione, quæ erat circa Iordanem. Baptizantis fama, ait Chryſoſtomus, & cauſſæ dignitas omnes trahebat, atque ad Iordanem vocabat, & frequentiſſimum quoddam colligebat theatrum, &c. In hoc theatro, Ioannes Meſſiam, paullo pòſt in hominum conſpectum venturum, prædicabat.

Chryſoſt. hom. 10. in Matth.

Ioannis Virtus & genus viuēdi mirabile, Iudæos trahebat velut magnes.

Magna virtutis vis, quæ, velut magnes, trahebat ad Ioannem homines. Nulla cernebant miracula, ſed nouum cernebant viuendi genus; cæleſtique & angelica vita promouebantur. Lege Euſebium libr. nono, de Demonſtratione euangelica, cuius verba iam retulimus Tom. 1. lib. 8. capit. 3. in prærogatiua Ioannis 13. Lege item Chryſoſt. in Matthæum homil. 10. Conſidera, inquit, quale tunc fuerit, videre hominem poſt triginta annorum ſpatia ab eremi vaſtitate venientem, nullius prorſus ex rebus neceſſariis indigentē; mirabilem profectò omnibus, & per cuncta reuerendum, &c. Item: Erat admiratione digniſſimum, tantam in hominis habitu fulgere virtutem, tantamque in illo ſplendere conſtantiæ dignitatem. Quem vtique tam ingentem videbant, & aduerſus omnem illam multi-

multitudinem, quaſi contra pueros inſurgentem, plurimaque vultus gratia coruſcantem. Cùm id quoque ad cumulũ admirationis accederet; quòd multo pòſt tempore apparuiſſet Propheta. Siquidem diu illis iam gratia iſta defecerat, &c. Auctor imperfecti homil. 3. Amplius reſonabat conuerſatio vitę Ioannis in eremo, quàm vox clamoris eius. Et magis expaueſcere faciebat homines operibus, quàm verbis. Et forſitan, niſi ſermones ſuos conuerſatione huiuſmodi commendaſſet, numquam omnis Iudæa ad vocem eius exiſſet, ad eum, &c.

CAPVT V.

De dictis Ioannis Baptiſtæ.

POENITENTIAM *agite: appropinquauit enim regnum cælorum.* Ad munus Ioannis, vt diximus, pertinuit Iudęos baptizare; pertinuit quoque, vt Zacharias pater canit, ſcientiã de Meſſia, & pœnitẽtia ſalutarem plebi dare. De hac ſcientia nunc dicendum. In primis, vt Matthæus docet, pœnitentiæ ſcientiam dedit: *Pœnitentiam*, inquit, *agite*, Græcè *μετανοεῖτε*, id eſt, *reſipiſcite*, mentem vitamque mutate, crimina execramini, præterita flagitia dolore ac contritione obliterate, futura cauete, & toto pectore fugite. Hæc enim omnia reſipiſcentia vera complectitur. Pœnitentiæ præmium pollicetur, non terrenum, vt olim Prophetæ, ſed cæleſte. Pœnitentiam agite; iam enim cælorum regnum appropinquauit. Clauſum hactenus fuit; tempus inſtat, quo, per Meſſiæ paſſionem aperietur. Nullum hactenus hominem obſeratum cælum excepit, appropinquat tempus, quo, reſeratum multos excipiet. Ingredi ſi vultis, pœnitentiam agite.

Matth. 3.

Primus ſenſus.

Terrenum Iudæorum regnum ſub aſpectum cadebat, notum illis erat ac propinquum. Cæleſte verò oculis non cernebatur, ignotum erat, & in veteri Teſtamento valde diſtabat. Diſtabat, inquam, vt Cardinalis Caietanus Matth. 3. rectè ait, tempore, notitia, affectu & acceſſu. Tempore, quoniam nondum venerat Meſſias: notitia, quoniam in veteri Teſtamento regnum cælorum minime promittebatur, vt diximus tom. 1. in prærogatiuis noui Teſtamenti: & docet Hieronym. in epiſtol. 129. ad Dardanum: *Mihi*, inquit, *in Euangelio promittuntur regna cælorum, quæ vetus inſtrumentum omnino non nominat.* Et Auctor homil. 4. in Marcum, tom. 2. Chryſoſtomi: *Quantum*, ait, *in meo corde eſt, legens legem, Prophetas, & pſalterium, numquam regnum cælorum audiui, niſi in Euangelio.* Rupertus Matth. 3. *Notandum eſt, quod primus præcurſor iſte Domini, nomine expreſſo, prædicat regnum cælorum*, &c. Diſtabat affectu, quia vulgò à Iudæis non deſiderabatur. Acceſſu, quia nullus in cælum aſcendebat. Eo autem tempore, quo Ioannes in deſerto apparuit, appropinquabat regnum cælorum; quoniam iam imminebat per Chriſti paſſionem cælorum reſeratio. Nondum aduenerat regnum, ſed vicinum erat.

Regnũ cælorũ diſtabat à Iudæis tẽpore, notitia, affectu, & acceſſu.

Quia verò non ſatis eſt Chriſti ſola paſſio, vt regnum adipiſcamur; ſed neceſſaria quoque eſt criminum, quæ commiſimus, noſtra pœnitentia; ideò Ioannes clamat; *Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum.* Quaſi dicat: Si regnum ingredi vultis, quod iam appropinquat, agite pœnitentiam. Hæc ſcala eſt, qua in regnum peruenitur. Sumitur hoc ſenſu regnum cælorum propriè, pro æterna in cælis vita: quæ ſententia eſt D. Hieron. Matth. 3. Primus, ait, Baptiſta regnum cælorum prædicat; vt præcurſor Domini hoc priuilegio honoretur. Auctor imperfecti hom. 6. hæc ver-

Pœnitentia cæli ſcala.

Quid ſignificet hic regnũ cælorũ?

ba ſic explicat: Appropinquauit regnum cælorum, id eſt, beatitudo regni cæleſtis: parate vos per pœnitentiam & patientiam, ad percipiendam beatitudinem regni cæleſtis: Quia appropinquauit tempus mercedis reddendæ, &c. Sic etiam exponunt D. Thom. Lyran. Caiet. Abul. Carthuſian. & alij.

Significat etiam regnum cælorum Eccleſiam, quæ regnum eſt Meſſiæ. Regnum autem cælorum, id eſt, regnum cæleſte, appellatur regnum Chriſti, quoniam è cælo eſt, cæleſtem habet Regem Chriſtum, leges cæleſtes, cæleſtesque incolas; quorum, vt ait Paullus, *conuerſatio in cælis eſt.* Regnum cælorum, ait Euthymius Matth. 3. appellat politiam angelicam, quam Chriſtus paullo pòſt conditurus erat per euangelica præcepta, &c. Eſt ſecundus ſenſus: *Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum Meſſiæ*, quod auidè exſpectatis. Sed aduertite, non terreſtre regnum eſſe terreſtris alicuius Regis, auro & purpura fulgentis, militum caterua ſtipati, opibus imperioque conſpicui. Regnum eſt cælorum, cuius bona cæleſtia ſunt, opes cæleſtes, cæleſtes leges ac politia. Falſam Iudæorum de Meſſiæ regno opinionem Ioannes his verbis refutat, non terrenum pollicens, ſed cæleſte regnum.

Matth. 3. Secundus ſenſus.

Tertius ſenſus eſt Chryſoſtomi hom. 10. in Matth. Regnum cælorum Chriſti aduentum primum, & ſecundum ſignificare ait: Regnum, inquit, hic aduentum abſque dubio Chriſti & priorem ſignificat, & ſecundum. Et Theophylactus: Regnum, ait, cælorum dicit Ioannes primum, & ſecundum Chriſti aduentum, & virtuoſam vitam: quando enim in terra ambulamus, quaſi in cælo degentes, abſque affectionibus, regnum habemus cælorum, &c. Euthymius alium addit ſenſum. Chriſtum, inquit, nominat hic regnum cælorum, vtpote cæleſtem Regem: Pœniteat, ait, vos errorum veſtrorum: inſtat enim Chriſtus, &c. Et Theophylact. Matth. 4. *Regnum*, inquit, *cælorum eſt & Chriſtus; eſt & vita virtutibus prædita. Quando enim quis ſuper terram viuit, ſicut Angeli, nónne cæleſtis eſt? atque ita in vnoquoque noſtrum eſt regnum cælorum, ſi angelicam vitam agimus*, &c. Duo priores ſenſus probabiliores ſunt, ceteri ad ſecundum reduci poſſunt. Lege prærogatiuam Ioannis 21. 22. & 23. tom. 1. cap. 24.

3. Senſus.

4. Senſus.

Luc. 3. Matth. 3.

GENIMINA *viperarum*, &c. D. Lucas verba hæc ad turbas dicta ait, D. verò Matthæus ad Phariſæos & Sadducæos: *Videns*, inquit, *Ioannes multos Phariſæorum & Sadducæorum venientes ad baptiſmum ſuum, dixit eis: Progenies viperarum*, &c. Quamobrem Euthymius bis dicta exiſtimat; ſemel ad Phariſæos & Sadducæos, iterum ad turbas. Veriſimile quoque eſt, dicta ad turbas, inter quas erant Phariſæi & Sadducæi, in quos præcipuè à Ioanne iactabantur. Ideoque, Lucas ait, dicta ad turbas, Matthæus ad Phariſæos & Sadducæos, quos maximè Ioannes carpebat. Vocat autem Ioannes Phariſæos & Sadducæos genimina, id eſt, progeniem, & filios viperarum; quoniam impiorum parentum, & magiſtrorum impij erant filij & diſcipuli. Filios ſe eſſe Abrahæ gloriabantur; illorum ſupercilium deprimit: Non eſtis, inquiens, Abrahæ, ſed viperarum filij; veneno ſcelerum infecti, non Abrahæ virtutibus ornati. Hominum formam videbat Ioannes, ait Auguſt. tract. 42. in Ioannem, ſed venenum agnoſcebat, &c. Vult Ioannes illos peccata ſua agnoſcere, non iuſtos ſe, ſed viperas, id eſt, peccati veneno contaminatos exiſtimare.

Cur Phariſæi & Sadducæi viperarum genimina dicantur.

Auctor imperfecti coniicit hos Phariſæos & Sadducæos, abſque labore ſalutem ſe conſecuturos

per baptiſmum putaſſe; & ideò ad aquam, inſtar viperæ, confugiſſe. Forſitan, inquit, cogitauerunt apud ſe? Imus, & confitemur peccata noſtra. Quantum eſt in vna hora erubeſcere? iuſtitias à nobis non quærit, nullum laborem nobis imponit: baptizamur, & conſequimur indulgentiam peccatorum. At multa diligentia neceſſaria eſt homini, ait idem Auctor, poſt confeſſionem & baptiſmum, vt vulnus peccatorum eius, & confeſſionis apertura ſanetur. Deinde adiungit. Natura viperarum talis eſt; cùm momorderit hominem, ſtatim vipera currit ad aquam: ſi autem aquã non inuenerit, moritur. Ideo & iſtos vocabat Ioannes genimina viperarum, qui peccata mortifera committentes, currebant ad baptiſmum; vt, quemadmodum viperæ, per aquam periculum mortis euaderent. Duas alias addit rationes, cur Phariſæi & Sadducæi progenies viperarum ſint appellati. Prior eſt: Viperæ, inquit, à foris ſpecioſæ, & quaſi pictæ, intus autem veneno plenæ ſunt. Ideò & hypocritas & Phariſæos viperarum genimina appellat; quia hypocritæ pulcritudinem ſanctitatis oſtendebant in vultu, & venenum malitiæ portabant in corde, &c. Poſterior eſt; Viperarum, ait, natura eſt rumpere viſcera matrum ſuarum, & ſic naſci. Quoniam ergo Iudæi aſſiduè perſequentes Prophetas, corruperunt matrem ſuam ſynagogam; ideò viperarum genimina nuncupantur. Chryſoſtomus item: Bene, ait, illos Baptiſta genimina viperarum vocauit; ſiquidem id ſerpentum genus in parentis feſtinat exitium; vt aluo exeſa in vitam prodeat, morte gignentis. Quod iſti quoque faciebant, patrum ſanguine, ac matrum madentes: & ſceleratis manibus eos, à quibus ad veritatis lumen ducebantur, magiſtros interficientes, &c.

Natura viperarum.

Chryſoſt. hom. 11.

Gregor. hom. 20.

D. Gregorius: Viperarum filios appellatos arbitratur, quòd venenatorum parentum, venenati eſſent filij. Notandum, inquit, quòd malæ ſoboles, malorum parentum actionem imitantes, genimina viperarum vocantur. Quia per hoc, quòd bonis inuident, eosque perſequuntur; quòd quibuſdam mala retribuunt; quòd læſiones proximis exquirunt: quoniam in his omnibus patrum carnalium vias ſequuntur, quaſi venenati filij, de venenatis parentibus nati ſunt, &c.

Ambroſ.

D. Ambroſius Lucæ 3. propter prudentiam, ſerpentes vocatos putat, quia prudenter ad baptiſmum accedebant. Argui, inquit, videtur malitia Iudæorum, eò quòd varij, noxiæ mentis veneno, ſerpentinos lapſus, & terrena cubilia, non diuinæ aliquod myſterium cognitionis operentur. Sed tamen cùm dicitur: Quis oſtendit vobis fugere à ventura ira? oſtenditur, iis Dei miſeratione infuſa prudentia, vt gerant ſuorum pœnitentiam delictorum, futuri terrorem iudicij metuentes. Ad generationem ergo, non ſucceſſionem, referenda eſt comparatio viperarum. Aut fortaſſe, iuxta quod

Matth. 10.

ſcriptum eſt: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes*: oſtenduntur habere prudentiam naturalem, qui profutura videant, & ſponte depoſcant, ſed adhuc noxia non relinquant, &c.

Primus ſenſus, quem cum D. Hieronymo & Gregorio ſecuti ſumus, ceteris præſtat. Prudentiam voluiſſe indicare Ioannem, quod ait D. Ambroſius, non eſt veriſimile. Illud item, quod de viperis Chryſoſtomus ſcribit, matre occiſa, prodire in lucem, alij quoque ſcribunt; Beda Matth. 3. Euthymius, Theophylactus, Plinius lib. 10. capit. 62. Baſilius homil. 9. Hexameri: *Viperæ*, ait, *vtero matris eroſo, fama eſt in lucem exire, decentes ſcilicet mercedes, præmiaq; parenti reddentes*, &c. Auguſtinus quoque Sermone 1. Dominicæ tertiæ quadrageſimæ: *Sicut*, inquit, *aiunt viperas, dilacerato materno vtero, naſci: ita & inuidiæ natura, illam animam, à qua concepta eſt, conſumit & perdit*, &c. At Apollonius hoc falſum eſſe putat, vt ait Cælius lib. 6. cap. 13. *Apollonius*, inquit, *apud Philoſtratum, viperam eſſe viſam, refert, catulos lambentem, quos peperiſſet. Non enim aſſentior*, ait Apollonius, *eorum ſermoni imprudenti, qui viperarum fœtum, abſque matre autumant prodire. Id natura non patitur, nec recipit experientia*, &c. Pierius quoque Valerianus lib. 14. ſcribit, fuiſſe hac ætate, qui viperas viuariis incluſere; easque, aliorum inſtar animalium, parere, educareque fœtus ſuos, experientia compererunt. Ariſtoteles præterea lib. 5. de Hiſtoria animalium, cap. 34. *Vipera*, ait, *parit catulos obuolutos membranis, quæ tertia die rumpantur. Euenit interdum, vt qui in vtero adhuc ſunt, abroſis membranis exeant. Singulos, diebus ſingulis parit, plures quam viginti*, &c.

An viperarum catuli, occiſa matre, prodeãt in lucem?

Inuidia, eſt vipera.

Dubium eſt, an Phariſæi hi ad Ioannem venerint, vt baptiſmum ſuſciperent? Ratio verò dubitandi eſt; quoniam, Lucas ait, Phariſæos non eſſe ab eo baptizatos: *Omnis*, inquit, *populus audiens, & publicani iuſtificauerunt Deum, baptizati baptiſmo Ioannis: Phariſæi autem, & legis periti conſilium Dei ſpreuerunt in ſemetipſos, non baptizati ab eo.* Itaque Rupertus Matth. 3. ait, Phariſæos veniſſe ad Ioannem, non vt baptizarentur, ſed vt ipſum calumniarentur. Similiter, Lyranus ait, ficte acceſſiſſe. Dicendum eſt, aliquos Phariſæos & Sadducæos ad Ioannem veniſſe, vt baptizarentur. Id enim verba Matth. indicant: *Videns*, inquit, *Ioannes multos Phariſæorum & Sadducæorum venientes ad baptiſmum ſuum*, id eſt, *vt* baptizarentur, dixit eis, &c. Alij autem plurimi Phariſæi, & legis periti baptizari noluerunt, de quibus locus ille Luc. 7. intelligendus eſt. Hi ſuperbia iuſtati, conſilium Dei ſpreuere, ſeque Ioanni ſubiicere noluerunt. Omnis verò populus baptiſmum, confeſſionem, pœnitentiamque libenter ſuſcepit, & ad Chriſtum hoc modo ſe præparauit. Omnem populum baptizatum indicat Luc. *Factum*, inquit, *eſt, cùm baptizaretur omnis populus*, &c. De Phariſæis & Sadducæis infrà dicemus.

An Phariſæi ſint baptizati à Ioanne? Luc. 7.

Matth. 3.

Luc. 3.

QVIS *oſtendit vobis fugere à ventura ira? facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Venturæ iræ timore obiecto, populum, præcipuè verò Phariſæos & Sadducæos, terret; & quomodo ira diuina fugiatur, indicat, nempe, per pœnitentiam. De ira agit diuina, quæ perpetuis ſuppliciis impios mulctat; venturam vocat, quia poſt mortem iniquos torquet. Ventura ira, ait D. Gregorius Homil. 20. in Euangelia, eſt animaduerſio vltionis extremæ. Et Theophylact. exponit, à futura ira, id eſt, gehennæ. Euthymius alterum addit ſenſum de ira Dei, quæ Iudæos Romanorum armis puniuit. Sed prior ſenſus eſt probabilior. Admirantis autem vox eſt: quaſi dicat: Quænam hæc viperarum mutatio eſt? quiſnam vos homines peſſimos ad baptiſmum & pœnitentiam docuit venire? quis vobis demonſtrauit fugere Dei iudicium terribile, iramque ſceleratorum hominum capiti impendentem? Deinde admonet, vt iræ Dei terrore perculſi, verã agant pœnitentiam. *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Quaſi dicat: ſiquidem iram Dei venturam fugere vultis, & ad baptiſmum pœnitentiæ acceditis; non ſimulatè, ſed verè pœnitentiam agite, verosque pœnitentiæ fructus producite. Fructus digni pœnitentiæ, vel digni pœnitentia, ex ſententia Theophylacti & Euthymij, ſunt bona opera; quaſi dicat Ioannes: Non eſt ſatis per pœnitentiam peccata confiteri & expiare, ſed neceſſe eſt etiam fructus huius pœnitentiæ dignos ferre; id eſt, bona poſtea opera facere. *Quia reſipiſcitis*, ait Euthymius, *ſcitote, quòd non ſufficit prauitatem dumtaxat fugere, ſed oportet virtu-*

Quid ſit ventura ira.

Luc. 3.

Quid ſit fructus dignos pœnitentiæ facere.

Psal. 33. Oportet malum fugere, & bonum facere.

virtutem quoque operari. Declina, ait Psal. *à malo, & fac bonum*: Hæc ille. Theophylactus; *Fructus pœnitentiæ*, non solum est fuga mali, sed elaboratio boni: hoc enim reuera est proferre fructum pœnitētiæ, si bonum operati fuerimus, &c. Chrysostomus quoque sic interpretatur: Non sufficit à malignitate fugisse, nisi ad virtutis studia transeatis, &c.

Gregor. hom. 20. in Euang.

D. Gregorius de satisfactione hæc verba exponit, in hunc sensum: Facite fructus dignos pœnitentiæ, quales postulant peccata commissa, vt iustitiæ diuinæ fiat satis. Ioannes, inquit, non solùm fructus pœnitentiæ, sed dignos pœnitentiæ admonet esse faciendos. Aliud namque est fructum facere pœnitentiæ, aliud dignum pœnitētiæ fructum facere. Vt enim secundum dignos pœnitentiæ fructus loquamur; sciendum est, quia quisquis illicita B nulla commisit, huic iure conceditur, vt licitis vtatur. At si quis in fornicationis, vel adulterij culpam lapsus est; tanto à se licita debet abscindere, quantò se meminit & illicita perpetrasse. Neque enim par fructus boni operis debet esse eius, qui minus, & eius, qui amplius deliquit; aut eius, qui nullis, & eius, qui in quibusdam facinoribus cecidit: & eius, qui in multis lapsus est. Per hoc ergo quòd dicitur: Facite fructus dignos pœnitentiæ, vniuscuiusque conscientia conuenitur: vt tantò maiora acquirat bonorum operum lucra per pœnitentiam; quantò grauiora sibi intulit damna per culpam. Hæc Gregorius. Eundem sensum sequitur D. Bonauentur. Luc. 3. *Facite*, inquit *fructus dignos pœnitentiæ*, vt sit satisfactio condigna; quia di- C

Deut. 25.

citur, *pro mensura peccati, erit & plagarum modus.* Hæc ille. Et D. Thom. Matt. 3. In arbore, ait, sunt fructus post flores. Flores quidam pœnitentiæ apparent in contritione: sed fructus est in executione. Alius est fructus iustitiæ, alius pœnitentiæ: plus enim requiritur à pœnitente, quam ab eo, qui non peccat. Est autem triplex fructus dignus pœnitentiæ. Primus est, vt puniat in se quod commisit, & hoc iudicio sacerdotis. Secundus est, vt fugiat peccata, & occasiones peccati. Tertius est, vt tantum studeat ad bene agendum, quantum studuit ad peccandum:

Flos pœnitētiæ in contritione: fructus in executione. Triplex fructus pœnitentiæ.

Rom. 6.

Iuxta illud Paulli: *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ, in sanctificationē.* Hæc D. Thom. Et Abulensis: Restabat, inquit, quod D ex pœnitentia proueniret fructus. Et istud est, quod qui peccata detestatur, nunquam ad illa, nec ad alia redeat; etiā quod pro peccatis, aliqua opera satisfactoria, faciat. Et non solùm dixit Ioannes, quod facarent fructum pœnitentiæ; sed etiam dignum. Scilicet vt quanta fuerunt peccata, tanta sit satisfactio. Nam, sicut per peccatum, homo voluntati suæ concessit plus, quam debuit; ita iustitia exigit, vt contra voluntatem suam tantùm faciat, se puniendo; iuxta illud:

Apoc. 18.

Quantū glorificauit se in deliciis, tantum date illi tormentum. Cùm autem se quis tantùm punierit, pœnitentiam dignam faciet. Hæc Abulens. Vtrumque sensum complectuntur verba Ioannis. E Nam qui pœnitentiam agit, peccata detestatur, animi dolore obliterat, debita satisfactione in se punit; ea toto conatu deinceps fugere, virtutum actiones operaque bona præstare statuit. Omnes ergo hi fœcundissimæ arboris pœnitentiæ fructus sunt: dolor, peccatorum detestatio, fuga, debita satisfactio, denique, bona post pœnitentiam opera, & virtutum actiones. Hos fructus à vero pœnitēte Ioannes expetit, dicens: *Facite fructus dignos pœnitentiæ.*

Arboris pœnitētiæ fructus.

Luc. 3.

ET, *ne velitis dicere intra vos, Patrem habemus Abraham, &c.* Viperarum filios appellauit Ioannes Pharisæos, & Sadducæos, vt peccatorum veneno inquinatos se agnoscerent, nec superbia axtollerēt.

Quia verò ipsi respondere possent, non esse se filios viperarum, sed Abrahæ; arrogantiam deprimit, non esse magnū ostendens, esse filios Abrahæ secundum carnem. Posse enim Deum multos Abrahæ filios ex lapidibus excitare. Ne dicatis, inquit, non sumus viperarum filij, sed Abrahæ illustrissimi Patriarchæ. Dico enim vobis, quod potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahamo. Abrahæ, datiuus est, τῷ Ἀβραάμ. Lapides aliquos constat ostendisse Ioannem, ait enim: *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*, siue Abrahamo. De istis, inquit, lapidibus, qui hîc iacent; aliquos ergo demonstrauit. Volunt nonnulli, illos demonstrasse, quos iussu Dei, ex Iordanis alueo sublatos Iosue in agro collocauit, cùm filij Israel Iordanem transierunt; vt transitus illius perpetuum essent monumentum. Abulēsis Matth. 3. Dicitur, inquit, communiter, quòd isti lapides, erant duodecim lapides, quos posuerunt Iudæi in Iordane: & tempore Ioannis erant, & apparebant cacumina eorum, &c. D. Thom. Legitur, ait, Iosue *D. Thom.* 4. quòd, quando populus transiuit Iordanem siccis pedibus, in memoriam miraculi, præcepit Iosue, quòd extraherentur duodecim lapides ex fundo fluminis, & ponerentur extra flumen: & duodecim de lapidibus, qui extra flumen erant, ponerentur intus. Ioannes autem in illo loco baptizans, eos ostendit. Hæc ille. Et Remigius: Potuit, inquit, fieri vt eos lapides, Ioannes, demonstrando, diceret: De lapidibus istis, &c. Eiusdem sententiæ est Rupertus, & Lyranus.

His adde, Ioannem Iudæos his verbis admonere, ne meritis Abrahæ fidentes pœnitentiæ fructus spernant, hoc sensu: Facite fructus dignos pœnitentiæ; & ne dicatis: filij Abrahæ sumus; non patietur Deus Patriarchæ carissimi perire natos. Dico *Nō fidendū maiorū sanctitati, ita vt pœnitentiæ fructus omittātur, & opera bona.* enim vobis, quod patietur Deus Patriarchæ carissimi perire improbos natos. Potens enim est, si hos improbos perire patiatur, alios illi filios, vel ex istis lapidibus optimos procreare. Faciet autem ex ethnicis, natos Abrahamo sanctissimos dabit. D. Augustin. tract. 42. in Ioannem. Nolite, inquit, vobis de stirpe blandiri: Potens est Deus, & vos damnare, & Abraham filijs nō fraudare. Habet enim, vnde excitet filios Abrahæ: fient filij, qui fidem fuerint imitati, &c. Ambrosius Luc. 3. Admonentur claritatem sibi magis operis, quàm nobilitatem generis vindicare, quod nulla in successione prærogatiua fit, nisi fidei adstipuletur hereditas, &c. Considera, inquit Chrysostomus, quemadmodum *Chrysost. hom. 11.* Ioannes, Iudæos à iactatione etiam carnali, & refugio istius propinquitatis abduxerit, vt potius in pœnitentia propria, & conuersatione sancta spem salutis locarent, &c. Euthymius. Admonet Ioannes Iudæos, ne dicant in cordibus suis: Patrē habemus Abraham, & sufficit nobis ad virtutem, quòd ab illo descendamus. Neque enim vllos oportet de progenitorum virtutibus gloriari, cùm ipsi negligētes sint de propriarū virtutum operibus &c. *Euthym.*

Nonnulli, lapides, ethnicos significare arbitrantur, in hanc sententiam. Si vos Iudæos, Abrahæ secundum carnem filios impios Deus vastauerit, non erit orbus Abrahā. Potens est Deus ex lapidibus istis, id est, ethnicis, qui lapidibus similes sunt, filios Abraham, secundum spiritum, virtute præclaros producere. Vnde Chrysost. Nonnulli, in- *Chrysost. hom. 11.* quit, opinantur, hoc Ioannem dixisse, de vocatione gentilium, quos metaphoricè lapides nominarit, &c. D. Gregorius homil. 20. in Euāgelia: Lapidum nomine gentes significatæ sunt. De lapidibus filij Abrahæ suscitati sunt; quia dum dura corda gentilium in Abrahæ semine, id est, Christo, credide-

Lapides sũt ethnici, ex quibus Deus filios suscitat Abrahamo. Gal. 3.

runt, eius filij facti sunt, cuius semini sunt vniti. Vnde Paul. *Si autẽ vos Christi, ergo Abrahæ semen estis.* Hæc Gregorius D. Hieronym. Matth. 3. Lapides ethnicos vocat Ioannes, propter cordis duritiam, &c. D. August. tract. 9. in Ioannem: Lapides dicit Baptista omnes gentes, quia simulacris, quæ adorabãt, similes factæ sunt, iuxta illud: *Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.* Item: De gentibus non veniremus, nisi Deus de lapidibus suscitasset filios Abrahæ. D. Cyprian. libr. 2. epist. 3. In Euangelio, inquit, inuenimus de lapidibus excitari, id est, de gentibus colligi filios Abrahæ. Ambrosius Luc. 3. Prophetatur à Ioanne, saxosis gentilium fides infundenda pectoribus, &c. Eadem interpretatio exstat in glossa interlineari, & ordinaria. Si Ioannes dixisset: Potens est Deus de lapidibus suscitare filios Abrahamo, probabilis esset sensus. Sed cùm lapides digito ostenderit, de lapidibus ostensis est intelligendus. Attamen simul indicabat fore, vt Deus ex gentibus, quæ lapidibus illis similes erant, filios Abrahamo proferret.

Psal. 113.

Quomodo possint ex lapidibus procreari Abrahamo filij?

Verùm, si Deus ex lapidibus homines procrearet, illi non possent esse filij Abrahami: non enim ab illo genus ducerent. Quomodo ergo verum est Ioannis dictum, posse Deum ex lapidibus suscitare filios Abrahæ? Respondemus, Ioannem non loqui de filijs Abrahę secundũ carnalem generationem. Nam homines ex lapidibus procreati, non essent hoc pacto Abrahæ filij. Loqui verò de filijs Abrahæ secundum imitationem, & spiritum; quæ præcipua filiationis est ratio, qualis inest Christianis, qui secundum carnem ab Abrahamo originem minimè trahunt; filij tamen Abrahami secundum spiritum meritò appellantur. Vt enim, ait Euthymius, Matth. 3. Tantò maior est virtutis cognatio, quàm sanguinis, quantò anima corpore præstantior est. Et D. Hilarius Matth. 3. Non carnis successio quæritur, sed fidei hereditas; prosapiæ gloria fidei imitatione retinetur. Augustin. tract. 9. in Ioan. Facti sumus filij Abrahæ imitando fidem, non nascendo per carnem: sicut enim Iudæi degenerando exheredati; sic nos, imitando adoptati, &c.

Maior est virtutis cognatio, quã sanguinis.

Facti sunt ethnici filij Abrahæ, eius fidem imitando.

Iam securis ad radicem arborum posita est. De qua securi loquatur Ioannes, est dubium. Nonnulli, ex quibus est D. Gregor. homil. 20. in Euangelia, nomine securis Christum intellexere: Theophylact. D. Hilarius. & Auctor imperfecti iudicium: Euthymius mortem: D. Hieronym. prædicationẽ Euangelici sermonis, qui ex vtraque parte acutus est gladius. Primus sensus, qui mihi probatur, hic est: hac similitudine ab arboribus petita, ad ferendos pœnitẽtiæ fructus auditores Ioannes excitat, æterni ignis horrore proposito: quasi dicat: Facite dignos pœnitẽtiæ, & bonorum operum fructus, neq; verò vobis de Abrahami sanctitate, ac nobilitate blandiamini, illiusque fructibus infœcundi confidatis. Nam si virtutis fructus non feratis, quamuis plurimos Abrahamus tulerit; veluti steriles arbores excidemini, & in tartareum ignẽ deijciemini. Iam diuinæ iustitiæ securis arborum radicibus admota est, id est, hominum vitæ; vt infœcundos excidat. Omnis arbor, id est, omnis homo sterilis, qui fructus operum debitos non parit, hac securi radicitus excidetur, æternique ignis fiet pabulum.

Quid significet securis radicibus admota.

Orig. hom. 23. in Luc.

Secundus sensus probabilis est Origenis: *Ego*, inquit, *puto, Israelitico populo prophetari, quod præcisio eius propinqua sit*, &c. Interpretatur Ioannis verba de Iudæorum extremo per Romanos excidio; subscribit Cardinalis Caietanus. Est verisimile, Ioannem Iudæis vastitatẽ hoc loco prædixisse, in hanc sententiam. Fructus proferte pœnitentiæ dignos, &c. Nolite dicere: Patrem habemus Abrahã: dico enim vobis; quod potens est Deus de lapidibus istis filios Abrahamo procreare. Procreabit autem illi filios ex gentibus: vos verò vastabit. Iam enim diuinæ iustitiæ securis ad radicem arborum, id est, Iudæorũ, posita est. Omnis ergo arbor, id est, Iudęus sterilis, & infœcundus, non credens in Messiam, excidetur, & in ignem mittetur, vestra Respub. euertetur, templum incendetur, ciuitas solo æquabitur.

Tertius sensus esse potest, de iudicio extremo, quod propinquum esse Ioannes affirmet. Ferte, inquit, fructus; nam securis extremæ sententiæ iam ad radicem arboris posita est, scilicet, in præscientia diuina; vel etiam, quoniam breuissimum est tempus omne, quod ad Iudicium vsque fluit, si cum æternitate conferatur. Iuxta illud D. Petri de Iudicio loquentis: *Vnus dies apud Dominum, sicut mille anni, & mille anni, sicut vnus dies.* Et illud: *Aduentus Domini appropinquauit.* Item: *Ecce iudex ante ianuam assistit.* Similem in modũ Paullus ad pœnitentiam hortatur, iudicij timore obiecto: *Deus*, inquit, *nunc annũciat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agant, eo quod statuit diem, in quo iudicaturus est orbem in æquitate, &c.*

2. Pet. 3. Iacobi 5.

Actor. 17.

Interrogabant eum turbæ dicẽtes: quid faciemus? Non frustra Ioannes vox Domini intonuit: desertum enim commouit. Iuxta illud: *Vox Domini concutientis desertum: & commouebit Dominus desertum Cades.* Hebraice יחול Iachil, id est, parturire faciet desertum. O felicem deserti partũ Ioannem, Ioannis conciones, baptizatorum, & peccata confitentium cateruas. O verè desertum קדש Kades, id est, sanctitatis, in quo, sanctissimo Baptista conclamante, & baptismi aquis Iudæos irrigante, odoriferi pœnitentię flores sunt exorti, magnoque Messiæ via florida præparata. D. Basilius Psalm. 28. *Desertum*, inquit, *illud Ioannes concussit, per accursum vndique affluentium populorum. Quod quidem desertũ propter eorum, qui illuc veniebant, pœnitentiam, sanctum est appellatum. Cades enim, si interpreteris, sanctum dicitur.* Hæc ille, D. Gregor. *In verbis*, ait, *Ioannis constat, quod audientium corda turbata sunt, cùm subinfertur: Quid faciemus? perculsa enim terrore turba fuerunt, quæ consilium quærebant*, &c. Commoti igitur Iudæi Baptistæ verbis: Quid, inquiunt, faciemus? quos pœnitentiæ dignos fructus proferemus?

Psal. 28.

Desertũ Cades, id est, sanctitatis, illud Ioannis.

D. Basil.

Greg. homil. 20. in Euãg.

At Ioannes eleëmosynæ fructus proferendos docet: *Qui habet*, ait, *duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat.* Idem de argento, reliquisque rebus est intelligẽdum. Eleëmosyna enim opus satisfactorium, & vnguẽtum salutiferum est, quod peccatorum vulneribus maximè medetur. Vnde Chrysostomus homil. 14. in epistol. 1. ad Timoth. *Pauperes*, inquit, *medici sunt vulnerum tuorum: manus eorum tibi medicamentum præstant. Non ita Medicus, vt medicamenta imponat extendens manum curationem exhibet; vt pauper, vt à te accipiat, porrigens manum*, &c. Hinc præclarum illud emanauit consilium à Daniele datũ Regi Nabuchodonosori: *Rex, consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleëmosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum*, &c.

Eleemosyna est opus satisfactoriũ.

Eleemosyna animi medicina.

Dan. 4.

Venerunt autem & publicani, vt baptizarentur. Diuersi hominum ordines ad Ioannem confluebant, inter eos publicani, & milites. Hoc quoque genus hominum auarum, & ad iniquitatem proiectum, illius verbis perculsum, ad salutem comparandam postulauit cõsilium. Quocirca Beda: *Quantam*, inquit, *Baptistæ sermo virtutem habuerit, quantumque mentes concusserit auditorum, hinc probatur, cùm etiam publicanos, & milites, ad consilium salutis suæ inquirendum coegerit*, &c. Publicanis hoc dedit consilium. Nihil amplius, quàm quod constitutum est vobis, faciatis; hoc est, quod vobis imperatur facite; id solum

Beda.

id ſolum exigite, quod vobis eſt decretum. Erant A enim Publicani, qui publica vectigalia ac tributa exigebant. Nec iuſta tributa, nec iuſtorum tributorum exactores publicanos damnat; ſed vt rapinas caueant, exhortatur. Vnde D. Maximus in ſermone, de verbis Chriſti Matth. 22. *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari*, &c. Sic ait: Non dixit Ioannes, nihil exigatis, ſed nihil amplius exigatis. Vnde intelligimus, quod apud Deum, non tàm exactio, quàm exactio iniqua damnetur. Dicit enim ipſe Deus: *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.* Igitur quod Cæſar præcipit, ferendum eſt; quod Imperator indicit, tolerandum eſt. Sed fit intolerabile, dum illud præda exactionis accumulat. Hæc ille.

Maximus Matth. 22.

Tributa reddenda.

Interrogabant autem eum & milites. Militibus ſic B Ioannes conſulit: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis; & contenti eſtote ſtipendijs veſtris. Hoc eſt, neminem percutiatis, nemini vim faciatis, aut calumniam; nihil rapiatis, ſtipẽdia, quæ ſoluuntur, vobis ſint ſatis. Hic etiam obſerua, non præcepiſſe Ioannem militibus, vt militiæ nuntium remitterent, ſed vt militis munere iuſtè fungerentur. Nõ enim milites à ſalute excluduntur, cùm poſſint ipſi etiam in militia iuſta virtutem colere. Quamobrem meritò D. Maximus ſerm. citato, milites eos accuſat, qui militiæ prætextu, quòd virtutem non colant, ſe excuſant: Nonnulli, inquit, qui aut militiæ cingulo detinentur, aut in actu ſunt publico conſtituti; cum peccant grauiter, hac ſolent à peccatis ſuis prima ſe voce excuſare, quod militant; & ne bene aliquãdo faciant, occupatos malis actibus conqueruntur. Perinde quaſi militia hominum, non volũtas in culpa ſit. Ita quod ipſi gerunt, officijs ſuis adſcribũt. Cuctis officijs, in ſactis litteris, præſcribitur norma viuendi; omnis ad bene viuendum prouocatur ſexus, ætas, & dignitas. Nemo ſe excuſet publicis actibus, nemo de occupatione militiæ conqueratur. Apud omnem Chriſtianum prima honeſtatis debet eſſe militia, &c. Miles erat Cornelius Centurio Italicæ cohortis; ſed *vir erat*, vt dicitur, *religioſus, ac timens Deum, cum omni domo ſua, faciens eleemoſynas multas plebi, & deprecans Deum ſemper.* Poteſt ergo miles virtuti operã nauare. Fateor tamen, & publicani, & militis vitam multis D periculis eſſe expoſitam; ideoque magna indigent diligentia, ac ſollicitudine, vt vitia fugiant.

Militia iuſta nõ damnanda.

Cunctis officijs præſcribitur norma viuendi in ſcriptura

Actor. 10.

Rogabis. Cur ad perfectiora milites, & publicanos Ioannes non eſt adhortatus? Reſpondemus, præter pœnitentiam, his hominibus, quæ neceſſaria erant voluiſſe imperare, quæque ipſi facile poſſent præſtare; ne ſi difficilia & perfecta ſuaderet, nihil agerent. A facilioribus & neceſſarijs cœpit, iuxta illud Paul. *Tanquam paruulis lac vobis potũ dedi, non eſcam.* Item: *Non potui vobis loqui, quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus.* Paruuli erãt; lac illis potum dedit, non eſcam. Carnales erant, nõ loquitur cum illis, quaſi cum viris ſpiritualibus. D. Bonauentur. Luc. 3. Videns, inquit, Ioannes illos infirmos, non E apponit gratia; ſed quantum poteſt mitigat ſarcinam. Vnde Ioannes, qui ſibi erat rigidiſſimus, publicanis infirmis factus eſt benignus, &c. Præterea Ioannes præcurſor erat, perfectiora conſilia Chriſto tradenda relinquebat. Neque vero opinandum eſt, Ioannem hæc tãtum populo dediſſe documenta. Siquidem ex Luc. conſtat, multa alia tradidiſſe. *Multa*, inquit, *& alia exhortans, euangelizabat populo.* Hactenus de dictis Ioannis diximus, quæ ad pœnitentiam, morumque emendationem pertinent. Sequitur, vt de teſtimonijs, quæ Chriſto perhibuit, dicamus.

1. Cor. 3.

Lac potum dedit Ioannes publicanis & militibus, non eſcam.

Luc. 3.

CAPVT VI.

De teſtimonio, quod de Chriſto tulit Baptiſta, antequam baptizaretur.

Ego quidem baptizo vos in aqua. Venit Ioannes in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine, vt nobilis cæli Aquila docet. Ad ea igitur teſtimonia, quæ de ſplendidiſſimo hoc lumine, id eſt, Chriſto perhibuit, explananda aggrediamur. Exiſtimabat populus, vt teſtatur Lucas 3. & cogitabant omnes in cordibus ſuis, ne fortè Ioannes eſſet Chriſtus, id eſt, Meſſias ille Patribus promiſſus. Hãc hominum falſam ſuſpicionem, & cogitationem à ſe Ioannes propulit, aperte profeſſus, ſe non eſſe Meſſiam, ſed illo multo inferiorem. D. Ambroſius exiſtimat, Ioannẽ ex diuino munere occultas hominum cogitationes cognouiſſe; & quid de ſe cogitarent intellexiſſe. Videbat, inquit, Ioannes cordis occulta. Dei hoc munus eſt, qui reuelat; non virtus hominis, qui diuino magis adiuuatur beneficio, quàm naturali cernat officio, &c. Similiter Euthym. ait, cognouiſſe Ioannem hominũ opinionem, ſpiritus ſui acumine. Et Caietanus: Inſtructus, inquit, eſt Ioannes à Spiritu ſancto de cogitationibus populi. Beda Luc. 3. quæſtionẽ proponit, & aliter reſpondet: Quomodo, inquit, Ioannes reſpondet eis, qui ſecreto in corde, quia Chriſtus eſſet, cogitabãt; niſi, quia non ſolum cogitabant, ſed etiam, ſicut Ioannes declarat, miſſis ad eum ſacerdotibus, ac leuitis, an eſſet Chriſtus inquirebant? &c. Arbitratur ergo Beda verba Ioannis, quæ Lucas cap. 3. recitat, poſt Iudæorum legationem ad Baptiſtam miſſam, eſſe prolata; & ex legatione, hominum de ſe ſuſpicionem agnouiſſe. Veriſimilius tamen eſt, verba, quæ Lucas commemorat capit. 3. à Baptiſta dicta eſſe ante Chriſti baptiſmum, vt indicat Lucas; ac proinde ante Iudæorum legationem, quæ baptiſmum Chriſti eſt ſecuta. Non igitur intellexit Ioannes ex legatione ſuſpicionem hominum, quam modo refellit; ſed, vel Deo reuelante, vel ex populi colloquio, vel ex aliquo diſcipulo illam cognouit. Refellit opinionem falſam: Ego, inquit, baptizo vos in aqua ſolum: baptiſmus meus animum minimè abluit, quoniam gratiam nõ affert; vt ſupra indicauimus. Meſſias, qui iam natus eſt, ſed venturus eſt poſt me ad baptizandum, & docendum populum Iſraëliticum, multò me fortior eſt, & potentior longè, multumque mihi dignitate præſtat: adeò vt dignus ego non ſim, qui procumbens calceamentorum illius corrigiam ſoluã, Græcè, ἱμάντα, id eſt, non ſum idoneus, vel dignus.

Ioan. 1.

An Ioannes nouerit hominũ cogitationes?

Ioan. 1.

Non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamentorum eius. His verbis oſtendit Ioannes, ſe dignum non eſſe, qui ſeruus ſit Meſſiæ, illique infimum ſerui præſtet obſequium. Soluere enim calceamentorum corrigiam, ſignificat calceos detrahere, & excalceare, quod infimum eſt ſeruorum munus. *Solue calceamentũ de pedibus tuis*, ait Dominus Moſi, id eſt, calceos extrahe. Matth. ſcribit, dixiſſe Ioannem: Cuius non ſum dignus calceamenta portare; nec tamen à Luca diſſentit. Nam Ioannes vtrumque ſimul dixit, hoc pacto: Non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamentorum Chriſti; neque dignus ſum illius calceamenta portare. Hoc ſenſit D. Hilarius Canon. 2. his verbis: Ioannes, dicit, fortiorem venturũ, cuius ferendorum, ac ſoluendorum calceamentorũ ſit indignus officio. Idem exiſtimat Euthymius. Vel forſitan, non eodem tempore, ſed alio hoc, alio illud, dictum fuit. Vtroque modo

Quid ſit ſoluere corrigiam calceamentorum.

Exodi 3.

Concordia Euangelistarum. Matthæum cum Luca conciliat Augustinus, lib. 2. de Consensu Euangelistarum cap. 12. Quid aliud, ait, accipiendum rectè existimaueris; nisi Ioannem vtrumque dixisse, siue aliud alio tempore, siue contextim? Potuit enim sic dicere: Cuius non sum dignus corrigiam calceamentorum soluere, neque calceamenta portare, &c.

Matthæus fallum non dicit, quàuis ipsissima Christi verba non exprefferit. Addit Augustinus, Matthæum non dixisse falsum, etiam si Baptistam verba illa, Cuius ego non sum dignus calceamenta portare, non protulisse concederemus, sed illa: Cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius. Quoniam qui alicuius dicta narrat, falsum non dicit, si illius mentem aliis verbis aperit, quæ ipse non protulit. Si, ait Pater sapientissimus Augustinus, nihil intendit Ioannes, cùm de calceamentis Domini diceret, nisi excellentiam eius, & humilitatem suam; quodlibet horum dixerit, siue de soluenda corrigia calceamentorum, siue de portandis calceamentis; eandem tamen sententiam tenuit, quisquis etiam verbis suis, per calceamentorum commemorationem, eandem significationem humilitatis expressit. Vnde ab eadem voluntate non aberrauit. Vtilis igitur modus, & memoriæ maximè commendandus, cùm de conuenientia dicimus Euangelistarum. Non esse mendacium, cùm quisque etiam dicens aliquid aliud, quod etiam ille non dixit, de quo aliquid narrat; voluntatem tamen eius hanc explicat, quam etiam ille, qui eius verba commemorat. Ita enim salubriter discimus, nihil aliud esse quærendum, quam quid velit ille, qui loquitur. Hæc Augustinus. Prima tamen, vel secunda conciliatio est verè propior.

Vtilis modus concordiæ ex Augustino.

An Christus calceis vsus sit? Ambigitur hoc loco; Num Christus calceis vsus sit? Quòd enim calceos habuerit, ex his verbis Baptistæ colligitur: *Non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius*: quibus, videtur Baptista significare Christum calceamenta gestasse. Quòd verò nudis incesserit pedibus Lyranus sentit Matth. 3. & Luc. 7. Abulens. Matth. 3. q. 68. Carthus. Dionys. eodem capite, D. Bonauent. in vita Christi cap. 28. Probatur opinio; quia Luc. 7. peccatrix illa mulier Christi pedes vnxit, & lacrymis irrigauit; quod facere minime posset, si pedes essent calceati. Quamobrem infert D. Bonauent. loco citato. Hic manifestè habere potes, quòd Dominus discalceatus ibat, &c. Idem verba illa Christi suadent Simoni dicta: *Aquam pedibus meis non dedisti*; quorsum enim aqua pedibus opus erat abluendis, si calceati erant? Præterea Christus discipulis calceorum vsum interdixit, ergo calceos repulit: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* item: *Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta.* Et Apostolos alloquens, ait: *Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? &c.* Non ergo vtebantur Apostoli calceamentis. Quod si Apostoli non vtebantur, neque Christus vtebatur: id enim quod iussit, ipse fecit. Fidem quoque faciunt huic sententiæ verba illa D. Hieronymi, in epistol. ad Eustoch. de custodia virginitatis: Moses & Iesu Naue nudis in sanctam terram pedibus iubentur incedere; & discipuli sine calceamentorum onere, & vinculis pellium ad prædicationem noui Euangelij destinantur. Et milites vestimentis IESV forte diuisis, caligas non habebant, quas tollerent. Nec enim poterat habere Dominus, quod prohibuerat seruis, id est, Apostolis. Hæc ille. Et Amos 2. Apostoli nudis pedibus iubentur incedere, ne quid mortis habeant, & pellium, quæ referuntur ad carnes, &c.

Luca 7.

Matth. 10.

Luca 10.

Luca 22.

Contrariam verò sententiam, scilicet, Christum A non incessisse pedibus nudis, illud suadet, quòd Christus in vestitu ciboque viuendi quandam communem normam secutus est; non ergo nudis incessit pedibus. Id enim à Iudæorum communi more erat alienum. Præterea Apostoli calceos habuerunt; ergo & Christus. Magistrum enim discipuli imitabantur. Apostolos autem habuisse calceos Marcus indicat illis verbis: *Præcepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum, non peram, non panem, neque in zona æs: sed calceatos sandaliis, &c.* Præterea D. Petrus calceos habuit: vt colligitur ex Actis: *Calcea*, inquit Angelus, *te caligas tuas*; Si caligas habebat, ergo & calceos. Græce legitur, calceate sandalia. D. Bonauent. in expositione regulæ fratrum minorum, cap. 2. Antiquæ, inquit, sculpturæ, pariter & picturæ monstrant Apostolos calceatos sandaliis incessisse. Et in epistola hac de re scripta primo tomo opusculorum, ait, soleam D Petri Romæ asseruari. Probatur quoque sententia ex August. ser. 42. de Sanctis: De iis, inquit, calceamentis, quibus calceati ambulamus, consolatur me idem ipse Dominus meus. Si enim ipse calceatus non esset, non de illo Ioannes diceret: *Non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius.* Sit ergo obedientia, non surrepat superba duritia. Ego, inquit, Euangelium impleo; quia nudo pede ambulo; tu potes, ego non possum, &c. Idem sentit D. Antonius 3. p. hist. titulo 23. cap. 1. §. 1. Christum, inquit, calceatum videre possumus in eo, quod Baptista ait: Cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius. B Petro quoque in Actibus Apostolorum dictum fuit ab Angelo: accipe caligas tuas. Et Marcus, eius optimus imitator, calceamentum suum cerdoni obtulit ad resarciendum. Sic igitur Dominus & discipuli, aliquando calceati, aliquando discalceati, incesserunt, &c.

Christum habuisse calceos qua probent.

Marci 6.

Actor. 12.

Mihi Augustini sententia placet, quæ etiam est Chrysostomi, Homil. 60. ad populum Antiochenum. Quod nunc dicunt, ait ille, vellem ipsius, id est, Christi, formam aspicere, figuram, calceamenta, &c. En calceamenta Christo tribuit, Crediderim Dominum calceis vsum fuisse, deque iis Baptistæ verba interpretanda: *Non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius*; hoc est, calceamentorum, C quibus ipse vtitur. Non inficior tamen, vera esse potuisse verba, etsi Christus nudis graderetur pedibus. Eo enim loquendi modo, prouerbialiter ostendisset Ioannes indignum se esse, qui Christi seruus esset. Rationes, quæ aduersæ sententiæ fidem faciunt, sic soluuntur. Priori respondemus, Christum sandalia tunc temporis gestasse, hoc est, calceos, qui pedum plantas muniunt, nec pedem superiori ex parte contegunt. Potuit ergo facilè Magdalena pedes eius vngere vnguento, & rigare lacrymis, capillisque tergere; quippe, qui superiori ex parte nudi essent. Vel potius respondendum est, Christum, antiquo ex more, in lecto ad sumendum cibum recubuisse, detractis calceis, siue sandaliis. Ideoque & vngi, & irrigari pedes potuisse. In lectis enim (vt alio loco copiosius explicabimus) antiqui recumbentes cibo se reficere solebant. Ne verò lectos, pedum collectis sordibus inquinarent, calceos deponebant; imò & pedes quoque abluebant. Hinc illa Christi ad Simonem verba: *Aquam pedibus meus non dedisti.* Nimirū, quia moris erat, aquam abluendis pedibus conuiuis ministrare. Siquis velit, quod D. Antonino placuit, Christum nonnunquam discalceatum incessisse, facilè argumentum soluet.

Luca 7.

Posterior ratio petit; an Christus vsum calceamentorū discipulis interdixerit? cui petitioni respondebimus suo loco fusius. Nunc dicimus saltem sandalia concessisse, vt Marcus ait capit. 6. quibus

illi

illi vsi sunt. Oecumenius Act. 12. Præceptum illud ad tempus Apostolus datum putat: Præcepta, inquit, illa, ad tempus seruanda dabantur, &c.

Ipse vos baptizabit Spiritu sancto & igni. Christi baptismum ostendit Ioannes suo baptismo longe esse excellentiorem. Etenim per baptismum Ioannis peccatorum remissio, & Spiritus sanctus minime donabatur, vt dictum est suprà. Per baptismum verò Christi, gratiam & Spiritum sanctum rite baptizati consequuntur. *Ego*, ait Ioannes, *baptizo vos in aqua; ille baptizabit vos Spiritu sancto.* Perspicuum hoc est.

Quid sit baptizari igne

Quod verò sequitur obscurum: *Baptizabit*, inquit, *vos Spiritu sancto & igni.* Quisnam est hic baptismus ignis? D. Hilar. Canone 2. de igne iudicij locum interpretatur, hoc sensu: Baptizabit vos Spiritu sancto nunc; præterea, postea baptizabit igne iudicij. *Baptizatis*, ait, *Spiritu sancto reliquum est consummari igne iudicij.* Similiter & Origenes de igne purgante exponit; Luc. 24. Quomodo, inquit, Ioannes iuxta Iordanem fluuium venientes ad baptismum præstolabatur, sic Christus stabit in igneo flumine, iuxta flammeam romphæam; vt quemcumque post exitum vitæ huius, qui ad paradisum transire desiderat, & purgatione indiget, hoc eum amne igneo baptizet, &c. D. quoque Hieronymus de igne purgante intellexit. Caietanus, & Auctor imperfecti de baptismo laborum explanant. Baptizabit vos igne, id est, laborum & afflictionum baptismo: iuxta illud Christi: *Baptismo habeo baptizari.* Passionem baptismum vocat. D. Hieronymus, Theophylactus, & Euthymius de Spiritu sancto explicant, qui in die Pentecostes è cælo in discipulos igneus descendit. Et erit sensus: Baptizabit vos Christus Spiritu sancto in baptismate suo: Et baptizabit etiam multos igne in die Pentecostes, iuxta illud Christi: *Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto.* At Ioannes de omnibus loquitur; non sunt autem omnes igne illo baptizati.

Luc. 12.

Actor. 1.

Paucis hæc verba sic expono: Opponit Ioannes aquæ ignem; dixerat: *Ego baptizo vos in aqua*; de Christo autem: *Ipse*, inquit, *baptizabit vos Spiritu sancto & igni.* Quasi dicat: ego aqua frigida, & nihil efficacitatis ad remittenda peccata habente vos abluo: at Christus Spiritus sancti flammis ardente aqua, plurimumque efficacitatis habente vos baptizabit. Ipse vos baptizabit Spiritu sancto, & igni eiusdem Spiritus; id est, baptizabit vos Spiritu sancto, qui ignis est. Vel, igne Spiritus sancti, quo animi vestri ab omni vitiorum rubigine, ac sorde perpurgabuntur, lucem recipient nouam, & ad præclara opera inflammabuntur. Nam in baptismo Christi Spiritus sancti ignis semper operatur, iuxta illud Christi ad Nicodemum: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Hic etiam ignis charactere baptizatos notat, veluti candens ferrum. Baptismus autem Ioannis characterem nullum imprimebat. Aqua enim charactere neminem signat; signat verò ignis.

Ioan. 3.

Spiritus sancti ignis charactere notat animos in baptismo.

Christus Iudex.

Cuius ventilabrum in manu eius. Christi dignitatem testari pergit sanctissimus testis. Iudicem esse orbis asserit, cui pœnas sint daturi impij æterno in igne grauissimas. Ventilabrum instrumentum est, quo frumentum à paleis repurgatur. Christus ventilabrum habet in manu, hoc est, iudicandi potestatem: nam vt dicitur: *Pater omne iudicium dedit Filio.* Area Ecclesia est, in qua tritico permixtæ sunt paleæ; hoc est, probis improbi. Iudex tandem, ventilabro suo triticum, paleasque ventilabit, triticum à paleis separatum in horreum cæleste inferet; inanes paleas igne comburet inextinguibili ac sempiterno. Habes hoc ex loco Ioannem non regnum cælorum tantummodo, sed æternum quoque Orci ignem Iudæis annuntiasse. Hoc ardentis est lucernæ, iis, qui in tenebris degût cælestia gaudia, quæ non cernunt, tartarea quoque supplicia, quæ non cogitant, ante oculos proponere.

Ioan. 5.

Ecclesia est area.

Ioannes regnum cælorum, & tartari supplicium annuntiauit.

Multa quidem, & alia exhortans euangelizabat populo. Non mandarunt litteris Euangelistæ verba omnia, quibus Ioannes populum adhortabatur, sed pauca. Ex Christi etiam concionibus ac gestis plurima omiserunt, vt docet Ioannes, cap. 21. Origenes hom. 27. in Lucam: Quomodo, inquit, in Euangelio secundum Ioannem de Christo refertur, quòd multa, & alia loquutus est, quæ non sunt scripta in libro isto; quæ si scriberentur, nec ipsum puto mundum capere potuisse libros, qui scribendi erant. Sic & in præsenti loco intellige, quòd forsitan Lucas; quoniam maiora quædam à Ioanne annuntiabantur, quàm vt deberent litteris credi, noluerit ea nominatim dicere; sed tantum significauerit, quòd dicta sint. Et idcirco dixisse, multa quidem, & alia exhortans, annuntiabat populo, &c. Hæc Origenis ratio minimè placet. Non enim Lucas, ad populum habitas à Ioanne adhortationes, propterea prætermisit, quòd maiora continerent, quàm quæ deberêt litteris credi. Quid enim maius Trinitatis mysterio, & Verbi incarnatione? attamen litteris credita hæc sunt. Alia ergo est ratio? Nimirum, quia non erat opus omnia litteris mandare, sed aliqua tam Christi, quàm Ioannis gesta ac dicta. Reliqua in cælesti patria summa cum voluptate cognoscentur.

Euangelistæ multa silẽtio præterierunt.

CAPVT VII.

Morale.

De aduentu præcursoris.

QVemadmodum statua illa, quam secundum quietem Nabuchodonosor Rex orbis imperia adumbrantem vidit, caput habuit aureum, pectus ac brachia argentea, ventrem æreum, ferreos & fictiles pedes: sic Hebræorum regnum, aureum Hebræorum caput Abrahamus fuit, summus Patriarcha, populique progenitor, *omnium credentium*, vt Paullus vocat, pater. Pectus argenteum Prophetæ fuere, populique, Pontifices, diuina sapientia pleni. Argentea brachia, Reges, Duces, ac milites strenui. Ex ære venter, impij Reges, iudices, Doctoresque, ventris ac voluptatis mancipia. Ventrem æreum ferrei secuti sunt pedes ac fictiles. In ferreos enim luteosque pedes præclarissimum regnum tandem desiit. Hos ferreos terreosque pedes Lucæ Euangelium exhibet: *Anno*, inquit, *xv. imperij Tiberij Cæsaris*, quod scilicet, non ethnicos solum, sed Iudæos etiam continebat. *Procurante Pontio Pilato Iudæam, Tetrarcha autem Galilææ Herode. Sub Principibus Sacerdotum Anna & Caipha, &c.* Nonne hi sunt ferrei terreique Iudaici regni pedes? En quò Iudæorũ Resp. peruenit, en qualibus tradita est moderatoribus. Non tantùm minimum in imo, ait Seneca, epist. 1. sed pessimum remanet. Hæ fuere Iudaici regni fæces. Instabat illius finis. Celso ex monte, vt Nabuchodonosor vidit, lapis sine manibus abscissus statuæ pedes percussit, statuam penitus contriuit; factusque mons magnus, vniuersum orbem compleuit: Ita Christus absque hominis opera in Virginis celsissimo vtero conceptus, atque inde egressus, pedes regni Synagogæ fictiles concussit, regnumque omnino euertit; in montem magnum deinde euadens,

Dan. 2.

Hebræorum populus statua similis, quam vidit Nabuchodonosor. Rom. 4.

Luc. 3.

Ferrei statuæ pedes.

Faces regni Iudaici.

euadens, multò præcellentius Eccleſiæ regnum toto orbe ſibi excitauit, quod meritò cælorũ regnum dicitur, propterea quod cæleſtibus legibus moribuſque regatur. Hoc cælorum regnum Ioannis tempore appropinquabat, Iudæorum verò regnum deſinebat. Tunc enim cælũ appropinquat, cùm terra deſinit. Deſinunt terrena; cæleſtia ſunt ſempiterna. Deſiit Iudæorum regnum; non deſinet regnum Eccleſiæ. *Thronus Chriſti ſicut Sol, & ſicut Luna perfecta in æternum.*

Iudæorũ regnũ deſinebat, cælorũ regnum appropinquabat.

Pſal. 88.

Nabuchodonoſori oſtenſa ſtatua orbis imperia indicabat. Aurum Babyloniorum, argentum Perſarum, æs Græcorum, tibiæ, pedesque ferrei Romanorum regnum adumbrabant. Tranſierat aurea, argentea, æreaque Monarchia; ſub ferrea Romanorum poteſtate, ferreisque pedibus opida, vrbes, prouinciæ, regiones, terræ, maria omnia iacebant B proſtrata. Conculcabant ferrei hi pedes Iudæorum quoque regnum; ideoque D. Lucas Romani Imperatoris annos numerat; quoniam ferreis illius pedibus Iudæorum Reſpub. ſubiacebat. *Anno*, inquit, *quintodecimo imperij Tiberij Cæſaris.* Addit deinde Romanorum Præſidem, cui Iudæi parebant: *Procurante Pontio Pilato Iudæam, &c.* En tibi virgam illam ferream, de qua Dauid: *Reges*, inquit, *eos in virga ferrea.* Ferreum Iudæis fuit Romanorum imperium, ferrea virga, ſceptrum ferreum. Sic Theodoretus interpretatur Pſalm. 2. *Reges*, inquit, *eos in virga ferrea*; Romano videlicet regno, quod ferrum propter fortitudinem Daniel nominat, &c. Et Gregorius Nazianz. Oration. 12. Iudæi, ait, virgam ferream (hoc eſt, imperium quod nunc rerum ſummam tenet) multò ante illis nuntiatam, in ſe ipſos C attraxerunt, &c. Hac formidabili virga Deus illos regebat, cùm Ioannes venit.

Luc. 3. Pedes ferrei ſtatuæ Romanorum regnum.

Pſal. 2.

Virga ferrea percuſſit Iudæi, pedibuſq; ferreis cõtriti.

Virgam aliam Meſſiæ auream poſtea miſit, cui ſubiicerent caput, iuxta illud: *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion.* At infelices aureæ ferream prætulerunt: *Non habemus*, aiunt, *Regem, niſi Cæſarem.* Quid hoc eſt aliud, quàm ferreum Romanorum iugum eligere, Meſſiæ aureum gemmeumque ſceptrũ repudiare? vt in Eſther narratur; ſi quis Regis Aſſueri atrium interius non vocatus introibat, mulctabatur morte; niſi Rex virgam auream pro ſigno clementiæ tenderet. Aurei ſceptri Meſſiæ D vmbram habet. Clementiæ, vitæque ſignum erat aurei ſceptri Aſſueri extenſio: eumdem in modum ſummæ clementiæ, æternæque vitæ ſignum eſt extenſio aurei ſceptri Meſſiæ. Si ſceptrum in homines non extendat, pereunt; ſi extẽdat, illique pareant, æternam vitam conſequuntur. Virgam virtutis ſuę, hoc eſt, ſceptrum forte ſuum, emiſit Meſſias ex Sion. In Iudæos primum illud clementiſſimè extendit, in alios poſtea populos. Alij paruere populi, multique Iudæi, & vixere; repulere reliqui Iudæi, & periere. Eadem illos virga contriuit, quam elegerunt. A Romanis enim, quorum ſceptrum Chriſti ſceptro prætulerunt, victi ſunt, ac toto orbe diſperſi. *Reges*, ait Vates, *eos in virga ferrea, & tamquam* E *vas figuli confringes eos.* Ferrea eos virga confregit, ferrei pedes penitus eos contriuere, quibus, cùm Ioannes venit & Meſſias, iam ſubiacebant. Ideo Lucas: *Anno*, inquit, *quintodecimo imperij Tiberij Cæſaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem, &c.* Origen. hom. 21. in Lucam: Quando ad Iudæos tantum ſermo propheticus mittebatur, Iudaici Reges ponebantur in titulo; quando verò in toto orbe erat Euangelium diſſeminandum, & orbem Romanum Tiberij regebat imperium, tunc in quintodecimo anno verbum Domini ad Ioannem factum eſſe deſcribitur, &c.

Sceptrum Chriſti aureum in populos extenditur, ne pereant.

Ioan. 19.

Eſther 4.

Pſal. 109.

Pſal. 2.

Luca 3.

Conſidera, quæſo, quàm parui faciat Deus orbis regna, imperiumque, vide quibúsnam hominibus illa tradat, Tiberio, Pilato, Herodi, aliisque farinæ eiuſdem hominibus, quos enumerare penè eſſet infinitum. Cùm interim illum, quo maior inter natos mulierum non ſurrexerat, id eſt, Ioannem in ſpelunca eremi, abſque imperio vllo, abſque honore & opibus, priuatum viuere patiatur. Nimirum, non eſt in imperio, opibus, & honoribus terrena, ſed in virtute à Chriſtiano cæleſtis quærenda felicitas; vt Auguſt. dixit, Pſal. 62. Non ad hoc, inquit, ſumus Chriſtiani, vt terrenam nobis felicitatem petamus, quam plerumque habent & latrones, & ſcelerati. Ad aliam felicitatem nos ſumus Chriſtiani; quam tunc accipiemus, cum vita iſta tranſierit. Item eodem loco: In hoc ſæculo non debemus quaſi amare ſaginam; hic ſitiendum eſt, alibi ſaginabimur, &c. Saginati erant Tiberius, Pilatus, Herodes, aliique ſimiles: Ioannes autem ſitiebat. Saginati ſunt illi Orci macello: Ioannes verò ſitiuit cælo. Nunc illi ſitiunt, Ioannes æternis epulis ſaginatur. Ioannis ſitis, & Tiberij ſagina in terra temporis fuit breuiſſimi: ſagina Ioannis in cęlo, Tiberij reliquorumque ſitis in tartaro eſt ſempiterna. Firmian. lib. 6. de vero cultu c. 4. Hæc, inquit, vita, quia breuis eſt, idcirco & bona eius, & mala breuia ſint neceſſe eſt. Illa verò, quoniam ſempiterna eſt, idcirco & bona eius, & mala ſempiterna ſunt. Ita fit, vt & bonis breuibus, mala æterna; & malis breuibus, bona æterna ſuccedant, &c.

Felicitas à Chriſtianis non in terra quærẽda eſt ſed in cælo.

Vitæ breuis bona & mala habet breuia.

Priori quidem ſigno Gedeonicum vellus rore completum eſt: terra propinqua arida erat. Poſteriori verò ſigno, verſa vice vellus exſiccatum eſt, terra rore completa. Similem in modum, ſi Pilatos, Tiberios, Herodes, & Phariſæos, ſimilesque alios Iudæos inſpicias, diuitiis deliciisque videbis, veluti rore, affluentes; ſi in Ioannem coniicias oculos, veluti terram ſqualidam atque arentem intuebere. Verùm, velleris ros exaruit; quæ arida erat tellus, poſtea maduit. Hoc eſt, Tiberij, Pilati, reliquorumque fucata felicitas euanuit, adeò vt ne gutta quidem ſuperſit: Ioannis ſqualor & ariditas perpetuum in nitorem, æternæque beatitudinis affluentiam commutata eſt.

Iudicum 6. Impij ſi hic felices ſunt, poſtea erunt in ſempiternum infelicissimi.

Militia eſt hominis vita, vt dicitur in Iob, *ſuper terram, & ſicut dies mercenarij dies eius.* Mercenarius vile ſumit indumentum iis diebus, quibus operi ſeruit, Dominica die veſtem mutat, meliorem mundioremque induit: Ita vir iuſtus, qui diuino operi inſtat, vili nunc, ac deſpecto vtitur amictu è cameli pilis contexto, cùm verò Dominica illa æternitatis dies illuxerit, mutabit veſtem, admirabiliique gloriæ ſplendore, velut indumento opertus, fulgebit. Miles ad prælia non ſericas bombycinasque veſtes, ſed ferrea arma induit. Nam bombycinæ veſtes militem quidem ornant, ſed non tuentur: arma etſi oneri ſint, corpus protegunt. Chriſti ſimiliter miles, quamdiu prælio cum dæmone decertat, voluptates, imperia, opesque, veluti ſericas veſtes, repudiat: Ioannis pœnitentiam, ſqualorem, rerumque omnium contemptum, armorum inſtar, complectitur. Etenim voluptates, quamuis dulces ſint, inſidias moliuntur, militemque hoſtibus tradunt; pœnitentia, quamuis nonnihil amaroris habeat, & oneris, animum armat, inuictumque aduerſus hoſtes reddit. Poſt belli tempus arma Chriſti miles exuet, bombycinas aureasque veſtes induet. Videlicet militia eſt vita hominis ſuper terram: triumphus eſt vita hominis ſuper cælum. Lege Firmiani cap. 4. citatum lib. 6. de vero cultu. Sicut, inquit, in hoc ſæculo, cùm eſt propoſitum cum hoſte certamen, prius laborandum eſt, vt ſis poſtmodum in otio, eſuriendum, ſitiendum, æſtus, frigora perferenda,

Iob 7.

Arma hic induenda in bello, non bombycinæ veſtes.

renda, vigilandum, periclitandum, vt domo,& re familiari, & pacis ac victorię bonis perfrui poſſis. Sin autẽ præſens otium malueris, quàm laborem, malum tibi maximum facias neceſſe eſt: vaſtabuntur agri, deripietur domus, tu ipſe interficiêre, ac capiêre. Quæ omnia ne accidant,præſens commodum differendum eſt, vt maius, longiuſque pariatur. Sic in omni hac vita omittenda eſt præſens voluptas,ne hoſtis opprimat,vigilandum,ſtationes agendæ,militares expeditiones obeundæ, fundendus ad vltimum cruor, omnia denique amara patienter ferenda; eò quidem promptius, quòd nobis Imperator noſter Deus præmia æterna conſtituit. Certè nullus nobis labor eſt recuſandus,quibus id acquiritur, quod nullo modo poſſit amitti. Hæc ille. Item eodem loco: Cùm ſimul propoſita ſint homini bona & mala, conſiderare vnumquemque ſecum decet, quantò ſatiùs ſit perpetuis bonis mala breuia penſare; quàm pro breuibus & caducis bonis mala perpetua ſuſtinere, &c.

Præſenti cõmodũ omittendum, vt maius & æternũ comparetur.

Nullus labor pro æternis bonis eſt recuſandus.

Theſaurus abditiſſimo in loco ſub terra reconditur. Opulentiſſimus theſaurus Ioannes erat: quid igitur mirum,ſi in occultiſſimo eremi antro latuit? Ingentia ſaxa montium cacumina occupant. Quid mirum, ſi Tiberius, Pilatus, aliique multi ſaxis ingentibus ſimiles, non theſauris, Romani imperij, honorúmque cacumina tenuerint? Flammis, ac fuligine pleni camini, altiſſimè in ædibus attolluntur; ita Tiberius, & ceteri, altiſſimè in orbe attollebantur. Nempe orbis camini erant. Ioannes verò gemmæ inſtar pretioſæ deliteſcebat. Altiſſima ſunt robora, ſed fructu carent: humiles vites, ſed fructu plenæ. En altiſſima robora, Tiberius, Pilatus,Herodes, Annas,& Caiphas: fructum quære, porcis dignum inuenies. Humilis autem vitis Ioannes,ſolóque ſtrata,fructu Deo,Angelis,hominibúſque iucundiſſimo redundabat. *Omnis vallis implebitur*, ait Ioannes, *omnis mons & collis humiliabitur.* Coniice in Euangelium mentis oculos. Nónne montes tibi videre videris, cùm Tiberium, ac ceteros imperij, honorúmque tumore, ac celſitudine elatos cernis? Cùm verò humilem Ioannem intueris, nónne depreſſam vallem, omnibus depictã floribus, te exiſtimas intueri? At excelſi montes colléſque humiliati ad tartara vſque deſcenderunt; impleta vallis ad cælum vſque cacumen ſuſtulit. *Montes ſicut cera fluxerunt*, vt eſt in Pſalm. Etenim cerei montes erant, quos minimus febriculæ ignis liquefacere,ſolóque æquare potuit. *Vbi ſunt Principes gentium?* rogat Baruch, ſibíque ita reſpondet, *Exterminati ſunt, & ad inferos deſcenderunt.* Vbinam eſt humilis ille Ioannes,qui ſub eremi latebat ſpelunca? illi ex imperio, honoribus, voluptatibus,ex vita, cælóque exterminati ſunt; hic in patriam optatiſſimam profectus eſt: illi ad inferos deſcenderunt: hic in cælum, & ſuperos ſumma gloria exornatus aſcendit. Celſos illos ſterilesque montes præteriit Deus: ſuperbos enim montes ac colles tranſilit, iuxta illud: *Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles.* Ad humilem deſcendit vallem, id eſt,Ioannem, cum eo loquitur: *Factum*, inquit Lucas,*eſt Verbum Domini ſuper Ioannem.* Vbinam factum eſt Verbum Domini ſuper Ioannem? Numquid in aula Herodis? Numquid in foro? Numquid in frequentia hominum? *Factum*, inquit, *eſt Verbum Domini ſuper Ioannem in deſerto.* In deſerto, id eſt, cùm negotiorum hominumque tumultum fugimus, Deoque vacamus, ſit Verbum Domini ſuper nos, factumque auditur. Quemadmodum vt ſuauiſſimæ citharæ concentum audiamus, populi perſtrepentis tumultum fugimus: ita vt ſuauiſſimam Dei vocem mente percipiamus,

Impij multi floret,ſancti latent.

Luca 3.

Pſalm. 96.

Tiberius & reliqui mõtes fuere ceteri.

Baruch 3.

Cant. 2.

Luca 3.

Deus in deſerto auditur.

negotiorum hominumque turbam,à nobis neceſſe eſt propellamus. Ad harmoniam canere mundum Pythagoras exiſtimauit. Qua de re Ambroſ. his verbis ſcribit: Philoſophi aiunt impulſu & motu orbium, dulcem quemdam, & plenum ſuauitatis, atque artis, & gratiſſimi modulaminis ſonum reddi, vt omnem ſupergrediatur muſici carminis ſuauitatem. Addunt ideò ſonum hunc non peruenire ad terras, ne capti homines per dulcedinem eius, quam ille cælorum efficit motus, propria negotia, atque opera derelinquerent, & omnia hic otioſa remanerẽt,&c. Philo quoque in libro de Somniis: Cælum,inquit, perpetuo concẽtu ſuorum motuum reddit harmoniam ſuauiſſimam; quæ ſi poſſet ad noſtras aures peruenire, in nobis excitaret impotentes amores & inſanum deſiderium: quo ſtimulati rerum ad victum neceſſariarum obliuiſceremur, &c.

Ambroſ. in Hex. l. 2. c. 2.

Philo. De harmõnia cælorũ.

Falſa quidem eſt hæc Philoſophorum opinatio, ſi de proprio intelligatur concentu, de metaphorico autem vera. Etenim cæli harmoniam edunt ſuauiſſimam,illam videlicet,de qua ſacer Vates canit: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum: dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam. Non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum: in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Dulcis eſt hic cælorum concentus, & ad terras vſque perueniens,qui Deum rerum omnium Conditore eſſe, Omnipotentem, Sapientiſſimum, Optimum, Maximum omni hominum amore dignißimum reſonat. Dulcia ſacrorum librorum carmina, dulces ſunt cæleſtium inſpirationum voces: quę ſi mente cordeque perciperentur,eximium in nobis Dei amorem,magnumque cæleſtium rerum deſiderium excitarent; quo ſtimulati rerum caducarum obliuiſceremur. Sed non audiuntur. Cur ita? quia in deſerto cum Ioanne minime verſamur.

Pſal. 18.

Ducam eam in ſolitudinem, ait Dominus, *& loquar ad cor eius.* Non in Ægypto, ſed in deſerto Sinai cum populo Iſraëlitico locutus eſt Deus. Duxit populum ſuum in ſolitudinem, & ibi locutus eſt cum illo, legeque, & præceptis eum inſtruxit. Exod. 3. *Cùm minaſſet gregem Moſes ad interiora deſerti, apparuit ei Dominus.* Ferto gregem tuum, id eſt, cogitationes ad interiora deſerti, tibi quoque Dominus apparebit, ad cor tuum loquetur, legem in tabulis cordis tui carnalibus inſcribet. Nili fluminis in vaſtam altitudinem cadentis aſſiduo fragore obſurdeſcunt corporis aures, vt ait Senec. lib. 4. Naturalium quæſtionum: ita mundi aſſiduo ſtrepitu ac curis, ne Deum audiant, animi aures obtunduntur. Nili ſtrepitum,(eodem Seneca teſte)gens ibi à Perſis collocata ferre non potuit; quamobrem ſedes inde ad loca quietiora trãſtulit: tu quoque ſi ſapere vis, mundi tumultum ne feras, ad tranquilliorem viuendi rationem ſedem transfer.

Oſea 2.

Exodi 3.

Nili ſtrepitus aures obtundit.

Dices,in eremum ergo opus eſt ſecedere, & inter feras vitam ab omni hominum conſortio ſeiunctam degere, vt Deum audiamus. Non hanc ego ſolitudinem eremiticam poſtulo; de animi præcipuè ſolitudine ago,non corporis. Sit animus ſolus, vacet Deo,audiat cum Vate *Quid loquatur in eo Dominus.* Hanc mentis ſolitudinem Bernard. flagitat, ſerm. 40. Cant. O ſancta, inquit,anima ſola eſto, vt ſoli omnium ſerues te ipſam, quem ex omnibus tibi elegiſti. Fuge publicum, fuge & ipſos domeſticos: ſecede,ſed mente,non corpore, intentione, deuotione,ſpiritu, &c. Amet homo,ait D. Proſper, lib. 1. de Vita Contempl. cap. 8. amet ſanctũ otium, in quo exerceat animæ ſuæ negotium, &c. Iob 3. dicuntur Reges & Conſules terræ, ædificare ſibi ſoliti-

Pſalm. 84. Solitudo mentis.

Iob 3.

solitudines. *Nunc*, inquit, *dormiens silerem, & somno meo requieſcerem cum Regibus & Conſulibus, qui ædificant ſibi ſolitudines.* Ædificant illi ſolitudines, cùm in deſertis locis palatia ampliſſima, villas, vrbes, hortos exſtruunt. Is verò, qui Deum audire vult, ſolitudinem ſibi ædificat, cùm mundum, quem in corde exſtruxerat, funditus euertit, omnesque illius imagines, quas in mente pinxerat, omnino delet. Ædificare ſolitudines, ait Gregor. Iob 3. eſt à ſecreto cordis terrenorum deſideriorum tumultus expellere, &c. Bernard. ſerm. 40. Cant. Solus es, ſi non communia cogites, ſi non affectes præſentia, ſi deſpicias quod multi ſuſpiciunt, ſi faſtidias quod omnes deſiderant, &c.

Ædificare ſolitudines quid ſit.

Animi ſolitudo præcipua eſt, ſine qua eremus prodeſt parum, vt docet idem Greg. lib. 30. Moral. cap. 12. Quid, ait, prodeſt ſolitudo corporis, ſi ſolitudo defuerit cordis? Qui enim corpore remotus viuit, ſed tumultibus conuerſationis humanæ terrenorum deſideriorum cogitationibus ſe ingerit, non eſt in ſolitudine. Si verò prematur aliquis corporaliter popularibus turbis, & tamen nullos curarum ſæcularium tumultus in corde patiatur, non eſt in vrbe, &c. Iuuat tamen plurimum mentis ſolitudinem ſolitudo corporis. Vnde illud Philonis Hebræi in libro de Abrahamo: Probus vir quietæ vitæ amator ſeceſſum & ſolitudinem diligit, latere ignotus cupiens: non ſocietatis humanæ odio (eſt enim cumprimis amans hominum) ſed quia fugit vitia, quibus vulgus delectatur: quapropter incluſus domi ſe plerumque continet, vix vnquam limen tranſcendens; aut quo ſalutatores deuitet, abdens ſe in aliquod ruſculum ſolitarium, ſuauius victurus cum viris præſtantiſſimis; quorum tempus aboleuit corpora, virtutibus eorum ſuperſtitibus, quæ litteris proditæ, ad poſteritatis memoriam, in meliorem frugem reducunt animas, &c. Nobiles Aquilæ hominum tecta fugere, deſertaque loca ſolent petere: ignobiles verò paſſeres, loquaces hirundines, atrique graculi in ipſis hominum tectis, atque ædibus nidos ſtruunt: ſic viri ſanctitate præclari, Aquilę cæleſtes, hominum, quantum fas eſt, & colloquium fugiunt, & conſpectum. Paſſeribus, hirundinibus, graculisque ſimiles alij, vel minimæ, vel nullius virtutis homines, hominũ frequentia, inanibus colloquiis, tumultu, ludis, comeſſationibus magnopere oblectantur. Multos paſſim graculos, multos reperies paſſeres, paucas Aquilas, paucas turtures. *Nam quod eſt miſerrimum*, ait Senec. in præfat. lib. 4. Natural. quæſt. *numquam ſumus ſinguli.* *Vox turturis*, ait cæleſtis Sponſus, *audita eſt in terra noſtra.* In terra Chriſti vox turturis ſolitudinem amãtis auditur. Chriſti verò terra eremus eſt, hanc turtur incolit, gemituque complet. Quàm verò ſit beata terra Hieron. in epiſt. ad Heliod. his verbis indicat: *O deſertum Chriſti floribus vernans, ô ſolitudo, in qua illi naſcũtur lapides, de quibus in Apocalypſi ciuitas magni Regis exſtruitur. O eremus familiarius Deo gaudens. Neſcio quid plus lucis in eremo aſpicio; libet ſarcina corporis abiecta ad purum ætheris euolare fulgorem, &c.* In hac beata terra pretioſa illa Apocalypſis margarita Ioannes Baptiſta latuit; hîc cæleſtis illa Aquila, ſolus ille Turtur nidum conſtruxit; hîc familiarius Deo gaudens vixit; hîc ſarcina corporis abiecta ad purum ætheris fulgorem euolauit: hîc Verbum Domini audiuit. *Factum eſt Verbum Domini ſuper Ioannem in deſerto*, ait D. Lucas.

Solitudo corporis iuuat mentẽ.

Aquilæ ſolitudinis amantes non graculi.

Senec.

Cant. 2.

Terra beata eremus. Hieron.

Luca 3.

Quid autem loquutus cum illo fuerit Deus Euangeliſta indicat, cùm addit: *Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptiſmum pœnitentiæ, &c.* Videlicet prædicandi à Deo præceptum accepit. Qua verò ætate acceperit obſeruandum eſt. Nempe annorum 30. vt cap. 1. oſtendimus. Hanc maturam eſſe ætatem, ac perfectam docet D. Hieron. Ezech. 1. his verbis: Dominus ac Saluator 30. annos habens ad baptiſmum venit, quæ in homine perfecta eſt ætas. Vnde & in Numeris à trigeſimo anno incipiunt ſacerdotes in tabernaculo miniſtrare. In quod ſignum præceſſit & Ioſeph, quando in Ægypto eſurienti populo frumenta largitus eſt, & Ioannes Baptiſta venit ad fluenta Iordanis, prædicauitque baptiſmum pœnitentiæ, &c. Gloſſa interli. Gen. 41. ad illa verba: Triginta annorum erat Ioſeph quando ſtetit in conſpectu Regis Pharaonis, &c. Hac, inquit, ætate Chriſtus prædicare cœpit Euangelium, ante quam nemo debet aſſumi ad ſacerdotium, vel prædicationis officium, &c. item Gregor. homil. 1. in Ezech. Dicitur, ait, *non arabis in primogenito bouis*, Deut. 15. Primogenitum bouis accipimus in infirma ætate primi noſtri temporis bonam operationem; in qua tamen arandum non eſt. Quia cùm prima ſunt adoleſcentiæ, vel iuuentutis noſtræ tempora, nobis adhuc à prædicatione ceſſandum eſt, vt vomer linguæ noſtræ proſcindere non audeat terram cordis alieni. Quouſque enim infirmi ſumus, continere nos intra noſmetipſos debemus; ne, dum tenera bona citius oſtendimus, amittamus. Quia & arbuſta plantata, ſi prius in terra radicata non fuerint, manu tacta citius areſcunt, & conſtructi parietes ſi impellantur, eruuntur, niſi à ſuo prius fuerint humore ſiccati, &c. Lege eumdem 3. p. paſtoralis cap. 26. in quo docet quomodo ij ſint admonendi, quos ab officio concionandi, vel ætas, vel imperfectio prohibet, & præcipitatio impellit. Admonendi, inquit, ſunt, vt conſiderent, quod pulli auium ſi ante pennarum perfectionem volare appetant; vnde ire in alta cupiunt, inde in ima demerguntur; & quòd ſtructuris recentibus necdum ſolidatis, ſi tignorum pondus ſuperponitur, non habitaculum, ſed ruina fabricatur, &c. Lege iiſdem locis alia multa in hanc ſententiam. Nunc ad prædicationem Ioannis tranſeamus.

Anno 30. perfecta ætate cœpit Ioãnes & Chriſtus concionari.

Concionatoris ætas, & perfectio.

Deut. 15.

CAPVT IIX.

Morale.

De aduentu præcurſoris.

PRÆCVRSOREM præmiſit Chriſtus, pœnitentiæ tum opere, tum verbo prædicatorem. Ioannes, ait D. Chryſol. ſerm. 167. veſtitu, victu, loco, totus pœnitentia formatus incedit, &c. *Venit Ioannes Baptiſta prædicans in deſerto Iudæa, & dicens: Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum.* Præcurſoris erat viam Chriſto parare; pœnitentia autem viam parat: meritò ergo pœnitentiam exigit Ioannes. In hac ſpiritali via impedimenta ſunt peccata: aduentui enim Chriſti in animum ſolum peccata obſtant. Hi ſunt montes, hi colles in media via elati, quos æquare oportet ſolo; hæ ſunt depreſſæ valles, hæ profundiſſimæ voragines, quas complere jubemur; hi ſunt vepres, hi tribuli, hæc dumeta, quæ exſcindi neceſſe eſt, vt Chriſto via paretur recta, plana, atque æquabilis. Vnde illud Ioannis: *Parate viam Domino, rectas facite ſemitas eius.* Quonam autem modo paranda ſit docet, cùm ſubiicit: *Omnis vallis implebitur, omnis mons & collis humiliabitur, & erunt praua in directa, & aſpera in vias planas.* quaſi dicat: Vultis Chriſto parare viam non præcipitem ac lubricam, ſed planã atque ſtabilem? montes & colles obuios euertite, vallium voragi-

Matth. 3.

De pœnitẽtia.

Luca 3. Pœnitentia viã Chriſto parat.

voragines complete, distorta ad normam dirigite, aspera, saxosa, dumetisque horrida complanate.

Habac.3. Hoc facietis, si peccata animo expellatis. *Ante faciem eius ibit mors*, ait Habac. Ante Christi faciem mors it, non hominum, sed peccatorum. Præcedit pœnitentia peccata iugulans; sequitur Christus aduentu suo animum exhilarans.

Apoc.3. *Sto ad ostium & pulso, &c.* Animi ostium peccatum grauissimis repagulis obstruit; stat ad ostium Christus, ingredi cupit. Quis tartareis repagulis occlusas fores aperiet?

Cant.5. Quis intro illum ducet? Pœnitentia. *Surrexi, vt aperirem dilecto meo, manus meæ distillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima.* Stat Christus ad ostium; cordis fores inspirando pulsat. Surgit tandem, peccatumque deserit anima; fores aperit manibus myrrha plenis: quoniam nisi myrrham, id est, pœnitentiam adhibeat, aperire non potest. Erat autem myrrha probatissima, quoniam probatissimam, non facatam, oportet esse pœnitentiam. *Vadam ad montem myrrhæ*, ait Dominus. Nónne myrrhæ amaræ mons animus tibi videtur, doloris ob admissa crimina concepti amaritudine plenus? Ad hunc montem Dominus venit, myrrhæque amaritudinem in caritatis conuertit dulcedinem.

Deo occlusas fores pœnitentia aperit.

Pœnitentia myrrha probatissima. Cant.4.

Parat pœnitentia nobis viam ad Christũ & ad regnum cælorum.

Parat viam Christo ad nos pœnitentia, parat etiam viam nobis ad Christum, & ad cælorum regnum. *Pœnitentiam agite*, ait Ioannes: *appropinquauit enim regnum cælorum*; ad quod per pœnitentiam via paratur est. tunc nobis cælorum regnum appropinquat, cùm pœnitentiæ nos appropinquamus; tunc longissime à nobis distat, cùm nos à pœnitentia distamus.

Matth.3.

Hebr.9. Antiquus Pontifex semel in anno, vt Paul. docet, in Sancta Sanctorum introibat, mense septimo, die mensis decima, quæ dicitur expiationis.

Dies expiationis. Hac die populus ieiunium seruabat, & pœnitentia crimina expiabat; vt intelliges ex illis verbis: *Decima die affligetis animas vestras. In hac die expiatio erit vestri, atque mundatio: ab omnibus peccatis vestris coram Deo mundabimini, &c.*

Leuit 16.

Pontificis hic in Sancta Sanctorum ingressus, eo die, quo pœnitentiam agebant Israëlitæ, & peccata expiabant, vmbra futurorum est: videlicet, adumbrat pœnitentiam in cælum ingressum parare, cæli fores aperire, pœnitentemque hominem in cælestia Sancta Sanctorum, expiatis criminibus, intromittere. Rupertus de Operibus Trinitat. in Euang. cap. 12. Pœnitentiam, inquit, agentium est emundari à peccati seruitute, Christi sanguine, & in regnum cælorum introire. Et ne velitis dicere patrem habemus Abraham, ait Ioannes: quia non est hoc regnum habentium patrem Abraham, sed agentium pœnitentiam, &c. Si in cælum peruenire cupis, innocentiæ nauim conscende; si verò naufragium feceris, pœnitentiæ tabulam apprehende. Est enim pœnitentia, vt Doctores sacri vocant, tabula post naufragium. Ducit nauis in portum; ducit & tabula, si frangatur nauis. Portus autem noster regnum cælorum est. *Angusta porta*, ait Dominus, *& arcta via est, quæ ducit ad vitam.* Angusta porta pœnitentia est, arcta via pœnitentia est; sed ducit ad vitam. Stultissimus sanè est, qui per latam portam viamque ad mortem mauult peruenire; quàm per angustam ad vitam introire. *Triticum*, ait Baptista, *congregabit Dominus in horreum suum, paleas comburet igni inextinguibili.* Naturæ vis paleas in triticum conuertere non potest, miranda pœnitentiæ vis potest. Quænam paleæ sunt? Nónne impij homines palearum instar leues, mobiles, volatici, ignisque pabulum sempiterni? At si pœnitentiam agant repente paleas videbis in triticum

Pœnitentia in Sancta Sanctorum inducit.

Pœnitentia est tabula post naufragium, & porta, viaque angusta Matth.7.

Matth.3.

Pœnitentia paleas conuerti in triticum, quod horreo cælesti reconditur.

commutatas, quod Deus in horreo recondet suo. Pœnitentia ergo in horreum Dei, id est, cælum, hominem infert.

Pœnitentia à ventura ira liberat. Luc.3.

Eadem pœnitentia igni eripit inextinguibili pœnitentem, & à ventura ira liberat. Baptistæ sunt illa verba: *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira?* Venturam Dei iram, igneque inextinguibilem tunc genimina fugiunt viperarum, id est, veneno peccatorum infecti homines, cùm pœnitentię sumpto antidoto, pestilentissimum venenum euomunt. Hinc illud Magni Greg. hom. 20. in Euang. Venturam iram tunc fugere peccator non valet, qui nunc ad pœnitentię lamenta non recurrit. Et Chrysol. sermone 167. Currat pœnitentia, ne præcurrat sententia; ne iudicemur, iudices nostri simus; demus nobis pœnitentiam, vt possimus nobis auferre sententiam, &c. Dei sententiam audiere Niniuitæ: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subuertetur*: sed dederunt sibi pœnitentiam; abstulerunt sententiam. Cucurrit pœnitentia; promulgatam à Iona Dei sententiam reuocauit.

Peccati venenum.

Iona 3.

Pœnitentiæ labor minor tolerandus, vt maiorem effugiamus.

Vt temporarium dolorem effugiamus, amaras potiones libenter ebibimus. Vt ab æterna ira æternoque dolore liberemur, amaram pœnitentiæ potionem cur non bibimus? Ferat amaram pœnitentiæ curam, ait Chrysol. sermone indicato, qui debitam sanitatem seruare noluit. Cui vita sua cara est, dura nulla est cura. Medicus non sit ingratus, qui per dolorem reuocat ad salutem, &c.

Ioan.16. *Mulier, cum peperit puerum*, ait Dominus, *iam non meminit pressuræ, propter gaudium, quia natus est homo in mundum, &c.* per dolorem matris nascitur homo cum gaudio in mundum; per dolorem pœnitentiæ nascitur homo cum lætitia in regnum cælorum. Felix dolor, qui gaudium æternum parit. Vide, ait Chrysost. homil. 22. ad populum, quomodo primùm virgam videt Propheta, postea ollam superardentem; demonstrans, quòd non sustinentem virgæ castigationem ignis suscipit, &c. Virga est pœnitentia, qua clementissime crimina in hac vita, non aliena, sed ipsa pœnitentis manu puniuntur. Olla feruens Orcum adumbrat. Vtram eligis, virgámne, an ollam? Virgam sanè, qui mentis compos erit, eliget, ollam toto conatu fugiet, Christique præcursori parebit clamanti: *Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum.*

Ierem.1.

Qui virgæ castigationẽ non suscipit, eum olla feruens suscipiet.

Matth.3.

Si terrenum regnum foret subiugandum, ad arma vocaret Ioannes; quia verò non terrenum, sed cælorum regnum erat expugnandum, vocat ad pœnitentiam. Ecce qualis magister militum, ait Rupertus, de Operibus Trinit. in Euang. capit. 12. qualis signifer Regis, qualis primæ legionis primicerius, Ioannes pilis camelorum vestitus, & zona pellicea præcinctus, non dicit: Arma corripite: appropinquauit enim regnum Iudæorum: sed, pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum, &c. Etenim armis regna terrarum, pœnitentia verò regnum expugnatur cælorum. *A diebus Ioannis Baptistæ*, ait Dominus, *regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Quid est aliud, Regnum cælorum vim patitur; quàm regnum cælorum oppugnatur? Quid aliud est, Et violenti rapiunt illud, quàm à violentis, qui vim illi inferunt, qui totis viribus pugnant, expugnatur? A diebus autem Ioannis vim pati cœpit regnum cælorum; quia Ioannes, & illud primus apertè prædicauit: & arma, quibus expugnaretur, nempe pœnitentiam militibus tradidit. O arma potentissima, quæ cælo vim inferunt, & in potestatem hominis redigunt regnum omnium opulentissimum. Ipsi cælo, ipsique

Pœnitentia regnum cælorum expugnat. Matth.11.

Pœnitentes regno cælorum vim inferunt.

que Deo vim quodammodo infert pœnitentia. Vt enim ait Ambrosius serm. 15. vim facimus Domino, non compellendo, sed flendo; non prouocando iniuriis, sed lacrymis exorando; non blasphemando per superbiam, sed per humilitatem mœrendo, id est, dolendo. O beata violentia, ait idem Pater sanctissimus, quæ non indignatione percutitur, sed misericordia condonatur. Aggredimur in itinere Dominum, & more latronum suis eum spoliare nitimur; cupimus illi auferre regnum & thesauros: sed ille tam diues & largus est, vt non resistat, & cùm omnia dederit, omnia possideat. Hæc Ambrosius. Sed quibus telis instructus impius homo Christum audet aggredi, vt cælorum regno illum spoliet? Pœnitentia. Hoc telo (si fas est ita loqui) Christus victus, regnum victori tradit.

Vim facimus Deo flendo.

Constat autem pœnitentia tribus partibus, contritione, confessione, ac satisfactione. Peccatorum enim execrationem in primis, animique dolorem cum vehementi decreto ac desiderio crimina omnia fugiendi coniunctum pœnitentia flagitat. Quamobrem baptismus lacrymarum appellatur à Nazianz. Orat. 39. Quintum, inquit, locum lacrymarum baptismus tenet; verum asperior & laboriosior. Quo quidem ille tingitur, vt qui per singulas noctes lectum suum ac stratum lacrymis lauat, cui ipsæ quoque vitij cicatrices fœtent, qui lugens & contristatus ingreditur, qui Manassis resipiscentiam, ac Niniuitarum humilitatem imitatur, qui publicani verbis vtitur, qui Chananææ in modum deprimitur, & misericordiam implorat, ac micas poscit, id est, canis vehementi fame correpti pabulum. Hæc ille. Pœnitentia baptismus est lacrymarum, baptismusque doloris, ex quo lacrymæ oriuntur. In templo illo vmbris pleno luteres multos statuit Salomon; in quibus victimæ abluerentur, deinde ablutæ, in altari incĕderentur. Eumdem in modum in templo suo, id est, Ecclesia, luterem statuit ingentis molis verus Salomon Christus, imo mare æneum pœnitentiæ, quo victimæ lacrymis veluti baptizantur, cælestique caritatis igne inflammantur.

Pœnitentia tribus partibus cõstat.

De contrit.

Pœnitentia est baptismus lacrymarum. 3. Reg. 7.

Nec olim incendebatur Deo in altari hostia minimè abluta, nec nunc amore inflammatur homo peccati sordibus minimè expurgatus. Elias holocaustum Deo offerendum non semel, sed iterum, ac tertiò, aqua iubet perfundi; perfusum verò cælestis incendit ignis: *Implete*, inquit, *quatuor hydrias aqua, & fundite super holocaustum, & super ligna. Rursumq; dixit: Etiam secundò hoc facite. Qui cùm fecissent secundò, ait: Etiam tertiò id ipsum facite. Cecidit autem ignis Domini, &c.* Hoc illud est Dauidis: *Amplius lauame ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Amplius, hoc est, secundò ac tertiò perfundendum est lacrymis holocaustum. Grandis squalor ac macula, ait Ambros. Psalm. 50. non exiguo sed multo aufertur lauacro, &c. Sic perfusam victimam caritas ita inflammat, vt facilè postea non possit exstingui.

Hostia abluta incendebatur. 3. Reg. 18. Ignis caritatem sequitur lacrymas. Elias holocaustum.

Psal. 50.

Homini mortuo lacrymas nihil profuturas impendimus; animæ potius mortuæ profuturas impertiamur. Oportet, ait Cæsarius, Arelatensis Episcop. vnumquemque super se ipsum quasi super mortuum conclamare, & magnos super exstinctam animam dare planctus. Et quomodo solet mater super mortuum vnicum filium lamentari: sic oportet super vnicam animam nostram criminis gladio interfectam totum pondus doloris effundi, &c. D. Cyprianus in libro de Lapsis. Si quem de tuis caris mortalitatis exitu perdidisses, ingemisceres dolenter & fleres; facie inculta, veste mutata, neglecto capillo, vultu nubilo, ore deiecto, indicia mœroris ostenderes. Animam tuam misera perdidisti, spiritaliter mortua, superuiuere hic tibi, & ipsa ambulans funus tuum portare cœpisti, & non acriter plangis? non iugiter ingemiscis? &c.

Animamortua deploranda. Cæsarius Arelat. hom. 10.

Vereris forsitan ne fons desit, vnde aquam haurire possis; non longè petenda aqua tibi est; domi fontem habes, penes te est: cor ipsum tuum fons est. *Scindite*, inquit Ioel, *corda vestra*; aperite doloris fontem, ascendant in oculos lacrymæ, ascendant & in cælum. Vt ex vulnerato corpore sanguis emanat, ita ex vulnerato corde profluunt lacrymæ: si tamen peccati vulnus sentiat. Etenim cor, quod peccati vulnus non sentit, non dolet, non luget, medicamenta respuit. Dolor ac luctus respondet sensui. Ambros. Psalm. 50. Hoc bonæ mentis est, vulnus sentire peccati. Nam qui expertes doloris sunt, non sentiunt vulneris acerbitatem, quod est immedicabilis ægritudinis. Qui autem aliquo dolore punguntur, sicut doloris sensu non carent, ita etiam non carent sanitatis profectu. Vbi enim doloris sensus, ibi etiam sensus est vitæ: sentire enim vitalis vigoris ac muneris est. Vnde & ille, qui errorem suum non agnoscit, insanit, furit, desipit; qui autem agnoscit, vtique resipiscit, non respuit remedia sanitatis. Hactenus Ambrosius & Nicetas in comment. Orat. 39. Nazianz. Hoc, ait, pœnitentiæ pars est, cùm quis fœtoris peccatorum suorum sensu afficitur. Nam ita demum ea digna execratione prosequitur, &c.

Ioel. 2. Fons lacrymarum cor, peccati vulnus sentiẽs.

Dolor cordis respõdet sensui peccati.

Sentiebat peccati fœtorem & vulnus Dauidis cor: *Cor*, inquit, *contritum & humiliatum Deus non despicies.* Non despicit Deus cor huiusmodi sensu criminis contritum ac mœrens, despicit autem cor durum, in scelere obfirmatum, quodque cùm omnibus deflendum sit lacrymis, insciũm tamen est lacrymarum, iuxta illud Ambros. Psalm. 118. Octonar. 7. versu 7. Nescit flere, qui flenda committit: & cùm sit ipse lacrymabilis, non habet culpæ lacrymas suæ, &c. At ille, addit Ambros. qui castigat corpus suum, & sui sollicitus gubernator est, atque ingemiscens & dolens, lapsus superioris offensam quærit, quomodo abluat fletibus pœnitentiæ; hic lauat per singulas noctes lectum suum, &c. Ex iis illi erant, de quibus idem Pater lib. 1. de Pœnitentia cap. 16. sic scribit: Cognoui quosdam in pœnitentia sulcasse vultum lacrymis, exarasse continuis fletibus genas, straiusse corpus calcandum omnibus; ieiuno ore semper & pallido, mortis speciem spiranti in corpore prætulisse, &c. O beatum pœnitentiæ aratrum, fletibus genas exarans! O beatos vultus sulcos! O beatam lacrymarum pluuiam! Vberrimam sanè gloriæ segetem huiusmodi sulci proferent. Prostratum corpus extolletur, ieiunium satiabitur, pallidum decorabitur, mortis speciem præferens æterna vita perfruetur.

Psal. 50.

Cor durum nõ afficitur peccati dolore.

Exemplum pœnitentiæ.

Adeò hic dolor & contritio cordis necessaria est pœnitentiam agenti, vt asserat Augustinus in Enchirid. cap. 65. in pœnitentia non tam esse considerandam mensuram temporis, quàm doloris. Etenim magnus dolor parui temporis magna potest obliterare peccata. In actione pœnitentiæ, ait Augustinus vbi tale crimen commissum est, vt is qui commisit à Christi etiam corpore separetur, non tam consideranda est mensura temporis, quàm doloris. Cor enim contritum & humiliatum Deus non spernit, &c. Alcuin. in libr. de Virtutibus & Vitiis, capit. de pœnitentia: Pœnitentia, inquit, non annorum numero censetur, sed amaritudine animi: vnde beatus Petrus mox à Domino indul-

Augustin.

In pœnitentia tempus non est pensandum, sed dolor.

indulgentiam accepit; quia amariſſimè fleuit, &c.

Complectitur contritio præter dolorem ſtabile quoddam ac firmum cordis decretum, quo pœnitens in alium tranſmutatur hominem, peccatis omnibus remittens nuntium, cunctisque criminibus ſtatuens mori. Id quod Ambroſ. in lib. 2. de Pœnit. cap. 10. his verbis ſignificat. Se ipſum homo abneget, & totus immutetur. Sicut quemdam adoleſcentem fabulæ ferunt, poſt amores meretricios, peregre profectum, & abolito amore regreſſum, poſtea veteri occurriſſe dilectæ. Quæ vbi non interpellata, mirata putauerit non recognitam, rurſus occurrens dixerit: Ego ſum: reſponderit ille: Sed ego non ſum ego. Vnde bene Dominus ait: *Qui vult poſt me venire, abneget ſemetipſum ſibi, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Etenim qui mortui & ſepulti Chriſto ſunt, non debent iterum, velut viuentes, de hoc mundo decernere. Hæc ille. Si poſt pœnitentiam peccatum antea dilectum, ſiue libido, ſiue periurium, ſiue ambitio, ſiue furtum, ſiue detractio, ſiue quodcumque aliud illi occurrit, qui firmo non peccandi decreto pectus armauit, occurrensque dicit: Ego ſum: vt adoleſcens ille Ambroſij generosè reſpondet: Sed ego non ſum ego: mutaui iam vitam, mutaui mores; *viuo ego iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.* Chriſto viuus, peccato penitus ſum mortuus. Mortuus homo nec oculos, quibus videat, nec aures habet, quibus audiat, nec pedes, quibus gradiatur, nec manus, quibus operetur. Sic ego nec oculos habeo, quibus peccatum aſpiciam, nec aures, quibus illius inuitamenta excipiam, nec pedes, quibus ad illud ducar, nec manus, quibus perficiam. *Viuit in me Chriſtus*, mortuum eſt peccatum: ego non ſum ego; non ſum qui fueram, ſed longè alius; me ipſum iam abnegaui, crucem ſuſtuli, Ducem meum crucifixum ſequor; Cruci quoque ipſe ſuffixus. Cruci autem me quatuor ſuffixere claui, timor, & amor, ſpes, & æternitatis conſideratio. Inſultet mundus, inuitent dæmones, alliciat caro, de cruce, in quam aſcendi, non deſcendam. Nullæ illecebræ, nulla peccati incitamenta, nulla tormenta à propoſito me poterunt deterrere. Millies mori malo, quàm mortifero aliquo ſcelere dilectiſſimi Dei amicitiam, ipſa mihi cariorem vita, violare. En tibi veri pœnitentis decretum, adeptam per pœnitentiam Dei amicitiam protegens ac conſeruans.

Conſtãs nõ peccãdi decretũ animo concipiendum.

Non peccãdi propoſitum.

Pſalm. 147.

Dicitur Deus Ieruſalem ſeras confortaſſe: *Lauda*, ait Vates, *Ieruſalem Dominum, lauda Deum tuum Sion, quoniam confortauit*, id eſt, fortes fecit, *ſeras portarum tuarum.* Ieruſalem noſtræ, id eſt, animæ ſeræ ac repagula firma ſunt decreta, quibus apud ſe firmiter ſtatuit mortifera peccata omnino fugere. His ſeris peccato obſeratur oſtium, his repagulis dæmoni occluduntur fores; quò ea fuerint firmiora, eò animus erit munitior, & ab hoſtibus tutior. Magnum Dei beneficium eſt eiuſmodi confortare ſeras. Ideoque merito Vates: *Lauda*, inquit, *Ieruſalem Dominum, lauda Deum tuum Sion, quoniam confortauit ſeras portarum tuarum.* Fur oſtij ſeras tentat; ſi ligneæ ſint, facileque perfringi poſſint, perfringit, domumque diripit. Eumdem in modum ſatanas animi hæc decreta explorat: ſi infirma ſint, facilè labefactat ac comminuit, animique opes omnibus totius orbis opibus maiores aufert. Præclarum illum adoleſcentem Ioſephum intuere, quàm firmis repagulis ſceleri fores occluſerit conſidera. Tentauit ſæpe ſeras malus dæmon: *Per ſingulos dies & mulier moleſta erat adoleſcenti; & ille recuſabat ſtuprum, &c.* Per ſingulos, inquit, dies; non ſemel aut iterum, ſed per ſingulos moleſta A erat dies. At ille per ſingulos dies recuſabat. Fortiſſimis enim repagulis fores muniuerat. Moleſtiſſimæ feminæ reſponſum datum, quàm obſeratum aduerſus vitia animum habuerit indicat: *Quomodo*, inquit, *poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Quaſi dicat: Non poſſum. Nam fortiſſima hæc decreta peccandi potentiam maximè eneruant. Quamuis enim ad malum habeat flexibilem voluntatem, & liberum arbitrium, poſſitque peccare ſi velit homo huiuſmodi ſeris obſeratus; adeò tamen obfirmato flagitia fugit animo, vt nullis mali dæmonis machinis, Deo opem ferente, ad illa poſſit adduci. Paullo ſimilis, cuius illa ſunt admirabilia verba: *Quis nos ſeparabit a caritate Chriſti? Tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit nos ſeparare a caritate Dei, quæ eſt in Chriſto* IESV *Domino noſtro.* O inuictum animi propoſitum! Paullum nec tribulatio, nec anguſtia, nec perſecutio, nec gladius, nec mors à Chriſto ſeparare poterat; nos vel leues ſtipulæ ſeparant. Videlicet, quia infirmum eſt ac debile animi noſtri propoſitum. *Rom. 8.*

Pontifex Caiphas, vt ex Ioan. colliges, ancillam habebat oſtiariam; ita & nos, cum fortiſſimum gigantem, id eſt, firmiſſimum aduerſus vitia decretum, oſtiarium habere debeamus, imbellem ac ſomniculoſam ancillam oſtij cuſtodem, hoc eſt, femineum ac imbelle propoſitum habemus. Quod dum dormitat, tandem que dormit, domum prodit. Oſtiaria enim dormiente, mentem hoſtes ingrediuntur & ſpoliant; noſque, vt Iſboſeth olim Rechab & Baana, occidunt, cùm diuina vita, id eſt, gratia priuant: *Oſtiaria domus purgans triticum obdormiuit, ingreſſi ſunt autem, & percuſſerunt eum, id eſt, Iſboſeth, Rechab, & Baana, &c.* Magnus Gregor. Iob 1. ad illa verba: *Offerebat holocauſta:* Rectè inopinata morte exſtinctus Isboſeth dicitur, quem & Scriptura ſacra non in domo oſtiarium, ſed oſtiariam habuiſſe teſtatur, &c. Nomen Isboſeth virum ſignificat confuſionis אִישׁ: Is enim Hebraicè virum ſignificat, בּוֹשֶׁת Boſeth verò confuſionem & verecundiam. In eum virum nomen quadrat, qui oſtiariam habet ancillam dormitantem. Vir enim confuſionis eſt, quoniam in peccati confuſionem ſæpe labitur. *Ioan. 18.* *Animi infirmũ propoſitũ ancilla oſtiaria eſt.* *2. Reg. 4.*

Orandus eſt Dominus vt ſeras Sionis noſtræ confortet; ſiquidem ex earum firmitudine noſtra pendet ſalus. Precatur pœnitens Dauid Deum, vt Ieruſalem muri exædificentur. *Benigne*, inquit, *fac Domine in bona voluntate tua Sion; vt ædificentur muri Ieruſalem, &c.* Similem in modum verus pœnitens Deum orat, vt huiuſmodi, de quibus loquimur, decretis, Ieruſalem, id eſt, animam ſepiat ac muniat. Hi enim ſunt muri Ieruſalem, quos Deus in beneuolentia ſua exædificat, exædificatosque tuetur. Iuxta verſionem Septuaginta Interpretum: *Ecce Dominus ſtans ſuper murum adamantinum, & in manu eius adamas.* Murus adamantinus, adamantinum eſt de peccatis omnibus deuitandis decretum; quo animus omni ex parte aduerſus vitia omnia circumuallatur. Stat autem ſuper murum adamantinum Dominus, adamantemque, hoc eſt, virum in virtute conſtantem ac fortem manu continet; quoniam niſi Deus murum hominemque defenderit, murus corruet, hoſtis irruet. *Pſal. 50.* *Muri Ieruſalẽ, id eſt, animæ.* *Amos 7.* *Murus adamantinus, adamantinum propoſitum.*

Multi autem ſunt, qui non adamantina & excelſa, ſed terrea humiliaque exſtruunt mœnia; quibus illud congruit in Hebræos olim ædificantes

Quomodo obſerandũ ſit animi oſtium peccato.

Sera animæ & repagula aduerſus peccatum quæ.

Gen. 39.

2. Esdræ 4. Infirma animi decreta.

cantes dictum: *Si ascenderit vulpes, transiliet murum corum.* Cùm peccata confessione expiamus, crimina omnia fugere decernimus, & mœnia extruimus; at paullo pòst, si quælibet accedat vulpecula, hoc est, mali dæmonis tentatio, murum transilit.

Psal. 118. Dauidis propositum firmissimũ.

Vide quàm celsa extruxerit mœnia Dauid: *Iuraui*, inquit, *& statui custodire iudicia iustitiæ tuæ*: id est, iurauì, firmissimoque decreto apud me statui præcepta tua seruare. D. Hieronymus vertit: *Iurauì, & perseuerabo, vt custodiam iudicia iustitiæ tuæ.* Augustinus in hunc locum: Ita, inquit, esse debet mens fixa in custodiendis iudiciis iustitiæ Dei, vt sit omnino pro

Firma animi decreta. Psal. 118.

iuratione, quod statuit, &c. Item eodem Psalmo Dauid: *Paratus*, ait, *sum, & nõ sum turbatus, vt custodiam mãdata tua.* Paratissimus est seruus probus ad præstãda Domini præcepta; nec verò si difficilia sint turbatur, sed inuicto animo exequitur. D. Hieronymus vertit: *Festinaui, & non neglexi custodire mandata tua.* Bonus enim famulus ad opus iussum festinat. Addit

Ibid. Propositum non peccãdi sempiternũ.

Dauid eodem Psalmo: *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem.* Æternitatem ambit propositum hoc; etsi in perpetuum viueret vir probus, in perpetuum peccata fugeret. Sempiterna vel gloriæ, vel ignis retributio, vehementsque Dei amor propositum parit sempiternum. Denique illud Richardi Victorini hoc loco est obseruandum, in Canticorum expositione, parte 2. cap. 38. Castri, inquit, animæ hæc erit firma munitio, vt intentionem semper habeat homo mortale non committendi, & si commiserit statim pœnitendi. Et item sollicitudinem cognoscendi mortalia, & pro iis, quæ cognoscere non valet, occultè conterendi, &c.

CAPVT IX.

Morale.

De aduentu præcursoris.

De confessione. Matth. 3.

SECVNDA pœnitentiæ pars confessio est. Huius illa Iudeorum confessio vmbra erat, de qua apud Matth. *Exibat*, inquit, *ad Ioannem Ierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem, & baptizabantur ab eo in Iordane confitentes peccata sua.* Cordis est contritio ac dolor; oris vero est confessio sacerdoti facienda. Ad confessionem autem impium vocat Dominus, non vt confitentem occidat, quod iudices facere solent; sed vt emendatum supplicio eripiat. Iudices, ait Chrysostom. hom. 7. ad populum, cùm latrones ceperint & sacrilegos, non quomodo ipsos reddant meliores considerant, sed quo-

Deus ad iudicium confessionis vocat, non vt damnet, sed vt liberet.

modo ab ipsis peccatorum pœnas exigant. Deus autem contrà, cùm aliquem ceperit peccatorum, non considerat quomodo sumat supplicium, sed quomodo ipsum corrigat, & meliorem faciat, & in futurum inexpugnabilem. Itaque & Iudex pariter, & Medicus, & Magister est. Etenim tamquam iudex examinat, & tamquam medicus corrigit, & tamquam magister docet, præuaricatos in omnem disciplinam inducens. Hæc Chrysostom. Et homil. 3. de verbis illis Isaiæ, *vidi Dominum*, &c. In mundanis, ait, ac forensibus iudiciis, post accusationem, & criminum confessionem sequitur mors. Ceterùm apud diuinum tribunal, post accusationem & confessionem peccatorum datur corona, &c. Ambrosius item, siue Victor, in lib. de Pœnitentia cap. 1. O magnificum bonitatis diuinæ thesaurum, ô singulare clementissimi Iudicis institutum; ad hoc de reis vult confessionis exculpere vocem, vt non inueniat quod vltum iri debeat. Et cùm apud sæculi

Deus vult peccatorem fateri, ne puniat.

iudices confessus mox dirigatur ad pœnam; apud Dominum confitens statim pergit ad veniam. Nec hoc vllis elicit de confitente tormentis; cùm patiens in semetipso officium videatur exercere tortoris. Lucra sunt pij iudicis gemitus confitentis, & gaudium cognitoris est sine quæstione confessio, &c. D. Basil. Psalm. 32. Vult tui misereri Iudex, teque miserationibus suis complecti; si modò post admissa humilem te factum, & contritum, & malefacta plurimum deplorantem inueniet. Iniuper, si quæ clam ceteris, & in arcano designasti, prodideris & vulgaueris fratri, citra pudorem vllũ, &c.

Deus primus Iudex in cõfessionis tribunali.

Cùm duos filios Alexandrum & Aristobulum Herodes primus apud Cæsarem insolentiæ, tentatique veneficij accusasset, vt scribit Ioseph. Alexander versa ad ipsum patrem oratione, sic exorsus est: Pater, quàm beneuolo sis erga nos animo, satis declarat hoc ipsum iudicium. Si enim aliquid triste de nobis statuisses, numquam ad omnium seruatorem, id est Cæsarem, nos adduxisses. Poteras enim, vel pro regia, vel pro patria potestate, in fontes animaduertere. Ceterùm adducere nos Romam, & hunc, id est, Cæsarem, testem, ac arbitrum facere, seruare volentis argumentum est. Nemo enim ad fana ac templa adducit quem velit perdere. Sic ille.

Ioseph. l. 16. antiq. c. 7. & 8.

Alexandri filij Herodis oratio.

Deus ad cõfessionẽ vocat: quia vult nos seruare.

Equidem verba hæc præclarè in hoc confessionis iudicium nos vsurpare decet. Etenim quàm beneuolo sit erga nos animo Deus, satis declarat hoc ipsum iudicium. Si aliquid triste de nobis statuisset, numquam ad omnium Seruatorem Christum, eiusque sacramentum nos adduxisset. Poterat enim pro diuina potestate in fontes animaduertere. Ceterùm adducere nos ad cõfessionis tribunal, sacerdotemque iudicem nostrum facere, seruare volentis argumentum est certissimum. Nemo enim ad templum adducit quem vult perdere. Ad templum nos ad confitendum adducit Dominus, quia vult seruare; ad confessionem vocat, quia vult misereri.

Genes. 3. Adam vocatus est ad confessionẽ.

Adamum post peccatum vocauit, *Adam vbi es?* vt peccatum si confiteretur, misericordiam consequeretur. Magnus Gregorius 22. Moral. capit. 13. Ad hoc Adam & Eua requisiti fuerant, vt peccatum, quod transgrediendo commiserant, confitendo delerent, &c. At Adamus excusare peccatum maluit, quàm incusare, ideoque ex sententia eiusdem Patris sapientissimi, Psal. 2. pœnitentiali, mortiferam damnationis sententiam ad posteros misit. Imputare, inquit, Adam sibi peccatũ suum noluit, quando culpam suam in Creatorẽ refudit, dicens: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Vnde quia se confiteri culpabilem renuit, mortiferæ damnationis sententiam ad posteros misit, &c. Existimare videtur Gregorius amissum statum Adamo restituendum fuisse; si mox, vt à Deo vocatus est, peccatum animi cum dolore fassus fuisset, & pœnitentiam egisset. Hoc enim pœnitentiæ est, priſtinum gratiæ statum homini reddere. Idem sentit Augustin. serm. 3. de Annuntiatione, si Augustinus ille est, Louanienses enim inficiantur. Illius hæc sunt verba: Cùm Adamus de perpetrata à Domino argueretur inobedientia, non se humiliter accusauit, sed Auctorem superbè accusauit, dicens: *Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi fructum, & comedi.* Qui si humiliter se accusasset, & in Auctorẽ suum culpam non retorsisset, à paradiso non exulasset, &c. Abulensis item Episcopus Geneseos capite 3. ad illa verba: *Dixit Adam, mulier quam dedisti mihi*, &c. Dixit, inquit, Adam ad excusationem suam; ô prauũ cor, excusando se accusat. Quòd se si accusasset, omnes nos ab accusatione & iudicio liberasset, &c. D. quoque Bernardum de hac re audia-

Adã si peccatum cũ dolore fuisset confessus, amissũ statum forsitã recuperasset.

mus,

mus, in libro de Præcepto & Diſpenſatione. Arbitror, inquit, ipſam primam præuaricationem, aut non aliunde, aut inde maximè iudicatam grauiſſimam, hoc eſt, ex rebellione defenſionis, quæ ſecuta eſt, quando Deo cauſſam requirente peccati, vt peccatores ad pœnitentiam prouocaret (nolebat quippe mortem eorum, ſed magis vt conuerterentur & viuerent) ipſi maluerunt declinare cor ſuum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis. Et quidem gemina malitia peccatoris. Primùm, quòd nec frui miſertus eſt, vt culpam propriam fateretur & ſanaretur; deinde quòd & vxorem, vt ſe fallaciter excuſaret, crudeliter accuſauit, &c. Item: Antiqua, ait, illa præuaricatio facilè, vt creditur, indulgentiam conſequeretur, dummodo confeſſio, & non defenſio ſequeretur. Neque enim tantum, vt dictum eſt, nocuit ſimplicis actionis tranſgreſſio, quantùm adiunctæ excuſationis cum præmeditatione obſtinatio. Ita Bernardus.

Vocauit ergo ad confeſſionem & pœnitentiam Deus Adamum, vt veniam daret. Idem docet Chryſoſtomus, Homil. 7. ad populum: Volens, inquit, Deus Adamum ad fiduciam & libertatem loquendi prouocare, & in eorum, quæ admiſerat, purgationem inducere, vt aliqua frueretur venia; ipſum prior ipſe vocauit, expellens timorem, & os per hanc aperiens vocationem, &c. Non vocauit ſerpentem, quoniam tartareus ſerpens in ſcelere eſt obſtinatus, & veniæ incapax: vnde Cardinalis Caietanus Geneſ. 3. Nihil interrogat, ait, Deus ſerpentem, vtpote ex certa ſcientia operantem malum, & pertinacem in malo, &c. Gregorius; Serpens perſuaſor, qui non erat reuocandus ad veniam, non eſt de culpa requiſitus, &c. Non vocat Deus ad confeſſionem & pœnitentiam dæmones, vocat homines. Pœnitentiam, ait, agite. Si roges quorſum agam pœnitentiam? Reſpondet Ioannes: *Appropinquauit enim regnum cælorum.* Age ergo pœnitentiam, vt regnum cælorum conſequaris. Eſtne hoc paruum præmium?

Cur Deus ſerpentē ad confeſſionē nō vocarit?

Greg. 22. Mor. c. 13.

Matth. 3.

Verùm, vt Chryſoſtomus ait Homil. 7. citata, iis qui peccauerunt os confutum eſt. Confutum quidem vt ſe accuſent, non autem vt excuſent. Magnus Gregorius 22. Moral. cap. 13. ad illa verba: *Si abſcondi peccatum meum*: Hæc, inquit, ſunt veræ humilitatis teſtimonia, & iniquitatem ſuam quemque cognoſcere, & cognitam voce confeſſionis aperire. At contrà, vſitatum humani generis vitium eſt, & latendo peccatum committere, & commiſſum negando abſcondere, & conuictum defendendo multiplicare, &c. Imitatores hac in re ſumus Parentum Adami & Euæ, vt idem Gregorius docet, hæc adiiciens: Ex illo lapſu primi hominis hæc augmenta nequitiæ ducimus, ex quo ipſam radicem traximus culpæ, &c. *Abſcondit ſe Adam à facie Domini Dei in medio ligni paradiſi*: Sic nos excuſationibus, veluti arborum foliis, peccata tegere conamur. Gregorius loco citato: Humani generis rami ex hac radice amaritudinem trahunt: vt cùm de vitio ſuo quiſque arguitur, ſub defenſionem verba, quaſi ſub quædam ſe arborum folia, abſcondat; & velut ad quædam excuſationis ſuæ opaca ſecreta faciem Conditoris fugiat; dum non vult cognoſci quod fecit. In qua occultatione non ſe Domino, ſed Dominum abſcondit ſibi, &c.

Os confutū habemus, vt nos accuſemus, vt autem excuſemus aperiſſimum.

Geneſ. 3.

Excuſationibus vitia tegere conamur.

Excuſationes arborū folia.

Si abſcondi, ait Iob, *vt homo peccatum meum*: Quoniam, ait Gregorius, hominis eſſe proprium conſpiciebat, quod ex parentis imitatione deſcendit, &c. Hebraicè legitur: ſi abſcondi vt Adam peccatum meum; poteſtque nomen Adam indicare primum parentem. Hominis eſt peccatum abſcondere, ſed hominis nec dolentis nec peccati perni-

Iob 31.

A ciem agnoſcentis. Qui enim quàm atrox venenum ſit peccatum agnoſcit, protinus illud ore confitendo vomit: *Lazare veni foras*, clamat Dominus: oportet enim peccatorem non arborum ſe frondibus occultare, ſed in conſpectum Dei, & confeſſarij ſe, conſcientiamque ſuam dare. Gregorius loco indicato: Lazaro, inquit, nequaquam dicitur, Reuiuiſce; ſed, Veni foras; ex qua reſurrectione ſignatur, qualiter reſuſcitemur in corde. Cùm videlicet, mortuo dicitur; Veni foras: vt nimirum homo in peccato ſuo mortuus, & per molem malæ conſuetudinis iam ſepultus, qui intra conſcientiam ſuam abſconſus iacet per nequitiam; à ſemetipſo foras exeat per confeſſionem. Mortuo enim; Veni foras dicitur; vt B ab excuſatione atque occultatione peccati ad accuſationem ſuam ore proprio exire prouocetur. Vnde Dauid ab illa tanti mole facinoris reuiuiſcens, ad vocem Domini quaſi foras exiit, dum per Nathan correptus, quod fecerat accuſauit. Hæc ille. Eodem ſenſu Ambroſius ſic ſcribit, lib. 2. de pœnitentia cap. 7. Veni foras; hoc eſt, qui iaces in tenebris conſcientiæ, & delictorum tuorum ſordibus, quodam reorum carcere, exi foras, delictum proprium prode, vt iuſtificeris: ore enim confeſſio fit ad ſalutem, &c.

Ioan. 11. Peccatū nō tegere, ſed cōfeſſatione oportet aperire.

Ambroſ.

Quemadmodum ſtomachus aduerſam ſibi eſcam vomit; ſic aduerſum conſcientiæ peccatum euomendum docet Origenes, ad illa verba: *Quoniam iniquitatem meam annuntiabo*: Vide, inquit, quid docet C nos Scriptura, quia oportet peccatum non celare intrinſecus. Fortaſſis enim ſicut hi, qui habent incluſam eſcam indigeſtam, aut humoris, vel phlegmatis ſtomacho grauiter & moleſte imminentia, ſi vomuerint releuantur: etiam ij, qui peccauerunt, ſi quidem occultant, & retinent intra ſe peccatum, intrinſecus vrgentur, & propemodum ſuffocantur à phlegmate, vel humore peccati. Si autem ipſe peccator ſui accuſator fiat, dum accuſat ſeipſum, & confitetur, ſimul euomit & delictum, aque omnem morbi digerit cauſſam, &c.

Pſal. 37.

Peccatum euomendū.

Lege D. Baſil. eodem Pſalm. ad illa verba: *Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, &c.* D Docet nos hic ſermo, ait Baſilius, vt ne noſtra ipſorum mala obtegamus; & ne patiamur, vt quaſi quoddam atramentum aut putrilago, peccata in imum animæ fundum ſidant & comprimantur, quę velut cauterio notam inurant conſcientiæ. Quemadmodum in febre, quæ ſi intro altiuſue ſerpat, morbum longe validiorem facit: ſi verò in apertum ſe promouerit, ſpem remiſſionis, veluti indice promittit. Sic & animæ contingit, &c.

Pſal. 37.

Eodem loco probæ mentis hominem peccato maximè grauari docet, ita vt occultare illud nequeat. Aliud quid, inquit, Dauid in ſe ipſo expertus docet, cum ait: *Sicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me iniquitates meæ*: ipſius enim conſcientiam ea, quæ auſus fuerat admitttere, grauabant adeò, vt ob animi generoſitatem & gratitudinem illa ferre non poſſet. Qui enim inexorabilis, & obduratus fuerit ſecundum duritiam ſuam, & impœnitens cor, theſaurizat ſibi iram in die iræ, adiungens peccatum peccato, & propria adaugens mala. Etenim, vt ait Salomon: *Peccator, cùm in profundum malorum venerit, contemnit.* Contrà, qui probæ eſt mentis, ſi interim vel ſemel per diaboli ſubreptionem offenderit, eius conſcientia maximopere grauatur, vt quod admiſit tacere, aut occultare nequeat. Ex abundantia enim cordis os loquitur. Hæc Baſilius. & Ambroſius eodem Pſalmo: Vt febres, ait, in alto ſitæ non queunt mitigari; cum foras eruperint, ſpem afferunt deſinendi; ita peccatorum morbus dum tegitur, inardeſcit, ſi confeſſionibus proditur, euaporat.

E

Prouerb. 18.

Proverb.18. porat. Et ideo ſcribit idem Salomon: *Iuſtus accuſator eſt ſui in principio ſermonis*, priuſquam contagio vlceris ſerpat intrinſecus. Grauat enim conſcientiam memoria delictorum, niſi medicina poſcatur. Etſi differt medicus, æger offerre ſe debet, vt citius ſecetur, &c.

Leuit.13. *Quicumque maculatus fuerit lepra, & ſeparatus eſt ad arbitrium ſacerdotis, habebit veſtimenta diſſuta, caput nudum, os veſte contectum: contaminatum ac ſordidum ſe clamabit.* En tibi leproſi peccatoris typum, veſtimenta habet diſſuta & os: clamat enim ſe contaminatum; confeſſario conſcientiam diſſuto ore aperit. Origenes homilia octaua in Leuiticum. Veſtimenta, inquit, leproſi diſſuta ſint, & caput eius reuelatum; per quæ deſignat eum, qui in anima leproſus eſt non oportere aſſuere ſibi tegumenta, & turpitudines operire peccati. Sicut enim is, cuius veſtimenta diſſuta ſunt, nudam gerit turpitudinem corporis; ita oportet eum, qui peccatis aliquibus obſeptus eſt, flagitia ſua nullis verborum aſſumentis, nullis excuſationum velaminibus operire, &c. Hoc electos viros facere docet Gregorius 1. Regum 14. Quidam, inquit, dum peccata confitentur, ea nimirum quibuſdam vocibus minuunt, dum ſe non ex toto animo commiſiſſe oſtendunt; è contra autem electi viri quando ſe de minimis accuſant, ea vtique non quaſi parua, ſed quaſi magna pronuntiant, &c.

Electi viri de minimis peccatis, quaſi de magnis ſeipſos accuſant.

Egrediamur cum Lazaro foras, peccati venenum euomamus, difluamus os noſtrum conſutum; & diaboli os conſuamus. Is enim, qui crimina confeſſione pandit, mali dæmonis os obſtruit. Illud Iſaiæ iuxta verſionem Septuaginta Interpretum,

Iſaia 43. *Dic tu iniquitates tuas primus, vt iuſtificeris*, in hanc ſententiam exponit Chryſoſtomus: Dic tu, priuſquam diabolus dicat; ſi tu dixeris conſues illius os. Chryſoſtomus homil. 20. in Geneſ. Audi, inquit, Prophetam dicentem: *Dic tu prior iniquitates tuas, vt iuſtificeris*; non ſimpliciter ait: *Dic tu iniquitates tuas*; ſed adiecit. *Prior*: hoc eſt, ne exſpectes te arguentem, ne præſtoleris actorem. Ipſe præueni, & fare ſermonis principium, vt accuſatoris linguam obmuteſcere facias. Vidiſti iudicis miſericordiam? In humanis quidem iudiciis ſi quis hoc facere., & ante accuſationem facinora confiteretur, quamuis apud humanum iudicem is ſententiam capitalem in ſuum caput accerſeret. At miſericordis Dei, & animarum noſtrarum medici, tam ineffabilis eſt bonitas & clementia, vt omnem etiam rationem tranſcendat. Nam ſi aduerſarium noſtrum præuerterimus (diabolum dico) qui in die illo ob faciem noſtram ſtabit; & in præſenti vita antequam ad tribunal ingredimur, facinora confeſſi fuerimus, dicendiq́ue principium rapuerimus, noſtri ipſorum facti accuſatores. In tantam miſericordiam prouocabimus Dominum, vt non ſolùm nobis donet liberari à peccatis; ſed & in catalogo iuſtorum numerari. Hactenus Chryſoſtomus. Eodē loco idem Chryſoſtomus: Confeſſio, inquit, peccatorum abolitio eſt delictorum, &c. Abolita autem delicta fruſtra diabolus accuſabit.

Qui peccata confitetur diabolū obmuteſcere facit.

Ambroſius libro ſecundo de Pœnitentia, capite ſeptimo. Nouit omnia Deus; ſed exſpectat vocem tuam, non vt puniat, ſed vt ignoſcat. Non vult vt inſultet tibi diabolus, & celantem peccata tua arguat. Præueni accuſatorem tuum. Si te ipſe accuſaueris, accuſatorem nullum timebis; ſi te detuleris ipſe, etſi mortuus fueris, reuiuiſces, &c. D. Cyrillus, libro tertio in Leuiticum, ad illa verba: *Pronuntiet peccatum quod peccauit*. Eſt, inquit, aliquod in hoc mirabile ſecretum, quòd iubet pronuntiare peccatum. Etenim cuiuſuis generis pronuntianda ſunt,

Si te accuſaueris, accuſatorem nō timebis.

A & in publicum proferenda cuncta quæ gerimus. Si quid in occulto gerimus, ſi quid in ſermone ſolo, vel etiam intra cogitationum ſecreta commiſimus, cuncta neceſſe eſt publicari, cuncta proferri. Proferri autem à nobis, aut ab illo, qui & accuſator peccati eſt & incentor. Ipſe enim nunc nos vt peccemus inſtigat, ipſe cùm peccauerimus accuſat. Si ergo præueniamus eum in hac vita, & ipſi noſtri accuſatores ſimus, nequitiam diaboli inimici noſtri pręueniemus, & accuſatores efficimur. Sic enim Propheta dicit: *Dic tu iniquitates tuas prior, vt iuſtificeris*. Nónne euidenter myſterium, de quo tractamus, oſtendit, cùm dicit: *Dic tu prior*, vt oſtendat tibi, quà præuenire illum debeas? *Tu*, inquit, *dic prior*, ne te ille præueniat: præuentus diabolus in accuſatione vltra nos accuſare non poterit. Hęc Cyrillus.

Diabolus inuitator & accuſator peccati.

Diabolus ſi præuenitur non accuſat. Iſaia 43.

B At obſtat tibi pudor, os conſuit, ne crimen confitearis. Obſtare potius debuiſſet, ne perpetrares. Bonus eſt pudor qui crimini perpetrando aduerſatur; malus, qui perpetrato, ne in confeſſionem prodeat, impedimentum opponit. Audi Tertullianum in libro de Pœnitentia, capite 10. Ne, inquit, tu verecundia bonus; ad delinquendum expandens frontem, ad deprecandum verò ſubducens. Ego rubori locum non facio, cùm plus de detrimento eius acquiro: cùm ipſe hominem quodammodo adhortatur, ne me reſpexeris dicens, pro te mihi melius eſt perire. An melius eſt damnatum latere, quàm palam abſolui, &c. Similiter diuus Pacianus

De pudore obſtante cōfeſſioni.

Pudor, qui peccata cōfiteri vetat, abiiciēdus.

Pacianus.

C in exhortatione ad pœnitentiam: Peccare, ait, non erubeſcitis, & erubeſcitis confiteri. Prudētes ægri medicos non verentur, ne in occultis quidem corporum partibus etiam ſecaturos, etiam peruſturos. Meminimus quoſdam, remota etiam & verecunda membrorum non erubeſcentes, in ferro & cauterio, & grauiſſima illa pulueris mordacitate duraſſe. Et quantum eſt illud, quod homines præſtiterunt? Peccator timebit? peccator erubeſcet, perpetuam vitam præſenti pudore mercari? & offerenti manus Domino vulnera malè tecta ſubducet? &c. Anaſtaſius Epiſcopus Nicenus, in reſponſione ad quæſtionem 7. Non pudeat, inquit, nos hominum. Is enim quem pudet propter ſalutem hominibus

Peccata hominibus cōfiteri nō pudere nos debet.

D ſua aperire peccata, in illo die iudicij, non coram vno aut altero, ſed vniuerſo orbe terrarum vidente, traducetur, &c.

Hieronymus Eccleſiaſtici 10. Si erubeſcat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina, non curat, &c. Auguſtinus in libro 50. homiliarum, homilia extrema, capite 4. Quid infelicius, quid peruerſius, quàm de ipſo vulnere, quod latere non poteſt, non erubeſcere, & de ligatura eius erubeſcere? &c. Et Gregorius Nazianzenus oratione 40. Ne peccatum, inquit, tuum confiteri graue dicas, ſciens quo pacto Ioannes baptizarit, vt per huius vitæ pudorem futuri ſæculi pudorem ignominiamq́ue fugias, ac perſpicuum facias te ſeriò

E atque ex animo peccatum odiſſe ac deteſtari; dum illud tamquam contumelia dignum traducis, ac velut ludibrio exponis, de eoq́ue triumphum agis, &c. Lege Chryſoſtomum homilia tertia de Pœnitentia tomo quinto: Diaboli, inquit, eſt hæc aſtutia; quòd te in peccato erubeſcere vetat, & peccatum dicere impedit pudore. Quid erubeſcis? tunc erubeſcere debuiſti, cùm peccabas. Cùm factus es peccator, tunc pudere oportuerat: cùm iuſtus efficeris (ſcilicet per confeſſionem) pudes? Item eodem loco: In peccato ſanies eſt, in peccato improperium & deriſio; in pœnitentia purgatio peccatorum. Peccatum confuſio & pudor ſequitur; pœnitentiam fiducia. Ordinem ſatanas peruertit, & confidentiam dedit peccato de vita longa; confuſionem-

sionemque pœnitentiæ, & cet.

Pudeat nos quæ offendimus.

Non pudeat nos hominum, pudeat Dei Patris optimi, cui cùm amorem summum, vitam & sanguinem debeamus, pro his debitis peccata soluimus. Bernardus sermone decimo sexto in Cantica: Cogitantem, inquit, quòd Patrem offenderim, *Iacobi 1.* est certe quòd pudeat. *Voluntariè genuit me verbo veritatis*, ait Iacobus: non pepercit Vnigenito pro sic genito: ipse Patrem se exhibuit mihi, sed non ego me illi vicissim filium. Quanam fronte attollo iam oculos ad vultum Patris tam boni, tam malus filius? Pudet indigna gessisse genere meo, pudet tanto Patri vixisse degenerem. Exitus aquarum deducite oculi mei, operiat confusio faciem meam, vultum meum pudor suffundat. Sic ille.

Si vis pudorem abiicere, remissionem peccati B confitendo compara. Nam, vt ait Ambrosius, libro secundo de Pœnitentia, capite septimo, non habet quod erubescat is, cui peccatum remissum est, &c. Lazari, qui peccatoris typus est, facies sudario ligata & operta erat, Ioannis vndecimo: quoniam peccatum pudore suffundit hominem. Sed à Domino solui iubetur: *Soluite*, inquit, *& sinite abire*. Soluitur facies, tollitur sudarium, abscedit peccati pudor postquam remissum est. Ambrosius eodem loco: Quia venia donatus est, reuelare faciem, aperire vultum iubetur Lazarus. Non enim habet quod erubescat cui peccatum remissum est, &c.

Peccati pudore remissio peccati tollit ac pœnitentia.

Ioan. 11.

Vincatur ergo imbellis pudor, soluat ora dolor, & salutis desiderium. Confessionis veritas de terra oriatur; & iustitia, hoc est, iustificatio, de cælo pro- C spiciet. In hanc sententiam Augustinus verba illa interpretatur: *Veritas de terra orta est, & iustitia de cælo prospexit*. Veritas, inquit, de terra orta est, confessio ab homine: homo enim peccator eras. O terra, qui quando peccasti audisti, *Terra es, & in terram ibis*, oriatur de te veritas, vt respiciat de cælo iustitia. Confitere peccata tua, & orietur de te veritas. Si cùm sis iniquus dicis te iniquum, veritas de terra orta est. Quæ iustitia de cælo prospexit? tamquam Dei dicentis: Parcamus huic homini, quia ipse sibi non pepercit; ignoscamus, quia ipse se agnoscit; conuersus est ad puniendum peccatum suum, conuertar & ego ad eum liberandum, &c. Item: *Veritas de terra orta est*, confessio peccatorum ab homi- D ne, *& iustitia de cælo prospexit*, id est, à Domino data est iustificatio confitenti. Hæc Augustinus.

Augustin. Psalm. 84.

Genes. 3.

Psal. 84.

Veritas in confessione seruanda, fugiendus dolus Psal. 31.

Veritas in confessione maximè seruanda est, vt nihil sit simulatum, nihil fictum, procul sit omnis dolus, iuxta illud: *Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum, nec est in spiritu eius dolus*. Quod sic explicat Augustinus: Non est in spiritu eius dolus; non habet in ore suo ostentationem iustitiæ, cùm conscientia eius peccatis plena sit, &c. Et D. Gregorius: Se iustum non simulat; ea quæ occultè deliquit, non celat, &c. Et 1. Regum 14. Dum nos confitendo insequimur, proferre contra nos mendacium non debemus. Peccatum quidem in confes- E sione prodendum est; sed augmentandum mendacio non est. Tale debet esse in confessione, quale fuit in opere, &c.

Cant. 2.

Columba gemēs in foraminibus petræ, est anima pœnitēs & gemēs in confessionariis Petri.

Denique vocem sponsi audiamus: *Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora*. Hoc est: Anima, columbæ instar, pro peccatis gemens, Synagogas despiciens hæreticorum, eorumque aduersus confessionem impios latratus execrans; in foraminibus petræ, in ipsa domo Petri, cui cælorum claues traditæ sunt; in ipsa Ecclesia, cui Petri præest successor, cum potestate cælesti ad soluendum & ligandum; in ipsis illis locis peccatorum confessioni faciendæ desti-

A natis, veluti in foraminibus petræ, ostende mihi faciem tuam; ostende conscientiam, quæ facies est animæ, sacerdotibus meis, quos in locum meum sufficio. Sonet vox confessionis in auribus meis: hæc enim vox mihi dulcis est, & tibi quoque post amorem dulcescet. Et facies tua decora est: confessio enim decoram reddit mentem, quam crimina fœdauerunt. Augustinus ad illa verba: *Confessionem & decorem induisti*. Vis, inquit, Christo placere anima? Non potes quamdiu deformis es. Quid facies vt pulcra sis? Prius tibi displiceat deformitas tua, & tunc mereberis pulcritudinem. Quoniam displicet tibi fœditas tua, incipis ei in confessione, sicut dicitur: *Incipite Domino in confessione*. Primò accusa fœditatem tuam: fœditas enim animæ de B peccatis. Accusando fœditatem tuam incipis confiteri. à confessione incipis decorari. Quo decorante nisi speciosò forma præ filiis hominum? Vt autem & decoram faceret, audeo dicere, amauit & fœdã. Etenim Christus pro impiis mortuus est, &c.

Psal. 103.

Psal. 94. Cõfessio pulcritudinem affert animæ.

Columba accipitris vngues vt euadat, in foramina petræ se infert. Tu quoque columba gemens, vt tartarei accipitris vngues fœuissimos effugias, ad foramina petræ, ad claues Petri confuge. Columba magna velocitate fugit; tu ne cunctaris. *Ne tardes conuerti ad Dominum*, ait Ecclesiasticus, *& ne differas de die in diem, &c.* Ne erga Dei infinitam misericordiam sic te geras, vt quia Deum misericordem credis, ideò in scelere perseueres. Nemo, ait Tertullianus in libro de Pœnitentia, capite septimo, idcirco deterior sit, quia Deus melior est; toties delinquendo, quoties ignoscitur, &c. Nec desperes, nec nimium speres. Vt enim ait Augustinus, Psal. 144. & spes & desperatio timenda est in peccatis. Iam, ait desperans, damnandus sum; quare non facio quidquid volo? Audi & vocem sperantis: Misericordia Domini magna est, quando me conuertero dimittet mihi omnia; quare non facio quidquid volo? Desperat, vt peccet; sperat, vt peccet. Vtrumque metuendum est, vtrumque periculosum. Væ à desperatione, væ à peruersa spe, &c. Cæsarius Arelatensis homilia sexta. Nemo desperet; sed nemo malè speret. Desperat, qui credit, quòd etiamsi pœnitentiam agat, diuina misericordia non indulgeat. Malè sperat, qui se post multa tempora ad pœnitentiæ medicamenta reseruat, &c. Item: Nec quia Deus iustus est desperare, nec quia misericors est, debet homo nimia securitate confidere. Sed sic timeat Iustitiam, vt quærat misericordiam; sic de misericordia confidat, vt tamen iustitiam contremiscat. Quia quantò nos Deus diutius exspectat, vt corrigamur; tantò grauius vindicat, si de conuersione tardius cogitemus, &c.

Ecclesi. 5. Non est differenda cõfessio.

Spes & desperatio timenda in peccatis.

Spes peruersa in scelere hominẽ retinet.

In vita blanditur fallax spes; in morte inuadit truculenta desperatio. Sed illum non vincet in morte desperatio horrida, quem non fefellerit in vita spes peruersa. Danda est opera, ait Augustinus, in libro de Ouibus, capite sexto, puræ conscientiæ. Et si fortè aliquis inest scrupulus, præueniamus faciem eius in confessione; præueniamus eum, ne ipse nos præueniat. Post confessionem non afferet vltionem; si & tu post confessionem non repetas iniquitatem. Præueni, antequam præueniaris: hodie inest scrupulus, hodie sit confessio, hodie renuntietur scrupulo, hodie dimittatur, hodie laxetur. Non est vt dicas: Differt Deus veniam: tu noli differre medicinam tuam. Hæc Augustinus. Et Cæsarius Arelatensis: Non sanitati credendum est, non ætati. In remedia salutis suæ semper tardus est, qui vitæ suæ incertus est. O si tempus pœnitentiæ sic disponeretur, quando est in potestate positum; quomodo desideratur amissum, &c.

Augustin.

Properandũ ad confessionem.

Cæsar. Arelat. hom. 10.

Eccli.5. *Ne dixeris: Peccaui, & quid mihi accidit triſte? Altiſſimus eſt patiens redditor. De propitiato peccato noli eſſe ſine metu: neque adiicias peccatum ſuper peccatum. Et ne dicas: Miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur. Miſericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores reſpicit ira illius. Non tardes conuerti ad Dominũ, & ne differas de die in diem. Subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te, &c.* Ex his Eccleſiaſtici verbis intelliges peruerſam ſpem animo pellendam eſſe, metumque aduocandum ſupplicij. *De propitiato*, inquit, *peccato noli eſſe ſine metu.* Si de remiſſo peccato ſine metu eſſe non debes; de peccato, quod nondum per confeſſionem aut contritionem remiſſum eſt, quomodo ſine metu, ac ſollicitudine eſſe poteris? Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus homil.25. Sapiens ſemper in compunctione, ſemper in metu eſt, & vt de præteritis ſuſpirat malis, ita de futuris periculis peruigili ſollicitudine contremiſcit, &c.

Non procraſtinandum ad faciendã pœnitentiam.

Pſal.37. *Quoniam iniquitatem meam annuntiabo*, ait Vates, *& cogitabo pro peccato meo.* Annuntias quidem iniquitatem cum peccatum confiteris: reſtat vt poſteà ſollicite cogites pro peccato tuo. *Et cogitabo*, inquit, *pro peccato meo.* Græce, μεριμνήσω, id eſt, ſollicitus ero pro peccato meo. Hebraicè verbum eſt, דאג, quod ſignificat pauere, & timere, & dolere, diſcruciari, ſollicitum eſſe. Pagninus vertit: *Timebam propter peccatum meum*: Biblia regia: *Sollicitus ero à peccato meo.* Diuus Auguſtinus: *Curam geram pro peccato meo.* Noſtra verſio eumdem habet ſenſum, ſcilicet, cogitabo ſollicitè pro peccato meo. Vnde Origenes in commentariis eiuſdem Pſalmi: Quicumque, inquit, veſtrum conſcius ſibi eſt in aliquo peccato, & ita ſecurus eſt, quaſi nihil mali fecerit, commoueatur ex hoc ſermone, qui dicit: *Cogitabo pro peccato meo.* Bonum eſt eum, qui delinquit, non eſſe ſecurum, & velut, qui nihil deliquerit, nullam ſollicitudinem gerere, nec cogitare quomodo poſſit ſuum delere peccatum. Si in corpore tuo macula aliqua vel vulnus oriatur, aut ex colliſione aliqua intumeſcat, ſollicitus es, & perquiris, quid curæ debeat adhiberi, & quomodo corpori ſanitas reddatur: cùm anima tua ægrotet, ſecurus es, contemnis gehennam, atque ignis æterni ſupplicia deſpicis, & irrides. Hæc ille. Et diuus Auguſtinus eodem loco: Ne, inquit, ſecurus ſis, cùm confeſſus fueris peccatum; tamquam ſemper præparatus ad confitendum, & committendum peccatum. Sic pronuntia iniquitatem tuam, vt curam geras pro peccato tuo. Quid eſt curam gerere pro peccato tuo? Curam gerere pro vulnere tuo. Si diceres, curam geram pro vulnere meo; quid intelligeretur, niſi dabo operam vt ſanetur: Hoc eſt enim curam gerere pro delicto, ſemper niti, ſemper intendere, ſemper ſtudioſè, & ſedulò agere, vt ſanes peccatum. Ecce de die in diem plangis peccatum tuum; ſed fortè lacrymæ currunt, & manus ceſſant. Fiant eleemoſynæ, redimantur peccata, gaudeat indigens de dato tuo, vt & tu gaudeas de dato Dei. Hoc eſt, curam geram pro peccato meo; faciam omnia quæcumque faciendaſunt. ad abluẽdum, & ſanandum peccatum meum. Hactenus Auguſtinus.

Sollicitudo pro peccato quanta eſſe debeat.

Auguſt.

CAPVT X.

Morale.

De aduentu præcurſoris.

De ſatisfactione. TERTIA pœnitentiæ pars ſatisfactio nominatur; quia Deo ob commiſſa crimina, vt poteſt, facit ſatis, fructus producens orationis, eleemoſynæ, ac ieiunij, iuxta illud Ioannis: *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Is qui peccata confitetur, pœnitentiam profitetur: pœnitentiæ verò profeſſio pœnitentiæ opera flagitat. Talia enim opera ſunt, qualis eſt profeſſio. Vnde Cardinalis Caietanus, Matth. 3. Ioannis verba exponit his verbis: Ex quo, inquit, veniſtis profitentes vos peccatores, ſuſcipiendo baptiſmum, ſcilicet Ioannis, oportet conſequenter vos facere, non dicere, non monſtrare fructum humani operis dignum pœnitentia. Si profeſſus eſſes militiam, oporteret te facere fructum dignum militia; ſi adſcitus es in Senatorem, fac fructum dignum ſenatoria dignitate: ſimiliter, quia profitemini pœnitentiam, facite fructum dignum pœnitentiæ. Eſt autem fructus dignus pœnitentiæ perſeuerare in operibus pœnitentiæ, nihil contra pœnitentiæ profeſſionem admittere, facere Deo ſatis pro peccatis commiſſis. Hæc ille.

Talia opera qualis profeſſio.

Baptizato quidem nulla iniungitur ſatisfactio; at confitenti debita iniungenda eſt. Vt enim præclare ait Concilium Tridentinum ſeſſ.14. cap. 8. diuinæ Iuſtitiæ ratio exigere videtur, vt aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptiſmum per ignorantiam deliquerint; aliter verò qui ſemel à peccati, & dæmonis ſeruitute liberati, & accepto Spiritus ſancti dono, ſcienter templum Dei violare, & ſpiritum ſanctum contriſtare non formidauerint, &c.

Aliter in gratiam Dei recipitur baptizatus, aliter qui poſt baptiſmũ peccatum confitetur.

In baptiſmate & culpa remittitur & pœna omnis, cui baptizatus eſt obnoxius: *Chriſto enim conſepelitur per baptiſmum in mortem*, vt Paullus ait: at per contritionem ac confeſſionem non omnis pœnæ reatus ſemper aboletur; reſtat abolenda pars aliqua per ſatisfactoria opera. Vnde Magnus Gregorius Pſalm. 37. Hæc, inquit, ſunt veræ humilitatis teſtimonia, & iniquitatem ſuam quemque cognoſcere, & cognitam voce confeſſionis nuntiare, & nuntiatam pœnitentiæ ſatisfactione delere, &c. & 1. Regum 14. Mortem à ſe pœnitendo, & confitendo expellere, & expulſam timere, propriè eſt electorum, qui peccata ſua deſerunt; & tamen hæc quaſi non deſerta pertimeſcunt: & quidem puris confeſſionibus, & auſteris pœnitentiæ cruciatibus delent; ſed quaſi non deleta vehementer timent, &c. D. Baſilius in illud Moſeos: *Attende tibi*, Magnum eſt & graue peccatum? multa opus habes confeſſione, lacrymis amarulentis, peracri contentione vigiliarum, indiuulſo & continenti ieiunio. Leuis eſt, nec intoleranda offenſio? huic quoque exæquetur pœnitentia, &c. Et Auguſtinus in libro quinquaginta homiliarum, homilia extrema: Non ſufficit, inquit, mores in melius commutare, & à factis malis recedere; niſi etiam de iis, quæ facta ſunt ſatis fiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis, &c. Non pigeat, ait D. Pacianus in Exhortatione ad pœnitentiam, opportuna quàm primum remedia ſalutis inuadere, deiicere mœroribus animum, ſacco corpus inuoluere, cinere perfundere, macerare ieiunio, mœrore conficere, multorum precibus adiuuare. In quantum pœnæ veſtræ non peperceritis, in tantum vobis Deus parcet, &c. Hæc ſunt ſtercora quæ infructiferæ ficui Lucæ 13. adhibet agricola; vt Nazianz. docet Oratione 40. Stercora, inquit, hoc eſt, lacrymas, gemitus, preces, chameunias, vigilias, animi & corporis macerationem, ac denique correctionem eam, quæ ex peccati

Rom.6.

Baſil. homil.8.

Satisfactio neceſſaria eſt.

Fructus pœnitentia digni.

peccati confessione, contemptioriq́ue vitæ genere exiſtit,&c.

Cæſar. Arelat. hom. 27. Beatus CæſariusEpiſcopus Arelatenſis:Non putemus tam facilè remitti poſſe illata ſemel crimina,& profundo vulnere in animæ impreſſa viſceribus. Multus opus eſt fletus,multus gemitus,multæ contritiones corporis ad ſanandos ipſos dolores cordis. Tota incumbendum eſt ſpiritus compunctione, vt vetuſta mala tamquam ſagittæ quædam de conſcientiæ viſceribus euellantur. Non ſufficit ſummis labiis dicere: Peccaui; parce, & remitte. Non leui agendum eſt contritione, vt debita illa redimantur, quibus mors æterna debetur. Nec tranſitoria opus eſt ſatisfactione pro malis illis; propter quæ paratus eſt ignis æternus. Si volumus intelligere quàm graues apud ſe faciat Iudex noſter hominum culpas,reſpiciamus ad pœnas. Hæc ille. Ambroſius ad virginem lapſam cap.8. Pœnitudo neceſſaria eſt, ſicut vulneratis neceſſaria ſunt medicamina.Sed quanta putas,& qualis neceſſaria pœnitentia,quæ aut æquet crimina,aut certè excedat?&c.Item: Secundùm conſcientiæ molem exhibenda eſt pœnitentiæ magnitudo. Grandi plagæ alta & prolixa opus eſt medicina : grande ſcelus grandē habet neceſſariam ſatisfactionem,&c. Cyprianus de lapſis:Deus quantum patris pietate indulgens ſemper, & bonus eſt; tantum iudicis maieſtate metuendus eſt. Quàm magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens,& longa medicina non deſit. Pœnitentia crimine minor nō ſit. Orare oportet impenſius,diem luctu tranſigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere,tempus omne lacrymoſis lamentationibus occupare; ſtratos ſolo adhærere cineri , in cilicio & ſordibus volutari;poſt indumentum Chriſti perditum , nullum hic iam velle veſtitum; poſt diaboli cibum, malle ieiunium,iuſtis operibus incumbere,quibus peccata purgantur , eleemoſynis frequenter inſiſtere,&c. Tertullianus in libro dePœnitentia capite nono.Exomologeſis proſternendi, & humilificandi hominis diſciplina eſt, conuerſationem iniungens miſericordiæ illicem.De ipſo quoque habitu atque victu mandat ſacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus deiicere,illa quæ peccauit triſti tractatione mutare. Ceterū, paſtum & potū pura noſſe , non ventris ſcilicet,ſed animę cauſſa. Plerūque verò ieiuniis preces alere,ingemiſcere, lacrymari,& mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum,preſbyteris aduolui, &c. Vides quam ſatisfactionem peccatorum Patres requirant?

Non ſit leuis ſatisfactio.

Grandi plagæ prolixæ opus eſt medicina. Cyprian.

Tertull.

Quod ſi quis inani fiducia adductus dicat : iam Chriſtus ſatis tormentorum tulit , iam ſatis pro peccatis fecit;non eſt tam graui pœnitentia opus: audiat Ioannem : *Facite*, inquit, *fructus dignos pœnitentiæ, & nolite dicere Patrem habemus Abraham.* Ne ſcilicet,ait Tertullianus in libro de Pudicitia capite 10. rurſum blandimenta delinquentiæ de patrum reſumerent gratia, &c. ſimilem in modum nos dicimus:Facite fructus dignos pœnitentiæ, & nolite dicere Patrem habemus Chriſtum , ac Redemptorem, qui iam ſatis pœnarū pro nobis ſubiuit. Auctor imperfecti homil.3.Sicut,inquit, Iudæi putabant ſe propter hoc ſaluandos, quia erant filij Abrahæ;ſic & multi inſipientes Chriſtiani per hoc ſolùm putant ſe eſſe ſaluandos,quia ſunt Chriſtiani.Ad quos dicit Ioannes: Nolite dicere , quia ſumus Chriſtiani;ſed facite fructus dignos pœnitentiæ.Hæc ille.Multos quidem tulit Chriſtus cruciatus;ſed nō eſt ſatis tuliſſe Chriſtum,niſi tu quoque, qui peccaſti,feras.Alioqui ſi hominum ſatisfactionem Chriſti paſſio abſtuliſſet, magnum profectò hominibus ad peccandum incitamentum hoc eſſet.Vnde præclarè,vt cetera omnia, Synodus Tridentina:Diuinam,inquit,clementiam decet, ne ita nobis abſque vlla ſatisfactione peccata dimittantur;vt occaſione accepta, peccata leuiora putates, velut iniurij , & contumelioſi Spiritui ſancto , in grauiora labamur , theſaurizantes nobis iram in die iræ. Procul dubio enim magnopere à peccato reuocant, & quaſi freno quodam coercent hæ ſatisfactoriæ pœnæ,cautioreſque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt : medentur quoque peccatorum reliquiis,& vitioſos habitus male viuendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt. Hæc Synodus. Chriſti ſatisfactio hominum ſatisfactionem non expulit , ſed extulit: pretium enim illi tribuit, quo carebat. Opera hominum quamuis eximia,iacent omnia,niſi à Chriſti meritis , & ſatisfactione ſubleuentur. Nec opera noſtra ſine Chriſti meritis pretium habent; nec Chriſti merita nihil agentibus nobis proderunt.

Synodus Trid ſeſſ.14. cap.8.

Satisfactoriæ pœnæ à peccato reuocant, & quaſi freno coercent.

Chriſti ſatisfactio noſtræ pretium dat.

Non ſatis eſt arborem ferre fructum; ſed fructū ferre oportet dignum arbore. Malus mala malo digna fert: pyrus pyra, vinea botros. Eumdem in modum virum pœnitentem fructus ferre neceſſe eſt pœnitentia dignos, quos Patres ſupra indicati commemorant. Si malus glandes ferret, ſi vinea ferret mora, pyrus pruna, monſtrum ſane diceretur.Sic ſi vir,qui pœnitentiam profitetur,pro pœnitentia delicias ferat, effuſam hilaritatem , comeſſationes, vina, balneas, ludos, voluptates,quid niſi monſtrum erit?non ſunt ij fructus digni Pœnitentiæ arbore. Lege Tertullianum libro de Pœnitentia capite decimo. Num, ait, in coccino & Tyrio pro delictis ſupplicare nos condecet? Deinde ironicè addit: Exquirito balneas lætiores hortulani maritimiue ſeceſſus;adiicito ad ſumptum: conquirito altilium enormem ſaginam,defecato ſenectutem vini. Cùmque quis interrogarit, cur animæ largiaris?dicito;deliqui in Deum , & periclitor in æternum perire.Itaque nunc pendeo , & maceror, & excrucior,vt Deum reconciliē mihi,quem delinquendo læſi.Hæc ille. Et Diuus Cyprianus in libro de lapſis:Lamentari , inquit, eum putamus ex toto corde,ieiuniis,fletibus,planctibus, Dominum deprecari, qui ex primo criminis die lauacra quotidie celebrat , qui epulis affluentibus paſtus , & ſagina largiore diſtentus,cruditates ſuas poſtridie ructat,nec cibos , & potus ſuos cum pauperum neceſſitate communicat . Qui hilaris, ac lætus incedit , quomodo mortem ſuam deflet ? cumque ſcriptū ſit, *Non corrumpetis effigiem barbæ veſtræ*, barbam vellit,& faciem ſuam comit?& placere nunc cuiquam ſtudet,qui Deo diſplicet? An illa femina ingemiſcit,& plangit,cui vacat cultū pretioſæ veſtis induere , nec indumentum Chriſti quod perdidit cogitare?accipere pretioſa ornamenta, & monilia elaborata, nec diuini , & cæleſtis ornatus damna deflere, &c.Similia habet D. Pacianus paræneſi ad pœnitentiam.

Fructus pœnitentia indigni.

Cyprian.

Lenit. 19.

Neceſſaria eſt ſatisfactio noſtra; quamuis Chriſtus diuinæ iuſtitiæ ſatisfecerit.

Luca 3.

Iudex pro tribunali in furem , adulterum, vel alium quempiam ſceleratum hominem fert ſententiam , ſubeundamque pœnam aliquam imperat : ſimilem in modum veluti iudex in ſe ferat pœnitens ſententiam ; iudex ſit & reus, pœnæ alicui ferendæ ſe adiudicet , qua Deo debitum ſoluat: pœnam etiam à vero iudice ſacerdote illatā libenter exequatur. Auguſtinus homil. 50.In pœnitentia,inquit,maiorem quiſque in ſe ſeueritatem debet exercere,vt à ſe ipſo iudicatus,nō iudicetur à Domino:ſicut Apoſtolus ait:*Si enim nos iudicaremus,a Domino nō iudicaremur.* Aſcēdat igitur homo

Pœnitens iudicium aduerſus ſeipſum exercet.

1. Cor. 11.

homo aduersum se tribunal mentis suæ; existimet illud, quòd oportet nos exhiberi ante tribunal Christi, vt illud recipiat vnusquisque quod per corpus gessit, siue bonum, siue malum. Constituat se ante faciem suam, ne hoc ei posteà fiat. Nam minatur hoc Deus peccatori, dicens: *Arguam te, & statuam te ante faciem tuam.* Atque ita constituto in corde iudicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor, &c.

Psal. 49. Accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor.

De satisfactione à sacerdote imponenda infra idem Pater sanctissimus: Ordine, inquit, custodito à præpositis sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum; vt in offerendo sacrificio cordis contribulati deuotus & supplex; id tamen agat, quod non solùm illi prosit ad recipiendam salutem; sed etiam ceteris ad exemplum. Vt si peccatum eius non solum in graui eius malo, sed etiam in tanto scandalo est aliorum; atque hoc expedire vtilitati Ecclesiæ videtur antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiã non recuset, non resistat, non letali & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem. Meminerit semper, quod superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiã. Hæc Augustinus.

Satisfactio quam sacerdos iniungit exequenda.

Conuenerunt Israëlitæ in Maspha, hauseruntq; aquam, & effuderunt in conspectu Domini: & ieiunauerunt die illa, atque dixerunt ibi: Peccauimus Domino, &c. Noua est hæc cerimonia, nouus ritus, quo, vt Cardinalis Caietanus putat, omni penitus idololatriæ nuntiũ se remittere Israëlitæ testati sunt. Ad hoc, inquit, aquam hausta publicè effuderunt coram Deo, vt quemadmodum aqua sic abiicitur, quòd nihil eius remanet in vase, non color, non odor, non sapor; ita monstrabant se sic abdicare idololatriam, vt nihil eius in ipsis remaneret. *Et ieiunauerunt illa die, & dixerunt ibi: Peccauimus Domino.* Collige has actiones, & perpende confessionẽ, dicendo, *Peccauimus Domino*; satisfactionem verò ieiunando. Signum autem veræ contritionis effusionem aquæ in conspectu Dei. Hæc Caietanus. Similem in modum, in conspectu Domini, ac confessarij, oportet nos velut aquam, peccata penitus effundere, ita vt nec odor illorum, nec color, nec sapor, nec vestigium aliquod permaneat. Chaldæus, sic interpretatur: *Congregati sunt in Maspha, & impleuerunt aquas, & effuderunt cor suum in pœnitentia ante Dominum*, &c. Ille cor ante Dominũ in pœnitentia effundit, qui peccatorum sentinam penitus exhaurit. Ille præterea aquam effundit in conspectu Domini, qui admissa scelera abluit lacrymis. Lacrymis verò & confessioni accedant ieiunia: ieiunauerunt enim Israëlitæ; accedant eleemosynæ, denique accedat debita satisfactio.

1. Reg. 7. Israëlita aquã effuderunt in Maspha, quid hoc sit.

Peccata & aqua sunt effundenda.

1. Reg. 7.

Magnus Gregorius in commentariis libri 1. Reg. capit. 7. Hunc locum moraliter his verbis explanat. Quid est aquam haurire, nisi de profunda animi pœnitentis confusione lacrymarum fluenta producere? Velut enim aquam haurimus, dũ quàm profunda iniquitate cecidimus cõsiderantes plangimus. Aquam in conspectu Domini effundimus, si cùm pœnitendo compungimur, de eiusdem compunctionis fletu non quærimus fauorẽ sæculi, sed solum fructum diuinæ placationis. Sed & dum mens flendo compungitur, necesse est, vt etiã caro, quæ delectationibus subiacuit, affligatur; vnde subditur: *Et ieiunauerunt die illa.* Dies peccatricis animæ, est spes consequendæ indulgentiæ, in diuini Verbi repromissione. In die illa ieiunant, qui idcircò carnem pœnitendo atterunt; quia in luce spei peruenire ad indulgentiam se indubitanter credunt. Quæ tamen afflictio pœnitentiæ ad delenda peccata tunc demum idonea est, cùm sacerdotis fuerit iudicio imperata. Cùm ab eo confitentium actibus discussis, pro modo criminis, onus eis decernitur afflictionis. Hæc ille.

Satisfactio à sacerdote imperatur.

Lege Albinum, Magni Caroli præceptorem, de Diuinis Officiis, in capite ieiunij. Quo loco docet, quomodo sacerdos pœnitentis confessionem audire, & satisfactionem debet iniungere, & inter alia, post peractam confessionem: Totum, inquit, se in terram prosternat confitẽs, gemitus, ac suspiria, vel lacrymas, prout Deus dederit, ab intimo cordis producat. Sacerdos verò patiatur eum aliquantisper iacere prostratum, iuxta quod viderit eum diuina inspiratione compunctum. Deinde iubeat eum sacerdos surgere, & cùm steterit super pedes suos, cum tremore, & humilitate, præstoletur iudicium sacerdotis, & indicet ei sacerdos abstinentiam siue obseruantiam, perpendens subtiliter personæ qualitatem, modum culpæ, intentionem animi, & corporis valetudinem, vel imbecillitatem. Percepta autem sententia sacerdotis, iterum prosternet se sacerdotis pedibus, eius petens pro se orationem fieri; vt suggerat ei diuina visitatio virtutem obseruandi, quæ illi iniuncta sunt; & ita reuerenter sacerdotis iudicio obtemperare, ac si ab ipso diuinæ maiestatis ore, opportuna salutis suæ medicamenta susceperisset, &c.

Confitentis humilitas.

Iam securis ad radicem arboris posita est, clamat vox clamantis in deserto: *Omnis arbor nõ faciens fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Videat ergo arbor, id est, homo, quosnam fructus faciat. Satius est pœnitentiæ fructus paucis annis producere, quàm in ignem æternum perduci. Imminens semper radici diuina securis, hominem non patitur esse securum. Si pœnitentiæ fructum arbor non tulerit, sempiternas flammas feret. Ne sempiternas flammas ferat, fructum pœnitentiæ proferat. Si ramia amputantur, recuperari possunt; si verò radix exscinditur, actũ est de arbore. Arboris rami tunc amputantur, cum vel opum, vel incolumitatis, vel honoris, vel alicuius alterius rei similis iactura fit; cùm verò vita ipsa à Deo tollitur, tunc radix exscinditur. Non ramis minatur Ioannes, ait Chrysostomus, aut fructibus, sed ipsi radici; ostendẽs, illos, si fortè neglexerint, immedicabiliter feriendos, & ne spem quidem curationis esse habituros, &c. Caue ne pœnitentiæ fructum tunc proferendum differas, cùm arborem securis extremis ictibus percusserit. Nam occidente Sole, id est, vita, productus fructus forsitan acerbus erit; neque ad maturitatem pertinget. Vt enim est in prouerbio: Lunæ radiis non matureſcit botrus. Cùm Sol, id est, vita, meridianis flagrat horis, tunc pœnitentiæ fructum proferet, tunc matureſcet, tunc Deo erit iucundissimus. Numquid, ait Cæsarius Arelatensis, homil. 6. hoc tibi vis fieri à seruo tuo, vt quamdiu fortis, ac iuuenis fuerit, inimicis tuis seruiat; & cùm ad senectam venerit, tunc ad tuum seruitium redire velit? Quod ergo non vis pati à seruo tuo, non est iustum vt facias domino tuo, &c.

Luc. 3.

Pœnitentiæ fructus producendi, ne in ignem arbor mittatur.

Chrysost. Homil. 11. in Matth.

Non est differenda pœnitentia in mortem.

Lunæ radiis nõ matureſcit botrus.

Scit botrus.

Pœnitentiæ forsitan horres amarorem? Ne horre, dulcis pœnitentia est; illius dulcedinem mel illud silueſtre indicat. Dulci melle alitur in solitudine pœnitentiæ præco. Cur ita? quia, qui pœnitentiam verè agit, cælestem dulcedinem degustat. Apes amarum habent aculeum, sed dulcissimos fingunt fauos: sic pœnitentia amarum habet dolorem, sed dulcissimã parit gratiam, dulcissimamque gloriam, & cælorum regnum; cuius spes dulcem reddit amaritudinem. Si amarum est; *Pœnitentiam agite*; certè dulce est; *Appropinquauit regnum cælorum.* Et quidem Bernardus serm. 1. in Dedicatione Ecclesiæ, amaritudinẽ pœnitentiæ dulcissimam vocat,

Pœnitentia dulcis.

Matth. 3.

vocat. Hinc eſt, inquit, quod multi abominantur, & fugiunt pœnitentiam; crucem quidem videntes, ſed non etiam vnctionem. Vos, qui experti eſtis, ecce ſcitis, quia vere crux noſtra inuncta eſt, & per gratiam ſpiritus adiuuantis ſuauis & delectabilis eſt pœnitentia noſtra, &, vt ita dicam, amaritudo noſtra dulciſſima. Hæc Bernardus.

Pœnitentiæ commoda.

Suauem reddunt pœnitentiam illius magna commoda, quæ ſibi pœnitens ante oculos debet proponere. Tertullianus lib. de Pœnitentia cap. 10. Hæc, inquit, omnia exomologeſis, vt pœnitentiam commendet, vt de periculi timore Deum honoret, vt in peccatorem ipſa pronuncians, pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictatione æterna ſupplicia, non dicam fruſtretur, ſed expungat. Cùm igitur prouoluit hominem, magis releuat; cùm ſqualidum facit, magis mundatum reddit: cùm accuſat, excuſat: cùm condemnat, abſoluit. In quantum non peperceris tibi, in tantùm tibi Deus (crede) parcet, &c.

Exemplum ab iis ductũ qui magiſtratus ambiunt.

Eamdem pœnitentiam ſuauẽ reddit idem Tertullianus eodem loco, eorum exemplo propoſito qui ambiunt magiſtratus: Sed enim, ait, illos, qui ambitu obeunt capeſſendi magiſtratus, neque pudet, neque piget, incommodis animæ & corporis, nec incommodis tantùm, verum & contumeliis omnibus eniti in cauſſa votorum ſuorum. Quas non ignobilitates veſtium affectant? quæ non atria nocturnis & crudis ſalutationibus occupant? ad omnem occurſum maioris cuiuſque perſonæ decreſcentes, nullis conuiuiis celebres, nullis comeſſationibus congreges, ſed exſules à libertatis & lætitiæ felicitate. Idque totum propter vnius anni volaticum gaudium. Nos, quod ſecurium virgarúmve petitio ſuſtinet, in periculo æternitatis tolerare dubitamus? & caſtigationem victus & cultus offenſo Domino præſtare ceſſabimus, quæ gentiles nemine omnino læſo ſibi irrogant? Hæc ille. Præclarè ſanè periculum noſtrum, periculum appellat æternitatis: In periculo, ait, æternitatis tolerare dubitamus? Etenim non temporarij ſolùm mali, ſed æternarum flammarum æternæque damnationis periculum nobis horrendum imminet.

Volaticum gaudium honoris.

Periculum æternitatis.

Auguſt. homil. 50.

Similem in modum Auguſtinus, eorum exemplo ad pœnitentiam hortatur, qui criminis condonationem ab Imperatore poſcunt: Quis, ait, certus eſt quòd Imperator ignoſcat? & tamen pecunia funditur: maria tranſmeantur, procellarum incertà ſubeuntur, & penè, vt mors euitetur, mors ipſa ſuſcipitur. Supplicatur deinde per homines homini. Sine dubitatione fiunt iſta, cùm ſit dubium quo fine proueniant. Et tamen certiores ſunt claues Eccleſiæ, quàm corda Regum; quibus clauibus quodcumque in terra ſoluitur, etiam in cælo ſolutum promittitur. Et multò eſt honeſtior humilitas, qua ſe quiſque humiliat Eccleſiæ Dei; & labor minor imponitur, & nullo temporalis mortis periculo mors æterna vitatur. Hæc Auguſtinus.

Claues Eccleſiæ certiores quam corda Regũ.

CAPVT XI.

Morale.

De aduentu præcurſoris.

De nobilitate. Matth. 3. Luca 3.

DE pœnitentia ſatis dictum: Nunc reliqua percurramus. Ad illa verba: *Nolite dicere Patrem habemus Abrahã*: Auctor Imperfecti parui momenti eſſe nobilitatem docet, quam mores ſordidi coinquinant: Quid, inquit, prodeſt ei, quem ſordidant mores, generatio clara? aut quid nocet illi generatio vilis, quem mores adornant? ipſe ſe vacuum ab omnibus bonis actibus oſtendit, qui gloriatur in patribus. Quid profuit Cham, quod filius fuit Noe, aut quid nocuit Abrahę, quod patrem habuit Thare luteorum Deorum cultorem? Aurum de terra naſcitur, ſed non eſt terra. Et ſtannum de argento egreditur, ſed non eſt argentum. Melius eſt de contemptibili genere clarum fieri, quàm de claro genere contemptibilem naſci. Hæc ille. Vt ex mari ſalſo dulces ſtuunt fluuij: ſic ſæpe ex ignobilibus parentibus nobiles oriuntur filij. Cõtrà ex fontibus clariſſimis, riuos videas emanare ſordidos: ita ex clariſſimis maioribus natos cernes homines ſpurciſſimos. Quemadmodum maris ſalſedinem fluuiorum aquæ curſu amittunt; ſic parentum ignobilitatem, præclaris geſtis filij exuunt. Puri fontis aquæ fluxu colligunt ſordes: ex nobilibus viris nati, vitiis inquinant genus. Quod probrum eſt maximum, vt Philo docet in libro de Ioſeph: Genus, inquit, deductum ab illuſtribus maioribus ignominioſis factis dehoneſtare, probrum eſt turpiſſimum, &c.

Probrum eſt turpiſſimũ genus dehoneſtare vitiis.

Generis ſplendor lux eſt lucernæ, quam tenuis exſtinguit flatus. Ex Regibus ſerui, ex ſeruis oriri aliquando Reges poſſunt. Vnde illud Senecæ epiſt. 44. Plato ait, neminem Regem non ex ſeruis eſſe oriundum; nemihem non ſeruum ex Regibus. Omnia iſta longa varietas miſcuit, & ſurſum deorſum fortuna verſauit. A primo mundi ortu vſque in hoc tempus perduxit nos ex ſplendidis ſordidisque alternata ſeries. Non facit nobilem atrium plenum fumoſis imaginibus. Quod ante nos fuit, noſtrum non eſt, &c.

Reges ex ſeruis, ſerui ex Regibus nati ſunt.

Hoc boni habet nobilitas, quòd imitanda natis maiorum geſta præclara proponit, vt ab iis, à quibus ducunt genus, ducant etiam exemplum. Si quam generis decus vtilitatem affert, ait Claudius Galenus in oratione ſuaſoria ad artes, eam eſſe putandum eſt, inde nobis ſtudia moueri, æmulandi virtutum exempla, quibus maiores illuſtrati ſunt, &c. Hinc illud Platonis ab eodem auctore citati. Præclarus theſaurus ſunt maiorum virtutes. Etenim quamuis Seneca loco indicato ſcribat: Quod ante nos fuit, noſtrum non eſſe: & Poëta:

Nobilitas quid boni habeat.

Maiorum virtutes theſaurus ſunt, & imitãda nobilibus.

Nam genus, & proauos, & quæ non fecimus ipſi,
Vix ea noſtra voco.

Tamen noſtra ſunt parentum præclara geſta; & vt ait Plato, præclarus theſaurus ſunt maiorum virtutes ad imitandum propoſitæ.

Habuere quidem Iudæi præclarum hunc Platonis theſaurum; habuerunt maiorum virtutes præclaras, Abrahami, Iſaaci, Iacobi, Moſeos, Dauidis, & aliorum, quas imitarentur: verùm ab illis degenerarunt, antiquumque ſplendorem & nobilitatem amiſerunt, dum Meſſiæ Dei Opt. Max. fidem repulerunt. Nolite dicere, ô Iudæi, Patrẽ habemus Abraham. Non eſt is Pater veſter, cuius fidem non imitamini. Potẽs Deus ex lapidibus fecit filios Abrahę. Lapides erant ethnici, vt ſupra expoſuimus: Ex iis lapidibus nobiles Abrahamo filios excitauit, hodieque excitat, & ad extremũ vſque diem non deſinet excitare. Qui quãuis ab Abrahamo genus non trahant & carnem, trahunt tamen, quod maius eſt, fidem atque ſpiritum. Fidem Abrahami repulistis, & cum fide nobilitatem. Periit ſplendor veſter, periere Reges, periere nobiles, illuſtria periere facta. Iam ſecurim ad radicem arboris, id eſt, Iudaicæ Reipublic. Deus poſuit, radicitus illam excidit, & in ignem miſit. Non filios Abrahæ Ioannes Iudęos impios appellat, ſed genimina viperarum. Eadem impiorum eſt nobilitas, quæ viperarum: *Genimina*, inquit, *viperarum, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira?* Vtinam oſtendat vobis, ô Iſraelitæ, Deus fugere à ventura iudicantis Meſſiæ ira: Vtinam à tartareis flammis, in quas cæci irruitis, vos eripiat:

Iudæi à Patriarchariũ nobilitate degenerãrunt.

Parui momenti eſt nobilitas, quã mores ſordidant.

Luca 3.

Vtinam Christianæ fidei radiis clarissimis collustret, bonorumque operũ fructu cumulet: Vtinam ex viperarum filiis in veros Abrahæ filios transmutet. Potens enim est Deus de lapidibus, id est, durissimis hominibus, suscitare filios Abrahæ: qui fidem illam, quam de Christo Abrahã habuit, non odio insectentur, sed magna voluntate sectentur.

Obserua non solùm cælorum regnum, sed venturam etiam iram, iudicij ventilabrum, ignemque inexstinguibilem prædicatum à Ioan. *Quis*, inquit, *ostendit vobis fugere a ventura ira?* Item: *Ventilabrum in manu eius, & purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum: paleas autem comburet igne inexstinguibili:* Item: *Omnis arbor non faciens fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Iudicij enim & gehennæ timor viam ad regnum cælorum munit; quoniam à peccato hominem abducit. Quemadmodum volucres, si strepitum excites, timent, & laqueos fugiunt: sic homines, si Dei iudicio horrendo, gehennęque igne sempiterno concionator perstrepat, formidant, & à peccato recedunt. Hinc illud Augustini, Psalm. 123. Quomodo, si videas auem veluti iam cadere in muscipulam, facis maiorem strepitum, & volat de muscipula: sic & Martyrum iam forte aliqui ipsorum intendebant collum in dulcedinem vitæ huius: Dominus, qui erat in illis fecit strepitum gehennarum, & erutus est passer de muscipula venantium, &c.

Duplices sunt catenæ, quibus hominis membra appetitionesque, ne crimine se obstringant, obstringuntur; timoris & amoris: sed priores sunt timoris catenę, quàm amoris; illę quidem ferreæ, hæ autem aureæ. Iniiciendæ ergo primùm sunt hominibus ferreæ, addentur aureæ, si ferreas ferat, iuxta illud: *Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis.* Manicæ ferreæ timoris sunt. Audiamus Augustinũ in hæc verba scribente: Ferrea, inquit, vincula sunt, quãdiu timent; ament, & aurea erunt. Et tamen, nisi timore incipiat homo Deum colere, non perueniet ad amorem. Incipit ergo à vinculis ferreis, finitur ad torquẽ auream, id est, sapientiam. Non tibi imponeret torquem, nisi priùs compedibus ferreis te alligasset. Hæc ille.

Flagitiis se dedunt homines ob illã, quam in illis reperiunt venenatã dulcedinem. Si igitur insipientes ablactare vis, falsa hæc dulcedo iudicij ac gehennæ amaritudine perfundenda est: vt intelligant miseri, & flagitiorum dulcedinẽ esse amaram, & pœnitentiæ amaritudinem, si cum vitiorũ amaritudine conferatur, esse dulcissimam. Sic mellifluus Bernardus venenatum mundi mel felle tartareo perfundit Psalm. 90. serm. 3. his verbis: Durum vobis videtur, cùm vobis dicitur: *Agite pœnitentiã*, erratis. Sed audituri estis aliquãdo sermonem asperum & durum, qui habetur apud Matth. *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Hoc timete, hoc durum reputate; & inuenietis, quia iugum Domini suaue est. Si in se ipso suaue illud credere necdum potestis; vel hoc non ignoratis: quoniã huius comparatione suauissimum est, &c.

Vt suprà diximus D. Hieronym. Euangelici sermonis prędicationem, securim appellari ait à Ioanne. Hanc securim tartareo fulgurantem igne euangelicus concionator non ramis solùm, sed radici admoueat, hoc est, voluntati: omnemque arborem, quæ fructum bonum non facit, exscindendam & in ignem proiiciendam sæpe proclamet. Ita tamen in dicẽdo sit terribilis ac seuerus, vt sit etiã mitis & misericors. Vt legitur in lib. Regũ: *In basibus templi leones efformati erãt boues & Cherubim.* Bases sacerdotũ ac concionatorum typus sunt, qui Ecclesiam fulciunt; leones seueritatem iudicij, tartareique ignis horrorem, boues mãsuetudinem, Cherubim scientiam adumbrant, quæ iis basibus inesse debent. Sic Magnus Greg. typu hũc exponit: Quid aliud, inquit, significant bases, nisi sacerdotes, qui more basium impositum onus portant. In basibus Cherubim exprimuntur; quia decet, vt sacerdotum pectora scientiæ plenitudine sint referta. Per leones terror seueritatis, per boues patientia mansuetudinis figuratur. Itaque in basibus nec leones sine bobus, nec boues sine leonibus exprimuntur; quia semper in sacerdotali pectore cum terrore seueritatis custodiri debet virtus mansuetudinis, &c.

Non fuere Ioannis seueri ac mitis concionatoris irrita verba, fructum attulere vberem. *Etenim interrogabant eum turbæ*, ait Lucas, *dicentes: Quid ergo faciemus?* Cupit Moses verba sua pluuiæ esse similia ac rori: *Concrescat*, inquit, *in pluuiam doctrina mea fluat vt ros eloquium meum.* Quemadmodũ arentes agros pluuia rosque irrigant, & ad producendos fructus vberes parant: ita arentes animos irrigant conciones, & ad ferendos dignos pœnitentiæ fructus instruunt. De viro sapiente ait Ecclesiasticus: *Dominus spiritu intelligentiæ replebit illum, & ipse tamquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ.* Spiritu intelligentiæ singularis repleuit Deus Ioannem: ipse verò tamquam imbres & rorem emisit eloquentiæ suæ, quæ aridam Iudææ solitudinem irrigarunt; & ad ferendos dignos pœnitentiæ fructus præpararunt. Quid faciemus? rogant auditores. O auditores egregios, qui diuini Verbi non auditores solùm, sed factores etiam esse voluerunt. Quemadmodum fecundus ager exceptam pluuiam vertit in fructum: & calore præstans stomachus, exceptum cibum in corporis vertit alimentum: ita bonus auditor exceptam doctrinam in recta vertit facta. Albinus Magni Caroli præceptor in libro de Virtutibus & Vitiis, capite de studio Scripturæ: Ille, ait, beatissimus est, qui diuinas Scripturas legens, verba vertit in opera, &c. Similem in modum, ille beatissimus est, qui diuinas conciones audiens, verba vertit in opera, diuinumque sermonem ab auribus & intellectu transmittit ad manus. Diuus Augustinus Psalm. 103. in fine concionis primæ, cum auditoribus sic loquitur hac de re: Quæ manducastis ruminate: sic enim eritis munda animalia, & apta epulis Dei. Fructum autem vestrum in operibus vestris aduertite. Valde enim malè digerit is, qui bene audit, & non bene operatur. Excusationem in iudicio Dei non habebitis, nisi vos in bonis operibus exercueritis; & eorum, quæ audistis, tamquam pluuiæ, fructum congruum dederitis. Fructus congruus opera bona. Hæc ille.

Rogarunt Ioannem auditores: *Quid faciemus?* Ioannes autem pro captu respondit: *Qui habet duas tunicas, det non habenti*, &c. Similiter pro captu militibus respondit, & publicanis. Etenim auditorum capacitati concionatoris doctrina debet respondere, vt docet Magnus Greg. extrema parte Pastoralis, post admonitiones cap. 5. Sciendũ, inquit, est prędicatori, vt auditoris sui animum vltra vires non trahat; ne, vt ita dicam, dum plus quàm valet tenditur mẽtis chorda, rumpatur. Alta enim quæque debent multis audientibus contegi, & vix paucis aperiri. Hinc namque per semetipsum veritas dicit: *Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illi in tempore tritici mensuram?* Per mensuram quippe tritici exprimitur modus verbi; ne cum angusto cordi incapabile aliquid tribuitur, extra fundatur. Hinc Paulus: *Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus: tamquam paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam.* Hinc Moses: Coruscantem coram populo faciem

Luc. 3. *Iudicij gehennæq; horrore hominẽs à vitiis deterrendi sunt.* *Augusti.* *Catenæ timoris & amoris.* *Psal. 149.* *Matth. 25.* *3 Reg. 7.* *Sacerdos sit sapiẽs, mitis & iudicij gehennæq; horrore, seuerus.* *Verba Baptistæ fructifera faciunt.* *Luc. 3.* *Deut. 32.* *Conciones animos irrigãt instar cælestis pluuiæ.* *Eccli. 39.* *Auditor cõcionũ, verba quæ audit conuertat in facta.* *Augusti.* *Luc. 3.* *Concio auditorũ captui accommodanda est.* *Luc. 12.* *1 Cor. 3.* *Exodi 34.*

faciem velat; quia nimirum turbis claritatis intimæ arcana non indicat. Hactenus Gregorius.

Apoc. 11. Ioanni Euangelistæ dicitur: *Metire templum & altare, & adorantes in eo.* In quem locum Richardus Victorinus in Apocalypsim scribit hunc in modum: Hoc templum siue altare metiri præcipitur quisquis actiuis, siue contemplatiuis verbum eruditionis ministrare, secundùm vtriusque capacitatem admonetur, &c. Templum igitur concionator metiatur, & altare, & adorantes in eo, antequam concionem aggrediatur, hoc est, auditorum personas, mores, dignitates, status, officia, peccata, virtutes, diligenter consideret. Diuersi enim hominum status diuersas exigunt exhortationes. Ita obseruat egregius concionator Gregorius, cum altero Gregorio Nazianzeno, in prologo tertiæ partis Pastoralis: Vt longè, inquit, ante nos reuerendæ memoriæ Gregorius Nazianzenus docuit, non vna eademque cunctis exhortatio congruit. Quia non cunctos par morum qualitas attingit. Sæpe namque aliis officiunt, quæ aliis prosunt: quia & plerumque herbæ, quæ hæc animalia enutriunt, alia occidunt; & leuis sibilus equos mitigat, catulos instigat; & medicamentum, quod hunc morbum imminuit, alteri vires iungit; & panis qui vitam fortium roborat, paruulorum necat. Pro qualitate igitur audientium formari debet sermo doctorum; vt & sua singulis congruant; & tamen à communis ædificationis arte numquam recedant. Hæc ille. His similitudinem adiungit ex citharæ petitam fidibus, quas non eodem modo pulsat citharedus, sed vario. Quid, inquit, sunt intentæ mentes auditorum, nisi, vt ita dixerim, quædam in cithara tensiones stratæ chordarum? quas tangendi artifex, vt non sibimet ipsi dissimile canticum faciant, dissimiliter pulsat. Et idcirco chordæ consonam modulationem reddunt; quia vno quidem plectro, sed non vno impulsu feriuntur. Vnde & doctor quisque, vt in vna cunctos virtute caritatis ædificet; ex vna doctrina, non vna eademque exhortatione corda tangere audientium debet, &c. Lege Gregorij Nazianz. Apologeticum.

Non cõgruit omnibus eadem exhortatio & cõcio.

Pro qualitate auditorũ formari debet sermo concionatorum.

Luca 3. Obserua præterea verba illa, *Cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum; paleas autem comburet igni inextinguibili*, Origenem moraliter de tentationibus exponere hom. 20. in Lucam. Vt enim vento à tritico graui leues separantur paleæ; sic tentationibus, ab iis qui solida prædi ti sunt virtute, discernuntur, veluti leues paleæ, homines inconstantes. Existimo, ait Origenes, tentationes pro vento intelligi, quæ confuso credentium aceruo, alios paleas, alios triticum esse demonstrant, &c. Caue ne palea sis leuis, flatuque tentationis à diuina gratia abripiaris. Constantia instar tritici grauis esto, in horreum cæleste recondendi. Consonant huic loco verba illa Magni Gregorij lib. 11. Moral. cap. 22. Quid est homo nisi folium, qui tentationis vento rapitur, & desideriorum flatibus leuatur? Mens quippe humana quot tentationes patitur, quasi tot flatibus mouetur. Quia ergo tot tentationum flatibus eleuatur & ducitur, recte folio homo comparatur. Vnde bene per Isaiam dicitur: *Cecidimus quasi folium vniuersi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos, &c.* Chrysost. Nemo palea sit, nemo fide fluctuans, nemo cogitationibus prauis obnoxius, vbilibet ab illis iactandus. Si enim in frumenti soliditate permanseris; etiamsi tribulatio irruat, nihil dabit incommodi. Siquidem in area iacens frumentum rapidæ etiam curruum rotæ nihil comminuunt prorsus, &c.

Tẽtationes quomodo hic exprimantur.

Palea viri sunt inconstãtes, quas tentationũ ventus abripit.

Isaia 64.

Chrysost. homil. 11. in Matth.

Ad hæc probi viri triticum Christi sunt, iuxta illud quod recitat diuus Hieronymus in Catalogo de Scriptoribus Ecclesiasticis diui Ignatij præclarum dictum, cùm iam ad bestias damnatus esset, rugientesque audiret leones: Frumentũ Christi sum; bestiarum dentibus molar, vt panis mundus inueniar. Impij verò, vt Chrysostomus ait hom. 11. in Matth. paleæ sunt bestiarum rationis expertiũ, hoc est, ratione carentium cupiditatum cibus. Hìc, ait Chrysostomus, homines pabulum efficiuntur irrationabilium passionum; sicut paleæ ab irrationabilibus vorantur animalibus. Et ibi rursus, id est, in tartaro, esca erunt ignium, &c. insatiabiles bestiæ, libido, auaritia, iracundia, odium, ceterique affectus huiusmodi bestiales, nonne sic libidinosis, auaris, iracundis, odioque percitis hominibus, vt paleis pascuntur? Iam verò immanis bestia diabolus quibus aliis pascitur paleis, quàm hominibus impiis? in quem sensum diuus Gregorius Magnus moraliter exponit verba illa Isaiæ: *Leo sicut bos comedet paleas*: Iob ad illa verba: *Fœnum sicut bos comedet*. Cùm Isaias cerneret, ait Gregorius, vitam peccantium ab antiquo & insatiabili hoste deuorari, ait: *Leo sicut bos comedet paleas*. Quid autem fœni palearumque nomine, nisi vita carnalium signatur? &c.

Probi viri triticum sunt.

Improbi paleæ sunt, quibus bestiales cupiditates, ipsaq; atrox bestia diabolus pascuntur.

Isaia 11. Iob 40.

Palea comburẽda igni sempiterno, Psal. 49.

Vt flammæ Solis nũquã exstinguuntur, ita flammæ tartari.

Dum viuunt belluas, id est, affectus prauos, & malum dæmonem pascunt impij; post obitum pascent flammas. *Ignis*, ait Augustinus tract. 4. in Ioannem, *ante eum præibit: Et in circuitu eius tempestas valida.* Tempestas illa tollere habet totam paleam de area, quæ modo trituratur: & ignis incendere habet, quod tempestas abstulerit, &c. Sed qualis ignis? Nempe sempiternus. Nec enim vt paleæ modico igne penitus absumuntur, ita apud inferos impij tartareo igne absumentur, quin potius tam flammæ, quàm paleæ erunt sempiternæ. Quemadmodum superæ Solis, ita inferæ tartari flammæ, sunt perpetuæ. Vnde Chrysostomus homil. 11. in Matthæum: Tartari, inquit, ignis nescit exstingui. Et quomodo, inquis, inexstinguibilis perseuerat? Nonne cernis Solem istum semper ardentem, & numquam prorsus exstinctum? &c. Non erit ille palearum ignis, qui facilè quidem concipitur, mox exstinguitur, sed palearum immortalium immortales erunt flammæ. Facilè tam animo, quàm corpore, veluti à paleis concipientur: at, quod animus vehementius horret, numquam exstinguentur.

Palea viri sunt inconstãtes, quas tentationũ ventus abripit.

Palea potest in triticum conuerti, quãdiu in area est.

Palea mensura maiores sunt tritico, sed triticum est pretiosius.

Alterum è duobus elige, aut in triticum conuertere, cæli horreo dignum: aut in æternum ignem, si palea vis esse, abi. Propterea in area es, vt in triticum conuertaris. Licet enim, ait Chrysostomus homil. 11. in Matthæum, quamdiu hìc degimus de palea in frumentum mutari: sicut contra multi ex tritico in paleam degenerarunt, &c. Eodem loco Chrysostomus: Frumentum, inquit, paleis mensura quidem minus est, sed natura pretiosius, &c. Eumdem in modum nunc impij honorum, diuitiarumque mensura, multos iustos superant: à iustis tamen maiori distant interuallo, quàm à tritico paleæ. Maiores mensura paleæ sunt, sed triticum multò est pretiosius. Si triticum es, ne degeneres in paleam, si palea es, in triticum diuina Metamorphosi te transmuta, vt flammas euadas perpetuas, horreoque cælesti recondaris.

CAPVT XII.

De Baptiſmo Chriſti Opt. Max.

MATTH. CAP. III.

TVNC venit IESVS à Galilæa in Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo. Ioannes autem prohibebat eum, dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Reſpondens autem IESVS, dixit ei: Sine modo: ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam. Tunc dimiſit eum. Baptizatus autem IESVS confeſtim aſcendit de aqua. & ecce aperti ſunt ei cæli: & vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe. Et ecce vox de cælis, dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

MARC. CAP. I.

ET factum eſt: in diebus illis venit IESVS à Nazareth Galilææ: & baptizatus eſt à Ioanne in Iordane. Et ſtatim aſcendens de aqua, vidit cælos apertos, & Spiritum tamquam columbam deſcendentem, & manentem in ipſo. Et vox facta eſt de cælis: Tu es Filius meus dilectus, in te complacui.

LVC. CAP. III.

FACTVM eſt autem cùm baptizaretur omnis populus, & IESV baptizato, & orante, apertum eſt cælum: & deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie, ſicut columba in ipſum: & vox de cælo facta eſt: Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi. Et ipſe IESVS erat incipiens quaſi annorum triginta, vt putabatur, filius Ioſeph.

IAM fulgebat ſplendidum auroræ aſtrum Ioannes baptizans, ad pœnitentiam Iudæos excitans, viamque in ſolitudine præparans. Sol verò clariſſimus Chriſtus ſub nube adhuc occultabat radios; & hominibus ignotus, admirabilem traducebat cum Matre vitam in opido Nazareth. Venturum Ioannes prædicabat: ille verò latebat. Appetente tandem ad hanc rem conſtituto tempore, Nazaretha proficiſcitur, ad Ioannem in Iordane baptizantem venit, & inter ceteros, non tamen vt ceteri abſque ſignis, ſed ſtupendis adhibitis miraculis, baptizatur: populoque à Patre & Spiritu ſancto indicatur.

Chriſtus ex Nazareth ad Ioannē venit.

Antequam, quæ de hoc baptiſmo Domini litteris Euangeliſtæ conſignarunt explanemus, inueſtigare baptiſmi tempus opere pretium erit. Quoto ætatis ſuæ anno Dominus fuerit à Ioanne baptizatus vocatum eſt in controuerſiam. Sunt ea de re diſcrepantes ſententiæ. Prima eſt Cardinalis Caietani: Ætas, inquit, IESV tempore baptiſmi à ſolo Luca deſcribitur prope inchoationem trigeſimi anni, &c. Exiſtimat ergo Caietanus baptizatum Dominum prope inchoationem trigeſimi anni: hoc eſt, antequam trigeſimum annum inchoaret, cùm vigeſimum nonum iam ad finem perduceret. Hæc tamen opinio conſuetudini Eccleſiæ aduerſatur, quæ baptiſmum Chriſti ſexto die Ianuarij celebrat. Chriſtus autem iuxta hanc ſententiam prope menſem Decembrem, quo annum vigeſimum nonum abſoluebat, & trigeſimū inchoabat, eſt baptizatus.

Caietan. Luca 3. Quoto ætatis anno Dominus baptizatus ſit.

Epiphan. hæreſi 51.

Secunda eſt diui Epiphanij, quæ placuit Ianſenio: Erat, ait, Chriſtus annorum viginti nouem, & menſium decem, cùm ad baptiſmum venit. Sed ex hac opinione ſequitur Chriſtum baptizatum menſe Octobri. Etenim vigeſimum nonum annum menſe Decembri, quo natus eſt, expleuit. Si decem menſes adiungas, in Octobrem baptiſmus incidet. At Eccleſia ſexta Ianuarij die Chriſtum baptizatum vult.

Tertia eſt diui Hieronymi Ezechiel. 1. Dominus, inquit, triginta annos habens ad baptiſmum venit. Origenes quoque homil. 1. in eumdem Prophetam, trigeſimo anno ait in baptiſmo fuiſſe Chriſto cælos reſeratos. Nazianzenus Oratione 39. & 40. trigeſimo, ait, anno Dominus baptizatur. Diuus Thomas tertia parte quæſt. 39. articul. 3. Chriſtus, inquit, conuenienter fuit in trigeſimo anno baptizatus. Theophylactus: Cùm triginta annorum eſſet Dominus baptizatus eſt, &c. Idem aſſeritur capitulo 20. inter capitula Græcarū Synodorū, quæ Martinus Bracarenſis Epiſcopus collegit in fine tom. 2. Conciliorum. Capitulum ſiue Canon eſt eiuſmodi: Si quis triginta ætatis ſuæ annos non impleuerit, nullo modo presbyter ordinetur, etiamſi valde ſit dignus; quia & ipſe Dominus trigeſimo anno baptizatus eſt; & ſic cœpit docere, &c. Non docent hi Patres an Chriſtus expletis annis triginta ſit baptizatus, an verò antequam eſſent expleti.

Hieron.

Eſt quarta ſententia Chryſoſtomi, quem ſequitur Euthymius, poſt annum trigeſimum baptizatum: Cur poſt trigeſimum annum, ait Chryſoſtomus homil. 10. in Matth. Chriſtus venit ad baptiſmum, &c. Sentire videtur Chriſtum baptizatum cùm

Chryſoſt.

cùm iam trigeſimum expleuiſſet annum. Bernardi quoque ſermon. 1. de Epiphania hæc ſunt verba, eidem ſententiæ conſentanea: Cùm Chriſtus iam triginta annorum tempus exegiſſet in carne; inter populares turbas ad baptiſmum Ioannis venit. Adde diuum Ignatium, qui ad Trallianos epiſtol. 5. ſic ſcribit: Expletis tribus annorum decadibus, (id eſt, triginta annis) baptizatus eſt Dominus, &c. Quæ Latina verba plane oſtendunt Dominum expleto iam anno trigeſimo baptizatum eſſe. Sed conſulamus Græca. Græca hæc ſunt: καὶ τριῶν δεκάδων ἐτῶν πολιτουομένου, ἐβαπτίσθη. verbum verbo ſic reddes: Et tres decadas annorum cùm vixiſſet, vel conuerſatus eſſet, vel ſuo munere functus eſſet, baptizatus eſt. Non eſt hic explendi verbum. Ait Ignatius Chriſtum baptizatum poſt tres annorum decadas, non adiunxit omnino expletas: ita vt intelligi poſſit baptizatum eſſe poſt tres annorum decadas, non omnino integras. Quem in modum Chryſoſtomus quoque & Bernar. intelligi poſſunt. Non enim Mathematicorum loquuntur more.

Præter has, eſt quinta opinio, quæ præ ceteris mihi placet, videlicet, Chriſtum Opt. Max. baptizatum, cùm annum trigeſimum agere incipiebat. *Euſeb.* Pro ea citantur Euſeb. verba lib. 1. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 10 Chriſtus, inquit, quando iam trigeſimum ætatis ſuæ annum agere incipiebat, ad Ioannem ſe contulit, vt lauacro baptiſmatis tingeretur, &c. Similiter verba diui Irenęi libro 2. cap. 39. Ad baptiſmum, ait, venit Chriſtus, nondum qui 30. annos ſuppleuerat, ſed qui inciperet eſſe tamquam 30. annorum. Ita enim Lucas poſuit: *Ieſus autem erat quaſi incipiens 30. annorum*, &c. Attamen Euſebij verba Græca eadem ſunt, quæ Lucæ ἀρχόμενος ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα, id eſt, incipiens quaſi annorum 30. Diuus quoque Irenæus nõ ſatis perſpicuè loquitur. Hanc ſententiam ſequitur Lyranus Lucæ tertio, Onuphrius in Faſtis anno vrbis 786. Lucidus lib. 7. cap. 2. Pererius lib. 11. in Danielem, & alij; Lyranus verò Lucæ 3. communionem doctorum appellat. Et Dionyſius Carthuſian. Chriſtus, inquit, iam vigeſimum nonum annum compleuerat, trigeſimumque inceperat, habens de illo tredecim dies, ſecundùm expoſitores communiter, &c.

Chriſtus cũ ad baptiſmũ venit, trigeſimum annum inchoabat.

Opinio ſequenda.

Reſpondemus ergo propoſitæ quæſtioni, Chriſtum baptizatum à Ioanne cùm iam vigeſimum nonum ætatis ſuæ annum exegiſſet, & trigeſimum per dies tredecim eſſet ingreſſus. Exegit enim vigeſimum nonum annum 25. die Decembris, qua eſt natus; baptizatus verò eſt ſexta die Ianuarij, poſt dies tredecim, anni trigeſimi initio. Verba D. Luc. quibus ætatem hanc ſignificauit, infra exponemus.

Tertull. Tertullianus libro 1. aduerſus Marcionem capite 15. ſcribit, Chriſtum anno 12. Tiberij Cæſaris reuelatum, videlicet in baptiſmate. Id verò falſum eſſe ex Euangelio D. Lucæ ſatis conſtat. Etenim anno 15. Tiberij Ioannes baptizare cœpit, non ergo anno 12. eiuſdem Imperatoris Chriſtus per baptiſmum reuelatus eſt. Ambigitur ergo, quoto Tiberij Imperatoris anno, Chriſtus Rex à Patre & Spiritu ſancto hominibus fuerit oſtenſus? Reſpondemus cum Euſeb. lib. 1. Hiſt. Eccleſ. capite 10. oſtenſum Chriſtum anno 15. imperij Tiberij Cæſaris, quo Ioannes baptizare cœpit. Cum, ait Euſeb. Tiberius 15. imperij ſui annum, & Pilatus quartum ſuæ præfecturæ ageret, Seruator noſter ad Ioannem, vt lauacro baptiſmatis tingeretur, ſe contulit, &c. Eodem anno 15. Tiberij cœpit baptizare Ioannes, vt Luc. docet cap. 3. Natus eſt autem Dominus anno Auguſti Cæſaris 42. à quo vſque ad 15. *Ætas Chriſti.* Tiberij ætatis Chriſti anni numerãtur. Etenim Auguſtus 56. annos ſceptrum orbis tenuit; reſtãt ergo ex Auguſti imperio ætatis Chriſti anni fere 15. quos ſi adiungas aliis fere 15. Tiberij, ſummam efficies memoratam.

Quo menſe ſit baptizatus Dominus.

De menſe præterea & die baptiſmi ambigitur. Sexta Ianuarij die baptizatum Dominũ tradit Eccleſia in officio Epiphaniæ ad Magnificat: Tribus inquit, miraculis ornatum diem ſanctum colimus. Hodie ſtella Magos duxit ad præſepium; hodie vinum ex aqua factum eſt ad nuptias; hodie in Iordane Chriſtus baptizari voluit: id quod in Hymno repetit à Sedulio compoſito. Docet ergo Eccleſia in ſextam Ianuarij diem hæc tria incidiſſe diuerſis annis; in primis Magorum adorationem, deinde baptiſmum, poſtea aquę in vinum mirabilem tranſmutationem.

Nonnullis tamen ætatis noſtræ doctiſſimis ſcriptoribus, Ianſenio in Con. Pererio in Dan. Tolet. in Ioan. Cardin. Baron. in Annalibus. ſententia hæc minimè placet. Et quidẽ non leue eſt argumẽtum, quo non leuiter refutatur. Nã ex ea efficitur Chriſtum poſt baptiſmum, vnius anni ſpatio, neque miraculum vllum perpetraſſe, neque conciones habuiſſe. Primum enim miraculum in nuptijs fecit; à baptiſmo autem ad nuptias vſque annus integer interfluxit. Credibile verò non eſt, Dominum in baptiſmo Patris voce cæleſti Meſſiam declaratum, in ſilentio & ſine miraculis integrum annũ tranſegiſſe: præſertim cùm D. Petr. dicat concionari cœpiſſe poſt baptiſmum: *Oportet*, inquit, *ex his viris, qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus Ieſus, incipiẽs à baptiſmate Ioannis, &c.* Quòd ſi obiicias Eccleſiæ ſententiã; reſpondebunt, Eccleſiam tria illa miracula ſexta Ianuarij die celebrare, atque ideò ſic loqui, ac ſi in eamdem diem incidiſſent; atque hunc eſſe verborum ſenſum: hodie vinum ex aqua factum eſt, hodie Chriſtus baptizari voluit; id eſt, hodie hæc celebrantur. Quemadmodum quamuis feſtum Pentecoſtes eadem ipſa die non celebretur, qua Spiritus ſanctus Apoſtolos afflauit; dicitur tamen in oratione: Deus qui hodierna die corda fidelium ſancti Spiritus illuſtratione docuiſti, &c.

An inciderint in ſextam diem Ianuarij, Magorum adoratio, baptiſmus Chriſti, & aquæ in vinũ cõuerſio. Actor. 1.

Epiphan. hæreſi 51.

Pręterea diuus Epiph. teſtatur Chriſtũ baptizatum à Ioanne menſe Nouembri; aquã verò in vinũ mirabiliter conuertiſſe non ſexta, ſed quinta die Ianu. Quapropter, inquit, etiam multis locis, vſque in hãc diem, hoc fit, quod tunc factum eſt diuinũ ſignum, in teſtimonium incredulis; velut teſtantur in multis locis fontes, ac fluuij in vinum conuerſi, &c.

Tria illa miracula in ſextã Ianuarij inciderunt diẽ.

Priorem tamen opinionem Rupertus libro 3. de Diuinis Officiis, cap. 24. grauiſſimis verbis aſſerit: Tria hæc, inquit, vna die celebrata eſſe ſecundùm ſanctæ Eccleſiæ auctoritatem negare non poſſũmus, &c. Diuus Bern. ſer. 1. de Epiph. Nec ſola hæc, ait, apparitio, ſed altera quædam (ſicut à Patribus noſtris accepimus) hodie celebratur, quæ, etſi longo poſt tempore, facta creditur hoc ipſo die, &c. Et ſer. 2. Tres apparitiones Domini legimus vna quidem die, ſed non vno tempore, id eſt, non eodem anno factas, &c. Diuus Chryſolog. ſer. 57. Chriſtus diuerſo tempore, vno eodemque die Magorũ munere, aquæ mutatione, atque Patris voce Deus trino teſtimonio noſcitur. Fitq; de trina oſtenſione Chriſti Epiphania vna & ſacrata ſollemnitas, &c. Lege etiam ſerm. 160. eiuſdem Chryſol. & Aug. ſer. 1. de Epiph. Diuus Maximus hom. 6. de Epiph. Sicut poſteritati ſuæ fidelis mandauit antiquitas, hodie Seruator à Chaldæis eſt adoratus; hodie fluenta Iordanis benedictione proprij baptiſmatis conſecrauit: hodie inuitatus ad nuptias aquas vertit in vinum, &c. Idem repetit eadem hom. Idem ſentit Raban. lib. 2. de Inſtit. Cleric. c. 32. Innoc. 3. ſum. Pont. ſer. 1. de

1. de Epiph. Albin. Flacc. siue Alcuin. præceptor Magni Caroli in lib. de Offic. Eccles. cap. de baptismo Christi. Magister Scholasticæ hist. cap. 37. Caietan. Ioan. 2. D. Thom. eodem loco, & alij. Libet Simonis Cassiæ verba hac de re adscribere lib. 5. c. 1. Christus, inquit, à die sui baptismatis vsque ad eumdem diem reuoluto anno nullum miraculum fecit. Nemo autem in hoc quod dico se fallat: quoniam auctoritas sanctæ matris Ecclesiæ longa consuetudine roborata hoc asserere me compellit: quæ illud solum, quamuis non per Scripturam declaratum, in consuetudinem inuariabilem suscepit, quod à gestis & moribus Apostolorum atque discipulorum ipsa in suo ortu & inchoatione cognouit. Eo igitur die, quo Saluator baptizatus est, anno reuoluto, Ecclesia infallibiliter hoc nobis tradente, fecit miraculum initium miraculorum. Hæc grauis & antiquus auctor.

Hanc sententiam perspicuè Ecclesiæ verba significant ei, qui tergiuersari nolit. Quorsum enim Ecclesia vno eodemque die illa celebraret, quæ eodem die acta esse non putaret? Numquid deerant dies diuersi, qui his miraculis celebrandis destinarentur? Immo illo eodem die esse peracta asserit: celebrat vero diuersis diebus, scilicet, ipso Epiphaniæ sacro die Magorum aduentum; in octaua Epiphaniæ baptismum; Dominica sequenti aquę in vinum transmutationem. Quid igitur opus erat affirmare eodem die esse peracta, si diuersis contigerant? Ecclesiam sequor, quæ manifestè loquitur, nec indiget expositore; hanc opinionem illa elegit, eamdem ego eligo.

Soluitur argumentum. Neque verò Achilles ille, qui alteram tuetur, me terret: victus enim olim iam est à diuo Thoma & Cardinali Caietano: quorum verba accipe. D. Thom. Ioan. 2. In primo, inquit, anno à baptismo ad nuptias nihil aliud legitur Dominus fecisse, nisi quod dicitur Matth. 4. de ieiunio in deserto & de tentatione; & ea quæ capite 1. refert Ioannes de testimonio Baptistæ & conuersione discipulorum. A nuptiis autem cœpit publicè prædicare, & miracula facere vsque ad passionem, &c. Caietanus verò Ioan. 1. Rationi, ait, consentaneum est, vt annum, qui inter baptismum & nuptias intercessit, exegerit Christus docendo priuatim, & conuersando sæpe cum Ioanne, vt frequens de ipso testimonium redderet: & ipse Christus inchoaret, docendo priuatim, monstrare qui erat, &c. Rupertus quoque Ioan. 1. ait Dominum primo anno seorsum aliquos docuisse; publica verò prædicatione non adeò turbis innotescere voluisse. Christus ergo post baptismum non statim ad concionandum aggressus est, prius in vastam solitudinem se recepit, in qua 40. dierum ieiunium seruauit. Deinde Nazaretham ad intemeratam Virginem rediit. Postea sępe ad Ioannem venit; tandem testimonio ipsius celebratus, populum docere, & discipulos cœpit vocare. Adde Christum baptizatum esse ipso anni 30. initio, voluisse verò priùs annum 30. complere; vt perfecta completaque ætate publicum concionandi munus aggrederetur. Annus enim 30. doctoris muneri congruens est; vt infra capite 14. huius libri ostenditur. Non obstant his verba diui Petri, Act. 1. Petrus enim se explicat Act. 10. *Vos*, inquit, *scitis quod factum est verbum per vniuersam Iudæam: incipiens enim à Galilæa post baptismum quod prædicauit Ioannes, &c.* Non loquitur Petrus de baptismo illo Ioannis singulari, quo Christus est baptizatus à Ioanne; sed de baptismo, quem ille prædicabat, post quem incœpit Christus publicè in Galilæa magna hominum admiratione cõcionari. D. Epiph. Opponimus Ecclesiæ Romanæ auctoritatem & consuetudinem, quæ non mense Nouembri, sed Ianuario Christi baptismum celebrat, simulque cum baptismo Magorum adorationem, & mirabilem aquæ in vinum transmutationem: eamdem opponimus Chrysostomo, qui Ioan. 2. arbitratur Christum paucis diebus ante Pascha illud baptizatum, cuius Ioannes eo capite meminit, & Theophylacto, qui idem sentit.

Caietan.

Act. 10.

D. August. ser. 154. de tempore, asserit Christum Dominum die Dominica baptizatum, die quoque Dominica aquam in vinum conuertisse: Venerabilis, ait, est hic dies, qui Dominicus dies, & dies primus, atque perfectus est, & dies clarus, in quo visa est prima lux, in quo transgressi sunt filij Israel mare rubrum siccis pedibus, & in quo pluit manna filiis Israel in deserto; & in quo Dominus baptizatus est in Iordane; quo vinum de aqua in Cana Galilææ factum est; quo benedixit Dominus quinque panes, quibus satiauit quinque millia hominum; in quo resurrexit, & Spiritus sanctus descendit ad Apostolos; in quo speramus ad iudicium venturum, &c. *Dies Dominica multis reb. illustris.*

Attamen cùm vinum ex aqua sit factum in nuptiis, elapso anno post Christi baptismum eadem baptismi die, scilicet, sexta Ianuar. fieri non potest vt baptismus & aquæ in vinum transmutatio in diem Dominicam inciderint. Nam sexta Ianuarij dies non potest Dominica esse, duobus proximis annis, quorum alter alterum consequitur. Vel igitur baptismus, vel aquæ transmutatio ex die Dominica excludatur necesse est. Lucid. Mathem. libro 7. cap. 2. Christum non die Dominica, sed feria sexta baptizatum colligit. Ad verba Euangelistarum explananda accedamus. *Non fuit baptizatus die Dominica, & aquã in vinum mutauit.*

Marci 1.

Matth. 3.

Quomodo Ioannes indiguerit baptismo Christi,

An Ioannes sit baptizatus a Christo.

Vnc venit Iesus à Galilæa in Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo. Baptizabatur in Iordane fluuio à Ioanne populus; ab eodem voluit quoque pro sua admiranda humilitate baptizari Dominus. Ab opido igitur Galilææ Nazareth profectus ad Iordanem venit: profectum autem à Nazareth Galilææ Marcus docet: *Venit*, inquit, IESVS *à Nazareth Galilææ, &c.* In illa enim ciuitate cum admirabili Matre admirabilis Filius sanctissimam agebat vitam. Cùm verò ad Ioannem accederet, stupefactus ille in hæc verba prorupit: *Ego à te baptizari debeo, & tu venis ad me?* Græcè ἐγὼ χρείαν ἔχω, id est, ego indigeo, opus habeo, debeo à te baptizari, tu verò meo baptismo non indiges. Æquius ergo est, vt ego baptizer à te, quam vt tu, ô totius Fõs puritatis, baptizeris à me. Simile illud est Petri Ioannis 13. *Domine tu mihi lauas pedes?*

Glossa interlin. verba hæc, *Ego à te debeo baptizari*, sic explicat; debeo ab originali peccato mundari, quia *tu es Agnus Dei qui tollis peccata mundi*, vt dicitur Ioannis 1. & Theophyl. Opus, inquit, habebat Ioannes baptizari à Domino, vtpote ab Adam descendens: nam & ipse cõtraxerat ex inobedientia inquinamentum, &c. Verum quidem est Ioannem peccatum contraxisse originale; attamen falsum est baptismo Christi indiguisse, vt ab ipso peccato expurgaretur: in vtero enim matris Spiritu sancto repletus est, vt Angelus Luc. 2. affirmat; & à peccato originali liberatus. Quod si in vtero liberatus non fuisset, circumcisio id præstitisset. Itaque baptismo Christi non habuit opus, vt à peccato originis eriperetur; sed vt Christi charactere notaretur, & gratiam consequeretur ampliorem.

Rogabit aliquis: Num fuerit Ioannes baptizatus a Christo? Respondet Abulensis Matth. 3. q. 78. verisimilius esse non fuisse baptizatum. Res est incerta, vt Caietanus putat. D. Thom. 3. par. quæst. 38. art. 6. ad 3. ait baptizatum in Spiritu à Christo; de baptismo aquæ non loquitur. Similiter Auctor Imperfecti

perfecti hom. 5. in Matth. Sine modò, inquit, oſtendit, quia poſtea Chriſtus Ioannem baptizauit; quamuis in ſecretioribus libris manifeſtè hoc ſcriptum ſit. Et Ioannes quidem baptizauit illum in aqua, ille autem Ioannem in Spiritu, &c. D. Thomas illo art. 6. ſic ſcribit: Ad tertium dicendum, quòd ſicut Chryſoſt. id eſt, Auctor Imperf. dicit ſuper Matth. per hoc quod Chriſtus Ioanni dicenti, *Matth. 3.* *Ego à te debeo baptizari*, reſpondit, *Sine modo*, oſtenditur, quòd poſtea Chriſtus baptizauit Ioannem: & hoc dicit in quibuſdam libris apocryphis manifeſtè ſcriptum eſſe. Certum tamen eſt, vt Hieronym. dicit ſuper Matth. quòd ſicut Chriſtus fuit baptizatus in aqua à Ioanne, ita Ioannes à Chriſto erat in Spiritu baptizandus; Matthæi quoque cap. 3. ait ſecundum Chryſoſtom. id eſt, Auctorem Imperfecti, Ioannem baptizatum à Chriſto, non ſolùm baptiſmo flaminis, ſed etiam aquæ. D. Hieronym. Matth. 3. in Spiritu baptizatum fatetur. Pulcrè, inquit, dixit Chriſtus: *Sine modo*: vt oſtenderet Chriſtum in aqua à Ioanne, Ioannem à Chriſto in Spiritu baptizandum, &c. Et Damaſcenus, lib. 4. Fidei capit. 10. Ioannes, ait, & impoſita diuino Domini capiti manu; & ſuo etiam cruore baptizatus eſt, &c. D. Gregor. Naz. Orat. 39. verſus finem, de hoc Chriſti ad baptiſmum acceſſu agens, ſic concludit: ſciebat Chriſtus paullo poſt futurum vt ipſe Baptiſtam baptizaret, &c. Videbitur ergo ſentire Ioannem à Chriſto baptizatum. Attamen incertum eſt, loquaturne de baptiſmo aquæ, an Spiritus tantùm. Nicetas enim in commentariis huius loci verba hæc de baptiſmo ſpirituali intellexit: ſic enim illa exponit: Exploratum habebat Dominus fore, vt exiguo poſt tempore Baptiſtam per ſacroſancti ſui verticis contactum, & Spiritus ſancti aduentum abluеret, &c. Lege D. Cyril. lib 2. Theſauri cap. 4. infine, vbi ait Chriſtum baptiſmum Ioannis in aliud tempus diſtuliſſe.

Sine modo, ſic decet nos implere omnem iuſtitiam. Minimè decorum videbatur totius gratiæ, puritatisque Fontem Chriſtum baptizari. Chriſtus decorum eſſe indicat, his verbis: *Sine modo*, id eſt: Omitte Ioannes hanc piam recuſationem, patere me à te baptizari. Sic enim decet, ſic decorum eſt nos implere omnem iuſtitiam. Aduerſus indecentiam, ait Chryſoſtom. homil. 13. in Matth. contrarium eius oppoſuit Dominus. ac ſi diceret: Nónne iſtud, vt quoddam indecens refugis, & idcirco me prohibes? Propterea ergo dimitte, quia eſt vtique decentiſſimum, &c.

Multiplici ſenſu exponitur hic locus. D. Chryſoſtomus omnem iuſtitiam omnia legis præcepta ait ſignificare: Hoc verò legalium operum extremum fuiſſe putat. Legem enim poſt hoc baptiſma ſolutam vult, & eodem omnem legis iuſtitiam, id eſt, omnia mandata impleta, vſque ad extremum. homil. 10. in Matth. Virilem, inquit, Chriſtus exſpectauit ætatem, per quod omne tempus iuſtitiam legis impleuit, ac demum venit ad baptiſma, quaſi cumulum illud cunctis obſeruationibus legis imponens. Quòd enim hoc poſtremum fuerit ex operibus legalibus, audi quid loquatur. Sic, inquit, decet nos implere omnem iuſtitiam: hoc eſt, omnia iam legitima compleuimus, nec vllum tranſgreſſi ſumus aliquando mandatum; vnum deeſt: oportet etiam iſtud adiungi; ſicque à nobis iuſtitia omnis implebitur. Iuſtitiam verò appellat complementum cunctorum mandatorum. Hæc ille. Dixerat paullo antè idem Chryſoſtomus: Dominus legem erat ſoluturus poſt illud baptiſma. At verò Chriſtus legem veterem non protinus poſt baptiſma, ſed multo pòſt in morte ſoluit. Non fuit ergo extremum legalium operum baptiſma Chriſti, multa alia poſtea legalia opera ad mortem vſque geſſit.

1. Senſus. Quid ſit implere omnẽ iuſtitiam.

Baptiſma Ioannis quomodo fuerit legis veteris.

Quod ſi quæras: An baptiſma illud fuerit legale, id eſt, veteris legis opus, vt vult Chryſoſtomus? Reſpondemus, non fuiſſe legis veteris opus, hoc eſt, præceptum in lege veteri à Moſe promulgata. Dici tamen à Chryſoſtomo legis veteris opus, quia lege veteri durante factum eſt. Quem in modum explicari poſſunt verba illa Origenis lib. 5. in epiſt. ad Rom. capit. 6. Chriſtus à Ioanne refertur baptizatus, non eo baptiſmate, quod in Chriſto eſt, ſed eo, quod in lege eſt, &c. In lege veteri ait fuiſſe Ioannis baptiſma, non quod à lege præciperetur, ſed quod lege viuente daretur, vel quòd baptiſmis, id eſt, ablutionibus legis eſſet ſimile.

2. Senſus. Matth. 3.

Eodem loco Origenes verba Chriſti exponit, his verbis: *Sic decet nos implere omnem iuſtitiam:* in quo oſtendit, quòd baptiſma Ioannis expletio erat veterum, non inchoatio nouorum. Hæc Origenes. Quaſi dicat, oſtendit Chriſtus his verbis, quòd baptiſmate Ioannis veteris legis functiones explebantur; nondum autem nouæ legis præcepta inchoabantur. Etenim illud baptiſma, lege veteri durante, noua nondum efflorescente, vigebat. Et ſenſus Origenis. Sic decet nos explere omnem iuſtitiam legis; ſiquidem baptiſmus Ioannis erat veterum expletio.

3. Senſus. Matth 3.

Ambr. libr. 1. de Sacr. cap. 5. Reſpondit, inquit, Chriſtus Ioanni: *Sine modo, ſic decet nos implere omnem iuſtitiam.* Vide, quia omnis iuſtitia in baptiſmate conſtituta eſt, &c. Ex his verbis hic ſenſus colligi poteſt: ſic, id eſt, ſuſcipiendo baptiſma, decet nos implere omnem iuſtitiam, id eſt, oſtendere in baptiſmate meo omnem iuſtitiam & virtutem baptizatis donari.

4. Senſus. Matth 3. Docendum, prius factis, quã verbis.

Auctor Imperfecti homil. 4. aliter interpretatur, hunc in modum: *Sic decet nos implere omnem iuſtitiam*: ſic inquam, id eſt, factis prius, quàm verbis oportet nos omnia præcepta implere. Sine modo, ait ille, vt iuſtitiam baptiſmatis non verbis, ſed factis adimpleam, prius ſuſcipiam, & poſtea prædicabo. Quod ergo dicit: *Sic oportet nos implere omnem iuſtitiam*: non hoc ſignat, vt ſi fuerit baptizatus; ſed, ſic, id eſt, quemadmodum baptiſmatis iuſtitiam priùs factis impleuit, poſtea prædicauit; ſic omnem iuſtitiam non priùs verbis, quàm factis impleuit. Vnde etiam Lucas teſtatur de illo: *Primum quidem ſermonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit Ieſus facere & docere.* Hæc ille. Alterum addit ſenſum minus probabilem. Sic, id eſt, quemadmodum ſecundum humanæ naturæ diſpenſationem baptizor; ſic decet me implere ceteras omnes iuſtitias. Sicut impleuit, ait Auctor, iuſtitiam baptiſmatis, ſic & impleuit iuſtitiam naſcendi, & creſcendi, & manducandi, bibendi, dormiendi, & laſſandi, ſic & ſuſcipiendæ tentationis, ſic & timoris, & fugæ, & triſtitiæ, ſic & paſſionis, & mortis, & reſurrectionis impleuit iuſtitiam, ſcilicet ſecundum diſpenſationem humanæ naturæ, &c.

Actor. 1.

5. Senſus.

6. Senſus.

Alius eſt ſenſus D. Ponau. Lucæ 3. qui omnem iuſtitiam interpretatur perfectam humilitatem. Sic, inquit, decet nos explere omnem iuſtitiam, id eſt, perfectam humilitatem; qua non tantùm ſuperiori & pari, ſed etiam inferiori ſubiecit ſe, &c. Similiter D. Thomas Matth. 3. *Sic decet nos implere omnem iuſtitiam*, id eſt, decet me perfectam habere humilitatem. Primus gradus eſt non præferre ſe pari, & ſubiicere ſe maiori; quod quidem eſt neceſſitatis. Secundus eſt, ſubiicere ſe æquali; perfecta autem, quando prælatus ſe ſubiicit inferiori. Hæc D. Thomas. Sumptus eſt hic ſenſus à Gloſſa ordinaria,

Humilitas est omnis iustitia.

naria, cuius hæc sunt verba: Omnem iustitiam, id est humilitatem, quæ est omnis iustitia. Et perfecta humilitas habet tres gradus. Primus est, subdere se maiori,& se non præferre æquali: hic vocatur sufficiens; quia sufficit aliquem sic humiliari, & iste gradus omni iusto est necessarius. Secundus gradus est, subdere se æquali, nec præferre se minori:hic dicitur abundans. Tertius est,subesse minori, in quo est iustitia: hunc Christus impleuit, &c.Similiter.D,Bernardus serm. 4. de Epiphania: Est inquit iustitia stricta & angusta valde, ita vt quàm citò pedem verteris, in peccati foueam cadas,nec præponere se æquali, nec æquare præposito; huius definitio est, reddere vnicuique quod suũ est.Altera latior & amplior iustitia,nec æquare se pari,nec inferiori præponere. Sicut enim grandis & grauis est superbia, præferre se æquali,aut æquare prælato:ita magnæ humilitatis est inferiorem se exhibere æquali, aut æqualem inferiori. Maxima & plena iustitia est, se inferiorem exhibere etiam ipsi inferiori.Sicut enim summa & intolerabilis superbia est, superiori se præponere; ita inferiori se subdere, summa & plena iustitia est.Quod Ioannes ait:*Ego à te debeo baptizari*: de prima fuit,quia superiori se subdidit; quod autẽ Christus fecit, de plena iustitia fecit: siquidem ille seruuli sui manibus se inclinauit.Hæc Bernardus: Lyranus præterea ita exponit: Omnem iustitiam, id est, humilitatem.

Gradus humilitatis.

Matth.3.

Abulensis verò Matth.3. iustitiam putat sumi pro obedientia, quæ iustitiæ pars est; quia iustum est & necessarium obedire illi, cui obedientiam debemus. Christus, ait Abulensis, volebat dicere: Non recuses,ô Ioannes, me baptizare:quia sic, id est,quòd tu me baptizes, decet nos implere omnẽ iustitiã. Quia ego teneor baptizari à te ex mandato Dei;& tu teneris me baptizare; quia ad hoc missus es: istud ergo faciendo implebimus omnem iustitiam,id est,voluntatem totam Dei, cui iustum est nos obedire. Hæc ille. Similem in modum Caietanus sic,id est,suscipiendo baptismum, exponit ille, decet nos ambos implere opere statutam à Deo iustitiam omnem, communem mihi & tibi. Dum baptizatur siquidem Christus, impletur iustitia ministerij Ioannis versus Christum: quia debebat secundum diuinum ordinem baptizare Christum: impletur quoque iustitia operis Christi ad Ioannem:nam & secundum diuinam dispositionem debebat Christus voluntariè subire baptismum.Et in hoc impleta est iustitia non aliqua, sed omnis iustitia communis vtrique. Nullum siquidem superfuit opus iustitiæ consummandum ab vtroque simul. Vel sic: exequendo diuinam ordinationem decet nos,me, & te implere omnem iustitiam,omne debitum.Hæc Caietanus.Theophylactus iustitiam ait appellari legem, & implere iustitiam,esse idem quod implere legem: Euthymius, implere iustitiam omnem,interpretatur omne Dei præceptum.D. Cyrill. lib.2.Thesauri cap.4. illis verbis:*Sine modo;* arbitratur baptismum Ioannis in aliud tempus distulisse Christum.Necessarium,inquit,baptismum in aliud tempus differendum asseruit Dominus. Nihil enim aliud mea quidẽ sententia illa verba significant *Sine modo, &c.*

7. Sensus.

Caietanus.

8. Sensus.

Mihi videtur iustitiam sumi pro virtute, quemadmodum sæpe sumitur: hominem enim iustum, id est,virtute præditum appellamus.Est itaque sensus,qui mihi præ reliquis placet huiusmodi. *Sic*, id est,huiusmodi opera præstando: *Sic* nos humiliando decet nos orbis doctores *implere omnẽ iustitiam*; hoc est,omnem virtutem, omnes sacras cerimonias & ritus,omnia virtutis,& sanctitatis opera exequi.Sic docet nos omnia opera sancta ac iusta præstare; omnia inquam, ita vt nullum prætermittamus. Sanctum iustumque est baptismum suscipere;decet ergo me baptizari, ne sanctum hoc opus prætermittam;sed impleam,& reliquis exemplum præbeam.D.Maximus hom.6.de Epiphania, ita interpretatur: Hoc est,inquit,iustissimum, vt quia totum suscepi hominem, per omnia hominis transeam sacramenta,&c.

Matth.3.

9. Sensus.

Adiungam & alium sensum: Sic, id est, per baptismum,decet nos, id est, decet me,& membra mea, videlicet futuros Christianos, implere omnem iustitiam,id est, omnem virtutem exequi. Ianua enim baptismus est, per quam Ecclesiam ingredimur, vt omnem iustitiam baptizati impleamus. Quasi dicat Dominus: Sic decet nos à baptismo incipere. Christus à baptismo Ioannis incepit se hominibus demonstrare, & ad redemptionis opus ad finem perducendum accingere: Christiani verò non à baptismo Ioannis, sed Christi inchoant.

Baptizatus autem IESVS *confestim ascendit de aqua.* Paruit Ioannes Christo, illũmque baptizauit. Descendit autem Christus (ô rem miram, & summa humilitate plenam) vestibus exutus in Iordanem fluuium, coram populo, vt ex hoc loco constat.Nam ait Matthæus, ascendisse de aqua. Descenderat ergo in fluuium. Vnde Abulensis Episcopus:Immersus,inquit,est Dominus in aquam ad hoc;vt baptizaretur. Et Cardinalis Caietanus infert:Non ergo per aspersionem, aut desuper effusionem, sed per immersionem, seu submissionem corporis baptizatus Christus est à Ioanne. Hæc ille.Attamen aduerte, duobus modis potuisse Ioannem baptizare: Altero, ita vt baptizandus homo intra fluuium vsque ad renes, vel vmbilicum descenderet:deinde, Ioannes apprehensum corpus submergeret,& ab aqua extolleret; & hic baptismus submersionis dicitur: Altero,sic,vt baptizandus in Iordanem descenderet:deinde hausta aliquo vase aquam Ioannes super caput reliquúmque corpus funderet: qui baptismus aspersionis appellatur. Caietanus arbitratur Christum baptismo submersionis baptizatum.Verisimilius mihi videtur Ioannem baptismo aspersionis vsum; atque adeo secundò illo modo tùm Christum, tùm reliquos baptizasse. accommodatior enim & facilior modus ille est,honestior quoque: quoniam non est opus eum tangere, & apprehendere, qui baptizatur.

Fuerintne baptizatus Dominus per submersionem, an per aspersionem.

Christus aspersione baptizatus.

Descendit itaque Christus in Iordanem beatum fluuium. Postquàm verò à Ioanne baptizatus est, nullam in fluuio moram fecit:sed,vt ait Matthæus, confestim ascendit de aqua. Cur Euangelista scripserit Christũ ab aqua ascendisse confestim,id est, statim,ambigitur.Euthymius ex aliorum opinione hanc caussam reddit: Dicunt, inquit, aliqui, quòd vnumquemque baptizatorum in aquam ad collũ vsque immissum detinebat Ioannes,quousque peccata sua confessus esset: & post confessionẽ ascendebat de aqua: Christus autem cùm peccatum non haberet,non est detentus in aqua. Et ob hanc caussam,aiunt Euangelistam dicere,quòd statim ascendit de aqua. Hæc ille. At vt incertos huius caussæ auctores refert,ita incerta caussa est.Auctor Imperfecti mysterium in Christi facto agnoscit, his verbis:Non inuenio qua caussa positum est: *Quia confestim ascendit de aqua*. Quid enim interesset,si tardius ascendisset? Puto autem factum Christi ad mysterium attinere omnium, qui postmodum fuerant baptizandi. Ideo dixit: Confestim: & non dixit: egressus est, sed: *Ascendit*; quia omnes, qui dignè secun-

Euthymius.

Cur Christus confestim de aqua ascenderit.

Auctor Imperfect.

Matth.3.

Baptiſmus Chriſti curſtatim collatus.

ſecundùm omnia membra iuſtitiæformati,& conſummati baptizantur in Chriſto, confeſtim de aqua aſcendunt,id eſt,proficiunt ad virtutes, & ad dignitatem ſubleuantur cæleſtem. Qui enim ingreſſi fuerant in aquam carnales,& filij Adam peccatoris:confeſtim de aqua aſcendunt ſpirituales, filij Dei facti,&c.

Addit & alteram cauſſam ; adſcribã eius verba: Aut certe, inquit, confeſtim Chriſtus aſcendit de aqua,feſtinans ad tentationem contra diabolum: ad liberandum genus humanum miſericordia eius vrgebat eum. Sicut enim Dux contra Tyrannum deputatus ad bellum , mox vt ſignum expeditionis & profectionis acceperit, feſtinat exire, ſciens quia tarditas eius perditio eſt prouinciæ(nã Tyrannus aduerſus ſe Principem deputatũ ſciens, etſi lenius acturus fuerat,crudelius agit) ſic Chriſtus,ex quo baptiſmatis ſignum accepit, feſtinabat accipere Spiritum ſanctum,quaſi arma cæleſtia,& exire;ſciens quia tarditas eius interitus erat mundi. Nam diabolus audito,quòd Filius Dei deſcenderat in hunc mundum aduerſus ipſum ; vehementius feſtinabat omnium hominum corda in peccatis, & infidelitate concludere; putans ſe tantùm poſſe perdere,quantùm non poſſet Chriſtus ſaluare. Hactenus ille.

Reſpondeo , Matthæum ſcripſiſſe, Dominum aſcendiſſe ex fluuio ſtatim poſt baptiſmum; vt indicaret protinus poſt baptiſmum cælos eſſe apertos,Spiritúmque ſanctum deſcendiſſe , & vocem Patris inſonuiſſe. Quod ſignificat apertius D. Marcus,his verbis:*Baptizatus eſt à Ioanne in Iordane. Et ſtatim aſcendens de aqua vidit cælos apertos, & Spiritum ſanctũ tamquam columbam, &c.*

Marci 1.

Adrichom. Quonam loco Iordanis Chriſtus fuerit baptizatus.

Scire cupis quonam Iordanis loco fuerit Dominus baptizatus.Locum,Adrichomius in ſuo Theatro terræ ſanctæ , in tribu Beniamin ſignat, non procul à mari mortuo:Hic,inquit , Chriſtus baptizatus eſt;qui locus ruinoſo ædificio nunc inſignis eſt;atque ibidem peregrini in memoriam baptiſmi Filij Dei ſeſe abluere ſolent, cum oratione ad Deum;vt pro ſua ille miſericordia , & Chriſti meritis, peccatorum ſordes abluat: atque hic poſteà ſacellum exſtructum eſt in honorem Ioannis Baptiſtæ.Hæc ille.

Gregor. Turonen.

Quot milliaribus diſtet locus à mari mortuo docet D. Gregorius Turonenſis:cuius hæc ſunt verba,in libro de Gloria Martyrum,capite 17. In Iordane habetur locus , in quo Dominus baptizatus eſt.In vno enim refluxu aqua ipſa reuoluitur, in qua nunc leproſi mundantur: cùm enim aduenerint,ſæpius lauantur in flumine, donec ab infirmitate purgentur.De publico tamen,dum ibi commorati fuerint victum accipiunt;ſanati autem ad propria diſcedunt. Ipſe quoque Iordanis, ab eo loco , in quinto milliario mari commixtus mortuo, nomen amittit.Hæc ille. Ex quibus conſtat Chriſtum prope finem Iordanis eſſe baptizatum, in loco,qui à mari mortuo quinque tantum milliaribus diſtat. Conſtat quoque non baptizatum eſſe in Galilæa prouincia,aut Samaria;ſed in finibus Iudææ; longúmque iter à Galilæa & Nazareth vſque ad baptiſmi locum confeciſſe. Borcardus prima parte,capite,ſeptimo,§.30. ſcribit baptiſmi locum à Iericho diſtare duabus leucis: Ex Iericho, inquit, duabus leucis ,exſtat capella Diuo Baptiſtæ dicata; vbi creditur Saluator fuiſſe baptizatus,&c. Eodem loco ait nonnullos exiſtimaſſe Dominum baptizatũ eſſe iuxta Salim ; ſed Eccleſiæ ſolemnitatẽ opinioni repugnare.

Locus baptiſmi diſtat à mari mortuo quinque milliariis.

Suboritur dubium : Num Chriſtus eo Iordanis loco fuerit baptizatus,per quem Iſraëlitæ,ex Ægypto venientes,terrã promiſſam ſunt ingreſſi:Nam, vt ſupra diximus,in eo Ioannes baptizabat. Aranda in libro,quẽ de Terra Sancta ſcripſit , affirmat, Adrichomius in deſcriptione tribus Beniamin, Numero 117.ſcribit quidem Ioannẽ eo loco baptizaſſe,per quem in terram promiſſam Iſraëlitæ introierunt:ait enim,cùm dixit Ioannes , *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ* , ad lapides illos reſpexiſſe , quos Ioſue ex flumine Iordane extrahi iuſſit,vt habetur Ioſ.4.Sed alium locum baptiſmo Chriſti Numero 121. alium ingreſſui Iſraëlitarum aſſignat Numero 117. longius à mari mortuo diſtantem. Ioannes enim non eodem ſemper Iordanis loco videtur baptizaſſe ; ſed tùm in loco tranſitus Iſraëlitarum , tùm in aliis propinquioribus. Poteſt tamen totus ille tractus Iordanis locus tranſitus Iſraëlitarum appellari: totus enim ad mare vſque mortuum cùm Iudæam ingreſſi ſunt exſiccatus eſt , tranſitúmque Iſraëlitis præbuit ; vt fit compertum ex libro Ioſue ,in quo hæc leges:*Steterunt aquæ deſcendentes in loco vno,& ad inſtar montium intumeſcentes. Quæ autẽ inferiores erant, in mare ſolitudinis,quod nunc vocatur mortuum,deſcenderunt.Vſquequo omnino deficerent,&c.* Superiores Iordanis aquæ intumuerunt,& à fluxu diuina poteſtate cohibitæ ſteterunt;inferiores in mare mortuum defluentes penitus defecerũt, totúmque illud longiſſimum vſque ad mare mortuum ſpatium,in quo eſt locus baptiſmi,liberum Iſraëlitarum itineri reliquerunt.Per totum ergo illud exſiccatũ ſpatium Iſraëlitæ tranſire potuere.

An Chriſtus in eo loco fuerit baptizatus,per quem Iſraëlitæ,ex Ægypto venientes ,Iordanẽ tranſierunt. Matth 3. Luca 3.

Ioſue 3.

Iordanis longo tractu exſiccatus Iſraëlitis tranſitum præbuit.

De loco baptiſmi ſcribit Beda de locis ſanctis, cap.13.hunc in modum: In loco,in quo Dominus eſt baptizatus, crux lignea eſt vſque ad collum alta ; quæ aliquoties aqua tranſcendente abſconditur. A quo loco ripa vlterior,id eſt,orientalis in iactu fundæ eſt.Superior verò ripa,in ſupercilio mõticuli grande monaſterium geſtat , beati Ioannis Baptiſtæ Eccleſia clarum;de quo per pontem arcubus ſuffultum ſolent aſcendere ad illam crucem, & orare. In extrema fluminis parte quadrata Eccleſia quatuor lapideis cancris ſuperpoſita eſt, coctili creta deſuper tecta, vbi veſtimenta Domini cùm baptizaretur ſeruata eſſe dicuntur. Hanc homines non intrare,ſed vndique cingere , ac penetrare ſolent.Hæc Beda.

Beda de loco baptiſmi quid referat.

CAPVT XIII.

De mirabilibus baptiſmi Chriſti.

ET ecce aperti ſunt ei cæli. Præclariſſimum in baptiſmo teſtimonium Chriſto datum è cælo eſt; quod illius & maieſtatem, & ſanctitatem hominibus indicauit.Aperti in primis ſunt Cæli. Cùm autem cæli corruptionis expertes ſint , quonam modo aperiri potuerint ambigitur. Diuus Hieronym. Matthæi 3. putat apertos ſpiritualibus oculis , non corporalibus: Aperti,inquit,dicuntur cæli non reſeratione elementorum , ſed ſpiritualibus oculis. Idem opinatur Auctor Imperfecti,idẽ habet Beda Marci 1.D.Thomas.3.part.quæſt.39. articul.5. Poteſt,ait,hoc referri ad imaginariam viſionem ; per quem modum Ezechiel vidit cælos apertos. Formabatur enim ex virtute diuina & voluntate rationis talis viſio in imaginatione Chriſti ; ad deſignandum , quòd per baptiſmum cæli aditus hominibus aperiretur.Poteſt etiam & ad viſionem intellectualem referri,prout,ſcilicet , Chriſtus vidit

iam baptiſmo ſanctificato apertum eſſe cælum hominibus; quod tamen etiam ante viderat faciendum. Hæc. D. Thomas.

Quomodo aperti fuerint cæli.

Exiſtimandum eſt, vt columbam & Patris vocem, ita cælorum reſerationem fuiſſe ſenſui ſubiectam; quod Abulenſi placet. quæſt. 86. Lyrano, & aliis; vt omnibus eſſet conſpicua. In ipſo enim aëre, qui cælum frequenter in Scriptura nominari ſolet, altiſſimus, latiſſimúſque hiatus, & magno conſpicuus ſplendore patefactus eſt: ita vt apertum intuentibus cælum videretur. Ex hiatu columba deſcendit, vóxque audita eſt. Cælos verò ipſos etſi incorruptibiles aperire per miraculum facillimum Deo eſt; ſed facto opus non fuit: hiatum enim illum in aëre longè latéque aperire fuit ſatis.

Obiicies: D. Stephano cæli ipſi incorruptibiles aperti ſunt; cur Chriſti baptiſmati id ipſum non concedamus? Quòd autem D. Stephano tota cæleſtis machina aperta ſit indicant illa verba, Act. 7. *Intendens in cælũ vidit gloriã Dei, & IESVM ſtantem à dextris Dei: & ait: Ecce video cælos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris Dei.* Vidit Stephanus cælos apertos; præterea vidit gloriã Dei; & IESVM ſtantem à dextris Dei: ergo tota cæleſtis machina illi patefacta eſt. Etenim cùm Chriſtus in cælo ſit Empyreo, illum cernere nequiuiſſet, niſi tota cæleſtis machina patefecta fuiſſet.

Actor. 7. Quomodo cælos apertos viderit D. Stephanus.

Petit obiectio, vt exponamus, qualiſnam fuerit D. Stephani illa viſio. Abulenſis libr. 2. Paralip. cap. 18. quæſt. 34. exiſtimat non fuiſſe viſionem externam, ſed internam ac imaginariam: Manifeſtum, inquit eſt, quòd illa non erat viſio realis; quia D. Stephanus non poterat videre vſque ad cælum Empyreum, vbi Chriſtus ſedet. Item, quia non poſſunt cæli aperiri, qui non poſſunt rumpi, &c. Item, neceſſe eſt, quod eſſet viſio imaginaria; ſcilicet, quòd Deus in phantaſia Stephani fecit imagines, ſecundùm quas videbatur illi, quòd videbat cælum apertum, ac ſi realiter illud videret; & quòd erat ibi Deus Pater in maieſtate ſua, in excelſo Throno, & ad dexteram Chriſtus ſederet. Hæc eſt ſententia Gloſſæ interl. ad illa verba, *Ecce video cælos apertos*, non reſeratione, ait, elementorum, ſed ſpiritali reuelatione; quæ fiebat in corde iuſti, &c.

Abulenſ. Qualiſnam fuerit viſio D. Stephani.

Lyranus Actorum 7. tres hac de re opiniones refert: eius verba recitabo. Prima eſt. Dicunt, inquit, aliqui quod viſio Stephani fuit tantùm mentalis, ita quod fuit Stephano conceſſum videre non ſolùm humanitatem Chriſti, ſed etiam diuinitatem, ſicut Paullo. Sed hoc dictum nõ videtur bene conſonare dictis ſanctorum Doctorum; qui dicunt, quòd talis viſio non eſt conceſſa alicui in vita præſenti, vtenti ſenſibus externis, niſi homini Chriſto. Vnde & Paullus dicitur Deum vidiſſe in raptu; Stephanus autem videtur non fuiſſe raptus. Secundam opinionem his verbis exponit. Alij dicunt, quòd fuerit viſio imaginaria, ita quòd in imaginatione Stephani fuerunt effigies diuinitus formatæ, ad repræſentandum Deum, & Chriſtum, ſicut *Iſaias vidit Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum.* Et mente cognouit Stephanus ſignificatum illius repræſentationis, & ſic, quantum ad hoc, non ſolùm fuit viſio imaginaria, ſed etiam mentalis. Tertiam opinionem ipſe ſequitur. Nimirum viſionem fuiſſe corporalem. Ex modo, ait, loquendi Scripturę, videtur, quòd fuerit viſio corporalis. Circa quod aliqui dixerunt, quòd viſus Stephani fuit tantum fortificatus à Deo, quòd vidit Chriſtum ſtantem in cælo Empyreo, cælos acumine viſus penetrando. Sed hoc non videtur bene dictum; quia ſupponere videtur, quòd viſio fiat extra mittendo. Propter quod videtur probabilius dicendum, quòd à corpore Chriſti exiſtentis in cælo fuit immutatus oculus Stephani, ad viſionem humanitatis Chriſti. Nam in poteſtate Chriſti eſt, quòd eius corpus ſic videatur à longè, ſicut prope. Deitatem verò non potuit videre illo modo. Sed ſicut in viſione imaginaria formatur effigies ad repræſentandum Deum: ita exterius poteſt formari. Sicut ſuo modo fit in apparitione Angelorũ, quando apparent in corporibus aſſumptis: ita aliqua effigies corporalis non à Deo aſſumpta, ſed formata poteſt ipſum repræſentare oculo corporali. Et ſic probabiliter abſque aliqua aſſertione poteſt dici, quòd ſic fuit in viſione D. Stephani. Mentaliter tamen cognouit, quòd illa effigies non erat Deitas, niſi tantũ repræſentatiuè. Et huic modo dicendi concordat littera, cùm dicitur: *Ecce video cælos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris Dei*: Non ſic intelligendo, quòd cæli fuerunt, cùm ſint incorruptibiles; ſed quia ſic clarè vidit, ac ſi nullum eſſet obſtaculum medium. Hæc Lyranus.

Lyranus. Tres opiniones.

Iſaia 6.

Actor. 7.

Dionyſius Carthuſianus Act. 7. eadem fere habet quæ Lyranus, & idem ſentire videtur, ſcilicet, Chriſtum è cælo ſpeciem viſibilem in oculos Stephani immiſiſſe. Cælos vero, ait, apertos dici, quòd intuentis oculum ab aſpectu habitantis in cælo non impediebant. Et addit: Fortè Stephano aperti apparuerunt, ob lucis cuiuſdam corporeæ emicationem, deſuper à corpore Chriſti radiantem: ſicut in magnis coruſcationibus cæli aperiri videntur. Caietanus quoque Act. 7. corporalem vult fuiſſe viſionem, non imaginariam, aut intellectualem, & vidiſſe Stephanum Chriſtum in cælo ſtantem, cælóſque patentes, non diuiſos. Videbat enim, vt ille ait, claritatem ſuper cælos, & propterea dixit: *Video cælos apertos*, tamquam patentes ad hoc, vt videretur ſuperna gloria.

Mihi veriſimilius eſt, viſionem Stephani externis oculis fuiſſe oblatam, idque verba illius ſignificare. Vidit ergo cælos apertos, quemadmodum in baptiſmo Chriſti aperti ſunt. Maximus enim in aëre hiatus, & ſplendida facta eſt reſeratio; immo & vſque ad cælum Empyreum lux quædam effulſit, in quo Chriſtum exiſtentem diuina poteſtate vidit. Quòd autem ait Abulenſis, non potuiſſe videre vſque ad cælum Empyreum: ſi diuina poteſtate id fieri poſſe negat; nos diuina poteſtate fieri poſſe affirmamus. Nihil enim eſt quod repugnet, niſi diſtantia, quæ facilè diuina potentia ſuperatur. Neque etiam cælos diſruptos dicimus, ſed aërem; cælos verò ſplendore perfuſos.

Ex his iam facile eſt obiectioni reſpondere. Etenim aër eodẽ ferè modo tempore baptiſmi Chriſti, & Stephano, apertus eſt. Cæli verò Chriſti oculis melius, quàm Stephani oculis magna luce perfuſi patuerunt; ita vt, quæ ſub viſum cadunt in cælis cerneret: Ioanni verò, forſitan ad eumdem patuere modum, non tamen reliquis Iudæis.

Deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie, ſicut columba in ipſum. Ex aperto cælo, niue columba candidior, volatu admirando in Chriſtum deſcendit; illiúſque capiti inſedit, vt Chryſoſtomus docet, homil. 4. in Acta Apoſtolorum: Spiritus, inquit, velut columbæ ſpecie, in Caput Chriſti venit, &c. Indicabat autem columba Spiritum ſanctum: non tamen ab Spiritu ſancto erat ad vnitatem aſſumpta ſuppoſiti; vt oſtendunt Chryſoſtomus homil. 13. in Matthæum, Auguſtinus tractatu 99. in Ioannem, & lib. 2. contra Maximinum capit. 19. & 2. de Trinitate capit. 6. & epiſtol. 102. D. etiam Thomas 3. part. quæſt. 39. artic. 6. & 7. Vt enim Spiritum ſanctum repræſentaret, ad vnitatem ſuppoſiti aſſumi minimè

Columba non eſt aſſumpta à Spiritu ſancto in vnitatem ſuppoſiti.

mè oportuit. Quoniam repræſentatio illam vnionem non poſtulat. Aliud videtur ſentire Tertullianus in lib. de Carne Chriſti, cap. 3. cùm ait: Spiritus tàm vere erat columba, quàm Spiritus: nec interfecerat ſubſtantiam propriam aſſumpta ſubſtantia aliena, &c. Aſſumptam, ait, columbam à Spiritu ſancto, & Spiritum ſanctum fuiſſe columbā. Non tamen aperte dicit fuiſſe aſſumtam in vnitatem ſuppoſiti.

Quidquid ille velit, columbam à Spiritu ſancto aſſumptam ad vnitatem ſuppoſiti falſum eſt, vt ſupra iam cum Auguſtino & D. Thoma diximus. Quia Filius Dei, vt morte ſua, meritis, ac ſanguine, hominem redimeret, gratiæque fons, & auctor eſſet, miſſus eſt; humanitatem oportuit in vnitatem B aſſumere perſonæ. At verò Spiritus ſanctus, non eſt eam in rē viſibiliter nunc miſſus, vt hominem meritis ſuis redimeret, aut gratiam illi promereretur; ſed vt Meſſiam indicaret. Ideòque columbam ſibi in vnitatem perſonæ copulare non fuit opus. Imo decorum minime fuit diuinam maieſtatem animanti rationi experti ita copulari. Nō oportuit, ait, D. Thom. 1. part. quæſt. 43. artic. 7. ad 4. quòd creatura viſibilis ad hoc formata, eſſet aſſumpta à Spiritu ſancto in vnitatem perſonæ, cùm non aſſumeretur ad aliquid agendum, ſed ad indicandum tantùm. Et propter hoc etiam non oportuit, quòd duraret, niſi quamdiu perageret officiū ſuum, &c. Probat hanc ſententiam Chryſoſtomus, quòd Euangeliſta dixerit apparuiſſe Spiritum ſanctum non C in natura, ſed in ſpecie ſiue figura columbæ. Species autem columbæ non aſſumitur. Filius Dei, ait Chryſoſtomus hom. 11. in Matthęum, naturam hominis profecto ſuſcepit; Spiritus autem ſanctus, nō aſſumpſit naturam columbæ. Idcirco Euangeliſta, non *in natura*, ſed *in ſpecie* columbæ, dixit. Nec vnquam omnino poſtea, ſed tunc certè ſolùm in hac viſus eſt figura, &c.

Chriſtus aſſumpſit naturam humanam, & Spiritus S. non aſſumpſit columbam.

Hinc dubium exoritur: Num vera viuenſque columba illa fuerit, an columbæ ſolùm efformata ex aëre effigies? D. Chryſoſtomus ſpeciem tantùm columbæ fuiſſe ſentit, verbis citatis. Idem arbitratur Auguſtinus epiſtol. 102. & lib. 2. de Trinit. cap. 5. & Ambroſius libr. 1. de Sacramentis cap. 5. Non co- D lumba, inquit, deſcendit, ſed quaſi columba. Item, Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ, non in veritate columbæ deſcendit de cælo, &c. Iuuencus Poëta, qui ſub Conſtantino Imperatore vixit:

Iuuencus lib. 1.

Scinditur auricolor cæli ſeptemplicis æthra,
Corporeámque gerens ſpeciem deſcendit ab alto
Spiritus, aëream ſimulans ex nube columbam.

Fueritne vera columba, quæ in caput Chriſti deuolauit.

Auctor homiliæ 3. in Marcum inter opera Chryſoſtomi. Non dixit Euangeliſta, ſumpſit corpus columbæ, ſed ſpiritum tamquàm columbam. Vbi dicitur tamquàm, non veritas, ſed ſimilitudo monſtratur, &c. Hanc ſententiam ſequuntur Caietanus, E Ianſenius, Abulenſis, & alij recentiores. Fauent illi verba Euangeliſtarum, quæ huiuſmodi ſunt. Matthæus: *Vidit*, inquit, *Spiritum deſcendentem, ſicut columbam.* Marcus: *Vidit Spiritum ſanctum, tamquam columbam deſcendentem.* Lucas: *Deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie, ſicut columba in ipſum.* Ioan. *Vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam.* Omnes notam addunt ſimilitudinis. Dixi fauere verba, quia non omnino probant. Nam notæ illæ ſimilitudinis, tamquàm, ſicut, quaſi, ad perſonam Spiritus ſancti referri poſſunt; hoc ſenſu: Vidit Spiritum deſcendentem ſicut, vel quaſi, vel tamquàm columbam, id eſt, in ſimilitudine & effigie columbæ veræ. Non enim columba erat Spiritus ſanctus, nec in ſua ſubſtantia Spiritus ſanctus apparebat; ſed illa vera columba effigies quædam erat, illum repræſentans. Deſcendit Spiritus ſanctus, & apparuit, non ſicut Spiritus in ſua ſubſtantia, ſed ſicut columba in aliena. Quomodo interpretatur D. Thomas 3. par. quæſt. 39. artic. 7. ad 1. Spiritus, inquit, dicitur deſcendiſſe in ſpecie vel ſimilitudine columbæ, non ad excludendā veritatem columbæ; ſed ad oſtendendum, quod ipſe non apparuit in ſpecie ſuæ ſubſtantiæ, &c.

Matth. 3. Prima opinio negans. Marci 1. Lucæ 3. Ioan. 1.

Ignis in quo Spiritus ſanctus in Apoſtolos deſcendit, qualis fuerit. Actor. 2.

Suadetur etiam hæc opinio: Quoniam quemadmodum ille ignis, in quo idem Spiritus ſanctus ad Apoſtolos deſcendit, effigies ignis fuit, non ignis verus; ita veriſimile eſt, columbā non fuiſſe veram columbam, ſed effigiem columbæ. Fuiſſe autem ignis effigiem docet Luc. illis verbis: *Apparuerunt diſpertita linguæ, tamquā ignis.* Nō dixit, fuiſſe linguas ignis; ſed tamquā ignis. Nam ſi fuiſſent veri ignis linguæ illæ plurimæ, tùm Apoſtolos, tùm domum ipſam combuſſiſſent: niſi ad miraculum velis confugere. Præterea Angeli in corporibus apparent ex aëre compactis, non veris, & ex carne compoſitis. Probabile ergo eſt, Spiritum ſanctum, in columba quoque ex aëre Angelorum opera confecta, apparuiſſe. Ad hæc; ſi fuit columba illa verum animal: peto, an poſtquam admirando Chriſti vertici inſedit, vita à Deo priuatū fuerit: an in agros viuum auolarit? Vita priuatum à Deo quis credat animal innocentiſſimū? Hoccine eſt dati ſigni & teſtimonij de Chriſto præclariſſimi præmiū? Reſpondes: In agros auolauit. Ergo reliquis columbis aggregata illa eſt, & proli gignendæ deinceps vt reliquæ vacauit. Quæ quidē res tum ab Spiritus ſancti puritate, tum ab illo, cuius vertici inſedit, maximè eſt aliena.

Crediderim ergo columbæ fuiſſe effigiem pulcerrimæ ac candidiſſimæ, ex aëre Angeli, vel Dei opera compactam: quæ poſtea in eumdem aërem, ex quo ſumpta eſt, eiuſdem Angeli opera, fuerit conuerſa. Vt enim D. Thomas loco citato ait, non oportuit, quòd duraret, niſi quamdiu perageret officium ſuum. Tertullianus loco citato ait fuiſſe redactam in nihilum. Sed falſum eſt; quoniam Deus in nihilum redigere ſolet nihil.

Attamen D. Thomas 3. par. quæſt. 39. artic. 7 nobis aduerſatur: Veram enim ac viuentem columbam fuiſſe exiſtimat. Eiuſdem ſententiæ eſt Tertullianus, cuius verba ſupra recitauimus ex libro de Carne Chriſti capit. 3. Eiuſdem eſt Auguſtinus, in libro de Agone Chriſtiano, capite vigeſimo ſecundo. Et quidem non contemnenda probatur ratione. Nam ſi vera non erat columba, ficta erat; fictione igitur Spiritus ſanctus totius veritatis Auctor vſus eſt. Id verò quis credat? Vnde Auguſtinus loco citato: Ambo, ait, illa corpora, id eſt, corpus Chriſti, & corpus columbæ, vera corpora credimus. Sicut enim non oportebat, vt homines falleret Filius Dei: ſic non decebat, vt homines falleret & Spiritus ſanctus. Deo non erat difficile, verum corpus columbæ ſine aliarum columbarum miniſterio figurare; ſicut ei non fuit difficile, verum corpus in vtero MARIÆ ſine virili ſemine fabricare, & cet. Reſpondemus, nulla fictione vſum Spiritum ſanctum; quamuis non in vera, ſed in aërea columba apparuerit. Illa enim columba ad ſignificandum, & repræſentandum Spiritum ſanctum facta eſt; quod tàm effigies columbæ, quàm ipſa vera columba, potuit præſtare. Nónne idem Spiritus in linguis apparuit igneis, cùm in Apoſtolos è cælo venit? Erántne illæ veræ linguæ? Erátne ille verus ignis? Minimè. Nulla tamen ea in apparitione fuit fictio. Eumdem in modum, quamuis non fuerit columba vera, nulla fuit ea in re fallacia;

Secunda opinio affirmans.

cia. Nonne Raphael, vt alios omittam Angelos, Tobiæ ille cælestis comes, & homo esse, & pane reliquisque cibis hominis instar pasci videbatur? At neque vere homo erat, neque cibis alebatur. *Videbar*, ait ille, *vobiscum manducare, & bibere: sed ego cibo inuisibili vtor, &c.* Numquid igitur fallacia illa erat? Id asseret nemo. Aduerte autem dici Spiritum sanctum descendisse; quoniam descendit in Christum columba, quæ Spiritum sanctum repræsentabat. Spiritus enim sanctus cùm vbique sit, propriè nec ascendere dicitur, nec descendere. At descendit in signo columbæ.

Tobiæ 12.

Quorsum Spiritus S. Christi capiti insederit.

Sed quorsum Spiritus sanctus Christi vertici insedit? Respondet D. Chrysostomus homil. 13. in Matth. Columba ideò tunc apparuit, vt extenti quodammodo digiti vice Dei Filium Ioanni demonstraret: atque vt etiam disceres; quoniam super te quoque, cum sacro fonte ablueris, sanctus Spiritus veniat, &c. Item: Baptizato, inquit, Christo cæli aperiuntur, & Spiritus sanctus descendit, & cum Spiritu sancto vox Patris Vnigeniti sui prædicat dignitatem. Quia enim vox illa, quæ dixit, *Hic est Filius meus dilectus*, credebatur à multis Ioanni potius conuenire; venit Spiritus sanctus in specie columbæ, vocem traxit ad Filium, cunctisque fecit esse perspicuum; quia istud, quod ait, *Hic est Filius meus dilectus*, non de Ioanne baptizante, sed de Christo baptizato intelligi deberet. Hæc ille. Et Damascenus in oratione de transfiguratione: Paterna, inquit, voce cælitus intonante dilectus Filius esse asserebatur, is qui baptizabatur: à columba autem tamquam à Spiritu, veluti digito, indicabatur is, cui testimonium dicebatur, &c. Descendit ergo Spiritus sanctus in caput Christi è cælo, tùm vt ostenderet vocem è cælo resonantē illum significare; tùm vt admirabilem illius gratiam, vnctionemque, & Messiæ dignitatem demonstraret.

Matth. 3.

Spiritus S. Christum Messiam esse, ab eodem Spiritu S. vnctum indicabat. Isaiæ 61. Actor. 10.

Columba enim illa vertici insidens Christi, Messiam, id est, vnctum à Spiritu sancto esse, ostendebat; iuxta illud: *Spiritus Domini super me; eo quòd vnxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me: vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, &c.* Et illud D. Petri: *Vnxit eum Deus Spiritu sancto & virtute*, id est, potentia. Reges sacerdotesque Iudæorum externo & visibili oleo vncti sunt ab hominibus; at Christum Dominum non homo, sed Deus, interna ac inuisibili Spiritus sancti vnctione vnxit. Quamobrem Optatus Mileuitanus libro quarto contra Parmenianū, illud, *Oleum peccatoris non impinguet caput meum*, de Christo intellexit, hoc sensu: Non me vnget peccator; id est, homo. Vox, inquit, Filij est Dei; timuit oleum hominis; quia fœdum erat vt Deus ab homine vngeretur, &c. Quemadmodum Rex hic reliquos omnes Reges longissimè antecelluit: ita eius vnctio reliquorum vnctiones longissimo superauit interuallo. Etenim illa Regum Hebæorum vnctio tenuis quædam fuit vmbra, quæ hanc admirabilem vnctionem adumbrauit. Athanasius oratione secunda contra Arianos: Non quemadmodum Aaron, aut reliqui omnes, ita quoque oleo Christus inunctus est: sed aliter, supra omnes consortes sui, oleo lætitiæ. Quod oleum Spiritum sanctum esse Propheta exposuit: *Spiritus Domini super me; eo quòd vnxerit me, &c.* Hieronymus Habacuc 3. Super omnia, inquit, vnguentorum genera est vnguentum spirituale, quo vngitur Saluator, &c.

Psalm. 140.

Christus vnctus est interna & inuisibili vnctione à Spiritu S.

Isaiæ 61.

Christus Spiritum sanctum dedit, & accepit.

Dedit Spiritum sanctum Christus, & accepit. Dedit vt Deus; accepit vt homo: vnxit, & vnctus est; vnxit diuina potestate, vnctus est in sanctissima humanitate. Ipse est, ait Athanasius oratione secunda contra Arianos, qui dat, & accipit Spiritum A sanctum: dat vt Verbum; accipit vt homo, &c. Augustinus libr. 15. de Trinitate cap. 26. Dominus, inquit, Iesus non solum Spiritum sanctum dedit vt Deus; sed etiam accepit vt homo; & propterea est plenus gratia; quia vnxit eum Deus Spiritu sancto: non vtique oleo visibili, sed dono gratiæ, quod visibili significatur vnguento; quo baptizatos vngit Ecclesia, &c.

An Spiritus sanctus vnxerit Christum in baptismo.

Quæritur: Num Spiritus sanctus Christum tunc vnxerit, cùm in baptismo supra verticem eius descendit? Nonnulli enim Patres id significare suis verbis videntur. D. Athanasius oratione secunda contra Arianos. Vnctus, ait, est Dominus oleo lętitiæ; quod oleum Spiritum sanctum esse B per Prophetam exposuit: *Spiritus Domini super me; eò quòd vnxerit me.* Quemadmodum & ab Apostolo dictum est: *Quòd Deus illum vnxerit Spiritu sancto.* Quando igitur ista de eo pronūciata sunt; nisi tùm, cum in carne constitutus baptizabatur in Iordane, ac Spiritus in eum descendebat? &c. D. Hilarius libro vndecimo de Trinitate: Quemadmodum, inquit, Spiritu Dei & virtute sit vnctus Christus, non ambiguum est; tùm, cùm ascendente eo de Iordane, vox Dei Patris audita est: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Filius meus es tu: ego hodie genui te.* Vt per hoc testimonium sanctificatæ in eo carnis vnctio spiritalis virtutis cognosceretur. D. Hieronymus, Isai. 61. Christi, ait, vnctio illo expleta est tempore, quando baptizatus est in Iordane; & Spiritus sanctus in specie columbæ descendit super eum, &c. Optatus Mileuitanus libro quarto contra Parmenianum. Consortes fuerant Christi sacerdotes Iudæorū & Reges, quos singulos vnctos ab hominibus constat. Sed quia Filius à Patre, Deus à Deo erat vngendus; secundum quod Filius petit, & Spiritus promissa nuntiauit; compleuit Pater in Iordane. Item: Apertum est cælū Deo Patre vngente; spiritale oleum statim in imagine columbæ descendit, & insedit capiti eius, & perfudit eum. Vnde cœpit dici Christus, quando vnctus est à Patre. Cui ne manus impositio defuisse videretur, vox Dei audita est de nube, &c.

Isaiæ 61.

Actor. 10.

Matth. 3. Psalm. 2.

Christus ab Incarnatione sua fuit Spiritu S. inunctus.

Respondemus Christum, vt ex Theologorum omnium stabili sententia compertum est, in ipso D Incarnationis puncto Spiritus sancti oleo, id est, summa ac perfectissima gratia & Spiritus sancti charismatibus fuisse perfusum: In baptismate verò nihil olei, id est, nihil gratiæ, ab Spiritu sancto accepisse. Descendit enim Spiritus sanctus columbina effigie in eum, non vt tunc vngeret; sed vt vnctum, id est Messiā esse declararet. Messias enim, vel Christus vnctum significat. In quem sensum Patrum verba sunt interpretanda. Lege D. Augustinum lib. 15. de Trinitat. capit. 26. Vnxit, inquit, Christum Deus Spiritu sancto, non vtique oleo visibili, sed dono gratiæ; quod visibili significatur vnguento; quo baptizatos vngit Ecclesia. Nec sanè tunc E vnctus est Christus Spiritu sancto, quando super eum baptizatum, vel vt columba descendit. Tunc enim corpus suum, id est, Ecclesiam, præfigurare dignatus est, in qua præcipuè baptizati accipiunt Spiritum sanctum. Sed ista mystica & inuisibili vnctione tunc intelligendus est vnctus, quando verbum Dei caro factum est. Absurdissimum est enim, vt credamus eum, cùm iam 30. esset annorum accepisse Spiritum sanctum. Si enim de famulo Ioanne scriptum est: *Spiritu sancto replebitur iam inde ab vtero matris suæ.* Quid de homine Christo est credendum, &c. Ita Augustinus & Gregorius libr. 9. Registri, epist. 61. Nō ante conceptus est, & postmodum vnctus; sed hoc ipsum de Spiritu sancto ex carne Virginis concipi, à sancto Spiritu vngi fuit:

Lucæ 1.

Item:

Item: Ibi Chriſtus ab Spiritu ſancto vnctus eſt, vbi conceptus; nec ante conceptus, & poſtmodum vnctus &c.

De voce Patris è cælo audita.

ET *vox de cælo facta eſt: Hic eſt Filius meus dilectus, &c.* Primum quidem aperti ſunt cæli; deinde nuea in Chriſti verticem columba deuolauit; poſteà Patris vox ex aperto cælo intonuit. Matthæus hanc vocem è cælo ſonuiſſe memorat: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Lucas verò: *Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi.* Marcus: *Tu es Filius meus dilectus, in te complacui.* Variant locutionem, ait Auguſtinus libro ſecundo de Conſenſu Euangeliſtarum, capit. 14. ſalua tamen ſententia. Vox cæleſtis vnum horum dixit. Sed Matthæus, oſtendere voluit ad id valere, quod dictum eſt: *Hic eſt Filius meus*; vt illis potius qui audiebant indicaretur, quòd ipſe eſſet Filius Dei. Atque ita dictum referre voluit: *Tu es Filius meus*; ac ſi diceretur illis: *Hic eſt Filius meus.* Non enim Chriſto indicabatur quod ſciebat, ſed audiebant, qui aderant, propter quos etiam vox facta eſt. Hæc ille. Sunt itaque verba nonnihil diuerſa, ſed ſententia eadem.

Matth. 3. *Luca 3.* *Marci 1.*

Quæres vtranam vox fuerit Patris, illane, quam memorat Matthæus, an illa, quam Marcus & Lucas retulerunt? Caietanus & Ianſenius putant, Patris vocem ad Filium è cælo directam, hoc modo: *Tu es Filius meus dilectus*, vt Marcus & Lucas aiunt. Forte veriſimilius eſt, deſcriptam à Matthæo vocem è cælo ſonuiſſe. Videlicet: *Hic eſt Filius meus dilectus, &c.* Id confirmatur; quoniam veriſimile eſt, eodem modo locutum Patrem in baptiſmo & in ttanſiguratione. In transfiguratione autem ſic locutus eſt, teſte Matthæo, Marco, Luca, & Diuo Petro: *Hic eſt Filius meus dilectus, &c.* Ergo & in baptiſmo non ſonuit illa vox: *Tu es Filius meus dilectus*: ſed: *Hic eſt Filius meus dilectus, &c.* In qua illa altera concluditur. Si enim coram Filio aliquo, ad eum ſermonem dirigens dicat Pater aliquis: hic eſt Filius meus dilectus: tùm aliis audientibus dicit: hic eſt Filius meus dilectus: tùm Filio dicit: Tu es Filius meus dilectus. Hæc enim ſignificatio illis includitur verbis. Quòd ſiquis velit vocem bis à Patre prolatam, ſemel, vt Marcus & Lucas referunt, ad Filium: *Tu es Filius meus dilectus*: iterum ad populum, vt Matthæus tradit: *Hic eſt Filius meus dilectus*: idque ad confirmationem maiorem factum: non video quid opponi poſſit.

Matth. 17. *Marci 9.* *Luca 9.* *2. Pet. 1.* *Concordia.*

Nonnulli codices, vt Auguſtinus ait loco citato, habebant ſecundum Lucam, hoc illa voce ſonuiſſe, quod in Pſalm. ſcriptum eſt: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et quidem Iuſtinus Martyr in dialogo contra Tryphonem, eam vocem ſonuiſſe ſcribit: Cum ad Iordanem, inquit, Ieſus veniſſet, Spiritus ſanctus columbæ ſpecie in eo inſedit, voxque è cælo ſimul venit; quæ etiam à Dauide commemoratur, tamquã ex eius perſona dicente id, quod ei à Patre dicendum erat: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Tùm ortum eius fore dicens apud homines, ex quo ipſe cognoſci cœpiſſet: *Filius meus es tu, ego te hodie genraui.* Hæc Martyr Iuſtinus. Similiter D. Hilarius libr. 11. de Trinitate: Quemadmodum, ait, Spiritu Dei & virtute ſit vnctus Chriſtus, non ambiguum eſt; tùm, cùm aſcendente eo de Iordane, vox Dei Patris audita eſt: *Filius meus es tu, ego hodie genui te, &c.* Et Can. 2. in Matth. Reſeratis, inquit, cælorum aditibus, Spiritus ſanctus emittitur, & ſpecie columbæ viſibilis agnoſcitur: & iſtiuſmodi paternæ pietatis vnctione perfunditur. Vox deinde è cælis ita loquitur: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Hæc ille. Sonuit quidem vox hæc in Iordane; quoniam id ſonuit, quod illa ſonat. Idem enim ferè ſonat, *Hic eſt Filius meus dilectus*, &, *Filius meus es tu, ego hodie*, hoc eſt, in die æternitatis, *genui te.* Non tamen eadem ſonuere verba.

Pſalm. 2.

An in Iordane ſonuerit è cælo vox hæc: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Iam diſquiramus, à quonam ſit vox hæc efformata, quidque ſignificet. Efformata eſt vox hæc ab Angelo, ex ſententia Abulenſis, Matth. 3. quæſt. 91. & Carthuſiani. Attamen non Angeli, ſed æterni Patris vox eſt; quoniam non Angelum, ſed æternum Patrem ſignificabat. Fuit enim Angelus inſtrumentum, & veluti os, per quod Pater vocem edidit. Veriſimilis quoque opinio eſt, vocem à ſanctiſſima Trinitate eſſe effectam; id ſentit D. Thom. 3. par. quæſt. 39. artic. 8. ad ſecundum: Sicut columbam, ait, & humanam naturam à Chriſto aſſumptam tota Trinitas operata eſt; ita etiam & formationem vocis, &c. Idem docet Cardinalis Caietanus Matth. 3. & Auguſtinus libr. 4. de Trinitate cap. 21. Trinitas, inquit, ſimul operata eſt & vocem Patris, & carnem Filij, & columbam Spiritus ſancti, &c. Et D. Fulgentius in lib. de Fide ad Petrum capit. 9. Tene, inquit, illam vocem, qua ſolus locutus eſt Deus Pater; & illam carnem, qua ſolus homo factus eſt vnigenitus Deus; & illam columbam, in cuius ſpecie Spiritus ſanctus ſuper Chriſtum deſcendit, illaſque linguas in quarum viſione Apoſtolos repleuit, opera eſſe totius ſanctæ Trinitatis, &c.

A quo ſit vox efformata.

Rogabis: An potuerit ſola perſona Patris vocem efformare? Reſpondemus, id fieri non potuiſſe; quoniam Trinitatis opera inſeparabilia ſunt. Eſt enim Trinitas vnus Deus, omniũ rerum Effector atque Auctor. Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, ait Auguſtinus libro 1. de Trinitate cap. 3. ſicut inſeparabiles ſunt, ita inſeparabiliter operantur, &c. Quamuis autem à tota Trinitate vox fuerit efformata: Patri tamen ſoli tribuitur; quia Patris tantummodo perſonam loquentem indicabat. Auguſtinus ſerm. 63. de Verbis Domini: Trinitas fecit de cælo columbam, ſed non pertinet niſi ad ſolum Spiritum ſanctũ: Trinitas fecit de cælo vocem, ſed non pertinet vox niſi ad ſolum Patrem, &c.

An potuerit ſola perſona Patris vocem efficere.

Vocem è cælo auditam aiunt Euangeliſtæ, id quod difficultate non caret. Etenim cælum à terra longiſſimo diſtat interuallo. Non ergo ſine miraculo vox è cælo in terra audiri poteſt. Adde in cælo non eſſe aërem, in quo ſonus & vox ſolet excitari. Reſpondemus: vocem illam è cælo, hoc eſt, ex aëre, auditam: in aëre enim, non in ipſo cælo prolata eſt. Aëris verò pars ſuperior cælum etiam dicitur. D. Petrus affirmat vocem illam, *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, è cælo eſſe allatam: *Hanc*, inquit, *vocem nos audiuimus de cælo allatam, cùm eſſemus cum ipſo in monte ſancto.* Quæ quidem vox ex aëre & nube in ipſo monte ſonuit; dicitur tamen è cælo allata, quod ex aëris ſuperiori parte ſonuerit, & cæleſtis fuerit; nempe à cæleſti Angelo, vel ab ipſo Deo effecta. Similem in modum hæc è cælo eſt allata.

Vnde vox audita fuerit? *2. Pet. 1.*

Significat autem vox infinitum Patris erga Chriſtum amorem: *Hic eſt*, inquit, *Filius meus* naturalis, non, vt homines reliqui, ac Angeli, adoptiuus. Quia verò Filius eſt naturalis, dilectus eſt maxime: *In eo mihi complacui.* Græcè, εὐδόκησα. de εὐδοκία diximus tomo primo, libro octauo capite decimo nono. Pſalm. 149. ſimilis eſt loquendi modus: *Beneplacitum eſt Domino in populo ſuo.* D. Hieronymus vertit. *Complacet ſibi Dominus in populo ſuo.* Quo loco eſt verbum Hebreum רצה, ratſa. Quod ſignificat, velle placere, & complacere. Senſus eſt: Vehementer mihi placet hic Filius; vel vehementer mihi in hoc Filio placeo; quoniam nihil in illo eſt quod poſſit diſplicere. Similis locus eſt Iſai. *Ecce ſeruus meus,* *Iſaiæ 42.*

Quid ſignificet vox.

meus,id eſt, Chriſtus, ex diuinitate Deus & Dominus,ex humanitate verò ſeruus. *Suſcipiã eum*,ait Pater:*electus meus;complacuit ſibi in illo anima mea. Dedi Spiritum meum ſuper eum , iudicium gentibus proferet , &c.* Dedit Deus Spiritum ſanctum ſuper Chriſtum;quoniam columbina effigie in verticem illius è cælo deuolauit: Audita eſt Patris vox,quæ idem ſignificat, quod hæc ſignificant verba apud Iſaiam.

Baſilius. Diuus Baſilius Pſalm. 28.illa verba, *Vox Domini ſuper aquas,Deus maieſtatis intonuit*, in hunc ſenſum exponit Ioannes:Vox Verbi ſuper aquas Iordanis erat baptizans ; illic & Deus maieſtatis intonuit,cùm hanc vocem, de qua agimus , protulit. Vox ſuper aquas, ait Baſilius , Ioannes eſt baptizans;illic & Deus maieſtatis intonuit. Venit enim vox è cælo dicens:*Hic eſt Filius meus dilectus , in quo mihi bene complacui, &c.* Euſebius Cæſarienſis libr. *Euſebius.* 9. de Demonſtratione Euangelica , cap. 6. Illud *Iſaia 31.* Iſaiæ: *Ipſi videbunt gloriam Domini , & decorem Dei noſtri*: & iuxta Septuaginta Interpretes : *Populus meus videbit gloriam Domini , & altitudinem Dei.* De hac Chriſti gloria explicat. Puto, inquit, Saluatoris noſtri ad baptiſmum acceſſum ſignificari, illis verbis: *Et populus meus videbit gloriam Domini, & altitudinem Dei.* Tunc enim viſa eſt Saluatoris noſtri gloria,cùm aſcendit de aqua , & aperti ſunt cæli , & vidit Spiritum Dei deſcendentem quaſi columbam , cùm vox quoque de cælo audita eſt,&c.

Illud reſtat inueſtigandum. An ij, qui tunc temporis, cùm Chriſtus eſt baptizatus ,aderant cælum apertum,columbamque inde deuolare , & vertici Chriſti inſidere conſpexerint ; admirabilemque illam vocem , *Hic eſt Filius meus dilectus* , percepe- *An ij qui baptiſmo Chriſti aderant, hæc miracula conſpexerint.* rint? Quòd enim cælos apertos , columbamque ſolus Chriſtus viderit , ex Matthæo probatur: ſic enim ſcribit : *Baptizatus autem* IESVS *confeſtim* *Matth.3.* *aſcendit de aqua,& ecce aperti ſunt ei cæli, & vidit Spiritum Dei deſcendentem , ſicut columbam , & venientem ſuper ſe.* Apertos ait cælos Chriſto , illum prætereà columbam vidiſſe refert: de ceteris nullam facit mentionem.Videtur ergo ſignificare,ſolum Chriſtum tùm cælos patefactos,tùm columbam è cælis deuolantem,conſpexiſſe.Similem in modum Marcus:*Aſcendens* , inquit , *Chriſtus de aqua , vidit cælos* *Marci 1.* *apertos , & Spiritum tamquam columbam deſcendentem, & manentem in ipſo.* Si reliqui etiam viderunt , quorſum ſolius Chriſti Euangeliſtæ meminerunt? Prætereà Ioannes,vt rem ſibi ſoli notam , Iudæis teſtatur,ſe columbam in Chriſtum deſcendentem vidiſſe : *Teſtimonium perhibuit Ioannes,dicens:quia vidi* *Ioan.1.* *Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cælo, & manſit ſuper eum , &c.* Si omnes Iudæi columbam viderant,cur non dixit potius Ioannes : Et vos vidiſtis Spiritum deſcendentem,ſed:Ego vidi ? Videlicet, quia ſolus viderat. Tertiò , ſi Iudæi cælos apertos, columbamque inde deuolantem conſpexiſſent, vocémque & auribus & intellectu percepiſſent: ſanè Dominum Meſſiam eſſe cognouiſſent; cognitumque recepiſſent.Quod cùm non fecerint, credendum eſt,hæc omnia illis, nec videntibus , nec *Ioan.5.* audientibus,peracta. Adde verba illa Chriſti : *Qui miſit me Pater ipſe teſtimonium perhibuit de me. Neque vocem eius vnquam audiſtis,neque ſpeciem eius vidiſtis.* Aſſerit Chriſtus Iudæos ſui temporis , numquam vocem Patris audiuiſſe;ergo vocem illam Patris in Iordane prolatam non audierunt.

Itaque Cardinalis Caietanus Matth. 3. columbam à Chriſto ſolo & Ioanne viſam putat: vocem verò à multis auditam,ſed non intellectam.Quem *Ioan.12.* in modum altera illa vox è cælo prolata, *Et clari-*

A *ficaui,& iterum clarificabo* , audita eſt,ſed non intellecta. Similiter Dionyſius Carthuſianus, Chriſtum ſolum & Ioannem columbam vidiſſe , & vocem audiſſe ait. D.etiam Hilarius lib.9.de Trinitate,vocem à ſolo Ioanne auditam videtur exiſtimare: eius enim hæc ſunt verba , de hac voce loquentis: Quomodo vox Dei audita non eſt,ſcilicet à Iudæis, cùm paternæ vocis ſignificationem in ſe vox audita contineat? Sed forte in Ieroſolymis manentes non audierant : quia in deſertis Ioannes ſolus audierit,&c. Diuus Chryſoſtomus homil.16. in Ioannem,huiuſmodi aliam hac de re refert opinionem: Quidam,inquit,dicunt,non omnes , ſed Ioannem tantùm,& quoſdam vita & moribus probatiores,
B Spiritum vidiſſe,&c.

Reſpondetur & affirmatur. Reſpondemus hæc omnia ab iis qui aderant ſenſu eſſe percepta. Cælos cuncti apertos , columbamque deſcendentem , & Chriſti capiti inſidentem conſpexerũt : vocem cuncti non audierunt ſolum, verum etiam intellexerunt. Nam propterea cæli patuere,columba deuolauit,vox ſonuit;vt teſtatum Iudæis eſſet,cælo Deoque teſtante,qui nec falli,nec fallere quemquã poteſt,IESVM eſſe Dei Filium, & Meſſiam,orbiſque Doctorem,Spiritu ſancto plenum:Iudæis ergo hæc nota fuerũt,quemadmodum & reliqua Chriſti miracula.Chryſoſtomus hom.12. in Matthæum:Columba,inquit,tunc ideo apparuit, vt extenti quodammodo vice digiti , Filium Dei Ioanni ceteriſque demonſtraret,&c. Item: Venit
C Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ , & vocẽ traxit ad Filium;cunctiſque fecit eſſe perſpicuum ; quia non de Ioanne,ſed de Filio deberet intelligi , &c. Hieronym. Matth.3. Sedit columba ſuper caput IESV, ne quis putaret vocem Patris ad Ioannem factam,non ad Dominum. &c. D.Hilarius Canone 2.in Matth. Filius Dei auditu conſpectuque monſtratur, plebique in fide & Prophetis inobedienti, teſtimonium de Domino ſuo mittitur, & contemplationis & vocis, &c. Theophylactus: Viderunt, ait,omnes Spiritum venientem ſuper IESVM, ne putarent,quòd vox,*Tu es Filius meus* , propter Ioannẽ dicta ſit;ſed viſo Spiritu crederent,quòd propter IESVM vox illa ſit , &c. Idem opinantur Euthy-
D mius,Abulenſis & alij recentiores.

Soluuntur argumenta. Argumenta non eſt admodum difficile ſoluere. Primò reſpondetur , Euangeliſtas ſolius Chriſti meritò meminiſſe ; quoniam eius cauſſa miracula illa facta ſunt. Preterea,quia oculos dum oraret intentos habebat in cælum,quod repente pandi, Spiritumque emittere cõſpexit: reliqui verò, qui aderant,illi cælos aperiri,& eius cauſſa hæc fieri intellexerunt. Meminere ſolius Chriſti Matthæus & Marcus,ſed reliquos vidiſſe nõ ſũt inficiati. Quemadmodum,quamuis Ioannis non meminerint, nemo illũ vidiſſe negauerit; ita quamuis ceterorum non fecerint mentionẽ,illos vidiſſe non negamus. Secundò ſimiliter reſpondetur,Ioannem affirmaſſe
E columbam fuiſſe à ſe conſpectã,non tamẽ negaſſe alios etiam conſpexiſſe.Suam verò viſionem commemorare opus fuit ; quoniam ad cognoſcendum Chriſtum illud ſignum iam antea à Deo acceperat, vt infra ſuo loco exponemus. Et prætereà ,quoniã ex iis qui tunc aderant , columbam in Chriſtũ deuolantẽ forte aliqui nõ viderant. Tertiò argumento reſpondet Chryſoſtomus,his verbis:Cur,ait,non *Chryſoſt. hom. 12. in Matth.* crediderunt Iudæi,cùm talia fierent? Quia etiã ſub Moſe aliquando,etſi non talia plurima , tamẽ ſunt facta miracula, nihilominus poſt illa omnia , poſt voces,poſt tubas,poſt tonitrua,poſt fulgura,& vitulũ fabricarũt,&Beelphegor initiati ſũt.Ne quæras, quomodo nõ crediderũt;ſed illud require:ſi nõ omnia facta ſint,propter quæ illos oportuerat credere.

Hæc

Hæc ille, & alia in hanc ſententiam. Reſponderi etiam poteſt, tunc cùm hæc ſigna viderunt, multos magnam de Chriſto opinionem concepiſſe, qualem ſigna poſtulabant: poſtea verò tandem in paſſione eam amiſiſſe. Quartò reſpondetur, verba Chriſti de propria ac naturali Dei voce eſſe intelligenda, hoc ſenſu: Non audiſtis vnquam vocem Dei, hoc eſt, vocem proprio Dei ore prolatam, ac naturalem. Deus enim Spiritus eſt, nec vocem habet, per quam Dei natura cognoſci poſſit, quemadmodum per vocem homo propriam cognoſcitur. Vox autem illa, de qua loquimur, ſonus quidam erat, vel à Deo, vel ab Angelo in aëre effectus; nõ tamen erat vox aliqua Dei naturalis, & propria.

Baptiſmi Sacramentum, in baptiſmo Chriſti inſtitutum dicitur.

Cùm Chriſtus Opt. Max. in Iordane eſt baptizatus, Sacramentum baptiſmi inſtitutum docet D. Tho. 3. part. quæſt. 66. artic. 2. Tunc, inquit, verè baptiſmus inſtitutus eſt, quantũ ad ipſum Sacramentum. Sed neceſſitas vtendi eo indicta fuit hominibus poſt paſſionem & reſurrectionem, &c. Et Magiſter lib. 4. diſt. 3. Commodius, ait, dicitur inſtitutio baptiſmi facta, quando Chriſtus à Ioanne baptizatus eſt in Iordane, &c. Magiſtrum alij Theologi ſequuntur. Chryſoſtomus id ſignificat. Quòd, inquit, in Paſchæ mutatione factum eſt, id ipſum efficitur in nouatione baptiſmatis. Nam & Paſcha cùm vtrumque Dominus celebrarit; illi quidem terminum poſuit, huic verò principium. Hic verò Iudaicum poſtquam impleuit baptiſma, continuò etiam ianuas illi, quo Eccleſia vtitur, reſerauit. Sicut ergo in vna menſa, ita in vno nunc flumine, & approbauit vmbram, & addidit veritatem. Hæc ille. Ad inſtitutionem tamen huius Sacramenti externam non fuit ſatis Chriſti illud factum, id eſt, in Iordane baptiſmus; ſed opus fuit verbis externis, & materiam baptiſmi & formam indicare. Cùm autem Chriſtus diſcipulos tunc non habuerit, quibus Sacramenti traderet inſtitutionem, non videtur veriſimile externis verbis in baptiſmo Sacramenti materiam & formam indicaſſe. Niſi fortè Ioannem ab eo tunc baptizatum, & illi indicatas quis aſſerat. Quod dubium eſt. Credendum ergo Chriſtum poſteà externis verbis materiam formamque baptiſmi diſcipulis tradidiſſe. In baptiſmo autẽ Iordanis, baptiſmi Sacramentũ inſtituiſſe; quòd tunc illius materiæ aquam deſignarit, formamque Trinitate apparente indicarit; & interno actu Sacramentum inſtituerit.

Chryſoſt. hom. 12 in Matth.

Chriſtus in Iordane aquas ſanctificauit, & materiam baptiſmi deſignauit.

Illud etiam Patres aiunt, Chriſtum in Iordane baptiſmatis materiam, id eſt, aquam mundaſſe, lauiſſe, purgaſſe, ſanctificaſſe, ac conſecraſſe. D. Ambroſius libr. 2. in Lucam: Baptizatus, inquit, eſt Dominus non mundari volens, ſed mundare aquas, vt ablutæ per carnem Chriſti, baptiſmatis ius haberent, &c. Auguſtinus ſerm. 36. de tempore: In baptiſmo Chriſti non tam lauit vnda, quàm lota eſt; purgantur potius fluenta, quàm purgant. Ex quo Saluator in aqua ſe merſit, ex eo omnium gurgitum tractus cunctorumque fontium venas myſterio baptiſmatis conſecrauit, & cet. Item: Saluator ideo baptizari voluit, non vt ſibi munditiam acquireret; ſed vt nobis fluenta mundaret. ſerm. 1. de Epiph. Tunc omnibus aquis benedictionem dedit, & vitalem gratiam flumen mutuatur ex corpore. ſerm. 37. de tempore: Aquas Chriſtus conſecrat, dum baptizatur; terram ſanctificat, dum ſepelitur; cæleſtia glorificat, dum aſcendit, &c. Tertullianus in libro aduerſus Iudæos, capite de Paſſione Chriſti: Baptizato Chriſto, id eſt, ſanctificante aquas in ſuo baptiſmate, &c. Beda in homilia de octaua Epiphaniæ: Dignatus eſt lauari, vt ad diluendas noſtrorum ſcelerum ſordes, omnium fluenta ſanctificaret aquarum. Gregorius Nazianzenus in Orat. de Chriſti Natiuitate: Chriſtum purgatione mea in Iordane purgari videbis; vel potius aquas purgatione ſua purificare. Et Oratione in ſancta lumina: Baptizatur Chriſtus, vt totum veterem Adamum aquis obruat. Item: Aſcendit ex aquis: mundum enim ſecum in altum effert, &c. Damaſcenus libro quarto Fidei capit. 10. Tinctus eſt Chriſtus, vt capita draconum in aqua contereret; vt peccatum obrueret, ac totum veterem Adam in aqua ſepeliret, &c.

Damaſcenus.

Eodem capit. Damaſcen. ait Chriſtum ſuo baptiſmate baptizatum. Genera baptiſmi aliquot numerat: Quartũ, inquit, baptiſma Ioannis fuit: quintum eſt Domini baptiſma, quo ipſe tinctus eſt, &c. Id tamen à veritate abeſt: non enim ſuo, ſed Ioannis baptiſmate Chriſtus eſt baptizatus. Quod adeo liquet, vt probatione non egeat. Fuit tamen illud baptiſma imago quædam baptiſmatis Chriſtiani; quia & formã illius & materiam, vt iam diximus, demonſtrabat.

Chriſtus cur dicatur dare regenerationem aquis tribuiſſe in baptiſmo.

Magiſter ſententiarum ſcribit diſtinctione citata, Chriſtum in ſuo baptiſmate, contactu ſanctiſſimæ carnis ſuæ, vim aquis tribuiſſe regenerationem. Et Beda Luc. 3. Baptizatus, ait, eſt Dominus, non ipſe aquis mundari, ſed aquas mundare cupiens; quæ ablutæ per carnem eius, baptiſmi ius induerent: & quod tam innumera ſub lege baptiſmata non poterant, contra præuaricationis malum vim regeneratiuæ ſanctificationis conciperent, &c. Ne tamen intelligas, aliquam tunc indidiſſe Chriſtum qualitatem omnibus aquis; intellige potius, aquas baptiſmi Chriſtiani materiæ tunc deſignaſſe, atque ideò vim illis regenerandi baptizatos, & vitalẽ gratiam, & benedictionem, vt Auguſtinus ait ſermone primo de Epiphania, & purgationem, & ſanctificationem, & conſecrationem, tribuiſſe, vt alij Patres loquuntur. Lege Abulenſem Matth. 3. quæſtion. 74.

Hæc miracula poſt baptiſmum Chriſti patrata ſunt.

IESV *Baptizato, & orante, apertum eſt cælum.* Obſeruandum eſt, quod Lucas ſcribit, ex cælo aperto columbam in Chriſti verticem deuolaſſe, vocemque Patris auditam eſſe, non eo tempore, quo Chriſtus intra Iordanis aquas adhuc erat, & à Ioanne baptizabatur, ſed poſtquàm eſt baptizatus, & à Iordane egreſſus. Poſt baptiſmum enim extra Iordanis aquas, genibus flexis, Patrem intentis in cælum oculis orauit; ſubitóque verſus partem illam, in quam oculis orabat intentis, cælum magno fulgore patefactum, niueam columbam admirando demiſit volatu, quæ orantis capiti inſedit. Tunc vox audita: *Hic eſt Filius meus dilectus, &c.* Separatus iam erat à Ioanne Chriſtus, intellexereque magno cum ſtupore illi, qui aderant omnes, vocem non ad Ioannem, ſed ad Chriſtũ attinere. Columba enim id manifeſtè indicauit.

Chriſtus poſt baptiſmum orauit.

Matth. 3.

Participiũ incipiens quomodo ſumatur.

ERAT *incipiens quaſi annorum triginta.* Duplex ſenſus his tribuitur verbis. Prior, participium illud, *incipiens*, ad annos refert hoc modo: Chriſtus tunc, cùm eſt baptizatus, annorum fere triginta eſſe incipiebat. Sic Diuus Irenæus exponit libro ſecundo capite nono: Ad baptiſmum, inquit, venit Chriſtus, nondum qui triginta annos ſuppleuerat; ſed qui inciperet eſſe tamquam triginta annorum: ita enim, qui eius annos ſignificauit, Lucas poſuit: IESVS *autem erat quaſi incipiens triginta annorum, cùm veniret ad baptiſmum.* Hæc ille. Diuus etiã Epiphanius hæreſi 51. (niſi nos interpres fallit) ſic intellexit. Ita enim Lucæ verba citat. *Erat autẽ* IESVS *incipiens eſſe annorũ fermè triginta.* Beda item, in libro de Ratione Temporũ, cap. 46. Euangelia, inquit, manifeſtè ſignificant, decimo

Luc. 3.

quinto anno Tiberij, præcurſorem Domini prædicare cœpiſſe; ipſumque mox inter alios baptizaſſe IESVM incipientem iam fieri quaſi triginta annorum,&c. Hanc interpretationem ſequuntur Lyranus, Caietanus, Hugo Cardinalis, Carthuſianus, Clarius oratione 17. Benedictus Pererius in Danielem.lib.11.quæſt.6.

Poſterior ſenſus, participium, *incipiens*, non ad annos, ſed ad munus adiungit, hoc pacto: Erat IESVS incipiens ſe hominibus declarare, docere, & ſuum munus obire, cùm natus eſſet ferè annos triginta: ſuperabat enim vigeſimum nonum annum diebus tredecim, vt ſuprà diximus. Ita exponit D.Bonauent.Luc.3. *Erat*, inquit, IESVS *incipiens quaſi annorum triginta*: incipiens, ſcilicet, aliis ſe manifeſtare & prædicare, &c. Idem videtur ſentire Beda; nam Luc. 3. poſt verba Lucæ, *Erat incipiens quaſi annorũ triginta*, ita ſcribit. IESVS annorum triginta baptizatur, & tunc demum incipit ſigna facere, & docere. Origenes præterea homil. 28.in Luc. *Ipſe*, inquit, IESVS *erat incipiens*, quando baptizatus eſt, & Myſterium ſecundæ generationis aſſumpſit, tunc dicitur incepiſſe, &c. Participium, *incipiens*, ſeparat Origenes ab annis, vt vides. Ianſenius quoque arbitratur Lucam participium, *incipiens*, non ad annos Chriſti, ſed ad oſtenſionis exordium retuliſſe; quæ ſententia mihi magis placet. Probatur eodem Luc. *Oportet*, inquit D.Petrus, *ex his viris, qui ſunt nobiſcum congregati in omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus* IESVS, *incipiens à baptiſmate Ioannis vſque in diem, qua aſſumptus eſt à nobis, teſtem reſurrectionis eius nobiſcum fieri vnum ex iſtis*, &c. Et, ait idem ſummus Eccleſiæ Pontifex Petrus: *Vos ſcitis, quod factum eſt verbum per vniuerſam Iudæam: incipiens enim à Galilæa, poſt baptiſmum quod prædicauit Ioannes*, &c. Indicat ergo D. Lucas iuxta hunc ſenſum, quanam ætate Dominus hominibus ſe manifeſtum fecerit, docendique munus aggreſſus fuerit; nempe cùm trigeſimum fere annum ageret, hoc eſt, vigeſimum nonum, tredecim additis diebus.

Actor.1.

Actor.10.

Ætas Chriſti cùm eſt baptizatus.

CAPVT XIIII.

Morale.

De baptiſmo Chriſti.

QVEMADMODVM prius Lucifer ſplendet, deinde Sol ſplendorem ſuum in orbem diffundit: ſic prius Ioannes Luciferi inſtar fulſit, poſt eum Sol ſplendidiſſimus Chriſtus, fulgorem ſuum per Iudæam ſparſit. Cùm verò argenteas Iordanis aquas, tenebriſque circumfuſam Iudæam Baptiſta luce noua illuſtraret, optatiſſimique Solis aduentum nuntiaret; ecce Sol ipſe clariſſimus Chriſtus è Nazareth, vbi eatenus veluti ſub vndis delituerat, nitidiſſimum caput, quamuis nube tectum, extulit; ad Iordanem vſque venit, ibique radiis ſplendidiſſimis fulgere cœpit. Qui enim ſplendidiores radij eſſe poſſunt iis miraculis, quæ in Iordane viſa ſunt? obſerati eatenus cæli fores panduntur; niuea columba Spiritum ſanctum demonſtrans, è cælo in verticem Chriſti deuolat, illique inſidet; vox admirabilis inſonat: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. O radios fulgentiſſimos! Vnigenitus Altiſſimi, ait D. Maximus, homil.1.de Epiphania, ſic humiliter ingreſſus eſt mundum, vt indubitata diuinitatis ſuæ deferret indicia, &c. Baptizatus quidem eſt, & Iordanem ingreſſus humiliter; ſed diuinitatis ſuæ indubitata attulit indicia, apertos

Sol Chriſtus in Iordane radiis fulget. Matth.3.

A cælos, columbam deuolantem, Patriſque vocem è cælo tonantem. Si ſignum è cælo petunt Iudæi Lucæ 11. non ſignum, ſed ſigna habent è cælo: nec verò qualiacumque ſigna, ſed cælum ipſum patefactum, è cælo admirabilem columbam deſcendentem, è cælo vocem ſonantem, & è cælo ſplendidiſſimi inſtar radij Solem, qui in terris nube tectus erat, demonſtrantem. Magis ethnicis è cælo ſignum Deus dedit fulgentem ſtellam: Iudæis cælos ipſos apertos dedit, columbam ac vocem ſtupendam. Stella Magos ad Chriſtũ adorandũ duxit; cæli aperti, columba & vox ſtupenda Iudæos minimè adduxerunt. Videlicet, vt gentium fides magna, ita magna fuit Iudæorum incredulitas.

Chriſtus & ſi humiliter in mundum venit, diuinitatis tamẽ maxima protulit indicia atque argumenta.

B Hæc autem ſigna, à Iudæis expectatum tot ſæculis Meſſiam, Meſſiæ munus, Meſſiæque manſuetudinem, & vitæ genus, ſignificant. Meſſias, vt diximus primo tomo, Hebræum nomen eſt, Chriſtus Græcum: tàm hoc, quàm illud ſignificat vnctum. Vnctus verò eſt Chriſtus Spiritu ſancto, vt Petrus ait Actorum decimo. Deuolans ergo columba, Spiritum ſanctum repræſentans, capitique Chriſti inſidens, vnctionem hanc ſignificat; & IESVM Meſſiam eſſe, hoc eſt, à Spiritu ſancto vnctum Regem, quem Iudæi expectabant, oſtendit.

Quid ſignificent hæc ſigna.

Vox è cælo ſonans, non hominem ſolùm Meſſiam, ſed Dei quoque Filium, Deumque eſſe prædicat: *Hic eſt*, ait Pater, *Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Quaſi dicat: Non homo ſolùm eſt C Meſſias hic veſter, Virginis Filius; alteram quoque habet æternam generationem; Filius quoque meus eſt dilectiſſimus, quem ex vtero ante Luciferum genui. Duas habet eadem in hypoſtaſi naturas; alteram humanam, quam cernitis; alteram diuinam, quam cernere nõ poteſtis. Hanc illum habere, ego è cælo vobis teſtificor: *Hic eſt Filius meus dilectus*, Filius, inquam, naturalis, non adoptiuus. D.Hilar.lib. 6.de Trinitate ſic exponit: Donaui, ait Pater æternus, adoptionis plurimis nomen, ſed iſte mihi Filius eſt: hunc ego tamquam indice digito, ac verbi ſignificatione contingo; quia dico; & meus eſt; & hic eſt; & Filius eſt, &c.

Chriſtum Filium Dei naturalis. Matth.3.

Apertum cælum Meſſiæ munus, & factum præD clariſſimum indicat. Eam enim ob rem Meſſias venit, vt obſeratas per peccatum cæli fores, peccato dæmonéque ſuperato, victor panderet. Hanc autem victoriam non armis & bello, ſed manſuetudine mirabiliter reportatam, mitiſſimum animal columba demonſtrat. Nõ aquila ferox, ſed columba mitis, vertici Meſſiæ inſidet, ciúſque mitiſſimum ingenium oſtendit. Non incongruè, ait D. Bernardus ſermon.1.de Epiphania, venit columba; quia nihil melius conuenit agno, quàm columba; quod agnus in animalibus, hoc columba in auibus eſt. Summa vtriuſque innocentia, ſumma manſuetudo, ſumma ſimplicitas, nocere cuiquam neſciunt, lædere non nouerunt, &c. Expugnauit Meſſias cælum columbina manſuetudine & patientia, non E armis & prælio. *Regnum cælorum vim patitur*, ait Dominus, *& violenti rapiunt illud*. Et quidem regnum cælorum tunc vim paſſum eſt maximam, cùm vim illi Chriſtus intulit; violentus rapuit illud, foréſque humano generi triumphans reſerauit. Vim autem intulit, nõ bellicis tormentis ferociter oppugnans, ſed dira tormenta manſuetiſſimè tolerans.

Chriſtus fores cæli aperuit.

Chriſtus mitiſſimus vt columba.

Matth.11. Chriſtus vim cæloat-tulit, non armis, ſed columbinæ manſuetudine.

Prætereà patefactum cælum, cæleſtium arcanorum ſignificat patefactionem. Etenim Meſſias cæleſtia nobis arcana, præcipuè verò Incarnationis Trinitatiſque myſterium patefecit.

Ad hæc, capiti inſidens non aquila, ſed columba, vitæ genus adumbrat, quod ſecutus eſt Chriſtus. Aquilæ homines fugiunt, columbę in ipſis hominum

minum ædibus verſantur; vnde à D. Iſidoro lib. 12. Originum capit. 7. columba domorũ ſemper blanda inhabitatrix appellatur. Nõ fugit homines Meſſias, aquilæ ſimilis, ſed in vrbibus hominumque domibus vixit, inſtar columbæ. His ſimilia ſcribit Cardinalis Caietan. Matth. 3. Tunc, inquit, cælum apertum eſt Chriſto; quia officium eius aperturum erat cælum. Apertum eſt illi cælum; quia officio ſuo manifeſtaturus erat ſecreta cæleſtia, & ſpecialiter myſterium ſanctæ Trinitatis. Venit Spiritus ſuper eum in ſpecie columbæ; quia tunc inchoabat officium ſuum; Spiritu mundi animalis, id eſt, mundæ columbæ, volantis non longè à terra ſua conuerſatione. Nam venit Filius hominis manducans, & bibens, mundus ab omni peccato, cæleſtibus operibus. Nec ſolùm Spiritu animalis volantis, ſed manſueti, ſine armis extra, ſine felle intus: *Diſcite*, inquit, *à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Et Ioanni ac Iacobo dicentibus, *Vis dicamus, vt ignis de cælo conſumat eos?* reſpondit: *Neſcitis cuius Spiritus eſtis.* Venit enim in Spiritu manſuetudinis, vſque ad mortem. Nec ſolùm animalis manſueti, ſed etiam fecundiſſimi; quia Chriſtus veniebat vniuerſo mundo vtiliſſimus. Tunc vox de cælo intonuit: *Tu es Filius meus dilectus*: quia officio ſuo Chriſtus manifeſtaturus erat mundo myſterium Trinitatis. Hæc Cardinal.

Chriſtus columbæ ſimilis inter homines habitauit.

Marci 1. Luca 3.

Latuerat hactenus ſummus mundi Doctor, & ad trigeſimum vſque annum ſiluerat. Quamobrem rogat Bernard. ſermone primo de Epiphania. Quouſque diſſimulas? quamdiu virtus & Dei ſapientia, quaſi infirmus aliquis & inſipiens, lates in populo? quamdiu nobilis Rex, & Rex cæli, fabri Filium te pateris appellari, pariter & putari? &c. Magno Bernardo reſpondemus; ſiluit Dominus, ad ætatem vſque Doctoris muneri congruentem: ea verò triginta annorũ ætas eſt. Triginta annos natus Ioannes docere cœpit, vt ſupra iam vidimus; eadem ætate Chriſtus ad tradendam Euangelicam doctrinam aggredi voluit; quia huic muneri ætas hæc matura iudicatur. Antiquiſſimus Auctor de Operibus Cardinalibus Chriſti, in tractatu de ieiunio, & tentatione, inter opera Cypriani: Trigeſimi, inquit, anni ætate tempus doctrinæ inſinuatum eſt rationabile: & ante has metas perperam inuadi magiſterium data eſt forma. Quia non competit impubibus ſedere in cathedra. In primogeniris boum aratio lege eſt interdicta, &c. Chriſtus, ait Gregorius Nazianzenus, idcirco trigeſimo anno, ac non prius, ſeſe indicauit; partim, ne oſtentationis cuiuſpiam opinionem præberet; partim, quia hæc ætas plenum virtutis argumentum docendique maturitatem habet, &c. Et Oratione 39. Chriſtus, inquit, baptizatur annum agens trigeſimum; & tu ante lanuginem ſenes doces, aut docere te poſſe credis, nec ab ætate, nec à moribus fortaſſe auctoritatem habens? Ac deinde hic Daniel profertur, ac nonnulli alij in iuuenili ætate iudices, atque in lingua exempla verſantur. Quiſquis enim inique agit, ad ſui defenſionem promptus & paratus eſt. At pro Eccleſiæ lege nequaquam cenſendum eſt, quod rarò accidit: quandoquidem nec hirundo vna ver efficit, nec geometram vna linea, nec nautam vna nauigatio, &c.

Cur Chriſtus ad trigeſimũ & ſq; annum docere noluerit

Triginta annorũ ætas ad docendũ matura.

Gregor. Nazianz. Orat 40.

Quiſquis inique agit ad defenſionem ſui promptus eſt.

Pro Eccleſiæ lege nequaquã cenſendũ eſt, quod rarò accidit

Hos ad docendum audaces Bernardus quoque arguit ſerm. indicato. O humilitas, inquit, virtus Chriſti, quantùm confundis ſuperbiam noſtræ vanitatis. Parum aliquid ſcio, vel magis ſcire mihi videor, & iam ſilere non poſſum. Impudenter me, & imprudenter ingerens, & oſtentans: promptulus ad loquendum, velox ad docendum, tardus ad audiendum, &c. Beda Luc. 3. Chriſtus annorum triginta baptizatur, & tunc demum incipit ſigna facere, & docere. Legitimum, videlicet, & maturum tempus oſtendens ætatis, iis qui omnem ætatem ad ſacerdotium, vel ad docendum putant opportunam, &c. Diuus quoque Thomas tertia part. quæſtion. 29. articul. 3. Chriſtus, ait, baptizatur, quaſi ex tunc incipiens docere, & prædicare: ad quod requiritur perfecta ætas, qualis eſt triginta annorũ. Vnde legitur Geneſi, quòd triginta annorũ erat Ioſeph, quando accepit regimen Ægypti. Similiter legitur de Dauid; quod triginta annorum erat, cùm regnare cœpiſſet, &c.

Geneſ 41. 2. Reg. 5.

Vſque ad perfectam ergo ætatem Chriſtus ſilere voluit. Publicè enim, & Doctoris more, ad trigeſimum vſque annum minimè docuit; priuatim verò de rebus diuinis cum Iudæis ſæpe ſapientiſſimè videtur locutus, vt illa verba diui Lucæ indicant: IESVS *proficiebat ſapientia & ætate, & gratia apud Deum & homines.* Proficere ſapientia apud homines non potuit, niſi ſapienter loqueretur. Loquebatur autem ſapienter, non publicè, Doctoris more, ſed priuatim. Itaque annum ingreſſus trigeſimum, à baptiſmo voluit incipere, & in eo columba è cælo demiſſa, & Patris voce admirabiliter ſonante manifeſtum ſe hominibus reddere. Neque verò ſolùm Filij perſona, ſed Patris etiam, ac Spiritus ſancti, atque adeò admirabilis Trinitas diſtinctè eſt in eo baptiſmo indicata. Patris perſonam vox repræſentabat, quæ ſoli Patri, non Filio, non Spiritui ſancto, congruit. Neque enim Filij, neque Spiritus ſancti eſt dicere: *Hic eſt Filius meus dilectus*: ſed ſolius Patris; quippe, qui ſolus Filium habet dilectiſſimum. Filij perſona incarnata aderat; Spiritus ſancti perſonam niuea columba demonſtrabat. Habemus igitur hoc loco ſanctiſſimam Trinitatem clariſſimè indicatã. Diuus Maximus: Aduertite, inquit, quanta nobis in baptiſmate Domini noſtri patefacta ſit gratia, quàm ſubtili Sacramento Trinitas ſe hodie homini reuelauit. Pater auditur in voce; Filius manifeſtatur in homine; Spiritus ſanctus dignoſcitur in columba, &c. Auguſtinus ſermone 65. de diuerſis: Erat ibi in vnum totius gloria Trinitatis adorandæ; Pater de ſupernis Filium prædicabat; Filius in terris ordinem ſacratiſſimæ diſpoſitionis implebat; & Spiritus ſanctus Trinitatis indiſſolubile myſterium colligebat, &c. Et ſermon. 63. de verbis Domini: Videmus, & tamquã propoſito diuino ſpectaculo contuemur, apud flumen Iordanis commendari nobis Deũ noſtrum in Trinitate. Habemus in voce Patrem, in homine Filium, in columba Spiritum ſanctum, &c.

Chriſtus priuatim docuit ante baptiſmum. Luca 2.

Sanctiſſima Trinitas in baptiſmo Chriſti clariſſimè indicata.

Matth. 3.

D. Maxim. hom. 7. de Epiph.

Incarnationis quoque myſterium voce Patris patefit, quæ hominem illum Deum eſſe indicat, atque adeò Deum incarnatum: *Hic*, inquit, *eſt Filius meus dilectus.* Filium autem Dei naturalem Deum quoque eſſe neceſſe eſt, quemadmodũ Filium hominis hominem. Vnde D. Bernard. ſermon. tertio de Epiphania: Satis, ait, manifeſtum eſt ex hoc ipſo, quoniam Dei Filium neceſſe eſt Deum eſſe. Nam & filios hominum homines, & ipſorum quoque animalium fœtus ex eodem cũ eis genere eſſe nemo eſt qui dubitet, &c. Conceptum item ab Spiritu ſancto, ipſa columba innuit: Capiti namque Chriſti inſidens, Chriſtum non Ioſephi, vt putabatur, Filium eſſe, ſed Spiritus ſancti ſanctiſſima opera conceptum prædicat. *Radix mea*, ait Iob, *aperta eſt ſecus aquas*: Quæ verba de Incarnatione Gregorius ſenſu ſpiritali interpretatur: Radix, inquit, Eccleſiæ ipſa debet Incarnatio Redemptoris intelligi, quæ iuxta aquas aperta eſt, dum Deus inuiſibilis per aſſumptionem humanitatis patuit aſpectibus viſionis noſtræ, &c. Incarnatio

Incarnationis myſterũ in baptiſmo Chriſti oſtenditur.

Iob 28.

Incarnatio radix Ecclesiæ est.

Ecclesiæ radix rectissimè dicitur. Quoniam quemadmodum ex radice, arboris totius pulcritudo exoritur & fructus; ita ex Incarnatione Verbi diuini, Ecclesiæ totius decor, virtus & gratia promanat. Aperta verò radix est in baptismo, vt videmus, secus aquas Iordanis, cùm æterni Patris voce ipsa Filij Dei Incarnatio patefacta est.

Obseruat Chrysostomus homil. 12. in Matthæum, sensibiles visiones inter initia mirabilium dispensationum apparere: Semper, ait, inter initia spiritualium ac mirabilium dispensationum apparent sensibiles visiones, taliaque signa, stupidioribus, claraque visione egentibus, neque vllam incorpoream naturam comprehendere cogitatione valentibus, præstantur. Vt etiamsi ista postea non fiant, ea tamen, quæ ex ipsis sunt manifesta, semel atque ab initio fide suscipias, &c. Apparuit igitur hæc admirabilis visio, initio admirabilis dispensationis, cùm Christus ad docendos homines iam manifestius aggrediebatur.

Initio spiritualium dispensationis apparēt sensibiles visiones.

Christus à baptismo incœpit docere.

Inde autem voluit Christus incipere, vnde incipiunt Christiani; videlicet à baptismo, qui ianua est, per quam in Ecclesiam ingredimur. Christiani à baptismo incipiunt Christi; Christus à baptismo cœpit Ioannis. Non enim suum, sed Ioannis baptisma suscepit, vt omnibus est exploratum. Susceptit autem Ioannis baptisma, non quidem, quod illo indigeret totius Fons puritatis ac sanctimoniæ; sed aliis de causis. Non indigere Christum baptismate testatus est Ioannes, verbis illis: *Ego a te debeo baptizari*, &c. Quid euidentius, ait Augustinus sermon. 1. de Epiphania, de Christi nondum baptizati puritate, quid fortius? Ego à te debeo baptizari: id est, qui Fons es innocentiæ & plenitudo iustitiæ: qui nullo indigens dare scis, nescis accipere. Ego, inquit, à te debeo baptizari; quia tecum exhibes, & in te possides puritatis munera & baptismatis sacramenta, &c. Aliis ergo de causis baptismum suscepit, quas ex Patribus colligimus.

Christus nō indiguit baptismo.

Prima causa, cur Dominus voluit baptizari.

Christus aquas nostro baptismati destinauit ad materiā.

Prima est, vt aquas purissimi corporis tactu in baptismi Christiani materiam destinaret, ac consecraret. qua de re supra iam dictum ex Patribus est. Augustinus sermon. de tempore 36. Saluator ideo baptizari voluit, non vt sibi munditiam acquireret, sed vt nobis fluenta mundaret. Et serm. 1. de Epiphania: Attactu, inquit, membra Christi tinguntur; & fluenta ditantur; vitalem gratiam non corpus ex flumine, sed flumen mutuatur ex corpore; descendere in se Fontem suum, felix vnda miratur, remedia æterna concipiens, &c. Item serm. 36. Quale est hoc baptismum, vbi prior est fonte, ille qui mergitur; vbi dum susceptum aqua diluit, non sordibus inficitur, sed benedictionibus honoratur? Quale, inquam, est Saluatoris baptismum, in quo purgātur potius fluenta, quàm purgant? &c. D. Maximus: Quod fluentis Iordanis baptizatur Christus, aquæ nostro baptismati consecrantur. Item: Baptizatur Christus, non sibi, sed nobis: non vt purificetur aquis, sed vt aquas ipse sanctificet. Baptizatur nouus homo, vt noui baptismatis constituat sacramentum, &c. August. serm. 1. de Epiphania. Omnibus aquis benedictionem dedit Christus, quando in Iordanis alueum descendit, &c. Ambrosius, serm. primo, de Epiphania. Cùm Saluator abluitur, iam tunc in nostrum baptismum tota aqua mundatur; & purificatur fons, vt secuturis postmodum populis lauacri gratia ministretur, &c. Tantam verò baptismatis Christiani vndę vim Christus contulit, vt cum sanctissima Virgine Deipara conferre illam audeat Augustinus sermone citato. Et D. Leo sermon. 4. de Natiuitate: Omni, ait, homini renascenti, aqua baptismatis instar est vteri virginalis; eodem Spiritu sancto replente fontem, qui repleuit & Virginem. Vt peccatum, quod ibi vacuauit sacra conceptio, hic mystica tollat ablutio, &c. Et sermone quinto: Originem, inquit, quam Christus sumpsit in vtero Virginis, posuit in fonte baptismatis. Dedit aquæ, quod dedit Matri. Virtus enim Altissimi & obumbratio Spiritus sancti, quæ fecit, vt Maria pareret Saluatorem; eadem fecit, vt regeneret vnda credentem. Hæc D. Leo.

Maxim. ser. 7. de Epiphan.

Aqua baptismi cum Virgine Deipara confertur.

Secunda causa. Christus baptizari voluit, vt humilitatis nobis exemplum exhiberet. Vide illorum verborum supra traditam expositionem: *Ego a te debeo baptizari.* Augustinus sermon. 63. de Verbis Domini: Baptizatus est Dominus à seruo, quod fecit ad humilitatis exemplum. In ipsa quippe humilitate ostendit impleri iustitiam, quando Ioanni respondit: *Sine modo impleatur omnis iustitia*, &c. Bernardus serm. 4. de Epiphania, de hac Christi humilitate sic scribit: Inclinatur sub Baptistæ manibus caput tremendum Potestatibus, Principatibus adorandum. Quid mirum si Baptista contremuit? Quis vel ipsa cogitatione non contremiscat? O quam altum erit in iudicio caput, quod modo inclinatur, & vertex, qui modo tam humilis videtur, quàm sublimis & excelsus tunc apparebit: *Sine*, inquit, *modo: sic enim decet nos implere omnem iustitiam*: Siquidem qui in plenitudine temporis venit, & in quo habitat plenitudo diuinitatis, nihil nouit nisi plenum. Nam legem non venit soluere, sed adimplere. Inferiori se subdere, summa & plena iustitia est. Quod Christus fecit, de plena iustitia fecit. Siquidem seruuli sui manibus se inclinauit, &c.

2. causa baptismi Christi, fuit humilitatis exemplum.

Matth. 3.

Inferiori se subdere est summa iustitia.

Qui se humiliat, ait Dominus, *exaltabitur*. En tibi Christum humiliatum. Vide exaltatum: Cæli aperti sunt, columba è cælo in sacrum verticem deuolat, vox Patris intonat: *Hic est Filius meus dilectus*, &c. Quæ maior potuit nunc esse humiliantis se exaltatio? Humiliare se videtur Sol hic, quem corporeis oculis cernimus, dum è cæli cacumine descendit, & (vt Poëticè dicam) æquoreis fluctibus fulgens caput condit. At noster fulgentior Sol humiliauit se, dum è maiestatis suæ celsitudine se demisit, & Iordanis vndis splendidissimum caput abluit. Ipsi cælestes Seraphim tantam humilitatem sunt admirati; vnde illud diui Maximi, homilia septima de Epiphania: Aperti sunt cæli: æstimo, vt in cælestibus esset miraculum, de his, quæ gerebantur in terris: sicut ait Scriptura: *In quem desiderant Angeli prospicere.* Quomodo enim poterant non mirari Virtutes cælorum, & Dominationes, Cherubim & Seraphim; cùm viderent Dominum Sabaoth in fluuio ab homine baptizari? &c. Ab humilitate incipit Dominus: quoniam, vt ait D. Leo, sermone septimo de Natiuitate, tota victoria Saluatoris, qua & diabolum superauit & mundum, humilitate est concepta, humilitate est confecta, &c.

Luca 18.

Christus in baptismo humiliatus & exaltatus.

1. Pet. 1.

Tertia causa. Baptizari voluit Christus, vt hominibus postea baptismum susceperis exemplo præiret. Augustinus tractatu quinto in Ioannem. Vt daretur nobis à Domino exemplum humilitatis, ad percipiendam salutem baptismatis, Christus susceptit, quod ei opus non erat. Sed propter nos opus erat, &c. Et serm. primo de Epiphania: Insinuauit, ait, nobis Christus muneris sui beneficium, per secundæ natiuitatis exemplum. Et quod facere nos voluit, prior ipse fecit, &c.

3. causa, cur Christus voluit baptizari, exemplum fuit.

Hoc boni pastoris est, exemplo oues præcedere; & quod oues facere vult, prius facere. Ambrosius Lucæ tertio, hoc ait esse implere iustitiam: Ille pastor iustitiam implet, qui, quæ docet verbis, præstat operibus. Quæ est iustitia, ait Ambrosius, nisi, vt quod

Bonus pastor oues præcedit exemplo.

quod alterum facere velis, prior ipſe incipias; & tuo alios horteris exemplo? &c. Exempli adhortatio magnam habet vim; ſequuntur ſuperiorum facta facile inferiores. Iudicum 9. Cùm vellet Abimelech flammas turri ſubiicere, in montem Selmon aſcendit cum omni populo, & arrepta ſecuri præcidit arboris ramum, impoſitumque ferens humero, dixit ad ſocios: *Quod me videtis facere, citò facite*, &c. En tibi boni prælulis munus; en verba. Prior ipſe ſe onerat, quàm ſubditos. Poſtquam onus palàm in humeros tollit, verba facit digna præſule: *Quod me videtis facere, citò facite.* Huiuſmodi cum exemplo coniuncta verba efficacitatem habent. Vnde ſequitur: *Certatim ramos de arboribus præcidentes, ſequebãtur Ducem.* Ita Chriſtus Optimus Maxim. baptiſmum pœnitentiæ, nulla indigens pœnitentia ſuſcipit; facto dicens: *Quod me videtis facere, facite.* Ego baptiſmum Ioannis ſuſcipio, vos ſuſcipite meum; ego baptiſmum pœnitentiæ, quo non indigeo, vos Spiritus ſancti, quo ſummopere indigetis.

Exemplum Abimelech. *Iudicum 9.* *Ibidem.*

Ambroſius loco indicato. Quid tam diuinum ad populos prouocandos, quàm vt nemo refugiat lauacrum gratiæ, quando Chriſtus lauacrum pœnitentiæ non refugit? Si pro nobis Chriſtus lauit, immo nos in corpore ſuo lauit; quantò magis nos noſtra delicta lauare debemus? &c. Auguſtinus tractatu quinto in Ioannem. Auctoritatem dare baptiſmo ſuo hinc dignatus eſt Chriſtus; vt cognoſcerent ſerui, quanta alacritate deberent cũrrere ad baptiſmum Domini; quando ipſe non dedignatus eſt ſuſcipere baptiſmum ſerui, &c. Ambroſius: Facere Dominus prius voluit, quod faciendum omnibus imperauit; vt bonus magiſter doctrinam ſuam non tam verbis inſinuaret, quàm actibus exerceret: & ad fidem nos geſtu pariter confirmaret & ſenſu, &c. Item: Præcedit Chriſtus per baptiſmum, vt Chriſtiani poſt eum confidenter populi ſubſequantur. Ita columna ignis præceſſit per mare rubrum, vt intrepidum iter filij Iſraël ſubſequerentur. Et ipſa prius per aquas ingreſſa eſt, vt venientibus poſt ſe, viandi ſemitam præpararet. Sicut Dominus tunc per mare filios Iſraël in ignis columna præceſſit: ita nunc per baptiſmum Chriſtianos populos in corporis ſui columna præcedit. Hæc Ambroſius.

Ambr ſer. 1. de Epiphan.

4. Cauſſa baptiſmi Chriſti.

Quarta cauſſa. Baptizari Dominus voluit, vt in baptiſmo Ioannis, ad quem concurrebant Iudæi, columbæ ſigno, paternæque vocis indicio, illis ſe demonſtraret. Vnde D. Bonauentura, Lucæ 3. Baptizari, inquit, voluit Chriſtus, vt ſuo baptiſmo innoteſceret, &c.

5. cauſſa.

Quinta cauſſa: vt Ioannem commendaret, atque extolleret: Oportebat enim tanto teſti, illiusque teſtimoniis maximam auctoritatem dare. D. Bonauentura Lucæ 3. Baptizatus, inquit, eſt Chriſtus, vt baptiſmum præcurſoris approbaret: & oſtenderet Phariſæis, quòd Ioannis teſtimonio credendum erat, ſicut cæleſti, ad quos: *Baptiſmus*, ait, *Ioannis vnde erat, è cælo, an ex hominibus*, &c.

Matth. 21.

6. cauſſa.

Sexta cauſſa. Baptizari Chriſtus voluit, vt in ſuo baptiſmate quale ſit noſtrum Chriſtianum baptiſma demonſtraret. Chriſtiani enim baptiſmatis demonſtrauit materiam, formam, & cæleſtes effectus. Materiam, aqua Iordanis, formam, Trinitatis demonſtratio indicat. In nomine enim auguſtiſſimæ TRINITATIS, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, baptiſmus noſter confertur. In baptiſmate autem Chriſti, Patris, Filij, & Spiritus ſancti, tres perſonæ demonſtratæ ſunt.

Baptiſmi effectus quinam ſint?

Iam verò baptiſmi effectus cæleſtes hi ſunt: cælorum reſeratio; cæleſtium myſteriorum patefactio, peccatorum remiſſio, Spiritus ſancti vnctio & gratia; filiorum Dei adoptio. Itaque aperti cæli baptiſmatis noſtri virtutem indicant eſſe cęleſtem: è cælo namque ſumma baptiſmi efficientia deſcendit, à Deoque promanat. Indicant item aperti cæli, baptizatorum fidem; per quam illis cæleſtia myſteria patefiunt. Vnde egregiè D. Thomas 3. part. quæſt. 39. articulo 5. Principalis, inquit, virtus, ex qua baptiſmus habet efficaciam, eſt virtus cæleſtis. Et ideò baptizato Chriſto apertum eſt cælum, vt oſtenderetur, quòd de cetero cæleſtis virtus baptiſmum ſanctificaret. Secundò, operatur ad efficaciam baptiſmi fides Eccleſiæ, & eius qui baptizatur: vnde & baptizati fidem profitentur, & baptiſmus fidei dicitur Sacramentum. Per fidem autem inſpicimus cæleſtia, quæ ſenſum & rationem humanam excedunt. Et ad hoc ſignificandum Chriſto baptizato aperti ſunt cæli. Hæc ille. Indicant etiam Chriſto aperti cæli, baptizatis cælos aperiri. Id docet idem Angelicus Doctor loco citato: Baptizato, inquit, Chriſto aperti ſunt cæli, vt oſtenderetur, quòd baptizatis patet via in cælum, &c. Et Beda Marci primo. Quod apertos, ait, cælos Chriſtus vidit poſt baptiſma, noſtri gratia factum eſt: quibus per lauacrum vndæ regeneratricis ianua panditur regni cæleſtis; quæ peccantibus protoplaſtis ac paradiſo eiectis, toti generi humano, interpoſitis Cherubim & flammeo gladio, clauſa eſt. Exſtinguitur namque hæc flãma cuique fidelium, cùm aquis vitalibus tingitur: reconciliatur angelicis ſpiritibus, cùm ad pacẽ ſui redierit Creatoris. Adeò vt ſi percepta fidei Sacramẽta puro corde & corpore ſeruauerit, mox ſolutus carne, regna poſſit intrare cęleſtia, &c. Theoph. Luc. 3. Aperitur cælũ, vt monſtretur nobis, quòd baptiſma aperiat omnibus cælũ, quod Adã clauſerat. Euthymius Matth. 3. Aperti ſunt cæli, vt diſcamus ſuper omnem hominem baptizatum cælos aperiri, &c. D. Chryſoſt. homil. 12. in Matthæum: Cuius, inquit, rei gratia cæli patuerunt? Vt diſcas etiam tu, cùm baptizaris, hoc fieri, Deo te iam ad patriam cęleſtem vocante, nihilque commune cum terra habere ſuadẽte, &c.

Baptiſmus fidei Sacramẽtum, per quã cæleſtia cõtẽplamur. *Baptiſmus cælos aperit.* *Paradiſi gladius igneus aquis exſtinguitur baptiſmi.*

Eadem homilia hortatur nos Chryſoſtomus, vt caduca omnia ſpernamus, ſiquidem filij Dei facti, ad cælorum regnum iam patens vocamur. Futura, inquit, quotidie regna quæramus, omniaque præſentia vmbras eſſe prorſus ac ſomnia iudicemus. Neque enim, ſi Rex terrenus aliquis aſſumens te mendicum, repente ſibi adoptaret in filium, tu iam ad tugurium, & tugurij tui reſpiceres vilitatem. An forte non putas, omnia iſta, quæ cernimus, comparatione cæleſtis regni, mendicorum panniculis eſſe viliora? Item: Quia in cælo domus noſtra eſt; ibi etiam omnia recondamus, nihil hîc penitus relinquentes, ne illud perdamus. Quidquid enim hîc dimiſerimus, amittimus, &c. Lege ibidem alia plura in hanc ſententiam.

Spernenda ſunt a filijs Dei res caduca. *Res caduca panniculis mendicorũ viliores.*

Ait Matthæus cælum apertum fuiſſe Chriſto; quæ verba Auctor Imperfecti homilia 4. ſic exponit: Aperti ſunt cæli ei, id eſt, propter eum, gratia eius. Aperti enim ſunt cæli, vt idem Auctor ait, non ſolùm ei, ſed omnibus propter eum. Vt puta, inquit, ſi ab Imperatore quærat homo aliquod beneficium dignitatis, & ipſe non habet tantummodo fiduciam petendi, neque amicitiam impetrandi, vadit ad fratrem Imperatoris, aut ad amicum cariſſimum, vt intercedat ad illum. Sic dicit illi Imperator: Ecce ego hoc beneficium non illi do, ſed tibi, id eſt, propter te illi do. Nam non illi donatur, cui datur, ſed illi, propter quem datur. Sic & hîc dicit Matthæus: Aperti ſunt ei, id eſt, Chriſto cæli, id eſt, propter eum nobis aperti ſunt, &c.

Propter Chriſtum cæli nobis aperiuntur.

Quid significet columbæ deuolatio.

Columba Spiritum sanctum significat in baptizatum veluti deuolare, cælestique gratia illum vngere. Beda loco indicato: Quòd in baptizatum Christum descendere visus est Spiritus sanctus, signum erat conferendæ nobis in baptismo gratiæ spiritualis. Quibus in remissionem peccatorum, ex aqua & spiritu regeneratis, amplior eiusdem spiritus gratia per impositionem manus Episcopi solet cælitus dari, & cet. Theophylact. Lucæ 3. Descendit Spiritus in Iesum; vt ex hoc discamus, quòd & in nos, cùm baptizamur, descendat Spiritus, &c. Chrysostomus homil. 12. in Matthæum: Columba, inquit, tunc ideò apparuit, vt extenti quodammodo digiti vice, Dei Filium Ioanni monstraret. Atque vt etiam discerES, quoniam super te quoque, cùm sacro fonte dilueris, sanctus Spiritus veniat. Iam verò non visibili specie, qua vtique non egemus; cùm nobis pro cunctis sola fides sufficiat. Nam signa non credentibus, sed incredulis dantur. Hæc Chrysostomus.

Meritò etiam in baptismo Christi columbæ effigie Spiritus sanctus visus est, vt id significaretur, quod Ioannes asseuerat: *Matth. 3. Ioan. 3.* *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto:* & id quod Christus asserit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Renascuntur homines in baptismate, ex Spiritu sancto; & possunt baptizati introire in regnum Dei. Renasci nos ex Spiritu sancto, columba; posse introire in regnum Dei, cælorum reseratio ostendit.

Chrysostomus, homil. 12. citata, missum ait Spiritum sanctum ex aperto cælo, vt nos in cælum conuocet, & veluti Dei filios, magno cum honore in patriam nostram ducat: A veteri, ait, Testamento ad nouum nos transferens Christus, & portas nobis supernas reclusit; & sanctum inde Spiritum misit; qui ad illam nos patriam cum dignitate maxima conuocaret. Non enim Angelos nos, neque Archangelos faciens, sed Dei filios, atque dilectos, ad gloriam ducit æternam, &c.

Quid demõstret vox cælestis.

At verò ipsa paterna vox, filiorum adoptionem demonstrat. Per baptismum enim homines regenerantur ac renascuntur, & filij Dei fiunt. Cuilibet igitur ritè baptizato illa vox congruit: *Matth. 3.* *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Congruit, inquam, longè aliter quàm Christo. Christo enim vt filio naturali; baptizatis, vt filiis conuenit adoptiuis. Beda Marci 1. Quòd vox, inquit, paterna de cælis intonuit, nobis quod credere debeamus ostenditur. Christum, videlicet, verum esse Dei Filium, totius mundi Dominum; & ideo veraciter in Spiritu sancto baptizare valentem. Nos quoque eadem vox docuit, per aquam ablutionis & Spiritum sanctificationis Dei posse filios effici, &c. Theophylactus Lucæ 3. Filius audit à Patre vocem allatam, monstrans, quòd & nobis, qui baptizamur, adoptionem filiorum Dei largitus sit, &c. D. Hilarius: Baptizato Domino, reseratis cælorum aditibus, Spiritus sanctus emittitur; vox cælestis loquitur: vt ex eis, quæ consummabantur in Christo, cognosceremus post aquæ lauacrum, & de cælestibus portis sanctum in nos Spiritum inuolare; & cælestis nos gloriæ vnctione perfundi; & paternæ vocis adoptione Dei filios fieri: cùm ita dispositi in nos Sacramenti imaginem ipsis rerum effectibus veritas præfigurauerit, &c.

Filij Dei efficimur in baptismo.

Hilarius Can. 2. in Matth.

Chrysost. hom. 12.

Obseruat Chrysostomus homil. 12. hanc dignitatem filiorum Dei, qua nos maxima ornat Deus, peccatis nostris magnum pondus adiicere: Quæ, ait, supplicia non persolues post tam grande donum ad vomitum priorem transcurrens? Non tam enim quasi homo simpliciter, sed vt Dei Filius peccans, seuerius punieris, & ipsa excellentia dignitatis, maioris tibi fiet causSa supplicij. Postquam cælum accepimus, & cohæredes Vnigeniti facti sumus, quam veniam sperare poterimus, si ad serpentem curramus post columbam? &c.

Excellentia dignitatis maioris est causSa supplicij.

CAPVT XV.

Morale.

De baptismo Christi.

Illvd quoque obserua, Christum post baptismum protinus orasse, eoque orante, vt Lucas ait, hæc omnia signa ostensa esse. Quod factum indicat baptizato homini summopere necessariam esse orationem, vt quam in baptismate accepit gratiam, cælesti auxilio tueri possit ac conseruare. Hanc rationem reddit D. Thomas quæstione citata art. 5. Ideo, inquit, signanter dicitur, quòd *Iesu baptizato & orante, apertum est cælum;* quia, scilicet, fidelibus necessaria est oratio post baptismum, &c. Hac de re præclarè Beda sic scribit, Luc. 3. Quòd Iesus, cuius omnia, quæ Patris sunt, Baptizatus orasse memoratur, ad nos informandos actum non dubitatur. Quibus post lauacrum baptismatis, vt aula cæli pandatur, non otiosè viuendum; sed ieiuniis, precibus, atque eleemosynis est insistendum. Quia, etsi peccata sunt omnia in baptismo laxata, non adhuc tamen est carnis fragilitas solidata. Nam, quasi transito mari rubro, necatos quidem gratulamur Ægyptios; sed *Typus.* in deserto mundanæ conuersationis hoste occurrunt alij, qui duce & cooperatrice Christi gratia, nostro sudore vincantur: donec promissam vitæ æternæ peruenianus ad patriam. Hæc ille.

Baptizatis necessaria est oratio, post baptismum.

Luc. 3.

Illud Matthæi, *Baptizatus Christus confestim ascendit de aqua*, Auctor Imperfecti ait, baptizatorum per virtutum gradus ascensum indicare. Baptizatus Christus ascendit de aqua; simili modo baptizatus Christianus ascendat de aqua baptismi. Ascendat, inquam, ad virtutum celsitudinem: descensum verò caueat maximè in vitiorum turpitudinem. Præterea, ascendit Christus de aqua; ascendit Christianus de baptismate. Ascendit, inquam, in celsissimam Filij Dei dignitatem, cælorumque opulentissimam hæreditatem. Puto, ait Auctor Imperfecti, factum Christi ad mysterium pertinere omnium, qui postmodo fuerant baptizandi. Non dixit Matthæus, egressus est, sed ascendit; quia omnes, qui digne secundum omnia membra iustitiæ formati, & consummati baptizantur in Christo, confestim de aqua ascendunt, id est, proficiunt ad virtutes, & ad dignitatem subleuantur cælestem. Qui enim ingressi fuerant in aquam carnales & filij Adam peccatoris; confestim de aqua ascendunt spirituales, filij Dei facti. Hæc ille.

Matth 3. Baptizati ascendere debent ex aqua baptismi, & quid hoc sit.

Auctor Imperfecti.

In quas verò virtutes ascendere baptizatus debeat, ipsa niuea columba demonstrat. Mansuetum hoc animal est ac mundum, ait Chrysostomus homil. 12. in Matthæum. Simplex præterea est & à malitia fellis alienum, vt ait Beda Marci 1. Mansuetudinem, animi munditiam, simplicitatem, omnisque amaritudinis & fellis, id est, peccati carentiam indicat; quas virtutes baptizatus consectari debet. Indicat præterea caritatem ac pacem,

In quas virtutes ascendere debeat Christianus, columba indicat.

cem, vt Auguſtinus docet tractatu 6. in Ioannem: Sic, inquit, oportebat demonſtrari Spiritum ſanctum venientem ſuper Dominum; vt intelligat vnuſquiſque, ſi habeat Spiritum ſanctum, ſimplicem ſe eſſe debere ſicut columbam; habere cum fratribus veram pacem, quam ſignificant oſcula columbarum. Habent enim oſcula & corui. Sed in coruis falſa pax; in columba vera pax. Oſculantur corui, ſed laniant; à laniatu innocens eſt natura columbarum. Vbi ergo laniatus eſt, non eſt vera in oſculis pax, &c. Oſculatur columba, non laniat; ſic Chriſtianus amet, non laniet, hoc eſt, non ſit detractor. Corui, ait Auguſtinus loco citato, de morte paſcuntur, hoc columba non habet. De frugibus terræ viuit, innocens eius victus eſt; quòd verè mirandum eſt in columba. Sunt paſſeres breuiſſimi, qui vel muſcas occidunt; nihil horum columba: non enim de morte paſcitur, &c. Columba ne muſcæ quidem nocet; ita Chriſtianus, ne muſcam quidem lædat. Tractatu 7. in epiſtolam Ioannis primam idem Auguſtinus: Fel, ait, columba non habet, tamen roſtro & pennis pugnat pro nido, ſine amaritudine ſæuit, &c. Chriſtianus quoque felle odij careat, abſque fellis amaritudine; ſi quos punire debet, amanter & columbino corde puniat. Nam, vt ait eodem loco Auguſtinus: Amor ſæuit, caritas ſæuit; ſæuit quodammodo ſine felle, more columbino, non coruino, &c.

Colũba proprietatibus Chriſtianæ virtutes reſpondent.

Neminem ladere.

Colũba ſine amaritudine ſæuit.

Amor ſæuit more columbino, non coruino.

Adde columbam à rapacitate eſſe alienam, atque ita oportere Chriſtianum ab omni alienorum bonorum rapacitate abhorrere. Vnde diuus Greg. homil. 5. in Euangelia illud Iſa. *Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas?* ita exponit: Quaſi columbæ ad feneſtras ſuas, id eſt, oculos, ſunt qui nihil in hoc mundo concupiſcunt; qui omnia ſimpliciter aſpiciunt, & in hæc quæ vident, rapacitatis ſtudio non trahuntur. At contra miluus, & non columba ad feneſtras ſuas eſt, qui ad ea, quæ oculis conſiderat, rapinæ deſiderio anhelat, &c. Præter hæc, columba gemitum pro cantu edit. gemere nos docet, & peccata deflere. Nec illud prætermittendum, columbas iuxta aquas, vt ferunt, ſedere, accipitrisque vmbra in illis præuiſa, vitam fuga tueri. Columbæ in aquis vmbram cernunt accipitris; nos in iugi meditatione, ſacrorumque librorum lectione, velut ſpeculo, dæmonis, mundi, carnisque inſidias cernamus, easque diligenter caueamus. Origenes homil. 3. Leuitici: Ferunt, ait, columbas, cùm ad aquas venerint, quia ibi ſolent accipitris inſidias pati, venientem deſuper inimicum, volitantis vmbra in aquis inſpecta, deprehendere; & oculorum perſpicacia fraudem periculi euadere, &c. Et D. Gregorius Cantic. 5. Ad hoc columbæ iuxta fluenta reſidere ſolent, vt volantium auium vmbram in aqua videant; ſuper quam ſe proiicientes, vngues rapacium ſic effugiant, &c.

Iſaiæ 60.

Colũbæ ad feneſtras vel milui qui.

Cauendum dæmon eſt omni ratione.

Videmus etiam columbas, etſi caris ſpolientur filiis, non ideo columbarium deſerere, non iraſci, non vnguibus roſtróve in ſpoliatores ſæuire. Probi Chriſtiani hac in re ſymbolum ſunt, qui etſi filiis rebusque aliis cariſſimis ſpolietur, non idcirco innocentiam deſerit, non furit, nihil crudele agit. Vis columbam videre minimè ſæuientem in ſpoliatorem, & in priſtina innocentia permanentem? Iob aſpice filijs ceterisque bonis ſpoliatum, Deum tamen odorantem, æternaque memoria digna illa verba, è patientiſſimo pectore proferentem: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum.*

Patientia.

Iob 1.

D. Thomas columbæ proprietates numerat, ex quibus virtutes colligit, & dona Spiritus ſancti, quæ baptizatis congruunt. Eius verba, etſi non pauca, quia lectu digna ſunt, & rei, de qua agimus maximè conueniunt, libet deſcribere. Spiritus, ait, ſanctus in ſpecie columbæ ſuper Chriſtum baptizatum apparuit, propter tria. Primò, propter diſpoſitionem, quæ requiritur in baptizato, vt ſcilicet non fictus accedat: quia dicitur Sapient. 1. Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum. Columba autem eſt animal ſimplex, aſtutia & dolo carens; vnde dicitur: *Eſtote ſimplices ſicut columbæ.*

Thom 3. part. quæſt. 39. art. 6.

Matth. 10.

Secundò apparuit, ad ſignificandum ſeptem dona Spiritus ſancti: quæ columba ſuis proprietatibus ſignificat. Columba enim ſecus fluenta habitat, vt inde viſo accipitre mergat ſe, & euadat; quod pertinet ad donum ſapientiæ, per quam ſancti ſecus Scripturæ diuinæ fluenta reſident, vt diaboli incurſum euadant. Item, columba meliora grana eligit; quod pertinet ad donum ſcientiæ, qua Sancti ſententias ſanas, quibus paſcantur, eligunt. Columba alienos pullos nutrit; quod pertinet ad donum conſilij, quo Sancti illos homines, qui fuerunt pulli, id eſt, imitatores diaboli, doctrina nutriunt & exemplo. Columba non lacerat roſtro; quod pertinet ad donum intellectus, quo Sancti bonas ſententias lacerando non peruertunt, hæreticorum more. Columba felle caret; quod pertinet ad donum pietatis, per quam Sancti ira irrationabili carent. Columba in cauernis petræ nidificat; quod pertinet ad donum fortitudinis, qua Sancti in plagis Chriſti, qui eſt petra firma, nidum, id eſt, refugium, & ſpem ponunt. Columba gemitum pro cantu habet; quod pertinet ad donum timoris, quo Sancti delectantur in gemitu pro peccatis.

Cur in effigie columbæ apparuerit Spiritus ſanctus.

Colũba ſuis proprietatibus ſeptem Spiritus ſancti dona indicat.

Tertiò, apparuit Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ, propter effectum proprium baptiſmi, qui eſt remiſſio peccatorum; & reconciliatio ad Deum. Columba enim eſt animal manſuetum, & ideo, ſicut Chryſoſtomus dicit homilia 12. in Matth. in diluuio apparuit hoc animal, ramum ferens oliuæ, & communem orbis terrarum tranquillitatem annuntians. Et nunc etiam columba apparet in baptiſmo, liberatorem nobis demonſtrans.

Columba ſignificat reconciliationẽ cũ Deo.

Quartò, apparuit ad deſignandum communem effectum baptiſmi, qui eſt coniunctio eccleſiaſticæ vnitatis; vnde dicitur: *Quod Chriſtus tradidit ſemetipſum, vt exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut aliquid huiuſmodi: lauans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* Et ideo conuenienter Spiritus ſanctus in baptiſmo demonſtratus eſt in ſpeciem columbæ, quæ eſt animal amicabile & gregale. Vnde dicitur de Eccleſia: *Vna eſt columba mea.* Hactenus D. Thomas.

Significat columba cõiunctionem eccleſiaſticæ vnitatis.

Epheſ. 5.

Cant. 5.

Apparuit itaque Spiritus ſanctus effigie columbina, vt baptizatorum mores oſtenderet debere eſſe columbinos. Præterea, vt qualis ipſe Spiritus ſit ex effigie intelligamus. Cur in ſpecie columbæ venit Spiritus ſanctus? rogat Chryſoſtomus homil. 13. in Matthæum. Reſpondet: Manſuetum hoc animal ac mundum eſt. Quia igitur ipſe Spiritus, manſuetudinis eſt Spiritus, propterea in eius ſpecie apparuit, &c. et. Et Origenes homilia vigeſima ſeptima, ſuper Lucam: Deſcendit Spiritus ſanctus ſuper Saluatorem in ſpecie columbæ, auis manſuetæ, innocentis & ſimplicis. Talis eſt Spiritus ſanctus, mundus, & volucris, & in ſublime conſurgens. Quamobrem orantes dicimus: *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam?* id eſt, quis dabit mihi pennas Spiritus ſancti? Hæc ille.

Proprietates columbæ qua Spiritũ ſanctũ adumbrant.

Spiritus S. mitis, mi-ſericors.

Pſal. 54.

Theophylactus addit: Columba vbi fœtor eſt,

Spiritus S. peccati fœtorẽ fugit; odore bono virtutis gaudet.

ibi non manet; sic Spiritus sanctus, &c. Quemadmodum non manet columba vbi fœtor est, ita non manet Spiritus sanctus, vbi fœtidissimum est peccatum mortiferum. Euthymius Matth. 3. Columba, ait, bono gaudet odore, &c. sic & Spiritus sanctus virtutum suaui odore summopere oblectatur.

Spiritus S. felle amaritudinis caret, dulcis est.

Felle carere dicitur columba; sic & Spiritus sanctus omni caret felle, redundat deuotionis melle. Vnde in Hymno Ecclesiastico appellatur dulcis hospes animæ, & dulce refrigerium.

Spiritus S. facit nos postulare gemitibus magnis.

Columba gemitum pro cantu habet; Spiritus sanctus, vt Paullus ait, *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*: hoc est, in nobis manens postulare nos facit gemitibus ac desideriis feruentissimis. Hinc illud Augustini tractat. 6. in Ioannem: Audite quid dicat Apostolus, & nolite mirari; quia in columbæ

Rom. 8.

specie voluit demonstrari Spiritus sanctus: *Ipse Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Non in semetipso apud semetipsum gemit, sed in nobis gemit; quia gemere nos facit. Nec parua res est, quod nos docet Spiritus sanctus gemere: insinuat enim nobis, quia peregrinamur, & docet nos in patriam suspirare; & ipso desiderio gemimus, &c.

Spiritus S. docet nos gemere.

Chrysostomus homil. 26. in Genesim: Columba, ait, animal est mite, & nostra familiaritate gaudẽs; idcirco rediit ad Noe, &c. Similem in modum Spiritus sanctus mitissimus est, & hominum familiaritate gaudet. Idcirco, si homo pœnitentiam agat veram, protinus ad illum reuertitur.

Spiritus S. hominum gaudet familiaritate.

Confertur cũ columba Noe, colũba ad Christũ deuolans.

Idem Chrysostomus homil. 12. in Matth. columbam Spiritus sancti indicem antiquæ historiæ nos admonere, & Noeticam columbam in memoriam reuocare docet. Illa oliuæ ramum, nostra columba summæ misericordiæ oleum detulit; illa pacem, hæc & pacem & dona maxima orbi nuntiauit; illa optatum diluuij finem, hæc optatissimum mundi Redemptorem ostendit. Sed Chrysostomum audiamus: Quia, inquit, mansuetudinis est Spiritus; propterea in columbæ specie apparuit. Simul etiam veteris nos videtur admonere historiæ. Nam cum vniuersum orbem naufragium commune mersisset, istud animal apparuit, finemque illius tempestatis ostendit; atque ore ramũ portans oliuæ, pacem mundo redditam nuntiauit. Quæ omnia erant futurorum figura. Tunc enim multo erat hominum vita deterior, multoque maiori digna supplicio. Ne igitur ipse desperes, illius te historiæ confirmat admonitu. Nam tunc quoque desperatis omnino rebus liberatio facta atque correctio est. Sed tunc vtique per pœnam, modò verò per gratiam atque ineffabilem indulgentiam Redemptoris. Propterea & columba cernitur, nequaquam oliuæ ramum ferens, sed omnium Liberatorem nobis ostendens, spemque suggerens prosperorum: Non enim ex Arca vnum educit hominem Noe, sed postquam apparuit, vniuersum prorsus orbem attollit in cælum. Quæ certè pro oleæ ramo, omni generi hominum adoptionem detulit filiorum. Hactenus Chry-

Euthymius.

sostomus. Et Euthymius Matth. 3. Huius, ait, columbæ figura erat illa, quæ Noe finem diluuij nuntiauit. Quemadmodum enim tunc erat diluuium ab aqua; ita nunc à peccato. Et sicut illa denuntiauit cessationem illius diluuij; ita & ista huius præsentis. &c.

Auctor Imperf. hom. 4.

Auctor Imperfecti: Propterea, ait, Spiritum sanctum columbam elegisse, quòd caritatis maxime sit cultrix: Ideo, inquit, Spiritus sanctus speciem columbæ susceptit; quoniam præ omnibus animalibus hæc cultrix est caritatis, &c. Meritò sanè caritatis cultricem Spiritus sanctus elegit; siquidem Spiritus sanctus caritas & amor appellatur. Cultrices autem caritatis esse columbas indicant illarum oscula; indicant & D. Cypriani verba de Vnitate Ecclesiæ: Columba, inquit, simplex est animal, & lętum, non felle amarum, nõ morsibus sæuum, non vnguium laceratione violentum; hospitia humana diligere, vnius domus consortiũ nosse, cùm generant simul filios edere, cum commeant volatibus inuicem cohærere; communi conuersatione vitam suam degere, oris osculo concordiam pacis agnoscere, legem circa omnia vnanimitatis implere. Hæc est in Ecclesia noscenda simplicitas; hæc caritas obtinenda, vt columbas dilectio fraternitatis imitetur. Hæc Cyprianus.

Columba cultrices sunt caritatis.

Christianorum caritas & vnitas.

Aduerte autem hoc loco columbas, quas Syria aut Palæstina alit, vt Legionensis Cant. 1. ait, nostris esse pulcriores: oculos enim dicuntur habere pulcerrimos figura & splendore. Nec verò est hoc incredibile. Nam apud Indos columbæ sunt nostris forma præstantiores, de quibus in epistola, à quodam fide digno sacerdote missa, hæc legi: Ex regno, inquit, Sinde, quod à Chaule 130. leucarum spatio distat, magnæ ad me allatæ sunt columbæ, Lusitanis maiores, cristisque alaudarum instar decoræ; oculorum verò pulcritudine longè nostras superant: sunt enim formosissimi. Allati quoque sunt candidissimi turtures, suauissimum edentes cantum. Hæc idem. Columbarum oculos Scriptura commendat: *Oculi tui columbarum.* Appellantur autem oculi columbarum, Theodoreto in Cantica interprete, oculi spiritales: Spiritum enim sanctum columba designat. Sunt autem oculi spiritales, qui spiritaliter cuncta cernunt; qui ex temporariis & caducis rebus ad æternas mentem attollunt; qui mundum veluti Dei speculum intuentur. Commentarius trium Patrum apud Theodoretum hic est: Mentis oculi tui spiritales rebus sensui iucundis minimè decipiuntur; sed in iis tamquam in speculo reconditas pulcritudines intelligibiles contemplantur, &c.

Colũba Palæstina & Indica nostris sunt pulcriores.

Colũba Indica pulcra.

Turtures suauem edentes cantum.

Cant. 1.

Oculi colũbarum appellantur oculi spiritales.

Oculi spiritales qui.

Id quoque non lateat, columbas à Syris ac Palæstinis in honore habitas; vt colliges ex hoc Tibulli disticho:

Colũbas colebant Syri.

Quid referam, vt volitet crebras intacta per vrbes
Alba Palæstino sancta columba Syro?

Tibul. Eleg. 7. l. 1.

Diodorus enim Siculus libro 3. scribit fabulatos quosdam Semiramidem Assyriorum Reginam in columbam esse conuersam: Quo factum est, inquit, vt Syri columbam vt Deam colant; immortalem Reginam arbitrati. Lege Ouidij 4. librum Metamorph. Xenophon. lib. 1. de Expeditione Cyri minoris, paullò ante libri medium: Amnis, ait, Chalon, huius est latitudo passium 20. magnis ac mansuetis piscibus est refertissimus; quos Syri sacrosanctos habent, eosque violare æque ac columbas nefas putant, &c.

Hinc recens quædam emanauit interpretatio illius loci: *Si dormiatis inter medios cleros, penna columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri*: id est, etsi, instar dormientium segnes & languidi, inter medios hostium terminos degatis; Palæstinis tamen timori eritis ac religioni: nõ secus ac alba columba; cuius plumas nullus eorum audet vellere. Verùm simplicior & probabilior sensus est, cleros sumi eo loco pro sortibus Israëlitarum. κλῆρος enim Græcè sortem significat. Appellatur autem clerus siue sors terræ promissionis pars; quæ cuique tribui sorte obuenit. Vnde D. Petrus Ecclesias appellauit *cleros*, id est, sortes Dei: *Non dominantes*, inquit, *in cleris*, id est, Ecclesiis. Et in Genes. dicitur Issachar; *asinus fortis, accubans inter terminos.* Græce ἀνὰ μέσον τῶν κλήρων, quemadmodum in Psalmo 67. id est, accubans siue quiescens inter medios cleros, id est, inter medias sortes Palæstinæ. Ait ergo Dauid:

Psal. 67. Locus Psalmi 67. de colũba deargentata expenitur.

1. Pet. 5.

Gen. 49.

Si dor-

Spiritus S. caritas appellatur.

Si dormiatis vel dormieritis, vt vertit Hieronymus: id eſt, ſi quieſcatis vel quieueritis, inter medios cleros, id eſt, in medio veſtrarum ſortium, terræ promiſſionis; ſi in illis quiete habitaueritis; pennæ columbæ erunt deargentatæ, id eſt, candidiſſimæ; dorſumque illius aureum: hoc eſt, diues erit populus argento, auroque abundans; felix & ſimilis columbæ argenteo candore præſtanti, aureoque dorſi pallore pulcerrimæ, in ſuo habitanti columbario.

De Eccleſia verò hic eſt ſenſus: Si in Eccleſiam Meſſiæ Regis per baptiſmi ianuam ingrediamini, atque in ea conquieſcatis, ſimilis fiet per fidem caritate rutilantem anima, columbæ innocentiſſimæ, felle carenti ac pulcerrimæ; cuius pennæ, candore candidum argentum, poſteriora vero dorſi, pallore aurum imitantur. Qui extra Eccleſiam ſunt, corui ſunt: coruus enim *egrediebatur, & non reuertebatur*: ita hæretici, inſtar corui illius, extra arcam teterrimis hæreſeon alis euolant: ex Eccleſia egrediuntur, & multi non reuertuntur. Qui intra Eccleſiam ſunt, & gratia Dei illuſtrantur, columbæ ſunt; quarum pennæ ſunt deargentatæ, & poſteriora dorſi aureo colore rutilant. Alios loci huius ſenſus nunc omitto, hic ſit ſatis.

Geneſ. 8.

Nonnulli exiſtimarunt, Nabuchodonoſor, Babyloniorum Regem, columbæ effigiem in vexillo pictam geſtaſſe: id quod ex his verbis colligitur: *Facta eſt terra eorum in deſolationem à facie iræ columbæ*: id eſt, à facie exercitus Nabuchodonoſor. D. Hieronymus hoc loco: Non mirabitur, inquit, columbam Domini intelligi Nabuchodonoſor, qui ſupra, eodem capite, eum vocari ſeruum Domini legerit, &c. Cur autem columba dicatur non reddit rationem. Hugo vero Cardinalis: Forte, inquit, ideo, quia in vexillis Nabuchodonoſor & exercitus eius erat ſignum columbæ depictum, &c. Simili loquendi modo vtitur Ieremias: *Ceciditq; vir*, ait, *ad proximum ſuum: & dicent: Surge, & reuertamur ad populum noſtrum, & ad terram natiuitatis noſtræ, à facie gladij columbæ*. Quo loco ſcribit Lyranus: A facie columbæ, id eſt, exercitus Chaldæorum, ſic nominati; eo quod in antiquo eius vexillo erat ſignum columbæ, vt expoſitores noſtri dicunt, &c.

Ierem. 25.

Ierem. 46. Quanã dicatur ira columbæ apud Ieremiã, & quis gladius columbæ.

Hinc ducitur alia loci ſupra explicati explanatio: etſi dormiatis inter medios hoſtium terminos, & columba deargentatis & aureis pennis in hoſtium vexillo picta vos adoriatur; tamen Dominus ſpeciei domus, id eſt, ad pulcritudinem domus, dabit hoſtium diuidere ſpolia, &c.

Verùm gladius columbæ, non appellatur ſolùm gladius Nabuchodonoſor, ſed etiam gladius Perſarum. Non ergo propterea dicitur gladius columbę, quod in vexillo Nabuchodonoſor picta fuerit columba. Quòd autem gladius Perſarum gladius columbæ appelletur, ex eodem Ierem. probatur: *Diſperdite*, ait, *ſatorem de Babylone, & tenentem falcem in tempore meſſis: à facie gladij columbæ, vnuſquiſque ad populum ſuum conuertetur, & ſinguli ad terram ſuam fugient, &c.* Agitur hoc loco de expugnatione Babylonis, hoc ſenſu: Diſperdite, inquit, ô Perſæ, ipſos etiam agricolas & meſſores Babylonis. A facie gladij columbæ, ſcilicet Perſarum, qui Babylonem expugnabunt, milites, qui auxilium Babyloniis tulerint, in regiones ſuas fugient. Vides gladium Perſarum appellari gladium columbæ? Reſpondebis, non Perſarum, ſed Babyloniorum gladium appellari etiam illo loco gladium columbæ, hoc ſenſu. Tunc, cùm Babylon à Perſis capietur, à facie gladij columbæ, id eſt, à facie gladij Babyloniorum, populi captiui & Iudæi fugient, & in patriam reuertentur. At probabilius de Perſarum gladio locus exponitur. Nam gladius è Babyloniorum manu à Perſis victoribus erat extortus; non habebant iam Babylonij capta Babylone gladium, ſed Perſæ. Non ergo populi fugerunt à facie gladij Babyloniorum, ſed à facie gladij Perſarum. Non enim dicuntur captiui gladium fugere victum, ſed victorem. Præterea eiuſdem Ieremiæ ſimilis eſt locus ſupra citatus: *Multiplicauit ruentes, ceciditq; vir ad proximum ſuum: & dicent: Surge, & reuertamur ad populum noſtrũ, & ad terram natiuitatis noſtræ, à facie gladij columbæ*. De Nabuchodonoſore ſermo eſt Ægyptum percutiente: Cadent, ait, multi, & occidentur à Nabuchodonoſoris exercitu: & dicent milites Ægyptiorum: Diſcedamus in patriam, fugiamus gladium columbæ, id eſt, Babyloniorum. Quemadmodum hoc cap. 46. fugiunt milites gladium victorem: ita & capit. 50. Victor autem gladius cap. 50. eſt gladius Perſarum, & is dicitur gladius columbæ. Ergo gladius columbæ non dicitur ſolum gladius Babyloniorum, quòd pictam in vexillo columbam geſtarent.

Ierem. 46.

Ierem. 50.

Crediderim potius appellari gladium columbę, gladium columbinum; id eſt, gladium columbæ ſimilem, volatu, & percutiendi celeritate. Dicuntur ergo Ieremiæ cap. 46. & 50. milites fugere à facie gladij columbæ, id eſt, gladij volantis inſtar columbæ, & celeriter percutientis. Dicitur quoque *terra facta in deſolationem à facie iræ columbæ*, hoc eſt, à facie iræ volantis velociter, & irruentis.

Ierem. 25.

Diuus Gregor. Iob 40. ad illa verba: *Diſperge ſuperbos in furore tuo*: iram columbæ appellari putat, iram Dei; propterea quòd abſque vlla perturbatione iraſcatur. Columba, inquit Gregorius, valde ſimplex eſt animal; & quia in Deum nulla furoris inæqualitas ſerpit, furorem Domini iram columbæ nominauit Ieremias. Vt enim diuinæ diſtrictionis vim imperturbabilem demonſtraret, & iram dixit, & columbæ. Ac ſi apertius diceret; diſtrictum iudicium inconcuſſus exerit, qui permanens manſuetus iniuſtos punit, &c. Myſticus eſt ſenſus; ex quo diſce iram ſic frenare, vt non leonis ira ſit, ſed columbæ; hoc eſt, ab omni animi perturbatione & furore aliena. Sit ſine felle ira. Amor enim, vt ſupra dictum eſt ex Auguſtino, ſæuit ſine felle, more columbino, non coruino.

Ira Dei ira columbæ dicitur. Iob 40.

Ira hominis ſit ira colũbæ, nõ leonis

Denique aduerte diabolum, vt Euæ appareret, ſerpẽtem induiſſe; Spiritum verò ſanctum columbam elegiſſe. Vt qualis ſit diabolus, qualis etiam ſit Spiritus ſanctus, intelligamus. Diabolum ſerpentem callidiſſimum ac ſæuiſſimum; Spiritum ſanctum columbam mitiſſimam, omni felle carẽtem, omnique melle redundantem eſſe cognoſcamus. Sumpſiſſet quidem placidi alicuius animalis effigiem tartareus hoſtis, ſi Deus permiſiſſet; attamen non permiſit, vt Auguſtinus docet libro 11. de Geneſi ad litteram: Non debemus, inquit, opinari, quod ſerpentem diabolus elegerit: ſed cùm eſſet in illo decipiendi cupiditas, non niſi per illud animal potuit, per quod poſſe permiſſus eſt, &c. Cur autem decipere permiſſus ſit per ſerpentem, docet Hugo Victorinus: Diabolus, inquit, in aliena forma venire permiſſus eſt, ſed tali, in qua eius malitia prorſus non celaretur. Vt in propria forma non veniret, ſua voluntate factum eſt. Vt autem aliam formam niſi talem, quæ malitiæ ſuæ conueniret, habere non poſſet, diuina ordinatione diſpoſitum, &c. Par erat, vt inter inſtrumentum eiusque motorem proportio eſſet. Motor erat ſatanas verſutus, & veneno peccati plenus; inſtrumentum quoque ſerpens fuit calidus & venenatus. Columba, vt inſtrumento ſuæ nequitiæ vti non decuiſſe, docet idem Hugo eodem loco: Fortaſſis, ait, ſi permiſſus fuiſſet diabolus, in forma columbæ venire maluiſſet. Sed hoc vas Spiritus ſanctus ſibi reſeruauit: quia

Diabolus non eſt permiſſus aſſumere placidi animalis, cùm Euam tentauit.

Hugo Victorin. l. 1. de Sacram. part. 7. c. 2.

Diabolus non eſt permiſſus figuram aſſumere columbæ.

quia profectò dignum non erat, vt Spiritus malignus illam formam homini odiosam faceret, in qua postmodum idem Spiritus sanctus apparere debebat, &c. Idem leges apud Magistrum 2. dist. 21.

Cur voluerit Christus baptizari in Iordane?

Cur in Iordane baptizari Christus voluerit, rogabit aliquis. Cui respondemus: in Iordane voluisse baptizari, eo quòd in Iordane Ioannes tunc temporis baptizaret. Erat enim locus baptismo propter aquarum affluentiam accommodatissimus. Sunt aliæ huius rei allegoricæ rationes, quas reddit D. Thomas 3. p. q. 39. art. 4. Fluuius, ait, Iordanis fuit, per quem filij Israël in terram promissionis intrauerunt. Hoc autem habet baptismus Christi, quòd introducit in regnum Dei, quod per terram promissionis significatur. Vnde dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Ad quod etiam pertinet, quòd Elias 4. Regum 2. diuisit aquas Iordanis, quando erat in curru igneo rapiendus in cælum; quia scilicet, transeuntibus per aquam baptismi, per ignem Spiritus sancti patet aditus in cælum. Hæc D. Thom. Et D. Ambrosius ser. 21. *Iordanis*, inquit, *conuersus est retrorsum*. Puto autem esse mirabilius, quod Domino ibi posito, factum est. Ante enim aquæ retrorsum conuersæ fuerunt; modo peccata retrorsum conuersa sunt. Et sicut tunc impetus fluminis alueum sui cursus perdidit: ita & nunc impetus peccatorum dominium erroris sui amisit. Quod quidem in Propheta Elia iam illo in tempore factum puto. Sicut enim Elias in Iordane diuisionem fecit vndarum, ita & Spiritus Domini in eodem Iordane separationem operatus est peccatorum. Ille stare fluenta præcepit; hic crimina, &c. Videlicet per baptismi institutionem.

Ioan. 3.

Psal. 113.

Baptismus Christi eius est natalis.

Diuus Augustin. sermon. 36. de Epiphania, diem quo Christus est baptizatus, Christi alterum natalem diem appellat; & cum die illo, quo in hanc lucem felicissimè editus ex Virgine est, confert: Natalis, inquit, hodie alter est quodammodo Saluatoris. Nam iisdem eum signis, iisdem miraculis cognoscimus genitum; sed nunc maiori mysterio baptizatum. Denique Spiritus sanctus, qui tunc illi in vtero affuit, modo eum in gurgite circumfulsit: qui tunc Mariam castificauit, nunc fluenta sanctificat. Pater, qui tunc obumbrauit in virtute, nunc clamat in voce: & quasi maturiore consilio, qui tunc vmbram præstitit natiuitati, modo testimonium perhibet veritati. Ait enim Deus: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Hæc ille. Quod si quæras ab Augustino, vtra natiuitas præclarior fuerit? His verbis respondet: Præclarior est secunda, quàm prima natiuitas. Probat sic: illa enim sine teste, silentio Christum genuit; ista cum diuinitatis professione Dominum baptizauit. Ab illa se Ioseph, qui pater putabatur, excusat; in hac se Pater, qui non credebatur, insinuat: ibi laborat suspicionibus Mater; quia professioni deerat Pater: hic honoratur Genitrix; quia diuinitas Filium protestatur. Honoratior, inquam, secunda, quàm prima natiuitas: siquidem Pater hic Deus maiestatis inscribitur; illic Ioseph artifex æstimatur. Et licet in vtraque Dominus per Spiritum sanctum & natus sit, & baptizatus: tamen honoratior est, qui de cælis clamat, quàm qui in terris laborat, id est, Ioseph. Hæc Augustinus. Et D. Ambr. serm. 1. de Epiphania. Hanc festiuitatem, id est, baptismi, natalem appellandam puto. Tunc enim, id est, in die natiuitatis, natus hominibus, hodie renatus est Sacramentis. Tunc per Virginem editus: hodie per mysterium generatus. Cùm secundùm hominem nascitur, Mater eum sinu circumfouet: cùm secundùm mysterium gignitur, Pater eum Deus voce complectitur; &c. Similiter Origenes: Christus baptizatus est, inquit, & mysterium secundæ generationis assumpsit: vt tu quoque priorem natiuitatem destruas, & in secunda regeneratione nascaris, &c. At verò noster baptismus propriè regeneratio & natiuitas appellatur: quoniam proprie per aquam & Spiritum sanctum regeneramur, & filij Dei renascimur. Christi verò baptismus impropriè vel natiuitas, vel regeneratio nominatur. Aquæ enim quædam fuit asperfio, per quam nulla gratia, nullum donum, nulla regeneratio aut natiuitas, Christo est collata: sed æterna generatio & natiuitas voce Patris patefacta: & Spiritus sancti eximia dona per columbam significata.

Matth. 3.

August.

Ambros. ser. 1. de Epiph.

Orig. hom. 28. in Luc.

Christi baptismus non fuit natiuitas aut regeneratio.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

De deserto & tentationibus Christi.

MATTH. CAP. IIII.

TVNC IESVS ductus est in desertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo. Et cùm ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit. Et accedens tentator, dixit ei: Si Filius Dei es, dic, vt lapides isti panes fiant. Qui respondens, dixit: Scriptum est: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum templi, & dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: Quia Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi IESVS: Rursum scriptum est: Non tenta-

tentabis Dominum Deum tuum. Iterum aſſumpſit eum diabolus in montem excelſum valde, & oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me. Tunc dicit ei IESVS: Vade ſatana: ſcriptum eſt enim, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Tunc reliquit eum diabolus: & ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.

MARC. CAP. I.

ET ſtatim Spiritus expulit eum in deſertum; & erat in deſerto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: & tentabatur à ſatana: eratque cum beſtiis, & Angeli miniſtrabant illi.

LVC. CAP. IIII.

IESVS autem plenus Spiritu ſancto regreſſus eſt à Iordane: & agebatur à Spiritu in deſertum diebus quadraginta, & tentabatur à diabolo: & nihil manducauit in diebus illis. Et conſummatis illis, eſuriit. Dixit autem illi diabolus: Si Filius Dei es, dic lapidi huic, vt panis fiat. Et reſpondit ad illum IESVS: Scriptum eſt, quia non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo Dei. Et duxit illum diabolus in montem excelſum, & oſtendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis, & ait illi: Tibi dabo poteſtatem hanc vniuerſam, & gloriam illorum: quia mihi tradita ſunt; & cui volo, do illa. Tu ergo ſi adoraueris coram me, erunt tua omnia. Et reſpondens IESVS dixit illi: Scriptum eſt, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Et duxit illum in Ieruſalem, & ſtatuit eum ſuper pinnam templi, & dixit illi: Si Filius Dei es, mitte te hinc deorſum. Scriptum eſt enim, quòd Angelis ſuis mandauit de te, vt conſeruent te: & quia in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Et reſpondens IESVS ait illi: Dictum eſt, Non tentabis Dominum Deum tuum. Et conſummata omni tentatione, diabolus receſſit ab illo, vſque ad tempus.

HACTENVS de baptiſmo dictum. Nunc ea, quæ Dominus poſt baptiſmum admirabiliter geſſit ac dixit, enarrare aggredimur. Ita verò enarrabimus, vt ſingulis annis propria geſta ac dicta, vſque ad Crucem aſſignemus; vnde, in quem annum ſingula inciderint, facile pateat. Primus igitur annus poſt baptiſmum Chriſti, à deſerto & tentationibus exordium ducit. Non enim cœpit Chriſtus poſt baptiſmum protinus concionari; prius ſe in vaſtam ſolitudinem recepit, vitamque ab omni hominum conſpectu ac colloquio ſeiunctam, quadraginta dierum ſpacio, perpetuo in ieiunio traduxit. Cum diabolo deinde maieſtatis diuinæ ſcrutatore conflixit; triumphoque reportato diſceſſit.

Initium primi anni poſt baptiſmum Chriſti.

Abdidit verò ſe in eremum, ſtatim poſt baptiſmum; quod ſignificat D. Matthæus particula, *Tunc*, vt docet Chryſoſt. homil. 13. Iſtud, inquit, *Tunc*, ad illud procul dubio tempus aptandum eſt, quo deſcendit Spiritus ſanctus; cùm etiam deſuper delata vox ait: *Hic eſt Filius meus*, &c. Et D. Marc. *Statim*, inquit, ſcilicet, poſt baptiſmum, *Spiritus eum expulit in deſertum*. Lucas item: *Plenus Chriſtus Spiritu ſancto, regreſſus eſt à Iordane, & agebatur à Spiritu in deſertum*. Diximus ſexta Ianuarij die baptizatum Chriſtum; eadem ſexta die ab Spiritu in deſertum ductus eſt. In eo quadraginta dies vſque ad 15. diem Februarij perpetuum ieiunium ſeruauit.

Matth. 4. Chriſtus ſtatim poſt baptiſmũ eremũ petiuit, ſexta die menſis Ianuarij. Marci 1. Luca 4.

Marcus addit: *Eratq; cum beſtiis*; vt loci ſolitudinem indicaret. Græcè habetur, μετὰ τῶν θηρίων, id eſt, cum feris: ſignificat enim, θηρίον, beſtiam, feram, & venenatam beſtiam, vt viperam. In eremo autem illa, magni nunc cernuntur, atri, horribilesque lacerti, vt ſcribit Aranda, cap. 27. Euſebius libr. 9. de Demonſtrat. Euang. cap. 7. beſtiis his dæmonas putat ſignificari: Fuit, ait, Chriſtus cum beſtiis: ſed quæ hæ beſtiæ, niſi quas commemorat Pſal. vbi ait: *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*. Item: Quoniam in tentatione cum feris verſabatur, vt Euangeliſta eſt auctor: cum quibus autem non deſcriptum eſt palàm: eam rem Pſalmi vaticinium, dum genera ferarum commemorat, manifeſtius loquitur, his verbis: *Super aſpidem & baſiliſcum aſcendes, & conculcabis leonem & draconem*. Vbi aſpidem & baſiliſcum, ipſum vtique diabolum, & qui ipſum ſequuntur principatus, malasque poteſtates, conculcaturum affirmat, &c. Sed germano ſenſu de feris, beſtiis, non de dæmonibus locus explicatur à Beda, Theophylacto, Euthymio, & aliis.

Quibuſnam cum beſtiis fuerit Chriſtus in deſerto? *Pſalm. 90.* *Ibidem.*

Eſt autem eremus hæc, in quam Chriſtus diſceſſit, mons arduus, non longè diſtans à loco, in quo eſt à Ioanne baptizatus. Locus in quo eſt baptizatus, vt docet D. Bonauentura, de vita Chriſti cap. 16. diſtat ab Ieruſalem decem & octo milliaribus. Mons autem ieiunij à loco baptiſmi ſeiunctus eſt, eodem D. Bonauentura teſte capite. 17. milliaribus ferè quatuor; teſte autem terræ ſanctæ exploratore Aranda, cap. 27. à Iericho duobus tantùm milliaribus

De loco in quo Chriſtus ieiunauit.

Marci 1.

bus ſeparatur. Appellatur hoc tempore Quarantana,ob ieiunium Chriſti quadraginta dierum.Propè
4. Reg.2. minori,quàm milliaris vnius ſpatio diſtans fons ille cernitur,cuius aquas Eliſæus ſale iniecto ſanaſſe
Borchar. 1. p.c.7.§.28. dicitur.Sed Borchardum teſtem oculatũ audiamus: Ex Galgala, inquit,ad dimidiam leucam,tendendo in Iericho ad dexteram iuxta viam,eſt mons dictus Quarantana: vbi Saluator mundi quadraginta diebus & noctibus cibum nullum ſumpſit. Altus eſt nimis, & aſcenſu difficilis. Sub Quarantana, ferè iactu duorum arcuum, oritur fons Eliſæi, &c.

Itaque Dominus non in Galilæa, ſed in Iudæa prouincia, quadraginta illos dies egit, prope Ieri-
Adrichom. cho,non longe ab Ieruſalem. Adrichomius in deſcriptione tribus Beniamin numer.97.ait, Quarantanam appellari, & montem, in quo Chriſtus ieiunauit, & deſertum propinquum, quod inter Iericho & Ieruſalem interiacet: Quarantana,inquit, deſertum eſt,inter Ieruſalem & Iericho; incipit ab Anathoth, & extenditur vſque ad deſertum Thecuæ & Engaddi, iuxta mare mortuum. Hîc commoratus eſt Ioannes Baptiſta,ibique in eius memoriam exſtructa fuit Eccleſia & monaſterium. Ibi venientem ad ſe, vt baptizaretur, Chriſtum demonſtrauit Ioannes digito. In hoc Chriſtus ieiunauit,&c.Et numero ſequenti: Quarantana,ait,mons eſt altus & aſcenſu difficilis, in quo tentatus primùm eſt Dominus. In huius montis cacumine ſacellum eſt ruinoſum, ieiunio & oratione Chriſti venerabile. Hæc ille.

Ductus eſt à Spiritu. Omnipotens Spiritus in effigie columbæ ſacroſancto Chriſti vertici poſt baptiſmum inſedit; moxque illum cæleſtis Motor,non ad delicias popularesque tumultus, ſed
Luce 4. ad ieiunium & eremum mouit. *Agebatur*,ait Lucas,
Marci 1. *à Spiritu in deſertum.* Marcus: *Spiritus*, inquit, *expulit eum in deſertum.* Impetum indicat Spiritus, Chriſtum in ſolitudinem mouentis. Neſcit enim tarda molimina Spiritus ſancti gratia; vt ait Ambroſius
Pſal. 45. Lucæ 1. Huius *fluminis*, id eſt, Spiritus, impetus, *ciuitatem illam Dei*,id eſt,humanitatem,perpetuò *letificabat; & agebat.* Si enim, vt Paullus ait, *Filij Dei*
Rom. 8. adoptiui *Spiritu Dei aguntur*, id eſt, mouentur,&
Chriſtus qua homo à Spiritu ſancto agebatur. diriguntur; multo maiori alacriorique impetu Filius naturalis,quà homo, ab eodem Spiritu agebatur,& mouebatur. Origenes homil. 29. in Lucam. Accepto baptiſmo Saluator plenus Spiritu ſancto, qui ſuper eum in ſpecie columbæ de cælis venerat, ducebatur à Spiritu. Quia enim quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filij ſunt Dei; iſte autem extra omnes propriè Filius Dei erat; ideo & ipſum oportebat Spiritu ſancto duci,&c. Quemadmodum elementa motori reſiſtunt, cæli minimè; ita nos Spiritui mouenti ſæpè impedimenta opponimus; nec quò ducit alacriter ſequimur. At celſiſſimum illud cælum, id eſt, Chriſtus, tanto motori nullo vnquam modo obſtitit.

Spiritus S. eſt magiſter optimus, atque doctiſſimus. Euthymius Luc.4. Chriſti, qua homo eſt, magiſtrum appellat Spiritum ſanctum; propterea quòd in eo ſemper permanſerit, illiusque actiones ſemper direxerit. Scire oportet, ait Euthymius, quòd humanitas Saluatoris, tamquam magiſtrum habuit Spiritum ſanctum. Non quòd vnita ſibi diuinitas non ſufficeret.Sed quemadmodum Patris beneplacito incarnatus eſt; ita,cooperatione Spiritus ſancti, totius vitæ ipſius curriculum peractum eſt, &c.

Chriſtus in deſertũ ductus eſt à Spiritu ſancto, non à dæmone. Ductum autem Dominum à Spiritu ſancto in deſertum,non autem à ſpiritu tartareo, communis eſt omnium interpretum ſententia, Hieronymi Matth.4. Origenis homil.29. in Lucam, Chryſoſtomi homil.13.in Matthæum, Theophylacti, Euthymij, Bedæ, Gregorij homil. 10. in Euangelia, & aliorum. Quamuis autem tota Trinitas Chriſtum, quà homo eſt, ad deſertum petendum mouerit; tamen motus à Spiritu ſancto per attributionem dicitur. Spiritui enim ſancto inſpirationes ſanctæ, ſanctique motus tribuuntur; etſi à tota Trinitate proficiſcantur. *Sancta inſpirationes tribuuntur Spiritui S.*

Vt tentaretur à diabolo. Ingreſſus eſt Dux fortiſſimus certaminis locum, ducente fortiſſimo Spiritu, vt cum tartareo duce congrederetur. Nihil illi timoris, nihil de reportanda victoria dubitationis inerat. Tentationum enim exitus latet nos, illi apertus erat. Dicitur autem à Spiritu ductus, vt tentaretur (quod obſeruat Chryſoſtomus homil. 13. in Matth.) ne quis vltrò tentationibus ſe offerre audeat: Propterea,ait, Chriſtum à ſancto Spiritu ductum eſſe commemorat Euangeliſta, vt nos apertiſſimè ſignatum eſſe videamus; quia non ſponte nos ipſos in tentationes oporteat inſilire: ſed,ſi conſtricti fuerimus, viriliter repugnare. Et Theophylactus Marci primo: Ducitur, inquit, à Spiritu ſancto, demonſtrans nobis non temerè nos in tentationes proiicere debere; ſed ferre, ſi imperamur, &c. *Nemo ſe vltro tentationibus offerat.*

Sed quorſum opus fuit Chriſtum ſecedere in eremum, vt tentaretur à diabolo? Numquid non poterat à diabolo in vrbe tentari vel opido? Poterat quidem; ſed in vrbe vel opido non tantam haberet tentandi anſam. Vt enim ait diuus Chryſoſtomus homilia 13. in Matthæum. Tunc diabolus maximè aliquos aggreditur, cùm ſolos viderit, atque ab aliis ſegregatos. Quando videt aliquos copulatos, non ſimiliter audet accedere. Vnde infert & addit: Maximè oportet frequenter nos aliis aggregari, vt non facile in diaboli captionem pateamus, &c. Aliis, inquam, viris probis ac doctis, à quibus ad vincendas tentationes conſiliis precibusque muniamur. Theophylactus Matthæi quarto: Ducitur,inquit, Chriſtus in deſertum, vt oſtendat nobis, quòd diabolus tentet nos, quando viderit ſolitarios, & non ab aliis adiutos, &c. Auceps auibus laqueos in deſertis parat locis, neminem prope illos ſtare vult; omnes ſilere iubet, ne aut voce, aut ſtrepitu, aucupio officiant. Sic diabolus tentationes in ſolitudine ſtruit; neminem iuxta vult comparere, qui tentatum, precum, conſiliorumque ſtrepitu abducat. *In deſerto maior eſt tentationũ anſa.* *Oportet viros aggregari probis, qui opem teniatis ferant.* *Diabolus eos decipit, qui ab aliis non iuuantur.*

Rogabis, tentaritne diabolus Chriſtum, quamdiu in ciuitate Nazareth cum Matre ſanctiſſima vitam duxit? Tentaſſe ait Druthmarus in Matth. 4. Poſtquam, inquit, Dominus iuuenis factus eſt, adhæſit illi diabolus tentando; ſicut & reliquos homines. Sed nunc, id eſt, in deſerto, inſtauratis armis, fortius bellum aggreſſus eſt: ſicut tradunt Doctores. Hæc ille. Hoc ſuadet diaboli mos: neminem enim non tentat in omni ætate peccati capace. Præterea, iuſtos ſanctosque viros maximè oppugnat, vt Iob aliosque ſimiles. Cùm igitur Chriſtus ſanctiſſimè viueret; credibile eſt à dæmone fuiſſe oppugnatum. Accedit illud Paulli: *Non habemus pontificem qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris: tentatum autem per omnia, abſque peccato*, &c. Crediderim, diabolum ſæpe conatum eſſe inuiſibili modo Chriſtum tentare; ſed cùm inuiſibiliter nihil proficeret, formam, in qua tentaret in deſerto, ſuſcepiſſe viſibilem. Nihil autem proficiebat diabolus inuiſibiliter tentans; quia, vt infra dicemus, Chriſtum non poterat per carnem ſanctiſſimam, aut per cogitationem aliquam in animum immiſſam tentare. Opus ergo fuit formam aſſumere ſub aſpectum cadentem, in qua colloqui cum illo poſſet. *An diabolus Chriſtũ in vrbe tẽtarit?* *Hebr. 4.*

Aliæ

Causæ, ob quas Christus in desertum abierit.

Aliæ quoque fuere huius secessus in desertum rationes. Prima, ieiunium: voluit enim Christus in vasta illa solitudine ieiunium quadraginta dierum seruare; & Ecclesiæ seruandum relinquere. Secunda, rerum diuinarum ab omni hominum conspectu ac colloquio separata contemplatio. Quamuis enim in vrbibus & medio foro posset Christus contemplationi perfectissimè vacare; tamen etiam ipsum locum illi congruentem voluit eligere: Tertia, vt iis, qui docendo populo operam nauant, ostenderet, vndenam suæ doctrinæ initium debeant facere; videlicet ab hominum secessu, futurarumque rerum consideratione.

Cõcionator secedat à populo.

Hac de re præclare scribit Abulensis Episcopus Matthæi 4. quæst. 5. Christus, inquit, nunc prædicare intendebat. Ideo voluit omnia facere, quæ prædicatores facere deberent, antequam prædicarent; & etiam postquam prædicare cœperunt. Prædicator enim debet interdum abstrahere se à populo, &c. Cur autem concionator à populo secedere debeat, rationes reddit huiusmodi. Primò, inquit, propter auctoritatem verbi Dei; quia, si concionator populo familiaris fuerit, contemnetur verbum eius; cùm familiaritas nimia generaliter contemptum pariat: & maximè apud indoctos viros, parumque virtutis, qui, ea quæ insolita sunt & rara apud ipsos, iudicant esse aliquid excelsum, & supra se: quòd verò in assiduam venerit conuersationem, pro nihilo reputant. Ideo cuilibet, qui vult honorare verbum Dei in ore suo, necesse est multum se sequestrare à conuersatione populi. Secundò, vt per conuersationem non contrahat mores populi. Communitas enim imperfecta est: perfectio autẽ, immo aliqua vera bonitas, apud paucissimos est: Est autem naturale, quod quis contrahat mores eorum, cum quibus assiduè conuersatur. Si prædicator assiduè versetur cum populo, verisimilius est, eum descendere ad mores populi, quàm populum ascendere ad mores eius. Quia facilius est. Tertiò, quia vita prædicatoris mixta est ex contemplatiua & actiua. Contemplatio autem solitudinem requirit. Qui verò assiduè conuersatur ad populum, licet prædicet, solam actiuam vitam agere vult: vnde officium & statum prædicatoris non integrum gerit. Quartò, quia quæ prædicat concionator, oportet vt consideret in lege Dei die ac nocte: ne conuertatur ad fabulas inanes. Hæc omnia Abulensis.

Rationes cur concionator à populi familiaritate debeat recedere.

Religiosus vir similis picturæ.

Congruit omni concionatori id, quod de monacho Cardinalis Petrus Damiani scribit, in Apologetico de Contemptu sæculi, capite 26. Apud sæculares, inquit, ille religiosus quisque veluti pictura est. Pictura, namque, si procul assistat, inhianter & cum auiditate prospicitur; si iuxta sit, contemptibilis iudicatur. Et spiritualis quisque carnalibus absens quidem timori, præsens autem videtur esse despectui, &c.

Cum populo igitur ita concionator agat, vt conciones exemplo corroboret. Postea domum repetens, Scripturæ sanctorumque Patrum lectioni studeat: rerum diuinarum contemplationi diutius vacet: hisque ex fontibus purissimis, quæ effundat, copiosè hauriat. Animalia illa Ezechielis mystica *ibant & reuertebantur*. Ire oportet ad concionandum: sed & reuerti ad orandum: egredi necesse est ad effundendum: sed & redire ad hauriendum. Vtraque enim vita concionatori est necessaria, agens & contemplatrix. Ille enim prædicator, ait Magnus Gregorius Iob 39. ad illa verba, *Suscitabis eum quasi locustas*, ad perfectionis culmen erigitur, qui non actiua solummodo, sed etiam contemplatiua vita solidatur, &c. Et ad illa verba: *Ingredieris in abundantia sepulcrum*: Perfectus, ait, concionator non est, qui vel propter contemplationis studium operanda negligit; vel propter operationis instantiam contemplanda postponit. Hinc est quòd Redemptor per diem miracula in vrbibus exhibet: & ad studium orationis in monte pernoctat. Vt perfectis videlicet concionatoribus innuat, quatenus nec actiuam vitam amore speculationis funditus deserant; nec contemplationis gaudia penitus operationis nimietate contemnant: sed quieti contemplantes sorbeant, quod occupati erga proximos loquentes refundant, &c. Item eodem loco: *Numer.* Bis tinctus coccus offerri præcipitur; vt, videlicet, ante interni iudicis oculos caritas nostra Dei & proximi dilectione coloretur. Quatenus conuersa mens, nec sic pro amore Dei quietem diligat, vt curam proximorum vtilitatemque postponat; nec sic pro amore proximi occupationi inseruiat, vt quietem funditus deserens, in se superni amoris ignem exstinguat. Hactenus ille.

Ezech. 1.

Iob 39. Vita actiua & contẽplatiua est necessaria cõcionatori. Iob 1.

Ad concionandum ait Bernardus vocari contemplatorem illis verbis: *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea.* Vocatur amica, sponsi contemplatione; vocatur columba, ex foraminibus petræ, ex cauerna maceriæ, in qua orationi vacans delitescit; vocatur formosa, caritatis Dei & proximi pulcro colore colorata. Sermone 58. in Cantica: Vineæ, ait Bernardus, animæ sunt, vel Ecclesiæ. Ad has reuisendas, corrigendas, instruendas, saluandas, anima perfectior inuitatur. Quæ tamen id ministerij sortita sit, non sua ambitione, sed vocata à Deo, tamquam Aaron. Porrò inuitatio ipsa quid est, nisi intima quædam stimulatio caritatis, piè nos sollicitantis æmulari fraternam salutem, decorem domus Dei, incrementa lucrorum eius, laudem & gloriam nominis eius? &c. Et sermon. 57. Habes, ait, tria hæc, id est, prædicationem, orationem, contemplationem, in tribus designata vocabulis; scilicet, *Amica mea, columba mea, formosa mea.* Etenim merito amica dicitur, quæ sponsi lucra studiosè ac fideliter prædicando, consulendo, ministrando, conquirit. Meritò columba, quæ nihilominus pro suis dilectis in oratione gemens & supplicans, diuinam sibi non cessat conciliare misericordiam. Meritò quoque formosa, quæ cælesti desiderio fulgens, supernæ contemplationis decorem se induit, horis dumtaxat, quibus commodè & opportunè id potest, &c. Et infra: Perfectus, inquit, omnis reputabitur, in cuius anima tria hæc congruenter atque opportunè concurrere videbuntur; vt & gemere pro se, & exultare in Deo nouerit: simul & proximorum vtilitatibus potens sit subuenire; placens Deo, cautus sibi, vtilis suis, &c.

Cant. 2.

Anima perfecta ad cõcionandum inuitatur.

Eodem sermone docet Bernardus, veram contemplationem, ad concionandum, & animarum lucra comparanda, animum contemplatoris incendere: ipsum verò contemplatorem à contemplatione ad concionem exire: à cõcione verò ad contemplationem redire. Audit, inquit sponsa, vt surgat & properet: haud dubium, quin ad animarum lucra. Hoc siquidem vera & casta contemplatio habet, vt mentem, quam diuino igne vehementer succenderit, tanto interdum repleat zelo & desiderio acquirendi Deo, qui eum similiter diligant; vt otium contemplationis, pro studio prædicationis, libentissimè intermittat. Et rursum potita votis aliquatenus in hac parte, tantò ardentius redeat in idipsum, quantò se fructuosius intermisisse meminerit. Et item sumpto contemplationis gustu, valentius ad conquirenda lucra solita alacritate recurrat, &c.

Bernard. Contẽplatio animũ contemplatorũ ad animarum lucra incendit.

Contemplationis gustus excitat ad animarum lucra.

Denique oportere concionatorem à concionibus

Cõcionator instar fluminis ad locum redeat, vnde exit, vt iterũ fluat. Eccle. 1.

bus ad contemplationem recurrere, Magnus Gregorius egregie docet, fluminum exemplo; quæ ad locum, vnde exeunt, reuertuntur, vt ait Ecclesiastes. Bene per Salomonem dicitur, ait Gregorius homil. 5. in Ezechielem: *Ad locum, de quo exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant*: siue enim in virtutibus, siue in doctrina, quid aliud sunt viri sancti, quàm flumina, quæ terram cordis carnalium aridam irrigant? Sed siue in operatione, quam faciunt, siue in doctrinæ verbis citius siccarentur: nisi per intentionem cordis, semper sollicite ad locum, de quo exeunt, redirent. Si enim introrsus ad cor non redeant, ac se in amore Conditoris desideriorum vinculis non astringant; & manus ab eo quod agebat deficit: & lingua ab eo quod loquebatur aresB cit. Sed intus semper per amórem redeunt: & hoc quod in publico operantes atque loquentes fundunt, in secreto suo de fonte amoris hauriunt: amando enim discunt, quod docendo proferunt. Ad locum ergo, de quo exeunt, flumina reuertuntur, vt iterum fluant: quia aquam sapientiæ inde semper hauriunt, vnde oritur: ne, cùm cucurrerit, exsiccetur, &c. Huius rei hoc loco habemus Christi exemplum, qui antequam docere palam inciperet, contemplationi quadraginta dies vacauit. Quicumque ergo concionantur, hoc Christi exemplum sectentur: concionem oratio atque contemplatio præcedat. Sumpto enim contemplationis & orationis gustu, vt cum Bernardo loquar, valentius ad animarum lucra conquirenda egredientur. C Mirum enim ad concionandum robur rerum diuinarum consideratio affert: iuxta illud: *Animalia ibant, & reuertebantur, in similitudinem fulguris coruscantis.* Quid fortius fulgure?

Cõcionatores de fonte amoris hauriunt, & amando discunt, quod docent.

Ezech. 1.

Quod de concionatoribus diximus, idem suo modo ceteris congruit Christianis; quibus Christus præbet exemplum, vt ab hominum commercio ac tumultu sæpe recedentes, humanis negotiis, quæ animo offundunt tenebras, contemplationis lucem adhibeant. Nazianzenus Gregorius: Christus, inquit, vt actiones multitudini hominumque frequentiæ; ita preces quieti, locisque ab hominum commercio semotis, fere tribuebat. Quid per hoc sanciens, ac velut lege lata statuens? Nempe, D nobis quoque nonnihil quiescendum esse: vt animo minimè turbido cum Deo versemur: mentemque à rebus vagis & incertis paullum reducamus. Neque enim ille secessione opus habebat: verum vt & actionis & sublimioris occupationis tempus esse disceremus, &c.

Nazianz. orat. 27.

A negotiis in contemplatione rerum æternarum secedere oportet.

Christus exemplo vitã solitariam cõprobauit.

Quarta ratio, cur in desertum Dominus abierit, est, vt solitariam vitam suo exemplo comprobaret: quæ ex mundi huius procellis hominem liberatum ad quietis tranquillitatisque portum feliciter ducit; vbi consuetudine non hominum, sed Angelorum fruitur: & perpetua Dei contemplatione pascitur. Qualis autem hæc vita sit, Nazianzenus docet: Ad vim, ait, afferendam, nosque ab arce nostra E extrahendos, hoc est, à solitudine, quam ex omnibus rebus maximè complexus eram, ac velut sociam, & administram, diuinæque ascensionis Matrem, ac Deum ex homine efficientem, mirificè suspexeram, totiusque vitæ ducem & moderatricem mihi statueram; prompti celeresque fuistis, &c. Et Oratione 1. Non tuli, inquit, me in medios tumultus impelli; ab hacque vita, id est, solitaria, perinde atque asylo quodam, per vim auelli, &c. Arx est solitudo & asylum, hominemque Angelum terrenum, siue ex homine Deum efficit. Efficit etiam animum, vt ait eodem loco Gregorius, purum speculum. Etenim, quemadmodum speculum fumo halituque hominum inficitur; sic animus sæcularibus curis hominumque colloquio ac conspectu contaminatur. Si à fumo halituque recedat speculum, purum erit; ita si ab hominibus homo recedat, & ad Deum accedat; purissimus fiet, instar Angeli & Dei.

Nazianz. orat. 2.

De vita solitaria.

Qui in communi societate nequit esse, dixit Arist. quique nullius indiget, propter sufficientiam; nulla is ciuitatis pars est, ὥστε, ἢ θηρίον, ἢ θεὸς, id est, quare aut fera bestia, aut Deus est, &c. Bestia quidem erit, si μισάνθρωπος sit; id est, si homines ferino ritu oderit. At nostri anachoritæ, cùm propter Deum fugiant homines, quos valde amant; Dij sane quidam terrestres erunt, hoc est, Dei in sua æternitate imitatores. Quemadmodum enim Deus, antequam mundum conderet, absque mundo & absque creaturis omnibus beatissimam vitam se ipso satiatus agebat: ita felix anachorita, Deo similis, solus ipse, absque hominibus, caducisque omnibus rebus, vitam felicissimam, Dei contemplatione contentus, traducit; & per desertum in Deum veloci gressu ascendit, iuxta illud: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij.* Per desertum enim anachorita in cælum ascendit, suspiriis, gemitibus, cordis desideriis vehementibus; quemadmodum virgula, vel nubes fumi, ex thure & aliis odoratis aromatibus, cùm incenduntur, solet ascendere.

Aristot. 1. polit. c. 2.

Anachoritæ Deo similes, Deo solo cõtenti viuũt.

Cant. 3.

Anachoritæ ascendunt per desertũ sicut virgula fumi odoratis.

Verùm non cuiuslibet est solitaria vita, sed militis veterani ac perfecti monachi; quòd docet D. Hieronymus in epist. ad Rusticum, capite 4. De ludo, inquit, monasteriorum huiuscemodi volumus egredi milites; quos eremi dura rudimenta non terreant. Qui specimen conuersationis suæ multo tempore dederint; qui omnium fuerint minimi, vt primi omnium fierent. Quos neque esuries aliquando, neque saturitas superauit. Qui paupertate lætantur; quorum habitus, sermo, vultus, incessus, doctrina virtutum est, &c. Lege Cassianum collatione 19. & D. Basilij epistolam ad Chilonem, & tractatum de laudibus vitæ solitariæ.

Non est cuiuslibet solitaria vita.

Voluit autem Dominus statim post baptismum tentari, vt intelligamus diabolum baptizatos maximè tentationibus impetere. Hanc rationem Patres hoc loco reddunt. D. Hilarius: Tentatur, ait, Dominus statim post baptismum; tentatione sua indicans, in sanctificatis nobis maximè diaboli tentamenta grassari. Quia victoria est ei magis exoptata de Sanctis, &c. Chrysostomus hom. 13. Cum diabolo, inquit, patitur Christus certamen inire; vt vnusquisque, cùm fuerit baptizatus, si post baptisma maioribus tentationibus vrgeatur, non vtique turbetur, quasi insperatum sibi aliquid obuiauerit: sed permaneat, cuncta viriliter sustinendo; vtpote quæ sibi consequenter contigerint. Idcirco enim accepisti arma, non vt otieris; sed vt pugnes, &c. Auctor Imperfecti: Baptizatus Christo se tradidit dicens: Abrenuntio satanæ & omnibus operibus eius. Ideo post baptismum satanas Christianum, quasi alienum factum, tota virtute persequitur, &c. Ambrosius in Lucam: Agitur, ait, Christus in desertum, vt ostenderet nobis diabolum ad meliora tendentibus inuidere; & tunc magis esse cauendum; ne mysterij gratiam deserat mentis infirmitas, &c. Beda: Quod Christus à suo Spiritu ductus in desertum, certaminis locum voluntate ingreditur; admonet nos, vt accepta in baptismo remissione peccatorum & gratia Spiritus sancti, contra hostis insidias accingamur, &c. Haymo: Notandum, ait, quod Redemptor, cùm triginta annorum curricula in carne, antequam baptizaretur, fuerit conuersatus; numquam à diabolo tentatus legitur.

Victoria diabolo maximè exoptata de Sanctis.

Diabolus baptizatos tentationibus impugnat.

Idcirco arma accipimus à Deo, vt pugnemus.

Diabolus ad meliora tendentibus inuidet.

At

At vbi baptismum accepit, mox tentationes diabolicas sponte pertulit. In qua re signatur, quòd hostis magis certamen contra nos suscipit post baptismum, dolens humanas animas sibi per baptismi sacramentum auferri, &c.

Ieiunio opus est.

Ieiunauit quoque Dominus post baptismum, vt baptizatis ieiunio esse opus indicaret. Chrysostomus homilia citata: Diabolus, inquit, Christum non ieiunantem tentat, sed esurientem. Vt scilicet, discas, quàm sit bonum grande ieiunium; & quia

Ieiunia sunt arma.

hæc aduersus diabolum arma sint maxima: quodque post baptisma, non delicijs ac temulentiæ, non mensæ epulis onustæ, sed ieiunio animum debemus intendere, &c.

Rationes aliquot cur Christus tentari voluit.

Præterea tentari voluit Dominus. Primò, vt diabolum cõfunderet, quòd docet Cyprianus, de Operib. Cardinalibus: Exponit, ait, se Christus tentandum diabolo, vt tentatoris confunderetur præsumptio. Dum fame & lassitudine post ieiunium veritas humanitatis pateret; quæ diuinitati associata omnino peccati sensu & consensu careret, &c.

Greg. hom. 16. in Euãg.

Secundò, vt nostras tentationes suis tentationibus vinceret: Non est indignum, ait D. Gregorius, Redemptori nostro, quòd tentari voluit, qui venerat occidi. Iustum quippe erat, vt sic tentationes nostras suis tentationibus vinceret; sicut mortem nostram venerat sua morte superare, &c.

Aug. l. 4. de Trin. c. 13.

Tertiò, vt exemplo nos doceret tentationibus fortiter resistere. Augustinus. Diabolo, inquit, tentandum se præbuit Dominus, vt ad superandas etiam tentationes eius mediator esset; non solùm per adiutorium, verum etiam per exemplum. Cyprianus loco citato: Voluit sapientia Dei erudiendos informare exemplo; & contra tentamenta proponere documenta. Chrysostomus: Christus

Chrysost. hom. 1. in Matth.

esuriit, occasionem diabolo tentandi præbens, vt prius ipse congressus, quomodo etiam ab aliis vinci possit, ostenderet. Sic enim faciunt athletæ, qui cùm discipulos suos vincere docent, data opera in palæstris cum aliis certamen exercent, vt in luctantium corporibus faciant artem spectare vincendi. Quod in hac quoque colluctatione constat esse effectum, &c. Diuus Leo: Pugnauit Christus

D. Leo ser. 1. de quadr.

tunc, vt & nos postea pugnaremus; vicit ille, vt & nos similiter vinceremus, &c. Augustinus sermone 41. de verbis Domini: Ad hoc, inquit, pugnat Imperator, id est, Christus, vt milites discant, &c.

Quartò, voluit tentari, vt eumdem hostem vinceret secundus Adam in deserto; à quo primus Adam victus est in paradiso; vtque reportatam de natura humana in paradiso victoriam, homo Deus in deserto aduersario extorqueret. D. Damasce-

Damasc. l. 3. de Fide, c. 20.

nus: Tentatus est Dominus, ac superauit; vt nobis victoriam compararet; naturæque nostræ frangendi aduersarium vim tribueret. Quo videlicet, natura iam pridem victa, per eosdem impetus, per quos victa erat, victoriam ei, qui olim vicerat, extorqueret, &c.

CAPVT II.

Cùm ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus.

SEcessit in desertum locum Dominus, vt ieiunium in deserto seruaret; quod iam olim Moses primùm, postea Elias fecerant. Vterque enim in deserto ieiunauit; Moses in deserto Sinai quadraginta dies cibo potuque abstinuit, antequam prio-

Exodi 34.

res tabulas, quas fregit, à Deo acciperet. In quadraginta alios dies inediam protraxit, cùm posteriores tabulas retulit. Elias verò, cùm Iezabelem fugeret, per desertum quadraginta dierum spatio ieiunus ad montem vsque Dei peruenit: *Comedit, & bibit; & ambulauit in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus & quadraginta noctibus, vsque ad montem Dei Horeb,* &c. Est autem mons Horeb, mons Sinai. Eodem quadraginta dierum numero ieiunauit Dominus; & ieiunio quadragesimali suo exemplo initium dedit. In isto numero, ait D. Hieronymus Matthæi 4. quadragesimæ nobis ostenditur sacramentum. Et lib. 2. contra Iouinianum cap. 11. Dominus quadraginta diebus Christianorum ieiunium sanctificauit. Et Ionæ 3. Dominus verus Ionas missus ad prædicationem mundi, ieiunat quadraginta dies; & hæreditatem nobis ieiunij derelinquens ad esum corporis sui, sub hoc numero animas nostras præparat, &c. D. Maximus homil. 3. de ieiunio quadragesimæ: Nobis, inquit, propugnator inuictus hanc venerabilem quadragesimam dedicauit. D. Chrysologus serm. 11. Videtis, quia, quòd quadragesimam ieiunamus, non est humana inuentio; auctoritas est diuina. Et est mysticum, non præsumptum, nec est de terreno vsu, sed de cælestibus est secretis, &c. D. Ambrosius ser. 34. Quadragesimam nobis Dominus suo ieiunio consecrauit. Dixi ieiunio, non ieiuniis: vnum enim ieiunium Domini fuit; quia continuatis quadraginta diebus & noctibus cibum omnino non sumpsit, &c. D. Augustinus epist. 119. cap. 15. Quadragesima ieiuniorum habet auctoritatem, & in veteribus libris ex ieiunio Moysis, & Eliæ, & ex Euangelio, quia totidem diebus Dominus ieiunauit; demonstrans Euangelium non dissentire à lege & Prophetis, &c.

Christus quadragesimalis ieiunij exemplũ nobis præbuit.

Ieiunij hæreditatem Christus nobis reliquit.

Domini quidem est exemplum quadragesimalis ieiunij: Apostolorum autem est institutio & traditio. Nos, ait Hieronymus in epistola 54. ad Marcellam, vnam quadragesimam, secundum traditionem Apostolorum, tempore nobis congruo, ieiunamus, &c. Et D. Leo serm. 6. de quadragesima: Quod omni tempore vnumquemque conuenit facere Christianum, id nunc sollicitius & deuotius exequendum; vt Apostolica institutio quadraginta dierum ieiunijs impleatur, &c. Et sermon. 9. Deuotionem nostram præsentes vel maximè dies exigunt; quos illi sublimissimo diuinæ misericordiæ sacramento scimus esse contiguos. In quibus meritò à sanctis Apostolis, per doctrinam Spiritus sancti, maiora sunt ordinata ieiunia: vt per commune consortium Crucis Christi, etiam nos aliquid in eo, quod propter nos gessit, ageremus. Sicut Apostolus ait: *Si compatimur, & conglorificabimur,* &c. Indicat hoc D. Ignatius: in epistola enim octaua ad Philippenses, quadragesimalis meminit ieiunij; videlicet, quoniam ab Apostolis iam erat institutum: Quadragesimale, inquit, ieiunium ne spernatis; continet enim exemplum conuersationis dominicæ, &c. Abulensis Matth. 6. quæst. 152. Dicitur, inquit, quod quadragesimã primus omnium instituit ieiunare beatus Petrus: qui etiam instituit aduentum Domini, vt dicunt Doctores, de Consecratione dist. 3. capit. sacerdotibus; sed aduentus non fuit ab omnibus receptus, &c.

Apostoli quadragesimale ieiunium instituerunt.

POSTEA *esuriit.* Potuisse Christũ omnem per illud tempus esuriem à corpore repellere, nemo est qui ambigat. Cur autem esurire voluerit, rationem reddunt Patres. D. Hieronymus Matth. 4. Permittitur esurire corpus, vt diabolo tentandi tribuatur occasio. Chrysost. homil. 13. Esuriit Christus, occasionem diabolo tentandi præbens. Chrysolog. sermon. 11. Esuriuit Christus, vt tentandi materiam diabo-

Cur Christus voluerit in deserto esurire.

diabolus inueniret: tunc eum putauit posse tentari, quando eum esurire callidus explorator inspexit. D. Basilius homil. 1. de ieiunio: Vide, ait, quàm mirabiliter Christus tentatori per esuritionem præbuit ansam. Alioqui propter naturæ diuinæ sublimitatem non patebat ad illum aditus diabolo; nisi se per esuritionem ad humanã imbecillitatẽ submisisset, &c. D. Hilarius in Matth. esuriisse ait non cibum, sed hominum salutem: Non cibum, inquit, hominum esuriit, sed salutem, &c. Verum quidem est, hominum salutem esuriisse Dominum, adeò, vt amarissimos cruciatuum cibos esuries hæc illi reddiderit dulcissimos. Verum quoque est, cibum post ieiunium appetiuisse: quod fatetur idem Hilarius, eodem loco, cùm sic scribit: Carnem diabolus tentare ausus non fuisset, nisi in ea per esuritionis infirmitatem, quæ sunt hominis, recognouisset, &c.

Dubitatur, num Dominus solùm in fine quadraginta dierum, an verò tempore ieiunij toto esurierit? Quòd enim toto ieiunij tempore esurierit probatur; quoniam si non esuriit, facilè illud ieiunium fuit, nullumque illi attulit laborem. Nullum enim laborem ieiunium parit, in quo nulla est cibi appetentia. Quis verò dicere audeat, Christum absque labore quadraginta dierum ieiunium peregisse? Isidorus Clarius dubitationi his verbis respondet: In illo quadraginta dierum spacio accidere Christo potuit, quod vnicuique nostrum vsu venire experimur. Ieiunat quis vsque ad vesperam: in illo interuallo sentire potest inediam, quam tamen fert; neque ita destituitur natura viribus, vt exspectare vesperam non possit. Quod si duorum aut trium dierum spacio sine omni cibo degere velit, omnino deficiat. Tale quidpiam ergo accidere Domino potuit: vt scilicet toto quo ieiunauit tempore famem quidem sit passus, quam tamen pertulerit. Peractis verò quadraginta diebus permisit naturæ, vt cibũ sentiret sibi iam esse necessarium. Sentit Isidorus Christum famem esse passum, illis quadraginta diebus: quæ opinio Caietano quoque tribuitur. De Caietani tamen opinione infra dicemus.

An Christus toto ieiunij tempore esurierit? Isidor. Clar. or. 8. in Luc.

Nunc respondemus, Christum illis quadraginta diebus nec esurie nec siti laborasse. cui rei fidem faciunt verba illa Matthæi: *Et cùm ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit.* *Postea*, inquit, quasi dicat, non antè, sed post quadraginta dies esuriit. Similiter D. Lucas: *Consummatis illis, scilicet, quadraginta diebus, esuriit.* Probatur præterea: quoniam si tam longum ieiunium Christo cibi & potus appetentiam peperisset, maximam sanè atque intolerabilem famem ac sitim, mortem denique attulisset. Ad hæc, si quadraginta dierum spacio esuriisset, diabolus ab illa esurie tentandi ansam arripuisset: sed non tentauit ante dies quadraginta; ergo ante illos non fuit tentandi ansa, id est, esuries. Insuper, si Dominus quadraginta diebus & noctibus esuriit: inferius fuit eius ieiunium ieiunio Eliæ & Mosis. Illi enim quadraginta dierum spacio non esurierunt.

Respondetur dubitationi. Matth. 4. *Luca 4.* *Christus famem nõ est passus vsque ad quadragesimum diem.*

Probatur ex Patribus hæc communis sententia. D. Cyrillus lib. 2. ad Reginas: Cùm quantùm sat erat Christus iam ieiunasset: diuinaque virtute absque cibo & potu incorruptam carnem conseruasset; vix tandem, quæ propria illius sunt, pati eam siuit. Esuriisse enim dicitur. Sed quam ob caussam quæso esuriit? ob eam nimirũ, quò aptè per vtrumque Deum simul & hominem se declararet, &c. D. Hilarius in Matthæum apertius: Post quadraginta, inquit, dies, nõ in quadraginta diebus esuriit: Moyse & Elia in eodem ieiunij tempore non esurientibus. Igitur, cùm esuriit Dominus, non inediæ sub-

repsit operatio: sed virtus illa quadraginta dierum non mota ieiunio, naturæ suæ hominem dereliquit, &c. D. Ignatius epist. 8. ad Philip. Si cognouisses, ô dæmon, quòd Dei Filius erat: sciuisses, quòd is, qui quadraginta diebus & totidem noctibus ieiunum corpus sine omni inediæ noxa conseruarat, etiam perpetuò itidem conseruare poterat, &c. Auctor Imperfecti homil. 5. Diabolus, ait, ex eo, quòd per tot dies Christus non esurierat, intelligere debuerat; quia Deus, &c. Chrysologus serm. 11. Postea esuriit, hoc non est infirmitatis signum, sed est insigne virtutis. Quia cùm dicit Euangelista: Postea esuriit: quadraginta diebus & quadraginta noctibus probat in Christo esuriem non fuisse. Esuriem sentire & vincere, est laboris humani; diuinæ virtutis est, esuriem non habere, &c. Ambrosius Lucæ 4. Christus, qui quadraginta diebus esurire non potuit, ostendit non cibum esuriisse se corporis, sed salutem, simul vt aduersarium lacesseret, &c.

Idem alij Patres & interpretes sentire videntur: etsi apertè ea de re non loquantur. Adde omnium esse sententiam, Christi ieiunium simile fuisse ieiunio Mosis & Eliæ; qui nullo modo quadraginta diebus esurierunt. Argumento respondetur: ieiunium illud, si de esurie & siti solùm sermo sit, laborem Christo non attulisse ante quadraginta dies: diuina enim natura humanam absque fame conseruabat. Fuit enim facile Deo, caloris natiui vim cohibere, ne in humidum ageret radicale. Attamen solitudinem illam, perpetuam contemplationem, humi cubationem, pernoctationemque, magnam attulisse integerrimo corpori afflictionem, quis inficiabitur? Præterea, in ieiunio etsi esuries non sit; est tamen illius iucunditatis priuatio, quam ex esu cibi gustatus percipit. Hac Christus caruit, & carere nos docuit. Ieiunauit ille, vt ieiunare Deum decebat incarnatum: ieiunare verò nos docuit, vt homines ieiunare par est.

An Christũ afflixerit ieiuniũ 40. dierum?

Existit aliud dubium: num Christum, licet non esurierit, afflixerit tamen ieiunium, ac debilem, macilentum, pallidumque reddiderit? Cardinalis Caietanus Matthæi 4. fatetur, corpus Christi quadraginta illis diebus, ob cibi potusque indigentiam afflictum: non tamen perspicuè asserit esuriisse. Imo, ait, Deum appetitum animalem ab actu esuriendi & sitiendi retinuisse. Illius verba libet referre: Postquam argumenta, quæ Christum quadraginta diebus famem passum esse suadent, proposuit, sic scribit. Solutio est, quod Iesus ex ieiunio illo afflictus est secundum corpus, indigente corpore eius alimento. Sed non est tantùm afflictus, quantùm vis tanti ieiunij naturaliter nata erat affligere: quia nata erat perimere: sed vsque ad certum terminum rationi consentaneum. Et eadem diuina dispositione, qua miraculosè seruatum est corpus in tanto ieiunio, retentus est appetitus animalis ab actu esuriendi & sitiendi. Moderata est itaque diuina dispositio afflictionem & indigentiam alimenti: retinuit autem appetitum animalem ab actu esuriendi & sitiendi. Sicut etiã retinuit ignem ab actu cõburendi tres pueros in camino ignis; & ideo Euangelista dixit: *Postea esuriit*: ideo diabolus non prius tentauit: sed vbi esurientem vidit, ac carentem cibo, occasionem opportunam nactus est. Hæc Caietanus. Ait ergo Christum ieiunio quidem afflictum; quòd corpus cibi potusque indigentia laboraret: quam indigentiam ita diuinitas moderata sit, vt mortem non afferret. Non tamen esuriisse aut sitiuisse: quòd diuinitas appetitum animalem ab actu esuriendi & sitiendi retinuerit: quemadmodum ignem ab actu comburendi in camino ignis retinuit. Quòd si dicas non posse seiungi cibi indigen-

indigentiam ab esurie: propone tibi ante oculos hominem fastidio laborantem: is enim cibi indigentia affligitur; eo quòd corpus debilitatur: esuriem verò nullam tolerat; quoniam cibum non expetit, sed fastidit.

Ieiunium Christo nec maciem nec debilitatem attulit.

Respondendum est, ieiunium illud nec afflixisse Christum, nec debilitatem, maciem aut pallorem attulisse. Cùm enim esuriem prohibuit, hæc omnia prohibuisse videtur, non agente calore in humidum radicale. Hoc videntur sentire Patres supra citati, & probatur: Quia Christus ita vt Elias & Moses existimatur ieiunasse: at Eliæ & Mosis ieiunium nullam debilitatem, nullam maciem, nullum attulit pallorem: Cur igitur Christo attulisse concedemus? Præterea, eadem est de fame & debilitate macieque ratio. Cùm ergo Christus famem pati noluerit, credendum est, nec etiam voluisse debilitatem pati aut maciem.

Adde, Christum noluisse famem pati quadraginta diebus, vt Deum se esse ostenderet: non ergo fieri voluit imbecillior ieiunio & macilentior: imbecillitas enim & macies Deum non esse ostenderent. Noluisse autem famem pati, vt diuinitatem indicaret, docet antiquissimus D. Ignatius in epistola 8. ad Philip. Per illud, inquit, scilicet (quòd per quadraginta dies corpus sine omni inediæ noxa conseruauit) ostendit se Deum esse. Per hoc verò (scilicet per esuriem) hominem, &c. Idem docet D. Cyrillus loco paullo ante citato. Haymo in Matth. Sicut in quadragesimali ieiunio verus Deus patuit Christus: ita & in esurie post ieiunium verum hominem se esse ostendit, &c. D. Irenæus: Ieiunans quadraginta dies postea esuriit: vt hominem eum verum intelligamus, &c. Atqui si absque esurie debilitabatur, iam ex debilitate agnosci poterat homo verus.

Iren. l. 5. c. 21

An Moses & Elias ieiunates esurierint?

Dicet aliquis, Eliam & Mosem esuriem toleraisse; Christum quoque, cuius ieiunium Mosis & Eliæ ieiunio simile fuit. Eliam autem & Mosem esuriisse probatur ex Auctore Imperfecti. Sic enim ille hom. 5. in Matthæum scripsit. Forsitan dices, Moses & Elias quadraginta dies ieiunarunt, & homines erant. Sed illi ieiunantes esuriebant & sustinebant. Christus autem quadraginta diebus non esuriit. Hoc est enim quod dicit Euangelista: *Et cùm ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit*. Esurire enim & non manducare patientiæ est humanæ; non esurire autem, diuinæ naturæ. Hæc ille. Quidquid velit hic auctor, dicendum est, Mosem & Eliam illis diebus quadraginta non esuriisse: si enim tam longo tempore ac ieiunio esuriissent, periissent; nisi mortem Deus miraculo auertisset. Vnde D. Maximus homil. 3. de ieiunio quadragesimali: Moses, inquit, non esuriuit, vt in homine fragili operata diuinitas probaretur; esuriuit Dei Filius (scilicet post quadraginta dies) vt assumptione carnis nostræ fragilem suscepisse hominem reuelaret, &c. Et D. Hilarius Matth. 4. Christus, ait, post quadraginta dies non in quadraginta diebus esuriit; Moyse & Elia in eodem ieiunij tempore non esurientibus. Druthmarus Matth. 4. Vidit diabolus Christum esurientem, & inferiorem æstimauit Moyse & Elia, de quibus nihil tale refertur, quod esuriissent, &c.

Matth. 4.

Respõdetur quæstioni.

Nec esuriisse Mosem & Eliam, nec debiliores aut macilentiores ieiunio effectos docet Abulensis 3. Reg. 19. quæst. 8. redditque rationem; quoniam Dei potestate natiuus calor humidum radicale non absumebat. Quia Deus, inquit, conseruabat Moysem & Eliam in illa harmonia calidi naturalis & humidi radicalis; secundum quam calidum naturale nondum incipit consumere humidum radicale; propter defectum humidi cibalis, vel alicuius humiditatis non naturalis; non poterant sitire, nec esurire; non poterant debilitari viribus, aut diminui in substantia corpulenta. Quia ista debilitatio & diminutio prouenit ex consumptione humiditatum naturalium, quæ erat pars substantiæ ipsius animalis. Et hoc fit, quando, propter defectum exterioris digestibilis, calor naturalis consumit humiditates naturales; & tunc homines fiunt macilenti, & disponuntur ad corruptionem. Sed in Moyse & Elia manebat harmonia calidi naturalis & humidi radicalis iam dicta. Ideo non poterat sequi consumptio, ita vt fierent macilentiores. Et hæc proueniebant à virtute Dei. Hactenus Abulensis. Idem de harmonia caloris natiui & humidi radicalis in Christo Opt. Max. dicendum est. Vnde efficitur, nec debiliorem, nec malicentiorem, ex ieiunio effectum, antequam esuriret.

Christus, Moses, & Elias, ieiunantes, cur nõ sunt facti macilentiores?

De Elia dubium est: dicitur enim, *Ambulasse in fortitudine cibi, vsque ad montem Sinai*. Habuitne cibus ille aliquam inditam vim ad famem Eliæ pellendam, viresque hominis confirmandas? An vulgaris erat panis subcinericius, vulgari panis vi ad corroborandum hominem præditus, post cuius esum, Deus sua, non panis potentia, famem ab Elia depulit, viresque conseruauit? Opinatur Abulensis loco indicato, illi subcinericio pani nullam vim fuisse insitam ad corroborandum per quadraginta dies Eliam, fugandamque esuriem: sed sumpto illo cibo, Deum sua potestate hæc præstitisse.

3. Reg. 19.

An pani subcinericio insita fuerit vis, ad confirmãdas vires Eliæ per 40. dies?

Verùm, verisimilius mihi videtur, & Scripturæ magis consentaneum, arbitrari Deum aliquam vim illi cibo indidisse, quæ humidum radicale illis diebus conseruaret; quem in modum vitæ arboris poma in statu innocentiæ conseruabant. Non enim Scriptura asserit, Eliam ambulasse in fortitudine Dei, *sed in fortitudine cibi illius*: ergo fortitudo cibo inerat, roburque cibus ipse conferebat, & per cibum Deus. Hæc est aliorum sententia. Caietanus 3. Reg. 19. Admiranda, inquit, valde virtus data est illi pani, vt sat esset labori itineris quadraginta dierum. Lyranus: Videtur, ait, Scriptura attribuere iter Eliæ, ieiunantis quadraginta diebus, virtuti cibi illius, &c. Carthusianus: Dicunt, ait, quidam, quòd panis ille ab Angelo præparatus habuit vim nutriendi, confortandi, & conseruandi corpus Eliæ, tamdiu absque consummatione & læsione humidi radicalis à calido naturali. Quod in libro de Mirabilibus sacræ Scripturæ videtur Augustinus sentire. Hæc Carthusianus.

Respõdetur quæstioni.

Auctor libri citati de Mirabilibus sacræ Scripturæ (nec enim Augustinus esse videtur) lib. 2. cap. 19. de pane hoc hæc scribit: De isto pane & aqua angelico officio ministratis, quorum fortitudo pastum famis labore Prophetam quadraginta diebus peruexit, scientibus vim naturæ vnde fuit, intelligentiam differendam patefacere seruamus. In quo pane, cùm quasi humanæ industriæ, quod panis coctus sit, operis similitudinem conspiciamus: non terreni panis virtutem, quod vna saturitate quadraginta dierum necessitatem impleuerit, esse intelligimus. Nisi forte angelico opere de quacumque terrena materia factus, in terra degentis animam hominis, pastum validiorem hominum pane effecit. Sed hic panis, etsi propriam occultando naturam, sollicitum Lectorem facit: de quadraginta tamen dierum ieiunio, quomodo illud tempus ieiunus Propheta pertulerit, securum reddit; dum per vnius virtutem, nullo egens cibo tanto tempore vixit. Hæc ille.

Panis ille, vt aiunt Septuaginta Interpretes, ex siligine erat: siliginem autem Plinius lib. 18. cap. 8. tritici

Panis Eliæ Eucharistia vmbra fuit.

tritici delicias appellat. Chaldæus placentam fuisse ait perforatam, prunis coctam. Quæ omnia augustissimam adumbrant Eucharistiam. Hæ sunt hominum deliciæ, hic siligineus, id est, optimus panis, ad nos de cælo missus, amoris prunis coctus; in cuius fortitudine vsque ad montem Dei ambulamus. Vt autem vmbra responderet veritati, vis indita est illi pani corroborandi Eliã. Habet enim Eucharistia miram ad corroborandum hominem vim.

Aduerte Mosem bis, vt iam diximus, quadraginta dierum ieiunium obseruasse. Eliam autem probat Abulensis, quæstione citata, numerum quadragenarium ieiunando superasse. Etenim, vt ex Scriptura liquet, quadraginta dies, quibus ad montem vsque Sinai fecit iter, ieiunio transegit.

3. Reg. 19. *Ambulauit in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vsque ad montem Dei.*

An Elias plures quã 40. dies ieiunarit?

Postquàm ad montem peruenit, ieiunium seruauit: nemo enim erat qui escam suppeditaret. Inde per desertum rediit in Damascum, quæ vrbs longius distat à monte Sinai, quàm Iudæa, vt vngeret Hazaelem; vel rediit in Iudæam, vt vngeret Eliseum. Toto autem illo tempore in solitudine cibum reperisse nõ videtur. Existimat ergo Abulensis per plures forte, quàm per centum dies Eliam ieiunium prorogasse. Scripturam vero solùm illorum meminisse quadraginta, quibus iter vsque in montem Dei confecit. Non caret probabilitate, Eliam plures, quàm quadraginta dies, ieiuniũ cibi illius vi perduasse; non tamen est certum. Potuit enim à pastoribus gregem in eremo illa pascentibus, vel ab aliis, cibi aliquid accipere, vel herbas edere.

Augustin. Epist. 86. Longa nonnullorũ ieiunia. etiã vsque ad 40. dies nullo cibo sumpto.

Illud etiam aduerte, quod Augustinus commemorat, nonnullos vltra hebdomadam absque vllo cibo ieiunium perpetuasse; quemdam vero ad quadraginta dies peruenisse. Eius verba accipe: Dic, inquit, Dominico ieiunare scandalum est, maximè postquam innotuit Manichæorum hæresis: qui suis auditoribus ad ieiunandum istum tamquam constituerunt legitimum diem. Per quod factum est, vt ieiunium diei dominici horribilius haberetur. Nisi forte aliquis idoneus sit, nulla refectione interposita, vltra hebdomadam perpetuare ieiunium, vt ieiunio quadraginta dierum, quantum potuerit, appropinquet; sicut aliquos fecisse cognouimus. Nam etiam ad ipsum quadragenarium numerum peruenisse quemdam, à fratribus fide dignissimis nobis asseueratum est, &c. De Simeone quidem Stylite Theodoretus id affirmat, in religiosa historia: Ab illo, inquit, tempore vsque ad hodiernum diem, iam autem præterierunt viginti octo anni, manet ieiunus, dies quadraginta, &c. D. quoque Gregorius Nazianzenus in carmine ad Hellenium ait, aliquos sui temporis monachos longa viginti dierum vigintique noctium ieiunia obseruasse:

Greg. Nazian. ad Hellenium.

Pars, inquit, alia exiguis tectis inclusa ferarum
Ritu, hominem nullum vidit in his latebris.
Bisque dies denos, nocteisque impasta remansit,
Sapius omnigenis abstinuitque cibis.
Sit fas magna loqui, nostri pecus vnus ouilis,
Horum erat, &c.

CAPVT III.

De tentationibus Christi.

ACCEDENS *tentator*. Esuriit Christus post longum quadraginta dierum ieiunium. Esuriit inquam, quia esurire voluit. Vt enim ait D. Damascenus lib. 3. de Fide c. 20. Nihil in Christo coactũ cõsideratur, sed omnia volũtaria; volẽs fame, volẽs siti, volens metu, volẽs morte affectus est, &c. Esurientem cùm diabolus videret, ansam arripuit oblatam. Vidit hostis, ait Theodoretus sermon. 10. de prouidentia, famem, & victoriã sperauit, pugnamque confidenter aggressus est; atque Adamum se videre putauit, vbi famis passionem cernit, &c. Et Chrysologus serm. 11. Tunc Christum posse tentari putauit, quando eum esurire callidus explorator inspexit, &c.

Esurientem Christũ diabolus aggreditur.

Sed quomodo esurire Christum aduersarius inspexit? Respondetur primò, Dominum manifestam illi esuriem fecisse signo aliquo externo; quæ est Chrysostomi sententia homil. 13. in Matth. Quia, inquit, diabolum ad certandum Christus voluit trahere, esuriem suam ei fecit manifestam, & non repulit prouocantem, &c. Druthmarus quoque: Quia, ait, Christus esuriit, gestum corporis diabolo permisit videre. Nam aliter diabolus non potest cognoscere cogitationes hominum, &c. Respondetur secundò, diabolo, nisi impediatur, omnes humani corporis tam externas, quàm internas patere partes, patereque natiui caloris actionem in humidum radicale. Forsitan, Deo permittente, vidit in Christi corpore calorem natiuum quadraginta dierum spatio admirabiliter humidum radicale minimè absumpsisse; vidit postea absumpsisse: atque adeò ex actione caloris in humidum, sensit Dominum esurire.

Quomodo diabolus esuriem intellexerit Christi?

Quæres, accesserit tentator corporea indutus figura, an absque corpore? communis est sententia, corpus assumpsisse. Carthusianus Matth. 4. Accessit, inquit, in forma visibili & humana, & forte in forma hominis religiosi, vt simulata sanctitate circumdatus, citius falleret, &c. Verum formæ religiosi hominis illa verba non congruunt: Hæc omnia tibi dabo. Nónne irrisio potius, quàm pollicitatio esset, si tibi pauper eremita omnia regna mundi polliceretur? Aliquam gerebat diabolus formam, cui quoquomodo tanta videretur pollicitatio conuenire. Crediderim ergo aliquã gessisse personam, quæ vel dæmonis, vel Angeli naturam indicaret; cuique conueniret, tùm Christum assumere, & in pinnaculum templi ducere; tùm totius orbis dominatum promittere. Nisi forte velis, in prima tentatione anachoritam egisse, postea hac deposita larua alias assumpsisse. Forsitã in secunda tertiaque tentatione in Angelum lucis se transfigurauit: in prima vero anachoritæ fame enecti laruam assumpsit. Tunc à Christo petiuit, vt vtriusque fami succurreret, ne eremum deserere opus esset. Conuerte, inquit, lapides in panes; vt tuam, meamque etiam esuriem pellas. Aliud hic remedium non suppetit: solitudinem enim deserere mihi nefas est.

An diabolus vir religiosi, & anachorita formam assumpserit?

Erat hic tentator Lucifer dæmonum princeps, vt Augustino videtur, libro 9. de Ciuitate Dei, cap. 21. Dubitauit, ait, de illo, id est, Christo, dæmonũ princeps, eumque tentauit, an Christus esset explorans; quantum se tentari ipse permisit, &c.

Tentator Lucifer erat.

Tentator appellatur diabolus, Græcè, περάζων; quoniã homines solet tentare; hoc illius in hoc terrarũ orbe munus est. Diabolus, ait Chrys. serm. 11. laqueos tendit, lapsus parat, aptat ruinas, stimulat corpora, pungit animas, cogitationes suggerit, immittit iras, dat virtutes odio, vitia dat amori, errores serit, discordias nutrit, &c. Contrà Deus Optim. Maxim. intentator malorum dicitur à Iacobo: *Nemo*, inquit ille, *cùm tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur. Deus enim intentator malorum est: ipse enim neminem tentat, &c.* Intentator malorũ est; quoniam

Diabolus tentator est.

Iacobi 1. Deus intentator malorum.

ad

ad mala neminem pellicit. Tentasse autem dicitur Abraham Gen.22.non vt in malum prouocaret,sed vt probatum coronaret.

Homines tentatores. Sunt etiam homines qui diaboli munere funguntur; tentatores sunt ceterorum,quos verbis & exemplo in peccatum impellunt. Alij intentatores malorum Deo similes,neminem tentant: imo ad Christiana officia omnes pro virili parte inuitant. Væ huiusmodi tentatoribus, iuxta illud Domini: *Matth.18.* *Væ mundo à scandalis.* Et: *Væ homini illi,per quem scandalum venit, &c.* Scandala tentationes sunt;qui tentationem homini obiicit, scandalum & offendiculum, in quod impingat & cadat, obiicit. Est autem tentare,idem quod experiri, & periculum rei alicuius facere.Dæmon tentat in malum;Deus tentat in bonum. Non vt cognoscat quidquam, sed vt virtutem latentem exerat, vt erudiat,vt coronet.

Quomodo tentet Deus.

Quorsum diabolus Christum tentarit? Dubium est, quorsum tentator Christum tentauerit? Tentauitne,vt in peccatum aliquod præcipitaret? an vt illius diuinitatem exploraret? Neque hoc,neque illud videtur verum.Nam diabolus nouerat Christũ esse Deum;nouerat præterea, Deum peccare nullo modo posse. Ergo neque,vt in peccatum traheret,tentauit, neque vt diuinitatem occultam indagaret. Non videbitur forte alicui à ratione alienum arbitrari, dæmonem iam tunc temporis, tùm ex sacris litteris de Messia vaticinantibus, tum ex Angeli cum Virgine colloquio, ex nuntio pastoribus dato, Angelorumque plausu, & cantico,ex stella,& Magorũ adoratione,ex voce Patris, *Tu es Filius meus dilectus*, Christum Deum esse simul & hominem cognouisse.Existimasse tamen, Deum quidem peccare non posse, humanitatem verò etiam cum Deo copulatam peccare posse,vel saltem hac de re dubitasse; atque ideo Christum ad peccatum tentando impulisse. Illud verò, *Si Filius Dei es*, ita explicabit:siquidem Filius Dei es; vt asserentis verba sint, non ambigentis. Quasi dicat, Filium Dei esurire non decet;ergo,siquidem Filius Dei es,lapides in cibum commuta. Item: de Filio Dei scriptum est: *Angelis suis mandauit de te,& in manibus tollent te,&c.* Ergo mitte te deorsum, ab Angelis subleuandus. In tertia verò tentatione dicet diabolum illa verba, *Si Filius Dei es*, subticuisse:quoniam adoratio illa Filium Dei minimè decebat;sed regna mundi pollicitum, vt hac esca sanctissimam humanitatem caperet, quam peccare posse credebat;vel saltem ea de re dubitabat.Quòd si peccaret humanitas,arbitrabatur, inquiet, hostis, admirabilem illam diuini Verbi cum humana natura copulationem dissoluendam,humanitatémque ob peccatum repudiandã; atque ea ratione orbis redemptionem impediendam.

Primæ sententiæ, diabolũ cognouisse Christũ esse Deũ, & ad peccandum tentasse, vt humanitatem relinqueret.

Psalm.90.

Refutatio. At hæc sententia Patrum sententiæ minimè consonat. Etenim Patres sentiunt diabolum de Christi diuinitate dubitasse, eamque tentando exploraſſe. Prætereà stultissimus fuisset dæmon, si cum Deo copulatam humanitatem in peccatũ trahi posse sibi persuasisset. Manifestè enim nouerat, Deum sua humanitate omne periculum omnemque tentationem facilè propulsaturum. Adde illum cognouisse, humanitatem Verbo diuino adhærentem nullo modo in peccatum posse labi. Ad hæc:Si diabolus sciuisset Christum esse Deum, non illi promisisset mundi regna: perspectũ enim habuisset hominem illum, quia Deus erat, totius terræ cælique imperium obtinere. Quorsum igitur id promitteret, quod in potestate illius esse nouerat?

3.Sententia Credendum est, Luciferum ex his quæ viderat cœpisse dubitare,num Christus Filius Dei esset;ne-

A que id exploratè cognouisse. Hæc est sententia D. Ignatij antiquissimi Patris,in epistola 8.ad Philipp. Te,inquit,ô dæmon,Angelorum laudatio obstupefaciebat,Magorũ adoratio,exortus stellæ,ad ignorantiam denuò redis,ob ea,quæ cernis vilia. Nam exilia tibi videntur cunabula, ærumnæ, circumcisio, lactatio. Indigna tibi hæc Deo videntur, &c. Item,vidisti hominem quadraginta diebus & noctibus,nullo humano cibo degustato,perseuerasse, Angelos ministrantes; qui primum videras quasi communem hominem baptizatum. Deinde post ieiunium esurientem:rursum animum resumebas, ac tentabas quasi communem hominem, ignarus quisesset:Dicebas enim: *Si Filius Dei es*:hoc enim est B ignorantiæ. Hactenus beatus Ignatius. Diuus item Hilarius:Erat,inquit, in diabolo de metu suspicio, non de suspicione cognitio. Item: Ita dignum nequitia eius erat,vt in eo,cuius calamitatibus gloriabatur homine,vinceretur;& qui Dei beneficia homini inuidisset, ante tentationem Deum in homine intelligere non posset,&c.Diuus Ambrosius in Lucam: Cognouerat dæmon Filium Dei venturum; sed venisse per hanc infirmitatem corporis non putabat.Sic tentat, vt exploret;sic explorat, vt tentet,&c. D. Hieronymus Matth.4. In omnibus tentationibus hoc agit diabolus,vt intelligat si Filius Dei sit.Sed Dominus responsionem temperat, vt eum relinquat ambiguum,&c.

Diabolus Christũ Deũ esse nesciebat, quo tempore illũ tentauit.

Hilar. Can. 3.in Matth.

Diuus Gregorius Nazianzenus in oratione de C laudibus Cypriani: Diabolus non suspicabatur fore, vt humanitatem aggressus, in diuinitatem incurreret. Tentationem admouit, quasi Christum derecturus;quoniam eam Dei partem, quæ aspectu sentiebatur,Adamo similẽ esse videbat,&c. Chrysostomus homilia 13.in Matthæum: Nesciens manifestè suscepti hominis Sacramentũ, & quisnam esset Christus,retia iacere molitur,per quæ se istud secretum opinatur addiscere, &c. Diuus Augustinus libro 9. de Ciuitate Dei, cap.21. Dubitauit de illo dæmonum princeps,eumque tentauit,an Christus esset explorans,&c. Diuus Maximus homilia 2.de quadragesimali ieiunio:Cùm videret leo ille feralis agnum Dei esurire, & esurientem, Deum D esse non crederet:arte illum callidissimæ tentationis aggreditur,&c.& homilia 4. Suspicatur illum Dei Filium, quem quadraginta dierum videt explicuisse ieiunium.Sed rursus dubitat diuinam illi inesse naturam,quem perspicit esurire,&c. Euthymius in Matthæum:Audierat diabolus à Ioanne,& per vocem cælitus delapsam,Christum esse Filium Dei. Ignorans ergo quòd Dei Filius carnem assumpsisset(siquidem latuit eum Incarnationis mysterium) suspicatus est hominem quidem esse: à Deo tamen ob virtutes ipsius adoptatum. Itaque ei iam tantum inuidit honorem, sicut & veteri Adamo:nisúsque est hunc, velut illum ab ipso deiicere,&c. Denique Dæmonem non cognouisse E certò Christum esse Deum,sententia est D. Leonis serm.4.de quadragesima, Auctoris Imperfecti, & communis aliorum. Lege quæ hac de re diximus infra lib.5.cap.9.

Rogabis:Qui fieri potest, vt diabolus non intellexerit Christum esse Deum, ex diuinis vaticiniis, ex Patris voce, quæ è cælo sonuit,ex Angeli sermone cum Virgine Deipara habito,ex verbis Ioannis,& ceteris,quæ supra numerauimus? Respondemus cum Cardinale Caietano Luc.4. Dæmonis intellectum, ne id intelligeret,fuisse à Deo impeditum. Quemadmodum enim illius vim ad nocendum,ita vim ad intelligendum Deus pro diuina sua prouidentia, quantum opus est, frenat. Fauet illud Augustini libr.9.de Ciuitate Dei, cap.21. Tantùm

Cur diabolus Christũ Deum esse non intellexerit?

Christus dæmonibus innotuit, quantùm voluit: tantùm autem voluit, quantùm oportuit, &c. Hinc, inquit Caietanus, apparet, intellectum dæmonum ligatum, seu impeditum esse à Deo, in pœnam peccati. Ita, quòd non solum potentia eorum est ligata, sed etiam intellectiua vis, vt non possint cognoscere, quæ ex vi naturalis luminis sui cognoscere posset. Ex eo enim, quòd post verba Gabrielis ad Virginem, post verba Angeli ad pastores, post verba de cælo in baptismo, diabolus non cognoscit IESVM esse Filium Dei, habetur, quòd non intellexit testimonia. Sic Caietanus. Idem sentit Abulensis, Matth. 4. quæst. 22.

An Dæmon cognouerit Christi humanitatem propria personalitate carere, & cum diuino supposito coniunctam esse?

Sciebat quidem dæmon per reuelationem diuinam, antequam è cælo caderet, à Deo acceptam, Filium Dei incarnandum; sed, & tempus & quid incarnatus Dei Filius acturus esset, ignorabat. Ideoque an esset IESVS Deus iam incarnatus ambigebat. Dices: Nónne Dæmon cernebat Christi humanitatem propria carere personalitate, diuinaque Verbi personalitate sustentari? Cernebat igitur Christum esse hominem, simul ac Deum. Negamus dæmonem vidisse naturam Christi humanam cum persona Verbi esse coniunctam. Id enim supernaturale est; quod autem supernaturale est, dæmon suopte ingenio capere nequit. Præterea Verbi personam ille videre nullo modo poterat, ergo naturam humanam cum Verbo coniunctam hypostaticè esse non conspiciebat. Negamus item vidisse humanitatem propria carere personalitate; quoniam à Deo est prohibitus. potuisset tamen ipsam priuationem in humanitate cernere, quemadmodum & cæcitatem à Deo effectam in oculo, si Deus non vetuisset. Quod si concedere velis prædictam carentiam personalitatis vidisse; dicito, à quonam supposito sustentaretur humanitas ignorasse.

An igitur IESVS Filius Dei esset incarnatus, addubitabat dæmon; ideoque tentatione rem explorare, & si Dei Filius naturalis non esset, in peccatum illum pertrahere decreuit. Accessit ergo, esurientémque externo sermone est allocutus. Externo sermone dixi; quia omnes hæ tentationes externæ fuere; nulla interna. Non poterat diabolus aut cogitationem, aut sensus aliquem motum in Christo excitare. Vt enim rectè ait Caietanus Matthæi 4. integram Christi perfectionem dedecebat, intra se cogitationes, aut phantasiæ, aut sensus motum, aduersus Spiritum habere. Externas autem suasiones audire, vt illas vinceret, non dedecuit. Vnde Theophylactus Mat. 4. In forma, inquit, sensibili apparuit diabolus: cogitationes enim tales non habuit Dominus. Et Magnus Gregorius, hom. 16. in Euangelia: Omnis illa tentatio diaboli foris, non intus fuit, &c. Et D. Damascenus: Dæmon extrinsecus, & non per cogitationes Christum adortus est; quemadmodũ Adamum, siue potius Euam: nam ne illum quidem per immissas cogitationes, sed per serpentẽ impetiuit, &c. Euthymius Matth. 4. ait. Dæmonem Christum per somnium, per tristitiam, & ignauiam, & similia alia tentasse. Sed minimè verum est, in illius corpore potuisse aliquid operari, quod vel somnum, vel tristitiam, vel ignauiam afferret.

Tentationes quibus Christus sentatus est, externa fuere.

Dedecebat Christi perfectionẽ interna tentatio.

Damasc. l. 3. Fidei. c. 20.

SI *Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Non poterat diabolus intra beatissimam illam Dei ciuitatem, id est, Christi humanitatem, sagittam aliquam mittere; iuxta illud: *Non ingredietur Rex*, scilicet Assyriorum, *vrbem hanc, nec mittet in eam sagittam, nec occupabit eam clypeus, nec circumdabit eam munitio, &c.* Non potuit Assyriorum, immo dæmonum Rex, illam Hierusalem sanctissimam ingredi; non potuit sagittam vllam; hoc est, cogitationem, aut concupiscentiam, in eam mittere; non occupauit eam clypeus hostium, non circumdedit munitio. Maior enim erat, quàm vt ab vlla aduersariorum munitione circumdari posset. Cùm nec in phantasia Domini, neque in corpore aliquid posset efficere, externamque pugnam esse oporteret, lapidibus pugnæ fecit initium. Esurienti suadet, vt lapides conuertat in panes, quibus vescatur, satiétque fame confectum corpus.

4. Reg. 19.

Cur diabolus non obtulerit Christo panes, aut gallinas, sed lapides?

Sed, cur non obtulit diabolus Christo panes, gallinas, perdices, cibósque alios suaues, ac delicatos? Vnde D. Chrysologus sermon. 11. Cupis, inquit, ô dæmon tentare, sed nescis. Esurienti tenera offerre, non dura debuisti. Famem non asperis palpare, sed blandis, &c. Respondet Euthymius: Non affert, inquit, diabolus panẽ; eo quòd ab aduersario Christus sumpturus non erat; sed iubet, vt de lapidibus panes efficiat, &c. Respondemus, diabolum hac tentatione diuinitatem Christi explorare voluisse; cui explorationi gallinæ aliique cibi nihil profuissent. Ex lapidibus autem panes efficere suasit; quoniam, si effeciset, ex hac conuersione Filium Dei esse cognouisset. Dei enim proprium est, lapides in panes conuertere. Dices; Etiam homo virtute præditus, virtute diuina potest lapides conuertere in panes: Nõ ergo poterat diabolus cognoscere Christum esse Deum, quòd huiusmodi miraculum patraret; siquidem & à viro alio diuina potestate fieri poterat. Nodus hic, sic soluetur; si Christus miraculum illud feciset, eo testaretur se Filium Dei esse: dixerat enim diabolus: *Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Demonstraret ergo Christus vero miraculo se Filium Dei esse; verum autem esse miraculum, veràmque conuersionem Lucifer cerneret; vnde Christum Dei Filium esse intelligeret. Adde, dæmonem non dixisse, ora Deum, vt lapides hi panes fiãt; sed dic, iube, tuo imperio commuta saxa in cibum. Imperio autẽ & verbo, absque oratione & nominis diuini inuocatione, miracula facere, Dei proprium est.

Matth. 4.

Tentatio dæmonis fuit explo ratrix diuinitatis Christi.

Diuinitatis exploratricem fuisse hanc tentationem docent Patres. D. Leo serm. 4. de quadragesima: Primo, inquit, dolo (.i. prima tentatione) scrutatus est diabolus, an Christus esset substantiarum Creator, qui rerũ corporearum posset in quæ vellet mutare naturas, &c. D. Max. hom. 2. Cogitabat, ait, vt æstimo, apud se diabolus, & dicebat: Si hic ipse est, cuius præcepto esurientibus per deserta populis manna fluxit, poterit nunc in panem lapides transformare. Etsi non mea petitione, sua tamen necessitate, qui esurit. Quod si fecerit, Deum probabo: Si nequiuerit, hominem deprehendam, &c. D. Chrysost. hom. 13. Nescius diabolus manifestè susceptæ hominis sacramentum ineffabile, & quisnam esset hic præsens: alia retia iacere molitur, per quæ se absconditum istud atque secretum opinatur addiscere: *Si Filius, inquit, Dei es, dic vt lapides isti panes fiant*, &c. D. Hieronymus Matth. 4. In omnibus, ait, tentationibus hoc agit diabolus, vt intelligat si Filius Dei sit, &c. D. Hilarius: Eam in tentando operis conditionem dæmon proposuit, per quam, & in Deo ex demutatione lapidum in panes, virtutem potestatis agnosceret; & in homine oblectamento cibi patientiam esurientis illuderet, &c. Cyprianus de Operibus Cardinalibus: Duplicem inquisitionem sinuosa calliditate hostis orditur, vt de Christo, vtrum naturalis Dei Filius sit, ipso respondente certitudinem habeat, &c.

Matth. 4.

Obiicio huic sententiæ, dæmonis, siue Apollinis Pythij, responsum illud, Cæsari Augusto datum,

tum, quod refert Nicephorus:

Niceph.li.1. cap.17.

Me puer Hebræus, diuos Deus ipse gubernans,
Cedere sede iubet, tristémque redire sub Orcum, &c.

Dæmon Christũ puerum Hebræũ, Deum appellat: ergo ante tentationẽ Deum esse iam nouerat, non igitur diuinitatẽ explorabat. Respondetur, Dæmonem Christum puerum appellasse Deum; quia Deum esse iam suspicabatur: quod vt certius agnosceret, illum tentauit; vel forsitan Christum Deum appellare, seque victum fateri superbus dæmon à Deo compulsus est.

An diabolus in prima tentatione voluerit Christum allicere ad peccatum?

Illud restat inquirendum, num hac tentatione voluerit dæmon ad peccatum Christum allicere: an solùm diuinitatem explorare? Rogat hoc Theophylactus, Matthæi 4. Quod peccatum, inquit, erat, facere lapides panes? Respondet; Quia audire diabolum in aliquo, peccatum est. Vide & aliud; non dixit, vt lapis hic panis fiat, sed lapides; volens Christum ad superflua instigare. Esurienti vnus panis sufficit. Et propter hoc Christus non audiuit eum, &c. Iansenius quoque: Quamuis, inquit, non fuisset voracitatis Christum comedisse panes ex lapidibus factos, cùm esuriebat: tamen occasione famis obedire aliqua in re diabolo, gulæ vitio ascribendũ esset, &c. Aliter D. Thom. 3. par. quæst. 41. artic. 4. ad 1. Ad primum, inquit, dicendũ, quòd vti necessariis ad sustentationem non est peccatum gulæ, sed quòd ex desiderio huius sustentationis, homo aliquid inordinatum faciat, ad vitium gulæ pertinere potest. Est autem inordinatũ, quòd aliquis vbi potest recursus haberi ad humana subsidia, pro solo corpore sustentando, miraculose sibi cibum quærere velit. Et ideo reputabat diabolus, quòd Christus peccaret, si ad subueniendum fami miracula facere attentaret, si esset purus homo. Hæc D. Thomas. Peccatum ergo positum erat in modo depellendi famem inordinato, videlicet per miraculum minimè necessarium. Quia verò in materia cibi versabatur, hæc tentatio gulæ appellatur. D. Gregorius hom. 16. in Euangelia: Per gulam, inquit, Dominum diabolus tentat, cùm dicit:

Ad quodnã peccatum ducere voluit Dæmon?

Matth. 4.

Dic, vt lapides isti panes fiant, &c. Idem docet Beda Matthæi 4. Haymo, Druthmarus; & Euthymius: Prima, inquit, tentatione diabolus producit gulositatem, per quam cepit & primum Adam. Theophylactus Luc. 4. Accedit ad Christum inimicus, & de gula tentat, de qua tentauerat Adam, &c. Chrysost. hom. 13. Per quæ primum expulit hominem, & alios plurimos malis mille circũdedit dæmon; per hæc etiam nunc texit dolos, prouocans Christum ad appetitum ciborum, &c. Clarius orat. 18. putat dæmonem in diffidentiam Christum hac tentatione pertrahere voluisse: Mens, inquit, tentatoris erat, vt IESVS diuinæ gratiæ atque auxilio diffisus, sibi ipse caueret; atque ex hac diffidentia peccaret, ex quo peccato impediretur nostri generis redẽptio, &c. Iansenius ait, voluisse pertrahere ad diffidentiã diuini oraculi, id est, vocis illius audi

Matth. 1. Luc. 3.

tæ è cælo, *Tu es Filius meus*; & ad vanã ostentationẽ sui ipsius. Crediderim, Luciferũ in primis diuinitatem Christi hac tentatione indagare decreuisse. Deinde in gulam, & quoduis aliud peccatum pertrahere, si ansam aliquam arripere posset. Sed quia ansam Christus nõ præbuit, quã arriperet, ad aliam tentationem dæmon transiit.

Matth. 4. Adulatur dæmon.

Verba illa, *Si Filius Dei es*, Chrysostomus dæmonis Christo adulantis esse arbitratur. Non dixit diabolus, ait Chrysost. hom. 13. si esuris; sed, si Filius Dei es; videlicet, existimans posse se aliquid per laudum blandimenta furari. Item: dolosa Christum adulatione palpando, diabolus solius admonet dignitatis, &c. Et Theophylact. Matth. 4. Adulatur, inquit, dæmon Christo, putans se quid suffuraturum, dicendo: *Si Filius Dei es*, &c. Possunt etiam per irrisionem dicta esse à diabolo verba illa, vt Christum ad impatientiam, & ad miraculum patrandum, quo tantum defenderet titulum, prouocaret. Potuit sic loqui: Téne ego Filium Dei esse credam hominem pauperẽ, fameque confectum? ô egregium Dei Filium esurientem? Age, si Filius Dei es, esuriens, dic vt lapides isti panes fiant, pelleque esuriem. Dic, inquit, quia Filius Dei solo verbo condidit vniuersa: *Ipse enim dixit, & facta sunt*, vt est in Psal. Vnde Beda: Dic, non fac, dicebat dæmon: quia scriptum nouerat: *Benedixit Deus, fiat lux, & facta est lux.* Et Haymo: Quare, ait, non dixit diabolus: fac de lapidibus panem, sed dic vt fiat? Quia in hoc experiri volebat, vtrum ipse esset Filius Dei, qui in exordio mundi cuncta creauit de nihilo, dicens: fiat hoc, vel illud, & factum est, &c.

Cur dixerit diabolus, si Filius Dei es, dic? Psal. 84.

Cur diabolus dixerit, dic, vt lap. non fac.

Filium autem Dei esse Christum, aiebat diabolus se nouisse, ex voce, quæ apud Iordanem fluuium è cælo sonuerat: *Hic est Filius meus dilectus, &c.* Theodoret. serm. 10. de prouidentia addit, à Christo petiuisse, vt hanc vocem miraculo probaret: Producit, inquit, vocis cælitus delatæ confirmatione dæmon; ipsam verò, panum miraculosa effectione confirmari petit, &c. Et Chrysostomus hom. 13. Sicut, inquit, dæmon de Deo detrahens Euæ ait: *Scit Deus, quia in quacumque die manducaueritis, aperientur oculi vestri*: per hæc ostendere volens illos circumuentos esse à Deo, atque deceptos, nullumque beneficium ab eo consecutos. Ita hic quoque idipsum significat quodammodo, dicens: Frustra Filium suum te nominauit Deus, talique donatione decepit. Aut si aliud est: tantæ virtutis documentũ aliquod nobis ostẽde, &c. documentum ait, id est, miraculũ transmutationis lapidum in panes.

Matth. 3.

Genes. 3.

NON *in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Propositum erat Christo, vt docet D. Hieronymus Matth. 4. diabolum non potentia, sed humilitate vincere. Ideoque illum non statim potenter abegit, sed humiliter, ac patienter, vt vinceret, tolerauit. Cùm verò diuinitatem exploraret, ita respondit, vt explorationem irritam redderet. Ita responsionem temperat, ait Hieronymus, vt diabolum ambiguum relinquat. Augustserm. 41. de verbis Domini: Nõ fecit, ait, Dominus de lapidibus panes, vtique sic potuit facere, sicut de aqua vinum. Eiusdem enim potentiæ est facere de lapidibus panem. Sed non fecit, vt voluntatem contemneret tentatoris. Aliter enim tentator non vincitur, nisi contemnatur. Item: Quare panẽ non fecit ex lapidibus, & vinum fecit ex aqua? Quid addit Euangelista Ioannes? *Et crediderunt in eum discipuli eius.* Numquid tunc diabolus fuerat crediturus? &c. Noluit ergo Christus, vt ait Augustinus, miraculum facere; quoniam necessarium non erat. Et Euthymius Matthæi 4. Christus signum non edidit requisitum à diabolo. Nam signa ad commodum intuentium fieri consueuerũt: diabolus autem nullam inde relaturus erat vtilitatem, &c. D. Chrysologus serm. 11. Potest, inquit, Christus de lapidibus panes facere, qui aquas conuertit in vinũ. Sed signa fidei sunt præstanda, nõ dolis. Credenti danda sunt, non sunt danda tentãti. Diabole, tibi, vt quid signa, cui nihil subuenit ad salutem? &c.

Christus voluit diabolum vincere non potentia, sed humilitate.

Cur Christus noluerit conuertere lapides in panes? Tentator nõ vincitur nisi contemnatur. Ioan.

Miraculum Dominus non esse necessarium docet, petito testimonio ex Deuteron. cùm populo Moses eo loco sic loquitur: *Afflixit Deus te penuria, & dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu, & patres tui. Vt ostenderet tibi; quòd non in solo pane viuat homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Dei.* Hebraicè, עַל כָּל מוֹצָא יְהוָה, al colmotsapi

Deut. 8.

ſapi ADONAI, id eſt, *in omni egreſsione oris Dei,* Septuaginta verterunt, vt Matthæus recitat: *In omni verbo quod procedit de ore Dei*: egreſſio enim oris Dei, eſt verbum & imperium Dei. Senſus eſt. Deus non aluit te vſitato hominum cibo, ſed manna cæleſti; vt ſcias, quòd non ſolo pane nutritur homo, ſed in omni verbo, id eſt, iuſſu Dei, hoc eſt, in omni ea re, quam Deus ore præcipiens, ad hominem miſerit, vt illa paſcatur, quemadmodum miſit ad te manna. Non ſumitur hoc ſenſu verbum, quod procedit de ore Dei, pro ſacro ſermone & doctrina, vt ſentiunt recentiores interpretes, Abulenſis, Caietanus, Ianſenius, Iſidorus Clarius, orat. 18. & alij. Et probatur, quoniã diabolus loquebatur de cibo corporis eſuriem explente; doctrina autẽ ſacra animi quidem explet famẽ, nõ corporis. Eludit ergo Dominus diaboli tentationem; Nõ eſt, inquiens, opus hoc miraculo. Nam Deus poterit alio quocumque voluerit modo in hac me eremo ſuſtentare, poteritque cibum, quem voluerit, ad me mittere. Præuidebat, quod futurum erat, nimirum, Deum miſſurum per Angelos cibum. Nam poſt tentationem acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei.

Matth. 4.

Primus ſenſus.

2. Senſus.

Antiquiores, Ambroſius Luc. 4. D. Chryſoſtomus Matthæi 4. D. Hieronymus, Beda, Haymo, Druthmarus, D. Thomas, D. Bonauentura Luc. 4. Origenes homil. 29. in Lucam, Bernardus ſerm. 3. dedicationis Eccleſiæ, D. Gregorius 1. Reg. 9. Auguſtinus de Vera Relig. cap. 38. & Pſa. 9. D. Eligius hom. 3. D. Maximus hom. 4. D. Leo ſer. 2. quadrageſimæ, verbum Dei hoc loco diuinum ſermonem interpretantur, aliqui etiam recentiores, Lyranus, Carthuſian. & alij. Eſtque ſecundus ſenſus etiam litteralis: Non ſolo pane paſcitur homo, ſed etiam verbo Dei: non enim ſolum corpus habet, quod pane alitur; ſed animum quoque, qui verbo Dei nutritur. Hoc ſenſu diabolo ſignificauit Dominus, nolle morem illi gerere, animique cibum appetere potiùs, quàm corporis. Ad hunc modum diſcipulis reſpondit: *Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis, &c.* Cùm de cibo corporis agerent, ad cibũ animi ſermonem tranſtulit. Vterque ſenſus poteſt eſſe huius loci litteralis.

Ioan. 4.

Huic loco Deuteron. ſimilis eſt locus Sapient. *Vt ſcirent Filij tui, quos dilexiſti Domine, quoniam non natiuitatis fructus paſcũt homines: ſed ſermo tuus hos, qui in te crediderint, conſeruat, &c.* Idem eſt: *Non natiuitatis fructus paſcũt homines;* &: *nõ in ſolo pane viuit homo.* Idẽ: *Sermo tuus hos, qui in te crediderint conſeruat*: &: *Sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.*

Sapient. 16.

3. Senſus. Matth. 4.

Eſt & alius ſenſus non improbabilis: *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*; id eſt, in omni mandato Dei exequendo; quaſi dicat Dominus: Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni Dei mandato. Quoniã ſi homo mandatum Dei ſibi traditum ſeruarit, Deus homini cibum ſubminiſtrabit, iuxta illud: *Non vidi iuſtũ derelictum, nec ſemen eius quærens panem.* Item: *Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis ſaturabuntur, &c.* Seruabant Filij Iſraël mandatũ Dei, id eſt, terrã promiſſam petebãt; iter in vaſta illa ſolitudine facientibus cibum Deus ſuppeditauit. Seruauit Elias Dei mandatũ; per Sarephtanam viduam, perque coruos illum pauit.

Pſal. 36.

3. Reg. 17.

4. ſenſus.

Addam quartum ſenſum. Chriſtus Hebræo ſermone cum Lucifero locutus eſt, verbaque Hebræa Deuteron. protulit: *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni egreſſione oris Dei.* Hoc eſt, non in ſolo pane viuo ego, qui homo ſum, ſed in omni egreſſione, vel per egreſſionem oris Dei. Nam præpoſitio, *in*, ſumitur pro, *per*, id eſt, per generationem, diuinam viuo. Quoniam enim Filius Dei ſum, à Patre genitus, & à Patris ore ab æterno egreſſus, abſque pane quadraginta diebus ac noctibus vixi, viuereque ita poſſum perpetuò. Non eſt mihi opus lapidum in panes, quam ſuades, commutatio. Hunc tamen verborum ſenſum diabolus non intellexit. Ex eo enim Chriſtum Filium Dei eſſe, quod expiſcabatur, cognouiſſet, ſi ſenſum percepiſſet. Egreſſio autem oris Dei, generatio Verbi diuini appellatur, iuxta illud, de diuina Sapientia dictum: *Ego ex ore Altiſſimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam.*

Dent. 8.

Eccli. 24.

Iuxta noſtram verſionem ſenſus eſt: *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Hoc eſt, Ego, qui homo ſum, non in ſolo pane viuo, ſed in omni Verbo diuino, quod procedit de ore & intellectu Patris: humanitas enim hæc cum Verbo diuino coniuncta eſt, in eo his diebus viuit. Dicitur autem, *in omni verbo*, propter alios ſenſus. Sed verum eſt etiam hoc arcano ſenſu. Nam omne verbum, quod egreditur de ore Dei, eſt vnum tantum Verbum diuinum. Vel dicitur: *In omni verbo, quod procedit de ore Dei*; quoniam verba quædam procedunt de ore Dei in tempore; vnum Verbum diuinum, ac ſubſtantiale, & viuum, longè diuerſo ab aliis modo, procedit in æternitate. In omni verbo Dei viuit homo, tum in verbis, quæ procedunt ex ore Dei in tempore; tum maximeque in Verbo, quod procedit in æternitate. In hoc Verbo, & huius Verbi ope, humanitas Chriſti ſuſtentata quadraginta diebus abſque vllo alimento vixit; vixiſſetque, ſi placuiſſet, per omnes triginta tres annos. In eodem Verbo diuino homines, quoque ſpiritaliter viuunt; quicumque ſpiritaliter viuunt. Ex eo enim alimentum gratiæ ſpiritale, caritatis, virtutumque omnium, & meritorum trahunt.

Matth. 4.

Verbum diuinũ à Deo quomodo procedat.

CAPVT IV.

De tentationibus Chriſti.

TVNC *aſſumpſit eum diabolus in ſanctam ciuitatem.* Nihil potuit callidus explorator prima tentatione expiſcari; nulla verò in eremo tentandi alia apparebat anſa. Quid miſer ageret? non abiicit haſtas, certaminis locum mutat, extra eremum Chriſtum educit, & in ipſam ciuitatem Ieruſalem defert, tentandi occaſionem, quam in ſolitudine non habebat, in ciuitate hominibus referta habiturus. In ciuitatibus enim tentationum plurimos laqueos ille reperire ſolet. Super pinnaculum templi Dominum locat, vt è celſo illo loco det ſe præcipitem ſuadet: Angelorum verò manibus excipiendum ex diuinis ſcriptis confirmat.

2. Tentatio.

Quonam modo diabolus Chriſtum aſſumpſerit in templi faſtigium, ambigitur. Ianſenius, cùm de tertia tentatione agit, ſentit hanc aſſumptionem veram non fuiſſe, ſed per viſionem oblatam. Reſpondemus potius, veram fuiſſe, vereque Dominum in templi pinnaculum aſſumptum eſſe. Id enim verba Euangeliſtæ ſignificant: *Tunc aſſumpſit eum diabolus, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi: & dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorſum.* Omnia hæc veram ſonant aſſumptionem, non fucatam, & in aëre depictam: etenim in phantaſia Chriſti, vt iam diximus, dæmon pingere nihil valebat.

Matth. 4.

At quonam modo diabolus Chriſtum aſſumpſit? D. Thomas Matt. 4. ait per viam duxiſſe: Quæritur, inquit, quomodo aſſumpſit Chriſtum diabolus? dicunt, quòd portauit illum ſuper ſe: alij, & melius, quod exhortando induxit ad hoc, quod iret, & Chriſtus ex diſpoſitione ſuæ ſapientiæ iuit in Ieruſalem, &c. Videtur hoc Origenes ſentire homil.

Quonam modo diabolus Chriſtum in pinnaculum templi duxerit?

mil. 31. in Luc. Hoc, inquit, incredibile est, vt diabolus duceret Filium Dei, & ille sequeretur. Sequebatur planè, quasi athleta ad tentationem sponte proficiscens, &c. Neque verò verbum, assumplit, quo Matthæus vtitur per aërem duxisse probat: vt constat ex illis Matthæi verbis: *Assumpsit Jesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & duxit illos in montem excelsum*, &c. Numquid per aërem discipulos Christus duxit? minime. *Matth. 17.*

Attamen verisimilior est sententia D. Gregorij hom. 16. in Euang. D. Bonauenturæ in vita Christi, Abulensis quæst. 35. & aliorum: Christum à diabolo per aërem in pinnaculum templi esse delatum. Id quod probant verba illa: Statuit eum super pinnaculum templi: nimirum per aërem vexit, & vectum statuit super templum. Præterea si non tulit Christum Lucifer per aërem, sed per viam: è deserto illo loco discessit Christus dæmone suadente, illumque secutus est Ierosolymam, quod non est verisimile. Nulla enim erat caussa Christo, cur solitudinem desereret, & dæmonem sequens vrbem peteret. immo, si dæmon id facere suasisset; non feciset Christus, ne dæmoni morem gereret. Dicendum ergo est, dæmonem cum in eremo tentandi occasionem aliam, præter esuriem, non reperisset, Christum nihil obsistentem per aërem in Ierusalem detulisse, & in templi fastigio collocasse. Noluit enim Christus diabolum potentia expellere; sed humiliter se duci, quo ille voluit, vt vinceret, permisit. Permisit, ait Euthym. inimico ducere se quò luberet, & pugnare sicut vellet: vt vndiquaque victus, solus aufugeret, &c. Origen. hom. 31. in Luc. Non formidabat Christus tentantem, neque insidias pertimescebat inimici. Et quodammodo loquetur; duc, quò vis, tenta, vt placet, ad tentandum sponte me tribuo: præbeo me, in quibuscumque tentaueris, inuenies me in omnibus fortiorem, &c. Præterea noluit Christus diabolo ducenti obsistere, ne diuinam in eo potentiam ex obsistentia agnosceret.

Non placet hæc sententia D. Cypriano, si Cyprianus est ille auctor de operibus Christi cardinalibus: A multis, inquit, ambigitur, vtrum fuerit hæc translatio corporalis; & si de loco ad locum se Christus transferri permiserit, eo modo, quo Habacuc de Iudæa in Chaldæam ductus est, & Philippus de Azoto in occursum Eunuchi. Sed quòd corporaliter eum diabolus tulerit, videtur inconueniens, quòd humeris eius Saluator insederit, & pro vehiculo vsus sit, quem præcipitatorem sciebat; vel ei ferendum se commiserit, cuius insidias agnoscebat. Suo itaque Spiritu eum credendum est ductum, & in desertum, & super templum; vt vtrobique eum diabolus assumeret ad tentandũ, &c. Ait Cyprianus, Christum à suo Spiritu ductum, & in desertum, & in pinnaculum templi, id est, à Spiritu sancto, quod tamen Euangelistis repugnat. Nam Matthæus: *Assumpsit*, inquit, *eum diabolus in sanctam ciuitatem*. Lucas similiter: *Duxit illum, scilicet dæmon.* *Matth. 4.* *Luca 4.*

An Christus à Spiritu S. ductus fuerit in pinnaculum templi?

Infra videtur sentire auctor ille, non fuisse assumptionem corporalem. Addit enim verbis supra citatis hæc quæ sequuntur. Et localiter quidem prima tentatio fuit in deserto. Sed ceteras eo modo circumduxit tentatoris astutia, vel circumduci passa est patientia Saluatoris; quo modo Ezechiel, cùm super fluuium Chobar sederet, Ierosolymã raptus in spiritu ciuitatem ædificat, & metitur, & muros & templum instaurat. Hoc itaque modo superculmen templi Christus erat in spiritu, sciens quid antispiritus affectaret; & hosti se de vana gloria pulsaturo opportunitatem parabat, &c.

Christus se permisit à dæmone circumduci.

Quidquid ille velit, non est absurdum concedere, permisisse Christum se per aërem à dæmone duci. Quid enim mirum, ait Magn. Gregor. si se permisit à diabolo in montem duci, qui se pertulit a membris illius crucifigi? Neque verò dicimus diaboli humeris gestatum; aut veluti vehiculo vectum; sed vi, & potestate illius spiritali deferri se passum.

An Christus cũ à dæmone per aerẽ ductus est, ab hominibus visus fuerit

Quot leucas sit ductus; & num ab hominibus volare visus fuerit, rogabit quispiam. Posteriori interrogationi respondemus ex D. Thoma 3. p. q. 41. art. 4. ad 7. quo loco sic scribit. Dicendum quòd sicut Chrysostomus dicit (id est, Auctor Imperf.) forsitan diabolus, quantùm ad se, Christum assumebat in pinnaculum templi, vt ab omnibus videretur; ipse autem Christus, nesciente diabolo sic agebat, vt à nemine videretur, &c. Idem de itinere dicendum est. A monte autem, in quo Christus ieiunium quadraginta dierum obseruauit, distat Iericho duobus milliaribus, vt supra diximus; ab Ierusalem autem, vt scribit Ioseph. libr. 5. de Bello cap. 4. distat eadem Iericho, centum quinquaginta stadiis: Distat, inquit, ab Ierosolymis Iericho 150. stadiis, & à Iordane stadiis 60. totumque habet ab Ierosolymis spatium desertum, atque saxosum, &c. Hinc spatium colliges, per quod Christum Opt. Max. duxit impius Lucifer.

Quot stadiis distet Iericho ab Ierosolymis?

Sanctam ciuitatem appellat Matthæus Ierusalem, eo tempore, quo dæmon Christum tentauit: in ea enim vnicum toto regno templum erat, in quo Deus tunc sanctè sacrificiis & orationibus colebatur. Si sancta illa ciuitas dicitur, quòd templum haberet, in quo brutarum pecudum sacrificia fiebant; quonam nomine Christiana templa afficienda sunt, in quibus Eucharistiæ stupendum sacrificium quotidie offertur? iane & sanctissima & augustissima merito appellari possunt; & si quod aliud nomen est, quod maiestatem significet & sanctitatem, id sibi ob maiestatem Christi in Eucharistia præsentis optimo iure vendicant. Videant igitur Christiani, quanta cum sanctitate in sanctissimis templis Deum debeant venerari. Præterea sanctam vocauit ciuitatem diuus Matthæus; quoniam sancta erat etiam eo tempore, quo Euangelium scripsit: Sancta, inquam, ob Christi Opt. Maximi. sanguinem in ea effusum, & reliqua humanæ Redemptionis peracta mysteria sanctissima.

Cur Ierusalem sancta ciuitatem appellarit Euãgelista?

Templa sunt sanctissima.

Et *statuit eum super pinnaculum templi*. Pinnæ dicuntur duriores in auibus pennæ; in muris verò turriculæ illæ, quas Lusitani *ameas* appellamus. A pinnis ductum nomen, *pinnaculum*, celsum in ædificiis locum significat. Græcè à D. Luca, & ab interprete Matthæi, dicitur πτερύγιον; quod nomen propriè significat paruam alam vel pinnulam. Palatius Matth. 4. illam putat significare ex leui metallo confectam laminam, quæ tecto imposita motu suo ventorum flatus indicat; quamque Lusitanè appellamus grympam: est enim vere πτερύγιον, id est, ala parua, quæ huc atque illuc volat. Verùm non est probabilis interpretatio. Huiusmodi enim ventorum indicem in tecto templi fuisse, nec in diuinis litteris, nec in libris Iosephi legimus. Ait ille quidem tectum templi, ne à considentibus auibus polluerentur, aureis horruisse verubus; huius tamen pterygij mentionem facit nullam. Præterea, vt Euangelistæ aiunt, diabolus statuit Christum super pinnaculum, vel super pterygium templi: absurdum verò est credere, super laminam ventorum indicem statuisse. Ergo pterygium non est lamina illa ventorum index.

Quid sit pinnaculũ templi?

Syriacum Euangelium pinnaculum vocat גנפא (Chen-

(Chenpha) significat autem nomen Hebræum כנף Chenaph, *alam, & vesti oram, & extremitatem.* Vnde illud: *Præcidit Dauid oram chlamydis Saul*: Hebraicè dicitur, *abscidit*, Chenaph, id est, *alam, siue oram pallij*. Septuaginta transferunt, ἀφεῖλε τὸ πλευρὸν τῆς διπλοΐδος, id est, *abstulit alam paruam diploidis Saul.* Et: *Si tulerit homo carnem sanctificatam in ora vestimenti sui*. Hebraicè בכנף Bichnaph in ala, vel ora vestis. Septuaginta vertunt: *Si sumpserit carnem* ἐν τῷ ἄκρῳ, id est, *in summitate vestimenti*. Et: *Funiculos in fimbriis facies tibi, per quatuor angulos pallij*. Hebraicè, כנפות Champhoth, id est, *per quatuor alas, vel extremitates vestis tuæ*. Nos dicimus Lusitanè, abas. Terræ etiam extremitates, vel oræ, dicuntur alæ. *Venit finis super quatuor*, כנפות Champhoth, id est, *quatuor terræ plagas*, vt noster vertit. Septuaginta verterunt super quatuor πλευρὰς, id est, alas terræ. Chaldæus vertit, *super quatuor ventos terræ.*

1. Reg. 24.
Haggai 2.
Deut. 22.
Ezech. 7.

Quemadmodum terra quatuor habet plagas, siue extremitates, ita omne tectum quatuor habet angulos, siue alas, siue extremitates, quæ, cenaphoth, dicuntur. Vnde illud: *Melius est sedere in angulo domatis, quam cum muliere litigiosa*, &c. Hebraicè est in angulo, גג gag, id est, tecti, quod etiam significat dictio Græca, δῶμα. Statuit ergo diabolus Dominum super כנפא canepha, siue pterygium templi; hoc est, super aliquem ex quatuor angulis, quos celsum templi tectum habebat, alis similes, vel super pinnam aliquam templi: ita enim noster vertit interpres, ἐπὶ τὸ πτερύγιον, id est, *super pinnam*; eritque pinnaculum idem quod pinna. Erant enim Palæstinæ tecta non nostris similia, sed plana, veluti solaria, vt docet D. Hieronymus epist. 135. ad Suniam & Fretelam: δῶμα, inquit, in Orientalibus prouinciis ipsum dicitur, quod apud Latinos tectum: in Palæstina enim & Ægypto, vel vbi scripti sunt libri diuini, vel interpretati sunt, non habent in tectis culmina, sed domata; quæ Romæ vel solaria, vel mæniana vocant, id est, plana tecta, quæ transuersis trabibus sustentantur. Denique & in Actis Apostolorum, Petrus quando ascendit in doma, in tectum ædificij ascendisse credendus est, &c. Hinc lex illa emanauit: *Cùm ædificaueris domum nouam, facies murum tecti per circuitum; ne effundatur sanguis in domo tua, & sis reus labente alio, & in præceps ruente*, &c. Præcipiebat Dominus, vt tecta muris ambirentur, vt periculum euitaretur casus: ita templi tectum constructum erat, in quod Christum Lucifer adduxit. Scribit autem Iosephus lib. 6. de Bello cap. 6. templum in summo aureis verubus horruisse acutissimis, ne ab insidentibus auibus pollueretur. Non igitur videtur in ipso templi tecto Dominus collocatus verubus pleno, sed in tecto alio alicuius porticus, vel domus ipsius templi.

Prou. 21.
Luce 4. Tecta Palæstinæ plana erant.
Deut. 22.

D. Bonauentura Luc. 4. putat in tectis solitos concionatores habere conciones: In Palæstina, ait, domus habent tecta plana, & templum habuit tectum planum, vt tabernaculum, & in talibus consueuerunt stare Doctores & prædicatores, &c. Druthmarus in Matthæum: Mos erat in illa prouincia, tecta æqualia facere, vt homines desuper ambulare possent, & eo more erat præparatum desuper templum; & habebat in gyro cancellos, ne quis decideret. Ibi soliti erant sacerdotes legem legere, & turbis deorsum stantibus exponere, &c. D. Thomas Matth. 4. Quare diabolus supra pinnaculum Christum statuit? est in glossa, quia in illo loco docebant, &c. Glossa ordinaria: In Palæstina plana erant tecta, & ibi sedes erat Doctorum, vnde populo loquerentur; vbi multos cepit vana gloria honore magisterij inflatos. In eo igitur loco Christum tentat, vbi multos deceperat, &c. Hesselius in Matthæum: Pinnaculum, inquit, altum quoddam deambulacrum, ex quo sacerdotes populo prædicabant, &c. Confirmatur hæc sententia ex illis Domini verbis: *Quod in aure auditis, prædicate super tecta*. Ergo super tecta conciones habebantur. Vnde Beda in quæstionibus in libros Regum quæst. 13. sic scribit: Dicit Dominus in Euangelio: *Quod in aure auditis, prædicabitur in tectis*: talis namque locus aptissimus est, vt Dei Verbum prædicator, vel assidentibus sibi, vel inferius positis auditoribus proferat, &c.

An olim in tectis cõciones haberentur?
Matth. 10.

Attamen verisimile minimè videtur, in ipsis templi tectis conciones fuisse olim habitas; neque ab iis auctoribus id idoneo aliquo probatur testimonio aut ratione. Immo ratio à nobis stat. Quis enim credat populi multitudinem relictis templi amplissimis atriis in tecta fuisse conuocandam? Præterea Christus Opt. Max. non super tecta templi, sed in atrio concionabatur; idemque de ceteris magistris dicendum est. Verba illa Domini per hyperbolem dicta sunt, hoc sensu: Quod in aure auditis, palàm prædicate: erant enim tecta loca patentia. Beda tecta, ait, fuisse aptissima ad concionandum: sed mihi videntur fuisse ineptissima, quod quiuis poterit cogitatione consequi. Magister Historiæ in historia lib. 3. Reg. cap. 9. ait circum templum tabulata quædam fuisse, & hæc pinnacula dici: Ædificauit, inquit, tria tabulata Salomon, ad deambulandum circa templum, quæ in Euangelio pinnacula templi dicuntur, &c. Sed de templo infra agemus, & quid de iis tabulatis sentiendum sit, Deo fauente, ostendemus. Nunc pergamus.

Matth. 4.
Vana gloria fuit 2. tentatio.

Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Per aërem duxerat Dominum minimè renitentem Lucifer, & vt sibi videbatur, volare docuerat, atque, vt ita dicam, in cortice natare, dum aliena vi ducitur. Iam nunc sine cortice, vt natet, & sine ductu, vt volet, suadet. Angelorum, tamen ne timeat, manus opemque pollicetur: *Angelis*, inquit, *suis Deus mandauit de te*, &c. Vanæ gloriæ fuit hæc tentatio, vt docet Magnus Gregorius, interl. glossa, Haymo, & Beda in Matth. D. Ignatius in epistol. ad Philipp. Tu, inquit, ô dæmon, audes Domino dicere: *Mitte te deorsum*: & ad vanam gloriam prouocare alienum ab omni ostentatione? D. Hieronymus Matth. 4. Quem tentauerat fame, tentat vana gloria, &c. Aderant homines multi inferius, suasit dæmon, vt præcipitem se è tecto daret, & laudis inanisque admirationis amore ductus, volaret. Præterea, vt Hieronym. ait, Matth. 4. in omnibus iis tentationibus diabolus hoc egit, vt intelligeret, si Filius Dei erat Christus. Si Filius, inquit, Dei es, miraculum exhibe, testare volatu te esse Filium Dei. Angeli enim tamquam Filium Dei manibus te excipient. Quòd si miraculum Dominus fecisset, inde collegisset dæmon quod volebat.

Matth. 4.
Psalm 90.

SCRIPTVM *est enim, quia Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te*, &c. Vsus fuerat Dominus Scripturæ sacræ clypeo, repuleratque aduersarij ictum, testimonio Deuteron. *Non in solo pane viuit homo*, &c. Aduersarius eadem Scriptura vtitur, vt gladio ad vulnerandum. Facilem reddit præcipitationem, ex Psalm. 90. De te, ait, si Messias, & Filius Dei es, *scriptum est, quòd Angelis suis Deus de te mandauit, si te præcipitaueris, in manibus te tollent, ne offendas ad lapidẽ pedem tuum*. Quæres, num diabolus Scripturam in proprio ac germano sensu citarit? Respondet Caietanus rectè citasse, Matth. 4. Intellexit, inquit, diabolus, & verè sic erat, scriptum esse de Messia: *Angelis suis Deus mandauit de te*, &c. Psalmũ præterea de Messia exponit, in commentariis

An diabolus Scripturam in germano sensu citarit.

riis Psalmorum, sensu litterali. Augustin. quoque verba hæc, quibus vsus est diabolus, de Christo exponit in commentariis Psalmorum. Et Eusebius libr. 9. de Demonstrat. Euangel. cap. 7. D. quoque Irenæus lib. 5. cap. 21. Illud, inquit, *Quòd Angelis suis mandauit*, de eo, id est, Christo, scriptum erat: *Mitte te deorsum*; de eo nulla dicebat Scriptura, &c. Et Ambrosius Lucæ 4. Dominus nec ea, quæ de se fuerant prophetata, ad arbitrium diaboli putauit esse facienda, &c.

Verùm multi alij Patres diabolum in sensu litterali malè de Christo testimonium citasse sentiunt, quibus assentior. Psalmus enim, sensu litterali, non de Christo, sed de viro iusto conscriptus est. Neque enim Christo Angelorum custodia congruebat, ne ad lapidem offenderet pedem. Vnde merito D. Thom. 1. par. q. 113. art. 4. asserit Christum custodem Angelum non habuisse. Non habuit custodes Angelos, sed seruos & ministros. At Patres audiamus. D. Ignatius in epistola 8. ad Philip. Falsò, inquit, ô dæmon, ostendis Scripturam de Christo dicere: *Quoniam Angelis suis mandauit de te*, &c. D. Hieronymus Matth. 4. Hoc in nonagesimo Psalmo legimus. Verùm ibi non de Christo, sed de viro sancto prophetia est. Malè ergo interpretatur Scripturam diabolus. De Angelorum auxilio, quasi ad infirmum loquitur, &c. Beda in Matth. hæc prophetia est de viro iusto, sed malè interpretatur diabolus Scripturas, dum ad Christum de Angelorum auxilio quasi infirmum loquitur, &c. Chrysost. homil. 13. Istud, inquit, de Christo dictum non est, &c. Haymo: Diabolus Scripturas interpretans, hoc de Christo dictum asserit, quod non de illo, sed de quolibet electorum illius intelligendum est; Christus non tantæ infirmitatis erat, vt indigeret auxilio Angelorum, &c. Theophylactus eodem capite: Non scriptum est, *In manibus portabunt te*, propter Christum; sed propter Sanctos, qui indigent angelico præsidio. Christus autem, qui Deus est, non opus illo habet, &c. D. Thomas: Dicit hoc Psalmus de membro Christi, quod indiget custodia Angelorum, &c.

Psalm. 90.

Psal. 90.

D. Bernardus in Psalmum 90. Qui habitat, serm. 13. Frustra, ait, ô dæmon, in tentationem capitis, id est, Christi, intorsisti; quod scriptum est ad corporis (id est, Ecclesiæ) consolationem. Huic enim necesse est custodiri, cui timendum est, ne offendat ad lapidem pedem suum. Non est quod custodiatur Christus, cui non est quod timeatur, &c. Cassianus in collatione prima Abbatis Mosis cap. 20. Sollicitè, ait, explorare nos conuenit, ne auro purissimo Scripturarum praua interpretatio coaptata, metalli pretiositate nos fallat. In quo diabolus Saluatori tentauit imponere, dum ea, quæ generaliter sunt super omnium iustorum personis intelligenda, maleuola interpretatione corrumpens, specialiter huic, qui Angelorum custodia non egebat, conatur aptare, dicens: *Quia Angelis suis mandauit de te*, &c. Adde Origenem homilia 31. in Luc. Vide, inquit, quomodo diabolus in ipsis testimoniis versipellis est. Vult enim imminuere gloriam Saluatoris, quasi Angelorum indigeat auxilio, offensurus pedem, nisi eorum manibus subleuetur. Assumit testimonium, & interpretatur illud de Christo; quod non de Christo, sed de Sanctis generaliter scriptum est. Liberè quippe & tota confidentia contradico diabolo, super Christi persona hoc non posse intelligi. Neque enim indiget Angelorum auxilio. Quin potius disce, diabole, quod nisi læsus adiuuerit Angelos, offendent pedem suum, &c.

Cassianus.

Quamuis autem Christo Psalmi verba conuenirent; tamen diabolus impiè illis ad tentandum, & præcipitium suadendum vtebatur. Vnde rectè Bernardus in eumdem Psalm. illi illudit, hunc in modum: Quid malignè Angelis mandauit Deus? nempe, vt custodiant in omnibus viis; numquid in præcipitiis? Qualis via hæc, de pinnaculo templi mittere se deorsum? Non est via hæc, sed ruina; & si via est, tua est, non illius, id est, Christi, &c. *Bernar. ser. 14. in Ps. 90.*

Hic hæreticorum mos est, Scripturis impiè vti in suum sensum detortis, ad misellam plebem decipiendam. Vnde Origenes loco citato: Sic, inquit, legit Scripturas Marcion, vt diabolus, sic Basilides, sic Valentinus, &c. Optimum deinde præbet consilium: Si quando, inquit, testimonium de Scriptura audieris, vide ne statim loquenti acquiescas; sed considera illum cuius sit, ac cuius sententiæ, cuius voluntatis. Ne forte simulet sanctum se esse, quod non est; & venenis infectus hæreseos, sub ouis pelle lupus latitet. Ne forte loquatur in eo diabolus de Scripturis. Hæc ille. O infelicia tempora nostra, in quibus toties in Luthero, Caluino, Zuinglio, eorumque asseclis diabolus de Scripturis fallaciter loquitur. Heu loquitur; & auditur, sed ab imperitis & cæcis. Ab iis enim, qui diuinas res explorarunt, vigilantique oculo perspexerunt, sanctissimo Dei Spiritu per Patres, & concilia easdem Scripturas vere sancteque explanante, protinus repellitur. Hac de re in Morali dicemus plura. *Hæretici Scripturis ad confirmanda sua dogmata impiè vtuntur.*

Obseruant præterea Patres hoc loco, Luciferum verba, quæ in Psalm. 90. sequuntur, callide subticuisse. Nimirum: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* D. Ignatius epistol. 8. & citata in apostrophe ad diabolum: Falsò, inquit, obtendis Scripturam de Christo dicere: *Quoniam Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, vt non offendas ad lapidem pedem tuum.* Cetera simulas te ignorare, furtim ea subtrahens. An non de te tuisque ministris prophetauit: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem?* Si igitur tu Dominicis cõculcaris pedibus, quomodo tentas Dominum? &c. Origenes loco indicato: Silet diabolus, & transit versiculos, qui contra se scripti sunt. Tacuit illud quod sequitur: *Super aspidem & basiliscum ambulabis.* Quare diabole siles? nisi quòd tu es basiliscus, tu es omnium serpentium regulus, nocentiora habens venena quàm ceteri, qui statim, vt videris aliquem, interficis. Tu es draco, tu es leo, de quibus scribitur: *Super aspidem & basiliscum calcabis, & conculcabis leonem & draconem*, &c. D. Hilarius in Matthæum: Diabolus de his, quæ in se dicta sunt, tacuit, &c. D. Hieronymus: Dæmon de Angelorum auxilio quasi ad infirmum Christum loquitur, de sua conculcatione, quasi tergiuersator, tacet, &c. Et Bernardus sermon. 14. in eumdem Psalmum 90. Quid, ô maligne, taces, & illud, quod sequitur: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem?* Te enim hæc parabola tangit: monstruosa malignitas monstruosis appellationibus conculcanda signatur, &c. *Psal. 90. Diabolus verba Psalmi 90. quæ ipsum pungebant subticuit.* *Psal. 90.* *Ibidem.*

Rogat hoc loco Hesselius, Num diabolus sacram Scripturam intelligat, verumque eius sensum cognoscat? Et respondet, eum tantùm de sacra Scriptura scire, quantùm illi à Deo permittitur. Abulensis verò Matth. 4. putat diabolum sacram Scripturam perfectè intelligere: Veritatem, inquit, sacræ Scripturæ perfectè dæmon intelligit. Vnde quando falsò & inconuenienter allegat, non hoc facit, quia ignorat; sed quia fallere cupit, &c. Crediderim diabolum ante Christi aduentum plerosque arcanos de Christo & Ecclesia Scripturarum *An dæmon Scripturam intelligat?*

rarum ſenſus non cognouiſſe; poſt aduentum verò à Chriſto, Apoſtolis, ſacrisque Scripturæ interpretibus, illos didiciſſe. Nunc verò Apocalypſim perfecte non intelligere exiſtimarim, multosque Scripturæ ſenſus illum latere.

Deut. 6. NON *tentabis Dominum Deum tuum*. Falſas de Scripturis diaboli ſagittas, ait D. Hieronymus, Chriſtus Opt. Maxim. veris Scripturarum frangit clypeis, &c. Clypeus hic ſumitur ex Deuteron. quo docemur Deum non eſſe tentandum; is autem tentare Deum dicitur, qui, cùm humana ſuppetunt effugia, diuina exſpectat miracula. Tentat Deum, ait Euthymius, qui nulla inſtante neceſſitate ſe ipſum in manifeſtum præcipitat periculum, ob habitam in Deum fiduciam, &c. Haymo hoc loco: Diſcimus, quia Chriſtianus quamdiu eſt in periculo poſitus, & habet quod faciat, quomodo periculum euadat, non debet Dominum ſuum tentare. Si autem ita coarctatus fuerit, vt effugij locum non habeat, ſpem ſuam Domino committat; ſciens, quia non derelinquit ſperantes in ſe, &c. Auguſtinus: Pertinet, inquit, ad ſanam doctrinam, quando habet quod faciat homo, non tentare Dominum Deum ſuum. Item: Chriſtus fugiendo, & latendo, hominis inſtruebat infirmitatem, ne Deum tentare audeat, quando habet quod faciat, vt, quod cauere oportet, euadat. Neque enim Paullus deſperauerat protectionem diuinam, fidemque perdiderat, quando per murum in ſporta ſubmiſſus eſt: *Vt inimicorum manus effugeret*. Non in Deum non credendo ſic fugit; ſed Deum tentando fugere noluiſſet, cùm ſic fugere potuiſſet, &c. Et libro 16. de Ciuitate Dei capit. 19. Abraham, inquit, ſi periculum, quantùm cauere poterat, non caueret, magis tentaret Deum, quàm ſperaret in Deo, &c. Dicitur ergo homo tunc Deum tentare, cùm humana remedia, quæ adhibere poteſt, reſpuit, & miracula à Deo, vt liberetur, expetit. Potentiam enim Dei, amorem, curam, prouidentiamque erga ſe, vult experiri. Nam tentare aliquem, eſt de illo periculum facere, de illius fide amicitiaque experimentum ſumere. Reſpondet itaque Dominus: Nolo Deum tentare, cùm remedia ſuppetant humana, ad miraculum nolo confugere; poſſum per gradus ex hoc tecto deſcendere, non opus eſt volare. Nam in tecta Iudææ per gradus aſcenſus deſcenſusque patebat; quoniam, vt diximus, plana erant, vt noſtra ſolaria. Quod ſi templi illud tectum gradus non habuit, humana alia remedia ad deſcendendum abſque miraculo quæri poterant.

Quid ſit tẽtare Deum?

Aug. lib. 22. cõtra Fauſt. c. 36.

Act. 9.

CAPVT V.

De tentationibus Chriſti.

3. Tentatio. ITERVM *aſſumpſit eum diabolus in montem excelſum, & oſtendit ei omnia regna mundi*, &c. Nihil diaboli doli, technæ, retia, prima, ſecundaque tentatione, expiſcari potuerunt; tertiam admouet machinam. E deſerto Chriſtum duxerat in pinnaculum templi, nihilque profuit. E pinnaculo igitur aſſumptum in montem celſiſſimum vehit: omnia orbis regna, eorumque gloriam illi & oſtendit & pollicetur, dummodo procidens adorationis cultum oſtendenti Lucifero exhibeat. Vides quam adhibeat machinam? nempe omnia orbis regna eorumque gloriam. Fortiſſima turris eſt, ad quam oppugnandam totus orbis totaque illius gloria conducitur. Videamus primò, quiſnam mons ille ſit, in quem Lucifer Dominum aſſumpſit; deinde quomodo omnia illi mundi regna oſtenderit; demum num hac tentatione Chriſti diuinitatem exploraurit?

Auctor Imperfecti homil. 5. ait montem illum ceteris fuiſſe in omni terra celſiorem: *Aſſumpſit*, inquit, *eum ſuper montem excelſum valde*, quem ipſe diabolus circumiens omnem terram excelſiorem ceteris cognoſcebat, &c. Montem illum valde excelſum fuiſſe fatemur cum Matthæo Euangeliſta: ceteros verò totius terræ montes celſitudine ſuperaſſe inficias imus. Beauxamis eumdem eſſe montem vult, ex quo Deus Moſi terram promiſſam oſtendit: Hic mons, ait, eſt in deſerto, à latere montis Nebo eminentiſſimus, vt loci celſitudine Chriſtum ad elationem animi excitaret; & facilius hinc regiones orbis conſpiceret. In eumdem montem Dominus ſubduxerat Moſem, promiſſionis terram eidem demonſtraturus, &c. Abulenſis Matthæi 4. q. 48. Communiter, inquit, aſſeritur, iſtum eſſe quemdam montem excelſum, non longe à Iericho, qui diſtat duobus milliaribus à Quarantana. Eſt enim Quarantana deſertum, in quo Chriſtus quadraginta diebus ieiunauit, & diſtat duobus milliaribus à Iericho. Et rurſus, ab ipſo deſerto, quod Quarantana dicitur, duobus milliaribus, contra Galilæam, eſt mons excelſus, in quo diabolus Chriſtum interim tentauit. Sic dicitur in libro de Diuiſione terræ ſanctæ, & in libro Borchardi, & in libro Marini Veneti, qui omnes diligenter deſcripſerunt terram ſanctam. Hæc Abulenſis. Adrichomius præterea in theatro terræ ſanctæ, in tribu Beniamin, numero 90. hunc montem, montem diaboli appellat; & de eo ſic ſcribit: Mons diaboli diſtat duobus milliaribus à Quarantana; in eum deductus fuit à ſatana Chriſtus, &c. Borchardus quoque in deſcriptione terræ ſanctæ: Ex Galgala, inquit, ad dimidiam leucam, tendendo in Iericho, ad dexteram, iuxta viam, eſt mons dictus Quarantana, vbi mundi Saluator quadraginta diebus & noctibus cibum nullum ſumpſit; altus eſt nimis, & aſcenſu difficilis. Tentatus autem fuit in alio monte, qui duabus leucis diſtat à Quarantana, ſupra in deſerto, à latere Bethel & Hai, &c. Videtur milliaria appellare leucas. Item diuus Bonauentura in meditationibus vitæ Chriſti, cap. 17. Diabolus reportauit Chriſtum in montem excelſum, prope montem de Quarantana, per duo milliaria, &c.

Matth. 4.

Vbinam ſit mõs in quẽ Lucifer Chriſtum duxit? Deut. 33.

Adrichom.

Borchard. 1 p. c. 7. §. 28

Attamen Aranda eiuſdem explorator regionis ſcribit, exiſtimari Chriſtum ductum à dæmone in eumdem montem, in quo ieiunauerat: In cacumine, ait ille, montis Quarantanæ ſacellum eſt in honorem Chriſti exſtructum: aiunt enim eo in loco diabolum tertiam illi tentationem obiecisſe, cùm omnia mundi regna ante oculos poſuit, &c. Idem opinatur alius ex eadem præclara diui Franciſci familia monachus, qui Luſitanè, poſt peragrata ſancta loca, nuper ſcripſit, capite 63. de monte loquens, in quo Chriſtus ieiunium quadraginta diebus prorogauit: Aliqui, inquit, opinari voluerunt, non certaſſe dæmonem cum Chriſto tertia tentatione in hoc monte, ſed in alio, qui leucæ vnius diſtat ſpatio. Sed decipiuntur. In eo enim monte nulla huius rei memoria exſtat. In hoc verò, in quo primò tentatus eſt Dominus, monumentum eſt, ſacellum in cacumine illius exædificatum, cum propoſita peccatorum indulgentia. Neque verò cis Iordanem alius eſt mons, qui ieiunij montem celſitudine æquet, cùm multi ſint alij, ſed illo inferiores, &c. Hæc tamen argumenta non ſatis probant quod vult. Nam illud ſacellum, quod in cacumine montis ieiunij exſtructum eſt, exſtrui potuit,

Aranda, c. 27 An Chriſtus 3. tẽtatione tẽtatus fuerit in mõte ieiunij?

potuit, non propterea quòd eo in monte Christus fuerit tertia tentatione tentatus; sed quòd in illo ieiunium quadraginta dierum seruarit. Neque verò opus est, vt mons ille ceteros omnes superet celsitudine. Verùm in re dubia, & incerta, nec momenti magni, quilibet sentiat vt libuerit.

Quomodo dæmon regna orbis Christo ostenderit?

Quonam modo omnia orbis regna Lucifer Christo ostenderit, docet Euthymius Matthæi 4. his verbis: Digito Christo demonstrat dæmon in momento temporis, id est, in paruo tempore, partes orbis, in quibus mundi regna sita erant, dicens: In hac quidem parte positum est regnum Romanorum, in ista verò Persarum, & in illa Assyriorum, ac pari modo de ceteris, &c. Similiter Auctor Imperfecti homil. 5. Ostendit, inquit, diabolus, non vt ipsa regna, vel ciuitates eorum, vel populos, vel argentum, vel aurum videret; sed partes terræ, in quibus vnumquodque regnum, vel vniuscuiusque regni ciuitas posita erat. Vtputa, si ascendas super excelsum locum, digito extenso dicam tibi: Ecce ibi est Roma, aut ibi Alexandria; non sic ostendo tibi, vt ipsas videas ciuitates, sed partes terræ, in quibus positæ sunt, &c. Hæc sententia est etiam D. Thomæ, Matthæi 4. & 3. part. quæst. 41. artic. 4. ad 7. Caietani, Carthusiani, Lyrani, Alberti Magni, Abulensis quæst. 49. & aliorum.

1. opinio.

Luca 4.

Non omnino placet hæc opinio. Etenim Lucas affirmat dæmonem in momento Christo regna ostendisse. In momento autem non possunt regna omnia eorumque partes digito ostendi; longo ad ea indicanda opus est tempore. Sanè Lucas in momento ostensa dixit, vt innueret non esse indicata regna digito, sed diabolica aliqua arte, temporis puncto. Haymo in explicatione huius loci ad Dei potentiam confugit: A Deo, ait, ostensa esse diabolo regna mundi, deinde à diabolo ostensa Christo. Quoniam non vidit, qua dæmonis potestate ostendi potuerint: Diabolus, inquit, non tantæ fuit potestatis, vt Domino regna vniuersa posset ostendere. Sed ita est tenendum, quòd ipse Dominus totam mundi machinam potentia sua diabolo videndam præbuit, sicut B. Benedicto ostensam legimus. Cumque dæmon vniuersum mundum sub oculis vidisset, æstimans sua esse omnia, in superbiam elatus, dixit: *Hæc omnia tibi dabo*, &c. Glossa quoque interlin. Ostendit ei omnia regna; non quod diabolus, sed virtus diuina hoc possit. Et glossa ordinaria: Moysi ostendit Deus in momento totam terram promissionis virtute Deitatis; ita modò actum est, &c. At verò absurdum est sentire, Deum dæmoni aduersus Christum arma subministrasse. Nihil igitur habet probabilitatis hæc opinio. Melius Druthmarus: Sicut, inquit, Deus diabolo ad libitum suæ tentationis permisit superiora: sic potest fieri, vt permiserit ei sub vna visione totum mundum ostendere, eo modo, quo B. Benedictum legimus vidisse, &c.

2. opinio.

Matth. 4.

3. opinio.

Visionem autem diui Benedicti D. Gregorius memoriæ prodidit, lib. 2. dialogorum capite 35. *Omnis*, inquit, *mundus, velut sub vno Solis radio collectus, ante oculos eius adductus est*, &c. Potuit ergo dæmon eumdem in modum collecta omnia regna mundi ante Christi oculos ponere, eaque illi promittere. Verùm D. Gregorius eodem loco exponere videtur, diuum Benedictum non externis, sed internis mentis oculis vidisse mundum: Vir, inquit, Dei, qui globum igneum, Angelos quoque in cælum redeuntes videbat; hæc procul dubio cernere non nisi in Dei lumine poterat. Quid itaque mirum, si mundum ante se collectum vidit, qui subleuatus in mentis lumine extra mundum fuit? Quod autem collectus mundus ante eius oculos dicitur, non cælum & terra contracta est, sed videntis animus est dilatatus; qui in Deo raptus videre sine difficultate potuit omne quod infra Deum est. In illa ergo luce, quæ exterioribus oculis fulsit, lux interior in mente fuit; quæ videntis animum, cùm ad superiora rapuit, ei quam angusta essent omnia inferiora monstrauit. Hæc ille. Et Abulensis Matth. 4. q. 49. Dicendum, inquit, est, quod illa visio diui Benedicti fuit in spiritu, & non ad oculum, &c.

Quoniã modo D. Benedictus mũdum collectũ viderit?

Probari tamen potest, visionem mundi non fuisse spiritalem. Quoniam diuus Benedictus vidit ante oculos collectum mundum, ante oculos, inquam, corporeos. Vidit enim corporeis oculis lucem, & in luce collectum vidit mundum, videlicet eisdem oculis corporeis. Quocirca non videtur à ratione alienum, credere Deum oculis corporeis diui Benedicti species eiusmodi in luce illa obiecisse, quæ collectum orbem illi indicarent. Id enim & fieri à Deo posse nemo negauerit, & visioni congruit, quæ huiusmodi est. Vir Dei Benedictus, ait Gregorius, ad fenestram stans, & Omnipotentem Deum deprecans, subitò intempesta noctis hora respiciens, vidit fusam lucem desuper cunctas noctis tenebras effugasse, tantoque splendore claruisse, vt diem vinceret lux illa, quæ in tenebris radiasset. Mira autem res valde in hac speculatione secuta est. Quia sicut pòst ipse narrauit, omnis etiam mundus, velut sub vno Solis radio collectus, ante oculos eius adductus est, &c. De oculis loqui videtur Gregorius, quibus lucem vidit Benedictus, ergo de corporeis. Quod indicant magis verba sequentia, scilicet: Dum intentam oculorum aciem in hoc splendore coruscæ lucis infigeret, vidit Germani Capuani Episcopi animam in sphæra ignea ab Angelis in cælum ferri, & cet. Animam autem & Angelos in sphæra ignea sub figuris corporeis vidisse verisimile est, totamque hanc visionem externam fuisse, non solùm internam.

Visio D. Benedicti quæstio.

Rupertus quidem Matth. 4. phantasticam fuisse ostensionem diaboli arbitratur: Siqua, inquit ille, Scriptura narraret fecisse diabolum circa quemlibet hominem, vt in momento temporis mundum illi ostenderet vniuersum; non dubitaremus dicere ostensionem spiritalis nequitiæ visumque fuisse phantasticum. Numquid & hunc hominem, quem explorabat, vtrum esset Filius Dei, per suas phantasias diabolus est ausus aggredi? Animus fidelis hoc vel cogitare perhorrescit. Sed ne abhorrescas, quia quantò maior tentatoris iniuria, tantò gloriosior victoris patientia. Confer phantasias eiusmodi cum phantasiis quas patimur, quoties tentamur, omni quod in mundo est, ex concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Quotus quisque nostrum erit, qui non in tentatione qualicumque concupiscentiæ lenocinio mulceatur, forte etiam inuitus? Nec mirum; nam nos phantasias intus patimur. Eiusmodi autem phantasiæ, quæ deforis veniunt, vel foris fiunt, aliquando non solùm non delectant, verùm etiam sensibus corporis molestæ sunt. Et si à tentatore huic Filio hominis adductæ sunt, id est, Christo, indubitanter absque peccato eius & accesserunt & recesserunt; vt dicas cum Apostolo: *Tentatum per omnia pro similitudine absque peccato.* Hebr. 4. Hactenus Rupertus. Similiter Theophylactus: Sensibiliter, inquit, diabolus Christo monstrauit in monte omnia regna, ante oculos ea apparere faciens. At Luc. 4. Asserit Christi imaginationi oblata:

oblata: Cùm demonſtraſſet, ait, omnia regna ſenſibiliter eius imaginationi, non ad ea reſpexit Dominus, &c. Verùm dæmonem in phantaſia vel imaginatione Domini operari aliquid valuiſſe, à veritate abhorret.

Ianſenij ſententia.

Ianſenius opinatur dæmonem ante Chriſti oculos regnorum imagines propoſuiſſe: Veroſimilius, inquit, videtur, vt dicatur, diabolum Chriſto oſtendiſſe omnia regna ſenſibiliter; quia omnium imagines nouo quodam modo repræſentauit humanis eius obtutibus; faciens per eas imagines omnia apparere oculis eius. Qua ratione nec fuit aliqua illuſio in oculis Chriſti, nec Chriſtus deceptus eſt; cùm ſciret obiectas imagines eſſe falſas. Si Ianſenius voluit diabolum produxiſſe imagines nouas in oculis Chriſti, quæ regna repræſentarent, opinio falſa eſt. Non enim poteſt diabolus nouas producere imagines vel in oculis, vel in phantaſia. Si autem exiſtimauit (vt eſt veriſimilius) dæmones ex aëre ante Chriſti oculos, temporis momento, regnorum, auri, argenti, gemmarum, mundanæque gloriæ ſpectra effinxiſſe, illius ſententiæ ſubſcribo. Cùm enim temporis momẽto regna oſtenſa dicat D. Lucas, hoc modo id potuit fieri. Breuiſſimo namque tempore, agilitate admiranda, dæmonum cateruæ omnia illa efficere potuerunt. Similem in modum noſter Sâ: Oſtendit, inquit, diabolus omnia regna Chriſto, obiiciens oculis, per ſpecies à ſe formatas, &c.

Exiſtimat Ianſenius Chriſtum in montem & in Ieruſalem verè aſſumptum non fuiſſe; ſed per viſionem: Diabolus, ait ille, per nouas rerum imagines, fecit Chriſto videri ſenſibiliter, ſe eſſe ſupra templum & montem, &c. Probat non fuiſſe in montem excelſum ductum; quoniam, vt oſtenderentur regna mundi per fallaces imagines, nihil opus erat monte; in valle oſtendi poterant. Ego verè in montem & templum aſſumptum Chriſtum reor, non per viſionem, vt ſupra iam expoſui. Idque ſignificant Euangeliſtarum verba, ſi rectè expendantur. Argumẽto, quo vtitur Ianſenius, reſpondemus, etſi nihil opus eſſet monte, tamen in montem vectum Chriſtum à dæmone; quia volebat dæmon oſtenſionem fictam veræ ſimilem eſſe. Nam infra montem regna aërea aëreamque gloriam oſtentabat.

Origenis ſententia.

Eſt præterea Origenis opinio, diabolum oſtendiſſe Chriſto regna mundi, hoc eſt, impios homines, in quibus regnat; ſic ille ſcribit homil. 30. in Lucam: Duo Reges certatim regnare feſtinant; peccati Rex, peccatoribus diabolus, iuſtitiæ Rex, iuſtis Chriſtus. Sciensque diabolus ad hoc veniſſe Chriſtum, vt regnum illius tolleret, & hi, qui ſub eo erant inciperent eſſe ſub Chriſto; oſtendit ei omnia regna mundi & hominum huius ſæculi. Quomodo alij regantur à fornicatione, alij ab auaritia, illi populari rapiantur aura, hi formæ capiantur illecebris. Neque verò arbitrandum eſt, quòd regna ei mundi oſtendens, Perſarum, verbi gratia, regnum Indorumque monſtrauerit. Sed oſtendit ei omnia regna mundi, id eſt, regnum ſuum, quomodo regnaret in mundo; vt cohortans eum facere quod volebat, inciperet etiam Chriſtum habere ſubiectum. Vis, inquit, in hominibus his regnare? (Oſtendit innumerabiles hominum multitudines, quæ ſuo tenebantur imperio) ideo veniſti, vt aduerſus me dimices, & tollas de imperio meo, quos nunc ſubiectos habeo? Nolo contendas, ne habeas vllam in certando moleſtiam. Vnum eſt, quod precor, procidens adora me, & accipe regnum omne quod teneo, &c. Hæc Origenis eſt ſententia; ſed probabilitate caret.

Duo Reges certatim regnare feſtinant.

Regnũ dæmonis.

A Lege eumdem libro quarto Periarchon cap. 2.

An diabolus 3. tentatione Chriſti diuinitatẽ explorare voluerit?

Tertiæ quæſtioni ſupra poſitæ, An diabolus hac tentatione Chriſti diuinitatem explorarit? reſpondet Abulenſis Matth. 4. non exploraſſe. Quoniam nec miraculum petiuit, nec præfationem illam addidit: *Si Filius Dei es.* Cardinalis Caietanus aliud opinatur: Non intelligo, inquit, hanc tentationem tendere ad id, quod ſonat. Quoniam non eſt veriſimile, vt diabolus virum tantæ perfectionis, quantam viderat in IESV, quem numquam potuit trahere ad minimum peccatum veniale, duxerit tentandum ad tam magnum ſcelus adorandi dæmonem, credendo, aut ſuſpicando, quòd forte conſentiret. Sciuit enim, quòd nemo repente fit ſummus, tam in bono, quàm in malo. Sed intelligo, quòd occultiore arte tentationem hanc intulerit, ad explorandum, ſi Filius Dei eſſet. Conſiderans enim tentator priores conatus à ſuggeſtione, ſi Filius Dei es, fuiſſe vanos; cogitauit occultè idem explorare, tentando de ſupremo crimine, vt ſcilicet ſe adorarẽt, vt vel ſic prouocaret Ieſum ad increpandum tentatorem, dicendo: Ego à te debeo adorari, & tu tam inſanis, vt petas adorari à me? Et ſic exploraſſet ipſum eſſe Filium Dei. Hæc Cardinalis. Et quidem D. Hieronymus ſentit in omnibus tentationibus voluiſſe diabolum inueſtigare, an Chriſtus Dei eſſet Filius: In omnibus, inquit, tentationibus hoc agit diabolus, vt intelligat ſi Filius Dei ſit. Sed Dominus ſic reſponſionem temperat, vt eum relinquat ambiguum, &c. Similiter Auctor Imperfecti ſic loquentem inducit diabolum homilia 5. Oſtendam illi omnia regna mundi, ſi concupierit ea, ſcio quia homo eſt; ſi autem contempſerit ea, ſcio quia Filius Dei eſt. Nec enim poteſt deſiderare quæ ipſe creauit, nec delectatur terrenis, qui fruitur cæleſtibus, &c. Præterea D. Maximus homil. 4. opinionis illius eſt, quam ſequitur Caietanus: Diabolus, ait diuus Maximus, tentando ad hoc vſque peruenit, vt ſe ab adorando Dei Filio poſceret adorari: æſtimans, quòd Chriſtus, qui decipi laudis ſuæ ſubreptione non potuit, indignatione ingeſtæ contumeliæ ſe proderet exploranti. Sed fortiſſimus propugnator, nec molli adulatione frangitur, nec duriſſimis iniuriis commouetur. Sed ita ad omnia inimici tentamenta reſpondit, ne poſſet in vno eodemque Deo & homine cæleſtis myſterij deprehendere ſacramentum, &c.

Nõ delectatur terrenis qui fruitur cæleſtibus.

Fortis pugnator nec adulatione frangitur, nec iniuriis cõmouetur.

Probabilius videtur, quod Hieronymus ait, in omnibus tentationibus, quibus permiſſus eſt certare, diabolum & diuinitatem Domini voluiſſe verbis & factis indagare, & in peccatum impellere. Quòd ſi hæ tentationes, ad id quod cupiebat, minus aptæ alicui videantur; meminerit, diabolum ſolùm externis tentationibus cum Chriſto agere potuiſſe; Chriſtumque omnes in verbis & factis anſas ſerpenti callidiſſimo præcidiſſe. Argumenta Abulenſis momenti non multùm habent. Non enim per admirandum opus voluit tertia tentatione diuinitatem Chriſti diabolus indagare; ſed per execrandum ſcelus ad diuinitatis confeſſionem illum adducere; vt docent D. Maximus & Caietanus. Omiſit autem præfationem illam; ſi tu es Filius Dei; quoniam operi deteſtando minimè congruebat. Miraculis quidem, quæ ſupra expetiuerat, apta erat: Filium enim Dei decent miracula. Cultui diabolico, ad quem hîc inuitabat, non conueniebat: Filium enim Dei adorare diabolum, inauditum erat & impoſſibile.

HÆC *omnia tibi dabo.* Addit D. Lucas: *Quia mihi tradita ſunt; & cui volo, do illa.* Ex more mentitur; *Luca 4.*

titur;ne obolum quidem habet, qui omnia regna mundi promittit. Vt fallat deceptor, offert quod non habet,ait Diuus Maximus homil.4. & vt verè cæcus,cælorum Domino terrarum regna promittit,&c.Et Diuus Chrysologus,sermon.13. Hæc dicit,non qui possit dare,sed fallere,&c. Non diaboli,sed Dei sunt regna, & cui vult dat illa. *Regnare facit Deus hypocritam, propter peccata populi.* Daniel: *Septem tempora mutabuntur super te,donec scias,quòd dominetur excelsus in regno hominum. Et cuicumque voluerit,det illud, &c.* Augustinus libro 4. de Ciuitate Dei,cap.33.Deus felicitatis Auctor & dator; quia solus est verus Deus,ipse dat regna terrena & bonis & malis.Neque hoc temere & quasi fortuitò; sed pro rerum ordine, ac temporum, occulto nobis,notissimo sibi,&c.Et libro quinto cap.21. Non tribuamus dandi regni atque imperij potestatem nisi Deo vero. Qui dat felicitatem in regno cælorum solis piis; regnum vero terrenum & piis & impiis,sicut ei placet;cui nihil iniustè placet.Quando voluit,& quantùm voluit,Romanis regnum dedit,qui dedit Assyriis,vel etiam Persis,&c.

Iob.34. Dan.4.

Diabolus mentitur: non enim potest regna cui vult dare.

Mentitur ergò diabolus,cùm ait: *Cui volo,do illa.* Diuus Irenæus lib. 5.cap.24. Sicut in principio diabolus mentitus est, ita & in fine mentiebatur, dicens:*Hæc omnia mihi tradita sunt;cui volo,do illa.* Non enim ipse determinauit huius sæculi regna, sed Deus. *Regis enim cor in manu Dei.*Et per Salomonem ait Verbum eodē libro: *Per me Reges regnant, & potentes decernunt iustitiam, per me principes exaltantur & tyranni terræ.*Et Paullus hoc ipsum ait: *Omnibus potestatibus sublimioribus subiecti estote.Non est enim potestas nisi à Deo,&c.* Item: Manifestum, quoniam mentitur diabolus,dicens:*Mihi tradita sunt; & cui volo,do illa*: cuius enim iussu homines nascuntur, huius iussu & Reges constituuntur,apti iis, qui in illo tempore ab ipsis regantur. Quidam enim illorum ad vtilitatem & correctionem subditorum dantur,& conseruationem iustitiæ; quidam autem ad timorem,& pœnam,& increpationem; quidam autem ad illusionem, & contumeliam, & superbiam,quemadmodum & digni sunt Dei iustò iudicio,sicut prædiximus,in omnibus æqualiter superueniente.Diabolus autem hoc tantùm potest,quod egit in principio, seducere & abstrahere mentem hominis ad transgredienda præcepta Dei,& paulatim obcæcare corda eorum, qui conarentur seruire ei; & ad obliuiscendum quidem Deum verum,ipsum autem quasi Deum adorare. Hactenus D.Irenæus.

Luca 4. Prou.21. Prou.5. Deus regna & bona & impiis donat. Rom.13.

Luca 4. Deus Reges constituit.

Ioan.12. Ephes.6. Cur diabolus dicatur mundi princeps?

Obiicies,*Diabolus princeps mundi* dicitur;&; *rectores mundi dæmones* nominantur: ergo non est mentitus diabolus. Siquidem mundi rectori & principi videntur tradita mundi regna, vt cui volet, illa donet.Respondemus,non appellari diabolum mundi principem & rectorem, quòd mundi regiones regnáue tradita sibi possideat, ac distribuat; sed quòd hominibus impiis imperet,eósque regat, & ducat. Vt suo loco dicemus.

Matth.4. Diabolus adorari voluit adoratione latriæ.

SI *cadens adoraueris me.*Pollicitus est dæmon omnia mundi regna Christo, vt tanto promisso ad impiam traheret adorationem. *Hæc omnia,* inquit, *tibi dabo,si cadens,siue procidens,me adoraueris.* Diabolus hoc loco augustiori figura apparuit; adorationem autem postulauit latriæ, quæ soli Deo debetur, vt aiunt Euthymius & Theophylactus. Et Auctor Imperfecti: Dei,inquit, sibi diabolus præsumpsit honorem,& hoc quæsiuit fieri sibi à Christo,quod soli Deo fieri debebat. Diuus item Iustinus Martyr in dialogo: Christus, ait, diabolum abiecit,cùm illius scelus coarguisset; quòd vellet non secus ac Deus adorari, &c. Illud participium, *cadens,*gestum significat adorantis.Sic de Magis dicitur:*Procidentes adorauerunt eum.*Et: *Cadentes omnes populi,tribus,& lingua adorauerunt statuam auream,&c.* Hieronymus moraliter infert hoc loco: Ergo, qui adoraturus est diabolum, ante corruit.Et D.Maximus homilia 4. Vere,inquit,cadit,qui non largiente Deo,sed ad nutum diaboli acquirit sæculi dignitates,&c.

Matth 2. Dan.3.

VADE *satana: scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis,&c.*Scripturæ clypeo,quo aduersarij duo alia tela reiecerat Dominus, telū tertium reiicit,hostémque penitus victum fugat: *Vade,* inquit, *satana* (hæc increpatio apud Lucam non est scribenda, vt liquet ex editione correcta) abi,à conspectu abscede meo, execrandæ adorationis suasor.Scriptum est enim: *Dominum Deum tuum adorabis,& illi soli seruies.*In Deuteron.scriptum est: *Dominum Deum tuum timebis,& illi soli seruies.* Sic legitur in Bibliis correctis; Dominus sensum reddidit: timere enim Deum, est colere, & adorare Deum.

Christus diabolum fugat.

Matth.4. Deut.6.

Ianseniius legit hoc loco:*Vade retro satana*; & ait, Christum bis vsum esse hac increpatione, semel hoc loco aduersus diabolum, iterum Matthæi 16. alloquens D. Petrum. At constat semel tantùm vsum Dominum hac repulsione. Lectio enim vera hoc loco non est:*Vade retro satana,* sed; *Vade satana;* vt habet correcta editio vulgata.Petrum autē cùm alloquitur Dominus,sic alloquitur:*Vade post me satana:scandalum es mihi.*Vnde D.Hieronymus Matth. 4.sic scribit.Non vt,plerique putant, eâdem satanas & Apostolus Petrus sententia condemnantur. Petro enim dicitur: *Vade retro me satana;* id est,sequere me,qui contrarius es voluntati meæ.Hic verò audit: *Vade satana;* & non ei dicitur;*retro me*; vt subaudiatur: Vade in ignem æternum,qui præparatus est tibi & Angelis tuis, &c. Et Origenes Matthæi 16.Considera,ait,differentiam verbi;quoniam ad Petrum dixit: *Vade post me satana*; ad diabolum autem dixit: *Vade satana*; sine additamento,*post me.*Nam ire post IESVM bonum est, &c. Verba, quibus Petrum Dominus post se recedere iussit,suo loco explicabimus.Verbis autem his,*Vade satana,* Dominus hostem a se repulit,nec adiicere tentationem permisit.

Matth.16.

Non est ab locutus Dominus Diuum Petrū iisdem verbis, quibus dæmonem.

An Christus luciferū hoc loco miserit in tartarū?

Diuus Hieronymus, verbis supra citatis, Luciferum hunc fuisse sentit, quòd supra iam diximus, & interpretatur: Vade satana in ignem æternum. Beda quoque: Vade,inquit, in æternam damnationem. Haymo: Vade in abyssum, vel in ignem æternum.Sed non est opus id subaudiri. Repulit enim à se dæmonem, nec videtur misisse in tartarum.

Aduertit Theophylactus Christum tunc asperè dæmonem allocutum, cùm Dei sibi honorem arrogauit:*Vade satana.* Irascitur, ait Theophylactus, dæmoni Dominus, quando videt illum,quæ Dei sunt, sibi vendicantem. Similiter Auctor Imperfecti:Quando,inquit,diabolus Dei sibi præsumpsit honorem, iratus est Christus,& increpauit eum, & repulit; vt nos illius exemplo discamus, nostras quidem iniurias magnanimiter sustinere.Dei autem iniurias & contemptū nec vsque ad auditum sufferre.

TVNC *reliquit eum diabolus.*Tribus nominibus in hoc Euangelio dæmon appellatur; videlicet tentator,satanas,& diabolus. Tentator dicitur, ab officio tentandi;vnde Auctor Imperfecti, homil.5. Diabolus,ait,quantùm ad se,numquā cessaret tentans.Nec enim habet alium actum. Nō manducat, non bibit,non dormit, nō opus aliquod aliud operatur,nisi vt tentet,vt fallat, vt subuertat; hic est

Diaboli officium cùm est tentare.

cibus illius, hic honor, hoc & gaudium. Propterea A infatigabilis est in malo. Sed potentia Dei pellit eum; & si permittit eum paulisper tentare, propter fidem probandam; tamen repellit, propter infirmam naturam, &c.

1. Pet. 5. Diabolus criminatorē significat; Satan significat aduersarium.

Satan appellatur Hebraico nomine, id est, aduersarius. Quoniam homini maxime aduersatur; iuxta illud: *Aduersarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* D. Irenæus lib. 5, cap. 21. aliter interpretatur nomen Satan: Dominus, inquit, traducens eum, qui esset: *Vade*, inquit, *Satana*: denudans eum per hoc nomen. Satana enim verbum, Hebraice apostatam significat, &c. Et Diuus Iustinus in dialogo aduersus Tryphonem: Diabolus, inquit, à IESV Satanas appellatus est; quod B nomen eum inuenisse à re quam fecit indicat. *Sata*, enim Iudæorum Syrorumque lingua desertor est; *nas*, autem nomen, ex quo serpentis ducta est interpretatio, idem est quod, *Sata*, Hebræorum voce exposita. Ex quorum vtroque, nomen vnum Satanas existit, &c. Sed prima interpretatio est sequenda.

D. Iustin.

Diabolus verò nominatur Græco nomine, id est, calumniator, siue criminator. Vnde Diuus Iustinus in oratione parænetica ad gentes, pagina 23. Diabolum, inquit, diuina scripta à prima ipsius in hominem, διάβολῃ, id est, calumnia, vel accusatione

Firmian.

eius vocant, &c. Et Firmianus lib. 2. de Origine erroris, capit. 2. Græci, διάβολον appellant, nos criminatorem vocamus; quòd crimina, in quæ ipse elicit, ad Deum deferat, &c. Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 10. diabolū delatorem ait significare. C Lege Chrysost. hom. 3. de patient. Iob. & hom. 2. in epistol. 2. ad Corinthios.

An fugatus sit diabolus potestate diuina?

Dubitabis, an diuina potestate fugatus sit dæmon? Chrysostomus homilia 13. putat præcepto Domini fugatum: *Vade*, inquit, *Satana*; quod magis præceptum, quàm increpatio fuit, &c. Et Auctor imperfecti: Diabolus, ait, sicut rationabiliter intelligi potest, non quasi obaudiens id præceptum receperit: sed aut ipsius Christi diuinitas, aut Spiritus sanctus, qui erat in eo, excussit inde diabolum, &c. D. Maximus homil. 2. Retro abire diabolo præcipit Christus: vt hostis adempta sibi loquendi licentia, cuius voluntatem cognoscere non po- D test, sentiat potestatem. Item: Retro abire præcipitur, vt imperio Filij Dei subiaceret inuitus: atque illum à quo se adorari poscebat, probaret meritò ab omnibus adorandum. Item: Quasi ab homine victus, obmutuit, & quasi à Deo iussus, abscessit, &c.

Siquis præcepto & diuina Christi vi fugatum velit dæmonem inuitum; dicat oportet, illum non sensisse hanc vim à Christo emanasse. Alioqui nouisset, quod expetebat, & quod Christus occultabat; scilicet Christum esse Deum. Probabilius est, Christum, sicut in ceteris tentationibus, ita in hac, nullam adhibuisse hosti vim; sed verbo tantùm ipsum repulisse: dæmonem autem, vbi se E vidit nomine Satanæ, id est, aduersarij, appellatum, ac victum, nihilque esse quod sperare amplius posset, recessisse. Id significant verba, quibus recessum Euangelistæ significant. Matthæus: *Reliquit eum diabolus.* Lucas: *Diabolus recessit ab illo, vsque ad tempus.* Nullam scilicet vim passus, ne, id quod volebat, ex vi fortè cognosceret. *Resistite diabolo, ait D. Iacobus, & fugiet à vobis*: videlicet, nulla vi adhibita restitit Christus diabolo: non opus fuit vi; sine vi abiit victus. Ambrosius Luc. 4. Vides, inquit, diabolum non esse pertinacem in stadio: cedere solere veræ virtuti? Et si inuidere nō desinat; tamen instare formidat: quia frequentius refugit triumphari, &c.

Matth. 4. Luca 4.

Iacobi 4.

Diabolus nō est pertinax in stadio, refugit triumphari.

Recessit ab illo diabolus, vsque ad tempus, ait D. Lucas. Quodnam tempus hoc fuerit latet: nescimus enim, vtrum postea ad tentandum Dominum per se ipsum diabolus accesserit. Verisimilius videtur per se ipsum postea non tentasse, sed per administros, vt Chrysostomus vult, hom. 13. Vertit, ait, dæmonem in fugam Christus: neque enim aliis iam per semetipsum tentationibus appetiit, &c. Recessit ergo vsque ad tempus passionis, vt est sententia recepta. In deserto prosperis tentauit, regna omnia mundi offerens; in passione aduersus inuictam virtutem frangere conatus est. Theophylactus Luc. 4. Diabolus, ait, Dominum adortus est affectionibus duabus, voluptatibus scilicet, ac tristitiæ. Et accessit ad Dominum voluptate tentans in monte: recessit verò vsque ad tempus crucis; tunc illum per aduersa & dura tentaturus, &c. Et Euthymius: Vsque ad tempus, ait, significat, vsque ad Iudæorum insidias. Tunc enim rursus oppugnauit, nō per se ipsum, sed per Iudæos, tamquā per organa quædam, &c. Glossa interlin. Recessit vsque ad tempus passionis; quandò non tantùm dolis, sed aperte impugnauit. Sic etiam nos hostis aliquando tentare intermittit, vt quasi securos repente rediens facilius irrumpat, &c. D. Ambrosius. *Recessit vsque ad tempus*: posteà enim non tentaturus, sed aperte pugnaturus aduenit, &c. Chrysostomus homil. 13. Discessit, inquit, diabolus à Christo vsque ad tempus, vt ait Lucas, ostendens, quod postea per sua aduersus illum instrumenta pugnauerit, &c.

Luca 4.

Ad quodnā vsque tēpus diabolus à Christo recesserit?

Diabolus aliquando tentationes intermittit, vt ad securos redeat. Luca 4.

Inde illud Domini: *Venit princeps mundi huius, & in me non habet quidquam.* Venit princeps mundi, id est, diabolus, Christum oppugnaturus passionis tempore. Venit; sed nihil in eo inuenit. Nihil inquam culpæ; quoniam innocentissimus pro nobis oppetebat mortem. Qui sine vllo peccato, ait Augustinus, libro secundo de Peccat. merit. & remiss. capite 31. vel originali, vel proprio moriebatur, dixit: *Venit princeps mundi huius, & in me nihil inueniet*, id est, peccati; propter quod homines mori fecit, &c. Venit præterea instar furis; sed nihil in Christo habuit, nihil reperit quod furari posset. Immo dum in Christo aliquid fur quærit, quæ possidebat amisit. Felix ille, in quo idola sua Laban non inuenit; felix, qui tentatione vexatus dicere potest: *Venit princeps mundi huius, & in me non habuit quidquam.* Tolle occasiones, animi affectus pessunda; nihil magnum in te hostis reperiet.

Ioan 14. Nihil peccati in Christo dæmon inuenit.

Ioan. 14.

CAPVT VI.

De tentationibus Christi.

OMNI *consummata tentatione.* Recessisse hostem ait D. Lucas, omni consummata tentatione. Sensus est: Recessit diabolus tribus his tentationibus, quas commemoraui, consummatis: hæ enim fuere omnes tentationes, quibus hostis Christum oppugnauit. Græcè legitur, καὶ συντελέσας πάντα πειρασμὸν ὁ διάβολος, ἄχρι καιροῦ ἀπ' αὐτοῦ, & cet. Hoc est, *consummans, vel finiens omnem tentationem diabolus, recessit ob eo.* Illud, *Finiens omnem tentationem*, referri potest ad diabolum, hoc sensu: Finiens diabolus omnes tres tētationes, discessit à Christo. Potest etiā referri ad Christū, hoc modo: Finiens Christus tres tentationes, discessit ab illo hostis. Theophylactus ad Christū retulit. Probabilius refertur ad ipsum tentatorē diabolum, qui expletis tentationibus abierit. Ad diabolum refert D. August. Psalm. 8. in fine.

Diabolus Christū reliquit post tētationē. Luca 4.

D. Chrysostomus omnem tentationem dici consumma-

ſummatam putatin illis tribus: quoniam tres illæ omnium tentationum capita & fontes ſunt. hom. 13.in Mat. Quomodo,inquit,Lucas ait,quia omnem tentationem conſummauerit? Mihi quidem videtur ipſa tentationum capita ille cuncta dixiſſe:vt ea quoque omnia pariter intelligas, quæ ſub iſtis quaſi principalibus continentur. Hæc enim ſunt, quæ in ſe mala innumera comprehendunt,ſeruire ventri,inanis appetitu gloriæ quidpiam facere; ac furioſo pecuniarum amore ſuperari,&c. Theophylactus: Omnem tentationem dicit Lucas conſummaſſe Dominum, quamuis tribus dumtaxat tentationibus tentatum; eo quòd tentationum omnium ſint capita tria,auaritia,gula, & inanis gloria, &c. D.quoque Ambroſius Luc. 4. Prope, inquit, omnium criminum fontes hæc tria genera demonſtrantur eſſe vitiorum. Neque enim conſummatam omnem tentationem Scriptura dixiſſet, niſi in iis tribus eſſet omnium materia delictorum: quorum ſemina in ipſa origine ſunt cauenda,&c. Senſus eſt mioralis.

Fontes vitiorũ,gula, inanis gloria,auaritia.

Obſerua,quod obſeruat Magnus Gregorius homil.16.in Euangelia & alij, Chriſtum tribus tentationibus eſſe oppugnatum. Prima fuit gulæ,ſecunda inanis gloriæ,ſiue ſuperbiæ, tertia auaritiæ,cùm regna omnia dæmon eſt pollicitus. Iiſdem tribus tentationibus tentatum primum parentem ait idem D.Gregorius:Ex gula,inquit tentauit diabolus,cùm cibum vetiti ligni oſtendit, & ad comedendum ſuaſit. Ex vana gloria,cùm dixit: *Eritis ſicut dij*. Ex prouectu auaritiæ, cum diceret: *Scientes bonum & malum*. Auaritia enim non ſolum pecuniæ eſt,ſed etiã altitudinis. Sed quibus modis primum hominem,id eſt, Adam ſtatuit, iiſdem ſecundo homini,id eſt, Chriſto tentato, ſuccubuit. Per gulam tentat,cùm dicit: *Dic vt lapides iſti panes fiant*: per vanam gloriam,cùm dicit: *Si Filius Dei es,mitte te deorſum*: per ſublimitatis auaritiam, cùm regna mundi oſtendit. Sed iiſdem modis à ſecundo homine vincitur,quibus primum hominem ſe viciſſe gloriabatur. Hæc Gregorius. Caſſianus collation.5. Abbatis Serapionis cap.6. In illis,inquit, paſſionibus etiam Chriſtus tentari debuit, in quibus & Adam tentatus eſt,id eſt,gaſtrimargia;cenodoxia, ſuperbia. Gaſtrimargia,id eſt,gula,eſt, qua interdicti ligni præſumitur edulium:cenodoxia, id eſt, inanis gloria,qua dicitur: *Aperientur oculi veſtri*: ſuperbia, qua dicitur: *Eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malum*. In iis ergo tribus vitiis etiam Dominum Saluatorem legimus fuiſſe tentatum, &c. Beda in Matthæum, hoſtis contra primum hominem tribus tentationibus ſe erexit:gula,vana gloria, & auaritia. Vitiis iiſdem ſecundum,id eſt,Chriſtum,vincere tentauit,&c. Idem docent Haymo & Druthmarus;ſed improprie dicitur Adamus de auaritia tentatus.

Chriſtus tribus tentationibus, gulæ, inanis gloriæ, & auaritiæ eſt oppugnatus.

Matth.4.

Ibidem.

Geneſ 30.

D.Thomas 3.part.quæſt.41.artic. 4. aduertit dæmonem tàm in tentatione Adami, quàm Chriſti,à leuioribus cœpiſſe: Diabolus,ait, hominem ſpiritualem non ſtatim tentat de grauibus peccatis:ſed paullatim à leuioribus incipit, vt poſtmodum ad grauiora perducat. Hoc diabolus obſeruauit in tentatione primi hominis. Nam primò ſollicitauit mentem eius de ligni vetiti eſu,dicens: *Cur præcepit vobis Deus*,&c. ſecundò,de inani gloria, cùm dixit: *Aperientur oculi veſtri*: tertiò, perduxit tentationem ad extremam ſuperbiam,cùm dixit: *Eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malum*;& hunc etiam tentandi ordinem ſeruauit in Chriſto. Nam primò tentauit illum de eo quod appetunt, quantumcumque ſpirituales viri,ſcilicet, de ſuſtentatione corporalis naturæ per cibum: ſecundò, proceſſit ad id,in quo ſpirituales viri quandoque deficiunt;vt ſcilicet,aliqua ad oſtentationem operentur;quod pertinet ad inanem gloriam. Tertiò produxit tentationem ad id, quod iam non eſt ſpiritalium virorum, ſed carnalium,ſcilicet,vt diuitias & gloriam mundi concupiſcant vſque ad contemptum Dei. Et ideo in primis duabus tentationibus dixit: *Si Filius Dei es*: non autem in tertia,quæ non poteſt conuenire ſpiritalibus viris,qui ſunt per adoptionem Filij Dei, ſicut duæ primæ. Hactenus D. Thomas.

Diabolus à leuioribus incipit, vt ad grauiora ducat.

Geneſ.3.

Auguſtinus tractatu 2.epiſtolæ Ioannis, de tribus illis tentatum Dominum ait, quæ Diuus Ioannes numerat: *Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* Ille ſic legit: *Omne quod in mundo eſt, deſiderium eſt carnis, & deſiderium oculorum, & ambitio ſæculi*: Tria, inquit, ſunt iſta,& nihil inuenis vnde tentetur cupiditas humana,niſi aut deſiderio carnis, aut deſiderio oculorum,aut ambitione ſæculi. Per tria iſta tentatus eſt Dominus;deſiderio carnis tentatus eſt, quando dictum eſt ei à diabolo: *Dic, vt lapides panes fiant*. deſiderio oculorum, de miraculo, quando dixit: *Mitte te deorſum*;de ambitione ſæculi, quando dixit ei: *Hæc omnia tibi dabo*, &c. Deſiderio oculorum,ait Diuus Auguſtinus,comprehendi omnem curioſitatem,quæ late patet, in ſpectaculis,in theatris,in magicis artibus,& addit: Aliquando etiam tentat ſeruos Dei dæmon, vt velint quaſi miraculum facere, tentare vtrum exaudiat illos Deus in miraculis. Curioſitas eſt,hoc eſt,deſiderium oculorum,&c. Idcirco Pſalm.8.ait, tentatione ſecundam Chriſti fuiſſe curioſitatis: Per curioſitatem, inquit, tentatur, vbi de pinna tepli admonetur vt ſe deorſum mittat,tentandi gratia,vtrum ab Angelis ſuſcipiatur,&c. Et in libr.de Vera Relig.cap.38. Subiecta eſt curioſitatis illecebra. Non enim vt ſe de faſtigio templi præcipitaret vrgebat, niſi cauſſa tantũ aliquid & experiendi,&c.

1.Ioan.2.

Fontes omnium tentationũ tres, & qui illi, Matth.4.

Illud ſupereſt diſcutiendum: An hæ tres tentationes, de quibus hactenus diximus, ſint omnes tentationes,quibus Chriſtum tentator impugnauit; an verò præter has, alias quoque obiecerit, quas Euangeliſtæ ſilentio præterierint? Plures fuiſſe tentationes probant verba Marci: *Erat*, inquit, *in deſerto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & tentabatur a ſatana*: videlicet,illis quadraginta diebus,& noctibus ſæpe. Et D. Lucas: *Agebatur Chriſtus a ſpiritu in deſertum, diebus quadraginta, & tentabatur à diabolo*: quaſi diceret, tentabatur ipſis diebus quadraginta;non ſolùm in fine illorum, cùm eſurijt. Vnde Euthymius Matthæi 4. Marcus, inquit,& Lucas dixerunt, quòd etiam in quadraginta diebus tentabatur Chriſtus,vt manifeſtum ſit,quod in illis quidẽ illũ e longinquo tẽtabat,nempe per ſomnũ, per triſtitiam, per ignauiam, & ſimilia. Poſtquam autẽ ipſum eſurire cognouit,iam propè & manifeſtè appetiuit,&c. Et Ianſenius verba Lucæ ſic exponenda putat;tentabatur quadraginta diebus: non quòd toto hoc tempore tentatus ſit, ſed quòd frequenter.

An Chriſtus alijs tentationibus præter commemoratas fuerit oppugnatus?

Marci 1.

Luca 4.

Origenes quoque alias tentationes, eáſque inauditas & incredibiles, Chriſto obiectas ſcribit, homil.29.in Luc.hæc ſunt illius verba:Quadraginta diebus tentatur Chriſtus: & quæ fuerint tentamenta neſcimus. Quæ ideo forſitan prætermiſſa ſunt,quia maiora erant, quàm vt litteris crederentur. Et ſi ſic oportet dicere:ſicut mũdus capere non poterat omnes libros,ſi ſcripta fuiſſent, quæ fecit, & docuit IESVS;ſic quadraginta dierum tentationes, quibus tentatus eſt Dominus à diabolo mundus ferre non poterat, ſi Scriptura docuiſſet, &c. Et Beda, Marc.1. Tentatur,ait, quadraginta diebus

& quadraginta noctibus Christus; vt indicet, quòd quamdiu hîc viuentes Domino seruimus, siue prospera blandiantur, quod ad dies pertinet; seu nos aduersa feriant, quod noctis figuræ congruit, semper ambulantibus in lege Domini adsit tôto orbe aduersarius, qui iter nostrum tentando impedire non cessât, &c. Eusebius lib. 9. de Demonstratione Euangelica capit. 7. Diebus, inquit, quadraginta & noctibus totidem tentatus est Christus, &c. Item Beda: Quadraginta dies, & noctes, quibus Christum tentat diabolus, totum huius sæculi tempus insinuât, quibus membra eius tentare numquam desistit, &c. Auctor Quæstionum ex nouo Testamento, par. 2. quæst. 9. tom. 4. Augustin. Cùm superatæ, ait, fuissent tentationes diabolo, quæ ideo scriptæ non sunt, quia ad profectum doctrinæ non pertinent; postea permisit, vt, quod hominis erat, pateretur famem, &c. Montanus Luc. 4. Tentabatur Christus variis modis, prius terrorũ, & difficultatum in deserto obiectarum belluarum, aliarumque nocentium animantium frequentibus copiis; & postremò illis tentationum generibus, quæ ab Euangelista exponuntur, &c. Et Caietanus: Potuit sæpe diabolus varias corporeas similitudines formare ad tentandum Christum; sicut legimus, quòd ad tentandum D. Antonium eremitam tot formauit, &c. D. Thomas annuit eodem articulo: Secundum expositionem, inquit, Bedæ, Dominus tentabatur quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Sed hoc intelligendum est non de illis tentationibus visibilibus, quas narrant Matthæus & Lucas, quæ manifestè factæ sunt post ieiunium; sed de quibusdam aliis impugnationibus, quas forte illo ieiunij tempore Christus est à diabolo passus, &c.

Caietan. 3. p. q. 41. art. 3. ad 2.

Respondetur quæstioni.

Arbitror sententiam hanc esse verisimilẽ. Contraria tamen verisimilior est, in qua sunt Abulensis Matth. 4. quæst. 21. Carthusianus, Caietanus, Luc. 4. & alij; iis nimirum tantummodo tentationibus Christum esse tentatum, quas Euangelistæ apertè descripserunt. Etenim hoc sonant Matthæi verba: *Cùm, inquit, ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esurijt, & accedens tentator, &c.* Quasi dicat, ante non accessit, non tentauit: postquam esuriit, tunc accessit, tunc tentationum iacula emisit. Quòd si dicas, quod dixit Euthymius: Ante esuriem quidem non accessit, sed è longinquo per somnum, ignauiam, tristitiam, & similia pugnauit. Non rectè dices; quoniam in Christum, neque somnũ, neque ignauiam, neque tristitiam, aut similia diabolus immittere potuit; quippe qui in sanctissimo illo corpore nihil operari valuerit. Prætereà hoc non est è longinquo loco pugnare, sed è propinquo. Addes, non accessisse diabolum ante esuriem, ad loquendũ cum Domino; attamen metuendos excitasse sonos, horribilia effinxisse spectra, vt ab eremo cœptóque opere illum pelleret; qualia spectra Magno olim Antonio in simili solitudine obiecisse peruulgatum est. Verùm non sentio huiusmodi terriculamentis dæmonem vsum. Non enim ex eremo Christum pellere, sed eum potius volebat accedere; vt quod ambigebat, an scilicet Filius Dei esset, indagaret. Non ergo ante tentabat, sed occasionẽ accedendi præstolabatur; quam vbi nactus est, videlicet esuriem, vt ait Matthæus, accessit, cœpitque tentare.

Matth. 4.

Soluuntur obiecta. Marci 1.

Neque verò, aut Marcus, aut Lucas, cum altera faciunt sententia. Nam verborum Marci significatio hæc est: *Erat in deserto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: & tentabatur à Satana, & Angeli ministrabant ei:* Tentabatur, inquam, non omnibus illis diebus, sed in fine illorum. Quod enim de Angelorum ministratione intelligimus, idem de diaboli tentationibus est intelligendum. Eodem namque modo de iis & de illa loquitur Marcus. Nemo autem dicet ex Marco quadraginta diebus Angelos ministrasse; nemo ergo dicat quadraginta diebus diabolum tentasse. Lucę verba eamdem continent sententiam: *Agebatur*, ait, *a Spiritu in desertum, diebus quadraginta: & tentabatur à diabolo.* Hoc est, Ducebatur per Spiritum sanctum in desertum, vt quadraginta diebus in solitudine maneret. *Et tentabatur* a dæmone, videlicet in fine dierum quadraginta. Obiicies verba Lucæ Græca, & Marci quoque: vterque enim participium habet πειραζόμενος, id est, tentatus. Verti possunt verba Lucæ hoc modo: *Agebatur à Spiritu in desertum dies quadraginta, tentatus à diabolo.* Verba Marci sic: *Erat in deserto quadraginta dies, & quadraginta noctes, tentatus à Satana.* Illud tempus quadraginta dierum videtur coniungendum potius dictione sequenti, *tentatus*, quam cum præcedenti, *deserto*, ergo tentatus est Christus per dies quadraginta. Respondemus, tempus illud quadraginta dierum potius cum deserto coniungendum, sensu supra explicato. scilicet, agebatur in desertum Christus, in eo mansurus per dies quadraginta, & tentatus est à diabolo tentationibus, quas mox Lucas recensẽt. Is sensus ex nostra etiam editione colligitur, in qua sic legimus: *Et tentabatur à diabolo:* videtur tempus à tentationibus separari, illa coniunctione, &c.

Lucæ 4.

Ibidem.

Marci 1.

Oppones verba Paulli: *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.* Ea Paullus asserit Pontificem nostrum summum, id est, Christum, tentatum per omnia, id est, omnibus tentationibus; ergo alias tentationes est perpessus, præter eas, quas Euangelistæ memorãt. Respondemus, Paullum tentatum dicere Christum, id est, expertum omnia laborum & afflictionum genera, in hanc sententiam. Habemus Pontificem tentatum per omnia, id est, omnia laborum & afflictionum genera expertum; qui labores, cruciatus, & tentationes nostras tolerauit pro similitudine, id est, iuxta similitudinem nostram, vt Græcè habetur; sed sine vllo peccato; id est, nullum in iis afflictionibus admisit peccatum. Vel, subiicit hos cruciatus; cùm tamen nullo esset peccato inquinatus. Quocirca nostris etiam malis & calamitatibus compatietur, quas experientia didicit. Chrysostom. hom. 4. ad Hebræos sic exponit: Tentatus, inquit, hoc est, passus est persecutionem, fuit consputus, accusatus, irrisus, calumniis appetitus, eiectus, postremo Cruci affixus, &c. Pro similitudine, id est, quia habebat carnem veram, similem nostræ peccatrici, sed sine peccato. Cur dixit Paullus in similitudine? ait Chrysostomus, quoniam dixit de carne peccatrice. Erat enim nostræ similis; nam natura quidem erat eadem, quæ nostra peccata autem nequaquam eadem, &c. Et Ambrosius: Tentatus, inquit, est, pro similitudine, scilicet carnis, absque peccato: similitudinem itaque carnis peccati habuit; quæ tamen caro illius absque omni peccato fuit. Hæc est tentatio, qua tentatus est; quia persecutionẽ plurimorum passus est, sputa suscepit, accusatus est, calumnias passus, repulsus à propria gente, in fine crucifixus est, &c. Non igitur docet Paullus Christũ omnibus tentationibus tentatum.

Hebr. 4.

Quomodo dicatur Christus à Paulo tentatus per omnia?

Ad finem properanti tentationum quæstio se offert: Num Christus à multis dæmonibus, an ab vno tantum Lucifero, sit tentatus? Num in deserto vnum tantùm, an multos vicerit? Si Eusebius lib. 9. de Demonstratione Euangelica, cap. 7. est audiendus, quæstioni est respondendum, Christum à multis dæmonum millibus, nec solùm interdiu, sed etiam

An Christus ab vno tantum dæmone, an à multis sit tentatus?

etiam noctu esse oppugnatum, eius verba apponere nō grauabor. De Christo ille interpretatur psalmum 90. & inter alia: Quoniam, inquit, diebus quadraginta ac totidem noctibus tentatus est Christus: de iis quidem, qui noctu illum inuadebant, dictum
Psalm 90. est ad ipsum: *Non timebis a timore nocturno*; de iis verò, qui eumdem per diem oppugnabant, illud: *A sagitta volante in die.* Itē, de nocturnis illis, illud: *A negotio perambulante in tenebris*: de diurnis verò illud: *Ab incursu & dæmonio meridiano.* Ad hæc. Quoniam, cùm tentabatur, malignæ potestates illū circumstabant; & quæ quidem illius latus dextrum stipabant, siniſtris multò plures erant, vtpote cùm dextra longe sint valentiora: meritò adiungitur, ad eumdem: *Cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis; ad te autem non appropinquabit.* Vbi à latere tuo dictum est, pro eo, quod est à siniſtro, &c. Multorum autem dæmonum millia in deserto à Christo deuicta, descriptis verbis sentit, & his quoque, quæ subiicio: Cùm Christus, ait ille, omnem ex hominibus ægritudinem, omnemque languorem, infestosque spiritus, atque impuros dæmonas, qui plurimis ante sæculis, omnes qui in terra versabantur, per eam superstitionem, quæ multos Deos colit, subegerant, esset expulsurus: non ex abdito quasi latitans, ad ea, quæ dicta sunt, accessit: sed contra infestos prius, eosdemque inuisibiles principes, per eum quem assumpsit hominem, militantium more profectus, & in ipsius diaboli medium omniſque
Ibidem. dæmonicæ cateruæ progressus: vbi *Super aspidem & basiliscum ambulauit, & conculcauit leonem & draconem*: Multóque prius regnantium inimicorum & millia & dena millia subuertit, principatus videlicet, ac potestates, alias quidem à dextris, alias à siniſtris, bellantes. Itemque eos, qui mundi rectores harum tenebrarum dicuntur, ac spiritualia nequitiæ. Omnia, inquam, hæc vbi nihil posse redarguit; ac denique ipsum malorum principem diabolum verbo oris sui procul extrusit, percurritque, atque inambulauit omnem aduersantem potestatem, ac se ipsum quidem adire, ac tentare volentibus exhibuit, nec quisquam omnino aduersus illum stare potuit; tum demum ad hominum salutem accessit. Hactenus Euseb. Ipse vero crediderim Luciferum tantummodo palam, assumpto corpore, Dominum tentasse; ab eoque tunc superatum esse, vt Euangelistæ indicant. Forte alij multi Luciferum inuisibiliter comitabantur; sed hi Dominum minimè tentarunt.

Latissimus tentationū exitus. ECCE *Angeli accesserunt, & ministrabant ei.* Hic tentationum lætissimus exitus fuit; recessit diabolus, accesserunt Angeli. Obtulit diabolus esurienti lapides; Angeli obtulere cibos. Præcedit tentatio, ait Hieronymus hoc loco, vt sequatur victoria; Angeli ministrant, vt victoris dignitas comprobetur.

Quanamin re Angeli Christo ministrarint? Dubium est, quanam in re ministrauerint Christo Angeli? Auctor Imperfecti ambigit: Quoniam, inquit, ministrabant ei Angeli scimus; in quibus autem rebus illi ministrabant, scire non possumus: Vtrum ad sanitates infirmitatum, an ad correctionem animarum, an ad effugationem dæmonum. Quoniam quidem multa opera sua per Angelos facit. Tamen manifestum est; quia etsi ad opus ipsius ministrant ei, nō propter necessitatem impotentiæ eius, ministrant ei; sed propter honorem potestatis ipsius. Nam ministrant ei, & non adiuuant eum, &c. Responderi igitur potest, Angelos post tentationes superatas ad Christum venisse: vt deinceps quacumque in re vellet, ei ministrarent. Hoc velle videtur D. Thomas Matth. 4. Semper, inquit, Angeli cum Christo erant; etsi ad horā recesserunt, de eius voluntate; ad hoc, vt diabolus locū tentandi haberet. Exhibebant enim ministeriū in exterioribus, scilicet, in miraculis, & aliis corporalibus, quæ fiunt mediantibus Angelis, &c. Hoc idem significat tempus illud imperfectum: nō enim dixit Matthæus, *ministrarunt ei*, sed, *ministrabant ei*: videlicet *Matth. 4.* tunc, & deinceps. Non esse autem solùm de ministratione cibi intelligendum locum probatur; quia ad ministrandū cibum tenuem, quali Christus vtebatur, vnus Angelus erat satis. Affuerunt autē multi, vt de victoria congratularentur, & illius iussis obtemperarent.

Concedendum tamen est, tunc cibum potumque ministrasse, vt opinatur Abulensis, Matth. 4. *Vnde sit allatus cibus.*
B quæst. 62. Titelmannus, Ianſenius, Hesselius, & alij. D. Bonauentura de Vita Christi, cap. 14. pie meditatur, cibum hunc è domo Virginis Deiparæ, iussu Christi, ab Angelis allatum. Verisimile enim est Christum miraculo escam sibi minime parasse; allata ergo est aliquo ex loco ab Angelis. A quonam verisimilius, quàm è Virginis intemeratæ domo? Abacuc prandium ad Danielem, Virginis, ad Christum est deportatum.

Quæres: assumpserántne corpora hi Angeli, an absque corporibus ad Christum accesserunt? probabile est, in corporibus apparuisse assumptis, vt sentiunt Ianſenius & Hesselius. *An Angeli in assumptis apparuerint corporibus?*

Rursus quæres: quonam in loco cibum Christus sumpserit, in montene, in quo mundi regna omnia
C illi diabolus ostendit, an in mōte, in quo ieiunium quadraginta diebus seruauit? Titelmannus arbitratur cibum in monte sumpsisse, in quo ieiunauerat. Sic enim Matth. exponit illa verba: *Angeli accesserunt, & ministrabant ei.* Ministrabant, inquit, de loco illo multum excelso, quo vexerat eum diabolus, ad locum, vnde eum primùm assumpserat, suo ministerio restituentes, ac cibos illi ministrantes, &c. Verisimilius est, Christum corpus cibo refecisse illo in monte, in quo tertiam perpessus est tentationem: in eo enim illum diabolus reliquit; & mox Angeli, vt ait Euangelista, accesserunt, & ministrabant ei. Quæ est Abulensis sententia Matth. 4. quæst. 59. Probabilius etiam videtur, pedibus Dominum è
D monte descendisse; nec ab Angelis vectum esse, vt sentit Titelmannus: quod etiam sensit Dionysius Carthusian. Matthæi 4. Ministrabant, inquit, Angeli Christo, non quasi indigenti, sed vt Domino, deponendo eum à cacumine montis, ad terræ planiciem. &c. Sed non solebat Christus huiusmodi in rebus vel opera vti Angelorum, vel miracula facere. *Quo in loco cibū sumpserit Dominus? Matth. 4.* *An Angeli Christum è mōte excelso deuexerint?*

Aduerte autem, has tentationes eadem die, immo non admodum multis horis esse peractas: duas in deserto, vnam in pinnaculo templi. Primam in monte ieiunij, secundam in pinnaculo, tertiam in monte celso, in quo regna mundi sunt Domino ostensa. Sed quonam die tentatus est Dominus?
E Estne ille dies extra, an intra numerum illorum quadraginta, quibus inediam toleravit? Respondemus, diem illum extra numerum esse dierum quadraginta. In illo enim die, quo est tētatus, ieiunium soluit Dominus post tentationem, cùm Angeli accesserunt. Ergo ille dies ex numero quadraginta dierum non est, quibus ieiunium protraxit. *Cùm ieiunasset*, ait Matthæus, *quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit.* Hoc est, post 40. dies ieiunio transactos famem est perpessus, &c. D. Lucas: *Nihil*, inquit, *manducauit in illis diebus*, scilicet quadraginta. *Et consummatis illis esuriit.* Esuriit ergo Christus post quadraginta dies, die quadragesimo primo mane. Tunc accedens tentator è fallaci pharetra tres illas veneno tartareo infectas sagittas *Audies, quo tentatus est Christus numero dierum, 40. concludatur? Matth. 4.* *Luca 4.*

deprom-

deprompsit,& in fortissimum Ducem iecit. Sed ne pungere quidem diuinum valuere pectus; ideóque breui temporis spacio victus,abscessit hostis. Circa meridem,quod prandij est tempus, tentatio prima de cibo capiendo videtur cœpisse. Si per duas vel tres horas durasse concedamus tres tentationes,dicemus adfuisse Angelos,Christúmque soluisse ieiunium post meridiem, hora tertia, die primo,qui illos quadraginta sequebatur, mense Februario.

Diabolus nõ solis illis verbis est vsus, quæ ab Euangelistis sunt commemorata.

Neque verò putes,diabolũ solis illis verbis tendo vsum,quæ ab Euangelistis sunt commemorata:alia enim multa omisisse videntur,vt Cardinalis Caietanus docet,Matth.4. cùm de prima tentatione agit,his verbis:Non est intelligendum, quod diabolus hæc sola verba dixerit; quòd ex abrupto proruperit, dicendo: *Si Filius Dei es.* Sed quòd multis compositis verbis, necessitate panis ad vtriusque sustentationem allegata, suadendo protulerit hanc sententiam, &c. Et 3.p.q.41.art.4. Non videtur,inquit,rationi consentaneũ,vt tentationes istæ, quas visibiliter apparens dæmon exercuit, vt collocutiones manifestãt,his solis verbis,quę Matthæus Euangelista narrat, fuerint contentæ; sed multis essent fultæ, ornatæque verbis, omissis ab Euangelistis, substantialia tantum narrantibus. Hæc ille.

Concordia Euangelistarum circa tentationes Domini.

IOANNES de tentationibus nihil scripsit; Marcus pauca, Matthæus & Lucas sigillatim tres commemorant. Duabus tamen in rebus inter eos videtur esse discordia, cum sit summa concordia. Nam Matthæus dæmonem hæc verba fecisse asserit:*Si Filius Dei es,dic vt lapides isti panes fiant:* Lucas hæc protulisse refert: *Si Filius Dei es,dic lapidi huic, vt panis fiat*: quæ diuersa ab illis sunt. Multi enim lapides ab vno differunt lapide. Præterea, Matthæus tertiam tentationem eam fuisse docet, qua omnia mundi regna diabolus cum adoratione commutabat. Lucas vero tentationes enumerans, hanc non tertio, vt Matthæus, sed secundo loco collocauit.

Matth. 4. Luc. 4.

Inter Euangelistas in scribendo nulla est dissensio.

Illud diligenter obserua,inter Euangelistas nullam esse in rebus quas describunt discrepantiam; quamuis fortè videantur discrepare. Discrepant enim aliquando verbis,non sensibus. Aliquando verò dissentire videntur, quòd quæ vnus silentio præteriuit,alter litteris mandarit: aliquando quòd hic vnum,ille alium ordinem tenuerit. Itaque verborum, quæ atrox hostis protulit,idem sensus est apud Matthæum & Lucam. Nam **Lucas** vsus est numero singulari,pro numero **multitudinis**. Vel fortè diabolus vtrumque dixit primùm: *Dic vt lapides isti panes fiant;* deinde: *Dic vt lapis hic panis fiat.* Adde, forsitan magnum aliquem lapidem Christo indicasse,qui ex multis esset cõpactus, ideoque Lucam lapidem, Matthæum lapides appellasse. Cùm verò Matthæus tentationes enarrat, ordinem sequitur, quo illæ sunt peractæ. Lucas verò tentationes descripsit;quæ secunda, quæve tertia fuerit, non curauit. Prima autem quæ fuerit perspicuum est: illa nimirum fuit,qua suasit aduersarius Christo, vt lapides panes faceret.

Matthæus tentationum ordinem sequitur, non Lucas.

Quenã fuerit tertia tentatio.

De secunda & tertia dubitat Augustinus libr.2. de Consensu Euangelistar.capit.10. Totum hoc,ait, similiter Lucas,vt Matthæus narrat,etsi non eodem ordine: vnde incertum est, quid priùs factum sit, Vtrum regna terræ priùs demonstrata Christo, & postea in pinnam templi leuatus sit;an hoc priùs, & illud postea. Nihil tamen ad rem, dum omnia facta esse manifestum sit &c. In libro autem de Vera Religione,capit.38. putat extremam ac tertiam tentationem illam fuisse, qua Dominus in templi pinnaculum ductus est; secundam, qua regna illi sunt demonstrata. Cùm duas alias tentationes percurrisset, addit verba hæc:Subiecta est extrema etiam curiositatis illecebra. Non enim, vt se de templi fastigio præcipitaret, vrgebat, nisi caussa tantùm aliquid experiendi,&c. Extremam appellat Augustinus tentationẽ, qua dæmon suasit Christo,vt e templi fastigio volaret. Sequitur enim ordinem D. Lucæ. Attamen multò verisimilius est, Lucam non seruasse ordinem, sed Matthæum. Secunda ergo tentatio est,illa de volatu è pinnaculo, tertia & extrema est de regnorum pollicitatione. Hanc autem esse extremam probatur; quoniam,vt Matthæus apertissimè narrat,post hanc tentationem Christus Luciferum abscedere iussit, illis verbis:*Vade satana*: ergo recessit tunc satanas, neque aliam tentationem addidit. Atque adeò hæc extrema fuit. *Matth. 4.*

CAPVT VII.

Morale.

De ieiunio.

CHRISTVS Opt. Maxim. baptizatus,ductum Spiritus sancti secutus est: *Ductus est*, ait Matthæus,*ab Spiritu*. Qua in re docet,baptizati hominis esse,eiusdem Spiritus ductum sequi. Vnde Euthym. Matthæi 4. Ducitur,inquit, in desertum Christus ab Spiritu,vt à diabolo oppugnetur; vt & tu post baptismum nequaquam tui ipsius ductor sis; sed ducaris potiùs ab Spiritu,&c. Per baptismum homo efficitur Dei filius: Filij autem Dei est, ab Spiritu Dei duci,vt Paullus testatur: *Quicumque*,inquit, *Spiritu Dei aguntur, ij filij Dei sunt*. Debent ergo omnes qui baptismum susceperunt Spiritu Dei agi, ac gubernari. Non dixit Paullus, ait Chrysost. eodem loco hom.14. quicumque Spiritu Dei viuunt, sed quicumque Spiritu Dei ducuntur. Ostendens,quòd sic vult illum vitæ nostræ Dominum esse, vt gubernatorem nauigij,& aurigam currus equorum. Nec corpus solùm, sed ipsam etiam animam, habenis huiusmodi subiicit. Neque enim illam vult dominari,suoque quodam instituto viuere; sed & illius auctoritatem Spiritus potestati suppossuit. Vt enim ne baptismi dono confisi vitam subsequentem negligerent,ait: Quamuis baptismum acceperis,nisi Spiritu posteà ducaris, dignitatẽ datam perdidisti, & adoptionis prærogatiuam. Propterea non dixit, quicumque Spiritum acceperunt: sed *quicumque Spiritu ducuntur*: id est, quicumque omnem vitam ita viuunt,hi sunt filij Dei. Hæc Chrysost. Ex quibus constat,non satis esse Spiritum in baptismo accipere;sed necesse esse, post baptismum illius afflatum sequi. Præterea,nónne Christiani omnes Christi membra sumus? membra Christi sumus, Spiritu ergo Christi & impleamur, & gubernemur, siquidem membra ab Spiritu suo implentur, & gubernantur. Prospero spiritui siue vento nauarchus vela pandit, illoque fertur; sic secundissimo Spiritus sancti flatui intellectum,voluntatemque,veluti vela quædam,viri probi explicant; illoque feliciter nauigant.

Hominem baptizatũ oportet Spiritus sancti ductum sequi.

Rom.8.

Spiritus sanctus auriga & gubernator nauis sit.

Mouentur autem viri sanctitate conspicui ab Spiritu sancto, animi quodam impetu;quem indicant verba illa:*Expulit eum*,id est,Christum,*Spiritus sanctus in desertum*: Vt Christũ expulit, sic viros virtute præstantes ad egregia facta impetu expellit.

Spiritus sancti impetus.

Marci 1.

Factus

Actor. 2. *Factus est repentè de cælo sonus tamquam aduenientis Spiritus vehementis*: Vehemens est enim Spiritus Dei, & si animi nostri passis velis incubuerit, impetu vehementi totam nauim, id est, animum corpusque in cælum impellit. *Ezech. 1.* *Vbi erat impetus Spiritus, illuc* sacra illa animalia *gradiebantur*; eumdem in modum sacra Sanctorum corda illuc gradiuntur, quò impetus diuini Spiritus fert impiorum corda, impetus carnis, mundi, dæmonisque rapit; proborum corda impetus Spiritus ducit. Igneo curru raptus est Elias: igneo Spiritu rapiuntur viri Eliæ similes. Dæmonum impetu porcorum grex in mare raptus est, ac suffocatus; eodem impetu, impiorum porcis similium turba, in vitiorum pelagus rapitur & in tartarum.

Viri sancti impetu mouentur Spiritus sancti. *4. Reg 2.* *Matth 8.*

Hac de re Magnum Gregorium dicentem audiamus hom. 5. in Ezechielem: In electis, inquit, & reprobis diuersi sunt impetus; in electis videlicet impetus spiritus, in reprobis impetus carnis. Impetus quippe carnis, ad odium, ad elationem, ad immunditiam, ad rapinam, ad exteriorem gloriam, ad crudelitatem, ad perfidiã, ad iram, ad iurgia, ad voluptates animum impellit. Impetus verò spiritus, ad caritatem, ad humilitatem, ad continentiam, ad largitatem misericordiæ, ad interiorem profectum, ad pietatis opera, ad æternorum fidem, ad spem, ad patientiam, ad cõsiderationem vitæ immortalis, ad lacrymas mentem pertrahit. Vnde necesse est, vt magna semper cura cõsiderare debeamus in omne quod agimus, qui nos impetus ducat: Vtrum nostra cogitatio, per impetum carnis, an per impetum spiritus, impellatur, &c. Vide quonam duxerit impetus Spiritus sancti Christum, numquid in hominum conuentus & colloquia? numquid ad conuiuia & voluptates! Ad desertum, ad diuinarum rerum contemplationem, ad ieiunia duxit. *Matth. 4.* *Ductus est*, ait Euangelista, *ab Spiritu in desertum*, &c.

Diuersi malorum & bonorum sunt impetus. *Considerãdum, qui impetus nos ducat.*

Quadragesimali præcipuè tempore, ducit nos Spiritus ad ieiunia; spiritus verò nequam ducit ad cibos. Sed fuge venenatum cibum. Nullum enim præsentius venenum, quàm peccatum reperiri potest, quo cibi ieiunio vetiti respersi sunt. Non audes cibos veneno infectos in os mittere; audes cibos, quos ipse peccati peste inquinas, in viscera traiicere? *Post buccellam*, ait Ioannes, *tunc introiuit in Iudam satanas*: eodẽ pacto post buccellas, escasque in die ieiunij prohibitas, intrat in eos, qui ieiunium frangunt diabolus. Vnde D. Ambrosius ser. 35. Non bonus, inquit, cibus, post quem ingreditur inimicus; non bonus cibus, post quẽ deuoratur antichristus; non bonus cibus, qui benedictione caret, maledictione completur, &c. Nónne antequam accumbat Christianus, mensæ benedicit? Sit benedicta mẽsa, sit benedictus absque peccato vllo sumptus cibus. O mensam illam maledictã, in qua ieiunium frangitur, obediẽtia deseritur, gulæ obtemperatur. Vide quàm graue mortis incurrerit Ionathas periculum; quoniam patris præceptũ ignorãs fregit, parũ mellis comedit, & de mandato patris leuiter detraxit. Si ignoranter fractum præceptum sic à Saule Rege punitur; non seruatum de ieiunio Ecclesiæ mandatum quomodo est puniendum? Si in Ionatham, quòd mellis nonnihil comederit, mortis sententia fertur; in Christianum, qui cibis lege ieiunij prohibitis vescitur, quænam sententia feretur?

Ieiunia ab Ecclesia instituta diligenter obseruanda. *Ioan. 13.* *Cibi ieiunio vetiti Veneno sunt infecti.* *Ionathas in vitæ discrimen venit, quòd vetitũ cibum sumpserit.* *1. Reg. 14.*

Expende Saulis præceptũ de ieiunio latum. Adiurauit Saul populum, dicens: *Maledictus vir, qui comederit panem vsque ad vesperam, donec vlciscar de inimicis meis.* Ecce præceptum, quod stultum fuisse putat Theodoretus in quæst. lib. 1. Regum, quæstione 31. Stultè, inquit, & insipienter subiecit Saul anathemati eum, qui cibi & potus ante vesperã esset particeps, &c. Et Iosephus: Rex, inquit, Saul, siue nimio gaudio parũ sui compos, quòd difficile sit eximiam felicitatem moderato animo ferre, siue per insciti-

Ibidem. *Præceptum Regis Saulis de ieiunio datum.*

A am, dignum quiddam reprehensione admisit. Volens enim meritas pœnas à Palæstinis ad satietatem repetere: diris deuouit eum, quicumque intermissa cede ante noctem cibum caperet. Nolens ante tenebras insequendi, & cædendi finem facere, &c. Colligitur hæc sententia ex Septuaginta Interp. Sic enim interpretantur: *Et Saul ignorauit ignorantiam magnam in die illa, & maledicto obstringit populum*, &c. Per insciti*am* ergo populum subiecit maledicto. *1. Reg. 14.*

Expende deinde præcepti obseruationem. Sequitur loco indicato: *Et non manducauit vniuersus populus panem: omneq; terra vulgus venit in saltum, in quo* B *erat mel super faciem agri. Ingressus est itaque populus saltum, & apparuit fluens mel, nullusq; applicuit manum ad os suum: timebat enim populus iuramentum*, &c. Vidésne populi obedientiam? non manducauit vniuersus populus panem; cùm tamen esset lapsus: defecerat enim, vt Scriptura eodem loco docet. Oblatum est mel dulcissimum in itinere; nam venit populus in saltum, in quo erat mel super faciem agri; & apparuit fluens mel. Ad frangendum præceptum, hinc lassitudo, illinc cibi suauissimi aspectus inuitabat: at nemo ex tanta multitudine fregit: *Nullus*, inquit, *applicuit manum ad os suum: timebat enim populus iuramentum.* Disce, horum exemplo, ieiunij seruare mandatum: & si suauis te inuitet cibus, & si esuries vrgeat: nec suauis te cibus super- C ret, nec esuries vincat. Caue, ne applices manum ad os tuum, time propositum præceptum. *Ibidem.* *Populi obedientia in seruando præcepto de ieunio.*

Vis periculum etiam Ionathæ ipsis Scripturæ verbis agnoscere? *Porro Ionathas*, vt eodem capite narratur, *non audierat, cùm adiuraret pater eius populum: extenditq; summitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis: & conuertit manum suam ad os suum, & illuminati sunt oculi eius*, &c. Sic patris mandatum inscius Ionathas præteriit. Illuminatos autem oculos mellis esu dixit; quoniam præ lassitudine caligabant. Inscius præceptũ transgressus est; sed sciens, & prudens idem præceptum improbauit. Cùm adiurationis regiæ certior esset factus, in hæc verba prorupit: *Turbauit pater meus* D *terram: vidistis ipsi, quia illuminati sunt oculi mei, eo quòd gustauerim paululum de melle isto: quantò magis si comedisset populus de præda inimicorum suorum, quam reperit? nónne maior plaga facta fuisset in Philisthiim*, &c. Persequebatur populus tunc Philisthæos; ideo Saul, ne in cibo capiendo morarentur, à cibo iussit cunctos abstinere. Ieiunandum enim est ei, qui hostes, id est, vitia persequi vult. Ieiunio animus fit leuior ac velocior. Quia verò fessus erat populus, escaque indigebat; idcirco Ionathas patris mandatum reprehendit, & mortis periculum incurrit. Etenim Saul Deum de Philisthæis insequendis consuluit; sed Deus oracu*l*um minimè reddidit. Ob peccatum aliquod oraculum non esse redditum Rex existimat: sortibus peccato obstrictum inquirit; sors Ionatham Regis ipsius filium diuinitus ostendit; adiudicatur à patre neci filius, sed à populo eripitur. *1. Reg. 14.* *Ibidem. Ionathæ, Saulis filij, periculum, quod ieiunium non seruarit indictum.*

Quadragesimali maximè tempore hostes insequimur, bellumque peccatis omnibus indicimus: ergo ieiunemus, vetitosque fugiamus cibos lege ieiunij; superiorum verò mandata ne incusemus. Ionathæ meminerimus, quem cibi vetiti esus, regiique mandati incusatio, in tantum discrimen adduxit. Vnde Beda in Samuelem libro 2. capite 9. Quia in huiusmodi, inquit, rebus spiritualium patrum sit iussis obsequendum, Ionathas sorte deprehensus, & oraculum Domini consulenti Sauli subductum, manifestissimè declarat. Si enim tanti *Spiritalium patrum iussis obtemperandum.*

apud Deum valuit terreni Regis imperium, quanti putas valere magistri spiritalis? &c. Et Theodoretus quæst. 32. Si stultè, inquit, Saul subiecit manducantem anathemati, cur Deus confirmauit anathematismum? Sciscitanti enim, num esset bellādum? non respondit. Docet, ne eiusmodi quidem anathemata esse contemnenda, &c. Ambrosius verò sermone 25. Si ignorans, ait, Ionathas indictum à patre ieiunium, quia resoluerit, morti addicitur; qui sciens indictum à Christo resoluit ieiunium, quid meretur? &c.

Qui ieiunij frangit, Esau similis. Hebr. 12.

Qui ieiunij leges soluunt, similes sunt Esau, qui, vt Paullus ait, *propter vnam escam vendidit primitiua sua*. Ita enim ill; propter vnam escam & propter vnam cœnam vendunt primitiua sua, hoc est, gratiam & cælestem hæreditatem. Tertullianus aduersus psychicos capite 17. Gulæ indulgentes cum eodem Esau venatore, & primitiuorum venditore confert, quòd cibos venentur, & primatus suos propter cibos venundent: Vera, inquit, si velimus dicere, tu qui tantùm gulæ indulges, & meritò te priorem iactitas, semper agnosco sapere Esau venatorem ferarum. Ita passim indagandis turbis studes. Si tibi lenticulam defruto inrufatam obtulero, statim totos primatus vendes, &c.

O vir Christiane, oculos quæso coniice non in virum, sed in feminam Hebræam: illam aio Iudith, quæ de superbo Holopherne admirabilem triumphum egit; de qua Iudith 8. scriptum est: *In superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur: & habens super lumbos suos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbata & neomenias, & festa domus Israël. Erat autem eleganti aspectu nimis, cui vir suus reliquerat diuitias multas, & familiam copiosam*, &c. En femina veteris legis cultrix, pulcerrima, opulenta, copiosæ familiæ procuratrix, ieiunio vitam mancipat, non timet pulcritudini, non decipitur à diuitiis, non sequitur vulgi mores. Cilicio se induit, clausa cum puellis suis moratur, omnibus diebus vitæ suæ, exceptis festis, ieiunium seruat. Iudæa femina omnibus diebus vitæ suæ ieiunat; Christianus vir quadragesimæ quadraginta diebus non ieiunabit! O virum non virum, quem vincit femina! O virum imbellem animi robore carentem. Hæc est causa, cur ieiunium difficile videtur, animi non corporis imbecillitas. Qui corpore imbecilli sunt, si animi valent robore, ieiunium fortiter tolerant. Qui corpore sunt valido, si animo sunt imbecilli, ieiunium veluti hostem metuunt ac fugiunt. Non hostis est, sed amicus: multa enim instar amici amantissimi in animum corpusque commoda importat.

Iudith 8.

Iudith ieiunium.

Ieiunij cōmoda ac prærogatiua.

Primò. Ieiunium, amici instar optimi, hominem defendit; quamobrem à D. Ambrosio, ieiunia Christianorum castra appellantur, serm. 25. Castra, inquit, nobis sunt nostra ieiunia, quæ nos à diabolica oppugnatione defendunt. Eodem loco, ieiunium murum vocat inexpugnabilem: Murus, ait, quidam est Christiano ieiunium, inexpugnabilis diabolo, intransgressibilis inimico. Quis enim vmquam Christianorum ieiunauit, & captus est? quis sobrius mansit, & victus est? temulentum aggreditur diabolus, luxuriosum oppugnat inimicus, &c.

Ieiuniū hominem aduersus hostes defendit ac roborat.

Secundò. Ieiunium hominem aduersus hostes roborat. Non enim carnis pinguedine, sed spiritus robore & carnis inedia hostes tartarei superantur. Vnde Tertullianus aduersus psychicos cap. 17. Saginentur, inquit, pugiles & pyctæ olympici; illis ambitio corporis competit, quibus & vires necessariæ. Sed nostra alia robora aliæque vires, sicut & alia certamina, quibus, vt ait Paullus: *Non est luctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus mundi potestatos, aduersus spiritualia malitiæ*. Aduersus hæc non carne & sanguine, sed fide & spiritu robusto oportet resistere, &c. D. Ambrosius serm. 25. Diabolus terretur pallore ieiunij, debilitatur inedia, infirmitate prosternitur. Prosternitur, inquam, infirmitate, quia Christiana infirmitas fortitudo est: vnde ait Apostolus: *Cum infirmor, tunc fortior sum*. Sed requirit aliquis: Quemadmodum fortis infirmitas? Tunc est fortis infirmitas, quando caro tabescit ieiuniis, anima puritate pinguescit. Quantùm enim corpori ciborum succus subtrahitur, tantum animæ iustitiæ virtus augetur. Tunc igitur homo imbecillis quidem est ad sæcularia, sed fortis est ad diuina opera. Hactenus Ambrosius.

Christiana infirmitas fortitudo est. 2. Cor. 12.

Tertiò. Ieiunium aduersus carnem inimicum potentissimum nos armat, & castitatem tuetur. Castitatis prælia durissima esse affirmat Augustinus serm. 250. de tempore: Inter omnia, inquit, Christianorū certamina, sola duriora sunt prælia castitatis. Vbi quotidiana pugna & rara victoria. Grauem castitas sortita est inimicum, qui quotidie vincitur, & timetur, &c. Ad hæc duriora certamina aduersus hunc grauem inimicum, ieiunium nobis amicum nos armat. Carnem enim belligerantem, iuuante Deo, sub castitatis iugum, ieiunium mittit. August. serm. 230. de tempore: Ieiunium, ait, carnem spiritui subiicit, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores exstinguit, castitatis verum lumen accendit, &c. Hieronymus epist. 8. cap. 6. Aduersus iuuenes, inquit, ætatis ardore hostis abutitur; & inflammat rotam natiuitatis nostræ. Et implet illud: *Omnes adulterantes, quasi clibanus corda eorum*: quæ Dei misericordia & ieiuniorum frigore restinguuntur, &c. Ibidem: Quemadmodum in fornace Daniel. 3. speciem habens quasi filij hominis, immensos mitigauit ardores; sic in animo virginali, rore cælesti & ieiuniorum frigore calor exstinguitur: & in humano corpore, Angelorum impetratur conuersatio, &c.

Castitatis prælia duriora.

Ieiuniū aduersus carnem nos armat.

Ieiunium castitatem tuetur.

Osea 7.

Famæ ferociens domatur equus; fame ferociens quoque domatur caro. August. in tractatu de vtilitate ieiunij, tomo 9. Dissuasori, inquit, malo respondere per hanc similitudinem, & dic: Si iumento insideres, si equo vtereris, qui gestiendo te posset præcipitare: nónne vt securus iter ageres, cibaria ferocienti subtraheres, & fame domares, quem freno non posses? Caro mea iumentum meum est. Iter ago in Ierusalem; plerumque me rapit, & de via conatur excludere. Via autem mea Christus est. Ita exultantem nónne cohibebo ieiunio? &c. Hinc illud Hieronymi epist. 27. cap. 10. Paulla lasciuientem adolescentularum carnem crebris & duplicatis frangebat ieiuniis; malens eis stomachum dolere quàm mentem, &c. S. Nilus oratione prima aduersus vitia: Noli, inquit, corpus pinguefacere. Nam si vires recuperabit, in te consurget, teque tamdiu bello vexabit, quoad animam captiuam reddat, luxuriæque dominationi subiiciat. Equus bene frenatus, corpus inedia domitum. Vt enim equus freno cedit, & equitis parit imperio; sic corpus fame vigiliaque subactum rationis obtemperat voluntati, &c.

Ieiuniū ferocientem equū. i. corpus domat.

Quartò. Ieiunium à gulæ, & ventris seruitute, ac tyrannide nos liberat; de qua Ambrosius in lib. de Elia & ieiunio cap. 8. Male, inquit, dominæ seruitur gulæ, quæ semper expetit, numquam expletur. Quid enim insatiabilius ventre? hodie suscipit, & cras exigit, &c. Verùm onager, vt est in libro Iob, *clamorem exactoris non audit*; id est, (sensu morali) vir ieiunans ventris cibum exigentis vocem non curat. Abstinentes viri, ait eo loco Gregorius, qui onagri vocabulo figurantur, dum violenta gulæ

Ieiunium à seruitute ventris nos liberat.

Iob 39.

desidē-

desideria reprimunt, quasi clamantis exactoris verba contemnunt, &c.

Philip. 3. Venter nõ nullorum Deus.

Ita ventri quidam seruiunt, vt Deus eorum dici possit, iuxta illud Paulli: *Quorum*, inquit, *Deus venter est*. Ad quæ verba alludens Tertullianus aduersus psychicos, cap. 17. Deus, inquit, tibi venter est, & pulmo templum, & aqualiculus altare, & sacerdos coquus, &c. Qui ventri indulgent, hunc veluti Deum colunt; gallinas perdicesque illi immolant; pecunias milleque ciborum genera illi offerunt, hunc vnum venerantur, ac curant. At vir ieiunij amans, non solùm pro Deo ventrem non colit, verùm nec clamorem eius audit. Non illi venter vt Deus, sed ille ventri vt seruo dominatur. Iuxta illud D. Chrysostomi serm. 13. in epist. indicatam: Ventrem, inquit, accepisti vt nutrias, non vt distendas; vt illi domineris, non vt dominum habeas; vt tibi inseruiat ad ceteras partes alendas, non vt tu illi inseruias, &c.

Seruiat Vẽtri, non dominetur.

Vt mari, sic Ventri terminus ponendus.

Ieiunium idolum hoc frangit; hoc mare terminis circumscribit, ne mentem irrumpat ac obruat. Chrysostomus eodem loco: Non tot malorũ caussa est mare fines supergressum; quot vẽter corpori animæque nostræ. Mare omnẽ terram, in quam se effuderit, obruit: venter verò, vniuersum corpus. Pone illi terminum, quod naturæ satis est; quemadmodum mari Deus posuit littus. Ita Chrysostomus.

Venter est Nabuzardã coquorũ princeps.

Ierem. 52.

Gregorius verò Magnus loco indicato, cum Nabuzardam ventrem gulæ mancipatum confert. Vt enim ille Ierusalem muros, sic hic virtutes euertit. Princeps coquorum, ait Gregorius, destruxit muros Ierusalem (vt legitur in versione Septuaginta Interpretum:) Quid per muros Ierusalem Scriptura exprimit, nisi virtutes animæ? aut quis coquorum princeps, nisi venter accipitur, cui diligentissima à coquentibus cura seruitur? Muros igitur Ierusalem princeps coquorum destruit; quia virtutes animæ, dum non restringitur, venter perdit, &c. Restringere ergo oportet ventrem ieiunij abstinentiæque cingulo, ne virtutes perdat.

Iudicum 7.

Eumdem in modum S. Nilus in libro Ascetico, gulæ vitium, coquorum principem vocat, qui Ierusalem muros diruit. Deinde addit abstinẽtiam muros diruere vitiorum: Sicut luxus, inquit, virtutes opprimit, ita frugalitas malitiæ munitiones deiicit. Quemadmodum enim muros Ierusalem princeps coquorum destruxit; sic Israëlitarum *panis hordeaceus tabernaculum Madianitarum subuertit*, &c. Panis hordeaceus rectè abstinentiam & frugalitatem adumbrat. Videbatur panis huiusmodi tabernaculum Madianitarum æquare solo. Iudicum 7. æquat autem solo abstinentia & ieiunium tabernacula dæmonum, hoc est, vitia, in quibus veluti tabernaculis habitant dæmones.

Lege Magnum Basilium in illud Moseos: Attende tibi, homil. 3. qua docet ipsam hominis effigiem hominem admonere, ne ventris inseruiat voluptatibus: Reliquum, inquit, genus omne quadrupedantium prono vultu terram spectat, oculis in ventrem depressis. Vni homini prærogatum est, vt expanso sit surrectóve versus cælũ vultu. Idque eò factum, ne ventri, neu ventris illecebris ad vitium prolicientibus indulgeret; sed tota animi alacritate sursum versus promoueret gressum, &c. Chrysostomus etiam hom. 34. in Actus Apostolorum, canis venatici exemplo ventri imperare suadet: An non videtur, inquit, tibi esse magnæ philosophiæ, quando canis, qui mordet præ fame, postquam in venatione arripit, & venatur, à præsenti esca abstinet, & mensam videns propositam, etiam fame vrgente exspectat Dominum? Erubescite à vobis ipsis; docete ventres vestros, vt sint philosophi. Qui potest indere naturæ brutæ tantam philosophiam, multò magis potest sibi ipsi, &c.

Ieiunij sanitatẽ corpori affert.

Quintò. Ieiunium & abstinentia, sanitatem corporis tuetur, edacitas & ingluuies, morbos parit. Quamobrem Ecclesia Sabbato ante primam Dominicam quadragesimæ, sic Deum precatur: Concede vt hoc sollemne ieiunium, quod animis corporibusque curandis salubriter institutũ est, deuoto seruitio celebremus, &c. Et Chrysost. tomo 5. in oratione de ingluuie & ebrietate: Nihil, ait, adeò voluptatem & sanitatem facit, vt si quis, cùm esurit & sitit, tum demum ea quæ proponuntur attingat, satietatemque sola necessitate metiatur, neque maius viribus onus corpori imponat. Moderate edentium corpora robusta sunt, sensusque expedite munus suum explent; illorum, verò, qui gulæ & luxuriæ student, flaccida & quauis cera molliora, morborum examinibus obsessa, &c. Diuus Basilius homil 1. de ieiunio: Nauim, inquit, oneris magnitudine grauatam exiguus fluctus mergit; quæ modicis sarcinis temperata est, facile suffert vndarum impetum. Eumdem in modum & hominum corpora assidua expletione degrauata, facilè à morbis demerguntur; quæ verò facili leuique vtuntur alimonia, non modo malũ, quod à morbo imminente exspectabatur, veluti tempestatis assultũ effugiunt, verum etiam præsentem iam ægritudinem veluti turbinem quemdam exorientem discutiunt, &c. Item eodem loco: Naturæ, inquit, vis, quæ dispensat alimoniam animantium corporibus, temperatum ac parcum victum facile concoquit, & in corporis quod alitur substantiam vertit. At eadem vbi sumptuosos variosque cibos complexa, nec deinde ad conficiendam eduliorem portionem pares vires habet, diuersa gignit morborum genera, &c.

Ieiunij sanitatem tuetur.

Ieiunij sanitatis est mater.

Eadem homilia, ieiunium sanitatis matrem appellat; & hæc addit. Ipsi carni ieiunium conducibilius est. Siquidem habitudo corporis extremè bona sensim mutatur, & in diuersum recidit. Nimirum succumbente natura, nec valente corpulentiæ pondus sustinere, &c. Chrysostomus homilia prima de pœnitentia: Si meis sermonibus derogas fidem, de his filios medicorum percunctare, ipsique eadem tibi manifestiùs explicabunt, qui abstinentiam matrem sanitatis appellant. Pedum verò dolores, grauedinem capitis, vomitum, apostema, & hydropisim, & phlegmata, milleque morborum aliorum torrentes, à delicatis cibis crapulaque prouenire dicunt, quasi à pessimo quodam fonte paruos riuulos, bonam corporis habitudinem, & animæ sanum intellectum, non tam delentes, quàm depopulantes, &c. Basilius homil. 23. de non adhærendo rebus sæcularibus: Multis, inquit, attulit mortem satietas, & caussam dedit, vt nullo cibo amplius vti potuerint, &c.

Edacitas morbos parit Virtutũ. Ephes. 5.

Sextò. Edacitas vitiorum morbos nutrit; ieiunium nutrit virtutes. Apostolus: *Nolite*, inquit, *inebriari vino, in quo est luxuria*. Vinum luxuriæ grauissimum morbum parit; parit & ingluuies. Augustinus in quæstionibus noui & veteris Testamenti, quæstione 120. Si esca & crapula homo fuerit grauatus, alterum se sentit, quàm est. Tunc excitatur libido, accenditur ira, inflammatur superbia, generatur luxuria, &c. D. Nilus in libro Ascetico: Sedẽt, inquit, super ollas carnium homines voluptarij & libidinosi, humido & perpetuo calore suas incendentes cupiditates. Porrò libidinis mater est gula. Hæc enim libidinem gignit & multa alia vitia; quæ ab eius radice tamquam stolones pullulant, & paullatim in arbores magnas euadunt, malitiæque fructus edunt vberrimos, &c. Diuus Basilius homilia prima, de ieiunio: Fumus abigit apes, dona

verò ſpiritalia fugat luxus,&c. Et homilia de Paradiſo: Corpus abunde ſaginatum, & anima illi immerſa, & ad peccandum procliuis facta, compendium quoddam eſt ad laſciuiam & procacitatem, ac ſimul omnia ea quæ vetita ſunt,&c. Chryſoſtomus homilia prima de pœnitentia: Crapulam & ebrietatem timere oportuit, non ieiunium timeri debet. Illa ſiquidem noſtras manus poſt terga ligans, vitiorumque tyrannidi, veluti cuidam prauæ dominæ captiuos nos reddit. Ieiunium verò ſeruos exiſtentes nos,atque ligatos inueniens,vincula remittit,& tyrannide liberat,&c. D.Hieronymus, ſiue diuus Paullinus in epiſtola ad Celantiam.Paullus dum caſtigat corpus ſuum, & in ſeruitutem redigit, non ob ſolam facit caſtitatem: non enim huic tantummodo, ſed omnibus omnino virtutibus abſtinentia opitulatur, &c.

Tunc obſidione cinctis opitulamur, cùm hoſtes cibo priuamus: eumdem in modum tunc virtutibus,quæ à carne veluti obſidione cinctæ ſunt, ſuppetias ferimus, cùm carni eſcas per ieiunium ſubtrahimus.Vide cuinam ſuppetias ferre velis,carnine,an animæ; cui auxilium tuleris,illa vincet. D. Baſilius in homilia prima de ieiunio: An ignoras, inquit, quòd perinde atque in acie, qui alteri parti fert ſuppetias,facit,vt altera vincatur. Ita qui carni ſe adiungit, expugnat ſpiritum; & qui ſtat à ſpiritu, carnem in ſeruitutē redigit. Proinde ſi cupis mentem reddere validam, fac carnem domes ieiunio. Hoc enim eſt quod Apoſtolus ait: *Quòd quantùm exterius homo corrumpitur,tantùm internus renouatur.* Hoc ipſum homilia 3.in illud Moſeos, *Attende tibi ipſi*, ſimilitudine illuſtrat,hoc pacto:Quemadmodum in ſtaterarum momentis contingit, vnam ſi degrauaueris lancem, illi oppoſitam tāto reddes leuiorem; conſimilem in modum aſſolet in corpore& anima contingere. Vnius exuberans copia neceſſe eſt, vt alterum imminuat, & illi addat inopiam. Corpore enim cupediis ac lauticiis meliuſculè habito,& carnulenta obeſitate degrauato,neceſſe eſt mētem ad cognatas ſibi actiones tanto reddi minus ſtrenuam atque eneruē prorſus. E diuerſo anima,ſi commodè habet, perque continentē bonarum rerum meditationem ad magnitudinem ſurrigitur iuſtam,ac ſe decentem conſequi videtur; per hoc intabeſcere,& eliquari eius corporis habitudinem, &c.

Dulcis voluptas videtur(ait Ambroſius in lib.de Elia & ieiunio cap.11.) amarū ieiunium; hoc amaro illud dulce tollatur. Solēt enim amara plus prodeſſe corporibus.Sicut enim cum in intimis puerorum viſceribus vermes ex cibi indigeſtione naſcuntur, exſtingui non queunt, niſi cum amarior potus infunditur,aut medicamentorum vis inoleſcit aſperior, quorum odore moriantur; ita profundum animæ virtus ingreſſa ieiunij, culpam latentem interficit, &c.

Denique virtutum nutritium egregium eſſe ieiunium,docet idem Ambroſius lib. de Elia & ieiunio,cap.8. his verbis: Ieiunium continentiæ magiſterium eſt, pudicitiæ diſciplina, humilitas mentis, caſtigatio carnis,forma ſobrietatis,norma virtutis, purificatio animæ, miſerationis expenſa, lenitatis inſtitutio,caritatis illecebra, ſenilis gratia,cuſtodia iuuentutis,&c.& Chryſoſtomus hom. 1. in Geneſim: Vellem vos purificata mente, valeque deliciis & voracitati dicto, matrem omnium bonorum & pudicitiæ, aliarumque virtutum omnium magiſtram, ieiunium inquam, explicitis mentis veſtræ ſinibus ſuſcipere, &c.

Ieiunij præclara laudes.

Ieiuniū cibus eſt virtutis & animi.

Septimò. Ieiunium corpori quidem & vitiis cibum detrahit,animæ verò & virtuti eſcam præbet. D.Leo ſerm. 2. de ieiunio decimi menſis: Semper, inquit, virtuti cibus ieiunium fuit. De abſtinentia prodeunt caſtæ cogitationes, rationabiles voluntates, ſalubriora conſilia; & per voluntarias afflictiones caro concupiſcentijs moritur, virtutibus ſpiritus innouatur,&c.Chryſoſtomus:Ieiunium,inquit, animæ noſtræ alimentum eſt; & ſicut corporalis iſte cibus impinguat corpus; ita & ieiunium animam habitiorem efficit & valentiorem,&c. *Chryſoſt. hom.1.in Geneſ.*

Octauò.Ieiunium ad diuinam doctrinam capiendam animam limpidiorem reddit.D.Baſilius hom. 1.de ieiunio: Ne Daniel quidem ille ſapiens viſiones videre meruiſſet; niſi ieiunio reddidiſſet animam limpidiorem. Siquidē è copioſiore paſtu, ceu fumoſi quidam vapores exhalantur,qui lucē Spiritus ſancti in hominis mentem irradiantem,quaſi denſa nubes interueniens, intercipiunt, &c. ideo meritò Auguſtinus hominem crapula obrutū cum ſpeculo ſordido confert. Quemadmodū enim ſordidum ſpeculum res oppoſitas minimè repræſentat; ita hominis crapula obruti intellectus res diuinas minime percipit. Limpido ſpeculo, limpido item intellectu opus eſt. *Ieiuniū ad diuinā doctrinam capiendā animam reddit limpidiorē.*

Auguſtinus in quæſtionibus veteris & noui Teſtamenti quæſt.120.Sicut in ſpeculo ſordido non ſe talem aſpici homo, qualis eſt; ita ſi eſca & crapula fuerit grauatus, alterum ſe ſentit, quàm eſt. Tunc excitatur libido,accenditur ira,inflammatur ſuperbia. Quod ſi temperatum fuerit corpus interpoſito ieiunio; cognitione ſui recepta, anima intelligit, qua deuotione obſequi debeat Redēptori,&c.Præterea D.Nilus,Chryſoſtomi diſcipulus, in oratione prima aduerſus vitia:In victu, ait, parco,ſit animus prudens; in lauto, mens in profundū demergitur. Ieiunij mens, vt ſtella ſereno cęlo fulget,ſaturi verò tenebris oppreſſa,latet obſcura.Nebula Solis radios tegit; & ciborum multitudo mentis ſplendori caliginem offundit. Speculum inquinatum accedentis faciem nō exprimit; & animus crapula contaminatus Dei notitiam non admittit, &c. *Auguſt.* *D. Nilus.*

D.Ambroſius de Elia & ieiunio cap.8. Ieiunium ſobrietas mentis eſt; hoc vigent ſenſus, &c. Hinc illud Eccleſiæ: Deus qui corporali ieiunio vitia comprimis,mentem eleuas,&c.Chryſoſtomus homil.1. in Geneſim: Ieiunium leues animæ pennas producit, vt in ſublime feratur,& ſumma contemplari queat, voluptatibusque, & omnibus, quæ in hoc mundo habentur ſuauia, ipſa ſit ſuperior. Et quemadmodū leuiores naues maria velocius trāſeunt; ita ieiunium quidem leuiorem reddens mentem,efficit vt facilius vitę pelagus tranſmittat,& in cælum,ac ea quæ in cælis ſunt reſpiciat.Et nihil faciat præſentia,ſed vt vmbras diffugere ſentiat,&c. *Ambroſ.*

Nonò.Ieiunium orationi & contemplationi maximè eſt amicum;crapula verò eidem orationi maximè eſt infeſta. D.Baſilius homilia prima de ieiunio: Ieiunium preces noſtras ſubuehit in cælum, dum illis alarum vice ſit, vt ſurſum ferantur, &c. Diuus Nilus loco indicato: Ingluuie, inquit, oppreſſa, contemplationis vſus acquiritur. Venter eſuriens orationi vigiliam ſubminiſtrat; plenus autem ſomnū adducit. Sobrij oratio volat vt aquila: ebrioſi autem crapula grauis repit humi.In cœno non licet aromata reperire, neque in guloſo contemplationis ſuauitatem, &c. S. Iſaacus Syrus presbyterAntiochenus,in libro de Mundi Cōtemptu cap.19. Ieiunium,inquit, eſt mater orationis, & fons ſapientiæ. Sicut comitatur ſanus oculus deſiderium lucis; ita ſequitur ieiunium, quod cum diſcretione fit,deſiderium orationis. Cùm quis cœperit ieiunare, ex hoc deſiderium alloqui Deum, & peruenire ad eum incipit in mente ſua,&c. *Ieiuniū orationi & cōtemplationi amicum.*

Decimò. Ieiunium aduerſus dæmones eſt armatura.

Ieiunium aduersus dæmones armatura.

tura. Prius Christus ieiunauit, quàm cùm dæmone confligeret; ieiunandum nobis indicat, vt de hoste victoriam reportemus. D. Basilius homilia prima de ieiunio: Christus, inquit, non prius in carne diaboli insultus excepit, quàm eam ieiunio communisset. Simul & nos erudiens, vt nosmet aduersus tentatoris conflictus exemplo palæstritarum vngamus, & exerceamus, &c. Multos quoque Martyres eo die, quo cum truculentis tyrannis erant certaturi, ieiunium seruasse scribit D. Isaacus loco citato: Dicitur, inquit, de multis Martyribus, quòd nihil gustabant in die, in qua coronam præstolabantur martyrij. Sed sicut ad nuptias præparati exspectabant occurrere gladio in ieiunio, cum hymnis, psalmis, & canticis, &c. Item eodem loco idem Isaacus: Post baptismum, inquit, deduxit Spiritus Christum in desertum, & ieiunauit quadraginta diebus. Similiter autem & omnes, qui exeunt post eum, & sequuntur eum, super hoc fundamentum ponunt initium pugnæ suæ. Armatura est enim operata per Deum. Quis negliget illam, & non culpabitur? Etsi is qui edidit legem ieiunat, quis est ex obseruantibus legem, quem non oporteat ieiunare? Diabolus quando videt armaturam hanc apud aliquem terretur, &c. D. Nilus in fine lib. citati: Ieiunia, ait, sint arma tua, preces propugnacula, lacrymæ balneum, &c.

Multi Martyres in die martyrij ieiunabant.

Danielem ieiunio armatum leones vicisse docent Ambrosius & Basilius; sic & nos eodem ieiunio, veluti fortissimo thorace induti, tartareos leones superabimus. Basilius homilia prima de ieiunio: Daniel, inquit, demissus in lacum, etiam leones ieiunare docuit. Neque enim leones dentes in illum impingere valuerunt; perinde quasi ex lapide aut ferro concretus esset. Adeò quemadmodũ tinctura ferrum indurescit, ita ieiunium pij viri corpus durauerat, &c. Et Ambrosius de Elia & ieiunio cap. 7. Daniel leones quoque docuit ieiunare missus in lacum; & in adamantis rigorem abstinentiæ soliditate membra duratus, non potuit vulnerari, &c.

Ieiunium hominis membra cõponit.

Vndecimo. Ieiunium hominis membra componit, illique modestiam præstat. D. Basilius homilia citata: Ieiunantis, inquit, color venerabilis est, non inuerecundo rubore floridus, sed sobrio pallore decoratus. Oculi placidi, compositus incessus, vultus cordatus, nec intemperanti risu distortus, concinnus sermo, purum cor, &c.

Laqueo peccatis nos liberat.

Duodecimo. Ieiunium ex laqueo peccati in quadragesima nos liberat. Sicut enim aues & pisces, sic homines, qui ieiunium frangunt, cibo illaqueantur, ac pereunt. Ambrosius in libr. de Elia & ieiunio capit. 8. Per escam laqueus non cauetur. In esca hamus latet, & cibus inducit in retia. cibus visco etiam aues illigat; cibus volantes deponit ad mortem. Quæ non propter ventrem pericula? Muta animalia crimen nesciunt, & in hoc solo tamquam pro crimine puniuntur, &c.

Ieiunium Deũ placat.

Decimo tertio. Ieiunium Deum placat, ad illud dum à Deo punimur, veluti ad sacram anchoram confugiendum est. Considera quale ieiunium Niniuitæ indixerint, vt imminens à Deo supplicium effugerent: *Homines, & iumenta, & boues, & pecora non gustent quidquam, nec pascantur, & aquam non bibant,* &c. O mirum ieiunium! Quid peccati commisere pecora? quid iumenta & boues? Nihil commisere peccati, sed eos, qui peccata commisere docent ieiunare. Ambrosius in Ionam: Mira, inquit, res; ieiunant pro ciuitatis peccato, quæ peccati conditio non constringit. Vnde & nos temporum angustias sustinentes, omnes pariter ieiunare debemus, & misericordiam Dei cunctorum abstinentia deplorare. Nam quale sit, hoc pro sua salute Christia-

Ionæ 3.

num non facere, quod pecora pro hominum salute fecerunt? nisi quod stolidior pecore est, qui indicto pro se à sacerdote ieiunio, non ieiunat. Nónne enim pecus est, qui non intelligit quid illi immineat? Et pecus quidem videns declinat foueam, cauet præcipitia; tu autem non vis ieiunando declinare periculum quod cernis? &c.

Stolidior pecore est, qui non seruat ieiunium.

Ad ieiunium, cùm à Deo punimur, cõfugiendum.

Item de Niniuitis loquens: Ista, inquit, in commonitionem nostri facta esse nemo est qui nesciat. Vt quotiescumque tribulationibus perurgemur, ad hæc præsidia concurramus. Vt puta aduersarius imminet, inimicus in promptu est, ieiunemus, vt vincamus. Solent quidem homines, quotiescumque necessitatem aliquam arduam patiuntur, ad proximas gentes auxilij caussa destinare legatos. Nos (quod est melius) legationem ad Deum per ieiunia destinemus: ab ipso imploremus auxilia, ad ipsum nos corde & orationibus conferamus. Auxilium Niniuitæ non aliunde rogando petiuerunt; sed de suis ieiunando visceribus exegerunt. Hactenus Ambrosius. Chrysostomus hom. 58. in Matthæum: Qui, inquit, ieiunat, leuior est, & vigilanter orat. Et cupiditatis incendia exstinguens, ac animam suam humilians, facilè Deum placat. Idcirco & Apostoli fere semper ieiunabant, &c.

Ieiunij legatio.

Apostoli fere semper ieiunabant.

Decimo quarto. Ieiunium ipsius cibi condimentum est. D. Basilius homilia sæpe citata: Quemadmodum, inquit, sitis efficit, vt iucundus sit potus, & sicut fames præcedens epulas facit suaues; ita & eduliorum sumptionem ieiunium condit, atque edulcat. Dum enim perpetuum deliciarum vsum interrumpit, efficit, vt cùm ad sumptionem intermissam reditur, ea tibi sit tamquam noua iucundior, &c. Ambrosius lib. indicato cap. 9. Etiam, inquit, ipsis ieiunium conuiuiis dat gratiam. Dulciores post famem epulæ sunt, quæ assiduitate fastidio sunt, & diuturna continuatione vilescunt. Condimentum cibi ieiunium est. Quantò auidior appetentia, tantò esca iucundior, &c. D. Chrysostomus: Vt bonæ valetudinis, ita & voluptatis, mater est mensa tenuis. Et crapula, vt morborum, ita fastidij fons est & radix. Vbi enim satietas, ibi auiditas esse nullo pacto potest. Vbi nulla auiditas, quo pacto ibi voluptas erit? Propterea non tantùm prudentia & valetudine prospera præstare diuitibus pauperes videmus; sed & lætitia, &c.

Ieiunium cibi condimentum est.

Chrysost. hom. 21. in Ioan.

Eisdem locis tam D. Basilius quàm D. Ambrosius docent, rerum diuturnam continuationem parere fastidium; vicissitudinem verò esse iucundam. Vsu, ait Ambrosius, pretiosa degenerant. Quorum autem difficilis possessio, eorum grata perfunctio. Ipse Sol post noctem gratior, ipsa lux post tenebras splendidior, & post vigilias sopor dulcior; ipsa salus post ægritudinis tentamenta iucundior. Ab ipso mundi Conditore didicimus, sæpe diuersitatibus cumulari gratiam. Patrocinatur ergo & conuiuio fames, vt gratior fiat mensa ieiunij, &c. Diuus Basilius: Nihil, ait, tam est appetendum, quin abeat in fastidium, si perpetuo fruare. At quæ rarò contingunt, iis auidè fruimur. Sic & qui condidit nos Deus sapienter & illud procurauit, vt quæ nobis ad vsum vitæ largitus est, gratiam apud nos obtineant ipsa vicissitudine. An non vides Solem esse lætiorem post noctem, ac vigiliam esse iucundiorẽ post somnum, & sanitatem esse desiderabiliorem diuersa expertis? Itidem & cibus gratior est post ieiunium, &c.

Rerum diuturna cõtinuatio fastidium parit.

Vsu pretiosa degenerant.

Vicissitudo iucunda.

Decimo quinto. Ieiunium optimum est & leue in cælum viaticum. Terrestres viatores tunc sibi videntur optimum parasse viaticum, cùm aut peras eduliis plenas ferũt, aut marsupia pecuniis referta, quibus cibos comparent. Cælestes verò viatores

Ieiunium optimum viaticum.

tunc existimant eximium se habere leueque itineris subsidium, cùm & inanes per paupertatẽ peras, inaniaque marsupia, & cibis inane per ieiunium corpus portant. D. Ambrosius loco citato, cap. 8. Ieiunium, inquit, bonum est itineris viaticum, &c. Et D. Basilius homilia prædicta: Ieiunium bonus est comes viatoris, &c.

Ieiunij bonus comes.

Comes est diuitibus bonus: Comes quoque bonus pauperibus. Nemo comitem bonum in quadragesima absque legitima caussa à se dimittat; ne

Luca 16.

si dimiserit, vel æterno ieiunio, vt dies ille helluo, puniatur, vel aduersis in hac vita casibus agitetur. Audi Magnum Basilium homilia 2. de ieiunio: Dies, inquit, es? ne ieiunium affeceris contumelia; afficies autem, si graueris illud ad mensę tuæ consortium admittere. Néue nullo tuæ domus honore dignatum dimittas, cùm illa interim præ diuitiis ac voluptate suauiter agat. Ne quãdo te reum peragat apud eum, qui de ieiunio legem tulit; fiatque, vt ex condemnatione ad longe maiorem inediam adigaris, siue ex aduersa valetudine corporis, siue ex alio quopiam tristi casu. Contra, qui pauper est, ne simulatione aut subsānatione vtatur erga ieiunium. Cùm illud iam olim habeat, & domus, & vitæ socium, &c.

Quadragesimæ ieiunium.

Eliæ Comes fuit ieiunium quadraginta illis diebus, quibus in montem Dei Horeb iter habuit. Hic nobis quoque fidelissimus erit socius, quadragesimæ diebus quadraginta, quibus iter in cælum facimus. Gulam verò veluti crudelem latronem hoc

In ieiunio vita, mors in olla. 4. Reg. 4.

in itinere caueamus. Si enim fidelissimum comitem ieiunium illa fugarit, in nos inuadet, omnibusque cælestibus bonis spoliatos ęternam in mortem adducet. *Mors in olla* clamarunt olim Prophetarum filij. Idem concionatores quadragesimali clamant tempore: *Mors in olla est*; mors in vetitis cibis, mors inquam sempiterna. Caue, ne mortem simul cum cibo deglutias, & pereas. In ieiunio vita est, ieiunium serua. Præceptum de ieiunio tibi traditum, etsi à carne, ab amicis, cognatisque inuiteris, diligenter custodi.

3. Reg. 13. Exemplum ieiunij seruandi.

Vide quid vir ille Dei, inuitanti non cuilibet amico, sed Regi Ieroboamo, responderit: *Locutus est Rex ad virum Dei: Veni mecum domum, vt prandeas, & dabo tibi munera. Respondit̃q; vir Dei ad Regem: Si dederis mihi mediam partem domus tuæ, nõ veniam tecum, neque comedam panem, neque bibam aquam in loco isto. Sic enim mandatum est mihi in sermone Domini*, &c. O virum eximium, quem nec Regis inuitatio, neque munerum pollicitatio à præcepto ieiunij auellere potuit. At quem Rex vincere non potuit,

3. Reg. 13.

falsi prophetæ dolus vicit: *Ego*, ait pseudopropheta, *propheta sum similis tui, & Angelus locutus est mihi in sermone Domini, dicens: Reduc eum tecũ in domum tuam,*

Supplicium non obseruantis ieiunium.

vt comedat panem, & bibat aquã, &c. Nimium credulus fallaci huic voci Propheta verus paruit, & perijt. A leone enim, antequam domum perueniret, occisus est. Si Propheta quòd deceptus ab eo, quem vatem putabat, loco vetito sumpserit cibum, sic punitur: qua pœna dignus est, qui sciens ac prudens quadragesimæ tempore prohibito cibum capit? Caue, ne falsi instar prophetæ amicus, caro vel stomachus te decipiant. Caue ne te illis credulũ præbeas. Esto alieno cautus exemplo, & responde: *Non comedam panem: Sic enim mandatum est mihi in sermone Domini.*

Addendi comites ieiunio, oratio, eleemosyna.

Ieiunio autem duos comites addunt Patres, orationem & eleemosynam. Æquum enim est, eum qui à cibis abstinet, tum orationi vacare, tum eleemosynas indigentibus largiri: tempusque illud, quod mensæ erat impendendum, orationi; pecuniam verò, quæ in cibos erat eroganda, eleemosynæ impendere. D. Leo serm. 2. de ieiunio decimi mensis: Ieiunium, inquit, nostrum misericordiis pauperum suppleamus. Impendamus virtuti, quod subtrahimus voluptati; fiat refectio pauperis, abstinentia ieiunantis, &c. Et sermone 4. Curandis læsionibus, in quas sæpe incidunt, qui cum inuisibili hoste confligunt, trium maxime remediorum est adhibenda medicina. In orationis instantia, in castigatione ieiunij, in eleemosynæ largitate, &c. Sermone item 5. Efficacissima, ait, est pro peccatis deprecatio, in eleemosynis atque ieiuniis. Et velociter ad diuinas conscendit aures talibus oratio eleuata suffragiis, &c. D. Chrysologus sermone 8. Ieiunantes, inquit, prandium nostrum reponamus in manu pauperis; vt seruet nobis manus pauperis, quod venter nobis fuerat perditurus. Thesaurus cæli est manus pauperis, quod suscipit, ne in terra pereat, reponit in cælum, &c. Item: Ieiunium esurit, quod pietatis cibo non pascitur. Ieiunium sitit, quod potu misericoidiæ non rigatur. Alget ieiunium, quod eleemosynæ vellus non tegit, &c.

Ieiunij comites, oratio & eleemosyna.

Thesaurus cæli est manus pauperis.

Ambrosius, sermone 33. Illud fratres ad perfectionem ieiunij tacendum non est. Vt qui abstinemus, & minime prandemus hoc tempore, prandia nostra pauperibus prærogemus. Hæc enim est vera iustitia, si te esuriente, de cibo tuo alius satietur; vtrumque tibi proficiens, & tua fames, & saturitas mendicorum. Ceterùm qui sic abstinet, vt nihil pauperculis de suis epulis largiatur, videtur quæstum sibi suum feciſſe ieiunium, & negotiationem parcendo, &c. Magnus Gregorius homilia 16. in Euangelia. Illud ieiunium Deus approbat, quod ad eius oculos manus eleemosynarum leuat; quod cum proximi dilectione agitur; quod ex pietate conditur. Hoc ergo, quod tibi subtrahis, alteri largire. Vt vnde tua caro affligitur, inde egentis proximi caro reparetur. Hinc enim per Prophetam Dominus dicit: *Cùm ieiunaretis, & plangeretis, numquid ieiunium ieiunastis mihi? & cùm comedistis, & bibistis, numquid non vobis comedistis, & vobismetipsis bibistis?* Sibi enim comedit & bibit, qui alimenta corporis, quæ sunt communia dona Cõditoris, sine indigentibus percipit. Et sibi quisque ieiunat, si ea, quæ sibi ad tempus subtrahit, non pauperibus tribuit, sed ventri postmodum offerenda custodit, &c. Intellige hæc per exaggerationem dicta. Sibi enim & Deo etiam ieiunat, qui eleemosynam non largitur. Similiter Augustinus sermone 64. Tunc, inquit, grata sunt Deo nostra ieiunia, si illi, qui necessitate ieiunant, reficiantur à nobis, &c. Est quidem gratum sine eleemosyna ieiunium; sed gratius, si eleemosyna adiungatur & oratio, &c.

Eleemosyna

Zach. 7.

De oratione verò D. Chrysostomus homilia 30. in Genesim: Ieiunio, inquit, preces semper coniunctas esse oportet. Tunc potissimùm preces cum attentione fiunt, cùm expeditior est mens nostra, neque grauata, neque malo delitiarum onere pressa fuerit, &c. Idem Chrysostomus hom. 58. in Matthæum: Qui orans ieiunat, binas possidet alas, quibus ventos ipsos volando præteruehitur, &c. D. Bernardus sermone 4. de quadragesima: Vide, quemadmodum sibi ieiunium & oratio societur. Oratio virtutem impetrat ieiunandi; & ieiunium gratiam promeretur orandi. Ieiunium orationem roborat; oratio sanctificat ieiunium, & Domino repræsentat. Quid enim ieiunium nobis proderit, si relinquatur in terra? quod absit; subleuatur ergo ieiunium penna quadam orationis, &c.

Oratio ieiunij.

Duplicis quoque ieiunij Patres meminerunt. Alterum corporis est, alterum animæ. Altero à cibis ieiunamus; altero à peccatis. Hoc vero Augustinus, magnum, generale, perfectumque ieiunium

Duplex ieiunium.

vocat,

Ieiunium magnũ & generale.

vocat, tractatu 17. in Ioannem: Ieiunium, inquit, magnum & generale eſt, abſtinere ab iniquitatibus & illicitis voluptatibus ſæculi; quod eſt perfectum ieiunium. Vt abnegantes impietatem & ſæculares cupiditates, temperanter, & iuſtè, & piè viuamus in hoc ſæculo, &c. Quamobrem vitam iuſtorum quadrageſimam perpetuam eſſe, docet eodem loco. Perpetuò enim hoc ab iniquitatibus ieiunium iuſti ſeruant; poſt quod Paſcha ſequitur æternum. Auguſtinus: In hoc ſæculo quaſi quadrageſimam abſtinentiæ celebramus, cùm bene viuimus, cùm ab iniquitatibus & illicitis voluptatibus abſtinemus. Sed quia hæc abſtinentia ſine mercede non erit, exſpectamus beatam illam ſpem, & reuelationem gloriæ magni Dei, &c. Hoc eſt, exſpectamus poſt hanc quadrageſimam æternum quoddam lætiſſimumque in cælo Paſcha. Item, D. Bernardus in ſermone de Vigilia D. Andreæ: Eſt, inquit, vniuerſum præſentis pœnitentiæ tempus, vigilia quædam ſollennitatis magni & æterni Sabbati, quod præſtolamur. Nec cauſſaberis vigiliam longiorem, ſi æternitatem feſtiuitatis attẽdas, &c. Præterea, quadrageſima eſt iuſtis vitæ tempus: quoniam quemadmodum quadrageſimali tempore à carnibus abſtinemus; ita iuſti tota vita à carnis operibus abſtinent.

Vita iuſtorũ eſt quadrageſima perpetua, quã ſequitur Paſcha perpetuum.

D. Bernard. Vita iuſtorũ eſt Vigilia æterni feſti.

Huius magni ieiunij, ieiunium quadrageſimæ nos commonefacit, vt Auguſtinus docet eodem loco: Illa, inquit, eſt in quadrageſimæ diebus grandis vtilitas, quòd dum etiam à licitis abſtinemus, magis ac magis admonemur illicita vitare. Qui enim abſtinemus nos à carnibus, quibus aliis diebus vti licet, qui nos abſtinemus à vino, quo moderatè vti licet; qui ergo iſta vitamus, quæ aliquando licent, in primis peccata fugiamus, quæ omnino nũquam licent. Itaque ſi volumus bene ieiunare à cibis, antè omnia ieiunemus & à vitiis, &c. Idem docet D. Baſilius homilia prima de ieiunio: Verum, ait, ieiunium eſt, ab omnibus vitiis eſſe alienum, &c. Et D. Maximus ſermone 3. de ieiunio quadrageſimę: Sic, inquit, caſti gemus membra ieiuniis, vt animas virtutibus ſaginemus. Ieiunet in nobis omnis iniquitas; abſtineamus ab epulis; magis abſtineamus à vitiis, &c. Diuus Bernardus ſermone 3. de quadrageſima: Si gula ſola peccauit, ſola quoque ieiunet, ſufficit. Si verò peccauerunt cetera membra, cur non ieiunarẽt & ipſa? Ieiunet oculus à curioſis adſpectibus & omni petulantia, ieiunet auris à fabulis & rumoribus, ieiunet lingua à detractione & murmuratione, ab inutilibus, vanis, ac ſcurrilibus verbis; ieiunet manus ab otioſis ſignis, & ab operibus omnibus, quæ non ſunt imperata. Sed multò magis anima ipſa ieiunet à vitiis & propria voluntate ſua, &c. Caſſianus lib. 5. cap. 21. Non ſolùm nobis ieiunium viſibilium ciborum ad perfectionem cordis & corporis puritatem ſufficere poſſe credamus; niſi fuerit huic animæ quoque ieiunium copulatum. Habet namque illa ſuos noxios cibos, quibus impinguata, etiam ſine eſcarum abundantia ad luxuriæ prærupta deuoluitur. Detractio cibus eius eſt, & quidem perſuauis. Ira etiam cibus eius eſt, licet minimè leuis; ad horam tamen infelici eam eſu paſcens, ac pariter letali ſapore proſternens. Inuidia cibus eſt mentis, virulẽtis eam ſuccis corrumpens. Vana gloria cibus eius eſt; omnis concupiſcentia & peruagatio cordis inſtabilis, paſtus quidam eſt animæ, noxiis eſcis eam nutriens. Ab his ſacratiſſimo ieiunio continentes, vtilem habemus obſeruantiam ieiunij corporalis. Oportet exteriore homine ieiunante, interiorem quoque à cibis noxiis temperare. Sic Caſſianus.

Auguſt.

Ieiunium anima quarumnam rerum ſit?

Hæc ieiunij amici noſtri ſunt commoda. Cùm igitur ad ieiunium, ad deſertum, ad orationem, Spiritus ſuo afflatu nos ducit, ſequamur ducentem. Etſi enim ad laborem vocet, laborem angelica claudit menſa. *Ecce Angeli miniſtrabant ei*, ait Euangeliſta. Hic laborum finis, hic procelloſæ nauigationis portus. Feliciter nauigat, quem huius venti, id eſt, Spiritus ſancti, è cælo perflantis flatus impellit. In hac nauigatione ſpirat quidem ſecundus ſancti Spiritus è cælo flatus: *Ductus eſt*, ait Euangeliſta, *à Spiritu in deſertum*. Ecce ventum proſperum. At flat quoque ſpiritus è tartaro aduerſus. Sequitur apud Euangeliſtam; *vt tentaretur à diabolo*. En tibi aduerſum ventum ex Orco effuſum, qui toto impetu velificationem vt mutes contendit, qui naufragium minatur, qui turbulentiſſimas tempeſtates excitat; nauim modo in cælum vſque fluctibus attollit, modo profundo pelago demergere conatur. Iuxta illud: *Stetit ſpiritus procellæ, & exaltati ſunt fluctus eius. Aſcendunt vſque ad cælos, & deſcendunt vſque ad abyſſos*, &c. Nónne Chriſtum Opt. Max. in pinnaculum templi hic ſpiritus duxit? Nónne in montem aſſumpſit excelſum valde? Quid hoc indicat? Nimirum ſuo flatu tartareum hunc ventum, naues, id eſt, mortales, per ſuperbiam & inanem gloriam in cælum vſque attollere. Vis nauim cernere curuato ponti gurgite in cælum ſublatam? Cerne Antiochum, qui vt leges 2. Machabęorum: *Supra humanum modum ſuperbia repletus, videbatur ſibi etiam fluctibus maris imperare: montium altitudines in ſtatera appendere, & ſidera cæli contingere*. Cerne etiam Nabuchodonoſorem, qui, vt eſt apud Iſaiam, *Dicebat in corde ſuo: In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum: aſcendam ſuper altitudinem nubium*, &c. Attollit hic ſpiritus naues in cælum; deprimit quoque vſque ad abyſſum. Poſteaquam Chriſtum Optim. Max. in pinnaculum templi ſuſtulit: *Mitte*, inquit, *te deorſum*. Videlicet omnes diabolus deorſum mittere, omnes profundo tartari pelago demergere conatur. Contingitque ſuperbis illud Maronis libro 3.

Tollimur in cælum curuato gurgite, & iidem
Subducta ad manes imos deſcendimus vnda.

Sed de ſatanæ tentationibus dicamus copioſius.

Matth. 4. Ieiunij labore angelica menſa terminat.

Matth 4. Duplex ventus, alter è cælo, alter è tartaro flat.

Pſal. 106. Tartarens ventus naues, modo in ſidera, modo in abyſſum pellit.

2. Mach. 9.

Iſaiæ 14.

Maro lib. 3.

CAPVT IIX.

Morale.

De tentationibus.

Post baptiſmum, poſt glorioſam illam vocem: *Tu es Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, poſt apertos cęlos, poſt Spiritus ſancti deſcenſum, voluit Chriſtus tentari; tentatione ſua indicans, vt ſupra diximus ex D. Hilario, in ſanctificatis nobis maximè diaboli tentamenta graſſari. Nam, vt idem Hilarius ait: Victoria ei eſt magis exoptata de Sanctis. Et Euthymius Matthæi 4. Vbi, inquit, diuitias videt, ibi aciem ex aduerſo inſtruit, &c. Idcirco Chryſoſtomus cum piratis ſatanam confert, qui eas naues in ſuam poteſtatem redigere nituntur, quas opibus eſſe onuſtas credunt, hom. 31. in Geneſim: Quemadmodum, inquit Chryſoſtomus, piratæ, quando vident nauem multis mercibus oneratam, & plurimas adducentem diuitias, tum potiſſimum variis moliuntur inſidiis, vt poſſint mercibus omnibus nauigantes illos ſpoliare. Ita ſanè diabolus, cùm videt ſpirituales diuitias coaceruatas, alacritatem feruidam, mentem vigilem, & quotidie diuitias augeri, cruciatur, & dentibus frendet, & quaſi pirata circuit, & innumeras excogitat artes, vt ſi qua vel paruum inueniat aditum, quidquid no-

Matth. 3.

Diabolus ſãctos tẽtat.

Diabolus animus virtutibus opũ lẽtas depraedari nititur.

bis est spiritualium diuitiarum, deprædetur, &c. D. Leo serm. 1. de quadragesima: Intelligamus, inquit, quantò studiosiores pro nostra salute fuerimus, tantò nos vehementius ab aduersariis impetendos, &c. D. Isidorus lib. 3. de Summo Bono cap. 5. Quia diabolus in Sanctis intrinsecus non regnat; contra eos extrinsecus pugnat. Et qui intrinsecus amisit Dominum, exterius commouet bellum, & cetera.

Iob 40. Magnus quoque Gregorius Iob 40. in illa verba: *Absorbebit fluuium, & non mirabitur.* Antiquus, inquit, hostis hoc pro magno non habet, quòd sub iure suæ tyrannidis terrena quærentes tenet. Pro-

Abac. 1. Esca dæmoni electa. pheta quippe Abbacuc testante cognouimus, quia *esca eius electa.* Neque enim mirum deputat, si eos B absorbeat, quos superbia erigit, auaritia tabefacit, voluptas dilatat, malitia angustat, ira inflammat, discordia separat, inuidia exulcerat, luxuria inquinans necat. *Absorbebit* ergo *fluuium, & non mirabitur.* Quia pro magno non æstimat, cùm eos deuorat, qui per ipsa suæ vitæ studia deorsum currunt:

Illos diabolus rapere nititur quos iungi cælestibus videt. sed illos magnopere rapere nititur, quos despectis terrenis studiis, iungi iam cælestibus contemplatur, &c. Et Iob, ad illa verba, *Qui parati sunt suscitare Leuiathan*, ait, illos ad prælium prouocare Leuiathan,

Iob 3. id est, diabolum, qui terrena calcant, cælestia concupiscunt: Omnes, ait, qui ea quæ mundi sunt, mente calcant, & quæ Dei sunt, plena intentione desiderant, Leuiathan contra se suscitant. Quia eius malitiam instigatione suæ conuersationis inflammant. Dolet contra se captum reniti; & mox zelo accenditur, mox ad certamen mouetur, mox ad tentationes innumeras contra rebellantem mentem se excitat. Quasi dormiebat, dum sopitus in prauo corde quiescret. Sed excitatur in prouocatione certaminis, cùm ius amiserit peruersæ dominationis, &c. Gaudentius, tractat. 6. Diabolus, ait, tunc maximè accenditur, cùm extinguitur, &c.

Consonat D. Hieronymus ad Eustochium scribens de custodia virginitatis: Onusta, inquit, incedis auro, latro tibi vitandus est. Item: Non quærit diabolus homines infideles: de Ecclesia Christi ra-

Diabolus Christianos oppugnat. Iob 40. pere festinat, *esca eius*, secundùm Abacuc, *electa sunt.* D Iob subuertere cupit, & deuorato Iuda, ad cribrandos Apostolos expetit potestatẽ, &c. Iob 40. *Habet fiduciam, quod influat Iordanis in os eius.* Iordanis nomine, morali sensu, baptismi aquis abluti Christiani intelliguntur. Habet ergo fiduciam diabolus, quod influant in os eius, non Euphrates solùm, Tigris, Ganges, Nilus, hoc est, ethnici, his fluuiis significati, verùm etiam baptizati Christiani, Iordanis flu-

Gregor. in Iob 40. mine adumbrati. Magnus Gregorius hunc in locũ Iob 40. Non habuit, inquit, pro magno diabolus, quod infideles tulit. Sed toto nunc annisu in illorum mortem se erigit, quos contra se regeneratos tabescit. Iordanem sitit, & toties in os illius Iordanis fluit, quoties Christianus quisque ad iniquita- E tem defluit, &c.

Christiani contra diabolũ in baptismo regenerantur. Aduerte quid Gregorius dicat, videlicet Christianos contra diabolum esse regeneratos, id est, baptizatos. Tunc enim homo dæmoni bellum indicit, cùm baptismum suscipit; tunc arma induit, tunc in campum certaturus cum hoste prodit. Vnde Origenes homilia nona in libr. Iudicum: Venisti, inquit, ad aquam baptismi; istud est certaminis & pugnæ spiritualis initium; hinc tibi aduersus zabulũ nascitur pugnæ principium, &c.

Hoc est dæmonis officium, cum homine certare. Hominis verò officium est, dæmonem superare. At rogabis, quid opus est hoc certamine? Nónne satius esset perpetua in pace viuere, nullis præliis A perturbari, nullis tentationibus agitari? Audi Paulum: *Qui certat in agone, non coronatur, nisi legitimè certauerit*: Certamine ergo opus est, vt coronemur. *2. Tim. 2.*

Vnde D. Iacobus: *Beatus*, ait, *vir, qui suffert tentationem; quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Et Iob. *Hoc pro certo habet omnis, qui colit te, quia vita eius, si in probatione fuerit, coronabitur.* Nulla sunt, ait diuus Leo sermone 2. de quadragesima, sine tentationum experimentis opera virtutis; nulla sine perturbationibus fides; & nullum sine hoste certamen; nulla sine congressione victoria, &c. Et D. Cyprianus in libro de Mortalitate: Nisi præcesserit pugna, non potest esse victoria. Cùm fuerit in pugnæ congressione victoria, tunc dabitur vincentibus & corona. Gubernator in tempestate dignoscitur, in acie miles probatur; delicata iactatio est, cùm periculum non est. Conflictatio in aduersis, probatio est veritatis. Arbor quæ alta radice fundata est, ventis incumbentibus non mouetur; & nauis, quæ forti compage solida est, pulsatur fluctibus, nec perforatur; & quando area fruges terit, ventos grana fortia & robusta contemnunt; inanes paleæ flatu portante rapiuntur, &c.

Iacobi 1. Tentationibus, & certamine est opus, vt coronam assequamur. Tobiæ 3.

Tentationes probant hominem.

D. Ambrosius, Luc. 4. ad illa verba: *Consummata omni tentatione*, &c. Corona, inquit, proposita est; subeunda certamina sunt. Nemo potest, nisi vicerit, coronari: nemo potest vincere, nisi ante certauerit. Ipsius quoque coronæ maior est fructus, vbi maior est labor. Arcta est enim via, quæ ducit ad vitam; lata verò, quæ ducit ad mortem. Et ideo tenta- C tionem numquã timere debemus: est enim causa victoriæ, materia triumphorum, &c. Item: Qui vult coronam dare, scilicet Deus, tentationes suggerit: etsi quando tentaris, cognosce, quia paratur corona. Tolle Martyrum certamina, tulisti coronas: tolle cruciatus, tulisti beatitudines &c. Et lib. de Elia & ieiunio, cap. 21. Athletæ, inquit, sumus, legitimè certandum est. Multa certamina sunt, & qui hodie victus est, cras se reparet. Ante ad brauium contenditur, posteà ad coronam progressus in scamma, id est, caueam, necesse est vt excipias puluerem, subeas æstiui Solis flagrantiam: grauis æstus, sed dulcis victoria; molesta caligo pulueris, sed speciosa tolerantia; ibi colligitur puluis, vbi palma proponitur. D Nemo iterum nitidus coronatur: puluerulentum decet victoria, &c. Et Psal. 118. oct. 17. versu primo: Sinit nos Dominus sæpe tentari, volens iusta præmia dare luctanti vtique, non dormienti. Nõ decet redimitos floribus corona, sed puluerulentos; nec molles deliciis, sed labore exercitatos ornat victoria, &c. Augustinus Psal. 59. Non potest quisque coronari, nisi vicerit: neque potest vincere, nisi certauerit, neque potest certare, nisi inimicum & tentationes habuerit, &c.

Luca 4.

Nemo vincit, nisi certet, nemo coronatur, nisi vincat.

Tentatio est materia triumphorum.

Puluerulẽtum decet victoria.

Præterea necessariæ tentationes sunt, vt probemur an digni Deo simus, iuxta illud: *Deus tentauit illos, & inuenit eos dignos se: tamquam aurum in fornace probauit illos.* Nec sunt illi Deo, Deique conspectu E digni, qui non sunt probati; nec sunt probati, qui non sunt tentati. Vt probatur in prælio miles, in tempestate gubernator, sic in tentatione Christianus. Nauclerum, ait Basilius, tempestas, & athletam stadium, & ducem pugna magnanimum calamitas; Christianum verò tentatio probat, & examinat, &c. Lege librum, quem Seneca Philosophus scripsit, qui titulus est: Quare bonis viris mala accidãt, cùm sit prouidentia? Inter alia: Gubernatorem, inquit, in tempestate, in acie militem intelligas. Vnde possum scire, quantùm aduersus paupertatem tibi animi sit, si diuitiis diffluis? Vnde possum scire, quantùm aduersus ignominiam, & infamiam, odiumque populare constantiæ habeas, si inter plau-

Sapien. 3. Necessaria sunt tentationes, vt probemur.

Basil. Homil. 8.

plauſus ſeneſcis? Vnde ſcio, quàm æquo animo laturus ſis orbitatem, ſi quoſcumque ſuſtuliſti, vides? &c. Nemo, ait D. Gregorius Iob 33. ad illa verba: *Tabeſcet caro illius*. Nemo, inquam, vires ſuas in pace cognoſcit. Si enim bella deſunt, virtutum experimenta non prodeunt. Improuidus miles eſt, qui fortè ſe in pace gloriatur, &c. Ambro. Pſal. 37. Dominus ideo dat tentatori poteſtatẽ, vt hominũ probetur affectus. Ideo perſecutio fit, vt fides luceat, virtus excellat, mẽs interna omnib. manifeſtetur.

Nemo vires ſuas in pace cognoſcit.

Adamas pretioſus lapis tunc probatur, cùm malleo cæditur, ſed non cedit: vir pretioſus tunc exploratur, cùm tentationibus oppugnatur, ſed non expugnatur. Origenes: Aiunt, inquit, eos, qui mercimonia lapidum exercent, cùm voluerint probare adamantem, ignorantes vtrum ſit adamas an non, quamdiu malleum & incudem non inuenerint. Tunc autem perſuaderi eſſe veriſſimum adamantem, ſi indomitus lapis, ſi inter incudẽ & malleum perſeuerat, ſi percutiente deſuper malleo, & incude ſuppoſita, durior lapidum natura compingit. Talis vir eſt. Ante tentationes, ab his, qui probare lapides neſciunt, ignoratur. Certiſſime autẽ nouit adamantinorum lapidum naturam ſolus Deus. Ego ipſe adhuc neſcio vtrum veniente malleo, & percutiente me, confringar, & conterar, conuictus; quia nõ ſum adamas; an certe verus adamas oſtendar, ſi ingruentibus perſecutionibus, periculis, tentationibus, tàm contritus fuero ad ictum mallei, quàm probatus, &c.

Orig. hom. 3 in Ierem.

Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis. Eſt iuſtus vir adamas, eſt & vas figuli. Adamantem probat malleus, vas figuli probat fornax; ſi crepat, abiicitur; ſi ignem ſuperat, recipitur. Auguſt. Pſalm. 120. Sic, inquit, ſunt homines iuſti, quomodo vaſa figuli. Neceſſe eſt, vt vaſa fornacem intrent, id eſt, vt iuſti tentationibus veluti igne probentur. Hinc illud Angeli Raphaëlis: *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, vt tentatio probaret te.* Si numquã tentaris, ait idem Auguſt. Pſal. 143. numquã probaris. Nónne melius eſt tentari, & probari, quàm non tentatum reprobari? &c.

Eccli. 27. Iuſti probãtur vt adamãtes, & vt vaſa figuli.

Tobiæ 12.

Probat autem Deus, ait Gaudentius, Brixianus Epiſcopus, qui tempore D. Ambr. floruit, in præfatione tractatuum; probat, inquam, Deus non ſibi, qui antè nouit vniuerſa, quàm fiant, ſed Angelis, & hominibus. Vt eos, quos probat, ex factis probos nouerint; quoniam conſcientias intueri non poſſunt. Angelis quidem iuſtos probari vult, vt conſummatam Sanctorũ iuſtitiam lætantes agnoſcant; hominibus, vt ad perſeuerantiam dilectionis Dei eorum prouocentur exemplo. Diabolo etiam probatam vult ingerere Sanctorum iuſtitiam, vt è bonorum operum meritis, debitè ad amicitiam Dei, & ad regnum cæli, vnde ipſe cecidit, eſſe profectos ingemiſcat; nec tamen audeat quidquam de diuino iudicio cauſſari, &c.

Probat Deus non ſibi, ſed nobis & Angelis.

Tertiò. Tentari iuſtos permittit Deus, vt exempli ſuauiſſimo odore Eccleſiam reſpergant. *Hanc tentationem ideo permiſit Dominus euenire illi, vt poſteris daretur exemplum patientiæ eius, ſicut & ſancti Iob, &c.* Vt enim exhalant odorem odoriferæ aquæ, cùm commouentur, & thura, cùm incenduntur; ſic ſancti viri, cùm tentantur. Coniice oculos in Iob tentatũ, ſterquilinium illud, in quo ſedebat, odoris ſenties maiori ſuauitate reſperſum, quàm Regum palatia. Tobiam luminibus ſubitò orbatum animo contemplare; pretioſum vnguentum ſenties redolere. Martyres reliquoſque iuſtos viros tentationibus agitatos conſidera, agitatam odoriferam aquam odoratu percipere tibi videberis. Hinc illud Magni Gregorij in præfat. Moral. capite 2. Sicut vnguenta, inquit, niſi commota redolere latius neſciunt; & ſicut aromata fragrantiam ſuam, non niſi cum incenduntur, expandunt; ita ſancti viri, omne quod virtutibus redolẽt, in tribulationibus innoteſcunt. Vnde & rectè in Euangelio dicitur: *Si habueritis fidem tamquam granum ſinapis, dicetis huic monti: Tranſi hinc, & tranſibit.* Granum quippe ſinapis niſi conteratur, nequaquam vis virtutis eius agnoſcitur. Nam non contritum lene eſt: ſi verò conteratur, inardeſcit, & quod in ſe acerrimum latebat, oſtendit. Sic vnuſquiſque vir ſanctus, cùm non pulſatur, deſpicabilis, ac lenis aſpicitur. Si qua verò illum tritura perſecutionis opprimat; mox omne, quod calidum ſapit, oſtendit: atque in feruorem virtutis vertitur, quidquid in illo ante deſpicabile infirmúmque videbatur. Quódque in ſe per tranquillitatis tempora libens operuerat, exagitatus tribulationibus, coactus innoteſcit. Hæc Gregorius.

Tobiæ 2.

Tẽtationes permittit Deus cauſſa exempli.

Viri ſancti ſuam odore eccleſiam in perſecutione reſpergunt. Matth. 17.

Quartò. Tentari nos permittit Deus, vt etiam inter aduerſa ipſi gratias agere diſcamus. Tentauit cæcitate Tobiam: cæcitate percuſſus gratias agere non deſtitit: *Cùm ab infantia ſua ſemper Deum timuerit, & mandata eius cuſtodierit, non eſt contriſtatus contra Deum, quod plaga cæcitatis euenerit ei: ſed immobilis in Dei timore permanſit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ ſuæ, &c.* Similiter & Iob Deo benedicit tentatus: *Dominus, inquit, dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum, &c.* Ideo cum tuba ductili Auguſtinus illũ confert reſonante laudem Dei Pſal. 97. Ductiles, inquit Auguſtinus, tubæ tundendo producuntur. Si tundendo, ergo vapulando eritis tubæ ductiles ad laudem Dei productæ. Tuba ductilis erat Iob, quando tunſione illa tantæ tribulationis factus tuba ductilis ſonuit: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum.* Quomodo ſonuit, quàm ſuauem ſonum dedit iſta ductilis tuba, &c. D. Gregorius in præf. Moral. cap. 3. Cùm Iob, inquit, omnium mandata virtutum perficeret, vnum ei deerat, vt etiam flagellatus agere gratias ſciret. Notũ erat, quia ſeruire Deo inter dona nouerat: ſed dignum fuit, vt diſtrictio ſeueritatis inquireret, vtrum deuotus Deo, & inter flagella permaneret. Pœna quippe interrogat, ſi quietus quis veraciter amat, &c.

Tentamur, vt gratias in aduerſis etiam rebus agere diſcamus. Tobiæ 2.

Iob 1.

Iob tuba ductilis ſuauẽ in tẽtatione edidit ſonitum.

Pœna interrogat ſi quis verè amat. Iudicium & Tentationibus erudimur.

Quintò. Tentamur, vt erudiamur. *Hæ ſunt gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Iſraëlem, & omnes qui non nouerant bella Chananæorum: vt poſtea diſcerent filij eorum certare cum hoſtibus, & habere conſuetudinem præliandi: quinque ſatrapas Philiſtinorum, omnémque Chananæum, & Sidonium, atque Heuæum: dimiſitque eos, vt in ipſis experiretur Iſraëlem, vtrum audiret mandata Domini, quæ præceperat patribus eorum per manum Moyſi, an non, &c.* Quemadmodũ Philiſthæorum ſatrapas, Sidonios, & ceteros Deus reliquit, vt erudiret, & experiretur Iſraëlitas; ita tartareos ſatrapas, principes, & poteſtates, dæmonumque turmas reliquit, vt erudiat, & experiatur Chriſtianos. Diſcebant Iſraëlitæ cum hoſtibus corporeis præliari; diſcimus nos cum hoſtibus incorporeis confligere. Hoſtes reliquit corporeos Deus, vt erudiret in eis Iſraëlem; hoſtes reliquit incorporeos, vt erudiat in eis, id eſt, eorum tentationibus milites aduerſus ipſos dimicantes. Erudiunt enim hominem tentationes cũ dæmone certare, ſe ipſum agnoſcere, & ſibi innoteſcere docent. Nam, vt ait Aug. Pſal. 59. Nemo niſi tentatus innoteſcit ſibi. Et Pſalm. 36. Vnuſquiſque, inquit, ſe tentatione, tamquã interrogatus, agnoſcit, &c. Et Pſal. 61. Tantùm, inquit, permittitur tentare tentator, quantùm tibi prodeſt, vt exercearis, vt proberis, vt qui te neſciebas, à te ipſo inueniaris, &c.

Tentatio hominem oſtendit ſibi, tũ aliis.

Demetrij apud Senecam in libro, cui titulus eſt:

Quare bonis mala eueniant, vox est: Nihil mihi videtur infelicius eo, cui nihil vnquam euenit aduersi. Non licuit enim illi se experiri, &c. Senecæ verò eodem loco illa est sententia: Transisti sine aduersario vitam; nemo sciet quid potueris, ne tu quidem ipse: opus enim est ad notitiam sui experimento. Quid quisque posset, nisi tentando, non didicit, &c. D. Gregor. Iob 33. ad illa verba; *Tabescet caro illius*: In ipsa, ait, aduersitate tentationis, non solùm detegitur robur fortitudinis, sed etiam cognoscitur infirmitas humanitatis, &c. In tentatione Abraham agnouit robur fortitudinis suæ; & D. Petrus agnouit infirmitatem humanitatis suæ. Petrus, ait D. Augustinus Psal. 36. quas vires haberet fides eius, vtique nesciebat; Dominus autem, qui nouerat eum, prædixit vbi deficeret, prænuntians infirmitatem eius, tamquam tacta vena cordis eius. Proinde Petrus, qui ante tentationem præsumpsit de se, in tentatione didicit se. Sic nō absurdè sentimus, & Abraham cognouisse vires fidei suæ, vbi iussus immolare vnicum filium suum, non dubitauit ei offerre, qui dederat, &c.

Iob 33. *In tentatione robur & imbecillitas agnoscitur.* *Petrus in tentatione se didicit.*

Sextò. Tentationes veluti custodia homini in virtutibus prouecto adhibentur; vt docet D. Ambrosius in tractatu de Mansionibus, Mansione 18. Tentationes, inquit, velut custodia quædā homini adhibentur. Sicut enim caro, quamuis præcipua sit, nisi sale aspergatur, corrūpitur; ita & anima quantumuis perfecta, nisi assiduis saliatur tentationibus, relaxatur, &c. Idem habet Origenes, homilia 27. in Numeros: Quid est, inquit, hoc, quòd quāuis grandes habeat anima profectus, tamen tentationes ab ea non auferuntur? vnde apparet, quia velut custodia quædam, & munimen, ei tentationes abhibentur. Sicut enim caro si sale non aspergatur, quamuis sit magna & præcipua, corrumpitur; ita & anima nisi tentationibus assiduis quodammodo saliatur, continuo resoluitur, ac relaxatur. Vnde cōstat propter hoc dictum esse: *Quod omne sacrificium sale salietur*. Hæc Origenes. D. Gregor. lib. 19. Moral. cap. 5. Tunc bene interius custodimur, cùm per dispensationē Dei tolerabiliter tentamur exterius; aliquando vitiis, aliquando pressuris, &c.

Tētationes veluti custodia adhibentur. *Leuit. 2.*

Septimò. Tentamur, vt vigilemus, neque securitate torpeamus. *Vigilate*, ait Petrus, *quia aduersarius vester diabolus, tamquam leo rugiens circuit.* Leo tartareus rugit, tentat, deuorare conatur; ergo vigilandum. *Vigilate & orate*, ait Dominus, *vt non intretis in tentationem.* Et Bernardus serm. 5. in Psalmum, *Qui habitat*: Si tot, inquit, tentationibus plena est vita nostra, vt non immeritò tota ipsa tentatio debeat appellari; peruigili circumspectione opus est & oratione, ne inducamur in eam, &c. Chrysostomus hom. 3. in Genesim: Idcirco, inquit, nobis opus est magna vigilantia; quoniam & continuum nobis est bellum, & inducīæ nullæ, &c.

Tentamur, vt vigilemus, nec torpeamus securitate. 1. Pet. 5. Marci 4.

Seneca libro citato, res aduersas Dei stimulos vocat: meritò, quia ad vigilandum stimulant: Nolite, inquit, expauescere ista, quæ Dij velut stimulos admouent animis. Calamitas virtutis occasio est. Illos meritò quis dixerit miseros, qui nimia felicitate torpescunt, quos veluti in mari lento trāquillitas iners detinet, &c. D. Greg. Iob 1. ad illa verba: *Egressus est satan à facie Domini*: In tantùm, inquit, permittitur satan contra bonorum corda sæuire, in quantùm necesse est, vt tentationibus erudita solidentur. Ne ea quæ agunt bona suis viribus tribuant; ne in securitatis tempore se deserant, & à formidinis accinctione dissoluāt; sed ad profectus sui custodiam tantò solertius inuigilent, quantò se contra aduersarium stare semper in acie tentationum vident, &c.

Tētationes sunt stimuli Dei. *Gregor. in Iob 1.* *Tētationes tepores excutiunt.*

Semper vigilant, qui semper oppugnantur: oppugnatio enim somnum excutit. Cùm ergo probus vir oppugnatur, vigilat, nec periculosa securitate dormitat. Hanc periculosam securitatem ex animo pellit Hieronym. epist. 1. ad Heliodorum, his verbis: Tunc maximè oppugnaris, si te oppugnari nescis. Aduersarius noster tamquam leo rugiens, aliquem deuorare quærens, circuit; & tu pacem putas? insidiatur in occulto, sicut leo in spelunca sua insidiatur, vt rapiat pauperem; & tu frondosæ arboris tectus vmbraculo molles somnos futurus præda capis? Persequitur me hostis, cui nomina mille, mille nocendi artes; & ego infelix victorem me putabo, dum capior? &c. Item: Nolite credere, nolite esse securi. Licet in modū stagni fusum æquor arrideat: licet vix summa iacentis elementi spiritu terga crispentur, magnos hic campus montes habet. Intus inclusum est periculū, intus est hostis. Trāquillitas ista tēpestas est, &c. D. Bernard. loco indicato: Hoc præmonitos vos esse volo: neminē super terram absque tentatione victurū; vt cui forte tollitur aliqua, alterā securus exspectet. Aut fortè non securus, sed pauidus magis: & sic petat ab ea liberari, vt numquā sibi in corpore mortis huius libertatem perfectam, seu requiem audeat polliceri, &c.

Securitas periculosa.

Octauò. Tentatur vir virtute præclarus, ne extollatur. Vnde Magnus Gregor. Iob. 1. ad illa verba: *Tonso capite corruens in terram, &c.* Difficile, ait, est quempiam magna agere, & apud semetipsum de magnis actibus cogitationum fiduciam non habere. Cùm mens foris culpas valenter conterit, plerumque apud semetipsam latenter intumescit. Vnde pia Conditoris dispensatione agitur, vt de se confidens anima, dispensatoria tentatione pulsetur. Quatenus infirmata, quid sit inueniat, & præsumptionis proprię fastum deponat. Mox enim vt tentatio mentem pulsauerit, omnis cogitationum nostrarum præsumptio tumultusque conquiescit, &c. Huc spectat illud Paulli: *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ, qui me colaphizet.* De quo D. Hieronym. verba faciens epist. 25. ad Paullam, de obitu Blæsillæ: Ad reuelationum, inquit, humiliandam superbiam, monitor quidam humanæ imbecillitatis Apostolo opponitur, in similitudinem triumphantium: quibus in curru retrò comes adhærebat, per singulas acclamationes ciuium, dicens; hominem te esse memento, &c. Et Augustinus Psalm. 130. Ne extolleretur, ait, tamquam iuuenis Paullus, colaphizatur tamquam puer, &c. Colaphi enim sunt tentationes, præsertim carnis stimuli, viro castitatis virtutúmque ceterarum studioso. Toties colaphis cæditur, quoties huiusmodi tētationibus vexatur. Sed magnā ex illis vtilitatē, videlicet humilitatē capit.

Gregor. in Iob 1. Tentamur, ne extollamur. *2. Cor. 12.* *Colaphi sūt tentationes.*

Hoc enim viri prudentis est, ex tentationibus, immo ex vitiis ipsis, præstantissimum humilitatis fructum decerpere. Vnde illud Paulli: *Scimus, quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, &c.* Omnia, inquam, & tentationes, & peccata quoque ipsa grauiora, quæ commiserunt, & leuiora, in quæ incidunt, cooperantur in bonum. Nam ex peccatis tum grauioribus iam remissis, tum leuioribus, quæ committunt, humilitatem colligunt. Miro quodam modo, ait D. Bernard. serm. 2. in Psal. 90. etiam peccatum ipsum iusto in iustitiam cooperatur. Nónne cooperatur nobis ille casus in bonum, vnde & humiliores efficimur & cautiores? &c. Et D. Gregorius Iob 3. ad illa verba: *Qui parati sunt suscitare Leuiathan*: Sæpe, inquit, mens, quæ aduersa multa & fortia superat, vnum in se, & fortasse minimum, quamuis magna intentione inuigilet, non expugnat,

Prudentes viri ex tētationibus & peccatis, humilitatis fructum decerpunt. Rom. 8. *Gregor. in Iob 3.*

Vir ſanctus qui magna vincit, non vincit aliquid minimũ, & humilietur.

expugnat. Quod diuina nimirum diſpenſatione agitur; ne ex omni parte virtutibus ſplendens, in elatione ſubleuetur. Vt dum in ſe parum quid reprehenſibile videt, & tamen hoc ſubigere non valet, nequaquam ſibi, ſed auctori victoriam tribuat in his, quæ ſubigere fortiter valet, &c. Hanc rem, illo loco libri Ioſue, illuſtrat: *Habitauit Chananæus in medio Ephraim tributarius, &c.* Habitant enim in viris iuſtis aliqua leuiora vitia, veluti Chananæi, habitat concupiſcentia tentationum maxima cauſſa; quæ tamen tributaria ſunt; quoniam humilitati tributum veluti ſoluunt. D. Gregorius: Dum inter acta, inquit, ſublimia vitia quædam parua retinemus, quaſi Chananæum viuere in terra noſtra concedimus. Qui tamen nobis tributarius efficitur, quia hoc ipſum vitium, quod ſubigere non poſſumus, ad vſum noſtræ vtilitatis humiliter retorquemus, &c. Addit & illud: *Hæ ſunt gentes quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Iſraële, &c.* Iſraël, inquit, reſeruatis gentibus eruditur; quando in quibuſdam minimis vitiis elatio virtutis noſtræ comprimitur; & in paruis ſibi reſiſtentibus diſcit, quod ex ſe maiora non ſubigit; &c.

Ioſue 16. Cõcupiſcentia in nobis habitans & leuiora vitia, ac tẽtationes, tribus tum ſoluunt humilitati.

Iudicum 3.

Superbiæ venenum, veneno tentationum curatur. 2. Cor. 12.

Eſt Superbiæ venenum, quod veneno tentationum curatur. Vnde Auguſtinus ſerm. 4. de verbis Apoſtoli: Videte, ait, medicamentũ, quod ſibi dicit Paullus appoſitum: *Ne extollar*, inquit, *datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, angelus ſatanæ.* O venenum, quod non curatur niſi veneno: ô antidotũ, quod quaſi de ſerpente conficitur, & propterea theriacum, id ſerpentinum, nominatur, &c.

Tẽtationes animam extenuant, & humiliãt, vt tunſiones linum.

D. Ephrem in ſerm. de patientia, tentationes animam extenuare ait, & humiliare, quemadmodum linum extenuant tunſiones: Quemadmodum, inquit, canabis ac lini ſpecies non eſt idonea, vt ex eo fila ſubtiliſſima fiant, niſi diutius elaboretur, & exerceatur; immo quanto magis illud torquetur, tanto purius aptiúſque efficitur. Sic anima Deo deuota, multas probationes ac tentationes ſubiens, afflictionéſque fortiter tolerans, purior, vtiliorque ad ſpiritale extenuationis, & humilitatis opificium redditur, tandemque cæleſtis regni regionem poſſidere meretur, &c.

Humilitas aduerſus tentationes ſepimẽtum.

Humilitas verò, & ex tentationibus colligitur, & aduerſus tentationes eximium remediũ eſt. Humiles enim tentationes ſuperant, à quibus ſuperbi ſuperantur. Auguſtinus Pſalm. 120. Sic, inquit, ſunt iuſti homines, quemadmodum vaſa figuli. Neceſſe

2. Tim. 2.

eſt vt vaſa fornacem intrent. *Nouit Dominus, qui ſunt eius*, ait Apoſtolus; nouit qui in fornace non crepent. Illi autem non crepant; qui non habent ventum ſuperbiæ: humilitas ergo cuſtodit in omni tentatione, &c. Et D. Bernardus in ſermone de S. Benedicto: Nulla, ait, tentatio vobis prævalebit, ſi nõ in magnis & mirabilibus ſuper vos ambuletis; ſed permaneatis radicibus firmis in humilitate radicati, & fundati, &c. Caſſianus lib. 6. c. 1. Sine vera, inquit, humilitate, nullius penitus vitij poterit vnquam triumphus acquiri, &c.

Quid ſit ſtimulus carnis, quo Paullus ſtimulabatur?

Quis autem fuerit ille, *ſtimulus carnis*, quo Paullus ſtimulabatur, dubium eſt. Nam nonnulli capitis dolorem fuiſſe crediderunt, vt refert D. Hieronymus ad Gal. 4. Tradunt, inquit, Paullum grauiſſimum capitis dolorem ſæpe perpeſſum, & hunc eſſe angelum ſatanæ, qui appoſitus ei ſit, vteum colaphizaret in carne, ne extolleretur, &c. Et Auguſtinus Pſal. 130. Dolore, inquit, quodam corporis traditur Paullus exagitatus vehementer: dolores autem corporis plerumque immittuntur ab angelis ſatanæ; ſed hoc nõ poſſunt, niſi permiſſi, &c. D. Thomas 2. Cor. 12. Dicitur quod fuit Paullus vehementer afflictus dolore iliaco, &c. Tertullianus in lib. de pudicitia cap. 13. Animã in Apoſtolo colaphis ſi forte cohibebatur, per dolorem, vt aiunt, auriculæ, vel capitis, &c. D. Baſil. in quæſt. diffuſius explicatis quæſt. 55. Ne, inquit, videretur Paullus humanæ naturæ terminum tranſgredi; & ne quis ipſum reputaret aliquid eximium præ aliis in corporis ſtructura habere, quemadmodum Lycaones, dum coronas & tauros ei adducunt; ad humanæ naturæ declarationem, perpetuò cum ægritudine conflictabatur, &c.

Chryſoſtomus perſecutiones eſſe intellexit, 2. Cor. 12. Nonnulli, ait, dolorem quemdam capitis, quem diabolus ipſi conflauiſſet, Paullum intelligere conſueuerunt. Abſit autem vt ita ſit. Neque enim Paulli corpus diaboli manibus ac poteſtati addictum fuit. Per angelum ſatanæ, Alexandrum ærarium, Hymenæum, Philetum, ac denique omnes, qui fidei doctrinæ aduerſabantur, cum ipſo contendebant, ac bellum gerebant, eumque in vincula coniiciebant, cædebãt & raptabant, intelligit; quòd videlicet ea, quæ ſatanæ erant, perpetrarent, &c. Chryſoſtomum ſequitur Theophylactus in eadem epiſtola: Angeli, inquit, ſatanæ ſunt, omnes aduerſarij, omnéſque tribulantes ipſum, & affligentes, ceu ſatanæ opera facientes, &c. Et Theodoretus: Angelum, inquit, ſatanæ, iniurias, contumelias, & populorum inſurrectiones, Paullus appellauit, &c. Eamdem ſententiam apud Oecumenium inuenies. Nuntius, inquit, ſatanæ dicitur, homo ſubſeruiens aduerſario dæmoni, ſtimulus verò tentationes, & afflictiones; quas inferebant ei, &c. Similiter D. Cyprianus in lib. de Mortalitate, ſtimulum carnis res aduerſas interpretatur: Paullus, inquit, poſt naufragia, poſt flagella, poſt carnis, & corporis multa, & grauia tormenta, non vexari, ſed emendari ſe dicit aduerſis: *Datus eſt*, inquit, *mihi ſtimulus carnis meæ, angelus ſatanæ, qui me colaphizet, vt non extollar, &c.* 2. Cor. 12.

Alij ſtimulum tentationes carnis eſſe aiunt. Lyranus 2. ad Corinthios 12. Dicitur, inquit, quòd grauiter fuit vexatus Apoſtolus iliaca paſſione. Vel ſtimulus carnis dicitur tẽtatio peccati carnalis, &c. Et D. Thomas: *Datus*, inquit, *eſt mihi ſtimulus carnis*, crucians corpus per infirmitatem corporis. Quia dicitur, quòd fuit vehementer afflictus dolore iliaco. Vel ſtimulus carnis, id eſt, concupiſcentiæ, ſurgens ex carne, à qua multùm infeſtabatur, &c. Abulenſis Exodi 12. quæſt. 48. Littera Paulli ſonat, quòd non vult Paullũ cruciari à dæmone, ſed à concupiſcentia carnali, &c.

Auctoris de hoc ſtimulo carnis ſententia.

Ego verò exiſtimarim, Paullum de carnali tentatione minimè loqui. Neque enim ea eſt hæc tentatio, de qua in publica epiſtola fuerit agendum. Ipſe Paullus in conſequentibus indicat cuiuſmodi fuerit hæc tẽtatio & ſtimulus carnis, cùm ſubiicit: *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto. Cum enim infirmor, tunc potens ſum.* Nullam fecit carnalis concupiſcentiæ mentionem; feciſſet autem, ſi hæc potiſſima fuiſſet illius infirmitas, propter humilitatem permiſſa. Stimulus igitur carnis illius mira virginitate præcellentis, nõ turpis commotio fuit, ſed contumeliæ, neceſſitates, ærumnæ, perſecutiones, & pericula, quæ ſatanæ angelus excitabat. Lege ſecundã epiſtolam ad Corinthios cap. 11. Hoc indicant etiam illa Paulli verba: *Scitis, quia per infirmitatem carnis euangelizaui vobis iam pridem, & tentationem veſtram in carne mea non ſpreuiſtis, neque reſpuiſtis, ſed ſicut Angelum Dei excepiſtis me, ſicut Chriſtum Ieſum, &c.* Hoc eſt, cùm non honoribus clarus, ſed contumeliis & perſecutionibus obſcurus, euangelium vobis prædicauerim; hanc tentationem 2. Cor. 12. Gal. 4.

tionem veſtram, quam in carne mea cernebatis, hunc ſtimulum carnis meæ non ſpreuiſtis; me quia abiectum & hominum peripſema videbatis, non repuliſtis, ſed veluti Angelum & Chriſtum complexi eſtis. Itaque ſenſus Paulli hic erit: *Datus eſt mihi ſtimulus carnis, angelus ſatanæ*: id eſt, datus eſt mihi ſtimulator carnis meæ, angelus ſatanæ; Græcè, carni meæ. Datus eſt angelus ſatanæ, qui carnem meam variis perſecutionibus, contumeliis, & tentationibus ſtimulet, ac diuexet per ſe adminiſtróſque ſuos, ne reuelationũ magnitudo, Græcè, ὑπεροχὴ, id eſt, excellentia, me efferat.

2. Cor. 12.

Iob 28. Quid ſit pondus ventis facere. Pondus tentationum humiliat.

Deus, vt ait Iob, *fecit ventis pondus*; hoc eſt, morali ſenſu, animis ventorum inſtar virtutum leuitate præditis, & per cælum volantibus pondus adiecit tentationum. Pondus ventis facere, ait D. Gregorius eadem verba explicans, eſt conceſſam electis de virtutibus gloriam permixta infirmitate temperare, &c. Et in ſequentibus: Sancti, inquit, viri, qui ſancto ſubleuante Spiritu ad ſumma rapiuntur, quamdiu in hac vita ſunt, ne aliqua elatione ſuperbiant, quibuſdam tentationibus reprimuntur. Vt nequaquam tantùm proficere valeant, quantùm volunt; ſed ne extollantur ſuperbia, ſit in eis ipſarum quædam menſura virtutum, &c. Confirmat hoc Eliæ exemplo, qui miracula patrabat, & tamen mulierculam Iezabelem fugiebat, mortemque à Deo petebat. Et addit, in illis virtutibus Elias quid à Deo acceperat? in iſtis infirmitatibus, quid de ſe etiam poterat, agnoſcebat. Illa potentia virtus fuit, iſta infirmitas cuſtos virtutis. In illis virtutibus oſtendebat quod acceperat; in iſtis infirmitatibus, hoc quod acceperat, cuſtodiebat. In miraculis mõſtrabatur Elias, infirmitatibus ſanabatur, &c. Item: Ad ima pertrahit caro, ne extollat ſpiritus; & ad alta ſuſtollit ſpiritus, ne proſternat caro. Spiritus leuat, ne iaceamus in infimis; caro aggrauat, ne extollamur ex ſummis. Item: tentatio exterior humiliat, dum grauat, &c. Lege alia in hanc ſententiam eodem loco.

Tunſionibus extenditur æs, tentationibus extenditur, & proficit homo, &, vt Auguſtinus ait, laudem Dei reſonans tuba producitur. Pſalm. 97. Si tundendo, ait ille, ergo vapulando eritis tubæ ductiles ad laudem Dei productæ. Si cum tribulamini proficiatis, tribulatio tunſio, profectus productio eſt, &c. Eodem loco diabolum malleum eſſe ait, cuius tunſionibus in tentationibus tubæ producuntur: De ipſo, inquit, malleo in manu Dei poſito, id eſt, in poteſtate Dei, tunduntur ductiles tubæ, vt reſonent laudem Dei, &c. Origenes quoque hom. 3. in Ieremiam: Neceſſarius, inquit, eſt malleus, vt tuba productilis fiat: Multa cooperatus eſt iſte malleus tubæ productili Paullo, vt eum per varia tentamenta produceret, & approbaret; quia illæſus poſſet excudi, figurámque aſſumere tubæ magniſonæ, &c. Eodem loco ſcribit, dæmonem eſſe malleum vniuerſæ terræ, qui lapides, ex quibus Dei templum ædificatur, ne ſtructuræ apti ſint, ſuis ictibus, id eſt, tentationibus, frangere conatur: Quis, inquit, eſt iſte malleus volens, quantum in ſe eſt, impedire lapides ædificationis templi, vt contriti non conueniant fundamentis eius? Vide mihi zabulum, ſi non ipſe eſt malleus vniuerſæ terræ, &c. Percuſſionibus ſuis malleus hic lapides multos frangit, ac conterit, ineptóſque cæleſtis templi exædificationi reddit. Alios verò eiſdem percuſſionibus dolat, atque expolit; cæleſtique ſtructuræ aptiores in dies facit; iuxta illud hymni Eccleſiaſtici, in dedicatione Eccleſiæ: *Tunſionibus, preſſuris, expoliti lapides: ſuis coaptantur locis, per manus artificis, &c.*

Diabolus malleus, quo laudem Dei reſonantes tubæ fabricantur.

Paullus tuba magniſona.

Diabolus malleus, quo lapides cæleſtis Ieruſalẽ caduntur.

Ad ima trahit caro, ne tollat ſpiritus ad alta; ſuſtollit ſpiritus, ne proſternat caro.

Huc ſpectat illud Paulli: *Virtus*, Græcè, δύναμις, id eſt, fortitudo, *in infirmitate perficitur*. Proficit enim animi robur, & augeſcit, ſeſeque palmæ inſtar attollit, cùm premitur. Græci legunt, δύναμις μου, id eſt, fortitudo mea, ſcilicet Dei. *1. Cor. 12.*

Nonò. Tentamur, vt proficiamus. Auguſtin. Pſal. 59. Profectus, inquit, noſter per tentationem noſtram fit, &c. Quemadmodum frigore, pluuiis, niuibúſque frumentum, ſic tentationibus homo proficit. Quod obſeruat Euthymius ad illa verba Pſal. 147. *Dat niuem ſicut lanam, &c.* Significare, inquit, videntur ſuperiora neſcio quid profundius; & quod quemadmodum hybernum tempus, tametſi ipſum per ſeſe moleſtiſſimum ſit, terræ tamẽ vtiliſſimum eſt: ſic & præſentis ſæculi tentationes valde proſunt: tametſi multas ſecum afferant moleſtias. Et dum diuina diſpenſatione commutantur, partim caſtigant, partim afferunt ſolamen. Vtrumque tamen ad humanum commodũ, &c. Vt ventis concuſſa arbor, ſic tentationibus concuſſus homo, fortiores radices agit. Seneca in libr. citatos: Quid miraris, ait, bonos viros, vt confirmẽtur, concuti? non eſt arbor ſolida, nec fortis, niſi in quam frequens ventus incurſat: ipſa enim vexatione cõſtringitur, & radices certius figit. Fragiles ſunt, quæ in aprica valle creuerunt, &c.

Euthym. in Pſalm. 147.

Per tentationes proficimus.

Tẽtationibus agitatus fortiores radices agit.

Ipſe tentator noſtros in virtute progreſſus promouet. Hinc illud Bernardi ſermon. 5. quadrageſimæ: In tua facultate, inquit, eſt, ſi volueris inimicum tuum facere ſeruum tuum, vt omnia tibi cooperentur in bonum. Ecce enim inflammat inimicus deſiderium cibi, vanitatis, aut impatientiæ cogitationes ingerit, aut excitat libidinis motum; tu ſolummodo ne conſenſeris, & quoties reſtiteris, toties coronaberis, &c. Inimicus noſter eſt tentator, ſed ex inimico ſeruum facimus, cùm in tentationibus proficimus: profectui enim noſtro nolens ſeruit, vt ait Gregorius Iob capite 40. Electorũ, inquit, viſibus tamdiu diabolus ſeruit, quamdiu malitiæ ſuæ nequitiam tentationibus exercere potuerit, &c.

Diabolum cum nos tẽtat, nobis ſeruit. Ex inimico dæmone ſeruũ facimus, cũ ex tentatione proficimus.

Merita nobis auget dæmon, coronas fabricat, vt docet Bernardus ſermon. 17. in Cantica: Iucundum, inquit, iudicium, vt ſuperbus ille humilium malleator, eiſdẽ ipſis fabricet coronas perpetuas, impugnando omnes, & omnibus ſuccumbendo, & cet.

Dæmõ coronas nobis fabricat.

Tunſionibus extenditur æs, tentationibus extenditur, & proficit homo, &, vt Auguſtinus ait, laudem Dei reſonans tuba producitur. Pſalm. 97. Si tundendo, ait ille, ergo vapulando eritis tubæ ductiles ad laudem Dei productæ. Si cum tribulamini proficiatis, tribulatio tunſio, profectus productio eſt, &c. Eodem loco diabolum malleum eſſe ait, cuius tunſionibus in tentationibus tubæ producuntur: De ipſo, inquit, malleo in manu Dei poſito, id eſt, in poteſtate Dei, tunduntur ductiles tubæ, vt reſonent laudem Dei, &c. Origenes quoque hom. 3. in Ieremiam: Neceſſarius, inquit, eſt malleus, vt tuba productilis fiat: Multa cooperatus eſt iſte malleus tubæ productili Paullo, vt eum per varia tentamenta produceret, & approbaret; quia illæſus poſſet excudi, figurámque aſſumere tubæ magniſonæ, &c. Eodem loco ſcribit, dæmonem eſſe malleum vniuerſæ terræ, qui lapides, ex quibus Dei templum ædificatur, ne ſtructuræ apti ſint, ſuis ictibus, id eſt, tentationibus, frangere conatur: Quis, inquit, eſt iſte malleus volens, quantum in ſe eſt, impedire lapides ædificationis templi, vt contriti non conueniant fundamentis eius? Vide mihi zabulum, ſi non ipſe eſt malleus vniuerſæ terræ, &c. Percuſſionibus ſuis malleus hic lapides multos frangit, ac conterit, ineptóſque cæleſtis templi exædificationi reddit. Alios verò eiſdem percuſſionibus dolat, atque expolit; cæleſtique ſtructuræ aptiores in dies facit; iuxta illud hymni Eccleſiaſtici, in dedicatione Eccleſiæ: *Tunſionibus, preſſuris, expoliti lapides: ſuis coaptantur locis, per manus artificis, &c.*

Diabolus malleus, quo laudem Dei reſonantes tubæ fabricantur.

Paullus tuba magniſona.

Diabolus malleus, quo lapides cæleſtis Ieruſalẽ caduntur.

Huc ſpectat illud Paulli: *Virtus*, Græcè, δύναμις, id eſt, fortitudo, *in infirmitate perficitur*. Proficit enim animi robur, & augeſcit, ſeſeque palmæ inſtar attollit, cùm premitur. Græci legunt, δύναμις μου, id eſt, fortitudo mea, ſcilicet Dei. *1. Cor. 12.*

Spectat etiam huc illud Bernardi in Pſalm. 90. ſermon. 5. Hoc, inquit, præmonitos vos eſſe volo, neminem ſuper terram abſque tentatione victurum. Vt cui forte tollitur aliqua, alteram ſecurus exſpectet: aut forte non ſecurus, ſed pauidus magis. Et ſic petat ab ea liberari, vt numquam ſibi in corpore mortis huius libertatem perfectam, ſeu requiem audeat polliceri. Qua in re conſideranda eſt nobis, tã benigna erga nos diuinæ pietatis diſpenſatio, vt quibuſdam nos tentationibus patiatur diutius occupari, ne fortè periculoſiores occurrant: ab aliquibus verò citius liberet, vt poſſimus in aliis, quas nobis vtiliores fore præuidet, exerceri. Hæc Bernardus. Ex quibus collige, neminem abſque tentatione viuere, ex qua fructum decerpere poſſit: Deúmque pro miſericordia ſua, per tentationes diuturnas, ex periculoſioribus aliis tentationibus nos liberare, & vt proficiamus tentationes nõ omnino tollere, ſed mutare.

Nemo abſq; tentatione viuit.

Adde illud D. Dorothei doctor. 13. orandum eſſe ait, pro vita Nabuchodonoſor, id eſt, pro vita tentationis, quæ nos velut Nabuchodonoſor premit, ſi fructum illa nobis affert: iuxta illud. *Orate pro vita Nabuchodonoſor Regis Babylonis.* Verba Dorothei hæc ſunt: Propheta ait: *Orate pro vita Nabuchodonoſor, quo-* *Baruch 1.*

quoniam in ipſius vita, eſt ſalus veſtra. Idem fere eſt dicere : Video fructum , qui mihi ex labore & tentatione prouenit. Et dicere : *quoniam in ipſius vita, eſt ſalus veſtra, &c.* Exempla hæc apponit: Frater,inquit, quidam dixit mœſtus, & flens,cùm ab eo Deus tentationem abſtuliſſet: Domine,num ego non ſum dignus modica hac tribulatione? Scriptum eſt etiam,de diſcipulo magni Patris, qui à fornicationis ſpiritu maximè vexabatur , quòd interrogatus à Patre,an orari pro ſe Deũ vellet,vt auferretur ab eo huiuſmodi tentatio, reſponderit: Etſi laborem,vt vides Pater,affligarque non modicum; non ignoro tamen quantum fructus & vtilitatis hinc mihi proueniat. Quare Deum potiùs ora,vt mihi conſtantiam & patientiam largiatur, B &c.

Tentamur, vt ad Dei auxilium properemus. Pſalm. 90.

Decimò. Tentamur,vt ad Dei alas,id eſt, auxilium curramus, veluti pulli viſo miluo, ad alas matris: *Scapulis enim ſuis obumbrat nobis Dominus*, vt eſt in Pſal.90.aláſque pandit.D.Bernardus ſerm.4. in eumdem Pſalmum:Sicut videns venientem accipitrẽ mater expandit alas ſuas , vt pulli ſubeant, & habeant tutum refugium ; ſic nobis parata , & quodammodo dilatato ſinu extenſa eſt ſumma illa & ineffabilis pietas Domini noſtri , &c.D. Auguſtinus Pſalmo 60. Ecce,inquit , quare ſecuri ſumus inter tantas tentationes , donec veniat finis ſæculi ; quia cooperimur in velamento alarum Dei. Æſtus eſt ſæculi , ſed magna vmbra eſt ſub alis Dei,&c.Et Pſalm.62.Si me non protegas, quia C pullus ſum;miluus me rapiet,&c. Bernardus : Qui ſumus,inquit,nos,aut quæ eſt fortitudo noſtra , vt tam multis tentationibus reſiſtere valeamus? Hoc erat certè quod quærebat Deus , hoc erat ad quod nos perducere ſatagebat ; vt videntes defectũ noſtrum,& quòd nõ eſt nobis auxilium aliud,ad eius miſericordiam tota humilitate curramus. Propterea rogo vos fratres,vt ſemper ad manum habeatis tutiſſimum orationis refugium,&c. Ecce quomodo fugimus , nempe per orationem , ac meditationem.

Bernard. ſerm.5. de quadrag.

Cùm hoſtes quempiam inſequuntur , in turrim munitam , ſi poteſt , ſe recipit. Turrim habemus munitiſſimam Chriſtum , patent vulnerum oſtia. D Cùm hoſtes nos inſectantur , ad illam veloci per orationem greſſu confugiamus. Auguſtinus Pſalm. 60. Chriſtus,inquit,nobis factus eſt turris à facie inimici : caue ne feriaris à diabolo. Fuge ad turrim. Numquam te ad illam turrim diabolica iacula ſecutura ſunt , ibi ſtabis munitus,& fixus. Quomodo autem fugies ad turrim? Ne forte aliquis in tentatione poſitus corporaliter quærat turrim iſtam;& cùm eam non inuenerit,fatigetur,ac deficiat in tentatione. Ante te eſt turris ; recordare Chriſtum , & intra in turrim. Quidquid pateris, cogita quia prior paſſus eſt, & cogita quo fine paſſus eſt,vt moreretur,& reſurgeret. Talem & tu finem ſpera,qualis in illo præceſſit;& intraſti in turrim,nõ conſentiendo inimico,&c. Chryſ.lib.1.de Prouident.Quj, inquit,imminere ſibi cernit inimicum,maiori ad illum currit deſiderio , quo ſe tueri poſſit.Ita ferè infantes pueri, cùm quid horrendum viderint, ad matrum ſinus protinus fugiunt. At verò,quando nihil eiuſmodi perturbat , ne vocantes quidẽ illas exaudiunt,immò blanditus allicientes reſpuunt. Quocirca matrum plurimæ, cùm nihil obſecrando proficere ſe viderint,laruas quaſdam horroriſque figmenta parant, atque illos demùm ad reditum impellunt. Hoc autem non in ſolis pueris contingit, ſed etiã in nobis. Quando malignus ille perterret nos , atque perturbat, tunc frugi efficimur, tunc nos ipſos agnoſcimus,

Auguſt.

A tunc ad Deum omni ſtudio recurrimus.Hæc ille.

Tentamur, vt patientiã ſpemq; exerceamus. Rom.5. Tribulatio ſpem parit.

Vndecimò. Tentamur, vt patientiam ſpemque exerceamus. *Tribulatio* , ait D.Paullus, *patientiam operatur ; patientia autem probationem ; probatio verò ſpem ; ſpes autem non confundit.* Tribulatio & tentatio ſiue animum affligens , ſiue corpus , patientiam operatur , & exercet ; patientia hominem probatum reddit ; probatio ſpem cæleſtis præmij gignit. Qui enim propter Regem multa forti pectore excipit vulnera , is à Rege præmium ſperat. Qui verò Regis cauſſa fecit nihil,à Rege ſperat conſequi nihil. Eumdem in modum qui propter Deum graues cruciatus pertulit, ſpe cæleſtis gloriæ adipiſcendæ inflammatur ; qui verò nihil pertulit , ſpe langueſcit. Vnde meritò D Auguſt. Pſalm.59.tribulationem ollam vocat ſpei. *Moab,* ait Vates , *olla ſpei meæ :* id eſt,iniqui Moabitæ me affligentes,ac inſectantes olla ſunt ſpei ; illi ſimilis,quam Ieremias cernit:*Ollam*, inquit ,*ſuccenſam ego video*.Quid factus eſt Moab? ait Auguſtinus, olla ſpei meæ, non conſumptionis meæ. Olla eſt tribulatio,quæ operatur ſpem , &c. Quid erant Martyribus carceres,catenæ,vulnera,rogi, cruciatus?Nimirum olla ſpei. Feruebat olla, ſed magis feruebat caritas,magis ſpes:Spes , inquam , quæ, vt Paullus ait,*non confundit*:hoc eſt,nõ pudefacit,quoniam neminem fallit.

Auguſtin. in Pſal. 59. Ieremi. 1.

Tribulatio olla eſt ſpei.

Quis eſt, qui confunditur? rogat Auguſtinus, Pſalm.36. concione 2. reſpondet: Qui dicit, ego C quod ſperabam , non inueni. Confunderis , quia fefellit te ſpes , fefellit ſpes poſita in mendacio. *Omnis enim homo mendax*, vt habetur Pſal.115.Si autem ponas ſpem tuam in Deo tuo , non confunderis , & cet. Non confundit in tentatione ſpes diuina , ſed exhilarat animum , iuxta illud Paulli: *Gloriamur in tribulationibus.* Qui conſcientia pura ſperat, extrinſecus quidem vexatur ; ſed intus in conſolatione exhilaratur. Qui verò ſceleribus conſtrictus affligitur foris , criminum verò conſcientia exulceratus , ſpe cæleſtis gloriæ non delinitur intus ; quónam ſe vertet ? Auguſtinus Pſalmo indicato: Quid, inquit, facit malus homo , cum cœperit tribulari ? foris nihil habet, ablata ſunt omnia ; in conſcientia nullum ſolatium eſt. Non eſt quò exeat , quia dura ſunt; non eſt quò intret, quia mala ſunt. Conſolatio non eſt in externis, non eſt in internis ; ipſe eſt pœna ſua, quem torquet conſcientia , & cet. Contrà vir ille, qui ſpe cæleſtium bonorum permulcetur , etſi foris habeat nihil , intus magnum habet theſaurum. Si non eſt quò exeat , quia dura ſunt omnia;eſt quò intret , quia mollis eſt conſcientiæ luctus. Conſolatio ſi non eſt in externis , eſt in internis. Ipſe eſt conſolatio ſua,quem ſpes exhilarat, & conſcientia graui labe carens, etſi foliis, floribúſque ſpolietur foris , radicem cælo infixam habet intus;ex radice æterni flores, æterníque prodibunt, quos ſperat, E fructus,iuxta illud Auguſt.Pſalm.36.Sic abſcondita eſt apud Deum vita Sanctorum , vt qui modò laborãt in terra,quaſi tempore hiemis arbores, non habentes fructum & folia;illo apparente,tamquam nouo Sole exorto,illud quod in radice viuebat , in fructibus appareat,&c.

Pſalm. 115. Spes in Deo non confunditur. Rom.5. Mala conſcientia. Probus vir in tentationibus gloriatur. Conſcientia bona. Vita Sanctorum abſcondita ſicut radix arboris.

Duodecimò. Tentamur ſæpius , vt per patientiam aduerſus res aduerſas iuduremus , & laboribus obducamus callum. Qua de re rectè ſcripſit Philoſophus Seneca , in libro ſuprà indicato, his verbis: Quid mirum, ſi durè generoſos ſpiritus Deus tentat? Numquam virtutis molle documentum eſt. Verberat nos, & lacerat fortuna ? patiamur. Non eſt ſæuitia , certamen eſt. Quò ſæpius adierimus , fortiores erimus. Solidiſſima pars eſt

Tentamur, vt aduerſus res aduerſas per patientiam callũ obducamus.

corporis,quam frequens vſus agitauit. Contemptum periculorum aſſiduitas periclitandi dabit. Sic ſunt nauticis corpora ferendo mari dura, agricolis manus tritæ,agilia ſunt membra curſoribus. Id quoque ſolidiſſimum eſt, quod exercuerit. Ad contemnendam malorum potentiam, animus patientia peruenit,&c. Item eodem loco: Patrium habet Deus aduerſus bonos viros animum, & illos fortiùs amat, & operibus, doloribus, ac damnis,inquit,exagitantur, vt verũ colligant robur. Languent per inertiam ſaginata, nec labore tantùm,ſed mole, & ipſo ſui onere deficiunt. Non fert vllum ictum illæſa felicitas. At vbi aſſidua fuit cum incommodis ſuis rixa, callum per iniurias ducit,nec vlli malo cedit. Sed etiamſi ceciderit,de genu pugnat. Hæc ille,& alia. Et D. Chryſoſtomus in homilia de verbis Apoſtoli: *Non ſolùm, ſed & gloriamur in afflictionibus.* Quemadmodum, inquit, arbores, quæ in vmbroſis locis & nulli vento obnoxiis aluntur, virent quidem,ſed molliores redduntur: quæ verò in celſis montium verticibus ſtant, multiſque ac magnis ventis pulſantur, & varias tempeſtates continenter perferunt, dum nunc grauiſſimis procellis agitantur, nunc crebras niues ſuſtinent, quouis ferro validiores fiunt. Similiterque corpora multis ac variis voluptatibus innutrita, mollibuſque veſtibus, & continuis balneis, ac vnguentis aſſueta non neceſſariis, ad nullos omninò pietatis labores ac ſudores ſunt vtilia, ſed maximis pœnis deſtinata. Ita ſane etiam animæ, quæ otioſam & quietam vitam degunt,præſentéſque voluptates laboribus & afflictionibus,ſpe futuri regni,ſuſtinendis anteponunt,quauis cera molliores infirmioréſque factæ, æternis ignibus pabulum ſeruantur. Quæ verò periculis, laboribus,ærumnis, afflictionibus propter Deum ferendis exponuntur, atque in eis aſſiduè verſantur, ipſo ferro aut adamante ſolidiores ſunt,ac generoſiores;frequenti malorum tolerantia inexpugnabiles aduerſariis redditæ; & habitum quemdam inuictum fortitudinis patientiæque conſecutæ. Et quemadmodum qui tum primùm conſcendunt nauem, nauſeam præ iactatione ſentiunt, & cùm ſint maris rudes turbantur, vertiginéque laborant: qui verò ſæpe longinqua maria ſunt emenſi, & plurimis tempeſtatibus indurati, naufragiáque nonnumquam experti, magno animo nauigationem aggrediuntur. Ita anima, quæ multas tentationes ſuſtinuit, & magnas afflictiones pertulit, vſum ſibi laborum & habitum fortitudinis comparat; non ad quemuis ſtrepitum ſuſpenſa,neque terroribus obnoxia, neque in aduerſantibus turbatu facilis; ſed ob aſſiduam in rebus duris exercitationem,crebramque in talibus meditationem, magna æquitate ferens quidquid graue aut moleſtum imminet. Hactenus Chryſoſtomus.

A olim ad ſingulare certamen prouocabat. *Egreſſus eſt vir ſpurius de caſtris Philiſthinorum,nomine Goliath, de Geth, altitudinis ſex cubitorum & palmi: & armiger eius antecedebat eum,& dicebat: Eligite ex vobis virum, & deſcendat ad ſingulare certamen. Si quiuerit pugnare mecum,& percuſſerit me,erimus vobis ſerui: ſi autem ego præualuero,& percuſſero eum,vos ſeruietis eritis, & ſeruietis nobis,&c.* En tibi hoſtis noſtri imaginem depictam diuinitùs. Ex caſtris Orci egreditur giganti ſimilis, ſtaturæ ingentis. Eſt enim angelus, cum quo ſi conferatur homo,natura multò eſt inferior. Ad certamen nos elicit, iaculiſque mortiferis, id eſt,tentationibus,inuadit,hac lege; vt ſi ille victoriam reportet, nos in captiuitatem acerbiſſimam B redigamur: ſin verò nos palmam feramus, ipſe ſeruiat. Nam vt capite ſuperiori cum Bernardo diximus,ſi hoſtem ſuperamus, ex hoſte ſeruum facimus. Quoniam profectui noſtro ſeruit, coronáſque ſuperantibus fabricat. At verò ſi ſuperemur, miſerrimæ peccati ſeruituti mancipamur; iuxta illud Domini: *Omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.* Et illud Auguſtin. libro quarto de Ciuitate Dei,capite tertio. Malus etiamſi regnet,ſeruus eſt;nec vnius hominis,ſed quod eſt grauius,tot dominorum,quot vitiorum,&c.

1. Reg. 17.

Diabolus prouocat ad certamen.

Ioan. 8.

Impius ſeruus multorum dominorum.

Neque vero ſolus in campum gigas prodit: *Armiger,* inquit, *eius antecedebat eum.* Non ſolus pugnat ſatan; multi illum armigeri antecedunt. Armiger eius mundus eſt, armigera eius caro eſt, C armigeri eius praui homines ſunt, quorum vtitur opera, ad alios debellandos. Mundus veluti armiger ſatanam antecedens, honores fert, diuitias,gloriamque inanem; caro, cupiditates, praui homines, praua conſilia,ſcelerum exempla, hæreſes, ſchiſmata, tormenta, ſcandala. Hæc omnia dæmonis ſunt arma, quæ hi ferunt armigeri.

Non ſolus pugnat diabolus.

Dæmonis armigeri.

Nos quoque ipſi aduerſus nos ipſos illi præbemus arma. Iuxta illud D. Baſilij homilia 23. Ita, inquit, nos hoſtis impugnat, vt noſtris ipſorum deſideriis iaculorum vice aduerſus nos vtatur; & perpetuo ex nobis ipſis vires ſumat,quibus nos lædat,&c.

Ex nobis ipſis arma ſumit diabolus.

Prouocat autem hoſtis ad certamen, maximè D Dei filios, qui Chriſto ſimiles euadere conantur. *Si Filius,* inquit, *Dei es.* Vnde illud Hieronymi in fine libri quarti in Ezechielem: Diabolus non vult quemlibet decipere. Saul Regem, qui electus eſt à Domino, & Iudam Apoſtolum ſupplantare feſtinat,& cet. Et ad Euſtochium: Eſcæ, ait, diaboli electæ ſunt, ſecundum Abacuc: Iob ſubuertere cupit, & deuorato Iuda, ad cribrandos Apoſtolos expetit poteſtatem,& cet. D. Gregorius 1. Regum 7. Cùm altiori, ait, vita proficimus, maligni ſpiritus nobis infeſtiores ſunt, &c. Eodem loco docet, aduerſus ſtrenuos Chriſti bellatores ipſos dæmonum ſatrapas bellum gerere, & aduerſus vnum ex noſtris plurimos ex illis armari: Quia,inquit, contra perfectiores E Chriſti milites, non quorumlibet malorum ſpirituum, ſed fortiorum dæmonum prælia excitantur; non Philiſthiim contra Iſraël aſcendere, ſed Philiſthinorum ſatrapæ perhibentur. Principes quoque pluribus præſunt. Per hoc ergo, *quòd contra Iſraël ſatrapæ aſcendere dicuntur*, poteſt rationabiliter colligi; quia ad probandam electorum patientiam, nec vnus ſpiritus malus electorum ſingulis,ſed innumeri deputantur. Vt de conſecuta eorum victoria,tantò ſit copioſior fidelium gloria,quantò eis irrogata fuerint prælia grauiora, & cetera.

Filios Dei fortius oppugnat hoſtis. Matth. 4.

Multi dæmones cum vno electorũ pugnant.

1. Reg. 7.

Lege Chryſoſtomũ homilia 1. ad populum Ant. Tantò, inquit, magis oportet timere, quantò maiora

Chryſoſt.

CAPVT IX.

Morale.

De tentationibus.

AD certamen tartareus hoſtis hominem prouocat; prior ipſe in arenam deſcendit, prior venenata tela eiaculatur. *Accedens tentator*, ait Euangeliſta. Prior enim accedit, prior tartarea ex pharetra ſagittas emittit, & ad prælium in pace degentem elicit. Giganti illi ſimilis eſt, qui Iſraëlitas

iora fuerimus beneficia consecuti. Tunc enim diabolus sæuior efficitur, tunc magis efferatur, cùm viderit nos cum diligentia vitam nostram disponentes. Cùm viderit virtutis onera composita & magnos aceruos, tunc grauius inferre naufragium studet. Vilis enim & abiectus etiamsi supplantatus fuerit, & ceciderit, non tantùm communi vitæ cladis infert. In alta verò quadam tamquã virtutis specula cum multa claritate constitutus, & qui omnibus manifestus, & cognitus sit, & ab omnibus admirationi habeatur, quando tentatus ceciderit, magnam ruinam & iacturam facit. Non tantùm quoniam ex alto cecidit, sed quoniam & aliis multis scandali materia est in ipsum respicientibus, &c.

Magnã facit ruinam & iacturã, sit clarus virtute, si cadat.

Diaboli quadruplex certamen.

Quadruplex autem memoratur huius immanissimi gigantis certamen; primum, in cœlo; secundum, in paradiso terrestri; tertium, in deserto, quartum in mundo. Primum cum Angelis initum fuit; secundum cum Eua atque Adamo: tertium cum Christo: quartum est cum omnibus hominibus. In primo victus, & è cælo est præcipitatus; in secundo vicit; hominémque è paradiso præcipitauit: in tertio victus abscessit: in quarto, & vincit, & vincitur. Deus bone, quàm atrox hoc quartum prælium est, quàm sæui hostes, quàm letifera tela, quàm immania vulnera, quàm late exundantia sanguinis flumina. Non corporum, sed animorum stragem; non mortalem vitam, sed immortalem gloriam amissam: non temporariam, sed æternam cladem illatam: non aspectabilium bonorum, sed cælestium spolia: non prostrata cadauera, sed cæsos immortales animos, cernes. At parte alia, truculentos hostes à multis egregiis militibus superatos; à pueris femineisque turpiter in fugam versos; fracta infractis animis tela, mortiferos tentationum ictus magna fortitudine repulsos: tartarea peccatorum vulnera cælestibus armis propulsata spectabis.

Prælium demonum est hominibus atrox.

Spectaculũ Deo & Angelis dignũ, hominis certamen cum dæmone.

O verè dignum Deo, Angelis, & hominibus spectaculum, iustos homines feminásque cum tartareis hostibus dimicantes. Seneca, in libro, cui titulus est: Quare bonis mala accidant? Nobis, inquit, interdum voluptati est, si adolescens constantis animi irruentem feram venabulo excipit, si leonis incursum interritus pertulit: tantóque spectaculum est gratius, quantò id honestior fecit. Non sunt ista, quæ possunt Deorum in se vultum conuertere: sed puerilia, & humanæ oblectamenta leuitatis. Ecce spectaculum dignum, ad quod respiciat intentus operi suo Deus: Ecce par Deo dignum; vir fortis, cum mala fortuna compositus; vtique si & prouocauit. Non video, inquam, quid habeat in terris Iuppiter pulcrius, si conuertere animum velit, quàm vt spectet Catonem iam partibus non semel fractis stantem, nihilominus inter ruinas publicas rectum. Hæc Seneca. At ego dicam potius: Ecce par Dei spectaculo dignum; vir iustus, cum malo dæmone compositus. Non video quid habeat in terris Deus pulcrius, si conuertere animum velit; quàm vt spectet Iob, abactis gregibus, occisis filiis, vlceribus per totum corpus grassantibus, stantem nihilominùs inter tot calamitates rectum. Veluti pulcrum spectaculum spectabat Deus, quem spectandum ipsi dæmoni proponebat. *Numquid*, inquit, *considerasti seruum meum Iob, quòd non sit illi similis in terra: vir simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam?* Quasi dicat: Numquid spectaculum admirandum contemplatus es, seruum meum Iob, virum virtutibus decoratum, & tentationum victorem? Pulcrum quoque Christo spectaculum Magnus ille præbuit Antonius, cum tartareis decertans belluis. Cùm enim, vt narrat in eius vita Athanasius, post terribile certamen à Domino quæreret: Vbi eras bone IESV? vbi eras? quare nõ à principio affuisti; vt sanares vulnera mea? respondit: Antoni, hìc eram, sed expectabam videre certamen tuũ. Nunc autem, quia viriliter dimicando non cessisti, semper auxiliabor tibi; & faciam te in toto orbe nominari, &c.

Iob 1.

Iob Deo pulcrum præbuit spectaculum, certanti cum dæmone, & D. Anton.

Hæc est colluctatio, de qua Paullus: *Non est*, inquit, *nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem: sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum: aduersus spiritualia nequitiæ, in cælestibus, &c.* Vides quibuscum aduersariis pugnasit? Multò sunt nobis superiores. Primò, natura; quia nos carne constamus fragili, illi sunt spiritus, principatus, & potestates. Secundò, superiores sunt loco; quia *in cælestibus* agunt, vt ait Apostolus, hoc est, in aere superiore; nos agimus in terra, loco inferiore. Tertiò, astutia: sunt enim spiritales nequitiæ. Quartò, exercitatione bellica; quoniam in bello ab orbe versantur condito. Quam imbecillis homo sit cum hisce aduersariis comparatus, D. Bernard. docet sermon. 3. in Psalm. 90. his verbis: Ipsi rectores sunt tenebrarum harum, astutissimi versutia, & malitia diabolicæ fraudis: ita vt, sicut est ante venatorem bestia, sic ad eorum comparationem, sit quilibet astutissimus homi-num. Præter eos duntaxat, qui cum Apostolo, non ignorant cogitationes eorum, quibus in Dei sapientia datum est, fraudes deprehendere malignorum, & cet. Horruerunt Israëlitæ, qui terram repromissionis explorarunt, cùm gigantes illius incolas conspexerunt, quibuscum ipsi comparati, locustæ videbantur. *Ibi*, inquiunt, *vidimus monstra quedam filiorum Enac de genere giganteo: quibus comparati, quasi locustæ videbamur, &c.* Nos verò non horremus, quoniam monstra illa tartarea, gigantes illos flammiuomos non cernimus; cum quibus si quis nos conferat, cum leonibus formicas conferet.

Ephes. 6.

Dæmones superiores sunt hominibus natura, loco, astutia, exercitatione.

Astutia diaboli.

Num. 13.

At horreant ignaui, & qui fidei diuinæ oculis hostium vires non explorant. Quid? natura sunt superiores, astutia, loco, belli gerendi vsu? Principatus sunt & potestates? adde, & rectores mũdi huius tenebrarum harum.

Diabolus ligatas vires habet.

Sed ligatas habent vires, illis vti non valent, pro iniqua sua voluntate, sed pro permissa potestate. Sciendum est, ait Magnus Gregor. lib. 2. Moral. cap. 6. quia satanæ voluntas semper iniqua est; sed numquam potestas iniusta. Quia à semetipso voluntatem habet, sed à Domino potestatem, &c. Hinc illud Paulli: *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari, supra id quod potestis.* Et illud August. Psal. 61. Diaboli potestas quædam est: plerumque tamen vult nocere, & non potest; quia potestas ista sub potestate est. Nam si tantùm posset nocere diabolus, quantùm vult, non aliquis iustorum remaneret, aut aliquis fidelium esset in terra, &c. Basilius quoque hom. 23. Maiorem, inquit, potentiæ diaboli vim Dominus insolubili lege pressit, nec permisit, vt vno impetu genus mortalium à facie terræ deleret, &c. Agnoscebat hoc Iob, cum patientissimo ex corde verba illa emisit: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum.* Totam gloriã, ait August. Psalm. 90. Deo dabat, potentiam diabolo nõ dabat. Non dixit: Dominus dedit, diabolus abstulit; quia nihil abstuliisset diabolus, nisi permisisset Dominus, & cet.

1. Cor. 10.

Si diabolus nõ frenaretur, cunctos perderet.

Iob 1.

De Deo legitur: *Ligat aquas in nubibus suis; vt non erumpant pariter deorsum.* Quemadmodum aquas

Iob 26.

Deus ligat, ne erumpant pariter; sic diaboli ligat tentationes, ne grauiori irrupant impetu, animúmque obruant. Guttatim aquæ, guttatim quoque & ad mensuram tentationes fluunt. Vt terram fœcundent ex atris nubibus emanant aquæ; vt verò animum fœcundent, ex atris dæmonibus emanant tentationes. Sed ad mensuram & pondus. Nam vires nostras metitur Deus, ac trutinat; iuxta viriũ mensurã hostes pugnare permittit. Augustinus loco indicato. Deus, qui dat potestatem tentatori, ipse tentato præbet misericordiam. Ad mensurã enim permittitur tentare diabolus. Tantum permittitur ille tentare, quantum tibi prodest, vt exercearis, vt proberis, vt qui te nescieba s, à te ipso inueniaris, &c. Item: Permittit Deus; & iudicio permittit. Permittit, & mensura, numero, pondere, permittit, & cet.

Ad mensuram tentationes permittuntur.

Deus iuxta nostrarum virtũ mensuram, hostes pugnare permittit.

Præclarè D. Ephrem in sermone de patientia: Si homines, ait, exiguo intellectu prædíti probare, & discernere norunt, quantum pondus, atque onus singula ferre queant animalia, veluti mulus, aut camelus: tantúmque addunt oneris, quantùm vires animalis tolerent. Et figulus vasa formans, nisi in fornacem ea immiserit, vt igne probata solida ac dura reddantur, humanis vsibus seruire nequeunt. Nouit autem quanto ea tempore oporteat in igne relinquere, donec vtilia efficiantur; neque contrà, vltra quàm opus sit, ea in fornace relinquit, ne adusta corrumpantur. Neque vicissim ea minus in fornace relinquit, quàm necesse sit, ne dissoluantur; neminíque sint vsui. Si, inquam, in rebus corruptibilibus, & apparentibus, tanta consideratione, ac cognitione præditi sunt homines: quantò magis Deus, qui totus est sapientia plenus, nouit quantis probationibus tentationibúsque indigeant animæ ipsi placere volentes. Hæc ille. Item eodem loco: Nouit Deus, quantam subire possit probationem ac tentationem anima, & tantam quoque permittit, &c.

Ponderat ergo vires nostras Deus vna in lance libræ. In altera verò ponderat tentationes. Æquales cùm videt viribus tentationes, tunc tentatorem accedere patitur. Sed vires nostras simul cum auxilio appendit, quod nobis largitur. Etenim pleræque tentationes, nostris viribus, si diuinam excludas opem, ponderosiores sunt; sed si diuinam quoque opem in lance colloces, nulla tã grauis est, vt non queat superari. Opem nobis affert Deus hoc in prælio, nobiscum ille pugnat, nobiscum triumphat. Vnde illud Dauidis: *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Si exsurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo, &c. Si Deus pro nobis*, ait Paullus, *quis contra nos?* O Paulle sanctissime, nónne scripsisti: *Non esse nobis colluctationem aduersus carnem & sanguinem: sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, aduersus spiritualia nequitiæ?* Cur ergo rogas: *Quis contra nos?* Contra nos sunt principes, contra nos sunt potestates, contra nos sunt tenebrarum rectores. Sunt quidem contra vos, respondebit Paullus, si illorum crudelem spectetis voluntatem. Sed si Deus sit pro vobis, pro vobis quoque hostes erunt. Iis enim viribus ille vos corroborabit, vt prosint, non obsint. Audi Theophylactum in hunc D. Paulli locum scribentem: Cùm nos, inquit, Deus tutabitur, quis poterit aduersari? Quoniam vel si terrarũ orbis in nos insurgat, diuina sapientia in gloriam nostram hunc omnem vertet insultum, &c.

Deus ponderat nostras vires & tentationes, quas ferre possumus.

Psal. 26.

Rom. 8.

Ephes. 6.

Deus pro nobis pugnat.

Chrysostomus homilia 15. in epistolam ad Roman. nihil contra eos esse docet, pro quibus Deus est: Contra fidelem, inquit, & eum, qui diligenter Dei legibus attentus est, non homo, non dæmon, non aliud quidquam stare poterit. Si enim pecunias ademeris, mercedem ipsi procuraueris; si maledixeris, per conuicium illustriorem illum apud Deum reddideris; si morti tradideris, martyrij coronam texueris. Quid igitur cum hac vita conferri queat? Cùm nihil contra illum esse possit: & qui insidiari videntur, ij ipsi illis non minori sint adiumento, quàm qui de illis bene mereri studeant? & cet.

Nihil cõtra eos est, pro quibus Deus est.

Confirmat hæc exemplo Iob: Iob, inquit, hoc ipsum splendidum reddidit, quòd videlicet diabolus contra eum armatus esset. Nam & amicos contra illum, & vxorem contra illum, & vulnera, & seruos, & mille alias diabolus suscitauit artes: ac nihil omnino contra illum extitit. Quandoquidem Deus ab illo stabat: certè & quæ contra illum stare viderentur, ea omnia ab illo steterunt, &c. Adiungit deinde Apostolos: Nam & Iudæi, ait, & qui è gentibus essent, & falsi fratres, & principes, & populi, & mortes, & paupertates, & infinita contra illos erant; & nihil contra illos. Hæc enim ipsa sunt, quæ illos maxime splendidos atque illustres, tùm verò apud Deum hominésque laudatos effecerunt. Hæc Chrysostomus.

Huic diuino auxilio fidendum est: hoc orationibus expetendum; in hoc habitandum, iuxta illud. *Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur.* O tutissimum habitaculum, ô turrim nostri Dauidis inexpugnabilem. Sequitur eodem Psalmo: *Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis.* Quemadmodum enim pullos auis sub alas recipit, ac tuetur; sic hominem Deus. Hinc illud Bernardi eodem Psalmo: Sub his scapulis abscondimur, sub his in incursu accipitrum & miluorum protegimur. Sub his vmbraculum salubre nos refrigerat, sub his alimur, & fouemur, &c. Si gallina, ait Augustin. hoc Psalmo, protegit pullos sub alis, quantò magis tu sub alis Dei tutus eris, & aduersus diabolum & angelos eius; quæ aëreæ potestates tamquam accipitres circumuolitant, vt infirmum pullum auferant, & cet. Addit Vates auxilium hoc exaggerans: *Scuto circumdabit te veritas eius*, id est, fidelitas. In quæ verba scribẽs D. Bernardus, ait: Quia circumdatus es tentationibus, scuto circumdabit te veritas eius. Vt quemadmodũ vndique bella, ita vndique sint præsidia, &c.

Psal. 90.

Auxilium Dei aduersus tentatorem.

Circũdati summo tentationibus & auxilio.

Licet igitur nobis sint superiores natura dæmones; nos tamen illis superiores sumus Dei præsidio. Qui Angelis quoque suis præcepit, vt nos in tutela habeant sua; iuxta illud à dæmone citatum: *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Etsi tam paruuli sumus, ait Bernardus eodem Psalm. quid tamen sub tantis custodibus timeamus? Nec superari nec seduci possunt. Fideles sunt, & prudentes, potentes sunt. Quid trepidamus, & cet. Elisæi minister exercitu Syrorum circumdatam cernens ciuitatem, metu perculsus, Prophetæ nuntiauit. At ille: *Noli timere*, respondit, *plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis.* Precatúsque est Dominum, vt Angelorum auxilium metuenti demonstraret. *Et aperuit Dominus oculos pueri*, vt legitur eodem capite, *& vidit: & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum, in circuitu Elisæi*, &c. Videsne Angelorum auxilium? Elisæum vndique cinxere equites currúsque ignei, ne posset aliqua ex parte lædi. Hoc est Dei scutum: *Scuto circumdedit eum veritas Dei.*

Auxilium Angelorũ.

Psal. 90.

4. Reg. 6.

Elisæũ Angeli tuẽtur.

Simile quidpiam narrat Archiepiscopus Florentinus,

rentinus, D. Antoninus 2.part.tit. 15. cap. 9. ostensum Mosi, vni ex antiquis Patribus. Cùm enim ad Abbatem Isidorum grauissima exagitatus tentatione veniſſet, versus Occidentem vt respiceret præcepit Abbas. Id cùm feciſſet Moses, dæmonum inspexit teterrimam ad prælium instructam multitudinem. Oculos verò in Orientem vertere posteà iussus, longè diuersum vidit Angelorum exercitum, admirabili splendore fulgentem. Tùm Isidorus: Quos, ait, ad Occidentem inspexisti, ij Sanctorum sunt oppugnatores; quos ad Orientem vidisti, ij sunt à Deo missi auxiliatores. Cognosce ergo Moses, non solùm plures esse nobiscum, vt dixit Elisæus; verùm etiam maiorē esse, qui in nobis est, quàm qui in mundo, vt Ioannes Apostolus ait, Ioan. 4.

Angelorum exercitus & dæmonū.

Hoc præsidio munitis illud euenit, quod est in Psalmo eodem: *Super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* En tibi gigantum potentiam, quorum vires extollebamus. Ab iis hominibus, qui fortiter Dei præsidio septi præliantur, veluti serpentes conculcantur. Vnde Ambrosius Psalm. 118. littera 11. vers. 4. Dominus, inquit, veniēs in hunc mundum, subiecit animæ nostræ omnes contrarias potestates; vt fide tua, verbo tuo, conuersatione tua, & operibus conterantur. Si ergo non conteris aduersarium, tua culpa est, qui permissa non vteris potestate, &c. D. Isidor. lib. 3. de Summo Bono, cap. 5. In oculis, inquit, carnalium diabolus terribilis est; in electorum oculis terror eius vilis est. Ab incredulis vt leo timetur; à fortibus in fide, vt vermis contemnitur, &c.

Psal. 90.

Tentator conculcatur ab iis, qui strenuè dimicant.

Nos loculæ sumus, dæmones sunt gigātes; sed facilè Dei præsidio vincuntur.

Origenes homil. 7. Numerorum: Quantum ad comparationem, inquit, humanæ naturæ, & dæmoniacæ, nos locustæ sumus, & illi gigantes. Et præcipuè si dubia sit fides, etsi nos perterreat infidelitas, illi verè gigantes erunt, & nos locustæ. Si verò sequamur IESVM, & credamus verbis eius, ac fide eius repleamur; tamquam nihil erunt in conspectu nostro, &c. Item: Cùm Paulli armis te armaueris, ad Ephes. 6. sequens IESVM ducem, non verearis gigantes illos. Videbis enim quomodo illos tibi subiiciet Dominus IESVS. Et sicut Patres calcauerunt ceruices gentium, ita & tu calcabis super ceruices dæmonum. Ipse enim dicit iis, qui eum fideliter sequuntur: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici.* Vult enim semper IESVS res mirabiles facere. Vult de locustis vincere gigantes; & de iis, quæ in terris sunt, cælestes superare nequitias. Hæc Origenes.

Luc. 10.

Deus vult de locustis vincere gigantes.

Superamus dæmones certandi modo.

Iam verò, quis sit certandi modus videamus; eo quoque nos hostes superamus. Non possunt illi vulnus vllum infligere, nisi nosmetipsi, quas emittunt sagittas, in pectus, córque nostrum, manu nostra immittamus. O stultum hominem, qui missa ab hoste iacula minimè repellit, sed in viscera condit! Nónne tentationes hostis tela sunt? Iaculetur ille mille tela igne succensa tartareo; si tuis te manibus non vulneres; id est, si assensum tentationi minimè præbeas, nihil iacula efficient.

1. Pet 5. Diabolus tentare potest, cogere non potest.

Iaculari potest aduersarius, suadere, ac suggerere potest: at vulnerare, persuadere, cogere te non potest. *Aduersarius vester diabolus,* ait D. Pet. *tamquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* Rugire ille potest, & quærere quem deuoret: at deuorare, nisi in fauces eius libens se quispiam intrudat, non potest. D. Bern. serm. 13. in Psalmum, *Qui habitat*: Rugire, inquit, dæmō potest, ferire non potest. Rugiat quantùm vult, tantùm non fugiat ouis Christi. Quanta minatur, quanta exaggerat, quanta intentat; non simus bestiæ, vt nos prosternat vacuus ille rugitus. Sic enim perhibent, qui talia curiosius vestigauerunt, ad rugitum leonis nullam bestiam stare posse. Vere bestia, vere rationis expers, qui tam pusillanimis est, vt solo timore cedat: qui sola futuri laboris exaggeratione victus, ante conflictum, non telo, sed tuba prosternitur, &c. Satanas, inquit Augustinus, Psalm. 91. non cogit inuitum: in tua potestate est consentire, aut nō consentire, &c. Et serm. 7. de tempore: Diabolus potest ad malum inuitare, non potest trahere: delectationem infert, non potestatem: consilium ingerit, non conflictum, & cet.

Ad rugitū leonis nulla bestia stare potest.

Non timendus dæmonis rugitus.

Nónne hoc quod dicimus, ex Euangelio fit perspicuum, quod exponimus? Quonam modo cum Christo conflixit hostis? accessit, sagittas tantùm misit. *Accedens tentator,* ait Euangelista, *dixit ei, &c.* Id est, inuitauit eum, non traxit. Dicere potest, & inuitare, sed non potest nolentem superare. Potuit ille dicere Christo: *Mitte te deorsum.* Numquid mittere deorsum potuit? Minimè. Hoc nobis dicit, quoties nos tentat: *Mitte te deorsum.* Si te ipse in peccatum non præcipites volens, ille nequit præcipitare nolentem. Præterea ostendit Christo mundi regna. Addidit: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Hic constitit telum. Ostendere potest, suggerere potest, iaculum mittere potest: nisi tu libens iaculum corde excipias, vulnus infligere non potest.

Matth. 4.

Itaque iustos inuitat, sed non trahit: delectationē illis infert, sed illatam repellunt: consilium ingerit, sed non persuadet: audiunt vocē hostis, sed non exaudiunt: vt docet Magnus Gregor. Iob. 3. ad illa verba: *Non exaudierunt vocem exactoris*: quo loco exactorem diabolum esse ait: exigit enim à nobis pestifera voce peccatum. Huius exactoris vox, ait Gregorius, est tentatio suggestionis. Audimus autem vocem exactoris, cùm eius tentatione pulsamur: sed nō exaudimus, si pulsanti resistimus. Audit enim, qui tentationem sentit: exaudit verò, qui tentationi consentit. Dicatur itaque de iustis: *Non exaudierunt vocem exactoris*: quoniam suggestionem eius, etsi audiunt, quia tentantur: non exaudiunt, quia consentire contemnunt. Hæc ille.

Gregor. in Iob 3.

Iusti vocem tentatoris audiunt, sed nō exaudiunt.

Iusti dæmonem audiunt, sed non exaudiunt. At sunt multi ex hominibus, qui cùm aures habeant inter Deum monentem, & teterrimum hostem suadentem, Deum quidem audiunt, sed dæmonem exaudiunt. Hinc illud August. Psal. 91. Modò aures tuæ positæ sunt inter monentem Deum, & suggerentē serpentē. Quare huc flectuntur, hinc auertuntur? Non cessat satanas suadere malū: sed nec Deus cessat admonere bonum, &c. Coniicit amoris iacula Deus amicus; coniicit odij tela dæmon inimicus: Dei iacula repellimus; dæmonis tela in viscera cōdimus: ideóque non hostis fortitudine, sed nostra voluntate stultè perimus. Tunc autem dæmonis tela in viscera condimus, tunc tentationum fluctibus obruimur, cùm tentationibus assensum præbemus.

Aures nostræ positæ sunt inter Deum monentem, & serpentem suggerentē.

Confert D. Cyrillus Ierosolymitanus, catechesi 5. mystagogica, tentationem cum flumine. Cùm tentamur natamus: cùm assensum tentationi præbemus, submergimur: cùm tentationem superamus è profundo flumine læti in florentem amœnámque ripam euadimus. Videtur, ait D. Cyrillus, tentatio esse veluti torrens transitu difficilis. Qui ergo in huiusmodi torrente non submerguntur, optimi natatores facti, traiiciunt. Qui verò secus affecti fuerint, cùm primùm in aliquam tentationem fuerint ingressi, statim submerguntur. Vides Sanctos de transitu tentationis loquentes, & profitentes se in illa non hæsisse? *Transiuimus*

Cyrillus.

Tentatio est torrens.

Psal. 65.

per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Educi in refrigerium, est liberari à tentatione. Hæc ille. Da ergo operam, vt optimus fias natator, ne tentationum rapidissimis vndis absorbearis. Eris autem natator egregius, si consensum nulli tentationi præbeas, sed protinus respuas omnes, vocique dæmonis animi aures penitus occludas. Tunc lætus canere illud poteris: *Cùm irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos. Torrentem pertransiit anima nostra. Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Adiutorium nostrum in nomine Domini,* &c. Tentationis torrentem pertransit adhærens Deo voluntas, tentationemque respuens; eadem laqueum à dæmone paratum conterit, sed Deo adiuuante. Quamobrem Psalmus illo concluditur versu: *Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram.*

Psal. 123.

CAPVT X.

Morale.

De tentationibus.

AD Christum Opt. Max. non accessit tentator ante esuriem, tunc accessit, cùm esurire illum agnouit. Similem in modum tunc ad nos accedit, tunc tentat, tunc superat, cùm caduca huius sæculi bona concupiscimus. Esuries cupiditas est. Si quid cupis, esuris; si esuris, facilè te diabolus illaqueabit. Vt volucrem in laqueum, piscem in hamum, cibi appetitus impellit; sic hominem in diaboli retia, caducarũ rerum cupiditas trudit. Quod indicat D. Ambrosius in lib. de Isaac & anima, cap. 4. Cùm nos, inquit, ambulemus in medio laqueorum, per appetentiam escę, retibus simul & laqueis obnoxij sumus, &c. Et Psalmo 118. Octon. 14. versu penultim. Non capit, ait, laqueus, nisi ante esca te ceperit; dum prædam petis, laqueo te nectis, &c. Gregorius Magnus in explan. Psalm. 7. pœnit. sic scribit: Decipula super semitam ab hoste ponitur, cùm in actione huius mundi, quam mens appetit, peccati laqueus paratur. Ita namque in terra decipula ponitur, vt exposita esca, ipsa decipula non videatur; sic hostis dum subruere aliquem cupit, quasi escam in muscipula, lucrum in culpa ponit; ad quod dum auiditatis amore viator inhiat, ex improuiso eum peccati laqueus suffocat, &c. At nos si oculos cupiditatesque nostras in cælum sustollamus, hos laqueos effugiemus: vnde Ambrosius: Auis, inquit, deuitat laqueos, si ad superiora se conferat, & terrena superuolet: in superioribus enim nemo tendit retia, laqueum nullus abscondit. Ideo cuius conuersatio in supernis est, huius non solet in prædam venire captura, &c. Et Psalmo gr. *Oculi mei semper ad Dominum; quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos.* Chrys. hom. 15. ad populum Antioch. Volatilia, inquit, donec altum aërem secant, non facilè capiuntur. Ita tu donec ad superiora respexeris, nec laqueo, nec vllis facilè capieris insidiis. Item: Propterea alæ sunt auiculis, vt effugiant laqueos: propterea ratiocinationes hominibus, vt fugiant peccata, &c. Ratiocinare igitur, & diuinis ratiocinationibus, cogitationibusque in sublime elatus, diaboli humi extensa retia effugies; animique constringes cupiditates. Nam quemadmodum dissolutæ minimeque præcinctæ vestes militem cum hoste certantem impediunt: sic laxæ minimeque compressæ cupiditates Christianum cum dæmone dimicantem inuoluunt. Opus ergo est desideria, ob-

Esuries est cupiditas. Esurientes diabolus inuitat, & laqueis suis capit.

Non capit laqueus, si non capit esca. Decipula diaboli.

Amb. l. 6. Hexam. c. 8.

Psal. 24.

A longas veluti vestes, fortitudinis ac temperantiæ cingulo arctè circumligare, ne in peccatum diffluant, dimicantesque alligent. Iuxta illud: *Deus, qui præcinxit me virtute.* Quod Augustinus ita exponit: Deus, ait, præcinxit me, vt fortis sim; ne diffluentes sinus cupiditatis impediant opera & gressus meos. Et infrà ait Vates: *Præcinxisti me virtute ad bellum.* Augustinus interpretatur: Constrinxisti fluentia desideria carnis meæ virtute, ne in pugna præpedirer, &c. *Psal. 17.*

Esuriem hanc, id est, cupiditatem, quæ in laqueos nos præcipitat, idem hostis nostro in pectore excitare conatur. Iuxta illud: *Halitus eius prunas ardere facit.* Veluti prunæ sunt hominum cupiditates. Si B cælestem concipiunt ignem, ad virtutis officia animos inflammant; si verò tartareo exardescunt sulfure, ad scelera incendunt. Has prunas halitu suo, id est, tentationibus, ardere facit dæmon. Ardet, ait Gregorius, dum hunc locum exponit, in desideriis animus, cùm diaboli suggestionibus instigatur. Item: Ardent homines, cùm quodlibet temporale appetunt; quia nimirum vrunt desideria, &c. Mater est peccati concupiscentia; si dæmon illam halitu incenderit, tu diligentem operam naua, vt exstinguas: si exstinxeris, peccati exstingues matrem: *Vnusquisque*, ait D. Iacob. *tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem.*

Iob 41. Hominum cupiditates prunæ sunt, & quomodo.

Cõcupiscentia peccati mater.

Iacobi 1.

C Tria vides concupiscentiæ mala. Primum malum, hoc est, ad peccatum nos allicit & abstrahit: *Tentatur*, inquit, *vnusquisque à concupiscentia sua abstractus, & illectus.* Nam à virtute, à Dei præceptis, à Deo ipso, nos abstrahit atque auertit; & ad creaturas sceleraque conuertit. Est enim in peccato à Deo Deique lege, & præceptis auersio, & ad creaturas criminaque conuersio. Augustinus lib. 1. de Libero Arbitrio, ca. 16. Peccata, ait, omnia, hoc vno genere continentur; cùm quisque auertitur à diuinis vereque manentibus; & ad mutabilia atque incerta conuertitur, &c. Secundum concupiscentiæ malum est, execrabilis peccati conceptus ac partus. *Cùm conceperit*, ait D. Iacobus, *parit peccatum*: vnde D peccati mater rectè dici potest. Siquidem illud & concipit, & parit ex diabolo. Vt enim ait Origenes hom. 13. in lib. Iosue, improbi hominis anima diabolum maritum habet, ex quo huiusmodi edit sobolem. Coniunctio, ait Origenes, animæ nostræ, fuit primò cum malo viro & marito pessimo diabolo, &c. Tertium malum, *generat mortem*, eamque æternam.

Tria mala cõcupiscẽtiæ quæ sint.

Concupiscentia Eua nostra est, quam pomi, id est, dulcis alicuius rei delectatione serpens callidissimus capit. Capta illa rationem inuitat, & in peccatum præcipitat. Modus enim is, quem dæmon in tentatione primorum parentum seruauit, illum indicat, quem in tentandis hominibus seruat, vt docet D. Bonauentura lib. 2. Sent. dist. 21. q. 3. In illo, inquit, modo tentandi sensibili, cognoscimus nos modum & progressum tentationis inuisibilis. Et sicut ille à serpente venit ad virum, mediante muliere: sic iste à sensualitate peruenit ad superiorem portionem rationis, mediante inferiore, &c. Et D. Augustinus Psal. 48. Quomodo, inquit, Adam per Euam supplantauit diabolus; sic nos per carnem vult supplantare, &c. id est, per carnis concupiscentiam.

Cõcupiscentia Eua nostræ est, cui diabolus serpens suadet.

Item lib. de Genesi contra Manichæos, cap. 14. Etiam, inquit, nunc in vnoquoque nostrum nihil aliud agitur, cùm ad peccatum quisque delabitur; quàm tunc actum est in illis tribus, serpente, muliere, & viro. Nam primò fit suggestio, siue per cogitationem, siue per sensus corporis. Quæ suggestio

cùm

cùm facta fuerit; si cupiditas nostra non moueatur ad peccandum, excludetur serpentis astutia. Si autem mota fuerit, quasi mulieri iam persuasum erit. Sed aliquando ratio viriliter etiam commotam cupiditatem refrenat, atque compescit. Quod cùm fit, non labimur in peccatum, sed cum aliquanta luctatione coronamur. Si autem ratio consentiat, & quod libido commouerit, faciendum esse decernat; ab omni vita beata, tamquam de paradiso expellitur homo. Iam enim peccatum imputatur, etiam si non subsequatur factum. Quoniam rea tenetur in consensione conscientia. Hæc Augustinus.

Rea cõscientia in consensione fit. Gregor. in Iob 18.

Quæ autem sit hominis cuiusque propensio, qui mores, diabolus explorat; deinde aptos illi laqueos parat, vt obseruat Gregor. in illa verba Iob: *Abscondita est in terra pedica eius, & decipula illius super semitam*: intuetur, inquit, inimicus vniuscuiusque mores, cui vitio sint propinqui: & illa opponit ante faciem, ad quæ cognoscit faciliùs inclinari mentem. Vt blandis ac lætis moribus sæpe luxuriam, nonnumquam vanam gloriam: asperis verò mentibus iram, superbiam, vel crudelitatem proponat, &c. Et D. Isid. lib. 3. de Summo Bono, c. 5. Diabolus quando decipere quemquam quærit, priùs naturam vniuscuiusque intendit. Et inde se applicat, vnde aptum hominem ad peccandum inspexerit, &c. Item: Ex ea parte diabolus homines tentat, qua eos pro excrescente humore facilè inclinari ad vitia conspicit: vt secundùm humoris conspersionem, adhibeat & tentationem, &c. D. Basil. hom. 21. Multimodæ, inquit, multiformesque sunt diaboli insidiæ, & alios aliter decipit. Ad quod enim proniorem conspexerit, ad id propriis vtitur delinimentis atque illecebris.

Diabolus mores hominum & propensiones explorat, & tentet.

Quemadmodum olitor non per eminentiores, sed per depressiores ductus aquam, quò vult, ducit, elementi deorsum fluentis se accommodans propensioni. Ita diabolus non per ea, à quibus abhorret, sed per ea, ad quæ fluens ac procliuis est, hominem in peccatum pertrahit, illius sequens procliuitatem. Ita Balaam, Num. 25. per ea Israëlitas ad idola colenda duxit, ad quæ procliues esse videbat: videlicet per feminas. In quem locum D. Isidorus hæc scribit: Balaam dedit consilium, vt ex illa parte, qua infirmari nouerat filios Israël, laquei tenderentur: non dubitans eos oblata copia feminarum, fornicationis ruina collapsuros: quia concupiscibiles animæ eorum partes sciebat esse corruptas. Ita vnumquemque nostrum nequitiæ spirituales in figura Balaam pertentant: illis præcipue affectibus animæ laqueos præstruentes, quibus nos senserint ægrotare, &c. Considerant priùs auceps & piscator, quàm maximè escam volucres piscesque appetant: tum illam laqueis inserunt. Idem piscator aucepsque facit tartareus.

Diabolus hominum propensioni se accommodat.

Itaque esurientem Dominum Lucifer aggressus est. Sed quidnam obtulit esurienti? lapides: *Dic* inquit, *vt lapides isti panes fiant*. Lapides, ait Chrysol. serm. 11. esurienti diabolus offert: humanitas talis est semper inimici. Sic pascit mortis auctor, &c. Lapides nobis quoque semper offert, sed, vt in panes ipsi dulcissimos lapides conuertamus, exposcit. Tentationes lapides sunt, quos in panes conuertimus diabolo dulcissimos, cùm assensum illis præbemus. Etenim vt in lapidibus panis materia prima est, non forma; sic in tentatione peccati materia est, forma non est. Erit autem, si per consensum inducatur. Hæc nostra miracula sunt. Sic lapides in panes tartareos conuertimus; sic diabolum pascimus. Etenim diabolus hos panes, id est, peccata, si nõ habeat, ieiunat atque esurit. Vnde illud Chrysologi, serm. 12. Diabolus nostris semper saturatur ex culpis. Et illud D. Petri: *Aduersarius vester diabolus, tamquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* Esurit, ac propterea rugit, escamque quærit. Nos illius præda sumus, peccata nostra illius cibus. Caue ergo ne lapides, id est, tentationes, in panes, id est, peccata, vertas. Si caueris, diabolum fame cõficies, & à te abiges. Est enim cani similis, vt ait Chrysostomus, cui si è mensa cibum proiicias, assidet, sin minus, abit. Chrysostomus conc. 3. de Lazaro & diuite: Quemadmodum, inquit, canis assistens mensę, si viderit hominem vescentem, subinde aliquid eorum, quæ in mensa sunt ipsi proiicientem, manet assidue. Quòd si semel atque iterum sic astitit, vt discesserit nihil adeptus, protinus abstinet; veluti, qui iam frustra, & in cassum assistat. Itidem & diabolus iugiter nobis inhiat, si quod blasphemum verbum (adde, vel aliquod aliud peccatum) ipsi ceu cani proiiciamus; hoc accepto, rursus aggreditur. Quòd si perseueraueris gratias agere, iugulaueris illum fame, celeriterque abegeris, &c. Loquitur Chrysostomus de iis, qui dolore aliquo conuicióve affecti, blasphema verba effundunt; & veluti panes cani, id est, diabolo, proiiciunt.

1. Pet. 5.

Diabolus canis, si nihil è mensa proiicias abit.

Viri verò virtute præclari, huic cani nihil proiiciunt. Oblatos verò lapides, non in panes conuertunt, sed in caput ipsius vertunt. Iuxta illud: *Conuertetur dolor eius in caput eius: & in verticem ipsius iniquitas eius descendet.* Dolor, quem diabolus nobis per tentationem parat, in caput eius conuertitur, & iniquitas, ad quam nos impellit, in verticem eius tunc descendit: cùm tentationem in illum retorquemus, eumque pessundamus. Iuxta illud: *Ipsa conteret caput tuum;* & illud Paulli: *Deus pacis conterat satanam sub pedibus vestris velociter.* Vigilantibus probisque Christianis nihil nisi lapides offerre potest dæmon: etsi suauissimos cibos, omneque cupediarum genus offerat, lapides offert. Christiano enim iusto quidquid diabolus offert, lapis est. Si tibi quispiam lapides edendos apponeret, & irrisum te putares, & à mensa protinus surgeres, lapidesque repelleres: quoniam is non est hominum cibus. Sic vir iustus, cùm diabolus tentationes ingerit, irrideri se à diabolo putat; mensam protinus euertit, tentationes veluti lapides reiicit. Non est hæc, inquiens, esca mea, impie hostis, quamuis mille illam condimentis dulcem reddere coneris, non est hæc esca mea, sed virtus, sed probitas, sed iustitia.

Psal. 7. Tentationes velut lapides in caput dæmonis cõuertendæ.

Genes. 3.

Rom. 16.

Christiani quidquid offert dæmõ lapis est.

In manibus portabunt te. Legitur: *Ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Quæ verba Christi tentator in rem suam vsurpauit. De viro iusto hæc dicta esse iam diximus. Lapides verò hi sunt, de quibus verba facimus, dæmonis videlicet tentationes & offendicula, quæ ille in via, per quam in cælum tendimus disseminat. Ad hos lapides non offendunt iusti pedem suum; quoniam Angelis suis Deus de illis mandauit, vt in manibus tollant eos. Pedes autem, quibus animus mouetur, duo sunt, intellectus, & voluntas. Nam intellectu & voluntate cælum terrarumque orbem vniuersum potest percurrere. Hi pedes tunc in lapides & offendicula à dæmone obiecta impingunt, cùm intellectus cogitando, voluntas assentiendo, tentationem complectuntur, in panemque conuertunt. Tunc verò minimè impingunt, cùm Angelorum sublati alis, tentationem respuunt atque effugiunt.

Psal. 90.

Lapides tentationes, & offendicula.

Non nudum hamum, sed esca tectum piscator piscibus obiicit: sic & tentator, non nudas tentationes, sed esca voluptatis, vel necessitatis indutas, aliquando etiam sanctitatis, hominibus proponit. Esurire Christum sensit, tentationem necessitatis integumento velat. *Die*, inquit, *vt lapides isti panes fiant:*

Diabolus tentationes velat integumẽto necessitatis.

Matth. 4.

Diabolus lapides nobis offert semper.

Quomodo lapides in panes conuertamus.

Diabolus ieiunat, si peccatis nõ pascatur.

fiant: cibo opus est; vita traduci aliter nequit, para tibi ex lapidibus panes: siquidem id facere in tua est potestate, si Dei es Filius. Multas parit tentationes adumbrata necessitas & inopia. Peccat femina: si cur peccet roges: Opus, inquit, habeo cibo, indumento, domo, habere aliter non possum. Peccat fur; eamdem caussam reddet; peccat, qui ieiunium quadragesimale violat, necessitate falsa se tuebitur. Peccant scribæ; peccant qui regias tractant opes, & regia obeunt munera; peccant caussarum patroni, & alij, qui si non palàm, tamen clàm, quod possunt rapiunt. Necessitatis excusationem adhibebunt. Iis suadet dæmon & persuadet, non quidem lapides, sed ipsa quibus funguntur officia, in panes conuertere. Nihil enim aliud in obeundis hisce muneribus, quàm commoda opesque spectant ij, quos dæmõ fallit. Infantibus sunt similes, quibus si cultellum, si lapidem, si ferrum, si lignum tradideris, ad os cuncta perferunt; eumdem in modum, eiusmodi homines, si Rempub. gubernandi, si regias opes curandi, si scribendi, si aliud quodcumque negotium gerendi munus illis commiseris; ad os omnia referunt, in suamque vtilitatem, diuinæ legis & Reipub. obliti, omnia conuertunt.

Homines officia in panes conuertunt.

At audiant iiffantes ij, qui de solo pane cogitant; audiant, inquam, Christum tentatori respondentem: *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Non est opus rapinis ac sceleribus ad comparandum cibum: prouidebit Deus iis, qui illius caussa, crimina omnia detestantur; iuxta illud: *Primùm quærite regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Israëlitis, qui Dei ductum sequebantur, numquid in solitudine aliquid defuit? Minimè. Cæsti pane illos pauit, de quo illa verba leguntur: *Dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu & patres tui: vt ostenderet tibi, quod non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei.* Annis quadraginta, toto illo diuturno itinere, iussu Dei peracto, necessarium victum populo numerosissimo abundè submiistrauit cælum: non secus, quàm si ex horreis dimensum singulis distribueretur: *Non vidi iustum derelictum*, ait Psalmographus, *nec semen eius quæreus panem. Tota die miseretur, & commodat, &c.* Et Paullus: *Sint*, inquit, *mores sine auaritia, contenti præsentibus: ipse enim dixit: Non te deseram, neque derelinquam.* Si coruos, tam tetras & viles volucres, Deus non deserit; homines deseret? *Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Inuocare autem dicuntur Deum, quasi nutritorem & naturæ auctorem, cum in nido clamorem edunt. Inuocantem coruum Deus audit; & inuocantem hominem non audiet?

Matth. 4. Nõ est quærẽdus cibus rapinis & flagitiis, Deo pascet, si virtutem colas. Matth. 6. Prouidẽtia Dei erga probos. Deut. 8. Psal. 36. Hebr. 13. Psal. 146.

Chrysostomus homil. 8. epist. ad Hebr. Fieri, inquit, non potest, vt qui ea quærit, quæ Deo congruunt, humana quoque non assequatur, &c. At, ait idem Chrysostomus, omne studium in iis, quæ ad vitam hanc pertinent euacuatur: de spiritualibus autem nulla ratio est, propterea terrena nobis pro voto non proueniunt. Christus quippe dixit: *Petite regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis.* Hæc in adiectionis parte tamquam adiectitia dicit datum iri. Nos autem ordinem peruertimus, & petimus terram, & bona in terra; quasi cælestia additionis loco nobis dentur. Idcirco, neque ista, neque illa habemus. Euigilemus aliquando, & efficiamur futurorum desideratores: sic etiam ista sequentur. Hæc ille.

Matth. 6. Bona caduca sunt adiectitia.

Caue, ne te necessitatis prætextu fallat hostis, aut etiam sanctitatis. Lapides in panes, vt conuertas suadebit: vt verò persuadeat, in angelum lucis & sanctitatis se ipse administrosque suos conuertet. Lege Magnum Gregorium, eximium morum instructorem Iob 41. ad illa verba: *Quis reuelabit faciem indumenti eius?* Diabolus, inquit, aliter religiosas hominum mentes, aliter verò huic mundo deditas tentat. Nam prauis mala quæ desiderant aperte obiicit: bonis autem latenter insidians, sub specie sanctitatis illudit. Illis velut familiaribus suis iniquum se manifestius insinuat: istis verò velut extraneis, cuiusdam quasi honestatis prætextu se palliat, vt mala, quæ eis publicè non valet, tecta bonæ actionis velamine, subintromittat, &c. De eius verò administris D. Paullus: *Eiusmodi*, inquit, *pseudoapostoli, sunt operarij subdoli, transfigurantes se in apostolos Christi. Et non mirum: ipse enim satanas transfigurat se in angelum lucis. non est ergo magnum, si ministri eius transfigurentur velut ministri iustitiæ*, &c. Gregor. loco indicato: Iniqui, ait, sæpe cùm aperta nequitia nocere non possunt, bonæ actionis habitum sumunt. Et prauos quidem se opere exhibent: sed sancta specie mentiuntur. Si enim apertè mali essent, à bonis recipi omnino non possent. Sed sumunt aliquid de visione bonorum: vt dum boni viri in eis recipiunt speciem, quam amant, permixtum sumant etiam virus, quod vitant, &c.

Diabolus prætextu sanctitatis fallit aliquando. 2. Cor. 11.

Probandi igitur sunt spiritus, vt docet Ioannes: *Nolite*, ait, *omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint: quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum.* Iosue 5. *Virum*, Angelus is erat, *cum vidisset stantem contra se, euaginatum tenentem gladium: ad eum perrexit, & rogauit: Noster es, an aduersariorum?* Idem nobis faciendum, exploranda negotia, exploranda hostium castra, explorandi pseudoprophetæ sunt, consiliarij, amici, & ne decipiamur, probandi spiritus. Chrysostomus hom. 15. ad populum Antioch. Obumbratus, inquit, est laqueus. Quandoquidem non apertè mors apparet, neque manifesta clades, sed vndique obtecta adiacet, multa tibi opus est consideratione, & diligẽti scrutatione. Sicut enim pueri terra laqueos, sic diabolus vitæ voluptatibus peccata circumtegit. Siue consulat quispiam, siue aduletur, siue obsequatur, siue honores polliceatur, siue quodcumque aliud, omnia cum diligentia examinemus. Si lucrum occurrat; scrutare, ne forte peccatum intra lucrum sit absconditum. Si voluptas: ne voluptatem solùm respicias: sed ne fortè iniquitas aliqua in voluptatis profundo obumbrata sit, considera, &c.

1. Ioan. 4. Iosue 5. Exploranda omnia, ne lateat anguis in herba. Diabolus latẽ queos tegit.

Suasit Christo dæmon, vt lapides conuerteret in panes; nobis multas alias suadet conuersiones; & quod multo peius est, persuadet. Suadet quadragesimale ieiuniũ in cibos & commessationes, pisces in carnes, pœnitentiam in delicias, opes in fastum & ludos, scientiam in superbiam, cor in durissimum lapidem, vt conuertamus, & ad Deum numquam conuertamur. Præterea, dura atque aspera viuendi norma, duris veluti lapidibus diabolũ repellimus. Hos ille lapides in delicatos panes, hoc est, in mollem turpibusque deliciis affluentẽ vitam, vt transmutemus efficere conatur. Etenim suum in macellum deliciis saginatos ducit; pœnitentia verò extenuatos execratur. Quemadmodum macello non est aptus macilentus bos, vix hærens ossibus, sed crassus ac pinguedine refertus: ita tartaro non est accommodatus vir ieiuniis, precum assiduitate, & vera pœnitentia exesus; sed turpibus deliciis flagitiisque obesus. Lazarus ille macilentus, Lucæ 16. ab Angelis in sinum ducitur Abrahæ: diues ille splendidis saginatus epulis, in macellum tartareum rapitur.

Multas diabolus suadet conuersiones. Ad macellum diaboli saginati ducuntur.

Denique illam Nabuchodonosoris metamorphosim suadet dæmon, & obtinet, de qua Dan. hæc scribit: *Cum bestiis feris erit habitatio tua: fœnum quasi bos comedes*, &c. Heu quot videmus Nabuchodonosores

Dan. 4. Dæmonis suasu multi in bestias cõmutantur. Greg. in Iob 41.

res in beſtias ferasque dæmonis metamorphoſi commutatos: qui mundi fœno, id eſt, caducis rebus, inſtar fœni temporis momento exareſcentibus paſcuntur. Quòd enim homines ſecundum mores commutentur in belluas, docet Chryſoſt. hom. 23. in Geneſ. cum de præclariſſimo Patriarcha Noë verba facit; quem ſolum inter impios illius temporis homines, hominis nomine dignum cenſet: Hic, inquit, ſolus homo, ceteri autem, non homines, ſed humanam gerentes formam, & ex hominibus in beſtias mutati: malitia voluntatis generoſitatem naturæ amiſerunt, &c. Item eadem homilia: Tunc homo eſt, quando virtutem colit. Neque enim ſpeciem habere hominis, & oculos, & nares, & os, & genas, & cetera membra, hominem eſſe oſtendunt. Hæc enim membra ſunt corporis. Hominem illum dicimus, qui imaginem hominis ſaluam retinet. Quæ autem eſt imago hominis? Rationalem eſſe. Verùm non hoc ſolùm fuerit hominem eſſe, ſed & virtutibus eſſe deditum, & vitia fugere, & illicitis affectionibus imperare, & mandatis dominicis obtemperare, &c. Vis videre homines in beſtias ſerpentesque ſecundum mores conuerſos? Audi Ieremiam: *Equi amatores & emiſſarij facti ſunt. Vnuſquiſque ad vxorem proximi ſui hinniebat.* Iſaias quoque: *Canes*, inquit, *impudentiſſimi neſcierunt ſaturitatem.* Pſalm. *Venenum aſpidum ſub labiis eorum.* Et Pſalm. *Furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis ſicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas.* Et Ioannes: *Progenies viperarum, quis demonſtrauit vobis fugere a ventura ira?*

Quis ſit dicēdus homo.
Ierem. 5.
Iſaiæ 56.
Pſal. 13.
Pſal. 57.
Matth. 3.

Tentatus eſt Chriſtus: Quonam modo hoſtem repulerit ac vicerit diligēter animaduertere oportet. Scripturæ clypeo omnia ſatanæ iacula reiecit; vt aduerſariorum igneā tela, diuini verbi fideique ſcuto doceret eſſe exſtinguenda; iuxta illud Paulli: *In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea exſtinguere.* Ignea ſunt nequiſſimi tela, tartareo igne flagrant, tartareas flammas vomunt, tartareum ardorem viſceribus inferunt: diuina verò Scriptura è paradiſo manans fluuius eſt; cuius nitidiſſimis aquis exſtinguuntur. Dauidicæ turris mentio fit omni armorum genere inſtructæ: quæ diuinæ Scripturę ſimilitudinem habet. Etenim aduerſus omnes hoſtis oppugnationes arma omnibus ſuppeditat. *Sicut turris Dauid*, ait Salomon, *collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*, &c. collo verba effunduntur. Eccleſiæ ergo collum, quo ſacra verba proferuntur, inſtar turris eſt: quæ verba diuina veluti clypeos, fortiſſimaq; aduerſus omnes dæmones munimenta ſubminiſtrare numquam deſinit. Quemadmodum è turre Dauidis mille pendebant clypei, ita ex collo ſponſæ Chriſti mille pendent aurea Scripturæ ſacræ dicta, quibus gemmatis veluti torquibus exornatur. O anima quæ Chriſti ſponſa eſſe cupis, ſupra pectus monilia hæc ſuſpende; ſemperque ſuſpenſa geſta; quæ te officij moneant tui. His clypeis dextrum latus protege; ne hoſtium ſagittis pateat. Siniſtrū latus clypeo tegere ſolent milites; at nobis dextrum potius tegendum eſt, vt D. Bernardus ſcribit, in illa verba Pſalmi 90. *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis*; ſermone 8. Sæcularis, inquit, militia in ſiniſtro tantum latere clypeum portat; non imitemur, &c. Dextrum autem latus Bernardus ait ſpiritalia ſignificare; ſiniſtrum caduca. Is ſiniſtrum latus clypeo tuetur, qui caduca bona maximè curat atque defendit. Is dextrum protegit, qui ab ſpiritalibus atque æternis pericula omnia Scripturarum fideique ſcuto propulſat.

Ephes. 6. Scriptura diabolus vincitur.
Cant. 4.
Eccleſia collum turris Dauid ſuppeditās arma ex Scripturis.
Scripturæ ſacræ dicta, monilia colli Eccleſiæ.
Bernar. in Pſal. 90. Latus dextrum clypeo tegendum.

Eſſe autem ſacros libros Chriſtianorum munimentum validum, docet Chryſoſtomus, Pſalmo 143. his verbis: Domi, inquit, & in foro, & ludentes, & in otio, nos inuadunt dæmonum phalanges. Quare oportet nos eſſe perpetuo munitos. Bellum enim hoc nullam nouit dilationem, nec vllas inducias; nec habet legatos, nec fæciales, nec aliquid eiuſmodi. Bellum enim non indicitur; & ideo oportet ſe maximè vndequaque munire, & conuenienti alimento validum firmumque reddere. Huius verò belli commeatus, & horum militum arma, ſunt diuinarum Scripturarum auditio, ea qui non fruitur, fame perit, &c. Lege eumdem Chryſoſtomum homil. 3. de Lazaro: Ex omni parte tela volitant, ait illa homilia Pater ſapientiſſimus, vnde neceſſe eſt indeſinenter à Scripturis armaturam ſumere, &c. Eodem loco ſacros libros veluti artis inſtrumēta eſſe docet, quæ Chriſtianos parata ſemper habere neceſſe eſt: Non vides, inquit, fabros ærarios, argentarios, aurifices, denique eos, qui quamcumque exercent artem, omnia artis inſtrumenta habere parata & integra: quamuis compellat fames, & affligat inopia, omnia præoptantes ſuſtinere potiùs, quàm vt ex inſtrumentis artificij quidpiam vendere velint, atque hinc alij? Quemadmodum illis inſtrumenta ſunt malleus, incus, forceps; ſic & nobis artis inſtrumenta ſunt Apoſtolorum, atque Prophetarum libri, omnisque Scriptura diuinitus inſpirata & vtilis. Et quemadmodum illi per inſtrumenta, quidquid faciendum ſuſceperint, perficiunt; ita ſane & nos per hos fabricamus animam noſtram, deprauatamque corrigimus, & inueteratam renouamus, &c.

Noſtrū bellū nō habet inducias.
Scripturæ arma ſunt aduerſus dæmonem.
Scripturæ artis inſtrumenta.

Nullus ergo Chriſtianus artis careat inſtrumentis, videlicet ſacris libris (ſi doctus ſit) & ſpiritualibus aliis, Latino vulgarive ſermone conſcriptis; quos veluti riuos, ex ſacrorum librorum, Patrumque fontibus, viri virtute & ſapientia præclari ad irrigandos Chriſti hortos, id eſt, Chriſtianorum animos deriuarunt. Hæc egregia eſt Chriſtiani hominis ſupellex, hæc ſunt Chriſtianæ inſtrumenta artis, quæ hominem Chriſto Opt. Max. docet debitum exhibere cultum, amorem, atque ſeruitutem. Hic panis noſter eſt, iuxta illud Domini: *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Viuit pane corpus; verbo Dei viuit animus. Vnde D. Hieronymus in hæc verba ſcribens, Matthæi 4. Si quis, inquit, non veſcitur verbo Dei, iſte non viuit, &c. Et Auguſtinus ſermone 56. de tempore: Certiſſimè, inquit, ſcitote, quia qualis eſt caro, quæ poſt multos dies percipit cibum, talis eſt anima, quæ aſſiduæ non paſcitur verbo Dei. Quomodo caro per famem ſicca & tenuis veluti quoddam ſimulacrum efficitur; ita & anima, ſi verbi Dei cibo non paſcitur, arida, & inutilis, & ad nullum opus bonum congrua inuenitur, &c.

Matth. 4. Verbū Dei panis noſter.

At proh dolor! multi cæleſtem hunc panem faſtidiunt; tartareum panem expetunt. Vt enim ait Salomon: *Suauis eſt homini panis mendacij.* Tartareis typis excuſi prodeunt libri hæretici & laſciui, qui bonos mores aſpergunt maculis turpiſſimis. *Si corrumpunt*, Paullo teſte, *bonos mores colloquia praua*; corrumpunt & libri praui, cum quibus lectores diu colloquuntur, non mores ſolùm, ſed etiam fidem: quamobrem in perpetuum exſulium amandandi ſunt. Spiritales verò libri, qui fidem tuentur, mores exornant, cæleſtium rerum pulcritudinem ob oculos ponunt, Orci tormenta in memoriam aduocāt, peccati turpitudinem ſuis coloribus pingunt, caducarum rerum inanitatem patefaciunt, ſpiritalium firmitatem edocent, nocturna diurnaque manu perpetuò ſunt verſandi. Elegit Dauid ſibi quinque limpidiſſimos lapides de torrente, vt aduerſus gigantem

Prou. 20.
1. Cor. 15.
De libris legendis & fugiendis.
1. Reg. 17.

gantem præliaretur. Similem in modum Christiani viri feminæque ex huiusmodi libris, veluti torrentibus cælesti pluuia exundantibus, non quinque solùm, verum mille limpidissimos lapides eligunt, hoc est, mille limpidissimas sententias, mille præclarissima dicta; vt aduersus Orci phalangas certent. Quemadmodum lapides in peram misit Dauid, sic ex libris decerptas sententias in memoriam oportet mittere; funda deinde cùm opus fuerit, hoc est, cordis & oris vehementi rotatu, in gigantis caput iacere. Iuxta illud D. Hieronymi, Zachariæ 9. Nihil ita percutit, vt exemplum de Scripturis sanctis, & testimonium rotatu oris emissum, &c. *Faber ferrarius nõ inueniebatur in omni terra Israël. Cauerant enim Philisthiim, ne fortè facerent Hebræi gladium aut lanceam*, &c. Philisthæi, hoc est, dæmones, hoc cupiunt, ne sint fabri in Israël; ne concionatores, ne spiritalium librorum scriptores, qui Christiano populo arma fabricent ac suppeditent. Sed irritum illorum est desiderium. Non enim desunt, qui arma fabricent; vtinam non desint, qui fabricatis aduersus impios hostes vtantur.

1. Reg. 13.

CAPVT XI.

Morale.

De tentationibus.

DIXIMVS de prima tentatione capite superiori; de secunda tertiaque hoc capite dicendum est. Non semel tantùm diabolus tentat; sed instat atque vrget, prælium instaurat, sæpius tentat. Non vnum telum diabolus habet, ait Ambrosius Luc. 4. Frequentat spicula; vt aut præmio vincat, aut tedio, &c. Gregorius libro tertio Moral. cap. 8. Antiquus hostis quo valentius vincitur, eo adhuc ad insidias ardentius instigatur, &c. Cassianus libro 5. cap. 19. Athleta Christi quantò magis triumphorum successibus creuerit; tantò ei etiam colluctationum robustior ordo succedit, &c.

Diabolus sæpe tentat.

Prima tentatione victus hostis à Christo Opt. Max. ad secundam transiit: in pinnaculo templi illum statuit, & dixit: *Mitte te deorsum.* Vox hæc diaboli est. *Mitte te deorsum*: hic tentationum illius scopus, hic finis, deorsum in peccatum tartareasque flammas mittere. Vnde Hieronym. Matthæi 4. *Mitte te deorsum*: vox est diaboli, quæ semper omnes cadere deorsum desiderat, &c. D. Ambrosius: *Mitte te deorsum*: verè diabolica vox; quæ mentem hominis de altiore gradu meritorum præcipitare contendit. Quid enim tam proprium diabolo quàm suadere, vt vnusquisque mittat se deorsum? &c. D. Maximus hom. 4. Diabolicæ, inquit, est consuetudinis præcipitium persuadere, &c.

Matth. 4.

Diabolus conatur nos mittere deorsum.

Non misit ille deorsum Christum, sed tantummodò dixit: *Mitte te deorsum*. Infirmitatem suam, ait Ambrosius loco citato, diabolus militiamque designat; quia neminem potest mittere deorsum, nisi ipse se miserit, &c. D. Hieronymus: Persuadere, inquit, potest, præcipitare non potest, &c.

Diabolus suadere potest, nõ præcipitare.

Vt autem persuadeat facilius, Angelorum manus pollicetur: *In manibus*, inquit, *tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Et verè quidem angelorum tibi manus pollicebitur; angelorum inquam non cælestium, sed inferorum. Si enim te deorsum miseris, procul dubio tartareorum angelorum manus, siue potius vngues tenacissimi *tollent te; nec offendes ad lapidem pedem tuum*: sed offendes ad æternas flammas animam corpusque tuum; in iisque perpetuò demersus, insanum casum inutili fletu deplorabis. Timet quispiam peccati præcipitium: deorsum se mittere scelus aliquod metuit. Quid hic aget callidus tentator? timorem animo pellere conabitur, securum reddet hominem, misericordiam Dei ob oculos ponet, quæ manibus è peccato illum tollat; ne forte æterno igni mancipetur. Sic timore mortis Euam liberauit, Genes. 3. *Nequaquam*, inquit, *moriemini*: quasi dicat: Mitte te deorsum ô Eua, non mors, sed vita suis te tollet manibus. Sic Dan. 13. per iudices illos iudicij expertes, Susannæ omnia tuta pollicetur, vt in peccatum se præcipitem det: *Ecce*, aiunt, *ostia pomarij clausa sunt, & nemo nos videt*, &c. Sic per procacem feminam, iuuenem deorsum mittit: *Non est vir in domo sua: abiit via longissima, sacculum pecuniæ secum tulit, in die plenæ lunæ reuersurus est in domum suam, &c.*

Diab. metu hominẽ liberat, vt deorsum se mittat.

Genes. 3.

Prou. 7.

At tu, si sapis, cùm diabolus te tentarit, non quas pollicetur Angelorum manus; sed cacodæmonum paratos vngues barathrumque Orci horrendum ante oculos propones, æternaque illa tormenta considerabis, in quæ si deorsum te miseris ita incides, vt surgere numquam valeas. Chrysostomus: Quando, inquit, te inuaserit cupiditas corporalis, reputa ignem. Reputa ipsius peccati voluptatẽ, quòd nullius sit pretij; quòd nec habeat quidem voluptatem. Si enim legum, quæ hic sunt latæ, metus, tantam vim habet, vt nos à prauis abducat actionibus; multò magis futurorum memoria, supplicium immortale, pœna sempiterna. Si metus Regis terreni à tam multis nos abducit malis, quantò magis metus Regis æterni? &c.

Chrysost. ad Thess. hom. 2.

Præterea vox est diaboli: *Mitte te deorsum*: hoc est, mitte te in terram, in terrena negotia, in terrenas cupiditates, cælestia minimè cura. Ambrosius Lucæ 4. Qui relictis, inquit, cælestibus eligit terrena, voluntarium quoddam præcipitium vitæ labentis incurrit, &c. Vox similis diaboli est, ex sententia Magni Gregorij, in commentariis Regum libro quinto capit. 13. illa, quæ exstat apud Isaiam: *Incuruare, vt transeamus*, &c. Incuruari nos vult diabolus ad terrena, ipsius pedibus subiici ac conculcari. Vnde sequitur apud Prophetam: *Et posuisti vt terram corpus tuum, & quasi viam transeuntibus*, &c. Gregorius loco indicato: Erecta, inquit, sublimis est anima, incuruata humilis. Quia per virtutum celsitudinem, & per cæleste desiderium, in alta sustollitur. Sed quando ad vitia, vel ad sæculi amorem defluit; illuc quidem cadit, vbi hanc hostis irruens leuiter atterit. Dicunt ergo animæ: *Incuruare, vt transeamus*: quia si hanc ad agenda, vel cogitanda terrena non humiliant, nec malignis persuasionibus penetrant, nec vitiorum bello perturbant, &c. Idem eodem loco: Maligni, inquit, spiritus in iis cordibus resident, quæ in alto amore cælestium sublimata non vident, &c. Eodem loco docet eos, qui terrena quærunt, in locis habitare planis, vbi facile est hostibus castra locare, incolasque expugnare: Dum terrena, inquit ille, quærunt, veluti plana & humilia incolunt; vbi inuisibiles hostes castra ponere leuiter possunt, &c. Qui verò cælestia ambiunt, ij celsis in rupibus atque arcibus habitant: quas expugnare hosti est difficillimum.

Diaboli vox est, Mitte te deorsum, *in terrenas cupiditates.*

Isaiæ 51.

Qui terrena quærunt, in locis planis habitãt, vbi facile est hostibus castra ponere.

Animum quoque ad locum aduerte, in quem diabolus Christum duxit, videlicet, in pinnaculum templi: Pinnacula diabolus amat, pinnacula quærit, in pinnaculis retia tendit; è pinnaculis deorsum facilè mittit: hoc est, è celsis locis, honoribus, dignitatibus. Sunt enim huiusmodi pinnacula plena periculis, plena insidiis, plena laqueis, ventis tempestatibusque maximè exposita. D. Isidorus lib. 3. de Summo bono cap. 51. Quantò quisque in superiori constitutus est loco, tantò in maiori versatur periculo, &c. Hinc illud D. Augustini epist. 144. ad

Pinnacula bonorũ sunt periculis & tẽtq; plena.

Anasta-

Anastasium: Mundus iste periculosior est blandus, A quàm molestus, & magis cauendus est, cùm se illicit diligi, quàm cùm admonet cogitque contemni, &c.

Iam verò, quàm sit periculosum templi pinnaculum, id est, ecclesiasticus, Episcopi, pastorisque honos, qui scire velit, Magni Gregorij libros legat, quos de Pastorali cura vigilantissimus pastor scripsit. Legat epistolam 148. Augustini ad Valerium: Ante omnia, ait Augustinus, peto, vt cogitet religiosa prudentia tua, nihil esse in hac vita, & maximè hoc tempore, facilius, & lætius, & hominibus acceptabilius, Episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio; si perfunctorie atque adulatoriè res agatur. Sed nihil apud Deum miserius, & tristius, & damB nabilius. Item, nihil esse in hac vita, & maximè hoc tempore, difficilius, laboriosius, periculosius, Episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio; sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster Imperator iubet, &c. Quia verò Augustinus pinnaculi huius periculum animaduertebat, ideo, vt eadem epistola testatur, flebat ordinationis suæ tempore: Periculosissimum, inquit, iudicabam hoc ministerium. Et hinc erant lacrymæ illæ, quas me fundere in ciuitate, ordinationis meæ tempore, nonnulli fratres animaduerterunt, &c. Et serm. 49. de diuersis: Elegi, inquit, in domo Dei mei abiectus esse, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Ab eis qui diligunt sæculum segregaui me. Nec in conuiuio Domini mei superiorem C locum elegi, sed inferiorem & abiectum; & placuit illi dicere: Ascende sursum. Vsque adeò autem timebam Episcopatum, vt quoniam cœperat esse alicuius iam momenti inter Dei seruos fama mea, in quo loco sciebam non esse Episcopum, ne illò accederem cauebam. Et hoc agebam quantum poteram, vt in loco humili saluarer, ne in alto periclitarer. Hæc ille.

D. August. flet ordinationis suæ tempore, & in loco humili saluari cupit.

Templi tectum, teste Iosepho, verubus horrebat aureis; sic & excelsa honoris pinnacula verubus horrent. Sunt illa quidem aurea; sed sunt verua, quæ si non corpus, certè animum multorum transfigunt ac cruentant. Lege D. Bernardum: Si tentatio, inquit, est vita hominis cuiusque super terram; D quantis putatis periculis patet vita Pontificis, cui omnium necesse est ferre tentationes? Si ego latens in cauerna, & quasi sub medio fumigans, ventorum tamen impetus, nec sic declinare sufficio; sed continuis tentationum variisque fatigatus impulsibus, instar vento agitatæ arundinis, hac illacque circumferor. Quid positus supra montem, positus supra candelabrum? &c.

Bernard. epist. 42.

Non pastorem solùm ex his pinnaculis, sed oues simul, diabolus deorsum mittit. Vt enim, ait Gregorius prima parte Pastoralis cap. 2. cùm pastor per abrupta graditur, ad præcipitium grex sequitur, &c. Superbiæ autem vento hoc pinnaculum perflari, cap. 3. indicat, dum ait, Christum mundi præceptoE rem illud fugisse, & Crucem expetiuisse: Exemplum, inquit, se sequentibus præbens, Rex fieri noluit: *Cùm cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Ad Crucis verò patibulum, sponte peruenit: vt membra eius discerent, pro veritate aduersa diligere; prospera formidando declinare. Quia & prospera sæpe per tumorem cor inquinant; & aduersa per dolorem purgant. In illis se animus erigit; in istis etiam quando se erexerat, sternit. In prosperis homo se obliuiscitur; in aduersis ad sui memoriam reuocatur; in illis sæpe & anteacta bona depereunt; in istis longi quoque temporis admissa terguntur. Nam plerumque aduersitatis magisterio sub disciplina cor premitur: quòd si ad regiminis culmen eruperit, in elatione protinus vsu gloriæ permutatur, &c.

Pinnaculũ honorũ superbia perflat ventus.

Ioan. 6.

Aduersa, prosunt, prospera obsunt.

Idem Pontifex sapientissimus in epistola 5. ad Theoctistam Imperatoris sororem, eos qui in pinnaculum honoris ascendunt, si virtute careant, cadere potius quàm ascendere scribit. Iuxta illud: *Deiecisti eos, dum alleuarentur.* Non dixit Psalmographus, ait Gregorius, deiecisti eos, postquam alleuati sunt, sed dum alleuarentur; quia praui quique, dum temporali honore suffulti foris videntur surgere, intus cadunt. Alleuatio ergo ipsa ruina est. Quia dum gloria falsa subnixi sunt, à gloria vera euacuantur. Hinc iterum dicit: *Deficientes quemadmodum fumus deficiunt:* fumus quippe ascendendo deficit, & sese dilatando euanescit. Sic videlicet fit, cùm peccatoris vitam præsens felicitas comitatur. Quia vnde ostenditur vt altus sit, inde agitur, vt non sit. Hinc rursus scriptum est: *Deus meus pone illos vt rotam.* Rota quippe ex posterioribus attollitur; & in anterioribus cadit. Posteriora autem nobis sunt bona præsentis mundi, quæ relinquimus: anteriora verò sunt æterna & permanentia; ad quæ vocamur, Paullo testante, qui ait: *Quæ retro obliti, in ea quæ sunt priora me extendens.* Peccator autem, cùm in præsenti vita profecerit, vt rota ponitur: quia in anterioribus corruens, ex posterioribus eleuatur. Nam cùm in hac vita gloriam percipit, quam relinquit; ab illa cadit, quæ post hanc venit, &c. Hæc ille.

Cadũt, qui absque virtute in pinnacula adscendunt.

Psal. 72.

Psal. 36.

Psal. 82.

Phil. 3.

Sic præcipit Deus: *Cùm ædificaueris domum nouam, facies murum tecti per circuitum: ne effundatur sanguis in domo tua, &c.* Iubet Deus celsa domus tecta ac pinnacula muro circumdari, ob casus periculum. Eumdem in modum honoris pinnacula muro cingenda sunt, ob periculum ruinæ: muro, inquam, virtutum omnium. Pontifex Heli, vt legitur, *Cecidit de cella retrorsum, & fractis ceruicibus mortuus est.* Videlicet, sella illa, quæ ex Hebræo, thronus etiam dicitur, à tergo, vt obseruat Abulensis, fulcimentum non habebat, quo caput corpusque sustentari posset. Ideoque retrorsum Heli cecidit, fregitque ceruicem. Væ illi Pontifici & Reipub. gubernatori, cuius pinnaculum muro caret, cuius thronus virtutum fulcimenta non habet. Id illi planè continget, quod Heli contigit. Sæpe corruet, sæpe morietur, si non corpore vt Heli, certè animo, quòd est multò peius. Vide qualem sibi thronum Salomon Rex fabricarit: Eburneus erat, auro contectus, & leonibus exornatus. Hæc sunt Regij ac Pontificij throni fulcimenta, hi pinnaculorum muri. Scilicet, caritas, quam aurum adumbrat: aduersus omne peccatum iustitiamque fortitudo, quam leonum robur indicat: totius animi puritas ac candor, quem eboris nitor designat.

Deut. 22.

Honoris pinnacula muro cingenda sunt.

1. Reg. 4.

Heli thronus.

3. Reg. 10. Salomonis thronus.

Throni fulcimenta.

Illud etiam est obseruandum, diabolum in secunda hac tentatione vsum esse testimonio Scripturæ: *Angelis suis Deus mandauit de te, &c.* vt Christo volatum ac iactantiam persuaderet. Vtitur autem diabolus, ait D. Ambrosius Lucæ 4. testimoniis Scripturarum, non vt doceat, sed vt fallat, &c. Diabolum hæretici imitantur, qui Scripturis nefarias hæreses confirmare adnituntur: vt venenum mortiferum Scripturarum dulci melle conditum insipientibus propinent; & diuinæ veritatis pulcerrimo ornatu turpissimum mendacium contectum persuadeant. Mendacium enim, & error, siue hæresis, si nuda ostendatur, exploditur; si Scripturæ verbis cõuestiatur incautos decipit. D. Irenæus in præfatione lib. 1. Error, inquit, secundum semetipsum non ostenditur; ne denudatus fiat comprehensibilis. Suasorio autem cooperimento subdolè adornatus,

Diabolus & hæretici Scripturis vtuntur, vt fallant.

Matth. 4.

tus,& ipsa veritate (ridiculum est dicere)veriorem A
semetipsum præstat, vt decipiat exteriori phantasmate rudiores, &c.

Vincent. Lirinens. Vincentius Lirinensis antiquus Pater, qui, vt ait Gennadius, Theodosio & Valentiniano regnantibus è vita excessit, in libro quem egregiè contra hæreses scripsit, cap. 35. Sciunt, ait, hæretici fœtores suos nulli ferè citò esse placituros, si nudi & simplices exhalentur: atque idcirco eos cælestis eloquij, velut quodam odore aspergunt. Vt ille, qui humanum facilè despiceret errorem, diuina non facilè contemnat oracula. Itaque faciunt, quod ij solent, qui paruulis austera quædam temperaturi pocula, prius ora melle circumlinunt; vt incauta ætas, cùm dulcedinem præsenserit, amaritudinem B
non reformidet. Quod etiam iis curæ est, qui mala gramina & noxios succos medicaminum vocabulis præcolorant; vt nemo ferè, vbi supra scriptum legerit, remedium, suspicetur venenum, &c. Et cap. 36. Hæretici manente luporum ferocia, legis diuinæ sententiis, velut quibusdam velleribus, se obuoluunt. Vt cùm quisque lanarum molliciem præsenserit; nequaquam aculeos dentium pertimescat. Hæc ille egregiè.

Hæreticos autem diabolum hac in re imitari docet D. Irenæus, lib. 5. cap. 21. cùm ait, satanam hac secunda tentatione mendacium suum Scripturæ verbis velasse: Mendaciũ, inquit, abscondit diabolus per Scripturam; quod faciunt omnes hæretici,
Orig. hom. 31. in Luc. &c. Et Origenes: Legisti, ait, diabole Scripturas, C
non vt ipse ex lectione melior fieres, sed vt simplicitate eos, qui amici litteræ sunt, interficias. Sic legit Scripturas Marcion, vt diabolus, sic Basilides, sic Valentinus, &c. D. Ambrosius Luc. 4. Disce hîc, quia satanas transfigurat se velut Angelum lucis; & de Scripturis ipsis sæpe diuinis laqueum fidelibus parat. Sic hæreticos facit, sic euiscerat fidem, &c. Lege Tertullianum, de præscriptionibus hæreticorum, cap. 38. 39. & 40. Neque periclitor dicere, ait ille, cap. 39. ipsas Scripturas sic esse ex Dei voluntate dispositas, vt hæreticis materias subministrarent: cùm legam oportet hæreses esse: quæ sine scripturis esse non possent. Sed quæritur à quo intellectus interpretetur eorum, quæ ad hæreses fa- D
ciant? A diabolo scilicet, cuius sunt partes interuertendi veritatem, &c. Vincentius Lirinensis, cap. 35. Vtuntur, inquit, hæretici diuinæ Scripturæ testimoniis, & vehementer quidem. Nam videas eos volare per diuinæ legis volumina. Lege Paulli Samosatani opuscula, Priscillani, Eunomij, reliquarumque pestium, cernes infinitam exemplorum congeriem: prope nullam omitti paginam, quæ non noui aut veteris Testamenti sententiis fucata & colorata sit, &c.

Luca 4. Hæreticorũ vox est, Mitte te deorsum, ex fide in hæresim. Capite 37. docet, hæreticorum, qui membra sunt diaboli, vocem illam esse: *Mitte te deorsum*, id est, ex Ecclesiæ Catholicæ arce præcipita te in barathrum hæreseos. Quod vt suadeant, Angelorum E
manus promittunt, à quibus sine labore in cælum sectatores sustollantur. Magnopere, inquit Vincentius, nobis huius loci doctrina attendenda atque retinenda est; vt tanto euangelicæ auctoritatis exemplo, quando aliquos apostolica seu prophetica verba proferre contra Catholicam fidem viderimus, diabolum per eos loqui minimè dubitemus. Nam sicut tunc caput capiti; ita nunc quoque membra membris loquuntur; membra scilicet diaboli membris Christi, hæretici Catholicis. Sed quid tandem dicit? *Si*, inquit, *Filius Dei es, mitte te deorsum:* id
Matth. & Luca 4. est, filius esse vis Dei, & hæreditatem regni cælestis accipere? *Mitte te deorsum*, id est, ex istius te sublimis Ecclesiæ, quæ etiam templum Dei putatur, doctrina & traditione demitte. Ac si quis interrogaret quempiam hæreticorum sibi talia persuadentem. Vnde probas, vnde doces, quòd Ecclesiæ Catholicæ vniuersalem & antiquam fidem dimittere debeam? Statim ille dicet: scriptum est enim; & continuò mille testimonia, mille exempla, mille auctoritates parat; de lege, de Psalmis, de Apostolis, de Prophetis, quibus nouo & malo more interpretatis, infelix anima ex arce Catholica, in hæreseos barathrum præcipitetur. Iam verò illis, quæ sequuntur promissionibus, miro modo incautos homines hæretici decipere consueuerunt. Audent enim polliceri & docere; quòd in Ecclesia sua, id est, in cõmunionis suæ conuenticulo, magna quædam Dei sit gratia. Adeò vt sine vllo labore, sine vllo studio, sine vlla industria, etiamsi nec quęrant, nec petant, nec pulsent, quicumque illi ad numerum suum pertinent, tamen ita diuinitus dispensentur, vt angelicis euecti manibus, id est, angelica protectione seruati, numquam possint offendere ad lapidem pedem suum; id est, numquam scandalizari. Hæc ille.

Hæreticorũ huius tẽporis vox. Nostri temporis hæreticis quàm hæc congruant, compertum est. Eorum enim vox est diabolica, *Mitte te deorsum*, id est, ex Romana, Apostolica, & Catholica Ecclesia, super altissimam Petram exædificata: mitte te in barathrum Lutheri, in Caluini, reliquarumque pestium voraginem te præcipita. Nihil mali timeas; tantummodo crede: *Angelis enim suis Deus mandauit*, vt si credas, in manibus tollant te, & cælo inferant. Tum ex Scripturis impiè expositis, pestifera dogmata probare, & tenebras imperitis hominibus offundere conantur. Etenim vt Augustinus ait tractatu 18. in Ioannem: Non sunt natæ hæreses, & quædam dogmata peruersitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia; nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non bene: & quod in eis non bene intelligitur, etiam temere & audacter asseritur, &c. At tu cum Christo, diaboli membris respondes: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Is enim Deum tentat, qui absque scala, quam Deus in cælum erexit, id est, absque Ro-
Matth. & Luca 4. manæ Catholicæque Ecclesiæ fide, & bonis, sanctisque operibus, in cælum vult conscendere.

3. Tentatio fortior fuit. Tentatio tertia validior fuit, vt Chrysostomus obseruat. Nõ enim vnius aut alterius, sed omnium regnorum pollicitatione, Christum diabolus oppugnauit. Chrysostomus: Quasi omnibus vitiis fortiorem pecuniarum cupiditatem, postremo loco diabolus posuit. Hic quippe mos est deceptionis eius: vt quæ magis ad supplantandum idonea esse credit, hæc adhibeat extrema, &c.

Chrysost. hom. 13. in Matth.

Habac. 2. *Super omnem munitionem ridebit, comportabit aggerem, & capiet eam.* De Nabuchodonosore verba facit Vates, sensu litterali. Sensu verò morali, diabolus quoque aggerem comportat; id est, terræ diuitiarumque aceruos, vt animos capiat. Vide quàm celsum extulerit aduersus Christum montem; vniuersam oppositi terram. *Ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum: & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo.* Sed omni aggere celsior erat arx, quam oppugnabat; ideo profecit nihil, vnicoque verbo deiectus ac superatus terga vertit.

Ex aggere terræ pugnat diabolus.

Matth. 4.

Hebraicè apud Habacuc sic legitur, si verbum reddas verbo: *Coaceruabit puluerem, & capiet eam.* Regna omnia eorumque gloria, quid nisi puluis sunt? hoc puluere diabolus pugnat; hoc oculos obcæcat; cælestique luce priuatos homines, in barathrum vitiorum præcipitat. Aquilis cum ceruis, teste Plinio, lib. 10. cap. 4. pugna est huiusmodi: Multum, inquit, puluerem, volutatu collectum, Aquila insidens cerui cornibus excutit in oculos; pennis

Habac. Diabolus cæcucis bonis nos oppugnat.

ora

ora verberans, donec præcipitet in rupes,&c. Dæmonis eiusdem modi cum hominibus est certamen: puluere diuitiarum honorisque certat,& tartareas in rupes præcipites agit.

Ne te puluere hostis superet,ne te ex hoc aggere pugnans vincat,expende Lucæ Euangelistæ verba: *Ostendit hac omnia in momento temporis.* Merito quidem temporis momento regna omnia,gloria,opesque orbis totius, demonstrantur à dæmone; siquidem momento temporis durant. Id quod D. Ambrosius animaduertit, Luc. 4. Bene, inquit, in momento temporis sæcularia & terrena demonstrantur. Non enim tam conspectus celeritas indicatur, quam caducæ fragilitas potestatis exprimitur. In momento cuncta illa prætereunt; & sæpe honor sæculi abit,antequam venerit,&c. Fortissimus clypeus,quo hæc repellitur tentatio, attenta est huius momenti consideratio. Qui enim animo attentó expendit, quàm sint huius mundi honores caduci, quàm vitrea sceptra, quàm fugaces opes: flocci omnia facit ac despicit. Vnde illud Hieronymi in epistola ad Paullinum:Facilè contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum, &c.

Caducæ res temporis momento præterent.

Honor sæpe abit, antequam veniat.

Aërea sunt & inania simulacra,regna omnia,atque opes, vigilantium sunt somnia, siue somniantium spectra temporis puncto prætereuntia; quem in modum temporis puncto aërea illa dæmonis spectra præterierunt. Iuxta illud Paulli: *Præterit figura huius mundi.* Felix, qui prætereuntem mundum præterit; qui aëris figuris non insistit, qui inanibus spectris non fallitur,qui solida quærit,& stabilia ac æterna ambit. At quis hic est, & laudabimus eum? Quid fecissemus, ait Gregorius Nazianzenus orat. 16. si prosperitas nobis firma & perpetua esset? cùm licet fluxa & fragilis sit, vsque eò tamen ipsi tamquam vinculis quibusdam astricti sumus, eiusque voluptate atque impostura in hanc seruitutem redacti; vt nihil præsentibus rebus melius atque excellentius cogitare possimus. Idque, cùm ad Dei imaginem, quæ & sursum est,& ad se trahit, creatos nos esse persuasum habeamus. Quis sapiens,& intelliget hæc? quis prætereuntia præteribit? quis stabilibus & æternis mentem adiunget? quis de præsentibus rebus, tamquam de abeuntibus cogitabit? quis picturam à veritate, quis vmbram à vita sempiterna discernet? Hæc Nazianzenus. Et oratione 17. Omnia, inquit, facilè in orbem feruntur, atque in diuersum migrant, sibique inuicem aduersantur. Vt ventis tutior, aut litteris in aqua scriptis, fides haberi posse videatur, quàm hominum felicitati, &c. Attalus apud Senecam epistol. 110. Quid, inquit, miraris? quid stupes? pompa est; ostenduntur istæ res, non possidentur: & dum placent, transeunt, &c.

Aërea simulacra, mundi honores & gloria.

2. Cor. 7. Prætereũnda quæ prætereunt.

Litteris in aqua scriptis confertur hominis felicitas.

Felicitas hominis põpæ similis præterit.

Ostendit diabolus regna momento temporis, & gloriam eorum,vt Matthæus scribit. Non ostendit molestias, curas, onera, pericula, quæ terrent; sed gloriæ inanis fucum,qui decipit. Meditantibus quidem honores blandiuntur, ait D.Bernard.epist. 42.sed onera pensantibus tædio sunt atque formidini. Non autem omnes capiunt hoc verbũ. Multi enim non tanta fiducia & alacritate currerent ad honores, si esse sentirent onera; grauari profecto metuerent, nec cum tanto labore & periculo quarumlibet affectarent infulas dignitatum,&c.

Diabolus honores ostendit,non onera.

Adde descendendum prius esse, vt ad fucatum vitreumque honorem ascendas.Pollicetur enim satan regna:sed prius cadere,prius adorare iubet. *Hæc omnia,* inquit, *tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Cadit prius,qui ambitiose cupit ascendere, vt docet Ambrosius Luc.4.Ambitio,ait,vt dominetur aliis,prius seruit: curuatur obsequio,vthonore donetur, &c.

Luc. 4. Ambitio descendit, vt ascendat.

Illud etiam attende diaboli verbum;Luc. 4. *Tibi dabo potestatem hanc vniuersam,& gloriam illorum:quia mihi tradita sunt,& cui volo do illa.* Cui volo,ait,do illa; dæmonem illi imitantur,qui magistratus,honores,ecclesiasticaque beneficia,quibus volunt,dant. Hoc est,non pro meritis,sed pro libito indignis tribuunt. Tu verò dæmonum dona caue; cui vult det illa: tu ne accipe: iis enim acceptis peribis. Græcam parœmiam in memoriam aduoca, ἐχθρῶν δόσεις δῶρα, hoc est, hostium dona, non sunt dona. Dæmonum munera, non sunt munera; laquei sunt, retia,vincula. Porrigit Euæ pomum; & surripit paradisum. Donat Iudæ triginta argenteos;& laqueo illi gulam frangit. Offert Absaloni regnum; & è quercu suspensum spoliat vita. Troiano equo à Poëta cantato similia sunt dæmonis dona. Equus ille Troiæ exitium attulit;dæmonis dona excidium homini inferunt. Hostium immane illud donum, prudens timebat Laocoon, apud Maronem sic ciues alloquens:

Luc. 4. Donãdi magistratus digni.

Dona hostium non sunt dona.

Æneid. 2.

O miseri, quæ tanta insania, ciues?
Creditis auectos hostes? aut vlla putatis
Dona carere dolis Danaum?
Quidquid id est: timeo Danaos, & dona ferentes.

Tu verò time dæmones, etiam dona ferentes & offerentes; nullaque putes dona illorũ carere dolis.

Denique *consummata omni tentatione,* ait D.Lucas, *diabolus à Christo recessit.* Consummare oportet omnem tentationem. Omnes gladij ictus necesse est in certamine fortiter repellere. Si multos repellas,vnum tantummodo corde excipias;& vulneraberis,& vita priuaberis. Ita omnes tentationes opus est in hac cum dæmone dimicatione reiicere. Si multas vincas, vna aliqua vincaris; mortifera affectus cordis plaga,miserandus corrues. Eò vsque tibi vincendæ sunt tentationes, quousque cum Domino tuo dicere possis: *Consummatum est.*

Luc. 4. Omnes tentationes sũt superandæ.

Nostra quidem victoria incruenta non est. Vincimus; & aliquando vincimur,vulneraque excipimus. Faxit Deus vt mortiferum sit nullum. Nostri autem ducis Christi Optim. Max. victoria peccati cruore omnino caruit. Vulnus peccati vel minimi accepit nullum; sed nec accipere potuit. Sic scribit sapientissimus Salomon: *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro: Viam aquilæ in cælo: viam coluhri super petram: viam nauis in medio maris:& viam viri in adolescentia,&c.* Colubro dæmonem,petra autem Christum significari, nemo qui sacras litteras vel à limine salutauit inficiabitur. Quemadmodum coluber in petra vestigium nullum relinquit: sic etiam tentator diabolus in Christo nullum peccati vulnus aut vestigium relinquere potuit. Hoc D. Ambrosius obseruauit, dum hæc verba Prouerbiorum exponit, post enarrationem Psalmorum: Diabolus,inquit,ideo serpens dicitur,quòd occultè serpat, & quod sensus hominis tenuiter illabendo pertentat: quos si conuixerit; medullis se hominum atque ossibus implicat & immergit. Qui in corpore hominis, quod omnipotens Christus induerat, nulla malitiæ suæ potuit imprimere vestigia: quamuis illud ausus fuerit sæpe tentare. Hæc est petra,id est, caro Christi,nulla inimici iniquitate respersa: in qua serpentis, id est, peccati alicuius vestigium non apparet, &c.

Nostra victoria cruenta est.

Prou. 30. In Christo nullũ peccati vulnus & nullum serpentis vestigium potuit reperiri.

Occultè serpit diabolus. Cur diabolus dicatur serpens.

In petra, quia res dura est, ait idem sanctissimus Pater,non facit vestigium coluber;indiciũ monstri huius non nisi molli signatur in puluere. Potuit in primitiuo homine Adam, quasi in puluere, vestigium facere. Peruenit ad petram, id est, Christum, in petra vestigium non fecit,&c. In molli puluere,

Serpens in mollis pulueres. 1. Voluptariis vestigia relinquit, non in petra.

hoc est, viris voluptariis ac mollibus, mille imprimit serpens tartareus vestigia: at durissimo in lapide, id est, viris pœnitentia vitæque austeritate obduratis, vestigium relinquere non potest. Si igitur tentationes vincere, si victoriam reportare, si triumphum de serpente tortuoso vis æternum agere, petra esto, non puluis: aduersus peccatum atque voluptatem animum obdura. Nam vt rectè ait Tertullianus, in lib. ad Martyres: Virtus duritia exstruitur, mollitia verò destruitur, &c. Mollis si fueris ac voluptarius, vinceris: si duro aduersus vitia animo ad mortem vsque pugnaueris, vinces. Tunc accedent Angeli, teque de sæuissimo hoste triumphantem cælo inferent. *Accesserunt ad Christum post victoriam Angeli, & ministrarunt ei*, cibumque exhibuerunt. Accedent quoque post debellatum dæmonem ad te, corporisque solutum ergastulo ad æternas ducent epulas. Apparent, ait D. Chrysostomus homil. 13. in Matth. Angeli, vt tu discas, quòd te quoque post confectam de diabolo victoriam, Angeli repentè suscipiant, plaudentes tibi. Sic Lazarum post fornacem paupertatis, totiusque angustiæ suscipientes, ad requiem pertulerunt, &c.

Duritia Virtus exstruitur, mollitia destruitur.

Matthæ.

CAPVT XII.

De testimonio Ioannis Baptistæ.

IOANN. CAP. I.

IOANNES testimonium perhibet de ipso, & clamat dicens: Hic erat, quem dixi: Qui post me venturus est, ante me factus est: quia prior me erat.

Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia. Quia lex per Moysem data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Deum nemo vidit vmquam: Vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.

EVANGELISTA IOANNES Euangelij sui initio, Baptistam hominem fuisse scripsit à Deo missum, vt testimonium de fulgentissimo lumine Christo perhiberet. Postquam igitur de lumine egit: Baptistæ testimonium attexuit huiusmodi: *Ioannes testimonium perhibet de ipso, & clamat, dicens: Hic erat, quem dixi: Qui post me venturus est, ante me factus est: quia prior me erat.* Iansenius & alij, qui Euangelistarum concordiam descripserunt, hoc testimonium, post baptismũ & ieiunium Christi à Baptista datum arbitrantur. Et rectè quidem arbitrantur. Nam tunc datum est, cùm post Baptismum & ieiunium Christus ad Ioannem venit, vt infrà dicemus. Et illa verba, *Hic est quem dixi*, Christum demonstrare videntur, post tentationes ad eum locum accedentem, in quo erat Baptista. Ideoque hoc loco, post ieiunium & tentationes, hoc testimonium collocatur. Dubia verò tria parit. Primum, cur dicatur Christus post Ioannem venisse? Secundum, cur dicatur factus ante Ioannem? Tertium, cur dicatur prior Ioanne?

Ioann. 1.

Testimoniũ Baptistæ redditum post Christi baptismum.

Christus cur dicitur venisse post Baptistam?

Primo dubio respondemus, Christum venisse post Ioannem, ad baptizandum & concionandum. Prius enim Ioannes in publicum prodiit, baptizauit, concionatus est, viamque Christo præparauit. Quamobrem Præcursor illius appellatur. Chrysostomus homil. 12. in Ioann. *Post me venturus est*, id est, prædicaturus. De aduentu secundum prædicationem Ioannes dicit, &c.

Secundum dubium sic soluitur, ex Augustino, Cyrillo, Chrysostomo, Theophylacto, Euthymio, & aliis: Christus dicitur factus ante Ioannem, non propterea quòd sit natus ante illum, vel conceptus. Nam sexto mense post Ioannis conceptionem conceptus est; iuxta illa Angeli verba ad Virginem Deiparam: *Hic mensis est sextus illi*, id est, Elisabethæ, *quæ vocatur sterilis.* Vnde D. Cyrillus: Emmanuel, inquit, id est, Christus, sex mensibus, Ioanne posterior fuit, &c. Scilicet, conceptione & natiuitate. Neque verò dici potest factus ante Ioannem secundum diuinitatem; quoniam Filius Dei genitus quidem est à Patre, sed non factus. Dicitur ergo factus ante Ioannem; quia Ioanni antefactus, id est, antelatus, siue prælatus est. Nam præpositio Latina *Ante*, & Græca ἔμπροσθεν, qua vtitur Ioannes, dignitatem significat. Vt: *Constituit Iacob Ephraim ante Manassem*, id est, præposuit Ephraim fratri Manassi. Similia sunt eiusdem Ioannis verba: *Qui post me venturus est, fortior me est*: idem est, *fortior me est*, & *ante me factus est*, id est, præstantior me factus est.

Quomodo Christus dicatur factus ante Ioãnẽ.

Luca 1.

Genes. 48.

Matth. 3.

Abutebãtur hoc loco Arriani ad confirmandam hæresim, quæ Verbo diuino diuinitatem denegabat. Sed euanuit illorum & hæresis & argumentum. Refutant Arrianos Chrysostomus, Theophylactus, & Rupertus; quoniam si Ioannes voluisset significare Verbum diuinum esse factum, ineptè caussam redderet, quæ sequitur: *Quia prior me erat.* Ineptum enim est dicere: Christus ante me factus, id est, conditus est, propterea quòd prior me erat. Immo contra loqui debuit: Prior me erat, quoniam ante me factus est. Græcè verbum est, γέγονεν, id est, fuit, vel factus est. Quamobrem D. Epiphanius hæresi 51. interpretatur: *Ante me fuit.* Sed verba sequentia hanc refellunt interpretationem. Non enim aptè hæc cohærent, *Ante me fuit: quia prior me erat*, vt perspicuum est. Rectè noster Interpres vertit: *Ante me factus est*, id est, ante me positus est; venit quidem post me, sed positus est à Deo ante me. Iam enim cùm Baptista hæc dicebat, Christus, etsi non hominum opinione, certè re ipsa tam secundum diuinitatem, quàm secundum humanitatem omnibus diuinis donis exornatissimam, illum longè superabat. Postea verò hominum opinione eo Christus honore est affectus, vt infinito post se interuallo reliquerit præcursorem. Hoc est, quod ille dixit Ioannis 3. *Illum*, id est, Christũ, *oportet crescere, me*

Arriani abutentes hoc loco redarguuntur.

me autem minui. Creuit enim lapis ille admirabilis, A id eſt, Chriſtus, Dan. 3. *Et factus eſt mons, & impleuit vniuerſam terram.*

Alter ſenſus.

Eſt alius horum verborum ſenſus non tacendus, quem D. Thomas in commentariis D. Ioannis propoſuit. *Ante me factus eſt* homo perfectus, ſecundum ſapientiam & rationis vſum perfectum. Iuxta illud Ieremiæ 31. *Mulier circumdabit virum.* Nam etſi Chriſtus poſt Ioannem conceptus eſt; tamen ante Ioannem rationis vſum & viri ſapientiam habuit, in primo conceptionis puncto. Conſtat, ait D. Thomas, quòd Chriſtus ante fuit conceptus, quàm Ioannes eſſet natus, & perfectus homo, & ideo dicit: *Ante me factus eſt*: quia ipſe prius fuit homo perfectus, quàm natus fuiſſet ex vtero, &c. Sed alter B ſenſus eſt potior.

Cur dicatur Chriſtus prior Ioanne.

Tertium dubium parum habet dubij. Erat Chriſtus prior Ioanne; quoniam *in principio erat Verbum.* Reddit Baptiſta rationem, cur ipſi ſit anteferendus Chriſtus: *Quia*, inquit, *prior me erat*, id eſt, quia æternitate me diuinitateque ſuperat. D. Cyrillus in Ioann. Priſcam, ait, & vetuſtiſſimam gloriam Ioannes Chriſto tribuit: Quia prior omnibus natura, vt Deus eſt, *Prior me erat*, id eſt, ſemper me ſuperior, ſemper glorioſior, &c.

Sintne verba hæc Ioannis Baptiſtæ, an Euangeliſtæ?

ET *de plenitudine eius nos omnes accepimus.* Hæc verba D. Baſilius in commentariis Pſal. 28. Origenes in Ioannem, D. Auguſtinus tract. 13. & in lib. de Gratia & Libero Arbitrio, cap. 9. & lib. 5. de Baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 9. D. Cyprianus C libro de Baptiſmo, Rupertus in Ioannem, Theophylactus, Caietanus, & Toletus, Ioanni Baptiſtæ tribuunt. Iuxta hanc ſententiam, quæ probabilitate non caret, confirmat Euangeliſta, quod dixerat, ſcilicet Verbum incarnatũ *plenum eſſe gratiæ & veritatis*, Baptiſtæ teſtimonio. Qui adeò gratia & veritate Chriſtum plenum fuiſſe teſtatus eſt, vt omnes de plenitudine eius accepiſſe affirmarit.

D. Cyrillus, D. Chryſoſtomus, Euthymius, Beda, Lyranus, & Ianſenius, Ioannis Euangeliſtæ verba eſſe malunt. In eamdem ſententiam propenſior ſum. Etenim videtur Euangeliſta, obiter, per parentheſim quamdam interpoſuiſſe teſtimonium illud Baptiſtæ: *(Ioannes teſtimonium perhibet de ipſo, & D clamat, dicens: Hic erat, quem dixi, qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt: quia prior me erat:)* deinde reuerti ad id, quod dixerat: *Plenum gratiæ & veritatis*: ac oſtendere, ex hac, de qua locutus fuerat, plenitudine omnes accipere. Præterea rectius cohærent verba hæc cum antecedentibus verbis Euangeliſtæ, ſcilicet, *Plenum gratiæ & veritatis*, quàm cum antecedentibus verbis Baptiſtę, videlicet: *Quia prior me erat.* Addo; hæc & ſequentia verba Euangeliſtæ potius, quam Baptiſtæ tempus ſonare.

Ioan. 1.

Ioannes Euangeliſta loquitur.

Itaque redit Euangeliſta ad id quod ſupra aſſeruerat, ſcilicet, Verbum incarnatum plenum fuiſſe gratiæ & veritatis. Non ſibi ſoli, ſed nobis quoque E plenum fuiſſe aſſerit, dicens: *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus.* Nam Chriſtus fons eſt gratiæ vberrimus, ex quo in omnes illa emanat. Iuxta illud D. Bernardi ſerm. 13. Cantic. Origo fontium & fluminum mare eſt, virtutum & ſcientiarum eſt Chriſtus, &c. Non continet in ſe aquas hic fons; foras etiam emittit. Iuxta illud Prouerb. 5. *Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide.* Multos habent hæ aquæ pretioſiſſimos ductus, quibus in omnes plateas, in omnes domos, in omnes ciuitates, in omnia regna deriuari poſſunt.

Ex Chriſti plenitudine nos gratiã accepimus.

Prou. 5.

Sacramẽta ſunt gratiæ ductus, ipſi fonti Chriſto ſimiles.

Sunt autem hi aquæ ductus ſacramenta, ipſi fonti ſimilia. Vt enim in Chriſto eſt diuinum Verbum cum carne aſpectabili coniunctum; ita in ſacramentis ſunt verba cum materia aſpectabili copulata; iuxta illud Auguſtini tract. 80. in Ioannem: Accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum etiam ipſum, tamquam viſibile verbum, &c. Et D. Thomas 3. p. quæſt. 60. artic. 6. Verbo, inquit, incarnato ſacramentum quodammodo conformatur in hoc, quòd rei ſenſibili verbum adhibetur; ſicut in myſterio incarnationis carni ſenſibili eſt Verbum Dei vnitum, &c. Quòd autem ſalutares aquas fons noſter foras diffundat, docet Chryſoſtomus homilia 13. in Ioannem, his verbis: Chriſtus fons eſt & radix omnium bonorum: non in ſe ipſo bonorum diuitias continens, ſed in vniuerſos diffundens, &c.

Non deſint, qui haurire velint, fons numquam deerit. Mille licet mundi ad hauriendum confluant, fons hic ſemper affluet. Si ex Oceano fontis alicuius aquas detrahas, aquis detractis minuitur Oceanus: ſi ex hoc fonte Oceanum accipias, Oceano accepto, plenus fons permanet. Chryſoſtomus eodem loco: Chriſtus, inquit, diffuſus diuitiis, plenus permanet: aliorum ſatietate minuitur. Sed diuitias ſuas elargitur ſemper vberius. Cumque omnes his bonis impartiat, in eadem permanet perfectione, &c. Confert idem Pater præclariſſimus fontem noſtrum cum fonte igneo, qui innumeras licet inflammet lucernas, integer ſemper, atque idem, abſque vlla detractione, cernitur: Conſtituamus, ait ille, nobis igneum fontem, à quo innumeræ accendantur lucernæ: & totidem, & item totidem; nónne eiuſmodi fons ita plenus eſt igne, quemadmodum antequam ex eo quidquam ſumeretur? Quòd ſi in corporibus, quæ in partes diuidi poſſunt, aliquod huiuſmodi inuenitur, vt poſt ſui communicationem, nullam diminutionem accipiant; quantò magis in incorporea & immortali illa potentia hoc contigerit? &c.

Chriſti gratiæ fons, qui exhauriri non poteſt.

Chriſtus fonti igneo ſimilis.

Fluuius egrediebatur de loco voluptatis, ad irriganDum paradiſum. Similem in modum, è loco ſummæ voluptatis, id eſt, Chriſto, fontes fluuijque ſacramentorum egrediuntur, ad irrigandam Eccleſiam vniuerſam. Lege Bernardum ſermone 1. natiuitatis, de fontibus Saluatoris. *Vnus militum lancea latus eius aperuit; & continuo exiuit ſanguis & aqua.* Ecce fluuium, ecce fontem è loco infinitæ voluptatis ſcaturientem. Ex vulneribus mortuorum hominum vermes ſcaturiunt: at ex vulneribus mortui Chriſti ſcaturiunt fontes. Diuus Ambroſius Pſalmo 37. ad illa verba: Miſeriis afflictus, &c. Non tabes, inquit, mortis de vulnere Chriſti, ſicut hominum ceterorum, ſed fons vitæ ſcaturiuit æternæ: Exiliuit de vulnere aqua, vt non biberemus ſalutem. Bibent omnes peccatores terræ, vt peccata deponant. Sic Ambroſius. Quid aliud ex fontibus Saluatoris, quàm ſalus poteſt emanare? Fontes autem Chriſti, fontes Saluatoris ſunt, vt ait Iſaias: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.*

Genes. 2.

Ioan. 19.

Iſaiæ 12.

Fons ægritudinis, id eſt, peccati & mortis, fuit Adamus: & de plenitudine eius, nos omnes originale peccatũ, ęgritudinẽ, & mortẽ accepimus. Fons ſalutis & vitæ eſt Chriſtus: & de plenitudine eius ſalutem hauſimus & vitam. Quemadmodum Adamus fuit communis quidam homo, & peccati radix: ſic Chriſtus eſt Deus & homo, omnibus communis, & radix gratiæ. Fuit Adam principium peccati: Chriſtus eſt principium & caput gratiæ. In Chriſto enim, vt ait diuus Thomas 3. p. quæſt. 19. art. 4. non ſolum fuit gratia, ſicut in quodam homine ſingulari; ſed ſicut in capite totius Eccleſiæ.

Chriſti & Adami diſſimilitudo.

Quemadmodũ in capite eſt plenitudo ſenſuum: ita in Chriſto eſt plenitudo omnium donorum, vt Auguſtinus ſcribit epiſtola 57. ad Dardanum: In quoli-

quolibet, inquit, quamuis præcipuo membro, quamuis diuinitas habitet: non tamen ſicut in capite, quod eſt Chriſtus, omnis plenitudo diuinitatis. Nam & in noſtro corpore ineſt ſenſus ſingulis membris; ſed non tantus, quantus in capite: vbi prorſus omnis quinquepartitus eſt. Ibi enim & viſus eſt, & auditus, & olfactus, & guſtus, & tactus: in ceteris autem ſolus eſt tactus, &c. Præterea, quemadmodum plenitudo eſt in capite, ex ea verò membra accipiunt: caput enim in membra influit: ſic plenitudo eſt in Chriſto, & ex illo Eccleſia haurit. Chryſoſtomus in homilia de Spiritu ſancto, tomo 3. Habuit Chriſtus donorum plenitudinem, quatenus impleta eſt caro eius omnibus chariſmatibus. Vnde opus fuit, vt inde accipere- B mus omnes ad menſuram & partes. Et inde Apoſtolis & Prophetis ex eo ſuppeditaretur. Ioannes Euangeliſta teſtatur, quòd in eo tota eſt plenitudo deitatis; & Paullus: *In quo inhabitat plenitudo diuinitatis corporaliter.* Non dixit ſimpliciter: in quo inhabitat diuinitas; *Sed plenitudo diuinitatis*, id eſt, omne diuinitatis donum. Et vt ne quis putet, quòd in Deo Verbo habitauerit, dicit: *In quo habitat omnis plenitudo deitatis corporaliter*, in carne eius, omnis plenitudo ſapientiæ, intellectus, virtutis, ſignorum, omnis operationis. A plenitudine eius mutuamur omnes. Ille accepit plenitudinem, nos de plenitudine, &c.

In Chriſto eſt plenitudo.

Coloſſ. 2.

Explicatur locus Pauli ad Coloſſ. 2.

Pauli Teſtimonium diuus Chryſoſtomus de donis exponit, in hanc ſententiam: *In Chriſto habitat* C *omnis plenitudo diuinitatis*, hoc eſt, plenitudo omnium donorum diuinitatis. Aliter exponitur, & rectius, in hanc ſententiam: in Chriſto habitat ipſamet diuinitas. In hunc modum explanat Theodoretus in commentariis epiſtolæ ad Coloſſenſes, diuus Thomas & alij. Et Oecumenius in ſcholiis: Eo modo, inquit, quo habitat anima in corpore: ita diuinitas habitauit in aſſumpto homine, corporaliter, id eſt, ſubſtantialiter, non ſolo habitu aut figura, &c. Theophylactus: Hunc, ait, in modum intelligere poteris, iuxta D. Cyrilli ſententiam: *Habitat in eo plenitudo diuinitatis*, perinde ac in corpore immoratur anima, &c.

Quomodo in Chriſto habitet plenitudo diuinitatis corporaliter?

D. Thomas ait corpus tres habere dimenſiones, D longitudinem, latitudinem, & profunditatē. Deum verò habitare in Chriſto, *corporaliter*, hoc eſt, ſecundum has tres corporis dimẽſiones. Diuinitas enim noſtro loquendi modo, longitudinem dicitur habere, quia ſe extendit ad omnia: omnia enim poteſt, omnia poſſidet, omnibus rebus præſens adeſt. Latitudinem habet, quia infinitam habet caritatem. Profunditatem habet, quia eſt incomprehenſibilis. De his Dei metaphoricis dimenſionibus, ex ſententia eiuſdem D. Thomę, loquitur Paullus, cùm

Epheſ. 3.

ſic ſcribit: *Vt poſſitis comprehendere, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum*, id eſt, vt poſſitis longitudinem diuinæ æternitatis, latitudinem potentiæ, ſublimitatem maieſtatis, profunditatem ſa-

Iob 11.

pientiæ cognoſcere. De iiſdem legitur: *Excelſior* E *cælo eſt, profundior inferno, longior terra menſura eius, & latior mari, &c.*

Coloſſ. 2.

Germanius ſic ille alter locus explanatur, cum Chryſoſtomo, verbis citatis: *In Chriſto habitat plenitudo diuinitatis corporaliter*: hoc eſt, in corpore & carne, cui erat vnita. Quaſi dicat Paullus, in illo corpore aſpectabili & palpabili, diuinitas ſpiritalis, quæque ſub hominum aſpectum non cadit, aſpectabiliter quodammodo erat. Qui enim Chriſtum cernebat, Deum cernebat. In homine corporato diuinitas habitabat, & corporalem habebat habitationem.

Locum quoque epiſtolæ ad Epheſios probabi- A lius de myſterio incarnationis exponemus, de quo Paullus illo capite loquitur: *Mihi*, inquit, *data eſt gratia hæc in gentibus euangelizare inueſtigabiles*, id eſt, non veſtigabiles, *diuitias Chriſti, & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi à ſæculis, &c.* Deinde infrà de eodem ſacramento loquitur, id eſt, de eodem myſterio, cùm ait: *Vt poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo & longitudo, & ſublimitas, & profundū*, ſcilicet, huius tanti myſterij, quod profundiſſimum eſt, maximeque ſublime, latiſſimum, totum orbem complectens: longiſſimum, in totum tempus & æternitatem pertingens. In hanc ſententiam interpretatur Theophylactus: Vt poſſitis, inquit, comprehendere cum omnibus fidelibus myſterium pro nobis diſpenſatum: quod adeo magnum eſt, vt vndique, & in omnes partes ſit extenſum, vnde & corporalibus ipſum ſubſcripſit figuris, &c. Addit Theophylactus explanationem D. Gregorij Nyſſeni de Cruce, his verbis: Gregorius Nyſſenus per latitudinem, longitudinem, profunditatem, & altitudinem, Crucem dicit intelligi: precari igitur Apoſtolum Epheſiis, vt poſſint comprehendere Crucis myſterium. Vniuerſa enim diſpenſatio in hoc continetur, atque in hac ipſa, omnium maximè tremẽdum eſt Crux, ex qua caritas Dei maximè demonſtratur. Hæc Theophylactus. Lege Auguſtini epiſt. 120.

Epheſ. 3. *In Deo quæ ſit longitudo, latitudo, ſublimitas, & profundum.*

Probabile etiam eſt, hunc locum ſimilem illi eſſe eiuſdem epiſtolæ: *Non ceſſo gratias agens pro vo-* *Epheſ. 1.* C *bis, memoriam veſtri faciens in orationibus meis: vt Deus det vobis ſpiritum ſapientiæ & reuelationis, in agnitione eius: illuminatos oculos cordis veſtri, vt ſciatis quæ ſit ſpes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in ſanctis, & quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credimus, &c.* De iiſdem in loco, quem exponimus, forſitan loquitur. Precatur enim Deum, vt poſſint comprehendere, quæ ſit latitudo, longitudo, ſublimitas, & profundum vocationis Dei, & gloriæ hæreditatis eius, & potentiæ in credentes.

Itaque in Chriſto eſt plenitudo diuinitatis & donorum. Ex hac plenitudine, in nos virtutum & donorum Dei minor alia plenitudo emanat. De qua Paullus: *Vt impleamini*, inquit, *in omnem plenitu-* *Epheſ. 3.* D *dinem Dei*, id eſt, vt impleamini, omni plenitudine donorum Dei. Et ait ſapientia: *A generationibus meis* *Eccli. 24.* *adimplemini*, id eſt, à fructibus meis, quos ego gigno, & à donis meis implemini, de plenitudine mea accipite.

ET *gratiam pro gratia.* Docet Ioannes quid acceperimus de plenitudine Chriſti: *Accepimus*, *Ioan. 1.* inquit, *gratiam pro gratia.* Græcè, χάριν ἀντὶ χάριτος. *Primus ſenſus.* Præpoſitio Græca, ἀντὶ, quam interpres vertit, *pro*, viciſſitudinem indicat, & permutationem, cùm res vna pro altera datur, vt: *Oculum pro oculo, dentem* *Deut. 19.* *pro dente.* Ideoque ſenſus duorum Cardinalium Hugonis & Caietani, non placet: Videlicet: *Accepimus gratiam pro gratia*, id eſt, gratis ſine vllis noſtris meritis. Nam χάρις, ſignificat gratiam & donum gratuitum. Si ergo nos accepimus gratiam, & donum pro dono; aliquam gratiam & donum nos dedimus Deo, quod eſt falſum. *Quis enim prior dedit illi*, ait Paullus, *& retribuetur ei?* Item: *Si gratia, iam non* *Rom. 11.* *ex operibus: alioquin gratia iam non eſt gratia.*

Secundus ſenſus.

Alius ita exponit: Accepimus gratiam pro gratia, id eſt, gratiam ſuper gratiam, id eſt, cumulatam & maximam gratiam. Quemadmodum in Iob dicitur: *Pellem pro pelle*, id eſt, omnes pelles, *& cuncta* *Iob 2.* *quæ habet homo, dabit pro anima ſua.* Sed impropriè ſumit præpoſitionem, *pro*, pro *ſuper*. *Gratia ſuper* *Eccli. 26.* *gratiam mulier ſancta & pudorata, &c.* Græce non eſt præpoſitio, ἀντὶ, ſed ἐπὶ χάριτι ἐπὶ χάριν. Neq; verò locus, quem

quem ex Iob affert, fauet. Etenim illius ſenſus, alius eſt. Scilicet: *Pellem pro pelle*, id eſt, membrum pelle veſtitum, pro membro, *dabit homo*; vt brachium offeret, pro capite: & dabit etiam cuncta quæ habet, veluti membrum ignobilius pro vita ſua, veluti pro membro nobiliori. Sic Chaldæus & D. Gregorius interpretantur. Vel aliter: *Pellem pro pelle dabit homo*, hoc eſt, dabit pellem alienam, pro pelle propria, & dabit opes pro vita. Quaſi dicat dæmon: hactenus iumenta, pecora, & filij Iob, occiſi ſunt: hæ ſunt pelles alienæ. Facile verò eſt, pellem alienam dare, pro vita conſeruanda. Tange carnem eius & pellem.

Tertius ſenſus. Tertius ſenſus eſt Auguſtini & Bedæ, in Ioan. Accepimus gratiam gloriæ æternę, pro gratia fidei, caritatis, & bonorum operum. Nam pro hac gratia, ait Auguſtinus, in qua ex fide viuimus, recepturi ſumus aliam gratiam. Coronat enim Deus in nobis dona miſericordiæ ſuæ.

4. Senſus. Quartus ſenſus, eſt Chryſoſtomi, Theophylacti, Euthymij, Ruperti, Lyrani, Ianſenij, & aliorum. Accepimus gratiam ſummam Teſtamenti noui, pro minori gratia Teſtamenti veteris. *Quia lex vetus per Moyſem data eſt: gratia per Chriſtum facta eſt.* Non omnino placet ſenſus hic; quoniam non ſolet nomine gratię affici vetus Teſtamentum, & ipſe Ioannes legem opponit gratiæ, cùm ait: *Lex per Moyſem data eſt: gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Præterea Teſtamentum, ſiue lex vetus, gratiam vi ſua non largiebatur, non ergo gratia vocatur.

Ioan. 1.

5. Senſus. Quintus ſenſus eſt. Accepimus gratiam pro gratia, id eſt, non eamdem omnes, ſed aliusvnam, alius pro illa, non ſemper illam, non ſemper æqualē; ſed aliam aut maiorem aut minorem. Non placet. Nec enim vnus gratiam accepit, pro gratia alterius.

6. Senſus. Placet ſextus ſenſus, quem ſequuntur Carthuſianus, Vatablus, Claudius, Toletus. Accepimus de plenitudine Chriſti gratiam noſtrā, pro gratia ipſiuſmet Chriſti. Data eſt nobis gratia noſtra, pro gratia illius. Per gratiam enim Chriſti, gratiam conſequimur noſtram. Similis eſt locus ille Paulli: *Si vnius Adami delicto multi mortui ſunt: multò magis gratia Dei & donum in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit, &c.* Gratia, inquit, Dei abundauit, & multis hominibus donata eſt, in gratia, id eſt, per gratiam vnius hominis Chriſti: vel pro gratia Chriſti. *Gratificauit nos Deus, in dilecto Filio ſuo*: id eſt, gratos nos fecit, gratiam nobis donauit, per Filium ſuum Chriſtum, pro gratia Filij ſui. Quia enim ille gratiſſimus eſt Patri; ideo per eius merita nobis gratia diuinaque dona conferuntur. *Benedixit nos in omni benedictione ſpiritali, in cæleſtibus, in Chriſto, &c.*

Rom. 5.

Epheſ. 1.

Ibidem.

7. Senſus. Addi his poteſt ſeptimus ſenſus, hunc in modum. De plenitudine Chriſti, accepimus gratiam iuſtificationis, pro gratia, id eſt, dono prædeſtinationis. Vtramque autem gratiam, ex plenitudine Chriſti accepimus. Iuxta illud Paulli: *Benedixit nos in omni benedictione ſpirituali, in cæleſtibus, in Chriſto: ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius, in caritate. Qui prædeſtinauit nos, in adoptionem filiorum, per Ieſum Chriſtum, in ipſum: ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, &c.*

Epheſ. 1.

QVIA *lex per Moyſem data eſt: gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Reddit dicti cauſſam. Accepimus gratiam, pro Chriſti gratia; quoniam omnis gratia noſtra à Chriſto facta eſt. Quia verò alicui videri poterat, gratiam veteris Teſtamenti à Moyſe factam, occurrit Euangeliſta: *Lex per Moyſem data eſt*, tamquam per ſeruum: quæ quidem lex vi ſua gratiam minimè afferebat. Omnis gratia, tum ea, quæ ſub veteri Teſtamento dabatur, tum illa, quæ ſub nouo datur, per Chriſtum facta & condita eſt. Dicitur autem gratia per Chriſtum facta, tum quòd illam procreat, animisque infundit, tum quod eamdem meruit. Facit illam cum Patre & Spiritu ſancto; at meruit ſolus. Pater enim & Spiritus ſanctus mereri non poſſunt; quemadmodum nec Chriſtus, quatenus Deus eſt. Præponitur Moyſi Chriſtus, & gratia legi. Moyſes vt ſeruus legem à Domino acceptam Iſraëlitico populo dedit: at Chriſtus, vt Filius & Deus, gratiam ipſam fecit; fecit inquam gratiam & veritatem.

Gratia omnis per Chriſtum nouis tum Veteris Teſtamenti.

Veritas hoc loco tribus modis ſumitur: primò pro veritate typos & vmbras veteris legis complente; hoc modo: Lex vmbris & typis plena, & à gratia vacua, per Moyſem data eſt; venit autem Chriſtus, vt legem ipſam compleret. Itaque gratiam fecit, qua illa vi ſua carebat; fecit quoque veritatem, qua typos & vmbras expleret. In hunc ſenſum interpretantur Chryſoſtomus in Ioannem, Beda, & Auguſtinus, lib. 22. contra Fauſtum cap. 6. & lib. 17. cap. 6. Athanaſius item oratione 2. contra Arianos.

Veritas quo modo per Chriſtum facta.

Secundo modo: Veritas ſignificat veriſſimam Dei rerumque diuinarum cognitionem, qua Chriſtus orbem per Euangelium illuſtrauit, hoc pacto: Veritas, hoc eſt, veriſſima quædam de Deo, diuinisque rebus, & Scripturis, legisque vmbris, & imaginibus cognitio, per Chriſtum facta eſt.

Tertio modo: Veritas ſignificat veritatem promiſſorum. Cùm enim promiſſa re ipſa præſtamus, tunc veritatem exequimur. De hac veritate loquitur Paullus, cùm ſic ſcribit: *Dico Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis, propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones Patrum, &c.* Eſt ergo ſenſus loci huius, complectens has tres veritatis ſignificationes, huiuſmodi. Lex per Moyſem data eſt, quæ futurorum imagines ac figuras gerebat; & Meſſiam gratiæ effectorem promittebat. Gratia verò & veritas, imagines legis complens; legis & Prophetarum promiſſa præſtans; magna diuinarum rerum cognitione orbem illuminans, per Chriſtum, id eſt, Meſſiam promiſſum, facta eſt.

Rom. 15.

Lex per Moyſem data, gratiam & ſalutem hominibus minimè attulit ipſa per ſe; vt initio tomi primi explicatum eſt, cùm de prærogatiuis noui Teſtamenti verba fecimus. Homines lex illa ad Meſſiam gratiæ fontem præparabat; gratiam ex vi ſua nemini largiebatur. Ex Chriſti venturi fontibus, patres gratiam hauriebant. Iuxta illud Paulli: *Bibebant de ſpiritali conſequente eos petra; petra autem erat Chriſtus.* Itaque totius gratiæ effector, ſtirps & origo, tam veteris quàm nouæ legis Chriſtus eſt. Lex, ait Auguſtinus tract. 3. in Ioannem, minabatur, non opitulabatur: iubebat, non ſanabat: languorem oſtendebat, non auferebat. Sed medico præparabat venturo cum gratia, &c. Venit medicus, vt ait Ioannes, cum gratia & ſalute: *Gratia*, inquit, *per Ieſum Chriſtum facta eſt*: ſalus per Ieſum, id eſt, ſaluatorem exhibita eſt: Chriſma per Chriſtum effectum eſt, hoc eſt, vnctio gratiæ per vnctum Dominum: Chriſtus enim vnctum ſignificat.

1. Cor. 10. Chriſtus eſt effector gratiæ, tā Veteris quā noui Teſtamēti.

O Ieſum medicum humaniſſimum ac benigniſſimum! Humaniſſimè ac mitiſſimè curat, & gratis. Curationis acerbitatem reformidas? ait D. Bernardus ſerm. 6. in vigil. Natiuitatis, metum adimit nomen Chriſti, quod vnctum ſignificat, id eſt, ſuauem, & miſericordia, non acerbitate plenum medicum. Suauis eſt planè Chriſtus, & mitis & multæ miſericordiæ, vnctus oleo letitiæ, non vtens cauterio, ſed vnguento; non vnctione, ſed vnctione curans. Vnxit Chriſtum Pater, vt

Chriſtus humaniſſimè curat.

Christus vngeret. Omnes ab eo vncti sunt, qui de plenitudine eius meruerunt accipere. Veniebat vngere contritiones nostras, ac lenire dolores. Ideoque venit vnctus, venit mansuetus & mitis. Infudit oleum meis vulneribus, infudit & vinum, sed minus quam olei. Ita Bernardus. Ambrosius etiam Psalm.118.Octonar.19.Habes,inquit,vlcera, ne timeas; Christus verbo non ferro curare consueuit, & cetera. Habétne ferrum confessarius, quo vulnera putrida discindat? Minimè. Oleum habet & vinum: oleum absolutionis, vinum satisfactionis, quam confitenti iniungit. Vt Ambrosius ait, Verbo curat,cùm dixit, Ego te absoluo, non ferro.

Gratia per Christum, id est,vnctum,facta est;lex per Moysem data est,id est, per hominem, qui non ab oleo, sed à frigida Nili fluminis aqua, habebat nomen. Exod.2.Pharaonis filia *vocauit nomen eius, Moyses, dicens: Quia de aqua tuli eum.* Ex aqua sublatus,frigidam attulit aquam, id est, legem, cui nihil ex vi sua inerat olei & ardoris,nihil gratiæ & amoris: *Moysi manus* dicuntur *graues*, & optimo quidem iure; quia iugum graue legis imponere potuit,auxilium autem gratiæ dare non valuit. A Christo homo naturam, à Christo naturæ subsidium, alleuamentum & ornamentum, id est, gratiam, accepit. Natura & gratia per Christum facta est; per Moysem,nec natura nec gratia. Moyses seruus,Christus Dominus. Seruus legem dedit, acceptam à Domino. Gratiam fecit Dominus. Augustinus tractatu 3. in Ioannem : Per seruum Moysem lex data est; reos fecit, per Imperatorem Christum,indulgentia data est; reos liberauit. Seruus agere secundum legem potest, soluere à reatu legis non potest, &c.

Exodi 2. A Christo habet homo, tum naturã tũ gratiam. Exodi 17.

Item: *Lex per Moysem data est, quæ vmbra erat futurorum bonorum*, vt Paullus ait, *veritas* vmbram illuminãs, *per Christum facta est.* In vmbra vixit populus ille: vnde Ambrosius Psal.118. Octonar.5. In lege, ait, requiescens, in vmbra Christi requiescebant. Cui autem dubium, quod lex vmbra sit Christi? &c. In veritate viuit populus Christianus, & in Christi lumine, vmbram illustrante, quod lumen Mosis velo olim tegebatur. Quis ignorat, Mosem splendidam faciem olim non absque mysterio texisse velamine? videlicet, Christi lumen & veritas sub legis velamine occultabatur. Lex occultans per Moysem data est; veritas & splendor illustrans per Christum factus.

Ioan.1. Hebr.10. Populus Israëliticus in vmbra viuebat, Christianus populus viuit in veritate.

Erant in lege præcipua decem decalogi præcepta, erant præterea typi multi atque imagines; gratiam Christus fecit,qua præcepta decalogi obseruarentur; veritatem fecit, qua typi & imagines legis explerentur. Id quod D.Bernardus adnotat, ser. 28. Ex paruis duplex, inquit, in lege veteri præceptorum genus inuenio. Sunt moralia quædam,sunt figuratiua, & vmbratilia quædam. Venit Christus plenus gratia & veritate; vt ex hoc iam moralia impleantur per gratiam; quæ verò vmbratilia & mystica fuerant, reuelata veritate,deinceps non ad litteram obseruentur; sed secundum spiritum spiritualiter intelligantur. Hæc Bernardus. D.August. lib.22.contra Faustum,cap.6. *Per Moysem lex data est: gratia per Christum facta est.* Gratia scilicet, vt data indulgentia peccatorum,quod præceptum erat, ex Dei dono custodiretur; veritas autem,vt ablata obseruatione vmbrarum, quod promissum erat,ex fide Dei præsentaretur. Et lib. 17. contra eumdem capit.6. Gratia,inquit,pertinet ad caritatis plenitudinem; veritas,ad prophetiarum impletionem,&c.

DEVM *nemo vidit vmquam; Vnigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Sunt hæc verba Euangelistæ Ioannis,non Baptistæ; quibus indicat fontem, à quo illa emanarunt, quæ de Verbo æterno hactenus admirabiliter scripsit. Quasi dicat, si me quispiam roget,à quonam præceptore hæc quæ de Deo Verbo verba fecit tradita sint? aio,ipsum Dei Filium horum esse præceptorem; neque præceptorem solùm, sed etiam testem oculatum. Nam Deum nemo hominum vmquam vidit; Vnigenitus,qui in sinu Patris est, qui illum intuetur, qui hæc omnia conspexit, eadem nobis enarrauit. *1.Sensus.*

Aliter etiam probabiliter potest locus sic explanari: gratia & veritas facta est per Christum, non per Mosem. Nam per Mosem lex tantum data est, non est facta gratia aut Euangelica veritas. Quoniam Deum nemo vidit vmquam,ergo nec Moses, vt posset euangelicæ veritatis testis esse oculatus. Vnigenitus Filius vidit; & quod vidit,homines docuit. Hinc illud Christi cum Nicodemo loquentis: *Amen dico tibi,quia quod scimus,loquimur,& quod vidimus,testamur.* Quo loco illud adiungit: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo Filius hominis, qui est in cælo.* Quod idem ferè significat, ac verba hæc Ioannis : *Deum nemo vidit vmquam, &c.* Nemo, inquit,ex hominibus ascendit in cælum,vt Deum videret, atque adeo nemo vidit Deũ; nisi qui descendit de cælo Filius hominis, &c. Iis adiunge verba Baptistæ : *Qui de cælo venit,id est, Christus, super omnes est,& quod vidit & audiuit,hoc testatur,&c.* Itaque gratia & veritas, siue fides & cognitio Dei verissima, per Christum facta est,explicata,& hominibus tradita,nec solum tradidit fidem & veritatem hominibus,sed etiam illam facit sua potentia, & hominum intellectui imprimit; meritisque præterea suis illam facit. Nam meritus est nobis Christus gratiam, fidem,& alia dona diuina. *2.Sensus. Ioan.3. Ibidem.*

In sinu autem Patris Vnigenitus esse dicitur metaphoricè: Pater enim Deus, nec corpus habet, nec sinum. Significat huiusmodi locutio, primò, Christum esse Filium Dei, eiusdem cum Patre substantiæ: filij enim in sinu habentur. Non dicitur Deus in sinu habere filios adoptiuos, sed Christum dicitur habere in sinu; quoniã Filius est naturalis,eiusdem essentiæ. Secundò, demonstratur esse dilectissimum Patri: dilectionis enim locus est sinus. Tertiò,esse pectoris paterni atque arcanorum omnium conscium, vt possit ea enarrare. Quartò, non separari à Patre: semper enim in sinu Patris est,quia inseparabilis est à Patre, & eiusdem essentiæ. *Quomodo Filius sit in sinu Patris.*

Quid autem sit hic Patris sinus docet Ambrosius de Benedictionibus Patriarcharum capite 11.Sinus, inquit,Patris spiritalis, intelligitur intimum quoddam paternę caritatis naturæque secretum; in quo semper est Filius,&c.Et ser.17.Christi,ait Filius,in Deo Patre est diuinitas. D.Chrysostomus hom. 14. in Ioannem: Hoc, inquit,vno verbo, *sinus*, multam substantiæ cognationem, propinquitatem, parem Patri cognitionem & potestatem ostendit Euangelista. Non enim diuersam substantiam in sinu haberet Pater; sed neque ipse auderet, si seruus, si ex multitudine vnus esset, in sinu Domini versari. Hoc enim dilectissimi filij tantùm est, qui multum genitori suo fidit; neque ipso vlla ex parte sit inferior, &c. *Quid sit sinus Patris.*

Dictis oppones,Mosem vidisse Deum,ante Christi incarnationem: vidisse quoque Deum,Angelos. Non ergo verum est, *Deum nemo vidit vmquam, &c.* Respondemus, Euangelistam de hominibus loqui, non de Angelis, hoc sensu : Deum nemo ex hominibus vidit vmquã. Quod verò attinet ad Mosem, ex hoc loco probatur Dei essentiam non vidisse. Etenim Ioannes hoc eodem loco Mosis meminit: *Lex*,inquit,*per Mosem data est*,&c.Christumque longè Mosi anteponit, quòd multò præstantiorem legem gratiam fecerit. Si ergo Moses Deum vidisset, sanè *Ioan.1. An Moses essentiã diuinam viderit?*

Ioan. 1. ſanè non dixiſſet Ioannes: *Deum nemo vidit vmquam.* Crediderim ergo, Moſem Deum, id eſt, Dei eſſentiam minimè vidiſſe, quę ſententia eſt. D. Dionyſij Areopagitę de cæleſti hierarchia, cap. 4. Hoc, inquit, quod eſt Dei occultum, id eſt, eſſentiam, nemo vidit, neque videbit. Theophaniæ autem, id eſt, apparitiones Dei, Sanctis factæ ſunt, ſecundum decentes Deum manifeſtationes, id eſt, quæ Deo dignæ ſunt, &c. Et libro de Myſtica Theologia cap. 1. Moſes, inquit, videt non Deum (neque enim cerni poteſt) ſed locum, in quo ſtetit. Idem ſentiunt D. Cyrillus hoc Ioannis loco, Chryſoſtomus & Theophylactus; Diuus etiam Irenæus lib. 4. cap. 37. vt alios omittam.

Dionyſ. Areopag.

Obiicitur, multos vidiſſe Deum.

Obiiciet alius. In Teſtamento veteri legi, multos patres Deum vidiſſe; atque adeò non eſſe concedendam propoſitionem illam: *Deum nemo vidit vmquam.* Geneſ. 18. *Apparuit Dominus Abrahæ* Geneſ. 28. *Vidi Dominũ*, ait Iacob, *facie ad faciem.* Num. 12. ait Deus: *Ore ad os loquor ei*, id eſt, Moſi, *& palam, & non per ænigmata Dominum videt.* Et Exodi 33. Iſaiæ 6. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, &c.* Item: *Regem Dominum exercituum vidi oculis meis.* Quod quia Iſaias aſſeruit, occiſus eſt, vt docet D. Hilarius lib. 5. de Trinitate: Deum, inquit, Propheta vidit, & gloriam eius, vſque ad inuidiam propheticæ dignitatis aſpexit. Nam ob hanc cauſſam, in iudicium mortis à Iudæis actus eſt, &c. Adde illud: *Omnes homines*, inquit Eliu, *vident eum*, id eſt, Deum; *vnuſquiſque intuetur procul.* Et illud: *Qui videt me, videt & Patrem meum*: ergo qui Chriſtum videbat, Deum Patrem videbat; multi autem Chriſtum viderunt. Et Baruch: *In terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt*, ſcilicet Deus. Præterea, quo tempore Ioannes Euangelium ſcripſit, multæ animæ in cælo cernebant Deum, immo multi homines, qui cum Chriſto ſurrexerunt, & in cælos aſcenderunt. Qui igitur fieri poteſt, vt vera ſit illa enuntiatio: *Deum nemo vidit vmquam.*

Geneſ. 18. *Geneſ. 28.* *Num. 12.* *Exodi 33.* *Iſaia 6.* *Iob 36.* *Ioan. 14.* *Baruch 4.* *Ioan. 1.*

Hæretici Manichæi, vt Auguſtinus teſtatur in lib. contra Adimantum, cap. 9. Teſtamentum vetus nouo contrarium eſſe imperitè & ſtultè calumniabantur, propter teſtimonia poſita, quæ aſſerunt Deum in Teſtamento veteri multis viſum; cùm tamen in Teſtamento nouo dicat Ioannes: *Deum nemo vidit vmquam.* Sed imperitiſſimis cæciſque hominibus reſpondemus, multis modis dici Deum videri. Primus modus, eſt per ſpeculum creaturarum; quo modo ait Eliu: *Omnes homines vident eum*: videlicet, in effectibus & creaturis. Idcirco addit: *Vnuſquiſque intuetur procul*: quemadmodum enim ea quæ procul cernimus imperfectè cognoſcimus; ſic Deum per creaturas videmus imperfectè. Videmus enim in opere, quod à Deo in infinitum diſtat. Vnde Gregorius Iob 36. Procul, inquit, Deum videre eſt, non iam illum per ſpeciem cernere, ſed adhuc ex ſola operum ſuorum admiratione penſare, &c. Secundus modus, per ſpectra, & ſimulacra, ſiue imagines aliquas; hoc modo Iſaias Deum vidit, & Daniel cap. 7. videlicet, imaginem & ſimulacrum Deum repræſentans. Tertius modus, per Angelos; hoc modo dicũtur Patriarchæ vidiſſe Deum; quoniam Angelos viderunt Dei perſonam gerentes. Ideo Iacob ait: *Vidi Dominum facie ad faciem.* Eodem modo illud intelligendum eſt, quod de Moſe dicitur: *Os ad os loquor ei*: Angelus enim cum Moſe, & cum Iacob, os ad os, & facie ad faciem locutus eſt. Quartus modus, per fidem: de quo Paullus: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate.* Quintus, per carnem; hoc modo, qui Chriſtum videbant, Verbum videbant, & Patrem, atque Spiritum ſanctum; quoniam diuinitas humanitati Chriſti vnita erat: & qui Chriſtum cernebat, cernebat Deum. Sic intelligendus eſt Baruch: *In terris Deus viſus eſt*, ſcilicet in carne. Sextus modus ac præſtantiſſimus, per eſſentiam; ſic Angeli vident: *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris.* Beati quoque homines in cælo, iuxta illud Paulli: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* Et: *Tunc cognoſcam, ſicut & cognitus ſum.* Ioan. *Videbimus eum ſicuti eſt.* Matth. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.*

Deum multis modis dici videri. *Primus modus.* *Iob 36.* *Deũ videmus procul per creaturas.* *Secundus modus videndi Deum.* *3. modus.* *Geneſ. 28.* *Num. 12.* *4. modus.* *1. Cor. 13.* *5. modus.* *Baruch 4. 6. modus.* *Matth. 18.* *1. Cor. 13.* *1. Ioan. 3.* *Matth. 5.*

Cùm tot ſint modi videndi Deum, Ioannes hoc loco, de extremo eſt intelligendus: *Deum nemo vidit vmquam*, per eſſentiam, clare atque aperte ſicuti eſt. Oppoſita teſtimonia ex ſacris litteris iam ſunt explicata; neque huic aſſertioni obſtant. Lege Auguſtinum loco indicato, & epiſt. 112. de videndo Deo cap. 5. 6. & ſequentibus. Argumento propoſito de animabus & hominibus, qui cum Chriſto in cælum conſcenderunt, reſpõdemus, Ioannem quemadmodum de Angelis non loquitur, ſic neque de animabus loqui, neque de hominibus, qui in cælo Deum cernebant: ſed de hominibus viatoribus, hoc ſenſu: Nemo hominum viatorum Deum apertè vidit, vt poſſet rerum diuinarum veritatem ceteris enarrare. Chriſtus viator & comprehenſor in terris agens, hominesque docens, apertiſſimè illum intuebatur: ideoque teſtis eſſe potuit oculatiſſimus.

Ioan. 1. *Soluitur obiectio.*

Hæc verba, *Deum nemo vidit vmquam*, de Patre intellexit D. Irenæus lib. 4. cap. 37. Si neque Moſes, inquit, vidit Deum, nec Elias, nec Ezechiel: quæ autem ab iis videbantur, erant ſimilitudines claritatis Domini, & prophetiæ futurorum: manifeſtum eſt, quoniam Pater inuiſibilis eſt. De quo & Dominus dixit: *Deum nemo vidit vmquam.* Verbum autem eius, quemadmodum volebat ipſe, & ad vtilitatem videntium, claritatem monſtrabat Patris, & diſpoſitiones exponebat; quemadmodum & Dominus dixit: *Vnigenitus Deus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit, &c.* Item D. Hilarius lib. 5. de Trinitate prope finem: Propheta loquitur, Euangeliſta teſtatur, Apoſtolus interpretatur, Eccleſia confitetur, verum Deum eſſe, qui viſus ſit; cùm tamen Deum Patrem viſum nemo fateatur, &c. Tertullianus præterea libro contra Praxeam, cap. 15. Ioannes, inquit, ad diſtinguendum inter inuiſibilem Patrem, & Filium viſibilem, ſuperducit ex abundanti: *Deum nemo vidit vmquam, &c.* Ambroſius Lucæ 1. Aut acquieſcatur, ait, neceſſe eſt, ſi Deum Patrem nemo vidit vmquam, Filium viſum eſſe in veteri Teſtamento. Et deſinant hæretici ex Virgine ei principium dare. Aut certè refelli non poteſt, vel Patrem, vel Filium, vel Spiritum ſanctum (ſi tamen & Spiritus ſanctus viſus eſt) ea ſpecie videri, quam voluntas elegerit, non natura formauerit. Quoniam Spiritum quoque viſum accepimus in columba. Et ideo nemo Deum vidit vmquam: quia eam, quæ in Deo habitat plenitudinem diuinitatis, nemo cõſpexit, nemo mente aut oculis comprehendit. Hæc Ambroſius.

An verbă illa, Deum nemo vidit vmquã, de Patre ſint intelligẽda? *Tertul.* *Ioan. 1.*

Dicendum eſt, locum Ioannis non de Patre ſolo, ſed de Deo trino atque vno eſſe interpretandum, iuxta ſententiam ſecundam Ambroſij: Deum enim trinum atque vnum nemo vidit vmquam hominum viatorum, vt ſupra interpretati ſumus. Quomodo autem viſus ſit in Teſtamento veteri, iam diximus paullo antè, & tomo primo in prærogatiuis noui Teſtamenti.

CAPVT. XIII.

De legatione ad Ioannem Baptiſtam miſſa.

IOANN. CAP. I.

ET hoc eſt teſtimonium Ioannis, quando miſerunt Iudæi ab Ieroſolymis ſacerdotes & leuitas ad eum, vt interrogarent eum: Tu quis es? Et confeſſus eſt, & non negauit, & confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus. Et interrogauerunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit: Non ſum. Propheta es tu? Et reſpondit: Nõ. Dixerunt ergo ei, quis es, vt reſponſum demus his, qui miſerunt nos? quid dicis de te ipſo? Ait: Ego vox clamantis in deſerto: dirigite viã Domini, ſicut dixit Iſaias Propheta. Et qui miſſi fuerant, erant ex Phariſæis. Et interrogauerunt eum, & dixerũt ei: Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque Propheta? Reſpondit eis Ioannes, dicens: Ego baptizo in aqua; medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis. Ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt; cuius ego non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti. Hæc in Bethania facta ſunt, trans Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans.

CVm Ioannes baptizaret, & vero Meſſiæ teſtimonium ferret; Iudæi legatos ad illum miſerunt, non quoſuis, ſed ſacerdotes & leuitas, ab ipſa metropoli Iudææ Ieruſalẽ, qui quiſnam ipſe eſſet diſquirerent. Ille neque Meſſiam ſe eſſe, neque Eliam, neque Prophetam, ſed vocem in deſerto clamantem palàm confeſſus eſt. De Chriſto autem præclariſſimum teſtimonium dixit, Meſſiam eſſe aſſeuerauit, tantáque dignitate excellere, vt dignum ſe non exiſtimaret, qui corrigiam calceamenti eius ſolueret.

Quorſum Iudæi legationem ad Baptiſtam miſerunt?

Ambigitur, quorſum hanc legationem ad Baptiſtam Iudæi miſerint? Prima verò hac de re opinio Chryſoſtomi eſt, homil. 11. in Matthæum, & Theophylacti; qui ſentiunt legatos non eſſe miſſos animo ſincero, vt veritatem inueſtigarent, & Ioanni Meſſiæ dignitatem tribuerent. Occaſionem, ait Chryſoſtomus, qua aliquid reprehenderent, quærebant; inſidias ei in interrogatione poſuerunt; vt ſi Ioannes aliquid loqueretur, ad accuſandum illi repente conſurgerent, &c. Et Theophylactus: Neque Ioannem, ait, pro Chriſto haberi Iudæi mihi velle videntur; ſed ex liuore & inuidia interrogare eum: *Tu quis es, &c.*

1. Opinio. Chryſoſt.

Theophyl.

2. Opinio.

Secunda opinio eiuſdem Chryſoſtomi eſt, homil. 15. in Ioannem; quo loco arbitratur Iudæos Ioannem potius, quàm Chriſtum voluiſſe magiſtrum habere, quòd Ioannes claris ortus natalibus, vitæque aſperitate, & rerũ humanarum deſpicientia eſſet inſignis: Chriſtus verò fabri Filius exiſtimaretur, ex ignobili patria Nazareth; neque vitæ aſperitatem ſectaretur. Eámque ob rem miſiſſe legationem, vt per adulationem Baptiſtam eò adduceret, vt Chriſtum ſiue Meſſiam ſe eſſe confiteretur. Cùm Ioannes, ait Chryſoſtomus, frequenter ab ſe Iudæos ad Chriſtum longè eorum opinione inferiorem dimitteret, ægre ipſi ferebant, & rubore perfundebantur. Quippe qui Ioannem potius magiſtrum habere, quàm Chriſtum voluiſſent; palàm tamen id dicere verebantur. Mittunt autẽ ad eum, vt per adulationẽ ipſum alliciant ad confitendum ſe Chriſtum eſſe, &c. Euthymius præterea opinatur hos legatos miſſos, vt Ioannes gloriæ amore illectus Meſſiam ſe eſſe fateretur, & deinceps fama Chriſti, quem oderant, per famam Ioannis, veluti infuſa aqua ignis accenſus, reſtingueretur.

3. Opinio.

Tertia opinio eſt, Iudæos ad Baptiſtam ſacerdotes legaſſe & leuitas, vt quærerent, an reuera eſſet ipſe Meſſias; quòd ſi annueret, fidem dicenti fuiſſe habituros. Hæc eſt Auguſtini ſententia tractat. 4. in Ioannem. Ioannes, inquit Auguſtinus, cùm poſſet fallere homines, & putari Chriſtus, & haberi pro Chriſto: confeſſus eſt tamen aperte: *Non ſum ego Chriſtus.* D. item Gregorius homilia 7. in Euangel. Ioannis humilitas, inquit, commendatur, qui cùm tantæ virtutis eſſet, vt Chriſtus credi potuiſſet; elegit ſolidè ſubſiſtere in ſe, ne humana opinione raperetur inaniter ſuper ſe, & cet. His conſentanea ſcribit Chryſoſtomus homilia 15. in Ioannem: Tantæ, ait, auctoritatis Ioannem, & tam verum Iudæi arbitrantur; vt non ſolùm de aliis teſtimonium, verùm ipſi de ſe ipſo omnia crederent. Neque enim, niſi ea eſſent ſententia, ipſum interrogatum miſiſſent, quid de ſe diceret, &c.

Auguſt.

Gregor.

Chryſoſt.

Reſpõdetur quæſtioni.

In primis opinio ſecunda Chryſoſtomi & Euthymij mihi non probatur, quoniam quo tempore miſſa legatio eſt, nondum Chriſti vigebat fama: necdum illum Iudæi oderant, aut nouerant, vt ex illis verbis, *Medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis*, & ex ſerie, & ordine rerum à Chriſto geſtarum, colligi poteſt. Prima quoque opinio non ſatis placet; videlicet, inuidia & liuore impulſos Iudæos, decreuiſſe legationem, vt Baptiſtæ inſidiarentur. Veroſimilius eſt, miraculis, quæ in illius natiuitate effulſerunt, vitæ aſperitate, inſolitóque baptizandi ritu, populíque exiſtimatione, qui an Meſſias eſſet ille ambigebat, pontifices, & alios Iudæos commotos deſtinaſſe legatos; vt quiſnam eſſet Baptiſta agnoſcerent, populóſque errore liberarent. Ad pontifices enim & Reip. moderatores attinet, quæ in Repub. geruntur diligenter explorare.

Ioan. 1.

Si Ioannes Meſſiam ſe eſſe affirmaſſet, quid Iudæi facturi fuerint?

Quod ſi Ioannes Meſſiam ſe eſſe affirmaſſet, quid Iudæi facere in animo habuerint, id incertum eſt. Fortè ipſum in Meſſiam recipere decreuerant. Coniicere etiam licet, non fuiſſe fidem habituros, ſed

sed potiùs accusaturos, vt Chrysostomus in prima opinione voluit. Romanos enim timebant: metu perterriti nouum fortè Messiam ad ipsos detulissent. Quòd autem fidem non fuerint habituri, illud suadet; quod ex Scripturis sciebant Messiam oriundum ex tribu Iuda, & in Bethlehem nasciturum; Ioannem verò nouerant ex tribu Leuitica, patre sacerdote, matre ex filiabus Aaron, vt ait D. Lucas cap. 1. & extra Bethlehem natum.

Obiicies, cùm hæc scirent, sciebant non esse Messiam: Cur ergo legatos miserunt, qui inquirerent an esset Messias? Respondemus, sciuisse quoque Ioannem esse filium Zachariæ, & ætate iuuenem, atque adeò non esse Eliam: & tamen interrogasse, an esset Elias? quoniam si affirmasset se Messiam esse, aut Eliam, tunc hæc obiicerent argumenta, & soluenda proponerent. Respondemus præterea, existimare potuisse, Ioannem ortum esse non solùm ex tribu Leuitica, sed etiam ex tribu Iuda aliqua ex parte; in Bethlehem verò ortum interpretari potuerunt, in finibus Bethlehem, vel prope Bethlehem; Ioannes autem non longe à Bethlehem, in montanis Iudææ in lucem editus est. Tertiò: Respondemus pontifices & Reipubl. moderatores, ad quos spectabat videre, ne Respub. quidpiam detrimenti caperet, legatos misisse, qui quisnam esset Ioannes rogarent, qua auctoritate concionaretur, & baptizaret. Et quia populus, an Messias esset dubitabat, hanc illi proposuisse quæstionem.

Ioan. 5. An Iudæi Messiæ dignitatem Ioanni offerre voluerint?

Iudæos Messiæ dignitatem Ioanni voluisse offerre, probabit aliquis, verbis illis Christi: *Ille erat lucerna ardens & lucens. Vos autem voluistis ad horam, exultare in luce eius.* Ait enim Dominus, Iudæos voluisse exultare in luce Ioannis; quoniam Messiam illum creare voluerunt. Respondemus, verba illa hoc pacto esse interpretanda: *Vos ad horam*, id est, ad breue tempus, *voluistis exultare in luce*, id est, doctrina Ioannis. Voluntas illa & exultatio breuis fuit.

Theophyl.

Sic Theophylactus: Vos ad horam, inquit, recepistis ea quæ ab illo dicta sunt, & exultastis in ipso; & deinde obliti eorum, quæ de me dixit, mansistis in

Euthym.

priori incredulitate, &c. Et Euthymius: Voluistis quodam tempore exultare in luce doctrinæ Ioannis, quàdo vndique ad eum concurrebatis: & postmodum refrixistis. Nisi enim refrixissetis, testimonio illius credidissetis, &c.

Legationis materia.

TV *quis es?* Continent hæc verba legationis materiam. Missi enim sunt sacerdotes & leuitæ ad Ioannem, vt interrogarent eum, quisnam esset? Missos putat Card. Baronius in Annalibus, à Concilio seniorum, quod Synedrim appellabãt. Verùm de hoc Concilio suo loco dicemus. Prima quæstio proposita ex sententia Chrysostomi, ac Theophylacti, hæc eadem fuit: *Tu quis es?* At verisimilius est, Baptistam nõ esse interrogatum his verbis: *Tu quis es?* sed verborum Ioannis huiusmodi esse sententiam: Missi sunt sacerdotes & leuitæ ad Ioannem, vt interrogarent eum: *Tu quis es?* id est, quisnam esset. Hebraismus est, misi puerum, vt interrogaret Socratem, tu quid agis? id est, vt interrogaret, quidnam ageret. Prima verò quæstio proposita fuit: An esset Christus, id est, Messias? ita sentiunt Caietanus, Ianssenius, & Toletus. Id verò ex responsione Ioannis, sic confirmatur. Responsio respondere debet interrogationi; atqui prima Ioannis responsio fuit hæc: *Non sum ego Christus*, ergo prima interrogatio hæc fuit: Esne tu Christus? vel hæc: Tu quis es? ésne Christus?

An Iudæi rogarint Ioannem his ipsis Verbis: Tu quis es?

Primalegatorũ interrogatio.

Non caret tamen probabilitate Chrysostomi sententia. Iuxta quam dicendum est, Ioannem non ad verba, sed ad mentem Iudæorum responsum dedisse. Quemadmodum: *Existimante populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne fortè ipse esset Christus: respondit Ioannes, dicens omnibus: Veniet fortior me &c.* Et: *Cum imperet Ioannes cursum suũ, dicebat: Quẽ me arbitramini esse, non sum ego: sed ecce venit post me, &c.* Ita hoc loco ad mentem respondit, non ad verba. *Luca 3. Actor. 13.*

CONFESSVS *est, & nõ negauit.* Rupertus in Ioãnem, hæc verba in hanc sententiam interpretatur. Confessus est Christum, atque ideò confessor Christi fuit; & non negauit Christũ. Negasset enim si Messiæ sibi dignitatem arrogasset. Eodem dicto, ait ille, Christum confessus est, & Christum non negauit; ac proinde verũs hoc loco Christi confessor Ioannes claruit. Item, non negauit, subaudias Christum; quem negasset, si aliud dixisset, quàm dixit: *Non sum ego Christus.* Ita Rupertus. D. Gregorius hom. 7. in Euangelia hunc in modum: Confessus est se non esse Christum; & non negauit se vocem esse clamantis. *Ioan. 1. Rupertus. Ioannes respondet trine interrogationi.*

Probabilius est, idem his verbis significari per affirmationem illam, *Confessus est*; & negationem illam: *Non negauit*: Qui enim confitetur, non negat; & qui negat, confitetur. Similis loquendi modus exstat: *Sapientes confitentur, & nõ abscondunt patres suos.* Perinde est, ac si dixisset, confitentur, & non negant patres suos. *Si tacuerimus*, aiunt leprosi illi, *& noluerimus nuntiare, &c. Tacuit populus, & non respondit. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Nam negatio adiuncta affirmationi amplificat asseuerationem. Confessus ergo est Ioannes se non esse Christum, id est, Messiam, & nõ negauit idem, quin potius illud ipsum asseuerantius affirmauit. Sed obiicies; Ioannes negauit: dixit enim: *Non sum ego Christus*; id verò est negare, non affirmare. Respondemus, negasse quidem, id est, propositione negante vsum esse; at hac propositione negante, non negauit veritatem; hoc est, se non esse Christum. *Ioan. 1. Ibidem. 4. Reg. 7. 4. Reg. 18. Ioan. 1.*

ELIAS *es tu?* Excluso prima, ad secundam transeunt interrogationem: An Ioannes sit Elias, interrogant. Nam ante aduentum Messiæ, Eliam Iudæi expectabant veluti præcursorem, vt constat ex illis verbis discipulorum Christi: *Quomodo dicunt Scribæ, quòd Eliam oportet primùm venire, &c.* Ducti sunt in hanc sententiam, ex falso intellectu illorum verborum: *Ecce ego mitto vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis*; quæ de secundo aduentu, non de primo, sunt intelligenda. Iudæi autem duos Messiæ aduentus, primum in humilitate, cuius præcursor fuit Ioannes, secundum in maiestate, cuius prodromus erit Elias, distinguere nesciebant. Semel tantùm Messiam venturum putabant, idque summa cum gloria, & regia potestate, atque apparatu; Eliam verò antequam Messias veniret præcessurum. Hinc interrogatio est orta. Negauit autem Baptista Eliam se esse personam; Christus Eliam vocat, non personam, sed spiritus similitudine, iuxta illud: *Ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Elia, &c.* *2. Legatorũ interrogatio. Matth. 17. Malach. 4. Iudæi duos Christi aduentus non capiunt. Matth. 17. Luca 1.*

Sed mira est hæc interrogatio. Nónne hi homines sciebant Ioannem iuuenem esse, & Zachariæ sacerdotis filium? Cur ergo interrogant, an sit Elias, quem nouerant ante multos annos raptum, non potuisse iterum ex patre Zacharia gigni, ac nasci, & in Iudæam venire? Respondemus hos homines dubitasse, essétne ipsemet Elias venturus, an aliquis alius ei similis; ideòque Ioannem rogasse, an esset Elias, quòd similem Eliæ esse cernerent. In hunc modum respondet Caietanus: Crediderim, ait, istos dubitasse, quomodo implenda esset illa promissio, de aduentu Eliæ ante Messiam, &c. Aut certè *Cur Iudæi rogarint Ioannẽ, an Elias esset, cum Zachariæ filium esse scirent?*

certè dubitarunt, an Ioannes esset Zachariæ filius, non multos ante annos ex Elisabetha natus; eo quòd in solitudine ætatem illis ignotus transegisset. Preterea responderi potest, vel incõsideratam, vel captiosam fuisse interrogationem, ac dolosam. Cùm enim scirent ex Zacharia ortum, rogabant:

Iansenius. Num esset Elias? Iansenius non malè respondet, malè creditam olim Iudæis palingenesiam, hoc est, iteratam generationem, quam & Pythagoras docuit. Eóque ductos errore legatos, rogasse Ioannem, num esset Elias? quoniam poterat in Ioanne

Origenes. Elias apparere. Huius responsionis meminit Origenes in Ioannem, hunc locum explicans sub alterius nomine: Dicet, inquit, ille perspicuum esse hoc eos dixisse, scilicet, *Elias es tu?* verum putantes esse dogma de transcorporatione, quod ceu patrium esset ipsorum, & non alienum ab arcana doctrina, quæ apud ipsos traditur, &c.

An Iudæi crediderint animas in aliena corpora transmigrare?

Sed dubium est, an Iudæi crediderint quod Pythagoras credidit; videlicet animas in aliena corpora transmigrare? Quam transmigrationẽ Græci μετεμψύχωσιν, appellant. Pars illa, quæ affirmat, probatur, tùm hoc ex loco, in quo Iudæi Ioannem rogant, an sit Elias; quod esse non poterat, nisi Eliæ anima in corpus Ioannis transmigrasset. Tum

Marci 6. ex Marco: *Dicebat Herodes: Quem ego decollaui Ioannem, hic surrexit a mortuis*: hoc est, anima Ioannis aliud corpus ingressa est, atque ita Ioannes in IESV reuixit. Sic Iansenius exponit. Etiam apud Mat-

Matth. 16. thæum: *Alij dicebant Christum esse Eliam, alij Ieremiam, aut vnum ex Prophetis.* Nimirum, quoniam, vt Iansenius ait, animarum remigrationem credebãt. Hanc partem sequitur Iansenius: in cõcordia enim Euangelica, cap. 16. 56. & 66. ait Iudæos transmigrationem animarum credidisse.

Abulensis. Et Abulensis Matth. 3. quæst. 63. De Pharisæis, inquit, dicit Iosephus, quòd omnes animas immortales esse dicunt; & solas animas bonorum transire in alia corpora; malorum verò interminabili supplicio cruciari. Et quantùm ad hoc concordant isti cum opinione Pythagoricorum, qui ponunt animas transire per corpora, &c. Cardin. quoque Baronius in apparatu pag. 10. sic scribit: Pharisæi transanimationem Pythagoræam hoc temperamento astruebant, vt solas bonorum animas transire in alia corpora asserent. Suppetunt de his, & ex Euangelio testimonia; dum in Christum quidam ipsorum putantes, transmeasse animam Eliæ, alij Ieremiæ, alij vero Ioannis Baptistæ, dicebant, illum esse Eliam, vel Ieremiam, vel Ioannem Baptistam, siue alium quempiã ex Prophetis, &c. Sixtus etiam Senensis lib. 2. Bibliothecæ, inter dogmata Pharisæorum hoc numerat: Piorum animas ab inferis in hanc vitam ad noua corpora reuerti; rursus ex iis in alia corpora migrare. Toletus verò Ioannis cap. 1. asserit, antiquos Iudæos ab hoc errore fuisse liberos. Probat opinionem suam argumentis; quæ quoniam facile dilui possunt, breuitatis causſa omitto.

Dubio respondeo, argumenta illa, quibus affirmans pars confirmatur, non habere vim. Nam Marci 6. dicebat Herodes Ioannem à mortuis resurrexisse, & Lucæ 9. dicebatur à quibusdam, quia Elias apparuit, ab aliis autem, quia Propheta vnus

Respõdetur quæstioni. de antiquis surrexit. Non aiebant Iudæi, animas transmigrasse in aliena corpora; sed Eliã quidem, quia viuus erat, apparuisse, & Ioannem aliúmue ex antiquis Prophetis à mortuis surrexisse. Is autem à mortuis surgere dicitur, qui eamdẽ animam idémque corpus gerit, quod ante obitum habuit. At verò metempsychosis, non est resurrectio, sed dicitur animæ in alienum corpus transmigratio. Non ergo firmiter probatur Iudæorum error, ex verbis Marci aut Matthæi Euangelistarum. Neque etiam probatur ex hoc loco Ioannis, vt ostendimus supra.

Respondeo præterea, verisimile esse Iudæos olim in eo fuisse errore, vt putarẽt animas in aliena corpora demigrare. Hoc enim innuit Origenes loco citato: Iosephus quoque libro 2. de Bello Iudaico cap. 7. scribit, Pharisæorum hoc fuisse placitum. Cùm verò ipsi plebis essent Doctores, ex lutulentis fontibus, lutulentam aquam plebem hausisse, non abhorret à veritate. Iosephi verba hæc sunt: *Iosephus.* Pharisæi animam omnem incorruptam esse dicunt: transire autem in aliud corpus, solam bonorum; improborum autem interminabili supplicio cruciari, &c. Hoc argumentum ex Iosephi auctoritate petitum refutatur, quia ipsemet lib. 18. Antiq. cap. 2. se exponit, dicens: Pharisæos affirmare bonorum animas facile redire in corpora. Vnde quam vocat transmigrationem, declarat reditum ad corpora. At in primis Iosephus, non solùm refert, pharisæos existimare bonorum animas transire in corpora, sed in alia corpora. Græcè, μεταβαίνειν εἰς ἕτερα σώματα, id est, trãsire, & emigrare in aliud corpus; aliud corpus nõ dicitur propriũ corpus. Præterea, verbũ transire, vel emigrare, non dicitur de resurrectione: non enim resurrectio est transitus, vel emigratio in aliud corpus, sed eiusdem resumptio. Illa alia verba ex libro 18. Antiquitatum, iuxta hanc sententiam exponi possunt. Nam Iosephus eo loco ait, ex sententia Pharisæorum animas proborum habere, ῥᾳθυμίαν τοῦ ἀναβιοῦν, id est, facilitatem ad reuiuiscendum, scilicet, in aliis corporibus. Fauent hæc verba huic opinioni potius; nam facilitas ad reuiuiscendum significare videtur, facile esse animæ in aliud migrare corpus, si velit, nec expectare extremam resurrectionem.

Aduersus hanc opinionem opponi potest non facile argumentum. Etenim Pharisæi mortuorum resurrectionem confitebantur, vt legitur Act. 23. At verò mortuorum resurrectioni, repugnat animarum transmigratio. Nam resurrectio, est eiusdem corporis resumptio; metempsychosis autem, est in aliena corpora migratio. Ergo Pharisæorum dogma non fuit, animas proborum in aliena transire corpora. Præterea Paullus, Pharisæorũ sectam certissimam appellat: *Secundum certissimam sectam,* *Actor. 26.* ait, *nostræ religionis vixi Pharisæus.* Ergo quæ Pharisæi docebant, certissima erant. Non igitur hic error tribuendus illis est. Adde, contrariam opinionem maxime inniti verbis Iosephi; at illa facile possunt de resurrectione explanari, hoc pacto: Pharisæi animam omnem esse immortalem asserunt; transire autem in aliud corpus, solam bonorum; transire, inquam, in resurrectione, in aliud corpus; hoc est, in idem corpus, sed alio modo se habens, nouum, & immortale. Vel forsitan in alio errore fuerunt Pharisæi, vt existimarent resurrectionem mortuorum non esse eiusdem, sed alterius corporis assumptionem, quod falsum est: Ideò dicebant animam transire in aliud corpus. Neque vero Iosephus ait illos affirmasse, animam transire in alia corpora, sed in aliud; videlicet, in vnum tantùm per resurrectionem, non in multa per transmigrationem.

Pharisæi mortuorum resurrectionem fatebantur.

His respondemus, Iosephi verba sonare potius metempsychosim. Priori item argumento respondemus, existimasse Pharisæos, animas in alia corpora migrare ante extremam resurrectionem: in extrema verò resurrectione, corpus proprium rursus induere. Posteriori quoque respondemus, sectam Pharisæorum certissimam dici à Paullo, quòd

certior

certior esset,& verior multò,quàm sectaSadducæorum; & quòd pleraque haberet certa ; non tamen, quod nullos haberet permixtos errores,qualis hic est, de quo agimus.

3. Legatorũ interrogatio

PROPHETA *es tu?* Tertiam adhibent quæstionem; An sit Propheta? Origenes in Ioannem, Theophylactus,Euthymius,Chrysostomus, & Cyrillus,Eusebius lib.9.de Demonstratione,cap.11.arbitrantur, agi hoc loco de Propheta illo peculiari, de quo Moses ait: *Prophetam suscitabit vobis Deus, de medio fratrum vestrorum.* Est quæstionis sensus, iuxta hanc opinionem huiusmodi , *Propheta es tu ?* ille, quem Moses Deuteronomij 18. suscitandum prædixit ? Fauet Græcus articulus,ὁ, qui nomini Prophetæ adhibetur ab Euangelista. Non rogarunt, ait Chrysost. an esset vnus ex aliorum numero Prophetarum:sed articulum addiderunt,ac si dicerent, Prophetàne ille es , qui à Mose prædictus est? &c. Et Origenes.Non idem est,Propheta es tu?cum articulo,& Propheta es tu?sine articulo,&c.De Messia interpretatur verba Mosis D.Petrus Act.3. prædixit enim eo loco Moses , summum Prophetam mittendum,id est, Christum.At Iudæi , iuxta hanc sententiam,locum de alio Propheta perperam intelligebãt.Respondit Ioannes,se non esse Prophetam;nempe illum,de quo fuerat Moses vaticinatus. quod verissimum erat.

Deut.18. *Chrysost.* *Origenes.*

Propheta hoc loco non significat Prophetam Deuteronomij.

Rectius tamen locus explanatur, non de Propheta illo peculiari Deuteronomij;sed de Propheta vniuersè,hoc modo:Esne tu Propheta aliquis? Prophetaline munere fungeris? Probatur hæc sententia,quæ est D.Augustini & Ruperti in commentariis Ioannis : quoniam si tertia interrogatio de Propheta illo peculiari proposita fuisset:sanè proposuissent legati quartam, quæ restabat, videlicet: Si non es Propheta ille Deuteronomij , ésne aliquis alius Propheta , quem Deus iusserit baptizare, & populum docere? Respondebis ; tanti Ioannem faciebant,vt si Christus non esset; non alium esse putarent , quàm Eliam , aut Prophetam illum eximium à Mose prædictum: Ideóque,an esset alius Propheta,non rogarunt. Sed momento caret hæc responsio. Quasi verò esse Prophetam , etsi non ex illis vnum,aliquid esset vulgare , quod Ioannis dignitati congruere non posset,quam illi forte minimè curabant. Præterea, si legati de Propheta Deuteronomij intelligi volebant,sanè obscurè admodum sunt locuti;addidissent profectò aliquid , quo id significarent. Nam articulus Græcus redundat, neque id satis ostendit.Cùm ergo sine vlla additione quærunt; *Propheta es tu?* sine vlla additione intelligendi sunt,de Propheta generatim loqui , non de aliquo peculiari. Probatur item , ex illis verbis legatorum:Cur ergo baptizas , si tu non es Christus, neque Elias,neque Propheta?quo loco perspicuum est nomen Prophetæ vniuersim accipi. Nam quicumque Propheta poterat à Deo mitti ad baptizandum.

Ioan.1.

Ab hac sententia illos Patres repulisse videtur hoc argumentum. Ioannes Propheta erat , si generatim Prophetæ nomen accipiatur : iuxta illud Zachariæ in Cantico: *Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis* . Ille verò respondet, se non esse Prophetam ; ergo interrogatio non de Propheta generatim, sed de aliquo singulatim , nempe illo Deuteronomij , proposita est. Alioqui non respondisset verè. Respondetur;Ioannem Prophetam se esse verè negasse, quales nimirum fuerant antiqui Prophetæ, qui Messiam longè post venturum prædicebant,& ad futura bella , suppliciáque nuntianda, mittebantur. Ioannes enim non ad futura aliqua supplicia prædicenda, sed ad Messiam iam natum,& inter homines versantem indicandum, missus est. Vere ergo ait : Non sum Propheta futuri , sed index præsentis Messiæ. Ita Augustinus respondet: Maior, inquit, erat quàm Propheta. Quia Prophetæ longè ante Christum prænuntiauerunt ; Ioannes verò præsentem digito demonstrabat. Rupertus: Ioannes non in vmbra erat futurorum , sed in veritate præsentium. Neque proferebat Propheticum sermonem : sed digito monstrabat verum Solem,&c. D.Thomas in Ioannem , aliam proponit interpretationem , quæ huiusmodi est : *Propheta es tu ?* id est,Esne Eliseus,qui iussit Naaman in Iordane baptizari ? sed probabilitate caret.

Obiectio. *Lucæ. Quæ sensa Ioannes negarit se esse Prophetam. Responsio.*

Rupertus.

Ioan.1.

EGO *vox clamantis in deserto.* Dixit Baptista quid non esset ; nunc aperit quid sit:negauit hactenus,iam affirmat. Si quæritis , quid de me ipso dicam,vt responsum iis reddatis, qui vos ad me miserunt:Ego Propheta non sum,longè post venturum Messiam prænuntians , sed præcursor illius sum, viam iam nato præparans:Ego vox sum illa,de qua Isaias cap.40.vaticinatus est : *Vox clamantis in deserto: Dirigite,* id est, rectã facite,*viam Domini* Messiæ. Hoc Isaiæ testimonium lib.1.cap.2. iam explanatum. In Morali cetera dicemus. Vox clamantis non est Hebraismus : non enim significat vocem clamantem,sed vocem clamantis præcursoris: sic enim Isaias ait: *Consolamini populo meus,* &c. *Vox audietur clamantis, videlicet Ioannis præcursoris Messiæ, clamantis in quam,non in vrbibus,sed in deserto Iordanis,* &c.Ioannes ergo ait:Ego sum vox clamantis,id est, vox illa præcursoris clamantis ; quæ ab Isaia prædicta est.Ego sum præcursor ille Messiæ, qui viam illi paro.

Ioan.1. *Ioannes respondet legatis.* *Vox clamantis quid significet.* *Isaiæ 40.*

QVI *missi fuerant, erant ex Pharisæis.* Origenes in Ioannem,ad illa verba,*Et hoc est testimonium Ioannis,* arbitratur, legatos quosdam fuisse sacerdotes & leuitas,alios Pharisæos ; duásque legationes factas obseruat,alteram à Iudæis , alteram à Pharisæis: Hoc,inquit, primùm obseruantes , duas legationes fieri ad Baptistam:alterã ab Ierosolymis, a Iudæis mittentibus sacerdotes & leuitas , vt interrogarent eum : *Tu quis es?* alteram à Pharisæis mittentibus , ac præter factam responsionem sacerdotibus & leuitis , dubia mouentibus,&c.Item: Qui missi fuerant à Pharisæis , leuitis alioqui & sacerdotibus , minimè anxiè disquirentibus ea quæ dicta fuerant; vocibus veluti contumeliosis & inhumanioribus cum Baptista agunt;per illud : *Quid ergo baptizas,si tu non es Christus,neque Elias,neque Propheta?* Et verè,non intelligere volentes,veluti prædicti leuitæ & sacerdotes,hi mittunt: sed prohibere volentes à baptizando. Cùm fortassis existimarent , ad nullum alium pertinere baptizare , quàm ad Christũ,vel ad Eliam,vel ad Prophetam. Hactenus Origenes. Verùm non est opinio verisimilis, duas missas legationes,alteram à Iudæis , alteram à Pharisæis. Vna tantum legatio fuit à pontifice & Reipubl.moderatoribus missa.Ipsi verò legati Pharisæi erant ; id quod Euangelista docet,his verbis: *Et qui missi fuerant,erant ex Pharisæis* : hoc est, ipsi legati missi ad Baptistam, erant Pharisæi. Erant quidem sacerdotes & leuitæ. *Miserunt,* inquit,*Iudæi, sacerdotes & leuitas ad Ioannem , vt interrogarent eum: Tu quis es?* erant præterea ex secta Pharisæorũ. Ideo dixit:*Et qui missi fuerãt,erant ex Pharisæis,* legis zelum præ se ferentibus. Hi nouam addiderũt interrogationem. Videlicet.

Origen. Ioan.1. *Duplex legatio missa ad Ioannem,ex sententia Origenis.* *Vna tantũ legatio missa.* *Legati erãt Pharisæi, & sacerdotes ac leuitæ.*

QVID *ergo baptizas, si tu non es Christus , neque Elias,neque Propheta?* Rationem exposcunt,cur baptizet,cùm neque sit Christus, neque Elias , neque Propheta. Nam si Ioannes Christus esset , aut Elias,

Ioan.1. *Extremæ legatorũ interrogatio.*

Elias,aut Propheta,ad baptizandum haberet auctoritatem,& ad docendum. Cùm autem affirmarit, neque ſe eſſe Chriſtum, neque Eliam, neque Prophetã,qua auctoritate baptizet,quærũt. Eſt opinio, Iudæos ex Scripturis ſperaſſe baptiſmum aquæ, tempore Meſſiæ:putaſſe verò adminiſtrandum,aut per Chriſtum,aut per Eliam,aut per illum Prophetam Deuteronomij,Chriſti præcurſores;Eliamque & Prophetam, in Deuteronomio à Moſe prædictum,cum Chriſto venturos credidiſſe. Ideò dixiſſe:Cur baptizas,ſi nõ es Chriſtus,neque Elias,neque Propheta ille à Moſe prædictus? His enim tantummodo baptizare fas eſt. Dicendum potius eſt, legatos hoc loco de Propheta vniuerſe eſſe intelligendos,hoc ſenſu. Si Chriſtus eſſes, aut Elias,aut Propheta aliquis,licuiſſet tibi à Deo accepta auctoritate baptizare,& docere: Prophetæ enim à Deo mittuntur,& à Deo auctoritatem accipiunt.Cùm verò te Chriſtum eſſe,Eliam,& Prophetam,neges; quanam auctoritate baptizas?hoc enim ſcire,ad pontificem Reſque publicæ moderatores ſpectat.

Ioan.1. EGO *baptizo vos in aqua.* Qua auctoritate, & cur baptizet non reſpondet Ioannes ; ſed totus in Chriſtum fertur,ſuo officio fungitur:ait Ioan. *Venit vt teſtimonium perhiberet de lumine*;teſtimonium præclarum de lumine coram legatis perhibet. Se baptiſmúmque ſuum deprimit , Chriſtum extollit: *Ego*,inquit,*in aqua vos baptizo*,tamquam Chriſti præcurſor. Non abluit animas meus baptiſmus,ſed corpora;animas abluet Meſſias,qui quidem *medius veſtrum ſtetit*.Iam venit , iam in Iudæa eſt ; *medius veſtrum*, id eſt,inter vos verſatur : illum tamen neſcitis, Meſſiam eſſe ignoratis , quòd in ſumma humilitate,rerúmque humanarum deſpicientia , medius veſtrum,vt quiuis alius hominum, agat vitam. At verò ſcitote, illum ante me factum eſſe,hoc eſt, mihi præpoſitum , vt ſupra iam expoſuimus. Tanto verò me ſuperat interuallo , vt dignus ego non ſim,qui ſeruus illius nominer, & calceamenti eius corrigiam diſſoluam. Vos quæritis, an ſim Chriſtus?Ego reſpondeo , me nec dignum quidem eſſe, qui è pedibus illius calceamenta , vt ſeruus minimus,extraham. Hæc verba ſuprà interpretati iam ſumus, libr.1.cap.6. quo loco etiam explicauimus, an Chriſtus calceis vſus fuerit. In morali de calceamentis plura dicemus. Animaduerte hoc loco, Iudæorum ſocordiam : Cùm audiſſent Meſſiam inter eos verſari ignotum , non rogant, quiſnam ſit? vbinam vitam agat ? quomodo agnoſci poſſit ? ſi tanta illos Meſſiæ cupiditas tenebat , cur hæc non indagabant? O homines ſocordes,& Meſſiæ parum cupidos.

Ioan.1. HÆC *in Bethania facta ſunt trans Iordanem.* Indicat Euangeliſta locum,in quo Ioannes Iudæorum legationem audiuit, & de Chriſto inſigne hoc teſtimonium tulit:*Hæc*,inquit,*facta ſunt in Bethania.* Chryſoſtomus in Ioannem,*in Bethabara*, non,*in Bethania*,legendum putat. Quædam,inquit,exemplaria veriora videntur,in quibus *Bethabara* ſcriptum eſt. *Bethania* enim non trans Iordanem , neque in deſerto erat,ſed prope Ieruſalem. Euthymius quoque:Emendatiora,inquit,exemplaria , *in Bethabara*, ſcribunt. Origenes item ſic ſcribit: Dicunt oſtendi circa tumulos Iordanis Bethabaram ; vbi hiſtoriæ dicunt Ioannem baptizaſſe. Eſtque nominis interpretatio, congruens baptiſmati , præparantis Domino populum inſtructum.Eſt enim, ſi interpreteris,domus inſtructionis.Bethania vero,domus obedientiæ. Hæc Origenes.Et Hieronymus de locis Hebraicis:Bethabara trans Iordanem eſt,vbi Ioannes baptizabat. Vnde vſque hodie plurimi de numero credentiũ,ibi renaſci cupientes , in tali gurgite baptizantur, &c. Ita etiam legunt aliqui recentiores.

Verùm *Bethaniam* legendum eſſe conſtat ex correcta editione. Origenes ipſe fatetur in omnibus fere exemplaribus, hãc olim fuiſſe lectionem: Quod , inquit , in omnibus fere exemplaribus ponatur , *Hæc in Bethania facta ſunt* , non ignoramus. Et videtur hoc etiam factum fuiſſe. Vnde apud Heracleonem etiam Bethaniam legimus. Sed perſuaſi ſumus Bethabaram legere , non Bethaniam, cùm ad loca peruenißemus, vt IESV , diſcipulorúmque eius , ac Prophetarum veſtigia inſpiceremus.Sic ille.

Origen.

Non eſt hæc Bethania illa,in qua Lazarus ægrotauit,ſed altera. Duæ enim fuere Bethaniæ, altera illa Lazari,cis Iordanem, prope Ieruſalem ; altera trans Iordanem , longius ab vrbe. Hæc verò duobus nominibus videtur appellata; nimirum Bethania , & Bethabara. Bethabara ſignificat domum tranſitus,à בה beth , quod nomen ſignificat domum,& עבר hhbar,id eſt tranſire.Bethania,ſignificat domum nauis: beth enim ſignificat domum, & אני ani,nauem.Dicebatur Bethabara,vt conijci poteſt,id eſt , domus , ſiue locus tranſitus ; vel quia per illum locum Iſraëlitæ Iordanem fluuium ex Ægypto venientes tranſierunt , vel quòd ille eſſet locus , per quem Iudæi fluuium ſolebant tranſire. Bethania verò, id eſt,domus, ſiue locus nauis , vel cymbæ, appellabatur , quòd ibi nauis eſſet , vel cymba , qua ducebantur. Bethania hæc, Hebraice habet , aleph , in medio :.Bethania verò Lazari & Marthæ , habet, ain, & ſignificat domum afflictionis , vel obedientiæ. A beth , id eſt,domo, & עני hhani , id eſt, afflictione. Lege quæ diximus lib. 1.cap.4.de loco,in quo Ioannes baptizabat.

Duplex Bethania.

Bethania & Bethabara idem locus Iordanis.

Ioannis reſponſio & teſtimoniũ de Chriſto.

Medius ſtetit, quẽ vos neſcitis.

Calceamẽta diſſoluere eſſe calceare:ligabantur enim calcei.

Socordia Iudæorũ in quærendo Meſſiam.

Ibidem. Chryſoſt. Sitne legendum in Bethania, an in Bethabara?

Origen.

Hieron.

CAPVT XIV.

Morale.

De legatione miſſa ad Ioannem.

OBSERVAT Origenes in commentariis in Ioannem , Iudæos legationem ad Baptiſtam miſiſſe, non autem ad Chriſtum ; quod verò Iudæi non fecerunt,ipſum feciſſe Baptiſtam , cùm poſtea Matthæi 11. ad Chriſtum ex carcere diſcipulos velut legatos miſit. Ioannem, ait Origenes, Iudæi tanto cum honore interrogant ; de Chriſto verò nihil tale feciſſe ſcriptum eſt. Sed quod Iudæi erga Ioannem faciunt , iſtud Ioannes erga Chriſtum fecit , per ſuos diſcipulos , interrogans : *Tu es qui venturus es , an alium expectamus? &c.* Hac in re Iudæos nos imitamur,non Ioannem. *Vox clamantis in deſerto* erat Ioannes , Chriſtus autem Verbum Dei; Iudæi Verbum reliquerunt , ad vocem legatos miſerunt. Nos ſimiliter Verbum relinquimus , ad voces currimus. Nónne creaturæ omnes voces ſunt clamantes in deſerto,ac vociferantes,Deum eſſe orbis Conditorem ,ſapientiſſimum, potentiſſimum , pulcerrimum , omni amore digniſſimum?quod præclarè dixit Auguſtinus Pſal. 26. his verbis : Vndique tibi omnia reſonant Conditorem. Et ipſæ ſpecies creaturarum,voces ſunt quædam Creatorem laudantium,&c. Quid diuitiæ , quid nobilitas , & pulcritudo , quid dignitas,quid Principes , & Reges ſunt aliud,quam Verbi diuini voces?ſed heu, Iudæos ſectamur, ad has voces currimus,has amplectimur,his frui volumus;Verbum autẽ Dei,id eſt,Chriſtũ,deſerimus.

Iudæi legatos miſerũt ad Ioannem nõ ad Chriſtum.

Matth 11.

Iudæos imitamur, Verbum relinquimus, ad voces properamus, id eſt, creaturas. Auguſt.

Quadrat

Ierem. 2. Quadrat in nos illa Dei conquestio, quæ exstat apud Ieremiam. *Quid inuenerunt in me patres vestri iniquitatis ; quia elongauerunt à me, & ambulauerunt post vanitatem, & vani facti sunt? &c.* Quid non summæ bonitatis in Christo inuenimus? quid amaroris? quid laboris? quod vt tanto bono fruamur, non sit animo libentissimo subeundum? Quid in creaturis non vanitatis; quid stabilitatis, quid dulcitudinis reperimus ; quod pro summo bono non sit flocci faciendum ? Voces sunt creaturæ mox euanescentes. Quemadmodum enim suauis vocum concentus breui temporis spatio aures oblectat; móxque præterit: ita suauis creaturarum possessio temporis momento voluptate nos demulcet; móxque pertransit. At Dei Verbum Christus æternum est, & æternis bonis affluit, æternáque voluptate sectatores suos perfundit. Quidquid habent creaturæ dulcitudinis, à Christo velut fonte emanat; si igitur cisternæ aquã tanta auiditate potas; cur ad aquam fontis non properas?

Creaturæ voces mox euanescẽtes.

Ierem. 2. *Duo mala fecit populus meus*, ait Dominus eodem capite, *me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas, &c.* Hæc duo nos quoque facimus mala. Derelinquimus Deum totius dulcitudinis fontem; ad cisternam hanc mundi dissipatam, fonte relicto, accurrimus, quæ alienas aquas, quibus nos allicit, non valet continere. Hoc est quod Theologi asserunt, in peccato mortifero auersionem à Deo & conuersionem reperiri ad creaturam. Qui enim mortifero se crimine obstringit, tum à Deo fonte bonorum omnium sese auertit ; tum ad cisternas, id est, creaturas, conuertit. In peccato duo sunt, ait sanctissimus Doctor D. Thomas, prima secundæ quæst. 87. artic. 4. quorum vnum est auersio ab incommutabili bono, quod est infinitũ. Vnde ex hac parte peccatum est infinitum. Aliud, est inordinata conuersio ad commutabile bonum. Et ex hac parte peccatum est finitũ. Tum quia ipsum commutabile bonum est finitum, tum etiam quia ipsa conuersio est finita. Ex parte auersionis, respondet peccato pœna damni, quæ est infinita : est enim amissio infiniti boni, id est, Dei; ex parte cõuersionis, respondet eidẽ pœna sensus, quæ est finita. Sic D. Thomas.

In peccato mortifero est auersio à Deo & conuersio ad creaturam. D. Thom.

Distortus cursus Iudæorum. Acus nautica magnete imbuta, nauis cursum, non fulgentissimum Solem, sed paruam stellam indicando, dirigit; ita Iudæorum cursum ignorantia, non splendidissimum Solem Christum, sed paruam stellam Ioannem demonstrando direxit, immo distorsit. Ita etiam cursum nostrum caducarum cupiditas rerum distorquet. Hac enim cupiditate imbuta corda, non præclarissimum Solem Deum; sed paruas quasdam in hac nocte scintillantes stellulas, id est, creaturas, persequuntur. *Sollicitabat Absalom corda virorum Israël*: ex Hebræo verti potest: *Furabatur corda.* Sic mundus, sic creaturæ, corda hominum sollicitant, & furantur ; ita vt maxima illorum pars à Deo ad creaturas desiciat. Eodem capite scriptum exstat: *Venit nuntius ad Dauid, dicens: Toto corde vniuersus Israël sequitur Absalom.* Heu nuntium infaustum. Toto corde hominum pars maxima Absalonem alterum, id est, mundum, caducas res, diuitias, voluptates, honores, deserto vero Dauide Christo sequitur.

Cupiditas cursum distorquet.

2. Reg 15.

Ibidem.

Quid igitur remedij adhibendum, ne fallacem Absalonem, id est, mundum, sequamur? En tibi remedium : legatos mitte, qui mundum rogent; *Tu quis es?* legatos inquam mitte, non ignobiles, & abiectæ conditionis seruos, qui te decipiant; sed nobiles & sapientes, qui vera renuntient. Sensus atque appetitus, abiectissimi serui sunt; hos si mittas, vt quærant à pecunia, à voluptate, ab honore, *Tu quis es?* Sanè eximium quidpiam & suauissimum esse renuntiabunt. Nobiles ac sapientes legati, sunt intellectus, ac fides; hi, quid sint caducæ res, quid sint æternæ, diligenter disquirant, rogent mundum, pecuniam, voluptatem, honorem; *Tu quis es?* Illum sapientissimi Salomonis nuntium referent: *Vanitas vanitatũ, & omnia vanitas, &c.* Et illum D. Chrysostomi homil. 1. in Genes. Talia sunt humana & carnalia ; nondum rectè aduenerunt, & auolarunt. Tale quiddam sunt deliciæ, humana gloria, potentia, diuitiæ: tale quiddam huius vitæ vniuersa prosperitas; nihil firmum habens, nihil subsistens, nihil solidatum, sed magis quàm fluminum fluenta prætercurrunt, nudósque ac solos relinquunt eos qui illis inhiant. Spiritalia sunt firma, immobilia, vicissitudinem nõ accipientia, ad omne sæculum se extendentia.

Exploranda res caduca.

Eccle. 1.

Chrysost.

Res caducæ inanes sunt; Spiritales solidæ ac permanentes.

Lege D. Basilium homilia quinta, de opere sex dierum, in qua *omnem carnem*, vt dixit Isaias, *fœnum esse demonstrat, omnémque hominum gloriam, florem fœni*: Breuitas, inquit, temporariæ istius ac deciduæ vitæ, oblectamentúmque prosperitatis humanæ, atque hilaritas exiguo tempore persistens, accommodatissimam similitudinem, fœni scilicet, apud Isaiam est sortita. Hodie florulentus corpore, propter diuitias obesus, ob ætatis viriditatem lasciuiens, cras idem miserabilis, aut tempore marcidus, aut morbo forsitan dissolutus, senióque confectus. Nox vna, aut febris, aut pleuritis, abreptum è medio hominum cœtu abit, secum abducens hominem ; omni scæna spolians, quæ eum circumstabat, splendor ille maiestatis & gloriæ, ad insomnij imaginem, momento disparuit, & cet.

Isaiæ 40.

Vidésne quot quæstiones hi sacerdotes & leuitæ excitarint? de Ioanne omnes, de se nullam. Superarunt illos turbæ, quæ eumdem Baptistam de se interrogant; *Quid faciemus?* Publicanorum quoque & militum eadem quæstio fuit: *Quid faciemus?* At horum Pharisæorum quæstiones sunt: *Tu quis es? Messias es tu? Elias es tu? Propheta es tu?* Cùm Ioannes dixerit: *Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis; cuius non sum dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti*; interrogare debuerunt: Vbinam est hic, de quo loqueris, quem nos nescimus? quidnam faciemus, vt illum reperiamus? Quid ipsi facere debeant, non interrogant ; de Ioanne omnia, de se nihil quærunt. Nos similiter mille excitamus quæstiones, & excutimus ; sed omnes aliis de rebus, de nobis ipsis pauca quærimus. Angelum rogamus, *Tu quis es?* cælum rogamus, Lunam, Solem, *Tu quis es?* terram rogamus, aquam, aërem, ignem, *Tu quis es?* Philosophiam rogamus, motum, tempus, locum, *Tu quis es?* Rhetoricam, Dialecticam, & Grammaticam ipsam, nomen, Verbum, orationem rogamus, *Tu quid es?* denique animantia omnia, plantas, herbas, morbos, vitia, virtutes, artes, elementa, res omnes cælestes, atque terrestres, rogamus quidnam sint? nos autem ipsos non rogamus, *Tu quis es?* Aliarum rerum cognitioni studemus, nostri animi corporísque vtilissimam scientiam non curamus. Abailardus, ait Bernardus epist. 193. nihil nescit omnium quæ in cælo & quæ in terra sunt; præter se ipsum, &c. Ideóque merito D. Basilius cum oculis nos confert, qui cetera omnia cernunt, seipsos non cernunt. homil. 9. hexam. Difficillimũ, inquit, esse omnium videtur, se ipsum cognoscere: non solus enim oculus, ea quæ sunt foris conspiciens, in se ipsum cernendum non vtitur facultate videndi : sed ipsa mens etiam nostra, peracutè perspiciens alienos errores,

Lucæ 3.

Ioan. 1.

Cognitio sui ipsius.

Bernard.

Oculi alia cernunt, seipsos minime: ita & nos.

tarda est & cunctatior ad proprios defectus suos cognoscendos, &c.

At verò viri salutis amantes suæ, non oculorum, sed Dei, qui semper se ipsum intuetur, similitudinem gerunt; seipsos intuentur, se explorant, seipsos sæpe rogant: *Tu quis es?* Oculos habent extra ad cognoscendas Dei creaturas: oculos quoque habent intus, quibus seipsos intueantur: & vt *Gregor. Magnus.* Magnus Gregorius ait, homilia quarta in Ezechielem, coram facie sua & oculis suis ambulant: Omnis, inquit, iustus, qui vitã suam sollicitus aspicit, & diligenter considerat, quantùm quotidie in bonis crescat, aut quantùm decrescat; iste quia se *Sui cognitio* ante se ponit, coram se ambulat. Quisquis verò B suæ vitæ custodiam negligit; discutere quæ loquitur, quæ cogitat, aut despicit, aut nescit, coram se iste non ambulat; quia qualis sit in suis moribus, vel actibus, ignorat, &c. Item: In cunctis, quæ agimus, diligenter nosmetipsos conspicere debemus; vt pennata Ezechielis animalia sequentes, nobismetipsis præsentes simus, & coram facie nostra semper ambulemus. Sic ille. De animalibus *Ezech. 1.* illis pennatis hæc sunt Ezechielis verba: *Vnumquodque eorum coram facie sua ambulabat.* Quæ *Gregor.* D. Gregorius in sensum propositum moraliter exponit. Significat autem Propheta animantia illa; quoniam quatuor præferebant facies, quocumque irent, siue ad dexteram, siue ad sinistram, siue ad alias partes pergerent; non opus fuisse retrouerti. Ad omnes enim quatuor mundi partes facies quatuor obuersas habebant & oculos, In quatuor par- *Præterita præsentia & futura sunt cõsiderãda.* tes alata illa animantia aspiciebant: vir probus in quatuor quoque partes aspicit, in præterita nimirum, in præsentia, in futura, & in se ipsum maxime.

Oculi quadruplices quibus insti cernunt. Præterea animantia illa singula quadruplices vultus quadruplicésque oculos habuere: Aquilæ nimirum, hominis, leonis, & bouis. Viri probi similes habent oculos Aquilæ, quibus Deum intuentur, hominis, quibus proximum cernunt, leonis, quibus mundum, bouis, quibus seipsos inspiciunt. Aquilinis enim oculis, id est, purissimis, sideque illuminatissimis, opus est, vt Solem fulgentissimum, id est, Deum, contemplari possimus. Humanis oculis, hoc est, humanitate ac misericordia plenis, proximus aspiciendus est. Leonis, hoc est, atrocibus, mũdus est despiciendus. Bouinis indiget homo, seipsum vt inspiciat, nimirum vt bouis instar in terram, hoc est, corpus suum, crucis aratrum immittat, sulcos altissimos in pectus & cor ducat, seipsum exaret, atque perscrutetur, & frequenter *Ioan. 1.* roget: *Tu quis es?*

Vocibus similes sunt homines. Rogat vir sapiens seipsum sæpe, *Tu quis es?* sibi verò sic cum Ioanne sæpe respondet. *Ego vox clamantis in deserto*: Vox sum aërea, sonus puncto temporis pertransiens, etsi toto orbe personem, mox deficiam. Sunt voces quædam contentæ, ac magnæ, quæ longè diffunduntur; sunt aliæ submissę, ac tenues, quæ minimi loci interuallo vix audiuntur. Magnis contentísque vocibus similes Reges sunt, Duces, reliquíque Principes, nobiles, diuitésque viri, quorum sonus toto regno, totoque orbe resonat. Submissis paruísque vocibus similes sunt viri alii minores, quorum tenuis sonitus vix percipitur. Tam submissæ, quàm magnæ voces, temporis breui spatio audiuntur; ita tàm Principes, quàm ignobiles, pauperésque viri, ad exiguum tempus durant. Quid velocius, quàm vox euanescit? Magnus terribilisque est tonitrui sonitus, de *Psal. 28.* quo Psalmograph. *Vox*, inquit, *Domini in virtute, vox Domini in magnificentia, vox Domini confringentis cedros, &c.* Sed potentissima hæc vox, ne horam, A ne semihoram, ne quadrantem quidem horæ durat. Paullò postquam magno cum tremore auditur, silet. Tonitruo similis est Rex quilibet, vel princeps, vel opibus affluens vir. Vox Domini est cum potentia, ac magnificentia, cedros ipsas Libani confringens, at exiguo sonat tempore. Iuxta illud: *Sicut mane pertransiit Rex Israël.* Pulcra est aurora ac rosea, sed exoriente Sole mox abscedit, pulcra est atque aurea Regis dignitas, optimatúmque gloria; verùm auroræ instar mox disparet. Sicut mane, id est, aurora pertranseunt Reges, Principes, diuitesque omnes. *Transire fecit*, ait idem Va- *Oseæ 10.* tes, *Samaria Regem suum, quasi spumam super faciem aquæ.* En Regum ceterorumque hominum imagi- B nem. Transeunt vt spuma super faciem aquæ; transeunt vt bullæ; vnde prouerbium exstat; Homo bulla. Omnis hominum tumor, spumæ, siue *Homo bulla & spuma.* bullæ, tumor est. Nihil in rebus humanis stabile, nihil firmum, omnia sunt fluxa. Firma autem sunt diuina ac perpetua; hæc toto labore persequenda. In fluxo hoc pelago, id est, mundo, insula stabilis, siue stabilis rupes, mihi quærenda est, in qua firma ponam vestigia. Nemo enim in aqua *Nullus in aqua potest stare. Chrysost.* stat. Vnde illud Chrysostomi homilia 9. in epistolam ad Timotheum: Noli fluxis rebus confidere, vt possis firmiter subsistere; nullus in aqua stet, sed in saxo omnes firmiter stent. Aqua sæcularia negotia indicat, fluxa, mortalia; petra spiritalia sunt, &c. Sic vir sapiens ac probus se ipsum rogat: *Tu* C *quis es?* Sic quoque sibi tacitis respondet cogitationibus.

Mẽtis inops aliorũ vitia sui oblitus carpit. Qui verò virtutis & mentis inops est, sui oblitus de alio quærit; *Tu quis es?* aliorum vitia carpit, sua reiicit post terga. Nabal quærit: *Quis est Dauid? & quis est filius Isai? hodie increuerunt serui,* *1. Reg. 25.* *qui fugiunt dominos suos, &c.* Quis esset Dauid rogabat, & fugitiuum seruum esse aiebat. Nabal, Hebræum nomen stultum significat: Nabal enim est, qui sui ipsius oblitus aliorum mores, quorum curam non habet, inuestigat, & probis viris exprobrat. Dauid gener erat Regis, vir fortis ac bellica laude præclarus, gigantis fortissimi victor, virtutibusque præstans: nihil horum memorat Nabal: sed fugitiuum seruum appel- *Dan. 2.* D lat. Sic obtrectatores, quæ glorioſa ac præclara *Detractores gloriosa præterunt, abiecta proferunt.* sunt, prætereunt; quæ infima sunt & abiecta, ea in medium proferunt. Lapis ille, qui statuam euertit, non aurum statuæ, non argentum, non æs, sed quod infimum erat, videlicet ferreos fictilesque pedes percussit. Sic etiam obtrectator, non aurum tangit, non argentum, non æs, hoc est, nec de virtute, quæ auri instar splendescit, nec de sapientia, quæ argento assimilatur, nec de nobilitate celebríque fama, cuius æs similitudinem gerit, verba facit: sed pedes ferreos fictilesque, hoc est, hominis infima & ignobilia, ignobili lingua percutit, illiusque famam E euertit.

Se ipsum, non alios, sapiens rogat: *Tu quis es?* homóne es? Christianus es? Sacerdos es? Episcopus es? Religiosus es? Rex es? nobilis es? iudex es? Quis sit vitæ tuæ status, quæ conditio, diligenter attende; illiusque mensuram factis statu dignis comple. Si homo es, ne in belluarum mores degeneres; si Christianus es, Christum imitare; si Sacerdos es, pectus, quo Christum toties recondis, ipso cælo purius effice; si Episcopus es, gregis saluti dies noctesque inuigila; si Religiosus es, mundum conculca; si Rex es, regni commodis stude; si nobilis es, nobilitatem virtutibus illustra, vitiis ne obscures; si iudex es, ius serua. Quodcumque

tandem

tandem munus ac officium tibi commissum est, diligenter sanctéque exequere. Sed de voce Verbi iam faciamus verba.

Ioan.1. *Ego vox clamantis in deserto*, ait Ioannes. Hoc est, ego sum illa vox, de qua Isaias est vaticinatus. Clemens Alexandrinus in exhortatione ad gentes: *Ioannes cur vox dicatur.* Quis est Ioannes? vt eum vtcumque exprimam, liceat dicere, Vox est Verbi adhortatoria, clamans in deserto, &c. Erat vox Ioannes; erat Dei Verbum Christus. Quemadmodum verbum, hoc est, conceptum hominis, vox hominis demonstrat; ita Dei Verbum Ioannes veluti vox demonstrauit. Officium vocis est, verbum mentis indicare; officium Ioannis fuit, Verbum Dei Iudæis ostendere. Origenes in Ioannem: Vox, inquit, demonstrans, & ob oculos ponens Verbum, Ioannes erat. Quamobrem, valde aptè, non alia punitione plectitur Zacharias eius pater, quam priuatione vocis; eo quòd non credidisset ortui Vocis, &c. *Rupertus.* Rupertus in Ioannem. Sicut ad hoc fit vox, vt verbum audiatur: sic ad hoc natus est Ioannes; vt per ministerium eius incarnatum Verbum præsens cognosceretur, &c.

D. Epiph. D. Epiphanius hæresi 69. Vox, inquit, est præparatiua auditus hominum. Primùm enim inarticulatam vocem sonantem reddere solent clamantes è longinquo, vocantes eos, qui ab ipsis aliquid audire debent. Et vbi illi vocem solam audierint, & mentem ad audiendum conuerterint, aurésque præparauerint; tunc is, qui sonantem vocem emisit, de cetero distinguit sermonem, quem dicere voluit. Sic etiam Ioannes vox fuit, aures hominum præparans. Non enim erat ipse Verbum, sed post ipsum venit Verbum; propter quod præparatiua vox fuit; & propterea dicit: *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini.* Vox enim præparat; Dominus autem ingreditur vias præparatas. Et vox loquitur, vt præbeant audientiam; vbi verò auditus otium egerit, tunc *Nicetas.* sermo in aurem susceptientium mittitur, &c. Nicetas in commentariis oratio. 42. D. Gregorij Nazianzeni vocem dictum Ioannem, ait; quoniam ante Christum venit: Vox, inquit, dicitur Ioannes, non modò propter exaudibilem ipsius prædicationem; verùm etiam vt Christo Saluatore quantùm ad humanitatem prior, non secus ac vox sermonem antecedit, &c. Dicitur præterea vox, quoniam Christi Propheta erat; nam Propheta, Dei vox est.

Ioãnes totus vox. Erat autem Ioannes totus vox; non ore solùm, sed vultu etiam, vestitu, toto corpore, totóque animo Deum sonabat. Huiusmodi voces, hoc est, concionatores, Christus expetit; qui non lingua solùm, sed vita sonent. *Chrysol.* Vnde D. Chrysologus, sermon. 167. Ioannes, ait, Doctor dicto factóque. Magister verus quod verbo asserit, demonstrat exemplo. Magisterium stat de scientia; sed magisterij auctoritas constat ex vita. Docenda faciens, obedientem perficit auditorem, &c. *Bernard.* Bernardus sermon. 59. in Cantica: Validior est operis, quàm oris vox. Fac, vt loqueris; & non solùm te faciliùs emendas, sed te quoque non leui liberas probro. Non iam pertinebit ad te, siquis dicat, quod est apud Matth. *Matth.23.* *Alligant onera grauia, & importabilia, & imponunt ea in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere.* Sed neque illud verearis oportet, quod est ad Rom. *Tu qui alios doces, te ipsum non* *Rom.2.* *doces? &c.* Chrysostomus homilia 1. de pœnitentia, concionatorem citharæ similem dicit, operum verborúmque consonantia præclarum: Hic, inquit, de præsule loquens, veluti musicus optimus auream citharam modulatus, sonorum consonantiam vniuersum excitat theatrum. Deinde sonorum consonantiam, operum, verborùmque concentum esse explicat: Huius, ait, non soni ictuum, sed consonantia verborum, consonantia operum, plurimam nobis affert vtilitatem. Eiusmodi & Christus doctores quærit, dicens: *Qui enim fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Ita Chrysost. *Consonãtia verborũ & operum. Matth.5.*

Dicitur Ioannis vox, turturis, in commentario trium Patrum, apud Theodoretum, Cantic. 2. ad illa verba: *Vox turturis audita est in terra nostra*: Turturem, inquiunt, nominat aduentus sui præcursorem; vtpote solitarium & pudicum, cuius vox est pœnitentiæ prædicatio, &c. Congruit etiam illi tempori Baptistæ id quod sequitur eodem capite: *Vox turturis audita est in terra nostra: ficus protulit grossos suos: vineæ florentes dederunt odorem suum.* Nam quo tempore turturis gemebundi, hoc est, Ioannis, pœnitentiam prædicantis vox audita est; Iudæa veluti ficus grossos suos protulit; illiúsque opida, florentes veluti vineæ, odorem pœnitentiæ dederunt. *Ioannis vox, turturis. Cant.2.*

Dicitur quoque à Diuo Basilio Psalmo. 28. Ioannes vox Domini super aquas, illa nimirum de qua Psalmographus canit eodem Psalmo: *Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit: Dominus super aquas multas, &c.* Sensu quidem litterali, vox Domini super aquas, tonitruum vocatur, vt supra exposuimus; quia à Deo super aquas pluuiales, quæ in nubibus pendent, auditur. Ideo sequitur: *Deus maiestatis intonuit.* Cùm tonitru, ait Basilius, ex nubibus obstrepit, nihil est aliud putandum, quàm quòd Deus maiestatis intonuit; & quòd Dominus est is, qui per seipsum humidam continet naturam, &c. Sensu autem spirituali, Ioannes vox Domini super aquas, ab eodem Magno Basilio appellatur. Nam Ioannes vox fuit Verbi super aquas Iordanis fluuij, in quo baptizabat. Apud eumdem verò Iordanem Deus maiestatis intonuit, cùm e cælo vox illa delapsa est: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Vox Domini, ait D. Basilius, super aquas, Ioannes est baptizans; illic & Deus maiestatis intonuit: venit enim vox è cælo, dicens: *Hic est Filius meus dilectus.* Tunc & Dominus super aquas multas erat, cùm ad Ioannis vsque baptisma sese demittere dignabatur, &c. *Basilius. Ioannes vox Domini super aquas. Psalm.28.*

Cetera etiam voci huic, id est, tonitruo, eodem Psalm. 28. attributa, D. Basilius Ioanni attribuit. Fuit enim *Vox Domini in virtute*, hoc est, cum fortitudine & potentia. Illud *in virtute*, ait Basilius, vox est, dicens: *Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum, &c.* Fuit vox Domini in magnificentia; quoniam magnifica de Christo tulit testimonia. Magnificentissimum fuit hoc, quod coram legatis Iudæorum dixit: *Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est: cuius ego non sum dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti.* Magnificentissimum illud: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Illud quoque: *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni: cuius ventilabrum in manu sua & permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum: paleas autem comburet igni inextinguibili.* Adde illud: *Illum oportet crescere, me autem minui. Qui desursum venit, super omnes est.* Item: *Pater diligit Filium, & omnia dedit ei in manus.* Vox Domini, ait Basilius, in magnificentia, quando magnifica mysteria Ioannes de IESV prædicabat, nihil humile, aut quod absit à decoro, sed omnia magnificè cum excellenti amplitudine de Domino dicta sunt, quæ decenter à Ioanne illi sunt ascripta. Hac ratione dictum est: *Vox* *Basilius. Ioannes vox in virtute, & in magnificentia. Matth.3. Ioan.1. Ibidem. Matth.3. Ioan.3.*

Domini in magnificentia. Sic ille.

Ioãnes vox confringentis cedros & intercidẽtis flammam ignis.

Fuit quoque *Vox confringentis cedros*, hoc eſt, elatas ac ſuperbas mentes. Cedros, ait Baſilius, confringebat, & omnia ad aduentum Domini complanans exæquabat; dum exaltatum, & neſciens humiliari cor populi, ad pœnitentiam deducebat, &c. Fuit *Vox intercidentis flammam ignis*: Nam quemadmodum cùm audiuntur tonitrua, ex nubibus ignea ſplendeſcunt fulgura; ita ex vocibus Baptiſtæ æterni ignis comminationes ſplenduerunt. *Paleas*, aiebat, *comburet igni inexſtinguibili*. Aliter Baſilius: Peccatum, inquit, quod ignis inſtar Iſraëlem deuaſtabat, Ioannes intercidebat, dicens: *Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum*. Flammam itaque affectionum, quæ ex peccato animabus mortalium innaſcitur, intercidit, dum Iudæis de ſempiterno igne diſſeruit; iudicijque diuini vehementiam expoſuit, dicens: *Cuius ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam, & cõgregabit triticum ſuum in horreum; paleas autem comburet igni inexſtinguibili*. Flammam itaque illam intercidit, vbi terribilia iſta populo ob oculos expoſuit. Sic Baſilius.

Matth. 3. *Ibidem.* *Ibidem.*

Pſal. 28. Ioannis vox concutientis deſertum Cades.

Fuit vox Ioannes, *concutientis ac commouentis deſertum Cades*, hoc eſt, ſanctitatis. In deſerto enim baptizabat, & concionabatur Ioannes, in deſerto inquam, קדש *Cades*, id eſt, ſanctitatis; quoniam Ioannis ſanctitas, conciones, baptiſmus, & populi pœnitentia, deſerto ſanctitatem afferebant. Erat, ait Baſilius, Ioannes Baptizans in deſerto; deſertum igitur illud concuſſit, per accurſum vndique affluentium populorum. Quod deſertum propter illorum, qui illuc veniebant pœnitentiam, ſanctum eſt appellatum: Cades enim ſanctum dicitur, &c.

Ioannes vox præparantis ceruos.

Fuit *vox præparantis ceruos*: præparabat enim ceruos, qui in cæleſtes montes per pœnitentiam conſcenderent. *Pœnitentiam*, inquit, *agite: appropinquauit enim regnum cælorum*. D. Hieron. vertit: *Vox Domini parturire faciens deſertum: vox Domini obſtetricans ceruis, &c.* Felix partus eſt cordis pœnitentis, cùm peccatũ ſummo cum dolore & contritione parit. *Ibi dolores vt parturientis*, vt dicitur Pſal. 47. Vox Domini Ioannes parturire fecit deſertũ, & flores pœnitentiæ fructuſque operum parere. Vox Domini fuit Baptiſta, obſtetricans ceruis, ad expellendos corde turpiſſimos peccatorum fœtus. Ceruæ ad partum eſſe difficiles, tonitruique terrore concuſſæ ac conſternatæ parturire dicuntur; ita homines ad pœnitentiam agendam difficiles ſunt. Diuinæ tamen vocis tonitruo concuſſi, ſcelerum fœdiſſimos partus è corde velut vtero magno cum dolore & contritione emittunt. Iuxta illud: *Incuruantur, ceruæ, ad fœtum, & pariunt, & rugitus emittunt*. Vis videre ceruam incuruatam ad partum ac rugientem? cerne Dauidẽ: *Miſer*, inquit, *factus ſum, & curuatus ſum vſque in finem: afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei.*

Pſal. 47. Pœnitentiæ fructus. *Ceruæ ad partũ difficiles.* *Iob 39.* *Pſal. 37.*

Denique vox fuit Ioannes clamans. Qui eos alloquitur, qui longè diſtant, clamet neceſſe eſt, ſi audiri vult. Longiſſimè à Deo diſtant impij. Iuxta illud: *Longè à peccatoribus ſalus*. Quia igitur Ioannes hos alloquebatur, ideo vox erat clamans. Vox etiam clamans eſt ſacerdos: etenim, vt ait D. Gregorius 2. par. Paſtoralis, cap. 4. Præconis officium ſuſcipit, quiſquis ad ſacerdotium accedit. Vt ante aduentum iudicis, qui terribiliter ſequitur, ipſe ſcilicet clamando gradiatur, &c. Ideo ſuper primos illos ſacerdotes è cælo linguæ delapſæ ſunt; vt intelligant ſacerdotes, ſe Dei linguas eſſe, quibus populus ſit docendus. Super paſtores primos (eodem loco ait Gregorius) in linguarum ſpecie

Pſal. 118. Ioannes vox clamans. Gregor. *Concionatores.* *Sacerdotes ſunt voces Dei clamãtes.*

A Spiritus ſanctus inſedit; quia nimirum, quos repleuerit, de ſe protinus loquentes facit, &c. Id ipſum docendi munus illa adumbrant tintinnabula, è veſte ſummi ſacerdotis pendentia. *Veſtietur ea Aaron in officio miniſterij, vt audiatur ſonitus, quando ingreditur & egreditur ſanctuarium, in conſpectu Domini, & non moriatur, &c.* Moyſi præcipitur, ait idem Pater ſanctiſſimus eodem capite, vt ſacerdos tintinnabulis ambiatur: vt videlicet voces prædicationis habeat, &c. Hæc autem tintinnabula ex veſtis extrema ora pendebant. Quoniam prius oportet ſacerdotem ornatiſſimam virtutum omnium veſtem induere: poſtea concionari, ne perturbato ordine concionetur. Veſtimentis ſacerdotis, ait B Gregorius, tintinnabula inhærent, vt vitæ viam cum linguæ ſonitu, ipſa quoque bona opera clament ſacerdotis, &c.

Dei præcones Spiritus S. loquentes facit. *Exodi 28.* *Prius virtus comparãda & doctrina, poſtea conciõnãdum. Gregor.*

Clament ſacerdotis prius opera, poſtea clament verba; immo, ſimul & verba clament & opera, ne præco ſit mutus. Si lupi greges non inuaderent, clamore non eſſet opus: cùm verò immanibus lupis Chriſti oues cinctas videamus, qui ſe à clamoribus continet, vel cæcus eſt, vel Chriſti & gregis parum amans. Paſtores, ait diuus Chryſoſtomus oratione prima aduerſus Iudæos, quamdiu noxia beſtia moleſta non eſt, ſub ilicem aut populum porrecti fiſtula canunt: ſinentes oues liberè pro ſuo arbitratu paſcere. Verùm ſimulatque ſenſerint alicunde luporum incurſionem imminere, mox C abiecta fiſtula, fundam arripiunt, & omiſſo calamo, fuſtibus & ſaxis armant ſeſe, proque ſeptis conſiſtentes, magno emiſſo iubilo, & ingenti vlulatu vociferantes, frequenter ipſo clamore feram abigunt. Itidem & nos facimus. Hæc ille. Id quoque fecit Ioannes.

Clamet ſacerdos operibus & verbis. *Chryſoſt.* *Clamare oportet aduerſus lupos inuadentes Chriſti greges.*

Clamauit tunc temporis, necdum clamare deſiit, etiam hodie clamat exemplo & verbo: *Parate viam Domini*, vt Ambroſius docet ſermone 9. Non tantùm, inquit, in illo tempore clamauit Ioannes, ſed & hodie clamat in nobis, & vocis ſuę tonitruo deſerta noſtrorum concutit peccatorum. At licet dormierit, id eſt, mortuus ſit, vox tamen eius viuit. Dicit enim & nobis hodie: *Parate viam Domini, &c.* D

Ioannes etiã nũc clamat.

Via autem Domini, non terrena aliqua via eſt; ſed ſpiritalis; quæ per pœnitentiam paratur, & ad rectiſſimam mandatorum normam dirigitur. Mandata enim Dei atque Eccleſiæ norma viæ huius ſunt. Si quid à mandatis diſcrepat, id diſtorquendũ eſt atque diſturbandum, omnis via cum regula mandatorum eſt exæquanda. Dominus, ait Ambroſius ſermone 9. non terrenam ſemitam carpit, ſed per ſecreta mentis incendit. Siquid igitur in hac via fuerit moribus aſperum, & conuerſatione pollutum, iubemur mundare, exæquare, commonere, &c.

Via Domini quomodo paranda & dirigenda. Mandata Dei norma ſunt, ad quã via dirigenda eſt. Ambroſ.

Dicitur Dominus aſcendiſſe ſuper occaſum: E *Qui aſcendit*, ait Vates, *ſuper occaſum*. Vt enim Deus in animum noſtrum aſcendat; per pœnitentiam vitia omnia occidere neceſſe eſt. In occaſu occidit Sol; ſed noſter Sol in occaſu oritur peccatorum, vitæque veteris & prauæ. Sic Auguſtinus moraliter verba Pſalmi explanat: Ipſe, inquit, eſt, qui aſcendit ſuper occaſum; quia non eum excipit noua vita hominis ſe ad eum conuertentis; niſi vetus occiderit huic ſæculo renuntiantis, &c.

Pſal. 67. *Auguſt.*

Paratur etiam via, cum lapidibus conſternitur; eumdem in modum paratur in animo Chriſto via, cùm fortiſſimis nullum vmquam mortiferum ſcelus perpetrandi decretis, veluti marmoribus duriſſimis, mens aduerſus peccatorum lutum ſternitur.

Decretis duriſſimis non peccãdi, ſeluti lapidibus via Chriſto cõſternitur.

tum ac sordes munitur. Quemadmodum via, quæ lapidibus non est constrata, hiemali tempore luto; ita animus, qui huiusmodi decretis non est munitus, tentationis tempore criminum sordibus completur.

D. Basil. Vita est via paranda.

Diuus Basilius in commentariis Psalmi primi, viam ait esse vitam nostram. Paratur ergo ad Christum via, cùm paratur vita. Via, inquit Basilius, vita dicitur, per quam quilibet natus properat ad finem, &c. Vitam peccatis libera, moribus exorna, & viam parasti. Latam caue viam siue vitam; arripe arctam: arcta enim est, qua Dominus iter facit. Duæ enim sunt viæ, ait eodem loco D. Basilius, vna lata & ampla, altera angusta & arcta; totidem etiam duces, quorum vterque ad se viatorem arripere conatur. Via namque lata ac decliuis, ducem habet decipientem dæmonem, qui per voluptatem se sequentes ad perditionem trahit. Asperæ verò & arduæ viæ Angelus præsidet, qui per labores strenuos pro paranda virtute, ad finem beatum sequaces suos deducit. Saluandorum via quantò pulcriora profitetur esse, & promitti futura; tantò laboriosiora præsentia exhibet. At voluptatum sectatrix vita, præsentium rerum iucundam fruitionem offert, &c. Hæc Basilius. Si finem viæ consideres, priusquam viam ingrediaris (quod prudentis est) non latam, quæ ad mortem ducit, sed arctam potius ingredieris, quæ fert ad vitam.

Duæ viæ, arcta & lata, duos duces habent.

Properamus ad mortem id minimè sentientes.

Viatorem te esse memento, qui perpetuo irrequietoque motu ad finem viæ, id est, mortem properas, & post tergum quæcumque vides relinquis, siue ea voluptatem, siue mœrorem afferant. Quòd eodem loco Basilius docet. Quemadmodum qui in nauigiis dormiunt, ait diuus Basilius, sponte à vento in portum deducuntur, etsi ne sentiant quidem, pellente eos nauis cursu ad finem optati portus: sic & nos, vitæ nostræ tempore prætereunte, veluti quodam irrequieto motu, ad proprium quilibet terminum occulto vitæ nostræ cursu properamus. Verbi gratia, dormis? tempus elabitur. Vigilas? vita, etiamsi non sentiamus, absumitur. Omnes enim vnum currimus curriculum, ad propriam quisque metam properantes, &c. Item: Vidisti de via plantam, herbam, aquam, aut aliud quid quis, non indignum spectatu, nonnihil hinc decerpsisti oblectationis? hæc interim abs te defluxerunt. Rursus in lapides incidisti, in colles, præcipitia, scopulos, lignaue acuminata, aut forte in feras incurristi, reptilia, spinas, alia item permolesta? hinc nonnihil contraxisti mœroris? Mox ista reliquisti. Talis est vita, quæ nec delectabilia, nec rursus acerba & tristia diu retinet, &c. Inciderunt impij in hac via in amœnissima prata, fluuios, hortos, id est, in diuitias, honores, voluptates; sed post tergum mox omnia reliquerunt. Incidernnt viri sancti in præcipitia, scopulos, loca aspera, immanesque feras; at mox hæc prætergressi sunt. Illi ad viæ finem mœstissimum, hoc est, tartaream voraginem; hi in portum lætissimum, id est, cælum peruenerunt.

Post tergum relinquimus omnia, siue prospera, siue aduersa.

Vita nec prospera, nec aduersa diu retinet.

CAPVT XV.

Morale.

De legatione ad Ioannem missa.

Deus primò voces multas misit, tandē Verbum.

VOCES multas misit olim Deus ad Iudæos, hoc est, Prophetas multos; extremam misit vocem clamantis in deserto. Tandem misit post voces diuinum Verbum, quod illæ omnes nuntiabant. *Vox dilecti mei*, ait sponsa. Deinde postquam vocem audiuit, subiungit de aduentu: *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles: en ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos, &c.* Vocem prius Prophetarum vocemque Ioannis audiuit; postea Verbum in carne vidit. Ita Psellus apud Theodoretum Cant. 2. interpretatur: Tu, inquit, per vocem sponsi oracula Prophetarum accipe, quæ arcanam Verbi incarnationem prodiderunt. Cùm verò sponsi vocem audire se dixisset sponsa: *Iam*, inquit, *hic venit saliens super montes.* Scite pura Virgo philosophatur. Nam Verbum Dei, antequam descenderet in terram, præmisit Prophetas, qui aduentum suum prænuntiarent, &c. Et Origenes homilia 3. (si Origenis opus est quatuor homiliarum in Cantica) recte ait Christum Ecclesiæ cognitum fuisse tantùm ex voce ante aduentum; post aduentum verò ex vultu ipso: Ex voce, inquit, sola ab Ecclesia sua primò Christus agnoscitur. Primò enim vocem suam præmisit per Prophetas. Et cùm non videretur, audiebatur tamen. Audiebatur autem per ea quæ annuntiabantur de eo. Et tamdiu sponsa solam eius vocem audiuit, vsquequo oculis suis eum videret, & diceret: *Ecce iste venit saliens in montibus.* Hæc ille.

Cant. 2.

Origen.

Christus prius ex Voce ab Ecclesia cognitus deinde ex Vultu.

Indicatur autem Verbi diuini velocitas, his extremis verbis, & è cælestibus montibus in terras descensus. Nam è cælo descendens, Seraphinos veluti montes celsos, Cherubinos reliquosque Angelos omnes transiliit, & humanam naturam, non Angelicam assumpsit. Iuxta illud Paulli: *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Vnde Bernardus sermone 53. in Cantica: Qui factus, inquit, est ex muliere, factus & sub lege est, proculdubio non solum montes, id est, maiores superioresque beatitudines, sed etiam minores Angelos descendendo transiliit; qui quidem in comparatione superiorum, meritò collium nomine designantur. Ita ergo saliit in montibus, & transiliit colles; cùm non solùm superioribus, sed & inferioribus spiritibus, se inferiorem exhibuit, &c.

Hebr. 2. Bernard.

Dei Filius saliens in montibus, transiliens colles, quemodo hoc sit intelligēdū.

Transiliit montes, & post parietem nostrum stetit, hoc est, post corpus nostrum, & in corpore nostro latuit, vt Magnus Gregorius interpretatur: Quasi post parietem nostrum, ait Gregorius, Christus incarnatus stetit; quia in humanitate assumpta diuinitas latuit. Et quia eius immensitatem si ostenderet, infirmitas humana ferre non posset, carnis obstaculum obiecit; & quidquid magni inter homines operatus est, quasi post parietem latitans fecit, &c. D. Bernardus sermone 56. in Cantica: Appropiauit parieti, cùm adhæsit carni; caro paries est, & appropiatio sponsi, Verbi incarnatio, &c. Cassiodorus Canticorum 2. Quasi post parietem nostrum stetit, cùm carnem nostram sibi opposuit, in qua diuinitas lateret, &c.

Bernard.

Cassiodor.

Respicere verò dicitur per fenestras, prospicere per cancellos, id est, aspicere per fenestras cancellatas vel reticulatas ipsius parietis, hoc est, per oculos modestissimos sanctissimi corporis. Fenestris enim oculi significantur; retibus siue cancellis modestia adumbratur. Etenim retia habent siue cancellos modesti oculi; cancellis carent, & extra cancellos euagantur immodesti. Septuaginta Interpretes verterunt: *Prospiciens per retia*, id est, reticulatas fenestras. Et sanè prospiciebat Christus per retia, id est, per oculos retibus similes. Quemadmodum enim retibus volucres irretiuntur, sic & Christi oculis irretiuntur homines.

Modestia oculorū quemodo designata.

Dei Filius respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.

Quem misericordia plenis oculis aspicit, is feliciter illa queatur. Hisce oculis Petrum respexit, Andream, Matthæum sedentem ad telonium, & alios.

Aliter: dicitur Dei Filius respicere per fenestras reticulatas; quoniam qui per huiusmodi fenestras intuetur, omnia videt, ipse verò non videtur: ita Christi diuinitas latens in corpore, veluti post parietem, per fenestras cernebat cancellatas; quoniam omnia videbat, sub hominum verò aspectum non cadebat. Non tamen omnino fugit hominum aspectum, qui per cancellos vel retia prospicit; etsi aperte non cernitur, adesse tamen percipitur. Ita diuinitas in Christo, etsi ab hominibus perspicuè non cõspiciebatur, tamen ex miraculis adesse probabatur. Fauet huic interpretationi Cassiodorus: Ille, inquit, qui per fenestras vel cancellos intuetur, cuncta, quæ foris aguntur, videt; & ipse à nemine videtur: ita Deus, cùm omnia videat, ipse inuestigari, & comprehendi non potest, &c. D. verò Gregorius sensum propositum his verbis expressit: Per fenestras, ait, & cancellos qui aspicit, partim videtur, partim verò se abscondit; sic & Dominus, dum & miracula per diuinitatis potentiam fecit, & abiecta per carnis infirmitatem pertulit; quasi per fenestram & cancellos prospexit. Quia in alió latens, in alio quis esset apparuit, &c.

Latebat diuinitas in humanitate, & per mirãda opera ostẽdebatur. Cassiodor.

Gregor.

Itaque ante aduentum Christi, voces audiuit Ecclesia, post aduentum, Christum vidit. Præcessere voces, præcessit longa Patriarcharum & Prophetarum series, veluti in pompa. Per Iudæam pompam Deus duxit, in qua Messiæ imagines ac typos multos præmisit, Patriarchas multos, multos etiam Prophetas; ad extremum Ioannem misit Baptistam. Post Baptistam, sub carnis exornatissimo peripetasmate, Deus venit.

Messias velut in põpa venit, præmissis ante multis Patriarchis, Prophetis, typis, & imaginibus. Cant. 3.

Egredimini filiæ Sion, ait Salomon, egredimini viri Iudæi, *& videte Regem Salomonem in diademate*, id est, humanitate omnibus gemmis rutilante, *quo coronauit illum mater sua*; videte in carne Deum, Messiam vestrum. Egrediuntur filiæ Sion. *Miserunt*, ait Euangelista, *Iudæi ab Ierosolymis sacerdotes & leuitas.* Quónam tendunt hi legati? forsitan ad Christum Regem tendunt, vt Messiam optatum magno cum gaudio excipiant, vrbis claues illi tradant, collaque illius dulci subiiciant iugo. O hominum cæcam ignorantiam! Non ad Christum tendunt, sed ad Ioannem, non ad Regem, sed ad famulum, non ad Solem, sed ad Lucernam, non ad Verbum sed ad Vocem. At fidelis famulus honorem repulit; Regem, cui Messiæ honor tribui deberet, indicauit. Non sum ego Rex, non sum, inquit, Messias, immo nec dignus quidem sum, qui ante Messiam prostratus, illius pedibus detraham calceos. *Messias medius vestrũ stetit, quem vos nescitis.* Ego verò ad hoc natus sum, vt illum vobis demonstrem, quem ignoratis, illique viam præparem. *Vox enim sum clamantis in deserto: Parate viam Domini.*

Ioan. 1. Iudæi nõ ad Regẽ, sed ad famulũ legationem miserunt.

Lusitani ex musicis vocibus, vnam contraltam vocamus. En tibi eximiam vocem, vt ita dicam contraltam Ioannem. Etenim contra omnem altitudinem respondit. Messiam quidem esse, altum est, contrà respondit: Non sum ego Christus. Altum hoc quoque: Elias es tu? respondit: Non sum. Altum præterea: Propheta es tu? respondit: Non sum. Ad infimum tonum vox nostra descendit: Non sum. Ad pedes Christi se abiecit, immo infra pedes: *Non sum*, inquit, *dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti.* Hic est humilitatis tonus, hic locus: Non sum; & non sum dignus. Iuxta illud Paulli: *Siquis existimat se aliquid esse, cùm nihil sit; ipse se seducit.*

Ioannes vox contralta.

Ioan. 1.

Galat. 6.

Infimus est, sed tranquillus ac commodus humilitatis locus. Terra quidem elementum est infimum, sed tranquillissimum ac commodissimum: sic humilitatis locus, etsi infimus, certe tranquillissimus est ac commodissimus. Aër motu cietur, ignis aquaque agitantur, sic superbus: terra inquiete agi perpetua, sic humilis. *Ephraim pascit ventum, & sequitur æstum*: Hebraice, subsolanum; en tibi superbum hominem, ouium pastor est turbulentissimarum, nempe ventorum. Quidnam quietis homini esse potest, qui ventos pascit ac sequitur? qui quas iam comparauit opes & honores, ne pereant, pascit; quos nondum habet, sequitur.

Humilitatis locus tranquillissimus & fertilissimus.

De humilitate. Osea 12.

Iam verò nullum elementum terra infimum locum obtinente commodius est. Nam plus vtilitatis affert terræ leuca vna, quàm ignis, vel aëris, vel aquæ leucæ mille. Vtilissimum elementum est, quod infimum petit locum; vtilissima item virtus est, quæ infimam petit sedem. Terra fructus ad tuendam corporis vitam parit; humilitas fructus ad tuendam animi vitam producit. *Valles* humiles *abundabunt frumento*, quo corpus alitur; homines humiles abundabunt annona, qua animus enutritur. Aquæ fontes emittit Deus in conuallibus. Iuxta illud: *Qui emittis fontes in conuallibus*; Gratiæ verò fontes emittit in humilibus. Augustinus eodẽ Psalmo: Colles & montes tumores terrarum sunt, valles autem humilitates terrarum. Noli contemnere humilitates, inde fluunt fontes. Audi Prophetam: *Super quem requiescit spiritus meus, nisi super humilem, & quietũ, & trementem verba mea?* Quis est, super quem requiescit spiritus meus? super humilem & quietum: hoc est, quis habebit fontem meum? Conuallis, &c. Conuallis ergo, id est, humilis homo, Spiritus diuini & gratiæ habet fontem.

Psal. 64.

Psal. 103.

Isaiæ 66.

Hinc illud D. Petri: *Deus superbis resistit; humilibus autem dat gratiam.* Et illud: *Humiliare Deo, & exspecta manus eius, &c.* Cum humilitate exspectare oportet manus Dei & dona, quæ ex illis vberrimo veluti ex fonte fluunt. Humilitas enim capacem reddit hominem munerum diuinorum. Vnde Augustinus ser. 27. de Verbis Domini, de Maria Magdalena loquens, secus pedes Christi sedente: Quantò, inquit, humilius sedebat; tantò amplius capiebat. Confluit enim aqua ad humilitatem conuallis; denarat de tumoribus collis, &c. *Cuius erunt optima quæq; Israël?* ait Samuel, *nónne tibi*, id est, Sauli humili & paruo in oculis suis? Cuius verò erunt pessima quæque Israël? nónne Saulis superbi, inuidi, & Dauidem persequentis? Optima Israël, immo optima cæli, humilis sunt, pessima tartari, sunt superbi.

1. Petr. 5. Eccli. 13.

Humilitas capacẽ reddit hominẽ donorũ Dei.

1. Reg. 9.

Infimum locum eligit humilis, sed dum infimum elegit, ad summum euehitur, & per infimum scandit ad supremum; dum sibi vilescit, Deo pretiosus fit. *Nónne*, ait Samuel eidem Sauli, *cùm paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es?* Si paruuli in oculis nostris simus, in oculis Dei magni erimus; si magni simus in oculis nostris, in oculis Dei erimus parui. Quod docet D. Gregorius Iob 28. ad illa verba: *Omne pretiosum vidit oculus eius, &c.* Sciendum, inquit, est, quia tantò vnaquæque anima fit pretiosior ante oculos Dei, quantò præ amore veritatis despectior fuerit ante oculos suos. Hinc ad Saul dicitur: *Nónne, cùm paruulus esses in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israël?* Ac si apertè diceret; magnus mihi fuisti, quia despectus tibi; sed nunc, quia magnus tibi es, factus es despectus mihi. Tantò fit quisque vilior Deo, quantò pretiosior sibi; tantò pretiosior Deo, quantò propter eum vilior sibi; *Quia humilia respicit, & alta à longè cognoscit*, ait Dauid.

1. Reg. 15.

Gregor.

Qui sibi vilescit, Deo est pretiosus.

Vilis est Deo qui sibi est pretiosus per superbiam. Psal. 136.

Paruulus in oculis suis Ioannes erat; idcirco in oculis Dei pretiosus & magnus fuit: *Hic erit magnus*, ait Angelus. Adeò verò magnus fuit in oculis Dei,

Luca 1.

vt

vt nullum eo maiorem natum Dominus affirmarit: *Matth. 11.* *Non surrexit*, inquit, *inter natos mulierum maior Ioanne Baptista*: Ille ad pedes Christi se abiecit, Christus *Ioan. 1.* super caput suum illum extulit. Ille: *Non sum*, inquit, *dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti*: at Christus manus, quas indignas dixit, quæ calceos & pedes tangerent, dignas duxit, quæ cælo tremendum caput baptismi aquis perfunderent. Chrysostomus homil. 3. in Matthæum, Ioannes ait: *Non sum idoneus soluere corrigiam calceamenti eius*: & idcirco amicus factus est sponsi. Et manum Christus, quæ se indignam calceamentis esse ducebat, à pedum obsequio, ad caput suum subleuauit, &c.

Fugienda ostentatio. Eadem homilia monet nos Chrysostomus, ne gloriosè de nobis, sed humiliter, & loquamur, & sentiamus; nec res nostras ostentemus. Non ostentauit Ioannes generis sacerdotalis nobilitatem, non prophetiæ donum, non baptizandi munus, non diuinam legationem, non conciones, non plebis concursum, non in solitudine actam vitam, non cibi tenuitatem, non vestitus asperitatem; sed humiliter de se locutus: *Ego*, inquit, *vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini*. Rursus: *Non sum dignus, qui corrigiam calceamentorum Messiæ soluam*. Si superbus aliquis rogatus fuisset: Messias es tu? honorem Messiæ sibi arrogasset. Quòd si hunc arrogare sibi non esset ausus, Messiæ se parem dixisset. Rogatus: Elias es tu? respondisset: Elias non sum, sed Eliam vitæ asperitate longè supero. Rogatus: Propheta es tu? dixisset, & quidem maximus. Rogatus: Quid ergo baptizas? à Deo sibi munus baptizandi, nempe viro ad tantum munus idoneo, demàdatum prædicasset. Iam verò, etiam non interrogatus, si quid occultum nobilitatis, si quid sapientiæ haberet, & elato animo ostentasset. Non sic humilis Ioannes, *Chrysost.* non sic. Sed Chrysostomum dicentem audiamus: Caueamus, inquit, de nobis metipsis dicere gloriosa. Hoc enim nos & hominibus inuisos, & Deo abominabiles facit: & idcirco quantò maiora fecerimus bona, tantò de nobis minora dicamus. Minimum de se sensisse, tam magnum est, quàm maximas res fecisse. Quod si non adsit, nec illæ poterunt esse laudabiles. Nam nos quoque famulos habentes, tunc eos maxime comprobamus, quando cum bona gratia in omnibus obsecuti, nihil se grande arbitrantur egisse. Itaque si bona tua vis magna facere, noli ea magna putare. Aliter enim magna esse non possunt. Nihil sic est amicum Deo, quàm si quis se minimis adnumeret. Hoc est enim caput totius philosophiæ atque fastigium. Hæc ille. Lege etiam homiliam 38. ad populum.

Ostentatio superbi hominis. *Ioan. 1.* *Minimũ de se sentire magnũ est.* *Bona nostra vt sint magna, sunt existimanda a nobis parua.*

De se quidem humiliter locutus est Ioannes; de Christo autem magnificentissimè: *Qui post me*, inquit, *venturus est, ante me factus est; cuius ego non sum dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti*, &c. Hoc viri est virtute præclari, de se humiliter, de aliis gloriosè loqui. Præclarus virtute Dauid abiectè de se loquitur: *Quem persequeris*, inquit, *Rex Israël? canem mortuũ persequeris, & pulicem vnũ*: de Saule verò, etsi hoste, quàm splendide agit eodem capite cum sociis suis: *Propitius*, inquit, *sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem, Domino meo, Christo Domini*. Dominum suum appellat Saulem aduersarium, Christum appellat Domini, se verò pulicem minimum & canem mortuum. Augustinus Psalm. 131. Dauid, inquit, tantam humilitatem seruauit erga Saulem, vt eum Regem fateretur, se autem canem, &c. Canis viuus latrat, mortuus minime. Aduersus Saulem Dauid viuus, instar erat canis mortui, nullos latratus edebat, nullis illum maledictis infectabatur, nullis conuiciis impetebat.

Ioan. 1. *Humilis de se abiectè loquitur, de aliis gloriosè.* *1. Reg. 24.* *Augustin.* *Canis mortuus Dauid quare.*

At verò Pharisæus ille, qui in templo stans orabat, quàm gloriosè de se, quàm abiectè tum de ceteris hominibus, tum de publicano verba facit: *Non sum*, inquit, *sicut ceteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus: ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo*, &c. Ceteros homines criminibus, se laudibus onerat. Hoc superbi est hominis, se magni, ceteros flocci facere. Quilibet arrogans insana opinione inflatus, ait Philo in libro de Caritate, non tam virum aut heroem, quàm genium quemdam se existimat, vt Pindarus ait, transcendens humanæ naturæ terminos. Arbitratur se omnium ditissimum, nobilissimum, pulcerrimum, fortissimum, prudentissimum, iustissimum: alios verò habet pro pauperibus, obscuris, contemptis, iniustis, nihilique homuncionibus, &c. *Luca 18.*

Contra, viri humilis est, nemini se præponere; sed in nouissimo loco iuxta Christi documentum recumbere: quod etiam D. Bernardus docet serm. 37. Canticorum: Comparare, inquit, te noli maioribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli vni, recũbe in nouissimo loco, vt solus videlicet omnium nouissimus sedeas: teque nemini, non dico, præponas; sed nec comparare præsumas, &c. Item eodem loco, idem Pater sanctitate præcellentissimus: Non est, ait, periculum quantumcumque te humilies, quantumcumque reputes minorem, quàm sis. Est grande malum horrendumque periculum, si vel modicè plus vero te extollas: si vel vni videlicet in tua cogitatione te præferas, quem fortè parem tibi veritas iudicat, aut etiam superiorem. Quemadmodum enim si per ostium transeas, cuius superliminare nimium bassum sit, non nocet quantumcumque te inclinaueris: nocet autem si vel transuersi digiti spatio, plusquam ostij patitur mensura, erexeris: ita vt impingas, & capite quassato collidaris. Sic in anima non est timenda quantalibet humiliatio; horrenda autem, nimiumque pauenda, vel minima temere præsumpta erectio. Sic Bernardus. Omnes venerandi sunt, ait Magnus Gregorius, homilia 40. in Euangelia, tantoque necesse est, vt omnibus te humiliare debeas, quantò quis sit ipse ignoras, &c. *Luca 14.* *Nulli se præponit humilis.* *Bernard.* *Gregor.*

Antepositi sibi Ioannes Christum, illis verbis: *Qui post me venturus est, ante me factus est*: hoc est, mihi præpositus, me longè superat; non sum dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti. Pretiosus lapis smaragdus, vel quiuis alius, à capite & corona Regis decidens, pondere suo ad pedes vsque fertur: similem in modum, Ioannes pretiosissimi instar smaragdi, à Messiæ capite & corona humilitatis suæ pondere delapsus, ad pedes vsque peruenit: Non sum, inquit, ego Christus, non sum dignus, qui pedes illius calceis exuam. En pretiosum lapidem, à corona ad pedes vsque humilitatis pondere delapsum. *Ioannis humilitas.*

Et quidem meritò sibi Christum antepositi, seque ad illius pedes prostrauit. Humilis, ait D. Cyrillus, sed vera confessio, &c. Etenim infinito interuallo à Christi dignitate tam ille, quàm creaturæ omnes distant. Christus Deus est rerum Conditor omniũ, homo quoque est, cuius pedibus omnia sunt subiecta. Iuxta illud Paulli: *Omnia subiecit sub pedibus eius. Cùm autem dicat: Omnia subiecta sunt ei, sine dubio præter eum, qui subiecit ei omnia*, &c. Ioannes subiectus & seruus erat, Christus Rex Regum & Dominus dominantium; Ioannes lucerna, ille Sol; Ioannes vox, ille Dei Verbum: Ioannes paranymphus, ille sponsus: Ioannes tantummodo homo, ille Deus & homo: Ioannes creatura, ille Creator: Ioannes homo gratia exornatus, ille Deus & homo, gratiæ Fons & pelagus. *Electus*, dicitur Christus, *ex millibus*; quoniam omnes homines & Angelos, *1. Cor. 15.* *Christi dignitatis summa, qua Ioannem omnesq; & homines & Angelos superat.*

los, quorum infinita propemodum sunt millia, superat. Transferri quoque potest ex Hebræo: *Vexillifer ex millibus*; quoniam inter omnes homines & Angelos maiestatis & sanctitatis vexillum altius extulit, omnibusque præit.

Cant. 2. Admirabilis Christi dignitas hac similitudine ostenditur: *Sicut malus inter ligna siluarum, sic dilectus meus inter filios.* Confertur Christus cum malo arbore pomifera, homines verò cum arboribus siluarum infructuosis. Reliqui enim homines absque Christo nullum gratiæ fructum possunt ferre, à Christo dulcissimus hic fructus emanat. Iuxta illud: *Ioan. 15.* *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere, &c.* De fructu arboris eodem Canticorum capite subsequitur: *Cant. 2.* *Sub vmbra illius, quem desiderauerã, sedi: & fructus eius dulcis gutturi meo.* Sub vmbra arboris fructu gratiæ suauissimo onustæ, id est, sub Christi vmbra, Ecclesia sedet; illius auxilio protegitur, illius fructu pascitur. Sub vmbra arboris huius celsissimæ Ioannes sedit, sub eadẽ vmbra Petrus, Paullus, omnesque Patriarchæ atque Prophetæ sederunt, eius vmbra sunt tecti, eius fructu pasti. Qui autem sub arboris vmbra sedent multo sunt ipsa arbore minores. Vniuersa Ecclesia sub vmbra arboris vitæ, id est, Christi, sedet; omnes ergo Ecclesiæ filij, etsi sanctitate eximia conspicui, Christo sunt multò inferiores, qui vitæ arbor est. Sub eius vmbra omnes continentur, cuius fructu nutriuntur.

Sub vmbra Christi Ecclesia.

Christi excellentia oleo designatur. Cant. 1. Christi præterea dignitatem, omnibus præcellentem hominibus, ipsum Christi, id est, vncti, nomen indicat, quod ab vnctione & oleo ductum est. Iuxta illud: *Oleum effusum nomen tuum.* Vt oleum reliquis supernatat liquoribus, sic Christus omnibus præstat hominibus & Angelis. Id etiam Isaias *Isaiæ 2.* ostendit, cùm sic vaticinatur. *Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini, in vertice montium, & eleuabitur super omnes colles.* Mons domus Domini, hoc est, in quo Ecclesia domus Dei, veluti fundamento, exædificata est, Christus est. Is verò supra verticem montium, hoc est, Angelorum ac Seraphinorum omnium, attollitur; & super omnes colles, hoc est, super omnes Reges sanctosque homines, etiam super Ioannem, eleuatur. Sequitur apud *Ibidem.* Isaiam: *Fluent ad eum omnes gentes.* Ad Ioannem Iudæi venerunt, ad Christum verò non Iudæi solùm (parum hoc) sed omnes gentes confluxerunt. Ioannis baptismo Israëlitæ tantummodo abluti sunt, Christi verò baptismo longè nobiliore gentes omnes sunt lustratæ. Ioannem populus vnus audiuit, at Christum vniuersus orbis adorauit, & Deum verum esse credidit. Meritò igitur Ioannes *Ioan. 1.* ait: *Ante me factus est*, mihi antepositus est: *quia prior me erat*, id est, quoniam in principio erat Verbum, Deus, Dei Filius. Ille Filius, ego seruus, qui *calceamentorum eius corrigiam soluere non sum dignus.*

Ambros. Verba Ioannis, Nõ sum dignus soluere corrigiam, &c. *mystice exponuntur. Isaiæ 53.* Hæc verba à Patribus mystice de Incarnatione exponuntur. Diuus Ambrosius libro de Institutione Virginis, cap. 14. ita interpretatur: *Non sum dignus soluere corrigiam calceamenti eius*, hoc est, non sum dignus Incarnationis mysterium comprehendere angustiis mentis humanæ, atque inopis vilitate sermonis absoluere. Vnde & Isaias dixit: *Generationem eius quis enarrabit?* Hæc Ambrosius. Et Magnus Gregorius homil. 7. in Euangelia: Incarnatus, inquit, Dominus, quasi calceatus apparuit. Corrigia calceamenti, est ligatura mysterij. Ioannes itaque soluere corrigiam calceamenti non valet; quia nec ipse inuestigare sufficit Incarnationis mysterium, qui hoc per prophetiæ spiritum agnouit, *Gregor.* &c. Alter quoque Gregorius Nazianzenus in oratione in sancta lumina: Quid, ait, corrigia calceamenti significat? an fortè peregrinationis & carnis Christi rationem, cuius ne extrema quidẽ mysteria facilè solui, atque explicari possunt, non dicam ab iis qui adhuc crassi & carnales sunt, atq; infantes in Christo, sed ne ab iis quidem, qui spiritus præstantia Ioannem æquant? &c. Eodem loco sic Nicetas scribit: Corrigia, lorum est calcei. Humanitatis autem à Christo assumptæ consilium, ac Verbi cum carne coniunctionem significat, cuius ne extrema quidem & breuissima mysteria solui atque explicari possunt, &c. Huc spectat illud Magni Basilij in Psalmum 59. Diuinitatis calceamentum est caro Deum ferens, per quam descendit ad homines, &c. Clemens Alexandrinus libro 5. Stromaton, de baptismo locum explicat, quo anima à peccatis soluitur: Fatetur, ait ille, Ioannes his verbis, se non esse dignum, qui tantam potestatem, id est, Christum, baptizet. Oportet enim eos, qui mundos faciunt, animam exsoluere à corpore & eius peccatis, tãquam pedem à vinculo, &c. Sed hic sensus nec congruit Christo, quia omni peccato carebat, nec baptismo Ioannis, quia animum à peccatis minimè exsoluebat. Nisi velis dicere, congruere propter pœnitentiam & contritionem, quæ animum criminibus exuebat. Theophylactus Lucæ 3. & Matth. 3. simi- *Theophyl.* lem in modum exponit illa Ioannis verba: *Cuius non sum dignus calceamenta portare*: Per calceamenta, inquit, intelligas duos Christi descensus, alterum è cælis in terram, alterum à terra in infernum; hos non potest portare præcursor, intelligere non valens quomodo facti sunt, &c.

Nicetas. *Basilius.* *Clemens Alexand.*

Præterea, sensu morali, calceamenta, quòd ex pelle mortui animalis fiant, mortua opera significant ac carnalia. Vnde Nazianzenus oratione 2. in Pascha: Qui terram, inquit, sanctam ac diuinis vestigiis impressam contacturus est, calceamenta soluat, vt nihil mortuum ferat, &c. Iubetur Moses mortuas è pedibus pelles detrahere, quòd in terra sancta staret: *Solue*, ait Dominus, *calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas terra sancta est.* Terra sancta Ecclesia est. Mortuas ergo pelles, mortua carnaliaque opera repellamus. Quidnam terra sancta, ait Augustinus serm. 42. de sanctis, quàm Dei Ecclesia? in illa ergo stemus, calceamenta soluamus, id est, mortuis operibus renuntiemus, &c. Item eodem loco: Calceamenta coria mortuorum sunt nobis tegmina pedum: per hoc ergo iubemur renuntiare mortuis operibus, scilicet cùm iubemur non portare calceamenta, &c. Angelos Ecclesia nudis pedibus solet pingere, sine calceis; nimirum, quoniam in terra sancta, id est, cælo stant. Illi in cælo stant, nos in Ecclesia, quæ regnũ cælorum nominatur. Nudis ergo pedibus, hoc est, animi affectionibus gradiamur. Cur Angeli discalceati pingantur, aliam rationem reddit Dionysius Areopagita, de cælesti Hierarchia, cap. 15. Quod, inquit, discalceati describuntur Angeli, hoc signat, quod liberi, & absoluti, & expediti, atque exteribris omnis adiectionis labe sint puri; & ad diuinæ simplicitatis similitudinem pro viribus tendant, &c.

Moralis sensus de calceis. *Exodi 3.* *Augustin.* *Cur Angeli nudis pedibus pingantur.*

Significant quoque calcei cautionẽ ac tutelam; quoniam pedem tuentur, & ad cursum etiam inter vepres & spinas muniunt. Ex Ægypto discessuri, & per asperã atque incultam solitudinem iter facturi Israëlitæ, profectione instante, agnũ calceamentis induti edere præcipiuntur. *Sic autem comedetis illum: Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, &c.* Sunt etiã calceamenta spiritalia his perneceſſaria, qui horribile mũdi huius desertũ sunt calcaturi; quod docet D. Greg. Naz. loco citato: Qui, *Gregor.* inquit, Ægyptũ, id est, mundũ, fugit, calceos sumat, vt tutus sit; tum ab aliis rebus, tũ ab scorpiis & serpenti-

Calcei cautionẽ significant & tutelam. *Exodi 12.*

pentibus, quos permultos nutrit Ægyptus, id est, mundus, &c.

Calcei, qui pedes muniunt, ex pellibus conficiuntur animalium mortuorum; calcei verò, qui animi nostri pedes tuentur, ex memoria fiunt hominum vita functorum. Quamobrem ad currendam difficilem pœnitentiæ viam, his calceis nos munit Ecclesia quadragesimalis temporis initio, cùm cinerem capitibus nostris imponens, ait: *Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Præterea, quia serpentem tartareum prima sequenti Dominica docet calcandum. Iuxta illud: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem:* pedes, quibus conculcari debet, calceis armat ex mortuorum corio durissimo confectis. Pulcri dicuntur Ecclesiæ gressus calceamentis exornatæ.

Mortis memoria animi pedes muniunt.

Psal. 90.

A *Quam pulcri, inquit, sunt gressus tui in calceamentis, filia principis!* Pulcerrimi sane sunt gressus animæ, quæ mortuorum pellibus graditur calceata, mortemque ante oculos semper habens, caducas res omnes veluti lutum sive pulverem conculcat. *Cant. 7.*

Plato, ait D. Hieronymus Matth. 10. duas corporis summitates præcepit non esse velandas, nec assuefieri debere mollitiei capitis & pedum. Cùm hæc enim habuerint firmitatem, cetera robustiora sunt. Hæc Hieronymus. Animi caput intellectus est, pedes, quibus movetur, affectus sunt & voluntas. Caput ergo animi & pedes hi, non mollitiei, sed pœnitentiæ & asperitati sunt assuefaciendi. Cùm hæ duæ partes, intellectus & voluntas, firmitatem habuerint, vt cum Hieronymo dicam, cetera erunt robustissima. *Caput & pedes non sunt assuefaciendi mollitiei. Hieron.*

CAPVT XVI.

De testimonio Baptistæ, Ecce Agnus Dei, &c.

IOANN. CAP. I.

ALTERA die vidit Ioannes Iesum venientem ad se, & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Hic est, de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est: quia prior me erat. Et ego nesciebam eum, sed vt manifestetur in Israël, propterea veni ego in aqua baptizans. Et testimonium perhibuit Ioannes, dicens: Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cælo, & mansit super eum. Et ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto. Et ego vidi; & testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei, &c.

Testimonium Ioannis post baptismum Christi.

DIVVS Bernardus sermone 1. de Epiphania, putat hoc testimonium à Ioanne prolatum ante Christi baptismum. Sed ex verbis consequentibus colligitur datum post baptismum, vt sentiunt Chrysostomus, Theophylactus, & alij. Nam Ioannes cùm hoc tulit testimonium, iam viderat columbam, quæ in Christum è cælo devolavit, vt constat ex Euangelista; id verò in baptismo contigit. Iam ergo Christus baptizatus erat, cùm à Ioanne est indicatus, & Agnus Dei appellatus. Discessit enim post baptismum in solitudinem ieiunij caussa; post ieiunium ad Ioannem altera, sive sequenti die post legationem Iudæorum, venit.

Altera dies quæ.

Altera die, ait Euangelista, *vidit Ioannes Iesum venientem ad se;* Græcè, ἐπαύριον, id est, postridie, vel postera die, postquam legatos audiverat, illisque re- B sponderat. Diuus Epiphanius hæresi 51. putat Christum post ieiunium in Galilæam discessisse; deinde ex Galilæa venisse ad Ioannem: Non statim, inquit, à tentatione ad Ioannem pervenit, sed prius in Galilæam; deinde à Galilæa in Iordanem ad Ioannem, &c. Infrà verò ait Nazarethæ duas egisse hebdomadas post tentationem, aut paullò amplius, antequam ad Ioannem veniret. Dicendum est, Dominum post tentationes in Galilæam discessisse mense Februario: deinde verò, partim in Galilæa, partim in Iudæa, vsque ad mensem Decembrem egisse, sæpiusque ad Ioannem venisse.

D. Epiphan. Christus post ieiunium in Galilæam abiit.

Cùm autem venientem ad se die prædicta vidisset Baptista, quem venturum prædicaverat, iis qui aderant, eumdem iam præsentem cum præclaro A eloquio ostendit: *Ecce*, inquiens, *agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Breui tempore, ait hoc loco D. Cyrillus, Propheta simul & Apostolus Baptista effectus est: quem enim venturum prædicabat, hunc iam monstrat præsentem, &c. Propter hanc præsentis Messiæ ostensionem vocat Cyrillus Ioannem Apostolum, & Christus Opt. Max. vocat plusquam Prophetam, Matthæi 11. vt idem Cyrillus docet: Quem venturum, inquit, prædicabat Ioannes, iam monstrat præsentem; propterea Prophetarum mensuram excessit, vt Saluator dicebat. Namque Prophetæ futurum Christum prædixerunt, Ioannes verò venturum prædicans, præsentem quoque monstravit, &c. Hieronymus quoque ad Ephes. 3. Propterea, ait, Ioannes maior Prophetis omnibus dicitur, quia quem ceteri prophetarunt, ipse conspexit, & digito monstravit, &c. *Ecce agnus Dei. Cyrillus. Ioannes Christum indicat. Hieron.*

Ostendit Ioannes præsentem, quem prænuntiaverat absentem; nec ostendit tantummodo, sed quorsum in mundum venerit, pandit, nimirum vt peccatum mundi occisus occidat. *Ecce*, inquit, *agnus Dei*, Ecce Messias instar agni adest immolandus; immolatus autem sanguine suo peccatum mundi expiabit. Agnus appellatur Christus primò, propter innocentiã admirabilẽ. Ob hanc innocẽtiã 1. Pet. 1. agnus appellatur immaculatus & incontaminatus: *Non corruptibilibus*, ait, *auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis: sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati, &c.* Secundò, dicitur Christus agnus, propter inauditam mansuetudinem, qua opprobria omnia & tormenta pertulit: de hac mansuetudine Isaias *Christus cur agnus Dei appelletur? 1. Pet. 1.*

Isaiæ 53. vaticinatur, illis verbis: *Quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Etenim mansuetudo patientis in ore maximè cernitur. Pati & tacere admirabilis mansuetudinis est. Tertiò, agnus nominatur propter prophetiam, vt Chrysostomus ait homil. 10. in Ioannem: Agnum, inquit, appellat Ioannes Christum, vt Isaiæ prophetiam in memoriam Iudæis reducat; Isaiæ autem prophetia illa est iam descripta: *Quasi agnus coram tondente se obmutescet.* Quartò, propter legem. Nam in lege paschalis agnus Christi typus erat; illi quoque duo, qui singulis diebus, mane vnus, vesperi alter, immolabantur. Denique agni nomine afficitur Christus, quoniam pro nobis infiniti pretij victima fuit; quæ Patrem placauit, cælum terræ reconciliauit, mundum sanguine suo emundauit.

Pati & tacere māsuetudinis est. Chrysost.

Isaiæ 53.

Agnus autem Dei dicitur. Primò, quòd sit Filius Dei vnigenitus ac dilectissimus. Secundò, quòd à Deo sit missus, & nobis datus. Tertiò, quòd Dei fuerit victima, id est, Deo oblata. Theophylact. Agnus, inquit, Dei dicitur, siue quòd Deus acceperit mortem Christi pro nostra salute: siue quòd Deus tradiderit illum pro nobis ad mortem. Quemadmodum dicere solemus, sacrificium hoc illius est, id est, ille sacrificium hoc obtulit: sic ergo Christus dicitur agnus Dei, eo quòd Deus Pater, propter caritatem suam erga nos, illum dederit ad mortem, &c.

Theophyl.

Ioan. 1. Quod sit peccatum mundi.

ECCE *qui tollit peccatum mundi.* Quodnam peccatum mundi Baptista significet, dubium est. Glossa ordinaria peccatum originale interpretatur: est enim peccatum originale totius peccatum mundi; quoniam omnes homines feminasque inquinauit atque inquinat, Christo Matreque eius sanctissima exceptis. Dicitur autem agnus secundum hanc sententiam tollere peccatum mundi; quia, vt D. Thomas ait: Principalius ad tollendum peccatum originale venit, quàm ad tollendum actuale. Illud enim totam naturam contaminauit, mundumque vniuersum infecit; radixque est ac fons ceterorum peccatorum. Theophylactus quoque peccatum mundi putat appellari, primi parentis inobedientiam: Fortassis, inquit, quia inobediens fuit homo Deo, in varias afflictiones homo incidit, peccatum mundi inobedientia fuit; quàm è medio abstulit Deus, factus obediens vsque ad mortem, & contrarium contrario sanans, &c.

D. Thom. 3. p. q. 1. art. 4.

Theophyl.

Respondendum est, Ioannem his verbis non significare solùm originale peccatum, sed tam originarium, quàm actualia omnia. Omnia enim hic Agnus tollit. Sumitur numerus singularis pro numero multitudinis, peccatum pro peccatis. Quemadmodum si diceret Baptista: Ecce qui tollit malum mūdi; intelligeremus omnia mundi mala tollere; sic cùm dicit, *Ecce qui tollit peccatū mundi*, omnia peccata tollere, debemus intelligere. In Exod. ait Dominus: *Ecce ego inducā locustam in fines tuos.* Et: *Et venit musca grauissima in domos Pharaonis.* Nemo de vna locusta vel de vna musca, sed de locustarum muscarumque multis millibus verba hæc interpretatur; similiter igitur hæc Ioannis verba, *Ecce qui tollit peccatum mundi*, non de vno aliquo peccato, sed de infinitis peccatorum myriadibus sunt interpretanda; subindicat autem Ioannes, baptismum suum non sustulisse peccata: siquidem hoc ad Agnum pertinet.

Peccatū pro peccatis sumitur.

Exodi 10.

Exodi 8.

Ioan. 1.

Duplex lectio.

Duplex autem est huius loci lectio. D. Irenæus lib. 3. cap. 11. Theophylactus in Ioannem, Origenes homil. 10. in Numeros, Cyprianus lib. de Duplici martyrio, Augustinus lib. 12. contra Faustum, cap. 30. & ser. 11. de verbis Apostoli, Ambrosius lib. 3. de Fide, cap. 5. Biblia Complutēsia, & Louanienſia, Græcique codices habent: *Ecce qui tollit peccatum mundi.* Prosper in lib. Sententiarum, sententia 306. Cyprianus lib. 2. contra Iudæos, cap. 15. & lib. de Baptismo, Origenes homil. 24. in Numeros, & alij, & legunt: *Ecce qui tollit peccata.* Sed prior lectio, scilicet, *Ecce qui tollit peccatum mundi*, retinenda est: hanc enim Biblia correcta recipiunt.

Obseruat Chrysostomus homil. 17. in Ioannem, vsum esse Baptistam præsenti, non futuro aut præterito tempore; quoniam Agnus noster semper peccata tollit. Significat enim præsens tempus hoc loco perpetuitatem quamdam. Non dixit Baptista, ait Chrysostomus, qui *tollet*, aut *tulit*, sed *tollit* peccata mundi; vt quotidie ea tollere intelligatur. Non enim cùm passus est solùm nostra abstulit peccata; sed ex illo hactenus tollit. Non semper crucifigitur; vnum namque pro peccatis nostris tulit sacrificium (scilicet, cruentum in Cruce) sed per illud semper nos purgat, &c. Theophylactus quoque: Non dixit qui abstulit peccata, sed qui tollit in præsenti. Quotidie enim tollit peccata nostra, &c. Tollit ergo Christus peccata, tollit Pater, tollit & Spiritus sanctus; sed Christus tollit vt Deus, id est, dimittit cum Patre & Spiritu sancto; & tollit, vt Agnus, id est, Deus homo per sanguinem mortemque suam.

Chrysost.

Theophyl. Christus sē per tollit peccata.

Illud etiam obserua, verbum Latinum, *tollo*, & verbū Græcum, αἴρω, significata duo habere. Significat enim portare & auferre. Duplex ergo est horum verborum sensus, alter est: *Ecce agnus Dei qui tollit*, id est, portat super se onus grauissimum omnium mundi peccatorū, vt illa sanguine suo eluat. Vnde Isaias: *Iniquitates*, inquit, *eorum ipse portabit.* Et D. Petrus: *Peccata*, ait, *nostra pertulit in corpore suo super lignum*, id est, super Crucem. Alter est: *Ecce qui tollit*, hoc est, qui aufert peccatum mundi. Portando enim peccata abstulit, & auferendo portauit. Fortior fuit hic agnus cunctis leonibus; nullus vel hominum, vel Angelorum tam graue onus sustinere potuit. Suo Isaaco Abrahamus ligna imposuit holocausti; at Agno suo Deus ponderosiora alia ligna imposuit, videlicet, omnia mundi scelera. O fascem grauissimum! *Posuit in eo Dominus iniquitates omnium nostrum, &c.* Hoc pondere pressus terræ promissæ botrus in torculari, id est, in Cruce, suauissimum sanguinis vinum copiosè effudit, quo vniuersum orbem exhilarauit.

Duplex significatum verbi tollo.

Isaiæ 53.

1. Pet. 2.

Fortior leone Agnus.

Genes. 22. Onus Agni grauissimū.

Isaiæ 53.

Denique tollit Agnus peccatum, non huius aut illius hominis, non huius aut illius regionis, non Israëlitarum tantùm, non Iudææ solùm, sed totius mundi: *Ecce*, inquit, *qui tollit peccatum mundi.* Quamuis enim ad Iudæos missus fuerit; tamen non propter solos Iudæos missus est, sed propter mundum vniuersum. In Occidentem, Orientem, Septentrionem, Austrumque, eius redemptio pertingit, quas mundi quatuor plagas, quatuor Crucis partes adumbrant, in qua immaculatus Agnus est immolatus. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi, &c.* Verba quæ sequuntur, *Hic est de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est: quia prior me erat*, iam supra exposita sunt hoc lib. 2. cap. 12.

Ioan. 1.

1. Ioan. 2.

Ioan. 1.

ET *ego nesciebam eum, sed vt manifestetur in Israël, propterea veni ego in aqua baptizans.* His verbis ostendit Baptista, quorsum missus sit à Deo ad concionandū & baptizandum. *Et ego nesciebam eum.* Illa particula *&*, idem valet, quod *verò*. Ego verò, ait, cùm in deserto abditus vitam agebam, non noueram Messiam. Illum enim numquam videram. Sed jussus sum à Deo baptizare & concionari, vt ille, qui & mihi & Iudæis ignotus erat, manifestetur non gentibus, sed Israëli, hoc est, Israëlitis, Iudæis.

Ibidem.

Ioannis munus, Christū manifestū reddere.

Hoc fuit Ioannis munus, Christum manifestare; idcirco

Ioannes cur lucerna.

idcirco lucerna dictus est ardens & lucens; quoniam lucernæ instar manifestum Christum reddidit. Idcirco baptizauit, vt populo ad baptismum confluente de Christo testimonium ferret. Adde in ipso Ioannis baptismate, Christum voce Patris, & columba e cælo delapsa mirabilem in modum esse manifestatum,

Quomodo Christus Ioāni fuerit notus & ignotus.

Opponet aliquis, Ioannem sibi ipsi repugnare; ait enim: *Nesciebam eum; & propterea veni vt manifestetur in Israël.* Si nesciebat Christum, manifestare eum non poterat: nemo enim eum manifestat, quem nescit. Respondemus, Ioannem non omnino Christum ignorasse; sed ex facie. Sciebat Messiam iam venisse, sciebat hominem Deumque esse, sciebat venturum ad concionandum & baptizandum in Spiritu sancto. Hoc verò populis manifestabat, quod sciebat. Nesciebat verò eum; eum, hoc est, non agnoscebat ex facie, antequam Christus ad eum venisset. Quamdiu verò illum ex facie nesciuit, illum digito non indicauit; postquam verò agnouit, tunc intento digito demonstrauit, dicens: *Ecce Agnus Dei.* Ignotus erat Ioanni Christus de facie, atque adeò testimonium illius, quod de ignoto ferebat, firmius erat, minimeque suspectum aut donis extortum. Vnde Rupertus Ioannis 1. ad illa verba, *Miserunt Iudei sacerdotes & leuitas*: Nesciebat, inquit, Baptista cuius figuræ vel habitus esset Christus, aut vbi, vel quibus cum hominibus habitaret. Tantò ergo fidelius, & omni acceptione dignius est testimonium, quantò ab omni humano fauore purius vel coniecturali præsumptione constat esse liberrimum, &c.

Rupertus Ioan. 1.

Ibidem. Quomodo Christum nouerit Ioannes.

VIDI *Spiritum descendentem quasi columbam de cælo, &c.* Non nouerat Baptista Christum ex facie. Venisse quidem nouerat, sed quisnam esset ignorabat. Quomodo illius faciem agnouerit, nunc docet. Agnouisse ait signo sibi dato cælitus; signo inquam columbæ, quæ e cælo in caput eius deuolauit, vt supra dictum est. Ego, inquit, ignorabam quisnam esset Messias, quem iam natum sciebam; ille verò, qui me baptizare iussit, scilicet Deus, signum, ex quo augustissimam illius faciem agnoscerem, præbuit. Dixit enim mihi: *Super quem videris Spiritum sanctum columbina specie descendentem & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto.* Itaque datum signum vidi: cùm enim ad me, vt baptizaretur Messias venit, deuolantem è cælo in caput eius columbam conspexi, testimoniumque perhibui, quod Filius Dei & Messias sit.

Ioan. 1.

An Baptista Christum agnouerit eũ ad baptismũ venit?

Ambigitur hoc loco: Num Baptista Christum tunc agnouerit, cùm ad baptismum suscipiendum venit? Non agnouisse probant hæc verba: *Ego nesciebam eum, &c.* Quæ indicant non fuisse notum Christum Baptistæ ante datum signum columbæ; columba verò post baptismum in Christum descendit, vt suprà ostendimus, cùm de Christi baptismo egimus. Ergo ante baptismum Ioannes Christum non agnouit. Contrà, nouisse probant illa alia eiusdem Ioannis verba, quibus Christum ante baptismum affatur: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Messiam enim agnoscentis verba sunt hæc. Vnde Chrysostomus homil. 16. in Ioannem: Hoc, inquit, signum erat certissimæ cognitionis, &c. Igitur iam ante baptismum Christum agnoscebat.

Matth. 3.

Variæ sunt huius solutiones nodi. Prima est D. Augustin. tract. 5. in Ioannem, & lib. 5. contra Donatist. capite 13. & lib. 2. de Consensu Euangelistarum, cap. 15. Respondet, Ioannem nouisse Christum, antequam baptizaretur, Dominum esse & Messiam; atque idcirco dixisse: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* cognouisse etiam quod baptizaret in Spiritu sancto. Posteà verò quàm baptizatus est ex signo columbæ cognouisse ait aliud: videlicet, Christum propria quadam & excellenti potestate in Spiritu sancto baptizare, ita vt illi soli baptismi sanctitas tribuatur. Augustini verba subiiciam, lib. 2. de Consensu Euangelistarum: Apparet, inquit, quamuis Ioannes Christum iam nosset; aliquid tamen in eo, quod nondum nouerat columbæ descensione didicisse, quòd ipse scilicet baptizaret in Spiritu sancto propria quadam & diuina potestate; vt nullus homo, qui accepisset à Deo baptismum, etiamsi aliquem baptizaret, posset dicere suum esse, quod traderet, vel à se dari Spiritum sanctum, &c. Et tractatu 6. in Ioannem: Antequam, ait, venisset Dominus, vt baptizaretur à Ioanne, nouerat eum illis vocibus, vbi ait: *Tu ad me venis baptizari, ego à te debeo baptizari?* Sed ecce Dominum nouerat, nouerat Filium Dei. Vnde probamus, quod iam nouerat, quia ipse baptizaret in Spiritu sancto. Antequã veniret Christus ad fluuium, ait Ioannes: *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni:* Iam & hoc nouerat. Quid ergo per columbam didicit, nisi quamdam proprietatem in Christo talem, vt quamuis multi ministri baptizaturi essent, siue iusti, siue iniusti, non tribueretur sanctitas baptismi, nisi illi super quem descendit columba, de quo dictum est: *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* Petrus baptizet, hic est qui baptizat: Paullus baptizet, hic est qui baptizat. Nam si pro diuersitate meritorum baptisma sanctum est; quia diuersa sunt merita, diuersa erunt baptismata; & tantò quisque aliquid melius putatur accipere, quantò à meliore videtur accepisse. Ipsi boni in Ecclesia diuersarum gratiarum sunt, non omnibus paria merita. Quare ergo si vnus ab illo iusto baptizetur, alius ab alio inferioris meriti, vnũ tamen & par est, quod acceperunt, nisi quia hic est qui baptizat? Hæc Augustinus.

Ioannes ex colũba aspecta didicit baptismi Christi vim.

Matth. 3.

Ibidem.

Ioan. 1.

Sed si Ioannem hanc Christi proprietatem nouisse colligit ex illis verbis: *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto;* cùm Ioannes similia verba ante baptismum protulerit. *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni*: Sequitur, iam ante baptismum & ante descensum columbæ, notam fuisse proprietatem Ioanni. Adde, verba Ioannis significare columbæ signum datum esse, non vt proprietatem aliquam baptismi Christi disceret; sed vt ipsam eius faciem & personam cognosceret. *Ego*, inquit, *nesciebam eum*, id est, eius faciem & personam ignorabam. Deinde sequitur signum datum, vt id ipsum quod nesciebat, sciret. Nesciebat Christi faciem, personam, ergo ex signo illam nouit: *Qui me*, inquit, *misit baptizare in aqua ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto*: hoc est, ille est Messias, cuius capiti columbina specie Spiritus sanctus insederit: ex hoc signo illius personam faciemque agnosces.

Ioan. 1.

Cardinalis Caietanus Ioannis primo vt nodum soluat arbitratur, columbam bis in Christum deuolasse: semel ante baptismum, cùm ad Ioannem baptizandus venit; ex quo signo nouit Ioannes Christi faciem personamque augustissimam, antequam ipsum baptizaret: atque ideo verba illa humilitatis plenissima protulit: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Iterum post baptismum, repetiuit enim Deus signum. Si quo, arbitratur Caietanus, probasset, bene nodum expediuisset. Sed de prima illa columbę ante baptismum, deuolatione nulla est apud Euangelistas vel Patres mentio. Abulensis Episcopus Matthæi 3. q. 76. opinatur, Ioannem quidẽ ante baptismum vel per reuelationem, vel ex modestia, externisque signis, Christum virum esse sanctissimum

Sententia Caietani.

Columba semel tantũ post baptismum visa est, non bis, vt vult Caietanus. Abulensis.

mum cognouisse; Messiam tamen esse minimè intellexisse, respondetque argumento proposito verba illa, *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* non esse Messiam agnoscentis, sed agnoscentis virum sanctissimum. Itaque ex sententia Abulensis, ante baptismum sciuit Baptista Christum esse virum virtute præcellentem, ideoque humiliter illum est affatus. Post baptismum verò, ex descensu columbæ Messiam esse habuit exploratum, qui in Spiritu sancto baptizaret. At verò prior illa cognitio, quam Abulensis excogitauit, probabilitatis habet parum.

Matth.3.

Quid opus est aliorum persequi dicta? Paucis sic respondemus: Ioannes ante baptismum non agnouerat Christum ex facie; quoniam numquam illum viderat, atque ideo dixit: *Ego nesciebam eum*: hoc est, ex facie non erat mihi notus. Cùm verò ad baptismum Christus accessit, per reuelationem illum agnouit, atque ideo baptizare recusauit, illisque verbis allocutus est: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Cognitum verò iam per internam reuelationem, iterum post baptismum agnouit, per externum signum columbæ è cælo delapsæ. Duobus enim modis Dominus Messiam ad baptismum accedentem ostendere voluit, per internam reuelationem, & per externum columbæ signum. Adde etiam vocem è cælo auditam, de qua Ioannes quemadmodum de reuelatione tacuit. Signum externum maluit commemorare, quod ab iis, qui baptismo Christi aderant, est conspectum.

Ibidem. Vera solutio nodi.

CAPVT XVII.

Morale.

De testimonio Ioannis, Ecce Agnus Dei, &c.

Christus in mundũ venit absconditus, & manifestari oportuit. Ioan. 1. Eccli. 20.

IN sinu Patris Filius absconditus, humana natura assumpta in mundum venit absconditus. Hinc illud Ioannis: *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis.* Latebat sub carne Deus, sub nube Sol, sub agro thesaurus opulentissimus, sub concha margarita omne superans pretium. Manifestari opus fuit. Vt enim Ecclesiasticus ait: *Sapientia absconsa, & thesaurus inuisus: quæ vtilitas in vtrisque?* Quid fidei, quid spei, quid caritatis, quid gratiæ, quid spiritus percepisset terrarum orbis, ex Christi sapientia, thesauroque opulentissimo, si hominibus ignotus semper in terris latuisset? Quemadmodum nihil lucis mundus ex Sole acciperet, si crassissima obscurissimaque aliqua nube abditus perpetuo delitesceret: ita nihil splendoris ac fidei ex Christo accepisset, si se hominibus non demonstrasset. Igitur demonstrari hominibus oportuit. Erant ex hominibus Iudæi quidam, alij ethnici; tum his, tum illis fuit manifestandus. Iuxta illud Simeonis: *Viderunt oculi mei*

Luce 2.

salutare tuum; quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationem gentium & gloriam plebis tuæ Israël. Iudæis, ex quibus natus, & quibus promissus est, indicari prius voluit, postea ethnicis. Vt Iudæis fieret manifestus, Ioannem in Iudæam misit; vnde illud eiusdem Ioannis: *Vt manifestetur in Israël, propterea veni ego in aqua baptizans.* Vt verò gentibus fieret cognitus, Apostolos in totum terrarum orbem legauit. Iuxta illud: *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Et illud: *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ, &c.*

Ioannes lucerna domus Iacob, Apostoli lux mundi.

Psal. 18.

Marci 16.

Ioannes lucernæ similis à Christo dicitur, Matth. 11. quoniam quemadmodum lucerna non in orbem, sed in domum dumtaxat aliquam, lucem diffundit, & quæ in domo sunt ostendit; sic Ioannes non in orbem, sed in domum tantummodo Iacob lucem diffudit, & Messiam filiis Iacob solum indicauit. Apostoli autem, *Lux mundi*, appellantur. Sicut enim mundi lux, non solùm domum aliquam, sed etiam mundum illuminat vniuersum: sic Apostoli, non solam domum Iacob, sed terrarum etiam orbem splendore collustrarunt; *In Idumæam*, id est, ethnicos, *calceamentum magni Dauidis extenderunt.* Iuxta illud: *In Idumæam extendam calceamentũ meum, mihi alienigenæ subditi sunt*; gentibusque mundi incolis Christum manifestum reddiderunt. Id quod in votis habuisse Ioannem meditatur Rupert. Ioan. 1. Gemit, inquit, affectus Baptistæ amantis, & magno desiderio clamantis; suaque imputat indignitati, quòd tempus non sit habiturus, vt currat cum speciosis pedibus super montes euangelizantis pacem, annuntiantis bonum. Hunc affectus eius clamorem Matthæus exprimit, dicens: *Qui post me venturus est, fortior me est; cuius non sum dignus calceamenta portare.* Quid enim est calceamenta eius portare, nisi Incarnationis eius mysteriũ palam mundo annuntiare? Fecerunt hoc Apostoli, *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Et quis sonus, quæ verba Apostolorum? *In Sole*, inquit, *posuit tabernaculum suum Dominus: & ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.* Hoc facientes Apostoli calceamenta Christi in Idumæam & in omnes alienigenas extensa portauerunt. Ita Rupertus.

Apostoli Christi calceamentum in Idumæã extẽderunt. Rupertus.

Matth.3.

Baptistam templi candelabro similem fuisse multis verbis docet Cyrillus lib. 3. in Ioann. cap. 1. Lucerna, inquit, ardens & lucens semper in tabernaculo testimonij Baptista fuit, &c. Quemadmodum candelabrum illud ante arcam fœderis velo tectam illucebat, sic Baptista ante Christum omnium bonorum, nostrique cum Deo fœderis arcam hominibus ignotam, illuxit, illumque Iudæis demonstrauit. Tertullianus in lib. aduersus Iudæos, cap. 9. Ioannes lucerna fuit, vtpote qui non tantùm vias Christi parabat in eremo; sed & agnum Dei demonstrando, illuminabat mentes hominum præconio suo; vt eum esse intelligerent agnum, quem Moses passurum nominabat, &c.

Baptistam templi cãdelabro similis. Cyrillus.

Tertull.

Ioãnes Christũ absentẽ indicauit & præsentem. Matth.3. & Luca 3. Ioan. 1. Rupertus.

Demonstrauit autem Ioannes Christum absentem & præsentem. Absentem ostendit ante baptismum: *Qui post me venturus est, fortior me est, &c.* Præsentem post baptismum indicauit, dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatũ mundi.* Superiora alia Baptistæ verba cum auro confert Rupertus, Ioannis 1. Hæc verò verba cum gemma pretiosissima; Prioribus, inquit, verbis quasi gemmam pretiosam superaddidit Baptista, dum gaudio mentis in vocem erumpente dixit: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Cunctis namque superior sermo eius, quasi aureum subsellium rutilat in Euangelica Christi quadriga, hoc verò dictum tamquam pretiosissimus lapis ad augmentum decoris accedit: quod sancta Ecclesia certatim rapiens, in fronte & in pectore suo præfixum frequentius concelebrat, in laudibus Christi, &c. Sacros Dei agnos supra pectus gestare consueuimus. En tibi Dei agnum super pectus omni tempore gestandum, aduersus mala omnia amuletum.

Ioan. 1.

Indicauit his verbis Baptista Christi eximiam innocentiam, mansuetudinem, & officium. Innocentiam enim & mansuetudinem indicat agni nomen. Quid agno innocentius? quid mitius? Christus vt agnus in mundum venit innocentissimus: nulla enim illum peccati vel tenuissima labes attigit. Omnes, ait August. tractatu 4. in Ioannem, ex illa propagine veniunt, de qua cantat gemens Dauid: *Ego in iniquitate conceptus sum, & in peccatis mater mea vtero*

Agni Dei innocentia.

August.

Psal. 50.

vtero me abluit. Solus ille eſt Agnus, qui non ſic venit. Non enim in iniquitatibus conceptus eſt; carnem ſumpſit de Adam, peccatum non aſſumpſit, &c. *Iniquitatem non fecit, neque dolus fuit in ore eius.* Rupertus Ioan. 1. innocentiſſimum fuiſſe Agnum oſtendit, quoniam in ſinu Patris erat: Quid eſt, inquit, in ſinu Patris? in ſumma diligentia, in cura, & in cuſtodia Dei Patris. Ad quid? videlicet, vt peccatum illum inuenire non poſſit, quod omnes homines inuenit ab initio ſæculi, &c. Et quidem Chriſtus Opt. Max. peccare nullo modo poterat, quoniam in ſinu Patris erat, hoc eſt; quoniam Filius Dei, Deus erat: impoſſibile autem eſt, Deum incarnatum peccato aliquo inquinari.

Iſaiæ 53. *Rupertus.*

Chriſtus Agnus immaculatus, maſculus, anniculus. *Exodi 12.*

Expende qualem agnum Deus ab Iſraëlitis flagitet, qui noſtri Agni imago ſit: *Erit*, inquit, *agnus abſque macula, maſculus, anniculus, &c.* Abſque macula erat agnus ille, vt noſtri Agni admirabilem innocentiam adumbraret; maſculus erat, vt adumbraret fortitudinem, & ad tollendum peccatum robur; anniculus, id eſt, perfectæ ætatis, vt perfectionem indicaret. Nazianzenus: Immaculatus, ait, Agnus eſt, & incorruptus, vt qui næuos, ac vitia, & ſordes à peccato manantes curet. Quamuis enim peccata noſtra ſuſceperit, & morbos portauerit, ipſe tamen nihil eorum quæ curationis indigent perpeſſus eſt. Tentatus eſt enim per omnia pro ſimilitudine noſtra, ceterum abſque peccato. Ille enim, id eſt, dæmon, qui lucem in tenebris lucentem perſecutus eſt, id eſt, Chriſtum, eam nequaquam comprehendit. Maſculus eſt, vt qui Adam fortitudine ac robore ſuperet, nihil muliebre, nihil molle, atque effeminatum geſſet. Perfectus non modo propter diuinitatem, qua nihil eſt perfectius, ſed etiam propter humanitatem. Hæc Nazianzenus.

D. Gr. Nazianz. 42.

Neceſſaria fuit ſumma innocentia, ad redimēdos nocētes. *Auguſt.*

Erat opus innocentiſſimum eſſe Redemptorem: nec enim poterat de nocentia triumphum reportare, niſi innocentia; nec poterat pro nocentiſſimis diuinæ iuſtitiæ facere ſatis, niſi innocentiſſimus. Vnde illud Auguſtini loco citato: Qui non aſſumpſit de noſtra maſſa peccatum, ipſe eſt qui tollit noſtrum peccatum. Et illud Paulli: *Talis decebat vt nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, &c.* 2. Cor. 5. *Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iuſtitia Dei in ipſo, &c.* Hoc eſt, fecit pro nobis peccatum, id eſt, ſacrificium pro peccato, Chriſtum, qui ab omni peccato longiſſimè aberat, vt nos à peccato liberaret, & iuſtos efficeret. Huiuſmodi victima, huiuſmodi neceſſarius erat Agnus, qui peccata mundi tolleret. Peccata quidem ille omnia nouerat, pro quibus ſubibat mortem, nouerat, inquam, in aliis; in ſe ipſo non nouerat, quia numquam peccauit. D. Chryſoſtomus, Patrem ait, feciſſe Chriſtum peccatum, quoniam impij inſtar crucifigi illum paſſus eſt: Eum, inquit Chryſoſtomus, Paullum explicans, qui neſciuit peccatum, & exiſtentem ipſammet iuſtitiam peccatum fecit, hoc eſt, quaſi peccatorem condemnari permiſit, & quaſi maledictum mori Iuſtum fecit peccatorem, vt peccatores faceret iuſtos, &c. Vtitur Paullus, vt obſeruat Chryſoſtomus, abſtractis eo loco pro concretis: Non dixit, inquit, peccatorem, ſed peccatum; non dixit iuſti, ſed iuſtitia, &c.

Hebr. 7. *2. Cor. 5.*

Chriſtum quomodo Pater peccatū fecerit. *Chryſoſt.*

Agni Dei Chriſti mānſuetudo.

Venit etiam Redemptor in mundum, vt Agnus mitiſſimus. Multa animantia cornibus, dentibus, pedum pernicitate, vel calliditate, & ſolertia, vel veneno armata cernimus. At agnus armorum nihil gerit, nihil ferocitatis, nihil calliditatis, nihil veneni, vt qui agnum videt, ipſammet manſuetudinem videre videatur. Ecce Agnum Dei, ecce manſuetiſſimum mundi Redemptorem, ecce Deum mitiſſimum, ecce ipſammet manſuetudinem. Iam poſuit fulmina, iam pharetram ſuſpendit, tela reliquit; non fulminat, non tonat, non vibrat gladium. *Non clamabit*, ait Iſaias, *neque audietur vox eius foris.* *Calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non exſtinguet.* 1. Pet. 2. *Cùm malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur.* Iſai. 53. *Coram tondente ſe obmutescet.* Tondebatur honor falſis teſtimoniis, Agnus verò tacebat; tondebatur cruciatibus ſacrum corpus, Agnus ſilebat; videlicet, quia vt agnus veniebat. Olim poſt horribilem ventum, poſt terræ terribilem motum, poſt ignem tremendum, miſit Dominus auræ tenuis ſibilum; & cum Elia locutus eſt. Ita etiam poſt legem Moſis horribili in igne datam; non igne, vt in monte Sinai, non nubibus, non tonitruis ſeptus: ſed in ſibilo auræ tenuis manſuetiſſimus Agnus venit, vt ait D. Irenæus lib. 4. cap. 37. Per hæc, inquit, (quæ ſcilicet Eliæ oſtenſa ſunt) ſecundum hominem, aduentus Domini ſignificabatur futurus, poſt illam legem, quæ data eſt per Moyſem, mitis & tranquillus; in quo *nec calamum quaſſatum confregit, nec linum fumigans exſtinxit, &c.*

Iſaiæ 42. *1. Pet. 2.* *Iſaiæ 53.* *3. Reg. 19.* *Irenæus.*

Populus ille Iſraëliticus *calamus erat quaſſatus*, dignus qui propter ſcelera confringeretur; at calamum quaſſatum Agnus non confregit, dum in terris vixit: *Linum erat fumigans*, plebs illa, fumoque ſuo moleſtiſſima Domino; at linum fumigans Agnus non exſtinxit. Scilicet, vt agnus venit, Chryſoſtomus in demonſtratione, quod Chriſtus ſit Deus: Prophetæ, ait, modum prædixerunt aduentus Chriſti. Nam affuturus erat, non iaciens vel fulmina vel fulgetra e ſupernis, nec concutiens terram, nec rotans cælum, nec alia id genus prodigia operans; ſed abſque ſtrepitu, & ita abſque tumultu & perturbatione, vt nemo perſentiſceret. In domo enim fabri natus eſt, in domo ignobili & vili. *Deſcendet ſicut pluuia in vellus*, ait Propheta: quibus verbis aduentus illius tranquillus & quietus ſignatur. Cùm iniuriis afficeretur, conſpueretur, flagellaretur, & denique Cruci affigeretur, nullum vltus eſt talia facientem; ſed tulit omnia patienter, & æquo animo, contumelias, inſaniam, & furorem importunæ illius plebis. Quod manifeſtans Scriptura, ſic dixit: *Calamum quaſſatum non confringet; & linum fumigans non exſtinguet.* Sic Chryſoſtomus.

Agnus calamum quaſſatum non confregit.

Aduentus Chriſti abſque ſtrepitu & horrore.

Pſal. 71.

Iſaiæ 42.

Illud quoque, quod apud Iſaiam ſequitur eodem capite, *Non erit triſtis neque turbulentus*, Chriſti indicat manſuetudinem. Noſter Agnus non triſtis fuit, aut præ ira turbulentus; ſed fronte maximè tranquilla ac ſerena, nullam animi perturbationem in mediis tempeſtatibus præ ſe ferente, tulit omnia. Ex Hebræo hæc verba verti poſſunt: *Non fumigabit, & non curret.* Fumigare irati eſt. Iuxta illud: *Aſcendit fumus in ira eius.* Noſter Agnus nec fumigauit, vt iratus leo, nec ad laniandos homines furibundus cucurrit. Admirabili manſuetudine hominum tormenta tulit, rugientes leones luposque manſuetiſſimus ſuperauit. Agnus eſt, ait Auguſtin. tract. 7. in Ioan. quem lupi timent; Agnus eſt, qui leonem, occiſus, occidit. Sanguine Agni victus eſt leo, &c. Et Pſalm. 131. Rex, inquit, noſter manſuetudine vicit diabolum. Sæuiebat ille, iſte ſufferebat; victus eſt, qui ſæuiebat, vicit, qui ſufferebat. In iſta manſuetudine Eccleſia vincit inimicos, &c. Manſuetudine vicit Agnus, manſuetudine vicere Martyres, manſuetudine vincit Chriſtianus; ira animique excandeſcentia, vincitur. *Paſce agnos meos*, ait Petro Dominus; videlicet, agnos nos eſſe vult, ſuique imitatores, mitiſſimus Agnus.

Ibidem. *Agnus non fuit triſtis, nec turbulentus.*

Pſal. 17.

Auguſt.

Agnus mānſuetudine vicit leonē. Mānſuetudo victoriam parit.

Ioan. vlt.

Messiæ officiū, peccata mūdi tollere Ioan. 1.

Præterea Messiæ officium indicauit Baptista: *Ecce*, inquiens, *Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Messiæ hoc erat officium, peccata mundi tollere, cui præstando innocentia & mansuetudo, de quibus diximus, maximè erant necessariæ. Necessaria erat innocentia, vt nocentiam tolleret: necessaria mansuetudo, vt cruciatus toleraret. Necessaria erat munda victima, vt mundaret, necessaria mitis, vt tormentis se offerret. Augustinus Psalm. 131. Christus, inquit, victima & sacerdos, cùm in mundo non inueniret mundum quod offerret, se ipsum obtulit, &c. Rupertus Ioannis 1. Quia, inquit, Christus est in sinu Patris, quia peccatum non fecit, nec aliunde contraxit, idcirco ad reconciliandos homines vultui Patris assistere venit; idcirco gratia & veritas per ipsum facta est, &c. Eodem loco ostendit Rupertus, homines peccatum mundi non potuisse tollere, quòd innocentia carerent: Quomodo, inquit, possent abiectos in gratiam reducere proiecti? Soluere quomodo possent vinctos illaqueati? &c. Confirmat hoc verbis Isaiæ: *Non est*, ait Isaias, *qui sustentet eam*, scilicet Ierusalem, *ex omnibus filiis, quos genuit: & non est qui apprehendat manum eius ex omnibus filiis, quos enutriuit, &c.* Quia videlicet, ait Rupertus, omnes exierant de sinu gratiæ Dei, cum peccato primæ præuaricationis nati, & insuper actualibus peccatis nequaquam omni ex parte liberi, quamlibet magni & iusti, &c. Vnde apud Isaiam sequitur: *Filij tui proiecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum, sicut oryx illaqueatur: pleni indignatione Domini, increpatione Dei, &c.* Tam filij Ierusalem Israëlitæ, quàm ethnici proiecti à Domino erant, nisi innocens Agnus succurrisset. In capite omnium viarum, quæ ad tartarum ducunt, dormiebant, sicut animal, quod oryx dicitur, flagitiorum laqueis irretiti. Succurrit igitur Agnus, quem nullus irretire potuit laqueus; & dormientes excitauit, illaqueatos liberauit.

Rupertus. *Isaiæ 51.* *Ibidem.*

Agnus non solum peccata tollit, sed etiam gratiam infert.

Non peccata solùm Agnus abstulit; sed gratiam etiam, virtutes, Spiritusque sancti dona attulit. Quemadmodum Sol non solùm frigus pellit, sed luce etiam mundum complet; ita Dei Agnus, non solùm scelerum gelu dispulit; sed virtutum quoque splendore mundum collustrauit. Sicut prodigum filium pater crasso vilique indumento exuit, & splendida stola induit; sic noster Agnus cùm peccata tollit, crassissima flagitiorum veste hominem spoliat, & splendidissima gratiæ virtutumque stola exornat. Ioannes hoc loco de peccatorum sola expulsione loquitur, quæ prior natura gratiam virtutesque præcedit. Mala quæ expulit commemorauit; bona quæ Agnus intulit, tacuit. Potuisset vox clamantis sic clamare: Ecce Agnus Dei, qui peccatum mundi tollit: Ecce Agnus Dei, qui gratiam mundi affert. Non fuere tamen omnia tunc commemoranda; satis fuit ablationis peccatorum meminisse, quam spiritalia bona atque æterna consequuntur. Quemadmodum si fonti vberrimo obstans remoueas impedimentum, continuò in agros influit, & fœcundos reddit; sic si auferas peccatum, protinus fons ille omnibus bonis redundans Deus, in animum penetrat; gratiaque & virtutibus inopem locupletat.

Luca 15.

Hic est primus ad sanctitatem gradus, peccatum ex animo tollere, vt docet Magnus Basilius Psalm. 1. Quemadmodum, inquit, in gradu scalari prima est ascensio, ab humo recessus; sic in exercitatione diuinæ conuersationis, principium profectus, est discessus à malo, &c. Et Psalm. 33. Ei, inquit, qui primis eruditur ad virtutem rudimentis, conuenit, vt subducat se à mali occasione; vtque ab improba vitæ consuetudine, quasi à via mala exemptus, ita demum aggredi possit bonorum operum actionem. Impossibile namque est eum assequi & attingere quod bonum est, qui non priùs prorsus declinauerit à malo. Sicut nec cuiquam possibile sit, sanitatem vt recuperet, nisi priùs à se dispulerit morbum; vel vt quis recalescat, nisi prorsus excusserit perfrigerationem. Atque adeò quisquis cupit vitæ probitatem complecti, ei conuenit, vt se liberet ab omni communione malorum. Ita Basilius. Ideo illo primo Psalmo Vates à recessu hoc beatitudinis ducit exordium: *Beatus*, inquit, *vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.* Hæc omnia à peccato recessum significant.

Necessaria fuit innocētia Agni, ad tollenda peccata. August.

Basilius.

Discessus à malo, principium profectus.

Psal. 1.

Sed numquid sceleribus carere est satis? Hac ratione, ait Basilius primo Psalmo, equus, bos, lapis, beati poterunt appellari. Nihil enim sceleris commisere. Non hoc satis est, criminibus remittere nuntium. Hinc illud Gregorij homil. 13. in Euangel. Minus est mala non agere, nisi etiam quisque studeat & bonis operibus insudare, &c. Ideò adiicit Vates eodem Psalmo: *Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Et: *Declina*, inquit, *à malo, & fac bonum.* Primum ergo est, declinare à malo, impiorum dæmonum consilium & tentationes non sequi, in via peccatorum non stare, in cathedra pestilentis peccati non sedere: secundum est, bonum facere, & arboris instar amœnæ prope flumnis aquas consitæ, operum bonorum fructus proferre. Quemadmodum arbor fructum non ferens, sic & homo opera bona non producens, terræ inutile pondus est, ignisque pabulum. Ideoque ficulnea illa sterilis terram dicitur occupare, iubeturque succidi; quoniam nullum fructum ferebat. *Ecce trēs anni sunt*, ait vineæ Dominus, *ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio: succide ergo illam: vt quid etiam terram occupat?* Vnusquisque, ait Magnus Gregor. hom. 31. in Euangelia, si fructum bonæ operationis non exhibet, velut infructuosa arbor terram occupat, &c. Si terram vanè sine fructu occupas, caue ne vineæ Dominus succidat te, & in ignem iubeat mitti.

Facere bonum necesse est. Gregor.

Psal. 1.

Psal. 30.

Luca 13.

Gregor.

Tolle ergo peccata, consilium impiorum dæmonum respue, in via peccatorum ne stes, in cathedra pestilentiæ ne sedeas. A fonte incipe; mentem, cogitationes, consiliaque repurga. Etenim fons operum cogitatio est & consultatio, vt ait D. Basilius Psalmo citato: Radix, inquit, earum quæ per corpus sunt actionum, cogitatio, siue consultatio est, in corde conquiescens, &c. Deinde peccatorum viam fuge, quæ lubrica est, tenebrosa, ad perpetuas flammas ducens: ne stes in via hac, ne stes in omni circa Sodomam & Gomorrham regione, quod ait Angelus Lot: Tandem si forte labi in peccatum contingat, in cathedra pestilentiæ tartareæ ne sedeas; hoc est, ne in scelere permaneas. Nam D. Basilius cathedrā ait significare diuturnam in peccatis moram. Hæc maximè fugiēda est. Quoniam consuetudo, vt Basilius ait, abit in naturā: Animæ, inquit, morbus vbi iam vetustuit, mali itē exercitatio simulatque occaluit diuturnitate, vix vllam admittit medelam; cùm in iis, vt in plerisque aliis consuetudo mutetur, & abeat in naturā, &c. Tolle peccata mūdi tui parui, agno auxiliante, & virtutes importa: quemadmodū Agnus Dei peccata mundi magni sustulit, & virtutes omnes in illū importauit.

Fons operū est cogitatio

Basilius.

Genes. 16.

Basilius. Consuetudo abit in naturam.

Obseruat autem Bernard. serm. 6. de Aduentu, non dixisse Baptistam: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit ægritudines corporis, sed animi.* Non dicit Baptista, ait

Bernar-

Bernardus: Ecce qui tollit morbos corporis & carnis moleſtias; ſed, qui tollit peccatũ, quod eſt morbus animæ & corruptio mentis, &c. Nam Chriſtus in primo aduentu morbos & mortem animi, id eſt, peccata, ſuſtulit, mortem autem & morbos corporis in ſecundum aduentum omnino auferẽdos diſtulit. Quod Paullus docet, his verbis: *Saluatorem exſpectamus, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ, &c.* In primo aduentu Chriſtus Opt. Max. animum reformauit, & peccata expulit; in ſecundo aduentu corpus humilitatis noſtræ, hoc eſt, corpus noſtrum humile ac terrenum, reformabit. Prima illius cura animi fuit; ſecunda corporis erit. Quid nos quoque debeamus agere, agendo docet. Tempus hoc reformandi eſt animi; in reſurrectione reformabitur corpus.

Chriſtus in primo aduẽtu, animi morbos, id eſt, peccata, abſtulit, in ſecundo auferet morbos corporis. Phil. 3.

Prima præcipuaque cura, animi exornandi ſit, peccata tollendi, virtutes comparandi: ſecunda, multoque minor, corpori alendo impendatur. Huius quoque rei mellifluus Bernardus eodem ſermone nos admonet: Si Chriſti, inquit, membra volumus inueniri, ſequendum nobis eſt caput noſtrum; vt videlicet prima nobis reparandarum ſit ſollicitudo animarum, pro quibus ipſe iam venit, & quarum prius mederi ſtuduit corruptioni. Corporis verò curam illi tempori magis reſeruemus, & differamus in illum diem, quo reformandi corporis gratia eſt venturus. Sic ille.

Bernard.

At ſocordes ſollicitudinem corpori impendunt, animæ curam in poſtremos dies reſeruant; corpus ſaginant, pingunt, exornant, locupletant, anima interim eſurit, macie tabeſcit, vixque oſſibus hæret. Lege Chryſoſtomum de hac hominum ſocordia copioſè loquentem, homil. 38. in Acta Apoſtolor. Et homil. 42. ad populum. Homil. verò 70. in Matthæum, cum formicis nos confert, quarum tota cura ad cibum recondendum confertur: Quid, inquit, inter nos & formicas intereſt. Quemadmodum formicæ corporis dumtaxat curam habent, pariter & nos certè. Immo verò multo peius, non pro rebus neceſſariis, quemadmodum illæ, ſolummodo laboramus; ſed pro ſuperfluis etiam, ac turpibus vigilamus, &c. Item eadem homilia: Tu, inquit, domicilium animæ corpus auro & gemmis exornas: animam verò in turpitudine cilicij ſedentem negligis. Ignoras forſitan ciuitatis Principem magnificè ornari oportere? Propterea ciuitati tentoria, Principi autem purpura & diadema contexta ſunt. Pariter ergo etiam tu viliora corpori tribue; mentem verò atque animam ſtragula atque corona magnificè polias, & in ſublimi ſolio atque ſplendido ſedere permitte. Tu autem è contrario penitus facis. Nam vrbe magnifice compta, animum, qui regnare debet, à paſſionibus vinctum trahi permittis, &c.

Socordes animũ negligunt, corpus curant. Chryſoſt.

De cura animæ legendus Magnus Baſilius homilia 23. Qui ſibi, inquit, optimè conſulit, animæ quidem quam maxime curam habebit, illiusque ſinceritatem ac genuinam puritatem perpetuò illibatam conſeruare conabitur. Carnis verò, ſiue illa fame tabeſcat, ſiue cum frigore & æſtu luctetur, aut morbis prematur, aut violentum quid à quibuſdam patiatur, exiguam rationem habebit. In vnaquaque moleſtia illud Paulli dicens: *Etiamſi exterrnus noſter homo corrumpitur: internus tamen renouatur de die in diem.* Si verò quiſquam & corporis rationem habere voluerit, vtpote talis poſſeſſionis, quæ vna ſit animæ neceſſaria, & quæ illi ad viuendum ſuper terram cooperetur; pauca quædam ad huius vſum neceſſarium impendet; vt illud & contineat tantùm, & ad miniſterium animæ mediocri cura ſanum conſeruet. Ita Baſilius. Meritò ergo Bernardus loco citato corpus orat, ne animæ ſaluti impedimentum opponat, tempusque præripiat: Noli, inquit, ô corpus, noli præripere tempora. Potes enim impedire animæ tuæ ſalutem, tuam ipſius operari non potes. *Omnia tempus habent*: patere, vt nunc anima pro ſe laboret, magis autem etiam collabora ei; quoniam ſi compateris, & conregnabis; quantùm eius impedis reparationẽ, tantùm impedis tuã, &c.

Anima cura præcipua eſſe debet, corporis exigua.

2. Cor. 4.

Bernard.

Admirabiliter autem Agnus peccata tollit; ita vt nullum relinquat maculæ indicium. Fatemur quidem relinqui ſæpe poſt pœnitentiam reatus partem aliquam. Sed hoc aſſerimus, maculam omnino aboleri. Reatus verò pars cùm relinquitur, ſatisfactione deletur; vitioſi quoque habitus à flagitiis ingenerati animo, virtutum actibus abiguntur. Quemadmodum cùm vehementiſſimo flante vento toto æthere nubes diſpelluntur; nullum illarum relinquitur veſtigium: ita cùm, diuina operante miſericordia, toto animo peccata fugantur, fitque perfectè pro illis diuinæ iuſtitiæ ſatis: nulla illorum remanet macula, nullusque reatus: ait enim Deus ſe peccata, vt nubes, delere: *Deleui*, inquit, *vt nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulam peccata tua, &c.* Vulnera quidem tollere poſſunt medici, vulnerum cicatrices minimè: at ſummus Medicus Agnus noſter, non ſcelerum ſolùm letifera vulnera tollit, ſed cicatrices etiam. Id quod Chryſoſtomus his verbis dixit, homilia 80. ad populum: Ita Deus peccata delet, vt nec eorum remaneat veſtigium. In corporibus quidem hoc non licet: quin etiam ſi millies elaboret medicus, vt imponat vulneri remedia; vulnus quidem tollit, cicatrix verò permanet. Deus autem cùm delet peccata, neque cicatricem relinquit, neque permittit remanere veſtigium: ſed cum ſanitate pulcritudinem quoque reſtituit, &c. Clamat hoc Dauid, clamat Magdalena, clamant Diui illi omnes, quibus Medicus noſter medicinam adhibuit ſalutarem, quæ & vulnera & cicatrices potuit abolere. Quænam in animo Dauidis peccatorum ſunt cicatrices? quænam ſunt in animo Magdalenæ & reliquorum Sanctorum criminum veſtigia? Admirabilis ſanè eſt pulcritudo, ſanctimonia, opulentia: peccati autem labes prorſus nulla.

Peccati omnino macula per Chriſtũ tollitur.

Iſaiæ 44.

Agnus peccata tollit, & peccatorum etiam veſtigia.

Quonam modo Agnus peccata ſuſtulerit, conſideremus. Indicat modum Agni nomen, vt Chryſoſtomus obſeruat homil. 39. in primam epiſtolam Paulli ad Corinthios: Quomodo, inquit, Agnus Dei tollit peccatum? Morte. Agnum ideo Ioannes vocauit, quod eſſet mactandus, &c. Et Tertullianus in lib. aduerſus Iudæos, cap. 9. Ioannes Agnum Dei demonſtrando, illuminabat mentes hominum præconio ſuo: vt eum eſſe intelligerent Agnum, quem Moſes paſſurum nominabat, &c. Nominabat Moſes paſſurum, id eſt, immolandum, Agnum paſchalem. *Immolabit eum vniuerſa multitudo filiorum Iſraël, &c.* En tibi Paſchalem Agnum, quem ipſo paſchali feſto immolauit multitudo filiorum Iſraël, vt ſanguine morteque ſua tolleret peccatum mundi. Olim paſchalis agni cruor ab Iſraëlitis cædem propulſauit. Id verò Chryſoſtomus ait factum, quod noſtri Agni ſanguinem adumbraret. Chryſoſtomi verba ſunt hæc, tom. 5. homil. 3. ad Neophytos: Quid agis Moſes? ſanguiſne ouis rationalem hominem liberare conſueuit? Valdè, inquit Moſes; non eò quòd ſanguis ſit, ſed quia Dominici ſanguinis per eum demonſtratur exemplum. Nam ſicut regnantium ſtatuæ nonnumquam ad ſe confugientibus hominibus ſubuenire conſueuerunt: ita & ſanguis ille homines liberauit: non quia ſanguis fuit, ſed quia Chriſti ſanguinis oſtendebat aduentum, &c. Eiuſdem

Agnus peccatum quemodo abſtulerit.

Tertul.

Exodi 12.

Chryſoſt. Chriſti ſanguis.

dem ſanguinis vmbra erat victimarum omnium ſanguis, qui in templo effundebatur. At non potuere innumeræ victimæ peccata mundi tollere ſuo ſanguine. Hæc admirabilis prærogatiua noſtræ victimæ reſeruabatur. Audi Paullum: *Impoſſibile eſt*, ait, *ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Ideo ingreſſus in mundum dicit: Hoſtiam & oblationem noluiſti: corpus autem aptaſti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi: Ecce venio.* Item *Omnis ſacerdos præſto eſt quotidie miniſtrans, & eaſdem ſæpe offerens hoſtias, quæ numquam auferre poſſunt peccata: hic autem vnam pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternum ſedet in dextera Dei: de cetero exſpectans donec ponantur inimici ſcabellum pedum eius. Una enim oblatione, conſummauit in æternum ſanctificatos, &c.*

Hebr. 10.

Peccatũ facile in orbẽ illatum eſt, magno labore ſublatũ.

Magna facilitate in orbem peccatum eſt illatum: ſed magna cum difficultate ſublatum. Serpens cum Eua ludens nullo negotio peccatum in mundum intulit; Agnus ſummo cum labore animam efflans abſtulit. Heu quàm facilè eſt peccatum in animum inferre; Eua vna, vna dæmonis ſuggeſtio, nutus vnus, verbum vnum, aſpectus vnus aliquando ſatis eſt. Quid facilius quàm aquam potare? neque dẽtibus ſcinditur, aut extenuatur vt cibus, neque in ore aut faucibus hæret; mira facilitate in ſtomachum prolabitur. Vt aquam, ſic improbus homo peccati venenum potat. Vnde illud: *Abominabilis & inutilis homo, qui bibit quaſi aquam iniquitatem.* De Holopherne Iudith in cantico ſic cecinit: *Non filij Titan percuſſerunt eum, nec excelſi gigantes impoſuerunt ſe illi: ſed Iudith in ſpecie faciei ſuæ diſſoluit eum: pulcritudo eius captiuam fecit animam eius, &c.* Non ſunt opus immanes gigantes, vt in animum hominis parum de ſalute ſua ſolliciti peccatum inducant, captiuumque dæmoni tradant. Satis eſt fallax pulcritudo, inanis aſpectus, ſubito exardeſcens ira, vel inuidia, vel ſimile quidpiam. Vt ignis ſtuppam, ſic peccatum facile animum inflammat.

Iob 15.

Iudith 16.

Peccato omni conatu repugnandum eſt.

Conſidera quæſo te, ô Chriſtiane, quanto cum labore peccatum Chriſtus abſtulerit; vt tu quoque cum labore ex animo idipſum auferas; & ne rurſus redeat, omni conatu obſiſtas. Sanguine Chriſtus peccatum ex mundo expulit, tu quoque ſi opus eſt, ipſo ſanguine ex te expelle. *Recogitate*, ait Paul. *eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſum ſemetipſum contradictionem: vt ne fatigemini, animis veſtris deficientes. Nondum enim vſque ad ſanguinem reſtitiſtis, aduerſus peccatum repugnantes, &c.* Videlicet vſque ad ſanguinem, & mortem peccato repugnandum eſt. Ne verò deficiamus, ante oculos Chriſtus eſt proponendus, qui ſanguine & morte peccatũ ſuſtulit. Quòd ſi in peccatum labi cõtigerit, ne abiice ſpem; illud conſidera, agnum eſſe, qui tollit peccatum mundi, non leonem. Nec vnguibus te lacerabit, nec dentibus diſcerpet, agnus eſt; agnum ne fuge, ad agnum propera clementiſſimum. Si affuerit pœnitentia, peccatum tollet agni clementia. Ad munus ſuum præſtandum omni tempore paratiſſimus eſt; ſiue mane, ſiue ſummo diluculo, ſiue meridie, ſiue veſperi, ſiue nocte intempeſta accedas, patent fores; miti te fronte excipiet. Etenim vt agnus peccata tollit, non vt leo; & ſemper nocte dieque tollit.

Hebr. 12.

E peccato mox ſurgendum.

Agnus peccata tollit ſemper, omni tẽpore. Hebr. 9.

Semper noſter agnus peccata tollit: vt enim Paullus ait: *Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata.* Sæpiſſimè oblata legis antiquæ ſacrificia ne vni quidem peccato tollendo fuere ſatis; Chriſti verò vnica in Cruce oblatio, ad exhaurienda peccata omnia vim habet præſentiſſimam. Paullus, *Omnis*, ait, *ſacerdos* (videlicet legis veteris) *præſto eſt quotidie miniſtrans, & eaſdem ſæpe offerens hoſtias: quæ numquam poſſunt auferre peccata.* Item: *Chriſtus vna oblatione conſummauit in æternum ſanctificatos.*

Hebr. 10.

Et: *Chriſtus per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta, &c.* Põtifices antiqui ſingulis annis in ſancta Sanctorum cum ſanguine victimarum introibant; nec tamen redemptionem peccati alicuius per illum ſanguinem inueniebant. Chriſtus verò Pontifex ſummus non per alienum victimarum, ſed per proprium ſanguinem, ſemel in ſancta Sanctorum, id eſt, cælum, introiuit; & peccatorum omnium redemptionem æternam inuenit. Ipſe Pontifex eſt, vt docet D. Paullus eadẽ epiſtola: *Chriſtus*, inquit, *aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum.* Eſt idem victima Dei: *Sanctificati*, ait Paullus, *ſumus per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel.*

Hebr. 10.

Ibidem.

Ideoque à Baptiſta dicitur: *Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi*; tollit, inquã, redemptione æterna; tollit ſemper, vt ſupra ex Chryſoſtomo & Theophylacto adnotatum eſt. Quibus Origenem addimus, in commentariis verborum illorum Ioannis primo, *In principio erat Verbum*, ſic ille ſcribit: Non dixit Baptiſta, qui tollit aliquando, neque item, qui abſtulit quidem ante, nunc autem non tollit: ſed *tollit*, inquit, quòd aſſiduè hoc agit, id eſt, tollit ab vnoquoque in mundo exiſtente peccatum; neque ceſſat tollere, quoad è toto mundo ſublatum fuerit peccatum, &c.

Ioan. 1.

Origenes.

Agnus mũdi totius peccata tollit. 1. Ioan. 2.

Tollit item agnus peccata mundi. Pro toto enim mundo proque omnibus hominibus oblatus eſt. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris*, ait Ioannes, *non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* Nullum mundi peccatum oblatum eſt, quod per agni ſanguinem non ſit ablatum. Adami, Euæ, Patriarcharumque omnium, eorumque, qui vel in lege naturali, vel ſcripta, vel in lege gratiæ vixerunt peccata, quæcumque ablata ſunt, per ſanguinem Chriſti ablata ſunt: quæcumque in extremũ vſque diem auferentur, per ſanguinem eius auferentur. Ipſe eſt aureum propitiatorium, in quod omnes populi reſpicere debent, ſi criminum remiſſionem volent conſequi.

Redemptio Agni clemẽtiſſima, vniuerſalis & æterna.

Eſt redemptio Agni noſtri clementiſſima, eſt vniuerſalis, eſt æterna. Eſt clementiſſima, quia agni; eſt vniuerſalis, quia mũdi; eſt æterna, quia totius temporis. Omnes populos, omnes vrbes, omnia opida, omnes homines complectitur. Sed dices; agnus multorum peccata non tollit; non ergo totius mundi peccata tollit. Reſpondemus, illum quidem omnium peccata ſufficienti ſacrificio ac medicamento abſtuliſſe; ſi multorum peccata non tollit, cauſſa eſt, quia ſibi potentiſſimum medicamentum non adhibent. Chryſoſtomus homil. 17. in epiſtol. ad Hebræos: Pro omnibus, inquit, Chriſtus mortuus eſt, hoc eſt, quantum in ipſo eſt. Sufficiebat mors illius ad medendum omnium mortalium perditioni. Non autem omnium peccata abſtulit, propterea quòd noluerunt, &c.

Chryſoſt.

Deus & leo peccata ſuſtulit, & & agnus mũdo.

Olim Noë tempore peccata mũdi abſtulit Deus, vt leo: immiſſo enim in terras omnes diluuio, cunctos homines aquis obruit, illis exceptis, quos diuinitus ſeruauit arca. At poſtea peccata mundi abſtulit vt agnus. Non longè alio diluuio ſanguinis ſui in orbem vniuerſum inducto, hominum peccata expiauit. Aquarum diluuium homines, non peccata occidit: ſanguinis diluuium peccatis interitum, hominibus vitam attulit. Aderit iam tempus cùm noſter agnus clementiſſimus iram aſſumet. Quis vmquam, dices, agnum iratum vidit? Videbis tu aliquando, totusque videbit orbis. Agnus enim qui peccata abſtulit mitis, ea quæ impiorum culpa ablata non fuerint, iratus puniet. Niſi iram haberet agnus in impios expromendam, non dicerent impij homines montibus & petris: *Cadite ſuper nos: & abſcon-*

Apoc. 6.

absconditè nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni. Execranda sunt peccata, quæ mitissimi Agni iram mouent. Nunc mitis est; in iudicio iratus apparebit. Sicut benignitas apparuit vltra omnem

Bernar. ipem, ait Bernardus sermone 1. de Epiphania, similem exspectare possumus iudicij districtionem. Noli ergo contemnere Dei misericordiam, si non vis sentire iustitiam. Vt enim scires quanta districtio succedit; tanta illa mansuetudo præuenit, &c.

Disce etiam ex Agno peccata mundi tollente, qua ratione huius dignitatis tollendorum criminum particeps esse debeas. *Ecce*, ait Dominus, *ego*

Luce 10. *mitto vos sicut agnos inter lupos*; vt innocentes agnos, misit Agnus innocens Apostolos, ad tollenda peccatà mundi. Fuge serpentis venenum, agni indue

Sacerdotum innocentia. Gregor. vellus, id est, innocentiam, vt sacramenta, quibus peccata tolluntur, probè possis administrare. Vt enim ait D. Gregorius 2. part. Pastor. curæ, capite 2. Necesse est, vt munda esse studeat manus, quæ di-

Isaiæ 52. luere aliorum sordes curat, &c. *Mundamini qui fertis vasa Domini.* Vasa aurea pretiosissima, sacramenta sunt; pretiosissimum in eis balsamum, sanguis scilicet Christi & gratia continetur. Qui tam pretiosa ac munda vasa ferunt, eos mundos oportet esse. Memento etiam peccata mansuetudine agni

Rupertus. tollenda, si prosit. Vnde Rupertus Ioannis primo: Caritas, inquit, sæuit & zelatur; sed primò blanditur: Ita vt in neminem sæuiat, nisi in eum, quem non flectunt blandimenta. Numquam in virga venit, nisi ad eos, à quibus sua mansuetudo fuerit contempta, &c.

Signum quod dedit Deus Ioanni ad cognoscendum Agnũ fuit columba: *Super quem videris*, inquit,

Ioan. 1. *Spiritum descendentem & manentem super eum, hic est,*

Ibidem. *qui baptizat in Spiritu sancto.* Et Ioannes: *Vidi*, inquit,

In mitẽ atque innocẽtẽ descendit Spiritus S. *Spiritum descendentem quasi columbam de cælo, & mansit super eum.* Si Spiritum diuinum in te vis descendere, & in te manere; agnus esto innocens & mitis. In Agnum innocentem descendit columba; serpentem veneno turgentem fugit. Quemadmodum columba fugit fœtorem; ita Spiritus sanctus fugit peccatorem. In Agnum verò mitem, mitis descendit columba: vt primi aduentus Christi mansuetudinem indicaret. Sic Rupertus existimat, in Ioan.

Rupertus. cap. 1. Venientem, inquit, Christum ad nos in Spiritu mansuetudinis, recte Spiritus super ipsum apparens, velut auis mansueta designauit. Apparuisse præterea ait columbam super Christum, vt significaret, in Christum totam venisse Spiritus plenitudinem.

Cũ in Apostolos specie linguarũ, in Christũ columba Spiritus descẽdit. Rupertus. In Apostolos dispertitæ descenderunt linguæ: in Christum non descendit dispertita res aliqua, sed columba vnica atque integra: quoniam in Apostolos non tota atque exundans Spiritus sancti descendit plenitudo illa, quæ descendit in Christum. Rupertus: Super Apostolos, inquit, dispertitæ linguæ visæ sunt: quia videlicet, nulli cuncta dabantur, sed pro voluntate Spiritus, sua cuique mensura gratiæ diuidebatur. Super Dominum autem, non pars aut partis signum, sed quiddam totum est atque integrum, scilicet columba: quia Christus solus est, cui non ad mensuram dat Deus Spiritum, &c.

Vidi, ait Baptista, *Spiritum descendentem super eum & manentem.* Descendit super Agnum Spiritus ipso conceptionis puncto: perpetuò in eo mansit, ab eo numquam discessit. *Requiescet super eum Spiritus Domini.* Semper in agno, hoc est, innocente homine, Spiritus sanctus manet ac requiescit; à nocente recedit. Agnis suis, id est, Apostolis, ait Dominus,

Ioan. 14. *Alium paracletum dabit vobis Pater, vt maneat vobiscum in æternum.* Item: *Apud vos manebit, & in vobis erit.* Et Act. 2. *Sedit super singulos eorũ, &c.* Si autem vis

Actor. 2. apud te Spiritus ignem manere, bonorum operum oleum instilla: quod discès ex Chrysostomi homi-

Bonis operibus, velut oleo, Spiritus S. flamma fouenda est. Chrysost. lia de verbis Apostoli: *Habentes eumdem Spiritum fidei, &c.* Quomodo, inquit, poterimus allicere auxilium Spiritus, eique persuadere, vt apud nos manere velit? Per bona opera, & optimam viuendi rationem. Sicut enim lucernæ lumen oleo retinetur; & consumpto oleo, ipsum quoque lumen consumptum euanescit: ita etiam Spiritus gratia, quantisper habemus opera bona, & crebris eleemosynis animam rigamus, manet: non aliter quam flamma oleo retenta. Quæ si non adsint, recedit à nobis & abit, &c.

Docet D. Gregorius in fine libri 2. Moralium, *Gregor.* aliter in Christo, aliter in viris sanctis Spiritum sanctum manere. Nam in viris sanctis manet semper, quamdiu sancti sunt, secundum dona, quæ ad æternam salutem comparandam necessaria sunt: secundum alia signorum dona, non manet, semper

In Christo semper mãsit Spiritus sanctus secundũ dona omnia. manst. Quomodo, ait Gregorius, singulare signum est, quod Spiritus sanctus in Christo permanet? In donis, sine quibus ad vitam peruenìri non potest, Spiritus sanctus siue in prædicatoribus suis, siue in electis omnibus semper manet. In illis autem, quibus per ostensionem illius, non nostra vita seruatur, sed aliorum quæritur; nequaquam semper in prædicatoribus permanet. Quia semper quidem eorum cordibus ad bene viuendum præsidet; nec tamen per eos virtutum signa semper ostendit, sed aliquando se eis à signorum ostensionibus subtrahit. Christus autem in cunctis Spiritum, & semper, & continuè habet præsentem. Quia & ex illo idem Spiritus per substantiam profertur. Rectè ergo, cùm in sanctis prædicatoribus maneat, in Christo singulariter manere perhibetur. Quia in istis per gratiam manet ad aliquid; in illo autem per substantiam manet ad cuncta. Sic ille.

Denique intelligant ex hoc loco Iudæi, primus Messiæ aduentus qualis esse debuerit. Vt agnus venit mundi peccata ablaturus, non vt leo mundum bello sub iugũ missurus. Illi autem qui testimonia vel suffragia ferunt, illa Baptistæ verba animaduertant, iam suprà explicata: *Ego nesciebam eum.* Qui

Qui suffragium ferũt, ne muneribus obcæcati ferant. suffragium fert vel testimonium, & sciat eum, pro quo suffragium fert, & nesciat. Eam ne habeat supellectilem, quam postulat suffragium, sciat; eius verò munera & dona nesciat. Nam vt scriptum extat: *Munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum.*

Deut. 16.

CAPVT XVIII.

De vocatione Andreæ, Petri, Philippi, & Nathanaelis.

IOANN. CAP. I.

ALTERA die iterum ſtabat Ioannes, & ex diſcipulis eius duo. Et reſpiciens Ieſum ambulantem, dicit: Ecce Agnus Dei. Et audierunt eum duo diſcipuli loquentem, & ſecuti ſunt Ieſum. Conuerſus autem Ieſus, & videns eos ſequentes ſe, dicit eis: Quid quæritis? Qui dixerunt ei: Rabbi, (quod dicitur interpretatum magiſter) vbi habitas? dicit eis: Venite, & videte. Venerunt, & viderunt vbi maneret, & apud eum manſerunt die illo: hora autem erat quaſi decima. Erat autem Andreas frater Simonis Petri vnus ex duobus, qui audierant à Ioanne, & ſecuti fuerant eum. Inuenit hic primum fratrem ſuum Simonem, & dicit ei: Inuenimus Meſſiam. (quod eſt interpretatum Chriſtus.) & adduxit eum ad Ieſum. Intuitus autem eum Ieſus, dixit: Tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Cephas. quod interpretatur Petrus. In craſtinum voluit exire in Galilæam: & inuenit Philippum, & dicit ei Ieſus: Sequere me. Erat autem Philippus à Bethſaida ciuitate Andreæ & Petri. Inuenit Philippus Nathanael, & dicit ei: Quem ſcripſit Moyſes in lege, & Prophetæ inuenimus Ieſum filium Ioſeph à Nazareth. Et dixit ei Nathanael: A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe? Dicit ei Philippus: Veni, & vide. Vidit Ieſus Nathanael venientẽ ad ſe, & dicit de eo: Ecce verè Iſraëlita, in quo dolus non eſt. Dicit ei Nathanael: Vnde me noſti? Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Priuſquam te Philippus vocaret cùm eſſes ſub ficu, vidi te. Reſpondit ei Nathanael, & ait: Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Iſrael. Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Quia dixi tibi: Vidi te ſub ficu, credis; maius his videbis. Et dicit ei: Amen, amen dico vobis, videbitis cælum apertum, & Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſupra Filium hominis.

Andreas & alter diſcipulus Chriſtum ſequuntur.

POST teſtimonium, quod præceſſit die altera, id eſt, die ſequenti, duobus tantùm diſcipulis comitatus Baptiſta, ſtabat alicubi. Cùm verò ambulantem Chriſtum ſumma cum animi voluptate conſpexiſſet, diſcipulis illum indicauit, eadem illa verba repetens: *Ecce Agnus Dei.* Indicatum illi Agnum ſecuti ſunt. Conuertit ſe ad ſequentes Agnus, & quidnam quærerent rogauit; domumque ſumma cum benignitate adduxit. Ex iis diſcipulis vnus Andreas erat. Diſcipulus fuit primùm Baptiſtæ, deinde Chriſti.

Theophyl. Chryſoſt.

Quiſnam alter fuerit, incertum eſt. Quidam, vt Theophylactus ait, Ioannem Euangeliſtam fuiſſe dixere. Et Chryſoſtomus: Sunt, inquit, qui dicunt, quoniam ipſe ſit Euangeliſta, qui ſecutus Dominum

Epiphan.

B eſt. D. Epiphanius hæreſi 51. aut Ioannem, aut Iacobum eius fratrem fuiſſe ſcribit. Illius nomen Ioannes tacuit, Andream propterea nominauit, quòd fratrem Petrum ad Chriſtum adduxiſſe eſſet narraturus. Vel potius Andream nominauit, quòd Apoſtolus fuerit; alterius nomen prætermiſit, quòd non fuerit Apoſtolus.

Ioan. 1. Horæ Iudæo rũ quales.

Ioan. 11.

HORA *erat quaſi decima.* Iudæi diem ab ortu auſpicabantur, & horas duodecim, modò breuiores, modò longiores, ſemper diuidebant. Iuxta illud: *Nónne duodecim ſunt horæ diei?* hiemali tempore breuiores erant horę, quemadmodum & dies; æſtiuo longius producebantur, quoniam dies ſunt longiores. Decima ergo hora, noſtræ decimæ minimè reſpondet: erat enim occaſui propinqua. Cùm enim dies in horas duodecim eſſet diſpertitus, duæ tantùm horæ diei ante noctem ſupererant, noxque imminebat. Præcipiti igitur iam die & hora, qua Sol ad occaſum declinabat, duos Ioannis diſcipulos Sol lucis occaſum ignorans, domum inuitauit. Quænam fuerit domus ignoramus; amici fortè aut conſanguinei alicuius fuit.

Ioan. 1.

APVD *eum manſerunt die illo.* Ex verbis D. Auguſtini in commentariis huius loci colligitur, manſiſſe cum Chriſto diſcipulos duabus illis horis, quæ ex die ſupererant, & nocte quoque: Quam beatum, inquit, diem duxerunt, quam beatam noctem. Quis eſt, qui nobis dicat, quæ audierint illi à Domino? &c. Chryſoſtomus hom. 17. in Ioannem: Chriſtus, ait, allexit hos diſcipulos, vt erudiret. Quod

Chryſoſt.

B tam largiter, & prompte vna nocte acceperunt, vt mox alios allicerent, &c. Intellige manſiſſe diſcipulos cum Domino, non per totam noctem, ſed ad tempus vſque capiendi ſomnum. Euangeliſta noctis nullam, diei tantùm mentionem facit: *Manſerunt*, inquit, *apud eum die illo*: fortè vſque ad noctem tantummodo.

Ioan. 1.

INVENIT *hic primum fratrem ſuum Simonem.* Diſceſſit à Chriſti hoſpitio Andreas, fratremque ſuum Simonem reperit, magnoque exultans gaudio, inuenti theſauri certiorem fecit. *Inuenimus*, inquit, *Meſſiam*; quæ inuentio omnium theſaurorum ſuperat inuentionem. Docet deinde Euangeliſta quid ſignificet nomen Hebræum Meſſias: ſignificat enim Græcè Chriſtum, Latinè vnctum.

De

De hoc sanctissimo nomine primo tomo satis dixi-
mus. *Inuenit Andreas primum fratrem suum Simonem,*
Quid sibi vult primũ hoc loco. ait Euangelista. Quid significet particula, *primùm*, dubium est. Græce nunc legitur, πρῶτον, id est, primus. Carthusianus interpretatur, inuenit primum Simonem, hoc est, priorem, & prouectiorem ætate. Caietanus primum dictum ait respectu aliarum inuentionum Petri in mari Galilææ. Rectius sic exponemus: Inuenit Andreas fratrem primùm, id est, priusquam alter socius illum inueniret. Forsitan tam Andreas, quàm socius Simonem quæsierunt: Andreas verò prius inuenit; vel, etsi non quæsitum inuenit prius Andreas. Alij etiam esse possunt sensus; inuenit Andreas Simonem primum ex hominibus: primus enim omnium ille, Deo sic volente, Andreæ occurrit. Item (si aduerbium sit *primùm*) inuenit primùm, deinde adduxit ad Christum. Item inuenit primum Simonem, hoc est, qui postea fuit inter Apostolos primus, & eorum Princeps. Sic
Matth. 10. Matthæus: *Duodecim*, inquit, *Apostolorum nomina sunt hæc. Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas, &c.*

Ioan. 1. Et *duxit eum ad Iesum.* Non solùm thesaurum inuentum Andreas dixit, sed ad ostendendum, communicandumque thesaurum inuentum, fratrem duxit. Hoc enim boni fratris est, inuentum bonum fratri impertiri. Christus autem adductum ad se Petrum amore plenissimis oculis est intuitus,
Ibidem. nouoque nomine vocandum prædixit: *Tu*, inquit, *es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas.* Dicebatur ille
Vocatio Petri. tantummodo Simon; prædixit Dominus nominandum quoque Cepham Hebraico nomine, quod significat Petrum. Iam tunc intuitus Simonem, quantùm in illo Ecclesiæ ædificium esset exædificaturus conspiciebat; ideoque Petrum, siue petram nominauit. Vnde illud: *Tu es Petrus, & super hanc*
Matth. 16. *petram ædificabo Ecclesiam meam.* Petri pater Ioannes
Ioan. 21. dicebatur, vt constat ex Ioanne Euangelista: *Simon Ioannis*, ait eo loco Dominus, *diligis me? &c.* Sed hoc loco per abbreuiationem Ionas appellatur; idem tamen est nomen.

Imposuerit-ne Christus hoc loco nomen Petri Simoni? Dubium est: Num hoc loco imposuerit Christus Simoni nomen Petri, an alio? D. Augustinus de Consensu Euangelistarum lib. 2. cap. 17. & lib. 4. capite 3. arbitratur hoc loco imposuisse. Augustinum sequitur Abulensis Matth. 16. quæst. 66. Beda Marci 3. Ianssenius & Toletus. Est verisimilis opinio. Quòd si opponas; Christus de futuro loquitur, *Vocaberis Petrus*; ergo non imposuit tunc, sed imponendum postea prædixit. Respondetur, verborum hunc esse sensum; *vocaberis Cephas* deinceps. Futuro quoque vtitur Dominus, cum nomen Abrahamo mutat:
Gen. 17. *Non vltra*, ait, *vocabitur nomen tuum Abram; sed ap-*
Gen. 32. *pellaberis Abraham.* Et ad Iacob. *Nequaquam*, inquit, *Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israël.*

Verisimilius tamen censent Euthym. Marci 3. & Cardinalis Caietanus Ioannis 1. nomen Petri tunc inditum Simoni, cùm in monte Dominus Apostolos elegit. Confirmatur ex Marc. *Ascendens*, inquit,
Marci 3. *in montem vocauit ad se quos voluit ipse: & venerunt ad eum. Et fecit vt essent duodecim cum illo: & vt mitteret eos prædicare; & imposuit Simoni nomen Petrus; & Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem Iacobi, & imposuit eis*
Lucæ 6. *nomina Boanerges*; quod similiter Lucas: *Elegit*, inquit, *duodecim ex ipsis (quos & Apostolos nominauit) Simonem, quem cognominauit Petrum, &c.* Cognominauit, inquam, Petrum tunc, cùm eum elegit. Qui volet priorem tueri sententiam dicet cum Augustino, Marcum & Lucam vsos esse eo loco recapitulatione: id enim quod iam antea factum erat, tunc narrauerunt, quasi dicat: *Et imposuit Simoni nomen Pe-*
Marci 3. *trus*; hoc est, imposuerat; cognominauit, id est, cognominauerat. Sed quemadmodum nomina tunc
A imposuit Iacobo & Ioanni, tonitruique filios appellauit; ita etiam tunc nomen imposuit Petro, & prius Petro, quia prior ille erat ceteris.

Fortè bis Dominus tantum nomen Petro indidit; hoc nimirum loco, & cùm Apostolos elegit. Tanti enim nominis dignitas vt bis imponeretur postulabat. Cùm verò dixit: *Tu es Petrus, & super* *Matth. 16.*
hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; non fuit nominis impositio. Iam enim hoc nomine appellabatur. Sed solidi potius fundamenti Ecclesiæ significatio, vt suo loco dicemus.

Vide quæso quantam habuerit Christus ratio- *Petri nominis ratio & vis.*
nem nominis Petri. Videlicet rem summi momenti significabat, nimirum Petri, & Romanorum Pon-
B tificum illius successorum, summum principatum. Significat enim Petrus, petram fortissimamque rupem, quæ totius Ecclesiæ pondus administrationemque sustinet. Diuus Cyrillus Ioannis 1. Non *Cyrillus.*
Simon fore iam nomen, Petrus prædicit Christus; vocabulo ipso commodè significans, quòd in eo tamquam in petra lapideque firmissimo suam esset ædificaturus Ecclesiam, &c. Sed de nomine Petri alio loco dicemus.

Dubium aliud hic exoritur de Euangelistarum *Concordia Euangelistarum.*
concordia. Nam hoc capite Ioannes scribit, Petrum & Andream vocatos in Iudæa; at Matthæus 4. & Lucas 5. scribunt vocatos cùm piscationi vacarent in Galilæa. Respondetur, vtrobique vocatos. In Iudæa quidem ad Christi cognitionem ac
C familiaritatem; in Galilæa verò ad Apostolatum. Intelligendum est, ait Augustinus lib. 2. de Cõsen- *August.*
su Euangelistarum, cap. 17. non sic hos discipulos vidisse Dominum iuxta Iordanem, vt ei iam inseparabiliter cohærerent; sed tantùm cognouisse quis esset, eumque miratos, ad propria remeasse, &c. De altera vocatione suo loco dicendum: Nunc illud inuestigandum restat, vter maior ætate fuerit, Petrúsne an Andreas?

Chrysostomus apud Simeonem Metaphrastem, *Vter maior ætate, Petrus an Andreas?*
in laudatione D. Andreæ, Petrum ætate maiorem fuisse putat. Beda etiam hoc loco: Non dedignatur, inquit, maior videlicet Petrus, sequi minorem Andream. Item: Minorem fratrem secutus est Petrus,
D &c. D. Epiphanius hæresi 51. Andream existimat *Epiphan.*
ætate fuisse prouectiorem Petro: Occursus, inquit, Andreæ primus contigit, cùm minor esset Petrus tempore ætatis, &c. Sequitur hanc sententiam Ec- *Nouũ Breuiariũ hæc verba natu maior non habet.*
clesia, in lectionibus quas de D. Andrea recitat: Andreas, inquit, frater Petri natu maior, &c.

In *crastinum voluit exire in Galilæam.* Venerat Chri- *Ioan. 1.*
stus ex Galilæa ad Iordanem, vt à Ioanne baptismum acciperet; Ianuarij die sexta baptizatus, in horridam eremum discessit, in qua quadraginta dierum spatio ieiunium prorogauit. Postea ad Ioannem reuersus est Dei Agnus, & à Ioanne Andreæ indicatus; is Petrum adduxit. Hæc verò in Iudæa
E facta sunt. Postquam igitur cum Petro locutus est Dominus; vel postquam Andream & socium adduxit domum; in crastinum, hoc est, sequenti die, ex Iudæa in Galilæam prouinciam alteram, vnde venerat, reuerti voluit; repertumque Philippum *Philippus vocatus.*
vocauit. Is ex ciuitate Bethsaida erat oriundus, quæ patria etiam fuit Andreæ & Petri. Itaque ex eadem ciuitate tres Apostolos nunc vocauit. Erat autem Bethsaida ciuitas non Iudææ, sed Galilææ in littore maris Tiberiadis sita, piscatoribus commoda, ob propinquitatem maris. Memento, Iudæorum regionem tres prouincias complecti, Iudæam, Samariam, & Galilæam. Galilæa versus Septentrionem est, Iudæa ad Austrum vergit, inter vtramque Samaria media.

Ioan.1. Vocatio Nathanaelis.

INVENIT *Philippus Nathanael.* Philippus vocatus, Nathanaelem in Galilæa vocauit ad Christum. *Inuenit*, ait Euangelista, *Philippus Nathanael*; forsitan illi occurrit. D. tamen Cyrillus non casu inuentum vult, sed studiosè quæsitum: Nathanaelem, inquit, non casu reperit Philippus, sed multo quæsitum studio inuenit. Studiosissimum enim Scripturarum virum diligentissimumque cognouerat. Atque ideo illum tamquam legis & omnis prophetiæ peritum alloquitur, dicens, inuenisse se iam Christum, qui ab omni Scriptura venturus prædicabatur, &c. Cùm Scripturæ peritus esset Nathanael, Christi verò patriam Nazareth esse audisset, respõdit: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Quæ verba Augustinus tract. 17. in Ioannem affirmanter dicta esse putat, in hanc sententiam: Ais Nazareth patriam Messiæ esse: Recte quidem, nam à Nazareth potest aliquid boni exire, atque adeò & Messias. Sed per interrogationem sunt proferenda, & cum nota interrogationis scribenda. Ita enim scripta extant in correcta editione. Ita Chrysostomus, Cyrillus, & alij legunt, Nathanael Messiam in Bethlehem Iudæ nasciturum ex Scriptura nouerat; ideo per interrogationem sic affatur: Numquid à Nazareth vili opido Galilææ boni aliquid prodire potest, ne dicam tantum bonum, quantum Messias est? Ignorabat ille, quemadmodum & reliqui Iudæi, Christum in Bethlehem ortum; in Galilæa natum arbitrabantur. Vnde etiam illud: *Quidam dicebant: Numquid à Galilæa venit Christus?* id est, Messias. *Nónne Scriptura dicit, quia ex semine Dauid, & de Bethlehem castello, vbi erat Dauid, venit Christus?* Philippus nodum nõ soluit, sed ad sapientissimum Doctorem inuitauit, qui illum solueret: *Veni*, inquit, *& vide*; Veni, & videbis ita esse quemadmodum affirmo. *Veni, & vide*; si videas Messiam, esse agnosces. *Veni, & vide.* Qui enim illum videt, eius conspectu inescatur. Venit Nathanael, vidit, victus est.

Nathanael Scripturarũ peritus.

Augustin.

Chrysost.

Ioan. 7.

Ioan. 1.

ECCE *verè Israëlita.* Non tetrico grauique vultu, sed læta hilarique fronte, nec sine laude Nathanaelem Christus excepit. Ecce, inquit, verum Israëlitam Iudæum minimè simulatum, minimè hypocritam & dolosum, sed sincerum, columbinisque præditum moribus. Tunc enim Iudaicæ legis obseruatorem esse laudabile erat, iam nunc execrabile. Hisce verbis ostendit Dominus cordis se esse & hominum cognitorem. Quæ cùm auribus percepisset Nathanael, admiratus rogauit: *Vnde me nosti?* At Dominus occulta patefacere perrexit, vt piscem veluti esca caperet: *Prius*, inquit, *quam te Philippus vocaret, cùm esses sub ficu, vidi te.* Fuerat Nathanael sub ficu, quæ longè ab oculis Christi distabat; occultissimus locus ille erat, in quo agebat aliquid occultè, arbitris remotis. Orabat forsitan, vel sacræ vacabat lectioni. Solius autem loci Christus mentionem fecit, non facti. Qui enim locum & hominem perspicuè videt, quid agat etiam videt. Rogauit Nathanael: *Vnde me nosti?* Christus non verbis, sed facto probat, illum notum sibi esse. Deo enim quidnam ignotum esse potest?

Ibidem.

Christus cũ Nathanaele loquitur.

Ioan. 1.

TV *es Filius Dei, tu es Rex Israël.* Occultissimus fuit locus ille, quem Christus Nathanaeli commemorauit. Etenim ex Christi verbis, in admirabilem protinus confessionem erupit: *Tu*, inquit, *es Filius Dei, & Rex ac Messias Israëlis.* Philippus dixerat esse filium Ioseph à Nazareth, at ille Filium Dei esse asserit, & Regem Israël.

An Nathanael nũc nouerit Christũ Dei esse Filium naturalem?

Dubitatur: Num agnouerit Christum Dei Filium esse naturalem? Respondet Augustinus serm. 40. de Verbis Domini, Nathanaelem Christi diuinitatem agnouisse; Cyrilli quoque est hæc sententia, Abulensis Matth. 16. q. 59. & aliorum. Tertullianus præterea in libro aduersus Praxeam ait, Nathanaelem ita Christum Filium Dei esse confessum, vt Petrus confessus est. Chrysostomus existimat non nouisse Christi diuinitatẽ; Theophylactus item, Euthymius, atque alij, quos omitto. Appellauit autem Filium Dei non natura, sed adoptione quadam singulari. Etsi iisdem verbis, ait Chrysost. Petrus & Nathanael vsi sunt; non tamen idem ambo senserunt. Sed Petrus Filium Dei tamquã verum Deum; Nathanael tamquam hominẽ tantum cõfessus est, &c. Hac de re iterum agemus, cùm Petri verba explicabimus.

Chrysost.

VIDEBITIS *cælum apertum.* Dominum Messiam esse, Deique Filium fassus est Nathanael; quod ab eo audisset: *Vidi te sub ficu*; videlicet remoto atque occultissimo. Dominus maius aliquid pollicetur, illum aliosque discipulos conspecturos, quod ipsius præcellentiam diuinitatemque declaret, Angelorum videlicet famulantiũ obsequium: Videbitis, inquit, apertis veluti cæli portis, in meum famulatum Angelos descẽdentes, rursusque ascendentes. His verbis Deum se esse demonstrat, vt obseruat Cyrillus: Non enim, inquit, alterutris, sed Deo virtutes cælorum seruiunt. Nam etsi Angeli alij aliis ordine quodam subiiciantur; non est tamen huiusmodi subiectio seruitus, &c. Theophylactus: Cui Angeli ministrant, vtique non fuerit purus homo; sed verus Deus. Et Euthymius; cui in modum seruorum ministrant Angeli, hic non simpliciter homo est, sed & Deus ac Dominus, &c.

Ioan. 1.

Christus Filium Dei sẽ esse demonstrat.

Theophyl.

Euthym.

Quod si quæras, quando viderint discipuli Angelos ad Christi obsequium ascendere in cælum, ac descendere in terras? Respondemus, vidisse aliquando, vt ex hoc loco constat, quod enim hîc promisit, re ipsa præstitit. Nullibi tamen ab Euangelistis scriptum exstat. Aliter D. Cyrillus exponit, de Angelis, Christi mandato, ad salutem credentium ministrantibus. D. Augustinus, mystice de concionatoribus, qui ascendunt, vt ille ait, imitatione; descendunt prædicatione; Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius, de Angelis conspectis passionis tempore, & resurrectionis, & ascensionis; Rupertus de cælo aperto per Christi passionem, & Angelorum cum hominibus concordia interpretantur.

Quando viderint Angelos Apostoli.

Quæres, quisnam fuerit Nathanael? erat is ab opido Galilææ Cana oriundus, vt docet Ioannes, cap. vltimo. D. Thom. Cardinalis Hugo, Lyranus, & Carthusianus Ioannis 1. aiunt fuisse Philippi fratrem. Eadem opinio habetur in vtraque glossa ordinaria, & interlin. Rupertus Ioannis 1. coniicit fuisse Apostolum Bartholomæum, quæ opinio placuit Ianseno, Montano, & aliis. Videtur enim Nathanael proprium nomen esse: Bartholomæus verò nomen à Patre sumptum, id est, filius Tholomæi, vt Bar Iona, filius Ionæ: Significat autem, נתן nathan, verbum Hebræum, dare, אל el, Deum, vnde Nathanael donum Dei sonat, vel dedit Deus. Coniectura est; quoniam Bartholomæus in enumeratione Apostolorum cum Philippo cõiungitur: Ratio esse videtur, quia à Philippo est vocatus. Coniectura tamen non multum habet ponderis.

Quis fuerit Nathanael?

Fuerítne Nathanael Bartholomæus?

Rupertus.

Matth. 10. Luca 6. Marci 3.

Verior est opinio Augustini, & aliorum, non fuisse Bartholomæum; quoniam cùm nomen Bartholomæi in frequentiori esset vsu, eo potius vsus fuisset Ioannes hoc loco, vel vtroque nomine appellasset. Cur enim, quemadmodum capit. vltimo dixit, *Thomas, qui dicitur Didymus*, non dixisset hoc loco: *Nathanael, qui dicitur Bartholomæus?* Bartholomæus autem nomen proprium est, quemadmodum Barabbas. Sic quispiam vrgebit; Nathanael cum Petro, Andrea, & Philippo vocatus est; atqui ceteri ad Apostolatum electi sunt; ergo etiam Nathanael à Domino electus. Respondeat Marcus:

Ioan. 21.

Ascen-

Marci 3. *Ascendens*, inquit, *in montem vocauit ad se quos voluit ipse; & fecit vt essent duodecim cum illo*, scilicet Apostoli. *Quos voluit*, ait, ad Apostolatum elegit; eligere Nathanaelem noluit; cur noluerit dubio sequenti dicemus.

An fuerit Nathanael legis peritus? Dubium est an fuerit peritus legis Nathanael? Affirmant Augustinus, Theophylactus, Euthymius, D. Thomas, & alij. D. Cyrillus legis totiusque prophetiæ peritum vocat. Hanc verò causſam reddidit Augustinus, cur à Christo in album Apostolorum non fuerit relatus. Deberet Nathanael, ait Augustinus hoc loco, esse primus in Apostolis, & nec medius inuenitur, nec vltimus inter duodecim. Quæritur causſa. Intelligere debemus Nathanaelem peritum in lege fuisse; propterea noluit illum Dominus inter discipulos ponere; quia idiotas elegit, vnde confunderet mundum. Non quæsiuit per oratorem piscatorem; sed de piscatore lucratus est Imperatorem, &c. Hæc ratio plena non est. Etenim Paullum legis peritum Dominus Apostolum creauit; simili ergo modo Nathanaelem creare potuisset, etiamsi doctus esset. Augustinus igitur de Apostolis intelligendus est, quos Christus in terris agens elegit. Postquam in cælum ascendit, Paullum doctum elegit; ne doctos repudiare videretur. Nathanaelem in terris agens eligere noluit, quia in terris agens, nullum ex Apostolis doctrina excultum esse voluit.

Cur Nathanael non sit creatus Apostolus?

CAPVT XIX.

Morale.

De vocatione Andreæ, Petri, &c.

Eadē sæpiùs repetenda quādoque. PRIMO. Eadem verba Baptista repetit, cùm Christum duobus discipulis indicat; *Ecce*, inquit, *Agnus Dei*; ne vereantur concionatores, vt D. Cyrillus obseruat, eadem repetere; etsi opus est iam dicta auditoribus inculcare. Fastidij tamen habenda est ratio, quod repetitio afferre solet. Baptista, ait D. Cyrillus hoc loco, eadem sæpius de Saluatore prædicans, optimi doctoris officio fungitur. Opus enim certè docentis est, quod adhuc non rectè intellexerunt auditores diligenter repetere, &c. Probat idem testimonio Paulli: *Eadem*, inquit, *vobis scribere, mihi quidem non pigrum; vobis autem necessarium.*

Sæpe monēdi sunt homines.

Phil. 3.

Chrysost. Eodem testimonio vtitur D. Chrysostomus homil. 17. in Ioannem; quo loco similiter docet, sæpius populum esse monendum: Pigra quodammodo, ait, est humana vita, & ad perditionem procliuis, propter voluntatis desidiam; quamobrem sæpius admonendum est, &c. Deinde dissimilem agro animum esse ostendit. Nam agro satis vna est satio ad proferendos fructus; animo plures sunt necessariæ. Terra, inquit Chrysostomus, semel accepto semine mox profert fructus, neque indiget altera satione. In anima nostra non ita vsu venit; sed frequenter, & summa cum diligentia in ea serendum est, vt semel saltem fructum accipiat. Non enim facilè imprimuntur animo verba Dei; quoniam multa sequitur difficultas, multis obstruitur spinis anima; multi adsunt insidiatores semina diripientes, &c. Frequenter igitur concionator ferat, hoc ab illo Deus postulat.

Cōcionatori nihil meriti deperit, si quod debet facit; quamuis audito-res nō conuertantur. Quod si auditorum culpa fructum satio non produxerit, nihil præmij deperibit. Audi Bernardum initio libri 4. de Consid. ad Eugenium summum Pontificem: Fac tu quod tuum est; nam Deus quod suum est curabit. Planta, riga, fer curam; & tuas explicuisti partes. Sanè incrementum, vbi voluerit, A dabit Deus, non tu: vbi fortè noluerit, tibi deperit nihil, &c. A medico id exigitur, vt medicinā ægroto diligenter faciat. At *non est in medico*, vt Poëta dixit, *semper releuetur vt æger*. Sic à concionatore id expetitur, vt sceleribus medicamenta adhibeat; sed non est in concionatore, semper vt impius mores corrigat. Vnde illud eiusdem Bernardi ad eumdem: En, inquit, plaga. Tibi incumbit cura hæc: noli diffidere. Curam exigeris, non curationem, &c. *Bernard.*

Secundò. Deus quærentes se non tetrico toruoque, sed hilari excipit vultu. Duos Ioannis discipulos benignissimè excepit. *Conuersus*, inquit Euangelista, *& videns eos sequentes se, dicit eis: Quid quæritis?* Quæsierunt illi: *Rabbi vbi habitas?* respondit suauissimè: *Venite & videte.* Vult Dominus nos omnes ad eum venire, & vbi habitat videre. Vult nos mente sæpe in cælum conscendere, diuinaque illa in quibus habitat tabernacula cordis oculis contemplari, & concupiscere. Iuxta illud Psalmographi: *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Dicimus, ait Rupertus in Ioannem, Christo: *Vbi habitas?* dum supernam cogitamus patriam. Tunc autem Christus dicit: *Venite & videte*; quando mentem in contemplatione subleuat, & cælestibus gaudiis ad horam admittit, &c. Oritur autem ex hac cælestis domus amplissimę contemplatione, mundi huius exigui despectus & contemptus. *O Israël*, exclamat Baruch, *quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis, &c.* Contemplare magnam Dei domum, totamque terram punctum esse duces. Nam, vt Rupertus eodem loco ait: Videntibus creatoris habitationem, angusta est omnis creatura, &c. Sordent terrena tabernacula, cùm conspiciuntur cælestia. *Ioan. 1.* *Cælestium tabernaculorum contemplatio.* *Psal. 83.* *Rupertus.* *Baruch 3.* *Rupertus.*

Sed quis nos domum Christi ducet, excelsa est, difficili, arctaque via aditur; quis gressus nostros diriget? eumdem Dominum audi: *Venite*, inquit, *& videte*, ego vos ducam, ego domū indicabo. Quemadmodum hos discipulos ipse domum duxit, ipse præiuit; sic in amplissima illa cæli palatia ipse nos ducit, ipse præit, ipse gressus dirigit. *Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & duxit illos in montem excelsum seorsum; & transfiguratus est ante illos.* Eumdem in modum nos assumit, & ducit in celsissimum cæli montem; vbi gloriam suam tam Angelis, quam hominibus conspicuam reddit. *Matth. 17.*

Venerunt discipuli, & viderunt vbi maneret, & apud eum manserunt die illo. O felices discipulos, qui Christum arcta via præeuntem sequuntur; hi vident vbi manet, & manent cum eo die illo æternitatis, qui nullis terminis circumscribitur. *In domo Patris mei*, ait Dominus, *mansiones multæ sunt*; in iis cum Christo manent, voluptatisque torrente exsaturati cum Petro exclamāt: *Bonum est nos hic esse.* Quod si Petrus in monte nesciebat quid diceret, vt affirmat Euangelista; hi sciunt quid dicant. Non enim in angustissimis montis Thabor tabernaculis, sed in augustissimis cæli mansionibus manere, bonum, suaue, iucundumque esse asserunt. *Ioan. 1.* *Ioan. 14.*

Tertiò. Obserua non dixisse Dominum, discipulis rogantibus vbi habitaret, in illo vel illo loco habito, si quid vultis, cras, vel alio copiam die, ibi vos operiar; sed statim illos ad se duxisse: *Venite*, inquiens, *& videte.* Non esse procrastinandum locus indicat; nec esse conuersionem de die in diem differendam. Cyrillus in Ioannem: Non docuit Christus vbi habitaret, quamuis hoc ipsum ab eo peteretur, sed illico illò ire eos hortatur. Primū, vt doceret nullam esse in quærendis bonis moram laudandam, cùm vtilitatis retardatio detrimentum afferat semper. Deinde, vt ostenderet non sufficere, si *Nō procrastinandum.* *Cyrillus.* *In quærēdis bonis mora sit nulla.*

re,ſi quis vbi Chriſti domus, id eſt,Eccleſia fundata ſit,didicerit; ſed ſi per fidem in eam venerit, & quæ myſtice in ipſa peraguntur feruenti animo viderit. Hæc D. Cyrillus.

Quartò. Vocat nos Dominus, vt videamus: *Venite*,ait,*& videte*.Qui enim res diuinas videt, atque explorat,earum pulcritudine & admiratione capitur. Exploratores olim mitti voluit in terram promiſſionis; ſic etiam vult nos exploratrices mittere cogitationes in promiſſa ſua: ea enim ſunt, quæ exploratorum cupiditatem valde poſſint incẽdere. Simile illud: *Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus*. In quem locũ Magnus Baſilius:Sicut mellis, inquit, natura vires ſuas haudquaquam tam adeò exerit, ac inexpertis repræſentat ſermone, quàm ipſo ſenſu guſtus; ſic nec verbi cæleſtis ſuauitas humanæ doctrinæ verbis tradi euidenter poteſt. Non enim,niſi veritatis dogmata diutino examine probauerimus,poterimus vmquam noſtrapte experientia Domini ſuauitatem intelligere, &c.

Pſal. 33.
Res diuinæ exploranda & degustãda, vt cognoſcantur. Baſilius.

Chryſoſt.

Quintò. Non dixit Dominus, ait Chryſoſtomus in Ioannem, his diſcipulis, intempeſtiuum eſſe, vt ad ſe proficiſcerentur, ſed: *Venite*; non dixit,audietis cras, ſi quid vultis; nec tunc miſſos fecit; ſed tamquam amicos longa deuinctos conſuetudine allocutus eſt, &c. Nam doctrinæ cæleſti nullum tempus intempeſtiuum eſt, vt idem Chryſoſtomus docet eodem loco: Cibus, inquit, & balnea, & cœna,& reliqua ſæcularia, ſtatutum tempus habent: Supernæ autem ſapientiæ doctrina nullo tempore circumſcribitur; ſed omne ei tempus accommodatum eſt,&c. Hinc illud Paulli: *Oportunè,importunè argue,obſecra, increpa,&c*. Quo loco Theodoretus: Nihil,inquit, quod importunè fit laudatur. Non iubet ergo Paullus ſine delectu & temerè prædicare; ſed exiſtimare,omne tempus ad id eſſe aptum & oportunum. Hoc enim & ipſe Paullus ſemper fecit, & in carcere, & in naui, & menſa oppoſita, &c.& cap.2.eiuſdem epiſtolæ:*In Euangelio*,ait Paullus,*prædicando laboro vſque ad vincula: ſed verbum Dei non eſt alligatum*; hoc eſt, licet vincula obſtrictum teneant corpus, linguam & calamum non poſſunt obſtringere: ex ipſis vinculis verbum Dei docere non deſinam. Vnde Chryſoſtomus in hæc verba: Si quis, ait, agricolam alliget, ferentem impedit; nam manu ille ferit: doctorem ſi ligaueris,verbum Dei impedire non vales. Lingua quippe,nõ manu, feritur verbum,quod nullis ſubiacet vinculis.Nam licet vincti ſimus, verbum Dei ſõlutum eſt,& libere currit, &c. Non eſt alligatum verbum Dei tempori, non horæ,non loco; quocumque tempore, hora, loco, de diuinis rebus loquendum eſt, atque cogitandum. Iuxta illud: *In lege eius meditabitur die ac nocte*.

Doctrina cæleſtis omnitẽ eſt temporũ.

2.Tim.4.

2.Tim.2.

Chryſoſt. Verbum Dei ligari non poteſt.

Pſal.1.

Sextò. Quemadmodum ſapiens architectus, qui amplas ſtatuit exædificare ædes, ſi in rudem incidat lapidem,exædificationi aptum, illum imprimis intuetur; deinde domum allatum dolat, atque expolit, & in ædificio collocat: ſic ſummus mundi opifex Chriſtus, cùm ampliſſimum decreuiſſet exſtruere Eccleſiæ templum,impolitumque inueniſſet lapidem exædificationi aptiſſimum, videlicet, Simonem; *Intuitus illum eſt*,vt Euangeliſta ait,amore plenis oculis,ædificationique aptum videns, Petrum,ſiue Petram,vocandum dixit: *Tu*,inquit,*vocaberis Cephas,quod interpretatur Petrus*. Demum in collegium adductum rudem dolauit, expoliuit, & in fundamento præclariſſimi ædificij collocauit. *Crura eius ſicut columnæ marmoreæ*; crura corpus ſuſtinent; corpus autem Chriſti Eccleſia eſt; quam,veluti marmoreæ columnæ fidei, Petrus Petrique ſucceſſores Romani Pontifices ſuſtinent. Quamobrem Pſellus verba hæc Canticorum de Petro interpretatur: Crura,inquit,eius ſicut columnæ marmoreæ de Petro intellige,&c.Sed de Magno Petro ſuo loco dicemus fauente Deo.

D. Petrus,petra Eccleſia ædificio aptiſſima. Ioan. 1.

Cant. 5.

Pſellus.

Septimò.Andreas ad Chriſtum Petrum adduxit: Philippus adduxit Nathanaelem: quo exemplo docentur ij, quos Chriſtus vocauit, & traxit, vt alios ipſi vocent ad Chriſtum, & trahant. Quemadmodum lucerna vna inflammata, mille alias inflammat: ſic tu à Deo incenſus, mille alios incende. Quemadmodum cælum motum, reliquos cælos mouet: ſic tu à Deo motus, moue ceteros. *Dies diei eructat verbum,& nox nocti indicat ſcientiam*. Sic nobilis nobili eructet Deum: & obſcurus atque ignobilis, obſcuro Chriſti ſcientiam tradat: ſimilis ſimilem, cum quo conſuetudinem habet, ad Chriſtum ducat. Terra poſt aliquot menſes ſeminum fructum parit: at homo non indiget menſibus, vt fructum edat. Vocatus ſtatim alios vocet, talentumque multiplicet: id quod Andreas fecit & Philippus. Vnde D. Cyrillus in Ioannem: Cùm acceperit,inquit,Andreas talentum,ſtatim multiplicatum illud Domino reddidit. Huiuſmodi certè attentus docilisque animus eſt, vt non longa indigeat oratione; nec poſt multos annos aut menſes fructum doctrinæ pariat; ſed ſimul cùm audierit,& ſibi profuit,& aliis vtilis eſſe conatur, &c. Et Cardinalis Petrus Damiani ſerm. 1. de ſancto Andrea: Andreas, inquit, theſaurum reperit; gaudet aliis prodere: furtum deputat illum ſine conſortibus poſſidere,mox quod didicerat,docuit,quod acceperat,erogauit. Magni nuntij baiulus fuit, qui eum ſe reperiſſe teſtatus eſt, quem ab origine mundi omnes Sancti magno deſiderio præſtolati ſunt; & tamen videre non potuerunt,&c. Andreas enim Petro dixit: Inuenimus Meſſiam,ſcilicet,quem ab origine mundi Sancti fuerant præſtolati.

Quẽ Chriſtus traxit, alios ad Chriſtum trahat.

Pſal.18.

Cyrillus.

Pet. Dam.

De lapide magnete ſic ſcribit Auguſtinus lib.21. de Ciuitate Dei,cap.4.Magnetem nouimus mirabilem ferri eſſe raptorem; quod cùm primùm vidi, inhorrui. Quippe cernebã à lapide ferreum annulum raptũ atque ſuſpenſum. Deinde tamquã ferro, quod rapuerat, vim dediſſet ſuam; idem annulus admotus eſt alteri,eumque ſuſpendit.Atque,vt ille prior lapidi, ſic alter annulus priori annulo cohærebat. Acceſſit eodem modo tertius, acceſſit quartus: iamque ſibi per mutua connexis circulis, non implicatorum intrinſecus, ſed extrinſecus adhærentium,quaſi catena pependerat annulorum.Hæc Auguſtinus. Quemadmodum magnes ferrum, ſic Chriſtus etiam ferrea corda,cùm vult,trahit. Cordium raptor eſt admirabilis. Tracti ferrei annuli alios traxerunt: ſic adducti à Chriſto viri, ad Chriſtum alios adducunt, vt Andreas Petrum, Philippusque Nathanaelem. En tibi annulos quatuor, ſed aureos, non ferreos: quorum primus, ſecundum, tertius traxit quartum.

Auguſt. Magnes ferri raptor admirabilis, Chriſtus raptor cordium.

Petri, Andreæ, Philippique patria, Bethſaida dicebatur,vt ait Euangeliſta, hoc eſt,vt interpretatur D.Hieronymus,domus venatorum. Optimos hæc domus enutriuit venatores, non ferarum, ſed hominum; immo & ferarum, hoc eſt, hominum, qui in ferarũ mores degenerauerant. Diuus Hieronymus Ezechielis 28. Sunt, inquit, in bonam partem venatores,de quibus ſcribit Ieremias: *Ecce ego mittam piſcatores & venatores,qui venentur vos de omni colle & monte*. Quos & Dominus mittit ad piſcandum; & fecit eos de piſcatoribus piſcium, piſcatores hominum. Vnde & viculus Petri & Andreæ hoc appellatur vocabulo: *Bethſaida* enim interpretatur, domus venatorum,&c. Hæc Hieronymus.

Hieron.

Ierem.16.

Bethſaida domus venatorũ, Petri & Andrea.

Octauò. Verba illa, *Cùm eſſem ſub ficu, vidi te*, Auguſtinus

Ioan. 1.

Augustin. Vidit nos Deus sub ficu.

gustinus sermone 40. de Verbis Domini, mysticè sic interpretatur: Sub peccato vidi te. Vidit enim nos Dominus in lumbis Adæ post peccatum, quos foliis ficulneis præcinxit, vel vidit nos sub ficu illa, ex qua perizoma fecit. Per ficum, ait Augustinus, intelligamus significatum esse peccatum: ea scilicet significandi congruentia, qua nostis primum hominem, quando peccauit, foliis ficulneis fuisse subiectum; his foliis membra texerunt. Quid est ergo, *Cùm esses sub ficu, vidi te?* id est, cùm esses sub peccato. Sic Augustinus. Iam tunc, immo & ab æternitate, vidit nos Deus omnes sub ficu, in primo parente, veluti capite ac fonte peccati: vidit, inquam, misericordia exundantibus oculis: misertusque nostri, humanam naturam assumere statuit, vt contractam labem sanguine suo ablueret. Sub arbore nos vidit Dominus perditos, sub arbore vidit saluos, sub ficu in Adamo vidit captiuos, sub Cruce in se ipso vidit liberos. *Sub arbore malo*, ait, *suscitaui te*; hoc est, sub Cruce, vt interpretantur diuus Gregorius, Cassiodorus, & alij. Sub Cruce, arbore eximia, quæ fructum tulit totius humani boni causam, suscitauit nos Dominus, vitæque restituit. Sequitur, *Ibi corrupta est mater tua; ibi violata est genitrix tua.* Ibi, inquit, hoc est, in arbore, mater nostra Eua à serpente corrupta violataque est: virumque Adamum, nos quoque in eo omnes corrupit atque violauit. Quoniam verò sub arbore vetita serpentis veneno corrupti occisique sumus, ideo sub arbore Crucis sanctissima Christi sanguine sumus suscitati. Hinc illud Ecclesiæ: Qui salutem humani generis in ligno Crucis constituisti, vt vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret, & qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur.

Sub arbore vidit nos Deus perditos, & sub arbore saluos.

Cant. 8. Crux arbor totius boni caussa.

Alij verba illa sponsæ tribuunt; eritque sensus: Ego, ô Christe, *Sub arbore malo suscitaui te*, hoc est, sub ficu Nathanaelis me vidisti. Cùm sub ficu illa, vel arbore essem peccato Adami inquinata, suscitaui te, vt me ablueres, captiuamque redimeres. Itaque mea summa miseria excitatus, miseræ tulisti opem. *Ibi*, sub illa arbore, serpentis tartarei veneno *corrupta est ac violata* Eua mater genitrixque tua, vel Synagoga. Etenim admirabilis misericordia tua effecit, vt quæ nostra erat genitrix, esset etiam tua. Possunt etiam tribui verba Christo, sicque explanari; *Sub arbore malo* existentem, id est, sub arbore vetiti fructus à serpente vita priuatam vidi, & *suscitaui te*; hoc est, quod dicitur Nathanaeli: *Cùm esses sub ficu, vidi te*, nimirum vt suscitarem. Quod si quærat sponsa, quonam modo à serpente A vita fuerit priuata? vndenam originale peccatum contraxerit? id docet sequentibus verbis: *Ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua*; hoc est, suscitaui te; quoniam Eua mater tua immanis draconis afflatu sub arbore corrupta & violata, virum Adamum corrupit, omnesque in eo natos peccato infecit atque occidit. Hinc mors, hinc originarium peccatum emanauit. Quoniam verò sponsam tanto affecit beneficio, illamque sub arbore absque vita iacentem excitauit, amorem beneficiique memoriam sponsus flagitat. Idcirco sequitur: *Pone me, vt signaculum super cor tuum, &c.*

Peccatum originale.

Cant. 8.

Nonò. Verba illa, *Videbitis Angelos ascendentes & descendentes supra Filium hominis*, Augustinus mystico sensu de concionatoribus exponit, qui imitatione ascendunt, prædicatione descendunt. Beda similiter Angelos ait significare eosdem concionatores, B ascendentes quidem, cùm de diuinitate Christi agunt; descendentes verò, cùm de humanitate verba faciunt: Ascendunt, inquit, super Filium hominis Angeli, cùm docent prædicatores, quia *in principio erat Verbum*, descendunt cùm adiungunt; quia *Verbum caro factum est*, &c. Possunt quoque explicari de Angelis descendentibus super Filium hominis, hoc est, super corpus Christi mysticum, videlicet Ecclesiam; & ascendentibus rursus in cælum, quod in scala Iacob adumbratum est. Et vidit Ioannes *ciuitatem sanctam descendentem de cælo*. Descendit sancta illa Angelorum ciuitas de cælo, vt Bernardus sensu mystico interpretatur, cùm Angelorum multa millia ad nos veniunt, vt nos custodiant. Quidni, ait Bernardus sermon. 5. in dedicatione Ecclesiæ, quidni Christus mittat Angelos pro eis, C pro quibus ipse à Patre voluit mitti? quidni pro eis inclinet cælos, pro quibus ipse quoque cælorum Rex se inclinauit? &c. Aduerte quod aduertit Bernardus eodem loco, ciuitatem sanctam descendere de cælo, non cadere: Aduerte, ait ille, quod Ioannes descendentem dixerit ciuitatem, non cadentem, &c. Ceciderunt è cælo, non descenderunt per scalam Iacob dæmones; descendunt, non cadunt Angeli. Cauendum Angelis, id est, concionatoribus ac confessariis, ne, dum ad homines subleuandos veniunt, cadant potius vt dæmones, quàm descendant vt Angeli. Siquis hominem, quem fluctibus abreptum videt, liberare vult; maximè sibi cauet, ne ab illo in profundum pelagus detrahatur. Id quoque nobis maximè cauendum, ne, dum periclitantibus manum porrigimus, vndis simul absorbeamur.

Ioan. 1.

Beda. Angeli sunt concionatores.

Apoc. 21.

Angelorum custodia. Bernar.

Cauendum sacerdotibus ne cadant.

LIBER

LIBER TERTIVS.

CAPVT PRIMVM.

De nuptiis Canæ Galilææ.

IOANN. CAP. II.

ET die tertia nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ! & erat Mater Ieſu ibi. Vocatus eſt autem & Ieſus, & diſcipuli eius ad nuptias. Et deficiente vino, dicit Mater Ieſu ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei Ieſus: Quid mihi & tibi eſt mulier? Nondum venit hora mea. Dicit Mater eius miniſtris: Quodcumque dixerit vobis, facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ ſex poſitæ ſecundum purificationem Iudæorum, capientes ſingulæ metretas binas vel ternas. Dicit eis Ieſus: Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas vſque ad ſummum. Et dicit eis Ieſus: Haurite nunc & ferte architriclino. Et tulerunt. Vt autem guſtauit architriclinus aquam vinum factam, & non ſciebat vnde eſſet: miniſtri autem ſciebant qui hauſerant aquam, vocat ſponſum architriclinus, & dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit: & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt: Tu autem ſeruaſti bonum vinum vſque adhuc. Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galilææ: & manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli eius.

Finis anni primi poſt baptiſmum Chriſti, & initium ſecundi.

POST vocationem diſcipulorum, ordine nuptiæ ſequuntur. Quæ quidem, vt oſtendimus lib. 1. cap. 12. ſexta die Ianuarij celebratę ſunt; qua eadem die anno ſuperiore Chriſtus eſt baptizatus. Vnde efficitur hoc loco finem eſſe primi anni, poſt Chriſti baptiſmum. Baptizatus enim eſt ſexta die Ianuarij; anno autem elapſo, eadem ſexta die ſequentis Ianuarij, nuptiis interfuit. Natus autem erat cùm ad baptiſmum venit annos viginti nouem, & dies tredecim, vt loco indicato diximus; cùm verò nuptiis interfuit, ætatis erat annorum triginta, tredecimque dierum. Sexta die Ianuarij in ſolitudinem abiit; poſt quadraginta ieiunij dies ad Matrem ſanctiſſimam rediit, vt ſupra diximus, lib. 1. cap. 16. ex Epiphan. Nazarethæ egit cum Deipara Virgine, vſque ad menſem Niſan, quo Paſcha celebratum eſt; reſpondet is menſis noſtro Martio & Aprili. Hoc verò fuit primum Paſcha poſt baptiſmum Chriſti, cuius Euangeliſtæ non meminerunt. Venit ergo paſchali tempore Ieroſolymam, ibique hoc primum Paſcha egit prope menſem Aprilem, vel in ipſo menſe Aprili. Deinde in Iudæa manſit cum Ioanne & aliis; de diuinis rebus egit; tandem ad finem anni venit ad Ioannem: à Ioanne Agnus Dei eſt appellatus, diſcipulisque oſtenſus. Andreas Petrum, Philippus Nathanaelem ad illum duxit. Die Ianuarij quarta, è Iudæa diſceſſit; die ſexta in Galilææ opidum Canam ad nuptias venit, anno vno poſt baptiſmum elapſo.

Primũ Paſcha poſt baptiſmum Chriſti.

Ioan. 2.

DIE *tertia nuptiæ factæ ſunt.* Die tertia factas has nuptias, ait Euangeliſta. Quænam dies tertia dicatur, ambiguum eſt. Prima interpretatio Fabri eſt huiuſmodi: Tertia die, hoc eſt, feria tertia (vt nos loquimur) nuptiæ factæ ſunt. Nam Iudæi hebdomadæ dies à ſabbato numerabant, prima ſabbati dies erat dominica, ſecunda ſabbati feria ſecunda; tertia ſabbati feria erat tertia. Si Ioannes dixiſſet die tertia ſabbati nuptiæ factæ ſunt; nullum eſſet dubium; at tantùm dixit: *Tertia die nuptiæ factæ ſunt.* Ideoque hæc interpretatio, quamuis probabilitatis nonnihil habeat, tamen non placet. Secunda interpretatio eſt Lyrani: Tertia, inquit, die à vocatione Philippi & Nathanaelis. Et Caietanus: Tertia, inquit, die, à die quo venit Nathanael, &c.

Quanã fuerit hæc dies tertia.

Exiſtimo numerandos hos tres dies, à die, quo Chriſtus profectus eſt in Galilæam. Hunc enim diem vltimo loco, cap. 1. Ioannes Euangeliſta ſignauit, ſic ſcribens: *In craſtinum voluit exire in Galilæam.* Poſtea cùm ait: *Et die tertia;* ſic eſt intelligendus, die tertia, ab vltima, quàm ſignauimus, ſcilicet, ab illa, qua in Galilæam profectus eſt. Manè ex Iudæa diſceſſit; iter fecit illa die ac ſequenti, peruenitque in Galilæam: die verò tertia ad nuptias eſt inuitatus. Hæc eſt Origenis ſententia, initio tom. 9. in Ioannem: Cùm exire, inquit, vellet Chriſtus in Galilæam, inuenit Philippũ, & dicit ei: Sequere me; die verò tertia pòſt, nuptiæ fiunt, &c.

Ioan. 1.

Origen.

IN *Cana Galilææ.* Locus in quo factæ ſunt nuptiæ Cana nominatur. Eſt opidum Galilææ, diſtans à Nazareth, vbi Chriſtus & Deipara Virgo habitabant, vt Aranda docet tract. 2. cap. 4. milliaribus decem, verſus Septemtrionem. Nomen Cana zelum ſignificat; vnde Simon Cananæus appellatus Simon zelotes, à patria: erat enim ex opido Cana, id eſt, zelo. De Cana ſic ſcribit Borchardus parte prima, capite 6. §. 1. Ab Achone quinque leucis diſtat Cana Galilææ, verſus Eurum. Vſque in dies noſtros triclinium & locus, in quo diſpoſitæ fuerant ſex hydriæ, oſtenduntur, &c. D. Bonauentura in li-

Aranda.

Borchar.

Canæ opidum.

Bonauen.

in libro de Vita Chriſti, capite 20. ſcribit, Canam à Nazareth quatuor ferè milliaribus diſiunctam eſſe. Sed Aranda terræ fuit explorator.

Ioan. 2. Et *erat Mater Ieſu ibi.* Nuptiæ alicuius familiaris vel conſanguinei Virginis Deiparæ fuiſſe videntur; ideoque inuitata ex opido Nazaretha Canam venit. Cùm verò ex Iudæa Chriſtus Nazaretham reuerteretur, ad eaſdem nuptias cum diſcipulis vocatus eſt; & pro ſua benignitate venire non recuſauit. Cauſſæ autem, cur voluerit intereſſe, duæ redduntur. Prior, vt primi miraculi edendi occaſionem haberet, quo potentiam ſuam demonſtraret, quam tradit D. Cyrillus libro ſecundo in Ioannem, cap. 22. Miraculi, inquit, potius gratia, quod facturus erat, quàm conuiuij gratia ad nuptias profectus eſt, &c. Poſterior fuit, vt nuptias approbaret præſentia ſua. Hanc reddit D. Auguſtinus tractat. 9. in Ioannem: Quòd Dominus, inquit, inuitatus venerit ad nuptias, confirmare voluit quòd ipſe fecit nuptias. Et D. Cyrillus: Hoc, ait, ſigno ſanctificabantur nuptiæ, &c. Beda tom. 7. in homilia de his nuptiis: Si nuptiis, inquit, debita caſtitate celebratis culpa ineſſet; nequaquam Dominus ad has venire, nequaquam eas ſignorum ſuorum initiis conſecrare voluiſſet, &c. Euthymius in Ioannem: Qui nuptias condiderat, venit, vt eas honoraret, ſuaque præſentia ſanctificaret, &c.

Cur Chriſtus nuptiis intereſſe voluit? Cyrillus. Auguſt. Cyril. Beda. Euthym.

An Ioſeph nuptiis interfuerit? Quæret aliquis hoc loco: An Ioſeph, Virginis ſponſus, vocatus quoque fuerit ad nuptias? Etenim cùm Deipara Virgo, Chriſtus eiusque diſcipuli vocati ſint, videtur quoque Ioſeph fuiſſe inuitatus. Atqui Euangeliſta nullam illius fecit mentionem. Reſpondemus, Ioſeph ad nuptias non fuiſſe inuitatum: neque enim inuitari potuit, quòd è vita iam exceſſiſſet. D. Epiphanius hæreſi 78. opinatur poſt duodecimum Chriſti annum obiiſſe. Cùm enim Chriſtus duodecim annos natus in templo repertus eſt, aderat Ioſeph ſuperſtes; poſt illum annum nulla ab Euangeliſtis illius mentio fit. Vnde coniicit Epiphanius; vſque ad illud tantummodo tempus in vita manſiſſe: Poſt reditum, inquit, ab Ægypto Ioſeph non multis annis vixit. Permanſit octo annis ſuperſtes. Et in duodecimo anno, aſcendentibus illis Ieroſolymam, quæſitus eſt Dominus, quando non reperiebatur in itinere; velut habet Euangelium ſecundum Lucam. Poſt hos annos moritur Ioſeph. Vnde non amplius dicit Euangelium: *Quòd venit pater ipſius & fratres.* Sed: *Ecce Mater tua, & fratres tui foris ſtant.* Et quando in Cruce pendebat, ſi fuiſſet Mariæ vir, qua ratione tradidiſſet ipſam Ioanni? Et Ioannem Mariæ? Hæc ille & alia. D. Bonauentura in libro de Vita Chriſti, capite 17. putat, etiam poſt baptiſmum & ieiunium Chriſti vitam propagaſſe. Comeſtor hac de re ſic ſcribit: Non eſt vocatus Ioſeph ad nuptias, ſed Maria. Vnde quidam dicunt Ioſeph fuiſſe mortuum, & Virginem tranſiſſe in cuſtodiam Filij; quia nec etiam deinceps legitur de eo in Euangelio. Quòd ſi nondum mortuus, tamen certum eſt quòd in paſſione Domini mortuus erat; quia Virgo alij, id eſt, Ioanni, commendata eſt. Hæc ille. D. Bernardinus tom. 3. ſermone de S. Ioſeph, capite 3. Licet, inquit, quo tempore mortuus fuerit Ioſeph non legatur in ſacro textu; tamen probabiliter creditur, quod defunctus eſt ante Dominicam paſſionem. Non enim abſens fuiſſet à Dominica Cruce, ſi extitiſſet viuus; & ipſo viuente non oportuiſſet ſacram Virginem alteri commendari. Fortè etiam mortuus fuit ante Chriſti baptiſmum. Quia ex tunc nulla de eo in Euãgelio mentio facta eſt, &c.

Epiph. Quonã tempore obierit Ioſeph. Comeſtor c. 38. Bernar.

Cyprian. Tamen Cyprianus de paſſione Domini, paſſionis quoque tempore Ioſephum fuiſſe ſuperſtitem exiſtimat: Paſſus, inquit, eſt Ioſeph æquanimiter præponi ſibi Ioannem, quem digniorem ſe iudicabat, &c. Idem ſentire videtur D. Ambroſius in libro de Inſtitutione Virginis, cap. 6. & Lucæ 23. D. verò Auguſtinus ſermone 81. de tempore reſurrectionis, quoque tempore inter viuos fuiſſe putat, & Chriſtum adoraſſe: Sol, inquit, & Luna & vndecim ſtellæ Chriſtum adorauerunt; quando poſt reſurrectionem ſancta Maria quaſi Luna, & beatus Ioſeph velut Sol, cum vndecim ſtellis, id eſt, beatis Apoſtolis, proſtrati ſunt ante eum, &c.

Auguſt.

Mihi veriſimilior videtur prior ſententia, quæ plures habet ſectatores; videlicet Ioſeph, antequam Chriſtus in Crucem ageretur, obiiſſe. Quo autem tempore obierit, incertum eſt. Ante has nuptias obiiſſe, & antequam Dominus inciperet concionari, eſt probabile. Nulla enim mentio illius fit ab Euangeliſtis poſt duodecimum Chriſti annum. Non tamen crediderim ſtatim poſt duodecimum Chriſti annum è vita exceſſiſſe; ſed multo poſtea; non multò ante baptiſmum, vt ait D. Bernardinus.

Præterea in controuerſia verſatur, fuerítne harum nuptiarum ſponſus D. Ioannes Euangeliſta? Et quidem D. Ioannem fuiſſe ſponſum tempore Ruperti communis ferebat opinio. Is ad finem lib. 2. comment. in Ioannem ſic ſcribit: Euangeliſtam Ioannem, relictis nuptiis, Dominum ſequi cœpiſſe arbitramur. Ipſius enim iſtas fuiſſe nuptias opinio fere omnium eſt. Tradunt namque hiſtoriæ, quòd eum de nuptiis, volentem vxorem ducere, vocauerit Chriſtus. Et propterea quem à carnali voluptate retraxerat; potiori amoris ſui dulcedine donauit. Sic Rupertus, qui obiit anno Domini 124. Item Beda, tom. 7. in homilia Euangelij: *Dixit Ieſus Petro: Sequere me.* Tradunt, inquit, hiſtoriæ, quòd Ioannem de nuptiis volentem nubere Dominus vocauit; & propterea, quem à carnali voluptate retraxerat, potiori ſui amoris dulcedine donauit, &c. Eadem ſententia aſſeritur in duobus prologis antiquis, Euangelij ſecundum Ioannem, quorum alter tribuitur Hieronymo, alter Auguſtino, in tom. gloſſæ ordinariæ. Qui verò Hieronymo tribuitur, habetur ſine auctoris nomine, & in Bibliis Complutenſibus, & in Regiis, & præfigitur Ioannis Euangelio in operibus Bedæ. In hoc autem prologo hæc exſtant verba: Ioannem de nuptiis volentem nubere vocauit Dominus. In prologo, qui Auguſtino adſcribitur, hæc leguntur: Iſte eſt Ioannes, quem Dominus de fluctiuana nuptiarum tempeſtate vocauit, &c. Hanc opinionẽ ſequitur D. Thomas 2. 2. quæſt. 186. art. 4. Et dum exponit prologum illum D. Hieronymo adſcriptum; eamque putat eſſe D. Hieronymi ſententiam. Subſcribunt Caietanus Ioannis 1. Sotus 4. diſtinct. 27. quæſt. 1. art. 4. Ioannes Maior, Ludolphus in vita Chriſti, Echius, Dionyſius Carthuſianus, D. Bonauent. in vita Chriſti, D. Antoninus tertia parte Summæ, titulo primo, & parte prima hiſtoriali, titulo quinto: Hæ, inquit, nuptiæ communiter dicuntur fuiſſe Ioannis Euangeliſtæ, &c. Lyranus in Ioannem: Dicitur communiter, ait, quod iſtæ nuptiæ fuerunt Ioannis Euangeliſtæ, à quibus eum Chriſtus vocauit ante conſummationem matrimonij. Ex hoc in Eccleſia obſeruatur, quod ante carnalem copulam poteſt licitè alter coniugum intrare religionem, &c.

An Ioannes Euangeliſta fuerit harũ nuptiarum ſponſus. Rupert.

Fuit ſponſus Ioannes.

Lyranus.

Attamen oppugnari poteſt non leuibus argumentis. Primò, quoniam antiqui Ioannem vxorem numquam duxiſſe opinati ſunt; quibus aſſentitur D. Auguſtinus tract. vltimo in Ioannem. Sunt, inquit Auguſtinus, qui ſenſerint, & ij quidem non contemptibiles ſacri eloquij tractatores, à

Auguſt.

Christo Ioannem Apostolum propterea plus amatum, quòd neque vxorem duxerit, & ab ineunte pueritia castissimus vixerit. Hoc quidem in Scripturis Canonicis non euidenter apparet. Verumtamen id quoque multum adiuuat congruentiam huius sententiæ, quòd illa vita per eum significata est, vbi non erunt nuptiæ. Ita Augustinus. Quòd si Hieronymus existimasset Ioannem ex nuptiis vocatum, hoc telo aduersus Iouinianum fuisset vsus, qui nuptias virginitati exæquabat; eo tamen non vtitur. Ioannem verò penè puerum appellat, atque ideo non illi, sed Petro traditum ait summum pontificatum. Secundò, Christus propterea nuptiis interfuit, vt matrimonium approbaret. Quòd si matrimonium iam ratum dissoluisset, reprobare potiùs coniugium, quàm approbare videretur. Tertiò, si nuptiarum fœdere Ioannes fuisset liberatus, statim vxore ceterisque rebus relictis Christum secutus fuisset; id verò postea fecit, à Christo cum fratre Iacobo ex mari Tiberiadis vocatus, cùm retia reficeret. Quartò, vocatio ex nuptiis dignissima fuit quæ litteris euangelicis mandaretur; fuissetque à Ioanne memoriæ prodita, si contigisset. Nullam verò illius mentionem vel Ioannes vel alius fecit Euangelista. Denique virginitati Ioannis hæc vocatio minimè fauet: etenim præstantior est virginitas, quæ ad coniugium numquam peruenit. Ergo non est sequenda opinio.

Refutatur opinio.

Matth. 4. & Marci 1.

Itaque nonnulli hanc de nuptiis Ioannis existimationem explodunt. Ego verò non explodam, quòd non leuis auctoritatis habeat sectatores; quòd ex antiqua historia acceptam Rupertus & Beda affirment, quòd illis receptis & antiquis prologis confirmetur; quòd communis hactenus fuerit. Argumenta præterea, quibus oppugnatur, dissolui haud difficile possunt. Primò responderi potest, antiquos illos scriptores & Augustinum, existimasse Ioannem non duxisse vxorem; quòd cum vxore non vixerit, quam iussu Christi dimisit. Sed quidquid illi & Hieronymus senserint; alios habet sententia patronos, quos credibile est non futuli traditione persuasos. Secundò respondemus, Christum & coniugium sua præsentia approbasse; & virginitatem coniugio præstantiorem esse docuisse, cùm Ioannem virginem iugo eripuit coniugali. Tertiò respondetur, Ioannem bis vocatum, vt alios Apostolos, semel è nuptiis, postea à cymba. Quartò respondetur, non omnia Christi acta litteris consignata esse; etsi dignissima omnia fuerint, quæ litteris in perpetuam consignarentur memoriam: quemadmodum ergo multa alia, sic hoc silentio est præteritum; & aliqua traditione acceptum. Quintò respondetur, opinionem non detrahere Ioannis virginitati: virginitatem enim ante nuptias & post nuptias perpetuò seruasse asserit. Quòd si vxorem ducere voluit, tempori tribuendum; quod beati ducebantur, qui liberos procreassent.

Nō resuscitur opinio quod Ioānes fuerit sponsus.

Soluuntur rationes.

At dices, Hieronymus Ioannem appellat penè puerum; nondum igitur coniugio erat aptus. Respondetur, Hieronymum adolescentem etiam vocare lib. 1. aduersus Iouinianum: Cur non Ioannes, ait Hieronymus, electus est virgo primus Apostolorum? Ætati delatum est; quia Petrus senior erat; ne adhuc adolescens & pene puer progressæ ætatis hominibus præferretur, &c. Quòd si roges, quot annos fuerit natus Ioannes, quo tempore vocatus à Domino est? respondebimus ferè 28. fuisse annorum. Nam vt est in Martyrologio, quo Romana Ecclesia vtebatur ante Gregorianum, annos vixit 99. quam Perionius in vita Ioannis ait communem esse sententiam. Obiit verò Hieronymo teste in Catalogo, post passionem Christi anno 68. vnde efficitur vocatum esse circiter 28. ætatis annum; & passionis tempore egisse trigesimum primum. Si enim 31. addas 68. summam efficies annorum 99. Cardinalis Baronius in Traiano, coniicit, vocatum à Christo, cùm annum ageret vigesimum secundum, è vita autem migrasse anno ætatis 93.

Quot annos vixerit Ioānes Euangelista?

Contraria tamen sententia, videlicet Ioannem harum nuptiarum sponsum non fuisse, forte verisimilior est; & ex D. Epiphanio aperte colligitur: hæresi enim 51. ait Ioannem his nuptiis non interfuisse. Ergo ex illius sententia sponsus nuptiarum non erat: Tertia, inquit, die factum est primum diuinum signum, cùm quidam discipuli cum Christo essent: non Andreas, non Petrus, non Ioannes, non Iacobus, &c. Ecce apertè affirmat Ioannem non interfuisse nuptiis & miraculo. Simon etiam Cassianus libro 5. capite 1. sponsum fuisse Ioannem negat, his verbis: Cùm, inquit, omnem congregationem Apostolorum primo anno prædicationis Christus fecerit; luce clarius patet non fuisse Ioannem vocatum de nuptiis, in quibus aquam in secundo anno suæ prædicationis in vinum conuertit. Hæc ille. Sed ratio qua vtitur infirma est, vt patet ex serie gestorum Christi.

Non fuit sponsus Ioānes.

Simon Cassianus.

Nicephorus scribit harum nuptiarum sponsum fuisse Simonē Cananæum Apostolum; nec tamen ait à nuptiis esse abstractum: Helena, ait ille, Constantini Imperatoris mater, in Cana Galilææ, vbi Simonis Cananæi nuptiæ celebratæ sunt, sacram ædem ædificauit, &c. Occasionem opinioni dedisse videtur nomen Cananæi: fuit enim ex Cana opido oriundus, vnde Cananæus est appellatus. Cùm igitur nuptiæ in Cana factæ sint, huius Simonis videntur fuisse. Sed infirma habet fundamenta opinio, nec antiquos sectatores, præter Nicephorum.

Niceph. l. 1. c. 30.

An Simonis Cananæi nuptiæ.

Percunctabitur quoque aliquis, quænam fuerit nuptiarum sponsa? D. Antoninus 3. part. Summæ, titul. 21. §. 3. scribit, existimasse nonnullos sponsam fuisse Mariam Magdalenam, quæ propterea, quòd sponso est priuata, libidini se manciparit. Id verò firmitatis nihil habet. Sed dices, si fortè Ioannes sponsam iussu Domini deseruit, quidnam illa relicta fecit? Numquid alteri nupsit, an perpetuam quoque cum sponso castitatem seruauit? Respondetur, Dei perfecta esse opera. Si igitur vni coniugum castitatis desiderium inspirauit; alteri quoque idem præstitisse est credibile. Forsitan Virgini consanguinea fuit, & cum ea virginitatem coluit. Potuit etiam matrimonium cum alio inire. Nam matrimonij illius vinculum nondum consummati Christus sustulit.

D. Anton. Sponsa nuptiarum.

Et *deficiente vino*. Dubium est, defecerítne omnino vinum, antequam Deipara Christū oraret? Respondet D. Augustinus ser. 41. de tempore, non omnino defecisse: Debemus, inquit, aduertere, quòd de nuptiali vino pars aliqua adhuc fortè resederat. Ideo nondum erat Domini plena hora virtutum, &c. Et D. Thomas in Ioannem: Virgo non distulit vsque ad extremam necessitatē; sed *deficiente vino*, id est, dum esset in deficiendo, &c. Lyranus item illa Deiparæ verba, *Vinum non habent*, sic exponit: Vinum non habent ad sufficientiam. Voluit enim Virgo præuenire totalem vini defectum, ne appareret confusio, &c. Eumdem in modū exponit Carthusianus: & Caietanus sic ait: Non dicit Euangelista, & cùm defecisset vinū, sed *deficiente vino*; ad significandum inchoatum defectum vini, non consummatum, &c. Eiusdem sententiæ est Iansenius. Græcus textus sic habet; ὑστερήσαντος οἴνου, in aoristo; hoc est, vbi defecisset vinum, vt vertit Pagninus.

An defecerit omnino vinum. Augustin.

Ioan. 2.

nus. Sed intellige, vbi penè defeciſſet, non omnino defeciſſe, non repugnarim : id enim textus ſignificat ; & Titelmannus ſic Ioannis verba interpretatur: Poſtquam, inquit, diſcumbentibus conuiuis vinum omne iam exhauſtum eſſet, quod ſufficiens futurũ exiſtimabatur vocatis ad nuptias, &c.

Titelm.

Ioan. 2. VINVM *non habent.* Pro ſua eximia caritate ac miſericordia, Deipara à Filio petiit, vt nuptiarum defectui ſuccurreret ; vinumque, quod deerat, ſuppeditaret. Paucis autem verbis rem propoſuit: *Vinum*, inquiens, *non habent*. Sciebat enim ſe cum Deo loqui, & omnipotente, & omniſciente. Sed vndenam Deipara vini penuriam agnouit ? Reſpondetur, miniſtros ſponſo & Deiparæ, quòd conſanguinea eſſet, penuriam indicaſſe. At rogo, diſcumbebátne Virgo prope Filium, an inter feminas ? Accubuiſſe prope Filium inter viros non eſt veriſimile ; maximè ſi in lectis cibum ſumebant. Si inter feminas accumbebat, numquid è menſa ſurrexit, vt Filium alloqueretur ? Reſpondetur, Virginem propè Filium diſcubuiſſe: qui extremus virorum erat, ideoque facile Filium potuiſſe alloqui. Vel potius reſpondetur, viros prius ſumpſiſſe cibum, feminas poſt viros. Cùm igitur vinum defecit, virorum conuiuium erat, inter quos edebat Chriſtus. Feminæ interim conſanguineæ miniſtris miniſtrabant, quæ conuiuio opus erant; & cum illis Virgo aderat. Vnde factum eſt, vt vini agnoſceret defectum. Poſtquam verò agnouit, ad Filium diſcumbentem iuit, defectuſque certiorem fecit, his verbis : *Vinum non habent*. Sic fere opinatur D. Bonauent. in libro de Vita Chriſti: Ait enim Deiparam nõ accubuiſſe menſæ, ſed eorũ geſſiſſe curam quæ ad nuptias attinebant. Id quod probatur, quoniam ipſa vinum defeciſſe ſenſit, ipſa Filium precata eſt; eadem miniſtros admonuit, vt illius imperata facerent. Quæ indicant, extra menſam, alia in domo conuiuis neceſſaria, pro ſua præcellenti caritate atque humilitate, curaſſe.

Vndenam Deipara Virgo vini penuriam agnouerit.

Virgo non diſcubuit, ſed miniſtrauit.

Ioan. 2. QVID *mihi & tibi eſt mulier ?* Admiranda quidem eſt hæc à Filio, Matris amantiſſimo, Matri cariſſimæ reddita reſponſio. Videtur enim non amorem continere, ſed ſanctiſſimæ petitionis repulſam præ ſe ferre. At fallitur, quiſquis iudicat ex his verbis, Chriſtum vel moleſtia aliqua affectum eſſe; vel à petendo Matrem repuliſſe. Id quod probat miraculum protinus patratum. Si enim moleſta petitio fuiſſet, ſi Matrem Dominus petentem reiecíſſet, ſanè non ſtatim poſt petitionem, quod petebat, vinum conuiuis largiter ſuppeditaſſet. Vnde diuus Iuſtinus in explicatione quæſtionum à gentibus propoſitarum, quæſtione 36. Chriſtus, inquit, Matrem verbo non obiurgauit, quam re honorauit, &c. Intellexit Deipara Filij loquentis tam verba, quàm animum, quo illa proferebat; ideoque miniſtris dixit : *Quodcumque dixerit vobis, facite*. Deus bone, Virgo Deipara, nónne Filius verbis illis te repulit : *Quid mihi & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea ?* Nónne miraculum denegauit? cur igitur miniſtros mones, vt quidquid iuſſerit, exequantur? Reſpondebit Virgo: Neque me Filius repulit; nec miraculum denegauit. Quid ſibi velit, ego intelligo; non mea, ſed veſtra cauſſa ſic eſt locutus. Præſciebat hæc ab Euangeliſta ſcribenda, & tradenda poſteris. Deus erat ? Deum ſe eſſe cùm primum miraculum fecit ; neque eam à me naturam habere, id eſt, diuinam, qua miraculum facturus erat, voluit indicare. Sed iam verba ipſa explanemus.

Ioan. 2.

D. Iuſtin.

Ioan. 2.

Primus ſenſus.

Duobus modis hæc explicantur verba. Prior eſt: *Quid mihi & tibi eſt mulier ?* id eſt, quid ſpectat ad me & ad te vini penuria ? Sic interpretatur D.

Ioan. 2. Quid mihi & tibi, quid ſit.

Epiphanius hæreſi 51. niſi fallit interpres Latinus, qui ita vertit : Quid mihi & tibi curæ eſt? Sic Caietanus, Carthuſianus, & alij. Verumtamen ex ſimilibus locis conſtat, aliud his verbis ſignificari: *Quid mihi & vobis eſt filij Saruiæ ?* ait Dauid; hoc eſt, quid rei mihi vobiſcum eſt? *Quid tibi & paci?* id eſt, quid tibi cum pace? ait Iehu. *Quid mihi & tibi eſt Jeſu Fili Dei Altiſſimi ?* ait dæmon, id eſt, quid mihi tecum. Et : *Nihil tibi & iuſto illi.* Eodem ſenſu hoc in loco Chriſtus loquitur : *Quid mihi & tibi eſt mulier?* hoc eſt, quid tibi mecum eſt? videlicet, in edendis miraculis. Conſentanea ſunt huic interpretationi, quæ ſcripſit Auguſtinus tractatu in Ioannem 8. Miraculum, ait, exigebat Mater; at Chriſtus non agnoſcit viſcera humana, operaturus facta diuina. Tamquam dicens, quod de me faciet miraculum, non tu genuiſti ; diuinitatem meam non tu genuiſti, &c. Et in libro de Vera religione, cap. 16. Aquam in vinum conuerſurus Chriſtus, vt Deus: Recede à me mulier, inquit, quid mihi & tibi eſt? Ita Auguſtinus. Similiter D. Gregorius lib. 8. epiſtolarum ex regiſtro epiſtol. 42. In miraculo, inquit, quod ex tua natura non habeo, te minimè recognoſco, &c. Beda item : Significat Chriſtus ſe diuinitatem, qua miraculum erat patrandum, non temporaliter accepiſſe de Matre, ſed per æternitatem ſemper habuiſſe de Patre, &c. Initio ergo miraculorum quonam pacto ea eſſet facturus, oſtendere voluit : Oſtendere, inquam, voluit illa facturum propria & diuina poteſtate; non vt Moyſes, vel Elias, vel Eliſæus, fecerant. Illi enim alienâ (Dei) potentia, miracula faciebant, Chriſtus propria & vnita ſibi diuinitate operabatur. Nam præter naturam humanam, quam accepit ex Matre; diuinam habebat ex Patre, miraculorum operatricem. Ideoque ſic Matri reſpondit diuina quadam & admirabili reſponſione atque auctoritate.

Auguſt.

Secundus ſenſus.

Gregor.

Beda.

Eamdem rationem reddit Euthymius, cur non Matrem appellauerit Deiparam Virginem, ſed mulierem: Non dixit Chriſtus *Mater*, ait ille, ſed *mulier*, tamquam Deus, id eſt, quia Deus erat, Deum ſe oſtendens, Matrem appellauit mulierem.

Euthym. Cur Chriſtus Matrẽ mulierem appellarit?

Diuus Epiphanius hæreſi 79. appellaſſe ait mulierem, vt intelligeremus, Deiparã nec eſſe Deum, nec diuina adoratione latriæ venerandam : Sanctum, inquit, erat corpus Mariæ, Virgo erat, ipſa Virgo & honorata ; ſed non ad adorationem (videlicet latriæ) nobis data. Et propterea Euangelium munit nos, dicens, quod ipſe Dominus dixerit: *Quid mihi & tibi eſt mulier ?* quò non putarent aliqui, magis eximiam eſſe ſanctam Virginem, mulierem eam appellauit, velut prophetans quæ futura eſſent in terra, ſectarum ac hæreſeon gratia, &c. Lege eo loco Epiphanium de ſecta, quam refutat diuus Iuſtinus illa quæſtione 136. Chriſti in iis verbis mentem ſic explicat : Non obiurgandæ, inquit, Matris cauſſã à Seruatore dictum eſt : *Quid mihi & tibi rei eſt mulier?* ſed, vt hoc declararet, ne nos dicant eos eſſe, qui nobis vinum in nuptiis conſumptum curæ eſſe polliciti ſimus. Tamen abundantia amoris, ſi vis, ne eos vinum deficiat, dic miniſtris, vt ea quæ iubeo, faciant, &c. Forſitan Hebræis non tam aſpera erant hæc verba, quàm nobis nunc videntur: vſus enim & linguarum phraſes verba molliunt. Fortè amicè dicebant : *Quid mihi & tibi?* amicè etiam Filius Genitricem ſuam ſolebat Matrem, nonnumquam etiam mulierem appellare; maximè ſi vir eſſet; ideo Chriſtus pro more ſic cum Matre locutus eſt, hoc ſenſu: *Quid mihi & tibi eſt mulier?* hoc eſt, mitte me Mater, quid miraculum à me petis? nondum miraculorum hora venit. His conſentanea ſcribit Toletus : Quare, inquit, Chriſtus mu-

Ioan. 2.

Epiphan.

Ioan. 2.

Toletus.

lieris vocabulo vſus ſit, exiſtimo cauſſam fuiſſe A conſuetudinem, & loquendi modum eo tempore
Carthuſ. communem, &c. Et Carthuſianus: Mulier, ait, non ſonat dure ſecundum idioma Hebræum, &c.

Ioan. 2. Quã appellet Chriſtus horã ſuam.

NONDVM *venit hora mea.* Quam appellet hoc in loco horam ſuam, difficile eſt explicare. D. Auguſtinus horam paſſionis intellexit; D. item Gregor. epiſt. indicata, Beda, Athanaſius in apologia de fuga ſua, & alij. Etenim horam ſuam Dominus tempus paſſionis ſolet appellare. *Sciens, quia venit hora eius.* Item: *Pater venit hora.* Item: *Nondum*

Ioan. 13. Ioan. 17. Ioan. 7. Auguſt. *venerat hora eius.* Sed quorſum de hora mortis ſermo in mediis nuptiis? Non abs re, iuxta Auguſtini interpretationem, quæ huiuſmodi eſt, tract. 8. in Ioannem: Quod de me, inquit, facit miraculum, B non tu genuiſti; ſed quia genuiſti infirmitatem meam, tunc te cognoſcam, cùm ipſa infirmitas

Ioan. 1. pendebit in Cruce; hoc eſt enim: *Nondum venit hora mea;* ibi te agnoſcam, cum pendere in Cruce cœperit infirmitas, cuius Mater es, &c. Eſt ergo Auguſtini interpretatio: Nondum venit hora mea, in qua in Cruce pendebo; tunc te Matrem agnoſcam; quoniam ſecundum humanitatem, quam à te accepi, moriar; nunc verò miraculum ſecundum diuinitatem patraturus, cæleſtem agnoſco Patrem.

Gaudent. S. Gaudentius tractat. 9. in Bibliotheca Patrum tomo 7. horam Chriſti, etiam horam paſſionis intellexit; poſtquam horam Chriſtus, vinum cor hominis lætificans, id eſt, Spiritum ſanctum, Apoſtolis daturus erat; ſic ille verba Domini explanat. Quid C tam præpropera es ſuggerendo, cùm hora paſſionis meæ nondum aduenerit? poſt paſſionem reſurrectionemque meam, tunc eis donabitur vinum Spiritus ſancti, &c.

Chryſoſt. Diuus Chryſoſtomus de hora opportuna ad miraculum faciendum interpretatur: *Nondum*, inquit, *venit hora mea*, id eſt, nondum cognitus ſum præſentibus; nondum etiam ſciunt vinum deeſſe. Sine id primùm intelligant; oportet indigentes rogent, vt miraculum vniuerſis appareat, &c. Et Theophylactus: *Nondum venit hora mea*; hoc eſt, opportunum tempus: oportet ipſos, quibus deeſt vinum, rogare,

Euthym. non te Matrem. Euthymius quoque: Tunc, ait, aderit tempus idoneum miraculo, cùm ij, quibus opus D eſt miraculo, cognouerint, quòd talia poſſum operari, & ipſi me fuerint deprecati, &c.

Caietan. Caietanus: Non eſt, inquit, hora congrua miraculo: quia nondum omnino defecit vinum, vt miraculum notum fiat, &c. In eamdem ſententiam alij interpretantur. Quaſi dixerit Dominus: Nondum venit hora mea: id eſt, nondum tempus eſt opportunum patrando miraculo, antequam vini agnoſcant penuriam.

D. Iren. Tertia interpretatio eſt D. Irenæi libro 3. contra Hæreſes, cap. 18. *Nondum venit hora mea*; hoc eſt, nondum venit hora edendi miraculi à Patre præcognita. Sic ille ſcribit: Nihil incomptum atque intempeſtiuum apud Verbum. Præcognita ſunt enim hæc omnia à Patre: perficiuntur autem à Fi- E lio apto tempore. Propter hoc properante Maria, & ante volente participare compendij poculo: Dominus repellens intempeſtiuam eius feſtinationem dixit: *Quid mihi & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea*: exſpectans eam horam, quæ eſt à Patre præcognita. Propter hoc cùm ſæpe vellent eum homi-

Ioan. 7. nes apprehendere, *Nemo manus miſit in eum.* Ioannis 7. *Nondum enim venerat hora apprehenſionis eius*, nec tempus paſſionis, quod præcognitum fuerat à

Gal. 4. Patre. Sed & Paullus ait: *Cum venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum.* Per quod manifeſtum eſt, quoniam omnia, quæ præcognita ſunt à Patre, ordine, & tempore, & hora præcognita & apta, fecit Dominus. Hactenus D. Irenæus.

Quarta eſt D. Gregorij Nyſſeni, in dictum illud Greg. Nyſſ. Apoſtoli: *Tunc etiam ipſe Filius ſubiicietur ei, &c.* Ar- 1. Cor. 15. bitratur ille Chriſtum, cùm ſic Matri reſpondit, oſtendiſſe Matris ſe poteſtati iam exemptum, quòd ad perfectam peruenisſet ætatem. Per interrogationem verò verba Chriſti legit, hunc in modum, *An nondum venit hora mea?* Ad perfectam, inquit, ætatem progreſſus Chriſtus, iam non amplius poteſtatem Matris curabat. Cùm enim illa hortaretur in Cana, vt vinum epulo largiretur: maternum conſilium reiecit, cùm diceret: *Quid mihi tecum eſt mulier?* numquid etiam hanc meam ætatem regere vis? *An nondum venit hora mea*, quæ liberum arbitrium, & ſuum ius ac poteſtatem ætati præbeat? Sic Nyſſenus. Nullo tamen modo placet hæc interpretatio; quoniam à Chriſti humilitate diſcrepat & obedientia. Eſt & alia interpretatio de auguſtiſſima Euchariſtia. Nondum venit hora mea paſſionis, qua vinum admirabile præbebo non habentibus, id eſt, ſanguinem meum ſub ſpecie vini. De illa agam Ioan. 13. cùm ad cœnam Domini peruenero. Interim vide Turrianum in libro de Euchariſtia, cap. 6.

Exiſtimo Chriſtum de hora, id eſt, tempore lo- *Quid ſit,* qui, quod miraculorum principio deſtinauerat, niſi Nondum Mater interueniſſet. Statuerat enim Dominus mi- venit hora raculorum initium alio tempore facere, & alio mea. *Auctoris* forte loco, videlicet Hieroſolymis. Nam poſt hoc *ſententia.* miraculum, miracula quæ ſequuntur, Hieroſolymis fecit: vt liquet ex Ioanne, cap. 2. & 3. Ait igitur: Petis Mater, vt miraculum primum faciam? *Nondum venit hora mea*, edendi miracula: ſtatui enim Hieroſolymis alio tempore incipere. Verumtamen, quia tu petis, horam anteuertam, & quod petis faciam. Similis locus exſtat Ioannis 7. *Ego*, in- Ioan. 7. quit Dominus, *non aſcendam ad diem feſtum iſtum, quia meum tempus nondum impletum eſt*; videlicet tempus aſcendendi ad diem feſtum. Impletum autem eſt paullo pòſt. Nam ad eam feſtiuitatem paullo pòſt eſt profectus. Ex his conſtat, quantum Deiparæ precibus detulerit: tempus enim atque horam miraculorum, illius annuens precibus, anteuertit. D. Cyrillus in Ioannem: Quantus, inquit, ho- Cyrillus. nor parentibus debeatur, Chriſtus oſtendit; cùm ſtatim ad actum propter Matrem accedat; quem, quantum in eo erat, parumper diſtuliſſet, &c. Et Ambroſius Pſal. 118. octonario 16. Qui horam ſuam veniſſe negabat, fecit quod ante differebat, &c.

Chryſoſtomus homilia 20. & 21. in Ioannem, Chryſoſt. nonnulla ſcripſit non ſatis appoſitè ad dignitatem, amplitudinem, & ſapientiam Deiparæ Virginis: Optabat, inquit, vt Filius iam hominum gratiam cõciliaret, & ipſa clarior Filij gratia efficeretur; & fortaſſe aliquo humano affectu afficiebatur; quemadmodum & fratres eius, cùm dixerunt: *Oſtende te* Ioan. 7. *ipſum mundo*: cupidi eius miraculis ſibi famã comparare. Idcirco aſperius Chriſtus reſpondit. Et homilia 21. Nec Chriſtum quiſquam præter Andream & Philippum ſequebatur; neque hi verè adhuc ipſum cognoſcebant; non mater, non fratres, &c. Sed nouus hic eſt in opere ſanctiſſimi Doctoris. Abſit à nobis, vt humano aliquo inanis gloriæ affectu permotam Virginẽ credamus; quæ nullo vmquam vel originali vel veniali peccato eſt infecta; tamque aliena ab inani gloria fuit, quàm vera ſolidaque gloria plena. Abſit, vt exiſtimemus ſapientiſſimam Matrem Filium ſuum non verè agnouiſſe, quem ab Angelo acceperat Filium Altiſſimi vocandum, quemque Deum verum, ad omnia miracula patranda infinitam habere poteſtatem, habebat exploratiſſimum. Exceſſit Chryſoſtomus, vt ait Chryſoſtomus exceſſit D. Thomas, 3. parte quæſt. 27. artic. 4. Lege Sixtum annotatione 58. lib. 6.

CA-

CAPVT II.

De nuptiis Canæ Galilææ.

Ioan. 2. QVODCVMQVE *dixerit vobis, facite.* O miram Deiparæ Virginis fiduciam! ô miram

Ibidem. prudentiam! Quis, si verba illa audisset, *Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea*, de miraculo

Virginis Deiparæ fiducia circa miraculum patrandum. Bernar. non desperasset? At sapientissima Virgo spem non abiicit, non cadit animo; immo Filij verba animumque prudenter intelligens, conuiuij ministris ait: *Quæcumque dixerit vobis, facite.* Non desperauit Virgo, ait Bernardus in sermone de verbis Apocalypsis, ministros admonens facere, quod Christus eis diceret, &c. Et de gradibus superbiæ, gradu 12. Discе, inquit, in Matre Domini, magnam in mirabilibus fidem habere. Non defuit pietati fides, efficacia voto, &c. Et sermone primo, Dominicæ primæ post Epiphaniam. Durior fortasse & austerior videri posset responsio Domini. Sed nouerat ille, cui loqueretur; & quis loqueretur, illa non ignorabat. Denique, vt scias, quomodo responsum ipsum acceperit; aut quantum de Filij benignitate præsumpserit; ait ministris: *Quæcumque dixerit vobis, facite.* Sic Bernardus. Diuus Ambrosius Octonar. 16. Psalm. 118. Mater, quæ Christi sciebat affectum, dicit ministris: *Quodcumque dixerit vobis, facite, &c.*

Sed vndenam nouit Virgo Christum ministris aliquid imperaturum? Nónne poterat vel in hydriis, ignorantibus ministris, vinum facere, vel in ipsis poculis, vel in ipsa mensa, vel alio quopiam modo? Vndenam cognouit Virgo Filium ministris ad miraculum patrandum vsurum? Diuus Iustinus in verbis supra citatis sentire videtur, Dominum Matri dixisse: Si vis ne eos vinum deficiat, dic ministris, vt ea quæ iubeo, faciant. Verùm verba hæc Iustinus proposuit, velut quamdam verborum Christi explanationem. Non ergo liquet, an ab ipso dicta existimarit. Sanè si fuissent à Christo dicta, Euangelista illa non prætermisisset, quoniam ad miraculum maximè attinebant.

Haymo. Vndenouerit Virgo Christũ ministris aliquid imperaturum? Haymo in expositione huius Euangelij, ait, Virginem prophetico Spiritu nouisse miraculum à Filio patrandum; atque ideo ministros sic esse allocutam: Licet, inquit, Dominus taliter fuisset locutus; tamen beata Maria sciebat per Spiritum prophetiæ, quòd ad hoc venerat Dominus ad nuptias, vt miraculum ibi patraret; conuertendo aquam in vinum. Et ideo fiducialiter imperauit ministris, vt

Gaudent. obedirent voci Filij iubentis, &c. Et sanctus Gaudentius tractat. 9. Numquam, inquit, Virgo mandaret ministris: *Quodcumque dixerit vobis, facite*; nisi Spiritu sancto post partum diuinum plena, non solùm responsionis Christi virtutem cognouisset, verùm etiam futuri ab eo tunc ex aqua vini vniuersum ordinem præuidisset. Quid enim lateret sapientiæ Matrem, capacem Dei? Hæc ille.

Euthym. Euthymius putat, Deiparam ministros monuisse, vt miraculum cum ipsa peterent. Sic enim scribit: Virgo mensæ ministros admonet, vt sibi adsint; & ipsi quoque alio modo cum ea deprecentur, &c. Theophylactus: Ministris dicit Mater: *Quidquid dixerit vobis, facite.* Atque ita cùm maior fieret petitio; cumque accessissent & illi, ac petissent, &c.

Chrysost. Chrysostomus verò existimat, Deiparam Virginem ministros ad Christum duxisse: Maria, inquit, ministros ad Filium duxit. Exspectauit, & palàm ministros accersiuit, vt à pluribus rogaretur. Et addidit: *Quodcumque dixerit vobis, facite.* Nouerat non esse imbecillitatis excusationem, sed ne fastu quodam temerè id suscipere videretur. Quamobrem ministros adduxit, &c. Diuus quoque Bonauentura, in libro de Vita Christi, cap. 20. hæc verba Virgini attribuit: Ite ad Filium meum, & quidquid vobis dixerit, facite, &c.

Verumtamen cùm hæc ministrorum petitio ad miraculum maximè spectarit, illius Euangelista meminisset. Cur enim Virginis verba, *Quodcumque dixerit vobis, facite*, litteris consignasset, alia verò, Ite ad Filium meum, & orate, vt vinum cõuiuis suppeditet, silentio inuoluisset? Crediderim ergo, Virginem cum ministris plura locutam, quàm Euangelista referat; sed ad petẽdum à Christo vinum illos non misisse. Cur autem ministris dixerit: *Quodcumque dixerit vobis, facite*; caussa fuit illius eximia prudẽtia, Filiique notitia. Persuaserat enim sibi, tempus iam adesse Christo miracula faciendi; nihilque sibi petenti Filium denegaturũ. A ministris verò rem exordiendam intellexerat, per quos vinum conuiuis distribuebatur. Quòd si vera est Chrysostomi & aliorũ interpretatio, quam descripsimus, illorum verborum: *Nondum venit hora mea*; hoc est, nondum est tempus faciendi huius miraculi; faciam tamen, cùm tempus aduenerit: Virgo interpretationem intellexit; & ideo ministros monuit, vt quo tempore Christus miraculum edere vellet, omnibus in rebus iubenti obtemperarent.

Ioan. 2. ERANT *autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ, secundum purificationem Iudæorum.* Deiparæ desiderio precibusque fecit satis Dominus. Quid enim pietatis Matri, piè petenti, pietatis fons denegaret? Quomodo miraculum, tum factum, tum cognitum in

Ibidem. conuiuio fuerit, Ioannes narrat: *Erant*, inquit, *illa in domo hydriæ sex lapideæ*, hoc est, sex vasa aquaria, siue sex amphoræ ex lapide. Aqua à Græcis, ὕδωρ, hydor, dicitur; ab hoc nomine ductum est nomen hydria, hoc est, vas aquarium. Cui vsui hydriæ inseruirent, indicant verba illa: *Secundum purificationem Iudæorum.* Vasa erant non vinaria, sed aquaria; id quod ad miraculum spectat. Aqua verò, quæ in illis asseruabatur, incolarum frequentibus purificationibus siue ablutionibus erat præparata: ne deesset aquæ copia, cùm se ablutione perpurgare vellent.

Quid sit hydria?

Marci 7. Iudaorũ purificationes. Nam Iudæis in vsu erat frequens purificatio siue ablutio: *Pharisæi & omnes Iudæi, nisi crebrò lauerint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum: & à foro nisi baptizentur*, id est, abluantur, *non comedunt; & alia multa sunt, quæ tradita sunt illis seruare, baptismata*, id est, ablutiones, *calicum, & vrceorum, & æramentorum, & lectorum, &c.* Adde iis, legales immunditias, propter quas etiam sese abluere solebant. Itaque hydriæ erant, id est, vasa aquaria, non vinaria, quæ non vinum, sed aquam continebant. Erant autem sex, non vna tantùm vel duæ, vt Domini liberalitas significetur: nec enim vnam aut duas, quod fortè satis fuisset, sed omnes sex hydrias repleuit vino, vsque ad summum; plures etiam repleuisset, si plures fuissent.

Ioan. 2. Cur Christus implerè iusserit hydrias aquâ? IMPLETE *hydrias aqua.* Vel vacuæ erant hydriæ, vel potius non plenæ aqua. Ideoque Dominus ministros ad se vocatos, iubet eas omnes aqua complere. Idcirco autem hoc iussit, vt ipsi ministri miraculi testes essent oculati, qui aquam infuderunt, vinum verò hauserunt. Cur, ait Chrysostomus, Christus hydrias aqua non impleuit, deinde in vinum vertit, sed ministris implendas mandauit? Vt miraculi ministros ipsos testes haberet, qui aquam hausissent; ne qua fraus, ne quod præstigium putaretur, & cet. Paruerunt iubenti ministri, hydrias vsque ad summum aqua compleuerunt; neque hæsitantes, neque quorsum id facturi essent, interrogantes. Iam enim à Deipara

Chrysost. hom. 21.

Virgine fuerant ad obedientiam inſtructi. Quid plura? aquam infuſam ſex hydriis,rerum conditor omnium Chriſtus, in vinum ſubita ſtupendaque commutatione conuertit.

Quæ Chriſtus per miracula faciebat, naturalibus erant præſtantiora.

Quale verò illud vinum fuerit, Chryſoſtomus docet,nimirum ſuauiſſimum. Quæ enim Chriſtus per miraculum faciebat, præſtantiora erãt naturalibus. Fecit,ait Chryſoſtomus,aquam vinum : nec ſimpliciter vinum, ſed vinum optimum. Eiuſmodi enim ſunt Chriſti miracula, vt quæ natura perfecta ſunt, longè pulcriora melioraque reddantur. Ita & in aliis,diſtortum membrum,quàm ſana

Cyrillus.

validius reddebat, &c. Diuus Cyrillus: Non aliter niſi optimum vinum eſſe poterat,quod factum miraculosè à Chriſto fuit,&c.Theophylactus:Vinum

Theophyl.

B fecit Chriſtus optimum. Hæc enim, quæ per miracula Chriſti ſunt facta,multò meliora iis ſunt, quæ per naturam fiunt. Quòd verò optimum fuerit, ar-

Euthym.

chitriclinus teſtatus eſt,&c. Euthymius: Non ſimpliciter aquam vertit in vinum, ſed in bonum vinum, ſicut architriclinus teſtatus eſt. Nam huiuſmodi miranda Chriſti opera longè erant naturali-

Abulenſ.

bus præſtantiora,&c.Abulenſis Matthæi 14. quæſt. 117.Communiter,inquit,aſſeritur,& eſt veriſimile, quòd quando Chriſtus aliquid per miraculum faciebat,illud erat melius, quam naturaliter eſſe ſoleret, &c.

Cur Chriſtus vinũ ex aqua, & nõ ex nihilo fecit? Chryſoſt.

Cur non ex nihilo vinum fecit, ſed aquam potius in vinum conuertit? Reſpondeo,vt miraculum pateret magis; hoc eſt,magis eſſet viſibile & credi-

C bile;dum miniſtri aquam hydriis infundunt,poſtea in vinum conuerſam hauriunt. Chryſoſtomus: Aliud eſt,inquit, ſubiectæ materiæ qualitatem mutare,aliud ipſam ſubſtantiam ex nihilo facere. Hoc profectò mirabilius, non tamen ita credibile. Hac gratia, nonnumquam miraculorum magnitudinem Chriſtus conſultò imminuit; vt facilius crederentur, &c. Diuus Thomas in Ioannem : Ex ni-

D. Thom.

hilo aliquid facere maius eſt & mirabilius, quàm facere aliquid ex ſubiecta materia. Sed non eſt ita euidens & credibile multis. Et ideo volens Chriſtus magis credibile eſſe,quod fiebat, ex aqua fecit vinum ; capacitati hominum condeſcendens, &c. Adde vinum fuiſſe rubrum, vt miraculum eſſet

D euidentius, iuxta illud quod in hymno eccleſiaſtico Epiphaniæ canitur: Aquæ rubeſcũt hydriæ,&c.

Ioan.2.

CAPIENTES *ſingulæ metretas binas vel ternas.* Voluit Euangeliſta,non ſolùm hydriarum numerum, verum etiam menſuram memoriæ prodere; vt Chriſti munificentia intelligatur. Non enim

Ibidem.

vaſa erant parua,ſed magna : *Singulæ*, inquit, *capiebant metretas binas vel ternas.* Duplicem ſenſum habent hæc verba. Prior eſt Caietani & Toleti,ex hydriis, quædam capiebant binas metretas; aliæ verò ternas, numero definito. Poſterior eſt, capiebant ſingulæ hydriæ, vel binas metretas,vel ternas; ita, vt certum numerum metretarum, quem ſingulæ

E hydriæ caperent, nolit Ioannes definire, ſed indefinitè dicat,ſingularum hydriarum menſuram, vel

Haymo.

duarum vel trium fuiſſe metretarum. Vnde Haymo: Non dixit,inquit, Ioannes,hydriæ aliæ capiebant binas metretas,& aliæ ternas,ſed ſingulæ. Vt intelligeres,quia æqualiter tenebant,&c.

Quæ mẽſura ſit metreta.

Metreta autem menſura eſt, quæ,vt vult Budæus libro 5.de Aſſe ex Dioſcoride,continet congios decem. Decem autem congij ſexaginta ſextarios va-

Georg. Agr.

lent.Georgius Agricola libro 2.de Menſuris Græcis & alij, metretæ tribuunt congios 12. ſextarios 72. Congius conſtat ſextariis ſex; ſextarius ſimilis eſt noſtro *quartilho*, ſed maior. Metreta ergo,iuxta priorem Budæi opinionem,continet ferè almudem vnum cum dimidio. Iuxta poſteriorem Agricolæ

A ſententiam,continet circiter duos almudes. Lege D. Epiphanium in libro de Ponderibus & menſuris: Artaba,inquit ille,ſextariorum eſt 72.eamdem menſuram habet & metreta,iuxta menſuram ſanctam,&c. Item, Congius ſanctus ſextariorum ſex, quæ eſt duodecima pars metretæ, &c. Itaque quælibet hydria capax duarum metretarum 4. almudes,capax verò trium metretarum ſex almudes capiebat. Sex autem hydriæ continebant circiter 36. almudes. Integrum ergo dolium vini optimi,quale illud fuit miraculo effectum, liberaliſſimè Chriſtus nuptiali epulo largitus eſt. Idem Agricola libro primo de Menſuris externis, docet metretam apud Syros menſuram eſſe ſextariorum 120. Italicorum. Quòd ſi metretæ ille erant Syræ (eſt enim Iudæa pars Syriæ) maior multò fuit vini copia. Sed probabilius eſt,Ioannem de Græcis metretis locutum, ſiquidem Græcè in Aſia ſcripſit. Docet idem auctor Barthum,Metretam, Cadum,& Ceramium, menſuras eſſe æquales.

Epiph.

HAVRITE *nunc,& ferte architriclino.* Quomodo factum ſit miraculum narrauit Ioannes. Quomodo cognitum fuerit, nunc exponit. Ideo enim fiebat, vt patefieret, patefactumque Chriſti gloriam patefaceret.Poſtquam igitur miniſtri oculati teſtes miraculi, hydrias aqua ad ſummũ vſque compleuerunt, illaque in vinum ſuauiſſimum mirabiliter tranſiit; Dominus imperauit,vt ex hydriis non iam aquam, quam ipſi infuderant, ſed vinum,

C quod ipſe fecerat, haurirent, & architriclino propinarent. Dicitur autem architriclinus à triclinio, triclinij princeps, τρίκλινος. Græcè lectus dicitur, vnde triclinium, locus appellatur trium lectorum. Nam antiqui olim in lectis diſcumbentes ſumebant cibum,quibus molles ſternebantur culcitræ,vt colliges ex Iuuenalis illo carmine Satyra 5.

Ioan.2.

Tertia ne vacuo ceſſaret culcitra lecto. *Iuuenal. ſatyr. 5.*

De recũbendi modo alibi Deo annuente dicemus.

Quis fuerit architriclinus.

Diuus Thomas in Ioannem, ait, architriclinum fuiſſe principem & primum inter conuiuas, ideoque iuſſiſſe Dominum illi vinum propinari, videlicet primo inter diſcumbentes. Similiter Lyra-

Lyran.

D nus: Architriclinus,inquit,ſignificat eum,qui principaliter inter conuiuas ſedebat. Et probabile eſt, quòd fuerit aliquis ſacerdos illius temporis, qui ſtabat in nuptiis, ad benedicendum, & ad oſtendendum qualiter debebant procedere ſecundum legem & ſtatuta ſeniorum. Hæc ille. Veriſimilius eſt, architriclinum prefectum fuiſſe miniſtris conuiuij; & vt ordine debito fercula menſæ inferrentur,vinumque propinaretur, curaſſe. Vnde Euthy-

Euthym.

mius: Architriclinum dicit Euangeliſta, conuiuij prefectum,qui conuiuium procurat:triclinia enim

Gaudent.

vocabantur aulæ conuiuiorum,&c. D.Gaudentius tractatu 9. putat fuiſſe ſacerdotem, ad quem conuiuij nuptialis cura attinebat : Nuptiæ,inquit,apud Iudæos cùm fierent, vnus (quantum traditione comperimus) dabatur de ſacerdotali ordine, qui morem diſciplinæ legitimè gubernaret; pudoriſque curam gereret coniugalis : ſimul etiam conuiuiorum apparatui miniſtros atque ordinem diſpenſaret; & pro hoc officio architriclinus, id eſt, triclinij præpoſitus dicebatur. Hæc grauis auctor, qui tempore diui Ambroſij floruit.

Cur ad architriclinum ferri iuſſit Dominus vinum? Meritò quidem, quia ipſe conuiuium procurabat.Præterea,quia volebat Dominus,ipſum conuiuij præfectum miraculi teſtem eſſe. Ex Chryſoſtomo & aliis,alia quoque cauſſa reddi poteſt. Nimirum, quoniam architriclinus menſæ non accumbebat : ſobrioque palato de vini præcellentis

Sobrio vinũ propinatur.

ſapore odoreque ſingulari iudicare poterat. Non dixit

dixit Euangeliſta, ait Chryſoſtomus, conuiuas de miraculo tuliſſe ſententiam: ſed architriclinum, qui ſobrius nihil adhuc guſtauerat. Etenim nemo ignorat in huiuſmodi conuiuiis munera maximè ſobriis & temperantibus demandari: quorum ſolum officium eſt, vt debito ordine & apparatu omnia diſpenſentur. Idcircò ſobrium virum in miraculi teſtimonium adduxit. Non enim dixit Chriſtus, vt recumbentibus miſcerent, ſed ferrent architriclino, &c. Theophylactus item: Iubet Chriſtus, vinum guſtandum dari architriclino, qui ſobrius erat, &c.

Ioan. 2. VOCAT *ſponſum architriclinus.* Oblatum vinum guſtauit tantùm architriclinus pro munere

Caietan. ſuo, vt obſeruat Caietanus: Non dixit Euangeliſta, ait Caietanus, bibit vinum; ſed guſtauit, ad ſignificandum officium architriclini, &c. Non enim bibebat, ſed guſtum tantùm vini percipiebat architriclinus. admirandum tum ſaporem, tum odorem perſenſit, & ſtupens vocauit ſponſum. Coniici hinc poteſt, ſponſum menſæ non accubuiſſe: ſed generalem curam omnium habuiſſe. Si enim accubuiſſet, non eſſet vocatus ab architriclino. Sed veriſimile non eſt ſponſum, propter quem nuptiæ fiebant, inter conuiuas non ſumpſiſſe cibum: & architriclini geſſiſſe munus; quaſi verò duo opus eſſent architriclini. Vocauit autem architriclinus non recumbens, ſponſum recumbentem, & à remotiori loco compellauit, hunc in modum: heus tu, *Omnis homo primò bonum vinum ponit*, poſtremo loco deterius; tu ordinem inuertiſti. Vinum præcellentiſſimum in finem, præter morem, reſeruaſti; peius initio conuiuis propinari iuſſiſti. Admiratus

Miraculum agnoſcitur. ſponſus, rem ſe ignorare dixit. Tum à miniſtris miraculum ſumma cum omnium admiratione patefactum eſt. Ad hydrias omnes videndi ſtudio accurrerunt: easque præcellenti vino ſuauemque odorem exhalante plenas repererunt.

Cur bonum vinũ priori loco propinetur? Quæres, cur conuiuij initio omnis homo bonum vinum ponit, deterius poſtea? Reſpondetur, quoniam conuiuij initio ſenſus acrior eſt, ad iudicandum de ſapore vini: poſtea verò potu ciboque hebeſcit. Aduerte verbum, inebriari, hoc loco, *Cùm*

Ioan. 2. *inebriati fuerint conuiuæ, tunc id ponit, quod deterius eſt*, abundantiam ſignificare potus, non autem ebrietatem, quæ mentem ex ſtatu deturbat. Aduerte præterea, neque ſponſum, neque architriclinum, quidquam de miraculo ſciuiſſe, antequam patraretur; atque adeò Virginem, clàm, ſubmiſſa voce, cum Filio egiſſe de miraculo.

Ibidem. Chryſoſt. An fuerit hoc primum Chriſti miraculum? HOC *fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galilæa.* Nonnulli, vt Chryſoſtomus hoc loco ait, dixere, hoc miraculum non fuiſſe abſolutè primum omnium, quæ Chriſtus edidit: ſed eorum tantùm, quæ fecit in Cana Galilææ. Zacharias in Concordia Euangelica huius eſt opinionis: Inter multa, inquit, ſigna quæ fecit in Cana Chriſtus, fuit hoc pri-

Hugo Card. mum. Et Hugo Cardinalis: Non dicit Euangeliſta, ſimpliciter primum ſignum: ſed in Cana Galilææ primum. At communis eſt opinio, hoc miraculum primum omnium fuiſſe, quæ Chriſtus edidit. Ita ſentit diuus Thomas, Lyranus, Carthuſianus, Caietanus, & alij; idque ſignificant Ioannis verba: *Hoc fecit initium ſignorum*, id eſt, miraculorum, *Ieſus*. Initium fuit; ergo non fecerat antè aliquod miraculum. Alioqui illud fuiſſet initium ſignorum, non hoc. Præterea verba quæ ſequuntur primum hoc fuiſſe miraculum indicant. Nam primo hoc mira-

Ioan. 2. culo, *Manifeſtauit gloriam ſuam*, nondum alio miraculo manifeſtatam; *Et crediderunt in eum diſcipuli*, qui hoc primum ſignum viderunt. Quòd autem addit, *In Cana Galilææ*: non ſignificat, hoc fuiſſe primum ſignum ex iis quæ fecit in Cana; ſed voluit Euangeliſta locum ſignare, in quo primum miraculum fuit editum; quaſi diceret: hoc fuit primum miraculum Chriſti. Si locum quæras vbi factum eſt; factum dico in nuptiis & in Cana Galilææ. Hoc ſcire opus erat, vbinam initium miraculorum fecerit Dominus; ſcire autem, quodnam fuerit primum miraculum in Cana factum, parum referebat. Referebat magis ſcire, quodnam fuerit primum miraculum eorum quæ Dominus Ieroſolymis patrauit; at hoc Ioannes prætermiſit. Quorſum igitur ſcribere voluit, quodnam fuerit primum inter ea quæ in Cana Galilææ ſunt edita? Itaque primum Chriſti miraculum in his nuptiis editum eſt.

Primũ Chriſti miraculũ ab aquâ auſpicatũ.

Tertull. Quamobrem Tertullianus in libro de Baptiſmo, cap. 9. ait, Chriſtum prima poteſtatis rudimenta ab aqua auſpicatum: Prima, inquit, rudimenta poteſtatis ſuæ, vocatus ad nuptias, aqua auſpicatur. Et diuus

Hieron. Hieronymus epiſtola 83. ad Oceanum: Saluator, inquit, primum ſignum ex aquis facit, &c. Diuus

Epiph. Epiphanius hæreſi 51. Neque omnino, inquit, Chriſtus aliquod diuinum ſignum ante tentationem fecit, &c. Item: Tertia die factum eſt primum diuinum ſignum. Ambroſius ſermone 19. Dicitur Chriſtus hoc primum feciſſe miraculum, vt aquam mutaret in vinum, &c. Idem ſentit Theophylactus &

Chryſoſt. Euthymius. Chryſoſtomus verò: Affirmo, inquit, poſt baptiſma Chriſtum miracula facere cœpiſſe; antè, nullum. Hoc, ſiue aliud primum fuerit poſt baptiſma, non admodum quæſitu neceſſarium ducimus. Sic ille. Exiſtimat Chryſoſtomus Chriſtum, antequam baptizaretur, nullum miraculum edidiſſe. An autem poſt baptiſmum hoc ſit primum, non curat.

An fecerit Chriſtus miracula in pueritia? An autem ante baptiſmum in pueritia miracula fecerit, dubitabit aliquis. Nam Chryſoſtomo teſte homilia 16. in Ioannem, aliqua miracula ferebantur in Chriſti pueritia facta. Et diuus Thomas 3.

D. Thom. parte quæſt. 43. articulo 3. Legitur, inquit, in libro de infantia Saluatoris, quod Chriſtus in ſua pueritia multa miracula fecit, &c. Diuus quoque Epipha-

Epiph. nius hæreſi 51. citata, exiſtimare videtur, nonnulla veluti per luſum feciſſe: ſic enim ſcribit: Neque omnino aliquod diuinum ſignum & prædicationem ante tentationem Chriſtus fecit, niſi quæ de ipſo cantantur, quæ puer fecit, velut per luſum; velut quidam tradunt. Et oportebat reuera etiam pueriles actiones ipſum habere; vt ne occaſionem haberent reliquæ hæreſes, dicentes, quod à Iordane venit ſpiritus in ipſum, hoc eſt, columba. Quapropter etiam in duodecimo anno, clarè oſtendit Lucas, quod diſputans cum ſacerdotibus ac ſenioribus, ad Mariam dixit: *An neſciebatis, quòd in iis quæ*

Luca 2. *Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* quò caderet ſermo eorum, qui dicunt, quod à tempore baptiſmatis deſcendit in ipſum Spiritus ſanctus; & vt cognoſcatur manifeſtè, quod ex ſupernis aduenit Verbum,

Hugo Card. & incarnatum eſt ex Maria. Hæc Epiphanius.

Chriſtus in pueritia nulla miracula fecit, & cur. Dicendum eſt, Chriſtum in pueritia miracula non feciſſe; vt docet Chryſoſtomus homilia 16. in Ioannem, ad illa verba Baptiſtæ: *Et ego neſciebam eum.* Id quod quatuor rationibus probatur. Prima eſt, quoniam hoc loco Ioannes teſtatur, primum miraculum feciſſe Chriſtum in nuptiis; ergo ante nuptias nullum fecerat. Secunda, quoniam nulla erat ratio ad facienda miracula, antequam docere homines inciperet: vt enim ait diuus Thomas 3. parte quæſt. 43. artic. 3. miracula facta ſunt à Chriſto, propter confirmationem doctrinæ; & ideo non debuit ante miracula facere, quàm docere inciperet. Tertia ratio, ſi miracula Chriſtus in pueritia feciſſet, notus populo fuiſſet, neque opus fuiſſet à

Chryſoſt. Ioanne manifeſtari. Quæ ratio eſt Chryſoſtomi homil. 16. in Ioannem.

Si, inquit, Chriſtus notus fuiſſet, non dixiſſet Baptiſta: *Vt manifeſtetur in Iſraël, propterea veni ego in aqua baptizans.* Hinc conſtat ſigna illa & miracula, quæ in Chriſti pueritia facta feruntur, vera non eſſe. Nam ſi à pueritia miracula facere cœpiſſet; non ſanè eum Ioannes ignoraſſet; nec reliqua multitudo indiguiſſet magiſtro, qui ipſum manifeſtaret. Nunc autem, ait Ioannes: *Propter hoc veni, vt manifeſtetur in Iſraël, &c.* Et homil. 20. Si antea, inquit, miracula Chriſtus feciſſet, nõ indiguiſſet populus aliquo qui ipſum manifeſtaret. Vir enim factus, miraculorum multitudine, non Iudæis modò, ſed Syris, & longinquiora colentibus cognitus eſt, tribus annis dumtaxat. Immo ne tribus quidem indiguit, ſed quàm primùm nomen eius in omnes diffuſum eſt. Qui igitur tam breui miraculis claruit, longè magis à prima infantia, ſi ea feciſſet. Fuiſſet enim maiori admirationi, vtpote puer, quàm vir, neque tamdiu in obſcuro latuiſſet. Sed nihil à pueris operatus eſt. Vnum dumtaxat Lucas teſtatur, quòd annorum duodecim ſediſſet in templo medius Doctorum, & audiens, & interrogans; fuiſſetque ſummæ omnibus admirationi. Sic Chryſoſtomus. Quarta ratio eiuſdem eſt Chryſoſtomi: Non fecit in pueritia miracula Dominus, ne præſtigia putarentur. Non immeritò, ait Chryſoſtomus hom. 20. à teneris annis Ieſus à miraculis abſtinuit: arbitrati enim eſſent, ſe præſtigia videre. Nam ſi annorum acceſſu, & ætate matura, multi id ſuſpicati ſunt, quid de puero crediderent? &c.

Ioan. 1.

Chryſoſt.

Euthym. Similem in modum Euthymius: Docuit, inquit, Ioannes hoc principium fuiſſe ſignorum. Nam quia id ſcitu dignum erat, & ab aliis præteritum, ſcripſit illud. Vtpote ad hoc vtile, ne fides adhibeatur iis, quæ dicuntur pueri Chriſti miracula. Hoc enim fuit initium ſignorum. Illa verò ſunt opus viri, qui à veritate aberrauit. Nam ſi puer mirabilia operatus eſſet. id ſtatim omnibus innotuiſſet; neque Iſraëlitis fuiſſet opus Ioanne, vt eum manifeſtaret. Meritò ergo exſpectauit ætatem decentem viros, ne phantaſmata eſſe putarent, quæ fierent, &c. Miracula igitur illa, quæ ferebantur Chriſti pueri, & liber ille de infantia Saluatoris, auctoritate carent. Potuit quidem Chriſtus miraculis in pueritia ludere; potuit in infantia ſignis, veluti crepundiis, oblectari. At per luſum miracula numquam fecit Dominus. Nec enim diuinam id decebat omnipotentiam; ſed vt gloriam ſuam hominibus patefaceret, fidemque ſibi compararet, quod ſequentia verba indicant.

Per luſum numquam miracula fecit Dominus.

Ioan. 2. Chriſtus cur miracula fecerit? Chryſoſt. Et *manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli eius.* En quorſum miracula Chriſtus patrabat: videlicet, vt gloriam ſuam manifeſtaret, & fidem hominum ſibi conciliaret. Vnde Chryſoſtomus homilia 47. in Matthæum: Chriſtus, inquit, propterea miracula fecit, vt cùm fide dignus videretur, ad ſe homines attraheret: & virtuosè viuere perſuaderet, &c. Hactenus nec miracula ediderat, nec quis eſſet patefecerat. Nunc primùm, hoc miraculo edito, gloriam ſuam ac potentiam manifeſtam reddidit. Et crediderunt in eum diſcipuli, qui cum illo ad nuptias ſunt inuitati: hoc eſt, ampliorem fidem acceperunt, vt exponit Theophylactus: Quòd, inquit, diſcipuli eius crediderunt in eum. Ita intellige, quòd fidem ampliorem & firmiorem acceperint: quia & prius quidem crediderant, ſed non tam firmiter, &c. Et Haymo: Crediderunt diſcipuli in eum, non quòd antea non credidiſſent, quia niſi credidiſſent nullo modo eum ſequerẽtur. Sed firmius crediderunt, quã antea credidiſſẽt, &c.

Haymo.

Nondum tamen crediderunt hoc tempore Chriſtum eſſe Deum, vt opinatur Toletus, ſed crediderunt firmius eſſe Meſſiam. Diuus Thomas ait poſt miraculum credidiſſe in eum, tamquam in Deum; ante miraculum credidiſſe ei, tamquam viro bono, iuſta prædicanti. Caietanus quoque exiſtimat ante miraculum credidiſſe eſſe Meſſiam; poſt miraculum credidiſſe diuinam in ipſo potentiam latere. Diuus Ambroſius ſermone 20. affirmat credidiſſe in omnipotentiam Saluatoris. Et diuus Cyrillus in libro priori de Recta fide ad Reginas, in fine: Cùm crediderunt, inquit, diſcipuli in Chriſtum, num in hominem ſanctum ſimpliciter? quia & ante ſignum ſecuti ſunt eum, admirantes, vt ſanctum. Sed propter ſignum contuiti ſunt eum habere virtutem ac poteſtatem maiorem quàm homines. Vnde crediderunt, tamquam in Deum. Sciendum autem, quòd multi Sancti fecerunt multa & admirabilia, & admirati quidem ſunt multi; nullus autem in eos credidit. Hæc D. Cyrillus.

Fides horũ diſcipulorũ qualis fuerit.

Cyrillus.

Multi Sancti fecerũt miracula, ſed nullus in eos credidit.

Dubium eſt, quinam fuerint hi diſcipuli, qui cum Chriſto ad nuptias ſunt inuitati, & viſo miraculo crediderunt. Diuus Epiphanius hæreſi 51. Andream & Petrum, Ioannem & Iacobum nuptiis non interfuiſſe vult: Tertia, inquit, die factum eſt primum diuinum ſignum: cùm quidam diſcipuli cum Chriſto eſſent: non Andreas, non Petrus, non Ioannes, non Iacobus, &c. Rurſus: Cognoſcere, inquit, datur, quòd etiam alios diſcipulos ſecum aſſumpſit, qui cum ipſo manſerant: fortaſſis ipſum Nathanael, & Philippum, & alios quoſdam. Nam Andreas, & qui cum ipſo erant, ſeceſſerat. Qui verò apud Chriſtum manſerunt, vocati ſunt etiam ipſi ad nuptias, &c. Diuus Auguſtinus libro 2. de Conſenſu Euangeliſtarum, capite 17. eos qui cum Chriſto ſunt inuitati, diſcipulos appellatos ait, per anticipationem, hoc ſenſu: Vocati ſunt diſcipuli ad nuptias, id eſt, qui poſtea fuerunt diſcipuli, ſed nondum erant: Quemadmodum, inquit, dicimus Apoſtolum Paullum natum in Tharſo Ciliciæ, cùm tamen, quo tempore natus eſt, nondum eſſet Apoſtolus, &c. Diuus Ambroſius ſermone 20. hos diſcipulos Apoſtolos vocat, & in omnipotentiam Saluatoris ait credidiſſe: Prædicanda, inquit, Apoſtolorum fides, quæ, viſo vno ſigno, credidit in omnipotentiam Saluatoris, &c. Nondum tamen Apoſtoli erant, ſed Apoſtoli dici poterant, quòd poſtea ſint electi. Incertum eſt, quinam diſcipuli tunc Chriſtum ſecuti fuerint. Quod tamen ex dictis Ioannis capite primo colligi poteſt: diſcipuli hîc appellantur, Petrus, Andreas, Philippus, Nathanael, & Ioannes, ſi nuptiarum fuit ſponſus. Hos enim iam Chriſtus vocauerat, vt diximus, vocatione prima: propter quam iam diſcipuli appellantur.

Quinã fuerint hi diſcipuli? D. Epiph.

Auguſt.

Ambroſ.

CAPVT III.

Morale.

De nuptiis Canæ Galilææ.

SOLIS aduentum prius Phoſphorus indicat: deinde Sol ipſe ſuis ſe radiis prodit. Eumdem in modum Meſſiæ aduentum prius Ioannes matutini inſtar aſtri indicauit: poſtea verò ipſemet Meſſias propriis ſe radiis demonſtrauit. Latebat ſub humanitatis nube Sol, hoc eſt, diuinum Verbum. Iam nunc nubem ipſam deaurare, iam radios fulgentiſſimos (vt agnoſcatur) incipit emittere. Quid enim miracula ſunt aliud, quàm fulgentiſſimi diuinitatis radij, ad illuminandos mortales emiſſi?

Triplex Christi epiphania, sive manifestatio.

emissi? Triplicem Christi manifestationem in die Epiphaniæ, id est, manifestationis, Ecclesia celebrat. Primam, qua magis astro præeunte est ostensus. Secundam, qua in baptismate, Patris voce, columbaque ex aperto cælo deuolante, est demonstratus. Tertiam hanc, qua primo miraculo in Cana Galilææ est indicatus. Oportebat miracula edere Messiam, vt cognosceretur, latentemque gloriam manifestam redderet. Hoc initium huius Epiphaniæ & manifestationis fuit: hoc fuit initium radiorum, quibus manifestauit gloriam suam; gloriam, inquam, diuinitatis, quæ sub humanitate erat abscondita. Hoc felix principium innumerabilia alia miracula sunt consecuta, quibus eamdem magis ac magis in dies patefecit.

Ioan. 6. Christi miracula sunt sigilla Dei Patris.

Misit Pater Messiam in mundum eiusque doctrinam. Vt autem ab hominibus & Messias agnosceretur, & doctrina eius diuina esse crederetur, diuina illi sigilla apposuit; quæ cælestem auctoritatem diuinamque naturam cum humana copulatam indicarent. Ait ipse Dominus: *Hunc Pater signauit Deus*; Græcè verbum est, σφραγίζω, quod significat sigillo notare. Pater signauit Filiũ, hoc est, diuina sigilla Filio apposuit; quę, quis ille esset, quænam esset illius doctrina probarent. Hæc autẽ Dei sigilla, miracula sunt stupenda, quæ fecit. Dei enim sigilla sunt, Deum verè testantia. Vnde illud: *Ego habeo testimoniũ maius Ioanne. Opera enim, quæ dedit mihi Pater vt perficiam ea: ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me, &c.* Magnum fuit Ioannis testimoniũ, sed maius testimonium miraculorum. Quemadmodũ regium sigillum à Rege epistolam missam esse testatur; ita diuina miracula à Deo Christũ mistum esse testabantur: *ipsa*, inquit, *opera testimonium perhibent de me, quia misit me Pater.*

Ioan. 5.

Miracula cur signa dicantur. Ioan. 2.

Signa dicuntur in Euangelio Christi miracula. *Hoc fuit initium signorum*, ait Ioannes. Et quidem signa erant diuina, quibus Pater Christum signauit, Messiamque & Deum verum esse mundo significauit. His sigillis cùm vidisset Christum signatum Nicodemus, à Deo missum intellexit: *Scimus*, inquit, *quia à Deo venisti magister. Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo, &c.*

Ioan. 3.

Cant. 5.

Messiæ manus sic describit sponsa: *Manus*, inquit, *eius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis.* Manus autem Christi torno fabrefactæ dicuntur, quoniam perfectissimæ erant; aureæ appellantur, quia illarum opera erant aurea. Vt aurum cetera metalla superat, sic Christi opera & miracula, Patriarcharum Prophetarumque opera & miracula superabant. Plenæ erant hyacinthis, hoc est, annulis, quibus hyacinthi pretiosi lapides coloris cælestis includebantur. Iam verò quinam sunt hi annuli, quibus Messiæ digiti splendescunt, nisi miracula, quibus manus eius fulgent, quæque cælestem colorem habent, quemadmodum hyacinthi; quoniam cælorum indicant Regem in terris versantem. Primum sigillum, quod Christum à Patre missum ostendit; primus annulus, quem digito suo Christus inseruit; primum opus admirabile, quod gloriæ diuinæ testimonium tulit, hoc miraculum fuit in nuptiis patratum.

Miracula Christi fuere annuli, quibus Messiæ fulgebãt manus.

Conferũtur miracula Christi cum miraculis Mosis.

Exodi 4.

Ingressus est Ægyptum Moses, miraculaque multa in ea edidit, nõ propria, sed aliena (Dei) virtute. At Christus ingressus est mundum, & multò plura fecit signa, non aliena, sed propria potentia. Moses virgam à Deo acceptam ferebat, per quam miracula faceret. Iuxta illud: *Virgam hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa*: Christus virgam non ferebat, nihil enim ei opus erat; quippe qui propriam faciendi signa facultatem haberet. Mosis miracula Ægyptiis exitium; Christi miracula mundo salutem attulerunt. Moses Ægypti primogenita occidit; Christus mortuos in vitam reuocauit. Moses Ægyptum tenebris compleuit; Christus mundum splendore illustrauit. Moses ranas & cyniphes inuexit; Christus dæmones expulit. Moses peste animantia confecit; Christus sanitate homines affecit. Primum Mosis miraculum, postquam in Ægyptum ingressus est, conuersio quædam; fuit etiam primum Christi miraculum, alia conuersio. Sed Mosis conuersio Ægyptiis fuit pernicioſa; Christi conuersio conuiuis fuit vtilissima. Moses fluuij Nili aquam in sanguinem conuertit, ne potari posset; Christus aquam in vinum commutauit; vt suauius potui deseruiret.

Christi miracula fuerunt vtilia. Augustin.

Vtile fuit hoc Christi primum miraculum; fuere etiam vtilia cetera omnia. Non enim curiosa, sed vtilia signa faciebat. Vnde Augustinus in libro de Vtilitate credendi, capite 16. Quædam, inquit, miracula sunt, quæ solam faciunt admirationem; quædam verò magnam etiam gratiam beneuolentiamque conciliant. Nam si quis volantem hominem cernat, cùm ea res nihil spectatori afferat commodi, præter ipsum spectaculum, miratur tantummodo. Si quis autem graui & desperato morbo affectus, mox vt iussum fuerit, conualescat; admirationem sanitatis suæ sanantis etiam caritate superabit. Talia facta sunt illo tempore, quo Deus in vero homine, quantum sat erat, hominibus apparebat, &c. Hoc etiam Apostoli obseruarunt. Lege Abulensem Matthæi 10. quæstion. 58. Concessit, inquit, Deus Apostolis tot genera miraculorũ, quòd, quidquid audientes peterent ab eis, ipsi facere possent. Nam illi non peterent, nisi quod eis erat vtile; & omnia hæc Apostolis concessa erant. Si autem peterent, quòd facerent stare Solem, vel retrocedere, aut aliquid huiusmodi; etiam si Apostoli possent facere, non deberent. Quia istud non erat ad vtilitatem, sed ad curiositatem. Pro curiosis tamen opera Dei petenda non sunt. Nam etiam Christus talia miracula facere nolebat, petente aliquo signum de cælo dare noluit. Immo nullum miraculum faciendum est, quando ex curiositate petitur. Sic Abulensis. Vide quæso quàm vtilia miracula Christus fecerit: *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, &c.* Quodnam inter hęc non est plenissimum vtilitatis? Quid oculorum luce? quid sanitate? quid vita carius & vtilius? Cernitur eadem vtilitas in hoc nuptiarum signo. Deerat conuiuis vinum, per miraculum vini succurrit inopiæ; nec qualecumque vinum, sed pretiosum; neque verò exiliter, sed copiosè ac largiter suppeditauit.

Abulens.

Miracula ad curiositatem non sunt facienda. Matth. 16.

Matth. 11.

Non fuit opus ad hydrias accedere, aquam tangere, vel saltem cernere. Ex mensa, in qua sedebat, ab hydriis distans, nec tactu, nec corporeo visu perceptam aquam, diuina potentia ad omnia pertingente, in vinum transmutauit. Natura vnius anni indiget spatio, vt in vite vinum efficiat; pampinos in primis, racemos postea producit: ij verò prælo compressi, nondum defæcatum vinum, sed mustum emittunt. At Christus non anni, non horæ, non quadrantis indiget spatio; non racemis habet opus; subitò in hydriis absque vllis botris, non mustum, sed defæcatum ac suauissimum vinum efficit. Torcularis instar fuere hydriæ, botrorum instar aqua. Cum secundis caussis pro illarum modo ac ratione lentè Deus operatur; absque illis, momento temporis, quod vult perficit. Ipsemet qui in vite lento quodam concursu vinum producit, in hydriis velocissimè, temporis puncto vinum protulit.

Dei opera sunt admirabilia.

Admirati sunt, qui intererant, admirabile opus; & meritò quidem. Nobis quoque admirabilia Dei

opera ante oculos propoſita ſunt, quæ ſummam illius gloriam enarrant. Sed illa parum admiramur; & immeritò quidem: ſunt enim omni digna admiratione. Quid admirabilius cælo, Sole, Luna, & ſtellis, elementis, pluuiis, tonitruis, tempeſtatibus, animantium, arborum, ceterarumque rerum procreatione perenni? Quid admirabilius orbis creatione, conſeruatione, ac gubernatione? Quid admirabilius ipſo homine? de quo Auguſtinus libro decimo de Ciuitate Dei, capite 12. Omni, inquit, miraculo, quod fit per hominem, maius miraculum eſt homo, &c. At hæc Dei miracula, vt idem Auguſtinus ait, aſſiduitate viluerunt minimè cordatis viris, qui ſuis ſolum modo commodis intenti, diuina opera non conſiderant. Tractatu 24. in Ioannem: Dei, ait, miracula, quibus totum mundum regit, vniuerſamque naturam adminiſtrat, aſſiduitate viluerunt. Ita vt penè nemo dignetur attendere opera Dei mira & ſtupenda in quolibet ſeminis grano, &c. Item: Maius miraculum eſt gubernatio totius mundi, quàm ſaturatio quinque millium hominum de quinque panibus: & tamen hoc nemo miratur, illud mirantur homines. Non quia maius eſt, ſed quia rarum eſt, &c. Philo quoque in vita Moſis, pagina 540. Miracula, inquit, iſta Dei, ludicra ſunt, collata cum ſeriis operibus, qualis eſt creatio cæli cum fixis erraticisque ſideribus, lucis, diei, Solisque productio, itidemque nocturni lunaris luminis, terræ fundatio in rerum meditullio, inſularum & continentis immenſa magnitudo, animalium ſtirpiumque in tot ſpecies diuiſa varietas. Ad hæc, maris æſtuaria, fluuiorum curſus tam perennium, quàm torrentium, latices fontium perpetuò manantium, alibi frigidorum, calidorum alibi. Præterea, tot mutationes aëris, tempora diſcreta annuis horarum vicibus, aliæque pulcerrimæ res innumeræ, quibus recenſendis vix tota hominis vita ſufficiat. Verùm iſta, cùm digna ſint admiratione maxima, contemnuntur, propter conſuetudinem; quæ autem inuſitata ſunt, quamuis minora, miramur. Hæc Philo.

Eſt autem tanta aſſiduitatis vis, vt ipſis etiam miraculis admirationem adimat. Quocirca ait Auguſtinus, Deum non facere aſſidua miracula, quoniam ſi ſolita eſſent, non eſſent mira; quemadmodum mira mundi ſtructura, propter conſuetudinē, multis non eſt mira. Auguſtinus in libro de Vtilitate credendi, c. 16. Cur, inquit, iſta, id eſt, miracula, quæ Chriſtus olim fecit, modo non fiunt? Reſpondet: Quia non mouerent, niſi mira eſſent. At ſi ſolita eſſent, mira non eſſent. Nam diei & noctis vices, & conſtantiſſimum ordinem rerum cæleſtium, annorum quadrifariam conuerſionem, recedentes redeuntesque frondes arboribus, infinitam vim ſeminum, pulcritudinem lucis, cælorum, ſonorum, odorum, ſaporumque varietates, da qui primùm videat ac ſentiat, cum quo tamen loqui poſſimus; hebeſcit obruiturque miraculis. Nos verò hæc omnia, non cognoſcendi facilitate (quid enim cauſſis horum obſcurius?) ſed certè ſentiendi aſſiduitate, contemnimus. Sic Auguſtinus.

At viri cordati ac prudentes, non contemnunt propter aſſiduitatem Dei hæc perpetua maximaque miracula; quin potius ſæpe illa intuentur oculis, ſæpe voluunt animo, admiratione venerantur, & aliis miraculis potiora eſſe iudicant; iuxta illud eiuſdem Auguſtini, lib. 10. de Ciuitate Dei, cap. 12. Quidquid mirabile fit in hoc mundo, profecto minus eſt, quàm totus hic mundus, id eſt, cælum & terra, & omnia quæ in eis ſunt; quæ certè fecit Deus. Quamuis itaque miracula viſibilium naturarum videndi aſſiduitate viluerint, tamen, cùm ea ſapienter intuemur, inuſitatiſſimis rariſſimisque maiora ſunt, &c.

Auguſt. Homo magnum miraculum.

Mirabilia Dei opera, aſſiduitate viluerunt.

Philo.

Aſſiduitas ipſis etiam miraculis admirationē aufert.

Auguſt.

Cæli immenſitatem viri ſancti, ſiderum, Solisque ſplendores, ac raros curſus, terræ molem & ornatum, aquarum magnitudinem, tremendosque fluctus, ignis miram efficacitatem, ceteraque Dei opera conſiderant. Ex illis verò ad gloriam, pulcritudinem, ſapientiam, potentiam, Creatorisque maieſtatem contemplandam, aſſurgunt. Hic magni illius Anachoritæ Antonij liber erat, quem verſabat frequenter. Vnde à quibuſdam Philoſophis interrogatus aliquando, quid ageret? Legere ſe reſpondit; liber autem quem legebat, mundus hic erat. Senſibilis iſte mundus, ait Bernardus in ſermone de verbis Pſalmi 84. eſt velut communis quidam liber catena ligatus; vt in eo ſapientiam Dei legat, quicumque voluerit, &c. Paucos tamen, proh dolor! habet liber lectores, multos autem habet dilectores. Diuinam ſapientiam lectio; inſcitiam ac cæcitatem parit illius dilectio. In ſcala Iacob Angelorum quidam aſcendebant, alij verò deſcendebant. Scala Iacob ad Creatorem Deum ferens mundus eſt; quot creaturas, tot habet gradus. Per hos gradus viri ſanctitate præclari in cælum aſcendunt; improbi verò in tartarum per eoſdem deſcendunt. Aſcendebat Dauid, cùm *Mirabilia*, inquit, *opera tua, & anima mea cognoſcet nimis*; quaſi dicat: Non viluerunt mihi aſſiduitate miracula tua; opera tua admiror, & anima mea cognoſcit illa vehementer. Impios autem eadem nec contemplari, nec cognoſcere, & quodammodo illis vileſcere docet: *Delectaſti*, inquit, *me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. Quam magnificata ſunt opera tua Domine! nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ: Vir inſipiens non cognoſcet; & ſtultus non intelliget hæc, &c.* hoc eſt, Magna me voluptate perfundis, Domine, cùm opera tua contemplor; exulto, cùm rerum à te conditarum magnitudinem, ordinem, pulcritudinemque animo voluo. O Deus ſumme, quàm magna, quàm miranda ſunt opera tua; cogitationes tuæ tum in creatione, tum in gubernatione conditarum rerum, nimis ſunt profundæ: nemo cogitando cogitationes tuas poteſt aſſequi: ſuperant enim omnem hominum cogitationem. Viri autem inſipientes & ſtolidi, qui, quæ carnis ſunt, ſolùm ſapiunt, operum tuorum ſublimitatem, ſplendorem, & gloriam minimè cognoſcunt, minimè intelligunt; non aſcendunt ad te, ſed deſcendunt potius in tartarum, quaſi per gradus, per res conditas à te. Ex pharmaco venenum, ex roſa aconitum, ex melle fel, ex rebus creatis, Creatoris offenſam colligunt.

Homines ſapientes Dei mira opera contemplātur.

Mundus, eſt liber catena ligatus.

Mūdus ſcala Iacob.

Pſal. 138.

Pſal. 91.

Si hoc vnum miraculum in nuptiis factū Chriſti gloriam manifeſtauit, vt Euangeliſta aſſerit; nónne tot orbis totius miracula Dei gloriam ſapientibus manifeſtabunt? *Stultus*, ait Vates, *non intelliget hæc.* Non intelliget ſtultus; intelliget ſapiens. Non intelliget ſtultus, quoniam nec aduertit animum, nec de illis cogitat; intelliget ſapiens, quoniam & aduertit animum, & cogitat. Surdus eſt ſtultus homo, terra obſtructas habet aures, ne cælorum ſonum vocesque audiat, quas audit ſapiens. Habere autem cælos voces ſuas, quibus gloriam Dei manifeſtent, indicat Vates: *Non ſunt*, inquit, *loquela, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum: In omnem terram exiuit ſonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum.* Hoc eſt, non ſunt linguæ, neque ſermones toto orbe, quibus cæli non loquantur; omnibus loquuntur linguis; omnes nationes audire, & intelligere poſſunt cælorum voces. Nam in omnem terram ſonus eorum exiuit. Sed quidnam loquuntur cæli? Reſpondet Vates: Gloriam loquuntur

Ibidem.

Stultus homo eſt ſurdus.

Pſal. 18. Cæli ſuas habent voces, quibus Dei gloriam enarrant.

Idem.

quuntur Dei, maieſtatem, potentiam, à quo ſunt mirabiliter conditi: *Cæli*, inquit idem Vates in eodem Pſalmo, *enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum*: hoc eſt, cæli gloriam maieſtatemque vnius ſummique Dei omnibus hominibus, qui & aduertere & audire velint, eloquuntur: & firmamentum ipſum à Deo factum, qualia opera manus Dei fabricent, quàm perfecta, quàm admirabilia, omnibus annuntiat. Neque verò loqui ceſſant cæli, ſed perenni quadam vtuntur annuntiatione. Nam, *dies*, inquit ibidem, *diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam*: hoc eſt, Vno die prætereunte non præterit cælorum locutio, & gloriæ Dei enarratio. Dies enim qui præterit, ſubſequenti diei tradit, & veluti eructat cælorum verbum, id eſt, enarrationem & locutionem. Prætereunte nocte non præterit cælorum ſonus, quo docent Dei ſcientiam: ſed nox quæ præterit, in noctem quæ ſubſequitur, tranſmittit ipſam, quam cæli docent, Dei ſcientiam. Itaque per omnes dies & omnes noctes cæli Dei gloriam enarrant, neque vmquam fatigati enarrare deſinunt. *At inſipiens non cognoſcet; & ſtultus non intelliget hæc.*

Pſal. 18. *Ibidem.* *Pſal. 91.*

Audiat hic inſipiens, qui oculos ſuos ſtatuit declinare in terram, audiat, inquam, Auguſtinum, in libro 50. homiliarum, homilia 32. Siccine, ait, vti oculis debes vt pecus, tantùm vt videas quid adas ventri, non menti? Erige rationalem aſpectum, vtere oculis vt homo; intende cælum & terram, ornamenta cæli, fœcunditatem terræ, volatus auium, natatus piſcium, vim ſeminum, ordinem temporum. Intende facta, & quære Factorem; aſpice quæ vides; & quære quem non vides. Mirati ſunt homines Dominum de quinque panibus ſaginaſſe tot millia; & non mirantur per pauca grana impleri ſegetibus terras. Quæ aqua erat, viderunt vinum factum homines, & obſtupuerunt. Quid aliud fit de pluuia per radicem vitis? Ipſe illa fecit, ipſe iſta; vtraque mirãda ſunt, quia opera Dei ſunt. Videt homo inſolita, & miratur. Vnde eſt ipſe homo qui miratur? vbi erat? vnde proceſſit? vnde forma corporis? vnde membrorum diſtinctio? vnde habitus ille ſpecioſus? de quibus primordiis? de quàm contemptibilibus? & miratur alia, cùm ſit ipſe mirator magnum miraculum. Sic Auguſtinus.

Auguſt. *Res condita in gloriam Conditoris cõſiderãda.* *Vide facta, & quære Factorem.* *Homo magnum miraculum.*

Dicuntur miracula ab Euangeliſta ſigna: *Hoc*, inquit, *fecit initium ſignorum*. Miracula dicuntur, quia mira; ſigna, quia ſignificant. Miranda erant omnia Chriſti miracula. Quis enim non miraretur cæci à natiuitate oculos repentè luce perfuſos, leproſos ægroſque alios ſanitati perfectiſſimæ ſubitò reſtitutos, mortuos in vitam reuocatos, ſtupendaque alia? Erant etiam ſigna, quoniam Meſſiam, Dei Filium, Patri æqualem, ſignificabant eum eſſe, à quo fiebant. Fuit hæc aquæ in vinum omnes naturæ vires ſuperans conuerſio, mirandum miraculum; quoniam admirationem cunctis conuiuis mouit: fuit etiam ſignum, quoniam gloriam Chriſti ſignificauit, ſiue, vt Euangeliſta loquitur, manifeſtauit. Hanc ſignificationem, ſiue manifeſtationem, fides ſecuta eſt diſcipulorum: *Et crediderunt*, inquit, *in eum diſcipuli eius*.

Ioan. 2. *Ibidem.*

Hic fructus fuit miraculorum, fides in Chriſtum. Petiit à Chriſto diabolus in deſerto, vt lapides in panes conuerteret: *Si Filius*, inquit, *Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant*. Intelligebat dæmon, ſignum conuerſionis lapidum in panes, Chriſti gloriam & diuinitatem ſignificaturum: ſed gloriam ſuam diabolo nolebat Chriſtus ſignificare. Ideo ſignum noluit dare. Quia verò diſcipulis illam indicare voluit, ideo ſignum dedit: non quidem lapides in panes, ſed aquam conuertit in vinum, propter fidem

Miraculorũ fructus, fides in Chriſtu. *Matth. 4.*

diſcipulorum, vt ait Auguſtinus ſermone 41. de verbis Domini: Non fecit, inquit, Chriſtus de lapidibus panes, qui vtique ſic potuit facere, ſicut de aqua vinum. Eiuſdem enim potentiæ eſt, facere de lapidibus panem. Sed non fecit, vt voluntatem contemneret tentatoris. *Aliter enim tentator non vincitur, niſi contemnatur*. Qui ergo tantum poterat, quare illud non fecit, & hoc fecit? Recole quando fecit de aqua vinum, quid addidit Euangeliſta: *Et crediderunt in eum diſcipuli eius*. Numquid tunc diabolus fuerat crediturus? &c. Gregorius homilia 4. in Euangelia: Ad hoc, inquit, viſibilia miracula coruſcant, vt corda videntium ad fidem inuiſibilium pertrahant, &c. Et homilia 29. Vt ad fidem creſceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda, &c.

Auguſt. *Tentator nõ vincitur, niſi contemnatur.* *Gregor.*

Mittebat Deus Moſem in Ægyptum, vt Iſraëlitas è ſeruitute liberaret. At ille reſpondit: *Non credent mihi, neque audient vocem meam, ſed dicent: Non apparuit tibi Dominus*. Dominus verò, ad fidem populi conciliandam, miracula edere iuſſit. Primùm quidem virga in colubrum verſa eſt: *Vt credant*, inquit Dominus, *quòd apparuit tibi Dominus*. Deinde manus in ſinum miſſa lepram contraxit; poſtea ſanitati ſubitò eſt reddita; & aqua fluminis in ſanguinem tranſmutata: *Si non crediderint*, inquit, *tibi, neque audierint ſermonem ſigni prioris, credent verbo ſigni ſequentis. Quòd ſi nec duobus quidem his ſignis crediderint, neque audierint vocem tuam: ſume aquam fluminis, & effunde eam ſuper aridam, & quidquid hauſeris de fluuio, vertetur in ſanguinem, &c.* Videſne miracula ad fidem conciliandam fieri? Lege Chryſoſt. homil. 14. in Matthæum, vbi docet, Deum cùm nouam legem aut politiam introducit, ſigna edere conſueuiſſe: Ingreſſus, inquit, Chriſtus in ſynagogas, non modò prædicabat, verùm etiam ſigna edebat. Quando enim nouum fit aliquid, & inopinatum, ac politiæ cuiuſdam introductio, ſigna Deus facere conſueuit: præſtans quædam pignora potentiæ ſuæ iis, qui legem eius accepturi ſunt. Iudæis cùm legem eſſet daturus, prius mirabilia illa & prodigia magna oſtendit, ac tum demum eis præcepta legis impoſuit. Ita hic quoque, cùm ſublimem quamdam viuendi introducturus eſſet diſciplinã, & quæ numquam ab illis fuiſſent audita, auctoritatem mandatis ſuis præſtruxit claritate ſignorum, &c.

Exodi 4. *Chryſoſt.* *Miracula ſunt pignora potentiæ Dei.*

Iam verò videamus quid hoc primum Chriſti ſignum nobis ſignificet. Chriſti diuinitatem gloriamque, tum illis qui viderunt, tum nobis qui audimus, & legimus, ſignificat. Alia præterea indicat, quæ moribus ornandis inſeruiunt. Vnde præclarè ait Auguſtinus, ſerm. 44. de verbis Domini: Dominus ea quæ faciebat corporaliter, etiam ſpiritualiter volebat intelligi. Neque enim tãtùm miracula propter miracula faciebat, ſed vt illa quæ faciebat mira eſſent videntibus, vera eſſent intelligentibus. Quemadmodum qui videt litteras in codice optimè ſcripto, & non nouit legere, laudat quidem antiquarij manum, admiratur apicum pulcritudinem, ſed quid ſibi velint, quid indicẽt illi apices, neſcit; & eſt oculis laudator, mente non cognitor. Alius autem & laudat artificium, & capit intellectum: ille vtique, qui non ſolum videre, quod commune eſt omnibus, poteſt, ſed etiam legere, quod qui non didicit, non poteſt. Ita qui viderunt Chriſti miracula, & non intellexerunt quid ſibi vellent, & quid intelligentibus quodammodo innuerent, mirati ſunt tantùm, quia facta ſunt: alij verò & facta mirati, & intellecta aſſecuti. Tales nos in ſchola Chriſti eſſe debemus. Ita Auguſtinus. Videamus ergo quid nobis miraculum hoc innuat, & quid hoc ſignum ſignificet.

Quid ſignificet hoc Chriſti ſignum. *Auguſt.* *Miracula Chriſti literis elegãtiſſimè exaratis ſimilia, quas nõ omnes nouerunt legere.*

CA-

CAPVT IV.

Morale.

De nuptiis Canæ Galilææ.

Deus cõiugium instituit & honorauit.

SIGNIFICAT nobis hoc mirandum ſignum, coniugium à Deo probari. Niſi enim coniugium probaſſet, nuptiis non interfuiſſet, neque eas præſentia ſua honoraſſet. Qui nuptias condiderat, ait Euthymius in Ioannem, venit, vt eas honoraret, &c. Nuptias & matrimonium condidit Deus, & honorauit. Primùm in ſtatu innocentiæ: *Ædificauit Dominus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem; & adduxit eam ad Adam. Dixitq; Adam: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea; hæc vocabitur Virago, quoniam de viro ſumpta eſt. Quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit vxori ſuæ; & erunt duo in carne vna, &c.* Quorſum feminam creatam adduxit Dominus ad Adam? Videlicet, vt vxorem illam duceret. Voluit enim Dominus coniugium inſtituere, & in ſuo fonte atque ortu honorare; vt intelligerent homines huius ſtatus Deum ipſum fuiſſe auctorem & veluti paranymphum, neque ad animantes rationis expertes, ſed ad homines pertinere. Delectatus coniugio Adamus, verba citata protulit: *Hoc*, inquit, *nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*, id eſt, oſſa huius feminæ ex meo oſſe, id eſt, mea coſta, nunc prodiere, & caro illius ex mea carne nunc enata eſt. Deinde impoſuit illi nomen à creatione ductum. Quoniam enim ex viri coſta femina condita eſt, Viraginem ſiue (vt ita dicam) Viram, illam nominauit: *Hæc*, inquit, *vocabitur Virago; quia de viro ſumpta eſt*; hoc eſt, quia à viri coſta deriuata eſt mulier, à nomine viri nomen illius deriuabitur, diceturque à viro Virago. Hebraicè deriuatio clarius apparet: *Hæc*, inquit, *vocabitur* אשה *Iſchah, quia ab* איש *iſch, ſumpta eſt*. Nam Hebræis, איש *iſch*, ſignificat virum, ab איש *iſch*, deriuatur nomen אישה *iſcha*, quod ſignificat feminã. Nempe à viro tam femina ipſa quã nomen illius eſt deductũ. His addidit Adamus coniugij legem: *Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ.* Hæc enim coniugij lex eſt, vt homo relictis parentibus cum vxore viuat, illiq́ue tum conuictu tum amore adhæreat. Addidit præterea matrimonij finem: *Et erunt duo in carne vna*, videlicet, per amorem vna caro erunt, & per carnalem copulam, ad liberos procreandos.

Genes. 2.

Adami & Euæ coniugium.

Mulier à Viro dicta eſt Virago nomine deriuato.

Genes. 2.

Itaque honorauit Deus orbis initio coniugium; & quale eſſe debeat oſtendit. Inprimis ædificauit coſtam, quam tulerat ex Adamo in mulierem: vxorem ex coſta viri fecit, vt vnum eſſet omnium virorum omniumq́ue feminarum principium, nempe Adamus. Cur autem non ex capite aut pedibus, ſed ex coſta fecerit, Hugo Victorinus lib. 1. de Sacramentis parte 6. c. 35. his verbis docet: De ipſo viro mulier facta eſt, quoniam ſi aliunde fieret, vnum profecto principium omnium hominum non eſſet. Facta eſt autem de latere viri, vt oſtenderetur, quia in conſortium creabatur dilectionis; ne fortè ſi fuiſſet de capite facta, præferenda videretur viro ad dominationẽ; aut ſi de pedibus, ſubiicienda ad ſeruitutem. Quia igitur viro nec domina nec ancilla parabatur, ſed ſocia, nec de capite, nec de pedibus, ſed de latere fuerat producenda: vt iuxta ſe ponendam cognoſceret, quam de iuxta ſe ſumptam didiciſſet. Hæc Hugo. Et Auguſtinus lib. 12. de Ciuitate Dei, cap. 26. Quod femina, inquit, ex viri latere facta eſt, etiam hinc ſatis ſignificatum eſt

Hugo Victorin. Cur femina ex latere viri condita.

Auguſt.

A quàm cara mariti & vxoris debeat eſſe coniunctio, &c. Præterea ædificata eſt vxor in coſta viri, quemadmodum ædificium exſtruitur in fundamento. Etenim fundamentum vxoris, & rei familiaris, domuſque totius vir eſt: ipſi cura vxoris filiorumq́ue incumbit. Coſtam eſſe oportet, hoc eſt, oſſeum, non carneum; fortem animo & oſſis inſtar, non mollem carni ſimilem, vt tantum onus ſuſtineat. Ad hæc: ex oſſe & carne Adami producta eſt Eua, vt intelligerent coniuges vnam eſſe viri vxoriſque carnem. Iuxta illud: *Erunt duo in carne vna.*

Vir eſt fundamentum & coſta, cui innititur domus, vxor, filij.

Iam conditam vxorem adduxit Deus ad Adam, ornatam quidẽ veſte præclara, non aurea aut bombycina, ſed omne aurum omneq́ue pretium ſuperante. Ea verò veſtis iuſtitia fuit originaria; quo etiam amictu pretioſiſſimo vir fulgebat. Aderant ſpectaculo Angeli, primumq́ue illud connubium magna cum lætitia intuebantur, ex quo homines, qui Deum in terris colerent, intelligebant procreandos. O coniugium præclariſſimum! Conciliator ac inſtitutor illud nobilitauit: locus, ſpectatores, coniuges, ſtatus, inſtitutor ac conciliator Deus fuit, qui vxorem adduxit ad Adam. Nulla vxor, licet Regina fuerit, à tanto Principe adducta ad virum eſt. Adducta eſt prius & oſtenſa. Scire enim oportet ſponſum, qualis ſponſa ſit: quibus moribus, quibus virtutibus adornata; non tam de pecuniis, quàm de moribus debet eſſe ſollicitus; ne quemadmodum Iacob pro Rachele lippam aliquam Liam accipiat. Dormienti Adamo coſtam Deus abſtulit, ſed ad vigilantem Euam adduxit, & qualiſnam Eua eſſet aperuit. Sciuit enim Adam, Euam ex coſta ſua fuiſſe efformatam, eſſeq́ue os ex oſſibus ſuis, & carnem de carne ſua. Multi dormientes coniugium contrahunt, pauci vigilantes. In dote accipienda vigilant, in vxore conſideranda dormiunt. Totius vitæ ſociam futuram oculis clauſis accipiunt: dotem apertiſſimis numerant. Quid dicam? pecuniam potius ducunt, quàm vxorem.

Veſtis Euæ & Adami.

Primũ Ada & Eua coniugiũ Deus nobilitauit.

Vxor qualis ducenda.

Multi dormientes cõiugium ineunt, pauci vigilantes.

Sed quinam coniugium præſentia ſua illuſtrarunt? illuſtrauit in primis ipſe Deus; illuſtrarunt & Angeli. Videbant illi cælum Empyreum conditum fuiſſe, & protinus Angelis repletum: at terrarum immenſos tractus cernebant ſine incolis vacuos. Vnum tantummodo videbant hominem vnamq́ue feminam, Adamum atque Euam: ex quibus terras per coniugium incolis replendas cognoſcebant. Vt, quemadmodum in cælis ab Angelis, ſic in orbe terrarum ab hominibus debitus Deo cultus tribueretur. Lætabantur igitur his nuptiis, quibus Dei cultores in orbe propagandi erãt, ipſorum poſtea ſocij futuri in cæleſti regno.

Ada coniugio Angeli adfuerunt.

Nuptiarum locus, non domus fuit Canæ Galilææ, ſed domus ornatiſſima, omni voluptate ac deliciis referta; adeò vt à voluptate nomen inuenerit. Paradiſus enim voluptatis appellabatur. Iuxta illud: *Plantauerat autem Dominus Deus paradiſum voluptatis, &c.* Nam Adamum extra paradiſum condidit Deus; deinde verò in paradiſum, veluti in palatium illi exædificatum, ductus ab aliquo Angelo eſt. In paradiſo & vxor ex illius coſta effecta, & nuptiæ celebratæ ſunt. Hæ primæ, hæ poſtremæ fuere nuptiæ in ſublimi illa aula celebratæ. Dignæ ſanè fuere tam nobili loco nuptiæ tam nobiles: in quibus ſi ſtatus perſeueraſſet innocentiæ, nullus fuiſſet ardor libidinis, nulla rationi aduerſaria cupiditas, nullus dolor, nulla mœſtitia, nulla diſcordia, nullæ rixæ; ſed admirabilis caſtitas, concordia, caritas, gaudiumq́ue maximum.

In paradiſo terreſtri prò mansuris celebrata.

Geneſ. 2.

Coniuges fuere, nobiliſſimi Principes, Adamus videlicet, totius Rex terræ, & Regina Eua. Quidquid enim in orbe erat terrarum horum cõiugum

imperio

Genes. 1. imperio ſubiacebat. *Faciamus*, dixit Deus, *hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: & præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtiis, vniuerſæq; terræ.* Diuites erant coniuges, pulcerrimi, immortales. Pulcerrimum enim corpus habuit Adamus, pulcerrimum quoque Eua. Cùm enim corpora illa à Deo fuerint condita, par eſt credere, pulcritudine excelluiſſe. Immortalia præterea fuere, quoniam ſi peccatum cauiſſent, mortem effugiſſent; vitamque vitalis arboris cibo corroboratam eo vſque abſque morbo vllo ac mœſtitia propagaſſent, quò vſque in cælum à Deo aſſumerentur.

Status, in quo nuptiæ factæ ſunt, ſtatus fuit innocentiæ. Is verò ſtatus ſi permanſiſſet, nuptias valde nobilitaſſet. Aliqui ex antiquis ab hoc ſtatu nuptias Greg. Nyſſ. omnino excludunt. Diuus Gregorius Nyſſenus in libro de Homine, cap. 18. illud, *Homo cùm in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*, exponit his verbis. Honorem dicit Pſalmographus, quòd ſanctis Angelis conſimilis fuerat homo. Et vere iumento ſimilis factus eſt, qui hanc animalem generationem in ſua natura ſuſcepit, &c. In eamdem ſententiam interpretatur Euthymius illud: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum: & in peccatis concepit me mater mea.* Quaſi dicat Dauid: Ecce enim ex peccato conceptus ſum & genitus: nam ſi nõ peccaſſet primus parens, non fuiſſem per nuptias genitus. Si Adam, inquit Euthymius, non peccaſſet, numquam oportuiſſet illum Euæ coniungi. Peccatum itaque copulam generauit, &c. Idem ſentit D. Ioannes Damaſcenus, lib. 2. Fidei, c. 30. & libro 4. c. 25. Lege D. Chryſoſtomum homil. 18. in Geneſim, & D. Hieronymum, lib. 1. aduerſus Iouinianum. Et quidem facilè potuit Deus ſic homines in ſtatu innocentiæ multiplicare, quemadmodum multiplicauit Angelos. Infiniti propemodum ſunt Angeli à Deo conditi, neque verò per nuptias vllas procreati; eumdem in modum homines infiniti exiſtere potuerunt, non tamen ex maris feminæque coniunctione à Barcepha. Deo producti. Vnde Barcepha Syrus in libro de Paradiſo, parte 1. cap. 25. Dicimus, inquit, humanum genus fuiſſe multiplicandum, & quidem abſque concubitu. Nam & Angeli multi euaſerunt, ſed abſque nuptiis, &c.

Pſal. 48. An in ſtatu innocentiæ procreandi fuerint homines per nuptias. Euthym. Pſal. 50.

Nuptias in ſtatu innocentiæ futuras quæ rationes doceant. Gregor.

Certius tamen eſt, in illo felici ſtatu per nuptias genus humanum fuiſſe propagandum. Primi parentes, ait Gregorius Pſalm. 50. ſine peccato filios ederent, ſi in paradiſo poſiti in Conditoris obedientia perſtitiſſent. Idem exiſtimat D. Auguſtinus libro nono de Geneſi ad litteram, cap. 3. D. Thomas 1. part. quæſt. 98. ar. 2. Hugo Victorinus, lib. 1. de Sacramentis, part. 6. cap. 24. & alij. Probatur ſententia. Quoniam in ſtatu innocentiæ duxit Adamus vxorem; videlicet ad gignendos liberos. Secundò, quia Geneſ. 2. data eſt Eua viro in adiutorium, in ſtatu innocentiæ. *Faciamus*, ait Dominus, *ei*, id eſt, Genes. 2. Adamo, *adiutorium ſimile ſibi*, id eſt, feminam. Hoc autem adiutorium datum eſt ad procreationem filiorum, vt Auguſtinus interpretatur: Si, inquit, ad adiutorium gignendi filios non eſt facta mulier, ad quod ergo adiutorium facta eſt? &c. Tertiò, in ſtatu innocentiæ primis parentibus verba illa dicta ſunt: *Creſcite & multiplicamini*; videlicet per filiorum generationem. Ergo in ſtatu innocentiæ fuiſſet filiorum generatio. Quartò, Deus diſponit omnia ſuauiter. Angelos quidem omnes ſimul condidit, quoniam ſuauis diſpoſitio Angelorumque natura id poſtulabat. Non enim poſſunt Angeli alij ex aliis naſci. At verò ſuauis diſpoſitio hominumque natura flagitat, vt alij ex aliis progignantur. Ergo etiam in ſtatu innocentiæ id fieret.

Fuiſſent igitur nuptiæ in ſtatu innocentiæ, ſed ſtatu dignæ. In primis libidinis ardore caruiſſent; vt docet Auguſtinus loco indicato: Non video, inquit, quid prohibere potuerit, vt eſſent eis etiam in paradiſo honorabiles nuptiæ, & thorus immaculatus; hoc præſtante Deo, vt ſine vllo inquieto ardore libidinis fœtus gigneretur, &c. Præterea, caruiſſent nobiles illæ nuptiæ pariendi doloribus, teſte eodem Auguſtino. Nam partus dolores feminis attulit peccatum. Iuxta illud Geneſ. *In dolore paries filios.* Gen. 3. Tertiò, nulla in illis fuiſſet diſcordia, nullæ mariti & vxoris rixæ; ſed mutua ſummaque caritas. Non enim capax erat ſtatus ille rixarum. Quartò, nullus mœror, nullus in illis nuptiis fuiſſet labor. Quintò, nullum fuiſſet adulterium, nulla zelotypia. Sextò, ſuauiſſima fuiſſet liberorum educatio. Septimò, neque mariti mors vxorem, neque vxoris mors maritum mœſtitia affeciſſet. Octauò, ſumma fuiſſet vxoris erga virum obedientia, ſummus viri erga vxorem amor. Nonò, nulla eſſet paupertas, nulla matrimonij onera. O felices, ô beatas nuptias! Sed, proh dolor! defecit in illis vinum, defecit lætitia, defecere tot tantaque bona.

Quales nuptias ſtatus innocentiæ habuiſſet. Auguſt.

Defecit vinum in nuptiis Adami

Cauſſa fuit femina, quæ ex vxore facta eſt viri laqueus: illius enim opera tartareus ſerpens Adamum illaqueauit, feliciſſimoque ſtatu, tam illum, quàm nos illius poſteros, ſpoliauit. Non periere nuptiæ, ſed periit beatus innocentiæ ſtatus, ſtatuique congrua nuptiarum dona periere: quorum loco multi dolores mœroresque ſucceſſere. Defecit nuptiarum vinum, frigida relinquitur aqua atque inſipida. Cum ardore libidinis filij generantur, cum tædio ventre portantur, cum dolore in lucem eduntur, cum labore educantur. Paupertas coniuges affligit, zelotypia vexat, rixæ incendunt, mœror torquet, curæ premunt, matrimonij pondus obruit, mors denique ſeparat. A cantu nuptiæ incipiunt; in luctum deſinunt.

Exſtincto innocentiæ ſtatu, freno originalis iuſtitiæ abiecto, vt indomitus equus concupiſcentia ferociit. Quamobrem non ſolùm ad ſuſcipiendos liberos, ſed in remedium etiam effrenatæ concupiſcentiæ atque peccati coniugium deinceps inſeruiit, vt Theologi docent. Aiunt enim matrimonium ante peccatum in officium naturæ, hoc eſt, ad gignendos liberos inſtitutum; poſt peccatum verò, in remedium concupiſcentiæ. Et Auguſtinus, lib. 9. de Geneſi ad litteram, cap. 7. Vtriuſque, inquit, ſexus infirmitas, propendens in ruinam turpitudinis, rectè excipitur honeſtate nuptiarum. Vt quod ſanis poſſit eſſe officium, ſit ægrotis remedium, &c. Hæc duo officia coniugium vſque ad Chriſti aduentum habuit. Chriſtus verò duo hæc officia conſeruauit; & magnam illi addidit dignitatem. Etenim ex ſeptem quæ inſtituit ſacramentis, & Eccleſiæ ſuæ tradidit, coniugium vnum eſſe voluit; quo tum gratia coniugibus donatur, tum res maxima ſignificatur. Ipſa enim coniugalis coniunctio admirabilem illam ſignificat coniunctionem, quæ inter naturam humanam Verbumque diuinum exſtat, exſtabitque in ſempiternum; coniunctionem præterea alteram, itemque perpetuam, quæ inter Chriſtum ſponſum amantiſſimum, & Eccleſiam ſponſam pulcerrimam intercedit. Vnde ſententiarum Magiſter 4. d. 26. Conſenſus, inquit, coniugum copulam ſpiritalem Chriſti & Eccleſiæ, quæ fit per caritatem, ſignificat; commixtio verò ſexuum illam ſignificat, quæ fit per naturæ conformitatem, &c.

Nuptiæ in remedium cõcupiſcẽtiæ ſãſeruiunt.

Auguſt.

Matrimonium Chriſtus nobilitauit, & ſacramentum fecit.

Significatio matrimonij

Fuit huius rei typus, orbis ſtatim initio, Adami coniugiũ; vt Paullus indicat: *Membra*, inquit, *ſumus corporis Chriſti, de carne eius, & de oſſibus eius. Propter* Epheſ. 5.

hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ: & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia, &c. Quo loco D. Thom. ait, quatuor eſſe ſacramenta, quæ magna dicuntur: Magnum autem ſacramentum, vt ille ait, dicitur baptiſmus, ratione effectus, quoniam omnia peccata delet, cæliſque fores aperit. Confirmatio, ratione miniſtri, quoniam à ſolis Pontificibus confertur. Eucharistia ratione contenti, quia Chriſtum continet. Præterea matrimonium, ratione ſignificationis, quoniam Chriſti & Eccleſiæ coniunctionem ſignificat, quæ magna eſt ſignificatio, quam indicauit Adam, illis verbis: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ: & erunt duo in carne vna.* Etenim Chriſtus Optimus Maximus Patrem reliquit; non quòd à Patre receſſerit, ſed quoniam in ea forma non apparuit, qua Patri eſt æqualis. Reliquit Patrem, interpretatur Auguſt. tract. 9. in Ioannem, quia exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens, &c. Reliquit Matrem, id eſt, Synagogam, ex qua ortus eſt, eodem Auguſtino interprete. Adhæſit autem Eccleſiæ per amorem & caritatem. Et ſunt duo in carne vna: quia Chriſtus humanam carnem habet, qua etiam conſtat Eccleſia. Suſcepit enim Eccleſiæ carnem, cùm verbum caro factum eſt.

Matrimoniũ ſacramentũ magnũ eſt ratione ſignificationis. Gen. 2.

Auguſt.

Itaque honorauit Chriſtus matrimoniũ in ſtatu innocentiæ: honorauit etiam poſt peccatum, cùm ſacramentum & gratiæ cauſſam illud effecit; præſentia quoque ſua ac primo miraculo nobilitauit. Quod quidem miraculum coniugij effectũ adumbrat. Matrimonium enim ante Chriſti aduentum, hydria erat frigidæ aquæ plena; at poſt Chriſti aduentum, vinum iam habet ſuauiſſimũ, hoc eſt, gratiam. Quodnam vinum ſuauius gratia reperiri poteſt? hoc matrimonij hydria iam continet. Quis tam ſuaue vinum infudit aquariæ hydriæ? Chriſtus. Nam ſacramentum legis nouæ coniugium effecit, gratiam continens, & coniugibus conferens. Olim ante Chriſtum dici meritò de coniugiis poterat: *Vinum non habent*; hoc eſt, gratiam non conferunt. Nunc autem pleno ore dicimus: *Vinum habent*, & quidem pretioſiſſimum; gratiam habent, gratiam conferunt.

Coniugia ante Chriſti aduentum vinũ gratiæ non habebant.

Ioan. 2.

Videant igitur coniuges quonã modo magnum ſacramentum debeant ſuſcipere. Magnum enim ſacramentum vocat D. Thomas matrimonium, vt diximus paullo antè. Videant quanam ſanctitate debeant in eo viuere; videant quid coniugalis coniunctio ſignificet, Verbi nempe diuini & carnis vnionem, quam illa indicant admirabilia Ioannis verba, quibus ſe proſternit Eccleſia: *Verbum caro factum eſt*. Præterea Chriſti & Eccleſiæ per caritatem ſummam coniunctionem. Hinc illud Chryſoſtomi homilia 12. ad Coloſſenſ. Matrimonium, inquit, non eſt theatrum; eſt myſterium ſeu Sacramentum & rei magnæ typus: etſi ipſum non reuerearis, reuerere id, cuius eſt typus. *Sacramentum*, inquit Paullus, *hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Eccleſiæ eſt typus & Chriſti. Ita Chryſoſtomus. Chriſtum ſponſum ſignificat ſponſus; ſponſam Eccleſiam ſignificat ſponſa. Iuxta illud Paulli: *Deſponsi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* Chriſtus vir dicitur à Paullo, Eccleſia ſponſa, virgo, & caſta. Sponſus ergo Chriſtum imitetur, ſponſa imitetur Eccleſiam: id quod Paullus docet: *Viri*, ait Apoſtolus, *diligite vxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ*, &c. Ad vxores verò: *Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino: quoniam vir caput eſt mulieris: ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ. Sicut Eccleſia ſubiecta eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis, &c.* Virum vult Apoſtolus amoris illius eſſe imitatorem, quo maximo ſponſam ſuam Eccleſiam Chriſtus complectitur; vxorem vult eſſe illius obedientiæ ſectatricem, quam Eccleſia ſponſo ſuo Chriſto ſemper præſtat.

Conſiderent cõiuges matrimonij dignitatẽ, vt eo ſtantur dignè.

Ioan. 1.

Chryſoſt.

Epheſ. 5.

2. Cor. 11.

Spõſus Chriſtum, vxor Eccleſiã, imitari debet. Epheſ. 5.

Felix coniugium illud eſt, in quo amor floret, pax, concordia, & obedientia; infelix, in quo diſcordia, rixæ, vxoris inobedientia cernuntur. Vxoris cum viro concordiam, matrimonij diuitias, & felicitatem Chryſoſtomus eſſe docet, homilia 38. in Geneſim: Illæ, inquit, veræ ſunt diuitiæ, illæ maximæ ſunt facultates, ſi vir cum muliere non diſcordet; ſed coniuncti ſint, vt corpus vnum. Tales, etſi in paupertate ſint, etſi in vilitate, omnium ſunt beatiſſimi, & in continua conſiſtunt tranquillitate, &c. Et homil. 26. in epiſtolam 1. ad Corinthios, portum mariti vxorem eſſe ait, quem oportet eſſe tranquilliſſimum, ne in portu faciat naufragium: Portus, inquit, eſt mulier, & maximum ſecuritatis remedium. Quòd ſi ventis & fluctibus portum liberaueris, ex foro regreſſus tranquille viues; ſi perturbatione & tumultu impleueris, tibi ipſi longè grauius ſtrues naufragium, &c. Tandem ſic concludit: Omnia faciamus, vt vxorem vitæ ſociam & huius negotiationis & nauis ſumma cum tranquillitate domi contineamus. Hoc pacto cetera omnia tranquilla ſuccedent, & ſecurè præſentis vitæ pelagus tranſmittemus, &c. Homil. 10. ad Coloſſenſes: Nihil amarulentius, quàm ſi viro pugnæ ſit aduerſus vxorem. Sunt namque acerbæ pugnæ ac lites, quæ fiunt aduerſus perſonas dilectas. Virorum eſt diligere; obtemperare vxorum. Si quiſque quod ſe decet attulerit ac præſtiterit, firma perſiſtent omnia. Vir ſi diligat, vxor quoque ex eo reddetur amica; vxor ſi ſubdita ſit, reddetur ex eo vir quoque manſuetus, &c.

Felix coniugium quodnam ſit.

Chryſoſt. Concordia coniugum.

Portus viri vxor ſit trãquillus.

Virorũ eſt diligere, vxorum eſt obedire.

Hinc illud: *In tribus placitum eſt ſpiritui meo, quæ ſunt probata coram Deo & hominibus: Cõcordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier bene ſibi conſentientes.* Obſerua, quæſo, quomodo vxorem Vriæ Nathan in parabola depinxit, quam Dauidi Regi propoſuit: *Pauper*, inquit, *nihil habebat omnino, præter vnam ouem paruulam, quam emerat, & nutrierat, & quæ creuerat apud eum cum filiis eius, ſimul de pane illius comedẽs, & de calice eius bibens, & in ſinu illius dormiens, eratq; illi ſicut filia*, &c. Vxorem Vriæ ouem appellauit: oui enim ſimilis eſſe debet vxor, mitis, ſilentij ſtudioſa, & marito veluti paſtori obtemperans. Mariti verò eſt ouem paſcere, & amore proſequi.

Eccli. 25.

Vxor ouis.

CAPVT V.

Morale.

De nuptiis Canæ Galilææ.

Tria bona nuptiarum, Fides, Proles, & Sacramentum.

TRIA præterea nuptiarum bona à Theologis numerantur, Fides, Proles, Sacramentum. Eadem numerat D. Auguſtinus lib. 9. de Geneſi ad litteram, cap. 7. & D. Iſidorus lib. 2. de Eccleſiaſt. officiis, cap. 19. Bonum nuptiarum, ait Auguſtinus, tripartitum eſt, Fides, Proles, Sacramentum, &c. In Sacramento, ait idem Auguſtinus, attenditur, vt coniugium non ſeparetur, &c. Etenim quemadmodum ab Eccleſia Chriſtus numquam ſeparatur, ſic vir ab vxore. Iuxta illud Paulli: *Quæ ſub viro eſt mulier, viuente viro, alligata eſt legi: ſi autem mortuus fuerit vir eius, ſoluta eſt à lege viri*, &c. De Sacramento iam diximus paullo antè.

Rom. 7.

Fides fidelitas dicitur, quam inter ſe coniuges ſeruare debent. In fide, inquit Auguſtinus, attendi-

Auguſt.

tur,

tur, ne præter vinculum coniugale cum altera, vel altero concumbatur, &c. Adulteria omnia excludit fides à coniugio. Is verò fidem non seruat, & infidelis est erga coniugem, qui committit adulterium. Ab hoc scelere virum auocat D. Hieronymus in epistola ad Gaudent. his verbis: Habens vxorem, vtatur vase suo in sanctificatione & pudicitia, bibatque de fontibus suis. Non quærat cisternas luparum dissipatas, quæ purissimas aquas pudicitiæ continere non possunt, &c. Auocat & Salomon (ad quem locum Hieronymus respexit) fidemque vxori præstare suadet, his verbis: *Bibe aquã de cisterna tua, & fluenta putei tui: Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide. Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui. Sit vena tua benedicta, & lætare cum muliere adolescentiæ tuæ: cerua carissima, & gratissimus hinnulus. vbera eius inebrient te in omni tempore, in amore eius delectare iugiter*, &c. Cisternam & puteum vxorem appellat, & duo matrimonij officia, quorum iam meminimus, commemorat. Est enim matrimonium institutum, in remedium concupiscentiæ, ideo ait: *Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui*, id est, sitim concupiscentiæ extingue aquis tuæ cisternæ, non alienæ, tui putei, non alieni; tua vxore vtere, ad alienam ne accede. Institutum præterea est matrimonium, in officium naturæ, ad gignendos liberos, vnde ait: *Deriuentur fontes tui foras, & aquas tuas in plateis diuide*; fontes & aquas liberos appellat. Quemadmodum enim ex cisterna & puteo effluunt fontes & aquæ in plateas; ita ex vxore liberi emanant, qui in plateis ludunt, & Reipublicæ inseruiunt, cùm ad virilem perueniunt ætatem. Ait igitur; fontes tui deriuentur ex tua cisterna & ex tuo puteo, id est, ex tua, non ex aliena vxore; deriuentur, inquam, & emanẽt foras filij, in plateas, & Reipublicę hortos, postquam ad perfectam ætatem peruenerint, irrigent.

Hieron. Fides bonũ matrimonij

Prou. 5. Duo coniugũ officia.

Quoniam verò liberi spurij esse possunt, admonet ne filios suscipiat spurios ex meretricibus & concubinis, quorum incertus est pater. *Habeto*, inquit, *aquas tuas*, id est, filios tuos, *solus tu, nec sint alieni participes tui*, id est, habeto filios, quorum scias te solum esse patrem, nullosque alios habere participes in generatione illorum. Tam fidelem quoque vxorem habe, vt scias nullum alium, præter te, liberorum tuorum esse parentem. *Sit vena tua*, hoc est, fons tuus, vxor tua, ex qua, veluti è vena & fonte purissimæ aquæ, id est, legitimi filij emanant; sit inquam *benedicta* filiorum procreatione: hæc enim benedictio erat legis veteris. Benedicit etiam in lege noua Deus coniugibus, quibus filios donat: est enim hoc Dei beneficium. Est ergo vxor *benedicta*, quam Deus hac benedictione & beneficio afficit. *Lætare* non cum concubinis & meretricibus, sed *cum muliere adolescentiæ tuæ*, id est, cum vxore, quam adolescens duxisti. *Sit tibi vxor cerua carissima, sit tibi veluti hinnulus gratissimus*, hoc est, sit tibi in deliciis & amabilis, vt cerua esse solet & hinnulus. Quemadmodum carissimam ceruam hinnulumque tibi gratissimum blandè tractas, non asperè; sic tractato vxorem: *Vbera eius*, verti quoque ex Hebræo potest, *amores eius*, inebrient te, id est, satient te, ne aliam quæras. *Denique in amore eius, non alterius delectare iugiter.*

Prou. 5.

Coniugum mutuus amor & beneuolentia.

Proverb 5. Fugienda adulteria.

Post hæc adiungit Salomon ab adulterio deterrens: *Quare seduceris, fili mi, ab aliena, & foueris in sinu alterius? Respicit Dominus vias hominis, & omnes gressus eius considerat. Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur*, &c. quasi dicat: Fuge adulterium, fuge alienam feminam, ne seducaris ab aliena muliere. Nam etsi homines latere possit tuum scelus, Deum minimè latebit, qui cernit omnia; neque Dei oculos effugere poteris; neque diuinæ supplicium iustitiæ. Nam satellites suos habet diuina iustitia, qui impium protinus vinculis constringunt: hi autem sunt ipsa scelera. Ipsum adulterium satelles Dei est, qui tibi mox manus iniicit, ne effugere supplicium possis, Quamdiu per pœnitentiam satellitem à te non repuleris, vinculaque fregeris, diuinæ iræ subiacebis. Inter alia eaque egregia consilia, quæ pater Tobias filio suo dedit, cùm mortem sibi imminere putaret, hoc etiam exstat: *Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione; & præter vxorem tuam nunquam patiaris crimen scire*, &c.

Peccata peccatem veluti funes cõstringunt.

Tobiæ 4.

De vxore erga Deum & virum suum fideli, sancta, & casta, Ecclesiasticus: *Gratia*, inquit, *super gratiam mulier sancta & pudorata. Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ*, &c. hoc est, duplex gratia & donum Dei est mulier sancta, Græcè γυνὴ, hoc est, fidelis, mulier morum sanctitate & fidelitate erga Deum & maritum prædita, & pudorata, ac verecunda. Nam verecundia castitatis mater est. Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ; hoc est, nullius rei pondus continentem vxoris animam exæquat. Pergit Sapiens eodem capite bonam commendare vxorem, nonnullis similitudinibus. Prima à Sole desumitur: *Sicut Sol*, inquit, *oriens mundo in altissimis Dei: sic mulieris bonæ species in ornamentum domus suæ*; hoc est, sicut Sol, cùm oritur, mundum suo splendore illuminat atque exornat; ita bonæ vxoris species, pulcritudo, & mores sancti, domum suam illustrant ac decorant. Itaque vxor bona Sol est totius domus; vitiorum ab ea tenebras pellit, tristitiæ nubila fugat, maritum exhilarat, famulos, & filios, filiasque amoris diuini calore incendit. Secunda similitudo à lucerna ducitur: *Lucerna lucens super candelabrum sanctum; & species faciei super ætatem stabilem*; hoc est, pulcritudo vultus muliebris in ætate stabili, firma, ac vigente, similis est lucernæ sanctæ, quæ in templo Dei super candelabrum aureum sanctumque fulgebat. Indicat similitudo, sanctæ mulieris pulcritudinem sanctam esse; siquidem similis est sanctæ lucernæ, sancto impositæ templi candelabro. Quemadmodum illæ candelabri sancti lucernæ in honorem lucebant Dei; ita sanctæ feminæ pulcritudo, non inani gloriæ, non libidini lucet, sed viro tantùm suo, in honorem Dei. Præterea quemadmodum sacerdotes lucernas sanctas, vt in honorem Dei fulgerent, componebant; ita etiam sancta vxor sanctam suam pulcritudinem si componit, propterea componit, ne viro suo displiceat, sed in honorem Dei placeat. Tertia similitudo petitur à columnis: *Columnæ aureæ super bases argenteas, & pedes firmi super plantas stabilis mulieris*, &c. Confert plãtas pedum cum basibus columnarum; ipsos verò pedes cum columnis. Id maximè in femina expetitur, ne vaga sit, ne incessu lenis, ne foras sæpius prodeat; quin potius domi se contineat, hominumque aspectus fugiat. Probæ igitur feminæ pedes, columnæ sunt, plantæ, bases. Quemadmodum columnæ in eodem loco sunt stabiles; ita mulieris sanctæ pedes in domo sua permanent. Quod si aliquando foras egrediuntur, incessu incedunt maturo ac verecundo. Quarta similitudo à fundamentis supra petrã constitutis accipitur: *Fundamenta æterna super petram solidam, & mandata Dei in corde mulieris sanctæ*, &c. Quã constans sit sancta vxor in seruandis diuinis præceptis, similitudo indicat. Quemadmodũ iacta fundamenta super solidã rupẽ æterna sunt: sic iacta Dei mandata super solidũ ac cõstans sanctæ feminæ cor sunt perpetua, firmiter hærẽt, nulla tẽpestate aut tentatione dilabũtur.

Vxor bona & sancta Sol est familiæ. Eccli. 26.

Lucerna sancti candelabri est sancta femina.

Pulcritudo sanctæ feminæ sancta.

Vxor proba soli viro se componit.

Eccli. 26.

Constantia in mãdatis seruandis.

Bonũ matrimonij proles. Auguſt. Aliud bonum matrimonij proles eſt. In prole, ait diuus Auguſtinus loco citato, attenditur, vt amanter ſuſcipiatur, benignè nutriatur, religiosè educetur, &c. Hic finis eſt nuptiarum, liberos gignere, qui Deum colant, ament, venerentur; vnde, *Geneſ. 1.* *Creſcite*, ait Deus primis coniugibus, *& multiplicamini, & replete terram.* Sed danda diligentiſſime opera eſt iis, qui matrimonio ſunt coniuncti, vt non ſolùm terram, ſed cælum quoque repleant; hoc eſt, vt ea educatione & diſciplina liberos inſtituant, ex qua & Eccleſia ornamentum, & cæleſte regnum accipiat incrementum. *Matrimonium eſt Eccleſiæ ſeminarium.* Eſt enim matrimonium tum Eccleſiæ, quæ in terris verſatur; tum illius, quę in cælo eſt quoddam veluti ſeminarium. Nam ex matrimonio (vt de ſpuriis nunc dicere omittamus) illi oriuntur, quos Deus in cæleſtem illam ſempiternamque gloriam ab æternitate prędeſtinauit. *Radix Virginitatis cõiugium eſt.* Ex eodem illi naſcuntur, ex quibus in orbe hoc peregrè agens Eccleſia conflatur. Ex illo ſummi Pontifices originem trahunt, ex illo Epiſcopi, ex illo ſacerdotes, ex illo viri religione florentes, ex illo coniugio iuncti, continentes, virgines. Vnde Gregorius Nazianzenus in carmine de Virginitate: Radix, inquit, virginitatis coniugium eſt, *Hieron.* &c. Et D. Hieronymus libro 1. aduerſus Iouinianum: Vt poma naſcuntur ex arbore, frumentum ex ſtipula: ita virginitas ex nuptiis, &c. Itaque ex matrimonio Eccleſiæ filij propagantur. Quemadmodum enim pulcræ Racheli Bala filios genuit; ſic pulcerrimæ Eccleſiæ filios Chriſtiani coniuges progignunt.

Magni refert, quale hoc Eccleſiæ ſeminarium ſit. Quale enim eſt ſeminarium, tales horti plantæ *De filiorum educatione ac diſciplina. 1. Pet. 2.* ſunt. Magni refert, quali lacte infans nutriatur; ſi ſanum lac ſuxerit, ſanus erit; ſin morbo infectum, morbo ipſe inficietur. Eſt quoddam animi lac, quod D. Petrus *Rationabile* vocat, Græcè, λογικὸν, id eſt, rationale: *Sicut modo geniti infantes*, ait, *rationabile, ſine dolo lac concupiſcite; vt in eo creſcatis in ſalutem, &c.* Rationabile lac, animi doctrina eſt, quæ, ſi ſana eſt, morum ſanitatem pueris parit; ſi vitioſa, vitiorum peſtem affert. Lacte creſcit infans; ideoque ait D. Petrus: *Vt in eo creſcatis, in ſalutem.* Si virtutis documenta puero tradas, virtute creſcet in ſalutem; ſi vitia doceas, iniquitate creſcet in damnationem. D. Gregorius libro 6. epiſtolarum, epiſt. 187. Verba, inquit, nutrientium (ſcilicet pueros) aut lac erunt, ſi bona ſunt; aut venenum, ſi mala. Talia ergo nunc eis ſuggerant, quæ poſtmodum oſtendant, quàm bona fuerint, quæ à nutritorum ſuo- *Chryſoſt.* rum ore ſuxerunt, &c. Chryſoſtomus tomo 1. in homilia de Anna, & Samuelis educatione, ait Samuelem ab vberibus maternis ad vbera veniſſe ſpiritualia. Sic oportet filios ab vberibus carnis protinus ad vbera transferre ſpiritus; vt rationali lacte ab incunabilis paſcantur. Samuel, ait Chryſoſtomus, ab ipſis incunabulis ad virtutem tranſiliit. Prima ſtatim pueritia, ab vberibus matris, venit ad vbera ſpiritalia, &c.

Duas habet filius partes, animum ac corpus; partis vtriuſque parentes curam diligenter gerere debent. Animi tamen tantò maiorem, quan- *Parẽtes corpus filiorũ curant, non animum.* tò maior eſt animus corpore. At, proh dolor! in corpus curam conferunt, quod genuerunt; animum à Deo procreatum negligunt. Hinc illa *Greg. Naz.* Gregorij Nazianzeni carmina, virginitati attributa:

Non homo totum hominem, veluti de more loquuntur,
Progignit: verùm craſſa tantummodo carnis
Eſt pater, & calidi dat ſemina prima cruoris;
Quorum vtrumque graui corruptum morte peribit.
Aſt anima in corpus, diuino condita flatu,
Immeat externe. Nouit Rex ille ſupernus,
Quo primùm pacto flauit, terræq; iugauit,
Auguſtam effigiem. Porrò ne dicere falſum
Cenſear: ipſa tuo locuples mihi teſtis amore
Eſſe potes: Nec enim perfectus & integer ille eſt.
Non etenim natorum animas, ſed corpora ſola *Parẽtes corpora filiorũ curãt, quia corpora gignunt.*
Diligis; & magno, cum ſunt malè ſana, dolore
Afficeris: rurſus gaudes florentibus illis.
Nam multo grauius mentes vtriuſque parentis
Excruciat vel parua lues, quæ membra ſuorum
Inficiat; quàm magna animi labesq; lueq;,
Cur? quia non animas illi, ſed corpora gignunt, &c.

Sic Virginitas loquitur in opere, quod carminibus Nazianzenus de Virginitate ſcripſit.

Duplex quoque eſt hereditas, temporaria ac *Duplex hereditas filiis prouidenda.* terreſtris, qua corpus alitur, dum viuit, & æterna ac cæleſtis, quæ poſt mortem in cælo poſſidetur. Vtramque prudentia ſpectati parentes liberis prouident; in primis ſempiternam. Imprudentes ve- *Parẽtes filiorũ mores non curant, ſed diuitias* rò de terreſtri maximè ſunt ſolliciti, cuius poſſeſſio paucis diebus retinetur; de cæleſti, cuius poſſeſſio æterna eſt, quæque diligenti filiorum educatione & virtutibus comparatur, non curant. *Chryſoſt.* Chryſoſtomum aureo ore hac de re dicentem audiamus, homilia 60. in Matthæum: Vxoris, ait, liberorum & famulorum, nullam curam habemus; ſed alia pro aliis, quaſi temulenti, ſolliciti cogitamus. Quomodo ſcilicet plures famulos comparabimus; quomodo liberis amplas hereditates relinquemus; quomodo vxor ornatu aureo potiatur. Nullam noſtri, ſed rerum noſtrarum curam *Non habemus noſtri curam, ſed rerum noſtrarum.* habemus. Vxoris obliuiſcimur, & quæ vxoris ſunt recordamur; de liberis non prouidemus, & quæ liberorum ſunt amplificare atque augere ſtudemus. Itaque iis ſimiles ſumus, qui cùm malè materiatam ac ruinoſam videant domum, ipſam quidem reſtituere negligunt; amplos autem ei hortos in circuitu præparant. Aut illis, qui quamuis morbo conficiantur; cura tamen valetudinis neglecta, aureas ſibi veſtes contexunt. Non aliter nos cùm anima noſtra mirabiliter vexetur, & ab innumeris laceretur feris, id eſt, vitiis, non vt ipſam curemus, ſed vt magnificas ædes conſtruamus, & gregem ſeruorum ceteraque huiuſmodi acquiramus, omni ſtudio atque cura vigilamus, &c.

Item: Tam noſtram, inquit, quàm liberorum noſtrorum curam negligimus, ac vnum ſolùm modo reſpicimus, vt magis locupletati magnum pecuniarum numerum aliis relinquamus, qui pariter aliis relinquant. Sic pecuniarum tranſmiſ- *Diuites pecuniarum ſunt tranſmiſſores ad poſteros, nõ domini.* ſores (vt ita dicam) ad poſteros, non domini ſumus; nec ſentimus hac væcordia ſeruis noſtris viliores nos reddere. Nam ſeruos quidem, etſi non ſui cauſſa, attamen noſtra caſtigamus; liberis verò tantùm prouidentiæ nequaquam tribuimus; ſed quaſi viliores mancipiis prætermittimus. Cur mancipiis dixi? cùm vel pecudibus ipſis minoris fieri videantur? maiorem enim aſinorum ac equorum, quàm filiorum curam habemus. Nam ſi burdonibus atque aſinis agaſo nobis præficiendus eſt, non parum vigilamus, ne dementem, aut temulentum, aut furem, aut rei eius imperitum præficiamus. Sin verò ad colendum filiorum ingenium pædagogus ſit nobis inueniendus, qui caſu oblatus fuerit, eum recipimus; nec conſideramus, nullam artem *Nulla ars ſublimior pædagogica.* hoc artificio ſublimiorem inueniri. Quid enim maius, quàm animis moderari, quàm adoleſcentu-

Animos filiorũ oportet inſtar ſtatuarij fingere.

ſcentulorum mores fingere? omni certè pictore, omni ſtatuario, ceterisque huiuſmodi hominibus, excellentiorem hunc duco, qui iuuenum animos fingere non ignoret. Hæc ille. Præterea: Patres, ait, equorum quidem domitores cogunt, vt ſtudioſiſſimè ſibi equos domitent; neque incuria committant ad firmiorem ætatem indomitos peruenire: ſed frenum ac cetera, quibus opus eſt, incipientes adhibent: liberos autem ſuos longè prouehi abſque caſtigationis negligunt freno, & dimittunt circuire, ſcortis, aleis, obſcænis ſpectaculis inhiantes, &c.

Adde ea, quæ lib. 3. aduerſus vituperatores vitæ monaſticæ ſcribit: Nulla, inquit, alia ex ratione peruerſi vt ſint liberi contingit: niſi quòd eorum patres circa vitæ præſentis commoda æquo amplius incumbunt, & ferè dixerim, inſaniunt. Cùm enim illa ſolummodo inquirunt, nihilque illis præferendum cenſent: & ſuam pariter & liberorum animam negligere coguntur. Hos ego patres parricidis ipſis immaniores dixerim. Illi enim corpus ab anima ſeparant: iſti & animam & corpus æternis ignibus tradunt, &c. Huc illud pertinet Cratetis, cui, vt ait Plutarchus in libro de Liberis educandis, ſi licuiſſet, vbi in altiſſimam vrbis partem conſcendiſſet, ſe vociferaturum aiebat: Quorſum ruitis homines, qui omne in comparandis pecuniis veſtrum ſtudium facitis: filiorum verò, quibus eas relinquitis, nullam ſanè curam ſuſcipitis? Addendum cenſet Plutarchus, quòd hi patres non aliter faciunt, quàm qui magnam calceorum ſedulitatem habent, cùm interim pedem ipſum parui pendant. Præpoſtera hæc cura eſt. Etenim priùs pedis, poſtea calceorum ratio habenda: priùs de liberorum virtute, poſtea de hæreditate, priùs de animo, poſtea de corpore, habenda cura. Felicitas eſt, filios habere bonos; infelicitas magna, habere prauos. Auibus etiam dictum eſt, ait Auguſtinus Pſalmo 127. Creſcite, & multiplicamini. Pro magno vis habere quod auibus donatum eſt? Magis cogita, quomodo nutrias, qui nati ſunt, quàm vt naſcantur. Non enim iam felicitas eſt habere filios, ſed bonos habere, & cetera.

Cratet.

Cura parẽdum præpoſtera.

Auguſt.

Nõ eſt felicitas habere filios, ſed bonos habere.

Vis matrem videre filij ſalutem admirabiliter procurantem? vis eximium educatorem cernere? vis quanti ponderis recta ſit educatio cognoſcere? ex Chryſoſtomo accipe exemplum matris, pueri ac pædagogi ſingulare. Adoleſcens, ait Chryſoſtomus libro tertio citato, quidam admodum locuples aliquando in vrbe noſtra demoratus eſt, vtriuſque eruditionis acquirendæ gratia, Latinæ ſcilicet & Græcæ. Hunc pædagogus ſequebatur ſemper, cui ea vna & ſola cura erat, vt ipſius formaret animum. Eum igitur ego aliquando conueniens (erat enim ex iis, qui montes & ſolitudines habitant vnus) cauſſam addiſcere ſtudebam, cur omiſſa tam inſigni philoſophia in pædagogi ordinem ſe ipſum deieciſſet. Ille verò, cùm ſe parum continuiſſet, cunctum iam rei ordinem nobis enarrauit.

Exemplum bonæ educationis ex Chryſoſt.

Monachus relicto monaſterio factus eſt pædagogus, vt vnius pueri ſalutis conſuleret.

Puer, inquit, iſte patrem habet durum, immitem, aſperum, mundique negotiis vehementer intentum: matrem è contra, pudicam, moderatam, piam, cæleſtiaque ſolùm ſuſpirantem. Pater itaque, vt qui in bellicis rebus plurima de ſe fortitudinis ac probitatis indicia dederit, inſignemque ex militia gloriam fuerit adeptus; filium quoque in ordinem ſuum transferre cupit. Id verò mater omnino abhorret & execratur. Optat enim illum clariſſimum in monachorum conuerſatione perſpicere. Verùm id quidem patri apertius dicere auſa non fuit. Metuebat quippe, ne ſi vel leuiter ille id ſuſpicaretur, intempeſtiuè iam ſæculi vinculis illum obligaret, & ad balteum adduceret, atque omnem, quæ ex illo ſolet conſequi, vitæ negligentiam, ac poſtmodum huius propoſiti ac vitæ aditum omnem intercluderet. Igitur huiuſmodi artem excogitat. Domum me accerſi ex eremo; mecumque conſilia ſua communicans, apprehenſam pueri dextram inſeruit manibus meis. Cùm verò illam percontarer quid ſibi hoc vellet? Vna, inquit, hæc nobis reliqua eſt ſpes, obtinendæ filio ſalutis; ſi volueris tu, & paſſus fueris, in pædagogi ordinem deſcendere; ſumptoque puero à nobis proficiſci. Meum erit perſuadere patri, quòd ſi militarem quoque vitam ille voluerit eligere, perutilis erit dicendi vis & copia per ſtudia liberalia quæſita. Hæc ego, inquam, ſi efficere potuero, iam illum tu ſeorſum, atque in alieno ſolo, tecum habens; vbi nec pater, nec propinquorum aliquis impedire ac perturbare poſſit, ſumma illum cum facilitate formare poteris, moresque illius ad id componere, vt velut in monaſterio, ita tecum viuat. Ceterùm tu mihi hac in parte conſenti, mecumque ſalubrem hanc functionem ſimul acturum pollicere. Non parua res agitur, non pro minimis deprecor: de filij mei anima certamen eſt atque periculum. Non ergo ſpernas cunctorum amantiſſimum, mihique luce ipſa cariorem periclitantem. Eripe illum laqueis vndique iam paratis & poſitis. Educ ex procella, & tempeſtate, & turbine. Sin verò tu gratiam præſtare nolueris, Deum iam medium noſtrum appello, & teſtem voco, me quidem nihil eorum omiſiſſe, quæ ad huius pueri ſalutem pertinere videbantur: mundamque eſſe à ſanguine pueri huius. Quòd ſi quid illum eiuſmodi contigerit pati, quale vt patiatur fieri vehementer poteſt; quippe iuuenis, & in tantis deliciis degens; & in tanta vitæ negligentia: abſte & de tuis manibus requiret Deus animam pueri iſtius. His plura etiam adiiciens, miſerabiliterque & vehementer illacrymans, perſuaſit tandem, vt hoc negotium ſuſciperem, atque cum iis mandatis à ſe dimiſit.

Euge mater ſanctiſſima.

Mater de filij educatione ſollicita.

Nec ſanè inanis fuit iſta machinatio, nec religioſo matris voto diuina pietas defuit. Ita enim puerum illum breui egregius ille pædagogus exercuit, tantamque in eo flammam deſiderij cæleſtis accendit: vt cuncta ſimul repentè abiiceret, atque ad ſolitudinem conuolaret: alioque rurſus indiget freno, quod illum ab illa vehementi exercitatione ad moderationem poſſet conuertere. Namque metuendum valde videbatur, ne repentino hoc & immaturo ſtudio rem ipſam totam patri reuelaret: matrique, & pædagogo, & omnibus vbique monachiis, grauiſſimum bellum excitaret. Puerum ergo inſignis ille inſtitutor aſſumens, vrbem vt habitaret, ſtudiaque liberalia, vt cœperat, proſequeretur, induxit; ita eum cœuis quoque maximo emolumento futurum perſuadens.

Puer bene inſtitutus.

Condiſcipulorum verò plurimi tantum ex illius contubernio familiari profecerunt, vt eiuſdem inſtituti fierent æmuli. Habebat quippe ille domi, qui ſe perpetuò moderatur, ac velut ſtatua iugiter ſub artificis manu conſtituta, ornatior in dies euadebat: ingentemque animo decorem in dies adiiciebat. Et quod eſt profectò admirabilius, exteriori quidem cultu nihil à ceteris differre videbatur. Erat communi habitu, voce & aſpectu, & ceteris omnibus. Quibus ex rebus factum eſt, vt facilius plurimos contuberna-

Condiſcipulus virtute ornatus cõdiſcipulis caldepropoſt.

Vt ſtatua animus pueri à pædagogo ornatior in dies fiat.

lium inter retia ſua includeret; cùm haberet in- A
Boni ſcholaſtici exẽplum. trinſecus incredibilem latentem ſapientiam. Denique ſi quis illum domi vidiſſet, vnum ex his eſſe putauiſſet, qui montes & deſerta incolunt. Domus enim ita illi diſpoſita & parata erat, vt in nullo monaſterij diligentiam deſideraret; nihilque neceſſariis amplius habebat. Tempus autem omne in diuinorum librorum lectione conterebat. Erat enim ingenio celeri, atque ad percipiendas diſciplinas acutiſſimo. Itaque externæ illi eruditioni breuiſſimam diſtribuens diei partem, reliquum tempus omne perpetuis orationibus diuinisque litteris inſtabat: ac ſine cibo tota perſeuerabat die. Immo verò non vnum aut duos tantùm, ſed plurimos interdum dies ſine cibo vllo tranſigebat. No- B
ctes præterea totas in huiuſmodi conſumebat ſtudiis, lacrymis, orationibus, ſacrisque lectionibus vacans. Hæc autem omnia pædagogus ille nobis annuntiabat. Dicebat veſtem illum ſibi ex cilicio parauiſſe, eaque noctibus veſtiri ſolitum; eo ſcilicet conſilio, vt celerius euigilans ſurgeret. Aliaque prorſus omnia, ad imitationem monachorum, illi diligentiſſimè parata erant. Atque egregius ille inſtitutor Deum iugiter ſumma cum lætitia benedicebat, quòd adeo leues huius philoſophiæ pennas puero largitus eſſet. Hæc omnia Chryſoſtomus. Ex quibus intelliges, quanti ſit momenti recta educatio, quamque ſollicitudinem huic rei parentes debeant impendere.

Lycurgus, Spartanorum legiſlator, vt teſtatur C
Plutarch. Lycurgi exemplum. Plutarchus in libro de Educandis liberis, id etiam oſtẽdit, in hunc modum. Geminos, ait Plutarchus, ex eiſdem parentibus catulos ſuſcipiens, non ſimilibus educauit moribus: alterum enim helluonem, luxuriaque ſolutum, alterum indagine ſagacem, & venationibus idoneum reddidit. Poſtea cùm aliquando Lacedæmonij vnum in locum conueniſſent. Ad parandam, inquit Lycurgus, virtutem, viri
Ad parãdã virtutẽ magnam habet momentum conſuetudo & vitæ inſtitutio. Lacedæmonij, ingens eſt momentum conſuetudo, diſciplina, doctrina, & vitæ inſtitutio; quæ vobis illico manifeſta vehementer eſſe faciam. Duos ſubinde catulos adducens, cùm ollam in medio leporemque coram eis poſuiſſet; alter quidem in lepo- D
rem, alter in ollam magno impetu erupit. Cùm autem Lacedæmonij nondum quidnam id ſibi vellet coniectarent; aut quamobrem catulos oſtentaſſet. Hi ambo, dixit, iiſdem orti parentibus; ceterum diuerſam vitæ conſuetudinem aſſecuti, alter guloſus, alter venator euaſere. Hactenus ille. Educatio, ait
Seneca lib. 2. de Ira. Facile eſt teneros animos componere. Seneca, maximam diligentiam, plurimumque profuturam deſiderat. Facile eſt enim teneros adhuc animos componere; difficulter reciduntur vitia, quæ nobiſcum creuerunt, &c.

Lege diui Hieronymi epiſtolam ad Gaudẽtium
Parentum exemplo filij docentur. & ad Lætam, de educatione filiæ; in qua docet parentum exemplis liberos edoceri: Te, inquit, habeat magiſtram, te rudis miretur infantia, nihil in te & in patre ſuo videat, quod ſi fecerit, peccet. Me- E
mentote vos parentes virginis, magis eam exemplis doceri poſſe, quàm voce, &c. Quemadmodum ex eadem cera, cùm mollis eſt, iuxta diuerſos variosque digitorum ductus, vel Angelus effingitur, vel malus dæmon; ita vt eadem natura, dum mollis eſt ætas, vel Angelo ſimilis puer, vel cacodæmoni
Hieron. efformatur. Vt aqua in areola, ait Hieronymus in epiſtola ad Gaudentium, digitum ſequitur præcedentem; ita ætas mollis & tenera in vtramque partem flexibilis eſt; & quocumque duxeris trahitur, &c. Vide quo ducas liberorum ætatem teneram, ſiue ad virtutem duxeris, ſiue ad vitia, ſequetur: ad virtutem ducito, vitia omnia ceu ſerpentes peſtilentiſſimos longè propellito. Si ſollicita pro-

uides, ait idem Hieronymus ad Lætam, ne filia percutiatur à vipera; cur non eadem cura prouideas, ne feriatur à malleo vniuerſæ terræ? ne bibat de aureo calice Babylonis? &c. Adde pro colophone illud ſapientiſſimi Salomonis: *Noli ſubtrahere à puero diſciplinam: ſi enim percuſſeris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum; & animam eius de inferno liberabis, &c.* *Prouer. 23.*

Hæc aliaque bona qui ex matrimonio cupit decerpere, ad nuptias Chriſtum ſanctiſſimamque eius Matrem vocet. *Erat Mater Jeſu ibi*, ait Euangeliſta. *Vocatus eſt autem & Ieſus, & diſcipuli eius ad nuptias, &c.* O felices nuptias? ô felix illud matrimonium, de quo verè dici poteſt: *Eſt Mater Ieſu ibi.* Itemque: *Vocatus eſt Jeſus ad nuptias.* Non deerit in illis nuptiis veræ lætitiæ vinum, caſtitas, fides, prolis diligens educatio, pax, amor, concordia. Contra verò, qui dæmonem ad matrimonium inuitat, is vinum in aquam conuerſum, adulteria, rixas, liberorum iniquitatem, domusque videbit perturbationem. Inuitarunt dæmonem ad nuptias ſeptem illi viri Saræ, de quibus legitur: *Tradita fuerat Sara ſeptem viris, & dæmonium nomine Aſmodæus occiderat eos, mox vt ingreſſi fuiſſent ad eam, &c.* Inuitant etiam illi, de quibus Angelus Raphael: *Hi*, inquit, *qui coniugium ita ſuſcipiunt, vt Deum à ſe & à ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus: habet poteſtatem dæmonium ſuper eos, &c.* *Chriſtus ad nuptias eſt vocãdus, vt felices ſint. Ioan. 2.* *Tobiæ 3.* *Tobiæ 6.*

Longè aliter probus adoleſcens Tobias, non qui- *Inuitauit ad nuptias Deum Tobias.*
dem dæmonium ad nuptias, ſed Deum inuitauit. Poſt epulum nuptiale, tribus noctibus coniuges orationi vacarunt, priuſquam liberis operam darent. *Exurge*, ait Tobias vxori Saræ, *& deprecemur Deum hodie & cras, & ſecundum cras; quia his tribus noctibus Deo iungimur: tertia autem tranſacta nocte, in noſtro erimus coniugio, &c.* Quid hoc fuit aliud, quàm ad nuptias Deum vocare? ita decet Chriſtianos coniuges copulari, poſtquam crimina confeſſione abluerint, Deumque pro felici coniugio fuerint deprecati. *Filij ſanctorum ſumus*, ait Tobias, *& non poſſumus ita coniungi, ſicut gentes, quæ ignorant Deum.* Faxit Deus, ne multi ſanctorum, id eſt, Chriſtianorum filij, ita coniungantur, ſicut gentes, quæ ignorant Deum; immo ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus; ſine vlla Dei ſacramentique memoria, ſine vllo Chriſtiani coniugij intellectu. *Tobiæ 8.*

Aduertant hi, quomodo iuuenis ille Tobias, ve- *Exẽplo Tobiæ coniugibus quid faciendum.*
teris legis cultor, Deum oret; enitantur nouæ cultores legis id in noua Chriſti lege, Deo iuuãte, præſtare, quod ſub veteri Moſis lege ille, Deo item opitulante, præſtitit: *Domine*, inquit, *tu ſcis, quia non luxuriæ cauſſa accipio ſororem meam coniugem, ſed ſola poſteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in ſecula ſæculorum, &c.* Hoc eſt, propter filios, in quibus tu benedicaris, vxorem duco. Hic coniugij finis, vt ait Clem. Alex. libro 2. Pædagogi, capite 10. filios procreare, in quibus nomen Dei benedicatur: Iis, inquit, qui matrimonio iuncti ſunt, ſcopus eſt, liberorum ſuſceptio: finis autem, vt boni ſint liberi, &c. Audi Raphaelem Angelum cum eodem iuuene Tobia loquentem: *Tu*, inquit, *cùm acceperis eam, ingreſſus cubiculum, per tres dies continens eſto ab ea, & nihil aliud niſi orationibus vacabis cum ea. Tranſacta autem tertia nocte, accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quàm libidine ductus, vt in ſemine Abrahæ benedictionem in filiis conſequaris, &c.* Non tamen excluditur finis alter, qui poſt Adami lapſum matrimonium inſeruit; videlicet, effrenatæ concupiſcentiæ remedium. Iuxta illud: *Bonum eſt homini mulierem non tangere. Propter fornicationem autem vnuſquiſque ſuam vxorem habeat, & vnaquæque ſuum virum habeat, &c.* *Tobiæ 8.* *Clem. Alex.* *Tobiæ 6.* *1. Cor. 7.*

CA-

CAPVT VI.

Morale.

De nuptiis Canæ Galilææ.

Matrimonium virginitate & continentia inferius est.

Est quidem coniugium is ſtatus Eccleſiæ, quem oſtendimus; ſed continentia ac virginitate inferior. Non eſt detrahere nuptiis, ait Hieronymus in epiſtola ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis, cùm illis virginitas antefertur. Glorientur & nuptiæ, cùm à virginibus ſint ſecundæ, &c. Et libro 1. aduerſus Iouinianum: Eccleſia, inquit, matrimonia non damnat, ſed ſubiicit, &c. Continentia & virginitas mõs ille eſt, de quo ad Lot Angelus: *In monte*, inquit, *ſaluum te fac*: quod Gregorius indicauit 3. parte Paſtoralis, admonit. 28. his verbis: Sodomam fugere, eſt illicita carnis incendia declinare; altitudo verò montium, eſt munditia continentiũ, &c.

Genes. 19.

Ciuitas parua ſtatus matrimonij mons excelſus ſtatus virginitatis & cõtinẽtiæ.

Coniugium ciuitas eſt parua, de qua Lot eodem capite: *Eſt*, inquit, *ciuitas hic parua, & ſaluabor in ea.* Parua ciuitas eſt coniugium non incolarum numero, vel murorum ambitu: ſi enim vel incolas numeres, vel ambitum ſpectes, ingens eſt. Sed parua eſt, ſi cum monte continentiæ excelſo conferatur. Quaſi paruam ciuitatem inueniunt coniugati, ait Gregorius, in qua ab ignibus defendantur. Quia coniugalis hæc vita non quidem in virtutibus mira eſt; ſed tamen à ſuppliciis ſecura, &c.

Gregor.

Noe nobilis illa Arca tres habuit contignationes. Eas Auguſtinus libro 15. de Ciuitate Dei, cap. 26. tres Eccleſiæ ſtatus adumbrare docet. Primum virginum, ſecundum viduarum, tertium coniugum. Theophylactus 1. Timoth. 4. virginitatem præſtantiſſimo auro ſimilem eſſe vult; matrimonium verò inferiori argento. D. Hieronymus in epiſt. ad Euſtoch. de cuſtodia virginitatis: Laudo, ait, nuptias, ſed quia virgines generant. Colligo de ſpinis roſam, de terra aurum, de concha margaritum, &c. Quænam ſunt ſpinæ? quæ terra? quæ concha? Videlicet coniugium. Quænam roſa? quod aurum? quod margaritum? Nempe virginitas. Idem libro 1. contra Iouinianum, illud Canticorum, iuxta verſionem Septuaginta, *Similitudines auri faciemus tibi, cum diſtinctionibus argenti, quoad vſque Rex in accubitu ſuo eſt*, ita exponit: Antequam reſurgeret Dominus, & Euangelium coruſcaret, non habebat aurum ſponſa, id eſt, virginitatem, ſed ſimilitudines auri. Argentum autem, quod in nuptiis habere ſe pollicetur, habebat varium atque diſtinctum in viduis continentibus ac maritatis, &c.

Virginitas auri, matrimonia argentum. Hieron.

Cant. 1.

Hoc virginitatis auro Ioannem Euangeliſtam, dilectiſſimum diſcipulum, Dominus exornauit: cùm (ſi vera eſt opinio) ex nuptiis illum eduxit. Nondum (pro ratione temporis) auri, id eſt, virginitatis pretium notum erat: ideo argentum, id eſt, coniugium ille quærebat. Aquila illa nobilis, quæ volatu in cælum vſque poſtea conſcendit, in laqueos ſe coniugij immiſerat; at retineri non eſt paſſus Chriſtus. Nuptiis affuit, eripuit illam laqueis, vt altiſſimè euolaret. Oſtenditque, & matrimonium ſibi placere, quod miraculo honorauit; & multò placere magis virginitatem, ad quam nuptiarum ſponſum vocauit. Hæc de coniugio ſint ſatis.

Aquilam Chriſtus è laqueo eripuit.

Deiparæ miſericordia.

Præter hæc, primò, obſerua ſummam Deiparæ Virginis miſericordiam, quæ ſua ſponte, nemine poſtulante, à Filio impetrauit, vini penuriæ vt ſuccurreret, impetrabit quoque noſtræ vt ſuccurrat penuriæ; ſi precibus fuerit à nobis ſollicitata. Audi Bernardum ſermon. 1. de his nuptiis: Quid de fonte pietatis procederet, niſi pietas? Quid mirum,

Bernar.

A ſi pietatem exhibent viſcera pietatis? Nónne qui pomum in manu tenuerit dimidia die, reliqua diei parte pomi ſeruabit odorem? Quantum igitur viſcera illa virtus pietatis affecit, in quibus nouem menſibus requieuit? &c. & ſerm. 2. Si piè à nobis Virgo fuerit pulſata, non deerit neceſſitati noſtræ. Quoniam miſericors eſt, & Mater miſericordiæ. Nam ſi compaſſa eſt verecundiæ illorum, à quibus fuerat inuitata, multò magis compatietur nobis, ſi pie fuerit inuocata, &c.

Deiparæ breuiloquium.

Secundò, obſerua Virginis prudentiam & breuiloquentiam: *Vinum*, inquit, *non habent.* Proponit tantum vini inopiam magna cum fide ac ſpe miraculi patrandi. Sic ſorores Lazari pauciſ cũ Chriſto agunt: *Ecce*, aiunt, *quem amas, infirmatur.* Morbum proponunt; reliqua amori relinquunt. Amanti enim, vt ait Auguſtinus eodem loco, tantummodo nuntiandum fuit: ſimiliter, Omnipotenti ac miſericordi vini defectus à Genitrice tantummodo proponendus fuit. Bernardus in 12. gradu ſuperbiæ: Quàm breuiter, inquit, quàm reuerenter, Virgo ſuggeſſit, vnde piè fuit ſollicita! Non frontosè acceſſit, non palàm locuta eſt; priuatim potentem Filium adiit: non potentiam tentans, ſed voluntatem explorans, &c.

Ioan. 11.

Bernar.

De Virginis ſilentio lege eumdem Bernardum in ſermone de ſigno magno; vbi obſeruat, in quatuor Euangeliis reperiri quater tantùm Virginem locutam. Primò, ad Angelum; ſecundò, ad Eliſabetham; tertiò, ad Filium in templo repertum; quartò, in his nuptiis. Ad loquendum, ait Bernardus, tarda: ad audiendum velox. Væ nobis, qui ſpiritum habemus in naribus: væ qui totum proferimus ſpiritum: qui, iuxta illud Comici Terentij in Eunucho, Pleni rimarum eſſluimus vndique. Sic Bernardus.

Idem.

Deipara quater locuta.

Loquaces.

Inter pauca autem Deiparæ verba, hæc ad nos pertinent, quæ in nuptiis protulit. Primò cum Angelo locuta eſt, deinde cum Eliſabetha, præterea cum Filio. In his nuptiis etiam nobiſcum loquitur. Virginis ergo ſanctiſſimæ verbum cordi inhæreat: *Quodcumque*, inquit, *dixerit vobis, facite.* Breue verbum, & longum: totius enim legis obedientiam complectitur. Semel nos Virgo alloquitur, & nihil aliud quàm obedientiam commendat. Quid mirum ſi obedientiam doceat ea, quę non matrem, ſed obedientiſſimã ancillam, ſe appellat Domini: *Ecce*, inquit, *ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum:* & imperiũ Dei. Illud, *Fiat*, Virginis, ſecutum eſt ſtupendum Incarnationis opus: hoc eiuſdẽ Virginis, *Facite*, ſecutũ eſt primum Chriſti miraculum. Sequantur quoque idem verbum, *Facite*, noſtra facta, ſequatur noſtra obedientia. Quodcumque dixerit nobis Dominus, eiuſque miniſtri, id faciamus: non hoc aut illud tantummodo; ſed quæcumque iuſſerint. Obedientiam illam æmulemur, quam in oratione Dominica quotidie memoramus, cùm ſic precamur: *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra.* In cælo quæcumque dicit Dominus Angeli beatæque omnes animæ faciunt: omnibus in rebus ad amuſſim parent: nulla in re, vel minima quidem, à Dei voluntate diſcedunt. Fiat ergo voluntas Dei, ſicut in cælo, ſic in terra: ſicut à Cælicolis fit, ita à terræ habitatoribus pro virili parte perfectè fiat. Miniſtri illi iuſſi à Domino hydrias aqua implere; impleuerunt eas, vt Euãgeliſta teſtatur, vſque ad ſummum. Hoc obedientis eſt, quidquid imperarit vel Dominus, vel is qui eius locum obtinet, implere vſque ad ſummum, hoc eſt, perfectè, illis quoque in rebus ſimpliciter præſtare obedientiam, quæ quorſum fiant ignorat. Indigebant vino miniſtri: Chriſtus aquam iubet hydriis infundere. Quid aquæ

Ad obedientiã Deipara hortatur.

Lucæ 1.

Obedientia in omnibus rebus ſeruanda.

Obedientia vſque ad ſummum.

Obedientia ſimplex.

aquæ cum vino? Possent illi dicere: Vinum postulamus, non aquam. At dicenti Domino simpliciter obtemperarunt, & aquam in vinum conuersam, & viderunt, & potarunt.

Tertiò, obserua miraculo primo Christum aquam in vinum conuertisse, idque in nuptiis. *Christus in nuptiis Ecclesiæ aquã conuertit in vinum.* Adumbrat autem hæc conuersio, rerum per Christum in melius conuersionem, in nuptiis Ecclesiæ sanctissimis. Mutata est frigida aqua & insipida in vinum ardens, saporisque suauissimi; sic per Christum mutata est lex vetus, frigidæ aquæ similis, quia ardorem caritatis vi sua largiri non poterat, in legem nouam, vino ardentissimo similem, quæ amoris ardentissimi lex est. *Hydria ceremonia legis.* Hydriæ, id est, aquaria vasa ab aqua nominata, veteris legis ceremonias ritusque indicant. Etenim ritus illi, aquaria erant vasa; quæ vinum, id est, gratiam, minimè continebant. *Hydriæ erant positæ*, vt ait Euangelista, *secundùm purificationem Iudæorum.* Purificatio autem Iudæorum, secundùm legis antiquæ vim & ceremonias, non conscientiæ erat, sed carnis, vt *Hebr. 9.* Paulus docet: *Munera*, inquit, *& hostiæ offeruntur, quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem: solummodò in cibis, & in potibus, & variis baptismatibus, & iustitiis carnis vsque ad tempus correctionis impositis, &c.* Iam hydrias & aquaria vasa in vasa vini pretiosissimi à Christo mutata cernimus. *Sãguis Christi complet Sacramẽta, veluti vasa pretiosissima.* Non enim sex hydriæ, sed septem vasa pretiosissima posita nobis sunt, vino plena suauissimo; hoc est, septem Ecclesiæ sacramenta, Christi sanguine completa. *Septem Sacramenta. Esther 1.* *Vinum, vt magnificentia regia dignum erat, abundans, & præcipuum ponebatur.* Sic diuina illa magnificentia dignum vinum in Ecclesia ponitur, *Genes. 49.* abundans ac præstantissimum. *Lauabit in vino stolam suam*, ait Iacob de Messia, *& in sanguine vuæ pallium suum.* Quodnam est hoc vinum, quo Messias stolam palliumque suum lauit? sanguis sanè Christi, quo abundanter effuso Ecclesiam suam, stolæ instar, semper lauat. *Christi sanguis vinum pretiosissimum. Ioan. 15.* *Ego sum vitis vera*, ait ipse Dominus. Vitis vinum fert, nostra vitis vera, instar vini, sanguinem protulit. Vnde D. Cyprianus epistola 63. ad Cæcilium: Cùm dicat Christus, Ego sum vitis vera, sanguis Christi non aqua est vtique, sed vinum, &c. Vt è botris vinum effundatur, botros premi necesse est: eumdem in modum, vt è Christo sanguis funderetur, premi oportuit Crucis ponderе. *Cyprian.* Cyprianus: Quomodo, inquit, ad potandum vinum veniri non potest, nisi botrus calcetur antè, & prematur: sic nec nos sanguinem Christi possemus bibere, nisi Christus calcatus prius fuisset, & pressus, &c. De hoc stupendo vino idem Cyprianus illud exponit: *Calix meus inebrians, quàm præclarus est:* *Psal. 22. Quomodo calix Domini inebriet.* Præclarus, ait, calix; quòd calix dominicus sic bibentes inebriet, vt sobrios faciat: vt mentes ad spiritalem sapientiam redigat: vt à sapore isto sæculari ad intellectum Dei vnusquisque resipiscat, &c. Hæc verò iam non frigidæ aquæ, sed ardentis vini vasa posita sunt, non secundùm purificationem Iudæorum, sed secundùm purificationem Christianorum. Non carnis sunt iustitiæ, sed animi, non carnem, sed conscientiam abluunt.

Non deficiet vinũ in nuptiis Ecclesiæ. Defecit in nuptiis Canæ vinum, in nuptiis autem Ecclesiæ vt deficiat fieri nequit. Dici numquam poterit de Ecclesiæ conuiuis: *Vinum non habent*: septem enim hæc vasa pretij summi impleta sunt vsque ad summum, hoc est, vsque ad extremum iudicij diem. *Haurite* dixit Christus ministris: nobis idem dicit: Haurite pretiosum gratiæ vinum ex sacramentis: quantumcumque hauriatis, nullo vmquam tempore totum exhaurietis. Nec verò hoc tantummodo vinum Christus habet, aliud in finem reseruat pretiosius. Hic vinum donat gratiæ, in finem vinum suauius reseruat gloriæ sempiternæ! Gustato vino dixit architriclinus: *Omnis homo primùm bonum vinum ponit: & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius est.* At non sic Christus, quin potius bonum vinum suis semper conuiuis propinat; optimum verò in finem differt. *Christum præstantissimum vinum in finẽ differt. Ioan. 2.*

Quartò, obserua, à plerisque Christum vocari ad luctum & funus: hoc est, cùm morbo mortisque impendentis metu perterrentur. A paucis verò ad nuptias inuitatur, hoc est, cùm prosperè res fluunt: *Cùm occideret eos, quærebant eum: & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum.* Ecce Israëlitæ Deum vocabant ad funus: cùm scilicet occideret eos. At verò cùm bene haberent: *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit a Deo salutari suo.* Inuita semper Christum, tam ad prospera, quàm ad aduersa; ne rebus prosperis intumescas, vel aduersis frangaris. Inuitabis præterea Christum, si eius pauperes vocaueris, alueris, refeceris. Nam quod pauperi facimus, Christo facimus. *Quamdiu*, inquit Dominus, *fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Inuitatus ad nuptias Christus, multo plùs dedit, quàm accepit. Nam parùm cibi accepit, sex verò vini suauissimi hydrias dedit: sic, si Christum in pauperibus inuitaueris, pauca Christo dabis, multa ab eo recipies. Augustinus sermone 41. de verbis Domini: Christus dicit: Pauca mihi das, plura reddam: terrena das, cælestia reddam: temporalia das, æterna restituam, te ipsum tibi reddam, quando me tibi reddidero, &c. Virgo penuriæ nuptiarum succurrit, non rogata. Imitare Deiparam, etiam non rogatus, viduæ, orphani, pauperisque penuriam subleua. *Qui habuerit substantiam huius mundi*, ait diuus Ioannes, *& viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo caritas Dei manet in eo?* Qui viderit, inquit Ioannes, satis enim est videre fratrem necesse habere, vt opem feras, etsi non petat. Si vides inopiam; viscera ne claude, ne claude pecuniam. Conuertit aquam in vinum Dominus in nuptiis; tibi, si pauperum inopiæ feras opem, humum conuertet in vinum, in oleum, & frumentum. Iuxta illud: *Qui dat pauperi, non indigebit: qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam, &c.* *Christum plus eat, quam recipias.* *August.* *Eleemosyna.* *1. Ioan. 3.* *Prou. 28.*

Quintò, obserua rationem, quam sermone 2. dominicæ post octauam Epiphaniæ D. Bernardus reddit, cur Christus Matri aliquantulum in speciem asperius responderit: *Quid mihi & tibi est mulier?* Vtique, ait Bernardus, propter nos. Vt conuersos ad Dominum iam non sollicitet carnalium cura parentum; & necessitudines illæ non impediant exercitium spirituale. Quamdiu enim de mundo sumus, debitores nos constat esse parentibus: at postquam reliquimus nosmetipsos, multò magis ab eorum sollicitudine liberi sumus, &c. De Leuita in sortem Domini vocato Moses sic scribit: *Qui dixit patri suo & matri suæ: Nescio vos; & fratribus suis: Ignoro vos: & nescierunt filios suos: & seruauerunt pactum tuum, &c.* Eumdem in modum vir religiosus in sortem Domini receptus, nesciat patrem, nesciat matrem, nesciat consanguineos. Hæc nescientia Dei parit scientiam. Ille, ait D. Gregorius lib. 7. Mor. cap. 17. scire Dominum familiarius appetit, qui præ amore pietatis nescire desiderat, quos carnaliter sciuit. Graui enim damno scientia diuina minuitur, si cum carnis notitia partitur. Extra cognatos ergo quisque ac proximos debet fieri, si vult parenti omnium verius iungi, &c. *Bernard.* *Religiosum carnalium cura parentum ne sollicitet.* *Deut. 33.* *Nescientia suorũ, Dei parit scientiam. D. Greg.*

Sextò, obserua, Christum vinum suum suauissimum

mum tunc propinaſſe, cùm nuptiarum vinum defecit. Videlicet, tunc lætitiam ſolatiaque ſua, omni vino ſuauiora, nobis Deus præbet; cùm mundi lætitia ſolatiaque deficiunt. *Meliora ſunt vbera tua vino*, ait Deum deſiderans anima; hoc eſt, præſtantius eſt vino tuum lac; tua dulcedo mundi dulcedinem ſuperat. Lacte paſcitur infans; qui cibos alios edere nequit; eumdem in modum diuinis deliciis paſcitur anima, quæ deliciis mundi veſci recuſat. *Defecit manna, poſtquam comederunt de frugibus terræ, &c.* Pluit in deſerto manna, pluunt diuinæ in ſolitudine conſolationes. At, proh dolor! poſtquam de frugibus terræ comedimus, poſtquam terrenis conſolationibus paſcimur, manna deficit cæleſte, cæleſtia deficiunt ſolatia. Nam, vt D. Bernar. ait, ſerm. 6. de Aſcenſione: præoccupatum ſæcularibus deſideriis animum delectatio ſancta declinat; nec miſceri poterunt vera vanis, æterna caducis, ſpiritalia corporalibus, ſumma imis; vt pariter ſapias quæ ſurſum ſunt; & quæ ſuper terram, &c.

Tunc Deus vinũ ſuum præbet, cùm deficit noſtrum. *Cant. 1.* *Ioſue 5.* *Bernar.* *Non miſcẽtur Vera Vanis.*

Septimò, obſerua ex Auguſtino, in commentariis in Ioannem, ſex hydrias ſex mundi ætates adumbrare; plenas aqua, id eſt, prophetia de Chriſto, ſed nondum intellecta. In vinum aqua conuerſa eſt, cùm prophetia de Chriſto eſt cognita atque impleta. Iuxta illud: *Aperuit illis ſenſum, vt intelligerent Scripturas.* Item: *Incipiens à Moyſe, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipſo erant.* Item: *Neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis, de me, &c.* Illa erat aqua, ait Auguſtinus, & ideo dicti ſunt diſcipuli à Domino inſenſati, quia eis adhuc aqua ſapiebat, non vinum. Quomodo autem fecit de aqua vinum? Cùm aperuit eis ſenſum, & expoſuit Scripturas, incipiens à Moyſe, & per omnes Prophetas, &c. Item, idem Auguſtinus: Sex, inquit, hydriæ ſex ætates ſignificant, quibus non defuit prophetia. Impletæ ſunt Prophetis, plenæ ſunt hydriæ; ſed vt aqua in vinum conuertatur, in illa tota prophetia Chriſtus intelligitur, &c. Multa alia in hanc ſcribit ſententiam.

Hydria ſex ex Auguſtino ſex mũdi ætates deſignant. *Luca 6.*

Octauò, erant hæ ſex hydriæ poſitæ in Cana, ſecundùm purificationem Iudæorum. Sex alias hydrias indicat D. Bernardus ſermone 1. poſitas in Eccleſia ſecundùm purificationem Chriſtianorum: Prima hydria, vt ille ait, eſt compunctio; Secunda, confeſſio; Tertia, eleemoſynarum largitio; Quarta, remiſſio iniuriarum; Quinta, afflictio corporis; Sexta, obedientia præceptorum. Ex his aquas Chriſtiani hauriant, ad animum purificandum; de ſingulis verò dicere breuitatis cauſſa omittamus.

Sex hydria poſita in Eccleſia ex D. Bernardo.

Nonò, D. Cyprianus epiſt. 63. ad Cæcilium, ſcribit vini in Cana defectum, defectum ſpiritalis gratiæ in populo Iudæorum ſignificaſſe. *Vinea Domini exercituum*, ait Iſaias, *domus Iſraël eſt; exſpectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas. Auferam ſepem eius, & erit in direptionem: diruam maceriam eius, & erit in conculcationem: & ponam eam deſertam, non putabitur, & non fodietur: & aſcendet vepres, & ſpinæ: & nubibus mandabo ne pluant ſuper eam imbrem, &c.* Vides quomodo defecerit vinum in Iſraëlitica vinea? Fœcundiorem aliam multoque ampliorem Deus plantauit, in qua vinum deficiet numquam. Gentium elegit populos, & aquam mutauit in vinum. Aqua populum ſignificat. Mutata ergo aqua in vinum populorum in melius adumbrat conuerſionem. D. Cyprianus loco indicato: Quia, inquit, apud Iudæos defecerat gratia ſpiritalis, defecit & vinum (ſcilicet in Cana) vinea enim Domini Sabaoth, domus erat Iſraël. Chriſtus autem oſtendens gentium populum ſuccedere, & in locũ, quem Iudæi perdiderant, nos poſtmodum merito fidei peruenire, de aqua vinum fecit, id eſt, quòd ad nuptias Chriſti & Eccleſiæ, Iudæis ceſſantibus, plebs magna gentium confluęret & conueniret, oſtendit. Aquas namque populos ſignificare Scriptura declarat. Quod ſcilicet perſpicimus in ſacramento calicis contineri. Nam quia nos omnes portabat Chriſtus, qui & peccata noſtra portabat, videmus in aqua populum intelligi, in vino verò oſtendi ſanguinem Chriſti. Quando autem in calice vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur & coniungitur. Hæc D. Cyprianus.

Cyprian. In Vinea Iſraël defecit vinũ, id eſt, gratia. *Iſaia 5.* *Apoc. 17.* *Cyprian.*

Denique illud ne obliuiſcamur architriclini verbum: *Omnis homo primùm bonum vinum ponit: & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt.* Si quid boni vini mundus habet, id initio conuiuij propinat, vt miſeros inebriet conuiuas; in finem amariſſimas reſeruat fæces. *Epulabatur quotidie ſplendidè dives ille*, cuius Lucas meminit. Initio conuiuij propinauit illi mundus ſuauiſſimum vinum; in finem verò acerbiſſima tormenta ſitimque amariſſimam reſeruauit. Vnde illud Abrahami reſponſum: *Recordare, quia recepiſti bona in vita tua; nunc autem cruciaris. Recepiſti bona in vita tua*; hoc eſt: *Omnis homo primùm bonum vinum ponit. Nunc autem cruciaris*; hoc eſt: *Et cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt.* Vide quàm bonum vinum primùm Aſſuerus Rex poſuerit Aman. *Rex Aſſuerus exaltauit Aman, & poſuit ſolium eius ſuper omnes Principes, quos habebat. Cunctiq; ſerui Regis, qui in foribus palatij verſabantur, flectebant genua, & adorabant Aman, &c.* Ecce vinum ſuauiſſimum in principio epuli. Finem exſpecta: *Suſpenſus eſt Aman in patibulo quod parauerat Mardochæo, &c.* Quaſnam fæces amariores patibulo potuiſſet miſerrimus Aman, poſt vinum ſuauiſſimum, bibere? Lætiſſima ſunt flumina amœniſſimis vndique ripis pratisque circumdata: ſed, vt Eccleſiaſtes ait, *Omnia intrant in mare.* Quemadmodum fluminum lætiſſimorum finis, amariſſimum mare eſt: ita lætiſſimi vini, quod mundus propinat, finis, amariſſimæ ſunt fæces. *Ne intuearis vinum*, ait ſapientiſſimus Salomon, *cùm ſplenduerit in vitro color eius: ingreditur blandè, & in nouiſſimo mordebit vt coluber, & ſicut regulus*, id eſt, baſiliſcus, *venena diffundet.* Hoc eſt, ſenſu morali: Caue tibi à mundi vino, hoc eſt, voluptate: quod ſplendet quidem ac flaueſcit, ſed vaſe vitreo continetur, ſcilicet vita, quæ vitri inſtar facile frangitur. Ne intuearis vinum hoc, cùm ſplenduerit in hoc vitro color eius. Blandè ingreditur, ſuaue eſt palato ac gutturi. At finem attende: *In nouiſſimo mordebit vt coluber*, & ſicut baſiliſcus venenum toto animo corporeque diffundet. Itaque initio dulce eſt ac ſuaue, in fine coluber & baſiliſcus. Tu ne reſpice initij dulcedinem, reſpice, ſi ſapis, finis amaritudinem.

Ioan. 2. *Mũdus primùm bonũ vinũ ponit, in fine faces amaras.* *Luca 16.* *Eſther 3.* *Eſther 7.* *Eccle. 1.* *Prou. 23.* *Vinum mũdi, id eſt, Voluptas, Vas ſe. vitreo propinatur.*

Quando ſederis vt comedas cum Principe, ait idem Rex Salomon eodem capite, *diligenter attende quæ poſita ſunt ante faciem tuam: & ſtatue cultrum in gutture tuo; ſi tamen habes in poteſtate animam tuam, &c.* Egregium tibi præſtat conſilium, egregius conſiliarius, videlicet, diligenter conſiderandos cibos, qui tibi apponuntur, frenandamque cupiditatem, & guttur cultro transfigendum, ne intemperanter veſci contingat. Fidele conſilium cape; quas tibi mundus, veluti Princeps, apponit eſcas, earumque finem attento animo contemplare; quantùm immixti veneni habeat, quamque infelicem exitum conuiuium ſortiatur, diligenter explora. Si compos tui es, ſtatue cultrum in gutture tuo, id eſt, cupiditatem rerum caducarum acuto transfige gladio,

Prou. 23. *Attende quale ſit mundi conuiuium.*

dio, ne mundi vino epulisque, hoc est, opibus, honoribus, voluptatibusque inhiet. Quemadmodum qui cultrum in gutture statuit, à cibo abstinet; sic tu à deliciis mundique voluptatibus abstine. Vel aliter; cùm sederis vt comedas cum Principe, statue cultrum in gutture tuo, id est, vide quanto in periculo versaris, existima gutturi tuo cultrum imminere: facilè enim Principes irascuntur, & eos qui aliquid, quod displicet, vel faciunt, vel dicunt, morte afficiunt. Etiam hoc sensu statuendus est in gutture gladius, ne mundi vinum potemus, néve eius cibis inhiemus. Cogita frequenter Dei gladium ancipitem, non corpus solum, sed animum quoque percutientem, id est, supplicium corporis animique sempiternum. Id si facias, inebrians voluptatis vinum non bibes, sed effundes, alterumque referes Democlem, de quo Tuscul. 5. in hunc modum M. Tullius scribit: Cùm quidam, ex Dionysij Syracusanorum Tyranni assentatoribus, Democles commemoraret in sermone copias eius, opes, maiestatem, rerum abundãtiam, magnificentiam ædium regiarum, negaretque vmquam beatiorem quemquam fuisse. Visne igitur, inquit Dionysius, ô Democle, quoniam hæc te vita delectat, ipse eamdẽ degustare, & fortunam experiri meam? Cùm se ille cupere dixisset, collocari iussit hominem in aureo lecto, strato pulcerrimè, textili stragulo, magnificis operibus picto; abacosque complures ornauit argento auroque cælato, tum ad mensam eximia forma pueros delectos iussit consistere, eosque ad nutum illius intuentes diligenter ministrare. Aderant vnguenta, coronæ, incendebantur odores, mensæ conquisitissimis epulis exstruebantur, fortunatus sibi Democles videbatur. In hoc medio apparatu fulgentem gladium è lacunari seta equina appensum demitti iussit, vt impenderet illius beati ceruicibus. Itaque nec pulcros illos administratores aspiciebat, nec plenum artis argentum, nec manum porrigebat in mensam; denique exorauit Tyrannum vt abire liceret, quoniam beatus nollet esse, &c. Non porrigebat manum in mensam Democles impendẽte territus gladio; tu quoque non porriges in mensam mundi manum, si imminentem tuis ceruicibus Dei iustitiam eamque horrendam consideraueris.

In gutture culter statuẽdum quomodo sit.

Democles & Dionys.

Itaque mundus primùm bonum vinum ponit; postquam verò miseros mortales inebriat, tunc id infert, quod deterius est. *Tu autem*, ait architriclinus sponso, *seruasti bonum vinum vsque adhuc*. O sponsum sapientissimum Christum! optimum ille vinum in finem seruat. Hac in vita amara, sed dulcibus condita; post vitam omnia dulcia elargitur. *Tu Domine*, ait beata anima, cùm cælum ingreditur, *seruasti bonum vinum vsque adhuc*. Hæc amplissima præmia, hæc per æternitatem permanitura bona, hanc omni fine omnique penuria carentem gloriam mihi reseruasti vsque adhuc. Hinc illud Abrahami: *Lazarus recepit mala in vita sua: nunc autem hic consolatur*. Amara prius recepit; in fine recepit dulcia. Et illud: *Transiuimus per ignem & aquam: & eduxisti nos in refrigerium*. Per solitudinem incultam atque asperam iter nunc facimus, sed perueniemus tandem in terram fluentem lac & mel. Cuius rei typus in Israëlitis olim præcessit. Nunc parum fellis degustabimus, in fine torrentes mellis potabimus. Iuxta illud: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*.

Christus in finẽ suauissimũ vinũ reseruat.

Luce 16.

Psal. 65.

Psal. 35.

Christo dederunt vinum bibere cum felle mixtum, & cùm gustasset, noluit bibere. Quemadmodum mixtum cum felle vinum Christo propinatum est; sic quamdiu hac vitæ vsura fruimur, mixta cum felle dulcedo, & mixtum cum dulcedine fel, nobis propinabitur. At Christus non bibit, sed gustauit: id enim nobis contingit; non bibimus fellis amaritudinem, sed paucis huius æui diebus degustamus. Fel bibunt, & in viscera transmittunt miseri illi, qui in æternitatem apud inferos cruciantur. Qui in tempore pœnam tolerat, pœnam tantummodo degustat ac bibit: qui in æternitate pœnam fert, is pœnam in cor traiicit, atque haurit, sed numquam exhaurit.

Matth. 27.

Lege Bernardum sermone 12. & 13. inter paruos: Semper, inquit, sponsus noster seruat ad vltimum bonum vinum; quod verò in eius comparatione deterius est, antè propinat, dicens: *Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in timore*. Si ex timore feceris te ipsius seruum, faciet te ex caritate amicum suum. Et sic aqua timoris commutabitur in vinum dilectionis, &c.

Bernar.

Eccli. 2.

Idem Bernard. libro 4. de Consideratione, adulatori hæc verba accommodat: *Omnis homo primùm bonum vinum ponit*, &c. Scorpioni, ait, non est in facie quod formides, sed pungit à cauda. Si ad talium, id est, adulatorum blanditias cor tuum molliri senseris; memineris scriptum: *Omnis homo primùm bonum vinum ponit: cùm autem inebriati fuerint, tunc id quod deterius est*. Viri callidi & dolosi proprium esse solet, tunc prætendere humilitatem, cùm aliquid obtinere voluerit, de qualibus dicit Scriptura: *Est qui nequiter se humiliat*. Hæc ille.

Bernar. Ioan. 2.

Eccli. 19.

CAPVT

CAPVT VII.

De deſcenſu Chriſti in vrbem Capharnaum, initio anni ſecundi poſt baptiſmum, & de fratribus Domini.

IOANN. CAP. II.

POST hoc deſcendit Capharnaum ipſe, & Mater eius, & fratres eius, & diſcipuli eius: & ibi manſerunt non multis diebus. Et propè erat Paſcha Iudæorum, & aſcendit Ieſus Ieroſolymam: & inuenit in templo vendentes oues, & boues, & columbas, & nummularios ſedentes. Et cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoque, & boues, & nummulariorum effudit æs, & menſas ſubuertit. Et iis, qui columbas vendebant, dixit: Auferte iſta hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis. Recordati ſunt verò diſcipuli eius, quia ſcriptum eſt: Zelus domus tuæ comedit me. Reſponderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis? Reſpondit Ieſus, & dixit eis: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo Iudæi: Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? Ille autem dicebat de templo corporis ſui. Cùm ergo reſurrexiſſet à mortuis, recordati ſunt diſcipuli eius, quia hoc dicebat, & crediderunt Scripturæ & ſermoni, quem dixit Ieſus. Cùm autem eſſet Ieroſolymis in Paſcha in die feſto, multi crediderunt in nomine eius, videntes ſigna eius, quæ faciebat. Ipſe autem Ieſus non credebat ſemetipſum eis, eo quòd ipſe noſſet omnes, & quia opus ei non erat vt quis teſtimonium perhiberet de homine: ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine.

Primus annus poſt baptiſmum.

ACTA Chriſti Opt. Max. primi anni poſt baptiſmum hactenus enarrauimus. Fuit enim primi anni initium dies ſexta Ianuarij, qua in Iordane baptizatus eſt: finis, anno vertente, ſexta item dies Ianuarij, qua aquam in vinum tranſmutauit, vt ſuprà dictum eſt. Diuus Chryſoſtomus hoc loco aliud ſentit, nimirum, Chriſtum paucis ante hoc Paſcha diebus fuiſſe baptizatum: Paucis, inquit, ante Paſcha diebus baptizatus venit Ieroſolymam, &c. Et Theophylact. Quod dicit Euangeliſta fuiſſe propè Paſcha, oſtendit, quòd non ante multos dies Paſchæ fuerit baptizatus, &c. Ex ſententia ergo Chryſoſtomi & Theophylacti, paucis diebus ante hoc Paſcha baptizatus eſt Chriſtus, deinde in Cana aquam conuertit in vinum, poſtea Capharnaum abiit, vnde ad agendos Paſchatis dies Ieroſolymam petiit. Nos tamen Eccleſiæ ſententiam ſequimur, hocque loco acta ſecundi anni poſt baptiſmum aggredimur. Poſtquam in nuptiis miraculo primo Dominus gloriam ſuam patefecit, cum Matre Virgine ſanctiſſima, cum conſanguineis & diſcipulis, in vrbem Capharnaum diſceſſit ante Paſchale feſtum, ibique non multis diebus eſt commoratus. Poſtea feſto propinquante Ieroſolymam petiit, & è templo vendentes victimas atque ementes flagello expulit.

Chryſoſt.

Theophyl.

Secũdus annus poſt baptiſmum.

Matt. 2. Capharnaũ ciuitas maritima cur dicatur.

DESCENDIT *Capharnaum*. Capharnaum ciuitas eſt Galilææ præcipua, quàm Matthæus cap. 4. maritimam appellat. Maritima autem dicitur, non quòd iuxta mare mediterraneum ſita fuerit, ſed quod dulcibus lacus Genezareth aquis alueretur. Nam dulcis etiam aquæ congregatio dicitur mare: ideoque ipſe lacus mare Tiberiadis nominatur. Huic lacui ſiue mari adiacebat ciuitas Capharnaum, Bethſaida quoque & Corozaim. Verum de lacu & his opidis illi adiacentibus poſtea dicemus.

D. Chryſoſtomus homilia 22. in Ioann. exiſtimat Chriſtum cum Matre & fratribus propterea Capharnaum veniſſe, vt eos ibi faceret commorari, ne eum ſequerentur. Vt mihi videtur, ait Chryſoſtomus, cùm paullo pòſt eſſet Chriſtus Ieroſolymam aſcenſurus, antè Capharnaum petiit, ne quocumque fratres ſecum & Matrem traheret. Et Theophylactus: Deſcendit Capharnaum non alterius vſus gratia; quàm vt Matrem ſuam illic reſidere faceret, vt ne illam vbique poſt ſe traheret. Quoniam cùm ad nuptias venerunt in Cana, nuptiis habitis, abducit Matrem in domum ſuam in Capharnaum. Manifeſtum autem, quòd propter hanc cauſſam deſcenderit in Capharnaum, ex eo quòd neque multis ibi manebat diebus, nec miraculum ibi faciebat, &c. Euthymius quoque: Deſcendit, inquit, Dominus Capharnaum, vt quieſcere faceret ibi Matrem, &c. Hæc tamen cauſſa non videtur vera. Primò, quoniam ſi ea fuiſſet cauſſa, in vrbem Nazareth potius, vbi domũ habebat, quàm in Capharnaum, Virgo fuiſſet ducenda. Præterea, quoniam veriſimilius eſt, Virginem cum Chriſto paullo pòſt è Capharnaum Ieroſolymam ad Paſchale feſtum celebrandum petiuiſſe: ſolebat enim id ſingulis annis facere. Ad hæc: Virgo Deipara non habitauit in Capharnaum, ſed in Nazareth reuerſa eſt; vt conſtat ex illis verbis Nazarenorum: *Nónne Mater eius dicitur Maria, & fratres, Iacobus & Ioſeph, Simon & Iudas, & ſorores eius, nónne omnes apud nos ſunt? &c.* Dicta enim ſunt poſt hunc aduentum Chriſti in Capharnaum. Itaque ignota eſt cauſſa,

Chryſoſt.

Theophyl. Quorſum Chriſtus Capharnaum petierit?

Euthym.

Matth. 13.

Ignota cauſſa.

ſa, cur in Capharnaum nunc Chriſtus deſcenderit.

Deſcendiſſe autem dicitur, quoniam decliuis via erat à Cana vel Nazareth verſus Capharnaum. Nam Chriſtus vel ſtatim poſt nuptias ex opido Cana in Capharnaum profectus eſt, vel è Cana rediit Nazareth cum Deipara, deinde in Capharnaum diſceſſit. Matthæus ait Chriſtum relicta patria in ciuitatem Capharnaum veniſſe, atque in ea habitaſſe. Sed hic aduentus alius eſt, vt ex eodem Matthæo cõſtat: ſic enim ſcribit: *Cùm audiſſet Ieſus quòd Ioannes traditus eſſet, ſeceſſit in Galilæam: & relicta ciuitate Nazareth, venit, & habitauit in Capharnaum maritima.* Fuit igitur ſeceſſus à Nazareth in Capharnaum, cuius meminit Matthæus & Lucas etiam, poſtquam Baptiſta in carcerem ab Herode coniectus eſt: ſeceſſus verò hic, quem Ioannes memorat, Baptiſtæ carcerem præceſſit.

Hic deſcẽſus Chriſti in Capharnaũ præceſſit Ioannis carcerem. Matth. & Luca 4.

Ioan 2. Quinã dicatur Domini fratres.

ET *fratres eius.* Quinam fratres Domini in Euangelio dicantur hîc eſt inueſtigandum. Impij Heluidij blaſphemiam ſcribere horret ipſe calamus, qui & ſtulte & impiè aſſeruit fratres Domini appellari, quòd ex Deipara Virgine nati eſſent. Aduerſus ſtultam blaſphemiam D. Hieronymus ſcripſit & D. Ildephonſus: nec eſt opus illius graueolentiam nunc commouere. Dicendum eſt, fratres Domini in Euangelio appellari Domini conſanguineos. Etenim conſanguineos fratres dici contra Heluidium Hieronymus recte docet: Quatuor modis, ait ille, in Scripturis diuinis fratres dici; Natura, Gente, Cognatione, Affectu. Natura fratres dicuntur Eſau & Iacob, duodecim quoque filij Iſraël, Andreas & Petrus, Iacobus Maior & Ioannes Euangeliſta, & alij ſimiliter. Gente fratres nominantur, qui ex eadem ſunt gente ſiue natione, vt Iudæi omnes. *Cum tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus, & ſex annis ſeruierit tibi, in ſeptimo anno dimittes eum liberum. Tranſite armati ante fratres veſtros;* & aliis locis. Cognatione fratres nuncupantur, cognati ac conſanguinei. *Dixit Abraham ad Lot filium fratris ſui: Ne ſit iurgium inter me & te, & inter paſtores meos, & paſtores tuos: fratres enim ſumus,* id eſt, conſanguinei. Et ait Laban ad Iacob: *Num quia frater meus es, gratis ſeruies mihi?* id eſt, quia conſanguineus meus es? non enim Iacob frater erat Laban natura, ſed cognatione; Rebeccæ nempe filius, ſororis Laban. Eodem capite: *Indicauit Iacob Racheli, quòd frater eſſet patris ſui,* id eſt, conſanguineus. Affectu vocantur fratres, ait Hieronymus, vel in ſpiritale, vt Chriſtiani omnes, vel in commune, quo modo omnes homines fratres cenſentur, &c.

Hieron. Fratres quatuor dicuntur modis.

Deut. 15.

Ioſue 1.

Geneſ. 13.

Gen. 29.

Ibidem.

Itaque fratres Domini, non natura fratres appellantur, ſed cognatione. Nimirum, quòd conſanguinei eſſent Chriſti. Multos enim habuit Chriſtus conſanguineos. Similem in modum à Nazarenis Chriſti ſorores appellantur, hoc eſt, conſanguineæ: *Nónne,* inquiunt, *fratres eius,* id eſt, cognati, *Iacobus, & Ioſeph, & Simon, & Iudas, & ſorores eius,* id eſt, conſanguineæ, *apud nos ſunt?* Fratres autem Domini, dici conſanguineos à Nazarenis hoc loco, perſpicuum eſt: quoniam fratres Chriſti illi appellant Iacobum, Simonem, Iudam, & Ioſeph: ſic enim appellandus eſt, vt eſt in Bibliis correctis, non Ioſes, vt alij appellant. At verò ij non potuere fratres eſſe Chriſti natura: nam non erant filij patris Chriſti, vt liquet, nec etiam erant filij Matris Chriſti, vt conſtat ex diuo Marco. Erant igitur fratres, id eſt, cognati: *Erant,* inquit, *mulieres de longè aſpicientes: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi minoris, & Ioſeph mater, &c.* En tibi matrem Iacobi & Ioſeph, qui à Nazarenis fratres Domini dicebantur; nempe Maria dicebatur, non Deipara, vt exploratum eſt, ſed altera; ergo ex ipſo Euangelio perſpicuum eſt, fratres Domini & ſorores appellari non natura, ſed cognatione.

Fratres Domini dicuntur conſanguinei.

Matth. 13.

Marci 15.

Si quis dicat, Mariam Iacobi, ex ſententia Gregorij Nyſſeni orat. 2. de Reſurrectione, Theophylacti & Nycephori, libro 1. Hiſtor. capite 33. appellari Deiparam Virginem; fatebimur quidem hos auctores ita ſenſiſſe, ſed eorum ſententiam abſurdam omnino eſſe reſpondebimus. Quis enim perſuadere ſibi poterit Euangeliſtam Marcum Deiparam Virginem voluiſſe potius appellare Mariam Iacobi, quàm Mariam Matrem Chriſti? ſed ſuo loco fuſius refutanda eſt hæc ſententia. Illud hoc loco aduertendum, Nyſſenum & reliquos non exiſtimaſſe Deiparam Mariam Iacobi appellari, quòd Iacobum genuiſſet: id enim exiſtimare nefas eſt. Exiſtimarunt igitur Iacobum filium fuiſſe Ioſephi, ideoque Deiparæ quoque filium dictum, quòd eſſet Ioſephi ſponſa. Vnde Nyſſenus: Mariam, inquit, Iacobi & Ioſeph Matrem Deiparam eſſe credimus. Deinde addit: Deipara Ioſeph & Iacobi, filiorum Ioſeph ex præmortua vxore, mater vocabatur.

Greg. Nyſſ.

Etenim multi ex Patribus arbitrati ſunt, Ioſeph ſponſum Virginis filios habuiſſe ex altera vxore ſuſceptos, atque hos Chriſti fratres nominatos. Nam Ioſeph ab hominibus Chriſti pater exiſtimabatur, quocirca filij Ioſeph illius fratres dicebantur, nempe quòd eiuſdem patris filij exiſtimarentur. Hæc eſt ſententia Græcorum. Epiphanij hæreſi 51. & 78. Habuit, ait, Ioſeph primam vxorem ex tribu Iuda, & peperit hæc ipſi liberos numero ſex, quatuor maſculos, duas femellas, &c. Chryſoſtomi in oratione de Annuntiatione, Gregorij Nyſſeni orat. 2. de Reſurrectione, Theophylacti Matthæi 13. & 27. Euthymij Ioannis 2. & Matthæi 13. Nicephori libro 2. capite 3. Hippolyti apud eumdem Nicephorũ eodem loco, Oecumenij Act. 1. & ad Gal. 1. Euſebij libro 2. Hiſtor. capite 1. Origenis, Matthæi 13. Fratres, inquit, Ieſu putabant nonnulli eſſe ex traditione Hebræorum, ſumpta occaſione ex Euangelio, quod titulum habet iuxta Petrum, aut ex libro Iacobi, filios Ioſeph ex priore vxore, quę conuixerat ipſi antequam duceret Mariam, &c. Adde ex Latinis Ambroſium ad Galatas 2. & in libro de Inſtitutione Virginis, capite 6. Hilarium in Matthæum canone 1. Denique Caietanum ad Galatas 1. Refutatur ex hac ſententia Heluidij hæreſis. Nam hominum opinione fratres Chriſtus habebat, non tamen ex Virgine ortos, ſed ex Ioſepho.

An Ioſeph filios habuerit ex alia vxore.

Gracis.

Latinis.

Attamen Ioſephum virginitatem coluiſſe perpetuam, nec vllos habuiſſe filios opinio eſt diui Hieronymi antiqua, & noſtro tempore recepta ac communis. In libro aduerſus Heluidium verſus finem, Hieronymus, Tu, inquit, dicis Mariam Virginem nõ permanſiſſe: Ego mihi plus vindico, etiam ipſum Ioſeph virginem fuiſſe per Mariam; vt ex virginali coniugio virgo Filius naſceretur. Si enim in virum ſanctum fornicatio non cadit, & aliam eum vxorem habuiſſe non ſcribitur; Mariæ autem, quam putatus eſt habuiſſe, cuſtos potius fuit, quàm maritus; relinquitur virginem eum manſiſſe cum Maria, qui pater Domini meruit appellari. Hæc Hieronymus, quem ſequitur diuus Thomas 3. part. quæſtion. 28. artic. 3. ad 5. & Beda Ioannis 2. Rupertus Matth. 1. Nos, inquit, fratres abſque vllius ſcrupulo quæſtionis ſcire ac confiteri oportet, non tantùm beatam Dei Genitricem, ſed & Ioſeph ab omni prorſus actione coniugali permanſiſſe immunes, &c. Eadem eſt ſententia Magiſtri ſentent. 4. diſt. 30. & capit. *Beata Maria,* 27. quæſtion. 2. ſic habes: Vterque, id eſt, Deipara & Ioſeph, in virginitate permanſit, &c. Item apud Auguſtinum ſermone 14. de Natiuitate Chriſti, qui tamen Auguſtino à

Ioſeph Virgo fuit.

Hieron.

D. Thom. Beda. Rupert.

Auguſt.

no à Louanienſibus non tribuitur: Habe Ioſeph, inquit ille auctor, cum Maria coniuge tua communem virginitatem membrorum, quia de virgineis membris virtus naſcitur Angelorum. Sit Maria ſponſa Chriſti, in carne ſua virginitate ſeruata; ſis autem & tu pater Chriſti cura caſtitatis & honorificentia virginitatis; vt de virgineis membris Genitricis ſæculis Chriſtianis nulla ſit zelotypia, &c. Item: Gaude Ioſeph nimiumque congaude virginitati Mariæ, qui ſolus meruiſti virginalem affectum poſſidere coniugij. Quia per meritum virginitatis ita ſeparatus es à concubitu vxoris, vt pater dicaris Saluatoris, &c. Cardinalis Petrus Damiani epiſtola 11. capite 4. Eccleſiæ, inquit, fides eſt, vt virgo fuerit is, qui ſimulatus eſt pater, id eſt, Ioſeph, hominũ exiſtimatione Chriſti pater habitus. Item: Tantopere Chriſtus dilexit floridi pudoris integritatem, vt non modo de virgineo vtero naſceretur, ſed etiam à nutritio virgine tractaretur, &c.

Chriſtus virginitatẽ ita dilexit vt ex Virgine naſci, & à nutritio virgine tractari voluerit.

Reſpondendum ergo eſt, fratres Domini non fuiſſe Ioſephi filios, ſed Chriſti cognatos propinqua aliqua cognatione; quæ autem fuerit ignoratur. Lege quæ diximus 1. tomo libro 6. capite 7. de coniugio, & libro eodem, cap. 15. de ſororibus Virginis Deiparæ. Non fuiſſe autem filios Ioſeph fratres Domini, ſed alia ratione conſanguineos, ſententia eſt diui Auguſtini, tract. 10. in Ioannem, D. Thomæ, Bedæ Marci 3. & 6. & Ioannis 2. & recepta.

Fratres Domini cognati appellantur.

Hieron. D. Hieronymus Matth. 12. Quidam, inquit, fratres Domini de alia vxore Ioſeph filios ſuſpicantur, ſequentes deliramenta Apocryphorum, & quamdam Eſcham mulierculam confingentes. Nos autem, ſicut in libro, quem contra Heluidium ſcripſimus, continetur, fratres Domini non filios Ioſeph; ſed conſobrinos Saluatoris Marię liberos intelligimus materteræ Domini; quæ eſſe dicitur mater Iacobi minoris, & Ioſeph, & Iudæ, quos in alio Euangelij loco fratres Domini legimus appellatos. Fratres autem conſobrinos dici omnis Scriptura demonſtrat, &c. Diuus Auguſtinus loco indicato: Cognati, inquit, Mariæ fratres Domini, de quolibet gradu cognati, &c.

CAPVT IIX.

De eiectione vendentium & ementium ex templo.

Ioan. 2. 2. Paſcha poſt baptiſmũ Chriſti.

PROPE *erat Paſcha Iudæorum.* Hoc eſt ſecundum Paſcha poſt baptiſmum Chriſti. Nam baptizatus eſt ſexta die Ianuarij, vt Eccleſiæ ſententia habet. Menſe Niſan ſequenti primum Paſcha egit, cuius non meminit aut Ioannes, aut Euangeliſta alius. Altero anno, ſexta item Ianuarij luce, ad nuptias Canæ venit, & menſe Niſan hoc ſecundum poſt baptiſmum Paſcha celebrauit. Etenim Paſcha menſe Niſan agebatur, qui noſtro Martio atque Aprili reſpondet. Itaque cùm Paſchatis propinqua eſſet celebritas, ad quam ſingulis annis Iudæi Ieroſolymam confluebant, eò quoque Dominus profectus eſt, vt gloriam ſuam, quam in opido Cana vno miraculo cœperat demonſtrare, in vrbe, quæ totius regni caput erat, multis miraculis patefaceret.

Chriſtus Deus ad tẽplũ, id eſt, domũ ſuam venit.

INVENIT *in templo vendentes oues & boues.* Poſtquam Chriſtus Ieroſolymam venit, domum ſuam, id eſt, templum petiit. Deus enim eſt, Dei autem domus templum. In eo rerum venalium forum ac mercatum reperit. Etenim vendebantur in atriis templi animalium illa genera, quæ ſacrificiis deſtinata erant, boues, & oues, & columbæ; præſto quoque erant nummularij cum pecunia ad permutandum in menſis præparata. Has nundinas Dominus cùm conſpexiſſet, diuini honoris zelo inflammatus funiculos arripuit, qui forte iacebant humi, & in flagelli modum complicans, venditores illos è templo exturbauit, animalia expulit, nummulariorum menſas euertit, pecuniam effudit ac diſperſit. Columbarum verò caueas frangere noluit, ne alites auolarent, ſed auferre iuſſit: *Auferte*, inquiens, *iſta hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis*, hoc eſt, mercatum & emporium. *Ioan. 2.*

Mirabile Chriſti factum.

Fuit hoc inſigne atque admirandum Chriſti factum. Quis enim non miretur hominem vnum, tunc temporis adhuc Iudæis ignotum, tot homines terruiſſe, & in conſpectu ſacerdotum hoſtias paratas & earum venditores è templo expuliſſe? At non homo ſolùm erat, ſed etiam Deus, qui domum purgabat ſuam. Deum autẽ illis ſe verbis indicauit: *Nolite facere domũ Patris mei domum negotiationis*: Patrem ſuum Deum dixit, cuius Filius erat naturalis.

Hieron. Diuus Hieronymus Matthæi 21. ſimile Chriſti factum maxime admiratur, his verbis: Mihi, inquit, inter omnia ſigna quæ fecit Chriſtus, hoc videtur mirabilius eſſe, quòd vnus homo, & illo tempore contemptibilis, & in tantùm vilis, vt poſtea crucifigeretur, Scribis & Phariſæis contra ſæuientibus, & videntibus lucra ſua deſtrui, potuerit ad vnius flagelli verbera tantam eiicere multitudinem, menſaſque ſubuertere, & cathedras confringere, & alia facere, quæ infinitus non feciſſet exercitus. Hæc Hieronymus: loquitur autem de ſecunda expulſione. Nam Chriſtus bis vendentes e templo expulit, ſemel anno hoc ſecundo poſt baptiſmum, vt ſcribit Ioannes; iterum, cùm à populo paucis ante crucem diebus celebri pompa cum ramis & Oſanna exceptus eſt. Ingreſſus enim templum idem fecit, vt narrant Matthæus, Marcus, & Lucas. Tunc temporis notiſſimus erat Chriſtus, multis clarus miraculis, magna pollens auctoritate, exceptusque à populo fuerat magno cum honore. Nunc autem, vno tantum in Cana miraculo patrato, Ieroſolymam ſe contulerat, ignotus Ieroſolymitanis, nullaque auctoritate apud ipſos valens. Valebat tamen diuina, qua cuncta poterat. Diuus Hieronymus exiſtimat radiantem fuiſſe Chriſto faciem, quæ illis hominibus timorem reuerentiamque incuſſerit: Igneum, inquit, quiddam ac ſidereum radiabat ex oculis eius, & diuinitatis maieſtas lucebat in facie, &c.

Hieron.

In quonam templi loco mercatus haberetur.

Quæres, num intra templum hi homines mercatum haberent. Reſpondetur. Templum, vt infra dicemus, diuiſum fuiſſe in quatuor partes, quarum intima Sanctum Sanctorum dicitur, ſecunda Sanctum, tertia Atrium ſacerdotum, quarta pars alia atria populi complectebatur. Res venales in atriis populi expoſitæ erant. Atria enim templi nomine afficiuntur. De templo eiusque atriis infra fuſius agemus, vnde hæc perſpicuè intelligentur.

Cur Chriſtus è tẽplo vẽdentes & emẽtes expulerit.

Quæres præterea, quorſum hęc animalia in templi atriis venderentur. Reſpondetur: Vt Iudæi, qui in templum confluebant, parata haberent ſacrificia, quæ Domino offerrent. Vrgebis, ſi, vt Deo offerrentur, boues, & oues, ac columbæ vendebantur, cur Chriſtus ea animalia ex templo expulit? Reſpondetur. Quia templum, hoc eſt, templi atrium, Dei erat domus, non autem domus negotiationis. Iuxta illud Chriſti: *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Templum oratio decet, non decet negotiatio. *Domum tuam decet ſanctitudo Domine in longitudinem dierum.* *Ioan. 2.* *Pſal. 92.*

Ioan. 2. Nũmularij qui sunt.

NVMMVLARIOS *sedentes.* Quos noſter interpres vocat nummularios, D. Ioannes vocat Græcè κερματιςὰς, & κολλυβιςὰς. Sunt autem pecuniarum permutatores ſiue campſores, κέρμα (vnde cermatiſtæ) monetam ſignificat, & æris minutias. Quod noſter interpres vertit: Nummulariorum effudit æs; Græcè Ioannes ſic dixit: τῶν κολλυβιςῶν ἐξέχεε τὸ κέρμα, id eſt, collybiſtarum effudit pecuniam. κόλλυβος, lucrum eſt, quod nummulario pro permutatione pecuniæ datur, inde collybiſtæ. Euthymius, ſicut κόλλυβος, inquit, obolus eſt, qui pro permutatione monetæ datur; ita κέρμα congeries eſt obolorum, aut minutorum nummorum, quibus fit permutatio, &c. Theophylactus (κόλλυβος) apud Græcos minutum numiſma eſt, quod Romani nummum vocant. Nummularij vel collybiſtæ ſunt, qui parua numiſmata vendunt, &c.

Euthym.

Theophyl.

Abulenſ.

Abulenſis Matth. 21. cùm de ſecunda eiectione agit quæſtion. 66. & 67. opinatur tam nummularios, quàm animalium venditores ab ipſis ſacerdotibus lucrum captantibus in templo fuiſſe collocatos. Idem arbitratur D. Hieronymus eodem capite Matthæi, additque nummularios pecuniam dediſſe mutuam, idque cum vſura. Hieronymi verba hæc ſunt: Sciendum, quòd iuxta mandata legis auguſtiſſimo in toto orbe templo Domini, & de cunctis penè regionibus Iudæorum illuc populo confluente, innumerabiles immolabantur hoſtiæ, maximè feſtis diebus, taurorum, arietum, hircorum; pauperibus, ne abſque ſacrificio eſſent, pullos columbarum & turtures offerentibus. Accidebat plerumque, vt qui de longè venerant non haberent victimas. Excogitauerunt igitur ſacerdotes, quomodo prædam de populo facerent; & omnia animalia, quibus opus erat ad ſacrificia, vendebant, vt & venderent non habentibus, & ipſi rurſum empta ſuſciperent. Hanc verò ſtropham crebra venientium inopia diſſipabat. Poſuerunt itaque & nummularios, qui mutuam ſub cautione pecuniam darent. Sed quia erat lege præceptum, vt nemo vſuras acciperet, excogitauerũt & aliam technam, vt pro nummulariis collybiſtas facerent. Cuius verbi proprietatem Latina lingua non exprimit. Collyba dicuntur apud eos, quæ nos Tragemata appellamus, vel vilia munuſcula, verbi gratia, frixi ciceris, vuarumque paſſarum, & poma diuerſi generis. Igitur quia vſuras accipere non poterant collybiſtæ, qui pecuniam fænerati erant, pro vſuris accipiebant varias ſpecies, vt quod nummo non licebat, in his rebus exigerent, quæ nummis coemuntur, &c.

Hieron.

Sacerdotes victimas populo vendebant.

Ioan. 2. Lyran. Vnde Dominus funiculũ acceperit

CVM *feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo.* Lyranus hoc capite nonnullorum memorat opinionem, & veriſimilem dicit, qui ſenſerunt Chriſtum pro cingulo vſum fuiſſe funiculo, eoque in formam flagelli complicato animalia è templo abegiſſe. Repudianda tamen opinio eſt; quoniam Chriſtus vulgari vtebatur & cingulo & veſtitu: funiculos verò in ipſo templo reperit, cornibus forſitan bouis alicuius alligatos, vel humi iacentes. Dubium eſt, an Dominus funiculis non animalia tantum, ſed homines etiam vendentes è templo eiecerit. Ianſenius, Caietanum ſecutus, animalia tantùm eieciſſe vult, non homines. Verba autem illa Euangeliſtæ, *Omnes eiecit de templo*, ita vult interpretanda, vt dictio *Omnes* ad homines minimè referatur, ſed ad boues tantummodo atque oues, quod etiam Caietanus exiſtimat. Non eieciſſe autem vendentes, vel ſaltem non eieciſſe flagello, ex eo probat Ianſenius, quòd vendentibus columbas dixerit: *Auferte iſta hinc.* Non igitur eiecit illos, ſed vt caueas columbarum è templo auferrent, præcepit.

An funiculis animalia & homines eiecerit, Caietan.

Verior eſt altera ſententia, non animalia ſolùm, ſed venditores quoque à Domino funiculo eiectos, idque probatur ex ſimili facto. Paucis enim ante mortem diebus vendentes è templo eiecit; ergo veriſimile eſt nunc quoque eieciſſe. *Intrauit Ieſus in templum Dei, & eiiciebat omnes vendentes & ementes in templo*, &c. Præterea ipſa Euangelij verba hoc aperte ſignificant: ſic enim habent: *Inuenit in templo vendentes boues, & oues, & columbas, & nummularios ſedentes. Et cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo.* Quis non videat illam dictionem *Omnes* referri ad vendentes & nummularios? *Omnes*, inquit, *eiecit de templo*, ſcilicet eos, de quibus fuerat locutus, venditores & nummularios, deinde addit, *oues quoque & boues*, id eſt, præter venditores, & nummularios etiam animalia eiecit. Quia verò columbarum caueas frangere noluit, ne columbæ anolarent; columbarum venditores verbo expulit: *Auferte*, inquiens, *iſta hinc.*

Christ⁹ vẽdentes & ementes è tẽplo eiecit.

Matth. 21.

Ioan. 2.

Caietan. & Ianſen.

At Caietanus & Ianſenius aiunt in Græco textu non legi: *Oues quoque & boues*: ſed; *Ouesq; & boues*; ita vt explicentur ea quæ ſub dictione *Omnes* comprehenduntur, vt ſit ſenſus: *Omnes eiecit de templo*; videlicet, tum oues, tum boues, adeò vt nullam ouem vel bouem in templo reliquerit: ſed Græca videamus: πάντας ἐξέβαλεν ἐκ τοῦ ἱεροῦ, τά τε πρόβατα καὶ τοὺς βόας, id eſt: *Omnes eiecit de templo, pecoraq;, & boues.* Dictio πάντας, id eſt, omnes, maſculini eſt generis, πρόβατα, neutrius. Ergo dictio *Omnes* non refertur ad pecora, ſiue oues & boues, ſed potius ad vendentes & nummularios, quos ſupra dixerat à Chriſto in templo inuentos. Id vt ſignificaret noſter interpres, cùm poſſet conuertere, *Ouesq; & boues*, rectè maluit conuertere: *Oues quoque & boues.* Non ergo bene ait Ianſenius Græca non habere, *Oues quoque & boues*; ſed, *Ouesq; & boues.* Maleque Caietanus ſcribit non eſſe legendum: *Oues quoque & boues*; cùm ita noſter interpres conuerterit, vt indicant Biblia correcta. Vtrumque enim ſenſum habent Græca. Immo vnus & idem ſenſus eſt, ſiue hoc, ſiue illo modo legas.

Eieciſſe autem flagello nundinatores illos è templo ſcribit Auguſtinus, tract. 10. in Ioannem: Qui, ait, flagellandus erat ab eis; prior illos flagellauit, fecit flagellum de reſticulis, & inde indiſciplinatos, negotiationem in Dei templo facientes, flagellauit. Hæc Auguſtinus. & Beda in Ioannem: Funiculi, inquit, quibus Chriſtus flagellando impios de templo expulit, crementa ſunt actionum malarum, &c. D. Cyrillus in Ioannem libro 2. capite 28. Non verbis, inquit, ſolùm moleſtè ſe tuliſſe oſtendit, verùm etiam verberibus, tamquam iniquos ſeruos meritò cædens, è templo eiecit, & cetera. Chryſoſtomus: Non contentus ſolis verbis, ſed etiam flagello arrepto eos eiecit, &c. Euthymius tamen homines non eſſe verberatos cenſet: Scire, inquit, oportet, quòd homines facto flagello nõ verberauit: ſed ipſos quidem exterruit ac expulit; oues verò & boues verberauit & eiecit, &c.

Vendẽtes & emẽtes erãt ſacerdotes.

Aduertendum hoc loco nonnullos Pontifices ſummos ſenſiſſe hos homines, qui animalia in templo vendebant, quique à Chriſto è templo eiecti ſunt flagello, ſacerdotes fuiſſe. Illorum verba libet ſubiicere. Anacletus Epiſtola 2. Accuſatio, inquit, eorum, ſuper qua nos conſulere voluiſtis, non niſi ab idoneis & probatiſſimis viris, qui & ſuſpicionibus & ſceleribus careant, fieri debet. Quia Dominus ſacri ſui corporis tractatores à vilibus & reprobis, ac non idoneis perſonis infamari noluit, nec calumniari permiſit; ſed ipſe proprio flagello peccantes ſacerdotes è templo eiecit.

Anaclet.

eiecit. Vnde liquet, quòd ſummi ſacerdotes, ſcilicet Epiſcopi, à Deo ſunt iudicandi, non ab humanis aut prauæ vitæ hominibus lacerandi. Sed potiùs ab omnibus fidelibus honorandi & portandi; ipſo Domino exemplum dante, quando per ſe ipſum, & non per alium, vendentes & ementes eiecit de templo, & menſas nummulariorum & cathedras vendentium proprio euertit flagello, & eiecit de templo, &c. *Pius primus epiſt. 1.* Epiſcopi, inquit, à Deo ſunt iudicandi, qui eos ſibi oculos elegit. Nam à ſubditis aut prauæ vitæ hominibus non ſunt arguendi, aut accuſandi, aut lacerandi; ipſo Domino exemplum dante, quando per ſe ipſum, & non per alium, vendentes ſacerdotes & ementes eiecit de templo, & menſas nummulariorum proprio euertit flagello, & eiecit de templo, &c. *Iulius primus* in reſcripto contra Orientales pro Athanaſio, & ceteris: Quòd à vobis, inquit, non ſunt damnandi, ſed aut ab hac ſancta ſede, aut ſibi reſeruandi, ipſe manifeſtè dat exemplum, quando peccantes ſacerdotes, quorum locum modo in ſancta Eccleſia tenent Epiſcopi, non per alium, ſed per ſemetipſum vendentes & ementes eiecit de templo, & menſas nummulariorum proprio euertit flagello, & eiecit de templo, &c.

Ioan. 2. ZELVS *domus tuæ comedit me.* Admirati ſunt diſcipuli Chriſti factum admirabile & zelo plenum, venitque illis in mentem Dauidicus verſus: *Pſal. 68.* *Zelus domus tuæ comedit me*; quo ſignificatur ſummum ſtudium diuinæ gloriæ, quod Chriſti pectus exedit, & velut fax ardentiſſima inflammauit. *Zelus Chriſti in tẽplũ qualis & quãtus etiã nunc.* Zelus autem domus Dei, id eſt, Eccleſiæ, comedit Chriſti pectus. Zelus quoque domus Dei, id eſt, templi, eumdem nunc comedit, & incendit, quo exardeſcens, & vendentes, & boues, ouesque, ac columbas ex illo expulit. *Rupertus.* Rupertus Ioannis 2. ſcribit diſcipulos huius verſiculi Dauidici recordatos *Quonã tẽpore diſcipuli ſuerint recordati.* non hoc tempore, ſed poſt reſurrectionem, cùm intellectum illis ad intelligendas Scripturas Chriſtus aperuit: Ex tunc, inquit, recordati ſunt hoc de Chriſto eſſe ſcriptum, ex quo aperuit illis ſenſum, vt intelligerent Scripturas, &c. Idem ſentit Titelmannus. Cardinalis quoque Caietanus putat poſt acceptum Spiritum ſanctum diſcipulis Dauidis verba occurriſſe. Confirmatur opinio ratione: etenim diſcipuli Scripturæ imperiti erant hoc tempore, ergo non ſunt recordati Dauidici Pſalmi.

Veriſimilius eſt tunc, cùm Chriſtus templum expurgabat, Pſalmi meminiſſe diſcipulos, idque ſignificat Ioannes, quia non ait poſt reſurrectionem meminiſſe; quod infra addidit de illis Chriſti verbis agens: *Ioan. 2.* *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Ille*, inquit, *dicebat de templo corporis ſui. Cùm ergo reſurrexiſſet à mortuis, recordati ſunt diſcipuli eius, quia hoc dicebat*, &c. Neque verò diſcipuli adeo imperiti erant Scripturæ, vt Dauidis Pſalmos omnino ignorarent. Hæc eſt Chryſoſtomi ſententia homilia 22. in Ioannem: Zelus, inquit, ille pro domus Dei honore maximum fuit virtutis ſignum, quod boni aduerterunt. Recordati namque ſunt diſcipuli eius tunc, quia ſcriptum eſt: *Zelus domus tuæ comedit me.* Iudæi autem prophetiæ non meminerunt, ſed ſignum quærebant, &c. Eadem eſt ſententia Theophylacti, D. Cyrilli in Ioannem, & aliorum.

Ibidem. Iudæi ſignũ petunt, & cur. QVOD *ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis?* Admirati ſunt Iudæi Chriſti ſtupendum factum, quod perficere magnæ erat auctoritatis ac poteſtatis, ideoque ſignum poſtulant huius poteſtatis. Reſponderunt, inquit Euangeliſta, Iudæi, hoc eſt, dixerunt, quonam ſigno oſtendis nobis te auctoritatem poteſtatemque habere, vt è templo homines, animaliaque diuinis ſacrificiis deſtinata, pellas? ſi Propheta aliquis es, qui iuſſu Dei hoc facis, Prophetam te eſſe miraculo confirma; vt habeamus tibi fidem. D. Cyrillus ſignum Iudæos petiiſſe ait, quo Filium Dei ſe probaret. Dixerat enim: *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis:* Negare, inquit, nequeunt, non oportere templum Dei negotiationis domum fieri. Sed illò confugiunt, vt non eſſe ſibi credendum velut Filio Dei contendant, niſi hoc ita eſſe ſigno demonſtrauerit, &c. At verba ipſa Iudæorum perſpicua ſunt. Non petunt ſignum, quo Filium Dei eſſe confirmet, ſed quo poteſtatem ſe habere probet; qua vtitur. *Cyril.*

SOLVITE *templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Signum petiuere Iudæi, ſignum pollicetur eximium reſurrectionis ſuæ: *Soluite*, inquit, & æquate ſolo *templum hoc*, id eſt, corpus meum, *& in tribus diebus excitabo illud*, id eſt, tertia die reſurgam. Ænigmaticè loquitur Dominus, corpus ſuum templum diuinitatis appellat. *Dicebat*, ait Euangeliſta, *de templo corporis ſui.* Iudæi ænigma non intellexere, de templo Ieroſolymitano ſermonem haberi putarunt, idque poſtea coram Caipha obiecerunt: *Venerunt duo falſi teſtes, & dixerunt: Hic dixit: Poſſum deſtruere templum Dei, & poſt triduum reædificare illud.* Idem ſignum dedit poſtea, quibuſdam ex Scribis & Phariſæis petentibus ſignum: *Generatio*, inquit, *mala, & adultera ſignum quærit: & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus: ſic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus*, &c. *Ioan. 2.* *Signum dat Dominus reſurrectionis ſuæ.* *Matth. 26.* *Matth. 12.*

Illud, *Soluite templum hoc*, non eſt iubentis, ſed permittentis, & quod facturi erant prædicentis. Verba ſequentia, *Poſt tres dies excitabo illud*, hoc eſt, corporis mei templum à vobis euerſum rurſus exædificabo, diuinitatem oſtendunt. Solius enim Dei eſt corpus mortuum vitæ reſtituere. Itaque hoc loco Dominus mortem ſuam prædicit & reſurrectionem, diuinamque poteſtatem ſe habere oſtendit, qua non ſolum è templo vendentes poſſit eiicere, ſed corpus etiam ſuum in vitam reuocare. Non reſpondet autem iuxta Iudæorum interrogationem. Signum illi præſens petebant, eſt Dominus ſignum multo pòſt futurum, quodque illi minimè viderunt, pollicitus, & vaticinatus eſt. Sic etiam Iſaias ſignum Achaz dedit & Iudæis, quod nec ipſi petebant, nec viſuri erant: *Ecce*, inquit, *Virgo concipiet*, &c. Iſaias ſignũ dedit incarnationis; Chriſtus reſurrectionis ſuæ. Quòd ſi nunc Iudæis ſignum dare noluit, paullo pòſt eodem feſto Paſchatis non vnum, ſed multa ſigna dedit, ex quibus quanta illi ineſſet auctoritas facilè cognoſcere potuerunt. *Chriſtus ſe Deũ prodit.* *Iſaiæ 7.*

QVADRAGINTA *& ſex annis ædificatum eſt templum hoc.* Chriſti verba de ſaxeo illo templo vera erant. Poterant enim Iudæi templum ſoluere, poterat Dominus tribus diebus, immo temporis momento, excitare illud. At de alio admirabiliori templo loquebatur, vt Euangeliſta teſtatur, de templo nimirum corporis ſui. Arcanum myſterioque plenum verborum ſenſum cùm Iudæi minime intelligerent, reſponderunt: *Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?* quæ tanta eſt hæc tua poteſtas? *Ioan. 2.* *Ibidem.*

Verba hæc de annis, quibus templum eſt extructum, à Iudæis eſſe prolata ait Lyranus, ideoque falſa eſſe potuiſſe, nec multum de eorum veritate curandum. Ribera verò Zachariæ capit. 1. falſa eſſe credit. Fatemur quidem Iudæos in hac anno- *Verba hæc Iudæorum falſa eſſe potuerunt.*

annorum ſupputatione potuiſſe aberrare à veritate; attamen verine aliquid dixerint putamus inueſtigandum.

De quonam tẽplo loquãtur Iudæi.

In primis dubium eſt de quonam templo Iudæi loquantur. Heracleon apud Origenem in Ioannem, de templo Salomonis putat loqui, aitque Salomonem quadraginta ſex annis illud ædificaſſe. Origenes verò ipſe dubitat. Sed nulla eſt ratio dubitandi. Salomonis enim templum, vt aperte traditur 3. Regum 7. ſeptem annis exſtructum eſt. Præterea euerſum iam erat hoc tempore à Chaldæis. Non ergo de illo Iudæi loquuntur. Vulgata ſententia eſt de ſecundo templo ſermonem haberi; fuit autem ſecundum templum à Zorobabele poſt captiuitatem Babylonicam exſtructum, de qua exſtructione infra dicemus. Exædificandi facultas Cyri Perſarum Regis anno primo conceſſa eſt, vt conſtat ex libro primo Eſdræ: ædificatio cœpta anno eiuſdem Cyri ſecundo, perfecta anno Darij Regis ſexto, vt ſcriptum exſtat eodem libro.

3. Reg. 7.

De tẽplo 2. ſermo habetur hoc loco.

1. Eſdræ 1. & 5.

1. Eſdræ 3.

1. Eſdræ 6.

Euſebij ſententia de 46. annis.

A Cyro autem ait Euſebius, libro 8. de Demonſtratione Euangelica, capite 2. vſque ad ſextum annum Darij interfluxiſſe 46. annos, de quibus Iudæi loquuntur. Quadraginta ſex anni, ait Euſebius, à regno Cyri Regis, vſque ad ſextum annum Darij Regis colliguntur, ſub quo omnis templi ædificatio finem accepit, &c. Verùm in Chronico eiuſdem Euſebij pauciores anni numerantur. Nam Cyrus annis triginta dicitur regnaſſe, Cambyſes 8. Magi menſibus ſeptem, qui menſes, vt ſcribit Herodotus libro 3. reliqui erant ad complendum octauum annum regni Cambyſis. His adde annos ſex regni Darij. Sexto enim Darij anno templum perfectum eſt. Exiſtet ſumma annorum 44. Sed, vt ait idem Euſebius, libro 8. de Demonſtratione, Ioſephus ſex annis Darij tres adiungit ad ea quæ templo extrinſecus accedebant ornamenta abſoluenda. Scribit enim lib. 11. Antiquitatum,

1. Eſdræ 4.

capite 4. templi opus annis ſeptem abſolutum, anno regni Darij nono. Cùm anno ſecundo Darij inceptum fuerit, & annis ſeptem perfectum; relinquitur anno nono Darij abſolutum. Supputa ergo annos à ſecundo anno Cyri, quo templi ædificatio eſt cœpta, vſque ad nonum annum Darij, & ſummam reperies annorum 46. nimirum 29. Cyri, 8. Cambyſis, & Magorum, Darij verò nouem.

Quonãmodo 46. anni tẽpli exædificationi impenſi.

Rogabis num tot anni in templo exædificando ſint inſumpti? Reſpondetur non fuiſſe tot annos templi exædificationi impenſos. Cœperunt quidem Iudæi templum exædificare; ſed prohibiti opus intermiſere multis annis, ad annum vſque ſecundum Darij Regis, vt ſcribit Eſdras lib. 1. in fine cap. 4. Anno ſecundo Darij repetitum eſt opus; anno ſexto eiuſdem Darij abſolutum templum, anno nono alia quæ ſupererant ſunt perfecta. Sed Iudæi omnes annos tum ædificationis tum intermiſſionis computauere.

Templũ Herodis & Zorobabelis tẽplum pro eodem reputantur.

Si obiicias, templum, in quo Chriſtus verſabatur, non fuiſſe templum exſtructum à Zorobabele, ſed ab Herode, atque adeò non eſſe de templo Zorobabelis verba Iudæorum explicanda. Reſpondetur templum Herodis & Zorobabelis pro eodem reputari. Quia enim ſecundum templum Zorobabelis ab hoſtibus non eſt euerſum, Iudæi templum ab Herode exſtructum ab eo non diſtinxerunt. Probatur verò ex Scriptura pro eodem vtrumque templum reputari: *Aggæi 2.* *Magna*, inquit, *erit gloria domus iſtius nouiſſimæ, pluſquam primæ.* Loquitur autem de templo, quod Zorobabel exſtruebat, cuius gloriam maiorẽ fore gloria templi Salomonici prædicabat, eo quòd in illud Chriſtus eſſet ingreſſurus. Chriſtus verò in templum ab Herode exſtructum ingreſſus eſt; ergo pro eodem vtrumque templum reputatur. Exiſtimata enim eſt Herodiana ædificatio, eſſe templi ſecundi Zorobabelis quædam inſtauratio ac renouatio.

De annis, quibus regnauit Cyrus.

Affirmat hæc opinio Cyrum poſt captam Babylonem, datamque facultatem Iudæis in patriam redeundi, 30. annos regnaſſe, monarchiamque tenuiſſe; quod tamen non eſt admodum comprobatum. Nam Xenophon, libr. 8. Pædiæ Cyri, ſcribit Cyrum anno ſeptimo imperij ſui è vita diſceſſiſſe. Ioſephus item lib. 11. Antiquit. cap. 3. opus templi per nouem tantùm annos impeditum ait, & dilatum vſque ad annum ſecundum Darij, idque ex

1. Eſdræ 4.

lib. 1. Eſdræ colligitur, in quo Artaxerxes ſcilicet Cambyſes, qui Cyro ſucceſſit, templi ædificationem legitur prohibuiſſe. *Tunc*, ait Eſdras, *intermiſſum eſt opus domus Domini in Ieruſalem, & non fiebat vſque ad annum ſecundum regni Darij, &c.* Numera annos octo Cambyſis, & vnum ac primum Darij, efficies annos nouem, quibus opus eſt impeditum & intermiſſum. Sane ſi Cyrus ante Cambyſem triginta annis regnauit, ſequitur iis triginta annis vel 29. abſque intermiſſione Iudæos templũ exſtruxiſſe. Quòd ſi verum eſſet, plane tot annis abſoluiſſent. Dicendum ergo Cyrum non multis annis regnaſſe, quibus Iudæi à templi ædificatione non ceſſarunt, vt ſacræ litteræ & Ioſephus indicant. Reſponderi poteſt, Iſraëlitas tot annis operam tenuem ædificationi ſine intermiſſione dediſſe, nec abſoluere templum potuiſſe.

De annis, quibus prohibita eſt templi ædificatio.

De templo Herodis locus explicatur.

Cardin. Baronius tomo 1. pag. 109. de templo ab Herode inſtaurato Iudæorum verba exponit. Repugnat Ioſephus. Nam lib. 15. Antiquit. cap. 14. teſtatur Herodem nouem annis cum dimidio templum exſtr xiſſe; at Iudæi hoc loco 46. ædificatum eſſe affirmant. Reſpondebis, Herodem quidem illis nouem annis templum exædificaſſe, ſed conſequentibus annis vſque ad Chriſtum à templi operibus non eſſe ceſſatum. Quod colligitur ex eodem Ioſepho, libr. 20. cap. 8. cùm de Agrippæ Regis temporibus multo poſt Herodem ſcribens, ſic ait: Populus cùm videret eſſe in otio circiter octodecim millia opificum ſolitorum in templo ex operarum mercedibus victum quærere, &c. Eodem quoque capite ait Iudæos à Rege Agrippa petiuiſſe, vt porticum Orientalem templi inſtauraret, quod ille facere noluit. Annorum numerus, iuxta hanc ſententiam, ſic eſt computandus. Herodes decimo octauo anno regni, teſte Ioſepho, libro 15. Antiquitatum, cap. 14. templum ædificare ſtatuit: Chriſtus eiuſdem regni anno 32. natus eſt: A 18. autem anno vſque ad 32. anni ſupputantur quindecim. Adde annos Chriſti triginta: eo enim tempore, quo è templo vendentes eiecit, trigeſimum primum agebat annum. Sed primum annum, quo natus eſt, iam ſupputauimus. Efficies ſummam annorum 45. nec mirum ſi Iudæi vnum addiderint huic numero.

Alia interpretatio.

Forſitan Iudæi annos, quibus templum à Zorobabele ædificatum eſt, cum annis coniunxere, quibus ab Herode eſt exſtructum, & aliquot aliis annis, quibus ab operibus non eſt ceſſatum, & ex omnibus numerum 46. annorum effecerunt. De his hæc ſatis.

Ioan. 2.

CVM *ergo ſurrexiſſet à mortuis, recordati ſunt diſcipuli, quia hoc dicebat, &c.* Nec Iudæi Chriſti illa verba intellexerunt, *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, nec diſcipuli. Poſt Chriſti verò reſurrectionem cognouere diſcipuli magiſtrum arcano illo atque ænigmatico ſermone ſuum in vitam reditum ſigni-

Ibidem. Iudæi nec diſcipuli Chriſti verba intellexerunt.

significare voluisse. Etenim templo soluto, corpus suum sepultum; templo tribus diebus excitato, idem corpus tertia die in vitam reuocatum adumbrauit. *Et crediderunt Scripturæ*, ait Euangelista, hoc est, dictis Prophetarum, qui de Christi resurrectione fuerant vaticinati, *& sermoni, quem dixit Iesus*, id est, verbis illis, *Soluite templum, &c.* cum Prophetarum vaticiniis maximè congruentibus.

Ioan. 2. MVLTI *crediderunt in nomine eius, videntes signa, quæ faciebat.* Petierunt Iudæi à Christo signum: *Quod*, inquiunt, *signum ostendis nobis, quia hæc facis?* noluit tunc signum dare, sed mortem tantùm suam & resurrectionem prædixit. Paullo pòst Iudæorum postulationi abundè fecit satis. Nam illo Paschatis festo, vt ex hoc loco fit compertum, post eiectos è templo vendentes, Christus multa edidit miracula, quæ Euangelista silentio præteriit. Iis autem miraculis multi ex Iudæis permoti in nomine eius crediderunt, hoc est, crediderunt in eum; nam nomen rei pro re ipsa sumitur. Vnde credere in nomine Christi, est credere in ipsum Christum, vel in ipso Christo, quem nomen significat. Itaque idem est credere in Christum, vel credere in Christo, & credere in nomine, vel in nomen Christi, vt obseruat Iansenius. Certè Ioannis cap. 3. idem significat credere in Christum, & credere in nomine Christi. *Qui credit in eum*, ait Dominus, *non iudicatur; qui autem non credit, iam iudicatus est. Quia non credidit in nomine Vnigeniti Filij Dei, &c.* Græcè hoc loco est: *Multi crediderunt in nomen eius.* Crediderunt autem hi Dominum verum esse Messiam à Deo missum.

Ibidem. NON *credebat semetipsum eis.* Credebant illi in Christum; at Christus *non credebat se illis*; hoc est, non fidebat illis, ac si fideles essent discipuli. *Eo quòd ipse nosset omnes*, id est, propterea quòd tam illos qui crediderant, quàm ceteros Iudæos ipse intus & in corde nouerat, ac sciebat fidei illi imperfectæ, quam tunc conceperant, non admodum esse fidendum, propter hominum inconstantiam. Non enim altas radices iecerat. Non curabat exteriora verba Christus, ait Chrysostomus, qui in ipsos animos ingreditur, & in humanas cogitationes irrumpit, qui eorum feruorem mox frigescere cognoscebat. Neque ac si perfecti essent discipuli eis fidebat, neque arcanorum doctrinam tamquam fidelibus credebat, &c. Caietanus relatiuum *Eis*, putat non demonstrare eos qui crediderunt, sed Iudæos, qui ad Paschale festum celebrandum Ierosolymam confluxerant, hoc sensu: Cùm Christus Ierosolymis esset, multi Iudæorum crediderunt in eum, videntes signa quæ faciebat; ipse verò non fidebat eis, scilicet, Iudæis non credentibus, quoniam omnes nouerat. Toletus violentum appellat hunc sensum; sed mihi non videtur improbabilis, immo Iansenius probabiliorẽ existimat. Non enim oportet relatiuum *Is*, ad id quod proximè præcessit semper referre, vt colliges ex illis verbis, *Fundamentá eius in montibus sanctis*, & ex illis Magdalenæ: *Si tu sustulisti eum, &c.* Sequor tamen priorem sensum Chrysostomi, Augustini, Cyrilli, Euthymij, Theophylacti, & communem.

Ioan. 2. EO *quòd ipse nosset omnes.* Reddit rationem Ioannes, cur Christus non se credebat iis, qui in eum credebant, caussa erat omniscientia. Nouerat enim omnes; nouerat autem non ex alieno testimonio & aliunde accepta cognitione, sed propria ac insita sapientia: *Non erat*, inquit, *ei opus, vt quis testimonium perhiberet de homine* aliquo, vt illum cognosceret: *Ipse enim sciebat quid esset in homine*, quid esset fidei, quid stabilitatis & constantiæ, quid virtutis, quid vitij; sciebat quid esset in intellectu, quid in voluntate, quid in cognitione, in affectu, & corde. Denique si quæras, cur Christus iis, qui in ipsum crediderant, se non credebat, cur illis se non committebat? respondet Euangelista: Quia diuina sapientia omnes nouerat; videbatque non esse illi fidei confidendum. Si velis de Iudæis aliis qui non crediderunt, interpretaberis cum Caietano, hoc pacto. Non fidebat Iudæis, quoniam, propter expulsionem vendentium e templo, sciebat iam illos aliquid odij & inuidiæ animo concepisse. Ex his verbis, *Ipse sciebat quid esset in homine*, docet Augustinus tract. 11. in Ioannem, nos Deo melius esse notos, quàm nobismetipsis: Plus, inquit, nouerat artifex quid esset in opere suo, quàm ipsum opus quid esset in semetipso. Creator hominis nouerat quid esset in homine, quod ipse creatus homo non nouerat, &c. Probat exemplo D. Petri, qui nesciebat quid in se esset, cùm aiebat: *Etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*: Christus autem sciebat, ideoque respondit: *Priusquam gallus cantet, ter me negabis.*

Quid sit credere in nomine Christi

Ioan. 3.

Ioan. 2.

Ibidem. Quid sit quod Christus nõ credebat seipsum illis.

Chrysost.

Caietan.

Psal. 86. Ioan. 20. Sensus communis Augustini, &c.

Ioan. 2.

Scientia Christi qualis. Ioan. 2.

Augustin.

CAPVT IX.

Morale.

De eiectione vendentium in templo & ementium.

OSTENDIT Dominus Prophetæ facinora, quæ in templo Ierosolymitano committebantur: deinde Israëlitas puniri iubet. Sex autem viris punitoribus præcipit, vt à domo sua incipiant: *Transite*, inquit, *per ciuitatem, & percutite. Non parcat oculus vester, neque misereamini: & a sanctuario meo incipite, &c.* Simile illud est D. Petri: *Tempus est, vt incipiat iudicium a domo Dei.* A sanctuario suo Deus, à sanctuario suo & domo sua Christus Dei Filius cœpit; ex illo bruta animantia terrenaque sectantes lucra flagello expulit. Quo facto Reges, Episcopos, sacerdotes, reliquosque Christianos monuit, vt à domo incipiant sua, & auaritiam, brutos affectus, omniaque ex illa eiiciant vitia. Non patietur Rex aut Pontifex in aula sua boues fabulari, aut sues; & patietur suibus bobusque sordidiores fabulari mores? Pellat domo superbiam, iracundiam, libidinem, auaritiam, reliquaque omnia vitia bruta in æternum amandet exsulium. Domum quidem pretiosa aulæa, diues aureaque supellex exornant; sed boni sanctique mores multò maius decus afferunt. Domum Episcopi, inquit Bernardus in fine libri 4. de Consideratione, decet sanctitudo, decet modestia, decet honestas, &c. Hæc pretiosa sunt Pontificiæ Regiæque domus peripetasmata, hæc opulenta supellex, hæc magna gloria. Ideo Bernardus initio eiusdem libri ad summum Pontificem Eugenium hæc scribit: Interest gloriæ sanctitatis tuæ, vt quos præ oculis habes ita ordinati, ita sint informati, quatenus totius honestatis & ordinis ipsi sint speculum, ipsi sint forma, &c. Item in fine eiusdem libri: In vultu, in habitu, in incessu illorum, qui circa te sunt, nihil residere impudicum, nihil indecens patiaris, &c.

Ezech. 8.

Ezech. 9.

1. Pet. 4.

E domo sua omnia vitia pellenda.

Bernard. Põtifices domum quæ deceant.

Põtificis familia qualis esse debeat.

Zelus domus suæ comedit Christum, vt ait Euangelista. Zelus domus tuæ te comedat. Si necesse est, flagello pelle vitia, quæ aliter pelli non possunt. Audi eumdem sanctissimum Patrem loco indicato: Non oportet vt vitia domus tuæ vltimus scias, quod quàm plurimis nonimus contigisse. Quapropter, vt dixi, alius alia dispenset, de disciplina tu prouide, illud nemini credas. Si in-

Zelus domus propriæ

Bernar.

solentior coram te vel sermo sonuerit, vel habitus apparuerit, manus tua super huiusmodi. Impunitas ausum parit, ausus excessum. Domum Episcopi decet sanctitudo, modestia, honestas: horum custos est disciplina. Hæc Bernard. Theodahadus Rex apud Cassiodorum, libro 10. Variar. Epist. 5. A domesticis inchoare volumus disciplinam; vt reliquos pudeat errare, quando nostris cognoscimur excedendi licentiam non præbere, &c.

Disciplina custos domus.

Audi quoque quæ Rex sanctissimus Dauid de se & domo sua canit: *Misericordiam*, inquit, *& iudicium cantabo tibi Domine.* Hæc duo cantat Domino Dauid. Quoniam misericordiam cum iudicio copulauerat. Misericordia subditis ferebat opem, iudicio rectè omnia ac iustè administrabat, & de iniquis sumebat supplicium. Iis adiunxit innocentiam: *Perambulabam*, ait, *in innocentia cordis mei, in medio domus meæ. Non proponebam ante oculos meos rem iniustam.* O Regem eximium! Innocentiæ, inquit, studebam, ab omni abhorrebam crimine. Rem iniustam, Græce, παράνομον, id est, legi diuinæ contrariam, Hebraice, דבר בליעל, debar beliahhal, id est, verbum, siue rem iniquam in domo mea nec cernebam, nec patiebar. Impij homines ab ea exulabant. Quocirca addit: *Facientes prævaricationes odiui. Non adhæsit mihi cor prauum: declinantem a me malignum non cognoscebam. Superbo oculo, & insatiabili corde, cum hoc non edebam. Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam: qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum.* O domum verè regiam ac beatam, in quam nullus vitiis patebat aditus. Patebat tamen virtutibus virtuteque præclaris hominibus. Vnde: *Oculi*, inquit, *mei ad fideles terræ vt sedeant mecum: ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* De zelo autem, quo è ciuitate domoque Dei impios expellebat, adiungit. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ: vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Hoc est: Non segniter, sed vigilanter, ac festinanter, magno zelo incensus, impios suppliciis meritis afficiebam, vt à ciuitate, in qua Dei vigebat cultus, iniquos eiicerem.

Psal. 100.

A domo Dauid impij exulabat.

Probi viri Dauidi ministrabant, nō improbi.

Incipiat zelus Regis, Præsulis, concionatoris, ac Christiani cuiuslibet à domo sua; sed in totã etiam Ecclesiam protendatur ita, vt possit quilibet verè de se dicere: *Zelus domus tuæ comedit me.* Huius autem zeli est, ex templo, id est, Ecclesia Dei, boues, leones, canes, vrsos, sues, ceteraque vitiorum monstra abigere. Quis comeditur zelo domus Dei? rogat Augustin. tract. 10. in Ioannem, respondet: Qui omnia, quæ fortè ibi videt peruersa, satagit emendare, cupit corrigere, non quiescit, &c. Hunc autem zelum non à Rege solùm sed à Christiano quolibet flagitat. Vnumquemque, inquit Augustinus, Christianum zelus domus Dei comedat, in qua domo membrum est. Si autem fueris frigidus, marcidus, ad te solum spectans, & dicens: Quid mihi est curare aliena peccata? sufficit mihi anima mea. Eia non tibi venit in mentem seruus ille Matthæi 25. qui abscondit talentum? Numquid accusatus est, quia perdidit, & non quia sine lucro seruauit? Nolite fratres quiescere lucrari Christo, quia estis lucrati à Christo. Sic Augustinus.

Zelus Ecclesia comedat Christianũ. Ioan. 2.

Augustin.

Nemo quiescat, Christo omnes lucrentur animas. Cant. 8. 2. Cor. 11.

Dura, dicitur, *sicut infernus æmulatio*, Græcè ζῆλος. Zelum enim significat nomen Hebræum, quem etiam significat æmulatio; vt apud Paullum: Æmulor, inquit, vos Dei æmulatione. Græcè, ζηλῶ ὑμᾶς ζήλῳ θεοῦ, id est, *Zelo, vel æmulor vos zelo Dei.* Cum inferno zelus meritò confertur. Quemadmodum enim infernus hominum exitio numquam saturatur; ita zelus hominum salute numquam expletur. Vt infernus, hoc est, dæmones, omni conatu in hominum perniciem incumbunt; ita zelus, hoc est, zelo ardentes viri, in animarum salutem omni cura operam impendunt.

Zelus similis inferno numquam satiatur.

Exoritur autem zelus Dei ex amore Dei. Si vehemens amor est, vehemens quoque est zelus; si friget amor, friget zelus. Quamobrem cum dilectione æmulatio, veluti riuus cum suo fonte, coniungitur. *Fortis*, inquit Salomon, *vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio*, siue zelus, qui ex dilectione emanat. Vt ex igne ardor, sic ex amore zelus producitur. Magnus rogus magnum ardorem, magnus amor magnum efficit zelum.

Zelus oritur ex amore Dei.

Cant. 8.

Faxit Deus vt pastores omnes ferueant zelo potius animarum, quàm pecuniarum; ne Iudæ similes sint, quem Nazianzenus Gregorius oratione 28. zelo marsupij laborasse, immo æstuasse dixit: Ob pecunias, ait, fur ille zelotypia erga crumenam æstuat, ac Deum prodit, & triginta argenteis vendit, &c. Hic erat zelus sacerdotum, qui templum bobus ac ouibus pollui patiebantur; zelo erga crumenam æstuabant. Multi quoque nunc sunt, quos huiusmodi erga crumenam zelotypia malè habet; pecunias potius curant, quàm animas. O infideles illos pastores, siqui sunt, qui, vt marsupium tradant, fidelissimos homines quærunt; animas infidelissimis committunt. Quasi verò pluris sint pecuniæ faciendæ, quàm animæ. Hinc illud D. Bernar. lib. 4. ad Eugenium: Satis superque pastores ad manum habent, quibus animas credant; & cui suas committant facultatulas non inueniunt. Optimi videlicet æstimatores rerum, qui magnam de minimis, paruam aut nullam de maximis curam gerant. Sed vt liquidò datur intelligi, patientiùs ferimus Christi iacturam, quàm nostram. Quotidianas expensas quotidiano reciprocamus scrutinio, & continua dominici gregis detrimenta nescimus. De pretio escarum, de numero panum, cum ministris quotidiana discussio est. Rara admodum cum presbyteris celebratur collatio de peccatis populorum. Ita Bernardus.

Zelus quibus sit, & quantus.

Pastores ignauis pluris faciunt aurum, quàm animas. Bernard.

Non te teneat, ô pastor, zelus lucri pecuniarum, sed lucri animarum; tunc te eximium feciste lucrum existima, cùm animam fueris lucratus, tunc thesaurum opulentissimũ inueniste, cùm animam inueneris, tunc egregiè negotiatum, cùm impium in meliorem frugem reduxeris. Hoc est cælestè negotium, hæc diuina mercatura, hoc pretiosissimarum rerum forum. Hoc negotium bene gere, hanc mercaturam bene exerce, in hoc foro perpetuo versare. Vt enim ait Magnus Gregorius epist. 28. lib. 5. Redemptor noster à sacerdotis officio non quærit aurum, sed animas, &c. Hanc mercaturam Christus exercuit, hoc negotium gessit, in hoc forum è cælo venit, in eo ad mortem vsque versatus est. Non aurum, non argentum, non gemmas, in terra quæsiuit, sed animas. Non vineas, non olieta, non villas aut prædia emit, sed animas. Non vrbes, non regna concupiuit, sed animas. Eo autem pretio illas mercatus est, vt nullum maius excogitari possit. Quod enim maius pretium Dei sanguine excogitabitur? hoc infinitum pretium, animarum est pretium. Pretium hoc pastoribus ante oculos Paullus proponit, vt animarum salus quanti sit facienda intelligant: *Attendite*, inquit, *vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo*, &c. Christus sanguine animas acquisiuit, nos modico sudore non acquiremus? Ille vitam pro illis profudit, nos modicum laborem effugiemus? Zelus domus Dei, id est, Ecclesiæ, comedit Christum, vinxit, ad iniquos iudices adduxit, alapis percussit, verberibus laniauit, Cruci denique affixit; nos zelus hic comedere

Zelus animarũ in pastore requiritur, nō pecuniarum.

Greg. Mag.

Sāguis Christi animarũ pretium inestimatum. Actor. 20.

Greg. Naz.

dere non poterit? O duriſſimum cibum! ô crudiſſimam eſcam! ô lapidea noſtra corda! Zelus domus noſtræ & crumenæ noſtræ comedit nos; zelus domus Dei quid comedet? Domum noſtram mundam eſſe volumus, ornatam, opulentam; domum Dei, etſi videamus ſordibus inquinatam, omnibus gratiæ ornamentis opibusque ſpoliatam, non dolemus, non curamus. Videlicet ex illis ſumus, de quibus ait Paullus: *Omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Jeſu Chriſti.* Et vt Bernardus ſupra citatus ait: Patientius ferimus Chriſti iacturam, quàm noſtram. Non ſic ipſe Paullus: *Per omnia*, inquit, *omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile eſt, ſed quod multis, vt ſalui fiant.* Item: *Non quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos.* Item: *Argentum, & aurum, aut veſtem nullius concupiui, ſicut ipſi ſcitis, &c.* O egregium Paſtorem, quem zelus domus Dei comedit; comedit & abſumpſit crumenæ zelotypiam, comedit proprij commodi amorem, auri & argenti cupiditatem, propriique honoris affectum. Non ouium quærebat ille vellera, ſed ſalutem.

Phil. 2. *1. Cor 10.* *2. Cor. 12.* *Act. 20.*

Proh pudor! cedétne zelus ſacerdotis zelo dæmonis? Heu quàm flagranti animarum zelo dæmon æſtuat, non vt illas ſeruet, ſed vt perdat, æterniſque flammis mancipet. Illius in typo & imagine verba illa dicta ſunt, quæ Sodomorum Rex protulit: *Da mihi animas; cetera tolle tibi.* Animas ſolas ſatanas expetit, has quærit, pro iis noctu diuque, *Vt leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. Da mihi*, ait Rex hic Sodomorum, *animas; cetera*, id eſt, aurum, argentum, gemmas, ſceptra, coronas, principatus, *tolle tibi*; animæ mihi ſunt ſatis, pro iis contendo, cetera minimè curo. Patietúrne ouium Chriſti paſtor vinci ſe ab hoc dæmonis zelo? *Circuiui terram*, ait dæmon, *& perambulaui eam*; vt animas raperem; paſtor verò dicet: Circuiui terram ac maria, & perambulaui ea, vt pecunias congregarem. Satanas dicit: *Da mihi animas; cetera tolle tibi.* Paſtor dicet: Da mihi cetera; animas tolle tibi? Verte quæſo paſtor animum, ne à dæmone vincaris, verte verba, mundo ipſique dæmoni dicito: *Da mihi animas*, has cupio, has ſitio, harum deſiderio flagro, pro iis mortem ipſam, ſi opus fuerit, libenter oppetam; *cetera*, diuitias, honores, dignitates, pecunias, *tolle tibi*. Non pecunias quæro, non honores, ſed animas. Tolle omnia; da mihi animas; tunc me diuitem, tunc me beatum exiſtimabo, cùm multas Chriſto animas comparauero.

Zelus dæmonis ad perdendas animas qualis, & quantus. *Geneſ. 14.* *Ibi 1.*

Non ſolùm domus Dei, id eſt, Eccleſiæ, & animarum, verùm etiam templi ipſius materialis zelus Chriſtum comedit: hoc enim exardeſcens nundinantes ex templo expulit. Is etiam templorum materialium zelus ſacerdotes decet maximè. Sacerdotis enim eſt domum Dei, id eſt, templum emundare & ornare, nihilque in eo, quod à ſacri loci religione ſit alienum, tolerare. Hic zelus Nepotiani inerat pectori, de quo D. Hieronymus in Epitaphio ad Heliodorum: Erat, inquit, ſollicitus, ſi niteret altare, ſi parietes abſque fuligine, ſi pauimẽta terſa; ſi ianitor creber in porta, ſi vela ſemper in oſtiis; ſi ſacrarium mundum, ſi vaſa luculenta. Et in omnes ceremonias pia ſollicitudo diſpoſita, non minus, non maius negligebat officium, vbicumque eum quæreres, in Eccleſia inuenires, &c. Item: Baſilicas Eccleſiæ, & Martyrum conciliabula, diuerſis floribus, & arborum comis, vitiumque pampinis adumbrauit; vt quidquid placebat in Eccleſia, tam diſpoſitione, quàm viſu, presbyteri laborem & ſtudium teſtaretur. Sic de Nepotiano Hieronymus. Dilecta appellat tabernacula Dei Pſalmographus: *Quam dilecta*, inquit, *tabernacula tua Domine, &c.* Cui tabernacula ſiue templa Dei dilecta ſunt, is omni ſollicitudine curat, vt niteant, vt fulgeant, vt quàm ornatiſſima ſint; ei autem dilecta ſunt templa, cui dilectus eſt templorum incola Deus. Cui verò pecunia dilecta eſt, is templi prouentus diligit, ornatum negligit. Sacerdotibus pecunia erat dilecta, templi pulcritudo ac mundicies neglecta; ideoque boues, oues, & columbas in eo vendi, nummulariorumque menſas ſtatui patiebantur. *Domine*, ait Pſalmographus, *dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Dilige, ô ſacerdos, domum Dei, dilige locum, in quo ille habitat. Si decora erat domus illa antiqua, in qua Teſtamenti arca locata erat, quãtò maiori decore ſplendeſcere par eſt domum Dei, in qua non arca Dei, ſed Deus ipſe Chriſtus Optimus Maximus in auguſtiſſima Euchariſtia latens habitat? fulgebat vndique auro antiquum illud templum, æquius eſt, vt templa noſtra auro fulgeant, fulgeant argento, & veſtibus aureis, aulæisque pretioſiſſimis.

Sacerdotes zelus decet templi etiã materialis. *Nepotiani Zelus.* *Hieron.* *Pſal. 83.*

Pſal. 25.

Niteant pretioſis aulæis parietes, niteant auro & argento altaria, niteant ipſa templa; niteant autem moribus, reuerentia, religione, cultuque diuino ij qui in templa confluunt Chriſtiani; nihil in templo faciant, quod à templi religione, & Dei, Angelorumque præſentia diſſentiat. Templi religio linguam, oculos, manus, mentemque religet, ac decorè coram Deo & Angelis corpus & animum componat. Audi Chryſoſtomum homilia 15. in epiſtola ad Hebræos: In aulam, inquit, regiam intraturus, & habitu, & oculis, & inceſſu, & in cunctis aliis, componis, & ornas temetipſum; huc autem ingreſſurus, vbi vere aula regia eſt, & talis qualis eſt cæleſtis, rides? Et tu quidem, ſcio, quia non vides; audi tamen, quia Angeli præſentes ſunt vbique, maximè in domo Dei, vbi adſtant Regi, & omnia plena ſunt incorporeis illis virtutibus, &c.

Modeſtia in templis ſeruanda. *Chryſoſt.* *Angeli præſentes in templis.*

Cuſtodi pedem tuum, ait Eccleſiaſtes, *ingrediens domum Domini, & appropinqua vt audias. Multo enim melior eſt obedientia, quam ſtultorum victima, qui neſciunt quid faciunt mali, &c.* hoc eſt; magna cum reuerentia in templo pedes pone, cuſtodi pedes greſſusque tuos ab omni ſuperbo pompaticoque greſſu; in domum Domini non pompaticè & ſuperbè, ſed humiliter ingredere. *Solue calceamentum de pedibus tuis*, ait Dominus Moyſi: *locus enim in quo ſtas terra ſancta eſt.* Tibi verò dicitur: *Cuſtodi pedem tuum*, ne leuiter diſcurras, ne leuiter incedas, attende, vbi ponas greſſus tuos: *Terra enim in qua ſtas, terra ſancta eſt.* Sequitur: *Appropinqua vt audias*; id eſt, ingredere templum, & ad concionatorem accede, vt Dei verbum audias, illoque audito obedias. *Multo enim melior eſt obedientia* verbi in templo auditi, *quàm victimæ*, quæ in eodem templo ab ſtultis offeruntur, qui crimina ſua ignorant, ac pœnitentia delere negligunt, & Dei legi non obediunt. Cuſtodi igitur pedem tuum ingrediens domum Domini, pariter cuſtodi cor tuum, oculos tuos, & linguam tuam.

Eccle. 4. *Magna in templo reuerentia ſeruanda.* *Exodi 3.*

D. Salonius in Eccleſiaſten, de pedibus animæ locum intelligit; ſic ille exponit: Quamuis, inquit, ſemper honeſtè & cum timore ac ſilentio debeamus ingredi domum Domini; tamen non pedem corporis docet cuſtodiendum, ſed pedem animæ, id eſt, greſſum mentis, vt in conſpectu Dei mundas preces effundamus. Eſt ſenſus: Quando ingrederis domum Dei, videlicet, Eccleſiam, cuſtodi pedem tuum, id eſt, greſſum mentis tuæ, ne offendas in malis cogitationibus, vt oratio tua pura dirigatur ad Deum. Sic ille. Olympiodorus verò: Si de corporali, ait, pede dictum intelligas, cuſtodi, inquit, totum corpus tuum (à parte enim totum ſignificauit) ne inſtrumentis eiſdem, quibus in bono vtimur, abutamur in malo. Quaſi dicat, ne quæſo pedibus, quibus

D. Salon. *Olympiod.*

bus domum Dei frequentas, theatrales adito ludos, & obscena spectacula. De aliis quoque membris idem intellige faciendum. Et profectò qui impolluto pede subeunt Ecclesiam Dei, debent ab impiis locis & prophanis se penitus, vt Deo contrariis, continere, &c.

Luce 19. In templo orandum, non confabulandum.

Domus mea, ait Dominus, *domus orationis est*. Orandum igitur in templo, non confabulandum; in Deum cor oculique attollendi sunt, non per templum huc atque illuc circumducendi. In domum venisti orationis, ne domum facias confabulationis aut negotiationis. Deus, ait Ambrosius Lucæ 19. templum suum non mercatoris vult esse diuersorium, sed sanctitatis domicilium. Et D. Nilus in diuersis capitibus: Ecclesiam, inquit, vt cælum adi; & nihil in ea aut loquere, aut age, quod terram sapiat, &c. Vide quid sit Ecclesia, quid templum. Cælum est, cælum ingrederis, cùm templum ingrederis. In cælo nec otiosis verbis nec factis locus est; nec ergo in Ecclesia sit. Lege quæso beatum Cæsarium homilia 30. in qua docet diabolum in templis ad otiosa idcirco verba nos stimulare, vt tam concionis siue lectionis, quàm orationis fructu spoliet: Diabolus, inquit, in Ecclesia infructuosis nos studet sermonibus occupare, vt nobis per inanes, & vacuas, aut forte etiam mordaces collocutiones ac sordidas cogitationes, diuinæ lectionis fructum, vel orationis remedium possit auferre. Vt corpore tantùm videamur in Ecclesia stare, & corde & cogitatione longè à conspectu diuinæ maiestatis abscedere. Ideo, quantùm possumus, contra illius insidias repugnemus. Hæc ille.

Ambros.

D. Nilus.

Cæsarius.

Ioan. 2.

Templa est domus negotiationis spiritalis.

Nolite facere, ait Dominus, *domum Patris mei domum negotiationis*, videlicet temporalis. At vtinam omnes domum Dei faceremus domum negotiationis spiritalis. Etenim in templum, veluti ad forum rerum venalium, venimus, sed rerum pretiosissimarum, spiritalium, cælestium, hic diuinæ fiunt nundinæ, in quibus paruo pretio res infiniti emuntur pretij; oratione, Dei auxilium, lacrymis & confessione, peccatorum expiatio, concionis audientia, morum emendatio, comparatur. Nemo ad has nundinas pauper est: Omnes lucrum, & quidem maximum ex illis possumus reportare. Vnde Chrysostomus homilia 5. ad populum: Nos, inquit, in Ecclesiam conuenimus, vt aliquod magnum lucrati, & spiritale lucrum, discedamus, &c. Magnum certe lucrum reportat, qui rei diuinæ attento animo interest; magnum, qui concionem audit, diuinisque stimulis punctus mores corrigit; magnum, qui ardentes ad Deum preces fundit; magnum, qui peccata confessione delet; maximum, qui augustissimam Eucharistiam puro pectore excipit. Hæc sectare lucra, hanc mercaturam exerce, domum orationis facito domum huius sanctæ negotiationis. Perituro tempore diuitias non perituras comparabis.

Chrysost.

A negotiatione spiritali incipiendum. Beda.

Si tibi negotiatio est temporalis, incipe à negotiatione spiritali: cum Deo prius, postea cum hominibus negotiare. Venit Ierosolymam Christus, templum primò adiit. Tu similiter templum primò adi, Christum prius adora, & ora: postea ad negotia abi. Hoc consilium venerabile ex venerabili Beda accipe, Marci 11. Quòd, inquit, Dominus ingressus ciuitatem primò in templum adiit, formam nobis religionis, quam sequamur, præmonstrat: vt cùm forte villam, aut opidum, aut alium quemlibet locum, in quo sit domus orationis Deo consecrata, intramus, ad hanc diuertamus. Et postquam nos Domino per orationum studia commendauerimus, sic deinde ad agenda ea, propter quę venimus, temporalia negotia secedamus. Sic ille.

Dicitur in templo statutum *Idolum zeli ad prouocandum amulationem*. Hebraicè appellatur idolum zeli zelare facientis. Etenim idolum illud & Israëlitarum idololatria zelum Dei ita excitauit, vt tam templum, quàm vrbem solo æquarit, ideoque sex tunc viros iussit gladios sumere, Ezech. 9. *Ecce*, inquit, *sex viri veniebant, & vnusquisque vas*, id est, instrumentum, *interitus in manu eius*. Iussit præterea viro lineis induto ardentes sumere prunas, & in ciuitatem Ierusalem effundere: *Imple*, inquit, *manum tuam prunis ignis, & effunde super ciuitatem*. Prouocauerunt Dei zelum idola Israelitarum in templo collocata; eumdem hoc loco zelum non idola, sed oues, bouesque venales, & nummulariorum mensæ in templo constitutæ, concitarunt. Ad expellenda idola gladios iussit sumere & ardentes prunas; ad expellendos verò venales boues, ouesque, & venditores, non gladium sumpsit aut ignem, sed flagellum. Idola sordesque pellit Dominus e templis suis, hoc est, animis nostris, suppliciis tum grauioribus, tum leuioribus; ideo flagella sumit, vt templa sua emundet. *Nescitis*, ait Paullus, *quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos*, &c. In hoc templo idola zeli, siue peccata zeli, id est, zelum Dei concitantia, collocamus; in hoc boues & oues, immo serpentes, ac dracones, libidinem, auaritiam, periuria, aliaque crimina inducimus, domum hanc Dei speluncam facimus latronum, id est, dæmonum. Ideo Dominus flagellat, vt hæc foras eiiciamus.

Ezech. 8.

Ezech. 9.

Ezech. 10.

Deus pœnas sumit tum grauiores, tũ leuiores. 1. Cor. 3.

Templum animus.

Peccata Zelum Dei prouocant.

Domũ Dei facimus spelunam latronum.

Non ferebat Christus flagellum, sed ex funiculis in templo repertis flagellum fecit. Non fert flagellum Dominus, sed ex peccatis nostris, velut funiculis, flagellum componit. Quò autem funes sunt crassiores, id est, peccata grauiora, eò flagellorum supplicia sunt crassiora ac duriora. Augustin. tract. 10. in Ioan. Vnusquisque, inquit, ex peccatis suis restem sibi texit. Isaias dicit: *Væ iis qui trahunt peccata sua sicut restem longam*. Et quis facit restem longam? qui peccato addit peccatum. Sic ille. Misericors est Christus, immeritis misericordiam confert ac beneficia; flagella non nisi iis qui merentur incutit, quique flagellorum materiam illi subministrant, id est, peccata. Hinc illud Bernardi sermone 5. de Natali die: Deus ex se sumit materiam, & velut quoddam seminarium miserendi. Nam quod iudicat, & condemnat, nos eum quodammodo cogimus, &c.

Deus ex nostris peccatis flagella componit.

Bernar.

Caue, ne quemadmodum olim in templo, ita nunc in domo tua funiculos vel funes inueniat, ex quibus flagellum faciat. Peccata domo pelle, flagella quoque pelles. Inuenit Dominus in domo Dauidis funes adulterij commissi atque homicidij, flagellum fecit. *Vriam Hethæum*, ait Nathan, *percussisti gladio, & vxorem illius accepisti in vxorem tibi, & interfeciisti eum gladio filiorum Ammon. Quamobrem non recedet gladius de domo tua vsque in sempiternum, eo quòd despexeris me, & tuleris vxorem Vriæ Hethæi, vt esset vxor tua. Itaque hæc dicit Dominus: Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo*, &c. Percurre domos alias, in quibus Deus funes reperit, flagella fecisse è funibus reperies. Funes sunt peccata, quibus impius constringitur. Iuxta illud: *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur*. His vinculis tenetur iustitiæ Dei obstrictus. Ex iisdem Dei iustitia flagella facit. Quæ autem est mensura delictorum, eadem est mensura flagellorum.

2. Reg 12.

Funes sunt peccata. Prou. 5.

Adde, duplex esse funiculorum genus, quidam amoris sunt, scilicet beneficia; alij timoris, scilicet suppli-

Duplex genus funiculorum.

ſupplicia. Tam iis, quàm illis vtitur Deus ad tra- A
Oſea 11. hendos homines. De prioribus dicitur: *In funiculis Adam traham eos, in vinculis caritatis*, id eſt, beneficiis traham eos, qui ſunt humani funiculi; quibus homines trahi volunt. Poſterioribus belluæ ac feræ trahuntur, & homines etiam duri ac feris ſimiles, qui beneficiis Dei abutuntur; ſuppliciorum verò, veluti tempeſtate territi, mutant velificationem.

De templo, id eſt, corpore Chriſti ſoluto, & in tribus diebus ſumma cum gloria excitato, omitto dicere. Ea enim ad reſurrectionem pertinent, quæ hîc dici poſſent. Illud tantùm hoc loco addam, eſſe homines in virtute cunctatores, qui templum Domini in pectore vix multis annis ædificant; quoniam ædificationem vel ab hoſtibus oppugnati in- B
termittunt, vel omnino non aggrediuntur. *Quadraginta ſex annis*, aiunt Iudæi, *ædificatum eſt templum hoc.* Hi nec quinquaginta annis fabricant. At Do-
Templũ in anima magna celeritate Deo exſtruendum. Pſal. 131. minus: *In tribus*, inquit, *diebus excitabo illud*; ſic in virtute veloces ac celeres templum Domini in ſeipſis paucis diebus excitant, nec quieſcunt, donec ad perfectionem adducant. Audi Dauidem: *Si introiero*, inquit, *in tabernaculum domus meæ, ſi aſcendero in lectum ſtrati mei, ſi dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.* Locum templo & Deo quærebat Dauid hac celeritate; tu eadem celeritate in corde tuo Deo locum quære. Ne domum introeas, ne in lecto cubes, ne ſomnum oculis temporibuſque requiem tri- C
buas, priuſquam peccatum mortiferum expellas, quod Deum à te expulit. Paret locum pœnitentia, Deum in templum paratum & velociter exſtructum introducat gratia.

CAPVT X.

De templo Ieroſolymitano.

De templo tum ſupra facta eſt mentio, tum ſæpe aliis Euangeliis & Scripturæ locis fit, ideoque non erit abs re hoc loco de illo agere, vt quale
D fuerit apertius cognoſcamus, & multa Scripturæ ſacræ loca dilucide intelligamus. Ita verò quæ ad litteralem ſenſum ſpectant exponemus, vt quæ ad moralem ſpiritalemque attinent adiungamus.

Ex Ægypto egreſſi Hebræi, iubente Deo exemplarque præbente, in ſolitudine Sinai primo egreſſionis anno tabernaculum conſtruxerunt, vt ſcri-
Tabernaculũ fuit templũ mobile & portatile. ptum eſt in libro Exodi. Fuit autem tabernaculum quoddam Dei templum è tabulis mobile ac portatile, quod per ſolitudinem Leuitæ geſtabant. Poſtquam verò in terram repromiſſionis peruenerunt, permanens fixumque templum ædificarunt, quod tabernaculo multò fuit præſtantius.

Tabernaculo ſimilis fuit ſynagoga. Fuit enim
E Dei templum; at mobile, non fixum, non permanens. Abrogatam enim à Deo eſſe Moſis legem quis neſciat? euerſam ſynagogam quis ignoret?
Eccleſia fixo ſimilis templo. Templo fixo ac permanenti ſimilis eſt Eccleſia. Nam templum Dei eſt, non mobile, vt ſynagoga, ſed ad extremum vſque orbis diem permanſurum.
Matth. 16. Eſt enim ædificata ſuper admirabilem rupem. *Aduerſus eam portæ inferi præualere numquam poterunt*, vt Dominus prædixit. Chryſoſtomum lege tom. 1. ho-
Eccleſia eſt perpetua & fortiſſima. mil. 4. de verbis Iſaiæ, *Vidi Dominum*, &c. Facilius, inquit, eſt Solem exſtingui, quàm Eccleſiam obſcurari, &c. Item: Eccleſia radices in Chriſto fixas habet potiùs quàm in terra, &c. Eradicari igitur nulla hominum potentia poterit. Lege eumdem tomo 5. in orat. de nõ contemnenda Eccleſia Dei: Quid, in-

quit, Eccleſia Dei potentius eſſe poteſt? Mœnia barbari deſtruunt, Eccleſiam verò ne dæmones quidem ſuperant; cùm oppugnatur, vincit; cùm appetitur inſidiis, ſuperat; cùm afficitur iniuria, ſplendidior euadit, &c. Erat templum multò præſtantius tabernaculo; eſt Eccleſia multò præſtantior quàm ſynagoga. Iuxta illud: *Magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ, pluſquam primæ*; hoc eſt, myſtico ſenſu: Maior erit gloria Eccleſiæ, quàm ſynagogæ. *Aggæi 2.*

Adumbratur etiam Eccleſia militans tabernaculo mobili; triumphans verò templo fixo; propterea, quòd quæ in terris agit Eccleſia, peregrinatur à Domino vſque ad iudicium; cæleſtis verò fixa & æterna in cælo eſt. Lege Chryſoſt. Pſal. 14. *Eccleſia militãs tabernaculo adumbratur; triumphans templo.*
Eſt, inquit, Eccleſia tentorium, quod fixit Dominus, & non homo; & mundum tamquam incolatum ſuſcipit, &, veluti tabernaculum, è locis in alia loca migrat in perſecutionibus, propter eum, qui
Matth. 10. dixit: *Si perſequuntur vos in vna ciuitate, fugite in aliam.* Sed loca quidem mutat, loca autem rurſus conſeruat. Fugit à ciuitate in ciuitatem, ſed non fugit à pietate in impietatem, &c. Item eodem Pſalmo: Quemadmodum tabernaculum huc & illuc transferebatur, Salomonis autem templum in vno loco ſtat immobile: ita etiam in terra Chriſti Eccleſia, tamquam peregre verſans, pios facit inquilinos; ſuperna autem Eccleſia non habet illic inquilinos, ſed habitatores. Hæc ille.

Ad hæc, tabernaculum de loco in locum transferebatur; ſic & Eccleſia à populo in populum
Eccleſia à populo in populũ tranſfertur. transfertur. Iuxta illud Domini: *Auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Transfertur autem Eccleſia à populis qui fidē abiiciunt, in populos qui fidem recipiunt, vt Indos ac Iaponas. Præterea tabernaculum Leuitæ geſtabant; Ec-
Geſtant tabernaculũ, id eſt, Eccleſiam, ſacerdotes. cleſiam geſtant ſacerdotes, paſtores, & ceteri, quibus Chriſti oues commiſſæ ſunt. Vide quantum onus ſit geſtare Eccleſiam, hinc illud Bernar. Epiſt.
Bernard. 42. ad Archiepiſcopum Senonenſem: Meditantibus
Onera ſunt honores. honores blandiuntur, ſed onera penſantibus tædio ſunt atque formidini. Item: Multi non tanta fiducia & alacritate currerent ad honores, ſi eſſe ſentirent & onera: grauari profectò metuerent, &c.
Angeli Eccleſiã portãt veluti leuita tabernaculum. Portant etiam tabernaculum, id eſt, Eccleſiam, Angeli. Iuxta illud: *In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* *Pſal. 90.*

De templi ædificatore & operariis.

Templi ædificatorem noluit Deus eſſe Dauidem, cùm maximè ipſe cuperet. Huiuſce rei cauſſa redditur. *Voluntatis*, inquit Dauid, *mea fuit, vt ædificarem domum nomini Domini Dei mei, ſed factus eſt ſermo Domini ad me, dicens: Multum ſanguinem fudiſti, & plurima bella beſtaſti: non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuſo ſanguine coram me*, &c. Noluit itaque Deus templi ædificatorem Dauidem eſſe, quòd in multis bellis ſanguinem fudiſſet; Salomonem virum quietiſſimum eſſe voluit, cuius tempora fuere abſque bellis pacatiſſima. Eodem capite citato adiungit Deus: *Filius qui naſcetur ex te, erit vir quietiſſimus: faciam enim eum requieſcere ab omnibus inimicis ſuis per circuitum: & ob hanc cauſſam pacificus vocabitur. Ipſe ædificabit domum nomini meo*, &c. Salomonis nomen pacificum ſignificat: שלום Schalom, enim pax eſt Hebræis, vnde שלמה ſchelomo, id eſt, pacificus. Dictus autem eſt pacificus à pace, quæ illius tempore floruit, vt ait Dominus. *1. Par. 22.* *Ibidem.*

Quid hæc adumbrant? Nónne diximus templum Salomonicum Eccleſiæ vmbrã fuiſſe? Quiſnam quæſo hoc templũ exædificauit? num bellator aliquis Meſſias Alexandro aut Cæſari ſimilis? non ſane, ſed pacificus Meſſias, qui, vt Iſaias ait, *Eſt Prin-*
Pacificus Meſſias tẽplum, id eſt, Eccleſiam exſtruxit. *Iſaiæ 9.*

Epheſ.2. ceps pacis. *Ipſe eſt pax noſtra*, ait Paullus, *qui fecit vtraque vnum*. Quaſi dicat: Ipſe Meſſias eſt Salomon noſter, pacificus noſter, qui euerſo tabernaculo, abrogata lege Moſis, templum, id eſt, Eccleſiam, ex Iu-
Zach. 6. dæis & Gentibus exſtruxit. *Fecit vtraque vnum*, id eſt, ex duobus populis, Iudaico atq; Ethnico, vnum fecit populum, vnam fecit Eccleſiam, vnum templum exædificauit. Iuxta illud: *Ecce vir*, id eſt, Meſſias, vt interpretatur etiam Chaldæus Paraphraſtes, *Oriens*, id eſt, germen, *nomen eius, & ædificabit templum Domino*, id eſt, Eccleſiam.

Præterea ſupra, Chriſtus humanitatem ſuam
Ioan. 2. templum appellauit: *Soluite*, inquit, *templum hoc; & in tribus diebus reædificabo illud. Dicebat autem*, addit
Pacis tẽpore pacificus Chriſtus cõceptus. Euangeliſta, *de templo corporis ſui*. Pax ergo illa, qua florente, Salomonicum templum exſtructum eſt, pacem illam indicat, qua vigente, humanitas Chriſti in vtero Virginis eſt procreata, & cum diuino ſuppoſito coniuncta.

Operariorũ templi numerus. Operariorum ingens fuit numerus: *Fuerunt Salomoni ſeptuaginta millia eorum qui onera portabant, &*
3. Reg. 5. *octoginta millia latomorum in monte: abſque præpoſitis qui præerant ſingulis operibus, numero trium millium & trecentorum præcipientium populo, & iis qui faciebant opus*, &c. Præter hos, vt eodem traditur capite, triginta millia hominum in Libano operabantur; per ſingulos menſes decem millia.

Templũ, id eſt, Eccleſia, plurimos habet operarios. Epheſ. 4. Vides ingentem operariorum multitudinem: plures habet operarios Chriſti templum, id eſt, Eccleſia, de quibus Paullus: *Ipſe dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam Prophetas, alios autem Euangeliſtas, alios autem paſtores, & Doctores, ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterij, in ædificationem*, &c. Inter operarios ſiue artifices templi celeberrimus fuit Hiram, à Rege Tyri ad Salomonem miſſus, cuius eximia
3. Reg. 7. 2. Par. 2. opera in lib. Reg. deſcribuntur. De hoc Tyri Rex
Hirã artifex eximius templi. ad Salomonem his verbis ſcribit: *Miſi tibi virum prudentem & ſcientiſſimum, qui nouerit operari in auro, & argento, ære, & ferro, & marmore, & lignis, in purpura quoque, & hyacintho, & byſſo, & coccino: & qui ſciat calare omnem ſculpturam, & adinuenire prudenter quodcumque in opere neceſſarium eſt*, &c. En tibi Eccleſiaſtici operarij vmbram. Operarium prudentem eſſe oportet ac ſcientiſſimum; qui nouerit operari in auro & ferro, id eſt, in hominũ animis, tam nobilium quàm ignobilium, tam proborum quam improborum; tam eorum, qui tenero ſunt corde, vt byſſus, quàm eorum, qui duro, vt marmor. Qui ſciat operari tam in purpura, id eſt, in Regibus Principibusque viris, quàm in ſtuppa, id eſt, abiectis ac pauperibus. Denique, qui ſciat omnium virtutum ſculpturam cælare; ſitque ipſe virtutum ſignaculum, vt reliquis illarum imaginem poſſit imprimere.

Eupolemus de operariis templi. Eupolemus apud Euſebium, lib. 9. de Præparatione Euangelica, capite 4. ait Salomonem ad Tyri Regem, Regemque Ægypti dediſſe litteras, & fabros atque artifices ad ædificandum templum poſtulaſſe. Miſiſſe verò Ægypti Regem operariorum & fabrorum octoginta millia, totidemque Regem Tyri. De litteris ad Ægypti Regem datis operariiſve Ægyptiis nulla in litteris ſacris mentio eſt. De litteris verò miſſis ad Regem Tyri Hiramum mentionem facit Ioſephus, libro 8. Antiquitat. cap. 2. & ex libro 3. Regum, cap. 5. ſcripſiſſe Salomonem ad hunc Regem colligitur, vel legatum miſiſſe. De operariis Tyriis lege idem caput libri 3. Regum.

Operarij lapides, ex quibus templum exſtructum eſt, aliunde in locum ædificij ad normam iam dolatos comportabant. Hinc illud: *Domus cùm ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata eſt; & malleus, & ſecuris, & omne ferramentũ non ſunt audi-*
3. Reg. 6.

ta in domo Domini, cùm ædificaretur, &c. Non ſunt, inquam, audita ad lapides ac ligna dolanda, quæ iam dolata ad opus afferebantur. Ad alia enim opera, vt ad figendos clauos & ſimilia, nullum fabrilium inſtrumentorum ſtrepitum fuiſſe auditum fieri nequit. Indicat typus, in cæleſtis templi ædificio non rudes & impolitos lapides, id eſt, homines, ſed ad libellam & ad diuinæ legis circinum dolatos collocari. Id quod Eccleſia in hymno ſic canit: Tunſionibus, preſſuris expoliti lapides, ſuis coaptantur locis per manus artificis. Non auditur in cælo vllus mallei, aut ſecuris, aut ferramenti alicuius, id eſt, pœnitentiæ verberumque ſonitus, ſed lætitiæ perpetuæ cantus.

Nõ eſt audi tus ſonitus mallei aut ferramenti in tẽpli exædificatione. In cælo iam dolati locãtur lapides.

Theodoret. Theodoretus quæſt. 21. in lib. 3. Regum, exiſtimat ipſum templum exſtructum ex lapidibus ita ſua ſponte natis, vt nullo opus eſſet ad eos compingendos ferro; templi verò ambitum ex aliis lapidibus ſectis ac dolatis: Ipſum, inquit, templum ædificauit Salomon ex lapidibus minimè cæſis ſecuribus, cùm diuina voluiſſet prouidentia vt inuenirentur huiuſmodi ſua ſponte nati lapides. Adeò, vt ad eos compingendos nullo ferro opus fuerit, ſed abſque vlla arte ædificandi inter ſe aptè coniungerentur. Sectis autem lapidibus exſtructus fuit templi ambitus, &c. Et quæſt. 22. Dixi, inquit, iam templum fuiſſe ædificatum ex ſua ſponte natis lapidibus; ſectos autem lapides, quibus conſtruxit ambitum templi, iuſſiſſe in monte dolari, ac poliri, & in ſe compingi, & concinnari, vt nulla de cetero egerent operatione. Sic ille. Sed verius eſt quod diximus.

Hebræorum fabula de vermiculo Thamir. Hebræi lapidum ſine ſtrepitu dolationem vermiculo cuidam tribuunt, qui Thamir appellatur, Salomoni cognitio. Huius cruore lapides aiunt perfuſos, & ſine ſtrepitu fuiſſe ſectos atque expolitos. Exploratam verò ſanguinis vim hoc caſu dicunt. Vitreo vaſe ſtruthionis pullus erat incluſus; vt pullum ſtruthio liberaret, vermiculi Thamir cruore vitrum perunxit; eius vi fracto vitro pullus euaſit. Re obſeruata, Salomon vermiculi cruorem ſecandis lapidibus deinceps adhibuit. Fabuloſa videtur narratio. Quod tamen illi de vermiculi cruore fabulantur, in Chriſti ſanguine verum eſt. Is vim habet magnam ad expoliendos abſque vllo querimoniæ & impatientiæ ſtrepitu lapides in cæleſtis templi ſtructura reponendos. Chriſti enim ſanguinis memoria perfuſis id contingit, quod in hymno de Martyribus canit Eccleſia: Cæduntur gladiis more bidentium: Non murmur reſonat, non querimonia; Sed corde tacito mens bene conſcia Conſeruat patientiam.

Memoria ſanguinis Chriſti parit patientiam.

CAPVT XI.

De loco templi.

2. Reg. 24. & 1. Par. 21. Vt memoriæ proditum eſt, Angelum, qui populum vaſtabat, ſtricto gladio ſanguinolentum vidit Dauid, iuxta aream Ornam, ſiue Areunæ Iebuſæi, Prophetaque Gad internuncio accepit, iubere Deum, vt ea in area altare conſtrueret. Quo facto, oblatisque ſacrificiis, & cæleſti igne inflammatis placatus Deus eſt, gladiumque Angelus vagina induit. Hanc aream emit Rex, temploque exædificando deſtinauit. *Hec eſt domus Dei*, &c. Offerebat quidem aream Areuna Regi gratis, & quæ ad ſacrificium opus erant. At ille, *Non offeram*, reſpondit, *holocauſta gratuita Domino*. Emit igitur aream, vt ſcribitur 2. Reg. 24. & boues immolandos argenti ſiclis quinquaginta. Non leue hinc excitatur dubium.

1. Par. 21. Dauid emit aream Areuna, in qua templũ eſt exſtructum.

2. Reg. 24.

1.Par.21. bium. Nam ſic ſcriptum eſt: *Dedit Dauid Ornan pro loco ſiclos auri iuſtiſſimi ponderis ſexcentos.* Ergo quod ſcribitur 2.Regum 24. dediſſe ſiclos quinquaginta, non eſt verum. Reſpondemus, hoc & illud veriſſimum, diuiniq́ue Spiritus aſſlatu ſcriptum eſſe. Dauid enim primùm boues areamq́ue quinquaginta ſiclis, vt eſt in libro 2.Regum 24. poſtea verò totum Areunæ agrum ſiclis ſexcentis emit. Sic duo hæc loca in ſpeciem pugnantia concilianda ſunt.

De pretio areæ ſoluitur dubiũ.

Pſal. 131. De hoc templi loco illud Pſalm. exponitur: *Ecce audiuimus eam*, id eſt, Dei habitationem, *in Ephrata: inuenimus eam in cãpis ſilue.* Campos ſiluę, id eſt, ſiluoſos ac nemoroſos, Areunæ ſiluam vocat, in qua templum eſt conditum. Theodoretus: Campos, inquit, ſiluæ appellat locum templi, qui Ieroſolymæ erat deſertus, & ſine ædificio, &c. Ephratam eundem templi locum nũcupari Genebrardus & Ianſenius volunt. Eritq́ue ſenſus: Audiuimus locum templi eſſe in Ephrata, id eſt, in regione fertili ac fructuoſa. Id enim ſonat Hebręum nomen. Eodem nomine Bethlehem appellatur. Ideo Montanus & Vatablus ſic interpretantur: Audiuimus eam in Ephrata, id eſt, cũ eſſemus in Ephrata, id eſt, Bethlehem, audiuimus de domo Dei. Vel forte Prophe-

Duo ſunt Chriſti tẽpla, humanitas & Ieroſolymitanũ templũ. Theodor.

ta, vt Theodoretus ait, de duobus loquitur templis; de humanitate ſcilicet Chriſti, quem audiuit in Ephrata naſciturum; & de templo Salomonis, quod in campis ſiluoſis Areunæ exſtructum eſt. Quoniam, ait Theodoretus, duo ſunt tabernacula, vnum ex lignis lapidibusq́ue, aliud verò ex corpore & anima; & hoc Ieroſolymæ à Salomone editum eſt, illud verò in Bethlehem ſancti Spiritus gratia contexuit. Qui autem ea tempeſtate erant pij, hoc quidem cernebant, & illud exſpectabant; propterea

Pſal. 131. iure propheticus ſermo inquit: *Ecce audiuimus ipſum in Ephrata*, hoc ab Spiritu ſancto faciendum. *Inuenimus ipſum in campis ſilue*; ſecundum promiſſionem Spiritus à Salomone ædificatum. Hæc ille. Aliter: Audiuimus templum Domini exædificandum in Ephrata, id eſt, Bethlehem; ſed inuenimus locum illius in campis ſiluoſis Areunæ. Coniiciebant enim aliqui templum Domini in Bethlehem exſtruendum, vbi Meſſias erat oriturus. Item aliter: *Audiuimus arcam Domini fuiſſe in Ephrata*, id eſt, in

Iudic.12. terra Ephraim, ſcilicet in Silo. Nam viri tribus Ephraim Ephratæi dicuntur: potuit ergo eorum

2.Reg.6. regio Ephrata nominari. *Inuenimus eam in campis ſilue*, id eſt, in Gabaa. Is autem locus 1.Paral.3. dicitur collis Cariathiarim, id eſt, ciuitatis ſiluarum.

Ibidem. Audiuerat Dauid arcam fuiſſe in Silo, inuenit eam in colle ſiluarum, & inde tulit in Ieruſalem.

Mõs Moria, in quo templum. Fuit locus in monte, qui Moria appellatur. *Cœpit Salomon ædificare domũ in monte Moria, qui demõſtratus fuerat Dauid patri eius, in loco, quem parauerat Dauid in area Ornan Iebuſæi.* Obſerua, templum in area ho-

2. Par.3. Templũ exſtructum in area hominis ethnici. minis Iebuſæi, non Iudæi exſtructum, id quod indicat Eccleſiam in Gentibus maximè exædificatam. Eſt autem mons Moria in ciuitate Ieruſalem. Lo-

Tẽpli locus deſcribitur. cum deſcribit Ioſephus lib.15. Antiquit. capite 14. hunc in modum: Tumulus erat petricoſus, arduus, vertice ſenſim ad orientales vrbis partes reſupinatus. Huius verticem primus Salomon Rex, ſecundum Dei prudentiam, muro circumdedit magno labore: radices quoque eius alio muro cinxit, cui verſus Auſtrum ſubiecta eſt vallis profunda. Hic murus conſtat ſaxis grandibus plumbo inter ſe vinctis, complectens interius ſpatium, & in profundum deſcendens; vt miranda ſit magnitudo & altitudo. Structura forma quadrangulari Saxorum enim magnitudo à fronte eſt conſpicua; interiora ferro vincta iuncturas continent contra omnium temporũ iniurias firmiſſimas. Hoc opus poſtquam æquatum eſt vertici, cauitas quæ intererat inter murum & tumulum expleta eſt; vt complanatis omnibus fieret area, & circum quadriporticus quatuor ſtadiorum circuitu; ſingulis lateribus inter duos angulos per ſtadia ſingula patentibus. Interius deinde ipſum verticem ambit alius murus lapideus, cuius orientale latus, quàm longum eſt, duplicem habet porticum ſpectantem ianuam templi ſiti in meditullio. Eam porticum multi priores Reges adornauerunt. Hęc Ioſephus in verſione Latina, quæ circumfertur. Vide aliam infra cap.39.

Interpretatio nominis Moria. Deduci poteſt nomen Hebræum *Moria*, vt interpretatur Pagninus, à *Mori*, id eſt, myrrha mea, & *Iah*, id eſt, Deus, quaſi dicas, myrrha mea Deus, vel à *Moreh*, id eſt, docens, & *Iah*, Deus, quaſi docens Deus. Deriuari quoque poteſt à *Moreh*, id eſt, pluuia, & *Iah*, Deus, quaſi pluuia Dei, vel à *Mora*, id eſt, timor, quaſi timor Dei. Congruit nomen Ec-

Eccleſia mõs Moria. cleſiæ ſecundum omnes has ſignificationes. In Eccleſia enim timor eſt Dei: in Eccleſia ſacramentis quaſi myrrha quadã à peccati putredine Deus nos præſeruat. In Eccleſia nos docet, & quaſi pluuia quadam cæleſti concionibus irrigat. Iuxta illud: *Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hereditati tuæ*: ve-

Pſal. 67. ræ enim doctrinæ pluuia hereditati Dei, id eſt, Eccleſiæ, ſegregata eſt. Vox Chriſti dicitur *quaſi vox*

Apoc. 1. *aquarum multarum.* Vt enim aquæ aridam tellurem, ita Chriſti vox ac verbum arentia irrigat corda.

Dei verbũ corda irrigat arentia inſtar pluuiæ. Præterea in monte ædificatur templum, non in valle, quia Eccleſia in Chriſto monte celſiſſimo eſt exſtructa: vnde illud: *Erit in nouiſſimis diebus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper omnes colles.* Mons domus Domini, in quo Eccleſia exſtructa eſt, Chriſtus dicitur ab Iſaia.

Iſaiæ 2.

Exſtat hoc nomen in Hebræis Bibliis, Geneſ.22. quo loco legimus: *Vade in terram viſionis;* Hebraice dicitur: *Vade in terram* המוריה hammeriiah, vel *Moria.* Noſter interpres tranſtulit: *Vade in terram viſionis.* Septuaginta vertunt: *Vade in terram excelſam.* Chaldæus Paraphraſtes interpretatur: *Vade in terram diuini cultus.* D. Hieronymus in traditionibus Hebraicis: Moria, inquit, idcirco interpretatur illuminans & lucens, quia ibi eſt *Dabir*, hoc eſt, oraculum Dei, & lex, & Spiritus ſanctus, qui docet homines veritatem, & inſpirat prophetias, &c. Conueniunt hæ quoque interpretationes Eccleſiæ. Illa terra eſt viſionis, id eſt, ſpectabilis, quæ ex omni mundo videtur. Iuxta illud: *Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita.* Eſt etiam terra viſionis, quia ex illa ſola, per veram fidem, quæ in cælo ſunt videntur. Eſt terra excelſa, vt Septuaginta vertunt: nihil enim in orbe eſt excelſius Eccleſia, quæ excelſa adeò eſt, vt regnum cælorum nuncupetur. Eſt terra diuini cultus, quia in ea Deus verus vero cultu colitur. Eſt item mons illuminans, vt interpretatur Hieronymus, & lucens, quia quemadmodum cælum Solem, ita Eccleſia Chriſtum habet, totum orbem radiis colluſtrantem.

Geneſ.22. Terra viſionis, Eccleſia excelſa, diuini cultus, illuminans.

Matth. 5.

Eſt etiam mons Moria typus Mariæ Deiparæ Virginis. In Moria templum Salomonis exſtructum eſt; in Maria templum, id eſt, humanitas Chriſti eſt ædificata. Moria terra dicitur viſionis. Quid viſu eſt dignius, quàm Maria Dei Mater? Moria terra dicitur excelſa, nihil excelſius Maria infra Deum. Moriam Hieronymus illuminantem & lucentem interpretatur; Maria Sole amicta mortales illuminat, & vt ſtella lucet maris.

Typus Virginis Deiparæ, Moria mons.

Abraham in mõte Moria filiũ voluit immolare. Aiunt Hebræi (vt loco indicato docet Hieronymus) in monte Moria, in quo templum eſt exſtructum, Abrahamum filium Iſaac voluiſſe immolare. Eamdem ſententiam Latini quoque Interpretes ſequuntur. Conſidera, quæſo, iuxta hanc ſententiam, quonam

quonam in loco templum exædificetur; in eo, in quo filium pater Deo voluit mactare. Videlicet, vitiorum mactatio, & quæ appellatur mortificatio, ſtabile eſt virtutis exædificandę fundamentum. Attamen videtur obſtare quod ſcribit Auguſtinus ſermone 71. de tempore. Presbyter Hieronymus ſcripſit, ab antiquis & ſenioribus Iudæis ſe certiſſimè cognouiſſe, quòd ibi immolatus ſit Iſaac, vbi poſtea Chriſtus crucifixus eſt. Hæc Auguſtinus. Eſt ergo immolatus Iſaac non in monte Moria, ſed in monte Caluariæ. Reſpondemus terram Moriam, id eſt, viſionis appellari, non ſolùm montem, in quo eſt templum exædificatum, ſed terram illam totam, in qua Ieruſalem eſt ſita & Caluariæ mons. Conſtat ædificatum eſſe templum in monte Moria ex 2. Paralip. 3. conſtat item Iſaac in terram Moriam à patre ad ſacrificium adductum ex Geneſ. 22. An autem in ipſo monte Moria, an in monte Caluariæ Deo fuerit oblatus, dubium eſt. Pro vtraque parte Hebræos citat Hieronymus. Crediderim terra Moriam, id eſt, viſionis, quam Deus Abrahamo oſtendit, cùm dixit, *Vade in terram viſionis*, terram fuiſſe, in qua ſita eſt Ieruſalem, & ſitus mons Caluariæ: Iſaacum verò in montem Caluariæ ductum, vt ibi immolaretur, typusque veritati reſponderet.

Mortificatio.

Gen. 22.

Qua ſit terra Moria vel Viſionis.

Geneſ. 22.

Iſaac in mõtem Caluariæ ductus vt immolaretur.

Congruit autem nomen Moria monti Caluariæ ſecundum omnes ſignificationes, quas ſupra commemorauimus. Eſt enim Caluariæ mons Moria, id eſt, myrrha Dei, propter Crucis amaritudinem: Eſt Moria, id eſt, pluuia Dei, quia ſanguinis Dei pluuia in eo effuſa eſt: Eſt Moria, id eſt, docens Deus, quia in eo docuit ex cathedra Crucis Deus, iuxta illud Auguſtini tract. 11. in Ioan. Lignum illud, vbi fixa erat membra morientis, cathedra fuit magiſtri docentis, &c. Eſt Moria, id eſt, terra viſionis, quia in eo Chriſtus crucifixus admirandũ terræ cæloque ſpectaculum exhibuit: Eſt Moria, id eſt, illuminans, quia vniuerſos mortales Chriſtus Crucis ſuæ radiis illuminauit. Quamobrem cùm Sol alium Solem in Cruce orbem illuminantem cerneret, meritò radios abſcondit ſuos.

Mons Caluaria mons Moria.

Chriſtus ex cathedra Crucis docet.

Dubium eſt, num templum fuerit exſtructum in monte Sion. Id enim Scripturæ aliquot loca ſignificare videntur: *Pſallite Domino, qui habitat in Sion. Mons Sion, in quo habitaſti in eo. Videbitur Deus deorum in Sion*, id eſt, in templo Sionis. Hæc tamen loca templum in Sion ædificatũ eſſe non probant. Tempore enim Dauidis nondum fabricatum erat templum. In Pſalmis ergo illis ſermo eſt, non de templo Salomonis, ſed de tabernaculo, in quo arca Dei erat in monte Sion, in quem montem eam adduxit Dauid, vt ſcriptum erat 2. Reg. 6.

An templũ fuerit ædificatũ in mõte Sion.

Pſal. 9.

Pſal. 73.

Pſal. 83.

Attamen colligitur templũ in monte Sion fuiſſe exſtructum, ex illis verbis: *Aſcenderunt in montem Sion, & viderunt ſanctificationem deſertam, & altare prophanatum, & in atriis virgulta nata.* Item ex Iſaia: *A Domino* inquit, *qui habitat in monte Sion. Dixit Dominus: cuius ignis eſt in Sion*, videlicet in altari holocauſtorum, *& caminus eius in Ieruſalem*, &c. Ex Pſalm. quoque poteſt probari: *Elegit*, inquit, *tribum Iuda, montem Sion, quem dilexit. Et ædificauit ſicut vnicornium ſanctificium*, id eſt, templum, *ſuum in terra*, &c. Venerandum, ait Theodoretus, montem Sion oſtendere vult, eo quòd in ipſo templum ædificandum erat, &c. Et Lyranus: Montem Sion elegit Deus ad ſuum cultum, quia altare de mandato eius fuit ibi ædificatum per Dauid 2. Regum 22. Et poſtea ibidem fuit ædificatum templum, &c. Caietanus: Elegit Deus mõtem Sion pro loco templi, quem dilexit ad hoc, vt ſit locus templi, &c. Origenes in Ioannem, ad illa verba Samaritanæ: *Patres noſtri in monte hoc adorauerunt*: Iudæi, inquit, quòd montem Sion diuinum quiddam eſſe exiſtimarent, & Dei proprium ac ei aptum; illum eſſe putant, qui electus ſit à Patre locorum omnium. Ob eamque cauſſam templum in eo à Salomone ædificatum eſſe dicunt, omnemque Leuiticum ſacerdotalemque cultum illic perfici. Hæc ille.

1. Mach. 4.

Iſaiæ 8.

Iſaiæ 31.

Pſal 77.

Origen. Ioan. 4.

Aduerte igitur quod ait Borchardus in deſcriptione terræ ſanctæ, & Genebrardus, lib. 1. Chronographiæ, in eodem montis tractu tres eſſe colles ſiue montes, qui aliquando vna appellatione Sion dicuntur, aliquando peculiaria ſortiuntur nomina. Primus eſt Sion, qui propter celſitudinẽ hoc nomine appellatur. Significat enim Sion ſpeculam. Secundus Moria. Tertius Caluariæ mons. In Sione ciuitas erat Dauid, & arx. In Moria templum. In monte Caluariæ Chriſtus eſt in Crucem actus. Reſpondendum ergo eſt dubio, templum in monte Sion ædificatum, ſi Sion pro omnibus tribus montibus ſumatur, ſed peculiariter in monte Moria fuiſſe exſtructum.

Mons Sion cõprehẽdit tres colles ſiue montes.

Quæritur præterea, num ſcalam illam toto orbe decantatam Iacob in monte Moria viderit. Affirmat Cardinalis Caietanus in commentariis Geneſeos, ſcalæ diuinam illam viſionem oblatam Iacob ſomnum capienti in monte Moria, in quo Salomon templum condidit. Lyranus quoque exiſtimat locum, in quo ſcalam Iacob vidit, fuiſſe Ieruſalem, quæ tunc temporis Luza dicebatur, à Iacob verò Bethel, id eſt, domus Dei, eſt appellata. Hanc verò opinionem omnium Doctorum communem eſſe ait. Contraria ſententia eſt verior, videlicet, nec vidiſſe Iacob ſcalam in monte Moria, nec Bethel, id eſt, domum Dei, dictam Ieruſalem. Id probat Abulenſis Geneſ. 28. multis rationibus. Omiſſis aliis, ex libro Iudicum, capite 1. apertum eſt, Bethel, quæ prius Luza vocabatur, vbi Iacob ſcalam conſpexit, diuerſam eſſe vrbem ab Ieruſalem; ergo non vidit Iacob ſcalam in monte Moria aut in Ieruſalem. Probatur quoque ex diuo Hieronymo de locis Hebraicis: Luza, inquit, in tribu Beniamin; quam poſtea Iacob cognominauit Bethel. Eſt autem vſque hodie villa in ſiniſtra parte viæ, de Neapoli pergentibus Ieruſalem. Luza altera eſt iuxta Sichem, in tertio lapide Neapoleos. Hæc ille. Ex quibus conſtat Luzam non fuiſſe Ieruſalem.

Gen. 28.

An Iacob viderit ſcalã in monte Moria.

Luza ſiue Bethel non eſt Ieruſalẽ.

Illud etiam non eſt prætermittendum, exædificatum templum in ſolo tribus Beniamin. Nam Ieruſalem vrbs in ſorte fuit Beniamin, quippe quæ inter ciuitates numeretur, quæ huic tribui obuenerunt. Abulẽſis Ioſue 18. totam vrbem vult ad Beniaminitas pertinuiſſe: ex conceſſione verò Beniaminitarum habitaſſe in illa tribum Iudæ. Lyranus partem Beniaminitis, partem alteram tribui Iudæ tribuit. Idcirco Chaldæus Paraphraſtes benedictionem Beniamin de templo interpretatur. Ea huiuſmodi eſt. *Beniamin lupus rapax, manè comedet prædam, & veſpere diuidet ſpolia*, &c. Chaldæus: In terra, inquit, Beniamin habitabit templi maieſtas, & in poſſeſſione eius ædificabitur Sanctuarium. Manè & veſpere offerent ſacerdotes oblationes; & in tempore veſpertino diuident reſiduum portionum ſuarum de reliquis, quæ ſanctificata ſunt. Eadem ſententia eſt Hebræorum, vt ait diuus Hieronymus in traditionibus Hebraicis in Geneſim: Ita, inquit, Hebræi ediſſerunt: Altare, in quo immolabantur hoſtiæ, & victimarum ſanguis ad baſim illius fundebatur, in parte Beniamin fuit. Hoc, inquiunt, ergo ſignificat, quòd ſacerdotes manè immolant hoſtias, & ad veſperam diuidunt ea quæ ſibi à populo ex lege collata ſunt: lupum voracem ſuper altaris interpretatione ponentes, & ſpoliorum diuiſionem ſuper ſacerdotibus, qui ſeruientes altari

Ieruſalẽ in ſorte Beniamin & tẽplum. Ioſue 18.

Benedictio Beniamin de templo exponitur. Gen. 49.

Beniamin lupus rapax, &c. exponitur.

altari, viuunt de altari. Hæc Hieronymus. Iuxta hanc interpretationem, Beniamin dicitur lupus rapax, quia in ſorte illius templum erat & altare, in quo ſacrificia offerebantur, quodque veluti lupus rapax boues, oues, & agnos deuorabat. Mane igitur comedebat prædam, id eſt, ſacrificia; veſperi diuidebat ſpolia, quia quæ ex ſacrificiis reliqua erant, ſacerdotibus veſperi diſtribuebantur.

Deut. 33. In eamdem ſententiam Chaldæus exponit alteram Beniamin benedictionem, qua à Moſe eſt benedictus. *Beniamin amantiſſimus Domini habitabit confidenter in eo*, id eſt, in Deo: *quaſi in thalamo tota die morabitur*; dicitur templum Dei thalamus; *& inter humeros illius*, id eſt, Dei, *requieſcet*, ait Moſes. Chaldæus verò ſic habet: Dilectus Domini Beniamin habitabit confidenter; ſuper eum erit, protegens eum omnibus diebus, & in terra eius habitabit maieſtas Domini, &c.

CAPVT XII.

De exemplari templi, de tempore quo exſtructum eſt & impenſis.

Exodi 25. Deus dedit exemplar tabernaculi & templi. 1. Par. 28. IVSSIT Deus tabernaculum exſtrui, & exemplar Moſi oſtendit, vnde illud: *Fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt.* Iuſſit poſtea exſtrui templũ non ſine exemplari diuinitus dato. Exemplar Deus Dauidi, Dauid filio Salomoni dedit, vt compertum ſit ex illis verbis: *Dedit Dauid Salomoni deſcriptionem porticus templi*, &c. Ad finem verò capitis. *Omnia*, inquit Dauid, *venerunt ſcripta manu Domini ad me, vt intelligerem vniuerſa opera exemplaris.* Quæ verba id ſignificant, quod Abulenſis opinatur quæſt. 7. huius capitis, accepiſſe videlicet Dauidem à Deo templi omniumque vaſorum ideam quamdam ac ſimilitudinem in membrana, vel tabula, vel materia alia deſcriptam. Quamuis Caietanus non de ſcriptura corporali locum intelligendum putet, ſed de ſpiritali: Deus, inquit, Dauidem, tamquam per ſcripturã, inſtruxit, & interno viſu monſtrauit quaſi ſcripta hæc, &c. Fuit autem opus hæc diuina templi deſcriptio, vt intelligerent Iudæi diuina auctoritate templum eum in modum exædificari.

Quomodo exemplar tẽpli Dauidi ſit datum.

Indicat typus Deum nihil caſu agere, ſed rerum apud ſe exemplar habere, tẽplumque ſuum, id eſt, Eccleſiam, ex idea æterna fabricare. Indicat præterea locus nihil agendum temerè & inconſultò, ſed meditatò, & quaſi ex exemplari operandum.

Quo tẽpore ſit exſtructũ templũ. 3. Reg 6. Vt autem ſcriptum exſtat, *Quadringenteſimo & octogeſimo anno egreſſionis filiorum Iſraël de terra Ægypti*, Salomon templum ædificare cœpit, quarto imperij ſui, menſe Zio, qui eſt menſis ſecundus. Primus eſt Niſan, qui in noſtrum Martium & Aprilem incidit; ſecundus Zio, in Aprilem & Maium incurrit. Exſtrui ergo cœpit templum verno tempore, circiter menſem Maium & Aprilem. Hoc eodem tempore Apoſtolis poſt aduentum Spiritus ſancti concionantibus Eccleſiæ templum in Iudæa cœpit exſtrui; cuius conſtructio ad orbis vſque finem durabit. Abſoluit opus Salomon annis ſeptem, anno vndecimo regni ſui, menſe Bul, qui eſt menſis octauus, circiter noſtrum Octobrem.

Exſtrui cœpit templũ verno tempore.

Dauid impenſas tẽpli præparauit & materiã. 1. Par. 29. Non exſtruxit templum Dauid, impenſas tamen materiemque præparauit; quod ipſe docet: *Ego*, inquit, *totis viribus meis præparaui impenſas domus Dei, aurum ad vaſa aurea, argentum ad argentea, æs ad ænea, ferrum ad ferrea, ligna ad lignea, & lapides onychinos, & quaſi ſtibinos, & diuerſorum colorum, omnemq; pretioſum lapidem, & marmor Parium abundantiſſimè*, &c. Et: *Ecce ego in paupertate mea præparaui impenſas domus Domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum. Æris verò & ferri non eſt pondus. Ligna & lapides præparaui ad vniuerſa impendia*, &c. primo Paralip. 29. videtur his addere tria millia talenta auri, & ſeptem millia talentorum argenti. Principes quoque familiarum, tribuni, & alij, vt eodem capite dicitur, in opus templi quinque millia talentorum auri, & ſolidorum decem millia; argenti talentorum decem millia, eris decem & octo millia; ferri quoque centum millia obtulerunt. Immenſa eſt hæc auri ceterorumque metallorum ſumma, ſi vera eſt ſupputatio, quam ſubiicimus. *1. Par. 22.*

Hebræũ talentũ quid. Nam talentum, quod Hebraicè dicitur ככר chicchar, vt Ioſephus ſcribit libr. 3. Antiquitatum cap. 7. centum minis conſtat. Idem verò auctor lib. 14. cap. 12. Hebræam minam ait conſtare duabus libris cum dimidia; vnde efficitur talentum ſiue chicchar auri vnum, continere libras auri ducentas quinquaginta. Præterea mina Hebræa 60. ſiclos valet, vt traditur Ezech. 45. ſiclus quatuor drachmas, drachma verò aurea idem pretium habet, quod nummus aureus, id eſt, cruzado. Colligitur talentum auri continere 24. millia drachmarum ſiue nummorũ aureorum; & talentũ argenti continere 24. millia drachmarum, id eſt, de reales de prata. Si igitur tot talentorum millia redigas ad aureorum & argenteorum millia, infinitam ſanè ſummam efficies. Nam centum millia talenta auri efficiunt bis mille milliones, atque inſuper quadringentos milliones; Luſitanè, dous mil è quatro centos contos douro: eamdem ſummam efficiunt mille millia talenta argenti, id eſt, outros dous mil è quatro contos douro, vt alia omittam millia.

Mina Hebræa quid ſit.

At verò hæc ſupputatio ambigua eſt: etenim Ioſephus cùm Græce ſcripſerit, de minis potius Græcis, quàm Hebræis loqui videtur: mina autem Græca, vt ait Budæus libro 2. de Aſſe in ratione nummaria, cum libra exæquatur, habetque centum drachmas, id eſt, vncias duodecim cum dimidia: & Epiphanius in libro de Menſuris talento 125. libras tantùm tribuit: Talentum, inquit, omnem menſuram, quæ ponderatur, excedit. Verùm iuxta libræ pondus, eſt librarum 125. libra autem eſt 12. vnciarum. Hæc ille. Alij duo talentorum genera apud Hebræos fuiſſe dicunt, maius & minus. Maius, quod Sanctuarij dicitur, continet centum minas Hebræas, id eſt, libras 250. Minus, quod congregationis appellatur, habet minas 50. id eſt, libras 125. Verùm Epiphanius hoc minus talentum putat eſſe maius: non enim talentum maius agnoſcit, cùm dicat talentum eſſe librarum 125. & omnem menſuram quæ ponderatur excedere. Fortè non fuit aliud talentum maius hoc, vt Arias Montanus in libro de Fabrica templi, Oleaſter Exodi 30. Lippomanus Exodi 25. ſentiunt. Nam minori talento ac vulgari tribuunt libras 60. maiori 120. illud ex Exodo conſtat, chicchar ſiue talentum magnum fuiſſe auri pondus, ſiquidem ex vno talento candelabrum tabernaculi & vaſa illius fabricata ſunt. *Omne pondus candelabri cum vniuerſis vaſis ſuis habebit talentum auri puriſſimi*, &c. Non habuiſſe tamen libras 250. inde oſtenditur; quod hoc pondus maius eſt, quàm vt poſſit à regio capite ſuſtineri. Atqui legimus *regiam coronam pondus habuiſſe aurei talenti. Tulit Dauid diadema Regis eorum de capite eius, pondo auri talentum, habens gemmas pretioſiſſimas. Et impoſitũ eſt ſuper caput Dauid*, &c. Quantum fuerit pondus talenti ex verbis colligitur Ariſteę in lib. de 72. Interpret. Sacerdotes, inquit, ſumptis duobus vitulorum

Epiph.

Talentum maius & minus.

Exodi 25.

2. Reg. 12.

tulorum cruribus, quæ pondo ſupra duo talenta A ſint, mira in altum facilitate ſic decenter proiiciunt, vt numquam à loco aberrent, &c. Talentum ergo tantùm fere habuit ponderis, quantum vituli crus. Sed de quo talento loquatur dubium eſt.

Cetera, quæ de talento dicuntur, incerta ſunt. Eupolemus apud Euſebium Cæſar. lib. 9. de Præp. Euang. capite quarto, de impenſis templi ſcribit, totum aurum, quod in templo, columnis, ceteriſque omnibus templi vaſis fuit conſumptum, quadragies ſexies centena millia fuiſſe. Argenti verò ad clauos, & alia inſtrumenta, mille ducenta triginta duo talenta. Æris in columnis, fornicibus, ac ceteris, talenta decem & octo millia, & B quinquaginta. Miſiſſéque Salomonem omnes ærarios in regiones ſuas, Phœnices ſimul, & Ægyptios. Decem auri talenta ſingulis data. Talentum autem dico, ait Eupolemus, quod ſiclum appellant. Sed hic auctor non magna fide dignus videtur, & talentum cum ſiclo permiſcet. Conſule, ſi libet, Budæum lib. 4. de Aſſe.

Eupolemus talentum appellat ſiclum.

De diuitiis Dauid.

De diuitiis Dauidis Ioſephus lib. 7. Antiquit. cap. 12. Tantas, inquit, diuitias Dauid heredi reliquit, quantas nullus alius Rex, vel Hebræorum, vel aliarum gentium. Sepeliuit autem eum filius Salomon Ieroſolymis magnificè, illatis etiam in monumentũ eius maximis diuitiis, quarũ magnitudinẽ facile ſit cõiectura aſſequi ex hoc, quod dicemus. Nam poſt annos 1300. Hyrcanus Pontifex C oppugnatus ab Antiocho Pio, volens pecuniam ei dare, vt obſidionem ſolueret, nec valens aliunde ſumere, aperta cella monumenti Dauidis, & prolatis inde tribus talentorum millibus, eorumque parte numerata, periculo ſe exemit. Rurſus Herodes Rex alia cella aperta, magnam pecuniam ſuſtulit. Ad loculos tamen, qui Regum cineres continent, neuter peruenit, &c.

In ſepulerũ Dauidis maxima diuitia illata.

Indicant hæ liberaliſſimæ in templum Dei impenſæ eam, quæ in Deum réſque diuinas in nobis eſſe debet, liberalitatem. Indicant præterea ante magna atque ardua munera, impenſas, id eſt, virtutes, & litteras eſſe præparandas. Nimirùm ante ſacerdotium, ante Epiſcopatum, ante munus concionatoris, & alia ſimilia. Vnde illud Domini: D *Quis ex vobis volens turrim ædificare, non prius ſedens computat ſumptus, qui neceſſarij ſunt, ſi habeat ad perficiendum: ne poſtquam poſuerit fundamentum, & non potuerit perficere; incipiant illudere ei, dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare?* Procul ab hac illuſione fuit Dauid, qui volens turrim, id eſt, templum turris inſtar ædificare, prius ſedens ſumptus computauit, & præparauit impenſas.

Ante munera ſiue officia impenſa ſunt parauda.

Luca 14.

Vndenam Dauid impenſas templi comparauerit? 1. Par. 18.

Rogabis vndenam Dauid tot opes collegerit; reſpondeo ex bellorum ſpoliis collegiſſe. *Omnia vaſa aurea & argentea conſecrauit Dauid Rex Domino, cum argento & auro quod tulerat ex vniuerſis gentibus, tam de Idumæa, & Moab, & filiis Ammon, quàm de Philiſthiim, & Amalec.* O Regem in Deum pietate E ac religione præſtantiſſimum! Vtinam multos habeat Eccleſia Dauides, qui diuitias ſuas Deo conſecrent.

Eupolem.

Eupolemus apud Euſebium lib. 9. de Præparatione Euangelica cap. 4. ſcribit præterea Dauidem naues præparaſſe in Melanis Arabiæ ciuitate, miſiſſéque in inſulam Vrphen in rubro mari ſitam, auri metallis abundantiſſimam. Inde in Iudæam innumerabilia pene pondo auri eſſe delata. Videtur hic auctor deceptus Vrphen appellare Ophir, ex qua regione non ad Dauidem, ſed ad Salomonem aurum deportabatur.

CAPVT XIII.

De parte intima templi, ſiue Oraculo.

Partes templi.

TEMPLVM domus erat ampla, cuius longitudo ab Oriente verſus Occidentem protendebatur; latitudo ab Auſtro verſus Aquilonem. Fuit autem longitudo illius 60. cubitorum; latitudo 20. altitudo 30. Diuidebatur domus hæc in duas partes, in Oraculum, quod Sancta ſanctorum dicitur, Hebraice, דביר Debir; & in domum alteram, quæ Sanctum, Hebraicè, היבל Hecal, appellabatur, id eſt, palatium. Eumdem in modum templa noſtra diuidi ſolent in eam partem, quam capellam maiorem vulgò appellant, & in eam, quam corpus templi nominant. Habuit præterea templum atria. Ab Oraculo ſiue intima domo incipiamus, in exteriorem domum inde egrediemur, tandem peruenjemus ad atria.

Sancta ſanctorum quæ ſint.

Domus intima ſiue Oraculum Sancta ſanctorum dicitur genere neutro, hoc eſt, ſanctiſſima domus. Quemadmodum Canticum canticorum, id eſt, canticum præſtantiſſimum, Virgo Virginum, Virgo excellentiſſima nominatur. Ea quadrata fuit, longa cubitos 20. totidem lata, atque alta. Ab altera exteriori domo pariete aureis obducto bracteis ſeparabatur; fores habebat ex olea inauratas, atque egregiè cælatas, ante quas velum appenſum erat. Intus ſola Teſtamenti arca cum Cherubinis ab omnium hominum conſpectu remotiſſima latebat. Lege 3. Regum 6. Erat hæc domus templique hoc penetrale verſus Occidentem ſitum; ianua verò tùm ipſius oraculi, tum domus exterioris verſus Orientem patebat. Erat igitur arca in parte templi occidentali collocata. Iudæi verò verſus occaſum Solis in templo orabant. Quæ quidem res ſplendidiſſimi Solis, id eſt, Chriſti præſignabat occaſum, id eſt, mortem, & ſanguinem, quem mundus & exſpectabat, & expetebat.

Hebr. 9. Sancta ſanctorum, typus cæleſtis Eccleſiæ.

Habes cæleſtis domus imaginem, vt Paullus indicat: *Chriſtus*, inquit, *introiuit ſemel in Sancta, æterna redemptione inuenta.* In Sancta, inquit, ſanctorum, hoc eſt, in cælum. Congruit cælo nomen *Sancta ſanctorum*: Sancta enim eſt cæleſtis Eccleſia, & Sanctorum, quia nullus in ea eſt, qui ſanctus non ſit.

Quadrata ciuitas cæleſtis cur dicatur. Apoc. 21.

Quadrata eſt, iuxta illud: *Ciuitas in quadro poſita eſt.* Quæ figura ſtabilitatem, conſtantiam, ac perpetuitatem ſignificat. Nam corpus quadratum quamcumque vertatur in partem, ſemper ſtat firmum; quocirca Ariſtoteles 1. Ethic. cap. 10. virum bonum quadratum eſſe, ait. Velo eſt obtecta, quia cæleſtia latent. Intus in oraculo ſuper Cherubinos Deus ſedere dicebatur; in cælo autem ſuper Cherubinos ac Seraphinos ſolium habet celſiſſimum. Anguſtior erat domus hæc interior, quàm exterior; quia non omnes, qui ſunt in Eccleſiam vocati, in cælum ſunt electi: Plures terreſtris Eccleſia capit, quàm cæleſtis. Illa enim capit Chriſtianos etiam flagitioſos, hæc non niſi Sanctos. Oraculi oſtia ex lignis erant oliuarum fabricata, quia per miſericordiam Chriſti, tamquam per oſtium, aditus nobis patet in cælum: adumbrat enim oliua miſericordiam. Per opera quoque miſericordiæ & caritatem illuc ingredimur. *In ingreſſu Oraculi fecit oſtiola de lignis oliuarum, &c.* Erant in oſtiis oliuarum inſculptæ palmæ & Cherubim; quia non per vitam pecudum, ſed Cherubinorum, ſiue Angelorum, multáſque de voluptatibus reportatas palmas, id eſt, victorias, in cæleſtem gloriam intramus. Præterea quia in cælo Cherubinorum, & palmarum,

Per oſtia ex oliuis fabricata, id eſt, per miſericordiam, in cælum ingredimur. 3 Reg. 6. Cælum locus palmarum.

Apoc. 7. marum, id eſt, præmiorum locus eſt: Vnde illud: *Et palmæ in manibus eorum.*

Diximus domum hanc intimam templi altitudinis cubitos habuiſſe 20. ita enim ſcriptum exſtat: *3. Reg. 6.* *Oraculum habebat viginti cubitos longitudinis, & viginti cubitos latitudinis, & viginti cubitos altitudinis.* Nihilominus Richardus Victorinus in libro de Templo, Lyranus 3. Regum 6. & alij, volunt domum interiorem & exteriorem eiuſdem fuiſſe altitudinis, videlicet triginta cubitorum. Verba autem illa Scripturæ, *Oraculum habebat viginti cubitos altitudinis*, ad parietem referunt, qui Sancta à Sanctis ſanctorum diuidebat. Habebat itaque ex ſententia horum auctorum Oraculum viginti cubitos altitudinis; quoniam paries ille, in quo fores erant, & velum, viginti tantùm cubitos habebat. Decem enim cubiti reliqui vſque ad templi tectum patebãt abſque pariete, vt altaris aurei ſuffitus in Sancta ſanctorum penetraret. Hebræi verò aiunt fieri mentionem viginti cubitorum altitudinis, quoniam illi auro erant operti; reliquos decem, de quibus tacetur, pretioſis lapidibus tectos fuiſſe volunt. Loquitur Scriptura, ait Vatablus 3. Reg. 6. de parte altitudinis, quæ erat tecta auro, vt dicunt Hebræi. Nam viginti cubiti erant tecti ſolo auro, alij decem tecti erant lapillis pretioſis, &c. Verùm Hebræorum fabulas non curamus. Dicendum eſt, Oraculum viginti tantùm altitudinis cubitos habuiſſe, vt perſpicuè textus docet. Erat enim ipſo exteriori templo, quemadmodum minor, & anguſtior quoad longitudinem domus, ita etiam depreſſior. Suffitus verò altaris aurei per fores ad intima penetrabat.

An domus interior & exterior eiuſdem fuerint altitudinis.

Opinio Hebræorum.

A quia non erãt in præcipua parte. Caietanus ad Hebræos 9. tabulas ſolas intus in arca collocat: foris vrnam & virgam. Similiter Lyranus foris hæc duo in aliquo arcæ ſcrinio reponit. Reſpondendum potius reor à Moſe quidem fuiſſe illa in arca recondita; ſed poſteà inde ſublata, præter tabulas, quæ ſolæ in arca erant, quo tempore in templum Salomonis eſt inuecta. Paullus igitur de tempore tabernaculi loquitur, cùm ſic ſcribit: *In qua*, id eſt, arca, *Hebr. 9.* *vrna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti erant.* In libro autem 3. Regum de tempore agitur Salomonis, quo ſolæ tabulæ in arca reperiebantur.

B Appellabatur hæc arca fœderis, vel teſtamenti: teſtamentum enim fœdus etiam ſignificat, vnde illud: *Teſtamentum diſpoſuerunt tabernacula Idumæorum, & Iſmaëlitæ*, & cetera: id eſt, fœdus percuſſerunt. Et: *Diſponamus teſtamentum cum gentibus*: id eſt, fœdus faciamus. Hoc autem nomine dicebatur arca, quia tabulas continebat fœderis. *Dedit*, inquit Moſes, *mihi Dominus duas tabulas fœderis.* Fœdus enim inter Deum & populum initum tabulæ illæ teſtabantur, & continebant. Quamobrem tabulæ teſtificatio, & teſtimonium nominantur. *Pones*, ait Dominus, *in arca teſtificationem.* Item in eodem capite: *In arca pones teſtimonium, quod dabo tibi*, id eſt, tabulas.

De nomine arcæ.

Pſal. 82.

1. Mach. 1.

Deut. 9.

Exodi 25.

C Adumbrat teſtamenti arca Chriſtum, vt vult diuus Cyrillus lib. 9. de Adoratione, & Gregorius Magnus homil. vltima in Ezechielem, arca eſt Chriſtus non vacua, ſed plena; iuxta illud: *Plenum Gratiæ, & veritatis.* & illud Pauli: *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi*, arca eſt; in qua pretiũ, quo redempti ſumus, eſt depromptum. In hac arca totam gratiam, quam hominibus largitur, Deus repoſuit. Quemadmodum mater cùm plorantes filij panem petunt, ex arca panem depromit, quem largitur; ita Deus cùm flentes homines panem gratiæ implorant, ex hac arca depromptum donat. Hæc eſt arca panis Dei, id eſt, vniuerſæ gratiæ. Aurea corona præcingitur, quia Rex eſt Regum. Aurum habet & lignum; quia duas habet naturas, diuinam auro ſimilem, humanam ſimilem ligno ſetim putrefactioni minimè obnoxio, iuxta illud: *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Legis tabulas continet arca, virgam, & manna: legis tabulas continet, quia legiſlator fuit Chriſtus, legémque eximiè dilexit, & obſeruauit, iuxta illud: *In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Virgam habet, quia Pontifex eſt ſummus ac Rex. Manna, quia Pontifex eſt miſericors, ac dulcis, iuxta illud Pauli: *Non habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris.* Pluit Deus quondam Iſraelitis, vt eſt in Exodo, manna; pluit quoque nobis in hac arca diuinius mãna, & dulcius, diuinam ſcilicet miſericordiam, ac ſuauitatem. Sed ne fortè miſericordiæ nimium confidens in vitia prolabaris, cum manna virgam, id eſt, iuſtitiam coniunctam eſſe memento. Eſt hæc arca fœderis, quia fœderis, & amicitiæ, ac pacis inter nos & Deũ initę auctor Chriſtus eſt. *Ipſe enim*, vt ait Paullus, *eſt pax noſtra.* Eſt arca teſtimonij. Eximium enim Dei erga nos amorem, miſericordiam, iuſtitiam, à Chriſto pro hominibus tolerati cruciatus abundè teſtantur. Quot habet vulnera, tot habet teſtes. Vectibus portatur, quia Chriſti nomen concionatores per diuerſas regiones ac loca ferunt. Iuxta illud: *Vas electionis eſt mihi iſte*, id eſt, Paullus, *Act. 9.* *vt portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filiis Iſraël.* Meminerint tamen concionatores, arcam hanc non lingua ſolùm, ſed multò

Teſtamenti arca adumbrat Chriſtum.

Ioan. 1.

Coloſſ. 2.

Chriſtus arca totius gratiæ.

Pſal. 15.

Pſal. 39.

Hebr. 4.

Epheſ. 2.

CAPVT XIV.

De Arca, quæ erat in Sanctis ſanctorum.

De arca teſtamenti. INtima in parte templi arca locata erat, Propitiatorium, & Cherubini. Arca Exod. 25. & 37. ex lignis ſetim fabricata dicitur; longitudinis duorum cubitorum ac dimidij latitudinis vnius cubiti, & ſemiſſis, eiuſdémque altitudinis. Omni ex parte D auro tecta erat, corona ſiue ſpira aurea vndique cincta: duobúſque ligneis vectibus auro contectis portabatur. Hi verò vectes quatuor aureis annulis inſerebantur. Ligna ſetim, vt diuus Hieronymus vult Ioëlis vltimo, ex genere quodam arborũ ſunt, quod oritur in eremo, ſpinæ albæ ſimile colore, & foliis. Philo & Montanus in Apparatu, cedrũ fuiſſe putant. Septuaginta interpret. ligna imputribilia vertũt. Cubitus duos continet palmos, quocirca Ioſephus arcę longitudinem ait fuiſſe quinque palmorum, altitudinem, & latitudinem palmorum trium.

Ligna ſetim quæ. Hieron.

In arca qui theſauri.

Exodi 25.

Hebr. 9.

Deut. 31.

3. Reg. 8.

Qui in hac arca aſſeruabantur theſauri, hi erant, E duæ legis tabulæ, in quibus Decalogus, id eſt, decem Dei mandata exarata erant. Vrna quoque aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, vt docet Paullus, præterea volumen legis. *Tollite librum iſtum, & ponite eum in latere arcæ fœderis Domini, vt ſit tibi contra te in teſtimonium*, & cetera. Pugnare videntur cum his verba illa, *In arca non erat aliud niſi duæ tabulæ lapideæ, quas poſuerat in ea Moſes.* Ergo non erat in arca vrna habens manna, nec virga Aaron, nec volumen legis. Reſpondent nonnulli in arca præcipuè fuiſſe tabulas; fuiſſe quoque vrnam & virgam, ſed velut appendices. Abulenſis putat habuiſſe arcam latus quoddam, in quo vrna, virga, & liber erant: ita vt dici poſſent in arca eſſe, quia erant in latere: & non eſſe in arca,

magis humeris portandam. Iuxta illud Paulli: *Glorificate, & portate Deum in corpore vestro.* 1. Cor. 6.

Rogabis, num arca feram habuerit & clauem. Respondeo mihi habuisse. Nulla enim de his mentio fit in diuinis litteris. Christi latus semper patet, nec habet feram nec clauem. Mitte manum in latus eius cum Thoma, mitte manum in thesauros eius, id est, Sacramenta, patent omnibus. Arcæ domusque in terra clauibus egent, vbi fures sunt: at in cælo non egent, vbi omnia sunt tutissima. Iuxta illud Domini: *Thesaurizate vobis thesauros in cælo; vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur.* Habes tutissimam arcam in cælo ad asseruandas opes thesaurosque tuos: quæcumque per manus pauperum in hac arca reposueris, mirandum in modum multiplicata reperies. Vt gradum doctoratus adipiscaris in arcam academiæ pecuniam confers; vt gradum cælestem consequaris, cur in arcam cæli per pauperum manus argentum non infers?

Arca non habuit clauem. *Patet omnibus Christi latus.* *Matth. 6.* *Eleemosyna*

Obiicies, Cherubini erant super arcam, vt dicemus, Christus autem est super Cherubinos in cælo; ergo arca non adumbrat Christum. Respondetur: Non oportere arcam adumbrare Christum in omnibus, adumbrat in aliis, hac in re non adumbrat. Nisi quis velit dicere significari hac re humanam Christi naturam, quatenus natura humana est, inferiorem esse natura angelica. Verùm non mihi placet hæc oppositio: natura enim humana Christi secundùm gratiæ gloriæque dona stupenda omnes Angelos longè superat, & super Cherubinos sedet. Lege Hieronymum in commētariis primi cap. Ionæ, ad illa verba: *Descendit in Ioppen*: Apostolus, inquit, Agar & Saram ad duo Testamenta refert, & tamen non omnia, quæ in historia illa narrantur, tropologicè interpretari possumus, &c. Sic & hoc loco.

Ionæ 1. *Gal. 4.*

Considera præterea quid in sua arca recondat Deus; non aurum, non gemmas, sed legem. Verus enim thesaurus lex est; ideoque in corde & opere summa cura seruanda. Iuxta illud: *In lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.* Et illud: *Non recedat volumen legis huius ab ore tuo; sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, vt custodias*, & cet. Et: *Erunt verba hæc in corde tuo, narrabis ea filiis tuis, meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens*, &c. Is dies dicitur ab hominibus, qui arcam auro gemmisque refertam habet; is dies dicitur ab Angelis & Deo, qui animam habet refertam legis operibus ac custodia. Quamobrem Dauid: *Dilexi*, inquit, *mandata tua super aurum & topazion.* Postquam Christus diuitis parabolam proposuit, qui repentè è vita raptus, opibusque est spoliatus, addit: *Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives.* Illi sibi thesaurizant, & in Deum pauperes sunt, qui arcas argento complent, pectoris arcam lege diuina vacuam habent. Illi in Deum diuites sunt; qui etsi arcam argento vacuā habent, pectus habent lege plenissimum. Sed pergamus.

Verus thesaurus Dei mandata. *Psal. 1.* *Iosue 1.* *Deut. 6.* *Lex Dei magna cura custodienda.* *Psal. 118.* *Luca 12.*

CAPVT XV.

De Propitiatorio.

PROPITIATORIVM siue oraculum Hebraica lingua, כפרת, Caporeth appellatur, à verbo כפר, Caphar, quod propitiare significat, expiare & orare. Tabula erat aurea eiusdem cum arca magnitudinis. Rupertus in Exodum, D. Thomas 2. 2. quæst. 102. art. 4. & alij, arbitrantur, arcam proprium habuisse tegmen: propitiatoriū verò auream fuisse tabulamà tegmine arcæ diuersam, quam duo Cherubini ex vtroq; arcæ latere collocati, veluti thronum quemdam supra arcam manibus tenerent; in quo Deus sederet, pedibus tegmini arcæ veluti scabello impositis. Verisimilius est propitiatorium arcæ fuisse tegmen. Quæ sententia, vt Abulensem, Montanum, Clarium, aliosque omittam, est D. Augustini quæst. 205. in Exodum, Theophylacti ad Hebræos 9. Richardi, Victorini part. 2. de Tabernaculo, cap. 1. Philonis Iudæi lib. 3. de Vita Mosis. Operculum, inquit Philo, arcæ, quod vocatur propitiatoriū, basis est Cherubinorum, &c. Et in lib. de Profugis: Arcæ, ait, operculum: hoc enim vocatur propitiatorium, &c. Probatur ex Exodo: *Respiciant*, ait Dominus, *se Cherubim mutuò, versis vultibus in propitiatorium, quo operienda est arca.* Leuit. *Intra velum coram propitiatorio, quo tegitur arca*, &c. Ergo propitiatoriū operculum arcæ erat. Probatur item, quia propitiatorium dicitur tegere tabulas legis, quæ erant in arca. Ergo arcæ tegmen erat. *Pones*, ait Dominus, *altare coram propitiatorio, quo tegitur testimonium*, id est, tabulæ legis. Nam testimoniū erat in arca, vt constat ex illis verbis: *In qua*, id est, arca, *pones testimonium, quod dabo tibi.* Adde ipsum nomen Hebræum (*Capporeth*) propitiatorium significare & opertorium quoque.

Respōdetur quæstioni. *Exodi 25.* *Leuit. 16.* *Exodi 30.* *Exodi 25.*

Ambigitur: Num fuerit hoc tegmen cum arca cardinibus copulatum. Abulensis negat, Iosephus affirmat, lib. 3. Antiq. cap. 6. Habebat, inquit, arca tegmen aureis cardinibus coaptatū. Ego Abulensi potius, quàm Iosepho subscribo. Etenim propitiatorium totum ex auro est fabricatum, nō ex ligno, vt arca, & peculiarem habebat oraculi rationem, non tegminis solùm. Videtur ergo impositum ipsi arcæ absque cardinibus, quoniam ab arca aliquo modo diuersum erat. Præterea cùm munitissima quæque Deus de propitiatorio & arca fabricanda præcepta tradiderit, nullum de cardinibus verbum fecit. Neque verò est aliqua traditio, quæ cardines habuisse arcā referat. Iosephus, licet sacerdos fuerit, arcam non vidit. Vidit quidem templum secundum; sed eo tempore in illo arca non erat, vt infrà ex eodem Iosepho ostendemus.

An fuerit tegmē cum arca copulatum cardinibus.

Propitiatorium appellatur, quòd inde Deus propitius esset populo; oraculum, quòd eo ex loco oracula siue responsa redderet. *Inde*, ait Dominus, *præcipiam & loquar ad te supra propitiatorium.* Et: *Cùm ingrederetur Moyses tabernaculum fœderis, vt consuleret oraculum, audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio*, &c.

Propitiatorium. *Exodi 25.* *Num. 7.*

Multis vmbris eadem veritas adumbratur. Idem quod arca significat propitiatorium, scilicet, Christum. Vnde D. Cyrillus de Incarnatione, cap. 13. Propitiatorium, inquit, factus est nobis Emmanuel, id est, Christus, &c. Iuxta illud: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Et illud Paulli: *Quem*, id est, Christū, *posuit Deus propitiationem*, &c. Græcè ἱλαστήριον, id est, propitiatorem vel propitiatorium. Ex auro purissimo absque vlla peccati fæce constat: quoniam oportebat vt omni peccato careret is, qui hominibus Deum propitium facturus erat. Ex propitiatorio loquebatur Deus, ex Christo loquitur nobis tam verbo quàm exemplo, vt Paullus docet: *Multifariam*, inquit, *multisq; modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis loquutus est nobis in Filio*, id est, per Filium.

Christus propitiatorium. *1. Ioan. 2.* *Rom. 3.* *Hebr. 1.*

An propitiatorij fuerit arca tegmē.

CA-

CAPVT XVI.

De Cherubinis, qui in Sanctis sanctorum erant.

Ex dextra arcæ parte vnus ex auro Cherubinus locatus erat, ex sinistra alter, expansisque alis tegebant propitiatorium; se verò inuicem respiciebant, versis in ipsum propitiatorium vultibus. *Duos Cherubinos aureos & productiles facies, ex vtraque parte oraculi. Cherub vnus sit in latere vno, & alter in altero. Vtrumque latus propitiatorij tegant expandentes alas, operientes oraculum, respiciantq; se mutuo, versis vultibus in propitiatorium*, &c. Aurei dicuntur Cherubini, & productiles, quia ex auro ductili & solido, non fusoris arte, sed malleo & scalpro fabricati sunt: ex alis veluti thronum efficiebant, in quo Deus in diuinis litteris legitur sedere. *Abiit Dauid, & vniuersus populus, qui erat cum eo de viris Iuda, vt adducerent arcam Dei, super quam inuocatum est nomen Domini exercituum sedentis in Cherubim super eam*, hoc est, sedentis super alas Cherubinorum, veluti in solio. *Qui sedes super Cherubim moueatur terra*, &c. *Qui sedes super Cherubim manifestare*, &c. Idem aliis locis reperies. Iam hinc intelliges, cur Deus sedere super Cherubim dicatur.

Exodi 25.

2. Reg. 6. Deus dicitur sedere super Cherubim.

Psal. 98. Psal. 79.

Præterea dicitur volare super Cherubim. *Ascendit super Cherubim, & volauit.* Non solùm enim Cherubinorum alæ sedes Dei sunt, verum etiam currus & quadrigæ. Hinc illud: *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium, Dominus in eis in Sina, in sancto* .1.Par.28. *Aurum purissimum dedit Dauid, vt ex ipso fieret similitudo quadrigæ Cherubim extendentium alas, & velantium arcam.*

Psal. 17. Cherubim currus Dei dicuntur. Psal. 67. 2. Par. 28.

Sedere igitur Deus dicebatur super alas Cherubinorum; pedes verò super arcam habere, siue super propitiatorium. Quamobrem arca pedum Dei scabellum appellatur. *Non est recordatus scabelli pedum suorum*; id est, arcæ, siue propitiatorij. *Adorate scabellum pedum eius*, id est, arcam, in qua pedes consistunt Dei. *Cogitaui*, ait Dauid, *vt ædificarem domum, in qua requiesceret arca fœderis Domini, & scabellum pedum Dei nostri. Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius*; steterunt, inquam, in arca.

Cur arca dicatur scabellum pedum Dei. Thren. 2. Psal. 98. 1. Par. 28. Psal. 131.

Duos Cherubinos, de quibus hactenus fumus locuti, Moses in arca collocauit: præter hos, duos alios Salomon ex olea fabricauit, auroque texit, multò maiores. Erant enim Salomonis Cherubini staturæ decem cubitorum; cuiuslibet alæ longitudo quinque; itaque extensis alis totam domus latitudinem occupabāt. Nam cùm vnaquæque ala quinque cubitos habuerit, alæ quatuor extensæ viginti oraculi cubitos complebant; & vtrumque parietem, Australem & Aquilonarem tangebant. Lege cap.8. lib.3.Reg. & caput 3. lib.2.Paralip. Stabant in pauimento alis extensis, versosque habebant vultus, non in propitiatorium, vt Mosis Cherubini, sed in ostium, & in exteriorem domum, atque adeò in Orientem. Alas per totam domum extendebant, vt dictum est. Super propitiatorium verò vnius Cherubini ala alterius tangebat alam, minoresque Mosis Cherubinos maiorum alæ operiebant. Tam enim Salomonis, quàm Mosis Cherubinos in oraculo templi positos fuisse, sententia est Bedæ, Lyrani, & aliorum.

Salomonis Cherubini. In templo positi sunt Cherubini Mosi minores, & alij maiores Salomonis.

Si de figura quæras, respondet Iosephus libro 3. Antiquitatum, cap.6. ignotam esse: Cherubini, inquit, animantia volucria, noua specie, nec vmquam cuiquam hominum visa, quæ Moyses in Dei solio vidit figurata. Et lib.8.cap.2.ait, quanam effigie fuerint neminem, vel coniicere posse, vel eloqui. Oleaster quoque Exodi 26. pro comperto habet, non habuisse Cherubinos effigiem humanam, sed aliam incognitam. Ezechiel quidem Cherubinos vidit quadriformes: *Similitudo*, inquit, *vultus eorum, facies hominis, & facies leonis à dextris ipsorum quatuor; facies autem bouis à sinistris ipsorum quatuor, & facies aquilæ. Et pedes eorum pedes recti, & planta pedis eorum quasi planta pedis vituli.* Recepta tamen sententia Rabbi Salomonis, Lyrani, Abulensis, & aliorum est, Cherubinos templi effigie humana fuisse fabricatos. Montanus in apparatu, brachia manusque Cherubinis adimit, brachiorum loco alas apponit, vtrumque etiam sexum femineum ac masculinum illis tribuit. Respondendum breuiter est, Cherubinos spiritus beatos significare. Illos Ezechiel sub figuris vidit bouis, leonis, hominis, atque aquilæ. Lege caput Ezechielis primum ac decimum, ex quibus intelliges Deum ascendere super Cherubim, & volare, vt dixit Vates Psalm. 17. Ezechielis Cherubini ea erant forma, quam ille depinxit. At templi Cherubini figuram humanam habuisse creduntur. Neque verò vterque illis sexus tribuendus est. Sexu enim spiritus carent; neque brachiis manibusque sunt priuandi. Manus enim & brachia ad decorem figuræ pertinent. Manus præterea sub alis Ezechielis Cherubini habebant. Itaque recepta ab Ecclesia pingendi consuetudo Angelis alas manusque & brachia tribuit.

Ezech. 1. Rab. Salomon. Templi Cherubini humana figura erant.

Nomen Cherub numeri est singularis, Cherubim pluralis; quid significet dubiū est. Rabbi Abraham vniuersale nomen esse putat ad omnem figuram. Pagninus in libro de Interpretatione nominū Hebræorum, Cherub pictum aut figuratum significare scribit, vel, vt Hebræi interpretantur, picturam aut figuram. Quo loco noster interpres vertit: *Cortinas variatas*: Hebraicè legimus: *Cortinas Cherubim*. Item eodem capite, cùm de velo agitur, vocabulum Cherubim vertit interpres: *Pulcra varietate contextum*: Vnde Hieronymus in Epistola 130. ad Marcellam: In Exod. inquit, ceterisque locis, vbi describuntur vestes plumaria arte contextæ, opus Cherubim, id est, varium atque depictum esse factum describitur. Ita tamen, vt *Vau* litteram *Cherubim* non habeant; quia vbicumque cum hac littera scribitur, animalia magis, quàm opera significant. Hæc Hieronym. Addit Pagnin. alias interpretationes: Vel, inquit, dicuntur Cherubim, quasi, כרכים, Cherabbim, id est, quasi multi, vel magni, vel magistri. Et in thesauro: Notandum, ait, Doctores Hebræorum putasse ב, *Cau*, in Cherubim deseruire, exponētes Che Rabia, id est, sicut puer, quod sint instar puerorum.

Quid significet nomen Cherubim. Exodi 26. Hieron. Pagnin.

Recepta est interpretatio Dionysij Areopagitæ. Cherubim interpretatur ille scientiæ multitudinē aut fusionem, in lib. de Cœlesti Hierarch. cap.7. Eamdem interpretationem sequitur D. Augustinus quæst. 105. in Exodū, Clemens Alexandrinus libro 5. Stromatum, Gregorius homilia 6. in Ezechielem, Origenes homil. 10. in Numeros, D. Hieronymus in Epistola ad Paullinum 103. Cherubim, inquit, interpretatur scientiæ multitudo; Philo quoque Iudæus (vt alios omittam) eiusdem est sententiæ, libro 3. de Vita Mosis: Operculum, inquit, arcæ, quod vocatur propitiatorium, basis est duarum imaginum volucrium, quæ sermone vernaculo nominantur Cherubim, hoc est, multa scientia, &c. Difficile est huius interpretationis etymologiam reddere: attamen Hieronymo Hebrææ linguæ peritissimo fides adhibenda est, Philoni, Origeni, & Dionysio, qui ab antiquis, & fortè à Paullo illam accepit. Pagninus deriuat à נכך, Nachar, id est, cognoscere, & דך, Rab, id est, multus, magnus, magister.

Cherubim multitudinē scientiæ significat.

De figura Cherubinorum. Iosephus.

Cherubini cæleſtes ſpiritus ſignificant.

Duo hi Cherubini beatos ſpiritus ſignificant, ſupra quos in Sanctis ſanctorum, id eſt, in cælo, thronus Dei eſt. Dicitur autem Deus ſedere ſuper Cherubim, quoniam nomen Cherubim, vt diximus, ſcientiæ ſignificat multitudinem, Deus autem omnem ſcientiam ſuperat: eſt enim incomprehenſibilis. Auguſtinus Pſalm. 98. Dixerunt, inquit, qui nouerunt linguam Hebræam, Cherubim eſſe plenitudinem ſcientiæ. Ergo quia Deus ſuperat omnem ſcientiam, ſuper plenitudinem ſcientiæ ſedere dicitur, &c. Dicitur etiam aſcendere ſuper Cherubim, & volare, quia nullius intellectus creati volatus illum poteſt complecti. Philo Iudæus in libro de Cherubim, ſcribit, duos Cherubinos adumbrare duo hemiſphęria, quæ ex aduerſo ſe inuicem ſpectant, in medioque terram veluti arcam habent. Non eſt abſurda hæc interpretatio. Eſt enim terra omnium fructuum hominisque alimentorum veluti arca. Supra Cherubim verò ſedet Deus, & ſuper hemiſphæria, id eſt, cælos ſedet. Cherubim alas habent, cæli verò ſiue hemiſphæria volant. Totum cælum, ait Philo lib. 3. volucre eſt. Meminit huius interpretationis Clemēs Alexandrinus, lib. 5. Stromatum: Aureæ, inquit, illæ imagines, vtraque ſex alas habens, aut duas vrſas, vt quidam volunt, ſignificant; aut, quod magis quadrat, duo hemiſphæria, &c. Philo in libro de Cherubim alium quoque affert ſenſum; duos Cherubinos ſignificare putat Dei bonitatem, qua res omnes conditæ ſunt, & potentiam, qua gubernantur. Ego potius Dei ſcientiam & prouidentiam indicare dicerem: ſiquidem nomen Cherubim multitudinem ſcientiæ ſignificat. In arca verò, id eſt, in diuina mente, vt D. Thomas cenſet, prima ſecundæ quæſt. 102. art. 4. ad 6. rationes omnium rerum, quæ in hoc ſæculo perficiuntur, & hominum prædeſtinationes & reprobationes, clauſas eſſe non abſurde interpretarer, ſimul cum virga improbos puniente, dulciſſimo manna gloriam probis donandam adumbrante, & lege, iuxta quam cuncti iudicandi ſumus. Auguſtinus quæſt. 105. in Exodum: Arca, inquit, ſignificat ſecretum Dei, &c. Hanc arcam Apoſtolus contemplatur, cùm exclamat: *O altitudo diuitiarum ſcientiæ & ſapientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius*, &c.

Auguſt.

Duo Cherubini duo hemiſphæria, terrā arca adumbrat. Philo.

Clem. Alex.

Arca diuina ſcientia & prouidētia.

D. Auguſt. Arca ſignificat ſecretum Dei. Rom. 9.

Duo Cherubini, duo Teſtamēta.

Ex ſententia Gregorij homil. 6. in Ezechielem, duo Cherubini duorum Teſtamentorum ſunt typi. Multitudinem ſcientiæ ſignificant Cherubim, duo verò Teſtamenta multitudinem ſcientiæ Chriſtianæ cōtinent. Ex auro puriſſimo fabricati ſunt, quia ab omni falſitatis fęce vtrumque Teſtamentum eſt alieniſſimum. Duo Cherubim, ait Gregorius, ex auro mundiſſimo facta ſunt, quia vtraque Teſtamenta pura ac ſimplici veritate deſcribuntur, &c. Duo Cherubini inuicem ſe reſpiciunt, quia nulla in re duo Teſtamenta diſcrepant; quod vetus promittit, nouum exhibet. Verſos habent vultus in propitiatorium, quia duo Teſtamenta Chriſtum hominum reſpiciunt propitiatorium, de illo agunt, illum prædicant. Gregorius: Quaſi ad ſemetipſa Cherubim facies viciſſim tenent; quia quod vnum Teſtamentum promittit, hoc aliud exhibet. Dum inter ſe poſitum Dei & hominum Mediatorem Chriſtum exhibent, &c.

Gregor.

Auguſt.

Supra legē propitiatorij, quia legē frāgimus & miſericordia Dei indigemus.

D. Auguſtinus quæſt. 105. in Exodū, myſtico ſenſu de arca & Cherubinis ſcribit ad hunc modum: Arcam, ait, ſignificare Dei ſecretum, vt diximus. In arca lex eſt; præterea virga Aaronis, quæ poteſtatem ſignificat; & manna, quod gratiam adumbrat. Super arcam, in qua lex eſt, propitiatorium locatur; quia legem frangimus, & miſericordia Dei indigemus, quæ aduerſus legem commiſſa crimina deleat: Quia lex, inquit, à quouis proficiente non ex omni parte completur; propitiatorium eſt deſuper. Ad hoc enim opus eſt vt propitius ſit Deus. Et ideo deſuper ponitur, quia ſuperexaltat miſericordia iudicium, &c. Duos verò Cherubinos duo Teſtamenta interpretatur: Inuicem, inquit, ſe attendunt, quia conſonant: & vultus eorum ſunt in propitiatorium; quia miſericordiam Dei, in qua vna ſpes eſt, valde commendant, &c.

Duo Teſtamenta Dei miſericordiam commendant.

Origenes homilia 11. in Numeros, ſic de his tropologice philoſophatur. Tabernaculum hominis ſymbolum eſſe docet. Interior domus cor eſt, arca norum Dei capax. Arca mentem adumbrat: hæc autem mens, ait Origenes, aurea eſſe debet, hoc eſt, pura & pretioſa, in qua legem Dei deſcriptam ſemper habeamus, *non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus*, ſicut Apoſtolus dicit: Vrna habens manna, ait idem Auctor, theſaurus eſt verbi diuini. Cherubim & propitiatorium ſcientia intelligenda eſt Trinitatis, &c. Dubitabis, cur Cherubim ſcientiam ſignificent Trinitatis. Reſpondetur, quia nomen Cherubim plenitudinem & perfectionem ſcientiæ ſignificat. Quæ verò eſt, ait Origenes, alia perfectio ſcientiæ, niſi agnouiſſe Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, &c. Hæc plenitudo ſcientiæ antiquo populo non eſt tradita. Erat enim Iudæorum ſtatus puerorum, vt Paullus indicat. Pueris autem non traditur plenitudo ſcientiæ, id eſt, Theologia, ſed Grammatica, quæ eſt initium ſcientiæ. Viros, id eſt, Chriſtianos docuit Deus hanc admirabilem Theologiam: non eſt enim Chriſtiana vetula, quæ Auguſtiſſimam Trinitatem non nouerit. Nimirum vbi venit plenitudo temporis, venit & plenitudo ſcientiæ.

Orig. Tabernaculū hominis ſymbolum. Arca aurea mens pura.

2. Cor. 2.

Scientiam Trinitatis Cherubim indicant.

Gal. 4.

CAPVT XVII.

De ingreſſu in Sancta ſanctorum.

In Sancta ſanctorum ſoli ſummo ſacerdoti ingredi fas erat. Id verò ſemel in anno, vt docet apertè D. Paullus: *In priori*, inquit, *tabernaculo ſemper introibant ſacerdotes, ſacrificiorum officia conſummantes: in ſecundo autem ſemel in anno ſolus Pontifex non ſine ſanguine, quem offert pro ſua & populi ignorantia*, &c. Prius tabernaculum appellat Paullus priorem tabernaculi partem, id eſt, Sancta; ſecundum tabernaculum vocat Sancta ſanctorum. Præter alios idem docet Ioſephus, libro 2. contra Apionem: In adytum, inquit, id eſt, Sancta ſanctorum, intimam templi partem, ſoli principes ſacerdotum ingrediebantur, propria ſtola circumamicti. Et 8. Antiquit. capite 2. Penetrale, ait, templi Salomon nulli fecit acceſſibile. Reliquum quadraginta cubitorum ſpatium in vſum ſacerdotum conſecrauit. Philo in libro de Legatione ad Caium, capitis pœnam propoſitam ſcribit illi, qui in Sancta ſanctorum ingrederetur, ſiue ex plebe eſſet Iudæus, ſiue ſacerdos: ipſi quoque Pontifici, ſi vel illa die, qua fas erat ſemel ingredi, ingrederetur bis; vel aliqua alia die intraret: Intimum, inquit, ſacrarium ſemel quotannis Pontifex introgreditur, ieiunij tempore, odores incenſurus, & ex more vota facturus, vt felix annus & pax contingat omnibus hominibus. De cetero, ſiquis non dico plebeius Iudæus, ſed ſacerdos, vel à ſummo proximus, immo is ipſe Pontifex, ſi duobus anni diebus, aut eadem die ter quatérve introierit, capite luet, abſque venia. Tantam religionem adytorum voluit eſſe legiſlator, vt hæc ſola inacceſſa intactaque ſeruarentur, &c. Et in libro de Monarchia: Intima, ait, templi nemini videre fas eſt, præterquam

Hebr. 9. Soli Pontifici fas erat ingredi Sācta ſanctorum ſemel in anno.

Ioſeph.

Philo.

terquam ſoli ſacerdotum Principi, & id ei quoque A vno die dumtaxat anniuerſario permittitur, quo introſpicit omnia. Hæc Philo.

D. Auguſt. opinio. Diuus Auguſtinus quæſt.133.in Exodum, exiſtimat ſemel quidem in anno ingredi ſolitum Pontificem in Sancta ſanctorum cum ſanguine; ſed quotidie ſine ſanguine,ad adolendum thymiama:Non ſumus, inquit, intellecturi ſemel in anno intrare ſacerdotem ſolere in Sancta ſanctorum; ſed ſemel in anno cum ſanguine, & quotidie quidem ſolere intrare ſine ſanguine, cauſſa incenſi ponendi, &c. Sed Auguſtinus in hanc opinionem ductus eſt,quia putauit altare incenſi in Sanctis ſanctorum collocatum fuiſſe,quod falſum eſt, vt infra oſtendemus.

Chriſt⁹ Pōtifex ſummus in Sācta ſanctorum cum ſanguine introiuit. Hebr. 9. Adumbrabant Sancta ſanctorū cælum, vt ſupra B diximus. In illa ingredi nemini fas erat præter Pontificem; quia in cælum ante ſummum Pontificem Chriſtum nemini licuit introire. Ille autem introiuit primus non ſine ſanguine, quem offerret pro nobis.Hæc nos docet Apoſtolus:*In ſecundo*,ait, *tabernaculo ſemel in anno ſolus Pontifex introibat non ſine ſanguine*,&c. *Hoc ſignificante Spiritu ſancto, nondum propalatam eſſe ſanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente ſtatum*, &c. Hoc eſt, ſignificabat Spiritus ſanctus nondum apertam eſſe Sanctorum, id eſt, cæli viam & ianuam, priore lege Moſis durante. Illa enim non eam habuit vim, vt in cælum viam poſſet aperire: offerebat enim ſanguinem hircorum & vitulorum. *Chriſtus autem*, adiungit Paullus eodem capite, *aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum,* C *per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id eſt,non huius creationis;neque per ſanguinem hircorum aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in Sancta,æterna redemptione inuenta*,&c. Chriſtus æternam inuenit redemptionem,fores Paradiſi reſerauit, viam aperuit. Cùm in Cruce pendebat, velum templi ſciſſum eſt à ſummo vſque deorſum. Cur ita? quia illa æterna redemptio cælum patefaciebat. *Regnum cælorum vim patitur*, dixit Chriſtus, Matth.11.equidem tunc maximam paſſum eſt vim, quæ tanta fuit, vt velum non remouerit, ſed diſciderit.

Quæres, quo tempore Pontifex Sancta ſanctorum ingrederetur. Reſpondetur: Ingrediebatur D menſe ſeptimo,die menſis decima,quæ dicitur dies expiationis. Hac die populus ieiunium obſeruabat, agebatque pœnitentiam, & à peccatis expiabatur, vt legitur: *Leuit. 16. Mēſe 7. die 10.mēſis introibat Pōtifex in Sācta ſanctorum.* *Menſe ſeptimo, decima die menſis, affligetis animas veſtras; nullumq; opus facietis, ſiue indigena, ſiue aduena, qui peregrinatur inter vos. In hac die expiatio erit veſtri atque mundatio ab omnibus peccatis veſtris: coram Deo mundabimini. Sabbatum enim requietionis eſt, & affligetis animas veſtras*, &c. Hac die Pontifex caprum,qui emiſſarius appellatur,Iſraëlitarū prius peccata in eius caput imprecatus, in ſolitudinem *Sanguinem victimarū ferebat Pōtifex.* emittebat. Hac die alterum caprum & vitulum immolabat, quorum ſanguinem in Sancta ſanctorum inferebat. Lege Leuit.16. Illud aduerte, diem hanc mœſtitiæ fuiſſe ac doloris,ob peccata conce- E pti. Ideoque ſummus ſacerdos in Sancta ſanctorum,non veſtibus Pontificiis,ſed lineis tantùm indutus ingrediebatur.Leuit.16.*Tunica linea veſtietur, feminalibus lineis verenda celabit: accingetur zona linea, cidarim lineam imponet capiti.* Hæ verò quatuor veſtes communes fuere etiam reliquis ſacerdotibus.

Leuit. 16. Veſtes, quibus indutus ingrediebatur Pōtifex in domum interiorem. Erat olim Iudæis vnus ſtatutus dies, in quo ſingulis annis animo dolorem ſiue cōtritionem conciperent, pœnitentiaque peccata expiarent. Typus *Typus Quadrageſimæ.* eſt hic dies noſtræ Quadrageſimæ.Quadrageſimali enim tempore affligimus animas noſtras; dolorem ob patrata crimina animo maximum concipimus,ieiunium ſeruamus, & confeſſione peccata

expiamus. Hoc noſtræ eſt expiationis tempus. In hac pœnitentiæ die Pontifex Sancta ſanctorum ingrediebatur, quia per pœnitentiam in cæleſte regnum ingredimur. Nulla tamē ſatis eſt ſine Chriſti ſanguine pœnitentia;ideoque ſanguinem ſacerdos ſummus defert. Veſte non Pontificia, ſed ceteris ſacerdotibus communi vtitur; quia decet eum, qui pœnitentiam agit, veſtis humilis, minimeque pretioſa. Nigra aſſumit Quadrageſimali tempore ornamenta Eccleſia,candida, aurea, ceteraque huiuſmodi exuit; vt ipſas etiam aras, ipſa templa videas lugentia,& ipſe lugeas. Peccata populi ſacerdos confitebatur, capiti hirci emiſſarij imponebat, peccatis onuſtum in ſolitudinem amandabat,vnde reuertebatur numquam. Vt intelligas oportere *Peccatum numquam repetendū.* peccata in ſempiternum exſulium mittere;ita vt ad nos nullo vmquam tempore redeant.

Pœnitentia cælū aperit.

Humilis veſtis decet pœnitentē.

CAPVT XIIX.

De ſecunda templi parte, ſiue de Sanctis.

SECVNDA templi pars, quæ היכל, hecal, Hebraicè,id eſt,palatium,Latinè dicitur Sancta,vel domus exterior, lata fuit cubitis 20. (quemadmodum domus interior) longa cubitis quadraginta, alta cubitis triginta. Parietes in primis omnes cedro tecti erant, in cedro cælaturæ ſiue ſculpturæ *Templi 2. pars cedro & auro tecta. 3.Reg. 6.* eminebāt. *Quadraginta cubitorum erat ipſum templum pro foribus oraculi. Et cedro omnis domus intrinſecus veſtiebatur; habens toruaturas, & iuncturas fabrefactas, & cælaturas eminentes: omnia cedrinis tabulis veſtiebantur: nec omnino lapis apparere poterat in pariete*, &c.

Non fuit ſatis cedro veſtitos eſſe parietes,pretioſiorem veſtem Salomon adiunxit,nimirum aurum. Auro enim cūctos parietes cedro iam opertos operuit, vt eodem capite ſcribitur, his verbis: *Domum quoque ante oraculum*, id eſt, exteriorem, *operuit auro puriſſimo; & affixit laminas clauis aureis*,&c. De pauimento forſitan ambiges, num auro fuerit opertum. Reſpondetur, in primis fuiſſe opertum marmore. *Salomon ſtrauit pauimentum templi pretioſiſſimo marmore, decore multo*, &c. Deinde ligneis tabulis. *Texit pauimentum domus tabulis abiegnis*,&c.Tandem auro. *Sed & pauimentum domus texit auro intrinſecus*, id eſt,pauimentum interioris domus,& exterioris.

Ibidem.

Pauimentū tēpli marmore, tabulis, & auro conſtratum. 2.Par.3. 3.Reg. 6.

De auro templi illud traditur obſeruatione dignum eodem capite: *Nihil erat in templo, quod non auro tegeretur.* Nihil enim in Chriſtiano viuo Dei templo eſſe debet,quod non tegatur caritatis auro: intellectum,memoriam,voluntatem,animam,corpusque aurum tegat.Numquid non præcepit Deus, vt totum templum auro radiaret, cùm præceptum illud magnum tradidit: *Diliges Dominū Deum tuum ex toto corde tuo,ex tota anima tua*, &c. Totum cor & totam animam, id eſt, totum templum, auro iubet ſplendeſcere. Sub auro tabulæ erant cedrinæ, ſub caritate reliquarum eſt virtutum comitatus. Omnia templi loca, tam excelſa laquearia, quàm infimum pauimentum, aurum illuſtrabat; quoniam *Deus nō eſt perſonarum acceptor.* noſter Salomon Chriſtus neminem deſpicit, tam viris excelſis, quàm infimis, ſi animum diuino auxilio præparent, diuinam caritatem elargitur. Tu *Caritas erga omnes.* quoque auro amoris tui diſce tegere non laquearia ſolùm,verùm etiam pauimentum,id eſt, non nobiles ſolùm vel diuites,ſed pauperes quoque & ignobiles. Iam verò ſi quæras quibus clauis hoc affigatur aurum,reſpondebo, timorem Dei aureos habere clauos,atque illis amorem cordibus infigi. Qui *Timor Dei clauus aureus.* enim Deum timet, cauet maximè ne caritatē amittat. Idcirco datam caritatem multi amittunt, quia

Totum Deo viuum tēplū caritate velut auro debet ſplendeſcere.

Ibidem.

timori Dei illam cuſtodiendam non committunt.

3. Reg. 6. De calatu-rij parietũ. Quæ eſſent cælaturæ parietum docetur. *Omnes parietes templi per circuitum ſculpſit Salomon variis cælaturis, & torno: & fecit in eis Cherubim, & palmas, & picturas varias, quaſi prominentes de pariete, & egredientes,* &c. Et: *Domum quoque maiorem texit tabulis ligneis abiegnis, & laminas auri obrizi affixit per totum: ſculpſitque in ea palmas, & quaſi catenulas ſe inuicem complectentes,* &c. Templi igitur parietes Cherubinis exornati ſunt, palmis & catenis. Etenim Cherubinos eſſe oportet Chriſtianos, quibus inſideat Deus, ad diuina præcepta alatos ac veloces. Vt verò præcepta opere ipſo præſtent, ob oculos palmas, id eſt, cæleſtes triumphos proponere iuuat. Catenæ autem illæ ſe inuicem complectentes mutuam adumbrant caritatem, quæ, vt Paullus ait, *eſt vinculum perfectionis.* Eminentes erant cælaturæ, vt caritatem ceteraſque virtutes eminentes ac excellentes habere nitaris. Palmæ, id eſt, cæleſtes triumphi eminentes ſunt; eminentes etiam ſint Cherubini, id eſt, virtutibus præcellentes Chriſtiani, qui palmas concupiſcunt.

2. Par. 3.

Catenæ caritatis. Coloſſ. 3.

Virtutes ſint eminentes.

Obiiciet quiſpiam, ſuprà dictum eſſe templi parietes tabulis cedrinis fuiſſe contectos; at in verbis nunc ex libr. 2. Paral. 3. citatis, dici tabulis abiegnis fuiſſe coopertos. Hæc verò inter ſe pugnare breuiter tribus modis reſpondeo. Primò, intelligenda eſſe verba libri Paralipom. de pauimento ſolummodo, vt vult Abulenſis. Fuit enim pauimentum, vt diximus, tabulis abiegnis tectum. Secundò, abiegnas illas tabulas cedrinis tabulis fuiſſe ſignificatas, quòd ex aliquo eſſent cedri genere. Tertiò, parietes in primis tabulis abiegnis abſque vllis cælaturis fuiſſe coopertos, deinde tabulis cedrinis, in quibus cælaturæ erant prominentes, auro contectæ.

Soluitur dubium.

CAPVT XIX.

De altari thymiamatis ſiue aureo.

PRÆCIPVVM locum in domo exteriori altare obtinebat, quod thymiamatis appellatur ſiue aureum. Etenim ante velum, quo Oraculum tegebatur, inter menſam & candelabrum, medio loco collocatum erat. *Pones altare contra velum,* id eſt, è regione veli. Ex lignis ſetim, id eſt, cedrinis, exſtructum fuit Exodi 30. Auri laminis veſtitum; quo circa aureum dicitur, longitudinem vnius habuit cubiti, vnius item cubiti latitudinem. Figura erat quadrangulari, id eſt, quatuor angulorum. Non omni ex parte quadratum, vt teſſera, quia altitudinem habuit duorum cubitorum. Ex quatuor angulis quatuor procedebant cornua, quæ Hebræi, teſte Lyrano, quatuor promella fuiſſe arbitrantur. At promella non ſunt cornua. Fuerunt ergo quatuor cornua auro conueſtita, inſtar eorum, quæ in animantibus cernimus. Significant enim cornua potentiam, robur, & fortitudinem. In ſuperiori parte opertum erat tabula aureis laminis tecta ac reticulata, id eſt, inſtar retis interciſa, quæ dicitur in Exodo craticula, id eſt, parua crates. Præter hæc corona aureola, id eſt, ex auro omni ex parte ornabatur. Coronam dicimus, non quòd rotunda fuerit, ſed quòd vndique altare quadratum coronauerit, id eſt, ambierit. Id quod de menſa etiam & arca eſt intelligendum. In hoc altari thymiama Deo ſacerdotes incẽdebant, vt infrà dicemus, cùm de iis egerimus, quibus fas erat in hanc templi partem ingredi. Nunc illud breuiter dicendum eſt; num altare hoc in hac templi domo exteriore, an in interiore, id eſt, in Sanctis ſanctorum, fuerit collocatum.

Exodi 40.

Exodi 30.

Deſcribitur altare thymiamatis.

Origenes homilia 9. in Exodum, Auguſtin. in Exod. quæſt. 133. & quæſt. 136. Rupertus libro 4. Comment. in Exod. cap. 9. Montanus in Apparatu, & alij in Sanctis ſanctorum collocatum fuiſſe exiſtimarunt. D. verò Auguſtinus ſummum Sacerdotem cum ſanguine quidem, ſemel tantùm annis ſingulis; at ſine ſanguine, ad adolendum thymiama, quotidie in Sancta ſanctorum ingredi ſolitum putat. Confirmatur ſententia non leui ſanè argumento ex Paulli auctoritate petito, qui ſic ſcripſit: *Poſt velamentum, ſecundum tabernaculum, quod dicitur Sancta ſanctorum, aureum habens thuribulum & arcam Teſtamenti.* Hæc Paullus. Aureum verò thuribulum altare thymiamatis videtur appellare. Græcè, θυμιατήριον, quo nomine etiam Ioſephus illud appellat, lib. 6. de Bello Iudaico, cap. 6. & lib. 4. Antiquitatum cap. 7. Probatur item ex illis verbis lib. 3. Reg. cap. 6. Totum altare Oraculi texit auro Salomon, &c. Quodnam eſt quæſo hoc altare Oraculi? Altare thymiamatis eſt, ergo altare thymiamatis erat altare Oraculi, id eſt, in Sanctis ſanctorum poſitum.

An altare thymiamatis fuerit in Sanctis ſanctorum collocatum.

Hebr. 9.

Aduerſatur huic ſententiæ communis ſententia, Ioſephi lib. 3. Antiquitatum, cap. 7. & lib. 8. cap. 2. & 6. de Bello Iudaico, c. 6. Philonis lib. 3. de Vita Moſis D. Gregorij homilia vltima in Ezechielem, Theodoreti quæſt. 60. in Exodum, Bedæ libro 3. de Tabernaculo, cap. 12. D. Thomæ prima 2. quæſt. 102. art. 4. ad 6. & ad Hebræos 9. Theophylacti eodem cap. Lyrani, & aliorum. Ea eſt: Altare thymiamatis in exteriore templi domo ſitum fuiſſe. Probatur in Exodo: *Pones altare,* ſcilicet, thymiamatis, *contra velum, quod ante arcam pendet,* idem intelliges ex cap. 40. Exodi. Præterea probatur, quia ſacerdotibus ingredi non licebat Sancta ſanctorum, excepto ſummo. At illi thymiama in altari thymiamatis offerebant, vt infra dicemus; erat igitur extra Sancta ſanctorum altare.

Sententia communis.

Altare aureum erat in domo exteriori, Exodi 30.

Argumento ex Paulli verbis petito reſpondet Abulenſis Exod. 30. quæſt. 6. Paullum altare thymiamatis thuribulum aureum vocaſſe, vereque dixiſſe Sancta ſanctorum aureum thuribulum, id eſt, altare habuiſſe; non quòd ipſum in Sanctis ſanctorum collocatum eſſet, ſed quòd ad Sancta ſanctorum maximè pertineret. Thymiama enim quod in altari illo incendebatur, ad domum interiorem, in qua Dei thronus erat, ſpectabat. Secundo argumento ex verbis lib. 3. Regum deſumpto eodem modo fit ſatis. Dicitur enim altare Oraculi, propterea quòd ſuffimentum, quod illi opponebatur, ad Oraculum attineret; non quòd in Oraculo ſitum eſſet. Fauent verba tertij libri Reg. ſolutioni Abulenſis. Si enim rectè dicitur altare Oraculi, etiam rectè dicetur Oraculum altare habuiſſe, vt loquitur Paullus, quamuis intus non fuerit poſitum. Obſerua Paullum dicendi modum mutaſſe. Nam de tabernaculo exteriori loquens, ait, in quo, ſcilicet, tabernaculo exteriori, erant candelabra & menſa, &c. At de Sanctis ſanctorum agens non ſic eſt locutus, ſed *Habens,* inquit, *thuribulum aureum & arcam Teſtamenti;* vt indicaret thuribulũ ſiue altare non fuiſſe in ipſo Oraculo. At obiicies Paulli verba indicare eo modo thuribulum fuiſſe in Oraculo, quo fuit arca: *Aureum,* inquit, *habens thuribulum & arcam Teſtamenti.* Sed arca intus erat; ergo & thuribulum. Reſpondetur, non adeò ſcrupulosè Scripturam loqui, vt non poſſit intelligi aliter Oraculum habuiſſe arcam, aliter aram, arcam quidem intus, aram foris.

Abulenſis.

Hebr. 9.

Huic addi poteſt ſolutio altera vulgatior ex Lyrano

rano & aliis; videlicet, in Sanctis ſanctorum non fuiſſe altare ſuffitus, ſed thuribulum quoddam aureum, quo tunc Pontifex vtebatur, cùm ſemel ſingulis annis in oraculum introibat. Nam, vt in Leuitico traditur, Pontifex cùm in oraculum ingrediebatur, odores incendebat, quorum nebula Dei thronum occultabat. *Aſſumpto thuribulo, quod de prunis altaris impleuerit, & hauriens manu compoſitum thymiama in incenſum, vltra velum intrabit in Sancta: vt poſitis ſuper ignem aromatibus, nebula eorum & vapor operiat oraculum, quod eſt ſupra teſtimonium, & non moriatur*, &c. Tertiò, reſponderi poteſt illud thuribulum, cuius meminit Paullus, fuiſſe aliquod altare aureũ, ſimile altari thymiamatis in Sanctis ſanctorum collocatum; ſupra quod Pontifex thuribulum imponebat, quod ex altari holocauſtorum prunis plenum attulerat. At ex his poſterioribus reſponſionibus ſequitur Paullum nullam altaris thymiamatis feciſſe mentionem, cùm menſæ fecerit & candelabri, quod non videtur ſimile vero.

Leuit. 16. Thuribulũ oraculi.

Dubium præterea eſt, an altare thymiamatis, quod erat in tabernaculo Moſis, quodque ſuprà deſcripſimus, idem fuerit in templo Salomonis, an aliud diuerſum. Reſpondemus arcam quidẽ eamdem fuiſſe in tabernaculo Moſis & in templo Salomonis, vt conſtat ex lib. 3. Regum 8. & libro 2. Paralip. 5. Altare autem thymiamatis fuiſſe diuerſum, & maius Salomonicum, quàm Moſaicũ, vt ſit compertum ex eodem libro: *Altare veſtiuit Salomon cedro.* Item: *Totum altare oraculi texit auro.* Et: *Fecit Salomon altare aureum*, &c. *Fecit Salomon omnia vaſa in domo Domini, altare aureum, & menſam, candelabra*, &c. Quid clarius? Vnde Septuaginta Interpretes ſic vertunt hunc locum: *Fecit Salomon altare ante faciem oraculi, & operuit illud auro.* Et: *Altari, in quo adoletur incenſum, aurum puriſſimum dedit Dauid, vt ex ipſo fieret ſimilitudo quadrigæ Cherubim, extendentium alas, & velantium arcam fœderis Domini*, &c. Dedit Dauid aurũ vt efficeretur altare thymiamatis, ergo factum eſt. Obiicitur, Scriptura non ait 3. Regum Salomonem feciſſe altare ex cedro, ſed veſtiſſe altare cedro, videlicet iam factum. Reſpondeo veſtiſſe iam factum non à Moſe, ſed ab eodem Salomone.

An fuerit in tẽplo altare idem quod erat in tabernaculo.

3. Reg. 6. 2. Par. 4. 2. Reg. 7. 1. Par. 28.

Ex verbis 1. Paral. 28. citatis ſequitur dubium: Num in altari thymiamatis quadriga fuerit Cherubinorum aureorum. Abulenſis 1. Paral. 28. quæſt. 6. in affirmantem ſententiam iuit: putat enim ſuper altare thymiamatis duos Cherubinos aureos locatos fuiſſe, qui expanſis alis altare tegerent, eodem modo, quo ſuper arcam alij locantur. Verba citata in hunc ſenſum interpretatur: Dedit Dauid aurum filio Salomoni, vt fabricaret aureum ſuffimenti altare, & ſuper eum ſimilitudinem quadrigæ Cherubinorum, quales ij erant, qui tegebant arcam. Hæc Abulenſis ſententia non placet. Cherubini enim ſuper arcam ſolùm erãt, vt quadriga & currus Dei, vt diximus, non verò ſuper altare thymiamatis. Exiſtimo ergo verba libri Paralip. de Cherubinis eſſe explananda, qui arcam fœderis expanſis alis tegebant in hunc modum: Dedit Dauid Salomoni aurum, ex quo altare incenſi fabricaret, & ſimilitudinem quadrigæ Cherubinorum, qui in Sanctis ſanctorum expanſis alis velabant arcam. Dicitur autem Hebraicè currus Cherubinorum, à noſtro interprete quadriga; non quòd quatuor eſſent, ſed quòd eſſent veluti currus Dei, vt iam diximus. Petes de quibuſnam Cherubinis ſint verba intelligenda, de minoribúſne, an de maioribus? Reſpondetur, minores fabricatos eſſe à Moſe; de maioribus locum interpretandum. Obiicit Abulenſis, maiores Cherubinos ex olea fuiſſe fabricatos, at quadrigam Cherubinorum, de quibus in libro Paralipomenon ſermo eſt, fuiſſe auream. Reſpondetur, Cherubinos illos maiores, etſi fuerint ex olea facti, fuiſſe auro coopertos. Ideoque dictum eſt, Dauidem aurum huic operi dediſſe, & altari aureo, quod ſimiliter ex ligno factum, ſed auro tectum erat.

An fuerit quadriga Cherubinorũ in altari thymiamatis.

Opinio Abulenſis.

Quadriga, id eſt, currus Cherubinorum.

Rogabis, an fuerit ſolùm ex ligno factum altare & auro tectum, vt altare tabernaculi, an etiam ex lapide. Reſpondet Richardus Victorinus in libro de Templo Salomonis fuiſſe ædificatum ex lapide. Idem ſentit Lyranus 3. Reg. 6. & Beda, lib. de Templo, cap. 12. Probatur ex illis verbis: *Altare*, ſcilicet, thymiamatis, *veſtiuit Salomon cedro*; videlicet, quia factum erat ex lapide. Altare quidem factum à Moſe lapideum non erat, ſed ligneum, quoniam per eremum portabatur. At Salomonicum, quoniam ſtabile erat, ex lapide fabricatum fuiſſe veriſimile eſt, & cedro veſtitum. Dici etiam poteſt altare cedro veſtitum, quòd ex aliis lignis ſit confectum, deinde cedro & auro contectum. Adde fieri potuiſſe, vt ex altari à Moſe facto Salomon maius aliud addito incremento fabricarit, cedroque induerit & auro.

An fuerit confectũ ex lapide altare thymiamatis.

3. Reg. 6.

Moraliter, thymiamatis altare in domo Dei locatum cor indicat Chriſtiani viri cæleſtibus deſideriis inflammatum. Magnus Gregorius homilia in Ezechielem vltima: Arca, inquit, intra velum, eſt Redemptor noſter in cælo. Altare verò aureum, in quo thymiama incenditur, eſt ante velum; quia Sanctorum corda, quæ Dei amore ſuccenſa ſunt, per ſanctum deſiderium in illo ardent, quem adhuc reuelata facie videre non poſſunt. Quouſque ante velum fumus, oportet, vt quaſi thymiamatis incenſum flamma amoris ardeamus. Hæc Gregorius. Et Auguſtinus tract. 4. in epiſt. 1. Ioannis: Tota, ait, vita Chriſtiani boni ſanctum deſiderium eſt, &c. Hinc illud Cant. 3. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij.* Sicut virgula fumi aſcendit anima, cùm ex corde, veluti ex altari ſuffimenti, deſideria inflammata in cælum feruntur. Qualia illa erant Pſalmographi: *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum*, &c. Vt vehemens eſt potus cibique in ſitiente fameque confecto cupiditas: ita vehemens eſt in viro iuſto Dei iuſtitiæque deſiderium. Vnde illud: *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam.*

Cor aureũ altare thymiamatis. Gregor.

Cant. 3. Deſideria Dei inflammata.

Pſalm. 41.

Matth. 5.

Origenes homilia 10. in librum Num. Duplicem orationem, mentalem ac vocalem, duplici altari putat ſignificari. Altari thymiamatis, quod intra templum erat, mentalem, altari holocauſtorum, quod erat in atrio, vocalem: Cùm corde orauero, ait ille, ad altare interius ingredior; cùm autẽ quis clara voce & verbis cum ſono prolatis orationem fundit ad Deum, offerre videtur hoſtiam in altari, quod foris eſt, &c. Eſt oratio ſuffimento ſimilis, quod in illa ara Deo adolebatur. Iuxta illud: *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo*, &c. Pagninus vertit: *Sicut ſuffimentum.* Ioannes quoque ait viginti quatuor illos ſeniores habuiſſe *phialas aureas plenas odoramentorum*: *Quæ ſunt*, inquit, *orationes Sanctorum.* Et: *Aſcendit fumus incenſorum, de orationibus ſanctorum, de manu Angeli coram Deo.* Quamobrem dicitur odor veſtimentorum Eccleſiæ *ſicut odor thuris*, & dicitur aſcendere *ſicut virgula fumi ex aromatibus*, &c. Quia frequentiſſimæ orationis ſuffimenta Deo offert. Hanc ob cauſſam Magdalena, quæ vitam adumbrat orationi vacantem, vnguenta fert odorifera, quibus Chriſtum perfundat. Fert enim orationem omni vnguento pretioſiorem. Ante velum eſt altare; quia Deum, quem oramus, nondum

Oratio mẽtalis & vocalis duplici altari adumbratur.

Oratio ſuaue ſuffimẽtum ſiue thymiama. Pſal. 140.

Apoc. 5. Apocal. 8. Cant. 4. Cant. 3.

Magdalena id eſt, vita cõtẽplatrix, fert odores.

nondum perſpicuè cernimus. Aureum eſt; quia ex aureo iuſti pectore oratio oritur. Corona aurea præcingitur; quia orationis præmium corona æterna eſt. Penetrabat Sancta ſanctorum ſuffimenti odor; penetrat cælum cælorum orationis ardor. Iuxta illud: *Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit*, &c. *Eccli 35.*

CAPVT XX.

De menſis & panibus propoſitionis.

MEDIVM, vt diximus, locum altare ſuffitus in exteriori domo obtinebat; verſus Septētrionalem verò parietem, vt ait Ioſephus lib. 3. Antiquit. cap. 7. & Philo lib. 3. de Vita Moſis, menſa ſtabat; verſus parietem Auſtralem candelabrum fulgebat. *Exodi 26. Deſcribitur menſa tabernaculi.* *Pones contra menſam candelabrum, in latere tabernaculi Meridiano. Menſa enim ſtabit in parte Aquilonis*, &c. Tabernaculi menſa deſcribitur Exod. 25. duos cubitos longa, cubitum vnum lata, cubitum ac ſemiſſem alta, quatuor pedibus fulta, ex lignis ſetim fabricata, auri laminis cōtecta, duplici corona cincta, altera interraſili, altera minori, quę dicitur Aureola, ſuper interraſilem collocata. *Corona aureola.* *Corona interraſilis.* Interraſilis autem à radendo corona appellatur, quia ad decorem aurum interraſum erat & interciſum.

Menſa & ſus. Proponebantur in menſa ſingulis ſabbatis panes duodecim, qui propoſitionis panes nominātur, Hebraicè panes facierum ſiue faciei: carent enim Hebræi numero ſingulari faciem ſignificante. Lyranus & Abulenſis Exod. 25. volunt appellari panes facierum, quòd ex vtraque parte faciem haberent & figuram eamdem. Nō enim in clibano, vt aiunt, coquebantur vt vulgares panes, ſed in ferreis ſiue aureis vaſis, ideoque ex ſuperiore parte atque inferiore faciem habebant. *Panes propoſitionis cur facierū panes dicātur.* Hæc tamen ſententia ab eodem Abulenſi bene refutatur 1. Reg. 21. Nec enim poterant panes tanti, id eſt, duarum decimarum, in vaſis aureis extra clibanum coqui: coquebantur igitur in clibano, vt reliqui: dicuntur verò panes facierum vel propoſitionis, quòd ante Dei faciem proponerentur. Quam ſententiam ſequitur Abulenſis Leuitici 24. & 1. Reg. 21. lege Leuit. 24. caput.

Panes propoſitionis erāt azymi. Mel & fermentū Deo non offerebatur. Leuit. 2. Erant hi panes azymi, vt ſcribit Ioſephus libr. 3. Antiq. cap. 7. fermentum enim à templo exſulabat, quemadmodum & mel. *Omnis oblatio, quæ offertur Domino, abſque fermento fiet; nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in ſacrificio Domini*, &c. Præterea in duos ordines diſtributi erant panes: ſex vno ordine, ſex altero in menſa ſtatuebantur. *Leuit. 24. De collocatione panū propoſitionis.* *Senos altrinſecus ſuper menſam puriſſimam coram Domino ſtatues*, &c. Tertiò, alij ſuper alios imponebantur. Quartò, ſuper ſex panes aurea phiala thure plena; ſuper ſex alios phiala altera aurea, item cum thure locabatur. Philo lib. 3. de Vita Moſis, ſalem cum thure reponi ſolitum ſcribit. *Sal in omni oblatione. Leuit. 2.* Iuxta illud: *Quidquid obtuleris ſacrificij ſale condies*, &c. Septuaginta quoque Interpretes ſalem thuri adiiciunt. Mel quidem & fermentum in templo locum nullum reperiebant; ſali ampliſſimus concedebatur. Deliciis & peccati fermento nullus in Chriſtiano pectore detur locus, ſali, id eſt, ſalutiferæ ac præſeruatrici Chriſti doctrinæ maximus. Quintò, ſingulis ſabbatis tollebantur, recentesque alij, & calidi cum thure reponebantur.

Sextò, thus igne adolebatur, vt ait Ioſephus 3. Antiq. cap. 10. Septimò, quilibet ex iis panibus duas habebat decimas. Habent Hebrei menſuram, quam ephi appellant; cōtinet tres modios, id eſt, ferè tres alqueires. Decima huius menſuræ pars dicitur Gomor: *Gomor decima pars eſt ephi*, &c. *Quantitas vnius. Exodi 16.* Reſpondet ferè noſtræ quartæ. Continebant igitur ſinguli panes duos Gomores, vel duas ferè noſtras quartas; vnde colliges ingentes fuiſſe panes propoſitionis. Octauò, Montanus ex Hebræorum ſententia ſcribit in arcæ apertæ formam fuiſſe confectos; ſed hoc non multum habet auctoritatis. *Mōtanus. Figura panum.* Hebraicè appellantur, חלות, *Chaloth*, id eſt, placentæ. *Leuit. 24.* Non enim erant panes tumentes, ſed plani, ita vt ſupra ſe alter alterum poſſet ſuſtinere.

An ſacerdotes panes hos coquerent. Nonò, D. Hieronymus Malachiæ 1. ait, hos panes propoſitionis, iuxta traditionem Hebræorum, ipſos ſacerdotes ſerere, metere, molere, & coquere debuiſſe. Hanc tamen Hebræorum ſententiam refellunt verba illa: *De filiis Caath ſuper panes erant propoſitionis, vt ſemper nouos per ſingula ſabbata præpararent*, &c. *1. Par. 9.* Ergo ad Leuitas filios Caath attinebat panes præparare, vt vult Caietanus; ſacerdotum verò erat illos in menſa collocare. Præterea Leuit. 24. dicuntur hi panes ſuſcepti à filiis Iſraël, & Ioſephus lib. 3. Antiq. cap. 10. Ex publico, inquit, præbetur panis non fermentatus, &c. Ergo non ſerebant triticum ſacerdotes, nec metebant, ſed populus ſimilē præbebat, vel triticum. Niſi velis dicere præbuiſſe ſolum pecuniam. Oleaſter Leu. 24. putat 12. panes à 12. tribubus fuiſſe oblatos, ita vt ſingulæ ſingulos offerrent.

Decimò, hi panes, vt dicitur Leuit. 24. proponebantur in menſa, vt eſſent in monumentum oblationis Domini, id eſt, vt eſſent veluti memoriale quoddam Domini. *Panes ſancti & panes laici.* Vndecimò, hi panes ſancti dicuntur à ſacerdote Achimelech, ceteri vocantur panes laici. Cùm ab illo Dauid panes peteret, reſpondit: *Non habeo laicos panes ad manum, ſed tantùm panem ſanctum. 1. Reg. 21.* Additur. *Neque enim erat ibi panis, niſi tantum panes propoſitionis, qui ſublati fuerant a facie Domini, vt ponerentur panes calidi*, &c. Duodecimò, his panibus ſublatis à facie Domini, id eſt, à menſa, in qua ante Dei thronum erant propoſiti, ſolis ſacerdotibus licebat veſci: Dauidi tamen, qui ſacerdos non erat, licuit veſci ob neceſſitatem. *Matth. 12.*

In templo Salomonis 10. erāt mēſæ, totidem candelabra. In tabernaculo quidem Moſis vnica tantùm fuit menſa, vnicumque candelabrum: in templo autem Salomonis menſæ decem, totidemque candelabra collocata ſunt. Quinque menſæ, quinque quoque candelabra, verſus parietem Aquilonarē, totidem menſæ, totidemque candelabra verſus Auſtralem conſtituta erant; medium locum altare thymiamatis obtinebat. *2. Par. 4.* *Fecit Salomon candelabra aurea decem, ſecundum ſpeciem, qua inſſerat fieri, & poſuit ea in templo: quinque a dextris, & quinque a ſiniſtris. Necnon & menſas decem, & poſuit eas in templo; quinque à dextris, & quinque à ſiniſtris*, &c.

Abulenſ. Abulenſis vnam tantùm vult menſam fuiſſe auream, in qua panes propoſitionis ſtatuerentur; ceteras fuiſſe argenteas: veluti vaſorum templi abacos. Fuiſſe tamen multas aureas perſpicuum eſt ex illis verbis: *Aurum dedit Dauid in menſas propoſitionis, pro diuerſitate menſarum: ſimiliter & argentum in alias menſas argenteas*, &c. *1. Par. 28.* Præterea panes non in vna tantùm, ſed in omnibus decem menſis proponi ſolitos probatur ex his verbis: *An panes in vna ſolum menſa proponerentur. 2. Par. 4.* *Fecit Salomon menſas, & ſuper eas panes propoſitionis.* Erant igitur decē menſæ aureæ, in quibus panes proponebantur. Erant & aliæ argenteæ, quæ erant veluti vaſorum abaci. Ioſephus verò, qui lib. 8. Antiquit. cap. 2. vnam tantùm in templo Salomonis (quod ipſe non vidit) menſam propoſitionis, vnicumque ſtatuit cādelabrum, non eſt audiendus.

Mūdus fame conficit famulos. Fame conficit mundus famulos. Quamobrem prodigus ille animi, cupiebat implere ventrē ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat, Luc. 15. At Deus ſuos cæleſtibus deliciis ſaginat.

nat. Nónne vides quàm sit domus Dei epulis abundans? Paratæ semper diu noctuque mẽsæ sunt. Iuxta illud: *Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos qui tribulant me.* Paratæ semper sunt cælestes epulæ, diuina sacramenta, diuina gratia, diuinæque Scripturæ suauitates. *Venite*, inquit Dominus, *ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Et: *Ecce prandium meum paraui, tauri mei, & altilia occisa sunt, & omnia parata, venite ad nuptias.* Ideo Dauid nihil sibi Deo pastore defuturum Psalmo canit citato: *Dominus*, inquit, *regit me, & nihil mihi deerit.* Hieronymus vertit: *Dominus pastor meus, & nihil mihi deerit. In loco pascuæ ibi me collocauit, super aquam refectionis educauit me, animam meam conuertit.* Hieron. vertit: *Animam meam refecit.*

Psal. 22. *Matth. 11.* *Matth 22* *Parata Dominis mẽsa. Psal 22.*

Non modicos panes tibi proponit Dominus in mensa sua, sed duarum decimarum ingentis magnitudinis, vt domus suæ saturitatem indicet. *Quam magna*, ait Vates, *multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te!* Multas mensas à similtris, id est, in hoc sæculo proponit cibo onustas; multas quoque dulcioribus epulis refertas à dextris, id est, in cælesti patria, Salomon noster Christus habet præparatas. Huius vitæ mensas appositasque epulas, id est, gratiam, spiritalesque delicias, candelabrum, id est, fidei splendor illuminat; cælestis patriæ mensas nobilius candelabrum, hoc est, gloriæ lumen comitatur. Coronatæ mensæ sunt, quia delicias præbent Regibus; iuxta illam Antiphonam augustissimi Sacramenti: *Pinguis est panis Christi, & præbibit delicias Regibus.*

Saturitas domus Dei. Psal. 30.

In tabernaculo vna erat dumtaxat mensa; in templo Salomonis decem. Typus est tabernaculum Synagogæ; templum Ecclesiæ. In Synagoga pauciores fuere, in Ecclesia verò plures mensæ sternuntur. In Synagoga terreni cibi, hoc est, terrena præmia, lac, & mel, & huiusmodi alia; in Ecclesia cælestia præmia, cælorum regna, & similia proponuntur. Quid ego de mensa augustissimæ Eucharistiæ dicã? Quænam Synagogæ mensa cum hac conferri potest? O vere auream mensam altare illud, in quo ter maximum hoc Sacramentum proponitur. Hic verus est panis propositionis siue facierum, qui ante faciem æterni Patris iugiter non sine thure & sale offertur. In sacrificio enim missæ thus orationis adhibetur, adhibetur sal quoque diuinæ doctrinæ, videlicet Epistolę atque Euangelia, quæ etiam concio sequitur. Hic est panis verissimè *Sanctus*, vt appellat Achimelech, *non laicus*, id est, non vulgaris, non reliquis panibus similis: est enim panis viuus, qui de cælo descendit. Quàm bene sacerdos hic ait: *Non habeo laicos panes, sed tantùm panem sanctum.* Non habet Ecclesia, ô hæretici, vt vos impiè dicitis, laicos panes; non offert in altari panem laicum & popularem, sed panem sanctum, panem viuum, qui de cælo descendit. Panem, qui duas habet decimas, id est, duas perfectissimas naturas, humanam ac diuinam; vnus panis est, vnus Christus est, sed vno in suppositio duas habet decimas, id est, naturas duas, quarum perfectiones nemo dicendo complecti potest. Denarius enim, qui in decimis cernitur, perfectus numerus & clausus, perfectionem adumbrat. Proponebatur panis in templo antiquo, vt esset monumentum oblationis Domini. Leu. 24. noster quoque panis viuus in monumentum proponitur. Iuxta illud Christi: *Hæc quotiescumque feceritis in mei memoriam facietis.* Et illud: *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Panibus propositionis solis sacerdotibus licebat vesci: nostrum autem cælestẽ panem, non solùm sacerdotibus, sed Christianis omnibus sumere licet. Vitam enim præstat omnibus, qui pura illum mente sumunt.

Eucharistia augustissima. *1. Reg. 21.* *Ibidem.* *Panis sanctus est panis Ecclesiæ.* *Memoriale Domini.* *Psal. 110.*

Quàm pura autem mente sit sumẽdus mensa illa antiqua docebat. *Senos altrinsecus super mensam puris-simam coram Domino statues*, &c. Purissima dicitur mensa, quia purissimam oportet esse animam, quæ ad augustissimam Eucharistiam accedit. Additur eodem capite: *Pones super eos*, id est, super panes, *thus lucidissimũ.* Tunc autem super panem viuum thus lucidissimum ponimus, cùm post sumptam augustissimam Eucharistiam lucidissimam orationem ad Deum fundimus, & tanti mysterij contemplationi ardenti corde vacamus. Sacerdos Achimelech, antequam panes propositionis Dauidi præberet, illum rogat: *Si mundi sunt pueri maximè a mulieribus?* Mundos enim eos esse oportebat, maxime à mulieribus, qui illos panes edebant. Deus bone, si panes propositionis mãducaturis munditia præscribitur; quam munditiam panis Angelicus flagitabit? Plane Angelicam; angelicos postulat sacerdotes, angelicos conuiuas, omnino mundos, maxime à mulieribus. Aurea erat mensa, in qua panes collocabantur, aureum oportet esse pectus, id est, caritate fulgens, in quod Eucharistia ingreditur.

Leuit. 24. *Purissima mente ad Eucharistiã accedẽdum.* *Leuit. 24.* *1. Reg. 21.*

Coronata erat mensa; quia sacerdotes, qui hoc sacramentorum maximum conficiunt, & frequenter sumunt, in quorum manibus, veluti in mensa propositionis, populo proponitur, coronati sunt. Fit autem sacerdotum corona non aurum apponendo, sed capillos radendo. Quid capilli indicant e capite exorientes? nónne curas mundi & carnis e capite nascentes? has qui penitus radit aurea præstantiorem sibi coronam fabricat. Considerent quæso sacerdotes se in manibus, veluti in mensa propositionis, populo panem viuum proponere. Aurea erat mensa, aureæ sint manus sacerdotum. Iuxta illud: *Manus illius tornatiles aureæ*, &c. Aureæ sint manus, aurea pectora, aureum os, aurea omnia, munda omnia, maximè à mulieribus.

Sacerdotis corona. *Sacerdotũ puritas.* *Cant. 5.*

Mensa in tabernaculo ad frigidum Aquilonem sita erat; nostra mensa contra Aquilonem statuitur, vt frigida incendat pectora ardentissimus ille panis. Calidi panes in mensa propositionis proponebantur. 1 Reg. 21. Calidissimus est noster panis, amore flagrat, incenditque animos. *Ab Aquilone pandi-tur omne malum*, id est, à dæmonis tentationibus, quas similes Aquiloni frigido animis inspirat; ideoque aduersus Aquilonem mensa paratur. Iuxta illud: *Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos, qui tribulant me.* Denique adiungitur candelabrũ mensæ; quoniam si fidei candelabrum absit, nemo viuum panem cognoscere poterit. O infelices hæreticos! Cur illi panem de cælo descendentem non agnoscunt? sanè quia candelabro fidei carent, & crassissimis tenebris opprimũtur. Cùm ad mensam accedis, candelabrum adhibe, adhibe fidem: quis sit ille diligenter animo expende, qui sub illis panis & vini speciebus latet. Inter mensam & candelabrum altare thymiamatis suffitũ Deo gratissimum exhalabat: Cor quoque tuum inter fidei candelabrum & cælestem illam mensam, in qua Christus viuus panis proponitur, altaris instar suauissimum Deo orationis, pœnitentiæ, amorisque suffitum exhalet.

Mensa Dei parata aduersus nostras tentationes. *Ierem. 1.* *Psal. 22.* *Fides necessaria accedenti ad sacram mensam.*

CAPVT XXI.

De Candelabris.

Describitur candelabrũ tabernaculi

IN tabernaculo Mosis vnum tãtùm fulgebat candelabrum, totum ex auro fabricatũ, & in septem ramos siue calamos pulcerrimè diuisum. His septem

ptem calamis septē lucernæ aureæ impositæ erāt, quarum cura, vt infrà dicemus, ad sacerdotes spectabat. Singuli rami scyphis, sphærulis, liliisque aureis exornabantur. Etenim singuli rami scyphos, siue calices tres nucis instar, sphærulas etiam siue globulos aureos, atque aurea habebant lilia. Ipsum verò candelabri hastile quatuor habebat scyphos, lilia quoque, aureosque globulos, vt bibliorum picturæ demonstrant. Ex auro item purissimo, & ad emungendas lucernas emunctoria, & ad exstinguendos fungos vascula fabricata sunt. Lege Exodi 25.

In tẽplo 10. cãdelabra. In templo decem candelabra, à dextris quinque, quinque alia à sinistris, simul cum mensis collocauit Salomon, vt leges 2. Paral. 4. Decem autem candelabrorum millia fabricasse scribit Iosephus lib. 8. Antiq. cap. 2. Quo loco nec est mendum, nec legendum est decem candelabra, sed decem millia. Nam ex Græco codice constat veram esse hanc Iosephi lectionem: Fecit candelabra decem millia, Græcè, λυχνίας μυρίας, secundùm præceptum Mosis; ex quibus vnum in templū recondidit, vt per diem luceret secundùm legem. Hæc Iosephus. Hoc tamen falsum est Salomonem vnum tantùm in templo statuisse candelabrum. Nam decem statuisse ex lib. 2. Paral. 4. compertum est.

Iosephus.

In templo non fuit vsus ceræ. Illud hoc loco obserua, in templo ceræ nō fuisse vsum, sed olei. Itaque candelabrum hoc non cereos aliquos, sed lucernas, quarum lux infuso olebatur oleo, sustinebat. Obseruat hoc D. Hieronymus in epistol. ad Gaudentium & ad Fabiolam de quadraginta mansionibus, mansione quadrageſima: Mel, inquit, non offertur in sacrificiis Dei & cera, quæ dulcia continet, non lucet in tabernaculo, sed oleum, quod de oliuæ profertur amaritudine. Hæc Hieronymus. Oleum autem candelabri iubet Dominus vt ex oleis sit pilo contusis. Caietanus vult ex carne sola oliuarum, non ex ossibus siue duris nucleis, vt purius esset, fuisse expressum.

Hieron.

Exodi 27.

Doctores & cõcionatores Ecclesiæ sũt candelabra. Matth. 5. Erant in templo Salomonis multa candelabra: sunt in Ecclesia Christi multi doctores ac concionatores candelabris similes. Iuxta illud Christi: *Vos estis lux mundi.* Ex auro purissimo factū est candelabrum tabernaculi; quia purissimā oportet esse vitā concionatoris. Ductile est, id est, mallei ictibus fabricatum; quia persecutionū & laborū ictus fidei promulgatores sequuntur. In calamis candelabri scyphi sunt siue calices; quia concionatorum est, omni vino suauius Dei verbum auditoribus propinare. Concionatorum quoque est, calicem Domini, id est, passionem, in concionibus commemorare; eorum etiam est, amarum calicem suppliciorum Dei in memoriam hominibus reuocare. De quo, *Psal 74.* *Calix in manu Domini vini meri,* &c. D. Gregorius homil. 6. in Ezechielem, mentes auditorum à concionatoribus cælestis verbi vino implendas, scyphis putat significari: Scyphi, inquit, vino repleri solent. Quid ergo mentes auditorum nisi scyphi sunt, quæ sanctis prædicantibus vino scientiæ replentur? &c. Sphærulas præterea habet candelabrum, quæ illud à Domino discipulis indicant dictum: *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Sphærula enim siue globus mundum significat, per quem concionator discurrere, nec vno in loco debet consenescere. Iuxta illud *Rom. 1.* Paulli: *Græcis ac Barbaris, sapientibus, & insipientibus, debitor sum.* Denique lilia castitatē adumbrant, *Castitas sacerdotum.* concionatorisque virtutes ceteras. Habet item candelabrum emunctoria; quia omnia vitia sunt ab animo concionatoris emungenda, vt populo clarius luceat. Fungi verò, ne fumum exhalent, vasculo sunt exstinguendi; quia concionatoris prælatique vitia correctione exstinguenda sunt, non vulganda, ne scandalum pariant.

Christi typus cãdelabrū. Diuus Gregorius in Ezechielem homil. 6. candelabro Christum ait adumbrari. Et diuus Cyrillus libro 9. de Adoratione, Clemens quoque Alexandrinus libro quinto Stromatum. Idem Clemens eodem libro, candelabri septem lucernis significatos ait septem planetas, lucerna illa, quæ medium locum obtinebat, Solem, reliquis, planetas ceteros. Philo quoque in libro, qui scribitur: Quis sit rerum diuinarum heres: Septem, inquit, erraticorum siderum cursus simulacrum est sacrum candelabrum, cum septem lucernis superpositis, &c. Lege eumdem libro de Vita Mosis. Eamdem interpretationem sequitur Iosephus lib. 6. de Bello, cap. 6. lucernis septem, planetas septem, panibus duodecim, Zodiacum, propter duodecim signa, & annum, propter duodecim menses, putat indicari. Gregorius verò Nyssenus in Vita Mosis, septem lucernas, septē Spiritus sancti dona interpretatur. D. Cyrillus libro 10. de Adoratione, Lucerna ait significari Ioannem Baptistam, dē quo Christus: *Ille,* inquit, *erat lucerna ardens & lucens,* &c. Duodecim panibus propositionis, duodecim Apostolos. At quod eodē loco apud Cyrillum legitur in interiore tabernaculo septem lucernas, in primo verò vnam fuisse, falsum est, vt ex dictis constat.

Septem lucernæ septē planetæ.

Ioan. 5.

CAPVT XXII.

De fenestris templi.

3. Reg. 6. MEMINIT Scriptura fenestrarum templi, easque obliquas vocat. *Fecit Salomon in templo fenestras obliquas.* Dubium verò est, quænam dicantur fenestræ obliquæ. Hebraicè dicuntur, אטמים שקפים, schkuphim, atumim, à verbo שקף schakaph, quod significat prospicere, & à verbo אטם, atam, quod significat claudere. Erant ergo fenestræ, vt vertit Montanus, prospectiuæ, clausæ. Sed dices, obscurius hoc est, clarius explicabimus. Erant hæ fenestræ, vt communis est opinio, intus latæ, foris strictæ. Ita opinantur Richardus Victorinus, Hugo, Abulensis, glossa ordinaria, Caietanus, Lyranus. Magister historiæ ait exterius fuisse angustas, & intus obliquatò diffusas. Chaldæus interpretatur fenestras apertas intrinsecus, & clausas forinsecus, id est, strictas. Septuaginta Interpretes vertunt, ὑαλίδας πεφαγωμένας κρυπτὰς. Hoc est, fenestras obliquè prospicientes, occultas vel absconditas.

Quandō dicatur fenestra obliqua

Cur obliquæ dicãtur fenestræ. Abulens. Obliquæ dicuntur fenestræ, quoniam latera habuere in crasso pariete non recta, sed obliqua ac transuersa. Abulensis lib. 3. Reg. 6. Illæ, inquit, fenestræ dicuntur obliquę, quæ à parte exteriori sunt paruæ, & interius dilatantur; & sic lineæ laterales non sunt parallelæ, sed extenduntur & elongantur à se inuicem, sicut latera trianguli. Istud autem fit ad hoc, quòd lux multa intret per illas; quod non fieret si essent fenestræ æquales intus & extra. Causa huius est, quia radij Solis venientes ab extra intersecant se in superficie fenestræ, vbi locus est strictior; & deinde dilatantur, & intrat lux in domum per modum pyramidis euersæ. Et sic fiunt fenestræ communiter in Ecclesiis. Hæc Abulensis.

Cur prospectiuæ & clausæ. Dicuntur ex Hebræo prospectiuæ, quia per eas prospectus patebat: dicuntur clausæ, quia ex parte externa erant angustæ, quamuis ex parte interna essent latiores. Dicuntur à Septuaginta interpretibus absconditæ, quia extrinsecus strictæ erant, qua parte videbantur; intrinsecus verò, qua parte non videbantur, latæ. Lege Hieronymum in Commentariis

tariis Ezechielis cap. 41. & c. 40. Feneſtræ, ait, obliquæ, quas Septuaginta abſconditas, Symmachus, τοξικὰς vocat, idcirco à ſagittis vocabulum perceperunt, quòd inſtar ſagittarum anguſtum in ædes lumen immittant, & intrinſecus dilatentur, &c. forſitan τοξικὰς appellauit Symmachus, quòd iis feneſtris ſimiles eſſent, quas *Seteyras* in muris atque arcibus appellamus: τόξον arcum ſignificat, inde feneſtra dicitur τοξικὴ, per quam arcu ſagittæ in hoſtes emittuntur. Multas verò habuit templum illud feneſtras, tam in domo interiore, quàm in exteriore, quas Scriptura non numerat.

Feneſtra tozica.

Chriſti 5. vulnera ſunt haſ feneſtræ.

Templum noſtrum Chriſtus quinque habet feneſtras, id eſt, vulnera quinque, Sole ipſo rutilantiora. Sunt hæ feneſtræ intus multò latiores, quàm foris: immenſæ enim caritatis latitudinem indicant. Sunt feneſtræ τοξικαὶ, id eſt, ſagittariæ; quia ex Chriſti vulneribus amoris ſagittæ emiſſæ corda penetrant. Hominis quoque probi virtus hiſce templi feneſtris ſimilis eſt; foris ſtrictior, intus latior ac maior. Hypocritarum feneſtræ forinſecus latiſſimæ, intrinſecus anguſtiſſimæ ſunt.

CAPVT XXIII.

De velo domus exterioris & interioris.

An fuerit vnũ tãtùm velum in templo.

VNVM tantùm fuiſſe templi velum arbitratur Abulenſis 2. Paralip. 3. quod ante portam domus exterioris fuerit expanſum. Ianſenius quoque capite 143. Concordiæ Euangelicæ, in eadem eſt ſententia; ſed velum ante Sancta ſanctorum, non ante portam exterioris domus appendit. Probatur

Matth. 27. ſententia ex verbis Matth. *Velum templi ſciſſum eſt*: ergo vnicum tantùm erat velum. Et ex 2. Paralipom. quo vnius tantùm veli mentio ſit: *Fecit Salomon velum ex hyacintho, purpura, cocco, & byſſo, & intexuit ei Cherubim*, &c. Verumtamen duo in templo

2. Par. 3.

Duo vela templi.

fuiſſe velamenta, alterum in porta domus internæ, alterum in porta domus externæ, ſcribit Ioſephus lib. 8. Antiq. cap. 3. & lib. 12. cap. 10. & lib. 6. de Bello, cap. 6. Philo in libro de Offerentibus victimas, Origenes hom. 35. in Matth. D. Thomas in Commentariis Matth. 27. Dionyſius Carthuſianus, Lyranus, & Hugo 1. Machab. 4. Simon Caſſianus lib. 13.

1. Mach. 4. Hanc opinionem mihi perſuadent verba illa: *Poſuerunt ſuper menſam panes, & appenderunt vela*; ergo duo erant vela, non vnum tantùm. Et Ioſephus lib. 12. c. 10. Machabæus, inquit, addidit vela foribus oppandi ſolita. Præterea in tabernaculo Moſis duo

Exodi 26. & Hebr. 9. erant vela, vt conſtat ex Exodo & ex Paullo: *Poſt velamentum*, inquit, *ſecundum, tabernaculum, quod dicitur Sancta ſanctorum*. Velamentum ſecundum, vt ex Græca lectione compertum eſt, appellat Paullus velamentum, quod ante Oraculum erat appenſum. Ergo erat velamentum primum, & velamentum ſecundum in tabernaculo Moſis, quod etiam Salomon eſt imitatus.

An in morte Chriſti vnũ tantùm velum ſciſſum fuerit.

Num autem in morte Chriſti vtrumque velum ſciſſum fuerit, dubium eſt. Sed quia Euangeliſtæ vnius tantùm mentionem faciunt, vnum tantùm diſruptum videtur. D. Thomas & Origenes putant, externum illud fuiſſe, quod foribus externę domus obtendebatur. Mihi veriſimilius eſt illud potius fuiſſe, quod pro foribus erat domus interioris; tum quia illud præcipuum erat templi velum, tum vt ſignificaretur per Chriſti mortem cęleſtem domum hominibus iam patere. Huius quoque veli tantummodo liber meminit Paralipomenon, alterũ quoque fuiſſe non negauit. Erat autem contextum ex byſſo, purpura, cocco, hyacintho, intextaſque habe-

Velũ Cherubinorum effigies habuit intertextas.

bat multorum Cherubinorum effigies. Byſſus Hebraicè, בוץ, Buſs, linum eſt tenuiſſimum; hyacinthus violacei coloris eſt vel cærulei, purpureus & coccineus color non eſt ignotus.

Ex domo hac exteriore iam egrediamur, memores interim oportere corporis noſtri, quod templum Dei Paullus appellat 1. Cor. 6. ianuas, id eſt, oculos, ceteroſque ſenſus modeſtiæ velamẽtis operiri, ne peccandi pateant occaſionibus.

Fores noſtri tẽpli, id eſt, ſenſus velo operiendæ.

Eupolemus apud Euſebium libro 9. de Præpar. Euang. cap. 4. ait tectum templi aureis tegulis, æneis deforis fuiſſe contectum; Salomonem verò catenas retibus ſimiles, 20. cubitis ſuper omnem templi altitudinem inſtrumentis quibuſdam extendiſſe; à quibus quadraginta tintinnabula ærea dependebãt; ne aues ſuper templũ ſederent, nidóſve in laqueari bus conſtruerent; ſeruaretúrque templi munditia. Addit prętęrea fornicem exſtruxiſſe maximũm ad borealem templi partem 48. columnis æneis ſuffultum. Verùm, vt iam dixi, fidem huic Auctori non adhibeo, in aliis enim labitur. Ait templi Salomonici latitudinem ſexaginta fuiſſe cubitorum, columnas veſtibuli altitudine templo æquales, lucernas in vnoquoque cãdelabro ſexaginta ſeptem factas. Quæ omnia ex dictis liquet eſſe falſa.

CAPVT XXIV.

De iis quibus in domum templi exteriorem ingredi fas erat.

Quorſum introirent ſacerdotes in domum exteriorem.

IN Sancta ſanctorum, vt ſuprà dictum eſt, ſoli Pontifici ingredi fas erat; in domum verò exteriorem ſolis ſacerdotibus. Pontifex ſemel tantùm annis ſingulis in adyta: ſacerdotes bis quotidie in externam templi partem, mane veſperiſque introibãt. Etenim in domo illa tria erant, vt eſt explicatum, altare thymiamatis, menſæ, & candelabra. In altari ſingulis diebus matutino veſpertinoque tempore ſacerdotes thymiama adolebant. Vnde intelliges illud, quod de patre Ioannis Baptiſtæ Zacharia ſcriptum eſt: *Sorte exiit vt incenſum*, id eſt, thymiama, *poneret ingreſſus in templum Domini*. Ingreſſus ille eſt non in Oraculum, ſed in domum, in qua erat altare ſuffimenti, iuxta quod vidit Angelum.

In altari thymiamatis bis quotidie thymiama incendebatur.

Luc. 1. Zacharias pater Baptiſtæ ingreſſus eſt priorem templi partem.

Matutino tempore antequam in altari holocauſtorum ſacrificium vllum offerretur, intus in altari ſuffimentum incendebatur. Quod docet Philo in lib. de Offerendis victimis: Non eſt, inquit, fas immolare foris, id eſt, in altari holocauſtorum, quod foris erat in atrio, priuſquam intus ſummo mane factus ſit ſuffitus, &c. Veſperi quoque idem ſuffitus fiebat. *Adolebit incenſum ſuper altare Aaron ſuaue fragrans mane: quando componet lucernas, incendet illud, & quando collocabit eas ad veſperum, vret thymiama ſempiternum coram Domino in generationes veſtras*, &c. Hac re documentũ datur orationis tam matutinæ quàm veſpertino tempore Deo offerendæ.

Exodi 30.

Oratio matutina & veſpertina.

Componebatur autem thymiama ex variis aromatibus, vt traditur Exod. 30. Nimirum ex ſtacte & onyche, galbano & thure. Stacte Græcis guttam ſignificat, de qua Plinius lib. 12. cap. 15. ſic ſcribit: Sudant arbores myrrhæ ſponte, priuſquam incidantur ſtacten dictam, cui nulla præfertur. Dioſcorid. lib. 1. cap. 62. ait ſtacten eſſe myrrhę pinguitudinem recẽtis cum exigua aqua tuſæ, & organo expreſsæ. Thus notum eſt. Onyx, onychos, Græcis vnguem ſignificat. Dioſcorides libr. 2. capite 8. ſcribit Onycha conchilij cuiuſdam eſſe teſtam odoris ſuauiſſimi, quæ ex Indiæ paludibus per mare rubrum in Ægyptum aſportabatur. Galbanum thuri ac reſinæ ſimile,

Thymiamatis cõpoſitio.

Quid ſit ſtacte.

Quid ſit Onyx.

Galbanum.

simile, in ignem coniectum serpentes odore fugat. Lege Dioscoridem libro 3.cap 81.& Plinium libro 12. cap. 25.

Sacerdotes cõponebant lucernas.

Ingrediebantur præterea sacerdotes in templum, ad inflammandas, exitinguendas, componendasque candelabri lucernas. Si quæras, vtrum noctu, interdiuque lucernæ inflammatæ essent. Respondet Iosephus lib.3. Antiquit.cap.12.his verbis: Lucernę tres tota die super candelabrum lucebant,ad vesperum verò reliquæ inflammabantur. Abulensis putat noctu tantùm inflammatas fuisse, interdiu exitinctas. Nam sic est scriptum : *Ponet eas Aaron à vesperi vsque in mane coram Domino.*Et:*Collocauit eam,* id est,lucernam, *vt vsque manè luceat.* Quod si eodem cap.scribitur : *Præcipe filiis Israel, vt afferant tibi oleum de arboribus oliuarum purissimum, pilo contusum, vt ardeat lucerna semper in tabernaculo testimonij.* Verba sic explana:*vt ardeat semper*,id est,iugiter suo tempore,omnibus videlicet noctibus. Sed Iosepho sacerdoti hac in re fidem habeamus.

Iosephus.
An lucernæ tẽpli omnes exstinguerentur interdiu.
Leuit.24.
Exodi 27.

In templo Salomonis cùm decem essent candelabra, multò plures quàm in tabernaculo lucernæ inflammabantur. De lucernarum inflammatione lege Exod. 27. & 30. & Leuit. 24. *Præcepit Dominus Moysi* (quod iam suprà citauimus) *Adolebit incensum super eo*,id est, altari thymiamatis, *Aaron. suaue fragrans manè. Quando componet lucernas,incendet illud*,id est, thymiama. *Et quando collocabit eas ad vesperum, vret thymiama*,&c.Vnde compertum fit,sacerdotem manè & vespere, & in altari thymiamatis, & in candelabris operari solitum.

Exodi 30.

Sacerdotes ingrediebãtur templũ, vt panes propositionis in mẽsa proponerent.
Leuit.24.
Exodi30.

Denique ingrediebantur sacerdotes domum exteriorem, vt panes propositionis e mensa tollerent, aliosque calidos die Sabbati collocarent, iuxta illud: *Per singula Sabbata mutabuntur coram Domino,* &c. Nudis verò lotisque pedibus ac manibus introibant. *Missa aqua lauabunt in ea Aaron, & filij eius,* id est,sacerdotes, *manus suas ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii, & quando accessuri sunt ad altare, vt offerant in eo thymiama Domino, ne forte moriantur*, &c.

Ad solos autem sacerdotes hæc quæ diximus spectasse ex c.18.Num.fit perspicuũ,in quo hocDei mandatum exstat. *Omnia quæ ad cultum altaris pertinent,& intra velũ sunt,per sacerdotes administrabuntur,* &c.Idẽ docet Paullus:*In priori*,inquit,*tabernaculo*,id est, in priorem vel exteriorem domum, *semper introibant sacerdotes,sacrificiorum officia consummantes.* Et Iosephus lib.8. Antiq. c.2. Salomon, ait, penetrale templi nulli fecit accessibile.Reliquum 40. cubitorum spatium in vsum sacerdotum consecrauit,&c. Erat autem mortis pœna reliquis proposita,qui hoc spatium ingrederentur. *Omnia, quæ ad cultum altaris pertinent, & intra velum sunt,per sacerdotes administrabuntur. Si quis externus accesserit,occidatur*, &c.

Num.18.
Hebr. 9.
Iosephus.
Mortis pœna proposita iis qui domum ingrederẽtur exteriorem.
Num.18.

CAPVT XXV.

An supra templum exstructa fuerint aliqua cænacula.

MONTANVS in Apparatu, & Isidorus Clarius existimant supra templum nullam domum aut cænaculum fuisse exstructum. Id verò probatur;quia reuerentia templo debita postulabat,vt nihil supra illud exstrueretur. Vulgatior opinio est, supra templum duo cænacula fuisse exædificata, hoc ordine.Templum in ipso erat solo exstructum; supra templum domus secunda surgebat; super hanc eminebat tertia; ita vt tota templi altitudo ad 120. cubitos perueniret.

Templi altitudo 120. cubitorum.

Ex his intelliges duo Scripturæ loca,quæ videntur inter se discrepare, nihil habere discrepantiæ. Lib.3.Reg. 6. dicitur templi altitudo triginta esse cubitorum; at 2.Paral.3.dicitur esse centum viginti cubitorum; propterea quòd in illo libro Regum sumitur templum pro sola domo infima,quem in modum nos suprà locuti sumus. Ea verò triginta tantùm cubitos alta erat. In libro verò Paralip. sumitur pro domo infima, cum duobus cænaculis superioribus. Qua ratione centum viginti cubitos altitudinis habuit. Intelliges præterea templum instar fuisse turris. Quamobrem meritò turris appellatur: *Plantauit vineam*,scilicet Synagogã, Deus, *& ædificauit turrim in medio eius*, id est, templum. Similiter: Homo paterfamilias dicitur turrim ædificasse,id est, templum, vt interpretantur Origenes, Hieronymus, & alij.

Concordia duorũ Scriptu. locorũ.
Templum turris.
Isaiæ 5.
Matth.21.

Vere turres sunt Ecclesiæ templa, illi turri similia,de qua dicitur: *Sicut turris Dauid collum tuum,quæ ædificata est cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*, &c. Etenim in templis propugnacula sunt sacramentorum, clypei sunt verbi diuini,quibus Christiani aduersus hostes muniuntur. Quodnam propugnaculum fortius esse potest augustissima Eucharistia,quam in templis habemus? Sacramento item pœnitentiæ,oratione, & sacrificiis? *Collum*,inquit,*tuum sicut turris.*Collo vox emittitur.Templorum cantus,& sacerdotum,psallentiumque Deo vox, instar est turris, Ecclesiam muniens ac defendens.

Templa Ecclesiæ turres sunt & armamẽtaria Christianorum.
Cant. 4.

Colligitur hæc opinio ex illis verbis: *Porrò altitudo centum viginti cubitorum erat.* Dicet aliquis; Si adeò perspicuè his verbisScriptura docet templum 120.cubitos fuisse excelsum, cur nonnulli volunt 30.tantùm habuisse cubitos. Respondemus Scripturę verba non esse admodum perspicua.Eo enim loco sermo est de templo & porticu templi; possuntque illa verba, vel ad templum referri, vel ad porticum, siue vestibulum. Nos referimus ad templum, alij ad porticum. Fatetur enim Montanus, non quidem templum,sed templi porticum, de qua paullo pòst dicemus, centum viginti cubitos altitudinis habuisse.

Vnde colligatur tẽplũ altitudinis habuisse 120 cubitos.
2. Par. 3.

At templi fuisse hanc altitudinem docet Iosephus lib.8.Antiq.c.3.Super hoc,ait,id est,templum, erat aliud ædificium æqua mensura; ita vt esset omnis altitudo templi cubitorum 120.&c.Et lib.15. cap. 14. Herodes loquens de secundo templo post Babylonicam captiuitatem exædificato: Istud, inquit,maximum templum nostri Patres ędificarunt, cùm à Babylonia remeassent; desunt ei ad magnitudinem in altum cubiti sexaginta,ad instar illius, quod Salomon constructerat,&c. Templum secundum,de quo loquitur Herodes,60. cubitorũ habuit altitudinem, vt colligitur ex 1.lib.Esdr.cap.6. Derant autẽ illi alij sexaginta cubiti, vt ad eam assurgeret altitudinem,quam habuerat Salomonis templum; ergo Salomonis templum,de quo loquimur, altitudinis habebat 120. cubitos.Itaque Herodes,vt eodem capite scribit Iosephus, templo antiquam altitudinem 120.cubitorum restituit. Beda quoque quæst.11.idem sentit.Et quæst.13.Terna,ait,erant in templo laquearia, prima habebant 30.cubitos à pauimento,secunda 60.tertia 120.in summitate totius domus. Petrus item Comestor in historia Regum sic scribit : Templum in altitudine 30. cubitos habebat,vsque ad primum tabulatum; super quod secunda mansio erigebatur 30. cubitis; tertia verò mansio erat 60.cubitorum, & tota templi altitudo in 120. cubitos ascendebat. Idem sentit Richardus Victor. & alij, qui de illis cænaculis exponit illud: *Cænacula quoque texit auro.* Quemadmodum enim templum

Iosephus.
Pet.Comest.
Cænacula templi auro tecta.
2.Par. 3.

templum inferius, ſic & ſuperiores domos auro exornauit Salomon.

Cui autem vſui hæ duæ ſuperiores domus inſeruirent, ignotum eſt. Caietanus in commentariis 2. Paralip. cap. 3. exiſtimat fuiſſe in iis reconditos theſauros templi: eſt enim Caietanus eodem loco in noſtra ſententia: Inter tectum, inquit, templi, & ſummitatem ædificij, eran t multæ contignationes mediæ, in quibus reconditi erant diuerſi theſauri ipſius templi. Erat enim totum templi ædificium tamquam turris, non quadrata, ſed quadrãgula, &c.

Caietan. In cenaculis tẽpli theſauri recondebantur.

At obiicies quod iam ſuprà obiecimus, non decuiſſe templi illam maieſtatem ſupra ſe domũ habere aliquam. Reſpondeo, non decuiſſe, ſi domus illa profanis vſibus inſeruiret. Sed de reuerentia templo debita non detrahebatur; ſiquidem in illa res diuinæ ac ſacræ aſſeruabantur. Reſponderi præterea poteſt, domos illas ſuperiores vacuas fuiſſe; & religionis tantùm ergo ad templi maiorem maieſtatem & altitudinem exſtructas, auroque illuſtratas.

CAPVT XXVI.

De veſtibulo templi, & duabus columnis.

ANTE templi ianuam, quæ verſus Orientem patebat, porticum ſiue veſtibulum exſtruxit Salomon, cuius lõgitudo latitudini templi reſpondebat. Erat templi latitudo viginti cubitorum; veſtibuli quoque longitudo viginti cubitos continebat; latitudo verò decem; altitudo centum viginti, vt Ioſephus ait. In hoc veſtibulo duæ æneæ columnæ collocatæ ſunt, quarum mentio fit 3. Regum 7. 4. Regum 25. 2. Paral. 4. Ieremiæ 52. Illi, quæ ad dexteram partem ſita erat, nomen impoſuit Salomon, יָכִין, Iachin; alteri verò, quæ ad ſiniſtram erat conſtituta, nomen indidit, בֹּעַז, Bohhoz: vtrumque nomen à fortitudine eſt ductum. *Iachin*, ſignificat firmabit, ſtabiliet: *Bohhoz*, ſignificat in eo fortitudo. Congruunt nomina columnis fortiſſimis firmiſſimeque ſtabilitis, ſignificatque Salomon ſe optare templi & religionis ſtabilitatem. Vnde Vatablus: *Iachin*, inquit, ſignificat confirmet; quaſi diceret: Vtinam confirmet, aut ſartam tectam ſeruet Dominus hanc domum; *Bohhoz*, ſignificat fortitudinem & vigorem, quaſi diceret: Vtinam ſit in hac domo vigor perpetuus, ſit in fortitudine, id eſt, ſtabilis ſit & permanens. Hæc ille. Congruunt etiam nomina templis Dei & religioni. Religio enim, quæ in templis ac ſacramentis maximè cernitur, columna eſt, firmamentum ac fortitudo Chriſtiani populi.

3. Reg. 6. *Colũnæ duæ in veſtibulo.* *Nomina columnarum quid ſignificent.* *Vatab.* *Religio, fortitudo populi Chriſtiani.*

De altitudine columnarum dubium eſt. Etenim dicitur: *Finxit Hiram duas columnas æreas, decem & octo cubitorum altitudinis columnam vnam*, &c. At verò hæc legimus: *Ante fores templi fecit Salomon duas columnas, quæ 35. cubitos habebant altitudinis*, &c. Sed reſpondetur, columnarum ſcapum ſiue ſtipitem decem & octo habuiſſe cubitos; ſi verò tota columna cum capitellis & baſibus conſideretur, habuiſſe 35. Aliter reſpondet Vatablus, in vtraque columna ſimul ſumpta 36. cubitos altitudinis numerandos; quem in modum liber Paralipomenon eſt intelligendus. In ſingulis verò decem & octo tantùm cubitos fuiſſe; quomodo liber Regum numerat. Si obiicias in libro Paralipomenon non numerari 36. cubitos, ſed tantùm 35. Reſpondetur non eſſe numeratum vnum cubitum, propterea quòd in vtraque columna ſemicubitus capitello abſconderetur.

De altitudine columnarum. *3. Reg. 7.* *2. Par. 3.* *Concordia duorũ Scrip. locorum.*

Præterea ambigitur, quænam ſit linea illa, qua dicuntur columnæ præcinctæ. *Linea duodecim cubitorum ambiebat columnã vtrãque.* Et: *Decem & octo cubiti altitudinis erant in columna vna; & funiculus duodecim cubitorũ circuibat eam*, &c. Reſpondeo, lineam illam, vel funiculum ſignificare columnarum circumferentiam. Erat enim linea ambiens columnam duodecim cubitorum; quia columnæ circumferentia tot habebat cubitos, vt Ioſephus ſcribit libro 8. Antiquit. quatuor verò diameter.

Linea columnarũ & funiculus. 3. Reg. 7. Ierem. 52.

Eiuſmodi columnis impoſita erant capitella altitudinis quinque cubitorum, retiaculis quibuſdam ſiue catenis, & malis punicis æneis exornata; ducenta mala punica vni inerant capitello, totidem alteri, vtrique quadringenta. Additur: *Capitella, quæ erant ſuper capita columnarum, quaſi opere lilij fabricata erant.* Hebraice: *Capitella, quæ erãt ſuper capita columnarum opus lilij*, &c. Vnde colliges eadem capitella in ſimilitudinem lilij fuiſſe efformata. Lege 3. Regum 7. & 4. Reg. 25. & 2. Paral. 4. Ieremiæ 52. Dicuntur Hebraicè hæc capitella, כותרות, Cotharoth, à verbo Hebræo, כתר, Cathar, quod ſignificat circumdare; vnde chether, id eſt, corona, & chotheret, id eſt, capitellũ, vel coronula. Quamobrem Caietani interpres hæc capitella coronas appellat, & Biblia regia vocant coronamenta.

Capitella columnarum. *3. Reg. 7.*

Hercules ad Gades vſque progreſſus celebres eo loco dicitur columnas ſtatuiſſe, quæ extremum orbis limitem indicarent. At Salomon præſtantiores non futuli gloriæ, ſed Deo columnas poſuit, quæ non mundi limitem, ſed regni Meſſiæ ſtabilitatem adumbrarent. Etenim Hebræis, vt ait Lyranus, hæ columnæ firmitatem & robur regni Dauid ſignificant: mihi autem ſtabilitatem fortitudinemque regni Chriſti, id eſt, Eccleſiæ, adumbrant.

Colũna ſtabilitatem regni Chriſti adumbrat.

Stabiliuit Chriſtus Dauidis regnum, quia ex Dauidis ſtirpe ortus Rex eſt æternus Eccleſiæ; cuius regnum Dauidicum typus fuit. *Dabit*, ait Angelus, *illi Dominus ſedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum.* Et: *Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio & iuſtitia amodò, & vſque in ſempiternum*, &c. *Confirmet*, inquit. Hinc nomen columnæ primæ Iachin, id eſt, confirmabit. *Et corroboret.* Hinc nomen columnæ ſecundæ Booz, id eſt, in quo robur & fortitudo. In regno autẽ Chriſti, id eſt, Eccleſia, quantum ſit robur, quamque ſit ſtabilitum, & confirmatum, illa Chriſti verba indicant: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Et illa Paulli: *Vt ſcias quomodo oporteat te in domo Dei conuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei viui, columna & firmamentum veritatis*, &c.

Luca 1. *Iſaiæ 9.* *Eccleſia regnũ Chriſti firmiſſimũ.* *Matth. 16.* *1. Tim. 3.*

Habet hæc columna, id eſt, Eccleſia, coronam, quia Chriſti regnũ eſt; habet lilia, quæ Chriſtianæ vitæ candorem ac puritatem ſignificant. Candida lilia ab anguſtiis paullatim in latitudinẽ ſe laxant; ita candida vita, & à vitiorum nigredine abhorrẽs, anguſta primò videtur incipientibus, latior paullatim fit progredientibus. Habet columna, id eſt, Eccleſia, catenulas, id eſt, Chriſti ſuauem legem, qua ſuauiter veluti catenulis illigatur. Habet retiacula, ſiue retia prædicationis, quibus homines expiſcatur; iuxta illud Domini: *Laxate retia veſtra in captu-ram.* In quem locum Ambroſius ſic ſcribit: Quæ ſunt Apoſtolorum quæ laxari iubentur retia, niſi verborum complexiones, & quaſi quidam orationis ſinus, & diſputationum receſſus, qui eos, quos ceperunt, non amittunt? Et bene Apoſtolica inſtrumenta piſcandi retia ſunt, quæ non captos perimunt, ſed reſeruant, & de profundo ad lumen extrahunt, & fluctuantes de infernis ad ſuperna perducunt. Hæc ille. Habet item Eccleſia puni-

Lilia quid indicent. *Catenulæ, retiacula.* *Luca 5.* *Ambroſ.*

ca mala, id est, diuersos Christianorum gradus. A
Mala punica quid adumbrent. Quemadmodum enim malum punicum sub vno cortice multa grana diuersis membranulis diuisa; ita Ecclesia multos Christianos diuersis statibus distinctos continet. Omnia mali punici grana sub vna sunt corona; omnes Christiani sub vna sunt summi Pontificis, cui omnes parent, thiara. Hieronymus: *Aggæi 2.* *Malum*, ait, *granatum propter granorum niniam multitudinem, & intertextis membrannlis quamdam geometricã compositionem, & diuersas quidem mansiunculas, sed tamen omnes vno cortice comprehensas, semper in Scripturis super Ecclesiæ persona sumitur*, &c.

Rupertus in lib. 3. Regum iis duabus columnis Dei misericordiam & iustitiam adumbrari existimat. *Cant. 5.* Iuxta illud: *Crura eius columnæ marmoreæ, quæ* B *fundatæ sunt super bases aureas.* Vt enim cruribus nos incedimus, & pedibus, sic Deus misericordia incedit, & iustitia. Iuxta illud: *Vniuersa viæ Domini misericordia & veritas.* *Psal 24. Misericordia Dei & iustitia. Rupert.* Non nisi duo crura, ait Rupertus, non nisi duo Domini sunt itinera; columnis istis tota penè domus incumbit, totum sanctæ Scripturæ ædificium innixum est. Nam quidquid legimus, quidquid audimus, de vniuersis viis Domini, aut misericordia est, aut veritas. Igitur sapiens architectus duas tantùm in opere suo ponit columnas admirabiles, atque spectaculo dignas, &c. Addit ille, *Iachin*, firmitatem, appellari misericordiam. Quidquid enim, vt ait, operatus est in nobis, quidquid confirmat ope Spiritus sancti, misericordiæ est, non iudicij, gratiæ est, non meriti. Iudicium verò C siue iustitiam, *Booz*, id est, in robore nominari, quia ad iudicium robustum brachium suum Deus contra superbos præparat. Prior autem, & ad dexteram est misericordia, quia misericordia iudicium præcedit.

Idem. Aliqui Hebræorum, vt ait idem Rupertus eodem loco, iis duabus columnis Dauidem & Booz, vnum ex Dauidis atauis, significatos voluere. Equidem si moraliter loquamur, possunt illæ Reges adumbrare, qui columnarum instar iustitiã, leges moresque regni sustinẽt, ne corruant. Capitella verò Regum coronas indicant: nomen namque Hebræum coronamenta significat, quæ versio est in Bibliis regiis, vt diximus; & interpres Caietani capitella ipsa D
Reges sunt columnæ Reipub. coronatæ, catenis, liliis, & malis punicis exornatæ. coronas appellauit. Quid aliud Reges sunt, quàm quædam regni columnæ coronatæ? Sed meminerint coronas catenis, siue retibus, malis punicis, liliisque exornatas esse oportere. Habeat Rex catenas foris, quibus fontes constringat; in pectore verò catenas habeat diuinæ legis, quibus regiam potestatem constrictam esse cognoscat: superiorem se habere Regem sciat, ne quidquid libet, sibi licere putet. Habeat liliorum flores, odore vitęque candore ceteris præcellat. Adiungat & mala punica, non quidem omnino dulcia, sed ea, quæ dulcedini acrimoniam quamdam habent admixtam; hoc est, iustitiæ acrimoniam clementiæ permisceat dulcitudini. Fortitudinis quoque admonet nomen co- E lumnæ, *Booz*, id est, in eo fortitudo. Vt autẽ regnum pace & legum obseruatione, fide ac religione stabile reddere conetur, nomẽ alterius hortatur, quod est (*Iachin*) id est, stabilitas.

CAPVT XXVII.

De Atrio Sacerdotum.

ETemplo vestibuloque egressi, celeriter lustremus atria. Dicuntur autem atria latæ areæ aperto cælo, conclusæ muris. Post vestibulum, in quo duæ illæ præclaræ columnæ magna ac pulcra mole stabant, atrium patebat magnum sub dio, ad Orientalem plagam pro templi foribus. Appellabatur autem atrium sacerdotum, propterea quòd in illo sacerdotes typica illius temporis sacrificia Deo offerebant. *Sacerdotes in atrio sacrificia offerebant.* De hoc atrio illa verba sunt intelligenda: *Aedificauit Salomon atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum, & vno ordine lignorum cedri*, &c. *3 Reg. 6.* Erat enim humili muro septum, vt Iosephus testatur, altitudinis cubitorum trium. Tres autem cubitos, tres ordines politorum lapidum magnæ molis; & ordo extremus lignorum cedri artificiosè dolatæ, lapidibus impositus, efficiebant. Varij fuisse coloris lapides putant Lyranus, Abulensis, & Dionysius Carthusianus, Petrus quoque Comestor in historia 3. lib. Regum: Hoc, inquit, atrium sacerdotum cingebat murus breuis in altitudine trium cubitorum; & erat vnus cubitus lapidum vnius coloris, secundus lapidum alterius coloris, & tertius tertij coloris, &c. Verùm nec Scriptura, nec Iosephus horum meminit colorum. Coniectura tantùm hi auctores ducuntur non admodum firma. Iosephus de hoc atrio sic scribit loco indicato: Circumdedit Salomon templo septum quoddam trium cubitorum altitudine, quod nostra lingua (*Guison*) vocamus; excluserum profanam multitudinem, & solos sacerdotes admisserum. Hæc ille. *Iosephus l. 8. cap. 3. Murus atrij sacerdotum.* *Pet. Comest.*

Arias Montanus in Apparatu centum quinquaginta cubitos illi tribuit latitudinis ab Occasu; totidemque longitudinis ab Ortu Occasum versus. C Latus verò Orientale tredecim fere cubitis longius fuisse scribit, quàm Occidentale. Apertius enim, ait ille, ac latius spatium atriorũ omnium ab ortu, quàm ab occasu fuit, ita vt tota fabrica leonis formam referret, qui pectore quàm tergo multò est latior. Vnde toti loco à Prophetis nomen Ariel factum esse dicitur. Significat autem Ariel leonem fortis, siue leonem Dei. Hæc ille. Verùm appellari templum Ariel propter illam caussam fabula videtur Hebræorum. Nam ipsa ciuitas Ierusalem Ariel vocatur. *Væ Ariel, Ariel ciuitas, quam expugnauit Dauid*, &c. & Ezechielis 43. ipsum altare templi Ariel dicitur. Appellatur verò altare Ariel, id est, leo Dei, quia instar leonis boues, oues, ceteraque animantia D vorabat. Ipsa verò ciuitas Ierusalem leo Dei nominatur, propter fortitudinem, quia cùm Deus ferebat opem, præstabat. Regnum, quod Deus tuetur, Ariel est, id est, leo Dei: si verò auxilium subtrahat, ex leone fit imbecillima ouis. Potest etiam dici tam altare, quàm ciuitas, leo Dei, propter cultum Dei, qui ciuitatis robur est ac propugnaculum. Congruit nomẽ nostro maximè altari: leo enim Dei est, quia in eo Dei leo de tribu Iuda immolatur. Congruit Ecclesiæ; nam leo Dei est, id est, fortissima aduersus hostes tartareos. Congruit aræ crucis; leo Dei fuit, quia in ea fortitudinem suam Deus aduersus peccatum exeruit, iuxta illud: *Ibi abscondita est fortitudo eius.* *Atrij cubiti.* *An templũ dicatur Ariel, id est, leo Dei.* *Isaiæ 29.* *Cur altare & ciuitas dicatur leo Dei.* *Quem Deus tuetur, is leo est Dei.* *Cultus Dei Reip. robur.* *Altare, Ecclesia, Crux, leo Dei.* *Habac. 3.*

Dubium est, an hoc atrium sacerdotũ templum omni ex parte Occidentali, Orientali, Aquilonari, Australique circumdederit. Circumdedisse docet Petrus Comestor: Atrium, inquit, interius erat platea grandis, ex omni parte circa templum diffusa; per quadrumque præ foribus templi ad Orientem plurimùm extendebatur. Circa vtrumque verò latus templi non adeò diffusa erat; ab Occidẽte verò strictior, &c. Similiter Lyranus: Atrium, ait, sacerdotum erat platea magna quadrata in circuitu templi, erat tamen altera parte lõgior sicut & templũ, &c. Et Beda: Atrium sacerdotũ erat vndique tẽplo circumdatũ; sed ab Oriente multò longius à templo, quàm à ceteris tribus partibus secretum. Quia in ea parte fiebant ministeria Sanctorum, &c. Abulensis *An atrium sacerdotum vndiq; templũ cinxerit Pet. Comest.* *Lyran.* *Beda.*

lenſis tamen negat,negat quoque Ribera lib. 1. de Templi fabrica,cap.10. & ſanè nõ ſine ratione negare videntur. Nam atrium ſacerdotum propterea exſtructum eſt, vt in eo ſacerdotes ſacrificia Deo offerrent ; ſacrificia autem ante templi portam Orientalem, vbi altare holocauſtorum fuit locatum, offerebantur.

Ioſephus l.8. Antiq.c.3. Ego in hanc Abulenſis & Riberæ ſententiam irem libentius,niſi me Ioſephi verba illa iam citata reuocarent. Circumdedit templum per ambitum vniuerſum,&c. de atrio loquitur ſacerdotum. Poteſt tamen exponi Ioſephus hoc modo:Circumdedit templum ſecundum Orientalem tantùm partem.Nam verbum illud, *Vniuerſum*,adiunxit interpres explicationis maioris gratia:Græca verba hęc ſunt, περιέβαλλε δὲ ναὸν κύκλῳ, id eſt, circumiecit in templi circuitu ſeptum, &c. explicari poteſt non quidem in templi toto circuitu, ſed ex parte. Itaque exiſtimarim ſacerdotum atrium appellatum, præcipuè id,quod erat ante portam templi Orientalem, vbi victimæ Deo immolabantur. Eiuſdem verò atrij murum,ſiue ſeptum, omni ex parte templum circumdediſſe veriſimilius fit ex Ioſephi verbis, idque Montanus ſequitur.

CAPVT XXIIX.

De atrio mundorum.

IN diuinis litteris præter atrium ſacerdotum planè mentio fit vnius tantummodo atrij. Fuit enim ante atrium ſacerdotum, verſus Orientem,alterum populi latè patens atrium,ex quo, qui mundi erant, Deum adorabant & precabantur, dicitur grandis
2.Par.4. baſilica,id eſt, regia vel palatium, his verbis : *Fecit Salomon atrium ſacerdotum, & baſilicam grandem, &*
Ioſephus l.8. Antiq.c.3. *oſtia in baſilica,quæ texit ære*,&c. De hoc ita Ioſephus
Baſilica ſiue atrium deſcribitur. ſcripſit: Extra ſeptum, id eſt, atrium ſacerdotum, erat fanum porticibus magnis, ac latis cinctum,& portis altis patens, quarum ſingulæ ſingulos ventos ſpectabant, & foribus aureis claudebantur. In hoc fanum cuilibet è populo puro & mundo acceſſus patebat, &c. Fores,vt tradit Scriptura,tectæ erant ære. Ioſephus ait fuiſſe χρύσεας, id eſt, aureas, paullo inferiùs fuiſſe argenteas. Sed nos Scripturam ſequimur, quæ falli nequit. Hebraicè baſilica hæc dicitur עזרת, hhazéra,quod nomen auxilium ſignificat; ideoque Montanus vertit;*atrium auxilij.*
Templũ locus diuini auxilij. Eſt enim templum auxilij locus, quia in eo diuinum auxilium imploramus.

Quæres, num atrium hoc templum circumdederit. Circumdediſſe probant Ioſephi verba iam citata. Nam ſi ſingulæ portæ ſingulos ventos ſpectabant, cùm venti quatuor ſint, quatuor videtur habuiſſe portas, quæ Orientem, Occidentem, Septemtrionem, & Auſtrum ſpectarent. Atque adeò templũ omni ex parte etiam Occidentali cinxiſſe.

In hac baſilica ſiue atrio collocauit Salomon
2.Par.6. baſim quamdam æneam,de qua ſic ſcribitur: *Fecerat Salomon baſim æneam, & poſuerat eam in medio baſilicæ, habentem quinque cubitos longitudinis, & quinque latitudinis, & tres cubitos altitudinis, ſtetitq; ſuper eam.* Videtur baſis hæc locus fuiſſe Regi in templo deſtinatus. Regis locus in atrio populi erat; Pontificis autem in atrio ſacerdotum. Si autem Montano
Sedere in templo non licebat. in lib. de Fabrica templi credimus, ſedere in templo nemini,præterquam Pontifici & Regi, fas fuit.

CAPVT XXIX.

De atrio feminarum mundarum.

BASILICA hæc, ſiue atrium Salomonis vnicum,commune erat viris ac feminis. At temporis progreſſu,vt ait Montanus in libro de Fabrica templi, & Genebrardus in Chronologia,in duo atria muro non prærato diuiſum eſt, vt anteriore viri,poſteriore feminæ reciperentur. Effecta igitur ſunt, non à Salomone, ſed poſt Salomonis tempora, ex vno duo atria,alterum virorum mundorum, alterum feminarum. Dicuntur autem mundæ feminæ & mundi viri, qui nulla legali immunditia, templi aditum prohibente , erant contaminati. Colligitur hæc diuiſio ex 2. Paralip.vbi legitur,ſtetiſſe Ioſaphat Regem *in medio cœtu Iudæ,in domo Domini,ante atrium nouum*.Nouum atrium appellatum videtur illud feminarum, niſi fortè aliquod aliud nouum eſt exſtructum.

Atriũ ſiue baſilica Salomonis in duo atria diuiſum eſt virorum & feminarũ.

2. Par. 20.

Immundis autem & gentibus atrium exſtruxiſſe Salomonem non conſtat; immo probabilius eſt, non conſtruxiſſe. Quia neque ex Scriptura, neque ex Ioſepho conſtruxiſſe conſtat.Erat enim area anguſta, vt Ioſephus docet libro 6. de Bello capite 6. Vix, inquit, initio templo atque altari ſufficiebat planities,&c. Crediderim igitur in templo primo nullum huiuſmodi fuiſſe atrium. Quod ſi immundi adorare Deum in templo vellent, legalem immunditiam expiabant, ſin minùs, tam illi, quàm ethnici foris extra atria preces fundebant. Neque verò vlla ratio,quæ momentum habeat, aliud probat. Obiici poteſt locus ex Ioſepho lib. 20. Antiq. cap.8. in quo cuiuſdam porticus Orientalis meminit à Salomone exædificatæ ; quæ videtur fuiſſe atrium immundorũ. Sed de hac porticu vide tom. 3.lib.3. ad illa verba Ioan. 10. *Ambulabat Ieſus in porticu Salomonis*, &c.

An atrium immundorum fuerit in templo Salomonis.

CAPVT XXX.

De Porticibus atrij.

DVBIVM eſt, an magnum hoc Salomonis atrium, ſiue baſilica, porticibus fuerit cincta. Cinctam fuiſſe Ioſephus affirmat : Fanum, inquit, erat porticibus magnis ac latis cinctum, & portis altis patens. Et paullo infrà: Dici non poteſt quàm mirandum fuerit illud exterius fanum. Vallibus enim expletis tam profundis,vt ad proſpectũ oculi caligarent, & aggeſta ad quadringentos cubitos terra,eam vertici montis, in quo templum exſtructum eſt, æquauit. Atque hoc modo factum eſt, vt area fani cum ſolo templi æquaretur. Hanc cinxit duplicibus porticibus,quas columnæ è natiuo ſaxo ſuſtentabant,& laquearia cedro expolita tegebant. Fores verò habebat hoc fanum omnes ex argento fabricatas,ita Græcè legitur;Ruffinus tamen vertit: Baſes in omnibus columnis fecit argenteas. Fortè aliter legit. Quòd ſi de baſibus columnarum Ioſephus loquitur,illa tollitur repugnantia,quam ſuprà obſeruauimus, cùm diximus fores modò aureas, modò argenteas appellare. Conſtat ergo ex his atrium illud in medio aream habuiſſe latam, quæ magnam populi exciperet multitudinem. Ad latera verò porticus,quibus æſtus & imbres vitari poſſent,habuiſſe amplas ac duplices, hoc eſt,quas terni columnarum ordines efficerent.

An templi atriũ porticus habuerit. Ioſephus l.8. Antiq.c.3.

Faceſſit tamen nobis negotium idem Ioſephus *Obiectio ex Ioſepho.* 6. de Bello capite 6.ſic ſcribens. Fanum conditum

erat ſupra duriſſimum collem. Et initio quidem vix templo atque aræ, Græcè βωμῷ, id eſt, altari, ſufficiebat, iacens in ſummo planities; quòd vndique præceps erat atque decliuis. Cùm autem Rex Salomon, qui templum ædificauit, muro eius partem ab Oriente cinxiſſet, vna porticus aggeri eſt impoſita. Et manebat ex aliis partibus nudum, &c. Vnam tantùm porticum Orientalem ait impoſitam monti, in quo templum eſt conditum, & ex ceteris partibus nudum manſiſſe. Ergo manifeſtè infertur ex ceteris partibus Baſilicam nullas habuiſſe porticus, ſiquidem nudæ erant, id eſt, abſque porticibus. Sed reſpondemus, Ioſephum appellare porticum ipſum atrium totum, in quo erant porticus. Quaſi dicat: Vnum atrium aggeri eſt impoſitum ab Oriente, id eſt, atrium magnum mundorum, cinctum porticibus. Non enim atrium immundorũ Salomon conſtruxit. Ex reliquis autem partibus, id eſt, Occidentali, Septẽtrionali, & Auſtrali nudum manſit templum, quia non habuit illis in locis atria porticibus exornata. Non igitur tollunt porticus verba Ioſephi. Quòd ſi abſurda tibi videtur expoſitio, eo quòd porticus non ſignificet atrium; confirmatur ex eodem Ioſepho in lib. 2. contra Apionem. Cùm enim de templo Herodis agit, ait quatuor porticus habuiſſe, id eſt, quatuor atria. Primum ſacerdotum, ſecundum virorum, tertium feminarum, quartum immundorum & alienigenarum. Porticus autem, vt liquet legenti, atria appellat.

A pellabant Iudæi temporibus Apoſtolorum, quæ atrium populi ſiue Baſilica grandis dicebatur, &c. Eſt etiam Riberæ libro 1. de Fabrica templi capite 16. Solo æquatum quidem eſt hoc atrium à Chaldæis, verumtamen rurſus eſt exædificatum. Neque Salomonis nomen amiſit, quoniam primùm à Salomone eſt fabricatum. Oppones, hoc Salomonis opus atrium appellari, vel Baſilicam, vel fanũ, non porticum. Sed nos ſuprà, cap. 30. oſtendimus ex Ioſepho atria appellari porticus. Porticus itaque Salomonis, & atriũ Salomonis, ſiue Baſilica, idem ſignificant. Illam enim porticus circumdabat, vt Ioſephus docet. A præcipua igitur parte porticus nominatur. De qua eiuſdem Ioſephi illa quoque verba B ſunt ſuprà citata, libro 6. de Bello cap. 6. Fanum conditum erat ſupra duriſſimum collem. Et initio quidem vix templo atque aræ, βωμῷ, ſufficiebat in ſummo planities, quòd vndique præceps erat atque decliuis. Cùm autem Rex Salomon, qui templum ædificauit, muro eius partem ab Oriente cinxiſſet, vna porticus aggeri eſt impoſita. Et manebat templum Salomonis ex aliis partibus nudum, quoad ſæculis poſterioribus ſemper aliquid aggeris accumulãte populo coæquatus collis latior effectus eſt, &c. Lege tom. 3. lib. 3. cap. 17. ad illa verba: *Ambulabat Ieſus in porticu Salomonis*; vbi opinionem aliam adiungimus. *Ioan. 10.*

C

CAPVT XXXI.

De Porticu Salomonis.

Ioan. 10. MENTIO fit Porticus Salomonis: *Ambulabat*, inquit, *Ieſus in templo in porticu Salomonis*. Et de *Actor. 5.* Apoſtolis: *Erant vnanimiter omnes in porticu Salomonis*. Quænam fuerit hæc porticus inueſtigemus. De *3. Reg. 6.* porticu templi ſic ſcriptum eſt: *Et porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis, iuxta menſuram latitudinis templi; & habebat decem cubitos latitudinis ante faciem templi*, &c. Hanc dici porticum Salomonis ait Abulenſis 3. Reg. 6. in qua Chriſtus ambula- D uit. In illam verò ingredi, in eaque verſari, & ambulare cuilibet fas fuiſſe affirmat, eo quòd extra templum eſſet. Eiuſdem ſententiæ eſt Titelmannus Ioannis 10. Ianſenius quoque cap. 90. concordiæ non diſſentit. Lyranus verò Ioan. 10. ſic ſcribit. Porticus Salomonis erat quidam locus ædificatus, vbi Salomon ſtabat ad orandum, qui dicebatur Regis oratorium, &c.

Abulenſis opinio vera non eſt. Nam porticus illa ante templum exſtructa, templi erat veſtibulum, in quo ſuprà diximus columnas duas fuiſſe conſtitutas, propinquius ipſi templo, quàm atrium ſacerdotum. Si ergo in atrio ſacerdotum nemini, qui ſa- *In veſtibulo tẽpli ſolis ſacerdotibus & leuitis licebat verſari. 2. Par. 4.* cerdos aut leuita non eſſet, verſari licuit; in illa E quoque porticu, vel templi veſtibulo, nemini verſari, aut ambulare fas fuit, qui ex his ordinibus non eſſet. Alia dicitur Salomonis porticus; videlicet illa ipſa Baſilica, de qua ſic ſcribitur: *Fecit Salomon Baſilicam grandem, & oſtia in Baſilica*, &c. Et Ioſephus: Fanum, inquit, erat porticibus magnis ac latis cinctũ, & portis altis patens, &c. Erat hæc Baſilica, vt iam diximus, atrium vnum à Salomone conſtructum, poſt atrium ſacerdotum. Non enim plura conſtruxit atria, vt ſuprà dictum eſt. Cùm igitur Salomon plura atria non conſtruxerit, hoc, quod conſtruxit, nomen Salomonis retinuit, vt ab atriis reliquis, quæ poſtea exſtructa ſunt, diſtingueretur. Hæc opinio Vatabli eſt. Act. 3. Porticum, inquit, Salomonis ap-

CAPVT XXXII.

De iis quæ in atrio ſacerdotum erant.

De Altari holocauſtorum.

IN atrio ſacerdotum altare erat æneum ſub dio, quod holocauſtorum appellatur à præcipuo ſacrificij genere, id eſt, holocauſto. Latum id erat viginti cubitos, totidem longum, decem verò altum, vt traditur 2. Paralip. 4. Obſtare creditur huic altitudini præceptum illud Dei: *Non aſcendes per gradus ad altare meum, ne reueletur turpitudo tua*, &c. Nam *Exodi 20. An habuerit gradus altare.* per gradus neceſſe erat ad decem cubitorum altitudinem aſcendere. Reſpondemus altare non habuiſſe gradus; aſcendiſſe autem ſacerdotes per accliuem terræ tumulum inſtar collis, vt ait Abulenſis 2. Paral. 4. quæſt. 7. ita docet Ioſephus libro 6. de Bello cap. 6. Aſcenſus, inquit, in altare paullatim arduus reſupinabatur, &c. Loquitur de altari ſecundi templi, ſed par eſt ratio.

Obſtat præterea alterum præceptum eodẽ cap. *Exodi 20. An fuerit altare ex terra aut lapidibus.* 20. Exodi traditum: *Altare de terra facietis mihi; quòd ſi altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de ſectis lapidibus. Si enim lenaueris cultrum ſuper illud, polluetur*, &c. At hoc altare æneum erat, neque de terra, neque de lapidibus. Reſpondetur, æneum quidẽ fuiſſe, ſed vel terra completum, vel lapidibus impolitis. Terra completum vult Caietanus. Completum impolitis lapidibus vult Abulenſis 2. Paralip. 4. quæſt. 4. & Lyranus. Erat enim altare concauum. Lapides potiùs, quàm terram habuiſſe probant verba illa: *Cogitauit Iudas de altari holocauſtorum, quod profanatum erat, quid de eo faceret. Et incidit illis conſilium bonum, vt deſtruerent illud, ne forte illis eſſet in opprobrium, quia contaminauerunt illud gentes. Et demoliti ſunt illud, & poſuerunt lapides in monte domus, in loco apto; quoad vſque veniret Propheta, & reſponderet de eis. Et acceperunt lapides integros ſecundùm legem, & ædificauerunt altare nouum, ſecundùm illud, quod fuit prius*, &c. Nónne vides *1. Mach. 4. Altare holocauſtorũ lapidibus cõpletum. Ioſephus.* ex lapidibus ædificatum altare holocauſtorum? Ioſephus lib. 6. de Bello cap. 6. idem ſignificat. Agens enim

enim de altari: Quadratum, inquit, erat, quatuor angulos habens cornutos. Fabricatum autem eſt abſque ferro, neque vmquam ferrum illud attigit, &c. Videlicet ferrum lapides non attigerat impolitos.

Philo. Et Philo in libro de Offerentibus victimas: Alterum, inquit, altare è ſaxis impolitis exſtruitur, iuxta templi veſtibulum, ad immolandas victimas, &c. Abulenſis tamen 2. Paralip. 4. quæſt. 5. vult legem illam Exod. 20. de altari eſſe intelligendam, quod aliquando in loco licito erigeretur; non verò de altari templi, quod Deus iuſſerat ex ære fabricari, non ex lapidibus aut terra.

Obſerua templum Dei duo habuiſſe altaria. Alterum thymiamatis intra templum; alterum holocauſtorum extra templum, in atrio ſacerdotum. In altari thymiamatis thymiama adolebatur; in altari holocauſtorum, oues, boues, & aliæ victimæ incendebantur. Quamobrem ſub dio erat, propter fumum & ignem. In domo Dei, id eſt, animo, duo quoque altaria eſſe oportet. Vnum thymiamatis, id eſt, orationis, alterum victimarum, & ſanguinis, & mortis, id eſt, pœnitentiæ & mortificationis. In hoc altari obſecrat Paullus, vt corpora noſtra veluti victimas Deo gratiſſimas immolemus: *Obſecro*, inquit, *vt exhibeatis corpora veſtra, hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum.* Græce, λογικὴν λατρείαν, id eſt, cultum Dei rationalem, non animalium ratione carentium & brutorum, ſed hominum ratione præditorum. Bruta animantia mortua offeruntur; veſtra corpora offerte hoſtiam viuentem Deo, mortua mundo. Immolate libidinem veluti fœtidos hircos, odia & iracundias, veluti furentes tauros, inuidias veluti capras, aliaque vitia omnia. In hoc altari illud ſacrificium offertur, quod Deus numquam deſpicit; nimirum cor contritum & humiliatum, de quo Dauid: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* Sacrificia illa Iudæorum antiqua deſpexit; ſacrificium verò contriti cordis neque deſpexit vmquam, neque deſpiciet.

Duo in homine Chriſtiano altaria.

Rom. 12. Mortificatio & pœnitentia.

Pſal. 50.

Altare tabernaculi Deus exſtrui voluit concauum. *Non ſolidum, ſed inane, & cauum intrinſecus facies illud*, &c. Meritò quidem inane & cauum erat Iudæorum altare; quoniam gratia vacuum erat, quam ſacrificia illa omnia vi ſua minimè efficiebant. Chriſtianorum altare non inane eſt, aut cauum, ſed pleniſſimum, ac ſolidiſſimum. Etenim ſtupendum Sacramentum, ac ſacrificium, quod in illo offertur, vi ſua gratiam efficit, eámque copioſam. Gratiæ totius fontem Chriſtianum altare continet, ideò ſolidiſſimum meritò dicitur; gratiam minimè continebat Iudaicum, ideò inane & cauum iure appellatur. Præterea ex impolitis lapidibus, rudibuſque præcepit Deus altaria Iudæorum fieri; quoniam impolita ac rudia fuerunt Iudæorum ſacrificia, boum, ouium, agnorum, quæ animalia ethnici etiam commentitiis Diis immolabant. At Chriſtianum altare expoliti ſſimũ eſt, atque ornatiſſimum. Non enim vitulorum aut agnorum ſacrificia in eo offeruntur, ſed ipſe offertur Dei Filius, quem reliqua illa ſacrificia adumbrabant. Denique æneum erat Iudæorum altare, ænea ſacrificia; aureum eſt Chriſtianorum altare, aureum ſacrificium. Vtinam & ſacerdotes quoque ſint aurei.

Exodi 27.

Altare Iudæorũ concauum & inane, Chriſtianorũ pleniſſimum. Euchariſt.

CAPVT XXXIII.

De igne ſacro altaris holocauſtorum.

IN altari holocauſtorum ignis ardebat, quo & victimæ incendebantur, & thymiama in altari thymiamatis adolebatur. Is autem ignis ſacer erat, à Deo emiſſus. Vt enim traditur: *Egreſſus ignis a Domino deuorauit holocauſtum & adipes, qui erant ſuper altare*; ea die, qua Pontifex Aaron primum Deo in altari holocauſtorum ſacrificium obtulit. Hic igitur ignis ſacer fuit; quia diuinitus datus. Quiuis verò alius alienus dicitur. Quamobrem duo Aaronis filij Nadab & Abiu flãmis correpti & incenſi perierunt, quòd non ſacrum, ſed alienum, id eſt, profanum ignem thuribulis impoſuiſſent, vt leges Leu. 10. De hoc igne Auguſtinus quæſt. 31. in Leuiticum ſic ſcribit: Non licebat igne alieno incenſum imponere Domino. Quia ex illo igne, qui diuinitus ad altare venerat, deinceps cuſtodito, omnia erant incendẽda, quæ in tabernaculo accẽdi oportebat, &c.

Ignis è cælo. Leuit. 9.

Ignis alienus quis.

Dubium eſt, an ignis ille, qui primi illius ſacrificij tempore in altare delapſus eſt, fuerit perpetuò vſque ad templum Salomonis conſeruatus. Abulenſis Leu. 9. exſtinctum fuiſſe putat, eo quòd Iſraëlitæ victimas in ſolitudine non immolarent. Quid enim igne opus erat, ſi nulla ſacrificia incendebantur? Conſeruatum arbitratur Comeſtor in hiſtoria Leuitici cap. 15. Seruatus, inquit, eſt ignis vſque ad tranſmigrationem Babylonis. Idem ſentit Lyranus Leuit. 9. Carthuſianus, Dionyſius, Cardinalis Hugo, & alij. Hanc verò opinionem ait Abulenſis Num. 4. quæſt. 16. communem eſſe Hebræorum & Latinorum. Theodoretus in ea eſt, quæſt. 9. in Leuiticũ: Hunc, ait, ignem Dominus præceperat conſeruari, & illi ſuppeditari ligna, ne manufactus ignis admiſceretur igni diuino, &c. In hanc eo ſententiã. Probatur ex præcepto Dei, quod huiuſmodi exſtat: *Ignis in altari meo ſemper ardebit; quem nutriet ſacerdos, ſubiiciens ligna mane per ſingulos dies.* Item: *Ignis eſt iſte perpetuus, qui numquam deficiet in altari*, &c. Ergo non eſt exſtinctus. Argumento Abulenſis reſpondetur ignem conſeruatum, & per ſolitudinem delatum, quòd à Deo fuiſſet datus; quamuis ſacrificia nulla incenderet. Sacrificia tamen aliqua in ſolitudine obtuliſſe ſacerdotes non eſt à veritate alienum.

An primus ignis fuerit cõſeruatus.

Comeſtor.

Leuit. 9.

Potuit ergo ignis ille ad templum vſque Salomonis conſeruari. Quòd ſi antequam Iſraëlitæ in terram promiſſam peruenirent exſtinctus eſt, dicendum videtur Deum, quo tempore ſacrificia in terra illa offerri cœperunt, ignem è cælo demiſiſſe. In templo autem Salomonis ignis huiuſmodi non defuit. Nam in templi ipſa dedicatione ignis è cælo deſcendit, & deuorauit holocauſta & victimas. Is deinceps potuit in altari ſeruari, ſi alius deeſſet. An verò vſque ad Babylonicam captiuitatem durarit is idem ignis dubium eſt. Potuit enim à Regibus Hebræis ſimulacrorum cultoribus exſtingui. Ex 2. Machab. 1. conſtat, quo tempore in captiuitatem abductus eſt populus, ſacerdotes ignem ſacrum in puteo recluſiſſe: poſt reditum verò à Babylonico exſulio Nehemiã pro igne aquam in puteo craſſam reperiſſe. Hac ille aqua cùm tam ligna, quàm ſacrificia aſperſiſſet, fulgente Sole excitatus ignis eſt, qui ad Machabæorum vſque tempora permanſit. Machabæorum temporibus in poteſtatem ethnicorum venit templum: quid de igne ſit actũ ignoratur. Meminit Ioſephus lib. 2. de Bello cap. 17. feſtiuitatis, qua Iſraëlitæ ad ſuccendendum hunc ignem in templum ligna comportabant. Ea à lignis xylophoria appellatur, ξύλον enim lignum eſt, & φορία, portatio, à φέρω, porto. Aduenientе feſtiuitate, ait Ioſephus, quæ xylophoria dicitur, in qua mos eſt omnibus grandem lignorum materiam conuehere ad templum, quatenus numquam ignis deficiat eſca. Semper enim inexſtinguibilis perſeuerat. Aduerſarios à cultu religionis excluſerunt, &c.

2 Par. 7. Ignis è cælo in dedicatione tẽpli.

Habes caritatis typum. Sacer ignis caritas eſt è

cælo delapſus,&à Deo egreſſus,iuxta illud Chriſti: *Ignem veni mittere in terram,& quid volo,niſi vt ardeat?* Sacer ignis ille eſt, qui à Spiritu ſancto mittitur, quemadmodum olim linguæ igneæ in Apoſtolos miſſę ſunt. Alienus ignis eſt mundi amor & carnis, quem qui thuribulo cordis imponunt, vt Aaronis filij, cupiditatum flammis incenſi malè pereunt. Sacer ignis in altari, id eſt,corde noſtro,ſemper ardeat, ſit ignis perpetuus, exſtinguatur numquam. Vt autem numquam exſtinguatur, ſubiice ligna manè per ſingulos dies,quod præcipitur Leuitici 9. id eſt, rerum diuinarum commentationem, bona opera, ſanctorum lectionem librorum, diuorumque exempla, quibus alatur: ſubiice Crucis lignũ, ſingulis diebus Chriſti cruciatus voluens animo. Subiicient etiam ligna ſacerdotes, cùm ad pœnitentiæ ſacramentum auguſtiſſimamque Euchariſtiam acceſſeris. Memento feſtiuitatis illius, quæ xylophoria dicebatur. Tu quoque xylophoriam ſpiritualem celebra,id eſt,in templũ Dei,animum videlicet tuum,diuini cæleſtiſque ignis nutrimenta comportato.

Luc. 12.

Mũdi amoris typus.

CAPVT XXXIV.

De mari æneo & conchis, in quibus victimæ abluebantur.

AD meridianam atrij ſacerdotum partẽ ingens locatum erat aquarum receptaculum, quod ſacræ litteræ *Mare* vocant, ex ære fabricatum. Duodecim verò boum dorſo fulciebatur, quorum tres ad Orientem,tres ad Occidentem,ad Auſtrum tres,totidem ad Aquilonem ora vertebãt. Hoc autem mare abluendis ſacerdotibus per epiſtomia præbebat aquam. Lege 3. Regum 7. & 2. Paral. 4. Entibi baptiſmi imaginem. Mare eſt, in quo peccata omnia ſubmerguntur,quod boues,hoc eſt,concionatores, & ſacerdotes humeris ſuſtinent, & per quatuor orbis plagas ferunt. Iuxta illud: *Euntes,docete omnes gentes, baptizantes eos*, &c. Et illud: *Ite in mundum vniuerſum*,&c. Hoc mare,ait Ioſephus,lib. 7. Antiquit. cap. 6. ex æris quodam genere fabricatum,quod auro pretioſius ducebatur: Dauid,inquit, præcipuas Adrazari vrbes aggreſſus eſt, easque vi expugnatas diripuit. In his magna vis auri & argenti reperta eſt; & præter hæc, æris genus,quod auro pretioſius eſt habitum. Ex quo poſtea Salomon fecit magnum illud vas,mare appellatum, & pulcerrima pollubra, cùm templũ adornaret, &c.

Typus baptiſmi eſt mare æneũ.

Matth. vlt. Marci 16.

Abluebantur hoſtiæ Deo offerendæ. Aqua huic rei erat opus. In eodem igitur atrio decem luteres ſiue conchæ ſupra decem baſes ac rotas,veluti ſupra decem currus, quinque ad dextram, quinque ad ſiniſtram partem conſiſtebant. In iis victimæ abluebantur. Luter autem vas dicitur amplum, ad lauandum expoſitum. *Fecit conchas decem, & poſuit quinque à dextris,& quinque à ſiniſtris; vt lauarent in eis omnia, quæ in holocauſtum oblaturi erant. Porrò in mari ſacerdotes lauabantur*, &c. Similitudinem gerunt hi luteres ſacramenti pœnitentiæ. Non ſatis eſt baptiſmi mare in Eccleſia; quia poſt baptiſmum multis ſe ſordibus homines contaminant. Adduntur luteres, additur pœnitentiæ, ſiue confeſſionis ſacramentum, quo, quæ poſt baptiſmum commiſſa ſunt crimina, eluantur. Mare vnum tantum eſt, quia vnum eſt baptiſma, neque iterari poteſt; luteres plures ſunt,quia ſæpiſſimè peccata confeſſione ſunt expianda.

Decem templi luteres.

2. Par. 4.

Pœnitentiæ Sacramẽto animus abluitur.

2. Par. 4.

Obſerua illa verba: *In mari ſacerdotes lauabantur.* Magna à ſacerdotibus flagitatur munditia,ideoque aquarum mare abluendis proponitur. Abluebant autẽ ſacerdotes nõ manus ſolùm, ſed pedes etiam, vt ſcribitur: *Emiſſa aqua lauabunt in eo*, id eſt, in labro æneo, *Aaron & filij eius,manus ſuas ac pedes,quando ingreſſuri ſunt tabernaculum teſtimonij, & quando acceſſuri ſunt ad altare,vt offerant in eo thymiama Domino, ne forte moriantur*,&c. Vnde colliges nudis pedibus ſacerdotes ingredi ſolitos templum, cùm thymiama Domino in altari thymiamatis offerebant. Caietanus etiam in atrio vult nudis pedibus miniſtraſſe, ob loci venerationem. Quemadmodum enim Moſi pedes nudari iuſſit Deus, propter loci ſanctitatem: *Solue*, inquit, *calceamenta de pedibus tuis: terra enim in qua ſtas,terra ſancta eſt*: ita ſacerdotes pedes nudare voluit, propter templi & atrij,in quo verſabantur, ſanctitatem. Terra enim in qua ſtabant,terra ſancta erat. Idque colligitur ex Septuaginta Interpretibus: ſic enim ſunt interpretati: *Lauabit Aaron & filij eius ex eo manus & pedes aqua. Cùm ingredientur in tabernaculum teſtimonij, lauabunt aqua, & non morientur: cùm accedent ad altare miniſtrare,& offerre holocauſta Domino; lauabunt manus & pedes aqua: cùm ingredientur in tabernaculum teſtimonij; lauabunt aqua, vt non moriantur*,&c. Arias Montanus in libro de Fabrica templi ſcribit,in templo exedram fuiſſe foci,vt ſacerdotes nudis pedibus in atrio incedere ſoliti calefierent. Noſtri verò ſacerdotes ſi non corporis,at certè animi pedes,id eſt,affectus ac cogitationes abluere iubentur. Affectibus enim & cogitationibus, vt pedibus,mouetur animus. Afferant ergo ad altare tum pedes,id eſt,affectus & cogitationes, tum manus,id eſt,opera,ab omni ſorde longè remota. Terra enim in qua ſtant, non ſancta ſolùm, ſed ſanctiſſima eſt, altare ſanctiſſimum, ſacrificia omnia ſtupore digniſſima.

Sacerdotũ ablutio.

Exodi 30.

Exodi 3.

Exodi 30.

Cogitationes & affectus ſacerdotum ſint puriſſimi.

CAPVT XXXV.

De cellis, quæ templum cingebant.

DE templo & atriis diximus. Nunc inueſtigemus,an domus aliquę,præter templũ & atria, conſtructæ fuerint. Dicitur Salomon circum templum tabulata ædificaſſe: *Ædificauit ſuper parietem templi tabulata per gyrum,in parietibus domus per circuitum templi & oraculi: & fecit latera in circuitu*, &c. Quænam ſint hæc tabulata ſiue latera,quæ templũ circumdabant,ambigitur. Nonnulli volunt deambulacra fuiſſe circùm templum exſtructa. Veriſimilius eſt, fuiſſe cellas vel thalamos, vt Pagninus vocat, à Salomone ſuper parietem templi per gyrum exſtructos. Probatur ex Ioſepho. Is de iis cellis ſic ſcribit: Ædificauit in circuitu templi triginta paruulas domus, quæ propter conſtipationem & multitudinem templum continerent, ac fulcirent in circuitu exſtructæ. Erant autem inter ſe peruiæ, ita vt ex vna ingreſſus in alteram pateret. Singulæ domus latitudinem quidem habebant 25. cubitorum, & tantumdem longitudinis, altitudinis verò viginti. Erant ſuperædificatæ iis aliæ, & rurſus aliæ ſuper eas æquales, & menſuris, & numero. Ita vt omnem altitudinem haberẽt proximè ſicut domus inferior. Superior namque circumædificata non erat, operiebatque eas camera cedrina. Hæc Ioſephus. Ex his collige has paruulas domus in circuitu templi fuiſſe exſtructas tribus ordinibus. Erant infimæ quædam, mediæ aliæ, aliæ ſuperiores. Quòd ad menſuram attinet, Scripturæ Ioſephus minimè conſentit. Ex Scriptura enim conſtat has cellas æqualis non fuiſſe latitudinis. Sic enim ſcribitur: *Tabulatum,quod ſubter erat, quinque cubitos habebat latitudinis, & medium tabulatum ſex cubitorum latitudinis*,

3. Reg. 6.

Quæ ſint tabulata circa templi ambitum conſtructa.

Ioſephus l. 8. Antiq. c. 3.

An fuerint cellæ æqualis latitudinis.

3. Reg. 6.

nis, & tertium tabulatum septem habens cubitos latitudinis. Dicendum ergo, has domos inæqualis fuisse latitudinis. Videlicet, domos primi ordinis atque infimi, quinque cubitorum; domos secundi ordinis sex cubitorum; domos tertij septem cubitorum latitudinem habuisse. Altitudinem verò singulas habuisse quinque cubitorum; omnesque tres ordines
3.Reg. 6. quindecim, colligitur ex illis verbis: *Aedificauit tabulatum super omnem domum quinque cubitis altitudinis*, &c. Tabulata dicuntur, quoniam non ex lapidibus, sed ex tabulis tantummodo erant constructæ cellæ. Erat autem in templi parte dextera ostium, & cochlea, per quam ad has cellas ascendebatur,
Ibidem. De qua 3. Reg. 6. *Ostium lateris medij*, id est, tabulati, *in parte erat domus dextræ. Et per cochleam ascendebant in medium cœnaculum, & à medio in tertium*, &c.

A quàm viginti cubitis celsas; singulas autem binæ columnæ duodenûm cubitorum crassitudine sustinebant, &c.

B

Hæc de templo primo à Salomone exædificato sint satis, ad secundum transeamus. Illud tamen non silebo, propè templum Salomonem palatium construxisse, vt scribit Borchardus prima parte cap. 7. §. 43. Salomonis, inquit, palatium in parte Australi montis Moriæ ædificatum fuerat. Similiter Adrichomius in descriptione Ierusalem, numero 59. Palatium, ait, Salomon in parte Australi montis Moriæ, 13. annis ædificauit. Eodem in loco postea Christiani Reges Ierusalem palatium suum habuere, atque ibidem ordo militiæ templi, id est, templariorum initium sumpsit. Hæc ille. Arias quoque Montanus in libro de Fabrica templi: A domo, inquit, Salomonis ad templum scalâ artificiosissimè constructam fuisse, egregio lapide lignisque elegantibus ornatam, ex sacris historiis accepimus, &c.

Palatium Salomonis iuxta templum.

3.Reg.7.

Hoc accepisse videtur Montanus ex illis verbis historiæ sacræ: *Fecit Rex de lignis Thyinis fulcra domus Domini, & domus Regiæ*, &c. Quæ de fulcris scalæ tendentis à Salomonis Regia in templum, Rabbi Salomon exponit apud Lyranum. Præterea eodem capite, vbi Latinè legitur: *Videns Regina Saba holocaustu, qua Salomon offerebat in domo Domini.* Ex Hebræo verti quoque potest, vt Pagninus vertit: *Videns Regina Saba gradus eius*, id est, Salomonis, *quibus ascendebat in domum Domini.* Vel sicut est in Bibliis Regiis: *Videns ascensum eius, quo ascendebat domum Domini.* Et Lyranus: Rabbi, inquit, Salomon dicit, quòd hæc est littera: *Videns ascensum, per quem ascendebat in domo Domini.* Erat enim de domo Regis ad templum quædam via per gradus valdè artificiosè & sumptuosè facta, &c. Potuit quidem scala à Regia Salomonis in templum ducere, verùm ex his locis minimè colligitur. Regina enim Saba non est admirata scalam, sed vt rectè noster Interpres, Septuaginta, & Chaldæus interpretati sunt, mirata est holocausta: holocaustũ enim Hebræi, עלה, *hholah*, id est, ascensum vocant, quòd totum animal incensum ad Deũ ascendat, vel quòd tota victima ascendat in altare. Neque verò dicitur Salomon fabricasse gradus, qui ducerent à Regia in templum ex lignis Thyinis; sed fabricasse gradus domus suæ, & domus Domini. *De lignis Thyinis fecit Rex gradus in domo Domini, & in domo Regia.* D. Hieronymus Isaiæ 38. ait sua ætate solitos Sanctorum locorum monstratores ostendere intra septum templi gradus domus Ezechiæ vel Achaz Regum. Sed ipse non credit in templo domum fuisse Regiam: Solêt, inquit, Sanctorum locorum in hac prouincia monstratores intra conseptum templi ostendere gradus domus Ezechiæ vel Achaz, quòd Sol per eos descenderit. Sed numquam ego credam, non dico Achaz, qui Rex impius fuit, sed cuiuslibet Regis iusti domum fuisse in templo Dei. Cùm Salomon idcirco Deum inter cetera offendisse dicatur, quòd in sublime ędificauerit Mello, vnde atrium templi deambulans in turre palatij despicere solitus sit. Hæc Hieronymus. Templo tamen propinquum fuisse Regium palatium indicat eodem capite ad illa verba: *Conuertit Ezechias faciem suam ad parietem.* Conuertit, inquit, Ezechias faciem ad parietem, quia ad templum ire non poterat. Ad parietem autem templi, iuxta quod Salomon palatium exstruxerat. Vel absolutè ad parietem, ne lacrymas assidentibus ostentare videretur, &c. Colligitur idem ex illis verbis: *Impegerunt eam*, id est, Athaliam, *per viam introitus equorum iuxta palatium*, &c. Impegerunt, inquam, Athaliam eductam ex templo per viam, quæ erat iuxta palatiũ. Item ex illis: *Achaz ingressum Regis exterius*

Sacerdotes & leuitæ per hebdomadas & vices in templo habitabãt.

Scala à tẽplo ad Salomonis domũ exstructa an fuerit.

9.Reg.10.

3.Reg.10.

Isaia 38.

3.Reg.11.

4.Reg.16.

CAPVT XXXVI.

De Exedris.

SACERDOTES & leuitæ ea hebdomada, qua sacerdotales & leuiticas obibant functiones, in templo habitabant. Vnde illud Theophylacti Luc. 1. Quamuis domum Zacharias (pater Baptistæ) Ierosolymis habuisset, non licuisset tamen ei extra ambitum templi per tempus vicis suæ exire, &c. Erant ergo in templi atriis domus tam sacerdotum quàm Ieuitarum, qui plurimi in templo per hebdomadas ministrabant habitationi exædificatæ circum atria. Erant etiam domus thesauris templi asseruandis destinatæ. Hæ exedræ appellantur. *Dedit Dauid Salomoni filio suo descriptionem porticus, & templi, & cellariorum, & cœnaculi, & cubiculorum in adytis, & domus propitiationis; necnon & omnium quæ cogitauerat atriorum, & exedrarum per circuitum, in thesauros domus Domini, & in thesauros Sanctorum*, &c.

C

1.Par.28.

Ex his verbis colliges in templo Salomonis exedras fuisse, in quibus thesauri templi asseruabantur.
Ierem.35. Vnde illud: *Introduces eos in domum Domini in vnam exedram thesaurorum*, &c. Dicebantur quoque hæ exedræ thesaurorum gazophylacia, à gaza seruanda. Fuisse etiam exedras habitationi leuitarum &
1.Par.9. sacerdotũ destinatas colliges ex his verbis: *Hi sunt Principes cantorum per familias leuitarum, qui in exedris morabantur, vt die ac nocte iugiter suo ministerio deseruirent*, &c. Exedræ autem appellantur à sedibus. Nam ἕδρα à Græcis sedes dicitur, vnde cathedra & exedra deducitur. Septuaginta Interpretes sic vertunt locum citatum:
2.Par.28. *Dedit Dauid Salomoni filio suo exemplar, quod habuit in spiritu suo, atriorum domus Domini, & omnium pastophoriorum, quæ in circuitu*, &c. Quas noster interpres appellauit exedras, ipsi pastophoria vocant. Significat autem pastophorium, teste
Pastophoria quæ sint. Hieronymo Ezechielis 40. thalamum: Thalami, inquit, qui Græcè dicuntur pastophoria. Ezechielis
1.Reg.9. 42. παστοφόριον, ait, in thalamum vertitur, &c. Sumitur pro cubiculo siue domo. Nomen Hebræum est, לשכה lischah. Noster interpres interpretatur triclinium, aliis locis gazophylacium & exedram.

D

E

Abulensis 3. Reg. 6. q. 20. ait pastophoria dici à pastu & foris; quòd Iudæi è foris venientes ibi carnibus sacrificiorum, quæ obtulerant, pascerentur. Comestor, Lyranus, & Carthusianus idem sentiunt, scilicet in his pastophoriis sacrificia offerẽtes partem, quæ illis cedebat, edisse. Sed neque vera est etymologia Græci nominis, neque opinio. Exedras aliquot describit Iosephus lib. 6. de Bello cap. 6. hoc pacto: Post introitum, vbi latiores portæ fiebant, tricenis vtrimque cubitis exedras habebant; exemplo quidem turrium longas & latas; suprà verò

Pastophoria non dicũtur à pastu.

Iosephus.

exterius conuertit in templum Domini, &c. Montanus A in libro de Situ Ieruſalem: Secundùm ambitum, inquit, mõtis templi, Salomonis domus inſignis erat, ad montis prærupta, quæ ſubiectam vallẽ magnam deſpiciebant, verſus Auſtrum, &c.

CAPVT XXXVII.

De ſecundo templo.

SALOMONIS templum à Chaldæis euerſum eſt. Poſt reditum verò à captiuitate Babylonica iterum à Iudæis ædificatum, duce Zorobabele, & Ieſu filio Ioſedech ſummo ſacerdote. Appellatur B hoc templum ſecundum. Inferius fuit ſtructura. *Altitudo templi cubitorum 60. 1. Eſdræ 6. Ioſephus.* Altitudinem ſexaginta tantùm cubitorum præſcripſit Cyrus: *Ponant fundamenta ſupportantia altitudinem ſexaginta cubitorum*, &c. Quamobrem apud Ioſephum libro decimo quinto Antiquit. capite 14. de hoc templo hæc verba facit Herodes: Bene, inquit, noſtis, quòd iſtud maximum Deo templum noſtri Patres ædificarunt, cùm à Babylonia remeaſſent; & quia deſunt ei ad magnitudinem in altum cubiti ſexaginta, ad inſtar illius, quod Salomon conſtruxerat, &c. Cùm ædificari cœpit, Sacerdotes & Leuitæ, qui primum Salomonis templum viderant, flẽbant, vt dicitur 1. Eſdræ 3. Quod Ioſephus exponit libro 11. Antiquit. cap. 4. his verbis: Cùm Sacerdotes, & Leuitæ, & Seniores prouinciarum, vetus C recordarentur templum ingenti magnificentia conditum, & nouum viderent per inopiam non ita conſtructum: arbitrati, quantum à priore felicitate minores exiſterent, triſtes ac dolorem minimè tenere valentes, ad lacrymas lamentationesque proruperunt. Hæc ille.

Habuit hoc ſecundum templum Sancta ſanctorum, domũ etiam exteriorem, veſtibulum, atrium ſacerdotum, atrium quoque mundorum & feminarum, exedras, ac cetera omnia, quæ primum Salomonis templum habuiſſe diximus. Nam, vt Ioſephus ait cap. 4. non templum ſolùm, ſed etiam porticus Iudæi ædificarunt, quibus templum circumquaque includebatur. Temporis progreſſu ſtructu- D *Tres muros habuit tẽplũ ſecundũ Ariſtæas.* ra creuit & ornamẽta. Tribus muris fuiſſe circumdatum ait Ariſtæas in hiſtoria de Septuaginta Interpretibus, his verbis: Templum apparebat viſu pulcerrimum. Hoc muri tres circumambiunt, altitudine ſupra ſeptuaginta cubitos ſublimes, latitudine ea, quæ altitudinem deceret, longitudine omnem templi apparatum magnifico opere & decore circumeunt. Portarum verò aſpectus, & lapidum connexiones, & ſuperliminarium mirum decus, ſumma claritudine fulgẽt; vtpote quæ nulla ſumptuum parſimonia, ob magnificentiam, cuncta abundantiſſimè conſtructa fuerant. Hæc Ariſtæas. Addit, templum velo fuiſſe circumdatum: Erat, inquit, extrinſecus velum (quo templum in circuitu clau- E ditur) appenſum, ſimili portarum magnificentia, quod quidem viſu iucundiſſimum ſpectaculum præbebat: tum maximè cùm mota per pauimentum aura, velum ſubintrans illud ad ſummum vſque criſpantibus ſinibus in vndarum morem motat, &c. Si rectè Interpres vertit, Iudæi aliquod ingens velum texuerunt, quo venerationis cauſſa templum operirent, ſed ea res inaudita eſt, & à nullo alio memorię prodita. Forſitan loquitur de velo, quod ante templi fores pendebat. Sed illud velum ante templi fores pendebat.

CAPVT XXXIIX.

De ſubterraneis templi meatibus & puteis.

QVOD de ſubterraneis templi meatibus idem auctor Ariſtæas ſcribit, ad templi cognitionem confert: Tantus, inquit, eſt eductarum aquarum aſſiduus fluxus, vt perennẽ fontem inundare putes. Sed mirabilius eſt, & ferè inenarrabile, ſubterraneorum conceptaculorum magnitudo, quæ ad quinque vſque ſtadia per circuitum templi cuncta penetrat. Plumbeæ ad ea fiſtulæ, quacumque per muros & templi ſolum, quibus omnia abluantur & mundentur, deſcendunt. Sunt & apud aræ baſim frequentes aperturæ, omnibus quidem, niſi his qui miniſtrant, incognitæ, quarum influxu & impetu omnis ex hoſtiarũ multitudine cruor purgetur. Receptarum autem aquarum multitudinem per hunc modum coniectauimus. Nam cùm nos vltra quatuor ſtadia extra vrbem deduxiſſent ad quemdam locum, iubent nos ſubterfluentium vndarum ſonitum audire; qui mihi quidem magnorum vaſorum confluxus viſus eſt. Hactenus ille. *Idem. Subterranei meatus templi.*

Arias Montanus in Apparatu, in atrio ſacerdotum duos puteos fuiſſe ait poſterioribus temporibus artificio confectos, ſiue potius ciſternas, in quibus aquæ aliunde hauſtæ ad ſacrorum vſus conſeruabantur. An autem à Salomonis temporibus effoſſi & conſtructi fuerint, incertum putat. Fuiſſe præterea ſcribit puteum pertuſo canali per montem pertinente vſque ad torrentem, lapide impoſito cum anſa, in quem ſanguis cum aqua infuſus ad torrentem defluebat. Ariſtæas apud Euſebium lib. *Ariſtæas.* 9. de Præparatione Euangelica capite 4. fontem in templo fuiſſe his verbis refert: Templum, inquit, ad ortum reſpicit, poſteriora eius ad veſperum tendunt. Lapidibus autem ornatiſſimè pauimentum templi conſtratum eſt, & aqua ſæpius in templum immittitur, vt à ſanguine detergat: multa enim animalium millia in ſollemnitatibus offeruntur. Fons verò copioſiſſimè atque integer in ipſo templo ſcaturit, ex quo magna vis aquarum per cloacas plumbo conſolidatas defluit. Hæc Ariſtæas in libro de Interpretatione legis. De hoc tamen fonte dubito, quia nullus alius illius meminit. *Arias Mõte*

CAPVT XXXIX.

De templo ab Herode exædificato.

HERODES ille primus, qui Iudææ ſceptrum tunc tenebat, cùm Chriſtus in opido Bethlehem natus eſt, templum hoc ſecundum diruit, magnoque ſumptu & eximia ſtructura exædificauit. Fertur autem, vt Ioſephus ait in fine lib. 15. Anti- *Ioſephus.* quitatum, toto tempore, quo templum exſtruebatur, numquam interdiu pluiſſe; noctu tantùm imbribus deſcendentibus, ne interrumperetur ædificatio. Eaque fama quaſi per manus tradita ad illum à maioribus peruenerat. Quid mirum ſi templi illius exædificationi, in quo Chriſtus & concionaturus & verſaturus erat, cælum faueret? In hoc templo Chriſtus præſentatus eſt, in hoc inter Doctores repertus, in hoc eſt concionatus. Numquam tamen vel in atrium ſacerdotum, vel in templum ipſum interius ingrediebatur; in atria tantùm, vt reliqui, qui nec Sacerdotes nec Leuitæ erant, introibat. Ad hoc etiam templum verba illa diſcipuli pertinent: *Magiſter, aſpice quales lapides, & quales ſtructura?* Marci 13. verba quoque Domini illa: *Vides hæc omnes magnas* *Chriſtus in templo ab Herode exædificato cõcionatus eſt.*

ædificatio-

ædificationes? Non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur. Si quæras quot annis ante Chriſti natiuitatem ſit exſtructum. Reſpondetur, Herodem decimo octauo regni anno opus aggreſſum, teſte Ioſepho in fine libri 15. Antiquitatum, nouem annis ac dimidio abſoluiſſe, nimirum 27. regni anno, quinto ante Chriſti feliciſſimum ortum. Natus eſt enim Chriſtus Herodis anno 32.

Quoto Herodis anno ſit exſtructum templum.

Ioſephus.

Fuit Herodis templum altitudinis cubitorum centum viginti, templi Salomonici inſtar, auctore Ioſepho loco indicato. Viginti tamen cubiti aliquantò poſtſidentibus fundamentis deceſſerunt. Quamobrem libro *6.* de Bello capite *6.* ait centum cubitorum altitudinem habuiſſe. Latitudinem habuit viginti cubitorum, longitudinē centum. Nam Oraculi domus interior viginti habuit cubitos longitudinis, exterior domus quadraginta; veſtibulum Salomonis viginti tantùm habuit, veſtibulum Herodis quadraginta. Quapropter templum Herodis ſimul cum veſtibulo longitudinis erat centum cubitorum. Habuit ſiquidem Sancta ſanctorum, ſiue Oraculum, templum exterius, veſtibulum & atria; vt templum Salomonicum.

In tẽplo Herodis nõ fuit arca teſtamenti. Ioſephus.

Quod ad Oraculum attinet, nec arcam habuit, nec Cherubinos. Rogabis; Quid igitur in Oraculo erat? Reſpondet Ioſephus lib. *6.* de Bello cap. *6.* his verbis: In intima templi parte nihil prorſus poſitum erat: inacceſſa verò, & inuiolata, & inuiſibilis omnibus habebatur, &c. Hac igitur re multò inferius fuit ſecundum templum templo Salomonis. Caruit enim præcipuo templi ornamento, videlicet arca & Cherubinis, caruit Dei throno: iã enim à Iudæis propinquus erat Dei diſceſſus. Caruit item tabulis legis; legis namque veteris per Chriſtũ abrogatio facienda erat. Genebrardus lib. 2. Chronographiæ, ex Rabbi Iacob, in ſecundo templo ait arcam non fuiſſe, loco arcæ lapidem poſitum è terra prominentem tribus digitis, ſupra habentem thuribulum. Sed Ioſepho maior habenda fides.

Genebrar.

In tẽplo Herodis ẽnum cãdelabrũ, & ẽna tantùm menſa fuit. Ioſephus.

Templum quoque exterius, in quo Salomon decem aurea candelabra, decemque menſas collocauerat, vnum tantùm aureum candelabrum, vnamque menſam habuit. Quod ex verbis Ioſephi loco citato de hoc templo loquentis colligitur: Prima, inquit, pars ad quadraginta cubitos auuiſa hæc tria mirabilia, & prædicanda opera cunctis hominibus habebat, candelabrum, & menſam, & thuribulum, id eſt, altare thymiamatis, &c.

Porta tẽpli.

Ioſephus.

Portam habuiſſe ornatiſſimam idem Ioſephus narrat: Interior, inquit, porta tota inaurata erat, & circum eam auratus paries, deſuper autem habebat aureos pampinos, vnde racemi ſtatura hominis pendebant. Fores habebat aureas, quinquaginta & quinque cubitis altas, ſexdecim verò latas. Ad hæc, velum longitudine pari. Hæc Ioſephus libr. *6.* de Bello. Et lib. 15. de Antiq. Ianua, ait, penè ipſi templo par, & ſuperliminare aulæis variegatis ornabatur, floribus purpureis diſtinctis, & habentibus columnas intextas; ſub quarum capitibus vitis expandebatur aurea, dependentibus botryonibus. Mirandum ſanè opus, tam manus, quàm materiæ pretio, &c. Ioſephus quidam, qui filius Gorionis dicitur, lib. 5. Hiſtoriarum de hac vite ſic ſcribit: Fecit Rex columnas argenteas, & baſes earum argẽteas, capita autem earum fecit aurea. Fecit inſuper vitem de auro mundo, & poſuit in ſummitate columnarum, cuius pondus erat mille talentorum aureorum. Erat autem vitis ipſa facta opere ingenioſo, habens ramos perplexos; cuius folia & germina facta erant ex rutilanti auro, botri autem ex auro fuluo, & grana eius, acini, atque folliculi, facti erant ex lapidibus pretioſis. Hæc ille. Fides tamen ſit penes auctorem, cuius librum non deſunt qui commentitium putent. Habes illius imaginem, qui ait: *Ego ſum vitis vera*: Chriſtus vitis eſt aurea, nos fructus ſiue racemi.

Vitis aurea in templi foribus.

Chriſtus vitis aurea. Ioan. 15.

Oppones templum triginta cubitorum habuiſſe altitudinem: non ergo habere potuiſſe fores 55. cubitis altas. Reſpondemus, templi Salomonici 30. cubitorum altitudinem fuiſſe; at Herodiani 60. vt Ioſephus docet. Habuit enim contignationes duas, duasque domos, ſuperiorem atque inferiorem, cubitorum 120. De his templi portis loqui videtur Ioſephus lib. 2. contra Apionem, in quo 60. cubitos altitudinis, & 20. latitudinis illi tribuit. Forte quia ad illos accedebant: Ianuæ, inquit, templi altitudine cubitorum erant 60. latitudine verò 20. Omnes deauratæ, & penè auro puro confectæ. Has claudebant non minus quàm viri ducenti diebus ſingulis, & relinquere eas apertas, nefandum nimis erat, &c.

Ioſephus.

Veſtibulum templi.

Ioſephus.

Veſtibulum ſequitur poſt templum exterius. Id in templo Herodis maius multò fuit, quàm in templo Salomonis. Viginti cubitos habuit latitudinis, longitudinis 40. nonaginta verò altitudinis, abſque vlla contignatione. Patebat, ait Ioſephus lib. *6.* de Bello, ædes in altitudinem perpetuam, perque nonaginta cubitos tollebatur. Cùm longa 40. cubitos eſſet, ac 20. tranſuerſa. Porta verò eius 70. cubitis alta fuit, & 25. lata; neque fores habebat. Cælum enim vndique conſpicuum lateque patens ſignificabat. Erantque totæ frontes inauratæ. Ac prima ædes omnis perlucebat extrinſecus, auroque circum interiorem templi partem ſplendida cuncta cernentibus occurrebant. Hæc ille. In veſtibulo Salomonis duæ fuere columnę admirabiles, de quibus ſuprà diximus. In veſtibulo ſecundi templi, & templi Herodis columnas huiuſmodi non leginus collocatas. Itaque hoc etiam ornamento veſtibulum templi ſecundi caruit.

Caruit columnis veſtibulum Herodis.

Cella tẽpli.

Fuit etiam Herodis templum domibus, ſiue cellis cinctum, vt ait idem Ioſephus lib. *6.* de Bello capite *6.* Circa latera, inquit, inferioris templi multa erant membra peruia, id eſt, domus laterales, triplici tecto ſuſpenſa, & ad vtrumque latus, ad ea introitus à porta patebat, &c. vocat Ioſephus eodem loco hoc templum, Græcè, διέγεον, intus, id eſt, duas habens contignationes. Inferior contignatio 60. cubitos habuit altitudinis, ſuperior 40. cubitos, 20. ſubſidentibus, vt dictum eſt.

Templum diſtegum.

Quatuor atria templi.

Quatuor habuiſſe atria docet idem auctor, qui ſacerdos fuit, & in templo adhuc ſtante victimas immolauit, lib. 2. contra Apionem hunc in modum ſcribit: Quatuor porticus habuit templum in circuitu. Et harum ſingulæ propriam ſecundũ legem habuere cuſtodiam. In exteriorem itaque ingredi licentia fuit omnibus, etiam alienigenis; mulieres tantũmodo menſtruatę tranſire prohibebantur. In ſecundam verò porticum cuncti Iudæi ingrediebantur, eorumque coniuges, cùm eſſent mundæ. In tertiam maſculi Iudæorum mundi exiſtentes, atque purificati. In quartam autem Sacerdotes ſtolis induti ſacerdotalibus. Hæc Ioſephus. Ex iis exploratum eſt, habuiſſe templũ, de quo loquimur, atrium ſacerdotum, atrium mundorũ, atrium feminarum, & atrium immundorum, in quod etiam ethnicis licuit introire.

Diſtinctio atriorum.

Atrium ſacerdotum.

De atrio ſacerdotum lib. *6.* de Bello cap. *6.* hęc habet: Et templum, & altare (videlicet holocauſtorum) coronabat, id eſt, cingebat, ex pulcris lapidibus gratum ſeptum, vſque ad cubitũ ſurgens, quod populum à ſacerdotibus ſegregabat, &c. Hoc ſepto atrium ſacerdotum circumdatum fuit, & templum Herodis. Poſt atrium ſacerdotum atrium erat mundorum

dorum in duo distinctum atria, alterum virorum, alterum feminarum.

Ethnicos arcebat septũ. Quà verò ab atrio primo gentium, ad atrium secundum Iudæorum mundorum ibatur, septum erat saxeis cancellis ad tres cubitos altis, eodem Io-

Iosephus. sepho lib. 6. de Bello cap. 6. oculato teste, nimiumque grato opere factis; vbi æquis dispositæ interuallis columnæ stabant, legem munditiæ præmonentes, aliæ Græcis, aliæ Latinis litteris, in locum sanctum transire alienigenas non debere. Et lib. 15. Antiquit. cap. vlt. Paries, ait, circumibat lapideus, titulum habens, qui prohibebat alienigenas ingredi morte interminata, &c. Etenim mortis pœna proposita. Ethnici atrium Iudæorum mundorum ingredi prohibebantur; idque Romani conces-

B serant, vt illa Titi verba indicant lib. 7. de Bello cap.

Siquis ethnicus septum trãsgrederetur, etsi Romanus esset, mortis incurrebat pœnã. 4. Nónne vos cancello sanctum locum protexistis? nónne litteris Græcis ac nostris, id est, Latinis, incisas tabulas constituistis, quibus ne septa cuiquam transgredi liceret edicitur? nónne eos, qui transissent, quamuis Romanus quis esset, vobis necare permisimus? Hæc Imperator Titus.

Quatuordecim gradus templi. Atrium mundorũ. Quatuordecim gradibus ab atrio gentium, siue immundorum, ad atrium Iudæorum mundorum ascendebatur: quadratumque surſum erat, & proprio muro circumdatum, cuius exterior celsitudo, quamuis 40. cubitis surgeret, tamen gradibus tegebatur. Interior autem 25. cubitorum erat; quoniam in altiori loco per gradus ædificata, non tota pars interior cernebatur, colle obtecta. Post 14. gradus

C spatium erat vsque ad murum decem cubitis planum. (ita Græcè, non trecentis cubitis, vt Latinè habetur.) Hinc rursus alij quinque gradus, & scalæ ad portas ducebant.

Decẽ portæ templi. Erãt autem portæ eius atrij decem: quatuor à Septemtrione, quatuor à Meridie, duæ patebant ex Oriente. In eo locus erat feminis mundis ad Orientalem partem destinatus,

Locus feminarum in templo & virorum. muroque ab atrio virorum separatus; ad quem feminarum locum tres ex iam numeratis portæ ducebant, vna à Meridie, altera à Septemtrione, tertia ac præcipua ab Oriente aperiebatur. Post feminarum locum, propinquior atrio sacerdotum locus erat virorum; ad illum ingressus per reliquas septem portas patebat, quarum tres ab Austro, tres si-

D tæ erant ab Aquilone, vna ab Oriente, è regione Orientalis portæ illius, quæ ad atrium feminarum ferebat.

Iosephus. De ornatu portarum & porticibus sic Iosephus lib. 6. de Bello: Inter portas porticus à muro intrò magnis & pulcerrimis columnis sustinebantur. Erant autem simplices, ac præter magnitudinem, nulla re ab inferioribus, id est, iis quę erant in atrio inferiori gentium, aberant. Portarum autem nouem quidem (sic Græcè) auro & argento vndique tectæ erant; similiterque postes & superliminaria. Vna verò, quæ extra templum erat, ære Corinthio, quæ multo argento inclusas & inauratas honore superabat. Et binæ fores quidem in singulis ianuis

E erant, tricenis cubitis altæ, quindenis latæ, &c. Hæc

Porta tẽpli speciosa siue Corinthia quæ esset. Actor. 3. porta, quam Corinthiam Iosephus vocat, ab ære Corinthio, in Actis Apostolorum speciosa appellatur propter pulcritudinem: *Quidam vir qui erat claudus ex vtero matris suæ baiulabatur, quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur speciosa, vt peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum*, &c. Nam per illam non solum viri mundi, sed etiam feminæ ingrediebantur; & feminæ quidem in suo atrio manebant, viri ad suum atrium transibant. Vnde illud

Iosephus. Iosephi lib. 15. Antiq. c. vlt. Ab Oriente porta vna magna; per quam intrarent casti, id est, mundi viri, vnà cum vxoribus. Felicissimum fuit hoc atrium feminarum. Etenim Virgo Deipara illud frequentauit, in eoque sæpe cum ceteris feminis Deum adorauit, & precata est. Felicissima porta speciosa siue Corinthia, per quam Christus, & Virgo, Apostoliique sæpe sunt ingressi templum.

Porta tẽpli è regione speciosæ siue Corinthiæ. Quindecim gradus tẽpli. E regione portæ speciosæ, quæ in atrio mundorum prima Orientalis erat porta, altera interior Orientalis in muro, qui atrium feminarum ab atrio virorum diuidebat, fabricata erat, ad quã per quindecim gradus ascendebatur, Iosepho auctore. Erant hi gradus in atrio feminarum, porta ducebat in atrium virorum. Hos dicitur Virgo, cùm in templo præsentata est, ascendisse. Virgo nata est circiter illum annum, quo Herodes templum exædificare cœpit, triennio post præsentata ascẽdere potuit hos

B gradus, si iam erant exstructi, sin minus, alios similes. De hac porta Iosephus lib. 6. de Bello verba

Iosephus. hæc facit: Aliarum quidem portarum æqualis erat magnitudo: porta verò quæ super Corinthiam portam à loco mulierum ab Oriente aperta erat, e regione portæ templi multo maior. Quinquaginta enim cubitis surgens, quadraginta cubitorum fores habebat, ornatumque magnificentiorem, quoniam crassiori argento atque auro vestiebatur, &c. Dicitur hæc porta esse super Corinthiam, quia propinquior erat templo, & in loco celsiori exstructa e regione Corinthiæ: à Corinthia enim per quindecim gradus ad illam ascensus erat, vt diximus.

Porta super Corinthiam mirabilis.

Est opinio, hanc portam versus Orientem ante Corinthiam fuisse: quoniam maior erat. Sed ex Iosepho videtur probari Corinthiam fuisse priorem:

C ait enim portam illam maiorem fuisse super Corinthiam, id est, in loco celsiori accliuis mõtis, propinquiorem atrio sacerdotum & templo. Præterea ait Corinthiam fuisse extra templum sitam, videlicet, quoniam extrema erat atrij mundorum, quæ extra templum ducebat, & extra templum incedentibus conspicua erat. Exponi potest extra templum Corinthiam fuisse, quòd non in primæ & exterioris porticus frontispicio, sed extra illud, in secunda & interiori porticu posita esset. At si in porticu interiori Corinthia sita erat, intra templum potius fuisset sita, quàm extra templum.

Signũ euersionis templi datũ in porta Corinthia. Corinthiam portam, ait Iosephus lib. 7. de Bello

D cap. 12. euersionis templi signum dedisse his verbis: Orientalis porta interioris templi, id est, atrij mundorum, cùm esset ænea atque grauissima, & sub vesperam vix à viginti viris clauderetur, serisque ferro vinctis obseraretur, pessulosque altos haberet in saxeum limen demissos vno perpetuo lapide fabricatum, visa est noctis hora sexta sponte patuisse, &c.

Hoc atrium mundorum suas habuit porticus, quæ pulcris admodum magnisque columnis fulciebantur. Habuit præterea exedras siue pastophoria. In hoc Christus ingressus est, in hoc concionatus, ex hoc vendentes atque ementes expulit.

Atriũ gentibus & immundis cõmune. Præter atrium mundorum, fuit etiam in templo

E Herodis atrium profanũ, & gentium, siue immundorum, in quod fas fuit immunditia legali contaminatis ethnicisque introire. Hoc etiam atrium porticibus cinctum erat, vt ex Iosepho discimus

Iosephus. lib. 6. de Bello cap. 6. eius verba operæpretium erit referre, siquidem ad templi cognitionem conferunt: Fanum, inquit, conditũ erat supra durissimum collem; & initio quidẽ vix templo atque aræ, Græcè βωμῷ, id est, altari holocaustorum, sufficiebat, iacens in summo planities: quòd vndique præceps erat atque decliuis. Cùm autem Rex Salomon, qui etiam templum ædificauerat, muro eius partem ab Oriente cinxisset, vna porticus aggeri est imposita: & manebat ex aliis partibus nudum, &c. Hæc tempore Salomonis acta sunt. Nam Salomon ad 400.

cubitos

cubitos aggeſta terra planitiem montis Moriæ angustam extendit, templumque, & duo atria, vnum sacerdotum, alterum mundorum exstruxit.

Planities tẽpli quomodo coæquata.

Pergit Ioſephus quæ circa templum facta sunt narrare: Manebat, inquit, templum ex aliis partibus, id est, ex Australi, Septemtrionali, atque Occidentali, nudum: quoad sæculis posterioribus semper aliquid aggeris accumulãte populo coæquatus collis latior effectus est. Perrupto autem Septemtrionali quoque muro tantum assumpsere spatium, quantum postea totius fani ambitus incluserat. Triplici autem muro colle circumdato, spe maius opus exstructum est, in quo longa sæcula cõsumpta sunt; omnesque thesauri sacri, quos toto orbe missa Deo munera repleuerãt, tam in superiore ambitu, quàm inferiore templo ædificatis. Cuius quod humillimum fuit trecentenis cubitis munierãt, in quibusdam verò locis pluribus. Non tamen omnis altitudo fundamentorum videri poterat, multùm vallibus obrutis, vt angustas vias opidi coęquarent. Saxa verò quadragenũm cubitorũ magnitudinis erant. Nam & pecuniarum copia, & populi largitas maiora dictu conabatur, quodque numquam posse perfici sperabatur, diuturnitate ac perseuerantia explicabile videbatur.

Fundamẽta templi.

Porticus templi.

Tantis autem fundamentis digna erant opera imposita. Duplices porticus omnes, quas columnæ sustinebant quinis & vicenis cubitis altæ, de singulis saxis marmore candido; & laquearia cedrina protegebant, quorum naturalis magnificẽtia, quodque ligno rasili erant, aptèque cohærebant, operæpretium spectantibus exhibebat, nulloque aut pictoris, aut sculptoris opere extrinsecus ornabatur. Late autem porticus per triginta cubitos erant, omnisque gyrus earum sex mensura stadiorum cum Antonia concludebatur. Totum autem sub dio spatium variabatur, omnium quidem generum lapidibus stratum. Quà verò ad secundum templum, id est, atrium mundorum, ibatur, cancellis septũ erat saxeis ad tres cubitos altis, nimiumque grato opere factis; vbi æquis dispositæ interuallis columnæ stabant, legem castimoniæ, id est, munditiæ, præmonentes, aliæ Græcis, aliæ Latinis litteris in locum sanctum transire alienigenas non debere. Sanctum enim vocabatur alterũ fanum, id est, atrium mundorũ, & quatuordecim gradibus ascẽdebatur à primo, id est, ab atrio profano & gentium. Hactenus Ioſephus. Ex quo intelliges quales fuerint porticus templi Herodiani. Hoc enim videtur descripsisse, quod à Romanis euersum est; quamuis eo libro 6. de Bello Iudaico exædificatoris mentionem minimè faciat.

Itaque atrium erat vndique porticibus cinctum duplicibus per cubitos triginta latis; quarum circuitus sex complectebatur stadia. Ex parte verò Septemtrionali cum Antonia concludebatur. Antonia turris nomen est, de qua idem auctor lib. 15. Antiquitat. cap. 14. In Septemtrionalis, inquit, lateris templi angulo arx erat firma, & bene munita, Asamonæorũ, id est, Machabæorũ, opus, qui gentis sacerdotium simul & principatum tenuerunt, & turrim id vocauerunt, Græcè βάρις, repositorium stolæ pontificiæ, quæ non promebatur, nisi Pontifice sacris operaturo. Hanc turrim Herodes munitiorem reddidit ad tutelam templi, & in memoriam amici sui Romanorum Imperatoris Antonij vocauit Antoniam, &c.

Antoniæ turris à Marco Antonio nomẽ habuit.

Ioſephus de tẽplo Herodis quid insuper scripserit.

Libet his adiicere alia eiusdẽ Ioſephi de templo ab Herode constructo verba, vt lucem dictis afferant. Lib. 15. Antiq. cap. 14. Sublatis, inquit, veteribus fundamentis, & nouis repositis, Herodes desuper templum exstruebat longitudine centum cubitorum, altitudine centum viginti. Qui viginti cubiti aliquantò postsidentibus fundamentis decesserũt; cosque denuò addere decreuerunt nostri Neronis temporibus. Constabat autem structura è lapidibus candidis firmissimis, magnitudine viginti quinque cubitorum in longũ: octo in altum: latitudine verò cubitorum duodecim. Habebatque Basilicæ similitudinem, hinc & inde humillimũ, media sui parte celsissimum, à multis stadiis conspicuum, maximè ex aduerso habitantibus aut aduentantibus. Fores cum superliminaribus templo pares, aulæis variegatis ornabãtur, floribus purpureis distinctis, & habentibus columnas intextas. Desuper verò earum sub ipsis capitibus vitis expãdebatur aurea dependentibus racemis, mirandùm opus magnitudine, arte, & materiæ sumptu. Cinxit autẽ & porticibus maximis templum, omnia secundum proportionem studiosè instituens, & sumptus priores, id est, prioris templi, exuperans, vt nullus alius templum exornasse videatur. Ambæ verò porticus erant magni muri, ipse verò murus opus maximum, &c.

Collis siue mõs Moriæ describitur

Post hæc collem Moriam describit, quem addito terræ aggere amplificauit Rex Salomon: Collis, inquit, erat petricosus, arduus, à vertice sensim versus Orientale vrbis latus resupinus. Huius verticẽ primus Salomon instinctu Dei muro circumdedit: radices quoque eius alio muro cinxit, cui versus Austrum subiecta est vallis profunda. Hic murus constat saxis grandibus plumbo inter se vinctis; complectens interius spatium, & in profundum descendens, vt mirãda sit magnitudo, & altitudo structurę forma quadrangulari. Hoc opus postquam æquatum est vertici, cauitas, quæ intererat inter murum & collem, expleta est, & area complanata. Ambitus quatuor stadiorum circulum habebat, singulis lateribus inter duos angulos per stadia singula patentibus. Intra verò hunc murum, iuxta cacumen collis murum alterum lapideum supra exstruxit, secundum collis latus Orientale, & æqualem muro porticum duplicem, quæ templum in medio positum circumdabat, ipsiusque ianuam respiciebat. Hanc porticum multi priores Reges adornauerunt, &c.

Areatẽpli ampliata.

His verbis Ioſephus templum & porticum à Salomone constructam videtur describere. In primis ait Salomonem angustam montis Moriæ areã terrę coaceruatione ampliasse, exstructo muro ad quadringentos cubitos alto, vt scribit lib. 8. Antiq. cap. 2. Dici, inquit, non potest quàm mirandum fuerit illud fanum (videlicet à Salomone constructum.) Vallibus enim expletis tam profundis, vt ad prospectum oculi caligarent, & aggesta ad quadringentos cubitos terra eam vertici montis æquauit. Atque hoc modo factum est vt area fani, id est, atrij, cum solo templi æquaretur, &c.

Deinde quàm lata area ex terra coaceruata facta sit indicat: Ambitus, inquit, quatuor stadiorum circulum habebat. Interpres Latinus vertit; quadriporticum quatuor stadiorum; sed Græcè est περίβολος, id est, ambitus.

Porticus siue atrium Salomonis.

Post descriptam aream de porticu à Salomone ædificata verba facit: Intra hunc murum, inquit, illum, scilicet, quem ad coaceruandã terrã exstruxit, altitudinis quadringentorum cubitorum, quemque terra compleuit, murum alterum exædificauit in latere Orientali montis Moriæ, duplicemque porticum. Hæc autem porticus duplex in atrio erat mundorum, siue in Basilica Salomonis, vt idem Ioſephus docet lib. 8. Antiq. cap. 2. his verbis: Aream fani cinxit Salomon duplicibus porticibus, quas columnæ è natiuo ipsaxo sustentabant, & laquearia cedro expolita tegebant, &c. Hanc porticum ait Ioſephus in loco, quem explicamus, prio-

Ioſephus.

res Reges Iudæorum exornasse; vel exstruxisse (vtrumque enim verbum Græcum significat) exornarunt etenim atrium à Salomone fabricatum, vel etiam vetustate, & aliis casibus collapsum exstruxerunt. Herodes verò templum & atria tam sacerdotum quàm vulgi iisdem locis, quibus antea fuerant constituta, exædificauit. Circum templum antiqua Barbarorum spolia suspendit, & recentia Arabum addidit.

Iosephus. Atrij præterea profani latera sic designat idem auctor: In Septemtrionalis, ait, lateris angulo arx erat, videlicet Antonia, repositorium stolæ pontificiæ. Occidentalis autem porticus quatuor portas habebat. Harum ab vna transitus erat in Regiam per vallem in medio interiectam; duæ ferebant in suburbia, postrema in vrbem gradibus multis vsque ad imam vallem dispositis, & inde aliis sursum per accliue tendentibus. Vrbs enim sita erat è regione templi theatrali specie, toto Australi tractu in profundam vallem desinens. Quartum latus meridianum etiam ipsum habebat portam ab vtroque angulo æquè distantem, & triplicem porticum, Basilicam longitudine ab Orientali valle ad Occidentalem pertinentem. Nec enim vlterius poterat. Ibi spectaculum erat si vllum aliud sub Sole memorabile. Nam cùm vallis in immensum dehiscceret, ita vt caligarent despicientium oculi, desuper exstructa erat prælta porticus, cuius tecto conscenso, si quis vtramque altitudinem coniunctam contemplaretur, absque vertigine id non poterat, deficiente visu ob nimiam profunditatem, priusquã ad imum pertingeret.

Portiem atrij gentiũ. Post hæc porticus ob oculos ponit Iosephus, his verbis: In eius porticibus stabant paribus interuallis quatuor columnarum ordines, quorum quartus intertextum habebat lapideum parietem. Crassitudo autem cuiusque columnæ, quantam possent tres homines consertis inter se complecti brachiis; longitudo viginti septem pedum, subiecta spira duplici. Numerus vniuersarum fuit centum sexaginta duo; capitellis sculptis opere Corinthio, pulcris vsque ad miraculum. His quaternis ordinibus fiunt per interualla ternæ porticus, ita vt in vnoquoque latere duæ pariles porticus triginta pedum latitudinis, plus quinquaginta altitudinis, stadij longitudine, claudant inter se mediam, cuius latitudo sesquialtera, altitudo verò duplicata, tantò superabat vtramque. Earum lacunaria lignea sculpturata figuris variis. Mediæ verò porticus conuexitas altius surgebat excitato super epistylia pariete lapideo politissimo, columnis insertis distincto, mirabili artificio, commissuris oculos fallentibus. Atque hoc modo se habebat primus ambitus, id est, atrium immundorum, vel gentium.

Atriũ mundorum. Interius verò non longo interstitio secundus ambitus, id est, atrium mundorum paucis gradibus scansilis, septum habebat lapideum cum inscriptione, quæ vetaret trãsgredi alienigenam sub interminatione pœnæ capitis. Hoc interius septum, id est, atrium mundorum, tam Australi quàm Septemtrionali latere patebat ternis ianuis; ab Oriente verò vna magna, per quam intrarent casti, id est, mundi viri cum vxoribus. Interius autem mulieribus inaccessibile erat fanum, &c. Portam magnam Orientalem appellat, quam libro 6. de Bello Corinthiam dicit; omittit autem alteram maiorem Orientalem, & duas alias. Erant enim duæ portæ Orientales; Australes verò quatuor, totidem Septemtrionales. Verùm atrij feminarum hic non meminit, in quo tres erant ianuæ, à Septemtrione vna, altera ab Austro, tertia maior ab Oriente, de quibus suprà diximus ex eodem Iosepho: Mulieribus, ait, non fuisse fanum interius post Corinthiam portam accessibile, quoniam suum atrium transgredi illis minimè licebat.

Iosephus. Dictis hæc quoque adiunge: Fano, inquit Iosephus, id est, atrio mundorum, interius aliud erat tertium fanum, in quod solis sacerdotibus intrare fas fuit. In hoc atrio, scilicet sacerdotum, templum erat; ante templum altare, in quo sacrificia Deo offerebamus. Ad nullum horum trium Herodes Rex accessit. Prohibebatur enim, quoniam sacerdos non erat: & per sacerdotes porticus internas, & septa fabricari curabat. Absoluit autem hæc annis octo; templum verò interiùs per sacerdotes anno vno, & mensibus quinque est constructum, &c. Herodem, ait, quoniam sacerdos non erat ad tria non accessisse (sic enim Græce habetur, Latinus Interpres prætermisit) nec enim accessit ad templum, nec ad altare holocaustorum, nec ad atrium sacerdotum. Vnde colliges hominibus laicis non licuisse, aut ad altare holocaustorum accedere, aut in templum, vel atrium sacerdotum introire. Libro 6. de Bello capite 6. Templum, inquit, atque aram coronabat, id est, circumdabat, septum ex pulcris constructum lapidibus, quod populum à sacerdotibus segregabat. Semine fluentes, itemque leprosos, tota ciuitas arcebat; & feminis menstruatis clausa erat. Prædictum verò limitem ne mundis quidem mulieribus transgredi permittebatur, &c.

Atrium sacerdotum.

Non licebat laicis in atriũ sacerdotũ introire.

Iosephus. Duæ templi contignationes. Denique templum ipsum Herodis eodem loco idem auctor ait fuisse distegum, id est, duas habuisse contignationes. Inferior sexaginta fuit cubitorum altitudinis, & sexaginta cubitorum longitudinis, in domum exteriorem quadraginta cubitorum, & Sancta sanctorum viginti cubitorum diuisa. Superior altitudinis fuit quadraginta: Superior, inquit ille, contignatio non habebat cellas circùm latera, vt inferior, quatenus erat angustior; altior verò cubitis quadraginta, & simplicioris structuræ. Colligitur verò sic tota altitudo templi cubitorum centum, cùm in solo sexaginta cubitos habuerit, & cetera. Item de inferiori domo siue templo: Inferior, ait, contignatio, siue domus, fores habebat aureas quinquaginta quinque cubitis altas, sexdecim verò latas. Ad hæc, aulæum longitudine pari. Hoc est, velum Babylonium hyacintho, & byssо, & cocco, & purpura, variatum, mirabili opere factum. Introgressos inferior pars excipiebat, cuius altitudo habebat sexaginta cubitos, & longitudo totidem, ac latitudo viginti. Et prima quidem pars ad quadraginta cubitos diuisa hæc tria mirabilia, & cunctis hominibus prædicanda opera habebat, Candelabrum, Mensam, & Thuribulum, id est, altare Thymiamatis; intima verò pars viginti cubitorum erat, id est, Sancta sanctorum: discernebatur autem similiter velo ab anteriore, nihilque prorsus in ea erat positum; inaccessa verò, & inuiolata, & inuisibilis omnibus habebatur, &c.

Templi facies externa. Iosephus. De externa templi facie: Exterior, inquit, facies nihil, quod animus aut oculi mirarentur, non habebat. Crustis enim aureis grauissimis vndique tecta sub primos Solis ortus (frons namque templi Orientem spectabat) igneum euibrabat fulgorem, vt intueri contendentium oculos quasi solaribus radiis auerteret. Hospitibus quidem adeuntibus procul monti niue pleno similis videbatur. Nam vbi deauratum templum non erat, candidissimum erat. In summo autem aureis verubus horrebat acutissimis, ne ab insidentibus auibus pollueretur. Nonnullorum autem saxorum eius longitudo cubitorum

Templũ in summo aureis verubus horrebat acutissimis.

bitorum erat quadraginta quinque, altitudo quinque, & latitudo ſex.

Admirandum ſanè fuit hoc templum. Idcirco diſcipulus admirans, ex illo egreſſum magiſtrum
Marci 13. ſic alloquitur: *Magiſter aſpice quales lapides, & quales ſtructuræ.* At Chriſtus: *Vides*, inquit, *has omnes magnas ædificationes? non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.* Quod Vates veriſſimus eſt vaticinatus ipſi cernunt oculi. Vbinam eſt huius, de quo hactenus verba fecimus, templi gloria? vbi decor? vbi ſplendor admirabilis? vbi porticus celeberrimæ? vbi Sancta ſanctorum occultiſſima? vbi Sancta opulentiſſima? vbi Teſtamenti arca, Cherubini aurei, aureum propitiatorium, menſa aurea, aureumque candelabrum? vbi ampliſſima atria? vbi altare, victimæ, holocauſta? Vidiſtis has magnas ædificationes? Non eſt relictus lapis ſuper lapidem, qui non
Thren. 2. deſtrueretur. *Diſſipauit Dominus*, vt ait Ieremias, *quaſi hortum tentorium ſuum, demolitus eſt tabernaculũ ſuum: obliuioni tradidit Dominus in Sion feſtiuitatem, & ſabbatum, & in opprobrium, & in indignationem furoris ſui, Regem & Sacerdotem. Repulit Dominus altare ſuum, maledixit ſanctificationi ſuæ*, &c.

Templũ ſolo æquatum propter eadem Meſſiæ. Ioan. 2. Quænam tantæ fuit euerſionis cauſſa? templi fuit auguſtioris euerſio. Auguſtiſſimum templum erat Chriſti corpus, de quo ille, vt ſuprà expoſuimus: *Soluite*, inquit, *templum hoc.* Templum hoc Iſraëlitæ ſoluerunt, euerterunt ſolo, hoc eſt, ſepulcro æquarunt. Soluerunt templum, & ſoluerunt etiam pœnas. Quia carneum templum ipſi diruerunt, Meſſiamque ſuum repudiarunt; idcirco lapideum templum Meſſias diruit, populumque ſuum repudiauit. Soluerunt Iudæi templum Chriſti; ſed in tribus diebus excitauit illud. Soluit Chriſtus templum Iudæorum; ſed in mille ſexcentis annis illud excitare non potuerunt. Iacet, æternumque iacebit, Meſſiamque iam veniſſe ſua ruina confirmabit.

Quinque res defuerũt in templo ſecundo. Aggai 1. Extremo loco adiicio, Hebræos ipſos memoriæ prodidiſſe, hoc ſecundum templum quinque rebus caruiſſe, quæ primum Salomonis auguſtum, venerabileque reddebant. Id illi ſignificatum aiunt Aggæi primo, quo loco ſcriptum eſt: *Aſcendite in montem, portate ligna, & ædificate domum, & acceptabilis mihi erit, & glorificabor, dicit Dominus.* Verbũ Hebræum, אכבה, *Ecchabedah*, ſignificat *glorificabor*. Hoc autem loco abſque littera ה, *he*, finali ſcribitur, quæ nota eſt numeri quinarij. In libro igitur ſanedrim, ait Rabbi Samuel. Quinque res defuerunt in vltimo templo, quæ in primo fuerunt. Probatur, ex eo quòd Aggæi 11. אכבה, *Ecchabeda*, diminute ſcriptum eſt ſine littera ה, *he*, quæ quinque deſignat; ad ſignificandum quinque res, in quibus Sanctuarium vltimũ fuit à primo diminutum. Videlicet Ignem, Arcam, Vrim, & Thumim, id eſt, Rationale iudicij, Oleum vnctionis & Spiritum ſanctum. Item Gloſſa Rabbi Salomonis: Deeſt, inquit, littera ה, *he*, quæ quinque ſignificat; ob quinque res, quæ in ſecundo templo defuerunt, & in primo fuerant; videlicet, Vrim & Thumim, id eſt, Rationale iudicij, & Arca, & Ignis, & Diuinitas, & Spiritus. Et in libro Ioma, id eſt, dierum, ſic legitur: Dixit Rabbi Aha. Quid eſt; quod in verbo *Ecchabeda*, deeſt littera ה, *he*? Quia per ipſam deſignantur quinque res, quæ fuerunt in primo templo, & defuerunt in vltimo. Hæ autem ſunt arca cum propitiatorio, Cherub, Ignis, Sechina, id eſt, Diuinitas, ſiue Dei gloria, Spiritus ſanctus, & Vrim, & Thumim. Et in expoſitione
Cant. 8. Canticorũ, *Soror noſtra parvula eſt, & vbera non habet*, ſic habetur: Iſti fuerunt aſcendentes de captiuitate. Soror parua; quia fuerunt inopes in exercitibus: Et vbera non habet; hæc ſunt quinque res, in quibus vltima domus exſtitit à prima diminuta, &c.

Lege Galatinum libro 4. cap. 9. Vt aiunt, inquit, *Galatin.* Talmudiſtæ, inter cetera ſanctitatis primi templi indicia, quæ in ſecundo defuerunt, nec ignis, qui in primo templo de cælo deſcendens holocauſta comburebat, in ſecundo vmquam deſcendere viſus eſt, nec gloria Dei, quę in primo templo in Sanctis ſanctorum inter Cherubim apparere ſolebat, in ſecundo vmquam apparuit, nec Spiritus ſanctus, qui in primo templo ad loquendum cum Prophetis ſæpiſſimè veniebat, in ſecundo venire ſolitus fuit, &c. Genebrardus quoque libro 2. Chronographiæ: Templum, ait, ſecundum in multis fuit inferius priore. Quinque enim rebus carebat, quæ prius auguſtum & venerabile præbebant. Primò, diuina præſentia, quæ ad propitiatorium oracula edebat. Secundo, Spiritu ſiue afflatu ſancto, qui Prophetas olim afflabat. Nam à Malachia vſque ad Ioannem Baptiſtam nulli Prophetæ exſtitere. Tertiò, igne ſacro: numquam enim comparuit, ex quo in puteum à ſacerdotibus, ne in impiorum manus caderet, merſus eſt. Quartò, Vrim & Thumim, qui erant lapides in pectorali Pontificis. Quintò, arca & propitiatorio, & Cherubinis, in quibus Deus ſedere dicebatur propter ſui copiam, quam illic Pontificibus faciebat, &c. Idem docet Montanus in fine libri de Fabrica templi. Quod ad ignem ſacrum attinet, lege quæ ſuprà diximus. De Vrim verò & Thumim lege cap. 45. huius libri.

Genebrar.

2. Mach. 1.

CAPVT XL.

De Cellis Virginum in templo.

DVBIVM eſt in quonam templi loco cellæ, ſiue cubicula illa fuerint conſtituta, in quibus tam Deipara Virgo, quàm virgines aliæ in templo habitarunt. Exiſtimant nonnulli cubicula illa templi lateribus adhæſiſſe, atque eas fuiſſe cellas, de quibus egimus hoc libro 3. capite 35. quæ templum cingebant. Dubia eſt hæc exiſtimatio. Non enim ratio deeſt, quæ ſuadeat in his cellis virgines minimè habitaſſe. Etenim hæ domus cum templo ipſo erant coniunctiſſimæ; parietes namque templi cingebant, vt ſuprà explicauimus. At verò ad locum illum, in quo templum eſt conſtructum, nec feminis, nec viris fas erat accedere. Id quod ex Ioſepho optimo huius rei teſte probatur, cuius hæc *Ioſephus l. 6. Antiq. c. 6.* ſunt verba: Templum aramque cingebat ex pulcerrimo lapide ſeptum vſque ad cubitum ſurgens, quod populum à ſacerdotibus ſegregabat, & cetera. Et paullo inferiùs: Prædictum, inquit, limitem ne puris quidem mulieribus tranſgredi permittebatur, &c. Cinctum erat templum ſepto, quod ne puris quidem mulieribus fas erat tranſire; ſed trans hoc ſeptum cellæ erant iuxta ipſum templum: ergo ad illas cellas feminis accedere non licebat, multo verò minùs in illis licebat habitare.

Confirmant idem illa eiuſdem Ioſephi verba: *Ioſeph. l. 15. Antiq. c. 15.* Hoc, inquit, modo ſe habebat primus ambitus, id eſt, atrium immundorum. Interius verò ſecundus paucis gradibus ſcanſilis, id eſt, atrium mundorum. Hoc interius ſeptum ternis patebat ianuis tam Auſtrino, quàm Septemtrionali latere; ab Oriente verò vna magna, per quam intrarent caſti cum vxoribus. Interiora autem fani mulieribus nefas erat ingredi. Tertium verò ſpatium intimum ſolis ſacerdotibus erat acceſſibile: in eo templum erat, & ante illud altare. Herodes interiora, à

quibus profani lege arcebantur, non ausus ingredi, A per sacerdotes curabat fabricam intimarum porticuũ, &c. Nónne vides interiora fani, id est, atrium sacerdotum & templum non licuisse feminis adire? Nónne legis Herodem ipsum Iudæorum Regem in atrium sacerdotum non esse ausum introire, & per sacerdotes atrij & templi exædificationem curasse? Quomodo igitur verisimile est feminis in ædibus habitare licuisse, quæ templum circumdabant, temploque adhærebant.

Præterea porta, quæ ad has cellas ducebat, in templo ipso erat; atqui in templum solis sacerdotibus ingredi fas erat, ergo solis sacerdotibus ad portam cellarum accedere, & cellas licebat introire. Quod autem cellarum porta in templo fuerit B
3. Reg. 6. probatur ex 3. Regum, in quo hæc leges: *Ostium lateris medij in parte erat domus dextræ, & per cochleam ascendebant in medium cænaculum, & à medio in tertium*, &c. Eodem capite hæ cellæ tabulata & latera dicuntur: *Ædificauit Salomon super parietem templi tabulata per gyrum, in parietibus domus per circuitum templi & oraculi, & fecit latera in circuitu*, &c. Quod fuerit ostium horum tabulatorum, cubiculorum, siue laterum indicatur illis verbis: *Ostium lateris medij in parte erat domus dextræ.* Nam in pariete dextro templi versus Meridiem sito ostium erat cellarum, per hoc ostium ad cellas infimas patebat ingressus; deinde iuxta illud per cochleam ascendebant ad cellas, quæ altiores erant, mediumque tenebant locum, & ad illas quoque, quæ erant supremæ. Or- C do medius, & supremus cellarum appellatur cænaculum medium, & tertium (*Per cochleam*, inquit, *ascendebãt in medium cænaculum, & à medio in tertium*) quoniam superior domus dicitur cænaculum. Hebraicè non est cænaculum, sed ita legitur: *Ostium lateris medij ad humerum erat domus dextræ, & per cochleam ascendebant in medium*, videlicet latus, siue tabulatum, siue cænaculum, vt Interpres noster rectè interpretatur, & à medio in tertium. Vnde constat ostium tabulatorum, siue cellarum intra ipsum templum fuisse, atque adeò solis sacerdotibus fas fuisse in cellas ingredi, neque licuisse virginibus in illis habitare.

Virgines in domibus habitãt iuxta atriũ feminarum extructis. Vel in alio commodo templi loco. 3. Reg. 6.

Si quæras vbi habitarint virgines. Respondeo, D iuxta atrium feminarum domos fuisse exædificatas, in quibus Virgo Deipara ceteræque virgines templo oblatæ habitarent, & ex quibus in atrium feminarum ad orandum venirent; neque opus est habitationem templi parietibus adhærentem illis tribuere.

Illud est aduertendum, Iosephum maiorem cellis mensuram tribuere quàm par est. Scriptura enim infimis cellis quinque cubitos tribuit latitudinis, mediis sex cubitos, supremis septem; Iosephus verò latitudinem illis tribuit cubitorum viginti quinque, totidemque cubitorum longitudinem. At si tot cubitorum singulæ cellæ erant, non potuit tot cellas capere templi circuitus. Fuerunt E enim cellæ circùm templum exstructæ triginta, vt ait Iosephus, quæ postulant spatium cubitorũ plusquam sexcentorum, cùm singulę cubitos plusquam viginti habeant longitudinis. At verò templi circuitus non tot habuit cubitos, sed multò pauciores, nimirum centum quadraginta, excepta parte Orientali, quæ cellis huiusmodi carebat. Nam templum Salomonis longum fuit sexaginta cubitis, latum viginti, circuitus ergo centum & quadraginta complectebatur. Quòd si adiungas parietum crassitudinem decem cubitorum, addere iis poteris cubitos viginti; sed longè abest numerus ab illo priori. Mendosi igitur videntur codices Iosephi. Nam in antiqua Ruffini versione habetur longitudinem cellarum quinque fuisse cubitorum. Lege quæ suprà diximus de cellis, & quæ scripsimus tomo 1. cùm de Virginis Deiparæ præsentatione egimus.

De ministris templi.

CAPVT XLI.

De vnctione Pontificis & Sacerdotum.

De templo dictum. De templi ministris pauca accipe, quæ Scripturam legenti possint afferre lucem. Ministrorum varij erant ordines, Sacerdotes, Leuitæ, Nathinæi, quibus omnibus Pontifex præcellebat. De Pontifice primùm, de reliquis breuiter postea dicemus.

Primus populi Israelitici Pontifex à Deo creatus est Aaron, Mosis frater. Ipse verò Moses quamuis Regis siue iudicis munus obiret, tamen sacerdos etiam fuisse dicitur: *Moyses & Aaron in sacerdotibus eius*, &c. Augustinus: Exprimit, inquit, Psalmus iste, quia & Moses sacerdos erat. *Moyses & Aaron in sacerdotibus eius*: Ergo erant illi, id est, Moyses & Aaron, Sacerdotes Domini, &c. Est hæc sententia Hebræorum, quos Genebrardus citat eodem Psalmo. Philo quidem suos de Vita Mosis libros his verbis concluſit: Huiusmodi fuit vita obitusque Mosis, Regis, Legislatoris, Vatis, & Pontificis, &c. Regem appellat, Legislatorem, Vatem, & Pontificem. Diuus etiam Gregorius Nazianzenus orat. 6. Ambo, inquit, id est, Moses & Aaron, æquè sacerdotes. *Moses* enim, ait Psalmographus, *& Aaron inter sacerdotes eius*; Moses princeps, & sacerdotum sacerdos, Aaron e pro lingua vtens, &c. Diuus Leo epist. 88. Præcipiente Domino solus Moses in tabernaculo Dei erexit altare, solus ipse vnxit; qui vtique summus sacerdos Dei erat. Sicut scriptum est de eo: *Moses & Aaron in sacerdotibus eius*, &c. Dionysius Carthus. Leuit. 8. In Moyse, ait, respectu Israeliticæ plebis videtur fuisse plenitudo potestatis spiritalis & sæcularis, secundùm exigentiam status plebis illius, &c. Abulensis quoque Exod. 17. in fine Commentarij, ait Moysem sacerdotem fuisse secundùm Dei speciale priuilegium. Et Leuit. 8. post quæstionem 6. Moyses, inquit, non sacerdos magnus aut minor; sed Deus illi ad hoc potestatem tribuerat. Quoniam erat sacerdos vnctus oleo inuisibili. Cùm autem sacerdotes consecrati sunt, & ministrare cœperunt, non licuit ei ministrare, cùm ipse in defectum aliorum ministraret, &c. Rectè putat Abulensis sacerdotem fuisse Moysem, vnctum oleo, non quidem visibili, quemadmodum Aaron est vnctus, sed inuisibili. Quod addit, non licuisse illi post vnctum Aaronem ministrare, melius dixisset, non opus fuisse. Si enim Deus potestate sacerdotali Mosem minimè priuauit, ministrare illi licebat; sed opus non erat. Quòd autem sacerdotali potestate non fuerit priuatus, probatur, quoniam simpliciter in Psalmo sacerdos dicitur cum Aarone, & quemadmodum Aaron: *Moses & Aaron in sacerdotibus eius*, &c. Dices.

Psal. 98. *Moses fuit sacerdos.* *Philo.* *Dionys. Carth.* *Abulens.* *Psal. 98.*

Erant ergo duo summi Pontifices, alter Moses, alter Aaron, duoque plebis capita summa. Quod est absurdissimum. Respondeo, Mosem fuisse Pontificem Aarone superiorem, sed pontificia potestate non esse vsum, postquam Aaron vnctus est. Aaron tamen Pontifex fuit ordinarius, cui posteri succedere: Moses autem extraordinarius Dei priuilegio in deserto, absque vllo potestatis pontificiæ successore.

Quanti

Pontificatus quanta dignitas.

Quanti verò pontificia dignitas apud Iudæos fieret indicat Agrippa Rex in epiſtola, quam ad Imperatorem Caium ſcribit, quæ exſtat apud Philonem in lib. de Legatione ad Caium: Auos, inquit, Agrippa, proauosque Reges habui, & ex iis aliquot etiam Pontifices ſummos; quam illi dignitatem pluris faciebant, quàm regiam. Rati quantò Deus anteſtat homini, tantò pontificatum regno excellentiorem. Ad illius enim curam diuinas res, humanas ad huius pertinere, &c.

Aaronis vnctio.

Itaque electus à Deo eſt Pontifex primus Aaron; à Moſe autem ſacro inunctus oleo, Leuit. 8. hoc ritu: Lauit in primis Moſes Pontificem aqua. A lauacro cœpit conſecratio, optimo ſanè initio. Hinc incipiendum ei, qui vult ſacerdotij obtinere dignitatem; expurget animum, in primis omnium vitiorum ſordes eluat. Lotum Aaronem pontificalibus veſtibus induit; deinde in caput vnguentum effudit ex aromatibus compoſitum, myrrha, cinnamomo, calamo aromatico, caſia atque oleo, vt traditur. *Sume tibi*, ait Dominus, *aromata primæ myrrhæ, & electæ quingentos ſiclos: & cinnamomi medium, id eſt, ducentos quinquaginta ſiclos, calami ſimiliter ducentos quinquaginta, caſiæ autem quingentos ſiclos in pondere Sanctuarij, olei de oliuetis menſuram hin: faciesq; vnctionis oleum ſanctum, vnguentum compoſitum opere vnguentarij, & vnges ex eo Aaron, & filios eius, ſanctificabisq; eos, vt ſacerdotio fungantur mihi*, &c. Hæc prima fuit ac præcipua Pontificis vnctio, de qua legitur: *Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron*, &c.

Sacerdotis puritas.

Oleum vnctionis.

Exodi 30.

Pſal. 132.

Præter hanc, ſecunda fuit huiuſmodi. Immolatus eſt pro peccato vitulus, aries deinde in holocauſtum totus incenſus, alter quoque aries in hoſtiam pacificam oblatus. Secundi autem huius arietis ſanguine extrema dextræ auriculæ Aaronis pars, dextræ manus pollex, pollex quoque dextri pedis inunctus. Hæc eſt ſecunda vnctio. Reſtat tertia. Vnguentum illud odoriferum cum ſanguine victimæ permiſcuit Moſes, eoque ſic permixto, tam Pontificem, quàm indumenta aſperſit, ac conſecrauit. Ad hæc, arietis adipes, dextrum armum, renes, & alia, eius manibus impoſuit; quæ ille coram Deo eleuauit.

Vnctio ſacerdotum.

Pontifex tribus vnctionibus, minores verò ſacerdotes duabus tantummodo, inuncti ſunt. Præcipua enim capitis vnctio illis non eſt adhibita. Poſtquam aqua ſunt abluti, ſacerdotalibusque amicti veſtibus, ſingulorum pollices dextræ manus, & dextri pedis, extremamque partem dextræ auris, arietis cruore inunxit Moſes. Sanguine & vnguento initiatos, veſtesque aſperſit; eorum manibus eamdem oblationem, de qua dictum eſt, impoſuit, poſtea in altari holocauſtorũ adoleuit. Per ſeptem verò dies conſecratio protracta eſt. *Septem diebus conſecrabis manus eorum: & vitulum pro peccato offeres per ſingulos dies ad expiandum*, &c. His autem ſeptem diebus intra tabernaculum ſe continuerunt. *De oſtio tabernaculi non exibitis ſeptem diebus, vſque in diem, quo complebitur tempus conſecrationis veſtræ. Septem enim diebus finitur conſecratio*, &c.

Exodi 29.

Septem diebus protracta eſt ſacerdotum conſecratio.

Leuit. 8.

De oleo ſacro obſeruanda quæ Hebræi tradant.

Genebr.

Exodi 30.

De oleo ſacro, quo Pontifices vngebantur, vide Genebrardum Pſalm. 88. ad illa verba: *Oleo ſancto meo vnxi eum*. Quo loco putat ſacro oleo vnctũ eſſe Dauidem per diſpenſationem; quòd Deus, ne quis alienus à familia Aaronica eo inungeretur, vetuiſſet: Videtur, inquit ille, diſpenſatum Samuelis, & Prophetarum illius ſæculi conſilio, cum Regibus familiæ Dauidicæ, in Chriſti Domini ex ea orituri gratiam. Vnde de hoc ſacro oleo multa Rabbini tradunt diligenter obſeruanda. Primum fuiſſe Cabbalam apud Iſraelitas, vt illo inungeretur etiam Dauid & ipſius poſteritas, non autem alij Reges. Et ita, inquit Aben Ezra, neceſſe eſt Moſem interpretari; quoniam Sadoc ex oleo vnctionis acceptum legitur in tabernaculo fœderis conſeruato, vt Salomonem vngeret. Secundò, vnctionem factam forma X. Græcorum, ſiue crucis Burgundiæ & decuſſatæ. Solus Rabbi Salomon excipit Reges. Nam eos tradit inauguratos in modum coronæ. Tertiò, ex Talmudicis, in principio tractatus de Exciſionibus, per modum miraculi duraſſe vſque ad captiuitatem Babylonicam, & citra diminutionem ſuffeciſſe inaugurandis Pontificibus & Regibus per annos 500. Hæc ille.

Noſtris ſacerdotibus hæc accommodantur.

Habent noſtri ſacerdotes ſpeculum & typum. A lauacro initium ducitur, quoniam ſacerdos eſſe nequit, qui non ſit baptizatus. A lotione præterea incipit conſecratio, quoniam qui ſacerdotis dignitatem obtinere vult, animam eluat opus eſt. Animus impurus ad Chriſti altare puriſſimum ne accedat. Poſtquam loti ſunt ſacerdotes, ſacris induuntur veſtibus. Quæ autem ſacerdotis internæ veſtes ſint, Pſalmus indicat: *Sacerdotes tui induant iuſtitiam*. Et: *Sacerdotes eius induãt ſalutari*. Iuſtitia, ſacerdotis veſtis eſt & ſalus. Etenim ſacerdotem eſſe oportet ſpiritalis ſaluris officinam quamdã, & iuſtitiæ normam atque exemplar.

Pſal. 131. Sacerdotis internæ veſtes.

Pontificis typus.

Pontificis caput inungitur, quia Pontifex ſacerdotum eſt Princeps ac moderator, cuius caput prudentia, conſilio, rerumque diuinarum meditatione inunctum eſſe neceſſe eſt. Odoriferum vnguentum odoriferam Pontificis adumbrat famam. Iuxta illud Paulli: *Chriſti bonus odor ſumus*. Et illud: *Oleum effuſum nomen tuum*. Sanguine inuncti ſunt ſacerdotes antiqui, quoniam cruenta ſacrificia offerebant, ſanguinemque fundebant: illa verò initiatione Dei cultui addicebantur. At legis nouæ ſacerdotes, Deus bone, quàm diuerſo, quamque ſtupendo ſanguine imbuuntur. Non aurem, non pollices ſanguis arietis tangit; ſed os, pectus, animumque Dei Opt. Maxim. ſanguis, quem potant, imbuit.

2. Cor. 2. Cant. 1.

Quæ dextra ſunt & fortiora ſibi vendicat Deus.

Dextri pedis, dextræque manus pollices, auriſque dextræ pars extrema ac mollior, victimæ ſanguine vngebantur; quoniam quæ dextra ſunt & fortiora ſibi vendicat Deus. Aurem dextram ad diuina audienda mandata, dextram manum, dextrumque pedem ad ea exequenda flagitat. Auriculæ pars mollior, ceteris fortior manus, pediſque digitus, videlicet pollex, vngitur: ad audienda enim diuina præcepta diuinaque verba molles & obedientes præbendæ ſunt aures, non duræ ac difficiles; ad præſtanda verò, fortes manus, robuſtique adhibendi ſunt pedes. Dextram manum ſacerdos Chriſtianus, dextrum pedem, dextram aurem, dextrum oculum, fortiora omnia, Chriſti & Eccleſiæ obſequio impendat: ſiniſtra verò manu debiliori ac pede, hoc eſt, multò minori cura ac diligentia, quæ ad corpus pertinent, exequatur.

Perſeuerantia.

Præterea partes extremæ auris, pedis, & manus ſanguine intinguntur; quoniam ad extremum vſque vitæ ſpiritum obedientia, rectèque facta ſunt perducenda. Vnde D. Cyrillus lib. 11. de Adoratione: Genus, inquit, ſacrum & electum ſanctas aures habeat, manum ſimiliter ac pedem, dextraque omnia peruncta, & tamquam ſummo loco, id eſt, in extremis: Extremum enim, inquit, auris, & pedis, & manus. Omnis enim actio proba ſtrenua ac dextra eſt, nihilque de vitio ſiniſtrum habet; & vſque ad extrema, id eſt, ad finem vſque porrigitur. Qui enim Deo conſecrati ſunt, eos in ſanctificatione dextros eſſe, & perpetuò perſeuerantes conuenit. Valde autem abſurdum eſt, retror-

Cyrillus.

sum cedere quodammodo boni operis perficiendi pertæsos. Hæc Cyrillus. Vide Philonem lib. 3. de Vita Mosis.

Sacerdotis perseuerantia.

Cyrillus.

Adhæc, septem diebus iubentur sacerdotes tabernaculo se continere. Etenim sacerdotis est, non vagari, sed vel domi cum Deo, vel in tabernaculo, id est, templo agere. D. Cyrillus loco citato hanc per septem dies in tabernaculo mansionem, illam præsignare putat perseuerantiam, quam in virtute sacerdotes debent obseruare. Illius verba audiamus: Non permittit lex eos, qui sacram sortè adepti sunt, & ad sacerdotij munus obeundum consecrati, è sacro tabernaculo excedere; sed ad septimum vsque diem eos intus considere iubet, ac propè dixerim, officio affigit, nec limen egredi sinit. Quam in sacris illis locis sessionem, vt opinor, firmitatis atque permansionis in sanctificatione symbolum quoddam esse voluit. Necesse est enim, vt qui in hac statione collocati sumus, præsto simus Deo, firmi atque immobiles in virtute maneamus. Neque vt extra morum, qui nos deceant, terminos egrediamur, aut è sacro sensu excedamus, sed semper propè quodammodo simus, & apud Deum habitemus, iuxta illud: *Quærens, quære, & apud me habita.* Hoc autem per septem dies facere iussit Moses: qua in re septenarius numerus id significat, esse nobis adnitendum, vt omni tempore Deo præsto simus. Idem enim est, ac si dixisset, semper ac perpetuò. Hactenus Cyrillus.

Isaia 21.

CAPVT XLII.

De administratione Pontificis.

Pontifici ingressus in Sancta sanctorum. Abulens.

SOLVS Pontifex in Sancta sanctorum ingrediebatur, idque in anno semel, non sine sanguine hostiæ immolatæ. Lege Leuit. 16. & quæ supra diximus cap. 17. Ait Abulensis Exod. 24. quæst. 15. post egressum è templo consueuisse exhibere conuiuium, quòd è Sanctis sanctorum saluus atque incolumis exisset: Summus sacerdos, inquit ille, qui semel in anno intraturus erat Sancta sanctorũ, quod erat graue periculum, scilicet, quia si indignus esset, occideret eum Dominus: cùm inde exibat tamquam à morte liberatus magnum conuiuium amicis suis faciebat, sicut apud Hebræos traditum est. Hæc ille. Introibat autem Sancta sanctorum die expiationis, mense Septembri, vt suprà diximus, qui dies pœnitentiæ erat, ac ieiunio destinatus, & vt Abulensis Exodi 39. scribit, gemens afflictoque introibat corde: Cùm summus, inquit, sacerdos introibat in Sancta sanctorum, ingrediebatur gemens & afflicto corde, pro peccatis suis & populi totius, timensque ne fortè à Deo aliquibus exigentibus peccatis occideretur; quam ob caussam non conueniebant ei vestes exultationis, & ornatus magni, &c. Videat quæso sacerdos quo horrore ac pœnitentia in Sancta sanctorum Christiana debeat introire. Sancta enim sanctorum appellat Ecclesia sanctissimum altare, in quo verissimè adest Christus Deus Optim. Max. Aufer, inquit sacerdos ad altare accedens, à nobis Domine cunctas iniquitates nostras, vt ad Sancta sanctorum puris mereamur mentibus introire, &c. Ad altare accedis ô sacerdos, in Sancta sanctorum ingrederis, pura mente ingredere, ab omni flagitio aliena, tantæque maiestatis præsentiam horrente. Si scelere mortifero inquinatus ad Sancta sanctorum accedis, totis artubus contremisce, & ad frugem meliorem te statim recipe. Time ne à Deo vita priueris. Audi Paullum: *Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi*, &c. Quæ verba Theophylactus sic exponit: Hinc sunt immaturæ mortes, diuturnęque ægritudines & morbi, eo quòd multi Eucharistiam indignè sumant, &c.

Ingrediebatur Pontifex Sancta sanctorũ gemẽs & afflicto corde.

Sancta sanctorum altare Eucharistiæ augustissima.

1. Cor. 11.

Theoph.

Hic in Sancta sanctorum ingressus solius erat Pontificis, administrationes aliæ ad reliquos etiam sacerdotes attinebant, de quibus postea dicemus. Quibus autem diebus Pontifex in templum ad ministrandum ascenderet, docet Iosephus: Pontifex, inquit, cum sacerdotibus, non tamen semper, ascendebat; sed diebus quibusque septimis, id est, Sabbatis, & per singulos menses Calendis, vel si quando patria festiuitas atque annua ab omni populo agebatur, &c.

Iosephus l. 6. de Bel. c. 6.

Pontifex & sacerdos dignitatẽ sacerdotij, à qua exornatur, exornet. Eccli. 50.

Vis optimum Pontificem in antiquo illo templo ministrantem cernere? Lege Ecclesiast. in quo de Simone Oniæ filio sacerdote summo agitur. Inter cetera: *In ascensu altaris sancti*, ait Ecclesiasticus, *gloriam dedit sanctitatis amictum.* Hoc est, cùm ad altare holocaustorum ascẽdebat sacris operaturus, ipsum sanctitatis amictum, id est, vestes Pontificis sacras & sanctas, dedit gloriam, id est, glorioſas reddidit, suaque persona & virtute honorauit. Optimi enim sacerdotis est, par pari referre; si à Pontificia dignitate honoratur, ipsam vicissim dignitatem illustribus factis ipse exornet. Addit Ecclesiasticus: *In accipiendo autem partes de manu sacerdotum, & ipse stans iuxta aram. Et circa illum corona fratrum: quasi plantatio cedri in monte Libano, sic circa illum steterunt quasi rami palmæ, & omnes filij Aaron in gloria sua*, &c. Partes appellantur ipsa immolati animalis membra, quæ à sacerdotibus Pontifex in altari adolenda accipiebat. Cùm ergo has accipiebat partes incendendas Deo, ipse iuxta altare holocaustorum stabat. Circa illum verò corona erat fratrum sacerdotum, qui cum cedris Libani montis, cumque ramis palmæ conferuntur. Vt minores cedri celsam aliquam circumdant cedrum, sic minores sacerdotes summum sacerdotem circumstabant; vt palmæ rami palmam exornant, sic Aaronis filij ipsum Pontificem honorabant. Sequitur.

Ibidem. Pontificis Synagoga ministratio in templo.

Oblatio autem Domini in manibus ipsorum coram omni Synagoga Israel: & consummatione fungens in ara, amplificare oblationem excelsi Regis, porrexit manum suam in libatione, & libauit de sanguine vuæ; effudit in fundamento altaris odorem diuinum excelso Principi, &c. Stabant sacerdotes circa Pontificem in gloria sua, id est, in vestibus suis sacerdotalibus & glorioſis; in manibus autem eorum erat oblatio Domini, hoc est, animalis incendendi membra, quæ Pontifici offerebant, libamentum quoque vini *Coram omni Synagoga Israel.* Vnde colliges populo inspectante sacrificia consueuisse offerre sacerdotes, atriumque mundorum eo modo fuisse dispositum, vt aspectum populi minimè impediret. Fungẽs autem consummatione sacrificij summus sacerdos, id est, sacrificium perficiens & absoluens, porrexit manũ suam ad libationis vinum, libauitque Domino de sanguine vuæ, id est, vinum libauit, quod libamen singulis sacrificiis certa mensura addebatur, vt Num. 15. docetur. Effudit deinde in fundamentum altaris libatum vinum, in odorem suauem excelso Principi Deo.

Eccli. 50.

Sacerdotes tubis in sacrificio canebant.

Additur: *Tunc exclamauerunt filij Aaron, in tubis productilibus sonuerunt, & auditam fecerunt vocem magnam in memoriam coram Deo*, &c. Hoc est, cùm ita sacrificiũ à Pontifice perageretur, sacerdotes Deum laudantes exclamauerunt, tubisque productilibus canentes magno sonitu perstrepuere, vt eo sonitu & cultu Dei ipsius memoriam ad benedicendum populo veluti excitarent.

De

Populus in facie procũbens Deum adorabat. Eccli. 50.

De ſacerdotibus hactenus. Iam de populo adiungitur: *Tunc omnis populus ſimul properauerunt, & ceciderunt in faciem ſuper terram adorare Dominum Deum ſuum, & dare preces omnipotenti Deo excelſo*, &c. Populus, inquit, ſumma cum reuerentia in terram pariter procumbens, Deum & orauit, & adorauit. De cantoribus & pſallentibus ſubdit: *Et amplificauerunt pſallentes in vocibus ſuis, & in magna domo auditus eſt ſonus ſuauitatis plenus*, &c. Pſallentes, id eſt, cantores, Deum canticis amplificauerunt, & laudibus ſuauiſſimoque cantu totum templum perſonuit. Ad populum reuertitur: *Et rogauit populus Dominum excelſum in prece, vſquedum perfectus eſt honor Domini, & munus ſuum perfecerunt*, &c. Tandem de Pontificis

Pontificis benedictio.

benedictione: *Tunc deſcendens manus ſuas extulit in omnem congregationem filiorum Iſrael, dare gloriam Deo à labiis ſuis, & in nomine ipſius gloriari: & iterauit orationem ſuam, volens oſtendere virtutem Dei*, &c. Tunc deſcendens ex altari Pontifex manus verſus populum extulit, vt gloriam Deo labiis ſuis exhiberet, & in nomine Domini ipſum laudando gloriaretur. Iterauitque orationem ſuam, vt Dei potentiam

Magna'maieſtate Miſſa ſacrificium offerendum.

oſtenderet, populoque benedixit. Si hac tanta maieſtate, hoc tubarum ſonitu, hac cantus ſuauitate, ſacrificia vitulorum atque arietum Deo offerebantur; quanam Pontificis maieſtate, qua ſacerdotum reuerentia, qua cordium veneratione, qua vocum harmonia, qua populi pietate, Miſſæ ſacrificium eſt celebrandum, quod non vmbram, ſed veritatem, non vitulum vel arietem, ſed ipſummet Chriſtum hominem Deumque continet, & nobis exhibet venerandum.

CAPVT XLIII.

De veſte hyacinthina Pontificis.

Veſtes Pontificũ.

QVEMADMODVM in noua lege Pontifices ſacerdotesque peculiares habent ad miniſtrandum veſtes; ita & in veteri lege peculiares habuerunt. Neque enim nunc ſunt, nec fuêre olim, Pontificis & ſacerdotum paria atque eadem ornamenta. Pontificis antiqui peculiaria indumenta, quibus reliqui ſacerdotes carebant, quinque ſunt; Tunica hyacinthina, Ephod, Rationale, Cingulum, Tiara cum corona.

De tunica hyacinthina.

Hyacinthina tunica Hebraicè dicitur מעיל, Mehhil, quod nomen Pagninus pallium interpretatur. Non enim erat interior tunica, ſed exterior, vt pallium. Hyacinthina dicitur à colore hyacinthino, cæleſti, ſiue violaceo. Contexta namque fuit ex lana violacei coloris, cælum imitante. Talaris erat ad pedes vſque promiſſa: quamobrem à Septuaginta interpretibus ποδήρης, & Sapiẽtię 18. veſtis

Sap. 18.

poderis, id eſt, talaris appellatur: *In veſte enim poderis*, ait Sapiens, *totus erat orbis terrarum*, &c. quæ verba

Apoc. 1. Poderis quid.

poſtea explicabimus. Item videt Ioannes Chriſtum veſtitum podere, id eſt, talari ac ſacerdotali indumento. Decoro ornabatur malorum punicorum, tintinnabulorumque limbo. Mala punica ex purpura, byſſo retorta, hyacintho coccoque bis tincto facta, tintinnabula ex auro erant fabricata. Deſcribitur à

Hieron.

D. Hieron. epiſt. 128. ad Fabiolam, his verbis, אעיל Mehhil eſt tunica talaris, tota hyacinthina, ex lateribus eiuſdem coloris aſſutas habens manicas; & in ſuperiore parte, qua collo induitur, aperta, oris firmiſſimis ex ſe textis, ne facilè rumpatur. In extrema parte, id eſt, ad pedes, ſeptuaginta duo ſunt tintinnabula, & totidem mala punica iiſdem contexta coloribus, vt cingulum. Inter duo tintinnabula vnum malum eſt; inter duo mala vnum tintinnabulum; vt alterutrum ſibi media ſint, &c.

An habuerit manicas tunica hyacinthina. Montan.

D. Hieronymus huic tunicæ manicas aſſutas tribuit, oraſque firmiſſimas ex tunica ipſa textas in parte ſuperiori, qua caput induebatur. Aſſentitur illi Montanus in libro de Sacris veſtibus: In orificio, inquit, limbum habebat ad inſtar collaris, ac limbi loricæ antiquæ: ſic enim Hebraicè legimus. Oportuit autem limbum illum, quo orificium muniebatur, firmum eſſe. Neque id tamen aſſutũ erat, ſed textoris opere cum ipſa veſte ſimul contextum, idque integrum, omninoque rotundum, non apertum aut fiſſum aliqua ex parte, vt collaria in veſtibus habere ſolent, quæ nonnihil aperiuntur, vt facilius caput admittant. Hæc ille. Ioſephus verò manicis caruiſſe ſignificat hanc veſtem, quod etiam Montanus putat. Sciſſam præterea ait vſque ad pectus, & orificio, quo caput induebatur, fimbriam aſſutam. Ipſius verba in medium afferam: Ima, inquit, veſtis ornabatur limbo effigie malorum punicorum diſtincto, à quo tintinnabula aurea ſic dependebant, vt medium eſſet quodque malum punicum inter duo tintinnabula ſitum, & tintinnabulum inter duo mala punica. Hæc tunica non conſtat ex duobus ſegmentis, vt ſuturas habeat in humeris ac lateribus, ſed vnica tela in longum contexta aperturam in ſummo habet, nõ tranſuerſam, ſed in longum deſcendẽtem à tergo & ante vſque ad medium pectus, cui decoris cauſſa aſſuta eſt fimbria, ne ſciſſura appareat: eodem modo, qua manus exeruntur, eſt ſciſſa, &c. *Ioſephus l. 3. antiq. c. 8.*

Si quæras quis ſequendus in hac re ſit. Reſpondeo, Ioſephum ſequendum, quoniam oculatus eſt harum veſtium teſtis, cùm Scripturæ nõ repugnat. Manicis ergo veſtis carebat, quemadmodum veſtis illa ſacerdotum, quam vocamus lobam: textura verò firma munitum habuit capitium per gyrum. Quòd ſi Ioſephus ait vſque ad pectus diſciſſum fuiſſe, non ſatis cum verbis Scripturæ conſentit, ex qua colligitur capitium rotundum eſſe debuiſſe. Iudæi aliter capitium illius tunicæ fecerunt, quam ipſe conſpexit. Scripturę verba huiuſmodi ſunt. *Facies & tunicam ſuperhumeralis totam hyacinthinam*, ait Dominus Moyſi, *in cuius medio erit capitium, & ora per gyrum eius textilis, ſicut fieri ſolet in extremis veſtium partibus, ne facilè rumpatur. Deorſum verò ad pedes eiuſdem tunicæ per circuitum quaſi mala punica facies ex hyacintho, & purpura, & cocco bis tincto, mixtis in medio tintinnabulis: ita vt tintinnabulum ſit aureum, & malum punicum, rurſumque tintinnabulum aliud aureum, & malum punicum*, &c. *Exodi 28.*

Addit Montanus tintinnabula aurea ad formam meſpilorum fuiſſe conflata, cuiuſmodi tintinnabula ex ære in vſu etiam hodie ſunt, quæ vocamus neſparas. Hoc colligit ex nomine Hebræo, ſed non admodum firma eſt collectio. Nomen enim Hebræum, פעמן, Pagamon, ſimpliciter tintinnabulum ſignificat. Philo lib. 3. de Vita Moſis, malis punicis, & tintinnabulis flores addit: Tunica, inquit, fuit ſimplicior, tota hyacinthina, præter imam fimbriam diſtinctam dependẽtibus floribus, malisque punicis & tintinnabulis, &c. Sed nec Scriptura, nec Ioſephus, florum meminit. D. Hieron. ſeptuaginta duo numerat tintinnabula; Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum numerauit trecẽta ſexaginta ſex. D. Proſper de Promiſſionibus Dei part. 2. capite 3. quinquaginta fuiſſe ait. Scriptura mentionem numeri nullam fecit. Plurima fuiſſe ait Eccleſiaſt. illis verbis: *Cinxit illum*, id eſt, Aaronem, *tintinnabulis aureis plurimis in gyro*, &c. *Forma tintinnabulorum. Philo. Numerus tintinnabulorum. Eccli. 45.*

Tintinnabula autem iuſſus eſt Pontifex ferre ſub interminatione mortis, vt illius gradientis ſonitus

Exodi 28. audiretur. *Vestietur*, ait Dominus, *ea*, id est, tunica hyacinthina, *Aaron in officio ministerij, vt audiatur sonitus quando ingreditur, & egreditur Sanctuarium in conspectu Domini, & non moriatur*, &c. *Hieron.* Hieronymus epist. 128. Idcirco, inquit, tintinnabula vesti apposita sunt, vt cùm ingreditur Pontifex Sancta sanctorum totus vocalis incedat; statim moriturus, si hoc non fecerit, &c.

Oleaster. Oleaster Exod. 28. vult sonitum tintinnabulorum veluti quamdam ostij fuisse pulsationem: Si quæras, ait ille, quare Dominus volebat sacerdotem ante ingressum audiri; dico, hoc ad Dei grauitatem pertinere. Nam quemadmodum nemo audet intrare domum alicuius magni domini furtiuè, sed ante ingressum pulsat: sic nolebat Dominus quempiam eius domum intrare, nisi pulsaret, & audiretur primùm. Hæc ille. At nemo fores pulsat cùm egreditur: Deus autem voluit sonitum Pontificis audiri, & ingredientis in Sanctuarium, & egredientis. Dicendum igitur est tintinnabulorum sonitum ad maiestatem quamdam & decorem, concitandamque in populo numinis venerationem, Pontificis vestibus adhibitum, non autem vt esset veluti ostij pulsatio: *Cinxit*, inquit, *illum tintinnabulis aureis in gyro, dare sonitum in incessu suo, auditum facere sonitum in templo in memoriam filiis gentis suæ*, &c. Id est, Cinxit Deus tintinnabulis tunicam Pontificis, vt incessu suo sonitum ederet, populique memoriam in Deum excitaret.

Quorsum tintinnabula vesti sint appensa Pontificis.

Eccli. 45.

Num. 16. Israelitis præcipitur, vt fimbrias per angulos palliorum faciant, *ponentes in eis vittas hyacinthinas, quas cùm viderint recordentur omnium mandatorum Domini.* Fimbriæ Pontificis mala punica erant & tintinnabula. Vt verò fimbriæ palliorum memoriam populi ad mandata Dei obseruanda; ita sonitus tintinnabulorum ad Deum venerandum excitabat. Lyranus ait sonitum tintinnabulorum Iudæis in memoriam reuocasse legem, quæ sonitu buccinæ data fuerat. Sed longè diuersus est sonitus buccinæ à sonitu tintinnabulorum, caretque verisimilitudine sententia. Melius Iansenius verba Ecclesiastici sic interpretatur: Auditum facere sonitum in memoriam gentis suæ; id est, vt populus moneretur reuerentiæ summo sacerdoti ministro Dei, & multò magis ipsi Deo, tempore sacrificij exhibendæ.

Fimbriæ vestis Pontificiæ tintinnabula & mala punica. Lyran.

Iansen.

A ræ pulcritudinis perstringens fulgore oculos, &c.

Haberétne manicas dubium est. Nam Abulensis Exod. 28. & Sixtus Sen. lib. 3. Bibliothecæ, manicis caruisse asserunt. Idque confirmant vulgares antiqui Pontificis picturæ, in quibus Ephod absque manicis depingitur. Manicas tamen habuisse ait Iosephus. Ita enim ille de Ephod scribit: Ex variis coloribus, auro intermixto, Ephod sic contexitur, vt circa medium pectus lacuna quædam relinquatur: maniculis quoque ita exstantibus, vt plane tunica appareat, &c. Ex Græco, si verbum verbo reddere velis, sic reddes: Textus Ephod in profunditatem cubitalis, ex coloribus omnis generis, & auro simul variegato, lacunâ pectoris mediam relinquit, B manicisque fabricatus, & tota figura, vt tunica esset factus, &c. Ex his colliges superhumerale manicas habuisse. Credendum enim hac in re est Iosepho testi oculato, cui assentitur etiam Ribera in libro de Vestibus sacerdotalibus. Philo lib. 2. de Monarc. thoracis habuisse figuram ait. Et Iosephus lib. 6. de Bello cap. 6. Epomis, inquit, habitu indumento thoraci similis videbatur, &c.

An Ephod habuerit manicas.

Iosephus l. 3. Antiq. c. 8.

Duobus pretiosis lapidibus auro inclusis vestis hæc fulgebat, supra duos humeros collocatis. In lapide humeri dextri nomina sex filiorum Iacob maiorum natiuitatis ordine: in lapide sinistri humeri sex minorum nomina incisa erant. Ait Dominus Mosi: *Sumes duos lapides onychinos, & sculpes in eis nomina filiorũ Israel: sex nomina in lapide vno, & sex reliqua in altero, iuxta ordinem natiuitatis eorum. Opere sculptoris, & calatura gemmarij sculpes eos nominibus filiorum Israel, inclusos auro atque circumdatos: & pones in vtroque latere superhumeralis, memoriale filiis Israel. Portabitq; Aaron nomina eorũ coram Domino super vtrumque humerum, ob recordationem*, &c. Duo hi lapides magni erant, vt tot nomina caperent. Hebraicè dicuntur lapides, שהם, scholham. Septuaginta Interpretes smaragdos interpretantur. Noster Interpres vertit, lapides onychinos. Sic etiam Aquila, Symmachusque verterunt, Theodotion & Chaldæus. Iosephus Sardonychos eodem sensu appellat, ὄνυξ ὄνυχος, Græcè vnguem significat, ab vnguis colore gemma onyx, id est, vnguis appellatur, & lapis D onychinus, id est, vngularis. Non prætermittam id quod Iosephus de iis gemmis scripsit lib. 3. Antiq. cap. 9. Ex lapillis, inquit, quos Pontifex in humeris gestabat, micabat alter quoties litatum esset, is qui dextrum humerum occupabat; tantumque fulgorem emittebat, vt procul etiam intuentibus conspiceretur: idque præter naturam suam & consuetudinem, &c. Hunc tamen fulgorem idem auctor tradit eodem loco in secundo templo desiisse: Desiit, ait, Sardonyx fulgorem emittere ducentis annis antequam hæc commentaremur; irato Deo propter legum suarum præuaricationem, &c.

De duobus pretiosis lapidibus superhumeralis.

Nomina filiorũ Iacob in duobus pretiosis lapidibus insculpta. Exodi 28.

Lapides onychini ab vngue dicti.

Fulgebat lapis cũ erat litatum.

Dicuntur Hebraicè hi lapides memoriæ vel recordationis filiis Israel; siue vt noster Interpres E vertit, memoriale; iubeturque Aaron portare illos in humeris, ob memoriam, siue ob recordationem. Memoria verò potest referri ad Deum, vel ad populum, vel ad Pontificem. Abulensis ad Deum refert. Dicuntur lapides memoriæ, vel memoriale Dei, quia ob recordationem Dei gestabantur ab Aarone. Hoc est, vt Deus conspectis lapidibus filiorum Israel esset memor, illisque beneficia conferret. Hunc in modum iris memoria, siue memoriale Dei dici potest. Iuxta illud: *Apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiscum*, &c. Non obliuiscitur Deus, neque memoriali indiget; sed nostro more loquitur.

Lapides recordationis, cur dicãtur.

Gen. 9.

De lapidibus rationalis dicitur. *Portabit Aaron nomina filiorum Israel in rationali iudicij super pectus suum,* *Exodi 28.*

CAPVT XLIV.

De Ephod, siue Superhumerali.

De Ephod, siue superhumerali veste Pontificis.

Post tunicam hyacinthino colore præclaram, Pontifex vestem aliam induebat illustriorem ac breuiorem, quæ אפור, Ephod, dicitur Hebraicè, à verbo אפר, Ephad, id est, cingere; quòd humeros, tergum, pectusque cingeret. Græcè à Septuaginta Interpretibus, ἐπωμὶς, id est, Superhumerale, appellatur, quòd super humeros oneretur. ἐπὶ, super significat, ὦμος, humerum, inde ἐπωμὶς, id est, Superhumerale. Non vnius erat coloris Ephod, sed plurium. *Facient superhumerale de auro, & hyacintho, & purpura, coccoq; bis tincto, & bysso retorta, opere polymito.* Opus polymitum, opus dicitur multis, diuersorumque colorum filis, siue liciis constans, à πολὺ, id est, multum. & μίτος, filum, siue licium. Opus polymitum erat Ephod, quoniam ex variis auri, hyacinthinæ lanæ, purpuræ, cocciique & byssi filis erat contextum. De illo sic Hieronymus ad Fabiolam: Auri, inquit, laminæ, id est, bracteæ, mira tenuitate tenduntur, ex quibus secta fila torquentur cum subtegmine trium colorum, hyacinthi, cocci, purpuræ, & cum stamine byssino; & efficitur palliolum mi-

Exodi 28.

Opus polymitũ quid.

Deus quo-modo memo-riale habe-re dicitur. Num.10.

ſuum, quando ingredietur Sanctuarium: memoriale co-ram Domino in aternum, &c. Memoriale coram Domino dicitur, quaſi Dei memoriam excitet. Simi-lem in modum: *Si exieritis ad bellum, clangetis vlulan-tibus tubis: & erit recordatio veſtri coram Domino Deo veſtro, vt eruamini de manibus inimicorum veſtrorum*, &c. Item: *Vnus ſacerdos tollet pugillum plenum ſimilæ, & olei, ac totum thus, & ponet memoriale ſuper altare in odorem ſuauiſſimum Domino*, &c. Velut memoriale Dei erat ſimila, erat tubarum clangor, ita quoque lapides illi pretioſi. Quòd ſi quis obiiciat dici me-moriale filiis Iſrael. Reſpondetur, lapides fuiſſe filiis Iſrael memoriale, per quod Deus ipſorum re-cordabatur. D. Hieronymus ad Fabiolam: In dex-tro, inquit, humero maiores filij Iacob; in ſiniſtro minores ſcripti ſunt; vt Pontifex ingrediens Sancta ſanctorum nomina populi, pro quo rogaturus eſt Dominum, portet in humeris, &c. Portabat igitur Pontifex nomina tribuum in humeris, vt tribus Iſ-rael Deo offerret, & commendaret. Quaſi illa ſcul-ptura ſic loqueretur: Commendo tibi Domine tri-bum Ruben, tribum Leui, &c. Vel: Memor eſto Domine duodecim tribuum Iſrael.

Leuit. 2.

Hieron.

Memoriale non ratione Dei, ſed alio-rũ dicitur.

Oleaſter memoriam ad ipſum Pontificem refert: Vocantur, ait, lapides memoriæ; quoniam ad me-moriam ſacerdotis reducebant tribus Iſrael, vt pro eis oraret, &c. Vatablus ad Deũ refert, vel ad Pon-tificem: Gemmæ, inquit, reuocabunt in memoriam Deo, vel Aaroni filios Iſrael, &c. Gloſſa interlin. memoriale refert ad populum. Erant autem lapi-des, & nomina ſcripta, memoriale populi (vt eſt in Gloſſa) vt videntes Iſraelitæ lapides, Patrum me-mores eſſent, quorum nomina ſcripta habebant gemmæ illæ. Denique Beda in Gloſſa ordinaria: Tribus, inquit, de cauſſis Aaron nomina Patriarcha-rum in humeris pectoreque geſtabat. Vt ipſe ſcili-cet fidem, vitamque Patriarcharum meminiſſet imitari; vt duodecim tribuum in orationibus & ſa-crificiis memor eſſet; vt populus ſcripta in veſte præſulis Patrum nomina videns, ſedulò curaret, ne ab illorum meritis diſcedens, ad errorum contagia declinaret, &c.

Gloſſa.

Beda.

CAPVT XLV.

De Rationali iudicij.

De Rationali. Exodi 28.

Rationale quid eſſet.

SVPERHVMERALIS pars, ornamentumque illuſtrius erat Rationale, quod Hebraicè dicitur, חשן, Choſche, Græcè, λογεῖον, Exodi 28. *Rationale facies iudicij*, ait Dominus Moyſi, *opere polymito, iuxta texturam ſuperhumeralis, ex auro, hyacintho, & pur-pura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta. Quadrangulum erit, & duplex: menſuram palmi habebit tam in longi-tudine, quàm in latitudine*, &c. Erat ergo Rationale duplicatum quoddam ornamentum, & quadratum, ex hyacintho, purpura, cocco, byſſoque retorta, & auro contextum, quemadmodum & ſuperhumera-le, palmi habebat latitudinem ac longitudinem. Hebraicè palmus dicitur hoc loco, זרת, Zereth. Eſt autem Zereth, vt docet Montanus in libro de Menſuris ſacris, menſura, quæ digitis expanſis no-tatur, ab extremo pollicis, vſque ad minimi extre-mum. Hic eſt palmus Luſitanus. Hoc palmare qua-dratum, duplicatumque ornamentum in lacuna il-la ſuperhumeralis, quam ſuprà ex Ioſepho reli-ctam diximus, ſupra pectus Pontificis collocabatur; duodecim verò gemmæ auro incluſæ illi hærebãt, in quibus iterum duodecim filiorum Iſrael nomi-na inſculpta fuere.

Gemmarũ Rationalis quatuor or-dines.

Erant autem gemmarum ordines quatuor; tres gemmæ in ſingulis ordinibus fulgebant. *Pones in eo quatuor ordines lapidum. Incluſi auro erunt per ordines ſuos. Habebuntq; nomina filiorum Iſrael. Duodecim nomi-nibus cælabuntur; ſinguli lapides nominibus ſingulorum per duodecim tribus*, &c. Adnectebatur autem Ratio-nale ipſi Superhumerali aureis catenis, vittaque hyacinthina. Quænam gemmæ, & quo ordine in Rationali locandæ ſint, eodem loco Dominus præ-ſcribit, his verbis: *Pones in eo*, id eſt, Rationali, *qua-tuor ordines lapidum. In primo verſu*, id eſt, ordine, *erit lapis Sardius, & Topazius, & Smaragdus: in ſecundo, Car-bunculus, Sapphirus, & Iaſpis: in tertio, Ligurius, Acha-tes, & Amethyſtus: in quarto, Chryſolytus, Onychinus, & Beryllus*, &c. De iis gemmis egregius rerum natura-lium indagator Plin. conſulendus eſt; illius verbis nos cuiuſmodi ſint exponemus. *Exodi 28.*

Primi ordinis gemmæ ſunt, Sardius, Topazius, Smaragdus. Sardius rubei coloris eſt: Hebraicè enim dicitur *Odem*, id eſt, rubeſcens, à verbo *Adam*, id eſt, rubeſco. Montan. in libro de Veſtibus ſacer-dotalibus, putat eam eſſe gemmam, quam Rubi appellamus. Sardium fuiſſe conſtat ex noſtra edi-tione, & ex Septuaginta Interpretibus, Pagninus quoque Sardium vertit. Lege Plinium lib. 37. cap. 7. Topazius viridis eſt teſte eodem Plinio lib. 37. c. 8. Egregia, inquit, etiamnum Topazio gloria eſt, ſuo virenti genere, & cùm reperta eſt, prælatæ omni-bus, &c. Smaragdus Eſmeralda à noſtris appella-tur, & viridi quoque colore fulget. De Smaragdo Plinius eodem libro cap. 5. Nullius, ait, coloris aſpe-ctus iucundior eſt. Nam herbas quoque virentes, frondeſque auide ſpectamus, Smaragdos verò tan-tò libentiùs, quoniam nihil omnino viridius com-paratum illis viret. Præterea ſoli gemmarum con-tuitu oculos implent, nec ſatiant. Quin & ab inten-tione alia obſcurata, aſpectu Smaragdi recreatur acies. Scalpentibusque gemmas non alia gratior oculorum refectio eſt, ita viridi lenitate laſſitudi-nem mulcent. Præterea longinquo amplificantur viſu, inficientes circa ſe repercuſſum aëra. Non So-le mutati, non vmbra, non lucernis, ſemperque ſenſim radiantes, & viſum admittentes ad craſſitu-dinem ſui, facilitate tranſlucida, &c.

Lapides pri-mi ordinis.

Topaſius la-pis quis ſit.

Smaragdus quis.

Secundi ordinis lapides, Carbunculus, Sapphi-rus, & Iaſpis. Carbunculus ſimilitudinem habet ignis, vt idem auctor docet cap. 7. Principatum, ait, habent Carbunculi, à ſimilitudine ignium appel-lati; cùm ipſi non ſentiant ignes, ob id à quibuſ-dam apyroti vocati, &c. Sapphirus cæleſti, ſiue cæ-ruleo colore nitet, noſtris Sapphira dicitur. Iaſpi-dum multi ſunt colores. Viret, ait Plin. c. 8. & ſæpe tranſlucet Iaſpis, etiamſi victa à multis gemmis, an-tiquitatis tamen gloriam retinens. Plurimæ ferunt eam gentes. Smaragdo ſimilem Indi, Cypros du-ram, glaucoque pingui, Perſæ aëri ſimilem, ob id vocatur aërizuſa. Talis & Caſpia eſt, cærulea circa Thermodoontem amnem. In Phrygia purpurea, in Cappadocia ex purpura cærulea, atque non reful-gens. Optima, quæ purpuræ quidquam habet, ſecun-da, quæ roſæ, tertia, quæ Smaragdi. Singulis autem Græci nomina ex argumento dedere. Quarta apud eos vocatur Borea, cælo Autumnali matutino ſimi-lis, & hæc erit illa, quæ vocatur aërizuſa. Similis eſt & Sardæ, imitata & violas, &c. Fuluæ Iaſpidis me-minit Poëta: *Stellatus*, inquit, *Iaſpide fulua enſis erat*, Talis fortè ea fuit quæ in Rationali.

Lapides ſe-cũdi ordinis.

Carbũculus quis.

Sapphirus quis.

Æneid. 4.

In tertio ordine ſplendeſcunt, Ligurius, Acha-tes, & Amethyſtus. De Ligurio ſic Hieronymus epiſt. 128. ad Fabiolam: Satis miror, cur hyacinthus pretioſiſſimus lapis horum in numero non pona-tur. Niſi fortè ipſe eſt alio nomine Lyncurius. Scru-tans eos, qui de lapidum atque gemmarum ſcripſe-

Lapides 3. ordinis. Hieron.

re naturis, Lyncurium inuenire non potui, &c. Si Ligurius lapis est idē qui Lyncurius, facile ab Hieronymo inueniri potuit apud Plinium, & apud alios auctores, quorum Plinius meminit cap. 8. libro 38. Plinius: Lyncum, inquit, humor redditus glaciatur, aresćitve in gemmas carbunculis similes, & igneo colore fulgentes, Lyncurium vocatas. Atque ob id succino à plerisque ita generari prodito, &c. Libro autem 37. capite 2. Demostratus, ait, Lyncurium vocat: & fieri ex vrina Lyncum bestiarum. E maribus fuluum & igneum; e feminis languidius, atque candidum. Alij dixere Langurium, & esse in Italia bestias lanurias, &c. Denique lib. eodem 37. capite 3. sic scribit: De Lyncurio dici cogit auctorum pertinacia. Quippe etiamsi non electrum id esset, Lyncurium tamen gemmam esse cōtendunt. Fieri autem ex vrina quidem Lyncis, sed egesta terra protinus bestia operiente eam. Quoniam inuideat hominum vsui. Esse autem qualem in igneis succinis colorem, scalpiqúe: nec folia tantùm aut stramenta ad se rapere, sed æris etiam, ac ferri laminas, quod Diocles quidem & Theophrastus credidit. Ego falsum id totum arbitror, nec visam in æuo nostro gemmā vllam ea appellatione. Et quod de medicina simul proditur, calculos vesicæ, eo poto elidi, & morbo regio occurri, si ex vino bibatur, aut si portetur. Hæc Plinius; ex quo D. Hieronymus scire potuit quid esset Lyncurius. Sed forsitan non Lyncurium, sed Ligurium quærebat, quē nos etiam quærimus, & inuenire non possumus, ideoque Ligurius potius, quàm Lyncurius, apud Hieronymum legendum erit.

An Lyncurium ex vrina fiat Lyncis.

D. Isidor.

Diuus Isidorus lib. 16. Etymologiarum cap. 8. Ligurium fuluum esse, & ex Lyncis vrina indurata fieri scribit, Abulensis quoque Exod. 28. Montan. in libro de Vestibus sacerdotalibus, Carthusian. & Vatablus. At verò Plinius de Lyncurio loquitur, non de Ligurio. Præterea Lyncurium gemmam esse ex vrina Lyncis genitam falsum putat. Dioscorides quoque lib. 2. capit. 74. Lyncis, inquit, vrinam, quam Lyncurium appellant, simul ac excernitur glaciari, coiréve in calculi duritiam creditum est. Quare vanam habet historiam: est enim quod à nonnullis vocatur succinum, &c. Et Matthiolus in hunc locum: Illud, ait, fabulosum esse manifestè deprehenditur, vt hic Dioscorides scribit, quod vrina Lyncis simul ac excernitur duretur in lapidem illum, quem Lyncurium vocant. Quippe quòd is inter succini genera ab omnibus fide dignis auctoribus recēleatur; quòd suæ naturæ proprietate pennas ad se trahat, quemadmodum cetera succini genera, paleas & festucas, &c.

Matthiol.

Reor igitur cum D. Hieronymo incertum esse quænam gemma sit Ligurius, aut vnde dicta. A Liguria dictam coniicitur ex Plinio cap. 7. Est, inquit, Anthracitis appellata, in Thesprotia fossilis, carbonibus similis. Falsum arbitror, quod in Liguria nasci tradiderunt, nisi fortè tunc nascebantur. Esse in iis & præcinctæ candida vena traduntur. Harum igneus color est. Peculiare, quòd iactatæ in ignem velut intermortuæ exstinguuntur; contrà, aquis perfusæ exardescunt, &c. Coniectura tenuis est. Nam Plinius falsum putat in Liguria inueniri. Præterea si Ligurius vocaretur hic lapis, eo nomine vsus fuisset Plinius, vel eius feciſſet mentionem. Appellat autem Anthracitem, id est, Carbunculum. In Glossa interlineari Ligurius hyacinthini coloris esse dicitur, & inueniri in renibus bouis.

De Achate quid scribat Plin. c. 10.

De Achate idem naturæ scrutator: Achates, ait, in magna fuit auctoritate; nunc in nulla est. Reperta primùm in Sicilia, iuxta flumen eiusdem nominis, postea plurimis locis. Excedens amplitudine numerosa, varietatibus diuersis mutantibus cognomina eius. Vocatur enim Phasachates, Cerachates, Sardachates, Hæmachates, Dendrachates, velut arbuscula insignis, Coraloachates guttis aureis Sapphiri modo distincta, qualis copiosissima in Creta, sacra appellata. Putant eam contra araneorum & scorpionum ictus prodesse. Quod in Siculis vtique crediderim, quoniam primùm eius prouinciæ afflatu scorpionum pestis exstinguitur; & in India inuentæ contra eadem pollent, & aliis magnis miraculis. Reddunt enim species fluminum, nemorum, & iumentorum, etiam eiseda, & staticula, & equorum ornamenta. Spectasse etiam prodest oculis, sitim quoque sedāt in os inditæ. Phrygiæ viridia non habent. Thebis Ægyptiis repertæ carent rubentibus venis & albis. Hæc ille. Ex quibus colligimus hunc lapidem Achatem dictum à flumine Siciliæ, iuxta quem repertus est; habereque aliquando imagines varias fluminum, nemorum, iumentorum. Vnde Matthiolus in comment. libr. 5. Dioscor. cap. 103. Lapis, inquit, hic variis constat coloribus, & se inuicem incursantibus zonis lineisque; adeò vt quandoque varias effingant imaginum formas, naturæ tantùm penicillo. Hinc creditum est antiquos vocasse Achatem variis nominibus: vocatur enim Phasachates, Cerachates, Dendrachates, Hæmachates, Coraloachates. Quòd quidam columbos, quidam cornua, alij arbores, alij sanguinem, nonnulli coralium coloribus præ se ferāt, &c. Phasachates à columbo dicitur. Nam φάσσα, ης, phassa, phassis, columbum significat, inde Phasachates, id est, columbum repræsentans: κέρας, ceras, cornu est, inde Cerachates cornu imaginem habens; δένδρον, dendron, arbor, inde Dendrachates arbusculæ effigie insignis; αἷμα, Hæma, sanguis, inde Hæmachates.

Achates Pyrrhi Regis.

Mirum est quod de Achate Pyrrhi Regis Plinius narrat libro 37. capite 1. Fama, inquit, est gemmæ Pyrrhi illius, qui aduersus Romanos bellum gessit. Namque habuisse traditur Achaten, in qua nouem musæ, & Apollo citharā tenens spectarentur; non arte, sed sponte naturæ ita discurrentibus maculis, vt musis quoque singulis sua redderentur insignia, &c. Mendacium videtur fama vulgasse.

Achates cuius coloris sit.

Dictus ergo est lapis hic Achates à fluuio, iuxta quem primò est inuentus. Cuius coloris sit docet D. Isidorus lib. 16. Etymologiarum capite 11. Achates, ait, reperta primùm in Sicilia iuxta flumen eiusdem nominis. Postea plurimis in terris. Est autem nigra, habens in medio circulos nigros, & albos iunctos, & variatos, similis hæmatiti, &c. Similem esse ait hæmatiti; hæmatitem autem lapidem cap. 8. asserit colore esse sanguineum, atque ideo appellari hæmatitem, id est, sanguineum, à nomine Græco αἷμα, quod sanguinem significat. Plinius cap. 10. Achates commemorat leoninæ pelli similes, & hyænæ pelli, vnius quoque coloris. Quis sit color vnus non aperit; sed colligitur esse rubeus ex his illius verbis: Eam, inquit, quæ vnius coloris sit inuictam athletis esse. Argumētum eius, quòd in olla plena olei cocta cum pigmentis, intra duas horas subferuefacta vnum colorem ex omnibus facit minij, &c. Minium autem rubei coloris est.

D. Isidor. De Amethysto lapide.

Sequitur Amethystus. De illo D. Isidorus lib. 16. citato cap. 9. Inter purpureas, inquit, gemmas principatum Amethystus Indicus tenet. Amethystus purpureus est, permixto violaceo colore, & quasi rosæ nitor, & leniter quasdam flammulas fundens. Alterum eius genus descendit ad hyacinthos, &c. Sed Plinium audiamus: Principatum, inquit, Amethysti Indicæ tenent. Caussam nominis afferunt, quòd vsque ad vini colorem accedens, priusquam

Plin. c. 9.

cum

eum deguſtet,in violam deſinat;fulgorque quidam in illa purpuræ non ex toto igneus, ſed in vini colorem deficiens. Perlucent autem omnes violaceo colore, ſcalpturis faciles. Indicæ abſolutum felicis purpuræ colorem habent, ad hancque tingentium officinæ dirigunt vota. Fundit autem eum aſpectu leniter blandum, neque in oculos, vt carbunculi, vibrat. Magorũ vanitas reſiſtere ebrietati eas promittit,& inde appellatas,&c. Et cap.6. de gemmis loquens,quæ Opali vocantur : Eſt,inquit,in iis carbunculo tenuior ignis, eſt Amethyſti fulgens purpura,eſt Smaragdi virens mare, &c. Paucis verbis trium gemmarum,ſcilicet,Carbunculi,Amethyſti, & Smaragdi, colores demonſtrauit. Dicitur autem Amethyſtus ab α particula priuante, & μέθυ, id eſt, vino : quaſi ſine vino. Cauſſa nominis fuit,vt Plinius dicit, quòd vſque ad vini colorem accedens, priuſquam eum deguſtet,in violam deſinat,fulgorque quidam in illa ſit purpuræ non ex toto igneus, ſed in vini colorem deficiens .

Lapides 4. ordinis. *Chryſolithus quis ſit.*

Quarti ordinis gemmæ reſtant: Chryſolithus, Onychinus , Beryllus . Chryſolithus appellatur quaſi aureus lapis: χρυσὸς, enim Græcè aurum dicitur, λίθος verò lapis, vnde Chryſolithus deducitur, id eſt,aureus lapis. Chryſolithus, ait D.Iſidor.c.14. lib.16.auro ſimilis eſt,cum marini coloris ſimilitudine,&c. Plin. cap.9. Hyacinthos Æthiopia mittit, & Chryſolithos aureo colore tranſlucentes. Optimæ ſunt, quæ in collatione aurum albicare quadam argenti facie cogunt, &c.

Hyacinthus quis lapis ſit

Hyacinthus non eſt in ornatu Pontificis, lapis eſt tamen pretioſus,&, vt ait eodem loco Plinius, violaceus: Ille, inquit, emicans in Amethyſto fulgor violaceus, dilutus eſt in Hyacintho, &c. Onychinus,vt ſuprà diximus,ab ὄνυξ ὄνυχος,id eſt,vngue vocatur, quòd vnguis referat colorem. D. Iſidorus capite 8. Onyx appellata eſt,quod habet in ſe permixtum candorem in ſimilitudinem vnguis humani,&c.Plinius:Sudines dicit in gemma eſſe candorem vnguis humani ſimilitudine,item Chryſolithi colorem,& Sardę,& Iaſpidis.Zenothemis Indicã Onychem plures habere varietates, igneam, nigram,corneam cingentibus candidis venis oculi modo, interuenientibus quarumdam oculis, obliquis venis.Sotacus & Arabicam Onychem tradit; ſed eam à ceteris diſtare,quòd Indica igniculos habeat albis cingentibus zonis, ſingulis pluribúſve, aliter quàm in Sardonyche Indica, Arabicas Onychas nigras inueniri candidis zonis.Satyrus carnoſas eſſe Indicas,parte carbunculi,parte chryſolithi, & amethyſti, totumque id genus abdicat: veram autem Onychem plurimas, variasque cum lacteis zonis habere venas, omnium in trãſitu colore inenarrabili, & in vnum redeunte concentum ſuauitate grata, &c. De Sardonyche quoque eodem loco: Primus, ait, Romanorum Sardonyche vſus eſt prior Africanus,vt tradit Demoſtratus,& inde Romanis hanc gemmam fuiſſe celeberrimam. Sardonyches olim,vt ex nomine ipſo apparet,intelligebantur candore in Sarda, hoc eſt, velut carnibus vngue hominis impoſito,& vtroque tranſlucido. Talesque eſſe indicas tradunt Iſmenias,Demoſtratus,Zenothemis,Sotacus,&c.

D.Iſidor. *Plin.c.6.* *Ibidem.* *Sardonyx.*

Sarda. Plin.c.7.

De Sarda gemma idem: Omnia, inquit, hæc genera,ſcilicet,gemmarum, ſculpturæ contumaciter reſiſtunt,partemque ceræ in ſigno tenent. E diuerſo ad hæc Sarda vtiliſſima,quæ nomen cum Sardonyche communicauit,ipſa gemma vulgaris,& primùm Sardibus reperta ; ſed laudatiſſima circa Babyloniam, cùm lapidicinæ quædam aperirentur, hærens in ſaxi corde. Inueniuntur compluribus in locis, ſicut in Paro & Aſſo. In India trium generum,rubrum, & quod demium vocant à pinguedine; tertium quod argenteis bracteis ſublinitur. Indicæ perlucent,craſſiores ſunt Arabicæ.Inueniuntur & circa Leucada Epiri, & circa Ægyptum, quæ bractea aurea ſublinuntur. Et in iis mares excitatius fulgent,feminæ pinguiores ſunt,& craſſius nitent. Nec fuit alia gemma apud antiquos vſu frequentior, nec vllæ tranſlucentium tardius ſuffuſo humore hebetantur, oleoque magis quàm alio liquore, &c.

Beryllus. Plin.c.5.

Vltima gemma Beryllus eſt, viridis & Smaragdo ſimilis. Plinius : Multis naturam Smaragdi,aut certe ſimilem habere Berylli videntur in India originem habentes,rarò alibi reperti. Poliuntur omnes ſexangula figura artificum ingeniis, quoniam hebeſcunt, ni color ſurdus repercuſſu angulorum excitetur. Aliter enim politi non habent fulgorem eumdem. Probatiſſimi ſunt ex iis, qui viriditatem puri maris imitantur. Proximi,qui vocantur Chryſoberylli,& ſunt paullò pallidiores,ſed in aureum colorem exeunte fulgore. Vicinum genus huic eſt pallidius,& à quibuſdam proprij generis exiſtimatur,vocaturque Chryſopraſus, &c. Praſos porrum ſignificat Græcis, chryſos aurum; inde Chryſopraſos dicitur,quòd auri porrique referat colorẽ. Hæc de gemmis ſint ſatis.

Chryſopraſus.

An nomina Leui & Ioſeph inſculpta fuerint in gẽmis rationalis. Exod.28.

Dubium eſt fueritne in iis lapidibus nomen Leui inſculptum, & nomen Ioſeph, an potius Manaſſes & Ephraim . Nam duodecim tantùm lapides erant ; in ſingulis ſingula filiorum Iacob per duodecim tribus inſculpta nomina. *Duodecim nominibus celebrantur, ſinguli lapides nominibus ſingulorum per duodecim tribus*, &c. Vel ergo Manaſſes & Ephraim excludendi ſunt; vel Leui & Ioſeph. Si enim omnes recipiantur, 14. erunt nomina.

Quomodo inſcripta nomina eſſent.

Ribera Leui & Ioſeph expellit. In duodecim lapidibus nomina filiorum Iacob iuxta natiuitatis tempus ſic inſcribit. In primo lapide nomen Ruben, in ſecundo Simeon , in tertio Iudas, in quarto Dan, in quinto Nephtalim, in ſexto Gad, in ſeptimo Aſer, in octauo Iſſachar, in nono Zabulon, in decimo Ephraim,in vndecimo Manaſſes,in duodecimo Beniamin. Probari poteſt hæc ſententia,quoniam ſic in lapidibus nomina inſcribebantur, vt duodecim tribus Iſrael numerabantur: ſed duodecim tribus, ita vt dictum eſt, numerabantur; ergo ita vt dictum eſt inſcripta ſunt. Etenim tribus Leui inter duodecim tribus minimè numerabatur,quòd ſortem inter eas non accepiſſet. Ioſephi verò locum duo filij eius occupauerant Ephraim & Manaſſes. Præterea ratio poſtulat, vt dicamus Leui & Ioſeph nomina potius,quàm Ephraim & Manaſſes, in lapidibus non eſſe inſculpta; quoniam Leui tribus ſacerdotum erat, & Leuitarum, templo dicata, atque adeò ad eam pertinebat pro aliis orare, & aliarum tribuum nomina potius,quàm ſuũ in gemmis portare. Non enim opus erat nomẽ ſuum portare tribui,quæ ſe ipſam portabat. Ioſeph verò nomen cum fœnore in gemmis fulgebat, ſiquidem pronomine vnico patris , duorum filiorum eius Ephraim & Manaſſes nomina pretioſis in lapidibus micabant.Præterea ſi nomina Ephraim & Manaſſæ inciſa in gemmis non eſſent, non poſſent id ferre , deſiderarenturque in Rationali duæ tribus Iſrael,quæ ſortem inter reliquas habebant.

Abulenſis opinio & Montani.

Nihilominus Abulenſis Exod.28.Leui & Ioſeph nomina in lapidibus inciſa putat,nomina Ephraim & Manaſſes minimè. Montanus quoque in libr.de Veſtibus ſacerdotalibus hoc modo inſcripta putat nomina in gemmis; in prima Ruben, in ſecunda Simeon,in tertia Leui,in quarta Iudas,in quinta Iſſachar, in ſexta Zabulon, in ſeptima Dan,in octaua Nephta-

Nephtalim, in nona Gad, in decima Aſer, in vndecima Ioſeph, in duodecima Beniamin. In hanc ſententiam propenſior ſum. Probatur, quoniam tanto honore priuari Leui & Ioſeph non erat par. Præterea Deus iuſſit ex ordine antiquitatis, & natiuitatis nomina inſcribi filiorum Iſrael; Leui autem & Ioſeph antiquitate, & natiuitate Manaſſem & Ephraim præcedebant. Ad hæc, ſi dicamus Leui & Ioſeph nomina inciſa, nulla tribus excluditur à gemmis: ſi velimus inciſa non fuiſſe, excluditur nobiliſſima tribus Leui; ergo potius credendũ Leui & Ioſeph nomina fuiſſe inciſa. Quòd autem nulla tribus excludatur, ſi Leui & Ioſeph nomina inſculpta gemmis dicamus, perſpicuum eſt. Quoniam excludi ſolùm dicentur duæ tribus Ephraim & Manaſſę; at illæ nomine Ioſeph patris comprehenduntur. Non igitur excluſæ erunt. Tribus verò Leui nullo alio nomine comprehendi poteſt. Adde Pontificem in humeris pectoreque geſtaſſe nomina illorum, pro quibus Deum orare debebat; ex iis erat tribus Leui, ergo illam quoque geſtabat. Adiice nondum fuiſſe hoc tempore ſortes tribubus diſtributas.

Nomina Leui & Ioſeph inſculpta gemmis.

Soluuntur argumenta.

Argumentum primum pro altera opinione propoſitum ſoluitur, ſi dicas duobus modis numerari tribus Iſrael. Vel cùm de bello, hereditateque terræ promiſſionis, & huiuſmodi aliis, ſermo habetur: vel cùm de re aliqua, cuius particeps eſſe poteſt Leuitica tribus, agitur. Si ad bellum, terræque ſortem, huiuſmodique alia, quorum capax illa tribus non erat, tribus ſupputentur, non ingreditur Leuitica numerum. Si verò ad eas res, quarum particeps Leuitica eſt, numerentur tribus, illa quoque numero comprehenditur. Rei verò, de qua agimus, maximè capax erat hæc tribus. Quamuis enim pro aliis oraret, pro ſe maximè orare debuit. Adde ſolum vnum hominem ex illa tribu portaſſe lapides, & orare debuiſſe præcipuè pro tribu ſua, quemadmodum pro reliquis. Numerari autem tribus ita, vt pro Manaſſe & Ephraim Ioſeph ponatur, Leuique numeretur,

Deut. 27.

conſtat: *Hi*, inquit Moſes, *ſtabunt ad benedicendum ſuper montem Garizim; Simeon, Leui, Iudas, Iſſachar, Ioſeph, Beniamin. Et èregione iſti ſtabunt ad maledicendum in monte Hebal; Ruben, Gad, & Aſer, & Zabulon, Dan, & Nepthali*, &c. Mentio nulla fit Ephraim aut Manaſſæ, quoniam Ioſeph numeratur, Leui quoque. At hoc loco ex naſcendi ordine non numerantur. Ad vltimum reſpondeto, duas tribus Ephraim & Manaſſem non tuliſſe ægrè nomina ſua gemmis non eſſe inſculpta; cùm inſculptum cernerent nomen Ioſeph patris ſui. Immo debuit hic honos tanto viro haberi, cuius præclara exſtabant in Iſraelitas omnes merita, vt nomen caſtiſſimi Ioſeph, potius quàm filiorum, in humero pectoreque Pontificis ſplendeſceret.

Nominum ordo in lapidibus.

Sic ergo nomina inciſa ſunt; in Sardio rubeſcente nomen Ruben inciſum erat; in Topazio virente Simeon; in Smaragdo virore præſtante Leui; hic primus ordo. In Carbunculo igneo Iudas; in Sapphiro cæruleo Iſſachar; in Iaſpide fulua Zabulon; hic ordo ſecundus. In Ligurio Dan; in Achate Nepthalim; in Amethyſto purpureo Gad; hic ordo tertius. In Chryſolitho aureo Azer; in Onychino Ioſeph; in Beryllo virente Beniamin. Hic ordo quartus.

CAPVT XLVI.

De Vrim, & Thumim, Doctrina, & Veritate Rationalis.

HACTENVS de gemmis, quæ in Rationali ſplendebant dictum; dicendum quoque de Doctrina & Veritate, quas in eodem Rationali Deus collocari iubet. *Pones in rationali iudicij Doctrinam & Veritatem, quæ erunt in pectore Aaron quando ingredietur coram Domino; & geſtabit iudicium filiorum Iſrael in pectore ſuo, in conſpectu Domini ſemper*, &c. *Exodi 28.*

Doctrina & Veritas in Rationali quomodo ponerentur.

Quonam modo Doctrina & Veritas in pectore Pontificis ponerentur, difficilis explicatu quæſtio eſt. Geſtabatne Doctrinam & Veritatem, aureis, & purpureis, byſſinisque contextas litteris, an in metallo aliquo inciſis characteribus inſcriptas?

Quonã modo doctrina & veritas fuerint in rationali.

Auguſtin. quæſt. 117. ſuper Exodum hac de re ita ſcribit: In quali re vel metallo poneretur ſuper rationali demonſtratio & veritas, inuenire difficile eſt. Fabulantur tamen quidam lapidem fuiſſe, cuius color ſiue ad aduerſa, ſiue ad proſpera mutaretur; quando ſacerdos intrabat in Sancta. Et hoc eſſe quod ait: *Et afferet Aaron iudicia filiorum Iſrael ſuprapectus ſuum*. oſtendens videlicet in illa demonſtratione & veritate quid de illis iudicauerit Dominus. Quamquam poſſit intelligi, *demonſtrationem & veritatem*, litteris impoſitã ſuper rationale. Hæc Auguſtinus. Et D. Cyrillus lib. 11. de Adoratione: Siue lapides, inquit, pretioſi fuerint; ſine tamquam in aurea tabella ea nomina *manifeſtatio* & *veritas* ſcripta fuerint; non nimium curiose perueſtigabimus, &c. Beda: Ideo in rationali *doctrina* & *veritas* ſiue litteris eſt impreſſa ſeu nominibus; vt eadem veſte indutus meminiſſet Pontifex ſe ſtudiis veritatis, & doctrinæ inquirendis fuiſſe conſecratum, &c. Poſſe intelligi aiunt Auguſtinus, Beda, & Cyrillus *doctrinam*, ſiue *demonſtrationem*, & *veritatem*, litteris exaratas, poſitasque fuiſſe in rationali. Huius opinionis fuit Hugo Victorinus, qui verba Exodi ſic exponit: *Pones*, inquit, *in rationali iudicij doctrinam ac veritatem:* hæc nomina ſcilicet ſcripta in textura, &c. Alter Hugo Cardinalis Exod. 28. Sic, inquit, dicebatur rationale iudicij legion, quia hæc duo nomina *iudicium* & *veritas*, vel *doctrina* & *veritas* in eo ſcripta erant. Comeſtor quoque in Hiſtoria Exodi c. 64. Appellabatur, ait, rationale iudicij, quia in eo ſcripta erant hæc duo nomina, *iudicium* & *veritas*, vel *doctrina* & *veritas*, &c. Accedit Hebræus Philo libro 3. de Vita Moſis: Rationale, inquit, erat quadrangulum, duplicatum, pro baſi deſtinatum ferendis duabus virtutibus, *manifeſtationi veritatiq;*. Græcè, ἵνα δύο ἀρετὰς ἀγαλματοφορῇ, id eſt, vt duas virtutes depictas ferat. Et lib. 2. de Monarchia: In rationali, ait, duas texturas variauit; quarum alteram *manifeſtationem* appellauit, alteram *veritatem*, &c. Exiſtimauit igitur Philo in ipſo rationali contextas fuiſſe *doctrinam* & *veritatem*. Meminit Vatablus huius interpretationis Exod. 28. Quidam, inquit, exiſtimant, *Vrim* & *Thumim*, ideo Dominum iuſſiſſe inſcribi in pectorali, vt admoneretur ſummus ſacerdos, oportere eum eſſe ſumma doctrina præditum, & morum ſumma integritate, &c.

Beda. *Hugo Vict.* *Hugo Card.* *Comeſtor.* *Philo.* *Vatabl.*

Obſeruandum eſt Hebraicè ſic legi: *Pones in rationali*, אורים, *Urim*, & תמים, *Thumim*. Significat autem *Urim*, numeri pluralis ignes, illuminationes & doctrinam, quæ illuminat. *Thumim* verò ſignificat perfectiones, integritates & veritatem, quę perfecta & integra eſt. Ideo noſter Interpres vertit: *Pones doctrinam & veritatem*. Septuaginta vertunt, δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν, *manifeſtationem & veritatem*. Quid

fuerint

fuerint *Vrim & Thumim, ſiue doctrina & veritas*, non liquet. Vnde Caietanus Cardinalis: Quid, inquit, intelligatur nominibus, *Vrim & Thumim*, nullus, quantum nouimus, hactenus explicauit. Diuerſi diuerſa dicunt, nec certi aliquid habetur. Neſcitur materia luminum & perfectionum, neſcitur modus, quo hæc ponerentur. Hæc ille. Et Lippomanus Exod. 28. Non deſunt, inquit, inter Hebræos Rabbini, etiam docti, qui, quid ſit *Vrim & Thumim*, ingenuè fateantur ignorare. Cum quibus nos in præſentia tranſibimus, potius quàm certi aliquid ea in re ſtatuere præſumamus. Hæc ille. Attamen operæpretium erit, quæ de re adeò dubia opiniones ſint commemorare.

Caietan. *Lippom.*

Prima opinio iam commemorata eſt, has voces, *Vrim & Thumim*, id eſt, illuminationes & perfectiones, ſiue doctrina & veritas, in ipſo Rationali fuiſſe inſcriptas. Secunda opinio eſt Rabbi Abraham, qui apud Abulenſem Exodi 28. quæſt. 12. & 15. cenſuit, *Vrim & Thumim*, fuiſſe duas laminas; alteram auream, alteram argenteam, quæ intra ipſum Rationale, quod duplicatum erat, abderētur. Lib. 1. Reg. cap. 23. quæſt. 7. ait Abulenſis eumdem Abraham laminas aureas in Rationali collocaſſe inſcriptas nominibus Dei.

Prima opinio. *Secūda opinio Rabbi Abraham.*

Tertia Montani, qui in libro de Veſtibus ſacerdotalibus diuinum hoc fuiſſe opus, non humanum, ex incognita materia factum arbitratur: Hanc, inquit, rem, cuiuſcumque naturæ illa fuerit, hominum artificio factam, aut comparatam non fuiſſe, ſed diuinitus datam Moſi, vel eo tempore, quo lex & tabulæ, vel eo, quo perfectum opus fuit, arbitramur. Eamque fuiſſe multiplici figura diſtinctam, ſimul etiam claram, lucidam, ſpeculique inſtar terſam, ex nominum figura, & numero etiam multitudinis intelligimus. In omnibus aliis, quæ hactenus commemorata ſunt ornamentis & veſtibus, hoc modo ſcriptum legimus: *Et fecerunt, & ſcripſerunt, vel inciderunt*, &c. In huiuſmodi verò arcanæ rei commemoratione legitur: *Et pones*, ſiue ex Hebraico verbo, *Et dabis in rationali iudicij Vrim & Thumim*. Et: *Dedit ad rationale Vrim & Thumim*. Diximus autem Rationale fuiſſe duplex, tribus lateribus commiſſum, ex vno autem latere apertum. Inter vtramque etiam partem *Vrim & Thumim* inſerebantur, ibidemque ſeruata ſacerdotis herebant pectori. Inde verò proferebantur quoties diuinum reſponſum petendum erat. Hæc ille.

Tertia opinio Mōtani. *Leuit. 8.*

Quarta Rabbi Salomonis; hic, vt teſtantur Lyranus & Eugubinus Exod. 28. his duobus nominibus, *Vrim & Thumim*, Dei nomen Tetragrammaton, atque ineffabile, ſcilicet יהוה, pro quo ADONAI ſignificari exiſtimauit. Rabbi Salomon, ait Lyranus, dicit quòd *Vrim, & Thumim*, erat nomen Dei Tetragrammaton poſitum in Rationali ſub lapidibus, virtute cuius manifeſtabatur veritas de interrogatis ipſi ſacerdoti, quando conſulebat Dominum, &c. Et Eugubinus: His, inquit, duobus nominibus, *Vrim & Thumim*, nomen Tetragrammaton intelligendū eſse aſserit Rabbi Salomon. Dictumque eo modo exiſtimat, quod ſacerdotem illuminaret, doceretque viam rectam perſequi, & vt ſciret quid ei foret dicendum. De duobus itaque ſic ſcribit: Doctrina & veritas, erat ſcriptura nominis Tetragrammaton, &c. Hanc interpretationem ſequitur Eugubinus. Vatablus quoque: Intra pectorale, inquit, erat ſcriptura quædam, quę complectebatur nomen Dei Tetragrammaton, יהוה, quæ dicebatur *Vrim & Thumim*. Hoc autem nomen יהוה Trinitatis myſterium continet, vt veteres Iudæi, qui Chriſtum præceſserunt, dixere in ſuis traditionibus. Nam per י, *Iod*, intelligitur Pater: qui eſt principium & origo omnium rerum; per ה, *He*, Filius; per quem omnia quæ facta ſunt eſse cœperunt; per ו, *Vau*, quæ eſt coniunctio copulatiua, intelligitur Spiritus ſanctus, qui eſt amor, & nexus vtriuſque, qui ab vtroque procedit. Geminatur autem ה, *He*, propter duplicem naturam, quæ eſt in Chriſto. Per primum ה, *He*, natura diuina intelligitur; per ה, *He*, poſtremum natura humana. Hoc nomen יהוה dicebatur Hebræis *ſemmephoras*, id eſt, nomen expoſitum, ſiue declaratum, aut nomen quod exponitur. Exponebatur enim ab eis per nomen duodecim litterarū, *Ab, ben, ve Ruachhacados*, hoc eſt, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus Item per nomen 40. litterarum, *Ab, Elohim, ben, Elohim, Ruachhacados Elohim, ſeloſabe echad, Echad be ſeloſah*, id eſt, Pater Deus eſt, Filius Deus eſt, Spiritus ſanctus Deus eſt, tres in vno, id eſt, in vna ſubſtantia, vnus, id eſt, vna eſsentia in tribus. Hæc autem ſcriptura nominis Dei יהוה, dicebatur, *Vrim & Thumim*; id eſt, illuminationes & perfectiones; quòd ex huius Trinitatis intellectu mēs illuminetur & perficiatur. Hæc ferè ex Rabbi Salomone. Ita Vatablus.

Quarta opinio Rabbi Salomonis. *Nomē ineffabile eſt Vrim & Thumim.* *Nomē Iehouah Trinitatis continet myſterium.*

Iehouah nomē quemadmodo exponatur.

Quinta opinio eſt Caietani, Exod. 28. quam ille ſuis verbis ſic explicat: Pectorale, inquit, multas rugas habere poterat, multasque obliquitates. Et propterea indigebat, vt ſic accommodaretur pectori, vt ſecundùm omnes ſui partes manifeſtum pateret, & ſecundùm omnes ſui partes rectitudinem, ſitum, commenſurationemque ad brachia, ad barbam, & reliqua haberet. Et iſtæ duæ conditiones ſignificantur ad litterā nominibus *Vrim & Thumim*. Et eſt ſenſus: *Dabis* ad pectorale, accommodando ipſum pectori Pontificis, *Vrim*, id eſt, luces, vt omnes illius partes clarè luceant, nullaque ruga, aut tegmine eius pars aliqua obtenebretur, & *Thumim*, id eſt, perfectiones, id eſt, vt totum, & quælibet eius pars diſponatur, tam rectè ac commenſuratè, relatiue ad brachia, & pilos barbæ, & cetera, vt habeant omnia requiſita ad perfectam diſpoſitionem totius, & ſingularum partium. Hæc Caietanus. Sed nihil ad doctrinam attinent & veritatem, quæ eſt noſtra verſio.

Quinta opinio Caiet.

Sexta opinio eſt Oleaſtri, qui arbitratur, *Vrim & Thumim*, ipſos fuiſse lapides pretioſos in Rationali collocatos, nec quidpiam aliud ab illis diuerſum. Appellantur verò lapides illi *Vrim*, id eſt, illuminationes, ſiue fulgores, quia fulgebant. Appellantur *Thumim*, id eſt, perfectiones, ſiue completiones, quia perfecti & completi lapides erant. Itaque ſic ille locum Exodi 28. interpretatur: *Pones in rationali Vrim & Thumim*, id eſt, illuminationes, fulgores, & perfectiones, ſcilicet, gemmarum, ſiue gemmas fulgentes & perfectas. Exiſtimat præterea Num. 27. Oleaſter Pontificem nec reſponſa reddidiſse ex intuitu lapidum, nec illis Dei voluntatem & oracula cognouiſse.

Sexta opinio Oleaſtri.

Septima opinio ex Ioſepho colligitur à Lyrano & Abulenſi Exod. 28. *Doctrinam & veritatem, Vrim & Thumim*, eſse lapides, quòd diuina reſponſa Pontifici redderent. Lyran. verba illa, *Pones in Rationali iudicij doctrinā & veritatem*, ſic interpretatur; pones lapides, per quorum fulgorē manifeſtabitur ſacerdoti diuinum beneplacitum. Et hoc ſecundùm Ioſephum, &c. Et Abulenſis quæſt. 15. ſecundùm Ioſephum, inquit, non ſunt ponendæ laminæ intra plicaturam Rationalis; ſed ipſi lapides in Rationali exiſtentes, erant *doctrina & veritas*. Quia per fulgorem eorum docebantur homines de veritate, quam inquirebant. Cùm ergo iubetur poni *doctrina & veritas*, iubentur poni lapides illi ſic fulgentes, &c.

Septima opinio ex Ioſepho.

Videamus quid Ioſephus dicat: Per gemmas, inquit, duodecim, quas in pectore Pontifex geſtat,

Ioſephus lib. Antiq. c. 8.

Per lapides Rationalis victoriam prænuntiabat Deus.

in bello victoriam prænuntiare Deus solebat. Nam priusquam exercitus se moueret, tantus fulgor ex eis emicabat, vt toti populo facile innotesceret adesse Deum, opemque & auxilium suum inuocantibus esse allaturum. Quapropter Græci, quotquot à nostra religione non abhorrent, cùm hoc miraculum pro compertissimo habeant, ita vt negari non possit, essena vocant λόγιον, id est, Oraculum. Desierunt lapides fulgorem emittere annis ducentis antequam hæc commentaremur. Sic Iosephus: ex quo opinio septima colligitur. At ille solùm affirmat gemmarum fulgore victoriam prænuntiari solitam; non autem ait Pontificem in gemmis Dei oracula accepisse, quod opinio asserit. Debili ergo opinio fulcitur fundamento. Incertum enim est, Pontificem in gemmis Rationalis Deum consuluisse. Quemadmodum gemmas Rationalis, quæ erant in pectore, ita Onychinos, qui erant in humeris, aliquando fulgorem emisisse refert Iosephus. Sed videamus quomodo Deus Oracula olim reddiderit.

Præsente Ephod & Rationali Deus olim reddebat oracula.

Constat quidem ex diuinis litteris præsente Ephod, ac Rationali, sacerdotes consuluisse Dominum. Quomodo autem consulerent, quomodóve Deus responderet, in controuersia versatur. *Dixit Dauid ad Abiathar sacerdotem: Applica Ephod. Et ait Dauid: Si tradent me viri Ceilæ in manus eius? & si descendet Saul, sicut audiuit seruus tuus? Domine Deus Israel indica seruo tuo. Et ait Dominus: Descendet. Dixitq; Dauid: Si tradent me viri Ceilæ, & viros qui sunt mecum in manus Saul? Et dixit Dominus: Tradent*, &c. Et: *Ait Dauid ad Abiathar sacerdotẽ: Applica ad me Ephod, & applicauit Abiathar Ephod ad Dauid, & consuluit Dauid Dominum, dicens: Persequar latrunculos hos, & comprehendã eos, an non? dixitq; ei Dominus: Persequere: absque dubio enim comprehendes eos, & excuties prædam*, &c. Ecce vides præsentiam Ephod ad consulendum Dominum fuisse necessariam; consuluisse autem, non sacerdotem, sed Dauidem ipsum coram sacerdote, & Ephod, in quo erat Rationale. *Pro hoc*, id est, pro Iosue populi Principe, ait Dominus, *si quid agendũ erit, Eleazar sacerdos consulet Dominũ. Ad verbũ eius egredietur, & ingredietur ipse, & omnes filij Israel cũ eo, & cetera multitudo*, &c. Consulebat pro Iosue & populo Dominũ Eleazar Pontifex, si quid agẽdum erat, & tam Iosue, quàm populus, illius verbis obtemperabant. Quòd autem cum Ephod Dominum consuleret Eleazar ex Hebræo ostenditur: sic enim legitur: *Petet, siue consulet Eleazar ei, id est, pro Iosue, in iudicio Vrim, coram Domino*, &c. Iudicium autem, Vrim & Thumim, in Ephod, siue in Rationali erat, vt diximus. Præterea: *Consuluit Saul Dominum, & non respondit ei, neque per somnia, neque per Vrim*: id est, neque per illuminationes Rationalis, in quo sacerdotes Deum consulebant. *Hi quæsierunt scripturam genealogiæ suæ, & non inuenerunt, & eiecti sunt de sacerdotio. Et dixit Athersatha*, id est, Nehemias, *eis, vt non comederent de Sancto sanctorum, donec surgeret sacerdos doctus atque perfectus*, &c. Et: *Dixit eis, vt non manducarent de Sanctis sanctorum, donec staret sacerdos doctus & eruditus*, &c. Ex Hebræo: *Dixit eis, vt non manducarent de Sancto sanctorum, vel de sanctitate sanctitatũ, id est, de cibis sanctissimis, donec staret sacerdos; le Urim & le Thumim*, hoc est, qui consuleret Dominum in Rationali, vbi erant Vrim & Thumim. *Perfectio tua, & doctrina tua viro sancto tuo*; Hebraicè hoc loco est, *Thumim & Vrim*. Quasi dicat, Leuiticæ tribui datæ sunt perfectiones & illuminationes; vestes videlicet sacræ, in quibus erant Vrim & Thumim. Septuaginta Interpretes vertunt: *Date Leui manifestationes eius, & veritatem eius viro sancto*, &c. Constat igitur præsente Ephod consuluisse sacerdotes Dominum & Dauidem quoque, qui sacerdos nõ erat. Nisi velis Dauidem non per se, sed per sacerdotem quæstionem proposuisse, & per sacerdotem oracula etiam accepisse; quod Carthusianus censet.

Quomodo sacerdotes Deum consulerẽt præsente Ephod. Rabbi Abraham opinio.

Quomodo autem consulerent, est controuersum. Rabbi Abraham apud Abulensem 1. Regum 23. quæst. 7. existimat intra ipsum Rationale duplicatum duas fuisse laminas aureas, in quibus diuina nomina erant exarata. Cùm igitur à Deo oraculum petebatur, scripto (vt putat) petebatur, quod inter laminas Pontifex collocabat; & paullò pòst cum Dei responso extrahebat. Ideo verò ait iussisse Deum Rationale fieri duplicatum, vt intra ipsam plicaturam aureæ ponerentur laminæ. Abulensis hanc refutat opinionem; opinatur autem Deum præsente Rationali reddidisse responsa. Illius verba accipe: Illud, inquit, *Pones in Rationali iudicij doctrinam & veritatem*, non intelligitur de aliqua lamina; sed de lapidibus, qui ponebantur ad complementum Rationalis. Nam cùm ille pannus quadrangulus esset duplicatus, vocabatur Rationale. Deinde iubebantur poni lapides in eo inclusi auro, & tunc dicebatur esse doctrina & veritas posita in Rationali. Scilicet, quia tunc præsente Rationali ad aliquam quæstionem reddebatur doctrina vera, siue responsum de illa. Quod non fieret, si nondum haberet lapides positos. Et quæst. 11. Habebant, ait, summi sacerdotes responsum Dei in omnibus, quæ petebant, præsente Ephod, &c. Item 1. Reg. 22. quæst. 19. Modus, inquit, consulendi Dominum in sacerdotibus magnis erat, quòd inuerentur Ephod & Rationali, & proponerent quæstionẽ; Deus autem illico respondebat, &c. Arbitratur autem 1. Reg. 23. quæst. 7. Rationale fuisse duplicatum, non quidem vt intra plicaturam lamina aliqua poneretur, sed ne facilè rũperetur. Ferebat enim duodecim lapides auro inclusos. Eumdem in modum iussit Deus fieri in tunica hyacinthina oram textilem per gyrum capitij, ne facilè, inquit, rumpatur. Eadem est sententia Iansenij Ecclesiastici 45. Quomodo Deus responderet non docet Abulensis. Iosephus per sacerdotem ipsum responsisse putat, lib. 6. Antiq. c. 7. Iubet, inquit, Saul Pontificem, sumpto sacerdotali habitu, de futuris vaticinari, &c. Iuxta hanc sententiam prophetiæ spiritu afflabatur Pontifex indutus Rationali, cùm Dominum rogabat, & de futuris velut Propheta oracula edebat. Iansenius Ecclesiastici 45. sacerdotem ait ex indiciis quibusdam reddidisse responsa: Vrim, inquit, & Thumim, quid fuerint nemo satis cognouit; nisi quòd satis constat sacerdotem, cùm Dominum consuleret, indutus Rationali, quibusdã indiciis intellexisse Dei voluntatem super ea re, de qua interrogabatur. Vnde hoc capite dicitur in Rationali fuisse signa veritatis. Hæc ille. At Eccles. 45. non dicitur fuisse signa veritatis, sed manifestationes, vt infrà dicemus. Verisimilius est per Angelum data oracula. Per Angelum data illa, quæ Dauidi consulenti præsente Ephod data sunt, existimat Carthusianus.

Abulensis opinio.

Cur Rationale fuerit duplicatũ.

Iosephus. Quomodo Deus respõderit consulenti sacerdoti. Iansen.

1. Reg. 23.

Iam vides, lector optime, quàm sit difficile explicare quid sit doctrina & veritas Rationalis, quid Vrim & Thumim. His omnibus consideratis crediderim ipsasmet gemmas, Vrim & Thumim, siue doctrinam & veritatem, appellari; quoniam illis præsentibus, & ex illis doctrina reddebatur consulentibus verissima. Nam cùm Pontifex Dominum consulebat, Ephod, in quo erant gemmæ, necessarium erat, vt ex dictis constat. Quæro nunc, quorsùmnam erat necessarium? videlicet, vt ex ipso Rationali, & ex ipsis lapidibus oraculum diuinũ redderetur. Reddebantur autem oracula, vt puto, per Angeli vocem aliquam. Id enim significãt oracula illa

Opinio auctoris de Vrim & Thumim, doctrina & veritate.

Exod. 28. *1. Reg. 28.* *1. Esdræ 2.* *2. Esdræ 7.* *Deut. 33.*

illa Dauidi tam perſpicuè reddita 1.Reg.23. De fulgore lapidum nulla in Scriptura mentio eſt. Neque verò per fulgorem poterant illa oracula reddi tanta cum perſpicuitate, quanta accepit Dauid. Fortè aliquando ſplendore aliquid futurum ſignificabāt gemmæ; ſed per Angeli vocem reſpondere ſolebat Deus ex ipſo gemmarum loco. Erat enim locus ille oraculi locus, quemadmodum fuêre Sancta ſanctorum. Verba igitur illa, *Pones in Rationali iudicij doctrinam & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino. Et geſtabit iudicium filiorum Iſrael in pectore ſuo, in conſpectu Domini ſemper*, &c. ſic exponentur: cùm poſueris in Rationali gemmas duodecim, pones Vrim & Thumim, illuminationes & perfectiones, ſiue doctrinam & veritatem; quoniam ex illo loco veriſſima doctrina, ac perfecta vos illuminabo, inde oraculis editis. Geſtaſſe autem dicitur Aaron iudicium filiorum Iſrael in pectore ſuo; propterea quòd ex illo gemmarum, & Rationalis, pectoralisque loco, Deus iudicium populo dicebat, cùm rogatus reddebat reſponſa ac iudicia. Vnde Rationale appellatum eſt, Græcè λόγιον, quòd rationalia ex illo oracula emanarent. D. Cyrillus lib. 11. de Adoratione, Rationale dictum vult, quod ibi ſitum eſſet, vbi rationalis facultatis eſt locus.

Exodi 28.

Cur Rationale dicatur.

D. Cyril.

Non fuiſſe autem *Vrim & Thumim* laminas aureas, vel aliquid aliud præter gemmas in Rationali poſitum, probatur. Quoniam ſi quid aliud fuiſſet, id Scriptura non tacuiſſet. Sic enim minima quæque in veſtibus Pontificiis expreſſit; cur id quod maximi momenti erat, tacuit? Lege Exod. cap. 39. in quo Pontificis veſtes factæ minutatim commemorantur; nulla tamen de Vrim aut Thumim mentio fit, cùm tamen omnes duodecim lapides propriis nominibus numerentur. Cùm verò Moſes Aaronem his indumentis induit, fit quidem mentio Vrim & Thumim, ſiue doctrinæ & veritatis; ſed non fit mentio gemmarum, perinde ac ſi in gemmis fuerit doctrina & veritas: *Veſtiuit*, inquit, *Pontificem ſubucula linea, accingens eum balteo, & induens eum tunica hyacinthina, & deſuper humerale impoſuit, quod aſtringens cingulo aptauit Rationali, in quo erat doctrina & veritas, ſiue Vrim & Thumim*; vt Hebraicè legitur, &c. Item Eccleſ. indumenta Aaronis prædicat, zonam, ſtolam, coronam, gemmas; ipſa etiam femoralia non omittit. Si igitur aliquid diuerſum à gemmis doctrina & veritas fuiſſent, ſanè cùm præclarum aliquid eſſe debuerint, illud quoque prædicaſſet: *Circumcinxit*, inquit, *eum*, id eſt, Aaronem, *Zona gloriæ, & induit eum ſtolā gloriæ, & coronauit eum in vaſis virtutis. Circumpedes, & femoralia, & humerale poſuit ei, & cinxit illum tintinnabulis aureis plurimis in gyro, dare ſonitum in inceſſu ſuo, auditum facere ſonitum in templo in memoriam filiis gentis ſuæ. Stolam ſanctam auro, & hyacintho, & purpura, opus textile, viri ſapientis iudicio & veritate præditi: torto cocco opus artificis, gemmis pretioſis figuratis in ligatura auri, & opere lapidarij ſculptis in memoriam ſecundùm numerum tribuum Iſrael. Corona aurea ſuper mitram eius expreſſa ſigno ſanctitatis, & gloria honoris, opus virtutis, & deſideria oculorum ornata. Sic pulcra ante ipſum non fuerunt talia vſque od originem. Non eſt indutus illa alienigena aliquis, ſed tantùm filij eius ſoli, & nepotes eius per omne tempus*, &c. Gemmas quidem, & alia Pontificis ornamenta commemorauit; Vrim & Thumim minimè, quoniam nihil erant diuerſum. Fateor tamen Græca ita poſſe verti, vt Rationalis fiat mentio: ſic enim nunc habent: λογίῳ χρίσεως δήλοις ἀληθείας, id eſt, ornauit Aaronem logio, id eſt, Rationali iudicij, manifeſtationibus veritatis; videlicet, quia in eo veritas manifeſtabatur. Obſerua autem Ephod, in quo oracula reddebantur, ſtolam appellari ſanctam, quòd ceteris hac re præſtaret.

Vrim & Thumim non aliud fuiſſe quàm ipſos lapides qui erāt in rationali probatur.

Leuit. 8.

Eccli. 45.

CAPVT XLVII.

De Cingulo Pontificis & tiara.

CONSTRINGEBATVR Ephod cingulo, ſiue balteo, de quo præcipitur Moſi: *Facies balteum opere plumarij*: hoc eſt, vario opere, & multorum colorum, quale opus eſt plumarij. Hebraicè dicitur, balteus, אבנט, abnet. Colores autem baltei iidem erant, qui ſuperhumeralis & rationalis. *Fecerunt cingulum de byſſo retorta, hyacintho, purpura, ac vermiculo, diſtinctum arte plumaria*, &c. Ioſephus addit aurum. Cingebat ſuperhumerale, & poſt nodū deorſum propendebat. Ioſephus: Eſſeni, inquit, id eſt, Rationali, aſſuta erat zona iam dictis coloribus, & auro diſtincta; quæ totum complexa, rurſumque ſupra futuram nodata, deorſum propendere ſinebatur, &c.

Cingulum Pontificis. Exodi 28.

Exodi 39.

Ioſephus l. 3. Antiq. c. 8.

Caput quoque Pontificis tiara ſiue mitra, & aurea lamina exornari voluit Deus. Exod. 28. *Facies laminam de auro puriſſimo, in qua ſculpes opere celatoris Sanctum Domino. Ligabisq; eam vitta hyacinthina, & erit ſuper tiaram imminens fronti Pontificis*, &c. Et: *Fecerunt & laminam ſacræ venerationis de auro puriſſimo, ſcripſeruntq; in ea opere gemmario: Sanctum Domini, & ſtrinxeruni eam cum mitra vitta hyacinthina*, &c. Dicitur hæc aurea lamina corona: *Corona*, inquit, *ſuper mitram eius expreſſa ſigno ſanctitatis*, &c. Et Hebraicè dicitur, נזר הקדש, nezer hakkodſech, id eſt, diadema ſanctitatis.

De tiara pontificis & corona. Exodi 28.

Exodi 39.

Eccli. 45.

Exodi 29.

Habuit igitur Pontifex tiaram, & diadema, ſiue laminam, vel coronam auream, quæ ſupra tiaram ponebatur. Dubium verò eſt, an tiara hæc Pontificis, ſuper quam aurea corona fulgebat, diuerſa fuerit à tiara reliquorum ſacerdotum, quam D. Hieronymus pileolum lineum vocat. Ipſe D. Hieronymus epiſt. 128. ad Fabiolam, non fuiſſe diuerſam exiſtimat: ait enim coronam ſuper pileolum lineum commune omnibus ſacerdotibus additam: Lamina, inquit, aurea ſuper pileolū lineum, & commune omnium ſacerdotum, in Pontifice plus additur, &c. Verùm diuerſas eſſe ſacerdotum reliquorum tiaras, à tiara Pontificis Ioſephus docet libr. 3. Antiquit. cap. 8. Pontifex, inquit, pileo, quali ceteri ſacerdotes, vtebatur; ſuper quem exſtabat alius hyacintho variatus; hunc autem corona circumdabat, &c. En Ioſephus duos Pontifici pileos tribuit; alterum reliquis ſacerdotibus communem, alterum peculiarem, qui tiara dicitur vel mitra. Erat autem hyacintho variatus. Lib. 6. de Bello, cap. 6. Byſſinam tiaram appellat: Caput, inquit, Pontificis byſſina tiara tegebat hyacintho coronata, & circa eam alia corona erat aurea, &c.

An tiara pōtificis diuerſa fuerit à tiara reliquorum ſacerdotum. Hieron.

Ioſephus.

Hanc coronam Scriptura ſacra laminam appellat. Dicitur verò colligata cum tiara vitta hyacinthina, pendereque ante frontem Pontificis. *Ligabis eam vitta hyacinthina, & erit ſuper tiaram imminens fronti Pontificis*, &c. Exod. 39. *Strinxerunt eam cum mitra vitta hyacinthina*, &c. Ioſephus loco citato triplici ordine fabricatam ſcribit. Sed miror huius triplicis ordinis nullam in Scriptura fieri mentionem; quæ in his ornamentis minuta quæque perſequitur: Pileum, inquit, circumdat aurea corona triplici ordine fabricata. Florent verò ſuper ipſam calyculi aurei herbæ ſimiles, quæ à Græcis hyoſcyamus appellatur. Eiuſmodi corona ab occipitio circum tempora procedebat: nam frontem calyculi non ambiebant; ſed ceu lorum quoddam

Corona lamina ſacra in Scriptura dicitur. Exodi 28.

Ioſephus.

dam latum aureum, quod ſacris characteribus Dei nomen inciſum habebat. Sic ille.

Erant in lamina hæc verba Hebræa inſculpta, קדש ליהוה, Kodeſch LADONAI, hoc Sanctum
Exodi 39. Domino; vt vertit Interpres: *Fecerunt laminam ſacræ venerationis de auro puriſſimo, ſcripſeruntq́, in ea opere gemmario: Sanctum Domino.* Verti etiam poteſt: *Sanctitas Domino*, id eſt, Omnis ſanctitas Deo tribuenda eſt. Idem eſt noſtræ verſionis ſenſus: *Sanctum Domini vel Domino*: id eſt, quidquid ſanctũ eſt,
Iſaiæ 6. Domini eſt, vel Domino tribuendum eſt. Vnde Seraphim clamant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus*, &c. Poteſt etiam ſenſus alius iis verbis ineſſe. *Sanctum Domino*, ſcilicet, debetur; id eſt, qui Domino miniſtrant Pontifices, ac ſacerdotes, ſancti eſſe B debent; Dei cultui, Deoque dicatis rebus ſanctitas adhibenda eſt, ſanctè colendus eſt Deus.

Ioſephus. Ioſephus ſolius nominis Dei meminit: Lorum, inquit, latum ſacris characteribus Dei nomen inciſum habebat. Et lib. 6. de Bello, cap. 6. Circa tiaram alia corona erat aurea, ſcriptas ferens ſacras litteras, quæ ſunt quatuor elementa vocalia, &c. Hoc eſt, quod eſt nomen quatuor litterarum, quod Græ-
Philo. ci tetragrammaton vocant. Similiter Philo libro 3. de Vita Moſis: Lamina, ait, aurea quaſi corona, inſculpta erat quatuor litteris nominis illius, quod ſolis aures, linguamque ſapientia purgatis, fas eſt audire, nominareque in ſacris; præterea nemini. Id Theologi aiunt eſſe tetragrammaton, &c. Diuus
Hieron. quoque Hieronymus epiſtola ſæpe indicata: In lamina, inquit, aurea ſcriptum eſt nomen Dei He-
יהוה C braicis quatuor litteris; *Iod, He, Vau, He*: quod apud illos ineffabile nuncupatur. Hæc ſuper pileolum lineum, & communem omnium ſacerdotum. in Pontifice plus additur, vt in fronte vitta hyacinthina conſtringatur, totamque Pontificis pulcritudinem Dei vocabulum coronet & protegat, &c.

An ſolũ nomẽ quadrilitterum inſculptũ fuerit in lamina. Dubium ergo eſt: An ſolum nomen tetragrammaton, ſolæque illius quatuor litteræ in corona inciſæ fuerint, an etiam nomẽ קדש, Kodeſch, id eſt, ſanctitas vel ſanctum. Exod. 28. aperte iubet Dominus inſcribi: *Sanctum Domino.* Et Exod. 39. inſcriptum dicitur: *Sanctum Domino.* Sed quia Ioſephus his in rebus fidem exigit, interpretari poſſumus D verba hoc ſenſu: *Sculpes ſanctum* יהוה, ADONAI, *ſine Domino*: id eſt, ſculpes in lamina ſanctitatem nominis Iehoua; hoc eſt, ipſum nomen יהוה, ADONAI, ſanctiſſimum. Non enim voluit Deus abſque præfatione ſanctitatis ſuum nomen proferre; vt quanto cum honore ac reuerentia proferendum, tractandumque ſit, doceat. Vel Ioſephum & alios ita intelligemus, vt ſolius nominis fecerint mentionem; adiectam verò ſanctitatem negare noluerint. *Eccli. 45.* Hinc intelliges verba illa: *Corona ſuper mitram eius expreſſa ſigno ſanctitatis*, &c. Dicitur lamina, ſiue corona, expreſſa ſigno ſiue ſigillo: eſt enim Græcis σφραγὶς; quoniam ſanctum Dei nomen inciſum habuit. Magnificentia Dei inſcripta dicitur in hac E *Sap. 18.* eadem corona: *Magnificentia*, inquit, *tua in diademate capitis illius ſcripta erat*, &c. Dicitur autem magnificentia Dei in corona ſcripta; quoniam illius nomen in illa erat inſculptum.

CAPVT XLIIX.

De tunica ſtricta Pontificis & femoralibus.

De veſte intima Pontificis. RESTANT duo Pontificis indumenta explicanda, alterum eſt tunica ſtricta, alterum femoralia. Nam ſub tunica hyacinthina tunicam alteram induere ſolebat Pontifex lineam, quæ Hebraicè dicitur כתנת, Chethoneth, hæc ex duplicata tela confecta erat, ſtricta, manicata, & talaris, à collo vſque ad pedes deſcendens. Hieronymus indicata epiſtola ſic illam deſcribit: Tunica è lino eſt talaris, duplici ſindone, quam Ioſephus byſſinam vocat, appellaturque Chethoneth, quod Hebræo ſermone in lineam vertitur. Hæc adhæret corpori, & tam arcta eſt & ſtrictis manicis, vt nulla omnino in veſte ſit ruga, & vſque ad crura deſcendat, *Ioſephus.* &c. Ioſephus verò tertio libro de Antiquitatibus, capite octauo: Lintea, inquit, interula byſſina è duplicata tela confecta eſt, Chethoneth noſtris vocatur, ſignificatque ea vox lineam: linum enim vocamus cheton. In indumentum eſt tunica talaris corpori aſtricta, habens manicas circa brachia, & ipſas ſtrictas: quæ accingitur circa pectus; paullò axillis inferius zona lata. Nuſquam tunica ſinuatur, habetque circa collum amplam aperturam; cuius oræ vncinis à pectore, & à tergo committuntur, & cet.

Vatablus, Montanus, & alij, hanc tunicam ocu- *An tunica ſtricta oculorũ figuris fuerit diſtincta.*
lorum figuris diſtinctam fuiſſe aiunt. Vnde quod Hebraicè dicitur: *Facies tunicam* תשבץ, Thaſchbets, vertitur in Bibliis regiis: *Facies tunicam oculatam*, Pagninus verè vertit, tunicam opere Phrygio- *Exodi 28.*
nico oculis contextam. Vatablus tunicam ocellatam, id eſt, quibuſdam veluti oculis intextam. Rab-
C bi Salomon Exod. 28. Facies tunicam palas; palas, id eſt, plenam palis aut ſedibus annuli. Sunt autem palæ ocellis, aut paruis oculis ſimiles. Montanus: *Montan.*
Erat, inquit, tunica certis ordinibus, quas liſtas vocant, inſignis, illique ordines ocellati omnes, cuiuſmodi mappas in Belgio contextas vidimus, quæ perdicis oculi à figurarum illarum frequentia vulgò vocantur, &c. Verumtamen ego Ioſepho potiùs credo, qui tunicam huiuſmodi ſæpe vidit; ſi verò oculorum figuris diſtincta fuiſſet, id ille nullo modo prætermiſiſſet. Hi auctores ex nomine & verbo Hebræo oculos tunicæ tribuunt. Nomen autem תשבץ, Thaſchbets, & verbum Hebræum שבץ, ſchabats, conſtrictionem ſignificant: ocu-
D los ſignificare ipſi coniiciunt potiùs, quàm ſciunt. Alius quidam apud Lippomanum vertit, tunicam incluſos habentem lapides, quod Hebraicè dicatur tunica incluſionis: hoc eſt, quæ fulgebat variis ornamentis, & præſertim incluſis lapidibus, & margaritis, quas ſepiebant roſulæ, ſpecula, & ornamenta ex aureis facta filis. Sed commentitia ſunt hæc omnia. Erat enim ſtricta quædam tunica ex lino confecta, abſque vllo gemmarum ornatu.

Aduerte autem tunicam hanc, vt ait Ioſephus, cingulo fuiſſe aſtrictam circa pectus. Duplex igi- *Duplex cingulum Pontificis.*
tur habuit Pontifex cingulum; vnum, quo hæc tunica interior, quæ ſubucula dicitur Leuit. 8. aſtrin-
E gebatur; alterum, quo tunica exterior hyacinthina præcincta erat. Probatur hoc ex Leuit. *Veſtiuit Moſes Pontificem ſubucula linea, accingens eum balteo: & induens eum tunica hyacinthina, & deſuper humerale impoſuit, quod aſtringens cingulo, aptauit Rationali*, &c. Apertè duplex habuiſſe cingulum Pontificem ex his verbis oſtenditur. *Leuit. 8.*

Præter has veſtes Pontifex feminalia induebat, *De femoralibus ſacerdotum.*
quibus reliquos quoque ſacerdotes vti neceſſe erat. Eò deſcendit Altiſſimus Deus, vt feminalium quoque ſacerdotalium conficiendorum rationem tradat: *Facies*, inquit, *feminalia linea, vt operiant carnem turpitudinis ſuæ*, ſcilicet ſacerdotes, *à renibus vſque ad femora. Et vtentur eis Aaron, & filij eius, quando ingredientur tabernaculum teſtimonij, vel quando* *Exodi 28.*

appro-

appropinquant ad altare, vt miniſtrent in ſanctuario, ne iniquitatis rei moriantur, &c. De his femoralibus
Hieron. Hieronymus ſic ſcribit: Lineis, inquit, feminalibus, quæ vſque ad genua, & poplites veniunt, verenda celantur. Et ſuperior pars ſub vmbilico vehementer aſtringitur, vt ſi quando expediti mactãt victimas, tauros & arietes trahunt, portantque onera, & in officio miniſtrandi ſunt; etiamſi lapſi fuerint, & femora reuelarint, non pateat quod opertum eſt. Refert Ioſephus hæc feminalia de byſſo retorta ob fortitudinẽ ſolere contexi, & poſtquam inciſa fuerint, acu conſui: non enim poſſe in tela
Ioſephus. huiuſcemodi fieri. Hæc Hieronymus. Ioſephus autem lib. 3. Antiquit. cap. 8. Sacerdos, inquit, ſacris operaturus purus iuxta legem, & caſtus accedens, ante omnia, Manachaſem, quem vocant, induitur, quaſi dicas conſtrictorium. Eſt autem ſubligar circa verenda conſutum è byſſo retorta, in quod pedibus inſertis ſubducunt velut dimidiatas braccas, atque ita circum ilia conſtringunt, &c. Manachaſem ait vocari feminalia, id eſt, conſtrictorium, vel collectorium, quoniam Hebraicè, מכנסים, *Micneſaim* vocantur, à verbo כנס, *Canas*, id eſt, colligere.

Cur per gradus ad altare ſacerdotes aſcendere prohiberentur. Exodi 20. Sed ſi ſacerdotes femoralibus amicti ſacrificabant, quorſum opus erat præcepto illo, quod tradit Dominus? *Non aſcendes per gradus ad altare meum: ne reueletur turpitudo tua.* Non enim poterat turpitudo reuelari, etſi per gradus ad altare aſcenderent, ſiquidem femoralibus contecta erat. Reſpondet
Abulenſ. Abulenſis Exod. 28. quæſt. 20. ſenſum præcepti hunc eſſe: *Non aſcendes per gradus ad altare meum, ne reueletur turpitudo tua*, id eſt, ne cerni poſſint crura tua nuda. Nam ſacerdotes nudis pedibus ac tibiis miniſtrabant. Aliter reſponderi poteſt, ſenſum præcepti eſſe: Non aſcendes per gradus ad altare, ne cernatur turpitudo tua etiam ſub femoralibus, ne cernantur femoralia tua linea, & ſub his turpitudo tua. Nam ſacerdotes ſub dio miniſtrabant in atrio, quod ventus vndique perflabat, facileque veſtes poſſet in altari ventilare.

Veſtes Pontificis. Habemus ergo veſtes Pontificis has eſſe, 1. Feminalia, 2. Tunicam lineam ſtrictam & talarem, 3. Tunicam hyacinthinam, 4. Ephod, in quo erat Rationale. His adde Balteos duos, Tiaras duas, & Coro-
Salomõ mille Pontifices veſtes fieri præcepit. nam. Scribit autem Ioſephus lib. 8. Antiquit. cap. 2. mille pontificias veſtes Salomonem fieri curaſſe: Paratæ, inquit, erant ſacerdotales veſtes in vſum Pontificis, cum annumeratis talentis, & ſuperhumeralibus, & Rationali cum ſuis gemmis, in vniuerſum mille. Corona verò, in qua Moyſes Dei nomen inſcripſit, vnica fuit; & vſque in hodiernum permanſit. Hæc ille.

A Vide quæ ſuprà diximus de tunica ſtricta Põtificis.

Hanc tunicam Balteus præcingebat, vel zona multicolor, quam verbis D. Hieronymi libet depingere: Hoc, inquit, cingulum in ſimilitudinem pellis colubri, qua exuit ſenectutem, ſic in rotundum textum eſt, vt marſupium longius putes. Textum eſt autem ſubtegmine cocci, purpuræ, hyacinthi, & ſtamine byſſino, ob decorem & fortitudinem; atque ita polymita arte diſtinctum, vt diuerſos flores, ac gemmas artificis manu non textas, ſed additas arbitreris. Lineam tunicam inter vmbilicum & pectus hoc ſtringunt balteo ſacerdotes; qui quatuor digitorum habens latitudinem, & ex vna parte ad crura dependens; cùm ad ſacrificia
B curſu, & expeditione opus eſt, in læuum humerum retorquetur. Addamus & Ioſephi picturam, qui hoc cingulo ſæpe ſe præcinxit: Accingitur, inquit, tunica circa pectus, paullò axillis inferius, zona lata digitos quatuor, intus mani; ita contexta vt ſerpentis exuuium videri poſſit. Floribus etiam picturatur puniceis, purpureis, hyacinthinis, & byſſinis: ſtamen verò è ſola byſſo conſtat. Quæ ſemel atque iterum circa pectus reuoluta, ad talos vſque defluit, tantiſper dum ſacerdotes à ſacris feriantur; idque ad ornatum conferre videtur. Cùm verò ſacris eſt miniſtrandum, ne ventilata ſit impedimento, ſuper humerum læuum reiicitur. Hæc Ioſephus.

Ornabatur ſacerdotis quoque caput tiara. *Filiis Aaron*, ait Dominus, *tunicas lineas parabis, & balteos, ac*
C *tiaras, in gloriam & decorem*, &c. Et infrà: *Facies & feminalia linea, vt operiant carnem turpitudinis ſuæ*, &c. Vtebantur ergo ſacerdotes femoralibus, tunicis lineis, balteis, & tiaris. Qualis eſſet tiara hæc docent indicati auctores. Ioſephus: Super caput, inquit, geſtat ſacerdos pileum nõ faſtigiatum, nec totum caput comprehendentem; ſed paullo plùs quàm medium. Eſt autem tali paratu, vt videatur vitta linea ſæpe in orbem replicata & conſuta; quam ſupernè alia tela integit vſque ad frontem deſcendens, & per ſuperficiem verticis ſuturarum deformitatem occultans. Hic adaptatur accuratè, ne inter ſacrificandum delabatur, &c. D. Hieron. Quartum genus
D eſt veſtimenti, rotundum pileolum; quale pictum in Vlyſſeo conſpicimus, quaſi ſphæra media ſit diuiſa, & pars vna ponatur in capite. Non habet acumen in ſummo, nec totum vſque ad comam caput tegit, ſed tertiam partem à fronte inopertam relinquit; atque ita in occipitio vitta cõſtrictũ eſt, vt non facile labatur ex capite. Eſt autem byſſinum, & ſic fabre opertum linteolo, vt nulla acus veſtigia extrinſecus appareant. His quatuor veſtimentis, id eſt, feminalibus, tunica linea, cingulo, quod purpura, cocco, byſſo, hyacinthoque contexitur, & pileo, tam ſacerdotes, quàm Pontifices vtebantur. Hæc Hieronymus.

Balteus, ſiue cingulũ ſacerdotũ. Hierom.

Ioſephus.

Sacerdotum tiara. Exodi 28.

Hieron.

Habebant hæ tiaræ, ſiue mitræ ſacerdotum coronulas quaſdam. Sic enim legitur: *Fecerunt & tu-*
E *nicas byſſinas opere textili Aaron & filiis eius, & mitras cum coronulis ſuis ex byſſo*, &c. Has autem coronulas ne exiſtimes ex auro factas, ſed ex byſſo in ipſiſmet tiaris, ſiue mitris ſacerdotalibus. Erant circuli, ait Lyranus, in mitris illis, in parte inferiori, qui vocãtur coronulæ, &c. Parauit Salomon veſtes quoque ſacerdotales, vt ait Ioſephus lib. 8. cap. 2. Stolas, inquit, ſacerdotales è byſſo fieri curauit, cum decies mille purpureis zonis, &c.

Sacerdotũ tiaræ coronulas habebant. Exodi 39.

Lyran.

CAPVT XLIX.

De Veſtibus Sacerdotum.

Veſtes minorum ſacerdotum. Femoralia. Tunicalinea. Hier. epiſt. 128.

SACERDOTES reliqui peculiares quoque habuere veſtes, quibus, dum miniſtrabant, vtebantur. Feminalia induebãt, de quibus dictum iam eſt. Induebant poſt feminalia tunicas lineas ſtrictas corpori adhærentes, lineæ tunicæ ſimiles, qua Pontifex ſub hyacinthina amiciebatur. Hieronymum audiamus: Solent, inquit, militantes habere lineas, quas camiſias vocãt, ſic aptas membris & aſtrictas corporibus, vt expediti ſint, vel ad curſum, vel ad prælia, dirigere iacula, tenere clypeum, enſem librare, & quocumque neceſſitas traxerit. Ergo & ſacerdotes parati in miniſterium Dei vtuntur hac tunica, vt habentes pulcritudinem veſtimentorum, nudorum celeritate diſcurrant. Sic Hieronymus.

CAPVT L.

Cur in veste Pontificis orbis terrarum fuisse dicatur.

LITTERALI sensu hactenus locuti sumus, nunc ad alios sensus digrediamur, atque in primis inuestigemus, cur in veste Pontificis orbis terrarum fuisse dicatur. Etenim sic legitur: *In veste poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum*, &c. Erat quidem totus orbis terrarum in veste Pontificis, quoniam totum terrarum orbē, immo & cælorum, vestis illa repræsentabat. Vnde Philo libro 3. de Vita Mosis: Totus, inquit, Pontifex totius mundi quædam imago fuit, &c. Nam byssus, siue linum, quod ex terra oritur, terram: purpura, quia marinorum conchyliorum cruore inficitur, mare: hyacinthus, quia aëris colorem habet, aërem: coccus, quia igni colore similis, ignem significat. Tunica igitur interior, terrā; hyacinthina exterior, aërem; tintinnabulorum sonitus, tonitrua; mala punica, fulgura, quæ in aëre fiūt; purpureus color, mare; coccineus, ignem adumbrabat. Iosephus lib. 3. Antiquit. cap. 3. Byssus, inquit, terram referre videtur, ex qua lini hoc genus prouenit: purpura verò mare, eo quòd conchylij cruore sit fucata; aërem verò hyacinthus repræsentare videtur; sicut puniceus color ignem. Item: Pontificis tunica cùm sit linea, terram significat; hyacinthus verò, polum: per mala punica fulgetra referens, sicut tonitrua per tintinnabulorum itrepitum, &c.

Sap. 18.

Philo. Pontifex mundi imago.

Byssus terrā indicat, purpura mare, hyacinthus aërem, coccus ignem. Mala punica fulgura significant, tintinnabula tonitrua.

Philo præterea loco citato: Talaris, inquit, tunica tota est hyacinthina, ad exprimendam figuram aëris: natura enim aër nigricat, & quodammodo talaris est, à lunari orbe protensus vsque ad terræ terminos. Vnde etiam tunica à pectore vsque ad pedes per totum corpus diffunditur. Circa talos habet flores, mala punica & tintinnabula. Flores terram significant, in qua florent, & germinant omnia; mala punica, aquam, ἀπὸ τοῦ ἰοῦναι, dicta à fluendo, iuxta Græcam etymologiam. Tintinnabula verò horum elementorum concentum, & congruentiam. Nam nec terra sine aqua, nec aqua sine terra, generationi sufficit, sed amborum contemperatio. Itaque trium elementorum, ex quibus, & in quibus sunt omnia mortalia, corruptibiliaque genera, aëris, aquæ, terræ, figura est tunica ista, &c. Philo, vt diximus suprà, flores tunicæ hyacinthinæ addit, quorum nec Scriptura, nec Iosephus meminit. Potior etiam est Iosephi interpretatio circa mala punica. Nam Philo ad Græcam confugit etymologiam.

Aër talari similis tunicæ, qui à Luna vsque ad terram protenditur Philoni.

Tintinnabula elementorū cōcentum & congruentiam ostendunt.

D. Hieronymus epist. 128. Quatuor, ait, colores ad quatuor elementa referuntur, ex quibus vniuersa subsistunt. Byssus terræ deputatur, quia ex terra gignitur; purpura mari, quia ex eius cochleolis tingitur; hyacinthus aëri, propter coloris similitudinem; coccus igni, &c. Item: Primum vestimentum lineum, terram significat; secūdum hyacinthinum, aërem in colore demōstrans, quia de terrenis paullatim ad excelsa sustollitur, & ipsa vestis hyacinthina à capite vsque ad talos veniens, indicat aërem de cælis vsque ad terram fusum. Mala autem punica, & tintinnabula, fulgura, tonitruaque demonstrant; siue terram & aquam, & omnium elementorum inter se consonantiam, & sic sibi vniuersa perplexa, vt in singulis omnia reperiantur, &c. Ex his intelliges, quomodo terra ceteraque elementa sacris vestibus adumbrentur. Quomodo cælestia significentur iisdem ex fontibus accipe.

Hieron.

Superhumerale ex quatuor coloribus & auro contextum, quatuor indicat elementa, & auream lucem; duo lapides onychini, duo significant hemisphæria, siue Solem & Lunam; duodecim gemmæ rationalis, menses anni duodecim; Cingulum, mare Oceanum, quod terram cingit. Rationale, ratione mūdi fabricam, gubernationemque esse plenissimam. Doctrina & Veritas, in creaturis summam esse Dei Veritatem & Doctrinam: docent enim nos creaturę, & vere docent, vnum esse Creatorem, Sapientissimum, Optimum, Maximum, Pulcerrimum. Nomen Dei Pontificis fronti super omnia inscriptum, Deum totius mundi conditorem, gubernatoremque esse demonstrat. Iosephus: Superhumerale, inquit, vniuersi huius naturam indicat, e quatuor coloribus contextum; quibus aurum accessit, propter adiunctam rebus omnibus lucem. Rationale verò in eius medio est insertum, non aliter, quàm terra medium mundi locum obtinet. Zona item, qua cingitur, Oceani similitudinem habet, qui vniuersa circumplectitur: duo præterea Sardonyches in vestitu pro fibulis additi, Solis & Lunæ significationem habent. Gemmarū etiam duodenarium numerum siue ad menses retuleris, siue ad duodenarium partium numerum circuli Zodiaci, nequaquam à vera coniectura aberraueris. Pileus item cæli significatio videtur esse, cùm sit ex hyacintho confectus, alioqui non sustineret Dei nomen: & corona illustratur aurea, propter splendorem, quo maximè Deus delectatur. Hæc Ioseph.

Superhumerale ex omnium huius naturam indicat.

Rationale indicat terrā, balteum Oceanum, duo sardonyches Solē & Lunam, 12. gemmæ 12. menses, siue 12 signa.

Pileus cælū adumbrat.

Philo item in libro 2. de Monarchia: Superhumerali, inquit, cælum indicatur. Nam duo Smaragdi eminent in humeris orbiculares, qui hemisphæria nobis duo innuunt, alterum superum, alterum subterraneum. In pectore sunt gemmæ duodecim, ternæ, serie quadruplici, ad exemplar signiferi Circuli: nam & ille terna è suis duodecim signis in quatuor anni horas distribuit. Ceterùm hęc pars, in qua sitæ sunt, Rationale vocatur; quoniam quidquid cælo continetur, fabrefactum ornatumque est certis rationibus inter se congruentibus. Nam ibi nihil non sua ratione nititur. Id Rationale geminus textus variat, quorum alter Claritas appellatur, alter Veritas. Per hanc subindicatur non esse fas vlli mendacio in cælum ascendere: per Claritatē verò res nostras clarescere naturis cælestibus, aliàs in obscuro futuras. Liquet enim, quòd nisi Sole illustrante non essent conspicuæ tot qualitates corporum, nec colorum formarumque species, &c.

Philo.

Superhumerali indicatur calum, duæ gemmæ, duo significant hemisphæria.

Quid significet Rationale, quid claritas & veritas Rationalis.

Accedat D. quoque Hieronymus: Superhumerale, inquit, & duos lapides, vel smaragdinos, vt 70. vertunt, vel Onychinos, qui desuper sunt, & vtrumque humerum tegunt, duo hemisphæria Hebræi interpretantur: siue Solem & Lunam, quæ desuper rutilant. Zonam illam, qua linea tunica, id est, terra constringitur, interpretantur Oceanum. Rationale in medio positum, terram ediserunt, quæ instar puncti, licet omnia in se habeat, tamē à cunctis vallatur elementis. Duodecim lapides, vel Zodiacum interpretantur Circulum, vel duodecim menses: & singulis versiculis singula assignant tempora; & his ternos deputant menses. Pulcrè autem hoc ipsum, quod in medio est, appellatur Rationale: ratione enim cuncta sunt plena, & terrena hærent cælestibus. Immo ratio terrenorum temporum, calóris & frigoris, & duplex inter vtraque temperies, de cæli cursu, & ratione descendit. Vnde & Rationale cum Ephod fortius stringitur. Porrò, quod dicitur in ipso Rationali, δήλωσις καὶ ἀλήθεια, id est, manifestatio atque doctrina, vel veritas, hoc ipsum significat, quòd numquam in Dei ratione mendacium sit. Sed & ipsa Veritas multis signis & argumentis monstretur hominibus, & vsque ad mortales veniat. Vnde factum est, vt rationem Solis & Lunę, & anni, & mensium, & temporū, & horarum, tempe-

Hieron.

Interpretatio Hebræorum.

Rationale indicat omnia esse plena ratione.

Veritas significat in Dei ratione non esse mēdacium.

Doctrina Rationalis, vel manifeſtatio indicat veritatem hominibus manifeſtari.

tempeſtatum quoque, ſerenitatis, atque ventorum, & rerum omnium noſceremus, accipientes inſitam à Deo ſapientiam, & ipſo habitatore atque doctore domicilij ſui nobis, & fabricæ ſcientiam demonſtrante. Super omnia Cidaris, & vitta hyacinthina, cælum monſtrat; & auri lamina, quæ in fronte Pontificis eſt, inſcriptumque nomen Dei, vniuerſa, quæ ſubter ſunt, Dei arbitrio gubernari. Hæc ille.

Cidaris & nomen Dei quid demõſtrent.

Alium addam ſenſum. Tunica ſtricta linea terram ſignificat, Zona, Oceani aquas. Hyacinthina, aër. Malis punicis ex hyacinthina pendentibus, terræ fructus ex aëre, id eſt, pluuia, æſtuque pendere indicatur; tintinnabulis, aërem ſonitus eſſe ſubiectum, & ſine aëre ſonum nullũ eſſe innuitur. Gratias præterea Deo ob mundi creationem debitas tintinnabula ſonant. Superhumerale cælos adumbrat variis ſtellis & planetis, velut coloribus pretioſis, exornatos; duo lapides onychini Solem Lunamque oſtendunt. Balteus ſuperhumeralis, Zodiacum, qui veluti cingulum eſt. Rationale empyreum cælum ſignificat, ex quo omnis ratio, omnia emanant oracula, omnis doctrina & veritas, Vrim & Thumim. Gemmæ autem cum nominibus filiorum Iſrael, beatos homines deſignant. Nomen Dei ſuper omnia Deum omnibus rebus præſidentem oſtendit.

Alia interpretatio.

Cur orbem in veſtibus deſcriptum geſtarit Pontifex.

Explicatum igitur eſt quonam modo pontificia indumenta orbem adumbrarint. Et meritò quidem ſacerdos ſacris veſtibus orbẽ adũbrabat: erat enim Dei ſacerdos, qui cælum, terras, maria, ceteraque omnia, quæ illis continentur, è nihilo condidit.

Philo.

Aliam rationem Philo reddit in libro de Monarchia: Eſt, inquit, huius ſacræ veſtis myſterium. Nam alij ſacerdotes tantùm pro familiaribus amicis, ciuibusque ſolent rem diuinam facere. At Iudæorum Pontifex non ſolùm pro toto humano genere, verùm etiam pro naturæ partibus, terra, aqua, aëre, igne precatur, & agit gratias, &c.

CAPVT LI.

Morale.

De veſtibus Pontificis.

Morale.

PRÆTER orbem, ſacerdotum quoque & Pontificum mores veſtes indicant. Plures præclariosque veſtes habet Pontifex, quàm reliqui ſacerdotes; quoniam oportet Pontificem pluribus præſtantioribusque virtutibus fulgere. Vnde Venerabilis Beda libro 3. de Tabernaculo cap. 3. Octo, inquit, generibus veſtium Pontifex ſolebat indui, è quibus quatuor erant minoris ordinis ſacerdotibus conceſſa. Decebat enim, vt quo maiore quis gradu inſignis eſſet, eo pluribus, & virtutum actibus admirandis fulgeret, &c.

Pontifex virtute ceteris præcellat ſacerdotibus.

Beda.

Præterea veſtium materia pretioſa eſt, Byſſus, Purpura, Coccus, Hyacinthus, Aurum, Gemmæ. Oportet enim totam ſacerdotis vitam eſſe non vilem atque abiectam, ſed celſam atque pretioſam. Quod Beda eodem loco obſeruat his verbis: Cuncta fiunt ex auro pretioſisque coloribus: quia nihil vile ac ſordidum in ſacerdotis opere, aut ore, debet apparere. Sed cuncta quæ agit, vniuerſa quæ loquitur, omnia quæ cogitat, & coram hominibus præclara, & in conſpectu æterni arbitri oportet eſſe glorioſa, &c.

Nihil vile aut ſordidũ in ſacerdotis opere eſſe debet.

Beda.

Lauit Moſes Aaron & ſacerdotes reliquos, poſtquam verò abluit, veſtibus induit. *Cùm lauiſſet eos, veſtiuit Pontificem*, &c. Eumdem in modum ſacerdotum animi abluendi prius ſunt; deinde ſacris ordinibus, & veſtibus ipſi ſacerdotes induendi. Beda Exodi 31. Sacerdotes, inquit, non accipiunt veſtes, niſi prius lauent mores. Vinum enim nouum in vtres nouos mitti debet, &c.

Leuit. 8.

Mores ſacerdotũ mundi sciants.

Beda.

Qua verò virtutum varietate ſacerdos debet nitere, veſtis Pontificiæ colores varij indicãt; de quibus ſic Gregorius in Paſtor. part. 2. cap. 3. Superhumerale recte ex Auro, Hyacintho, Purpura, Cocco bis tincto, & Byſſo retorta fieri præcipitur; vt quanta ſacerdos clareſcere virtutum diuerſitate debeat, demonſtretur. In ſacerdotis habitu aurum fulget; vt in eo intellectus ſapientiæ principaliter emicet. Cui hyacinthus adiungitur; vt per omne, quod intelligendo penetrat, non ad fauores infimos, ſed ad amorem cæleſtium ſurgat. Purpura permiſcetur; vt ſacerdotale cor in ſemetipſo ſuggeſtiones vitiorum reprimat, eisque veluti ex regia poteſtate contradicat. Bis tinctus coccus adiungitur; vt omnia virtutum bona ex caritate decorentur; quæ, quia Deum & proximum diligit, quaſi ex duplici tinctura fulgeſcit. Quid verò per byſſum, niſi cãdens decore munditiæ caſtitas deſignatur? quæ byſſus retorta pulcritudini ſuperhumeralis innectitur; quia tunc caſtimonia ad perfectum munditię candorem ducitur, cùm per abſtinentiam caro fatigatur. Hæc ille.

Gregor. Sacerdotalium varietas virtutũ.

Sapiẽtia ſacerdotis auro indicatur.

Recta intẽtio hyacintho monſtratur.

Caritas cocco tincto.

Byſſus retorta caſtitatẽ ſignificat.

Sacerdotes in primis caſtos eſſe neceſſe eſt. Caſtimoniam feminalia ſignificabant. *Facies feminalia, vt operiant carnem turpitudinis ſuæ.* Hoc eſt caſtitatis officium, carnem operire, cõſtringere, omnem que illius turpitudinem exſtirpare. Auguſtin. quæſt. 122. in Exod. Signum, inquit, eſſe voluit in hoc caſtitatis, vel continentiæ; quæ ideo per indumentum ſignificatur, vt non ex ſe ipſo habita, ſed data intelligatur, &c. Erant femoralia hæc ex byſſo retorta confecta, vt Ioſephus ait; quoniam fortem eſſe oportet caſtitatis veſtem, duplicatisque filis contextam, ne rumpatur.

Exodi 28.

Auguſt. De caſtitate

Femoralia adumbrant caſtitatem.

Eamdem caſtitatem cingulum adumbrat, vt ex illa ſacerdotis oratione conſtat: *Præcinge me Domine cingulo puritatis*, &c. Diuus Iſidorus in Exod. cap. 54. Balteo, inquit, præcingitur ſacerdos, per quod rerum incentiua, & luxuriæ libidinũ reſtinguantur, &c. Et Beda: Quod ſuperhumerale, inquit, ſtrictum erat balteo; quis non videat, quòd cuſtos bonorum operum fideliſſima virtus eſt continentia? de qua Dominus in Euangelio: *Sint*, inquit, *lumbi veſtri præcincti*: videlicet per continentiam, &c.

Cingulum caſtitatis.

D. Iſidor.

Beda.

Luca 12.

Eamdem quoque virtutem idem Beda Venerabilis tunica linea ſtricta adumbratam vult. Linea eſt caſtitatis tunica; quoniam quemadmodũ linum tunditur, maceratur, & torquetur, vt ad candorem, ſubtilitatemque perueniat, quam tunica poſtulat; ita tundi oportet, macerari torquerique carnem, vt ad illam accedat puritatem, quam ſacerdotale munus ſuo iure flagitat. Non eſt laxa ſacerdotis tunica, ſed ſtricta, abſque vlla ruga; eumdem in modum non eſt laxa ſacerdotis caſtitas, ſed ſtricta, abſque vllo crimine. Carnem ſtringit caſtitas, premit, ſub ſpiritus iugo conſtringit. Eduplicata tela conficitur tunica ſtricta; quoniam, vt ſuprà dictum eſt, duplicatam, fortem, robuſtamque eſſe oportet caſtitatem, quam tot hoſtes obſident atque oppugnant. Talaris eſt linea tunica, quoniam talarem, longiſſimamque neceſſe eſt eſſe caſtitatem ſacerdotalem: quæ à corde incipiat, ſenſusque omnes, cogitationes, verba, operaque omnia protegat ac tueatur, perque vitam ſacerdotis totam, ad pedes vſque, id eſt, vſque ad finem vitæ protendatur. Tunica, inquit Beda, hæc talaris cùm ex lino conſtet, caſtitatem corporis noſtri ſignificat. Strictam habent tunicam de byſſo ſacerdotes, cùm propoſitum continentiæ

Tunica ſtricta caſtitas.

Beda.

nequaquam eneruiter, & fluxa mente cuſtodiunt. Talaris eſt ad pedes vſque deſcendens, cùm continentia non vni cuilibet membro violenter impoſita, ſed in toto eſt corpore delectabiliter conſummata, &c.

Sacerdotis conuerſatio, & vita cæleſtis. Phil. 3.

Caſtitas fundamentum eſt ſacerdotalium virtutum, corpori aſtricta, vt tunica illa ſtricta. Sequitur caſtitatem cæleſtis quædam Pontificis, ſiue ſacerdotis, inter homines conuerſatio. Ideoque ſuper ſtrictam tunicam Pontifex ille antiquus tunicam alteram laxiorem, cæleſtisque coloris, id eſt, hyacinthinam induebat. Quid cæleſtis coloris pallium indicat? ſanè cæleſtem ſacerdotis caſtiſſimi vitam, iuxta illud Apoſtoli: *Conuerſatio noſtra in cælis eſt.* Beda: Tunica hyacinthina, inquit, ſpecie vniformi, qualis eſſe debeat vita ſacerdotalis docetur, hoc eſt, ſupernis ſolùm deſideriis inceſſanter intenta, & conuerſationem, iuxta Apoſtolum, habens in cælis, &c.

Fama aurea vitam ſequitur cæleſtem. Sacerdos Dei præco. D. Gregor. D. Iſidor.

Habet hæc tunica aurea tintinnabula; quoniam cæleſtem vitam aurea fama ſequitur, hominumque laus. Præterea quoniam cæleſtem vitam concionum decet ſonitus; eſtque Pontificis munus, concionibus in templo Dei perſonare. Iuxta illud Magni Gregorij in Regiſtro lib. 1. epiſt. 24. Prædicationis officium ſuſcipit quiſquis ad ſacerdotiũ aſcendit; vt ante aduentum iudicis ipſe clamando gradiatur, &c. Et illud Iſidori in Exodum cap. 54. Tabernaculum ſacerdos ingrediens tintinnabulis in tunica ambitur; vt videlicet voces prædicationis habeat: ne ſuperni inſpectoris iudicium ex ſilentio offendat, &c.

Mala punica paræcias adumbrãt, tintinnabula doctores & concionatores.

Habet præterea tunica hyacinthina mala punica multa; quoniam Pontifex vnus multis parœciis præeſt, multorumque opidorum curam gerit. Mala enim punica parœcias opidaque ſignificant. Nam quemadmodum in malis punicis, cortice vno grana multa comprehenduntur: ita in parœciis, templo vno Chriſtiani multi continentur. Singulis malis punicis ſingula adduntur tintinnabula; quoniam ſingulis parœciis idonei doctores, qui plebem docere poſſint, ſunt adhibendi. D. Cyrillus lib. 11. de Adoratione: Sunt, inquit, minime obſcurum ænigma prædicationis quidem facta ex auro tintinnabula, vrbium autem mala punica. Vt enim vrbs vno muro circumdatur, & plurima intra ſe domicilia continet, ſic malum punicum vno putamine cingitur, ſed interius grana tunicis, tamquam muris, diſtinguuntur, & propè dixerim per domicilia colliguntur. Tintinnabulum ſingulis malogranatis adiunctum eſt: nam & vnicuique vrbi ſuus magiſter eſt. Ita Cyrillus.

Cyrillus.

Mala punica vrbes indicant, tintinnabula magiſtros.

Sanguinem Chriſti pro hominibus effuſum cõſolaretur concionator, ne laſſetur.

Malorum punicorum grana rubea ſunt; ſic quoque Chriſtiani ſanguine Chriſti, quo redempti ſunt, rubent. Id quod maximè ſacerdotes Pontificesque conſiderare debent. Si enim Chriſti ſanguinẽ pro animarum ſalute effuſum cogitarint, ſi malorum punicorum rubentia grana ante oculos propoſuerint; ſanè aurea tintinnabula, etſi cum labore magno, perſonabunt. Caueat Pontifex, ne malum aliquod punicum in Epiſcopatu reperiatur, quod tintinnabulo careat; id eſt, caueat ne parœcia aliqua ſit, quæ concionatore, idoneoque doctore ſit priuata. Pendebant ex Pontificis veſte mala punica; pendebant & tintinnabula. A Pontificis enim facultate pendent concionatores, confeſſarij, & parochi, ipſique incolæ parœciarum omnes. Intelligant igitur Chriſtiani, qua reuerentia Pontificem debeant colere, ſiquidem prope pedes mala punica ſunt.

A Pontifice pendet concionatores. Reuerentia pro equendi Pontifices magna.

Pontifices in corde & humeris onus portent.

At Pontifices quanto in pretio, curaque oues ſuas habere oporteat, inde colligant; quòd nomina Iſraelitarum Deus ſupra humeros, & ſupra cor à Pontifice geſtari voluit. Ne deſpice pauperculã ouem paſtor, ſupra humeros colloca, colloca in corde; hic illius locus eſt. In corde amor, & cura ouem collocabit; ſupra humeros ſuſceptus pro ea labor. Ad honorem te vocatum exiſtimas? ad onus potius adductum puta. Pretioſos lapides geſtas; ne gemmas ſolum conſideres, ſed quæ in gemmis inſcripta ſunt nomina explora. Duodecim Iſrael tribus, de illis omnibus Deo rationem redditurus, portas. O onus gigantinis humeris formidabile! Sed gigantes formidant; pumiliones non formidant. Virtutibus præclari homines pondus fugiunt; quibus virtutum ſupellex curta eſt, ij onus leue arbitrantur. Videlicet, gemmarum ſplendorem, non inſcriptorum nominum laborem, periculumque conſiderant. Quòd autem lapides cum nominibus Iſraelitarum ſuper pectus collocati curam gregis habendam indicent, docet Beda ſic ſcribens: Nomina filiorum Iſrael Aaron ſuper pectus portat in æternum; quando præſul quiſque fidelis numquam eorum, quibus prælatus eſt, curam intermittit habere. Sed vitam iugiter illorum exhortando, increpando, conſolando, ipſe confortare, & confortandam, tutandamque Domino crebris orationibus commendare ſatagit, &c.

Onus Pontificis grauc.

Beda.

Gregor. Exẽpla Sãctorũ in pectore ferẽda ſemper.

Diuus Gregorius in Paſtorali parte 2. cap. 2. Sacerdotem illum nomina Patriarcharum in pectore geſtare docet, qui Sanctorum geſta exemplaque diligenter meditatur. Quæ quidem meditatio animum maximè ad virtutis iter, etſi arduum, tenendum inflammat: Aſcriptos, inquit ille, Patres ſemper in pectore ferre, eſt antiquorum vitam ſine intermiſſione cogitare. Nam tunc ſacerdos irreprehenſibiliter graditur, cùm exempla Patrum præcedentium indefinenter intuetur; cùm Sanctorum veſtigia ſine ceſſatione conſiderat; & cogitationes illicitas deprimit, ne extra ordinis limitem oculus pedem tendat. Hæc ille.

S. Trinitas, myſterium indicatũ in pectore Põtificis.

Obſerua in pectore Põtificis quatuor fuiſſe gemmarum ordines; tresque lapides in ſingulis ordinibus numerari. Quæ res aperte myſterium indicat ſacroſanctæ Trinitatis; quod nobis quatuor Euangelia tradiderunt. Inſcripta igitur ſunt nomina in quatuor lapidum ordinibus, quoniam Chriſtiani quatuor Euangeliorum fide fulgent. Tres lapides in ſingulis ordinibus numerantur, quoniam quatuor Euangeliorum fides auguſtiſſimam prædicat Trinitatem. Nomen autem Dei fronti imponitur, quoniam Trinitas vnus Deus eſt; qui rebus omnibus eminet, easque omnes conſeruat ac gubernat.

Opera ſacerdotis rationi cõſentanea, indicat Rationale.

Iam verò pectori impoſitum Rationale, pectus ſacerdotale flagitat ratione plenum, ita vt nullum illius opus à ratione diſcrepet: quin potius omnia ad rationis amuſſim explorata videantur. Quadrangulum autem erat Rationale. Oportet enim hominis rationem, & pectus eſſe quadratum ac ſolidum, ſemper in rebus omnibus ſtare inconcuſſum, numquam cadere. Vnde Philo lib. 3. de Vita Moſis: Voluit, inquit, Rationale quadrangulum eſſe artifex; ſubindicans oportere rationem hominis inconcuſſam eſſe ac ſolidam. Quapropter ei duas virtutes attribuit, manifeſtationem ac veritatem. Nam ratio debet eſſe veriſſima, & nihil celare præ inuidia, quod quidem cognitu ſit vtile. Quin & vniuſcuiuſque noſtrum tum oratio, tum ratio, his duabus ornanda eſt virtutibus: manifeſtatione oratio; veritate ratio. Decet enim mentem nullum mendacium admittere: orationem autem expeditè veritatem manifeſtare, &c.

Philo. Rationale cur quadrangulũ.

Ratio ſolida vera manifeſtans.

Oratio & ratio duabus virtutibus ornãda, hæc veritate illa manifeſtatione.

Fulgebat pectus Pontificis gemmis pretioſis: fulgeat quoque pectus ſacerdotale pretioſis virtutibus: carbunculo caritatis, beryllo humilitatis, ſapphiro

Virtutes, gemmæ in pectore.

ſapphiro ſpei, iaſpide fortitudinis, amethyſto tẽperantiæ, ſmaragdo caſtitatis, topazio miſericordiæ. Sint in pectore ſacerdotis Vrim, id eſt, illuminationes; ſint Thumim, id eſt, perfectiones. Perfectum pectus, & illuminatum illud eſſe oportet, in quod toties Chriſtus ingreditur.

Põtificis pectus ſapiẽtia ſit plenum.

Neque verò ſatis eſt plenum eſſe virtutibus Pontificis pectus; ſcientia quoque plenum eſſe neceſſe eſt. In pectore Aaronis doctrina ponitur & veritas. In pectore Pontificis doctrina ſit Theologorum, & veritas litterarum ſacrarum. Pectus fons ſit; ex hoc fonte non arido, ſed pleniſſimo, Chriſti hortus, id eſt, Eccleſia irrigetur. Hieronym. loco citato: Cùm indutus, inquit, quis fuerit veſte multiplici; conſequens eſt veritatem, quam corde retinet, ſermone proferre. Et ob id in Rationali veritas eſt, id eſt, ſcientia; vt nouerit quæ docenda ſint, & manifeſtatio atque doctrina; vt poſſit inſtruere alios, quod mente concepit, &c. Et Beda: Ideo doctrina & veritas in Rationali iudicij eſt impreſſa; vt eadem veſte indutus meminiſſet, ſe ſtudiis doctrinæ & veritatis inquirendis, non autem curandis, rimandiſque ſæcularibus negotiis, in ſacerdotium fuiſſe conſecratum, &c. Sacrarum autem litterarum, & Theologiæ cognitio Pontificem maxime decet; vnde nomen Dei in capite geſtat; quoniam ſcientiam Dei veluti coronam in capite geſtare debet. Lamina aurea, ait Hieronymus, rutilat in fronte: nihil enim nobis prodeſt omnium rerum eruditio, niſi Dei ſcientia coronemur, &c.

Hieron. *Beda.* *Theologia & ſacrarũ litterarum ſcientia in Pontifice. Hieron.*

Sit igitur plenum virtutibus, & ſcientia pectus; ſed prius virtutibus, quàm ſcientia. Prius enim ſuperhumerale induitur, quàm Rationale: Rationalis autem doctrina & veritas ſcientiam indicat, ſuperhumerale opera. Hieronymus: Non prius Rationale, & ſic ſuperhumerale: ſed ante ſuperhumerale, & deinceps Rationale. Primùm faciamus, & ſic doceamus, ne doctrinæ auctoritas caſſis operibus deſtruatur, &c.

Prius virtus deinde ſciẽtia compa. randa. Hieron.

Connexum verò erat ſuperhumerale cum Rationali; quia rationis & operationis egregia eſt connexio, quam ſequi doctrina debet. Vnde idem Pater ſanctiſſimus Hieronymus: Non ſtatim, inquit, abſoluta perfectio eſt, ſiquis ſuperhumerale & Rationale habeat; niſi hæc ipſa inter ſe forti compage ſolidentur, & ſibi inuicem connexa ſint, vt & operatio rationi, & ratio operibus hæreat, & his præcedentibus doctrina ſequatur & veritas, &c.

Rationis & operationis egregia connexio, quam doctrina ſequi debet. Hieron.

Numquid hæc Pontifici ſatis ſunt ornamenta, videlicet omne virtutum iam depictũ genus, ſcientiarumque eruditio præclara? Minimè. Oportet aurigam adeſſe cæleſtem, qui tot lapidibus pretioſis onuſtum currum dirigat, & gubernatorem, qui tot mercibus onuſtam nauem in portum inuehat. Is autem Deus eſt. Quamobrem Pontifex ſuper omnia in ipſa fronte nomen Dei inſcriptum gerit, cui omnem ſanctitatem deberi, ab eoque omnem pendere fatetur, dicens: Sanctum vel ſanctitas Domino vel Domini. Lineis induimur, ait D. Hieronymus, ornamur hyacinthinis, ſacrato balteo cingimur: dantur nobis opera: Rationale in pectore ponitur: accipimus veritatem: profert ſermo doctrinam. Imperfecta ſunt vniuerſa, niſi tam decoro currui dignus quæratur auriga: & ſuper creaturas creator inſiſtens regat ipſe, quæ condidit, &c.

Deus gubernator & auriga.

Diximus hactenus de ſacerdotibus & Pontificibus. Ego verò in hac imagine antiqui Pontificis peculiaribus quibuſdam coloribus ſummum, Romanumque Pontificem adumbratũ videre videor. Etenim *Pontifex antiquus totum orbem terrarum in veſte ferebat*, vt dicit Sapiens: nullus autem eſt toto orbe Pontifex, qui totum terrarum orbem humeris

Sũmus Romanuſq; põtifex Pontificũ antiqui imagine adũbratus. Sap. 18.

A ferat, præter Romanum Pontificem. Reliqui Pontifices peculiares, certaſque paſcunt oues; at Petro dicitur: *Paſce oues meas*, non has vel illas; ſed omnes abſque termino vllo. Paſce oues meas, paſce etiam ipſos ouium paſtores. Sunt enim etiam oues meæ, atque adeò tuæ.

Sũmus Pontifex ſert terrarũ orbẽ humeris. Ioan. 21.

Totius orbis epiſcopatus malis punicis adumbratur. Nam quemadmodum ſub vno cortice mali punici multa grana, eaque rubea, comprehendũtur: ita ſub poteſtate vnius Epiſcopi multi Chriſtiani, iique Chriſti ſanguine rubeſcentes, coërcentur. Omnia mala punica ex veſte Pontificis pendebant: quia omnes epiſcopatus ex poteſtate ſummi, Romanique Pontificis pendent.

Sũmus põtifex ſub poteſtate habet ſua omnes epiſcopatus.

B Pendebant præterea aurea tintinnabula, quæ aureæ doctrinæ ſonitum ſignificant, ex eadem veſte: quoniam omnis doctrinæ cognitio ad Pontificem ſummum pertinet.

Omnis doctrinæ cognitio ad S. P. pertinet.

Ipſum malorum punicorum nomen, Romanum Pontificem, Romanoque Pontifici cuncta ſubeſſe ſonat. Malum enim punicum in Scriptura Hebræa *Rimon* dicitur: habetque litteras nominis Romæ, ſi punctorum rationem non habeas. A noſtris Luſitanis dicitur Romam.

Malũ punicũ Hebraicè Rimon.

Ceteri Pontifices aliquam Iſrael tribum pectore, & humeris geſtant, at ſummus Pontifex non hanc vel illam, ſed omnes duodecim tribus Iſrael, hoc eſt, totam Eccleſiam fert. Ille præterea fert pectore doctrinam, ille veritatem. Oues pectore fert,

Sũmus põtifex pectore fert doctrinam & veritatem.

C fert etiam ouium paſtum: Eccleſiæ enim paſtus, doctrina eſt & veritas. O ſacrum Romani Pontificis pectus, ô diuinum veritatis theſaurum: nihil ex te circa fidem, aut mores falſum, nihil emanare poteſt à veritate alienum. Poſuit enim Deus in te doctrinam & veritatem: poſuit in te *Vrim*, id eſt, Spiritus ſancti illuminationes: poſuit & *Thumim*, id eſt, doctrinæ perfectiones. In pectore Romani Pontificis eſt Rationale iudicij, iudicium ille dicit toti terrarum orbi. *Quodcumque*, inquit Dominus, *ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Vndenam poteſtas tanta, tamque admirabilis? inde nẽpe, quia Dei ſummi in terris vicarius eſt, id quod nomen

In pectore ſummi Põt. eſt Rationale iudicij. Matth. 16.

D Dei indicat in corona aurea ſupra caput rutilans. *Sanctum Domini*; hoc eſt, quidquid ſanctitatis, & quidquid ſanctæ poteſtatis, in ſanctitate Romani Pontificis eſt: id totum Domini eſt, cuius in terris vices ſanctiſſimas gerit. Imperfecta ſunt omnia (diximus ſuprà ex Hieronymo) niſi tam decoro currui dignus quæratur auriga. Decorus currus Dei in orbe eſt Rom. Pontif. auriga Deus eſt. Is Pontificem tuetur, gubernat, dirigit. Id quod nomen Dei coronæ inciſum prædicat.

Auriga S. pontificis Deus.

Sed ad Pontificem Pontificum omnium veniamus, id eſt, Chriſtum Opt. Max. cuius etiam Pontifex Aaronicus tenuis vmbra fuit, vt D. Cyrillus docet lib. 11. de Adoratione, & Rupertus in Exod. c. 23.

Pontifex antiquus ũbra Chriſti.

E Oleo perfundebatur odorifero antiquus Pontifex. Quis verò olei illius odorem ſuauiſſimum fando explicet, quo Chriſtus perunctus eſt, iuxta illud: *Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, præ conſortibus tuis.* Ex hoc oleo nomen habet. Chriſtus enim, id eſt, vnctus appellatur. Vnctus Rex eſt, vnctusque Pontifex. Linea illa tunica candida, atque talaris, candidiſſimam, & abſque vlla labe puriſſimam humanitatem indicat, qua Verbum diuinum indutum eſt. Hyacinthina tunica, cæleſtem noſtri ſummi ſacerdotis vitam ante oculos ponit: virtutũ omnium varietatem, colorum varietas in ſuperhumerali deſignat. Aureas verò conciones, auream doctrinam, aurea verba, tintinnabula aurea demonſtrant. Mala punica, vrbes, opida infinita, & regna innuunt, quæ

Pſal. 44. Chriſtus Vnctus.

Linea tunica humanitas. Hyacinthina, cæleſtis vita. Aurea tintinnabula, aurea verba, mala punica, vrbes & regna.

diuinis his tintinnabulis ad Christi fidem cælesti A sacroque sonitu conuocata sunt.

Christus oues in pectore & humeris portauit.

Iam verò erga oues amorem cognoscere si cupis, humeros inspice & pectus; quoniam filios Israel, id est, oues suas, tum pectore, & corde, tum humeris quoque portauit. Amor in pectore summi pastoris oues inculpsit; in humeris amor idem oues,

Psal. 71.

ouiumque expurganda scelera collocauit. *Honorabile nomen eorum coram illo*: dicit Psalm. Honorabile sanè nomen & pretiosum, quod lapidibus inscriptum est pretiosis. Sed quis pretiosus lapis, pretiosum Christi cor, pretiosos Christi exæquat humeros? In corde & humeris nos ille inscripsit. Pretiosis autem lapidibus viros iustos significari do-

Cyrillus.

cet D. Cyrillus lib. 11. de Adoratione: Non absurdè, B inquit, lapides pretiosi sanctorum virorum figuram gerunt; qui tum splendorem habent, tum pretiosi sunt, & veluti lapides quidam electi, ac propemodum in Christi corde atque animo positi, &c.

Christus doctrinam & veritatem in orbem intulit. Ioan. 18. Ioan. 14.

Gestat etiam in pectore doctrinam, gestat veritatem. Ille enim ad hoc in mundū venit, vt veram hominibus doctrinā traderet & veritatem. *Ego*, ait Pilato Dominus Ioan. 18. *in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati*, &c. Ille *via est, & veritas, & vita*. Ideoque meritò in pectore fert doctrinam & veritatem: fert *Vrim*, id est,

Christus orbi illuminationes attulit & perfectiones.

illuminationes, totius orbis Sol; fert & *Thumim*, id est, perfectiones, pastor, cui nulla perfectio defuit; quique perfectionibus cuncta à Deo condita longè superauit.

C

Crux superhumerale Christi. Isaiæ 9.

Superhumerale habet noster Pontifex eximium. In humeros coniice oculos, Crucē cernes humeris, Pontificum veluti superhumerale, impositam; iuxta illud: *Factus est principatus super humerum eius.*

Purpura, retorta byss', hyacinthus, coccus, auru in superhumerali Crucis.

Purpura splendebat olim Aaronis superhumerale, auro, retorta byssо, hyacintho, coccoque bis tincto: splendet iisdem coloribus nostri superhumerale Pontificis. Deus bone, quænam purpura cum Christi purpureo sanguine conferri potest? hac purpura nostrum superhumerale admirabiliter fulget. Retorta verò byssus, tortam, id est, mille cruciatibus affectam sanctissimam carnem, è Cruce pendentem indicat. Cælestis hyacinthi color, cæli Dominum pro terrenis hominibus tormenta pati innuit. D Bis tinctus coccus, geminā illam Christi in Deum hominesque incensam, stupendamque caritatem adumbrat. Nostræ autem redemptionis pretium in Cruce persolutum esse aurum significat.

1. Cor. 1.

Sed *nos*, ait Paullus, *Prædicamus Christum crucifixum: Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam*, &c. Etenim Crux Christi Iudæis scandalum fuit, ethnicis verò stultitia ratione carens videbatur. At summa sapientia fuit, summa ratio. Quod adiungit Paullus: *Ipsis vocatis Iudæis, atque Græcis, prædicamus Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam.*

In Cruce summa ratio & sapientia.

Hanc ob rem cum superhumerali connexum est Rationale; quoniam cum Christi illa Cruce, quam humeris tulit, summa ratio, summaque Dei sapien- E tia, coniuncta est. Iudicium enim, seueraque Dei iustitia id expostulauit, vt Dei Filius sanguine, & Cruce hominum peccata expiaret. Ideoque meritò Rationale iudicij appellatur; quoniam ipsa ratio, ipsumque iudicium, Deique iustitia, superhumerale illud, id est, Crucem, summi Pontificis humeris imponi flagitabat.

Doctrina & veritas in superhumerali Crucis.

Præterea in Rationali doctrina est & veritas; quoniam rationi maximè consentaneum fuit, pati incarnatum Deum; vt ex Cruce, veluti ex cathedra quadam diuina, diuinam hominibus humilitatis, caritatis, obedientiæ, ceterarumque virtutum doctrinam traderet, exemploque admirando doceret veritatem.

Ad hæc: Nónne diximus suprà ex D. Cyrillo mala punica, vrbes, granaque illa rubentia, Christianos significare? vndenam rubent Christiani? vnde traxere ruborem Christi oues, cum quo nec purpuræ, nec florum omnium, aut gemmarum rubor certare potest? ex superhumerali sanè Christi traxere, id est, ex Cruce super humeros Christi posita. Hinc malorum punicorum rubor, hinc ouium purpureus color, hinc decus, hinc ornamenta omnia, simul cum Christi sanguine effluxerunt.

Mala punica rubent Christi sanguine.

Denique quis sit hic Pontifex doceat nos aurea illa corona in capite collocata. Nomen habet Dei ineffabile corona, quod soli adscribitur Deo. Nimirum, vt significet Pontificem hunc Deum esse verum: cuius Cruci & sanguini omnis hominum sanctitas, omnis iustitia, omnium peccatorum remissio, omnisque virtus tribuenda est. Hoc enim verba illa coronæ incisa indicant: *Sanctum vel sanctitas Domino*, id est, Omnis sanctitas, omnisque vestra gratia, ô homines, huius summi Pontificis, qui, יהוה, id est, Deus verus est, summo sacrificio debetur, quo Patrem vobis infensum propitium reddidit, mundique peccata expiauit.

CAPVT LII.

De integritate ac officiis sacerdotum.

Integros animo oportet esse sacerdotes. Leuit. 21.

De sacerdotum integritate sic legitur: *Loquere ad Aaron: Homo de semine tuo per familias*, id est, sacerdos, *qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius: si cæcus fuerit, si claudus, si vel paruo, vel grandi, vel torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si iugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel hernioſus*, &c. Volebat Deus sacerdotes non mente solùm, sed corpore etiam esse integros atque perfectos; qua corporis perfectione animi integritas adumbratur, vt D. Cyrillus indicat lib. 11. de Adoratione, & Magnus Gregorius prima parte Pastoralis, & Philo in lib. de Monarchia: Si mortale, inquit, corpus sacer- D dotis inspici oportet ne quo contactum sit vitio; quantò magis animam immortalem? &c.

Oportet sacerdotem oculorum habere perspicacitatem, id est, mentis: qua diuina contempletur: ideo cęcus, & lippus, vel albuginem habens in oculo repellitur. Oportet sursum cor attollere: ideo gibbosus, qui ad terrena est incuruatus, repudiatur.

Cyrillus.

Gibbosum, ait Cyrillus, esse dicimus, qui quodammodo incuruatus est, & cuius animus deorsum aspicit, & ad carnis affectus est procliuis, &c. Oportet rectis pulcrisque animi gressibus ingredi, iuxta illud Paulli: *Rectos gressus facite pedibus vestris*, &c. Et *Hebr. 12.* illud: *Quàm pulcri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis*. Ideo claudus vel pede fractus, qui rectos *Cant. 7.* E in via mandatorū gressus non figit, reiicitur. Oportet de rebus diuinis, deque humanis rectè iudicare, easque acutè veluti olfacere: ideo præditus paruo naso, qui mentem discretione carentem significat, reprobatur. Oportet castum esse sacerdotem: ideo qui iugi scabie, atque impetigine concupiscentiæ carnalis laborat, à sacerdotalibus officiis arcetur.

Gregor. Quo sacerdos dicatur cæcus, quis claudus, gibbosus, lippus, &c.

Audiamus Magnum Gregorium parte prima Pastoralis, cap. 10. Cæcus, inquit, est, qui supernæ contemplationis lumen ignorat; qui præsentis vitæ tenebris pressus, dum venturam lucem nequaquam diligendo conspicit, quò gressus operis porrigat nescit. Claudus est, qui quò pergere debeat aspicit; sed per infirmitatem mentis vitæ perfectæ viam non valet tenere, quam videt. Quia ad virtutis statum

dum

dum fluxa consuetudine non erigitur, quò per desiderij impetitur, illuc gressus operis efficaciter non sequuntur. Hinc enim Paullus dicit: *Remissas manus, & dissoluta genua erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris: vt non claudicans quis erret, magis autem sanetur.* Hebr. 12. Paruo autem naso est, qui ad tenendam mensuram discretionis idoneus non est; naso quippe odores fœtoresque discernimus: rectè ergo per nasum discretio exprimitur, per quam virtutes eligimus, delicta reprobamus. Nasus grandis & tortus, est discretionis subtilitas immoderata. Fracto autem pede vel manu est, qui viam Dei pergere omnino non valet; atque à bonis actibus funditus exors vacat. Gibbosus verò est, quem terrenę solicitudinis pondus deprimit, ne vmquā ad superna respiciat. Lippus est, cui quidem ingenium ad cognitionem veritatis emicat; sed tamen hoc carnalia opera obscurant, cuius sensum natura exacuit; sed conuersationis prauitas confundit. Albuginem habet in oculo, cui veritatis lucem videre non sinitur; quia arrogantia sapientiæ, seu iustitiæ cæcatur. Pupilla namque nigra videt; albuginem tolerans nihil videt. Quia videlicet sensus humanæ cogitationis si stultum se peccatoremque intelligit, cognitionem intimæ claritatis apprehendit: si autem candorem sibi iustitiæ, siue sapientiæ tribuit, à luce se supernę cognitionis excludit; & eò claritatem veri luminis nequaquam penetrat, quò se apud se per arrogantiam exaltat. Sicut de quibusdam dicitur: *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.* Rom. 1. Iugem verò habet scabiem, cui carnis petulātia sine cessatione dominatur. Impetiginem quoque habet in corpore, quisquis auaritia vastatur in mente. Quæ si in paruis non compescitur, nimirum sine mensura dilatatur. Hactenus Gregorius.

Discretio, naso significatur. *Albuginem in oculo superb⁹ habet.* *Auaritia si in paruis nō cōpescitur, sine mēsura dilatatur.*

Sacerdotum officia plura erant. Primum, solius erat Pōtificis, videlicet, singulis annis semel in Sancta sanctorum ingredi, non sine sanguine, decimo die mensis septimi. Qua de re dictum est suprà cap. 42. Lege Leuitici caput 16. Quæ sequuntur omnibus sacerdotibus communia fuerunt.

Primū officium sacerdotum. Ingredi in Sancta sanctorum.

Secundum, Thymiama offerre in altari thymiamatis, quod extra Sancta sanctorum fuisse collocatum iam ostendimus. In hoc altari singulis diebus, manè, vesperique, sacerdotes odores Deo incendebant, qua de re suprà diximus cap. 24. *Aaron & filij eius adolebant incensum super altare holocausti, & super altare thymiamatis,* &c. Incensum, quod sacerdotes adolebant super altare holocausti, victimæ appellantur: non enim in eo altari thymiama incendebatur. In altari verò thymiamatis, thymiama adolebant tam Aaron, quàm filij eius, id est, reliqui sacerdotes.

Secundum officiū, thymiama offerre. Sacerdotes thymiama incendebāt in altari thymiamatis, manè, vesperiq;. 2. Par. 6.

De hoc verba illa intelliguntur: *Sorte exiit vt incensum poneret, ingressus in templum Domini. Et omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi.* Græce, *incensum*, à Luca dicitur, *thymiama*, &, *incensum ponere*, θυμιᾶσαι. Ingressus enim est Zacharias Baptistæ pater templum, id est, domum exteriorem, in qua erat altare aureum, vt thymiama incenderet. Populus verò foris in atriis erat exspectās hora incensi, id est, in hora illa, qua thymiama odoriferum Deo offerebatur.

Luca 1. *Zacharias pater Baptistæ in domo exteriori thymiama obtulit.*

D. Augustinus tract. 49. in Ioannē; quoniam existimauit altare incensi intra Sancta sanctorum fuisse collocatum, existimauit quoque Zachariam fuisse summum sacerdotem. Soli enim summo sacerdoti in Sancta sanctorum ingredi fas erat, & vt Augustinus eodem loco putat & scribit, incēsum non licebat ponere, nisi summo sacerdoti. Neque Augustinus solus hūc honorem patri Baptistæ tribuit, sed Ambrosius quoque Lucæ 1. Videtur, inquit, hic sanctus Zacharias summus designari sacerdos, &c. D. etiā Chrysostomus tom. 5. in homilia de incomprehensibili Dei natura: Zacharias, ait, Sancta sanctorum ingressus, ipsum scilicet penetrale, quod vni fas erat illi inspicere, &c. Theophylactus quoque: Quemadmodum summus sacerdos iste ingressus in Sancta sanctorum fructum accepit, sic Christus ingressus in cælum fructum accepit, nostram salutem. Idem sentit Burgensis Lucæ 1. præterea D. Dionysius Areopagita de Cęlesti Hierarchia, cap. 4. Zachariam Pontificem appellat, si non fallit interpres. Lege etiam Bedam Lucæ primo.

Auguſt. & alij antiqui Patres. Zachariam fuisse summū sacerdotē Augustū. & alij sentiunt.

Verisimilius tamen est non fuisse summum sacerdotem Zachariam, sed alium quempiam ex inferioribus, vt Lyranus arbitratur Lucæ 1. Abulensis Exodi 30. quæstione 6. Iansenius & alij. Probatur, quoniam nulla est ratio, quæ fuisse probet; sunt autem aliquæ, nec futiles, quæ refutent. Nam inde colligitur sacerdotem fuisse summum, quòd thymiama obtulerit, in Sancta sanctorum ingressus. Id verò ex dictis falsum esse constat. Altare enim thymiamatis intra Sancta sanctorum non erat: thymiama autem in templo adolere, ad omnes sacerdotes spectabat.

Zacharias non fuit summus sacerdos.

Refutatur opinio. Primò, quòd Euangelista Zachariam sacerdotem tantummodo appellarit; appellasset verò Pontificem, vel sacerdotē summum, si fuisset Pontifex, & sacerdos summus. Quemadmodum enim nunc de summo Pontifice si quis loquatur, dignitatis tantæ nomen non prætermittit: sic & olim si de summo sacerdote vel Pōtifice quis verba faceret, nomen dignitatis non silebat. Secundò, quæcumque Lucas de Zacharia narrat, minori sacerdoti congruunt, vt est perspicuum: aliunde Pontificem fuisse probari non potest: ergo Pontifex non fuit. Tertiò, Zacharias dicitur à Luca fuisse ex vice Abia: atqui Pōtifex nec ex vice vlla erat, nec ex vice esse dicebatur. Ergo Zacharias Pontifex non fuit. De vicibus mox dicemus. His adde, inter Pontifices Israelitarum Zachariam à Iosepho minimè numerari. Adde etiam hoc, vt Lucas asserit: *Sorte exiit, vt Zacharias incensum*, id est, thymiama, *poneret*: ergo sorte illi cōtigit hæc sacerdotalis functio, vt infrà dicemus. At verò summus sacerdos extra omnes huiusmodi sortes erat: nullaque illi functio sorte obueniebat: ergo non fuit Zacharias summus sacerdos.

Probatur Zachariam patrē Baptistæ nō fuisse summū sacerdotem. *Luce 1.* *Zacharias non obtulit thymiama in Sācti sanctorū in die expiationis.*

Ex his etiam refutatur opinio Bedæ & Caietani, qui existimarunt Zachariā in die expiationis, mense Septembri, thymiama posuisse in Sanctis sanctorum. Hoc enim soli summo sacerdoti licebat.

Tertium sacerdotis officium erat, panes propositionis in mensa proponere, Leuitici 24.

3. officiū, panes propositionis in mensa collocare.

Quartum, lucernas templi concinnare, inflammare, suoque tempore exstinguere, Exod. 27. Leuitici 24.

4 Lucernas inflāmare.

Quintum, sacrificia Deo offerre, animaliaque immolare, vt liber Leuitici docet. Sacerdotes enim animalia occidebant, pellem ipsis detrahebant, vt constat ex 2. Paralip. 29. quo loco ostenditur id Leuitis non licuisse. Iidem altaris igni ligna imponebant.

5. Sacrificia Deo immolare.

Offerebant autem hostias non pro Iudæis solùm, sed pro ethnicis quoque, vt docet Philo libro de Legatione ad Caium. In epistola Regis Agrippæ ad Caium: Gens, inquit, Iudæorum pro incolumitate imperij tui vota faciendo nulli genti cedit; dona offerendo, mactando victimas, non solùm in solemnitatibus publicis, verum & quotidianis, &c. Et Iosephus: In templo, inquit, Eleazarus filius Ananiæ Pontificis persuasit iis, qui sacrificiis ministrabant, vt nullius munus, aut hostia, qui non esset

In tēplo Iosol. offerebantur sacrificia etiā pro ethnicis. *Iosephus l. 2. de Bel. c. 17.*

de

de Iudęorum gente ſuſciperetur. Id autem erat Romani belli ſeminarium. Reiecit ſiquidem hoſtias Cæſaris, quæ pro Romano populo offerri ſolitæ erant, &c. Et inter alia: Producebãt, inquit, in medium ſcientiſſimos morum paternorum, ſacerdotes quoque, narraturos quomodo omnes eorũ maiores exterarum gentium ſemper ſacrificia ſuſcepiſſent, &c. Lege lib. 1. Machabæorum, capite 12. epiſtolam Ionathæ ad Spartiatas, &c.

6 officiũ ſacerdotũ, canere tubis. Num. 10.

Sextum, tubis argenteis clangere. *Filij Aaron clangent tubis. Si exieritis ad bellum de terra veſtra contra hoſtes, qui dimicant aduerſum vos, clangetis vlulantibus tubis, & erit recordatio veſtri coram Domino Deo veſtro, vt eruamini de manibus inimicorum veſtrorum. Si quando habebitis epulum, & dies feſtos, & calendas, canetis tubis ſuper holocauſtis, & pacificis victimis, vt ſint vobis in recordationem Dei veſtri,* &c. *Sacerdotes clangebant tubis coram arca Dei,* &c. Et: *Dauid conſtituit Banaiam, & Iaẑiel ſacerdotes, canere tuba iugiter coram arca fœderis Domini,* &c. Ait Abias: *In exercitu noſtro dux Deus eſt; & ſacerdotes eius, qui clangunt tubis, & reſonant contra vos,* &c.

1. Par. 15. 1. Par. 16.

2. Par. 13.

Denique tubis ſacerdotes populum, vel etiam Principes, conuocabant. Iis vtebantur in bello, in templo, in diebus feſtis, in ſacrificiis. Lege cap. 10. Numerorum. Tubis etiam ſabbata populo ſacerdotes indicabant, ex edita turri clangentes, vt Ioſephus docet lib. 5. de Bello, cap. 9. Quarta, inquit, turris ſupra verticem paſtophoriorum condita erat; vbi moris eſt vnum de ſacerdotibus adſtãtem, poſt meridiem, quòd ſeptimus quiſque dies, id eſt, ſabbatum inciperet, tuba ſignificare, rurſusque veſperi, quòd deſineret: nunc ferias populo, nunc vt opus faciat, denuntiantem, &c.

Ex turri ſacerdos ſabbata indicabat. Ioſephus.

Tuba deſcriptio.

Cuius figuræ fuerint tubæ indicat idem Ioſephus lib. 3. Antiq. cap. 11. Canna, inquit, erat tibia paullò craſſior: longitudine paullò minùs cubitali, cuius os tantum patebat, quantum ad inflandum ſufficeret; deſinebatque in extremitatem campanulæ ſimilem, quemadmodum tuba, &c. Et lib. 8. cap. 2. plurimas à Salomone tubas fabricatas refert: Fieri, inquit, curauit tubarum ducenta millia; quales Moyſes præſcripſit, &c.

Ducẽta millia tubarũ fabricauit Salomon.

7. officiũ, populo benedicere. Num. 6.

Septimum, populo benedicere. *Locutus eſt Dominus ad Moyſem, dicens: Loquere Aaron & filiis eius: ſic benedicetis filiis Iſrael, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te. Oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui. Conuertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem. Inuocabuntq; nomen meum ſuper filios Iſrael; & ego benedicam eis,* &c. Fuiſſe autem morem ſacerdotibus populo benedicendi peracto ſacrificio colligit Ianſenius ex cap. 50. Eccleſiaſtici: Notandũ, inquit, ex hoc loco morem ſacerdotibus fuiſſe benedicere populo peracto ſacrificio. Item, quòd in benedictione populi mos illis fuerit eleuandi manus ſuas ſuper populum. Quod & dicitur fieri ab eis ſolitum, mouendo manus in quatuor mundi partes, ſurſum ſcilicet, deorſum, ſiniſtrorſum, & dextrorſum, cum aperto crucis myſterio. Hæc ille. Galatinus verò lib. 2. cap. 10. Benedictio, inquit, cum nomine Dei quatuor litterarum, cum tribus digitis ambarum palmarum erectis, & duobus depreſſis fiebat, ad deſignandam diuinarum perſonarum Trinitatem per ipſum nomen ſignificatam, &c. Lege cap. 43. huius libri.

Sacerdotes populo benedicebãt peracto ſacrificio eleuatis manibus, ſignum crucis efficientes.

Galatin.

8 officiũ ſacerdotũ, docere populũ. Mal. 2. Aggæi 2. 2. Par. 15. Leuit. 10.

Octauum, docere populum. *Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam: & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum eſt. Interroga ſacerdotes legem,* &c. *Tranſibunt multi dies in Iſrael abſque Deo vero, & abſque ſacerdote, doctore,* &c. *Vt habeatis ſcientiam diſcernendi* (dicitur ſacerdotibus) *inter ſanctum & profanum, inter pollutum & mundum: doceatisq; filios Iſrael omnia legitima mea, quæ locutus eſt Dominus ad eos per manum Moyſi,* &c.

Etiã leuitis & laicis facultate habita fas erat docere.

Docet tamen Abulenſis lib. 2. Paralip. cap. 15. q. 4. nõ ſolis ſacerdotibus, ſed leuitis etiam, immo & laicis, fas fuiſſe facultate habita docere. Nam Ioſaphat Rex 2. Paralip. 17. & 19. conſtituit ſacerdotes & leuitas, vt docerent populum. Præterea, ſi laicis fas non fuiſſet docere populum, Iudæi Chriſtũ concionari nullo modo permiſiſſent: nec enim leuita erat, nec ex leuiticis ſacerdotibus. Docebant quoque Chriſti Apoſtoli; qui nec ſacerdotes erant, nec leuitæ. Paullus item ex tribu Beniamin & Barnabas ſynagogam ingreſſi, ad concionandum ſunt inuitati. *Ingreſſi ſynagogam die ſabbatorum ſederunt. Poſt lectionem autem legis & Prophetarum, miſerunt Principes ſynagogæ ad eos, dicentes: Viri fratres, ſi quis eſt in vobis ſermo exhortationis ad plebem, dicite,* &c. Erat ergo ſacerdotum munus docere, ſacerdotum inquam præcipuè.

Act. 13.

9. officium ſacerdotũ, iudicare de lepra, & aliis.

Nonum, de lepra iudicare. *Homo in cuius cute, & carne ortus fuerit diuerſus color ſine puſtula, aut quaſi lucens quidpiam, id eſt, plaga leprę, adducetur ad Aaron ſacerdotem vel ad vnum quemlibet filiorum eius,* &c. Alia quoque iudicia ad ſacerdotes pertinuiſſe intelliges ex Deuteronom. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, cauſſam & cauſſam, lepram & non lepram, & iudicum inter portas tuas videris verba variari: ſurge & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesq; ad ſacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore: quæresq; ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcũque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius: ſequerisq; ſententiam eorũ, neque declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo: ex decreto iudicis morietur homo ille,* &c.

Leuit. 13.

Deut. 17.

Sacerdotis imperio qui non paret, occidatur.

10. officium ſacerdotũ, militũ corda roborare. Deut. 20.

Decimum munus, in bello militum corda corroborare. *Appropinquante prælio, ſtabit ſacerdos ante aciem, & ſic loquetur ad populum: Audi Iſrael, vos hodie contra inimicos veſtros pugnã cõmittitis. Non pertimeſcat cor veſtrum: nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos: quia Dominus Deus veſter in medio veſtri eſt: & pro vobis contra aduerſarios dimicabit, vt eruat vos de periculo,* &c.

An ſacerdotes antiqua legis claues habuerint.

Quæres, num ſacerdotes hi veteris legis haberent claues. paucis, cum D. Thoma 4. diſt. 19. Abulenſi Matth. 3. quæſt. 57. & aliis, reſpondeo non habuiſſe claues. Non enim erant in lege illa claues cæli, in qua nondum cælum apertum erat. Vnde D. Thomas 4. d. 19. ad primum: Clauis, inquit, regni cæleſtis conſequitur ad ſacerdotium, quo homo ad cæleſtia introducitur. Non autem talis erat ordo ſacerdotij Leuitici; & ideo claues cæli non habuerunt, &c. Nec claues cæli habuerunt, nec characterem, vt loco citato Abulenſis ait, illi antiqui ſacerdotes. Noui verò Teſtamenti ſacerdotes & admirando charactere ſunt inſigniti; & claues aureas habent, quibus cælum aperiunt. Antiquos illos dignitate, graduque honoris, & officio longè ſuperant.

D. Thom.

Nec claues nec characterẽ habuere ſacerdotes veteris legis.

Conferũtur noſtri ſacerdotes cum antiquis.

Antiqui ſacerdotes thymiama Deo, vt diximus, animantiumque brutorum victimas offerebãt; noſtri ſacerdotes, ô rem ſtupẽdam! & thymiama adolent, & ipſum Dei Filium, Deum, hominemque verum, æterno Patri offerunt. Quod ſtupendum ſacrificium plus ab illis omnibus abrogatis ſacrificiis diſtat, quàm cælum diſtat à terra. Infinito enim interuallo diſiungitur; ipſamque Dei Opt. Max. maieſtatem continet. Antiqui ſacerdotes panes propoſitionis in conſpectu Dei proponebant; noſtri panem illum, qui de cælo deſcendit, vitamque præbet

bet mundo, id eſt, auguſtiſſimam Euchariſtiam, ante oculos Dei in altari ſingulis diebus proponunt, illumque nobis propitium reddunt. Lucernas illi inflammabant; noſtri cæleſti flamma incendunt animas. Illi tubis argenteis clangebant; hi toto orbe clangunt concionibus. Illi benedicebant populo; hi quoque benedicunt. Illi docebant Iſrael; hi docent totum orbem. Illi de lepra iudicabant; hi iudicant de peccatis, quæ lepra ipſa adumbrat. Illi corda militum in bello corroborabant; hi corda Chriſtianorum aduerſus tartareos hoſtes confirmant ac concitant. Faxit Deus, vt quantùm noſtri ab antiquis differunt officio: tantum etiam differant vita & ſanctitate.

Vt autem eorum exemplo ad noſtra multo præſtãtiora munera alacriter, ac modeſte obeunda excitemur; libet his addere, quæ Ariſteas ſcripſit in lib. de 72. Scripturæ interpretibus: Miniſterium, inquit, ſacerdotum, robore, decore, & ſilentio, cuncta ſuperabat. Omnibus ſua ſponte laborantibus, quando quiſque inſtitutum opus iniuſſus curat: hi quidem ligna, hi oleum, hi ſimilam; alij aromata, alij carnes incendentes. Et roboris excellẽtiam quamdam dexteritatemque oſtentãt. Sumptis enim duobus vitulorum cruribus, quæ pondo ſupra duo talenta ſint, mira in altum facilitate ſic decenter proiiciunt, vt numquam à loco aberrent. Similiter ouium caprarumque pondera iaciunt. Sunt autem hoſtiæ omnes abſque macula, & pinguedine præſtantes. Sternitur & ad quietem locus, vbi omnes cubant; vnde nullo excitante celeres quique ad opus per vices exſurgunt. Silentium verò tantum ineſt, vt cùm ſeptingenti ferè miniſtrorum continuò adſint, & offerentium libamina multitudo ingens; nec vnum quidem hominem in loco verſari putes. Summa namque veneratione cuncta, & magna Dei pietate perficiuntur. Hæc ille. Adiungam illud quoque quod Ioſephus ſcripſit: Põpeius cùm templum obſideret, Iudæorum tolerantiam & in aliis admiratus eſt, & præcipuè, quòd nihil ceremoniarum inter media tela verſantes intermiſerunt. Sed ac ſi in alta pace ciuitas ageret, quotidie ſacrificia, & victimas, omnemque Dei cultum diligentiſſimè celebrarũt. Nec vel in ipſo excidio, cùm ad aram in dies ſingulos trucidarentur, legitimis religionis ſuæ muneribus abſtinuerunt, &c. Item: Circumſepto vndique fano, alios aliò fugientes, vel repugnantes Romani interficiunt. Vbi plurimi ſacerdotum, quamquam hoſtes ſtrictis gladiis irruentes videbant; intrepidi tamen in peragendis rebus diuinis perſeuerabant; & in ipſo libandi templumque adolendi miniſterio mactabantur. Saluti quoque præferentes religionis obſequium. Hæc ille.

Ariſteas. Sacerdotũ in miniſtrãdo decor & ſilentium.

Ioſephus l. 1. de Bel c 5. Sacerdotũ in miniſtrãdo animi robur.

CAPVT LIII.

De vicibus ſacerdotum.

FVIT Aaron, frater Moſis, primus populi Iſraelitici Pontifex, & ſacerdos maximus, fons & origo omnium ſacerdotum. Ex illo enim vno omnes ſacerdotes originem duxere. Quatuor procreauit filios, Nadab, Abiu, Eleazar, & Ithamar. Duos illos priores Deus igni incendit, Leuit. 10. quòd igne alieno, ac profano thymiama incendiſſent; poſteriores Eleazar & Ithamar ſuperſtites permanſere. Ex iis ſacerdotum duæ familiæ extitêre. Altera familia Eleazar, qui prouectior erat ætate, patriqué Aaroni in pontificatu ſucceſſit; altera familia Ithamar appellatur. Rurſus ſacerdotes familiæ Eleazar, id eſt, ex Eleazaro orti, in ſedecim partes, ſiue ſortes diuiſi ſunt. Sacerdotes verò familiæ Ithamar, id eſt, ex Ithamar nati, quia pauciores erant, in 8. ſortes diſtributi. Itaque 24. ſacerdotum fuere ſortes à Dauide conſtitutæ, de quibus agitur 1. Paral. 24. Dictæ autem ſunt ſortes, quoniã ſortibus res eſt tranſacta: *Diuiſit Dauid filiis Eleazar Principes per familias ſedecim: & filiis Ithamar per familias, & domos ſuas octo. Porrò diuiſit vtraſque inter ſe familias ſortibus. Erãt enim Principes ſanctuarij, & Principes Dei, tam de filiis Eleazar, quam de filiis Ithamar*, &c.

Filij duo Aaronis, ex quib⁹ ſacerdotum duæ familiæ. Sacerdotes familiæ Eleazar in 16. ſortes diuiſi.

Sacerdotes familiæ Ithamar diſtributi in 8. ſortes. 24 ſortes ſacerdotum. 1. Par. 24.

Erat vnus omnium ſacerdotum, & ſanctuarij Pontifex, ac princeps, ſacerdosque ſummus. Erant præterea 24. alij, qui Sacerdotum quoque, & *Sanctuarij Principes* appellantur, & *Principes Dei*. Nimirum ij, qui viginti quatuor ſortibus, ſinguli ſingulis præerant. Numerantur omnes viginti quatuor ſortes loco citato hunc in modum: *Exiuit autem ſors prima Ioiarib, ſecunda Iedei, tertia Harim, quarta Seorim, quinta Melchia, ſexta Maiman, ſeptima Accos, octaua Abia.* Sicque reliquæ vſque ad vigeſimam quartam recenſentur. Ad octauam verò vſque ſortem, quæ erat ſors Abiæ, volui numerare, vt Lucæ ille locus intelligatur: *Fuit ſacerdos quidam, nomine Zacharias, de vice Abia.* Erat enim Zacharias Ioannis Baptiſtæ pater ſacerdos, atque adeò ex vna erat earum viginti quatuor ſortium. Docet D. Lucas ex octaua fuiſſe ſorte, quę dicitur ſors Abiæ à principe primo.

Sacerdos ſummus vnus. 24 ſacerdotiũ & ſanctuarij principes. 1. Par. 24. Luca 1. Zacharias pater Baptiſta ex 8. ſorte ſiue vice Abia.

Magnus erat ſacerdotum in omnibus his ſortibus numerus. Neq; verò ſimul omnes diebus, hebdomadíſve omnibus, in templo ſacerdotali munere fungebantur: ſed per vices ſingulæ ſortes ſingulis hebdomadis miniſtrabant. Vnde ſortes vices dicebantur. Quamobrem Lucas vicem octauam Abiæ appellat: *Fuit*, inquit, *Zacharias de vice Abia.* Et: *Hæ vices eorum*, id eſt, ſacerdotum, *ſecundùm miniſteria ſua, vt ingrediantur domum Domini*, &c. Nimirum prima ſors prima hebdomada in templo miniſtrabat, id eſt, ſacerdotes primæ ſortis: ſecunda hebdomada, ſecunda ſors: tertia hebdomada, tertia ſors: vſque ad vigeſimam quartam. Deinde ad primam adminiſtratio redibat. De his Ioſephus lib. 7. Antiq. cap. 11. Viginti quatuor, inquit, ſacerdotum cognationes inuenit Dauid. Ex Eleazari familia ſedecim: Ithamari octo. inſtituitque, vt vna cognatio miniſtraret Deo per dies octo: à ſabbato vſque in ſabbatum. Atque ita ſortitio facta eſt omnium cognationum. Et cuius prima ſors exiit, deſcripta eſt cognatio prima; & poſt hanc ſecũda, deincepſque vſque ad vigeſimam quartam. Quæ diuiſio durat vſque in hodiernam diem. Ita Ioſephus.

1. Par. 24. Ioſephus. Miniſtrabat vna ſors diebus 8. à ſabbato vſque in ſabbatum.

Illa verò hebdomada, qua ſacerdotes miniſtrabant, in domibus iis habitabant, quæ in atriis templi erant exædificatæ; neque à templo recedebant. Hinc illud diui Lucæ de Zacharia: *Factum eſt, vt impleti ſunt dies officij eius, abiit in domum ſuam*, &c. Tota enim hebdomada, qui fuere dies officij eius, in templo verſatus eſt; expleta hebdomada domum diſceſſit, Baptiſtamque magnũ genuit. Nam quamdiu in templo ſacerdotes morabantur, ab vxoribus abſtinebant, vt docet Abulenſis 1. Paralip. 24. q. 25. Innocentius primus, Pontifex ſummus, epiſtol. 2. cap. 9. Si priſcis, inquit, temporibus de templo Dei ſacerdotes anno vicis ſuæ non diſcedebant, ſicut de Zacharia legimus, nec domum ſuam omnino tangebant: quantò magis ij ſacerdotes, vel Leuitæ, pudicitiam ex die ordinationis ſuæ ſeruare debent, quibus non præterit dies, qua vel à ſacrificiis diuinis, vel à baptiſmatis officio vacẽt? Hæc ille, & alia in eamdem ſententiam. Lege Bedam Luc. 1. Hoc, inquit, eſt quod dixi, quòd vicis ſuæ tempore Pontifices,

Luca 1. Caſtitas eſt perpetua à ſacerdotib⁹ ſeruanda. Beda.

Sacerdotes in tẽplo habitabant cũ sacras functiones peragebant.

fices, templi tantùm officiis mancipati, non solùm A à complexu vxorum, sed ab ipso quoque domorum suarum abstinerent ingressu. Vbi nostri temporis sacerdotibus, quibus semper altari seruire iubetur, perpetuò seruandæ castitatis exemplum datur, &c. Et Theophylactus: Quamuis, inquit, Zacharias Ierosolymis domum habuisset, non licuisset tamen ei extra ambitum templi per tempus vicis suæ exire, &c. A vino etiam abstinebant. *Dixit Dominus ad Aaron: Vinum, & omne quod inebriare potest, non bibetis tu & filij tui, quando intrabitis in tabernaculũ testimonij, ne moriamini.* Lege Philonem lib. de Monarchia, & Abulensem 1. Paral. cap. 9. quæst. 16. in qua docet sacerdotes in templo habitasse illa hebdomada, qua sacras functiones peragebant, ne aliqua B legali immunditia foris se contaminarent, qua inquinati ministrare non possent.

A vino abstinebant. *Leuit. 10.*

Sortes fũctiones distribuebant.

Animaduerte præterea cuiusque sortis, vicis, vel hebdomadæ sacerdotes, qui in templo ministrabant, solitos fuisse functiones sacras inter se sortibus distribuere. Huic sorte Thymiamatis oblatio, illi lucernarum compositio atque inflammatio, alij hoc, alij illud sacrificij genus offerendum obueniebat. Vnde perspicua fiunt Lucæ verba illa: *Factum est, cùm sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ, secundùm consuetudinem sacerdotij, sorte exiit, vt incensum poneret*, &c. Sorte namque obuenit Zachariæ incensi, hoc est, Thymiamatis oblatio. Idem de reliquis sacerdotibus intellige. Par enim in omnibus ratio reperitur. Lege Abulensem 1. Paralip. 24. C quæst. 26.

Luca 1.

CAPVT LIV.

De Leuitis.

Exodi 6.

LEVI filius Iacob tres habuit filios, Gerson, Caath, & Merari, vt legitur. Ex his tres Leuitarum familiæ emanarunt. Prima dicitur Caathitarum: secunda Gersonitarum: tertia Meraritarum. Caath, præter reliquos filios, genuit Amram Mosis patrem & Aaronis. Aaroni & filiis eius, ac posteris sacerdotium Deus tradidit. Reliqui, qui ex Leuitica D quidem tribu erant, non autem Aaronis posteri, Leuitæ tantùm dicti sunt, nec fuêre sacerdotes. Ipsi Mosis filij non inter sacerdotes; sed inter Leuitas numerantur. Erant illi quidem filij Mosis; sed quia ex Aarone originem non duxerant; Leuitis tantùm, non sacerdotibus ascripti sunt. Præcipuo tamen honore affectos fuisse docet Iosephus libro 7.

Ioseph. l. 7 Antiq. c. 11.

Antiquit. cap. 11. Leuiticam tribum, ait, in viginti quatuor partes Dauid diuisit, & sortitione facta. Et illis quemadmodum sacerdotibus octoni ministerij dies obuenerunt. Præcipuus autem honor Mosis posteris est habitus. Constituit enim eos custodes thesaurorum Dei, & donariorum, quæ Reges solent dedicare, &c. Soli igitur posteri Aaronis sacer- E dotio fungebantur. Reliqui omnes ex tribu Leui oriundi Leuitæ appellantur, & in tres iam nominatas familias distributi erant, Caathitarum, Gersonitarum, & Meraritarum.

Leuitis Mosis posteris præcipuus honor habitus.

Leuitarum munus in deserto quodnam fuerit.

Leuitarum, quamdiu per solitudinem iter habuerunt Israelitæ in terram repromissam, munus fuit, in circuitu excubare tabernaculi. Ad Occidentem castra metabantur Gersonitæ; ad Septemtrionem Meraritæ; ad Meridianam plagam Caathitæ; ad Orientem verò ante fores tabernaculi Moses & Aaron cum filiis suis sacerdotibus. Lege Numerorum cap. 3. Itaque tabernaculum Leuitæ & sacerdotes omni ex parte circumdabant. Hoc est enim sacerdotum & Leuitarum munus, Ecclesiam instar fortissimi muri circũdare, & instar fortissimi exercitus tueri; ne hæresibus, ne impiis, vel prauis moribus, ne flagitiis, in illam aditus pateat.

Leuitæ portabant tabernaculũ.

Munus quoque Leuitarum fuit, tabernaculum ipsum per solitudinem portare. Erat enim tabernaculum portatile quoddam templum. Ipsi tabernaculum gestabant; ipsi erigebant, cùm erat erigendum; cùm verò deponendum erat, ipsi deponebant, vt docet Abulensis Iosue 3. quæst. 8. Caathitæ sanctiora portabant, omnia velata; arcam fœderis, mensam, candelabrum, altare thymiamatis, & altare alterum holocaustorum, labium æneum cum vasis ad hæc spectantibus. Hæc omnia sacerdotes prius inuolucris velabant, velataque Caathitis tradebant; quibus ea tangere, vel cernere, capitale erat. *Nolite perdere*, ait Dominus, *populum Caath de medio Leuitarum. Sed hoc facite eis, vt viuant, & non moriantur; si tetigerint Sancta sanctorum. Aaron & filij eius intrabunt, ipsique disponent opera singulorum: & diuident quid portare quis debeat. Alij nulla curiositate videant quæ sunt in sanctuario, priusquam inuoluantur: alioqui morientur*, &c. Gersonitæ ferebãt molliora, videlicet tabernaculi cortinas, pelles, & saga, quibus tegebatur. Meraritæ gestabant duriora; nimirum tabernaculi tabulas, columnas, bases, & funes. Caathitæ onera sua sanctiora humeris ferebant; Gersonitæ verò, & Meraritæ plaustris. Ideoque Num. 7. Plaustra illis data sunt, & boues; Caathitis non sunt data. Redditur ratio eodem capite: quia in C sanctuario seruiunt, & onera propriis portant humeris, &c. Lege Numer. cap. 3. & 4.

Sanctiora velabantur.

Num. 4.

Caathita portabant sanctiora, Gersonitæ molliora, Meraritæ duriora.

Leuitæ arcã portabãt humeris.

Cur Oza Leuita percussus a Domino interierit. 1. Par. 13.

Humeris ferebant arcam, & cetera onera Caathitæ. Hinc caussam, cur Oza Leuita percussus sit 2. Regum 6. colligunt Lyranus, Abulensis, & Caietanus. Nimirum, quoniam cùm humeris portare debuissent arcam Leuitæ; plaustro tulerunt. Humeris postea, non plaustro portatam in ædes Dauid, legitur. *Tulerunt filij Leui arcam Dei, sicut præceperat Moyses, iuxta verbum Domini, humeris suis, in vectibus*, &c. Diuus Hieronymus in Hebraicis traditionibus in libr. primum Paralipom. cap. 13. eamdem sententiam tribuit Hebræis: Iusserat, inquit, Abinadab duobus filiis suis Oza & Ahio, vt portarent arcam Domini humeris suis; & quia neque ipsi eam portauerunt, neque Caathitis ad portandum dederunt; idcirco Oza mulctatus est morte. Fuit enim peccatum in non portando; in sustinendo arcam, iam pœna peccati. Et ignorabat Dauid ob quam caussam veniisset indignatio Dei in Ozam: postquam verò cognouit caussam, iussit arcam portari in humeris, &c. Eadem est opinio Theodoreti lib. 2. Reg. quæst. 20.

Verùm hanc opinionem refutare videtur verba illa: *Percussit eum Dominus super temeritate*: ergo non est percussus, quòd plaustro arcam vexerit: sed propter temeritatem, quòd tetigerit. Quæ est sententia Iosephi: Oza, inquit, cùm non esset sacerdos ausus manum sustentandi caussa arcæ admoliri; in vestigio expirauit, &c. Non enim licebat Leuitis arcam Dei tangere etiam tectam; sed vectes tantùm, quibus eam ferebant. *Cùm inuoluerint Aaron & filij eius sanctuarium, & omnia vasa eius, in commotione castrorum: tunc intrabunt filij Caath, vt portent inuoluta, & non tangent vasa sanctuarij, ne moriantur*, &c. Non tangent, inquam, etiam tecta velamentis. Probatur eadem sententia ex illis verbis: *Percussit Deus Ozam, eo quòd tetigisset arcam*, &c. Quid clarius? Theodoretus loco citato ait, Iosephum asseruisse Ozam percussum, quòd tetigerit arcam, cùm Leuita non esset. At verò Iosephus ait percussum esse, quòd, cùm non esset sacerdos, arcam tangere ausus fuerit. Sic in Græco & Latino est codice.

2. Reg. 6.

Ioseph l. 7. Antiq c. 4.

Num. 4.

1. Par. 13. Theodoret.

Ait

1.Par.15. Ait Dauid Leuitarum Principibus: *Vos qui eſtis Principes familiarum Leuiticarum ſanctificamini cum fratribus, & afferte arcam Dei ad locum, qui ei præparatus eſt. Ne vt a principio, quia non eratis præſentes, percuſſit nos Dominus: ſic & nunc fiat, illicitum quid nobis agentibus.* Ex Hebræo vertitur: *Quia a principio non fuiſtis* (ſcilicet præſentes) *rupit Dominus in nobis* (quia ſcilicet percuſſit Ozam) *Quia non quæſiuimus eum ſecundum iudicium.* Septuaginta Interp. ita vertunt: *Diſcidit Deus in nobis, quoniam non exquiſiuimus in iudicio,* &c. Cauſſa percuſſionis redditur, quia nõ quæſierunt arcam ſecundùm iudicium. Et Pagninus vertit: *Secundùm ritum.* Videtur ergo non ſeruatum eſſe iudicium & ritum, cùm eſt portata arca, & punitus Oza. Verum quidem eſt non eſſe ſeruatum ritum; quia contra ritum & iudicium Leuita arcam tetigit. Poteſt etiam addi; non eſſe ſeruatum ritum, quòd arca plauſtro ſit vecta, quæ humeris vehi debuit.

Quomodo iuuerit Deꝰ Leuitas cũ portauerũt arcam in domũ Dauid. 1.Par.15.

Dicitur Deus iuuiſſe Leuitas, cùm portauerunt arcam in domum Dauid, his verbis: *Cum adiuuiſſet Deus Leuitas, qui portabant arcam,* &c. Iuuiſſe autem dicitur, quoniam nullũ percuſſit, quemadmodum percuſſerat Ozam. Hebræi, vt Lyranus refert, aiunt, Deum ita iuuiſſe Leuitas, vt nullum arcæ pondus ſentirent. Maius etiam aliquid de arca affirmant. Videlicet, volaſſe cùm Iordanem Iſraelitæ tranſierunt, vt ait idem Lyranus Ioſue 4. Dicunt, inquit, Hebræi, quòd arca portauit portatores ſuos. Quod eſt ſic intelligendum, quòd virtute diuina arca cum ſacerdotibus fuerit ſubitò tranſportata vltra fluuium & populum, quem debebat præcedere, &c. Sed hæ fabulæ videntur Hebræorum.

Sacerdotes Eccleſiã per orbem portant, & Leuita tabernaculum.

Hoc quoque munus noſtris congruit ſacerdotibus ac Leuitis, Tabernaculum, id eſt, Eccleſiã, portare, & per totum orbem ferre. Molliora quidam ferunt, alij duriora onera. Aduertant autem præſules, Gerſonitis, qui molliora ferebãt, data duo plauſtra, Num. 7. Meraritis verò, qui ferebant duriora, quatuor plauſtra eſſe tributa. Plura enim ſubſidia, maioraque ſtipendia, iis tribuenda ſunt, qui maius onus ſuſtinent.

Qui ferunt maius onus ferãt maius ſubſidium.

Ad onus ſunt vocati Leuita & Sacerdotes.

Animaduertant etiam Leuitæ noſtri ac ſacerdotes ſe non ad voluptates, ſed ad pondera ferenda vocatos eſſe; inter quæ maximum eſt animarum onus. Hoc per ſolitudinem hanc ſacerdotes ferunt. Felices illos, qui in cælum, & ſe, & onus quamuis magno cum labore ducunt; infelices, qui tam ſe, quàm onus impoſitum negligunt; tartaroque demergi patiuntur.

Velata eſt mẽſa noſtra & altare.

Velata tradebantur Caathitis Arca, Menſa & Altaria. Velata quoque eſt noſtra Arca, Menſa, & noſtrum altare, dum iter per ſolitudinem facimus. Sub panis ſpeciebus veluti velamento Chriſtus nobis traditur, quamdiu vitam propagamus; cùm in terram promiſſam poſt mortem peruenerimus, velamentum auferetur, Arcam, Menſam, Altare noſtrum abſque vllo inuolucro intuebimur.

Euchariſtia menſa.

Obſerua præterea quanta in veneratione Menſam illam & arcam Deus haberi voluerit; nec ab ipſis Leuitis, aut tangi, aut conſpici patiebatur, idque ſub mortis interminatione vetabat. Collige hac ex re, quàm ſingulari veneratione noſtra Menſa noſtraque Arca, id eſt, auguſtiſſima Euchariſtia ſit colenda. Collige præterea Iſraeliticum ſtatum fuiſſe ſeruorum, quos tanto timore Deus arcebat; Chriſtianorum verò legem eſſe filiorum, ad quos tanto cum amore in pectus ipſum penetrans accedit. Quod ſi ſacerdotes illi, quo tempore ſacris operabantur, ab vxoribus abſtinebant, optimo iure noſtris votum indicitur caſtitatis; quippe qui tota vita operentur ſacris, quique non vitulos ouiumque vi-

Statuanti-quus ſeruorum.

Caſtitas ſacerdotum.

A ctimas Deo, ſed Chriſti corpus offerunt ac ſanguinem.

Portarunt Leuitæ tabernaculum quadraginta illis annis, quibus per ſolitudinem Iſraelitæ iter fecerunt. Poſtquam verò in terram repromiſſam venerunt, templumque exædificarunt, illorum alia fuere munera. Erant enim cantores, ianitores templi, theſaurorum cuſtodes, vaſorum, veſtiumque ſacrarum, miniſtrabantque ſacerdotibus. Dixit Dauid: *Requiem dedit Dominus Deus Iſrael populo ſuo, & habitationem Hieruſalem vſque in æternum. Nec erit officij Leuitarum vt portent tabernaculum, & omnia vaſa eius ad miniſtrandum.* Item: *Et erunt ſub manu filiorum Aaron in cultum domus Domini, in veſtibulis, & in exedris, & in loco purificationis,* id eſt, ablutionis, *& in ſanctuario, & in vniuerſis operibus miniſterij templi Domini,* &c. Item eodem cap. *Numerati ſunt Leuitæ* (Dauide iam ſene) *a triginta annis, & ſupra; & inuenta ſunt triginta octo millia virorum. Ex his electi ſunt, & diſtributi in miniſterium domus Domini viginti quatuor millia. Præpoſitorum autem & iudicum ſex millia. Porrò quatuor millia ianitores, & totidem pſaltæ canentes Domino in organis quæ fecerat* (ſcilicet Dauid) *ad canendum, & diſtribuit eos Dauid per vices filiorum Leui, Gerſon, videlicet, Caath, & Merari,* &c.

Leuitarum officia poſtquã in terrã promiſſam peruenerunt. 1.Par.23.

Conſtat igitur ex his diſtributos fuiſſe Leuitas à Dauide in ſuas tres familias, Gerſonitarum, Caathitarum, & Meraritarum, fuiſſeque ianitores, cantores, miniſtros domus Domini, iudices etiam, atque præpoſitos populi. Lege 1. Paralipom. 25. & 26. Ioſephus libro 4. Antiquit. capite 8. inter leges Iſraelitarum hanc quoque numerat. Singulis magiſtratibus attribuantur duo miniſtri de tribu Leuitica. Libro autem ſeptimo, cap. 11. ſcribit tribum quoque Leuiticam in viginti quatuor partes à Dauide fuiſſe diſtributam, quæ per vices miniſtrarent, ſicut ſacerdotes: Leuiticam, inquit, tribum in partes viginti quatuor diuiſit, & ſortitione facta, & illis quemadmodum ſacerdotibus octoni miniſterij dies obuenerunt, &c.

Singulis magiſtratibus duo Leuitæ tribuebantur.

Tribus Leuitica per vices miniſtrabat, quemadmodum ſacerdotes.

Cantorum viginti quatuor ſortes, ſiue vices 1. Paralip. 25. numerantur. Vna enim cantorum ſors vni ſorti ſacerdotum canendo miniſtrabat, non diurno ſolùm, ſed nocturno etiam tempore. Nam ſacrificium agni veſpertinum occidente fiebat Sole, perque noctem totam agnus fruſtatim incendebatur. *Hæc eſt lex holocauſti, tota nocte in altari cremabitur, vſque manè,* &c. Idcirco noctu etiam, vt Abulenſis eſt ſententia 1. Paralip. 9. quæſt. 15. cantores diuinarum laudum cantu ſacrificium comitabantur. *Principes cantorum in exedris morabantur, ita vt die & nocte iugiter ſuo miniſterio deſeruirent,* &c. Et: *Leuitæ, vt ſtent manè ad confitendum,* id eſt, laudandum, *& canendum Domino: ſimiliterq; ad veſperam, tam in oblatione holocauſtorum Domini, quàm in ſabbatis, & Calendis, & ſolemnitatibus reliquis, iuxta numerum, & cæremonias vniuſcuiuſque rei, iugiter coram Domino.* Ioſephus: Inſtituit Dauid, vt vniuerſa Leuitarum tribus, & ſacerdotes, per ſuas quiſque vices interdiu, noctuque, circa cultum diuini Numinis verſarentur: ſicut à Moyſe præſcriptum fuerat, &c. Adde illud: *Ecce nunc benedicite Dominum omnes ſerui Domini; qui ſtatis in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri. In noctibus extollite manus veſtras in ſancta,* &c.

Caathitarum 24 ſortes ſiue vices.

Leuit. 6.

Cãtores noctu rno etiã canebant tempore.

1 Par 9.

1.Par. 23.

Ioſeph. l. 7. Antiq. c. 12.

Pſal. 133.

Neque cantu ſolùm diuinæ celebrabantur laudes à Leuitis, ſed muſicis quoque inſtrumentis. *Conſtituit Ezechias Leuitas in domo Domini cum cymbalis, & pſalteriis, & citharis ſecundùm diſpoſitionem Dauid Regis, & Gad Videntis, & Nathan Prophetæ. Siquidem Domini præceptum fuit per manum Prophetarum eius. Steteruntq; Leuitæ tenentes organa Dauid, & ſacerdotes tubas. Et iuſſit Ezechias vt offerrent holocauſta*

2.Par. 29.

ſuper altare. Cumq́ offerrentur holocauſta, cœperunt laudes canere Domino, & clangere tubis, atque in diuerſis organis, quæ Dauid Rex Iſrael præparauerat, concrepare. Omni autem turba adorante, cantores & ij qui tenebant tubas, erant in officio ſuo, donec compleretur holocauſtum. Cumq́ finita eſſet oblatio, incuruatus eſt Rex, & omnes qui erant cum eo, & adorauerunt, &c.

Cantorum tres principes, Aſaph, Heman, & Idithun. 1. Par. 25.

Cantorum tres illi fuêre principes, quorum nomina Pſalmorum tituli præferunt, Aſaph, Heman, & Idithun. *Dauid & magiſtratus exercitus ſegregauerunt in miniſterium filios Aſaph, & Heman, & Idithun, qui prophetarent in citharis, & pſalteriis, & cymbalis, ſecundum numerum ſuum, dedicato ſibi officio ſeruientes*, &c. Aſaph ex familia erat Gerſonitarum, Heman ex familia Caathitarum, Idithun ex familia Meraritarum. Idithun dicitur alio nomine Ethan. Lege Abulenſem 1. Paral. 25. quæſt. 6. & ſequent.

De loco cantorum.

Quo loco canerent dubium eſt. In atrio ſacerdotum cecinisſe ait Abulenſis 2. Paralip. 5. quæſt. 36. Probatur ex eodem cap. 5. In quo, cùm arca in templum adducta eſt, cantores dicuntur ad Orientalem partem altaris holocauſtorũ ſtetiſſe: in atrio videlicet ſacerdotum, & cum eis ſacerdotes tubis canentes. Montanus in libro de Fabrica templi ſcribit, in templo ſuggeſtum fuiſſe inter atrium ſacerdotum & atrium populi, in quo Leuitæ publicis inſtrumentis ſolemnium, & quotidianorum ſacrificiorum tempore canerent. A cantu dicitur hoſtia

Pſal. 26.

vociferationis. *Circuiui & immolaui in tabernaculo eius hoſtiam vociferationis:* id eſt, cum vocibus cantorum

Pſal. 25.

muſicis oblatam. Et: *Circumdabo altare tuum Domine, vt audiam vocem laudis tuæ: & enarrem vniuerſa mirabilia tua*, &c.

Cultus externus Dei maximè neceſſarius, tẽplorum ornatus, cantorum, &c.

Si tam ſplendidum cultum voluit ſibi Deus in Iudæa exhiberi, multò ſplendidiorem nunc toto terrarum orbe flagitat. Quantò enim ſplendidiora nobis data ſunt beneficia ac ſacramenta, quantoque ſplendidius ſacrificium; tantò ſplendidiorem, præcellentioremque cultum eſſe oportet. Nemo igitur tam ſit à ratione alienus, vt ſacrarũ veſtium aureum ſplendorem, templorum opulentiam, muſica inſtrumenta, cantum ſacerdotum, miniſtrorumque multitudinem atque nitorem, quæ Deus approbauit, audeat improbare. Internos quidẽ animos nitidos, virtuteque opulentos; ipſumque internum animorum cultum nitidiſſimum eſſe oportet. Cum interno tamen cultu, cultus Dei externus copulatus eſſe debet, atque idem ſplendidiſſimus.

Matth. 12.

Ex abundantia enim cordis os loquitur, vt Dominus docuit, & ex abundãtia interni cultus externus cultus oritur. Quemadmodum Eccleſia interno animorum ſplendore ſynagogam longè ſuperat; ita par eſt, vt externo quoque templorum ac miniſtrorum ornatu, ac nitore longè præcellat. Non ſynagogam ſolùm, ſed Eccleſiam etiam Deus, qui templorum ſacerdotumque ſplẽdor eſſe deberet, hiſce ornamentis in Scriptura traditis edocuit.

An Leuitis neceſſaria fuerit conſecratio.

Quæres, num Leuitis ad miniſtrandum in templo aliqua fuerit opus conſecratio. Reſpondet Abulenſis Num. 8. quæſt. 19. tam ſacerdotes quàm Leuitas, vt miniſtrarent, ſua indiguiſſe conſecratione. Quamuis enim genere ſacerdotali aut Leuitico quis eſſet procreatus; niſi conſecraretur, ſacerdotis aut Leuitæ officio fungi non poterat. Vnde diuus Ioannes Baptiſta, quamuis ſacerdotis Zachariæ filius, in templo miniſtrare non poterat, niſi priùs ritu ſacro initiatus. Quomodo autem ſacerdotes conſecrarentur, dictum eſt ſuprà. De conſecratione autem Leuitarum agitur Num. 8.

An Leuitæ peculiares veſtes haberent.

Præterea rogabis, num veſtes haberent Leuitæ peculiares. Reſpondetur, in diuinis litteris nullam peculiarem veſtem illis aſſignari. Ioſephus ſcribit,

A cantores vſum ſtolæ lineæ non multis annis ante templi excidium à Rege Agrippa obtinuiſſe: Interea, inquit, Leuiticæ tribus homines, quorum erat ſacros hymnos in templo canere, adito Rege induxerunt eum precibus, vt aduocato concilio decerneret eis vſum ſtolæ lineæ; quæ tũc ſolis erat conceſſa ſacerdotibus. Neque fruſtra fuit eorum poſtulatio. Rex enim permiſit de cõcilij ſententia hymnorum cantoribus, vt, depoſito priore habitu, linteum, vt voluerunt, ſumerent, &c. *Ioſeph. l. 20. Antiq. c. 8.*

At verò ipſemet Ioſephus lib. 8. Antiquitat. cap. 2. ſcribit Salomonem cantoribus ſtolas byſſinas feciſſe: Stolas, inquit, ſacerdotales è byſſo fieri curauit: item alias ſtolas byſſinas Leuitis hymnorum B cantoribus, numero ducenta millia, &c. Quid igitur opus fuit à Rege Agrippa vſum ſtolæ lineæ impetrare, qui à temporibus Salomonis illis fuerat conceſſus? Forſitan ab Agrippa impetrarunt Leuitæ ſtolam eiuſdem formæ, cuius erat ſacerdotalis, quod Ioſephi verba ſignificare videntur. Quidquid fuerit, dicendum eſt, cantores byſſinas habuiſſe veſtes. Iis enim, quoniam diuinas in templo laudes canebant, conceſſæ ſunt. Probatur; nam Salomon, vt ex Ioſepho conſtat, ducenta ſtolarum, ſiue veſtium byſſinarum millia cantoribus fieri curauit. Præterea, cùm arcam in templum, quod exædificauerat, adduxit, cantores byſſinis induti indumentis arcam ſunt comitati. *Tam Leuitæ, quam cantores, id eſt, & qui ſub Aſaph erant, & qui ſub Heman, & qui ſub* C *Idithun, filij & fratres eorum veſtiti byſſinis, cymbalis, & pſalteriis, & cytharis concrepabant, ſtantes ad Orientalem plagam altaris: & cum eis ſacerdotes centum viginti canentes tubis*, &c. *Stola byſſinæ cantoribus à Salomone facta. 2. Par. 5.*

Ceteri quoque Leuitæ, qui in templo miniſtrabant, byſſina, ſiue linea veſte vſi videntur; idque ex Samuele Leuita probatur. Ille enim quia in templo miniſtrabat, lineo amiciebatur indumento. *Samuel miniſtrabat ante faciem Domini, puer accinctus Ephod lineo*, &c. Similem ergo in modum reliqui, qui in templo miniſtrarent, Ephod lineo, ſiue ſtola byſſina, induerentur. Simili Ephod ſiue indumento lineo indutus Dauid arcam domum ſuam deduxit. *Porrò Dauid accinctus erat Ephod lineo*, &c. *1. Reg. 2. 2. Reg. 6.*

Denique illud animaduertendum, tribum Leui D diuino vacaſſe cultui; hereditatem verò, ſiue ſortem, inter reliquas tribus non accepiſſe. Sacerdotes enim & Leuitæ nullos habuere agros, ex quorum prouentu viuerent. *Non habebunt ſacerdotes, & Leuitæ, & omnes qui de eadem tribu ſunt, partem & hereditatem cum reliquo Iſrael.* Et: *Tribui Leui non dedit poſſeſſionem: quoniam Dominus Deus eſt poſſeſſio eius*, &c. Vult Deus ſacerdotes ſuos non rebus caducis, ſed diuino cultui vacare, omnibus ſolutos negotiis. Terrenarum loco poſſeſſionum, ipſe æterna cupit eſſe, atque opulentiſſima illorum poſſeſſio. Nónne poſſeſſio ſacerdotis Deus eſt, cuius manibus pectorique ſe quotidie tradit, quemque opulentiſſimis E gratiæ donis quotidie locupletat? Ex quonam agro ditiores, lætioresque prouentus poteſt recipere ſacerdos, quàm ex opulentiſſimo Euchariſtiæ Sacramento? Deus ergo illius ditiſſima hereditas eſt, & poſſeſſio opulentiſſima. *Leuita & ſacerdotes hereditatẽ ſiue ſortem nõ habebãt. Deut. 18. Ioſue 13. Leuitarum & ſacerdotum poſſeſſio eſt Deus.*

Quæres, vnde Sacerdotes & Leuitæ alerentur. Reſpondemus, ex Deo. Deus enim erat eorum poſſeſſio, hoc eſt, res diuinæ, ſcilicet, oblationes Deo factæ, ſacrificia, & decimæ, quas Iſraelitæ ſoluebãt. *Sacrificia Domini & oblationes eius comedent, & nihil aliud accipient in poſſeſſione fratrum ſuorum: Dominus enim ipſe eſt hereditas eorum*, &c. *Dixit Dominus ad Aaron: In terra eorum nihil poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos: ego pars & hereditas tua in medio filiorum Iſrael. Filiis autem Leui dedi omnes decimas Iſraelis in poſſeſſionem.* *Leuitarum alimenta qua. Deut. 18. Num. 18. Leuitis decimæ dabantur.*

poſſeſſionem, pro miniſterio, quo ſeruiunt mihi in tabernaculo fœderis. Nihil aliud poſſidebunt, decimarum oblatione contenti, quas in vſus eorum, & neceſſaria ſeparani, &c.

48. Opida Leuitica tribui data & ſuburbana. Num. 35.

Eidem tribui Leuiticę quadraginta octo opida in terra repromiſſionis data ſunt ad habitandum; eorumque ſuburbana per circuitum mille paſſuum ſpatio, ad paſcenda pecora ac iumenta. *Præcipe filiis Iſrael vt dent Leuitis de poſſeſſionibus ſuis vrbes ad habitandum, & ſuburbana earum per circuitum; vt ipſi in opidis maneant, & ſuburbana ſint pecoribus ac iumentis. Quæ à muris ciuitatum forinſecus per circuitum mille paſſuum ſpatio tendentur. Contra Orientem duo millia erunt cubiti: & contra Meridiem ſimiliter erunt duo millia: ad mare quoque quod reſpicit ad Occidentem eadem menſura erit: & Septemtrionalis plaga æquali termino finietur: eruntq; vrbes in medio, & foris ſuburbana.*

Sex Vrbes refugij. Ioſue 14. Num. 35.

Ex his Leuitarum vrbibus ſex vrbes refugij dicuntur, ad quas, qui ſanguinem nolentes fudiſſent, confugiebant. *Separate vrbes fugitiuorum*, &c. *De opidis, quæ Leuitis dabitis, ſex erunt in fugitiuorum auxilia ſeparata; vt fugiat ad ea qui fuderit ſanguinem. Et exceptis his alia quadraginta duo opida, id eſt, ſimul quadraginta octo cum ſuburbanis ſuis. De ipſis autem vrbibus, quæ ad fugitiuorum ſubſidia ſeparantur, tres erunt trans Iordanem, & tres in terra Chanaan*, id eſt, cis Iordanē, *tam filiis Iſrael, quam aduenis atque peregrinis; vt confugiat ad eas qui nolens ſanguinem fuderit*, &c. Lege 1. Paral. 6.

De Nathinæis.

Dicamus qui fuerint Nathinæi; & à longa hac digreſſione, ſed non inutili, ad inſtitutum curſum regrediamur. Nathinæi à verbo Hebræo נתן, Nathan, dicuntur; quod ſignificat dare, quaſi templo donati, vt ligna cæderent, aquamque comportarēt. Hos Lyranus 1. Paral. 9. Abulenſis eodem capite, & alij, aiunt fuiſſe Gabaonitas, de quibus Ioſue: *Non deficiet*, ait, *de ſtirpe veſtra ligna cædens, aquasq; comportans in domum Dei mei.* Item: *Liberauit eos Ioſue de manu filiorum Iſrael, vt non occiderentur, decreuitq; in illo die eos eſſe in miniſterio cuncti populi & altaris Domini, cædentes ligna, & aquas comportantes, vſque in præſens tempus, in loco quem Dominus elegiſſet*, &c. Hi Gabaonitæ (vt eodem leges capite) cùm in terra repromiſſionis habitarent, cum Iſraelitis pugnare noluerunt; ſeque ipſos illis vltrò tradidêre. Vnde Caiet. 1. Paralip. 9. aliam nominis colligit rationem. Dictos ait Nathinæos, quia illi ſe dediderūt Iſraelitis, & dati quoque ſunt in templi ſeruitutem. D. Hieronymus in traditionibus Hebraicis in lib. 1. Paralip. c. 9. Nathinæi, inquit, (Nethinim) id eſt, donati: ſunt enim Gabaonitæ, eo quòd ad ſeruiendum dati ſunt ad templum Domini à Ioſue, &c. De templo hæc obiter dixiſſe ſit ſatis, ad Euangelium reuertamur.

Ioſue 9.

Nathinæi, id eſt, donati ad ſeruiēdū templo. Hieron.

LIBER QVARTVS.

CAPVT PRIMVM.

De colloquio Chriſti cum Nicodemo.

IOAN. CAP. III.

ERAT autem homo ex Phariſæis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorum. Hic venit ad Ieſum nocte, & dixit ei: Rabbi, ſcimus, quia à Deo veniſti magiſter: nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo. Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Amen, amen, dico tibi, niſi quis natus fuerit denuò, non poteſt videre regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo poteſt homo naſci, cùm ſit ſenex? Numquid poteſt in ventrem matris ſuæ iterum introire, & renaſci? Reſpondit Ieſus: Amen, amen, dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Quod natum eſt ex carne, caro eſt: & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Non mireris, quia dixi tibi: Oportet vos naſci denuò. Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis; ſed neſcis vnde veniat, & quò vadat: ſic eſt omnis qui natus eſt ex ſpiritu. Reſpondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo poſſunt hæc fieri? Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Tu es magiſter in Iſrael, & hæc ignoras? Amen, amen, dico tibi, quia quod ſcimus, loquimur, & quod vidimus, teſtamur, & teſtimonium noſtrum non accipitis. Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo ſi dixero vobis cæleſtia credetis? Et nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, Filius hominis, qui eſt in cælo. Et ſicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto; ita exaltari oportet Filium hominis: vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat,

ſed habeat vitam æternam. Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus eſt; quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei. Hoc eſt autem iudicium; quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem: erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifeſtentur opera eius, quia in Deo ſunt facta.

Ioan. 3.

SCIMVS, *quia à Deo veniſti magiſter*. Venit Chriſtus, vt ſuprà dictum eſt libro 3. poſt nuptias Canæ ex Galilæa in Iudæam, multaque miracula Ieroſolymis Paſchali tempore patrauit; quibus permoti multi in eum crediderunt.

Nicodemus nocte ad Chriſtũ accedit, cur nocte? Cyrillus.

Ex iis vir inter Iudæos princeps, Nicodemus nomine, miraculorum, quæ cernebat, vi ductus, nocturno tempore miraculorum adiit patratorem, habuitque cum eo colloquium ſingulare. Adiit autem nocturno tempore, vt D. Cyrillus in Ioannem vult; quoniam palàm venire pudebat. Propenſus, ait Cyrillus, ad fidem Nicodemus fuiſſe videtur; ſed tamen pudore improbo victus, & gloria hominum

Auguſt.

ſuperatus, palàm accedere non audet. Et Auguſtinus epiſt. 28. ad Hieronymũ: Nicodemus erat vnus illorum, quos delectabat vocari Rabbi: vnde etiam ad verum magiſtrum nocte venerat; quia fortaſſis erubeſcebat diſcere, qui docere conſueuerat, &c.

Chryſoſt.

Diuus Chryſoſtomus aduentum nocturnum timori tribuit: Noctu, inquit, venit, quia interdiu formidabat, &c.

Theophyl.

Item Theophylactus: Noctu venit, propter timorem Iudæorum, &c. Vel forſitan noctu venit, vt cum Chriſto ſolo, remotis arbitris, colloqui poſſet, & ab eo diſcere, quem à Deo miſſum magiſtrum exiſtimabat.

Beda.

Sic Beda opinatur: Venit, inquit, Nicodemus ad Ieſum nocte, cupiens ſecreta eius allocutione pleniùs diſcere myſteria fidei; cuius aperta oſtenſione ſignorum aliquatenus iam

Rupert.

rudimẽta perceperat, &c. Et Rupertus in Ioannem: Venit, inquit, nocte Nicodemus, vt audiret Ieſum ſine turba. Doctrinæ aptum nocturni ſilentij bene captauit otium, &c.

Colloquij initium.

Colloquij exordium hoc fuit: *Scimus*, inquit, *quia à Deo veniſti magiſter*. Benevolentiam captat, & qualem de Chriſto opinionem animo imbiberit, demonſtrat. Scimus nos Iudæi, quòd à Deo miſſus es ad nos magiſter, id eſt, vt nos doceas. Nam *Magiſter* non eſt vocandi caſus, ſed nominandi, Græcè διδάσκαλος. A Deo, inquit, veniſti, vt Magiſter, & Doctor noſter ſis. In hanc autem exiſtimationem

Ioan. 3.

induxere nos opera tua admiranda. *Nemo enim poteſt hæc miracula facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo*, miraculorum omnium operator. Exiſtimabat Nicodemus Chriſtum Prophetam eſſe, cui Deus ad miracula facienda adeſſet: nondum tamen Deum

Chryſoſt.

eſſe intelligebat. Chryſoſtomus: Adhuc, inquit, humi vertitur Nicodemus, adhuc humanam de Chriſto habet ſententiam, & tamquam de Propheta loquitur: nihil altum propter ſigna coniectatus, &c.

Euthym.

Et Euthymius: Cùm Nicodemus Prophetam Chriſtum putaret, arbitrabatur eum miracula non propria facere poteſtate; ſed eſſe à Deo precibus obtenta, &c.

Dubitatur quiſnam fuerit Nicodemi principatus. Dicitur enim à Ioanne princeps Iudæorum. Reſpondetur, non fuiſſe principem Iudæorũ, quòd Iudæis imperarit: eo enim tempore Romani Iudæis dominabantur. Dicitur ergo fuiſſe princeps Iudæorum, quòd alicuius tribus, vel familiæ caput, & princeps eſſet. Nam Iſraëliticus populus in duodecim tribus diuiſus erat: ſingulæ autem tribus ſingulos habebant principes. Rurſus tribus diuiſæ erant in familias, cuilibet familiæ princeps vnus præerat. Erant autem principes tribuum & familiarum primogeniti. Lege caput 26. Numerorum, in quo familiæ, tribuſque Iſraelitarum numerantur. Nos ſuprà tribum Leui diximus diuiſam in tres familias, Caathitarum, Gerſonitarum, & Meraritarum. Eumdem in modum reliquas tribus diſtributas intelliges. Itaque dici poteſt Nicodemus princeps Iudæorum, quòd alicuius familiæ, vel tribus caput eſſet; vel quòd nobilitate, & diuitiis inter Iudæos præcelleret; aut quòd ex populi eſſet gubernatoribus. Lege Abulenſem 2. Paralipom. 5. quæſtione 6. & 7.

Cur Nicodemus dicatur princeps Iudæorum.

Dubitatur præterea quonam loco habitum fuerit hoc colloquium. Reſpondetur cum Lyrano, Dionyſio, Carthuſiano, & aliis, habitum Ieroſolymis. Obiicitur: Ioannes hoc eodẽ capite ait Chriſtum poſt colloquium veniſſe in Iudæam; ergo colloquium habuit extra Iudæam: ergo non habuit Ieroſolymis, ſed in Galilæa. Reſpondetur, Ieroſolymis habitum colloquium, nec verba Ioannis obſtare, vt ex eorum explicatione ſuo loco apparebit.

Ioan. 3.

NISI *quis renatus fuerit denuò, non poteſt videre regnum Dei*. Toletus putat Nicodemum, cùm doctor eſſet, ad diſcendum minimè veniſſe. Exiſtimo potius cum Beda & Ruperto, Nicodemum ad Chriſtum veniſſe, vt diſceret; idque verba illa indicant: *Scimus, quia à Deo veniſti magiſter*; id eſt, vt doceas nos. Magiſtrum illum vocauit, ait Rupertus, vera intentione diſcendi, &c. Et Cajetanus: Non ſolùm, inquit, Nicodemus appellat Chriſtum Rabbi; ſed profitetur ſe, & alios noſſe, quòd magiſter à Deo deſtinatus fuerit. Et dixit hoc, quia veniebat diſcendi cauſſa; vt hac profeſſione inuitaret Chriſtum ad ſe docendum, &c. Magiſtri igitur fungitur Dominus officio: diſcipulum docet, & à primis rudimentis, ſiue ab alphabeto exordium ducit, id eſt, à baptiſmo. Atque ita rectè cum verbis Nicodemi doctrina cohæret Chriſti: Si vis, inquit, Nicodeme regnum Dei ingredi, renaſci oportet. Niſi enim quis fuerit denuò natus, regnum Dei intrare, & videre nequit. Dictio Græca ἄνωθεν, ambigua eſt: ſignificat enim idem quod denuò, & præterea, deſuper. Verti ergo poteſt: *Niſi quis renatus fuerit deſuper*, id eſt, ſuperna generatione; vel, *Niſi quis renatus fuerit denuò*, id eſt, iterum, vt rectè vertit noſter Interpres, iuxta id quod reſpondit Nicodemus: *Numquid poteſt homo iterum in ventrem matris introire?*

An venerit Nicodemus ad diſcẽdũ.

Ioan. 3.

Quid ſit renaſci denuò paullo pòſt Dominus explicat. Quid ſignificet *regnum Dei*, dubiũ eſt. Chryſoſtomus Chriſtum ait ſignificare: Regnum, inquit, Dei,

Quid ſignificet hoc loco regnum Dei.

Dei, seipsum significat ostendens non esse id tantùm quod videtur, sed aliis opus esse oculis, vt videatur, &c. Est sensus Chrysostomi: Nisi per baptismum Spiritus sancti particeps efficiaris, Nicodeme, non poteris videre regnũ Dei, id est, me ipsum non poteris cognoscere. Item Theophylactus: Natiuitas per baptismum illuminationem præbet animæ; regnum Dei, id est, Filium illius vnigenitum dat intelligere, &c. Dicendum est regnum Dei sumi hoc loco pro cælesti beatitudine; quæ sententia est Bedæ, Lyrani, Carthusiani, Caietani, Iansenij, & aliorum. Potest etiam sumi pro regno Messiæ, vt sumit Toletus, hoc sensu: O Nicodeme, Iudæi regnum exspectant Messiæ; at nemo illud videbit, id est, nemo in illud intrabit, eiusque erit particeps, nisi per baptismum renatus. Nam baptismus ianua est, per quam in regnum Messiæ, quod est Ecclesia, intramus.

Ioan. 3. QVOMODO *potest homo nasci cùm sit senex? Numquid potest in ventrem matris iterato introire, & renasci?* Christi verba nõ intellexit magister in Israel, ideoque admirans respondit: Ais magister, neminem posse regnum Dei videre, nisi nascatur denuò. Nasci ergo oportet hominem denuò. Id verò quonam modo fieri potest? Quomodo potest homo senex, qualis ego sum, iterũ nasci? Numquid vuluam repetet matris, vt renascatur? D. Cyrillus ait, Nicodemum fatuitatem existimasse, quod dicebatur: Cùm animalis, inquit, adhuc homo mysteria Spiritus minimè intelligens Nicodemus esset; fatuitatem potiùs, quàm sublime aliquid putat, quod dicitur, &c. Toletus verò in hac responsione scintillam quamdam superbiæ reperit. Rupertus melius, ardorem reperit discendi: Pulsabat, inquit, Nicodemus ardore discendi; non obstrepebat liuore aduersandi. Et Beda: Quia Nicodemus ad primam Domini responsionem sollicitus, quomodo sit intelligenda diligẽter inquirit; meretur iam ampliùs instrui, &c.

Cyrillus. *Rupert.* *Beda.*

Non videbat Nicodemus quomodo homo denuò nasci posset; ideo magistrum interrogat, quomodo id possit fieri. Carnalem nouerat generationem, qua ex sanguinibus, & ex voluntate carnis, & ex voluntate viri, homines gignuntur; illam nesciebat, qua ex Deo renascuntur. De ea, quam nouerat, loquitur, ad alteram nondum ascendit. Sublimes enim res diuinæ sunt, ac spiritales, & à corporeis longè semotæ. Quamobrem longè aliter de illis, ac de corporeis cogitandum est. Vnde Chrysostomus homil. 24. in Ioannem: Nihil peius, inquit, est, quàm humanis rationibus spiritalia subiicere. Hoc Nicodemum impedit, ne quid profundũ contemplaretur. Ideo nos fideles appellamur, vt humanarum cogitationum vilitate contempta, ad fidei altitudinem euadamus, & quæ nos manent bonorum cognitionem hauriamus, &c. Et homilia 23. Nos, inquit, diuina mysteria perscrutari caueamus; neque rerum humanarum necessitate illa agi existimemus: sed pietate summa omnia intelligamus, Scripturis fidem adhibeamus. Curiosus namque, & nimius rerum diuinarum perscrutator, nihil proficit, nihil inuenit, præter vltimum supplicium. Audis natum Christum? Crede; Quomodo, noli disquirere, &c. Homilia item 24. Prima Adæ formatio ex terra, altera, mulieris ex eius latere, tertia, Abelis ex semine. Verùm nullam harum quomodo & qua fiant ratione assequi possumus, quamquam crassiora sint. Quonam igitur pacto de intellectuali per baptismum generatione, & tam admirabili partu rationem reddemus, quæ longè altiora sunt & subtiliora? Pareamus igitur diuinæ sententiæ, quæ sensu ipso visus certior est. Visus enim sæpenumero fallitur; illa minimè. Nam cùm omnia quæcumque

De rebus spiritalibus aliter quàm de corporeis iudicandũ. Chrysost.

Res diuinæ fidei imperscrutabiles.

Diuina fides visu certior est.

A sunt Deus effecerit, dignus sanè est cui fides adhibeatur, cùm de suo quidquam asserit opificio, &c. Homil. 23. docet idem Chrysostomus, particulam hanc, *Quomodo*, eorum non esse qui firmiter credunt. Videlicet; si infirma fide, & hæsitanti mente dicatur: Particula, inquit, illa *Quomodo* non multum credentium est, sed adhuc terrena sapientium. Nam multi hoc verbo vsi, fide exciderunt. Hæretici quoque hinc in sua perstãt opinione. Alij quidem: quomodo natus est Christus? alij: quomodo carnem accepit? interrogant. Et mentis suæ imbecillitati immensam illam, & ineffabilem subiiciunt substantiam. Quæ importuna curiositas sapientibus fugienda est. Neque enim qui percunctantur *Quomodo?* id scient; & à vera excident fide. Ita Chrysostomus.

Particula quomodo, nõ est firmiter credentium.

B

Ioan. 3. NISI *quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Quoniam verba summi magistri non intellexerat discipulus Nicodemus, clariùs rem exponit, & de qua natiuitate & generatione loquatur, aperit magister: Nõ loquor, inquit, Nicodeme, de natiuitate carnali, qua homo ex ventre oritur matris. Fieri enim non potest, vt hac natiuitate homo iam natus denuò nascatur. De natiuitate loquor spiritali, qua homo ex aqua in baptismo, & ex Spiritu sancto renascitur. Nisi quis renatus fuerit hac natiuitate, quæ per aquam & Spiritum sanctum fit, nec potest in regnum Messiæ, id est, Ecclesiam introire, nec vitam æternam consequi. Manifestũ iam est de quanam natiuitate Christus loquatur, illis verbis: *Nisi quis renatus fuerit, non potest introire in regnum Dei.* Videlicet, de natiuitate loquitur baptismali. In baptismo renascitur homo, fitque Dei filius; renascitur, inquam, non carnali, sed spiritali natiuitate & generatione. Est enim duplex natiuitas, siue generatio; carnalis, qua ex vtero matris nascimur; & spiritalis, qua ex aqua & Spiritu sancto in baptismo renascimur. De hac duplici natiuitate illa verba intelligũtur: *Dedit eis potestatẽ filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine eius: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Dedit Deus hominibus potestatem, vt filij Dei esse possint, cùm baptismum instituit, per quem filij Dei fiunt. Fiunt autem filij Dei non per generationem carnalem ex sanguinibus, & viri, ac carnis voluntate: sed per generationem, cùm ex Deo in baptismo, & ex aqua nascuntur.

C

D

Ioan. 3. *Ibidem.*

Duplex natiuitas hominis, carnalis, & spiritalis. Ioan. 1.

Ex his verbis aperte colligitur baptismi necessitas. Est plane necessarius, vt regnum Dei consequi possint tam ij, qui rationis vsu iam præditi sunt, quàm infantes, qui illo carent. Oportet enim nasci denuò eum, qui regnum cæleste est ingressurus, siue ætate proiectus, siue infans sit. Carnali nascimur natiuitate Adami filij, peccatumque trahimus originale, quod regni cælestis aditum obstruit. Opus est spiritali natiuitate, qua ex Spiritu renascamur filij Dei: quæ tum originale, tum reliqua omnia peccata deleat, cælestesque fores aperiat. Hinc illud D. Fulgentij in libro de Fide ad Petrum, capite 3. Ex illo, ait, tempore, quo Saluator noster dixit, *Si quis renatus non fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, absque Sacramento baptismatis, præter eos qui in Ecclesia sine baptismate pro Christo sanguinem fundunt, nec regnum cælorum potest quisquam accipere, nec vitam æternam, &c.

Baptismus necessarius ad cõsequẽdum regnũ cælorum.

Fulgen.

E

Sed numquid post hæc verba Christi, quæ exposimus, necessarius omnino fuit baptismus? quod videtur sentire D. Fulgentius. Respondemus, Christum his verbis noluisse protinus irritã facere circumcisionem, omnesque homines ad baptismum statim suscipiendum præcepto obstringere: sed baptismi

An baptismus statim post hæc verba Christi fuerit necessarius.

ptiſmi neceſſitatē demonſtraſſe. Quæ tamen vſque ad paſſionem præcepti vim non habuit. Etenim ante Chriſti paſſionem neminem baptiſmi lex deuinxit. Eumdem in modum de Euchariſtia dixit: *Ioan. 6.* *Niſi māducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*: nec tamen ſtatim recipiendæ Euchariſtiæ præcepto homines obſtrinxit. Siquidem nondum auguſtiſſimum illud ſacramētum erat inſtitutum, cùm hæc verba à Chriſto dicta ſunt. *Hugo.* Lege Hugonem Victorinum lib. 2. de Sacramentis, part. 6. cap. 5. Quando, inquit, Chriſtus Nicodemo dixit: *Niſi quis renatus fuerit*, &c. amico reuelatum eſt conſilium. Quādo verò poſtea dixit: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos*, &c. informandis omnibus expoſitum eſt præceptum, &c. Conſilium ergo erat baptiſmum ſuſcipere ante Chriſti paſſionem, non præceptum. Lege etiam Bernardum epiſtola 77. ad ipſum ſcripta Hugonem hac de re.

Obiicies: is qui baptiſmi ſalutari aqua cupit expiari, nec tamen poteſt, ſummoque peccatorum dolore affectus, è vita diſcedit, in regnum Dei ingreditur: ergo non omnino eſt neceſſarius baptiſmus ad conſequendum cælorum regnum. *Baptiſmus in voto.* Reſpondemus, illum quidem hominem regnum Dei conſequi, quia cum cōtritione baptiſmum, etſi nō re ipſa, tamē in voto habuit; quo modo verba Chriſti ſunt intelligenda, hoc ſenſu: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto*; re ipſa ſi poteſt, ſi verò non poteſt, in voto. *Syn. Trident.* Vnde Synodus Tridentina ſeſſ. 6. cap. 4. Tranſlatio, inquit, ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei, per ſecundum Adam IESVM Chriſtum Saluatorem noſtrum, poſt Euangelium promulgatum, ſine lauacro regenerationis, aut eius voto, fieri non poteſt. *Ioan. 3.* Sicut ſcriptum eſt: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Hæc Synodus. *Baptiſmus ſanguinis.* Similem in modum is etiam in regnum cælorū ingredietur, qui pro Chriſto mortem ſubit, quamuis baptizatus non ſit: quoniā martyrium vim obtinet baptiſmi. D. *Auguſt.* Auguſtinus lib. 13. de Ciuitate Dei, cap. 7. Quicumque, inquit, etiā non percepto regenerationis lauacro, pro Chriſti confeſſione moriuntur; tantùm eis valet ad dimittenda peccata, quantùm ſi abluerentur ſacro fonte baptiſmatis. *Ioan. 3.* Qui enim dixit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum cælorum*: alia ſententia iſtos fecit exceptos, vbi non minùs generaliter dixit: *Matth. 10.* *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis* *Matth. 16.* *eſt*. Et alio loco: *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam.* Hæc Auguſtinus. Non tamen ita exceptos intelligas Martyres ab his Dei verbis: *Niſi quis renatus fuerit*, &c. vt ſi facultas adſit baptiſmi ſuſcipiendi, illum ſuſcipere non debeant: eius enim lege tenentur. Lege Damaſcenum lib. 4. cap. 10. Tertullianum in lib. de Baptiſmo, capit. 16. Cyprianum de laudibus Martyrij, & epiſt. 73. Collige igitur, neminem in regnum cælorum ingredi poſſe, niſi per baptiſmum aquæ renaſcatur, vel per baptiſmum flaminis, aut ſanguinis. *Tria genera baptiſmatis, aquæ, flaminis, & ſanguinis.* Tria enim hæc baptiſmatis ſunt genera, vt docet D. Thomas 3. part. quæſt. 66. art. 11.

Collige præterea ex verbis Chriſti effectum baptiſmi. Hominem enim ita abluit, vt regnum cæleſte, in quod, vt dicitur, *Nihil ingredi poteſt inquinatum*, ſtatim intrare poſſit. *Apoc. 21.* Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, in regnum Dei non poteſt intrare; quòd ſi renatus fuerit, neque peccato ſe aliquo inquinarit, ſtatim introibit. *Baptiſmus inducit hereditatem.* Quia enim renaſcitur filius Dei, Patris cæleſtis hereditatem cæleſtem, niſi impedimentum aliquod oppoſuerit, ſtatim adibit. Rogabis, an per circumciſionem Iudæi olim, lege ſtante, renaſcerentur. Reſpondemus, renatos olim Iudæos per circumciſionem, quatenus renaſcentia ſignificat ex peccati ſtatu in gratiam per primum ſacramentum tranſlationem. Nam Iudæi per circumciſionis ſacramentum in gratiam transferebantur, & filij Dei efficiebantur. At renaſcentia baptiſmi plus aliquid indicat; nimirum ſtatum filiorum Dei. Per circumciſionem renaſcebantur Iudæi in ſtatum ſeruorum, non in ſtatum filiorum. Status enim legis veteris ſeruorum erat, vt iam 1. tomo docuimus, non filiorum. Per baptiſmum renaſcuntur Chriſtiani filij Dei, & in ſtatum filiorum Dei. Legis ſiquidem nouæ ſtatus filiorum Dei eſt. Quòd ſi obiicias: multi Iudæi gratia prædi-ti, & filij Dei erant: ergo ſtatum filiorum Dei habuerunt. Reſpondetur, fuiſſe quidem multos filios Dei, ſed ſtatum legis fuiſſe ſeruorum, non filiorum. Lege quæ tomo 1. diximus. Iis adde, Iudæos ſub lege veteri non fuiſſe vi legis renatos; Chriſtianos verò vi baptiſmi gratiam continentis renaſci in filios.

An Iudæi olim per circumciſionē renaſcerentur.

Status legis nouæ filiorū Dei eſt.

QVOD *natum eſt ex carne, caro eſt: & quod natū eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt.* Duplicem indicat Dominus eſſe generationem & natiuitatem, alteram carnalem, alteram ſpiritalem: per carnalem naſci homines carne conſtantes, per ſpiritalem renaſci homines ſpiritus participes. Non loquor, inquit, ô Nicodeme, de carnali generatione, ſed de alia multò præſtantiori & ſpiritali. Quod natum eſt ex carne, caro eſt: hoc eſt, filij, qui ex homine carne conſtante oriuntur, etiam carne conſtant: ſimiles enim ſunt filij parentibus. Eumdem in modum, quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt: hoc eſt, qui renaſcuntur ex Spiritu ſancto per baptiſmum, ſunt ſpiritales. Reſpondent ſuo principio & cauſſæ effectus vtriuſque generationis. Caro generat; caro naſcitur. Spiritus in baptiſmate regenerat: ſpiritus, id eſt, ſpiritalis filius, renaſcitur. Caro generans, carnale & humanum eſſe donat: ſpiritus regenerans, eſſe largitur diuinum gratiæ ac ſpiritale. Itaque ne mireris, Nicodeme, quia dixi tibi: *Oportet vos naſci denuò*: non enim de generatione carnali, ſed de ſpiritali dixi. Sicut neceſſe eſt, ait D. Cyrillus in Ioan. carnem eſſe, quod ex carne natum eſt: ſimiliter quod ex ſpiritu natum eſt, ſpiritus eſt. Vniuerſa verò quorum eſſendi ratio diuerſa eſt, generationis quoque modum habent diuerſum, &c. Et D. Baſilius homil. de Baptiſmo; Dicit Dominus: *Quod natum eſt ex carne, caro eſt: & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt*: vt carnalis natiuitatis ſerie, exempli vice propoſita, ex re manifeſtiori pietatis dogma diſcamus. Scientes quòd quemadmodum quod ſecundùm carnem natum eſt ex aliquo, tale eſt, quale id ex quo natum eſt; ita & nos ex ſpiritu natos, ſpiritum fieri, &c.

Ioan. 3. *Duplex generatio, carnalis & ſpiritalis.*

Ex carne homo naſcitur carnalis, ex ſpiritu, ſpiritalis.

Cyril.

Baſil.

Ex hoc loco collige hominis generationem, ſiue natiuitatem per baptiſmum, eſſe ſpiritalem: nouumque, ac ſpiritale eſſe in baptiſmo à Deo recipi. Ne tamē exiſtimes hominem ex ſpiritu naſci, quòd Spiritus ſanctus ſuam illi naturam diuinam communicet, quemadmodum homo filio ſuam humanam impertitur: ſed quòd communicet ei ſua dona, & gratiam, *per quæ diuinæ ſit conſors naturæ*, vt loquitur D. Petrus. D. Cyrillus in Ioan. lib. 2. capit. 43. Natum, inquit, ex ſpiritu, ſpiritū hominis dicimus; non quia ex eo ſecundùm naturam eſt: ſed quia per ipſum ad Deum reformati, ac proprio eius charactere inſigniti, ad ſuam, vt ſic dixerim, qualitatem animo trāsformamur, &c. D. Baſilius in homilia de Baptiſmo: Spiritus, inquit, efficimur, non ſecundùm immenſam illam, & humano ſenſui incomprehenſibilem Spiritus ſancti gloriam, ſed ſecundùm eam, quæ in diuiſione chariſmatum Dei per Chriſtum vnicui-

Generatio per baptiſmū ſpiritalis qualis ſit.

1. Pet. 2.

Cyril.

Baſil.

vnicuique ad vtilitatem facta,& in illorũ omnium operatione per ænigma conſpicitur, &c. D. Chryſoſtomus homil. 25. in Ioannem : Natiuitatem, inquit, hoc loco intelligit Dominus, non ſecundùm ſubſtantiam, ſed ſecundùm honorem & gratiam, &c. Theophylactus; cùm dicit Dominus: Quod natum eſt ex ſpiritu,ſpiritus eſt: per ſpiritum ſpiritalem intelligere debes. Neque enim ſpiritus diuinus fit baptizatus: ſed cùm adoptionem filiorum in ſpiritu,& gratiam,& honorem ſuſceperit, ſpiritualis eſſe meretur, &c.

Chryſoſt. *Theoph.*

Aliter Filius vnigenitus, aliter homines ex Deo naſcũtur.

Naſcuntur homines ex Deo, naſcitur & ex Deo Filius Dei vnigenitus. Sed longè diuerſa ratione. Naſcuntur homines ex Deo, non ſecundùm ſubſtantiam, vt ait Chryſoſtomus, ſed ſecundùm gratiam : at Verbum æternum naſcitur ex Deo, non ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm ſubſtantiam.

Christus à Patre accipit per generationẽ naturam, nos gratiam.

Eamdem enim habet ſubſtantiam, quam Pater habet, ab ipſo Patre acceptam per æternam generationem. Ideoque Filius eſt naturalis: nos verò filij efficimur in baptiſmo non naturales Dei, ſed adoptiui. Quia non ſubſtantiam naturæ, ſed gratiam accipimus.

An Christus ſecundũ humanã generationẽ natus ſit ex Spiritu S.

Præter natiuitatem diuinam habet Chriſtus natiuitatem humanam: quæret ergo aliquis, num ſecundùm hanc natiuitatem humanam natus ſit ex ſpiritu. Reſpondebitur,opera Spiritus ſancti & conceptum , & natum ſecundùm humanam natiuitatem. Vrgebit: Quomodo ergo verũ illud eſt Chriſti: *Quod natum eſt ex ſpiritu,ſpiritus eſt?* Chriſtus enim ſecundùm humanam natiuitatem natus eſt ex ſpiritu,& tamen carne conſtat. Reſpondet D. Chryſoſtomus homil. 25. in Ioannem: Chriſti caro non ab ſpiritu tantùm parta eſt,ſed etiam à carne. Quod Paullus ſignificat,cùm ait: *Factum ex muliere.* Spiritus carnem Chriſti formauit,non tamen ex nihilo, ſed ex carne virginali. Hæc ille. Præterea Chriſtus de natiuitate loquitur ſpiritali; illa autem Chriſti generatio,& natiuitas ſecundùm carnem fuit,ſupplente Spiritu ſancto, diuina potentia, id quod ſemen in generatione humana efficit ; & corpus Chriſti ex Virginis Deiparæ ſanguinibus puriſſimis efformante.

Chryſoſt. *Gal. 4.*

An Chriſtus ex Spiritu ſit natus ſecũdùm gratiã naturata & ſpiritali.

Præterea rogabit,Natúſne ſit Chriſtus,quâ homo eſt, ex Spiritu, non ſecundùm ſubſtantiam, ſed ſecundùm gratiam. Reſpondebitur affirmanter. Nam Chriſtus, quâ homo, ſummã ab Spiritu ſancto gratiam, omniaque diuina chariſmata accepit; atque adeò ſecundùm gratiam, non ſecundùm ſubſtantiam,quâ homo,natus eſt ex Spiritu,natiuitate ſpiritali. Inferes; ergo Chriſtus, quâ homo eſt, dicetur Filius Dei adoptiuus propter hanc natiuitatem, quemadmodum & nos dicimur. Hęc illatio neganda eſt,quoniam Chriſtus Filius eſt Dei naturalis: filio autem naturali repugnat adoptio. Lege diuum Thomam 3.p.quæſt.23. artic.4.

Ioan. 3.

SPIRITVS *vbi vult ſpirat.* Solent præceptores quod docent obſcuriùs ſimilitudine aliqua perſpicuum reddere. Sic Chriſtus cæleſtis præceptor ſimilitudine propoſita Nicodemum docet, natiuitatem ſpiritalem, qua ex ſpiritu naſcimur, non cadere in aſpectum, quemadmodum cadit carnalis, ſed mente ac fide eſſe comprehendendam. Similitudo autem à vento petita eſt. *Spiritus*, inquit, ô Nicodeme, id eſt, ventus, *vbi vult ſpirat*, id eſt, liberè, nemine impediente,omnes orbis partes perflat. *Et vocem eius*,id eſt,ſtridorem,ſonitum,& ſibilum eius audis: tribuitur enim vox vento, quemadmodum & tonitruo. *Vox Domini in virtute*,id eſt,tonitruum. *Sed neſcis vnde veniat,& quò vadat*; id eſt, non cernis illum,& ignoras vndénam oriatur,ex quóve certo loco excitetur:ignoras item quò pergat,quæque loca petat. *Sic eſt omnis qui natus eſt ex ſpiritu*; quod attinet ad ſpiritalem natiuitatem. Nam quemadmodum venti productio; ſic hominis ſpiritalis generatio, ignota eſt. Quemadmodum auditu ventus, non viſu agnoſcitur : ſic hominis ſpiritalis natiuitas,auditu fidei,non oculis percipitur.

Ioan. 3. *Primus ſenſus.* *Pſal. 28.*

An ſpiritus hoc loco ſigni ficet vẽtum.

Refutabis hanc explanationem. Primò, quòd ex ea ſequatur Chriſtum ſpiritum pro Spiritu ſancto accipere, & pro vento; atque adeò æquiuocè. Secundò,quòd ventus voluntate careat,nec illi illud conuenire poſſit. *Spiritus vbi vult ſpirat*. Tertiò,quia venti vox non auditur: non enim vocem habet. Quartò,quia ſcimus vnde ventus veniat,ſcilicet ab Aquilone, vel ab Auſtro : & quò vadat, quemque curſum teneat. At Dominus ait : *Neſcis vnde veniat ſpiritus,aut quò vadat*. Reſpondemus,non mirũ eſſe, ſi tum pro Spiritu ſancto, tum pro vento Chriſtus ſpiritum accipiat ; cùm ſignificet ventum & Spiritum ſanctum in diuinis litteris. Voluntatem autem vẽto tribuit metaphoricè ; vox verò ſonum ſignificat. Quòd ſi venti curſum,locaque, à quibus ſpirat, nouimus,Septemtrionem vel Auſtrum : tamen determinata,certaque loca,vnde flare incipit, aut vbi deſinet, ignoramus.

Chryſoſt.

De vento autem hunc locũ interpretatur Chryſoſtomus homil.25. Senſus, inquit,eſt, quòd quemadmodum ventus non videtur, ſentitur tamen : ita ſpiritalis generatio corporeis oculis non comprehenditur,&c. D.item Cyrillus: Exemplis & figura in cognitionem Nicodemus ducitur. Spiritus hic aëreus per orbem perflat, & ſolo adeſſe ſono cognoſcitur, nec vlli cernitur: ſed tenuiſſima aura humana corpora tangens, operationis ſuæ imprimit ſenſum. Sic igitur à paruis ſpiritalem regenerationem intellige,ſicut in imagine quadam: in rei ſenſibilis ſimilitudine inſenſibilia collige, &c. Theophylactus quoque: ſenſibili exemplo Nicodemum docere tentat Dominus. A vento,inquit,diſce maiora. Si ventum, qui ſpiritus eſt,ſenſibus ſubiectus ignoras,quomodo,& quò ſpiret: quomodo regenerationem à diuino Spiritu curioſiùs inquires ? &c. Euthymius etiam in hac eſt ſentẽtia,& auctor quæſtionum noui Teſtamenti, quæ in tomo 4. Auguſtini exſtant,quęſtione 59. Quomodo vox,inquit,venti auditur,nõ videtur, ſic & ratio baptiſmi auditur, quòd dicatur;tamen quomodo per Spiritum fit,non videtur , &c. Præterea de vento locum intellexit Dionyſius Areopagita de cæleſti Hierarchia,cap.15. Habet,inquit,ventus diuinæ actionis imaginem ſecundùm naturalem mobilitatem,vimque animandi,& celerem,inſuperabilemque diſceſſum,& mobilium principiorum, atque finium incognitas nobis, atque inuiſibiles latebras. *Neſcis* enim, inquit Dominus, *vnde veniat,& quò vadat*,&c. Probat Dionyſius venti latebras nobis eſſe incognitas hoc Chriſti teſtimonio. De vento ergo intellexit Chriſtum loqui.

Chryſoſt. *Cyril.* *Theoph.* *Euthym.* *Dionyſ. Ar.* *Ioan. 3.*

De Spiritu S. hæc verba Aug. interpretatur.

De Spiritu ſancto interpretatur hæc eadem verba. D. Auguſtinus,tract.10. in Ioannem: Nemo, inquit,vidit ſpiritum; & quomodo audimus vocem ſpiritus? Sonat Pſalmus, vox eſt ſpiritus : ſonat Euangelium,vox eſt ſpiritus:ſonat ſermo diuinus,vox eſt ſpiritus. *Vocem eius audis, & neſcis vnde veniat, & quò vadat*. Sed ſi naſcaris & tu de ſpiritu, hoc eris: vt ille,qui non eſt adhuc natus de ſpiritu, non ſciat de te vnde venias,& quò eas,&c. Eſt Auguſtini ſenſus:Spiritus ſanctus vbi vult ſpirat, & audis vocem eius,cùm ſermonem diuinum audis : neſcis tamen vnde Spiritus ſanctus veniat, & quò vadat. Similis eſt Spiritui ſancto, qui ex ſpiritu oritur: nam ij, qui ex ſpiritu non ſunt nati, neſciunt vnde veniat is qui ex ſpiritu natus eſt,& quò vadat,id eſt, neſciunt

ſpiritum vnde natus eſt, neſciunt illum in cęleſtem patriam tendere. Diuus etiam Gregorius: Bene, inquit, per Ioannem dicitur: *Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, ſed neſcis vnde veniat, aut quò vadat.* Vocem enim ſpiritus audire, eſt vi compunctionis intimæ in amorem conditoris aſſurgere. Sed nemo ſcit vnde veniat; quia ignoratur per ora prædicantium quibus ſe ad nos occaſionibus fundat. Et nemo ſcit quò vadat: quia cùm vnam prædicationem multi audiunt, intelligi non poteſt, quem deſerens abiiciat, aut cuius ingrediens in corde requieſcat, &c. Item, Spiritum ſanctum vbi vult ſpirare, atque adeò verba hæc de Spiritu ſancto eſſe intelligenda cenſent diuus Gregorius Nazianzenus oratione quinta de Theologia, in fine, D. Ambroſius libro 2. de Fide, capit. 3. D. Hilarius libro 2. de Trinitate, D. Athanaſius lib. 1. & 5. de Vnica Deitate Trinitatis. D. Baſilius libro 5. contra Eunomium, capite penultimo, Gregorius Nyſſenus in oratione de ſancto Baptiſmate.

Greg. l. 27. Mor. c. 13.

Caietani expoſitio.

Cardinalis item Caietanus de Spiritu ſancto exponit hunc in modum: *Spiritus ſanctus vbi vult ſpirat*: id eſt, propriam operationem, quæ eſt inſpiratio, exercet in quo vult. *Et vocem eius audis* per Prophetas, quos legis, Nicodeme, & per os meum. Nam vox Spiritus ſancti erant Chriſti dicta, & Prophetarum ſcripta. Sed tamen *Neſcis vnde veniat*; hoc eſt, ex qua ratione procedat in tale opus: *aut quò vadat*: hoc eſt, proprium finem, quem intendit per talem inſpirationem. Nam & rationes, inquit ille, propriæ diuinorum operum apud Deum ignotæ ſunt nobis, & proprij fines, quos intēdit. Præter hoc, quòd tam vltimus finis, quàm prima origo, procul eſt à ſcientia noſtra. *Sic eſt omnis qui natus eſt ex Spiritu*, id eſt, ſimilis eſt Spiritui ſancto, qui ex Spiritu ſancto renatus eſt: nam *vbi vult ſpirat*; quia non cogitur ab ſpiritu in operibus ſpiritualibus. *Et vocem eius audis* ab ſpiritu interno proficiſcentem: ex abundātia enim cordis os loquitur. *Et neſcis vnde veniat, aut quò vadat*; quia euidenti cognitione non cognoſcis diuinum principium vnde viuit is, qui natus eſt ex ſpiritu, & diuinum terminum, quò vadit.

Toleti Cardinalis expoſitio.

Cardin. quoque Toletus exiſtimat, Chriſtum hoc loco ſignificare renatum ex Spiritu ſancto, ſimilem eſſe Spiritui ſancto; videlicet, quia quemadmodum Spiritus ſanctus vbi vult ſpirat; ita renatus ex Spiritu ſancto liberè operatur, libertatemque aſſequitur à ſeruitute peccati. Quemadmodum vocem ſpiritus audis, & ſpiritum non cernis; ita vocem audis, operaque mirabilia renatorum ex Spiritu ſancto vides: ſed dona Spiritus ſancti interna non intueris. Quemadmodum neſcis vnde veniat, aut quò vadat Spiritus ſanctus, hoc eſt, neſcis vias, conſilia & iudicia Spiritus ſancti; ita neſcis renatorum vias, cogitationes, deſideria, fines, intentiones, niſi eodem Spiritu ſancto ſis prædituſ.

Auctoris interpretatio.

Meliùs ſic interpretaberis: Spiritus ſanctus, Nicodeme, *vbi vult* liberè *ſpirat*; *& vocem eius*, id eſt, inſpirationem, *audis*; tamen *neſcis vnde veniat, aut quò vadat. Sic ſe habet omnis, qui natus eſt ex ſpiritu.* Quemadmodū ignotus eſt tibi Spiritus ſanctus: ſic ignotus tibi eſt homo ſpiritu regeneratus, eiusque regeneratio. Fide percipitur Spiritus ſanctus; fide quoque agnoſcitur hominis ex Spiritu regenerati natiuitas, de qua ſermo habetur. Præter ceteros iam citatos Lyranus & Carthuſianus de Spiritu ſancto locum exponunt. Ianſenius & Titelmānus de vento; quæ explanatio mihi magis placet, quia ſimplicior eſt, & pauciores habet ſalebras, vt rem expendenti planum fiet.

De ſpiritu humano interpretatio.

Poteſt etiam locus intelligi de ſpiritu humano, in hunc ſenſum: Spiritus hominis, ſiue animus, *vbi vult ſpirat, & vocem eius audis.* Hoc eſt, vbi vult, & quando vult ſpirat loquendo, & vocem ab eo efformatam audis. *Neſcis* tamen *vnde veniat* in corpus, *aut quò vadat* ex corpore egreſſus. Ignotus tibi eſt. Sic omnis qui ex Spiritu ſancto natus eſt, eſt ignotus, eiusque regeneratio.

Ioan. 3. Chryſoſt.

Tv *magiſter es in Iſrael, & hæc ignoras?* Chryſoſtomus: Non malitiæ, inquit, Nicodemum, ſed ſtultitiæ potiùs, & ſimplicitatis accuſat Dominus, &c. At verò neque malitiæ, neque ſtultitiæ videtur accuſare: nulla enim vel malitia, vel ſtultitia, in hac Nicodemi ignorantia poteſt reperiri. Myſterium Chriſtus loquebatur abſconditum, necdum hominibus, liçèt doctis, apertum; non igitur ſtultus, aut ſimplex is dicendus eſt, qui illud ignorabat. Verumtamen debuerunt Nicodemus, legisque doctores ſpiritalem hominis per gratiam regenerationem cognoſcere; idcirco Dominus: *Tu*, inquit, *magiſter es in Iſrael, & hæc ignoras?* Ignoras homines renaſci per gratiam? Spiritalem eſſe regenerationem diuerſam à carnali neſcis? Nónne Iudæi, qui gratia prædíti ſunt, filij Dei ſunt? per quam ergo generationem & natiuitatem naſcuntur ex Deo? nónne per ſpiritalem? Nónne, Nicodeme, magiſter in Iſrael, Scripturam ſacram legis? *Effundam*, ait Dominus, *ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris. Et dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum ponam in medio veſtri*, &c. En tibi baptiſmi aquam, en tibi Spiritum, en tibi ſpiritalem natiuitatē ex ſpiritu, de qua loquor. Eiuſdem Ezechiel. c. 37. aquarū mentio fit vitaliū: *Viuent*, inquit, *omnia, ad quæ venerit torrens: & ſuper torrentem orietur in ripis eius, ex vtraque parte, omne lignum pomiferum: aquæ de ſanctuario egredientur*, &c. Et: *In illa die erit fons patens domui Dauid*, &c. En tibi aquas baptiſmi vitales, en fontem, quem ignoras magiſter in Iſrael, in quo ſpiritaliter homines renaſcuntur.

Ioan. 3.

Ezech. 36. Scriptura, qua de ſpiritali regeneratione loquuntur.

Ezech. 37.

Zach. 13.

CAPVT II.

De colloquio Chriſti cum Nicodemo.

Quod *ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur.* Numquam puer litteras diſcet, ſi præceptori fidem non habuerit: numquam homo diuina myſteria percipiet, ſi Deo non crediderit. Celſiſſima enim ſunt Dei myſteria, humanum captum longè ſuperantia. Fidem exigit ſummus Magiſter à diſcipulo Nicodemo; vt autem habeat fidem, oculatum ſe doctrinæ, quam tradit, teſtē eſſe profitetur. *Quod ſcimus*, inquit, *loquimur, & quod vidimus teſtamur.* Nihil, Nicodeme, dubiū, nihil ex opinione collectum doceo; quæcumque doceo certiſſima ſcientia cognoſco, cui falſitas ineſſe nullo modo poteſt; nihil doceo, quod non ſit mihi perſpectum. Quod enim vidi, hoc teſtor.

Ioan. 3.

Fide opus eſt ad cognoſcēda diuina myſteria.

Ioan. 8.

Nouerat Chriſtus omnia fidei myſteria, vt Deus, ſcientia æterna atque diuina; præterea, vt homo, ſcientia beata, & ſcientia indita clariſſimè eadem agnoſcebat. Quod ſciebat loquebatur, quod videbat teſtabatur. In nobis obſcura fides eſt; in Chriſto erat clariſſima ſcientia. Fides in illo locum non habuit. Quoniam fides obiectum poſtulat minimè conſpectum: illi autem omnia obiecta erant perſpectiſſima. Vtitur numero plurali. *Quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur*: modeſtiæ gratia, vel vt tres ſanctiſſimæ Trinitatis perſonas ſubindicet. Vnde diuus Cyrillus: Quoniam, inquit, Saluator Patrem ac Spiritum ſanctum in ſe ipſo naturaliter habet, plurali numero perſonas teſtantium protulit, &c. Et Rupertus: Non ait Dominus: Quod vidi,

Chriſti ſcientia.

Chriſtus teſtis oculatus eorum quæ docebat, & fidem non habuit.

Rupert.

vidi, hoc testor; sed quod vidimus testamur, se ipsum, & Patrem intelligi volens, &c. Neque verò illam probo interpretationem, qua hæc verba de cunctis bonis testibus exponũtur, hoc pacto: *Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur.* Hoc est, qui testes fideles sumus, non solemus testari nisi ea quæ scimus, quæque vidimus. Quare ex eo quod vides, ô Nicodeme, me hoc testari tam constanter; existimare debes, me certò scire quod testor. Humilis enim interpretatio est, dum Christum ceteris testibus de quibuscumque rebus testimonium ferentibus adnumerat: nec satis Christi proposito conuenit. Multo satiùs est dicere, Christum numero multitudinis vti pro singulari, vt sæpe facimus. Quòd si aliis locis non sic loquitur, refert parum.

Ioan. 3. ET *testimonium nostrum non accipitis.* Dignus sanè est testis oculatus cui fides habeatur. Ideo Dominus de Iudæis conqueritur, quòd sibi oculato testi non credant: Oculatus, inquit, sum testis, & testimonium meum non accipitis. Non videtur loqui de Nicodemo, qui ad Christi testimonium accipiendum venerat; sed de aliis. Non enim puto Nicodemum fuisse incredulum, & Christi testimonium non accepisse: sed Christi verba, quæ illo tempore adhuc obscura erant, non intellexisse.

Ibidem. Theophylactus: Hæc verba, inquit, *Testimonium nostrum non accipitis*, dicit Dominus, non ad Nicodemum, sed ad genus Iudæorum, qui vsque in finem increduli fuerunt, &c. Dices, Christus permisceat Nicodemum reliquis Iudæis: *Testimonium*, inquit, *nostrum non accipitis.* Respondetur, permiscet quidẽ, sed eo modo, quo concionator permiscet improbis probos auditores, cùm, verbi caussa, sic loquitur: Vos Deum minimè diligitis, pœnitentiæ studiosi non estis, &c. Appellat Dominus doctrinam suam testimonium: *Testimonium*, ait, *nostrum non accipitis*; quoniam doctrinæ, vt diximus, erat testis oculatus, poterat testari omnia quæ docebat, quoniam videbat omnia. Dicitur etiam doctrina Christi testimonium; quoniam testimonio fidelis testis fides adhibetur, non scientia. Dei autem testimonio fides adhibenda est maxima, & absque vlla hæsitatione. Deo quis non credet?

Cur Christi doctrina dicatur testimonium.

Ioan. 3. SI *terrena dixi vobis, & non creditis; quomodo si dixero vobis cælestia credetis?* Faciliora, & terrena se docuisse ait Dominus, quibus tamen Iudæi fidem non habuerint: vnde colligi possit fore ad credendum difficiliores, si difficiliora & cælestia docuerit. Qui enim facilioribus fidem denegat, difficilioribus eamdem minimè tribuet. *Si terrena*, inquit, *dixi vobis* Iudæis, quæ sunt creditu faciliora; *& non creditis: quomodo si dixero vobis cælestia*, quæ sunt creditu difficiliora, *credetis?*

Quanã appellet Christus terrena, qua cælestia

Dubium est, quænam terrena, quæ cælestia Dominus appellet. D. Chrysostomus spiritualem per baptismum natiuitatem terrenam appellari existimat; cælestia, verbi diuini generationem æternam. Hoc sensu, si de terrena per baptismum generatione loquenti fidem non habetis: quomodo, si de mea æterna generatione loquar, fidem tribuetis? Terrenum, ait Chrysostomus, baptismum Christus dicit: vel quia in terra perficitur; vel quia ad sui ipsius ineffabilis generationis comparationem ita appellat. Nam etsi cælestis ipsa generatio sit, ad illam tamen ex Patris substantia comparata, terrena est, &c. At de generatione spiritali per baptismũ cum Nicodemo tantùm (quod sciamus) Christus est locutus, qui verbis Christi fidem non denegabat: de multis verò loquitur, qui non crediderunt: *Si terrena*, inquit, *dixi vobis, & non creditis*; non ergo terrenam appellat spiritalem per baptismum generationem. Est alia huiusmodi interpretatio. Si terrena dixi vobis, id est, si terreno modo, & terrestri exemplo explicatam generationem spiritualem, & cælestem tibi proposui, & non credis: quomodo, si nude, & absque exemplo terreno loquerer, crederes? hoc sensu terrena dicuntur, ea quæ terreno modo explicantur, etsi sint cælestia. Non placet sensus. Loquitur enim Dominus non de modo loquendi, sed de rebus ipsis terrenis & cælestibus.

Chrysost.

Ioan. 3.

Auctoris de terrenis & cælestibus sententia.

Existimo Christum loqui de doctrina, quam Ierosolymis Iudæos docuerat illis diebus, antequam ad eum Nicodemus veniret. De rebus illa fuerat terrenis, quæ scilicet in terra geruntur, vt de virtutibus, de vitiis, & aliis huiusmodi: & fortè terrenis parabolis velata. Cælestia verò appellat mysteria celsiora de celsissima Trinitate, Verbi generatione, Spiritus sancti processione, de beatitudine, Deique conspectu, de Angelorum vita, aliisque huiusmodi, quæ in cælo existunt. Potest etiam locus explicari de doctrina hactenus tradita Iudæis etiam in Galilæa, de virtutibus, & similibus rebus, quæ in terra cernuntur.

Ioan. 3. ET *nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo Filius hominis, qui est in cælo.* Quoniam dixerat Dominus: *Quomodo si dixero vobis cælestia credetis?* nunc ostendit se posse cælestia dicere, & dicenti tribuendam fidem. Videlicet, quòd solus ipse in cælum conscenderit, & cælestia omnia fuerit contẽplatus. Simul etiam diuinitatem suam indicat: Quomodo, inquit, si quæ in cælo geruntur vobis nuntiauero, credetis? Atqui possem omnia vobis nuntiare quæ sunt, & aguntur in cælo. Nemo enim hominum in cælum hactenus ascendit, nemo, quæ in cælo sunt, aut fiunt, cernere potuit, præter Filium hominis, qui de cælo descendit, & in cælum conscendit, & in cælo semper est, omniaque cælestia clarissimè intuetur.

Ibidem. Quomodo nemo ascenderit in cælum nisi Christus.

Ait hoc loco Dominus: *Nemo ascendit in cælum nisi Filius hominis*; ergo nullus homo præter Christum ascendit in cælum. Attamen perspicuum est multa animarum millia in cælum ascendere. Respondent diuus Augustinus, diuus Thomas, & Beda, solum Christum in cælum ascendisse cum suis membris, id est, viris iustis. Est sensus ex eorum sententia: *Nemo ascendit in cælum nisi Filius hominis*; videlicet caput cum suis membris caritate præditis, & viuentibus. Verùm aduerte verbum *Ascendit* non esse præsentis temporis, sed præteriti, vt cõstat ex Græco fonte, ἀναβέβηκεν. Ad illud verò vsque tempus nullus hominum in cælum ascenderat. Sensus ergo est: Nemo hactenus hominum in cælum ascendit, nemo quæ geruntur in cælis vidit; vt ea possit in terris nuntiare. Ego ex hominibus solus in cælũ ascendi; quæ ibi aguntur solus ex hominibus video, & nuntiare possum. Simile est illud: *Deum nemo vidit vnquam. Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Hinc constat antiquos Patres, qui ante Christum obiere, in cælum non ascendisse. Constat etiam Eliam raptum esse in cælum, non quidem Empyreum, sed aëreum, curru igneo. Nemo enim ante Christum in cælum ascendit.

Ioan. 1.

Quomodo Christus dicat se in cælum ascendisse.

Dubium est, quanam ratione dicat Christus hoc loco se in cælum ascendisse: *Nemo*, ait, *ascendit in cælum nisi Filius hominis, qui est in cælo*; id est, nemo ascẽdit præter me, qui in cælum ascendi. Atqui Christus nondum in cælum ascenderat secundùm humanitatem, cùm hæc verba protulit: diuinitati verò nec ascensio congruit, nec descensio. Doctus interpres negat Christum dixisse hoc loco se in cælum ascendisse. At immeritò negat. Nam ex particula illa excludente, *Nisi*, infertur. Si enim nemo ascendit nisi Filius hominis; rectè infertur; ergo Filius hominis ascendit. Caietanus, & alij respõdent, verbo ascendendi

dendi significasse Christum diuinæ essentiæ conspectum, quo anima illius beatissima fruebatur, hoc sensu: Nemo hominum hactenus in cælum conscendit, vt Deum videret, nisi Filius hominis. Is autem ascendit, quia Dei essentiam perspicuè cernit; ascendit, inquam, non ascensu corporeo, sed visione beatificante.

Respondemus, Christum dixisse, se in cælum ascendisse, propterea quòd id habebat, quod per ascensum comparatur. Per ascensum enim existentia in cælo comparatur. Christus autem secundùm diuinam naturam in cælo erat. Quocirca dixit: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo Filius hominis, qui est in cælo.* Ioan 3. Quasi dicat: Nisi Filius hominis, qui ascendit, quia est in cælo; id est, quia habet id quod per ascensum acquiritur; quamuis sine ascensu habeat.

Diuina natura quomodo ascendere dici possit.

Præterea dici poterat diuina Christi natura ascendere quodammodo; quia omnia complebat, & à terra in cælum vsque pertingebat, ascendebatque quodammodo sine vllo motu. Quem in modum dicimus aërem ascendere vsque ad ignem; & ignem ascendere vsque ad cælum, quoniam aër ignem, & ignis cælum pertingit. Erit itaque sensus: *Nemo ascendit in cælum nisi Filius hominis:* qui secundùm diuinam naturam sine vllo motu ad cælum vsque pertingit, & in cælo est. Denique metaphoricè dicitur Deus ascendere, & descendere. *Quis ascendit in cælum, atque descendit? quis continuit spiritum in manibus suis?* Prou. 30. &c.

Duæ in Christo naturæ & vnum suppositum diuinum. August.

Verba illa, *Filius hominis, qui est in cælo*, diuinam Christi naturam indicant, secundùm quam Christus in cælo erat eo tempore, quo in terris versabatur. Indicat præterea vnum tantùm in Christo esse diuinum suppositum. Quod obseruat Augustinus tract. 27. in Ioannem: Quo pertinet, inquit, hoc, nisi vt intelligamus vnam personam esse Christum, Deum, & hominem, non duas: ne fides nostra non sit Trinitas, sed quaternitas? In cælo erat quando in terra loquebatur; sic erat Filius hominis in cælo, quemadmodum Filius Dei erat in terra. Filius Dei in terra in susceptа carne, Filius hominis in cælo in vnitate personæ. Ita Augustinus. Et ser. 14. de verbis Apostoli, cap. 9. In terra erat, & in cælo se esse dicebat. Et, quod est maius, in cælo Filium hominis; vt vnam demonstraret in vtraque natura personam, &c. Et Theophylactus in Ioannem: Cùm audieris, inquit, Filium hominis descendisse de cælo, ne existimes quòd caro è cælo descenderit: hoc enim Apollinarius docuit, quòd Christus habuerit corpus de cælo, quod per Virginem tamquam per canalem transierit. Verũ quia vna hypostasis, id est, vna persona Christus ex duabus naturis constituta est; ideo quæ sunt hominis dicuntur de Verbo; & ea quæ sunt Verbi attribuuntur homini. Sic & hoc loco Filius hominis dicitur descendere de cælo, eò quòd vna sit persona, & vna hypostasis, &c.

In vna persona Christi natura diuina & humana. *Theoph.*

Quomodo Filius hominis dicatur descendisse de cælo.

Illud præterea vocari potest in quæstionem; secundùm quam naturam Filius hominis descendisse dicatur. Nam secundùm humanam non descendit de cælo: non enim humanitatem attulit è cælo: diuina verò natura nec descendit, nec ascendit, quoniam motus capax non est. Respondemus dici Filium hominis è cælo descendisse, non quòd è cælo humanitatem attulerit, vt est perspicuum; sed quòd humanam naturam in terris è Virgine Deipara Verbum diuinum in cælo existens assumpserit. Non enim per localem motum, sed per incarnationem absque vlla diuinitatis mutatione descendit. Deũ itaque descendisse de cælo, est Deum, qui est in cælo, hominem factum esse in terra.

Ioan. 3. Typus ænei serpentis Christo accõmodatur.

ET *sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto: ita exaltari oportet Filium hominis, vt omnis, qui credit*, &c. Quoniam fides virtutum, Christianæque vitæ est fundamentum; hoc fundamentum in pectore Nicodemi iacit Dominus. De fide verba facit; de Iudæis conqueritur, quòd sibi oculato testi, qui cælestia omnia habeat exploratissima, non credant. Fidem exigit: sumptoque ex Mosaicis libris serpentis exaltati typo, necessariam ad salutem cõsequendam esse docet. Quemadmodum enim eos, qui serpentum morsibus exulcerati fuere, æneum serpentem aspicere oportuit, vt corporis salutem compararent: ita eos, qui tartarei serpẽtis morsibus, id est, peccatis, sunt vulnerati, Christum è Cruce pendentem viuentis fidei oculis intueri necesse est, vt animi salutem, æternamque vitam consequantur. Ait ergo Dominus: *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto: ita exaltari oportet Filium hominis.* Ioan. 3. Serpens in pertica est exaltatus, vt aspicientibus sanitatem afferret: Filius hominis exaltabitur in Cruce, *vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam*, id est, vt omnes, qui eum fidei viuentis oculis aspexerint, æternam mortem effugiant, æternam verò vitam assequantur.

Serpens æneus in cruce Iudæis præsëtatus. Num. 21. D. Iustin.

Typus hic serpẽtis ænei exstat in Num. *Fac serpentem æneum*, ait Dominus Moysi, *& pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, viuet*, &c. De eo plura dicemus in Morali. D. Iustinus in Apolog. 2. ad Antonium Imperatorem, ait Mosem æs sumpsisse, ex coque figuram crucis fecisse, fixisseque in sancto tabernaculo, & dixisse populo: Si figuram hanc respexeritis, & credideritis, eius vi salui eritis, &c. At verò ex Scriptura solùm habemus ex ære serpentem esse factum, non autem crucem; crucẽ factam crediderim ex ligno, atque in ea serpentem æneum collocatum pro signo. Fixam autem crucem in tabernaculo ait D. Iustinus.

Ioan. 3. Causa cur Deus Filiũ suum morti tradiderit.

SIC *enim Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in eum non pereat*, &c. Crucis acerbissimum quem subiit cruciatum, & aduentum suum in terras, vt hominibus pereuntibus opem ferret, significauit Christus verbis præcedentibus. Nunc caussam patefacit, cur Deus Filium in orbem miserit, & Cruci suffigi sit passus, vt homines tum ex peccati faucibus eriperet, tum æterna gloria bearet. Caussa amor fuit, non qualiscumque, sed maximus. *Sic enim Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ioan. 3. Perierant homines, vitam æternam amiserant: seruatore opus habebant, qui non homo solùm, sed simul etiam Deus esset. Summa permotus caritate ac misericordia Deus, summæ huic miseriæ succurrit: vnigenitum Filium suum hominibus totum tradidit, vt ij qui perierant, non perirent, & qui vitam æternam amiserant; amissam recuperarent. Amisit vitam temporariam vnigenitus Filius Dei, ne homines vitam amitterent æternam: Crucis cruciatus acerbissimos tulit, ne illi tartari cruciatus horrendos tolerarent. Cùm dignus esset mundus summo supplicio; affecit illum Deus summo beneficio. Cùm dignus esset odio; exhibuit illi amorem. Cùm iudicem eius scelera exposcerent, qui sceleratos damnaret; seruatorem Filium misit, qui seruaret. Sic nimirum dilexit Deus mundum; vt Filium suum vnigenitum daret, non seuerũ iudicem primo aduentu, sed mitem redemptorem. Mundum hoc loco homines appellat; ponitur per Metonymiam continens pro contento. Augustinus tract. 87. nomine mundi Ecclesiam vult intelligi, verbis sequentibus: *Non misit Deus Filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* *Amor Dei erga homines.* *Augst.* *Ioan. 3.*

ipsum. At præstat pro toto mundo, vel omnibus hominibus accipere: Venit enim Christus, vt omnes homines per ipsum saluarentur: pro omnibus enim mortem subiit. Lege diuum Augustinum.

Ioan 3. NON *enim misit Deus Filium suum in mundum, vt iudicet mundum: sed vt saluetur mundus per ipsum*. Potuit quidem Deus Filium suum in mundum mittere, vt mundum iudicaret, meritoque supplicio pro perpetratis sceleribus afficeret. Sed sic dilexit mundum, vt Filium suum illi daret, non condemnatorem, quod merebatur; sed seruatorem, quod planè non merebatur. Primas misericordia sibi vendicauit. *Non misit*, inquit Dominus, *Filium suum Deus in mundum, vt iudicet*, sententiaque sua condemnet *mundum*, etsi multorum criminum reum; *sed vt saluetur* reus *mundus per ipsum*. Prius ad seruandos homines venit Christus, quàm ad iudicandos; quia si prius ad iudicandos venisset, quàm ad seruandos, neminem quem seruaret inuenisset. Vt enim ait D. Chrysostomus homil. 27. in Ioannem: Si peccata iudicasset, omnes repente periissent. *Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei*, &c. Id est, indigent, vt in ipsis glorificetur Deus, iustitiam donans, & crimina remittens. D. Gregorius homilia 30. in Euangelia: Dei Filius iudex est generis humani; sed quis eius iustitiam ferret, si priùs, quàm nos per mansuetudinem colligeret, culpas nostras per zelum rectitudinis examinare voluisset? Prius voluit mansuete corripere; vt haberet quos postmodum in iudicio saluaret, &c.

Misericordia præcessit iudicium sequitur. *Rom. 3.* *Gregor.*

Augustin. Augustinus item tract. 36. in Ioannem: Si primò, inquit, venisset Christus iudicaturus; neminem inueniret, cui præmia iustitiæ redderet, &c. Et Psal. cuius initium est: *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine*. Non ait Vates, dicit Augustinus, iudicium & misericordiam cantabo. Nam si primò esset iudicium, nulla esset misericordia. Sed primò misericordia, postea iudicium. Quæ est primò misericordia? Creator hominis homo esse dignatus est. Factus est quod fecerat; ne periret, quem fecerat, &c. Chrysostomus hom. 27. in Ioannem: Duo sunt Christi aduentus, præteritus & futurus. Præteritus, non vt iudicaret, sed vt dimitteret; futurus contrà, non vt dimittat, sed vt iudicet. Propterea de præterito ait: *Non veni vt iudicem mundum: sed vt saluum faciam mundum*. Atqui & prior aduentus iudicij erat, secundùm iustitiæ rationem. Quoniam ante ipsum naturalis lex fuit & Prophetæ, lex scripta, & doctrinæ, & signa, supplicia, & alia plura, quæ nos admonuisse poterant, quorum ratio non iniuria fuisset exigenda. Sed immensa bonitate sua hæc non inquirit, sed parcit. Nam si peccantes iudicasset, omnes repente periissent. Hæc ille.

Psal. 100. *Prior aduentus in misericordia, posterior in iudicio.* *Chrysost.* *Duo sunt Christi aduentus, præteritus & futurus.*

Ruperti sensus. Rupertus aliter interpretatur, hoc modo: *Non misit Deus Filium suum in mundum, vt iudicet mundum*, id est, vt Rex sit mundi, iudicetque homines, vt Reges iudicant mundi: Contra carnalem, inquit, Iudæorum opinionem hoc intulit Christus; à quibus terrenum regnum, & carnale sæculum, Christo regnante, speratur affuturum, bellis & cædibus cruentum: Non, inquit, misit Deus Filium suum vt iudicet, vel vt disponat ea quæ in mundo sunt; sed vt iudicetur, & agat ea quæ salutis æternæ sunt, & cetera. Sed alius sensus est verior.

Christus nõ venit vt regnaret in terra instar Regum terrenorum.

Ioan. 3. Fidei viua vis. QVI *credit in eum, non iudicatur*. De fide adhuc agit Dominus, magnumque habere momentum docet Nicodemum, quippe quæ si viua sit, & cum caritate, bonisque operibus copulata, à iudicio damnationis hominem liberet. *Non venit*, inquit, *Filius Dei primo aduentu, vt mundum iudicet, & sententia sua damnet, sed vt seruet*. Neque verò existimes seruaturum omnes homines: seruabit enim non omnes, sed fide viua credentes. *Qui credit in eum* fide viua, is *non iudicatur* sententia condemnatoria: *Qui autem non credit iam iudicatus est, quia non credidit in nomine vnigeniti Filij Dei*. Vides, Nicodeme, fidei momentum & vim? Si igitur seruari, si iudicium damnationis effugere cupis, in me crede. De fide viua loqui Christum docet Euthymius: Qui legitimè, inquit, credit non iudicatur, vel, qui seruat etiam eius præcepta. Nam de his, qui tales non sunt, ait Apostolus: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant*. Hæc ille. Lege etiam Chrysostomum, quamuis alium sensum horum verborum sequatur. Videlicet: Qui credit non iudicatur propter incredulitatem, non damnatur, quòd non crediderit: sed propter peccata alia supplicio afficietur. Illud, inquit, dicit Dominus, propter hoc ipsum, quòd scilicet non crediderit, eum qui credit non iudicari, sed operum grauius postmodum supplicium daturum dicit. Infidelitatis autem causa, eò quòd semel credidit, non punitur, &c. Loquitur quidem Dominus de fide viua, cùm ait: *Qui credit in eum non iudicatur*; cùm autem adiicit: *Qui autem non credit, iam iudicatus est*: de eo loquitur, qui nullam fidem habet, sed infidelis est, & incredulus, vt Chrysostomus interpretatur.

Ioan. 3. *Euthym.*

Dubium est quid significet hoc loco verbum iudico, cùm Dominus ait: *Qui credit in me, non iudicatur: qui non credit, iam iudicatus est*. Respondetur, in iudicio hominis scelerati duos esse actus iudicis; discutere, & sententiam ferre. Discutit enim iudex acta rei, & sententiam fert, qua improbum hominem damnat. Quamobrem res iudicari dicitur, id est, iudicio subesse, cùm illius acta explorantur à iudice; dicitur etiam iudicari, cùm lata à iudice sententia damnatur. Vnde iudicium pro damnatione sumitur, vt apud Ioannem: *Procedent qui mala egerunt in resurrectionem iudicij*, id est, damnationis, & cetera. Iudicari verò idem significat quod damnari. Itaque sensus est, qui credit in Christum *non iudicatur*, id est, sententia Dei non damnatur. *Qui verò non credit, iam iudicatus est*, hoc est, iam damnatus est. Augustin. sermone 14. de verbis Apostoli: Quid est, inquit, *iam iudicatus est?* damnatus est. Nam iudicium pro damnatione plerumque poni nostis, &c. Lege eumdem in Ioannem tract. 22. & 43. Basilium Psal. 7. Chrysostom. homil. 65. in Matthæum.

Ioan. 3. *In iudicio hominis scelerati duo sunt actus iudicis.* *Ioan. 5.* *Augustin.*

Secundò dubitatur, cur is, qui non credit, iam iudicatus, id est, damnatus dicatur, cùm viuat adhuc, & apud Superos agat non damnatus. Respondetur primò, iam damnatum dici, quòd in se damnationis causam, videlicet peccatum incredulitatis habeat. Quemadmodum enim de homine, qui mortiferum vulnus accepit, nec medicinam adhibere illi vult, rectè dicemus: ille mortuus est, quia certam habet mortis causam. Sic de homine, qui peccatum habet, quod damnationem parit, nec medicinam illi affert, rectè dicitur: ille iam iudicatus, iamque damnatus est: quoniam certam habet damnationis radicem. Chrysostomus homilia 27. in Ioannem: Quemadmodum homicida, etsi iudicis sententia sit indemnatus, damnatur tamen ipsius rei natura: ita & incredulus. Siquidem & Adam qua die comedit è ligno mortuus est: ea enim lata est sententia: *In quacumque die comederitis morte moriemini*. Atqui viuebat: quomodo igitur mortuus est? scilicet, diuina sententia

Cur is, qui non credit, iã dicatur iudicatus. *Gen. 2.*

tia & rei natura. Quippe qui ſeipſum ſupplicio facit obnoxium, ſub ſupplicio eſt, ſi non re, tamen ſententia, &c. Item: Noli arbitrari quidquam conferre infideli dilationem. Iam reus eſt, niſi mutet ſententiam. Nihil autem meliori conditione erit infidelis, quàm qui iam damnati ſunt, & ſupplicio affecti, &c. Et D. Cyrillus: Iudicatum ait Dominus iam eſſe incredulum, quòd ipſe in ſeipſum condemnationis intulit ſententiam: quoniam largitorem indemnationis non ſuſcepit, id eſt, Chriſtum, &c.

Cyrill.

Secundò, dicitur iam damnatus incredulus in diuina præſcientia, vt Auguſtinus vult tractatu 12. in Ioannem: Nondum, inquit, apparuit iudicium, & iam factum eſt iudicium. *Nouit enim Dominus qui ſunt eius*, ait Apoſtolus, nouit, qui permaneant ad coronam, qui ad flammam, &c. Eſt ergo ſenſus: Incredulus iam iudicatus eſt à Deo omnia ſciente: iudicio & decreto Dei iam eſt æterno ſupplicio traditus. Aliter: Qui credit viua fide, non ſubit iudicij damnationem: qui verò non credit, iam, quamdiu non credit, iudicatus eſt; quia Deus decreuit incredulos omnes damnare; iam contra omnes incredulos ſententiam tulit. Rupertus ſic exponit *Iam iudicatus eſt* in primo parente Adam: Quando, inquit, Adam peccauit, & iudicatus eſt, & à regno Dei eiectus; tunc & iſte iudicatus, & cum illo, in cuius lumbis erat, à regno Dei expulſus eſt, & cetera. Diuus Irenæus ſic: *Qui credit in me, non iudicatur*, id eſt, non ſeparatur à Deo: adunitus eſt enim per fidem Deo; *qui autem non credit, iam iudicatus eſt; quoniam non credidit in nomine vnigeniti Filij Dei*; id eſt, ſeparauit ſemetipſum à Deo voluntaria ſententia. Hæc Irenæus.

Auguſt. *2. Tim. 2.* *Irenæus l. 5. c. 27.* *Ioan. 3.*

Ibidem.

Hoc *eſt autem iudicium*. Pluribus verbis exponit Dominus quod dixit: *Qui non credit, iam iudicatus eſt; quia non credidit in nomine vnigeniti Filij Dei*. De Iudæorum incredulitate agit, qui Meſſiæ lucem, & doctrinam abiecerunt; & in nomine vnigeniti Filij Dei non crediderunt. Hancque eſſe damnationis illorum cauſſam oſtendit: *Hoc*, inquit, *eſt iudicium*, id eſt, hæc eſt damnatio, ſiue iudicij, & damnationis Iudæorum cauſſa; *quia lux venit in mundum*: homines autem Iudæi *dilexerunt magis tenebras, quàm lucem*. Caietanus tenebras putat ſignificare bona ſenſibilia: ſic enim interpretatur: Dilexerunt homines bona ſenſibilia, quæ tenebræ appellantur: quia priuata ſunt lumine ſpiritus. Sed probabilitate caret hæc interpretatio. In Gloſſ. interlin. habetur, tenebras peccata appellari. Lyran. nomine tenebrarum infidelitatem intelligit; melius D. Thom. ignorantiam, quæ tenebras intellectui offundit, & toti homini. Quamobrem totus homo tenebræ appellatur; iuxta illud D. Paulli: *Eratis aliquando tenebræ*, id eſt, eratis fidei luce priuati, caligine ignorantiæ circumfuſi. Senſus loci eſt: Hæc cauſſa damnationis Iudæorum, quia lux venit in mundum, hoc eſt, quia Meſſias velut Sol ſplendidiſſimus ortus eſt: illi autem dilexerunt magis tenebras ignorantiæ ſuæ, quàm clariſſimi huius Solis lucem, doctrinam, ac præſentiam. Vel: Dilexerunt, id eſt, maluerunt in tenebris peccatorum deliteſcere, quàm Meſſiæ luce illuſtrari. Vel: Maluerunt carere luce Meſſiæ, & in tenebris carentiaque huius lucis viuere, quàm illius ſplendore illuminari. Quemadmodum enim de homine, qui orto iam Soli feneſtras claudit, eiusque lucem refugit, rectè dicimus; hic magis tenebras diligit, quàm lucem: ita de Iudæis, ſiue Phariſæis, qui orto Sole fulgentiſſimo corda aperire noluerunt, ait Dominus: *Dilexerunt magis tenebras* ipſas, *quàm lucem*; id eſt, maluerunt Sole, id eſt, Meſſia carere, quàm eius luce illuminari.

Cauſſa damnationis. *Ioan. 3.* *Caietani ſenſus.* *Gloſſa interlin.* *D. Thom.* *Epheſ. 5.* *Iudæi dilexerunt magis tenebras quàm lucem.*

Ratio eſt, quia eorum opera mala erant. Omnes enim qui malè agunt, tenebras diligunt, & lucem oderunt, ac fugiunt; ne praua illorum opera videantur & reprehendantur, vt fures, adulteri, & alij. De adultero Iob 24. *Oculus*, inquit, *adulteri obſeruat caliginem, dicens: Non me videbit oculus.* Item: *Si ſubitò apparuerit aurora, arbitrantur vmbram mortis: & ſic in tenebris quaſi in luce ambulant*, &c. Tertull. in Apolog. cap. 1. Omne malum aut timore, aut pudore natura perfudit. Malefici geſtiunt latere, deuitant apparere, trepidant deprehenſi, & cet. *Qui verò facit veritatem*, id eſt, qui fidelitatem & veritatem in operando ſeruat, qui recta, & fidelia, ac bona opera præſtat; is lucem non odit & fugit, ſed diligit, & ad lucem venit, vt opera bona, quæ operatur, à luce ipſa illuminentur & patefiant; *quòd in Deo*, id eſt, ſecundùm Deum, vel quòd non extra Dei voluntatem & legem, ſed in Deo, eiusque voluntate, & lege, facta ſunt. Erant Iudæorum mala opera, ideo Solis, id eſt, Meſſiæ lucem, id eſt, doctrinam ac præſentiam oderunt, quæ illa patefaciebat. Vnde illud Chriſti: *Me odit mundus; quia ego teſtimonium perhibeo de illo, quia opera eius mala ſunt*, &c. Et illud D. Auguſtini libro 10. Confeſſ. capite 23. Amant homines veritatem lucentem: oderunt eam redarguentem, & cetera. Toletus illa verba, *Qui facit veritatem, venit ad lucem, vt manifeſtentur opera eius*, ſic exponit: Venit ad lucem is qui bene agit, non vt opera eius videant alij rectè facta, ſed venit ad lucem, vt videat ipſemet per lucem opera ſua eſſe ſecundùm Dei voluntatem peracta. Verùm verior eſt expoſitio propoſita. Quemadmodum enim ſuprà dixit Dominus de improbo: *Non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius* ab aliis hominibus: ſic contrà de probo ait: *Venit ad lucem, vt manifeſtentur opera eius* aliis hominibus. Eſt enim ſenſus, eos qui rectè agunt lucem & hominum oculos non reformidare, ſed eos lucem reformidare, qui prauis operibus vacant. Simile illud eſt: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt*, &c.

Qui malè agit odit lucem. *Iob 24.* *Omne malum aut timore, aut pudore natura perfudit.* *Ioan. 3. Qui bene agit nō odit lucem.* *Ioan. 3.* *Amatur Veritas lucens, ſed non arguens. Tolet.* *Ioan. 3.* *Matth. 5.*

D. Hilarius hunc locum interpretatur in commentario Pſalmi primi ad illa verba: *Ideo non reſurgent impij in iudicio*; ait infideles iam eſſe iudicatos: fideles, qui rectè operantur, non eſſe iudicandos, propterea quòd dixerit Dominus: *Qui credit, non iudicatur: qui non credit, iam iudicatus eſt.* Iudicandos autem illos fideles, qui in Chriſtum credunt; tenebras tamen & peccata magis diligunt. Dicit Dominus, ait D. Hilarius, *Qui credit in me, non iudicatur*: quid enim neceſſe eſt iudicare credentem? iudicium enim ex ambiguis rebus exiſtit, & ambiguitate adempta iudicij non deſideratur examen. Ex quo, ne infideles quidē neceſſe eſt iudicari; quia ambiguitas, cùm infideles ſint, non reſedit. Sed adempto in credentes, non credētesque iudicio, cauſſam Dominus iudicij, & auctores, in quos iudicari neceſſe eſſet, adiecit. Sūt enim aliqui, qui inter impios piosque medij ſunt; ex vtroque admixti. Plures namque Dei metus in Eccleſia continet, ſed eoſdem ad ſæcularia vitia ſæculi blandimenta ſollicitant. Orant, quia timent; peccant, quia volunt; Chriſtianos ſe nuncupant, gentilia agunt. Idcirco Dominus, poſteaquam credentes non iudicandos, & non credentes iam iudicatos eſſe dixerat, addidit: *Hoc eſt autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.* In eos ergo iudicium eſt, quia magis tenebras, quàm

D. Hilarij interpret. Iſal. 1. Quinam in extremo iudicio iudicandi ſint. *Ioan. 3.* *D. Hilar.* *Ioan. 3.*

quàm lumen dilexerunt. Non quòd non dilexerint & lumen, sed quòd dilectio illis fuerit magis propensa tenebrarũ. Hinc iudicium est: quia cùm dilexerint Christum, magis tenebras dilexerunt. Hæc ille. In eamdem sententiam illud exponit:

Psal. 1. *Non resurgent impij in iudicio, neque peccatores in concilio iustorum*; id est, impij infideles non resurgent in iudicio iudicandi: & peccatores Christiani, qui fide præditi fuere, sed mortua, resurgent quidem iudicandi, sed non resurgent in concilio iustorum; id est, inter iustos. Impius, inquit Hilarius, psalmus iudicium non relinquit; quia iam iudicati sunt. Peccatoribus autem concilium iustorum, quia iudicandi

Theoph. sint, denegauit, &c. Similiter Theophylactus in Ioannem: Omnis, inquit, incredulus condemnatus est: quòd hinc migrans mox supplicio tradendus, & non in iudicium producendus sit, iuxta illud:

Psal. 1. *Non resurgent impij in iudicio*: indigni enim habentur vt rationẽ dent impij. In iudicium ergo non re-

D. Greg. surgent, sed in condemnationem, &c. D. Gregorius in c. 36. Iob in illa verba, *Iudicium pauperibus tribuit*, illa Domini verba, *Qui non credit, iam iudicatus est*, de iudicio intelligit discussionis, hoc sensu: Qui non credit, iam iudicatus est iudicio discutiente & examinante. Non enim, ait Gregorius, eorum caussa discutitur, qui ad conspectũ iudicis iam cum damnatione suæ infidelitatis accedunt, &c.

Omnes homines tã fideles quam infideles à Christo iudicandi. Sed dicendum est, omnes tam fideles quàm infideles iudicandos esse à Christo. Est enim iudex omnium viuorum & mortuorum. Infideles quidem & fideles improbos iudicandos iudicio damnante, fideles autem probos iudicio absoluente. Omnium quoque facta tam fidelium quàm infidelium in iudicio esse patefacienda. Qui autem iudicio discussionis iudicandi sint, eo loco inuestigandum erit, in quo Deo fauente de iudicio copiosius agemus, nunc obiter hoc dixisse sufficiat. Quod verò ait Dominus, *Qui non credit, iam iudicatus est*, non

Ioan. 3. obstat. Non enim significat non esse damnandum in iudicio infidelem; sed certam damnationis caussam habere, & in præscientia Dei iam esse damnatum. Neque itẽ obstant verba illa: *Non resurgent impij in iudicio*: sensus enim est. Non resurgent impij in iudicio resurrectione vitæ, sed resurgent resurrectione iudicij, vt iudicentur iudicio damnationis. Nam duplex est resurrectio, vt colligitur ex illis Christi verbis: *Procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij*, id est, damnationis. Est resurrectio vitæ ad vitam; & resurrectio iudicij in damnationem sempiternam. Alter sensus est: *Non resurgent impij in iudicio iustorum*, id est, vt cum iustis iudicentur & collocentur. Repetendum enim est nomen *iustorum* ex verbis sequentibus: *Neque peccatores in concilio iustorum*. Quasi dicat Psalmographus, Non resurgent impij in iudicio, neque peccatores in concilio: iudicio, inquam, & concilio iustorum. Resurgent tamen impij in iudicio impiorum: & peccatores resurgent in concilio & conuentu peccatorum. Tertium sensum addere potes ex verbo Hebræo קום, kum, quod significat consistere, resurgere, stare. Vnde Pagninus vertit: *Non stabunt impij in iudicio.* Sapient. 5. *Stabunt iusti in magna constantia:* at impij non stabunt in iudicio, non attollent caput, non resurgent, non surgent, non se erigent; sed scelerum pondere oppressi iacebunt.

Psal. 1. Quid significet illud Psal. 1 Nõ resurgẽt impij in iudicio. Ioan. 5.

Impij resurgent, sed nõ in concilio iustorũ inter iustos.

Psal. 1. Sap. 5.

CAPVT III.

Morale.

De colloquio Christi cum Nicodemo.

Fores Christi semper patent.

PATENT semper Christi fores Christum quærentibus, & ab optimo magistro discere cupientibus: siue interdiu quærant, siue noctu. Venit ad Iesum nocte Nicodemus, vt ait Euangelista, patuere fores discipulo magistrum quærenti, & discere cupienti. *Si noctes atque dies patet atri ianua Ditis*, vt homines deuoret: cur non pateat noctes atque dies ditissimi ianua seruatoris, vt homines seruet? Non datur libera semper cum Regibus colloquendi facultas; at cum Rege Regum colloquendi potestas nullo tempore hominibus denegatur. Nulli proforibus satellites adstant: nulli, qui prohibeant aditum ianitores. Duodecim portas in cælesti regia *Apoc. 21.* vidit Ioannes; sed ex illis ne vnam quidem vidit occlusam. Angelos singulos in singulis conspexit: qui quidem ianitores aditu neminem prohibeant, sed omnes conentur introducere. Nemini claudit *Omnes vocat cælestis magister. Matth. 11.* fores cælestis Rex; qui ad illum venire non vult, ipse sibi fores obserat. *Venite ad me omnes, & discite à me.* Omnes vocat, vt discant, cælestis doctor omnibus facilem præbet auditum, omnes doctrina cælesti cupit imbuere.

Christi doctrina cælestis. Etenim cælestis est ipsius doctrina, quoniam è cælo venit. Quemadmodum e cælo Solis lucem habemus: ita è cælo diuinæ habemus sapientiæ fulgorem. Præterea, est doctrina vtilissima; iuxta illud: *Doctrina Christi vtilissima. Isaia 48.* *Ego Dominus Deus iustus docens te vtilia*, &c. Quid vtilius? Quid homini pretiosius ea cognitione, qua Christus mentes hominum illustrauit? Ait Sapientia: *Accipite disciplinam meam, & non pecuniam: doctrinam magis, quam aurum eligite. Melior est enim sapientia cunctis pretiosissimis: & omne desiderabile ei non potest comparari.* Item: *Qui me inuenerit, inueniet vitam: & hauriet salutem à Domino*, &c. Vtilior ergo, pretiosiorque est, Christi (qui vera est sapientia) doctrina, auro, cunctisque pretiosis lapidibus: fons est, ex quo vita, salusque sempiterna hauritur, si doctrinam facta comitentur. Expende ea quæ Nicodemum docuit, sanè nihil futile aut inutile, sed vtilissima omnia reperies.

Prou. 8.

Christi doctrina certissima. Ad hæc, Christi doctrina certissima est. Quoniam quæcumque docet, habet exploratissima. *Quod scimus*, inquit, *loquimur, & quod vidimus testamur.* Multa alij magistri opinantur, & à veritate sæpe aberrant; at magister hic rerum omnium non opinionem, sed scientiam habet perspectissimam; à veritate autem nullo modo deflectere potest. Quę scientia nouit clarissimè loquitur, quæ clarissimè videt testatur. *In eo*, vt Paullus ait, *sunt omnes thesauri Coloss. 2. sapientiæ, & scientiæ absconditi.* Ipse est sapiẽtia Patris, quæ è cælo venit in terras, vt mortalibus traderet sapientiã. Nõ enim solùm nos ab hostis captiuitate redemit, iustitiaque donauit, verum etiam sapientes reddere voluit. Vnde illud Paulli: *Factus est nobis 1. Cor. 1. sapientia à Deo: & iustitia, & sanctificatio: & redemptio*, &c. Factus est nobis sapientia, vt ab eo discemus; factus est iustitia & sanctificatio, vt eius meritis iustitiam sanctificationemque cõsequeremur; factus est redemptio, vt à crudeli hostis teterrimi potestate redimeremur.

Fides certissima & inuidens. Est quidem certissima, ipsique euidentissima Christi doctrina. At nobis euidens non est, sed tamen certissima; in illo est scientia clarissima; in nobis est fides certissima. Certitudinem enim habet fides maximam diuinæ innixam auctoritati;

euidentiam non habet. Maxima certitudo neceſſaria eſt, ne fluctuemus, firmiſſimæque columnæ firmamento fulciamur, ineuidentia, vt meritum aſſequamur. Quid enim meriti adipiſci poſſet Chriſtianus, ſi quæ credit, perſpicuè, euidenterque cerneret? Neque fides eſt, vbi eſt euidentia; nec fidei meritum, vbi res oculis ſubiicitur. *In columna nubis loquebatur ad eos.* Ad nos quoque in columna loquitur nubis; id eſt, in fide, vel per fidem, quæ columna eſt, quia eſt firmiſſima atque certiſſima; nubis verò, quia caliginem habet, non euidentiam, ait Sapientia: *Thronus meus in columna nubis*: thronus & cathedra diuinæ ſapientiæ nubes eſt obſcura; quoniam etſi clariſſima ipſa ſit, tamen obſcuram nobis fidem tradit.

Pſal. 98. Deus etiam nobis in colũna nubis loquitur.

Eccli. 24.

Habemus igitur magiſtrũ non Ariſtotelem aut Platonem, ſed ipſammet Dei ſapientiam. Quæ tanùm docendi cupida eſt, vt ad diſcendum vocet non ſolùm Iudæorum principem ac doctorem Nicodemum; ſed pauperes quoque, cæcos, & claudos. Vnde illud: *Exi cito in plateas: & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos, introduc huc*, &c. Et: *Sapientia ædificauit ſibi domum*, ait Salomon, *excidit columnas ſeptem, propoſuit menſam ſuam: miſit ancillas vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis. Si quis eſt paruulus veniat ad me, & inſipientibus locuta eſt: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis. Relinquite infantiam, & venite, & ambulate per vias prudentiæ*, &c. Etenim ſempiterna illa Patris ſempiterni ſapientia humanitatem ſibi veluti domum ornatiſſimam in orbe terrarum exædificauit; & donis eximiis, firmiſſimis veluti columnis decorauit. Exhibuit verò doctrinæ ſuauiſſimæ conuiuium. Ad hoc omnes homines inuitat, vt ſuauiſſimo enutriti alimento, ex infantibus in ſumma rerum ignorantia verſantibus, in viros ſapientes euadant.

Diuina ſapientia ad gymnaſium ſuum omnes vocat.

Luca 14.

Prou. 9.

Sapientia conuiuium.

Prou. 8.

Item: *Nunquid non ſapientia clamitat, & prudentia dat vocem ſuam? In ſummis excelſis ſuper verticibus ſuper viam, in mediis ſemitis ſtans, iuxta portas ciuitatis, in ipſis foribus loquitur, dicens: O viri, ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum. Audite, quoniam de rebus magnis locutura ſum, & aperientur labia mea, vt recta prædicent, veritatem meditabitur guttur meum: iuſti ſunt omnes ſermones mei, non eſt in eis prauum quid, neque peruerſum, rectiſunt intelligentibus, & æqui inuenientibus ſcientiam*, &c. Audite, ait Sapientia, quoniam de rebus magnis locutura ſum. De magnis profectò rebus Patris ſapientia loquitur, nempe de regno cælorũ, de æterna vita, de fide, de caritate, deque aliis rebus maximis. Aperta ſunt labia illa diuina, vt recta prædicarent, veritatem protulit ſanctiſſimum illud guttur; iuſti ac veri fuere omnes ſermones eius.

Sapientia clamans vocat.

De his verò maximis rebus locuta eſt in populo Hebræorum. Ad illos primùm venit, illos primùm erudiuit incarnata Sapientia, inter quos ante incarnationem morabatur, iuxta illud: *In hereditate Domini morabor, & dixit mihi: In Iacob inhabita, & in Iſrael hereditare, & in electis meis mitte radicem.* Item: *In Sion firmata ſum, & in ciuitate ſanctificata ſimiliter requieui, & in Ieruſalem poteſtas mea. Et radicaui in populo honorificato*, &c. In hoc populo olim multis Dei beneficiis honorificato radices egerat diuina ſapientia ante incarnationem, in eoque dominabatur; in eumdem incarnata venit; poſtea verò ad gentes tranſiit. *Ego*, eodem ait capite, *effudi flumina: ego quaſi trames aquæ immenſæ de fluuio: ego quaſi fluuius Dioryx, & ſicut aquæ ductus exiui de paradiſo. Dixi, Rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructum*, &c. Incarnata ſapientia è paradiſo cæleſti exiuit quaſi trames, & aquæ immẽſæ ductus: & quaſi Dioryx, id eſt, foſſa altiſſima fluuij magni, venit ad mortales. Flumina in orbem effudit doctrinæ cæleſtis. Irrigauit primum hortum ſuum illum, & antiquum pratum, hoc eſt, Iudæorum populum. Poſtea per orbem totum aquæ cæleſtes inundarunt. Sequitur eodem capite: *Ecce factus eſt mihi trames abundans: fluuius meus appropinquauit ad mare*, id eſt, ſimilis mari factus eſt. *Quoniam doctrinam quaſi antelucanum illumino omnibus: & enarrabo illam vſque ad longinquum*, id eſt, vſque ad fines orbis terrarum.

Sapientia ad Hebræorum populum venit.

Eccli. 24.

Eccli 24. Sapientia diuina flumina.

Sapientia ad gẽtes venit.

Eccli. 24.

Eodem capite de Meſſia ſic Eccleſiaſticus ſcribit: *Poſuit Dauid puero ſuo*, id eſt, conſtituit Deus, & promiſit Dauid ſeruo ſuo, *excitare Regem ex ipſo fortiſſimum, & in throno honoris ſedentem vſque in ſempiternum*, &c. Meſſias hic eſt: nullus enim Regũ in throno honoris ſedet in ſempiternum. Meſſiæ, non Salomoni, aut alicui alij Regi hoc conuenit.

Ibidem.

Chriſtus Rex fortiſſimus & ſempiternus.

Verba ſequentia an ad Meſſiam pertineant dubium eſt. Ianſenius non pertinere exiſtimat, quoniam repugnat verborum conſtructio in Græco fonte. Nam præcedit caſus accuſandi, *Regem fortiſſimum*, ſequitur caſus nominandi, ἐμπιμπλῶν, id eſt, *implens*. Sic enim vertitur ex Græco: *Poſuit Dauid Deus excitare Regem fortiſſimum in throno ſedentem in ſempiternum: implens quaſi Phiſon ſapientiam*, &c. Non poteſt ergo participium *implens*, & verbum, *qui implet*, cum Rege fortiſſimo copulari. Rectè quidem ille. Sed in Græcis exemplaribus verſus ille de Meſſia deſideratur. Neſcimus quo in caſu præceſſerit *Rex*: fortè enim nominandi caſus erat. Potuitque coniungi cum participio ἐμπιμπλῶν. Adde Hebræos carere caſuum mutatione. Quòd ſi in Græco textu præceſſit accuſatiuus; poteſt ſequi nominatiuus in alia periodo & ſententia, ſubintelligique verbum *erit*, hoc ſenſu. Promiſit Deus Dauidi Meſſiam Regem fortiſſimum Orci debellatorem: *Implens*, ſcilicet, *erit hic Rex*, quaſi Phiſon ſapientiam, &c. Non ergo eſt improbabilis ſenſus, oſtendi Meſſiam ſapientiſſimum eſſe, & ſapientia ſua orbem complere, his verbis: *Qui implet quaſi Phiſon*, fluuius paradiſi, *ſapientiam, & quaſi Tigris in diebus nouorum*, ſcilicet, *fluminaPhiſon, Tigris, Euphrates, Gehõ, & Iordanis irrigant terrã.* fructuum. *Qui adimplet quaſi Euphrates ſenſum*, id eſt, mentem & intellectum. *Qui multiplicat quaſi Iordanis in tempore meſſis*. Iordanis multiplicat aquas in tempore meſſis, Ioſue 3. Chriſtus multiplicat ſapientiam. *Qui mittit diſciplinam ſicut lucem, & aſſiſtens quaſi Gehon in die vindemiæ*, id eſt, Mittit Chriſtus diſciplinam & doctrinam ſicut Sol ſplendorem: & aſſiſtit per ſapientiam hominibus, velut aquæ fluuij Gehonis, id eſt, Nili, quæ vindemiæ tempore exundant, terræque aſſiſtunt. *Qui perficit primus ſcire ipſam: & infirmior non inueſtigabit eam. A mari enim abundauit cogitatio eius, & conſilium eius ab abyſſo multa*, &c. Hoc eſt, Chriſtus Deus primus ante omnes creaturas perfectam ſapientiam habet, & quicumque eo infirmior, id eſt, inferior eſt, inueſtigare illam non poterit. Nam à mari, id eſt, præ mari, pluſquam mare abundauit cogitatio, & ſapientia Chriſti; & ab abyſſo multa, id eſt, pluſquam profundum pelagus eius conſilia profunda ſunt. Quòd ſi hæc de Meſſia non intelliguntur, quorſum Eccleſiaſticus illum verſum de Meſſiæ promiſſione Dauidi facta inſeruit? veriſimile videtur inſeruiſſe, vt illius ſapientiam prædicaret, orbemque ab illo noua ſapientia complendum indicaret.

Eccli. 24.

Chriſtus ſapientiſſimus ſapiẽtia ires gauit orbẽ, quẽadmodũ

Cùm itaque populum ſuum in Iudæa diuina ſapientia erudit; Phariſæus quidam inter Iudæos princeps ad eum venit nomine Nicodemus, venit autem nocte; & meritò quidem, vt ſtatum indicaret ſuum. Tenebris namque erat ignorantiæ circumfuſus; iuxta illud Chriſti: *Tu es magiſter in Iſrael, & hæc ignoras?* Sed felix, qui ad Solẽ venit, noctemque diſcuſſit. Quicumque improbus ad Chriſtum venit,

Nicodemus nocte venit ignorantia caligine circumfuſus.

Ioan. 3.

Improbus in nocte venit ad Christum.

venit, in nocte venit, nocte ignorantiæ & peccati affert: lucem fidei & gratiæ splendorem à Christo accipit, si tamen veram agat pœnitentiam. Vnde illud Tertulliani Apologet. cap. 39. Fratres habentur, & dicuntur Christiani; qui de vno vtero ignorantiæ eiusdem ad vnam lucem expauerint veritatis, &c.

Nocturnum tempus Dei colloquio accommodatum.

Venit præterea noctu Nicodemus Beda teste, secreta Christi collocutione mysteria fidei cupiens discere. Nocturnum enim tempus Dei colloquio, id est, orationi aptum est; cùm silent omnia, cumque ipsum rerum omnium silentium ac quies animum à negotiis auocatum ad colloquendum cum Deo inuitat. *Media nocte*, ait Vates, *surgebam ad confitendum tibi, super iudicia iustitiæ tuæ.* Et: *In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum.* De Christo etiam scribit: *Erat pernoctans in oratione Dei.* Et sponsa: *In lectulo meo per noctem quæsiui quem diligit anima mea*, &c. *Anima mea desideranit te in nocte.* Et Ierem. *Consurge, lauda in nocte in principio vigiliarum. Effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini*, &c. Impij nocte ad scelera perpetranda abuntur, iuxta illud Domini iam supra explicatum: *Omnis qui male agit, odit lucem.* Probi verò sanctiqúe viri eadem nocte ad colloquendū cum Deo vtuntur. Ad dæmonem illi; hi ad Christum nocte cum Nicodemo veniunt.

Pſal. 118. *Pſal. 133.* *Luca 6.* *Cant. 3.* *Iſaiæ 26.* *Thren. 2.* *Ioan. 3.*

Ignominiæ pro Christo absq; pudore magna voluptate tolerandæ.

Aliter opinatur, vt diximus, D. Cyrillus: Pudore, inquit, victus, & gloria hominum superatus Nicodemus, palàm accedere non audet, &c. Similes illi sunt ij, quos pudet in luce Christo Opt. Max. seruire, Christianos mores præ se ferre, humilitatem sectari, pauperes inuisere, iniurias ferre, alapam tolerare, sæpius crimina confiteri. *Non erubesco Euangelium*, ait Paullus. Sic & Christianum Euangelium non erubescat, sed ea, quæ Euangelium præcipit, vel consulit, operando exequatur; & cum eodem Paullo in Euangelio & Cruce Christi glorietur: *Mihi*, ait ille, *absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi*, &c. Is in Cruce gloriatur, qui in ferenda alapa pro Christo, in tolerandis iniuriis, ceterisque huiusmodi, quæ ignominiam afferre potiùs videntur, quàm honorem, gloriatur. Sic Christus *Proposito sibi gaudio sustinuit Crucem*, ait Paullus, *confusione contempta.* Græce est nomen, αἰσχύνη, quod pudorem significat. Pudorē crucis mortisque probroſę contempsit pro te Christus; vt tu quoque pudorem contemnas, quem ignominiæ possunt afferre. *Proposito sibi gaudio sustinuit Crucem.* Græce, ἀντὶ τῆς προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς, id est, *pro proposito sibi gaudio sustinuit Crucem.* Hoc autem gaudium Christo propositum, vt Theodoretus vult, ex hominum salute, cuius caussa Crux fuit, ortum est: Seruatoris, inquit, gaudium est salus hominum, &c. Nos similiter pro gaudio nobis proposito tum de salute nostra, tum de gloria sempiterna; crucem non solùm nocte & clàm, sed in media ipsa luce, & palàm feramus, confusione pudoreque contempto. Meridiano ipso tempore, cùm clariora sunt omnia, non nocturno, coram Iudæorum populo in crucem agi voluit Dominus. Meridiano tempore pro te crucem tulit: tu quoque meridiano tempore, omni abiecto pudore, coram omnibus crucem tuam tolle, ducemque tuum sequere.

Gal. 6. *Hebr. 12.* *Christus pro nobis ignominiā perpessus est.*

O miseros homines, quos pudet virtutum, non pudet scelerum. Pudet Christum Regem sequi; non pudet post tartareum hostem catenis criminum vinctos duci. Non pudet militem vulnerum, quæ pro Rege aut patria excepit, pudebit Christianum, si alapam iniuriámve pro Christo cælestiqúe patria tolerauit? Ad illa verba Paulli, *Ego stigmata Domini Iesu Christi in corpore meo porto*, Chrysostomus:

Gal. 6. *Chryſoſt.*

A Non dixit, inquit, Apostolus habeo, sed porto; tamquam aliquis de trophæis glorians, signisque regalibus. Quamquam hoc ipsum probrosum esse videtur. Verùm hic sua vulnera iactat. Neque secus, quàm solent milites vexilliferi, hic exultat vulnera circumferens, & cetera. Mirum esset si homo nobilis sordidatus, ac pannosus publicam lucem non refugeret; is verò in hominum conspectum venire formidaret, qui aureis, splendidissimisque vestibus fulgeret. Lucem oderint viri flagitiosi, in publicumque prodire sordidissimis vitiorum vestibus amicti vereantur; iuxta illud Christi: *Qui male agit, odit lucem; & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.* At, qui splendidissimum patientiæ habitum præ se fert; cur lucem pertimescat? Siquidem, vt Dominus ait, *Qui facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.* Id tamen cauendum diligenter, ne inanis gloriæ caussa quidpiam agatur.

Ioan. 3. *Ibidem.*

Multis nobilitas multis sunt auctoritati ad salutem.

Venit ad Christum Nicodemus homo Iudæorum princeps ac doctor. Vtinam multi, vtinam omnes principes, nobiles, litterisque exculti viri ad Christum veniant, audiant, discant, quæ ceteros doceant. Nam si ad Christum venerint, post se multos ducent. Vt enim Augustinus scribit lib. 8. Confessionum, capite 4. Multis noti, multis sunt auctoritati ad salutem; & multis præeunt secuturis, & cetera. A finibus terræ ad Salomonem Regina Saba olim venit. O Reges, ô Principes, nobilesque viri Reginam imitamini. Ecce plusquam Salomon hic. Non est opus à finibus venire terræ; domi vestræ, vestris in penetralibus cum sapientissimo Salomone colloqui, ab eoque licet discere. Sed difficile est in alto positum non extolli, & magnæ felicitatis est, in principatu, nobilitate, & opibus, non inflari. Deprauant hæc animum, nisi cautus sit, & ab humilitate, quæ Christi discipulo necessaria est, abducit.

B

C

Docere cœpit discipulum Nicodemum summa illa Patris sapientia. Ab alphabeto cœpit, ac rudimentis Christianis, videlicet, à baptismo, Christianaque regeneratione: *Nisi quis*, inquit, *renatus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei.* Hæc illa est generatio, siue natiuitas, de qua Ioannes: *Qui non ex sanguinibus*, inquit, *nec ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri; sed ex Deo nati sunt.* Ex homine enim nascitur homo: ex Deo nascitur Christianus. Similis autem est hæc generatio filiorum Dei adoptiuorum ex fonte baptismatis generationi Filij Dei naturalis ex vtero Deiparæ Virginis. In vtero Virginis conceptus est Christus ex Spiritu sancto: sic nos veluti in vtero fontis concipimur ac renascimur ex eodem Spiritu. *Nisi quis*, ait Dominus, *renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, & cetera. Diuus Leo sermone 5. de Natiuitate: Christus, inquit, originem, quam sumpsit in vtero Virginis, posuit in fonte baptismatis; dedit aquæ, quod dedit Matri, & cetera. Item: Virtus altissimi & obumbratio Spiritus sancti, quæ fecit, vt Maria pareret Saluatorem; eadem fecit, vt regeneret vnda credentem, &c. Quamobrem meritò Dionysius Areopagita libro de Cælesti Hierarchia, capite 2. fontem baptismatis matrem appellat filiolitatis, id est, adoptionis filiorum; quia in eo adoptiui Deo filij ex Spiritu sancto procreantur. Quo loco Dionysius Carthusianus: Aqua, inquit, baptismi appellatur mater Christianorum, quò ad spiritalem generationem, & cetera. Adde illud Chrysostomi homilia 25. in Ioannem. Quod matrix est embryoni, hoc est, fideli aqua; siquidem in aqua fingitur & formatur. Et homilia sexta ad Co-

D

Ioan. 3. *Ioan. 1.* *De generatione spirituali in fonte baptismi.* *Christus in vtero Virginis cōceptus est ex Spiritu sancto.* *Christianus in baptismo nascitur eodem Spiritu operante.*

E

Dionyſius Areopag. *Fons baptismi mater filiationis.* *Chryſoſt.*

loſſ. Spiritu ſancto homo in baptiſmo fingitur, & componitur; quemadmodum Chriſtus in vtero Virginis, &c.

Generatio ſpiritalis momento temporis perficitur.

Chriſti generatio momento temporis in vtero Virginis peracta eſt; eumdem in modum hominis ſpiritalis hęc generatio temporis puncto fit in fonte baptiſmatis. Chryſoſtomus hom. 25. in Ioannem: Quod in matrice formatur tempore indiget; quod in aqua minimè; ſed momento omnia perficiuntur, &c. Ad hæc: Generatio carnalis in mortem tendit: naſcitur enim homo moriturus. At generatio ſpiritalis non in mortem tendit, ſed in vitam ſempiternam: naſcitur enim homo in æternum victurus. Non poteſt homo ex carne natus mortem effugere carnis: poteſt tamen homo ex ſpiritu ortus mortem depellere ſpiritus, quæ per peccatum contingit. Ab Optato Mileuitano lib. 5. contra Parmenianum dicitur baptiſmus natiuitatis immortalis. Immortaliter enim naſcitur baptizatus ad immortalitatem. Si velit, ſpiritali peccati morte Deo iuuante morietur numquam, æternamque vitam conſequetur.

Generatio ſpiritalis tendit in immortalitatem.

Optatus Milen.

Præterea generatio nouum eſſe rebus tribuit. Generatio ignis tribuit eſſe ignis, generatio hominis eſſe hominis, generatio equi eſſe equi donat. Hæc verò, de qua loquimur, generatio nouũ quoddam eſſe homini largitur. Quamobrem à Paullo baptiſmus lauacrum dicitur renouationis: *Saluos*, inquit, *nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus ſancti*, &c. Quemadmodum qui veterem, ruinamque minitantem domum renouare vult, veterem euertit, nouamque exædificat: ſic Deus per baptiſmum ac nouam generationem vetera euertit vitia, & veterem hominem, nouumque ex nouis virtutibus exſtruit. Chryſoſtomus ad Tit. 3. Deus, inquit, prius euertit, quod peſſimè ſteterat. Hoc enim eſt, quod ait Paullus: *Per renouationem Spiritus ſancti nouos iterum fecit*, &c. Et ad Galat. 6. Natura noſtra quæ ſenio peccati inueterauerat, repentè baptiſmi lauacro renouata eſt. Non aliter quàm ſi denuò eſſet condita, &c Et Theophylactus eodem capite: In baptiſmo, ait, veterem hominem exuimus: & nouum induimus, &c.

Generatio ſpiritalis renouat hominem. Tit. 3.

Chryſoſt.

Theophyl.

Quomodo in baptiſmo ſit generatio & corruptio

Nónne, vt Philoſophi teſtantur, generatio vnius eſt corruptio alterius? Etiam in hac generatione admirabili hoc mirabiliter euenit. Quemadmodum vt generetur aqua, corrumpitur aër, vt generetur ignis, corrumpitur lignum: ita vt generetur homo nouus ac ſpiritalis, corrumpitur homo vetus ac carnalis. Naſcimur quidem ac generamur in baptiſmo: at morimur etiam, ac ſepelimur. Naſcitur homo nouus, moritur ac ſepelitur homo vetus. Paullus ſic nobis perſuadet à repugnantibus, vt peccatum fugiamus: *Qui mortui*, inquit, *ſumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo?* Repugnat enim eidem rei mori & viuere; ſi mortui ſumus peccato, eidem repugnat viuere. Deinde probat nos mortuos peccato. *An ignoratis fratres, quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu; in morte ipſius*, id eſt, in aſſimilationem & configurationem mortis ipſius, *baptizati ſumus?* Quoniam quemadmodum Chriſtus mortuus eſt vitæ mortali: ita nos morimur in baptiſmo vitæ peccatrici. Ideo ſubiicit Apoſtolus: *Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem*: hoc eſt, quemadmodum Chriſtus mortuus ſepultusque eſt: ſic nos morimur in baptiſmo, & ſacra illa aqua, veluti maris rubri fluctibus, peccata omnia ſepelimus: morimur enim cum illo in mortem peccatorum omnium. Theophylactus ad Rom. 6. Baptiſmus, inquit, in nobis eum obtinet locum, quem Crux ipſa, & ſepultura in Chriſto. Ille namque carni & mortuus eſt, & reſurrexit: nos verò peccato morientes, virtuti ſumus reſurrecturi, &c.

Rom. 6.

In baptiſmo imitamur mortẽ Chriſti & reſurrectionem.

Theoph.

Corrumpitur ergo in hac generatione homo vetus: naſcitur nouus, nouumque eſſe aſſequitur. Ambroſius in Pſal. 42. Renouamur per lauacri regenerationem, renouamur per Spiritus ſancti infuſionem, &c. Sed qualénam eſſe aſſequitur homo baptizatus? Sanè eſſe quoddam ſpiritale ac diuinum aſſequitur. Vnde illud Chriſti: *Quod natum eſt ex carne, caro eſt: quod natũ eſt ex Spiritu, ſpiritus eſt.* Quemadmodum homo ex carne natus, corporale eſſe aſſequitur, & humanum: ita homo ex ſpiritu ortus, ſpiritale eſſe adipiſcitur, & diuinũ. Generatio Chriſti opera Spiritus ſancti in vtero Virginis homini Dei eſſe dedit, ita vt homo verè ſit Deus: generatio hominis in fonte aquæ, eodem Spiritu ſancto operante, diuinum eſſe gratiæ homini tribuit, ita vt homo verè ſit adoptione filius Dei. Quemadmodum verò eſſe diuinum in Chriſto, opera Chriſti ad infinitum extulit meritum: ſic hoc eſſe diuinũ gratiæ in nobis, opera noſtra ad meritum gloriæ infinitæ, hoc eſt, quæ nullo fine terminabitur, effert.

Homo baptizatus eſſe quoddam ſpiritale & diuinum aſſequitur.

Eſt præterea hoc eſſe ſpiritale: iuxta illud Chriſti: *Quod natum eſt ex Spiritu, ſpiritus eſt*; hoc eſt, homo qui naſcitur ex Spiritu, eſt ſpiritus, ſiue ſpiritalis. Oportet ergo Chriſtianum hominem eſſe non carnalem: ſed ſpiritalem, qui ab iis, quæ carnis ſunt abhorreat, ea verò quæ ſpiritus ſunt cõſectetur. Diuinum eſt eſſe, diuinos oportet eſſe Chriſtianos: ſpiritale eſt eſſe, vt ſpiritales ſimus monet: nouũ eſt eſſe, vt veteribus vitiis nuntium omnino remittamus, & nouam viuamus vitam, flagitat. Hinc illud Paulli: *Conſepulti ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, vt quomodo Chriſtus ſurrexit a mortuis per gloriam Patris: ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Chryſoſtomus homil. 24. in Ioannem: In aqua, tamquam in ſepulcro caput immergentibus, vetus homo ſepelitur; emergentibus, nouus inde reſurgit. Vt facile nobis eſt immergi, & emerſos reſpirare; ita Deo veterem ſepelire hominem facile eſt, & nouum inducere, &c. Et ad Galatas 6. Natura noſtra, quæ peccati ſenio inueterauerat, repente baptiſmi lauacro renouata eſt: non aliter, quàm ſi denuo eſſet condita. Quapropter etiam noua, ac cæleſtis à nobis exigitur vitæ forma, &c. D. Ambroſius ſuper cap. 23. Num. Per baptiſmi operationem, ait, moriuntur homines culpæ veteri, & iniquorum operibus. Vt nouitate vitæ in conſortia iuſtorum transfigurati, in eorum mores reſurgant, &c. Hanc vitæ nouitatem baptizatorum veſtis alba indicat, qua poſt baptiſmum induuntur. Candor veſtis, animi deſignat candorem. Ambroſius in libro de iis qui initiantur, cap. 7. Accepiſti, inquit, veſtimenta candida, vt eſſet indicium, quòd exueris inuolucrum peccatorum, & indueris innocentiæ caſta velamina, &c.

In baptiſmo homo aſſequitur eſſe ſpiritale.

Rom. 6.

In baptiſmo peccato morimur & reſurgimus in vitã nouã.

Ambroſ.

Ex aquis cùm orbem Deus conderet, aues diuina potentia conditæ euolarunt. *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram.* At nunc ex baptiſmi aquis Spiritus ſancti virtute præſtantiores euolant volucres, quæ fidei, ſpei, caritatis, virtutumque reliquarum ſuffultæ pennis, in ipſum vſque cælum euolant, in eoque nidos ſibi conſtruunt. Spiritus ſanctus initio mundi ferebatur ſuper aquas, vt orbem conderet; nunc fertur ſuper aquas, vt homines renouet, ſimilesque ſibi faciat, id eſt, ſpiritales. Ex Hebræo verti poteſt: *Spiritus Domini incubabat aquis.* Nunc etiam noſtra columba aquis incubat baptiſmi: vt columbas excludat, id eſt, homines baptizatos, moribus columbinis, ſpiritalibusque præditos. Chryſoſtomus hom. 25. in Ioannem: Primùm quidem dictum eſt, *Producant aquæ reptile animæ viuentis.* Ex quo autem Iordanis alueum ingreſſus

Gen. 1.

Ibidem.

Spiritus S. fertur ſuper aquas baptiſmi.

Chryſoſt.

sus est Christus: non amplius reptilia animarum viuentium, sed animas rationales & spiritales aqua
Psal. 18. producit. Et quod de Sole dictum est: *Tamquã sponsus procedens de thalamo suo.* Hoc longè maius de fidelibus in præsentia dici potest. Multò namque quàm Sol clariores diffundunt radios, &c.

Esse sequitur operatio. Quale esse est, talis est operatio. Esse leonis sequitur operatio leonis; esse ignis sequitur operatio ignis. Esse spiritale ac diuinum, spiritalem ac diuinam operationem consequi par est. Hominis, qui diuinum ac spiritale gratiæ esse à Spiritu sancto est consecutus, operatio est, virtutum officiis vacare; dæmonis, vitiorumque omnium operationes, velis, remisque fugere. Hinc illa baptizatorum vox, quæ in baptismo profertur; *Abrenuntio satanæ*. Qui satanæ abrenuntiat: eius operationibus cunctis abrenuntiat. Augustinus libr. 4. de Symbolo ad Catechumenos, cap. 1. Diabolo, inquit, vos renuntiare professi estis; in qua professione non hominibus, sed Deo & Angelis conscribentibus, dixistis: *Renuntio*. Renuntiare non solùm vocibus, sed etiam moribus; non tantùm labiis sonantibus, sed operibus pronuntiantibus. Quid tibi cum pompis diaboli, quibus renuntiasti? &c. Eamdem hanc vocem, *Abrenuntio tibi satana*, in nostro
Chrysost. semper versari ore vult Chrysostomus in fine homil. 21. ad populum Antioch. Sicut, inquit, sine calceamentis, vel vestimẽtis, vestrum nemo in forum descendere eligeret; ita sine verbo hoc numquam in forum prodeas, sed cùm es ianuæ vestibula trãsgressurus, hoc prius loquere verbum: *Abrenuntio tibi satana: & coniungor tibi Christe.* Neque vmquam absque hac voce exeas. Hæc erit tibi baculus & armatura, &c. Euam in paradiso collocatam terrestri serpens decepit. A serpente nobis cauendum, qui in Ecclesia, veluti in terrestri paradiso, vitam agimus; audiendus numquam est, semper his verbis reiiciendus. Idem Chrysost. homilia 6. ad Colost. Ne serpentem audias, docet Dominus vt dicas: *Renuntio tibi*; vt idem sit, ac si dicas: Non audiam te. Ne per alios quoque te capiat, ais: *Et renuntio pompæ tuæ, & seruituti tuæ, & angelis tuis*, &c.

Esse quod in baptismo accipit Christianus, operatio sequitur virtutũ.

In baptismo diabolo abrenuntiamus.

Matth. 28. Ait discipulis Dominus: *Docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; docentes eos seruare omnia quæcumque mandaui vobis*, &c.

Baptizatorum est operatio seruare mãdata. Quæ sit baptizatorum operatio indicat Dominus: nimirum seruare Dei mandata. Non est baptismus satis: mandatorum obseruationem, rectaque opera necesse est addere baptismo consentanea. Iuxta illud Augustini lib. de Fide & Operibus, cap. 26. Baptismo consona sit vita Christiana. Scribarum & Pharisæorum iustitia est dicere, & non facere; nostram esse voluit Christus dicere, & facere, &c. Diximus in baptismo: *Abrenuntio satanæ & pompis eius*: quod diximus, faciamus.

Vita sit baptismo consona.

Arborem idcirco aquis irrigat agricola, vt fructum ferat: quòd si fructũ non ferat, sterilem flammis tradit. Eumdem in modum hominem idcirco Deus baptismi aquis salutaribus irrigat, vt operum virtutumque fructum producat: quòd si producere
Chrysost. nolit, tartareo igni carentẽ fructu mancipat. Chrysostomus homil. 20. in Epistol. ad Hebræos: Arbores, inquit, quæ bene plantatæ sunt, & reliquam habuerint diligentiam agricolarum adhibitam manibus, atque laboribus, si nullam referant laborum vicissitudinem, igni traduntur: tale quiddam & in caussa contingit baptismatis. Cùm enim nos Christus plantauerit, & irrigatione spiritali potiti fuerimus: si deinde nullum fructum afferamus, ignis nos exspectabit gehennæ, & flamma inextinguibilis, &c.

Quemadmodum farina à furfuribus seiuncta, aquis subacta, & igne cocta, fit panis mensa dignus regia: sic homo à peccatis veluti furfuribus separatus, baptismi aquis ablutus, Spiritusque sancti igne coctus, panis fit mensa dignus Christi. Hinc illud Sebastiani Comitis, quod Victor commemorat initio libri 1. de Persecutione Vandalica. Cùm Sebastianus à Rege Genserico ad deserendam allice-*panc cõfers.* retur religionem: Respondit, ait Victor, quæso domine Rex, vt nunc vnus panis mundissimus, ac similaceus afferatur. Quem Genericus illicò iussit afferri. Apprehendens itaque Sebastianus mundissimum panem, ita effatus est: Hic panis, vt ad tantum decorem splendoris veniret, & mensæ regiæ necessarius haberetur, discussa spuria furfuris, ex massa similaginis conspersus, per aquam transiuit & ignem: idcirco & aspectu clarus, & esu suauis habetur. Ita & ego mola Catholicæ matris commolitus, & cribro examinationis vt simila munda purgatus, rigatus sum aqua baptismatis, & igne sancti Spiritus coctus. Et vt hic panis de furno, ita & ego per officia sacramentorum diuinorum, artifice Deo, de fonte mundus ascendi. Sed fiat, si velis, vt ipse propono; iste panis confringatur in frusta, madidetur aqua, & iterum conspergatur, & mittatur in furnum; si melior exierit, faciam quæ hortaris. Hæc præclarus ille Comes, quibus ostendit baptizatum panem esse mundissimum. Quemadmodum ergo panis semel à furfuribus separatus, furfures numquam recipit; sic baptizatus à peccatis *Peccata in baptismo sepulta ne resurgant.* disiunctus, ad se illa redire numquam patiatur. Mortuus es peccato in baptismate; caue ne iterum illi viuas. Exuisti veterem hominem; ne iterum indue. Crimina maris rubri aquis obruisti; ne illa repetas.

Sebastianus Comes baptizatum cum

Est baptismus, vt ait Optatus Mileuitanus lib. 5. *Optat. Mil. Baptismus virtutũ vita, mors criminum.* contra Parmenianum, virtutum vita, criminum mors, natiuitas immortalis, cælestis regni comparatio, innocentiæ portus, peccatorum naufragium, &c. Ergo viuant in te iam baptizato virtutes, moriantur crimina; innocentia veluti portu tranquillo septa quiescat; peccata naufragio sepulta nusquã appareant; cæleste regnum, immortalitas, hereditasque cælestis, per præclara opera comparetur. Is qui nascitur filius, patris heres est; tu natus es ex Deo, Dei ergo es heres. Carnalis natiuitas caducã, pauperemque in terra hereditatem affert; spiritalis, hereditatem tum opulentissimam, tum sempiternam in cælo tribuit. Heres in baptismo tantæ factus es hereditatis; ad beatam illius possessionem vt peruenias toto animi conatu dato operam.

CAPVT IV.

Morale.

De colloquio Christi cum Nicodemo.

Christifides est ad salutẽ plane necessaria. De baptismo egit Dominus cum Nicodemo, de fide quoque egit Christiana; eam verò esse necessariam proposito ex libro Numerorum typo demonstrauit. Quemadmodum, vt corporis sanitatem Israelitæ assequerentur, æneum serpentem in perticam sublatum aspicere opus fuit; ita vt animi salutem homines assequantur, Christum in Crucem actum fidei oculis intueri necesse est. Exstat typus *Typus serpentis anei.* in lib. Num. cap. 21. In populum longi itineris tædio affectum, aduersusque Deum, & Mosem obloquentem, ignitos immisit Dominus serpentes; vt obtrectationis morsus serpentum morsibus puniret. Iustitiam misericordia secuta est; remedium Mosi datum, serpentis æneiin perticam sublati conspectus:

qui Christum in Cruce exaltatum adumbrabat.

Cur Christus serpēte aneo sit adumbratus. Rom. 8.

Serpenti similis Christus fuit, sed æneo, id est, carenti veneno. Serpens, homo peccator est, peccati veneno infectus: Christus homo erat, sed peccator non erat, omniq́ue peccati veneno carebat. Vnde Paullus: *Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati*; id est, in similitudinem carnis peccatricis. Similis enim ceteris videbatur hominibus, at peccator nullo modo erat; inter serpentes, id est, iniquos latrones cruci suffixus est, at longissimè ab omni iniquitate aberat. *Elias.* Elias in Commentariis orationis tertiæ D. Gregorij Nazianz. in Iulianum, rogat: Quonam modo is, qui vt Deus natura bonus est, serpens dicitur? Respondet, quoniam secundùm nos, qui voluntate mali sumus, factus est in similitudinem carnis peccati, & inter iniquos deputatus est. Hoc nomine serpens Dominus dicitur, quòd cùm humanam naturam suscepit, in similitudine peccati exstitit, &c. *D. Cyril.* D. Cyrillus in Ioannem libr. 2. cap. 50. Serpens, inquit, peccatum significat, quòd variis morsibus venenū hominibus infundit. Verbum Dei factum in similitudinem carnis peccati, in carne sua peccatum damnauit, &c. Idem Cyrillus in lib. de Recta fide ad Reginas: Quale, inquit, est hoc ænigma, & quare inspiciens serpentem saluatur? Ideo quia vita secundùm naturam vnigenitus, Dei Verbum, factus est in similitudine nostra, hoc est, homo. Homo autem malus, sicut serpens. Sed quamuis sit factus nobis similis, siquis ipsum aspexit, morte superior euadit. Quid autem aliud est aspicere ipsum, quàm diligenter considerare sacramentum in ipso? Tunc enim spectabitur in similitudine malorum, hoc est, hominum; viuificus autem vt Deus, & abolens malignorum spirituum morsus. Vnus igitur est Dominus, & Filius idem & viuificator, vt Deus, & in specie malorū hominum, per carnis œconomiam, &c. *Augustin. Christum in similitudine carnis peccati missum.* Augustinus sermone 14. de verbis Apostoli: Misit Deus Filium suum non in carne peccati; sed in similitudinem carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum in carne: de serpente serpentem. Quis enim dubitet nomine serpentis appellari peccatū? Ergo de peccato peccatum, de serpente serpentem. Sed de similitudine. Quia in Christo nullum peccatum, sed sola similitudo carnis peccati. Ideo exaltatus est serpens, sed æreus: exaltata est similitudo carnis peccati, vt sanaretur origo peccati, &c.

Christus cur serpenti assimilatus. Gal. 3. Præterea serpens dicitur Christus; quia, vt Paullus ait, *Factus est pro nobis maledictum: Christus*, inquit, *nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno*, &c. Ambrosius lib. 1. de Apologia Dauid, capite 3. In figura, inquit, æneus serpens tamquam confixus cruci: quia verus serpens crucifigendus generi annuntiabatur humano, qui serpentis diaboli venena vacuaret. In figura maledictus, in veritate autem, qui totius mundi maledicta deleret, &c. *Cæsarius.* Cæsarius homil. 2. de Paschate: Videamus, inquit, quid sibi velit contra serpentium virus serpentis aspectus. Serpens ab initio maledictus erat, & qui suspendendus fuisset in ligno, sicut Saluator, maledictionibus replebatur. Iterum enim dicit, quod legimus: *Deut. 21. Maledictus qui pendet in ligno.* Videmus quid serpens contra serpentem. Idem damnatus contra damnatum, maledictus contra maledictum, sapientia contra calliditatem, mors contra mortem, &c. *Philip. siue Beda, in Gen. l. 3. c. 8.* Philippus siue Beda: Cùm, inquit, sciamus diabolum in Scripturis serpentem nominari: quis auderet de Domino ita credere; nisi ipse in se serpentis similitudinem verbis propriis expressisset, Ioannis 3. Et serpens, id est, diabolus, maledictus à Deo est, quòd Euam seduxerit: Gen. 3. & Christus: Maledictus omnis qui pependit in ligno. Maledictum quippe hominis in se suscipiendo, id est, eam, quæ ex sententia Dei venerat mortem, vt maledictum suspēdit in ligno. Et inde est quòd pro nobis Christus factus est maledictum, &c. *Chrysost.* Chrysostomus in demonstratione aduersus gentes: Crux, inquit, signum erat mortis maledictæ, mortis omnium defamatissimæ: hoc enim solum mortis genus maledictioni obnoxium fuit. Vt exempli gratia quid dicam, qui olim peccabant comburebantur, lapidabantur, & aliis modis vitam finiebant, vt in supplicijs tantùm. Crucifixus autem, & in ligno suspensus, non solùm hoc ferebat, vt graue aliquod supplicium, cui adiudicatus erat, sed & vt maledictum quoddam. Nam, *Deut. 21.* *Maledictus omnis*, dicit, *qui pendet in ligno*, &c.

Augustin. Serpēs mortem significat. D. Augustinus serpente exaltato mortem Christi adumbrari sentit tractatu 12. in Ioannem: Quis, inquit, est serpens exaltatus? mors Domini in Cruce. Quia enim à serpente mors, per serpentis effigiem figurata est mors. Morsus serpentis lethalis: mors Domini vitalis. Attenditur serpens, vt nihil valeat serpens. Attenditur mors, vt nihil valeat mors. Sed cuius mors? Mors vitæ, &c. Lib. 3. de Trinitate, capit. 10. Per serpentem intelligitur mors, quæ facta est à serpente in paradiso: modo locutionis, per efficientem id quod efficitur demonstrante, &c. Idem docet lib. primo de Peccat. merit. & remiss. cap. 32. & in commentariis in Epistolam ad Galatas. Et lib. 20. de Ciuitate Dei, cap. 8. Mors, inquit, morte destructa, veluti crucifixæ mortis similitudine signatur, &c.

Greg. Serpens in pertica exaltatus diabolum inducat. Diuus Gregorius Nazianzenus oratione 3. aduersus Iulianum, serpentem suspensum in pertica diabolum putat adumbrare à Christo victū: Plusquam, inquit, septem hominum millia, reliqua fuerunt, qui non flexerunt genua coram Baal, nec auream imaginem adorauerunt: nec à serpentibus vulnerati sunt: quòd serpentem illum suspensum, Christiq́ue passionibus oppressum, atque cōfectum intuerentur, &c. *Elias.* Elias in commentariis eiusdem orationis: Per serpentem, inquit, suspensum diabolum intelligit Gregorius: quòd æneus ille serpens suspensus hunc quoque præsignaret, &c. Idem Nazianzenus oratione 2. in Pascha: Serpens, inquit, æneus aduersus serpentum morsus suspenditur; non tamen vt Christi pro nobis passi typus, verùm vt antitypus, id est, contraria figura. Atque iis, qui ipsum intuentur salutem affert, dum non vita frui, sed mortuus esse, ac subditas sibi potestates secum interimere creditur. Oppressus nimirum, & exstinctus sicut merebatur, &c.

Tertul. Serpentem significare diabolum sentit quoque Tertullianus lib. 3. cōtra Marcionem, cap. 18. Moyses, inquit, post interdictam omnis rei similitudinem; cur æneum serpentem ligno impositum pendentis habitu in spectaculum Israeli salutare proposuit, eo tempore, quo à serpentibus exterminati sunt: nisi quòd & hic dominicæ Crucis vim intentabat, qua serpens diabolus publicabatur, & læso cuique à spiritalibus colubris, intuenti tamen, & credenti in eam, sanitas morsuum peccatorum, & salus exinde prædicabatur? &c. *Iustin.* D. item Iustinus in dialogo cum Tryphone: Figura, ait, & signo, quod contra mordentes muniebat, Israelitico populo serpentis erectio facta videtur, salutis credentium caussa. Quòd iam tum per eum, qui in crucē agendus erat, mors, quæ serpenti euentura erat, prædicebatur. Salus autem iis promittebatur, qui ab illo mordebantur; & ad eum, qui Filium suum, quem cruci suffixum dicimus, in mundum misit, confugiebant, &c.

Dicen-

Dicendum est, illo serpente Christum adumbratum. Id enim Christi verba indicant: *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis*: cum serpente enim exaltato se ipsum confert. Adde serpentis ænei conspectui ideo sanandi illam potentiam datam; quoniam Christum è Cruce pendentem præsignabat. Adumbratur autem Christus serpente, sed æneo, & omni veneno carente; quoniam pro serpente, hoc est, peccatore, est habitus, & vt serpens, id est, peccator, cruci suffixus: cùm tamen agnus, ipsaque innocentia, atque iustitia esset. Vnde Cæsarius loco citato: Serpens, inquit, contra serpentem, hoc est, Christus persequēs peccatum sub habitu peccatoris, &c. Præterea dicitur Christus serpens; quoniam aduersus diabolū, mortem & peccatum serpens fuit potentissimus: diabolum enim, mortem peccatumque momordit ac discerpsit, iuxta illud: *Ero mors tua ô mors, morsus tuus ero inferne*, &c. Vt serpens Mosis magorum serpentes vicit ac deuorauit: sic noster serpens tartareos serpentes omnes subegit ac profligauit. Ad hæc; serpens prudentiæ signum est, iuxta illud: *Estote prudentes sicut serpentes*. Indicat ergo serpens in ligno exaltatus Christi sapientiam; qua in Cruce exaltatus mundum redemit; iuxta illud hymni Ecclesiastici: *Hoc opus nostræ salutis ordo depoposcerat: multiformis proditoris ars vt artem falleret*, &c.

Ioan. 3.

Christ⁹ adumbratur serpente, sed carēte omni veneno.

Cur Christus serpēte significetur.

Osea 13. Exodi 7.

Matth. 10.

Nihilominus quemadmodum Ieo Christum significat in Scriptura & diabolum; ita & serpens significare potuit vno sensu Christū, altero satanam in Cruce à Christo victum, & Cruci veluti confixum. Iisdem enim clauis, quibus Christus est confixus, diabolum confixit; iuxta illud D. Leonis ser. 10. de Passione: Exaltatus Christus in ligno retorsit mortem in mortis auctorem. Claui illi perpetuis diabolum fixere vulneribus: & sanctorum pœna membrorum inimicarum fuit interfectio potestatum, &c. Augustinus in Epist. ad Galatas: Maledicta mors, maledictum peccatum, maledictus serpens: & hæc omnia in Cruce triumphata sunt. De maledicto vicit maledictū, qui vicit de morte mortem: & de peccato peccatum, & de serpente serpentem superauit, &c. Chrysost. hom. 55. in Matthæū: Crux, inquit, hasta, qua lethale vulnus dæmon suscepit, mucro, quo Christus caput draconis magno ictu rotauit, &c. Origenes hom. 8. in Iosue: Visibiliter quidem Filius Dei in carne crucifixus est: inuisibiliter verò in ea Cruce diabolus cum principatibus suis, & potestatibus affixus est. Crux illa trophæum diaboli fuit, in quo & crucifixus est, & triumphatus, &c. Cardinalis Petrus Damiani in serm. de Cruce: Ex vna parte crucis fixus est Christus; ex alia dæmon. Rex Hai Iosue 8. crucifixus est in gemino patibulo: ita Rex mortis in duplici patibulo suspenditur. Quia dum Christum interficit, in ipsa cruce figitur, quam inuenit, &c. *Suspensus est Aman in patibulo quod parauerat Mardochæo*, &c. Parauerat Aman crucem Mardochęo: parauerat quoque satanas crucem Christo. Vt Aman, sic satanas, in cruce, quam parauerat, suspensus est, luitque pœnas vterque proprio artificio.

Serpens in pertica diabolū etiam potest indicare à Christo fixum cruci.

Claui Christi diabolū fixerunt.

August.

Chrysost. Crux hasta & gladi quo dæmon est vulneratus.

Orig.

In cruce diabolus triūphatus est & fixus.

Esther 7.

Crucifixit Dominus serpentem, crucifixit etiam peccatorum nostrorum chirographum. Vnde Rufinus in expositione symboli: Aduersum nos, inquit, peccatorum chirographa scripta sunt: quia, vt Isaias dicit: *Peccatis nostris venundati sumus*. Pretium namque animæ suæ vnusquisque consequitur, cùm concupiscentiæ satisfecerit. Istud vniuscuiusque chirographum à dęmonibus tenebatur, quod Christus detraxit. Idque Paullus indicat, cùm dicit: *Delens quod aduersum nos erat chirographū, & affigens illud cruci, traduxit principatus & potestates, triumphans eos in semetipso*. Ita Ruffinus.

Dominus crucifixit peccatorum nostrorum chirographum.

Isaiæ 52.

Coloss. 2.

Rectè ergo serpens è pertica pendens, vt vult Nazianzenus, satanam significat à Christo in cruce superatum, & cruci confixum. Epitaphium illi canit idem Gregorius loco suprà citato huiusmodi: *Greg.* Quod tandem, inquit, illi, id est, diabolo in cruce victo, congruens epitaphium canemus? Vbi est mors stimulus tuus? vbi tua inferne victoria? Crux te prostrauit; vitæ auctor tibi necem attulit. Exanimis es, mortuus, iners; serpentis licet figuram serues, in sublimi loco dedecoris, & ignominiæ notis inustus, &c.

Dæmonis per crucem mortui epitaphium.

Sensu morali serpens ille significat peccatum. Est enim peccatum serpens venenatus, pestifero veneno mortem afferens sempiternam. Quemadmodum Israelitæ serpentem aspicientes sanitatem consequebantur; sic nos, si peccata, quæ aduersus Deum commisimus, vero animi cum dolore, ac repudio, fatendique proposito, moresque corrigendi, oculis animi aspexerimus, salutem comparabimus: iuxta illud Ezechiæ Regis in Cātico, quod est apud Isaiam: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*. Et illud Dauid: *Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper*. Quasi diceret: Serpētem meum, qui me lethali affecit vulnere intueor. Contra me, id est, coram me, è regione mei semper est; ante oculos mihi obuersatur peccatum meum. Cæsarius Arelatensis homilia secunda de Paschate: Etiam modo, inquit, si volumus, medela nobis contra morsum serpentis, viso serpente confertur. Quod nunc euidenter impletur; quando peccatum peccati ipsius cognitione curatur, & crimen criminis confessione aboletur. Homo quando dicit cum Propheta: *Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatū meū contra me est semper*. Quando bene respicit peccatum suum, sanat morium serpentis per serpentis aspectum. Hæc ille.

Serpens peccatum significat.

Isaiæ 38.

Psal. 50.

Peccata & serpētes aspicienda cum contritione, vt sanèmur ab eis.

Cæsar. Arel.

Psal. 50.

Diuus Augustinus in commentariis epistolæ ad Galatas serpentem ex ære factum ait, vt fidei in Christum crucifixum perpetuitatem significaret. Vt enim æs perpetuum est; sic fides Christiana. Non propter aliud, ait diuus Augustinus, ille serpens æneus factus erat; nisi vt permansuræ passionis Domini fidem significaret. Tamquam ęnea permanet crucis fides; vt cùm alij moriantur, alij nascantur, ipsam tamen sublimem permanere inueniant, quam intuendo sanentur, &c.

August. Serpens ex ære fidei Christianæ significat perpetuitatem.

Diuus Isidorus in Numeros, capite decimo nono: Æs, inquit, aliis metallis durabilius esse solet; & aptè æneus serpens ligno suspensus est, vt Dominus & in serpente mortuus, & in ære significaretur æternus, &c. Est etiam æs sonorum, sonum illum adumbrans, qui de cruce Christi in totū terrarum orbem exiit; iuxta illud: *In omnem terram exiuit sonus eorum*. Est præterea durissimum æs, Christi patientiam significās; qui veluti durissimū æs corpus suū omnibus exposuit cruciatibus: *Nec fortitudo, inquit, lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est*. Homo erat Iob, atque homo tantùm, æneam non habebat carnem. At Christus homo erat & Deus, carnem habebat sensus ac doloris maximè participem; sed si patientiam illam diuinam consideres, veluti æneam carnem habere videbatur. Ierem. 1. *Dedi te*, ait Dominus, *in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum, super omnem terram, Regibus Iuda, & Principibus eius, & sacerdotibus, & omni populo terræ. Et bellabunt aduersum te, & non præualebunt, quia ego tecum sum, ait Dominus, vt liberem te*, &c. En tibi serpentem æneum. Quemadmodum Ieremiam, sic & Christum dedit Deus in ciuitatem munitam, in columnā ferream, in murum æneum, super terram Iudæorum. Oppugnarunt illum, sed non

D. Isidor.

Æs durabile & sonorū.

Psal. 18.

Æs durissimū Christi cruci suffixi indicat patientiam.

Iob 6.

non præualuerunt; quoniam diuinitas erat in illo, A non vt in Ieremia, ſed humanitati in eodem ſuppoſito adiuncta.

Hoſtes Chriſtũ inſectati ſunt velut ſerpentem. Epiph.

Velut ſerpẽtem inſectati ſunt hoſtes Chriſtum, vt D. Epiphanius ait hæreſi 37. Inſtar ſerpentis, inquit, Dominum ſaluatorem ignominia afficiebant; & ex inſidiis ſerpentis iniuriam inferebant, dico autem diaboli, &c. Agnum, arietem, bouem, cùm occidi videmus, commouemur non nihil, ac quoquomodo miſeremur. At ſerpentem cùm vita priuamus, nulla nos miſericordia tangit. Sic Chriſtum hoſtes velut ſerpentem occiderunt, nullo miſericordiæ ſenſu commoti. Prætialere videbantur; ſed ſerpens erat æneus, id eſt, æternus. Paullò pòſt ſurrexit; & multos annos fidem, pœnitentiamque Iu- B dæorum exſpectauit. Cùm in perfidia permanerẽt: quemadmodum aduerſus peccatum, mortem, & diabolum, ita aduerſus eos ſerpentem egit, momordit impios, ac vaſtauit.

Rabbi Dauid Kimhi. Deus è contrario attulit medicinam orbi.

Rabbi Dauid Kimhi ait Deum ex contrario medicinam attuliſſe: homini enim, cui ſerpens morſum inflixerit, æris conſpectum mortiferum eſſe. Dicunt, inquit, ſapientes medicinæ, quod homo, quem momordit ſerpens, ſi aſpiciat æs, illico moriatur. Ideoque dixiſſe Deum ad Moſem: *Fac tibi ſerpentem æneum, qui percuſſus aſpexerit, viuet.* Contrario ſcilicet modo naturæ huius ſæculi, quò maius apparere faceret miraculũ. Quod idem & de maſſa ficus, qua Ezechias curatus fuit, conſtat. Similiter & de ligno, quod Dominus Moſi oſtendit, quod ex C ſe amarum erat, &c. An hæc vera ſint medici viderint. Certè verum eſt Deum è contrario medicinam attuliſſe orbi: cùm per mortem attulit vitam, per cruciatus adduxit gaudia, per ignominiam inuexit gloriam, per crucem æternum regnum nobis comparauit.

Chriſtum Crux exaltauit. Phil. 2.

Meritò autem exaltatus dicitur ſerpens & Chriſtus: *Sicut Moyſes*, inquit, *exaltauit ſerpentem in deſerto: ita exaltari oportet Filium hominis.* Etenim crux Chriſtum exaltauit, vt Paullus docet: *Humiliauit*, inquit, *ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum*, &c. Theophylactus in Ioan. Gloria Chriſti crux fuit. Hieronymus ad Hedibiam quæſt. 9. Glo- D ria ſaluatoris patibulum triumphantis eſt: crucifigitur vt homo, glorificatur vt Deus: denique Sol

2. Reg. 8.

fugit, terra contremiſcit, &c. *Fecit ſibi Dauid nomen, cum reuerteretur capta Syria, in valle Salinarum*, &c. Scilicet, quia fornicem excitauit triumphalẽ. Chriſtus verò Dauid noſter multo maius ſibi nomen

Phil. 2.

fecit triumphali crucis fornice excitato, vt Apoſtolus indicat epiſtola citata: *Factus*, inquit, *obediens vſq; ad mortem, mortem autem crucis.* Ecce fornicem præclariſſimum. Sequitur de nomine admirando quod

In Cruce Chriſtus nomen ſibi cõparauit clariſſimum.

ſibi fecit: *Propter quod & Deus exaltauit illum: & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Super omne, inquam, nomen Dauidis, Salomonis, Alexandri, Cæſaris, Imperatorumque omnium, & Regum. E Cuiuſnam Regis nomini, aut Ducis flexit vmquam genu cælum aut tartarus? Nullius ſanè. Addit verò Paullus: *Vt in nomine* IESV *omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Ecce quale quantumque nomen Chriſtus in cruce comparauit.

Chriſtus in cruce homines exaltauit.

Exaltatus eſt per crucem Chriſtus, & nos etiam exaltauit. Summa enim eſt hominum exaltatio, quòd pro eis Deus in cruce voluit exaltari. Præterea exaltauit per crucem homines, & veluti cæleſti machina, graui pondere preſſos, in cælum vſque,

Ioan. 3.

æternamque vitam & gloriam extulit. *Exaltari*, inquit, *oportet Filium hominis: vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam*, &c. Quaſi dicat: Exaltari oportet Filium hominis, vt exaltet homines. Æternæ morti per peccatum ſunt deſtinati; ego verò non ſolùm æternæ mortis faucibus illos eripiam, verùm etiam in æternam vitam, æternamque gloriam per crucem adducam.

Iuſtitiæ originalis naui fracta naufragium omnes in primo parente fecimus. Crux Chriſti tabula eſt poſt naufragium naufragis natantibus obla- *Crux tabula poſt naufragium.* ta. Arripe tabulam, ſi non vis perire; ſed ad vitam æternam, veluti ad portum tutiſſimum ſaluus peruenire.

Celſiſſimum cælum eſt, in quo æterna vita agitur; ſcala opus habemus celſiſſima illuc vſque pertingente. Quænam ſcala tantæ reperiri poterit celſitudinis? Nimirum Iacob ſcala, de qua ſcriptum exſtat: *Vidit in ſomnis Iacob ſcalam ſtantem ſuper ter-* *Gen. 28.* *ram, & cacumen illius tangens cælum*, &c. Hęc eſt crux, *Crux ſcala in cælum ducens.* quæ in terra conſtituta tangit cælum; quæ in terra natos homines in cæleſtem gloriam euehit. O Dei mirandam potentiam ac ſapientiam, ex ſcala, per quam ſcelerati latrones in æternam deſcendebant mortem, ſcalam fecit, per quam iuſti in æternam aſcendant vitam. D. Leo ſerm. 4. de Paſſione: De in- *D. Leo.* ſtrumento, inquit, quod iniquitas Iudæorum parauit ad pœnam, potentia redemptoris gradum nobis fecit ad gloriam, &c. Auguſt. tract. 4. de Cata- *Auguſt.* clyſmo, cap. 6. ſcalas Chriſtus fecit, per quas hominem lapſum ad Patrem leuauit. Quale miraculum fratres huius architecti, vt de virga ſua faceret ſcalas; & tales, quarum caput in cælũ poneret. Aſcende ſecurus qui deſideras cælum; non te terreat, earum nec anguſtia, nec longitudo, nec latitudo. Nihil timeas, non nutant gradus eius, quos ille architectus ſic confirmauit, vt in eius ligno manus ſuas affigi voluerit, &c.

Luc. 9.

Meritò ſanè in ſumma illa transfigurationis gloria, atque fulgore in monte Tabor, vt Lucas ait, Moſes atque Elias de exceſſu, id eſt, morte & cruce, cum Chriſto loquebantur. Etenim ad corporis ful- *Crux totius claritatis & ſplendoris Chriſti cauſſa.* gorem ac gloriam per crucem Chriſtus aſcendit; nosque non ſolùm ad corporis, ſed animi etiam admirabilem beatitudinem euexit. Arbor mortem nobis attulit æternam, quæ arbor dicta eſt ſcientiæ boni & mali, non quòd aliqua in fructu illius vis eſſet, quæ boni & mali pareret cognitionem: ſed vel ab euentu, quòd Adamus experientia malum bonumque cognouerit, poſtquam fructum vetitum edit, cùm antea bonum ſolummodo experiretur; vel à mendaci illo diaboli dicto: *In quocumque die comederitis ex eo, eritis ſicut dij ſcientes bonum & malum.* Arbor item, id eſt, crux nobis attulit æternã vitam, *Crux arbor ſciẽtiæ boni & mali.* quæ vere arbor ſcientiæ boni malique vocari poteſt; tum quoniam illius fructui ſuauiſſimo nempe Chriſto vis ineſt maxima, quę mali bonique cognitionem efficiat; tum quia ex illa quantum bonum *Ex cruce cognoſcitur peccati malũ, & gratia bonum.* gratia & gloria, quantumque malum ſit peccatum, planè cognoſcimus. Quis enim non intelligat gratiam & gloriam bonum eſſe maximum, peccatum malum eſſe grauiſſimum; cùm videat è cruce pendentem incarnatum Dei Filium, vt peccatum aboleret, & gratiam, gloriamque nobis ſanguine, vitaque omne pretium ſuperante compararet? Hinc illud Auguſtini ſermone primo de Epiphania: Quàm *Auguſt.* grauis ſit peccati, & quàm dura conditio, prodit remedij magnitudo, &c.

Crux ex profundo malorũ hominẽ euexit in ſummum bonorum.

In profundo malorum omnium genus iacebat humanum, ex profundo malorum omnium in celſiſſimum bonorum omnium culmen per crucis ſignum eſt exaltatum; quemadmodum olim ferrum, quod in profundum Iordanis decidit, in ſummum aquæ ab Eliſæo per lignum eſt reuocatum. *Accidit,* *4. Reg. 6.* *vt cùm vnus materiam ſuccidiſſet, caderet ferrum ſecuris in aquã: exclamauitq; ille, & ait: Hen, hen, hen, Domine mi:*

& hoc ipsum mutuò acceperam. Dixit autem homo Dei: Vbi cecidit? At ille monstrauit ei locum. Præcidit ergo lignum, & misit illuc: natauitq; ferrum, & ait: Tolle, qui extendit manum, & tulit illud, &c. Vides grauissimum ferrum ex profunda aqua ligno attractum? sic homines ferro peccatorum pondere submersi crucis ligno ex malorũ omnium pelago sunt educti. Tertullianus in lib. aduersus Iudæos, capit. 13. Elisæus, inquit, accepto ligno, & misso in eum locum, vbi submersum fuerat ferrũ, statim supernatauit. Quid manifestius huius ligni sacramento? quòd duritia huius sæculi mersa in profundo erroris, & à ligno Christi, id est, passionis eius, in baptismo liberatur. Vt quod perierat olim per lignum in Adam; id restitueretur per lignum Christi, &c.

Tertull.

Per cõtraria summus medicus medicinam adhibuit.

Per contraria contrariis mederi voluit summus medicus. Per arborem, quæ oculis, aspectuique horrenda erat, id est, crucem, medicinam attulit morbo ex arbore illa contracto, quæ Geneseos 3. *Pulcra oculis, aspectuq; dicitur delectabilis.* Per manuum extensionem ad cruciatum, extensioni manuum Euæ ad fructum dulcem; per fel & acetum, gustui; per coronam spineam, ambitioni; per crucis humilitatem, superbiæ; per summam patientiam, impatientiæ; per summum amorem, inuidiæ; per summam paupertatem, auaritiæ; per crucis dolores, voluptatibus, deliciisque hominum, medicatus est. Vnde Nazianzenus in Apologetico: Lignum, inquit, aduersus lignum, & manus aduersus manum: illę, inquam, fortiter extensæ, aduersus incontinenter extensam: illæ clauis confixę atque constrictæ, aduersus remissam & solutam: illæ orbis fines coniungentes, aduersus eam, quæ Adamum ex paradiso exturbauit. Sublimitas aduersus lapsum; & fel, aduersus gustum; & spinea corona, aduersus prauum imperium; & mors aduersus mortem, &c. Ita Christus serpentum morsus curauit. Sunt enim serpentum morsus, superbia, ambitio, auaritia, cupiditas, malus amor, inuidia, libido, ceteraque huiusmodi vitia, quibus exaltatus, serpentis instar, facit medicationem, ne pereamus, sed æternam vitam consequamur. *Exaltari*, inquit, *oportet Filium hominis, vt omnis qui credit in eum non pereat; sed habeat vitã æternam.*

Cap. 3. Gen. 3.

Nazian.

Ioan 3.

Vt omnis, ait, *qui credit in eum* fide viua, *non pereat.* Nam non ad Iudæos solùm salus ex cruce profecta pertinet; sed ad reliquas etiam nationes. Ideo extra Iudæorum vrbem cruci suffigitur Dominus, ne pro solis Iudæis, vt ait Chrysostomus, mortem oppetere putaremus. Chrysostomus in homil. de Cruce & Latrone: Ne putares, inquit, pro illa tantùm plebe oblatum; ideo foras ciuitatem, ideo foras muros. Vt scias sacrificium esse commune, &c. *Vt omnis*, inquit, *qui credit in eum non pereat; sed habeat vitam æternam.*

Crux omnium gentium salus, non Iudæorũ tantùm. Chrysost.

Ioan. 3.

Nõ solũ per crucẽ à peccato sumus liberati, sed gloria etiam æterna donati. Luca 23.

Non satis fuit redemptori summo ab æterna perditione nos liberare; æternam quoque vitam summa cum gloria coniunctam in cælesti paradiso voluit donare. Id quod cruci suffixus ostendit, cùm latroni paradisum promittens ait: *Hodie mecum eris in paradiso.* In cruce paradisum pollicetur; quia crux paradisum aperuit. Et latroni pollicetur, vt crucis vim intelligas, quæ etiam latronibus medicari, & mortuis vitam afferre possit.

Crux inter hieroglyphicas litteras. Ruffin.

Crucem inter hieroglyphicas litteras Ægyptios habuisse aiunt; significasse verò *venturam vitam.* Diuino fortè numine hoc litteræ significatum impositum est; quoniam crux vitam mundo attulit æternam. Rufinus libro 2. Histor. cap. 29. Signum, inquit, Dominicæ crucis inter illas, quas dicunt ἱερογλυφικὰς, id est, sacerdotales litteras, habere Ægyptij dicuntur, velut vnum ex ceteris litterarum quæ apud illos sunt elementis. Cuius litteræ, seu A vocabuli, hanc asserunt esse interpretationem: *Vitã ventura.* Hæc ille. Et Socrates libro quinto histor. cap. 17. In templo Serapidis diruto, & fundamentis conuulso, litteræ repertæ fuerunt lapidibus incisæ, quas hieroglyphicas appellant. Erant formæ insculptæ, quæ crucis habebant effigiem. Gentiles quidam ad fidem Christianam conuersi, qui litteras hieroglyphicas accuratè nouerant, formam crucis quid sibi vellet interpretantur: *Vitam venturam* significare docent, &c. Ventura vita, olim vita erat per Christum perdito orbi afferenda: *Vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Si sancta crux eleuata non esset, ait Augustinus sermone 90. de tempore, Christianus populus in æternum periisset, &c.

Socrat. Crux vitã ventura significabat. Ioan. 3. August.

Exodi 12. Typus salutis per crucem parta.

Perierunt Ægyptij, quorum ædes agni sanguine non sunt signatæ; non perierunt Hebræi, quorum postes cruore victimæ rubescebant. Exodi 12. *Erit sanguis vobis in signum in ædibus, in quibus eritis, & videbo sanguinem, & transibo vos: nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Ægypti*, &c. Quid hoc adumbrat? Videlicet, eos perituros, qui animum crucis sanguine non imbuerint; vitam æternam cõsecuturos illos, qui Christi è cruce pendentis diuino cruore fuerint purpurati. Trucidantur apud Ezechiel. ij qui signo *Thau* non sunt notati; euadunt mortem qui signum impressum habent. *Omnem*, ait Dominus, *super quem videritis Thau, ne occidatis*, &c. Eumdem in modum trucidantur omnes qui signo crucis non sunt insigniti; seruantur qui illo sunt notati, hoc est, qui in Christum crucifixum viua fide credunt, ij vitam æternam consequuntur. Diuus Cyprianus contra Iudæos libr. 2. Quòd in signo, inquit, crucis salus sit omnibus, qui in frontibus notentur, apud Ezechielem dicit Dominus: *Notabis signum super frontes.* Item in Exodo Deus ad Moysem: *Et erit sanguis in signo vobis super domos*, &c. Ita Cyprianus intellexit hos typos.

Ezech. 9. Cyprian.

Christus in cruce exaltatus, ipsam crucem exaltauit.

Diximus in cruce Christum exaltatum, exaltatos quoque homines. Addo, & per Christum exaltatam quoque crucem. Siquidem fructus arborem exaltat: Christus autem crucis fructus est verè bonus, oculis pulcer, aspectuque delectabilis. Ferebat illa fructus turpissimos atque amarissimos, nempe latrones, sicarios, sceleratosque alios; quamdiu hos tulit, noxia, infelix, infamis, horrida, hominibus arbor fuit: postquam verò cælorum Regem tulit, salutaris, felix, glorioſa est, & amabilis. Videlicet, exaltauit illa summum Regem; viciſſimque ab eo exaltata, & à tergo latronum in diademata, frontesque Regum translata est. D. Hieronym. ad Lætam: Regum purpuras, & ardentes diadematum gemmas, patibuli saluatoris pictura cõdecorat, &c. Chrysostomus in Demonstrat. aduersus gentes, quòd Christus sit Deus: Reges, inquit, positis diadematibus, crucem suscipiunt. In purpuris crux, in diadematibus crux, in armis crux, in toto orbe crux, & super Solem fulget crux, &c. Item: Hoc, inquit, quod erat abominabile, hoc extremi supplicij symbolum crux, diadematibus & coronis clarius factum est. Neque enim sic regia corona ornatur caput, vt cruce; quæ omni cultu dignior; & quam omnes prius abhorrebant, eius figuram tantopere quærunt: atque adeò vbique ea inuenitur, apud Principes, apud subditos, apud mulieres, apud viros, apud virgines, apud nuptas, apud seruos, apud liberos. Subinde omnes ea se signant, inscribendo in nobilissimum membrum nostrum. In fronte enim nostra quasi in columna quotidie figuratur. Sic in sacra mensa, sic in sacerdotum ordinationibus, sic iterum cum corpore Christi, & in mysticis cœnis fulget. Hanc

Hieron. Chrysost.

vbique

Crux in domo, in foro, in viis, mõtibus, &c.

vbique celebrari videre licet, in domibus, in foro, in solitudine, in viis, in montibus, in collibus, in vallibus, in mari, in nauigiis, & insulis, in lectis, in vestibus, in armis, in thalamis, in symposiis, in vasis argenteis, in aureis, in margaritis, in murorum picturis, in corporibus brutis malè affectis, in corporibus à dæmoniis obsessis, in bellis, in pace, sparsa est in parietibus domorum, in culminibus, in libris, in ciuitatibus, in vicis, in locis, quæ habitantur, &

Crucis reliquiæ in magno honore habitæ & exaltatæ.

quæ non habitantur, &c. Item: Ipsum lignum, in quo positum est corpus Domini, & crucifixum, quare totus orbis habere ita contendit, vt qui paruum quiddam ex illo habeant, hoc auro includant, tam viri quàm mulieres, & ceruicibus suis aptent; hinc valde honestati, & magnifici, & muniti, & protecti, licet condemnationis fuerit signum? Sed qui omnia operatur & præparat, qui orbem terrarum à peccato tanto transfert, & terram cælum facit, etiam rem hanc, licet contemptam, & omnibus mortibus turpiorem, supra cælos eleuauit, &c.

Iam crux est exaltata, iam honor est, non horror, gloria est Christianorum, non pœna sceleratorum. Iam in cruce non suffiguntur scelerati, sed gloriantur viri sanctitate præclari; iuxta illud Paulli: *Mihi autẽ absit gloriari nisi in cruce Domini nostri*, &c. Quidni glorientur in cruce, quę Domini crux est, Domini signum, Domini vexillum? Augustinus Psal. 36. Crux, inquit, de pœna generis humani sublata est. Cùm sub antiquis scelerati crucifigerentur; modò nullus crucifigitur. Honorata est & finita, finita est in pœna, manet in gloria. A locis suppliciorum fecit transitum ad frontes Imperatorum. Qui tantum honorem dedit pœnis suis; quid seruat fidelibus suis? &c.

Gal. 6.

August.

Christus exaltauit crucẽ cùm Imperat. Constantino in cælo illam ostendit. Euseb.

Exaltauit Christus crucem suam, & exaltari voluit à magno illo Imperatore Constantino. Etenim, vt inquit Eusebius in vita Constantini lib. 1. cap. 22. Christus splendidam crucem in cælo Imperatori, atque exercitui iter facienti ostendit. Præterea inscriptionem huiusmodi: *In hoc signo vince.* Cùm iam Sol, ait Eusebius, ad medium cælum ascendisset, die in pomeridianum tempus paullulùm inclinante, dixit Constantinus, se crucis signum ex lucis splendore figuratum in ipso cælo Soli imminens manifestò oculis conspexisse, inque eo inscriptionem consignatam, quæ hæc verba complectebatur: *In hoc vince.* Admiratio ingens ipsum, & totum exercitum, qui eum quopiam iter facientem comitabatur, atque adeò huius prodigij spectator factus erat, incessit; sed dubitatione admodum intra se distrahi, quid tamdem illud ostentum sibi vellet, asseruit. Atque eum diu multumque de eo cogitantem oppressit nox. Ibi ei dormienti Christum cum signo in cælo monstrato visum esse; præcepisseque, vt exemplari ad imitationem illius signi, quod in cælo apparuerat fabricato, eo tamquam præsidio in præliis vteretur, &c. Vides quomodo Christus crucem suam exaltauerit, & summi Imperatoris vexillum esse voluerit?

Idem.

Ex lapidib' pretiosis & auro crux efformatur à Constantino Imp. Labarum efformatũ in crucem.

Paruit auditis Constantinus, & simulatque dies illuxit, ait Eusebius, surgens, arcanum illud visum amicis suis exposuit. Deinde artificibus, qui aurum & lapides pretiosos affabrè sculpere nouerant, accersitis, signi describit effigiem, eam auro & lapidibus pretiosis imitatione adumbrare mandat, &c. Subiicit Eusebius ipsius vexilli siue Labari effigiem, his verbis: Effigiem contigit vt nos oculis contemplaremur: ipse enim Imperator eam nobis ostendere dignatus est. Erat autem tali figura fabricata; hastile oblongum, erectumque, auro vndique obductum fuit; quod cornu habuit transuersum, ad formam crucis cõstructum. Suprà in fastigio ipsius operis corona affixa lapidibus pretiosis, & auro polite circumtexta. In ea salutaris appellationis seruatoris nota inscripta, duobus solùm expressa elementis, id est, duabus primis litteris nominis Christi: erat enim ϱ in medio litteræ χ subtiliter inserta, quæ totum Christi nomen perspicuè significarunt. Quas quidẽ litteras deinceps Imperator semper in galea gestare consueuit. Ad cornu illius particulæ, quæ ex transuerso erat per hastile traiecta, velamen quoddam pertenue appensum adhæsit; regalis videlicet, & magnifica textura, mirabili varietate lapidum pretiosorum artificiosè coniunctorum, lucisque suæ claritate pulcrè resplendentium depicta, & multo auro intertexta; quæ dici non potest quantam spectatoribus ob suam pulcritudinem excitarit admirationem. Istud igitur velamen ad cornu affixum lõgitudinis latitudinisque crucis mensuram penitus exæquauit. Oblongum verò & erectum hastile in sublimi appensum, cuius pars inferior versus basim longius ducta fuit; sub ipsum crucis insigne ad texturæ discurrẽtis fimbrias, auream pij Imperatoris pariter, ac liberorum suorum effigiem, ad pectus vsque concinnè descriptam continuit. Isto igitur salutari signo Imperator, tamquam hostilis cuiusque, & infestæ violentiæ propugnaculo, semper vsus est. Cuius expressæ similitudines mandauit vt vniuersum exercitum perpetuò antecederent. Hactenus Eusebius. Hoc Imperatoris vexillum in crucem efformatum *Labarum* nominatur; in cuius fastigio corona erat gemmis illustris cum Christi nomine, duabus primis nominis litteris Græcis, χ & ϱ, nomen totum indicantibus. Vnde Prudentius:

Nomẽ Christi in Labaro duabus litteris scriptum.

Christi nomẽ Constantinus Imp. in galea ferebat.

Labarũ vexillum Imp.

Prudent.

CHRISTVS *purpureum gemmato textus in auro*
Signabat Labarum.

Quantùm verò auxilij exercitui attulerit idem Eusebius indicat lib. 2. cap. 7. cùm de bello scribit, quod Constantinus cum Licinio gessit: Salutari, inquit, seruatoris vexillo exercitum antecedente, præclariora victoriæ trophæa cõsequutus est Constantinus. Nam in qua parte istud crucis vexillum visum fuit, hostes fugam capere, victores persequi. Qua re intellecta Imperator sicubi partem aliquam sui exercitus languentem cernebat, ibi salutare illud vexillum, tamquam quoddam subsidium ad victoriam obtinendam locari mandauit. Cuius adiumentis extemplò parta est victoria; quippe dimicantium vires diuina quadam potentia fuere admodum cõfirmatæ. Quapropter suis iussit satellitibus, qui & corporis robore erant, & virtute animi, & pietatis institutis in primis eximij, vt in solam vexilli illius gubernationem omni cura ac studio incumberent. Erant viri non pauciores quinquaginta numero, quibus nihil aliud impositum erat negotij, quàm vt vallarent vndique vexillum, præsidiis munirent, singulique ordine illud ipsum humeris portarent, &c.

Euseb.

Constantin. Imp. crucis vexillo languentẽ exercitus partẽ iuuabat.

Libet illud etiam addere, quod de vexillifero ipse Constantinus narrat crucis, quam ferebat, desertore: Cùm in media, ait, belli dimicatione ingens fortè fremitus, & turbatio repentina exercitum occuparet; ille, qui vexillum hoc portabat humeris, inter præliandum primùm præ formidine exhorrescere cœpit, deinde alteri illud tradere, vt belli impetum effugeret. Postquam alter accepit, isteque fuit ex acie egressus, & extra vexilli præsidium locatus, telo coniecto in ventre confossus est, morteque sopitus cõcidit. Atque vt iste timiditatis, & diffidentiæ pœnas luens ibi mortuus iacuit; sic ille, qui salutare trophæum sublime, & erectũ portabat, omnino eius euasit subsidio incolumis. Adeò vt sæpè cùm tela frequentia ab hostibus in eum iacerent-

Constant. Miles crucis quã in prælio ferebat, desertor peristit, alter cui illã tradidit seruatus est.

cerentur, qui ipsum ferebat saluus exstiterit, & vexilli hastile tela missa exceperit. Atque istud omnem plane superat admirationem; tum quòd tela ab hostibus iacta sic intra angustum illud, & exiguum hastilis ambitum peruolabant, vt in eo fixa hæresceret, tum quòd ille, qui illud ipsum gestabat mortem effugeret, immo verò vt qui hoc ministerium obibant, nihil damni incòmodive aliquando acciperent. Hæc Constantinus apud Eusebium.

Crucis desertores pereunt.

Dissimiles considera militum exitus. Qui crucem deserunt, à Deo deseruntur, & pereunt: qui autem crucem ferunt, à Deo defenduntur, & viuunt.

Euseb. Crux ex gemmis fabricata.

Ad hæc, ait idem Eusebius libr. 3. de Vita Constantini, cap. 48. in ipso palatij introitu, in ædificio omnium excellentissimo, in medio tecti, laqueari inaurato, in tabula maxima explicata, salutaris passionis insigne, id est, crucem, ex lapillis pretiosis cuiusque modi, auroque polite elaboratis confectum, figendum curauit. Istud Imperatori sanctissimo regni firmum videbatur esse propugnaculum, &c.

Propugnaculũ imperij crux Constantino videbatur.

Denique arma militum crucis effigie signanda curauit; supplicium crucis à Romanis decretum maleficis, lege sustulit; suam imaginẽ siue in nummis expressam, siue depictam in tabulis iussit semper hoc diuino signo inscribi consignarique. Feriam verò sextam, in qua Christus fixus est cruci, veneratus est, legemque tulit, vt tum die Dominico, tum die Veneris, siue potius feria sexta, omnes à iudiciis dandis, & aliis obeundis negotiis vacarent, precibusque Deum colerent. Quæ omnia testatur Sozomenus lib. 1. Histor. cap. 8. De signis Imperatoriis sic Prudentius contra Symmachum:

Feriam sextam coluit.

Sozomen. Prudent.

Agnoscas Regina, id est, Roma, *lubens mea signa necesse est,*
In quibus effigies crucis aut gemmata refulget,
Aut longis solido ex auro præfertur in hastis.

De militum armis Christi nomine, cruceque insignitis, ita:

Clypeorum insignia Christus
Scripserat; ardebat summis crux addita cristis.

Denique exaltabitur tandem crux extremo iudicij die, cùm in conspectu omnium hominum, quicumque sunt, erunt, aut fuerunt, Solis instar in cælo rutilabit. *Tunc*, ait Dominus, *parebit signum Filij hominis in cælo.* Tunc apparebit, tunc exaltabitur, tunc fulgebit, tunc quàm nobile, ac glorioſum signum sit patefiet, tunc vt castrorum Dei vexillum coram toto orbe præibit.

Matth. 24.

Agnoscamus nostrum vexillum, nostrumque labarum; id crux est, vt Augustinus docet lib. 4. de Symb. Crux, inquit, vexillum nostrum est contra aduersarium diabolum, &c. Vexillum sequuntur milites; nos sequamur crucem. Columnam sequebantur Israelitæ, crucem sequantur Christiani. Etenim columna, quæ nos in cælestem præcedit patriam, crux est. Columnæ effigie ostensam Constantino scribit Socrates lib. 5. Histor. c. 1. Circiter meridiem, inquit, die aliquantulum iam in pomeridianum tempus inclinante, Constantinus columnam lucis in cælo effigiem crucis radiis mirè exprimentem vidit. In qua litteræ inerant ista verba complectentes: *In hoc vince*, &c. Eodem lib. cap. 24. postea tempore Constantij Constantini filij in Oriente eadem forma visam ait idem auctor his verbis: Vbi Antiochiam aduentauerat Gallus, signum Seruatoris in Oriente apparuit. Nam columna crucis effigiem exprimens in cælo visa, maximam intuentibus excitauit admirationem, &c.

Augusti. Crux vexillum Christianum. Exodi 13.

Crux columna.

Colũna cruciẽ effigiem exprimẽs in cælo visa.

Vexillum nostrum crux est, & pretiosum signum. Pretiosum signum est, pretiosi quoque sint Christiani, qui tam præclaro signo consignantur.

Crux pretiosum signum.

A Augusti. id postulat serm. 215. de tempore: Magna, inquit, res est signum Christi, & crux Christi; & ideo de isto tam pretioso signaculo res magna, & pretiosa signari debet. Quid enim prodest, si de annulo aureo sigillum facias, & putridas paleas intus recondas? Quid prodest, si signum Christi in fronte, & in ore gestamus, & intus in anima crimina & peccata recondimus? &c. Demus ergo operam vt pectus, caput, osque, quæ diuino signo consignamus, pretiosa sint, pura, & peccato vacua. Purum sit pectus, quod tali signo munitur; purum sit caput, purumque os. Regio signo thesaurus signandus est; diuino hoc signo Christianus veluti gratiæ virtutumque omnium thesaurus notandus, ne fur B signum reuellere, ne thesaurum diripere audeat. Quòd si pectus, caput, & os, impura sunt, si gratia vacuus est Christianus; non propterea capiti, ori, ac pectori, signum imprimere desinat dæmoni horribile, & quem domo excepit tartareum hospitem, domo confestim expellere conetur.

Pretioso signo res signatur pretiosa, id est, Christiana.

Quid autem significet pretiosum crucis signum docet Augustus. tract. 118. in Ioan. Cruce, inquit, significari recte intelligitur quod ait Apostol. ad Ephes. 3. *Quæ sit latitudo, & altitudo, & longitudo, & profundum.* Lata est quippe in transuerso ligno, quo extenduntur pendentis manus; & significat opera bona in latitudine caritatis. Longa est à transuerso ligno, vsque ad terram, vbi dorsum pedesque figuntur; & significat perseuerantiam in longitudine temporis, vsque in finem. Alta est in cacumine, quod transuersum lignum sursum versus excedit, & significat supernum finem, quo cuncta opera referuntur. Quoniam cuncta, quæ latitudine ac longitudine, bene ac perseueranter fiunt, propter altitudinem diuinorum facienda sunt præmiorum. Profunda est in ea parte, qua in terram figitur. Ibi quippe & occulta est, nec videri potest, sed cuncta eius apparentia, & eminentia inde consurgunt; sicut bona nostra de profunditate gratiæ Dei, quæ comprehendi ac diiudicari non potest, vniuersa procedunt, &c. Vult Augustinus latitudine crucis, id est, ligno transuerso, caritatis opera significari; longitudine, perseuerãtiam; cacuminis altitudine, rectam, atque altã in bonis operibus intentionem; profunditate, quæ sub terra latet, diuinæ gratiæ incomprehensibilitatem, de qua lege eumdem Augustinum serm. 7. de verbis Apostoli.

Augusti. Ephes. 3. Quid significet crucis longitudo, latitudo, altitudo, & profundũ.

Ex Augustino, latitudine crucis caritas indicatur, lõgitudine, perseuerãtia, altitudine, recta intẽtio, profunditate, diuina gratia incomprehensibilitas.

Aliter tractatu 4. de Cataclysmo, cap. 6. vbi crucem scalam esse docet quatuor habentem gradus: Quatuor, inquit, gradus posuit Paullus: *Vt possitis comprehendere quæ sit altitudo & latitudo, longitudo & profundum.* Non ergo laboriosæ sunt hæ scalæ. Quatuor gradus habent; & perducunt ad cælum. In altitudine crucis caput positum est crucifixi. Sursum cor habeat Christianus ad Dominum, quod interrogatus quotidie respondet; & ascendit vnum gradum. In latitudine crucis manus affixæ sunt crucifixi: perseuerent manus Christiani in operibus bonis, & secundum gradum ascendit. In longitudine crucis corpus pependit crucifixi. Castiget quis corpus suum obseruationibus, ieiuniis illud suspendat, vt seruituti animæ subiiciat, & tertium gradum ascendit. In profundo crucis occultum est, quod non vides, sed inde exsurgit hoc totum, quod vides. Adsit fides Christiana; quod non potest comprehendere, credat corde, altiora à se non quærat, spes eum nutriat; & tunc quartum gradum ascendit, &c. Lege eumdem August. serm. 7. de verbis Apostoli, & epist. 119. cap. 14. item epist. 120. cap. 26. & lib. 2. de Doctrina Christ. cap. 41.

Ephes. 3. Ex Augustino, altitudine crucis, cordis significatur eleuatio in Deũ, latitudine, manuũ fixarum in bonis operibus perseuerãtia, longitudine, corporis castigatio, profunditate, fides.

D. Gregor. Nyssenus de significatione crucis quid scribat

D. Gregorius Nyssenus in oratione prima de Resurrectione: Vidit, ait, Apostolus, quòd crucis figura

figura quatuor prominentiis ab ea, quę in medio eſt commiſſura, diſpertita, atque diducta, Chriſti virtutem ac prouidentiam per omnia manantem, & in omnes partes ſe diffundentem ſignificat. Et idcirco vnamquamque prominentiam propriis vocabulis appellat. *Profunditatem* dicens, id quod à medio deorſum pertinet, *altitudinem*, quod ſupra eſt; *latitudinẽ*, verò ac *longitudinẽ*, quod vtrimque ex tranſuerſo diſtenditur; vt id quod ab vna parte eſt, latitudo, quod ab altera parte eſt, longitudo, appellet-
Crux ſignificat nihil eſſe quod à diuina natura non cõtineatur. tur. Quibus verbis hoc mihi ſignificare videtur: quòd nihil ex rebus vniuerſis ſit, quod à diuina natura omnino non contineatur: quidquid ſupra cælos, quidquid ſub terra, quidquid ad terminos rerum vndiq; ex obliquo porrigitur. Significat enim per *altitudinem*, id quod ſupra eſt: per *profunditatem*, id quod ſub terra eſt: *longitudine* autem ac *latitudine*, terminos per medium porrectos, qui ab ea virtute continentur, cuius in poteſtate vniuerſa ſunt. Fiat autem tibi eorum, quæ dicuntur, demonſtratio, per ea quæ in animo tuo fiunt, dum cogitas de Deo. Suſpice enim in cælum, ac profunditates infernas cogitatione perpende: extende mentem ad obliqua atque extrema conſtitutionis rerum vniuerſarum: & cogita quæ ſit ea virtus, quæ hæc contineat, quæ tamquam nodus aliquis & vinculum vniuerſitatis ſit. Et videbis quòd in mente tua de diuina potentia cogitatio, figuram crucis ex ſublimibus ad profunditates pertinentem, & ad terminos extremitatum, per obliquum porrectam, vltro inſculpit, &c. Similem in modum Damaſcenus libro 4. Fidei, cap. 12. Quemadmodum, inquit, quatuor extremæ crucis partes per medium centrum inter ſe cohærent, & conſtringuntur: ita per Dei potentiam ſublimitas, & profunditas, ac longitudo, & latitudo, hoc eſt, omnis tam viſibilis, quàm inuiſibilis creatura continetur, &c.

Ruffin. Addam & aliam Ruffini ſigni nobiliſſimi ſignificationem. In expoſitione ſymboli Apoſtolorum
Crux Chriſti triũphus erat & trophæum. ſic ille ſcribit: Sciendum, quòd crux triumphus erat: triumphi enim inſigne eſt trophæum. Trophæum autem deuicti hoſtis indicium eſt. Quia ergo aduenìens Chriſtus tria pariter ſibi regna ſubi-
Phil. 2. iecit: hoc enim indicat Apoſtolus, vbi ait: *Vt in nomine Jeſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum*, &c. Et hæc omnia ſua morte vincebat: conueniens myſterio mors quæſita eſt. Vt in aërem ſublimatus, & aëreas ſubiugans poteſtates, victoriam de his ſupernis & cæleſtibus traderet. Expanſas autem manus tota die, ſicuti Iſaias 65. ait, tenderet ad populum incredibilem, qui eſt in terra: vt incredulos conteſtaretur, & inuitaret credentes. Ea verò parte, quæ ſub terram demergitur, inferna
Venã Pict. ſibi regna ſubiiceret. Hæc ille. Et Venantius Pictauienſis Epiſcopus in expoſitione eiuſdem ſymboli: Crucis, inquit, ſignificatio, qua Dominus in patibulo ſe pati elegerit, quæritur: ratio tamen hæc redditur. Crux trophæi ſpecies eſt, quod deuictis hoſtibus ſolet fieri triumphanti. Et quia Dominus tria ſibi regna ſubiecit; ſuſpenſus in aëra, victoriam de cæleſtibus, & ſpiritualibus nequitiis eſt adeptus: expandens autem manus ad populos, palmam de terrenis. Quòd verò ſub terra crux fixa eſt, oſtendit eum & de tartaro triumphare, &c.

Præterea ipſa crucis figura in Orientem protenſa, Occidentem, Auſtrum, atque Septemtrionem, illud ſignat quod Chriſtus dixit: *Exaltari oportet Filium hominis, vt omnis qui credit in eum non pereat; ſed habeat vitam æternam*. Omnis, inquit, ſiue ex
Ioan. 3. Oriente veniat aut Occidente, ſiue ex Auſtro aut Septemtrione. Itaque in omnes terræ plagas crux meritò porrigitur; quoniam quicumque ex omnibus terræ plagis ſeruantur, per crucem ſalutem conſequuntur. Rupertus Ioan. 3. Figura, inquit, crucis Chriſtus orbem quadrifidum ad ſe trahere proteſtatur, &c. Cardinalis Dam. in ſermone de Cruce: Vide, inquit, quomodo quadrifaria ratione Crux quatuor mundi climata comprehendat, & omnem ad ſe pertrahat creaturam. Adſtat Ieſus in medio quadrifaria ſui corporis parte diſtentus; & expanſis manibus, omnibus ad ſe ex omni parte venientibus ampliſſimum miſericordiæ ſinum oſtendit. A quacumque mundi parte procedas, ſiue ab Oriente, ſiue ab Occidente, ſiue à Meridie, vel à Septemtrione, paratus eſt ipſe ſuſcipere venientem, &c.

Rupert. *Card. Dam.* *Crux in quatuor mundi partes protẽditur orbemq; trahit.*

Eodem loco docet figuram crucis à terra in cælum erectam, cum cælo terram, cum Angelis cæleſtibus homines terræ incolas, coniunxiſſe. Reſpice, inquit, crucem ſtantem, & vide quàm recta cacuminatione de terris erigatur ad cælum; & veritatem rei ipſa imagine proteſtetur. Nónne tibi videtur figura eius cælum, & terram ſublimi continuatione coniungere? Hæc eſt firmiſſimum, & indiſſolubile gluten, quo conglutinantur rationales creaturæ, vt ex vtriſque fiat illa ciuitas, cuius participatio eius in idipſum, &c.

Crucis figura ſignificat terram cum cælo per crucem eſſe conſunctam.

Adiice iis; Patres ſanctiſſimum hoc crucis ſignum in rebus nonnullis conſideraſſe: ſcilicet, in homine natante, aue volante, naue fluctus ſecante. Vt natet homo, vt volet auis, ille brachia, hæc alas extendit, & in crucis ſe formam componit. Vt fluctus ſcindat nauis, malo & antennis, quæ crucem efficiunt, opus habet. Eumdem in modum, ſi in fluctibus ſæculi huius vult natare Chriſtianus, ſi in cælum nauigare, vel volare, crux eſt neceſſaria. In crucem ſe ille efformet, crucifigatque inſanas cupiditates. D. Maximus de Cruce hom. 11. Grande, inquit, eſt crucis myſterium, etſi intelligamus, per hoc ſignum mundus ipſe ſaluatur. Nam cùm à nautis ſcinditur mare, prius arbor erigitur, velum diſtenditur, vt cruce Domini facta, aquarum fluenta rumpantur. Sed & bonus agricola cùm parat terræ ſolum vertere, non niſi per ſignum crucis id facere conatur: dũ enim aratro dentale ſubiicit, affigit aures, ſtiuam inſerit, figuram crucis imitatur. Cælum quoque ipſum huius ſigni figura diſpoſitum eſt. Nam cùm quatuor partibus diſtinguitur, Oriente, Occidente, Meridiano, ac Septemtrione; quatuor quaſi crucis angulis continetur. Ipſius etiam inceſſus hominis cùm manus leuauerit crucem pingit; atque ideo eleuatis manibus orare præcipimur, vt ipſo quoque membrorum geſtu paſſionem Domini fateamur, &c. D. Iuſtinus Martyr in Apologet. 2. Conſiderate, ait, omnia quæ in mundo ſunt, an ſine hoc ſigno crucis gubernentur, aut poſſint præbere ſui vſum. Mare enim non ſcinditur, niſi malus ſaluus in naui maneat, terra non aratur ſine eo ſigno; humana figura à belluis differt, quod erecta ſit, & manuum extenſionem habeat, &c. Lege ſer. 56. apud Ambroſium.

In homine natãte, aue volãte, naue nauigante, crucis ſignũ obſeruatur. *D. Max.* *D. Iuſtin.*

Denique cum hoc pretioſo ſigno frontes conſignamus; meminerimus non frontes ſolùm ſigno, ſed mores etiam exemplo crucifixi eſſe cõſignandos, quod docet Abbas Guerricus in ſermon. 2. in ramis Palmarum: Sic, inquit, iuſta rationis conſequentia poſtulare videtur, vt exemplum crucifixi ad iuſtificationem ſuam imprimant moribus; qui ſignum crucis ad munimen ſui imprimunt frontibus, &c. Illi autem exemplo crucifixi conſignant mores, qui carnem cupiditatesque à ratione alienas crucifigunt, Iuxta illud Paulli: *Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis*, &c. Exaltatus eſt per crucem Chriſtus, ſic nos

Non ſolum frõs, ſed mores etiã crucis ſignandi. Abbas Guer. *Gal. 5.*

per

per noſtram crucem exaltabimur. Per hanc exaltatus eſt Petrus, Andreas, Paullus, ceteriq́ue Diui omnes.

CAPVT V.

Morale.

De colloquio Christi cum Nicodemo.

Amor Dei immenſus.

IN cruce ſerpentis inſtar Moſaici ſe exaltandum Dominus prædixit Nicodemo, quæ quidem res erat ſtupenda. Quid enim maiori admiratione dignum, quàm incarnatum Deum è cruce videre pendentem, & in cruce animam exhalãtem? Addit tam ſtupendæ rei cauſſam, nempe ſtupendum Dei amorem. *Sic enim*, inquit, *Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret.* In quæ verba Chryſoſtomus ita ſcribit homilia 26. in Ioannem: Illud verbum, *ſic dilexit*, & illud, *Deus mundum*, immenſam amoris ſignificat vehementiam. Magna enim inter hæc differentia eſt, & minimè conferenda. Qui enim immortalis eſt, & nullo fine comprehenditur, & qui potentiſſimus eſt, ex terra & cinere factos, & innumeris peccatis obnoxios, & malè de ſe meritos, & ingratos, dilexit. Quæ præterea ſequuntur magnam vim habent. *Vt Filium ſuum*, inquit, *vnigenitum daret*: non ſeruum, non Angelum, &c. *Sic*, inquit, *Deus dilexit*; hoc eſt, tam vehementer, & eouſque dilexit, vt Filium daret cruci ſuffigendum. Quamobrem meritò hoc conſiderans, ad Deum Patrem ſic exclamat Eccleſia in Sabbato ſancto: *O mira circa nos tua pietatis dignatio, ô inæſtimabilis dilectio caritatis! vt ſeruum redimeres, Filium tradidiſti*, &c.

Ioan. 3. Chryſoſt.

Caritas Dei nimia, dines, Gehennens. Epheſ. 2.

Nimiam vocat Paullus hanc Dei erga ſeruos caritatem: *Deus*, inquit, *qui dives eſt in miſericordia, propter nimiam caritatem, qua dilexit nos, & cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Chriſto*, &c. Diuitem appellat Deum in miſericordia. Quemadmodum autem in miſericordia, ita etiam dives fuit in amore, & nimius, ac vehemens. Dives miſericordia, & dives, nimiaq́ue, ac liberaliſſima Dei caritas, donum opulentiſſimum hominibus tradiderunt, quo nullum eſt opulentius, nullum maius, videlicet ipſum Dei vnigenitum Filium. *Sic*, inquit, *Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret.* Quaſi dicat: Nimia, vehemens, liberaliſſimaq́ue fuit Dei caritas, quæ Filium hominibus tradidit. Multa hactenus dona Deus hominibus fuerat plena manu elargitus, attamen nullum illorum amorem, quo donabantur, adæquabat. Amor enim Dei infinitus eſt; dona verò omnia, quæ elargiebatur, finita erant. Iam ſic Deus dilexit mundum, vt donum daret, quod diuinum amorem exæquaret. Infinitus eſt Dei amor, infinitus quoque eſt vnigenitus Dei Filius. Videlicet, infiniti amoris donum infinitum.

Ioan. 3.

Donum infinitum Dei amorem exæquauit infinitum.

Magnum quidpiam, & expetendum putant homines, à Rege diligi; quàm igitur erit magnũ, quàm erit optabile diligi à Deo, cum quo ſi Reges omnes conferantur, puluis ſunt & vmbra? Magna quidem res eſt diligi à Deo; ſic verò diligi, vt Filium ſuum pro nobis daret, res eſt glorioſiſſima. Non ſic Angelos, Cherubinos, ſummósve dilexit Seraphinos, vt pro illis Filium daret; at ſic Deus dilexit mundum, ſic dilexit homines, ſic dilexit ſeruos, ſeruos, inquam, impios ac ſceleratos, vt Filium ſuum illis daret. Numquid ſolùm vt illis dominaretur, vt Rex eſſet, vt leges ferret? glorioſum hoc fuiſſet. At non ſolùm vt Rex eſſet, legesq́ue ferret ſalutares; ſed vt pro ſeruis improbis mortem ſubiret, vnigenitum

Maximum beneficium Dei in genus humanum.

Deus ſeruis dedit. At quam mortem? Numquid, vt in bello pro regno dimicans glorioſè occumberet, aut vt in pace, in lecto aureo, gemmatisq́ue periſtromatis exornato, è vita excederet? Minimè, ſed vt mortem ignominia, opprobrioq́ue pleniſſimam in cruce oppeteret, non vt Rex, ſed vt ſerpẽs in patibulo exaltatus. Quid hic diceret præclarus ille Philoſophus Seneca? quàm ingentem animo conciperet admirationem, ſi Deum intelligeret ſic dilexiſſe mundum? Scripſit ille in lib. 2. de Ira, cap. 27. Nimis nos ſuſpicimus, ſi digni nobis videmur, propter quos tanta moueantur. Non nos cauſſa mundo ſumus hiemem æſtatemq́ue referendi, &c. Non exiſtimauit Philoſophus tanti homines eſſe pretij, vt propter illos mundus curſum teneret ſuum. Quid igitur diceret, ſi quod nos intelligimus, ipſe quoque intelligeret; non ſolum mundũ propter nos ſuum tenere curſum, verum etiam, quod ſtupendum maximè eſt, vnigenitum Dei Filiũ pro nobis in crucem opprobrio plenam actum eſſe? Non nimis nos ſuſpicimus, ô Seneca; nimis nos ſuſpexit Deus, nimis nos honorauit, nimis extulit, cùm ſic nos dilexit, vt Filium ſuum vnigenitũ nobis daret. Non mundum tantummodò; ſed poſt mundum Filium etiam dedit. Tantus illius fuit erga mortales amor.

Senec.

Ethnicis fuit crux ſtultitia, quia amorẽ Dei erga homines nõ cõſiderarũt. 1. Cor. 1.

Iudæis & ethnicis, qui hunc amorem non intellexerunt, crux Chriſti ſcandalum fuit & ſtultitia; iuxta illud Paulli: *Prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam*, &c. Iis autem, qui hanc ardentiſſimam erga humanum genus Dei caritatem agnoſcunt, eadẽ crux Chriſti amoris totiusq́ue ſuauitatis fons eſt. De Paſchali agno hoc præceptum exſtat. *Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, ſed aſſum tantùm igni.* Qui aſſum igni agnum intellectu comedit, hoc eſt, qui ardentiſſimo amore flagrantem Chriſtũ meditatur; mortem pro hominibus etſi acerbiſſimam ſubiiſſe facilè ſibi perſuadet. Si verò crudũ quis malè comedat; hoc eſt, ſi amoris igne erga homines carentem falſa exiſtimatione conſideret: Deum crucem pro homine voluiſſe tolerare nequaquam ſibi perſuadebit. Si Iudæi atque ethnici aſſum agnum comediſſent; Cruci pro hominibus ſuffixum fuiſſe facilè credidiſſent. Diuini pectoris flammam attingere neſciuerunt; ideoq́ue à veritate aberrarunt. Aſſus comedendus eſt agnus. *Non comedatis*, inquit, *ex eo quid crudum, ſed omnia aſſa.* Nullum enim agni, id eſt, Chriſti redemptoris opus, abſque amore comedendum eſt, id eſt, conſiderandum.

Exodi 12.

Aſſus agnus comedẽdus. Exodi 12.

Omnia quidem Chriſti opera amore ſunt pleniſſima; in cruce tamen amor magis elucet. Serpens ille, quem Moſes in deſerto exaltauit, Hebraicè appellatur שרף, ſcharaph. *Fac*, inquit Dominus, *ſerpentem, & pone eum pro ſigno*: Hebraicè: Fac tibi שרף, ſcharaph, id eſt, ignitum, & *pone eum pro ſigno.* Expende typum, & ſignificatum intuere. Serpens ille typicus pro ſigno propoſitus ignitus dicitur: Chriſtus verò, quem ſignificabat, totus ignitus eſt, totus in cruce amore flagrat. Iudæis pro ſigno propoſitus eſt ignitus ſerpens: nobis pro ſigno in cruce proponitur amore inflammatus Chriſtus.

In cruce maximè elucet Dei amor. Num. 21.

Ardet Chriſtus amore: ardet diabolus odio in nos, ac furore. Chriſtus cæleſti caritatis igne nos cupit accendere; iuxta illud: *Ignem veni mittere in terram: & quid volo, niſi vt accendatur?* Dæmones tartareo igne conantur inflammare. Quamobrem ſerpentibus, qui Iſraelitas occidebant, meritò adumbrantur. Nam illi quoque ſerpentes igniti, & שרפים, ſcheraphim, Hebraicè dicuntur: *Miſit Dominus in populũ ignitos ſerpẽtes.* Hebraicè הנחשים השרפים, hannechaſſehim haſſcheraphim. Cur autem

Luca 12.

Dæmones ignitis ſerpẽtibus ſimiles Num. 21.

Serpentes qui Hebræos occidebant cur igniti dicantur.

autem ſcheraphim, id eſt, igniti, ſiue ardentes ſerpentes illi dicerẽtur, docuit noſter Interpres Deut. 8. Vocabulum enim ſcharaph, quod Num. 21. ignitum vertit, flatu adurentem interpretatus eſt: *Deus, ait Moſes, ductor tuus fuit in ſolitudine magna, atque terribili, in qua erat ſerpens flatu adurens, ſcorpio ac dipſas,* &c. Hebraicè: In qua erat ſerpens, שרף, ſcharaph, id eſt, ignitus, ſiue flatu adurens. Similis eſt morſus dipſadis ſerpentis, qui à Lucano his deſcribitur carminibus:

Deut. 8.

Lucan. l. 9.

Ecce ſubit virus tacitum, carpitq; medullas
Ignis edax, calidaq; incendit viſcera tabe.
*Ille (*ſcilicet percuſſus*) vel in Tanaim miſſus, Rhodanumq; Padumq;;*
Ardet, &c.

Flatu aduſtũt tartarei ſerpentes.

En ſerpentes tartareos flatu adurentes. Nónne peſtifero flatu vrunt, cùm auaritiæ, iracundiæ, odij, libidinisque faces admouent? Hoc igne homines viuentes incendunt; mortuos verò illos, qui conceptas ſcelerum flammas, lacrymarum, veræque pœnitentiæ aquis non exſtinxere, æternis rogis in ſempiternum cruciandos imponunt.

Habac. 3.

Itaque igniti ſunt tartarei ſerpentes, ſed igne tartareo; ignitus eſt ſerpens in cruce exaltatus, ſed igne cæleſti, id eſt, flagrante caritate. Iuxta verſionem ſeptuaginta Interpret. legitur: *Cornua in manibus eius, & poſuit dilectionem robuſtam fortitudinis ſuæ,* &c. Cornua crucem ſignificare ſentiunt Patres, Hieronymus, Cyprianus, Auguſtinus, & alij. Attulit Chriſtus in manibus cornua crucis, ad ventilandos, pendendosque tartareos hoſtes; & poſuit in ea dilectionem robuſtam ac potentiſſimam. Robuſtiſſima enim caritas illa fuit, quæ ſic dilexit mundum, vt pro eo crucis mortem ſubire non recuſauerit, immo vehementer deſiderauerit. D. Bernardus ſer. 20. in Cantica, dilexiſſe ait Deum fortiter, ſapienter, & dulciter: Dilexit, inquit, nos Deus dulciter, ſapienter, fortiter. Dulciter, quia carnem induit; ſapienter, quia culpam vitauit; fortiter, quia mortem ſuſtinuit, &c. In perferenda morte, & morte crucis, caritatis fortitudo, & robur enituit, ideoque meritò robuſta caritas Chriſti cruci affixi appellatur.

Chriſt⁹ cornibus crucis ventilauit hoſtes tartareos.

Caritas Chriſti in cruce fuit robuſtiſſima.

Deus dilexit dulciter, ſapienter, fortiter. Bernar.

Conſidera quæſo amantem; conſidera amorem; conſidera donum; tandem altera ex parte conſidera etiam amatum. Deus bone, quantum eſt inter hæc diſcrimen! Amans Deus eſt: *Sic,* inquit, *Deus dilexit.* Amor vehementiſſimus & robuſtiſſimus eſt. *Sic,* inquit, *dilexit,* id eſt, tam vehementer: emphaſim enim habet particula *Sic*, vt Chryſoſtomus animaduertit homilia 27. in Geneſim. Donum infinitum eſt vnigenitus ipſe Dei Filius: *Vt Filium,* inquit, *ſuum vnigenitum daret* cruci ſuffigendũ. Quiſnam verò hic eſt à potentiſſimo, ſapientiſſimo, opulentiſſimo, & nullius rei indigente Rege amatus? quis hic eſt tanto amore dilectus, vt ei Filium ſuum Deus in crucem ſuſtollendum daret? Mundus. *Sic,* inquit, *dilexit mundum,* mundum, inquam, peccatorum macũlis inquinatum, mundũ perditum, mundum immundum. *Sic Deus dilexit mundum*: id eſt, homines mundi incolas; optimus improbos, maximus minimos, opulentiſſimus pauperes, potentiſſimus imbecilles, ſapientiſſimus inſipientes, creator vilem creaturam, Dominus iniquos, ac fugitiuos ſeruos. O infinitam Dei bonitatem! ô robuſtiſſimam caritatem! Quemadmodum vnum contrarium, contrarium alterũ iuxta quod collocatur, facit eminere; ſic mundi impietas caritatem Dei facit elucere. Vnde illud Paulli: *Commendat caritatem ſuam Deus in nobis; quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, ſecundùm tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt,* &c. Certè vbi abundauit delictum, ſuperabundauit amor. *Vix pro iuſto,* ait Paullus eodem capite, *quis moritur; nam pro bono forſitan quis audeat mori.* At Chriſtus non pro iuſtis, ſed pro impiis mortuus eſt. Auguſtinus ſerm. 109. de tempore: Audi, inquit, quomodo amatus es turpis, fœdus, antequam eſſet in te quod amari dignum eſſet. Etenim Chriſtus, vt ait Apoſtolus, pro impiis mortuus eſt. An forte impius amari merebatur? quid merebatur impius? damnari, &c.

Ex pẽdũtur illa verba: Sic Deus dilexit mundum.

Rom. 5.

Amauit nos Deus odio dignos, id eſt, impios. Auguſt.

Sed quorſum Deus immundũ dilexit mundum? Dilexit immundum, vt faceret mundum, dilexit fœdum, vt faceret pulcrum, dilexit impium, vt faceret pium, dilexit ſceleratum, vt faceret beatum. Dilexit captiuum, vt liberaret, dilexit perditum, vt reficeret, dilexit ægrum, vt ſanaret, dilexit mortuum, vt vitam ei ſempiternam donaret. *Sic* inquit, *Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam,* &c. Ioan. *In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium ſuum vnigenitum miſit Deus in mundum, vt viuamus per illum,* &c. Auguſt. tract. 7. in epiſt. Ioannis: Iniquos amauit, ſed iniquitatem ſoluit; iniquos amauit, ſed non iniquitatem congregauit; ægrotos amauit, ſed ſanandos viſitauit, &c. Et ſerm. 109. de tempore: Amatus, inquit, es prius, vt dignus fieres, qui amareris, &c.

Dilexit impios Deus, vt faceret pios.

Ioan. 3.

1. Ioan. 4.

Auguſt.

Indigni erant iniqui amore diuino. At diuinus amor dignos amore fecit; caritatem ac gratiam donauit, & odio dignos amabiles reddidit. Scelerum expulit fœditatem, virtutum induxit pulcritudinem, amoris magni conciliatricem. Merebantur iudicari, & damnari; ſed amor voluit illos ſeruari. *Non miſit,* inquit, *Deus Filium ſuũ in mundũ, vt iudicet mundum; ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.* Miſſio fuit amoris, non ad iudicãdum, ſed ad ſaluandũ. *Orietur vobis Sol iuſtitiæ: & ſanitas in pẽnis eius,* &c. Sol iuſtitiæ Chriſtus appellatur; in pennis autẽ eius, id eſt, alis huius Solis, quibus ad nos volat, ſanitas eſt & mundi ſalus; volauit amoris radiis ardens è cælo in terram, non ad iudicandum, ſed ad ſaluandũ. Et ſanitas in pennis, & in pœnis, & cruciatibus eius. Volabit iterum idem Sol iuſtitiæ in iudicio, de quo eo capite loquitur Vates: Volabit, inquam, ad iudicandum. Et ſanitas etiam tunc in pennis eius, ſed probis ac ſanctis viris ſanitas, quos ab æterna damnatione liberabit; iudicium verò, id eſt, damnatio, improbis ac ſceleratis, quos æterno igni mancipabit. Primus aduentus amoris fuit, vt improbos faceret probos, eosque ſeruaret. Secũdus iuſtitiæ erit, vt improbos, qui probi fieri noluerunt, damnet. Vtrique aduentui illud congruit: *Non eſt qui ſe abſcondat à calore eius.* Huius enim Solis calor in ſecundo aduentu improbos torrebit, probos oblectabit; in primo autem mundi tenebras expulit, hominibus ſalutiferam lucem, ardoremque caritatis attulit.

Amor Dei odio dignos amabiles reddidit.

Malach. 4.

Chriſtus Sol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius, & in pœnis.

Pſal. 18.

Itaque exaltatus eſt in cruce Chriſtus, in cruce exaltatus amorem ſuum erga homines exaltauit. Hanc amoris exaltationem ſignificat prticula *ſic. Sic,* inquit, *dilexit. Fecit ſibi Dauid nomen, cùm reuerteretur capta Syria, in valle ſalinarum,* vt ſuprà diximus. Noſter autem Dauid nomen ſibi fecit in monte Caluariæ. Nomen, inquam, ſibi fecit amantis homines; nomen miſericordis, nomen clementis, & nomen quoque iuſti. Nam & amorem in cruce exaltauit, & iuſtitiam. Vt enim ex ſeuero rigidoque iure faceret ſatis diuinæ iuſtitiæ, cruci ſuffigi voluit Dei Filius. *Ecce,* inquit, *Rex tuus veniet tibi iuſtus & ſaluator.* Saluator venit, & miſericors: ſed iuſtus etiam. Per miſericordiam ſeruauit & per iuſtitiam.

Chriſtus amorẽ ſuũ erga homines in cruce exaltatus, exaltauit.

2. Reg. 8.

Zach. 9.

Sermone 64. in Cant. ait Bernardus amorem de Deo triumphaſſe: Triumphat, inquit, de Deo amor. O triumphum admirabilem! Quis triumphantis

Bernar.

Caritas de Deo in cruce triumphauit. Gregor.

Amor dulcis tyrannus Christū crucifixus affecit.

Iustin.

Caritas liberali mensura sanguinē Christi dedit. Luca 6.

Amat Deus vt redametur. August.

Deus nos inuitat ad redamādum; nos potius mundū quā Deum diligimus. Osea 3.

phantis currus est? Sanè crux. In illa enim de Deo caritas triumphauit. Dulcis tyrannus appellatur amor à D. Gregorio Nazianz. orat. 28. Amorem, inquit, dulcem tyrannum agnoscere cœpi, &c. Si quæris tyrannum, qui Christum cruciarit, hic est. Hic tyrannus Christum vinxit, hic alapis affecit, hic verberauit, hic spineam diuino capiti coronam imposuit, hic cruci suffixit. Nec potuisset Pilatus sententiam ferre, nec Iudæi vel milites exsequi, si dulcis hic tyrannus sententiam prius non tulisset, illamque exsequutioni mandasset. Nullum vinculum, ait Iustinianus libro de Ligno vitæ, capit. 6. Filium Dei ad columnam tenere potuisset, si caritatis vinculum defuisset; nullum ferrum eum in cruce tenuisset, nisi caritas affuisset, &c. Meritò igitur sic exclamat eodem loco: O caritas quàm magnum est vinculum tuum, quo Deus ligari potuit! &c.

Liberalis amor est, non parua dat mensura; magna mensura metitur donum. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret. Mensuram bonam*, ait Dominus, *& confertam, & coagitatam, & superefluentem, dabunt in sinum vestrum*, &c. Hæc diuini amoris mensura fuit. Hac Christi sanguinem in cruce superefluenter mensus est. Cardinalis Petrus Damiani in sermone de sancta Cruce: Sufficeret ad redemptionem orbis vel vna pretiosissimi sanguinis gutta; sed data est copia, vt virtus diligentis in beneficij redundatione clarescat, &c.

Sic, sic, inquam, Deus dilexit nos; vt nos ipsum diligamus. Prior amauit, vt redamemus, præuenit amore, vt sequamur, flammas subiecit, vt incendamur. Si pigri eramus, ait Augustinus tract. 7. in epist. Ioannis, ad amādum; non simus pigri ad redamandum. Et de catechizandis rudibus, cap. 4. Si amare Deum pigebat, saltem redamare non pigeat. Nulla enim maior ad amorem inuitatio, quàm præuenire amando. Et nimis durus est animus, qui dilectionem si nolebat impendere, nolit rependere, &c.

Inuitat homines suo aduentu ad amandum, siue potius ad redamandum Deus; at illi mundum potiùs quàm Deum, tenebras potiùs quàm lucem diligunt: *Lux*, inquit, *venit in mundum: & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* Imperat Prophetæ Dominus: *Vade, dilige mulierem dilectam amico, & adulteram, sicut diligit Dominus filios Israel: & ipsi respiciunt ad Deos alienos, & diligunt vinacia vuarum*, &c.

A Et quales sumus adulteræ feminæ similes, quam vir diligit; illa verò amore suo, nō virum, sed adulterum prosequitur. Homines diligit Deus; at illi adulteri, non Deum, sed adulterum mundum amore complectuntur; & diligunt vinacia vuarum inania, quæ veræ lætitiæ vinum proferre nequeunt; botrum verò terræ repromissionis æternæ lætitiæ plenitudine redundantem despiciunt. O hominum ingratitudinem! O duritiem ferream! O impietatem! *Hæccine reddis Domino populestulte & insipiens?* Deut. 32. ait Moyses in cantico, populum alloquens Israeliticum: *Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creauit te?* Mihi autem hos ingratos homi- B nes, qui Christum mundi Solem splendidissimum non diligunt, sed ab eo alienati tenebris oppletum mundum toto amore prosequuntur, sic alloqui libet: Hæccine redditis Domino, ô ingrati, beneficiorumque tantorum immemores? Siccine debita repræsentatis? siccine gratiam restituitis? siccine amorem, quem tantus amor exposcit, rependitis? siccine dolores illos, cruciatus, vulnera soluitis, sanguinisque diuini profusa flumina remuneratis? Numquid non ipse est Pater vester, creator, & redemptor? Vbinam est amor Patri, creatori, redemptori debitus? vbi obsequia? vbi munera? vbi gratiæ? C Non satis est crucem pertulisse semel; nouam iterum paratis crucem, nouos clauos, noua vulnera? Amorem illi debitum mundo hosti redditis tenebrosum, vosque ad æternas trahentem tenebras amatis; Solem fulgentissimum cælos, terrasque luce collustrantem fugitis? *O insensati*, vt cum Paullo loquar, *quis vos fascinauit, vt mundum plusquam Deum diligatis, ante quorum oculos Iesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus?* Fascinauit vos mundi pulcritudo? at infinito interuallo pulcrior est mundo Christus. Fascinauit vos honor, fascinauerunt diuitiæ; sed omnes mundi diuitiæ, omnes honores, si cum D diuinis conferantur, puluis sunt, & diuitiarum, honorumque imagines quædam inanes, atque vmbræ tenebrosæ. Denique tenebras Ægypti diligitis. Non igitur mirum si tenebris obcæcati, terraque caligine circumfusi viuitis. Conuertite, obsecro, ad lucem oculos, conuertite ad Solem Christum voluntatem & amorem; vt conuertamus nos quoque verba, ac dicamus: Venit lux Christus in mundum; & dilexerunt homines lucem; tenebras horruerunt.

Vinacia vuarum inania, sunt res caducæ.

Gal. 3.

CAPVT VI.

De baptismo discipulorum Christi.

IOAN. CAP. III.

POST hæc venit Iesus, & discipuli eius in Iudæam terram: & illic demorabatur cum eis, & baptizabat. Erat autem & Ioannes baptizans in Ænnon, iuxta Salim: quia aquæ multæ erant illic, & veniebant, & baptizabantur. Nondum enim missus fuerat Ioannes in carcerem. Facta est autem quæstio ex discipulis Ioannis cum Iudæis de Purificatione. Et venerunt ad Ioannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum. Respondit Ioannes, & dixit: Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cælo. Ipsi vos mihi testimonium perhibetis, quòd dixerim: Non sum ego Christus; sed quia missus sum ante illum. Qui habet sponsam,

ſponſus eſt: amicus autem ſponſi, qui ſtat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi. Hoc ergo gaudium meum impletum eſt. Illum oportet creſcere, me autem minui. Qui de ſurſum venit, ſuper omnes eſt. Qui eſt de terra, de terra eſt, & de terra loquitur. Qui de cælo venit, ſuper omnes eſt. Et quod vidit & audiuit, hoc teſtatur: & teſtimonium eius nemo accipit. Qui accepit eius teſtimonium, ſignauit, quia Deus verax eſt. Quem enim miſit Deus, verba Dei loquitur. Non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum. Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu eius. Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus eſt Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.

EGIT Chriſtus cum Nicodemo de baptiſmo, vt ſuprà expoſuimus; poſtea in Iudæam terram veniſſe ait Ioannes, diſcipulosque ſuos iuſſiſſe baptizare. *Poſt hæc*, ait, ſcilicet, poſt colloquium habitum cum Nicodemo, & reliqua quæ Ieroſolymis facta ſunt, *venit Ieſus & diſcipuli eius in Iudæam terram*. Dubium eſt, vndenam venerit in Iudæam terram: nam Chriſtus in Iudæa terra erat, cùm habuit colloquium cum Nicodemo. Diſceſſitne poſtea in Galilæam vel Samariam, indeque reuerſus eſt in Iudæam? Ianſenius ita ſentit, Chriſtum ſcilicet, poſteaquam Nicodemum docuit, in Galilæam abiiſſe, atque ex Galilæa rurſus in Iudæam terram rediiſſe; idque ſignificare Euangeliſtam his verbis: *Poſt hæc venit Ieſus & diſcipuli eius in Iudæam terram*. Venit, inquam, ex Galilæa, quo fuerat profectus; quam profectionem Ioannes ſilentio præteriit. In Gloſſa quoque ordinaria ſic habetur: *Venit Ieſus in Iudæam terram* non continuò poſt diſputationem cum Nicodemo, quæ facta eſt Ieroſolymis; ſed peracto ſpatio temporis, de Galilæa in Iudæam rediit, &c.

Vndenam venerit Chriſtus in Iudæam terram.

An redierit Chriſtus in Galilæam poſt colloquium habitũ cum Nicodemo.

Veriſimilius tamen eſt, non rediiſſe Chriſtum ex Iudæa in Galilæam; ſed ex vrbe Ieruſalem, in qua cum Nicodemo ſermonem habuit, veniſſe in Iudæam terram, hoc eſt, in alia loca prouinciæ Iudææ. Eſt hæc ſententia Auguſtini, Theophylacti, Lyrani, Carthuſiani, Caietani, & aliorum. Auguſtinus epiſtola 108. Tunc, inquit, quando ab Ieroſolymis exiit cum diſcipulis ſuis in Iudæam terram, baptizabat, non per ſeipſum, ſed per diſcipulos ſuos, &c. Non ex Galilæa, ſed ex Ieroſolymis ait Chriſtum exiiſſe in Iudæam terram. Theophylactus: Erat Chriſtus Ieroſolymis vſque ad feſtum Paſchæ: & poſtquam illud præteriit, exiuit in terram Iudæam, & prope Iordanem verſabatur, &c.

Auguſt.

Theoph.

Refellitur noſtra hæc opinio hunc in modum: Ieroſolyma ſita erat in prouincia Iudæa, non in Galilæa aut Samaria: ergo non recte dicitur, venit Chriſtus ex vrbe Ieroſolyma in Iudæam. Quemadmodum non recte diceretur: venit ſummus Pontifex ex vrbe Roma in Italiam. Reſpondetur; recte dici hoc ſenſu: venit Ieſus ex Ieruſalem, quæ ſita erat in prouincia Iudææ, in Iudæam terram; hoc eſt, in alia loca eiuſdem prouinciæ Iudææ. Quaſi dicat Euangeliſta: Non eſt reuerſus in Galilæam; ſed diſceſſit in terram Iudæam ex vrbe Ieruſalem, ad auſpicandum baptiſma. Aliter reſpondet Caietanus, Ieruſalẽ fuiſſe ſitam in ſorte tribus Beniamin, vt ſuprà docuimus, cùm de templo egimus libr. 3. capite vndecimo; Iudæam verò terram appellari ſortem tribus Iudæ. Cùm verò dicitur Chriſtus ex Ieruſalem veniſſe in Iudæam terram; ſignificari, veniſſe ex terra tribus Beniamin in terram tribus Iudæ. Sed potior eſt ſuperior reſponſio. Eo enim tempore terra illa in tres prouincias diuidebatur, quarum frequens eſt in Euangeliis mentio, Galilæam Septemtrionalem, Samariam Mediam, & Iudæam Auſtralem. Iuxta quam diuiſionem Euangeliſta loqui conſueuit.

ET *illic morabatur cum eis, & baptizabat*. Ait Euangeliſta hoc cap. 3. Chriſtum baptizaſſe, cap. 4. ait non baptizaſſe, ſed diſcipulos. Cùm ergo nunc baptizaſſe docet, non per ſe, ſed per diſcipulos baptizaſſe intellige. Eodem etiam modo intellige verba illa diſcipulorum Ioannis Baptiſtæ: *Ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum*. Et illud: *Audierunt phariſæi, quòd Ieſus plures diſcipulos facit, & baptizat, quàm Ioannes*, &c. Etenim diſcipuli baptizabant vt inſtrumenta ac miniſtri: Chriſtus verò baptizabat, baptizatque nunc etiam, vt baptiſmi & gratiæ auctor, qui internam animo ablutionem præſtat. D. Auguſtinus in Ioannem: Vtrumque, inquit, de Domino ſcriptum eſt; & quia baptizabat plures quàm Ioannes, & quia ipſe non baptizabat, ſed quidem baptizaſſe præſentia maieſtatis; non tamen baptizaſſe manibus ſuis. Ipſius enim erat ſacramentum baptiſmi; ad diſcipulos autem baptizandi miniſterium pertinebat, &c. Tertull. lib. de Baptiſmo, cap. 11. Simpliciter, ait, dictum eſt more communi. Sicut eſt, verbi gratia, Imperator propoſuit edictum, aut præfectus fuſtibus cecidit. Numquid ipſe proponit aut cædit? ſemper is dicitur facere, cui præminiſtratur. Ita erit accipiendum: *Ipſe vos tinget*, pro eo quod eſt: per ipſum tingemini, vel in ipſum, &c.

Ioan. 3.

Ibidem.

Ioan. 4.

Chriſtus per diſcipulos baptizabat.

Auguſt.

Tertull.

Quæres, an Chriſtus aliquem ſuis baptizarit manibus. ex Euodio, qui Antiochiæ poſt diuum Petrum antiquiſſimus Epiſcopus fuit, habemus Chriſtum manibus ſuis ipſum Petrum Eccleſiæ petram baptizaſſe. Eius verba refert Nicephorus lib. 2. cap. 3. Chriſtus, ait Euodius, manibus ſuis Petrum tantummodo baptizauit, Petrus verò Andream & filios Zebedæi, id eſt, Ioannem & Iacobum; hi deinceps reliquos Apoſtolos. Septuaginta autem diſcipulos Petrus & Ioannes baptizauerunt, &c. Virginem quoque Deiparam à Filio baptizatam fuiſſe ait Euthymius aliquos ſcripſiſſe Apoſtolorum temporibus proximos. Euthymius Ioannis 3. Scribunt, inquit, quidam Apoſtolorum temporibus proximi, quòd Chriſtus Petrum ac Virginem Matrem baptizauerit, Petrus verò reliquos Apoſtolos, &c. D. Auguſtinus epiſt. 108. Apoſtolos affirmat fuiſſe baptizatos, Chriſtumque baptizaſſe: ſed baptizaritne omnes, an Petrum ſolum, non explicat: Non defuit, inquit, miniſterio baptizandi, vt haberet baptizatos, ſcilicet Apoſtolos, per quos reliquos baptizaret, &c.

Chriſtus Petrum baptizauit.

Niceph.

Euthym.

Chriſtũ Deiparam Virginem baptizauit.

Auguſt.

Fuiſſe autem Apoſtolos baptizatos tantummodo baptiſmo Ioãnis in aqua, Chriſto in terris agente, poſtea verò Spiritu ſancto ex cælo miſſo; iuxta illud Chriſti, *Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu ſancto*, ſentit Chryſoſt. hom. 1. in Acta Apoſtolorum. Sed certa ſententia eſt, omnes fuiſſe baptizatos baptiſmo Chriſti. Duces enim erant,

Actor. 1.

Apoſtoli baptizati ſunt baptiſmo Chriſti.

erant, & legis baptiſmi promulgatores; non ergo eſt veriſimile non ſuſcepiſſe baptiſmum, quem orbi promulgabant. Præterea conſtat Chriſtum dixiſſe: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt videre regnum Dei.* non conſtat Apoſtolos lege ſoluiſſe. Cur igitur nos illos non fuiſſe baptizatos dicemas? Numquid quia ſcriptum in Euangelio non eſt? At plurima ſcripta non ſunt, quæ tamen facta ſunt. Adde, baptiſmum ianuam eſſe Eccleſiæ & ſacramentorum; Eccleſiæ igitur principes, & ſacramentorum adminiſtros, per ianuā hanc ingreſſos credendum eſt. Auguſtinum lege hac de re ſcribentem in epiſtola 108. ad Seleucianam feminam religioſiſſimam: Non omnia, ait, quæ facta ſunt ſcripta inueniuntur: verumtamen facta eſſe ex ceteris documentis probantur. Scriptum eſt, quando baptizatus ſit Apoſtolus Paullus; ſcriptum non eſt, quando baptizati ſint alij Apoſtoli. Verumtamen etiam illos baptizatos intelligere debemus, &c. Fuiſſe verò baptizatos diſcipulos, antequā hoc tempore baptizarent, his verbis docet: Baptizabat Chriſtus non per ſe, ſed per diſcipulos ſuos; quos intelligimus iam fuiſſe baptizatos, ſiue baptiſmo Ioannis, vt nonnulli arbitrantur; ſiue, quod magis credibile eſt, baptiſmo Chriſti, &c. Lege Tertullianum lib. de Baptiſmo, cap. 12.

Ioan 3. *Auguſt.* *Acter. 9.*

An baptiſmus diſcipulorū fuerit præſtantior baptiſmo Ioannis. Chryſoſt.

Rurſus quæres, an baptiſmus diſcipulorum fuerit præſtantior baptiſmo Ioannis Baptiſtæ. Reſpondet Chryſoſtomus hom. 28. in Ioannem, non fuiſſe præſtantiorem: Si quis, inquit, interroget quid amplius in Ioannis baptiſmate, quàm diſcipulorū fuerit? nihil, reſpondebimus: vtrumque enim ſimiliter ſpiritus expers erat, & vnam eamdemque baptizandi cauſſam habebat: vt ſcilicet Chriſto conciliaret baptizatos, &c. Theophylactus præterea: Baptizant, ait, diſcipuli baptiſmo, qui nihil habebat amplius quàm baptiſma Ioannis. Ambo enim imperfecti, & nondum habentes ſpiritum: eadem vtrique cauſſa, vt adducantur ad Chriſtum baptizandi. Idem ſentit Euthymius. Et Tertullianus putat baptizaſſe diſcipulos baptiſmo Ioannis libr. de Baptiſmo, cap. 11. Tingebant, ait, diſcipuli Chriſti, vt miniſtri, vt Ioannes ante præcurſor, eodem baptiſmo Ioannis, &c. Rupertus item in Ioannem: Baptizabant, inquit, diſcipuli, quomodo à Ioanne baptizati fuerant, &c.

Theoph. *Tertull.* *Ruper.*

Probatur ſententia: quoniam, ante Chriſti glorificationem Spiritus ſanctus nemini eſt datus; iuxta illud: *Nondum erat Spiritus datus, quia nondum Ieſus erat glorificatus.* Ergo baptiſma diſcipulorum ante Chriſti reſurrectionem, & Spiritus ſancti miſſionem, non dabat Spiritum ſanctum; atque adeò non erat præſtantius baptiſmate Ioannis. Quanam de cauſſa, ait Chryſoſtomus, Chriſtus non baptizauit Spiritu ſancto & igni? Reſpōdet; quia Spiritus nondum erat datus. Tertullianus loco citato: Baptiſmus Chriſti tunc vtique à diſcipulis dari non poterat; vtpote nondum adimpleta gloria Domini, nec inſtructa efficacia lauacri per paſſionem & reſurrectionem, &c. Rupertus: Nondum mare rubrum, id eſt, baptiſmi ſacramentum, Chriſti ſanguine ſacratum erat; quomodo ergo qui baptizabātur per hoc mare, quod nondum erat, tranſiſſe dicuntur? Nondum erat agnus occiſus, & iam filij Iſrael per mare rubrum tranſiſſe putantur, &c. Ianſenio cap. 23. Concordiæ probabilis videtur Chryſoſtomi & Theophylacti opinio.

Ioan. 7. *Chryſoſt.* *Tertull.* *Rupert.*

Baptiſmus diſcipulorū præſtantior baptiſmo Ioānis fuit.

Contraria tamen ſententia verior eſt, & ſequenda, ſcilicet, baptiſmum diſcipulorum Chriſti fuiſſe multò præſtantiorem baptiſmo Ioannis. Probatur, quoniam baptiſmo Chriſti baptizabant; baptiſmus autem Chriſti, vt perſpicuū eſt, Ioannis baptiſmum longo interuallo ſuperabat. Quòd autem diſcipuli baptiſmate Chriſti baptizarent, confirmatur. Quia per diſcipulos Chriſtus baptizabat, vt ſuprà diximus; baptizabat ergo ſuo baptiſmate, quod Spiritum ſanctum & gratiam largiebatur. Auguſtinus epiſtola 108. Chriſti, inquit, erat baptiſmi ſacramentum; ad diſcipulos autem baptizandi miniſterium pertinebat, &c. tract. 15. in Ioannem: Baptizabat Chriſtus, quia ipſe mundabat, non baptizabat, quia ipſe non tingebat. Præbebant diſcipuli miniſterium corporis; præbebat ille adiutorium maieſtatis, &c. Beda Ioannis 4. Profectò, inquit, dabatur Spiritus ſanctus in hoc diſcipulorum baptiſmo, &c. Hanc ſententiam ſequitur Theologorum ſchola cum Magiſtro 4. diſtinct. 3. & D. Thomas 3. part. quæſt. 66. art. 2.

Auguſt. *Beda.*

Dicendum ergo eſt, Chriſtum baptiſmum ſuum ante hoc tempus inſtituiſſe; & diſcipulos docere iuſſiſſe; eos etiam qui crederent, ac neceſſaria baptiſmo ſuſcipiendo præſtarent, baptizare. Argumentum oppoſitum vim non habet. Verba enim Ioannis de Spiritus ſancti miſſione in die Pentecoſtes intelligenda ſunt, hoc ſenſu: Nondum Spiritus ſanctus viſibili ſigno erat datus; quia Chriſtus nondum reſurrexerat, & ad cælos aſcenderat. Ante viſibilem verò largitionem dabatur inuiſibiliter Spiritus ſanctus in baptiſmo Chriſti. Tertulliano & Ruperto reſpondemus: Iam ante paſſionem inſtructam fuiſſe baptiſmi efficaciam; iam, antequam agnus occideretur, per mare rubrū baptiſmi tranſire cœpiſſe filios Iſrael; quoniam ante paſſionem baptiſmus eſt inſtitutus, qui tamen ex ipſa futura paſſione, quam præfigurabat, haberet vim, & efficacitatem. Minorem vim ante paſſionem habuiſſe ſentit Richardus 4. diſtinct. 3. quæſt. 2. ſed veriſimilius eſt eamdem ſemper habuiſſe efficacitatē; quia idem ſemper fuit ſacramentum. Regnum autem cælorum aperuit ante paſſionem, non in re, ſed in ſpe, vt ait diuus Thomas 3. part. quæſtione 69. articulo 7.

Reſpondetur obiect.

Reſtat alia quæſtio. An in nomine Trinitatis diſcipuli baptizarint. Reſpondet Rupertus loco citato: Baptizabant diſcipuli abſque diſtinctione perſonarum; quamdiu Ioannes ſuperfuit, &c. Fauet Alexander Alenſis quarta parte quæſt. 8. membro 2, artic. 3. cùm ait formalem inſtitutionem baptiſmi tunc fuiſſe, cùm Chriſtus poſt reſurrectionem diſcipulis formam baptizandi tradidit: Tunc, inquit, inſtitutus eſt baptiſmus formaliter in expreſſione formæ baptizandi, &c. Canus quoque libr. 8. de Locis, cap. 5. negat Apoſtolos baptizaſſe in nomine ſacroſanctæ Trinitatis; veriſimilius, ait, baptizaſſe in nomine Ieſu Chriſti. Toletus item Ioannis 4. annotatione prima, in nomine Chriſti baptiſmum celebratum putat. Probatur ex diuo Leone epiſtola quarta decretali, capite 3. Ipſa, inquit, operis qualitas docet celebrandæ generaliter gratiæ (ſcilicet baptiſmi) eum eſſe legitimū diem, in quo orta eſt & virtus muneris, & ſpecies actionis. Ad cuius rei confirmationem plurimùm valet, quòd ipſe Dominus, poſteaquā reſurrexit, diſcipulis ſuis & formam, & poteſtatem tradidit baptizandi, dicens: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* De quo vtique eos ante paſſionem potuiſſet inſtruere; niſi propriè voluiſſet intelligi, regenerationis gratiam ex ſua reſurrectione cœpiſſe, &c. Sentire videtur diuus Leo Chriſtum non ante, ſed poſt reſurrectionem, formam baptiſmi in nomine Trinitatis inſtituiſſe.

Rupert. *An diſcipuli in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti baptizarint.* *Canus.* *Tolet.* *Matth. 28.*

Magiſter 4. diſtinct. 3. cap. 7. Baptizaſſe ait diſcipulos in nomine Trinitatis: In ea, inquit, forma diſcipuli baptizarunt, in qua baptizarunt poſteagentes.

Magiſter ſens.

Etiam ante resurrectionē Christus discipulis formā baptizandi præscripserat.

tes. Quæ ante passionem potest intelligi fuisse tradita, licet non sit scriptum. Non ergo tunc formam illam Christus tradidit, cùm ad euangelizandum gentibus misit; sed quam ante tradiderat, mittens eos in Iudæam, pòst iterauit, cùm ad gentes misit. Hæc ille. Similiter diuus Thomas sic scribit eadem distinct. Christus illis verbis, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, principaliter non intendit tradere formam Sacramenti: quam prius discipulis tradiderat, quando baptizabant etiam ante passionem; sed intendit eis præcipere actum baptizandi secundùm formam prius eis traditam, &c.

D. Thom. Matth. vlt.

D. Ferdinandus Perez quid de ea dictauerit.

Doctor Ferdinandus Perez Eborensis Academiæ primarius olim professor, vir æterna dignus memoria, tum ob præclaram doctrinam, tum ob insignem vitæ sanctimoniam, in iis, quæ de baptismo dictauit commentariis, huic quæstioni respondet hoc pacto: Posita, inquit, opinione, quam probabiliorem diximus, baptismum à Domino institutum, & ab Apostolis administratum fuisse ante resurrectionem; profectò & quòd forma illa, *Ego te baptizo in nomine Iesu Christi*, fuerit ante resurrectionem instituta, & quòd sub illa Apostoli ante passionem baptizarent, videtur esse omnino probabilius. Cùm non sit dicendum institutum, aut administratū fuisse baptismi sacramentum ante resurrectionē, absque vlla forma; & forma illa, quæ cum expressione Trinitatis fit, neque instituta, neque tradita fuerit, nisi post resurrectionem. Quod Leo Papa apertè videtur affirmare, cùm asserit formam illam, quæ Matthæi vltimo habetur, primò traditam esse post resurrectionem. Item, quia mysterium Trinitatis, quod in illa forma exprimitur, cùm sit difficillimum intellectu, videtur inter ea numerandum, de quibus Dominus dixit: *Multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modo*. Et non est verisimile, Apostolos baptizasse cum expressione mysterij Trinitatis, antequam ipsum mysterium ipsis esset exactè explicatum. Hactenus ille. Sentit ergo Sacramentum baptismi duplicem habuisse formam; alteram institutam ante passionem: *Ego te baptizo in nomine Iesu Christi*: eaque Apostolos ante passionem baptizasse. Alteram, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, institutam post resurrectionem. Non baptizasse Apostolos ante passionem in nomine Trinitatis rectè videtur probare; quoniam mysterium tantum hoc tempore, quo ante carcerem Ioannis baptizabant, illis nondum videtur fuisse patefactum. Præterea nec iis qui baptizabātur opus erat tunc temporis patefieri. Relinquitur ergo baptizasse Apostolos in nomine Iesu Christi.

Leo.

Ioan. 16.

Matth. 15.

Sed obiicio: Christus præcepit discipulis suis vt nemini dicerent, quia ipse esset Christus; ergo non iussit eos baptizare in nomine Iesu Christi. Si enim sic baptizarent, manifestè docebant ipsum esse Christum. Accedunt illa Iudæorum verba: *Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam*. Ex quibus colligitur Dominum non palam asseruisse se esse Christum, siue Messiam. Atqui si discipuli in nomine Iesu Christi baptizabant, palam asserebant ipsum esse Christum, omnesque Iudæos apertè id docebant. Responderi potest, discipulos in nomine Iesu Christi baptizasse hoc tempore ante passionem, non addito tamen nomine Christi. Vel dicito, hoc tempore baptismo huiusmodi formam præscripsisse Dominum. Postea verò Apostolis illud præcepisse, vt nemini dicerent, quia ipse esset Christus, ob diuersam temporis rationem. Nec caret probabilitate baptizasse *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; quamuis mysterium neque ij qui baptizabantur intelligerent; nec ipsi discipuli

Ioan. 10.

A satis tunc temporis perciperent. Nec enim id ad baptismum administrandum opus erat. Sic tamen paullatim ad mysterij cognitionem disponebantur. Lege quæ infrà dicuntur, textu; *Testimonium eius nemo accipit.*

Ioan. 3.

Ioannes baptizabat eodē tempore, quo discipuli Christi baptizabant.

ERAT *autem & Ioannes baptizans in Ænnon, iuxta Salim.* Hoc secundo anno post baptismū Christi nondum Baptista defierat baptizare. Simul baptizabant Ioannes, & Christi discipuli. Etenim Ioannes quousque in carcerem ab Herode missus est, suum baptizandi munus non deseruit. Baptizabat vterque, Christus per discipulos, Ioannes suis manibus, diuersis locis, diuersoque baptismate. Plures verò ad baptisma discipulorum Christi, quàm B ad Ioannem confluebant. Christi enim miracula Iudæos ducebāt: Ioannes præterea omnes ad Christum mittebat.

Locus Ænnon quis. Hieron.

Non indicat Euangelista locum in quo Christi discipuli baptizabant. Fortè Iordanis fluuius fuit. Locum Baptistæ demonstrat: *Erat*, inquit, *baptizans in Aennon*. De hoc loco sic scribit Hieronymus in libro de locis Hebraicis: Ænnon iuxta Salim, vbi baptizabat Ioannes. Et ostenditur nunc vsque locus in octauo lapide, id est, milliari, Scythopoleos, ad Meridiem iuxta Salim & Iordanem, &c. Scythopolis est Bethsan ciuitas distans à Iordane media leuca, vt ait Borchardus 1. part. cap. 7. §. 6. Erat igitur locus Ænnon iuxta Iordanem aquis abundans. *Quia multæ aquæ erant illic*, ait Euangelista. Vnde *Ioan. 3.* C nomen inuenisse videtur; nam nomen Ænnon fontem sonat.

Locus Salim quis sit.

De *Salem*, siue *Salim*, Hieronymus epist. 126. ad Euagrium: Salem, inquit, opidum est iuxta Scythopolim, quod vsq; hodie appellatur Salem; & ostenditur ibi Palatium Melchisedech, ex magnitudine ruinarum veteris operis ostendens magnificentiam. De quo in Euangelio legimus: *Erat autē Ioannes baptizans in Aennon, iuxta Salim, quia aquæ multæ erant illic*. Nec refert vtrum *Salim* an *Salem* nominetur, cùm vocalibus in medio litteris perrarò vtantur Hebræi, & pro voluntate lectorum, atque varietate regionum, eadem verba diuersis sonis, atque accentibus proferantur. Hæc Hieronymus.

Ioan. 3.

An Ænnon sit Ænan. Hieron.

Alia est opinio, Ænnon idem esse quod Ænan, de D quo loco Hieronymus in libro de locis Hebraicis: Ænan, inquit, euntibus Thannan nunc desertus locus, & proximus Tamne vico grandi, qui situs est inter Æliam & Diospolim. Est & fons in supradicto Ænan loco, vnde & Ænan, id est, fontis nomen accepit. Porrò Hebræi affirmant, Ænan non locum significare, sed biuium, &c. Æliam vocat Hieronymus Ierusalem, Diospolim Lyddam vrbem, in qua diuus Petrus Æneam sanitati restituit. Salim verò arbitratur huius opinionis auctor, illam esse, cuius idem Hieronymus meminit eodem libro, his verbis: Villa ostenditur vsque in præsentem diem iuxta Æliam contra Occidentalem plagam, nomine E Salem, &c. Iuxta hanc sententiam Ioannes baptizauit procul à Iordane, iuxta Æliam siue Ierusalem, ad plagam Occidentalem; nam iuxta Ierusalem erat hæc Salem.

Actor. 9.

Altera opinio de Salim.

Ioānes prope Iordanē baptizabat in Ænnon.

Mihi probabilius videtur, Ioannem prope Iordanem potiùs quàm prope Ierusalem baptizasse. Sequorque libens D. Hieronymum, cui hæc loca fuere nota, existimantem Ænnon non esse Ænan, sed locum esse, vt diximus, octo milliariis à Scythopoli distantem prope Iordanem, iuxta Salim. At obiicies: Ioannes baptizabat in Iudæa: Salem autem & Ænnon in prouincia Iudææ non erant, sed Samariæ; ergo non baptizabat in Ænnon iuxta hanc Salem. Respondeo, non esse opus concedere Ioannem baptizasse nunc in Iudæa: nam Euangelista de

An Ioannes baptizaret in Iudæa.

Christo

Chriſto tantùm affirmat baptizaſſe in Iudæa; non autem de Ioanne: *Venit*, inquit, *Ieſus, & diſcipuli eius in Iudæam terram, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat.* Hæc de Chriſto. Demorabatur igitur cum diſcipulis in Iudæa, & illic, id eſt, in Iudæa baptizabat. Idem colliges ex illis verbis: *Vt cognouit Ieſus, quia audierunt Phariſæi, quòd Ieſus plures diſcipulos facit, & baptizat, quam Ioannes, reliquit Iudæam*, &c. in qua ſcilicet baptizabat. At de Ioanne addit Euangeliſta: *Erat autem & Ioannes baptizans in Aennon iuxta Salim; quia aqua multæ erant illic, & veniebant, & baptizabantur*, &c. Nulla hic mentio fit Iudææ, ſed loci tantùm, in quo Ioannes baptizabat, ſiue in Iudæa fuerit, ſiue in Samaria.

Ioan. 3.

Ioan. 4.

Ioan. 3.

Vrgebis, diſcipuli Ioannis Chriſtum baptizare cùm viderent, rem ad magiſtrum detulerunt. Ergo prope Ioannem Chriſtus baptizabat in Iudæa. Fatemur quidem Ioannis diſcipulos ad magiſtrum de Chriſti baptiſmo retuliſſe; verùm negamus inde inferri, Ioannem in Iudæa baptizaſſe. Siue enim in Iudæa, ſiue in Samaria prouincia baptizarit, potuerunt id diſcipuli Ioannis magiſtro nunciare. Oppones; Salem erat iuxta Sichem, ſed regio illa aquarum fluentis carebat; ergo in illa non baptizabat Ioannes. Quòd autē regio illa iuxta Sichem fluentis careret, puteus Samaritanæ probat: vtebantur enim putealibus, non fontanis aquis incolæ. Reſpondemus, Salem non adeò fuiſſe propinquam Sichem. Ex Hieronymi enim verbis iam citatis, quæ iterum citabo, conſtat propinquam fuiſſe Iordani fluuio: Oſtenditur, inquit, nunc vſque locus Ænnon in octauo lapide Scythopoleos ad Meridiem, iuxta Salim & Iordanem, &c. Quid mirum ſi aquis abundarit locus Iordani propinquus?

Soluuntur obiectiones.

Hieron.

Itaque baptizabat Chriſtus in Iudæa, fortè in Iordane per diſcipulos; Ioannes verò in Ænnon per ſe ipſum. Non enim facultatem videtur habuiſſe committendi munus hoc diſcipulis. Ideoque non legimus Ioannem per diſcipulos aliquando baptiſmum adminiſtraſſe, ſed manibus ſuis. Baptizabat, ait diuus Cyrillus in Ioannem, Chriſtus per diſcipulos ſuos; Ioannes quoque ipſe non per alios, ſed manibus ſuis. Neque in iiſdem fontibus, in quibus Chriſtus hæc faciebat, ſed iuxta Salim, &c. Meritò autem per ſe ipſum Ioannes baptizabat; quoniam illud baptiſma Ioānis carcere, & morte erat terminandum. Hic illius finis fuit. Non ergo oportebat aliquos ſupereſſe, à quibus adminiſtraretur. Baptiſma verò Chriſti perpetuum eſt, ideoque non Chriſtus per ſe, ſed per diſcipulos baptizauit, baptizabitque per ſuos adminiſtros ad extremum vſque diem.

Ioannes non baptizabat per diſcipulos.

D. Cyrill.

Ioan. 3. NONDVM *enim miſſus fuerat Ioannes in carcerem.* Baptizabat Ioannes, etiam baptizante Chriſto; quoniam Chriſtus per diſcipulos baptizare cœpit, antequam ille in carcerem mitteretur. Ioannes autem vſque ad carcerem baptizauit; vt iis, qui ad baptiſmum veniebant, Chriſtum indicaret, quod docet Chryſoſtomus homil. 28. Illa, inquit, particula, *Nondum miſſus fuerat in carcerem Ioannes*, in eum vſque diem eum baptizaſſe ſignificat, &c. Sed videtur conſentaneum fuiſſe rationi, vt Ioannis baptiſmus ceſſaret Chriſto baptizante: etenim Solis luce fulgente, aſtrorum lux diſparet. Iam lux fulgebat Chriſti, quid igitur opus fuit luce aſtri, id eſt, Ioannis baptiſmo? Reſpondemus ſatius fuiſſe ſimul cum diſcipulis Chriſti Ioannem baptizare, quàm baptizandi munus illis baptizantibus deſerere. Nam Ioannes præcurſor erat Chriſti, & demōſtrator per baptiſmum; oportebat igitur tradito ſibi munere fungi, quouſque vita ſuppeteret. Diuus Thomas 3. part. quæſt. 38. artic. 5. alias rationes addit: Prima, inquit, ex Chryſoſtomo eſt, quia ſi ceſſaſſet Ioannes baptizare Chriſto baptizante, exiſtimaretur quòd zelo vel ira hoc faceret. Secunda, quia diſcipulos ſuos in maiorem zelū immiſiſſet. Tertia, quia perſiſtens in baptizando, ſuos auditores ad Chriſtum mittebat. Quarta, quia, vt Beda dicit, adhuc permanebat vmbra veteris legis: nec debuit præcurſor ceſſare donec veritas manifeſtaretur. Hæc diuus Thomas.

Ioannes baptizauit vſque ad carcerē. Chryſoſt.

Ioan. 3.

Cur Ioannes ſimul cum diſcipulis Chriſti baptizarit.

D. Thom.

CAPVT VII.

De teſtimonio dato diſcipulis à Baptiſta.

FACTA *eſt autem quæſtio ex diſcipulis Ioannis cum Iudæis de Purificatione.* Teſtimonium memorat Euangeliſta, quod Chriſto iam baptizanti Ioannes tulit. Quæ verò occaſio ferendi præclariſſimi teſtimonij fuerit, indicat hoc loco. Quæſtio nimirum fuit inter diſcipulos Ioannis, & Iudæos exorta de Purificatione. Diuus Cyrillus in Ioannem, nomine Purificationis legalem intelligit purificationem: quæſtionemque exortam ait inter diſcipulos Ioannis, & alios Iudæos, de purificationibus legalibus, qualis erat aqua cineri rufæ vaccæ permixta, quæ Numerorum decimo nono dicitur aqua aſperſionis, & aqua expiationis.

Ioan. 3.

D. Cyrill.

Quæſtio de Purificatione qualis eſſet.

Cùm, inquit, non poſſent Iudæi legales ſuas aſperſiones defendere, ac purificationes animalium cinere factas Ioannis baptiſmo meliores oſtendere: vt turbent diſcipulos Ioannis, qui ſublimiores iam quàm Phariſæi videbantur, baptiſmum magiſtri legali purificationi præponentes: baptiſmum Chriſti laudibus ad depreſſionem Ioannis efferūt. Non ex animo id facientes: nec quia ita ſentirent; ſed vt depreſſis, confuſiſque Baptiſtæ diſcipulis, victores ipſi viderentur, &c. Diuus Chryſoſtomus homilia 28. de Purificatione, id eſt, de baptiſmo, quæſtionem arbitratur excitatam hunc in modū: Cùm viderent, inquit, Ioannis diſcipuli diſcipulos Chriſti baptizare: aduerſus baptizatos cœperunt loqui, ac ſi Ioannes apud ipſos baptizando Chriſti diſcipulos excelleret. Et aduocato aliquo ex baptizatis, perſuadere ei conabantur; non tamen perſuaſerunt, &c. Quæſtio ergo ex ſententia Chryſoſtomi exſtitit inter diſcipulos Ioannis, & Iudæū aliquem, ex iis quos diſcipuli Chriſti baptizauerant, de Purificatione, id eſt, baptiſmo. Conabantur enim diſcipuli Ioannis æmulatione ducti probare Purificationem, id eſt, baptiſmum Ioannis eſſe præcellentiorem baptiſmo Chriſti. Quòd ex inuidia prætenderint, ait Chryſoſtomus, ex ſequentibus patet, &c. Chryſoſtomum ſequitur Euthymius. Theophylactus verò: Facta, inquit, eſt quæſtio per Iudæum quemdam de baptiſmate contendentibus diſcipulis Ioannis. Nam Iudæus quidem præferebat baptiſma diſcipulorum Chriſti; diſcipuli autem Ioannis baptiſma ſui magiſtri, &c. Lyranus itē & alij quæſtionem hanc Iudæorum cum diſcipulis Ioannis de baptiſmo Chriſti, & baptiſmo Ioannis exortam exiſtimant, vter eſſet præſtantior? Auguſtinus quoque tractatu 13. Diſcipuli, inquit, Ioannis cœperunt quæſtionem tractare cum Iudæis, quomodo ſolet fieri. Intelligas dixiſſe Iudæos maiorem eſſe Chriſtum, & ad eius baptiſmum debere concurri. Diſcipuli Ioannis nondum intelligentes, defendebant baptiſmum Ioannis, &c.

Chryſoſt.

Theoph.

Auguſt.

Fortè orta eſt quæſtio de purificatione abſolutè; hoc eſt, quænam res ad purificationem hominis eſſet præſtantior, Moſisne lege purificatio præſcripta, an baptiſmus Ioannis, an Chriſti? Ioannis diſci-

puli magiſtri baptiſmum ad purificandum maiorem vim habere dicebant; alij legis aſperſiones; alij verò baptiſmum Chriſti; ij ſcilicet, qui illum iam receperant.

Ioan. 3. *Et veniunt ad Ioannem.* Poſt diſputationem ad magiſtrum diſcipuli Ioannis ſe contulerunt, nec tamen ei aperte quæſtionem propoſuerunt; ſed *Ibidem.* Chriſtum baptizare nunciarunt. *Rabbi*, inquiunt, *qui erat tecum trans Iordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum*, &c. Quo animo hæc dixerint non docet Euangeliſta; *Quonam animo Ioannis diſcipuli de Chriſto fuerint locuti Chryſoſt.* potuerunt verba vel ab animo inuido proficiſci, vel ab animo candido. Non enim de Chriſto, aut eius baptiſmo detrahunt, ſed baptizare tãtùm pronuntiant, & magnos ad eum fieri populi concurſus. Verumtamen non bono animo hæc à diſcipulis dicta putat Chryſoſtomus homilia 28. Verba enim in hanc ſententiam exponit. Quaſi dixerint diſcipuli: Rabbi, quem clarum cõſpicuumque reddidiſti, is eadem quæ tu audet. Qui erat tecum trans Iordanem, cui teſtimonium perhibuiſti; hoc eſt, qui in diſcipuli loco habitus eſt, qui nulla ex parte nobis ſuperior erat; is abs te diſcedens baptizat. Et addit Chryſoſtomus: Hæc animi imbecillitate, & ambitione quadam loquebantur, &c. Euthymius in eumdem ſenſum interpretatur hoc pacto. Ille de quo tanta, ac talia teſtificatus es, quem tuo teſtimonio glorificaſti; hic tuum munus contra te exercet, tuamque rapit gloriam. Inſuper, ait, exaſperare Ioannem cupientes diſcipuli, addiderunt: *Et omnes veniunt ad eum*; te relicto, &c. Similẽ in modum *D. Thom.* Theophylactus exponit. Et D. Thomas in Ioãnem: Si attenditur, inquit, diligenter, diſcipuli conati ſunt commouere Ioannem contra Chriſtum. Proponunt autem quatuor, quæ commotionem in animo Ioannis efficerent. Primò enim commemorant humilitatem ſtatus præteriti Chriſti: *Qui erat*, inquiunt, *tecum* quaſi vnus ex diſcipulis. Secundò, commemorant beneficium à Ioanne impenſum, & dicunt: *Cui tu teſtimonium perhibuiſti.* Tertiò, addunt, quòd Chriſtus officium Ioannis ſibi aſſumpſit, cùm dicunt: *Ecce hic baptizat*, id eſt, officiũ tuum exercet. Quartò, referunt detrimentum, quod ex aſſumpto officio à Chriſto prouenire Ioanni videbatur, cùm dicunt: *Et omnes veniunt ad eum*; qui ſcilicet ad te venire ſolebant, quòd te dimiſſo & con- *Rupert.* tempto omnes ad baptiſmum eius currunt, &c. Rupertus item: Quòd, inquit, ad Ioãnem diſcipuli venerint hac intentione, vt eum deuocarent à teſtimonio Chriſti, verba ipſa ſatis euidenter hoc innuunt: *Qui erat tecum trans Iordanem*, ſeque tuis manibus, vt minor, ſubmiſerat; ecce hic in Iudæa ſuper te eſt, & ſua ſeorſum auctoritate baptizat. *Et cui teſtimonium perhibuiſti*, indiſcreta humilitate nimium te ſubiiciens illi, & gloriam tuam dans alteri: ecce *omnes*, te neglecto, *veniunt ad eum*, tuumque baptiſmum parui pendentes, illum iuniorem certatim expetunt. Ita Rupertus. Denique commotos zelo Ioannis diſcipulos, communis eſt opinio. Diuus *D. Auguſt.* Auguſtinus ait illos nuntiaſſe Ioanni Iudæos ad baptiſmum Chriſti confluere: vt ſcirent, an eſſent prohibendi. Sic enim ille verba diſcipulorum interpretatur tractatu 13. Quid dicis, inquiunt, non ſunt prohibendi, vt ad te potius veniant? tractatu autem 14. Cùm diſcipulos, inquit, plures faceret Ieſus, & perferretur ad Ioannem, veluti vt inſtigaretur. Quaſi inuido enim narrauerunt: ecce ille facit *Cyrill.* plures diſcipulos, quàm tu, &c. Cyrillus diſcipulorum hæc verba non adeò acerbè exponit: Turbabantur, inquit, minoris fieri magiſtrum videntes: ac pudore admirationi mixto verecundè petunt: Cuius rei gratia, cui teſtimonium ipſe perhibuerit, A gloria magis creſcit & præuenit, tantam baptizans multitudinem, &c.

Non poteſt homo quidquam accipere, niſi fuerit ei datum de cælo. Reſpondet diſcipulis Ioannes, *Ioan. 3.* *Teſtimonium Ioannis de Chriſto præſtantiſſimũ.* & præclarum de Chriſto teſtimonium fert, quo illum è cælo veniſſe: Dei Filium, & Eccleſiæ ſponſum eſſe: omnibus præcellere: omnia in poteſtate habere: veriſſimamque doctrinam tradere, cui ab omnibus fides ſit adhibenda, teſtatur. In primis ergo affirmat generali quadam propoſitione, neminem poſſe ſibi dignitatẽ aliquam aſſumere, quàm à Deo non acceperit. *Non poteſt*, inquit, *homo quidquam accipere, niſi fuerit ei datũ de cælo.* De cælo enim *Poteſtates è cælo dãtur.* à Deo dignitates, adminiſtrationes, honoresque B varij hominibus donantur. *Nec quiſquam*, ait Paulus, *ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron. Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificauit, vt Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum*: *Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es ſacerdos in aternum ſecundum ordinem Melchiſedech*, &c. *Hebr. 5.* *Pſal. 2.* *Pſal. 109.*

Diuus Cyrillus hæc Ioannis verba ita interpre- *Cyrill.* tatur: Nihil in hominibus bonum eſt, quod à Deo non datum ſit. Quid enim habet creatura, quod non acceperit? Quare hominem decet, conceſſa ſibi de cælo menſura honoris, eſſe contentum, nec maiora, quàm ferre poſſit, flagitare: ne ingrato animo datam deſuper ſententiam ſpernere, & diuino iudicio refragari videatur. Non enim debet pudore C turbari, ſi perfectiores diuinitus præferuntur. Sed ea potiùs magnificare, quibus miſericorditer decoratus à Deo eſt. Non ferat igitur grauiter hoc meorum quiſque diſcipulorum. Meam ipſe menſuram conſeruo, maiorem minimè ignoro: hominem me eſſe non ſum neſcius, &c. Exiſtimat Cyrillus hæc verba à Ioanne dicta propter ſe ipſum: idem quoque arbitratur Auguſtinus tractatu 13. & diuus Thomas, Lyranus, Ianſenius, & alij. Eſt ſenſus: Non poteſt quiſquam aliquid habere, niſi id è cælo à Deo acceperit: ego verò quid acceperim dicam. In primis non accepi Meſſiæ dignitatem: vos mihi teſtimonium perhibetis quòd dixerim: *Non ſum ego* *Ioan. 3.* *Chriſtus*, ſiue Meſſias. Accepi autem dignitatem præ- D curſoris: quia miſsus ſum ante illum.

Chryſoſtomus verba hæc dicta putat à Ioanne propter Chriſtum: idem ſentiunt eius ſectatores Theophylactus & Euthymius. Si ad Chriſtum referantur, ſenſus eſt ſatis congruens cum diſcipulorum nuntio. Aiebant diſcipuli: *Qui erat tecum trans* *Ibidem.* *Iordanem, cui tu teſtimoniũ perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.* Reſpondet Ioannes: *Non poteſt homo accipere quidquam, niſi fuerit ei datum de cælo.* Hoc eſt, nemo dona hæc ſpiritalia niſi è cælo accipit. Si igitur Ieſus baptizat, ſi omnes veniunt ad eum, nolite iniquo animo id ferre; quin potius Deum laudate: è cælo enim à Deo hæc accepit. Nolite Deo, qui hanc poteſtatem illi dedit, repugnare. E Chryſoſtomus hom. 28. Vult, inquit, Baptiſta diſci- *Chryſoſt.* pulis oſtendere, Chriſto repugnantes, non alteri quàm Deo repugnare. Quod igitur Gamaliel Act. 5. dicebat: *Non poteſtis id diſſoluere; ne quando & Deo* *Act. 5.* *repugnare inueniamini:* hoc & Ioãnes occultè aſtruit. Dicere enim, *Nemo poteſt accipere quidquam, niſi fuerit ei datum è cælo*, nihil aliud ſignificat, quàm quòd rem impoſſibilem aggrediantur, atque hinc etiam Deo repugnare deprehendantur. Quòd ſi ille inclareſcat, omnesque ad ipſum abeant, nihil mirum. Talia enim ſunt diuina: & Deus eſt qui iſta efficit. Homo enim numquam talia poſſet. Ita Chryſoſt. Euthym. Manifeſtè, inquit, demonſtrauit Ioannes, *Euthym.* quòd à Deo acceperat Chriſtus, vt glorificaretur, omnesque attraheret, &c. Et Theophyl. Niſi ſuper- *Theoph.*

nè

nè datum eſſet, ô diſcipuli, neutiquam creuiſſet is, cui inuidetis; & ita contrarij eſtis diuino conſilio, & attentatis impoſſibile, &c. Toletus hanc interpretationem refutat; ſed argumenta breuitatis cauſſa relinquo, quia non magnam habent vim. *Tolet.*

Poſſunt præterea hæc verba dicta eſſe à Ioanne, tum propter ſe, tum propter Chriſtum; quaſi dicat: De meo baptiſmo, & de baptiſmo Chriſti, contenditis? Aduertite neminem poſſe quidquam accipere, niſi ei datum fuerit è cælo, atque adeò tam Ieſum, quàm me, accepiſſe dona quæ habemus è cælo. Sed ille multò maiora accepit. Accepit enim Meſſiæ dignitatem, & Eccleſiæ ſponſi à Patre. Ego autem iam proteſtatus ſum me non eſſe Meſſiam. Nec Meſſias ſum, nec ſponſus, ſed præcurſor Meſſiæ, & ſponſi amicus. Ne igitur ægrè feratis ſi baptizat, & magni ad eius baptiſmum concurſus fiunt. A Deo enim hæc omnia ſunt. Dei voluntati nolite repugnare.

Ioan 3. NON *ſum ego Chriſtus.* Quid à Deo acceperit Ioannes, quid etiam Chriſtus, quà homo, indicat. In primis ait ſe Meſſiæ honorem non accepiſſe, quem innuit diſcipulis accepiſſe Dominum. *Ibidem.* Præterea ait ſe officiũ accepiſſe præcurſoris. *Quia*, inquit, *miſſus ſum ante illum.* Addit, Chriſtum à Patre dignitatem accepiſſe ſponſi; ſibi verò id è cælo datum, vt amicus ſit ſponſi, non ſponſus. *Qui habet*, *Chriſti Eccleſia filios generare propriũ eſt.* inquit, *ſponſam, ſponſus eſt.* Ad ſponſum igitur pertinebat baptizare, & filios generare. Baptizare enim, eſt filios Eccleſiæ, & Deo generare. Siquidem in baptiſmo filij Dei, & Eccleſiæ ſponſæ Chriſti procreantur. Ioannes nec erat ſponſus Eccleſiæ, nec illi per ſuum baptiſmum filios generabat. Nam baptiſmus Ioannis filios Dei non efficiebat. Erat igitur non ſponſus, ſed amicus ſponſi Chriſti; ideoque eius baptiſmo lætabatur.

Chriſtus Eccleſia ſpõſum Bernar. Conſtat ex hoc loco Chriſtum ſponſum eſſe, Eccleſiam verò ſponſam dilectiſſimam, quam ſibi ille ſanguine effuſo comparauit. Chriſtus, ait Bernard. ſer. 2. de nup. Canæ, ſponſus eſt; ſponſa verò nos ipſi ſumus. Et omnes ſimul vna ſponſa; & animæ ſingulorum quaſi ſingulæ ſponſæ. Multò inferior eſt hæc ſponſa ſponſo ſuo; attamen propter hanc Æthiopiſſam de longinquo Filius æterni Regis aduenit; & vt ſibi deſponſaret illam, etiam mori pro ea non timuit, &c. Sed de hac ſponſa & nuptiis iam ſatis diximus tomo 1. lib. 2. cap. 15.

Ioan. 3. Ioãnes amicus ſponſi. AMICVS *autem ſponſi gaudet.* Chriſtus eſt ſponſus Eccleſiæ, Ioannes ſponſus non erat, ſed ſponſi amicus. Amici verò eſt, felicitate ſponſi lætari, ac nuptiis, id quod Ioannes præſtabat. Non ſum, inquit, ſponſus, ſed amicus. Amicus autem ſponſi, qui ſtat, & audit ſponſum cum ſponſa colloquentem, non inuidet, non fert iniquo animo, non dolet; ſed gaudet, propterea quòd vocem ſponſi audit nuptias celebrantis, & ſponſam ducentis. Sic ego cùm audio vocem Chriſti iam præſentis, iam cum Eccleſia nuptias ineuntis; cùm audio illum baptizare, concionari, populumque ad illum confluere, non invideo, non doleo, ſed magno veluti *Ioan. 3.* nuptiarum paranymphus, perfundor gaudio. *Hoc ergo*, inquit, *gaudium meum impletum eſt.* Ergo, quoniam iam baptizat, & nuptias ſponſus celebrat, hoc gaudium meum iam plenum eſt, atque perfectum, quo Prophetæ reliqui caruerunt. Ego præſentem audio & video ſponſum; quem ipſi abſentem, & venturum ſummopere deſiderarunt. Ille ſponſus eſt, ego paranymphus: cauete ne pro ſponſo paranymphum amplectamini. Ad illum ſponſa veniet Eccleſia, cum illo nuptias celebrabit: non mecum. Ille vt ſponſus creſcet, ego minuar. Quod *Vox præſentiam indicat ſponſi.* ait, amicum ſponſi gaudere propter vocem ſponſi, A ſignificat ſponſi Chriſti præſentiam iam in mundo verſantis, ob quam ſummopere lætatur. Nam ſponſus, cuius vocem audimus cum ſponſa ſermonem habentis, non abeſt, ſed iam præſens adeſt. Diuus Ambroſius de benedict. Patriarcharum, cap. 4. in hunc locum ſic ſcribit: Quaſi dicat Ioannes; hic ſponſus eſt: ego amicus ſponſi: gaudeo, quia venit, quia vocem audio nuptialem. Quia iam non dura peccatorum ſupplicia, dura legis tormenta; ſed remiſſionem criminum, vocem lætitiæ, ſonum iucunditatis, exultationem feſti nuptialis audimus. *Ambroſ.* Hæc ille. Vere nuptialis lætiſſimaq; vox erat ſponſi Chriſti, remiſſionem peccatorum, gratiam, cæleſtemque gloriam afferentis. *Vox nuptialis & lætiſſima Chriſti ſponſi.*

B ILLVM *oportet creſcere, me autem minui.* Dixerant diſcipuli Ioannis de Chriſto: *Hic baptizat, & omnes veniunt ad eum*: Ioannes verò, meritò id fieri demonſtrauit, quòd Chriſtus ſponſus Eccleſiæ eſſet, ad quem ſponſa deberet properare. Nunc omni errore diſcipulos liberat: docetque oportere deinceps ſe minui, Chriſtum creſcere. Quaſi dicat: Vos me cupitis creſcere, non Ieſum. At ſcitote oportere me minui: illum creſcere. Non eſt diminutus Ioannes gratia & virtutibus; immo ſemper iis creuit. Neque verò Chriſtus, quà homo, gratia aut virtutibus in ſe ipſo creuit. A puncto enim conceptionis, gratiæ, ſcientiæ, virtutumque omnium perfectiſſimam accepit plenitudinem. Quomodo ergo *Quomodo creuerit Chriſtus.* Chriſtus creuit? Facile reſpondetur, creuiſſe con- C cionibus, confluentium ad baptiſmum multitudine, miraculis, Iudæorum quoque exiſtimatione, demumque honore per totum orbẽ admirabili. Quo- *Quomodo imminutus ſit Ioannes.* modo imminutus eſt Ioannes? Etenim Iudæorum opinione, & honore imminutus non videtur: ſemper in magno pretio eſt habitus ab omnibus. Reſpondet D. Cyrillus, non eſſe imminutũ Ioannem *D. Cyrill.* Iudæorũ exiſtimatione in ſe ipſo: ſed Chriſti comparatione. Sic ille Ioannem loquentem facit. Ego in iiſdem permanens tantò minui videbor, quantò ad maiora Ieſus præcurret. Rem exemplis explanat. Certæ, inquit, magnitudinis lignum videre fingamus, iuxtaque ipſum magnæ futuræ arboris plantam nunc primũ è terra prodire imaginemur. Num igitur ſi vocem lignum aſſumeret, ac diceret: hanc D plantã creſcere oportet, me verò minui, detrimentum quoddam ligno futurum intelligeremus? Minimè arbitror. Sed ideo minui dicemus, quia dum ad plantam confertur, minus atque minus quotidie reperitur. Commodè ſtellarum quoque clariſſima, id eſt, lucifer, de Sole dixerit: illum oportet creſcere, me verò minui. Nam quouſque profunditas aëris nocturnis tenebris obſcuratur; aureo fulgore, gloriaque integra ſplendere luciferum, magna omnes prædicant admiratione. Cùm autem ad ortum Sol feſtinare videtur, cumque lux eius noſtrum hunc orbem aliquantum illuminauerit, cedit ſenſim maiori lucifer: & hæc verba non iniuria dici poſſunt; E illum, id eſt, Solem oportet creſcere, me autem minui. Ita Cyrillus. Et Theophylactus: Imminuitur, *Ioannis lux imminuta, & lux luciferi Sole, id eſt, Chriſto, mundum il luminante. Theoph. Ambroſ.* inquit, gloria præcurſoris, ſicut lucifer à Sole occultatur. Et videtur quidẽ multis, quod exſtinctum ſit lumen, at re vera non eſt exſtinctum, ſed à maiori occultatur. Ita & præcurſor veluti lucifer à Sole ſpiritali occultatus minui dicitur, &c. D. Ambroſius ſerm. 12. de Natali Domini: Lucerna, ait, vocatur Ioannes: lucernæ obſcuratur lumẽ, cùm radius Solis effulget, & defectionem quamdam lãpadę ſuæ patitur, cùm clarioris lucis ſplẽdore ſuperatur, &c. Vera quidem hæc ſunt. Chriſti enim comparatione imminutus eſt Ioannes. Præterea etiam imminutus *Quomodo Ioannes ſit imminutus.* eſt, vt Caietanus exponit, quo ad populi concurſum, & diſcipulorum congregationem. Imminutus quo-

que

que eſt, quoniam non multo pòſt in carcerem eſt conie-
ctus, & tandem ſanctiſſima vita priuatus. In-
certum tamen eſt, vtrum Ioannes carcerem, ne-
cemque ita præcognouerit, vt hæc verba eò referri
Gregor. poſſint. Lege D. Gregorium homilia 20. in Euan-
gelia: Dum per acceſſum, ait, temporis, & Chriſtus,
qui Propheta eſſe putabatur, Chriſtus, id eſt, Meſſias,
eſt agnitus: & Ioannes, qui Chriſtus eſſe credeba-
tur, Propheta eſſe innotuit, impletum eſt: *Illum opor-
tet creſcere, me autem minui*, &c.

Ioan. 3. Auguſt. Hoc, *illum oportet creſcere, me autem minui*, ait Au-
guſtinus tract. 14. etiam paſſionibus ſuis ſignificaue-
Aliter quomodo Ioānes ſit imminutus & Chriſtus creuerit runt Chriſtus & Ioannes. Nam Ioannes capite eſt
minutus; Chriſtus in cruce exaltatus. Vt & ibi ap-
pareret, quid eſt, *Illum oportet creſcere, me autem minui.* B
Deinde natus eſt Chriſtus, cùm iam inciperent
creſcere dies; natus eſt Ioannes, quando cœperunt
minui dies. Atteſtata eſt ipſa creatura, & ipſę paſſio-
nes verbis Ioannis, dicentis: *Illum oportet creſcere, me
autem minui.* Hæc ille. Lege Ambroſium ſerm. 12. de
Natali Domini, & Auguſt. ſer. 21. de Sanctis, & in
D. Thom. lib. 83. quæſt. quęſt. 58. D. Thom. in Ioan. ſic morali-
ter exponit: Hoc, inquit, moraliter oportet eſſe in
Creſcit Chriſtus in nobis, cũ nos minuimur per humilitatem. vnoquoque noſtrum. Oportet Chriſtum in te creſ-
cere, vt ſcilicet in cognitione & amore eius profi-
cias. Quòd in quãtùm magis eum potes cognoſcen-
do & amando percipere; tantò magis Chriſtus cre-
ſcit in te. Et ex hoc oportet homines ſic proficien-
tes minui in ſua reputatione. Quia quãtò plus cog-
noſcit quis de altitudine diuina, tantò minorem re- C
Auguſt. putat paruitatem humanam, &c. D. Auguſt. tract.
14. Creſcat, inquit, in nobis gloria Dei, & minuatur
gloria noſtra; vt in Deo creſcat & noſtra. Hoc enim
dicit Apoſtolus: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* In
te vis gloriari & creſcere; ſed malo tuo malè cre-
Qui creſcit in ſe, malo ſuo creſcit, id eſt, ſuperbit. ſces. Qui enim malè creſcit, iuſtè minuitur. Creſcat
ergo Deus, qui ſemper perfectus eſt, creſcat in te.
Quantò enim magis intelligis Deum, & quãtò ma-
gis capis, videtur in te creſcere Deus. Ipſe autē non
Creſcit quodammodo Deus in nobis per meditationem, id eſt, Dei cognitio. creſcit, ſed ſemper perfectus eſt, &c. Idem Auguſti-
nus in lib. 83. quæſt. quæſt. 58. Ioannē ait prophetiæ
gerere perſonam, eſſe verò Euangelij perſonam in
Chriſto. Itaque Chriſtũ oportet creſcere, Ioannem
minui. Quia Euangelium creuit; prophetia decre- D
Ambroſ. uit, poſtquam id quod prænuntiabat aduenit. D.
Ambroſ. ſer. 12. de Natali, legem à Ioanne adum-
brari putat. Vnde Ioannem, id eſt, legem veterem
minutam ait; Chriſtum autem eiusque legem cre-
uiſſe. Chriſtum enim oportet creſcere, Ioannem, id
eſt, Iudaicam legem minui. Neceſſe erat, inquit
Ambroſius, vt deficeret lex Euangelio coruſcante,
& minueretur Iudaicus populus, populo Chriſtia-
no ſurgente, &c.

Ioan. 3. Chriſtꝰ omnibus Angelis & hominibus præcellit. QVI *de ſurſum venit, ſuper omnes eſt.* Et ſibi, & re-
liquis omnibus hominibus, & Angelis Chri-
ſtum præcellere, docet Baptiſta; atque adeò non
mirum eſſe, ſi oporteat illum creſcere. Qui de ſur-
ſum, hoc eſt, de cælo à Patre venit, ſuper omnes eſt: E
omnes homines Angelosque longè ſuperat. Græ-
cè eſt, ἐπάνω πάντων; quod verti poteſt; *ſuper omnes*; vt
noſter Interpres rectè vertit. Vel, *ſuper omnia*; ge-
nere neutro, quomodo D. Cyrillus intellexit. Non
Cyrill. eſt, inquit Cyrillus, magnum, neque mirabile, ſi hu-
manam gloriam Chriſtus excedit. Non enim in
hoc gloria eius terminatur, qui Deus eſt; ſed om-
nem ſuperat creaturam. Super omnes creaturas, ait,
Ioannes eſt, &c.

Ioan. 3. Quid ſit qui de terra eſt, de terra eſt. QVI *eſt de terra, de terra eſt, & de terra loquitur.*
Confert doctrinã Chriſti cum doctrina homi-
nis, longeque præſtare oſtendit. Græce, ὁ ὢν ἐκ τῆς γῆς,
ἐκ τῆς γῆς ἐστὶ καὶ ἐκ τῆς γῆς λαλεῖ, id eſt, *Exiſtens ex terra,
ex terra eſt, & ex terra loquitur.* Ex terra exiſtens dici-
tur, ex terra ortus & procreatus; ex terra eſt, id eſt,
terrenus eſt. Terra veluti materia conſtat, & terre-
na loquitur. Senſus eſt: Is qui de terra eſt magiſter
& doctor, de terra eſt, terrenus eſt, in terra natus, &
de terra excitatus, cælum numquam intrauit; ideo-
que de terra loquitur, in qua natus eſt, ex qua pro-
creatur. Loquitur, inquam, ex terra, id eſt, terrena,
quæ nouit ex terra. Non tradit cæleſtē doctrinam,
cuius teſtis ſit oculatus. At verò Ieſus de ſurſum
eſt, è cælo venit, ideoque cæleſtem doctrinam tra-
dit, idque docet quod vidit. Eſt hic magiſter, ô diſci-
puli, cæleſtis, quia è cælo venit; eſt teſtis doctrinæ
oculatus, quia quod vidit & audiuit, teſtatur. Duas
habet eximias magiſtri prærogatiuas; è cælo eſt
magiſter cæleſtis, ac nobiliſſimus; præterea ſapien-
tiſſimus, ea ſapientia quæ falli nequit. Quæcumque
enim docet, omnia conſpexit.

Diuus Auguſtinus, & alij, arbitrantur Ioannem *Auguſt.*
de ſe loqui, ſuaque doctrinæ Chriſti doctrinã præ-
ferre. Qui, inquit Auguſtinus, de terra eſt, & de ter- *Homo ex terra, terrena loquitur*
ra loquitur, Ioannes eſt, &c. Si obiicias Auguſtino
Ioannem non locutum de terra, ſic reſpondet:
Quantùm ad ipſum hominem de terra eſt, & de ter-
ra loquitur; ſi autem aliqua loquitur diuina, illumi-
natus eſt à Deo, &c. Eſt ergo ſenſus Auguſtin. Ego
Ioannes, qui de terra ſum, de terra, hoc eſt, terrena
loquor ex me ipſo, & ex mea origine. Nam ſi de
afflatu Dei ſermo eſt, Dei afflatu cæleſtia loquitur
homo; ex ſe autem loquitur homo de terra terre-
na. Quia terrena ſolùm ſenſibus percipit; ea verò C
intelligit, quæ ſenſibus agnoſcit; de iis autem lo-
quitur, quæ intelligit & cognoſcit.

Chryſoſtomus de Ioanne quoque interpretatur, *Chryſoſtomi ſenſus.*
humilitatemque Baptiſtæ ait his verbis indicari,
qui ſe terrenum, doctrinamque ſuam terrenam di-
cat, ſi cum Chriſto conferatur. Conferebatur au-
tem cum Chriſto à diſcipulis. Animaduertísne, ait *Ioannes humiliter confert ſuã doctrinã cum doctrina Chriſti.*
Chryſoſtomus, Ioannem nihil aliud, quàm paruum
ſe, & nullius ferè momenti, vtpote humi reptan-
tem, & in terra natum, Chriſtum autem cælitus no-
bis demiſſum ſignificare? &c. Cur verò dicat Ioan-
nes ſe de terra loqui, aliter quàm Auguſtinus ex-
ponit. Videlicet, quòd doctrina Baptiſtæ cum do-
ctrina Chriſti collata, terrena humilisque eſſet. De D
terra loqui, ait Chryſoſtomus, ſe dicit Ioannes, di-
uinæ doctrinæ ſua doctrina comparata. Nihil enim
aliud de terra loqui ſignificat, quàm paruas & hu-
miles facultates ſuas; & quales credibile eſt terre-
nam accipere naturam, ſi cum Dei magnitudine
conferantur. Siquidem apud illum omnes ſapien-
tiæ theſauri reconduntur. Ita Chryſoſtomus. Simi-
liter Euthymius ait: Ioannes de terra ſe loqui dicit,
in comparatione ſupernaturalium Chriſti ſermo-
num: oſtendens ſua eſſe parua & vilia, ſi ad ea, quæ
illius erant, conferantur. Nam ſicut per cælum ſi-
gnificat excelſum, ita per terram depreſſum ac hu-
mile, &c. Eumdem in modum exponũt Theophy-
lactus & D. Thomas. E

D. Cyrillus, & Rupertus, non interpretantur de
Ioanne, poſſuntque verba exponi, vt initiò expo-
ſuimus, de quolibet homine de terra orto, qui de
terra loquitur. Antitheſis eſt, homines de terra
ſunt, Chriſtus è cælo venit. Homines terreni de
terra, aut, vt Græcè habetur, ex terra, vbi viuunt, lo-
quuntur de diuinis rebus cæleſtibusque, quas non
viderunt: Chriſtus loquebatur ex cælo, in quo ſe-
cundùm diuinitatem erat, de rebus diuinis cæleſti-
busque, quas cernebat.

Quod vidit, inquit, *& audiuit, hoc teſtatur.* Explica- *Ioan. 3.*
tur Chriſti ſapientia his duobus verbis, *Vidit, & au-
diuit.* Vidiſſe dicitur omnia propter euidentiam &
claritatem ſcientiæ; audiuiſſe autem à Patre: quo-
niam

niam ſapientiam à Patre per æternam generationem accepit. Quod enim auditur, ab alio accipitur.

Theoph. Quia quæcumque ſcit Filius, ait Theophylactus, à Patre naturaliter ſcit, quaſi illi conſubſtantialis: eius gratia dicitur à Patre audire, quæ ſcit, &c.

Ioan. 3. Et *teſtimonium eius nemo accipit.* Conqueritur Baptiſta de incredulitate Iudæorum: Quæ, inquit, vidit & audiuit Chriſtus teſtatur, doctrinam certiſſimam, ſibi perſpectiſſimam, ac veriſſimam docet, ſed heu nemo illam recipit. Diſcipulos carpit, quòd ex iis ſint, qui Chriſti teſtimonium non accipiant. Quaſi dicat: *Teſtimonium eius nemo accipit*; neque vos mei diſcipuli, qui accipere deberetis: audiſtis enim me illi teſtimonium perhibentem. His verbis, ait Cyrillus, concutiens quaſi caput Baptiſta, & B pedes manibus cædens, incredulitatem hominum magnam admiratur, &c.

Continent verba hæc difficultatem huiuſmodi non diſſimulandã. Supra dicunt Ioannis diſcipuli:

Ioan. 4. *Ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.* & cap. 4. Ioannis: *Audierunt Iudæi, quòd Ieſus plures diſcipulos facit, & baptizat, quàm Ioannes.* Liquet ergo Chriſti baptiſmate quàm plurimos fuiſſe baptizatos. Iam verò baptiſma Chriſti non eſt datum, niſi credenti & recipienti teſtimonium Chriſti: ergo illi homines plurimi, qui baptizati ſunt à diſcipulis, crediderunt, & Chriſti teſtimonium acceperunt. Atqui

Ioan. 3. Quomodo teſtimoniũ Chriſti acceperit nemo. Ioannes ait: *Teſtimonium eius nemo accipit*; quod indicat vel nullum, vel pauciſſimos accepiſſe. Reſpondendum videtur, Ioannem, cùm ait; *Et teſtimonium eius nemo accipit*, C loqui de ſuis diſcipulis, quorum incredulitatem ægrè ferebat. Ioannis enim diſcipuli magiſtri dilectione, & philautia etiam excæcati, Chriſti teſtimonium recipere nolebant; & credere magiſtrum ſuum Ioannem Chriſto eſſe inferiorem. Ioannes diſcipulos ſuos hîc tangit, ait Chryſoſt. homil. 29. ac ſi non multùm Chriſto crediturі eſſent, &c. Vel dicendum, loqui de Phariſæis

Ioan. 7. ac principibus Iudæorum; iuxta illud: *Numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariſæis?* Neminem autem recipere teſtimonium ait, id eſt, paucos. Sic loqui ſolemus: Nemo eſt in foro; nemo eſt in concione, cùm pauci ſunt.

Ioan. 3. Qui *autem accepit eius teſtimonium, ſignauit, quia* D *Deus verax eſt*, &c. Aliquos indicat Chriſti teſtimonium accepiſſe; & plurimi quidem, qui baptizabantur, accipiebant. Hos verò ait ſignaſſe,

Fides Deum veracem eſſe teſtatur. quòd Deus ſit verax, & ſubſcripſiſſe verbis diuinis. Græcè verbum eſt, σφραγίζω, quod ſigillo notare ſignificat. Eſt ſenſus: Qui Chriſto credit, veluti ſigillo ſuo appoſito comprobat Deum eſſe veracem. Nam Chriſti verba Dei verba erant, vnde ſequi-

Ioan. 3. tur: *Quem enim miſit Deus, verba Dei loquitur.* Hoc eſt, Chriſtus, quem miſit Pater, verba Dei effatur. Qui igitur illius verbis fidem adhibet, teſtatur veluti

Cyril. ſigillo Deum vera loqui. Illius namque verba, verba Dei ſunt. D. Cyril. in Ioan. lib. 2. cap. 71. Verbum quod ex Patre effulſit, quia Deus ex Deo eſt, Deo E congruentibus verbis vtitur. Congruunt porrò illa verba Deo, quæ vera ſunt, & nulla mendacij turpitudine maculantur. Qui ergo Saluatoris teſtimonium accipit, is quaſi ſigillo quodam firmiter ſignauit, quia Deus verax eſt. Filius enim verè ſecundùm naturam Deus eſt. Hæc ille.

Noſtra fides ſigilli eſt inſtar. Hinc collige fidem noſtram inſtar ſigilli eſſe, quo Dei veritatem firmamus atque teſtamur. Fides enim non habetur mendacio, ſed veritati. Itaque fides Catholica, quæ firmiſſima eſt, nihilque dubij admittit, & pro diuinis verbis mortẽ alacriter oppetit, eximium eſt ſigillũ, quod Dei veracitatẽ maximè extollit. Neque verò cereum ſigillũ eſt, quod in mediis flammis, aliisque grauiſſimis cruciatibus

A non liqueſcit, ſed magis ac magis obdureſcit, & integrum perſeuerat. Sigillum epiſtolis complicatis imprimitur: ſic fides rebus diuinis complicatis & obſcuris, quas ſcilicet non videmus, adhibetur. Homini veraci adhibetur fides humana, cùm illa affirmat, quæ non videmus. Deo veraciſſimo, qui falli nequit, adhibetur fides diuina, ſumma, ac certiſſima abſque vlla dubitatione, vel hæſitatione, cùm illa docet, quę nõ cernimus. Summã enim fidẽ ſumma, ineffabilis, atque infalibilis Dei veracitas poſtulat.

Ioan. 3. Theoph. 1. Senſus. Quomodo ſine mẽſurâ det Deus Spiritum Chriſto. Non *enim ad menſuram dat Deus Spiritum.* Theophylactus ſic interpretatur: Nos omnes ad menſuram accipimus operationem Spiritus; Chriſto autem non ad menſuram dedit Deus vnam, vel B duas virtutes, ſed ipſum Spiritum integrum habet ſubſtantialiter. Igitur & Prophetis dedit Deus Spiritum, hoc eſt, operationem Spiritus, & ad menſuram dedit: Chriſto autem non ad menſuram, & neque omnino dedit: habet enim illum ſubſtantialiter. Hæc ille. Similem in modum Gregorius Na- *Greg. Naz.* zianzenus orat. 36. Non ad menſuram, inquit, dat Deus Spiritum. Neque enim dat, nec menſura definitum. Nec enim Deus Deum metitur, &c. hoc eſt, Pater Deus non metitur Deum Spiritum ſanctum, vt ad menſuram illum det Filio. Aſſerunt Nazianzenus & Theophylactus, Deum non dare Spiritum Chriſto. Id verò falſum videtur. Nam ſi conſideretur Chriſtus vt homo, dat illi Deus Spiritus ſancti dona; ſi conſideretur vt Deus, & Patris Filius, dat C illi Spiritum ſanctum: ſiquidem dat eſſentiam diuinam. Vnde Pater dicitur eſſe in Filio, & Filius in Patre, propter identitatem naturæ, itemque Filius in Spiritu ſancto, & Spiritus ſanctus in Filio. Explicanda ergo ſunt Gregorij verba in hanc ſententiam: Non dat, vel non dedit Pater Spiritũ ſanctum Filio, vt Deus eſt, per modum donationis & muneris; quoniam eſſentiam diuinam communicat naturaliter: non per modum muneris & beneficij tribuit. Vel Chriſto vt Deo Pater non dat Spiritum ad menſuram, id eſt, non dat illi Spiritus ſancti dona, vt eum ſanctificent & exornẽt. Non enim vt Deus donis Spiritus ſancti ſanctificatur, quæ habitus quidam ſunt in Deum minimè cadentes. Sed Gregorius D nõ videtur loqui de donis Spiritus, ſed de ipſo Spiritu ſancto Deo, vt colliges ex illis verbis: Nec enim Deus Deum metitur: nam dona Spiritus metitur, non tamen ipſam perſonam Spiritus.

Auguſt. Secundum ſenſus. Quid ſit menſura, ad quam Deus dat Spiritũ. 1. Cor. 12. Auguſt. tract. 14. de ipſa operatione ſic exponit: Hominibus, inquit, dat Deus Spiritũ ad menſuram; vnico Filio non dat ad menſurã. Quomodo hominibus ad menſuram? *Alij quidem datur per Spiritum*, ait Paullus, *ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ ſecundum eumdem Spiritũ, alij fides in eodem Spiritu, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij donatio curationũ.* Aliud habet iſte, aliud habet ille; & quod habet ille, non habet iſte. Menſura eſt, diuiſio quædam donorũ eſt. Ergo hominibus ad menſuram datur. Sed Chriſtus qui dat, non ad menſurã accepit, &c. Item Chryſoſt. Nos, inquit, omnes ad menſuram Spiritus operationẽ accipimus. Nam ſpiritum hoc loco operationẽ dicit: hæc enim eſt, quæ diuiditur. Chriſtus verò ſine menſura & integrã habet operationẽ, &c. Gloſſa ordinaria: Hominibus dat *Gloſſa.* Deus Spiritũ ad menſurã; Filio non dat ad menſuram. Sed ſicut totũ ex ſe ipſo toto genuit Filiũ ſuũ: ita incarnato Filio ſuo totum Spiritũ ſuum dedit, non particulatim, nõ per ſubdiuiſiones, ſed generaliter & vniuerſaliter, &c. Rupertus in Ioan. *Non ad menſuram dat Deus Spiritum.* Quia totus Spiritus ſanctus cum omnibus bonis ſuis ſuper eum requieſcit: quomodo columba ſuper caput eius ſe oſtẽdit cum omnibus mẽbris ſuis. Non eſt hic homo gre- *Rupert.*

garius aut plebeius, non communi menſura filiorum Adam, aut iuſtorum hominum diuiſiua gratia circumſcriptus eſt,&c. Euthymius: Non dat Chriſto Pater Spiritus ſancti virtutem menſuratam, ſicut aliis ſanctis; ſed hanc ſine menſura habet, ac totam, tamquam eiuſdem naturæ. Spiritum enim nunc dicit Spiritus efficaciam ac virtutem. Siquidem menſurari non poteſt Spiritus. Virtus autem ipſius menſuratur ac diuiditur, iuxta eorum, qui eam participant dignitatem,&c. Iuxta hanc ſententiam ſic hæc verba cum ſuperioribus connectentur. *Quem miſit Deus, verba Dei loquitur.* Habet enim Spiritum ſanctum, quem illi dat Deus non ad menſuram, ſed ſine menſura, ſecundùm omnia ipſius dona. Probabilis eſt hic ſenſus.

Euthym. *Ioan. 3.*

Rogabis; numquid ſine menſura Chriſti gratia & dona ſunt? Ergo infinita ſunt. Reſpondemus, dici hoc loco Spiritus ſancti dona dari ſine menſura Chriſto, non quòd infinitudinem re ipſa habeãt, ſed quòd effuſiſſime ſint data. Nam quod ex menſura certa datur, parcè videtur dari: quod verò ſine menſura certa datur, effuse & copiosè donatur. Præterea, quando totum datur, ſine menſura datur; quia igitur totus Spiritus datus eſt Chriſto, ideo ſine menſura dicitur datus. D. Thomas 3. p. q. 7. art. 12. Spiritum accipere videtur pro natura diuina, quæ ſpiritalis eſt; iuxta illud: *Deus ſpiritus eſt.* Atque hoc modo interpretatur: *Non ad menſuram dat Pater Filio Spiritum*: quia dat naturam, quæ omni menſura caret. Vno, inquit, modo exponitur de dono, quod Pater dedit Filio ab æterno, ſcilicet diuinã naturam, quæ eſt donum infinitum. Alteram addit interpretationem de gratia vnionis. Poteſt, inquit, referri ad donum quod datum eſt humanæ naturæ, vt vniatur diuinæ perſonæ; quod eſt donũ infinitum. Vtrumque ſenſum ſequitur Burgenſis in additionibus huius capitis. Connexio erit: Quem miſit Deus, verba Dei, neque aliud quàm verba Dei loquitur. Deus enim eſt. Nam non dedit illi Deus ad menſuram Spiritum, ſed dedit naturam diuinam, quæ omnem ſuperat menſuram. Non multùm habet hic ſenſus probabilitatis: *Dare enim Spiritum*, non ſignificat dare naturam diuinam, ſed Spiritus ſancti dona.

Quomodo Chriſtus & homo Spiritũ ſine mẽſura habeat *D. Thom. 3. Senſus.* *Ioan. 4.* *Ioan. 3.*

Animaduerte Ioannis verba: non enim ait: *Non ad menſuram dat ei, vel dat Filio Deus Spiritum:* ſed abſolute: *Non ad menſuram dat Deus Spiritum.* Abſolutè autem intelligenda verba probabilius videtur: ſiquidem nihil additur, quod ad Chriſtum indicet eſſe referenda. Præterea non dicit Ioannes: *Dedit Spiritum*, ſed *dat*, id eſt, dare ſolet hominibus. Hinc alij ſenſus oriuntur. Vnus hic Toleti eſt ſenſus. Dixit Baptiſta Chriſtum è cælo veniſſe, & miſſum eſſe à Deo, nempe Dei Filium. Rectè ſequitur: *Non enim ad menſuram dat Deus Spiritum* hominibus: ſiquidem dedit Filium ſuum, quod eſt donum infinitum ſine menſura. Non placet. Nomine enim *Spiritus*, Spiritus ſancti dona intelliguntur, non autem Chriſtus. Rectiùs interpretatur Ianſenius hoc pacto: *Non dat Deus Spiritum ad menſuram*, ô diſcipuli; hoc eſt, non ſolet certa aliqua, & definita menſura Deus ſpiritum hominibus largiri, vt ſi cui multum de illo ſit largitus, non poſſit alteri largiri amplius, aut vt omnibus æqualiter eum largiatur; ſed pro arbitrio ſuo vnicuique eum tribuit. Nec vlli tantùm contulit, quin multò plus queat impẽdere aliis. Nolite ergo exiſtimare Deum, propterea quòd mihi plurimũ ſui Spiritus impertiuerit, non poſſe longè plus donare Ieſu. Senſus hic præferendus videtur. Refero verò illũ ad id quod initio dixerat Ioannes: *Non poteſt homo accipere quidquam, niſi fuerit ei datum de cælo.* Significat enim Ioannes Deum dona ſua non dare ad menſuram aliquam certam & definitam; ita vt omnes æqualem gratiam accipiant. Quaſi dicat: Omnes è cælo ſpiritalia dona, quæ habemus, accepimus; alius tamen ampliora, alius minora. Non enim Deus Spiritũ dare ſolet ad mẽſuram aliquam certam; ita vt æquales omnes ſimus. Ieſu filio ſuo dedit ſpiritalia dona præcellentiſſima: quamobrem ſuper omnes homines & Angelos eſt. Gratia enim & donis omnes homines omnesq; Angelos ſuperat.

Auctoris expoſitio. *Toled. 4. Senſus.* *Ioan. 3.* *5. Senſum præferẽdus. Ianſenius.* *Ioan. 3. Quomodo Deus dona ſua det hominibus ſine mẽſura.*

PATER *diligit Filium, & omnia dedit in manu eius.* *Ioan. 3.* Multò ampliora dona Spiritus eſſe data Chriſto ſignificauit Ioannes: nunc adiicit omnia in manus & poteſtatẽ illius à Patre eſſe tradita. *Pater*, inquit, *diligit Filium, & omnia dedit in manu eius.* Cauſſa doni fuit amor. Dilexit, & dedit omnia. Amor enim cauſſa eſt donorum; vnde ſuprà: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret.* Dilexit mundum, & dedit illi Filium: dilexit Filium, & dedit ei mundum, & omnia quæ in eo ſunt, tam in terra, quàm in cælo. Nec dedit illi Spiritum ad menſuram, nec dedit ad menſuram imperium. Ceteris Regibus dat ad menſuram partem aliquam mundi poſſidendam: Chriſto non ad menſuram, ſed ſine menſura totum dedit orbem, totam terram, cælum. que. Non amauit ad menſuram: ideoque non dedit ad menſuram reliquorum. Qualis enim menſura amoris, talis eſt menſura doni. De hoc amore Dionyſius Carthuſianus hoc loco: *Pater*, inquit, *diligit Filium* ſecundùm naturam aſſumptam amore finito, ſed ampliori quàm totum vniuerſum; quoniam maius donum dedit illi ſoli, quàm omnibus ſimul, ſcilicet, perſonalem vnionem, &c. Rupertus Ioannis 3. Totum, inquit, cor Patris plenum eſt dilectione Filij, non ad menſuram, ſed toto corde, tota dilectione diligit Filium Pater, &c. Item: Si parentes theſaurizãt filiis carnalibus, quantò magis talis Parens tali Filio theſaurizaſſe credendus eſt cælum, & terram, & quidquid in eis continetur, &c.

Ioan. 3. *Primus ſenſus.* *Ioan 3.* *Pater nec Spiritũ dedit Chriſto ad mẽſurã, nec imperiũ ſed dedit ſine menſura totũ Spiritũ & totum imperium.* *Dionyſ. Carthuſ.* *Pater quãtum Filiũ diligat.* *Rupert.*

D. Auguſtinus de eſſentia diuina à Patre communicata Filio, & æterna potentia, interpretatur: *Omnia*, inquit, *dedit in manu eius.* Quid eſt omnia? Vt tantus ſit Filius, quantus eſt Pater. Ad æqualitatem enim ſibi genuit Filium Pater, &c. Et D. Cyrillus: Omnia, inquit, dedit in manum eius: omnia dico, ſimpliciter, quæ ſubſtantialiter inſunt Patri, Filio quoque inſunt. Manum autem hîc virtutem nominat. Omnia verò Patris propria ſubſtantialiter bona non participatione data ſunt Filio, &c.

Auguſt. 2. Senſus. *Pater dedit Filio, vt quantus ſit ille, tantus iſte.* *Cyril.*

Verùm non intelligendum locum de eſſentia diuina communicata à Patre & æterna potentia probatur: quoniam non ideo Pater eſſentiam tradit Filio, quòd illum amet. Non enim liberè, ſed naturaliter Filium generat, dilectione concomitante generationem; quæ tamen dilectio non eſt ratio generationis. Vnde Cardinalis Caietanus hoc loco: Dilectio, inquit, non eſt ratio, quòd Filio, prout eſt ab æterno genitus, tradita ſint omnia, &c. Adde Patrem non tradidiſſe eſſentiam, & potentiam, & diuinitatem in manum, id eſt, ſub imperium Chriſti. Diuinitas enim imperat, non eſt in manu tradita, quod ſubiectionem ſignificat.

Refutatur ſecundus ſenſus. *Pater nõ dedit Filio ſuã eſſẽtiã, quã eum amet. Caietan.*

Intelligendus ergo eſt Ioannes de imperio in res omnes tradito Chriſto, vt homini ex tempore: cuius traditionis ratio amor fuit Patris. Caietanus: Non dilectione, ait, ſed generatione omnia tradita ſunt vnigenito. Sed eidem vnigenito Filio hominis ex paterna dilectione omnia tradita ſunt, &c. D. Cyrillus hanc etiam addidit interpretationem: Pater, inquit, Filium diligit. Cuius dilectionis ſignum eſt; quia omnium ei rerum tradidit poteſtatem, &c. Toletus tradita eſſe omnia Chriſto interpretatur, traditam eſſe omnium hominum redemptionem & ſalutem. Sed non oportet verba conſtringere,

Sẽſus potior de imperio Chriſto tradito in omnes res. *Cyril.*

stringere, quæ apertè significant generalem,& admirabilem Christi in omnes creaturas, principatum.

Ioan. 3. Fructus fidei viuētis. QVI *credit in Filium, habet vitam æternam.* Fidei viuentis fructum discipulis proponit in fine sermonis; incredulitatisque supplicium, vt ad Christi fidem illos pelliciat. Suos discipulos, ait Theophylactus,& alios omnes instituit Ioānes, ne inuideant Christo, sed vt Deo auscultent,&c. O discipuli, ait, qui credit in Iesum Filium Dei, quem vos dicitis baptizare, omnesque ad eum confluere, magnum sibi fructum ex fide hac viua parit, vitam scilicet æternam; qui autem incredulus est, horrendum sibi supplicium creat, æternæ scilicet vitæ priuationem, iramque diuinā. Idcirco vt vitam hanc comparetis, supplicium que effugiatis, credite. Dicitur autem is qui credit in Filium habere vitam æternam, vt Caietanus ait, quoniam illā habet veluti in semine. Qui enim gratiam habet, æternæ vitæ semen habet: si perseueret, haud dubiè illam conse-

Theoph.

Supplicium incredulitatis.

A quetur. Vel, habere dicitur vitam æternam, qui credit, suo tempore donandam.

Qui autem non credit, is, inquit, *non videbit vitam eamdem æternam.* Neque vmquam videbit vitam veram. Quamuis enim vitam hanc temporalem perexiguam videat, vitam tamen gratiæ, si in incredulitate permaneat, non videbit in hoc sæculo, nec videbit post obitum vitam æternam. Iis verbis ait diuus Thomas significari pœnam damni. Est enim priuatio æternæ vitæ ac beatitudinis. Pœna verò sensus ex sententia eiusdē sancti Doctoris sequentibus verbis explicatur: *Sed ira Dei manet super eum.* Æterna enim Dei ira impium apud inferos æterno cruciatu afficiet: de impio dicitur. *Non videat riuulos fluminis, torrentes mellis & butyri.* Ecce damni pœnam, scilicet cælestis beatitudinis dulcedine priuari. Sequitur pœna sensus: *Luet, quæ fecit omnia, nec tamen consumetur, iuxta multitudinem adinuentionum suarum, sic & sustinebit,* &c.

Ioan. 3.

Pœna dāni, & pœna sensus.

Iob 20.

CAPVT IIX.

De carcere Ioannis Baptistæ.

MATTH. CAP. XIV.

HERODES autem tenuit Ioannem, & alligauit eum,& posuit in carcerem propter Herodiadem, vxorem fratris sui. Dicebat enim illi Ioannes: Non licet tibi habere eam. Et volens illum occidere, timuit populum, quia sicut Prophetam eum habebant.

MARC. CAP. VI.

IPSE Herodes misit ac tenuit Ioannem,& vinxit eum in carcerem, propter Herodiadem vxorem Philippi fratris sui: quia duxerat eam. Dicebat enim Ioannes Herodi: Non licet tibi habere vxorem fratris tui. Herodias autem insidiabatur illi, & volebat occidere eum, nec poterat. Herodes enim metuebat Ioannem, sciens eum virum iustum & sanctum: & custodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.

LVC. CAP. III.

HERODES autem Tetrarcha cùm corriperetur ab illo de Herodiade, vxore fratris sui, & de omnibus malis quæ fecit Herodes: adiecit & hoc super omnia, & inclusit Ioannem in carcerem.

Ioan. 3. Christi gesta ante Ioānis vincula.

QVÆ hactenus exposita sunt, Baptistæ carcerem præcesserunt. Quod probant illa verba Euangelistæ: *Nondum enim missus fuerat Ioannes in carcerem.* Ante vincula ergo Ioannis nonnullos discipulos vocauit Christus; miraculum in nuptiis edidit; postea Capharnaum petiit; Ierosolymā ad Pascha venit, cum Nicodemo collocutus est; & per discipulos baptizauit. Ante vincula Ioannis quæstio inter Iudæos, & discipulos Ioannis de baptismo orta est, testimoniumq; præclarissimū à Ioanne de Domino datum.

Ioannes verò post hæc, circa hoc tempus in carcerem ab Herode coniectus est. Quod probatur A hunc in modum: Ioannes coniectus est in carcerem, antequam Christus in Galilæam ex Iudæa discederet per Samariam, & antequam cum Samaritana femina colloqueretur; ergo circa hoc tempus vinctus est. Quòd autem Ioannes ante hunc discessum ex Iudæa in custodiam sit traditus, confirmatur ex Matthæo: *Cùm*, inquit, *audisset Iesus, quòd Ioannes traditus esset, secessit in Galilæam.* Et ex Marco: *Postquam*, ait, *traditus est Ioannes, venit Iesus in Galilæam.* Hic autem secessus Christi in Galilæam, ante quem Euangelistæ aiunt Ioannem traditum, non est ille primus, de quo suprà diximus, cùm Christus ex Iudæa vocatis nonnullis discipulis Galilæam petiit, & ad nuptias inuitatus primum miraculum

Ioannes in carcerē coniectus ante discessū secundū Christi in Galilæā.

Matth. 4.

Marci 1.

fecit. Quoniam, vt ex Ioannis cap. 3. constat, post hunc discessum Ioannes baptizauit in Ænnon, iuxta Salim. Est igitur secũdus discessus, cùm Christus ex Iudæa hoc anno per Samariam in Galilęam reuersus est, & cum Samaritana femina colloquium habuit, de quo paullò post dicemus. Series verò Euãgelica postulat, vt hoc loco de Baptistæ carcere agamus, de quo tres Euangelistæ scripserũt, sed non seruato temporis ordine. Luc. c. 3. Matth. 14. Marc. 6.

Matth. 14. Quis fuerit hic Herodes.

HERODES *tenuit Ioannem*. Herodes hic, qui Ioannem carcere cõclusit, Herodes est, primi Herodis infanticidæ filius. Vt enim lib. 1. c. 1. diximus, Herodes ille, qui infantes occidit, tres reliquit filios superstites, hunc Herodem Tetrarcham Galilææ, Philippum Tetrarcham Iturææ, & Trachonitidis regionis, & Archelaum. Fuit itaque Herodes hic Tetrarcha Galilęæ, & regionis trans Iordanem. Nam huius quoque Tetrarcham fuisse docet Iosephus lib. 17. cap. 13. Appellatur verò ab Euangelistis Rex; quoniam Tetrarchæ similes erant Regibus. Virum fuisse flagitiosum indicat Lucas, cùm ait: *Et de omnibus malis, quæ fecit Herodes: adiecit & hoc super omnia, & inclusit Ioannem in carcerem*, &c. Ioannis vincula ceteris flagitiis veluti cumulũ addidit.

Lucæ 3.

Matth. 14. Ioseph. l. 18. c. 10. De loco carceris Baptistæ.

POSVIT *in carcerem*. Carceris locus, si Iosepho fides habetur, fuit Machærus castellum munitissimum non longè à mari mortuo. Libro enim 18. ait Ioannem ab Herode vinctum, & missum in Machæruntem. Falsum hoc esse videtur, quoniam castellum Machærus situm erat propè mare mortuum, conuiuium Herodis agebatur in Galilæa. Ergo non potuit ex conuiuio mitti speculator in castellum, & ex castello ad idem conuiuium eodem die caput Ioannis afferre. Iter enim longum erat leucarum multarũ. Explorator terræ sanctæ Aranda, cap. 2. de Samaria, scribit carcerẽ Ioannis ostendi in Samaria. Verùm hic nodus in eum locum soluendus relinquatur, in quo de Baptistę nece agetur.

Aranda.

An Ioannes Pharisæis cooperantibus vinctus sit.

Quæritur, num Pharisæis cooperantibus vinctus sit Baptista. Lyranus Matthæi 17. sic respondet: Herodes de consilio Pharisæorum, & iuris peritorum, vt probabiliter creditur, Ioannem in carcerẽ coniecit, &c. Dionysius quoque Carthusianus eodem capite: Herodes, inquit, de consensu, & forsitan consilio Scribarum, Pharisæorum, ac Sacerdotum Ioannem incarcerauit ac decollauit, &c. Et Caietanus Ioannis 4. Insinuat, inquit, Euangelista Ioannes, Pharisæorum inuidiam tradidisse Ioannem Herodi. Iansenius capite 23. Concordiæ: Verisimile, inquit, est, Herodem neque potuisse, neque ausum fuisse capere Ioannem, nisi consentientibus, & cooperantibus Pharisæis, quorum tum summa erat auctoritas, vt ex Iosepho patet. Quos verisimile item est, suggessisse Herodi metum innouationis rerum, ob quam captum Ioannem Iosephus tradit. Hæc ille. Toletus quoque Ioannis 4. Pharisæos ait Baptistam odio fuisse prosecutos, & curasse, vt Herodi traderetur.

Caietan.

Tolet.

Matth. 17.

Colligitur opinio ex verbis illis Christi: *Elias iam venit, & non cognouerunt eum; sed fecerunt in eum quæcumque voluerunt. Sic & Filius hominis passurus est ab eis*, &c. Loquitur Dominus de Ioanne, quem Eliam appellat, significatque nõ ab Herode solùm, sed ab aliis etiam vinctum, & neci datum; videlicet à Pharisæis. Quamobrem diuus Hieronymus in commentariis eiusdem capitis, ait Pharisæorum factionem in Ioannis nece consensisse. Quæritur, ait Hieronymus, cùm Herodes & Herodias Ioannem interfecerint, quomodo ipsi Iesum quoque crucifixisse dicantur, cùm dicamus eum ab Scribis & Pharisæis interfectum? Et respõdendum, quòd & in Ioannis nece consenserit Pharisæorum factio; & in occisione Domini Herodes junxerit voluntatem suam, qui illusum remiserit ad Pilatum, vt crucifigeret eum, &c. Eadem sententia est in Glossa interlin. Diuus etiam Thomas Matth. 17. Potest, inquit, dici, quòd Christus passus est ab iisdem, à quibus Ioannes; quia Ioannes ab Herode, & Iudæis consentientibus, sed Christus à Scribis, consentiente Herode, &c.

Hieron. Herodes etiam in mortẽ Christi consensit.

D. Thom.

Colligitur etiam opinio ex verbis illis: *Cùm audisset Iesus quòd Ioannes traditus esset*, &c. Traditus ergo est Ioannes Herodi ab aliquo alio, vel ab aliquibus. Coniicitur traditum à Pharisæis Herodi, quemadmodum Christus traditus est Sacerdotibus à Iuda. Itaque Christus habuit traditorem Iudam, Ioannes traditores habuit Pharisæos. Cardinalis Caietanus Matthæi 4. Rationi, ait, est consentaneum, quòd Iudæi videntes populum concurrere ad Ioannem, & hoc in Iudæa, timuerunt nouitatem aliquam offensiuam Romanorũ; & propterea caute tradiderunt eum in carcerem trudendum ad Herode, &c.

Matth. 4. Ioãnes traditus est Herodi à Pharisæis.

Caietan.

Hæc opinio certitudine caret; coniectura tamen nititur. Nam verba Christi Matth. 17. aliter explicari possunt, ita vt de Herode & suis assęclis, non de Pharisæis intelligantur. Ea nos suo loco explicabimus. Verba Matth. 4. de traditione Ioannis aliam quoque habent interpretationem, quam paullò infrà adhibebimus.

Marci 6. Causa cur Herodes Baptistam in carcerem coniecit.

PROPTER *Herodiadem vxorem Philippi fratris sui*. Cur in custodiam tradiderit Herodes Baptistam, causa fuit Herodias fratris vxor, quam duxerat. Hoc enim coniugium Ioannes non licere affirmabat: *Non licet*, inquit, *tibi habere vxorem fratris tui*. D. Lucas ait non solùm de vetitis nuptiis, sed etiam de aliis flagitiis reprehensum esse à Ioanne Herodem. Quæ fuerint alia flagitia non indicat: *Cùm corriperetur*, inquit, *Herodes ab illo*, id est, Ioanne, *de Herodiade vxore fratris sui, & de omnibus malis quæ fecit Herodes*, &c. Corripuit Herodem Baptista; ille gratiam retulit carcerem & mortem. Iosephus aliam causam reddit: Cùm, inquit, ad Ioannem magni concursus fierent, Herodes veritus ne tanta hominis auctoritas defectionem aliquam pararet, iudicauit satiùs esse, priusquam aliquid noui exoriretur, illum tollere, &c. Vtraque causa esse potuit. Potuit etiam Herodes hanc causam, quam reddit Iosephus, fingere & vulgare.

Lucæ 3.

Ioseph. l. 18. Antiq. c. 10.

An publicè arguerit Ioannes Tetrarchã dubium est. Publicè arguisse videtur publicum crimen, vt sentit Abul. Matth. 14. quæst. 15. Herodes, inquit, vt euaderet vexationem Ioannis, voluit eum carcere concludere. Nam Ioannes prædicãs arguebat publicè Herodem de illicitis nuptiis. Clausus verò carcere prædicare non posset, & cessaret arguere Herodem, &c. Forsitan priùs priuatim, postea, cùm ab Herodiade nollet diuelli, publicè admonuit. Victor Antiochen. Ioannes, inquit, palàm Herodem reprehendit, &c. D. Chrys. homil. 1. ad populum in fine: Ioannes, inquit, cũ fiducia in medio foro dicit: *Non licet tibi habere vxorem Philippi fratris tui*, &c.

Ioannes Herodẽ publicè arguit. Abulens.

Non licebat vxorẽ fratris ducere, nisi aliquãdo. Deut. 25.

Quæret aliquis, cur non licuerit Herodi habere vxorem fratris. Respondetur, quoniam id prohibitum est Leuit. 18. & Leuit. 20. nisi fortè frater absque liberis è vita discederet. Tunc enim lege obstrictus frater, demortui fratris vxorem ducebat, vt semen illi excitaret.

Ioseph. l. 18. Antiq. c. 7. Cuiusnam vxor fuerit Herodias.

Dubitatur præterea, cuiusnam vxor fuerit Herodias. Iosephus de Herodiadis coniugio sic scribit: Herodias nupsit Herodi filio Magni Herodis, quem susceperat ex Mariamme filia Simonis Pontificis, ex quibus nata est Salome. Post quam natam, Herodias in contemptum legis patriæ denuò nupsit Herodi mariti germano, eodem patre genito, relicto priore

priore adhuc ſuperſtite. Is fuit Galilæorum Tetrarcha. Salome autem filia Philippo nupſit Herodis filio Tetrarchiam habenti Trachonitidis. Hæc Ioſephus. Ait igitur Herodiadem primùm nupſiſſe Herodi cuidam filio Herodis illius, qui infantes occidit, quem Magnum appellat. Præterea ex hoc coniugio filiam ſuſcepiſſe nomine Salomem; hanc autem Salomem filiam Herodiadis nupſiſſe Philippo Tetrarchæ Trachonitidis regionis, fratri Herodis Tetrarchæ Galilææ.

Salome filia Herodiadis nupſiſſe Philippo dicitur

At fallitur Ioſephus hac in re. Nam Herodias non nupſit Herodi filio Magni Herodis, ſed Philippo Tetrarchæ Trachonitidis regionis. Hoc enim apertè docet Marcus Euangeliſta: *Herodes*, inquit, *miſit, ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcerem, propter Herodiadem vxorem Philippi fratris ſui, quia duxerat eam*, &c. Philippi ergo erat vxor, non Herodis alicuius. Quod ſi dicas Philippum appellatũ etiam Herodem, conſentireque Ioſephum cum Euangeliſta. Reſpondebimus ex verbis Ioſephi colligi alium fuiſſe Herodem illum, alium Philippum Tetrarcham Trachonitidis. Scribit enim filiam illius Herodis Salomem nupſiſſe Philippo: ergo diuerſi homines erant.

Marci 6.

Herodias vxor fuit Philippi Tetrarchæ.

Ioſeph. l. 17. Antiq. c. 1.

Idem Ioſephus de vxoribus liberisque Herodis ſcripſit. Inter liberos verò tres Herodes numerat; Antipam, id eſt, Tetrarcham, quem reprehendit Ioannes, & duos alios Herodes; vnum ex Cleopatra, alterum ex ſummi Pontificis filia genitum. Is eſt, cui vult nupſiſſe Herodiadem. Sed mirum eſt huius Herodis nullam nec in teſtamento Herodis factam mentionem, nec in diſtributione hereditatis, vt cõſtat ex eodem auctore lib. 17. Antiq. c. 10. & c. 13. Obiit ergo ante patrem longo tempore. Quidquid ſit, Ioſephus deceptus eſt. Ex Euangeliſta liquet, Herodiadem Philippi Tetrarchæ Trachonitidis fuiſſe vxorem. Quomodo autem ad Herodem Tetrarcham Galilææ eius fratrem defecerit, & quænam fuerit Herodias reſtat explicandum.

Ioſeph. l. 18. Antiq. c. 7. Cuius nam filia fuerit Herodias.

Ioſephus lib. 18. Antiq. cap. 7. Herodiadem hanc Magni Herodis neptem fuiſſe ſcribit ex filio Ariſtobulo: Herodias, inquit, erat Ariſtobuli filia & Agrippæ maioris ſoror, &c. Ariſtobulus verò filius fuit Herodis infanticidæ, patris iuſſu occiſus. Huius filia erat Herodias, & Herodes Agrippa Rex, qui Iacobum Maiorem priuauit vita, quique conſumptus à vermibus exſpirauit.

Act. 12.

Hieron.

D. Hieron. Matth. 14. ex antiqua quadam hiſtoria Herodiadem Aretæ Regis Arabiæ Petrææ filiam fuiſſe refert: Vetus, ait, narrat hiſtoria, Philippum Herodis maioris filium duxiſſe vxorem Herodiadem filiam Regis Aretæ. Poſtea verò ſocerum eius, exortis quibuſdam contra generum ſimultatibus, tuliſſe filiam ſuam, & in dolorem prioris mariti, Herodis inimici, eius nuptiis copulaſſe, &c. Sequuntur Hier. Beda, & Haymo. Hac tamen in re ſequendus potius videtur Ioſephus, quàm vetus illa & incerta hiſtoria. Ioſephum ſequitur Euſebius lib. 1. hiſtoriæ Eccleſ. c. 11. Card. Baronius & Ianſenius. Fuit igitur Herodias Ariſtobuli filia, Herodis primi neptis ex filia, & ipſius Herodis Tetrarchæ neptis ex fratre. Nam Ariſtobulus pater Herodiadis, frater fuit Herodis Tetrarchæ & Philippi. Herodes autem Tetrarcha, antequam Herodiadem acciperet (eodem Ioſepho auctore) vxorem habuit Aretæ Regis Arabum filiam; quod Euſebius quoque loco citato ſequitur, & Nicephorus lib. 1. hiſt. cap. 19.

Herodias filia Ariſtobuli, Herodis neptis.

Herodes ante Herodiadẽ, vxorem habuit filiã regis Aretæ. Ioſephus.

Quomodo vxorem Herodiadem Herodes à fratre acceperit, narrat Ioſephus lib. 18. Antiq. cap. 7. iam indicato, his verbis: Herodes Tetrarcha vxorem habebat Aretę filiã, cum qua iam multo tempore vixerat; Romam deinde iter faciens, diuertit ad fratrem: huius vxoris Herodiadis amore captus, auſus eſt de impetrando eius coniugio mentionem facere. Qua aſſentiente, conuenit inter eos, vt quàm primùm ille Roma reuerteretur in patriam, mulier migraret in eius domicilium. Interceſſit autem & hoc pactum, vt Aretæ filiam eiiciat, &c. At Ioſephus, vt diximus, non Philippo, ſed alteri ereptam vult vxorem.

Exortum hinc bellum commemorat hoc pacto: Domum reuerſum Herodem, vxor comperto quid pactus ſit cum Herodiade, diſſimulanter rogat; vt ſe mittat Machæruntem, caſtrum ſitum in confiniis regionis Aretæ ſubditæ. Morem geſſit Herodes. Illa à præfecto excepta, deducentibus Arabibus magna celebritate peruenit in ædes patris, eique indicauit Herodis animum. Vnde ſimultate nata ſecuta eſt de Gamalitici agri finibus contentio, & bellum per legatos geſtum. Commiſſoque prælio Herodis exercitus internecione periit, proditus à quibuſdam exſulibus, qui pulſi e Tetrarchia Philippi tunc merebant ſtipendia Herodis, &c.

Bellũ inter Herodem & Aretã, Arabia Regem.

Addit idem Ioſephus, Iudæorum fuiſſe opinionem, deletum Herodis exercitum, quòd Ioannem interfeciſſet; quem laudibus extollit: Apud Iudæos, inquit, fuit opinio, iuſta vltione numinis deletum Herodis exercitum, propter Ioannem, qui Baptiſta cognominatus eſt. Hunc enim Tetrarcha necauit virum optimum, Iudæos excitantem ad virtutum ſtudia, & in primis pietatis ac iuſtitiæ, ſimulque ad baptiſmi lauacrum. Quod ita demum Deo gratum fore aiebat, ſi non ab vno tantùm alteróve peccato abſtineant, ſed animis per iuſtitiam priùs mundatis addant & puritatem corporis. Hæc Ioſephus.

Teſtimonium Ioſephi de Ioanne Baptiſta.

Dubium etiam eſt, an Herodes Herodiadem duxerit marito ſuperſtite, an vita functo. Hac de re ſic Theophylactus ſcribit Marc. 6. Dicunt quidã, quòd Herodes rapuerit Herodiadem viuente Philippo. Alij autem, quòd mortuus quidem fuerit Philippus, reliquerit autem filiolam; & cùm filiam reliquerit, non debebat Herodes ducere vxorem fratris, etiam poſt mortem. Lex enim iubebat fratrem fratris vxorem ducere, cùm non ſupereſſet puer; nunc autem illi erat filia, &c. Hæc videtur ſententia Chryſoſt. qui homil. 48. in Matth. affirmat non licuiſſe fratri ducere fratris defuncti vxorem, ſi ille liberos reliquiſſet. Tum addit: Quoniam igitur Herodes vxorem fratris, cuius filia viuebat, duxit; hac de cauſſa Ioannes criminatur, &c. D. Auguſt. in lib. de Fide & operibus, c. 19. dubitat: Ambiguum, inquit, vtrum Herodes mortui duxerit, an viui fratris vxorem. Ideo non claret, quòd Ioannes ei non licere dicebat, &c. Tertullianus lib. 4. contra Marcion. defuncti fratris vxorem duxiſſe apertè exiſtimat: Ioannes, inquit ille, retundens Herodem, quòd aduerſus legem vxorem fratris ſui defuncti duxiſſet habentis filiam ex illa (non aliàs hoc permittente, immo & præcipiente lege Deuter. 25. quàm ſi frater illiberis, id eſt, ſine liberis deceſſerit) coniectus in carcerem fuerat, &c.

An Herodes duxerit Herodiadem Philippo viuente. Deut. 25.

Auguſt.

Tertull.

Reſpondemus, viuentis fratris vxorem accepiſſe Herodem. Hæc eſt ſententia D. Hieron. Matth. 14. Arguit, inquit, Ioannes Herodem, quòd illicitas nuptias fecerit; & non liceat fratre viuente germano vxorem illius ducere, &c. Aduerte tamen Philippum non fuiſſe germanum fratrem Herodis Tetrarchæ, id eſt, eadẽ matre eodemque patre natum. Nam Philippus natus eſt ex matre, quæ Cleopatra appellatur à Ioſepho li. 17. Antiq. c. 1. Herodes verò Antipas ex matre alia Samaritide, ex qua etiã natus eſt Archelaus. Erant igitur germani fratres Archelaus, & Herodes Antipas Tetrarcha; Philippi autem germanus alius erat Herodes ex eadem Cleopatra

Vinẽte fratre Herodiadem Herodes duxit. Hieron.

Ioſephus.

patra matre. Lege, si libet, Iosephum: Herodes, inquit, nouem vxores habebat. Vna erat Antipatri mater, altera summi Pontificis filia, ex qua natus est puer patrem nomine referens. Præterea Samaritis vna, & ex ea liberi, Antipas & Archelaus. Ex Cleopatra etiam Ierosolymitana Herodem genuit & Philippum, &c. Hic Herodes germanus Philippi non est Tetrarcha; nam is dicebatur Antipas. Sed Iosephus non sibi constat. Nam eodem lib. cap. 10. Archelaum germanum fratrem vocat Philippi. Ergo germanus etiam erat Antipas Philippi. Fortè germanum vocat ex patre: sic enim loquitur lib. 18. Antiq. c. 17. verba suprà citauimus. Euthymius etiam arbitratur viuente viro vxorem ablatam, Eusebius lib. 1. hist. cap. 10. Beda, Haymo, Glos. inter. D. Bonauen. de Vita Christi, cap. 29. & Nicephorus lib. 1. cap. 19. Probatur, quoniam Iosepho teste lib. 18. Antiq. c. 6. Philippus obiit anno vigesimo principatus Tiberij; Ioannes verò, qui incestum reprehendit, ante hunc annum ab Herode est occisus. Ergo viuenti Philippo vxorem abstulit Herodes. Quamobrem Abulensis Matth. 14. ait Herodem duo commisisse crimina in hoc illicito coniugio; adulterium, quòd viuentis viri vxorem duxerit; & incestum, quòd fratris vxorem acceperit.

Marci 6. HERODES *enim metuebat Ioannem*, &c. Arguebat Herodem Ioannes propter Herodiadem; quod illa molestissimè ferebat. Itaque Baptistæ insidiabatur, eique necem afferre cupiebat, nec tamen poterat. Cur autem non posset, causam addit Marcus his verbis: *Herodes enim metuebat Ioannem, sciens eum esse virum iustum & sanctum; & custodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat*, &c. Particula *enim* causam indicat. Non poterat Herodias Ioannem occidere; quoniam Herodes custodiebat eum, Græcè, συνετήρει, id est, conseruabat, & tuebatur eum, ne ab Herodiade occideretur. Custodiebat autem illum; quia metuebat ipsum, & venerabatur propter eximiam vitæ sanctitatem. Propter quam libenter, Græcè ἡδέως, id est, suauiter, eum audiebat. Neque solùm audiebat, sed opere audita exsequebatur: *Multa*, inquit, *eo audito faciebat*. Multa faciebat; sed non omnia fecit. Non enim vxorem fratris reliquit. Non satis est multa facere; omnia præcepta oportet explere. Boni auditoris hoc est, libenter & suauiter concionatorem audire; & eo audito non solùm multa, sed omnia, quæ ad animi salutem spectant, facere. Facilè est audire; audita facere difficile. Herodes suauiter Ioannem audiebat; sed eo audito ab impia Herodiade discedere nolebat. Libenter & suauiter eum audiebat; sed non suauiter audiuit illud: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*. Veritas amara fuit delicato Regis palato.

Herodes Ioannem tuebatur, ne ab Herodiade occideretur.

Boni auditoris est, libenter audire & facere.

Veritas fuit amara delicato palato.

Dubium est, an Herodias insidiata sit Ioanni, eumque occidere voluerit, antequam in carcerem coniiceretur, an verò postquam coniectus est. Insidiatam postquam coniectus est videtur significare D. Marcus. Postquam enim narrauit Herodem carcere conclusisse Ioannem, adiunxit: *Herodias autem insidiabatur illi, & volebat occidere eum, nec poterat.* Quasi dicat, Herodes vinxit Baptistam: Herodias verò volebat occidere eum in carcere, nec poterat; quia Herodes custodiebat eum. Verisimilius est, Herodiadem insidias Baptistæ fecisse, postquam arguit Herodem, antequam in custodiam traderetur; Marcum verò vsum anticipatione, cùm priùs carcerem, quàm insidias commemorauit. Itaque Herodias, postquã Baptista Tetrarcham illiciti admonuit coniugij, odium concepit, occidere præcursorem voluit, sed non potuit. Nam ante carcerem Herodes metuebat Ioannem, sciens eum esse virum iustum & sanctum; & custodiebat eum, ne occideretur ab Herodiade. Timebat enim iram diuinam, si iustum sanctumque virum occidi pateretur.

Herodias insidiabatur Ioanni antequã mitteretur in carcerem. Marci 6.

Illud quod additur, *Audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat*, ad id tempus præcipuè referendum videtur, quod admonitionem præcesserit. Antequam argueretur, audiebat Herodes Baptistam libenter, & eo audito multa faciebat. Forsitan etiam postea. Tandem ab Herodiade, vel ab ira victus, quòd argueretur, in carcerem illum coniecit, & occidere voluit, vt Matthæus ait; sed *timuit populum; quoniam sicut Prophetam eum habebant*. Particula *sicut* non similitudinem indicat, sed veritatem. Populus enim Ioannem verè Prophetam esse credebat. Euthymius Matth. 14. Primùm, inquit, Herodias negotium faceſſebat Ioanni, volebatque illum occidere; Herodes verò non permittebat, sciens eum virum iustum & sanctum. Itaque audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. Cùm autem vehementer illum vrgeret Ioannes, arguens atque increpans eum; tandem Herodes hinc quidem victus molestia, hinc autem vim quodammodo ab Herodiade perpessus, iam pudorem in iram commutauit. Nec omnino quiescens, volebat eum occidere: timens verò multitudinem vinxit eum quasi puniens, & ligauit eum, ne varia loca circumiens obiurgaret eum. Hæc Euthymius.

Ibidem.

Herodes audiebat libenter Ioannem antequam argueretur Matth. 14.

Euthym.

Caietanus Marc. 6. existimat Herodem versipellem timuisse Ioannem, & audiuisse ficto animo. Nam ad illa verba Marci, *Herodes verò metuebat Ioannem, sciens eum esse virum iustum & sanctum; & custodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat*, sic scribit: Hi actus virtutum, qui narrantur de Herode, intelligendi sunt ficti, iuxta verbum Domini appellantis *Herodem vulpem*, & iuxta testimonium Matth. 14. quòd Herodes volẽs Ioannem occidere timuit populum. Fictè itaque Herodes exercebat hos virtutum actus erga Ioannem; ob quam fictionem non poterat Herodias eum occidere, vt volebat. Marcus enim refert apparentes actus, &c. Sic Caietanus. Lyranus quoque ad illa verba Marci, *Libenter eum audiebat*: Totum, inquit, istud erat simulatorium; vt ex tali auditu Ioannis, & obtemperatione dictis eius in aliquibus, retineret populum à rebellione contra ipsum, &c. Superior sententia est verisimilior. Quoniam Euangelistæ verba nullam fictionem indicant; sed verè facta esse significant, quæ narrantur.

Caietan.

Marci 6.

Ficto animo dicitur Herodes audiuisse Ioannem, &c.

Lyran.

Alius interpres Matth. 14. existimare videtur, Herodem non ideo Ioannem in carcerem coniecisse, vt illum occideret, sed potiùs, vt ab Herodiadis insidiis seruaret indemnem, placans hac ratione illius iram, & spe secuturæ necis deludens. At Euangelistæ verba aliud indicant, videlicet, Herodem Ioannem vinxisse, quòd ab illo argueretur, nõ vt ab Herodiadis insidiis liberaret. Obiicitur illud: *Herodias insidiabatur illi, & volebat occidere eum, nec poterat: Herodes enim metuebat Ioannem, & custodiebat eum*, &c. Sed iam suprà hæc verba explicauimus. Hæc de carcere Ioannis sint satis. Morale in tractatum de nece Baptistæ differamus.

Marci 6.

CA-

CAPVT IX.

De discessu Christi ex Iudæa in Galilæam, & colloquio cum femina Samaritana.

MATTH. CAP. IV.

CVM audisset Iesus, quòd Ioannes traditus esset, secessit in Galilæam.

MARC. CAP. I.

POSTQVAM autem traditus est Ioannes, venit Iesus in Galilæam.

LVC. CAP. IV.

ET regressus est Iesus in virtute Spiritus in Galilæam.

IOAN. CAP. IV.

VT ergo cognouit Iesus, quia audierunt Pharisæi quòd Iesus plures discipulos facit, & baptizat, quàm Ioannes (quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius) reliquit Iudæam, & abiit iterum in Galilæam. Oportebat autem eum transire per Samariam. Venit ergo in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, iuxta prædium, quod dedit Iacob Ioseph filio suo. Erat autem ibi fons Iacob. Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Hora erat quasi sexta. Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Iesus: Da mihi bibere. Discipuli enim eius abierant in ciuitatem, vt cibos emerent. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu Iudæus cùm sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? non enim coutuntur Iudæi Samaritanis. Respondit Iesus, & dixit ei: Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam. Dicit ei mulier: Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus est; vnde ergo habes aquam viuam? Numquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius? Respondit Iesus, & dixit ei: Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum, qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam, vt non sitiam, neque veniam huc haurire. Dicit ei Iesus: Vade, voca virum tuum, & veni huc. Respondit mulier, & dixit: Non habeo virum. Dicit ei Iesus: Bene dixisti, quia non habeo virum. Quinque enim viros habuisti: & nunc quem habes, non est tuus vir. Hoc verè dixisti. Dicit ei mulier: Domine, video, quia Propheta es tu. Patres nostri in monte hoc adorauerunt: & vos dicitis, quia Ierosolymis est locus, in quo adorare oportet. Dicit ei Iesus: Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitis Patrem. Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus, quod scimus. Quia salus ex Iudæis est. Sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus: & eos, qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare. Dicit ei mulier: Scio, quia Messias venit (qui dicitur Christus) cùm ergo venerit ille nobis annuntiabit omnia. Dicit ei Iesus: Ego sum, qui loquor tecum. Et continuò venerunt discipuli eius, & mirabantur, quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit: Quid quæris, aut quid lo-

queris cum ea? Reliquit ergo hydriam ſuam mulier, & abiit in ciuitatem, & dicit illis hominibus: Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci. Numquid ipſe eſt Chriſtus? Exierunt ergo de ciuitate, & veniebant ad eum. Interea rogabant eum diſcipuli, dicentes: Rabbi, manduca. Ille autem dicit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis. Dicebant ergo diſcipuli ad inuicem: Numquid aliquis attulit ei manducare? Dicit eis Ieſus: Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me, vt perficiam opus eius. Nónne vos dicitis, quòd adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit? Ecce dico vobis: Leuate oculos veſtros, & videte regiones, quia albæ ſunt iam ad meſſem. Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam, vt, & qui ſeminat, ſimul gaudeat, & qui metit. In hoc enim eſt verbum verum: quia alius eſt qui ſeminat, & alius eſt qui metit. Ego miſi vos metere quod vos non laboraſtis. Alij laborauerunt, & vos in labores eorum introiſtis. Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris teſtimonium perhibentis: Quia dixit mihi omnia quæcumque feci. Cùm veniſſent ergo ad illum Samaritani, rogauerunt eum, vt ibi maneret. Et manſit ibi duos dies. Et multò plures crediderunt propter ſermonem eius. Et mulieri dicebant: Quia iam non propter tuam loquelam credimus: ipſi enim audiuimus, & ſcimus, quia hic eſt verè Saluator mundi.

Rediit Chriſtus in Galilæam.

CHRISTVS Opt. Max. vt ex dictis liquet, ex Galilæa, vbi in ciuitate Nazareth nutritus fuerat & verſatus, venit in Iudeam ad baptiſmum Ioannis. Poſt baptiſmum & ieiunium, vt vult D. Epiphanius, rediit in Galileam. Sed huius reditus non fit ab Euangeliſtis mentio. Poſtea venit iterum in Iudæam ad Ioannem; vocatisque aliquot diſcipulis, in Galilæam reuerſus eſt, conuertitque aquam in vinum in Cana. Huius reditus meminit Ioannes cap. 1. Ex Galilæa rurſus venit in Iudæam, ad celebrandos Paſchales dies; cum Nicodemo locutus eſt; miracula edidit, baptizare cœpit; tum Galilæam repetiit poſt Ioannis carcerē, vt docet Ioannes cap. 4. Bis ergo poſt baptiſmum ex Iudæa hactenus rediiſſe refert Ioannes, omiſſo illo primo reditu Epiphanij. Semel cùm nuptiis interfuit; iterum poſtquam baptizare cœpit, & poſtquam Ioannes in carcerem coniectus eſt. Huius diſceſſus in Galilæam meminerunt ceteri Euangeliſtæ, atque ab eo res Chriſti geſtas poſt baptiſmum Chriſti, narrare ſunt exorſi. Matth. *Cùm audiſſet Ieſus, quòd Ioannes traditus eſſet, ſeceſſit in Galilæam.* Marc. *Poſtquam traditus eſt Ioannes, venit Ieſus in Galilæam, prædicans Euangelium regni Dei*, &c. Luc. *Et regreſſus eſt Ieſus in virtute Spiritus in Galilæam, & fama exiit per vniuerſam regionem de illo*, &c. Doctus quidam interpres Matthæum ſic exponit: Seceſſit in Galilæam, non inferiorem, ſed ſuperiorem, quæ Galilæa gentium dicebatur, & extra Herodis iuriſdictionem erat. Hanc verò interpretationem credit latuiſſe alios auctores, & Auguſtinum quoque. Non igitur mirum, ſi me etiam lateat. Arbitror tamen non eſſe veram. Nam Euangeliſtæ eodem modo nomen Galilææ vſurpant pro vtraque Galilæa. Præterea vtrique imperaſſe Herodem inde colligitur, quòd Herodes abſolutè Galilææ dicitur Tetrarcha, non huius, aut illius, à Ioſepho, & à Luca cap. 4. Quòd ſi inferiori tantùm Galilææ imperaſſet, non diceretur abſolutè Tetrarcha Galilææ. Neque ſolùm Galilææ, ſed regioni etiam dominabatur, quæ trans Iordanem erat, & Peræa dicitur, ſiue Tranſamnana, vt ex Ioſepho liquet lib. 12. Antiq. cap. 13. Antipæ, inquit, Tranſamnana regio ceſſit cum Galilæa, &c.

Matth. 4. Marci 1. Luca 4.

Quòd autem Ioanne iam tradito in cuſtodiam, Chriſtus in Galilæam nunc receſſerit, ſententia eſt D. Auguſtini lib. 2. de Conſenſu Euangeliſtarum, cap. 18. Gerſonis in ſua Concordia Euangelica, Ianſenij & aliorum. Abulenſis Matth. 4. quæſt. 84. & 85. aliud ſentit, & Rupertus in Ioannem. Videlicet abiiſſe Chriſtum in Galilæam ante Baptiſtæ carcerem. Id verò ſic confirmatur. Ioannes Euangeliſta initio capitis quarti ita ſcribit: *Vt cognouit Ieſus, quia audierunt Phariſæi, quòd Ieſus plures diſcipulos facit, & baptizat, quàm Ioannes, reliquit Iudæam, & abiit iterum in Galilæam*, &c. Ait Euangeliſta Chriſtum abiiſſe in Galilæam, propterea quòd audierant Phariſæi plures diſcipulos ipſum facere, & baptizare, quàm faceret, & baptizaret Baptiſta. Ergo Baptiſta nondum in vincula erat coniectus, cùm Chriſtus in Galilæam abiit. Siquidem diſcipulos tunc Baptiſta faciebat, & baptizabat. Auguſtinus argumenti ſolutionem nobis ſuppeditat loco citato, hæc ſcribens: Intelligimus iam fuiſſe traditum Ioannem; Iudæos verò audiuiſſe, quòd plures diſcipulos Chriſtus faceret, & baptizaret, quàm fecerat, & baptizauerat Ioannes, &c. Euangeliſtæ ergo illa verba, *Audierunt Phariſæi, quòd Ieſus plures diſcipulos facit, & baptizat, quàm Ioannes*, ex ſententia D. Auguſtini ſic interpretanda ſunt: *Audierunt Phariſæi, quòd Ieſus plures diſcipulos facit, & baptizat*, quàm Ioannes fecerat, & baptizauerat, antequam in carcerem coniiceretur. Quo enim tempore Chriſtus diſceſſit, iam in cuſtodiam erat traditus.

An abierit Chriſtus in Galilæā poſt Ioānis carcerem.

Ioan. 4.

Auguſt.

Diſceſſit ergo Chriſtus in Galilæam poſt Baptiſtæ carcerem; cauſſam diſceſſus inquiramus. Rupertus in Ioannem arbitratur in Galilæam diſceſſiſſe Chriſtum; quoniam prædicante Baptiſta nolebat ipſe prædicare in Iudæa. Ioanni cedens, ait Rupertus, abiit; & tempus ſuum, quod illo adhuc prædicante non aduenerat, exſpectans. Item: Loco & tempore cedere dignatus eſt Chriſtus; vt debito cum honore Baptiſta ſuus ad conſummationē curſus ſui perueniret. Item: Chriſtus tanto honore Ioannem dignū duxit, vt illo ſuperſtite numquam poneret in conſpectu populi magiſterij ſui cathedram

Cur Chriſtus in Galilæam nūc diſceſſerit ex Iudæa.

Rupert.

dram per publicæ prædicationis officium. Quòd si facere voluisset, magna sua claritate famam illius obscurasset, sicut Sole Meridiano lucernæ fulgor operiri solet. Hæc Rupert. At verò diximus iam fuisse in custodiam datum Baptistam, quo tempore Christus Galilæam petiuit; non ergo vera est Ruperti sententia. Opinio est quædam, profectum Dominum in Galilæam, quòd Ioannes traditus esset, ne & ipse traderetur: atque ideo in superiorem Galilæam secessisse, quæ extra Herodis erat imperium. Sed suprà diximus vtrique Galilææ Herodem imperasse. Nullus enim auctor est, qui Galilæam superiorem illius dominatui subtrahat. Non fugiebat nunc Herodem Dominus, sed Pharisæorum inuidiam. Lege, quæ scripsimus de nece Ioannis lib. 9. cap. 16. Pharisæorum inuidiam huius discessus fuisse causam existimat Augustinus in Ioannem probabilius. Inuidiæ enim vt cederet, discessit ex Iudæa Dominus. Hanc causam reddit Euangelista verbis citatis: *Vt cognouit Iesus, quia audierunt Pharisæi, quòd Iesus plures discipulos facit, & baptizat, quam Ioannes, reliquit Iudæam, & abiit iterum in Galilæam*, &c. Quia Christus cognouit Pharisæorum scientiam, ait Augustinus, simul & inuidentiam; quia non hoc propterea didicerunt, vt sequerentur, sed vt persequerentur. Abiit inde, &c. D. Cyrillus in Ioannem: Iudæorum, inquit, inuidiam vitans Christus, in Galilæam abiit, &c. Chrysostomus hom. 30. in Ioan. Non formidinis causa discessit, sed vt eorum inuidiam leniret, &c. Theophylactus: Cùm Christus audisset, quòd Pharisæi de gloria ipsius audierint, & sciret contra ipsum ad inuidiam concitandos, secessit in Galilæam, &c. Ambros. Luc. 4. Discessit Christus, reliquit Iudæam, propter inuidos Pharisæos, &c. Alteram causam reddit Matthæus, de qua infrà.

Ioan. 4. *D. August.* *Cyrill.* *Theoph.* *Ambros.*

Ioan. 4. VT *cognouit Iesus, quia audierunt Pharisæi*, &c. Baptizabat Christus per discipulos. Maiores ad illius baptismum, quàm ad Ioannem, concursus fiebant. Audierunt hoc Pharisæi: audiuisse Pharisæos Dominus agnouit, relictoque baptismo, in Galilæam abiit, ne Pharisæis zelum, & inuidiam tanto concursu commoueret. Nouerat enim Pharisæorum genus gloriæ amicum, & ad inuidiam prolciue. Rogabit aliquis, quot mensibus Christus per discipulos baptizarit? Respondebimus incertam rem esse. Cœpit ille quidem post Paschales dies baptizare, vt ex dictis constat. Quantum verò temporis interuallum inter Pascha, & baptismum interfluxerit, ignotum est. Discessit ex Iudæa mense Decembri, vt infrà ostendemus. Pascha mense Nisan agebatur, circiter mensem Aprilem. Itaque nouem menses à Paschate ad Decembrem vsque sequentem interfluxerunt, quibus potuere discipuli Christi baptizare, partim baptizante Ioanne, partim postquam in carcerem coniectus est.

De tempore, quo discipuli baptizarunt.

Sed quónam mense audierunt Pharisæi Christum plures baptizare, quàm Ioannem? Numquid in extremo mense audierunt? id enim verba Euangelistæ videntur indicare: *Vt cognouit Iesus, quia audierunt Pharisæi, quòd Iesus plures discipulos facit, ac baptizat, quàm Ioannes, abiit in Galilæam.* Vt cognouit, hoc est: Vbi primùm cognouit audiuisse Pharisæos; statim abiit. Ergo Pharisæi, paullò ante quàm abiret, audierunt, extremo mense; seroque post tot menses Christi fama ad illos peruenit. Id verò mirum est. Quamobrem dici potest, Pharisæos de baptismo Christi primis mensibus audiuisse, extremo verò mense audiuisse plures discipulos facere, & baptizare, quàm Ioannem. Primùm discipulos Christi baptizare cognouerunt; postea verò comparatio facta est ab aliquo inuido Pharisæis simili,

De tempore, quo Pharisæi audierũt de baptismo Christi. *Ioan. 4.*

qui Pharisæos certiores fecit numeri baptizatorum excrescentis, Ioannisque numerum superantis. Ex quare Pharisæi vel inuidiam conceperunt; vel si Christus non discederet, concepturi videbantur. Dici quoque potest discipulos non baptizasse toto illo tempore.

Aliter etiam verba Euangelistæ explicari possunt, hoc pacto: *Vt cognouit Christus, quia audierunt Pharisæi, abiit in Galilæam.* Non tamen statim vt cognouit, abiit; sed post aliquot menses. Non enim Euangelista ait statim abiisse; sed abiisse, vt cognouit; scilicet, quia cognouit. Quòd si antequam Ioannes in vincula ab Herode coniiceretur, Pharisæi audierunt, quòd Iesus plures discipulos facit, & baptizat, quàm Ioannes; non est opus Augustini interpretatione suprà tradita. Sic enim verba hæc interpretabimur: *Audierunt, quòd Iesus plures discipulos facit, & baptizat, quam Ioannes adhuc baptizans faceret, & baptizaret*; siquidem adhuc baptizabat. Postea verò coniectus est in carcerem, discessitque ex Iudæa Christus. *Ioan. 4.*

CVM *audisset Iesus, quòd Ioannes traditus esset, secessit in Galilæam.* Ioannes vnam commemorat causam, cur Christus ex Iudæa in Galilæam discesserit, de qua diximus; Matthæus alteram addit. Cùm audisset, quòd Ioannes traditus esset, secessit in Galilæam. Non quidem, quòd Herodem timeret, discesserit. Quem enim timeret, qui hominum cunctorum flatum in manu gerebat? Neque verò Herodis causa abiit. Si enim illius causa abiisset ex Iudæa; non petiuisset Galilæam, quæ erat ipsius Herodis Tetrarchia. Discessit ergo, vt Ioanne tradito in custodiam inciperet ipse in Galilæa concionari. Hactenus enim per discipulos baptizabat in Iudæa, & docebat ipsemet, non tamen sic publicè concionatus est, vt in Galilæa. *Matth. 4.*

Discessit Christus, Ioanne tradito in Galilæa cõcionari inciperet.

Quomodo autem Ioannes traditus dicatur, dubium est. Caietanus interpretatur hæc verba, *Cùm audisset Iesus, quòd Ioannes traditus esset*, hoc sensu: Cùm audisset, quòd traditus esset Ioannes à Iudæis Herodi. Toletus Ioannis 4. Hesselius Matthæi 4. & Iansenius, à Pharisæis traditum exponunt. Auctor imperfecti explicat, traditum à Deo: Cùm audisset, inquit, quòd Ioannes traditus esset sine dubio à Deo. Quia in virum sanctum nemo potest aliquid, nisi tradiderit eum Deus, &c. Eumdem sensum sequitur D. Thomas & Carthusianus: Cùm audisset, inquit, quòd Ioannes traditus esset à Deo permissiue in manus Herodis, & ab Herode in manũ seruorum suorum, vt eum incarcerarent, &c. Abulensis aliter interpretatur: Cùm audisset, quòd traditus esset Ioannes, id est, in carcerem coniectus. Hic sensus mihi magis placet. Nam si ab aliquo traditus fuisset Ioannes, Euangelistæ id explicassent. Cùm ergo simpliciter dicant traditum, intelligo potius traditum in custodiam, vel traditum, id est, comprehensum.

Quomodo dicatur Ioãnes traditus.

VENIT *in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar*, &c. Discessit ex Iudæa Christus, & vt Ioannes ait, venit *iterum*, hoc est, secundò, in Galilæam. Etenim primo capite primi recessus Christi ex Iudæa in Galilæam meminit. Hoc loco secundum commemorauit. *Oportebat autem eum transire per Samariam*; quoniam tres sunt illius regionis prouinciæ, Iudæa Australis, Galilæa Septemtrionalis; inter vtramque Samaria sita est. Cùm ergo Dominus ex Iudæa Galilæam peteret; oportebat per Samariam transire, quoniam media erat inter vtramque. In hoc transitu quid acciderit memoriæ prodit Ioan. *Venit*, inquit, *in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar.* Samaria nomen est vrbis & prouinciæ. Hoc loco prouinciam significat, cuius ciuitas erat *Sichar*, de *Ioan. 4.* *Ibidem.* *Cur oportuerit Christũ transire per Samariam.* *Ioan. 4.*

Hieron. qua D. Hieronymus in Epitaphio Paullæ: Transiuit, inquit Sichem, non vt plerique errantes legunt Sichar, quæ nunc Neapolis appellatur. Et circa puteum Iacob exstructam intrauit Ecclesiam, super quo residens Dominus, sitiensque & esuriens, Samaritanæ fide satiatus est, &c. Ex his colliges Si-
Idem. chem tempore Hieronymi dictam Neapolim, & iuxta puteum Iacob Ecclesiam olim fuisse exstructam. Vult autem Hieronymus legendum non *Sichar*, sed *Sichem*, tum hoc loco, tum in libro de Quæstionibus Hebraicis in Genesim: Sichima, inquit, iuxta Græcam & Latinam consuetudinem declinata est; Hebraicè Sichem dicitur, vt Ioannes Euangelista testatur, licet vitiosè, *vt Sichar* legatur, error inoleuit. Hæc ille. Verum est, nomen ciuitatis Hebræum esse Sichem. Tamen postea corruptum est, & vocata est Sichar; ideoque nõ Sichem,
Legendum Sichar, non Sichem. sed Sichar à Ioanne est appellata. Sichar autem, non Sichem legendum esse constat ex Bibliis correctis iussu summi Pontificis.

Fuerit ne Sichar Neapolis. Idem Hieronymus, siue Eusebius in lib de Locis Hebraicis sentire videtur, Sichar non fuisse Neapolim; sed opidum aliud ante Neapolim situm. Sichar, inquit, est ante Neapolim, iuxta agrũ, quem dedit Iacob filio suo Ioseph, &c. Item in eodem opere scribit, Sichem locum ostendi in suburbanis Neapoleos. Sichem, inquit, quæ Latinè & Græcè Sichima vocata est, ciuitas Iacob nunc deserta est. Ostenditur autem locus in suburbanis Neapoleos, iuxta sepulcrum Ioseph, quam subuertit Abime-
Iudicum 9. lech, & seminauit in ea salem. Postea instaurata est
3. Reg. 19. à Ieroboam, & sita est in finibus Ephraim. Fuit autem & altera Sichem in monte Ephraim, ciuitas
Aranda. fugitiuorum. Hæc ille. Aranda quoque scribit, ciuitatem, quæ nunc Neapolis, vel Napoles de Suria, appellatur, non esse eodem omnino in loco sitam,
Borchar. in quo fuit antiqua illa Sichem. Borchardus verò: Ad sinistram, inquit, fontis Iacob opidum est magnum quidem, sed desertum & dirutum; quod creditur fuisse illa Sichem antiqua, de qua legimus, quòd Iacob habitauit in Sichem. Locus quidem amœnissimus est, & fecũdus valdè, nisi quòd aquis fluuialibus caret. Ideo necessarium fuit Iacob effodere puteum magnum. Indigenæ mihi dixerunt, locum illum nunc *Istar* ab eis appellari. Distat autem ab ea, quam diximus appellari Neapolim, iactu duorum arcuum. Et in Neapoli æstimo fuisse opidum Thebe, &c. Opidi Thebe fit mentio Iud. 9. Distat Sichem ab vrbe Samaria, teste Borchardo, duabus leucis; ab Ierusalem, teste Abulensi Gen. 12. distat decem leucis.

Ioan. 4. De puteo siue fonte Iacob. ERAT *autem ibi fons Iacob.* Fons hic puteus erat, vt ex illis verbis Samaritanæ constat: *Puteus altus est.* Erat igitur puteus; fons quoque erat, sed
Borchar. depressus & profundus. Omnis enim puteus fons est, in quo aqua scaturit. Borchardus ait puteum hunc prope Australem portam Sichem fuisse in via ipsa, qua Christus ex Iudæa redibat. Ciuitas, inquit ille, Sichem, quæ hodie Neapolis vocatur, nimia amœnitate & deliciis abundans. A porta eius Australi, quantùm bis iacere posset arcus, fons est Iacob in via, quæ ducit Ierusalem. Huic fonti adiacet prædium, quod dedit Iacob filio suo Ioseph. Vallis est longa, admodum fertilis & amœna. Hæc
Beda. ille de vrbe, puteo, & prædio scripsit. Beda de locis sanctis, cap. 15. scribit hunc puteum Iacob templo, quod eo loco ædificatum est, fuisse cinctum. Prope ciuitatem, ait, Sichem, quæ nunc Neapolis dicitur, Ecclesia quadrifida est, hoc est, in modum crucis facta, in cuius medio fons Iacob habetur.

Ioan. 4. IVXTA *prædium, quod dedit Iacob Ioseph filio suo.* Prope prædium puteus erat, siue fons dictus Iacob, quòd illum effoderit, illoque vsus fuerit Iacob, dum illis in locis habitaret, iuxta illa Samaritanæ verba: *Iacob dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius*, &c. Dedit, inquit, puteum, quoniam ipsum effodi iusserat. De hoc prædio hæc leges: *Do tibi*, ait Iacob filium Ioseph alloquens, *partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo*, &c. De eodem agro dicitur: *Ossa Ioseph, quæ tulerant filij Israel de Ægypto, sepelierunt in Sichem, in parte agri, quem emerat Iacob a filiis Hemor patris Sichem centum nouellis ouibus, & fuit in possessionem filiorum Ioseph*, &c. Huius verò emptionis meminit Moses: *Emit*, inquit, *Iacob partem agri, in qua fixerat tabernacula, a filiis Hemor patris Sichem centum agnis*, &c.

Ibidem. *Gen. 48.* *Iosue 24. De prædio Ioseph.* *Gen. 33.*

De emptione agri dubium. Pariunt hi loci citati quæstionem huiusmodi: Quî fieri potest vt idem prædium & emptum sit à Iacob centum agnis, siue centum nouellis ouibus, quod idem est: & arcu gladioque Iacob è manibus Amorrhæi ablatum? Nam locus citatus ex Genesi cap. 48. arcu gladioque ablatum indicat; alter verò locus ex Iosue cap. 24. emptum fuisse probat agnis centum. Hieronymus in Quæstionibus Hebraicis, *Hieron.* arcum & gladium Iacob iustitiam ait appellari, vel fortitudinem & laborem. Labore enim suo, id est, centum agnis, prædium illud comparauit; hic illius gladius, hic arcus fuit. Chaldæus gladium & arcum orationem interpretatur; quam sententiam sequitur Abulẽsis cum Rabbi Abraham. Prædium enim illud iuxta hanc sententiam oratione de manu Amorrhæi Iacob liberauerat.

Cõciliantur Scripturæ loca de emptione huius prædij. Metaphoricæ sunt hæ interpretationes. Forsitan aliquo tempore occuparunt Amorrhæi agrum; Iacob autem simul cum filiis, aliisque clientibus, arcu gladioque illum recuperauit. Ideo sine metaphora ait *arcu gladioq; è manu Amorrhæi* sublatum. Primò igitur emptum est prædium centum nouellis ouibus; postea verò e manu Amorrhæi arcu gladioque ereptum. Nullaque est inter hæc repugnantia. Forsitan vnus ager emptus fuit centum agnis; alter verò arcu & gladio comparatus.

Ioan. 4. SEDEBAT *sic supra fontem.* Paucis aliquot discipulis comitatus hoc iter agebat Christus; discipuli ciuitatem Sichar ad emendos in prandium cibos petierunt: Christus iuxta puteum Iacob solus mansit. Ex itinere verò fatigatus, sedebat supra fontem. Non enim iumento aliquo Regum maximus
Chrysost. vehebatur, sed pedibus faciebat iter. Vnde Chrysostomus hom. 25. In Samariam, inquit, Christus venit, mollem & lasciuam vitam expellens, laboriosam autem nos docens. Non enim iumentis vsus
Christus nõ est vsus iumentis in itinere. est; sed adeò intentè vadit, vt ex itinere fatigetur. Hoc semper admonet, vt sibi quisque seruiat, neque quærat superflua, neque multis indigeat, &c.

Non simpliciter dixit Euangelista: *Sedebat supra fontem*; sed addit particulam *sic*: *Sedebat*, inquit, *sic supra fontem*. Quid autem ea particula significet, his
Quid significet particula sic. Chrysost. verbis docet D. Chrysostom. Non in sella, non in loco honoratiori, sed in terra, vt contingit, &c. Et
Theoph. Theophylactus: Sedebat *sic*, simpliciter, vt fortè obueniebat; non super sedem, sed simpliciter super
Euthym. pauimẽtum, &c. Euthymius: Sedebat *sic*, id est, simpliciter, videlicet prout sese locus offerebat, vel humi: demõstrat siquidem sermo, quòd omni fastu careret, &c. Caietanus interpretatur: Sedebat *sic*, hoc est, eo modo quo solent defatigati. Aliter exponere poteris; fatigatus Dominus ex itinere, *se-*
Ioan. 4. *debat sic*, id est, sic fatigatus, *supra fontem. Erat enim hora quasi sexta:* prope meridiem. Iudæi namque diem in 12. horas diuidebant. Hora sexta meridia-
Hora sexta. na erat, qua Solis calor ardentior est, aquarumque
Cyril. prospectus iucundus. Obseruat D. Cyrillus Ioannem

Veritatis habēda cura etiam in minimis.

nem addidisse particulam *quasi*, vt veritatis curam in minimis etiam habere discamus. Horam, inquit Cyrillus, non sextam, sed quasi sextam fuisse scribit Euangelista, vt etiam nos discamus vel in minimis non paruam veritatis curam habere, &c. Habenda semper veritatis cura est in magnis, paruisque rebus: maximè verò cùm iusiurandum accedit.

Pulcra Christi ad fontē sedentis cōsideratio.

Tu verò defige quęso mentis oculos in Rege illo Regum omnium maximo, absque vllo comitatu supra fontem hora quasi sexta sedente, defatigatoque ex itinere. Fontem contemplare cælestem iuxta fontem terrestrem, quodque admirabilius est, fontem sitientem, aquamque à femina Samaritana postulantem. Quid à femina Samaritana dixi? A te quoque aquam petit, te, tuum amorem, caritatemque tuam sitit. Ne sis crudelis adeò, vt ex itinere longissimo, nimirum quod è cælo in terram fecit, defatigato, teque sitienti, optatum deneges potum.

Verba illa, *Sedebat supra fontem*, exponuntur etiam sic, *Sedebat iuxta fontem*. Præpositio enim Hebræa עַל, al, significat, *supra & iuxta*. Attamen cùm Euangelista Græce scripserit, ἐπὶ τῇ πηγῇ, id est, *super fontem*: malo præpositionem *supra* in proprio retinere significato. Sedebat enim Christus super ipsum puteum, non solum iuxta puteum. Verba quoque illa, *Sedebat sic*, ita explicantur, vt particula *sic* sit illatiua, siue causalis, hoc sensu: Iesus ergo fatigatus ex itinere, *Sedebat sic*, id est, propterea, super fontem. Vel, Iesus ergo fatigatus ex itinere sedebat *sic*, id est, ergo, super fontem. Sed placet potius sensus alter, *Sedebat sic*, id est, sic defatigatus. Cùm enim dictiones in propria significatione intelligi possunt, in ea intelligendæ sunt, ad dubias & peregrinas significationes recurrere non oportet.

Ioan. 4.

VENIT *mulier de Samaria haurire aquam*. Futura omnia Rex noster exploratissima habebat. Mulieris Samaritanæ aduentum nouerat, hanc exspectabat, huius salutem sitiebat. Cùm igitur supra puteum sederet defatigatus, mulier de Samaria prouincia ad puteum accessit hauriendæ aquæ gratia. Heus femina Samaritana non times? non horres? accedere ad puteum audes? Rex summus prope puteum adest, non orbis solùm terrarum, sed cælorum quoque Dominus. Non trepidas? Minimè trepidat femina. Rex enim exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens. Formam intuetur serui, Regis formam non intuetur. Principum nobiliumque virorum comitatus nullus adest, corporis stipatores, administri, satellitesque regij nusquam comparent, equorum, curruum, turbæque strepitus, minimè auditur. Tabernaculum gemmis auroque rutilans nusquam cernitur. Hominem videt fatigatum ex itinere, Solis calori expositum, absque tabernaculo, & absque comite. Videlicet, omnis gloria eius ab intus, quò Samaritanæ non penetrabant oculi.

Christus supra puteum sedet humiliter.

Itaque accedere ad puteum audet inops femina, supra quem sedebat Rex maximus, sed ignotus; quoniam metuendam maiestatem, instar Mosis è monte descendentis, velo texerat. Cùm verò ad hauriendam aquam se pararet, dicit ei Iesus: *Da mihi bibere*. Solum autem cum sola femina locutum significat Euangelista, cùm addit: *Discipuli enim eius abierant in ciuitatem, vt cibos emerent*. Quasi dicat: Solus erat Dominus cùm à Samaritana potum petiit: discipuli enim abierant. Etenim diuina factum est prouidentia, vt abessent illi, occasioque daretur absque arbitris de rebus magnis loquendi cum femina. Præterea, vt vult Lyranus, caussam reddit, cur ipse potum petierit: Quoniam, inquit, non aderant discipuli, qui peterent. Et D. Thomas: Non erant, inquit, ibi discipuli, à quibus quęreret aquam, &c. A discipulis enim, si adfuissent, non à muliere, aquam petiuisset. Caietanus item: Redditur, ait, ratio cur à muliere petierit Christus potum, quia scilicet discipuli abierant, &c. Abierant verò discipuli ad emendas escas; quoniam decreuerant prope aquam cibum sumere. Vnde Caietanus: Redditur, inquit, ratio quare Christus manserit ad fontem: quia scilicet decreuerant ibi prandere iuxta fontem, &c. Sed reuertamur ad Christi verba.

Da mihi bibere exponitur.

Da, inquit, *mihi bibere*. Mirum sanè esset, si fons vberrimus à caute, vel arena omnis humoris experte aquam postularet. Quid Christus? Nónne fons erat vberrimis exuberans aquis? Quid Samaritana illa femina? Nónne cautes vel arena erat ex se aridissima? Mira ergo res, fontem infinita exundantem aquarum copia à sicca arena potum petere. At potum potius ex sua cupiebat dare copia, quàm ex feminæ accipere inopia. Quoniam ergo ab aqua illa terrena, quæ cernebatur, ad aquam cælestem, qua plenissimus fons Dominus exundabat, feminam euehere volebat, ideo ab aqua sermonem exorditur, potumque petit. *Da*, inquiens, *mihi bibere*. Esto, sitierit aquam putei, sitiebat magis feminæ, licet inopis, salutem. Hinc illud Aug. in Ioan. tract. 15. Qui bibere quærebat, fidem ipsius mulieris sitiebat, &c. *Hora erat quasi sexta*, qua Solis æstus dominatur, sitimque efficit. Si æstuabat fatigatum corpus Solis ardore; æstuabat magis animus amoris calore, quo animas prosequebatur. Æstus hic sitim illam pariebat, qua exardescens in cruce, diuinum illud verbum protulit, *Sitio*. Iuxta fontem verò Iacob eadem siti stimulatus, à paupere muliere potum petiit: *Da mihi bibere*. Quis tanto Regi petenti non statim potum genibus prouolutus offerret? Sed cunctatur ignorantia. Ignorans femina quisnam sit, qui aquam poscit, respondet.

Augusti.

Christus homo minimum sitit salutem.

Ioan. 4.

QVOMODO *tu Iudæus cùm sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana?* Cælorum terrarumque Regem esse illum, qui potum petebat, non agnouit mulier; Iudæum esse agnouit. Etenim nulla habebat Regis insignia. Habebant autem Iudæi signa, nimirum in veste fimbrias vittasque hyacinthinas. Nam Iudæi fimbrias in quatuor palliorum angulis gestabant, vittasque hyacinthinas, vt præcipitur Num. 15. ex quibus à Samaritanis, aliisque gentibus facilè cognosci poterant. Ferebat etiam Christus fimbrias aliorum more, vt constat ex femina, quæ fimbriam vestimenti eius tetigit, sanitatemque est consecuta. Lingua quoque potuit ostendere Christum ex Iudæis esse. Chrysostomus hom. 30. Ex habitu, inquit, fortasse & sermone cognouit mulier Christum esse Iudæum, &c. Cùm ergo Iudæum esse videret femina, admirata est rem insolitam, quòd à Samaritana potum peteret: quoniam reliqui Iudæi id facere minimè solebant. Et respondit: *Quomodo tu Iudæus cùm sis*, vt ex veste cognosco, *bibere poscis à me* muliere Samaritana? Iudæi enim nullum cum Samaritanis commercium habere volunt.

Christus fērebat fimbrias, vt reliqui Iudæi. Matth. 9. Chrysost.

Respondet Domino Samaritana.

Christus à Samaritide femina petit potum. Ioan. 4.

Cur aberāt discipuli.

D. Chrysostomus homil. 30. ait Samaritanam sic respondisse, quòd existimaret peccare Iudæum, qui à Samaritano potum peteret, legemque frangere; nollet autem materiam suppeditare peccato: Abstinet, inquit, mulier à consuetudine, ne peccet; cùm alterum sua causa peccaturum arbitraretur. Neque tacuit, sed sententia sua, quòd esset præter legem, corripit, &c. Et Euthymius: Samaritana existimans eum peccare, corripientis more, ad memoriam reducit obseruationem, &c. At non videtur femina indocta, neque admodum religiosa, peccati

Chrysost. Cur sic Samaritana respōderit.

Euthym.

peccati habuiſſe rationem ac correctionis. Diuus Cyrillus interrogationem putat eſſe dubitantis, cauſſamque poſtulantis, cur præter ceterorum Iudæorum morem à Samaritana aquam poſtulet. Mihi videtur eſſe mirantis, quòd id faceret, quod reliqui non faciebant; vel etiam Iudæos tacitè increpantis & conquerentis, quòd à Samaritanis abhorrerent. Quaſi diceret: Iudæi & immeritò quidem nos fugiunt; quomodo igitur tu audes à me petere potum? Poſſunt etiam verba eſſe irridentis Iudæorum illam conſuetudinem, vt vult Maldonatus.

Chryſoſt. An fuerit lege vetitũ cõmercium cum Samaritanis.

Præterea Chryſoſtomus, vt ex verbis citatis compertum eſt, exiſtimat præter legem fuiſſe illam aquæ petitionem. Verbis illis hæc etiam addit: Illud poſſet quiſpiam dubitare, quanam gratia ab ea bibere petierat, cùm lex non permitteret. Quid igitur dicendum? quòd nihil iam referebat eiuſmodi obſeruationes præuaricari, &c. Obiciemus Chryſoſtomo non licuiſſe legem Moſis tunc temporis præuaricari, quoniam nondum erat abrogata; ſi igitur petitio illa aquæ legi aduerſabatur, non licebat aquam petere. Reſpondebit Chryſoſtomus, Chriſtum fuiſſe legis Dominum, eique omnia licuiſſe. Et verè quidem ſic reſpondebit. Idem quod Chryſoſtomus opinatur Carthuſianus, videlicet, illud cum Samaritanis commercium lege fuiſſe prohibitum; Chriſtum verò legis Dominum diſpenſandi habuiſſe poteſtatem. Sed verius eſt, illud commercium non fuiſſe lege vetitum, vt ſentit Card. Toletus hoc capite. Lege Abulenſem 4. Reg. 17. quæſt. 24. & Iudicum cap. 19.

Ioan. 4. Sintne hæc verba tribuenda Euangeliſtæ. Ioan. 4.

NON *enim coutuntur Iudæi Samaritanis.* Verba hęc non feminæ, ſed Euangeliſtæ eſſe putant Rupertus & Caietanus. Iuxta quam opinionem Euangeliſta, vt cauſſam redderet interrogationis illius, *Quomodo tu Iudæus cùm ſis, bibere à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana?* hæc pauca verba interiecit: *Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis.* Communis opinio feminæ Samaritanæ illa tribuit. Ipſa enim ſuæ interrogationis, & admirationis cauſſam ſubiecit.

Quinã fuerint Samaritani.

Quinam fuerint Samaritani iam diximus tom. 1. lib. 5. cap. 21. lege librum 4. Reg. cap. 17. & 18. & Ioſephum lib. 9. Antiq. cap. 14. Paucis Rex Aſſyriorum Salmanaſar Samariam cepit, regnumque decem tribuum euertit. Captos Iſraelitas in Aſsyriam tranſtulit; in vacuam verò Samariam è Babylone, locisque aliis habitatores miſit. Hi ſunt Samaritani, de quibus nunc ſermo eſt. Cuthæi dicuntur à Ioſepho, à Cutha loco, ex quo in Samariam migrarunt, cuius fit mentio 4. Reg. 17. Quòd autem Samariæ prouinciæ eſsent incolæ, Samaritani ſunt appellati. Colebant illi idola, ſimulque Deum verum, vt ex capite libri Reg. indicato conſtat, in quo hæc verba leges: *Cùm Dominum colerent, diis quoque ſuis ſeruiebant, iuxta conſuetudinem gentium, de quibus tranſlati fuerant Samariam.* Item: *Fuerunt gentes iſtæ timentes quidem Dominum, ſed nihilominus & idolis ſuis ſeruientes: nam & filij eorum, & nepotes, ſicut fecerunt patres ſui, ita faciunt vſque in præſentem diem,* &c.

4. Reg. 17.

Theoph. An Samaritani colerent idola tempore Chriſti.

Theophylactus in Ioan. ait poſterioribus temporibus à cultu idolorum abſtinuiſſe. Id quoque docet Abulenſ. 4. Reg. 17. Aliquando, inquit, Samaritani venerunt ad colendum vnum Deum. Et ſic erat tempore Chriſti. Nam tunc ſolùm erat diuerſitas inter Iudæos & Samaritanos, in quo loco adorandum erat, ſed non erat diuerſitas, an deberet Deus adorari, vel idola? Hæc ille. Ait quoque Theophylactus Samaritanos ex libris ſacris quinque tantùm libros Moſis recepiſſe. Idem docet Origenes libro 1. contra Celſum, & Abulenſis omnium

Samaritani quinq; tantùm libros Moyſis recipiebant.

aſsertionem eſse affirmat. Lege D. Epiphanium hæreſi 9.

Execrabantur ergo Iudæi Samaritanos, neque vllum cum illis, velut hæreticis & ethnicis, qui eorum regionem occuparant, commercium habere volebant. Ideoque Samaritana ait: *Non coutuntur Iudæi Samaritanis.* Exſpectabant illi Meſſiam quemadmodum Iudæi. Hinc illud Samaritanæ in hoc colloquio: *Scio, quia Meſſias venit; cùm ergo venerit, ille nobis annuntiabit omnia,* &c. Et infrà: *Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci. Numquid ipſe eſt Chriſtus?* &c. Exſpectabant Meſſiam; quem verò exſpectabant, modò viderunt, & ciuitate ſua feliciter exceperunt. Tanti autem boni occaſio femina hæc fuit, quæ dum aquam quærit, Meſſiam exſpectatum inuenit, inuentumque Samaritanis indicauit.

Samaritani Meſſiã exſpectabant. Ioan. 4.

Ibidem.

Donum Dei, petitio Dei.

SI *ſcires donum Dei, & quis eſt, qui dicit tibi,* &c. Petiuit Dominus, ſed vt donaret. Ad donum iam viam munit, immo ipſam petitionem indicat fuiſſe donum: *Si ſcires,* inquit, ô femina, *donum Dei,* hoc eſt, ſi ſcires quàm magnum donum tibi hodie Deus conceſserit, videlicet, vt Meſſias à te aquam petat; tu vice verſa ab eo peteres aquam. De hoc dono loqui Chriſtum ſignificant verba ſequentia: *Et quis eſt, qui dicit tibi, Da mihi bibere?* Si ſcires, femina, donum Dei quod tibi dedit; ſi ſcires, inquam, quis eſt, qui à te potum petit: ſi ſcires eſse Meſſiam; tu forſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam. Petiſſes, & dediſſet nulla interpoſita mora; ſi in te debitam diſpoſitionem inueniret. In hunc ſenſum interpretatur & rectè Dionyſius Carthuſianus: Si ſcires, ait, donum Dei, id eſt, miſericordiam & gratiam Dei, quæ tibi nunc offertur per hoc, quod Filius Dei petit à te potum. Nempe qui Chriſto aliquid dat, potius recipit beneficium, quàm impendit. Quemadmodum magnum eſset pauperi, ſi Rex paruum aliquid ab eo peteret. Hæc ille.

Dionyſ. Carthuſ.

Qui Chriſto aliquid dat recipit beneficiũ potiùs quàm dat.

Donum Dei maximũ Filius Dei incarnatus.

Caietanus & Toletus, donum Dei incarnatum Dei Filium volunt ſignificare. Nam maximum Dei donum, & per antonomaſiam, *Dei donum*, Dei Filius fuit incarnatus, & mundo datus; iuxta illud: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret.* Erit ſecundus ſenſus: O mulier, *ſi ſcires donum Dei,* id eſt, ſi ſcires Deum Filium ſuum vnigenitum mundo dediſſe. Vel, ſi ſcires donum Dei, id eſt, incarnationem Verbi diuini, quod maximè eſt donum Dei. Et ſi ſcires me eſse Filium datum & incarnatum, aquam viuam à me poſtulaſſes.

Ioan. 3.

Donum Dei Spiritus S.

Auguſtinus, Rupertus, & alij, donum Dei Spiritum ſanctum dici putant. Nam nomen eſt Spiritus ſancti *donum Dei*, vt docet D. Thomas 1. p. quæſt. 38. art. 2. Senſus tertius erit, iuxta hanc interpretationem, *Si ſcires donum Dei*, id eſt, Spiritum ſanctum, & ſcires eum, qui petit à te aquã, poſse dare Spiritum ſanctum; tu petiſſes ab eo, & dediſſet tibi huius fontis, id eſt, Spiritus ſancti aquam viuam.

Theoph.

Theophylactus de donis Dei generatim exponit in hunc modum: *Si ſcires*, inquit, *donum Dei*, id eſt, quid donet Deus, nempe æterna & incorruptibilia. Scires autem & me, quòd, cùm Deus ſim, poſſim hæc tibi dare, tu quæſiſſes vtique, & accepiſſes aquam viuam, &c.

Ioan. 3. Ab aqua corporea ad ſpiritalem trãsfert Dominus Samaritanã.

DEDISSET *tibi aquam viuam.* Ab aqua illa aſpectabili aſcendit Dominus ad aquã aliam multò præſtantiorem, quæ non cernebatur; rudiſque Samaritanæ mentem paullatim attollit, & ſuauiter ab aqua trahit ad aquam. Quod Rupertus obſeruat his verbis: Ab aqua, inquit, viſibili metaphoram faciens, mulieris mentem paullatim ſubleuando, ad petendam Spiritus ſancti gratiam leni introdu-

troductione inuitat,&c. Eumdem in modum Ioan. 6. ex pane, qui perit, ad cibum permanentem assurgit. Aqua autem viua appellatur, quæ scaturit, mouetur, & fluit. Nam scaturigo & fluxus, vita quædam aquæ videtur. Quocirca quæ in lacu & stagno motu caret,mortua aqua est. Chrysostomus homil. 31. Aqua, inquit,viua est,quæ semper scaturit, &c. Augustinus tract. 15. Viua aqua dicitur vulgò illa, quæ de fonte exit. Illa enim, quæ colligitur de pluuia in lacunas aut cisternas, aqua viua non dicitur, &c. Euthymius: Aquæ vita, fluere est ac moueri, &c.

Viua aqua quæ dicatur

Chrysost.

August.

Euthym.

Cyril. Aqua viua gratia dicitur.

Ex sententia D. Cyrilli hoc loco aquam viuam vocat Christus gratiam, quæ aquæ instar animum irrigat, fructiferumque reddit. D. Cyrillus: Aquam, inquit,viuam appellat Christus viuificantem Spiritus sancti gratiam; per quam humana natura ab ariditate infecunditateque ad pristinam pulcritudinem,ac viriditatem irrigata recurrit;magno virtutum numero florens, & caritate erga Deum suauissimos fructus producens,&c. Viuam aquam dicit,vt ait idem Cyrillus,ab effectu, id est,viuificantem. Quoniam gratia animæ vitam æternam præstat. Vt verò vult Theophylactus,viuam appellat, quia non stat gratia,sed scaturit,mouetur,agilisque ad bona opera est. Aquam dicit Christus,ait Theophylactus,non stantem, qualis est in lacubus putris ac corrupta; sed viuam,id est, scaturientem,& quæ moueatur. Nam gratia Spiritus sancti semper agilem ad bonum facit animam, ascensiones semper disponentem, &c.

Theoph.

Alij præterea traduntur sensus à Patribus. D. Augustinus aqua viua Spiritum sanctum ait significari,in lib.83.Q. quæst.64. Quia,inquit,Christus sitiebat fidem Samaritanæ, eidem sitienti Spiritum sanctum dare cupiebat. Hanc enim recte intelligimus aquam viuam, quod est donum Dei,&c. D. Basilius Psal.45. *Fluminis impetus*, inquit Vates, *lætificat ciuitatem Dei.* Quis porrò fuerit fluuius iste Dei alius, quàm Spiritus sanctus, qui cordibus se dignis inserit eorum,qui in Christum crediderunt. *Qui credit*, inquit Christus,*in me,flumina ex ventre eius fluent*. Et rursus: *Si quis biberit ex aqua, quam dabo ei,fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*. Hic itaque fluuius omnem ciuitatem Dei lætificat,&c. Chrysostomus hom. 31. Ioan.7. Christus, *Flumina*, ait,*de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de Spiritu,quem erant accepturi.* Itidem & nunc Spiritum appellat: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Ita Spiritum ignem appellat, vt excitamentum, & feruorem gratiæ,& peccatorum absumptionem significet. Aquam autem vocat,vt significet ablutionem & refrigerium,quibus ipsum accipientes animi fruuntur. Etenim tamquam hortum virentem, & fructiferis, & semper florentibus arboribus comantem; ita promptam animam disponit,vt nulla anxietate, nullis satanæ insidiis distrahi sinat, sed omnia ardentia mali tela exstinguat. Hæc ille. Euthymius huius sensus sic meminit: Aquam, inquit,viuam Chrysostomus diuini Spiritus gratiam dicit;siquidem variis modis hunc ait appellari,iuxta diuersas ipsius operationes: nunc aquam, nunc ignem. Aquam quidem, quia sicut aqua de cælo descendens nutrit ac viuificat, cumque vnius sit speciei,vario modo operatur, dealbans in lilio, denigrans in narcisso, rubicans in rosa, purpurissans in viola,dulcorans in ficu,amaricans in absinthio; ita diuinus quoque Spiritus de cælo descendens nutrit ac viuificat animam, cumque vnus sit variis operationibus gratiam diuidit ac virtutem. Ignis quoque dicitur, quia sicut ignis, cùm vnius sit speciei,varios habet effectus,calefaciens,inflammans, illuminans,& purificans; ita sanè & diuinus Spiritus. Hactenus Euthymius.

Augustin.

Basil. Psal. 45.

Aqua viua Spiritus S.

Ioan. 7.

Chrysost. Ioan. 7.

Ioan. 4.

Spiritus S. effectus.

Euthym.

Varij effectus Spiritus sancti.

Eodem tamen loco Ioan. 4. aquam viuam doctrinæ Christi fluenta interpretatur. Aquam viuam, inquit, appellat Christus doctrinæ suæ fluenta. Aquam quidem, quia in modum aquæ sordes abluit, flammasque affectionum exstinguit,& incredulitatis siccitatem ac infructuositatem curat. Viuam verò, quasi perennem semperque motam, &c. Theodoretus quoque Psal.1. Christi doctrinam aquam appellari docet. Sed hæc expositio non est huic loco accommodata. Non enim pollicetur Christus Samaritanæ doctrinam suam,sed Spiritus sancti gratiam.

Aqua viua, doctrina Christi.

Theodor.

D. Ambr.ser.31.& Cyprianus epistola 63.aquam baptismi intelligunt:quæ interpretatio accommodatior est. Potest enim commodè intelligi Christum Samaritanę promittere aquam viuam,hoc est, baptismi aquam, quæ viua est; quoniam viuificat, scaturit,mouetur, in cælum salit.

Aqua viua, baptismi aqua.

DOMINE *neque in quo haurias habes.* Paullatim attollitur rudis femina, quem Iudæum dixerat,iam appellat Dominum.Sed quid in Christo vidit, aut quid audiuit, cur Dominum vocet? Vidit oris maturitatē, non vulgaremque formā. Dicentem audiuit: *Si scires donum Dei,& quis est,qui dicit tibi,Da mihi bibere,tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam.* Vnde vulgari homine præstantiorem esse; honorisque præfationem adhibendam putauit. Cùm autem vultus illam maturitatem sermonisque modestiam, à verborum inanitate alienam videret,vnde viuam haberet aquam voluit inuestigare. Quamobrē rogat: Domine tu ex hoc puteo viuam aquam habere non potes; non enim habes in quo haurias. Græcè, non habes ἄντλημα, hoc est,non habes hauritorium,vt appellat Augustinus, non habes vas,quo suspenso ex tune aquam ex puteo haurias. Haurire autem è puteo aquam absque haustro & fune non potes: puteus enim altus est,id est, profundus est. Ex quo ergo fonte hanc viuam aquam habes? *Numquid tu maior es patre nostro Iacob?* Ipse puteum istum nobis dedit, eiusque aqua vius est. Tu verò aquam præstantiorem polliceris; maior ergo illo es,siquidem præcellentiorem aquam largiri potes, quam ille dare non potuit. Aliter: *Numquid tu maior es patre nostro Iacob*, qui puteum hunc nobis dedit, nec aliam aquam viuam habuit, ex qua ipse, filij,pecoraque eius biberent? Aliam enim aquam viuam, & quidem præcellentiorem te habere, dareque posse polliceris,quam ille non habuit.

Ioan. 4.

Cur Dominus appellet Christū Samaritana. Ioan. 4.

Ibidem.

Samaritanos diximus non ex Iudæis,sed ex ethnicis oriundos, translatosque ex Assyria in Samariam. Dubium ergo est cur femina Samaritana,Samaritanorum patrem appellet Iacob, à quo genus minimè ducebant. *Numquid*,inquit,*tu maior es patre nostro Iacob?* Respondemus propterea appellare, quòd libros Mosis receperant, & Deum colebant, quem Iacob,dum vitam in terris ageret, coluerat, itemque quòd in terra illa habitabant,in qua olim Iacob habitauerat, & puteo Iacob fruebantur. Adde id quod scribit Iosephus: Samaritæ, inquit, pro præsenti semper conditione temporum mutabiles, quoties feliciter degere Iudæos viderint, cognatos se eorum appellant: vtpote à Iosephoriundos, & hac ratione sanguine illis coniunctos. Quando verò in rebus aduersis eos aspiciunt, nihil ad se pertinere aiunt, nec illis quidquam deberi benevolentiæ; cùm ipsi ex longè remotis gentibus ad ea loca venerint,&c. Libro item vndecimo, capite vltimo: Sunt Samaritæ hoc ingenio,vt & antè diximus, in rebus Iudæorum afflictis

Cur Samaritani patrē appellarent Iacob.

Ioseph. l. 10. Antiq. c. 9. Samaritani mutabiles, nunc se Iudæos dicunt, nunc negāt.

ctis negant se cognatos, veritatem tunc dicendo. Cùm verò affulgere eis fortunam viderint, confestim in societatem irruunt, attinere ad se affirmando: & à Ioseph, eiusque filiis Manasse, & Ephraim seriem generis sui deducēdo. Hæc Iosephus. Potuit igitur femina decepta, credere Samaritanos à Ioseph & Iacob originem ducere, ideoque Iacob patrem suum appellare. D. Cyril. Samaritani, inquit, quamuis à Babylone in coloniam missi fuissent; tamen aut quia vicini Iudæis erāt, aut quia nonnulla religionis Hebrææ probauerant, maiores Iudæorum patres suos appellare non erubescebant, &c.

Cyril.

Ioan. 4. QVI *biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Aquam putei Iacob cum aqua sua confert Dominus; multoque præstantiorem suam esse ostendit, vt feminam ad illius cupiditatem excitet. Verborum hæc est sententia. Putei tui aquam laudas: at illius aqua sitim minimè restinguit. Omnis enim qui biberit ex hac aqua, iterum sitiet. Qui verò ex aqua mea biberit, non sitiet in æternum. Quid hoc est? quónam modo is non sitiet in æternum, qui gratiam habuerit Spiritus sancti? Euthymius respondet: Non sitiet vmquam incredulitatis siti, &c. Lyranus: Habens, inquit, gratiam Dei, habet Deum, & ideo non desiderat aliquid, quod non habeat, &c. Itaque, iuxta Lyranum, qui habet gratiam, non sitit Deum non habitum, quamuis Deum, quem habet, habere perfectius sitiat. Est enim desiderium sitis.

Euthym. *Lyran.*

B

Adde his alium sensum: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Hoc est, nec concupiscet, nec desiderabit vehementi desiderio bona caduca. Desiderium enim & concupiscentia vehemens sitis est. Hanc sitim aqua gratiæ exstinguit, si augeatur, & fiat fons scaturiens & saliens ad desiderandam vitam æternam. Hoc perfectorum est; non sitiunt bona caduca in æternum: sed gratiæ aqua sanctorum operum aucta incrementis fit in eis fons saliens per desideria inflammata, atque ebulliens in vitam æternam ac cælestem.

Gratia extinguit cōcupiscentiā.

Aquam viuam dixit Ambrosius posse significare aquam baptismi, eritque sensus: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei*; hoc est, qui baptismum perceperit, si in gratia accepta permaneat, non sitiet in æternum in cælo. Sed aqua ipsa baptismatis fiet in eo fons gratiæ ebullientis in vitam æternam; quoniam baptismus gratiam efficit. Augustinus serm. 92. in hæc verba: *Omnis qui biberit ex hac aqua*, &c. Vnum, inquit, baptismum docet Dominus, qui post ingressum æterni fontis, & cælestis poculi sacramentum, vnumquemque nostrum sitire non patitur, &c. D. Cyprianus epistola 63. non sitire iterum, & non sitire in æternum, ait, baptizatos, quoniam baptisma semel tantùm suscipitur: Baptisma, inquit, salutaris aquæ significatur, quod semel scilicet sumitur, nec rursus iteratur, &c.

Baptismus per hanc aquam designatur.

Augustin.

Cyprian.

C

Respondemus de siti per æternam beatitudinem exstinguenda locum exponendum: *Non sitiet in æternum*, qui aquam viuam à Christo acceptam, scilicet gratiam, biberit: hoc est, nullam per totā æternitatem in cælo sitim perpetietur, aut corporis, aut animæ. Rupertus Ioannis 4. Aqua, inquit, quam Iesus dat, corporis & animi sitim æternam funditus exstinguit; vt apud inferos non sitiat ardens, aut ardeat sitiens; sed Agno duce pergat ad vitæ fontes aquarum, & æternæ beatitudinis hausto cunctam corporis & animæ purgans inopiam, non deficiat omni bono in æternum, &c. Similem in modum exponit Augustinus & Toletus.

Rupert.

Obiicit Iansenius hunc non esse sensum colligi ex verbis sequentibus. Scilicet: *Fiet in eo fons aquæ salientis*, &c. At non colligetur, si sic explicetur totus locus. Qui biberit ex aqua gratiæ, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum in cælo. Sed aqua ipsa gratiæ, quam dabo ei, fiet in eo fons aquæ gloriæ salientis, & scaturientis, & ebullientis in vitam æternam, hoc est, in sempiternum, ita vt sitire non possit in æternum. Dicitur autem in cælo aqua gratiæ fieri, fons gloriæ in homine, quoniam ex gratia emanat gloria hominis. Dicitur aqua gloriæ salire, siue scaturire in æternum, quemadmodum aqua fontis, quæ semper scaturit; quoniam numquam deficiet.

D

Aqua gratiæ quomodo saliat in vitā æternā

Aliter, putei aqua, si potetur, non semper in homine permanet, sed absumitur; idcirco sitis redit, quam exstinxerat. Gratiæ autem aqua in homine perpetuò durat, si peccato mortifero non expellatur, numquam absumitur; suapte namque natura perpetua est, si propter peccatum non auferatur. Cumque perpetua sit in homine, hominis sitim perpetuò exstinguit; immo bonis actionibus augetur & accrescit: sitque in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Qui verò fontem habet in pectore, non sitit. Itaque sensus alius est. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum*, hoc est, non laborabit vmquam huius aquæ penuria, non sitiet illam non habitam: semper enim in visceribus eam habebit, nisi culpa sua illam pellat. Sed augebitur, & fiet in eo fons aquæ gratiæ salientis, vel scatu-

E

Gratia si peccato non expellatur æterna est.

Ioan. 4.

A rientis in vitam æternam. In hunc sensum tēdunt, quæ à Caietano dicūtur & Iansenio. Dicitur autem gratiæ aqua scaturire in vitam æternam, quia numquam deficit. Aqua putei & fontis desinit scaturire; sed aqua gratiæ scaturit in æternum. Numquam aresçit gratiæ aqua, nisi peccatum mortiferum arefaciat fontem. D. Cyrillus aquā salire ait in vitam æternam, quoniam gratia hominem ad vitam æternam ducit. Illum, inquit, in se fontem continebit, qui possit eum ad vitam æternam ducere, &c. Aqua fontis modicum salit, at aqua gratiæ vsque in vitam æternam salit. Aqua ad suum locum ascendit. Tantum ascendit, quanta est altitudo loci, vnde fluit. Gratia ex Deo fluit, ad Deum ascendit & salit.

Cyril.

DOMINE, *da mihi hanc aquam, vt non sitiam.* Iam femina eò suauiter ducta est, vt aquam Christi petat. Vtilitate ducimur omnes, & illa vtilitate ducta, commodisque suis cōsulens: *Domine*, inquit, *da mihi hanc aquam*, quæ sitim in sempiternum exstinguit, vt non sitiam, nec sit mihi opus recurrente siti ad puteum hunc toties recurrere. Nondum tamen ad aquam accipiendam parata erat Samaritana, altius oportebat ascendere; ideo ad occulta aperienda transit Dominus: *Vade*, ait, si aquam, quam petis, vis accipere, *voca virū tuum*, vt ille quoque accipiat, sciatque vnde tu acceperis: æquum enim est viros vxorum dona noscere, eorum quoque participes fieri. Respondet illa: *Non habeo virum.* Bene vereque respondisse Christus asseruit; quoniam quinque viris iam nupserat, post quinque viros, cum eo, cui in matrimonio coniuncta non erat, impudicè viuebat. D. Irenæus lib. 3. cap. 19. sentit quinque viros non fuisse legitimos Samaritanæ: sic enim scripsit: Samaritanæ præuaricatrici, quæ in vno viro non mansit, sed fornicata est in multis impiis, &c. Quid sibi velit Chrysost. Psalm. 13. (si tamen Chrysostomus ille est) non liquet. Sic enim scribit. Quemadmodum maritorum multitudo efficit, vt non censeatur maritus. *Quinque enim viros habuisti: & nunc quem habes, non est tuus vir.* Ita etiam multorum Deorum cultus est impietas, & perinde est ac si nullum colas, &c. Videtur putare eodem tempore illos quinque viros habuisse Samaritanam. Sed ex Euangelio id minimè colligitur. Neque solet vmquam vna femina plures habere viros

Ioan. 4.

Christus cur vocari virū præceperit.

An fuerint legitimi viri quinq; Samaritanæ.

Chrysost.

Ioan. 4.

ros siue maritos. Verba Domini potius indicant viros fuisse legitimos, cùm ait: *Bene dixisti: quinque enim viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir.* Hoc est, Quinque viros habuisti legitimos, qui verè viri erant, siue mariti; at verò hic, quem nunc habes, non est tuus vir, scilicet legitimus. Alij fuerant viri, hic non erat vir; quia alij fuerant legitimi, hic non erat legitimus. Lege auctorem quæstionum ad Antiochum, quæst. 59. Obiicitur, si legitimi viri quinque fuissent, nihil occultum Christus videretur patefeciſſe. Præterea infrà ait Samaritana: *Venite, & videte hominem qui dixit mihi omnia quæcumque feci*, id est, omnia peccata. Atq; inter ea, quòd quinque illegitimos viros habuerim. Respõdetur, Christum occulta patefeciſſe Samaritanę, quòd quinque viros dixerit habuisse: id enim, cùm Iudæus esset Samaritanis ignotus, femina intelligebat à nullo homine scire potuisse. Præterea illud etiam occultum erat, virum quem tunc habebat non esse legitimum. Illa verò verba: *Venite, & videte*, &c. Hæc occulta significant, non autem viros quinque fuisse illegitimos.

Ioan. 4.

CAPVT X.

De colloquio Christi cum Samaritana.

Ibidem.

DOMINE, *vt video, Propheta es tu. Patres nostri in monte hoc adorauerunt*, &c. Altius ascendit Samaritana, agnoscit Christum esse Prophetam, quoniam, quæ occulta erant, patefecit: *Domine*, inquit, *vt video, Propheta es tu.* Proponit ergo sapiente Propheta dignam quæstionem de loco, in quo Deum adorare oportebat; quæ inter Samaritanos & Iudæos illo tempore agitabatur, Iudæi asserebant Deum in templo Ierosolymitano esse colendum; contrà Samaritani, contendebant in Samaria, in monte, quem Samaritana indicat, esse adorandum. Errorem verò suum Patrum confirmat exemplo femina. *Patres*, ait, *nostri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, quia Ierosolymis est locus, vbi adorare oportet.* Disquiramus breuiter quænam fuerit hæc inter Samaritanos Iudæosque controuersia, & quisnam mons ille, de quo Samaritana loquitur.

Proponit Samaritana Christo quæstionem de loco adorationis.

Controuersia de loco adorationis erat. Sed nónne fas tunc erat Deum omni in loco adorare? Responsio est, fas fuisse tunc Iudæis vbique Deum genu flectendo orandoque adorare, non tamen sacrificando. Etenim Deuter. 12. præceptum exstat, quo id facere prohibentur. *Caue, ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris; sed in eo quem elegerit Dominus: in vna tribuum tuarum offeres hostias, & facies quæcumque præcipio tibi*, &c. Quæstio ergo de hac adoratione erat, quæ sacrificando Deo exhibetur. Iudæi (& verè quidem) affirmabant, in templo tantummodo Ierosolymitano sacrificia Deo esse offerenda; quòd is esset locus quem Dominus eam in rem elegerat: Samaritani aiebant in monte Samariæ victimas Deo esse immolandas, quod Patres fecerant. Hanc verò fuisse controuersiam testatur Iosephus, his verbis: Pugnabant inter se iugiter Iudæi, & Samaritæ, dum Ierosolymitani suum templum sacrosanctum esse affirmant, & victimas à Iudæis non aliò mittendas: Samaritæ contrà in montem Garizim eas mitti debere contendunt, &c. Hanc eãdem proponit Dominus femina Samaritis.

Nõ erat fas vbiq; adorare, id est, hostias offerre.

Deut. 12.

Inter Iudæos & Samaritanos contentio.

Ioseph. l. 12. Antiq. c. 1.

Ioan. 4.

Mons, quem Samaritana indicat, cùm ait, *Patres nostri in monte hoc adorauerunt*, mons est Samariæ Garizim, vt volunt Origenes, & alij. Samaritani, ait Origen. in Ioan. dicebant: *Patres nostri in monte hoc adorauerunt*; montem Garizenum monstrantes, &c. Indicat autem femina montem; quoniam prope Sichem & puteum Iacob situs erat. Borchardus Palęsthinæ inspector: Supra fontem, inquit, Iacob ad dexteram est mons excelsus, habens duo capita; quorum vnum est mons Garizim, aliud mons Hebal, &c. Lyranus Deuter. 27. Garizim, ait, & Hebal sunt duo mõticuli propinqui, & prope Sichem, &c. Iosephus quoque libro 11. Antiquit. cap. 18. affirmat vrbem Sichem ad montem Garizim sitam esse. Montem verò Samaritanis fuisse sanctissimũ scribit lib. 3. de Bello, cap. 12. In hoc monte exstruxere illi templum Ierosolymitano simile Alexandri Magni tempore, de quo idem auctor lib. 11. Antiq. c. 8. Post obitum, ait, Alexandri templum in monte Garizim situm mansit incolume; & si quis apud Ierosolymitas, aut illiciti cibi sumpti, aut violati sabbati, aut similis criminis reus ageretur, ad Sichimitas, id est, incolas Sichem confugiebat, calumniam se passum dictitans, &c. Antiochus templum Garizim Ioui Hospitali dicari iubet, Ierosolymitanum verò Ioui Olympio. *Misit Rex Antiochus senem quemdam Antiochenum, qui compelleret Iudæos, vt se transferrent à patriis & Dei legibus: contaminare etiam, quod in Ierosolymis erat templum, & cognominare Iouis Olympij; & in Garizim, prout erant ij, qui locum inhabitabant, Iouis Hospitalis*, &c. Dubium est, an eo tempore, quo cum Samaritana Christus colloquebatur, hoc templum in monte staret. Respondẽdum est, stetisse annis 200. & fuisse euersum ante tempus Christi ab Hyrcano. Iosephus auctor est lib. 13. Antiq. cap. 17. Lege quæ diximus tomo 1. lib. 5. cap. 25.

Mons Garizim ostenditur à Samaritana.

Iosephus.

In mõte Garizim templum Samaritanũ.

2. Mach. 6.

Templũ Garizim euersum ante tẽpus Christi.

Aduersatur nobis Hieronymus, siue potius Eusebius, cuius librum de locis Hebraicis latinitate donauit: ait enim montem Garizim non esse propinquum vrbi Sichem, siue Neapoli Syriæ. Eius verba hæc sunt: Sunt iuxta Iericho duo montes vicini, contra se inuicem respicientes; è quibus vnus Garizim, alter Hebal dicitur. Porrò Samaritani arbitrantur hos duos mõtes iuxta Neapolim esse, sed vehementer errãt. Plurimum enim inter se distant, nec possunt inuicẽ benedicentium, siue maledicentium inter se audiri voces: quod Scriptura commemorat, &c. Probat Eusebius, siue Hieronymus montes Garizim & Hebal non esse vicinos Sichem; propterea quòd in illis duobus montibus benedictiones legem obseruãtibus conferendas, & maledictiones legem frangentibus infligendas, Iosue promulgarit; diuiso in montibus exercitu, ita vt inuicem se audire possent Hebræi. At verò montes illi duo, qui sunt prope Sichem, ita distant, vt non possent inuicem benedicentium, & maledicentium voces audiri. Lege Deut. 27. & Iosue 8. Addit Eusebius eodem libro. Iuxta Galgal montes esse scribuntur Garizim & Hebal. Galgala verò locus est iuxta Iericho. Errant igitur Samaritani, qui iuxta Neapolim Garizim & Hebal montes ostendere volunt, cùm ipsos iuxta Galgal esse Scriptura testetur Deut. 11. Hæc ille. Iuxta hanc sententiam Eusebij, dicendum est, Samaritanos deceptos credidisse montes illos esse Garizim & Hebal, atque adeò montem, quem Samaritana Christo ostendit, non fuisse verè Garizim.

Hieron. siue Euseb.

An mons Garizim sit iuxta Sichẽ.

At verò Iosephus potius hac in re sequendus est, qui libro 11. Antiq. cap. vltimo asserit vrbẽ Sichem prope montem Garizim sitam esse. Et lib. 4. ad finem, de benedictionibus & maledictionibus suprà memoratis agens, sic scribit: Iussit Moses aram erigere ad Solem Orientem obuersam, non procul à Sichimis vrbe, inter duos montes, dextrũ Garizim, sinistrum Hebal; diuisasque copias in senas tribus super duobus montibus consistere; & vna cum illis

Iosephus.

Leuitas ac Sacerdotes, &c. Libro item 5. cap. 1. Iosue, inquit, cum omni populo profectus versus Sichima, id est, Sichem, altare statuit, & diuiso exercitu in monte Garizim dimidium eius collocauit, & in Hebal alterum dimidium, &c. Rationes Eusebij non satis habent virium. Negamus tantam esse distantiam montium, vt se inuicem audire non potuerint Hebræi. Deut. verò 11. sic scriptum est: *Deut. 11.* *Pones benedictionem super montem Garizim, maledictionem super montem Hebal, qui sunt trans Iordanem, post viam, quæ vergit ad Solis occubitum in terra Chananæi, qui habitat in campestribus contra Galgalā, quæ est iuxta vallem tendentem, & intrantem procul,* &c. Abulensis hoc capite 11. Deut. sic scribit: Sunt hi montes Garizim & Hebal coniuncti ciuitati Sichem. Nam mons Garizim distat paullò magis quasi media leuca, vel ferè vna. Mons autem Hebal modicum vltra est magis versus Orientem, vt sit quasi leuca & dimidia, vel non tantùm. Distant autem hi montes à Ierusalem quasi vndecim leucis. Hæc ille. Lyranus appellat hos montes, monticulos. Sed Garizim reliquis Samariæ montibus fuisse celsiorem ait Iosephus libro 11. Antiq. cap. 8. Mons Garizim, inquit, imminet Samariæ, reliquis montibus celsior, &c.

Abulens.

Qui Patres adorarint in monte Garizim.

Quæritur, quinam Patres in monte hoc Garizim adorarint? Ex Scriptura sacra non liquet Patres illos antiquos in monte Garizim Deum coluisse, victimasque illi immolasse. Sed id sibi persuadebant Samaritani, quòd in illo loco habitasset olim Iacob cum filiis. Itaque in monte illo potuere Deo victimas immolare. Gen. 33. leges, non quidem in monte Garizim, sed in parte agri, quam iuxta Sichem emit, Iacob altare struxisse ad immolandum. Diuus Chrysost. hom. 31. ait, in montem Garizim ductum ab Abrahamo filium Isaacum, vt iussu Dei immolaretur. Et Theophylact. Tradunt, inquit, in montem Garizim Isaac in sacrificium adductum. Euthymius præterea: Vetus historia, inquit, tradit Abraham in illo monte obtulisse Isaac Deo in holocaustum, &c. At iam lib. 3. cap. 11. diximus, Isaacum in monte Moria, siue in monte Caluariæ oblatum.

In mōte Garizim atunt oblatum Isaac, Chrysost. Theoph. & Euthym.

Cyril.

D. Cyrillus lib. 2. in Ioan. cap. 90. vult inde ortam illam in monte Garizim adorationem, quòd in illo benedictiones à Iosue legem obseruantibus sint propositæ. Samaritani, inquit, in monte Garizim appellato solùm adorare Deum oportere opinabantur. Quæ ridiculosa religio inde orta est, quia in monte Garizim, vt in Deuteronomio legitur, data benedictio est. Sic Cyrillus.

Possunt etiam Patres sumi pro patribus Samaritanorum, hoc sensu: Patres nostri Samaritani in monte hoc adorauerunt. Sed potius pro Iacob & filiis sumitur; vt ratio maius pondus habeat. Patres nostri, Samaritanorum & Iudæorum, Iacob & filij eius, in monte hoc adorauerunt; & vos dicitis Ierosolymis esse Deum adorandum.

Ioan. 4. Præcisit Dominus abroganda legis veteris sacrificia.

VENIT *hora, quando neque in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitis Patrem.* Aperit Dominus E feminæ Euangelici temporis cultum absque Iudaicis Samariticisque sacrificiis & cæremoniis; quasi respondeat sic: Hæc tua quæstio iam non indiget responsione; tuus hic nodus iam non habet opus solutione. Nam venit hora, hoc est, imminet tempus nouæ legis, quo neque in monte Garizim, neque in templo Ierosolymitano, Deus cruentis animalium sacrificiis, sed toto orbe nouo alio sacrificio coletur. Prædicit Christus tum legis veteris abrogationem; tum Christianum cultum, qui legali cultui succesit. Legis veteris cultus ac sacrificia vni illi templo alligata erant. Cùm ergo ait in illo templo Deum sacrificiis non esse adorandum; sequitur sacrificia, sacerdotium & legem, penitus esse A exstinguenda. *Venit*, inquit *hora, quãdo neque in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitis Patrem*, id est, Deum. Vbi igitur adorabitur Deus? Nimirum toto terrarum orbe. Iudæi adorationem templo Ierosolymitano colligatam habebant; Samaritæ in suo templo Garizim Deum adorandum contendebant. Soluit Christus ligatam adorationem. Neque in monte hoc Garizim, neque Ierosolymis adorabitis in templo: non erit locis alligata adoratio noui Testamenti, sed in totum orbem propagabitur. Lege D. Basilium libro 2. de Baptismo, cap. 8. Dilatat, inquit, Dominus, & diducit adorationem Dei ab arcto Ierosolymæ ambitu in omnem totius orbis locum, &c. *Ioan. 4.*

VOS *adoratis quod nescitis*. Iudæos Samaritanis B anteponit, quòd veram de Deo haberēt cognitionem, qua Samaritani carebant: *Vos*, inquit, *adoratis quod nescitis*: videlicet Deum, quem non rectè cognoscitis, de quo veram non habetis intelligentiam. Chrysost. ait, Samaritanos putasse Deum in loco esse circumscripto, nihilque de eo amplius hoc pacto, quàm de idolo, existimasse. Similiter Theophylactus: Samaritani, inquit, putabant loco concludi Deum. Et Euthymius: Ignorabant quòd omnium gentium esset Dominus: opinabantur siquidem quòd solis Samaritanis, atque Iudæis dominaretur, &c. Item D. Thom. scribit, existimasse Samaritanos Deum constare corpore, & vno in loco oportere adorari. Præterea parem esse idolis. In- *Quid de Deo senserint Samaritani, incertum.* certum est, quid illi de Deo senserint. Quidquid C senserint, non verè Deum agnoscebant, vt indicant Christi verba. Caietanus arbitratur non adorasse Deum solum, sed alios illi Deos adiunxisse. Et Iansenius: Non rectè, inquit, sentiebant Samaritani de Deo; cùm putarent eum illius terræ tantùm Deum esse, ac talē, qui etiam in diuino cultu dęmonum admitteret consortium, &c. Iuxta quam sententiam locus in hunc modum exponi potest. Vos adoratis quod nescitis, hoc est, Deum, quem nescitis esse vnum: simul enim alios Deos colitis. Sed Samaritas simul coluisse tunc tēporis Deos alios, ignotum est. Verisimilius fortè, vt suprà diximus, coluisse solum Deū, sed falsas de ipso opinationes habuisse. Verumtamen in opinione Caietani est Chrysostomus: Et dæmones, inquit, & Deum, Samaritæ adorabant, &c. Est etiam Dionysius Carthusianus, Toletus, & Titelmannus. Quòd si illi idola tunc colebant, sensus horum verborū esse poterit. *Vos adoratis quod nescitis*, id est, idola, quæ non esse *Ioan. 4.* Deos, sed vana numina ignoratis. At nō placet sensus, quoniam Samaritana de adoratione Dei agebat, quem Iudæi colebant; non autem de adoratione simulacrorum. Ergo, cùm respondet Christus, *Vos adoratis quod nescitis*, de Deo quem Iudæi venerabantur intelligendus est, quem Samaritani quoque colebant, sed vera illius cognitione carebant. *Ibidem.* *Chrysost.* *Ianſen.*

Illam verò interpretationem non probo, quæ de loco adorationis verba Christi sic exponit: Quòd vos in monte Garizim adoratis, nescitis quid faciatis; quòd verò nos Ierosolymis adoremus, scimus quid faciamus. Nos enim hoc Dei iussu facimus, vos vestro inuento. Non probo, inquam, quia Christus non loquitur de loco, sed de obiecto adorationis. Non enim ait: *Vos nescitis vbi odoratis*: sed, *Vos adoratis quod nescitis*, id est, Deum, quem non bene cognouistis. Quamuis de loco adorationis esset contentio, tamen Christus à loco transiit nunc ad obiectum; adorandi modum mox ostendit. In omnibus verò locis Deum adorandum iam prædixit.

NOS *adoramus quod scimus, quia salus ex Iudæis est*. Loquitur Christus secundùm humanā naturā, secundùm quam Iudæus erat; idcirco Iudæis se adnumerat. *Ibidem.*

Christus secundū humanā naturam Deum adorabat.

numerat. *Nos*, inquit, id est, Iudæi. Præterea secundùm eamdem naturam humanam Deum adorabat. Idcirco ait: *Nos adoramus quod scimus*. Adorat, inquit Cyrillus, etiam Christus vt homo, postquam factus est homo: adoratur autem, quoniam Deus verus est, &c. Adorabant autem Samaritani quod nesciebāt, Iudæi verò adorabant quod sciebant, quoniam veram de Deo cognitionem Iudæi habebant.

Cognitio Dei data Iudæis, & lex propter Christum.

Hæc autem cognitio concessa illis à Deo est, *quia salus ex Iudæis est*, hoc est, *quoniam salus*, id est, Iesus Saluator mundi, ex Iudæis natus est, vt exponunt D. Cyrillus, Euthymius, & Theophylactus. Oportebat enim illos, ex quibus salus mundi erat profectura, vera Dei cognitione, ac fide ornatos esse. Propter Christum, Dei cognitionem, Scripturas, legem, sacerdotes, reliquaque ornamenta Iudæi acceperunt. Populum enim, ex quo Messias oriturus erat, voluit Deus à reliquis esse separatum, diuinisque donis exornatum. Quia verò eū, propter quem ornamenta omnia à Deo acceperant, id est, Christum, repulerunt; ideo ornamenta ipsa amiserunt.

Salus, id est, Christus, ex Iudæis est Saluator. Rom. 9.

Salus, inquit, *ex Iudæis est*. Ad Rom. *Ex quibus*, id est, Iudæis, ait Paullus, *est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus*, &c. Aliter: *Nos adoramus quod scimus*, veramque de Deo scientiam habemus; quia salus orbis, id est, vera fides, & viua, vera doctrina, veraque de Deo scientia, ex Iudæis per Messiam, eiusque Apostolos exiit. Oportuit ergo Iudæos, ex quibus vera Dei cognitio in mundum emanauit, verè Deum cognoscere. Aliter: Nos Iudæi veram de Deo, quem adoramus, cognitionem habemus. Quia animorum salus ex Iudæis est, & apud Iudæos est. Salus autē hæc sine vera Dei cognitione non potest consistere.

Ioan. 4. Christi veri adoratores.

SED *venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate*. Quoniam Samaritana de adoratione quæstionem proposuerat; de adoratione Dominus agit. Adorationem in primis à templo Ierosolymitano, sacrificiisque cruentis pecudum soluit, & per totum dilatauit orbem, cùm dixit: *Venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitis Patrem*. Deinde adorationem Iudæorum præposuit adorationi Samaritanorum, Iudæosque maximè extulit, quòd ex illis salus orbis esset, illis verbis: *Vos adoratis quod nescitis; nos Iudæi adoramus quod scimus, quia salus ex Iudæis est*. Hoc loco Christianos veros adoratores fore prædicit, qui Deum in spiritu & veritate adorent. *Venit*, inquit, *hora*, hoc est, tempus appetit, *& nunc est*: hoc est, iam hoc tempus incipit, quoniam iam Christus venerat, qui hos adoratores veros conderet, *Quando adoratores veri*, qui veram de Deo habebunt cognitionem, quique vmbras ac typos relinquent, *adorabunt Deum in spiritu & veritate*.

Quid sit adorare in spiritu & veritate.

Adorare Deum in spiritu & veritate idem potest significare: videlicet adorare Deum remotis, abrogatisque figuris, & typis, quibus Iudæi vtebantur. Eritque sensus, Venit tempus, cùm veri adoratores adorabūt Deum *in spiritu*, ex animo & corde, absque carnalibus sacrificiis Iudæorum & Samaritanorum, *& in veritate*, hoc est, absque vmbris & figuris Mosaicæ legis. Sic exponit D. Thomas in Ioan. Veri, inquit, adoratores adorabunt *in spiritu*, hoc est, non in cæremoniis carnalibus; & *in veritate*, hoc est, non in figura, &c. D. Chrysostomus. Cùm Iudæi & Samaritani, anima contempta, munditiæ corporis plurimùm studerent; non ablutione, ait Dominus, & ornatu corporis, sed incorporea nostri parte Deum adorandum. Quamobrem non pecora, non vitulos, sed te totum Deo offeras sacrificium. Sic viuentem hostiam exhibebis. In veritate enim adorare oportet. Nam quæ superiori tempore figura erant, circumcisio, holocausta, sacrificia, non sunt amplius; sed omnia veritas, &c. D. Cyrillus in hunc locum, *venit hora*, &c. Præsens aduentus sui tempus significat Christus, in quo figuras in veritatem, & vmbram in cultum spiritalem, & placentem Deo Patri viuendi normam, per Euangelicam doctrinam transmutari insinuat, &c. Item: Spiritalis adorator est Deo gratus, qui non forma, & figuris Iudaicis ad pietatem obumbratur; sed euangelica virtute refulgens, recta dogmatum disciplina, veram peragit adorationem, &c. Theophylactus: Fortassis, inquit, quia Iudaica lex secundùm litteram intellecta figura erat & vmbra: quod dicitur *in spiritu*, opponitur litteræ: non enim lex litteræ à nobis obseruatur, sed lex spiritus. *Nam littera occidit, spiritus autem viuificat*, vt ait Paullus. Et quod dicitur *in veritate*; opponitur vmbræ & figuræ, &c. *Cyrill. Theoph. 2. Cor. 3.*

Quid sit adorare in spiritu & veritate, iterū.

Aliter, diuersa esse potest significatio *spiritus & veritatis*, ita vt *in spiritu* adorare, significet adorare ex animo & corde, absque corporalibus Iudæorum Samaritanorumque sacrificiis. Adorare autem *in veritate* sit adorare cum vera Dei cognitione, qua Samaritanos caruisse dixit Christus. Vnde Theophylactus: Quia, inquit, spiritus est Deus, hoc est, incorporeus; oportet ipsum adorare incorporaliter, videlicet in anima. Hoc enim significat *in spiritu*. Etenim anima spiritus est incorporeus. Quoniam autem multi videntur adorare in anima, non tamen rectam habent scientiam, sicut hæretici; ideo addidit, *& veritate*. Oportet enim & mente adorare Deum; & sanam opinionem de ipso habere. Sic Theophylactus. Itaque sensus erit: Venit hora, siue tempus, quo neque in monte Garizim, nec in templo Ierosolymitano adorabitis Patrem. Sed venit, inquam, hora, quando in toto orbe veri adoratores Christiani *in spiritu*, id est, ex corde intimo, non in vmbris & typis Iudæorum; & *in veritate*, hoc est, non in falsitate Samaritanorum, sed in vera Dei cognitione & fide adorabunt. Adoratio in spiritu vmbras Iudæorum; adoratio in veritate falsitatem pellit Samaritanorum. *Theoph.*

Neque verò adoratio in spiritu adorationem Dei externam excludit: immo amplectitur, & cum ea maximè coniuncta est. Nam adoratio interna cordis, veluti anima est adorationis externæ, quæ per actiones corporis exhibetur. Corpore & animo constat homo, vtroque Deus adorandus est & colendus. Quare duplex ab homine cultus exigitur, corporis & animi: ille qui sub aspectum cadit: hic qui oculos hominum, non tamen Dei, fugit. Quod docet Damascenus libro 4. de Fide, capite 13. Quia, inquit, ex visibili & inuisibili constamus; duplici quoque adorationis genere rerum omnium parentem afficimus. Quemadmodum videlicet & mente, & corporis labiis psallimus, & aqua simul ac spiritu baptizamur, & cetera.

Duplex adoratio, animi & corporis. Damasc. Externa adoratio necessaria.

NAM *& Pater tales quærit, qui adorent eum*. Adorationem siue internam, siue externam, quæ ab spiritu puro amorisque affectu in veritate proficiscitur, Deo gratissimam esse Dominus docet. Adorabunt, inquit, hi veri adoratores Deum. Nam Deus tales quærit adoratores, qui in spiritu & veritate eum adorent: tales illi sunt opere placent. Rationem cur placeant, curque hæc adoratio maximè Deo conueniat, huiusmodi reddit: *Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare*. Simile enim diligit sibi simile. Deus Spiritus est, ideoque simili adoratione delectatur, nempe quæ spiritalis est. D. Thomas in Ioannem: Vt dicitur: *Omne animal diligit sibi simile*: ergo Deus in tantùm diligit nos, in quantùm ei assimilamur. *Ioan 4. Adoratio Deo gratissima quæ. Adoratio in spiritu & veritate Deo maximè placet. Eccli. 13.*

D. Thom. Chrysost.

mur. Sed non assimilamur ei secundùm carnalia, quia est incorporeus; sed secundũ spiritalia, &c. Et Cardinalis Caietanus: Propterea oportet adorantes Deum adorare in spiritu & veritate; vt adoratio conformis sit adorato, &c. Theophylactus: Quia Deus spiritus est, spiritales adoratores quærit; & quia veritas est, quærit veros, &c. Est autem adoratio spiritalis omnis illa adoratio, quæ interno animi affectu fit, siue ea solùm animi sit, siue etiam corporis externa. Christianus ille Deo seruit, & Deum colit in spiritu, qui fide, caritate, & reliquis virtutibus, Deum internis animi motionibus, externisque corporis colit actionibus. Ait Paullus: *Seruio Deo in spiritu meo.* Numquid Paullus solo spiritu Deo seruiebat? nónne etiam corpore? Seruiebat quidem maximè corpore. Sed in spiritu seruiebat, etiam cùm seruiebat corpore: quoniam externæ Paulli actiones ab spiritu manabant interno. Sic probi Christiani externæ actiones, & adorationes ab interno spiritu proficiscuntur.

Caietan. *Theoph.* *Christianus colit Deum internis externisq; actionibus & adorationibus.* *Rom. 1.*

Ioan. 4. SCIO *quia Messias venit*, &c. Quæstionis, quam proposuerat, solutionem, & eorum, quæ à Christo audierat confirmationem, in tempus Messiæ femina reiicit, quem venisse nondum sciebat: *Scio*, ait, *quòd Messias venit.* Temporis præsentis est verbum, Græce ἔρχεται. Sed pro futuro sumitur, scio quòd Messias veniet. Ita Matthæus: *Elias venturus est*: Græcè in præsenti ἔρχεται. Potest etiam sumi in præsenti, Messias venit, id est, iam propinquum est tempus aduentus Messiæ, iam aduentat. Sic enim à Iudæis Samaritani didicerant, vel fama acceperant. Addit Euangelista nominis Messiæ interpretationem. *Qui dicitur*, inquit, *Christus.* Quasi dicat: Nomen Hebræum Messias significat Græcè Christum. Græcè enim scripsit Ioannes: Latinè verò significat vnctum: *Cùm ergo* Messias *venerit, ille nobis annuntiabit omnia.* Hoc est, Ille nos omnia docebit: ille quæ sit vera adoratio, quisque veræ adorationis locus, mónsne Garizim, an templum Ierosolymitanum, aperiet. Obserua primùm Samaritanos quoque exspectasse Messiam, non solùm Iudæos. Deinde exspectasse Messiam, qui eos doceret omnia. *Ille*, inquit, *nobis annuntiabit omnia.*

Matth. 17. *Samaritani Messiã exspectabant, qui eos doceret omnia.* *Ioan. 4.*

Ioan. 4. EGO *sum, qui loquor tecum.* Cùm Samaritana Messiæ fecisset mentionem, in illumque reiecisset quæstionem, opportunè subinfert Dominus: *Ego sum, qui loquor tecum.* Ego sum Messias, quem doctorem præstolamini. Non rogauit femina, num Messias ipse esset; non rogatus tamen Messiam se esse verbis perspicuis profitetur. At verò à Iudæis maximè rogatus num Messias esset, affirmare noluit.

Ioan. 10. *Circumdederunt eum Iudæi, & dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus*, id est, si tu es Messias, *dic nobis palàm.* At non respondit: Ego sum, qui loquor vobiscum. Causam reddit Chrysostomus: Fidelior, inquit, Samaritana erat Iudæis, qui non discendi, sed arguendi causa rogabant. Nam si discere voluissent, verborum, Scripturarumque, & miraculorum sufficiens eis fuisset doctrina. Samaritana simplici & integra mente petiit, vt ex sequentibus facilè potest intelligi. Audiuit eum, & credidit, & alios ad credendum traxit. Sic Chrysostomus. Et Theophylactus: Iudæis Christus nihil dicit, eo quòd non interrogabant discendi gratia, sed calumniandi animo. Huic autem Samaritanæ, quia studiosa erat, manifestè se reuelat, &c. Eamdem causam afferunt Euthymius & D. Thomas Ioan. 4.

Chrysost. *Cur Dominus Samaritanæ aperuit se esse Messiam, Iudæis minimè.* *Theoph.*

Caietan. *Ioan. 10.* Caietanus alias causas commemorat his verbis: Mira gratia, vrgentibus namque Iudæis, *Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam*, distulit palàm dicere se Messiam: immo & discipulis prohibuit hoc publicare Matthæi 16. Et tamen nunc sponte Samaritanæ dicit se esse Messiam. Et ratio est, quia hæc manifestatio non erat periculosa ad præueniendum passionem eius. Et vt non solùm Iudæos, sed etiam primitias gentilium dignas efficeret manifestatione tanti mysterij ore proprio, &c. Ait Caietanus noluisse Christum Iudæis aperte dicere: Ego sum Messias; ne Iudæis accusationis ansam daret, & ante statutum tempus ab illis occideretur. Dixisse autem Samaritanæ, quoniam nihil in ea manifestatione periculi inerat. Præterea, vt primitias gentium honore afficeret. Si autem Dominus Christum se esse palàm diceret, accusationis ansam Iudæis daret; quoniam Christus Regem significabat, qualem Iudæi exspectabant. Si ergo se esse Christum, & Regem diceret, Cæsaris maiestatem ex Iudæorum opinione læderet. Rupertus Ioannis 4. Ecce, inquit, quomodo Christus Samaritanæ alienigenę semetipsum credidit, quem Iudæis non crediderat; & ostendit illi honorandum nominis sui thesaurum, quod in patria sua, scilicet Iudæa, necdum prodiderat. Ne mox, quod futurum erat, pretiosam nominis eiusdem margaritam porci conculcarent, & hoc sanctum canina rabie blasphemantes corroderent, &c.

Christi nomen est Regium. *Rupert.*

MIRABANTVR, *quia cum muliere loquebatur.* Dixerat Euangelista discipulos Christi in ciuitatem Sichar ad emendum cibum abiisse. Empto cibo ad magistrum reuersos ait; quia verò cum Samaritana femina colloquentem repererunt, admiratos. Prima admirationis causa fuit, Christi erga abiectæ conditionis feminam humanitas & affabilitas. Hanc reddit Chrysost. Mirabantur, inquit, discipuli facilitatẽ, & incredibilem Christi humilitatem: quòd tam clarus, & tanti nominis, pauperem & Samaritanam mulierem benignè alloqui non dedignaretur, &c. Et D. Cyril. Stupent, ait, discipuli tantam Saluatoris humanitatem, &c. Eamdem causam reddunt Theophylactus, Euthymius, & D. Thomas. Origenes præterea: Mirantur, ait, discipuli, quid ita ipse, qui tam magnus esset, cum muliere loqueretur, &c. Sed id potest huic causæ opponi, quòd discipuli videbant Christum neminem, pauperem licet, & infimæ conditionis hominem, despicere, & cum pauperibus discipulis versari.

Ioan. 4. *Cur mirati sint discipuli quòd Christus cũ muliere loqueretur.*

Aliam rationem reddit D. Thomas fortè probabiliorem: Mirabantur, inquit, discipuli, quòd cum Samaritana, & alienigena Christus loqueretur, &c. Sciebant enim discipuli Iudæos non couti Samaritanis. Quemadmodum ergo femina admirata est, quòd à se muliere Samaritana Christus potum peteret, cùm Iudæi Samaritanis non couterentur: sic discipuli admirati sunt, quòd Christus cum alienigena muliere sermonem conferret.

D. Thom.

Vero similius est miratos discipulos, quòd Christus cum femina, præsertim solus cum sola, etsi loco publico, ac omnibus patente, colloqueretur. Probatur hæc causa ex verbis Euangelistæ. Non enim dixit, mirabantur, quòd cum muliere Samaritana; vel quòd cum muliere abiectæ ac despicatæ conditionis loqueretur; sed absolutè: *Mirabantur quòd cum muliere loqueretur.* Vnde Caietanus: Nulla, inquit, in textu alia redditur ratio huius admirationis, nisi locutio Christi cum muliere. Et dixit hoc Euangelista, ad significandum insolitam fuisse locutionem Christi cum muliere. Miramur enim insolita, &c. Eusebius lib. 3. de Demonstr. Euang. c. 6. Cùm ex causa, inquit, necessaria, vt multis prodesset, cum Samaritana muliere loquentem Christum discipuli vidissent, admirati sunt, *quòd cum muliere loqueretur*; inopinatum quiddam hoc, atque insolitum

Ioan. 4. *Caietan.* *Euseb.*

tum se intueri arbitrantes. Tamquam ij, qui numquam antehac idem vidissent. Commẽdabat enim Saluatoris nostri sermo nihil aliud, nisi in moribus grauitatem atque austeritatem, &c.

Ioan. 4. Discipulorũ Christi erga ipsum obseruantia.

NEMO *tamen dixit, quid quaeris? aut quid loqueris cum ea?* Discipulorum erga Magistrum reuerentiam his verbis notam facit Euangelista. Mirati quidem sunt; nullus tamen rogauit Christum, Domine quid à femina hac quæris? aut, quid cum ea loqueris? Magistri enim reuerentia, ne rogarent, obstabat. Cùm tamen rei mirabilis caussam indagare ij cupiant, quos admiratio capit. Diuus Cyrillus: Probi discipuli officium est, tanta reuerentia doctorem colere: vt nihil temere interrogare audeat, &c. Chrysostomus: Discipuli Christi nihil rogarunt. Adeò discipulorum mores imbiberant, adeò magistrum & timebant, & reuerebantur plurimum, &c.

Cyril.

Chrysost.

CAPVT XI.

De colloquio Christi cum Samaritana.

Ioan. 4.

RELIQVIT *ergo hydriam suam mulier, & abiit in ciuitatem.* En quò Samaritana diuino Christi sermone ducta est. Iam hydriam & funem relinquit, Christumque suis Samaritanis prædicat. Apostolam Samaritanorum à Christo factam ait Origenes in Ioannem: Tamquam Apostola, inquit, hac muliere vtitur Christus, ad eos, qui in vrbe erant, &c. Simon Cassianus lib. 11. cap. 2. Euangelistam factam esse asserit: Christus, inquit, Samaritanam fecit Euangelistam. Euangelizauit enim conciuibus suis Christum, &c. Thesaurum in agro inuenit, inuentum non abscondit, sed populo suo indicat. Aquam dum quæreret mortuam, viuæ aquę fontem reperit. Ad illum ciues suos vocat. Meminit diuina Scriptura Anæ cuiusdã Genes. 36. qui aquas calidas in solitudine inuenit. Dignior memoria est Samaritana femina, quæ non aquas calidas, sed aquarum cælestium flumen in solitudine reperit.

Orig. Samaritana Apostola Samaritanorum & Euãgelista.

Ioan. 4.

Reliquit hydriam suam mulier, ait Euangelista, *& abiit in ciuitatem, & dicit illis hominibus: Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci. Numquid ipse est Christus?* Vocata, vocat alios; iuxta illud: *Qui audit dicat: Veni, & qui sitit, veniat, & qui vult accipiat aquam vitæ gratis,* &c. Audiuit Samaritana, dixit suis Samaritanis: *Venite, & videte hominem,* &c. Samaritani audierunt, & ad fontem venerunt, aquamque vitæ gratis acceperunt. Ita accensa, inquit Chrysostomus, Samaritana est, vt relicta hydria in ciuitatem properaret, & ad Christum vniuersum populum traheret. Venerat hauriendæ aquę gratia, & cùm verum fontem inuenisset, contempsit alterum, &c. Diuus Cyrillus in Ioan. Non est, ait, imitandus seruus ille, qui Matth. 25. talentum obruit: sed multiplicanda sunt quæ accepimus. Quod probè nobilis hæc mulier fecit: quæ Samaritanis omnibus, quod accepit, proposuit, &c. Simon Cassianus: Hoc, inquit, signum si diligitur Christus; quòd is, qui diligit, in eius amicitiam alios trahit, &c. Fortè dubitas, an sit verum id quod illa dixit: *Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci.* Respondeo, verum fuisse per hyperbolem quamdam, modumque dicendi exaggerantem.

Ioan. 4. Samaritana vocata, vocat alios. Apoc. 22.

Chrysost.

Cyril.

Cassian. Signũ caritatis, est ad Christũ trahere alios.

Ioan. 4.

RABBI *manduca.* Discessit Samaritana, vt ciues suos ad Christum vocaret. Interim discipuli, qui ex ciuitate emptos cibos attulerant, magistrum rogarunt vt prandere: id enim hora flagitabat. At ille studio salutis Samaritanorum inflamma-

A tus respondit: Alius mihi cibus paratus est, vobis ignotus: *Ego,* inquit, *alium cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* De cibo magister spirituali loquebatur; discipuli de corporeo verba intellexere; ideoque inter se rogabant: Attulitne quispiam illi cibum? Similes Samaritanæ fuere. Quemadmodum illa, cùm Christus de aqua spirituali verba faceret, de crassa ac corporea sermonem esse existimauit; ita discipuli rudes adhuc, minimeque expoliti, cùm Christus de cibo spirituali ageret, de solito & noto cibo agere credebant; ambigebãtque, num aliquis cibum attulisset, quem se postea sumpturum diceret. Dixerat enim: *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* Non dixit se iam manducasse, sed manB ducaturum. Chrysostomus: Quid mirum, inquit, si Samaritana aquæ appellatione aquam esse opinabatur; quando & discipuli spiritalia adhuc non intelligunt, &c.

Ibidem.

Chrysost.

Cùm hæsitantes, & rogantes discipulos Magister cerneret, aperuit quis ille cibus esset, de quo faceret verba: *Meus,* inquit, *cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius.* Voluntas Dei peculiaris, de qua hic sermo habetur, est hominum salus. *Vult omnes homines saluos fieri.* Opus item Dei peculiare, est hominum redemptio. Christus verò in mundum missus est, vt hanc Patris voluntatem faceret, & hoc opus perficeret, hoc est, vt homines seruaret ac redimeret. Hoc autem cæleste, diuinumque negotium cibum suum esse profiteC tur; hominum saluti vacare prandium suum esse affirmat. *Meus,* inquit, *cibus est, vt faciam voluntatem Patris,* vel: *Meus cibus est facere voluntatem Patris;* scilicet, homines ex peccati, & dæmonis acerba seruitute eripere. *Meus item cibus est, vt perficiam opus eius.* Vel, meus cibus est perficere, & ad finem vsque perducere opus hoc iniunctum à Patre. Caietanus *opus eius,* opus creationis interpretatur in hunc modum: *Vt perficiam opus eius:* hoc est, opus creationis; quia per Christum gratiæ perfectionem opus creationis comparauit.

Cibus Christi, animarũ salus. Ioan. 4.

1. Tim. 2.

Opus Dei peculiare, hominum redemptio.

Christ⁹ perfecit opus creationis per opus redemptionis.

Quemadmodum cibum is, qui fame laborat: ita hominum salutem Christus appetebat. Ideo cibum suum hanc appellabat. Chrysostomus in Ioan. HoD minum, inquit, salutem Christus cibum appellat: vt quanta salutis nostræ cura, & desiderio teneatur, ostendat, &c. Cyrillus: Hinc discimus quanta sit erga homines Dei caritas: quasi enim cibum suum putat perditorum hominum conuersionem. Rupertus: Hoc dicto Christus indicat, quàm spontanea obedientia Deo Patri deseruiat, in operando salutem nostram; & quòd magis delectetur in hac obedientia, quàm aliquis esuriens, dum oblatis cibis dicitur ei: Manduca, &c. Hunc suauissimum cibum habebat Christus manducare: hunc exspectabat, dum dixit: *Ego alium cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* Hunc oblato à discipulis prandio antepositi. E ciuitate illi cibum attulerant pecunia emptum; ille ex eadem ciuitate multò suauiorem alium cibum præstolabatur, quem sanguine erat empturus.

Esurit Christus hominũ salutem vt cibũ suum.

Ioan. 4.

NÓNNE *vos dicitis, quòd adhuc quatuor menses sunt, & messis venit?* Parabolice Apostolis indicat prandium sibi splendidum, atque opiparum à Samaritanis mox adducendum. Hoc est: Samaritanos mox conuertendos. Dixerant forte discipuli fata intuentes, *Adhuc quatuor menses sunt, & messis venit.* Vel, sic Iudæi loqui solebant, mensesque ante messem futuram, vt domui suę prouiderent, numerare. Aut prouerbium hoc erat, quo significabant non esse rem aliquam propinquam, sed longè distare. Ex his verbis ad aliam spiritalem messem transit Dominus. Vos, inquit, dicitis futuram messem post

Ibidem. Samaritanorũ cõuersionẽ prædicit Dominus

menſes quatuor (tot enim menſibus à tempore, quo Chriſtus cum Samaritana locutus eſt, meſſis illius anni aberat) meſſis quidem frumenti longè abeſt, animarum verò meſſis propè adeſt. Poſt aliquot menſes albæ fient meſſes agrorum: at iam albæ ſunt ſegetes animorum. Leuate diſcipuli oculos, cernite ſegetes ad meſſem iam albeſcẽtes, falcemque poſtulantes. Vt agrorum meſſis cibus eſt hominum, ſic animarum meſſis cibus eſt meus: vt illi pro illa, ſic ego pro hac meſſe laboro, vt illis illa, ſic mihi hęc gratiſſima meſſis eſt. D. Chryſoſtomus: Venientium, inquit, Samaritanorum turbam Chriſtus videbat, quorum feruorem, & promptiſſimam voluntatem albas regiones appellat. Sicut enim ſpicæ flaueſcentes meſſem indicant, & iam manus poſtulant; ita illi properabant ad ſalutem, &c.

Albæ meſſes quid ſignificent.

Chryſoſt.

Dubium eſt, an cum Dominus dicit, *Videte regiones, quia albæ ſunt iam ad meſſem*, Samaritanos tantum, an Iudæos quoque, & reliquas nationes ſignificare voluerit. Quòd enim Samaritanos tantùm intellexerit, probatur; quoniam albæ ſegetes dicuntur, quæ meſſi ſunt propinquæ. Soli verò tunc Samaritani meſſi ſpiritali erant vicini. Iudæi enim poſtea crediderunt, poſt Iudæos crediderunt gentes. Quòd verò reliquas etiam nationes Chriſtus ſignificauerit (vt vult Caietanus) ſuadetur, quoniam non dixit: *Videte regionem*, ſed, *Videte regiones, quia albæ ſunt ad meſſem*. Non enim ex Samaritanis ſolis videre poterant diſcipuli regiones multas albas ad meſſem, id eſt, præparatas ad recipiendum Chriſtum eiusque Euangelium. Immo nec regionem aliquam vnam Samaritanorum ad meſſem aptam viderunt: ſolius enim ciuitatis Sichar incolæ tunc temporis in Chriſtum crediderunt. Quis igitur dicat ſolam vnam ciuitatem appellari regionem, immo regiones ad meſſem albas? Præterea Chriſtus poſt hæc verba ad metendas excitat ſegetes; illi verò Samaritanorum ſegetem tunc non meſſuerunt. Ad alias igitur ſegetes poſtea demetendas Chriſtus ſpe præmij prouocat.

Ioan. 4. An albas ſegetes appellet Dominus Samaritanos, an ſegetes etiam ceteras.

Chriſtus nõ de ſola Iudæa & Samaria, ſed de toto mũdo locutus eſt.

Non caret probabilitate, Chriſtum de regionibus Iudææ, & totius orbis loqui. Ideo argumento, quod huic ſententiæ oppoſuimus, reſpondendum eſt, videlicet, quonam modo dicere potuerit Dominus iam tunc albas fuiſſe regiones orbis, & meſſi vicinas; cùm poſt multos annos fidem Chriſtianam ſint amplexæ. Reſpondeo orbis ſpiritales ſegetes, antequam Chriſtus in orbem veniſſet, longè à meſſe diſtaſſe; quoniam diſtabat Sol: Sole autem diſtante ſegetes flaueſcere albæve fieri nequeunt. At quemadmodum Sole appropinquante & exardeſcente ſegetum appropinquat meſſis; ita Chriſto prædicante, amoriſque ſui ardore orbem calefaciente, orbis conuerſio appropinquauit. Ante Chriſtum enim non erant vocandæ gentes, ſed poſtquam ille veniſſet. Ideo meritò iubet diſcipulos mentis oculos attollere, regionesque Iudææ, & orbis totius contemplari, quibus meſſores erant deſtinati; hoc ſenſu: Vos dicitis, quia poſt quatuor menſes meſſis venit; ad aliam meſſem ſpiritalem conuertite animum, mentisque oculos attollite. Videte regiones Iudææ, orbisque totius ad meſſem iam albeſcentes, falcemque poſtulantes: hoc eſt, conuerſioni iam propinquas, veſtramque opem flagitantes. Caietanus hanc propinquitatem ad diuinam refert prædeſtinationem, ſic ſcribens: Videte regiones, vniuerſorum populorũ gentes, quia albæ ſunt iam, maturæ, & præparatæ vt metantur. Sciebat Chriſtus hoc eſſe verum, non ſecundùm diſpoſitionem exiſtentem in ipſis gentibus; ſed ſecundùm diſpoſitionem diuinæ prædeſtinationis; & dixit hoc occaſione ſumpta ex Samaritanis, primitiis gentium, qui tunc erant metendi. Sic ille.

Caietan.

Aliter veriſimiliùs dici poteſt, Chriſtum loquì de conuerſione Samaritanorum & Galilæorum, quæ propinqua erat, eritque ſenſus: Leuate oculos in regiones, ſcilicet in vrbem Sichar, & regiones Galilææ, in quam tendimus, quia albeſcunt iam ad meſſem. De meſſe verò Galilææ, ſiue totius Iudææ, præcipuè loqui Dominum indicant verba ſequentia; quibus affirmat tam ſeminatores, id eſt, doctores Teſtamenti veteris, quàm meſſores, id eſt, diſcipulos, ex animarum fructu gaudium percepturos. Vnde colligitur de meſſe loqui, cuius ſemina Iudæi in Iudæa ſparſerant. Sed dici poteſt Patriarchas, ac Prophetas, legisque veteris doctores ſeminaſſe, non ſolùm Iudęis, ſed etiam gentibus, quæ conuerſæ ſunt, iuxta priorem ſententiam.

Alterum eſt dubium de tempore meſſis. Ait enim Dominus: *Nónne vos dicitis, quod adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit?* Inueſtigemus ergo quonam tempore Iudææ ſegetes meterentur; vt ſciamus, quo menſe cum Samaritana Chriſtus ſit locutus. Montanus Ioan. 4. meſſem in Iudæa fieri ait menſe Elul, hoc eſt, Auguſto. Abulenſis 1. Reg. 12. quæſt. 15. meſſem hordei exiſtimat incipere dimidiato mẽſe Martio plus minus; tritici autem meſſem ad finem menſis Aprilis, vel ad initiũ Maij. Caietanus Ioan. 4. Sole exiſtente in Geminis; menſe autem Maio ingreditur Sol Geminos. Similiter Plinius de Aegyptiis, lib. 18. cap. 18. Cum falce, inquit, arua viſunt paullò ante calendas Aprilis; peragitur autem meſſis menſe Maio. Et Genebrardus in calendario Hebræorum: Meſſis, inquit, in Iudæa ineunte menſe Aprili, &c. Auctor homiliæ de natiuitate Ioannis Baptiſtæ tomo 2. D. Chryſoſtomi: Meſſis, inquit, frumentariæ initium Iunius eſt: de quo Dominus Ioan. 4. dixit: Nónne vos dicitis, quòd adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit? &c. Origenes Ioan. 4. Meſſis, ait, incipit fieri in Iudæa circa menſem Niſan, quando agitur Paſcha, adeò vt aliquoties azyma faciant Iudæi ex nouo frumento: ſed eſto in illo menſe non eſſe meſſem, ſed in menſe ſequenti, &c.

Ioan. 4. De tempore meſſis in Paleſtina.

Confirmatur hæc ſententia, videlicet meſſem in Iudęa circa menſem Niſan fieri. Primò, quoniam Exod. 13. & Deut. 16. appellatur mẽſis Niſan, mẽſis nouarum frugum; ergo tunc temporis meſſis erat. Secundò, quia ſic præcipit Dominus Hebræis: *Cum ingreſſi fueritis terram, & meſſueritis ſegetem: feretis manipulos ſpicarum primitias meſſis veſtræ ad ſacerdotem.* Id quod fiebat menſe Niſan, vt liquet ex eodem capite. Tertiò, eodem capite iubentur Hebræi offerre Deo panes primitiarum duos in Pentecoſte. Ergo inter Paſcha & Pentecoſten metebatur. Paſcha autem 15. Luna menſis Niſan agebatur, poſtea Pentecoſte. Denique hæc leguntur: *Fecerunt Phaſe quarta decima die menſis*, ſcilicet Niſan, *ad veſperum in campeſtribus Iericho; & comederunt de frugibus terræ, die altero azymos panes, & polentam eiuſdem anni. Defecitq; manna poſtquam comederunt de frugibus terræ, nec vſi ſunt vltra cibo illo filij Iſrael: ſed comederunt de frugibus præſentis anni terræ Chanaan*, &c. Fiebat ergo meſſis menſe Niſan: ſiquidem maximus Iſraelitarum exercitus frugibus præſentis illius anni paſtus eſt menſe Niſan, & ſequentibus.

Circa menſem Niſan metere conſueuiſſe Iudæos probatur. Leuit. 23.

Ioſue 5.

Adde, hoc menſe Iordanem tranſiiſſe Iſraelitas. *Populus aſcendit de Iordane decimo die menſis primi*, id eſt, Niſan. Illud autem fuiſſe tempus meſſis indicatur illis verbis: *Iordanis ripas aluei ſui tempore meſſis impleuerat*, &c. Videlicet cùm Iſraelitæ illum pertranſibant menſe Niſan. Ergo tempus erat meſſis menſis ille. Prima autem luna menſis Niſan dicitur, quæ eſt propinquior æquinoctio verno, quod incidit

Ioſue 4.

Ioſue 3.

Mẽſis Niſan quæ ſit prima Lunæ.

incidit in mensem Martium; ideoque mensis Nisan respondet Martio nostro & Aprili, vt ait Hieronymus Aggæi 2. Secundum, inquit, Lunæ cursum, sæpe quamdam partem mensis Martij posthidet mensis Nisan: interdum incipit in Aprili, &c. Adiice huic sententiæ verba illa Hegesippi lib. 3. Excidij Ierosolymitani, c. 6. de regione Iudææ & Samariæ, sic scribentis: Terra frumentis vtilis, & propè circa fertilitatem soli nulli secunda. Maturitate certè fructuum prior omnibus. Nam cùm adhuc alibi serantur frumenta, istic metuntur, &c. Illa quoque Iosephi lib. 3. Antiquit. cap. 10 Secunda azymorum die, quæ est mẽsis Nisan decima sexta, frugibus demessis, & hactenus intactis incipiunt frui. Et hordei primitias offerunt, spicarum manipulum igni torrent, hordeum deinde pinsunt, atque ita in alicæ modum fracti assaronem ad aram offerũt. Et ex eo licitum fit, publicas ac priuatas messes metere, &c.

Hieron. *Hegesip.* *Iosephus l. 3. Antiq. c. 10.*

Quando cũ Samaritana Christus locutus sit.

Iam hinc colligamus quo tempore cum Samaritana colloquium Christus habuerit. Habuit quatuor mensibus ante messem: Messis in Iudæa mense Aprili fiebat, vel Maio tritici: ergo mense Decembri, vel circiter, cum Samaritana Dominus est collocutus, & Samaritanos conuertit. Cùm verò messis prope Pascha fieret, quatuor ferè mensium spatio Pascha sequens distabat: siquidem totidem mẽsibus messis illius anni distabat. Rupertus Ioan. 4. ait Christum mense Februario Samariam pertransisse, & cum Samaritana sermonem habuisse. Sic enim scribit. Ex eo quòd ait Dominus, *Nonne vos dicitis, quia adhuc quatuor menses sunt, & messis venit?* colligimus, quia circa mensem Februarium hunc transitum fecit. Mense siquidem Maio plena messis in illis est regionibus. Vnde & in Pentecoste panes primitiarum offerri iubebantur. Sic ille. Lege quæ diximus hac de re libro 6. capite 9.

Rupert. *Ioan. 4.*

Ibidem. Christus messores spe præmij ad metendum inuitat.

ET *qui metit mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam.* Messores suos præmij spe ad metendum Dominus excitat. Leuate, inquit, oculos, & videte albescentes segetes: ad metendum vos succingite. Non equidem gratis, & sine mercede laborabitis. Qui enim metit, mercedem accipit, & congregat sibi fructum, id est, frumentum in horreum, quo se alat, non breui huius vitæ tempore, sed in sempiternum, id est, congregat & comparat sibi præmium æternum. Chrysostomus: Terrenæ messis fructus ad æternam non peruenit vitam, sed in hac fluxa & caduca consumitur. Ille autem perpetuò nos comitatur, &c. Vel aliter potius: *Qui metit, mercedem accipit* à Deo; *& congregat fructum*, id est, segetes, videlicet animas; congregat, inquam, animas in aream Ecclesiæ, vt vita æterna in horreo cælesti tandem perfruantur. Vel; congregat animas in horreum cæleste, suoque labore in vitam ducit sempiternam. Congruit hic sensus secundus magis cum verbis sequentibus: *Vt & qui seminat, simul gaudeat; & qui metit.* Hoc est, vt tam Prophetæ ac Doctores veteris Testamenti, quàm Doctores noui gaudeant. Videlicet, quòd fructus, id est, animæ, in vitam æternam congregentur. Hoc enim gaudium commune erit tam seminantibus, quàm messoribus. Seminatores vocat Doctores veteris Testamenti, messores discipulos, quia quæ illi seminarunt, ipsi messuerunt. Chrysostomus: In terrenis, ait, si alium seminare contingit, alium metere, non simul gaudent; sed alteri dolent, vtpote qui pro aliis laborem susceperint. Soli autem messores gaudent. Hic autem, id est, in agricultura spiritali, qui non metunt, quæ seminarunt, eadem lętitia, qua metentes afficiuntur. Vnde perspicuum est eos mercedis esse participes, &c.

Seminatores & messores qui sint. *Chrysost.*

IN *hoc enim est verum: quia alius est qui seminat, alius est qui metit.* Prouerbium fuit apud Hebræos, vt Chrysostomus sentit: *Alius est qui seminat, alius est qui metit*: quo vulgo ij vterentur, qui significare vellent, alium laborasse, alium fructum percepisse. Hoc dictum, ait Chrysostomus, frequens erat, quando alius labores, alius fructum reportaret, &c. Similia illa sunt:

Ioan. 4. *Prouerbiũ apud Hebræos, alius metit, alius seminat.*

Sic vos non vobis fertis aratra boues.
Sic vos non vobis mellificatis apes.
Sic vos non vobis vellera fertis oues.

Hoc prouerbium verum ait esse Dominus in Doctoribus veteris Testamenti, & discipulis suis. Alij fuerunt qui seminarunt, scilicet Doctores veteris Testamenti; alij, qui messuerunt, fructumque ex labore eorum perceperunt, videlicet discipuli Christi. Ideoque adiungit: *Ego misi vos metere quod non laborastis: alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis.* Iam enim miserat Christus discipulos metere in Iudæa, vbi multos baptizauerant. Antiqui verò legis Doctores in docenda plebe Iudæorum laborauerant, sementemque diuini verbi fecerant cum labore. Discipuli in labores eorum introierunt, messemque fecerunt cum gaudio. Secundus sensus probabilior & verior est huiusmodi. Dixerat Dominus: *Vt, & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit.* Quoniam verò in agricultura terræ idem agricola seminat, & metit suas segetes; aliud factum docet in cælesti ac spiritali agricultura Iudęę. Nimirum, non seminasse & messuisse eosdẽ agricolas: quod significat iis verbis: *In hoc enim*, hoc est, in hac re, in hoc negotio, in hac agricultura, de qua verba facio, *verum est; quòd alius est qui seminat, alius est qui metit.* Nam semina diuinæ doctrinæ in Iudæa sparserunt doctores veteris legis: Christi discipuli in labores eorum introierunt, segetemque messuerunt.

Ioan. 4. *Ibidem.* *Ioan. 4.*

EX *ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum.* Hic finis felicissimus fuit colloquij Christi cum Samaritana habiti, hic fructus iucundissimus. Hydriam Samaritana reliquit, Samaritanosque suos vocauit; vocati illi in Christum crediderunt. Crediderunt autem verum esse Messiam, & mundi Seruatorem. *Audiuimus*, inquiunt, *& scimus, quia hic est verè Saluator mundi.* Audierunt primùm Samaritanam, & crediderunt: sic enim scribit Euangelista: *Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis: quia dixit mihi omnia quæcumque feci.* Postea audiuerunt Christum, fidemque multò maiorem animo conceperunt. Itaque, vt testatur Euangelista, mulieri Samaritanæ dicebant: *Quia iam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audiuimus*, videlicet ipsum Christum, *& scimus quia hic est verè Saluator mundi.* Hoc est, credidimus propter verbum tuum; sed iam nunc postquam Christum conspeximus, & audiuimus, propter illius verba credimus, non propter tua. *Audiuimus*, inquiunt: *Fides* enim, vt Paullus ait, *ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Audierunt Samaritani primùm verbum feminæ Christum annuntiantis: postea verbũ Christi docentis, & crediderunt. Ipse enim Christus opem illis ad credendum magnam ex magna misericordia contulit. Congruit his illud: *Populus, quem non cognoui, seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi.* Populus Samaritanorum nec cognoscebat Deum; iuxta illud: *Vos adoratis quod nescitis*: nec cognoscebatur à Deo cognitione approbante; sed is populus, quem non cognouit, Christo seruiuit, & in auditu auris absque miraculis vllis obediuit.

Ibidem. *Samaritani credunt.* *Ioan. 4.* *Ibidem.* *Rom. 10.* *Psal. 17.*

diuit. *Filij autem alieni*, addit Vates, hoc eſt, Iudæi, A *mentiti ſunt mihi*, id eſt, fidem & obedientiam mihi negarunt. *Audiuimus*, aiunt illi, *& ſcimus*. Scientia hoc loco fidem ſignificat, vt D. Thomas obſeruat his verbis: Aliquando ipſum credere dicitur ſcire, ſicut hîc patet, quòd ſcientia & fides conueniunt in certitudine. Nam ſicut ſcientia eſt certa, ita & fides. Immo multò magis; quia certitudo ſcientiæ innititur rationi humanæ, quæ falli poteſt; certitudo verò fidei innititur rationi diuinæ. Fides habet certitudinem ex lumine infuſo diuinitus; ſcientia ex lumine naturali, &c.

Scientia fidem ſignificat.

De fide Samaritanæ.

Dubitabit quiſpiam, num Samaritana fidem veram animo conceperit, poſtquam verba illa à Chriſto audiuit, *Ego ſum Meſſias, qui loquor tecum*. Reſpondeo, fidem veram animo concepiſſe; gratiamque à Chriſto adeptam eſſe. Etenim nõ fruſtra Dominus cum illa locutus eſt, Meſſia ſe eſſe aperuit. Ambroſius ſerm. 30. Samaritana, inquit, relinquens aquæ vaſculum, ad ciuitatem non fert hydriam, ſed refert gratiam. Vacua quidem videtur reuerti onere, ſed plena reuertitur ſanctitate, &c. Cyrillus in Ioan. Samaritana cęleſti Saluatoris gratia & doctrina plena, ad docendos alios continuò fuit profecta, &c. Auguſtinus: Samaritana recepto in cor Chriſto, quid faceret, niſi iam hydriam dimitteret? &c. Theophylactus: Fides cor Samaritanæ occupauerat, &c. Item: Non ſolùm Samaritana credidit: ſed etiam alios ad fidem adduxit, &c. Euthymius: Samaritana ſtatim poſtquam didicit, credidit, &c.

Ambroſ. *Cyril.* *Theoph.*

An dubitauerit Samaritana cùm dixit, Numquid ipſe eſt Chriſtus?

D. Thom.

Chryſoſt. *Euthym.*

Sed dubitaſſe illam an Chriſtus eſſet Meſſias, probatur; quoniam hæſitando cum Samaritanis loquitur: *Venite*, inquit, *& videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumq; feci: Numquid ipſe eſt Chriſtus?* Reſpondetur, illam non ſic locutam, quòd dubitaret: ſed vt Samaritanos ad videndum traheret. Sub quęſtione, ait D. Thomas, propoſuit, num eſſet Chriſtus? quaſi hoc Samaritanorum iudicio committens. Hic enim facilior eſt modus ſuadendi, &c. Chryſoſtomus: Suo ipſorum auditu indoctis voluit Samaritanis perſuaderi, &c. Euthymius: Non dixit Samaritana: Venite & videte Chriſtum; cùm tamen crederet eſſe Chriſtum, ne de huiuſmodi re à D ſe ipſa iudicare videretur. Maximum enim videbatur, cognoſcere eum, qui exſpectabatur. Sed alios vocat iudices. Hæſitando loquitur tamquam addubitans: vt ab illis detur ſententia, &c. Theophylactus: Non dicit Samaritana, Hic eſt Chriſtus, affirmatiuè; ſed, *Numquid hic eſt Chriſtus?* Volens etiam Samaritanos calculum addere, & facere ſermonem creditu faciliorem, &c.

Theoph.

Manſit autem Dominus apud Samaritanos in vrbe Sichar duos dies, quos doctrinæ impendit, Samaritanosque docuit perſpicuè ſe Meſſiam eſſe, vt arbitratur Caietanus: Quoniam, inquit, dicunt Samaritani: *Nos audiuimus & ſcimus*: manifeſtant, quòd Ieſus euangelizauerat eis ſe eſſe Meſſiam E Saluatorem mundi; quod numquam publicè euangelizauit Iudæis, quoad illam particulam, quòd eſſet Meſſias; propter rationem ſuperius dictam. Hæc ille. Non fuerunt opus miracula, ſatis fuere Chriſti verba, & internum auxilium ad gignendam in animis auditorum fidem. Crediderunt eſſe Meſſiam, nec hoc ſolùm, ſed eſſe quoque Saluatorem, non Samaritanorum tantùm aut Iudæorum, ſed mundi. Quàm breui, ait Chryſoſtomus, nouerunt Samaritani Ieſum orbem terrarum conuerſurum; quòd ad communem omnium ſalutẽ venerit; quòd non ſolis Iudæis eius prouidentia præſcriberetur, ſed vbique terrarum verbum ſuum eſſet diſſeminaturus. Omnes in culpa eſſe confitentur. Cùm enim

Caietan.

Samaritani crediderunt Chriſtũ eſſe Meſſiam & Saluatorem mundi.

Chryſoſt. Præclara fides Samaritanorum.

dicerent Saluatorem eſſe mundi, intellexerunt perditi; nec ſimpliciter, ſed in rebus maximis Saluatorem. Verè Saluatorem, inquiunt, qui veram ſalutem elargitur perpetuò duraturam. Mirabiles exſtiterunt Samaritani, & quòd crediderunt, & quòd ſine ſignis & miraculis crediderunt. Verba audierunt tantùm, & tam citò locuti ſunt. Quid ſi miracula vidiſſent? nónne plura & maiora dixiſſent? Hactenus Chryſoſtomus de Fide præclara Samaritanorum, quæ fidem gentium præſignificabat.

CAPVT XII.

Morale.

De colloquio Chriſti cum Samaritana.

CONSIDERANDA in primis hoc Euangelio occurrit Chriſti fatigatio. *Fatigatus*, inquit Euangeliſta, *ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem*. Duas habet Chriſtus Opt. Max. naturas, diuinam atque humanam. Diuina fatigari nequit: fortiſſima enim eſt, omniſque laſſitudinis expers. Humana, quia carne conſtabat mortali, fatigabatur. Vnde Auguſtinus tract. 15. in Ioan. Inuenimus fortem Ieſum, & infirmum Ieſum, fortem, quia *In principio erat Verbum*. Quid illo fortius, per quem ſine labore facta ſunt omnia? Infirmum vis noſſe? *Verbum caro factum eſt*, &c. Hinc infirmitas & laſſitudo Chriſti, quia *Verbum* fortiſſimum, in quem nulla defatigatio cadit, *caro factum eſt*, quæ ſuapte natura imbecillis eſt & fatigabilis. Fatigatus venit, ait idem Pater ſanctiſſimus, quia infirmam carnem portauit, &c. Fortiſſimum erat Verbum, ſed vt nos redimeret, dæmonemque ſuperaret, oportuit etiam eſſe infirmum. Infirmitate enim, non fortitudine de hoſte victoriam reportare voluit. Hominum eſt, in bello fortitudine vincere; Dei eſt, ipſa imbecillitate ſuperare. Nam, vt Paullus ait, *Quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus*. Adde & dæmonibus. Itaque debemus plurimum fortitudini Chriſti, plurimum quoque infirmitati & fatigationi. Nam, vt Auguſtinus eodem loco ſcribit, fortitudo Chriſti nos creauit; infirmitas Chriſti nos recreauit: cõdidit nos fortitudine ſua, quæſiuit nos infirmitate ſua, &c. Præterea, eodem teſte, infirmitas Chriſti cauſſa eſt fortitudinis noſtræ: Infirmitas, inquit, Chriſti nos facit fortes, &c. Item: Chriſti infirmitas noſtra eſt fortitudo, &c.

Ioan. 4. *Duplex Chriſti natura, ſecundũ humanã fatigatus.* *Auguſt.* *Ioan. 1.* *Ibidem.* *Infirmitate ſua dæmonẽ ſuperauit Chriſtus.* *1. Cor. 1.* *Infirmitas Chriſti cauſſa eſt fortitudinis noſtra.*

Sedebat fatigatus ex itinere; aſperum difficileque iter vitæ Dominus confecit, delicias repulit, labores cruciatusque elegit. Ideo feſſus eſt de via. Oues diſperſas in montibus collibusque ſaliens quærit; iuxta illud: *Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles*. Quid mirum ſi ex aſpero ſpinisque horrente itinere eſt laſſus? *Errauerunt*, ait, *greges mei in cunctis montibus, & in vniuerſo colle excelſo, & ſuper omnem faciem terræ diſperſi ſunt greges mei*, &c. Vides oues errantes, ac diſperſas in montibus & collibus? audi quid ſequatur. *Ecce ego ipſe requiram oues meas*, &c. Requirit oues, & quærit in montibus collibusque; ideo fatigatus eſt ex itinere noſter paſtor. Defatigat illum iter, ſed magis hominum iniquitas. Fatigabatur Chriſtus, ait Auguſtinus ſerm. 92. de tempore, quòd fidelem populum inuenire non poterat. Tunc ergo fatigatur Chriſtus, quando nullam virtutem in ſuo populo recognoſcit: hodieque fatigat eum inobedientia noſtra, fatigat eum infirmitas noſtra. Infirmi enim ſumus, quando non ea, quę fortia ſunt atque perpetua, ſed temporalia & caduca ſectamur.

Iter quod Chriſtus cõfecit aſperum. *Cant. 2.* *Ezech. 34.* *Auguſt.*

Fatigatus

Ioan. 4. Christus velut auceps ad fontem sedebat.

Fatigatus sedebat supra fontem. Sedebat Christus velut auceps iuxta fontem, exspectabatque auiculam, quam verbi sui retibus aucuparetur. Hinc illud D. Cyrilli in Ioan. Quia venturam Samaritanam ad aquas sciebat, doctrinæ illi retia tetendit, &c. Et illud Simonis Cassiani libro 11. capite 1. Super fontem velut auceps Dominus sedebat, aues rationales aucupaturus in retibus verbi sui; in quibus vna præcapta, index ad capiendas alias facta est, &c. Nam Samaritana Christi retibus præcapta, Samaritanos in eadem retia vocando traxit. Vt enim

Theod.

ait Theodoretus in vita Iuliani: Non solùm aues venantur aues, canentes, & ad se eas vocantes, quæ sunt eiusdem generis: sed etiam homines venantur eos, qui eiusdem naturæ sunt, &c. Quidam venantur ad mortem, ij scilicet, qui ad peccatum trahunt; iuxta illud:

Mich. 7.

Vir fratrem suum ad mortem venatur, &c. Alij venantur ad vitam, sicut Samaritana hæc felicissima, quæ feliciter in Christi retia incidit, suosque ciues in eadem induxit.

Venit illa de ciuitate Sichar haurire aquam ex puteo Iacob in labore; sed hausit aquam ex fonte Saluatoris in gaudio; iuxta illud:

Isaiæ 12. Samaritana fontem inuenit.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. O beatam feminam, quæ dum puteũ mortuæ aquæ quærit, fontẽ viuæ aquæ reperit. Quisnam fons hic est, quem reperit? Christus est. Ambrosius serm. 3. Fons, inquit, super puteum sedens, misericordiæ fluenta producit, &c. Si fons est, quomodo aquam petit? Hanc illi quæstionem Samaritana proposuisset potius, si fontem esse nouisset: Quomodo tu bibere à me poscis, quæ sum inops mulier Samaritana, cùm tu omnium bonorum fons sis affluentissimus? At Dominus ideo petit, vt donet:

Deus petit, vt donet. Ioan. 4.

Si scires, inquit, *donum Dei, & quis est, qui dicit tibi, Da mihi bibere; tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam.* Donum sanè Dei erat illa aquæ postulatio. Nam petitio Dei donum est & beneficium: non enim petit, nisi vt abundanter largiatur. Petit tuam eleemosynam, tuas lacrymas, tuum ob commissa crimina animi dolorem, tuam castitatem, temperantiam, pœnitentiam, iustitiam,

Deus non indiget operum nostrorum bonorum. Iob 22.

amorem; non quòd tuis indigeat rectè factis, sed quòd tu ipsius indigeas donis. Vt enim apud Iob Eliphaz ait: *Quid prodest Deo, si iustus fueris? aut quid ei cofers, si immaculata fuerit via tua?* &c. Quo loco sic scribit D. Gregor. In omni quod bene agimus, nosmetipsos, non autem Deum iuuamus. Deus bono non indiget seruientis, sed bonitatẽ confert, quam recipit. Vt oblata bonitas non ipsi, sed prius accipientibus prosit, &c. Augustinus in Ioan. Petit Christus bibere; & promittit bibere. Eget quasi accepturus; & affluit tamquam satiaturus, &c. Vt Bernardus ait de primo gradu superbiæ: Diabolus porrigit pomum, & surripit paradisum; sed Christus

Deus petit pomũ & porrigit paradisum, diabolus cõtrà. Matth. 10.

contrà; porrigit paradisum, & petit pomum; petit aquæ frigidæ calicem, fontemque donat aquæ salientis in vitam æternam. Matth. 10. *Quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine discipuli: amen dico vobis non perdet mercedem suam.*

Attamen dare minima cunctamur, vt accipiamus maxima. Christo petente cunctatur Samaritana,

Ioan. 4.

& respondet: *Quomodo tu Iudæus cùm sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana?* Et quidem si cognosceret donum Dei, & quis ille erat, qui potum petebat, non respondisset: Quomodo tu bibere à me poscis, cùm sis Iudæus: sed, Quomodo tu bibere à me poscis, cùm sis Deus? At humi adhuc repit Samaritana; videt ex habitu esse Iudæum, non agnoscit esse Deum. Tu verò, ô anima, non Samaritana, sed Christiana, non Sichar, sed Ecclesiæ incola, quę nouisti donum Dei, & quis est, qui dicit tibi: *Da mihi bibere*; ne cunctaris: quod petit Dominus protinus animo inflammato offer. Non Samaritanam, sed Rebeccam potius imitare, de qua sic scribit Moses: *Occurrit ei seruus Abrahæ, & ait: Pauxillum aquæ mihi ad bibendũ præbe de hydria tua. Quæ respondit: Bibe domine mi: celeriterq; depositit hydriam super vlnam suam, & dedit ei potum. Cumq; ille bibisset, adiecit. Quin & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant. Effundensq; hydriam in canalibus, recurrit ad puteum haurire aquam, & haustam omnibus camelis dedit*, &c. Nónne puellæ egregium erga ignotum hominem beneficium admiraris? Longè aliter cum famulo Abrahami illa se gessit: quam cum cæli Domino Samaritana. Hæc cunctatur, Rebecca verò celeriter hydriam deponit, potumque offert abundantissime: nec homini solùm aquam præbet, sed camelis quoque omnibus. Tu similiter, ô anima, si quando à Rege summo, *Da mihi bibere*, audieris, propera, hydriam celeriter depone, totam illi offer. Quin & camelis illius seruisque omnibus dato potum.

Cùm Deus petit bibere, non cunctãdum. Gen. 24.

Cunctatur Samaritana, quia nec donum Dei, nec Deum, cum quo loquitur, agnoscit. Putat Christum hominem tantum esse Iudæum. Felix anima, quæ Deum Deique dona, quàm opulenta salutiferaque sint, quæ mundum mundique dona, quantùm vilitatis pestisque habeant agnoscit: vt hæc execretur, illa verò toto pectore complectatur. Si Rex ignotus tibi potum à te peteret, morã forsitan aliquam interponeres: at si Regem esse agnosceres, citato cursu ad fetendam aquam, etsi longinquo ex loco, properares. Postulat à te Regum omnium Rex ex itinere fatigatus, Crucique suffixus potum. Nónne illius vox illa est, in Cruce pendentis, ex itinere maximè fatigati, *Sitio*: Tu autem moraris. Quid moraris, dixi? Negas, immo acetum, dum peccas, felque propinas. Videlicet, ignotus tibi Rex est, ô si cognouisses donum Dei, & quis est qui dicit tibi: *Da mihi bibere*, sanè moras nullas necteres; sed totum, si opus esset, orbem celeri gradu percurreres, vt tantæ maiestatis desiderium explere posses. Ipsa hæc Samaritana, antequam Christum agnosceret, morabatur, aquam petenti minimè offerebat: at postquam ab eo audiuit: *Ego sum Messias, qui loquor tecum*; protinus hydria relicta, præstantiorem aliam aquam veloci cursu quæsiuit, Messieque obtulit: videlicet, quas ipse sitiebat, Samaritanorum animas. Qui gemmæ pretiosissimæ pretium ignorat, nihili gemmam facit: qui verò nouit, magno illam emit. Ignoras præclarissimæ gemmæ, id est, gratiæ pretium, ideo parum de illa comparanda curas. Qui donum hoc Dei cognitum habet, hic omnibus opibus, voluptatibusque illud anteponit. Nónne vt margaritam emeret negotiator ille Euangelicus, quidquid possidebat alacriter vendidit? *Inuenta vna pretiosa margarita, abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.* Nempe nouerat quanti pretij vera margarita esset: idcirco omnibus illam prædiis, possessionibusque prætulit. Heu cęcos homines, qui Christi margaritã vitrum esse putant; vitrũ verò mundi, margaritam esse sibi persuadent. Ideoque veram gemmam, id est, gratiam, minimè curant: pro vitro autem, quod mox frangitur ac perit, hoc est, pro caducis mundi bonis, quæ mox euanescunt, omnia pericula laboresque adeunt.

Anima felix quanam sit.

Hominum cæcitas.

Ioan. 4.

Gratiæ & dolorem ignoramus.

Matth 13.

Samaritanam se esse femina causatur, Iudæosque ait non couti Samaritanis. *Non coutũtur*, inquit, *Iudæi Samaritanis.* Non coutuntur quidem Iudæi Samaritanis: at Christus, ô femina Samaritana, omnibus hominibus coutitur. Immo ad hoc venit, vt iam coutantur Iudæi Samaritanis, vt ex Gentili Iudaicoque populo vnum faciat populum, vt fiat vnum ouile, & vnus pastor. *Ipse est pax nostra*, ait Paullus, qui

Christ⁹ omnibus hominibus coutitur

Ephes. 2.

qui fecit vtraque vnum. Saluator eſt mundi, cum toto mundo ſalutis habet cõmercium: neminẽ ſpernit, neminẽ abiicit, ſiue is natione Iudæus ſit, ſiue Samaritanus, ſiue Perſa, ſiue Indus, ſiue quiuis alius. En ad colloquendũ cum Samaritana femina abiectiſſima, & deſpicatiſſima ſeſe demittit. O ſtupendã tanti Regis ſubmiſſionem, ô admirabilem ſermocinationem. Si ſitis, ô Rex ſumme, exercitus Angelorum innumeros habes: à Seraphino aliquo, vel Cherubino potum pete. Seraphini tanti Regis digni pincernæ ſunt. Non petit à Seraphinis potum: cæleſtis pincernæ munus feminæ infimæ conditionis tradit, cum ea familiariter cælorum terrarumque Rex omnium ſermocinatur. Quis non inuideat tantum donum? Vere neminem noſter Rex ſpernit, clementiſſimus eſt, ad colloquium pauperes etiam, & inopes admittit. Rex aſſuerus terribilis aſpectu deſcribitur in libro Eſther, in ſolio reſidens, ardentibusque oculis furorem indicans pectoris: adeò vt Reginam ipſam conſpectu ſuo terruerit. *Erat Aſſuerus terribilis aſpectu, cumq; eleuaſſet faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicaſſet, Regina corruit, & in pallorem colore mutato, laſſum ſuper ancillulam reclinauit caput,* &c. Longè alius Rex noſter eſt: non terribilis, ſed mitis aſpectu; non furorem ardentibus indicat oculis, ſed manſuetudinem modeſtis demonſtrat luminibus; non terret feminam pauperculam, ſed miti colloquio excipit. Audi mitiſſimum Regem: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.* Accede quicumque es, non Aſſuerum terribilem, ſed Regem Meſſiam reperies mitem & humilẽ, abiectiſſimis etiam hominibus attentas præbentem aures: liberalem, opesque ſuas ipſis etiam Samaritanis exponentem; ad expedienda animarum negotia paratum, quarum ſalutem cibum ſuum eſſe profitetur. *Accede ergo cum fiducia,* vt cum Paullo loquar, *ad thronum gratiæ eius, vt miſericordiam conſequaris, & gratiam inuenias in auxilio opportuno,* &c. In fonte ſedet Sacramentorum, accede, aquam pete, & hauri. In Cruce fixus eſt, ex itinere fatigatus; quinque in corpore fontes habet gratiæ: accede, ne moreris, ne occaſionem oblatam præterlabi ſinas.

Chriſti ſubmiſſio. *Eſther 15.* *Chriſti aſpectus ſuauiſſimus.* *Matth. 11.* *Hebr. 4.*

Petiit Chriſtus à femina aquam, & pollicitus eſt aquam; petiit aquam ex puteo Iacob; pollicitus eſt aquam ex fontibus Saluatoris. Puteus Iacob mundus hic eſt; voluptates, diuitias, honoresque veluti aquam continens, quam mundi amatores ſitiunt. Auguſt. Aqua in puteo, ait Auguſtinus tract. 15. in Ioan. voluptas ſæculi eſt in profunditate tenebroſa; hinc eam hauriunt homines hydria cupiditatum, &c. Ioan. 4. *Puteus altus eſt,* ait Samaritana, longo fune opus habes, vt haurias aquam, id eſt, diuturna ſpe & labore. Ille opes haurit, alius honores, alius voluptates; ſed aqua hæc putei Iacob eſt, hoc eſt, Iudæorum filiorum Iacob. Illis enim veluti pueris Deus terram fluentem lac, & mel, terrenaque bona promiſit; Chriſtianis veluti viris bona cæleſtia multò celſiora ex fonte Chriſti pollicitus eſt. Nec ſolùm filiorum Iacob hæc aqua eſt, verùm etiam pecorũ. Vide quid dicat Samaritana: *Ipſe ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius.* Nónne voluptates, quas ſitiunt homines belluini, in ipſis pecoribus reperiuntur? Itaque eodem ex puteo, eademque ex hydria homines voluptarij, & pecora bibunt. Iam verò quid Turcæ ſunt, Mauri, Ethnici? Nónne belluæ quædam humana forma indutæ? Belluæ ratione carent, hi carent rationis recto vſu ac fide; quæ multò præſtantior eſt ratione. Cum Chriſtianis ergo ſi conferantur, belluarum inſtar ſunt. Atqui ex putei huius aquis, hoc eſt, diuitiis, honoribus, & voluptatibus, affatim biberunt, hodieque bibunt. Propone tibi ob oculos orbis antiquos illos monarchas, Aſſyrios, Chaldæos, Perſas, Græcos, Romanos, Ninos, Sardanapalos, Alexandros, omnesque Cæſares; nónne ex hoc puteo opum, deliciarum, dignitatumque omnium aquam hauſerunt abundantiſſimè? hodie verò Turcæ, Mauri, Ethnicique, nónne ex eodem veluti pecora bibunt largiſſimè. Deſpice aquam pecorum; Angelorum aquam quæſo quære.

Puteus Iacob mũdus, *Auguſt.* *Ioan. 4.* *Aqua putei communis cum belluis.* *Ioan. 4.* *Homines qui formam belluarum induta habẽt.*

Aqua Angelorũ gratia.

Chriſti aqua non pecorum, ſed Angelorum aqua eſt. Chriſtus ipſe ex ea bibit, & filij eius, id eſt, Angeli probique viri; ſed non pecora eius, id eſt, impij homines, qui pecorum vitam ducunt. Aqua Chriſti gratia eſt. Hanc Chriſtus largiſſimè potauit, hanc Angeli virique ſancti cæli incolæ biberunt, hanc hodieque viri iuſti in terris degentes hauriunt. Pecora verò, hoc eſt, belluarum inſtar vitam traducentes, eam non attingunt. Non enim eſt aqua pecorum, ſed Angelorum. Aqua putei, id eſt, mundi, in profunditate tenebroſa, vt Auguſtinus ait, fluens, non ſolùm pecorum eſt, ſed etiam in pecora, ſiue brutas animantes, bibentes conuertit. Aqua fontium Saluatoris Angelorum eſt, potãtesque in Angelos commutat. Opes, voluptates, honores, vt diximus, profundi putei aqua ſunt; hanc autẽ aquam homines in iumenta conuertere Bernardus docet epiſt. 237. *Homo,* inquit, *cùm in honore eſſet, non intellexit,* ait Dauid. Ac ſi diceretur: Honor abſorbuit intellectum, &c. Abſorbet honor intellectum, abſorbent ſimiliter diuitiæ atque voluptates; intellectu autem abſorpto reſtat quod in Pſalm. eodem ſequitur: *Comparatus eſt homo iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Aqua fontis Chriſti, id eſt, gratia, ipſos dæmones in Angelos beatos conuerteret, ſi participes illius fierent; quod tamen numquam fiet. Ipſi etiam damnati homines Angelis ſimiles redderentur, ſi gratiæ puriſſimos latices haurirent.

Aqua mũdi homines in iumenta conuertit.

Præterea, aqua putei ſitim minimè exſtinguit. *Qui biberit ex hac aqua,* ait Dominus, *ſitiet iterum.* Et Chryſoſtomus homil. 31. in Gen. Ii, inquit, qui ſeſe auaritiæ tyrannidi ſubiecerunt, nullum concupiſcentiæ finem ſciunt, ſed quantò plura affluunt, tantò magis flamma creſcit. &c. Homilia item 81. in Matth. Quemadmodum ignis addita materia magis effertur, ſic pecuniarum cupiditas adiectione auri magis extollitur, &c. In voluptatibus & honoribus id ipſum cernitur. Amanus ille, qui apud Aſſuerum Regem magna gratia pollebat, affatim ex aqua bibit, de qua ſermo eſt; at ſitim non exſtinxit. Ipſum loquentem & ſitientem audiamus: *Conuocauit ad ſe amicos ſuos, & Zares vxorem ſuam; & expoſuit illis magnitudinem diuitiarum ſuarum, filiorumq; turbam, & quanta eum gloria ſuper omnes Principes & ſeruos ſuos Rex eleuaſſet. Et poſt hæc ait: Regina quoque Eſther nullum alium vocauit ad conuiuium cum Rege præter me, apud quam etiam cras cum Rege pranſurus ſum,* &c. Vidésne quantùm aquæ Amanus hic ex puteo potarit? Iam vide, an ſitiat. Dictis addit quæ ſequuntur: *Et cùm hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum Iudæum ſedentem ante fores regias,* &c. Egregiè iſtius aquæ potores Seneca cum cane confert è menſa domini panis, vel carnis fruſta captante, ſemperque ad ſpem futuri hiante. Epiſtola 73. Vidiſti, inquit, aliquando canem miſſa à domino fruſta panis aut carnis aperto ore captantem? Quidquid excipit, protinus integrum deuorat; & ſemper ad ſpem futuri hiat. Idem euenit nobis; quidquid exſpectantibus fortuna proiecit, id ſine vlla voluptate demittimus, ſtatim ad rapinam alterius erecti. Hæc ille. Simile eſt illud Boetij lib. 2. de Philoſoph. conſol. metro 2. *Nil iam parta videntur; Sed quæſita vorans ſæua rapacitas, Altos pandit*

Nõ exſtinguit ſitim aqua mũdi, Chryſoſt. *Eſther 5.* *Seneca.* *Boetius.*

Greg. Nyss. *pandit hiatus.* Denique D. Greg. Nyss. in orat. funebri de Placilla: Quid est, inquit, pecuniæ studium? An non verè dolium perforatum, toto fundo perfluens, cui si vel totum mare affundas, ea natura est, vt expleri non possit, &c. Non restinguit igitur sitim aqua putei. Etsi autem in hac vita restingueret; in æternum tamen restinguere nullo modo posset. Diuitem illum epulonem contemplare in hac vita splendidè potantem; in tartaro in sempiternum sitientem. Guttam aquæ petiit, nec tamen est consecutus. Guttam autem aquæ petiit; quoniam putei aqua mortuos non sequitur, sed alias in domos deriuatur.

Luca 16.

De sua autem aqua quid Dominus dicat audi: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* O aquam ad restinguendam sitim potentissimam! potantem siti liberat in æternum. Permouit ad petendum Samaritanam hæc aquæ potentia. *Domine*, inquit, *da mihi hanc aquam, vt non sitiam, neque veniam huc haurire.* Vtinam permoueat nos quoque eadem potentia ad deferendũ mundi puteum, viuamque aquam toto pectore expetendam, ne sitiamus. Vis in æternum diuitis illius epulonis sitim effugere? aquam quære, id est, gratiam, quæ sitim pellit in æternum. Sitim pellit in terra, in cælo maximè. Pellit, inquam, in terra ex animo sitim bonorum caducorum. Qui enim gratia Dei abundat, & diuina caritate affluit, bona caduca pro nihilo ducit, mundi puteum despicit, hydriam cum Samaritana relinquit, vt Chrysostom. ait hom. 33. in Ioan. Cùm verum fontem Samaritana inuenit, contempsit alterum; sic qui veri fontis dulcissimos latices haurit, falsum mundi puteum contemnit. Cùm anima, ait idem Chrysost. eodem loco, diuino igne exardescit, nihil amplius terrena curat, non gloriam, non decus, sed eius flammæ feruore tantùm mouetur, &c. Audi humana despicientem, diuina tantummodo sitientem. *Quid enim*, inquit, *mihi est in cælo? & à te quid volui super terram?* hoc est, quid mihi est in cælo, aut quid mihi est in terra, quòd cor meũ præter te sitire ac suspirare possit? Te te solum desiderat cor meum. Vnde sequitur: *Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Deus, ait, cordis mei sitis & desiderium. Ipsum cor in te defecit præ tui desiderio. In terris enim nihil habet quòd desideret. Adde & illa animi sitientis Deum verba: *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fortem, viuum*, &c.

Ioan. 4. *Ibidem.* *Aqua Christi sitim pellit bonorum caducorum.* *Chrysost.* *Psal. 72.* *Psal. 41.*

Sitis Dei sitim mundi pellit. *Augustin.* *In cælo fit fons in pectore beati perpetua gloria.*

Sitis sitim exstinguit, sitis Dei sitim expellit mundi. Sitim Dei absentis efficit gratia in peregrinatione hac & itinere; omnem verò sitim in cælo explet. Sitio in peregrinatione, ait Augustin. Psalm. 41. sitio in cursu; satiabor in aduentu, &c. In cælo enim fit fons gloriæ salientis in vitam æternam in pectore hominis gratia prædicti. Qui fontem in visceribus habet, sitire non potest; sic beati, qui diuino perfruuntur conspectu, quia in seipsis fontem habent, sitire in æternum nequeunt. Ex aquis mundi non potest fons fieri in pectore hominum. Sunt enim hæ aquæ opes, honores, deliciæque extrinsecus affluentes; ideoque funibus, haustris, hydriisque opus est, vt domum aliunde importentur. At cælestes illæ aquæ internæ sunt, in ipso homine scaturiunt & saliunt: *Fiet*, inquit, *in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Non opus est funibus, haustris, aut hydriis. Gloria illa æterna in ipso hæret beato. In animo fons est Dei visio. Ex visione veluti fonte ardentissimus amor fluit, summaque delectatio; fluunt præterea in corpus præclarissimæ dotes, & in omnes sensus suauitas incredibilis. Sed non solùm gloriæ fons in vitam æternam salit in cælo; verum

Ioan. 4. *Visio, fons omnium bonorũ copiosissimus.*

etiam fons gratiæ in terris. Nam gratia suapte natura perpetua est, si peccato non expellatur, in æternum permanet, salitque in vitam æternam; quoniam salire corda facit in vitam æternam. Quemadmodum aqua molendini rotam in circuitu versat; ita mundi aqua corda hominũ in circuitu creaturarum voluit. Vnde illud: *In circuitu impij ambulant.* Gratiæ verò fons in cælum salit: eoque corda impellit, eò homines tandem perfert. Quemadmodum ad suum principium ascendit aqua, tantumque ascendit, quanta altitudo est loci, vnde fluit; ita gratia eò ascendit, vnde descendit. A Deo fluit, ad Deum salit & ascendit; in Deum & in cælum homines ducit.

In terris fit fons gratiæ æternæ in homine, si peccato non expellatur. *Psal. 11.*

CAPVT XIII.

Morale.

De colloquio Christi cum Samaritana.

De dulcissima aqua, quam Christus nobis pollicetur, id est, gratia, verba facere pergamus. In primis gratia meritò aqua dicitur. Quo ex nomine quàm sit homini necessaria colligitur. *Puluis es*, ait Dominus homini. Puluis ergo est homo & terra. Quemadmodum terra, si aqua non irrigatur, nullos fructus fert; ita homo, si non irrigatur gratia. Gratia enim terram hanc, id est, hominem irrigat, fecundamque reddit. Psalm. 1. de viro gratiæ prædito sic canitur: *Erit tamquam lignum*, id est, arbor, *quod plantatum est secus decursus aquarum: quod fructum suum dabit in tempore suo*, &c. Dat vir iustus fructum suum in tempore suo; nimirum, quia plantatus est secus decursus aquarum cælestium. De impiis autem, & gratia carentibus adiicitur: *Non sic impij, non sic; sed tamquam puluis, quem proiicit ventus a facie terræ.* A facie enim terræ promissionis, id est, cæli, puluis proiicitur, quem cælestis non irrigauit, ac conglutinauit aqua. Admirabilis est huius irrigatio aquæ. Si arborem aridam aqua irriges, numquid virorem pristinum recuperabit? Etsi totum infundas Tagum aut Danubium, ariditatem minimè pelles. O aquæ, id est, gratiæ, vim admirabilem! Non virentibus solùm arboribus prodest, sed aridis etiam virorẽ, flores, fructusque præstat. Arbor arida, ignique tartareo destinata, impius homo est, mortifero contaminatus crimine; hunc si gratia irrigarit, repente efflorescet, fructusque Deo gratos parturiet. Itaque meritò aqua viua dicitur, quoniam mortuis arboribus, id est, hominibus, vitã restituit, vt D. Cyrillus Ioan. 4. docuit his verbis: Aquam viuam appellat Christus, viuificantem Spiritus sancti gratiam; per quam humana natura ab ariditate infecunditateque ad pristinam pulcritudinem ac viriditatem irrigata recurrit; magno virtutum numero florens, & caritate erga Deum suauissimos fructus producens. Sic Cyrillus.

In terris fit fons gratiæ æternæ in homine, si peccato non expellatur. *Gen. 3.* *Gratia aqua hominẽ irrigans & fecundans.* *Psal. 1.* *Ibidem.* *Mira gratia vis.* *Cyril.*

Dicitur etiam aqua gratia, quoniam quemadmodum aqua sitim explet, ita gratia cupiditatum ardorem opprimit, vt suprà diximus. Præterea vt aqua incendium, sic gratia Orci flammas restinguit. Vnde illud Ambrosij ser. 31. Aqua baptismi gehennæ exstinguit incendium. Apud superos mysterium celebratur, & apud inferos gehenna restinguitur, &c. Improbus enim Orci flammis destinatus viuit; quòd si gratiam recuperet, flammis sese eripit. Non tamen influit aqua hæc in Orcum; si influeret, ardentes illos rogos exstingueret. Huius fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, non diaboli ciuitatem, quam Cocytus, Phlegeton, Acheronque tristi-

Gratia tartareum restinguit ignẽ peccato debitum. *Ambros.*

ficant. Hîc fluunt aquæ, ait Ambros. & illic tepescit incendium, &c.

Gratia in Deũ mouetur & salit. Aqua autem viuæ appellatur, quæ non stat, sicut aqua mortua lacus vel stagni; sed salit, fluit, ac mouetur. In hunc modum gratia aqua viua dicitur, quoniam ad rectè facta per caritatẽ mouetur, fluitque in Deum perpetuò, veluti flumen in Oceanum, *Theoph.* omnium bonorum latissimum. Theophylactus Ioan. 4. Gratia Spiritus sancti semper agilem ad bonum facit animam, ascensiones semper disponentem, &c. *Gratia dat homini vitã & motum.* Dat igitur gratia homini vitam & motum, motum, inquam, in Deum. In hac vita homo à gratia & caritate mouetur in Deum, corde, per amoris affectum; ore, per sanctas preces sanctaque verba; opere, per recte facta. Post hanc vitam anima mouetur tota, inferturque in cælum. Tandem extremo iudicij die in idem cælum etiam mouebitur corpus. Sic salit gratia in vitam æternam, sic mouetur, mouetque hominis animum, corpusque in cælum vsque empyreum.

Dicitur præterea gratia aqua viua ab effectu, vt dixit Cyrillus, quoniam vitam hominibus mortuis restituit. *Ezech. 47. Mũdus mare mortuum est, sine aqua gratia.* *Aquæ ex templo egressæ mare mortuum ingrediuntur, & sanant: pisces q́ in eo viuos gignũt.* Quid mundus hic sine aqua gratiæ est? Sane mare mortuum, in quo res nulla viuit. Gratia mortuo huic mari vitam dat, hominesque Deo viuentes in eo procreat. *Aquæ istæ*, ait Angelus, *intrabunt mare, & exibunt, & sanabuntur aquæ: & omnis anima viuens, quæ serpit, quocumque venerit torrens, viuet. Et erunt pisces multi satis, postquam venerint illuc aquæ istæ; & sanabuntur. Et viuent omnia ad quæ venerit torrens*, &c.

Gratia conseruãda toto conatu. Viua est aqua hæc, cauendum maximè, ne ex viua aqua faciamus mortuam. Tunc autem ex viua aqua mortuam facimus, cùm viua gratia in nobis moritur, hoc est, à Deo ob flagitium aliquod ablata deficit ac perit. Fiat in nobis fons gratiæ, non cisterna. Cisterna pluuias aquas recipit, quæ deficiũt, & absumuntur; fons verò perennis est. In multis cisterna fit gratiæ deficientis; quia ad flagitia redeunt. In aliis fons fit perpetuus: ita enim illum tuentur, vt nullo tentationum æstu arescat, nullis dæmonum machinis exhauriatur, immo ipso æstu exundet, ipsis dæmonũ machinis augeatur, & fluat copiosiùs.

Isaiæ 55. Libet iam cum Isaia clamare: *Omnes sitientes venite ad aquas.* Nemo prohibet, fons omnibus patet; non sunt aquæ hæ contradictionis. Hoc nomen sibi vendicat aqua mundi; iuxta illud: *Num. 20. Aqua mũdi aqua cõtradictionis est. Gen. 26.* *Hæc est aqua contradictionis.* Nam mille inter homines rixas, mille contradictiones excitat. *Propter puteum iurgium fuit pastorum Geraræ aduersus pastores Isaac, dicentium: Nostra est aqua. Quamobrem vocauit Isaac nomen putei Calumniam. Alium aperuit Isaac puteum, & pro illo quoque rixati sunt: appellauitq́ eum ſnimicitias.* Ecce puteos, ecce aquam mundi, illius nomen aqua est contradictionis, calumnia, inimicitiæ. Nemo enim non videt, quot contradictiones, quot calumnias, quot *Eidem.* inimicitias illa pariat. Additur eodem capite: *Profectus inde Isaac fodit alium puteum, pro quo non contenderunt: itaque vocauit nomen eius Latitudo, dicens: Nunc dilatauit nos Dominus, & fecit crescere super terram*, &c. Item: *Venerunt serui Isaac annuntiantes ei de puteo, quem foderant, atque dicentes: Inuenimus aquam; vnde appellauit eum Abundantiam.* En tibi nomina fontis, *Aqua Christi fons, latitudo & abundãtia.* & aquæ Christi, latitudo, abundantia, saturitas. Latitudo appellatur, quia hominem dilatat, &, vt Isaac ait, crescere virtutibus facit super terram. Abundantia, quia omnibus bonis abundantem reddit.

Iterum ad sitientes clamo. Omnes sitientes celeri cursu venite, non ad aquas contradictionis, calumniæ & inimicitiarũ; sed ad aquas latitudinis, abundantiæ & saturitatis. Cum ceruo se confert Psalmographus fontes aquarum desiderante: *Quemadmodum*, inquit, *desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* *Psal. 41.* Velox animal est ceruus, veloci cursu ad diuinas aquas properandum docet. *Ad gratiã properandũ cursu celeri. Augustin.* Curre ad fontem, ait Augustinus eodem Psalmo, desidera fontem; sed noli vtcumque, noli vt qualecumque animal currere, vt ceruus curre. Quid est, vt ceruus? Non sit tarditas in currendo, impigrè curre, impigrè desidera fontem, &c.

Vt autem curras ad fontem abundantiæ & saturitatis; animæ virum voca. Cùm Samaritana aquam à Christo petiit, *Domine*, inquiens, *da mihi hanc aquam, vt non sitiam*, respondit Dominus: *Vade, voca virum tuum.* *Ioan. 4.* Quid? Estne vir animæ ad accipiendam aquam necessarius? Et quidem maximè. Est enim, teste Augustino in Ioannem, vir animæ intellectus; quem aquæ huius dulcitudinem, præstantiamque contemplari oportet, vt illam voluntas expetat. Nam bonum maximum, quod intellectus diligenter considerat, voluntas vehementer desiderat. Vis Augustinum audire? illius hæc sunt verba: *Voca virum tuum*, præsenta intellectum tuum. Non me capis, non me intelligis: absens est intellectus tuus: voca virum tuum, &c. Eodem loco quinque illos Samaritanæ viros, de quibus Christus ait: *Quinque viros habuisti*: quinque sensus adumbrare sentit. Iis pleræque animæ nubunt, hos sibi viros asciscunt, ideoque mundi aquam tantopere expetunt. Ab iis enim viris, id est, sensibus, quibus nulla ineſt consideratio, ad illam quærendam maximè impelluntur. Oculi pulcra, aures dulcisona, odoratus odorifera, gustatus dulcia, tactus mollia ac iucunda concupiscunt: Anima, quæ iis quinque maritis se totam tradidit, morem illis gerere studet, suauiaque omnia & illis iucunda quærit. At felix anima, cui Christus ait: *Quinque viros iam non habes, sed habuisti*: è vita enim iam excessere, hoc est, felix anima, quæ quinque sensus ita frenauit ac repressit; vt mundi voluptatibus sint mortui. Felix quæ iis exstinctis nobilissimo viro, id est, intellectui nubit; illi omnibus in rebus, vt viro, obtemperat, & quâ ducit, sequitur. *Consideratio. Sẽsus quinque viri mortui.*

Ad mundi puteum ducunt sensus, ad Christi fontem ducit intellectus fide illustratus. Qui sensus sequitur, non intellectum, is belluarum vitam agit, Augustino teste loco citato: Animam, inquit, habere, & intellectũ non habere, hoc est, non adhibere, nec secũdùm eum viuere, bestialis est vita, &c. Qui verò sequitur intellectum & rationem, is viuit instar hominis ordinatè. Proculdubio, ait idem Pater sapientissimus, cùm ordinata vita est, intellectus animam regit, &c. *Qui sensus sequitur, belluã vitam agit.*

Vocandus est ad diuinas res cognoscendas intellectus, sed non solùm intellectus, sed etiam fides: *Mulier*, ait Christus, *crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitis Patrem*, &c. *Ioan. 4.* Priùs dixit: *Voca virum tuum*; modò ait: Voca fidem: *Mulier*, inquit, *crede mihi.* Nam sine fide intelligere diuina non valemus. Chrysostomus homil. 32. in Ioan. Sine fide, inquit, nullam magnarum rerum doctrinam percipere quispiam potest; sed illis similis est, qui sine naui pelagus transnare aggressi, parum profecti, lassatis manibus pedibusque fluctibus cõtinuò obruuntur. Neque aliter, qui suis rationibus nituntur ante cognitam veritatem, naufragium faciunt. Quod ne nobis accidat, sacræ anchoræ, qua Christus in præsentia Samaritanam confirmauit, innitamur. Nam Samaritanæ respondit: *Mulier crede mihi.* Sic ille. Hinc colliges eos, qui fide in rebus diuinis explorandis ducuntur, tutissima naui per res cognitu difficillimas nauigare; eos verò, *Fide res diuinæ explorandæ. Chrysost.*

verò, qui suis solùm rationibus nituntur, natare, fluctuumque exorientium magnitudine obrui.

Denique vocauit virum, hoc est, intellectum; vocauit quoque fidem Samaritana. Christum Messiam esse credidit; gratiæ aquam hausit, hydriam reliquit, ciues suos ad Christum vocauit. Petierat Christus: *Mulier da mihi bibere*; & dedit bibere, & dedit edere. Cibus enim potusque Christi hominum est salus, vt ipse affirmat. Cùm igitur Samaritanos ad illum duxit Samaritana, potum cibumque suauissimum adduxit. Ait anima sponso Christo: *Ducam te in domum matris meæ; ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum*, &c. Congruunt hæc verba felici Samaritanæ. Inuenit Christum foris apud puteum, duxit illum in domum matris suæ, hoc est, in ciuitatem suam Sichar, cuius erat filia. Ibi tum illam, tum reliquos Samaritanos docuit biduo, accepitque non aquæ poculum, sed poculum ex vino cõdito ac suauissimo, & malorum granatorũ dulce mustum; cùm Samaritanos cõuertit. Tanti Dux femina facti!

Samaritana potum et cibum Christo dedit.

Cant. 8.

Præter hæc, ex hoc locó discе, qui sint veri adoratores. Sunt enim Christiani, qui non in monte Garizim, vt Samaritani, non in templo Ierosolymitano, vt Iudæi; sed toto orbe terrarum Deum colunt, eique admirandum sacrificium augustissimæ Eucharistiæ offerunt. Quod Malachias sic prædixit: *Non est mihi voluntas in vobis dicit Dominus exercituum; & munus non suscipiam de manu vestra.* Iis verbis Iudæos adoratores repellendos prædicit Vates: Non suscipiam, inquit Dominus, munus, & sacrificia de manu vestra in templo Ierosolymitano; hic cultus abrogabitur. Sequitur de veris adoratoribus: *Ab ortu enim Solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. Quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum*, &c. Dixit Samaritanæ Dominus: *Venit hora quando neque in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitis Patrem.* Apud Malachiam ait: *Ab ortu Solis vsque ad occasum magnum est nomen meum*, non in Iudæis solùm, sed etiam *in gentibus*. Neque verò in templo Salomonico offerũtur mihi cruentæ ac brutæ animantes; sed *in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*, videlicet sanctissimæ ac mundissimæ Eucharistiæ incruenta hostia.

Christiani vere adoratores.

Eucharistiæ sacrificium. Malach. 1.

Ibidem. Toto orbe Deo sacrificiũ offertur.

Ioan. 4.

Adoratores veri sunt in terra & in cælo. In cælo quidem Angeli beatique homines; in terra Christiani. Angelis & beatis hominibus illud Christi conuenit. *Nos adoramus quod scimus.* Euidẽter enim cognoscunt Deum quem adorãt. Idem etiam congruit in terra Christianis: nos enim Christiani adoramus quod scimus, sed ineuidenter. Certissima enim fides est, per quam Deum, quem colimus, agnoscimus; quamuis obscuritatem habeat, quod meriti ratio postulat. Nam, vt ait D. Gregor. homil. 26. in Euang. Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum, &c. Et August. Psalm. 109. Quæ, inquit, esset merces fidei, nisi lateret quod credimus? &c. Vide quæ suprà diximus de Fide & Scientia ex D. Thoma. Sunt præterea adoratores Dei in terra, sed minimè veri, Iudæi scilicet, Mauri, Turcæ, & alij similes. Iis illud Christi conuenit: *Vos adoratis quod nescitis.* Adorant illi Deum; sed Deum nesciunt. Etsi sciant vnũ esse, tamen vnum, trinumque esse negant. Adorant igitur quod nesciunt; falsique sunt, nõ veri adoratores: non enim adorant Deum in veritate. Deus autem adorandus est in veritate, vt suprà exposuimus, hoc est, cum vera cognitione diuinæ naturæ. Adorandus præterea in spiritu. Sic veri illi adoratores Angeli adorant. Spiritus sunt, in spiritu adorant. Homines spiritu constant & corpore; duplex ab illis exposcitur adoratio, corporis & spiritus, vt diximus ex Damasceno. Sed præcipua adoratio est spiritus, vt suprà iam est dictum. Huic maximè studere oportet, curandumque maximè, vt in spiritu oremus & adoremus, in spiritu sacra audiamus, in spiritu psallamus, in spiritu bona opera omnia faciamus. Spiritus enim est Deus; spirituque puro maximè delectatur.

Adoratores veri Christiani. Ioan. 4.

Fidei ineuidentia postulat meriti ratio.

Falsi adoratores Iudæi, Mauri, &c.

Mirabantur discipuli, quòd Christus cum muliere loqueretur. Loquebatur Christus cum muliere de rebus tantummodò ad salutem animæ spectantibus. Hoc boni sacerdotis probique viri est, cum feminis de huiusmodi tantùm rebus habere sermonem. Familiaritatem illarum cauendam esse docet Augustinus ser. 250. de tempore: De familiaritate, inquit, feminarum Salomon nos admonet, dicens: *Numquid alligabit quis ignem in sinu suo, & vestimenta eius non ardebunt? aut ambulabit quis super prunas, & non comburentur plantæ eius?* &c. Ergo putat Augustinus ignem esse feminam. Quemadmodum ignem fugimus, sic femina fugiẽda est, ne animum incendat. Nam, vt eodem loco ait Augustinus: Qui familiaritatem non vult vitare suspectam; citò labitur in ruinam, &c. Fugiunt retia aues, quibus irretiuntur: tu fuge retia, quibus illaquearis. Eodem capite ait Salomon: *Mulier pretiosam viri animam capit.* Et: *Mulier laqueus venatorum est, & sagena cor eius; vincula sunt manus illius. Qui placet Deo, effugiet illam, qui autẽ peccator est, capietur ab illa*, &c. Heu quam vili esca capitur, videlicet delectatione, quæ temporis momento euanescit. Id quod sic deflet August. loco citato: Quanta, inquit, iniquitas, & quàm lugenda peruersitas; vt animã, quam sanguine suo Christus redemit, luxuriosus quisque propter vnius momenti delectationem diabolo vendat. Nimiùm plangenda conditio, vbi citò præterit quod delectat, & manet sine fine quod cruciat, &c.

Feminarũ familiaritas fugiẽda vt ignis. Prou. 6.

August. Femina laqueus.

Prou. 6.

Eccle. 7.

August.

Denique quanti Deus animarum faciat salutem consideremus. Hic illius cibus, hæc voluntas, hoc opus est. *Meus*, inquit, *cibus est, vt faciam voluntatem Patris, vt perficiam opus eius.* Cibus est, quoniam animarũ salute maximè Deus reficitur. Voluntas, quoniam homines saluos fieri maximè cupit. Opus, quoniam hominum salutem operatur. Opus aurificis, est vas aureum, opus pictoris, imago pulcra, opus scriptoris, scriptura elegans, opus Dei, salus hominum. Ab hoc opere nomen habet Iesus, id est, Saluator, quemadmodum à pingendo nomen habet homo pictoris. Nauant homines quoque operam huic magno Dei operi, sed vt dicitur: *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam.* Et Paullus: *Ego*, inquit, *plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementũ dedit. Itaq; neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*, &c. Sit noster quoque cibus, nostrumque opus animarum salus. Pro cibo quærendo mille labores perpetiuntur mortales, nos pro hoc cibo comparando nullos recusemus. Vnusquisque nostrũm cum Christo dicat: *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me, vt perficiam opus eius.* Voluntas Dei, opus, cibusque Dei, est animæ in primis nostræ, deinde reliquarum salus. Voluntas & desiderium nostrum, cibus noster, opus nostrum hoc ipsum sit, quod omnibus corporis negotiis præponamus.

Animarũ salus Christi cibus, Voluntas & opus. Ioan. 4.

Psal. 126.

1. Cor. 3.

Sit noster cibus & opus hominum salus.

Ioan. 4.

Cùm discipuli magistrum rogarent: *Rabbi manduca*, ille alium se habere cibum respondit. Cibum spiritalem, animorumque negotium, cibo corporeo prætulit: ipsosque Ecclesiæ pastores & doctores docuit, animorum negotia ipsi etiam cibo esse præferenda. Quamobrem D. Cyrillus in Ioan. sic scribit: Christus exemplo suo saluti hominum potius,

Ibidem. Animorum negotia ipsi etiam cibo sunt præferenda.

tius, quàm proprio corpori ſtudere paſtoribus Eccleſiæ perſuadet; ne illud propheticum audiamus: *Væ qui opus Domini facitis negligenter.* Sic Cyrillus. *Nuntiauit Tobiæ filius vnum ex filiis Iſrael iugulatum iacere in platea: ſtatimq́; exiliens de accubitu ſuo, relinquens prandium, ieiunus peruenit ad corpus, tollensq́; illud portauit ad domum ſuam occultè, vt dum Sol occubuiſſet, cautè ſepeliret eum,* &c. Vt corpus ſepeliret, prandium reliquit Tobias; nos verò vt animam vitæ æternæ reſtituamus, cur omnia etſi lautiſſima prandia non relinquemus.

Ierem. 28. *Tobiæ 2.*

Non ſine mercede tanto operi nauabimus operam. *Qui metit,* ait Dominus, *mercedem accipit.* Meſſores dicũtur, qui animarum ſegetes in aream, horreumque Chriſti deferunt. Area Eccleſia eſt, in quam per baptiſmum homines importantur: horreum verò eſt cælum. In area tentationibus triturantur, in horreo à palea, id eſt, improbis hominibus ſeparati probi ſempiterna quiete ac beatitudine perfruuntur. O beatam meſſem, ô meſſem Angelis ipſis digniſſimam. Sed quæ meſſorum merces eſt? Duplex quidem. Vna temporalis victus, de qua Dominus: *Dignus,* inquit, *eſt operarius mercede ſua.* Et D. Gregor. Iob 29. A bonis, inquit, prædicatoribus non cauſſa victus prædicatio impenditur, ſed cauſſa prædicationis accipitur victus, &c. Et Paullus: *Si nos,* inquit, *vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus?* Iuſtum autem eſſe hanc reddi mercedem operariis probat Paullus ſimilitudine militis, paſtoris, & illius, qui vineam plantat. *Quis,* inquit, *militat ſuis ſtipendiis vmquam? quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? quis paſcit gregem, & de lacte eius non manducat?* Vt miles ſtipendio, paſtor ouium lacte, qui vineam plantat, vineæ fructu; ſic meſſor & operarius Euangelicus mercede ſua paſcitur. Probat quoque ex illo: *Non alligabis os boui trituranti.* Hoc eſt, ſenſu metaphorico; Nõ prohibebis prædicatorem de Euangelio viuere, vt D. Thomas interpretatur. Id ipſum probat miniſtrorum legis veteris exemplo: *Neſcitis,* ait, *quoniam qui in ſacrario,* id eſt, templo, *operantur, quæ de ſacrario ſunt edunt: & qui altari deſeruiunt, cum altari participant?* Scilicet, quia ex ſacrificiis pars miniſtris cedebat in edulium. Lege Leuit. 6. & 7. & Deut. 18. Concludit Apoſtolus: *Ita & Dominus ordinauit iis, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere.* Verumtamen hac mercede Paullus frui noluit. Eodem cap. *Quæ,* inquit, *eſt merces mea? Vt Euangelium prædicans, ſine ſumptu ponam Euangelium.* Item: *Non vſi ſumus hac poteſtate, ſed omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Chriſti,* &c. Hoc autem, id eſt, abſque vllo ſumptu Euangelium annuntiare, tanti Apoſtolus fecit, vt gloriam ſuam appellarit: *Bonum,* ait, *eſt mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet.* Gloriationem ſuam, ait Theodoretus, appellat Apoſtolus gratis prædicare, & poſitos terminos tranſilire, &c.

Qui metit, mercedem accipit. *Area Eccleſia, horreum cælum.* *Temporalis meſſorum merces.* *Luc. 10.* *Greg.* *1. Cor. 9.* *Ibidem.* *Deut. 25.* *1. Cor. 9.* *Ibidem.* *1. Cor. 9.* *Paullus abſque vllo ſũptu annuntiabat Euangelium.* *1. Cor. 9.*

Altera merces eſt non temporaria, ſed æterna; E nimirum ſumma in cælo gloria. *Qui fecerit & docuerit,* ait Dominus, *hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Magnus, inquam, quia magna gloriæ mercede donabitur. Et: *Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates,* &c. Meritò fulgebunt præ ceteris in cælo, qui fulgent doctrina in terra; hominesq́ue illius ſplendore illuminant. Quamobrem à Dionyſio in commentar. Danielis vaſa vocantur luminis: Qui, inquit, ad iuſtitiam erudiunt multos verbo & opere, exemplo & prædicatione, ſeu ſcripto, ſunt quaſi vaſa luminis vndique profundentia lumen; & de omnium meritis, quos conuertunt & inſtruunt, coronantur. Suntq́ue

Æterna meſſorũ merces. *Matth. 5.* *Dan. 12.* *Dionyſ. Præmiũ eorũ qui docẽt.*

A ſpecialiter Deiformes; quoniam beato Dionyſio Areop. teſte, cap. 3. cæleſtis hierar. omnium diuinarum perfectionum diuiniſſima exſtat perfectio, Dei cooperatores eſſe in reductione animarum ad ſuum creatorem. Hæc ille. *Gaudium ſuum coronamq́; ſuam* vocat Apoſtolus Philippenſes in epiſtola, quam ad illos ſcripſit, eo quòd tum gaudium, tum coronam cæleſtem omni pretioſo lapide exornatam, labor in culturam illorum impenſus ipſi attulerat. *Phil. 4.*

Præcipitur Moſi: *Facies menſæ labium aureum per circuitum, & ipſi labio coronam interrafilem, & deſuper illam, alteram coronam aureolam,* &c. Concionatorem eum, qui doctrina ſacra homines imbuit, menſa adumbrat. Vt enim ex menſa cibus craſſus ac terrenus ſumitur: ita ex doctoris ore cæleſtis doctrinæ eſca accipitur. Habet menſa labium aureum; cùm doctor aureo, hoc eſt, caritate incenſo, ore docet: aurum enim caritatem indicat. Diuina illa menſa Chryſoſtomus, in templo Dei omnibus propoſita, hoc fulgebat labio, meritoq́ue Chryſoſtomus dictus eſt, hoc eſt, Os aureum. στόμα enim os ſignificat, χρυσὸς verò aurum: vnde Chryſoſtomi magni doctoris nomen deducitur. Simile habent labium Auguſtinus, Gregorius, præclariq́ue alij, non vanitate tumentes, ſed caritate fulgentes concionatores atque doctores. Labio menſæ aureo corona imponitur; quoniã labio doctoris aureo merces datur gloriæ eſſentialis, quæ corona appellatur. Additur co- B rona altera aureola, quæ accidentalem aliam coronam adumbrat, qua doctores præ aliis in cælo rutilant. Hanc Theologi appellant aureolam. Vt enim in Academiis peculiaria habent inſignia doctores, ſic in cæleſti illa curia peculiares habent aureolas, qui ad iuſtitiam multos erudiunt. *Exodi 25.* *Cõcionator deſcribitur.* *Cõcionatoris os & labium caritate aurea.* *Doctorum aureola.*

Habes meſſorum mercedem ampliſſimam; iuxta illud Domini dictum: *Qui metit, mercedem accipit.* Addit Dominus: *Et congregat fructum in vitam æternam.* Meſſor frumentarius metit, fructumq́ue, id eſt, ſegetes, congregat in aream, & in horreum: Euangelicus verò meſſor metit fructum alium admirabilem, id eſt, homines ipſos, & congregat in vitam æternam horreumq́ue cæleſte. Quæ quidem meſſis lætiſſima eſt, vnde adiungit Chriſtus Opt. Max. *Vt & qui ſeminat ſimul gaudeat, & qui metit.* In ſpiritali enim hac meſſe, quicumque ad illam aliquid laboris conferunt, omnes gaudent, ſiue ſeminatores, ſiue meſſores illi ſint. Læta res eſt meſſis frumenti; iuxta illud: *Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe.* Et illud: *Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent.* Si læta eſt frumenti meſſis, quantò lętior erit meſſis animarum? *Leuate ergo oculos veſtros* ô meſſores, ait Dominus, *videte regiones, quoniam albæ iam ſunt ad meſſem.* Etenim leuare oportet oculos, quoniam celſiſſima meſſis eſt, nempe cæleſtis. Leuare oportet oculos in diuina præmia, & à terrenis cupiditatibus auellere. Hydriam reliquit Samaritana, cùm Chriſtum adeſſe Samaritanis nuntiauit. Hydria, caducorũm bonorum cupiditas eſt ex Auguſtini ſententia, hanc relinquere à Samaritana diſcat diuini verbi nuntius, quod Auguſtinus docet tract. 15. in Ioannem: Mulier, ait, Samaritana recepto in cor Chriſto Domino, quid faceret, niſi iam hydriam dimitteret, & euangelizare curreret? Proiecit cupiditatem, & properauit annuntiare veritatem. Diſcant qui volunt euangelizare; & proiiciant hydriam ad puteum. Hæc Auguſtinus. Cupiditas concionatoris non auri, non honoris ſit, aut terrenæ voluptatis, ſed meſſis animarum. Albæ ſunt ad meſſem toto orbe regiones; ſed meſſores animarum cupidiſſimi non multi ſunt. *Meſſis quidem multa,* vt Dominus ait, *operarij autem pauci.* *Ioan. 4.* *Doctor ſiue concionator homines veluti fructũ cõgregat in vitã æternã.* *Ioan. 4.* *Iſaiæ 9.* *Pſal. 125.* *Ioan. 4.* *Cõcionator leuet oculos.* *Cupiditatẽ relinquat ſicut hydriã Samaritana.* *Auguſt.* *Albæ ad meſſem regiones toto orbe.* *Matth. 9.*

Donum

Donium autem Dei magnum est, animarum cupidos, zeloque ardentes operarios in messem suam mittere; ideoque à Deo ardentibus precibus sunt postulandi. Quamobrem adiicit Dominus: *Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.*

Matth. 9.

Christus à corporeis rebus ad spiritales sermonē transfert.

Ad extremum ex summo magistro discamus, per ea quæ cernimus, ad ea, quæ sensu non capimus; & per corporalia ad spiritalia ascendere. Sermonem Christus hoc loco ab aqua corporali, ad aquam spiritalem, id est, gratiam; à cibo in Sichar empto, ad alium multò præstantiorem: à messe frumenti, ad messem animarum traduxit. Id ipsum aliis multis Euangelij locis fecit, vt obseruat Rupertus Ioan. 4. his verbis: In hoc operæpretium est attendere miram dignationem diuinæ sapientiæ, quæ sic paruulis condescendit, vt non omittat qualemcumque rem occasio sibi obiecerit, quin per eius similitudinem, illis introducendi studio, quasi pre oculis exhibeat inuisibilia mysteria regni Dei. Quid enim omittet, qui non Regum nuptias, piscatorum sagenas, non margaritas negotiatorum, nec veteres vtres vinariorum, non ficus, aut vineas, neque granum sinapis inter minuta præterit olera? Ita de singulis similitudines cælestium explicat carnalibus: vt tamquam in notis & vulgaribus speculis Solis imaginem videant, qui eius splendorem ægris oculis ferre non sustinent. Sic Rupertus.

Rupert.

Sancti magistri Christi Opt. Max. vestigijs nos discipuli insistamus, in rebus iis, quæ sub sensus veniunt, veluti in speculo atque ænigmate, illas semper contemplemur, quas sensibus non percipimus. Ex dulcedine cibi, ad dulcedinem Dei, ex pulcritudine creaturæ, ad pulcritudinem Conditoris, ex odoribus terrestribus, ad odores cælestes, ex diuitiis deliciisque mundi, ad diuitias deliciasque cæli, ex siti, esurie, cruciatibusque præsentibus, ad sitim, esuriem cruciatusque impiorum futuros, ex gloria hac inani ac fucata, ad verā atque æternā, animum attollamus. Vide quæso, quàm minutis ex rebus D. Hieronymus ad animæ documenta assurrexerit in epistola 10. ad Marcellam, virumque sanctissimum hac in re imitare. Miserat Marcella Hieronymo, Paullæ, Eustochio, virginibusque cum eis degentibus sellas, saccos, cereos, calices, & muscaria, quibus muscæ abiguntur. Hæc non scripturæ solùm, sed rerum etiam, quas videbat cælestis interpres

D. Hieron. in rebus etiā minutis mysteria reperit.

A Hieronymus, sic interpretatur: Epistolas, inquit, remittimus gratiarum; ita tamen, vt quia velatarum virginum munus est, aliqua in ipsis munusculis esse mysteria demōstremus. Saccus orationis signum atque ieiunij est: sella, vt foras pedes virgo non moueat: cerei, vt accenso lumine sponsi exspectetur aduentus: calices mortificationem carnis ostendūt, & semper animum ad martyrium præparatum; calix quoque Domini inebrians quam præclarus est. Quòd autem & matronis offertis muscaria parua paruis animalibus euentilandis, elegans significatio est, debere luxuriam citò restinguere; quia *muscæ moriturę oleum suauitatis exterminant.* Ita Hieronymus. Adde Gregorium Nazianzenum illiusque sequere vestigia. Orat. 27. is de se sic loquitur. Inambulabam ego solus in maris ripa. Vento magno flante, mare excitabatur, & infremebat: fluctusque partim procul exsurgētes, seque paullatim in summam altitudinem efferentes; at postea decrescentes, ad ripam soluebantur; partim in propinquas petras incidentes, atque inde repulsi, in spumosam ac tenuem aspersinem dilabebantur. Hic & lapilli, & algæ, & buccinæ, & leuissima ostrea extrudebantur, & quasi expuebantur, nonnulla etiam reciprocante fluctu rursus abripiebantur. Petris interim non minus immotis remanentibus, quàm si nulla omnino vis ipsis admoueretur. Ex hoc spectaculo nonnihil vtilitatis ad philosophiam percepisse me sensi. Et (vt omnia ad me ipsum referre, atque dirigere soleo: ac potissimum si ad aliquem rerum euentum animus meus æstuet, & tamquam vertigine afficiatur, vt mihi nunc accidit) non obiter & negligenter id quod oculis obuersabatur accepi. Sed in doctrinam mihi hoc spectaculū cessit. Quid enim, inquiebam, an non mare vita hæc nostra est, & res humanæ? an non venti, tentationes ingruentes? Porrò eorum qui tentantur, alij mihi veluti leuissima quædam corpora, & spiritus expertia abripi videbantur: alij petræ instar esse, &c. Doctrinam ex maris spectaculo Gregorius se accepisse ait: nos quoque ex omnibus vitæ huius spectaculis doctrinam accipere possumus. Ille, vt ait, omnia ad seipsum referre ac dirigere solebat: nos item, quæcumque cernimus, ad nos referamus, & ad mores componendos, animumque in virtutem attollendum dirigamus.

Hieron.

Eccle. 10.

Greg. Naz.

CAPVT XIV.

De discessu Christi ex ciuitate Sichar in Galilæam, & Reguli filio sanitati restituto.

IOAN. CAP. IV.

POST duos autem dies exiit inde; & abiit in Galilæam. Ipse enim Iesus testimonium perhibuit: quia Propheta in sua patria honorem non habet. Cùm ergo venisset in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, cùm omnia vidissent quæ fecerat Ierosolymis in die festo: & ipsi enim venerant ad diem festum. Venit ergo iterum in Cana Galilææ, vbi fecit aquam vinum. Et erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Hic cùm audisset, quia Iesus aduenisset à Iudæa in Galilæam: abiit ad eum, & rogabat eum, vt descenderet, & sanaret filium eius: incipiebat enim mori. Dixit ergo Iesus ad eum: Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Dicit ad eum Regulus: Domine, descende priusquam moriatur filius meus.

Dicit ei Iesus: Vade filius tuus viuit. Credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus, & ibat. Iam autem eo descendente, serui occurrerunt ei, & nuntiauerunt, dicentes, quia filius eius viueret. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerunt ei: Quia heri hora septima reliquit eum febris. Cognouit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Iesus: Filius tuus viuit; & credidit ipse, & domus eius tota. Hoc iterum secundum signum fecit Iesus, cùm veniisset à Iudæa in Galilæam.

BIDVVM egit Christus in ciuitate Sichar, Samaritanorum rogatu, à quibus magna cum voluptate, & amore fuerat exceptus. Postquam verò illos docuit, quæ docere tunc opus fuit, & per discipulos forsitan baptizauit; in Galilæam, quò iter habebat, discessit. Non tamen patriam petiit Nazareth, vt Matthæus docet, de hoc in Galilæam Christi itinere scribens: *Cùm audisset*, inquit, *Iesus, quòd Ioannes traditus esset, secessit in Galilæam, & relicta ciuitate Nazareth, venit, & habitauit in Capharnaum*, &c. Matth. 4. Reliquit ergo ciuitatem Nazareth, & Capharnaum potiùs habitationi elegit. Quòd si opponas Lucam cap. 4. narrare Christum post hoc iter, de quo agimus, venisse Nazareth, in eaque esse concionatum; respondemus cum D. Augustino lib. 2. de Consensu Euangelistarum, cap. 42. Lucam illius in Nazareth aduentus per anticipationem meminisse: in aliud enim tempus incidisse suo loco ostendemus.

Christus cur tã citò Samaritanos reliquerit.

Sed dices: Cur tam citò Samaritanos Dominus reliquit? Respondet Augustinus tract. 16. Firmos in fide securus citò dimisit; quia diuinitatis præsentia non dimisit, &c. Citò quidem dimisit præsentia carnis: præsentia verò diuinitatis cum eis mansit.

Christus nõ petiit nunc Nazareth. Ioan. 4.

Itaque in Galilæam reuersus Dominus, in patriam redire noluit. Huiusce rei caussam reddit D. Ioannes: *Abiit*, inquit, *in Galilæam*, subintellige, non tamen in patriam Nazareth: *Ipse enim Iesus testimonium perhibuit, quia*, id est, quòd *Propheta in sua patria honorem non habet*. D. Chrysostomus & Euthymius patriam Christi putãt appellari Capharnaum. Maldonatus Iudæam, Theophylactus Galilæam, & Augustinus in Ioannem. Rectius D. Cyrillus, & alij Nazareth hoc nomine significatam arbitrantur.

Cur Christus nõ petierit patriam.

Præteriit autem Christus patriam, ait D. Cyrillus, quia optimè sciebat prædicationem fidei fructum ibi facere non posse, vbi prædicator contẽneretur, &c. Se autem à suis Nazarenis, inter quos nutritus fuerat, contemnendum præuidebat, id quod contigit, cùm postea apud illos est concionatus Luc. 4. & Matthæi 13. *Nónne*, inquiunt, *hic est fabri filius?* &c. Quo tempore Christus hoc idem dictum, cuius hîc Ioannes meminit, vsurpauit: *Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua.*

Matth. 13. Ioan. 4.

An Christus semel an bis verba illa protulerit: Nõ est Propheta sine honore, nisi in patria sua.

Dubitatur an Christus hæc verba, *Propheta in sua patria honorem non habet*, tunc protulerit, cùm in Galilæam regressus, Nazareth patriam suam reliquit; an postea, cùm in ea est concionatus. Tunc enim prolata aiunt Matthæus 13. & Lucas 4. Ioannes verò in hoc regressu vsurpata significare videtur. Duobus modis dubitationi respondetur. Primò, bis fuisse hæc verba à Christo prolata; tunc scilicet, cùm apud Nazarenos verba fecit, despectusque ab illis fuit; iterum in hoc in Galilæam regressu. Secundò, respondetur, & verisimiliùs, semel tantùm esse dicta à Christo hæc verba; videlicet cùm publicè sermonem in patria habuit; sed honorem non habuit. Tunc enim, vt testatur Matthæus, dixit: *Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua.* Lucas verò dixisse refert: *Nemo Propheta acceptus est in patria sua*: quod idem est. Huius dicti cùm scriberet Euangelium meminit Ioannes, vt caussam redderet, cur in patriam regredi noluerit. *Ipse enim*, inquit, *Iesus testimonium perhibuit: quia Propheta in sua patria honorem non habet.* Testimonium, inquam perhibuit tunc, cum apud Nazarenos ciues suos debitum honorem non habuit.

Matth. 13. Luca 4. *Ioan. 4.*

Cur Propheta in patria honore careat.

Ambigitur etiam, quæ ratio sit, cur Propheta in patria honore careat, vel minori honore, quàm aliis in locis afficiatur. Prima ratio redditur à D. Hieronymo Matth. 13. Quòd propemodum, ait, naturale sit ciues semper ciuibus inuidere. Non enim considerant præsentia viri opera; sed fragilitatem recordantur infantiæ, &c. Secunda est D. Chrysostomi homilia 34. in Ioan. Quia, inquit, consuetudo contemptum parere consueuit, &c. Eadem est D. Cyrilli: Quia solemus, ait, quod tritum est ac quotidianum, etiamsi magnum sit, parui pendere, &c. Theophylactus item: Consueuimus, ait, ea contemnere, quæ valdè familiaria sunt, semper magis attendentes alienis & insolitis, &c. Iis adiunge in patria Prophetæ genus si humile est, & cognatos, si ignobiles & abiectæ conditionis sint, notos esse. Quam ob caussam Nazareni Christum debito honore non affecerunt. Oculos enim à Iosepho, quem ipsius patrem esse putabant, & à cognatis, in celsissimam Christi dignitatem attollere nesciebant.

Hieron. Chrysost. Cyril. Theoph.

D. Thom. Familiaritas Dei reuerentiã & hominum contemptũ parit.

Diuus Thomas hoc loco eamdem rationem affert: prætereaque ostendit, cur familiaritas cum hominibus, hominum contemptũ; familiaritas verò cum Deo, Dei reuerentiam pariat. Non habet, inquit, honorem Propheta in patria; quia conuersatio cum hominibus, & nimia familiaritas reuerentiam minuit, & contemptum parit; & ideo quos familiares magis habemus: minus reuereri consueuimus; & quos familiares habere nõ possumus, magis reputamus. Cuius contrarium de Deo contingit. Nam quantò aliquis Deo per amorem & contemplationem familiarior efficitur, tantò eum excellentiorem reputans, magis reueretur; & seipsum minorem reputat. *Auditu auris audiui te: nunc autem oculus meus videt te. Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam.* Et huius ratio est. Quia qui cum homine conuersatur, cognoscit in eo aliqua infirma, & ex hoc diminuitur reuerentia: at quantò plus homo in cognitione Dei perficitur, tantò magis perfectionis eius excellentiam admiratur, & magis eum reueretur. Hactenus D. Thomas. Prophetæ igitur, & concionatores familiaritatem hominum fugiant, ne despectui habeantur. Vt enim ait D. Cyrillus loco indicato: Prædicatio ibi fructum facere non potest, vbi prædicator contemnitur, &c.

Iob 42.

Cyril.

Obicit supradictis Theophylactus: Nónne videmus etiam multos apud suos, id est, in patria sua, in honore haberi. Respondet: hoc rarum est. Et D. Thomas: Secundùm Chrysostomum, inquit, respondetur ad hoc, quia Dominus hîc loquitur prout in pluribus accidit. Vnde licet in aliquo singulari habeat instantiam; non tamen propter hoc debet falsum reputari. Nam in naturalibus & moralibus

Theoph. D. Thom.

ralibus regula eorum, quæ vt in pluribus verificatur, eſt vera: etſi in aliquo particulari aliter ſit, non reputatur falſa. Illud autem quod Dominus dicit, in pluribus Prophetarum verum erat. Secundùm illud: *Quem Prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri?* Et: *Ieruſalem, quæ occidis Prophetas.* Hæc D. Thomas. Præterea aduerte non eſſe ſermonem de diuitibus, aut nobilibus, potentibusque viris: hi enim in patria ſua honore fulgent; ſed de Prophetis, qui externis carent ornamentis, honorem conciliantibus. Fuit hoc prouerbium in Chriſto veriſſimum. Propheta enim ſummus honorem in patria, id eſt, Iudæa, non habuit, quoniam à pleriſque Iudæis non eſt cognitus. Habet autem honorem ampliſſimum, nempe diuinum toto terrarum orbe inter reliquas nationes. Itaque Auguſtinus tract. 16. de Chriſto Propheta hoc exponit teſtimonium.

Actor. 7. *Matth. 23.* *Chriſtus in patria ſua Iudæa fuit ſine honore.*

Ioan. 4. EXCEPERVNT *eum Galilæi, cùm omnia vidiſſent quæ fecerat Ieroſolymis in die feſto.* Relicta patria Nazareth, venit Dominus in Galilæam, hoc eſt, in alia Galilææ loca, Galilæi autem Ieroſolymis ex more Iudæorum, Paſcha elegerant; viderantque miracula, quæ Chriſtus illo feſto ediderat; quæ miracula breuiter ſic commemorat Ioannes: *Ioan. 2.* *Cùm eſſet, inquit, Ieroſolymis in Paſcha in die feſto, multi crediderunt in nomine eius, videntes ſigna eius, quæ faciebat,* &c. *Ioan. 3.* Et Nicodemus: *Nemo poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo,* &c. Itaque cùm miracula vidiſſent Galilæi Ieroſolymis patrata, Chriſtum cum honore exceperunt, magnique fecerunt tot ſignorum patratorem. Hîc obſerua, non feciſſe Chriſtum hactenus ſigna in Galilæa, præter miraculum nuptiarum. Nam ſi in Galilæa ſigna feciſſet, propter illa Galilæi cum honore ipſum excepiſſent; dicuntur autem excepiſſe illum propter ſigna Ieroſolymis patrata: quoniã in Galilæa nondum cœperat miracula illa patrare, quæ ab Euangeliſtis Matthæo, Marco, & Luca memorantur. Vnde apertè colligitur ſeries Euangelicæ hiſtoriæ, videlicet Chriſtum in hoc in Galilæam regreſſu cœpiſſe in Galilæa palàm concionari, & miracula edere; quod Euangeliſtæ tres Matthæus 4. Marc. 1. Luc. 4. docent.

Chriſtus vſq; ad hoc tẽpus in Galilæa miracula non fecerat, præter vnum in nuptiis.

Ioan. 4. VENIT *iterum in Cana Galilææ.* In primo ex Iudæa in Galilæam regreſſu, cuius Ioannes capite 2. meminit, in Canam Galilææ venit Chriſtus, & aquam in nuptiis conuertit in vinum. In ſecundo hoc regreſſu, in idem opidum rediit, alioque miraculo illud nobilitauit. Eò enim Regulus quidam è ciuitate Capharnaum, quæ non longè diſtabat, acceſſit; filio mortifera febri laboranti ſalutem à Seruatore petiit, & impetrauit. In Canam iam peruenerat Dominus, cùm Regulus acceſſit, vt ait Chryſoſtomus. Theophylactus verò, & Euthymius miraculum hoc in Cana factum ſcribunt.

Ibidem. *Quis ſit Regulus.* *Hieron.* ERAT *quidam Regulus.* D. Hieronymus Regulum hunc palatinum fuiſſe putat ex aula regia. Quæ ſententia nomine Græco cõfirmatur. Græcè enim βασιλικὸς appellatur, id eſt, regius, vel palatinus. Hieronymus Iſaiæ 65. Regulus, inquit, qui Græcè dicitur βασιλικὸς, quem nos de aula regia rectius interpretari poſſumus palatinum, &c. Syriaca quoque editio interpretatur, עברמלכא, habed malcha, id *Euthym.* eſt, ſeruum Regis. Et Euthymius: Regius, inquit, dicebatur: vel quòd regio eſſet genere: vel quòd dignitatem nactus erat, à qua regius cognominabatur: vel quòd miniſter Regis, &c.

Noſter interpres legiſſe videtur, non βασιλικὸς, ſed βασιλικιὸς, quod nomen Regulum ſignificat, id eſt, paruum Regem. Sequenda eſt noſtra verſio. Quamobrem credendum eſt principem aliquem virum fuiſſe, qui alicui vrbi imperaret, ſub imperio tamen

A Cæſaris. Lyranus exiſtimat Cæſaris fuiſſe adminiſtrum, cui Galilææ cuſtodia commiſſa erat: atque ideo in vrbe Capharnaum habitaſſe, & Regulum appellari. *Lyran.* Et D. Thomas: Erat, inquit, iſte quidam de familia Herodis ſiue nuntius, ſiue officialis Imperatoris, &c. *D. Thom.*

Iudæum fuiſſe arbitratur auctor hiſtoriæ ſcholaſticæ, eò quòd incredulitatem illi Chriſtus obiiciat, cùm ait: *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis.* Creditur, inquit, iſte fuiſſe Iudæus, quia dixit ei *Ioan. 4.* Dominus: *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis.* Iudæi enim ſigna quærunt, &c. Huius ſententiæ ſunt Ianſenius, Maldonatus, & Toletus. Ethnicum fuiſſe putant Lyranus, Titelmannus, & Claudius, B quod D. Hieronymus Iſaiæ 65. videtur ſentire & Origenes; Caietanus proſelytum fuiſſe ait: Samaritanis, inquit, iungitur proſelytus, &c. Res incerta eſt. *An fuerit Regulus Iudæus, vel ethnicus.*

Card. Baronius in præclaris Annalibus, ob eam rem Regulum ait dictum, quòd alicuius loci fuerit dominus. Hunc autem locũ exiſtimat fuiſſe ipſam vrbem Capharnaum. Sic Cardinalis ſapientiſſimus ſcribit: Erat in Galilæa poſita prouincia Decapoleos dicta; quòd in ea decem eſſent ciuitates, inter quas vna annumerabatur Capharnaũ. De illis agẽs Plinius teſtatur, in qualibet è decem illis ciuitatibus fuiſſe ſingulas Tetrarchias regnorum inſtar, & in regna ſolere conferri. Hæc cùm ille dicat, in eam ſententiam magis adducor, vt iſte ſic Regulus C dicatur, quòd eius loci dominus eſſet: ſic tamen dominus, vt Tetrarchæ Galilææ Herodi Antipæ ſubeſſet, vel ſaltem Romano præſidi, cui & ceteri Tetrarchæ parebant, ſubditus eſſet. Qua ratione & βασιλικὸς rectè dici potuiſſet, nempe quòd alteri ſubeſſet principi, quem puto Euangeliſtam non iuxta Plinium Tetrarcham nominaſſe, ne dictum exiſtimaretur de Herode totius Galilææ Tetrarcha. Nec etiam ſecundùm eumdẽ, dixiſſe Regem, quòd nullus eo titulo amplius in Palæſthina regnaret. Hæc præclariſſimus Cardinalis. Ex his colliges, hunc non Regulum ſolùm, ſed Regem quoque & Tetrarcham ſecundùm Plinium potuiſſe appellari; quòd eſſet Tetrarcha Tetrarchiæ illius, quæ in vna D ciuitate Decapoleos, id eſt, in Capharnaum erat. *Cur Regnlus ſit dictus.* *Card. Bar.* *An Regulus Tetrarcha fuerit Capharnaum, Regis inſtar.*

Sed quia hæc opinio Plinij verbis innititur, idcirco in medium proferenda ſunt, vt illius veritatem intelligamus. Plinij autem verba lib. 5. cap. 18. hæc ſunt. Iungitur ei, id eſt, Iudææ, latere Syriæ, Decapolitana regio à numero opidorum. In quo non omnes eadem obſeruant. Plurimi tamen Damaſcum & Opoton, riguas amne Chryſorrhea, fertilem Philadelphiam, Raphanam, omnia in Arabiam recedentia. Scythopolim, Geddara, Hieromiace præfluente, & iam dictum Hippon Dion, Pellam aquis diuitem, Galaſam, Canatham. Intercurſant cinguntque has vrbes Tetrarchiæ regnorum inſtar ſingulæ, & in regna contribuuntur. Trachonitis, E Pameas, in qua Cæſarea cum ſupradicto fonte Abila, Arca, Ampeloeſſa, Gabe. Ita Plinius. Inter vrbes decem Decapoleos non numerat Capharnaum, vt numerãti eſt perſpicuum, niſi me liber fallit, quem legi. Præterea non ait in ſingulis vrbibus Decapoleos fuiſſe ſingulas Tetrarchias. Sed intercurſant, inquit, cinguntque has vrbes Tetrarchiæ regnorum inſtar. Potuerunt cingere & intercurſare Tetrarchiæ illas decem vrbes, cùm tamen vrbes ipſæ extra Tetrarchias eſſent. Quòd ſi vrbes ad Tetrarchias pertinuiſſent, non ſic Plinius loqueretur; ſed dixiſſet potius: Sunt in his vrbibus Tetrarchię. Vel, pertinent hæ vrbes ad Tetrarchias. Præterea Tetrarchias ille numerat, Trachonitidem, cui præfuit Philippus frater Herodis, vt ſuprà dictum eſt, Abi- *Plin.*

lam, cui Lysanias imperauit, Arcam, Ampeloessam, Gabem, ad has autem Tetrarchias Capharnaum vrbem pertinuisse, vnde colligi possit ignoro. Verum quidem est Borchardum parte prima, cap. 6. §. 6. Capharnaum inter vrbes Decapoleos numerare. Sed ille à Plinio longè dissentit: has enim numerat; Tyberiadem, Sephet, Cades, Nephthalim, Asor, Cæsaream Philippi, Capharnaum, Bethsaidam, Corozaim, & Scythopolim. Plinius verò affirmat Tetrarchias illas cingere, & intercursare, non has, sed alias vrbes, quas ipse recensuit. Non igitur satis firmum videtur huius opinionis firmamentum.

Regulus fuit paruæ alicuius ditionis princeps.

Quamobrem crediderim Regulum, nec vrbi Capharnaum imperasse, nec aut Regem, aut Tetrarcham fuisse alicuius Tetrarchiæ ex magnis illis, quas Plinius commemorat, quæ regnis similes erant: sed fuisse paruæ alicuius ditionis principem; quòd nomen Reguli indicat. Capharnaum verò cùm ex præcipuis Galilææ vrbibus esset, ad Herodis Tetrarchiã pertinuisse videtur, eique paruisse, qui totius Galilææ Tetrarcha erat.

Chrysostomus homilia 34. refert sensisse nonnullos Regulum hunc fuisse Centurionem illum, de quo Matthæus capite 8. scribit. Sed manifestè fallunrur, vt ei perspicuum fiet, qui vtrum cum altero contulerit. Auctor verò imperfecti homilia 22. in Matth. regalem habuisse dignitatem ait: Illum, inquit, dignitas sublimabat regalis, &c.

Ioan. 4. August. An Regulus venerit ad Christum animo tentandi.

NISI *signa & prodigia videritis, non creditis.* D. Augustinus tractatu 16. existimat accessisse Regulum ad Christum animo tentandi, atque experiendi quisnam Christus esset. Arguit, inquit, hominem Christus in fide tepidum, aut frigidum, aut omnino nullius fidei: sed tentare cupientem de sanitate filij sui, qualis esset Christus, & quis esset, quantùm posset. Verba enim rogantis audimus, cor diffidentis non videmus, &c. Attamen multò verisimilius est, non attulisse tentandi animum: sed filij periculo perculsum ad Christum, vt illi sanitatem impetraret venisse. Cur igitur sic Christus roganti respondit, quasi miraculum ille ad credendum quæreret? Respondetur, non sic respondisse Dominum, quòd Regulus ad credendum miraculum illud flagitaret: id enim vnum cupiebat, vt filius sanitati restitueretur. Sed vt tam Regulum, quàm Iudæos, qui absque signis non credebant, Samaritanis inferiores indicaret, qui nullo conspecto miraculo paullò antè illo in itinere crediderant. Quasi diceret: Samaritani, à quibus paullò antè discessi, nullo viso signo fidem complexi sunt: vos autem Iudæi, quibus est vera Dei cognitio; nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Euthymius: Hoc, inquit, dixit Christus generaliter, deprimendo Iudæos cum Samaritanis collatos, quòd illi absque signis & prodigiis credidissent: particularius autem Regulum obiurgando, &c. Responderi quoque potest Regulum cogitasse de fide in Christum habenda, si miraculum sanitatis patraret, ideoque hoc accepisse responsum: *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.* Voluit præterea Dominus his verbis ad fidem, quam postea habuit, Regulum excitare. Hominis animum intuens Christus, ait Chrysostomus, arguit, vt magis in fide confirmaret, &c. Forsitan de fide nihil cogitabat Regulus: his autem verbis auditis cogitauit. Indicant autem verba duri esse animi, signa ad credendum postulare, nec nisi miraculis conspectis credere. Satis enim est fidei debita prædicatio, vt Deo iuuante, fides animo concipiatur. Chrysostomus: Ostendit, inquit, Christus signa maximè animæ gratia fieri: suadetque non signa nobis, sed doctrinam ipsius attendendam. Signa enim infidelibus, & rudioribus exhibenda, &c.

Iudæi Samaritanis inferiores.

Ioan. 4.

Chrysost.

Non displicet interpretatio Maldonati & Emmanuelis Sa, quæ huiusmodi est, Miraculis opus est, vt credatis. Quia, *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.* Itaque miraculis vos ad fidem adducam, &c.

DOMINE, *descende priusquam moriatur filius meus.* Erat tunc temporis Christus in Cana Galilææ, quod opidum in loco situm erat eminentiori. Ideoque Regulus à Christo petit: *Domine, descende* à Cana in Capharnaum. Conijcit Borchardus, qui prima parte, cap. 6. §. 1. scribit Canam in declivi montis latere sitam: Cana, inquit, Galilææ ab Aquilone montem habet altum, & ad rotunditatem se vertentem; & est in declivi eius latere sita. Sub se contra Austrum planitiem habet spatiosam nimis, fertilem & amœnam valde, &c. Totus in filio erat Regulus, de illo loquitur solùm, Christi verbis, *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis*, non respondet. Filij dolore affectus, ait Chrysostomus homilia 34. non multùm tunc Christi verbis attendit, sed in solius filij cura versabatur. Postmodum ea reputaturus, & inde multum vtilitatis consecuturus, &c. *Descende*, inquit, *Domine*; propera: est enim filius meus in extremo spiritu, dum moraris è vita excedet. Quid si excesserit è vita, ô bone Regule? Qui ab ipso mortis limine in salutem hominem reuocare potest, is nonne eumdem poterit ex eiusdem mortis faucibus extorquere? Sed, vel hoc non intelligit: vel filij amore obcæcatus non aduertit. Dominum descendere vult, & ad filium venire, nec ad illam Centurionis accedit fidem alentis: *Domine, non sum dignus vt intres sub tectum meum; sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.* Centurio verbum tantùm, Regulus descensum postulat. Centurio ait: *Tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.* Regulus verò: *Descende priusquam moriatur filius meus.* Centurioni verbum tantummodò postulati Christus aduentum obtulit: *Ego*, inquit, *veniam, & curabo eum*: Regulo aduentum petenti, verbum tantummodò dedit; dixit enim verbo: *Filius tuus viuit*: & vixit.

Ioan. 4.

Ex Cana in Capharnaũ descenditur.

Borchard.

Confertur Regulus cũ Centurione. Matth. 8.

Sed cur ad Centurionem non rogatus ire vult, ad Regulum verò rogatus ire non vult? Meritò quidem Centurioni, qui ea fide pollebat, suum obtulit aduentum, vt fidem illius honore afficeret, & in apertum proferret, verbaque illa omni memoria digna è fideli pectore produceret: *Domine, non sum dignus vt intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.* Meritò quoque Regulo non descensum, quem petebat, sed verbum concessit: vt intelligeret non esse opus descensu, sed satis esse verbum. Iis assentitur Chrysostomus homilia 34. Quoniam, inquit, in Centurione fides perficiebatur, ideo se iturum Christus dixit, vt viri fidem cognosceremus. At Regulus adhuc imperfectus erat, propterea omni studio Christum impellebat, vt descenderet: neque adhuc nouerat, absentem quoque curandi habere potestatem. Quod ergo id posset ostendit; vt quod per se Centurio sentiebat, hic non accedente Iesu, erudiretur. Sic Chrysostomus. Adde Centurionem à Christo cùm esset in Capharnaum salutem petiisse seruo, nec longè aberat illius domus: erat enim in eadem vrbe. At verò Regulus petebat, vt Christus ex Cana in Capharnaum iret, longumque iter conficeret: ideoque Christus domum Centurionis, quæ propinqua erat, venire voluit: ex Cana autem in Capharnaum tunc ire noluit. Moralem aliam caussam reddit D. Greg. cuius in morali faciemus mentionem.

Cur ad Centurionem Christus nõ rogatus ire voluit, Regulum rogatus petere noluit. Matth. 8.

Chrysost.

DICIT *ei Iesus: Vade, filius tuus viuit.* Obserua quæso quanta cum maiestate Christus miraculum edat. Non procumbit in genua, non orat, non precatur Patrem, non venit domum, in qua filius Reguli jacebat æger, non *expandit se*, vt Elias, atque 3. Reg. 17.

Ioan. 4. Magnæ cum maiestate Christus miraculum edidit.

atque menſus eſt ſuper puerum tribus vicibus, & clamauit A
4 Reg. 4. *ad Dominum.* Non miſit diſcipulum cum baculo, non incubuit ſuper puerum, vt Eliſeus; ſed diuina cum maieſtate ait: *Vade, filius tuus viuit.* Nimirum, vt Deus miracula faciebat, propria ac diuina poteſtate. Eodem verò tempore, quo hæc verba protulit, qui longè aberat, Reguli filius vixit ac conualuit, hora videlicet ſeptima, quæ noſtræ primæ poſt meridiem reſpondet. Non per ſucceſſionem & diuturnitatem conualetudinis, ait Chryſoſtomus, vt aſſolet, liberatus eſt; ſed repentè. Ne naturalis valetudo, ſed Chriſti operatio videretur. Nã qui in ipſum mortis articulum venerat, è veſtigio in proſperam valetudinem reſtitutus eſt, &c.

Chryſoſt.

Ioan. 4. CREDIDIT *homo ſermoni, quem dixit ei Jeſus, &* B *ibat.* Nondum in Chriſtum credit Regulus; ſed tamen credit ſermoni Chriſti affirmantis filium viuere, ſaluum atque incolumem, qui in extremo erat ſpiritu. Iam ergo non petit à Chriſto, vt deſcendat; ſed ipſe deſcendit in Capharnaum, filium viſurus. Serui autem illius cùm ſubitam viderent ſanitatem, Canam profecti ſunt, vt dominum de optatiſſima filij ſalute facerent certiorẽ. Is ipſo in itinere à Chriſto reuertens nuncium lætiſſimum accipit; exploratóque horam, qua filius conualuit. Septima hora à Solis exortu conualuiſſe ſerui reſpondent, hoc eſt, prima hora poſt meridiem. Iudęi enim diem in duodecim diſtribuebant horas. Sexta meridiana erat, ſeptima verò prima poſt meridiem, qua Chriſtus verba illa protulit: *Filius tuus viuit*: di- C uinaque potentia miraculum operatus eſt. Quod cùm intellexiſſet Regulus, credidit.

Ibidem. ET *credidit ipſe, & domus eius tota.* Crediderat Regulus ſermoni Chriſti, iam credit in Chriſtum, poſteaquam horam ſalutis, cum hora, qua Chriſtus dixit, *Filius tuus viuit*, contulit. Nec ſolus ipſe, ſed tota etiam domus credidit: omnes enim miraculum agnouerunt, eóque ducti fidem animo conce-
Exempli ſũ in patrefamilias & Rege. perunt. Hic fructus miraculorum Chriſti. Credidit Regulus, & domus eius tota, & opidum quoque, cui imperabat credidiſſe valde eſt ſimile vero. Sequuntur membra caput, ſequitur domus patremfamilias, regnum Regem. Fit, ait diuus Fulgentius epiſt.
Fulgen. 6. ad Theodorũ, vt qui ſunt in ſæculi culmine con- D ſtituti, aut plurimos ſecum perdant; aut ſecum multos in via ſalutis acquirant, &c.

Ioan. 4. Quare dicatur hoc ſignũ ſecũdum, & cur iterum. HOC *iterum ſecundum ſignum fecit Jeſus*, &c. Primum miraculum fecit Chriſtus in nuptiis Canæ, cùm reuerſus eſt ex Iudæa in Galilæam initio primi anni poſt baptiſmum, Ioannis capite 2. Nunc rediens ex eadem Iudæa in eamdem Galilæam, ad finem eiuſdem anni, ſecundum hoc miraculum edidit. Secundum autem miraculum, ſiue ſignum dicitur, ſi cum illo primo in nuptiis facto conferatur. Nam Ieroſolymis multa alia, vt dictum eſt, patrauit, cum quibus minimè confertur. Significat enim Euangeliſta Chriſtum duo patraſſe miracula, cùm ſemel atque iterum ex Iudæa in E Galilæam reuerteretur. Primum, cùm aquam in vinum conuertit: ſecundum, cùm à Reguli filio mortiferam febrim verbo depulit. Particula *iterum* non ſignificat Chriſtum iterum feciſſe ſecundum hoc ſignum, hoc eſt, bis: abſurdus enim hic ſenſus eſt. Sed ſignificat, vt vult Toletus, Chriſtum feciſſe hoc ſecundum ſignum, cùm iterum veniſſet ex Iudæa in Galilæam. At particula *iterum* nimium diſtat à verbo veniſſet. Coniungenda potius eſt cum verbo *fecit*, vt Ianſenius coniungit, hunc in modum: Hoc ſecundum ſignum Chriſtus fecit iterum, id eſt, ſecundò in Galilæa, poſt illud primum nuptiarum. Quaſi dicat, iterauit ſignum, ſed non idem.

CAPVT XV.

Morale.

De filio Reguli reſtituto ſanitati.

INCIPIEBAT Reguli filius mori, vt Euangeliſta ait, cùm incipiebat viuere. Erat enim puer. Nam eo loco, vbi legimus, *Domine, deſcende priuſquam moriatur filius meus*, Græcè habetur, Domine, deſcende priuſquam moriatur παιδίον μου, id eſt, puer meus. Meritò diuus Baſilius in commentariis Pſal. 114. mundum hunc appellat morientium regionem. Cùm enim viuere incipimus, ſtatim & incipimus mori. Quamobrem vita noſtra longa quædã mors eſt. Mundus hic, ait Baſilius, & mortalis eſt ipſe, & morientium regio. Priuſquam anima à corpore ſeparetur, ſæpe morimur. vita hominum per multas mortes expleri conſueuit, &c. Philo in libro de Ioſeph: Fortaſſe, inquit, ætates ſingulæ decedendo præmoriuntur, natura nos paullatim docente, non timere mortem extremã omnium: quando priores facilè tulimus, infantię, pueritię, pubertatis, adoleſcentiæ, iuuentutis, & virilitatis, quæ omnes ætates ante ſenectutem euanuerunt. Sic Philo. Et D. Aug. Pſal. 127. Veniente pueritia, moritur infantia: veniente adoleſcentia, moritur pueritia: veniente iuuentute, moritur adoleſcentia: veniente ſenectute, moritur iuuentus: veniente morte, moritur omnis ætas. Quot optas gradus ætatis, tot ſimul optas & mortes ætatum. Hæc Auguſtinus. Moritur & euaneſcit in primis infantia, deinde pueritia, poſt adoleſcentia, virilis quoque ætas, tandemque ſenectus. Quære à ſene, vbinam infantia eſt? vbi pueritia tua? vbi adoleſcẽtia? vbi virilis ætas? rectè reſpondebit, ſi has omnes ætates mortuas iam eſſe reſponderit. Quid ætates dixi? ipſi anni, mẽſes, dies, horæque vitæ noſtræ moriuntur, nosque ſimul cum eis morimur. Nónne, qui præteriere dies, vel horæ, vel anni, mortui dici poſſunt? Cùm verò ex diebus, horis, & annis vita noſtra conſtet: ſi horæ, anni, dieſque moriuntur, vita quoque noſtra ſimul quotidie moritur. Quapropter ſtatim cùm viuere incipimus, incipimus etiam mori. Præteritum tempus mortuum eſt, futurum nondum eſt exortum: quid igitur aliud vita noſtra eſt, quàm momentum vnde pendet æternitas?

Incipimus mori, cùm incipimus viuere. *Ioan. 4.* *Mundus morientiũ regio.* *Baſil.* *Philo.* *Auguſt.* *Quot mortes in hac vita patimur.* *Vita noſtra momẽtum, ex quo pẽdet æternitas.*

2. Trahit Deus homines mollioribus, ſericisque caritatis funiculis; iuxta illud: *In funiculis Adam traham eos, in vinculis caritatis*, hoc eſt, beneficiis atque amore. Trahit quoque funibus craſſioribus atque aſperioribus, hoc eſt, morbis & variis calamitatibus. Sic hunc traxit Regulũ, filij videlicet morbo. Agricola, qui arbori ſilueſtri ſurculum vult inſerere fructiferum, agreſtes reſcindit ramos: ita Deus vt gratiæ maximè fructiferum ſurculum homini inſerat ſilueſtri ac flagitioſo; ramos, hoc eſt, ſanitatem, opes, ſimiliaque reſecat. Audi quomodo ſilueſtris arboris ramos præſcindat: *Succidite arborem, & præcidite ramos eius. Verumtamen germen radicum eius in terra ſinite*, &c. Significat arbor ſilueſtrem ac ſuperbum Regem Nabuchodonoſorem, cuius ramos, id eſt, regium honorem, diuitias, ac poteſtatem Deus ſuccidit: germenque radicum reliquit, vt humilitatis religionisque ſurculum illi inſereret. Etenim è regno eiectus, & in belluinam vitam abiectus, de Deo vero cœpit religioſè ſentire, & magnificè. Lege Dan. 4. Regem hunc aſperioribus funibus veluti taurum, traxit Dominus; Regulum verò veluti arietem, minus aſperis adduxit: videlicet filij ęgritudine. Si agricolam arborem

Trahit Deus calamitatũ funibus. *Oſea 11.* *Dan. 4.*

ramis denudantem cernens, roges cur arboris præcidat ramos? roganti respondebitur: Non resecat, vt obsit; sed vt prosit: ex sterili sic facit fructuosam. Eumdem in modum, si petas, Cur Deus flagellet homines, cur caducis bonis veluti ramis spoliet? responsum huiusmodi accipies: Non vt noceat, sed vt proficiat caduca bona aufert Dominus; sic hominem nihil bonæ frugis ferētem reddit fructuosum. Misericordia vtitur, non solùm cùm prospera donat; verùm etiam cùm aduersis hominē vexat, vt ad bonam frugem redeat. Augustinus epistola 87. Quid, inquit, non misericorditer præstatur hominibus à Deo, à quo etiam tribulatio beneficium est? Nam res prospera donum est consolantis; res aduersa autem donū est admonentis Dei, &c. Item: Quàm multa habeant impij in hac vita munera, & dona gratuita à Deo, enumerare quis potest? inter quę, illud magnum, quod exemplis interpositarum tribulationum, quas huius sæculi dulcedini tamquam bonus medicus miscet, admonet eos, si attendere velint, fugere ab ira ventura, &c.

Augusti. *Res aduersa donum sunt Dei admonitis.*

3. Obserua quanta cum festinatione filio succurri petat Regulus: *Domine*, inquit, *descende priusquam moriatur filius meus.* Docet locus ad sanandum animum corpore multò præstantiorem maximè festinandum. Id quod Eliseus quoque indicat, cùm iubet famulum Giezi accepto baculo ad excitādum à mortuis puerum magnopere properare. *Accinge*, inquit, *lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade. Si occurrerit tibi homo, nō salutes eum; & si salutauerit te quispiam, non respondeas illi*, &c. Hac festinatione, immo multò maiori, animi vita est procuranda. *Accinge*, inquit, *lumbos tuos*; ne laxæ vestes itineri habendo sint impedimentum. Ille lumbos accingit, qui omnia tollit impedimenta, quæ animæ saluti consequendæ ita obstant, vt laxæ, minimeque accinctæ vestes itineri obstant conficiendo. Non satis est impedimenta obstantia remouere, auxilia quoque quærenda sunt. Ideo additur: *Tolle baculum in manu tua, & vade*: hoc est, quære itineri cælesti conficiendo auxilium Sanctorum, tam eorum, qui in cælis degunt, quàm eorum, qui in terris viuunt. Quære confessionis, sacræ lectionis, concionis, orationisque opem; atque in primis Dei. Nullamque tanto in negotio moram interponas, id quod significant verba illa: *Si salutauerit te quispiam, non respondeas illi*, &c. Succuro verbū ducitur à curro; & meritò quidem, quoniam currere oportet illum, qui vult succurrere. Currat ergo homo, vt animæ suæ succurrat. Curramus omnes; & occasiones, quas offert salutis Deus, ne prætermittamus. Exsiccatus erat Iordanis alueus, commodaque in terram promissionis transeundi dabatur occasio. Itaque vt eo capite scriptum extat: *Festinauit populus & transiit.* Multæ nobis dantur in cælum promissum transeundi occasiones, festinemus, & transeamus.

Ioan. 4. Ad ferendā sanitatem animæ festinandum. *4. Reg 4.* *Currere debemus pro salute nostra procuranda.* *Iosue 4.*

Cunctamur, & ad Christum tunc accedimus cùm ægrotamus, & mori incipimus. Accessit ad Christum Regulus filio salutem impetraturus, sed tunc accessit, vt ait Euangelista, *cùm incipiebat mori.* Quæso vel illam saltem animæ curam habeamus, quam pecorum habemus & iumentorum. Lucæ 14. ait Dominus: *Cuius vestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die Sabbati?* Iumentum continuò ex puteo extrahitur, anima in profundissima peccati voragine multos dies, & menses, ne annos dicam, iacebit? Bouem iumentaque tua ex puteo extrahis continuò, animam quoque tuam ex peccati barathro continuò extrahe.

Ioan. 4. *Luca 14.*

Descendere vult Christum Regulus: *Domine*, inquit, *descende.* Sed Dominus descendere noluit rogatus à Regulo, non rogatus autem à Centurione

A vltrò ait: *Ego veniens curabo eum.* Moralem huius rei rationem reddit diuus Gregorius homil. 28. in Euangelia: Superbia, inquit, nostra retunditur, qui in hominibus non naturam, qua ad imaginem Dei facti sunt, sed honores & diuitias veneramur. Increpata est superbia, quæ nescit pensare homines propter homines; sola quæ circumstāt hominibus pensat, naturam non aspicit, honorem Dei in hominibus non agnoscit. Ecce ire non vult Filius Dei ad filium Reguli, & tamen venire paratus est ad salutem serui, &c. Auctor Imperfecti homil. 22. Petitio, inquit, Centurionis erat pro seruo, ideo Christus ire proposuit: vt nos doceret, nō magnos colere, & modicos contemnere, sed pauperes & diuites similiter honorare, &c. Discimus ergo non esse despiciendos pauperes & ignobiles, sed magni faciendos; quippe qui imago Dei sunt, atque ea ratione nobilissimi. Eadem præterea imago in diuitibus nobilitateque præcellentibus viris præcipuè, & virtus consideranda est; quamuis reliqua quoque ornamenta honorem concilient.

Ioan. 4. *Superbia nostra hic retunditur.*

B

Quod Regulo negauit Dominus, principi cuidam Synagogæ concessit: *Ecce*, inquit, *princeps vnus adorabat eum, dicens: Domine filia mea modò defuncta est, sed veni, impone manum tuam super eam, & viuet.* Orat Regulus: *Domine, descende priusquam moriatur filius meus.* Orat princeps: *Veni, impone manum tuam super eam.* Plus petit princeps. Non solùm enim petit, vt veniat domum, quod orat Regulus; sed vt manum filiæ imponat. At Christus non ait: Vade, filia tua viuit; sed, vt Euangelista ait: *Surgens Iesus sequebatur eum & discipuli eius.* Tandemque domum peruenit, puellæ manum tenet, eamque in vitam reuocat. Longè aliter cum Regulo se gerit, non sequitur eum, non venit domum, non tenet manum pueri; sed: *Vade*, inquit, *filius tuus viuit.* Etenim non eodem modo cum omnibus hominibus se gerit Dominus; ipse corda inspicit, quo trahendi sint modo, ipse nouit. Regulum hoc modo, archisynagogum illo trahere voluit.

Matth. 9. Quod Regulo negauit, principi Synagogæ Christus cōcessit. *Ioan. 4.* *Deus corda inspicit & hac hoc modo, aliū alio trahit.*

C

Laborabat febri Reguli filius, vt ex illis verbis colligitur: *Heri hora septima reliquit eū febris.* Laborat alia febri noster animus. Non enim solùm hominum corpora, verum etiam animi febri afficiuntur. Animi tamen febris grauior est, & periculi multò maioris. Febris animi concupiscentia est, quæ in viscеribus hominum instar camini, immo instar tartarei ignis exardescit. Augustinus Psalm. 57. Concupiscentia, inquit, mala ardor est ignis, &c. Duplex ignis, siue calor homini inest naturalis, & naturæ contrarius. Naturalis calor est, qui à natura est insitus. Calor naturæ contrarius, febris appellatur. Similes his sunt duo alij calores, alter supernaturalis, alter pernicioſus ac pestifer. Supernaturalis calor amor est Dei, siue caritas. Pernicioſus calor est concupiscentia. Quemadmodum in naturali calore vita corporis consistit; ita in supernaturali calore animi vita sita est. Tolle calorem naturalem, vitam corporis sustulisti; tolle caritatem, animo vitam eripuisti. Pernicioſus calor corporis, est febris; pernicioſus calor animi, est concupiscentia. Hæc nostra febris est, febrisque in nobis effectus habet.

Febris animi, concupiscentia & ignis. *Augustin. Duplex calor corporis, duplex etiā animi.* *Effectus febris animo inhærentis.*

D

E

Febris hominem pulcerrimum macie extenuat ac deformat; sic concupiscentiæ ardor, cùm hominem in peccatum mortiferum præcipitat, animum pulcritudine præditum angelica conficit macie ac deturpat. Pulcerrimæ sunt animæ, quas gratiæ diuinæ pulcritudo decorat. Quod filiarum Iob illa adumbrat eximia venustas. *Non sunt inuentæ mulieres speciosæ sicut filiæ Iob in vniuersa terra*, &c. Neque enim in vniuerso orbe quidquam est venustius ac pulcrius

Nihil est venustius animā, quam gratia exornat. *Iob 42.*

crius anima,quam gratia exornat. Quòd ſi pulcerrimæ iſtæ Iob,ſiue potiùs Chriſti filiæ,mortifero ſe crimine inquinent,nihil erit fœdius,nihil erit turpius. Nazaræos Ieremias pingit pulcerrimos: *Thren. 4.* *Candidiores*, inquit, *Nazarei eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulcriores.* At amiſſa pulcritudine vide quàm ſint deformes. Addit Vates: *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis, adhæſit cutis eorum oſſibus, aruit, & facta eſt quaſi lignum*, &c. Equidem animæ à vitiis ſeparatæ (ſeparationem enim Nazaræorum nomen ſignificat) candidiores niue ſunt, candore quodam admirabili ac ſpiritali; nitidiores lacte, ſapphiro, gemmiſque omnibus pulcriores. Si verò criminibus ſe contamment, tantæ pulcritudinis iacturam faciunt, omnibus lacrymis deploran dam. Denigratur facies earum, vt Ieremias deplorat, ſuper carbones. Tetra enim crimina, Orci carbonum inſtar, atrorem illis tartareum inducunt. Adhæret cutis earum oſſibus; quibus verbis macies ſumma indicatur. Quamobrem à Deo & Angelis minimè agnoſcuntur, audiuntque illud: *Neſcio vos*, quod fatuæ virgines audierunt. Quis ita animas deformat? febris, de qua loquimur.

Peccatum animas deturpat omnig; priuat decore.

Matth 25.

Præterea febris corpori inhærens ſitim efficit; ſic etiam febris inhærens animo. Quis ſitim ignorat, quam concupiſcentia in animis gignit mortalium? Qui ſanus eſt minimeque ſitit, fontes præterit & fluuios, neque vlla aquæ tangitur auiditate. Qui verò febri laborat, conſpectam aquam auidiſſimè concupiſcit. Eumdem in modum, qui animo eſt incolumi, nec febrim habet ſpiritalem, aurum præterit, argentum, pretioſas veſtes, honores, voluptates, nec horum quidquam deſiderat; immo ſpernit, & pro nihilo ducit omnia. Qui verò ſpiritali febri tenetur, ne conſpectas quidem has res cupidè ſitit, neque vmquam ſitim explet. Vt enim ait Solon apud Plutarchum in libro de Cupiditate diuitiarum.

Febris animi ſitim gignit inexplebilem.

Solon.

Haud eſt finis opum fixus mortalibus vllus.

Diuitiarũ cupiditas nõ ſatiatur.

Richar.

Et D. Baſilius in epiſt. ad Chilonem: Ea, inquit, eſt humanæ iſtius vitæ conditio; numquam contenta acceptis, ſpe alitur continenti, & ſecura præteritorum, inhiat futuris, &c. Et Richardus de Beniamin: Ad ſatiandum, inquit, ſenſualitatis appetitum totus mundus non ſufficit, &c. Simile eſt illud Poëtæ Iuuen. ſat. 10.

Iuuen.

Vnus Pellæo iuueni non ſufficit orbis.

Flet Alexãder mundos infinitos eſſe audiens.

Nam, vt Plutarchus narrat in libro de Tranquillitate animi; cùm audiret Alexãder Magnus Anaxarchum mundos infinitos eſſe diſſerentem, illacrymaſſe dicitur. Per contãtibusque amicis, ecquid lacrymis dignum ei contigiſſet? Reſpondit: An indignum eſt nos flere, ſi cùm infiniti mundi eſſe dicantur, nondum vnius domini facti ſumus.

Sitis hæc, & febris hoſtibus nos tradit. Vt enim ſitim, ſiue concupiſcentiam expleant homines, criminum catenis ſeſe obſtringunt, hoſtiumque poteſtati tradunt, Lyſimacho ſimiles, de quo Plutarchus in libro de Tuenda valetudine ita ſcribit: Cùm Lyſimachus inter Getas ſiti conſtrictus ſeſe pariter, atque exercitum hoſtibus dediſſet, ac deinde frigidam bibiſſet aquam: *Dij*, inquit, *boni quam breuis voluptatis cauſſa magnam depoſui felicitatem!* Sic Lyſimachus exclamauit hoſtium poteſtati pro aqua traditus. Exclamet vtinam ſimiliter is, qui pro momentanea voluptate ſatanæ ſe addixit: Deus bone, quàm breuis voluptatis cauſſa æternæ felicitatis iacturam feci; hoſtiumque ſæuiſſimorum ſeruituti me mancipaui! Idque cùm cognouerit, iugum grauiſſimum excutiat; febrique medeatur, & rerum fluxarum ſiti; ne in manus iterum incidat inimicorũ.

Cupiditas hoſtibus nos tradit.

Plutar.

Tertiò, febris faſtidium gignit, ſic ſpiritalis febris caducorum bonorum ſitim, cibique cæleſtis faſtidium parit; iuxta illud: *Omnem eſcam abominata eſt anima eorum, & appropinquauerunt vſque ad portas mortis.* Qui enim pœnitentiam, confeſſionem, Euchariſtiam auguſtiſſimam, ſacram lectionem, rerumque æternarum meditationem faſtidit; is vſque ad portas mortis appropinquat.

Febrũ faſtidiu gignit.

Pſal. 106.

Denique febris hæc nos ſepelit. Dives ille epulo in inferno ſepultus dicitur. Hoc illorum ſepulcrum eſt, quos concupiſcentia in ſcelera præcipitat. Illi loco, in quo populus Iſraeliticus carnes concupiuit, à Deoque magna plaga eſt percuſſus, nomen hoc impoſitum legitur: *Sepulcra concupiſcentiæ. Ibi enim*, vt eo capite ſcriptum exſtat, *ſepelierunt populum qui deſideranerat*, &c. Congruit ſanè nomen egregiè tartaro. Quid enim aliud ſunt tartareæ illæ flammæ, quàm ſepulcra concupiſcentiæ? hoc eſt, ſepulcra, in quibus ij ſepeliuntur, quos febris ardentiſſimæ concupiſcentiæ vita gratiæ priuat. *Ibi*, vt eſt in Scriptura ſacra *ſepelitur populus qui deſiderat*, non ſpiritum, ſed carnes.

Lucæ 16.

Sepulcrum impiorum tartarus.

Num. 11.

Orci flãma ſepulcra cõcupiſcentiæ.

O ille felix, de quo dici poteſt illud: *Heri hora ſeptima reliquit eum febris.* Non ſine labore te illa relinquet. Sed ſi pro depellenda à corpore febri omnem laborem toleras; vt ab animo peſtiferum concupiſcentiæ ardorem abigas, quid non erit ferendum? Potiones, etſi amaras, ſume; ſanguinem, ſi opus eſt, funde. Hic tecum hoſtis naſcitur, vt te ſpiritali in bello exerceat, triumphique materiam exhibeat. Fortiter præliare, hoſtem vince, triumphum paratum reportabis. Audi Magnum Auguſtinum Pſalm. 57. Natus es cum eo quod vincas, id eſt, cum concupiſcentia, vince hoſtem, cum quo natus es. Ad ſtadium huius vitæ cum illo veniſti, congredere cum eo, qui tecum proceſſit, &c. Tecum naſcitur hic hoſtis, tecũ creſcit, tecum veſcitur, te perpetuò ſequitur; illius inſidias, ſi ſapis, diligenter caue.

Ioan. 4.

Vt cõcupiſcentiæ febris pellatur omnis labor tolerandus.

Auguſt.

LIBER

LIBER QVINTVS.

CAPVT PRIMVM.

De via maris trans Iordanem, & Galilæa gentium.

MATTH. CAP. IV.

ET relicta ciuitate Nazareth, venit, & habitauit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon & Nephthalim; vt adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam Prophetam: Terra Zabulon, & terra Nephthalim, via maris trans Iordanem, Galilæa gentium populus, qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam: & ſedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis. Exinde cœpit Ieſus prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum. Et circuibat Ieſus totam Galilæam, docens in ſynagogis eorum, & prædicans Euangelium regni: & ſanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. Et abiit opinio eius in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes malè habentes, variis languoribus, & tormentis comprehẽſos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curauit eos: & ſecutæ ſunt eum turbæ multæ de Galilæa, & Decapoli, & de Ieroſolymis, & de Iudæa, & de trans Iordanem.

MARC. CAP. I.

POSTQVAM traditus eſt Ioannes, venit Ieſus in Galilæam, prædicans Euangelium regni Dei, & dicens: Quoniam impletum eſt tempus, & appropinquauit regnum Dei: pœnitemini, & credite Euangelio.

LVC. CAP. IV.

ET regreſſus eſt Ieſus in virtute Spiritus in Galilæam, & fama exiit per vniuerſam regionem de illo. Et ipſe docebat in ſynagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus.

Hoc loco initium habet ſecũdus annus poſt baptiſmum.

HOC ferè loco initium ſumit annus ſecũdus Chriſti poſt baptiſmũ. Quod hac ratione probatur ex iis, quæ ſuprà diximus. Nam quatuor menſium ſpatio diſtabat meſſis eo tempore, quo Chriſtus Samariam pertranſiuit, & in Galilæam venit, vt ex illis verbis colligitur ſuprà iam explicatis: *Nónne vos dicitis, quòd adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit?* Meſſis, vt oſtendimus, in Iudæa menſe Aprili fiebat; quartus menſis ante Aprilem December eſt, ergo circiter menſem Decembrem Chriſtus Samariam pertranſiit, & in Galilæam peruenit. Primus autem annus poſt baptiſmum ſexta die Ianuarij inchoatus eſt: ea enim die eſt baptizatus, vt ſentit Eccleſia, expletus verò eſt ſequenti anno ſexta die Ianuarij in nuptiis Canæ. Inde cœpit annus ſecundus poſt baptiſmum, à ſexta, inquam, die Ianuarij; abſolutusque eſt menſe Ianuario ſequẽti. Chriſtus verò circiter menſem Decembrem, qui Ianuarium antecedit, in Galilæam rediit. Obſeruauit hoc ex antiquis Rupertus in Ioan. 4. his verbis: Ex quo Dominus aquam in vinum conuertit in Cana Galilææ, & nunc quando reuertitur iterum in Galilæam, annus exactus eſt; qui eſt ætatis eius trigeſimus primus. Hæc ille.

Ioan. 4.

Annº Chriſti 31. & à baptiſmate ſecundi initium.

Rupert.

RELICTA *ciuitate Nazareth, venit, & habitauit in Capharnaum maritima.* Venit Chriſtus in Galilæam circa menſem Ianuarium, Ioanne in vinculis agente. Noluit autem in ciuitate Nazareth habitare, quoniam, vt Ioannes ait capite 4. Propheta in patria ſua honorem non habet, quod iam ſuprà eſt explicatum. Habitare maluit in vrbe Capharnaum, quòd eſſet media inter regionem, quæ trans Iordanem erat & Galilæam, frequentiorque fieret ad illam hominum concurſus. Erat enim maritima, vt Matthæus ait, & Galilææ vrbs præcipua, & tamquam metropolis, vt ait Auguſtinus lib. 2. de Conſenſu Euangeliſt. capite 25. Capharnaum, inquit, ita excellebat in Galilæa, vt tamquam metropolis haberetur. Item, Capharnaum ſicut caput Galileæ ciuitatibus eminebat, &c. De illa diuus Hieronymus ſic ſcribit in libro de locis Hebraicis: Capharnaum eſt iuxta ſtagnũ Geneſareth, vſque hodie opidum in Galilæa gentium ſitum, in finibusque Zabulon & Nephthalim, &c. Et Iſaiæ 9. In littore, inquit, lacus Geneſareth, Capharnaum, & Tiberias, & Bethſaida,

Matth. 4.

Capharnaũ Galilææ vetus metropolis, & quæ ſit ciuitas.

Auguſt.

Hieron.

ſaida, & Corozaim ſitæ ſunt, &c. Diſtat Capharnaum ab Ieruſalem leucis ferè 36. vt ait Abulenſis Matth. 15. quæſt. 3.

Eſt in eadem regione eiuſdem nominis fons, de quo Ioſephus libro 3. de Bello, capite 18. Fons, inquit, ab indigenis Capharnaum appellatur; eum nonnulli venam eſſe Nili fluminis opinatur, quòd ſimiles Coracino Alexandrino generat piſces. Et Borchardus prima parte Itinerarij, capite 4. §. 6. Iuxta mare, ait, Galilææ ferè 30. paſſibus fons oritur pariete circumdatus, quem incolæ credunt venam Nili, quòd Coruum piſcem nutrit, qui nuſquam alibi reperitur. Ioſephus fontem Capharnaum appellat. Planicies vſque ad Iordanem trium leucarum longitudinem habens Capharnaum nominatur. Hæc ille.

Ioſephus. Fōs Capharnaum.

Borchard.

Hieron.

D. Hieronymus de nominibus Hebraicis ex Euangelio D. Lucæ, nomen Capharnaum ait ſignificare agrum, ſiue villam conſolationis. כפר, Copher, enim villã Hebræis ſignificat, נחם, Nacham, verò verbum ſignificat conſolari. Sed ſi à נחם, Nacham deriuetur, nomen erit Capharnachum, cum aſpiratione. Quia tamen Græce abſque aſpiratione ſcribitur: carent enim Græci in medio dictionis aſpiratione, ideo etiam Latinè aſpiratio deeſt. Poteſt etiam deriuari à verbo נעם, Nahham, quod ſignificat dulceſcere, delectari, pulcreſcere, ſignificabitque nomen Capharnaum agrum, ſiue villam delectationis, vel pulcritudinis. Diuus Hieronymus Ezechielis 38. agrum pulcerrimum interpretatur: כפר, Copher, inquit, ager appellatur & villa, vnde & Capharnaum ager pulcerrimus dicitur, &c. Sic forſitan appellatus eſt ille ager, quòd pulcer eſſet, amœnus & fecundus. Et ab agro tam ciuitas, quàm fons nomen accepit. Cardinalis Baronius vult ciuitatem à fonte nomen ſumpſiſſe.

Quid ſignificet nomen Capharnaũ

De amœnitate fertilitateque regionis illius, quam fons Capharnaum irrigabat, Ioſephus in hunc modum ſcribit. Ad lacum Geneſar eiuſdem nominis terra protenditur, natura ſimul & pulcritudine admirabilis. Nullum enim ipſa pro vbertate ſui negat arbuſtum, totamque plantis conſeruere cultores. Cæli verò temperies etiam diuerſis aptiſſima eſt; nuces enim, quæ arborum maximè frigoribus gaudent, infinitæ floreſcunt: vbi etiam palmæ, quas nutrit calor æſtiuus, has iuxta ficus & oleæ, quibus aura mollior deſtinata eſt. Vt naturæ magnificentiam hanc eſſe quis dixerit, vim adhibentis, vt in vnum conueniant inter ſe repugnantia, annique temporum contentionem bonam, veluti ſingula peculiari ſtudio terræ fauerent. Non enim ſolùm nutrit præter opinionem poma varia, ſed etiam ſeruat, egregia quidem, & quodammodo regnantia. Vuas ſanè, & caricas ſine intermiſſione decem menſibus ſuggerit. Ceteros verò fructus anni ſpatio ſeneſcentes. Nam præter aëris lenitatem, & fonte quoque irrigatur egregiè potabili, qui Capharnaum ab indigenis appellatur. Hactenus Ioſephus de terræ Geneſar amœnitate. Dicitur autem terra Geneſar, ſiue Geneſareth illa, quæ iuxta littora maris Galilææ eſt, quod appellatur lacus Geneſar, ſiue Geneſareth. Longitudo autem regionis, ait Ioſephus, ſecundùm littora cognominis lacus, triginta ſtadiis extenditur, & latitudo viginti, &c. Triginta autem ſtadia ferè leucam efficiunt. Ex Borchardo prima parte, capite 4. §. 6. & 7. colligitur Capharnaum à fonte diſtare ſpatio ferè leucæ. An verò intra illa triginta regionis Geneſar ſtadia contineretur incertum eſt. Montanus quidem in libro de Partitione terræ promiſſæ, de tribu Zabulon ſcribens, in terra Geneſar illum collocat. Sed de terra Geneſar iterum redibit ſermo, annuente Deo.

Ioſephus l. 3. de Bel. c. 18. De fertilitate & amœnitate terræ Geneſar.

In finibus Zabulon & Nephthalim. Terram promiſſam duodecim tribus Iſrael in duodecim partes ſiue ſortes diuiſam poſſederunt. Tribui Nephthalim pars obuenit Septemtrionalis, verſus fontes Iordanis Libanumque montem. Illius ſorti proxima fuit ſors tribus Zabulon. Itaque fines tribus Zabulon terminos contingebant ſortis Nephthalim. Ait igitur Euangeliſta Capharnaum ſitam fuiſſe in finibus Zabulon & Nephthalim. Hoc eſt, in eo loco, quo ſe harum tribuum ſortes contingebant. Adrichomius in Theatro tribui Nephthalim illam adſcribit. Montanus in libro de Terræ promiſſæ partitione ſorti Zabulonis tribuit. Dixit autem Matthæus Capharnaum in finibus fuiſſe Zabulon & Nephthalim, & fuiſſe maritimam, quoniam in vaticinio Iſaiæ, quod profert, harum duarum tribuum Zabulon & Nephthalim, & maris mentio fit.

Matth. 4.

Vbi fuerint ſortes Zabulon & Nephthalim.

Terra Zabulon & Nephthalim, via maris trans Iordanem, Galilæa gentium. Iſaiæ vaticinium ex cap. 9. profert in medium Matthæus, quo prædixerat Vates Chriſtum veluti Solem fulgentiſſimum Galilæam, Zabulonem, & Nephthalim, illuminaturum. Nos priùs de locis ipſis agamus, deinde de ipſa agemus vaticinatione. Terra Zabulon dicitur ea pars, quæ Zabuloni tribui data eſt: ſimiliterque terra Nephthalim ea appellatur regio, quæ tribui Nephthalim obuenit. Erant autem hæ duæ ſortes in Galilæa. Hæc perſpicua: ſed in via maris magna caligo.

Matth. 4.

Terra Zabulon quæ.

Quæritur, quænam ſit hæc *Via maris*. Ianſenius viam maris trans Iordanem appellari putat viam illam, ſiue regionem, quæ mari Galilææ adiacebat; in qua erant vrbes Capharnaum, Bethſaida, Tiberias, prope mare. Exiſtimat autem dici hoc loco hęc opida eſſe trans Iordanem reſpectu eorum, qui Orientem habitabant, ſcilicet Aſſyriorum. Nam reſpectu Iudæorum cis Iordanem erant. Eadem eſt Caietani interpretatio. Borchardus prima parte Itinerarij terræ ſanctæ, capite 4. §. 5. de hac via maris ſic ſcribit: A Corozaim ad tres leucas exſtat vrbs Cedar glorioſa nimis & famoſa, ſita in monte Seir contra Orientem. Per vrbem Cedar tranſit via, qua patet inceſſus per littus maris Galilææ, ducens ad Occidentem, vt legimus in Tobiæ capite 1. Iſaias autem capite 9. appellat eam viam maris trans Iordanem: viam quidem maris dicit, quia in maris Galilææ littore proceditur, & trans Iordanem; nam vltra Iordanem deducitur. Hæc ille. Exiſtimat Borchardus viam maris dici à mari Galilææ, quia iuxta hoc mare via eſt in loca ducens, quæ trans Iordanem ſunt.

Quænam ſit via maris. Ianſen.

Borchard.

Abulenſis Matth. 4. arbitratur viam appellari maris, à mari potiùs Mediterraneo, quòd in mare Mediterraneum duceret. Ipſum audiamus: Eſt, inquit, via, per quam venitur de Syria, & de Meſopotamia, & de aliis Orientis partibus, ad mare Mediterraneum; quod erat in Occidentali parte Iudææ. Et iſta via tranſit per littus maris Galilææ, & protenditur verſus Occidentem vſque ad mare Mediterraneum per ciuitates terræ Iudæorum, tranſitque per terram Galilææ apud ciuitatem Capharnaum, & tota iſta terra vocatur via maris, quia per eam tranſit via maris. Primo modo dicitur via maris, ſcilicet, Mediterranei, quia in eo terminatur. Nam omnes illi populi Orientales veniunt portantes merces ad mare Mediterraneum; & via, per quam tranſeunt, vocatur via maris, id eſt, tendens ad mare Mediterraneum. Et iſta via tranſit per illam partem Galilææ, in qua Chriſtus cœpit prædicare; & ob hoc terra ipſa vocatur via

Abulenſis ſententia & aliorum.

maris. Secundo modo dicitur via maris, quia trãsit iuxta mare Galilææ. Melius tamen vocatur via maris Mediterranei, quia tendebat ad illud. Hæc *Lyran.* Abulensis. Eadem est opinio Lyrani: Dicitur, inquit, illa terra via maris, quia est ibi via publica ad portandum merces à Iordane ad mare Mediterraneum, &c. Idem sentit Carthusianus & Vatablus, *Adrichom.* Adrichomius in Theatro terræ sanctæ in tribu Nephthalim: Via, ait, maris, cuius in Euangelio Matthæi fit mentio, inde nomen habet, quòd ex Syria in Occidentem ad mare Mediterraneum ducat. Publica quædam via est, quæ initium in Syria sumens, per Iordanem fluuium, & littus maris Galilææ procedens, Ptolemaidemque decurrens, merces suas in vniuersum Occidentem distrahendas B ad mare Mediterraneum exonerat, &c. Huius viæ, vt vult Borchardus, mentio fit illis verbis: *Tobias* *Tobiæ 1.* *ex tribu & ciuitate Nephthali, quæ est in superioribus Galilææ supra Naason, post viam, qua ducit ad Occidentem*, &c.

Hieron. D. Hieronymus Isaiæ 9. *Viam maris* non à mari Mediterraneo, sed à mari Galilææ dictam sentit. Neque verò huius viæ meminit, quam hi auctores recentiores tradunt. Mare, inquit, hic appellat Vates lacũ Genesareth, in cuius littore Capharnaum, & Tiberias, & Corozaim sitæ sunt, &c. Est igitur potiùs locus de mari Galilææ intelligendus. Propterea enim dixit suprà Matthæus Capharnaũ esse maritimam, id est, vicinam mari Galilææ; quoniam in vaticinio Isaiæ huius maris fiebat mẽtio. Itaque C *Matth. 4.* *Via maris trans Iordanem*, ora illa maris Galilææ appellatur, in qua erat Capharnaũ, & alia opida. Erat hæc ora cis Iordanem; tamen quia via erat in regionem trans Iordanem, dicitur via maris trans Iordanem, scilicet ducens. Vel via siue locus propinquior regioni, quæ trans Iordanem erat.

Diximus de Zabulon & Nephthalim, & de via maris. Reliquum est, vt de Galilæa gentium dicamus. Atque in primis circa lectionẽ aduerte, apud Matthæum legendum, non, *Galilææ gentium*, sed, *Galilæa gentium*; in casu primo, vt habent correcta iussu summi Pontificis Biblia. Apud Isaiam verò, Galilææ gentium. Galilæa in duas partes diuiditur, *Iosephus.* teste Iosepho libro 3. de Bello, capite 2. in superio- D rem & inferiorem. Operępretiũ erit Iosephi verba in medium afferre. Ex iis enim Galilæam, eiusque *Duplex Galilæa, superior & inferior.* incolas agnoscemus. Duæ, ait, sunt Galilææ, quæ superior & inferior appellantur; easque Phœnice & Syria cingunt. Discernit verò ab Occidẽte Ptolemais territorij sui finibus, & quondam Galilæorum, nunc autẽ Tyriorum mons Carmelus. A Meridie autem Samaritis & Scythopolis, vsque ad flumen Iordanem. Ab Oriente verò Hippene & Gadaris, sed & Gaulanitis definit. Septemtrionalis eius tractus Tyro, itemque Tyriorum finibus ter- *Inferior Galilæa qua.* minatur. Inferioris quidem Galilææ longitudo à Tiberiade vsque ad Zabulon vrbem, cui vicina est in locis maritimis Ptolemais, protenditur. Latitu- E *Galilæa superior.* dine autem patet à vico Xaloth, qui in magno campo situs est, vsque Bersaben. Vnde etiam superioris Galilææ latitudo incipit, vsque ad Baca vicum, qui terram dirimit Tyriorum. Longitudo verò eius à Thella vico Iordani proximo vsque ad Meroth extenditur. Sed cùm tantæ sint vtræque magnitudine, tantisque gentibus alienigenis cinctæ, semper tamen omnibus belli periculis restiterunt. *Pugnaces Galilæi.* Nam & pugnaces sunt ab infantia Galilæi, & omni tempore plurimi; neque aut formido vmquam viros, aut eorum penuria regiones occupauit. Quoniam totæ optimæ ac fertiles sunt, omniumque generum arboribus consitæ; vt etiam minimè studiosos agriculturæ vbertate sua prouocent. Deni-

A que excultæ sunt ab incolis totæ, nec pars vlla est earũ otiosa. Quin & ciuitates ibi crebræ, & vbique multitudo vicorum, propter fertilitatem populosa; vt qui sit minimus supra quinque millia, ad decem millia colonorum habeat, &c. In libro, quem de vita sua idem auctor scripsit, vicos & opida Galilææ his verbis numerat: Quadringenti quatuor in Galilæa sunt, vici partim, partim opida, &c. Ex his Iosephi verbis habemus Galilæam fuisse feracem, populosamque, & pugnacem, & gentibus cinctam. Galilæam verò superiorem viciniorem fuisse Tyriis, inferiorem, propinquiorem Tiberiadi, quę vrbs sita est iuxta mare Galilææ, vnde Tiberiadis mare appellatur. *Fertilis Galilæa & populosa.*

D. Hieronymus Galilæam superiorem ait fuisse *Hieron.* in tribu Nephthalim, inferiorem in tribu Zabu- *In qua tribu fuerit Galilæa superior & inferior.* lon. In libro de locis Hebraicis sic scribit: Galilææ duæ sunt; ex quibus vna Galilæa gentium vocatur, vicina Tyriorum finibus; vbi & Salomon viginti ciuitates donauit Hiram Regi Tyri. 3. Regum 9. in sorte tribus Nephthalim. Altera Galilæa dicitur circa Tiberiadem & stagnum Genesareth, in tribu Zabulon, &c. In Glossa quoque ordin. Galilæa superior in tribu Nephthalim, inferior in tribu Zabulon esse scribitur. At Ianssenius sine citato auctore, scribit Galilęam superiorem vicinam Tyriis vtramque tribum Zabulon & Nephthalim complecti. Certè Iosephus manifestè scribit tribui Ne- *Iosephus l. 5. Antiq. c. 3.* phthalim obuenisse Galilæam superiorem. Partes, inquit, ad Orientem conuersas vsque ad Damascum ciuitatem, & Galilæam superiorem Nephthalitę sumpserunt, vsque ad montem Libanum, fontesque Iordanis, &c. Galilæa ergo superior in tribu erat Nephthalim, inferioris magna pars in tribu Zabulon. Adrichomius in Theatro terræ sanctæ de tribu Nephthalim scribens, probabiliùs affirmat Galilæam superiorem sitam fuisse in tribu Nephthalim, & in tribu Aser, inferiorem in tribu Zabulon & Issachar. Addit superiorem tam in latitudine, quàm in longitudine diei, & semis, iter continere: inferioris verò longitudinem viginti milliaria, latitudinem quatuordecim complecti.

D Restat explicandum, quæ sit Galilæa gentium, & *Vnde sit appellata Galilæa gẽtiũ.* vnde hoc nomen inuenerit. D. Hieronymus verbis iam citatis, Galilæam gentium ait appellari Galilæam superiorem, & cur gentium vocetur, innuit. Siue quòd Tyriis ethnicis vicina esset; siue quòd Salomon Regi Tyrio ethnico 20. in illa opida tradiderit; quæ opida erant gentium, ac proinde ipsa Galilæa ad gentes pertinebat, & gentium erat. Hanc rationem D. Thomas amplectitur, Abulensis, & Lyranus, Carthusianus, & alij. Vatablus, Ianssenius, & Adrichomius in Theatro vtramque rationem reddunt. Dici nimirum Galilæam gẽtium, siue quòd illius opida gentibus data fuerint, siue quòd gentibus vicina esset.

E Calixtus Galilæam gentium etiam vltra Iorda- *Calixtus. An Galilæa superior vltra Iordanẽ protẽdatur.* nem protendi putat: Ea, inquit, Galilææ pars, quæ trans Iordanem est, & ea quę est magis ad Septemtrionem iuxta Libanum vsque ad Syriacum mare, Galilæa gentium dicta est, & superior, &c. Galarza quoque, Ianssenius & Abulensis Matthæi 19. quæst. 5. Galilææ partem trans Iordanem sitam esse aiunt. Similiter Adrichomius in Theatro, & tribu *Adrichom.* Nephthalim: Ab Oriente, inquit, vltra fluenta Iordanis longè lateque se extendit Galilæa, & cetera. Hoc si verum est: dicemus Galilæam gentium dici illam, quæ trans Iordanem à gentibus colebatur. Fauet Iosephus libro 3. iam citato, cap. 2. Ait enim: *Iosephus.* Galilæam ab Oriente discernit Hippene & Gadaris, sed & Gaulanitis definit. Hæc autem loca trans

Iorda-

Iordanem sunt. Forsitan Septuaginta Interpretes hoc indicant, & Matthæus illis verbis: *Trans Iordanem Galilæa gentium.* Quasi dicant, Galilæa gentium, quæ est trans Iordanem. Obiicitur illud: *Nauigauerunt, inquit, ad regionem Gerasenorum, quæ est contra Galilæam,* &c. Si Galilæa vltra Iordanem protenderetur, regionem Gerasenorum, quæ Iordani vicina est, complecteretur, essetque regio illa in Galilæa. At contra Galilæam fuisse dicitur. Respondebitur, sumi hoc loco à Luca Galilęam, pro ea, quæ cis Iordanem est.

Isaiæ 9. Matth. 4. Luc. 8.

Aduerte in Scriptura sacra in hoc tantùm Isaiæ vaticinio Galilæam gentium vocari. Existimo autem à Propheta totam Galilæam, Galilæam gentium esse appellatam; quoniam de tota Galilæa loquebatur, non de superiori solùm. Ratio autem cur totam Galilæam, Galilęam gentium dixerit, ex Iosephi verbis citatis colligitur; videlicet, quoniam, vt Iosephus ait, gentibus cincta erat: Vtramque, inquit, Galilæam Phænice, & Syria cingunt, &c. Iis adiunge Samaritanos. Samaria enim terminus erat Galilææ versus Meridiem. Item: Cùm tantis gentibus alienigenis Galilææ cinctæ sint, semper omnibus belli periculis restiterunt. Hæc sunt Iosephi verba; ex quibus exploratum est, cinctam fuisse vtramque Galilæam gentibus alienigenis, ideoque à Propheta Galilæa gentium dicta est. Adde Strabonem scribere libro 16. in Galilæa permixtas Iudæis habitasse gentes, quam etiam ob rem Galilæa gentium dici potuit; ab intermixtis gentibus: Hæc, inquit Strabo, Septemtrionalia sunt, omnia magna ex parte à mixtis gentibus habitata, Ægyptiis, Arabibus, & Phænicibus. Nam tales sunt, qui Galilęam habent, & Hiericunthem, & Philadelphiam, & Samariam. Sic Strabo. Euthymius verò Matthæi 4. Galilæa, inquit, gentium data est in sortem duabus tribubus Zabulon & Nephthalim, partem tamen eius inhabitabant gentes alienigenæ. Vocat autem Galilæam gentium eam partem, quam gentes incolebant, &c. Procopius item Isaiæ 9. Regionem, inquit, intermediam externæ gentes incolebant nonnullæ, &c. At Iosephus de hac habitatione, & mixtione gentium in Galilæa, verbum facit nullum, cùm tamen regionem, quæ trans Iordanem erat, scribat in fine citati capitis, habitatam à Syris Iudæisque permixtis.

Cur dicatur Galilæa gentium. *Iosephus.* *Strabo.* *Euthym.* *Procop.*

Aduerte præterea, Galilæam Hebraicè apud Isaiam dici גליל, Galil, in plurali verò גלילות, Geliluth, Iosue 13. quod nomen significat terminum, & finem, & confinium. Quocirca Septuag. Interp. Ios. 13. quo loco vulgata editio sic habet: *Omnis videlicet Galilæa, Philisthiim, & vniuersa Gessuri,* &c. Pro *Galilæa*, quæ Hebraicè est in numero plurali, verterunt, ὅρια φυλιστιὶμ, id est, *fines vel confinia Philisthinorum.* Rectè ergo dicitur Galilæa gentium, vt diximus, quoniam erat cincta gentibus, & iuxta nomen suum, erat terminus, & confinium gentium. Adde forsitan Prophetam Galilæam gentium vocasse, quòd sub potestatem gentium fuerit redacta; vel quòd instar gentium idola coluerit. Illud parit verisimilitudinem huic sensui, quòd à solo Isaia hoc loco Galilæa gentium appelletur.

Galilæa Hebraicè quomodo dicatur & illius etymon. Iosue 13.

CAPVT II.

De vaticinio Isaiæ.

POPVLVS, *qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.* De locis egimus; de vaticinio Isaiæ iam dicamus. Isaias cap. 9. sic vaticinatur: *Primo tempore alleuiata est terra Zabulõ & Nephthalim, & nouissimo aggrauata est via maris trans Iordanem Galilææ gentium. Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis,* &c.

Matth. 4. *Isaiæ 9.*

Hebræi hoc vaticinium de duplici captiuitate exponũt; prima Theglath Phalasar Regis Assyriorum, secunda Salmanasar. De prima sic habetur: *In diebus Phacee Regis Israel venit Theglath Phalasar Rex Assur, & cepit Aion, & Abel domum Maacha, & Ianoe, & Cedes, & Asor, & Galaad, & Galilæam, & vniuersam terram Nephthali, & transtulit eos in Assyrios,* &c. De secunda: *Ascendit Salmanasar Rex Assyriorum in Samariam, & oppugnauit eam, & cepit, & transtulit Israel in Assyrios,* &c. Ianseniꝰ præterea de eadem duplici captiuitate interpretatur in hunc sensum. Primo tempore alleuiata est terra Zabulon & Nephthalim, id est, leuiore malo afflicta est à Teglath Phalasar. Nouissimo, hoc est, posteriore tempore, aggrauata est, hoc est, grauiore malo est oppressa maritima regio, Galilæa gentium à Salmanasar. At populus Ierusalem, qui in tenebris sedebat, à Sennacherib Rege item Assyriorum oppressus, vidit lucem magnam; quoniam mirabiliter à Deo liberatus est, vt scribitur 4. Regum 19. Similiter Caietanus ait lucem hanc populo tunc fuisse, cùm Sennacheribi exercitus ab Angelo extinctus est. Existimat vterque hunc sensum esse litteralem, alterum de tempore Christi mysticum.

Hebræorum sensus. *4. Reg. 15.* *4. Reg. 18.* *Iansenius quomodo loc̃u hunc interpretetur.*

Verumtamen falsus videtur hic sensus, quem litteralem esse vult Iansenius. Nam verba hæc omnia de eadem regione intelliguntur, scilicet Zabulon & Nephthalim, & de via maris trans Iordanem Galilææ gentium. At Salmanasar non afflixit grauiùs viam maris, id est, loca illa maritima, quàm afflixerit Theglath Phalasar. Ergo falsum est dicere, aggrauatam esse, id est, grauiùs oppressam maritimam regionem à Salmanasar. Theglath Phalasar paucis ante annis habitatoribus Galilæam spoliauerat; nihil grauius fecit Salmanasar. Præterea alleuiare non significat leuiore malo affligere: sed potiùs leuem facere ipsam regionem, vt aggrauare significat facere grauiorem.

Reiicitur hic sensus.

Hebræi, vt ait D. Hieronymus Isaiæ 9. credentes in Christum, priora quidem verba de duplici captiuitate; posteriora de luce Christi interpretati sunt, hoc pacto. Primo tempore duæ tribus Nephthalim & Zabulon ab Assyriis captæ sunt, ductæque in hostilem terram: & Galilæa deserta est, & alleuiata pondere peccatorum, quæ habitatores committebant. Posteriore tempore aggrauata est à Salmanasar. Hic verò populus, qui primus ductus est in captiuitatem, & qui sedebat in tenebris, primus vidit lucem Christi magnam.

Hebræorum credentium sensus.

Aliam addit Hieronymus interpretationem Nazaræorum, quæ est huiusmodi: *Primo tempore*, Christi prædicatione coruscante, *alleuiata est terra Zabulon & Nephthalim*; hoc est, ab erroribus Scribarum & Pharisæorum liberata: iugo grauissimo Iudaicarum traditionum de ceruicibus excusso. *Nouissimo tempore*, per Apostolum Paullum, qui nouissimus fuit Apostolorum, *aggrauata est*, id est, multiplicata prædicatio, & in terminos gentium, & viam vniuersi maris Christi Euangelium splenduit. Denique orbis totus, qui sedebat in tenebris, Christi lucem vidit. Hæc tamen interpretatio à littera dissidet, vt expendenti fiet perspicuum.

Interpretatio Nazaræorum.

D. Hieronymus sic explanat. *Primo tempore alleuiata est terra Zabulon & terra Nephthalim*: alleuiata, inquam, ab onere peccatorum per Christum. *Nouissimo tempore aggrauata est* fides Iudæorum, plurimis eorum in errore permanentibus. *Populus ille,*

Sensus D. Hieronymi.

qui in tenebris ſedebat, vidit Euangelij lucem magnam, &c. Ita Hieronymus, quem Rupertus, Lyranus, Carthuſianus, & alij ſequuntur. Veriſimilis eſt hic ſenſus.

Iſaiæ 9. Proponam alium, forſitan non contẽnetur. *Primo tempore*, ait Vates, *alleuiata eſt terra Zabulon, & terra Nephthalim.* Alleuiata, inquam, habitatoribus: ducti enim ſunt in captiuitatem à Theglath Phalaſar. Sed non ſic permanſit habitatoribus Iudęis vacua, quemadmodum Samaria vacua permanſit. *Nouiſſimo enim aggrauata eſt*, habitatoribus Iudæis, via maris Galilęæ gentium, quæ trans Iordanem ducit, vel quæ regioni trans Iordanem propinqua eſt, id eſt, ora maritima maris Galilææ impleta eſt incolis. Nam regionis grauitas, & pondus habitatores ſunt. Ideo cùm auferuntur habitatores, alleuiata, cùm multiplicantur, aggrauata dicitur prouincia. Poteſt ille caſus ſecundus *Galilææ* coniungi vel cum *mari* ſenſu propoſito, vel cum *via*, hoc modo: Aggrauata eſt, id eſt, habitatoribus impleta eſt via maris trans Iordanem, & via Galilææ gentium. Id eſt, viæ maris, & viæ Galilææ totius impletæ ſunt hominibus, non fuere deſertę, ſed frequentes. Ponitur ſingularis numerus pro plurali. Vel aliter: *Nouiſſimo tempore aggrauata eſt cymbis nauigantibus via maris* Galilææ, quæ ducit trans Iordanem, & viæ quoque ipſius Galilææ gentium aggrauatę ſunt, id eſt, completæ hominibus. Hoc verò tẽpore nouiſſimo, cùm Galilæa plena erat habitatoribus; populus Galilæus, tribus Zabulon & Nephthalim, via ipſa maris, & Galilæa tota vidit lucem magnam Meſſiæ. Iuxta hunc ſenſum Matthæus dicere prætermiſit fuiſſe Galilæam alleuiatam & aggrauatam, hoc eſt, incolis ſpoliatam, poſtea impletam. Id, in quo vis vaticinij eſt, retulit: nimirum in Galilæa ortam eſſe magnam Meſſię lucem, populumque Galilęum magni Solis vidiſſe ſplendorem.

Alia interpretatio.

Alius sẽſus. Accipe & alium ſenſum. *Primo tempore*, ob commiſſa crimina, *alleuiata eſt terra Zabulon & Nephthalim*, id eſt, habitatoribus eſt denudata à Rege Aſſyriorum, & punita à Deo. Sed nouiſſimo tempore Meſſiæ aggrauata eſt magno honore & gloria; hoc eſt, maximo honore affecta eſt. Quoniam in Galilæa primùm Chriſtus cõcionari cœpit, populuſque Galilæus, qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam, &c. Hebraicè hoc loco verbũ eſt כבך, Chabad, quod ſignificat aggrauare, & gloria afficere; vnde כבוד, Cabod, gloria dicitur. Ideoque aggrauata eſſe via maris dici poteſt, hoc eſt, gloria affecta, atque honore.

Alius sẽſus. Iſaiæ 9. Adde, poſſe locum hoc etiam modo explanari. *Primo tempore alleuiata eſt terra Zabulon & Nephthalim*, id eſt, per prædicationem & miracula Chriſti onere peccatorum eſt liberata, vt Hieronymus expoſuit. *Nouiſſimo aggrauata eſt* pondere ſupplicij, & captiuitatis, quemadmodum reliqui Iudæi, quos Romani ſuperarunt. *Populus* ipſe Galilæus *vidit lucem magnam* Meſſiæ, *& habitantibus in regione vmbræ mortis*, id eſt, in magna caligine, qualis eſt in oculis, vel in ſepulcris mortuorum, *lux orta eſt eis*. Sequitur: *Multiplicaſti gentem* Galilæorum & Iudęorum; ſed *non magnificaſti lætitiam*; quoniam aggrauata eſt terra ſupplicij onere, & Romanorum bello, quo propter incredulitatem vaſtati ſunt Iudæi. At qui crediderunt, ij *Lætabuntur*, inquit, *coram te, ſicut qui lætantur in meſſe*, &c.

Forerij explanatio. Forerius Iſaiæ hunc locum ſic vertit: *Primo tempore vilis fuit terra Zabulon & terra Nephthalim: & nouiſſimo honorata fuit via maris trans Iordanem, Galilæa gentium*, &c. Sunt enim hoc loco verba duo Hebræa contraria קלל, Kalal, quod ſignificat alleuiare & deſpicere, vel parui facere, & כבך, Chabad, quod A ſignificat grauare & honorare. Ideo vertit ille: *Primo tempore vilis fuit Galilæa: nouiſſimo*, per Meſſiam *honorata fuit*. Ait autem Galilæos, Zabulonitas & Nephthalitas, illiuſque regionis vſque ad Tyrum habitatores, viles fuiſſe, non gloria rei militaris, aut nobilitate ſanguinis, aut ſcientia, aut artibus vllis claros. Denique omnes Galilæos contemptibiles fuiſſe affirmat; idq; probat illis verbis Iudæorum: *Numquid & tu Galilæus es? ſcrutare Scripturas, & vide, quia a Galilæa Propheta non ſurgit.* Et illis Nathanaelis: *A Galilæa poteſt aliquid boni eſſe?* Sed Nathanael aliter eſt locutus; videlicet: *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* Non dixit à Galilæa, ſed à Nazareth ciuitate Galilææ, non maxime nobili. *Ioan. 7.* *Ioan. 1.*

B Non diſpliceret hic docti viri ſenſus, ſi rectiùs probaſſet Galilæos fuiſſe contemptibiles. Repugnat enim Ioſepho, qui, vt ex verbis capite præcedenti citatis liquet, Galilæos ait pugnaces fuiſſe ab infantia, terramque coluiſſe, vberem ac populoſam; quòd ſi de ſanguinis nobilitate agitur, ſicut ceteri Iudæi, ita Galilæi Iacob filij erant. Artibus autem, & ſcientia inſtructi eſſe potuere, quemadmodum reliqui. Loca verò, quę ex Scriptura refert, momentum non habent. Primus enim locus ſolùm indicat à Galilæa non mitti Prophetas. Secundus non Galilæam, ſed Nazareth tantùm deprimit. Fateor tamen illuſtriorem, & nobiliorem fuiſſe Iudæã ipſa Galilæa, & forſitan dici poſſe vilem, ſi cum Iudæa, & maximè cum Ieroſolymis conferatur. Ego ſic C potiùs exponerem: Primo tempore honore alleuiata eſt, vel vilis fuit coram Deo & Angelis, fidelibuſque viris Galilæa; tunc ſcilicet, cùm idola colebant decem tribus. Idola enim venerabatur, vt conſtat ex Tobia: ſed nouiſſimo tempore per Meſſiam honore grauata eſt & affecta. Nam populus Galilæus magnam vidit magni Solis Meſſiæ lucem, &c. *Galilæi non fuerũt contemptibiles, contra Forerium.* *Tobiæ 1.*

D. Matthæus oſtendere voluit Galilæos Meſſiæ magnam lucem vidiſſe, & prophetiam illam impletam: *Populus, qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam.* Quis verò eſſet hic populus indicauit illis verbis: *Terra Zabulon & Nephthalim, via maris trans Iordanem, Galilæa gentium.* Alleuiatam terram & aggrauatam dicere prætermiſit, Græcè legitur ὁδὸν, D id eſt, viam maris. Id eſt, ſecundùm viam maris, Græca phraſi. Ideo rectè vertit interpres, via maris. Eſt ſenſus, terra Zabulon & Nephthalim ſecũdùm viam, & loca maris Tiberiadis, regio trans Iordanem, & Galilæa gentium; populus hic, qui in tenebris habitabat, vidit Chriſti ſplendorem. Vel, ſecundùm viam maris, quæ trans Iordanem eſt, ſecundùm loca etiam, quæ vltra Iordanem ſunt, Galilææ gentium, lux hæc ſplenduit. *Matth. 4.*

Septuaginta Interpretes Iſaię vaticinationem ſic interpretati ſunt: *Hoc primum bibe, velociter fac. Regio Zabulon, terra Nephthalim, & reliqui, qui iuxta mare, & trans Iordanem, Galilæa gentium, populus, qui ambulabat in tenebris, videte lumen magnum, qui habitatis in regione vmbræ mortis, lumen lucebit ſuper vos*, &c. Alloquitur Vates Galilæam, in qua Zabulon tribus, & Nephthalim erant, & mare Tiberiadis: *Regio*, inquit, *Zabulon & Nephthalim, bibe primum*: Euãgelij poculum bibe primum à Chriſto propinatũ, dulce concionum vinum. Sic D. Cyrillus exponit: Bibe, inquit, ô regio Zabulon ac Nephthalim, ſuſcipe prædicationem ſalutarem. Sed fac citò, citra omnem moram, &c. Non eſt potio amara Chriſti doctrina, ad quam bibendam cunctari debeas, *bibe, & velociter id fac*: quemadmodum is qui valdè ſitit, velociter aquam potat. Aliter ex Procopio: *Velociter fac*, id eſt, velociter operare, iunge poculo & fidei opera. Vult, ait Procopius, potus eius, qui in verbis ſitus eſt, fructum præſtari, &c. Sic nimirum concio animo *Septuaginta quomodo hic legãt, & eorum interpretatio. Iſaiæ 9.* *Cyril.* *Procop.*

maccipienda est, vt vini poculum, vel aquæ à sitiente corpore accipitur. Quemadmodum auidè haritur à sitiente aqua, vel vinum: ita auidè conci est audienda. Sed non satis est audire: *velociter*, iquit, *fac*: bibe, & factaudi, & operare. Cetera iam snt explicata.

CAPVT III.

Christus in Galilæa incipit concionari.

Matth. 4. Christum poenitentiam praedicat.

EXINDE *cœpit Iesus prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite; appropinquauit enim regnum cælorum.* Idem concionum primum argumentum Christi fuit, & Ioannis Baptistæ; vterque cœpit à pœnitentia; vtriusque idem prothema fuit: *Pœnitentiam agite; appropinquauit enim regnum cælorum.* Lux magna, vt Isaias ait, oriebatur Galilæis. Lux aëri offusas tenebras dispellit. Magna verò lux Christus animis offusam peccatorum caliginem, pœnitentiam prædicãs, dispellere cœpit. *Populus*, ait Vates, *qui sedebat in tenebris* peccatorũ & ignorantiæ; *vidit lucem magnam.* Viderant Iudæi luces quasdã veluti stellarum paruas; nimirum Mosem, Iosue, Dauidem, Isaiam, Ieremiam, & reliquos Prophetas. At nunc lucem veluti Solis magnam, ipsummet Messiam conspexerunt. Sol caliginem dispergit & illuminat; ita Christus criminum obscuritatem per pœnitentiam dissipat, depulsisque criminibus, clarissimum gratiæ lumen infert. Meritò ergo à pœnitentia incipit.

Marci 1.

Marcus aliquid addit: *Venit*, inquit, *Iesus in Galilæam, prædicans Euangelium regni Dei, & dicens: Quoniam impletum est tempus, & appropinquauit regnũ Dei: pœnitemini, & credite Euangelio.* Impletum autem erat tempus à Deo destinatum Messiæ mittendo; iuxta

Gal. 4.

illud Pauli: *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum*, &c. Ait igitur Dominus: *Impletum est tempus*; adest Messias optatus, regnum Dei, siue cælorum appropinquat. In primis pœnitentiam agite, vero dolore, cordisque contritione crimina commissa abstergite; mores vitãque in melius mutate, & Euangelio credite, credite dictis Messiæ à Deo ad vos missi. Theophylactus interpretatur impletum tempus legis veteris; sed non recte interpretatur. Nam lex vetus Christo prædicante nondum erat abrogata. Verba autem illa, *Pœnitentiam agite*, &c. iam libro primo sunt explicata.

Præcessit vox Verbum, Ioannes Christum. Siluit vox carcere constricta, cœpit concionari Verbum. Præparauerat præcursor viam Domino; palàm iam apparet Dominus. Occultato in vinculis lucis astro; magna Solis lux Galilæis exoritur. Satius fuit primùm Ioannem solum concionari, deinde Chri-

Cur Christus Ioanne concionante voluerit concionari.

stum post Ioannem: ne, si simul concionarentur, auditorum studia diuiderentur, & schisma fieret. Vnde Chrysostomus homilia 14. in Matth. Propterea, inquit, non prædicat Christus antequam Ioannes, nec mirabilia operatus est, quoad vsque ille incideret in vincula: ne hac existente caussa

Rupert.

magna pars populi scinderetur, &c. Rupertus Matthæi 4. Vtrumque, ait, rationabiliter obseruatum est in eo, quòd non nisi postquam Ioannes traditus est prædicare cœpit Iesus. Scilicet, vt ordinatè legi, & Prophetis, quorum Ioannes finis erat, Euangelium succederet: & in quantum fieri poterat, quod ex ipso erat, nemini vllam offensionem daret, &c. Præterea, si simul concionarentur Christus & Ioan-

D. Thom.

nes, vt D. Thomas ait Matth. 4. Christus veluti Sol tenebras offudisset concionibus Ioannis, neque habuissent tantum ponderis. Noluit Christus, ait diuus Thomas, primò publicè prædicare, vt daret locum prædicationi Ioannis. Aliter nihil valuisset prædicatio Ioannis, sicut lumen stellarum obscuratur Solis lumine. Hæc ille.

At dices: Nónne Christus iam antequam in Galilæa nunc concionari inciperet, in Iudæa docuerat, ac per discipulos baptizauerat, & apud Samaritanos concionatus fuerat? Quo ergo modo dicitur nunc cœpisse prædicare? Respondemus, Christum ante hoc tempus publicum concionatorem non egisse: hoc autem tempore publicè aggregato populo concionari cœpisse. Apud Samaritanos verò si concionatus est, obiter id fecit. Rupertus Matth. 4. Quamdiu Ioannes prædicauit, nequaquam Iesus publicæ prædicationis officium subiit. Sed postquam in traditione eius clausum est os Prophetarum & legis: *Omnes enim Prophetæ, & lex vsque ad Ioannem prophetauerunt*, vt habetur apud Matth. tunc demum id quod prophetatum fuerat, successit; id est, Euangelium Christi effulsit, &c. Hoc tempore non solùm concionari cœpit, sed etiam discipulos extrema vocatione congregare. Hactenus enim, vt capite sequenti dicemus, nondum relictis omnibus Christo adhæserant. Cœpisse autem concionari in Galilæa, indicat diuus Petrus, illis verbis: *Vos scitis, quod factum est verbum per vniuersam Iudæam: incipiens enim*, scilicet Verbum, *a Galilæa post baptismum, quod prædicauit Ioannes*, &c. Et Iudæi ad Pilatum: *Commouet*, aiunt, *populum, docens per vniuersam Iudæam, incipiens a Galilæa*, &c.

Christus ante hoc tempus publicè non est concionatus. Rupert.

Matth. 11.

Christus in Galilæa cœpit concionari. Actor. 10. Luca 23.

Initio concionum summa sapientia Christus iisdem Baptistæ verbis vsus est: *Pœnitentiam agite; appropinquauit enim regnum cælorum.* Ostendebat, videlicet, suam doctrinam, à doctrina Ioannis non dissentire. Hoc ante Christum, ait Euthymius Matth. 4. Ioannes prædicauit. Incipit autem etiam inde Christus, vt ostendat principium suum fuisse Ioannem; & nequaquam illi contrarium esse. Operæpretium enim erat, vt de eo primùm alius ferret testimonium, & tunc veniret ipse, &c. Verbum à vera voce non dissentit, quod Verbum dicit, vox eloquitur. Ioannes vox erat, Christus Verbum: oportebat ergo vocem, & Verbum, Christum, & Ioannem, non dissentire. Itaque rectè ac sapienter, quod vox dixit, idem dixit Verbum: *Pœnitentiam agite; appropinquauit enim regnum cælorum.* Idem erat Christi & Ioannis scopus, Ioannis vt præcursoris, Christi vt Messiæ. Scilicet, homines criminum vinculis soluere, in libertatemque è captiuitate satanæ per pœnitentiam vendicare. Ideo vterque pœnitentiam prædicat.

Matth. 4. Christus à pœnitentia prædicatione cœpit, vt Ioannes. Euthym.

Diuus Lucas scribit Christum regressum esse hoc tempore in Galilæam in virtute Spiritus. Etenim in Galilæam venit Dominus, vt concionari inciperet, magna cùm Spiritus sancti virtute, hoc est, potentia, vi, atque ardore. Præterea venit in Galilæam in virtute, & impetu Spiritus sancti, ad concionandum, ab illo ductus. Vt enim ductus est à Spiritu in desertum, vt tentaretur à diabolo; sic ab eodem Spiritu ductus est in Galilæam, vt concionari inciperet. Ad concionandum Spiritus sancti virtus, hoc, est, vis, impetus, ardor, atque potentia opus est; iuxta illud: *Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa.* Diuus Bonauentura Lucæ 4. Regressus, inquit, est Christus in Galilæam, ad prædicandum in virtute. Et signanter dicitur, *in virtute Spiritus*. Talis enim debet esse prædicatio perfecta: vt sit cum virtute spiritali coniuncta, secundùm illud: *Sermo meus, & prædicatio mea non fuit in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis: sed in ostensione spiritus & virtutis. Vt fides vestra*

Luca 4. Christus in virtute Spiritus regressus est in Galilæam, ad concionandum. Matth. 4.

Spiritus virtus, id est, potẽtia, concionatori necessaria. Psal. 67. Bonauen.

1. Cor. 2.

non sit in sapientia hominis, sed in virtute Dei. Sic D. Bonauentura.

Matth. 4. ET *circuibat Iesus totam Galilæam.* Cœpit Dominus in Galilæa conciones habere; sed non sicut Ioannes. Ioannes enim in solitudine permanebat, & concionabatur, nec opida percurrebat: Christus verò non in solitudine solùm, sed in opidis etiam doctrinam tradebat Euangelicam. Tantusque erat diuini pectoris ardor, vt totam circuiret Galilęam, non equo aut iumento aliquo vectus, sed pedibus faciens iter. Ioannes miraculum nullum edidit, at Christus doctrinam mille miraculis confirmabat. Miraculis, inquam, quæ non curiosos oculos oblectarent: sed miseris, atque ægris opem ferrent. *Ibidem. Christus loca Galilæa circuibat.* *Circuibat*, ait Matthæus, *totam Galilæam, docens in synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni, & sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo.* Item: *Et obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus, & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curauit eos.* Vides miraculorum copiam, atque exuberantiam? nihil in iis ad ostentationem comparatum, omnia ad opem miseris ferendam sunt collata. Corporibus sanitatem afferebat Dominus: animorum verò sanitatē, quæ non cernebatur, illa, quæ sub oculis cadebat, sanitate adumbrabat. Cælestem nouamque doctrinam in orbem inducebat, eamdem cælestibus, nouisque *Chrysost.* miraculis stabiliebat. Vnde Chrysostomus homilia 14. in Matth. Quando, inquit, nouum fit aliquid, atque præcipuum, signa Deus facere consueuit: præstat quædam pignora suæ potentiæ iis, qui legē eius accipiunt. Iudæis cùm legem esset daturus, priùs mirabilia illa & prodigia magna ostendit, ac tum demum eis præcepta legis imposuit. Ita hic quoque, cùm sublimem quamdam viuendi introduceret A disciplinam, & quæ numquam ab illis fuisset adita: auctoritatem mandatis suis præstruit de claratę signorum, &c.

Docet hic locus Ecclesiasticos pastores non omni sedere, sed populos, vrbes, vicosque circuire. Circuibat Dominus totam Galilæam, circumeat illi totam diœcesim. Circuibat, ait Auctor Imperfecti hom. 8. totam Galilæam Dominus; sicut studiosus medicus circuibat grauiter ægrotantes, &c. Medicus est populi pastor Ecclesiasticus; vt medicu ægrotantes oues visitet, congruaque illis adhibea medicamenta. Chrysostomus oratione 5. aduersus *Chrysost.* Iudæos: Non Ierosolymis desidens Christus vocauit ad se ægrotos: sed obambulabat ciuitates ac vicos, geminos curans morbos, tum animi, tum corporis. Attamen poterat eodem in loco sedens omnes ad se attrahere. Non tamen hoc fecit; nobis B præbens exemplum, vt obambulemus, & quæramus eos, qui pereunt. Rursus hoc etiam parabola de pastore significauit, quæ refertur Luc. 15. Non enim desidebat cum nonaginta ouibus, exspectans donec quæ aberrauerat veniret ad ipsum; sed abiit ipse, & inuenit, inuentamque gestauit humeris, ac reduxit. An non vides medicos hoc ipsum facere? Non cogunt ægrotos lecto decumbentes ad ipsorum ædes deferri: sed ipsi accurrunt ad eos. Hoc & tu facito. Hactenus Chrysostomus.

Visitãdæ & quærendæ oues à pastoribus.

Diœceses circuēdæ.

Famam quoque Domini longè lateque dispersam Euangelistæ scribunt. Lucas: *Regressus*, inquit, *Luca 4.* *est in virtute Spiritus in Galilæam, & fama exiit per vniuersam regionem de illo.* Matth. *Et abiit opinio eius in totam Syriam.* Erat Galilæa pars Syriæ. Cùm ergo in Galilæa Christus ageret, totam Galilæam & Syriam fama illius peragrauit. *Matth. 4.*

CAPVT IV.

De vocatione Petri, Andreæ, Iacobi, & Ioannis.

MATTH. CAP. IV.

AMBVLANS Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare (erant enim piscatores) & ait illis: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuò relictis retibus secuti sunt eum. Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius in naui, cum Zebedæo patre eorum reficientes retia sua, & vocauit eos. Illi autem statim relictis retibus & patre, secuti sunt eum.

MARC. CAP. I.

PRÆTERIENS secus mare Galilææ, vidit Simonem, & Andream fratrem eius, mittentes retia in mare (erant enim piscatores) & dixit eis Iesus: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. Et protinus relictis retibus, secuti sunt eum. Et progressus inde pusillum, vidit Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius, & ipsos componentes retia in naui, & statim vocauit illos. Et relicto patre suo Zebedæo in naui cum mercenariis, secuti sunt eum.

LVC. CAP. V.

FACTVM est autem cùm turbæ irruerent in eum, vt audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genesareth. Et vidit duas naues stantes secus stagnum: piscatores autem descenderant, & lauabant retia. Ascendens autem in vnam nauim, quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere pusillum. Et sedens docebat de nauicula turbas. Vt cessauit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. Et respondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete. Et cùm hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt sociis, qui erant in alia naui, vt venirent, & adiuuarent eos. Et venerunt, & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt pene mergerentur. Quod cùm videret Simon Petrus, procidit ad genua Iesu, dicens: Exi à me, quia homo peccator sum, Domine. Stupor enim circumdederat eum, & omnes qui cum illo erant, in captura piscium, quam ceperant. Similiter autem Iacobum, & Ioannem, filios Zebedæi, qui erant socij Simonis. Et ait ad Simonem Iesus: Noli timere, ex hoc iam hómines eris capiens. Et subductis ad terram nauibus, relictis omnibus secuti sunt eum.

ANTEQVAM Galilæam Dominus peragrare inciperet, discipulos congregare cœpit. Vocauit autem piscatores. Cùm enim iuxta Galilææ mare maris Conditor ambularet, Petrum primùm, & Andream fratres; post hos, Iacobum & Ioannem, ex ipso mari ad præstantiorem aliam expiscationem eduxit. Verùm iam hæsitabis, & dices: Nónne Petrum & Andream iam multò ante vocatos scribit Ioannes cap. 1. quorsum igitur denuò nunc vocantur? Scito duplicem fuisse horum discipulorum vocationem. Primùm enim Andreas ad Christum venit, Petrumque fratrem adduxit, vt Ioannes capite 1. scribit. Hæc prima fuit vocatio ad Christi agnitionem, & familiaritatē, teste Augustino lib. 2. de Consensu Euangelistarum, cap. 17. Intelligendum, inquit, est, non sic eos vidisse Dominum, vt ei iam inseparabiliter cohærerent; sed tantùm cognouisse, quis esset, eumque miratos ad propria remeasse. Sic ille. Hoc autem loco de prima hac vocatione non agimus, sed de secunda ex mari Galilææ, quam Matthæus Marcusque commemorant.

Duplex Apostolorum Vocatio.

August.

Difficilius dubium est, num his duabus vocationibus tertia quoque sit adiungenda. Id enim sentit diuus Thomas Matth. 4. Prima, inquit, vocatio discipulorū fuit ad Christi familiaritatem Ioannis 1. Secunda, ad discipulatum Luc. 5. Tertia, vt totaliter Christo adhærerēt Matthęi 4. Marc. 1. &c. Tres quoque fuisse Petri vocationes volunt Beda, Haymo, Cancellarius Parisiensis, Gerson in sua Concordia, Carthusianus, & Cardinalis Hugo.

D. Thom. Tres Apostolorū Vocationes.

Additur autem vocatio vna ex Lucæ cap. 5. qua admirandæ expiscationis miraculo capti Petrus, & alij, subductis ad terram nauibus, relictis omnibus secuti Christum dicuntur. Est hæc sententia diui Augustini libro 2. de Consensu Euangelistarum, capite 17. Existimat enim vocationem, cuius Lucas meminit, diuersam esse à vocatione, quam Matthæus Marcusque describunt. Quod is iudicabit, qui historiam legerit. Nam apud Lucam piscatores descenderant ex naui, retiaque abluebant. Apud Matthæum verò & Marcum, retia in mare ad expiscandos pisces demittebant, alij verò reficiebant.

Sitne eadē Vocatio Luc. 5. Matth. 4. & Marc. 1. vel diuersa.

Apud Lucam præcipit Christus Petro: *Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam;* piscium*que* multitudo tanta concluditur, vt rete disrumpatur. Obstupescit Petrus, & ait: *Exi a me Domine, quia homo peccator sum.* Apud Matthæum & Marcum, videt Christus Petrum & Andream iacientes in pelagus rete, vocatque eos his verbis: *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.* Hæc, vt alia omittam, diuersa sunt: diuersa ergo est vocatio. *Luca 5.* *Matth. 4.* *Marci 1.*

Itaque ex Augustini sententia Christus ad mare Galilææ venit, viditque naues duas, vt scribit Lucas: in alteram, quæ Petri erat, conscendit. Ex ea hominum confluentium multitudinem docuit. Postea Petro iubet, vt in altum ducat, retiaque laxet. Laxatis retibus piscium tanta multitudo capta est, vt retia scinderentur. Hoc miraculum Petro, sociisque Iacobo & Ioanni, &, vt videtur, etiam Andreæ, magnam attulit admirationē. Quocirca subductis ad terram nauibus, relictis omnibus, non vocati à Christo, illum secuti sunt. Intelligendum est, ait Augustinus, non tunc eos à Domino vocatos, sed tantùm Petro fuisse prædictum, quòd homines esset capturus, &c. Secuti igitur sunt Christum relictis omnibus, nondum vocati extrema vocatione. Ad cymbas tamen reuersi sunt postea, vt ait Augustinus: Datur, ait, locus, intelligere eos ad capturam piscium ex more remeasse, &c. Cùm verò remeassent Petrus & Andreas, Iacobus & Ioannes ad scaphas: & illi mitterent in mare retia, hi reficerent: tunc id contigit, quod Matthæus Marcusque narrant, videlicet vocati sunt extrema vocatione, & relictis omnibus secuti sunt Dominum. Hæc fuit vocatio perfecta & extrema, ex Christi ore profecta. In prima enim vocatione & secunda non legimus dixisse Dominum: *Venite post me.* In hac autem extrema dixit: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* *Augustini sententia.* *August.* *Matth 4.* *Marci 1.*

Ianssenius & Buisonius in Concordia Euangelica arbitrantur, vocationem à Matthæo Marcoque memoratam, illam eamdem esse, quam memorat Lucas. Illorum concordiam breuitatis caussa omitto: non enim explet mentem. Si quis eamdē fuisse velit, facilius Lucam cum Matthæo & Marco conciliabit hoc pacto. Primùm quidem vocauit Domi-

Qui Cnam eamdemq; dicet, quo modo Euāgelistas cōciliabit?

nus Petrum & Andream illis verbis: *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.* Deinde Iacobum & Ioannem, vt narrant Matthæus & Marcus. Secuti sunt quatuor hi discipuli vocantem. Interim socij piscatores, qui in cymbis eorum remanserant, descenderunt, vt ait Lucas, e cymbis, & lauabant retia. Cùm verò turbę irruerent in Christum, vt verbum Dei audirent; in nauiculam ascendit Petri, rogauitque, vt à terra pusillum eam reduceret. Tunc ex nauicula coram confluente multitudine concionem habuit. Post habitam concionem, in altum iubet ducere, retiaque laxare. Paret Petrus, piscium multitudinem admirabilem expiscatur: annuit Iacobo & Ioanni, vt ferant opem retia extrahentibus, quæ tot piscium pondere discindebantur. Denique Petrus & Andreas, Iacobus & Ioannes miraculo stupefacti, subductis ad terram nauibus, vt iam cœperant, relictis omnibus Christum secuti sunt.

De mari Galilææ.

Nomina maris Galilææ.

Mare Galilææ, lacus est Galilææ, à D. Luca c. 5. stagnum Genesareth vocatur: à Iosepho lacus Genesar: à D. Ioan. cap. 6. mare Tiberiadis, Numeiorum 54. & Iosue 13. mare Cenereth. Mare Galilææ dicitur, quia in Galilæa erat: stagnum Genesareth, vel lacus Genesar, à propinqua regione Genesar, vel Genesareth, de qua egimus cap. 1. huius libri: mare Tiberiadis, à ciuitate Tiberiade: mare Cenereth, ab opido Cenereth, cui successit Tiberias. De-

Iosephus.

scribitur lacus, siue mare hoc à Iosepho lib. 3. de Bello Iudaico, cap. 18. Patet, eodem teste, illius latitudo quadraginta stadiis; centum longitudo, triginta duo autem stadia leucam efficiunt. Continet ergo latitudo lacus plusquam leucam vnam; longitudo verò leucas tres superat. Aquæ dulcis est atque potabilis. Mare autem dicitur, ait Hieronymus

Hieron. Cõgregatio aquarũ dicitur mare.

Ezech. 37. cùm habeat dulces aquas, iuxta idioma Scripturarum, quo congregationes aquarum appellantur maria, &c. Et in quæstionibus Hebraicis in Genesim: Iuxta idioma, inquit, linguæ Hebraicæ, congregationes aquarum nuncupantur maria, & cetera. Potuit etiam dici mare, propter magnitudinem & similitudinem maris. Varia piscium genera procreat, ab alterius loci piscibus tam sapore, quàm specie discreta; medius fluuio Iordane secatur. D. Hieron. Isaiæ 9. scribit lacum à Iordane influente effici, quod etiam vult Calixtus: sed Iosepho potiùs assentior, qui affirmat lacum à Iordane

Mare à Iordane secatur.

secari. Medius, inquit, à fluuio secatur. Postea verò Iordanis è lacu exit, & in mare vsque mortuum fluit.

Opida iuxta mare, Capharnaum, &c.

Iuxta hoc mare opida aliquot fuere, quorum Euangelistæ meminerunt. Capharnaum ciuitas ex parte Occidentali maris sita fuit; ex Orientali verò Corozaim, quatuor milliaribus à Capharnaum distans, id est, leuca vna. Inter has duas vrbes, Iordanis in lacum influebat. De Capharnaum iam dixi-

Matth. 11.

mus cap. 1. De Corozaim ait Dominus: *Væ tibi Corozaim*, &c. Quo loco & Bethsaidam quoque metuendo *Væ* percutit. *Væ*, inquit, *tibi Bethsaida.* Hæc patria Petri, Andreæ, & Philippi, in ripa Occidentali lacus fuit. Post Capharnaum, à Bethsaida milliario sexto occurrit Magdalum opidum, à quo Magdalenæ nomen deducitur. Post Magdalum in eodem Occidentali littore visitur Tiberias vrbs, quam Iustus quidam apud Iosephum in libro de Vita sua, affirmat Galilææ metropolim fuisse Herodis Tetrarchæ tempore, à quo condita est, & in honorem Tiberij Cæsaris Tiberias appellata, vt scribit Iosephus lib. 18. Antiq. cap. 3. Idem Auctor in libro de Vita sua, duas Galilææ vrbes maximas vocat Tiberiadem & Sepphorim: Vrbium, inquit, Galilææ maximæ sunt Sepphoris & Tiberias. Ab hac dicitur mare Tiberiadis, vt diximus. Distat ab Ierosolymis, vt ait Calixtus, milliaribus nonaginta septem. Habes quale sit mare Tiberiadis, siue Galilææ. Iuxta illud Dominus ambulabat, illius pisces Petrus & Andreas, Iacobus & Ioannes expiscabantur, ab illo ad expiscandos homines sunt euocati.

Duæ vrbes Galilææ maximæ sunt, Sepphoris & Tiberias.

CAPVT V.

Morale.

De vocatione Petri, Andreæ, Iacobi, & Ioannis.

COEPIT Dominus publicum concionatorem agere, cœpit quoque doctrinę suæ, operumque discipulos perfecta vocatione conuocare. Perfecta autem vocatio illa fuit, qua ad sequendum semper tantum magistrum relictis omnibus sunt accersiti. Ante hanc enim vocationem perfectam, nec omnia reliquerant, nec magistrum semper secuti fuerant. Concionari Iudæis Christus incipiebat; paucis verò annis concionari, & in cælum post resurrectionem ascendere decreuerat. Opus ideo fuit discipulos congregare, quos sua doctrina imbueret; quique post ascensionem Iudæis & gentibus omnibus concionarentur. Opus fuit testes dictorum factorumque sibi adiungere; qui magistri tum dicta, tum facta toti terrarum orbi testarentur. Opus fuit architectos fabricatoresque Ecclesiæ colligere; qui nobilissimum hoc templum ex omnibus nationibus construerent. Opus fuit nouos cælos fabricare; qui cunctis hominibus enarrarent gloriam Dei, vt est in Psal. Denique, opus fuit orbis Doctores, Ecclesięque fundatores accersere, qui & orbem docerent, & Ecclesiam toto orbe fundarent; immo qui in ipso sanctæ Ierusalem fundamento veluti pretiosi lapides collocarentur.

Opus fuit Apostolos vocare, vt Ecclesiam docerent, & toto orbe fundarent.

Psal. 18.

Orbis igitur Doctores vocaturus quónam se conferet Dominus? Numquid Athenas philosophiæ fontem? numquid Romam eloquentiæ parentem? numquid Ierosolymam veræ sapientiæ cultricem? Nec Athenas, nec Romam petit, aut Ierosolymam: non petit Academias, & sapientum gymnasia; sed mare Galilææ. Non enim ex Academiis oratores, sed ex mari vocare decreuerat piscatores. *Ecce nubecula parua quasi vestigium hominis ascendebat de mari*: post ascensum verò nubeculæ pluuia grandis facta est. Nónne nubeculæ fuerunt Apostoli hi inopes, atque indocti? Quis ex tam paruis nubeculis doctrinæ exspectaret pluuiam, quæ totum irrigaret orbem? Nemo sanè. At diuina Christi vocantis potestate ascenderunt nunc nubeculæ de mari Galilææ: postea aquis grauidæ, arenti orbi salutarem, coruscantemque miraculis, doctrinæ pluuiam attulerunt. Apostoli, ait Gregorius lib. 17. Moral. cap. 14. per mundi partes circumquaque transmissi, verbis nouerũt pluere, & miraculis coruscare. De quibus Isaias dixit: *Qui sunt isti, qui vt nubes volant?* &c.

Christum Apostolos ex vrbibus illustribus habere noluit.

3. Reg. 18.

Apostoli fuerunt nubecula.

Greg.

Isaiæ 60.

Olim Deus Samuelem in ciuitatem Bethlehem misit, vt vnum ex filiis Isai in Regem vngeret Israelitarum. Vidit ille Eliab statura procerum, & vultus decore præditum, Dominumque consuluit, his verbis: *Num coram Domino est Christus eius?* respondit verò Dominus: *Ne respicias vultum eius, neque altitudinem staturæ eius: quoniam abieci eum; nec iuxta intuitum hominis ego iudico: homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor*, &c. Non respexit

1. Reg. 16.

Elegit Dominus pauperes piscatores, non nobiles aut diuites.

ſpexit Deus altitudinem decoremque Philoſophorum & Oratorum, aliorumque nobilium principum; ſed humilitatem reſpexit piſcatorum. Eliab, & alios Dauidis fratres maiores natu non elegit, Dauidem minimum, ouesque paſcentem elegit. Eumdem in modum philoſophos, oratores, Iudæorumque principes, nobilitate, diuitiis, & ſapientia præſtantiores non vocauit: Petrum, Andream, Iacobum, & Ioannem minimos & abiectos, piſceſque captantes vocauit. Homo, ait Chryſoſtomus Pſal. 50. aſpernatur, Deus coronat. Non enim vt videt homo, ita etiam videt Deus, &c. Et Tertull. lib. de Præſcriptionibus aduerſus hæreticos, c. 3. Tu vt homo extrinſecus vnumquemque noſti, vides quouſque oculos habes, ſed oculi Domini alti. Homo in faciem, Deus in præcordia cõtemplatur; & ideo cognoſcit Dominus qui ſunt eius, &c. Cognoſcebat Dominus hos piſcatores, & ab æternitate nouerat eſſe ſuos. Altis illis oculis in æternitate quatuor hos fratres vidit, atque elegit. Eoſdem in tempore iuxta mare Galilææ corporeis etiam vidit oculis, & vocauit.

Chryſoſt. *Tertul.* *Dei oculi alti.*

Infimos elegit Dominus, vt mundi ſuperbiam cõfunderet. Auguſt.

Sic ille pro admirabili ſapientia ſua ſtatuit per infimos homines, inopesque piſcatores mundum expiſcari, illiusque ſuperbiam confundere. Ita Auguſtinus docet tract. 7. in Ioan. Chriſtus, inquit, idiotas elegit, vnde confunderet mundum. Item: Volens ſuperborum ceruices frangere, non quæſiuit per oratorem piſcatorem, ſed de piſcatore lucratus eſt Imperatorem. Nullus nobilis primò electus eſt, nullus doctus; quia infima mundi elegit Deus, vt confunderet fortia, &c.

In hac creatione potentia Chriſti ſplendeſcit. Matth. 4. Marci 1.

Potentia Chriſti hac in re enituit, quæ tanta fuit, vt ex piſcatoribus piſcium, piſcatores hominum facere potuerit: *Faciam*, inquit, *vos fieri piſcatores hominum*. Ego faciam: diuina enim mihi eſt potentia. Hęc ad hanc mutationem neceſſaria erat. Per totam noctem laborantes nihil ceperant Petrus & ſocij, at poſtquam in verbo, potentiaque Chriſti rete laxarunt, piſcium multitudinem admirabilem comprehenderunt. Quemadmodum ad capiendam ingentem illam piſcium copiam diuina potẽtia opus fuit; ſic eadem erat opus ad capiendam immenſam hominum multitudinem. Imago futuræ hominum expiſcationis fuit illa piſcium expiſcatio. Sine potentia Chriſti per totam noctem laborantes nullum hominem capere poſſent: eo iubẽte atque opitulante, innumeros homines ſunt expiſcati piſcatores hi pauperes atque indocti. Auguſtinus 18. de Ciuitate Dei, cap. 49. Elegit Chriſtus diſcipulos humiliter natos, inhonoratos, illitteratos, vt quidquid magnum eſſent, & facerent, ipſe in eis eſſet, & faceret, &c. D. Hieronymus Matth. 4. Piſcatores, & illitterati mittuntur ad prædicandum, ne fides credentium non virtute Dei, ſed eloquentia atque doctrina fieri putaretur, &c. D. Gregorius lib. 9. Epiſtolarum, epiſt. 58. Chriſtus prædicatores ſuos, quos in mundum miſit, ſine litteris elegit: vt mundum oſtenderet non ſapientia hominum, ſed ſua ſe virtute conuertere, &c. Cardin. Petr. Dam. ſer. 1. de S. Andrea. Ad prædicandum Rex gloriæ ſolus aduenerat, paullatim ſibi milites acquirebat. Nõ tamen eligebat triumphalibus titulis claros, non ſtrenuos bellatores, non philoſophos, non eloquentes; ſed retium nectores, & exilis nauiculæ remiges, vt victoria ſoli diuinæ potentiæ, non humanis viribus adſcribatur, &c.

Auguſt. *Hieron.* *Greg.* *Card. Petr. Dam.*

Chriſtus in humilitate apoſtolorũ dona fundare voluit.

Vocauit præterea pauperes & humiles, vt in humilitate præclara dona Apoſtolis tribuenda fundarentur. Rupertus Matth. 4. Quantò, inquit, plura ſancti dona Dei percepturi erant; tantò maioris conſcientia paupertatis indiguerunt. Vt eadem dona portarent ſtabiles & firmi, fundati in ſpiritu humilitatis, &c.

Vocauit rudes Dominus; ſed expoliuit, & fecit piſcatores hominum conſuetudine, doctrinaque ſua, & Spiritu ſancto è cælo demiſſo. Vocauit rudes & imperitos; ſed ex rudibus & imperitis ſapientiſſimos fecit. Vocauit pauperes; ſed donis cæleſtibus mirabiliter locupletauit. Vocauit ignobiles; ſed ſumma illos nobilitate illuſtrauit, orbisque terrarum principes conſtituit; iuxta illud: *Conſtitues eos principes ſuper omnem terram.* *Pſal 44.*

Chriſtus piſcatus eſt piſcatores, & per piſcatores orbem. Theodor.

Itaque, vt eſt in Gloſſa ordinaria, Chriſtus piſcaturus, per piſcatoria vadit loca, id eſt, per littus maris Galilææ. Piſcatus autem eſt piſcatores, & per piſcatores piſcatus eſt orbem. Vnde Theodoret. 1. Cor. 1. Deus, inquit, doctos per indoctos, per pauperes diuites vicit, & per piſcatores orbem terrarum piſcatus eſt. &c. Vidit duo fratrum paria, Petrum & Andream, Iacobum & Ioannem, veluti gemmas pretioſas, ſed minimè expolitas, collegit illas ſapientiſſimus artifex, vt expoliret. Hinc illud Auctoris Imperf. hom. 7. in Matth. Artifex ſi viderit gemmas pretioſas, & non dolatas, eligit illas; non quòd ſint, ſed quòd fieri poſſint. Habens enim ſcientiam artis, bonum incompoſitum non contemnit, &c. Non contemnit bonus artifex rudes & incompoſitos lapides; quos ſcit poſſe componi ac dolari, & pręcipua ædificij parte collocari. Sic Chriſtus ſapientiſſimus cæleſtis ædificij, id eſt, Eccleſiæ, architectus ac fabricator, quatuor hos lapides, licet rudes, atque minimè expolitos, non contempſit. Sciebat enim facilè poſſe expoliri, & in potiſſimo tanti ædificij loco conſtitui.

Fratres gẽmæ pretioſæ nõ expolitæ. Auct. Imp.

Vidit fratres, & vocauit. Quemadmodum olim ad educendam ex captiuitate Ægypti ſynagogam, fratres vocauit, Moſem & Aaron; ita ad educendam ex captiuitate peccati Eccleſiam, fratres accerſiuit, Petrum & Andream, Iacobum & Ioannem. Oportet enim eos, qui populum Chriſtianum docent ac gubernant, fratres eſſe amore, pace, concordia atque, atque doctrina. Gloſſa interl. Vidit duos fratres Chriſtus, quia vnitatem fraternæ dilectionis probauit, ſine qua nullus in ordinem prædicatorum admittitur, &c. Hanc in eodem ſenſu & doctrina fraternitatem Paullus commendat illis verbis: *Obſecro vos fratres, per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt id ipſum dicatis omnes; & non ſint in vobis ſchiſmata: ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia*, &c. Eamdem indicat Deus, cùm viros ſeptuaginta eligit, qui cum Moſe Rempublicam adminiſtrent. Eos verò eiuſdem Spiritus facit participes, vt intelligamus eos, qui Eccleſiam gubernant, eodem penitus ſpiritu, eadem fidei intelligentia, eademque doctrina germanos fratres eſſe oportere; ne ſchiſmata & hæreſes exoriantur. *Auferam*, inquit Domi. *Num. 11.* nus Moſi, *de ſpiritu tuo, tradamq; eis, vt ſuſtentent tecum onus populi*, &c. Similem in modum Apoſtolos, ceteroſque diſcipulos eodem ſpiritu afflauit, iiſdemque linguis igneis incendit, vt idem, & intelligerent, & docerent.

Matth. 4. *Cur Deus fratres in diſcipulos elegerit. Gloſſ. interl.* *1. Cor. 1.*

Præterea duo fratrum paria vocauit, vt diſcipulorum ſuorum, id eſt, Chriſtianorum fraternitatem & caritatem adumbraret. Chriſtianũ enim Chriſti diſcipulum, omnium hominum fratrem & amatorem, nullius verò oportet eſſe inimicũ & oſorem. Beda: Cùm Chriſtus carnis fratres elegit, oſtendit quòd qui eius diſcipulatui volumus adhærere, fratres eſſe debemus; non carne, ſed ſpiritu, non genealogia, ſed caritate. Omnes vnum Patrem habemus Deum, cui quotidie dicimus, *Pater noſter, qui es in cælis*; mater noſtra ſancta Eccleſia eſt. Quibus ergo vnus eſt Pater Deus, & vna mater Eccleſia, conſequens

Caritas Chriſtianorũ fraterna. Beda.

ſequens eſt, vt fratres ſint, id eſt, vt vnum ſentiant, id ipſum ſapiant, & non diſcordent. Hæc Beda. Et

Auct. Imp. Auctor Imperfecti homilia 7. Gratioſè, inquit, aliquis de hac duplici fratrum vtilitate locutus eſt, quoniam omnis Eccleſia præcipuè in caritate fuerat conſtruenda, ſicut Chriſtus dicit: *In hoc cognoſcent homines quòd mei eſtis diſcipuli, ſi caritatem habueritis inter vos.* Sicut enim in corporali ædificio lapis ad lapidem cæmento mediante conſtringitur; ſic in ædificio Eccleſiæ Chriſtianus ad Chriſtianum caritate mediante connectitur. Ideo ſuper fraternitatem caritatis Eccleſiæ compoſuit fundamenta, vt radicibus caritatis exuberans, quaſi humor aſcendat in ramos. Et hoc ſuper amorem naturalem; vt non ſolùm per gratiam, ſed etiam per naturam ipſe amor firmior habeatur. Sic enim fecit Deus in veteri Teſtamento, ædificaturus populum illum per legem, ſupra Moſem & Aaron fratres poſuit ædificationis initium. Quoniam autem abundantior gratia futura erat noui Teſtamenti, quàm veteris; ideo populum quidem illum ædificauit ſecundùm vnam fraternitatem, hunc autem ſecundùm duas.

Ioan. 13.

D. Thom. Sic ille. Adde D. Thomam Matth. 4. A principio, inquit, Chriſtus vocauit fratres & fratres: lex enim noua in caritate fundatur. Vnde & in veteri Teſtamento duos fratres vocauit, Moſem & Aaron; quia etiam ibi mandatum dabatur de caritate. Et quia perfectior eſt noua, ideo in principio vocatur duplex numerus fratrum, &c. Adde & D. Iſidorum Peluſiotam epiſtola 10. ad Euſebium ſcripta: Nihil, inquit Iſidorus, apud Deum tãto in pretio eſt, quàm caritas: ob quam homo factus eſt, & ad mortem vſque obediens. Eaque de cauſſa diſcipuli quoque illi, qui primi ab eo vocati ſunt, duo fratres exſtiterunt. Ex quo ſtatim per ipſa initia Saluator indicauit, ſe diſcipulos omnes ſuos fraterno amore copulari velle, &c.

D. Iſidor.

Apoſtoli antiquũ viſcãdi officium retinent.

Vocauit fratres piſcatores piſcium, vt piſcatores eſſent hominum: *Faciam*, inquit, *vos piſcatores hominum*: officium retinete, obiectum mutate. Gloſſa ordinaria: Mutatur intentio, non piſcatio, mutantur retia in doctrinam, cupiditas in amorẽ animarum. Fit mare ſæculum, nauis Eccleſia, piſces homines, &c. Periculoſum mare mũdus eſt, ac procelloſum, in eo plerique homines, veluti piſces, voluptatibus, diuitiis, ſceleribuſque immerſi natant; vnde ab his piſcatoribus in lucem gratiæ feliciter extrahuntur.

Matth. 4. *Faciam*, inquit Dominus, *vos fieri piſcatores hominum.* Ecce concionum finem, homines Deo expiſcari, non pecunias, non honorem, non gloriam inanem.

2. Cor. 12. *Non quero quæ veſtra ſunt*, ait præclarus piſcator Paul. *ſed vos.* Quo loco Cardinalis Hugo de concionatoribus, qui inanem captant gloriam, ſic conqueritur: Rete, inquit, prædicationis proiicitur non ad piſces, ſed ad ranas. Quia prædicatio non fit ad hominum ſalutem, ſed ad propriam laudem, quod per loquaces ranas ſignificatur, &c. Infelix ille eſſet piſcator, qui coaxantibus ranis plenum rete extraheret; ſic infelix ille eſt concionator, qui animarum ſalutem minimè curans, coaxantibus hominum præconiis, plenam in littus ducit ſagenam.

Prædicatores inanis gloriæ cauſſa, cui ſimiles.

Vocati continuò ſecuti ſunt Dominum; quod factum obedientiæ celeritatem commendat. Gloſſa interlin. Secuti ſunt eum pedum inceſſu, ſed magis obedientia & affectu, &c. Et ordinaria hoc loco: Perfecta obedientia eſt, ſua imperfecta relinquere, &c. Hanc illi præſtabant Monachi, de quibus Caſſianus libro 4. Inſtitution. cap. 12. Cùm ſonitum, inquit, pulſantis oſtium, ac diuerſorum cellulas percutientis audierint, ad orationem ſcilicet eos, ſeu ad opus aliquod inuitantis, certatim è cubilibus ſuis vnuſquiſque prorumpit. Ita vt is, qui opus ſcriptoris

Gloſſa. Obedientia feſtina eſſe debet.

Caſſian.

exercet, quam repertus fuerit inchoaſſe litteram, finire non audeat, ſed in eodem puncto, quo ad aures eius ſonitus pulſantis aduenerit, ſumma velocitate prouliens, ne tantùm quidem moræ interponat, quantùm cœpti apicis conſummet effigiem. Sed imperfectas litteræ lineas relinquẽs, non tatu operis compendia lucrãve ſectetur, quàm obedientiæ virtutẽ exſequi toto ſtudio feſtinet. Quam non ſolùm operi manuum, ſeu lectioni, vel ſilentio, & quieti cellæ, verùm etiam cunctis virtutibus ita præferunt, vt huic iudicent omnia poſtponenda, & vniuerſa diſpendia ſubire contenti ſint, dummodo hoc bonum in nullo violaſſe videantur. Sic Caſſian.

Obedientia vocãte, litteram inchoata, necdum perfecta relinquenda.

Secuti ſunt eum continuò, & relictis retibus. Quid ſunt caduca omnia, niſi retia, quæ nos irretiunt? Retibus ſi obſtringatur aquila, in auras minimè volat: caducis bonis ſi obſtringatur homo, ad Deum cor mentemque minimè attollit. Tenebantur retibus nobiles illæ aquilæ Petrus, Andreas, Iacobus, & Ioannes; retibus relictis ad Chriſtum conuolarunt, terrarumque orbem percurrerunt. Qui ad Deum volare vult, retia relinquat; voluptatum, diuitiarumque cupiditatem fugiat. Eſt enim harum rerum amor rete vinculumque tenaciſſimum, vt Chryſoſtomus docet hom. 4. in Matth. Diuites, inquit, quantò copioſiùs ſuis opibus ambiuntur, tantò onerioſiùs vinciuntur. Sicut cùm aliquem videris vinctum, & ceruice, manibus pedibusque ferratum, propterea illum maximè miſeraris; ſic etiam cùm videris diuitem infinitis rebus circumdatum, noli eum propter illa vocare locupletem, propter quæ debes infelicem vocare. Præter illa ſiquidem vincula habet cuſtodem carceris ſeuiorem, prauum illum ſcilicet amorem pecuniarum, qui ſemel à ſe vinctum nequaquam de hoc carcere exire permittit, ſed mille illi imponit catenas, & oſtia, & ſeras, atque cuſtodias, &c. Denique, qui ſurſum volare cupit, pondus abiiciat terræ, quod animum deorſum trahit. Auctor Imperfecti homilia 7. Cæleſtia, ait, ſpiritalia ſunt, & leuia, & ſurſum petentia: terrena ponderoſa ſunt, & ſemper deorſum deponentia. ſi ſpiritalia tenueris, ſurſum te ducunt: ſi terrena, deorſum te deponunt, &c.

Rerũ caducarũ amor, rete eſt & vinculum. Chryſoſt.

Amor pecuniæ cuſtos carceris.

Auct. Imp.

Secuti ſunt Chriſtum Iacobus & Ioannes relictis retibus & patre. Non ſolùm rerum caducarum, ſed parentum etiam, & cognatorum, & amicorum cupiditatem à religioſis viris relinquendam locus docet. Vnde Gloſſa interl. Perfecta eſt conuerſio, vbi cum cupiditate rerum carnalis quoque rumpitur dilectio, &c. Magnus Baſilius ita nos propinquos vult relinquere, vt relinquunt ij, qui vita iam ſunt defuncti. In conſtitutionibus monaſticis, cap. 21. A propinquis, ait, amicis parentibuſve animi affectione nos tam longè oportet eſſe diſiunctos; quàm longè eos, qui iam ſunt vita defuncti, à viuis videmus diſtare. Qui enim verè ſe ad ea, quæ ex virtute ſunt, certamina exuerit, mundoque nuntium remiſerit, & ſeipſum crucifixerit; is mundo, & omnibus, quæ in mundo ſunt, mortuus eſt; ſiue illi parentes ſint, ſiue fratres, ſiue quemuis deinceps cognationis gradum obtineant. Hæc ille, & alia multa.

Cognati relinquendi à vero religioſo.

Gloſſ. interl.

Baſil.

Religioſum cognatis mortuus.

Secuti autem ſunt Apoſtoli Chriſtum, veſtigiis eius inhæſerunt, facta imitati ſunt; non doctrina ſolùm, ſed imitatione quoque diſcipuli fuerunt. Lux illa magna, quæ, vt Iſaias vaticinatur cap. 9. Galilæis exorta eſt, Sol ille, qui ſedentibus in tenebris illuxit, hos primùm diſcipulos exoriente ſplendore ſuo illuſtrauit, imaginemque ſuam in eis veluti ſplendidis ſpeculis impreſſit. Hinc illud Ruperti Matth. 4. Sicut Sol viſu ſuo ſpecularia non ſolùm

Apoſtoli Chriſtũ ſecuti imitatione.

Ruper.

vider,

videt, verum etiam ſuam in eis imaginem format, & imago eius ex ipſis relucet: ita quodammodo verus Sol vidit Petrum & Andream, Iacobum & Ioannem ſimplices, & tenebrarum partem nullam habentes; & idcirco lux ab eis comprehenſa eſt, imago veræ huius lucis in eorum cordibus per fidem formata eſt, &c. In libro de Ioſeph Philo: Vitam, inquit, ſuam virtutibus plenam, velut tabulam bene pictam Ioſeph in medio propoſuit, &c. Hoc multò præſtantius præſtitit noſter Ioſeph Chriſtus; vitam ſuam omnibus virtutibus præclariſſimam veluti tabulam diſcipulis propoſuit; vnde illi pulcerrimarum virtutum imagines in animum ſuum transferrent, quod illa verba indicant: *Venite poſt me.*

Philo.

Matth. 4.

Sed dices, pauca reliquiſſe Apoſtolos, qui retia cymbasque reliquerunt. Reſpondeat tibi D. Hieronymus epiſtol. 34. ad Iulianum: Apoſtoli, inquit, gloriantur, quòd omnia dimiſerint, & ſecuti ſint Saluatorem. Et certè præter retia & nauem nihil legimus eos dimiſiſſe. Et tamen teſtimonio futuri iudicis coronantur; quia ſe offerentes, totum dimiſerant quod habebant, &c. Et Magnus Gregorius homilia 5. in Euangelia: In hac, inquit, re affectum debemus penſare potiùs, quàm ſenſum. Multum reliquit, qui ſibi nihil retinuit. Multum reliquit, qui quamlibet parum, totum deſeruit. Multum Petrus & Andreas reliquerunt, quando vterque concupiſcentiis renuntiarunt, &c. Ergo quamuis pauca relinquamus, multa relinquimus, ſi omnium rerum cupiditatem ex corde radicitus exſtirpemus. Multum reliquiſtis, ait Gregorius, ſi deſideriis terrenis renuntiatis, &c. Quamuis verò multa relinquamus, pauca relinquimus, ſi cupiditatem caducarum rerum animo foueamus. Cor, ait idem ſanctiſſimus Eccleſiæ Doctor, & non ſubſtantiam Deus penſat; nec perpendit quantùm in eius ſacrificio, ſed ex quanto proferatur. Nihil offertur Deo ditius bona voluntate, &c. Si pauca habes, ardenti voluntate pauca relinque, inflammatoque deſiderio plurima, eaque opulentiſſima pro Chriſto dimittendi. Quæ in tua ſunt poteſtate facto abiice, quæ non poſſides, voluntate ac deſiderio deſere. Omnes, inquiens, orbis opes ſi poſſiderem, pro Chriſto libentiſſimè deſererem.

Apoſtoli etſi retia dimiſerint, multa reliquerunt. Hieron.

Greg.

Ardens voluntas omnia relinquēdi.

A nominatur, piſcatori; ita torpens auditor concionatori torporem iniicit.

Vndénam Chriſtus concionatur? Vnde docet irruentem populum? *Aſcendens*, ait Lucas, *in vnam nauim, quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere pusillum; & ſedens docebat de nauicula turbas*, &c. Numquid caſu factum eſt, vt ex naui Petri doceret? Minimè. Videlicet illo facto adumbrare voluit ſuggeſtum, cathedramque, ex qua orbem docet, nauim ſedemque eſſe Petri. Ex naui Petri docet Chriſtus, ſemperque docebit. Ex nauibus hæreticorum, Mahometanorum, reliquarumque huiuſmodi peſtium, docet ſatanas. *Duc in altum*, ait Dominus Petro, duc in profundum pelagus, hoc eſt, in Romanum imperium. In ipſum mundi caput Romam infer tuam nauiculam, ô Petre, huc infer Eccleſiam, hîc tuam ſedem colloca. Tu tuique ſucceſſores, & ſocij laxate retia in capturam. Laxata ſunt retia, concluſa eſt piſcium multitudo copioſa, Petri nauis, id eſt, Eccleſia impleta eſt. Lege Auguſtinum ſerm. 4. de S. Petro & Paullo: Dum inſidiaretur, inquit, Petrus gregibus æquoreis piſcium in mari; ipſe in rete incidit Saluatoris. Chriſtus hamo verbi ipſum tenuit piſcatorem. Qui latebat in ſalo, verbi retia ſpargit in mundo. Tunc piſces induxit, nunc homines ſagenis ſpiritalibus irretiuit, &c.

Luca 5.

Ex naui Petri, id eſt, Eccleſia Romana Chriſtus docet orbem.

Auguſt.

B

Obſeruat Theophylactus Chriſti manſuetudinem, qui pro iure ſuo iubere cùm poſſet, Petrum rogauit, cymbam à terra puſillum vt reduceret. Chriſti, inquit, manſuetudinem vide, quomodo obſecret Petrum, vt à terra abducat, &c. Non erat imperioſus Chriſtus, docetque dominos in imperando eſſe moderatos. Audi D. Bonauenturam hunc in locum ſic ſcribentem: Nota humilitatem Domini, quia rogabat Petrum ſeruum ſuum, exemplum Prælatis relinquens, vt & ipſi rogent ſubditos. Vnde Apoſtolus: *Rogamus vos, & obſecramus in Domino.* Quia, vt dicit Seneca, generoſus eſt animus hominis, & facilius ducitur, quàm trahitur. Hæc diuus Bonauentura. Seneca libro 1. de Clementia, cap. 24. Natura contumax eſt humanus animus, & in contrarium atque arduum nitens; ſequiturque facilius, quàm ducitur. Et vt generoſi atque nobiles equi melius facili freno reguntur, ita clementiam voluntaria innocentia impetu ſuo ſequitur, &c. Item: Remiſſius imperanti melius paretur, &c. Remiſſius, inquam, hoc eſt, modeſtius imperanti, non negligentius. Remittenda dominis eſt imperioſitas nimia & auſteritas; non eſt remittenda diligentia ac vigilantia. Imperent, ſed cum humilitate imperent. Lege Ezechielis 34.

Theoph.

Imperandū cū manſuetudine & humilitate. Bonauen.

1. Theſ. 4.

Animus generoſus facilius vincitur, quam trahitur. Senec.

C

D

Rogauit Petrum à terra cymbam vt reduceret. A terra & turba ſeparatus ſedet, & docet Dominus; à terra & turba ſeparatum moribus indicat eſſe debere paſtorem ac populi doctorem; adeò vt in alio ſit elemento celſiori. Populus in terra erat, in aqua erat Chriſtus. Nam ſi ſicut populus, ſic ſit ſacerdos, parui à populo ſacerdos fiet. Magnus Gregorius parte ſecunda paſtoralis curæ, capite ſeptimo: Sacerdos, inquit, eſt ſicut populus, quando ea agit is, qui ſpiritali officio fungitur, quæ illi faciunt, qui adhuc de ſtudiis carnalibus iudicantur.

Paſtor moribus populo ſit præcellētior.

Greg.

Quod Ieremias deplorat, dicens: *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum.* Aurum obſcuratur, cùm ſanctitatis vita terrenis actibus polluitur. Color optimus mutatur, cùm quorumdam, qui degere religiosè credebantur, æſtimatio anteacta minuitur. Nam cùm quilibet poſt ſanctitatis habitum terrenis ſe actibus inſerit, quaſi colore

Thren. 4.

CAPVT VI.

Morale.

De piſcatione Petri.

HACTENVS de vocatione verba fecimus, quam Matthæus Marcusque deſcripſerunt, ad Lucam tranſeamus. Irruebant turbę in Dominum, vt audirent verbum Dei. Tanta erat verbi diuini auiditas. Vehementi deſiderio mouebantur, ait D. Bonauentura Luc. 5. ideo irruebant, conſiderantes magis Domini bonitatem, quàm maieſtatem. Vnde dicit quidam expoſitor: Deſiderium verbi Dei meriti magni eſt apud Deum, quod ipſam quoque irreuerentiam turbæ irruentis in eum excuſat. Hęc Bonauentura. *Vniuerſa terra deſiderabat vultum Salomonis, vt audiret ſapientiam eius*, &c. *Ecce pluſquam Salomon hîc.* Vniuerſa Galilæa vultum eius deſiderabat, vt ipſam Dei ſapientiam, & videret, & audiret. Diſcant auditores diuinum verbum cum auiditate audire, & ſine faſtidio; iuxta illud: *Suſceperunt verbum cum omni auiditate*, &c. Auditorum auiditas, & ſtudium concionatoris animum excitat; torpor ac deſidia deiicit. Quemadmodum piſcis, qui torpedo

Deſiderium audiēdi Verbum Dei.

Bonauen.

3. Reg. 10.

Actor. 17.

E

lore permutato, ante humanos oculos eius reuerentia despecta pallescit. Sanctuarij lapides dispersi per plateas iacent, cùm personæ sacrorũ ordinum voluptatum suarum libidini deditæ terrenis negotiis inhærent. Sic Gregorius.

Præterea, à terra quidem separatus docet Dominus, sed pusillum; ita vt turbas videat. Separatum oportet esse à terra populoque in alio elemento pastorem, sed pusillum. Hoc est, non adeò, vt populum non videat, & illius curam non agat. Lege eumdem sanctissimum Pontificem eodem loco, dum illa verba moraliter exponit: *Sacerdotes caput suum non radant, nec comam nutriant; sed tondentes attondeant capita sua*, &c. Sacerdotes illi caput radunt, qui omnem ouium curam, cogitationemque abiiciunt, & ab iis longissime se separant. Cogitationes enim, & curæ capillis significantur, qui ex capite exoriuntur. Illi verò comam nutriunt, quos multæ variæque cogitationes terrenis negotiis ita deprimunt, vt internos animi, & contemplationis oculos longissimorum instar capillorum obtegãt. Nec radat ergo caput pastor, nec longã nutriat comam, id est, nec populi curam deserat, nec nimia illius cura animum deprimat, sed pusillum ab illo recedat. Magnus Gregorius: Sacerdotes, inquit, rectè & caput prohibentur radere, & comam nutrire; vt cogitationes carnis de vita subditorum nec à se funditus amputent, nec rursùs ad crescendum nimis relaxent, &c.

Pastor à grege non recedat. *Ezech 44.* *Gregor.*

Idem sapientissimus Pater hoc loco indicari ait, rudibus populis, nec alta nimis, nec terrena prædicanda. Is concionator, qui coram imperita plebe de iis, quæ auditorum captum superant, verba facit, à terra nauim in altum ducit. Is verò, qui pro plebis indoctæ captu loquitur, à terra nauim reducit pusillum. Gregorius Iob 26. ad illa verba; *Ligat aquas in nubibus suis, vt non erumpant pariter deorsum*, id est, iuxta illius sensum moralem, Deus in concionatoribus suis doctrinam ligat, ne totam effundant, sed pro captu auditorum loquantur. Per nauem, inquit, Petri quid aliud, quàm commissa Petro Ecclesia designatur? de qua, vt Dominus prædicet, eam non in altum duci, & tamen à terra præcipit remoueri. Profectò significans prædicatores suos rudibus debere populis nec alta nimis de cælestibus, nec tamen terrena prædicare. Aqua ligatur in nubibus, quia prædicatorum scientia infirmorum mentibus loquens, quantùm sentire valet, docere prohibetur, &c. Idem docet D. Augustinus lib. 2. Quæstionum Euãgelicarum, quæst. 2. Quòd, inquit, ascendens in nauim Dominus, quæ erat Petri, rogat eum à terra reducere pusillum; significat temperatè vtendum verbo ad turbas. Vt nec terrena eis præcipiantur; nec sic à terrenis in profundiora sacramentorum recedatur, vt ea penitus non intelligant, &c.

Pro auditorũ captu cõcionandum. *Gregor. Iob 26.* *Augustt.*

Addit Augustinus aliud etiam posse hoc facto ostendi. Rogauit Petrum Christus à terra reducere pusillum. Postea: *Duc*, inquit, *in altum*; adumbrans Apostolos priùs in propinquis, postea in remotis nationibus Euangelium prædicaturos. Tunc à terra nauiculam reduxerunt pusillum, cùm in Iudæa docuerunt; tunc in altum duxerunt, cùm inter ethnicos Euangelium promulgarunt. Augustinus: Quòd Dominus in nauim ascendens rogat Petrum à terra reducere pusillum; significat, priùs in proximis regionibus gentibus prædicandum. Vt quod dicit item Petro; *Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam*, ad remotiores gentes, quibus postea prædicatum est, pertineat, &c. Haymo: In hoc, inquit, quòd Petrum rogauit, vt paullulum à terra nauim reduceret, demonstrauit Dominus, quòd Petrus & Apostoli primùm deberent Euangelium prædicare Iudæis vicinis suis. Quòd autem subiunxit: *Duc in altum*, ad remotiores gentes pertinet. *Eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa*; hoc est quod Petrum rogauit, vt à terra nauim reduceret pusillum. Addit: *Et vsque ad vltimum terræ*; hoc est quod dixit: *Duc in altum*. Sic Haymo. Potest etiam res hæc Apostolorum adumbrare vocationes. Nam à terra pusillum cymbas reduxerunt, cùm ad Christi familiaritatem venerunt; postea verò in altum duxerunt, cùm terram, id est, terrena omnia penitus deseruerunt.

Apostoli priùs pusillum à terra cymbas reduxerunt, postea duxerunt in altum, allegoricè. *Haymo.* *Act. 1.*

Præterea, duxit in altum Petrus, cùm in altissimum Trinitatis, incarnationisque pelagus introiit. Rogauit Dominus: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* Ceteri homines à terra cymbam pusillum reducebant. Alij enim dicebant Christum esse Ioannem Baptistam, alij Eliam, alij vnum ex Prophetis. *At tu, Petre, quem me esse dicis?* rogat Dominus. Duxit in altum Petrus: *Tu*, inquiens, *es Christus Filius Dei viui.* Ambrosius Lucæ 5. Sol, inquit, Petro dicitur: *Duc in altum*, hoc est, in profundum disputationum. Quid enim tam altum, quàm altitudinem diuitiarum videre, scire Dei Filium, & professionem diuinæ generationis assumere? In hoc altum disputationis Ecclesia à Petro ducitur, vt videat hinc resurgentem Dei Filium, inde Spiritum sanctum profluentem, &c.

Petrus quomodo in altum nauem duxerit. *Matth. 16.* *Luca 5.*

In hac verò piscatione ait Augustinus serm. 4. de diuersis tria esse significata. Primum, mixturam bonorum & malorum esse in Ecclesia; secundum, pressuram multitudinis; tertium, futura schismata. Malos in Ecclesia bonis esse permixtos id significat, quòd Dominus nec in dexteram, nec in sinistram cymbæ partem retia mitti iubet, sed tantùm dicit: *Laxate retia vestra in capturam*. Comprehendite omnes pisces bonos malosque. Post resurrectionem autem dixit: *Mittite in dexteram nauigij rete*; quo iactu significabatur bonorum piscium captura. Augustinus: Iussit mitti retia, & non dixit in quam partem, sed tantummodo, vt mitterentur, præcepit. Miserunt discipuli; non dixit in dextram, non dictum est in sinistram. Pisces enim homines significabant. Si ergo diceretur in dexteram, soli boni futuri erant; & si diceretur in sinistram, soli mali. Quia verò permixti futuri erant in Ecclesia, & boni & mali; sine differentia missa sunt retia, vt caperentur pisces, significantes mixturam bonorum & malorum, &c. Pressuram multitudinis id indicat, quòd impletæ sunt nauiculæ, ita vt præ piscium multitudine mergerentur. Augustinus: Significatum est hinc, quia per multitudinem, quam collectura erat Ecclesia, periclitatura erat disciplina, &c. Schismata & hæreses innuunt, retia disrupta. *Rumpebatur*, inquit Lucas, *rete eorum*. Augustinus eodem loco: Disrupta retia quid significauerunt, nisi futura schismata? Item serm. 5. sequenti: Disruptis retibus hæreses & schismata facta sunt. Retia per totum expanduntur; qui rumpunt autem, per loca rumpunt. Donatistæ ruperunt in Africa; Ariani ruperunt in Ægypto; Manichæi in Persida, & cet. His addit Euangelista: *Stupor circumdederat Petrum, & omnes qui cum eo erant, super captura piscium quam ceperant*, &c. Stupor hic & admiratio admirandam & stupendam fuisse adumbrat illam hominum expiscationem, quæ ab Apostolis eorumque discipulis facta est. Lege Chrysostomum in demonstratione quòd Christus sit Deus.

Augustt. Quid adũbret Petri piscatio. *Luca 5.* *Ioan. 21.* *Augustt.* *Mali & boni in Ecclesia sunt.* *Per multitudinẽ periclitatur disciplina. Schismata & hæreses futuræ præuidentur in Ecclesia.* *Luca 5.*

Nec illud est prætereundum, quòd piscatores descenderant, & lauabant retia sua. Oportet enim post piscationem, id est, concionem, cordis humilitate

litate descendere, & lauare retia, si quid fortè iactantiæ adhæserit. Haymo: Qui verbum Dei loquitur, aliquando quodam puluere iactantiæ inquinatur. Ideo necesse est, vt prædicatione expleta, quod inquinatum est, abluatur, &c. Post concionem abluenda sunt retia; ante concionem verò cælestis auxilij lux imploranda; ne id nobis cõtingat, quod Petrus ait: *Per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Beda Luc. 5. Nisi Dominus cor illustrauerit auditorum, doctor in nocte laborat: nisi in verbo gratiæ supernę laxata fuerint instrumenta disputationum, frustra vocis suæ prædicator iaculum mittit; quia fides populorum, non sapientia verbi compositi, sed diuinæ vocationis munere prouenit, &c. Ambrosius eodem capite: O præsumptio vacua! O humilitas fructuosa. Qui nihil ante ceperãt, magnam in verbo Domini concludunt piscium multitudinem. Non hoc humanæ facundiæ opus, sed supernæ vocationis est munus, &c. Denique ex naui Petri piscatio hæc admirabilis facta est, qua Christus & Petrus vehebantur. In naui Petri Christus est, & simul cum Petro piscatur. Extra nauim Petri, id est, Ecclesiam, per totam noctem laborantes hæretici nullum Deo piscem capiunt, multos tartareis coquendos flammis dæmoni expiscantur.

Haymo.

Lauan da retia à piscatore, id est, concionatore, quomodo sint. Diuina lux & auxilio cõcionatori necessario.

CAPVT VII.

De expulsione cacodæmonis in synagoga.

MARC. CAP. I.

ET ingrediuntur Capharnaum, & statim sabbatis ingressus in synagogam docebat eos. Et stupebant super doctrina eius. Erat enim docens eos, quasi potestatem habens, & non sicut Scribæ. Et erat in synagoga eorum homo in spiritu immundo; & exclamauit, dicens: Quid nobis & tibi Iesu Nazarene? Venisti perdere nos? scio quis sis, Sanctus Dei. Et comminatus est ei Iesus, dicens: Obmutesce, & exi de homine. Et discerpens eum spiritus immundus, & exclamans voce magna, exiit ab eo. Et mirati sunt omnes, ita vt conquirerent inter se, dicentes: Quídnam est hoc? quænam doctrina hæc noua? quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat, & obediunt ei. Et processit rumor eius statim in omnem regionem Galilææ.

LVC. CAP. IV.

ET descendit in Capharnaum ciuitatem Galilææ, ibique docebat illos sabbatis. Et stupebant in doctrina eius. Quia in potestate erat sermo ipsius. Et in synagoga erat homo habens dæmonium immundum; & exclamauit voce magna, dicens: Sine, quid nobis & tibi, Iesu Nazarene? venisti perdere nos? scio te quis sis, Sanctus Dei. Et increpauit illum Iesus, dicens: Obmutesce, & exi ab eo. Et cùm proiecisset illum dæmonium in medium, exiit ab illo, nihilque illum nocuit. Et factus est pauor in omnibus, & colloquebantur ad inuicem, dicentes: Quod est hoc verbum, quia in potestate & virtute imperat immundis spiritibus, & exeunt? Et diuulgabatur fama de illo in omnem locum regionis.

POST Petri, Andreæ, Iacobi, & Ioannis vocationem, quid sequatur ostendit D. Marcus, cap. 1. Postquam enim vocatos hos discipulos à Christo scribit, subiicit. Et ingrediuntur Capharnaum, & statim sabbatis ingressus in synagogam, docebat eos, &c. Vocauit, inquit, discipulos quatuor: secuti sunt vocantem; & ingrediuntur, Christus videlicet, & discipuli Capharnaum. In hac enim vrbe, vt Matthæus ait cap. 4. habitabat.

Marci 1. Quid nomẽ synagoga, quid Ecclesia significet.

ET *ingressus in synagogam docebat eos.* Synagoga nomen est Græcum συναγωγὴ, congregationem significat. Vnde Augustinus Psal. 73. Omnis, inquit, congregatio generali nomine synagoga appellatur; & pecorum, & hominum, potest dici congregatio, &c. *Deus stetit in synagoga Deorum*, hoc est, in congregatione iudicum & magistratuum, qui vice Dei Rempub. gubernant, ideoque Dij appellantur: *Stuppa collecta synagoga peccantium*, id est, congregatio impiorum. Iudæorum congregatio synagoga dicitur; Christianorum congregatio Ecclesia nominatur. Nomen autem Ecclesia Græcum etiam est, ἐκκλησία, significans conuocationem, cœtum, & congregationem. Vnde Ecclesiastes Græcè, ἐκκλησιαστὴς, concionator dicitur. Hoc nomine appellatur Salomon in libro Ecclesiastæ: *Verba*, inquit, *Ecclesiastæ filij Dauid*, &c. Synagoga à verbo συνάγω, id est, congrego; Ecclesia à verbo ἐκκαλέω, id est, euoco, deducitur, ita vt conuocationem significet. Vnde Augustinus

Psal. 81.

Eccli. 21.

ſtinus Pſal.81. Eccleſia, inquit,à conuocatione nomen accepit, &c. Vtrumque nomen in Scriptura pro multitudine hominum ſumitur. *Nouerit vniuerſa Eccleſia hæc*, ſcilicet Iudæorum. *Omnis Eccleſia Iſrael ſtabat.* Et infrà: *Stetit Salomon ante altare Domini in conſpectu Eccleſiæ Iſrael*, &c. Aliis quoque locis nomen *Eccleſia* congregationem ſignificat Iſraëliticam. Pro eodem ſumitur nomen Eccleſiæ & ſynagogæ. *Pene*, inquit, *fui in omni malo in medio Eccleſiæ & ſynagogæ*, id eſt, in medio cœtus & congregationis.

1.Reg.17. 3.Reg.8. *Prou.5.*

Auguſt. Attamen, vt Auguſt. docet, ſynagoga dicta eſt Eccleſia, vt diximus, ſed Eccleſia ab Apoſtolis non eſt appellata ſynagoga: nomen Eccleſiæ tantùm illi attributum eſt, non autem nomen ſynagogæ. In comment. Pſalm. 81. Iſraelitarum, inquit Auguſtinus, propriè ſynagoga dici ſolet; quamuis & Eccleſia dicta ſit. Noſtram verò Apoſtoli numquam ſynagogam dixerunt, ſed ſemper Eccleſiam: ſiue diſcernendi cauſſa; ſiue quòd inter congregationem, vnde ſynagoga, & conuocationem, vnde Eccleſia nomen accepit, diſtet aliquid. Quòd ſcilicet congregari & pecora ſolent, atque ipſa proprie, quorum & greges propriè dicimus. Conuocari autem magis eſt vtentium ratione, ſicut ſunt homines. Sic Auguſtinus.

Cur Eccleſia appelletur Chriſtianorum; Synagoga autem Iudæorum.

Quemadmodum autem Eccleſiæ nomen pro templis vſurpatur, in quæ conuocamur & conuenimus; ita ſynagogæ nomen pro ædibus, in quas ad audiendas conciones Iudæi confluebant, ſumitur. Vnicum quidem illis erat templum Ieroſolymis, in quo ſacrificia offerebant: ſed aliis in opidis ſynagogas, id eſt, amplas domos habebant, in quas ſabbatis ab omni labore feriati conuenire, concionesque audire ſolebant. Venit igitur è cælo lapſus cõcionator Capharnaum, vt Marcus ait, & ſabbatis ingreſſus in ſynagogam, docebat populum confluentem. *Sabbatis*, inquit, ingrediebatur ſynagogam, quæ in ciuitate Capharnaum erat, & concionabatur.

Marci 1. ET *ſtupebant ſuper doctrina eius. Erat enim docens eos quaſi poteſtatem habens.* Conciones Chriſti in ſummam admirationem auditores rapiebant. Rationem admirationis, ac ſtuporis reddit Marcus: *Erat enim docens eos quaſi poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ.* Et Lucas: *Quia in poteſtate erat ſermo ipſius.* Similiter Matthæus in fine cap.7. *Erat*, ait, *docens eos ſicut poteſtatem habens, non ſicut Scribæ.* Quid ſit in poteſtate, vel cum poteſtate docere, dubium eſt. Lyranus Lucæ 4. poteſtatem ad miracula refert, hoc ſenſu: mirabantur, quia docebat eos quaſi poteſtatem habens miracula faciendi. Caietanus ſimiliter Matth.7. Ratio, inquit, admirandi integratur ex doctrina, & modo faciendi miracula. Fecerunt enim Moſes, Elias, & Eliſæus miracula; ſed non tali modo: ſcilicet imperando ſolùm. Videbant Chriſtum imperare dæmonibus. Rurſum, Patres fecerunt miracula, ſed non docendo propriam doctrinam. Chriſtus autem docebat propriam doctrinam: & poteſtatiuè miracula apponebat doctrinæ. Propterea dicitur docens ſicut poteſtatem habens. Hæc ille. Rupertus Matth. 7. cum poteſtate illum non docere putat, qui bene dicit, & malè viuit: eum verò cum poteſtate loqui, cuius vita cum verbis & doctrina conſonat. Poteſtatem, inquit, non habere in docendo, eſt bona loqui, & eſſe malos Scribas & Phariſæos, volendo placere hominibus, & adulando diuitibus, vt ex eis aliquid commodi adipiſcantur. Similiter D. Gregorius lib.23.Moral.cap.7. loqui cum poteſtate illum ait, qui, quæ agit, illa docet: Hoc, inquit, diſcipulo Paullus ait: *Præcipe, & doce cum omni imperio*. Non dominationem potentiæ, ſed auctoritatem ſuadet vitæ. Cum imperio quippe docetur, quod priùs agitur, quàm dicatur. Nam doctrinæ ſubtrahit fiduciam, quando conſcientia prępedit linguam. Non ergo ei poteſtatem elatæ locutionis, ſed bonæ fiduciam inſinuauit actionis. Vnde etiam de Domino ſcriptum eſt: *Erat docens ſicut poteſtatem habens.* Singulariter namque, ac principaliter ſolus ex poteſtate bona locutus eſt: quia ex infirmitate mala nulla commiſit. Ex diuinitatis quippe potentia habuit id, quod nobis per humanitatis ſuæ innocentiam miniſtrauit. Sic Gregorius. Diuus Thomas inter alias interpretationes hanc quoque affert: Docebat tamquam habens poteſtatem penetrandi corda, ac permouendi, &c.

Marci 1. *Luc. 4.* *Matth. 7.* *Quid ſit in poteſtate, vel cũ poteſtate docere.* *Caietan.* *Rupert.* *Gregor.* *Tit. 2.* *D. Thom.*

Græcè poteſtas hoc loco dicitur non δυνάμις, ſed ἐξουσία, quod nomen ſignificat poteſtatem, auctoritatem, libertatem, & licentiam. Germanus ſenſus eſt: Docebat Chriſtus populum tamquam Dominus cum auctoritate, poteſtate, ac libertate ſermonis, non ſicut Scribæ, qui ſermonis illa libertate & auctoritate carebant. Diuus Hieronymus Matth. 7. Scribæ, inquit, docebant populos quæ ſcripta ſunt in Moyſe & Prophetis; Ieſus verò quaſi Deus & Dominus ipſius Moyſi, pro libertate voluntatis ſuæ, vel ea, quæ minus videbantur, addebat in lege, vel commutans, prædicabat in populos, & cetera. Chryſoſtomus: Non ponebat Dominus quaſi ex alterius perſona præcepta, ſicut Moſes fecerat, ac Prophetæ: ſed fere vbique ſe indicabat eſſe, qui imperandi auctoritatem teneret. Etenim cùm præcepta ſanciret, ſæpe dicebat: *Ego autem dico vobis*, & terribilis illius iudicij faciens mentionem, ſe monſtrabat eſſe iudicem per præmia & ſupplicia, &c. Euthymius: Docebat Chriſtus cum increpandi fiducia, & non cum metu, quemadmodum Scribæ. Vel quia Scribæ à lege & Prophetis proferebant, quæ docebant, dicentes: Hæc iubet lex, iſta dicunt Prophetæ: Chriſtus verò accepta à ſe ipſo auctoritate docebat, ac legem ferebat, &c. D. Thomas quaſi poteſtatem habens docebat, quia vt Dominus loquebatur, vel ſicut legiſlator, &c.

Quid ſit docere cum poteſtate. *Hieron.* *Chryſoſt.* *Euthym.* *D. Thom.*

ET *in ſynagoga erat homo habens dæmonium immundum.* Hoc miraculum in ſynagoga Capharnai patratum referunt Marcus cap. 1. & Lucas cap. 4. In ſynagoga illa Capharnaum, in qua Chriſtus concionabatur, ait Lucas, homo erat dæmonium habens. Quoniam verò ſæpe hoc nomen occurrit, videamus quid ſignificet dæmonium. Eugubinus libro 8. de perenni Philoſophia, cap. 19. dictum putat dæmonium, vel dæmonem à nomine Hebræo שַׁדַּי, ſchadai, quod Deo tribuitur, & ſufficientem ſignificat, vt interpretatur diuus Epiphanius hæreſi 40. & Hieronymus epiſtola 3. ad Marcellam. Nomen hoc diuinum putat Eugubinus ſpiritibus impiis communicatum. Numerus multitudinis eſt שֵׁדִים, *ſchadaim*, ſi reiicias priorem ſyllabam, reſtat *daim*. Inde *daimon* & *damon* deriuatur. Niſi quis malit vocari שֵׁדִים, *ſchadaim*, quaſi euerſores, à verbo שָׁדַד, ſchadad, id eſt, euertere. Sed hæc etymologia nominis Græci minimè placet, quæ longè petita eſt ab Hebræo nomine.

Luc. 4. *Eugubin.* *Quid ſignificet hoc nomen dæmonium, ſiue dæmon.*

Eſt ſecunda opinio probabilior, dæmonas dici quaſi *daimonas*: hoc eſt, peritos & ſcientes. Lactantius hac de re ſic ſcribit: Dæmones Grammatici dictos aiunt, quaſi δαήμονας, id eſt, peritos, ac rerum ſcios: hos autem putant Deos eſſe. Hi per omnem terram vagantur, & ſolatium perditionis ſuæ perdendis hominibus operantur. Itaque omnia inſidiis, fraudibus, erroribus complent. Inſinuant ſe corporibus hominum, & occultè in viſceribus operti valetudinem vitiant, & cetera.

Lactan. lib. 2. c. 15.

Simili-

August. Similiter D. Augustinus lib. 9. de Ciuitate Dei, capite 20. Dæmones, inquit, dicuntur, quoniam vocabulum Græcum est, ob scientiam nominati, & cet.

Ludouicus Viues. Quo loco Ludouicus Viues sic scribit, δαίμων, Græcis olim fuit, ἐπίστημων, παρὰ γινώσκω, id est, scio & noui. Inde δαίμων, quasi δαήμων, vt, inquit, auctor magni Etymologici, id est, sciens & noscens, &c.

Plato. Plato quoque in Cratylo: Idcirco, inquit, vt arbitror, eos Hesiodus dæmones præcipuè nuncupat, quia sapientes, δαήμονες què erant, & ex nostra, id est, Græca prisca lingua nomen istud existit. Quamobrem & is, & ceteri Poëtæ permulti præclarè loquuntur, quicumquè aiunt, videlicet, postquam bonus aliquis vita functus est, maximam dignitatem, præmiumquè sortitur, fitquè dæmon, secundùm sapientiæ cognomentum. Ita & ipse assero δαήμονα, id est, sapientem esse omnem hominem, quicumque sit bonus; eumquè dæmonicum esse, id est, felicem, viuentem, atque defunctum, rectèque dæmonem nuncupari. Hæc ethnicus Plato ex sententia ethnicorum. Lege Cælium libro 2. Antiquarum lectionum, cap. 2.

Opinio Euseb. de nomine dæmonis. Eusebius lib. 4. de Præparatione Euangelica, capite 3. hanc etymologiam non probat: sed vult dæmones dici à verbo δειμαίνω, quod significat timere & terrere. Dæmones, inquit, si nominis etymologiam dicere conuenit, non prout Græcis videtur ex eo, quòd δαίμονες & scientes sint, nominantur: sed, ὡς ἀπὸ τὸ δειμαίνειν, quod est timere & terrere, &c.

Græcorum secundæ sententiæ subscribo. Tenuem enim habet similitudinem nomen dæmon cum verbo δειμαίνω. A scientia quidem accipitur, ideoquè ab ethnicis in bonam partem sumebatur.

Cicero. In libro de Vniuersitate: Dij, inquit Tullius, quos Græci δαίμονας appellant, nostri, vt opinor, lares,

Plato. &c. Et citatus Plato ait bonum hominem rectè dæmonem nuncupari, id est, sapientem, & dæmonicum esse, id est, felicem. A Christiana verò religione semper in malam vertitur partem, appellanturquè dæmones tantùm improbi angeli. Quia verò nominis significatio bona est, ideo cum adiectione cacodæmones, id est, mali dæmones etiam nominantur.

Dicitur hic dæmon ab Euangelista Luca dæmonium immundum, à Marco spiritus immundus. Spiritus enim est dæmon carens corpore. Quamobrem falsum est quod Theophylactus hoc loco Marci 1. ait, dæmones materialibus vaporibus pasci, magnamquè ferre inediam, nisi in corpore habitent, atque idcirco ieiunio expelli. Non conueniunt hæc spiritui. Immundum autem dæmonium appellatur, quoniam peccati sordibus est inquinatum. Vt verò ait idem Theophylactus, dæmones immundi sunt, eo quòd omnibus fœdis, immundisquè operibus oblectantur. Euthymius quoque immundum hunc dæmonem vocari scribit, quasi immunditiis ac sceleribus gaudentem. Immundi dicuntur sues, sic & dæmones. Quemadmodum sues luto: ita illi hominum delectantur flagitiis.

Dæmon est spiritus carens corpore.

Cur dicatur dæmonium immundum. Theoph.

Euthym.

Habuisse dicitur homo dæmonium immundum: quoniam intra se habebat inhabitantem dæmonem. Intus enim in energumenis habitant, & operantur iniqui spiritus. Ideoquè hoc loco Christus dæmoni præcipit. *Exi ab homine.* Videlicet, quia intus erat in corpore. Non tamen sic in corpore est spiritus impurus, quemadmodum est spiritus humanus: hic est vt forma, ille vt motor, & impulsor internus. Nec ita est in homine quemadmodum Spiritus sanctus. Etenim Spiritus sanctus & corpori, & spiritui nostro illabitur; dæmon autem in solum corpus ingredi potest, in mentem

Dæmō quō modo sit in homine.

A verò hominis illabi nequit, vt docet diuus Thomas quodlib. 3. quæst. 3. artic. 8. Quantum ad animam, inquit, non potest diabolus inhabitare hominem substantialiter; quia solus Deus illabitur menti. Sed quantùm ad corpus diabolus potest hominem substantialiter inhabitare, sicut patet in arreptitiis. Sic diuus Thomas. Lege Abulensem Matth. 8. quæst. 113. & sequentibus, diuum Thomam, & alios, in 2. sentent. dist. 8. Quid autem sit illabi, inquit ille, aliquid alicui, importat, quòd illud intimum sit ei, & quòd intime operetur in illo: nihil autem tale est respectu animæ, nisi solus Deus. Ideo solus diuinus Spiritus animæ potest illabi, & cetera. Dices: Dæmon potest se intimè coniungere animæ, potest quoque in intellectu, & voluntate operari: ergo potest in animam illabi. Respondetur, dæmonem posse quidem coniungere se animæ, sed non ita, vt in eam illabatur, quemadmodum Deus: præterea, posse operari in intellectu & voluntate per sensum, phantasiam, & appetitum, non autem intimè, & sine medio, quod potest Deus. Lege doctissimum Ludouicum Molinam prima parte. quæst. 56. articulo 2. & quæst. 111. art. 1. & 2.

D. Thom. Dæmon non potest in mē tem hominis illabi.

Quid sit illabi.

Qui à dæmone vexantur, Græco nomine energumeni nominantur à verbo ἐνεργέω, hoc est, ago & operor, quasi acti à dæmone, & quoniam in illis dæmon operatur. Quia verò à dæmone arrepti sunt, Latinè arreptitij appellantur. Quare autem Deus permittat dæmoni homines arripere, docet diuus Bonauentura loco citato. Permittit, hoc Dominus, siue ad gloriæ suæ ostensionem, siue ad peccati punitionem, siue ad peccantis correptionem, siue ad nostram eruditionem, &c. Ad gloriæ suæ ostensionem permisit Deus tantam energumenorum copiam esse in Iudæa illo tempore, quo in terras venit, vt dæmones expellendo gloriam suam, & potestatem, & dæmoni indictum bellum indicaret.

Vnde dicātur energumeni & arreptitij.

Cur permittat Deus à dæmone vexari homines. Bonauen.

SINE, *quid nobis & tibi, Iesu Nazarene? venisti perdere nos?* Aderat in concione homo dæmone correptus, exclamauitquè dæmon per hominis os: *Sine, quid nobis & tibi,* &c. Hoc est, Dimitte nos Iesu Nazarene homines possidere. Quidnam tibi nobiscum est negotij? quódnam tibi nobiscum est bellum? cur nos persequeris? Numquid venisti nos perdere?

Luca 4.

Primum in iis verbis dubium est, cur dæmon exclamarit: *Sine, quid nobis & tibi?* Christus enim concionem habebat, necdum illi imperabat, vt è corpore exiret. Respondet Euthymius: Clamauit homo non ferente, quod in eo erat dæmonio, vim diuinitatis, &c. Et Glossa interlin. Præsentia Iesu tormenta sunt dæmonum. Respondemus, Christum concionantem diuina virtute afflixisse dæmonem, & ad exitum cogere incepisse, ideoquè sic exclamasse: Desine me torquere, & ad exitum impellere. Vel forsitan Christus contra dæmones de fallacia illorum, & potestate ac insidiis, & similibus sermonem habuit: quamobrem dæmon, qui concioni aderat, exclamauit: *Sine,* hoc est, omitte hæc verba, desine de nobis detrahere. Quid tibi nobiscum? numquid vt nos euertas venisti? Græcè pro verbo *sine,* est ἔα, imperatiuum à verbo ἐάω, id est, sino, desino, ideo rectè vertit Interpres, *sine,* iuxta sensum expositum. Est etiam vox ἔα interiectio, *hem* vel *ah,* vertiquè posset, *Ah* vel *hem, quid nobis & tibi Iesu Nazarene?* Pagninus & alij vertunt: *Eia quid tibi nobiscum est?* &c. Sed noster interpres sequendus, qui optimè transtulit: *sine.*

Cur dæmon exclamarit.

Gloss. interl.

Secundum dubium est, de quanam perditione dæmon loquatur, cùm rogat: *Venisti perdere nos?*

Quā appellet dæmon suam perditionem.

Ianſenius putat loqui de perfecta perditione, quæ tunc erit, quando mittentur omnes in tartarum in die iudicij, hoc ſenſu: *Veniſti perdere nos*, hoc eſt, Veniſti nos ex terra exterminare, & in tartarũ mittere? Reſponderi etiam poteſt, perditionem appellari à dæmone dæmonum euerſionem, & ex hominum corporibus mentibusque expulſionem, quam videbat Chriſtum efficere. Nam ex hominum animis corporibusque dæmones pellebat. Theophylactus: Perditionem, inquit, ſuam exiſtimat dæmon, egredi ex homine: dæmones enim malum quiddam ſuſtinere ſe putant, niſi permittatur eis affligere homines, &c. Euthymius: Perditionem ſuam vocat dæmon, cohibitionem ſuæ poteſtatis, virtutemque contrariam, ac ſui perſecutionem, &c. Similem in modum Chriſto occurrentes dæmones exclamauerunt: *Quid nobis & tibi Jeſu Fili Dei? Veniſti huc ante tempus torquere nos?* quæ verba ſuo loco explicabimus.

Theoph. *Euthym.* *Matth. 8.*

Theodor. Theodoretus libro 10. de Curatione Græc. affect. ſiue de oraculis, verba ſuperiora, *Veniſti perdere nos?* de expulſione dæmonum à ſimulacris & oraculis interpretatur: Prius, inquit, quàm Deus in ſubſtantia noſtræ mortalitatis appareret, quadam veluti nebula terram continente, dæmones ſeu ſicarij quidam, graſſatoresque, inſidiis ac laqueis vtebantur; omni retium genere ſpeciem humanam captantes. Poſtquam verò lux diuinæ veritatis orbi exorta eſt; cuncti ſpecubus, latibulisque ſuis relictis fugam arripuerunt. Ideo exclamare cœperunt: *Sine, quid nobis & tibi Ieſu Nazarene? veniſti perdere nos?* Nullæ itaque ſunt diuinationes ad Caſtaliæ aquas, tacet Iuppiter Dodonæus, Colophonius, Apollo Delius, Pythius, Clarius. Hæc Theodoretus.

Luc. 4.

Marci 1. Dæmon agnoſcit Chriſtum Deum. SCIO *qui ſis: Sanctus Dei.* Addit dictis dæmon ſe agnoſcere quiſnam ſit Chriſtus: *Scio*, inquit, *qui ſis*, &c. Id eſt, non me lates, noui quis ſis. Nempe ſanctus Dei es. Græcè ὁ ἅγιος τοῦ θεοῦ, cum articulo. Obſeruat autem Euthymius appoſitum eſſe articulum, propterea quòd ſignificare voluerit dæmon Chriſtum ſanctum eſſe natura, non participatione, ac proinde Deum. Non ſolùm, ait ille, dixit dæmon: *Sanctus es*, ſed, *ille ſanctus*, cum articuli adiectione. Siquidem & Prophetæ ſancti ſunt, ſed per participationem; ſolus autem Deus propriè, & natura ſanctus eſt. Ob id ergo dixit, *Sanctus ille*, hoc eſt, natura, & propriè ſanctus. Hæc ille. Theophylactus rectiùs ait, dæmonem his verbis ſignificaſſe Dominum ſanctum Dei eſſe, id eſt, Meſſiam. Non dixit ſpiritus immũdus, ait Theophylactus, *Sanctus es*: multi enim Prophetæ ſancti fuerunt; ſed, *Es ille ſanctus*, adiectione articuli, ille vnicus & prædefinitus, ſcilicet Meſſias, &c. Item dæmonem his verbis indicaſſe Dominum eſſe Meſſiam ſentiunt D. Bonauentura Lucæ 4. Lyranus Marc. 1. Carthuſianus, Caietanus, & Ianſenius.

Euthym. *Dæmõ fatetur Dominũ eſſe Meſſiã.* *Theoph.*

An fuerit coacta confeſſio. Euthymius verba hæc adulandi cauſſa à ſpiritu immundo dicta putat: Adulando, inquit, Chriſto dixit dæmon: *Noui te qui ſis*; vt ipſi parceret, &c. Beda neceſſitate extortam vult hanc confeſſionem: Non voluntatis, inquit, iſta confeſſio eſt, quam præmium ſequitur; ſed neceſſitatis extorſio, quæ cogit inuitos confiteri, &c. Caietanus arbitratur tentationem fuiſſe potiùs, quàm extortã confeſſionem. Mentitur, ait dæmon, & fingit ſe ſcire, ad tentandum vt ſciat; prout in deſerto tentauerat, &c. Crediderim dæmonem minimè coactum hæc verba protuliſſe, ſed timore & vexatione adactum. An autem dæmones agnouerint Dominum eſſe Meſſiam & Deum, cap. 9. dicemus.

Caietan.

OBMVTESCE *& exi ab homine.* Duo præcipit Dominus dæmoni. Primùm, vt obmuteſcat, nec loquatur plura. Secundùm, vt ab homine abſcedat. Cùm verò dæmon Chriſtum laudarit, cur obmuteſcere iuſſus fuerit ratio eſt inquirenda. Ratio prima eſt, quoniam nolebat Dominus ore dæmonis laudari, & teſtimonio impuri ſpiritus approbari. Hanc reddit Euthymius: Non ſuſcepit, inquit, à dæmone teſtimonium Chriſtus, quamquam vera diceret dæmon; quia non vult veritas, vt ſibi à falſitate teſtimonium perhibeatur, &c. Similem in modum dæmon Paullum & ſocios ſubſecutus clamabat. *Iſti homines ſerui Dei excelſi ſunt, qui annuntiant vobis viam ſalutis.* Quod ægrè ille ferens, ſpiritum à puella, in qua habitabat, præcepit abſcedere. Rationem reddit Caietanus: Quia nolebat Euangelium habere teſtimonium à dæmonibus. Omnem ſuſpicionem malarum artium in prædicatoribus Euangelij nitebatur Paullus tollere à mentibus ethnicorum, &c. Secunda ratio. Propterea Chriſtus dæmonem iuſſit obmuteſcere, vt oſtenderet impium ſpiritum nullo modo eſſe audiendum, etiamſi vera dicat. Vera enim ideo dicit, vt veritatis eſca in falſitatem ducat, nosque fallat. Hæc ratio Theophylacti eſt & Euthymij. Chriſtus, inquit Theophylactus, obmuteſcere facit dæmonem, vt diſcamus dæmones, etiam vera dicentes, confutandos, & non audiendos, &c. Euthymius: Docuit nos, ne dæmonibus credamus, etiam vera dicentibus. Cùm enim ament mendacium, ſintque nobis inimiciſſimi, numquam vera loquuntur, niſi vt ad fallendum veritate quaſi eſca quadam vtantur, &c. Chryſoſt. homilia 13. in Matth. Etiamſi aliquid vtile dæmones loquantur, nec ſic quidem illos debes audire, &c. Oecumenius Act. 26. Paullus iuſſit egredi dæmonium, obſerato ore etiam vera dicenti: docens nos, vt neque prætextu ferendi patrocinium veritati, dæmones ſuſcipiamus; ſed omnem fraudis viam illis præcludamus, & ad omnia, quæ illorum ſunt, aures obturemus, &c. Similiter Magnus ille Antonius dæmonum victor (vt in vita illius teſtatur Athanaſius) Cùm vera, inquit, de Chriſto dæmones prædicarent (verè enim dicebant: *Tu es Chriſtus Filius Dei viui*) vociferantium ora claudebat; ne cum præconio veri peruerſitatis venena miſcerent, & vt nos eius exemplo, etiamſi profutura ſuaderent, in nullo his commodaremus aſſenſum, &c.

Marci 1. *Cur iuſſus fuerit dæmõ obmuteſcere* *Euthym.* *Act. 16.* *Caietan.* *Theoph.* *Euthym.* *Damonibus etiam vera dicentibus non credendum.* *Chryſoſt.* *Oecum.* *Anton.*

ET *diſcerpens eum, exiit ab eo*, &c. Paruit diuinæ poteſtati inuitus dæmon; diſcerpensque hominem abiit. Lucas ait: *Cùm proieciſſet illum dæmonium in medium, exiit ab illo, nihilq; illum nocuit.* Si nihil nocuit, quomodo diſcerpſit? Reſpõdemus, dæmonem imperio coactum Chriſti, in medium proiecisſe energumenum, & diſcerpſiſſe, id eſt, corpus diſtorſiſſe, & membra in varias partes diſtraxiſſe, vt dæmonis diſceſſus pateſceret; nihil tamen nocuiſſe, quoniam nec occidere, nec vulnerare, nec membrum aliquod lædere permiſſus eſt, cùm ſic furibundus diſcerperet, ac membra diſtraheret. Moraliter diuus Gregorius homilia 12. in Ezechiel. Mox, inquit, vt animus, qui priùs terrena ſapuerat, amare cæleſtia cœperit; antiquus aduerſarius acriores ei, quàm conſueuerat, tentationes admouet. Ita vt plerumque ſic reſiſtentem animam tentet, ſicut antè numquam tentauerat, quando poſſidebat. Vnde & dæmoniacus, qui à Domino ſanatur, ab exeunte dæmone diſcerpitur. Sic Gregorius.

Marci 1. *Luc. 4.* *Gregor. Qui cæpit Deo ſeruire, acriùs quã antea tentatur.*

QVOD *eſt hoc verbum, quia in poteſtate & virtute imperat immundis ſpiritibus, & exeunt?* Admirati ſunt auditores miraculum tanta cum potentia *Luc. 4.*

tentia patratum. *Quod*, aiebant, *eſt hoc verbum?* id eſt, quænam res hæc eſt? phraſi Hebræa, qua verbum ſumitur pro re. *Quia in poteſtate*, Græcè ἐξουσίᾳ, & virtute, Græcè δυνάμει, id eſt, vtique magna cum auctoritate, & poteſtate, & vi imperat dæmoniis, eaque abigit, non precibus aut diuini nominis inuocatione, ſed vi, potentia, atque oris imperio. Quod apud Marcum dicitur: *Quid eſt hoc?* dicitur apud Lucam: *Quod eſt hoc verbum?* Id eſt, quæ eſt hæc res? Additur apud Marcum: *Quænam doctrina hæc noua?* Noua erat doctrina, tum doctrinæ ipſius nouitate, tum quia cum miraculis coniuncta erat. *Marci 1.*

CAPVT VIII.

De ſocru Petri ſanitati reddita.

MATTH. CAP. IIX.

ET cùm veniſſet Ieſus in domum Petri, vidit ſocrum eius iacentem & febricitantem: & tetigit manum eius, & dimiſit eam febris, & ſurrexit, & miniſtrabat eis.

MARC. CAP. I.

ET protinus egredientes de ſynagoga, venerunt in domum Simonis & Andreæ, cum Iacobo & Ioanne. Decumbebat autem ſocrus Simonis febricitans: & ſtatim dicunt ei de illa. Et accedens eleuauit eam, apprehenſa manu eius: & continuò dimiſit eam febris, & miniſtrabat eis.

LVC. CAP. IV.

SVRGENS autem Ieſus de ſynagoga, introiuit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus: & rogauerunt illum pro ea. Et ſtans ſuper illam imperauit febri: & dimiſit illam. Et continuò ſurgens miniſtrabat illis.

Miraculum quando ſit factum. Marci 1. Luca 4.

EX Marco & Luca colligimus, quid poſt prædictum miraculum ordine ſequatur. Poſtquam enim Marcus miraculũ memorauit, & Chriſtum in ſynagoga Capharnai concionatum eſſe ſcripſit, addidit: *Et protinus egredientes de ſynagoga, venerunt in domum Simonis. Decumbebat autem ſocrus Simonis febricitans*, &c. Lucas ſimiliter: *Surgens*, inquit, *Ieſus de ſynagoga, introiuit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus*, &c. Ergo poſtquam Chriſtus in ſynagoga ſermonẽ habuit, ſpiritumque immundum ex homine depulit, domum Petri petiit, eiuſque ſocrum febricitantem ſanitati reſtituit. D. Matheus hoc quoque commemorat, ſed ordinem temporis minime curat. *Matth. 8.*

Ibidem.

CVM *veniſſet Ieſus in domum Petri.* Domus hæc non ſolum Petri fuiſſe dicitur à Marco, ſed etiam Andreæ. *Venerunt*, inquit, *in domum Simonis & Andreæ, cum Iacobo & Ioanne.* Habitabat enim Andreas cum Petro in vrbe Capharnaum eadem in domo. Adrichomius in tribu Zabulon num. 18. domum hanc in ciuitate Bethſaida collocat, quæ Petri patria erat. Maldonatus quoque Bethſaidæ domum Petri fuiſſe putat, Matth. 8. Bethſaidamque, quia vicina erat, è Capharnaum pranſum iuiſſe Dominum aut cænatum. Quæ opinio vero ſimilis eſt. Erat enim Petri & Andreæ patria Bethſaida. Cùm verò audis domum Petri, intellige domum Petri appellari, quia fuerat Petri, non quia tunc erat; iam enim omnia reliquerat: poteſt etiam dici domus Petri, quia in ea habitabat, quamuis poſſeſſionem iam alius tradidiſſet. Mihi probabiliùs eſt domum in ciuitate Capharnaum fuiſſe, idque Euangeliſtarum verba indicant. Marcus ait: *Erat omnis ciuitas congregata ad ianuam*, &c. de nulla autem ciuitate fecerat mentionem præter Capharnaum. Item Lucas: *Surgens*, inquit, *de ſynagoga introiuit in domum Simonis.* Quia ſcilicet in eadem ciuitate Capharnaum erat. Nicephorus lib. 8. cap. 30. ſic ſcribit. Intra vrbem Tiberiadem ſocrus Petri domo reperta, diuo Petro pulcrum Helena conſtituit delubrum, &c. Ex hoc tamen Euangelij loco domus in Capharnaum, vel prope fuiſſe colligitur. Surgens enim Dominus de ſynagoga introiuit in domum Simonis. Erat ergo in ipſa ciuitate; vel ſaltem ciuitati propinqua domus. Sed quorſum venit Chriſtus domum Petri? Reſpondet Euthymius: Ingreſſus eſt cibi ſumendi cauſſa, vocante iam hora. Idem docet Theophylactus, Chryſoſtomus quoque: Mihi, inquit, videtur Chriſtum domum Petri petiiſſe, vt cibum ſumeret, &c. Petrus enim, cùm prandij eſſet hora, Dominum videtur ad prandium poſt concionem inuitaſſe. Libenter autem ille in Petri domum diuertit, quippe quæ Eccleſiam adumbraret. Prandiſſe autem ſignificant Euangeliſtæ, cùm aiunt ſocrum Petri ſanitate donatam illis miniſtraſſe, ſcilicet prandentibus. *Marci 1. Luca 4.*

Domus Petri an fuerit Capharnaum vel Bethſaida.

RECVMBEBAT *ſocrus Simonis febricitans.* Petrus ſocrũ habebat & vxorem, vt ex hoc loco colligitur. Simeõ Metaphraſtes in vita Petri, filiam fuiſſe ſcribit Ariſtobuli fratris Barnabæ Apoſtoli. Fuiſſe Martyrem Clemens Alexandrin. indicat l. 7. Strom. quod refertur ab Euſeb. l. 3. Hiſt. c. 30. Aiunt, inquit Clemens, B. Petrum, cùm vidiſſet vxorẽ ſuam duci ad mortem, lætatum quidem eſſe propter vocatio-

cationem,& quòd domum reuerteretur. Valdè autem exhortando, & consolando proprio nomine eam compellantem dixisse: Heus tu memento Domini. Tale erat beatorum matrimonium,&c.

An Apostoli alij præter Petrũ vxores habuerint.

Quæret aliquis: *Num Apostoli etiam reliqui vxores habuerint.* Habuisse concedit D. Ignatius epistola 9 ad Philadelphios: Petrus,inquit, & Paullus,& alij Apostoli nuptiis operam dederunt. Et D. Ambrosius 2. Cor. 11. Omnes, ait, Apostoli, exceptis

Clem. Alex.

Ioanne & Paullo, vxores habuerunt,&c. Clemens Alexandrinus lib.3.Strom. versus medium: Petrus, ait, & Philippus filios procrearunt. Et Paullus quidem non veretur in epistola quadam suam appellare cõiugem,quam non circumferebat, quòd non magno ei opus esset ministerio. Dicit itaque in qua-

1. Cor. 9.

dam epistola: *Non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & reliqui Apostoli?* Hæc Clemens. Plura Abulensis hac de re scribit, cuius hæc

Abulens.

sunt verba Matth. 19. quæst. 147. Christus vocauit ad perfectionem Apostolos, & omnes illi, aut plurimi erant coniugati, quando vocati sunt ab eo. Si autem abstinere deberent, necesse erat, quòd repudiarent vxores; vel quòd indiceretur vxoribus castitas perpetua. Primum non conueniebat, quia Christus vetuit repudium, quod erat in lege Mosis; ideo non erat permissurus, quòd Apostoli repudiarent vxores; & ita non poterat eis suadere abstinentiam. Secundum etiam non conueniebat; quia castitas est res voti, & non præcepti; ideo non erat imponenda abstinentia vxoribus, nisi illæ eam eligerent. Et ita cùm maneret illis ius petendi debitum, non poterant Apostoli seruare continentiam, &c. Et quæst. 146. Apostoli vxores non dimittebant, sed viuente Christo habebant vxores; & post mortem & resurrectionem suam illas retinebant,& in prædicatione aliqui eorum eas secum ducebant,

1. Cor. 9.

sicut colligitur: *Numquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut ceteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?* Quasi dicat: Illi in prædicando ducunt per diuersa loca mulieres suas; quæ vocantur sorores, quia omnes Christiani vocantur

Carthus.

fratres & sorores. Sic Abulensis. Carthusianus quoque ad Philippens. 4. Apostolos scribit vxores habuisse, & circumduxisse, iuxta locum Pauli citatum ab Abulensi: Quas, inquit, sorores circumducebant Apostoli alij, nisi coniuges suas? &c. Item dist. 31. cap. Omnino: Omnino confitemur non licere Episcopo, presbytero, diacono, subdiacono, propriam vxorem caussa religionis abiicere à cura sua; scilicet, vt ei victum,& vestitum largiatur; non vt cum illa ex more carnaliter iaceat. Sic sanctos Apostolos legimus egisse, beato Paullo dicente:

1. Cor. 9.

Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi? Vide quia non dixit: *Numquid non habemus potestatem sororem mulierem amplectendi? sed, circumducendi.* Scilicet, vt de mercede prædicationis sustentarentur ab eis; nec tamen foret deinceps inter eos carnale coniugium, &c.

Apostolos non omnes habuisse vxores est testatissimũ.

Responsio prima sit. Apostolus Ioannes vxorem non habuit, perpetuamque virginitatem coluit, vt docet Ecclesia. De Iacobo Maiore Ioannis fratre idem testatur Epiphanius hæresi 58. Ioannes, inquit, & Iacobus filij Zebedæi manserunt in virginitate, neque nuptias contraxerunt, &c. De Iacobo Minore hoc ipsum affirmat hæresi 78.& Hieronymus libro 1. aduersus Iouinianum, capite 24. Andreas præterea vitam coniugij expertem egit, ex sententia Simeonis Metaphrastæ in vita diui Petri. Denique

Omnes Apostoli dempto Petro vxoribus caruerunt. Hieron.

præter Petrum, ceteros Apostolos vxores non duxisse, ait diuus Hieronymus libro primo aduersus Iouinianum, capite 14. Excepto, inquit, Petro Apostolo non est manifestè relatum de aliis Apostolis, quòd vxores habuerint. Et cùm de vno scriptum sit, ac de ceteris tacitum, intelligere debemus sine vxoribus eos fuisse, de quibus nihil tale Scriptura significet, &c. Similiter Tertullianus libro de Mo-

Tertul.

nogamia, capite 18. Petrum solum inuenio maritum per socrum. Ceteros cùm maritos non inuenio, aut spadones intelligam necesse est, aut continentes, & cetera.

At Apostolos vxores habuisse probatur, vt suprà diximus, loco illo Paulli: *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut ceteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?* &c. Hæ feminæ (aiunt nonnulli) quas circumducebant Apostoli, eorum vxores erant. Id verò nos negamus, patronumque habemus eximium, qui pro nobis respondeat Hieronymum. Is lib. 1. aduersus Iouinianum,

1. Cor. 9.

Hieron.

cap. 14. sic scribit: Si autem illud nobis opposuerit, ad probandum quòd omnes Apostoli vxores habuerint: *Numquid non habemus potestatem mulieres vel vxores circumducendi* (quia γυνὴ apud Græcos vtrumque significat) *sicut ceteri Apostoli, & Cephas?* iungat & illud, quod in Græcis codicibus est: *Numquid non habemus potestatem sorores mulieres, vel vxores circumducendi?* Ex quo apparet eum de aliis sanctis dixisse mulieribus, quæ iuxta morem Iudaicum magistris de sua substantia ministrabant, sicut legimus Lucæ 8. ipsi quoque Domino factitatum. Nam & ordo verborum Paulli hoc significat: *Numquid,* inquit, *non habemus potestatem manducandi & bibendi, aut sorores mulieres circumducendi?* vbi de comedendo ac bibendo, ac de administratione sumptuum præmittitur, & de mulieribus sororibus infertur; perspicuum est non vxores debere intelligi, sed eas, vt diximus, quæ de sua substantia ministrabant, &c. Item Tertul. lib. de Monogamia, capit. 8. Non demonstrat Paullus vxores ab Apostolis circumductas; sed simpliciter mulieres, quæ illis eodem instituto, quo & Dominum comitantes ministrabant, &c. Augustinus quoque in lib. de Opere Monachorum, cap. 4. Oecumenius, & alij, non de vxoribus, sed de aliis feminis interpretantur. Has autem feminas prouectæ ætatis Apostoli circumducebant, vt ministrarent quæ corpori opus erant, vel ex opibus suis, vel ex iis, quæ ab aliis donabantur, vt ait

Explicatur locus Pauli 1. Cor. 9.

Ibidem.

Cur Apostoli feminas circumducebant.

Caietan.

Caietanus 1. Cor. 9. Cùm Apostoli, inquit, discurrerent prædicando, ducebant mulierem aliquam ministrantẽ eis sumptus necessarios, exemplo Christi, quem comitabantur mulieres ministrantes de facultatibus suis. Nec intelligo circumduci mulierem de propriis facultatibus ministrantem, cùm hoc extra regionem Iudæorum difficilè fuerit, sed mulierem, cui facilè à diuitibus mulieribus dabantur pecuniæ pro sumptibus necessariis Apostolis, & in ciuitate, & præcipuè in itinere, &c. Aliam huius rei rationem reddit Clemens Alexandrinus

Clem. Alex.

lib. 3. Stromatum citato; vt per has feminas, ad feminas doctrina Christiana ingredi posset. Apostoli, inquit, vt erat consentaneum, ministerio, quod diuelli non poterat, prædicationi scilicet attendentes, non vt vxores, sed vt sorores circumducebant mulieres. Quæ vnà ministraturæ essent apud mulieres, quæ domos custodiebant. Per quas etiam in gynæceum absque vlla reprehensione, malàve suspicione ingredi posset doctrina Domini, &c.

Responsio secunda. Paullus Apostolus vxorem minimè habuit. Probatur ex epistola: *Volo,* inquit, *omnes esse sicut meipsum,* hoc est, sine vxore, iuxta communem interpretationem. Item: *Dico non nuptis & viduis, bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego;* hoc est, absque coniugio. Ita probat Hieronymus in epist. 22. ad Eustochium de custodia virginitatis, Paullumque virginem fuisse ait. Illius verba appo-

Paullus vxore caruit. 1. Cor. 7.

Paullus virgo fuit.

1. Cor. 7. apponam: *De virginibus præceptum non habeo*, inquit Apoſtolus. Cur? Quia & ipſe, vt eſſet virgo, non fuit imperij, ſed propriæ voluntatis. Neque enim audiendi ſunt, qui eum vxorem habuiſſe confingunt, cùm de continentia differens, & ſuadens perpetuam caſtitatē, intulerit: *Ibidem.* *Volo autem omnes eſſe ſicut meipſum.* Et infrà: *Nicepb.* *Dico autem non nuptis & viduis, bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego*, &c. Nicephorus lib. 2. cap. 44. Multis, inquit, eisque magnis apud nos viris, non videtur Paullus coniugem habuiſſe; idque ex verbis eius, quibus virginitatem & cælibatum commendat, colligunt, cùm dicit: *Volo omnes eſſe ſicut meipſum*, &c.

Theodor. Theodoretus 1. Cor. 7. ad hæc verba: *Volo omnes eſſe ſicut meipſum.* Ad ea, inquit, quæ ſunt optima & præſtantiſſima eligenda archetypum exemplar Paullus excitat. Seipſum autem exemplar propoſuit, ſuæ caſtitatis theſaurū nobis reuelare coactus, &c. Et in illa verba: *Dico non nuptis & viduis, bonū eſt illis, ſi ſic permaneant.* Rurſus Paullus oſtendit ſe eſſe ex ordine cælibum, & eorum, qui vxores non duxerunt. Neque enim quis eum iure inter viduos collocet; cùm adhuc eſſet adoleſcens, quando vocatione dignus eſt habitus. Hæc Theodoretus. Et ad Philip. 4. Paullum, inquit, vxorem numquā duxiſſe *Oecum.* eſt verius. Adoleſcens enim vocatus eſt, &c. Oecumenius eodem loco: Paullus, inquit, virgo erat. Et quia dixerat: *Volo omnes eſſe ſicut meipſum*; dicit quòd *Epiph.* manere virginem donum ſit Dei, &c. D. Epiphanius hæreſi 78. Dixit Apoſtolus: *Volo omnes eſſe ſicut meipſum.* Meipſum verò quomodo dicit, præterquam propter caſtitatem? &c. Tertullianus in exhort. ad caſtit. cap. 4. Hortatur nos Paullus ad exemplum ſuum; vtique oſtendens quid nos velit eſſe, id eſt, continentes, &c.

Exponitur locus epiſtolæ ad Philippenſes 4. Huic ſentētiæ aduerſari videtur epiſtola ad Philippenſ. in qua Paulli verba hæc ſunt: *Rogo & te germane compar, adiuua illas, quæ mecum laborauerunt in Euangelio*, &c. Græcè legitur σύζυγε γνήσιε, id eſt, *germane compar, qui ſub eodem iugo es.* Quòd autem ambigui generis ſint verba, Pagninus & alij vertunt: *Orig.* *Rogo te compar germana*; de femina. Vnde Origenes ad Rom. 1. Paullus, inquit, ſicut quidam tradunt, cum vxore vocatus eſt, de qua dicit ad Philippenſes ſcribens: *Rogo te etiam germana compar*, adiua illas. *Caietan.* Vt aliis videtur ſine vxore fuit, &c. Caietanus quoque ait hunc locum indicare Paullum habuiſſe vxorem. *1. Cor. 7. Cathar.* Fatetur tamen eumdem inter non coniugatos ſe numerare. Catharinus etiam ad Philippenſes 3. Paullum vxorem habuiſſe arbitratur, idque probari ex hoc loco: *Rogo te germana compar.*

Locus Paul. explicatur. Sed locus id minimè probat, quidquid illi, & Clemens Alexandrinus velint; intelligendus enim eſt de viro, non de femina, vt noſter veriſſimus & probatiſſimus interpres intellexit, dum vertit: *Rogo & te germane compar.* Itaque iuxta noſtram verſionem, quę omnino ſequenda eſt, de viro Paullus agit, non *Nicephor.* de femina. Quæ ſententia, teſte Nicephoro loco iam indicato, multorum eſt & magnorum apud Græcos virorum: Multis, inquit, eisque magnis apud nos viris, non videtur Paullus coniugem habuiſſe, idque ex verbis eius colligunt. Illud verò, *Salue mihi & tu compar*, non mulieri, ſed viro cuipiam ita fortaſſe nominato dictum putant. Hæc *Oecum.* Nicephorus Græcus. Oecumenius in commētariis huius loci: Ex hoc loco, inquit, ſuſpicati ſunt nonnulli, quòd Paullus vxorem haberet, & ad eam ſcriberet (quia videlicet hæ dictiones σύζυγε γνήσιε poſſunt etiam eſſe feminæ) verum fatua eſt huiuſmodi cogitatio. Quî enim fieri poterat, vt ipſam & peregrinam, & alienigenā Philippis reliquiſſet, & non

A in Tharſo, vbi natus erat, neque Ieroſolymis, vbi fuerat enutritus? Sed dicemus, quòd hic aut maritus erat vnius ex duabus, quarum fecit mentionem (ſcilicet cùm ait: *Euodiam rogo, & Syntychen deprecor*) aut quòd proprium ſit nomen cuiuſdam approbati viri, &c. In eadem ſententia eſt Theophylactus & Chryſoſtomus: Quidam, inquit, dicunt Paullum his verbis, σύζυγε γνήσιε, vxorem ſuam rogare. Quod minimè verum eſt, ſed quamdam aliam mulierem, vel etiam virum alterius iſtarum, hoc vocat nomine, &c.

Itaque conſtat non cum femina, ſed cum viro loqui Paullum, cùm ait: *Rogo & te germane compar.* Is autem forſitan coniux erat, vel Euodiæ, vel Syntyches, vt aiunt Chryſoſtomus, Oecumenius, & Theophylactus. Idcirco illum vocat σύζυγον, vel comparem, id eſt, ſub eodem iugo degentem, coniugem alterius illarum, hoc ſenſu: Euodiam rogo, *Phil. 4.* & Syntychen deprecor: *Rogo & te germane compar*, vel coniux, hoc eſt, qui germanus & verus es compar, & coniux Syntyches, vel Euodiæ, &c. Oecumenius, & magni illi viri, quos refert Nicephorus, nomen viri hoc loco eſſe volunt. σύζυγε ne, an γνήσιε ſit hoc nomen, an vtrumque non explicant. Gloſſa Interlinealis, Lyranus & Carthuſianus, γνήσιον, ſiue Germanum, proprium nomen eſſe aiunt, eſtque ſenſus: Rogo & te ô Germane, qui meus es compar, quique ſub eodem fidei, & laboris iugo in prædicando Euangelio mecum verſaris, adiuua illas, &c.

C Theodoretus: σύζυγον, inquit, ipſum vocat, vt qui iugum pietatis ſecum trahat, &c. Vel poteſt illum appellare germanum comparem, quòd germanus eſſet, & fidelis Euangelij operarius.

Catharinus ad Philippenſes 4. Ignatij teſtimonio confirmare vult Paullum vxorem duxiſſe. Id quoque in reuelationibus ſanctæ Brigittæ haberi ait. Sed Ignatij epiſtolam deprauatam eſſe oſtendit Cardinalis ſapientiſſimus Baronius primo tomo, pag. 445. Qui enim, ait, antiquiores, vel Græcos, vel Latinos Codices perueſtigant, quorum alij in Bibliotheca Vaticana, & Sfortiana, alij alibi, hîc Romæ ſunt, addititium eſſe Paulli nomen intelligent. Pamelius quoque in annotationibus libri de Monogamia, quem Tertullianus ſcripſit, numero 13. refert virum non vulgaris eruditionis & auctoritatis Richardum Maleum Anglum vidiſſe Oxoniæ epiſtolæ Ignatij exemplar vetuſtiſſimum, in quo nulla Paulli fit mentio. Lege hac de re Baronium. Quòd ad reuelationem attinet, videtur deceptus Catharinus. Etenim in reuelationibus S. Brigittæ habetur, Paullum vxore caruiſſe duobus in locis. Lib. 2. cap. 7. loquitur cum ſancta Brigitta Chriſtus hunc in modum: Petrus fuit alligatus in coniugio, qui ſeparauit ſe, quātùm ad commixtionem, à coniugio quamuis licito; Paullus autem caſtitatem ſeruauit, & ſe immaculatum à thoro cuſtodiuit, &c. Idem legitur libro 8. capite primo. Falſum ergo eſt Paullum vxorem habuiſſe: falſum quoque illam appellatam Phœben, quod nonnullos dixiſſe ait Catharinus. De hac Apoſtolus: *Commendo*, inquit, *Rom. 16.* *vobis Phœben ſororem noſtram, quæ eſt in miniſterio Eccleſiæ, quæ eſt in Cenchris.*

Refutatur Catharini dictum.

Reſponſio tertia. Petrus Chriſtum ſecutus vxorem reliquit. Si quis verò ex aliis Apoſtolis vxorem habuit, idem, quod Petrus, fecit. Aſſerit hoc diuus Hieronymus libro 1. aduerſus Iouinianum, cap. 14. *Hieron.* Petrus, inquit, & ceteri Apoſtoli (vt ex ſuperfluo interim concedam) habuerunt vxores, ſed quas eo tempore acceperant, quo Euangelium neſciebant. Qui aſſumpti poſtea in Apoſtolatum relinquunt officium coniugale, &c. Et epiſt. 34. ad Iulianum: Habuit Petrus vxorem, & tamen cum reti eam, &

Petr⁹ vxorē reliquit.

nauicula dereliquit. Item epistola 50. ad Pammachium. Apostoli vel fuere virgines, vel post nuptias continentes, &c. Reliquit autem Petrus vxorem, non quidem dato libello repudij, sed quòd ad officium attinet coniugale. Etenim Christus qui suauiter disponit omnia, non solùm Petrum, sed vxorem etiam ad perpetuam continentiam seruandam adduxit. Petrum autem reliquisse vxorem probatur; quoniam Petrus reliquit omnia: *Ecce*, ait *nos reliquimus omnia*. Inter omnia autem numeratur etiam vxor à Christo, cùm Petro dicenti, *Ecce nos reliquimus omnia*, sic respondet: *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*. Præterea perfectionis est, vxorem relinquere, vt ex hoc loco constat; ergo perfectissimus Petrus id habuit. Adde non posse retineri vxorem, & filios ab eo, qui pro Christo possessiones omnes reliquit. Non enim illos alere poterit. Petrus autem quidquid possidebat reliquit; ergo & vxorem. De votis Apostolorum alio dicendum est loco.

Quomodo Petrus & Vxor continentiam seruarunt.

Matth. 19.

ET *rogauerunt illum pro ea*. Cùm domum veniisset Petri, nonnulli, vt Lucas ait, Christum deprecati sunt, vt feminæ febricitanti afferret sanitatem. Annuit ille precibus, quas ipsum etiam Petrũ cum aliis verisimile est adhibuisse. Ad lectum accessit, feminæ manum tetigit, vt Matthæus scribit; &, vt Marcus ait, apprehensa eius manu eleuauit eam, sanitati subitò, ac viribus restitutam. Possunt quidem medici febrim pellere, sed medicamentis, non imperio. Christus verò hanc ardentem febrim non medicamentis, sed imperio abegit, sicut Lucas scribit: *Imperauit febri, & dimisit illam*. Præterea postquam medici, adhibita medicina, corpus febri liberant, imbecillitate subitò liberare nequeunt: sensim enim ac paullatim ex febri relicta imbecillitas abit, pristinæque vires redeunt. At Christus & febrim simul, & imbecillitatem expulit, corporisque robur subitò reduxit. Quod Hieronymus & Chrysostomus obseruarunt Matthæi 8. Hieronymus: Natura, inquit, hominum istiusmodi est, vt post febrim magis lassescant corpora; & incipiente sanitate ægrotationis mala sentiant. Verùm sanitas, quę confertur à Domino, totum simul reddit, &c. Chrysostomus: Non febrium tantùm ardores Christus exstinxit; verùm etiam pristinas corporum vires recuperare illicò fecit. Vt quando facilis curatu ægrotatio videbatur; curandi modo virtus curantis ostenderetur, &c.

Luca 4. Pro socru Petri alij, & inter illos Petrus rogauit.

Luca 4.

Hæc curatio omnem superat naturæ vim.

Hieron.

Chrysost.

CONTINVO *surgens ministrabat illis*. Femina, quæ febrium ardoribus inflammata in lecto decumbebat, Domino subleuante subitò surgit, potentissimoque Seruatori prandenti grato animo ministrat, eaque re perfectissimam sanitatem se recepisse comprobat. Habent hoc loco documentum ægroti, vt restitutam sibi à Deo salutem, non dæmoni, id est, vitiis, vanisque rebus impendant; sed ad ministrandum Deo conferant. Vnde Simon Cassianus libro 5. cap 9. Optimum, inquit, in moribus est, acceptæ gratiæ cooperari; & omne, quod à Deo accepimus, in dedicationem conuertere creatoris. Sicut socrus Petri sanitatem acceptam in obsequium statuit largitoris, &c.

Luca 4.

Cassian.

CAPVT IX.

MATTH. CAP. IIX.

VESPERE autem facto obtulerunt ei multos dæmonia habentes. Et eiiciebat spiritus verbo, & omnes malè habentes curauit: vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras portauit.

MARC. CAP. I.

VESPERE autem facto cùm occidisset Sol, afferebant ad eum omnes malè habentes, & dæmonia habentes: & erat omnis ciuitas congregata ad ianuam. Et curauit multos, qui vexabantur variis languoribus: & dæmonia multa eiiciebat, & non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum.

LVC. CAP. IV.

CVM autem Sol occidisset, omnes, qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens, curabat eos. Exibant autem dæmonia à multis clamantia, & dicentia: Quia tu es Filius Dei. Et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.

PRANSVS est Dominus in domo Petri die illa sabbati, qua in synagoga est concionatus. Post prandium autem, occasumque Solis, ęgroti multi ad illum adducti sunt, multi quoque à dæmone vexati. Denique omnis ciuitas Capharnaum ad Petri ianuam confluxit, vt Marcus scribit: *Erat*, inquit, *omnis ciuitas congregata ad ianuam*. Potentissimus verò medicus sanitatem cunctis ægrotis diuina potestate ac liberalitate contulit. Cur ante Solis occasum ægroti non fuerint ad Christum allati, caussa est, quia dies ille sabbatum erat, quo ad occasum vsque Solis operari minimè licebat. Nam Iudæi à vespera præce-

Marci 1.

Cur post Solis occasum ægroti ad Christum adducti.

præcedentis diei, vsque ad vesperã sequentis, festos
Leuit. 23. dies agere solebant; iuxta illud: *A vespera vsque ad vesperã celebrabitis sabbata vestra.* Post vesperam ergo
sabbati, & post occasum Solis, ad consueta opera
redire fas erat, ideoque tunc ægrotos ad Christum
Theoph. attulerunt. Theophylactus Marci primo: Non absque caussa, inquit, addit Euangelista: *Cùm occidisset Sol*; sed quia putabant non licere cuipiam sanare die sabbati; & eius gratia exspectabant vsque ad
In domo Petri, ad est, Ecclesia, De mirabilia operatur. Solis occasum, & tunc afferebant curandos, &c. Videsne quot ægrotos sanet Christus in domo Petri? quot dæmones pellat? quot faciat miracula? Domus Petri Ecclesia est. Hæc omnia in illa Christus spiritualiter ad mundi vsque finem, & mirabiliter operatur. O beatam domum: huc ægri sunt affe- B
rendi. quicumque salutem animi consequi volent.
Extra domum Petri non est salus. Post Solis occasum hæc admiranda opera perpetrata sunt. Postquam enim splendidissimus Sol in Cruce occidit;
tunc toto orbe dæmones pulsi, ægrique animi sunt
Hieron. sanati. Hinc illud diui Hieronymi Matthæi 8. Omnes non mane, non meridie, sed ad vesperam curantur; quando Sol occubiturus est, quando granum frumenti in terra moritur, vt multos in terra fructus ferat, &c.

Matth. 8. VT *adimpleretur quod dictum est per Isaiam*, &c. Hanc omnis generis ægritudinum curatio-
Isaiæ 53. nem ab Isaia prædictam docet Matthæus: *Ipse*, ait Isaias, *infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras*
Interpretatio loci Isai. *portauit.* Vulgata editio sic habet: *Languores nostros* C
ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Languores, infirmitates, & ægrotationes peccata nostra significant, quæ Christus diuino sanguine expianda susceperit. Dolores verò pœnas peccatis debitas, quas subiit. Hunc sensum indicant Septuaginta Interpretes. Vertunt enim: *Peccata nostra portat, & pro nobis dolet.*

De testimonio Isaiæ ad lato à Matthæo. Ferus. At cur D. Matthæus hoc Isaiæ testimonio, quod de peccatis interpretandum est, confirmat Christum corporis ægritudines sanasse? Ferus Matthæi 18. ait Isaiam de peccatis solùm loqui, non de morbis. Non loquitur, inquit, Isaias de corporalibus morbis, nec Matthæus id vult, quòd Christus corporum morbos in se reciperet, &c. Chrysostomus D
putat allatum testimonium ab Euangelista, vt indicaret à peccatis ægritudines multas oriri. Non di-
Chrysost. xit Euangelista, ait Chrysostom. hom. 28. in Matth. dissoluit aut curauit ægritudines; sed accepit ac portauit; quod de peccatis mihi dictum à Propheta videtur. Cur ergo, inquies, de morbis aut ægrotationibus id dictum Euangelista scripsit? Certè, aut historicè testimonium Prophetæ accepit, aut subaperire voluit plurimas ægrotationes ab animi peccatis originem trahere. Nam si mors à radicibus peccati pullulauit, quid mirum, si ægrotationes
Theoph. quoque multæ inde nascuntur? &c. Et Theophylactus: Quamuis, inquit, de peccatis hoc Propheta dicat; Matthæus de morbis posuit, eo quòd plerique E
Euthym. morbi ex peccatis accidant. Euthymius quoque: Propheticum, inquit, dictum transsumpsit Euangelista. Plurimi siquidem languores, ac morbi corporales à peccatis oriuntur, &c. Item: Per languores,
Quid per languores, quid per morbos intelligatur. & morbos hîc mihi intellige languorum ac morborum reatus. Cùm enim languores, ac multos patientes morbos curauit, in seipsum eorum reatum transtulit. Dico sanè laborem & mortem. Sed Matthæus de corporalibus morbis metaphorico verbo loquitur, &c. D. Thomas: Cùm Isaias dixerit de peccatis, quæritur, quare de infirmitatibus corporalibus dixerit Euangelista? Et hoc est, quia plerumque ex peccatis ægritudines corporales efficiuntur. Sic illi. Bredembachius propterea ait Mat-

thæum hoc Isaiæ testimonio vsum, quòd huiusmodi morborum curatio typus fuerit curationis animorum à peccatis. Similiter Rupertus in Matth. *Rupert.*
Pium, inquit, fuit cordi Euangelistæ nobis innuere, quia Christus suũ opus, quod est ægrotationes animæ sanare, ab ægrotationibus corporum cœpit operari, &c. Rupertum sequitur Ferus.

Respondendum est Scripturam sacram admira- *Sẽsus Isaiæ litteralis duplex.*
bili sensuum fecunditate præcellere: duplicemque hoc Isaiæ loco sensum continere, alterum de peccatis, alterum de morbis, quem Matthæus indicauit. Obiicies, de morbis non posse locum intelligi, propterea quòd Christus morbos hominum nec acceperit, nec portauerit. Etenim nullo vmquam morbo est affectus. Respondet interlinealis Glossa: Christus infirmitates nostras accepit, non vt sibi haberet, sed vt à nobis auferret.

Videamus quid significent verba hæc: *Christus* *Explicatur Isaiæ testimonium. Lyran.*
accepit, & portauit infirmitates nostras. Lyranus verbum *accepit*, ad eas refert infirmitates humanæ naturæ, quas Christus in se assumpsit; verbum verò *portauit*, ad illas, quas in hominibus portauit, hoc sensu: *Ipse infirmitates nostras accepit*, scilicet, famem, sitim, defatigationem, passibilitatem, mortalitatẽ; hos enim naturæ humanæ defectus in se accepit. *Et ægrotationes nostras portauit*, id est, morbos hominum quodammodo assumpsit in aliena, vt ait, persona, in quantùm ægrotos misericorditer curauit. Similiter Carthusianus interpretatur: Christus infirmitates, *Carthus.*
C id est, famem, sitim, & similia in se accepit. Et ægrotationes nostras ac morbos, pie, inquit, in aliis supportauit, & condolẽdo curauit, sicut Apostolus dicit: *Alter alterius onera portate*, &c. Ianuenius quoque: *Gal. 6.* *Ianuen.*
Dicitur, inquit, Christus accepisse nostras infirmitates, quia eas à populo abstulit, curando eas; ægrotationes nostras portasse, quomodo Paullus dicit: *Alter alterius onera portate.* Videlicet, quia condolens *Gal. 6.*
ægrotantibus, eos subleuauit sublatis morbis. Simon Cassianus libro 5. capite 10. Christus, ait, infir- *Cassian.*
mitates accepit in notitiam, vt propellat, & ægrotationes hominum portaturus, velut qui phreneticum sustinet, & quemlibet infirmum, volens adhibere salutem, &c. Caietanus verbum *portauit* sic *Caietan.*
D exponit: *Ægrotationes nostras portauit*, hoc est, tanta facilitate absque vllis medicamentis abstulit, ac si vnam rem portabilẽ tolleret, & in alterum locum veheret. Accepit itaque Christus infirmitates hominum non in se ipso (numquam enim ægrotauit) sed *accepit*, vt illas sanaret. Vel, *accepit*, id est, velut manu abstulit; quemadmodum is qui aliquid manu capit & tollit. *Ægrotationes verò portauit*, hoc est, exportauit, & ab hominibus remouit & transtulit. Vel quia onere ægritudinum ægros liberauit, idcirco eas portasse dicitur. Vel *accepit, & portauit*, id est, suas fecit, in suam curam accepit, in mente, animo, compassioneque portauit, vt veluti proprias curaret ac sanaret.

NON *sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Chri-* *Luc. 4.*
stum. Dæmonia à multis exiisse ait D. Lucas, clamantia & dicentia: *Quia tu es Filius Dei*; Dominum autem non permisisse ea loqui, *quia sciebant ipsum esse Christum*, id est, Messiam lege promissum. Vnde dubitatio existit; An dæmones agnouerint Dominum esse Messiam? Dicemus quid hac de re senserint ij, qui ante nos scripserunt.

Non agnouisse dæmones certò Christum esse *An dæmones cognouerint Dominum esse Messiam. Dionys. Carth.*
Messiam, existimat Dionysius Carth. Marci 1. Dæmones, inquit, Iesum esse Christum, id est, Messiam, non sciebant certitudine absoluta ac stabili; quemadmodum nec Iudæi. Poterant tamẽ dæmones hoc certiùs agnouisse, quàm homines. Immo certò hoc sciuissent, nisi diuina dispensatione fuissent prohi-

biti, vt Christi passio impleretur, &c. Similiter Molina 1. part. quæst. 57. art. 5. disp. 1. concedit potuisse dæmones cognoscere Iesum esse Messiã & Deum, nisi Deus, vt commodiùs mysterium nostræ redemptionis perficeretur, concursum generalem illis denegasset, ne ad multa attenderent, & nisi ipsi præ malitia sua se ipsos excæcassent. Et Dominicus Banhes eadem quæst. 57. articulo 3. dubio 2. probabiliter ait asseri, dæmones non solùm non cognouisse perfectè Christũ esse Filium Dei; verùm etiam nec cognouisse illum esse Messiam in lege promissum, antequam consummaretur crucis mysterium, excæcatosque esse malitia: Deique prouidentiam sic disposuisse, vt hominum postulabat redemptio.

Banhes.

Bonauen. Diuus Bonauentura Lucæ 4. sic explicat verba illa dæmonis: *Scio qui sis, Sanctus Dei*; ille scilicet, de quo

Dan. 9. dicitur: *Vngatur Sanctus sanctorum*. Hoc autem non

1. Cor. 2. sciebat certa scientia dæmon, cùm dicatur: *Si cognouissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent*. Sed cognoscebat coniecturando, &c. Similiter Ianssenius eadem verba interpretans: Non putãdum est, inquit, dæmones verè sciuisse, quod se scire dicebant: *Si enim*, inquit Paullus, *cognouissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent*. Sed quod coniecturis quibusdam suspicabantur, id se scire mendaciter

Caietan. asserebant, &c. Caietanus præterea Lucæ 4. verba illa, *Non sinebat ea*, id est, dæmonia, *loqui, quia sciebant ipsum esse Christum*, ita explanat: Non sinebat ea loqui, hoc scilicet, quòd sciebant ipsum esse Christum, tum quoniam dicebant mendacium dæmones, quoniam dicebant se scire, quod nesciebant; tum quoniam nolebat testimonium ab illis; tum quoniam sciebat, quòd tentando hoc dicebant, ad explorãdum, an ipse esset verè Christus, &c. Quidquid autem Caietanus senserit 3. parte, quæstione 44. art. 1. hæc illius extrema est sententia. Siquidem in 3. diui Thomæ partem priùs, quàm in Euangelium D. Lucæ scripsit, vt constat ex fine commentariorum in Lucam, & ex præfatione tertiæ partis D. Thomæ ad Adrianum Pontificem maximum. Item Ludolphus prima parte, capite 43. Sciebant, inquit, dæmones per vehementem coniecturam ipsum esse Christum, non tamen per scientiæ certitudinem, &c. Idem sentit Beauxames hoc loco.

Dæmones cognouerũt Christũ esse Messiam.

Respondemus cognouisse dæmones Dominum esse Messiam. Hoc docet D. Thomas 3. parte, quæstione 47. articulo 5. Maiores, inquit, Iudæorum sicut & dæmones cognouerunt eum esse Christum, &c. Lege etiam quæstionis 44. articulum primum ad 2. Idem arbitratur Lyranus Marci 1. Auctor quoque quæstionum ex nouo Testamento tomo 4. Augustini, quæstione 66. Et Ambrosius 1. Corinthiorum 2. Sciebant, inquit, dæmones ipsum esse, qui in lege promissus erat. Euthymius Marci primo: Loquebantur dæmonia de eo, quoniã nouerant ipsum esse Christum, &c. Beda eodem capite: Dæmonia, inquit, sciebant ipsum esse Christum, diuus Gregorius 33. Moral. cap. 7. vel 10. Hostis, inquit, humani generis Redemptorem ante se positum vidit, quem cognoscendo confessus, confitendo pertimuit, dicens: *Quid nobis & tibi Fili Dei?* In oculis suis quasi hamo captus est, quia & nouit, & momordit. Gloss. ordin. 1. Corinth. 2. Sciebant dæmones Dominum esse, qui promissus erat in lege, id est, Messiam. Augustinus lib. 9. de Ciuitate Dei, cap. 21. ait Christum tantùm dæmonibus innotuisse, quantùm voluit; & tantùm voluisse, quantùm oportuit. Significat verò dæmones peruenisse ad hanc cognitionem, de qua loquimur. Ipsi, inquit, dæmones hoc ita sciunt, vt Domino dixerint: *Quid nobis & tibi Iesu Nazarene? Venisti ante tempus perdere nos?* Clarum est in his verbis, quòd in eis & tanta scientia erat, & caritas non A erat: pœnam quippe suam formidabant ab illo, &c. Loquitur autem de scientia, qua cognouerũt quantam vim haberet Christi humilitas contra dæmonum superbiam, vt is intelliget, qui finem cap. 20. eiusdem libri legerit.

Quid significet, Quia sciebat ipsũ esse Christũ. Luca 4.

Sententia confirmatur illis D. Lucæ verbis: *Non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum*; hoc est: Non permittebat dæmonia loqui; ne hominibus id aperirent quod nouerant, videlicet ipsum esse Messiam. Nam dæmones sciebant ipsum esse Messiam. Sic Beda hæc verba interpretatur: Dæmonia, inquit, Euangelista attestante, sciebant ipsum esse Christum. Sic D. Ambrosius 1. Corinth. 2. Diuus Thomas 3. p. quæst. 44. art. 1. ad 2. Euthymius, Lyranus & alij. Verùm, quamuis hic sensus sit probabilis, tamen alter forte probabilior videbitur, qui huiusmodi est: *Non sinebat Dominus dæmonia loqui, quia sciebant ipsum esse Christum*. Hoc est: Non sinebat dicere hoc, scilicet, quòd sciebant ipsum esse Messiam: non permittebat loqui verba ista: Nos scimus qui sis, Messias es à Deo missus. Hoc pacto interpretatur Caietanus, Ianssenius, Isidorus Clarius oratione 21. in Lucam, & Vatablus. Alter sensus est facilior, sed hic, vt dixi, videtur verisimilior. Verisimiliùs enim puto voluisse Euangelistam explicare, quidnam prohibuerit Christus dæmonia loqui. Non enim omnino prohibuit ea loqui, sed prohibuit dicere, & hominibus nuntiare ipsum esse Messiam. Particula *Quia* fauet priori sensui. Videtur enim reddere causam. Sed tamen non reddit, iuxta secundum sensum, & significat *Quòd*. Similis locus ille: *Præcepit discipulis suis, vt nemini dicerent, quia ipse esset Christus*. Apertè hîc *quia* ponitur pro *quod*. Similem in modum hoc in loco vsurpatur. Fauent tamen Euangelistæ verba huic sententiæ, etiam iuxta secundum sensum. Innuunt enim dæmones sciuisse Dominum esse Messiam, iussosque id tacere.

Matth. 16.

Probatur præterea ex ipsa dæmonis perspicacia & intelligendi vi, qui facilè potuit ex Scripturis, ex miraculis, ex operibus Christi cognoscere ipsum esse Messiam promissum. Si enim potuere Iudæi agnoscere, vt suo loco dicemus, multò magis potuere dæmones. Præterea dæmon audiuit Christum affirmantem se esse Messiam. *Ego sum qui loquor tecum*. & Matthæi 16. significantem se esse Messiam, prohibentem tamen id aperiri, audiuit Petri confessionem: *Tu es Christus*; quam Christus approbauit. Ergo facilè scire potuit esse Messiam.

Ioan. 4.

Flagitat etiam hic locus quæstionem alteram: Num dæmones cognouerint Christum esse Deum? Nunc agnoscere dæmones, & credere Christũ esse Deum, nemo est qui ambigat. *Credunt enim*, vt Iacobus ait, *non quidem infusa, sed acquisita fide, & contremiscunt*. Quæstioni de tempore illo excitatæ, quo in terris agebat Christus, multi respondẽt, dæmonem certò non agnouisse Christum esse Deum. Hieronymus Matth. 8. Tam dæmones, inquit, quàm diabolus, id est, princeps dæmonum, suspicari magis Filium Dei, quàm nosse intelligendi sunt, &c. Beda Lucæ quarto: Quem dierũ quadraginta ieiunio fatigatum diabolus hominem cognouerat, nec tentando valebat, an & Dei Filius esset experiri, iam nunc per signorum potentiam vel intellexit, vel potiùs suspicatus est esse Filium Dei, &c. Diuus Thomas 3. part. quæst. 44. art. 1. ad 2. Dæmon visis miraculis, ex quadam suspicatione, coniecturauit Christum esse Filium Dei, &c. Glosa ordinaria 1. Corinth. 2. Quod legitur, quòd diabolus Christum recognoscebat, & timebat, cùm dicebat: *Quid venisti nos torquere ante tempus?* Sciendum est, quòd non ideo dicebat, vt esse Deum intelligeret; sed dubius erat, & taliter extorquere veritatem, vtrum verè esset

An dæmones cognouerint Christum esse Deum. Iacobi 2.

Hieron.

Matth. 8.

Deus,

Deus, volebat. Vel hoc magis ex suspicione, quàm ex cognitione dixisse credendi sunt. Non enim aliter scierunt dæmones, quàm sciuerunt principes. Sciuerunt enim ipsum esse, qui promissus erat in lege; non tamen mysterium eius, quòd Filius Dei erat, & ab æterno. Nec sciebant Sacramentum Incarnationis, Passionis, & Redemptionis, &c. Diuus Gregorius Iob 2. ad illa verba: *Commouisti me aduersus eum*, &c. Malignus, inquit, spiritus, cùm Redemptorem nostrum miraculis coruscare conspicit, clamat: *Scimus quòd sis Sanctus Dei*; qui hæc dicēs cognoscendo Dei Filium pertimescit. Sed tamen vim supernæ pietatis ignorās, dum passibilem considerat, hominem purum putat, &c. Et Iob 40. in illa verba: *Numquid illudes ei quasi aui?* In passione, inquit, Dominus illusit aui, id est, dæmoni, dum ei vnigeniti Filij sui ostendit escam, sed laqueum abscondit. Vidit enim quod ore perciperet; sed non vidit, quod gutture teneret. Nam quamuis eum fuerat ipse confessus Filium Dei, velut purum tamen hominem mori credidit; ad cuius mortem Iudæorum animos concitauit. Eusebius lib. 8. de Demonstratione Euangelica, cap. 2. Dæmones verisimile est communem quemdam hominem Christum ratos esse, reliquis similem. Itaque circum eum stetisse, & quasi vnum de multis adortos, atque vbi præstantiorem agnouerunt, terga dedisse, &c. Item libro 10. capite 8. Dæmones dum animam humanam, & ceteris similem, nec ampliùs prēterea quidquam esse arbitrantur, quod in corpore Iesu habitabat; aperuerunt os suum, vt quemadmodum alias hominum animas consueuerant, ita etiam hanc deuorarent, &c. Chrysostomus (si tamen est Chrysostomus) homilia 5. in Marcum, in illa dæmonis verba: *Scio qui sis, Sanctus Dei.* Fingis, inquit, dæmon te scire, sed nescis: aut enim scis, & dolosè taces; aut certè ignoras. Non est enim sanctus Dei, sed sanctus Deus, &c. Diuus Ambrosius 1. Cor. 2. Quamuis, inquit, dicat Marcus de dæmonibus: *Sciebāt enim Christum ipsum esse Iesum*; scierunt quidem ipsum esse, sed qui in lege promissus erat; mysterium tamen eius, quod Filius Dei est, nesciebant, &c. D. Leo serm. 18. de Passione. Quia hostem humani generis latebat consilium misericordiæ Dei, & oppositō carnis velamine, Deus in Christo mundum reconcilians tegebatur; perstitit hostis in eum furere. Lucem tenebræ non comprehenderunt, &c. Item serm. 11. de Passione: Christus sæuienti diabolo potentiam suæ maiestatis occultauit; & infirmitatem nostræ humilitatis obiecit, &c. D. Isidorus libro 1. de Summo bono, cap. 16. Christus ostensa suæ carnis mortalitate, quam interimendam diabolus appetebat; abscondit diuinitatem, vt laqueum, quo eum, velut auem improuisam irretiret, &c. Auctor quæstionum ex nouo Testamento, quæst. 66. Dæmonia sciebant ipsum quidem esse, sed qui per legem fuerat promissus: omnia enim signa videbant in eo, quæ dixerant futura esse Prophetæ. Mysterium autem diuinitatis eius ignorabant. Videns diabolus aliquando diuinam virtutem, aliquando hominis infirmitatem, ambigens quid verum esset, torquebatur, &c. D. Antoninus prima parte hist. tit. 5. cap. 2. §. 18. Cùm multa miracula faceret Dominus, clamabant dæmonia non ex certificatione, sed ex vehementi coniectura; *Quia tu es Filius Dei.* Sed Christus occultabat eis suam diuinitatem, addendo aliquid, quod erat humanitatis, vt comedendo, famescendo, &c. Alexander Alensis 2. parte quæst. 100. membro 3. art. 1. Ad tertium, inquit, dicendum quòd illa cognitio, qua dæmones cognouerunt Filium Dei existentem in carne, magis dicenda est suspicio, secundùm Hieronymum, quàm notitia, &c. Hieronymi verba suprà retulimus. Lyranus Marci 1. Sciebant dæmones ipsum esse Messiam, non tamen sciebant esse Deum. Si enim sciuissent esse Deum, numquam induxissent Iudæos ad ipsum crucifigendum, &c.

Gregor. Iob 2. *Iob 40.* *Euseb.* *Chrysost.* *Marci 1.* *Ambros.* *D. Leo.* *D. Isidor.* *Auct. quæst.* *D. Antonin.* *Alex. Alēs.*

Lyran.

Non desunt alij, qui putent à dæmone Christum cognitum. Gregorius Nazianzenus oratione 42. in fine: Dæmones, ait, Christum, à quo fugabantur, Deum agnouerunt, doloribus nimirum, quos sentiebant, fidem ipsis facientibus, &c. Alter Gregorius Magnus lib. 33. Moral. cap. 7. Behemoth iste, id est, diabolus, Filium Dei incarnatum nouerat, &c. Item: Antiquus hostis redemptorem humani generis ante se positum vidit, quem cognoscendo confessus, confitendo pertimuit, dicens: *Quid nobis & tibi Fili Dei? Venisti ante tempus torquere nos?* In oculis itaque suis hamo captus est, quia & nouit & momordit; & cognouit priùs quem pertimesceret, & tamē post non timuit, cùm in illo quasi escam propriam, mortem carnis esuriret, &c. Et homilia 25. in Euangelia, existimat ante passionem ex miraculis Christum Deum esse agnouisse dæmonem; postea verò dubitasse. Priùs, inquit, in miraculis Deum cognouerat; sed de cognitione sua ad dubitationem cecidit, quando hunc passibilem vidit, &c. Euthymius illa dæmonis verba, *Scio qui sis, Sanctus Dei*, de diuinitate exponit hunc in modū, Scio quòd sis ille sanctus per naturam, scilicet Deus. Sed adulando ait dicta. Tertullianus in lib. cōtra Praxeam, cap. 26. Hoc, id est, Filium Dei, satanas eum in tentationibus nouit; *Si Filius Dei es.* Hoc & exinde dæmonia confitentur: *Scimus qui sis, Filius Dei*, &c. Lege eumdem lib. 4. contra Marcionem, cap. 7 & 8. & lib. 5. cap. 6. Spiritus, inquit, nequam sciebat eum sanctum Dei esse, & Iesum vocari, & in perditionem eorum venisse, &c. D. Bonauentura 3. sent. dist. 23. q. 3. de Fide informi: Quia dæmones videbant miram Christi virtutem in suis effectibus, cui nullatenùs poterant resistere; cognoscebant ipsum non purum hominē, sed etiam Deum esse. Simon Cassianus libro 5. cap. 10. Quoniam dæmones sciebant quis esset Christus, scilicet Dei Filius, increpabat Dominus illos, vt tacerent, &c.

Greg. Naz. *Greg. Mag.* *Opino affirmans.* *Marci 1.* *Tertul.* *Bonauen.* *Cassian.*

Probatur hæc sententia, quæ videtur probabilior, saltem si intelligatur morali quadam certitudine dæmones hoc nouisse. In primis, quoniam dæmones pro intellectus sui perspicacia, & acumine Scripturam sacram intelligere potuerunt, qua continetur Messiam esse Deum Deique Filium. Attamen crediderim, antequam Christus & Apostoli Scripturæ reconditos sensus aperirent, dæmoni fuisse ignotos. Diuino enim spiritu opus erat ad intelligenda Prophetarum verba, quo dæmones carent. Secundò, quoniam è cælo delapsam illam vocem audierunt: *Hic est Filius meus dilectus*, &c. Petri quoque confessionem, *Tu es Christus Filius Dei viui*, ab ipso Christo approbatam. Audierunt etiam Christum asserentem se esse Filium Dei Ioan. 5. & 8. & 10. Tertiò, dæmones sciebant Deum Filium habere naturalem, & hunc naturam humanam assumpturum iam nouerant, antequam è cælo caderent. Ergo facilè ex Christi verbis, & admirandis operibus Christum incarnatum Deum esse cognouerunt. Quartò, dæmon ideo Christum tentauit, lapidesque in panes conuertere suasit, vt ex illo vno miraculo Deum esse intelligeret. Si ergo ex vno miraculo Deum esse intelligere valuit, multò magis ex tanta miraculorum multitudine id ipsum cognouit. Quintò, idem cōfirmat illud responsum Apollinis Pythij Augusto redditum, quod refert Nicephorus lib. 1. cap. 17.

Probatur sententia affirmans. *Nicepb.*

Me puer Hebræus diuos Deus ipse gubernans

Cedere

Cedere sede iubet, tristemq́, redire sub Orcum, &c.

Dæmon Christum puerum Deum appellat, ergo Deum esse nouerat. Sed de hoc responso suprà egimus lib. 2. cap. 3. Adde illud: *Exibant dæmonia à multis clamantia, & dicentia: Quia tu es Filius Dei.* Cùm verò Euangelista ignorasse non scribat, quod dicebãt: id sciuisse dæmones videtur innuere. Sciebant autem Deum Filium habere naturalem; de naturali ergo loquebantur. Item: Spiritus immundi, & cùm illum videbant, procidebant ei, & clamabant, dicentes: *Tu es Filius Dei: & vehementer comminabatur eis Christus, ne manifestarent illum*, &c. Videlicet quia id sciebant.

Luca 4.

Dæmones sciebãt Deũ habere Filiũ naturalem.

Marci 3.

Attamen opinio hæc sic refutari potest. Si dæmones nouissent Dominũ Messiam esse & Deum; nouisent quoque ipsum redempturum homines, vt Scriptura prædicat, atque adeò in necem illius Iudæorum animos non inflammasent, per quem intelligerent tartareum principatũ profligandum. Inflammatos autem Iudæos à dæmone in necem Christi nemini dubium est. Præterea opinio Apostolo repugnat. Nam affirmat dæmones diuinam sapientiam minime agnouisse. *Loquimur*, inquit, *sapientiam non huius sæculi, neque Principum huius sæculi, qui destruuntur. Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam nostram. Quam nemo Principum huius sæculi cognouit. Si enim cognouissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent*, &c. Principes huius sæculi Paullus dæmones appellat; ergo dæmones diuinam sapientiam non cognouerunt. Quòd si cognouissent Christum esse Dominum gloriæ; Iudæorum opera non egissent illum in Crucem. Tertiò, dæmonum legio adiurat Christum per Deum. *Adiuro*, inquit, *te per Deum ne me torqueas*. Ergo ignorabant dæmones illum esse Deum: si enim id scirent, non adiurarent Deum per Deum. Quartò, dæmones multa viderunt signa ante Christi tentationem; Angelorum illud nuncium: *Natus est vobis hodie Saluator.* Magis prælucentem stellam; Simeonis canticum, in quo Christus dicitur, Lumen ad reuelationem Gentium, & gloria Israel; verba Gabrielis, *Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur*: verba quoque Elisabethæ ad Virginem: *Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me*: audierant præterea vocem illam Patris: *Hic est Filius meus dilectus*. Attamen ex iis omnibus, ex quibus cognosci poterat, non cognouerunt Christum esse Dei Filium naturalem; vt constat ex tentatione deserti, qua illius diuinitatem explorare conati sunt. Ergo simili modo ex aliis, quæ secuta sunt postea, id ipsum non intellexerunt. Quintò, si dæmones potuerunt credere Dominum esse Messiam & Deum incarnatum; potuerunt fidem comparare. At fides est donum Dei, nec potest sine peculiari auxilio haberi; ergo dæmones peculiare Dei auxilium, ad fidem comparandam, & donum supernaturale fidei consecuti sunt, quod falsum est.

Obiicitur: Dæmones nõ cognouerũt Christũ esse verum Deum.

1. Cor. 2.

Marci 5.

An dæmones cognouerint Christũ esse redemptorem, tartareiq́; imperij euersorem. Gregor.

Primum argumentum petit: An dæmones agnouerint Christum esse mundi Redemptorem, tartareiq́ue imperij euersorem? D. Gregor. 33. Moral. cap. 7. existimat cognouisse quidem esse Redemptorem, sed redemptionis ordinem, & tartarei imperij euersorem esse ignorasse. Behemoth, inquit, iste, id est, dæmon, Filium Dei incarnatum nouerat; sed redemptionis nostræ ordinem nescibat. Sciebat enim, quòd pro redemptione nostra incarnatus Dei Filius fuerat: sed omnino quòd idem redemptor noster illum moriendo trãsfigeret, nescibat. & lib. eodem, cap. 14. putat passionis tempore cognouisse diabolum, quod ignorabat. In ipso, ait, traditionis tempore tardè iam cognouisse dæmon intelligitur, quòd ipse Christi morte puniretur. Vnde & Pilati coniugem somniis terruit, vt vir illius à iusti persecutione cessaret. Sic Gregorius. D. Leo sermone 9. de Passione: Nec diabolus, inquit, ipse intellexit, quòd sæuiendo in Christum suum destrueret principatum. Qui antiquæ fraudis iura non perderet, si se à Domini sanguine contineret, &c. Et sermone 11. Si inimicus consilium Dei nosse potuisset: Iudæorum animos mansuetudine potiùs temperare, quàm odiis studuisset accendere. Ne omnium captiuorum amitteret seruitutem; dum nihil sibi debentis persequitur libertatem. Fefellit ergo illum malignitas sua, &c. Glossa Interlin. 1. Cor. 2. Si cognouissent dæmones sapientiam de redemptione humani generis per Christi mortem implendam; non suggereret diabolus illum crucifigi, per quem ius perderet, &c. Beda Marci 1. & Lucæ 4. Non ideo Iudæis Christum crucifigere persuasit dæmon, quia Messiam, siue Dei Filium non esse putauit, sed quia se morte illius non præuidit esse damnandum, &c. Idem habet Glossa ordinaria, & diuus Thomas 3. parte, quæstione 44. articulo 1. ad 2. & Alensis quæstione 100. membro 3. articulo 1. Si aliqua, inquit, certitudo dæmoni fuit, quòd Christus Filius Dei esset, per potentiam signorum: non præuidit tamen eius morte se esse damnandum, vel potestatem sibi esse auferendam, &c.

D. Leo.

Glossa.

Beda.

Sed refellitur opinio hoc pacto. Dæmones verba illa Angelorum cognouerunt: *Natus est vobis hodie Saluator mundi.* Et illa Matthæi. *Ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Similiter illa Samaritanorum: *Scimus quia hic est verè Saluator mundi.* Ergo sciebant Christum mundum à peccatis liberaturum, atque adeò tartareum principatum profligaturum. Item cognouerunt verba illa Christi ad Nicodemum: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret; vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, vt iudicet mundum; sed vt saluetur mundus per ipsum*, &c. Item illa: *Hæc est voluntas Patris mei, qui misit me, vt omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die*, &c. Et: *Oues meæ vocem meam audiunt, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum: & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Audierunt præterea serimonem Domini in monte, in quo pauperibus, & persecutionem patientibus, regnum cælorum promittitur: & alia, ex quibus cognoscere potuerunt Christum ex potestate dæmonum homines liberaturum. Id quoque experientia cognoscebãt, ex Magdalena & aliis, quos Christus ad pœnitentiam adducebat, & ex dæmoniis, quæ expellebat. Præterea Tertullianus lib. 5. aduersus Marcionem, cap. 6. dæmones ait nouisse, Christum ad eos perdẽdos venisse. Spiritus, inquit, nequam sciebat sanctum Dei esse Christum, & in perditionem eorum venisse, &c. Et Euthymius Matth. 8. Audierant dæmones à Prophetis, quòd post mundi consummationem descensurus esset Christus in terram, ac iudicaturus mundum, & afflicturus dæmones per aduentum Domini aliquando in Abyssum mergendos, &c.

Luca 2. Obiicitur Dæmones Saluatorem mũdi Christum cognouerunt. Matth. 1 Ioan. 4.

Ioan. 3.

Ioan. 6.

Ioan. 10.

Tertul.

Euthym.

Respondetur cognouisse quidẽ dæmones Christum seruatorem, & redemptorem esse mundi, vt D. Gregorius affirmat, hostemque dæmonum & euersorem; ignorasse tamen redemptionem hominum, dæmonumque euersionem, per mortem & sanguinem Christi esse perficiendam. Vnde primum argumentum initio propositum sic soluitur. Dicimus dæmones Iudæorum animos in Christi necem inflammasse, quoniam ignorabant morte, & sanguine Christi homines redimendos, & dæmonum

Dæmones ignorarunt hominum redemptionem Christi morte perficiendam.

Beda. monum principatum profligandum. Vnde Beda Luc.4. Non ideo dæmon Iudæis Christum crucifigere persuasit, quia Messiam, siue Dei Filium non esse putauit, sed quia se morte illius non præuidit esse damnandum,&c.

1. Sensus. Exponitur locus Paul. Secundum argumentum postulat, vt Paulli locum explicemus. Principes huius sęculi,quibus ignota fuit Dei sapientia,dęmones à Paullo illo loco appellari ait D. Ambros. 1. Cor.2. D. Hieronymus Danielis 10. Beda Marci 1. & Lucæ 4.Anselmus,siue Heruæus 1. Corinth.2. Glossa interlin. Tertullianus lib.5.contra Marcionem,cap.6.Auctor quæstionum ex nouo Testamento,quæst.66.D. Thom. 1.Cor.2. & eodem loco Caietanus,& alij. D. Chrysostomus Principes interpretatur Iudæorum Principes & Sacerdotũ, Pilatum quoque & Herodem. Illud autem, *Nemo Principum cognouit*, ita exponit: Illud,inquit,*non cognouerunt*, mihi videtur non hic dictum esse de Christo, sed de ipsa rei dispensatione. Nempe nesciebant, quid sibi vellet mors & *2. Sensus.* Crux.Nam in Cruce quoque non dixit,Me non nouerunt,sed: *Nesciunt quid faciunt*,id est, dispensationem,quæ peragitur, & mysterium ignorant. Neque enim sciebant futurum, vt ita splendesceret Christus,vt totius orbis terrarum esset salus,&,Dei cum hominibus reconciliatio; neque vt ciuitas eorum caperetur, & extrema mala subirent. Sapientiam autem,& Christum vocat,& Crucem,& prædicationem. Sic ille.Theophylactus quoque: Principes,inquit, huius sæculi Herodem & Pilatum intelligens; insuper & Principes,adeoque Pontifices *Theodor. 1.Cor.2.* Iudæorum, &c. Theodoretus illo loco, *Sapientiam loquimur inter perfectos,sapientiam verò non huius sæculi, nec Principum huius sæculi, qui destruuntur*, Principes mundi dici vult sophistas, Philosophos, Poëtas, & Oratores in hac vita claros & illustres. At infrà *Ibidem.* cùm Paullus ait: *Quam nemo Principũ huius sæculi cognouit*, Principes vocari sentit Pilatum, Herodẽ, Annam,Caipham,& alios Iudæorum Principes.Similem in modum Oecumenius priori loco ait Principes nominari Philosophos, Historiographos, ac Rhetores, qui etiam Reipub. administratores facti erant; posteriori loco Pilatum, Herodem,& Pontifices, ac Scribas, Iudæorum sapientes. Accedunt Tertullianus lib.5.contra Marcionem,cap.6.& alij.

Quinã sint principes huius sæculi Auctoris sententia. Mihi verisimiliùs est Principes huius sæculi appellari à Paullo, tam sapientes ethnicorum quàm Iudæorum.Erant enim hi in populo illustres,& sapientia principes.Quòd si propriè accipi vis vocem ἀρχόντες, siue *Principes*,existimarim significare orbis principes ac gubernatores,tam ethnicorum quàm *3. Sensus.* Iudæorum. Nemo enim horum Principum sapientiam Dei,de qua Paullus loquitur,cognouit. Loquitur Paullus de sapientibus sæculi,cùm ait: *Scriptum* *1. Cor.1.* *est enim: Perdam sapientiam sapientiũ, & prudentiã prudentium reprobabo. Vbi sapiens? vbi Scriba? Nónne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi?* Videtur igitur de iis principibus & sapientibus huius mũdi post- *1. Cor.2.* ea loqui,cùm ait: *Loquimur sapientiã non huius sæculi, neque Principum huius sæculi*, &c. Præterea dixerat: *1. Cor.1.* *Videte vocationem vestram, quia non multi sapientes secundùm carnem,non multi potentes,non multi nobiles*,&c. Postea ait sapientiam, de qua sermonem inter perfectos habet, non esse Principum huius sæculi.

Est igitur sensus:*Loquimur sapientiam inter perfectos* Christianos. *Sapientiam verò non huius sæculi*, hoc est, non Philosophorum sapientiam. Non loquimur philosophiam aliquam, aut sapientiam naturalem, qualis est huius mundi, & philosophorum sapientia; *Neque Principum huius sæculi*, hoc est, neque loquimur sapientiam, quam nouerint Principes, & gubernatores, ac iudices populorum, *qui destruun-*

Tom. 2.

tur,& abolentur omnes.*Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est.* Loquimur occultam quamdam & diuinã, omnesque naturæ & ingenij vires superantem Theologiam, *quam Deus*, antequam mundum conderet, *in gloriam nostram prædestinauit*. Christianorum enim gloria,est fides viua cum operibus coniuncta, Christianaque sapientia, quæ in æternã gloriam ducit. Eam verò cælestem, & occultam de Trinitate augustissima sapientiam, de incarnatione diuini Verbi, de diuinis attributis, de Angelis, de Sacramentis, & aliis fidei mysteriis, *Nemo Principum huius sæculi cognouit*, id est, Nemo sapientium huius sæculi,qui Christiani non sunt. Hæc enim sapientia tantummodo Christianorum est. Vel,Nemo gubernatorum & iudicum huius sæculi hanc nouit Theologiam. *Si enim cognouissent* principes huius sæculi, id est, principes sacerdotum,& Pharisæorum,& Pilatus: si cognouissent,inquam, hanc Christianam sapientiam,*Num-* *1.Cor.2.* *quam Christum Dominum gloriæ crucifixissent*. Ex ea enim illius diuinitatem & maiestatẽ intellexissent.

Christianorum gloria quæ sit.

Quòd verò dæmones hoc loco non dicantur à Paullo principes, probatur; quoniam Paullus sic ait: *Quam nemo Principum huius sæculi cognouit*: atqui *Ibidem.* dæmones,quo tempore Paullus hæc scribebat,iam cognoscebant hanc sapientiam. Audiebant enim Paullum loquentem sapientiam inter perfectos, audiebant etiam alios Apostolos; & ex illis didicerant.Itaque iam cognouerant Christianã sapientiam. Ergo de illis locus interpretandus non est. Sed respondeti potest Paullum, cùm ait, *Quam ne-* *1.Cor.2.* *mo Principum huius sæculi cognouit*, loqui de tempore, quod Christi passionem, & Euangelij prædicationem præcessit.Tunc enim nondum dæmones hanc nouerant sapientiam. Quamobrem probabilitatis aliquid habet altera de dæmonibus interpretatio. Argumento tamen secundo respondetur,Paullum eo loco non appellare principes dæmones, atque adeò nihil efficere argumentum.

Cur dæmon Christum cognitum occiderit. Tertul.

Dices: Quî fieri potuit, vt dæmon ausus fuerit ipsum Deum incarnatum occidere? Respõdet Tertullianus libro 5.contra Marcionem,cap.6. Superest, inquit, vt secundùm me quidem credibile sit scientes virtutes, & potestates Creatoris, Deum gloriæ Christum suum crucifixisse. Qua desperatione, & malitiæ redundantia, serui quoque scelestissimi dominos suos interficere non dubitant,&c. Et Caietanus 1. Corin. 2. Dæmones, inquit,etiamsi *Caietan.* cognouissent Dominum gloriæ, verum Deum Iesum Christum, nihilominus conati fuissent crucifigere eum, ex odio ad Deum & diuina,&c. Et 3. part.quæst.44.art.1.Si superbia,ait,diaboli consideretur,consentaneum rationi superbiæ eius apparebit,quòd etiam si sciuisset Christum Iesum esse verum Deum, adhuc procurasset ipsius mortem, &c. Malitia igitur, superbia, odiumque summum, quo Deum prosequitur, ad occidendum Deum Christum, dæmonem impellere potuerunt, cùm nesciret illius sanguine mundum tartarea ex captiuitate liberandum.

Tertio argumento respondetur, dæmones adiurasse Christum,quem sciebant esse Filium Dei,per Deum Patrem. Vel,adiurasse illum,quà homo erat per diuinitatem,quę cum humana natura erat coniuncta, vt illos minimè torqueret. Vel dicito sic adiurasse, quia non agnoscebant euidenter esse Deum,sed morali quadam certitudine.

Quarto argumento respondetur,dæmonem iam ante tentationem dubitasse,an Christus esset Deus ex iis,quæ viderat. Postea verò ex multitudine miraculorum, & modo, quo illa patrabat, certius id, quod dubitabat, agnouisse.

Quintò, reſpondetur, dæmonis perſuaſionem non fuiſſe ſupernaturalem, ſed abſque ſupernaturali Dei auxilio ex iis, quę videbat, naturaliter comparatam.

CAPVT X.

An dæmones ante peccatum agnouerint Dei incarnationem futuram.

CONFIRMAVIMVS ſuprà dæmones cognouiſſe Chriſtum eſſe Deum, quòd antequam è cælo præcipitarentur, Dei Filium humanam naturam aliquando aſſumpturum nouerant. Cùm enim hoc ſcirent futurum, cernerentque Chriſti in terris admiranda opera, Chriſtum Filium Dei eſſe incarnatum collegerunt. Alioqui ſi neſciuiſſent Dei Filium aliquando incarnandum, tantam in tanta maieſtate demiſſionem ſibi perſuadere ſuperbis ſpiritibus fuiſſet difficillimum. Cùm ergo ex hac cognitione maxime pendeat cognitio hæc, de qua egimus, operæpretium erit inueſtigare, an cognouerint dæmones, antequam peccato ſe obſtringerent, Dei incarnationem aliquando futuram.

Ignoraſſe Angelos, ac etiam dæmones incarnationis myſterium, antequam exſtaret, ſentire videtur D. Hieron. ad Epheſ. 3. Poteſt, inquit, myſterium à ſæculis abſconditum intelligi, quòd ipſa illud ſæcula ignorarint, hoc eſt, omnes ſpirituales & rationales creaturæ, quæ in ſæculis fuerunt. Item ſi principatibus, & poteſtatibus in cælis, quas ſanctas miniſtrasque Dei accipere debemus (licet quidam principem aëris iſtius, & Angelos eius interpretentur) ignota fuit multiplex ſapientia Dei, quæ nunc eis per Eccleſiam reuelata eſt, quanto magis, &c. Theodoretus eodem loco: Nec poteſtates, inquit, quæ ſub aſpectum non cadunt, ſciebant myſterium; ſed per diſpenſationem, quæ eſt in Eccleſia, ineffabilem Dei ſapientiam didicerunt, &c. Chryſoſtomus homilia 1. in Ioannem: Ioannes, inquit, proloquitur ea, quæ neque Angeli, priuſquam hic diceret, nouerunt. Namque & ipſi nobiſcum per Ioannis vocem, & per nos didicerunt, quæ cognouimus. Quod beatus Paullus iis verbis ſignificauit: *Vt innoteſcat nunc principatibus, & poteſtatibus in cæleſtibus, per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei.* Si igitur principatus & poteſtates, Cherubim & Seraphim hæc per Eccleſiam didicerunt, conſtat ipſos Angelos eius ſe auditores ſumma cum attentione exhibuiſſe. Idcirco non parum honoris conſequimur, quòd nobiſcum Angeli didicerunt, quæ neſciebant. Sic ille.

Probatur hæc opinio ex Paulli loco citato: *Mihi*, inquit, *omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc, In gentibus euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti: & illuminare omnes quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi à ſæculis in Deo, qui omnia creauit. Vt innoteſcat principatibus & poteſtatibus in cæleſtibus, per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei*, &c. Ecce Paullus ait myſterium incarnationis in Deo fuiſſe abſconditum à ſæculis, & poſt incarnationem Angelis per Eccleſiam innotuiſſe. Et: *Magnum eſt pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, & iuſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus*, &c. Ait Paullus myſterium incarnationis poſt incarnationem Angelis apparuiſſe; ergo ante incarnationem minimè apparebat, atque adeò illos latebat. Item confirmatur ex Iſaia: *Quis eſt iſte, qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra? iſte formoſus in ſtola ſua?* &c. Quæ verba ſunt Angelorum ex ſententia Origenis in Matth. tractat. 15. Ambroſij de Inſtitutione virgin. cap. 5. Dionyſij Areopagitæ de cæleſti hierarchia, cap. 7. Nazianzeni orat. 42. Cyrilli in Ioan. libr. 12. cap. 58. Angeli ergo non cognoſcebant Chriſtum in cælum conſcendentem, ſiquidem quis ille eſſet, rogabant; ac proinde incarnationis myſteriũ etiam tunc ignorabant.

Similiter idem Origenes eodem loco, Ambroſius lib. 4. de Fide, c. 1. Iuſtinus in dialogo, Nazianzenus orat. 42. Dion. Areopag. loco citato, D. Hieron. ad Epheſ. 3. illam Pſalm. 23. interrogationem, quæ ignorantiam huius myſterij præ ſe ferre videtur, Angelis tribuunt: *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Et Ambroſius de Inſtitutione virginis, cap. 15. manifeſtè aſſerit Angelis Chriſti reſurrectionem fuiſſe ignotam, etiam poſtquam reſurrexit. Reſurrectionem, inquit, Chriſti Angeli ignorauerunt, quod ſignificant verſiculi: *Tollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Interrogant quaſi ignorent. Et alij reſpondent: *Dominus fortis & potens; Dominus potens in prælio, ipſe eſt Rex gloriæ.* Et repetiuit Propheta eoſdem verſiculos, & nihilominus illi, quaſi ignorantes, iterum interrogauerunt: *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Quomodo ergo homo. i. Ioſeph, potuit diuinum ſcire ſecretum, ſcilicet, cõceptionis Filij Dei, quod Angeli neſciebant? &c. Lege etiam Theodoretum & Euthymium Pſal. 23.

Pſal. 23. *Ambroſ.*

Hieron. *Theodor.* *Chryſoſt.* *Epheſ. 3.* *Ibidem.* *1. Tim. 3.* *Iſaia 63.*

Dæmones in cælo myſterium incarnationis nouerant. *D. Thom.*

Reſpondemus veriſimile eſſe Angelos, antequam diuino conſpectu fruerentur, & dæmones, antequam è cælo præcipites darentur, Dei Filium humanam naturam aliquando aſſumpturum per reuelationem cognouiſſe. Hæc opinio ex D. Thoma colligitur 1. part. quæſt. 64. articulo 1. ad 4. Dicendum, inquit, quòd myſterium regni Dei, quod impletum eſt per Chriſtum, omnes quidem Angeli à principio aliquomodo cognouerunt, maximè ex quo beatificati ſunt viſione Verbi, &c. Confirmatur, quoniam primus homo Adam antequam in peccatum laberetur, per reuelationem myſterium incarnationis agnouit: ergo etiam Angeli, qui illo præſtantiores erant, idem agnouerunt. Antecedens illa propoſitio D. Thomæ eſt 2. 2. quæſt. 2. artic. 7. Ante ſtatum, inquit, peccati homo habuit explicitam fidem de Chriſti incarnatione, &c. Et 3. part. quæſt. 1. art. 3. idem ſentit. Etenim Adam Verbi incarnationem vaticinatus eſt illis verbis: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*, &c. Illum igitur incarnatio non latebat. Vnde D. Hieronymus ad Epheſ. 5. Adamum primum Prophetam vocat: Primus, inquit, homo, & primus vates Adam, hoc de Chriſto & Eccleſia prophetauit, &c. Et Auguſtinus lib. 9. de Geneſi ad litteram, capit. 19. Illa extaſis, quam Dominus immiſit in Adam, vt ſoporatus obdormiret, rectè intelligitur ad hoc immiſſa, vt & ipſius mens per extaſim particeps fieret tamquam angelicæ curiæ: & intrans in ſanctuarium Dei intelligeret nouiſſima. Denique euigilans, tamquam prophetiæ plenus, cùm ad ſe adductam mulierem ſuam videret, eructauit continuò, quod magnum Sacramentum commendat Apoſtolus: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*, &c. Item: Quæ verba cùm primi hominis fuiſſe Scriptura teſtetur, Dominus tamen Matth. 19. Deum dixiſſe declarauit. Ait enim: *Non legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & feminam fecit eos? & dixit: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.* Vt hinc intelligeremus propter extaſim, quæ præceſſerat in Adam, hoc eum diuinitus tamquam Prophetã dicere potuiſſe. Hæc ille. Similiter hæc verba Adami Deo attributa eſſe à Chriſto illo Matthæi cap. docet D. Epiphan. hæreſi 48. Tertullian. de anima, cap. 11. Et ſi Adam ſtatim prophetauit magnum illud ſacramentum in Chri-

Gen. 2. *Adã cognouit Filij Dei incarnationem.* *Adam primus Propheta.* *Hieron.* *Auguſt.*

Gen. 2. *Matth 19.*

Christum & in Ecclesiam; *Hoc nunc os*, &c. cecidit extasis super illum, sancti Spiritus vis operatrix prophetiæ, &c. Et cap. 21. Deus in Adam immisit spiritalem vim, qua constat prophetia, &c. Prosper de prædictionibus lib. 1. c. 1. Sacramentum magnum quod promissum speravit Adam, sibi coniunctam vidit, quam credidit coniugem, &c. Eo lem loco ait Adamum præuidisse Christum.

Clem. Alex. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum: Ante legem Adam Vates, qui in muliere, & animantium

Bernar. nominatione futura prædixit, &c. Bernardus serm. 2. de Septuagesima: Adam (ait) mihi quidē non nisi incommutabilis veritatis intuitu, & abysso diuinæ sapientiæ, corporeis excedens sensibus obdormisse videtur. Quod ex eius verbis vel maximè coniici potest. Redens nimirum indicat, quò abiisset, dum tamquam ebrius de cella vinaria veniens, & eructans illud magnum Sacramentum, quod tanto post in Christo & in Ecclesia Apostolus commendauit: *Hoc nunc*, inquit, *os ex ossibus meis*, &c. Præterea

D. Leo. D. Leo epistola 23. ad clerum & plebem Constantinop. ex verbis Adami sic concludit: Ab ipso ergo principio generis humani hominibus Christus est denuntiatus in carne venturus, in qua, sicut dictum est: *Erunt duo in carne vna*; vtique duo sunt, id est, duæ naturæ, Deus & homo: Christus & Ecclesia, &c. Ex iis efficitur Adamo Verbi incarnationem fuisse à Deo patefactam. Vnde infertur fuisse quoque Angelis ante casum dæmonum reuelatam. Alias huius opinionis rationes, quòd non magni sint roboris, omitto.

Explicatur cōtrarta testimonia. Testimonia verò, quæ illi aduersari videntur, ad hunc modum explicantur. Primum testimonium

Ephes 3. ex epistola ad Ephesios: *Vt innotescat principatibus, & potestatibus in cœlestibus, per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* Vatablus de spiritibus malis, qui in aëre versantur, intellexit. Alij quoque ex antiquis in hac fuerunt opinione, vt verbis suprà citatis docet Hieronymus. Sed probabilius de sanctis Angelis intelligitur. Dicitur autem per Ecclesiam innotuisse illis mysterium Christi, secundùm aliquas partes, & circumstantias illis minimè antea reuelatas. Nec enim Angelis patefecit Deus, vel antequam beati essent, vel postea, ante ipsam incarnationem, cuncta quæ ad tantum mysterium pertinebant, vt docet

D. Thom. D. Thomas 1. part. quæst. 57. artic. 5. ad. 1. De mysterio, inquit, incarnationis dupliciter contingit loqui. Vno modo in generali; & sic omnibus Angelis reuelatum est à principio suæ beatitudinis. Quia hoc est quoddam generale principium, ad quod omnia eorum officia ordinantur:

Hebr. 1. *Omnes enim sunt administratorij spiritus; in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis.* Quod fit per incarnationis mysterium. Vnde oportuit de

A hoc mysterio omnes à principio communiter edoceri. Alio modo possumus loqui de mysterio incarnationis, quantum ad speciales conditiones. Et sic non omnes Angeli à principio de omnibus sunt edocti; immo quidam etiam superiores Angeli postmodum didicerunt. Sic D. Thomas. *Quomodo per Ecclesiā innotuerit Angelis sapientia Dei.*

Lyranus addit, Angelis innotuisse mysterium per Ecclesiam cognitione intuitiua, quod antea cognouerant cognitione abstractiua. Non solùm, inquit, hominibus fuit absconditum Christi mysterium, & maximè de vocatione gentium; sed etiam Angeli sancti non cognouerunt ad plenum, donec prædicantibus Apostolis fuit impletum. Quia antea habuerunt tantùm simplicem notitiam, quæ potest dici abstractiua, in quantùm est rei non præsentis: sed quando fuit impletum, habuerunt notitiam experimentalem, siue intuitiuam, &c. Simi- *Lyran.*

lem in modum Ambrosius Catharinus innotuisse B *Amb. Cath.*

ait mysterium Christi Angelis per Ecclesiam, cognitione intuitiua & experimentali. De hac cogni- *Locus ex 1. ad Timoth. 3. explicatur.*

tione intelligendus est locus alter Paulli ex epistola ad Timotheum, in quo asserit magnum pietatis Sacramentum Angelis apparuisse. Apparuit enim Angelis ab initio, cùm viatores erant per reuelationem: posteaquam incarnatum est Verbum, per intuitiuam apparuit cognitionem Christus homo Deus, eiusque gesta admiranda.

Verba autem illa, quæ ex Psalm. 23. & Isaiæ 63. *Locus Psal 23. & Is. 63. explanatur.*

Angelis tribuuntur, non ita intelligenda sunt, vt Angelos significent ignorasse, quis esset ille Rex gloriæ, & quis esset ille, qui ascendebat de Edom, tinctis vestibus de Bosra. Id enim aperte falsum est. Nouerunt enim Christum in terris versantem, nouerunt in Cruce animam exhalantem, nouerunt resurgentem, & in cælum quoque ascendentem, vt est compertum. Sunt ergo illis locis Dauidis & Isaiæ dialogi quidam. Introducuntur autem Angeli interrogantes & respondentes, vt Christi maiestas, ac potentia illo loquendi modo explicetur. Superius, ait Theodoretus, per dialogum doctrinam de moribus formauit Psalmographus, dicens: *Quis ascendet in montem Domini, & quis stabit in monte sancto eius?* Et responsionem subiecit; *Innocens manibus & mundo corde*, & reliqua. Talem & hîc putato esse sermonis figuram; neque existimes interrogantes ob ignorantiam interrogare, sed omnes homines hoc præconio ascendentis imperium docere, &c. Quòd si in ipso Ascensionis die ipsi Angeli illis dialogis vsi sunt; non quòd ignorarent Dominum gloriæ sic sunt locuti, sed vt illa dicendi figura Christi laudes, ac triumphum celebrarent. Multa enim, quæ sciuntur, vt celebrentur interrogationi subiici possunt. *Psal. 23.*

CAPVT XI.

De Scriba volente ſequi Chriſtum, & aliis.

MARC. CAP. I.

ET diluculo valdè ſurgens, egreſſus abiit in deſertum locum, ibiq́ue orabat. Et proſecutus eſt eum Simon, & qui cum illo erant. Et cùm inueniſſent eum, dixerunt ei: Quia omnes quærunt te Et ait illis: Eamus in proximos vicos & ciuitates, vt & ibi prædicem: ad hoc enim veni. Et erat prædicans in ſynagogis eorum, & in omni Galilæa, & dæmonia eiiciens.

LVC. CAP. IV.

FACTA autem die, egreſſus ibat in deſertum locum, & turbæ requirebant eum, & venerunt vſque ad ipſum, & detinebant illum ne diſcederet ab eis; quibus ille ait: Quia & aliis ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei; quia ideo miſſus ſum. Et erat prædicans in ſynagogis Galilææ.

MATTH. CAP. IIX.

VIDENS autem Ieſus turbas multas circum ſe, iuſſit ire trans fretum: & accedens vnus Scriba, ait illi: Magiſter, ſequar te quocumque ieris. Et dicit ei Ieſus: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet. Alius autem de diſcipulis eius ait illi: Domine, permitte me primùm ire, & ſepelire patrem meum. Ieſus autem ait illi: Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.

LVC. CAP. IX.

FACTVM eſt autem ambulantibus illis in via, dixit quidam ad illum: Sequar te quocumque ieris. Dixit illi Ieſus: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet Ait autem ad alterum: Sequere me. Ille autem dixit. Domine, permitte mihi primùm ire & ſepelire patrem meum. Dixitq́ue ei Ieſus: Sine, vt mortui ſepeliant mortuos ſuos: tu autem vade, & annuntia regnum Dei. Et ait alter: Sequar te Domine, ſed permitte mihi primùm renuntiare his quæ domi ſunt. Ait ad illum Ieſus: Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.

NOCTEM illam Dominus in domo D. Petri egit, & *diluculo valdè*, vt ait Marcus, *Facta iamdiu*, ait D. Lucas, ſurrexit, abiitq́ue ad orandum in deſertum locum. Græcè Marcus: πρωὶ ἔννυχον λίαν, id eſt, *& mane noctu valdè ſurgens*, id eſt, in crepuſculo diei, ſummo manè, nondum orto Sole, cùm tenebræ nondum eſſent diſcuſſæ. Lucas: *Facta autem die*; nondum tamen orto Sole, ſed ſummo mane diei factæ, in ipſo crepuſculo tenebroſo diei. Quod idem eſt. Docet nos hoc Chriſti factũ ad orandum diluculo ſurgere; iuxta illud Eccleſiaſt. 39. *Cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conſpectu Altiſſimi deprecabitur.* Et illud: *Exſurge gloria mea, exſurge pſalterium & citthara: exſurgam diluculo.* Apoſtrophe vtitur ad inſtrumenta muſica. Exſurge, inquit, ô citthara & pſalterium meum, quod es gloria mea. Exſurgam ego quoque diluculo ad decantandas Dei laudes. Chaldæus ſic: Expergiſcar ad orationem matutinam. D. Cyprianum lege libro de Orat. dominica: Manè, inquit, orandum eſt, vt reſurrectio Domini matutina oratione celebretur, &c.

Eccli. 39.

Pſal. 56.

Oratio matutina commendatur.

Proſecutus eſt Dominum Petrus ſimul cum aliis. Cumq́ue in ſolitudine orantem reperiſſent, ab omnibus quæri, ac deſiderari renuntiarũt. Nam, vt Lucas narrat, turbæ requirebant eum; quæſitum verò repererunt. Qui enim Chriſtum quærit, reperit. Repertum, ne ab eis diſcederet, retinere turbæ conabantur. At ille: Sinite, inquit, me abire, aliis quoque ciuitatibus, non ſoli Capharnaum, regnum Dei oportet euangelizare.

Geſtorum ordo.

Qui Chriſtum quærit reperit.

A Capharnaum ergo, ſiue à deſerto illo loco, in quo

quo prope Capharnaum orauerat, in alia opida Galilææ ad euangelizandum regnum Dei profectus eſt. Hæc Marcus & Lucas narrant, quæ Matthæus præteriuit. Id quod poſt hæc ſequitur, ſcripſit: *Videns*, inquit, *turbas multas circum ſe, iuſſit ire trans fretum*, &c. Hunc, quem ſequor, ordinem ſequitur Auguſtin. lib. 2. de Conſenſu Euangeliſtarum, cap. 22. Abulenſis Matth. 8. Baronius in Annalibus, Ianſenius, Beauxames, & Adrichomius. Cùm igitur Galilææ opida Chriſtus percurreret, ingens illum virorum feminarumque multitudo circumdedit. Ab illis ſe vt auelleret, diſcipulos iuſſit trans mare Galilææ nauigare, ipſeque ſimul cum eis nauigauit.

Matth. 8.

Ibidem. ET *accedens vnus Scriba, ait illi: Magiſter, ſequar te quocumque ieris.* Cùm ad cymbam pergeret Chriſtus, vt in alteram lacus partem transfretaret, ex Scribis, id eſt, legis doctoribus, quidam ad illum acceſſit, ſeque tanto magiſtro in diſcipulum perpetuum obtulit: Magiſter, inquiens, ſi tibi placet, quocumque ieris, te, vt diſcipulus, ſequar & comitabor.

Caietan. Caietanus tamen exiſtimat non ſe obtuliſſe in diſcipulum, ſed in viæ comitem: Non enim, inquit, dignabatur, cùm eſſet Scriba, id eſt, in lege peritus, diſcipuli ſubire nomen, &c.

Qua intentione animi Scriba ſequi voluerit Chriſtum. Hieron.

Conſiderandum quánam animi intentione Chriſtum hic Scriba voluerit ſequi. D. Hieronymus Matth. 8. lucri cauſſa ſequi voluiſſe ait inſtar Simonis Magi: Oſtenditur, inquit, nobis, & ob hoc Scribam repudiatum, quòd ſignorum videns magnitudinem, ſequi voluerit Saluatorem, vt lucra ex operum miraculis quæreret. Hoc ipſum deſiderās, quod & Simon Magus à Petro emere voluerat Act. 8. &c. Idem putat Chryſoſtomus: Quæſtui, ait, ſeruiens Scriba, cùm propter multitudinem ſignorum multos vndiq; aſſiuere videret, putauit Dominum ex talibus miraculis ditari, ac ideo ſequi cupiebat. Item: Non magiſtrum quærit, ſed ex magiſtro lucrum, &c. Euthymius: Hic Scriba ſuſpicabatur Ieſum ex miraculis diuitias multas colligere. Et ſperabat, quòd ſi in morem diſcipuli illum ſequeretur, copioſas collecturus eſſet diuitias, &c. Eiuſdem ſententiæ eſt Theophylactus, Beda, Gloſſa interlin. & ordin. Lyranus, Caietanus, Carthuſianus, & Abulenſis. D. Auguſtinus ſer. 7. de verbis Domini. Quid eſt, quod Domino diſplicuit tam paratus? Quia talis magiſter erat, qui futura præuideret, intelligimus iſtum hominem, ſi ſequeretur Chriſtum, ſua quæſiturum fuiſſe, non quæ Ieſu Chriſti, &c.

Chryſoſt. *Scriba ſuſpicabatur Chriſtū ex miraculis pecunias colligere.* *Auguſt.*

Idem.

Idem Auguſtinus in quæſtionibus Euangelicis ex Matth. quæſt. 4. aliam cauſſam reddit, videlicet ſuperbiam: Intelligitur, inquit, Scriba miraculo Domini commotus, propter inanem iactantiam eum ſequi voluiſſe. Idem habet Beda Luc. 9. D. Auguſtin. ſerm. 6. de verbis Domini: Dominus inquit, quemdam ſuperbum à ſuo diſcipulatu reuocauit: *Matth. 8.* *Sequar te quocumque ieris*, ait: Et Dominus in corde eius inuiſibilia videns: *Vulpes*, inquit, *foueas habent*, id eſt, habitant in te inſidiæ, ſicut vulpes, habitat ſuperbia, ſicut volatilia cæli. Filius autem hominis ſimplex contra inſidias, humilis contra ſuperbiam *non habet, vbi caput ſuum reclinet*, &c. D. Thomas ait *Card. Hug.* voluiſſe ſequi Dominum, vt miracula faceret. Hugo quoque Cardinalis: Sequar te, ait Scriba, vt à te *Auct. hiſt. ſchol.* diſcam miracula facere. Magiſter item hiſtoriæ: Volebat, ait, Scriba ſequi Dominum, vt diſceret ſigna facere ad lucrum, & ideo non auditur à Domino, &c.

D. Hilar. D. Hilarius per interrogationem legit verba Scribæ. Putat enim Scribam non affirmaſſe, ſed interrogaſſe: *Sequáne te quocumque ieris?* Quidam Scriba, ait Hilarius, id eſt, vnus ex doctoribus legis, an ſit ſecuturus interrogat. Infidelitatis affectum ſub diffidentia interrogationis expreſſit, &c. Sed affirmaſſe Scribam, non interrogaſſe, conſtat ex Bibliis correctis.

Quod autem Matthæus dicit, tunc iſtud geſtum eſſe, quando Chriſtus iuſſit, vt irent trans fretum, ait Auguſtinus lib. 2. de Conſenſu Euangeliſtarum, capite 23. Lucas verò ambulantibus illis in via; non eſt contrarium: quia in via vtique ambulabāt, vt venirent ad fretum, &c. *Auguſt.*

VVLPES *foueas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet.* *Matth. 8. Luca 9.* Ex hac reſponſione colligitur Scribam lucri cauſſa Chriſtum ſequi voluiſſe. Reſpondet enim Chriſtus ſe adeò eſſe pauperem, vt non habeat, in quo caput reclinet. Hieronymus ſic interpretatur: Quid me propter diuitias, & ſæculi lucra cupis ſequi, cùm tantæ ſim paupertatis, vt ne hoſpitiolum quidem habeam, & non meo vtar tecto? &c. Chryſoſtomus: Reſponſio, inquit, Chriſti non ad ſonum verborum Scribæ; ſed ad ſenſum interrogantis accommodata eſt. Quid, inquit Chriſtus, pecunias credis te collecturum, ſi me ſequaris; nónne vides nec diuerſorium mihi eſſe, nec tantùm quidem, quantùm auibus? &c. Euthymius: Vulpibus, inquit Dominus, & volucribus ſum pauperior: neque enim receptaculum habeo, nec quantum ſufficiat ad caput reclinandum. Tales autem eſſe volo eos, qui me ſequuntur, &c. Forſitā hic Scriba Chriſtum Meſſiam eſſe, temporalique regno imperaturum putauit; ideoque ſequi vt Regem voluit, & huiuſmodi reſponſum accepit.

Hieron. Scriba propter diuitias Chriſtū ſequi voluit. *Chryſoſt.* *Euthym.*

Sed quæritur an Chriſtus hunc Scribam his verbis repulerit. D. Ambroſius repuliſſe docet Luc. 8. Non videtur, inquit, conuenire rationi, vt ſimplicem, fidelemque iſtum arbitremur, qui Domini dignatione reſpuitur, cùm indefeſſi famulatus obſequium ſpopondiſſet. Sed Dominus non obſequiorum ſpeciem, ſed puritatem quærit affectus, &c. Et Auguſtinus loco citato: Chriſtus ſuperbum quemdam, quantùm intelligitur ex verbis ipſius Domini, vltro ſecum ire cupientem à ſuo diſcipulatu reuocauit. Reuocat iſtum ire cupientem, trahit alterum recuſantem, &c. Et D. Gregorius homilia 13. in Ezechielem de hoc Scriba verba faciens, & altero, cui dictum eſt, *Sequere me*, ſic ſcribit: Quid eſt, quòd Scriba promittit ſe ire, & deſeritur; iſte domum vult redire, & tamen vt ſequi debeat, iubetur? Scriba non ſuſcipitur; iſte nec ad horæ momentum ab obſequio relaxatur? Interno ergo, occultoque iudicio menſuræ calamus ducitur, in quo & iſte trahitur, & ille relinquitur, vt cæleſtis fabrica non ſine pio & iuſto examine conſtruatur, & cetera.

An Chriſtus Scribam repulerit. Ambr. *Auguſt.* *Gregor.*

At Chryſoſtomus homil. 28. in Matth. Hæc, inquit, Chriſti verba non erant repellentis, ſed eius, qui & prauam illius opinionem carperet, & poteſtatem daret, ſi cum ſpe huiuſmodi ſequi vellet, & cet. Et Euthymius: Hoc dicendo non vetuit Chriſtus Scribam ſe ſequi; ſed docuit, quòd ſi ſequeretur, non inuenturus eſſet lucrum, quod quærebat, &c. Chryſologus ſerm. 19. Videtis, ait, quia Chriſtus non repulit volentem; ſed fingentem prodidit, & horruit præſumentem. Aut quare pietatis auctor, largitor ſalutis, iſtum venire volentem prohiberet, qui mox alium diſcipulum ire cupientem retinuit, ne abiret? &c. Chriſtus ergo Scribæ ſic reſpondit, vt quem ſequi vellet animaduerteret, nimirum pauperem, & humana omnia pro nihilo ducentem. Quòd ſi inopem liberet ſequi, his verbis non prohibuit. Volebat Scriba Chriſti eſſe diſcipulus, nec tamen ſciebat à diſcipulis Chriſti omnia relinqui oportere, ideoque Dominus hoc

Chriſtus nō repulit hūc Scribam. Euthym. Chryſol.

reddidit reſponſum: Me vis ſequi, ego ipſis vulpibus,& cæli volatilibus ſum pauperior: neque enim aliquid habeo in quo reclinem caput. Si pauper eſſe vis mei ſimilis,& caducis rebus omnibus nuntium remittere,ſequi non prohibeo.Tu quid facias, priùs conſidera.

Matth. 8. Luca 9. Hæc eadem verba, *Vulpes foueas habent,& volucres cæli nidos*, Auguſtinus in quæſtionibus Euangelicis ſecundùm Matth. quæſt. 5. ſenſu metaphorico explicat: Intelligitur,inquit, Scriba miraculo Domini commotus, propter inanem iactantiam eum ſequi voluiſſe, quam ſignificant aues. Finxiſſe autem diſcipuli obſequium, quæ fictio vulpium nomine ſignificata eſt.Reclinatione verò capitis humilitatem ſuam Dominus ſignificat, quæ in illo ſimulatore, ac ſuperbo non habebat locum. Sic Auguſtinus. Vnde intelliges illum ex his verbis coniecciſſe Scribam vulpem fuiſſe, id eſt, ſimulatorem, quòd ſimulatè Chriſto in diſcipulum ſe obtulerit, & volucrem,id eſt,ſuperbum.Chryſologus quoque loco indicato, & ſimulatorem, & præſumentem vocat: Fingentem,ait, prodidit Dominus, & horruit præſumentem,&c. Item Auguſtinus in libro de Virginitate, cap. 51. Quidam ſuperbus & doloſus dixit Chriſto: *Sequar te quocumque ieris*. Arguebat nomine vulpium aſtutam doloſitatem, & nomine volucrum ventoſam elationem, &c. Euthymius: Quidam,inquit, dicunt, quòd præcognoſcens Chriſtus Scribam non ſolùm pecuniarum amori ſeruientem,ſed aliis quoque affectibus,reſponderit,vulpes ac volucres appellans dæmones propter dolum illorum, & quòd ſeminibus,ac fructibus virtutum inſidientur,ac ſi diceret: Dæmones quidem foueas, & nidos in te habent; ego autem neque breuiſſimam requiem apud animam tuam inuenio. Foueæ verò ac nidi dæmonum, affectiones ſunt, in quibus occultantur ac requieſcunt. Hæc ille. Lege Gregorium lib.19.Moral.cap.1.Et Auguſtinum ſerm.7.de verbis Domini.

Senſus metaphoricus Auguſt. *Chryſol.* *Matth. 8. Luca 9.* *Dæmones vulpes.* *Affectiones foueæ dæmonum.*

Hactenus de vulgata diximus ſententia. Veriſimilitudinem quidem illa habet, quia tot Patres diuino lumine illuſtrati, ac Doctores aiunt Scribam hunc non ſincero animo Chriſtum ſequi voluiſſe. Sed Patres ex reſponſo Chriſti hoc coniecerunt,& coniiciendo dixerunt. Quamobrem veriſimile quoque exiſtimarim,Scribam hunc ſincero animo ad Chriſtum acceſſiſſe, ſeque in diſcipulum obtuliſſe. Quæ ſententia eſt Titelmanni viri doctiſſimi ſimul ac virtute clariſſimi in paraphraſi Matth. 8. Exiſtimat ille hunc legis peritum Chriſti verbis permotum illum ſequi decreuiſſe; ſuique animi decretum transfretare paranti aperuiſſe. Chriſti autem reſponſionem eò ait ſpectare, non vt doloſum, & lucri cupidum repellat, ſed vt diſcipulatus difficultatem homini ſequi deſideranti proponat. Quem in modum cœnobiorum Patres, in cœnobia cooptari poſtulantibus, quæ in eis duriora,difficilioraque ſunt, proponere ſolent; vt quid humeri ferre valeant,animaduertant. In hunc ſenſum nos ſuprà Chriſti reſponſum ſumus interpretati.

Scribæ non ſincero animo acceſſerit. *Titelm.*

Verba illa, *Non habet, vbi caput ſuum reclinet*, puluinar indicare videntur hoc ſenſu: Filius hominis ne ceruical quidem aut puluinar habet,in quo dormiturus reclinet caput. Sed rectiùs de loco, quàm de puluinari intelliguntur. Etenim de locis vulpium & volucrum dixerat: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos*: hoc eſt, habent propria quædam loca,in quibus quieſcant. Similiter de loco ait:Ego nullum habeo proprium locum, in quo caput poſſim reclinare,ac quieſcere.O ſummam ſummi Regis paupertatem!

CAPVT XII.

De diſcipulo volente ſepelire patrem.

ALIVS *autem de diſcipulis eius ait illi: Domine,permitte me primùm ire,& ſepelire patrem meum.* Lucas ſcribit Chriſtum cuidam dixiſſe: *Sequere me;* illum verò ſic reſpondiſſe: *Permitte mihi primùm ire, & ſepelire patrem meum.* Nondum ergo diſcipulus erat,ſed quia diſcipulus poſtea fuit,vnus ex diſcipulis dicitur à Matthæo. Vel dicitur vnus de diſcipulis latiori ſignificato,quia in Chriſtum credebat,ab illo diſcebat, & familiaris erat. Dixit autem illi Chriſtus: *Sequere me;* videlicet, vt peculiaris diſcipulus,& comes fieret indiuiduus. Clemẽs Alexandrinus libro 3. Stromatum ait verba illa, *Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos*, à Domino dicta eſſe Philippo. Vnde efficitur hunc diſcipulum fuiſſe Philippum. Sed non eſt veriſimile fuiſſe Philippum, cui iam Dominus paullo pòſt ieiunium in ſolitudine ſeruatum dixerat: *Sequere me.* Videbitur alicui Tertullianus in libro de Baptiſmo, capite 12. ſcripſiſſe hunc diſcipulum fuiſſe Matthæum. Sed qui attentiùs Tertullianum legerit, id planè cum Pamelio negabit.

Matth. 8. *Luca 9.* *Luca 9.* *Ioan. 1.*

Quiſquis diſcipulus is fuerit, à Chriſto vocatus eſt his verbis: *Sequere me.* Ille autem ſic reſpondit, vt ex Luca fit compertum: *Permitte me primum ire,& ſepelire patrem meum.* Vita functum fuiſſe huius diſcipuli patrem, opinio eſt Chryſoſtomi, Euthymij, Auguſtini,Ambroſij, D.Thomæ,Carthuſiani, Abulenſis, & Hugonis Cardinalis. Itaque iuxta hanc ſententiam, facultatem petiit ſepeliendi patris iam mortui.

Luca 9. *An reuera mortuus iã eſſet pater huius diſcipuli.*

Obiicies: Si patrem domi haberet mortuum diſcipulus hic,domi mãſiſſet,luctuique vacaſſet; nec ad Chriſtum veniſſet domi relicto patre mortuo. Ergo non erat mortuus illius pater. Præterea ſi mortuus fuiſſet pater,petiiſſet à Chriſto vt in vitam illum reuocaret potiùs,quàm facultatem vt humaret. Reſpondetur, vel diſcipulum incenſum ſtudio audiendi, & videndi Chriſtum, patrem mortuum aliis comitatum domi reliquiſſe, vt ad exequias celebrandas protinus rediret.Vel ex nuntio accepiſſe patrem e vita exceſſiſſe. Cùm autem nondum magna fide polleret, vita defunctum vitæ vt reſtitueret à Domino non poſtulauit. Probabile etiam eſt reliquiſſe patrem grauiſſimo aliquo morbo affectum, ac penè mortuum, ideoque voluiſſe, priuſquam Chriſtum ſequeretur, ad ſepeliendum illum diſcedere. Hinc colligi poteſt cauſſa,cur Dominus huic diſcipulo dixerit: *Sequere me.* Etenim cùm patrem mortuum domi reliquiſſet,vel mortuum eſſe audiuiſſet, domum ad impendendum funus redire volebat. Id intelligens Dominus: *Sequere,* inquit, *me.* Quaſi diceret: Noli domum reuerti, ſed me ſequere.

Veriſimiliter ſic res ſe habuit.Diſcipulus hic erat Chriſti,vt Matthæus ait.Cùm Chriſtum iam ſequeretur, quia diſcipulus iam erat, ex nuntio cognouit vita exceſſiſſe patrem,abireque ad ſoluenda illi iuſta decernebat.Cùm verò Dominus illius animum cogitationesque intueretur, dixit: *Sequere me.* Aperuit animi decretum diſcipulus: *Permitte,*inquiens, *me primùm ire,& ſepelire patrem meum,*quem vita functum eſſe audiui. At Dominus ſic reſpondit.

Chriſtus quomodo diſcipulũ ad ſui ſequelam ſit hortatus. *Matth. 8.*

SINE *mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Caietanus mortuos hoc loco homines illos appellari putat,qui mortalibus ac perituris negotiis vacãt, etiamſi Dei gratia præditi ſint. Non intendit, inquit, Chriſtus per mortuos reprobos, ſed mundanis curis occupatos,

Ibidem. Quos appellet Chriſtus mortuos.

patos,&c. At contrà Patres mortuos homines dici exiſtimant illos, qui animi vita ſunt priuati. *Auguſt.* Auguſtinus ſerm.6.de verbis Domini: Infideles, inquit, quando cadauer ſepeliunt, mortui mortuum ſepeliunt. Illius corpus animam perdidit, illorum anima Deum. Sicut enim anima eſt vita corporis; ſic vita animæ Deus,&c.Et Hieronymus:Mortuus eſt, quicumque non credit, &c. Similiter Chryſoſtomus,& alij.

An fuerit infidelis mortuus. Idem Chryſoſtomus putat patrem huius diſcipuli infidelem fuiſſe, ſequitur Theophylactus: Huius,ait,diſcipuli pater incredulus erat;quod manifeſtum eſt ex eo,quod dicit Chriſtus: *Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos*;hoc eſt,infideles,&c.Euthymius item: Opinor,inquit,eum,qui mortuus erat,infidelem fuiſſe,ideoque dixiſſe Chriſtum:Dimitte mortuos, hoc eſt, recede ab iis, qui in fide mortui ſunt, vt ſepeliant mortuos, qui ipſos contingunt, &c.

Non eſt tamen probabile mortuum hunc fuiſſe ethnicum. Non enim Chriſtus ethnici hominis filium in diſcipulum cooptaret tunc temporis. Fuit *Luca 9.* igitur Iudæus. Eſt ergo ſenſus: *Sine mortuos animo ſepelire mortuos corpore*. Adiicit D. Lucas: *Tu autem vade, annuntia regnum Dei*. Noli ad humandum patrem abire, non deerunt alij, qui funus illius curent: non deerunt mortui alij, qui mortuum ſepeliant.Tu vade,regnum Dei hominibus prædica,diſcipuloque meo munus dignum aſſume. Neque verò te ab eo patris exequiæ auocent.

Cur Chriſtus nõ permiſerit diſcipulo ſepelire patrem. Quæres cur Dominus non permiſerit huic diſcipulo opus illud miſericordiæ exſequi, quod non longum tempus poſtulabat. Prima ratio ſit, quia non deerant alij,qui exſequerentur. Secunda,quia fortè præuidebat Dominus fore funus illud diſcipulo impedimentum & laqueum. *Chryſoſt.* Vnde Chryſoſtomus hom.28. Erat,inquit,veriſimile,poſt parentis ſepulturam ad teſtamenti,legatorumque conſiderationem deuenturum, & hereditatis diuiſionem. Deinde in aliud ex alio, quaſi vndarum fluctibus diffractus, procul à portu ſalutis iactaretur. Quæ ne illi acciderent,ſecum eſſe ipſum,Chriſtus iubet,&c. Docet hæc ratio occaſiones,quæ virtuti impedimentum afferre poſſunt,fugere. Sunt enim remotæ, quæ ſecundo etiam vento nauigantẽ præter ſpem & opinionem remorantur. Tertia ratio *Theoph.* eſt Theophylacti Lucæ 9.Inſinuat,inquit,Dominus incredulum fuiſſe patrem illius, & propterea indignum,cuius curam ageret filius,qui crẽdiderat,&c. Noluit Dominus diſcipulum exequias celebrare hominis & corpore & animo mortui; ideo dixit: Sine ſimiles ſepelire ſimiles,mortui ſepeliant mor- *Chryſol.* tuos; viuus es,à mortuis recede. Chryſologus ſer. 19. Fidei filius ad domum perfidiæ cur rediret? Salutis proles perditum cum perditis cur defleret? &c. Hæc dicta ſunt ex illorum ſententia, qui arbitrantur huius diſcipuli patrem tunc temporis vita iam fuiſſe functum.

Nondum obierat pater diſcipuli huius. Alij,& fortè probabilius, putant non petiiſſe diſcipulum facultatem humandi patris,qui iam eſſet mortuus; ſed facultatem poſtulaſſe cum patre iam ſene adhuc viuente permanendi, vt curam illius ageret, quouſque vita functum ſepultura afficeret. Eſt hæc ſententia Theophylacti Lucæ 9. Sepelire, inquit, hoc loco ſignificat curam gerere vſque ad ſepulturam; quia & communis ſermo ita habet, cùm dicimus: *Ille filius ſepeliuit patrem ſuum*; non intelligimus, quòd tantùm ſepelierit eum, ſed quòd diligentem illius curam habuerit vſque ad ſepul- *Caſſian.* turam,&c.Simon Caſſianus idem ſentit lib.9.capite 16. Curare,inquit,vult patrem,exſpectare diſponit quouſque moriatur,vt eum ſepulturę commendet. Non erat pater in infirmitate, vt moriturus in proximo videretur, ſed fortaſſis in ſenectute, &c. Idem opinatur Lyranus, Iſidorus Brixianus, Titel- *Lyranus & alij.* mannus,& Caietanus: Non petit,inquit,diſcipulus exiguum tempus paternæ ſepulturæ, ſed petit totum tempus vitæ paternæ,ac ſi dixiſſet:Dimitte me ire,donec viuit pater meus.Significauit enim durationem vitæ paternæ ab officio ſepulcri. Quemadmodum Eutitia mater beatæ Luciæ dixit filiæ: *Tege primùm oculos meos, & de facultatibus fac quod volueris*; ſignificando mortem ſuam ab officio tegendi oculos.Sic Caietan. Itaque iuxta hanc probabilem ſententiam ſenſus petitionis eſt. Permitte me ire, & cum patre manere,quouſque illum ſepeliam.Chriſtus verò facultatem gerendi curam patris vſque ad ſepulturam diſcipulo denegauit, dicens: Sine animo mortuos homines ſepelire carne mortuos ſibi ſimiles: non deerunt, qui patrem tuum,cùm obierit,ſepeliant.Vel,ſine mortuos curam gerere mortuorum; tu autem cura hac expeditus vade, & annuntia regnum Dei, diſcipulique mei munus aſſumito. Quæ obiici huic opinioni poſſunt non multum habent ponderis.

CAPVT XIII.

De volente renuntiare iis quæ domi erant.

ET *ait alter: Sequar te Domine, ſed permitte mihi primùm renuntiare iis quæ domi ſunt.* De Scriba & diſcipulo ſcribunt Matthæus & Lucas. Lucas verò addit tertium. An tamen iis tribus, quod narratur, eodem tempore, & eodem ad mare Tiberiadis itinere contigerit,non eſt omnino certum.Potuerunt enim ſimul narrari, quæ diuerſis temporibus acciderunt.Tertius hic Chriſtum volebat ſequi;ſed antequam ſequeretur, domum reuerti, & iis quæ domi habebat renuntiare. Græcè pro renuntiare legitur ἀποτάξασθαι, quod verbũ ſignificat etiam valedicere, vel vale dicto dimittere. Paullus ἀποτάξάμενος τοῖς ἀδελφοῖς, id eſt, *fratribus valefaciens*, vt noſter interpres vertit. Eumdem in modum hoc loco vertit Budæus in commẽtaris linguæ Græcæ: Indulge hoc mihi, vt iubeã valere domeſticos meos. Et diuus Auguſtinus ſermone ſeptimo de verbis Domini ſic interpretatur: Permitte mihi vt nuntiem meis, ne fortè, quomodo fieri ſolet, quærant me. *Luca 9.* *Quid ſignificat hoc loco renuntiare & ἀποτάξασθαι. Act 18.* *Budæus.* *Auguſt.*

Significat etiam verbum Græcum,vt idem Budæus docet, renuntiare, ſiue nuntium rei alicui remittere,illamque deferere. Hanc ſignificationem ſecutus eſt noſter interpres. Ambigua tamen ſunt verba Græca, ἀποτάξασθαι τοῖς εἰς τὸν οἶκόν μου. Duplicem peperit lectionem articulus τοῖς,qui & maſculini & neutrius generis eſt.Prima lectio eſt: *Permitte mihi primùm renuntiare iis qui domi ſunt*, id eſt, domeſticis meis. Secunda melior, quæ in Bibliis iuſſu ſummi Pontificis correctis exſtat,& ſequenda eſt: *Permitte mihi primùm renuntiare iis quæ domi ſunt*,hoc eſt,nuntium remittere rebus meis,quas domi habeo,illaſque diſponere.Intelligimus,ait Caietanus,quòd hic petiit tempus componendi negotia ſua domi, &c. Verbum autem renuntiare hoc loco,vt ex Græco conſtat, non ſignificat certiorem facere, ſed nuntium remittere & deſerere. *Luca 9.* *Caietan.*

NEMO *mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro,aptus eſt regno Dei.* Parabolicè reſpondet Dominus, neque id permittit, quod diſcipulus poſtulat. Quemadmodum,inquit,arator,qui aratro manum admouet, retroque reſpicit, ad arandum aptus non eſt; ſic qui meo diſcipulatui animũ adiicit,& ad mundana negotia mentem reflectit,ad ea- *Luca 9.*

que redire vult, ad euangelizandum Dei regnum, & ad sequendum me non est idoneus. Oportet aratorem, qui manu stiuam tenet, non quæ retro sunt respicere, sed quæ ante sunt intueri. Oportet quoque regni Dei euangelizatorem meumque discipulum, non ad mundana negotia mentis oculos reducere, sed ad spiritalia toto conatu, mēteque contendere, si discipuli mei officio fungi cupiat.

CAPVT XIV.

Morale.

De tribus Christi dictis.

TRIA hoc loco, eademque præclara Christi dicta, & veluti apophthegmata sese offerunt. Primum illud est: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet.* Secundum: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Tertium: *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Primum admirabilem opulentissimi Regis paupertatem indicat. Significant enim verba illa Christū, nec domum quidem, nec cubile in hoc, quem condiderat, mundo habuisse, in quo caput reclinaret. Vnde Tertul. in lib. de Idololatria, c. 18. Ille, inquit, Dominus in humilitate incessit, domicilio incertus. Nam Filius, inquit, hominis non habet vbi caput suum collocet, &c.

Matth. 8. Luc. 9.

Tertul.

Clem. Alex. Auari diuites sunt vulpes.

Clemens Alexandr. libro 4. Stromatum ait hoc loco diuites prauos appellari vulpes: Eos, inquit, qui in effodiendis, & infodiendis diuitiis versantur, homines prauos, & planè terræ filios, vulpes Christus appellauit, &c. Vulpes huiusmodi suas habent foueas: thesauri enim arcæque, in quibus aurum argentumque reconditur, illarum foueæ sunt.

Euangelica paupertas nihil habet, & omnia possidet.

Bonauen.

At Christus pauper non habet foueas, non habet thesauros; nec cubile quidem habet, in quo caput reclinet. Similiter pauper euangelicus. Diuus Bonauentura Lucæ 9. Beatus, inquit, qui terrenam foueam commutat in æternam aulam, &c. Hoc etiam habet euangelicus pauper, quòd, quemadmodum Christus nihil habebat, & tamen, quoniam Deus erat, omnia possidebat; ita suo modo nihil habet, & omnia possidet; iuxta illud Paulli: *Tamquam nihil habentes, & omnia possidentes.* Qui enim, ait Theophylactus eodem capite, nulli rerum temporalium, quæ ad victum & amictum pertinent, affixus est, quæ omnium sunt, habet, &c. D. Bonauentura loco citato: Valde, ait, diues est, qui tantùm habet, quantùm Rex cæli & terræ. Huiusmodi autem est, qui nihil habet proprietate, & totum possidet caritate, &c.

2. Cor. 6. Theoph.

Bonauen.

Diuitiæ superbiam pariunt.

Abdia 1.

Diuitiæ cum superbia coniunguntur: diues enim diuitiis insolescit. Ideoque cum vulpibus coniunguntur volucres; vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos. Vulpes rapaces diuites sunt praui, vt dixit Clemens. Sunt etiam volucres propter superbiam; nidos habent celsis in locis artificiosè exstructos. At euenit insipientibus illud: *Si exaltatus fueris vt aquila, & si inter sidera ponueris nidum tuum, inde detraham te dicit Dominus*, &c. Diuitiæ cum superbia coniunguntur; at cum paupertate humilitas. Quemadmodum enim superbiæ nidus sunt opes; ita humilitatis cubile est paupertas Euangelica. Suos sectatores vult Dominus non esse vulpes pecuniæ foueas habentes, aut volucres excelsos nidos construentes; sed pauperes, non sua, sed quæ sunt Iesu Christi quærentes. Ita vt non habeant proprium quid, vbi caput suum reclinēt, huic Scribæ dissimiles, de quo Augustinus serm. 7. de verbis Domini: Intelligimus, ait, hunc Scribam, si sequeretur Dominum, sua quæsiturum fuisse, non quæ Iesu Christi, &c. Et Hieronymus: Scriba secuturum se promittit; non magistrum quærens, sed lucrum, &c. Heu quot sunt Christiani, qui non magistrum quærunt Christum, sed lucrum; non tam vt Christum audiant, & imitentur, sacerdotium appetunt; quàm vt ex sacerdotio lucrum comparent.

Euangelica paupertas.

Augustin.

Hieron.

Iam verò à religiosis viris non terrena sunt quærenda, sed cælestia. A Domino, qui vbi caput reclinet non habet, quis terrena speret? Simon Cassianus lib. 9. cap. 16. Non est temporale commercium sequi Christum. Pauperem se asserit, cùm sit Dominus omnium; & omnium intentionem auertit à sequela sui, respectu commodi temporalis. Æternus Dominus dignum æstimat sibi, suis sequacibus æterna largiri, &c. *Ego sum merces tua magna nimis*, ait Dominus Abrahamo. Hæc est magna nimis merces illius, qui Christum sequitur, Deus ipse. Rogauit olim Christus D. Thomam: Bene scripsisti de me, Thoma, quam ergo mercedem accipies? Cui ille: Non aliam, Domine, nisi teipsum. Hæc vox hominis est, qui sincera puraque voluntate, non sua quærit, sed Christum.

Cassian.

Gen. 15.

Quomodo in nobis Christus nō habet, vbi caput reclinet.

Continent etiam verba hæc Domini aduersus homines querelam. Etenim vulpes versutissimæ, volucresque cæli superbissimæ, id est, dæmones, foueas, nidosque in cordibus nostris habent; Christus autem in eo non habet, vbi caput suum reclinet. Vbi enim peccatum aliquod mortiferum latet, ibi hæ volucres nidum habent; ibi huiusmodi vulpes stabulantur. Lege Ambrosium serm. 79.

Matth. 8. Parentibus & cognatis Christi anteponendus.

Secundum Christi dictum est: *Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Docet Dominus parentibus, ac cognatis omnibus Deum anteponendum. Non pietatis obsequium negat Christus, ait Chrysologus serm. 19. sed diuinam præponit humanis affectibus seruitutem, &c. Augustinus serm. 7. de verbis Domini: Amandus est generator, sed præponendus est creator. Docuit nos Dominus, quod scriptum est, dicente Ecclesia: *Ordinate in me caritatem.* Quid est, Ordinate in me caritatem? Facite gradus, & cuique, quod debetur, restituite. Nolite anteriora posterioribus subdere. Amate parentes, sed præponite Deum parentibus, &c. Non te retrahat à Christo sequendo parentum & consanguineorum, amicorúmve amor. Audi Hieronymum ad Heliodorum, epistola 1. Per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis euola. Solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem, &c. Clemens Alexandrinus in exhortatione ad Græcos: Barbari, inquit, dicuntur cadaueribus illigare captiuos, donec cum ipsis putrescant, &c. Caue ne idem tibi contingat; ne te barbarus dæmon mortuis alliget amicis vel consanguineis, donec cum illis putrescas: dimitte mortuos sepelire mortuos suos.

Cant. 2.

Hieron.

Clem. Alex.

Cant. 2.

Duplex mors hominis.

Ambros.

Indicat etiam locus duplicem esse hominis mortem, & corporis & animi. Mortui enim corpore sepelire mortuos nequeunt; de mortuis ergo animo sermo habetur. Vnde Ambrosius Lucæ 9. Quomodo, inquit, mortui sepelire mortuos possunt, nisi geminam hîc intelligas mortem, vnam naturæ, alteram culpæ? &c. Est quidem anima immortalis, vitam morti minimè obnoxiam habet: at tunc mori dicitur, cùm per peccatum separatur à Deo. Moritur corpus, cùm separatur ab anima; moritur anima, cùm separatur à Deo. Est enim Deus animæ vita. Audi Augustinum serm. 6. de verbis Domini: Sicut exspirat corpus, cùm animam emittit; ita exspirat anima, cùm Deum amittit. Deus amissus mors animæ; anima emissa mors corporis. Mors

Moritur immortalis anima, cùm separatur à Deo. Augustin.

corporis

corporis neceſſaria, mors animæ voluntaria, &c.

Triplex mors. Ambroſ. Ambroſius Lucæ 9. triplicem mortem commemorat; primam corporis, ſecundam animæ, tertiam voluptatum & criminum: Vita, inquit, corporis habet mortem ſorte naturæ; habet etiam ipſa anima mortem labe peccati. Eſt & alia mors, quæ ſæcularium affert interitum voluptatum, in qua non natura, ſed delicta moriuntur. Hanc mortem ſubimus

Coloſ. 2. *conſepulti in baptiſmo, & mortui cum Chriſto.* Hac morte mori voluit cùm prophetaret Balaam, vt Deo

Num. 23. viueret, & ideo dixit: *Moriatur anima mea morte iuſtorum.* Sic Ambroſius. Tertia hæc mors, qua crimina, ſæculique voluptates moriuntur, felix eſt, & ſummopere expetenda, iuxta verba Balaam: ‹*Moriatur anima mea morte iuſtorum*›. Et mors animæ multò magis, quàm mors corporis exhorrenda ac fugienda. Viuit anima & moritur. Viuit quidem, quia immortalis eſt natura, ſed moritur peccato.

Chryſoſt. Lege D. Chryſoſtomum homil. 28 in Matth. quo loco mortuos animo cum iis confert, qui corpore mortui ſunt. Lege etiam Chryſologum ſerm. 19. Is rectè hominis flagitioſi corpus viuum animæ ſepulcrum vocat, in quo mortua iacet anima ac ſepulta. Fit, inquit, in corporis ſepulcro viuo funus animæ iam ſepultæ, &c. Et Chryſoſtomus: Hic, inquit, fœtentem animam in corpore quaſi in ſepulcro circumagit, &c. Eodem loco docet Chryſologus ea quæ cadaueri corporaliter accidunt, animæ mortuæ accidere ſpiritaliter. Fœtet corpus ab anima ſeparatum; fœtet anima à Deo ſeiuncta. Putreſcit corpus: putreſcit anima. Vermes procreat corpus; vermes conſcientiæ, ac morſus procreat anima. Recedente anima, ait Chryſologus, mox cor-

Cadaueri quæ accidũt ea animæ mortuæ accidunt.

Chryſol. pori fœtor, corruptio, putredo, vermis, & omnia viſu deteſtanda ſuccedunt. Diſcedente Deo confeſtim venit in animam peccatorum fœtor, corruptio criminum, vitiorum putredo, conſcientiæ vermis.

Chryſoſt. Sic ille. Chryſoſtomus verò: Multi, ait, viuere creduntur, qui nihil à mortuis differunt. Immo verò maxime differunt, cùm ſint illis multò deteriores. Non deuorant ſceleratum hominem vermes, ſed perturbationes animi omni feroci beſtia truculentiùs exagitant atque lacerant. Quòd ſi aperti ſunt oculi, id multò deteriùs eſt, quàm ſi clauſi eſſent: clauſi enim mortuorum oculi nihil mali vident; hic verò mille ſibi morbos oculis cernendo quotidie contrahit. Ille iacet in monumento ad peccandum iam immobilis; hic in ſepulcro malo, à ſeipſo

Peccator fœtet. intruſus, ingenti peccatorum mole obruitur. Sed corpus, dicet quiſpiam, huius pingue ac floridum, non tabe corruptum videmus. Magna verò res, ſi corpore integro, iampridem anima corrupta atque deperdita eſt, ac multa putredine oppleta. Et ille poſt mortem per decem dies malè olet; hic verò per totam vitam, os habens vel ipſis cloacis ſpurcius, intolerabilem exſpirat fœtorem. Certè ſi poſſes animam hominis deliciis, ac ſceleribus dediti oculis cernere: non dubitares multò meliùs eſſe in ſepulcro iacere, quàm delictis irretitum detineri. Ita Chryſoſtomus.

Theoph. Theophylactus moraliter de iis, qui occulta crimina non confitentur, hæc verba exponit: Mortuus, ait, peccator eſt, qui & ſepelit ſuos mortuos, hoc eſt, malas cogitationes, quas non confitetur. Perinde Dominus prohibet ſecuturum ſe, ne ſepeliat malas cogitationes, & occultet. Vult enim eas

Peccata in confeſſione manifeſtanda. per confeſſionem manifeſtari, &c. Hos homines Ambr. ſer. 79, vulpes vocat. Habẽt enim vulpes hæ foueas ſuas, & volucres nidos ſuos, id eſt, peccata, ex quibus exire nolunt. Omnis Chriſtianus, ait

Ambroſ. Ambroſius, qui ſua vult peccata celare, ſpiritaliter vulpes eſt. Sicut vulpes propter fraudes ſuas latibu-

A lis demoratur; ita peccator tacens propter conſcientiam ſuam peccatorum foueis deliteſcit, &c.

Lyran. Iuxta Lyranum Luc. 9. in Morali, de iis dici poſſunt verba Chriſti, qui impiorum ſcelera abſcondunt, nec debita, vt emendentur, correctione vtuntur: Moraliter, ait, mortui ſepeliunt mortuos, quando peccatores in peccatis ſuis mutuò ſe celant, & operiunt ſemetipſos, &c.

A mortuis ſepeliendis auocat diſcipulum Chriſtus. Nam ſuſcitandi potiùs ſunt, non ſepeliendi. Is omnino mortuum ſepelit, qui adulatione, vel exemplo, vel pecunia in flagitio hominem detinet. Is ſuſcitat, qui à flagitio excitat ac liberat. Gloſſa ordin. Matth. 8. Mortuos ſepelire, eſt peccatores in B peccatis fouere, &c. Nónne tibi videtur mortuus homo mortuam feminam ſepelire, cùm eam donis, ac pecunia veluti terra obruit, & in ſcelere veluti fouea profunda detinet? Iam verò qui flagitioſum laudat, nónne in flagitiis ſepelit? Lege Greg. 4. Moral. cap. 25. Mortui, inquit, mortuos ſepeliunt, cùm peccatores peccatorem fauoribus premunt. Quid eſt enim aliud peccare, quàm occumbere; & ſepelire, quàm abſcõdere? Sed qui peccantem laudibus proſequuntur, exſtinctum ſub verborum ſuorum aggere abſcondũt, &c. Ille etiam mortuos ſepelit, qui miſericordia Dei propoſita atque exaggerata, hominem ſceleri affigit. Eneruis animus, ait Greg. eodem loco, ad quædam ſe ſolatia falſæ conſolationis inclinat; quatenus venturũ iudicem C tantæ ſibi miſericordiæ ſpondet, vt eos etiam, quos arguendos inuenerit, penitus non occidat, &c.

Adulatione peccata ſepeliuntur. *Gregor.*

Diſcipuli Chriſti non ſepeliunt, nec terræ infodiunt mortuos animos, ſed terra, id eſt, terrenis curis obrutos excitant, & in vitam reuocant. *Dimitte,* ait Dominus huic diſcipulo, *mortuos ſepelire mortuos ſuos: tu autem vade, & annuntia regnum Dei.* Quaſi dicat, vt eſt in Gloſſa interlineal. Matth. 8. Illi carne mortuos condant, tu autem mortuos anima reſuſcita, &c. Et Gloſſa ordinar. Luc. 9. Docet Dominus minora bona pro vtilitate maiorum eſſe prætermittenda. Maius eſt enim animas mortuorum prædicando ſuſcitare, quàm corpus mortui terra abſcondere, &c. Similem in modum Apoſtoli: *Non eſt,* inquiunt, *æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis.* Minus bonum pro maiori prætermiſerunt: menſarum adminiſtrationem pro verbi diuini prędicatione reliquerunt. Nam, vt ait D. Bonauentura Lucæ 9. quantò anima melior eſt corpore, tantò melius eſt animam paſcere prædicãdo, quàm corpus alimenta miniſtrando, &c. Addit: Sicut peccatum eſt, cùm indigenti diues non dat eleemoſynam; ita maius peccatum eſt, cùm ſciens non communicat. Hæc D. Bonauentura. Illi qui indigentibus & fame verbi diuini pereuntibus diuina verba non impertiunt, & quos poſſunt à peccatis dicendo non reuocãt, ſimiles illis ſunt, qui eo tempore frumenta abſcondunt, quo populus fame perit. *Qui abſcondit frumenta, maledicetur in populis: benedictio autem ſuper caput vendentium*›. In quem locum ſic ſcribit Beda: Qui prædicationis verba retinet, maledicetur in populis: quia in ſolius culpa ſilentij pro multorum, quos corrigere potuit, pœna damnatur. Ipſe eſt ſeruus piger & malus, qui pro retentione talenti in exteriores tenebras miſſus eſt. Vendunt autem frumentum, qui verbum vitæ audientibus conferunt, à quibus pretium fidei, & confeſſionis recipiant, dicente Domino: *Negotiamini dum venio*, &c.

Minora bona pro vtilitate maiorum prætermittenda. *Act. 6.* *Bonauent.* *Prou. 11.* *Qui doctrina indiget, docendi.* *Beda.* *Matth. 25.* *Luca 19.*

Tertium Chriſti dictum hoc eſt: *Nemo mittens manum ad aratrũ, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.* Volebat diſcipulus ille domũ redire, vt rebus ſuis nuntium remitteret, & patrem conſanguineoſque

Luca 9.

Fugiēdacōcationis diuinæ impedimenta.

valere iuberet, non permisit Dominus: fugiendæ enim sunt moræ omnes, quæ è mundo discedentis impetum, ac feruorem retardare possunt. Nauarchi, qui è portu Olysipponensi in Indiam soluunt, si post diuturnos imbres prosper spirat ventus: omnia prætermittunt, neque ad suos redeunt, vela protinus pandunt, pelagoque se committunt, terra relicta. Eumdem in modum si e mundo in cœlestem vis patriam soluere: solue te curis omnibus terrenis; vbi primùm diuini spiritus aura afflauerit, pande vela, omitte omnia, nihil te aut vinciat, aut vincat. Dimitte mortuos sepelire mortuos suos, tu ad viuos euola: inter viuos vitam ducito, ne inter

August.

mortuos mortem oppetas. Audi Augustinum serm. 7. citato: Quando, inquit, parat Deus homines Euangelio, nullam excusationem vult interponi carnalis huius temporalisq; pietatis, &c. Et Simonem

Cassian.

Cassian. lib. 9. cap. 16. Vox, ait, diuina cùm clamat, ab omnibus humanis, atque mundanis rebus absoluit. Cum Christus loquitur, omnis anima in eius obedientia liquefit, &c. Verba illa tibi dicta puta, quæ

Gen. 19.

ab Angelo Lot accepit: *Salua animam tuam, noli respicere post tergum*, &c. Nemo enim mittens manum suam ad aratrū, & respiciens retro, aptus est regno

Greg. Mag.

Dei. Gregorius Mag. hom. 3. in Ezech. Manum, inquit, ad aratrum mittere, est quasi per quemdam compunctionis vomerem ad proferendos fructus terram sui cordis aperire. Sed retro post aratrum respicit, qui post exordia boni operis ad mala reuertitur, quæ reliquit, &c.

Luca 17.

Ait Christus: *Memores estote vxoris Lot.* Nam, vt

Rupert.

ait Rupertus in Genesim, vxor Lot in statuam versa est, non marmoream, sed salis, vt exemplum fieret, & condimentum, vnde alij salirentur. Respexit

Nō respiciēdum retro.

illa retro, versaque est in statuam. Caue, ne retro respicias; id si facias, hominis statua potiùs quàm homo eris. Statua stat, nec mouetur vlteriùs: sic is, qui retro aspicit, in cæli consistit via, nec currit.

1. Cor. 9.

Nos autem vult Paullus currere: *Sic currite*, ait, *vt comprehendatis*. Qui currit, retro minime aspicit. Si curris, vt cælestē præmium complectaris, ne retro ad mundana faciem conuertas: ad diuina potiùs, ac cælestia animum intende, teque ipsum extende;

Phil. 3.

iuxta illud eiusdem Paulli: *Vnum autem, quæ retro sunt obliuiscens, ad ea verò quæ priora sunt extendens me ipsum, ad destinatum persequor*: Græce, κατὰ σκοπὸν, *ad brauium supernæ vocationis*, &c. Miserat Paullus Christo vocāte manum ad aratrum: non respiciebat retro. Vnum, inquit, hoc curo & ago, siquidem aratro inieci manum, non respicio retro; sed caduca omnia, quæ retro sunt à me relicta, obliuioni tradens perpetuæ; ad ea verò, quæ priora sunt, Græce τὰ ἔμπροσθεν, id est, ad ea, quæ sunt ante faciem, & à fronte, id est, ad æterna ac cælestia meipsum, omnesque vires extendens, ad destinatum, hoc est, ad scopum, signumque mihi præfixum persequor, supernumque brauium apprehendere contendo.

Gregor. Æterna ante, temporalia retro sunt.

Gregorius loco citato: Ante nos, inquit, æterna sunt, post nos temporalia. Quia & illa pergentes inuenimus: & ista recedentes, quasi post dorsum relinquimus, &c. Nunc iter facimus, & ad æterna properamus: post mortem, vel æternam beatitudinem, vel æternos cruciatus reperiemus. Æterna nos exspectant, temporalia nos deserunt; illa sunt ante nos, quia ad illa tendimus; hæc post nos, quia illa relinquimus. Qui retro igitur respicit, ad temporalia oculos flectit: qui ea, quæ à fronte sunt, intuetur, is æterna contemplatur. Gregorius eodem loco: Pennata animalia, id est, prædicatores sancti, cùm incedunt, minimè reuertuntur: quia sic à terrenis actibus ad spiritalia pertrasēunt, vt ad ea, quæ reliquerunt, vlteriùs nullatenus reflectantur, &c. Nonnulli verò vxorem Lot imitantur. Audiant hi

Beda.

Bedam Luc. 9. Si secuturus, ait, Dominum discipulus, quia vel hoc domi renuntiare velit, arguitur, quid fiet illis, qui nulla vtilitatis, nulla fidei ædificandæ gratia sæpius suorum, quos in mundo reliquerunt, domos reuisere non timent? &c. Et Theo-

Theoph.

phylactus Matth. 8. Si discipulo neque patrem sepelire licuit; væ iis qui monasticen professi, ad mundana regrediuntur negotia, &c. Item eodem loco: Postquam quis se tradiderit Deo, non debet denuo ad vitæ huius curas conuerti, &c.

Denique aratrum in manus iubentur sumere concionatores, & regnum Dei nuntiare. Sunt enim cælestes agricolæ, qui cælestem in mundo semen-

Cōcionator aratro verbi cordā proscindit.

tem faciunt. Agricolæ aratro dura terra proscinditur, vt fructus ferat, concionatoris verbo dura corda prorumpuntur, vt molleſcant, fructusque Deo

Crux Christi aratrum egregium.

vberes pariant Egregium est aratrum Christi Crux, Christique è Cruce pendentis stupendum exemplum. Hoc maximè peccatoris duritiem proscindat concionator; iuxta illud Paulli: *Prædicamus Chri-*

2. Cor. 1.

stum, & hunc crucifixum. Ardore ac diligentia Euangelico aratori opus est, ne illud audiat, quod scribitur: *Propter frigus piger arare noluit*, &c. Qui proximi

Prou. 20.

Deique amore veluti igne inflammatur, is diligenter arat. Qui verò Dei proximique amore caret, is hac in re friget & alget. Nisi lucrum exspectet, arationem non curat.

Præterea, quicumque sanctum vitæ institutum aggreditur, aratro manum iniicit: vt animi inscultum agrum proscindat, virtutumque omnium sementem faciat, ex qua segetem gloriæ locupletissimam metat. In agricultura primum est, manum in aratrum mittere: ideo Dominus, vt virtutis initium significaret: *Nemo*, inquit, *mittens manum suam ad*

Luca 9.

aratrum; id est, Nemo aggrediēs, & inchoans sanctæ vitæ institutum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. Necesse enim est eum, qui sancte incipit viuere, ad ea, quæ ante sunt, respicere, id est, oculos in

Meditatio necessaria.

æternitate collocare; id autem meditando fit. Maximè ergo opus est rerum æternarum meditatione ei, qui velit cœptum tenere cæli iter. Necesse est, retro ad Ægypti ollas relictasque cæpas non respicere.

In cælestia bona oculi sunt iniiciendi; à terrenis

Terrena vet animum inescant. Clem. Alex.

visionibus magnopere arcendi. Etenim terrenarum rerum visiones animum inescant, vt ait Clemens Alex. lib. 2. Strom. cap. 9. Dæmones, inquit, & pulcritudines, & glorias, & voluptates, & eiusmodi inescantes visiones, iis quæ facilè seduci possunt animabus portendunt, quemadmodum qui pecora abigunt, eis frondes porrigunt, &c. Ostensis frondibus trahuntur pecora, ostensis terrenis rebus, honore, gloria pulcritudine, diuitiis, atque voluptatibus trahuntur ad peccatum Christi oues. Ramum viridem ostendis oui, ait Augustinus tract. 26. in Ioan. & trahis illam, &c. Eumdem in modum terrena si respicias, iisque oblecteris, traheris: trahit enim sua quemque voluptas. Si igitur manum ad aratrum misisti, caue ne retro oculos flectas.

CAPVT

CAPVT XV.

De tempeſtate ſedata.

MATTH. CAP. IIX.

ET aſcendente eo in nauiculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli eius. Et ecce motus magnus factus eſt in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus. Ipſe verò dormiebat. Et acceſſerunt ad eum, & ſuſcitauerunt eum, dicentes: Domine, ſalua nos, perimus. Et dicit eis: Quid timidi eſtis modicæ fidei? Tunc ſurgens imperauit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna. Porrò homines mirati ſunt, dicentes: Qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei?

MARC. CAP. IV.

ET ait illis in illa die, cùm ſerò eſſet factum: Tranſeamus contrà. Et dimittentes turbam, aſſumunt eum, ita vt erat in naui, & aliæ naues erant cum illo. Et facta eſt procella magna venti, & fluctus mittebat in nauim, ita vt impleretur nauis. Et erat ipſe in puppi ſuper ceruical dormiens, & excitant eum, & dicunt illi: Magiſter, non ad te pertinet, quia perimus? Et exſurgens comminatus eſt vento, & dixit mari: Tace, obmutesce. Et ceſſauit ventus, & facta eſt tranquillitas magna. Et ait illis: Quid timidi eſtis? necdum habetis fidem? Et timuerunt timore magno, & dicebant ad alterutrum: Quis putas eſt iſte, quia & ventus & mare obediunt ei?

LVC. CAP. IIX.

FACTVM eſt autem in vna dierum, & ipſe aſcendit in nauiculam, & diſcipuli eius; & ait ad illos: Transfretemus trans ſtagnum. Et aſcenderunt. Et nauigantibus illis obdormiuit: & deſcendit procella venti in ſtagnum, & complebantur, & periclitabantur. Accedentes autem ſuſcitauerunt eum, dicentes: Præceptor, perimus. At ille ſurgens increpauit ventum, & tempeſtatem aquæ; & ceſſauit, & facta eſt tranquillitas. Dixit autem illis: Vbi eſt fides veſtra? Qui timentes mirati ſunt ad inuicem, dicentes: Quis putas hic eſt, quia & ventis & mari imperat, & obediunt ei?

Geſtorum ordo.

VT ſuprà diximus capit. 11. & Matthæus narrat, iuſſit Dominus diſcipulos, vel nautas, trans fretum Galilææ nauigare. In via ſe obtulere Scriba, & reliqui, de quibus egimus. Receptus in cymbam eſt, ſoluitque è portu. Circa Concordiam Euangeliſtarum hoc loco ſe offert de ordine difficultas. Nam Marcus ſcribit Dominum ex naui parabolas docuiſſe: deinde poſt parabolas deſcriptas adiungit hæc verba: *Et ait illis in illa die, cùm ſerò eſſet factum: Tranſeamus contrà*, &c. Ait ergo Euangeliſta in illamet die, qua parabolas elocutus eſt, Dominum transfretaſſe. Ergo poſt dictas parabolas transfretauit. Nos autem hunc ordinem ſecuti non ſumus: nondum enim parabolas explicuimus.

Marci 4.

Reſpondemus nos ſequi ordinem D. Auguſtini, & aliorum, quos cap. 11. commemorauimus. Non transfretaſſe autem Dominum poſt dictas parabolas, probatur: quoniam poſt parabolas, vt ſcribit Matthæus, Chriſtus domum ſe recepit, non ergo transfretauit. *Tunc*, ait Matth. *dimiſſis turbis* (ad quas parabolas dixerat) *venit in domum, & acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, dicentes: Ediſſere nobis parabolam Zizaniorum agri*, &c. Præterea, vt ex Marco liquet, cùm parabolas dixit, iam duodecim Apoſtolos elegerat; ſic enim ſcribit Marcus, cùm de parabolis agit: *Interrogauerunt eum hi, qui cum eo erant, duodecim parabolam*, &c. Iam ergo duodecim habebat Apoſtolos, iamque Matthæus vocatus fuerat, cùm parabolas populo propoſuit. Atqui Chriſtus quando transfretauit, nondum Matthæus erat vocatus, vt perſpicuum fiet ei, qui Matthæi cap. 8. & 9. legerit: ergo Chriſtus non abiit trans fretum poſt dictas parabolas; ſed antequam illas diceret.

Marci 4.

An parabolas ante transfretationem recitauerit Matth. 13.

Argumento petito ex verbis Marci reſpondetur cum Euthymio, illa verba eum habere ſenſum, quem Lucas indicat: *Factum*, inquit, *eſt in vna dierum, & ipſe aſcendit in nauiculam*, &c. Quod Lucas dixit, *in vna dierum*, dixit Marcus, *in illa die*, non certa aliqua, ſed in vna quadam die, quaſi diceret, *in illo tempore*. In die illa, ait Euthymius, perinde eſt, ac ſi dixiſſet Marcus, *in vna dierum*, ſicut habet Lucas: neque enim illam innuit, in qua dixit parabolas, &c.

In vna dierum quam ſimhabeat. Luc. 8.

Euthym.

Chryſoſt. &c. Et Chryſoſtomus homilia 25. in Matth. Lucas, inquit, ne quis ab eo ordinem temporum quærat:

Luca 8. *Factum eſt*, ait, *in vna dierum, & ipſe aſcendit in nauigium, & diſcipuli eius.* Marcus quoque ſimiliter. Matthæus verò conſequentiam quamdam temporum obſeruat, &c.

Ibidem. TRANSFRETEMVS *trans ſtagnum.* Lucas ſic ſcribit: *Aſcendit in nauiculam, & diſcipuli eius, & ait ad illos: Transfretemus trans ſtagnum.* Significat Euangeliſta, Chriſtum diſcipulis dixiſſe: *Transfretemus trans ſtagnum*, poſtquam in nauiculam aſcendit. Matthæus verò ſignificat hoc dictum antequam

Matth. 8. aſcenderet: *Videns*, inquit, *turbas multas circum ſe, iuſſit ire trans fretum.* Deinde cùm mare peteret, in via Scriba acceſſit, & dixit: *Sequar te*, &c. Marcus item:

Marci 4. *Ait illis, cùm ſero eſſet factum: Tranſeamus contrà. Et dimittentes turbam, aſſumunt eum ita vt erat in naui*, &c. Reſpondemus, bis, & fortè etiam ter, dicta eſſe hæc verba à Domino. Primò, longiùs à mari, vt ait Matthæus: ſecundò, cùm ad mare acceſſit, vt ex interpretatione ſequentium verborum poteſt colligi: tertiò, cùm iam eſſet in nauicula, vt ait Lucas. Nihil enim mirum, quia nautæ cunctabantur, & turbæ Chriſtum ſequebantur, ac retinebant. Stagnum hoc loco dicitur mare Tiberiadis, quod, vt iam diximus, lacus eſt Galilææ. Transfretauit Dominus trans hoc ſtagnum, id eſt, in vlteriorem eius ripam abiit. Idem Marci verba illa ſignificat. Tranſeamus contrà; Græcè, πέραν, id eſt, trans, contrà, vltrà. Tranſeamus in ripam oppoſitam & vlteriorem.

Ibidem, Ianſen. ASSVMVNT *eum ita vt erat in naui.* Ianſenius arbitratur Chriſtum turbas tunc docuiſſe ex nauicula. Hæc verò verba in hunc modum explicat. Diſcipuli dimittentes turbas, & è littore ſoluentes, aſſumunt Chriſtum à littore in profundum pelagus, ita vt erat in naui docens turbas. Eodem

Caietan. modo exponit Caietanus: Aſſumunt, inquit, eum ita vt erat in naui, id eſt, antequam Chriſtus ſedens in naui mutaret ſitum. Aitque indicari celerè præcepti exſecutionem. Verùm ſi verba hæc ſic ſunt explananda, ſequitur Marcum ſignificaſſe Chriſtum ſoluiſſe è littore poſt dictas parabolas, quod

Marci 4. etiam Ianſenius negat. Nam ſi illud, *Aſſumunt eum ita vt erat in naui*, ſic explicetur; aſſumunt eum ita vt erat docens; cùm Marcus hæc verba ſubiiciat poſt dictas è naui parabolas, planè ſignificabit poſt dictas parabolas Chriſtum trans mare abiiſſe. Non enim alterius doctrinæ eo loco fecit mentionem.

Quid ſit, Aſſumunt eum ita vt erat. Vt igitur hunc fugiamus ſcopulum, aliis modis explicari poſſunt hæc verba. Primo modo ſic exponentur: Aſſumunt eum in pelagus, ita vt erat in naui. Quomodo autē erat in naui, docet infrà idem

Marci 4. Marcus, cùm ſic ſcribit: *Et erat ipſe in puppi ſuper ceruical dormiens.* Etenim Dominus feſſus ambulando & concionando, in puppim ſe receperat, & ſuper ceruical conquieſcebat. Hunc igitur ſitum Euan-

Ibidem. geliſta indicat, cùm ait: *Aſſumunt eum in pelagus, ita vt erat in naui*; videlicet, ita vt erat in puppi ſuper ceruical, vt poſtea dormiret. Secundus modus hic eſt: *Et dimittentes turbas aſſumunt eum in naui*, vel in nauim, *ita vt erat*, cinctus turbis. Quaſi dicat, è medio multitudinis, quæ circumdabat, illum ſuſceperunt in ſcapham. Tertius modus: Aſſumunt eum in nauim, *ita vt erat*, ſine cibo aut potu vllo. Non enim curabat Dominus cibū itineri neceſſarium. Quarto modo, illud, *ita vt erat*, referri poteſt ad nauim, in hanc ſententiam, Aſſumunt eum in nauim *ita vt erat*, ſcilicet nauis, ſine vllo ornamento, ſine vllo tapete. Aſſumunt eum in ipſas nauis tabulas, in quibus iacens ſomnum cepit.

Ibidem. ET *alia naues erant cum illo.* Caietanus putat ex Græco vertēdum potiùs, *Et alia naues erant cum illa*, ſcilicet, cum naui, in quam Chriſtus conſcendit. Dubia enim ſunt Græca verba, poſſuntque verti vtroque modo. Sed noſtra verſio probatior eſt, & ſequenda. Erant enim cum Chriſto aliæ nauiculæ, quæ comitabantur illius nauiculam. An autem ſimul nauigauerint, non eſt perſpicuum. Veriſimile eſt nauigaſſe, eamdemque tempeſtatem ſubiiſſe, vt vult Ianſenius cum aliis, quos ſequitur. Probatur ex eo; quòd Matthæus ſcribit, homines ſedata tempeſtate Chriſti poteſtatem admiratos dixiſſe: *Qua-* *Matth. 8.*
lis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei? Hi ſiquidem homines ii erant, qui aliis cymbis vecti Chriſtum comitabantur. Sed infrà de his hominibus agendum eſt pluribus. Poſſunt etiam verba hæc ſic exponi iuxta hanc ſententiam. Aliæ naues erant cum illo in nauigatione, id eſt, comitabantur illum.

ET *aſcenderunt.* Non ſignificat verbum hoc apud *Luca 8.*
Lucam aſcendiſſe diſcipulos in nauim: iam enim id dixerat: ſed ſoluiſſe è portu, & nauigaſſe. Eſt enim verbum Græcum ἀνήχθη, quod ſignificat è portu ſoluere, ideoque Pagninus vertit: *Et ſoluerunt*; Biblia regia: *Et proiecti ſunt.* Dixerat Lucas aſcendiſſe Chriſtum, & diſcipulos in cymbam, Chriſtumque præcepiſſe, vt nauigarent: iam docet Domini præcepto diſcipulos paruiſſe. *Et aſcenderunt*; ſcilicet è littore in pelagus, è portu ſoluerunt, nauigarunt.

ECCE *motus magnus factus eſt in mari.* Tempeſtas *Matth. 8.*
hæc in lacu magno Galilææ concitata eſt. Matthæus motum in ipſo mari factum ait, Marcus ſcribit factam procellam magnam venti, Lucas ſimiliter: *Deſcendit*, inquit, *procella venti in ſtagnum.* Nam *Luca 8.*
ventus tempeſtatis cauſſa fuit, aquasque commouit. Potuiſſe naturę viribus tempeſtatem hanc contingere, non eſt dubium; attamen à Chriſto miraculo fuiſſe effectam Gloſſa habet ordin. his verbis. Non ex ſe orta eſt tempeſtas, ſed Chriſti imperio, &c. Et Origenes, ſiue alius, homil. 6. in diuerſos: *Orig.*
Tempeſtas, inquit, non ex ſe orta eſt: ſed poteſtati paruit imperantis, eius qui educit ventos de theſauris ſuis, &c. Item: Ingreſſus Dominus in nauiculam fecit turbari mare, commouit ventos, concitauit fluctus. Corpore dormiebat, diuinitate verò concitabat mare, &c. Idem ſentit Beda, & probabilius exiſtimant Carthuſianus & Abulenſis. Abulenſis verò ait ita communiter exiſtimari. Probabilitatem habet opinio.

Tempeſtas à Domino excitata dicitur.

Quorſum tempeſtas excitata eſt? Reſpondet Gloſſa ord. Vt diſcipuli magis timeant, & rogent, & rogantibus oſtendat potentiam. Eamdem cauſſam reddit auctor homiliæ citatæ. Et Theophy- *Theoph.*
lactus: Permiſit, inquit, Dominus tempeſtatē oriri, vt diſcipuli ad tentationes exercerentur, & vt per miraculum crederent, &c. Beda Luc. 8. concitatam *Beda.*
ait tempeſtatem, quòd Iudam nauicula veheret: *Tempeſtas ob Iudam concitatur.*
Diſcipuli, inquit, cum Domino nauem conſcendunt, mare adeunt; ſed quia intererat & Iudas, & Dominus in puppi, quæ ſedes erat gubernātis, dormiſſe, & ventus, pontusque deforis ſæuiſſe perhibentur. Nam etſi multa illic diſcipulorum merita nauigabant, tamen adhuc eam perfidia proditoris agitabat, & qui ſuis meritis firmi fuere, turbabantur alienis, &c. Sumpſit hoc ex D. Ambroſio, cuius *Ambroſ.*
Luc. 5. hæc ſunt verba: Non turbatur nauis, quæ Petrum habet; turbatur illa, quæ Iudam habet. Etſi multa illic diſcipulorum merita nauigabant; tamen eam adhuc perfidia proditoris agitabat. In vtraque Petrus; ſed qui ſuis meritis firmus eſt, turbatur alienis. Caueamus igitur perfidiam, caueamus proditorem: ne per vnum plurimi fluctuemus. Hæc Ambroſius. At verò ſi noſtræ concordiæ ſeries recta eſt, Iudas hoc tempore nondum erat improbus; atque *An propter Iudā tempeſtas orta ſit.*

que adeò illius improbitati procella tribuēda non eſt. Etenim cùm à Domino Apoſtolus eſt electus, probus erat; nondum verò erat electus, cùm in hac nauicula nauigauit: vt infrà perſpicuum fiet.

Non longi verò temporis fuit illa nauigatio. Nam in vlteriorem lacus Galilææ ripam vltra lacum & fluuium Iordanem, nauigarunt. Lacus verò latitudo, vt ex Ioſepho ſuprà diximus, 40. ſtadiorum eſt, id eſt, pluſquam leucæ. Leucæ ergo, plus minus, confecerunt nauigationem.

Marci 4. ET *erat ipſe in puppi ſuper ceruical dormiens.* Ingreſſus in ſcapham Dominus in extrema ſcaphæ parte, id eſt, in puppi diſcubuit; ſomnumque cepit ſuper ceruical, quod Euthym. ex ligno in ipſa puppi ait fuiſſe fabricatum: Erat, inquit, ceruical illud ligneum in puppi fabricatū. Et Theophylactus, Super ceruical dormit quod in naui erat, nimirum ligneum, &c. Attamen nomen Græcum προσκεφάλαιον, à capite deriuatum, & Latinum, ceruical, à ceruice deductum, puluinar ſignificat, quod capiti, ſiue ceruici ſupponitur. Vnde autem hi auctores ligneum fuiſſe habuerint, ignoro.

Euthym. *Theoph. Ceruical quale fuerit.*

Chryſoſt. Chriſtus cur dormierit. Cur dormierit Dominus, rationem reddit Chryſoſtomus hom. 29. in Matth. Nam ſi vigilantem, inquit, viderent Chriſtum, aut non adeò timuiſſent diſcipuli, aut petere ab eo ſalutem, qui pericula eorum videret, neglexiſſent; aut non poſſe ipſum fluctus ſedare putaſſent. Idcirco dormit, vt & timoris cauſa ipſis maior præberetur, & ſenſus eorū apertior ad videnda miracula redderetur, &c. Lyranus verò: Dormit, inquit, Dominus, vt veritas humanæ naturæ in eo oſtenderetur, & vt diſcipuli in periculo poſiti ad ipſum recurrerent, &c.

Lyran.

Matth. 8. SALVA *nos, perimus.* Turbulentiſſima ea tempeſtas fuit. In media tamen tempeſtate noſter Ionas ſecurus dormiebat. At diſcipuli, cùm mortem ſibi ante oculos obuerſari viderent, dormientem excitant, obſecrantque, *Salua nos, perimus:* Marcus ait dixiſſe: *Magiſter non ad te pertinet, quia perimus.* Vtrumque dixerunt. Hac de re Auguſtinus libro 2. de Conſenſu Euangeliſt. cap. 24. ſic ſcribit: Illud, quod excitantes Chriſtum diſcipuli dixerunt, Matthæus ſic: *Domine ſalua nos, perimus.* Marcus, *Magiſter, non ad te pertinet, quia perimus.* Lucas. *Præceptor perimus:* vna eademque ſententia eſt, excitantium Dominum, volentiumque ſaluari. Nec opus eſt quærere, quid horum potiùs Chriſto dictum ſit. Siue enim aliquid horum trium dixerint, ſiue alia verba, quæ nullus Euangeliſtarum commemorauit, tantumdem tamen valentia ad eamdem ſententiæ veritatem, quid ad rem intereſt? quamquam & hoc fieri potuit, vt pluribus eum ſimul excitantibus, omnia hæc, aliud ab alio, dicerentur. Sic Auguſtinus. Quæ verba ſimilibus quæſtionibus inſeruient.

Marci 4. *Auguſt. Matth. 8.* *Marci 4.* *Luca 8.*

Matth. 8. Quæ ſequuntur verba: *Quid timidi eſtis modicæ fidei?* Dubium eſt, dictáne ſint à Chriſto antequam tempeſtatem ſedaret, an poſtea. Nam Matthæus ſignificat ante ſedatam tempeſtatem dicta eſſe: Marcus verò & Lucas indicare videntur, poſt tempeſtatem fuiſſe plorata. Reſpondendum eſt, Marcum & Lucam non ſeruaſſe ordinem temporis, dictaque eſſe verba illa ante compreſſam procellam. Priùs igitur quàm Dominus ventum increparet, increpauit diſcipulos, quòd modicam haberent fidem, vt Chryſoſtomus ait homilia 29. Antequam, inquit, vndas aquarum Chriſtus deprimeret; nimios amicorum fluctus ſedauit. Corripuit enim diſcipulos, ac dixit: *Quid timidi eſtis modicæ fidei?* &c. Poteſt etiam reſponderi, bis eſſe reprehenſos diſcipulos: ſemel ante compreſſam tempeſtatem, vt Matthæus ait; iterum poſt compreſſam, vt narrant Marcus & Lucas.

Matth. 8. *Chryſoſt.* *Matth. 8.*

A IMPERAVIT *ventis & mari.* Obſerua Chriſtum imperio miraculum feciſſe, quod Deum ipſum eſſe indicabat. *Imperauit*, inquit, *ventis & mari.* Imperat mari & ventis ſolus Deus; iuxta illud: *Tu dominaris poteſtati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas.* Cernimus hoc loco illud: *Dixit*, id eſt, Deus imperauit, *& ſtetit ſpiritus procellæ*, id eſt, inſurrexit ventus procelloſus, *& exaltati ſunt fluctus eius*, ſcilicet maris. *Aſcendunt vſque ad cælos, & deſcendunt vſque ad abyſſos; anima eorum*, id eſt, diſcipulorum, *in malis tabeſcebat. Turbati ſunt, & moti ſunt, ſicut ebrius*, videlicet præ timore. *Et omnis ſapientia eorum deuorata eſt. Et clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur, & de neceſſitatibus eorum eduxit eos. Et ſtatuit procellam eius in auram, & ſiluerunt fluctus eius. Et lætati ſunt, quia ſiluerunt*, &c. Lætati ſunt, & admirati.

Matth. 8. *Pſal. 106.*

PORRO *homines mirati ſunt, dicentes: Qualis eſt hic, quia mare & venti obediunt ei?* Imperauit vento & mari, venti mariſque Dominus: & paruerunt protinus Domino; ideoque admirati ſunt homines. Et eò magis, quòd non oranti, ſed imperanti venti & mare obedirent. Comminatus enim eſt vento, vt Marcus ait, vt ſeruo ſuo, & dixit mari: *Tace, obmutesce.* Continuoque abſque tergiuerſatione vlla, iubenti obtemperarunt. Facta autem dicitur tranquillitas magna poſt tempeſtatē magnam. Non enim paulatim ſedati ſunt fluctus, ſed ſubitò ita conquieuere, vt ne veſtigium quidē procellæ relinqueretur. Nec paulatim Chriſtus, ſed ſubitò morbos ſanauit, nec paullatim, ſed repentè procellam compreſſit, vt vis miraculi appareret.

Matth. 8. *Marci 4.*

Dubium autem eſt, quoſnam appellet Matthæus homines, qui admirati dixerunt: *Qualis eſt hic*, &c. Diſcipulóſne, an alios? D. Hieron. putat homines appellari à Matthæo nautas, & alios, qui naui vehebantur. Nō diſcipuli, inquit, ſed nautæ, & ceteri, qui in naui erant, mirabantur, &c. Beda quoque nautas homines dici ait, nō diſcipulos. Druthmarus idem ſentit. Et Orig. citatus: Homines, inquit, dicuntur habentes nauiculam, aut ei intendentes. Chryſoſt. verò turbas homines vocari exiſtimat. Ait autem Euthym. hæc verba dixiſſe turbas, quæ miraculum non viderūt, ſed à diſcipulis poſtea audierunt. Rectiùs Ianſen. ait protuliſſe illa homines, qui aliis in nauiculis Chriſtū ſequebantur, quique miraculum conſpexerūt. Titelman. tam eos, qui in naui Chriſti erant cum diſcipulis, quàm alios, qui in coniunctis erant nauibus, homines dici, & verba, de quibus agimus, feciſſe arbitratur. Hugo Cardin. eos, qui in littore maris erant, nautis addit. Forſitan multi miraculum viderunt ex littore. Quod autem de diſcipulis non loquatur Euangeliſta, probatur, quoniam non ſolent diſcipuli vmquam homines appellari ab Euangeliſtis. Non putes, ait Origenes ille, hîc per homines Apoſtolos ſignificatos: nuſquā enim inuenimus præter honorem cognominari Domini diſcipulos: ſed ſemper aut Apoſtoli, aut diſcipuli nominantur, &c. Præterea, quia diſcipulis ſatis notus erat Chriſtus, eiuſque in perpetrandis miraculis potentia, ideoque excitarunt eum, vt tempeſtatem compeſceret. Ergo non eſt veriſimile ſic locutos fuiſſe; *Qualis eſt hic?* vel, *Quis eſt hic?* &c.

Qui ſint qui mirati ſunt. *Hieron.* *Beda.* *Orig.* *Chryſoſt.* *Ianſen.* *Titelm.* *Hugo Card.* *Dicātūrne hoc loco diſcipuli homines.*

Nihilominus alij, inter quos ſunt Dionyſius Carthuſianus & Caietanus, exiſtimarunt eos, qui hæc verba protulerunt, fuiſſe diſcipulos. Proculdubiò, ait Caietanus, diſcipuli modicæ fidei homines appellantur, non ſolùm natura, ſed defectu diuinæ fidei. Et diuus Hieronymus: Si quis contentiosè voluerit eos, qui mirabātur, fuiſſe diſcipulos; reſpondebimus rectè homines appellatos, quia nondum nouerant potentiam Saluatoris, &c. Probatur hæc ſententia ex diuo Marco & diuo Luca. Nam diuus

Caietan. *Hieron.*

Marci 4. Marcus sic scribit: *Et ait illis*, scilicet discipulis: *Quid timidi estis? necdum habetis fidem? & timuerunt timore magno, & dicebant ad alterutrum: Quis putas est iste, quia & ventus & mare obediunt ei?* &c. Hæc verba omnia ad eosdem discipulos pertinent. Similiter D. Lucas: *Luca 8.* *Dixit autem illis: Vbi est fides vestra? Qui timentes mirati sunt, ad inuicem dicentes: Quis putas hic est, quia & ventis & mare imperat, & obediunt ei?* Ex his constat discipulos in admirationem raptos hæc protulisse verba: *Quis putas hic est*, &c. Dicendum ergo est tam discipulos, quàm alios homines verba hæc protulisse. Matthæus homines alios ea protulisse scripsit, Marcus & Lucas discipulos. Et fortasse Matthæus nomine hominum discipulos etiam complexus est.

Quod si obiicias, discipulis satis notam fuisse Christi potentiam ad miracula perpetranda, iam *Hieron.* respondit Hieronymus citatus: Discipuli, inquit, nondum nouerant potentiam Saluatoris, &c. Et *Chrysost.* Chrysostomus homilia 29. Illud, ait, declarabat discipulos de Christo cõuenientem opinionem non habere, quòd vigilantem Christum posse tempestati resistere non diffidebant; dormientem verò *Euthym.* minimè, &c. Euthymius: Quòd si discipuli propter imperfectam fidem, quasi hominem adhuc illum *Theoph.* admirabantur, multò magis turbæ, &c. Theophylactus Marci 4. Dicebant inter se discipuli: *Quisnam* *Carthus.* *est hic?* adhuc enim de eo dubitabant, &c. Carthusianus: Discipuli nondum cognouerant hoc tempore Christi diuinitatẽ, &c. Quòd autem dixit Lucas timuisse timore magno post tempestatem; intellige de timore quodam reuerentiæ erga Christum, cuius admirabilem potentiam cernebant.

CAPVT XVI.

Morale.

De sedata tempestate.

MVLTA hactenus miracula in terra Christus patrauit; nunc ad mare transit, vt mirandum in illo opus edat, marisque se domitorẽ dominumque ostendat. Sic in glossa habes ordinaria; Qui magna fecit in terra, trãsit ad mare, vt & ibi faciat; *Christus Dominum se ostendit maris.* & Dominus terræ & maris appareat. Idem docet auctor homiliæ 6. in diuersos inter opera Origenis. Maris autem domitorem Dominumque se ostendit, cùm procellosum ventum veluti seruum increpauit, & mari, vt mancipio, præcepit: *Marc. 4.* *Tace, obmutesce*; verboque solo atque imperio tempestatem compressit. Quamobrẽ homines in illa verba ad- *Matth. 8.* mirationis plena proruperũt; *Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei?* Obedierunt quidem vt Domino & Deo, qui producit ventos de thesauris suis, iterumque condit. D. Thomas Matthæi 8. vt manus & membra animæ obediunt, quia statim mouentur *Deo omnia obediunt.* ad eius nutum; sic omnia Deo obediunt, &c. Chrysostom. hom. 29. in Matth. Quamquã, inquit, Moses tale quid olim fecerit; ille quasi seruus, Christus quasi Dominus operatur. Non enim virgam, vt Moses tetendit, non manus in cælum sustulit, non precibus indiguit; verùm vt dominus ancillæ imperans, & conditor suæ creaturæ, sic fluctus depressit, frenauitque solo verbo atque præcepto, &c. Et Euthymius: Cum auctoritate præcepit Christus, vt Dominus seruis, & vt creator creaturis, &c.

Fideles amicos procella explorat. Ingressus est mare Dominus, secuti sunt illum discipuli, sociique fuere procellæ. Discipulorum fideliumque amicorũ est, Christum non per terras solùm, sed per tumentes etiam maris fluctus, mediosque turbines ac procellas sequi. Etenim aduersis rebus veri explorantur amici. Vnde Dydimus in catena Græca in Iob, cap. 6. Qui assimulatæ, inquit, amicitiæ specie fallunt, hos temporis procella facit insignes. Item. Improbi in rebus amicorum afflictis palàm cernuntur, amicitiæ larua detracta, &c. Et D. Isidorus libro 3. de summo bono, cap. 29. Citò per aduersa fraudulentus patet amicus. Item: In prosperitate incerta est amicitia, nescitur vtrùm persona, an felicitas diligatur, &c. Ibidem: Amicitia certa nulla vi excluditur, nullo tempore aboletur, vbicumque tempus se verterit, firma est, &c. *Eccli. 6.* *Est amicus secundum tempus suum*, id est, secundùm vtilitatẽ suam, *& non permanebit in die tribulationis.* Item: *Est amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis. Omni tempore diligit qui amicus est, & frater in augustiis comprobatur*, &c. Denique verus amicus Chri- *Prou 17.* stum terra marique sectatur.

Chrysostomus ait Dominum discipulos in pelagus duxisse, vt in seipsis experientia propria, Chri- *Voluit Christus Apostolos in seipsis experiri ipsius & potẽtiam & beneficentiam.* sti potentiam, & beneficentiã experirentur; quam in ceteris cernebant. Cùm, inquit Chrysost. hom. 29. in Matth. non pariter aliquis sentiat, quę in alienis fiunt corporibus, & quæ in seipso, oportebat discipulos, qui plurimos in dies liberari videbant, vt magis obligarentur, in seipsis omnipotentiam eius inspicere. Cumque nec claudi essent ipsi, nec cæci, nec alia ægrotatione laborarẽt; tempestatem fieri permittit, vt liberati ab ea firmam beneficiorum eius in se memoriam habeant. Sic ille. Non *Instructor animarum experientia valeat.* est satis animarũ Doctoribus & institutoribus, tentationes ac procellas speculari, & ex speculatione tantùm agnoscere. Ille optimus est animæ instructor, qui tẽtationes expertus est, & superauit: experientiaque didicit, quanam ratione superandæ sint.

Non ignara mali (ait illa apud Poëtam Regina) *miseris succurrere disco.* Et de summo Rege Paullus ait, non ignarum mali miseris succurrere. *Non habemus,* *Hebr. 4.* inquit, *Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris. Tentatum autem per omnia per similitudinẽ absque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, vt misericordiam consequamur*, &c. Ille optimus chirurgus dicitur, qui multa tulit vulnera. Ex propriis enim vulneribus discit alienis vulneribus cõdolere, iuxta illud Græcum; ἐξ ὧν ἔπαθες, ἔμαθες, hoc est, ex iis, quæ tulisti, didicisti.

Ducti præterea sunt discipuli in tempestatem, tamquam in quoddam futurarum tentationum, & procellarum præludium atque imaginem. Facta est tempestas, ait Euthymius, vt quasi orbis athletę *Euthym.* periculo excitarentur ad timores; & tamquã mundi gubernatores ad procellas tentationum, &c. Ostenditur verò hac imagine Christianam vitam *Christiana vita tentationibus obnoxia.* in hoc sæculi pelago, tempestatibus instar nauiculæ, hoc est, tentationibus, esse impetendam. Vnde *Ambros.* Ambrosius Lucæ 8. Oecumenia, inquit, seruatur in Apostolis, vt aduertas sine tentatione neminẽ posse ex hoc vitæ curriculo demigrare, &c. Vt enim opus est homini corporis, ita etiam animi exercitio. Absque exercitio torpescit corpus, torpescit quoque animus. Tentationes verò animum exercent, vt dixit eodem loco Ambrosius: Exercitium, ait, fidei, tentatio est, &c. Opus etiam est probatione. Nam, vt ait D. Chrysologus sermone 20. *Chrysol.* Gubernatoris peritiam probat procellosa tempestas: blandiente aura, nauim regit vltimus nauta, &c. Mare viuum ac procellosum nauigant viri *Procella probat gubernatorem.* *Senec.* virtute præstantes; mare mortuum nauigant desides ac delicioſi, & in periculosa versantur malacia. Vnde Seneca epistol. 67. Demetrius, inquit, vitam securam, & sine vllis incursionibus, mare mortuum vocat. Nihil habere ad quod excideris, ad quod te concites, cuius incursu firmitatem animi tui tentes, sed in otio inconcusso iacere,

iacere, non eſt tranquillitas, malacia eſt, &c.

Sed etſi procella inſurgat, bono animo ac confidenti ſubeunda eſt; ſiquidem cum diſcipulis ſuis Chriſtus nauigat; iuxta illud: *Cum ipſo ſum in tribulatione.* Iſaiæ: *Cum tranſieris per aquas, tecum ero; & flumina non operient te*, &c. Quamobrem confidenti ac generoſo animo regius Vates canebat: *Etſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.* Et: *Deus noſter refugium & virtus*, id eſt, fortitudo, *adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis. Propterea non timebimus, dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris*, &c.

Pſal. 90. Cũ ſuis nauigat Chriſtus in tempeſtate. Iſaiæ 43. Pſal. 22. Pſal. 45.

Nauigat nobiſcum Dominus: ſed in media tempeſtate dormit aliquãdo, hoc eſt, non protinùs fert opem. Nam, vt Eucherius ait in libro de Formulis ſpiritualibus: Dormire Dei eſt, anxiis tardius ſubuenire, ſicut eſt illud: *Exurge, quare obdormis Domine? exurge, & ne repellas in finem. Quare faciem tuam auertis, obliuiſceris inopiæ noſtræ, & tribulationis noſtræ?* At ſcit cordium inſpector, roboriſque explorator noſtri, quanto tempore oporteat durare procellam. *Omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuit*, vt eſt in libro Sapient. eodem quoque modo tentationes, ac labores, vexationeſque noſtras diſponit. Certam illæ habent menſuram, certum numerum, certum pondus. Quemadmodum ſapiens medicus certo pondere, certaque menſura amaram propinat potionem, ſic Chriſtus certo pondere, certaque menſura, & duratione, amaram propinat animi, vel corporis vexationem; iuxta illud: *Potum dabis nobis in lacrymis in menſura.*

Dormire Dei. Pſal. 43.

Procellas Deus moderatur, id eſt, tentationes. Sap. 11.

Pſal. 79.

Theoph.

Theophylactus Lucæ 8. ait Chriſtum auxilium diſtuliſſe, vt miraculum clarius fieret, & diſcipulorum memoriæ beneficium tenacius hæreret. Permiſit, inquit, diſcipulos turbari, vt clarior fieret ſua virtus. Solent enim homines tunc meminiſſe eius, qui ſaluat; quando à magnis periculis eripiuntur. Propterea non in principio, ſed in articulo periculi excitatus, illos ſeruauit, &c. Ad hunc modũ permiſit Bethuliam, pene in hoſtium deditionem venire; Suſannam paſſus eſt ad ſupplicium duci, Dauidem à Saule ita obſideri, vt nulla appareret effugiendi ſpes, ſubitumque rebus fere deploratis præbuit auxilium. Solent enim, vt dixit Theophylactus, homines tunc meminiſſe eius, qui ſaluat, quando à magnis periculis eripiuntur.

Cur diutius diſtulerit ſedare tempeſtatem.

Iudith. 7. Dan. 13. 1. Reg. 23.

Interim dum tempeſtas furit, ad Chriſtũ confugiamus precibus, ieiuniis, eleemoſynis dormientem excitemus, clamemus: *Saluа nos, perimus. Acceſſerunt diſcipuli*, ait Matthæus, *& ſuſcitauerunt eum.* Accedere oportet ad Chriſtum precibus, lacrymis, vitæ, morumque emendatione, ſic ſuſcitabimus. Mores emendet, qui tempeſtatem à Chriſto ſedari vult. Audiamus Magnum Gregorium lib. 8. epiſt. 41. ad Epiſcopum Carthaginenſem: In flagellis, ait, poſitos, flagellis digna committere, contra ferientem eſt ſpecialiter ſuperbire; & fœuientis acriùs iracundiam irritare. Atque eſt primum genus dementiæ, nolle quempiam à malis ſuis iuſte quieſcere; & Deum iniuſte à ſua velle vltione ceſſare. Hæc Gregorius. *Tempeſtate iactati nautæ miſerunt vaſa, quæ erant in naui, in mare, vt alleuiaretur ab eis*, &c. Alleuiabant illi nauem abiecto nauis onere, nos animum alleuiemus abiecto animi pondere grauiſſimo, hoc eſt, peccato. De illis præterea ſcriptum eſt eodem capite: *Timuerunt nautæ, & clamauerunt viri ad Deum ſuum.* Item: *Acceſſit gubernator ad Ionam, & dixit ei: Surge, inuoca Deum tuum*, &c. Nónne vides homines Ethnicos procella furente ad Deum confugientes? Idem nobis faciendum, ait Dominus: *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Inuocari vult Dominus in tempeſtate; poſt tem-

Quomodo ſit excitandus in tempeſtate Dominus. Matth. 8.

Greg Mag.

Ionæ 1.

Pſal. 49.

A peſtatem ſedatam vult gratiarum actione honorificari. *Eruam te*, inquit, *& honorificabis me.* Ionas: *Stetit mare à feruore ſuo. Et timuerunt viri timore magno Dominum, & vouerunt vota*, &c. *Ionæ 2.*

Exemplum à Ioſaphato Rege petamus. Is, cùm belli ingrueret ſæua tempeſtas, *timore perterritus totum ſe contulit ad rogandum Dominum, & prædicauit ieiunium: congregatuſq; eſt Iudas ad deprecandum Dominum. Sed & omnes de vrbibus ſuis venerunt, ad obſecrandum eum*, &c. Totum ſe contulit Ioſaphat ad rogandum Dominum; totum ſe conferat ad orandum, qui liberari cupit. Non ſolo oret ore, ſed toto corde & vita; adiungatque orationi ieiunium. Ita enim belli tempeſtatem imminentem excitatus Deus diſiecB cit ac diſſipauit; & facta eſt tranquillitas magna, Ioſaphati Regis hoſtibus per mutua vulnera mirabiliter profligatis. *2. Par. 20.*

Concitat tepeſtates dæmon, ſed ſi vigiles ſimus, non nos faciemus naufragium; ſed ipſe victus hoſtis, vt docet Ambroſius ad Epheſ. 6. Tempeſtatem, inquit, Dei ſeruis inimicus commouet, ſed ipſe naufragium facit, &c. Commouent etiam tempeſtatem in nobis animi perturbationes. Idem Ambroſius in Apologia Dauid poſter. cap. 3. Magnam, inquit, faciunt tempeſtatem multitudines cupiditatum, &c. Imperauit Chriſtus ventis, & mari, tempeſtatemque compeſcuit; ſic imperet ratio fide illuſtrata cupiditatibus, fietque tranquillitas. Si iracundia, auaritia, libido, ambitio, veluti procelloſi venti, fluctus in corde concitant, rationem fidemque expergefaciamus; increpẽt ventos, dicant mari, *Tace, obmuteſce.* Lege Auguſt. ſerm. 3. homiliarum 17. Audiſti, inquit, conuicium, ventus eſt; iratus es, fluctus eſt. Vento igitur flante, fluctu ſurgente periclitatur nauis, periclitatur cor tuum. Audito conuicio vindicari conſideras, & ecce vindicatus es, & feciſti naufragium. Et quare hoc; quia dormit in te Chriſtus, quia oblitus es Chriſtum. Excita ergo Chriſtum, recordare Chriſtum, conſidera illum, &c. Lege eumdem Auguſtinum ſerm. 245. de tempore. Dormit Chriſtus in nobis ex ſententia Auguſtini, hoc eſt, in noſtra memoria: cùm illius exempla, & dicta, fidemque obliuiſcimur. Tunc auD tem illum excitamus in tempeſtate, quam cupiditas vel honorum, vel diuitiarum, vel vindictæ concitat, cùm cruci ſuffixum, pro inimicis preces fundentem, ignominiis, opprobriiſque affectum, ac nudum recordamur. Excitatus autem in memoria noſtra Chriſtus pro inimicis fundens preces, iracundiæ procellam compeſcit; opprobriis ignominiæque plena morte affectus, ambitionis; nudus, auaritiæ tempeſtatem deprimit.

Dæmon procellas commouet.

Ambr.

Marci 4. Auguſt.

Dormit Chriſtus nunc in media tempeſtate ſecurus. Exprimitur, ait Ambroſius Lucæ 8. ſecuritas poteſtatis, quòd omnibus timentibus, ſolus intrepidus quieſcebat, &c. Sic ſecurus inter furentes paſſionis fluctus admirabili cum animi tranquillitate dormiuit. Sæui enim illi turbines, ne tenuiſſiE mum quidem motum, qui à ratione alienus eſſet, in generoſo tranquilliſſimoque illo pectore concitare potuerunt. Conatur etiam vir virtute clarus Deum ſuum imitari, & in medio ventorum turbidine horrendaque tempeſtate, animi tranquillitatem conſeruare; iuxta illud: *Non contriſtabit iuſtum, quidquid ei acciderit.* Et cap. 28. *Iuſtus quaſi leo confidens abſque terrore erit.* Poëta quoque Lyricus:

Ambr.

Chriſtus in procellis ſecurus.

Prou. 12.

Iuſtus in tẽpeſtate imperturbatus. Horat. l. 3. Od. 3.

Iuſtum & tenacem propoſiti virum,
Non ciuium ardor prauа iubentium,
Non vultus inſtantis tyranni,
Mente quatit ſolida: neque Auſter
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Iouis manus;

Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

Hunc iustum, & propositi tenacem virum Philosophum Christianum appellat Gregorius Nazianzenus Orat.27. & cum rupe confert, quam tumentes fluctus quatiunt, sed minime mouent. Inconstantem verò,& propositi minime tenacem lapillis & leuissimis ostreis, quæ vndarũ impetu huc atque illuc iactantur, simile esse ait. Eorum, inquit, qui tentantur, alij mihi velut leuissima quædam corpora a mari abripi, distrahique videbantur, ac ne tantillum quidem aduersarum rerum impetum sustinere. Alij petræ instar esse; quicunque nimirum Philosophica ratione vtuntur, ac supra vulgi humilitatem euecti humana omnia immoto, & firmo animo ferunt, &c.

Greg. Naz.

Ad hanc eandem rem explicandam parabolam subiungit hunc in modum. Est quædam in fabulis arbor, quæ cùm cæditur viret, & aduersus ferrum certat, morte viuit, & sectione pullulat, atque cùm absumitur crescit. Habetis fabulam. Mihi verò huiusmodi quiddam plane esse vir Philosophus videtur. Floret enim inter cruciatus; acvitę molestias virtutis segetem existimat, in aduersis gestit, & gloriatur. Sic nimirum se comparans, vt nec ob dextra iustitiæ arma efferatur; nec ob sinistra inflectatur; sed in diuersis rebus idem semper, suique similis permaneat, atque adeò probatior tanquam aurum in fornace reperiatur, &c. Et infra: Nihil Philosophia fortius est, nihil inexpugnabilius. Omnia prius cedet, quàm vt manus det Philosophus. Vt in summa dica, duo hæc arripi, & superari nequeunt, Deus, & Angelus; tertium est Philosophus, in terra cælestis, in passionibus impatibilis, omnibus rebus vinci se facile ferens, præterquàm animi magnitudine. Eo ipso quòd vinci se patitur, eos qui superiores sibi esse videntur deuincens. Hactenus Nazianzenus, de Christiani philosophi constantia, quam in procellis seruat,

Vir constans inter cruciatus floret.

Constantiæ huius, & tranquillitatis mater est bona conscientia. Lectus enim est, in quo periculis concussus requiescit molliterque cubat animus. D. Prosper libro 2. de vita contemplatiua, cap. 18. O quantum inquit, securitatis habent, qui sibi bene sunt conscij, &c. In ipsa tempestate dormiebat Dominus super ceruical. Ceruical molle blandumque puluinar, super quod vir probus dormit, bona est conscientia: de qua Horatius lib. 1. epist. 1. *Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.* Hoc erat Susannæ in magna illa procella ceruical, *Suspexit in cælum, erat enim cor eius fiduciam habens in Domino*: scilicet, propter bonam conscientiam. D. Gregorius Iob capite 39. in illa verba Salomonis *Iustus quasi leo confidens absque terrore erit*; In occursu, inquit, bestiarum ideò leo non trepidat, quia prævalere se omnibus non ignorat. Vnde viri iusti securitas leoni recte comparatur. Quia contra se cùm quolibet surgere conspicit, ad mentis suæ confidentiam redit: & scit quia cunctos aduersantes superat, quia illum solũ diligit, quem inuitus nullo modo amittit, &c. In bona conscientia veluti puluino vt quiescat hortatur Constantium Mediolanensem Episcopum, cui nonnulli infamiam intulerant lib. 6. epistol. 14. In cunctis, inquit, quæ in hac vita aduersa proueniunt,

Mater tranquillitatis bona conscientia. Prosper.

Conscientia bona est mollе ceruical. Horat.

Dan. 3.

Greg. Prou. 27.

A sola est, sicut nostis, omnipotentis Dei districtio pensanda, atque ad cor semper proprium recurrendum; vt nullius nos ibi lingua implicet, vbi conscientia non accusat. Quem enim conscientia defendit, & inter accusationem liber est; & liber vel sine accusatione esse non potest, si sola, quæ interius addicit, conscientia accusat, &c. Lege eiusdem sanctissimi Pontificis epistolam 45. ad Pallad. lib. 8. In hoc ceruicali quiescebat Augustinus, cùm in libro contra Secundinum Manichæum cap. 1. sic scribit; Senti de Augustino quidquid libet; sola me in oculis Dei conscientia non accuset, &c.

Impij homines qui hoc puluinari bonæ conscientiæ carent, in tempestate non dormiunt, non quiescunt. Vt enim legimus *Cùm sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis. Semper enim præsumit sæua perturbata conscientia*, &c. Et Seneca epist 97. Tuta (inquit) scelera esse possunt, secura non possunt. Ipsas nequitia tenebras timet. Proprium est nocentium trepidare. Hic consentiamus cum Epicuro, mala facinora conscientia flagellari, & plurimum illi tormentorum esse, eo quòd perpetua illam sollicitudo vrget, verberat, quòd sponsoribus securitatis suæ non potest credere, &c. Impios ipsis sceleribus veluti furiis agitari, ait M. Tullius in Pisonem Nolite, inquit, putare, Patres conscripti, vt in scena videtis, homines conscelleratos impulsu Deorum terreri furiarũ tædis ardentibus. Sua quemq; fraus, suum facinus, suum scelus, sua audacia, de sanitate, ac mente deturbat. Hæ sunt impiorum furiæ, flammæ, hæ faces. Et pro Roscio: Sua quemque fraus, & suus error maxime vexat, suum quemque scelus agitat, amentiáque afficit, suæ malæ cogitationes amentiæque animi terrent. Hæ sunt impiis assiduæ, domesticæque furiæ, &cet. Satyricus item Poeta Iuuenalis,

Sap. 17. Qui malè sibi cõscij sunt, non quiescũt in procella. Senec.

Propria cuiusque scelera sunt furiæ ipsius.

Iuuenal. Satyra 13.

Cur tamen hos tu
Euasisse putes, quos diri conscia facti
Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum?
Pœna aurem vehemens, & multò fœmor illis,
Quas & Cæditius grauis instaurat, & Rhadamanthus,
Nocte dieque suum gestare in pectore testem, &c.

Occultum conscientiæ flagellum & pœna.

Hæc malæ cõscientiæ tormenta ex antiquis nõnulli, teste Macrobio, recte vulturis imagine significari dixerunt iecur Tityi perpetuò dilaniantis. Li. 1. de Somnio Scipionis, cap. 10. Vulturem (ait Macrobius) iecur immortale tundentem, nihil aliud intelligi voluerunt, quàm tormẽta malæ conscientiæ, obnoxiæ flagitio, viscera interiora rimantis, & ipsa vitalia indefessa admissi sceleris admonitione laniantis, semperq; curas, si requiescere forte tentauerint, exercitantis, tamquam fibris renascentibus inhærendo, nec vlla sibi miseratione parcentis, lege hac, qua se iudice nemo nocens absoluitur, nec de se suam potest vitare sententiam. Hæc ille. Ex quibus colliges, conscientiam obnoxia sceleri viscera rimari indefessa admissi peccati admonitione impium laniare, nec vlla miseratione illi parcere. Obserua illam quoque legem, qua se iudice nemo nocens absoluitur, nec de se suam potest vitare sententiam, sententiam (inquam) damnantis conscientiæ.

Testem nobiscum gestamus conscientiam. Macrob.

CAPVT

CAPVT XVII.

De expulsis dæmoniis in regione Gerasenorum.

MATTH. CAP. IIX.

ET cùm venissent trans fretum, in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sæui nimis, ita vt nemo posset transire per viam illam. Et ecce clamauerunt, dicentes: Quid nobis & tibi Iesu Fili Dei? venisti huc ante tempus torquere nos? Erat autem non longè ab illis grex multorum porcorum pascens. Dæmones autem rogabant eum, dicentes: Si eiicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis: Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos, & ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare: & mortui sunt in aquis. Pastores autem fugerunt, & venientes in ciuitatem, nuntiauerunt omnia, & de eis, qui dæmonia habuerant. Et ecce tota ciuitas exiit obuiam Iesu. Et viso eo, rogabant, vt transiret à finibus eorum.

MARC. CAP. V.

ET venerunt trans fretum maris, in regionem Gerasenorum. Et exeunti ei de naui statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo, qui domicilium habebat in monumentis. Et neque catenis iam quisquam poterat eum ligare: quoniam sæpe compedibus, & catenis vinctus dirupisset catenas, & compedes commouisset, & nemo poterat eum domare. Et semper die ac nocte, in monumentis & in montibus erat, clamans, & concidens se lapidibus. Videns autem Iesum à longè, cucurrit & adorauit eum, & clamans voce magna dixit: Quid mihi & tibi Iesu Fili Dei Altissimi? adiuro te per Deum, ne me torqueas. Dicebat enim illi: Exi spiritus immunde ab homine. Et interrogabat eum: Quod tibi nomen est? & dicit ei: Legio mihi nomen est: quia multi sumus. Et deprecabatur eum multùm, ne se expelleret extra regionem. Erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus, pascens. Et deprecabantur eum spiritus, dicentes: Mitte nos in porcos, vt in eos introeamus. Et concessit eis statim Iesus. Et exeuntes spiritus immundi introierunt in porcos, & magno impetu grex præcipitatus est in mare ad duo millia, & suffocati sunt in mari. Qui autem pascebant eos, fugerunt, & nuntiauerunt in ciuitatem, & in agros. Et egressi sunt videre, quid esset factum. Et veniunt ad Iesum: & vident illum, qui à dæmonio vexabatur, sedentem, vestitum, & sanæ mentis, & timuerunt. Et narrauerunt illis, qui viderant, qualiter factum esset ei qui dæmonium habuerat, & de porcis. Et rogare cœperunt eum, vt discederet à finibus eorum. Cumque ascenderet nauim, cœpit illum deprecari, qui à dæmonio vexatus fuerat, vt esset cum illo: & non admisit eum, sed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos, & annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit, & misertus sit tui. Et abiit, & cœpit prædicare in Decapoli, quanta sibi fecisset Iesus, & omnes mirabantur.

LVC. CAP. IIX.

ET nauigauerunt ad regionem Gerasenorum, quæ est contra Galilæam. Et cùm egressus esset ad terram, occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonium iam temporibus multis, & vestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis. Is vt vidit Iesum, procidit ante illum; & exclamans voce magna dixit: Quid mihi & tibi est Iesu Fili Dei Altissimi, obsecro te, ne me torqueas. Præcipiebat enim spiritui immundo, vt exiret ab homine. Multis enim temporibus arripiebat illum, & vinciebatur catenis, & compedibus custoditus, & ruptis vinculis agebatur à dæmonio in deserta. Interrogauit autem illum

Iesus dicens: Quod tibi nomen est? At ille dixit: Legio: quia intrauerant dæmonia multa in eum. Et rogabant illum ne imperaret illis, vt in abyssum irent. Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte, & rogabant eum, vt permitteret eis in illos ingredi. Et permisit illis. Exierunt ergo dæmonia ab homine, & intrauerunt in porcos, & impetu abiit grex per præceps in stagnum, & suffocatus est. Quod vt viderunt factum, qui pascebant, fugerunt, & nuntiauerunt in ciuitatem, & in villas. Exierunt autem videre, quod factum est; & venerunt ad Iesum, & inuenerunt hominem sedentem, à quo dæmonia exierant, vestitum, ac sana mente ad pedes eius, & timuerunt. Nuntiauerunt autem illis, & qui viderant, quomodo sanus factus esset à legione. Et rogauerunt illum omnis multitudo regionis Gerasenorum, vt discederet ab ipsis. Quia magno timore tenebantur. Ipse autem ascendens nauim reuersus est. Et rogabat illum vir à quo dæmonia exierant, vt cum eo esset. Dimisit autem eum Iesus dicens: Redi in domum tuam, & narra quanta tibi fecit Deus. Et abiit per vniuersam ciuitatem, prædicans quanta illi fecisset Iesus.

Matth. 8. VENERVNT *trans fretum, in regionem Gerasenorum.* Tempestate sedata peruenit Christi nauicula in regionem Gerasenorum. Qui sint Geraseni explicandum est. In græcis codicibus nunc legitur apud Matth. *Venerũt in regionem* γεργεσηνῶν, id est, *Gergesenorum*, apud Marcum & Lucã, *in regionem* γαδαρηνῶν, id est, *Gadarenorum*. In Bibliis latinis correctis, tam in Euangelista Matthæo, quàm in Marco & Luca habetur, *In regionem Gerasenorum*. Nihil tamen est discrepantiæ. Eadem enim regio his nominibus appellatur: Gerasenorũ quidem regio à ciuitate Gerasa dicitur, quę Gergesa quoq; nominatur, vnde Gergeseni iidem sunt, qui Gerasseni. Gadarenorum verò ab vrbe, Gadara eadem regio vocatur, quoniam in eadem illa regione duæ hæ vrbes fuerunt, Gerasa siue Gergesa & Gadara; quæ quia celebres erant, regioni nomen tribuerunt.

Hieronymus in libro de locis Hebraicis. Gergesam appellat Gargasi: Gargasi, inquit, ciuitas trans Iordanẽ iuncta monti Galaad, quam tenuit tribus Manasse. Et hæc esse nunc dicitur Gerasa vrbs insignis Arabię. Quidam autem ipsam esse Gadaram existimant. Sed & Euãgelium meminit Gerasenorum, & infrà addit: Gadara, vrbs est trãs Iordanem contra Scythopolim & Tiberiadẽ, ad Orientalem plagã, sita in monte; ad cuius radices aquæ calidæ erumpunt, balneis desuper ædificatis, &c. Eodẽ lib. Gergesa, ait, vbi eos, qui à dæmonibus vexabantur Saluator restituit sanitati, & hodie super montem viculus demonstratur iuxta stagnum Tiberiadis, in quod porci sunt præcipitati. Sic ille. Item in fine Abdiæ ait, partẽ Arabiæ, quæ dicebatur Galaad, appellatam esse Garasam. Beniamin, inquit, cunctam possidebit Arabiam, quæ priùs vocabatur Galaad; & nunc Gerasa nũcupatur, &c. Luc. 8. Gerasa vrbs est insignis Arabiæ, trans Iordanem iuncta monti Galaad, non lõgè à stagno Tiberiadis, in quod porci præcipitati sunt, &c. Iosephus lib. 3. de Bello, c. 2. in descriptione Galilææ, Samariæ, & Iudææ, ait regionis, quæ trans Iordanem est, ab Oriente terminum fuisse Gerasam. Ab Oriente, inquit, Arabia & Silbonitide, nec non & Philadelphia, itemque Gerasis clauditur, &c. Gerasa ergo vrbs fuit trans Iordanem, & trans mare Galilææ. Ab ea regione dicitur Gerasenorum regio illa, quæ trans Iordanem & mare erat, ad quam Dominus nauigauit. Dicitur etiam regio Gadarenorum, à Gadara, quoniam, vt Iosephus scribit lib. 5. de Bello, cap. 3. transamnanæ regionis metropolis erat Gadara.

Ibid. OCCVRRERVNT *ei duo habentes dæmonia.* D. Matthæus duos dæmoniacos Christo occurrisse narrat; Marcus verò & Lucas, altero prætermisso, vnius tantùm fecêre mentionem, quòd ille clarior & famosior esset, vt vult August. lib. 2. de Consensu Euangelist. cap. 24. vel quod sæuior & durior esset, vt ait Chrysost. Quòd, inquit Augustinus, Matthęus duos dicit, Marcus autem & Lucas vnum commemorant, intelligas vnum eorum fuisse personę alicuius clarioris & famosioris, quã regio illa maximè dolebat, &c. Et D. Chrysostomus: Si Lucas vnum solùm dæmoniacum fuisse affirmasset, discreparet à Matthæo, nunc verò cùm alter de vno, alter de duobus verba faciat, non dicunt pugnantia. Sed aliter & aliter rem eamdem exponunt, mihi videtur quidem Lucæ suffeciisse duriori dæmone vexatum. Quocirca & tragico quasi genere calamitatem eius enarrat. Ita Chrysostomus. *Consensus Euangelist.*

Dæmoniaci verò huius sæuioris calamitatem Lucas his verbis enarrat: *Vir quidam habebat dæmonium iam temporibus multis.* hæc magna calamitas, dæmonio vexari temporibus multis. Præterea: *Vestimento*, inquit, *non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis.* Item: *Multis temporibus arripiebat illum, & vinciebatur catenis, & compedibus custoditus. Et ruptis vinculis agebatur à dæmonio in deserta.* Et Marcus cap. 5. *Neque catenis*, ait, *quisquam poterat eum ligare: quoniam sæpe compedibus, & catenis vinctus, dirupisset catenas, & compedes comminuisset. Et nemo poterat eum domare. Et semper die ac nocte in monumentis, & in montibus erat clamans, & concidens se lapidibus*, &c. Præterea, non vnus tantùm, sed dæmonum legio in calamitoso hoc homine delitescebat. Coniunxerat se hic dæmoniacus cum altero sibi simili, horroremque viatoribus tantum incutiebant, vt nemo posset transire per viam iuxta quam erant. Hoc Matthæus scribit. *Dæmoniaci calamitas.*

Matth. 8. DE *monumentis exeuntes.* Habitabant hi homines à dæmonibus arrepti, in monumentis, siue sepulcris, quæ in locis desertis exstructa erãt. Etenim Iudæi non in vrbibus, sed in agris extra vrbes sepulcra construebant cubiculis similia quæ plures homines possent capere. Hi energumeni hominum consortium fugientes à dæmonibus in solitudinem impellebantur, & in sepulcris habitabant. Has enim domos viuis hominibus vacuas reperiebant. Diuus Chrysostomus causam, cur in monumentis versarentur, hisce verbis reddit homilia vigesima nona in Matthæum. In sepulcris versantur, quia pernicioſam opinionem ingerere hominibus conantur dęmones, quòd hominum, qui obierunt, animę dęmones fiant, &c. Idem docet Theophylactus & Euthymius: In sepulcris, inquit, libenter morantur dæmones, prauam opinionem hominibus immittere volentes, quòd mortuorum animæ dæmones fiant, sed circa propriorum *Sepulcra Iudæorum extra opida.* *Cur hi dæmoniaci in sepulcris habitarent.*

propriorum corporum monumenta remaneant: imo quibusdam adhæreant, &c. Hunc errorem tribuit Augustinus Tertulliano in fine libri de Hæresibus his verbis: Dicit Tertullianus animas hominum pessimas post mortem in dæmones verti, &c. Sed Tertullianistis, non Tertulliano tribuendum docet Pamelius paradoxo vndecimo. Lege Hieronymum Epist. 59. ad Auitum, & lib. 2. contra Ruffinum, Chrysostomum homilia citata, &c. Augustinum lib. 9. de Ciuitate cap. 11.

Matth. 8. VENISTI *huc ante tempus torquere nos?* Cùm dæmones Christum è naui descendisse cernerent, occurrerunt ei & per energumenos his verbis exclamarunt. *Quid nobis, & tibi Iesu fili Dei?* Quid tibi nobiscum rei est? Phrasis hæc prohibentis aliquid est, recusantis, aut repellentis, *Quid mihi & vobis filij Saruiæ? Quid mihi & tibi est rex Iudæ?* Est qui sic interpretetur: *Quid nobis & tibi*; hoc est, quid tibi mali fecimus? sed verba aliud indicant, scilicet, quid rei tibi nobiscum est? cur nos persequeris? *Venisti huc ante tempus torquere nos?* Cur sic exclamarint, rationem reddit Chrysostomus homil. 29. Nemine, inquit, vidente flagellabantur, multóq; magis, quàm mare paulò ante, perpuncti præsentia Christi atque incensi vexabantur, & sæuissimè torquebantur, &c. Euthymius, Dæmones Christum cognouerunt: & non ferentes virtutem inuisibiliter eos inflammantem, clamauerunt. &c. Abulensis Matthæi 8. quæst. 108. Dæmones, ait, realiter sentiebant se puniri præsente Christo: ita quòd nunc multò maiora essent tormenta eorũ, quàm priùs, ideò clamabant præ dolore, &c. Ingressus itaque Dominus regionem illam, cœpit acriter dæmones cruciare: idcircò exclamarunt longè distantes: *Quid nobis, & tibi Iesu fili Dei? venisti huc ante tempus torquere nos?* Torquebat enim illos tunc, & incendebat vehementer. Quamobrem *Adiuro* (ait dæmon) *te per Deum, ne me torqueas.* Diuus Hieronymus Matthæi 8. ipsa Domini præsentia cruciatos ait dæmones: Præsentia, inquit, Saluatoris tormenta sunt dæmonis, &c. Theophylactus verò, Tormentum, inquit, & cruciatum dæmones putant, si non permittantur lædere homines, &c. Torquebat ergo illos Dominus, quoniam ex hominibus pellebat. In quem sensum hunc dæmonum cruciatum Caiet. interpretatur. Vox, inquit, ista tristitiæ est scientium spiritalem torturam in hoc, quòd cogebantur præcepto Christi exire inuiti ob hominibus possessis. Ipsa enim coactio ad relinquendum possessa, tortura est spirituali creaturæ, &c.

Ibid. *2. Reg. 16.* *2. Par. 35.* *Matth. 8.* *Ibid.* *Dæmones nemine videte à Christo torquebantur.* *Abulens.* *Cur dæmones exclamauerint. Matth. 8. Marci 5.*

Dubium hoc loco est, de quonam tempore loquantur dæmones, cùm dicunt, *Venisti huc ante tempus torquere nos?* Diuus Augustinus de tempore iudicij loqui ait, libro 8. de ciuitate Dei, capite 23. Dæmones, inquit, Domino trementes dixerunt, *Quid venisti ante tempus perdere nos?* Siue quia subitum illis fuit, quod futurum quidem, sed tardius opinabantur: siue quòd perditionem suam hanc ipsam dicebant: qua fiebat, vt cogniti spernerentur: & hoc erat ante tempus, id est, ante tempus iudicij, quo æterna damnatione puniendi sunt, cum omnibus etiam hominibus qui eorum societate detinentur, &c. Diuus Chrysostomus homilia 44. in Ioannem, Venisti (inquiunt dæmones) huc, vt nos cruciares ante tempus? Qui futurum cruciatum dicunt, & iudicium, & examen, & supplicium futurum intelligunt, &c. Et homil. 29. in Matthæum; Putarunt dæmones supplicij iam tempus instare, ac ideò formidine commoti sunt, tanquam iamiam demergendi ad tormenta pœnarum. Item: Cùm non possent excusare se, quòd non peccassent, ne ante tempus pœnas darent precantur. Quoniam enim iam se deprehensos in iniquis factis arbitrabantur, quibus omni quo poterant modo creaturas Christi exagitabant; propterea putarunt, non expectaturum ipsum punitionis tempus; sed acerbitate & magnitudine peccatorum commotum, tunc ipsos puniturum, &c. Euthymius; Dæmones quamdam causæ suæ defensionem prætexunt, quòd non nunc pœnas dare debeant: sed tempore vniuersalis iudicij. Et grauiter discruciati dicunt; venisti huc vt affligas nos ante definitum tempus, &c.

Aug. De quo tempore loquantur dæmones. *Chrysost.* *Euthym.*

Triplicem sensum hæc verba habere possunt. Primus de tempore iudicij est huiusmodi. Sciebant dæmones præparatam sibi ignis gehennam, timebant verò, ne à Christo in illam tunc deturderentur. Ideò vt Lucas 8. ait, rogauerunt illum, ne imperaret illis vt in abyssum, id est, tartarum irent: & exclamauerunt: *Venisti ante tempus torquere nos?* hoc est; Num venisti ante tempus definitum mittere nos in tartareis cruciatus? Venisti ne torquere nos tartareis incendiis, ante tempus iudicij? Alter sensus est de tempore primi aduentus Christi ad euertendum dæmonum imperium. Num venisti huc, id est, in hanc regionem, vel venisti huc, id est, in terras ante tempus, ad torquendum nos, atque profligandum imperium nostrum? Christi aduentus à dæmonibus, celer & velox fuisse dicebatur ad torquendum eos ante tempus. Voluissent enim illum in terras nunquam descendisse. Vtrumque sensum complexus est Dionysius Carthusianus his verbis Matthæi 8. *Venisti ante tempus:* id est, valdè citò, & ante tempus à nobis præsumptum, vel ante diem iudicij? &c. Sed quia dæmones ex Prophetis tempus primi aduentus cognouerant aduenisse, verosimilius est de tempore iudicij loqui. Tertius sensus hic esse potest. Venisti huc, id est, in hanc regionem Gerasenorum ante tempus torquere nos? id est, venisti torquendo expellere nos ex hominibus his ante tempus? existimabant dæmones peccata illorum hominum longius postulare vexationis tempus: ideò ante tempus se pelli conquerebantur. Vel ita loquuntur, quoniam longiori tempore eos vexare volebant. Sic qui longiori tempore somno vult indulgere, si ab alio expergefiat, respõdet, venisti huc ante tempus me expergefacere?

Triplex sensus. *Matth. 8.* *Dionys. Carthus. Matth. 8.*

Hinc oritur quæstio; An dæmones, qui in aëre caliginoso ad iudicij vsque diem versantur, vt cum Christi militibus certent, tartareo igne torqueantur? Etenim nõ torqueri probabit aliquis hisce dæmonum verbis: *Venisti ante tempus torquere nos?* Ergo non torquebantur ante illud tempus. Prætereà, vt Lucas ait, *Rogauerũt Christum ne imperaret illis vt in abyssum irent:* ergo in aëre, abyssi cruciatus nõ ferebant. Tertio, dæmones, qui in aëre versantur, non attingit tartareus ignis, ergo illos non torquet. Quartò, Augustinus id videtur sentire in libro de natura boni, cap. 33. his verbis; *Petrus dicit, Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed carceribus caliginis inferi detrudẽs, tradidit in iudicio puniẽdos seruari:* hinc Petrus ostendit adhuc eis vltimi iudicij pœnam deberi, de qua Dominus dicit; *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius, &c.* Ait Augustinus deberi dæmoni ignis gehennalis supplicium in extremo iudicio: ergo nondum illo afficiuntur, qui nobiscũ pugnant.

An Angeli qui in aere versantur igne tartareo torqueãtur. Matth. 8. Luc. 8. *Augustin. 2. Pet. 2.*

Respondemus cum D. Thoma 1. par. quæst. 64. art. 4. ad 3. idem esse iudicium de animabus improborum hominum, & de dæmonibus. Quemadmodum ergo impiorum hominum animæ, tartarei ignis supplicio protinus mancipantur, cùm è corpore emigrant: ita dæmones eidem supplicio sunt mancipati, cùm primùm è cælo ceciderunt. Vt enim ait Diuus Damascenus lib. 2. de fide, cap. 4.

Quod hominib. ust mors Angelis fuit lapsus.

quod hominibus mors est, Angelis fuit lapsus. Ergo quemadmodum hominũ animæ post mortem statim igne gehennali incenduntur: ita omnes scelerati Angeli post lapsum statim eodem igne sunt inflammati: tam qui in tartaro degunt, quàm qui in aëre caliginoso versantur. Vnde in Glossa ordinaria Iacobi 3. sic habetur: sicut gehenna semper ardet: sic diabolus vbicumque sit, vel in aëre, vel sub terra, secum fert tormenta flammarum suarum, &c. Beda item eodem capite: Dæmones, inquit, vbicumque vel in aëre volitant, vel in terris, aut sub terris vagantur, siue detinentur, suarum secum ferunt semper tormenta flammarum. Instar febricantis, qui etsi in lectis eburneis, etsi in locis ponatur apricis, feruorem tamen, vel frigus, insiti sibi languoris euitare non potest; sic dæmones etsi in templis colatur auratis, etsi per aëra discurrant, igne semper ardent gehennali. Hæc Beda.

Gloss.

Beda.

An dæmones ferũ ignem tartareum ferant.

Sed difficile est explicare quónam modo gehennali igne dæmones torqueantur, qui in aëre degunt. Respondetur, facile cum Glossa & Beda, illos secum ignem ferre, cui à diuina iustitia sunt alligati. Id tamen refelletur: quoniam si ignem secum ferrent tartareum, cùm sit ille ignis corporeus, loca in quibus dæmones versantur, & homines quos vexant combureret, in cineremque redigeret. Attamen dicimus ad diuinam spectare iustitiam, vt dæmones omnes tartareo igne crucientur, qui illis torquendis est destinatus; ad diuinam item gubernationem, vt concursum igni Deus deneget, quo dæmones incensi sunt, ne cernatur, néve homines aut corpora aliqua inflammet. Quamobrem non cernitur ignis ille: incendit verò dumtaxat cacodæmonas, & torquet, nihilque aliud inflammat. Neque verò absona videri debet hæc sententia; siquidem tartareus ignis diuinæ iustitiæ instrumentum est, vnusque, atque idem cùm sit apud inferos, alios acriori, alios leniori afficit cruciatu: quia Deus cum illo vario concurrit modo. Ita ergo fieri potest, vt concursum omnino deneget huic igni ad inflammanda corpora, quę apud superos sunt: cum eodem verò concurrat, vt ipsos cacodæmonas alliget acriterque incendat.

D. Thom.

Quomodo in hoc aere dæmones torqueantur.

Secundò, respondet diuus Thomas prima parte quæstione 74. art. 4. dæmones aëris incolas non alligari actu igni gehennali, sed torqueri, quòd sciant illum ignem sibi esse præparatum. Quòd si diuum Thomam roges, an æqualis sit pœna dæmonum in hoc aëre, & apud inferos? æqualem esse dicet. Sic enim scribit: Dæmones licet non actu alligentur gehennali igni, dum sunt in hoc aëre caliginoso, ex hoc ipso, quòd sciunt illam alligationẽ sibi deberi, eorum pœna non diminuitur, &c. Id creditu est difficile; multò grauius enim torquetur, qui igni inflammatur, quàm qui rogum sibi paratum nouit. Verùm iuxta hanc sententiam respondetur, ex eo quòd dæmones sciunt illum ignem sibi deberi, tantam in voluntate concipere tristitiam, & spiritalem quamdam combustionem, quantam conciperent, si in ipso igne essent Dei iustitia hoc efficiente. Tertiò respondet Molina eodem articulo, Deum in hoc aëre per seipsum, absque igne, & vlla causa secunda cruciatũ inferre dæmonibus, quem tartareus ignis infert in Orco. An verò rationi sit consentaneum, Deum absque vlla causa secunda per seipsum torquere, alij viderint. Potius dicerem media aliqua qualitate dæmones incendente id facere. Est præter has alia responsio, dæmones diuina potentia ab igne ipso, qui in tartaro est, hic in aere torqueri. Posse enim fieri opinantur quidam, vt ex loco longissimè distante ignis diuinitùs dæmones incendat.

Molina.

A Ad primum argumentum respondetur, dæmones aëris incolas torqueri ante iudicium: dixisse autem Christo: *Venisti huc ante tempus torquere nos?* quoniam tormenta tunc auxit; item quia ex hominum corporibus illos expellebat; præterea quia ne in tartarum mitterẽtur, potestatemque hominibus nocendi amitterent, timebant. Ad secundum dicendum, rogasse Christum, ne imperaret illis, vt in abyssum discederent: quoniam inter homines habitare cupiebant, vt illos oppugnare & lædere possent. Ad tertium ex dictis quid sit dicendum facilè colliges, iuxta diuersas sententias. Ad Augustini testimonium respondendum, vltimi iudicij pœnam dæmonibus deberi; quoniã tunc omnes, qui aërem B incolunt, in tartarum præcipitabũtur. Dum tamen in aëre degunt, ignis cruciatu minimè carent. *Matth. 8.*

VIDENS *autem Iesum à longe, cucurrit & adorauit eum.* Marcus, vt diximus, & Lucas, altero ex dæmoniacis prætermisso, de vno tantùm scribunt, quem plurimi dæmones inhabitabant. Is à longè Christum cernens cucurrit, vt Marcus ait, & adorauit eum. Lucas ait procidisse ante Dominũ. Idem autem est procidere & adorare. Christus verò præcepit dæmoni, vt ab homine abscederet: at ille in hæc verba exclamauit: *Quid mihi & tibi est Iesu Fili Dei Altissimi? Obsecro te ne me torqueas.* Obsecrauit Christum, & diuini nominis maiestate interposita adiurauit. Sic enim Marcus dixisse refert: *Adiuro te per Deum, ne me torqueas.* Videtur dæmon cruciatum C appellare expulsionem ab homine, vt ex verbis Euangelistarum colligitur. Marcus: *Clamans voce magna, dixit: Quid mihi & tibi Iesu Fili Dei Altissimi? adiuro te per Deum ne me torqueas; dicebat enim illi: Exi spiritus immunde ab homine.* Similiter Lucas scribit. Hoc est, propterea dæmon Christum adiurabat, ne ipsum torqueret: quoniam imperabat illi, vt ab homine discederet. Hoc enim magnus illi erat cruciatus. Attamen credo Christum, vt suprà ex Chrysostomo diximus, dæmonis tormentum auxisse, atque ideo præcipue verba illa protulisse: *Obsecro & adiuro te ne me torqueas.* Causa autem illa, quæ redditur ab Euangelistis, ad illa potiùs verba dæmonis referenda est, *Quid mihi & tibi Iesu Fili Dei Altissimi?* Quoniam D enim Christus, vt ex homine abiret, præcipiebat, respondit dæmon: *Quid mihi & tibi Iesu Fili Dei Altissimi?* Quasi dicat: Quid mihi tecum rei est? cur mihi ex homine vt abeam præcipis? & quia torquebatur acriùs, quàm torqueri solebat, subiunxit; *Obsecro te ne me torqueas.* *Marci 5. Dæmõ Christum adorauit.* *Luca 8.* *Marci 5.* *Ibid.*

LEGIO *mihi nomen est.* Interrogauit dæmonem Dominus, id quod perspectissimum habebat: *Quod tibi nomen est?* vt magnitudo miraculi pateret: nempe non vnum tantùm, sed magnã dæmonum multitudinem ex homine illo fuisse expulsam. Etenim respondit dæmon: *Legio mihi nomen est, quia multi sumus.* Mentiri potuit dæmon, tamen dixisse verum confirmat Lucas, inquiens: *Intrauerant dæmonia multa in eum.* Quot autem intrauerint, indicat E nomen *legio*, Græce habetur tam apud Marcum, quàm apud Lucam, λεγεὼν. Legionem verò aiunt, Abulensis Matthæi 8. quæst. 111. D. Bonauentura, Lyranus, Carthusianus, & Simon Cassianus continere milites 6666. Iansenius hanc reprehẽdit sententiam, legionique assignat numerum 12250. militum. *Marci 5.* *Ibid.* *Luca 8.* *Legio quot milites complectatur, & quot dæmones.*

Attamen dicendum est, legionis non fuisse certum numerum militum: modò enim plures, modò habebat pauciores, vt docet Alexander ab Alexandro lib. 1. c. 5. his verbis: Romulo primùm regnante legio ex peditum tribus millibus, equitibus verò trecentis fieri cœpta est: quam quòd ex lectis militibus confecerat, legionem appellari maluit. Aucta *Alex. ab Alexand.*

mox

mox ciuitate aduentu Sabinorum,& creſcente imperio,ſex millium peditum,equitum ſexcentorum legiones fieri cœptas Plutar. auctor eſt in vita Romuli.Cuius teſtimonio mouerer,niſi quod à C. Mario primu cùm aduerſus Cimbros moliretur arma, ſex millium & ducentorum peditum, equitum verò trecentorum deſcriptas fuiſſe Liuius memorat. Scipio deinde, cui Africano fuit cognomen, cùm in Africam traiiceret. duas Cannenſis exercitus legiones ita ſuppleuit, vt ſingulę ſex millia & ducentos pedites, trecentos haberent equites. Sæpiùſque in deſcribendis legionibus variatum fuit; vt modò quatuor millium peditum, equitum verò trecentorum legiones fierent;modò quinque millia peditum, equites trecenti, in ſingulas eſſent legiones.Hæc ille.

Liuius. Liuius decade 5.libr.3. Veteres, inquit, milites dimitti, ita vt in ſingulas Romanas legiones, ne plus ſena millia peditum, trecenti equites eſſent. Alteri conſ. id modò finitu, vt duas legiones ſcriberet, quæ quina millia peditum & ducentos haberent,equites trecentos, &c. Decade prima lib.6. quatuor ait legiones,& lib.7. decem legiones,quaternûm millium ſcriptas, vt alia omittam loca ſimilia, quæ vide apud Tiraquellum in commentariis Alexandri, & apud Wolphgangum Lazium libro 5.cap.2. Auctor hic ait legiones quaſdam ordinarias fuiſſe, quæ completum habebat numerum; is erat 6000.peditum,& 730. equitum. Alias extraordinarias & imperfectas, quarum aliæ habebant 5000. peditum, & equites nunc 400. nunc 300. atque etiam 200. aliæ verò dumtaxat quatuor peditum millia complectebantur,& equites trecentos, plus minuſue, aliæ rurſus tria dumtaxat millia peditum,& equites trecentos.

Vegetius. Denique Vegetius lib.2. de Re militari,capit.2. ſic ſcribit:Romani legiones habent,in quibus ſingulis ſena millia, interdum amplius militare conſueuerunt. Et lib.2. cap.6. Decem, ait, cohortibus legio plena fundatur, quæ habet peditu ſex millia centum, equites ſeptingentos viginti ſex. minor itaque numerus armatorum, in vna legione eſſe non debet. Maior autem interdum eſſe conſueuit, ſi non tantùm vnam cohorte, ſed etiam alias milliaria fuerit iuſſa ſuſcipere. Hæc ille. Item apud Gellium lib.6. c.4. ſic habes: In legione ſunt centuriæ ſexaginta,cohortes decem,&c. Sexaginta autem centuriæ ſex militum ſunt millia.Itaque dixit dæmon appellari ſe legionem, quòd multi eſſent, quemadmodum in legione multi milites ſunt.

Neque verò compertum eſt, quot dæmonum millia hæc habuerit legio. Duo ſaltem aut tria millia habuiſſe veriſimile eſt. Nam legio plura millia complectebatur. Duo porcorum millia hi dæmones demerſerunt; vnde colligi poteſt,fuiſſe ſaltem duo dæmonum millia; ita vt ſinguli in ſingulos intrauerint porcos. Abulenſis 6666.dæmones in hoc homine habitaſſe arbitratur. Ianſenius verò putat, non propterea vſurpaſſe ſibi hoc nomen legionis dæmones, quòd in homine illo tot fuerint dæmones, quot ſunt in legione milites. Cùm autem dæmones corporibus careant, quotquot illi ſunt,vno in homine eſſe poſſunt,non enim occupat locum. *Plures dæmones in vnũ hominẽ intrare poſſũt.* Vnde Abulenſis Matthæi 8. quæſtione 110. Omnes, inquit, dæmones, quotquot ſunt, ſi permitterentur, intrarent in quemlibet hominem, vt omnes eum torquerent, &c.

Dicet aliquis, Lucam ſcribere,occurriſſe Chriſto virum, qui habebat dæmonium; item Chriſtum præcepiſſe ſpiritui immundo,vt exiret ab homine. *Marci 5.* Idem quoque ſcribere D. Marcum: *Occurrit*, inquit, *et homo in ſpiritu immundo*; item: *Dicebat illi: Exi ſpiritus immunde*: non fuiſſe ergo in homine multos dæmones, ſiquidem de vno tantùm Euangeliſtæ loquuntur. Ait Ianſenius nomen, *dæmonium* & *ſpiritus*, collectiue accipi debere,pro tota dæmonu congregatione, vocemque auditam,multitudinis fuiſſe dæmonum. Reſpondendum potius eſt,in homine fuiſſe dæmonum legionem cum duce ſuo: Euangeliſtas verò locutos de duce: ipſumque ducem à Chriſto fuiſſe interrogatum,& ceteris tacentibus reſpondiſſe.Poſtea etiam reliqui locuti, precatique ſunt,vt in porcos permitteret illis introire. *Quomodo multi ſint etſi de vno fiat mentio. Ianſen.*

Dubitatur, An dæmones propria habeant nomina? Angelos & dæmones propria habere nomina multi negant. Ianſenius hoc loco: Interrogat, inquit, Chriſtus de nomine: non quòd ſinguli dæmonum ſpeciale habeant nomen ſibi proprium, &c. Viguerius inſtitutionum cap.20.§.9.Expoſitores,inquit, dicunt, quòd Angeli in cælo carent nominibus propriis. Quia quemadmodum illa ciuitas non eget Sole neque Luna:ſic neque aliquo adminiculo ad cognoſcendu. Nam quilibet per propriam perſonalitatem cognoſcitur. Sed ſi aliqua nomina horum reperiuntur in Scripturis, per illa declarantur opera miniſterij,ad quæ mittuntur.Sic ille. Lyranus quoque ad illa verba Angeli ad Iacob: *Cur quæris nomen meum?* Ac ſi dicat, ait, fruſtra quæris: quia ego & alij Angeli in miniſterium miſſi,non habemus nomina fixa & ſtabilia: ſed diuerſa ſortimur nomina, ſecundùm legationes, ad quas mittimur,&c. Abulenſis præterea Matthæi 8.quæſt. 110. Non habent, inquit, nomina dæmones, nec Angeli: nec etiam dæmon reſpondit Chriſto proprie de nomine (ſcilicet,cùm quæſiuit: *Quid tibi nomen eſt?*) ſed de numero, &c. Nam reſpondit: *Legio; quia multi ſumus.* Et iudicum 13.quæſt.33. Angeli,ait, in particulari non habent aliqua nomina, ſiue ponatur quilibet continere vnam ſpeciem,ſiue multi in vna,&c. Idem docet Matthæi 25.quæſt.405. Præter hos doctores huius ſententiæ eſt Magnus Gregorius,homilia 34.in Euangelia: Angeli,inquit,idcirco priuatis nominibus cenſentur; vt ſignetur per vocabula etiam in operatione quid valeant: neque enim in illa ſancta ciuitate;quam de viſione omnipotentis Dei, plena ſcientia perficit: idcirco propria nomina ſortiuntur,ne eorum perſonæ, ſine nominibus ſciri non poſſint. Sed cùm ad nos aliquid miniſtraturi veniunt, apud nos etiam nomina à miniſteriis trahunt. Sic Gregorius. *An Angeli & dæmones propria habeant nomina. Viguer. Lyran. Gen. 32. Abulenſ. Marci 5. Greg.*

Abulenſis verò Iudicum 13.quæſt.33.non ſolùm Angelos, verùm beatos etiam homines, nominibus carere docet: Cùm fuerimus, inquit, in beatitudine,nõ cognoſcemus Angelos nominibus,quia nulla habent: nec etiam tunc imponentur. Etiam nos, qui nunc nominibus vtimur, ibi non diſtinguemur nominibus; ſed quilibet alium ſine nomine cognoſcet, ſicut ſeipſum cognoſcit ſine nomine, &c. *Abulenſ.*

Apud magiſtrum ſententiarum diſt.10. §. *& putant*, nonnulli arbitrantur nomina illa Michael, Gabriel,Raphael,non eſſe aliquorum Angelorum nomina peculiaria,ſed nunc huius,nunc illius,iuxta qualitatem earum rerum, ad quas nuntiandas, vel gerendas mittuntur. Ita vt Angelus, quicumque ad afferendam alicui medicinam mittitur, dicatur Raphael,id eſt,medicina Dei; quicumque ad aliquod magnæ fortitudinis opus legatur, appelletur Gabriel, id eſt, fortitudo Dei. Quicumque ad eximia aliqua opera deſcendit, Michael nominetur, id eſt, quis ſicut Deus?

Aliquot propoſitionibus, quod mihi veriſimiliùs apparet explicabo. Prima ſit;Nomina hæc Michael, Gabriel, Raphael, non ſunt nomina communia *Reſpondetur quæſtioni.*

munia multis Angelis; sed tribus tantùm Angelis peculiaria. Hanc confirmat Ecclesiæ vsus, quæ tres certos Angelos his tribus nominibus distinctos in litaniis precatur: isque est communis fidelium sensus.

Beati nomina propria in cælo habent.

Secunda; Beati omnes nomina habent in cælis, Probatur ex eodem Ecclesiæ vsu, quæ in cælis degentes Diuos propriis nominibus appellat. Præterea nomine Iesu, Christus, & nomine Mariæ, virgo Deipara in sempiternum vocabitur: ergo & reliqui Diui sua habent nomina, vel alia præstantiora, si Deus velit illa mutare, postquàm animæ resumpserint rediuiua corpora. Adde illud Pauli

Philip. 4. *Quorum nomina sunt in libro vitæ*, &c. Nomina quæ in libro vitæ sunt, æterna sunt.

Tertia; Beati homines, & Angeli, non indigent propriis nominibus, vt per illa ab aliis beatis cognoscatur: absque nominibus enim alij alios cognoscunt. Quæ est sententia Gregorij iam citati: & cæterorum. Habent tamen nomina propria, quibus in collocutione vtuntur. Nam beati homines post iudicium ore corporeo tum alij de aliis tum de Angelis colloquentur: ergo nominibus indigebunt, tam hominum, quàm Angelorum, quæ in sermone vsurpent. Animæ verò & Angeli, linguam suam habent spiritalem, iuxta illud Pauli

Angeli habent nomina propria.

1. Cor. 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum*, &c. Igitur alij de aliis loquuntur: ad eamque nominibus opus habent quibus Angeli & animæ in collocutione significentur: maximè si collocutio spiritualis per signa spiritalia externa sit, quod est verisimile, vt docet Molina in commentariis primæ partis Diui Thomæ.

Probatur hæc sententia, quoniam ab humanis licet ad cælestia, exempla sumere: ergo si apud nos, homines, & Angeli nomina habent, habebunt etiam in cælo. Secundò, hæc sententia magis consentanea est Scripturis sacris, in quibus Angelorum nomina reperiuntur, Michaelis, & Raphaelis, & Gabrielis. Etenim par est in omnibus Angelis ratio: Quòd si hi tres Angeli propria habent nomina: habebunt etiam cæteri Angeli sua peculiaria nobis ignota, sed ipsis maximè cognita.

Probatur Angelos habere nomina.

Tertiò, Angelorum chori nomina habent: ergo & singuli Angeli. Eadem enim est ratio de choris, & singulis Angelis. Habere autè choros Angelorum peculiaria nomina, quis nesciat? Alij Seraphim, alij Cherubim dicuntur, alij Throni, & Potestates (vt omittam reliquos) appellantur. Quartò, hoc loco quem exponimus Christus rogat dæmonē; *Quod tibi nomen est?* Ergo dæmones nomina propria habent. Si enim nomina propria nō haberēt, quorsum Christus rogasset: *Quod tibi nomen est?* Sed dices, dæmonem

Marci 5.

respondisse se appellari legionem, legionem verò non esse nomen proprium, atque adeo nomine proprio dæmonem caruisse. Respondeo, Ducem illorum dæmonum, proprium nomen ac singulare non aperuisse, quoniam non ille solus in homine latebat. Vsus verò est nomine legionis, vt multitudinem indicaret. Quintò, Iacob sciebat se cum Angelo loqui, à quo benedictionem petiit. At rogat:

Gen. 23. *Dic mihi, quo appellaris nomine?* Ergo Iacob putabat Angelos habere nomina. Item, Manue Samsonis pater

Iudicum 13. ab Angelo quæsiuit: *Quod est tibi nomen?* Angelus verò respondit: *Cur quæris nomen meum, quod est mirabile?* Habere se nomen dixit: *quod*, inquit, *est mirabile*, mirabilia enim sunt Angelorum nomina, mirabiles eorum naturas, potestates, vel operationes significantia. Quo loco Dionysius Carthusianus sic scribit: Est Angeli nomen hominibus mirabile. Non quasi penitus ex sua natura omni menti creatæ incomprehensibile, quod Deo est proprium: sed quasi

Dionys. Carth.

A non plenè cognoscibile in hac vita viatoribus. Et infra: Sunt, inquit aliqua fixa Angelorum vocabula, & cetera.

Marci 5. DEPRECABANTVR *eum multùm ne se expelleret extra regionem.* Tria petiuere à Christo Dæmones, cuius potestatem horrebant. Primùm, ne eos mitteret in abyssum, vt Lucas scribit: abyssus autem profundum significat pelagus, sumiturque pro Orco à Luca, & Apocalyp. 20. item ad Rom. 10. &

Orcus dicitur abyssus.

aliis locis. Est enim Orcus locus in terra profundissimus, estque malorum omnium pelagus, in quo impij ita demerguntur, vt ad littus nullo modo valeant enatare. petiuere secundùm, ne eos expelleret extra regione, vt ait Marcus: Hinc (inquit Caie-

Caietan.

B tanus) apparet affectus dæmonum ad regiones diuersas, nisi enim multitudo hæc affecta fuisset regioni illi, non petiuisset extra regionem non mitti, &c. Forte petebant ne mitterentur extra regionem in loca deserta, in quibus non possent hominibus nocere: nam Raphael Angelus dæmonem in deser-

Tobiæ 8.

to superioris Ægypti alligauit. Tertium, vt mitteret eos in porcos. Porci hi circa montem in agris pascebatur, vt ait Marcus. Lucas ait eos in monte versatos: sed nullam esse discrepantiam docet Augu-

August.

stinus libr. 2. de consensu Euangelist. cap. 24. his verbis: Nec quod Marcus dixit circa mōtem fuisse gregem porcorum, Lucas autem in monte; quidquam repugnat. Grex enim porcorū tam magnus fuit, vt aliquid eius esset in monte, aliquid circa

C montem, &c. Fieri etiam potuit, vt grex ille porcorum in ipsius montis radicibus pasceretur, verumque est dicere, fuisse in monte, id est, in radicibus montis, & fuisse circa mōtem, id est, circa montis cacumina. Quòd si quæras, quantus hic grex fuerit; narrat Marcus ad duo porcorum millia fuisse complexum.

Fuerintne porci Iudæorū, vel Gentilium.

Ambigitur Iudæorúmne fuerint hi porci? Ianse-

Dionys. Carth.

nius Iudæorum fuisse putat, propterea que à dæmonibus Christi permissu submersos, vt neglectæ legis pœnas domini luerent. Contrà Dionysius Carthu-

Carth.

sianus Matthæi 8. Ethnicorum fuisse sues existimat: Suis, ait, peccatis homines regionis Gerasenorum hoc damnum meruerunt; erant enim Gen-

Caietan.

tiles, vt fertur, &c. Abulensis Matthæi 8. quæst. 133.

Abulens.

D potuisse ait fieri, vt ad Ethnicos sues illi pertinerent; tamen probabilius putat fuisse Iudæorum. Iudæos autem pascere potuisse porcos, non vt iis vescerentur, sed vt Ethnicis venundarēt. Caietanus; Fortasse, inquit, porci illi alicuius gentilis erant, à quo sibi ciuitas timebat, si sequaces fuissent Iesu auctoris talis damni; & propterea rogauerunt illum, vt discederet ab eis, &c. Mihi verisimilius est porcos Ethnicorum fuisse. Nam Iosephus lib. 3. de

Iosephus.

Bello, cap. 2. ait regionem, quæ trans Iordanem est, habitatam à Syris, Iudæisque permixtis. Syrorum ergo fuēre porci, neque enim satis est probabile,

E Iudæorum magistratus Iudæis fuisse permissuros porcorū greges alere; cùm hæc animalia lege damnata, atque immūda, Iudæisque interdicta fuerint,

Leuit. 11.

Sed cur petiere dæmones, vt mitteret eos Christus in porcos? Rationem reddit Euthymius Matthæi 8. his verbis, Quandoquidem iam hominibus nocere non possunt, ad irrationalia, quæ illi possident conuertutur, vt ostendatur furor, quem aduersus nos gerunt. Nec solùm hoc, verùm etiam aliud malum machinātur. Student enim porcos occidere, vt horum dāno contristati domini gregis, Iesum non suscipiant, & ita Euangelij prædicatione non susceptā, maximo afficiantur damno. Christus cùm non ignoraret, quid tentarent, permittit tamen dispensatorie alia intendens. &c. Eandem rationem reddit Theophylactus.

Euthym.

Et ait

Matth. 8. Cur Christus permiserit dæmones intrare in porcos.

ET *ait illis: Ite.* Concessit dæmonibus Christus quod petebãt: videlicet, vt in porcos intrarent. Cuius concessionis causæ aliquot reddi possunt. Prima est; Vt miraculum tot porcorum vastatione longe lateque vulgaretur, fieretque ad hominum vtilitatem compertũ. Secunda, vt dæmonum immanitatem agnosceremus. Theophylact. Concedit Christus dæmonibus intrare in porcos, demõstrans qua amaritudine, & odio in homines ferantur. Et si potestas eis daretur, & non prohiberentur, peiùs nos, quàm porcos illos affligerent, &c. Tertia ratio est, vt compertum nobis fiat, dæmones, nisi Deus permittat, neminem posse lædere; Chrysostomus in Matth. homil. 29. Omnes ait, hinc discamus, ne in porcos quidem impetum facere audere dæmones, nisi Christus permittat, &c. Tertul. in lib. de fuga in persecutione ca. 2. Nec in porcorum gregem Diaboli legio habuit potestatem, nisi eam de Deo impetrasset; tantùm abest, vt in oues Dei habeant. Possum dicere, porcorum quoque fetas tunc apud Deum numeratas fuisse, nedum capillos Sanctorum, &c. Quarta est Euthymij: Vt mors, inquit, porcorum omnibus confirmaret, exiisse dæmones ex hominibus. Quinta est, vt hac ex re perspicuum fieret dæmones vires habere magnas. Sexta, vt multitudo dæmonum, quæ hominem illum vexabat agnosceretur ex effectu, qui cernebatur. D. Hieronymus in vita Hilarionis; Non mouere quempiam debere (dixit D. Hilarion) quòd Domini iussione duo millia porcorum à dæmonibus interfecta sunt. Siquidem eos, qui viderant, non potuisse aliter credere, exiisse de homine tãtam dæmonum multitudinem: nisi grandis porcorum numerus, & quasi à multis actus pariter corruisset. Sic ille. Septima ratio, vt agnosceretur, Dei prouidentiam ad porcos etiam, minimaque animantia pertingere. Nisi enim porcos eatenus defendisset, iam à dæmonibus occisi fuissent. Docebat D. Hilarion (ait Hieronymus) hominum causa diabolũ etiam iumenta corripere & tanto eorum ardere odio, vt nõ solùm ipsos, sed & ea quæ ipsorum essent, cuperet interire. Huiusque rei proponebat exemplum, quòd antequam Iob tentare permitteretur, omnem substantiam eius interfecerit, &c. Octaua, vt intelligamus custodia Dei, atque Angelorum nobis opus esse quæ tam sæuos hostes à nobis propulset. Nona, vt sciamus Christum Dominum esse omnium rerum: etenim porcos submergendos Dæmoni tradidit, absque vllius iniuria, quoniam eorum erat Dominus.

Theoph. *Chrysost.* *Tertul.* *Euthym.* *Hieron.* *Dæmones ejiciendo hominis odio arcentur.*

Matth. 8. In quod mare dæmones præcipites deierint porcos. *Strabo.*

ABIIT *totus grex per præceps in mare.* Zieglerus in descriptione tribus Simeon, arbitratur suis non esse demersos in mari Tiberiadis, sed in lacu quodam pestilẽti ciuitati Gadaræ propinquo, cuius Strabo meminit libro 16. his verbis: In agro Gadareno est aqua quędam pessima ex lacu, qua degustata, pecora pilos, vngues, & cornua amittunt, &cet. Huius tamen lacus nec Iosephus, nec Plinius, aut Hieronymus meminerũt; quocirca ab incolis terra obrutum Zieglerus suspicatur. Dicendum est, porcos demersos esse in mari Tiberiadis siue Galilææ. Quæ est sentẽtia Diui Hieronymi de locis Hebraicis; Gergesa, inquit, vbi eos, qui à dæmonibus vexabantur Saluator restituit sanitati, hodieque super montem viculus demonstratur iuxta stagnum Tiberiadis, in quod porci præcipitati sunt, &c. Probatur ex Matthæo & Marco, qui narrant porcorum gregem præcipitatum in mare, videlicet illud in quo Christus nauigauerat, quod est Galilææ. Hoc autem mare, siue lacum vocat Lucas stagnum, vt constat ex illis verbis cap. 8. *transfretemus trans stagnum.*

Hieron.

TOTA *ciuitas exiit vt videret Iesum, & viso eo, rogabant eum, vt transiret à finibus eorũ.* Quæ gesta erant pastores ij, qui gregem pascebant, porcorum dominis nuntiarunt, ne culpa sua porcos periisse existimarent; nuntiauerunt autem in ciuitate, & in villis, vt ait Luc. & vt ait D. Marcus, in agris. Hoc nuncio excitata ciuitas tota obuiam Domino prodiit. Sed miseri ac cæci homines splendidissimum solem, quem tectis debuerant excipere, vt à se discederet, sunt deprecati. Lucas ait omnem multitudinem regionis Gerasenorum hoc postulasse. Cùm admirari (ait Chrysostomus) adorareque virtutem Christi deberent, repulerunt eum potius, hortatiq; B sunt, vt à finibus eorum discederet, &c.

Matth. 8.

Diuus Hieronymus Matth. 8. precationem hanc humilitati tribuit; Quòd rogant, inquit, vt transeat à finibus eorum, non de superbia hoc faciunt, vt nonnulli arbitrantur; sed de humilitate, qua se præsentia Domini indignos iudicabant. Sicut & Petrus in captura piscium ait; *Exi à me Domine, quia homo peccator sum,* &c. At timori tribuit D. Lucas, *Rogauerunt,* inquit, *illum omnis multitudo regionis Gerasenorum, vt discederet ab ipsis, quia magno timore tenebantur,* &c Itaque timuerunt homines illi, ne si Christus in regione maneret, similes strages ederet, damnumque illis alios eiiciendo dæmones inferret, ideoque vt abscederet rogauerunt. Euthymius; Rogabant, vt discederet à finibus eorum, dolentes de perditione C porcorum, ac etiam territi, vt ait Lucas, timebant enim ne mali quidpiam eiecti Dæmones etiam in ipsis perpetrarent, &c. Theophylactus: Tristitia affecti erant, & existimabãt se grauius quidpiam passuros; & ideò deprecabantur eum, &c. Cardinalis Caietanus; Salutem hominum liberatorum à dæmoniis, & perditionem porcorũ videntes, magis timuerunt augmẽtum damni rerum temporalium, quàm concupierint augmentum salutis spiritualis. Salus hominum admirationem ciuitati generauit; damnum porcorum timorem maioris damni in ea excitauit; & sic timore acti rogauerunt vt discederet ab eis. Et fortè illi porci alicuius Gentilis erant, à quo ciuitas sibi timebat, si sequaces fuissent Christi auctoris talis damni; & propterea rogauerunt ipD sum, vt discederet ab eis. Sic ille.

Cur Gerasẽni petierint à Christo, vt discederet. *Luc. 5.* *Luc. 8.* *Euthym.* *Theoph.* *Caietan.*

Annuit Dominus precibus, discessitque lux ab illis, qui illam repulerunt. Chrysostomus homi. 20. Non repugnauit Dominus, sed recessit, ac ipsos, qui se illius doctrina indignos fecerunt, reliquit, &cet. Nolebat Dominus (ait D. Bonau. Luc. 8.) aliquibus esse onerosus; vnde ait: *Quicunque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo, vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris,* &c. Item Ambrosius Luc. 8. Christus curare non dignatur inuitos, & citò infirmos deserit, quibus oneri videt esse præsentiam suam. Sicut Gerasenorum populis diutiùs molestus non fuit; sed ascendens nauim reuersus est, &c. E

Chrysost. *Bonauen.* *Matth. 10.* *Ambros.*

COEPIT *illum deprecari, qui à dæmonio vexatus fuerat, vt esset cum illo.* Gerasẽni Christum, vt ex regione abiret precati sunt; is verò à quo dæmonum legio expulsa est, luce perfusus orauit, vt in suum comitatum, ac collegium, ipsum cooptaret. At Dominus cooptare noluit; nec enim decebat hominem, in quo dæmonum fuerat legio, Christi esse discipulũ, ne ansa Pharisæis daretur calumniandi. Theophylactus ait hunc hominem voluisse sequi Christum, vt tutus esset: Ita (inquit ille) corde sanatus est, vt Iesum agnosceret, orans vt sibi cum illo esse liceret. Etenim vt apparet, timebat ne fortè elongatus à Iesu, à dæmonibus iterum inuaderetur, &c. Similem in modum Euthymius Marc. 5. Deprecabatur, inquit, Christum is, quià Dæmonio fuerat vexatus,

Marci 5. *Cur Dominus noluerit in suũ comitatum recipere sanitati restitutum dæmoniacũ.* *Theoph.*

vexatus, vt esset cum eo gratus simul, & dæmones timens, ne sine illo inuentus, rursus eis traderetur, &cet. Potuit hæc esse causa, simul & amor, quem erga Christum conceperat, & lux qua illustratus erat.

Luc. 8. REDI *in domum tuam, & narra, quanta fecit tibi Deus.* Noluit Dominus in discipulum hominem illum recipere, sed domum redire, patratumque miraculum prædicare iussit. *Euthym.* Euthymius Marc. 5. ait timore etiam dæmonum eum liberasse; Dimisit, inquit, eum abiecto sanè ab eo huiusmodi timore, quòd non auderent dæmones ad eum accedere, &c. Matthæi autem cap. 8. scribit idem auctor, Christum ex regione discessisse, reliquisse tamen incolis præceptores, tum porcorum pastores, qui miraculum viderant, tum hominem hunc, & alterum quoque socium, à quibus dæmones expulerat. Lege Chrysostomum homil. 29. Et quidem huic homini *Luc. 8.* præcepit Dominus; vt miraculum vulgaret: *Redi*, inquit, *in domum tuam, & narra quanta tibi fecerit Deus.* Obserua in his verbis Theophylact. Luc. 8. humilitatis documentum: Christus (inquit ille) non dixit, Narra quæcunque ego tibi fecerim; figuras nobis humilitatis tradens, vt omnia bona opera nostra Deo tribuamus. *Christus dat nobis humilitatis exemplum.* Et Euthym. Marc. 5. Non dixit Christus: *quanta tibi fecerim*; sed, *quanta Dominus tibi fecerit.* Patri miraculum ascribens, ac docens nos, vt egregia virtutum opera Deo tribuamus. Theophylactus, & Euthymius vocabulum, *Deus*, siue, *Dominus*, personaliter pro Patre sumunt. Sed sumi potest pro Deo trino, & vno; vel etiam personaliter pro Christo in hunc sensum: *Narra quanta tibi fecerit Deus*: hoc est ego qui Deus sum.

Luc. 8. ABIIT *per vniuersam ciuitatem, prædicans quanta illi fecisset Iesus.* Christus dixerat: *narra quanta tibi fecerit Deus*: ille dicto obtemperans, narrauit quanta illi fecisset Iesus, qui Deus est. Forsitan diuinitatis *Euthym.* suæ cognitione hominem illustrauit. Euthymius: Christus, inquit, modestiæ causa Patri miraculum tribuebat, qui autem curatus fuerat, cùm gratus esset, Christo ascribebat, &c. Dubium est, cur Christus *Christus cur hoc miraculū vulgari voluerit.* nonnullis præcepit, vt miracula tacerent, huic verò præcepit, vt miraculum factum vulgaret. Respondetur, huic præcepisse, vt miraculum vulgaret, quia in regione manebat trans Iordanem, in qua Christus non versabatur. At vbi versabatur, & plurima efficiebat miracula, vt humilitatis exemplum exhiberet, silentium postulabat. Prætereà etsi humilitas eximia opera silentio inuoluere vult: tamen caritas proximi, vt vulgentur aliquando postulat. Adde Christum etiam hìc humilitatis exemplum præbuisse, quòd non dixerit: *Narra quanta ego tibi fecerim*: vt obseruant Theophylactus, & Euthymius.

CAPVT XVIII.

Morale.

De dæmoniis expulsis in regione Gerasenorum,

TRANS mare nauigauit Christus, vt oppidum ab hostibus occupatum liberaret. erat enim homo ille energumenus Dei oppidum, sub hostium potestatem redactum, & à tartareorum militum legione possessum. Inuictus dux in terram appulit; illius aduentu, & potentia hostes perterriti repugnare non sunt ausi, oppidique statim fecerunt deditionem. Ab homine energumeno dæmones protinus discesserunt; ille verò ab hostium potestate ereptus ducem suum, & agnouit, & recepit.

A Obserua hoc loco dæmonem appellari legionem: *Quod tibi nomen est?* rogat Dominus. Respondet *Marci 5.* dæmon: *Legio, quia multi sumus.* Est hoc nomen militare; militat enim aduersus nos dæmonum legiones. Propterea in abyssum non mittuntur vt nobiscum prælientur, nobisque triumphos pariant. Vnde Origenes homil. 13. in librum Numerorum: Ob hoc, *Orig. Legio dæmonū dicitur nomine militari, quia nobiscum pugnant.* ait, Deus nō remouit diabolum à principatu sæculi huius, quia adhuc opus est opera eius ad perfectionem eorum, qui coronandi sunt. Opus est adhuc opera eius ad exercitia certaminum, & victorias beatorum, &c. Theophylactus Luc. 8. Petunt dæmones, ne in abyssum ingrediantur, sed in terra permittantur vltra versari, & Dominus permittit illos *Theoph.* B esse in terra, vt certamen habeant cum hominibus & probatiores illos reddant. Nam si non essent aduersarij, neque coronæ essent, &c. Isaiæ 54. ex sententia D. Hieronymi appellatur dæmon faber. *Ego* *Dæmō faber coronarum vocatur. Isaiæ 54.* (ait Dominus) *creaui fabrum sufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus suum*, &c. Faber hic non solùm sagittas, gladios, telaq; sibi; verùm etiam nobis coronas fabricatur, si vincimus; ardentes verò laminas, ignitásque sartagines, si vincimur. O miseros & infelices quos ille vincit!

Vide quæso horum hominum in dæmoniaco, de quo loquimur, imaginem. In hoc dæmonum legio habitabat, nec vestimento induebatur, vt Lucas scribit, nec in domo manebat, sed in monumentis. *Hominum flagitiosorū imago dæmoniacus.* C Vt verò Marcus ait, nec quisquam catenis illum poterat ligare, quoniam catenas disrumpebat, lapidibus se concidebat, & nemo eum domare poterat. En tibi hominis improbi effigiem. Flagitiorum in eo legio habitat: multis enim flagitiis est coinquinatus. Vestimentum & quidem pretiosissimum, videlicet gratiæ, caritatisque amictum abiicit, nudúsque coram Dei oculis incedit, veste illa nuptiali spoliatus, de qua Dominus rogat: *Quomodo huc intrasti,* *Matth. 22.* *non habens vestem nuptialem?* In domo non manet, quia *Cōscientia domus quietis.* (vt interpretatur Augustl. lib. 2. quæst. Euangelic. ca. 3.) in conscientia sua nō requiescit. Nam conscientia, omnis expers mortiferi sceleris, domus est ex *August.* sententia D. Augustini, in qua vir iustus magna in pace quiescit. In hac domo vir flagitiosus non habitat. habitat verò in monumentis mortuorúmque sepulchris, videlicet eodem Augustino interprete, in mortuis operibus, hoc est, peccatis delectatur. Chrysostomus verò homilia 29. in Matth. *Chrysost.* Sepulchra, inquit, sunt meretricū diuersoria, multo fœtore, & immunditia repleta. Item Theophy- *Theoph.* lactus sepulchra putat esse, mortuorū operum receptacula, vt prostibula, & alias scelerum officinas. *Mortuorū, id est, sceleratorū hominū ades sunt sepulcra.* Sepulchra mortuorum hominum sunt receptacula, quocirca loca omnia, in quæ mortui homines, id est, scelerati se recipiunt, ac conueniunt, sepulcha, siue monumenta dici possunt. Itaque ipsæ domus diuitum amplissimæ sepulchra sunt, si diuites E animo mortui sunt, id est, si gratia, quæ vita animi est, carent. Nam sepulchrum hominis mortui est receptaculum, domus verò illæ sic se habent. Prætereà lapidibus se cædebat Energumenus, at improbus, quod multò est peius, cædit seipsum, vt Chrysostomus ait, sceleribus, quæ lapidibus duriora asperiorâque sunt, nempe pugiones acutissimi, ac gladij.

Quis huiusmodi hominem ligare poterit? Quis induere? Quis domum reducere? Dæmoniacus ille catenas disrupebat, nemo illum poterat edomare. Sic vir sceleratus legis diuinæ vincula disrumpit, timoris & amoris cōpedes perfringit; minas, consilia, & hortationes negligit; denique nemo hominum potest illum edomare. Sed potest Deus, qui dæmoniacū edomuit. *Inuenerunt* (ait Lucas) *hominem* *Luc. 8.* *sedentem,*

Mutatio in ignis peccatoris.

sedentem, à quo dæmonia exierant, vestitum, ac sana mente ad pedes eius, scilicet Christi. Cùm Christus ab homine impio peccata pellit, eumque virtutum studio incendit; illum qui nudus incedebat, iam gratiæ præclarissima veste, præclarisque moribus veluti bombycino indumento splendetem, in domo, id est, conscientia, à criminibus expurgata habentem, sepulcra, hoc est, scelerũ officinas fugientem, nõ sceleribus veluti lapidibus, sed flagellis ob scelera commissa seipsum cædentem, domitum à Christo, atque ad eius crucifixi pedes sedentẽ inuenies. Hæc mutatio dexteræ excelsi. Sic mutat Deus.

Alia verò est dęmonis metamorphosis, siue mutatio. Quod veneficam illam Circem fecisse est in fabulis, id dæmon non fabulose facit: homines in porcos mutat. Externa quidẽ effigie homines, sed porcinis moribus multi videntur porci. Hæ sunt dæmonum domus, hæc receptacula. Petierunt illi à Christo, vt liceret sibi in porcos introire, illorum enim palatia porci sunt, id est, porcis immundis similes homines. Hinc illud Theoph. Matth. 8. Vbi est vita porcina, ibi non manet Christus, sed diabolus, &c. Euthym. Dæmones, inquit, ingrediuntur porcos, eos videlicet, qui irrationabiliter conuersantur, & in cœno voluptatũ volutãtur, &c. D. Augustin. in epist. Ioan. tract. 6. Certi mysterij gratia, & certa dispensatione dimisit Dominus dęmones ire in porcos; vt ostendat diabolũ in eis dominari, qui vitam porcorũ gerunt, &c. Porcus cælũ numquam aspicit, perpetuò terrã fodit, luto & fœtore delectatur, ventri est deditus, non ruminat. Sic homo libidinosus cælũ non curat, terrena quærit, lutũ, id est, voluptates corporis, criminumque fœtore amat, ventri seruit. Denique non ruminat, id est, æterna supplicia, tartareasque flãmas in quas ducitur, minime cõsiderat. Porcos appellauit Christus homines impios, cùm ait: *Neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Orig. hom. in Psal. 37. Porcos, inquit, appellat eos, qui peccatorum fœtoribus delectantur, sicut porci, qui fœtorẽ omnẽ tamquam odore suauissimum expetunt. Considera peccatorẽ, qui peccatis suis delectatur, & lętus est in malis suis, quoniã & ipse in stercore fœtido volutatur, & nullum fœtoris eius, qui ex peccati stercore redditur, percipit sensum, &c.

Theoph. Porcis delectatur dæmon. Euthym. Aug.

Porcina vita.

Matth. 7.

Sed quid tandem miseris hisce porcis cõtinget? Vide quæso illorũ supplicium hoc loco depictum: *Ecce,* ait Matth. *impetu abiit totus grex per præceps in mare,* &c. En tibi porcorũ finem. In mare, in abyssum; in profundũ illud tartari pelagus, magno impetu viri libidinosi, ceterique scelerati feruntur; tandemque in amarissimũ illum omnium calamitatum oceanum præcipitantur. Horũ porcorum finis est non cælum, sed macellum, id est, tartarus. Cùm pastores demersos viderunt sues, fugerunt, ait Euangelista. Si fidei oculis tot sues in tartaro videmus demersos, porcino; quęso fugiamus mores. Interdicta erat Iudæis caro porcina; nobis interdicta est non caro, sed vita porcina, quod illa interdictio adumbrabat, vt docet Lactan. lib. 4. de relig. c. 17. Interdixit, ait, Iudæis Deus, ne porcina carne vterentur, id est, ne vitam porcorũ imitarentur, qui ad solam mortem nutriuntur. Ne ventri, ac voluptatibus seruientes, ad faciendam iustitiam inutiles essent, ac morte afficerentur. Item ne se fœdis libidinibus immergerent, sicut sus, quæ se ingurgitat cœno. Hæc ille.

Matth. 8. Finis impiorum tartarus.

Lactan. Vita porcina fugienda.

Aug. Dæmon nemine ledere potest, nisi à Deo permittatur. Beda.

Obserua præterea diabolum neminẽ posse lædere, nisi à Deo permittatur. Qui porcis nisi permissus nocere non potuit, multo minùs Christianis, nisi Deus habenas laxet, nocere poterit. Aug. Ps. 96. Si posset aliquid diabolus, nullus nostrũm remaneret. Tantùm facit, quantùm permittitur, &c. Beda

A Luc. 8. Notandum, inquit, quòd spiritus immundi nec in porcos irent, nisi hoc illis petentibus Saluator concederet, rem necessariã docere nos volens, vt scilicet nouerimus eos multò minùs sua potestate posse nocere hominibus, qui nec pecoribus potuerũt, &c. D. Greg. lib. 2. Moral. c. 6. Qui per semetipsum ire in porcos non poterat, quid mirum si sine auctoris manu contingere viri sancti, id est, Iob, domum non valebat? &c. Et lib. 32. c. 19. Quantæ sit infirmitatis diabolus, Euangelista testante describitur. Quia nec manere in obsesso homine potuit, nec rursus inuadere bruta animalia nõ iussus præsumpsit. Si potestas summa licentiam non præberet, nec grassari in porcorũ gregẽ valeret. Quando ergo iste sua sponte hominibus ad Dei imaginẽ

B factis nocere audeat, de quo constat, quòd nõ iussus, cõtingere nec porcos præsumat? &c. Nõ sunt ergo dæmones timẽdi, sed timẽdus Deus: qui dæmonum vires sęuitiamq; in potestate habet. Vnde D. Greg. lib. 2. Moral. cap. cit. ait: Formidari non debet, qui nihil nisi permissus valet. Sola vis illa tremenda est, quæ cum hostem sæuire permiserit, ei ad vsum iusti iudicij, & iniusta illius voluntas seruit. Quod dæmon facere inique appetit, hoc Deus fieri non nisi iuste permittit, &c.

Greg.

Timendus Deus non dæmon. Greg.

D. Aug. tract. 6. epist. Ioan. obseruat dæmones esse exauditos, cùm petierunt, vt sibi Iob tentare, & in porcos liceret ingredi. Paulum autẽ non esse exauditum, cùm petiit, vt carnis ab eo stimulus auferretur: tũ exauditiones Dei discernit, hũc in modum:

Aug.

2. Cor. 12.

C Inueniums, inquit, quosdã nõ exauditos ad voluntatẽ, exauditos ad salutẽ, & rursus quosdam inuenimus exauditos ad voluntatẽ, & nõ exauditos ad salutẽ. Paulus ad salutẽ exauditus est, ad voluntatem non est exauditus; diabolus exauditus est ad voluntatẽ, sed ad damnationẽ, &c. Addit per correctionẽ: Imo Apostolus exauditus est, dęmones nõ sunt exauditi. Dæmonũ volũtas facta est: Pauli sanitas perfecta est. Deus etsi volũtati nostrę nõ dat, saluti dat. Nõ fit quod vis, sed fit quod tibi expedit; nõ te exaudit ad volũtatẽ, sed exaudit ad sanitatẽ. Sic Aug.

Deus non exaudit ad voluntatẽ, sed ad sanitatem.

Denique homo ille à dæmonum liberatus legione euulgare iussus est acceptum beneficium: *Redi,* ait Dominus, *in domum tuam, & narra, quanta tibi fecit*

D *Deus.* Ille verò grato id præstitit animo. *Abiit per vniuersam ciuitatem,* ait D. Lucas, *prædicans quanta illi fecisset Iesus.* Marcus verò non in ciuitate solùm, sed in regione etiam quæ à numero decem ciuitatũ Decapolis dicebatur, beneficium prædicasse scribit. Hoc grati est animi, accepta à Deo beneficia meminisse, extollere, prædicare. Præclarũ est (ait Cæsarius initio decalogi primi) in prædicatione diuinorum operum ad omnes illustrẽ, ac perpetuò vocalem esse, &c. Et ait Angelus: *Opera Dei reuelare, & confiteri honorificum est.* Item ad illos qui Dei magno beneficio erant ornati: *Vos,* ait, *benedicite Domino, & narrate omnia mirabilia eius,* &c. Ad hanc diuinorum

E beneficiorum celebrationẽ hortatur intercalaris ille versus sæpe repetitus: *Confiteantur Domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filiis hominum.* Hoc est, misericordiæ Dei, beneficia Dei in homines ex misericordia magna collata, laudent Deum; & ipsa mirabilia eius opera hominibus præstita, illum prædicent. Non sint muta in nobis Dei beneficia, sint maxime vocalia, magna voce clament, & Deo confiteantur. Sequitur in Psalmo: *Et exaltent eum in Ecclesia plebis, & in cathedra seniorum laudent eum.* Hoc est, ipsæ Dei misericordiæ, ipsa accepta beneficia, exaltent Deum in Ecclesia, id est, in magno hominum cœtu, palàm coram populo congregato, & in cathedra seniorum, id est, in confessu grauissimorum magistratuum & sapientium.

Ibid.

Dei beneficia extollẽda & prædicanda.

Tobiæ 12.

Psal. 106.

Beneficia Dei muta esse non debent.

Præterea

Præterea volebat homo à dęmone liberatus eſſe cum Chriſto. *Rogabat eum*, ait Lucas, *vt cum eo eſſet*. Sed Dominus prædicare illum iuſſit patratum miraculum. Eumdem in modum vir contemplationi cæleſtium rerum deditus, cum Chriſto eſſe cupit; ſed prædicare populo iubetur Dei opera, iuſtitiam, miſericordiam, &c. D. Gregor. lib. 6. Moral. cap. 17. Cùm quamlibet parum de diuina cognitione percipimus, redire ad humana iam nolumus, & proximorum neceſſitatibus onerari recuſamus, quietem cõtemplationis quærimus, nihilque aliud niſi hoc, quod ſine labore reficit animũ, amamus. Sed ſanatos nos veritas ad domum mittit, narrare, quæ nobiſcũ acta ſunt, præcipit. Vt videlicet mens priùs deſudet in opere, & poſtmodum refici debeat per contemplationem, &c. Lege Bedam Lucæ c. 8.

Luca 8.

Dei beneficia prædicare neceſſe eſt. Greg.

CAPVT XIX.

De paralytico in Capharnaum reſtituto ſanitati.

MATTH. CAP. IX.

ET aſcendens in nauiculam transfretauit, & venit in ciuitatem ſuam. Et ecce, offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Et videns Ieſus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra ſe: Hic blaſphemat. Et cùm vidiſſet Ieſus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris? Quid eſt facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata tua; an dicere: Surge, & ambula? Vt autem ſciatis, quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et ſurrexit, & abiit in domum ſuam.

MARC. CAP. II.

ET iterum intrauit Capharnaum poſt dies. & auditum eſt quòd in domo eſſet, & conuenerunt multi, ita vt non caperet neque ad ianuam, & loquebatur eis verbum. Et venerunt ad eum ferentes paralyticum, qui à quatuor portabatur. Et cùm non poſſent offerre eum illi præ turba, nudauerunt tectum vbi erat, & patefacientes ſubmiſerunt grabatum, in quo paralyticus iacebat. Cùm autem vidiſſet Ieſus fidem illorum, ait paralytico: Fili, dimittuntur tibi peccata tua. Erant autem illic quidam de Scribis ſedentes, & cogitantes in cordibus ſuis: Quid hic ſic loquitur? blaſphemat. Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus? Quo ſtatim cognito Ieſus ſpiritu ſuo, quia ſic cogitarent intra ſe, dicit illis: Quid iſta cogitatis in cordibus veſtris? Quid eſt facilius dicere paralytico: Dimittuntur tibi peccata, an dicere: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula? Vt autem ſciatis, quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico, tibi dico: Surge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam. Et ſtatim ſurrexit ille: & ſublato grabato, abiit coram omnibus, ita vt mirarentur omnes, & honorificarent Deum, dicentes: Quia numquam ſic vidimus.

LVC. CAP. V.

ET factum eſt in vna dierum, & ipſe ſedebat docens. Et erant Phariſæi ſedentes, & legis doctores, qui venerant ex omni caſtello Galilææ, & Iudææ, & Ieruſalem: & virtus Domini erat ad ſanandum eos. Et ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus, & quærebãt eum inferre, & ponere ante eum. Et non inuenientes, qua parte illum inferrent præ turba, aſcenderunt ſupra tectum, & per tegulas ſummiſerunt eum cum lecto in medium ante Ieſum. Quorum fidem vt vidit, dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua. Et cœperunt cogitare Scribæ & Phariſæi, dicentes: Quis eſt hic, qui loquitur blaſphemias? Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus? Vt cognouit autem Ieſus cogitationes eorum, reſpondens, dixit ad illos: Quid cogitatis in cordibus veſtris? Quid eſt facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata, an dicere: Surge, & ambula: Vt autem ſciatis, quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata (ait paralytico) tibi dico, Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et confeſtim conſurgens coram illis, tulit lectum, in quo iacebat: & abiit in domum ſuam, magnificans Deum. Et ſtupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum. Et repleti ſunt timore, dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie.

IVIT ad Geraſenos Dominus, vt dæmoniacos duos à dæmoniis liberaret; rogatus vt diſcederet, ſcapham conſcendit, reuerſuſque in ciuitatem Capharnaum, oblatum ſibi paralyticum ſanitate admirabiliter donauit.

Geſtorum ordo. Hic geſtorum ordo colligitur ex Matthæo. Placet D. Auguſtino libro ſecundo de conſenſu Euangeliſtarum, Cardinali Baronio in annalibus, Abulenſi Matthæi 9. Ianſenio & aliis. Marcus capite quinto, & Lucas octauo, videntur ſignificare poſtquam Chriſtus à Geraſenis rediit, rogatũ ab Archiſynagogo, vt quam vnicam habebat filiam in extremo exiſtentem ſpiritu, ſanitati reſtitueret. Sed vt Auguſtinus ait, Matthæus ordinẽ temporis ſeruauit, priuſque Dominus paralyticum, quàm Archiſynagogi filiam incolumẽ reddidit. Id quod probatur hunc in modum. Poſt paralytici curationem, vt conſtat ex Matthæo, Marco, & Luca, Dominus Matthæum

Matth. 9. vocauit. *Cùm tranſiret* (inquit Matthæus) *inde Ieſus, vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi, Sequere me.* Cùm trãſiret, inquit, inde, id eſt, ex loco, in quo paralyticum ſanauerat, vidit Matthæum,

Luca 5. & vocauit Et Lucas: *Poſt hæc*, id eſt, poſt ſanatum paralyticum, *vidit publicanum nomine Leui*, &c. Matthæus vocatus conuiuio Chriſtũ excepit; poſt conuiuium illa orta eſt quæſtio diſcipulorum Ioannis Baptiſtæ:

Matth. 9. *Quare nos & Phariſæi ieiunamus frequenter, diſcipuli autem tui non ieiunant?* cui Chriſtus reſpondit. Subiicítque

Ibid. Matthæus capite nono. *Hæc illo loquente ad eos*, id eſt, cùm reſponderet diſcipulis Ioannis, & aliis, *Ecce princeps vnus acceſſit*, &c. Hic Archiſynagogus erat. Efficitur ergo Archiſynagogi filiam ſanitati eſſe reſtitutam poſt vocationem Matthæi, & quæſtionem illam diſcipulorum Ioannis. His autem prior eſt paralytici ſanatio, vt oſtenſum eſt; ergo paralyticum Archiſynagogus non præcedit. Marcus verò, & Lucas ordinem temporis non ſunt ſecuti, cùm poſt reditum Chriſti è regione Geraſenorum Archiſynagogum ad eum veniſſe narrant. Præceſſerunt enim ea, quæ diximus; quæq; narrationi Marci & Matthæi inſerenda ſunt. Nam, vt Auguſtinus ait loco indicato, Euangeliſtæ in multis prætermittunt

Euangeliſtæ in multis media prætermittunt. media, tamquam hoc continuò ſequatur, quod ſine vlla prætermiſſionis ſuæ ſignificatione ſubiungunt, & cetera.

Matth. 9. TRANSFRETAVIT, *& venit in ciuitatem ſuam.* Ex regione Graſenorum, quæ trans Iordanem, & trans lacum, ſiue mare Galilææ erat, tranſfretaſſe nunc dicitur Dominus, & veniſſe in ciuitatem ſuam, quæ erat cis Iordanem, & cis lacum. Dubium eſt, quamnam appellet Matthæus ciuitatem Chriſti? Diuus Hieronymus, Druthmarus & Abulẽſis, Nazareth appellari putant. Etenim Chri-

Quæ dicatur ciuitas Chriſti. ſti ciuitas, & patria Nazareth erat. Diuus Auguſtinus libr. 2. de conſenſu Euangeliſtarum, cap. 25. vult Galilæam poſſe dici ciuitatem Chriſti, quia in Galilæa erat Nazareth. Rectiùs Chryſoſtomus, Euthymius, & Theophylactus. Chriſti ciuitatem hoc loco Capharnaum appellari cẽſent; etenim in Capharnaum relicta Nazareth habitabat, vt ait Matthæus capite 4. quæ habitatio effecit, vt patria Chriſti dicatur. Propriam hîc ciuitatem Chriſti (ait Chry-

Chryſoſt. Capharnaum ciuitas Chriſti hic dicitur. ſoſtomus) Capharnaum appellauit Euangeliſta. Bethlehem enim ipſum tulit; Nazareth educauit; ſed Capharnaum perpetuum ipſius erat habitaculum, &c. Probatur ex Marco. Is enim paralyticum in Capharnaum ſanatum ait; ergo Matthæus Chriſti ciuitatem, in qua Chriſto paralyticus oblatus eſt, Capharnaum vocat. Auguſtinus ait dici poſſe, priùs in ciuitatem ſuam veniſſe, id eſt, Nazareth,

Aug. poſteà petiiſſe Capharnaum, atque in ea paralytico ſanitatem præſtitiſſe, idem dixit Druthmarus. Sed id dicere non eſt opus, ait enim Matthæus Chriſtum veniſſe in ciuitatem ſuam, id eſt, in ciuitatem, in qua habitabat, quam habitationi delegerat, videlicet, Capharnaum. Marcus ſic ſcribit: *Iterum intrauit Capharnaum poſt dies*, Nam poſt introitum illum in Capharnaum, de quo eodem capite Marcus egit, nóſque egimus ſuprà cap. 7. huius libri, Chriſtus docẽdo oppida Galilææ percurrit. Poſt dies autem, id eſt, poſt dies multos iterum Capharnaum venit. Aliqua exemplaria habent, *Iterũ intrauit Capharnaum poſt dies octo.* Sed vera lectio, & in bibliis correctis probata numero illo definito caret. Plures enim quàm octo dies Dominus percurrendis docendo oppidis impendit.

Marci 2. ET *conuenerunt multi, ita vt non caperet, neque ad ianuam.* Ad audiendum cæleſtem concionatorem, & miraculorum patratorem, magnus hominũ concurſus factus eſt. *Conuenerunt multi* (ait Marcus) *ita vt vt non caperet, neque ad ianuã*; hoc eſt, tanta hominum confluxit multitudo, vt non caperet eos, videlicet domus, ſed neque loca ea quæ ad ianuam, hoc eſt, prope ianuam erant, illos capere potuere. Græcè, ὥστε μηκέτι χωρεῖν μηδὲ τὰ πρὸς τὴν θύραν. Hoc eſt, *vt non amplius capere neq; quæ ad ianuã.* Noſter interpres vertit recte; *ita vt non caperet, neque ad ianuam.* Aliqui legunt, *Vt non caperent.* Sed cor recta editio, *Caperet*, docet legendum. Senſus enim eſt, Ita vt nõ caperet domus, neque ea, quæ iuxta ianuam erant loca. Aderant inter auditores Phariſæi, vt Lucas ſcribit, & legis Doctores qui venerãt ex omni caſtello, id eſt, vico, Græcè κώμη, Galilææ, & Iudææ, & Ieruſalem: *Et virtus* inquit, *Domini*, id eſt potentia, *erat ad ſanandum eos.* *Luca 5.* Vnde colliges præter paralyticum alios ægrotos eſſe nunc ſanatos, quorum Euangeliſtæ ſigillatim non meminerunt. Meminerunt autem paralytici, quoniam inſigne fuit hoc miraculum.

Præter paralyticum alij ſunt ſanati.

Non poterat ille ad Chriſtum venire morbo impeditus, à quatuor viris adductus eſt, vt Marcus ait. Cùm ad domum acceſſiſſent, obſtructum vident aditum. Quid facerent? aditumne ſibi concedi peterent? at fruſtra ſe petituros ſunt arbitrati. Rem igitur adoriuntur admirandam, in tectum domus conſcendunt, tegulis nudant; perfodiunt; vt Marcus ait. Quo enim loco nos legimus, *patefacientes tectum*, Græce legitur, ἐξορύξαντες, id eſt, *effodientes*. Nam effodiendo patefecerunt, latóque foramine patefacto, cubantem in lectulo paralyticum ante Chriſti oculos funibus magna cum omnium admiratione demiſerunt. Quid contigit vmquam ſimile? Noluerũt eò vſque expectare, quouſque turba abſcederet; ſed ad ſanitatem ipſo patefacto tecto feſtinarunt, aditúmq; ad Chriſtum admirabiliter aperuerunt. Impedimẽto erat domus & hominum turba: ſed, vt ait D. Bonauentura Lucæ 5. Veram fidem impedimenta non retrahunt, ſed accendunt, &c.

Marci 2.

Verã fidem impedimenta nõ retrahunt ſed accendunt.

Obſeruat Caietanus Marc. 2. hanc domum non habuiſſe ſolarium, vt aliæ Palæſtinæ habere ſolebant, ſed opertam fuiſſe tegulis. Sub tegulis tamen habuiſſe aliquid quod oportuerit frangi, videlicet ligna. At Marcus ait, perfoſſum eſſe tectum, non fractum. Videtur ego domus aliquid habuiſſe, quod perfodi debuerit. Fortè ſolarium erat in domo illa propter pluuiam tegulis coopertũ, quas portitores paralytici remouerunt, ſolariumque ipſum perfoderunt. Admiror ſanè horum hominum factum, ſed ipſos etiam admiror, qui in domo, & circa domum erant, quòd tectum perfodi non prohibuerint. At cùm Chriſtus non prohiberet, nec illi prohibebant, ſed miraculum expectabant. Miraculi videndi cupiditas, ne impedirent cauſa erat.

Marci 2. CVM *vidisset fidem illorum.* Respexisse Christum horum hominum fidem indicant Euangelistę. D. Hieronymus arbitratur vidisse Christum fidem illorum, hoc est portitorum, non autem paralytici: Videns, inquit, Iesus non eius fidem, qui offerebatur, sed eorum qui offerebant, &c. & glossa interl. Videns fidem illorum, non væcordiam ægri, &c.

Chrysol. Item D. Chrysologus Sermone 50. Meritò Christus operantium, id est, portitorum fidem respicit; & væcordiam respicit sic iacentis, id est, paralytici.

Haymo. Haymo: Non dicit Euangelista Dominum respexisse ad fidem illius, qui offerebatur, sed ad fidem illorum, qui offerebãt, Quia credebant, Dominum potuisse eum sanare, &c. Satiùs est intelligere, Christum vidisse fidem illorum omnium, tam portitorum, quàm paralytici. Verisimile enim est paralyticum ab aliis, vt ad Christum adduceretur, petiisse.

Magna fides portitorũ & paralytici ipsius fuit.

Chrysost. vnde Chrysostomus homilia 30. in Matthæum:

Matth. 9. *Videns*, inquit, *fidem illorum*, qui demiserunt; vel potius morbo etiam laborantis hìc fides erat. Nam nisi paralyticus ipse credidisset, demitti profectò non voluisset, &c. Euthymius. *Videns*, ait, *fidem illorum*, non solùm demittentium, sed eius quoque, qui demissus est, scilicet paralytici, & cetera. Forsitan Euangelistæ de fide tantùm portitorum loquuntur, sed paralyticum quoque fidem habuisse credibile est.

Magna fuit lo ũ hominum fides. Euthym. Magnam autem fuisse hanc fidem ostendit ipsum factum. Ascenderunt in tectum (ait Euthymius) eóque perfosso, per ipsum demiserunt grabatum, quæ omnia magnæ fidei erant. Hæc namque illis ne desperarent persuasit, vtque omnia & facerent, & paterentur, quò paralyticum in conspectu saluatoris præsentarent; credentes continuò illum assecuturum esse sanitatem. Sic ille.

Chrysost. Magnam fidem cum inusitato coniunctam opere, magnum secutum est miraculum. Quoniam (ait Chrysostomus) tãta illi fide aduenerunt, propterea Dominus quoque virtutem suam magis ostendit; summa cum potestate à delictorum vinculis paralyticum dissoluens, &c.

Theoph. Theophylactus Marci 2. Magna fuit illorũ fides, vt & tectũ aperirent, & demitterent, idcirco Dominus sanat eorum fidem. Fide, inquam, tam eorum, qui paralyticum gestauerant, quàm paralytici ipsius. Etenim ipse non permisisset se tolli, nisi sanandum se credidisset, & cetera.

Matth. 9. Christi benignitas. FILI, *remittuntur tibi peccata tua.* Filium appellat paralyticum, ex diuina quadam benignitate, & cordis teneritudine. Videtur fuisse prædestinatus, quem filium Dominus vocat. Abulensis in hæc verba sic scribit: Filium vocauit paralyticum Christus, ad ostendendam benignitatem suam. Erat enim tam dulcis in verbo, & in tota vitæ conuersatione, quòd ad omnes se habebat, vt ad filios, neminem contemnens, sed omnes diligens. Sicut pater contemnere non potest filium, qualiscumque ille sit, &c.

Hieron. Hic Hieronymus sic exclamat: O mira humilitas! despectum & debilem, totis membrorum compagibus dissolutum, filium vocat: quem sacerdotes non dignabãtur attingere.

Haymo. Haymo Matthæi 9. Filium vocat, quia dimissa fuerunt ei peccata multa. Ille verò filius Dei est, cui peccata dimittuntur, &c. Sunt autem verba hæc summa consolatione plena.

Criminum remissio magna est in hac vita consolatio. Quæ enim res maiorem animo consolationem afferre in hac vita potest, quàm criminum remissio & Dei gratia? Ex diuino dono habuit hic paralyticus cordis contritionem, & peccatorum omnium remissionem. Nec enim Deus dimidiatam donat veniam.

Aiunt autem huius loci interpretes sacri, sanitatem propter portitores ægro donatam à Christo. Glossa ordinaria Matthæi 9. Quantum valet apud Deum fides propria, apud quem sic valuit aliena, vt intus & extra, sanaret hominem? &c.

Christus paralytico tulit opem, propter portitores.

Ambr. Ambrosius Lucæ 5. Magnus, inquit, Dominus, qui aliorum merito, ignoscit aliis, &c.

Chrysol. Chrysologus sermone 50. Christus merito operantium fidem respicit, & væcordiam respicit sic iacentis; vt fidei alienæ suffragio paralytici anima ante curaretur, quàm corpus, &c.

Haymo. Haymo Matth. 9. Considerandum est, quantùm valeat vniuscuiusque fides ad promerendum salutem, si tantum valuit fides aliena, vt Dominus totum hominem interius exteriusque sanaret, &c.

Theoph. Theophylactus Marci 2. Sæpe Christus propter afferentis fidem sanat eos qui afferuntur incredulos; sæpe etiam è diuerso, propter eum, qui affertur, etsi increduli sint, qui afferunt, &c. Dicendum verò est, paralyticum etiam habuisse fidem; à fide tamen illorum, à quibus est oblatus, fuisse adiutum, ad consequendum Christi auxilium, quo contritionem animo conciperet, animique & corporis sanitatem adipisceretur. Aduerte salutem animi absque caritate, & operibus, per fidem minimè comparari.

Fides nuda nõ iustificat. Non enim iustificat fides nuda. Nescimus autem an hi paralytici ductores fidem habuerint nudam & informem, an caritatis aurea veste amictam. Si informi fide præditi erant, potuit misericors Dominus ipsam, etsi informem fidem respicere, & propter eam paralytico opitulari; quemadmodum eleemosynas respicit, quæ in peccato pauperibus donantur; & manum pauperum inopiæ porrigentibus, manum & auxilium ipse porrigit, vt à peccato resurgant.

Peccata sũt morborum causa. Obseruant item interpretes, peccata morborum esse causas, ideoque Christum priùs peccata paralytici, veluti morbi radices exstirpasse; deinde sanitatem contulisse.

Glossa. Glossa ordin. Matthæi 9. Ecce modus curationis; priùs dimittit peccata, tollens causam morbi, pòst curat corpus, &c.

Hieron. D. Hieronymus: Datur nobis intelligentia, propter peccata pleraque euenire corporum debilitates. Et idcirco forsitan dimittuntur prius peccata, vt causis debilitatis ablatis, sanitas restituatur, &c.

Haymo. Haymo: Curaturus Dominus hominem à paralysi, primùm dimisit ei peccata. Quare? vt demonstraret propter peccata præterita esse percussum infirmitate corporali, &c.

Theoph. Theophylactus; Declarans, quòd paralysis ex peccatis esset, primùm soluit peccatum, &c. Item Euthymius: Primùm peccata dimittit, deinde corpus sanat. Simul docens plurimos morbos à peccatis oriri, & priùs oportere causam curare, &c.

Basil. D. Basilius quæst. 55. fusiùs disp. Morbi, inquit, sæpenumero veluti quædam peccatorum flagella sunt, quibus nihil aliud agitur, nisi vt vitam nostram in melius commutemus, &c.

Marci 2. Luc. 5. Christi diuinitas demonstratur pluribus modis. QVIS *potest dimittere peccata nisi solus Deus?* Tribus rebus demonstrat Christus diuinitatem suam hoc in loco, primùm dum peccata remittit: deinde dum cogitationes in corde latentes intuetur, atque aperit: tertiò, cùm paralyticum absque alicuius nominis inuocatione, auctoritate propria & potestate sanat. Quod ad primum attinet, ipsi etiam Pharisæi & Scribæ asserunt, Deo esse proprium peccata remittere: *Cœperunt*, ait Lucas, *cogitare Scribæ & Pharisæi dicentes: Quis est hic qui loquitur blasphemias? quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Beda Lucæ 5. Verum, inquit, dicunt Scribæ, quia nemo dimittere peccata nisi Deus potest; qui per eos quoque dimittit, quibus dimittendi tribuit potestatem. Et ideo Christus verè Deus

Luc. 5.

Beda.

esse

eſſe probatur, quia dimittere peccata quaſi Deus poteſt, &c. Nemo poteſt peccata remittere niſi Deus: Chriſtus autem hoc loco non ſolùm peccata remittit, ſed etiam miraculo probat ſe poteſtatem habere peccata remittendi: ergo apertè probat ſe eſſe Deum.

Matth. 9. *Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Probat item ſe eſſe Deum Chriſtus, cogitationes in corde abditas intuendo. Cùm enim Phariſæi atque Scribæ, cogitare cœpiſſent, vt Lucas ait, dicentes *Luca 5.* in corde ſuo: *Quis eſt hic qui loquitur blaſphemias?* &c. Chriſtus: *Vt quid*, inquit, *cogitatis mala in cordibus veſtris?* Videbat ergo corda, cordiumque cogitationes intuebatur. Vnde Matthæus ait: *Cùm vidiſſet cogitationes eorum.* Hoc autem Dei proprium eſt. 2. Paralipomenon & 3. Reg. *Tu ſolus noſti corda filiorum hominum.* Ierem. *Prauum eſt cor hominis & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? ego Dominus ſcrutans cor,* &c. Sap. *Deus cordis ſcrutator eſt verus.* Actor. *Tu Domine qui corda noſti omnium,* &c. Ergo Chriſtus hoc loco Deum ſe eſſe probauit. Chryſoſtomus homilia 30. in Matthæum: Æqualem, ait, Patri ſe oſtendit Chriſtus, qui, quæ Phariſæi & Scribæ ſecum cogitabant reuelauit, &c. D. Hieronymus Matthæi 9. Dominus videns cogitationes eorum, oſtendit ſe Deum, qui poſſit cordis occulta cognoſcere. Et quodammodo tacens loquitur. Eadem maieſtate & potentia, qua cogitationes veſtras intueor, poſſum & hominibus peccata dimittere, &c. Theophylactus: Vel ex hoc, quòd cogitationes reſciuit, oſtendit ſe Deum, &c. Euthymius: Aliud ſignum ſuæ diuinitatis oſtendit, cognoſcendo cogitationes cordium, &c. D. Chryſologus ſermone 50. Cape Chriſti diuinitatis inſignia, adſpice eum ad cogitationum tuarum latebras peruenisſe, &c.

Deus ſolus intuetur cogitationes. *2. Par. 6. & 3. Reg. 8.* *Ierem. 17.* *Sap. 1.* *Act. 1.* *Probat Chriſtus ſe Deũ eſſe.* *Hieron.* *Theoph.* *Euthym.* *Chryſol.*

Qua Chriſtus ſcientia cogitationes cognoſceret. Aduerte autem hoc loco Chriſtum cogitationes hominum cognouiſſe & cognoſcere, ſcientia diuina, ſcientia quoque beata, & ſcientia infuſa. Sed cognitio hæc propria eſt diuinitatis, cùm Dei ſit proprium animi inſenſa intueri; à diuinitate verò in Chriſti animam emanauit. Quando verò ſic argumentantur Patres; Chriſtus videbat cogitationes hominum; ergo Deus eſt; de diuina ſcientia ſunt intelligendi.

Angeli non poſſunt cogitationes cognoſcere. Scotus 2. d. 9. quæſt. 1. & 2. & quidam alij Theologi, ſentiunt Angelos, vt animas cognoſcunt, ſic etiam hominum cogitationes, ac volitiones naturali intellectus ſui vi poſſe cognoſcere; aiunt tamen actu minimè cognoſcere, quòd Deus concurſum eam in rem deneget. Sed ſentiendum eſt cum D. Thom. 1. parte, quæſt. 57. art. 4. Angelos vi intellectus propria cogitationes cognoſcere non poſſe: idque proprium diuini eſt intellectus, vt exiſtimant Patres. Animæ enim interni actus eius ſunt naturæ, vt ſoli Deo, & ipſi homini, in quo ſunt, pateant: niſi ſigno aliquo ipſe patefaciat.

Matth. 9. *Luca 5.* QVID *eſt facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata; an dicere: Surge, & ambula?* Poteſtatem ſe habere peccata remittendi, Deumque eſſe probat viſibili miraculo. Peccatorum remiſſio paralytico conceſſa non cernebatur: miraculum adhibet, quod cernatur: vt viſibili miraculo poteſtatem probet ſe habere inuiſibilem. *Quid eſt*, inquit, *facilius*, ô Phariſæi, *dicere* paralytico: *Remittuntur tibi peccata; an dicere: Surge, & ambula?* dicetis eiuſdem facilitatis opus vtrumque apud Deum eſſe: apud homines verò vtrumque impoſſibile. Vtrumque enim eſt opus Dei proprium, tam peccata verbo remittere, quàm paralyticum propria poteſtate verbo ſanare. Vt igitur ſciatis me Filium hominis habere in terra poteſtatem remittendi peccata, quam non perſpicitis: paralytico ſanitatem reddam, quam ipſis oculis perſpicietis. Opus viſibile oſtendet poteſtatem inuiſibilem. His dictis ſanitatem paralytico contulit.

Aliter: *Quid eſt facilius*, &c. Vos facilius eſſe iudicabitis dicere: *Remittuntur tibi peccata*: eò quòd peccatorum remiſſio res ſit occulta, & à ſenſu remota, nec ſcire poſſitis, an ſint peccata paralytico remiſſa. Facileque eſſe dicetis, in re inuiſibili homines fallere. Dicere verò paralytico: *Surge, & ambula.* idque effectu præſtare, exiſtimabitis eſſe difficilius: propterea quòd res hæc ſit omnibus manifeſta, in qua nemo valeat decipi. Ex opere ergo manifeſto, & quod dictu cum effectu eſt difficilius, occultum opus & dictu facilius confirmabo. Dixit; & paralytico ſalutem præſtitit. D. Hieronymus Matth. 9. Vtrùm paralytico ſint peccata dimiſſa, ſolus nouerat, qui dimittebat; *Surge autem, & ambula.* tam ille, qui conſurgebat, quàm ij, qui conſurgentem videbant, approbare poterant. Fit igitur carnale ſignum, vt probetur ſpirituale. Quamquam eiuſdem virtutis ſit, & corporis, & animæ vitia dimittere, &c. Chryſoſtomus: Quoniam alterum latet, alterum patet: quod manifeſtius eſt adiicit; vt illud inuiſibile confirmatius, certiuſque adhuc manifeſtè reddatur, &c. Theophylactus: Iuxta veſtram, ô Phariſæi, ſententiam facilius videtur remittere peccata, vt obſcurum & non reprehẽſibile, quamuis difficilius ſit. Sanare autem corpus paralytici difficilius, vt apparet, videtur: quamuis natura facilius. Etenim ego hoc & illud faciam. Et idcirco ſanabo corpus paralytici, quæ res vobis difficilior videtur, vt credibilem vobis faciam, & animæ ſanationem, quæ difficilior eſt; quamuis vobis quia non videtur, facilis videatur, &c.

Eiuſdẽ virtutis eſt & corporis & animi vitia dimittere. *Theoph.*

Idem Theophylactus Marci 2. ait, Phariſæos forſitan dixiſſe, Chriſtum quòd non poſſet paralytico ſanitatem viſibilem conferre, ad inuiſibilem confugiſſe peccatorum remiſſionem; facileque eſſe donare, quod nemo an donetur, cernit. Inde ortam Chriſti interrogationem: *Quid eſt facilius dicere*, &c. Ipſius verba adſcribam, Phariſæi, ait, fortaſſis talia cogitabant; Ecce hic, vt euadat, ne curet corpus, quod eſt in manifeſto: prætexit, quòd curet animam, quæ eſt in occulto. Omnino enim ſi poſſet ſanare corpus, non confugeret ad id quod ignoramus. Quocirca Saluator oſtẽdens ſe vtrumque poſſe, ait, *Quid eſt facilius*, &c. Similem in modum Cardinalis Caietanus Matthæi 9. Cogitabant, inquit, Scribæ facile eſſe dicere: *Remittuntur tibi peccata*: quia hoc quilibet dicere poteſt, exiſtente occulta veritate dicti. Nullus enim homo poteſt eſſe teſtis, an hoc dictum ſit verum. Apparet enim quoſdam Scribas interpretatos illa verba, *Remittuntur tibi peccata*, dicta eſſe à Chriſto auctoritatiuè ac ſi dixiſſet: Remitto tibi peccata; & propterea dixiſſe in corde: *Hic blaſphemat.* Quoſdam autem Scribas cogitaſſe, quòd artificioſè Dominus dixiſſet: *Remittuntur tibi peccata*; & non dixiſſet: *Surge, & ambula*: quia facile eſt dicere: *Remittuntur tibi peccata*; difficile autem dicere: *Surge, & ambula.* Illius enim veritas occulta eſt; iſtius autem veritas oportet quòd ſit manifeſtiſſima. Et propterea Chriſtus vtraque malè cogitata in cordibus Scribarum confutat: producendo in publicum eorum cogitationes, de comparatione horum duorum: ſcilicet, *Remittuntur tibi peccata*: an dicere: *Surge, & ambula.* Hæc Caietanus.

Idem. *Caietan.* *Matth. 9.*

Veriſimilius eſt Scribas ſolùm interna animi locutione dixiſſe: *Hic blaſphemat*: ſiquidem id, quod Deo proprium eſt, videlicet peccata remittere, ſibi attribuit. Hoc enim cogitaſſe Euangeliſtæ ſcribunt, & huic cogitationi Chriſtum reſpon-

Cogitatio Scribarum de ſola fuit peccatorum remiſſione.

dísse aiunt; non autem illi, quam Theophylactus, & Caietanus excogitarunt. Neque verò videtur probabile Pharisæos cogitasse, Dominum, quòd curare non valeret corpus, ad inuisibilem peccatorum remissionem confugisse; adhuc enim quis futurus esset rei exitus expectabatur. Præterea, vel viderant, vel audiuerant, multos morbos Christum ab alijs hominibus depulisse; non igitur adeò festinanter cogitarunt non posse paralysim depellere, ideóque prætexere peccatorum remissionem.

Matth. 9. Marci 2. Luca 5. VT *sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata.* Vt probet Dominus se non blasphemare (quod impie Pharisæi cogitabant) sed potestatem sibi tribuere, quam habet ad dimittenda peccata, paralyticum sanat admirabiliter, atque id, quod occultum erat, miraculo aperto testatur. Dum se appellat filium hominis, quoniam Adami, Abrahamique filius erat; naturam humanam ostendit. dum habere potestatem in terra condonandi crimina asserit, naturam diuinam demonstrat.

Christus Deus & homo est.

Quod ait, *in terra*, duplicem habere potest sensum; vel quòd habet hanc potestatem existens ipse in terra vel quòd habet potestatem dimittendi peccata hominibus, qui terram incolunt. Vterque verus est, hunc secundum indicat Theophylactus Lucæ quinto, his verbis: Vide, quòd super terram remittantur peccata, quamdiu enim super terram sumus poterimus deferere peccata nostra, &c. Est in gloss. interlin. verba hæc aut esse Christi, aut Euangelistæ. Sed Christi esse, non Euangelistæ, dicendum est. Christus enim cum Pharisæis eximie argumentatur, non verbis solùm sed etiam factis. Vt Deus argumentatur; solus enim Deus miraculis, & verbis argumentari potest. Conclusio, quam confirmare vult, hæc est: *Vt sciatis, quòd filius hominis potestatem habet dimittendi peccata*: Antecedens est miraculum stupendum. Ex miraculo enim patrato, conclusio necessaria colligitur; ergo ad remittenda peccata potestatem habeo.

Theoph. *Gloss. inter.*

Matth. 9. SVRGE, *tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Postquam superiora verba protulit, ad paralyticum coram iacentem, & sanitatem magno desiderio expectantem, Dominus se conuertit, singularique auctoritate, & diuino imperio, vt sanus surgeret, lectumque tolleret, præcepit. Manifestissimum voluit esse miraculum, ideò non solùm vt surgeret æger imperauit, sed vt lectum etiam in humeros sublatum, domum vsque suã ferret. Hæc enim perfectissimæ sanitatis miraculo adeptæ, signa erant clarissima. Erat lectus signum ægritudinis, idem signum fuit sanitatis. Signum ægritudinis fuit paralyticum portans, signum sanitatis fuit, à paralytico portatus. Vnde Chrysologus sermone 50. Tolle, inquit, lectum tuum, vt quod est infirmitatis testimonium, sit probatio sanitatis, vt lectus doloris tui sit meæ curationis indicium, vt receptæ fortitudinis magnitudinem, ponderis asserat magnitudo, &c. Haymo in Matthæum: Lectus te portauit, quando infirmus eras, vt ostenderet te infirmum esse, porta tu lectum tuum, vt cùm portatur à te, ostendat te sanum esse effectum, &c. Euthymius, Ad confirmationem, quòd corpus robustum relinqueretur, iussit tollere lectum, &c.

Cur lectum iussit Dominus tollere. *Chrysol.* *Haymo.*

CAPVT XX.

Morale.

De paralytico sanato.

Portitores tartarei qui in tartarum ducunt homines. SVNT tartarei quidam portitores, qui homines ad dæmonem portant, perdicesque imitantur illas, quæ in manus aucupis reliquas trahunt. Hinc illud D. Ephrem, de recta viuendi ratione: Quæ primùm capta fuerit anima, ad alias decipiendas fit quasi laqueus, vt voluntati inimici obsequantur, inescaque animas, potissimùm illas, quæ nondum draconis acerbitatem sunt expertæ. Sicut perdix comprehensa pro esca illis proponitur, quæ nondum laqueo captæ sunt. Circa illam enim auceps laqueos figit, vt voce sua perdices reliquas circum volitantes ad eosdem pelliciat. Sic ille. Imitantur hi præterea infernum protitorem Charontem, qui, vt est in fabulis, ad Orcum ferruginea cymba animas portat, de illo sic Poëta libro sexto scribit:

Animæ quæ nondum draconis acerbitatem sunt expertæ. Ephrem.

Portitor has horrendus aquas, & flumina seruat.
Terribili squalore Charon.
Ipse ratem conto subigit, velisque ministrat,
Et ferruginea subuectat corpora cymba, &c.

Multas hi Charontes cymbas habent, quibus insipientes in Orcum vehunt. Heu fuge Charontis scaphas. Pro naulo animam solues.

Alij sunt cælestes portitores, qui paralyticos ad Christum sanandos portant, iis similes, quos Euangelium exhibet; iis quoque similes nauibus, quæ in Tharsis nauigabant. 3. Reg. 10. vt aurum inde atque argentum ad Salomonem portarent. Salomonis, id est, Christi nauis est, aurum gemmasque deferens, quicumque ad Christum animas ducit. *Currus Israel* dicitur Eliseus & *auriga eius*; currus qui homines ad Deum portant, aurigæ qui dirigunt, hi portitores sunt.

Portitores cælestes qui sint. *4. Reg. 13.*

Asserte Domino filij Dei, asserte Domino filios arietum, canitur. Delectatur Dominus filiis arietum, qui ad immolandum offeruntur, sed multò magis filiis delectatur hominum, qui ad animi sanitatem consequendam à cælestibus ductoribus afferuntur. Theodoretus in Commentariis eiusdem Psalmi, filios Dei Apostolos appellari sentit, filios verò arietum eos, qui Christo nomina dedêre. Cælestes enim portitores, Apostoli maxime fuere, hi filij Dei, filios arietum, hoc est, agnos illos Domino attulerunt, de quibus ad Petrum: *Pasce*, inquit, *agnos meos*. Hoc filiorum Dei est munus, agnos ad Christum adducere, siue potius feras, leones, serpentes, vt in agnos diuina quadam metamorphosi transformentur. Hæc enim transformatio potentiæ Christi est, vt docet Alexandrinus Clemens initio orationis exhortatoriæ ad gentes: Orpheus, inquit, cantu feras reddebat mansuetas: hæc est fabula Græca. Solus meus cantor, id est, Christus, difficillimas feras homines mansuefecit, feras & lapides, ipse cælestis cantus in homines transformat, &c.

Psal. 28. *Filij Dei sunt Apostoli, & filij arietũ fideles alij.* *Ioan. 21.* *Clẽ. Alex.*

O cantum illum suauissimum, qui in Euangeliis sonat: *Remittuntur tibi peccata tua*. Quæ concinnior harmonia auribus insonare potest? felix, qui tam suauem audit melodiam. Hic cantus ex filijs dæmonis, filios reddit Dei: *Fili*, inquit, *remittuntur tibi peccata tua*. Quænam res filium fecit Dei paralyticum? suauis hæc harmonia, quam percepit auribus. Hanc audire cupiebat Dauid cùm Deum precatur: *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata*. Quasi dicat: insonet auribus meis lætissimus ille cantus: *Remittuntur tibi peccata tua*, & mirum in modum exultabo. Sic Theodoretus exponit: Huius, inquit, lætitiæ mihi aures imple, perfectam purgationem peccatorum promittens, &c.

Matth. 9. *Matth. 9.*

Cantus hic solius est Dei. Nemo enim peccata remittere, nemo potest dicere canticum istud, auctoritate propria, nisi solus Deus. Hoc cantu feras Christus in homines transformat. Loco indicato docet Clemens, homines sceleratos, & à Christo alienos

Clem.

Homines ſe rauis reſoruunt ſpecie.

alienos ferarum ſpeciem referre: Volucres, inquit, ſunt leues homines, ſerpentes verò deceptores; & leones hi, qui ſunt ad iram concitati, ſues voluptatibus dediti; lupi, qui ſunt rapaces, &cet. Has ſuperbas volucres, hos ſerpentes, leones, ſues, ac lupos, in homines, immo in Angelos ſuauiſſima

Matth. 9.

hæc Chriſti vox tranſmutat, *Remittuntur tibi peccata.* Etenim ſi pœnitentiam agant improbi homines, ſcelerumque remiſſionem conſequantur, haud dubiè gratia Dei Angelis ſimiles efficiuntur.

Afferte ergo filij Dei, afferte Domino animantia huiuſmodi, quæ rationis ductum non ſequuntur, vt rationis, fideique rectum vſum à Chriſto accipiant, & homines ex brutis fiant. *Si occurreris boui*

Exodi 23. Reducendi ad Deum peccatores.

inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum. Si videris aſinum odientis te iacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſubleuabis cum eo, &c. Præcipit Deus Iſraelitis, vt errantem inimici bouem, vel aſinum ad eum reducant; tu verò errantem Chriſti maximi amici tui ouem videbis, & tranſibis? caue tranſeas, quin potius errantem ouem ad Dominum adducito. Si ſub onere peccati iacens iumentum aliquod conſpexeris, porrige manum, humo attolle, ad Chriſtum porta.

Licet nauis proſpero feratur vento, ſi naufragus in vaſto iactatur pelago, nautæ protinus vela demittunt, nauem ſiſtunt, funes, vel tabulas proiiciunt; vt illum qui mergitur, pelagi fluctibus, mortique eripiant. Idem nobis præſtandum eſt; ſi quempiam peccati fluctibus abſorberi videamus, omni conatu eſt ſuccurrendum. Lege Chryſoſtomum tomo primo homilia de cura habenda ſalutis proximi. De huiuſmodi loquens naufragio, ſic ſcribit: Cùm videris nauigantium aliquem natare in fluctibus, & iam ſubmergi; relictis negotiis tuis, ſtatim illius prouide ſaluti. Nihil ducas magis neceſſarium ſalute ſic laborantis. In tantis periculis magna acceleratione opus eſt & ſtudio, &c.

Succurrendum peccatoribus & naufragis. Chryſoſt.

Magno ſtudio proximi procuranda ſalus.

Expende quæſo horum hominum, qui paralyticum portabant, ſtudium; expende acceleratione. Paralyticum portant, ad ſanitatem conſequendam feſtinant; non exſpectant quouſque turba hominum diſcedat, rem inauditam aggrediuntur. In tectum domus ægrum ducunt, tectum ipſum tegulis nudant ac effodiunt, nihil non moliuntur, vt illum ante Chriſti oculos collocent. Ingenioſa caritas eſt, omnia molitur, vt ſalutem animæ laboranti afferat. Chryſoſtomus homilia 30. in Matthæum: Cùm, inquit, inimicum aliquem veritatis videris, omni ſtudio ac cura conare eum ad virtutem reducere. Primùm videndi exemplis, deinde orationis grauitate, ac poſtremùm patrocinij & auxilij copia. Non graueris omnia emendationis genera percurrere. Imitandi ſunt enim boni medici, qui non vno curationis modo vtuntur: ſed cùm viderint primis remediis non eſſe depreſſum morbum, alia atque alia rurſus excogitant. Quare tu etiam animarum medicus factus, omni curationis modo ſecundùm leges Chriſti vtaris. Ita Chryſoſtomus. Lege Auguſtinum libro 1. de ciuitate Dei, capite 9. quo loco indicat probos cum improbis ſimul à Deo puniri temporaliter, quòd improborum mores emendare pro viribus non conentur. Si pater totius familiæ, ſi vicinus totius viciniæ ſalutem, magna caritate zeloque curare, & quæ oriuntur vitia in ipſo ortu exſtirpare ſatagant, ceterique ſimiliter, ſanè Chriſtiana Reſpubl. virtutibus florebit. Quoniam verò hic friget zelus, friget etiam virtus.

Chryſoſt.

Secundò, conſidera eximium curationis ordinem. Priùs Dominus animam, poſtea curat corpus. Priùs ait, *Remittuntur tibi peccata tua.* Poſteà, *Surge, & ambula.* Qui in morbos incidunt, hunc ſequantur ordinem. ſi anima ſimul cum corpore ægrotat, animæ priùs, quàm corpori medicinam adhibeant. Prius crimina, quæ animæ ſunt morbi, expianda ſunt, quàm corporis ægritudo curanda. Cauſæ morbi, vt oſtenſum ſupra eſt, peccata ſæpè ſunt, tolle cauſam, vt tollatur effectus. Ecce curationis modus. Gloſſa ordinaria Mat. 9. Priùs dimittit peccata Chriſtus tollens cauſam morbi, pòſt curat corpus, &c. Et S. Nilus Abbas in diuerſis capitibus; In morbis (inquit) ad preces priùs, quàm ad medicinas confugito, &c. Magiſter hiſtoriæ, in hiſtoria Euangelica cap. 57. Quia (inquit) conſtat quòd pro peccatis quandoque ægrotat homo, medicus viſitans ægrum primo debet eum monere ad pœnitentiam, & confeſſionem, ne peccato manente tamquam ferro in vulnere, fruſtra ſit malagma apponere, &c. Lege decretalem, Cùm infirmitas, de pœnitentiis, & remiſſionibus.

Prius animæ medicinæ adhibendæ, quàm corperi.

Gloſſa ord.

Nilus.

Magiſt. hiſt.

Idè ordo præſcribitur in Eccleſ. his verbis, *Fili in tua infirmitate ne deſpicias te ipſum, ſed ora Dominũ, & ipſe ſanabit te. Aduerte à delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuũ*, &c. En prius docet Deũ ab ęgroto eſſe orandum, delictaque omnia expianda. Poſt hæc addit, offerẽda etiam Deo dona, *Da*, inquit, *ſuauitatem, & memoriam ſimilaginis, & impingua oblationem.* Videlicet, curet ægrotus (ſi curari vult) vt fiant pro illo ſacra, & eleemoſynæ pauperibus donentur. Iam ſequitur de medico, *Et da locum medico*, &c.

Eccli. 38.

Ordo orationis adhibendæ in morbis.

Eodem loco docemur, crimina morborum eſſe cauſas. *Qui delinquit* (ait Eccleſiaſticus) *in conſpectu eius, qui fecit eum, incidet in manus medici*, &c. Si igitur incidere in manus medici nõ vis, in peccatum ne incidas. Quòd ſi in manus medici incidẽdum eſt; priùs in benignas manus incide medici ſpiritualis, qui animum curet, quàm in duras manus medici, qui curat corpus. Pro ſanitate corporis conſequenda nihil non facis, nihil non pateris, pro ſanitate animæ adipiſcenda, quæ copore multo præſtantior eſt, crimina contritione, & confeſſione expiare cur recuſas? Ad ſanandum corpus medicos vocas, quorum incerta, ac dubia ad afferendam ſanitatem ſunt medicamẽta, ſiue potius tormenta: ad ſanandam animam medicum omnipotentem, cuius leuia, blandaque ſunt aduerſus omnes ægritudines remedia, cur non inuocas? Audi Caſſiodorum libro 1. Inſtit. diuinarum lect. cap. 31. medicos alloquẽtem; Diſcite quidem naturas herbarum, commixtionéſque ſpecierum ſollicita mente tractate, ſed non ponatis in herbis ſpem, non in humanis conſiliis ſoſpitatem. Nam quamuis medicina legatur à Domino conſtituta, ipſe tamen ſanos efficit, qui vitam ſine fine concedit. Lege D. Baſilium quæſt 55. fuſius diſput. *Ægrotauit Aſa Rex dolore pedum vehementiſſimo, & nec in infirmitate ſua quæſiuit Dominum, ſed magis in medicorum arte confiſus eſt*, &cet. Quæſiuit medicos, non quæſiuit Dominum, ſine Domino non profuere medici. Vt proſint medici, quære Dominum, & in medicorum arte ne nimis confidito, &cet.

Eccli. 38.

Caſſiod.

Medicinæ non eſt fidendum.

2. Par. 16.

Quære medicum omnipotentem, qui certus ſanat, & gratis, vt Auguſtinus ait Pſalm. 122. Omnipotenti, inquit, medico nullus languor inſanabilis occurrit. In iſtis languoribus corporis ligari ſe volunt homines, & ſecari, daturi pro incerta ſanitate certum dolorem, & magnam mercedem. Deus te, quem fecit, & certus curat, & gratis, &c. Curat te gratis Deus. Non enim vt medici pecuniam, ſed animam quærit. Curat te certus: morbum enim, ſi quam parauit medicinam rectè adhibeas, certus ſanat. Solus ille animarum medicus

Deus certus ſanat & gratis. Auguſt.

auctoritate propria, certus est & omnipotens. Verè enim aiunt Pharisæi, *Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* Propterea Dauid clamat. *Tibi soli peccaui.* Peccauerat in Vriam, & in Bethsabee, ait verò soli Deo peccasse, videlicet quia solius Deus medicinã peccato poterat adhibere. Quemadmodum si æger aliquis perito medico dicat, Tibi soli ægrotaui. Hoc est: Ab alio sanari non possum, à te solo expecto sanitatem.

Marci 2. & Luc. 5.

Psal. 50.

Exponitur locus Ps. 50. Tibi soli peccaui.

Alias prætereà habet versus hic interpretationes. *Tibi soli peccaui*, vt iudici, & punitori. Rex enim Dauid erat, Deum, solum iudicem, ac punitotem habebat. Vnde Cassiodor. De populo, inquit, si quis errauerit, & Deo peccat, & Regi. Quando Rex delinquit, soli Deo reus est, quia hominem non habet, qui eius facta diiudicet. Meritò ergo Dauid rex Deo tantum se dixit peccasse: quia solus erat, qui eius posset admissa discutere, &c. Hunc in modum interpretatur Chrysostomus, Beda, & alij. Aliter, *Tibi soli peccaui*. i. coram te solo, quia tu solus, cùm peccata perpetrarem, me peccantem intuebaris. Quasi dicat, in tuos solum oculos peccaui. Iuxta illud *Tu fecisti abscondite*, &c. Euthymius Deo soli Dauidem peccasse ait, propterea quod nõ fuerit transgressus leges regis alicuius superioris, qui posset in illum dicere sententiam, sed leges à Deo latas contra homicidia, & adulteria. Conueniunt hæc verba homini cuilibet peccanti. *Tibi soli peccaui*, tanquam punitori. Nam hominum supplicia multi scelerati effugiunt, at Dei supplicium nullus effugiet. Item, *Tibi soli peccaui*, quia tuas leges fregi. diuinas enim leges improbus homo frangit, quarum transgressores Deus acerrimè punit. Præterea; *Tibi soli peccaui*; vt medico, vt curatori, vt peccatorum remissori; nemo enim propria auctoritate dimittere peccata

Exodi 34.

potest, nisi solus Deus. sic Moyses; *Dominator* (inquit) *Domine Deus, misericors, & clemens, patiens & multæ miserationis, ac verax, cui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem, & scelera, atque peccata, nullusque apud te per se innocens est*, &c. Isaias *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me*, &c. Propter me (ait Dominus) de leo iniquitates. Misericordiæ enim Dei

Isaiæ 43.

Psal. 50.

est, scelerum remissio. Vnde illud, *Secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.* Pœna pro peccatis est debita, remissio indebita. Augustinus Psalm. 31. Non reddit tibi Deus debitam pœnam; sed donat indebitam gratiam. Debebat vindictam, dat indulgentiam, &c.

Pœna pro peccatis debita, remissio indebita.

Tertiò, obserua Christum perfectam paralytico sanitatem contulisse, tam animæ, quàm corporis. Neque solùm paralytico, sed cæteris etiam ægrotis, quos sanauit, perfectam vtriusque partis salutem tribuisse docet D. Tomas 3. p. q. 44. art 3. ad 3. his verbis; Christus miracula diuina virtute faciebat. *Dei* autem *perfecta sunt opera*, vt dicitur Deuter. Non est autem aliquid perfectum, si finem non consequatur, finis autem exterioris curationis per Christum factæ, est curatio animæ, Et ideò nõ conueniebat Christo, vt alicuius corpus curaret, nisi eius curaret animam. Vnde super illud, *Totum hominem sanum feci in sabbato*, dicit Augustinus, quòd curatus est, vt sanus esset in corpore, & credidit, vt sanus esset in anima. Hæc D. Thomas. Tu quoque enitere, vt totum hominem sanum facias, habeasque in corpore sano, animam sanam. Si enim corpus sanum est, anima verò ægra, nec dimidium quidem tui sanum est, maxima enim pars morbo afflictatur. Vilis seruus valet, regina ægritudine laborat grauissima.

D. Thom.

Deut. 32.

Ioan. 7.

Quartò, obserua Dominum propter vectores paralytico contulisse incolumitatem ex sententia Patrum, quos suprà memorauimus. Si tantùm valuere apud Deum paralytici portitores; quanti ponderis erunt Diui illi, qui diuino iam conspectu perfruuntur? Hauddubiè eximij sunt hi ad Christum, ad cælum, ad virtutem ductores. Quatuor portitores paralyticus habuit, nos multo plures habere possumus. Igitur ex cæli incolis aliquos nobis victores comparemus, quos peculiari animi deuotione colamus. Interquos præcipuum obtinet locum Deipara atque integerrima Virgo, quæ Deum ex cælo duxit in terram, & homines ex terra ducit in cælum. Neque verò Angelorum nos obliuio capiat, qui nobis portitores in æterna palatia à Deo sunt decreti; iuxta illud: *In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Videns Dominus fidem portantium paralyticum, sanitate illum donauit; audiens Sanctorum preces, nobis quoque tum animi, tum corporis salutem largietur. Magnus Dominus, ait Ambrosius Lucæ 5. qui aliorum merito ignoscit aliis. Et Chrysostomus homilia 24. in Genesim: Consuetudo, inquit, est misericordis Dei, honorem hunc dare seruis suis, vt propter eos saluentur & alij, &c. Propter diuum Paulum seruauit Deus simul nauigantes: *Ne timeas Paule*, ait Angelus, *ecce donauit tibi Deus omnes, qui nauigant tecum*, &c.

Sãcti orãdi.

Psal. 90.

Ambros.

Chrysost.

Act. 27.

Equidem optimum est cum viris sanctis nauigare, optimum eorum consuetudine vti, quibus Deus comites donat. Paulo dedit socios simul nauigantes, ipsum verò Paulum Protomartyri Stephano donauit. Paulum enim orationi diui Stephani donatum, ait Augustinus sermone 4. in festo S. Stephani: Si Stephanus, inquit, non sic oraßet: Ecclesia Paulum hodie non haberet. Sed ideo de terra erectus est Paulus; quia in terra inclinatus exauditus Stephanus, &c. Item ait Dominus Abrahæ: *Inuenero Sodomis, quinquaginta iustos in medio ciuitatis; dimittam omni loco propter eos.* Ambrosius libro de Abraham, capite 5. Propter paucorum iustitiam Deus impunitatem toti populo promittit. Vnde discimus, quantus murus sit patriæ vir iustus. Iustorum nos fides seruat, illorum iustitia ab excidio defendit, &c. *Protegam vrbem istam propter me, & propter Dauid seruum meum*, &c. *Cùm subuerteret Deus ciuitates regionis illius, recordatus est Abrahæ, & liberauit Lot de subuersione vrbium*, &c. Lege Chrysostomum hom. 45. in Genes. & homilia 4. in Matthæum.

Cum viris sanctis nauigare est optimum.

Paulus præcibus D. Stephani donatus.

Gen. 18.

Iustus murus est patriæ.

4. Reg. 20.

Gen. 19.

Quintò, obserua horum vectorum in ferenda ope illi paralytico caritatem, miramque diligentiam, & alacritatem, quæ in tectum vsque ægrum sustulit, nec quieuit, donec in Christi conspectum ad sanitatem recipiendam inferret. Lege Nazianzenum Gregorium orat. 16. quam de pauperum amore scripsit: Dum secundo, inquit, vento nauigas, ei qui naufragium facit, manum porrige; dum sanus es & locuples, afflicto fer opem. Ne exspectes dum quantum malum sit inhumanitas, in te ipso discas, quantumque bonum, viscera egentibus aperire. Homo apud te iumento vilior non est, ô homo, quod, cùm in foueam incidit aut aberrauit, erigere ac reducere lex præcipit, &cet. Item: Vulneribus per vulnera medere, simile per simile acquire; vel potius minoribus remediis grauiores morbos depelle, &c. Vulneribus peccatorum per vulnera pauperum medemur, cùm pauperum languores, & vulnera curamus. Simile per simile acquirimus, cùm misericordiam Dei, per misericordiam in egenos cõparamus. Grauiores criminum morbos, minoribus remediis, id est, eleemosynis depellimus.

Greg. Naz.

Pauperibus benefaciendum.

Exodi 23.

Ipse Gregorius de diligentia, alacritate, & hilaritate in præstanda ope indigentibus, hæc subiicit. Ne dixeris: Redi, & crastino die dabo tibi; ne quid inter propositum tuum, & beneficium interce-

Greg.

Beneficẽtia moram non admittit.

tercedat. Vna enim beneficentia eſt, quæ moram non admittit, &c. Cernis hoc in his paralytici vectoribus; eorum beneficentia moram non admiſit. Cùm enim aditum viderent obſtructum, rem in aliud tempus differre noluerunt. Addit idem Pater ſapientiſſimus; Frange eſurienti panem tuum, & egenos, vagoſque induc in domum tuam; idque læto, atque alacri animo. Beneficij gratia promptitudine, & celeritate conduplicatur. Nam quod mæſto, vel coacto animo defertur, ingratum eſt, miniméque præclarum. Lætandum eſt, non lugendum, cùm beneficium damus. Hæc ille. Et Paulus beneficentiam cum hilaritate vult eſſe coniunctam *Qui miſeretur*, inquit, *in hilaritate, &c. Non ex triſtitia, aut ex neceſsitate, hilarem enim datorem diligit Deus, &c.* Eccleſiaſticus de iis, quæ Deo offeruntur agens: *In omni*, inquit, *dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione ſanctifica decimas tuas. Da altiſsimo ſecundum data eius, & in bono oculo adinuentionem facito manuum tuarum. Quoniam Dominus retribuens eſt, & ſepties tantùm reddet tibi, &c.*

2. Cor. 9. Rom. 12. 2. Cor. 15. Eccli. 35.

Chriſti in ægris curandis promptitudo.

Vide quanta cum feſtinatione, & hilaritate Chriſtus in ægros beneficia contulerit. Nulli dixit: Redi, & craſtino die dabo tibi. Moram nullam admiſit. Offertur paralyticus, hilari voce filium appellat, blandisverbis conſolatur; *Confide*, inquit, *fili*, ſine mora beneficium ingens tribuit: *Remittuntur tibi peccata tua, ſurge, & ambula.* Velox eſt miſericordia, hiliariſque; beneficium non differt, non procraſtinat.

Matth. 9.

Animæ paralyſis. i. diſſolutio quænã ſit.

Sextò, obſerua paralyſim nomen eſſe græcum, quod diſſolutionem ſignificat. Eſt enim membrorum diſſolutio morbus hic. Quemadmodum corporis, ita animi eſt paralyſis. Corpus paralyticum corpus eſt diſſolutum; animus paralyticus animus eſt nullis timoris Dei neruis, ac vinculis conſtrictus. Diſſoluta habet membra corpus paralyticum; diſſolutos habet ſenſus, atque appetitiones animus paralyticus. Membris captum eſt paralyticum corpus; paralyticus quoque animus ad recte operandum membris velut caret. Segnis, ac deſes in ſocordiæ lecto iacet, nihilque niſi caduca curat. Ad humana negotia tractanda eſt velociſſimus, ad cæleſtia curanda inertiſſimus. Quid piſcibus in marinis fluctibus velocius? Quid iiſdem ſegnius, ſi ex mari extrahantur? Quid diligentius, & ingenioſius homine in mundanis negotiis adminiſtrandis? Quid tardius, ſi inde ad diuinam gratiam, diuinasque virtutes comparandas transferatur? Videlicet in caducis eſt delphinus, in æternis paralyticus.

Superanda quæ ſe offerunt ad conſequendam animæ ſanitatem impedimenta.

Septimò obſerua hos portitores impedimentum ſibi oblatũ, ne ad Chriſtum accederet, admirabiliter perfoſſo tecto ſuperaſſe. Iis, qui ad Chriſtum accedere cupiunt, multa ſe offerunt impedimenta; at virili animo, remediis excogitatis eſſe ſuperanda, locus hic docet. Vt enim rectè ait D. Bonau. Luc. 5. Veram fidem impedimenta non retrahunt, ſed accendunt, &c. Accenditur enim fides, & caritas, vireſque nouas colligit, ad impedimenta ſuperanda; quæ quò ſunt maiora, eò maiores vires eſſlagitant. Puſillanimes impedimenta retrahunt, magnanimos inflammant.

Chriſtus habet poteſtatem dimittẽdi peccata, quam aliis communicauit. *Exodi 7.*

A Solus Deus peccata poteſt propria poteſtate remittere; Sacerdotes verò poteſtate ab eo accepta remittunt. *Conſtitui te Deum Pharaonis*, ait Dominus Moyſi. Quemadmodum Pharaonis veluti Deum Moſen, quia Dei propriam poteſtatem illi tradidit ad miracula perpetranda; ita mundi veluti quoſdam Deos, Pontifices, Sacerdoteſque creauit, quoniam peculiarem Dei poteſtatem illis tribuit ad peccata remittenda. *Nemo quidem*, vt aiunt Phariſæi, *remittere poteſt peccata, niſi ſolus Deus*; Sacerdotes autem à Deo creati ſunt veluti Dij, vt ea poſſint remittere. Meritò itaque D. Chryſoſtomus hom. 4. de verbis Iſaiæ: *Vidi Dominum*, &c. Sacerdotis poteſtatem regiæ anteponit. Regi, inquit, corpora commiſſa ſunt, ſacerdoti animæ. Rex maculas corporum remittit, ſacerdos autem maculas peccatorum. Maior hic eſt principatus, &c. Lege homil. 5. de iiſdem verbis.

Chryſoſt.

B

Interpretatur autẽ Theophylactus, vt diximus, verba illa Chriſti: *Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata*; in hunc ſenſum: Chriſtus poteſtatem habet dimittendi peccata hominibus in terra vitam agentibus. Vide, ait Theophylactus, quod ſuper terram remittuntur peccata, &c. Non remittuntur in cælo; nullum enim ibi peccatum eſt. Ab Angelis quidem peccatum in cæleſti regione eſt commiſſum; ſed non eſt remiſſum. In tartaro autem, vt ſupplicia ſic peccata ſunt irremiſſibilia. Ignis verò purgans mortiferi criminis culpam non purgat. Sola eſt terreſtris regio, quæ peccatorum omnium, tam mortalium, quàm venialium remiſſionem, veluti fructum dulciſſimum producit. Ad fructum colligendum feſtina, dum vitam in terra agis. Quamdiu ſuper terram ſumus, ait Theophylactus, poterimus delere peccata noſtra; at poſtquam è terra migrauerimus, non vltrà nobis ipſis poterimus per confeſſionem. Clauſa enim eſt ianua, &c. Hìc, ait S. Ephræm ſerm. 1. de pœnit. oſtium pœnitentiæ apertum eſt; feſtina peccator, priuſquam illud occludatur. Ignoras qua hora cæleſtis medicus oſtium medicinæ ſuæ claudi iuſſurus ſit; feſtina vt cureris, &c. Hìc ergo *ſurge* à peccato, hìc *tolle lectum tuum*; hoc eſt, robur ſanitatis oſtende, animi ſanitatem te recepiſſe, pœnitentiæ ac virtutis pondere ſuſcepto teſtare. *Et vade in domum tuam*, domum, inquam, cæleſtem, in domum æternam.

Peccata ſuper terram remittũtur non in tartaro. Theoph.

C

Ephræm.

D

In terra peregrinus es, in cælo domum habes. Terrena ergo omnia peregrini inſtar intuere, in cæleſtem domum propera. *Vade in domum tuam*, quæ ſtabilis, firma, fixaque eſt, & immobilis. Nidos hos relinque, quos imminens hiems paulo poſt diruet atque euertet. Vt enim Chryſoſtomus ſentit, terrenæ domus paſſerculorum nidis ſimiles ſunt. In nidis non perpetuò manent paſſerculi, ſed relictis nidis auolant. Eumdem in modum in terrenis ædibus non ſemper homines habitant; propediem illas deſerent, in domumque ſuam auolabunt. *Ibit homo in domum æternitatis ſuæ*, &c. Chryſoſtomus hom. 50. ad populum: Nidus, inquit, eſt præſens vita, ex feſtucis & luto coagmentatus. Licet mihi magnas ædes oſtendas, ſiue regias ipſas auro multo fulgentes & gemmis; nihil ab hirundinum nido differre cenſebo. Hieme ſiquidem inſtante omnia corruent, &c.

Vade in domum tuam cæleſtem.

Terrenæ domus nidis paſſerculorum ſimiles.

E

Eccli. 12. Chryſoſt.

CAPVT

CAPVT XXI.

De vocatione diui Matthæi.

MATTH. CAP. IX.

ET cùm tranſiret inde Ieſus, vidit hominem ſedentem in telonio Matthæum nomine. Et ait illi: Sequere me. Et ſurgens ſecutus eſt eum. Et factum eſt diſcumbente eo in domo, ecce multi publicani & peccatores venientes diſcumbebant cum Ieſu, & diſcipulis eius. Et videntes Phariſæi, dicebant diſcipulis eius: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat Magiſter veſter? At Ieſus audiens, ait: Non eſt opus valentibus medicus, ſed malè habentibus. Euntes autem diſcite quid eſt: Miſericordiam volo, & non ſacrificium. Non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores.

MARC. CAP. II.

ET cùm præteriret, vidit Leui Alphæi ſedentem ad telonium, & ait illi: Sequere me. Et ſurgens ſecutus eſt eum. Et factum eſt, cùm accumberet in domo illius, multi publicani & peccatores ſimul diſcumbebant cum Ieſu, & diſcipulis eius; erant enim multi, qui & ſequebantur eum. Et Scribæ & Phariſæi videntes, quia manducaret cum publicanis & peccatoribus, dicebant diſcipulis eius: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat & bibit magiſter veſter? Hoc audito Ieſus ait illis: Non neceſſe habẽt ſani medico, ſed qui malè habent. Non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores.

LVC. CAP. V.

ET poſt hæc exiit, & vidit publicanum nomine Leui ſedentem ad telonium, & ait illi: Sequere me. Et relictis omnibus ſurgens ſecutus eſt eum. Et fecit ei conuiuium magnum Leui in domo ſua. Et erat turba multa publicanorum, & aliorũ, qui cum illis erant diſcumbentes. Et murmurabant Phariſæi & Scribæ eorum, dicentes ad diſcipulos eius: Quare cum publicanis & peccatoribus manducatis & bibitis? Et reſpondens Ieſus, dixit ad illos: Non egent, qui ſani ſunt, medico, ſed qui malè habent. Non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.

Matth. 9. Ordo geſtorum. Lucæ 5.

SEQVITVR Matthæi Apoſtoli vocatio. Ipſe enim ſcribit: *Cùm tranſiret inde Ieſus, vidit hominem ſedentem in telonio Matthæum nomine.* Et: *Poſt hæc exiit Chriſtus, & vidit publicanum nomine Leui,* &c. Poſt hæc, inquit, hoc eſt, poſtquam paralyticum ſanauit, exiit ex domo illa; & cùm tranſiret inde; ex loco videlicet illo, in quo ægro membris capto ſanitatem contulit, vidit Matthæum, & vocauit. Marcus addit, Dominũ ad mare Galilææ exiiſſe, & docuiſſe turbam. *Egreſſus eſt,* ait, *rurſus ad mare, omnisq; turba veniebat ad eum, & docebat eos. Et cùm præteriret, vidit Leui Alphæi ſedentem ad telonium,* &c. τέλος, Græcum nomen tributum, & vectigal; τέλων, ſiue τελώνης, publicanum ſignificat. τελώνιον, verò menſa eſt, in qua vectigal colligitur, vel ipſa publicanorum officina, vt ait Euthymius Matth. 9. Publicanus is dicitur, qui vectigalia redimit & exigit. Matthæus publicanus erat, & ad telonium ſedebat: hoc eſt, ad menſam publicanorum, in qua vectigalia colligebantur. Apud Matthæum vertit Interpres: *Vidit hominem ſedentem in telonio.* Græcè eodem modo apud Matthæum habetur, quo apud ceteros Euangeliſtas. Quamobrem verba hæc: *Vidit ſedentem in telonio,* ſic exponi poſſunt; Vidit ſedentem ad, vel iuxta telonium, menſam ſcilicet publicanorum. Potes etiam interpretari: Sedentem in officina publicanorum, in qua vectigalia ſoluebantur, ſiue portoria.

Marci 2.

Quid ſit telonium.

Matth. 9.

Vbi fuerit telonium. Adrichom.

Dicitur officina hæc extra Capharnaum fuiſſe, circa mare. De illa Adrichomius in theatro terræ ſanctæ in tribu Nephthalim, num 92. ſic ait. Telonium domus erat mari Galileę iuxta Capharnaum adiacens; in qua publicani tributa à prætranſeuntibus, & applicantibus recipiebant, &c. Et Ianſenius cap. 33. Terræ, inquit, ſanctæ ſcrutatores dicunt, extra Capharnaum circa mare monſtrari locum, vnde vocatus ſit Matthæus, &c. Adrichomius in tribu Zabulon num. 99. cùm de ciuitate Tiberiade verba facit, in ipſa Tiberiade vocatum Matthæum ſcribit: Ibi, inquit, Chriſtus de telonio Matthæum vocat. Sed in vita Chriſti rectius & verius ait: Præteriens Chriſtus Capharnai telonium, Matthæum in telonio ſedentem vocat; mox inibi conuiuio ab eodem acceptus, &c. Vocatus igitur eſt Matthæus prope Capharnaum, non in ciuitate Tiberiade, cùm in telonio publicani fungens munere ſederet.

Ianſen.

Vbi fuerit Matthæus vocatus.

Dubium verò eſt: An Matthæus in hoc exequendo munere peccarit? Munus quidem ipſum iuſta tributa

tributa exigendi peccato caret. At Patres Matthæum in eo tractado peccasse aiunt: Chrysostom. hom. 31. in Matt. Fercula ipsa, quæ in conuiuio apposuit, iniustè, ac rapaciter acquisita scribit. D. Chrysologus Serm. 28. Matthæum, inquit, diuitiæ fornace auaritiæ sic coquebant, sic alligabant vinculis cautionum, sacculorum ponderibus sic premebant, vt leuari ad innocentiam non valeret, &c. Eodem loco eundem vocat doctorem fœnoris, siue vsuræ. Et Ser. 30. Deterius, inquit, sedebat publicanus in telonio, quàm paralyticus iacebat in lecto. Hic carnis patiebatur paralysim, ille mentis. Paralyticus doloribus succubebat inuitus, publicanus vitiis voluntariis seruiebat, &c. Ambrosius Luc. 5. Propria reliquit, qui rapiebat aliena, &c. Hieronymus Matthæi 9. Videbant publicanum à peccatis ad meliora conuersum, locum inuenisse pœnitentiæ. Eadem est Bedæ, Theophylacti, & aliorum sententia.

Chrysost.

Chrysol. An Matthæus tributa colligens peccauerit.

Matth. 9. Matthæus duo nomina habuit.

Hieron.

MATTHÆVM *nomine.* Duo nomina habuit Apostolus; Matthęus enim & Leui est appellatus. Matthæum se ipse nominat: Marcus verò, & Lucas Leui vocauerunt. Marcus Alphęi filiũ fuisse addit. Rationem reddit D. Hieronym. cur non Leui, sed notiori nomine Matthæum se nominarit, his verbis; Lucas, inquit, & Marcus propter honorem Matthæi noluerunt eum nomine appellare vulgato, sed dixerunt Leui. Ipse autem Matthæus, secundùm illud, *Iustus accusator est sui in principio sermonis*: Matthæum se, & publicanum nominat, vt ostendat legentibus nullum debere salutem desperare, si ad meliora conuersus sit, cùm ipse de publicano in Apostolũ sit repente mutatus, &c. Idem habetur in Glossa ordinaria, & apud Bedam. Similiter Euthymius in Matthæum. Marcus, ait, & Lucas ob condiscipuli reuerentiam Leui hunc vocauerunt, prætermittentes manifestum eius nomen. Ipse verò apertè se ipsum publicanum fatetur, &c. Item Theophyl. Lucas, inquit, & Marcus honorantes Matthæum aliud eius nomen Leui proponunt, &c.

Prou. 18.

An Matthæus vnũ tantùm an duo nomina habuerit.

Abulensis tamen existimat Euangelistam vnum tantum habuisse nomen cùm à Christo vocatus est, nempe nomen Leui. Post vocationem verò à Christo Matthæi nomen accepisse. Sequitur eandem sententiam Iansenius. Simeon quoque Metaphrastes in vita Matthæi. Leui, inquit, antea dicebatur. Cùm mores pristinos admirabiliter mutauisset, appellatione quoque superiore mutata Matthæus dictus est, &c. At cùm Matthæus dicat:

Matth. 9.

Vidit hominem sedentem in telonio Matthæum nomine: indicare videtur tunc, cùm in telonio sederet, hoc nomen habuisse, nisi velis sic interpretari. Vidit, hominem, qui nunc Matthæus appellatur.

Hieron.

Abulens.

D. Hieronymus in proœmio comment. in Matt. arbitratur Matthæi cognomen fuisse Leui: Matthæus, inquit, cognomento Leui, &c. Et Abulensis in comment. eiusde prologi. Leui, inquit, non erat nomen principale, sed Matthæus, &c. Druthmarus Matth. 9. ait dictum Leui, eò quòd ex tribu esset Leui, cumque deberet seruire templo, exigendis vectigalibus seruiisse. Qui solebat, inquit, rapere aliena; reliquit propria, agnoscens reatum suum, quia ipse de tribu Leui, vnde & Leui dictus est, ad templum Domino seruire debuerat, & pro philargyria vili ministerio adhæserat, &c. Hoc tamen incertum est, & minimè probabile.

Druthmar. Cur dictus sit Leui.

Matth. 9. Marci 2. & Luc. 5. Matthæi prõptitudo.

SVRGENS *secutus est eum.* Admirabilis est diuini Verbi potestas. Vnico verbo: *Sequere me*: hominem ex telonio Christus abstraxit. Euthym. Matthæi 9. Admirare (inquit) perfectam eius, qui vocatus est, obedientiam. Quomodo neque consultauit apud se; quomodo nullum super ea re consuluit amicum; sed confestim surgens secutus est, relicto vniuerso mundo. Solùm autem adduxit mentem ad omnia paratam, quæ iussisset is, qui eum vocauerat, &c. D. Hieronymus Matthęi 9. diuinitati in vultu humano refulgenti, hanc tribuit tractionem. Fulgor, inquit, ipse, & maiestas diuinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie Christi relucebat, ex primo aspectu videntes ad se trahere poterat. Si enim in magnete, & succinis hæc esse vis dicitur, vt annulos, & stipulam, & festucas sibi copulẽt; quantò magis Dominus omnium creaturarum, ad se trahere poterat, quos volebat? &c. Et in epistola ad Principiam ad illa verba, *Speciosus forma præ filiis hominum*; Nisi Christus habuisset, & in vultu quiddam sydereum, numquam eum statim secuti fuissent Apostoli, &c. Chrysostom. quoque tom. 2. hom. 13. in Marcum, si tamen Chrysostomi homilia est: In vultu, inquit, Saluatoris aliquid fuit diuinum, quod videntes homines sequebantur, &c. Non repugnat Abulensis huic sententiæ, qui Matth. 9. quæst. 42. fieri potuisse scribit, vt fulgor è facie Christi emicans valdè Matthæum illexerit, omnique dulcedine spiritali, & desiderio sequendi Christum compleuerit. Nihilominus, etsi è vultu Christus nihil splendoris emitteret, Matthæum, & alios quoscumque voce ita commouere valuit, vt rebus omnibus repudiatis post eum abirent. Vnde Beda: Dominus, qui Matthæum foris verbo vocauit, intus inuisibili instinctu, vt sequeretur, edocuit, &c. Itaque fulgorem vultui Domini tribuere, ad hanc rem opus non est. Prętereà non abhorret à veritate, Matthæum, qui iuxta Capharnaum publicani munere fungebatur, miracula vel vidisse, vel saltem audiuisse, quę Dominus illa in ciuitate iam ediderat, quamuis auctor homil. illius in Marcum citatæ, velit Matthæum miraculum non vidisse. Non vidit (inquit) signum, sed auctoritas in iubendo signum fuit, &c.

In vultu Christi quiddam fuit sydereum.

Psal. 44.

Chrysost.

Abulens.

Beda.

Matthæus quibus excitatus secutus est Christum.

D. Basilius in regulis fusiùs disputatis interrog. 8. existimat tanta celeritate Matthæum post Christum abiisse, vt vectigalium rationes minimè confectas reliquerit. Non lucra (ait Basilius) solùm reliquit, sed pericula etiam Matthæus contempsit, quæ ipsi, totique eius familiæ à ciuitatis magistratibus imminebant: quòd redemptorum à se vectigalium rationes discedens non confectas reliquisset, &c. Euthymius quoque: Matthæus, inquit, non disposuit, quæ domus atque substantiæ suæ erant, sed confestim secutus est Dominum, &c. Verisimile tamen est, postea rationes vectigalium, si quæ conficiendæ erant, confecisse. Rediisse enim domum constat ex conuiuio, quod exhibuit. Vnde Abulẽsis Matt. 9. quæst. 46. Dicendum, inquit, quòd Christus taliter prouidit, quòd Matthæus potuit omnia disponere in rebus suis, vt decebat. Nam rediit in domum, & de omnibus disposuit, &c.

Basil.

Euthym. Confeciſſe vectigalia rationes eſt probabile.

Abulens.

FECIT *illi cõuiuium magnum Leui in domo sua.* Inuitatur Matthæus à Christo ad sequendum, Christum inuitauit ad vescendum. Vocatus ad discipulatum, vocauit ad conuiuium. Domum suam adduxit, epulóque splendido Dominum excepit. Conuiuæ publicani erant, & peccatores; huiusmodi enim conuiuas quærebat Christus, vt spirituales illis epulas præberet. Vnde D. Hieronymus Matt. 9. Ibat, inquit, Dominus ad conuiuium peccatorum, vt occasionem haberet docendi, & spiritales inuitatoribus suis præberet cibos, &c. Et Theophylactus: Non solùm Matthęum lucratus est Dominus, sed etiam alios publicanos, cum quibus conuiuabatur lucrari volebat. Nam propterea conuiua illorum fit, vt ipsos attrahat, &c. Chrysologus

Luce 5. Cur Christus in conuiuiũ peccatorũ venerit

Hieron.

Theoph.

Chrysol.

logus Serm. 30. Venit ad conuiuium vita, vt faceret ſecum conuiuere moriturос; decubuit indulgentia, vt peccatores leuaret ad veniam, &c. Chryſoſtomus homilia 31. in Matth. Concurrerunt ad Matthæum, quaſi ad conſortem artificij, multi publicani, quos ille lætitia non parua propter acceſſum Chriſti inuitauit: Domino ita diſponente, qui omne genus curationis animorum exhibuit. Nec diſputando ſolùm, aut ægrotos curando, aut inimicos redarguendo, verùm etiam comedendo, atque bibendo multos à vitiis ad virtutem reduxit, vt nos doctiores his omnibus efficeret. Non enim tempus eſt, nec opus, ex quo non poſſimus vtilitatem ſubducere. Sic ille.

Chryſoſt.

An publicani cum Chriſto diſcumbentes animi ſanitatem ſint conſecuti. Beda.

Quæritur, an publicanos, & peccatores, in conuiuio diſcumbentes Chriſtus animi ſanitate donarit? Affirmat Chryſoſtomus eadem homilia. Publicani, inquit, illi ab illicitis conuerſi iam meliora proſequebantur, &c. Et D. Hieron. Matth. 9 Videbant, ait, publicanum ad meliora conuerſum locum inueniſſe pœnitentiæ; ob id etiam ipſi non deſperant ſalutem. Neque verò in priſtinis vitiis permanentes veniunt ad Ieſum, ſed pœnitentiam agentes, vt ſequens Domini ſermo ſignificat, &cet. Beda: Non dubitandum, quin publicani & peccatores eſſe deſierant, qui cum Ieſu, & diſcipulis eius diſcumbebant. Nec ſi in peccatis perſeuerare decernerent, ei qui ſine peccato eſt, conueſci auderent, &c. Item eodem loco, Matthæus, qui Apoſtolus, & doctor gentium erat futurus; in prima ſua conuerſione, peccantium poſt ſe gregem traxit ad ſalutem, &c. Euthymius in Matth. illu publicani ex hoc conuertendi erant, &c.

Matth. 9.

An publicani fuerint Ethnici. Tertul. Deut.

QVARE *cum publicanis, & peccatoribus, manducat magiſter veſter?* Decipitur Tertullianus, cum in lib. de pudicitia Capit. 9. publicanos fuiſſe Ethnicos ſcribit his verbis. Si quis dubitat Ethnicos fuiſſe publicanos apud Iudæam vſurpata iam pridem Pompei; manu, atque Luculli; legat Deut. *Non erit vectigal pendens ex filiis Iſrael.* Nec tam execrabile eſſet nomen publicanorum apud Dominum, niſi extraneum, vendentium ipſius cæli, & terræ, & maris tranſitus. Peccatores autem cùm adiungit publicanis, non ſtatim Iudæos oſtendit; etſi aliqui fuiſſe potuerunt. Sed vnum genus Ethnicorum; alios ex natura, id eſt, non publicanos, pariter ponendo diſtinxit. Cæterùm nec denotaretur Chriſtus cum Iudæis communicans victum; ſed cum Ethnicis, quorum menſa Iudaica diſciplina depellit. Hactenus Tertul. Refutat illum D. Hieron. epiſtol. 146. ad Damaſum: Admiror, inquit, Tertullianum hoc voluiſſe ſentire, quòd publicani, & peccatores, qui cum Domino veſcebantur Ethnici fuerint, Quaſi verò & Matthæus non ex circumciſione fuerit publicanus; & ille qui cum Phariſæo in templo orans oculos ad cælum non audebat erigere, nõ ex Iſrael fuerit publicanus; aut non Lucas memoret; *Omnis populus audiens, & publicani, iuſtificauerunt Deum baptizati baptiſmo Ioannis.* Aut cuiquam credibile poſſit videri Ethnicum templum ingreſſum, aut Dominum cum Ethnicis habuiſſe conuiuium; cùm id maxime caueret, ne legem ſoluere videretur, &cet.

Hieron.

Luca 7.

Chriſtus non elegit vllũ Apoſtolum ex Ethnicis.

Gal. 2.

Dicendùm ergo eſt, hos publicanos & peccatores ex Iudæis fuiſſe. Nam Iudæus Matthæus erat; non enim elegit Deus vllum Apoſtolũ, ex Ethnicis. Quemadmodum ergo Matthæus, ita alii, Iudæi fuere. Præterea ſi Ethnici fuiſſent, non diſcubuiſſent Chriſtus, & Matthæus cum illis, ne Iudæos offenderent. Lege Paul. Petrus ſubtrahebat ſe, & ſegregabat; ſcilicet, non veſcebatur cum gentibus tumens Iudæos. Locus ille, quem Tertullianus citat ex Deuteron. *Non erit vectigal pendens ex filijs Iſrael*; in Deuteronomio nõ reperitur, vt obſeruauit Pamelius in Tertullianum. In verſione 70. interp. Deut. 23. reperitur. Tom. 3. explicatur ad illa verba; Licet cenſum dare Cæſari? &c. Soluiſſe verò Iudæos tributa probatur ex 1. Reg. quo loco ei, qui gigantem occidiſſet, hoc inter alia præmium propoſitum legitur; *Domũ patris eius faciet Rex alſque tributo in Iſrael.* Ergo pendebant Iſraelitæ tributa. Item *Conſtituit Salomon Ieroboam præfectum ſuper tributa vniuerſæ domus Ioſeph.* Colligebat ergo Ieroboam tributa ex tribu Ephraim, & Manaſſe. Cæterùm hac de re Deo fauente dicemus, cùm ad quæſtionem illam peruenerimus Chriſto propoſitam; *Licet ſenſum dare Cæſari, an non?* &c.

1. Reg. 12. Iudæi tributa pendebant ſuis Regibus. 3. Reg. 11.

Publicani verò, vt ait Vlpianus digeſt. libr. 39. titulo 4. de public. & vectig. lege prima, à publico dicuntur. Eos eodem titulo lege Quantæ, ſic definit; Publicani ſunt, qui publica vectigalia habent conducta. Et lib. 50. titulo de Verb. & rerum ſignificatione, lege 16. ſic ait Caius: Eum, qui vectigal populi Romani conductum habet, publicanum appellamus. Nam publici appellatio in compluribus cauſis ad populum Romanum reſpicit. Ciuitates enim loco priuatorum habẽtur, &c. Erant illi quidem apud Romanos in pretio, & honore, vt conſtat ex M. Tullio in orat. pro Plancio. Flos, inquit, equitum Romanorum, ornamentum ciuitatis, firmamentum Reip. publicanorum ordine continetur, &c. Apud Iudæos verò male hoc hominum genus audiebat. Non flos, ſed fæx; non ornamentum, ſed dedecus Reip. exiſtimabatur.

Qui fuerint publicani.

Cicero.

Quæ huius rei cauſa fuerit, quæres. Reſpondet Abulenſis in comment. prologi D. Hieronymi in Euangelia, his verbis; Publicani habebantur ab omnibus tamquam peccatores; quia talia officia vix ſine peccato fieri poſſunt, &c. Ianſenius hanc & alteram cauſam reddit capit. 13. Concor. Euangel. Quoniam (inquit) huiuſmodi hominibus in procliui fuit vi, & rapina peccare; ob id infame fuit apud Iudæos eorum nomen. Neque ſolùm ob illorum auaritiam, & iniuſtam extorſionem infame erat, ſed etiam quòd cùm Romanorum vectigalia apud eos exigeret, tyrannidi inſeruirent, qua contra legem Dei ſe premi putabant, &c. Et Card. Baronius in Annalibus pagina 120. Cur, inquit, infamię nomine notati eſſent publicani, nulla alia ſubeſt cauſa, niſi quòd Iudæi genus Abrahã ex libera, liberos ſe eſſe profiterentur. Vnde quantumlibet inuiti ad vectigal & tributum pendendum adigerentur; nefas tamen, execrandumque exiſtimabant Iudæos à contribulibus ſuis, ad id Romanis præſtandum compelli, cùm illud nomine Imperatoris ab iis illi exigerent, &c. Item Caietanus Matt. 9. Publicani publicis veſtigalibus, ſeu cenſibus Romanorum vacabant; propterea infames erant apud Iudęos, tamquam miniſtri gentilium in damnum populi fidelis, &c.

Abulenſ. Cur apud Iudæos publicani infames eſſet. Ianſen.

Baron.

Caietan.

Euthymius in Matt. ſentit publicanos non fuiſſe reuera iniuſtos, ſed calumniam paſſos. Publicani, inquit, propter obtrectationem malè audiebant. Ipſi enim calumniam ſuſtinebant, tamquam iniuſti, & auari, ac raptores, omniq́ue compaſſione carentes, & impudentes, &c. At Chriſtus peccatores eſſe ſignificat *Nonne & publicani hoc faciunt?* Et *Sit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus.* Potuiſſe autẽ publicanos etiam Chriſti tempore ſine peccato ſuo fungi munere probatur ex Luca, vbi publicani ad Baptiſtam venientes rogant; *Magiſter, quid faciemus?* At ille munus deſerere nõ iubet, ſed ſic reſpõdet. *Nihil amplius, quàm quod cõſtitutũ eſt vobis, faciatis.* Ex Græco etiã verti poteſt; *Nihil amplius exigatis*: ſed idẽ eſt ſenſus.

Euthym.

Matth. 5. Matth. 18.

Luca 3.

Phari-

Phariſæi & Scribæ non diſcubuerunt in conuiuio illo cum Chriſto; publicanis enim & peccatoribus commiſceri nolebant. Id tamen viderunt, quod fiebat. Poſt conuiuium verò magiſtrum apud diſcipulos incuſarunt, quòd cum publicanis, peccatoribuſque cibum ſumeret. Ipſos quoque diſcipulos eadem de re arguerunt, vt ait Lucas. Hominum enim improborum conſortia omnino fugienda cenſebant. Sed non erant illa fugienda animarum medico, qui ex improbis facere poterat probos. Abulenſis exiſtimat eoſdem homines appellari publicanos, & peccatores hoc ſenſu: *Quare cum publicanis, & peccatoribus*, id eſt, qui ſunt peccatores, manducat magiſter veſter? Et Euthymius Matth. 9. Publicanos, inquit, appellat etiam peccatores propter obtrectationem, quia malè audiebant. Aut fortaſſis & alij quidam erant nobiliora quidem vitæ inſtituta habentes, eiſdem tamen obnoxij affectibus. Nam ſimile ſuo congaudet ſimili, &c. Veriſimilius eſt, præter publicanos, alios quoque viros flagitiis notos, ad conuiuium veniſſe ſummi medici. Id enim ſignificant verba Matthæi: *Ecce multi publicani, & peccatores venientes diſcumbebant.* Et Marcus: *Multi publicani, & peccatores ſimul diſcumbebant.* Lucas verò: *Et erat turba multa publicanorum, & aliorum, qui cum illis erant, diſcumbentes.* Illos alios, qui cum publicanis erant, vocant Matthæus, & Marcus peccatores,

Abulenſ. *Euthym.* *Matth. 9.* *Marci 2.* *Luca 5.*

Matth. 9. NON *eſt opus valentibus medicus, ſed male habentibus.* Reddit Chriſtus Phariſæis, & Scribis rationem, cur cum publicanis, & peccatoribus conuiuetur. Medicus, inquit, ſum animorum; hi autem, vt vos fatemini, ſunt animis ægroti (etenim publicani ſunt, & peccatores) vt medicus igitur illos inuiſo, afferendæque medicinæ gratia eodem tecto, eademque cum illis menſa vtor. Hæc ſane (ait Chryſoſtomus homil. 31. in Matth.) bonum medicum decent, qui niſi laborantium putredinem ferat, non poteſt eos doloribus liberare, &c. Non eſt opus valentibus, & ſanis medicus, vt illi medicamenta adhibeat; opus eſt malè habentibus, & ægrotis. Publicani, & peccatores non valent, ſed malè habent; me indigent cæleſti medico, meiſque cæleſtibus medicamentis. Addit deinde, opus hoc miſericordiæ legis ſacrificia ſuperare, quæ Iudæi magni faciebant. *Euntes* (inquit) *diſcite, quid eſt: Miſericordiam volo, & non ſacrificium.* Ite, & diſcite, quid Propheta Oſeas ſignificet his verbis. Reperietis ſignificare miſericordiæ opera, quale eſt publicanis, & peccatoribus medicinam adhibere: ipſis ſacrificiis eſſe præſtantiora.

Cur Chriſtus cu peccatoribus ſit cõuerſatus. *Chryſoſt.* *Oſee 6.*

Sed numquid Deus hoc loco Oſeæ, ſacrificia reprobat? Ait enim ſe nolle ſacrificia. Reſpondetur eo tempore, quo hæc verba dicta ſunt, nondum fuiſſe ſacrificia abrogata à Deo, neque verò hoc loco reprobari: ſed miſericodiæ operibus poſtponi. Nam ſenſus eſt: Miſericordiam volo potius, quàm ſacrificium. Sequitur apud Oſeam: *Et ſcientiam Dei, pluſquam holocauſta.* Quemadmodum Deus Dei cognitionem pluſquam holocauſta; ita miſericordiam pluſquam ſacrificia expetebat. Chaldæus ſic vertit: *In iis, qui exercent miſericordiam voluntas coram me eſt, magis quam in ſacrificio*, &c. Et Auguſtinus libro 20. cõtra Fauſtum cap. 16. & lib. 10. de ciuitate cap. 5. ſic habet: *Miſericordiam volo magis, quam ſacrificium.* Quo loco idem Auguſtinus docet miſericordiam ſacrificium eſſe, & ſacrificium miſericordiæ, anteponi ſacrificio pecorum. Miſericordia (inquit) verum ſacrificium eſt; ac per hoc, vbi ſcriptum eſt Oſeę 6. *Miſericordiam volo magis, quam ſacrificium*; nihil aliud quàm ſacrificio ſacrificium prælatum oportet intelligi, &c.

Auguſt. *Miſericordia eſt ſacrificium, quod præponitur ſacrificiis pecorũ*

A NON *enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores.* Chriſtus omnes homines vocare venit tam iuſtos, quam peccatores. Vocauit enm Nathanaelem iuſtum, & alios ad gratiam iuſtitiamque maiorem. Peccatores quoque vocauit. Cur ergo ait: *Non veni vocare iuſtos?* Chryſoſtomus homil. 31. ironicè hoc dictum vult. Et Theophylactus: Per ironiam (inquit) dicit Dominus; *Non veni vocare iuſtos?* hoc eſt, vos, ô Phariſæi, & Scribæ, qui iuſtificatis voſmetipſos, &c. Hierõ. Matthæi 9. Sugillat Dominus Scribas, & Phariſæos, qui iuſtos ſe æſtimantes peccatorum, & publicanorum conſortia declinabant, &c. Ambroſius Luc. 5. Illos non vocat Chriſtus, qui ſe iuſtos dicunt: vſurpatores iuſtitiæ non vocantur ad gratiam. Nam ſi gratia ex pœnitentia; vtique qui faſtidit pœnitentiam, abdicat gratiam, &c. Ruper-
B tus Matthæi 9. iuſtos dicit Dominus ſuperbos, &c. Videlicet qui falſam ſibi iuſtitiam arrogant. Chryſologus Serm. 28. Sic dicens Dominus, non repulit iuſtos; ſed iniuſtos, qui ſe iuſtos mentiebantur, excluſit, &c. Eſt ergo primus ſenſus: Non veni vocare iuſtos, id eſt, eos, qui ſe iuſtos putant falſa quadam iuſtitia, & medico ſibi opus non eſſe arbitrantur: ſed peccatores, qui ſuam agnoſcunt ægritudinem, & ſanari volunt. Attamen etiam ad hos vocandos Chriſtus venit. Nam per vocationis gratiam à falſæ iuſtitiæ opinione depelluntur, & conuertuntur.

Luca 5. *Chriſtus venit vocare iuſtos.* *Chryſoſt.* *Theoph.* *Hieron.* *Ambr.* *Rupert.* *Chryſol.* *Primus huius loci ſenſus.*

Secundus ſenſus eſt D. Thomæ Lyrani, & Abulenſis. Loquitur medicus noſter de vocatione ad curationem, & pœnitentiam. Nam Lucas ſic ait il-
C lum locutum: *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.* Etenim iuſti non indigent vocatione ad pœnitentiam, per quam primam gratiam conſequatur, iuxta illud, *Gaudium erit in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia*, &c. Eſt ſenſus: Non veni ad vocandos ſanos ad medicinam; ſed ægros. Non veni vocare iuſtos, qui gratia Dei pręditi ſunt ad pœnitentiam, per quam gratiam primam adipiſcantur, ſed peccatores.

Luca 5. *Luca 15.*

Tertius ſenſus: Non veni vocare iuſtos, quoniam nulli ſunt per ſe iuſti, qui non indigeant meo aduentu: *Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei*, Theophylactus: Non veni, inquit, vocare iuſtos,
D nullos enim inuenio, quandoquidem omnes peccant. Quod ſi poſſibile eſſet inuenire iuſtos, nõ veniſſem, &cet. Sentit Theophylactus Verbum diuinum non fuiſſe carnem aſſumpturum in ſtatu innocentiæ, ſi omnes innocentes, & iuſti eſſent, iuxta illud Auguſtini de verbis Domini Sermone 9. Nulla cauſa fuit veniendi Chriſto Domino, niſi peccatores ſaluos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla cauſa eſt medicinæ. Si venit de cælo magnus medicus, magnus per orbem terræ iacebat ægrotus, &cet. Et Sermone 8. Si homo non periiſſet, filius hominis non veniſſet, &cet. Hic etiam ſenſus probabilis eſt. Chriſtus enim omnes homines vocare venit. Si verò ex ſe conſiderentur, nullus ex ſe iuſtus eſt, ſed omnes peccatores.
E Ait ergo; Non veni vocare iuſtos aliquos, quia nulli ex ſe iuſti ſunt, omnes ſunt peccatores: peccatores ergo vocare veni, non iuſtos. Vnde Caietanus; Inſinuat, inquit, Chriſtus nullos iuſtos, ſed omnes peccatores eſſe. Ex eo enim, quòd ipſe venit vocare omnes, & non venit vocare iuſtos, conſequens eſt, quòd nullus ſit iuſtus, &cet. Intellige nullum eſſe iuſtum ſine Chriſti vocatione: Niſi enim Chriſtus nos vocet, infantes ſuo modo, ſuo etiam ætate prouectos, nullus iuſtus erit. Peccato enim ſaltem originis, qui vocatus non fuerit, ſordeſcet. Omnes ergo peccatores ſumus. Peccato-

Rom. 3. *Theoph.* *Si homo non periiſſet, Chriſtus nõ veniſſet.* *Auguſt.* *Caiet.* *Nullus iuſtus eſt ſine Chriſti vocatione.*

res verò vocat Dominus ad pœnitentiam; videlicet illos, qui ratione iam vtuntur. Quamobrem concionari sic est exorsus. *Pœnitentiam agite*, &c. Est quartus sensus; ita peccatores quæro, vt si aliqui fuissent iusti, non propter eos, sed propter peccatores venturus fuissem. At Christus non loquitur de eo quod fuisset facturus, sed de eo quod fecit. Veni, inquit, non, Venturus fuissem.

CAPVT XXII.

Morale.

De vocatione Diui Matthæi.

In Christo duæ naturæ

CHRISTVS Opt. Max. duas habet vno eodemque in supposito naturas, admirabilem in modum copulatas, diuinam atque humanam. Oculos suos habet diuina, suos etiam humana. Diuinæ naturæ oculi sapientia est, qua Deus omnia præterita, præsentia & futura, quæque fieri aliqua ratione possunt, videt, atque explorat; iuxta illud: *Eccli. 23.* *Oculi Domini multò plus lucidiores sunt super Solem.* Græcè μυριοπλασίως φωτεινότεροι, id est, *infinities sunt Sole clariores.* Quæ versio exstat in Bibliis regiis. Vel, *Multiplicatis myriadibus lucidiores sunt.* Sequitur. *Circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda iutuentes in absconditas partes. Domino enim Deo, antequam crearetur, omnia sunt agnita: sic & post perfectum respicit omnia*, &c. Quemadmodum coram Sole nox esse non potest; ita coram oculis Dei tenebræ esse nequeunt. Omnia circumspiciunt, omnia intuentur, ipsa etiam hominum corda penetrant. Coram illis & recta operâ, & praua fiunt. Omnium factorum testes sunt, tam bonorum ad præmium donandum, quàm pranorum ad supplicium sumendum. Quæres à peccato hominem deterrere debet maxime. Hinc illud: *Osee 7.* *Circumdederunt eos adinuentiones suæ: coram facie mea factæ sunt*, &c. Coram facie Dei peccas, quicumque peccatum committis. Nullæ te poterunt occultare tenebræ, nullus absconditus locus contegere. Audi Dauidem: *Psal. 138.* *Dixi, forsitan tenebræ conculcabunt me: & nox illuminatio mea in deliciis meis. Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebræ eius, ita & lumen eius*, &c. Hoc est, Dixi ego, forsitan tenebræ me occultabunt, ne à Deo videar. At nox ipsa ad delicias meas, voluptatesque cernendas, lux tibi erit. Quoniam ipsæ tenebræ ante oculos tuos non erunt obscuræ, & nox ipsa instar diei coram te splendescet. Nam tam splendida est oculis tuis nox, quàm dies. *Sicut tenebræ eius*, id est, noctis, *ita & lumen eius*, id est, diei. Itaque Dei intuitum nullo vmquam in loco effugere poterimus. Vtinam intuitus hic dissipet in nobis omne malum; iuxta illud: *Prou. 20.* *Rex qui sedet super solium iudicij, dissipat omne malum intuitu suo*, &c. Oculorum Dei intuitus omnium malorum est dissipator, omnium bonorum inflammator. Hi sunt diuinæ naturæ oculi.

Christi naturæ hominis oculi.

Humana verò Christi natura alios habet oculos tum animi, tum corporis præclarissimos. Animi quidem intellectum perspicacissimum, omni beata, infusa, acquisitaque scientia præcellentissimum. Corporis verò oculos habet carneos, nostris similes, admirabili pulchritudine, humanitate, auctoritateque plenissimos, sapientissimi sanctissimique animi indices. Rogabat Iob Deum: *Iob 20.* *Numquid oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo, & tu videbis?* Tunc quidem carneos oculos nec habebat Deus, nec carneis oculis, sicut homo, cernebat. At post incarnationē, iam carneos, sed pulcherrimos oculos habet, iam sicut videt homo, carneis videlicet oculis, ita ille videt. Sicut videt Deus, ita *vidit hominem sedentem ad telonium*, & sicut videt homo, ita, *vidit hominem Matthæum nomine.* Vidit, inquam, ab æternitate diuinæ naturæ oculis, quibus simul cum Patre & Spiritu sancto illum præsciuit, & prædestinauit conformem sibi fieri. Iuxta illud Pauli: *Rom. 8.* *Quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui*, &c. Hoc est, quos Pater ex æternitate præcognouit, hos etiam prædestinauit, vt fierent conformes ac similes Filio suo Christo. Similes, inquam, filiatione, vt quemadmodum ille Filius Dei est natura, ita illi Filij Dei essent adoptione. Præterea similes gratia & gloria, tum animi, tum corporis. Prædestinauit Pater, prædestinauit Spiritus sanctus, prædestinat etiam Filius homines multos, vt essent ipsi similes. Inter ceteros Matthæum vidit, & magnam in gloriam prædestinauit, conformemque sibi, & similem Dei filiatione, gratia, laboribus, officio, gloriaque effecit. Hoc autem modo ab æternitate vidit. In tempore verò humanis vidit oculis.

Matth. 9. *Vidit Matthæum Dominus, oculis diuinis & humanis*

Pharaonis Regis filia, Mosem vidit prope fluuium vitæ discrimini expositum, inde sublatum nutriuit, in filium adoptauit, Ægyptique principem fecit. Sic Christi summi Regis summa misericordia, Matthæum vidit prope lacum, siue mare Galilææ mortis æternæ periculo obiectum; inde sustulit in discipulum, & Apostolum elegit, terræque principem creauit; iuxta illud: *Psal. 44.* *Constitues eos principes super omnem terram.* Ezechiel: *Ezech. 16.* *Transiui per te, & vidi te*, &c. Vidit Deus synagogam misericordia plenis oculis. Sequuntur deinde hunc misericordia plenum aspectum beneficia maxima, quæ in illam contulit. *Ingressus*, inquit, *sum pactum tecum, & facta es mihi, & vestiui te discoloribus, & calceaui te hyacintho, & cinxi te byssо, & polymito, & multis coloribus, & decora facta es vehementer nimis, & profeciſti in regnum, & egressum est nomen tuum in gentes propter speciem tuam, quia perfecta es in decore meo, quem posueram super te*, &c. Eumdem in modum transiuit Dominus, & Matthæum vidit oculis misericordia redundantibus; hunc aspectum diuina secuta sunt munera, eaque summa. Ex telonio illum extraxit, gratiæ aureis vestibus induit, cælestem in terris principatum tradidit. Decorus factus est Matthæus vehementer nimis, & profecit in regnum, & egressum est nomen Matthæi in gentes propter spiritalem eius pulchritudinem atque præcellentiam, quia perfectus est in decore Christi; quem posuit super eum.

Exodi 2. *Mosis cum Matthæo cōparatio.*

Quod scripsit Ecclesiasticus, id in Matthæo cernimus. *Eccli. 11.* *Est*, inquit, *homo marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate, & oculus Dei respexit illum in bono, & erexit eum ab humanitate ipsius, & exaltauit caput eius, & mirati sunt in illo multi, & honorauerunt Deum*, &c. Matthæus homo erat marcidus, egens recuperatione, & auxilio diuino, imbecillus, & virtutum inops. Oculus Christi Dei Opt. Max. respexit illum in bono, & erexit eum ab humili publicani officio, & ab humili, atque eiecta sede, in qua ad telonium sedebat. Exaltauit caput eius, & mirantur in illo multi, videlicet Christum colentes, Deumque propter illum honorant. Diuorum enim cultus Dei honor est. Mirantur autem in Matthæo, quòd Christus hominem publicanum eligere voluerit, quòd vocatus omnia reliquerit, quòd pauperem Christum homo dies secutus fuerit, quòd discipulus, quòd Apostolus, quòd primus Euangelista inter tot hominum millia sit creatus, quòd vitam sanctissimam duxerit, quòd Euangelium summa fide scripserit, & gentibus prædicarit, quòd propter

Diuinorum cultus Dei honor est.

Chri-

Christum tandem mortem oppetierit, quod eximia in terris Christi gratia abundarit: quódque maxima in cælo gloria perfruatur. Egressum est nomen Matthæi in gentes (quod de synagoga Dominus dixit apud Ezechielem 16.) Oriens & Occidens, Septemtrio & Auster, Matthæum nouit, Matthæum nominat, Matthæum laudibus ad cælum vsque extollit. Hoc Dei opus est, ex abiectis, ac despectis principes creare, & ad solium vsque regium euehere, iuxta illud: *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo, & in terra. Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem, vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui*, &cet. En Matthæum Deus respicit. *Vidit hominem sedentem ad telonium.* Quid? suscitauit à terra, terrenisque cupiditatibus inopem, & de stercore publicanatus pauperem erexit, & cum principibus populi sui, id est, Apostolis collocauit.

Psal. 112.

Matth. 9.

Vidit hominem sedentem ad telonium. Quatuor Euangelistis quatuor tribuuntur imagines, siue figuræ, quæ illorum sunt insignia. Ioannem significat Aquila, Lucam vitulus, Marcum Leo, Matthæum Homo. Matthæi ergo insigne est homo. Matthæum vidit Christus, *vidit hominem*. Hominem, inquam illum, quem Ezechiel capit. 1. prædixerat. Videbat enim iam tunc in publicano illo ad telonium sedente primum suum Euangelistam, primumque suorum gestorum, vitæque suæ admirabilis, scriptorem. Homo autem ille, qui Matthæum significat, alas habet. Terrenis enim rebus repudiatis ad cælestes Matthæum euolauit. Vtinam alatos videremus homines, non humi repentes, sed ad cælum animi pennis volantes. At multi, proh dolor, ne hominis quidem nomine digni sunt. Audi quid Chrysostomus de iis hominibus dixerit, quos diluuium illud maximum oppressit, quique bruta potius, quàm rationalia fuere animalia, homilia 13. in Genesim. Ob carnales, inquit, voluptates, quibus immersi erant, amiserant esse homines, &c. De Noe verò addit, Iste in tanto populo hominis imaginem seruauit. Item, Noe solus homo, cæteri autem non homines, sed humanam gerentes formam, & ex homnibus in bestias mutati, malitia voluntatis generositatem naturæ amiserant, &c.

Homo alatus Matthæi insigne

Chrysost. Homines beluini qui.

Quod si Chrysostomum roges, quis sit homo appellandus, sic tibi eodem loco respondet. Tunc homo est, quando virtutem colit. Neque enim speciē habere hominis, & oculos, & nares, & os, & genas, & cetera membra, hominē esse ostendunt, hęc enim membra sunt corporis. Hominem illum dicimus, qui hominis imaginem saluam retinet. Quæ autem est imago hominis? Rationalem esse. Verùm non hoc solùm fuerit hominem esse, sed & virtutibus esse deditum, & vitia fugere, & illicitis affectionibus imperare, & mandatis dominicis obtemperare, &c. Item eodem loco illum hominem esse ait, qui animi sui effrænatis appetitionibus non seruit, sed dominatur. Ab initio (inquit) dicebat Deus, *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*. vers. 1. hoc est, vt imperet & visibilibus omnibus, & passionibus suis: imperet, non ferat imperium. Itaque quia amissa dignitate magis subditus est, & imperium fert potius, quàm imperat, amisit & nomen quòd sit homo, & brutorum in se nomina transtulit. Hæc Chrysostomus,

Chrysost.

Homo ille est, qui ratione & virtute vitiur.

Animi appetitiones & sensus gregi similes sunt. Gregis huius pastor homo est, illi imperare debet, eúmque cicurare. Nam vt Philo ait, si sensus pastore careant, efferātur, quemadmodum ea animantia, quæ cicuratore destituta sunt. In libro de sacrificiis Abelis, & Caim sic ait Philo; Sensus cum armentis & gregibus confert propheta cicuribus, mansuetisque: vt qui sub pastorum cura degunt. Quæ enim libera sinuntur, destituta cicuratore efferantur. At quæ perfectos habent caprarios, bubulcos, pastores, iuxta quodque genus animantium, ea mansuescunt necessariò. Proinde & sensuum genus, vel mansuetum, vel immansuetum est. Immansuetum quidem quando contempto regimine intellectus, ceu bubulci, fertur sine ratione ad sensibilia: mansuetum verò, quando obsequenter cedens rationi, ab ea gubernatur, &c. In libro autem de Abrahamo docet, illum per excellentiam hominem vocari, qui mansuetos, ac mortificatos affectus habet. Ad illa verba: *Noe homo iustus*, vers. 6. ita scribit: Sciendum, quòd hominem non vulgari loquendi forma rationale, mortale animal vocat Moses, sed per excellentiam eum, qui verè suo respondet nomini, eiectis ex animo immansuetis, rabidis, feriniſque vitiorum affectibus, &c. Denique eodem loco docet solum iustum hominis nomine esse dignum: Nemo, inquit, iustus est homo; sed potiùs bestia humana forma prædita. In solum autem iustitiæ sectatorem nomen hoc competit. Hæc ille. Vidit igitur Dominus hominem Matthæum; hominem, inquam, futurum omnibus animi affectibus cicuratis, atque compressis; vidit hominem sensibus, animique appetitionibus imperantem; vidit hominem vere hominis dignum nomine, neque solummodò dignum hominis nomine, sed hominis alati.

Sensus, & appetitus.

Vidit Dominus Matthæum, & vocauit: *Sequere*, inquit, *me*; ille verò protinus vocationi paruit; *Surgens secutus est eum*. Etenim potentissima est Christi vox, potentissima Christi vocatio. *De ore eius gladius vtraque parte acutus exibat*. Quemadmodum gladius laqueos facilè dissecat; sic efficax Christi vocatio retia omnia, quibus mundus hominem irretit, facilè discindit. Matthæum aspice pecuniarum illaqueatum cupiditate teloniique negotiis implicatum. Quis hos dissecuit laqueos? Quis à pecuniis, quis à telonio publicanum auulsit? Christi vocatio potentissima. Non longa illi opus fuit concione, duobus traxit verbis: *Sequere me: & surgens secutus est eum*. O verba potentissima, potentissimi Verbi Dei. Duobus verbis excitatus publicanus ex officina auaritiæ surgit, vale diuitiis dicit, pauperem sequitur hominem; sed hominem, qui simul erat Deus. Perdicem aiunt aliena furari oua, pullosque excludere. eos verò, cùm proprię matris vocem audiūt, ad eam accurrere. Hinc illud, *Perdix fouit, quæ non peperit*. In quem locum sic Hieronymus scribit; Aiunt scriptores naturalis historiæ, hanc perdicis esse naturam, vt oua alterius perdicis surripiat, & foueat; fœtus vero adultos auolare, & alienum parentem relinquere, &c. Et Ambrosius lib. 6. hexaëmeron: Perdicem, inquit, astutam nouimus, quæ aliena oua diripiat, & foueat. Cùm eduxerit pullos, amittit eos; quia vbi vocem eius audierint, quæ oua generauit, ad illam se conferunt, &c. Vt perdix aliena furatur oua; sic mundus alienas furatur animas. Quemadmodum verò pulli, cùm vocem veræ parentis audiunt, falsam relinquunt; sic Matthæus, cùm veri parentis Christi vocem auribus cordeque accepit, fallentem mundum dereliquit, dominumque suum secutus est. De perdice ait Ambros. tom. 2. in cap. 17. Ieremiæ; vocem emittit, & quadam pietatis tuba prolem aduocat. Et de prole, Proles, inquit, naturali quodam auditu excitata agnoscit parentem, & simulantem deserit, &cet. Ita Dominus vocem emisit, & quadam pietatis, & misericordiæ

Potētissima Christi vocatio.

Matth. 9.

Apoc. 1.

Matth. 9. Marci 2.

Ieremi. 17.

Ambr.

Perdix oua furatur aliena.

Philo.

tuba Matthæum aduocauit; Matthæus verò auditu, & vocatione excitatus, dominum agnouit, fallacémque mundum deseruit. Lege Ambrosium.

Nō procrastinandum, cū vocamur à Deo.

Vocatus Matthæus non procrastinauit; sed statim *Surgens secutus est Dominum*. Cùm vocamur, non est procrastinandum; sed protinus vocationi obtemperandum. Procrastinare suadet Satanas, præsens tempus vitiis tradere; in crastinum conuersionem differre. Audi Magnum Basilium homilia 23. de exhortatione ad baptismum: Diabolus, inquit vana spe corda demulcet. Non audet consulere, vt omnino, statimque à Deo auertaris: nouit enim hoc graue admodum Christianis. Verùm artibus insidiosis aggreditur. Serpens est, & ad decipiendum argutus. Intelligit quemadmodum nos homines præsens tempus libenter recipimus, omnisque actio humana in præsens contendit, atque spectat. Quamobrem hodiernum tempus nobis furatur astute, & spem facit crastini. Postquam crastinum venerit, rursus malus diuisor sibi hodiernum, crastinum verò Deo dari petit. Sic continuò diem de die trahens voluptate præsenti, & spe frugis, nostram subducit latenter vitam. Hæc Basilius.

Basil. Diabolus sibi hodiernum, Deo crastinum dari petit.

Adiicit volucris similitudinem, quæ aucupem vana spe decipit; quem in modum nos cacodæmon fallit. Vidi, inquit, ego auis astutæ miram artem. Cùm pullos suos videat adhuc ob debilitatem periculo prædæ expositos, sese ante illos aucupi, vt prædæ paratam offerre; ita sese vertentem, ac gestus dispensantem, vt nec periculo penitus, ac manibus sese præbeat, nec item insidianti spem omnino eripiat. Sic itaque illum inter vtrumque versando, occupando, in se retinendo, spatium dat natis fugiendi; ipsa ad extremum euolat. Caue igitur, ne tu aucupi similia patiaris, certa pro incertis relinquens, spem firmam vana commutans. Sic ille. Astuta auis aucupi se offert, vt pullos periculo eripiat; tandemque & ipsa auolat, & pulli diffugiunt. Eodem pacto dæmon futurum tempus offert, vt præsens nobis rapiat; tandem verò tum præsens elabitur, tum futurum absque conuersione & pœnitentia abit, mórsque hominem in scelere iacentem comprehendit.

Diaboli fallacia.

Diabolus procrastinare suadet; Dominus è vestigio omni abiecta cunctatione vocationé sequi. Tartareus coruus in ore habet cras, cras; Deus: Hodie, hodie. Dominus (ait idem sanctissimus Pater Basilius) diaboli occurrens insidiis: *Hodie* (inquit) *si vocem eius audieritis nolite obdurare corda.* Diabolus verò ait; Mihi hodie, cras Deo. Dominus contra; Hodie vocem meam audite, &cet. Coruinam vocem Matthæus explosit, diuinam vocem, *Hodie*, amplexus est; nulla interposita mora vocatus Christum est secutus, & aspera quidem via est secutus, ac difficili. Sed via aspera ad lætissimum finem duxit, voluptate plenum sempiterna. Te Deus vocat; *Sequere me*: non terreat viæ asperitas, sed alliciat & trahat finis prosperitas. Non iter solùm asperum, sed finem quoque itineris, gloriámque considerat, qua in fine, sine fine perfrueris. Quod suadet Augustinus Psal. 36. Cùm sequeris, ait, viam Christi, non tibi sæculi prosperitates promittas. Per dura Christus ambulauit; sed magna promisit. Sequere; noli tantum attendere quà iturus, sed etiam quò venturus sis. Tolerabis dura temporalia; sed ad lætitiam peruenies sempiternam, &c.

Psal. 94. Hodie vox Dei est, cras diaboli.

Via aspera ad felicitatem ducit. August.

Sequere me, ait Dominus. Dominum sequere, non hominum improborum gregem. Hoc enim perniciem magnam hominibus affert, quòd pecorum instar alij aliorum prauos mores sequuntur, & lata mundi via malunt incedere, quàm Christi arcta. Audi Senecam initio libri, quem de beata vita scripsit: Decernatur, inquit, & quò tendamus, & quà, non sine perito aliquo, cui explorata sint ea, in quæ procedimus. Hìc tristissima quæque via maximè decipit. Nihil magis præstandum est, quàm ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes non quà eundum est, sed quà itur, &c. Decerne igitur quò tendas, & quà, peritumque ducem sequere. In cælum tende: via Christi tende: peritum ducem sequere Christum, cui via in cælum ducens exploratissima est. Caue ne pecorum, ritu improborum hominum sequaris gregem: gregem, inquam, cæcum, qui in tartaream ducit foueam. In vita, ait Clemens Alexandrinus libro 1. Pædagogi capite 3. tamquam in profundis errantes tenebris, optimo duce opus habemus. Optimus autem dux est, non cæcus cæcos in foueam ducens, sed verbum, cui est visus perspicacissimus, &c. *Sequere me*, dixit dux hic Matthæo. Non dixit, ait D. Chrysologus serm. 28. Affer ad me, videlicet, pecunias tuas. Sed, *Sequere me*. Quia Matthæum, non Matthæi sacculos requirebat, &c. Noluit Christus discipulos habere diuites, sed pauperes. Paupertas enim expedita est, diuitiæ animum graui premunt pondere. Vt expeditus, & exoneratus Christum Matthæus sequeretur, omnia reliquit. *Relictis*, ait Lucas, *omnibus, secutus est eum*. Relicto diuitiarum graui onere Leui paupertate agilis post Dominum abiit. Quàm graues sint diuitiæ rectè docet D. Chrysologus serm. 29. Aurum, inquit, natura graue, grauius fit auaritia nimis. Hinc est quòd plus habentem deprimit, quàm ferentem. Et vehementius aggrauat corda, quàm corpora. Nascitur in terra profunda, & dum suam repetit ad naturam, cælestes animos ad inferna deponit; alta mentium in terra demergit, &c. Ecce quantùm ferat onus homo diues. Caueat igitur, ne tanto pondere deorsum feratur in tartarum; sursum potiùs ipse aurum ferat in cælum. Ponderosum autem aurum leue faciet, alasque illi addet, quibus in cælum feratur, si pauperibus eroget. Vnde idem Chrysologus: Commutatio sane vna est, si homo prudens aurum ante mittat ad cælum, quàm mittatur ab illo, vt stultus in tartarum. Mittat per manum pauperis, quia quidquid propter Deum pauperi dederit, ad cælum transmittit, &cet. Addit eodem loco: Aurum erogare, bonum; contemnere, validum; fugere, persecurum, & cetera. Hæc omnia Matthæus præstitit: opes pauperibus erogauit, valide cupiditatem vicit, aurum fugit, Christum secutus est: &, vt ita Simeon Metaphrastes in vita diui Matthæi, toto auro & argento, quod possidebat, pretiosam margaritam mercatus est.

Sequendus Christus.

Homines ritu pecorū sequuntur antecedētiū gregem.

Clē. Alex.

Chrysol.

Lucæ 5.

Paupertas expedita, diuitiæ graues. Chrysol.

Eleemosyna aurum surdè tollit.

Diximus supra, itineris, quo Christum sequimur, finem omni voluptate ac lætitia esse plenissimum; nunc verò addimus, non finem solùm, sed ipsum etiam initium esse lætissimum. Id quod Matthæus indicat, cùm eo tempore, quo Christum sequi cœpit, lætum illi conuiuium exhibuit. Vnde D. Ambrosius Lucæ 5. Matthæus, inquit, conuiuij magni exhibet apparatum. Qui enim domicilio Christum recipit interno, maximis delectationibus exuberantium pascitur voluptatum, &cet. *Dulcis hospes animæ*, dicitur Spiritus sanctus. Dulcis, inquam, quia animam, quæ illum recipit, dulcem lætamque reddit. Dulcissimus hospes animæ est Deus, amarissimus hospes est malus dæmon. Excipe dulcem, pelle amarum. Dæmon amarore ac mæstitia: Deus dulcedine ac lætitia animum complebit tuum. Si gaudium est in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente: in ipso

Conuersio improbi læta res est.

Ambr.

Senec.

cordo

corde peccatoris, qui pœnitentiam agit, non erit gaudium? gaudent Angeli de salute hominis, ipse, qui sanatus est, homo non exultabit? Exultat sane is, qui à peccato discedit, & Christum sequitur, sua si bona norit 2. Reg. 6. exultauit Dauid cum Dei Arcam domum suam adduxit, magnáque cum lætitia ante illam totis viribus saltauit. Eodem modo eum, qui Deum ipsum in cor, animámque suam per pœnitentiam adducit, exultare, & lætitia gestire par est.

Genes. 21. Hic meritò cum Sara lætus dicere potest: *Risum fecit mihi Deus, quicumque audierit, corridebit mihi.* Corrident Angeli huiusmodi hominibus in cœlo: in terra corrident hoc est, collætantur homines iusti. Risum, id est, lætitiam illis facit Deus, cùm eos ad se B conuertit, & à mundo auertit. Etenim Deus hunc facit risum, quoniam cõuersionis auctor Deus est.

Deus est cõuersionis auctor. Quemadmodum Isaac, qui risum significat, supra naturam ex matre sterili genitus est: ita risus hic, & lætitia supra naturam ex sterili hominis corde à Deo gignitur. Nam ad producendam veram pœnitẽtiam sterilis est homo flagitiosus: Deum oportet peculiarem ferre opem, vt in corde contritio, in ore confessio, in opere satisfactio, in animo gratia producatur, ex qua risus, ac gaudium exoritur.

Philo. Philo in libro, cui titulus est. Quòd deterior potiori insidiari soleat: Quãdo, ait, id genus mala depellũtur, homo repletur gaudio, sicut Sara, ait enim: *Virtutis gaudium & delicias.* *Risum fecit mihi Deus*: opifex est enim Deus boni risus, C & gaudij, &c. Item eodem in libro docet eum, qui Deum virtutemque sectatur, deliciis frui. Qui virtutem (inquit) sectatur, deliciis huic conuenientibus fruitur: aut enim acquirit bonum, aut acquiret postea. Et habere quidem affert gaudium rem pretiosissimam: expectatio verò habendi spem, quæ est alimentum animarum virtutem amantium, propter quam semouemus pigritiam, quotquot suapte promptitudine properamus ad honesta, &c.

Augustin. Conuerso ad Deum mutatur delectatio. Adde Augustinum, qui Psal. 74. sic scribit: Omni homini conuerso ad Deum mutatur delectatio, mutantur deliciæ. Non enim subtrahuntur: sed mutantur. Omnes autem deliciæ nostræ in hac vita nondum sunt in re, sed ipsa spes tam certa est, vt omnibus huius seculi deliciis præponenda sit. Hæc D

Chrysost. Matth. 9. Augustinus, & Chrysostomus homilia 31. in Matt. Quemadmodum ex bona corporis habitudine lætitia consequitur: sic multò est maior animi voluptas, quando virtuti deditus est, &c. *Nunquid possunt filij sponsi lugere* (ait Dominus) *quamdiu cum illis est sponsus?* Si sponsum Christum in animi thalamo habueris, lætaberis, non lugebis. O te mæstissimum & miserrimum, si à te ille peccato offensus discesserit.

Genes. 21. Abraham in die ablactationis Isaac, grande conuiuium fecisse dicitur. Matthæus verò magnum conuiuium fecit in die ablactationis suæ, cùm à mundi vberibus auulsus est, sed dulciora alia vbera

Cant. 1. reperit, de quibus legitur: *Meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.* Videlicet, qui à mundi E pestiferis vberibus se abstinet, is Christi vberibus dulcissimis alitur.

Hoc Matthæi conuiuium cùm intueor, vas illud velut linteum magnum videre videor Diuo Petro è cælo oblatum, quadrupedia continens, & serpentia terræ, & volatilia cæli: quæ occidere, &

Act. 10. manducare iubetur. Vocem enim audiuit huiusmodi: *Surge Petre, occide & manduca.* Quid aliud publicani erant & peccatores, quàm immunda quædam animantia, quadrupedia, & serpentia terræ? Iis plena erat mensa Christi: vnde Pharisæi aiebant:

Matth. 9. *Quare cum publicanis, & peccatoribus, immundis, manducat magister?* At Deus misericordiam vult potiùs, quàm sacrificium. Hi sunt misericordiæ diuinæ cibi suauissimi, hos in lecto, in mensa, in foro, in plateis quærit, horum pœnitentia pascitur: horum correctione delectatur: hos occidit, & manducat: occidit crimina, & manducat iustitiam. Quid mirum, si cum peccatoribus manducat in mensa, qui pro peccatoribus vitam profundit in cruce? Miraris Iudæ (ait Chrysologus sermone 29.) cur Christus misceatur conuiuio peccatorum, qui propter peccatores & nasci voluit, & non recusauit occidi? Oblatras, cur peccatorum vinum bibat, qui pro peccatoribus suum sanguinem fudit? Et si vis nosse amplius; suscepit ipse peccatum, ne perderet peccatores: in se sententiam suam iudex retorsit, vt amasse se peccatores proderet magis soluendo, quàm donando, &c.

Deus delectatur conuersione peccatorum Chrysol.

Deus peccatores non deserit. Clem. Alex. Non deserit Deus peccatores, non fugit, sed vocat, & vt auis è nido lapsos pullos, sic ad gratiæ nidum clementer reuocat. Clemens Alex. in exhortatione ad gentes: Deus hominem retinet, & complectitur: sicut cùm pullus nido excidit, mater auis e nido aduolat. Si serpẽs pullos deuoraturus inhiet; mater circumuolat natos defendens. Deus autem Pater & suum quærit figmẽtum, & ei quod lapsum est, medetur, & feram persequitur, & pullũ rursus in nidum recipit; vt rursus aduolet incitans. Hæc ille. Nec ægrotum qui sanari potest medicus, nec peccatorem, qui conuerti vult, Deus vnquam deserit, &cet.

Fugienda improborũ consortia. At non omnium est cum publicanis, & peccatoribus versari, & manducare; sed eorũ, qui eis medicinam afferre possunt. Quemadmodum pestifero laborantes morbo omnes fugiunt, præter medicos, & cæteros, qui illis medentur: ita peccatorum consortium fugere omnes oportet, præter eos, qui medicamenta illorum vitiis adhibere queũt. Vt enim pestifer morbus, sic vitia contagione serpunt. Vnde Chrysostomus Psal. 4. Quemadmodum corpora *Chrysost.* à corrupti aëris lue infecta pereũt: ita etiam anima sæpe damnum accipit ex malorum congressione. Et quemadmodum sanus oculus, quando laborantem aspexerit, afficitur, & qui est scabie refertus, iis D etiam, qui sani sunt, eam impertit, ita etiam sæpe contingit in cõsuetudine improborum, &c. Num. 5. iubet Deus è castris omnem leprosum eiicere, ne illa contaminentur. Qui animo leprosi sunt, eos, quibuscum versantur, contaminant, quamobrem à familiaritate, veluti è castris, sunt expellendi, si leprosis moribus mederi nolint.

Conuiuium spirituale Matthæi. Denique Matthæus conuiuium Christo fecit magnum. Suauissima enim, ac pretiosissima illi fercula apposuit. Quod ferculum suauius, aut pretiosius esse potuit, illa rerum omnium renũciatione, illa paupertate, illa obedientia, quæ & vocanti, relictis omnibus statim paruit, & per totam vitam obtemperauit, illa castitate, patientia, cæterisque virtutibus, quas coluit? Quod dulcius ferculum ipso corde, ipsa vita, ipso sanguine, quem pro Domino effudit? Victima virginitatis appellatur apud Hippolytum in libello de 12. Apostolis, teste Card. Baronio in annotat. Martyrologij 21. Septemb. Etenim propter Iphigeniæ virginitatem, ab Hirtaco rege interfectus est. Cùm Iphigeniã ducere vellet vxorem, Apostolum, cuius opera virginitatis voto illa se obstrinxerat, in eáque constanter perstabat, ad aram sacrum faciẽtem impius Rex vita priuari iussit. A conuiuio cœpit Matthæus, in conuiuio sanctissimam vitam amisit. A cõuiuio, inquam, cœpit, quod ipse Christo exhibuit; in conuiuio animam efflauit, quod Christus ipsi præbuit. Cùm in ara cum Christo suauissimè epularetur, Christíque

Matthæus victima virginitatis appellatur.

potaret ſanguinem, pro magiſtro dilectiſſimo proprium effudit ſanguinem. Cumq; cęleſtem Agnum immolaret, pro Agno, quem immolabat, immolatus eſt. De Matthęi abſtinẽtia Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædagog. ca. 1. ſic ſcribit, Matthęus Apoſtolus ſeminibus, baccis, atque oleribus, abſque carnibus veſcebatur, &c.

Matthæus magnũ fecit hominibus conuiuium. Ezech. 3.

His adde Matthæum nobis etiam magnum feciſſe conuiuium. Magnum namque hominibus cunctis conuiuium fecit, cùm Euangelij dapes cæleſtes exhibuit. Ezechiel cap. 3. ſcribit volumen ſibi fuiſſe exhibitum, inſtar mellis dulce. *Aperui*, inquit, *os meum, & cibauit me volumine, & dixit ad me, venter tuus comedet, & viſcera tua complebuntur volumine iſto, quod ego do tibi. Et comedi illud, & factum eſt in ore meo ſicut mel dulce*, &c. Simile ſanè eſt Matthæi præclariſſimi Euangeliſtæ Euangelij volumen, quo Spiritus ſanctus nos cibauit. Melle dulcius eſt, omnibuſque epulis præſtantius ac ſalutarius. Vtinam illud comedamus, viſceraque noſtra illo compleantur. Intellectu autem veluti animi ore meditando edimus, memoria veluti ſtomacho meditata continemus, & voluntatem, totumque animum ſuauiter Euangelio ſic reficimus.

Matthæus munus mutauit. Chryſol.

Illud non præteribo tacitus, quod D. Chryſologus ſer. 29. ſcripſit: Matthæus, ait, non ſubtrahitur operi, ſed mutatur, & teloniũ ſuſcipit magis, quàm relinquit; vt manſura Deo, non homini peritura conquirat, &c. Exigebat Matthæus vectigalia, non munus omnino relinquit, ſed mutauit. Exigebat tributa homini, poſtea exigit Deo: hoc enim Matthæi munus fuit, quæ Deo debentur tributa, videlicet fidem, ſpem, caritatem, religionem, gratiarum actionem, iuſtaque opera, ab hominibus exigere. Felix qui, quæ debet Deo, tributa ſoluit. De Iſſachar pater Iacob: *Vidit*, inquit, *requiem quòd eſſet bona, & terram quòd optima, & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum, factuſque eſt tributis ſeruiens*, &c. Similem in modum virtutis ſtudioſus vir, cæleſtem requiem videt, quòd ſit bona, terramque illam beatã, quòd optima, ſupponit labori humerum, fitque tributis ſeruiens, quoniam quæ Deo tributa debet, fideliter & alacriter perſoluit. Iis enim modicis operum iuſtorum tributis, quæ Deo reddit, videt æternam in cæleſti patria quietem, æternaſque ſe diuitias comparare.

Gen. 49. Tributa Deo debita ſoluenda.

Dæmon tributa exigit. i. peccata. Iſaiæ 9.

Habet & cacodæmon ſuum telonium, magnus eſt publicanus & exactor. Sic à D. Gregorio appellatur lib. 39. Mor. cap. 13. & ab Iſaia: *Sceptrum*, inquit, *exactoris eius, ſuperaſti*, &c. Exigit autem à nobis tributa grauiſſima, vſuraſque turpiſſimas, hoc eſt, peccata, vt Auguſtinus appellat Pſalm. 7. At huius exactoris ſceptrũ ſuperat vir iuſtus, cui illud congruit: *Vocem exactoris non audit.* Tunc tributum dæmon exigit, cùm tentat; tunc tributum negamus, cùm tentationem repellimus. Vnde Greg. in verba Iob citata: Clamorẽ, inquit, exactoris non audire, eſt violentis tentationum moribus non conſentire, &c.

Iob 30.

CAPVT XXIII.

De quæſtione propoſita à diſcipulis Ioannis.

MATTH. CAP. IX.

ET Vnc acceſſerunt ad eum diſcipuli Ioannis, dicentes: Quare nos & Phariſæi ieiunamus frequenter, diſcipuli autem tui non ieiunant? Et ait illis Ieſus: Numquid poſſunt filij ſponſi lugere, quamdiu cum illis eſt ſponſus? Venient autem dies, cùm auferetur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt. Nemo autem immittit commiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus. Tollit enim plenitudinem eius à veſtimento, & peior ſciſſura fit. Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres. Alioquin rumpuntur vtres; & vinum effunditur, & vtres pereunt. Sed vinum nouum in vtres nouos mittunt, & ambo conſeruantur.

MARC. CAP. II.

ET erant diſcipuli Ioannis & Phariſæi ieiunantes. Et veniunt, & dicunt illi: Quare diſcipuli Ioannis, & Phariſæorum ieiunant, tui autem diſcipuli non ieiunant? Et ait illis Ieſus: Numquid poſſunt filij nuptiarum, quamdiu ſponſus cum illis eſt, ieiunare? Venient autem dies, cùm auferetur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt in illis diebus. Nemo aſſumentum panni rudis aſſuit veſtimento veteri. Alioquin aufert ſupplementum nouum à veteri, & maior ſciſſura fit. Et nemo mittit vinum nouum in vtres veteres. Alioquin dirumpet vinum vtres, & vinum effundetur, & vtres peribunt. Sed vinum nouum in vtres nouos mitti debet.

LVC. CAP. V.

ET illi dixerunt ad eum: Quare diſcipuli Ioannis ieiunant frequenter, & obſecrationes faciunt, ſimiliter & Phariſæorum, tui autem edunt & bibunt? Quibus ipſe ait: Numquid poteſtis filios ſponſi, dum cum illis eſt ſponſus, facere ieiunare? Venient autem dies, cùm ablatus fuerit ab illis ſponſus, tunc ieiunabunt in illis diebus. Dicebat autem & ſimilitudinem ad illos:

illos: Quia nemo commissuram à nouo vestimento, immittit in vestimentum vetus. Alioquin & nouum rumpit, & veteri non conuenit commissura à nouo. Et nemo mittit vinum nouum in vtres veteres. Alioquin rumpet vinum nouum vtres, & ipsum effundetur, & vtres peribunt. Sed vinum nouum in vtres nouos mittendum est, & vtraque conseruantur. Et nemo bibens vetus statim vult nouum, dicit enim, vetus melius est.

Matth. 9. QVARE *nos & Pharisæi ieiunamus*, &c. Vt suprà dictum est, Pharisæis & Scribis arguentibus, quòd cum publicanis & peccatoribus manducaret, respondit Dominus se medicum cælestem non ad sanos venisse, sed ad ægrotos curandos. *At illi*, scilicet Scribæ & Pharisæi (ait Lucas) *dixerunt ad eum; Quare discipuli Ioannis ieiunant frequenter, & obsecrationes faciunt, similiter & Pharisæorum: tui autem edunt & bibunt?* &c. Vnde colligitur hanc quæstionem, siue potius vitæ accusationem propositam fuisse Christo post illud responsum.

Ordo gestorum. Luc. 5.

Matth. 9. Matthæus ait propositam à discipulis Ioannis: *Tunc*, inquit, *accesserunt ad eum discipuli Ioannis, dicentes: Quare nos & Pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant*, &c. Lucas aperte significat obiectam à Scribis & Pharisæis, non autem à discipulis Ioannis solùm instigantibus Pharisæis. Marcus scribit prolatam à discipulis Ioannis, & à Pharisæis: *Erant*, inquit, *discipuli Ioannis & Pharisæi ieiunantes, & veniunt, & dicunt illi*, scilicet Christo, *Quare discipuli Ioannis & Pharisæorum ieiunant, tui autem discipuli non ieiunant?* &c. Itaque dicendum, propositam hanc quæstionem tum à discipulis Ioannis, qui tunc temporis erat in vinculis: tum à Pharisæis & Scribis. Tàm enim hi, quàm illi ad illam proponendam conuenerunt, vt docet Marcus satis perspicuè. Non deest, qui dicat à Pharisæis non per se, sed per Ioannis discipulos propositam.

A quibus proposita quæstio. Marci 2.

Pharisæi & discipuli Ioannis frequenter ieiunium seruabant, precibusque, & obsecrationibus vacabant: Domini verò discipulos ieiunantes, precibusque vacantes non videbant: inde orta criminatio est. Forsitan illa die, qua Christus apud Matthæum conuiuio exceptus est, ipsi Ioannis discipuli & Pharisæi ieiunabant: id quod significare possunt Marci verba: *Erant*, inquit, *discipuli Ioannis & Pharisæi ieiunantes*. Illa scilicet die. Vel, *Erant ieiunantes* frequenter, id est, solebant sæpe ieiunare. Cùm ergo viderent Christum, Christique discipulos conuiuio lauto, & opiparo exceptos à Matthæo, criminantur, & rogant, cur non ieiunent?

Ibid.

Matth. 9. NVMQVID *possunt filij sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus?* Spõsus Ecclesiæ Christus est; sic à Baptista appellatur: *Qui habet*, inquit, *sponsam, sponsus est; amicus autem sponsi, qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi*, &c. Quæ verba his Christi verbis similia sunt, quibus ait filios & amicos spõsi non posse lugere, quamdiu cum illis est sponsus. Filij sponsi, vel filij nuptiarum, Græcè dicuntur filij νυμφῶνος, id est, spõsi, vel thalami nuptialis. Nam νύμφη, sponsam significat, νύμφιος, sponsum; νυμφὼν thalamum nuptialem, & sponsum. Non dicuntur autem sponsi filij, filij ab sponso geniti; sed domestici, qui nuptias celebrant; quarum tempus non lugubre est, sed lætum, ac festiuum. Respondet itaque Dominus Pharisæis & discipulis Ioannis, nonnullis similitudinibus, & indicat non esse arguendos suos discipulos, quòd non ieiunent. Hæc prima est similitudo sumpta à nuptiis. Ieiunia, inquit, non sunt læti temporis, ac festiui, quale est nuptiarum. Cùm ergo mei discipuli in nuptiis sint, quamdiu

Matth. 9. Ecclesiæ sponsus Christus est. Ioan. 3.

A cum eis ipse sponsus versor; arguendi non sunt, quòd modo ieiunia non obseruent. Sed nec semper cum eis versabitur sponsus, nec semper ieiunia obseruabunt. Tempus enim erit, cùm ab eis auferetur sponsus, scilicet cùm ego in cœlum discedam, illósque, quod ad præsentiam attinet corporalem, relinquam. Tunc ieiunabunt. Erit illud tempus laborum, & ieiuniorum, hoc verò nuptiale est, & lætitiæ. Christus (ait Chrysologus Serm. 31.) qui tunc Ecclesiam desponsabat; indulgebat se mensis, conuiuatibus se non negabat; humanum, comem, blandum se pia charitate reddebat; donec diuinis humana coniungeret, & faceret de terrena societate cælestè consortium, &c.

Christus sponsus lætissimus.

Chrysol.

Felix anima Christo sponso gaudens.

Fœlix anima, quæ lætissimum hunc habet sponsum, qui toti domui cælestem lætitiam affert, pellit mœstitiam. Meritò sponsi huius sponsa in cantico canticorum, quod harum nuptiarũ Epithalamium

Cant. 1.

B est, sic ait, *Exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum*, &c. Caue ne auferatur à te sponsus. Auferetur autem, si mortifero crimine thalamũ inquines. Simúlque cum lætissimo sponso lætitia summa, quæ ex illius percipitur præsentia abscedet. Idcircò sponsa postquam sponsum apprehendit: *Tenui*, inquit, *eum, nec dimittam*, &c. Tene Deum, astringe fortiter ac constanter, ne relinque segniter, ac ocitanter. *Regnum cælorum*, & Rex quoque cælorum *vim patitur*; sed hac vi delectatur.

Cant. 3.

Matth. 9.

NEMO *immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus*, &c. Secunda similitudine ostendit Dominus discipulos imbecilles adhuc, & imperfectos, ieiuniorum, & obsecrationum pondere nequaquam opprimendos esse. Nemo, inquit, ex nouo vestimento partem detrahit panni rudis, impoliti,

C & noui, illámque veteri ac detrito vestimento assuit. Nam vestimentum nouum lacerat; veteri verò non congruit noui panni assumentum. Hoc est, quod Lucas iis verbis significat: *Nemo commissuram a nouo vestimento immittit in vestimentum vetus. Alioquin & nouum rumpit*, scilicet vestimentum; *& veteri non conuenit commissura à nouo*, &c. A nouo, inquam, vestimento ablata. Quod si quis pãni rudis assumentum veteri vestimento assuat; postea offensus dissimilitudine, idem assumentum, siue noui panni partem, quam assuerat, aufert à vestimento veteri, & maior ac peior fit in eodem vestimento veteri scissura. Hoc Matthæus sic dixit, *Nemo immittit commissuram*, Græcè ἐπίβλημα, id est, assumentum, *panni rudis in vestimentum vetus. Tollit enim plenitudinem eius à vestimẽto: & peior scissura fit*, &c. Tollit, inquit offensus

Luc. 5.

Matth. 9.

Quid sit commissura panni rudis

D dissimilitudine panni, plenitudinem eius, scilicet vestimenti veteris, hoc est, pannum rudem qui implebat vestimentum vetus, tollit ab ipso vestimento; scilicet veteri, vt ex Marco intelligitur. Nam offenditur panni ruditate, & differentia. Pannus rudis Græcè apud Matthæum & Marcum dicitur ῥάκος ἄγναφον, id est, pannus à fullone nondum apparatus. Nã dictio, ἄγναφος, deducitur à particula priuante, α, & γναφεὺς, quod nomen fullonẽ significat. Marcus hoc modo scribit. *Nemo assumentum panni rudis assuit vestimento veteri. Alioquin aufert supplementum nouum à veteri*, scilicet vestimento; *& maior scissura fit*, &c.

Marci 2.

&c. Græcè legitur apud Matthęũ, & Marcum idem vocabulũ, πλήρωμα, interpres vertit plenitudinem & ſupplementum. Dicitur verò aſſumentũ panni noui plenitudo, quia implet locum veteris veſtimenti; dicitur ſupplementum, quia ſupplet.

Aliter exponi poteſt ſimilitudo hæc hoc pacto, Matthæus ſic. Nemo immittit commiſſuram ſiue additamentum panni rudis & noui, in veſtimentum vetus. Tollit enim ipſa commiſſura, vel additamentum noui panni, tollit, inquam, plenitudinem, id eſt, integritatem eius à veſtimento, ſcilicet veteri, cui additur. Nam quia durior eſt, & fortior pars noua, id quod integrũ, & plenum eſt in veſtimento veteri, diſcindit, & fit peior, & maior ſciſſura, quàm erat, antequam apponeretur additamentum. In hanc ſentẽtiam interpretatur Euthymius; Integritas, inquit, panni rudis, cùm ſit fortis, & dura, tollit, ac detrahit à veſte, quæ detrita erat, quantumcumque acceperit; & maior ruptura fit, &c. Et *Theoph.* Theophylactus Marci 2. Pannus, ait, nouus ſi aſſuatur veſtimento veteri, ſua infirmitate illud diſcindit, &c. Quemadmodum in ſequenti ſimilitudine vini nouitas rumpit vtres veteres: ita in hac, panni additi nouitas rumpit veſtem detrita. Marcus difficilius ita explicabitur: Nemo aſſumentum nouum aſſuit veſti detritæ. Alioquin ipſum ſupplementum nouum quod ſuppletur aufert à veteri, id eſt, ſcindit vetus veſtimentum. Et maior ſciſſura fit. Ex Græco verti poteſt, pro ſupplemento, plenitudo. idem enim vocabulum extat apud Matthæum & Marcum, ſcilicet, πλήρωμα. Si ſic vertas. Alioquin aufert, vel tollit, Græce αἴρει, plenitudinem ipſius nouum à veteri; eadem fere verba erunt Marci, & Matthæi, & idem ſenſus. Tollit nouum integritatem à veteri, quia fortius eſt. Lucas vix recipit hãc interpretationem. Nemo, inquit, commiſſuram à nouo veſtimento immittit in veſtimentum vetus. Aloquin & nouum rumpit, id eſt, alioquin nouum illud additamentum rumpit veterem veſtem ſuo rigore, & nouitate, & veteri non conuenit cõmiſſuræ. Significat hac ſimilitudine Dominus, teneræ imbecilliſque virtutis diſcipulos ſimiles eſſe veſtimento veteri, ac detrito; quocirca nolle illis nouas obſecrationes, & preces, ac ieiunia noua indicere eorum viribus minimè congruentia. Id enim eſſet veteri veſtimento ac detrito, nouum ac rudem pannum aſſuere; vnde ſciſſura ſequeretur, ſi ieiuniorum, & obſecrationum onus ferre recuſarent, & diſcederent. Oporterétque ieiunia, & obſecrationes veluti aſſumentum rude à veteri veſti- *Matth. 9.* mento tollere,

NEQVE *mittunt vinum nouum in vtres veteres.* Tertia ſimilitudo eodem tendit. Noua (inquit) ieiunia, nouæque obſecrationes, imbecillis diſcipulis indicendæ non ſunt. Ne fortè, vt vtres veteres vi ebullientis vini diſrumpuntur; ſic illi ieiuniorum onere premantur, ac cadant. Nemo muſtum in vtres infundit veteres; ne efferueſcentis vini acrimonia diſcindantur. Vtres nouos nouum vinum flagitat. Eundem in modum noua lex, nouæque ieiuniorum onera, diſcipulos poſtulant nouos per Spiritus ſancti gratiam renouatos. Additur *Luc. 5.* his apud Lucam quarta parabola. *Nemo* (ait Dominus) *bibens vetus vinum, ſtatim vult nouum; dicit enim Vetus melius eſt.* Qua indicatur, homnes paulatim ad perfectiora eſſe traducendos. Quemadmodum, inquit, paulatim à vini veteris vſu, cui aſſueuerunt, ad nouum, vini potatores tranſeunt: ſic diſcipuli mei paulatim à veteribus moribus ad noua onera ieiuniorum, & obſecrationum tranſibunt. Vel, Quemadmodum vini potator nouum vinum non vſurpat in potum, mox vt confectum eſt, ſed ſuo reſeruat tempori: ſic & diſcipuli non vſurpant modò ieiunia, & obſecrationes nouas, ſuum tamen illæ tempus habebunt.

Ex his collige, iis, qui nouitia, ac tenera virtute prædíti ſunt, non eſſe grauia imponenda onera: ne vtres veteres vi ebullientis muſti diſrumpantur: idque quod habent vini, id eſt, virtutis effundant. *Matth. 23.* De Phariſæis Dominus: *Alligant*, inquit, *onera grauia & importabilia, & imponunt ea in humeros hominum; digito autem ſuo nolunt ea mouere*, &c. Iis ſimiles ſunt, qui teneros humeros ac debiles, pondere vires ſuperante premunt, *Noſti* (ait Iacob ad Eſau) *quòd paruulos habeam teneros, & oues, & boues fœtas mecum; quas ſi plus in ambulando fecero laborare, morientur vna die cuncti greges, &c.* Sic paſtor bonus, ſic paruulos ſuos teneros, debiléſque curat oues; non plus in ambulando laborare facit, quàm poſſunt, ne fortè moriantur. Addit idem Iacob: *Sequar paulatim ſicut videro paruulos meos poſſe, &c.* Paruulorum viribus ſe accõmodat ſapiens paſtor; lac præbet ijs, qui ſolidum cibum edere non *1. Cor. 3.* poſſunt; iuxta illud Apoſtoli, *Lac vobis potum dedi, non eſcam; nondum enim poteratis. Sed nec nunc quidem poteſtis; adhuc enim carnales eſtis, &c.*

Tenera virtute prædítis onera grauia non ſunt imponenda. Geneſ. 33.

Quòd ſi vinum nouum vtres veteres diſrumpit: caueat Chriſti ſacerdos, ne vinum illud nouum, id eſt noui teſtamenti (ſanguinem dico Dei, ſub vini ſpecie latentem) in vtrem veterem, hoc eſt, animum mortifero ſcelere inueteratum, infundat. Quod ſi faciat, diſrumpetur. Vinum illud nouum noua vaſa flagitat, id eſt, noua corda, & Spiritu ſancto renouata ſacerdotum pectora. Vinum eſt ebulliens, & efferueſcens, pectus nouum diuino complens feruore, ſcelere verò inueteratum diſrumpens.

CAPVT XXIIII.

De filia Archiſynagogi in vitam reuocata. Et fœmina à ſanguinis profluuio liberata.

MATTH. CAP. IX.

HÆC illo loquente ad eos, ecce princeps vnus acceſſit, & adorabat eum dicens: Domine, filia mea modò defuncta eſt, ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & viuet. Et ſurgens Ieſus ſequebatur eum, & diſcipuli eius. Et ecce mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, acceſſit retrò, & tetigit fimbriam veſtimenti eius. Dicebat enim intra ſe: Si tetigero tantùm veſtimentum eius, ſalua ero. Et Ieſus conuerſus, & videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te ſaluam fecit. Et ſalua facta eſt mulier ex illa hora.

Et

Et cùm veniſſet Ieſus in domum principis, & vidiſſet tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat: Recedite; non eſt enim mortua puella, ſed dormit. Et deridebant eum. Et cùm eiecta eſſet turba, intrauit: & tenuit manum eius. Et ſurrexit puella. Et exiit fama hæc in vniuerſam terram illam.

MARC. CAP. V.

ET cùm tranſcendiſſet Ieſus in naui rurſum trans fretum, conuenit turba multa ad eum, & erat circa mare. Et venit quidam de archiſynagogis nomine Iairus: & videns eum, procidit ad pedes eius, & deprecabatur eum multùm, dicens: Quoniam filia mea in extremis eſt. Veni, impone manum tuam ſuper eam, vt ſalua ſit, & viuat. Et abiit cum illo. Et ſequebatur eum turba multa, & comprimebant eum. Et mulier, quæ erat in profluuio ſanguinis annis duodecim, & fuerat multa perpeſſa à compluribus medicis, & erogauerat omnia ſua, nec quicquam profecerat, ſed magis deterius habebat: cùm audiſſet de Ieſu, venit in turba retrò, & tetigit veſtimentum eius. Dicebat enim: Quia ſi vel veſtimentum eius tetigero, ſalua ero. Et confeſtim ſiccatus eſt fons ſanguinis eius, & ſenſit corpore, quia ſanata eſſet à plaga. Et ſtatim Ieſus in ſemetipſo cognoſcens virtutem, quæ exierat de illo, conuerſus ad turbam aiebat: Quis tetigit veſtimenta mea? & dicebant ei diſcipuli ſui: Vides turbam comprimentem te, & dicis: Quis me tetigit? Et circumſpiciebat videre eam, quæ hoc fecerat. Mulier verò timens & tremens, ſciens quod factum eſſet in ſe, venit, & procidit ante eum, & dixit ei omnem veritatem. Ille autem dixit ei: Filia, fides tua te ſaluam fecit: vade in pace, & eſto ſana à plaga tua. Adhuc eo loquente veniunt ab Archiſynagogo, dicentes: Quia filia tua mortua eſt, quid vltrà vexas magiſtrum? Ieſus autem audito verbo, quod dicebatur, ait Archiſynagogo: Noli timere; tantummodò crede. Et non admiſit quemquam ſe ſequi, niſi Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem Iacobi. Et veniunt in domum Archiſynagogi, & videt tumultum, & flentes, & eiulantes multùm. Et ingreſſus ait illis: Quid turbamini, & ploratis? puella non eſt mortua, ſed dormit. Et irridebant eum. Ipſe verò eiectis omnibus aſſumit patrem & matrem puellæ, & qui ſecum erant, & ingreditur, vbi puella erat iacens. Et tenens manum puellæ, ait illi: Talitha cumi. Quod eſt interpretatum: Puella (tibi dico) ſurge: & confeſtim ſurrexit puella, & ambulabat. Erat autem annorum duodecim: & obſtupuerunt ſtupore magno. Et præcepit illis vehementer, vt nemo id ſciret, & dixit dari illi manducare.

LVC. CAP. VIII.

FActum eſt autem cùm rediiſſet Ieſus, excepit illum turba. Erant enim omnes exſpectantes eum. Et ecce venit vir, cui nomen Iairus, & ipſe princeps ſynagogæ erat, & cecidit ad pedes Ieſu, rogans eum, vt intraret in domum eius, quia vnica filia erat ei ferè annorum duodecim, & hæc moriebatur. Et contigit dum iret, à turbis comprimebatur. Et mulier quædam erat in fluxu ſanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos erogauerat omnem ſubſtantiam ſuam, nec ab illo potuit curari. Acceſſit retrò, & tetigit fimbriam veſtimenti eius, & confeſtim ſtetit fluxus ſanguinis eius. Et ait Ieſus: Quis eſt qui me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, & qui cum illo erant: Præceptor, turbæ te comprimunt & affligunt, & dicis: Quis me tetigit? Et dixit Ieſus: Tetigit me aliquis. Nam ego noui virtutem de me exiiſſe. Videns autem mulier, quia non latuit, tremens venit, & procidit ante pedes eius: & ob quam cauſam tetigerit eum, indicauit coram omni populo: & quemadmodum confeſtim ſanata ſit. At ipſe dixit ei: Filia, fides tua ſaluam te fecit, vade in pace. Adhuc illo loquente venit quidam ad principem ſynagogæ, dicens ei: Quia mortua eſt filia tua, noli vexare illum. Ieſus autem

autem audito hoc verbo reſpondit patri puellæ: Noli timere, crede tantùm, & ſalua erit. Et cùm veniſſet domum, non permiſit intrare ſecum quemquam, niſi Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & patrem, & matrem puellæ. Flebant autem omnes, & plangebant illam. At ille dixit: Nolite flere, non eſt mortua puella, ſed dormit. Et deridebant eum, ſcientes quòd mortua eſſet. Ipſe autem tenens manum eius clamauit, dicens: Puella, ſurge. Et reuerſus eſt ſpiritus eius, & ſurrexit continuò. Et iuſſit illi dari manducare. Et ſtupuerunt parentes eius, quibus præcepit, ne alicui dicerent quod factum erat.

Matth. 9. Ordo geſtorum.

HÆc duo miracula temporis ordine ſequi, oſtendunt Matthæi verba, *Hæc, ait, illo loquente, ecce princeps vnus acceſſit*, &c. Hoc eſt, cùm Chriſtus Phariſæis & diſcipulis Ioannis reſponderet arguentibus diſcipulos, quòd non ieiunarent; tunc Iairus Synagogæ princeps acceſſit. Marcus & Lucas hiſtoriam alio loco collocarunt, vt compertum eſt. Neque verò à Matthæo, diſcordant, quoniam temporis ordinem non ſunt ſecuti.

Marci 5.

VENIT *quidam de Archiſynagogis nomine Iairus.* Erant multæ in populo Iſraelitico ſynagogæ, quæ ſingulæ ſuos habebant principes ſiue præfectos. Ex his Archiſynagogis vnus nomine Iairus, filiam, & quidem vnicam in extremo habebat ſpiritu. Vnicæ igitur filiæ malo adductus, ad Chriſtum venit, procidénſque ad pedes, & illum adorans, vt filiam vitæ reſtitueret, poſtulauit. Non tamē quaſi Deum adorauit; nondum enim ad ſublimem hanc cognitionem fide aſcenderat. Id quod verba illa indicant: *Veni, impone manum tuam ſuper eam & viuet.* Ignorabat videlicet, poſſe Chriſtum ſolo iuſſu, vitam cui vellet pro omnipotentia ſua reſtituere. Vnde Chryſoſtomus in Matth. homil. 32. Vide inquit, ruditatem principis, poſtulat, vt veniat Dominus, & manum imponat. Id quoque Naaman ab Eliſæo poſtulabat. viſu enim, & ſenſu indigent, qui rudiores ſunt, &c. Theophylactus: Videtur Archiſynagogus fidem habere, quamuis non magnam. Obſecrat enim Dominum, non vt ſolum verbum dicat; ſed vt & veniat, & manum imponat, &c. Euthymius quoque; Petebat, ait, vt veniret Chriſtus, manum imponeret; vtpote craſſius affectus, &c.

Matth. 9. Princeps hic Chriſtū vt Deum non agnoſcit. Chryſoſt.

4. Reg. 5.

FILIA *mea modò defuncta eſt.* Pariunt difficultatem Euangeliſtarum verba quæ precanti huic Iairo tribuūtur. Marcus dixiſſe ait: *Filia mea in extremis eſt.* Lucas: *Vnica filia erat ei, & hæc moriebatur.* At Matthæus hæc illi verba tribuit: *Filia mea modò defuncta eſt.* Nulla eſt repugnātia, ſed concordia ſumma in dictis Euāgeliſtarum. Si aliqua prima fronte repugnare videntur, penitus inſpecta maximè conſentiunt: ſcripta autem ita ſunt, vt fides exerceatur. D. Auguſtinus libro 2. de conſenſu Euangeliſt. cap. 28. arbitratur Archiſynagogum id dixiſſe, quod Marcus ſcribit: *Filia mea in extremis eſt.* Matthæum verò non quid ille dixerit, retuliſſe, ſed quid cogitauerit & voluerit, attendiſſe; filiam enim, quam in extremo ſpiritu reliquerat, obiiſſe mortem Iairus cogitabat, & in vitam reuocari volebat. Attendit (ait Auguſtinus) Matthæus, non verba patris de filia, ſed quod eſt potiſſimum, voluntatem, & talia verba poſuit, qualis voluntas erat. Ita enim deſperauerat, vt potius eam vellet reuiuiſcere, non credens viuam poſſe inueniri, quam morientem reliquerat. Et cùm inſtituiſſet breuiter dicere, hoc inſinuauit patrem dixiſſe, quod & ipſum certum eſt voluiſſe, & Chriſtum feciſſe, &c. Placet magis, credere Iairum vtrumque dixiſſe, Videlicet, primùm quidem dixit; *in extremis eſt*: deinde rem exaggerans, vel ita credens addidit, *modò defuncta eſt.* Quæ eſt ſententia Euthymij. A tempore itineris ait Chryſoſtomus mortuam puellam eſſe coniecisse, aut certè calamitatem amplificaſſe.

Auguſt.

Marci 5.

ECCE *mulier, quæ ſanguinis fluxū patiebatur annis duodecim acceſſit retrò.* Quod Archiſynagogus poſtulabat conceſſit Dominus. Domum vt veniret poſtulauit Archiſynagogus, & manum puellæ vt imponeret, morem geſſit, ſecutus illum eſt Dominus domum vſque, manum puellæ tenuit, mortuamque reduxit in vitam. In ipſo autem itinere, femina, quæ annis duodecim ſanguinis incurabili profluuio laborauerat, furtim fimbriam cæleſtis medici tetigit, ſanitatemque ſubitò, nemine præter Chriſtum ſciente, recuperauit. At Chriſtus latere miraculum noluit. Propterea enim illud ediderat, vt ab hominibus in probationem potentiæ ſuæ cognoſceretur. Patefecit ergo factum, vt Marcus docet & Lucas, tum vt potentiam ſuam oſtenderet, tum etiam vt Archiſynagogi & feminæ ſanatæ fidem confirmaret, atque augeret.

Matth. 9.

Luca 8.

EGO *noui virtutem de me exiiſſe.* Cognouit, ait Marcus, Chriſtus virtutem, Græce δύναμιν, id eſt, potentiam ad ſanandum feminam à ſe exiiſſe, & ad turbam hominum, quæ ſequebatur conuerſus, rogauit: Quis veſtimenta mea tetigit? At diſcipuli reſponderunt: *Præceptor turbæ te comprimunt & affligunt, & dicis: Quis me tetigit?* Chriſtus verò iam non rogans, ſed aſſerens addidit: *Aliquis tetigit me, nam ego noui virtutem*, Græcè δύναμιν, *de me exiiſſe.* Noluit verò mulierem indicare, vt ipſa ſe indicaret. Igitur timore perculſa ad pedes Domini ſe abiecit, & miraculum quod latebat coram multitudine hominum patefecit. Rogabis, cur mulier latere voluerit? Reſpondetur, propter verecundiam. Erat enim morbo affecta fœdo, qui tangentes iuxta legem immundos reddebat. Ideoque tremens, vt ait Lucas, ad Chriſtum venit; timebat enim ne argueretur, quòd cùm immunda eſſet, turbæ ſe immiſcere, & Chriſtum tangere auſa fuiſſet. Sed bono eſſe animo à clementiſſimo Domino iuſſa eſt. *Conſide, inquit, filia, fides tua te ſaluam fecit; vade in pace, & eſto ſana à plaga tua.* Hoc eſt: Perſeueret in te ſanitas, quam tibi contuli. Timebat enim illa, ne vt ingrata, quæ tantum beneficium occultaſſet, nec pro illo gratias egiſſet, reprehenderetur; & beneficio priuaretur. Ideo Chriſtus: *Conſide*, inquit, *eſto ſana à plaga*; quaſi dicat, ne formides, datam ſanitatem non auferam; quin potius illam tibi ſtabilio ac confirmo. Eſto ſana deinceps.

Luca 8.

Ibid.

Luca 8.

Marci 5.

Matth. 9.

Dubium eſt, quænam virtus, ſiue δύναμις illa fuerit, qua à Domino exiiſſe dicitur, ad ſanandam feminam? Montanus in ſcholiis Matth. 9. ſic reſpondet: Virtus verè exibat ex Chriſti corpore, quæ ſanare poſſet etiam grauiſſimis morbis affectos. Illa autem virtus veſtibus etiam communicabatur, vt odor boni vnguenti veſtibus fragrantiam præſtat. Hæc ille. Fateor potuiſſe ex Chriſti corpore virtutem aliquam, ſiue præcellentem qualitatem

Montan. De virtute quæ à Chriſto exiit ad efficiendum miraculū.

litatem exire, & à Deo ad miracula perpetranda, eo modo extolli, quo tartareus ignis ad ſpiritus comburendos extollitur. Sed non opus eſt, huiuſmodi virtutem corpori Chriſti tribuere. Longum verò eſſet hoc loco ea perſequi, quę de virtute ſcribunt Theologi, qua Chriſti humanitas miracula efficiebat. Quidam qualitatem aliquam ordinis excellentioris; nonnulli artificioſum quemdam motum, quem Deus humanitatis actionibus tribuebat, illaſque ad miraculoſa opera attollebat, fuiſſe aiunt. Alij vero virtutem hanc in eo ſitam volunt, quòd verbo, tactui, aut voluntati Chriſti diuina protinus adeſſet potentia ad miraculum patrandum, &cet.

Quæ fuerit hæc virtus. Auctoris ſententia.

Arbitror nullam ex Chriſti corpore virtutem odoris, ſeu vnguenti inſtar emanaſſe. Virtutem verò, & poteſtatem in humanitate Chriſti ad miracula efficienda moralem fuiſſe reor, conceſſionem videlicet Dei, qua ſecundùm humanitatis voluntatem, tactum, vel verbum, cui natura diuina erat coniuncta, Deus miracula patrabat. Nullas habet hæc ſententia ſalebras, quibus reliquæ plenæ ſunt. Vt alias omittam: ſi virtus illa, quam cárni Chriſti tribuis, realis eſt, creata etiam erit. Ergo res creata miracula faciebat. Siquidem illa virtus homines

Luc. 6.

ſanabat, vt dicitur, *Virtus*, inquit, *de illo exibat, & ſanabat omnes, &c.* Quòd verò Chriſtus ait: *Novi virtutem exiiſſe*; minime repugnat. Significat enim non quidem qualitatem exiiſſe aliquam, ſed diuinam Verbi exiiſſe actionem, ad afferendam ſanitatem fœminæ, &c.

Duæ naturæ in Chriſto propria habebant munera.

Patres habet fautores hæc ſententia. D. Damaſcenum in lib. cui titulus eſt; Quomodo ad imaginem Dei facti ſumus; in exemplum miraculum affert, de quo hoc loco agimus ſuſcitationis puellæ Archiſynagogi filiæ; ſic verò ſcribit, vt omittam alia: In Domino vtraque natura ea, quæ ad ſe propriè pertinent, altera adiutrice, & ſocia exequitur. Cùm interea, nec vna duæ ſint, nec duarum ſit vna affectio, & officium. Sed humanæ eius naturæ, ſuapte natura obedire diuino imperio, & voluntati, ſuaque voluntate manum porrigere, & puellam tangere iuſſu & imperio diuinitatis, quæ puellam tactu excitabat. Ita humanæ actionis finis in libera manus dilatatione & tactu poſitus erat, diuinæ autem in excitatione puellæ. Hæc ille. Diuus itē Leo

D. Leo.

epiſtola 10. cap. 4. Agit vtraque forma cum alterius communione, quod proprium eſt. Verbo ſcilicet operante, quod Verbi eſt; & carne exequente, quod carnis eſt; vnum horum, id eſt, Verbum, coruſcat miraculis: aliud, id eſt, caro, ſuccumbit in-

Athan.

iuriis, &c. D. Athanaſius ſerm. 4. contra Arianos: Cùm ſocrum Petri Chriſtus excitauit febri laborantem, humano quidem more manum extendit; diuinitus autem morbum compeſcuit. Et in cæco humanum è carne emiſit ſputum; diuinitùs autem oculos aperuit per lutum. In Lazaro vocem vt homo edidit; diuinitus autem, vt Deus eundē à mor-

Sophron.

tuis excitauit, &c. Sophronius patriarcha Ieroſolymitanus in epiſtola, quæ habetur in Concil. ſexto Conſtantinopolitano, Actione 11. Idem Chriſtus & filius, qui diuina geſſit & humana; ſecundum aliud verò, & aliud, ſicut diuinitus proteſtatus eſt

Cyril.

Cyrillus. Secundùm quòd Deus, ſempiternus idem ipſe exiſtebat, patrabat miracula: ſecundùm quod homo verò, idem ipſe modernus agnoſcebatur, faciebat humilia, & humana, &c.

Ambr.

Dubium præterea eſt, quænam fuerit hæc fœmina? D. Ambroſ. in li. de Salomone ca. 5. Mariæ Magdalenę ſororem Martham fuiſſe putat; Deum largum, inquit, in ſanguine fluxum Chriſtus ſiccat in

Euſeb.

Martha, dum dæmones pellit ex Maria, &c. Euſebius lib. 7. cap. 14. ex vrbe Cæſarea Philippi, quæ propè fontes Iordanis eſt, oriundam ſcribit, huiuſque miraculi memoriam perpetuo monumento pro foribus domus ſuæ conſignatam reliquiſſe. Mulierem, inquit, ſanguinis profluuio afflictam ex Cæſarea Philippi oriundam; illiuſque domum ibi oſtendi, & admirabilia quædam ſeruatoris in eam beneficij monimenta, ad hoc tempus durare memorat. Pro foribus enim domus illius æneam mulieris effigiem genibus flexis, & manibus inſtar ſupplicantis in anteriorem partem extenſis, ſuper editum lapidem collocatam. Huic è regione erectam viri imaginem, ex eadem materia conflatam: veſtitu ad talos demiſſo decenter ornatam, & manum mulieri porrigentem. Ad cuius pedes in ipſa baſi inuſitatam quandam herbæ ſpeciem enaſci: quam quidem vbi ad ænei veſtitus fimbriam excreuerit, morbis cuiuſque generis medicandi vim habere. Hanc ſtatuam effigiem Ieſu exprimere dicunt; quam ad noſtram vſque ætatem manentem, ipſi ad eam ciuitatem profecti oculis cernebamus, &c. Ethnicam verò fuiſſe hanc fœminam verbis ſequentibus ſignificat. Non planè, inquit, mirum eos, qui ex gentibus prognati, à ſeruatore, dum inter homines viuebat, beneficiis affecti fuiſſent, iſta effeciſſe. Hæc Euſeb. Sozomenus verò lib. 5. ca. 20. tradit à Iuliano Apoſtata hoc monumentum ſingulare fuiſſe diſiectum, his verbis: Cùm Iulianus certior factus eſſet Cæſareæ Philippi præclaram eſſe Chriſti ſtatuam, quam mulier, quæ ſanguinis profluuio laborabat, cùm eſſet morbo liberata, ibi collocauerat; eam deturbauit, ſuamq; in eius loco poſuit, quam ignis violentus de cælo delapſus circiter pectus diſſecuit, caputque vna cum collo in terram deiecit, &c,

Monumentū beneficij accepti.

Effigies Chriſti antiquiſſima Cæſaræ.

Fœmina ex Ethnicis fuit.

Sozom.

Dubitatur item, an tetigerit fœmina Chriſtum in oppido aliquo, an foris extra oppidum? Extra oppidum tetigiſſe ait Hieronymus Matt. 9. Id verò probat, quoniam fœminæ, quæ ſanguinis fluxu laborabant, oppidis excludebantur. Hæc mulier (ait ille) non in domo non in vrbe accedit ad Dominum; quia iuxta legem vrbibus excludebatur. Sed in itinere ambulante Domino, &c. Ianſenius quoque putat fœminas huiuſmodi ex ciuitatibus fuiſſe excluſas. Eiuſdem ſententiæ eſt Abulenſis Matt. 9. quæſt. 93. tamen Numerorum 5. probat eas in vrbibus habitaſſe. Nec enim lex vlla eſt, quæ illas eiiciat. Tetigiſſe autem putat Chriſtum in vrbe Ieruſalem, id quod falſum eſt. Verſabatur enim Dominus tunc in Galilæa: Ieruſalem verò non in Galilæa eſt, ſed in Iudæa.

An fœmina Chriſtum tetigerit in vrbe. Hieron.

Quod verò ait fœminas ſanguinis profluuio laborantes non fuiſſe ab oppidis excluſas, veriſimile eſt. Nulla enim lex id apertè prohibet. Leuit. de huiuſmodi fœminis lex extat, quæ immundas eſſe decernit, immundoſque reddere tangentes, non tamen præcipit, vt ab oppido expellātur. Verùm ex eadem lege id colliget aliquis. Nam ita habet lex:

Leuit. 15.

Mulier quæ patitur multis diebus fluxum ſanguinis, non in tempore menſtruali, vel quæ poſt menſtruum ſanguinem fluere non ceſſat: quandiu ſubiacet huic paſſioni, immunda erit, quaſi ſit in tempore menſtruo. Omne ſtratum, in quo dormierit, & vas in quo ſederit, pollutum erit, &c. At de muliere quæ in tempore menſtruo eſt, eodem capite ſic ſtatuitur: *Mulier, quæ redeunte menſe patitur fluxum ſanguinis, ſeptem diebus ſeparabitur; omnis qui tetigerit eam immundus erit vſque ad veſperum*, &c. Ita igitur argumentari licet; Mulier in tempore menſtruo ſeparabatur ſeptem diebus. Atqui illa, quæ ſanguinis fluxu vexabatur, eodem modo immunda erat; ergo ſeparabatur quoque non ſeptem tantùm diebus, ſed quandiu morbus non recedebat. Separabatur

An fœmina ſanguinis profluuio laborantes ex vrbibus excluderentur.

inquam

inquam, vrbe. Præterea Nu. lex exſtat huiuſmodi: *Præcipe filiis Iſrael, vt eiciant de caſtris omnem leproſum, & qui ſemine fluit*, &c. Sed par ratio in femina, quæ ſanguine fluit reperitur: ergo eiiciebatur è caſtris & oppidis. Reſponderi poteſt menſtruatas feminas extra vrbes minimè ſeparatas: oporteret enim ſingulis menſibus omnes feminas ſeptem diebus extra vrbes agere. Singulis enim menſibus menſtrua patiuntur. Separabantur ergo à conſortio reliquarum feminarum & hominum, ne illos tangerent feminæ tam menſtruatæ, quàm fluentes ſanguine; ſed non pellebãtur ex vrbibus. Secunda lex Num. 5. de viris ſancitur, nec ad feminas videtur producenda. Lege Abulenſem Num. 5. quæſt. 7.

Num. 5.

Quonam loco femina Chriſtum tetigerit.

Si roges, quonam loco femina Chriſtum tetigerit. Reſpondemus, in itinere tetigiſſe, cùm domum Archiſynagogi peteret, quam in ciuitate Capharnaum fuiſſe ait Abulenſis Matth. 9. quæſt. 85. veriſimile id eſt. Nam Chriſtus poſtquam ex regione Geraſenorum rediit in Capharnaum, paralytico ſanitatem reddidit, poſtea cùm tranſiret inde, Matthæum ex telonio vocauit, quod iuxta Capharnaum fuiſſe dicitur. Exceptus videtur conuiuio in eadem ciuitate à Matthæo: poſtea reſpondit Phariſæis & diſcipulis Ioannis propè mare, vt indicat Marcus: acceſſit Archiſynagogus, quem domum vſque ſecutus eſt. Videtur ergo domus in Capharnaũ fuiſſe. At Adrichomius in ciuitate Tiberiade, vel iuxta ciuitatem domum fuiſſe ſcribit, in theatro terræ ſanctæ, in tribu Zabulon, Num. 99. In ciuitate, ait, Tiberiade Chriſtus de telonio Matthæum vocat. in proximo locus eſt, vbi Archiſynagogi filiam à mortuis excitauit, &c. Sed vnde hanc opinionem accepit non aperit: quæ planè videtur falſa, quemadmodum & de Matthæi telonio.

Adrichom.

Matth. 9.

CVM *veniſſet in domum principis, & vidiſſet tibicines*, &c. Peruenit Chriſtus domum principis ſynagogæ, tibicines ſubmouit & turbam luctu tumultuantem, paucíſque miraculi teſtibus introductis, mortuam duodecim annorum puellam in vitam reuocauit. Adhiberi ſolebant ad luctum tibicines apud Iudæos, vt conſtat ex Ioſepho, ſic ſcribente: Per ſingulas domos, itémque cognationes, amiſſorum quiſque lugebatur à ſuis, luctus verò ducis publicus erat. Et hi quidem hoſpites, alij propinquos, amicos alij, nonnulli etiam fratres flebant, Ioſephum autem vniuerſi. Adeò vt per dies triginta numquam lamenta in ciuitate Ieruſalem ceſſarent, magnáque mercede conducerentur tibicines næniarum. Hæc ille. Næniæ verò cantus lugubres appellãtur. Apud Ethnicos tibicines quoque funeribus adhibitos docet Alexander ab Alexandro, his verbis: Lecto conſtrato purpura aut linteis ſplendentibus, & in eo defuncti corpore collocato: poſt vltimam conclamationẽ, tibicine præcedente, qui næniam funebrem, qua laudes defuncti & facta recenſebat, tum pudorem, integritatem, & fidem, nõ ſaltabũdus vt olim, ſed ſtans phrygio modulo caneret, funus procedebat. Senatoribus verò & patritiis, atque ſummis ducibus tuba: minoribus & plebeiis exequiali tibia canebãt ſiticines, &c. Siticines autẽ appellatos ait Gellius lib. 20. noct. Att. cap. 2. qui apud ſitos canere ſoliti eſſent, hoc eſt, vita functos & ſepultos. Huc ſpectat illud Plutarchi in lib. de induſtria animalium, de pica tibicines funeris admirabiliter imitante. Tonſor, ait, Romæ officinam habens, picam prodigioſè loquacem habebat. Humana verba, ferarum ſonos reddere, inſtrumentorum omnium ſtrepitus effingere, idque nullo cogente, ac nihil inimitatum relinquere geſtientem. Accidit vt dies quiſpiam ingenti tibicinum ſtrepitu efferretur: hi audiente pica moram diutius canẽdo traxerunt. Pica poſtridie muta fuit. Præbuit iis, qui antea norant, ſilentium ſubitũ admirationem ingentem. Venenum alij datum, plerique tubarum voce auditum obſtupefactum, & vocem extinctam ſuſpicabantur. Sed neutrum fuit. Apparebat quippe, omníque ingenij ſtudio intro reuocato, vocem ſic quemadmodum organum aptabat inſtruebatque. Subitò enim rediit, tubarum cantum iiſdem prorſus periodis ſonãs, mutationes omnes, inſuper omnes numeros eodem planè pacto ſeruans. Hæc ille.

Tibicines in funere. Ioſeph. l. 3. de bel. c. 15.

Alex. ab Alex. l. 3. c. 7.

Gell.

Plutar.

Pica tibicines imitata

Præterea ethnici præficas feminas, quæ luctui præeſſent, aduocare vel pretio cõducere ſolebant: quæque cantu & funebri carmine lamentarentur, vitámque, præclara geſta, & virtutes, non ſine miſeratione laudarent. Lege Alexandrum loco citato. Theophylactus Matth. 9. Quoniam, inquit, nondum nupta erat Archiſynagogi filia, deflebant eam nuptialibus tibiis, ſecundùm legem hoc facientes, &c. Verùm non ſolùm innuptas puellas, ſed reliquos etiam tibiis deflere in more fuiſſe Iudæorum, ex Ioſepho iam oſtendimus.

De mulieribus præficis.

Theoph.

NON *eſt mortua puella, ſed dormit*. Mortua quidem puella erat, Chriſtus autẽ non mortuam, ſed dormire aſſerit, tam facile enim poterat è morte, quàm è ſomno illam excitare. Quamobrem Theophylactus & Euthymius, in hanc ſententiam, Domini hæc verba exponunt: Non eſt mihi mortua puella, ſed dormit; tam facile enim mihi eſt mortem, quàm ſomnum pellere. Et D. Hieronymus: Non eſt, inquit, mortua puella, quia Deo viuunt omnia, &c. Hoc quoque modo explanari verba poſſunt: Non eſt mortua puella, ſed dormit; hoc eſt, non mors eſt hæc, ſed ſomnus; perinde enim ac ſi dormiret, mox excitabitur.

Matth. 9. Marci 5. Luc. 8.

TALITHA *cumi*. Marcus verba Hebræa miraculi narrationi inſeruit, quibus Chriſtus puellam in vitam reuocauit. Quemadmodum, qui dormientem è ſomno excitare vult, illum & tangit, & clamore edito vocat. Ita Dominus, cui mors ſomnus erat, vt à morte puellã excitaret, manum illius tetigit, ac vt attolleret tenuit, & inclamans hęc verba protulit: טליתא קומי, *Talitha kumi*. Marcus ſic interpretatur: *Puella, tibi dico, ſurge*. Sed illud, *tibi dico*, perſpicuitatis maioris gratia addidit. Nã, טליתא *talitha*, idem eſt, quod puella; verbum imperantis, קומי *kumi*, idẽ ſignificat, quod ſurge. Iuſſit autem Dominus puellę cibum dari, vt verę reſurrectionis ſignum præberet. Chryſoſt. homil. 33. Cibum, ait, dari iuſſit, ne phantaſma ſuſcitatio videretur, &c. Pręterea, quia nouerat illam fame laborare, quippe quæ præ faſtidio dum morbo afflictabatur, à cibo abſtinuiſſet.

Marci 5.

ET *præcepit illis vehementer, vt nemo id ſciret*. Dubitatio hoc loco ſuboritur, cur Dominus puellæ parentibus vehementer præceperit, ne miraculum patefacerent? quod tamen præceptum illi minime obſeruarunt. Exiit enim, vt Matthæus ſcribit, excitatæ à mortuis puellæ fama in vniuerſam terram illam. Reſpondemus cum Cardinale Caietano, Chriſtum ſic fuiſſe locutum, non vt peccati vinculo quemquam obſtringeret, ſed vt humilitatis documentum daret, & ab inani gloria atque oſtentatione magnopere ſe alienum eſſe oſtẽderet. Caietanus Matthæi 9. Non præcepti, inquit, ſed humilitatis ſunt hæc verba ad inſtruendos ſanctos, vt quantum ex ſe eſt, ſtudeant declinare humanam gloriam, &c. Lege Magnum Greg. 19. Moral. ca. 14. Seruis ſuis, inquit, Chriſtus exemplum dedit, vt ipſi quidem virtutes ſuas occultare deſiderent: & tamen vt alij eorum exemplo proficiant, prodantur inuiti. Et facta quidem occultando ſua, ſe ipſos cuſtodiant

Ibid.

Cur Chriſtus ne hoc miraculum diuulgaretur præceperit.

Caiet.

Virtutes Sancti occultant, ſed produntur ad exẽplũ.

ſtodiant; ſed dum produntur, inuiti bona ad proximos ſuos exempla tranſmittant. Occultentur ergo ſtudio: neceſſitate publicentur. Et eorum occultatio ſit cuſtodia propria, eorumque publicatio ſit vtilitas aliena. Sic ille.

CAPVT XXV.

Morale.

De filia Archiſynagogi & hæmorrhouſa.

Quid ſignificet filia principis ſynagogæ.

Ex ſententia Ambroſij Lucæ 8. & Hieronymi Matth. 9. puella annorum duodecim mortua, ſynagogæ typum gerit. Femina verò ſanguinis profluuio ægra, populi ethnici vmbra eſt. Ad principis filiam (ait Ambroſius) dum properat Dei Verbum, vt filios Iſrael ſaluos faceret; cuncta Eccleſia ex gentibus congregata, quæ inferiorum lapſu criminum deperibat, paratam aliis ſanitatem fide præripit, &c. Quemadmodum principis ſynagogæ rogatu Chriſtus illius domum, ad excitandam à mortuis filiam venit: ita rogatu principum ſynagogæ, hoc eſt, Patriarcharum ac Prophetarum, Abrahami, Dauidis, & aliorum, vt ſynagogam in vitam reuocaret, venit in Iudæam. At femina ſanguine fluens, id eſt, Eccleſia, quodam peccatorum profluuio laborans, prius per viuam fidem & baptiſmum ſanitatem conſecuta eſt. Iuxta illud: *Pſal. 67.* *Æthiopia præueniet manus eius Deo*. Principum verò ſynagogæ filia, id eſt, ipſa ſynagoga poſteriorem locum accepit. Etenim poſt ſanitatem ethnici populi, in vitam reducetur ſynagoga; iuxta illud *Rom. 11.* Pauli: *Cæcitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo gentium* intraret, *& ſic omnis Iſrael ſaluus fieret*, &cet. Vnde Cyrillus libro 2. in Ioannem, capite 122. Iudæi, inquit, qui primi propter virtutes Patrum erant, poſt vocationem omnium gentium ſaluabuntur. Cùm enim plenitudo gentium ingreſſa fuerit, tunc vniuerſus ſaluabitur Iſrael, &c. Ethnica illa femina tangendo Chriſtum ſanitatem accepit: Iudæi, qui Chriſtum ſequebantur tangendo premebant. Iuxta illud Petri: *Præceptor, turbæ te comprimunt & affligunt.* Hic fuit Iudæorum tactus: tangendo Chriſtum preſſerunt, & verborum, clauorum, crucíſque tactu occiderunt. Eccleſia verò per fidem, caritatem, ſanctáque opera tangens, non premit, ſed reficit. Hinc illud Auguſtini ſermone 155. de tempore: Quid eſt, Turbæ premunt: Femina tetigit: Iudæi affligunt: Eccleſia credidit, &c.

Iudæi tangendo Chriſtũ preſſerũt Eccleſia reficit.

Marci 5. Aduerſæres ad Deum ducunt diuites & principes.

Procidit ad pedes Chriſti Archiſynagogus. Quonam preſſus onere vir princeps ad pedes cadit? Videlicet, calamitates atque ærumnæ, homines diuites ac principes, humiles reddunt, & ad pedes Dei abiiciunt. Manaſſes Iudæorum Rex proſperitate elatus, à Deo longiſſimè receſſit: ſed regno priuatus, & Babylonem abductus eſt, qua calamitate preſſus, ad Dei pedes procidit, humilitérque illum eſt deprecatus. *Locutus eſt Dominus Deus ad eum*, id eſt, Manaſſem, *& ad populum illius, & attendere noluerunt. Idcirco ſuperinduxit eos principes exercitus Aſſyriorum, ceperuntque Manaſſem, & vinctum catenis, atque compedibus, duxerunt in Babylonem. Qui poſtquam coanguſtatus eſt, orauit Dominum Deum ſuum, & egit pœnitentiam valdè coram Deo*, &c. Item Achab Rex denuntiatis ab Elia calamitatibus territus, vt legitur, *Ieiunauit & dormiuit in ſacco, & ambulauit demiſſo capite.* Pſalm. *In chamo* (ait Vates) *& freno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te.* Non approximant ſuperbi ad Deum, ſed longè abeunt. Chamo & rigido freno reducendi ſunt, hoc eſt, vexatione aliqua, & afflictatione. Quemadmodum feroces equi, nihil timentes ruunt in prælium, ita impij nec Deum, nec homines, nec tartari metuentes flammas, ruunt in ſcelera; iuxta illud: *Omnes conuerſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium.* Sed aduerſis rebus veluti freno obſtricti, inſanum ſiſtunt impetum, & curſu mutato Deum quærere incipiunt. *Imple* (ait Pſalmographus) *facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Et: *Domine in anguſtia requiſierunt te; in tribulatione murmuris, doctrina tua eis*, &c. Improbus homo vas eſt flagitiorum felle plenum; rebus concutitur aduerſis, vt fel effundatur, effuſóque felle, gratiæ dulcedine compleatur. Proſper in ſententiis Auguſtini, ſententia 204. Ad hoc exagitantur homines tribulationibus, vt vaſa electionis euacuentur nequitia, & impleantur gratia, &c. Bernardus ſermone 48. Cant. Multi cùm ſentiunt pœnam, corrigunt culpam, &c. Ibidem: Bene pungeris, ſi compungeris, &c. Pungitur homo cùm ærumnis veluti ſpinis affligitur; cùm verò pœnitentiam agit, compungitur. Felix punctio, per quam affertur compunctio. Quamobrem, ait Chryſoſtomus homilia 38. in Geneſim: Ne gratiam feramus, ſi moleſtiis prementibus humiliemur. Nihil enim ita noſtræ naturæ conducit; vt mentem ſubducere, & humilitate ſuperbum ſpiritum, & inflationem mentis deprimere, &c. Dauid: *Bonum mihi, quia humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas.* Auguſtinus verò Dei miſericordiæ nanc tribuit humiliationem libro 2. confeſſ. cap. 2. Aderas Domine miſericorditer ſæuiens, & amariſſimis aſpergens offenſionibus omnes illicitas iucunditates meas; vt ita quærerem ſine offenſione iucundari, &c.

Lerem. 8. *Pſal. 82.* *Iſaiæ 26.* *Improbus vas eſt plenum felle. Proſper.* *Chryſoſt.* *Pſal. 118.*

2. Par. 33. *3. Reg. 21.* *Pſal. 31.*

Sacerdotes & Epiſcopi pro Eccleſia orare debet.

Procidit autem ſynagogæ præfectus ad pedes Chriſti de filiæ ſalute ſollicitus, pro illa fundens preces. Id quod indicat, Eccleſiæ præfectos, Epiſcopos, & ſacerdotes, de ſalute filiæ, id eſt, Eccleſiæ ſibi commiſſæ, maximè debere eſſe ſollicitos; & ad Chriſti pedes ſæpe debere procidere, vt pro illa orent. Proſper libro 2. de vita contemplatiua, capite 2. Sacerdotibus, inquit, proprie animarum curandarum ſollicitudo commiſſa eſt; qui pondus populi ſibi commiſſi viriliter ſuſtinentes, pro peccatis omnium, veluti pro ſuis, infatigabiliter ſupplicant Deo: ac velut quidam Aaron, incenſum contriti cordis, & humiliati ſpiritus offerentes, quo placatur Deus, auertunt iram futuræ animaduerſionis à populo, &c. Expende quantam filiæ curam, princeps ille ſynagogæ Moſes geſſerit, quantóque cum affectu, pro illa Domino ſupplicarit: *Peccauit*, ait, *populus iſte peccatum maximum; feceruntque ſibi Deos aureos. Aut dimitte eis hanc noxam; aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti*, &c. Et: *Dixit Moyſes ad Aaron: Tolle thuribulum, & hauſto igne de altari mitte incenſum deſuper: pergens citò ad populum vt roges pro eis. Iam enim egreſſa eſt ira à Domino & plaga deſæuit. Quod cùm feciſſet Aaron, & cucurriſſet ad mediam multitudinem, quam iam vaſtabat incendium, obtulit thymiama, & ſtans inter mortuos ac viuentes, pro populo deprecatus eſt, & ceſſauit*, &c. De hac Aaronis oratione ſic habetur: *Properans homo ſine querela*, id eſt, Aaron, *deprecari pro populis, proferens ſeruitutis ſuæ*, Græcè λειτϱγίας, id eſt, miniſterij, *ſcutum orationem, & per incenſum deprecationem allegans, reſtitit iræ, & finem impoſuit neceſſitati: oſtendens quoniam tuus eſt famulus*, &cet. Reges populum armis defendunt: ſacerdotes orationibus ac ſacrificiis. Etenim ſacerdotum ſcutum, gladius, & haſta, oratio eſt. *Proferens*, inquit, *ſeruitutis ſuæ, qua Deo ſeruiebat, ſcutum orationem, reſtitit iræ*, &c.

Exod 32. *Num. 16.* *Sap. 18.* *Scutum ſacerdotis & gladius oratio.*

Anima vnica diligenter custodienda.

Habet etiam quiuis homo filiam dilectam, & vnicam, videlicet animam suam. Vnicam quidem, quia vnicam solùm animam habet, vt Chrysostomus obseruat homilia 22. ad populum: Omnia, inquit, nobis duplicia dedit Deus: duos oculos, duas aures, duas manus, duos pedes: si igitur horum vnum lædatur, per alterum necessitatem consolamur. Animam verò dedit vnam nobis: si hanc perdiderimus, quanam viuemus? Huius igitur prouidentiam faciamus, nihil ipsius saluti præferentes, &c. Si moritur vnica filia, id est, vnica anima, ad pedes Christi mox propera, cum Archisynagogo dicito: *Filia mea modò defuncta est, sed veni, impone manum tuam super eam, & viuet.* Chrysologus sermone 34. illud *modò*, sic exponit: hoc est, adhuc vitæ manet calor, adhuc animæ vestigia videntur, &c. Facile concipit fax flammam, si postquam extincta est, dum adhuc calidum exhalat fumum, ignem admoueas; ita Deo opitulante, facilè anima dolorem & contritionem concipit, si postquam mortua est, dum adhuc, vt Chrysologus loquitur, bonæ vitæ manet calor, ad flammam cælestem Christum accedas, & ad pedes eius dolens procidas. Hic ad pedes Christi festinus casus, & animam liberabit à peccati occasu, & à multis te casibus eripiet. Nam qui pœnitentiam differt, in crimina sæpius cadit. Audi Chrysostomum homilia 22. ad populum Antiochenum: Peccatorum, ait, consuetudo lapsum in peius trahit. Si purum habes vestimentum, caues ne pessundes omnino, ne quo modo sordidetur. Si primam, secundam, & tertiam contempseris maculam, iam velut sordidum habens vestimentum, non graue videtur, licet totum fiat lutum. Hæc ille. Audi etiam Magnum Gregorium libro 13. Moral. capite 6. Facile, inquit, inimico resistitur, si non ei, vel in multis lapsibus, vel in vno diutius consentiatur. Si verò eius suasionibus anima subesse consueuerit, quantò se ei crebrius subiicit, tantò eo sibi intolerabiliorem facit, vt ei reluctari non valeat. Quia nimirum malignus contra hanc ex praua consuetudine deuictam, quasi more gigantis pugnat, &c. Quo pluribus ictibus petitur clauus, eò altiùs infigitur; quò pluribus astringitur nodis vinctus homo, eò difficiliùs soluitur; eumdem in modum, quo diuturniori consuetudine flagitia committuntur, eo altiùs animo imprimuntur, quò pluribus criminum nodis corda alligantur, eò difficiliùs liberantur. D. Gregorius libro 4. Moral. capite 25. Cùm culpa in vsum venerit, ei iam animus, etiam si appetat, difficiliùs resistit. Quia quot vicibus praue frequentationis adstringitur, quasi tot vinculis ad mentem ligatur, &c.

Matth. 9. Anima si peccato moriatur, quomodo excitanda.

Chrysol.

Chrysost.

Greg.

Matth. 9. Luc. 8.

Non est mortua puella, sed dormit, ait Dominus. Studiosus virtutis vir, qui per imbecillitatem, vel ignorantiam semel labitur in peccatum mortiferum, moritur quidem, sed eius mors somnus dici potest, quoniam facilè Deo iuuante excitatur. Sic Petrus cùm Christum negauit, dormiuit, Christi verò aspectu protinus est excitatus, & egressus foras, tum ex domo pontificis, tum maximè ex peccato, flecuit amarè. At ij, qui post primum peccatum peccatis assuescunt, mortuis similes sunt, quoniam quamuis sæpe vocentur, & tangantur, mortuorum instar, non audiunt, non respondent. Verumtamen, si cum Christi potentia, per peccatum mortuos homines conferas, dormiunt omnes, quia facilius Deo est illos à peccati morte in vitam gratiæ reuocare, quàm homini, amicum è somno excitare.

Dormit qui protinus à peccato excitatur.

Mortuos autem tres à Christo in vitam reuocatos, obseruat Augustinus, in Euangelio memoriæ proditum, puellam hanc, filium viduę & Lazarum; multos autem alios prætermissos. Serm. 44. de verbis Domini: Tres, inquit, mortuos inuenimus à Christo resuscitatos visibiliter; quot autem suscitauerit, quis nouit? Non enim omnia, quæ fecit scripta sunt. Ioannes hoc dixit: *Multa alia fecit Iesus, quæ si scripta essent, arbitror totum mundum non posse libros capere.* Multi ergo sunt alij sine dubio suscitati, sed non tres frustra commemorati. Tria genera mortuorum, sunt tria genera peccatorum: quos hodieque suscitat Christus, &c. Deinde docet, peccatores, qui corde peccant, non facto, puella hac, quæ in domo mortua iacebat, significari; quoniam illorum peccatum nondum in opus est elatum. Sunt, inquit, intus, qui peccatum in corde habent, in facto nondum habent, &c. Filio viduæ eos ait designari, qui ad factum progrediuntur. Alij, inquit, post consensum eunt in factum, tamquam efferentes mortuum. Vt quod latebat in secreto, appareat in publico, &c. Sepulto Lazaro illos adumbrari putat, quos malæ consuetudinis moles premit. Consuetudine, inquit, maligna pressi tamquam sepulti sunt; & ita sepulti, vt de Lazaro dictum est; Iam putet, &c. Omnes tamen, si velint, sanitatem à Christo consequentur, si veram agant pœnitentiam. Lege Augustinum & Gregorium lib. 4. Mor. cap. 25. Redemptor, ait, noster puellam in domo, iuuenem extra portam, in sepulcro Lazarum suscitauit. Adhuc quippe quasi mortuus iacet in domo, qui latet in peccato: iam quasi extra portam educitur, cuius iniquitas vsque ad inuerecundiam publicæ perpetrationis aperitur; sepulturæ verò aggere premitur, qui in perpetratione nequitiæ, etiam vsu consuetudinis pressus grauatur, &c.

August.

Peccata cordis, operis, consuetudinis.

Gregor.

Illud etiam obseruandum, mortem appellari à Christo somnum, propter facilitatem, qua mortuos potest vitæ restituere. D. Chrysologus sermone 34. Verè, inquit, apud Deum mors somnus est; quia velocius Deus mortuum ad vitam suscitat, quàm de somno dormiens ab homine suscitetur? Audi Apostolum: *In momento, in ictu oculi mortui resurgent,* &c. Vide facilitatem, vide velocitatem; non vnum aut alterum, sed omnes homines Christus in momento, in ictu oculi à mortuis excitabit. Hanc potentiam soli Deo propriam hoc miraculo stupendo indicauit. Congrega Reges omnes, omnes exercitus, duces, sapientes, mundanaque potentia præcellentes homines; formicam muscámue ante illos mortuam ponito, vt in vitam reuocent petito. Sanè nec vnus illorum aliquis, nec simul omnes, etsi per annos mille totum adhibeant conatum, id poterunt efficere. At Christus in momento, in ictu oculi, infinita propemodum hominum millia nullo labore vitæ restituet. Si homines in æternum morerentur, non diceretur mors somnus; quoniam numquam è morte, velut somno, excitarentur. Quemadmodum somnum capit homo, & post somnum excitatur; ita mortem obit, & post mortem in iudicio expergiscitur. Ideoque meritò mors somni nomen accipit. Qui somno nocturno dedere se vult, exuit vestem, & in loco aliquo depositam cùm euigilat resumit. Ita homo, qui mortis somno se tradit, corpus vestis instar exuit, & in sepulchro deponit; euigilabit tandem, eamdemque vestem, hoc est, idem corpus induet. Corpus instar bombycinæ, aureæque vestis, solem splendore referentis, induet iustus, instar crassi sacci iniustus.

Chrysol.

Iohan. 11.

1. Cor. 15.

Christo fanciilima resurrectio.

Dicitur etiam mors iustorum somnus. Chrysologus

Mors iustorum somnus, quies.

logus ſermone 96. Sanctorum mors ſomnus eſt, &c. Quemadmodum is qui totam diem labori impendit, ſomno quieſcit: ita Sancti, qui totam vitam ſancto labori tribuunt, in morte quietem, eamque æternam capiunt. Iuxta illud: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, amodo iam dicit ſpiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis, opera enim illorum ſequuntur illos*, &c. *Apoc. 14.*

Bernar. Bernardus ſermone 41. ex paruis: Bonorum, inquit, mors optima. Quoniam quidem fit ibi quies à labore, fit iucunditas de nouitate, fit ſecuritas de æternitate, &c. Et epiſtola 105. O quàm beati, ait, mortui, qui in Domino moriuntur, audientes à ſpiritu, vt requieſcant à laboribus ſuis, &c. *Eccli. 5.* *Dulcis eſt ſomnus operanti, ſiue parum comedat, ſiue multum. Saturitas autem diuitis non ſinit eum dormire*, &c. Eumdem in modum, dulcis eſt mortis ſomnus bene operanti iuſto, & ſanctis laboribus feſſo, ſiue diuitiis in mundo abundet, ſiue pauper ſit. At ſaturitas otioſi diuitis, qui bonis ſe operibus minimè exercuit, ſed peccatis vitam impendit, non ſinit eum dulciter dormire, hoc eſt, mori. Nam, *Mors peccatorum peſſima.* vt Bernardus ait priori loco citato, mors peccatorum peſſima. Mala in amiſſione mundi, quia non poſſunt ſine dolore ſeparari ab eo, quem diligunt: peior in diſſolutione carnis, à qua euelluntur eorum animæ à ſpiritibus malignis: peſſima in tormentis inferni, &c.

Chriſtus puellam excitaturus tumultuantem repulit turbam. *Cùm vidiſſet tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat: Recedite; & cùm eiecta eſſet turba, intrauit, & tenuit manum eius*, &c. Si animam vis à Deo ad Chriſtiana officia ſuſcitari, eiice tumultuantem amicorum, cogitationum ac deſideriorum turbam, mentemque vagam ad exercitia ſpiritalia collige. Eiecta tumultuante turba, cæleſtis intrabit ad medicinam afferendam medicus. Magnus Gregorius libro 18. Moral. capite 25. Foras, inquit, turba eiicitur, vt puella ſuſcitetur. Quia ſi non prius à ſecretioribus cordis expellitur importuna ſæcularium multitudo curarum; anima, quæ intrinſecus iacet mortua, non reſurgit. Nam dum ſe per innumeras terrenorum deſideriorum cogitationes ſpargit, ad conſiderationem ſui ſeſe nullatenus colligit, &c. Lege eumdem ſanctiſſimum Pontificem ad illa verba: *Mare loquitur, non eſt mecum*; ſcilicet ſapientia. Fugit enim vera ſapientia, maris, id eſt, ſæcularis ac tumultuantis vitæ ſtrepitum. Rectè mare (ait Gregorius) vita ſæcularium dicitur, quia dum procelloſis actionum motibus concitatur, ab internæ ſapientiæ quiete, atque ſtabilitate diſiungitur. Item; Nullus ſapientiam plenè recipit; niſi qui ab omni ſe abſtrahere actionum carnalium fluctuatione contendit, &c. Hæc ille. Lege item Chryſoſtomum homilia 60. in Ioannem: Nauis, inquit, tempeſtatibus non agitata, ſecundo vento nauigat; & anima ſæcularibus ſoluta negotiis in portu quieſcit, &c. Philo in libro de Abrahamo: Probus, ait, vir quietæ vitæ amator ſeceſſum & ſolitudinem diligit. Latere ignotus cupiens, quia fugit vitia, quibus vulgus delectatur, lætum rebus dolendis, gaudio dignas ægrè ferre ſolitum. Quapropter incluſus domi ſe plerumque continet, vix vmquam limen tranſcendens; aut quò ſalutatores crebros deuitet, abdens ſe in aliquod ruſculum ſolitarium. Suauius victurus cum viris præſtantiſſimis, quorum tempus aboleuit corpora; ſolis virtutibus eorum ſuperſtitibus, quæ in litteris proditæ ad poſteritatis memoriam in meliorem frugem reducunt animas. Ita Philo.

Marci 5. *Vt anima excitetur, ſpiritalibus exercitiis vacandum.* *Greg.* *Tumultuãtes curæ fugiendæ.* *Iob 18.* *Vitæ ſæcularis mare.* *Chryſoſt.* *Philo.*

Præter hæc, ſanctiſsima Chriſti humanitas veſti ſimilis eſt pretioſiſsimæ, omnibus Dei donis veluti ſplendidiſsimis margaritis fulgens; vt in Geneſi conſtat; *Lauabit in vino ſtolam ſuam*, id eſt, in ſanguine humanitatem. Indumenti huius fimbriæ pluſquam aureæ, Chriſti vulnera ſunt. Quemadmodum enim fimbriis extrema veſtis pars ornatur; ita Chriſti ſanctiſsimi vulneribus extremæ humanitatis oræ, pedes, manuſque, vehementer decorantur. Adde vulnera, paſſioniſque dolores, ac cruciatus extremum in mortali Chriſti vita locum obtinuiſſe. Iſraelitarum fimbriæ mandata Dei in memoriam reuocabant Iſraelitis; iuxta illud: *Loquere filiis Iſrael, & dices ad eos, vt faciant ſibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas, quas cùm viderint, recordentur omnium mandatorum Domini*, &c. Chriſti verò fimbriæ admirabiles, tum mandata Dei, tum eximium erga hominum genus amorem, & pro illis toleratam acerbiſſimam mortem memoriæ commendant ſempiternæ. Æternas eſſe voluit Dominus has in veſte ſua fimbrias, hæc fulgentiſſima vulnera æterna eſſe decreuit; vt tanti beneficij intuitus eſſet etiam in cælo ſempiternus. *Num. 15.*

Neque verò in cælo ſolùm hæ ſunt fimbriæ, ſed ad Eccleſiam quoque illarum infinita virtus pertingit. Olim cùm feminam ſanguinis profluuio ægram ſanauit, nouit Chriſtus virtutem, id eſt, potentiam ad ſanandum ex ſe exiiſſe: *Ego*, inquit, *noui virtutem de me exiiſſe*. Nunc etiam nouit admirabilem ex ſe virtutem exire, cùm fimbriarum, de quibus agimus, attactus magnæ hominum multitudini ſalutem affert. Tangunt enim etiam nunc ægri Chriſti fimbrias, ſanitatemque recuperant. Etenim ſanctiſſimæ veſtis ora, purpureuſque limbus Eccleſiam complet; nemoque illum tangere prohibetur. Iſaias: *Ea*, inquit, *quæ ſub ipſo erant, replebant templum*; Pagninus vertit, *Fimbriæ eius replebant templum*. Nónne Chriſti templum Eccleſia eſt? hoc templum fimbriæ illius, hoc eſt, vulnera complent. Etenim vulnerum, & paſſionis Chriſti meritis, plena Eccleſia eſt, quæ in ipſis ſacramentis, veluti in opulentiſſimis theſauris repoſita ſunt. Quicumque peccatorum laborat profluuio, fimbrias Chriſti, id eſt, vulnerum paſſioniſque merita in ſacramentis, magno ipſe criminum dolore tactus, vera cum pœnitentia tangat: profluuium ſiſtet, ſanitatemque recuperabit. *Luc. 8.* *Iſaiæ 6.* *Chriſti fimbriæ Eccleſiã complent.*

Eximium ſanè remedium eſt, ad ſiſtendum flagitiorum fluxum frequens fimbriarum in Sacramento pœnitentiæ attactus; frequens quoque ipſius corporis Chriſti ardenti cum caritate, & puritate mentis contractus, hoc eſt, auguſtiſsimæ Euchariſtiæ perceptio. Chryſologus ſermone 34. O quàm docuit mulier, quantum ſit corpus Chriſti, quæ in fimbria tantùm eſſe monſtrauit. Audiant Chriſtiani, qui quotidie corpus Chriſti attingunt, quantam de ipſo corpore ſumere poſſunt medicinam; quando mulier totam rapuit de Chriſti fimbria ſanitatem, &c. Caue autem, ne peccati inquinatus ſordibus, Chriſtum tangas: id enim ſi facias, non ſanitatem, ſed mortem reportabis. Quamobrem idem Chryſologus hæc adiungit: Quod nobis flendum eſt, mulier de vulnere medicinam tulit: nobis medicina ipſa retorquetur in vulnus. Hinc eſt quod Apoſtolus tangentes indignè corpus Chriſti taliter admonet, & deplorat: *Qui enim tangit indignè corpus Chriſti, iudicium ſibi ſumit*. Et quòd inde temeritas infirmitatem capiat, vnde fides accipere debebat ſanitatem, rurſus intulit; *Propterea inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.* Hæc ille. *Tactus fimbriarum Chriſti.* *Chryſol.* *1. Cor. 11.*

Multi Christum tangebant, feminæ solùm ægræ tangentis Christus meminit; *Quis*, inquit, *est qui me tetigit? tetigit me aliquis.* In solam tangentem feminam virtus ex illo ad sanitatem afferendam prodiit. *Ego*, inquit, *noui virtutem de me exiisse.* De turba verò ait Petrus & alij; *Præceptor turbæ te comprimunt & affligunt*, &c. Caue ne Christum comprimas & affligas; quin potiùs da operam diligentem, vt sanctè tangas, & virtutem ex illo in te prodeuntem experiaris. Tangit Christum, ait Augustinus sermone 6. de verbis Domini, fides paucorum, premit eum turba multorum, &c. Et Greg. lib. 3. Moral. cap. 15. Multi Dominum comprimunt, & vna tangit. Quia carnales quique in Ecclesia eũ premũt, à quo longe sunt: & soli tangunt, qui huic veraciter humiles adiunguntur. Premit turba carnalium, & non tangit; quia & importuna est per præsentiam, & absens per vitam, &c. Felix qui pure ac sancte Dominum in Sacramento augustissimo tangit. Diuina enim virtus, id est, potentia, ad illum exibit, & in illo operabitur. Quid autem virtus Christi in Sacramento sanctissimo operetur, docet D. Cyrillus libro 4. in Ioan. c. 17. his verbis: Pias quæso cogitationes suscipias, studiosè sanctèque viuas, & benedictionem participes. Quæ (mihi crede) non mortem solùm, verùm etiam morbos omnes depellit. Sedat enim cùm in nobis maneat Christus, læuientẽ membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, ægrotos curat, collisos redintegrat, & sicut pastor bonus, qui animam suam pro ouibus posuit, ab omni nos erigit casu, &c.

Luc. 8. *Ibid.* *Luc. 8.* *August.* *Greg.* *Cyril.*

Christi passio recogitanda. Hebr. 12.

Alio quoque modo Christi fimbriæ, id est, vulnera, & cruciatus tanguntur, nimirum meditatione ac consideratione; iuxta illud Pauli: *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini animis vestris deficientes. Nondum enim vsque ad sanguinem restitistis, aduersus peccatum repugnantes*, &c. Recogitate, inquit, Christum crucifixũ, vt ne deficiatis in laboribus. Item, Christum recogitate sanguine perfusum; vos autẽ nondum vsque ad sanguinẽ hostibus restitisse animaduertite, hoc in bello, quod pro cælesti regno consequendo geritis. Sanguinẽ nondum fuditis, cùm dux vester totus sanguine sit cruentatus. Mentis oculis meditando intuemini milites ducem, in prima pugnantem acie. Intuemini, & ad sanguinis vsque vitæque profusionem sequimini. Hunc fimbriarum Christi tactum, hanc vulnerum illius meditationem, ait Bernardus, nostrorum vulnerum esse curationem serm. 62. in cantica: Quid, inquit, tam efficax ad curandum conscientiæ vulnera, nec non ad purgandam aciem mentis, quàm Christi vulnerum sedula meditatio? &c. *Fasciculus myrrhæ*, inquit sponsa, *dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur*, &c. Amaræ myrrhæ fasciculus est Christus cruci affixus, & dolorum plenus amarore; inter vbera verò animæ per meditationem commoratur, illiusque morbis & vulneribus medetur. Quamobrem idem sanctissimus pater Bernardus serm. 43. in Cantica hortatur, idque exemplo suo & sponsæ, vt ex amaris Domini cruciatibus fasciculum componamus, & in pectore intimo semper portemus. Tu, inquit, si sapis, imitaberis sponsæ prudentiam, atque hunc myrrhæ tam carum fasciculum, de principali tui pectoris, nec ad horam patieris auelli. Amara illa omnia, quæ pro te Christus pertulit semper memoria retinens, & assidua meditatione reuoluens. Et ego, fratres, ab ineunte mea conuersione, hunc mihi fasciculum colligare, & inter vbera mea collocare curaui: collectum ex omnibus anxietatibus, & amaritudinibus Domini mei. Hæc ille.

Bernar. *Cant. 1.* *Bernar.*

Habes etiam in hac femina egregium grati animi exemplum. Acceptum enim beneficium memoriæ commendare conata est sempiternæ: dum æneis illud imaginibus posteritati repręsentari voluit, vt suprà ex Eusebio diximus. Hanc verò gratitudinem Christus miraculo decorauit ignotæ herbæ: quæ vbi ad ænei vestitus fimbriam excrescebat, morbis cuiusque generis medebatur.

CAPVT XXVI.

De duobus cæcis & dæmoniaco sanatis.

MATTH. CAP. IX.

ET transeunte inde Iesu, secuti sunt eum duo cæci clamantes, & dicentes: Miserere nostri fili Dauid. Cùm autem venisset domum, accesserunt ad eum cæci. Et dicit eis Iesus: Creditis, quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei: Vtique Domine. Tunc tetigit oculos eorum dicens: Secundùm fidem vestram fiat vobis. Et aperti sunt oculi eorum, & comminatus est illis Iesus dicens: Videte, ne quis sciat. Illi autem exeuntes diffamauerunt eum in tota terra illa. Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum dæmonium habentem. Et eiecto dæmonio locutus est mutus, & miratæ sunt turbæ dicentes: Numquam apparuit sic in Israel. Pharisæi autem dicebant: In principe dæmoniorum eiicit dæmones.

HÆC miracula ſolus Matthæus memoriæ prodidit. Poſtquam puellam ad vitam reuocauit, è domo Archiſynagogi Iairi diſceſſit Dominus. Tranſeunte inde, ait Matthæus, id eſt, ex domo Iairi, ſecuti ſunt illum cæci duo, qui amiſſum oculis lumen, vt redderet, magno & affectu, & clamore precabantur. Non annuit ſtatim precibus & clamoribus: priùs peruenit domum, tum tactis oculis lucem reſtituit. Filium autem Dauid appellabant cæci, id eſt, Meſſiam Dauidis ſtirpe ortum.

Matth. 9. COMMINATVS *eſt illis Ieſus, dicens: Videte, ne quis ſciat.* Noluit Dominus in platea coram multitudine oculorum lucem cæcis præbere. Sed poſtquam venit domũ, beneficium præſtitit, comminatuſque illis eſt, ne miracula patefacerent. Euthymius verbum Græcum ἐνεβριμήσατο, quod noſter interpres vertit, comminatus eſt, ſic exponit: Interminatus, inquit, eſt Chriſtus cæcis, auſtere videlicet intuens, contractis ſuperciliis, commoto capite, veluti facere ſolent, qui alios de continendo ſecreto admonent, &c. Et Chryſoſtomus homil. 33. Poſtquam Chriſtus curauit cæcos, nulli eos dicere iuſſit; nec ſimpliciter, ſed magna cum vehementia iuſſit. Acriter enim infremuit, dicens: Cauete, ne quis reſciat, &c. Sed quorſum tanta cum vehementia imperat Dominus miracula abſcondi? Videlicet, vt nobis ea vehementia documentum daret, oſtentationem vehementi conatu eſſe fugiendam. Monet nos, ait Chryſoſtom. vt quæ laudi ſunt, non modò ipſi taceamus, verùm etiam aliis prædicare non permittamus, &c. Hieronymus Matth. 9. Dominus propter humilitatem, fugiens iactantiæ gloriam, hoc præceperat cæcis, &c. Lege Chryſoſtomum hom. 38. ad populum de fugienda oſtentatione. Caueamus, inquit, aliquid de nobis dicere. Hoc enim hominibus odioſos, & Deo reddit abominabiles. Propterea quantò maiora præſtitimus, tantò minora de nobis dicamus. Sic enim gloriam aſſequemur maximã, & apud homines, & apud Deum, &c. Item hom. 72. in Matthæum: Si miſericorditer dando ſimilis Deo factus es, diligenter ſtude, vt in contemnenda etiam oſtentatione ſimilis ei efficiaris, qui morbos hominum curans, præcipiebat, ne alicui dicerent, &c.

Chryſoſt. *Fugienda oſtentatio, & iactãtia.* *Hieron.* *Chryſoſt.*

Matth. 9. ILLI *autem exeuntes diffamauerunt eum in tota terra illa.* Chriſtus comminatus eſt cæcis, ne miracula vulgarent, non ea mente, vt peccato vellet illos obſtringere; ſed vt nobis admodum neceſſarium de fugienda iactantia exemplum, ac documentum relinqueret, ſeque ab omni oſtentatione alienum oſtenderet. At cæci acceptum beneficium non tacuerunt; quin potius Chriſtum diffamauerunt, id eſt, Chriſti famam per totam illam regionem diffuderunt. Id quod Chryſoſtomus gratitudini tribuit hom. 33. Non potuerunt, inquit, cæci adeò eſſe ingrati, vt tacerent; ſed quod celare iubebantur, magna voce reclamabant, &c. Euthymius Matth. 8. Oportet, ait, eos, qui beneficia conferunt, modeſtiæ cauſa præcipere ſilentium; eos verò, qui beneficio ſunt affecti, prædicare beneficium, propter gratitudinem, &c.

Gratitudo cæcorũ erga Chriſtum. *Euthym.*

Oſtendit hic locus non oſtentanda quæ laudabilia ſunt, ſed occultanda potiùs. Quòd ſi à nobis occultentur, alij illa maiori cum laude patefacient. Chriſtus miracula occultari præcepit: at illa cæci tota regione vulgarunt. Lege Chryſoſtomum homil. 72. in Matthæum: Non, inquit, grande aliquid, atque præcipuum occultari diutiùs Deus patitur: ſed ſi tu occultabis, ille manifeſtabit, &c. Et loco ſuprà citato: Quantò, ait, maiora præſtitimus, tantò minora de nobis dicamus. Sic enim gloriam aſſequemur maximam, & apud homines, & apud Deum, &c.

Quæ laudabilia ſunt nõ oſtentada. *Chryſoſt.*

Matth. 9. OBTVLERVNT *ei hominem mutum, dæmonium habentem.* Poſtquam lętitia exilientes cæci, non iam cæci, ſed diuino miraculo videntes, domo egreſſi ſunt: à dæmone correptus homo, eaque de cauſa mutus, Domino ſanandus offertur. Pellitur tartareus hoſpes, linguæ vſum mutus recipit, admirantes turbæ aiunt: *Numquam apparuit ſic in Iſrael*: hoc eſt, numquam inter Iſraelitas, ſiue Iudæos, tot miracula conſpecta ſunt: numquam Propheta vllus in Iudæa viſus eſt, qui tot, tamque mira, & tanta cum poteſtate, ſigna ederet. At inuidi Phariſæi vt miraculi obſcurarent fulgorem, qui illorum perſtringebat oculos: *In principe*, inquiunt, *dæmoniorum eiicit dæmones*, &c. Obſerua autem Dominum duos dæmoniacos mutos ſanaſſe, biſque hanc blaſphemiam Phariſæos fœtido ex pectore eructaſſe: *In principe dæmoniorum eiicit dæmones.* De vtroque Matthæus ſcribit. De priori capite 9. de poſteriori capite 12. de quo ſuo loco fuſiùs.

Energumenus ſanatur *Matth. 9.* *Ibid.*

Iam Phariſæi furere incipiunt. Obſeruat autem D. Epiphan. hunc primum annum prædicationis Chriſti dici *acceptum* ab Iſaia cap. 61. eo quòd Phariſæi & Scribæ illi non contradixerunt. Hæreſi 51. non longè à fine: Chriſtus, ait Epiphan. prædicauit *annum acceptum*, hoc eſt, cui non contradicebatur. Primum enim annum poſt trigeſimum annum aduentus ſui carnalis, prædicauit, & omnes ipſum ſuſcipiebant: & neque Iudæi contradicebant, neque gentes, neque Samaritæ, ſed omnes libenter ipſum audiebant, &c. Idem ait lib. 1. contra hæreſes ad finem tomi 1. Verùm annus acceptus potius videtur dici ab Iſaia totum illud tempus prædicationis Chriſti, vel totum tempus Euangelicæ prædicationis, vſque ad iudicium; iuxta illud Pauli: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* Dicitur autem annus acceptus Deo, vel tempus acceptabile Deo. Hebraicè dicitur ab Iſaia annus רָצוֹן, Ratſon, id eſt, beneuolentiæ, voluntatis, beneplaciti, placabilitatis: hæc ſignificat nomẽ Hebræum. Etenim tempus hoc eſt beneuolentiæ Dei per Chriſtum erga omnes, placabilitatis & bonæ voluntatis diuinæ. Sed locum hunc Iſaiæ fuſiùs infrà explanabimus.

Annus acceptus Chriſti quis fuerit. Epiph. *2. Cor. 6.*

LIBER SEXTVS.

CAPVT PRIMVM.

IOAN. CAP. V.

POST hæc erat dies festus Iudæorum, & ascendit Iesus Ierosolymam. Est autem Ierosolymis probatica piscina, quæ cognominatur Hebraicè Bethsaida, quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Angelus autem Domini descendebat secundùm tempus in piscinam, & mouebatur aqua, & qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat, à quacumque detinebatur infirmitate. Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate sua. Hunc cùm vidisset Iesus iacentem, & cognouisset, quia iam multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri? Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, vt cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descendit. Dicit ei Iesus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et statim sanus factus est homo ille: & sustulit grabatum suum, & ambulat. Erat autem sabbatum in die illo. Dicebant ergo Iudæi illi, qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. Respondit eis, qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula. Interrogauerunt ergo eum, quis est ille homo qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum, & ambula? Is autem, qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. Iesus enim declinauit à turba constituta in loco. Postea inuenit eum Iesus in templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Abiit ille homo, & nuntiauit Iudæis, quia Iesus esset, qui fecit eum sanum.

CANSENIVS, Card. Baronius, Buisonius, & alij, postquam cæcis lucem donauit, existimant Christum, vt Ioannes cap. 5. scribit, ex Galilæa in qua versabatur, ad festum diem celebrandum Ierosolymam petiisse, paralyticoque apud piscinam iacenti sanitatem contulisse. Cur autem locus hic miraculum hoc flagitet, ratio redditur huiusmodi. Postquam Matthæus c. 9. scripsit cæcos duos, & dæmoniacum sanitatis munere donatos, scribit capite 10. sequenti Christum duodecim Apostolos conuocasse, & misisse ad concionandum. Hanc verò Apostolorum missionem, præcessit celeberrimus ille sermo in monte habitus. Cùm enim ad cõcionandum missi sunt, iam creati erant Apostoli; creati autem sunt paulò ante sermonem, vt docet Lucas cap. 6. ergo opus est, Apostolorum creationem & sermonem illum ante missionem collocare. Cùm verò Apostolorum creationem, siue electionem, vt significat Marcus 3. & Lucas 6. præcesserint duæ Pharisæorum criminationes, altera de spicarum in sabbato confricatione, altera de curatione manus aridæ item in sabbato; efficitur has criminationes Apostolorum electioni & sermoni in monte habito esse præponendas. At verò ante spicarum confricationem in sabbato, collocandum existimatur caput 5. Ioannis, quo narrat Christum ad celebrandum diem Paschatis festum, petiisse Ierosolymam. Nam circa hoc Pascha discipuli videntur spicas confricasse, quæ circa Pascha & Pentecosten, in agris, vt suprà Ioan. 4. dictum est, maturescebant. D. Augustinus lib. 2. de consensu Euangelistarum, cap. 30. putat deinceps factorum Christi seriem, & ordinem incertum esse. Sane, inquit Augustinus, deinceps non apparet ordo rerum gestarum, &c. Sed etsi non sit certus ordo, propositum tamen quia multos habet sectatores, & alius non apparet verisimilior, sequamur.

Ordo gestorum.

August.

DIES *festus Iudæorum*. Quisnam fuerit festus hic dies, versatur in controuersia. Cyrillus in Ioannem, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, diuus Thomas, Lyranus, & alij, festum diem Pentecostes fuisse arbitrantur. Caietanus verò festum temporis hiemalis. D. Irenæus libro secundo capite 49. Paschatis diem festum fuisse existimat: Secunda, inquit, vice ascendit Christus in diem festum Paschæ in Ierusalem, quando paralyticum, qui iuxta natatoriam iacebat, sanauit; eadem sententia Ruperti est, Iansenij, Baronij, & aliorum probabilior. Obiiciet quispiam, Ioannem festum Paschatis proprio appellare nomine Paschatis, cap. 2. 6. & 13. atque adeò non esse hoc Paschatis festum, siquidem nomine Paschatis est appellatum. Respondetur non opus fuisse proprio nomine semper appellare, indagandúmque hoc nobis Spiritum sanctum relinqui voluisse.

Ioan. 5. Quis fuerit hic dies festus.

Hic dies festus Paschæ fuit.

Reperio quidem Ioannem diem festum absque adiectione Paschatis vocare; sed tunc sic vocat, cùm ex dictis, de quo festo loquatur, facilè colligi potest. Capite 4. exceperunt eum Galilæi, cùm omnia vidissent, quæ fecerat Ierosolymis in die festo. Et ipsi enim venerant ad diem festum, &c. Diem festum Pascha vocat, proprium Paschatis nomen non adiicit; quoniam capit. 2. narrauerat Christum Ierosolymam ad Pascha celebrandum petiuisse; perspicuumque erat, de quanam festiuitate sermonem haberet. Cap. 12. turba multa, quæ venerat ad diem festum, id est, Paschæ; sed eodem capite iam proprio nomine Pascha appellauerat. Hoc autem

Dies festus Pascha absolutè dicitur

cap. 5.

cap.5. diem feſtum ſimpliciter nominat,cùm tamen ex dictis, de quonam feſto loquatur cognoſci nequeat. Nam ſi dicas ex cap.4. intelligi poſſe loqui de feſto Paſchatis; quod eo capite Paſchatis meminerit; ea non placet ratio. Non enim poteſt hoc Paſcha illud ipſum illius anni paſcha eſſe, vt conſtat; ſed alterum alterius anni. Nec illud probatur, dici Paſcha diem feſtũ per antonomaſiam. Dicimus tamen probabiliter intelligendum locum de Paſchali feſtiuitate, quoniam id expoſcit Ioannis narratio, & rerum geſtarum à Chriſto ſeries, quæ huiuſmodi eſt.

Ordo geſtorum.

Chriſtus Optimus Maximus, poſt admirabilem aquæ in vinum tranſmutationem, Capharnaum petiit. Deinde Ieroſolymam ad paſchalem feſtiuitatem agendam profectus eſt; è templo nundinatores eiecit, cum Nicodemo ſermonem habuit, & per diſcipulos baptizauit, quæ omnia ex capite 2. & 3. Ioannis comperta ſunt. Poſt hæc ex Iudæa in Galilæam rediit per Samariam, cum fœmina Samaritana collocutus eſt; & Reguli filium ſanitate donauit. Rediit autem ex Iudæa in Galilæam per Samariam menſe Decembri, vel circiter eum menſem id quod iam ſuprà ex illis verbis probabiliter collegimus *Nonne vos dicitis, quia quatuor menſes ſunt, & meſſis venit?* Hæc omnia Ioannes, cum narraſſet, omiſiſſetque reliqua, quæ à cæteris Euangeliſtis iam narrata, & à nobis explicata ſunt, ſubiicit initio cap. *Poſt hæc erat dies feſtus Iudæorum, & aſcendit Ieſus Ieroſolymam.* Dies ergo hic feſtus poſt menſem Decembrem agebatur, quo Chriſtus ex Iudæa in Galilæam reuerſus eſt, vt patet. Poſt menſem autem Decembrem primum, quod occurrit feſtum, Paſcha eſt menſe Niſan, qui Martio, & Aprili reſpondet. Poſt Paſcha Pentecoſte, & feſtum tabernaculorum celebrabantur. Iis verò tribus feſtiuitatibus Iudæi in templum Ieroſolymitanum confluere ſolebant. Veriſimile itaque eſt Ioannem cùm initio capitis 5. ſcripſit: *Et erat dies feſtus Iudæorum, & aſcendit Ieſus Ieroſolymam*: de prima feſtiuitate locutum poſt reditum Chriſti ex Iudæa in Galilæam occurrente, quam celebraturus ex Galilæa Ieroſolymam aſcendit. Hæc autem feſtiuitas fuit Paſcha.

Ioan. 4. *Ioan. 5.* *Ibid.*

Quatuor Paſchata à Ioanne cõmemorata.

Ex his obſerua, hoc loco, Ioannem quatuor Paſchata ſuo in Euangelio commemoraſſe, ex quibus anni prædicationis Chriſti colliguntur. Primum, *Prope* (inquit) *erat Paſcha Iudæorum, & aſcendit Ieſus Ieroſolymam.* Secundum. *Poſt hæc erat dies feſtus Iudæorum* id eſt, Paſcha. Tertium. *Erat autem proximum Paſcha dies feſtus Iudæorum.* Quartum cap.11. 12.& 13. in quo crucifixus eſt Dominus. Si verò à baptiſmate Paſchata numeremus, quinque ſunt. Etenim Chriſtus 6. die Ianuarij baptizatus eſt, vt Eccleſia ſentit. A baptiſmate vſque ad miraculum, quo in nuptiis aquam in vinum tranſmutauit, vt ſuprà oſtendimus, annus interfluxit, & illius anni Paſcha: cuius Paſchatis nec Ioannes, nec alius Euangeliſta meminit. Huic ſi quatuor Paſchata à Ioanne connumerata adiungas, quinque efficies paſchata: & annos à baptiſmate vſque ad Chriſti mortem, quatuor & tres menſes. Qua de re alio loco redibit fuſior ſermo. Lege Euſebium libro 8. de demonſtrat. Euang. pag. 134.

Ioan. 2. *Ioan. 5.* *Ioan. 6.*

Quinque Paſchata poſt Chriſti baptiſmũ.

Ioan. 5.

Est *autem Ieroſolymis probatica piſcina.* Triplex eſt hoc loco lectio; prima eſt: *Eſt autem Ieroſolymis ſuper probatica, piſcina.* Secunda: *Eſt autem Ieroſolymis in probatica, piſcina.* Tertia: *Eſt autem Ieroſolymis probatica piſcina.* Hęc tertia lectio complectenda eſt, quoniam in editione habetur Romæ correcta. Appellatur autem piſcina, Græcè κολυμβήθρα, id eſt, natatoria. Neque verò piſces habebat, ſed aquæ ſtagnum quoddam erat. Probatica dicitur Græco nomine προβατικὴ, id eſt, pecuaria, ſiue ouilis, προβατὸν enim ouem ſignificat. Vnde D. Hieronymus in libro de locis Hebraicis: Betheſda, inquit, piſcina, quæ vocatur προβατικὴ, & à nobis interpretari poteſt pecuaria, &c. *Hieron.*

Quid ſignifiet probatica.

Cur autem probatica dicta ſit hæc piſcina, dubium eſt. Gloſſa ordinaria, Rupertus, D. Thomas, Lyranus, Carthuſianus, Abulenſis, & alij aiunt appellari probaticam, ſiue pecuariam; quòd in ea pecudes in templo immolandæ abluerentur. Et Beda: Vulgo, inquit, probatica, id eſt, pecuaria piſcina fertur appellata; quòd in ea ſacerdotes hoſtias lauare conſueuerant, &c. Theophylactus: Probatica dicebatur piſcina, eo quòd oues illic congregabantur ad ſacrificium, & inteſtina earum abluebantur. Item Euthymius: Eſt in Ieroſolymis piſcina, in loci ſitu, qui dicitur probatica. Aut ſimpliciter ita dicto, iuxta veterum traditionem; aut vt quidam dicunt, quòd oues olim illuc congregarentur, quæ in feſtis erant immolandæ. Et harũ inteſtina in aqua illa purgarentur, &c. D. Hieronymus in libro de locis Hebraicis: Oſtenduntur gemini lacus; quorum vnus hybernis pluuiis adimpleri ſolet; alter mirum in modum rubens, quaſi cruentis aquis, antiqui in ſe operis ſigna teſtatur. Nam hoſtias in eo lauari à ſacerdotibus ſolitas ferunt; vnde & nomen accipit. Hæc ille.

Cur dicatur piſcina probatica. *Beda.* *Theoph.* *Hieron.*

Hæc opinio refutari ſic poteſt. Hoſtiæ in ipſo templi atrio abluebantur, in luteribus, qui ad eam ipſam rem ibi erant præparati; ergo non abluebantur in piſcina, quæ extra templi atria fuit. Præterea ſoli ſacerdotes in ipſo atrio, vbi altare erat, pecudes occidebant, & excoriabant; aliis enim, neque occidere, neque excoriare fas erat. Non igitur eſt veriſimile, excoriata animalia ex atrio foras in piſcinam abluenda attuliſſe, cùm adeſſent aqua pleni luteres in ipſo atrio ablutioni victimarum deſtinati. Obiectioni reſpondet Abulenſis libro 3. Reg. cap. 7. quæſt. 14. in hanc ſententiam: Sacerdotum munus fuit, victimas & iugulare, & excoriare in atrio ſacerdotum. Poſtquam autem animal occiderant, pelleque exuerant, in piſcinam adducebant integrum, eoque loco viſcera diſſecabant, ſimóque effuſo abluebant. Deinde in atrium reuerſi, in fruſtra concidebant hoſtiam, vt altari imponeretur. Neque enim integra incendebatur. Fruſta autem illa ſiue partes victimæ, in luetribus aqua expurgabant. Ego crederem potius hoſtias è templo non fuiſſe ad ablutionem foras eductas, ſed inteſtina tantummodo; vt extra templum fimus effunderetur. Hæc verò inteſtina poſt fimum effuſum abluta eſſe in piſcina; animalia intus in atrio ſacerdotum. Huic ſententiæ fauent Theophylactus & Euthymius, vt legenti verba illorum citata fiet perſpicuum.

Abulenſ. *Abluerẽtur ne victimæ in piſcina.*

Petrus Comeſtor in hiſtoria Euangelica, cap. 81. ſcribit Nathinæos lauare hoſtias ſolitos in piſcina hac. Et in lib. 3. Reg. cap. 19. Nathinæi, ait, priùs lauabant membra hoſtiarum in piſcina probatica; & lota tradebant ſacerdotibus. Qui ne quid interim in eis ſordis adhæſiſſet, luteribus ea immergebant. Hæc ille. Et Borchardus 1. parte capite 7. §. 43. In piſcina, ait, Nathinæi hoſtias lauabant, præſentantes eas ſacerdotibus in templo offerendas, &c. Idem ſentit Adrichomius in deſcriptione Ieruſalem, num. 62. Sed rectiùs Abulenſis 3. Reg. 7. quæſt. 15. cenſet Nathinæis nec tangere animalia immolata licuiſſe, quia ſacra erant; nec abluere. Fuiſſéque hoc munus tantummodo ſacerdotum. Vnde Hieronymus iam citatus: Ferunt, inquit, hoſtias in eo lacu à ſacerdotibus lauari ſolitas, &c. De

An Nathinæi lauarẽt hoſtias. *Borchar.*

Nathinæis diximus lib.3.capite 54.in fine.

Nonnulli recẽtiores,probabile eſſe exiſtimant, victimas in piſcina non fuiſſe lotas.Si verò quæras, cui vſui piſcina deſeruiret, ſic reſpondetur. Cùm eſſet ingens aquarum copia ex mari illo æneo, & ex conchis, & innumeris purificationibus, intra templum;neceſſe erat aquam hanc aliquibus ſubterraneis viis,& aquæ ductibus effluere.Et in hunc vſum ſita erat hæc piſcina ad radices montis, in quo templum etat fundatum : in quam omnis hæc aquarum copia per fiſtulas, & aquæ ductus occultos, ſeu ſubterraneos influebat.Quam ſententiam Ariſteas vetuſtiſſimus auctor tenet, in lib. de Septuaginta Interpretibus, & Hieron. Eodem forſan debet intelligi modo, quando affirmauit victimas lauari in piſcina, eaque de cauſa aquas rubras apparuiſſe. Non quòd eo in loco, ſed quòd aquis illius piſcinæ lauarentur. Nam poſtquam in templo lauabantur carnes,aquæ omnes in piſcinam illam emittebantur.

Num aquæ purificationum templi in piſcinam deſluerent.

Verumtamen hæc reſponſio de aquis è templo in piſcinam effluentibus,minime placet; probabiliuſque videtur, aquas,quarum in templi purificationibus vſus erat, per ſubterraneos meatus in occulta atque abdita terræ viſcera, non autem in piſcinam effluxiſſe.Quæ ſententia Ariſteæ eſt.Neque enim Ariſteas piſcinæ meminit,quæ ſuper terram erat;ſed ſubterraneorum cõceptaculorum, in quæ templi aqua effluebat.Eius verba hæc ſunt:Tantus (inquit)eſt eductarum aquarum aſſiduus fluxus, vt perennem fontem inundare putes. Sedmirabilius eſt,& fere inenarrabile, ſubterraneorum conceptaculorum magnitudo; quæ ad quinque vſque ſtadia per circuitum templi cuncta penetrat. Plumbeæ ad ea fiſtulæ, quacumque per muros & templi ſolum, quibus omnia abluantur mundenturque, deſcendunt. Sunt & apud Aræ baſim frequentes aperturæ omnibus,niſi iis,qui miniſtrant incognitæ;quarum influxu,& impetu,omnis ex hoſtiarum multitudine cruor purgetur. Receptarum autem aquarum multitudinem per hunc modum coniectauimus.Nam cùm nos vltra quatuor ſtadia extra vrbem deduxiſſent ad quemdam locum : iubent nos ſubterfluentium vndarum ſonitum exaudire. Qui mihi quidem magnorum vaſorum confluxus vilis eſt.Hactenus Ariſteas. De piſcina ne verbum quidem vnum facit, de ſubterraneis aquarum loquitur conceptaculis.

Cõceptacula aquarũ, quæ ex templo defluebant. Ariſteas.

Hieron.

Diuus Hieronymus verò non indiget interprete, cùm ſe ipſe interpretetur . Audi illius verba paulò antè citata:In eo lacu,id eſt, piſcina, hoſtias lauari à ſacerdotibus ſolitas ferunt;vnde & nomen accepit.Nomen,inquam,probaticæ,id eſt,pecuarię piſcinæ.Apertè ait Hieronymus in piſcina ipſa hoſtias lauari ſolitas,& ab iis hoſtiis,& ouibus,nomen probaticæ accepiſſe. Nathinæos aquam ex piſcina ipſa in templum , ad templi vſus deportare ſolitos dicerem potius, quàm aquas templi in piſcinam defluxiſſe.

Euthym.

Euthymius ait piſcinam hanc in loco fuiſſe, qui probatica dicebatur,verbis iam citatis : Eſt, inquit Ieroſolymis piſcina in loci ſitu, qui dicitur probatica;aut ſimpliciter ita dicto , iuxta veterum traditionem,aut,vt quidam dicunt,quòd oues olim illic congregarentur,quæ in feſtis erant immolandæ,& harum inteſtina in aqua illa purgarentur, &c.Hæc ſententia in Græcis codicibus nunc habetur, ἐπὶ τῇ προβατικῇ,id eſt,in, vel ſuper probatica:hoc ſenſu, piſcina eſt in loco, vel ſuper locum, qui probatica nominatur. Iuxta hanc ſententiam appellata eſt piſcina probatica,id eſt,ouilis, quòd in probatica, velſuper probatica id eſt, iuxta ouile aliquod eſſet, in quo immolandæ in templo oues concludebantur.&c.

Cur dicatur piſcina probatica vel ouilis.

Potuit etiam dici probatica à porta quadam vrbis Ieruſalem templo propinqua,quæ porta gregis dicebatur, Hebraice lib.2. Eſdræ cap.3. porta צֹאן, tſon, id eſt, ouis, vel ouium,quod idem eſt,ac porta probatica. Dicta autem eſt porta probatica, id eſt, ouium, ſiue gregis, vt ait Borchardus, quòd per illam oues ſiue greges in templo immolandi, in vrbem inducerẽtur.De hac porta ſic ille ſcribit, prima parte capite 7.§.43. Non longè ab area templi contra Aquilonem , minus quàm iactus eſt lapidis, extat porta vallis; per eam enim erat deſcenſus in vallem Ioſaphat.Dicitur & porta gregis , quoniam per eam introducebantur greges immolandi in templo,&c.

Porta gregis.

Quod ſi quæras, quo in loco piſcina hæc ſita fuerit, eodem capite id docet idem terræ ſanctæ explorator, his verbis: Intrantibus portam gregis ad ſiniſtram , iuxta aream templi occurrit piſcina probatica.Hæc adhuc oſtenditur quinque porticus habuiſſe , in quibus iacebant languentes , &c.Erat ergo piſcina probatica iuxta portam probaticam; potuit verò à porta,cui propinqua erat,nomen accipere.Caietanus Ioann.5. putat in piſcina natare oues conſueuiſſe, vt mundæ eſſent. Iuxta locum, inquit,ouium erat lauacrum natatorium ; eò quòd in eo,natando abluebantur animalia,vt munda viuerent , &c. Sed quemadmodum dicitur piſcina etſi piſces non haberet, ita natatoria, & ſi nihil in illa nataret.

Locus piſcinæ. Borchar.

Caiet.

Ioan. 5.

Qvæ *cognominabatur Hebraicè Bethſaida.* Græci codices piſcinam hanc Bethesdam appellant: Latini libri antiquiores habent Bethſaidam.Bethſaidam verò eſſe nominandam conſtat ex correctione Romana. Nomen Bethesda domum ſignificat effuſionis : idem quoque ſignificat vt nonnulli volunt,nomen Bethſaida,ſi per, ש, ſchin, ſcribatur à verbo, שׁר, ſchad , cum litera , ſchin , quod Chaldaicè eſt effũdere.Dici potuit piſcina domus, id eſt,locus effuſionis,quòd in illam pluuiales aquę effunderentur è tectis,& cõfluerent. Si tamẽ Bethſaida per, צ, Sade, ſcribatur, domum ſignificat venatorum. In Syriaco Euangelio à חסר, Cheſed id eſt , miſericordia vocatur Bethcheſeda, id eſt , domus miſericordiæ. Congruit nomen piſcinæ, quia in ea erga ægrotos Deus miſericordia vtebatur, quos commota ſanabat aqua. Potuit etiam dici domus miſericordię,quòd in illis quinque porticibus ægroti pauperes eleemoſynis donarentur. Forſitan proprium piſcinæ nomen Bethcheſeda erat,id eſt,domus miſericordię,vt Syriacum indicat Euangelium;poſtea vero ablato ח chet, & addito, י Iod, mutatum eſt in Bethſaida. Habebat illa quinque porticus,forſitan propter ægrotos exędificatas,qui aquæ motum expectabant.In iis enim, vt Euangeliſta ſcribit, magna iacebat ægrotorum multitudo, aquæ motum expectantium.

Nomẽ piſcinæ,Hebraicè vnde dicatur.

Ioan. 5.

Angelvs *autem Domini deſcendebat ſecundùm tempus in piſcinam, & mouebatur aqua.* Illuſtris ea piſcina erat miraculo , & Angeli in eam deſcenſu. Quo autem tempore Angelus deſcenderet, miraculumque ederetur, dubiũ eſt, D.Cyrillus lib.2.in Ioan.cap.125.credit Angelum deſcendere ſolitum in die Pentecoſtes.Die,inquit, Pentecoſtes Angeli de cælo deſcendentes piſcinæ aquam mouebant. Item ; piſcinæ aqua non alio quam Pentecoſtes tempore mouebatur , &c. Euthymius non ſemel tantùm in anno,ſed frequenter Angelum deſcendiſſe putat.Sic enim ſcribit: Non ſemper fiebat miraculum ; ſed certis temporibus hominibus quidem incognitis. Verùm frequenter vt opinor

Quo tẽpore deſcenderet Angelus in piſcinam. Cyril.

Euthym.

in

in anno; propter hoc ſiquidem in porticibus de- A cumbebat multitudo magna languentium, &cet. Reſpondeo ignotum eſſe, quo tempore Angelus in piſcinam deſcenderet. Non deſcendiſſe Pentecoſtes tempore probatur; quoniam ſi certo Pentecoſtes tempore Angelus deſcendere conſueuiſſet; non iaceret in porticibus, multitudo magna ægrotorum tempore Paſchatis, expectantium aquæ motum, vt ait Euangeliſta. Satis enim fuiſſet prope tempus Pentecoſtes in piſcinam confluere. Si certò aliquo tempore Angelus aquam mouebat, id potiùs videtur fuiſſe Paſchatis tempus. Quod confirmatur, quoniam tempore Paſchatis, quo Chriſtus petiit Ieroſolymam, magna ægrotorum multitudo in porticibus iacebat, expectantium aquæ motum; ergo prope erat tempus, quo mouebatur ab Angelo aqua. Videlicet aliquis ex illis diebus, B quibus Paſchatis feſtum agebatur. Significat enim Ioannes illos aquæ motum expectaſſe non longè diſtantem.

Potius tempore Paſchatis miraculum hoc fiebat.

Euthym. Euthymius citatus putat incertum fuiſſe tempus, quo Angelus aquam mouebat, modoque hoc, modo alio tempore mouiſſe piſcinam: eamque ob cauſam quoniam incertum tempus erat, permanſiſſe in porticibus ægrotos omni tempore. Chryſoſtomus quoque hom. 35. in Ioannem. Non mouebatur, inquit, aqua certo tempore, ſed claudi quidem, & contorti tempus obſeruare poterant; cæci verò minimè, niſi fortè motum auribus percepiſ- *Magiſt. hiſt.* ſent. &c. Magiſter etiam hiſtoriæ, in hiſtoria Euangelica, c. 81. in eadem eſt ſententia, propterea quòd ægroti in porticibus ſemper manebant. Qui, ſi cer- C tum tempus notum eſſet, tũc conueniſſent. Quod, inquit, incertum eſſet quando moueri debebat aqua, inde perpenditur, quòd languidi ſemper erant ibi, qui ad certam horam conuenirent tantùm ſi ſciretur: &c. Sed iam reſpondimus, fuiſſe certum tempus Paſchatis, deque illo tempore Ioannem loqui, cùm ait, multitudinem languentium in porticibus iacuiſſe, motumque aquæ expectaſſe. Prętereà, etſi certum eſſet tempus, pauperum magna multitudo in porticibus ſemper veluti in ptochodochio, id eſt, pauperum hoſpitio iacere; diuites verò illo certo tempore conuenire potuerunt.

Chryſoſt.

CAPVT II.

De paralytico ſanato apud piſcinam.

Ioan. 5. Qvi *prior deſcendiſſet in piſcinam.* Deſcendebat è cęlo Angelus in piſcinam Paſchatis tempore aquamq; commouebat, qui verò ex ęgrotis primus in aquam motam deſcẽdebat, ſanitatẽ mirabiliter conſequebatur. Quòd ſi petas: Num aquæ motæ Angelus vim aliquam ſanitatis effectricẽ tribueret? Reſpondet Theophylactus his verbis: Angelus turbabat aquam, & ſanatiuam illi virtutem indebat. Nuſquam enim iſta eſt natura aquæ vt per ſe ſanet, ſed totum in Angelo ſitum erat, quidquid erat efficacię, &c. Similiter Chryſoſtomus hom. 35. in Ioannem: Deſcendens Angelus motæ aquæ ſanandi virtutem largiebatur, &c. Sed obiicitur, An- E gelus efficere miracula vi ſua nõ poteſt; ergo vim aquæ ad miracula largiri nequiuit. Præterea hæc vis qualitas aliqua fuiſſet corporea aquæ indita, & vis creata; atqui nulla qualitas, nulla creata vis miraculum efficere valet. Ideoque reſpondendum eſt, Angelum nullam vim aquæ indidiſſe miraculorum effectricem, ſed Deum infinita potẽtia ſua, ſanitatem per aquam ab Angelo motam, mirabiliter effeciſſe. Dei enim potentia, non Angeli, miarcula edere poteſt, qualia hæc ſunt.

An Angelus vim ſanantem aquæ tribueret. Theoph.

Chryſoſt.

Quæres rurſus: Quæ fuerit cauſa, cur huiuſmodi miracula in hac piſcina Deus efficeret? Reſpondet Theophylactus his hoc pacto: Multi opinãtur quòd ſola ablutione inteſtinorum ſacrificalium, virtutem quandam diuiniorem acciperet aqua; & propterea Angelus ad aquam, vt electam accederet, & miraculum operaretur, &c. *Cur Deus in piſcina miracula ederet? Theoph.*

Alij apud Magiſtrum hiſtoriæ in hiſtoria Euangel. cap. 81. effecta illa miracula in piſcina aiunt; quòd ex ea lignum illud enatarit, ex quo crux eſt fabricata totius fons ſalutis. Traditur (ait ille) à quibuſdam, quòd Regina Saba vidit in ſpiritu lignum Crucis dominicæ, & nunciauit Salomoni, *Comeſtor.* quòd in eo quidam moreretur, propter quem Iudæi perirent. Quod timens Salomon, abſcondit lignum ſub terra, in qua facta eſt piſcina. Appropinquãte verò tempore paſſionis enatauit lignum, & cœpit miraculum. Hæc ille. Parùm vel nihil autoritatis habet hæc narratio, apocrypha eſt, &, vt ipſe magiſter ait, non eſt authenica. *In piſcina lignii crucis*

Nonnulli, vt ſcribit Adrichomius in deſcriptione Ieruſalem, num. 62. putarunt in loco piſcinæ olim fuiſſe ignem ſacrum occultatũ. Sunt, inquit, *Adrichom.* qui exiſtimẽt hunc fuiſſe locũ, vbi ſacrum ignem quondam recondiderunt ſacerdotes: quem cùm requireret reuerſus Nehemias, eius loco reperit aquam craſſam. Lege 2. Mach. 1. Nihil huic opinioni probationis additur. *Piſcina locus ignis ſacri.*

Denique incerta eſt alia cauſa miraculi. Hæc tamen vna fuit. Deus baptiſmi tempore propinquante, ſanitatem per aquam conferre voluit; vt eam ſanitatem, quæ per baptiſmum confertur, indicaret. Vnde Theophylactus Ioann. 5. Videbatur, *Theoph.* ait, diuina ſapientia à longè viam facere Iudæis ad fidem in Chriſtum, præordinando miraculum piſcinæ. Nam quoniam baptiſma daturum erat magnam virtutem, & maximum donum, vtpote purificans peccatum, & viuificans animas: præfigurat Deus baptiſma in rebus Iudaicis, & ipſis quoque aquã dat, quæ purificet ſordes, quæ non ſordes propriè erant, ſed videbantur eſſe. Vt ſi quando tetigiſſent mortuum, vel leproſum, vel aliquid tale. Dat autem piſcinæ huic miraculum, quod duceret eos ad ſuſceptionem baptiſmatis. Hactenus ille. Lege etiam Chryſoſtomum hom. 35. in Ioannem: *Chryſoſt.* D Hoc, inquit, factum eſt, vt qui in aqua corporis morbos ſanari poſſe didiciſſent; in eo aliquamdiu exerciti, animæ morbos per aquam curari poſſe faciliùs crederent, &c. *Baptiſmus per hanc piſcinã præſignificatus.*

Quo tempore in piſcina fieri cœperit hoc miraculum, incertum quoque eſt. Poſt Chriſti paſſionem fieri deſijt. Quæ cauſa eſt, cur Ioſephus huius miraculi mentionem nullam fecerit. Si enim eius ætate miraculum ederetur, de illo ſcripſiſſet. Ter- *Tertul.* tullianus in lib. aduerſus Iudęos, capite 13. Deſtitit, ait, apud Iudæos Dei gratia, & mandatum eſt nubibus, ne pluerent imbrem ſuper vineam ſorech, id eſt, cæleſtibus beneficiis, ne prouenirent domui Iſrael. Fecerat enim ſpinas, ex quibus Chriſtum coronauerat. Et ita ſubtractis chariſmatis prioribus, lex & prophetæ vſque ad Ioannem fuerunt. Et piſcina Bethſaida vſque ad aduentum Chriſti curando inualetudines Iſraël deſijt à beneficijs deinde. &cet.

Ioan. 5. A *Quacumque detinebatur infirmitate.* Medicamenta quædam frigidis proſunt morbis, alia calidis, nonnulla leuibus, alia grauibus medentur; nulla omnibus vniuerſim ægritudinibus ſanitatem afferunt. At piſcinæ aqua contrarios ſanabat morbos, tam frigidos, quàm calidos; leues pellebat, graues quoque. *Qui prior* (ait Euangeliſta) *deſcendiſſet in piſci-* *Ibid.*

nam

nam, post motionē aquæ, sanus fiebat à quacumq; detinebatur infirmitate. Nēpè à summo medico, cui nulla ægritudo insanabilis est, sanitate donabatur. Eumdem in modum baptismi piscina varios repugnātesque morbos depellit; omnia vniuersim crimina qualiacumque ea sint, sanat. Deus enim medicus est, cui omnes animi plagæ sunt medicabiles.

Ioan. 5. ERAT *autem quidam homo tibi triginta octo annos habens in infirmitate.* In porticibus illis, quibus cincta piscina fuit, æger quidam decumbebat, quem longus morbus triginta octo iam annorum spacio affligebat Morbum autem paralysim fuisse sentit Chrysostomus, Euthymius, & Theophylact. Idem arbitrantur Irenæus lib. 2. cap. 41. Ambrosius lib. 4. de fide, cap. 3. & Hilarius lib. 7. de Trinitate. Cyprianus verò lib. 4. Epistol. 7. hunc paralyticum clinicum appellat, à κλίνη, id est, lecto; quia in lecto apud piscinam iacebat. Rogabit quispiam; Num paralyticus ille toto illo triginta octo annorum spatio apud piscinam motum aquæ expectarit? Affirmat Chrysostomus his verbis: Admirabilis paralytici tolerantia, octo, & triginta annos vt sanaretur nunquam discedēs expectauit, &c. Similiter Theophylactus: Stupenda, ait, paralytici constantia: annos habebat triginta octo. & quotannis liberari à morbo expectans assidebat. Et impediebatur à potentioribus; nec tamen destitit neque desperauit, &c. Probabilis erit hæc sententia, si ignotum fuit tempus, quo Angelus in piscinam descendebat. Prætereà si tot iam annis descendere consueuerat. At si certo tempore nempe Paschatis commouebat aquam; potuit paralyticus paulò ante certum illum diem ad piscinam adduci, posteà domum reduci. Commendanda autem est hominis huius patientia, si longum adeò morbum patienter tulit: proponenduſque nobis est ante oculos, vt leuiores, breuioresque alias ægritudines æquo toleremus animo. Lege hoc, & similia exempla apud Chrysostomum lib. 3. de prouidētia Dei, ad monachum arreptitium.

An paralyticus 38. annis apud piscinā permanserit. Chrysost.

Theoph.

Ioan. 5. VIS *sanus fieri?* Venit medicus cælestis in nosocomium, id est, in porticus piscinæ; in quibus multitudo magna languentium iacebat. Ad ægrotum verò accessit, qui longiori morbo laborabat, quique humano erat auxilio destitutus. Ille alius paralyticus, de quo suprà diximus, quatuor homines habuit; hic hominem non habebat, à quo in piscinam mitteretur. Sed Deum habuit, & hominem, à quo absque piscinæ ope sanaretur. *Hunc* (ait Euangelista) *cùm vidisset Iesus iacentem, & cognouisset quia iam multum tempus haberet:* scilicet morbi, &c. Ægritudinis diuturnitatem vidit Dominus, misericordiaque commotus est. Prætereà ad hunc videtur Dominus accessisse, vt illum donaret sanitatis magno beneficio, quoniam ob morbi diuturnitatem toti ciuitati notissimus erat, ideóque futurum erat miraculum celebrius, ac notius. Paucis rogauit hominem; *Visne sanus fieri?* Nouerat quidem illius voluntatem, & salutis ardens desiderium, sed rogauit, an vellet sanari, vt sermonem iniret, & à quo sanaretur ille cognosceret. Nec dixit: *Vis, vt te sanē.* Sed, *Vis sanus fieri*; vt doceret vitandam in verbis ostentationem. Non dixit (ait Euthymius) vis vt te curem, quia erat ab arrogantia alienus, & quia ægrotus ipsum nequaquam cognoscebat, &c.

Ibid.

Euthym.

Theoph. Theophylactus putat rogatum paralyticum, an vellet fieri sanus, vt eius nobis patiētia ostenderetur. Et Chrysostomus sic ait: Interrogat Dominus; *Vis sanus fieri?* non quòd dubitaret, esset enim absurdum. Sed vt illius ostenderet tolerantiam. Vt intelligamus, quare posthabitis cæteris, ad hūc venerit, &c. His verbis etiam indicat propter patientiam ad hunc ægrotum Christum accessisse, cæteris posthabitis. Euthymius; Eum, inquit, qui multo tēpore assiduus fuerat, ac tolerantissimus, cæteris Christus præponit. Tū quòd miseratione dignior esset: tum verò docens, quòd inter eos qui superno egēt medicamine, Deum magis flectunt, qui sunt constantissimi, &c. Sed dices: quomodo patientia paralytici ostensa est? Eiusdem paralytici responsio illam ostendit. Multa cum māsuetudine (ait Theoph.) respondet; Volo quidem, sed non habeo hominem, qui possit me in aquā inferre. Nihil blasphemum respondit, non arguit Christū, vt stultam interrogationem interrogantem, non maledixit diei natiuitatis, sicut pusillanimes facimus, idque cùm in leuiores morbos inciderimus; sed mansuetè & placide responsum dat: tametsi nesciret, quisnam esset, qui interrogabat. Namque hoc solùm existimauit vtilitatis sibi accedere, fortassis vt inferret ipsum in aquam: Et propterea blandè Christo loquitur. Hæc ille.

Euthym. *Theoph.*

Ioan. 5. DVM *venio enim ego, alius ante me descendit.* Dixerat æger: *Hominē non habeo, vt cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam:* addit: *Dum venio enim ego, alius ante me descendit.* Si paralyticus erat, & hominem non habebat, à quo duceretur, quónam modo veniebat in piscinam? Respondendum est, non ita membris captum fuisse, quin aliquo modo posset ambulare, & ad piscinam accedere. At præcedebant alij, & sanitatem præripiebant. Videtur autē habuisse piscina hęc si profunda erat, gradus per omnes partes, per quos ægroti in aquam descenderent. *Alius* (inquit ille) *ante me descendit*: gradus igitur in piscina erant. Qui verò primus in aquam per gradus descendebat, salutem consequebatur. Potest etiam verbum, *descēdit*, sumi pro ingredi, hoc sensu; Alius ante me ingreditur, si profunda non erat.

Ibid.

Ibid. SVRGE, *tolle grabatum tuum & ambula*, Non longo sermone tenuit paralyticum Dominus, sed postquam rogauit, an sanari vellet, responsumque accepit, protinus surgere eum iussit lectumque in quo decumbebat tollere, & ambulare. Dixit, & facta sunt. Protinus confirmatis planè viribus surrexit æger è lecto, lectum in humeros sustulit, & ambulauit. Miracula ad fidem in cordibus hominum efficiendam Christus dirigebat: ideoque conspicua omnibus esse volebat. Hanc igitur ob causam publicè surgere iussit ægrum; nec solùm surgere, sed grabatum etiam, id est, lectum per ciuitatem portare; vt lecti hæc portatio corporis perfectissimè sanati robur cunctis patefaceret. Chrysost. hom. 36. Lectum auferre iussit, vt miraculum crederetur, & nemo falsum, & simulatum opinaretur, &c.

Cur lectum iussus sit tollere paralyticus.

Ioan. 5. NON *licet tibi tollere grabatum tuum.* Præconis instar portans lectum is, qui paralyticus fuerat, ciuitati admirandū prædicabat Christi opus. At Iudæi hominem incusarunt, quòd sabbato humeris portaret lectum, rémque à religione, & quiete sacri diei faceret alienam. Ille excusat factū obedientia; *Qui*, inquit, *me sanum fecit, ille mihi dixit, Tolle grabatum tuum, & ambula.* Æquū est, vt ei obediam, qui tātum in me miraculum edidit. Non enim potest aliquid præcipere quod fas nō sit, is, qui tantam habet potestatem. D. Cyrillus sic responsum hoc interpretatur; A quo sanitatem recepi, hoc mihi iniūctum est; nam ille, nisi Deus esset, hanc sanitatem non dedisset. At verò paralyticus nondum sciebat Christum Deum esse: immò nec illius nomen nouerat, vt ex sequentibus est compertum.

Ibid.

Cyrill.

Ioan. 5. QVIS *est ille homo, qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum & ambula?* Duo dixerat homo ille sanitati restitutus; primum: *Qui me sanum fecit*: secundum; *Ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula.* Debuerat

Chrysost. Patientia paralytici.

buerant Iudæi de primo in primis agere: deinde de ſecundo. Primò debuerant rogare de auctore miraculi tanti, idque, vt par erat, magnificare, & admirari. Poſteà de dicto verba facere. At vt Theoph. obſeruat, non interrogant: Quis eſt, qui te ſanum fecit? ſed: *Quis eſt, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum, & ambula?* Zelo ducebantur ſabbati, ſed zelo non ſecundùm ſcientiam. Porrò non potuit paralyticus interrogationi facere ſatis: quoniam quiſnam eſſet Chriſtus ignorabat. Dominus enim à turba, & paralytici oculis ſe ſubduxerat, bonorum operum iactantiam vt fugiamus, docens.

Ioan. 5. POSTEA *inuenit eum Ieſus in templo.* Neſciebat paralyticus, quis eſſet ille, à quo beneficium tantùm acceperat, optabat ſummoperè benefactorem & videre, & agnoſcere. Obtulit ſe optanti Dominus in templo; hominemque ſic eſt allocutus: *Ecce ſanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Ex his verbis colligit Chryſoſtomus hom. 37. primò hominem hunc in morbum à criminibus præcipitatum. Admonemur (ait) quòd ex peccatis morbi generantur. Item; Huic paralytico morbi cauſa peccata fuerunt Chriſti teſtimonio. Nam & illi, cuius Matthæus meminit; *Confide*, ait, *fili, remittuntur tibi peccata tua*: & huic; *Ecce ſanus factus es, iam noli peccare*, &c. Secundò colligit, ſupplicij tempus longius eſſe tempore, quo peccatum perpetratur. In tartaro autem eſſe æternum. Admonemur, ait, quod verum eſt apud gehennam maximum & perpetuum eſſe ſupplicium. Vbi nunc ſunt, qui dicunt, breui ſpatio hominem interfeci, breui adulterium commiſi; ob admiſſum breui tempore peccatum perpetuas pœnas daturus ſum? Ecce hic homo nõ tot annis peccauit, quot pœnas dedit. Breui peccatum patratur, morbi tormenta diuturna ſunt. Non enim tempore peccata, ſed peccantium animus iudicatur, &c. Tertiò colligit, grauiores dare pœnas illos, qui in flagitia rurſus incidunt. *Iam noli peccare* (ait Dominus) *ne deterius aliquid tibi contingat.* hoc eſt, noli rurſus in peccatũ incidere, ne maiores pœnas luas. Chryſoſtom. Illud conſiderandum eſt, quòd ſi grauem priorum ſcelerum pœnam dedimus, deinde iiſdem inciderimus, dabimus lõge maiorem. Et meritò ſanè. Qui enim ſupplicio nõ fit melior, tamquam ſtupidus, & contemptor, grauiorem ſibi pœnam præparat. Ipſum namque peccatum, lapſum ſatis ſemperque cohibere, & ſapientiorem reddere debebat hominem, ne in idem iterum prolaberetur. Verùm cùm neque ſupplicium ſontem corrigit, non iniuria flagello vtitur vehementiore, &c. Theophylactus quoq; Hic, inquit, homo fermè integram hominis vitam in ſupplicij menſuram amplam impendit. Sanè peccata non iudicãtur tempore, ſed ipſa delictorum natura. Hinc & illud diſcimus, quòd licet grauem luamus pro primis peccatis pœnam, ſi deinde iterum in eadem incidamus peccata, iterum grauiora patiemur, &c.

Peccatum cauſa eſt morbi. *Matth. 8.* *Ioan. 5.* *Pœna æterna ob breue peccatum iuſtè infligitur.* *Grauior pœna peccati ſi repetatur.* *Chryſoſt.* *Theoph.*

Euthymius item in Ioan. Beda, & alij, propter peccata hũc paralyticum ægrotaſſe ſentiunt. Beda verò non ſolùm corporis, ſed animi etiam ſalutem à Chriſto illi collatam ſic ſcribit: Verbis Chriſti: *Ecce ſanus factus eſt*, &c. monſtratur, quia propter peccata languebat, nec niſi dimiſſis eiſdem poterat ſanari. Sed qui foris ab infirmitate, ipſe etiam intus ſaluauit à ſcelere. Vnde & cautè prẽmonuit, ne ampliùs peccando, grauioris ſibi ſententiam damnationis contraheret. Sic ille. Præterea obſeruat in iis verbis Chryſoſtomus Chriſti humilitatem: Intuere (ait) Chriſti humilitatem: non dixit; *Sanum te feci*, ſed, *ſanus factus es.* Neque: *Ne tibi quid deterius faciam*: ſed, *Ne deterius tibi aliquid contingat*, &c. Hinc diſce in verbis ſeruare humilitatem.

Chriſti humilitas eximia. *Chryſoſt. Ioan. 5.*

ABIIT *ille homo, & nunciauit Iudæis, quia Ieſus eſſet, qui fecit eum ſanum.* Refert Chryſoſtomus hom. 37. nonnullos opinatos eſſe paralyticum hunc accuſaſſe Chriſtum: videlicet, quòd grabatũ die ſabbati tollere iuſſiſſet. Atqui idcirco ab eo eſſe admonitum in templo, ne peccaret. Sed falſa eſt opinatio. Nec enim ante accuſauit, quàm nouiſſet. Poſtquam verò in templo nouit, Iudæis miraculi auctorem indicauit, non accuſandi animo, ſed commendandi. Quæ ſententia eſt D. Cyrilli in Ioannem his verbis: Nunciat Iudæis, manifeſtátq; medicũ: non vt mali quidquam in eum cogitantes, impietatis ſe crimine coinquinent; ſed vt non ignorarent medicum, ſiquis etiam illorum curari deſideraret. Non enim quaſi accuſans dixit, quia Ieſus eſſet, qui tollere grabatum, atque ambulare in ſabbato imperaſſet: ſed, qui fecit eum ſanum. Quare patet nihil aliud eum facere voluiſſe, quàm medicum eis oſtẽdere, &c. Et Chryſ. Non erat, inquit, paralyticus tam ſtupidus, nec tam inhumanus, vt tanti beneficij oblitus, maleuolo animo loqueretur, &c. Aug. item, Poſtquam Ieſum vidit, & cognouit Ieſum auctorem ſanitatis ſuæ, non fuit piger in euãgelizando: abiit, & nunciauit Iudæis, &c. Euangelizaſſe, ait, non accuſaſſe. Itẽ Theoph. Vide quãta gratitudine Chriſtum Iudæis prædicet, poſtquam agnouit. Non enim dicit: *Ieſus eſt, qui mihi dixit: Tolle grabatum*, ſed, *is qui ipſum ſanũ fecit*, &c. Denique Euthym. Nunciauit Iudæis quòd Ieſus eſſet, non tanquam iniquus vt proderet: ſed tanquam gratus vt benefactorem diuulgaret. Nam beneficium, ac minæ ſufficiebant, vt eum in officio continerent, &c.

Ibid. *Nuntiat Iudæis Chriſtum paralyticus, ne ingratus haberetur.* *Cyril.* *Chryſoſt.* *Auguſt.* *Theoph.* *Euthym.*

CAPVT III.

Morale.

De paralytico ſanato apud piſcinam.

PISCINAM hanc baptiſmi fuiſſe typum ſententia Patrum eſt; Chryſ. in Ioan. Aug. Theoph. Bedæ, Euthym. Ruperti, Ambr. lib. de ſacramentis, cap. 2. & in lib. de iis, qui initiantur, ca. 4. & aliorum. Sicut enim per aquã piſcinæ, ab Angelo agitatam, Deus corpus olim ſanabat: ſic per aquam baptiſmi à ſacerdote commotam, nunc animo ſalutem confert. Cryſoſt. hom. 35. Quemadmodum aqua piſcinæ natura non ſanabat per ſe, ſed duntaxat cùm ab Angelo mouebatur; ita & in nobis non ſimplex aqua operatur: ſed cùm ſpiritus gratiã accipit, omnia abluit peccata. &c. Et Ambroſius lib. 1. de Spiritu ſancto, cap. 7. Quid in hoc typo Angelus, niſi deſcenſionem Spiritus ſancti nunciabat, quæ noſtris futura temporibus, aquas ſacerdotalibus inuocata precibus conſecraret? &c. Tertul. in lib. de baptiſmo; Piſcinam Bethſaidam Angelus interueniens commouebat: obſeruabant, qui valetudinẽ querebantur. Nam ſi quis præuenerat deſcendere illuc; queri poſt lauacrum deſinebat. Figura iſta medicinæ corporalis, ſpiritalem medicinam canebat; ea forma, qua ſemper carnalia in figura ſpiritualium antecedũt, &c. Amb. in li. de iis, qui initiantur, c. 4. Illa piſcina in figura fuit. Vt credas quia in hunc fontẽ, id eſt, baptiſmatis, vis diuina deſcendat, &c.

Piſcinarum baptiſmi. *Chryſoſt.* *Ambr.* *Tertul.*

Infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: ait Paul. etiam hac in re infirmũ elementũ, ſcilicet aquam, elegit, vt fortiſſimum peccatum cõfunderet, iuxta illud *Contribulaſti capita draconum in aquis.* Dracones ſæuiſſimos peccata eſſe, quis ignorat? Horum capita Dominus in aqua baptiſmi contribulat, ac conterit. Quæ quidem, non ex odoratis floribus expreſſa, ſed ſimplex aqua eſt, & firmum ac penè infirmum elementum. Quod tamen cum ſacra-

1. Cor. 1. *Pſal. 73.* *Aqua baptiſmi mergit peccata.*

sacramenti operatione magnam similitudinem habet. Quemadmod um enim aqua abluit corpora : ita sacramentum abluit animos. Gregorius Nyssenus in lib.de baptismo:Aqua, inquit,subseruit ad ostendēdam purgationem.Quoniā sordibus, & cœno fœdatum corpus, aqua lauantes, purum reddere solemus,propterea etiam inmystica actione,eam adhibemus,re sub sensum cadente, incorporeum splendorem significantes, &c.

Greg. Nyss.

Sacramēta partim aspectabilia sūt partim spiritualia.

Constat homo corpore aspectabili ; intus verò habet animum spiritalem. Quamobrem similia medicamenta,hoc est, sacramenta, illi à sapientissimo Deo data sunt, quæ aspectabilia foris essent, intus spiritalem vim continerent.Hinc illud eiusdem Nysseni eodem loco:Compositus est homo,& non simplex: atque id circo duplici,coniunctoque, similia medicamenta ad curationem attributa sunt.Corpori quidem,quod apparet, aqua quæ sub sensum cadit ; animæ verò, quæ visum effugit, spiritus,qui non apparet, qui fide vocatur,qui ineffabiliter accedit, &c.

Nyss.

Simplex quidem aqua est , sed per illam magni consilij Angelus Christus operatur.Qui fide caret, aquam solam videt, qui fidem habet, magnum consilij Angelum operantem fidei oculis cernit. Cùm iuberetur leprosus Naaman ab Eliæo Iordanis aqua ablui,vt sanitatem reciperet ; iniquo id animo ferens,aiebat: *Numquid non meliores sunt Abana, & Pharphar,fluuij Damasci,omnibus aquis Israël,vt lauer in eis,& munder?* Videlicet,aquarum vim , non potentiæ diuinæ considerabat. Similes hac in re Mauri, Iudæi,Ethniciq; sunt; baptismi simplicem aquam, infirmumque elementum intuentur, potentissimum verò magni consilij Angelum , aquam infinita potentia mouentem non agnoscunt. Huc spectat illud Tertulliahi initio libri indicati. Nihil adeò est, quod obduret mentes hominum , quàm simplicitas diuinorum operum , quæ in actu videtur & magnificentia, quæ in effectu repromittitur. Vt hic quoque,quoniam tanta simplicitate sine pompa,sine apparatu nouo aliquo,denique sine sumptu,homo in aqua dimissus,& inter pauca verba tinctus,nō multò,vel nihilo mundior(corpore) resurgit , eò incredibilis existimetur consecutio, æternitatis.Proh misera incredulitas,quæ denegas Deo proprietates suas , simplicitatem , & potestatem,&c.Naaman illo consilio obtemperans famulorum,mutata mēte in Iordanem abiit , leprosum corpus fluuij aquis abluit , perfectamque consecutus sanitatem, quod non crediderat agnouit: &, vt Ambrosius ait in lib. de iis ,.qui initiantur, cap.4. non aquarum illam esse vim,sed gratiæ intellexit. Sic Christiani baptizati , & à peccatorum sordibus expiati,non esse hanc vndarum , sed Christi potestatem intelligunt Piscinam mouentis, sanguinisque sui vim illi impertientis.

4.Reg.5.

Tertul.

Quid maximè oculos hominum obdurunt.

Ambr.

Aqua baptismi dulcissima.

Vt leges Exod. 15. misso in aquas amaras ligno, in dulcedinem versæ sunt. Dulces aquas Mara , lignum fecit:dulces aquas baptismi,fecit crux. Quę enim dulcior esse potest aqua,quàm illa, quæ peccatorum omnium condonationē, gratiam, & gloriam confert? Ambrosius lib.2. de sacramētis, c.4. Vbi,inquit,aqua crucem Christi,vbi acceperit cæleste sacramentum,incipit esse dulcis, & suauis, Et meritò dulcis, in qua culpa reuocatur, &c. Et in li. de iis,qui initiantur,cap.4. Ideò(ait) legisti 1. Ioan. 3. quòd tres testes in baptismate vnum sunt, aqua, sanguis, & spiritus, quia si vnum horum detrahas, non stat baptismatis sacramentum. Quid est enim aqua sine cruce Christi?elementum commune sine vllo sacramenti effectu?&c.

Ambr.

Quemadmodum in mari rubro Israëlitarum hostes submersi sunt; ita in rubro aquæ ,& sanguinis Christi pelago Christianorum hostes obruuntur.Gregorius Nyssenus de vita Mosis: In aquam, inquit , fidelis cum vniuerso nostri hostis descendens exercitu,solus emergit inde , hostibus detentis, atque oppressis aqua. Item, aqua baptismi præcedente virga fidei , & potestate illuminantis, ducentisque nubis spiritus,fidelibus quidem qui ad eam refugiunt , vitam præstat : persecutoribus autem,id est, peccatis,mortem infert,&c,

Greg.

Vitam autem præstat aqua per Christi sanguinem , cui vis est maxima vitam tribuendi. Olim cùm Deus mundum creauit,prima aqua viuas edidit animantes,scilicet pisces , Gen.1.ita postquam mundum recreauit , prima aqua viuos edit in baptismo animos. Primum enim sacramentum baptismus est aquę,quod animis vitam affert.Tertullianus in lib.de baptismo ; Ordinato per elementa mundo cùm incolæ darentur, primis aquis præceptū animas proferre,primus liquor, quod viueret, edidit:ne mirum sit in baptismo , si aquæ animare nouerunt,&c.Quemadmodum piscium vita in aquæ elemento posita est , sic & vita animorum in baptismo est collocata. Etenim necessarius ad vitam est baptismus . Vnde Tertullianus initio eiusdem libri : Nos , inquit, pisciculi in aqua nascimur. Nec aliter , quàm in aqua permanendo salui sumus,&c.

Ex aqua primū pisces producti.

Tertul.

Quòd si instar piscium in aqua nascimur baptismi,vitamque in eo traducimus,cōgruit baptismo nomen piscinæ , quod à piscibus deriuatur.Congruit illi quoque nomen probaticæ , id est, ouilis; Christi namque oues ad baptismum veniunt.Hirci piscinam probaticam,id est,ouium fugiunt,suas habent hircorum piscinas,hoc est , corporis ablutiones,quæ animo nihil vtilitatis conferunt, iuxta illud Ambrosij lib.2. de sacramentis , capit.1. Sunt baptismata gentium,sed non sunt baptismata. Lauacra sunt , baptismata esse non possunt . Caro lauatur, non culpa diluitur , &c.In piscina Ierosolymitana vnus tantùm sanitatem consequebatur:in piscina verò Ecclesiæ quoquot volunt, salutem comparant,&c.

Piscinæ nomen baptismo cōgruit

Ambr.

Illi paralytico quem ad piscinam sanauit , dixit Christus; *Ecce sanus es , iam noli peccare , ne deterius tibi aliquid contingat.* Idem homini dicitur,qui in piscina baptismi animi consequitur incolumitatem ; *Ecce sanus factus es,ô homo,iam noli peccare , ne deterius tibi aliquid contingat.* Ablutus es, noli rursus sordibus te contaminare;hostium seruitutem effugisti, noli acerbissimo iugo rursus collum subdere:dæmonem domo expulisti,expulsum noli reuocare;*ne deterius tibi aliquid cōtingat*. Etenim grauiori supplicio digna esse peccata post baptismum commissa docet Chrysostomus hom. 1. in Acta Apostol. Ii, inquit, qui post baptismum delinquunt, ob id grauiùs puniuntur, quàm catechumeni , &c. Noli igitur iam peccare , peccatum baptismatis hasta tranfixum noli in vitam reuocare.Nam quicumque(ait Nyssenus Gregorius in fine libri de baptismate) quicumque inquam , in Christo baptizati sumus , in mortem ipsius baptizati sumus. Quòd si conformes morti facti sumus,mortuum prorsus deinceps in nobis peccatum est lancea baptismatis;sicut ille scortator à Phinees,Num.25. &c. *Morientes igitur non viuant,* ait Isaias ,*gigantes*, qui te oppressérunt; hoc est,flagitia *non resurgant*.Aduersus hos gigantes fortiter velut athleta in baptismo vnctus pugna. Vnctus es quasi athleta Christi (ait Ambros. lib. 1. de Sacramentis,cap. 2.) quasi luctamen huius sæculi luctaturus ; professus es luctaminis tui certamina. Luctaris in sæculo : sed coronaris à Christo, &

Ioan. 5.

Post baptismum non peccandum.

Chrysost.

Greg. Nyss.

Isaiæ 26.

Ambr.

pro

pro certaminibus ſæculi coronaris, &c.

Baptiſmus renouat animum.

Denique nouum hominem oportet eſſe baptizatum, ab omni mortifera alienum culpa. Nam baptiſmi aqua non immutat quidem, aut renouat nunc figuram corporis, ſed animi immutat ac renouat mores. Noui mores hominis baptizati ac renouati ſunt ſigna. Audi Nyſſenum loco indicato; Nihil quidem ex iis rebus, quæ ſub oculos cadunt, immutatur, corporis item figura integra manet, eiúſque quæ videtur naturæ, figura non mutatur. Sed opus eſt aliqua prorſus euidenti demonſtratione, per quam agnoſcamus hominẽ recens natum, ſignis quibuſdam manifeſtis, nouum à vetere diſcernentes, &c. Hęc autem ſigna, per quæ nouus homo à vetere diſcernitur, noui mores ſunt. Dedit olim arida Aaronis virga viroris ſui ſigna manifeſta flores ac fructum; ſic is quoque, qui ante baptiſmum aridus erat, baptiſmi irrigatus aquis, viriditatis ſuæ ſigna præbet, bonorũ morum flores, ſanctorumque operum fructus, ſine quibus fides arida mortuaque eſt. Huc ſpectat illud Ambroſij lib. 4. de ſacram. c. 1. Virga Aaron antè arida erat, poſtea floruit; & tu aridus eras, & cœpiſti in fonte irriguo reflorescere. Arueras peccatis, ſed fructũ iam afferre cœpiſti, plantatus ſecus decurſus aquarum, &c.

Signa noui hominis, noui mores.

Num. 17.

Ambr.

Ioan. 1.

Dei filius fit homo baptizatus, iuxta illud: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*, &c. Filios autem patrem imitari cõuenit. Deum igitur morũ ſanctitate imitetur. Quod Nyſſenus docet his verbis: Exacte conuenit inſpicere genitoris noſtri proprietates, vt ad ſimilitudinẽ patris noſmet formãtes, legitimi filij fiamus Dei, qui nos ad adoptionẽ, quæ per gratiam contingit, vocauit. Graue enim probrũ eſt, adulterinus, ſpurius, & ſubditicius filius; qui factis ſuis paternam nobilitatem fallat atque ludificetur, &c.

Nyſſen.

Filij Dei qui ſumus patrẽ imitari debemus.

Piſcina altera, pœnitentia.

Itaque toto pectoris conatu poſt baptiſmum fugiendum eſt peccatum. Quia tamen puriſſimis aquis emundatum iterum in criminum ſordes incidere contingit; alteram quoque Dominus parauit piſcinã, cuius aquis ſordes poſt baptiſma contractæ elui poſſint. Ea verò eſt pœnitentiæ ſacramentum; cuius aquas Angelus, id eſt, ſacerdos, mouet. Neque mirum cuiquam videri debet, ſi Chriſti ſacerdotem Angelum appellemus: Angelo enim ſimilem oportet eſſe; carnis expertem, caſtum, innocentem, purum, cæleſtia non terrena ſapientem. D. Ambroſium lege lib. 1. de Sacramentis, cãpite 2. Conſidera, inquit, vbi capias ſacramenta. Si hîc corpus Chriſti, hîc & Angeli conſtituti ſunt. *Vbi corpus, ibi aquilæ*; legiſti in Euangelio. Vbi corpus Chriſti, & ibi aquilæ volare conſueuerunt: vt terrena fugiant, cæleſtia petant. Quare hoc dico? Quia & homines Angeli, quicumque annuntiant Chriſtum, & in Angelorum aſciti videntur locum, &c. Sunt igitur ſacerdotes circum corpus Chriſti volantes aquilæ, ſunt etiam Angeli.

Sacerdotes aquilæ & Angeli.

Matth. 24.

Ambr.

Immo Dij quoque nominari poſſunt, iuxta illud: *Deus ſtetit in ſynagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat.* Appellantur hoc loco iudices Dij. Vnde Theodoretus: Quoniã, inquit, verè iudex eſt Deus, & hominibus iudicandi officium commiſſum eſt, propterea iudices Dij nuncupati ſunt, tanquam in hoc Deum imitantes, &c. Si iudices illi Dij dicuntur, qui de corpore ſententiam ferunt; ſane potiori iure ſacerdotes Dij vocabuntur, qui de animo & peccatis iudicant.

Pſal. 81.

Theodor.

Sacerdotes Dij officij participatione dicuntur.

Mouent hi Angeli ſacramenti piſcinam, cor etiam hominis in piſcinam deſcendentis ad contritionem ac dolorem concitant. Mouent cæleſtes Angeli cælos, ab Oriente in Occidentem; noſtri verò terreſtres, præſtantiores cælos, hoc eſt, ſacramenta cient, & hominum corda, in quibus habitare Deus vult, ab obſcuro peccati Occidente, in fulgentiſſimum gratiæ Orientem ducunt.

Quicumque in piſcinam deſcendebat, ait Euangeliſta, ſanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate. Similem in modum, quicumque in pœnitentiæ ſacramentum corde contrito deſcendit, quocumque affectus animi morbo ille ſit, ſanitatem conſequitur. Deſcendit, inquit, quoniam cum humilitate coniuncta eſt pœnitentia, vt docet D. Chryſoſtomus homil. 9. ad Hebr. Si confeſſus, inquit, fueris peccatum tuum, ſicut oportet confiteri, humiliatur anima. Cõſcientia quippe eam conuertens humilem facit, &c. Et Dauid: *Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* Quod enim contritum eſt, ait Chryſoſtomus, non erigitur, &c.

Chryſoſt.

Pſal. 50.

Neceſſaria quoque eſt ſatisfactio, quam grabati in humeros tranſlatio adumbrat. Vt enim, ait D. Thomas Ioan. 5. grabato peccatum ſignificatur. Quemadmodum in lecto iacet ægrotum corpus in molli aliqua culcitra; ita in peccato iacet animus, in molli aliqua delectatione, quæ peccati veluti culcitra eſt. Tunc autem lectus in humeros tollitur, cùm peccati onus; id eſt, ſatisfactio, humeris imponitur. D. Thom. Tollit homo grabatũ ſuum, quando fert onus pœnitentię ſibi pro peccatis impoſitum, &c. *Pro menſura peccati, erit & plagarum modus*; ſic pro menſura delicti, erit modus ſatisfactionis. Iuxta illud: *Quantùm glorificauit ſe, & in deliciis fuit: tantùm date illi tormentũ & luctum.* Quantùm ſe caro glorificauit, & aduerſus Deum extulit, quãtùm in deliciis peccati fuit; tantùm dato illi cruciat. Grande ſcelus, ait Ambr. in tract. ad virginem lapſam, cap. 8. grandem neceſſariam habet ſatisfactionem, &c.

Satisfactio neceſſaria.

D. Thom.

Deut. 25.

Apoc. 18.

Ambr.

Commendatur autem hoc loco feſtinatio, & diligentia in peccato expiando: Nónne vides in piſcina nullam habitam rationem diuitiarum, vel honorum, vel ſapientiæ; ſed ſolius diligentiæ ac celeritatis? Non dicitur: Qui nobilis, aut qui diues, aut qui ſapiens; ſed, *Qui prior deſcendiſſet in piſcinam ſanus fiebat.* Itaque certatim ægroti ad piſcinam accedebant, quiſque alios omnes celeritate ſuperare nitebatur. Fac tu ſimiliter. Si fortè animi aliquo laboras morbo, nullus te prior ad piſcinam confeſſionis accedat: nullius te diligentia vincat. Audi Eccleſiaſticum: *Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: ſubitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te*, &c. Audi etiam Chryſoſtomum 2. ad Cor. 10. hom. 12. Neſcis, inquit, quid paritura ſit ſuperuentura dies. Periculum & metus eſt in differendo; ſalus verò ſecura, ſi nulla ſit dilatio, &c. Si aurum rapiendum proiiciatur, raptorũ quiſque primus eſſe conatur. Rapiendum nobis regnum cælorum proficitur; iuxta illud: *Et violenti rapiunt illud*; quiſque igitur primus eſſe contendat, vt enim, ait Chryſoſtomus hom. 53. in Ioannem: Raptores præoccupare nituntur: illud ſolùm curant, vt cæteros præcurrant. Bonum eſt rapere, non ea, quæ pereunt, ſed regnum cælorum: quippe quod vim patitur, neq; deſidia acquiri poteſt, ſed cura, & diligentia. hæc ille.

Feſtinatio & diligẽtia in peccato expiando neceſſaria.

Ioan. 5.

Eccli.

Matth. 11.

Chryſoſt.

Chriſti quoque verba audiat ille, qui in hac pœnitentiæ piſcina animi aſſequitur ſanitatem: *Ecce*, inquit, *ſanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Eccleſiaſtici verba conſentiunt: *In duobus contriſtatum eſt cor meum, & in tertio iracundia mihi adueuit. Vir bellator deficiens per inopiam, & vir ſenſatus contemptus, & qui tranſgreditur à iuſtitia ad peccatum. Deus parauit eum ad rhomphæã*, &c. Hoc loco Eccleſiaſticus duo eſſet docet, quæ dolorẽ animo pariunt, videlicet viri bellatoris inopiam, quem par erat rebus vitæ ſuſtẽtandę neceſſariis abũdare. Et viri ſapientis contemptũ, cui magnus debetur honos. Tertiũ

Ioan. 5.

Eccli. 16.

Peccatum non repetendum.

eddit, qui zelum indignationemque concitat. Is vir est in virtute minimè persistens, sed à iustitia, & probitate ad vitia veluti transfuga deficiens. Hunc ait parasse Deum ad rhomphęā, id est, supplicium. Rhomphæa autē, siue gladio, æternum supplicium significari volunt Carthusianus & Iansenius. Idem supplicium hæc etiam verba indicant: *Noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*: hoc est, vt Lyranus interpretatur; Ne pœnam æternam incurras. *Ioan. 5.*

Qui peccare noluerit, hanc æternam pœnam ob oculos sibi statuat; ea territus, eiusque consideratione protectus, flagitia Deo fauente superabit. *Quis mihi hoc tribuat*, ait Iob, *vt in inferno protegas me, & abscondas me*. Videlicet, optabat ex sententia Magni Gregorij, in inferno, hoc est, limbo, vel vt alij volunt, in sepulchro mortuus detegi. At nobis viuentibus quis hoc tribuat, vt in inferno protegamur & abscondamur. Etenim fortissimum propugnaculum, arxque aduersus peccatum munitissima, infernus est, igneis abundās telis. Si nos peccatum oppugnat, in hanc arcem mente & cogitatione confugiamus, sempiternique illius ignis cōsideratione hostem crudelissimum repellamus. Viuentibus infernus propugnaculū, mortuis supplicium est. Ne sit post mortem supplicium, sit ante mortem propugnaculum. Descendamus sæpe in infernum viuentes: ne semel descendamus morientes. *Iob 14.* *Greg. Mag.* *Inferni pro pugnaculū viuentibus, mortuis supplicium.*

Dabo vobis, ait Ioseph, *omnia bona Ægypti, vt comedatis medullam terræ*, &c. Terræ medulla infernus est, in ipsis enim terræ visceribus latet. Si animi ore, hoc est, meditatione comedatur, amarum quidem, sed egregium est aduersus vitia omnia medicamentum. Comedant diuites mundi bona: medulla terræ Ægypti, id est, opibus saginentur. O felicem illum qui dum viuit, hanc terræ, de qua loquimur, medullam animi ore libens ac dulciter comedit: ne postquā è vita discesserit, sempiterna cum amaritudine, inuitus comedat. O felicē, inquam, illum & beatum, qui æternos cruciatus dum viuit meditatur; vt illos fugiat, non pedibus, sed moribus. Corporis pedibus timor addit alas; addit quoque animi moribus. Nam si tanta celeritate, corporis fugimus tormēta, multò velocius animi fugiemus cruciatus, si consideratione pręuideantur. Augustinus epist. 138. Si modò, inquit, tanta cura & labore agitis, ne in aliquos cruciatus transitorios incidatis: quantum vos oportet esse sollicitos, vt sempiternas miserias fugiatis? Et si mors sic timetur, quę finit temporalem laborem, quomodo timenda est, quæ mittit in æternum dolorem? Hæc Augustinus. *Gen. 45.* *Tartarus medulla terræ.* *Aug.*

CAPVT IIII.

Morale.

De paralytico sanato apud piscinam.

Piscina multis circūdata morbis est mundus.

Est etiam piscina alia multis circundata claudis, cæcis, ac paralyticis, in quam descendere omnes cupiunt. At miseri dum descendunt non sanantur, sed suffocantur. Ea verò mundus hic est fluxis honoribus, diuitiis, deliciisque, velut fluxa aqua plenus. Porticus habet piscina, in quibus multitudo languentium iacet, expectantium aquæ motum. Nónne piscinæ, i. mundi veluti porticus sunt litterarū studia, res militaris, mercatura, principum virorum affectatio, & similia, in quibus homines multi, huius instar paralytici, multorum annorum spatio commorantur, vt aliquando tandē in piscinam ingredi possint? Quisque ceteris prior esse nititur, alij alios trudūt, dumque incaute in piscinam descendunt, miserandum in modum se ipsos demergunt ac suffocant. Sic suffocatum cernes Absalonem, Cæsarem, Alexandrum, & mille alios, quos diuitiarum honorúmve cupiditas neci dedit.

Iam verò perpetuo motu piscinæ huius agitatur aqua: nihil in ea est solidum aut stabile, non honores, non opes, non magistratus, non voluptates, non vita ipsa. Lusitani duplicia bona esse dicimus: quædam bona mobilia, alia bona radicis appellamus. In mundo nullum radicis bonum est: omnia sunt mobilia. Vnde rectè Hildebertus Episcopus Cenomanensis apud D. Antoninum 2. p. hist. titulo 16. cap. 9. ait: *Omnia in piscina mūdi mobilia, & instātia, & fluxa. Hildebert.*

Hei mihi nulla fides, nulla est constantia rebus.
Res ipsæ quid sint mobilitate docent.
Cuncta sub ancipiti pendent mortalia casu,
Et spondent propria mobilitate fugam, &c.

Cernimus quotidie moueri sceptra, coronas, tiaras, magistratus, pecunias, agros, & in alios possessores demigrare. Vnde hoc? quoniam mobilia bona sunt, radice carent. Virtus, virtus inquam, bonum est, & maximum, & radicem habēs sempiternam. Sempiterna namque gratia est, sempiterna caritas; iuxta illud Pauli: *Caritas numquam excidit.* *1. Cor. 13.*

Sed quisnam aquam mouet? Deus, mundi Dominus, vitæ necisque arbiter. Ille regna, honores, opésque mouet ac transfert. Vnde illud: *Ipse mutat tempora & ætates: transfert regna atque constituit.* Et illud ad Nabuchodonosorem Imperatorem: *Cum bestiis feriisque erit habitatio tua, & fœnum vt bos comedes, & rore cæli infunderis, septem quoque tempora mutabuntur super te, donec scias, quòd dominetur excelsus super regnum hominum, & cuicumque voluerit det illud*, &c. Admirabiliter mouit Deus aquam tunc temporis, cùm superbum regem regno expulit, & postquam graui supplicio affecit, imperio restituit iam agnoscentem Deum esse, qui hanc mouet piscinam. *Dan. 2.* *Deus piscinæ, i. mundi aquam mouet.* *Dan. 4.*

Mouet etiam piscinam Dei iussu mors. Illa sceptra, coronas, tiaras, honoréque, huc atque illuc transfert. Necessarius autem est motus hic: quoniam caduca bona modica sunt, omnibus satis esse non possunt. Iuxta illud: *Pallium breue est, vtrumque operire non potest.* Genes. *Non poterat eos*, id est, Abraham & Lot, *capere terra, vt habitarent simul*, &c. Sic se res habet, non potest omnes homines capere terra, vt habitent in ea, simul necesse est piscinam à morte moueri, moríque quosdam, vt locum dent aliis. Quemadmodum fluuij perpetuo motu fluunt: priorésque aquæ in mare illabentes, locum præbent sequentibus; ita homines continuò quodam fluxu abeunt; præcurrentes verò morte ablati, locum dant iis, qui sequuntur. Vt in natura, generatio vnius est corruptio alterius, sic in mundo cùm vnus moritur, tunc alius ex illius bonis veluti generatur. Nō possunt haustra omnia in orbe antliæ, aquis plena persistere; dum implentur quædam, alia exinaniuntur; eumdem in modum, non possunt homines in orbe terræ, omnes caducis bonis abundare: vt impleantur nascentes, necesse est exinaniri morientes. *Mors piscinā mouet.* *Isai. 28.* *Multi bona nō sunt omnibus satis.* *Gen. 13.*

Denique his caducis bonis inhiant homines, sed qualesnam? Audi Euangelistam: *In iis*, inquit, *porticibus iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum expectantium aquæ motum*, &c. Cæci sunt, qui mundi bona ardenter concupiscunt: siquidem quàm illa fluxa sint, quàm mobilia, minimè cernunt. Quid sunt humanæ res? rogat Chrysost. hom. 9. ad Hebr. Respondet; Cinis & pulvis, tamquam puluis ante faciem venti; fumus & vmbra, & folium, quod circūfertur; & flos, & somniū, & fabula, ventus & aer mollis temerè diffluēs, penna non consistens, fluentum prætercurrens, & quæ sunt quàm hæc magis nihili, &c. Qui huius- *Ioan. 5.* *Cæci sunt qui mundi non vident vanitatē.* *Claudi & aridi qui*

modi

modi res ſitiunt nónne cæci ſunt? Claudi præterea ſunt mundi amatores; quoniam in via præceptorum Dei claudicant, rectiſque animi pedibus minimè incedunt. Aridi ſunt, deuotionis, amoriſque diuini carentes ſucco. Hi aquæ expectant motum. Illi verò, qui vident: qui rectè incedunt: qui amoris diuini ſucco abundant; non piſcinæ huius terreſtres, ſed cæleſtes ſuſpirant latices.

Nilus fluuius celeberrimus, cælum eſt Ægypti. Quemadmodum enim cæli aqua reliquas regiones, ita Nili aqua Ægyptum irrigat. Itaque quod reliquis regionibus eſt cælũ; id Ægypto eſt Nilus, vt Philo in libro de profugis dixit: Quod, inquit, cælum præſtat aliis regionibus, hoc Nilus Ægypto, Nam illud ſupernè terram compluit; hic infernè pluens arua irrigat, &c. Aliarum regionum incolæ cælum intuentur, quoniam è cælo pluuiam præſtolantur; Ægyptij non cælũ, ſed Nilum aſpiciunt, ab eo enim pluuiam exſpectant. Quamobrem meritò Seneca lib. 4. natur. queſt. In Ægypto, ait, nemo aratorum aſpicit cælum, &c. Similis eſt mundi piſcina Nilo; inferne pluit, inferne homines irrigat. In Ægypto (ait Seneca) nemo aratorum aſpicit cælum; in mundo nemo aratorum mundi, aſpicit res cæleſtes. Non cæli, ſed terræ pluuiam ſitiunt, non cæleſtia, ſed terreſtria ambiunt, non æternas opes, ſed momento temporis euaneſcentes, cæci, claudi, aridique in porticibus expectant. Incolarum Ægypti, id eſt, mundi, cælum Nilus eſt, mundus eſt. Incolarum verò terræ promiſſionis cælum, cæleſtis patria eſt, Deus ipſe. Ab eo pluuiam illam exſpectant, de qua legitur: *Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ*, &c. Moſes: *Terra*, ait, *ad quam ingrederis poſſidendam, non eſt ſicut terra Ægypti, vbi iacto ſemine, hortorum in morem aquæ ducuntur irriguæ. Sed montuoſa eſt, & campeſtris, de cælo exſpectans pluuias*, &c. Scilicet, de cælo expectat puriſſimas ſaluberrimáſque pluuias, terra promiſſionis eiuſque incolę; non verò ex terrenis fluuiis aut piſcinis.

Philo. • *Piſcina mũdi Nilo ſimilis.*

Nilus cælũ Ægypti. *Senec.*

Pſal. 67. *Deut. 11.*

Eſt mundus piſcina quædam magna; cuiuſque verò hominis domus piſcina eſt parua. Hanc Angelus mouet; cùm Angelicis præditus moribus homo domum, opéſque ſuas Angelicè gubernat. Circum hanc piſcinam pauperes iacẽt, eiuſque aquis, id eſt, diuitiis, ab Angelo, id eſt, probo viro motis, ſanantur. Circa piſcinam Iob claudi & cæci iacebant, & in ea ſanabantur. Vnde illud: *Oculus fui cæco, & pes claudo.* Ecce Iob oculos præbebat cæcis, & pedes claudis. Erat enim illis oculorum & pedum inſtar. Addit: *Pater eram pauperum.* Item: *Si negaui, quod volebant pauperibus, & oculos viduæ expectare feci, ſi comedi buccellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex ea*, &c. At verò ſi piſcina à viro improbo mouetur, cingit illam languentium multitudo, cæcorum, claudorum, aridorum, hoc eſt, multitudo hominum impiorum, qui animo ægroti ſunt, cæci, claudi, aridique.

Domus angelicè gubernanda.

Iob 29.

Iob 13.

Præterea D. Auguſtinus Ioan. 5. piſcinam typum fuiſſe cenſet populi Iudaici; Aquarum verò nomine populos adumbrari indicat, ex illis verbis: *Aquæ multæ populi multi ſunt.* Eſt autem populus, vt aqua mobilis, fluctuans atque inconſtans, & inſtar fluminis in mortem fluit. Habuit piſcina hæc, id eſt, populus Iudæorum quinque porticus, id eſt, quinque Moſis libros, vt Auguſtinus interpretatur. Aqua, inquit, illa, id eſt, populus ille, quinque libris Moſis tamquam quinque porticibus, claudebatur, &c. In iis porticibus, hoc eſt, Moſis libris, iacebat multitudo magna languentium Iudæorum, quibus lex vi ſua ſanitatem præſtare non poterat. Deſcendit in aquam, id eſt, populum Iudæorum, magni conſilij Angelus, id eſt, Verbum diuinum in carne latens. Turbata eſt aqua; turbatus eſt populus Iudæorum; in mortem Chriſti conſpirauit, vitæque fontem in crucem egit. Deſcendere ergo, ait Auguſtinus, in aquam turbatam, eſt humiliter credere in Domini paſſionem. Et Beda: Motus, inquit, aquæ inſinuat paſſionem Domini, quæ mota turbataque Iudæorum gente, facta eſt, &c. Quod autem ſanabatur vnus, ex ſententia Auguſtini, vnitatem ſignificat.

Piſcina typus Iudaici populi. *Aug.* *Apoc. 17.*

Ad hæc; Euangelium hoc de paralytico apud piſcinam ſanato tria nobis proponit, quæ ad ſanitatem animi comparandam neceſſaria ſunt. Neceſſaria eſt voluntas; ideoque Dominus ægrum interrogat: *Vis ſanus fieri?* Medicus, qui ſanitatem corpori vult afferre, non ſolet ſic ægrotum interrogare, quoniam nullus eſt ægrotus, qui corporis ſanitatem non cupiat vehementer. At verò medico illi, qui amiſſam incolumitatem animo vult reſtituere, interrogatio hæc maxime congruit: *Viſne homo ſanus fieri?* Initium namque ſalutis à Deo; ſed vt ſalus comparetur, oportet cooperari voluntatem. Multi animo ægroti, qui tamen ſani eſſe nolunt, & quia nolunt ſanitatem, non aſſequuntur.

Auguſt. *Beda.*

Ioan. 5. *Voluntas neceſſaria ad conſequendam ſanitatẽ animi.*

Quæres forſitan, quæ cauſa ſit, cur corporis ęgritudine affecti ſanitatem vehementer exoptent, qui autem animi morbis grauiſſimis laborant, ſanitatem non curent? Reſpondeo illos animi ſanitatem non curare, quia ſpiritualium morborum non agnoſcunt grauitatem ac perniciem. Audi M. Tullium initio lib. 3. Tuſculan. quæſt. Quidnam eſſe, Brute, cauſæ putem, cur cùm conſtemus animo & corpore, corporis curandi, tuendique cauſa quæſita ſit ars, eiúſque vtilitas Deorum inuentioni conſecrata; animi autem medicina, nec tam deſiderata ſit, antequam inuenta, nec tam culta, poſtquam cognita eſt, nec tam multis grata & probata, pluribus etiam ſuſpecta & inuiſa? An quod corporis grauitatem, & dolorem animo iudicamus, animi morbum corpore non ſentimus? Ita fit, vt animus de ſe ipſe tum iudicet, cùm id ipſum, quo iudicat, ægrotat, &c. Audi præterea Traiani Imperatoris præceptorem Plutarchum in libello, cui titulus eſt; Vtrum grauiores ſint animi morbi, quàm corporis? Animi, inquit, mala pleroſque ita fallunt, vt non habeantur pro malis. Nimirum ob id ipſum periculoſiora ſunt, quod ſui ſenſum adimunt ęgrotanti. Siquidem corporis morbos ratio ſana percipit; at animi morbos ipſa ſimul ægrotans non poteſt iudicare, è quibus laborat. Propterea quòd ægrotet ea pars, cuius erat iudicare. Sanitatis initium eſt, ſi, qui laborat, ſentiat ſibi opus eſſe remedio. Qui non videt quibus eget, propterea quòd non credat ſe ægrotum: etiam ſi præſto ſit, qui medeatur, tamẽ non admittit curationem. Medici volunt quidem, vt ne ægrotet homo; ſi verò ægrotet, vt ne ignoret, quod ægrotat. Hæc ille. Si animo ægroti grauiſſimè ſe ægrotare intelligerent, ſi morborum dolorem, ac cruciatum perciperent, haud dubiè ſanari cuperent. Verum non dolorem, immo ex morbis percipiunt delectationẽ, ideoque de curatione non curant. Hinc illud, egregiè ab altero alterius Imperatoris, videlicet Neronis, præceptore Seneca dictum epiſtola 98. Quod pleroſque inemendabiles facit; omnium aliarum artium peccata artificibus pudori ſunt, offenduntque deerrantem; Vitæ peccata delectant, &c.

Cicero.

Plutar. *Non animaduertunt homines animi morborũ grauitatem & periculum.*

Seneca.

Itaque, qui peccatorũ perniciem non ſentiunt, fieri ſani nolunt. At verò, vt ſanus quis fiat, neceſſe eſt, vt ſanus fieri velit, ideóque rogatur æger: *Vis ſanus fieri?* Medicus cùm ægrotum inuiſit, primò brachium poſtulat, arteriæque pulſum tentat. Sic inuiſens ægrotum triginta & octo annorum Dominus,

Ioan. 5.

Duo voluntatis motus.

minus, primò pulsum tentauit, inquiens: *Vis sanus fieri?* Etenim velut pulsus animæ voluntas est, duplici prædita motu; *Volo* & *Nolo*: Tunc bene se habet pulsus, cùm prior ille motus scilicet, *Volo*, in Deum fertur & virtutem. hunc in modum; Volo Deum, volo castitatem, volo pœnitentiam, volo humilitatem. Posterior verò, id est, *Nolo*, in peccatum tendit hoc pacto: Nolo peccare, flagitium omne detestor, omne scelus execror.

Ioan. 5.

Vtrumque motum Euangelium continet. *Vis sanus fieri?* rogat Dominus. Ecce priorem motum pulsus, id est, *Volo*, in sanitatem animi tendentem. Rursus: *Iam*, inquit, *noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Ecce posteriorem motum, id est, *Nolo*, peccatum execrantem. Vtrumque motum oportet ex

Augusti.

magna voluntate proficiscí. Vnde Augustinus sermone 15. de verbis Apostoli: Sine voluntate tua, inquit, non erit in te iustitia Dei. Item: Fecit te nescientem, iustificat volentem, &c. Nostram ad

Deus fecit nos vt nescientes, iustificat volentes.

creationem voluntatem non postulauit Deus; nescientes ignoranteſque ex nihilo condidit. Ad iustificationem autem, hoc est, ad sanitatem animi præstandam voluntatem, & quidem magnã ac stabilem requirit. Duces cùm delectum habent militum, illorum ætatem, corpora, brachia, pectora, robur, viresque considerant. Dominus verò non corporum curat robur, sed animi flagitat voluntatem.

Cyril.

D. Cyrillus Ierosolymitanus catechesi 1. Quemadmodum, ait, qui milites sunt conscripturi, & ætatem, & corpora diligenter excutiunt: sic Dominus delectum faciens animarum, voluntatem illarum scrutatur. Etsi quam deprehenderit hypocrisim, reiicit hominem, &c. Antiquum dictum est, magis esse timendum ceruorum exercitum duce leone: quàm leonum, duce ceruo. Sensuum animique affectuum dux, volũtas est. Si leonis illa instar sit fortis atque generosa; formidabilis erit exercitus hosti tartareo. Quòd si instar ceruæ fuerit imbellis ac meticulosa, facile superabitur. Itaque voluntatem Deus ab homine flagitat.

Illam verò suis auxiliis prior excitat, & vt velit, suauiter ducit. Quod hæc indicat interrogatio, &

Ioan. 5. Vocat, & excitat voluntatem Deus.

veluti excitatio ægroti ad sanitatem; *Vis sanus fieri?* Indicat quoque ille aspectus: *Hunc*, inquit Euangelista, *cùm vidisset Iesus iacentem.* Iesus hominem in flagitio iacentem prior misericordia plenis oculis

Gratia præcessit meritũ, nõ gratia ex merito.

aspicit, quia Iesus est, id est, Saluator. Ille præueniet ac pręcurrit, absque meritis hominis improbi præcedentibus. Gratia præcessit meritum tuum (ait Augustinus sermone indicato) Non gratia ex merito, sed meritum ex gratia. Nam si gratiam ex merito emisti, non gratis accepisti, &c. Eodem loco illud:

Psal. 55.

Pro nihilo saluos facies illos; in hunc sensum interpretatur: Pro nullis pręcedentibus meritis, primam gratiam improbis donabis. Nihil, inquit Aug. in eis inuenies, vnde salues; & multum inuenies, vnde damnes. Et tamẽ saluas; gratis das, gratis saluas, &c.

Necessaria celeritas ad pœnitentiã.

Ad sanitatem animi comparandam necessaria præterea est, in piscinam pœnitentiæ celeritas illa;

Ioan. 5.

quæ in iis cernitur, qui in piscinam Ierosolymitanam descendebant. *Qui prior descendisset, sanus fiebat*, ait Euangelista, *à quacumque detinebatur infirmitate.* Ad sanitatem quis non festinet? quis non currat? quis non volet? Vbi primum quispiam in morbum corporis incidit, protinus medicum accersit; non perendinat, nõ procrastinat. In morbis animi multò, quàm corporis grauioribus, idem cur non fiet? Honoribus, diuitiis, caducisque bonis, ceteris præuolare nitimur; virtute, quæ has perituras res infinito post se relinquit interuallo, cur præcurrere

Desidia ad cõuersionẽ.

non conamur? Heu, vt miser hic paralyticus, per multos dies, ne per multos dicam annos, in lecto peccati desidia quadam miseranda, nonnulli iacẽt; iuxta illud: *Sicut ostium vertitur in cardine suo; ita piger in lecto suo*, &c. *Prou. 26.* Vis videre pigrum in lecto sese huc illuc vertentem? Audi Augustl. lib. 8. confess. cap. 5. *Augusti.* Cogitationes, inquit, quibus meditabar in te, similes erant conatibus expergiscí volentium, qui tamen superati soporis altitudine remergũtur. Non erat, quod tibi responderem dicenti: *Surge qui dormis*; nisi verba somnolenta, *modo, ecce modo, sine paululum.* Sed, *modo & modo*, non habebat modum; & *sine paululum* ibat in longum. Hæc ille. At surrexit tandem è lecto, neque postea ad illum reuersus est.

Desidiæ nostræ causam reddit triginta & octo annorum paralyticus: *Hominem*, inquit, *non habeo*, hoc *Ioan. 5.* est, non festino, non propero, non descendo ceteris omnibus prior in piscinam, quia hominẽ non habeo, id est, humanam rationem, vt Theoph. expo- *Theoph.* nit: Nos, inquit, non habemus hominem, id est, humanam rationem, vt portet nos in piscinam lacrymarum, vtpote comparati cum iumẽtis, &c. Effrenatas sequimur appetitionem, rationes fide Christi illustratam non consulimus; ideoque flagitiis infigimur, & ad sanitatem mentis non properamus.

Nos ipsi nos deserimus. Alioqui dicere nemo *Hominẽ nõ habemus, quia nos ipsos deserimus.* potest; *hominem non habeo*. Siquidem & hominem, & homines multos habemus, concionatores, confessarios, Episcopos, sacerdotes, rerumque spiritalium magistros, qui tum verbo, tum scripto, quid ad animi salutem consequẽdam agendum sit, docent. At homo hominem non habet; quia seipsum videtur amisisse; & in brutũ animal degenerasse; iuxta illud Philonis in libro de Abraham, pag. 307. Nemo *Homines degenerant in belluas. Augusti.* iniustus est homo: sed bellua potiùs humana forma prædita, &c. Et illud D. Augustini tractatu 15. in Ioannem: Animam habere, & intellectum non habere, id est, non adhibere, nec secundùm eum viuere; bestialis est vita, &c. Paralyticus hic, quia hominem non habuit, lõgissimo triginta octo annorum morbo laborauit. Sic ij qui hominem, id est, humanum intellectum fide illustratum, & æternas res speculantem, non habent, nec secundum eum viuunt, longissimis animi ægritudinibus iactantur. Si autem aliquando per pœnitentiã conualescunt; mox in pristinum morbum relabuntur. At verò relapsis grauiorem imminere cruciatum illa verba indicant: *Noli peccare, ne tibi deterius aliquid contin-* *Ioan. 5.* *gat*; vt suprà dictum est.

Non habuit homo hic hominem, à quo in piscinam duceretur; sed Deum habuit, & hominem *Hominem habemus Deum.* Christum, à quo sanaretur. Sic ægrum humanum genus hominem non habebat, à quo incolumitatem posset consequi. Nec enim poterat homo aliquis, qui solummodo homo esset, hominibus afferre sanitatem. Necessarius erat homo, qui simul esset Deus. Venit igitur homo Deus, & sanitatem consecutum est hominum genus. D. Augustinus *Augusti.* tract. 17. in Ioannem: Verè, inquit, necessarius erat homo ad salutẽ, sed homo ille, qui & Deus est, &c. Nemo ergo dicere iam potest: *hominem non habeo*; siquidem hominem habet Deum, à quo, si velit illius præstare mandata, sanitatem consequetur.

Post sanitatem adeptam necessarium est vitæ *Exemplum hominis pœnitentiam agentis est necessariũ.* exemplum; ita vt sanum te esse, cunctis palàm fiat, non ægrotum. Id quod lecti asportatio adumbrat. *Tolle* (ait Dominus) *grabatum tuum, & ambula.* Quorsum? Numirum, vt ostenderet perfectam sanitatem adeptumque robur. Tu quoque si sanus es, sanitatem præ te ferto: tolle lectum, id est mãdatorum Christi iugum. Iugum quidem est, sed lectus etiã est. Iugũ est, quia cohibet, & onerat; sed lectus etiam. Lectus quietis locus est; de iugo suo ait Chri- *Matth. 11.* stus. *Tollite iugum meũ super vos, & discite à me, quia mitis* *Iugũ Christum, sti lectus.*

ſum, & humilis corde: & inuenietis requiē animabus veſtris. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Qui Chriſti iugum tollit, lectum tollit, in quo tùm in vita, tum in morte, iucundè conquieſcat. Is enim trāquillè moritur, qui in hoc lecto moritur. *Pſal. 40.* *Vniuerſum ſtratum eius* (ait vates) *verſaſti in infirmitate eius*: hoc eſt, lectum ægroti vertiſti, & molles effeciſti culcitras; vt mollius cubaret & quietè dormiret. Id in iugo ſuo præſtat Dominus; verſat hunc lectum, mollem efficit ac ſuauem, vt & vita, & mors ſuauis ſit. Adde Deum, cùm nobis animi ſanitatem donat, onerare ſanos. Graue enim onus eſt, tāti ponderis beneficium, quòd tum gratiarum, tùm bonorum operum actione perpetua eſt perſoluendum. *Bernar.* Hinc illud Diui Bernardi in Pſalm. 90. Serm. 15. Onerat nos Deus, cùm exonerat; onerat beneficio, cùm exonerat peccato, &c.

Ioan. 5. Pſal. 83. Ideo ſanitate donamur vt ambulemus. Ait Dominus: *Tolle grabatum, & ambula*, ſcilicet in cælum, iuxta illud, *Ibunt de virtute in virtutem*, id eſt, de fortitudine in fortitudinem; fient in dies gratia ſpirituſque ſancti donis robuſtiores. *Et videbitur Deus Deorum in Sion*, id eſt, in cælo. Ideò nobis ſanitatem confert Dominus, vt ambulemus. Quod docet *Auguſt.* Auguſtinus epiſtola 105. Sicut, inquit, à vulnere claudicans ideò curatur, vt ſanato malo præterito futurus dirigatur ingreſſus; ſic mala noſtra non ad hoc ſolùm ſupernus medicus ſanat, vt illa iam non ſint, ſed vt de cætero rectè ambulare poſſimus, &c. Lege librum 6. contra Iulianum, cap. 11.

Impedimēta ſanato occurrunt. Ioan. 5. Si lectum, id eſt, onus Dei humeris imponas, protinus impedimenta occurrent: non deerunt, qui vt deponas ſuadeāt. *Non licet tibi tollere grabatum*, aiebant Iudæi paralytico, iam ſalutem conſecuto.

A Tibi ſimile quid occurret. At quantumcumque canes oblatrent: caue ne iugum abijcias. Qui enim te ſanum fecit, ille dixit, *Tollite iugum meum ſuper vos.* *Matth. 11.* Deus dixit: dicenti obtemperandum eſt Deo, iuxta illud adoleſcentis ſtrenuiſſimi, *Non obedio præcepto Regis, ſed præcepto legis*, &c. & illud magni Petri, & Ioannis, *Si iuſtum eſt in conſpectu Dei, vos magis audire, quàm Deum, iudicate, &c.* *2. Mach. 7. Act. 4.*

Denique in templo inuenit Chriſtus paralyticum; in templo illum monuit, ne in peccatum relaberetur, in tēplo ab eo eſt cognitus. Vt enim ait B Euangeliſta: *Neſciebat quis eſſet. Ieſus enim declinauit à turba conſtituta in loco*, &c. Declina tu quoque à turba, templum pete, ibi te monebit, & mouebit Dominus, ibi à te cognoſcetur. Vnde Beda, Ioannis 5. *Ioan. 5.* *Fugiendo turbā.* Quod is, ait, id eſt paralyticus, non in turba, ſed in templo Chriſtum cognoſcit, myſticè nos inſtituit, vt, ſi verè conditoris noſtri gratiam cognoſcere, ſi eius amore confirmari, ſi ad eius viſionem peruenire deſideramus: fugiamus turbam ſollicite, non ſolùm turbantium nos cogitationum, affectuúmque prauorum, verùm etiam hominum nequam. C Confugiamus ſeduli ad domum orationis, &c. Et Auguſtinus tract. 17. Difficile (inquit) eſt in turba *Auguſt.* videre Chriſtum. Solitudo quædam neceſſaria eſt mentinoſtræ. Quadam ſolitudine intentionis videtur Deus. Turba ſtrepitū habet, viſio iſta ſecretum deſiderat, &c. *Cùm minaſſet Moyſes gregem ad interiora deſerti: apparuit ei Dominus*, &c. Eundem in modum, ſi ad interiora deſerti ſpiritalis, cogitationum & affectuum gregem impellamus, Chriſtus nobis apparebit. *Exodi 2.*

CAPVT V.

De dictis Chriſti poſt ſanatum ægrum apud piſcinam.

IOAN. CAP. V.

PRopterea perſequebantur Iudæi Ieſum, quia hæc faciebat in ſabbato. Ieſus autem reſpondit eis: Pater meus vſque modò operatur, & ego operor. Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere, quia non ſolùm ſoluebat ſabbatum, ſed & Patrem ſuum dicebat Deum; æqualem ſe faciens Deo. Reſpondit itaque Ieſus, & dixit eis: Amen Amen dico vobis, non poteſt Filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem. Quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit. Pater enim diligit Filium, & omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit, & maiora his demonſtrat ei opera, vt vos miremini. Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat, ſic & Filius, quos vult viuificat. Neque enim Pater iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui miſit illum. Amen Amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, ſed tranſit à morte in vitam. Amen Amen dico vobis, quia venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint, viuent. Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo; & poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis eſt. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filij Dei. Et procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt in reſurrectionem iudicij. Non poſſum ego à meipſo facere quidquam, ſicut audio, iudico, & iudicium meum iuſtum eſt, quia non quæro voluntatem meam, ſed vo-

luntatem eius qui misit me. Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum. Alius est, qui testimonium perhibet de me, & scio quia verum est testimonium, quod perhibet de me. Vos misistis ad Ioannem, & testimonium perhibuit veritati. Ego autem non ab homine testimonium accipio; sed hæc dico, vt vos salui sitis. Ille erat lucerna, ardens & lucens. Vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius. Ego autem habeo testimonium maius Ioanne. Opera enim, quæ dedit mihi Pater vt perficiam ea: ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me: & qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me. Neque vocem eius vmquam audistis, neque speciem eius vidistis, & verbum eius non habetis in vobis manens. Quia quem misit ille, huic vos non creditis. Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me. Et non vultis venire ad me, vt vitam habeatis. Claritatem ab hominibus non accipio, sed cognoui vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis. Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me; si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est, non quæritis? Nolite putare, quia ego accusaturus sim vos apud Patrem. Est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi. De me enim ille scripsit. Si autem illius litteris non creditis: quomodo verbis meis creditis.

Ioan. 5. *Ibid.*

PATER *meus vsque modo operatur, & ego operor.* In sabbato sanitatem contulit Christus paralytico apud piscinam iacenti. *Propterea ergo*, ait Euangelista, *persequebantur illum Iudæi, quia hæc in sabbato faciebat*: cùm tamen miraculosis operibus nullo modo sabbatum violaretur. Probat autem Dominus licere sibi sabbato operari, ratione sumpta à diuinitate, quoniam Deus est. Quasi dicat: Deo licet sabbato operari: Ego Deus sum: ergo mihi operari licet. *Pater*, inquit, *meus ab orbe condito, vsque ad hoc tẽpus operatur*, etiam sabbato: *Et ego*, hoc est, etiam ego *operor*, quia illius Filius sum, potestatis ac naturæ eiusdẽ. D. Cyrillus lib. 2. in Ioan. c. 133. hæc verba sabbati die à Christo dicta putat, hoc sensu: *Pater meus vsque modo*, id est, vsque ad hunc diẽ sabbati, & in hoc die sabbati *operatur, & ego* cum illo *operor*, simul vsque modò, vsque ad hanc diem sabbati, & in hac die sabbati. Hæc verba, ait Cyrillus, Christus die sabbati locutus est; hoc enim, cùm dicat, *vsque modò*, intelligere debemus. Nam aliter, nulla vis huius orationis est, &c. Vnde inferes Christum reperisse paralyticum in templo die sabbati, & hæc verba protulisse, quę hoc capite Ioannes descripsit. Hoc certum non est. Potuit enim alia die & paralyticum reperire, & hæc verba dicere. Sensus enim est. Pater meus vsque ad hanc diem, id est, semper, etiam die sabbati operatur, & ego operor simul cum illo semper, die etiam sabbati.

Cyril. Christus semper operatus est.

Obserua Patrem ab orbe condito semper operari, quoniam res creatas conseruat, gubernat, cum illis ad agẽdum concurrit, animásque singulis diebus multas procreat. Filius quoque & Spiritus sanctus, simul cum Patre operãtur. Omnia enim opera ad extra, vt Theologi loquuntur, tres personæ efficiunt; quoniam Trinitatis sacrosanctę opera inseparabilia sunt, vt docet Augustinus epistola 99. ad Euodium: Quid, inquit, facit Filius sine Spiritu sancto, vel sine Patre, cùm inseparabilia sint omnia opera Trinitatis? &c. Et lib. 1. de Trinitate, cap. 4. Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, sicut inseparabiles sunt, ita inseparabiliter operantur, &c. Item tract. 20. in Ioan. Catholica fides hoc habet, firmata Spiritu Dei in sanctis eius, contra omnem hæreticam prauitatem: quia Patris & Filij opera inseparabilia sunt, &c.

Omnia opera S. Trinitatis sunt indiuisa ad extra. Augustin.

Oppones illud: *Requieuit Deus die septima ab vniuerso opere, quod patrarat.* Deus, inquies, requieuit ab opere vniuerso; ergo nullum iam supereſt opus, quod agat. Respondetur, Deum die septima, id est, sabbato, quieuisse ab vniuerso illo opere, quod patrarat; id est, ab vniuerso opere creationis cessasse. At verò à conseruatione mundi ac gubernatione non cessauit. Si enim cesset, in nihilum totus abibit orbis. Artifices opera sua, statuas, picturas, scripta, ædificia, è manibus possunt dimittere. Neque enim ab illorum operatione perpetuo pendent. Hæc verò mundi machina, si è manibus Dei dimittatur, protinus euanescet. Quippe quæ etiam dum existit, è manibus conditoris suspensa est. Vnde D. Damascenus libro 1. de fide orthod. cap. 18. Ab eo, inquit, qui summè est, ea quæ sunt pendent. Nec esse aliquid potest, quod non in Deo esse habeat, &c. Quemadmodum pisces in mari generantur: & à mari conseruantur, extra mare autem moriuntur: sic homines, exteræque res omnes à Deo procreantur, & à Deo omnium bonorum fonte, ne pereant, continentur. Vnde illud Pauli: *In ipso viuimus, mouemur, & sumus*: scilicet, veluti pisces in latissimo pelago. Deus (ait Damascenus loco citato) omnibus rebus velut immixtus est, vt naturam continens atque conseruans, &c. Et diuus Chrysostomus in oratione de prouidentia, tom. 5. Si nauigium, ait, non subsistit, nisi habeat rectorem, sed facilè submergitur: quomodo mundus constitisset tamdiu, si nemo eum gubernaret? Denique D. Augustinus libro 4. de Genesi ad litteram, capite 12. ita scribit: Sic accipimus Deum requieuisse ab omnibus operibus suis, quæ fecit: vt iam nouam naturam vlterius nullam conderet: non vtique, vt quod condiderat continere & gubernare cessaret. Vnde & illud est verum: *Quod in septimo die requieuit*: & illud Ioannis 5. *Quod vsque modo operatur*, &c.

Gen. 1. Deus non cessauit in sabbato ab operibus suis.

Creaturæ omnes ex Dei conseruatione pendent.

Damasc.

Act. 17. Deus rebus omnibus immixtus est.

Chrysost.

August.

Gen. 1. Ioan. 5.

At dicet aliquis: Deus nouas animas quotidie creat: ergo nouas naturas condit. Non ergo

recte

rectè asserit Augustinus Deum nullam nouam naturam iam condere. Respondet D. Thomas prima parte quæst. 73. art. 1. ad 3. Dicendum, inquit, quòd nihil postmodum à Deo factum est totaliter nouum; quin aliqualiter in operibus sex dierum præcesserit. Quædam præcesserunt materialiter, sicut quòd Deus ex costa Adæ formauit mulierem; quædam non solùm materialiter, sed etiam causaliter, sicut indiuidua, quæ nunc generantur, præcesserunt in primis indiuiduis suarum specierum. Species etiam nouæ, si quæ apparent, præextiterunt in quibusdam actiuis virtutibus. Quædam verò præcesserunt secundum similitudinem sicut animæ, quæ nunc creantur, &c. Sed rursus Diuum Augustinum audiamus eodem loco: Potest, inquit, intelligi Deum requieuisse à condendis generibus creaturæ: quia vltra iam non condidit aliqua genera noua. Deinceps autem vsque nunc, & vltrà operatur eorundem generum administrationem, quæ tunc instituta sunt. Non vt ipso saltem die septimo, potentia eius ab omnium rerum gubernatione cessaret. Alioqui continuò dilaberentur. Creatoris enim potentia, atque omnipotentis, & omnitenentis virtus, causa subsistendi est creaturæ. Quæ virtus ab eis, quæ creata sunt regendis, si aliquando cessaret, simul & illorum cessaret species, omnisq; natura concideret. Neque enim sicut structuram ædium cùm fabricauerit quis, abscedit: atque illo abscedente, atque cessante stat opus eius: ita mundus, vel ictu oculi stare poterit, si ei Deus regimen sui subtraxerit. Proinde quod Dominus ait: *Pater meus vsque modo operatur*: continuationem quandam operis eius, qua vniuersam creaturam continet, atque administrat, ostendit. Hæc Augustinus. Item D. Chrysostomus homil. 10. in Genes. Cùm Scriptura dicit, quòd Deus requieuit ab operibus suis: docet nos quòd à formando, & ex nihilo res, vt essent, producendo, requieuit. Christus autem dicens: *Pater meus vsque modo operatur: & ego operor*: continentem suam prouidentiam nobis declarat: & operationem vocat conseruationem factorum, quibus largitur, vt permaneant, dum totum gubernat mundum.

D. Thom. An Deus aliquas nouas naturas nunc creet.

Augustin.

Res omnes ex Dei conseruatione pendent.

Ioan. 5.

Chrysost.

Ioan. 5.

Ibid. PROPTEREA *ergo magis quærebant eum Iudæi interficere.* Ex verbis expositis collegerũt Iudæi, Christum æqualem se Deo facere: siquidem Patrem suum dicebat Deum. Græcè legitur Patrem ἴδιον, id est patrem proprium sibi, dicebat Deum, non eo modo, quo Iudæorum Pater erat. Et parem se illi faciebat in operando etiam in sabbato: *Propterea ergo* (ait Ioannes) *quærebant eum Iudæi interficere, quia non solùm soluebat sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum æqualem se faciens Deo.* Hæc verba (ait Chrysostomus) *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor*: sunt æqualem se patri facientis. Nulla enim in iis verbis differentia est. Non dixit: Pater operatur, & ego subministro; sed idem verbum: *Operor*, &c. D. Hilarius de Trinitate lib. 7. æqualem se Deo ostendisse Christum ait, quia Patrem, suum Deum appellauit. Aduersus, inquit, eam inuidiam, qua se per paternum nomen, Deo exæquasset, hæc subdidit: *Non potest Filius à se facere quidquã, nisi quod viderit Patrem facientem*, &c. Similiter D. Ambrosius lib. 2. de fide cap. 4. Filium, inquit, non esse eò minorem, quia Filius est, Euangelista testatur: & æqualẽ esse quia Filius est, ipse significat dicens: *Propterea enim volebant eum occidere Iudæi, quia non solùm soluebat sabbatum: sed & Patrem proprium dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Non Iudæi hoc dicunt: sed Euangelista testatur, quòd æqualem se faciebat Deo, proprium se Dei Filium dicens. Euangelista ex propria persona dicit: *Propterea volebant eum Iudæi occidere.* Et interpretatus

Christus faciebat se Patri æqualem. Ioan. 5.

Chrysost.

Hilar.

Ioan. 5.

Ambr.

Ioan. 5.

Deo æqualẽ se dicebat Christus, quia æqualis erat.

A causam, ideò Iudæos ad eius necem esse commotos, quòd cùm & sabbatum quasi Deus solueret, & Deum Patrem sibi proprium vindicaret: non solùm in solutione sabbati, maiestatem diuinæ potestatis, sed etiam in Patris proprij nomine ius sibi æternæ æqualitatis asciscere t, &c. Item, eodem loco: Euangelista (inquit Ambrosius) interpretatus est, quid sit proprium Filium Dei se dicere, hoc est, æqualem se Deo facere, &c. *Ambrò*

Obserua autem Ambros. concedere Christum soluisse sabbatum, idque facere fas illi fuisse, quoniam Deus erat, cõditor, & institutor sabbati. Cùm sabbatum, ait, quasi Deus solueret, & in sabbati solutione maiestatem diuinæ potestatis asciscere t. Attamen hæc nõ erat sabbati solutio, vel violatio. Sabbatum enim miraculosis operibus in gloriam Dei factis non violabatur. Similem in modum ait Dominus, *Sacerdotes in templo sabbatum violant, & sine crimine sunt.* Violatio tamen illa, non erat propriè sabbati violatio; siquidem sacerdotalibus illis operibus, sabbatum proprie non violabatur. Sed violari dicitur, quia in sabbato sacerdotes operabantur, quamuis liceret. De operibus autem Christi in sabbato, loco alio fusius dicemus.

Non soluit Christus sabbatum operibus miraculosis.

Matth. 23.

RESPONDIT *itaque Iesus, & dixit eis.* Dubium est, an postquam Christus illa verba protulit; *Pater meus vsq; modo operatur, & ego operor*: Iudæi aliqua protulerint verba quibus suam de illo interficiẽ di mentem aperirent. Protulisse enim Iudæos huiusmodi verba aliqua, Euangelista videtur indicare. Postquam enim dixit; *Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere, quia non solum soluebat sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deũ, æqualem se faciens Deo, subdit. Respondit itaque Iesus, Et dixit eis*, &c. Dominus illis respondit, ergo aliqua verba fecerant, quibus ipse respondit. Itaque Iansenius arbitratur, Iudæos post prima illa verba: *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor*, Christum impugnasse de adhibita defensione: Christum verò impugnantibus respondisse. At verò si Iudæi verba aliqua protulissent quibus Christus responderit; Euangelista litteris illa mandasset, vt responsum intelligeretur. Cùm ergo non mandarit, non est à veritate alienum, Iudæos de interficiendo Christo cogitasse, quòd se æqualẽ Deo faceret; verbis verò id non ostendisse. Neque enim Christo de occisione verbum vllum facit, sed sermonẽ, quem cœperat facere, prosequitur. Respondit ergo illis, probauitque fas sibi esse in sabbato operari, quòd simul cum Patre operatur; *Pater*, inquit, *meus vsque modo operatur, & ego operor*. Addit.

Ioan. 5.

Ibid.

AMEN *Amen dico vobis, non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Confirmat Dominus, quod dixerat, se operari cum patre in sabbato; quoniam nihil facere potest, nisi id, quod Patrem quoque facere videt: & omnia similiter vt Pater operatur. *Non potest*, inquit, *Filius à se facere quidquam*; D. Chrysostomus interpretatur hunc in modum; *Non potest Filius facere quidquam à se*: hoc est, quod Patri contrarium sit. D. Augustinus tract. 20. in Ioannem sic exponit. Non potest Filius facere quidquam à se, hoc est, potentia, quam à Patre non acceperit. Etenim essentiam, potentiamque à Patre Filius per æternam accepit generationem. Hoc (inquit Augustinus) intelligitur in his verbis; Quidquid Filius habet vt faciat, cum Patre habet vt faciat. Quare habet à Patre vt facit? qui à Patre habet, vt sit Filius. Item: Quia substantia Filij de Patre est, ideò potentia Filij de Patre est: item, Quia Filius de Patre est, ideò dixit: *Filius non potest à se facere quidquam*, &c.

Quomodo Filius non faciat à se.

Aug.

Quod sequitur: *Nisi quod viderit Patrem facientem*; difficultatem habet. Numquid filius videt prius

Quomodo Filius videat Patrẽ facientem.

Patrem facientem & operantem, deinde ad similitudinem Patris operatur? Minimè: inseparabilia enim sunt Trinitatis opera. Vnde D. Cyrillus lib. 2. in Ioannem, cap. 135. Qui, inquit, dicunt Patrem primò facere, deinde Filium opera illius imitari: magna imperitia laborant. Quomodo enim, seorsum (vt ita dicam) ac solus absque Filio Pater vmquam operabitur, &c. Significat ergo absconditus hic sermo, & humanus ad hominum captum loquendi modus, Filium omnia Patris opera cognoscere, eademque cognoscendo, per summam & infinitam sapientiam, cum Patre operari. Est sensus: *Non potest Filius à se facere quidquam*: siquidem & essentiam, & potentiam per æternam generationem communicatã habet à Patre. Non potest, inquam, facere quidquam, *Nisi quod viderit Patrem facientem*: id est, nisi quod Pater eo vidente & simul operante facit. Duo enim docet Christus his verbis. Primum à Patre se habere potentiam diuinam infinitam, & cum Patre eadem potentia operari, etiam in sabbato. Secundum, se Patrem, & omnia Patris opera cognoscere, atque intueri: & per summam sapientiam eadem cum Patre facere. Lege Ambr. lib. 4. de fide, cap. 3. & Greg. Nazian. orat. 4. de Theologia.

Cyril.

Ioan. 5.

Aliter locus sic explicari potest: *Non potest Filius à se facere quidquam*; à se, inquam, id est, sine voluntate Patris: quidquid enim vult Pater & facit: id quoque vult Filius & facit. Nec potest, velle aliquid quod Pater nolit. Non potest inquam, facere aliquid absque voluntate Patris: id enim solum facit, quod vidit Patrem facientem. Semper facit id, quod Patrem videt facientem, ergo nihil facit à se, hoc est, sine Patris voluntate, eodem Patre simul operante. Cùm in sabbato operatur, à se non operatur, id est, non sine voluntate Patris: immo videt Patrem in sabbato operari, simúlque cum eo operatur.

Est quædam huius loci interpretatio, quæ verba hæc de Christo secundùm humanam naturam explanat, hunc in modum: *Non potest Filius à se facere quidquam, sed quod viderit Patrem facientẽ*; hoc est, Non potest Filius quidquam facere, nisi quod viderit esse diuinæ voluntati ac dispositioni consentaneum. At Christus non ait: Non potest Filius facere quidquam, nisi quod viderit Patrem volentem, sed quod viderit Patrem facientem. De operatione sermo erat, non de voluntate. Præterea verba sequentia: *Quæcumque Pater facit, hæc & Filius similiter facit*; de Christo secundùm diuinam naturam constat esse intelligenda; ergo hæc de eadem natura diuina intelligi oportet.

Ibid.

Ioan. 5. QVÆCVMQVE *enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit.* Dixerat Dominus, non posse se facere quidquam, nisi quod Patrem facientem videret, quantum verò hæc se protendat operatio, nunc indicat: videlicet, ad omnia Patris opera se protendit, & omnia complectitur. Omnia, inquit, opera quæcumque Pater fecerit, Filius facit. Nam vna eadémque omnipotentia Pater & Filius operantur. Non potest Filius vllum opus facere, quod id ipsum non faciat Pater; nec potest Pater quidquam facere, quod id ipsum non faciat Filius. Quamobrem supra dixit; *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor*: simul cum ipso opera omnia. Particula *similiter*, vt Augustinus ait, eamdem potentiam significat. Sensus est: Quæcumque Pater facit, eadem Filius facit, *similiter*, id est, per eamdem omnipotentiam ac sapientiam, & sine labore vllo.

Ibid.

Gen. 2. Quòd si roges: Cur Deus dicatur requieuisse ab vniuerso opere, quod patrarat, si sine labore operatur, cùm requies laborem præcessisse indicet. Respondetur verbum *requiescere*, eo loco sumi pro verbo *cessare*. Dicitur ergo Deus requieuisse, hoc est, ab operando cessasse. Loquitur enim Scriptura more humano de Deo. Cùm cessant homines, quiescun Deus cessauit, sed non quieuit, quia nec laborauit. Adumbrabat autem requies illa Dei, nostram requiem post bona opera, vt Augustinus docet tract. 20. Quietem, inquit, appellauit Scriptura, vt nos admoneret, post bona opera quieturos. Sic enim scriptum est: *Et fecit Deus omnia bona valdè, & requeuit die septimo*: vt tu homo cùm attendis Deum post bona opera requieuisse: non tibi speres requiem, nisi cùm bona fueris operatus. Hæc ille.

Deus quomodo ab omni opere requieuisse dicatur.

August.

PATER *diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit.* Dixit non posse Filium à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: indicat nunc quomodo Patrem facientem videat. Quasi dicat, videt Filius Patrem facientem: quia Pater omnia, quæ facit opera, illi demonstrat, nihil verò occultat. Rogabis, quonam modo Pater omnia Filio demonstret, quæ facit? Respondetur, Patrem ideo dici demonstrare Filio omnia opera sua, quia cum essentia sapientiam illi communicat, per quam illa cognoscit.

Ioan. 5.

At videtur Dominus significare huius demonstrationis causam esse amorem Patris erga Filium: *Pater*, inquit, *diligit filium, & omnia demonstrat ei.* Quasi velit dicere: Pater diligit Filium: ideóque omnia illi patefacit opera. Hoc tamen falsum est: quoniam Pater naturaliter filio demonstrat opera, hoc est, naturaliter cum essentia sapientiam illi communicat. ita vt huius communicationis, & demonstrationis amor causa non sit. Respondetur: Patrem Filium generare, rerumque omnium cognitionem, infinitámque sapientiam illi communicare naturaliter, nõ verò quia illum amat: quasi amor generationis, & communicationis causa sit. Verùm comitatur hanc generationem amor infinitus Patris erga Filium: quamuis sapientiæ Filij, & cognitionis causa non sit, tamen, si causam habere posset Filij sapientia, illius hic amor causa esset. Ideóque hoc loco amor veluti causa dicitur demonstrationis, vt ait Card. Caietan. Sicut æternitas (inquit ille Ioannis 5.) nõ causatur ab immutabilitate, sed quia, si causaretur, ab immutabilitate causaretur, dicimus Deum æternum, quia immutabilem. Simili modo intellige quòd quia Pater diligit Filium, omnia demonstrat Filio, quæ facit. Hæc siquidem tria, scilicet, Filium videre, & Patrem demonstrare, & patrem deligere, naturalia sunt in Deo, & consequenter se habent, sicut causa, & causatum, si causarentur. Hæc Caiet.

Quomodo Deus naturaliter amet Filiũ.

Caiet. An amor Patris causa sit cur demonstret opera Filio.

Diuus Thomas respondet, rationem hanc non sumi ex amore, vt ex principio, & causa; sed vt ex signo. Etenim signum amoris paterni, est demonstratio rerum. Et Lyranus; Hoc (inquit) verbum, *diligit*, non notat causam, sed tantum signum, vel concomitantiam.

D. Thom.

Lyran.

Denique, Respondetur Christum humano loqui more, quo ij, qui amant, iis quos amant occulta omnia pandunt, ideóque ait Patrem Filium diligere, & illi omnia demonstrare. Prætereà quoniam quamuis Patris amor non sit causa sapientiæ infinitæ Filij, tamen in sapientia Filij & eius aliis attributis, sibi maximè complacet, iuxta illud, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*

Amor quomodo sit causa sapientiæ Filij.

Matth. 17.

Si hæc verba de Christo, qua homo est explicentur, facilis erit explanatio: Pater diligit Filium, ideóque omnia sua opera illi demonstrat, Christus enim, quâ homo per beatam, infusamque scientiam, omnia nouit Patris opera. Huius autem cognitionis causa fuit Dei amor. Verùm locum hũc totum de diuinitate esse interpretandum, probant

illa

Ioan. 5. illa verba? *Quæcumque ille*, id est Pater fecerit, *hæc & Filius similiter facit.* Quæ de Christo secundum diuinam naturam interpretanda sunt. Secundum diuinam enim naturam omnia facit, quęcumque Pater facit, non autem secundum humanam. Pater enim multas creat animas quotidie, quas Christus secundum humanam naturam non creat. Quod si hæc verba de Christo secundum diuinam naturam exponenda sunt, verisimilius est reliqua eidem quoque naturæ tribuenda esse.

Ibid. MAIORA *demonstrabit ei opera, vt vos miremini.* Difficultatē hæc verba pariunt. Etenim si de Christo secundum diuinam naturam intelligantur, Pater simul illi, & ab æterno omnia demonstrauit, cùm essentiam, sapientiamq; per æternam generationem communicauit. Ipse verò ait, maiora opera esse sibi demonstranda, qua si nondum demonstrata sint. Si secūdum humanam naturam explanentur; idem habent dubium. Nam Deus rerum omnium cognitionem Christo in ipso conceptionis puncto largitus est; atque adeò omnia tunc illi demonstrauit. Cur igitur futuro vtitur tempore; *maiora*, inquiens, *ei demonstrabit:* si iam Pater demonstrauerat ab æterno? D. Augustinus tract. 21. demonstranda ait opera maiora Christo, id est, illius corpori mystico, in hunc sensum; *Maiora ei demonstrabit*, hoc est, membris eius. Nos, inquit, membra sumus Filij, & nos membra tamquam, quod discimus, ipse discit quodammodo in membris suis. Cùm ostendit Pater membris Christi, Christo ostendit, &c. Titelmannus hoc pacto interpretatur: Maiora Pater Filio demonstrabit opera: hoc est, maiora dabit operari. Attamen verosimilius est verbū, *demonstrare*, sumi, pro *ostendere*, vt supra. Rupertus in Ioannem exponit in hunc modum; Maiora mihi pater demonstrabit in rei euidentia, hoc est, in conspectu hominum, in executione, vt vos miremini. Demonstrabat (ait Rupertus) mihi, & omnibus meis in rei euidentia, quod olim demonstrauit mihi in præscientia, & cet. Et Caietanus, Demonstrare, ait, hic sumitur non solùm pro facere in manifesto Filij; sed etiam cum sensibili signo apud alios. Ita quòd opera hæc maiora faciet Pater in manifesto Filij, in aliorum autem admirationem: quia videbunt ipsa opera, &c.

Pater quomodo Filio maiora demonstraturus sit. August. *Rupert.* *Caiet.*

Quomodo hic locus sit intelligēdus Intelligi ergo potest locus de demōstratione existentiæ realis, & de effectu ipsorum operum, atque executione, hoc pacto: Pater maiora demonstrabit Filio in reali existentia, & in ipso effectu, & actuali in tempore executione, in conspectu hominum. Quamuis enim Filius omnia futura præcognosceret, eorúmque existentiam, tamen multa futura realem existentiam in hominum oculis nondum habebant, nondum enim affecta erant, & ante hominum oculos collocata.

Dionys. Carth. Dionysius Carthusianus aliter interpretatur, his verbis: Per hoc, inquit, quod ait, *demonstrabit*, non datur intelligi, quòd Filius secundum diuinam naturam aliquid accipiat in futuro, sed loquitur sic quia ęterna emanatio verbi, seu receptio Filij à Patre, omne tempus includit, &c. Nam generatio Filij à Patre æterna & perpetua est, itemque demonstratio, & sapientia: omne igitur tempus complectitur, præteritum, pręsens, ac futurū. Quemadmodum rectè dicitur Pater generat, & Pater generauit, & Pater generabit Filium, quia semper perpetua & æterna generatione ac perfectissima generat. Sic rectè etiam dicitur, Pater demonstrauit Filio opera sua omnia, & Pater demonstrat, & Pater demonstrabit. Non enim tempus futurum in hac locutione significat; quę demonstrabit, non esse iam demonstrata ab æterno, sed demonstrationem esse perpetuam indicat. Eundem in modum dicitur de Spiritu sancto. *Quæcunque loquetur.* Item, *De meo accipient*, Numquid Spiritus sanctus erat aliquid non auditurus, aut aliquid noui accepturus à Filio illo tempore? Minimè, quia ab æternitate à Patre & Filio essentiam, sapientiamque infinitam acceperat. At humano more de rebus diuinis, quæ humanum captum superant loquitur Scriptura, vt docet D. Athanasius in oratione contra Arianos, in dictum illud, Ex Deo Deus est Verbū; consuetudo, inquit, est, sacræ scripturæ humanitus ea, quę supra hominem sunt eloqui & significare, &c. Hominibus itaque se accommodans Dominus ita loquitur: *Maiora Pater mihi demonstrabit*, quia tunc, cùm fient apparebunt, & cernentur ab hominibus.

Ioan. 16. *Scripturæ humano loquitur modo. Athan.* *Ioan. 5.*

Potest etiam locus intelligi de Christo qua homo est, & de oculis corporeis sic; Maiora his demōstrabit meis oculis corporeis, non enim corporei Christi oculi tunc cernebant maiora hæc, quæ postea viderunt.

Sed quæ sunt hæc maiora, quæ Pater Filio demonstrabit? Respondetur, maiora hæc, vt ex consequentibus colligitur miracula esse suscitationis mortuorum, sunt enim hæc opera maiora curationibus paralyticorum, qualis erat, quem apud piscinam sanitate Christus donauerat. Sunt etiam admirabiliora, ideò addit: *Vt vos miremini.* Nam mortuorum suscitationem magna Iudæorum admiratio consequebatur, vt ex Lazaro suscitato exploratum est.

Mortuorū suscitatio superat omne mirabile Ioan. 5.

Ibid. SICVT *enim Pater suscitat mortuos, & viuificat, sic & Filius, quos vult, viuificat.* Ostendit Dominus quænam sint illa maiora, quæ demōstrabit Pater. Quasi dicat; Maiora demonstrabit Pater, vt Filium æqualem sibi esse demonstret, nempe mortuorum suscitationem. Nam quemadmodum Pater mortuos in vitam reuocat; ita & Filius, quos vult vita donat. Quoscumque voluero mortuos è sepulchris excitare possum; quod & faciam, magna Iudæorum admiratione. Rogabis, quotnam mortuos Christus excitarit? Respondetur, in Euangeliis proditum esse memoriæ, tres mortuos vitæ esse restitutos, filiam Archisynagogi Mar. 5, filium viduæ Luc. 7. & Lazarum Ioan. 11. sed verisimile est, plures alios in vitam fuisse reductos, vt D. August. sentit serm. 44. de verbis Domini. Tres, inquit, mortuos inuenimus à Domino resuscitatos visibiliter, millia inuisibiliter. Quot autem mortuos visibiliter sucitauerit, quis nouit? Non enim omnia, quæ fecit scripta sunt. Ioannes hoc dixit. *Sunt & alia multa, quæ fecit Iesus quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros.* Multi ergo sunt alij sine dubio suscitati, sed non frustra tres commemorati. Hæc Augustinus.

Suscitatio mortuorum opus magnū & admirabile. *Aug.* *Plures quā tres Christus ad vitā reuocauit. Ioan. 21.*

Indicat autem Dominus his verbis cum Deo Patre æqualitatem, vt D. Cyrillus obseruat lib. 2. in Ioannem ca. 139. Aspice in iis, inquit, æqualitatem maximè demonstrari. Qui enim non aliter mortuos suscitat, quàm Pater, quomodo minor eo erit? aut quomodo non eiusdem cum eo substantiæ erit qui eiusdem naturæ habet proprietates? Proprium enim est supremæ substantiæ, mortuos posse viuificare: quod æqualiter Patri, atque Filio ineſt, &c. Sicut enim, inquit, Pater suscitat mortuos ex sepulchris, & viuificat, hoc est, vitam eis tribuit, sic eadem potentia Filius, quos vult, pro arbitratu suo, eadem voluntate diuina in vitam reuocat. Omnipotentem se habere voluntatem ostendit, ad mortuos excitandos, quoscumque excitare placuerit. Quamdiu in terris vixit paucos in vitam reuocauit, multos cùm surrexit, *Multa enim corpora sanctorum tunc surrexerunt*, vt ait Mat. omnes tandem mortis

Cyril. *Christi voluntas est omnipotēs.* *Matth. 27.*

Futurū in diuinis includit omnia tempora.

tis imperio eripiet extremi iudicij tempore.

Ioan. 5. NEQVE *enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio.* Ianſenius particulam cauſalem, *enim*, referendam putat ad proxima verba, hoc ſenſu: ſicut Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat, ſic filius, quos vult ſuſcitat, & viuificat, quoniam omne iudicium accepit à Patre. Nam ex eo (ait Ianſenius) quòd omne iudicium filio ſit commiſſum, quæ ſumma eſt poteſtas, non niſi Deo conueniens: conſequitur eum etiam viuificare poſſe, quos velit, &c. Quaſi dicat, habeo poteſtatem iudicandi Deo propriam, ergo habeo poteſtatem mortuos ſuſcitandi, quæ Dei quoque ſolius eſt. Toletus etiam particulam *enim*, ad proxima verba refert hoc pacto, Filius ſuſcitandi mortuos poteſtatem habet, quia iudex eſt omnium hominum: ad iudicem enim pertinet homines excitare, vt in iudicio extremo compareant. Caiet. eandem particulam, *enim*, ad ſuperiora illa verba: refert: *Maiora his demonſtrabit.* In hunc ſenſum; Maiora opera, quàm ſint ægrotorum curationes, Pater filio demonſtrabit: iudicium enim omne viuorum ac mortuorum demõſtrabit. Nam omne iudicium filio dedit. Iudicium autem exercere in omnes homines, maius opus eſt, quàm ægris ſanitatem conferre.

Ianſen. *Tolet.* *Caiet.*

Ego verò particulam, *enim*, cum proximis verbis ſic copulo; Sicut Pater poteſtatem habet ſuſcitandi mortuos, ſic etiam filius. Probat deinde filium poteſtatem habere ſuſcitandi mortuos. *Neque enim* (inquit) *Pater iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit filio.* Quaſi dicat, poteſtatem habet filius mortuos ſuſcitandi, quia poteſtas iudicandi omnes homines, ad illum ſpectat; ad quem autem ſpectat poteſtas iudicandi, ſpectat etiam poteſtas homines iudicandos in vitam reuocandi. Meminit autem Dominus iudicij, ſeque omnium hominum iudicem futurum oſtendit: vt Iudæis timorem incutiat, debitumque ſibi diuinum honorem oſtendat.

Ioan. 5.

Dubium eſt, quonam modo verum ſit Patrem non iudicare quemquam. Nam iudicare opus Dei eſt, Patris, Filij, & Spiritus ſancti. Iudicat Pater, iudicat Filius, iudicat etiam Spiritus ſanctus, vna eadémque potentia, ac iuſtitia: cur ergo de Patre aſſerit Dominus; *Pater non iudicat quemquam?* Reſpondetur, veriſſimum quidem eſſe Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, iudicare inſeparabiliter, inſeparabilia enim ſunt opera Trinitatis, vt ſupra diximus. Opus quoque iudicij inſeparabile eſt, tribúſque perſonis ſimul conuenit. Dicitur tamen Pater non iudicare quemquam, quoniam extremo illo die, ſolus filius aſpectabilem in modum iudicabit, quomodo pater non iudicabit. Filius enim in humana natura iudicium exercebit, omnibus hominibus conſpicabilis: Pater verò, & Spiritus ſanctus iudicabunt quidem, ſed inuiſibiliter. Ita reſpondet Auguſtinus tract. 19. Quia (inquit) Chriſtus ſolus apparebit in forma ſerui, Pater autem non apparebit, quia non eſt indutus formam ſerui, ideò ait, *Pater non iudicat quemquam*, &c. Lege eundem Auguſti. lib. 1. de Trin. cap. 13. Hieron. Iſai. 27. & Pſ. 74. Cyprianum lib. 2. contra Iudæos cap. 28. & lib. 3. ad Quirinum cap. 33.

Cur dicatur Pater nõ iudicare quemquã. *Aug.*

Hinc quoque cogoſces, cur dicatur Pater dediſſe filio omne iudicium: nimirum ob eandem rationem, qua videlicet filius ſolus viſibili modo omnium hominum cauſas diſcutiet, ſententiamque feret. Itaque *Omne iudicium pater filio dedit:* Quoniam coram omnium hominum oculis, quotquot vmquam vel vixerunt, vel viuent, tam proborum, quàm improborum, ſolus ille iudex incredibili cum maieſtate apparebit. Ille cauſas cognoſcet, ille corporeo ore extremas ſententias proferet, *Venite benedicti*, &c. & *Ite maledicti*, &c.

Cur Pater dicatur dediſſe Filio omne iudicium. *Ioan. 5.*

At verò alia reſtat quæſtio. Cùm Chriſtus iudicandi poteſtatem habeat & ſecundùm diuinam, & ſecundùm humanam naturam, quæritur, quonam modo verba hæc ſint intelligenda: *Pater omne iudicium dedit filio?* Deditne Pater ſecundùm naturam diuinam Filio omne iudicium, an ſecundùm humanam? Quòd ſecundùm diuinam non dederit probatur, quia qua Deus eſt Chriſtus, non habet ſolus omne iudicium. Nam habet etiam Pater omne iudicium, habet & Spiritus ſanctus. Quòd verò ſecundum humanam naturam non dederit, inde ſuadetur: quòd Chriſtus ſecundùm humanam naturam, non iudicat homines particulari iudicio viſibiliter. Neque enim ad omnes morientes iudicandos è cælo deſcendit. Oporteret enim ſingulis horis millies è cælo deſcendere, cùm maximus ſit eorum numerus, qui ſingulis horis animam exhalãt. Quòd ſi concedas particulare iudicium non exercere, concedas etiam neceſſe eſt, non habere omne iudicium: ſiquidem particulare iudicium, aliquod eſt iudicium. *Ibid.*

Tertullianus datum interpretatur omne iudicium Chriſto ab æterno à Patre ſecundum diuinam naturam. Per æternam enim generationem pater dedit filio iudicandi poteſtatem lib. contra Praxeam cap. 16. Omne, inquit, iudicium Pater dedit Filio, à primordio tamen. Omnem dicens poteſtatem, & omne iudicium, nullam exceptionem temporis permittit. Quia omnia non erunt, ſi non omnis temporis fuerit. Filius itaque eſt, qui ab initio iudicauit turrem ſuperbiſſimam elidés, linguaſque diſperdens, orbem totum aquarum violentia puniens, pluens ſuper Sodomam, & Gomorrham ignem, & ſulphurem. Hæc ille. Et D. Ambroſius lib. 2. de fide cap. 4. *Omne iudicium*, ait, *dedit pater filio*: dedit vtique generando, non largiendo, &c. Item, D. Chryſoſtomus hom. 38. in Ioannem. Verbum, *Dedit*, hoc loco, ait ſignificare genuit. Quia gignendo Pater omne iudiciũ dedit Filio. Euthymius præterea: Pater dedit iudicium Filio, ſimul vt genitus eſt. Item Theoph. Quòd, inquit, dicit, Dedit Iudicium Pater Filio: ſic intellige, quaſi iudicem genuerit, &c. D. Hilar. lib. 7. de Trin. In eo quòd omne iudicium datum eſt, & natura, & natiuitas demonſtratur. Quia & omnia habere, ſola natura poſſit indifferens, neque natiuitas aliquid poſſit habere, niſi datum ſit, &c.

Tertul. *Ambr.* *Chryſoſt.* *Euthym.* *Theoph.* *Hilar.*

At huic ſententiæ obiicit Auguſtinus lib. 1. de Trinit. cap. 23. Verba illa: *Pater non iudicat quemquam. Ioan. 5.* Si, inquit, *omne iudicium Pater dedit filio*: ſecundùm illud diceretur, ſecundùm quod dictum eſt: *Dedit filio vitam habere in ſemetipſo*; non vtique diceretur; *Pater non iudicat quemquam.* Secundùm hoc enim, quòd æqualem Pater genuit filium, iudicat cum illo, &c. Argumentum eſt huiuſmodi. Chriſtus ait Patrem non iudicare quemquam, ſed omne iudicium dediſſe Filio. Atqui ſi de poteſtate iudicandi, quam Chriſtus ſecundùm diuinam naturam à Patre accipit, hæc verba intelligantur, vera eſſe non poſſunt: ergo de illa intelligẽda non ſunt. Aſſumptio confirmatur. Nam Pater iudicat ſimul, cum filio eadem poteſtate iudicandi, quàm illi dat. Chriſtus verò aſſerit, Patrem non iudicare quemquam. *Aug.*

Reſpondemus, Patrem Chriſto omne iudicium dediſſe, & ſecundùm diuinam, & ſecundùm humanam naturam: hæc autem verba cum Auguſtino de poteſtate illa iudicãdi interpretãda, quam Chriſtus à Patre ſecundùm humanam naturam accepit. Sic enim veriſſima verba ſunt Chriſti; *Pater non iudicat quemquam.* Quia Chriſtus iudicat in huma- *Ibid.*

humana natura, quæ cum diuino supposito coniuncta est: in qua natura Pater neminem iudicat. Neque enim Patris suppositum humanam naturam sibi vnitam habet, in qua iudicet. *Augustinus* lib.1.de Trinit.cap.13. Secundùm hoc, inquit, dictum est; *Omne iudicium dedit filio:* quod in iudicio, non in forma Dei, sed forma filij hominis apparebit. Non quia non iudicabit, qui omne iudicium dedit Filio, id est, Pater. Cùm de illo dicat filius Ioan.8. *Est qui quærat, & iudicet.* Sed ita est dictum, *Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio*, ac si diceretur, Patrem nemo videbit in iudicio, sed omnes Filium. Sic ille.

Augustinus.

Aduertendum autem, hoc loco sermonem haberi à Christo de iudicio generali omnium hominum, & manifesto toti orbi. Vnde Augusti.tract.21. in Ioan. Non iudicat, inquit, Pater quemquam, sed in manifesto omne iudicium dedit Filio. In quo manifesto iudicio Filius iudicabit, quia iudicandis ipse apparebit, &c. Quod probatur quia Christus de resurrectione loquitur mortuorum, vt legenti compertum est, resurrectio autem mortuorum in generali iudicio fiet. Prætereà, quia de eo iudicio Christus agit, in quo visibiliter iudicatur, vt dictum est, quem in modum Pater nō iudicat quemquam, iudicium autem hoc generale est. Itaque sensus est, Pater omne iudicium generale, & manifestum, quo omnes homines iudicabuntur, dedit filio. De particulari hunc locum intelligere non est necesse. Vnde propositum suprà argumentum soluitur.

Christus loquitur de iudicio generali ac visibili.

Non negamus tamen etiam iudicium particulare datum esse Christo, attamen hoc iudicium visibiliter non exercet, & manifestè.

Ioan. 5. VT *omnes honorificent Filium, sicut honorificāt patrem.* Eundem sibi honorem deberi affirmat Dominus, qui Patri exhibetur. Pater, inquit iudicem omnium hominum Filium constituit: vt omnes homines iudicem suum eo honore colant, quo colunt Patrē, nempe latria. Illa enim particula, *sicut*, æqualitatem honoris significat, vt docet D. Cyrillus; Cùm honorandum, inquit, esse Filium, sicut Patrem audimus, æqualem vtrique honorem, eundemque offerre iubemur, &c. Et D. Hilarius lib.7. de Trin. Iudicij, ait, dati causa est: vt Filius exæquati honoris ad Patrem sit, &c. Primus sensus est, de honore exhibendo, etiam ante iudicium, hoc pacto: Iudex omnium hominum est Filius, vt homines se ab illo iudicandos intelligentes, iudicem, Deumque suum, & metuant, & diuino honore colant. Alter sensus de tempore iudicij esse potest. Iudex erit Filius extremo die omnium hominum, vt tunc Deus æqualis Patri ab omnibus hominibus agnoscatur, vt tunc ab omnibus eodem honore latriæ, quo Pater afficitur, afficiatur. *Vt omnes*, inquit, *honorificent filium, sicut honorificant patrem*: Tunc omnes Filium sicut Patrem honorificabunt. Nam omnes quotquot in lucem editi sunt deincépsque nascentur, in die iudicij iudicem Christum, Deum esse agnoscent, & diuinum illi honorem tribuent. Tunc illud fiet Apostoli. *In nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum*; Omne genu Christo Deo flectetur in iudicio, omnes illum honorificabunt, Deumque profitebuntur. Maximi honoris Christi dies illa erit.

Filius æquali honore, quo Pater honorādus. Cyril. Hilar.

Ioan. 5.

Dies iudicij maximum afferet Christo honorem. Phil.2.

Ioan. 5. QVI *non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.* Docet Iudæos non posse Deum Patrem colere, & honore afficere, nisi Filium etiam eodem honore prosequantur. Quasi dicat; Ne existimetis vos Deo Patri debitum cultum tribuere: si Filio eius, quem ille ex se natum æqualem sibi in mundum misit, honorem minimè præstetis, meque persequamini. Nam Patris honor cum Filij honore ita coniunctus est: vt qui Filio honorem non præstat, non præstet Patri. Quemadmodum enim Pater Deus est: ita & Filius ex Patre natus Deus est. Si ergo Patri propter diuinitatem honor debetur, idem debetur Filio. Siquis Filio honorem denegat, diuinitati denegat, ac proinde Patris diuinitati honorē non tribuit, cùm Filio non tribuit. Eadem enim est Patris, Filiique, & Spiritus sancti, diuinitas.

Patrem non honorat, qui non honorat Filium.

Aliter; legatis magnus solet honor tribui ab iis, ad quos mittuntur. Qui verò illis honorem non tribuunt, nō solùm illis, sed iis etiam à quibus missi sunt, debitum honorem denegant, honor enim legati missi, in mittentem redundat. Filius à Patre missus est ad vos, debetis ergo illi honorem summum. Quòd si honorem misso Filio non præstetis, nec Patri præstabitis. Qualis legatus est, talem sibi honorem vendicat, Prophetæ legati fuere Dei, sed meri homines diuinum sibi honorem vendicare non poterant. At nunc Filium misit Pater (misit, inquam, quia ab eo procedit, & humanam naturam assumpsit.) Videte igitur qualem honorem misso Filio tribuere debeatis. Certè debetis diuinum; quòd si denegetis Filio honorē, illúmque insectemini, Patri quoque denegabitis, illumque ad supplicium de vobis sumendum concitabitis. Legatos à Dauide missos olim Ammonitæ contumelia affecerunt, magnóque supplicio à Rege affecti sunt: *Populum eius adducens seruauit, & circumegit super eos ferrata carpenta, duiisitque cultris, & traduxit in typo laterum*, &c. Idem euenit Iudæis: Filium à Patre missum opprobriis, ac cruciatibus sunt insectati, eam ob causam, à Deo supplicio grauissimo sunt mulctati, &c.

Christus summus legatus Patris summo honore dignus.

2. Reg. 12.

CAPVT VI.

De dictis Christi post sanatum ægrum apud piscinam

Ioan. 5. QVI *verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & iudicium non venit, sed transit à morte in vitam.* Opera maiora à Patre demonstranda, dixit Christus esse mortuorum suscitationes, iudicium vniuersale sibi datum affirmauit, in quod mortui omnes sunt è sepulchris euocandi. hoc loco docet, quinam sint in vitam, beatitudinemque æternam excitandi, *Qui* (inquit) *audit verbum meum*, id est, obedit doctrinæ meæ, & fide per caritatem operosa, *Patri credit, qui misit me*, is *habet vitam æternam*, hoc est, in vitam æternam ac beatitudinem, ex sepulchro excitabitur. Prætereà *in iudicium hic non venit*, videlicet damnationis, *sed transit à morte in vitam*, hoc est, ex sepulchro surget, mortemque cum vita, eáque sempiterna commutabit. præsens, & præteritum pro futuris vsurpantur. Loquitur enim Dominus de futura, & æterna vita, ad quam iusti excitantur.

At dices, Dominus ait virum viuente fide præditum non venturum in iudicium: *In iudicium* (inquit) *non venit*: ergo non omnes homines iudicabit Christus. Iam respondimus huic appositioni, fatemur non venturum virum iustum in iudicium damnationis, veniet tamen in iudicium absolutionis, iudicis Christi sententia non quidem damnabitur, sed absoluetur. Sic respondet Augustinus in Ioannem tract.22. Duo ait esse iudicij genera. Alterum discretionis, cùm bonis bona, malis mala distribuuntur. Alterum damnationis. Secundum iudicium

Viri probi non venient in iudicium damnationis.

August. Duo iudicij genera, vnū discretionis alterū damnationis.

cium discretionis oportere nos omnes exhiberi ante tribunal Christi. In iudicium verò damnationis eum non venire, qui fide, & caritate præditus est. Quocirca libr. 20. de ciuit. Dei cap. 5. iudicium hoc loco cẽsetpro damnatione positum, hoc sensu: *Non venit in iudicium*, id est, in damnationem. Et Chrysost. In iudicium, inquit, non venit, non punietur.

Obiicies præterea Christum affirmare, in iudicio iustum habiturum vitam æternam, ergo iniustus illam non habebit; atque adeò non resurget, vt in sempiternum viuat. Respondetur, vitam æternam appellari à Christo illam, quæ cum summa beatitudine coniuncta est. Hanc vir habebit iustus. Impius verò, vt sempiternam habeat æternis in cruciatibus vitam, resurget: sed vita illa mors potiùs, quàm vita est appellanda. Quare *Mors secunda, Apoc. 20.* dicitur. Mors enim prima est, cùm à corpore animus separatur: mors secũda, cùm impius in flammas æternas præcipitatur. *Mors prima quæ sit.* De multiplici morte agit Diuus Augustinus lib. 13. de ciuitate Dei, ca. 11. redditque causam, cur impiorum in tartareis tormentis vita mors potiùs, quàm vita nuncupetur. Mors (inquit August.) animæ fit, cùm eam deserit Deus, sicut corporis, cùm id deserit anima. Totius hominis mors est, cùm anima à Deo deserta deserit corpus. Ita enim neque ex Deo viuit anima: neque corpus ex anima. Huiusmodi autem totius hominis mortem illa sequitur, quam secũdam mortem diuinorum eloquiorum appellat auctoritas, &c. Et infra; In illa (ait) pœna vltima, & sempiterna, rectè mors animæ dicitur: quia non viuit ex Deo. *Mors secũda quæ. August.* Mors autem corporis quonam modo dicitur, cùm viuat ex anima? Non enim aliter poterit sentire tormenta. An quia vita qualiscumque, aliquod bonum est, dolor autem malum; ideò nec viuere corpus dicendum est, in quo anima non viuendi causa est, sed dolendi? Item in damnatione nouissima, quamuis homo sentire non desinat: tamen quia sensus ipse nec voluptate suauis, nec quiete salubris, sed dolore pœnalis est: non immeritò mors est potiùs appellata, quàm vita. Ideo autem secunda, quia post illam primam est, qua fit cohærentium direptio naturarum, siue animæ, & corporis. Sic Augustinus. Præter hæc lib. 6. de ciuitate Dei, capit. vltimo. Si anima, inquit, in pœnis viuit æternis, mors illa potiùs æterna dicenda est, quàm vita. Nulla quippe maior, & peior est mors; quàm vbi non moritur mors. Item; Summa mors animæ est alienatio à vita Dei, in æternitate supplicij, &c. Et lib. 13. cap. 11. In æterna pœna erunt homines nunquam viuentes, numquam mortui; sed sine fine morientes. Numquam enim erit homini peius in morte, quàm vbi erit mors ipsa, sine morte, &c.

Denique vitam æternam illam esse, quæ, vt diximus, cum summa beatitudine coniuncta est, docet lib. 6. ca. vltimo. Eam, ait, vitam æternam dicimus, vbi est sine fine fælicitas, &c. Et tractatu 22. in Ioan. docet hanc, quam dicimus, vitam, non esse vitam: sed falsam vitam. Probatque ex illis verbis Christi *Matth. 19.* *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Quo loco æternam vitam simpliciter vitam appellauit: quia illa sola vita est. *Vera vita æterna. Aug.* Non ait Christus (inquit Augustinus) si vis venire ad vitam æternam. Non addidit æternam, sed tantùm dixit, Vitam; ergo ista nec vita nominanda est, quia non est vera vita. Quæ est vera vita, nisi quæ est vera vita, nisi quæ est æterna vita? *1. Tim. 6.* Audi Apostolum, *Thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam*: si debent sibi thesaurizare fundamentum bonum, vt apprehendant veram vitam, profectò ista, in qua erant, falsa vita est. Hæc Augustinus.

Diuus Thomas Ioannis 5. obseruat quatuor esse vitæ gradus. Primus inuenitur in plantis; secundus in animalibus, quæ tantùm sentiunt; tertius in animalibus, quæ sentiunt, mouentur, & perfecta sunt; quartus in iis, quæ intelligunt. Deinde addit, primam vitam esse vitam intellectualem, quæ est vita spiritus, & immeditatè percipitur à primo vitæ principio. Hanc autem vitam intellectualem docet perfici in cognitione veræ sapientiæ quæ est vita æterna; Ad sapientiam verò (inquit ille) non potest homo peruenire, nisi per fidem: vnde in scientiis nullus ad sapientiam peruenit, nisi priùs fidem adhibeat magistro. Si ergo nos volumus ad illam sapientiæ vitam peruenire, oportet per fidem credere ea, quæ ab illa nobis proponuntur, &c. Et cap. 17. in Ioann. Inter opera, ait, vitæ altius est opus intelligentiæ, quod est intelligere. Et ideò operatio intellectus maximè est vita. Cùm verò intelligentia sit vita, & intelligere sit viuere; sequitur quod intelligere rem æternam, scilicet Deum; sit viuere vita æterna. Ita diuus Thomas. *D. Thom. Vitæ 4. gradus.* *Vitæ intellectualis.*

VENIT *hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint, viuent.* Dixerat Dominus maiora demonstraturum Patrem, vt Iudæi mirarentur, videlicet Mortuorum excitationem: iam nunc affirmat se aliquot mortuos reuocaturum ad vitam, ante extremũ iudicij tempus. Venit, ait, hora, id est tempus, & nunc est: quando mortui audient vocem Filij Dei, id est, imperium, & vocationem, non tamen omnes, sed aliqui, quos ego vocabo. Et ij, qui audierint excitabuntur, & viuent. Audiuit Lazarus vocem Christi illam: *Lazare veni foras*: & vixit. Audiuit viduæ filius illam: *Adolescens tibi dico surge*, & in vitã rediit. Audiêre quoque vocem Christi mortui, quos ipsa resurrectionis die in vitam reuocauit, similiter & alij. Forsitan vocem Filij Dei vocat etiam Dominus vocem Apostolorum, qua illi mortuos excitabant, postquàm Christus in cælos ascendit. Illa enim suscitatio in Christi nomine, & per Apostolos à Christo efficiebatur. Iansenius ad alios etiam mortuos vocem Filij Dei extendit, quos sancti viri Christi nomine vitæ restituerunt. Videtur, inquit, Christus loqui de resurrectione quorundam ad vitam mortalem facta à Christo in Lazaro, & aliis, per Christum, aut alios sanctos, reuocatis ad vitam, &c. De corporali mortuorum suscitatione locum hunc intellexere Theoph. Euthym. Caiet. & alij. *Ioan. 5.* *Christus aliquos mortuos se ad vitam reuocaturum promittit.*

Diuus Augustinus tractatu 22. & libro 20. de ciuitate cap. 6. de spiritali animarum resurrectione hæc verba interpretantur, Beda item, & Rupertus hunc in modum: *Venit hora, quando mortui*, id est, qui priuatum Dei gratia animum habent: *audient vocem*, id est, doctrinam *Filij Dei. Et qui audierint*, hoc est, illi obtemperarint, *viuent* gratię spiritalem vitam. Sed prior sensus est probabilior, cohærensque magis cum antecedentibus, & consequẽtibus. Agit enim Dominus de potestate, quam habet ad restituendos visibiliter vitæ corporali homines vita iã functos, tùm quo tẽpore in terris versabatur, de quo nunc loquitur: tùm extremo iudicij tempore, de quo inferiùs aget. Potest etiam locus de generali resurrectione explicari hoc modo. Venit hora, id est, tempus, & nunc est, quia tempus hoc vsque ad iudicium est nouissimum. Et iam tempore Christi hæc hora, siue tempus incipiebat. Venit inquam, hora quando mortui in die iudicij audient Filij Dei imperium, & quicumque audierint (audient autem omnes) suscitabuntur. Sed probabilior est prima interpretatio. Id indicant illa verba: *Venit hora, & nunc est.* *Augustin. Beda. Rupert.*

SICVT

Ioan. 5. SICVT enim *Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso.* Docet Seruator fontem se esse vitæ; atque ideo posse vitam, quibus velit mortuis largiri. Sicut Pater, inquit, est fons vitæ, ita dedit Filio, vt fons sit vitæ; potest igitur Filius in quoscumque voluerit mortuos vitam, sicut Pater, effundere. Dat autem Pater Filio per æternam generationem diuinam vitam, quemadmodum & essentiam, & sapientiam, & potentiam, atque adeò dat vt fons sit vitæ; iuxta illud: *Apud te est fons vitæ.* Augustinus tractatu 22. Quomodo, inquit, Pater Filio dedit, vt esset; ita dedit, vt vita esset, &c. Vitam habere in semetipso dicitur Filius, sicut Pater habet, quoniam quemadmodum Pater viuit, sic Filius viuit; eamdemque vitam habet, quam Pater. Nam vitam habere, siue possidere in semetipso significat viuere. Habet Pater vitam Dei in semetipso, id est, viuit vita diuina, sic & Filius.

Christus fons vitæ.

Psal. 35.

Christus in semetipso vitam habet. Cyril. Aliter, *vitam habere in semetipso*, significat, vt vult D. Cyrillus, habere vitam essentialiter, libro 4. thesauri capite vltimo: In semetipso, inquit, nihil aliud significat, quàm essentialiter, &c. Item Augustinus tractatu 22. in Ioannem rogat: Quid est, Habet vitam in semetipso? Respondet, vt ipsa vita ipse esset, &c. Lyranus: Illud, ait, quod est tale per essentiam, est causa aliorum. Deus Pater esset vita per essentiam, per consequens Filius, cùm sint vna essentia, & vna vita. Et per consequens ipse erit causa viuificatiua omnium resurgentium, &c.

Lyran.

Christus nõ habet vitã diuinã participatam, sed totam Patris. Augustinus loco citato, *vitam habere in semetipso*, interpretatur, vitam habere non aliunde participatam. Quid, inquit, est, *vt in semetipso vita esset?* id est, vt non aliunde vita indigeret, sed ipse esset plenitudo vitæ; vndè credentes alij viuerent, &c. Sed dices: Nónne Filius vitam habet à Patre participatam? Respondetur, Filium habere eamdem vitam, & eamdem essentiam, quam Pater habet, non partem, non vitam aliam, quæ ab illo effluat, qualis est creaturarum vita, quæ appellatur participata. Vnde D. Cyrillus libro 2. in Ioannem, capite 144. Vnigenitus, inquit, Filius non vitæ particeps, sed vita naturaliter, vt Pater est, &c. Cardinalis Caietanus similiter, *Habere*, inquit, *vitam in semetipso*, est habere vitam sine dependentia ab alio. Qui enim habet vitam dependentem ab alio, quantùm est ex se, potest deficere à vita, ac per hoc non in ipsomet, sed in alio consistit conseruatio vitæ eius. Et partim habet, partim non habet in se vitam. Qui autem habet simpliciter, & absolutè in semetipso vitam, sine dependentia ab alio habet illam. Sic autem est in Trinitate, quia & Pater habet vitam sine dependentia ab alio, & Filius sine dependentia ab alio. Hæc ille.

Cyril.

Caiet.

Deus habet vitam in semetipso à nullo pendentem, nos vitam habemus non in nobismetipsis, sed à Deo pendentem; iuxta illud Pauli Actorum 17. *In ipso viuimus, & mouemur, & sumus.* Deus fons vitæ est, ab eo nostra vita riuuli cuiusdam instar deriuatur, quæ si cum Dei vita comparetur, vitæ nomen amittit. Vnde Hieronymus viuentes homines & Angelos, comparatione Dei vocat mortuos. Ezechielis 16. Quomodo (inquit Hieronymus) dicitur bonus pastor, & bonus homo, & bonus seruus; nemo autem absolutè bonus, nisi solus Deus. Sic cùm Angeli cetereque virtutes, Patriarchæ, & Prophetæ, & Apostoli sint viuentes; comparatione Dei omnipotentis mortui appellantur, &c.

Act. 17. Deus habet vitam in semetipso nos in Deo. Hieron.

Cõparatione Dei, quæ viuit mortua sunt.

A ET *potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est.* Docuit Dominus se vitam esse, quamobrem posse mortuos in vitam reuocare, nunc de iudicio, mortuisque ad illud excitandis verba facit. Datam sibi ait à Patre iudicandi extremo illo iudicio potestatem, propterea quòd Filius hominis, hoc est, homo sit. Etenim iudicium generale, aspectabile erit, oportet ergo iudicem à iudicandis videri. Ideo Christus Deus & homo, iudicabit; quòd ab omnibus hominibus, etiam impiis videri poterit. Iuxta illud: *Ecce venit in nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt*, id est, etiam Iudæi, qui eum crucifixerunt. Alter horum verborum sensus esse potest: Potestatem dedit Pater Filio, secundùm humanam naturam iudicandi orbem; *quia Filius hominis est*, id est, quia (vt cum Paulo loquar) *formam serui accepit, factus obediens vsque ad mortem. Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi potestatem omnes homines iudicandi.* Nam iudiciariam potestatem Christus secundùm humanam naturam meruit, vt docet D. Thomas 3. part. quæstione 59. artic. 3.

Ioan. 5.

Iudicium visibile iudici postulat visibilem.

Apoc. 1.

Christus iudicabit secundù humanam naturam.

Phil. 2.

Aduerte Christum à Patre accepisse iudicandi potestatem, tum secundùm diuinam naturam per æternam generationem; tum secundùm humanam in tempore. De potestate, quam secundùm humanam naturam accepit, est hic sermo: Iudicabit, ait, Filius hominis homines, quia homo est. Æquum enim est, vt quemadmodum per hominem homines sunt redempti; ita per hominem iudicentur, qui Deus sit & homo. Secundùm diuinam naturam eamdem iudicandi potestatem habent tres personæ, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Filio tamen per appropriationem quamdam tribuitur, vt docet D. Thomas 3. part. quæstion. 59. art. 1. Nam iudicium maxime exercetur per sapientiam & veritatem; Christus autem Patris est sapientia & veritas. Ideóque meritò iudicandi potestas illi adscribitur. Hanc rationem reddit diuus Thomas: Quia, inquit, ipsa ratio iudicij, est lex sapientiæ, vel veritatis, secundùm quam iudicatur; & quia Filius est sapientia genita, & veritas à Patre procedens, & ipsum perfectè repræsentans; ideo proprie iudiciaria potestas attribuitur Filio Dei. Hæc ille. Hanc ob causam Augustinus in libro de vera religione, cap. 31. ait, Patrem per Filium iudicare; videlicet, quia Filius est sapientia & veritas Patris. Hæc, inquit, est incommutabilis illa veritas, quæ lex omnium artium rectè dicitur; & ars omnipotentis artificis. Et infrà: Quæ, inquit, Pater iudicat, per ipsum iudicat, &c.

Christus secundum vtramq; iudicandi accipit potestatem.

Cur Filio per appropriationẽ tribuitur iudicandi potestas. D. Thom.

August.

Secundùm humanam verò naturam Christo potestas iudicandi data est à Patre propter merita. Propter alias etiam rationes. Prima est, quia æquum est homines per hominem iudicari. Diuus Thomas quæst. indicata, artic. 2. Deus, inquit, sicut per causas medias tamquam propinquiores effectibus operatur; ita iudicat homines per hominem Christum. Vt suauius sit iudicium hominibus, &c. Secunda, quia æquum est, vt iudicandi, iudicem intueantur. Augustinus serm. 64. de Verbis Domini: Hoc rectum erat, vt iudicandi iudicem viderent, &c. Videbunt autem tam probi, quàm improbi homines Christi humanitatem; diuinitatem verò tantummodo probi. Restabat (inquit Augustinus eodem loco) vt in iudicio forma serui & bonis & malis ostenderetur; forma autem Dei solis bonis seruaretur, &c. Tertia, quia æquum est, vt is, qui iniustè iudicatus est ab hominibus, iustè iudicet homines; iuxta illud Eliu, *Causa tua quasi impij iudicata est: causam iudiciumque recipies*, &c. Augustinus tract. 19. in Ioannem: Forma illa erit iudex,

Cur Christo secundù humanam naturã data sit iudicandi potestas?

August.

Iob 36.

August.

iudex, quæ ſtetit ſub iudice, illa iudicabit, quæ iudicata eſt, &c. Et ſermone vltimo de Verbis Domini: Sedebit iudex, qui ſtetit ſub iudice, damnabit veros reos, qui falsò factus eſt reus, &c. Pſalm. 37. Oportebat, vt Chriſtus taceret in paſſione, non taciturus in iudicio; iudicandus enim venerat, qui poſtea iudicaturus veniret; & ideo cum magna poteſtate iudicaturus, quia cum magna humilitate iudicatus, &c. Quarta, quia æquum eſt, vt cuius apparuit ſumma humilitas, appareat ſumma gloria. Auguſtinus Pſalm. 85. Videbitur terribilis, qui viſus eſt contemptibilis; demonſtrabit potentiam, qui demonſtrauit patientiam. In cruce patientia erat; in iudicio erit potentia, &c.

Chryſoſtomi diſpunctio. D. Chryſoſtomus aliter diſpungit. Verba illa, *Quia filius hominis eſt*, non cum antecedentibus, ſed cum conſequentibus copulat, hunc in modum: *Poteſtatem dedit ei iudicium facere. Quia filius hominis eſt, nolite mirari hoc*, &c. Eſt autem ſenſus huius diſpunctionis: Iudicandi poteſtatem dedit Pater Filio. Nolite verò mirari hoc; videlicet, quòd tantam à Patre acceperit poteſtatem, cùm tamen Filius hominis, id eſt, homo ſit. Nam & filius hominis eſt, & Filius Dei. Sequuntur Chryſoſtomum Euthymius & Theophylactus. Syriacum quoque Euangelium eamdem habet diſpunctionem. Sed Auguſtini, & vulgatæ editionis correctæ diſpunctio vera

Ioan. 5. eſt, & ſequenda, videlicet; *Poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis eſt*; ſenſu ſuprà iam propoſito. Obiicit Chryſoſtomus, Patrem non dediſſe Filio poteſtatem iudicandi, quia Filius hominis eſt. Si enim propterea illi hanc poteſtatem dediſſet, eamdem ob cauſam ceteris hominibus dediſſet, quia filij hominum ſunt. Sed quid reſpondendum ſit, ex ſenſu iam indicato conſtat.

Ibid. NOLITE *mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filij Dei.*

Cyril. Diuus Cyrillus verba; *Nolite mirari*, refert ad miraculum ſanati paralytici apud piſcinam hoc ſenſu: Ne miremini quòd ſanitatem paralytico contulerim, id enim opus non magnopere admirandum eſt, ſi cum ſuſcitatione omnium mortuorum, quos excitabo, conferatur. Non tamen debemus putare (ait ille) ſplendorem illius miraculi imminui à Chriſto. Non enim prohibet, ne hoc mirentur, ſed paruum hoc eſſe oſtendit ceteris comparatum.

Probabilius eſt verba hæc non referri ad miraculum paralytici ſanati, ſed ad ea, quæ præcedunt hoc pacto: Nolite mirari tamquam increduli hoc,

Chriſti ſũmum miraculũ reſuſcitatio omniũ mortuoriũ. quod dico: Videlicet Filium habere vitam in ſemetipſo, ſicut habet Pater: & habere iudicandi poteſtatem. Nam vos ipſi iudicij tempore vera hæc eſſe experiemini, cùm Filij Dei poteſtate mortuos excitatos, videbitis ſumma cum maieſtate ab ipſo iudicari. Loquitur Chriſtus de admiratione, cum incredulitate coniuncta, cùm ita mira res videbitur, & incredibilis, vt credere auditores nolint. Forſitan Iudæi geſtu aliquo corporis, incredulitatis admirationem præ ſe tulerant.

Referri etiam poſſunt hæc verba: *Nolite mirari hoc*, vel: *Ne miremini hoc*; vt Græcè habetur, μὴ θαυμάζετε τοῦτο, ad illa quoque alia verba: *Venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint viuent.* Quaſi dicat: Ne miremini quòd dixerim, hoc tempore me aliquos homines in vitam reuocaturum. Nam aliquid multò admirabilius ſum facturus. In fine enim mundi omnes homines in vitam reuocabo, & reuocatos iudicabo.

Ioan. 5.

Caiet. Caietanus ſic interpretatur: *Nolite mirari*, ſcilicet, quia Filius cõſtitutus eſt iudex, quia Filius hominis eſt, audientes factum, neſcientes, Quare. Nam idcirco Filius hominis conſtitutus eſt iudex, quia iudicium erit ſenſibile. Audient enim omnes homines vocem Filij Dei ex monumentis, ſenſibiliter iudicandi, &c.

Suprà cùm Dominus loqueretur de mortuis, quos in regione illa donauit vita: *Venit*, ait, *hora, & nunc eſt.* At hoc loco, quia de mortuis loquitur, quos extremo iudicij tempore, vitæ reſtituet: non addit, *& nunc eſt*, ſed ſimpliciter dicit: *Venit hora*, tempus præſens pro futuro vſurpat. Hoc eſt, Veniet hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filij Dei. Suprà dixit: *Mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint viuent*, pauci enim ad vitam reuocati ſunt. Hoc autem loco; *Omnes*, inquit, *audient vocem Filij Dei*: omnes enim iudicij tempore excitabuntur. Simile illud eſt: *Putas ne mortuus homo rurſum viuet? Cunctis diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea. Vocabis me, & ego reſpondebo tibi, operi manuum tuarum porriges dexteram.* Videlicet ad reſurgendum in extremo die.

Reſurrectio generalis hic prædicitur. *Ioan. 5.* *Iob 14.*

Cur dixit Chriſtus: *Omnes, qui in monumentis ſunt audient vocem Filij Dei?* Numquid ſolùm illi reſurgent qui in monumentis ſunt? Reſpõdetur, Chriſtum horum tantummodo facere mentionem: reliquos, qui monumentis carent, non excludere. Omnes autem excitandi ſunt homines, tam qui ſepulchris conditi ſunt, quàm qui ſepulchris caruerunt. Quod Ioannes docet illis verbis: *Dedit mare mortuos, qui in eo erant, & mors, & infernus dederunt mortuos ſuos*, &c

Ioan. 5. *Omnes homines reſurgent in iudicio.* *Apoc. 20.*

Præterea dubitatur, num mortui Chriſti vocem ſint auribus percepturi? Ait enim; *Omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem Filij Dei*: atqui mortui audiendi ſenſu carent. Idem dubium eſt in verbis ſuprà ſcriptis; *Venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint, viuent.* Numquid Lazarus in ſepulchro humatus, vocem illam audiuit: *Lazare veni foras?* Reſpondet Cardinalis Caietanus Ioan. 5. ſenſum eſſe metaphoricum; verbóque audiendi ſignificari mortuos, voci Chriſti obtemperaturos, inſtar audientium. Audient mortui, inquit ille, hoc eſt, ad ſimilitudinẽ audientium obedient. Mortui enim non poſſunt audire proprie loquendo; ſed tamen ſurrexerunt Lazarus & filius viduæ, ad litteram, ac ſi audiſſent, &c. Similiter Ianſenius: Dicuntur, inquit, mortui corpore; audire vocem Filij Dei, quia ſentiunt vim vocis eius: aut quia veluti ſi audirent, ita voci illius obediunt, &c. Dici etiam poteſt, non quidem corporeo, ſed ſpiritali auditu percepturos mortuos Chriſti vocem & imperium. Animabus enim mortuorum per reuelationem nota fiet vox & imperium Chriſti, omnéſque vel ex cælo, vel ex tartaro, vel ex purgante igne, ad ſua corpora diuina virtute reſumenda conuolabunt. Sic ab anima Lazari veriſimile eſt vocem illam auditam, *Lazare veni foras*; & à filio viduæ illam: *Adoleſcens, tibi dico ſurge*; & à filia Archiſynagogi illam; *Puella ſurge.* Qua autem Chriſti voce ſint conuocandi mortui, tunc Deo fauente dicemus, cùm de iudicio egerimus.

Quonam modo mortui filij Dei vocem ſint audituri. *Ianſen. Mortui quomodo audiant vocem filij Dei.*

ET *procedent, qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in reſurrectionem iudicij.* In iudicio illo horrendo, iudicis iuſtiſſimi ſententia abſoluet quoſdam, æternæque vitæ præmio afficiet; alios verò damnabit, æterniſque ſuppliciis addicet. Id quod Chriſtus hoc loco docet: *Audient*, inquit, mortui, *Filij Dei vocem: & procedent* ex ſepulchris, *qui bona fecerunt* opera *in reſurrectionem vitæ*, ſcilicet, æternæ, ac gloriæ, qua à iudice donabuntur. At verò, *qui mala egerunt, procedent in reſurrectionem iudicij*, hoc eſt, condemnationis. Idem dicitur: *Euigilabunt alij in vitam æternam, & alij in opprobrium,* *Ioan. 5.* *Dan. 12.*

Matth. 25.

brium, vt videant semper, &c. Et: *Statuent oues à dextris*, A *hædos autem à sinistris*, &c.

Fides sine bonis operibus nō sufficit ad vitā æternam.

Obseruet hoc loco Theophylactus, non esse satis fidem absque operibus ad consequendam æternam vitam. Sic enim Dominus ait: *Qui bona fecerunt, procedent in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij & damnationis.* Ergo mala opera, etsi fidem Christianus habeat, æternam illi damnationem afferent. Quoniam, inquit Theophylactus, dixerat Dominus; Qui credit, in iudicium non veniet; ne putemus quòd fides sola ad salutem sufficiat; dicit, quòd resurgent, qui mala fecerunt, in resurrectionem iudicij; qui autem bona, in resurrectionem vitæ. Non igitur sola fides sine operibus iustificat. Hæc Theophylactus. Hinc illud Augustini libro 15. de Trinit. cap. 118. Sine caritate potest fides esse; sed non & prodesse, &c. Et illud Ambrosij lib. 2. de fide in prologo: Bona B fides, cum pulchro operum renitet ornatu, &c. Fides charitate, operibúsque carens ornatu suo pulcherrimo caret, immo sua caret vita; etenim vt Iacobus ait: *Fides sine operibus mortua est in semetipsa.*

Theoph. Fides sine operibus nō iustificat.

Augustin.

Ambr.

Iacobi 2.

Ioan. 5.

NON *possum à meipso facere quidquam. Sicut audio iudico, & iudicium meum iustum est*, &c. Orbis iudicem se affirmauit Dominus; hominésque in vitam reuocatos ad iudicium venturos asseruit. Hoc loco iudicare se ait, potestate & sapientia à Patre per æternam generationem accepta; iustúmque esse iudicium, quoniam cum Patris voluntate est consentiens. Non possum, inquit, à meipso facere quidquam, potestatem enim à Patre per æternam generationem accipio, eādem quam Pater habet. C Itaque eadem Patris potestate iudicabo. Eadem etiam Patris sapientia. Nam *sicut audio à Patre, sic iudico*: hoc est, eadem Patris sapientia, quam à Patre habeo sententiam feram. Præterea iustum est iudicium meum. Etenim non quæro voluntatem meam, sed eius qui misit me, id est, Patris. Hanc ego voluntatem in iudicando quæro, ab illa nullo modo iudicium meum discrepat; vnde sequitur esse iustissimum. Siquidem voluntati diuinæ omnino est congruens. Iudicis iniustitia (vt hoc loco ait Caietanus) ex intellectus ignoratione, vel ex voluntatis prauitate oriri potest. Vtraque causa à Christo longissimè abest. Etenim infinita sapientia iudicat, quam nihil latet; & volun- D tate iustissima.

Eadē est Patris & Filij potentia & sapientia.

Caiet.

Rogabis, quonam modo Filius à Patre iudicat? Respondetur, hoc loquendi modo; *Sicut audio iudico*: significari Filium accipere à Patre sapientiam ad iudicandum, eamdem quam habet Pater. Quia auditus sensus est, per quem scientia ab alio accipitur: Filius verò à Patre accipit sapientiam. Quia igitur Pater Filio per æternam generationē communicat diuinam sapientiam, per quam omnia cognoscit & iudicat, ideo dixit: *Sicut audio, sic iudico, & iudicium meum iustum est*: nulla enim ignoratio in diuinam sapientiam cadere potest. Præterea secundùm humanitatem, sicut audit à Patre Filius per scientiam à Patre acceptam iudicat, cui omnia E sunt perspecta. Non igitur illius potest iudicium esse iniustum, causa ignorationis.

Filius quomodo à Patre audiat.

Ioan. 5.

Dubium quoque est, quo sensu vera sint verba illa: *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* Etenim Christus nullam habebat voluntatem à voluntate Patris dissentientem. Hæc autem verba videntur indicare aliquam habuisse voluntatem, quam non quæreret, propterea quòd à Patris voluntate discreparet. Respondetur, Christum quâ Deus est, eamdem omnino habere diuinam voluntatē, quam Pater habet, non aliam

Ibid. De volūtate Christi.

diuersam. Quatenus verò est homo, voluntatem habere humanam, sed omnino cum diuina consentientem. Sensum autem illorum verborum hunc esse; Non quæro voluntatem meam aliquam facere peculiarem, à Patris voluntate discrepantem. Huiusmodi enim voluntatem non habeo. Sed quæro voluntatem Patris, quæ mea est, eadémque iustissima.

Opponet quispiam, Christum voluisse non mori, vt liquet ex illa oratione, *Pater si possibile est, transeat à me calix iste*, &c. Vnde efficitur voluntatem habuisse à voluntate Patris discrepantem; volebat enim Pater illum mori. Præterea Augustinus libro 3. contra Maximium, capite 20. In hoc, inquit, quod Christus ait: *Non quod ego volo*: aliud se ostendit voluisse, quàm Pater, &c. Ergo voluntas Christi non erat consentiens cum voluntate Patris. Respondetur, illam Christi voluntatem, quæ mortem renuebat, fuisse conditionatam, quamobrem ait: *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Præterea fuisse voluntatem per modum naturæ, quæ mortem horrebat, non per modum rationis, quæ illam amplectebatur. Cùm verò dicimus Christi voluntatem omnino cum voluntate Patris consensisse, de voluntate loquimur per modum rationis absoluta. Hæc enim numquam à Patris voluntate discrepauit. Voluntatem autem, quæ per modum naturæ consideratur, & conditionata, ac velleitas quædam est, à Patris voluntate discrepare potuisse in volito, concedit S. Thomas 3. parte quæstione 18. artic. 5. Patet, inquit, quod Christus secundùm voluntatem sensualitatis, & secundùm voluntatem rationis, quæ consideratur per modum naturæ, aliud poterat velle, quàm Deus. Sed secundùm voluntatem, quæ est per modum rationis, semper idem volebat, quod Deus, &c. Licet autem in re volita dissenserit voluntas, vt natura, à voluntate Patris, consentiens tamen fuit in ipso actu. Diuina enim voluntas volebat Christi voluntatem per modum naturæ actum illum habere, naturæ mortem horrenti consentaneum. Consentiebat ergo cum voluntate Patris etiam voluntas, vt natura, si de actu loquamur, non consentiebat si de re volita sermo sit. Sed hæc dissensio voluntatis conditionata, simpliciter dissensio non est, præsertim cùm illius actum Deus maximè approbaret.

Matth. 26. An Christus habeat voluntatem à Patre diuersam. Aug.

Quæ Christi voluntas à Patris voluntate nūquam discrepauit.

S. Thom.

Diuus Cyrillus libro 2. in Ioannem, cap. 46. de Christo secundùm humanitatem verba hæc interpretatur, in hanc sententiam; Non possum à meipso facere quidquam; hoc est, non possum facere quidquam ex voluntate mea diuersa à Patris voluntate. Sed ex lege, & iuxta legem. Sicut audio legem, iudico; meum iudicium legem sequitur Dei. Non enim quæro voluntatem meam, sed Patris. Ostendit Christus (ait Cyrillus) nihil se facere posse, quod lex prohibeat; sed id iudicium sequi, quod legi videatur. Ita frænum legis Iudæos excussisse occultius denotat; cùm dicat, se non posse quidquam facere à semetipso. Vos enim, inquit, Iudæi data vobis mandata transgredimini; vos à vobis ipsis omnia facere audetis; vos ita de rebus omnibus iudicatis, vt iudiciis vestris diuina legis mandata negligere studeatis. Ita iustè se iudicare; Iudæos iniustè affirmat. Hæc ille. Sed sensus alter sequendus; Nam Christus Dominus legis erat, poteratque à seipso, quod vellet facere. Præterea hæc verba, illa alia superius iam explicata explicant; *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* *Ioan. 5.*

Cyril.

Est præterea illorum verborum; *Sicut audio iudico*: alius huiusmodi sensus; iuxta conditionem &

cognitionem causæ iudico; ita vt probem probanda,& condemnem condemnanda, iuxta audita & allegata iudico, sententiamque fero. Sed Christus secundùm conspecta potiùs, quæ ipse videt & intuetur, quàm secundùm audita & allegata iudicabit. Nisi velis sensum hunc esse: Non iudico incognita causa quemquam, reis omnibus ac testibus aures præbeo, sicut audio à conscientiis hominum sic iudico. In iudicio enim conscientia loquetur,accusabitque hominem,vel defendet; iuxta illud Pauli: *Rom. 2.* *Ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum: & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus,in die,cum iudicabit Deus occulta hominum,* &c.

CAPVT VII.

De dictis Christi post sanatum ægrum apud piscinam.

Ioan. 5. SI *ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum.* Hactenus admirandam sibi tribuit Christus potestatem mortuos in vitam reuocandi,& iudicandi, seque Patri æqualem esse ostendit.Quia verò obiicere Iudei poterant,vel corde iam obiecerant, id quod obiecere: *Ioan. 8. Christus verum se dicere,quomodo demonstret.* *Tu de te ipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est verum.* Occurrit obiectioni, aliosque profert testes.*Si ego* (inquit) *testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum.* At testimonium Christi nulla ratione falsum esse poterat:quo igitur modo ait: *Ioan. 5.* *Si ego testimonium de me perhibeo, testimonium meum non est verum?* *Ioan. 8.* Præterea sic affirmat: *Si ego testimonium perhibeo de me ipso,testimonium meum verum est*: quæ verba his aduersari videntur. Respondetur cap.8.loqui Christum, non ex opinione Iudæorum, sed vt se res habebat. Dei enim testimonium falsum esse nequit.Hoc loco de suo testimonio loquitur iuxta opinionem, & ignorantiam hominum,qui diuinum esse testimonium nesciebant.Vnde ait:*Si ego testimonium perhibeo de me ipso,testimonium meum non est verum.* Verissimum quidem est re ipsa,sed vestra,& vulgi opinione falsum esse potest, nec legitimum, & dignum, cui fidem habeatis.Pro auditorum suspicione(ait Chrysostomus)loquitur Christus,&c.

Prouerbiũ apud Iudæos tritum. Forsitan prouerbialis dicendi modus apud Iudæos fuit hic:*Qui testimonium perhibet de se ipso, testimonium eius non est verum*: eoque veluti prouerbiali vsus est Dominus.Nam, vt Diuus Cyrillus affirmat in hunc locum, ita natura sumus nati, vt minus eis credamus,qui præcipuum sibi decus attribuunt.Et *Cyril.* *Cyprian.* Diuus Cyprianus epistol.69.ad Florentium:Dominus,inquit,ipse docet testimonium nõ esse verum, siquis de se testis existat: eò quòd vnusquisque sibi faueat, nec aduersum se quisquam infesta & aduersa depromat. Fides verò sincera sit veritatis, si in prædicationibus nostris (id est laudationibus) alius prædicator existat(id est laudator)ac testis.Ita *Prou.27. Proprio in ore vilescit laus.* Cyprianus.Huc accedit illud, *Laudet te alienus,& non os tuum:extraneus, & non labia tua.*Item eodem capite: *Quomodo probatur in conflatorio argentum,& in fornace aurum,sic homo probatur ore laudantis,* &c. Est os laudantis simile fornaci. Quemadmodum enim ex fornace aurum scoria expurgatum exit, ac rutilantius: sic ex ore laudantis, qui laudatur, à vitiis purus, virtutumque splendore fulgentior egreditur. Os autem proprium non bonum est conflatorium. Ore enim proprio laudante, non fit homo rutilantior: sed scoriam,id est superbiam admixtam, habere se indicat.Est etiam propria laus de falsitate suspecta.

A In nostris enim rebus ipsa philautia excæcamur. Vnde illud Marci Tullij libr.14.ad Atticum, Accipe,inquit, à me Attice καθολικὸν θεώρημα, id est, generale Theorema, earum rerum in quibus exercitati sumus satis. Nemo vmquam neque orator, neque poëta fuit, qui quemquam meliorem, quàm se arbitraretur. Hoc etiam malis contingit, &c. Hinc prouerbium: Suum cuique pulchrum. Illud quoque Aristotelis libro secundo Rhetorices. Quoniam omnes sui sunt amantes,& sua cuique iucunda esse necesse & facta, dictaque, idcircò etiam plerumque assentatoribus gaudent. Hæc ille. Dicuntur autem ab Aristotele homines, φίλαυτοι, id est, sui amantes, & φιλοκόλακες, id est, amantes adulatorum. *Cicero. Suũ cuique pulchrũ,generale Theorema est.* *Aristot.*

B ALIVS *est, qui testimonium perhibet de me.* Diuus Athanasius libro 2. de vnita Deitate Trinitatis, Diuus Cyrillus, & Rupertus in Ioannem, alium hunc testem, Patrem esse interpretantur, hunc in modum: *Alius est, qui testimonium perhibet de me*: scilicet Pater. Est enim Pater alius à Filio, qui est persona alia:non tamen est aliud à Filio,quia non habet aliam essentiam, sed eandem. Verisimilior est sententia diui Chrysostomi, Theophylacti,& diui Thomæ, testem hoc loco citari Ioannem. Probatur,quoniam de Ioanne Baptista sermonem continuat: *Vos misistis ad Ioannem,* &c. Neque verò obstat, quod opponi potest, non loqui de Ioanne Dominum, quia præponeret testimonio suo, testimonium Ioannis. Non,inquam,obstat,eò quòd Christus non præponit testimonio suo, testimonium C Ioannis re ipsa. Sed propter hominum ignorationem, qui testimonium oris proprij dignum fide non putabant; alterius, id est, Ioannis testimonium citat. Est ergo sensus; Si ego testimonium de me ipso fero, ex opinione ignorationéque vestra suspectum erit, quamuis illi nulla, re ipsa, falsitas inesse possit, sitque omnium hominum testimonio præcellentius. Profero igitur testes alios, atque in primis Ioannem Baptistam: *Alius est, qui testimonium perhibet de me,* nempe Ioannes. *Ioan. 5.* *Pater alius est à Filio non aliud.* *Ioan. 5.* *Ioannis testimonium citat Dominus.*

D VOS *misistis ad Ioannem,& ipse testimonium perhibuit de me.* Testem profert Baptistam locupletissimum & dignissimum fide: ad quem, quòd dignum fide crederent Iudæi, legatos miserant, vt docet capite primo Euangelista Ioannes, qui interrogarent, num Messias ipse esset? *Vos*, inquit, *misistis ad Ioannem* legatos, tamquam ad testem dignum fide. Ille verò testimonium verissimum de me tulit, méque Messiam esse asseruit. Lege Ioannis caput primum. *Ioan. 5.* *Ioannis testimonii de Christo fide dignissimũ.*

E EGO *autem non ab homine testimonium accipio.* Si Christus non accepit testimonium ab homine, quomodo accipit à Ioanne? Quanam ratione Ioannem hominem testem citat, & hominis testimonium se non accipere affirmat. Respondetur, Christi verbis huiusmodi inesse sensum: Ego testimonium ab homine non accipio propter me, propter aliquam meam vtilitatem & commodum. Idcirco addit, *Sed hæc dico, vt vos salui sitis*, id est, testem Ioannem cito, propter vos, propter commodum vestrum ac salutem; vt fidem viuam,& cum fide animi salutem consequamini. Vel, Ego non accipio ab homine testimonium quod mihi necessarium sit, aut quod humana laude oblecter, sed propter vos. *Ioan. 5.* *Testẽ citat Ioannẽ Dominus propter Iudæos.* *Ioan. 5.*

ILLE *erat lucerna ardens & lucens.* Testem Ioannem commendat, lucernam appellat ardentẽ ac lucentẽ. Seruit similitudo testimonio de quo loquitur. Lucerna Ioannes appellatur,quòd testis fuerit Christi. Vt enim lucerna lucẽ hominibus præfert, *Ibid.* *Cur Ioãnes lucerna.*

sic

sic Ioannes, Iudæis de vero Messia testimonium, veluti lucem prætulit, agnúmq; Dei in tenebris, id est, antequam miraculis se proderet, ostendit. *Tertul.* Tertullianus in libro contra Iudæos: Ioannes, inquit, fuit lucerna lucens & ardens; vtpote qui non tantùm vias Christi parabat in eremo; sed & Agnum Dei demõstrando, illuminabat mentes hominum præconio suo. Vt eum esse intelligerent Agnum, quem Moses passurum nominabat, &c. Ille, inquit Christus, erat lucerna lucens & ardens, hoc est, testimonium mihi perhibens, vósque sua de me doctrina illuminans.

Cyril. Præterea D. Cyrillus Ioannem lucernam appellari scribit, quod non proprio, sed alieno fulserit lumine: Lucerna, inquit, est Baptista, quoniam ante manifestationem Christi non suo lumine, sed alieno præfulsit, &c. Christum autem ait non lucernam, quæ aliena luce splendeat, sed ipsissimam lucem esse. Lux, inquit, naturaliter vnigenitus est, &c. Ipse qui lux naturaliter est, lucernam accendit, hoc est, Ioannem in vtero matris Elisabethæ. *Non erat ille lux*, ait Euangelista capite primo. Christus lux erat naturaliter, Ioannes lucerna à summa luce inflammata. Vnde Augustinus sermone octauo, de Verbis Domini: Erat, inquit, Ioannes lucerna, hoc est, res illuminata, accensa vt luceret, quæ accendi potest & extingui; sed vt non extinguatur, ventum superbiæ non patiatur, &c. Fugit superbiæ ventum nostra lucerna Ioannes, tunc cùm ad eum legatos Iudæi misere. Vetorum veluti quadam flatus illæ erant interrogationes; *Es tu Christus? Es ne Elias? Es ne Propheta?* Omnes fugit flatus cùm respondit; *Non sum*, cúmque in terram procumbens ait: *Cuius ego non sum dignus, vt soluam corrigiam calceamenti.* Lege Rupertum & Euthymium. Theophylactus: Lucernam, ait, ardentem vocat Christus Ioannem, eò quòd de terra habet formationem, & non per seipsum esset lumen, sed à gratia spiritus ac temporarium. At vbi apparuit dies Domini, hoc est, doctrina, occultata est lucerna, &c. *Ambr.* Ambrosius Psalmo 118. oct. 14. Bona lucerna Ioannes, quæ lumen accipiebat à Christo, vt lucere posset in hoc sæculo. Meritò ardens, meritò illuminans, qui erat nuntius Christi, illuminans prædicatione fidei, pectora singulorum, &c.

Christus lux naturaliter: Ioannes lucerna. Aug.

Ioannes lucerna ardẽs ac lucens quomodo fuerit.

Lucerna autem dicitur ardens ex sententia Bernardi, propter mentis feruorem, lucens propter doctrinæ splendorem. Ardebat sibi, ait Bernardus, lucebat nobis, &c. Huiusmodi concionatores ac pastores Ecclesia flagitat: ardentes sibi, lucentes aliis: ardentes intus, lucentes foris: ardentes animo, lucentes lingua. Nam vt idem Bernardus testatur, tantùm lucere, vanum est; tantùm ardere, parùm: ardere autem & lucere, perfectum, &c. Perfectus Ioannes vtrumque habuit, & ardorem, & lucem. Ardens, inquit Bernardus, erat Ioannes in seipso, vehementi austeritate conuersationis, erga Christum, intimo quodam, & pleno feruore deuotionis, erga peccantes proximos, constantia liberæ increpationis. Luxit exemplo, digito, verbo, &c. De Ioanne intelligunt Tertullianus, diuus Cyrillus in *Psal. 131.* Ioannem, Augustinus, & alij illud: *Parauí lucernam Christo meo.* Diuus item Cyrillus adumbratum censet aureo illo candelabro, quod ante arcam testamenti, & Sancta sanctorum in tabernaculo olim lucebat. Ioannes enim ante Sanctum sanctorum, id est, Christum, lucernæ instar splenduit.

Ioan. 5. Iudæi ad lucem Ioannis exultarũt.

Vos *autem voluistis ad horam exultare in luce eius.* Arguit Iudæos, quòd in luce, & splendore sanctitatis, & doctrinæ Ioannis, ad breue tantùm tempus voluerint exultare. Erat ille lucerna diuino inflammata igne ac luce; vos autem in luce tantæ sanctitatis & doctrinæ exultare voluistis, ad horam tantùm, hoc est, ad breue tempus. Apparuit vobis post longas tenebras ardens lucerna; hoc est, post longum tempus, quo Prophetis caruistis, apparuit Ioannes plusquam Propheta. Conspecta post diuturnam caliginem face, exultastis, sed voluistis ad horam tantùm, exiguumque tempus exultare. Primus enim ille feruor, quo ipsum excepistis, refrixit. Denique ab Herode in carcerem coniectus delituit.

Theoph. Theophylactus sic exponit; Vos ad horam excepistis ea, quæ à Ioanne dicta sunt, & exultastis in ipso; & deinde obliti eorum, quæ de me dixit, manifestis in priori incredulitate. Et Euthymius; Voluistis quodam tempore exultare in luce doctrinæ illius, quando omnes ad eum vndique concurrebatis, & postea refrixistis, quamuis hactenus illum admiramini. Nisi enim refrixissetis, testimonio illius credidissetis, &c. *D. Thom.* Diuus Thomas hunc in modum; Voluistis exultare in luce Ioannis quiescendo, & ponendo in eo finem, credendo eum Messiam esse. Sed tamen ad horam; quia in hoc fuisti instabiles. Nam videntes Ioannem homines ad alium, non ad se, adducere, auersi estis, &c.

Euthym.

Aliter ille non erat sol; sed lucerna: tantùm, ad breue tempus solem nube tectum, id est, me indicatura. Vos autem voluistis in luce lucernæ, quæ ad horam splendorem erat habitura, exultare: dum eum Messiam esse opinabamini. In me autem eterno sole exultare non vultis, quin potiùs me insectamini, quod sabbatum non custodiam, quodque me Patri æqualem faciam.

Ioan. 5. Testimonii operũ profert Dominus.

Ego *autem habeo testimonium maius Ioanne.* Secundum testimonium profert Dominus maius testimonio Ioannis, videlicet, testimonium miraculorum. *Ipsa*, inquit, *opera, quæ ego facio*, id est, miracula, *testimonium perhibent de me*; probant enim esse Messiam à Patre missum. Addit; *Opera, quæ dedit mihi Pater, vt perficiam ea*, quoniam suprà dixerat; *Non possum ipse à meipso facere quidquam*; Iudæosque docet tam paralytici sanitatem in sabbato, quàm reliqua omnia miracula ex Patris emanare potestate, necnon voluntate. Sed quonam modo miraculorum testimonium maius dicitur testimonio Ioannis, cùm Ioannis testimonium Spiritus sancti fuerit testimonium, Ioannis ore testificantis Christum esse Messiam? Infallibile enim erat, quemadmodum ipsum miraculorum testimonium. Respondetur, Christum ex hominum iudicio & opinione loqui, quibus miraculorum testimonium maius & certius est, quàm verborum. Alioqui re ipsa tam fuit certum Ioannis testimonium, quàm miraculorum. Vtrumque enim à Deo emanauit. *Chrysost.* Chrysostomus homilia trigesimanona. Diceret fortasse quispiam, Ioannis verba ad gratiam dicta, quamuis neque huiusmodi de Ioanne iure optimo, & tantæ apud Iudæos admirationis suspicio oriri posset. Verùm opera etiam insanis persuaderent; ideo eorum adduxit testimonium, &c.

Ioan. 5.

Testimonii miraculorũ quomodo maius testimonio Ioãnis fuerit.

Et *qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me.* Tertium testimonium citat Patris. Sed quandonam testimonium perhibuit Pater Christo? Respondent, & rectè quidem, Chrysostomus, & Rupertus, tunc cùm in Baptismate vox illa è cælo delapsa est, *Hic est Filius meus dilectus*, &c. Diuus Cyrillus, Theophylactus, Beda, Euthymius, Patrem aiunt testimonium perhibuisse Filio per Scripturas. Dici etiam potest per miracula quoque Filio testificatum. Miracula enim Filij à Patre quoque fiebant. Hæc verò qui dixerit, dicet etiam, non proferri à Christo hoc loco testimonium Patris, tamquam diuersum à testimonio Scripturarum, & miraculorum.

Profert Dominus testimonium Patris.

rum. Obiicitur quod sequitur: *Neque vocem eius vmquã audistis*: Ergo Christus de voce in Iordane audita nõ loquitur, sed mox obiectioni respõdebitur.

Ioan. 5. NEQVE *vocem eius vmquam audistis, neque speciem eius vidistis.* Patrem testem citauit. Hoc loco Iudæos obiurgat, nec Deum agnoscere ait, quem sibi maximè cognitum putabant; nec verbis illius & Scripturis, quas magni faciebant, obtemperare. Deus, inquit, spiritus est, sub aspectum non cadit, ignotus vobis est & inaspectabilis. *Neque vocem eius vmquam audistis, neque speciem eius* & formam *vmquam vidistis.* In philosophicam, ait Chrysostomus homil. 39. paulatim introducit disciplinam, ostendens Deum, neque vocem habere, neque speciem, sed esse omni figura, & omni voce superiorem, &c. Similem in modum loquitur. *Est verus, qui misit me, quem vos nescitis. Ego scio eum*, &c. Et: *Est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus vester est, & non cognouistis eum. Ego autem noui eum*, &c.

Chrysost. Iudæi Dei laborare ignorantia à Christo dicuntur. *Ioan. 7.* *Ioan. 8.*

Obiicitur: Iudæi audierunt vocem illam Patris; *Hic est Filius meus dilectus.* In monte quoque Sinai, vocem audiere Dei, mandata promulgantis, ergo vocem Dei Patris aliquando audierunt. *Vocem*, aiunt, *eius*, id est, Dei, *audiuimus de medio ignis*, &c. Respondetur Patrem spiritum esse, neque linguam habere, neque instrumenta reliqua vocis efformandæ. Quamobrem vocem non habere propriam, ac sibi naturalem. Vnde D. Thomas 3. parte, quæst. 39. articulo vltimo ad 2. ait vocem in Christi auditam Baptismate, ad naturam Patris non pertinuisse. Loquitur ergo Dominus hoc loco de voce propria ac naturali, quæ proprio ore, orisque instrumentis efformatur, quam Pater minime habet. Eumdem in modum intelligenda illa verba sunt; *Neque speciem eius vidistis*; hoc est, non vidistis formam aliquam corpoream, quæ Dei, quâ Deus est, forma sit. Cùm autem in Scriptura legimus vocem aliquam Dei sonuisse, intelligendum est vocem illam Angelorum opera efformatam esse. In hunc modum in monte Sinai vox Dei sonuit, in Baptismate quoque Christi, ait Abulensis vocem illam ab Angelo fuisse productam; D. verò Thomas loco citato, vult à sanctissima Trinitate fuisse effectam. Præterea cùm legimus Isaiam vidisse Deum, Iacob, & alios, intelligendum est per imaginem aliquam in sensu interno expressam, vel per Angelum in corpore assumpto loquentem vidisse, & audisse. Vnde obiectioni suprà positæ respõdetur, Patrem quidem testimonium perhibuisse per vocem in Baptismate, sed non propriam sibi & naturalem. Idem de voce dicendum est, quæ in monte Sinai est audita. Dominus autem patris vocem naturalem à Iudæis perceptã negat.

D. Thom. *Deus quomodo vocẽ nõ habeat.* *Deus quomodo visus sit.*

Ioan. 5. ET *verbum eius non habetis in vobis manens.* Quamuis Deus hominum oculis minimè cernatur, propriaque illius vox auribus minimè percipiatur; tamen illius verba in Scriptura sacra habentur, quibus fidem & obedientiam præstare debemus. Obiurgat igitur Christus Iudæos, propterea quod verbis Dei obedientiam non adhibeant. *Verbum*, inquit, *eius non habetis in vobis manens*, hoc est, non habetis cordibus impressum, vt illi obtemperetis. Verba Dei interpretatur Chrysostomus, præcepta, legem, & Prophetas, qui de Christo fuerant vaticinati. Addit huius obedientiæ signum; *Quia*, inquit, *quem misit ille, huic vos non creditis.* Non habetis verbum Dei scriptum, & manens in cordibus. Id verò probo, quia mihi non creditis, de quo Prophetæ & Scripturæ testimonium ferunt. Aliter; Verbum eius, id est, doctrinam Patris, quam ex me auditis, non habetis in vobis manentem; nec enim illa in cordibus vestris impressa permanet. Sed efluit. Aliter; Verbum Dei, id est, Scripturam sacram non habetis in vobis manentem; quoniam à vobis adgentes transibit. Vel, verbum Dei, id est, promissa Scripturarum & Prophetarum de Messia, non habetis in vobis manentia; quoniam à vobis adgentes discedent; quia mihi credere non vultis. Item: Verbum Dei, id est, Messiam, qui est Verbum Dei, non habetis in vobis manentem; quia illi credere non vultis. Versatur ille nunc inter vos, sed non manebit vobiscum. Ob vestram incredulitatem migrabit adgentes.

Iudæi verbũ Dei manens in eis, quomodo nõ habuerint. *Ioan. 5.*

CAPVT VIII.

De dictis Christi post sanatum ægrum apud piscinam

Ioan. 5. SCRVTAMINI *Scripturas.* Ambigui modi est verbum *scrutamini*, tam Græcè, quàm Latinè. Indicantis modi esse diuus Cyrillus, Ianseníus, & Toletus existimant, hoc sensu; Vos legitis, & diligenter euoluitis, & excutitis Scripturas. Sed rectiùs diuus Chrysostomus, Augustinus, & alij imperantis esse modi arbitrantur. Quartum ergo testimonium adhibet Dominus Scripturarum. Quoniam verò, vt Christus in Scripturis inueniatur, diligenti perscrutatione opus est; ideo non dixit: legite Scripturas, sed *scrutamini Scripturas*; diligenter euoluite, excutite, expendite, ad profunda illarum mysteria penetrate, ne in littera hærete, ad spiritum transite. Non dixit, ait Chrysostomus hom. 4. Legite Scripturas, sed scrutamini, diuina enim summa indigent diligentia. In vmbra enim maioribus illis non abs re locutus est Deus. Idcirco effodere profundiùs iubet, vt quæ altè delitescunt, inuenire possimus. Non enim rem in superficie, & in promptu positam effodimus, sed tamquam thesaurus profundè reconditur, &c.

Testimonium Scripturarum adhibet Dominus. *Chrysost.* *Diligenter sunt perscrutandæ Scripturæ.*

Scrutamini, ait, *Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere.* Quæritur, quonam modo vitam æternam in Scripturis habere se Iudæi putarint? Ianseníus ait se habere existimasse vitam æternam in Scripturis, hoc est, per Scripturas, scilicet per earum intelligentiam, fidem, & obseruationem. Iuxta illud: *Ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem*, &c. Vt Timotheum, sic etiam Iudæos sacræ litteræ instruere poterant, ad vitam æternam consequendam. Caietanus arbitratur existimasse Iudæos habere se in Scripturis vitam æternam promissam. Titelmannus vitam æternam interpretatur esse scientiam veritatis, quæ in diuinis Scripturis reperitur. Respondemus, Iudæos putasse vitam se æternam in Scripturis habere, quoniam in Scripturis Dei cognitio, opera, ac præcepta continebantur, per quæ ad vitam æternam poterant peruenire. Putat doctus quidam Interpres his verbis reprehensionem fuisse tacitam, in hunc modum; Scrutamini Scripturas, quia in perpetua obseruatione cæremoniarum, quas illæ tradunt, vos habituros vitam æternam putatis. At non erunt hæ cæremoniæ perpetuæ: paulò pòst abrogantur. Hoc additamento opus non est. Neque enim Christus abrogandam legem docet; sed ad scrutationem Scripturarum Iudæos impellit, quòd in ipsis existiment vitam se habere sempiternam. Et quidem vitam continebant sempiternam Scripturæ & legis obseruatio; à meritis tamen Christi pendentem. Legis enim obseruatio ipsa per se non erat satis ad æternam vitam consequendam, absque gratia, quæ à Christo veluti fonte emanabat,

Ioan. 5. *2. Tim. 3.* *Quomodo existimarint Iudæi habere se in Scripturis vitã æternam.* *Vita æterna ex meritis Christi pẽdebat in lege veteri.*

bat, vt tom. 1. lib. 1. ostendimus. Hoc forte Christus potiùs subintellexit, videlicet: Vos putatis in Scripturis, id est, in ipsis operibus legis, quæ Scriptura tradit, vitam æternam habere; at falsò putatis. Non enim in illis absque meis meritis & gratia, vita æterna haberi potest.

Docet locus, non legendas non solùm, sed perscrutandas etiam Scripturas. Etenim Scriptura sacra thesauro abscondito gemmisque referto est similis, ad quas peruenit, qui thesaurũ scrutatur. Est similis aurifodinæ, cuius omnes venæ diligentissimè sunt perscrutandæ: quod Diuus Chrysost. docet hom. 31. in Ioan. Quemadmodum, inquit, in auri metallis, ne minimam quidẽ venam quispiam, qui rem intelligato, mittere patitur; ita in diuinis Scripturis, ne vnum iota, aut vnus apex, sed ne dimidium quidem prætermittendũ est: sed omnia diligentiùs inuestiganda. Nam ab Spiritu sancto omnia proueniunt, neque in iis quidpiam superfluum, nihil non necessarium, &c. Homilia item 23. in Genes. Obsecro, ait, ne quid in sacris litteris; aut contemnatur, aut obiter prætereatur. Etiamsi nomina recensentur, aut historiæ narrentur, recõditum inuestigemus thesaurum. Nam & Christus dicebat: *scrutamini Scripturas.* Quia non vtique in superficie mens Scripturæ inuenitur: sed opus est scrutinio, vt ne quod in profundo latet, nobis remaneat absconditum. Adde illud li. 2. de Orando Deo: Qui vitam agunt in mari, in ipsum profundum sese demittũt: ac pretiosos lapillos iis, qui versantur in terra, deferunt. Nos verò, diuinarum Scripturarum mare scrutantes, in ipsum spiritalis sapientiæ profundum decurramus, & afferamus thesaurum bonum, &c.

Scripturæ diligenter perscrutãdæ. Chrysost.

Ioan. 5.

Ibid.

ET *illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Iussit Scripturas scrutari, & in illis verum Messiam quærere. Nam *Scriptura*, inquit, *testimonium perhibent de me*, vero Messia. Si illas scrutemini, animo ab omni odio, atque inuidia alieno, me in illis inuenietis: me, inquam, & vitam æternam, quæ sine me haberi non potest. Existimatis vos in Scripturis vitam æternam habere, scrutamini, & quærite hanc vitam æternam, quæ in scripturis est. Ego vita æterna sum, de qua testimonium Scripturæ ferunt, sine me non est in Scripturis æterna vita, non est gloria. Ego gratiæ, & gloriæ, æternæque vitæ fons sum, auctor, & effector. Mortua est sine me Scriptura; ego illius vita sum, & anima, atque spiritus, sub carne literæ latens. Si me in Scripturis, scrutando inueniatis, vitam æternam, id est, vitæ æternæ causam, & effectorem inuenietis; sin minùs, vitam æternam, quam in ipsis vos habere putatis, nunquam reperietis.

Scripturæ testimoniũ de Christo ferunt. Scripturæ sine Christo mortua est. Ioan. 5.

ET *non vultis venire ad me, vt vitam habeatis.* Arguit Iudæos, quòd vitam abijciant, mortem consectentur. Quasi dicat: ego vita sum æterna, de qua Scripturæ testificantur, in quibus vos putatis vitam æternam habere. At vos non vultis venire ad me, vt vitam habeatis, vitam fugitis, in mortem æternam vos præcipites datis.

Ibid.

CLARITATEM *ab hominibus non accipio.* Accusauit Iudæos superioribus verbis, quòd nollent ad ipsum venire, & discipuli fieri tanti magistri. Ne ergo existimarent inani commotum gloria discipulos ad se allicere, & vocare, subijcit, *claritatem*, Græcè δόξαν, id est gloriam, *ab hominibus non accipio*: nempe gloriam inanem, qualem Iudæi accipiebant, vt infrà docet illis verbis: *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis?* Aliter; Quoniam de se multa gloriosa dixerat: adiungit, non gloriæ captandæ, sed caritatis causa dixisse. Vel quemadmodum suprà ait: *Ego ab hominibus testimonium non accipio*, quasi testimoniorum diuinorum inops: sic hoc loco dicit: *Ego claritatem ab hominibus non accipio*, qua illa indigeam, cùm gloriæ ipsius fons sim. Vnde sic interpretatur D. Cyrillus. Non voco vos ad me, vt à vobis, vel ab aliis gloriam acquiram, qui gloria à meipso plenus sum, &c. & Diuus Chrysostomus; Claritatem ab hominibus non accipio, id est, non egeo mundana gloria, Sol enim à lucerna lucem non accipit, &c. Quemadmodum sol lucernæ non indiget splendore; ita Christus hominum claritate non indiget. Inanis gloriæ cupidi si soli similes essent, vilissimarum lucernarum, id est, linguarum lucem non aucuparentur; sed quia tenebræ sunt, ideò à lucernis lucem mendicant, qua illustres fiant.

Quomodo gloriã Christus ab hominibus nõ accipiat. Ioan. 5.

Chrysost.

Inanis gloria non est quærenda.

SED *quia cognoui vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis.* Causam indicat cur tot citatis testibus fidem non habeãt Iudæi, cur vitam refugiant, & vocati venire nolint. Nempe quòd Dei dilectione careant. Id verò sibi perspectum ait, quamuis esset occultissimum. Omnia enim Christus perspectissima habebat. Sensus est, Sed quid plura? ego corda vestra habeo exploratissima, scio vos Deum minimè diligere, hæc incredulitatis vestræ est causa. Si enim Deum diligeretis, me reciperetis. Simile est illud; *Si Deus pater vester esset, diligeretis vtique me. Ego enim ex Deo processi.*

Ioan. 8.

SI *alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Quia caritate Iudæi carebant, Christum verissimum Messiam repulerunt. Prædicit illis Dominus fore vt repudiato Messia vero falsum recipiant. *Ego*, inquit, *veni in nomine Patris mei*, id est à Patre missus, & non accipitis me: si alius venerit in nomine suo, non missus à Deo, sed à seipso, propria & vsurpata auctoritate: illum accipietis. Loqui hoc loco Dominũ de Antichristo communis est Interpretum sententia; Diui Irenæi lib. 5. cap. 25. Hieronymi ad Algasiam quæst. 11. Ambrosij lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 14. Hilarij lib. 9. de Trinitate, Diui Cyrilli, Chrysostomi, Theophylacti, Bedæ, & aliorum. Posset locus generatim de quocumque falso Messia exponi, hoc sensu: Me non recipitis, sed si venerit alius quispiam pseudomessias, priuata auctoritate creatus, illum recipietis. Ego Patrum communi sententiæ subscribo, & de Antichristo locum intelligo.

Ioan. 5.

Loquitur Dominus de Antichristo

QVOMODO *vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriã, quæ à solo Deo est, non quæritis?* Rationem reddidit suprà incredulitatis Iudæorum cùm dixit: *Sed cognoui vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis.* Alteram addit peculiarem, videlicet inanis gloriæ, & honoris cupiditatem. *Quomodo*, inquit, *vos potestis credere*, in verũ Messiam pauperem, humanæ gloriæ, & honoris contemptorem, quiq; humana omnia docet pro nihilo ducere; vos inquam, qui gloriam inanẽ ab inuicẽ, hoc est, alij ab aliis, aucupamini, & gloriam verã, ac solidam, quę à solo Deo est, non quæritis? Ponit Dominus, ait Euthymius, causam infidelitatis Iudæorum, quòd propter gloriæ amorem non crederent. Nolentes enim Christum supra se honorari à multitudine, obsurdescebant, & aures vltrò claudebant ad veritatem, omniaq; faciebant, ne à gloria, quam habebant apud multitudinem, exciderent, &c.

Altera causa incredulitatis Iudæorum.

Quæritur, quæ sit gloria, quæ à solo Deo est, quam Iudei non quærebant? Respondet Rupertus, esse testimonium bonæ conscientiæ. Gloria enim appellatur à Paulo hoc testimonium. *Gloria*, ait, *nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*, &cet. Græcè est, καύχησις, id est, gloriatio. In testimonio namque bonæ conscientiæ, vera est gloriatio: cùm nullius peccati mortiferi sibi homo est conscius. Quę, inquit,

Quæ dicatur gloria, quæ à solo Deo est.

2. Cor. 2.

Bonæ conscientiæ testimonium gloria nostra.

Rupert. inquit Rupertus, est illa, quæ à solo Deo est gloria, nisi testimonium bonæ conscientiæ? hæc vtique vera gloria est, quia non potest fallere. Quæ autem ab inuicem est gloria, fallit semper, vnde & falsa, & vana est. Sic ille. Dionysius Carthusianus æternam fælicitatem interpretatur. Verisimilius est gloriam, quæ à solo Deo est, appellari commendationem, & illustre nomen, quod viri probi apud Deum habent, quemadmodum gloria, quæ ab hominibus est, claritas dicitur & illustre nomẽ, quod apud homines consequuntur homines. Hinc illud

2. Cor. 10. Pauli, *Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.*

Non inanis gloria, sed cœlestis quærenda.

Potest etiam locus exponi de gloria cœlesti, quam Messiæ in mundum aduentus peperit, hoc modo: Quomodo vos potestis mihi credere, qui inanem gloriam, & honorem captatis, & ab ipso Messia speratis, & gloriam cælestem, quæ à solo Deo est, quam non homines, sed solus Deus donare potest, quamque Messias suo labore est comparaturus, non quæritis. Hæc causa fuit incredulitatis Iudæorum; honores, gloriam caducam, opésque, & opibus honoribusque affluẽtem Messiam quærebant: cœlestem verò gloriam, ad quam hominibus comparandam Messias in orbem aduenerat, non cogitabant.

Inanem gloriam, ac iactantiam, pulueris globo assimilat Augustinus Psal. 7. venti impetu in altum sublato; Hic, inquit Augustinus, est *puluis ille quem proijcit ventus a facie terræ*, vt ait Vates Psalm. 1. superborum scilicet vana iactatia, tamquam vento elatus pulueris globus, &c. Hic pulueris globus oculos obcæcauit Iudęorum; ideò Christus ait; *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis?* Nihil rectè vmquam faciet vanus cupidus gloriolæ: omnia enim Christianæ vitæ officia hac turpi cupiditate contaminabit. Propter hominum plausum illa faciet; quæ propter Deum præstare debet. Opponenda gloriæ vanæ gloria solida, quæ à solo Deo est; qui nos, nostráque omnia tamquam in theatro, semper intuetur. Veram gloriam qui ardenter concupiscit, inanem flocci facit. Vnde Chrysost. hom. 17. ad Rom. A dura, ait, seruitute vanæ gloriæ liberabimur, si aliam gloriã adamauerimus, nempe eam, quæ vera gloria est. Quemadmodum enim eos, qui corpora amant, alia splendidior facies visa à priori separat; sic & eos, qui gloriam hanc depereunt, splendida illa cælestis gloria conspecta si fuerit, ab ista abducere poterit, &c.

Augustin.

Inanis gloria instar pulueris obcæcat oculos.

Ioan. 5.

Gloria vana opponenda cælestis.

Chrysost.

Ioan. 5. NOLITE *putare, quia ego accusaturus sum vos apud Patrem.* Formidinem Iudæis incutit; ipsum Mosem incredulitatis suæ accusatorem habere affirmat. Ego, inquit, vos apud Patrem minime accusabo, accusatorem incredulitatis vestræ habetis ipsum Mosem, in quo speratis, quemque liberatorem, & defensorem, non accusatorem, habituros confiditis. Dubium extat hoc loco, cur dixerit Christus, se nõ accusaturum Iudæos apud Patrem?

Cyril. Respondet Diuus Cyrillus, accusaturum Iudæos. Nõ quia dixit Dominus; *Nolite putare quia ego accusaturus sum vos apud Patrem*, ait Cyrillus, nullam delationem Iudæorum nominis à Christo futuram arbitrari oportet. Ipsum enim audimus dicentem.

Matth. 10. *Quicumque confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego ipsum coram patre meo; Et quicumque negabit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patere meo*, &c. Patet igitur, accusatum iri omnes apud Patrem per Christum, qui eum non receperunt. Non erunt igitur Iudæi, qui Christum negarunt, ab hac accusatione liberi. Hæc ille. Quomodo igitur asserit, se non accusaturum, si accusabit? Quia id solùm significat, non opus esse tum sua accusatione, cùm Moses ipsorum legislator accusator sit. Cyrillus; Non opus, inquit, esse alio accusatore affirmat Christus; sed etiam cæteris omnibus silentibus, solam Mosis legem, ad condemnationem non credentium in se Iudæorum, sufficere asserit, &c. Cyrillum sequitur Iansenius, & Maldonatus.

Quomodo Moses, non Christus Iudæos sit accusaturus.

Chrysostomus sic interpretatur; Ante me Moses vos accusat. Lyranus sic: Nolite putare quoniam ego accusaturus sim vos, scilicet, ego solus. Mecum accusat Moses. Eundem in modum exponit Diuus Thomas, Dionysius Carthusianus, Titelmanus, & Toletus. Caieta. verò sic; Nolite putare, quòd reseruetur mihi accusatio vestri, quòd retardetur vsquequo accusem in futurum vos. Iam præsens est accusatio contra vos, non expectans meam futuram accusationem. Nam Moses iam vos accusat. Adde & hanc interpretationem: Nolite putare, quòd vos ego sim accusaturus apud Patrem, postquam à mundo discessero; non enim accusabo vos apud Patrem, vt pœna afficiamini à Patre. Nam Christus non est accusator, sed iudex hominum. Iudæos ille apud Patrem numquam accusauit, postquam ex mundo abiit in cælos. Imò in cruce excusauit: *Nescunt*, inquit, *quid faciunt.* In iudicio autem negabit coram Patre. Aliud verò est negare, aliud accusare.

Chryssost.

Christus nõ est accusator hominũ sed iudex.

Ioan. 5. EST *qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis.* Dubium est quonam modo Moses dicatur Iudæos accusare. Respondet sic Caietanus: Mosem accusare Iudæos, est, ex suis Scripturis suppliciis esse dignos ostendere; propterea quòd Christo non credant, &cet. Itaque Moses accusare creditur Iudæos, libris, quos scripsit, quoniam Christum quem illi prædicant, non recipiunt. Sensus ergo est; Ipse Moses in libris suis vos accusat; ipsa à Mose de me scripta vaticinia, vos reos faciũt, quoniam illis non creditis. Hinc illud Diui Cyrilli hoc loco; Affirmat (inquit) Christus, solam legem Mosis ad condemnationem non credentium in se Iudæorum sufficere, &c.

Mosis qua ratione Iudæos accuset.

Cyril.

Prætereà dubium est, quomodo Iudæi in Mose dicantur speransse; *Moyses*, inquit Dominus, *in quo vos speratis.* Respondendum est, Christum loqui de lege & scriptis Mosis. In lege autem, & scriptis Mosis Iudæi salutis spem habebant, quoniam per legis opera salutem se cõsecuturos sperabant. Id est quod suprà dixit; *Scrutamini Scripturas, quia in ipsis vos putatis vitam æternam habere, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.*

Ioan. 5.

Quomodo in Mose speransse dicãtur Iudæi.

Quòd si quis velit Mosem ipsum per se, Iudæorum accusasse incredulitatẽ, non magnopere repugnabo. Potuit enim fieri, vt Moses in limbo Patrum tunc existens, notam haberet Iudæorum incredulitatem; & zelo permotus apud Deum accusaret. At verò verisimilius est, fuisse potiùs, vt illuminarentur Iudæi oraturum, quàm vt damnarentur accusaturum. De libris igitur Mosis locus intelligatur. Vnde sequitur.

Ioan. 5. SI *enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi.* Accusat, inquit, vos Moyses, quòd non credatis illius vaticiniis. Dicetis, Credimus omnibus illius prædictionibus, & verbis. Falsum id esse probo, quoniam si Mosis vaticiniis crederetis, mihi etiam haberetis fidem. Illa enim vaticinia de me scripta sunt. Si ergo vaticiniis haberetis fidem, mihi quoque haberetis, quem illa prædicant. Nam Moses de me scripsit. Scripsit autem multa de Messia Moses sub typis, alia sine typo sensu litterali. Quale est illud, *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est*, & illud, *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Illud, *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum*, &c. Fuit autem omniũ librorum

Gen. 49. *Gen. 22.* *Deut. 18.*

Mosis

Librorum Mosis scopus Christus. Aug.

Mosis scopus Christus, vt ait Augustinus ideóque ait: De me ille scripsit. Augustinus lib. 16. contra Faustum, capite 22. Non ait Christus; *Moses enim & de me scripsit.* Vt & alia, quæ ad Christum non pertinent, scripsisse crederetur. Sed ait: *De me ille scripsit*: vt omnem Scripturæ illius intentionem non nisi ad intelligendam Christi gratiam perscrutando consuleremus, Hæc Augustinus.

Ioan. 5.

Si autem illius literis non creditis, quomodo verbis meis credetis? Argumentum est à minori admaius, quo incredulitatem Iudæorum arguit: Si, inquit, Mosis libris fidem minimè adhibetis, in quo speratis, quémque tantopere veneramini: quod est minus, & facilius; quomodo mihi loquenti credetis, qui multò minori auctoritate valeo apud vos, quàm Moses, quod est maius, & difficilius? Multò maioris auctoritatis Christus erat, quàm Moses. hic enim homo tãtùm erat; Christus verò, & homo, & Deus.

A Loquitur ergo Dominus ex opinione Iudæorum, & ignoratione, qui Christum Deum esse non nouerant, & Mose inferiorem esse, falsa existimatione putabant.

Quæri potest; Numquid Iudæi Mosis dictis sine libris non credebant? Id verò non videtur verum, siquidem toti scripturæ sacræ fidem magnam habebant. Respondetur Iudæos credidisse omnibus dictis Mosis generatim, sed vaticinia Mosis, non credidisse de Christo esse dicta: ideóque dici, non credidisse Mosi de Christo scribenti. Quod etsi ex ignoratione aliqua ortum habuit; tamen illa crassa fuit, quæque tot Christi miraculis, vitæque, & doctrinæ sanctimonia perspecta, facilè vinci potuit. Denique credebant Mosis dictis; sed sensui, in quo dicta erant de Christo, non credebant, ideòque non credidisse dicuntur.

Iudæi quo modo Mosi non crediderint.

CAPVT IX.

De discipulis spicas in sabbato vellentibus.

MATTH. CAP. XII.

IN illo tempore abiit Iesus per sata sabbato. Discipuli autem eius esurientes cœperunt vellere spicas, & manducare. Pharisæi autem videntes dixerunt ei: Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet facere sabbatis. At ille dixit eis: Non legistis, quid fecerit Dauid quando esuriit, & qui cum eo erant: quomodo intrauit in domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant; nisi solis sacerdotibus? Aut non legisti in lege, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, & sine crimine sunt? Dico autem vobis, quia templo maior est hic. Si autem sciretis, quid est: Misericordiam volo, & non sacrificium: numquam condemnassetis innocentes: dominus enim est Filius hominis etiam sabbati.

MARC. CAP. II.

ET factum est iterum, cùm Dominus sabbatis ambularet per sata, & discipuli eius cœperunt progredi, & vellere spicas. Pharisæi autem dicebant ei: Ecce, quid faciunt, sabbatis, quod non licet? & ait illis: Numquam legistis, quid fecerit Dauid, quando necessitatem habuit, & esuriit ipse, & qui cum eo erant? Quomodo introiuit in domum Dei sub Abiathar principe sacerdotum, & panes propositionis manducauit, quos non licebat manducare, nisi sacerdotibus, & dedit eis, qui cum eo erant? Et dicebat eis: Sabbatum propter hominem factum est, & non homo propter sabbatum. Itaque dominus est Filius hominis etiam sabbati.

LVC. CAP. VI.

FActum est autem in sabbato secundoprimo, cùm transiret per sata, vellebant discipuli eius spicas, & manducabant confricantes manibus. Quidam autem Pharisæorum dicebant illis: Quid facitis, quod non licet in sabbatis? & respondens Iesus ad eos dixit: Nec hoc legistis, quod fecit Dauid, cùm esurisset ipse, & qui cum illo erant? quomodo intrauit in domum Dei, & panes propositionis sumpsit, & manducauit, & dedit his, qui cum ipso erant; quos non licet manducare, nisi tantùm sacerdotibus? & dicebat illis: Quia dominus est Filius hominis etiam sabbati.

ABIIT

Matth. 12. ABIIT *Iesus per sata.* Vt supra ostendimus lib. 4. cap. 11. matureſcebant ſegetes in Iudæa propè paſchale tempus, id quod indicant primitiæ meſſis, quæ ſecundo azymorum die Deo offerebantur: *Cùm ingreſsi fueritis terram, quam ego dabo vobis, & meſſueritis ſegetem: feretis manipulos ſpicarum, primitias meſsis veſtræ ad ſacerdotem. Qui eleuabit faſciculum coram Domino, vt acceptabile ſit pro vobis, altero die ſabbati*, &c. Alter dies ſabbati, quo manipulus Deo offerebatur, appellabatur dies ſecundus poſt ſabbatum, id eſt, diem feſtum azymorum. Iam ergo matureſcebant ſegetes tempore paſchali, & grana habebant.

Leuit. 23.

Eſt opinio, quæ negat tam citò in Palæſtina ſegetes matureſcere. Eaque probatur ex lib. Deuter. cap. 16. Feſtum primitiuorum, id eſt, Pentecoſtes, celebrabatur quinquageſimo die poſt paſcha: celebrabatur autem ſimul atque prima falx in ſegetem mittebatur Deut. 16. Non ergo poterant quinquaginta ante diebus, id eſt, die azymorum ſegetes eſſe maturæ. Sed locus Deuter. oppoſitus eſt huic ſententiæ. Sic enim habet; *Septem hebdomadas numerabis tibi, ab ea die, qua falcem in ſegetem miſeris: & celebrabis diem feſtum hebdomadarum Domino Deo tuo*, &c. Senſus eſt à die ſecunda poſt diem feſtum azymorum, ſiue paſchatis quo falcem in ſegetem miſeris, ad demetendos manipulos ſpicarum, quos ſacerdotibus in templo offeras; numerabis hebdomadas ſeptem; quæ quadraginta nouem dies cõplectuntur, & celebrabis diem feſtum hebdomadarum, id eſt, feſtum pentecoſtes (quod hebdomadarum feſtum à ſeptem hebdomadis, nominatur) die quinquageſimo ſic legitur: *Numerabitis ab altero die ſabbati in quo obtuliſtis manipulũ primitiarum, ſeptem hebdomadas plenas*, &c. Conſtat hinc Iudæos miſiſſe falcem in ſegetem, non tranſactis ſeptem poſt paſcha hebdomadis, vt vult hæc opinio, retrò, vt videtur, hebdomadas numerans, ſed ſecundo die Paſchatis. Poſt quem ad Pentecoſtem vſque ſeptem hebdomadæ numerandæ erant. Matureſcebant igitur Paſchali tempore ſegetes in Iudæa. Id quod ex verbis illis eiuſdem capit. probatur: *Obſerua menſem nouarum frugum, & verni primum temporis; vt facias Phaſe Domino Deo tuo.* Menſis nouarum frugum dicitur ille, in quo Paſcha agebatur; ergo prope Paſchale tempus nouæ fruges erant. Quòd ſi non triticeæ ſpicæ, ſaltem hordeaceæ, tunc granis refertæ erant quæ diſcipuli manibus expurgarent.

Ibid. Segetes in Iudea prope paſchale tẽpus matu reſcebant.

Deut. 16.

Leuit. 23.

Poſt Paſchale igitur tempus, de quo ſupra diximus, poſtquam paralyticum apud piſcinam Chriſtus ſanitate donauerat, cùm ſegetes iam matureſcebant; *Abiit* (ait Matthæus) *per ſata*, hoc eſt, per ſegetes, *ſabbato.* Diſcipuli autem eſurientes, cœperunt vellere ſpicas, & manducare. Lege permiſſum hoc erat, ſic habet lex; *Si intraueris ſegetem amici tui, franges ſpicas, & manu conteres, falce autem non metes*, & cet. Ideoque diſcipuli fame premente id fecerũt, quod lex permittebat, fierique ab aliis ſolebat. Neque enim, vt ex lege colliges, res erat inſolita, ſegetis ſpicas vellere, manibuſque conterere, & expreſſa grana edere. Hæc autem grana forſitan hordeaceæ erant ſegetis, paſchali illo tempore maturioris.

Matth. 12. Ordo geſtorum.

Deut. 23.

Luca 6. SABBATO *ſecundo primo.* Sabbati dies illa erat, qua ſpicas è ſegete euulſas diſcipuli manibus confricuerunt, quam ob cauſam, factum Phariſæi carpunt. *Quid facitis* (inquiunt) *quod non licet in ſabbatis?* Sabbati verò nomen ſeptimã ſignificat hebdomadæ diem; aliquando alios etiam dies feſtos. Quoniam Sabbatum ab Hebræis quies dicitur; feſti autem dies à labore flagitant quietem. *Menſe ſeptimo prima die mẽſis, erit vobis ſabbatũ memoriale*, id eſt, quies.

Sabbatum ſignificat dies feſtos alios præter Sabbatum.

A *Omne opus ſeruile non facietis in eo*, &c. Eodem loco de feſto expiationis dicitur; *Sabbatum requietionis eſt*, &c. Similiter de feſto tabernaculorum: *Die primo, & die octauo erit ſabbatum, id eſt requies.* Item, *à veſpera vſque ad veſperam celebrabitis ſabbata veſtra*, id eſt, feſtos dies.

Dubium ergo eſt hoc loco celebre; Fueritne dies hæc qua ſpicas diſcipuli collegerunt, ſabbatum, hoc eſt, ſeptima hebdomadæ dies; an verò feſtus alius dies? Faceſſunt negotium, dubiumque pariunt D. Lucæ verba, vocat enim hanc diem Sabbatum ſecundo primũ, Græcè, δευτεροπρωτον. diuus Gregorius Nazianzenus præceptor à D. Hieron. diſcipulo rogatus; Quid eſſet ſabbatum deuteroproton? (vt ipſe Hieron. ſcribit ad Nepotianum)

Leuit. 23. Quódnam fuerit Sabbatũ ſecundo primùm?

D. Hieron. D. Gregor. Nazianz.

B eleganter luſit? Docebo, inquiens, te ſuper hac re in Eccleſia, in qua mihi omni populo acclamante, cogeris inuitus ſcire quod neſcis. Aut certè ſi ſolus tacueris, ſolus ab omnibus ſtultitiæ condemnaberis.

Beda ſabbatum ſecundo primum noſtrum ſabbatum appellari putat. Sed probabilitate caret ſententia in ſenſu literali, quem inueſtigamus. (Huius temporis ſabbatum) ait Beda (ſecundo primum appellat Euangeliſta, &cet.) De ſabbato enim Iudæorum loquitur Lucas, non de noſtro ſabbato. Ob eandem cauſam, quod ſcribit Eucherius Lugdunenſis nõ placet, in libro de quæſtionibus noui teſtamenti: Quidam (inquit) hoc loco diem Dominicum ſabbatum ſecundo primum appellatum putant: eo quòd videatur ſecundus ab illa legali obſeruatione ſabbati; & primus ſit Euangelicæ gratiæ celebritate. His hæc adiungit: Si cui autem hoc minus ſatisfacere videtur, quòd diem ipſum magis ſabbati fuiſſe contendat; poteſt forſitan & ipſe nihilominus dies ſabbati, ita ex hoc intelligi, vt nunc obſeruatione noſtra ſecũdus ſit, qui primus quondam fuerit obſeruatione Iudaica. Rectiſſimè enim dies primus dies Dominicus putatur, &c. Ait poſſe Sabbatum dici ſecundo primum: ſecundum quidem obſeruatione Chriſtiana, iam enim non obſeruatur: primum verò obſeruatione Iudaica, quoniam obſeruabatur à Iudæis.

Beda. Sabbatũ ſecũdo primum nõ eſt dies Dominicus noſter.

Eucherius.

C

Rectius S. Iſidorus Peluſiota Epiſtola 110. ſentit
D ſabbatum ſecundò primum dici, ipſum primum diem azymorum. Primum quidem, quia primus erat azymorum: ſecundum verò, quia ſecundus erat poſt veſperam, in qua agnum immolabant. Illius hæc ſunt verba; Sabbatum (inquit) δευτεροπρωτον, dictum eſt, quia poſterius quidem die paſchæ: primum autem azymorum. Veſpere enim paſcha immolantes, poſtridie azymorum feſtum celebrabant; quod quidem etiam δευτεροπρωτον, appellabant, propterea quòd, vt dixi, dies ille die Paſchæ poſterior eſſet, azymorum autem primus. Quodq; id verum ſit, argumento illud eſt, quòd Apoſtoli hoc nomine accuſati ſunt: quia ſpicas vellerent, ac manducarent. Hoc enim duntaxat tempore, ſpicæ deorſum propendent, ac velut falcem ad ſeſe vo-
E cant. Tertio quippe azymorũ die, manipulus quoque Deo offerebatur. Ita & à tẽpore, & ab eo, quod factum eſt, perſpicuũ exiſtit id quod quæris. Quod ſi ſabbato dictum eſt: Ne tibi id mirum videatur, ſabbatum enim feſtum omne nuncupãt. Hæc ille. Eandem ſententiam ſequitur Euthymius Lucæ 4. Sabbatum ait, ſimpliciter omne feſtum vocant Hebræi propter requiem. Nũc autem dicit feſtum azymorum, Hoc itaque Sabbatum vocatur ſecundo primum: tamquam ſecundum quidem à Paſcha: primum verò ab azymis. Poſt feſtum enim Paſchæ, feſtum azymorum peragebant, quod primus erat ſeptem dierum quibus veſcebantur azymis, &c.

2. Opinio. Sabbatum ſecũdo primùm nõ eſt primus dies azymorum. D. Iſidor. incluſ.

Euthym.

Diuus

3. Opinio D. Chrysost. Sabbatum secundo primùm.

Diuus Chrysostomus homil. 40. in Matthæum: Quid, inquit, est, in Sabbato secundò primo? Quando festum duplex erat tam Sabbati Domini, quam solennitatis alterius succedentis; Sabbatum enim quietem appellabant. Similiter Theophylact. existimat, Sabbatum secundo primum nominari, cùm feria sexta antecedens festus dies erat, quasi dicatur Sabbatum secundo primum: quia post alterum festum celebratur. Iudæi, inquit, omne festum Sabbatum nominabant; Sabbatum enim quies dicitur. Sæpe igitur occurrebat festum in parasceue, id est, feria sexta; & vocabant parasceuem, id est, feriam sextam Sabbatum, propter festum. Deinde quod proprie est Sabbatum, nominabant secundo primum: eo quòd sequatur festum, & Sabbatum, quod præcesserat &c. Placet hæc sententia Isidoro Clario: Cùm altera (inquit) alteri solemnitati continuabatur: sequens festum appellabatur secundo primum. Nam festum omne Sabbatum appellabant, &c.

Theoph.

4. Opinio.

Tullio Chrispoldo (vt Clarius refert) visum est, Sabbatum secundo primum sextam decimam lunam mensis Nisan fuisse: quo die Leu. 24. manipulus spicarum offerri præcipitur, vt paulo ante diximus, &c.

5. Opinio. Bonauent.

Diuus Bonauentura Lucæ 6. Lucam sic interpretatur: Sabbato, inquit, secundo primo, id est, Sabbato à primo, id est, immeditatè sequenti Sabbatum præcedens, de quo habitum est supra cap. 4. Lucæ, in quo curauit dæmoniacum. At non videtur fuisse hoc Sabbatum immediatè sequens illud, quo curauit dæmoniacum, vt is intelliget, qui Lucam legerit. Addit Diuus Bonauentura: Vel sicut dicit Chrysostomus, in Sabbato secundo primo, id est, bis primo, siue principali, propter duplicem solemnitatem concurrentem: quia Sabbatum ex se solemne erat, & etiam ratione Neomeniæ, quæ tunc erat, &c.

6. Opinio. Festū Pentecostes est Sabbatum secundo primùm.

Præter has opinio alia est, Sabbatum secundo primum, dici festum Pentecostes. Dicitur Sabbatum, id est, festum, secundo primum, quoniam secundum erat ex primis tribus festis. Etenim tria erant festa præcipua, Azymorum, siue Paschatis, Pentecostes, & Tabernaculorum. Horum verò trium, secundum erat Pentecostes, quod post Pascha, & ante Tabernaculorum festum agebatur. Iuxta hanc ergo sententiam ipso Pentecostes festo, discipuli spicas ad subleuandam famem triuerunt manibus.

7. Opinio.

Ad extremum dici potest Sabbatum secundo primum, Sabbatum primum secundi mensis Hebræorum. Quoniam si coniectura non fallit, sic Sabbata mensium numerabant. Sabbatum primo primum, id est, Sabbatum primi mensis primum; Sabbatum secundo primum, id est, Sabbatum primum secundi mensis; tertio primum, quarto primum, &cet.

8. & 9. Opinio.

Adde, Sabbatum secundo primum, vocari forsitan festum minus præcipuum. Primum quidem, id est, præcipuum, sed secundo loco, id est, minus, quàm festa alia. Diuus Epiphanius hæresi 51. scribit Sabbatum primum appellari Sabbatum illud primum, in quo Deus postquam orbem condidit, requieuit ab vniuerso opere, quod patrarat Genes. 2. Sabbatum secundum, Sabbatum quod Iudæi seruabant. Dicit Lucas (ait Epiphanius) *factum est in Sabbato secundo primo:* vt ostendat Sabbatum primum esse, quod ab initio decretum est, ac dictum à Domino in mundi creatione, quod per circuitum ab eo tempore vsque huc iuxta septem dies reuoluitur, hoc scilicet primum esse. Secundum verò sabbatum, quod decretum est à lege. Sic ille.

Epiph. Luca 6.

Quid mihi probabilius videatur paucis exponam. In primis arbitror sabbatum hoc proprie fuisse sabbatum, septimum videlicet hebdomadis diem, probo. Quoniã in aliis festis excepto sabbato, & die expiationis, cibos licuit parare: ergo licuit spicas vellere, & manibus confricare. Itaque non accusassent Iudæi discipulos violatæ sabbati religionis, si alio festo spicas confricuissent. Non licuisse autem sabbato parare cibos probatur, quia præcedenti die parabantur, quæ hanc ob causam parasceue dicebatur, id est, præparatio. Prætereà sic præcipitur. *Qui fecerit opus in ea,* id est sabbato, *occidetur, non succendetis ignem in omnibus habitaculis vestris,* &c. At de festo Azymorum sic scribitur. *Dies prima erit sancta, atque solemnis, & dies septima, eadem festiuitate venerabilis. Nihil operis facietis in eis, exceptis eis, quæ ad vescendum pertinent.* De festo Pẽtecostes par ratio erat. Lege Abulensem Leuit. 23. quæstio. 16. & quæsti. 20. Denotatur, inquit, quòd sint æquales obseruationes istorum quatuor festorum: scilicet Azymorum, & Pentecostes, Clangoris, & Tabernaculorum. Nam in quolibet horum iubebãtur abstinere ab omnibus operibus seruilibus, vt patet in litera, & consequenter licebat in eis parare cibos, &c. Hinc efficitur non fuisse illud festum Azymorum, vel festum Pentecostes: licebat enim in eis cibos parare, & spicas manibus terere: efficitur præterea non fuisse diem illam, qua manipulus offerebatur, ob eandem causam. Confirmo prẽterea nec primum diem azymorum, nec fuisse diem Pẽtecostes, quoniam hæc festa propria, notaque habebant nomina, quibus Euãgelistæ illa nominassent: saltem, nominasset aliquis ex tribus, qui facti huius meminerũt. Atqui Matthæus, & Marcus simpliciter sabbatum vocant. Matthæus, *Abiit,* inquit, *Iesus per sata sabbato.* Marcus; *Cùm sabbatis ambularet per sata;* Dominus etiam cùm Iudęis respondet, de Sabbato loquitur. Ergo simpliciter, sabbatum erat proprie dictum, in quo parare cibos non licebat, quã ob causam Iudæi discipulos violatæ religionis accusant.

9. Opinio. De festis in quibus Iudæis cibos licebat parare. Exodi 35. Exodi 12. Festa in quibus cibos parare licebat. Abulens. Matth. 12. Marci 2.

Lucas Sabbatum dixit, δευτεροπρωτον, id est secundo primum. Sic autem appellauit, quia sabbatum proprie erat: sed in quod inciderat festum secundo primum, id est, septimus azymorum dies. Erat ergo dies septimus azymorum festus; prætereà simul etiam sabbatum erat, in quo cibos parare non licebat; ideoque Pharisæi discipulis violati sabbati crimen obiiciunt. Nec sine auctore hoc dico; habeo enim huius sententiæ patronum D. Epiphanium, hæresi 51. Dixit, inquit ille, lex. *Accipies tibi oviculam anniculam, immaculatam, masculam, à decima die mensis, & erit seruata vsque ad decimam quartam. Et mactabitis ipsam vesperi decima quarta die: & erit tibi Sabbatum, dies sancta. Et edetis azyma septem dies & septima die facies sanctum sabbatum diem sanctam.* Et videtis, quod secundum appellatur sabbatum, post sabbatum, eiusmodi sancta prosabbati dies, in sabbatum sanctificata, siue dominica fuerit, siue secunda siue tertia occurrerit. In septem verò dies rursum reuolutum, secundum primum vocatur. Vt ostendat Lucas hinc, quòd non solùm Ioannes de circuitu dierum anni duorum, & trium festorum Pascha indicauit, sed etiam Lucas, & alia, &c. Ex his verbis intelliges Epiphanium existimare Sabbatum secundo primum appellari, diem extremum azymorum, siue Paschalis festiuitatis. Septem enim dierum spatio Israelitæ azymis vescebantur: primus dies festus erat, similiter & septimus, atque extremus. *Septem diebus azyma comedetis. Dies primus erit vobis celeberrimus, sanctusque, omne opus seruile non facietis in eo. Dies autẽ septimus erit celebrior, & sanctior, nullumque seruile opus facietis,* &c. Appellatur verò sabbatum

Erat cum Sabbato septimus Azymorum dies. Epiph. Exodi 12. Leuit. 23.

tum secundo primum, quòd secundo loco post festum Azymorum præcipue celebraretur. Erat festum secundo primum, id est, vt loquitur Epiphanius, rursus reuolutum, quasi primum illud Azymorum festum rursus, vel secundò celebraretur. Azymorum autem primum festum dicebatur, tum quia in primo mēse Nisan celebrabatur: tum quia præcipuum erat. Sequens deinde dies septimus seu sabbatum, hoc est, octauus dies Azymorum, erat sabbatum secundo primum, hoc est, sabbatum primum festi azymorum, veluti repetitum, & secundo reuolutum.

Epiph. Hæresi 30. idem Epiphanius his adiungit: septimum illum diem festum azymorum, illo anno fuisse Sabbatum ex natura, id est, Sabbati diem propriissime dictum. Itaque festus erat dies duplici de causa: tùm quòd Sabbatum esset, tùm quod septimus esset dies azymorum. Hæresi 30. hic scribit. B Apostoli spicas vellunt. Erat autem Sabbatum secundarium primum. Varia enim Sabbata decreuit lex. Aliud quidem quod secundum septenarium dierum numerum reuoluitur, natura Sabbatum. Aliud verò propter subiacentes nouilunio secundum lunam, & consequētes festiuitates, velut dies fixorum tentoriorum, & dies Paschatis, quando agnum mactant, & comedūt azyma. Insuper autem vnum ieiunium ieiunant in anno, quod dicitur magnum, & aliud quod appellant paruum. Quando enim incidunt hi dies, aut in secunda sabbatorum, aut in tertia, aut in quarta, sabbatum etiam ipsum ipsis decernitur. Quapropter post factam azymorum diem, & definitam sabbati diē in sab- C batum computatū fuit, inuenti sunt discipuli trasceuntes sata, & vellebant spicas. Hæc Epiphanius.

Marci 2. D. Marcus numero plurali vsus est: *Factum*, inquit, *est cùm Sabbatis ambularet per sata.* Apud Matthæum quoque legitur Græce, σαββασι. Forsitan tempus illud Paschale indicare voluerunt, quasi dicerent: Factum est in Sabbatis, id est, in festis Paschalibus. Verisimilius tamen est, numerum multitudinis pro singulari vsurpasse. Sic 1. Mach. *Constituerunt aduersus eos prælium, in die sabbatorum*, id est, in die Sabbati. Rursus: *Neque faciemus verbum Regis, vt polluamus diem Sabbatorum.* id est, diem Sabbati. Item: *Intulerunt illis bellum sabbatis*, id est, die Sabbati. Et, *Die sabbatorum egressi sumus foras portam, iuxta flumen, vbi videbatur oratio esse.* Et, *Ingressi synagogam die sabbatorum* D *sederunt*, id est die sabbati. Hanc ob causam interpres recte apud Matthæum numerum pluralem in singularem vertit, pro Sabbatis, Sabbatum dixit.

Dies sabbatorum dicitur pro sabbato.

1. Mach. 2.

Act. 16.

Act. 13.

Matth. 12. ECCE *discipuli tui faciunt, quod non licet facere sabbatis.* Matthæus & Marcus scribunt, Pharisæos apud Christum discipulos violatæ religionis Sabbati accusasse. Lucas verò narrat ipsis discipulis crimen obiecisse: *Quid facitis*, aiunt, *quod non licet in Sabbatis?* Vtrumque verissimum est. Primùm enim cum discipulis, postea cum præceptore loquuti sunt. Vel, nonnulli Christo, alij discipulis, violatam religionem obiecerunt, quòd spicas in sabba- E to vellerent, manibusque grana expurgarēt. Non autem reprehenderunt, quòd iter die sabbato facerent, quoniam iter breue die Sabbato conficere fas erat. Vnde scribit Lucas, montem Olueti ab Ierusalem distare sabbati itinere, *Qui*, inquit, *est iuxta Hierusalem, sabbati habens iter.* Sabbati iter dicitur, quod sabbato peragi liceat. Breue est iter ab Ierusalem, montem vsque Oliueti: breue igitur erat iter Sabbati.

Euangelistæ inter se conciliantur.

Act. 1.

De itinere, quod Iudæis in sabbato facere licebat.

Beda, Glossa interlin, & Lyranus, Actorum primo, milliare vnum sabbati tribuunt itineri: Vatablus, & alij milliaria duo: Montanus Matthæi 12. iter mille cubitorum spatium: Actor. verò 1. colligit ex libr. Misnaioth, Sabbatinum iter duo fuisse millia passuum. Oecumenius Actor. 1. Origenem secutus, ait vnum fuisse milliare, duorum millium cubitorum. D. Hieron. Epist. 151. ad Algasiam q. 10. *Hieron.* cum Rabbinis nonnullis, bis mille pedes huic itineri scribit assignari: Solent, inquit, Iudæi respondere, Magistri nostri Rabbi Akiba, & Simeon, & Hillel, tradiderunt nobis, vt bis mille pedes ambulemus in sabbato, &c. Bis verò mille pedes milliare non efficiunt. Nam milliare quinque mille pedes complectitur. Itaque incertum est sabbatini itineris spatium. Non enim auctores consentiunt. Breue fuisse certum est; nam ab Ierusalem vsque ad montem Oliueti sabbati iter erat. Iosephus verò lib. 20. Antiquit. cap. 12. quinque stadiorum esse hoc spatium ait: Mons, inquit, Oliueti e regione vrbis ad quintum abest stadium, &c. Et lib. 6. de Bello cap. 3. His, inquit, præceptum erat, sexto ab Ierosolymis stadio castra ponere, qua in parte mons, qui appellatur, ἐλαιῶν, id est, Oliueti, siue oliuarum, contra ciuitatem ab oriente situs est, &c. Abulensis Exod. 12. quæst. 24. Distat, inquit, *Abulens.* mons Oliueti ab Ierusalem quasi per mille passus, vt patet in libro de diuisione terræ sanctæ. Et sic dicitur ab eis, qui viderunt terram illam, &c. Itaque non obiiciunt Pharisæi discipulis sabbati iter. Nec item opponunt, quòd alienas spicas carpant, atque edant. Quoniam id facere ex lege fas erat, *Si intraueris segetem amici tui franges spicas, & manu conteres, falce autem non metes*, &c. *Deut. 23.*

Quanta fuerit inter montem Oliueti & Ierusalem distantia.

NON *legistis quid fecerit Dauid*, &c. Probat Dominus fas fuisse discipulis sabbato spicas vellere, & fricare manibus, ducto argumento à maiori ad minus ex Scriptura deprompto. Licuit (inquit) Dauidi, & comitibus, causa famis panes propositionis edere: quod maius est. Ergo eadem de causa licebit discipulis meis fame laborantibus spicas vellere, & manibus terere, aque edere, quod minus est. Itaque discipulos causa famis excusat. *Matth. 12.*

Historia ex lib. 1. Reg. c. 21. petita est. Sed videntur Domini verba ab historia discrepare. Nam Marci 2. ait, Dauid introisse in domum Dei, sub Abiathar principe sacerdotum. At ex libro Regum indicato compertum est, Dauidem introisse sub Achimelech principe sacerdotum, ab eoque propositionis panes edendos accepisse. Præterea, ex libro regum colligitur Dauidem nullum tunc habuisse comitem, cùm ad Achimelech venit, sic enim Achimelech eum interrogat: *Quare tu solus, & nullus est tecum?* Christus verò apud Marcum sic ait; *Esurit Dauid, & qui cum eo erant.* Item: *Dauid panes propositionis manducauit, & dedit eis, qui cum eo erant.* Ergo non solus erat Dauid. *1. Reg. 21.* *Marci 2.*

Respōdetur dubio.

Nullo modo Christi verba ab Scriptura dissentiunt, sed fidei suppeditant materiam, & doctoribus scrutandi sanctum laborem. Paucis priori dubio respondetur. Dauidem quidem ad Achimelech venisse, qui quidem nō Achimelech solùm, sed Abiathar etiā appellabatur. Est hæc sententia Euthymij Marci 2. Achimelech, inquit, cognomen *Euthym.* Abiathar habuit à progenitore deductum: Ideò filius quoque eius similiter Abiathar vocatus est, &c. Similiter Chrysost. homilia 40. in Matth. Non dicit, ait, Christus contraria historiæ, sed diuersis *Chrysost.* nominibus appellatū fuisse sacerdotem ostendit, &c. Hæc duo nomina Achimelech & Abiathar, forsitan tàm patri, quàm filio tribuebantur, quod colligitur tum ex hoc loco, tum ex 2. Regum 8. & 1. Paralipom. 18. His enim locis Abiathar, qui Dauidis tempore sacerdotio summo cum Sadoch functus est, Achimelech filius Abiathar videtur appellari. Aliter respondetur: Abiathar filium fuisse

1.Reg.22. fuisse Achimelech, vt cõstat ex Scriptura, vtrumque autem tam patrem, quàm filium tunc affuisse in tabernaculo, dedisseque panes Dauidi. Dicitur autem Abiathar princeps sacerdotum, quia summi sacerdotis filius erat. Libro igitur primo Regum mentio fit patris Achimelech: Christus verò Abiathar nominauit, quoniam notior fuit & illustrior patre, sacerdosque summus Dauidis tempore. Beda Marci 2. Quòd Dominus Abiathar principem sacerdotum pro Achimelech appellat nihil habet dissonantiæ. Ambo enim fuerunt illic, cùm veniens Dauid panes petiit, & accepit. Occiso autem Achimelech à Saule fugit Abiathar ad Dauid, & comes factus est totius exilij eius. Postea eo regnante summi sacerdotij gradum accepit, ac toto tempore regni illius in pontificatu perseuerans, multò maioris excellentiæ, quàm pater effectus est. Ideoque dignus fuit cuius memoriam Dominus etiam viuente patre, quasi summi faceret sacerdotis. Sic Beda. Potest Præterea verborum Christi hic esse sensus. Introiuit Dauid in domum Domini sub Abiathar principe sacerdotum; hoc est, qui postea fuit princeps sacerdotum: introisse autem dicitur sub Abiathar, id est, cùm viueret Abiathar; quia tunc ille viuebat, & summi sacerdotis Achimelech filius erat. Postea Dauide Rege pontificatum gessit.

Beda. Quomodo Christus eũ Abiathar vocauerit, qui Achimelech dictus est.

Quòd attinet ad Dauidis comitatum, Ianseníus arbitratur nullos comites habuisse, cùm ad Achimelech venit, sed officioso mendacio se habere finxisse. De eis verò comitibus, quos ille se habere finxerat, Christum loqui. Hæc tamen opinio non satis conuenit cum verbis Christi. Apertè enim asserit, Dauidem panes dedisse iis, qui cum eo erant, ergo aliqui erant cum Dauide comites, non ficti. Respondendum est Dauidem comites habuisse, eósque certo aliquo loco expectare iussisse; interim dum ipse ad sacerdotem clàm, & absque turba panes petiturus ibat. Venit igitur ad Achimelech & Abiatharem solus. Ideoque Achimelech Pontifex interrogat: *Quare tu solus, & nullus est tecum?* Sed comites habebat; quamobrem Achimelecho interroganti, sic respondit: *Pueris condixi* 1.Reg.21. *in illum, & illum locum*, &c. De panibus verò propositionis suprà diximus, cùm de templo egimus, libro 3. capite 20.

Matth. 12. NON *legistis in lege, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, & sine crimine sunt?* Secunda ratione probat licere discipulis spicas vellere & confricare. Sacerdotes, inquit, in tẽplo ea faciunt, quæ sabbatis facere non licet; victimas occidunt, abluunt, dissecant, altari imponunt; nemo tamen illos violatæ religionis accusat, quia in templo diuini cultus causa operantur. Si templum sacerdotes excusat: *Dico vobis, quia templo maior est hic*: Græcè, *Ibid. Christus templo maior est.* ὧδε, id est, hoc in loco. Sensus est, Ego ipse discipulorum, quos vos reprehenditis magister, maior sum templo. Si templum & diuinus cultus facultatem largiri potest operandi in sabbato, ego, qui Deus sum templo maior, potestatem facere possum meis sectatoribus ac discipulis spicas vellendi ac confricandi in sabbato. Si templum sacerdotes excusare potest, ego qui maior sum templo, excusare possum discipulos. Dicuntur sacerdotes sabbatum violare, non quòd verè violarent; sed quòd illa facerent, quæ alioqui in sabbato facere fas non erat, si diuinus cultus non excusaret.

Matth. 12. SI *autem sciretis, quid est, Misericordiam volo, & non sacrificium: numquam condemnassetis innocentes.* Inhumanitatis Iudæos arguit. Si recta, ait, trutina expenderetis verba illa Dei: *Misericordiam volo, & non* Osee 6. *sacrificium*; hoc est, erga proximum beneficentiam & benignitatem volo potiùs, quàm victimas. Si sciretis Deum tanti misericordiam facere, vt sacrificiis eam præferat; non argueretis discipulos, quòd spicas vellerent. Sed misericordia potiùs esurientes prosequeremini; neque eos damnaretis, qui & innocentes, & misericordia, non accusatione aut damnatione digni sunt.

SABBATVM *propter hominem est, & non homo propter sabbatum.* Hæc verba, quæ apud Marcum extant, aliam continent rationem. Sabbatum, inquit, propter hominem institutum est, vt homo Deum coleret, & à labore quiesceret. Non est autem factus homo propter sabbatum. Cùm igitur propter hominem sabbatum factum sit; non debet homo propter sabbati obseruationem inedia cruciari; sed potest cibũ in sabbato quærere, & spicas confricare. Maior est cura, ait Beda, sanitati & vitæ hominis, quàm custodiæ sabbati adhibenda. Sic enim mandatum est sabbatum custodiri, vt tamen si necessitas esset, reus non esset, qui sabbatum violasset, &c.

Matth. 12. *Hominis vita & salus sabbato præferenda.* Beda.

DOMINVS *est Filius hominis etiam sabbati.* Extrema ratio hæc est, qua Christus concludit sabbati se Dominum esse, posseque & operari in sabbato, & discipulis ceteriséque hominibus, vt operentur iubere. Filium verò hominis se appellat, vt aliis locis, quoniam ab Adamo ceteriséque progenitoribus originem trahebat humanam. Ego, inquit, quoad humanam naturam Filius hominis, Dominus sabbati sum; eo vti possum, vt re mea in omnem vsum. Possum sabbatum soluere, possum seruare; fas mihi est sabbato operibus seruilibus vacare, idque aliis præcipere. Nempe Deus sum; in potestate, & sabbatum, & reliqua festa omnia, eorúmque cultum & obseruationem habeo. *Etiam*, inquit, *sabbati*, quasi dicat: Non reliquarum solùm rerum, sed etiam sabbati.

Marci 2. Lucæ 6. *Christus rerum omniũ Dominus iis pro arbitrio vti potest.*

Hanc rationem D. Lucas absolutè posuit, ita vt ex superioribus minimè pendeat. *Dicebat*, inquit, *illis: Quia*, id est, *quòd, Dominus est Filius hominis etiam sabbati.* Matthæus verò cum superioribus connectit addita coniunctione causali, hoc pacto. *Si sciretis quid sit: Misericordiam volo, & non sacrificium; numquam condemnassetis innocentes. Dominus enim est Filius hominis etiam sabbati.* Marcus: *Dicebat*, inquit, *eis; Sabbatum propter hominem factum est; & non homo propter sabbatum. Itaque Dominus est Filius hominis etiam sabbati*, &c. Diuersa à reliquis ratio est, & diuerso ordine ab Euangelistis proposita. Matthæus, non condemnassetis innocentes; etenim Filius hominis Dominus est sabbati; potéstque in obseruatione illius dispensare. Apud Marcum particula illa, *itaque*, non est illatiua. Non enim ex antecedẽtibus infertur, Christum esse Dominum sabbati. Completiua ergo est in hunc sensum; itaque, vt semel concludam, vt dicta compleam, denique, Filius hominis sabbati Dominus; ideóque potest cum discipulis in sabbati cultu dispensare. Non esse autem illatiuam probatur, quia Dominus, vt ex Matthæo patet, ex eo quòd sabbatum sit factum propter hominem, non intulit, Filium hominis esse Dominum sabbati. Abulensis Matthæi 12. quæstione prima. illatiuam esse putat; & Filium hominis quemlibet hominem interpretatur, in hanc sententiam: Sabbatum propter hominem factum est; & non homo propter sabbatum. Itaque quilibet filius hominis, vel, quilibet homo, dominus est sabbati. Quia potest legitima de causa in illo operari. Sed sensus suprà propositus præcellit.

Matth. 12. Marci 2. Matth. 12. Marci 2.

Abulensis

CAPVT X.

Morale.

De discipulis spicas vellentibus in Sabbato.

CVM Deus rerum hanc pulcherrimam vniuersitatem, sex diebus condidisset; sabbato, hoc est, die septima, à condendo orbe cessauit, ac veluti quieuit. Eam ob rem hunc diem ad memoriam conditi orbis à populo Israelitico in summa corporis quiete decreuit obseruari. Cùm verò ab alio maiore opere, quod patrauit, id est, à redimendo orbe quieuisset, diemque Dominicā admiranda resurrectione illustrasset; sabbati obseruationem in illam transferri voluit. Fuit autem Dominica dies prima orbis dies, qua Deus orbem cœpit condere, dixitque: *Fiat lux, & facta est lux.* In ea post tenebras lux splenduit, cùm orbis conderetur; in eadem post mortis caliginem, Christi resurrectio splendidissima effulsit, cùm orbis nouum in statum reduceretur. Sed de die Dominica alibi; nunc de sabbato dicamus.

De sabbato. & quomodo sit in diem Dominicū translatū.

Gen. 1.

Philo.

Philo in libro de Cherubim, soli Deo scribit sabbati festum conuenire; eo quòd solus ipse diuina quiete, festóque perfruatur. Solus, inquit, Deus vere festum agit, solus enim gaudet, lætatur, hilaritate pacéque fruitur, ab omni bello semotissima. Et ideo sabbatum, id est, quietem Dei esse Moses dicit, Exodi 16. non hominum. Quod enim in rebus quiescit, nihil præter Deum est. Soli Deo maxime proprium est requiescere, solius summæ causæ festa sunt & sabbata. Sic ille. Verum quidem est Deo soli summam, & immutabilem quietem, festumque & sabbatum à nulla pendens creatura congruere. At huius ille sabbati, & quietis homines participes esse vult. Nam sabbatum, id est, quies, Beatorum in cælo hominum quietem adumbrat, vt Magnus Gregorius docet libro 35. Moralium, cap. 7. Lege, ait, data, dies septimus, id est, sabbatum, feriatus esse præcipitur, vt æterna per illum requies signetur, &c. Hinc illud Pauli: *Relinquitur sabbatismus populo Dei*; hoc est, populus Christianus habet suum quoque sabbatum, suam in cælesti patria requiem. Addit: *Qui enim ingressus est requiem eius*, id est, Dei: *etiam ipse requieuit ab operibus suis*, hoc est: Is qui in cælestem Dei quietem intrauit, ita ab omni labore requiescit, quemadmodum Deus *die septimo requieuit ab omni opere, quod patrarat.* Hoc indicat vox illa à Ioanne audita: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis.*

Quies Dei propria est.

Deus beatos perpetua quiete sui vult.

Greg. Sabbatum cælestem quietem adumbrāt.

Hebr. 4.

Gen. 2.

Apoc. 14.

Gen. 1.

Sex dies, in quibus Deus orbem condidit, omnes vesperam habuisse dicuntur: *Factum est vespere, & mane dies vnus: factum est vespere, & mane dies secundus*; idemque de reliquis scribitur. De sabbato autem autem cùm locutus est Moses, nullam vesperæ facit mentionem. Videlicet, quia in vita hac ærumnis affluente, vespera est admixta luci, mortísque finis caliginosus; in sabbato verò, id est, quiete illa cælesti, nullæ tenebræ, nulla mors, nulla vespera, sed lux perpetua, æternæ vitæ splendor fulget nullo fine terminatus. Illud sabbatum (ait idem sanctissimus Pater) quo Deus requieuit, non dicitur habere vesperam, quia æternæ beatitudinis requies, nullo termino coarctatur, &c.

Sabbatum caret vesperā, quid hoc sit.

Habuit Iudæorum sabbatum paraseuem, id est, præparationem: Quia enim die sabbato cibos parare non licebat, præcedente parabantur die, eáque de causa sexta feria nomine Græco, παρασκευὴ, siue paraseue, id est, præparatio, à ciborum præparatione dicebatur. Congruit hoc mirum in modum sabbato, de quo facimus verba. Non licet sabbato illo æterno parare cibos, id est, merita: præmiorum enim, non meritorum, locus cælum est. Suam paraseuē habet hoc sabbatum; id est, suam meritorum præparationem: nempe vitam hanc. Quod docuit Nyssenus Gregorius in libro de vita Mosis hisce verbis: Dies ante sabbatum paraseue, id est, præparatio ad sabbatum, & est, & appellatur. Hæc verò præparationis dies hæc vita est, in qua præparamus, quæ ad futuram vitam nobis præstò erunt, &c. Vnde illud: *Opera enim illorū sequuntur illos.* Opera, inquam, quę dum viuerent, præparauerunt.

Paraseue, id est, præparatio operum in hac vita.

Greg.

Apoc. 14.

Significat etiam sabbatum religiosę vitæ, ac animæ Deum quærentis requiem, Magno Gregorio auctore libro 8. Moralium, cap. 25. Populus, inquit, qui Deum sequitur accipit sabbatum, id est, mentis requiem; vt nullo in hac vita desideriorum carnalium appetitu fatigetur, &c. Sabbatum habet, id est, quietem mens Deo toto amore inhærens; illa verò, quæ terrenis vacat rebus, variis cupiditatibus, veluti muscis impetitur. *Dixit, & venit cœnomyia, & cinises in omnibus finibus eorum.* Hæc fuit Ægyptiorum plaga, cœnomya à κοινός, id est, communis, & μυῖα, id est, musca; videlicet, mixtio, & congregatio muscarum, à quibus acriter puncti quiescere non valebant. Eadem est plaga hominum cupidorum, quos cupiditates pungunt, & sabbatum, hoc est, mentis quietem habere non sinunt. Gregorius eodem loco; Ægyptus, ait, id est, mundus, muscis percutitur. Musca enim nimis insolens, & inquietum animal est; in qua quid aliud, quàm insolentes curæ desideriorum carnalium designātur? &c. Huc illud spectat D. Chrysostomi homilia 40. in Matthæum: Tunc, inquit, veram solemnitatem peragimus, cùm spiritualis vitæ continuè cultum augemus; cùm ab alienis manus abstinemus, cùm in laboribus superfluis atque inanibus, quos propter hanc vitam sustinemus, legem sabbati conseruamus. Seruitutis enim sunt extremæ hi labores; illisque profecto similes sunt, quibus in Ægypto Iudæorum populus vexabatur. Nullum enim inter auri solicitos collectores & cœni, atque laterum operarios discrimen est. Nam vt tunc Pharao flagellis ad colligendas paleas compellebat Hebræos, sic etiam nunc diabolus ad officium laterum, flagellis cupiditatum multos incendit. Quid enim aliud aurum est, quàm cœnum? & argentum quid aliud quàm palea? Sicut ergo palea ignem; sic pecuniæ cupiditas auaritiæ flammam incendit, & quasi cœnum inquinat possidentes. Sic Chrysost.

Sabbatū religiosæ animæ requies est.

Greg.

Cupidi qui. eti carent. Sabbatum non habent.

Chrysost.

Seruitutis Ægyptiacæ & mūdanæ similitudo.

Aurum & pecunia cœnū & palea auaritiæ ignis pabulū.

Sabbatum dicitur delicatum, Hebraicè, עֹנֶג hhoneg, hoc est, deliciarum, quod maximè conuenit sabbato, ac quieti diuinis deliciis affluenti, qua anima fruitur Deo vacans; iuxta illud: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens?* &c. In hoc delicato sabbato Christi discipuli per sata faciunt iter, cùm Christi sectatores per diuina scripta mente deambulant. Sunt enim diuini libri, Dei sata; siue à Deo seminatæ segetes. Turgescunt granis diuinæ huius segetis spicæ, tument sensibus sacra eloquia, confricandæ sunt manibus spicæ, terenda sunt meditatione diuina verba, eruenda grana, excutiendi dulces, vtilésque sensus, quibus dulciter vtiliterq; pascatur animus, iuxta illud Domini dictum: *Scrutamini Scripturas.* Quasi diceret, confricate spicas. Sic has spicas Beda contriuit, hæc ille grana ex littera expressit Marc. 2. Per sata, inquit, cū Domino ambulat, qui diuinis imperiis obtēperare studentes, solerter eloquia sacra meditari delectātur. Esuriunt in satis, cū in iisdē sacris eloquiis, quæ legēdo pertrāseūt, panē vitę inuenire desiderāt, hoc est,

Sabbatum delicatum.

Isaiæ 58.

Cant. 8.

Diuini libri segetes, quarū spicæ sunt meditatione cōfricandæ.

Ioan. 5.

Beda.

Medulla charitatis ex Scripturis extrahenda.

est,ad illa curant verba peruenire, quibus amplio-
rem in se sui conditoris amorem incẽdant. Et hoc
in sabbatis,cùm sopita mente à turbulentis cogita-
tionibus vacare gaudent,& videre, quàm suauis,est
Dominus,quamque beatus est vir qui sperat in eo.
Vellunt spicas,& tamdiu versant manibus,contri-
tásque purgant, donec ad escam perueniant, cùm
testimonia Scripturarũ, tamdiu scrutatione sedu-
la discutiunt,donec in eis medullam dilectionis in-
uenientes extrahant. Sic ille. Contrà Augustin.l.1.
August. de Genesi ad litteram,cap.20.de nonnullis ait: Sa-
luberrimæ pietatis libros cum fastidio repetunt,&
quos dulciter haurire deberent, vix patienter at-
tingunt, à segetis asperitate abhorrentes,& spina-
rum floribus inhiantes. Non enim vacant videre,
quàm suauis est Dominus;nec in sabbato esuriunt.
Atque ideo pigri sunt,potestate à Domino accepta
vellere spicas, & tamdiu versare manibus, contri-
tásque purgare, donec ad escam perueniant, &c.

Grauis Christi discipulorum esuries. Chrysost.

Præter hæc,discipulorum Christi esuries consi-
deranda est, quæ, vt ex verbis Christi colligitur,
grauis fuit. Nisi malo inediæ (ait Chrysostomus in
Matt.) nimium vexarentur; numquam certè illud
in sabbato feciſſent,&c. Discipulos cælestis quærit
magister ieiunantes,cibi parsimonia præstãtes,qui
sensum habeant tenuem, ingenium subtile, spiri-
talem animam, intellectum ad capessendam cæle-
stem doctrinam perspicacem. Vt enim est in regu-
Hieron. Chrysost. la Monachorum apud Hieronymum; venter pin-
guis non gignit sensum tenuem. Et D. Chrysost.
A hom.43.in Ioan. Gula,inquit,obtusum & crassum
ingenium, & carnalem animam reddit, cæcat in-
tellectum, nec sinit, vt quidquam perspiciat,&c.
Immoderatum igitur cibum potúmque fugiant,
qui tanti magistri auditores esse volunt, modico
vtantur cibo,quo ita corpus alant,vt mentem non
obruant. Nam, vt Hieronymus ad Rusticum scri- *Hieron.*
bit; Modicus cibus ac temperatus, & carni & ani-
mæ vtilis est. Audi Isaiam: *Sacerdos & Propheta* (scili- *Isaiæ 28.*
cet falsus) *nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino,
errauerunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignorauerunt
iudicium. Omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu sordium-
que, ita vt non esset vlra locus. Quem docebit scientiam? &
quem intelligere faciet auditum? ablatos à lacte, auulsos ab
vberibus, &c.*

B Ad hæc; Frumentum Christi sum; aiebat D. *Frumentum Christi sumus.*
Ignatius, sumúsque nos omnes. Frumenti autem
spicæ nisi aristis, & paleis exuantur cibus esse ne-
queunt.ideóque Apostoli spicas vellunt,manibús-
que confricant,& aristis exuunt; hoc est, homines
spicis similes à voluptatibus extirpant, vitiisque
spoliant, vt Christi esca suauis esse possint. Augu- *August.*
stini, non mea est hæc interpretatio moralis,lib.1.
quæstionum Euangelicarum quæst.2.Quòd,inquit,
discipuli cœperunt vellere spicas; & manducare,
quod nisi confricantes eas,facere non possent,hoc
est, *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram,* id *Coloss.3.*
est, quia quisque non transit in corpus Christi nisi
carnalibus spoliatus fuerit indumentis,hinc est il-
lud: *Exuite veterem hominem.* Hæc Augustinus. *Ibid.*

CAPVT XI.

De sanato homine habente manum aridam, & de testimonio Isaiæ.

MATTH. CAP. XII.

ET cùm inde transisset, venit in synagogam eorum. Et ecce homo ma-
num habens aridam. Et interrogabant eum dicentes: Si licet sabbato
curare? vt accusarent eum. Ipse autem dixit illis:Quis erit ex vobis ho-
mo, qui habeat ouem vnam, & si ceciderit hæc sabbatis in foueam,
nónne tenebit, & leuabit eam? Quanto magis melior est homo oue? Itaque licet
sabbatis bene facere. Tunc ait homini: Extende manum tuam, & extendit, & resti-
tuta est sanitati sicut altera. Exeuntes autem Pharisæi,consilium faciebant aduersus
eum,quomodo perderent eum. Iesus autem sciens recessit inde, & secuti sunt eum
multi,& curauit eos omnes,& præcepit eis,ne manifestum eum facerent. Vt adim-
pleretur,quod dictum est per Isaiam Prophetam dicentem: *Ecce puer meus quem elegi,
dilectus meus,in quo bene complacuit animæ meæ. Ponam spiritum meum super eum, & iudicium
gentibus nuntiabit. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius.
Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet: donec adüciat ad vi-
ctoriam iudicium, & in nomine eius gentes sperabunt.*

MARC. CAP. III.

ET introiuit iterum in synagogam. Et erat ibi homo habens manum ari-
dam; & obseruabant eum, si sabbatis curaret, & accusarent illum. Et ait
homini habenti manum aridam, Surge in medium. Et dicit eis: Licet
sabbatis benefacere, an male? animam saluam facere, an perdere? At illi
tacebant. Et circumspiciens eos cum ira, contristatus super cæcitate cordis eorum,

dicit homini: Extende manum tuam. Et extendit, & restituta est manus illi. Exeuntes autem Pharisæi statim cum Herodianis consilium faciebant aduersus eum, quomodo eum perderent. Iesus autem cum discipulis suis secessit ad mare, & multa turba à Galilæa & Iudæa secuta est eum, & ab Ierosolymis, & ab Idumæa, & trans Iordanem, & qui circa Tyrum & Sydonem, multitudo magna audientes, quæ faciebat, venerunt ad eum. Et dixit discipulis suis, vt nauicula sibi deseruiret propter turbam, nec comprimerent eum. Multos enim sanabat, ita vt irruerent in eum, vt illum tangerent quotquot habebant plagas. Et spiritus immundi cùm illum videbant, procidebant ei, & clamabant dicentes: Tu es Filius Dei. Et vehementer comminabatur eis, ne manifestarent illum.

LVC. CAP. VI.

FActum est autem, & in alio sabbato, & intraret in synagogam, & doceret. Et erat ibi homo, & manus eius dextera erat arida. Obseruabant autem Scribæ & Pharisæi si in sabbato curaret, vt inuenirent vnde accusarent eum. Ipse verò sciebat cogitationes eorum. Et ait homini, qui habebat manum aridam. Surge, & sta in medium. Et surgens stetit. Ait autem ad illos Iesus: Interrogo vos, Si licet sabbatis bene facere, an male? animam saluam facere, an perdere? Et circumspectis omnibus dixit homini: Extende manum tuam, & extendit, & restituta est manus eius. Ipsi autem repleti sunt insipientia, & colloquebantur ad inuicem, quidnam facerent Iesu.

Ordo gestorum.

PRÆCEDENTI narrationi tres Euangelistæ Matthæus, Marcus, & Lucas sequentem subiiciunt. Narrant Christum in synagogam Iudęorum alio sabbato ingressum, hominis manu arefactam sanitati mirabiliter restituisse. *Cum transisset inde* (ait Matthæus) hoc est, à loco, in quo discipulos Pharisæi accusauerant, *Venit in synagogam eorum*; non illo sabbato, sed alio, vt Lucas docet, *Factum*, inquit, *est & in alio sabbato, vt intraret in synagogam, & doceret*, &c. Sabbati festo die in synagogis Iudæi solebant congregari: ideoque Christus in synagogam in qua illi congregati erant, introiuit, vt illos doceret. Doctrinæ autem miraculum adiunxit.

Matth. 12. Luc. 6. Sabbato Christus synagogam cur sit ingressus.

Matth. 12. ECCE *homo manum habens aridam.* Erat in synagoga homo habens manum absque succo atque humore, arefactam, manū, inquam, potiorem, videlicet, dexteram, vt Lucas scribit. Ait autem D. Hieronymus ex Euangelio Nazarenorum fuisse cæmentarium, qui maximè manu illa indigeret. Ascribam autem verba: In Euangelio, inquit, quo vtūtur Nazareni & Ebionitæ, quod nuper in Græcum de Hebræo sermone trāstulimus, & quod vocatur à pleriſque Matthæi authenticū, homo iste, qui aridam habet manum, cæmentarius scribitur, &c. Erat igitur in synagoga homo, qui miraculo materiam subministrabat; erant quoque Scribæ & Pharisæi, qui accusandi materiam quærebant. Itaque Dominum rogauerunt, vt Matthæus narrat, licerétne curare sabbati festo die. Sub interrogatione autem prauus latebat animus accusandi, si homini donaret sanitatē. Latebat quidem prauus animus homines; sed non latebat Deum & hominem. *Ipse*, ait Lucas, *sciebat cogitationes eorum.* Rogatus ab illis hominem manu dextera captū alloquitur: *Surge*, inquit, *& sta in medium*, & surgens stetit. Tunc rogat ipse iam rogatus Pharisæos, vt Lucas & Marcus narrant, *Licétne sabbatis bene facere, an male?* Licétne animam (hoc est, hominem) saluam facere, & sanare, an perdere & interimere?

Cæmentarius erat qui manum aridam habuit. Hieron.

Luc. 6. Ibid.

A QVI *erit ex vobis homo, qui habeat ouem vnam, &c.* Post interrogationem, quam Matthæus prætermittit, Marcus Lucásque commemorant, addit Dominus rationem, cuius Matthæus solus meminit, suæque interrogationis, siue quæstionis, affirmantem partem probat. Rogauit Pharisæos: Num liceret sabbatis bene facere? Respondet interrogationi, probátque licere, argumento à minori ad maius; ab oue ad hominem. Licet, inquit, ex fouea sabbati festo die ouem decidentem extrahere, id quod vos facitis, falsque esse arbitramini; homo multò est oue præstantior: ergo licebit mihi bene facere, hominemque die sabbati ex fouea malorum, & morborum educere.

Matth. 12.

Tutus Christus est & meritò.

B ET *circumspiciens eos cum ira.* Tacuerunt Pharisæi & Scribæ, vt Marcus ait, auditis Christi verbis; ille verò cum ira tacētes circumspexit, *contristatus super cæcitate cordis eorum.* Iratus est ob oculorū inuidiam & prauitatem: contristatus ob cordis cæcitatem. Iram verò hāc summa cū ratione susceptam, ipso vultu Dominus declarans Pharisæos circumspexit, tristitiam quoque vultu præ se tulit, vt illos vitiorū suorum cōmonefaceret. Viri iusti hoc est, irasci peccatis, & peccantibus cōdolere. D. Chrys. homilia 41. in Matthæum ait, Christū circumspexisse Pharisæos, vt etiam aspectu atque oculorum C motu, ad misericordiam ipsos flecteret. Sed ex Marco constat cum ira circumspexisse.

Marci 3.

Chrysost.

EXTENDE *manum tuam.* Virum hunc manu captum ait D. Hilarius Pharisæos Christo curandum obtulisse. Verisimilius est illum Christi opem imploraſſe, cuius audierat, vel etiam viderat miracula: indeque ortam esse Pharisæorum interrogationem. Cùm enim ille Christum precaretur, Pharisæi rogarunt: *Licétne sabbatis curare?* Imploraſſe autem Christi opem ait D. Hieronymus legi in Euangelio Nazarenorum Matthæi 12. In Euangelio, inquit, quo vtuntur Nazareni & Ebionitæ, homo iste, qui aridam habet manum, cæmentarius scribitur, istiusmodi vocibus auxilium precans: Cæmentarius eram, manibus

Matth. 12. Marci 3. Hilar.

Hieron.

nibus victum quæritans; precor te Ieſus vt mihi reſtituas ſanitatem, ne turpiter mendicem cibos, &c. Preces hominis audiuit Dominus, ſurgere iuſſit, & ſtare in medium; quia fortè procideràt ad eius pedes, ſolóque verbo ſanitatem illi reddidit. Dixit; fiat ſanitas; & facta eſt ſanitas. Nempe Dei eſt dicendo facere & ſanare.

Dei eſt dicendo facere & ſanare.

Luca 6. IPSI *autem repleti ſunt inſipientia.* Oportuerat Phariſæos, auditis Chriſti verbis, & tanto miraculo conſpecto repleri fide, ſed ô pectora cæca, repleti ſunt inſipientia, vt Lucas ſcribit, Græcè, ἀνοίᾳ, quo verbo inſipientia & intellectus priuatio ſignificatur. Cæci enim homines miraculo conſpecto in tantam deuenerunt amentiam, vt de perdendo miraculi patratore conſilium cum Herodianis inirent, quod Marcus teſtatur. Qui autem fuerint Herodiani, Deo fauente dicemus, cùm de illa quæſtione Chriſto propoſita agemus, *Licétne cenſum dare Cæſari an non?*

Inſipientia Phariſæi cur ſint repleti.

Matth. 22.

Matth. 12. IESVS *autem ſciens receſſit.* Inſipientiæ Phariſæorum, furoríque ceſſit Dominus, & inde ad mare Tiberiadis receſſit. Vnde intelliges hæc acta in Galilæa vbi hoc mare erat. Recedentem magna hominum multitudo ſecuta eſt, vt Marcus ſcribit, ex variis collecta regionibus; ex Galilæa, in qua tunc verſabatur, ex Iudæa, ex ipſa ciuitate Ieruſalem, itemque ex Idumæa & regione, quæ trans Iordanem erat, ex locis quoque Tyro propinquis & Sidoni, Phæniciæ vrbibus. Opus autem fuit ne à turba comprimeretur, nauiculam aſcendere. Nam quotquot habebant plagas (ait Marcus) ſanitatis incitati cupiditate, in illum irruebant; vt totius ſalutis fontem tangerent. Multos ſanaſſe teſtatur

Ibid. idem Euangeliſta. Matthæus verò: *Secuti,* inquit, *ſunt illum multi, & curauit eos omnes,* videlicet, qui curatione indigebant. Et præcepit eis ne manifeſtum eum facerent. Indicans nimirum ſe inanis gloriæ cauſa nihil facere, nóſque exemplo docens peſſimam hanc Dominam fugere, nihilque ad oſtentationem agere. Ait Euthymius, Chriſtum hos tacere præcepiſſe, ne miraculorum vulgatione, Phariſæorum irritaretur inuidia. Non improbo.

Euthym.

Matth. 12. Quorſum hoc teſtimonium Matthæus proferat.

ECCE *puer meus.* Quorſum hoc teſtimonium Matthæus proferat, dubium eſt. Proferri potuit ad confirmandam Chriſti manſuetudinem, qui cum Phariſæis contendere noluerit, quin potius hominum furori cedens, quos nutu ſuo diſperdere potuiſſet, ad mare receſſerit. Non eſt improbanda ratio. hoc enim teſtimonio mira Chriſti

Euthym. ſignificatur manſuetudo. Euthymius ad illa verba; *Non contendet, nec clamabit;* Propter hæc, ait, verba totam prophetiam Matthæus poſuit. Nam cùm eſſet Chriſtus mitis, non contendit aduerſus contradictores neque clamauit, dum ei fieret iniuria, &c. Idem Euthymius ad præceptum quoque prophetiam refert, quo Dominus miracula taceri iuſſit; Quia, inquit, huiuſmodi præceptum præ magna manſuetudine ac lenitate faciebat Dominus, malens ſuam gloriam occultari, quàm Phariſæos ad maiorem inſaniam accendi, inducit Prophetam euangeliſta, qui tanta eis lenitate fuerat locutus.

Forſitan indicare etiam voluit Matthæus, hoc teſtimonio, Domini erga ægrotos benignitatem. Nam Chriſtus mitis, ac benignus erat adeò, vt neminẽ læderet, quin potius omnibus prodeſſet, omnes curaret: calamum quaſſatum, id eſt, hominem morbo laborantem non confringeret, imo reficeret, & linum fumigans hoc eſt, ægrum caloris natiui habentem fumum aliquem, non extingueret, ſed inflammaret.

ECCE *puer meus.* Ait Pater: *Ecce puer meus,* hebraice, עַבְדִּי *Matth. 12. Iſaiæ 42.* *ebhed*, id eſt, ſeruus, vt vertit Hieronymus: dicitur autem Chriſtus Patris ſeruus propter naturam aſſumptam, iuxta illud Pauli, *Semetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens. Ecce,* inquit, *ſeruus meus quem elegi* ex omnibus & præ omnibus: Chriſtus enim inter electos ſupremum caput eſt. Electus eſt, qui dilectus, ideo additur: *Dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ,* id eſt qui ſummopere animæ meę placet, & propter quem mihi placet quisquis hominum placet. Dilectiſſimus fuit Chriſtus Patri. Ex dilectione dona Spiritus ſancti præclariſſima emanarunt, quibus humanitas decorata eſt, vnde additur: *Ponam ſpiritum meum ſuper eum.* Sanctus enim ſpiritus, qui in vtero Virginis admirabilem perfecit conceptionem, ipſo conceptionis puncto admirabilem humanitatem, admirabilibus donis, qualia filij Dei flagitabat humanitas, exornauit.

Chriſtus Dei ſeruus cur dicatur. Phil. 2.

Chriſtus fuit Patrẽ dilectiſſimus.

IVDICIVM *gentibus proferet.* Hebraice יוֹצִיא *Matth. 12. ietſi*, id eſt, exire faciet, proferet vel nuntiabit, vt eſt apud Matthæum. Significat Chriſtum gentibus iudicium nũciaturum. Iudicium verò ſumi poteſt in primis pro iudicio extremo, quomodo intellexit Euſebius l. 9. de Demonſtratione Euangelica ca. 15. Chriſtus (inquit) futurum iudicium publice gentibus denunciauit, &c. Similiter Theodoretus, & Theophylactus, & Auguſtinus lib. 20. de ciuit. c. 30. Deinde poteſt ſumi iudicium in bonam partem, pro liberatione per iudicium, quemadmodum, *Nunc iudicium eſt mundi*; per quod videlicet, è poteſtate diaboli mundus liberandus eſt. Sic ergo interpretaberis; Nunciabit Chriſtus gentibus iudicium: quo ab acerbiſſima cacodęmonis captiuitate ſunt ereptæ, per crucis dolores, & ignominiam. Hunc ſenſum videtur ſequi Procopius in Iſaiam. Vnctus, inquit, eſt Chriſtus, vt iuſto iudicio gentes in libertatem aſſereret, quod factum eſt, cùm ſatanã damnauit his verbis; *Nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras,* &c. Tertiò iudicium ſignificat ius, & iuſtitiam, eſtque ſenſus ceteris anteponendus: Nunciabit gentibus iudicium: hoc eſt, quid iuſtum ſit, quid iniuſtum: quid fas, quid nefas, docebit gentes iuſtitiam. Iudicium (ait Theoph. Matth. 12.) eſt doctrina, & ſcientia, & diiudicatio boni, &c. Euthymius, Iudicium, inquit, vocat legem euangelicam, quam per Apoſtolos prædicauit gentibus.

Iudicium quot modis hic ſumatur.

Ioan. 12.

Ibid.

NON *contendet, nec clamabit.* De Chriſti manſuetudine, & humilitate Propheta vaticinatur. Hebraice legitur, *non clamabit*, & לֹא יִשָּׁא *lo iiſſcha*, id eſt, *non accipiet*, ſcilicet, perſonam, vt Hieron. tranſtulit. Vel; *Non dimittet*, ſic Septuaginta verterunt. Vel *non tolleret*, ſcilicet vocem; hoc pacto vertit Matthæus, ideo dixit; Non contendet voce elata, nec clamabit. De quibuſnam clamoribus verba vatis ſint intelligenda explicauit; nimirum non de clamoribus concionum, ſed contentionum. Quaſi diceret; Non clamabit contendens, non vociferabitur cum Phariſæis & Scribis decertans. Vnde liquet, quid reſponderi debeat, ſi quis obiiciat, Chriſtum clamaſſe cùm obiit, clamaſſe, vt Paulus ait, cùm orauit, clamaſſe cùm eſt concionatus. Ioan. *In nouiſſima die feſtiuitatis ſtabat Ieſus, & clamabat,* &c.

Matth. 12.

Chriſtus quomodo nõ clamarit.

Hebr. 5.

Ioan. 7.

Sed quid eſt quod ſequitur: *Nec audiet aliquis in plateis vocem eius?* Numquid Chriſtus in plateis vocem non fundebat? Reſpondetur ſimilem in modum, verba hæc de voce contentioſa eſſe intelligenda, qua Chriſtus nec domi vtebatur, nec in plateis foris. D. Auguſtinus lib. 20. de ciuit. capite 30. hęc verba ſic interpretatur: Non audietur vox eius foris; hoc eſt, ab eis, qui foris ſunt, ab eius corpore præciſi, non illi obedietur. Similiter D. Hieronymus Matth. 12. Non audiet aliquis in plateis vo-

Matth. 12.

Auguſt.

Hieron.

cem eius, id est, in via lata. Qui enim in via, siue vita sęculi lata versantur, Christi vocē non audiunt.

Procop. Hi sensus literales non sunt, sed mystici. Procopius sic exponit; *Non audietur vox eius foris*, id est extra Iudæam. Nam Christus gentibus non est concionatus. Eadem Diui Hieronymi explanatio, Isaiæ 42.

Matth. 12. ARVNDINEM *quassatam non confringet.* Hoc, vulgatum prouerbium sonat, sed est verisimilius non esse prouerbium, sed vatis verba in modum prouerbij quibus Christi mansuetudo indicatur. Adeò, ait, mitis erit, & à nocendi animo alienus, vt ne arundinem quidem quassatam pessundet, ac frangat: aut linum fumigans, in quo aliqua ignis scintilla est, extinguat. D. Cyril. Isaiæ 42. sic explanat: Peregrinatus est Dominus submissione multa & humilitate, & quasi sine strepitu, & iniuria afficiens neminem. Sed in silentio, & solitudine, vt confractum non continuerit, & linum fumigans nō extinxerit, hoc est, ne in abiectissimos, & in perpetiendo damno timidissimos pedem immiserit. Ita Cyrillus. Augustinus verò in lib. 20. de Ciuit. Dei, Iudæos putat appellari calamum quassatum & linum fumigans. Non contriuit Christus, cùm nutu posset, Iudæos sibi aduersantes, qui similes erant arundini quassatæ, & lino fumanti. Vis ipsum audire Augustinum? Christus, inquit, persecutores suos Iudæos, qui calamo quassato perdita integritate, & lino fumanti amisso lumine comparati sunt, non cōtriuit, nec extinxit. Quia pepercit eis: quia nondum venerat eos iudicare, sed ab eis iudicari, &c. De Iudęis quoque intellexit Chrysost. Contritæ arundini similes erant, ob imbecillitatem: neque enim Christo resistere poterant. Fumanti lino, ob inuidiam. Quid enim inuidus est aliud, quàm linum fumigans, putoremque exhalās? Propheta (ait Chrysost.) vt Iudæorum, siue Pharisæorum imbecillitatem ostenderet, *arundinem*, ait, *contritam non frāget*. Sic certè omnes frangere facilè poterat, vt arundinem: nec vt arundinem simpliciter, sed vt arundinem iam contritam. *Et linum fumigans non extinguet.* Hic accensam Iudæorum iram ac furorem præ oculis ponit, &c. Omnis Iudæorum, omnis tyrannorum furor fumanti lino similis fuit: quod pede impositio facillimè extinguitur. Etenim solo nutu potuit Christus fumantē illum furorem extinguere, sed iustis de causis noluit.

Greg. D. item Gregor. lib. 33. mor. c. 3. calamum arbitratur significare regnum Iudæorum temporale, exterius quidem virescens, interius verò vacuum: quod quassatum appellatur, quia tempore Christi à Romanis iam possidebatur. Linum fumigans Iudæorum sacerdotium indicare putat, quòd lineis vterentur vestibus sacerdotes. Quod, inquit, quia in aduentu Domini caritatis ardorem perdidit, quasi amisso iam igne fidei, non ardens, sed fumigans fuit. Incarnatus autem Dominus calamum quassatum non confregit, & linum fumigans non extinxit, quia Iudæorum regnum, & sacerdotium patientiæ longanimitate tolerauit, &c.

Hieron. D. Hieronym. Matth. 12. de peccatoribus locuin exponit, arundini contritæ similibus, & lino fumanti, quos Dominus nō affecit merito supplicio, sed ad pœnitentiam vocauit. Calamum, ait, quassatum, siue confractum, non conteret; cuncti; enim placabilis erit, & veniam dabit peccatoribus. Et linum fumigans, siue, vt cæteri transtulerunt, obscurum atque tenebrosum non extinguet, qui vicini erāt extinctioni, Domini clemētia seruabuntur, &c. In epistola verò 151. ad Algasiam calamum confractum Iudæis, linum fumigane gentibus tribuit. Calamus, ait, fractus, qui fuit anteà vocalis, &

In Christo quomodo hæc prophetia completa sit. Cyril.

Augusti.

Iudæi calami contriti sunt, & lina fumantia.

Chrysost.

Calamus contritus, & linū fumigans tyranni omnes sunt.

Calamus quassatus & linum fumigans, peccatores.

Calamus contritus Iudæi, Gē-

A laudes Dei concinebat, appellandus est Israël. *tes linum Linum fumigans non extinguet*: populum de gentibus *fumigans.* congregatum, qui extincto legis naturalis ardore, fumi amarissimi, qui noxius est oculis tenebrosæq; caliginis, inuoluebatur erroribus. Quem non solum non restinxit, & redegit in cinerem, sed è contrario de parua scintilla, & pene moriente maxima suscitauit incendia. Ita vt totus orbis arderet igne Domini, quem venit mittere super terram, & in omnibus ardere desiderat. Hactenus Hieron. Simil. Tertul. in lib. aduersus Iudæos, ca. 9. Arundinem, inquit, contusam, id est quassatam Israëlis fidem non comminuit; linum ardens, id est, momentaneum ardorem gentium, non extinxit. Sed lu- *Tertul.*

B cernam magis fecit ortu luminis sui, &c. Lege Eusebium lib. 9. de demonstrat. cap. 15. Tertul. fumigans linum, vertit linum ardens. Est enim Græcè apud Matth. τυφόμενον, id est, fumigans, ardens, incensum, à verbo, τύφομαι quod fumare significat, & ardere, atque incendi.

Syri fumigantis lini nomine lucernam intelligunt, propter lineum elychnium, sic enim habet Syriacū Euangeliū, שרגא דמשפתף לא ידעך *scheraga damtephtheph lo iadebhebh*, id est, *Lucernam prope extinguendam*, vel alij habent, *crepitantem, non extinguet*. Plus videtur dicere propheta, quàm verba primo aspectu indicāt. Sic ea intelligo. Arundinem fractam non franget penitus; quin potius colligabit, & consolidabit; linum fumigans, id est, fumi-

C gantem lucernam, non extinguet, sed inflammabit. hoc est, Neminem lædet, sed omnibus opem feret, morbos tum corporis, tum vel maximè animi curabit. Pauperes atque ægrotos instar arundinum fractos, & instar lini fumigantis penè extinctos reficiet, & sanitati restituet. Ideóque à Matt. testimonium hoc citatum est; quoniamantè dixerat curasse Christum multos.

DONEC *eijciat ad victoriam iudicium.* Ex Hebræo *Ioan. 12.* vertit Hieron. *Donec ponat in terra iudiciū.* Matt. idem est sensus. Mitissimus, inquit, erit Messias, nemini nocebit, omnibus bene faciet: donec in terra iudicium ponat, id est, donec in terra collocet ius, atque iustitiā Euangelicano. Sumo enim iudicium

D pro iure, atque vera iustitia, quæ sine Christo in orbe terrarum domicilium, sedémque non habebat. *Christus iu-* Matth. dixit. *Donec eijciat ad victoriam iudicium*, id est, *stitiam ad* donec proferat siue afferat, & ad victoriam, ipsam *victoriam* iustitiam Euangelicā, donec victoriam Euangelico *adduxit.* iudicio, siue iuri, siue iustitiæ tradat. Verbum, *eiiciat*, *Matth. 12.* vim indicat, & laborem: magna enim cruciatuum vi, diuina fortitudine, & ingenti labore, ac dolore Christus iudicium ad victoriam adduxit vel eiecit. In hanc sententiam Procopius verba Isaiæ interpretatur; Donec, inquit, iudicium super terram ponere: id est, Ecclesiæ in terra administrationem, & iudicium, quod suis discipulis commisit, ordinaret. Videtur enim in istis, iudicij nomine legem significare, &c.

E Addit Vates; *Et in nomine eius gentes sperabunt.* Iudi- *Ibid.* cium ad victoriam adduxit, ipsumq; iudicium, hoc *Gētes in nō-* est, iustitiam Euangelicā gentibus protulit, vt suprà *mine vel le-* dictum est; ideóque in Christum gentes sperant, *ge Christi* quod luce clarius est, Hebraicè habetur; *Legem eius* *sperant.* *insulæ expectabunt.* Sed idem sensus est. Insulæ enim gentium erant, non Iudęorum, ideo Septua. & Mat. pro insulis gentes dicunt. Qui verò legem sperant Christi: in nomine sperant Christi, idemque est sperare Christi legem, & sperare in nomine Christi. Non enim verba numerarunt Septuag. interpretes & Matth. sed sensum expressērunt.

Opinio est, verba hæc Matthæi. *Donec eiiciat ad victoriam iudicium:* Hebræis illis respondere, לאמת משפט

יוציא משפט *loemeth iothſi miſchapt*, id eſt, *In veritate educet iudicium*; non reſpondere arbitramur illis Hebræis verbis. illa enim Matthæus omiſit, ſed aliis ſequentibus, עד ישים בארץ משפט *bhad iaſchim baaretz miſchpat*, id eſt, *donec ponat in terra iudicium*: pro quo Matthæus dixit: *Donec ad victoriam eiiciat iudicium*. Reſpondere autem verba Matthæi his verbis potiùs quàm illis, conſideranti facile fiet perſpicuum, & interpres legenti: Non deeſt, qui coniiciat, vel ſuſpicetur, vitiatum eſſe locum apud Septuaginta, qui cùm Hebraicè ſit, בתורתו *bethoratho*, id eſt, *in lege eius*: verterunt, in nomine eius. Legendum itaque coniicit non ἐν ὀνόματι, id eſt, in nomine eius gentes ſperabunt. Sed, ἐν νόμῳ, hoc eſt, in lege: vitioque ſcriptoris propter ſimilitudinem contigiſſe errorem. Ego contrà credo Septuaginta non verba numeraſſe, ſed ad ipſum vertiſſe, in nomine eius gentes ſperabunt; Matthæique interpretem, non errorem, ſed veritatem eſſe ſecutum. Quod probant Romanæ Bibliorum editiones, tum Septuaginta Interpretum, tum vulgatæ. Itaque ſuſpicio illa falſa eſt.

CAPVT XII.

Morale.

De manu arida ſanata.

ARIDÆ manui ſuccum, ſanitatemque tunc Chriſtus reddit, cùm auarum ſanat. Eſt enim auari manus arida; caritatis miſericordiæque carens ſucco. Nónne manus arida fuit illius diuitis auari, qui horrea ſua deſtruere decernebat, vt vberes agrorum fructus congregaret? Extendere decreuit horrea, non manum. Ideo verò, quia horrea, non manum extendit; horrea deſtruxit: rectéque loquitur, *Deſtruam horrea mea*. Si pauperi dediſſet, non deſtruxiſſet, ſed ampliſſima in cælis horrea ædificaſſet. Adde huic epulonem quoque diuitem, qui pauperi Lazaro ne micam quidem dedit. Qui erga pauperes aridas manus habet, Dei erga ſe aridas manus experietur. Non dedit diues micam, ideo non accepit guttam.

Auarus manus habet aridas. Luc. 12.

Luc. 16.

Erga diuitē Deus, dum viuit ad largiendas opes manum extendit: vt ipſe quoque erga inopes extendat manum. Propterea enim alij diuites ſunt, alij pauperes: vt diuites manus in pauperes extendant. Quod D. Baſilius docet homilia in diteſcētes auaros: Cur, ait, tu diues es, ille pauper? profectò non ob aliam cauſam, niſi vt tu benignitatis ac fidelis adminiſtrationis mercedem accipias: ille verò patientiæ maximis præmiis honoretur, &c. *Extende manum tuam*, ait Dominus, homini aridam habenti manum: extende pauperi manum, ait diuiti. Vel ipſam terram imitare, ex qua fructus colligis. Seminis, quod ſpargis non eſt illa tenax, ſed manum extendit, cum fœnore cōmiſſum reddit; eundem in modum, diuitiarū quas à Deo accipis tenax eſſe noli, quin potius in pauperes diffunde, fluuio ſimilis aridos agros irriganti. Non continet aquas fluuius, ſed extendit: tu quoque manū ne contrahe, ſed protrahe. Optem (ait D. Baſilius homilia indicata) à me vt perſuadeamini, nempe vt portis omnibus promptuariorū patefactis, patentem tranſitum diuitiis latiſſimè exhibeatis: quaſi latifundo fluuio frugiferā terram per mille irriguos elices, riuóſq; clam ingredienti. Itidem, & ipſi per multas vias, opibus aditū ad pauperū domos date. Sic ille.

Baſil.

Deut. 15. Extendenda pauperi manus.

Si vnus de fratribus tuis ad paupertatem deuenerit; non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, ſed aperies eam pauperi, &c. Aquæ ſi aptè natura fluunt; frigore tamen lapideſcunt; iuxta illud: *In ſimilitudinem lapidis durantur aquæ*. Ita hominis cor fluidum eſt, & erga hominem alterum miſericors: at auaritiæ frigore ſic conſtringitur, vt lapide fiat durius. Durum autem cor & aridum, manum habet aridam, quemadmodum radix arida aridos habet ramos. Ait ergo Dominus: *Non obdurabis cor tuum*. Deinde: *Nec contrahes manum tuam*.

Iob 38.

Deut. 15.

Antequam Chriſtus aridam manum iuberet extendere, vt in medio ſtaret homini imperauit. *Surge*, inquit, *& ſta in medium*. Illius diuitis extenditur manus, qui in medio quodam ſtatu ſtat, hoc eſt, qui aurea mediocritate contentus diuitias non cumulat, ſed pauperibus elargitur. Iis enim qui medium modumq; excedunt, qui ſtatum perpetuò & opes augere concupiſcunt, nihil donandum ſupereſt. Tellus quæ cunctis animantibus alimoniam ſuppeditat, in medio mundi ſita eſt: ſic diues, qui pauperibus cibum ſubminiſtrat, in medio conſiſtit.

Luc. 6. Mediocriter cōtentus eleemoſynas largitur.

Obſerua etiam illud, cōſpecto miraculo impleti ſunt inuidi Phariſæi inſipientia. Hoc inuidorū eſt, ex rectè factis, & felicitate eorum, quibus inuidēt, non fructus dulciſſimos beneuolētiæ & lætitiæ carpere, ſed fructus amariſſimos, inſipientiam & mœſtitiam colligere. Quemnam fructum Saul inuidus ex præclaro Dauidis facinore, ex gigantis illa memorabili colligit cæde, & ex laudibus, quibus eſt affectus? nónne inſipientiam atque amentiam? Nam vt amens & inſipiens Dauidem eſt perſecutus. Lege Chryſoſt. hom. 52. in Geneſim: Ita, inquit, ſe habet inuidia, nihil cum ratione operatur, &c. Nónne inſipiens planè, atque demens homo eſt, qui cùm poſſit ex terra aurum & gemmas eruere, venenum eruit, quo hauſto pereat? hoc inuidus facit, cùm poſſit ex felicitate, præclariſque ceterorum factis caritatis aurum fulgentiſſimum extrahere, quo diteſcat, mœſtitiæ venenum extrahere mauult, quo malè pereat.

Inuidi inſipientes.

Chryſoſt.

Inuidis Phariſæis ceſſit Chriſtus, ab illiſque diſceſſit; qua in re manſuetudinem ſuam oſtendit, dum Deus cedit hominibus. Lege Chryſoſtomum homilia 52. in Geneſim: Hæc, inquit, verè manſuetudo eſt, non quando quis offenſus manſuete fert; ſed quando quis ab iis etiam, qui inferiores putantur, offenditur, & cedit, &c.

Ad hæc; Chriſti imitare manſuetudinem. Calamum quaſſatum non confringas; linum fumigans non extinguas. Hoc eſt, neminem læde, omnibus ſtude pro virili parte benefacere. Quid homo improbus eſt aliud, quàm confracta arundo, ignis materia tartarei? quid aliud eſt, quàm fumigas linum extincto gratiæ lumine? At mitis Agnus arūdinem fractam non confringit penitus, ſed colligare & reficere cupit, elychnium fumigans non extinguit, ſed lumine ſuo deſiderat inflammare; iuxta illud: *Quod confractum fuerat alligabo, & quod infirmū fuerat ſolidabo, &c.* Linum, ſiue elychniū fumigans dici poteſt Chriſtianus, cùm primū gratiæ flammā peccando amittit; dum adhuc veluti fumigat animus. Quemadmodum verò lucerna fumigans facilè flammam concipit: ſic fumigans animus, ſi antequam penitus frigeſcat, atque obduretur, ad Deum redeat; non difficilè amiſſæ charitatis concipit ardorem.

Peccator est calamus confractus, & linū fumigans, quod Chriſtus inflammat. Ezech. 34.

Docent etiā hæc verba eos, qui tenera, vel mōdica virtute præditi ſunt, tenerè ac blandè eſſe tractandos, ne ſi aſperè ac durè cum illis agas, virtutis ſcintillas extinguas potiùs quàm accendas. D. Baſilius in regulis breuioribus reſponſione 291. Per calamum, inquit, quaſſatum, illum intelligi arbitror, qui nō ea, qua oportet animi ſinceritate mandatum Dei exequitur: quem non cōterere oportet, ſed ſanare. Linum fumigans, quotieſcumque quis

Virtus tenera blādè tractanda. Baſil.

mandatum quidem exequitur: sed non ardẽti desiderio, aut pleno studio, sed segniùs quodammodo, ac lentiùs; qui ideò non est deterrendus, sed excitandus potius. Sic Basilius.

Habent etiam populorum iudices, ac Reges his in verbis iudicandi, ac gubernãdi rectam methodum. *Dedi* (ait Dominus) *spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox eius foris. Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet: in veritate educet iudicium. Non erit tristis, nec turbulentus, donec ponat in terra iudicium*, &c. Sic apud Isaiam legitur. De Christo verba sunt intelligenda, & iudici, Regique, Christi imitatori accommodanda. Indiget iudex, & Rex ad gubernandam Rempublicam diuini spiritus luce, ideoque dicitur; *Dedi spiritum meum super eum.* Apocalyp. *De throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua, & septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei.* Similem in modum è throno Regis iudicisve, fulgura, voces, tonitruáque, hoc est, sententiæ procedunt fulguribus tonitruisque similes, quæ homines terrent, opibus nudant, capitis denique damnant. Vt autem in luce iustitiæ ferantur, spiritus diuini lampades ante thronum oportet splendescere. Meritò igitur dicitur: *Dedi spiritum meum super eum:* & sequitur; *Iudicium gentibus proferet*, &c.

Isaiæ 24. Reges & iudices quales esse debeãt.

Apoc. 4.

Commendanda prætereà est in Rege & iudice iustitiæ admixta clementia, atque modestia: hanc cetera verba indicant: *Non clamabit, neque accipiet personam, neque audietur vox eius foris.* Modestia enim, & iustitia exornatus iudex, neque vociferationibus rem agit, neque personam accipit, neque tristis est, atque turbulentus.

Clementiæ verò, & benignitatis decore illustratus, *Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguit*; hoc est, pauperes, & inopes homines à diuitibus oppressos, & instar arundinum iniustè quassatos, ac confractos, nõ confringit in iudicio, sed consolidat; viduas, orphanósque à potentibus vexatos, & instar lini fumigantis penè extinctos, non extinguit sua sententia, quin potius inflammat hoc est quod dixit Dauid, *Liberabit pauperem à potente & pauperem, cui non erat adiutor.* Et, *Aperi os tuum muto* (id est, ei qui aduocato caret in iudicio) *& causis omnium filiorum, qui pertranseunt. Aperi os tuum, decerne quod iustum est, & iudica inopem, & pauperem*, &c.

Iudices ergà pauperes quales esse debeant.

Psal. 71.

Prou. 31.

Denique Rex huiusmodi, & iudex non quiescit donec iudicium ponat in terra, in suo regno, & ciuitate, vel prouincia: vel, vt Matthæus habet: *Donec eiiciat ad victoriam iudicium.* Omnes enim difficultates, omnia pericula perrumpit, vt iudicio victoriam tribuat. Iudice iudicante iniquo iniquitas obtinet victoriam; iusto iudice causam cognoscente, prosternitur iniquitas, ius & æquitas triumphum reportat. Obserua verba: *Eiiciat ad victoriam iudicium*: vi enim opus est iudici, vt iudicium & iustitiam ad victoriam adducat: iustæque causæ pauperis palmã tradat. Vnde illud, *Noli quærere fieri iudex nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne fortè extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua*, &c. Sit tibi exemplum Iob, cuius hæc extant præclara iudicis verba & facta, *Auris*, inquit, *audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi: quòd liberassem pauperem vociferantem, pupillum cui non esset adiutor. Iustitia indutus sum, & vestiui me sicut vestimento, & diademate iudicio meo. Pater eram pauperum, & causam, quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam*, &c.

Matth. 12.

Iudici vt opus est.

Eccli. 7.

Iob 29.

CAPVT XIII.

De electione Apostolorum duodecim.

MARC. CAP. III.

ET ascendens in montem vocauit ad se, quos voluit ipse, & venerunt ad eum. Et fecit, vt essent duodecim cum illo, & vt mitteret eos prædicare. Et dedit illis potestatem curandi infirmitates, & eiiciendi dæmonia. Et imposuit Simoni nomen Petrus, & Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem Iacobi; & imposuit eis nomina Boanerges, quod est filij Tonitrui. Et Andream, & Philippum, & Bartholomæum, & Matthæum, & Thomam, & Iacobum Alphæi, & Thaddæum, & Simonem Cananæum, & Iudam Iscariotem, qui & tradidit illum.

LVC. CAP. VI.

FActum est autem in illis diebus, exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Et cùm dies factus esset, vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex illis. Quos & Apostolos nominauit. Simonem, quem cognouit Petrum, & Andream fratrem eius, Iacobum & Ioannem, Philippum & Bartholomæum, Matthæum & Thomam, Iacobum Alphæi & Simonem, qui vocatur Zelotes, & Iudam Iacobi, & Iudam Iscariotem, qui fuit proditor.

POST

POST Christi recessum, ob inuidiam Pharisæorum, de quo suprà diximus cap. 11. hoc subiicit Matthæus. *Tunc oblatus est ei dæmonium habens, &c.* Marcus autem, & Lucas electos à Christo Apostolos narrant. Verosimile ergo fit ex iis duobus Euangelistis post illa, quæ narrata sunt, collocandam hoc loco Apostolorum electionem. Quæ sententia plurium est, Iansenij, Baronij, Brisonij, & aliorum. Ab ea recedere nolo. Illud tamen admoneo, quisnam harum rerum fuerit ordo ignotum esse, quòd Euangelistæ in describendis Christi gestis temporis ordinem non magni fecerint. Siquis verò obiiciat, Matthæum significare post aridam manum sanitate donatam, non Apostolorum electionem, sed dæmonis potiùs muti expulsionem hoc loco ponendam; siquidem subiicit: *Tunc oblatus est ei dæmonium habens, &c.* Respondemus iuxta hanc sententiam, particulam illam, *tunc*, non indicare tempus rei proxime prænarratæ; sed idem esse atque, *in illo tempore*, quo scilicet Dominus in Galilæa concionabatur, in illo, inquam, tempore propinquo historiæ prænarratæ de sanata arida manu. Interiecta tamen sunt alia, vt videbimus, Apostolorum autem electionem priorem fuisse dæmonis expulsione, probatur ex Marco. Narrat enim ille cap. 3. Apostolos creatos; deinde Christum, & Apostolos domum venisse scribit: tum Pharisæorum blasphemiam illam connectit. *In principe dæmoniorum eiicit dæmonia.* Dominique responsionem commemorat. Ergo prior fuit Apostolorum electio, de qua hoc agimus loco.

Matth. 12. — *Matth. 12.* — *Matth. 12.*

EXIIT *in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* Ascendit in montem Christus, antequam crearet Apostolos duodecim, & pernoctauit in oratione Dei, hoc est, per noctem totam orationi vacauit. Dicitur autem oratio Dei, oratio diuina, quemadmodum vir fortitudinis, dicitur ab Hebræis vir fortis. Precabantur Deum, ideoque Dei erat oratio: præterea Hebræi nomine Dei, ad exaggerandum vtuntur, montes Dei, appellantur montes celsissimi, quasi diuini: *Iustitia tua sicut montes Dei:* id est, similis est montibus altissimis. *Operuit montes vmbra eius: & arbusta eius cedros Dei:* id est, proceriſſimas. Ita hoc loco vti potuit Lucas nomine Dei, ad exaggerationem, quasi diceret: *Pernoctauit in oratione Dei:* id est ardentissima, longissima, celsissima. Forsitan sublimius aliquid his in verbis significatur; scilicet, illam orationem Dei fuisse: id est, Christi Dei, atque hominis admirabilem. Admirabile enim fuit Deum hominem precari Deum. At obserua Christum non secundùm diuinam, sed secundùm humanam orasse naturam. Orauit autem in monte, & noctu: locum elegit, & tempus orationi opportunum; vt doceat nos, & tempus, & loca etiã opportuna orationi eligere; qualia sunt ab hominũ tumultu secreta loca, & tẽpus nocturnum.

Oratio Dei quæ dicatur — *Dei nomine Hebræi vtũtur ad exaggerationem.* — *Psalm. 35.* — *Psalm. 78.* — *Orationi tempus & locus opportuna quærenda.*

Luc. 6.

ELEGIT *duodecim ex ipsis*, Totam noctem orationi Dominus impendit; cùm verò illuxisset, discipulos ad se vocauit, quos multos habebat: ex multis duodecim tãtummodò elegit. *Fecit*, (inquit Marcus) *vt essent duodecim cum illo.* Opinatur interpres quidam doctus verba vitio scribentium esse transposita, & ad hunc modum legendum esse; *Fecit duodecim:* scilicet Apostolos, *vt essent cum illo.* Sic enim habetur Græcè, καὶ ἐποίησε δώδεκα ἵνα ὦσι μετ' αὐτοῦ. Verum ex emendata Romana editione constat, veram esse lectionem: *Fecit vt essent duodecim cum illo.* Quæ eandem habet significationem: *Fecit, vt essent cum illo*, id est, vt comitarentur eũ, & illius hererent lateri comites indiuidui, *duodecim* ex discipulis. Vnde Tertullianus lib. de præscriptionibus, capit. vigesimo:

Luc. 6. — *Marci 3.* — *Tertull.*

Ex discipulis, inquit, duodecim præcipuos lateri suo Christus adlegerat, destinatos nationibus magistros, &c.

De numero Apostolorũ duodenario.

Placuit Domino numerus duodenarius, qui numerus erat tribuum Israel, & Patriarcharum, ex quibus Iudaicus populus est proseminatus; vt numerum tribuum, numerus exæquaret Apostolorum, & tot essent Christiani populi Patres ac proseminatores, quot fuerant populi Iudaici. Ex duodecim filiis Iacob Israeliticus populus carnaliter est progeneratus; similem in modum ex duodecim Apostolis, Christianum populum voluit Dominus spiritaliter progenerari. Aliam rationem adiicit Diuus Augustinus Psal. 103. concione tertia, videlicet duodenarium fuisse Apostolorum numerum, id est, ter quatuor Apostolos; quòd quatuor ex plagis Oriente, Occidente, Septemtrione, & Austro, per Euangelium totus orbis in nomine sacrosanctæ Trinitatis est vocandus; quatuor autem ter ducta hunc numerum efficiant. Quare (inquit) duodecim sunt Apostoli? quia enim quatuor sunt orbis partes, & totus orbis in Euangelio vocabatur, vnde quatuor Euangelia scripta sunt: & totus orbis in nomine Trinitatis vocabatur vt congregetur Ecclesia: quatuor ter ducta, duodecim fiut. Sic ille. Et tractatu vigesimo septimo in Ioannem: Mansit numerus duodenarius, quia per vniuersum mundum, hoc est, per quatuor cardines mundi, Trinitatem fuerant Apostoli enunciaturi, &c. Beda Ioan. 6. Ideò quaterni electi sunt vt sancta Trinitas per quatuor partes orbis prædicaretur, &c. Electi autem sunt ter quaterni, qui duodenarium numerum efficiunt.

Augusti. — *Beda.*

Fuit numerus hic adeò sacratus, vt Iudæ interitu diminutum compleri oportuerit, suffecto in illius locum Matthia. Neque verò plures vno sunt electi, ne alius numerus efficeretur. Vnde Augustinus loco indicato: Non frustra, inquit, duodecim Apostolos habere voluit Dominus, & ita numerus ille sacratus est, vt in locum vnius, qui ceciderat, non posset nisi alter ordinari, &c. Et tractat. 27. in Ioan. Se Iudas exterminauit: non duodenarium numerum violauit. Ipse deseruit præceptorem: nam Deus illi apposuit successorem, &c. Item: Nõ quia periit vnus, ideò duodenarij numeri honor demptus est: nam in locum pereuntis alius subrogatus est. Manfit numerus consecratus, numerus duodenarius, &c.

Completus est numerus duodenarius Iudæ casu diminutus. Aug.

Per duodecim zodiaci signa, sol mundo lucem impertit: sic per duodecim Apostolos iustitiæ sol Christus, eidem mundo veritatis splendorem impertiuit. Duodecim boues mare æneum à Salomone fabricatum fulciebant; & veluti portabant, ex quibus tres Aquilonem respiciebant, tres Meridiem, Occidentem tres, Orientemque tres alij, quasi vellent in omnes illas partes, aquarum illud mare vehere. En tibi duodecim Apostolorum effigiem: qui boum instar, validissimo prediti robore mare Christi, id est, baptismum, & Euangelium, in quatuor orbis plagas deportarunt. Boum enim nomine concionatores adumbrari satis illud Pauli indicat, *Non alligabis os boui trituranti.*

Duodenarij numeri Apostolorum similia. — *3. Reg. 7.* — *1. Cor. 6.*

Appellauit D. Irenæus, lib. 4. cap. 38. duodecim Apostolos Ecclesiæ dodecastylum firmamentum, id est, firmamentum duodecim columnarum. Etenim Christus Ecclesiæ templum exædificans duodecim has firmissimas columnas, quibus tam præclarum ædificium fulciretur, præparauit. D. Iustinus in dialogo, tintinnabulis illis aureis putat Apostolos adumbratos: quæ à veste pontificis pendebant. Sed duodecim tantùm tintinnabula fuisse sentit, fuisse autem plura, libro 3. suprà diximus.

D. Iren. — *D. Iustin.*

erat

Quod, inquit, traditum eſt, vt duodecim tintinnabula è veſte pontificis penderent: ſimulachrum erat duodecim Apoſtolorum, qui vi æterni pontificis Chriſti incenſi ſunt: quorum voce, & oratione terra omnis Dei, eiuſque Chriſti gloriæ, & gratiæ plena eſt. Itaque Dauid ait. *In omnem terram exiuit ſonus eorum.* Hæc ille. Confert Iuſtinus cum tintinnabulis Apoſtolos, ego verò cum maximis potiùs conferam cymbalis. Tintinnabulis ſimiles ſint Synagogæ ſacerdotes, quorum ſonitum vnus tantùm audiuit populus Iſraëliticus; at Apoſtoli ingentium cymbalorum ſpeciem referunt; ſiquidem in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

Pſal. 18.

Apoſtoli ſũt cymbalum orbis.

Tertul. Tertul. lib. 4. contra Marcionem duodecim illis gemmis ſimiles ait fuiſſe duodecim Apoſtolos, quę in veſte Pontificis Hebræi fulgebant: duodecim item lapidibus, quos Ioſue è Iordanis alueo educi iuſſit; duodecim quoque fontibus Elim, Exod. 15. Sunt enim Apoſtoli gemmæ fulgentiſſimæ, quæ in ſacra maximi pontificis Chriſti veſte, id eſt, Eccleſia, clariſſimè ſplendent. Eccleſiam autem veſtem Chriſti eſſe, Chriſti indicant verba ille D. Petro Martyri Alexandrino dicta: *Arius veſtem meam quæ eſt Eccleſia, dilacerauit.* Sunt præterea Apoſtoli lapides viui, fideque ſolidiſſimi; ſuprà quos è pelago mundi eductos Eccleſia extructa eſt. Fontes ſunt, quorum ſaluberrimis aquis mundus eſt irrigatus. Sed Tertull. audiamus. Rogat ille, cur duodecim Apoſtolos Chriſtus elegerit, & non alium numerũ. Deinde; Ex hoc, inquit, Chriſtum interpretari poſſem, non tantum vocibus Prophetarum, ſed & argumentis rerum prædicatum. Huius enim numeri figuras apud creatorem deprehendo, duodecim fontes Elim, duodecim gemmas in tunica ſacerdotali Aaron, duodecim lapides à Ioſue de Iordane electos, & in arcam teſtamenti conditos. Totidem enim Apoſtoli protendebantur, proinde vt fontes irrigaturi aridum orbem, vt gemmæ illuminaturi ſacram Eccleſiæ veſtẽ, quam induit Chriſtus Pontifex Patris: vt lapides ſolidi fide, quos de lauacro Iordanis Chriſtus verus elegit, & in ſacrarium teſtamenti ſui recepit. Hæc Tertul. Illud verò quod ſcribit, lapides à Ioſue ex Iordane electos in arcam teſtamẽti conditos eſſe, falſum eſt, vt cuilibet ſacris in litteris verſato compertum facilè fiet.

Sedulius. Sedulius, vt iam ſuprà diximus, quatuor Euangeliſtas cum quatuor anni temporibus, Vere, Æſtate, Autumno, Hyeme; duodecim verò Apoſtolos cum duodecim anni menſibus, duodecimque diei horis confert, his carminibus.

Quatuor hi proceres vna te voce canentes (id eſt Euangeliſtæ.)
Tempora ceu totidem latum ſparguntur in orbem.
Sic & Apoſtolici ſemper duodenus honoris
Fulget apex numero menſes imitatus, & horas.
Omnibus vt rebus ſemper tibi militet annus.

Beda. Et Beda Ioannis 6. Annus (ait) duodenario numero currit (ſcilicet menſium) & ordo ſignorum in cælis, per quæ Sol, & Luna currere noſcuntur: duodenario numero diſtinguuntur. Ideò hoc numero primos prædicatores Chriſtus direxit in mundum, &c.

Luc. 6. QVOS *& Apoſtolos nominauit.* Apoſtolus nomen Græcum eſt, ἀπόστολος, à Græco verbo ἀποστέλλω, id eſt, ablego, cum mandatis aliquem mitto: quemadmodum à verbo, ἀποστέλλω, epiſtola deriuatur. Significat nomen nuntium, vel legatum, vel miſſum, vt Tertullianus interpretatur in libro de Præſcriptionibus aduerſus Hæreticos, ca. 20. Apoſtolos (inquit) quos hæc appellatio miſſos interpretatur, &c. Vnde illud Chriſti: *Non eſt Apoſtolus maior eo, qui miſit illum*, &c. Nuntium Apoſtolum appellant ſeptuaginta interpretes, ait Ahias ad vxorem Ieroboami, ἐγὼ εἰμι ἀπόστολος πρός σε σκληρός, id eſt: *Ego ſum Apoſtolus*, id eſt, nuntius, *ad te durus.* Hebraice, ſchaluach, שלוח dicitur, à verbo, ſchalach שלח id eſt, mitto. Nuntium ſignificare putat Oecumenius nomen Apoſtoli illo loco; *Neceſſarium exiſtimaui Epaphroditum, veſtrum Apoſtolum, mittere ad vos.* id eſt, nuntium. Sic etiam Caietanus exponit, D. Chryſoſt. Theophylact. Gloſſa interl. Lyranus; & Carthuſianus, doctorem interpretantur: Epiſcopum potiùs indicare vult Theodoretus, 1. ad Tim. 3. & Baronius in annal. tom. 1. pagina 498. anno Domini 58.

Ioan. 13.

3. Reg. 14.

Phil. 2.

Apoſtolus idem quod nuntius.

D. Hieronymus ad Galat. 1. ſic ſcribit: ἀπόστολος *Hieron.* hoc eſt, miſſus, Hebræorum proprie vocabulum eſt, quod Silas quoque ſonat, cui à mittendo miſſo nomen impoſitum eſt, &c. Et epiſtola 143. ad Damaſum Papam: Sciendum, inquit, eſt, Silam collegam Pauli lingua Hebræa Apoſtolum dici, &c. Vnde colliges nomen Apoſtoli ex ſententia Hieronymi miſſum ſignificare, & Hebraicè dici, שילח ſchilach, à verbo, שלח ſchalach, id eſt mittere. Quod ait nomen Apoſtoli Hebræorum propriè vocabulum eſſe, difficultatem habet. Etenim nomen Græcum eſt, ſed ab Hebræis fuiſſe vſurpatum. Quod D. Epiphanius indicat hæreſi 30. cùm Ioſephum quemdam Iudæorum Apoſtolum fuiſſe ſcribit; Hic (inquit) Ioſephus inter dignitate præſtantes viros apud ipſos connumeratus erat. Sunt autem hi poſt Patriarcham Apoſtoli appellati; aſſidentq; Patriarchæ, & cũ ipſo ſæpe aſſiduè in nocte, ac die degunt, conſulendi gratia, & vt referant ad ipſum ea, quæ ſunt in lege, &c. Denique idem ferè ſignificat nomen Angelus, & nomen Apoſtolus, Angelus dicitur ab ἀγγέλλω, id eſt, nuntio, quòd nuntiet; Apoſtolus dicitur, quòd mittatur. Fuere igitur Apoſtoli Angeli quidam terreſtres, qui Chriſtum orbi nuntiarunt.

Epiph. Apoſtoli apud Hebræos nomẽ dignitatis fuit.

De Apoſtolis interpretatur D. Gregor. illud *Sapientia ædificauit ſibi domum*, id eſt, Eccleſiam, *excidit columnas ſeptem*: id eſt, ſacramenta ſeptem, columnarum inſtar, in ea ſtatuit: *Miſit ancillas ſuas, vt vocarent ad arcem.* Ancillæ ſapientiæ tribuuntur, quia muliebri perſona introducitur. Earum tamẽ nomine ex ſententia diui Gregorij Apoſtoli intelliguntur. Septuaginta Interpretes. ſeruos ſunt interpretati. D. Gregorius, lib. 17. Moral. cap. 17. Miſit, inquit, ſapientia ancillas ſuas: Apoſtolorum videlicet animas, in ipſo ſuo initio infirmas, &c. Ancillas miſit ſapientia, vt homines ad Eccleſiæ arcem munitiſſimã vocarent: non verò bellatores miſit, qui mundum ferro, armiſque ſubigerent. Non enim bello res erat agenda, ſed æternæ ſapientiæ, id eſt, æterni Verbi potentia. Hinc illud Chryſoſtomi in ſerm. de Pentecoſtes: Peragrauerunt Apoſtoli orbem, non ſcuta mouentes, non arcus tendentes, non ſagittas mittentes, non pecunias largientes, non eloquentia confidentes. Erant nudi ſæculo, ſed induti Chriſto, &c. Eodem ſermone, Apoſtolos Eccleſiæ vinitores, piſcatores, turres, columnas, medicos, duces, doctores, gubernatores vocat, aliiſque epithetis affieit.

Greg. Prou. 9.

Apoſtoli diuinæ ſapientiæ ancillæ.

Chryſoſt.

De Apoſtolico verò munere idem Chryſoſt. homil. 1. in epiſtolam ad Romanos. Apoſtoli, ait, munus, res bonis infinitis exundans, gratiis omnibus maius ac dona omnia complectẽs. Quid enim amplius dixerimus, quàm id videlicet Chriſtum, quod nobiſcum dum verſaretur feciſſet, hoc ipſum illis commiſiſſe, ac ſic demum à nobis abiiſſe? Id quod Paulus exclamans, Apoſtolorũmque dignitatem

Apoſtolorũ munus. Chryſoſt.

Quid ſignificet nomẽ, Apoſtolus.

2. Cor. 5. gnitatem extollens ait, *Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos*: hoc est, Christi vice. Sic Chrysostomus.

Apostolorũ sanctitas. D. Thom. Rom. 8. De illorũ sanctitate D. Thomas ad illa verba; *Nos ipsi primitias spiritus habentes*, ita ait: Spiritum sanctum & tempore priùs, & ceteris abundantius Apostoli habuerunt. Sicut & in fructibus terræ illud, quod primò ad maturitatẽ peruenit, est pinguius, & magis acceptum: iuxta illud, *Sanctus Israel Domino, primitiæ frugum eius.* Ex quo patet quòd Apostoli sunt aliis sanctis omnibus, quacumque prærogatiua fulgeant, siue virginitatis, siue doctrinæ, siue martyrij, præferendi, tamquam abundantiùs Spiritum sanctum habentes. Item; Vnicuique, inquit, dat Deus gratiam proportionatã ei, ad quod eligitur. Sicut homini Christo data est excellentissima gratia: quia ad hoc est electus, vt eius natura in vnitatem personæ diuinæ assumeretur. Et post eum habuit maximam plenitudinem gratiæ beata Maria, quæ ad hoc est electa, vt esset mater Christi. Inter cæteros autem ad maiorem dignitatem sunt electi Apostoli, vt scilicet, immediatè ab ipso Christo accipientes, aliis traderent ea, quæ pertinent ad salutem: & sic in eis Ecclesia quodammodo fundaretur. Et ideò Deus eis abundantiorem gratiam præ cæteris tribuit. Hæc D. Thomas.

Ierem. 2.

Gratia vnicuique datur proportionate.

Alij præter 12. Apostoli appellati. Duodecim Apostoli dicuntur illi, quos primùm Christus elegit. Periit Iudas, electus Matthias numerum suppleuit. Præter illos Apostoli etiam fuerunt Paulus, & Barnabas. Dicti præterea sunt Apostoli Episcopi, vt Theodoretus docet, 1. ad Timotheum 3. his verbis: Eos qui nunc vocantur Epi-

Phil. 2. scopi, nominabant Apostolos. Ita Philippensium Apostolus erat Epaphroditus. Ita Cretensium Titus, & Asianorum Timotheus, &c. Item ad Philippens. 1. idem Auctor: Apertè (inquit) docuit Paulus Epaphrodito episcopalem dispensationem fuisse creditam, cùm haberet appellationem Apostoli, &c. In eandem sententiam vult Cardin. Baronius loco citato, dici à Paulo ad Rõ. 16. Andronicum, & Iuniam nobiles in Apostolis, id est, inter Episcopos. Alios etiam quosdam, 2. Corinth. 8. vocari putat Apostolos Ecclesiarum, id est, Episcopos. Sed

Apostoli dicti sunt Episcopi. Origenes in Commentariis epist. ad Roman. Andronicum, & Iuniam dici coniicit Apostolos, quòd ex septuaginta duob. Christi discipulis fuerint: De iis, ait, possibile est illud intelligi, quòd fortasse ex illis septuaginta duobus, qui & ipsi Apostoli nominati sunt, fuerint: & ideò nobiles eos in Apostolis dicat Paulus, &c. Chrysostomus verò, Andronicum, & Iuniam Apostolos, id est, Episcopos dici minimè credit: siquidem Iuniam fœminam fuisse existimat. Idem putat Theoph. Papę (ait Chrysost.) quanta fuit mulieris huius philosophia, vt & apostolica appellatione digna sit habita, &c. Et Theophylact. Magni est sane faciendum, Apostoli nomen fuisse sortitam Iuniam, præsertim quę mulier esset, &c. Probabilius credit Origenes Iuniam fuisse virum, nomen enim Iunias viri esse potest, quemadmodum Æneas. D. Thomas Andronicum, & Iuniam Apostolos nominari arbitratur, id est, prædicatores, & doctores. Illos verò, qui 2. Corin. 8. Apostoli dicuntur Ecclesiarũ, interpretatur Theophylactus non Episcopos, sed missos, & electos ab Ecclesiis, quę est Chrysostomi interpretatio, & Oecumenij. Hieronymus verò ad Galat. 1. Paulatim (inquit) procedente tempore, & alij ab iis, quos

Hieron. *Phil. 2.* Dominus elegrat, ordinati sunt Apostoli: sicut ille sermo declarat dicẽs: *Necessarium existimaui Epaphroditum vestrum Apostolum mittere ad vos*: & de talibus

2. Cor. 8. scribitur; *Siue Apostoli Ecclesiarum, in gloria Dei.* Silas quoque & Iudas ab Apostolis, Apostoli nominati sunt, &c. De quatuor Apostolorum generibus lege eundem Hieronymum eodem loco. Putat ille illos omnes qui Christum viderant, & eum posteà prædicabant, vocatos esse Apostolos. Quod, inquit, exceptis duodecim, quidam vocentur Apostoli, illud in causa est: omnes qui Dominum viderãt, & eum posteà prædicabant, fuisse Apostolos appellatos, vt ad Corinthios scribitur. *Visus est post hoc illis vndecim. Deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul. Deinde visus est Iacobo, deinde Apostolis omnibus*, &c. Apostolos omnes hoc loco Hieronymus putat appellari eos qui Christũ viderant, & prædicabant. Theod. verò, Apostolos (inquit) vocauit Paulus non duodecim solos, eorum enim iam meminerat (videlicet cùm dixit; *Visus est post hoc vndecim.*) Sed omnes qui eum ordinem acceperant, &c. Diuus Chrysostomus Apostolos dici putat hoc loco discipulos septuaginta duos. Sic enim scribit, Deinde visus est Apostolis omnibus. Erãt enim etiam alij Apostoli, vt septuaginta, &c. Idem ait Theophylactus. Beda tamen, D. Thomas, D. Anselmus siue Herueus, & D. Augustinus libro 3. de consensu Euangelist. cap. 25. de vndecim Apostolis verba Pauli intellexerunt, quibus non semel apparuit.

Hieron. *1. Cor. 15.* *Theodor.*

CAPVT XIIII.

De electione Apostolorum.

Luca 6. SIMONEM, *quem cognominauit Petrum.* Celeberrima sunt in veteri testamento, duodecim filiorum Iacob nomina, à quibus Israëliticus populus genus duxit: celebriora esse oportuit in celebriori testamento nouo, duodecim Christi Apostolorum nomina, à quibus Christianus populus propagatus est. Ideoque ab Euangelistis hoc loco describuntur. Illa duodecim filiorum Iacob nomina, in gemmis duodecim insculpta voluit Deus gestari in pectore antiqui Pontificis, hæc duodecim Apostolorum nomina, in ipso Euangelio omnibus gemmis pretiosiore exarata, vult gestari in corde, ac memoria omnium Christianorum. Fortium Dauidis nomina 3. Regum describuntur: *Hæc nomina fortium Dauid*, &c. Hoc loco nomina describuntur fortium Christi.

Duodecim Apostolorũ nomina celebriora duodecim Patriarcharum.

3. Reg. 23.

A tribus autem describuntur Euangelistis Matthæo cap. 10. Marco 3. Luca 6. Omnes primum locum Petro tribuunt: vltimum Iudę. Cur ita? Profectò quia sic Petri, Romanique Pontificis Petri successoris primatum; quemadmodum Iudæ proditionem ipso loco significare voluerunt. Petrum primo loco numerarũt, quia Apostolorum, totiúsque populi Christiani princeps à Christo est creatus; Iudam extremo loco collocarunt, quia magistrum prodiderat. Quis neget Iudam hanc ob causam vltimo loco numeratum? Nemo igitur neget Petro ob aliquam causam primum locum fuisse datum. Ea verò est Petri in orbe terrarum primatus. Matthæo non fuit satis, Petrum primo loco nominare; sed primum etiam nominare voluit, vt primatũ apertiùs declararet. *Duodecim* (inquit) *Apostolorum nomina sunt hæc, primus Simon, qui dicitur Petrus*, &c. Neque verò quemadmodũ Petrum primum, ita reliquos secundum, tertium, quartum, vsque ad duodecimum appellauit: sed vnicum Petrum primum dixit; de reliquorum dignitate, & loco explicando non curauit. Videlicet, quia Ecclesiæ principis, & moderatoris Petri primatum agnosci opus erat Ecclesiæ; reliquorum Apostolorum ordinem sciri, non tanti erat momenti.

Matth. 10.

Quæret

Quæret aliquis? an Euangeliſtæ in numerandis Apoſtolis, ordinem, vel dignitatis, vel temporis ſecuti fuerint? Reſpõdeo in primis, vt dictumeſt, omnes Euangeliſtas, Petrum, quòd caput Eccleſiæ eſſet, in capite catalogi collocaſſe. Poſt Petrum, Andream, Lucas & Matthæus nominarunt, quòd eſſet Petri frater, & inter primos Apoſtolos numerandus: Iacobo, & Ioanni inter primos locus datur, quòd præcipui eſſent poſt Petrum. Præponitur Iacobus Ioanni Matthæi 10. Marci 3. Luc. 6. & aliis Euangelij locis. At Chryſoſtomus Ioannem Iacobo præcelluiſſe affirmat, homil. 33. in Matth. Vides, inquit, nõ ex dignitate ipſos numerari: nam mea quidem ſententia, Ioannes non ſolùm iis, qui poſt illum numerantur: ſed etiam fratre maior erat, &c. In reliquis fuerintne maioris dignitatis, qui priori loco numerantur, non liquet. Euangeliſtæ eundem ordinem non tenuerunt: vnde colligi poteſt, ordinem non nimium curaſſe, præterquàm quòd Iacobum, Ioannem, atque Andream ante reliquos ſemper nominarunt. Subiiciam Euangeliſtarum ordinem cauſa perſpicuitatis.

Petri primatũ Euãgeliſtæ omnes declararunt.

Chryſoſt.

Matthæi ordo.	Marci ordo.
1. *Petrus primus.*	1. *Petrus.*
2. *Andreas.*	2. *Iacobus.*
3. *Iacobus Zebedæi.*	3. *Ioannes.*
4. *Ioannes.*	4. *Andreas.*
5. *Philippus.*	5. *Philippus.*
6. *Bartholomæus.*	6. *Bartholomæus.*
7. *Thomas.*	7. *Matthæus.*
8. *Matthæus.*	8. *Thomas.*
9. *Iacobus Alphæi.*	9. *Iacobus Alphæi.*
10. *Thaddæus.*	10. *Thaddæus.*
11. *Simon.*	11. *Simon.*
12. *Iudas proditor.*	12. *Iudas proditor.*

Lucæ ordo.	Actorum ordo.
1. *Petrus.*	1. *Petrus.*
2. *Andreas.*	2. *Ioannes.*
3. *Iacobus Zebedæi.*	3. *Iacobus Zebedæi.*
4. *Ioannes.*	4. *Andreas.*
5. *Philippus.*	5. *Philippus.*
6. *Bartholomæus.*	6. *Thomas.*
7. *Matthæus.*	7. *Bartholomæus.*
8. *Thomas.*	8. *Matthæus.*
9. *Iacobus Alphæi.*	9. *Iacobus Alphæi*
10. *Simon.*	10. *Simon.*
11. *Thaddæus.*	11. *Thaddæus.*
12. *Iudas proditor.*	

Abulenſi Matthæi 10. quæſt. 28. & 29. placet Matthæum tenuiſſe ordinem temporis: eóſque priori loco numeratos, qui priùs ſunt vocati. Sed quo temporis ordine ad diſcipulatum ſint vocati Apoſtoli alij, præter Petrum, Andream, Ioannem, Iacobum, & Matthæum, ignoratur, ideóque incerta eſt hæc opinio. Qui volet illam ſequi, Abulenſem legat, & Riberam Apocalyp. 21. Maldonatus Matth. item 10. ſeruatum vult ordinem dignitatis. Seruatum dixi ſuprà in prioribus, in reliquis res admodùm eſt dubia. Prætereà reliqui Apoſtoli, ſi Petrum eorum principem excipias, dignitate æquales erant, non igitur eſſe potuit dignitatis ordo inter illos. Quòd ſi huius ordinis habita ratio eſt, cur Iacobus minor cum extremis numeratur, quem tamen Paulus *Columnam Eccleſiæ appellat*, quiq; inter Apoſtolos admirabilis fuit ſanctitatis, vt infrà dicemus? Itaque crediderim non fuiſſe admodum ſollicitos Euangeliſtas de ordine, vel dignitatis, vel ætatis, vel vocationis ſeruando: quemadmodum neque Paulus fuit, cùm priùs Iacobum nominat quàm Petrũ. *Cùm cognouiſſent* (inquit) *gratiam quæ data eſt mihi, Iacobus, & Cephas*, (id eſt Petrus) *& Ioannes, qui videbantur columnæ eſſe*, &c. priùs Iacobum Ieroſolymorum epiſcopum nominat, quàm Petrum ſummum Pontificem, quia ordinem honoris ac dignitatis minimè curabat.

De ordine Apoſtolorũ.

Gal. 2.

Ibid. Petri primatus.

At hunc in Petro ſolo Euangeliſtæ maximè curarunt. Omnes primum locum primo Apoſtolo, Apoſtolorumque Coryphæo tribuunt: primúmq; Matthæus diſertè appellat eius indicans primatum. hoc enim ſciri neceſſe erat. Cæteri autem dignitate Apoſtolatus æquales erant: ideoque non fuit opus ſcribere, quis primus, quis ſecundus, aut tertius, aut decimus eſſet. Vnde præclarè Cardinalis Caietanus Matthæi 10. ſic ſcribit: Solus Petrus ordine inſignitur, & deſcribitur primus: ad inſinuandum valdè ſpectare ad Chriſtianã notitiam ſcire primatum Petri, nulliuſque momenti eſſe noſſe ordinem Apoſtolorum inter ſe. Ac ſi apertè dixiſſet Matthæus, ſcitote Petrũ primũ: quidquid ſit de aliis. Propter quod nullum deſcripſit ſecundum, aut tertium: ex hoc ipſo ſignificans, quòd primatum Petri ſuper alios intendebat Euangeliſta inſinuare. Hæc ille. Præter hæc, illud etiam eſt verò ſimile, Euangeliſtas ordinem ſeruaſſe in numerandis Apoſtolis eum, quem Chriſtus in mittendis, & ſociandis ſeruauerat, vt dicemus cùm de miſſione agemus.

In Petro ordo dignitatis ſeruatus eſt.

Caiet.

Eſt etiam huius loci alia quæſtio, an tunc nomen Petri impoſuerit Chriſtus Simoni, cùm Apoſtolum creauit, an potius cùm illi dixit: *Tu vocaberis Cephas?* Reſpondeo nunc impoſuiſſe, tunc promiſiſſe, vel certè bis id ipſum feciſſe. Quæſtionem fuſiùs ſupra diſcuſſimus lib. 2. cap. 18. Id reliquum eſt, Chriſtum nomine Hebreo, ſiue Syro Simonem appellaſſe, eſt autem nomen, כפא *chepha*: quocirca à Paulo Cephas nominatur. Idem ſignificat Græcis nomen, πέτρος & Latinis Petrus, id eſt, Petra, in qua Eccleſia vniuerſa firmiſſimo veluti fundamento conſtabilita eſt. Fuit alter quoque Cephas ex ſeptuaginta Chriſti diſcipulis, vt tradit Diuus Dorotheus in ſynopſi, Euſebius ex Clemente li. 1. hiſtoriæ Eccleſ. cap. 12. & Oecumenius ad Galat. 1. Hi auctores aiunt hunc eſſe Cepham illum, cui in faciem Paulus reſtitit ad Galat. 2. ſed Petrum fuiſſe Hieron. Auguſt. & alij probabiliùs ſentiunt.

Ioan. 1. Cephas Petri nomen.

Gal. 2.

IMPOSVIT *eis nomina Boanerges*. Tam Petro, quàm Iacobo, & Ioanni noua nomina dedit Chriſtus. Sed Petro ſoli vnum, ac peculiare nomen dedit: idque quod fundamentum Eccleſiæ demonſtraret. Iacobo & Ioanni duobus Apoſtolis non duo, ſed vnum tantùm, atque idem nomen commune impoſuit, hoc eſt, *Boanerges*, quod ſignificat tonitrui filios. Præterea nomen Petri perpetuum fuit, eoque appellatus eſt Petrus. At nomine *Boanerges*, nullo alio loco legimus appellatũ Ioannem aut Iacobum. Hieronymus Danielis 1. non Boanerges, ſed, Beneragam, putat legendum, filij (ait) Zebedæi appellati ſunt filij tonitrui. Quod non, vt plerique putant, Boanerges, ſed emẽdatiùs legitur, Beneragam, &c. Hebraicè, בני bene, filios ſignificat, רעם rahham, verò tonitruum. Syriacum Euangelium habet, בני רגשי benai regeſchi. Legendum eſſe Boanerges, conſtat ex editione Romana correcta, quæ nihil immutauit. Neque mirum ignorari nomen, ſiquidem in hoc ſolùm loco reperitur. Hebraicè filij dicuntur, בני bene, in hoc nomine pro *bene*, dicuntur *boane*. Tonitruum ſignificatur nomine רגש *regeſch*, prius, e, expungitur, fitque nomen *Boanerges*, cùm

Marci 3.

Petro ſoli ex Apoſtolis vnum nomen datum.

Dicendũ eſt Boanerges.

cùm dicendum esset, *Boane, Reges.*

Filij tonitrui cur Apostoli dicantur. Euthym.

Sunt autem nominati filij tonitrui, ait D. Hieronymus Matthæi 10. ex firmitate & magnitudine fidei. Euthymius dictos vult filios tonitrui, id est, tonantes, Sicut, inquit, filius iniquitatis, dicitur iniquus, & filius pacis pacificus; ita quoque filij tonitrui, qui tonant. Tamquam tonitruum enim de cælo audit ũ, Iacobus & Ioannes diuina tonarunt dogmata, Iacobus sine Scriptura, Ioannes scribendo. Hæc ille. Theophylactus: Filios tonitrui appellat Dominus Iacobum & Ioannem, vt præcipuos prædicatores, & maximè Theologos, &c. Aliter Cardinalis Caietanus: Ioannes, inquit, filius tonitrui

Ioan. 1.

clarè patet; cùm per ipsum intonuerit mundo: *In principio erat Verbum*; &, *Verbum caro factum est*. Ambo quoque simul filij tonitrui ideo fuerunt, quia tonitruum diuinæ maiestatis, gloriam Christi in transfiguratione videntes audierunt, &c. Eodem B

Carthus.

modo Carthusianus, Filij, tonitrui, inquit, sunt dicti, propter altissimam & efficacissimam prædicationem ipsorum; & quia in transfiguratione Christi audierunt, vel potiùs audituri erant vocem Patris; *Hic est Filius meus dilectus.* Hæc enim vox appellatur tonitruum, &c. Beda Lucæ 6. Iacobus, ait, &

Beda.

Ioannes filij tonitrui sunt cognominati à Domino, nec frustra, quorum vnus e cælestibus intonas, vocem illam Theologicam emisit: *In principio erat Verbum*: sed ambo sæpe seorsum, in montem à Domino duci, & aliquando sonum de nube terrificum percipere meruerunt: *Hic est Filius meus dilectus*, &c. Quod aiunt appellatos filios tonitrui, quia vocem Dei in transfiguratione audierũt, non placet. Non C enim quia audierunt, sed quia ipsi cælesti voce tonuerunt, filij tonitrui, id est, de cælo tonantes & fulgurantes, sunt nominati, nam tonitruum è cælo sonat. Nazianzenus orat. 44. Tonitrui, inquit, filij, qui spiritualia intonuerunt, &c.

Bartholomæus non fuit Nathanael.

ET *Bartholomæum.* Iam diximus Ioannis 1. Rupertum existimare Bartholomæũ esse Nathanaëlem illum, de quo Ioannis 1. & 21. fit mentio; quod etiam existimant Iansenius, Montanus Ioan. 1. & Marc. 3. & Ferus. sed nos cum Augustino, & aliis, aliam secuti sumus sententiam. Episcopus Petrus de Natalibus in suo Sanctorum catalogo, scribit Bartholomæum Syrum fuisse, Regisque Syrorum nepotem ex patre; solumque ex omnibus Apostolis nobilitate præclarum. Vnde illam ortam con- D

An Bartholomæus regia fuit stirpis. Luc. 22.

tentionem ait, de qua Luc. *Facta*, inquit, *est contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior?* Nam cùm Dominus vnũ ex Apostolis fore dixisset proditorem, prodicionem eò tendere putarunt, vt regnũ Messiæ inuaderet. Videbatur autẽ Bartholomæus propter regiam nobilitatem ad hanc aptus conspirationem. Sed hæc apocrypha sunt. Ansam verò falsæ opinioni præbuisse videtur nomen Bartholomæi, quasi significet filium Ptolemæi Regis. Syriacum Euangeliũ appellat Bartholmai, id est, filium Tholmæi, neque enim filius fuit Ptolemæi. Iosephus ille qui Bartholomæi vitam scripsit, quæ ex- E tat apud Metaphrastem & Surium, piscatorẽ fuisse affirmat. Priùs, inquit, idiota erat, & pauperem vitam agebat; ex piscium piscatore, hominum piscator est factus, &c.

D. Bartholomæi dictum.

Bartholomæi meminit Dionysius Areopagita in lib. de mystica Theolog. c. 1. Bartholomæus, inquit, ait & magnam esse Theologiam & minimam, atque Euangeliũ amplum & magnum, rursusque compendiariũ. quibus verbis illud mihi eximiè intellexisse videtur, bonã omniũ causam, & multis verbis & paucis, simul & nullis exprimi. Quippe quæ nec rationem habeat, nec intelligentiam ac notitiam, quod omnibus singulari modo præcellat, &c.

ET *Thomam.* Thomas Didymus appellatur: Thomas, nomen est Hebræum, Didymus Græcum; significat διδυμος, geminum, vnde διδυμοι, gemini dicuntur eodem editi partu. Idem significat Thomas, à תאם thaam, quod est geminare, & gemelli appellantur, תאומים Theomim. *Ioan. 21.* *Quid significet Didymus & Thomas.*

ET *Simonem qui vocatur Zelotes.* Simon Cananæus nominatus est à Matthæo & Marco, à Luca vero Zelotes dicitur, nam קנא kana, zelum significat. dicitur autem Cananæus, vt vult Hieronymus Matthæi 10. à Cana vico Galilææ, vbi aquam Christus in vinum conuertit. Inde enim fuisse oriundum scribunt Beda Act. 1. & Nicephor. lib. 2. c. 40. Existimat Nicephorus Zelotem appellatum propter flagrantem zelum erga Christum & Euangelium. Sed nomen Zelotes idem est, quod Cananæus. D. Isidorus in lib. de Patribus noui testamẽti, scripsit, post Iacobũ hunc Simonem Apostolum, Ierosolymitanum pontificatum administrasse, & à Traiano, cùm natus esset annos 120. crucifixum. In eadem sententia est Beda Actorum 1. falsa est sententia, vt docet Ado Episcopus in Martyrologio 28. Octob. eam Beda mutauit. Nam Iacobo Simon alius succesſit Christi propinquus, qui 120. annos natus sub Traiano in crucem sublatus est. Simonem Apostolum vult Nicephorus lib. 8. cap. 30. nuptiarum quibus Christus interfuit, fuisse sponsum, qua de re suprà actum. *Luc. 6.* *Zelotes cur dictus sit Simon.*

ET *Iudam Iacobi.* Tria nomina habuit Iudas hic. Iudas Iacobi, scilicet frater, appellatur à Luca: Marcus & Matthæus Thaddæum vocant; dictus etiam est Lebbæus, vt testatur diuus Dorotheus in Synopsi, Chrysostomus Matthæi 10. Nicephorus lib. 2. capite 40. & 44. & alij. Græcum Euangelium Matth. sic habet, λεββαιος, ὁ ἐπικληθεὶς θαδδαιος, id est, Lebbæus, qui cognominatus est Thaddæus. In Syriaco Euangelio eadem est lectio. Significat nomen Lebbæus corculum, vt Hieronymus interpretatur Matthæi 10. à לבב Lebab, id est, corde; vel leonem à לבא Labi, id est, leone. Horum nominum quidam hanc reddunt rationem, quam Iansenius hoc loco putat verisimilem. Aiunt institutum fuisse apud Iudæos (quod & hodie apud illos obseruatur) ob reuerentiam nominis quadrilitteri יהוה ADONAI, vt siquis in suo nomine proprio tres, vel quatuor huius nominis haberet litteras, non temerè eodem nomine à quoquam nominaretur, præsertim in familiaribus colloquiis, sed alio simili. Quia ergo nomen יהורת Iehuda, omnes litteras habet nominis יהוה ADONAI, addito ד daleth; aliud nomen simile huius loco Iudas Iacobi habuit, nempe, nomen Lebbæus, id est, Leo, quòd Patriarcha Iudas Gen. 49. catulus leonis dictus sit, præterea nomen Thaddæus, quoniam simile est Iudæ, Iudas enim significat laudationem, idem significat Thaddæus, a הורה Thoda, id est, laude. Verùm (quicquid modo Iudæi seruent) non satis probabilitatis hæc ratio habere videtur. Cur enim Iudas Iacobi hæc habuit nomina, Iudas verò Iscariotes nullum aliud habuit præter Iudam? Præterea nullum antiquum habet hæc sententia auctorem, cùm de re antiqua sit; vnde coniectura est potiùs, quàm probabilis opinio. Huius Iudæ epistola est Canonica, quæ Iudæ inscribitur. *Luc. 6.* *Iudas Iacobi tria habuit nomina.*

IACOBVM *Alphæi.* Iacobum hunc Marcus cap. 15. vocat minorẽ, vel ætate, vel vocationis tempore. Fratrem Matthæi fuisse putat Euthymius Matth. 10. Probat, quia Matthæus filius fuit Alphæi, vt Marcus docet: *Vidit*, inquit, *Christus Leui*, id est, Matthæum, *Alphæi*, scilicet filium, *sedentem ad telonium.* Iacobus quoque Alphæi filius fuit, vt ex Matthæo, & aliis Euangelistis compertum est; *Marci 2.*

ergo fratres fuere eiuſdem Alphæi filij. At hoc fuit probandum, ex eodem Alphæo fuiſſe natos, quod falſum eſt. Duo enim Alphæi duos genuere filios, vnus Iacobum, alter Matthæum. Non igitur fuere fratres. Ioſephi ſponſi Deiparæ filium facit D. Epiphanius, ſed tom. 1. refutata ſententia eſt, quòd Ioſephum virginitatis laude fulgere ſentiamus. Publicanũ fuiſſe placuit Chryſoſtomo Matthæi 10. Matthæus, inquit, & Iacobus publicani erant, ſed ſententia nec placet, nec habet ſectatores.

Iacobus Alphæi quis fuerit.

Filius fuit Alphęi & Mariæ Cleophæ, vt diximus tom. 1. ſanctimoniæ admirabilis. De illo ſic Chryſoſtomus homilia 5. in Matthæum. Tam fuit Iacobus admirabilis, vt epiſcopatum primus acciperet. Aiunt autem genua eius obduruiſſe callo; tantamque in eo fuiſſe carnis incuriam, vt adhuc viuentis omnia ferè membra morerentur; atque aſſiduitate orationis, iugique ad pauimentum proſtratione corporis, frontem quoque eius callo ſimiliter obductam, vt nihil ferè à cameli genibus, ſi duritiem ſpectes, diſcreparet. Hæc Chryſoſtomus. Hegeſippus apud Euſebium lib. 1. hiſtoriæ eccleſiaſt. cap. 23. Iacobus, inquit, frater Domini iuſtus ab omnibus, à temporibus Domini ad nos vſque, dictus. Hic ex vtero matris ſanctus erat, vinum & ſiceram non bibebat, neque animato aliquo veſcebatur, &c. D. Hieronymus ad Galat. 1. hic Iacobus Epiſcopus Ieroſolymorũ primus fuit, cognomento, iuſtus, vir tantæ ſanctitatis & rumoris in populo, vt fimbriam veſtimenti eius certatim cuperent attingere, &c. Lege Epiphanium hęreſi 29. & 78.

De ſanctitate Iacobi. Chryſoſt.

Hegeſip.

Hieron.

Quæritur, fueritne Iacobus Alphæi, illemet, qui ad Galat. 1. dicitur à Paulo frater Domini, quique primus fuit Ieroſolymorum Epiſcopus? Græci in ſuo Menologio, ſiue Calendario, duos Iacobos Apoſtolos numerant, alterum Iacobum Alphæi, cui feſtum diem aſſignant nonum Octobris, alterum Iacobum fratrem Domini, cui vigeſimam tertiam eiuſdem menſis lucem adſcribunt. Præterea apud Clementem Romanum lib. 2. Conſtitut. c. 59. ipſi Apoſtoli extra numerum duodecim Apoſtolorum Iacobum fratrẽ Domini videntur numerare. Nos, inquiunt, qui digni facti ſumus, vt eſſemus teſtes aduentus ipſius, cum Iacobo fratre Domini, & aliis ſeptuaginta duobus, &c. Eſt etiam hæc ſententia Syrorum in ſuo Calendario; nonnullorum etiam antiquorum, quorum meminit D. Hieronymus Iſai. 17. his verbis. Duas oliuas, & tres, & quatuor, & quinque quatuordecim Apoſtolos interpretantur, id eſt, duodecim, qui electi ſunt, & tertium decimum Iacobum, qui appellatur frater Domini, Paulum quoque Apoſtolũ, vas electionis, &c. Contrà, idem D. Hieronymus in lib. aduerſus Heluidium eumdem eſſe Iacobum fratrem Domini, & filium Alphęi Apoſtolum ſcribit, idem ſentiunt Beda Lucæ 6. D. Iſidorus in lib. de Patribus noui teſtamenti, D. Thomas ad Galat. 1. & plerique alij. Hæc eſt Eccleſiæ ſententia, vt liquet ex Breuiario Pij 5. Pontificis Maximi iuſſu edito, atque idcirco ſequenda. Neque verò Eccleſia præter Iacobum maiorem Ioannis fratrem, duos celebrat, aut agnoſcit Iacobos, ſed vnum tantùm, hunc videlicet de quo agimus, quem Paulus fratrem Domini nominat, quique primus fuit Ieroſolymorum Epiſcopus.

Fuerintne Iacobi duo præter Iacobum maiorem?

Hieron.

IVDAM *Iſcariotem*. Extremo loco proditor eſt collocatus Iudas. Cur autem dictus ſit Iſcariotes, dubium eſt. Hac de re D. Hieronymus Matthæi 10. ſic ſcribit; Iudas Iſcariotes, vel à vico aut vrbe in qua ortus eſt; vel ex tribu Iſſachar vocabulum ſumpſit. Iſſachar merces interpretatur, vt ſignificetur pretium proditoris, &c. Sed obiicitur, ab Iſſachar Iſſacharitem potiùs, quàm Iſcariotem fuiſſe appellandum. Reſponderi poteſt dici Iſſachariotem ab Iſſachar. & ſublato *a* Iſchariotem. Eſt opinio dictum à ciuitate Carioth, tribus Iudæ. Cuius mentio fit Ioſue 15. Opponet aliquis; dicendus ergo eſt Cariothes à Carioth; non Iſcariothes. Non enim oppidum dicitur Iſcarioth, ſed Carioth. Reſpondetur dici Iſcariothem, quaſi איש קרות Iſch karioth, id eſt, virum vrbis Carioth: non placet, quoniam, יש, non videtur ſignificare virum in hoc nomine. Crediderim dici Iſcariothem, ab oppido Iſcarioth, quod in tribu fuit Ephraim, Hieronymo auctore Iſaiæ 28. quo loco Iudam à tribu Ephraim, ducere originem arbitratur. Iudas (ait Hieronymus) de tribu Ephraim, & de vico eiuſdem tribus Iſcarioth, dominum vendidit, &c. Quod ſi velis ex oppido tribus Iudæ Carioth oriundum fuiſſe; putarim, oppidum tempore Chriſti non Carioth, ſed Iſcarioth nominatum. Vnde nomen Iſcariothes deductum ſit.

Vnde dictus ſit Iſcariotes Iudas?

Fueritne improbus hoc tempore, quo ad Apoſtolatum electus eſt, dubitatur. Abulenſis iam improbum fuiſſe ſentit, Matthæi 10. quæſt. 43. Erat, inquit, Iudas ſemper malus, & licet talem eum Chriſtus ſciret, tamen elegit cum ceteris, &c. Si roges, cur improbum elegit? Reſpondet, vt Scriptura impleretur. *Qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me plantationem.* Citantur in hanc ſententiam Auguſtinus & Beda, ſed apertè minimè loquuntur. Rupertus apertè illam ſequitur Ioannis 6. Filius, inquit, perditionis numquam bonus fuit, nec de bono electo malus factus eſt, ſed quia malus erat, idcirco ad opus neceſſarium ab eo, qui malis bene vti nouit, electus eſt; & apud illum pro malo ſemper habitus eſt, malo, inquam, non nequitia naturali, ſed vitio accidentali. Sic Rupertus. Reſpondeo probum fuiſſe Iudam cùm ad apoſtolatum electus eſt. Credendum enim eſt Chriſtum neminem improbum ad tantam dignitatem elegiſſe. Cuius ſententiæ eſt Theophylactus Ioannis 6. Non ſemper, inquit, erat Iudas malus, ſed fuit etiam aliquando ſanctæ voluntatis. idem ſentire videtur D. Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 30. ſic enim Chriſtum loquentem cum Apoſtolis facit: Ego vos, vt bonos elegi, non ignorabam, ſed cognoſcebam, vt Deus, corda veſtra. Sed rapuit vnũ veſtrũm auaritia deceptum diabolus. Liberum enim animal homo eſt, & poteſt ſiue dextrum, ſiue ſiniſtrum iter, virtutẽ dico, aut vitium, eligere, &c. Hieronym. quoque lib. 3. contra Pelagianos c. 2. ita ſcribit: Interroga Chriſtum, cur Iudam elegerit proditorẽ: cur ei loculos commiſerit, quem furem eſſe nõ ignorabat? Vis audire rationẽ, Deus præſentia iudicat non futura; neque condemnat ex præſcientia, quem nouerit talem fore, qui ſibi poſtea diſpliceat. Sed tantæ bonitatis eſt, & ineffabilis clementiæ, vt eligat eum, quem interim bonũ cernit, & ſcit malum futurum, dans ei poteſtatem conuerſionis & pœnitentiæ, &c. Et in commentariis Ezechielis cap. 20. Eliguntur, ait, præſentia, nec ſtatim qui eligitur tẽtari non poteſt, nec perire. Quia & Saul electus in Regem, & Iudas in Apoſtolum, ſuo poſtea vitio corruerunt, &c. Similis ergo fuit Iudas Sauli, Saul bonus eſt electus, ita & Iudas. Adde Euthymium Ioan. 6. Nihil, inquit, nouum: quod Iudas cùm eligeretur, bonam habuerit voluntatem, poſtea autem ſit immutatus, tamquam libero vſus arbitrio, &c. Huius etiam ſententiæ ſunt Lyranus, & alij. Chryſoſtomus homilia 10. de pœnitentia, prius quidem bonum fuiſſe ſignificat, poſtea verò per negligentiam & pigritiam paulatim decidiſſe. Iudas, inquit, Apoſtolus erat, ſed pigritans factus eſt proditor, &c.

An Iudas improbus fuerit, cùm Apoſtolus eſt creatus?

Pſal. 40.

Rupert.

Iudas fuit bonus cùm electus eſt Apoſtolus.

Cyril.

Hieron.

Sed cur Chriſtus improbum fore Iudam præſciens,

Cur Christus Iudam proditorem futurum præsciens elegit. August.

sciens, in apostolatum elegit proditorem? Iam sup-
A prà respondit Hieronymus: Deus, ait, præsentia iudicat, non futura, nec condemnat ex præscientia. Sed tantæ bonitatis est, vt eligat eum, quem interim bonum cernit, &c. D. Augustinus Psal. 34. moraliter, propterea, ait electum, vt malorum improbitatem nos ferre doceret Christus. Quia, inquit, necesse erat, vt malos, siue scientes, siue nescientes toleraremus, exemplum patientiæ præbuit Dominus, ne deficias, cùm cœperis inter malos viuere, &c. Et lib. 18. de ciuit. Dei cap. 49. Habuit, inquit, Christus inter discipulos vnum, quo malo vtens bene, & suæ passionis dispositionem impleret, & Ecclesiæ suæ tolerandorum malorum præberet

D. Thom. exemplum, &c. D. Thomas Matth. 10. alias addit rationes: Quare, inquit, Christus Iudam posuit? Respondet, vt daret documentum, quòd dignitas sta-
B tus non sanctificat hominem. Item, est alia ratio, ad notandum quod vix contingit, quin in magna cõgregatione, sit aliquis malus, & ideo ita ponitur, vt ostendatur, quòd boni aliquando non sunt sine

Cant. 2. malis. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Hæc diuus Thomas.

CAPVT XV.

Morale.

De electione Apostolorum.

Ab oratione negotia inchoanda.

ANTEQVAM Apostolos eligeret, in oratione Christus pernoctauit. Ducem imitemur no-
C strum; cùm aliquid agere decernimus, quod prosperum euentum habeat, ab oratione exordium

Ambr. capiamus. Suadet Ambrosius Lucæ 6. Quid, inquit, te pro salute tua facere oportet; quãdo pro te Christus in oratione pernoctat? Quid te facere conuenit, cùm vis aliquod pietatis officiũ adoriri; quando Christus missurus Apostolos orauit priùs, & solus orauit? &c. Nobilis illa femina Iudith mirabile aggressura facinus; vt succederet ex animi sententia, nihil aliud, quàm orationem à suis ciuibus po-

Iudith 8. stulauit. *Vsque dum renuntiem vobis*, inquit, *nihil aliud fiat; nisi oratio pro me ad Dominum*, &c. Ipsa verò tum aliis temporibus frequenter orauit; tum etiam cùm Holophernis caput iamiam esset amputatu-
D

Iudith 13. ra: *Stetit ante lectum orans cum lacrymis*, &c. Cùmque iam pugionẽ euaginasset, capitisque comam manu apprehendisset, hunc in modum precata est: *Confirma me Domine Deus in hac hora*, &c. Hester quoque populum suum cùm impendenti necis periculo vellet eripere, antequam negotium inchoa-

Esther 4. ret, hæc Mardochæo verba mandauit: *Vade, & congrega omnes Iudæos, quos in Susan repereris, & orate pro me. Non comedatis, & non bibatis tribus diebus & tribus noctibus, & ego cum ancillis meis similiter ieiunabo*, &c. Christus verò Optimus Maximus summum illud nostræ redemptionis opus, id est, passionem suam, nónne à vehementissima oratione, in horto Gethsemani inchoauit?

Diuina ope ad res gerẽdas maximè indigemus. Chrysost.

E Diuina ope ad res gerendas maximè indigemus. Cùm igitur ad gerendam rem aliquam aggredimur, diuinam opem precando flagitare oportet. Daniel (ait Chrysostomus libro 1. de orando Deo) non sustinuit ab orando cessare; propterea quòd nisi Deus propensus sit in nos, nihil bonorum in animas nostras venire possit. Dei verò propensio simul adiuuat labores nostros, hósque pulchrè subleuat, si conspexerit nos amare precandi stu-

Oratio aquæ atque ductus cælestis. dium, si continenter orare Deum, si viderit expectantes omnia bona nobis illinc defluxura, &c. Est oratio instar aquæ ductus, quo diuinum auxilium ad nos defluit. Quemadmodum verò Iudith 7. Holophernes aquæ ductum Bethuliæ incidi iussit, ne in Bethuliam influeret aqua, sic hostis noster orationem incidi cupit, ne in nos diuinum influat auxilium. Audi Chrysostomum loco indicato; Sceleratí spiritus, si nos cõspexerint deprecatione munitos, illico resiliunt, non aliter quàm prædones ac facinorosi, vbi conspiciunt militis gladium in caput suum vibrari. Quòd si contingat aliquẽ esse nudum precationis præsidio, hic auulsus deportatur à dæmonibus, & in calamitates, variaque mala impellitur. Sic Chrysostomus.

Ceteris negotiis oratio est præmittenda; pastorum verò electioni maximè. Quòd ea res sit, ex qua animarum salus maximè pendet. Pernoctat in oratione Dominus; post orationem duodecim B Apostolos elegit, vt ij ad quos Ecclesiæ pastores attinet eligere, in oratione quoque pernoctent, antequam eligant. Id Theophylactus obseruauit Luc. 6. Post orationem, inquit, Christus elegit discipulos, vt doceat etiam nos, quando quempiam in spirituale ministerium sumus ordinaturi, cum precibus hoc faciamus, vt reuelet quis idoneus sit, &c. Magnus Gregorius lib. 1. Regum capite 16. quærendos docet idoneos Ecclesiæ pastores, sed nisi Deus demonstret, non inueniri, iuxta illud Dei ad Samuelem dictum; *Vnges, quem monstrauero tibi.* Orandum ergo vt à Deo demonstretur. Quid, inquit, hortor pastores quærere, cùm, nisi Deus occultos proferat, nequeant inueniri? Quid enim aliud est, *vnges, quem monstrauero tibi?* Tamen quærendi sunt, C quia nisi quæsiti diu, minimè demonstrantur, &c. Certè Tridẽtina synodus sess. 24. c. 1. statuit, vt cùm primũ Ecclesia vacauerit, supplicationes precésq; publicè priuatímque habeantur, indicãturq; à capitulo; quibus bonus à Deo pastor impetretur.

Ante electionem pastorum ecclesiæ orandum. *Theoph.* *Greg.* *1. Reg. 16.* *Synod. Trid.*

Cuiusmodi verò eligi pastor debeat, nomina indicant, quæ iis, quos elegit, Christus imposuit. *Elegit duodecim ex discipulis* (ait Lucas) *quos & Apostolos nominauit*; id est, missos. Missos, inquam, ad id negotium gerendum, ad quod Christus à Patre missus est; iuxta illud: *Sicut misit me pater, & ego mitto vos.* Non est missus Christus ad quærendas opes, vel voluptates, vel honores, sed ad quærendas animas, sic & Apostoli. Is ergo eligatur, qui non sua, sed D animarum lucra quærat, qui non suis, sed ouium commodis inuigilet. Siquidem ad animas, non ad diuitias deliciasque quærendas mittitur. Opus est viro fideli (ait Bernardus sermone 76. in cant.) qui non quæ sua sunt, quærat, &c. D. Gregorius in commentariis libro 1. Regum capite 10. ad illa verba: *Vnxit te Deus super hæreditatem suam in principem, & liberabis populum eius de manu inimicorum eius, qui in circuitu sunt*, &c. Ille, inquit, officium vnctionis exequitur, qui sola quærit lucra animarum. Super hæreditate quippe Domini in principem se vnctum meminit, qui hoc solùm de terrena dignitate quærit, quod per suum ministerium Christus quæsiuit, videlicet animas, &c. De negligentibus verò pastoribus addit. Ad id, quod Dominus non E quærit, tota solicitudine intendunt, & quod solùm quærit, quærere negligunt, &c. Hoc est, diuitias & honores, quos Dominus nõ quẽrit, solicitè quærunt; animas, quas solùm quẽrit, negligunt.

Qvales pastores Ecclesiæ sint eligendi. Lucæ 6. *Ioan. 20.* *Greg.* *1. Reg. 10.* *Pastorẽ solã animarũ salutẽ quærere cõuenit*

Præterea inposuit Dominus Simoni nomen Petrus, vt ait Marcus; Iacobum verò & Ioannem Boanerges, id est, Tonitrui filios appellauit. Petrus petram, siue rupem significat; Petram ergo, siue rupem celsam, stabilem, ac munitã, illum esse oportet, cuius humeris graue animarum pondus est imponendũ; videlicet, hominẽ caritate celsum, constantia stabilem, omnium virtutum præsidio muni-

Pastoris officiũ est esse petram.

tum, aduersus quem portæ inferi non possint prævalere. Neque hoc satis est, filium quoque tonitrui, hoc est, è cælo tonantem esse, doctrina cælesti tonare, animiqúe ardore fulgurare necesse est. Non enim solùm pastori virtus sufficit, sed necessaria quoque est doctrina è cælo, cælestiqúe vita tonans.

Doctrina necessaria pastori & virtus.

1. Cor. 10. Non satis est esse petram, nisi doctrinæ aquas possit fundere; instar petræ illius, de qua Paulus: *Bibebant autem de spirituali consequente eos petra.* Et, *Conuertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.* Ex

Psal. 123. petra tunc bibit populus; cùm ex pastoris ore purissimam Catholicamque doctrinam instar aquæ

Bernar. haurit limpidissimæ. Audi Bernardum serm. 76. in Cantica: Quomodo, inquit, in pascua diuinorum educet eloquiorum, greges dominicos pastor idiota? sed etsi doctus quidem fuerit, non sit autem bonus, verendum, ne non tam nutriat doctrina vberi,

Greg. Mag. quàm sterili vita noceat, &c. Magnus Gregorius libro 1. Regum capite 16. Cùm, inquit, in plerisque sanctæ Ecclesiæ negotiis salubris sit dispensatio; lethalis profectò & mortifera est, vbi aut cæci per ignorantiam, aut irreligiosi sapientes, aut ad sæcularia negotia profecti, ad aliorum primatum venire permittuntur. Hi enim ignorando, illi sciendo, & non faciendo subditorum animas perimunt, &c. Contrà verò, si cum doctrina, vitæ sit copulata sanctimonia, vberes ex pastore in gregem fructus redundant. Nam vt ait Iustinianus in libro de regimine prælatorum: Vbi conueniunt sanctitas vitæ, & veritatis prædicatio; ibi multiplex animarum exuberat fructus, &c.

In monte eligendi sunt qui eligūtur

Ad hæc, in celso monte elegit Christus Apostolos, non in valle depressa. In celsum enim montem, siue potiùs in celsam mentem, ascendere oportet electores; celsoque animo amicitiam, consanguinitatem, inuidiam, odium, ceteraque omnia superare: quæ ne dignissimus eligatur, obstare possunt. Dignissimus enim, & quærendus est, & eligendus. Cùm rogaretur Magnus Alexander, quem imperij hæredem faceret; respondit, dignissimum;

4. Reg. 10. vt testatur Iustinus libro 12. Et Iehu: *Qui habetis, inquit, filios Domini vestri, eligite meliorem; & eum qui vobis placuerit de filiis Domini vestri, & eum ponite super solium patris sui*, &c. Ait Samuel ad omnē populum:

1. Reg. 10. *Certè videtis, quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo*, &c. Hic Saul erat, de quo dicitur;

Eligendus dignissimus. *1. Reg. 9.* *Saul electus, & bonus, & non erat vir de filiis Israel melior illo*, &c. Non sine comparatione Petrum interrogat Dominus Ioannis 21. cùm illi summum tradit

Ioan. 21. pontificatum; *Diligis*, inquit, *me plus his?* Nimirum, quia pastor ouibus amore ac virtute præcellere debet.

Lege apud D. Gregorium Nyssenum vitam D. Gregorij Thaumaturgi; videbis, quàm celsam in mentem ascenderit ad eligendum Comanæ ciui-

Greg. Nyss. tatis episcopum. Principum (ait Nyssenus) & magistratuum ciuitatis omnium sententiæ, in hoc occupatæ erant; vt anxiè atque curiosè inquirerent, ac scisciterentur, qui eloquentia, qui genere, reliquoque vitæ splendore ceteros præcellere viderentur. Thaumaturgus expectabat diuinitus aliquod sibi cōsilium ad propositum negotium suppeditari. Et studiis erga vnumquemque eorum, qui destinabantur, neglectis, id vnum dumtaxat spectabat; an aliquis etiam ante declarationem, industria vita, atque virtute in moribus sacerdotium gestaret, &c. Vide quid in electione spectarit admirabilis Gregorius, videlicet; *An aliquis in moribus sacerdotium gestaret*, hoc est, an mores Episcopo

Carbonarius in Episcopū eligitur à diuo dignos iam ante electionem haberet. Denique, quod summopere miraberis, hos mores in Carbonario quodam reperit, eúmque in Episcopum elegit. At erat is Carbonarius eximiæ virtutis vir, de quo libeat Nyssenum audire. Non vrgente, inquit, paupertate ad huiusmodi vitæ genus deuenerat; sed philosophus quidam vir erat, quemadmodum insecuta vita indicauit, adeò vt etiam ad martyrium vsque peruenerit, per ignem cursu confecto. Latêre autem dedita opera volebat, altiori animo præditus, quàm vt eam, quæ vulgò expetitur, felicitatem curaret. Ac pro nihilo æculum ducebat; eo quòd & sublimis & veræ vitæ studio teneretur. Et vt maximè virtutem, ad quam aspirabat, assequeretur; operam dabat, vt talis esse ignoraretur, cōtemptiore genere vitæ, veluti deformi quadam persona, sese occultans. Atque alioqui etiam quòd eximio flore iuuētutis præditus esset, periculosum esse ducebat ei, qui continentiam sibi sectandam proposuisset, corporis sibi pulchritudinem patefacere. Ne igitur, vel sibi ipsi aliquid accideret imprudenti, quod factum noluisset, vel alienis oculis casus materiam præberet, idcirco se carbonario opificio veluti persona quadam deformi consulto circumdat, quo tam corpus laboribus ad virtutem exerceretur, quàm pulchritudo sordibus carbonum infecta obtegeretur, & simul pecunia, quàm ex laboribus quærebat, ad mandatorum executionem dispensaretur. Hactenus Nyssenus de Carbonario, quem sub modio latentem elegit, & super candelabrum Thaumaturgus collocauit. *Gregorio Thaumaturgo.*

Huic similes docet maximus ille pontifex Gregorius Magnus quærēdos, & ex latebris eruendos, in quibus delitescere malunt, quàm in luce honoris versari. In commentariis lib. 1. Reg. cap. 16. ait viros sanctos instar thesaurorum à Deo abscondi, quos ad Ecclesiam gubernandam diligenter oporteat quæri. Magnę, inquit, electorum virtutes, quasi thesauri Dei fere semper in occulto sunt. More enim timoratorū diuitum Deus facit, quia ne virtutum thesauros perdat, hos in electis mentibus collocat, & ipsas mentes per secretū celat, &c. Post hæc adiungit; Quęrat ergo, qui ordinare, imò ornare Ecclesię caput cupit, occultos thesauros: Christi sponsam ornare gestit, sed non potest, nisi occultos sponsi thesauros ad eius ornatum perducat, & non desistat, donec latentes inueniat, &c. *Greg. Mag.* *Virtutes electorū velut thesaurus occultæ.* *Ecclesiam ornat qui bonos pastores eligit.*

Denique ait Dominus: *Quem ex iis elegero germinabit virga eius.* Electionis diuinæ signum virgæ fuit germinatio. Hoc etiam sit nobis signum ad eligendum; si virga, imò si homo, floribus fructibusque sapientię, prudentiæ, virtutis, ceterísque ad munus nauiter obeundum necessariis donis germinarit. *Num. 17.*

Abscedat humanorū affectuum ab electore fumus excæcans oculos; non quid amicitia consanguinitásve malè suadeat, sed quid Deus velit, attendatur. Sit exemplo Moses, qui principatū non filiis, quibus minimè carebat, sed Iosue ex altera tribu, quòd Deus sic vellet, tradidit. Si carnis sanguinisque habuisset rationem; pro filiis forsitan Deum orasset, vt populi principes crearentur. At non ita factū. Morte imminente filios minimè eligit, vt illis imperium tradatur Deum nō orat, sed,

Prouideat, inquit, Dominus Deus spirituū omnis carnis, hominem, qui sit super multitudinem hanc, &c. Quid agis Moses (ait Origenes homil. 22. super Numeros) numquid filij tibi non sunt, Gerson & Eliezer? aut si aliquid de illis dubitas, non sunt filij fratris, magni & egregij viri? Quomodo non oras Deum pro ipsis, vt eos constituat populo duces, sed discant Ecclesiarum principes similes sibi, non eos, qui consanguinitate generis iūcti sunt, nec qui carnis propinquitate sociātur, testamēto signare, neq; hæreditariū tradere Ecclesię principatū, sed referre ad iudicium Dei, & non eligere illū, quem humanus commendat *Num. 27.* *Exemplum Mosis. Orig.* *Moses non elegit filios.*

mendat affectus, sed Dei iudicio totum de successoris electione permittere, &c. Itē, propinquis agrorum relinquatur hæreditas, gubernatio populi illi tradatur, quem Deus elegerit. homini scilicet tali, *Num. 27.* *qui habeat, sicut scriptum audistis, in semetipso spiritum Dei, & præcepta Dei in conspectu eius sunt,* & qui Moysi valdè notus, & familiaris sit, id est, in quo sit claritas legis & scientia, vt possint eum audire filij Israel. Hactenus Origenes. Similia reperies apud *Philo.* Philonem Hebræum initio lib. de caritate: Quamuis, inquit, Moses pater esset duorū filiorum, neutrum successorē sibi optauit; victor affectuum erga cognatos ac domesticos, &c. Item, Quis non miretur Mosis preces, dicatque quid ais? Itáne tibi, fratríque desunt filij successores à natura dati? Aut his, aut illis principatum relinquito. Quòd si neutros existimas idoneos, habes amicum probatæ virtutis, scilicet Iosue; quin igitur hunc, si probitas, non genus spectatur, eligis? Verùm respondebit, cùm in omnibus rebus non esse præcipitandum iudiciū; tum in iis potissimùm, quæ recte, aut secus administratæ plurimis felicitatem aut calamitatem afferunt. Hæc Philo, & alia quæ omitto. Hieronymus quoque ad Titum 1. sic scribit: Moses potuit successores principatus filios suos facere; & posteris propriam relinquere dignitatem. sed extraneus de alia tribu eligitur Iesus, id est, Iosue: vt sciremus principatū in populos non sanguini deferendum esse, sed vitæ. At nunc cernimus plurimos hanc rem beneficium facere; vt non quærant eos, qui possunt Ecclesiæ plus prodesse, & in Ecclesia erigere columnas; sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti, vel pro quibus maiorum quispiam rogauerit, &c.

Ecclesiæ principatus nō sanguini deferendus, sed vitæ.

LIBER SEPTIMVS.

De celeberrimo sermone Domini in monte habito.

MATTH. CAP. V.

VIDENS autem Iesus turbas, ascendit in montem, & cùm sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius, & aperiens os suum docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati estis, cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes, propter me: gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Sic enim persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos. Vos estis sal terræ, quod si sal euanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet vltrà, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus: vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Nolite putare, quoniam veni soluere legem aut Prophetas: Non veni soluere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, Donec transeat cælum & terram, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. Dico enim vobis, Quia nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.

CAPVT I.

De beatitudinibus.

POST electos in monte Apostolos, narrat D. Lucas capite 6. descendisse Christum cum illis è monte, atque in loco campestri stetisse; habuisséque sermonem in magna auditorum frequentia. Est is sermo à Luca scriptus, c. 6. illi similis, quem Matthæus cap. 5. memoriæ prodi-

Ordo gestorum.

dit. Quamobrem in controuersia est; an eadem sit, an diuersæ conciones? Eamdem esse concionem initiū suadet & conclusio; idem enim vtriusque principium & finis idem. Cetera item non omnino sunt diuersa. Illud quoque vrget, quòd & Lucas & Matthæus scribant, Christum post habitam concionem ingressum esse vrbem Capharnaum, Centurionisque famulum donasse sanitate. At verò non esse eamdem concionem, quispiam probarit. Quoniam concio, quæ apud Matthæum extat, in monte est habita, vt liquet ex Matthæi

An sit idem sermo à Luca & Matthæo descriptus.

narratione, & à Christo sedente; concio verò, quæ apud Lucam legitur, habita est in loco campestri à Domino stante, postquam è monte discenderat: *Luc. 6.* *Stetit*, inquit Lucas, *in loco campestri*; ergo alia atque alia concio est.

Vtramque sententiam, tam affirmantem, quàm negantem arbitratur verisimilem D. Augustinus *Augusti.* libro 2. de consensu Euang. cap. 19. In primis ergo credi probabiliter potest ex sententia Augustini, Christum in monte Apostolos elegisse, longoque illos docuisse sermone, qui à Matthæo memoratur; deinde in monte in locum descendisse campestrem, ibique alium similem habuisse sermonem magna audiente tam hominum, quàm feminarum multitudine, qui apud Lucam extat.

Duo sermones fuerunt à Christo habiti. Huic tamen sententiæ illud obstat, quòd ex Matthæo compertum sit turbas sermonem à Matthæo memoratum in monte audiuisse. Ita enim ad finem sermonis scribit: *Matth. 7.* *Cum consummasset Iesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina eius*, &c. D. Augustinus ait, turbas appellari à Matthæo discipulorũ cateruã, ex quibus Apostolos elegit. At verò non solent Euangelistæ discipulos turbas simpliciter appellare. Quòd si Lucas cap. 6. turbam discipulorum vocat, discipulorum nomine, quæ turba esset designat. Non placet igitur interpretatio. Dicerem potius, sermonem habitum in monte coram discipulis tantùm: postea in loco campestri, vt ait Lucas, coram plebe. Atque ideo Matthæum, cùm id sciret, dixisse turbas esse admiratas super doctrina eius, videlicet, quia illam doctrinam, quam discipulis tradidit, tradidit etiam postea turbis.

Ordo gestorum. Aliter, paucis tota res sic expedietur. Ingens auditorum multitudo ad Christum confluxit. Ille turbas videns, vt ait Matthæus, ascendit in montem; sedit, sermonemque habuit à Matthæo scriptis mandatum, coram discipulis & turba, vt infrà ostenditur. Postea eodem in monte, in oratione pernoctauit; ex discipulis duodecim Apostolos elegit; è monte cum illis descendit. Cúmque copiosa plebis multitudo ex Iudæa, Ierusalem, maritimisque locis, qui circa mare sunt Galilææ, ex Tyro etiam & Sidone conueniisset; stetit in loco campestri, vt Lucas ait, similemque sermonem habuit illi, quem habuerat in monte. Hæc mihi videtur facilis huiusmodi solutio. Lege quæ diximus lib. 8. cap. 1. quo sermo à Luca explicatur.

Vbinam sermo hic habitus sit. Dubium est; quonam in loco sit habitus sermo hic? Diximus Iudæorum regionem in tres prouincias fuisse diuisam, Galilæã, Samariam, & Iudæam. Sermo hic in Galilæa habitus est. Confirmatur ex Matthæo & Luca, qui affirmant Christum post sermonem, Capharnaum Galilææ vrbem esse ingressum, Centurionisque puero sanitatem reddidisse. Iam nouisti prouinciam. Montem quoque cognoscere cupis. Chromatius in cap. 5. Matthæi, montem Oliueti fuisse putat. Sed mõs Oliueti in Iudæa *Hieroni* est, non in Galilæa. Vnde diuus Hieronymus eodem Matthæi capite: Nonnulli, inquit, simplicium, fratrum putant Christum beatitudines, & cetera quæ sequuntur, in Oliueti monte docuisse; quod nequaquam ita est. Ex præcedentibus enim, & sequentibus in Galilæa monstratur locus, quem putamus esse, vel Thabor, vel quemlibet alium excelsum montem. Denique postquam finiuit sermones suos, statim sequitur: *Matth. 5.* *Cùm autem introisset Capharnaum.* Hæc ille. Montem fuisse Thabor putant diuus Bonauentura, & Ludolphus in libro de vita *Borchar.* Christi, & alij: Borchardus alium montem fuisse existimat non longè à Capharnaum, prima parte cap. 4. §. 6. sic scribit: Iuxta mare Galilææ est illius montis ascensus, super quem sermonẽ illum dixit Christus, quem Matthæus refert cap. 5. Est antè extentus iactu duorum arcuum: latus autem iactu lapidis, & ampliùs. Adhuc permanet lapis illic, super quem sedit Saluator prædicans. In huius montis basi, iuxta mare Galilææ, ferè triginta passibus fons oritur, quem incolæ credunt venam Nili, Iosephus fontem Capharnaum appellat. Hæc & alia Borchardus. De fonte suprà dictum est, cùm egimus de ciuitate Capharnaum. Eiusdem sententiæ est Adrichomius in tribu Nephthalim numero 69. quo loco montem hunc montem Christi vocat, eo quòd in illo Christus orare & prædicare solitus esset. Ab vrbe Capharnaum tribus milliaribus distare ait; nec procul a mari Galilææ. *Mons in quo sermo est habitus.*

VIDENS *turbas ascendit in montem.* Videtur Matthæus significare Christum in montẽ ascendisse, vt turbas fugeret; quasi dicat, cùm vidisset turbas, vt ab illis se abduceret, in montem ascendit. *Et cùm sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius, & aperiens os suum docebat eos*, hoc est, relictis turbis sedit in monte cum solis discipulis, eosque docuit. Hoc sentit D. Leo serm. primo de omnibus Sanctis: Segregatus, inquit, à turbis secessum montis ascendit, aduocatis Apostolis, &c. Et Glos. interl. Ascendit in montem, quasi multitudinem vitans, vt solis discipulis loqueretur. Et Augustinus de consensu Euang. Vel hic potest videri Christus multas turbas vitare voluisse, & ob hoc ascendisse montem, vt solis discipulis loqueretur, &c. Minimè id significat; sermo enim non est habitus ad solos discipulos, sed ad promiscuam quoque auditorum multitudinem, vt ex fine constat: *Cum consummasset*, ait Matthæus in fine sermonis, *Iesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina eius. Erat enim docens eos sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ eorũ & Pharisæi*, &c. *Matth. 5.* *Ibid.* *An sermo hic coram discipulis tãtummodo sit habitus, an etiã coram turba.* *Matth. 7.*

Non deest, qui existimet principium quidem sermonis, vsque ad illa verba: *Attendite ne iustitiam uestram faciatis coram hominibus*, &c. Ad discipulos dictum, cetera postea ad plebem. Sed suauis textus ratio indicat, vnum, continuatumque, & ad eosdem auditores habitum sermonem esse. *Matth. 6.*

Sensus autem Matthæi non est, Christum conspecta multitudine in montẽ ascendisse, vt se subduceret & occultaret; sed vt eam doceret. Circum montem, & ad radices mõtis multitudo consistebat: ascẽdit Christus non in montis verticem, sed in inferiorem montis partem, veluti in suggestum, vt inde latè longeque ab omnibus, & videretur, & audiretur. Vel fortè simul cũ Christo ascendit etiam in superiorem montis partem turba, vt vult Euthymius: Simul, inquit, turbæ ascenderunt, discipuli autem accesserunt, &c. Accesserunt autem ad eum discipuli eius, propiùs quàm turba. *Euthym.*

Quod sequitur; *Et aperiens os suum docebat eos;* non solos indicat discipulos, sed etiam turbas. Similiter Lucas: *Ipse*, inquit, *eleuatis oculis in discipulos suos, dicebat: Beati pauperes*, &c. Discipulos inspiciebat, & turbas etiam docebat. Euthymius Matthæi 5. Ad discipulos, inquit, dirigit sermonem, communiter tamen illum proponit ad vniuersos, &c. Theophyl. *docebat eos:* non tantùm discipulos, sed etiã turbam, &c. Præterea Chrysost. Cùm, inquit, audis, *Docebat*, ne opineris solis eum locutum esse discipulis, sed per illos & cæteris. Quia enim erat adhuc multitudo illa vulgaris totaque terrena, constituens ante se discipulorum chorum, ad ipsos verba facit isto sermone, quo eos docet, etiam aliis, qui multum abhorrebant ab his, quæ dicebãtur, sensim Philosophiæ doctrinam insinuans, & commendans, &c. *Matth. 5.* *Luc. 6.*

Morales rationes aliquot redduntur, cur Dominus ascenderit in montem. Prima est Augustini: vt ostenderet doctrinæ, quam tradebat perfectionem *Cur Christus in mõtem ascenderit.* *Augusti.*

nem, libro 1. de serm. Domini in monte: Si quæritur, inquit, quid significet mons, bene intelligitur significare maiora præcepta iustitiæ, quia minora erant quæ Iudæis data sunt, &c. Glossa ordinar. Ascendit mons in montem, vt altiora virtutum culmina doceret, &c. Secunda, Auctoris Imperfecti: vt indicaret Euãgelici Cõcionatoris celsitudinem, Ascendit (ait ille) in montem, vt ostendat, quod in altitudine virtutum consistere debet, qui docet iustitiam Dei. Qui docet, verborum suorum sit exemplum: vt magis opere doceat, quàm sermone, &c. Et D. Bernardus in sermone 1. de omnibus Sanctis. Quid est, inquit, quòd Christus priùs, quàm docere inciperet, ascendit in montem, nisi quod in hoc ipso docuit, necesse habere prædicatores verbi Dei, desideriis animi, & conuersione sancta ad sublimia tendere, & virtutum montem conscendere, &c. Indicat prætereà montis celsitudo Christi celsitudinem admirabilem, iuxta illud D. Hilarij Matthæi 5. Congregatis pluribus turbis montem conscendit, & docet; in paternæ scilicet maiestatis positus celsitudine, cælestis vitæ præcepta constituit, &c.

Auctor imp. Concionatoris celsitudo & exemplum. *Bernar.* *Hilar.*

Tertia ratio: Lex Mosis in monte tradita est: postulabat ergo maior doctrinę Christi celsitudo, vt in monte etiam traderetur. Attamen cùm lex vetus daretur (ait Chromatius antiquus Episcopus in cap. 5. Matthæi) iuxta montem populus prohibebatur accedere, nunc Domino docente in monte, nemo prohibetur, imò potius omnes inuitantur, vt audiant. Quia in lege seueritas est, in Euangelio gratia, illic terror incredulis incutitur, hic credentibus benedictionum munus infunditur, &c. Diuus item Leo in festo omnium sanctorum; Qui, inquit, locutus fuerat Mosi, locutus est & Apostolis, & in cordibus discipulorum velox scribentis Verbi manus, noui testamenti decreta condebat. Nulla, vt quondam, circumfusa nubium crassitudine, neque per terribiles sonos, atque fulgores, populo à montis accessu absterrito: sed patente ad aures circumstantium tranquillitate colloquij. Vt per gratiæ lenitatẽ, remoueretur legis asperitas, & spiritus adoptionis auferret formidinem seruitutis. Sic D. Leo.

Chromat. *D. Leo.*

Matth. 5. ET *cum sedisset.* Sedit in monte Christus, quoniam editus erat locus, poteratque à multitudine etiam sedens videri, & audiri; alioqui in loco campestri à Luca dicitur postea stetisse. In plano enim loco si sederet, non facile videretur ab auditoribus stantibus, & audiretur. D. Augustinus sedisse ait propter dignitatem magisterij: Sedens, inquit, docet, quod pertinet ad dignitatem magisterij, &c. Spiritali sensu diuus Hieronymus Matthęi 5. sedisse Christũ ait, quòd se contraxerit, & ad homines dimiserit. Discipulis, inquit, non stans, sed sedens, & contractus loquitur. Non enim intelligere poterant in sua maiestate fulgentem, &c. Et diuus Bernardus in ser. 1. de omnibus Sanctis; Benignissimè inclinauit se, & exinaniuit vsq; ad sessionem. Sedit enim, vt ad eum, quem nec ipsi quidem Angeli stantem attingere poterant; etiam publicani, & peccatores accedant, &c,

Cur Christus sedens docuerit. *August.* *Hieron.* *Bernar.*

Matth. 5. APERIENS *os suum docebat eos.* Hoc est, loquendi principium faciens, docebat eos. Aperire enim os idem est, quod loquendi principium facere. *Iob 3.* *Post hæc aperuit Iob suum*, id est, cœpit loqui. *Iud. 11.* Vel aperire os est loqui iuxta illud, *Aperui os meum ad Dominum*, &c. id est locutus sum ad Dominum, promisi Domino. Est sensus: Aperiens os suum, id est loquens, sermonem habens docebat eos. D. Chrysostomus homilia 15. propterea vult additum, *Aperiens os suum*: vt indicaretur Christum & operibus

Chrysost.

A docuisse & ore. Cuius, inquit, rei gratia videtur adiunctum: *Aperiens os suum?* vt proculdubiò disceres, quia non cùm loqueretur solùm, sed etiam cùm taceret, docebat. Nunc quidem os aperiens, nunc verò ipsis operibus vocem emittens, &c. Euthym. Quam ob causam ait Euangelista, quòd os suum Christus aperuit? Quia etiam non aperto ore docebat eos operibus, &c. Videtur, quod superfluat: *Aperiens os suum*, ait Theoph. Sed respondet. Minimè superfluit. Docuit enim Christus etiam non aperiendo os suum, per vitam, & miracula, &c. Hoc est concionatoris munus non solùm tũc docere, cùm os aperit, sed etiam cùm tacet: nimirum ore & opere, vita & sermone.

Euthym. *Theoph.*

Aliter diuus Augustinus lib. 1. de sermone Domini, significari coniicit sermonis longitudinem: vel, Deũ aperuisse os suum, qui ora prophetarum in lege antiqua solebat aperire. Ista, inquit, circumlocutio, quæ scribitur: *Et aperiens os suum*: fortassis ipsa mora commendat aliquantò longiorem futurum esse sermonẽ. Nisi forte non vacet, quod nunc dictum est, eum aperuisse os suum, quòd ipse in lege veteri aperire soleret ora prophetarum. Et Haymo: Non frustrà addit; *Aperiens os suum.* Quotiescumque in sacro eloquio apertio oris præmittitur, sequens sermo prolixior fore designatur. Sicut in Iob dicitur, *Tũc aperuit Iob os suũ.* Et Psalmista, *Aperiam in parabolis os meum*, &c. At verò crediderim aperire os, significare potius loquendi principium facere, vt suprà dixi, vel simpliciter loqui, quã sermonis prolixitatẽ. Prou. legitur: *Aperi os tuũ muto, & causis omnium filiorũ, qui pertranseunt, aperi os tuum, decerne quod iustum est.* Manifestè hoc loco os aperire significat simpliciter loqui, hoc sensu: Loquere pro muto, & infante, qui se defendere nescit: loquere, & quod iustũ est iudica. Similiter Dan. 10. Illud Iob. *Post hæc aperuit Iob os suum*, non prolixitatem indicat sermonis, sed significat Iob locutum fuisse, hoc pacto; Post hæc locutus est Iob: & maledixit diei suo, &c. Glossa interlin. sic habet: *Aperiens os suum*; significat se multa, & magna dicturum, thesaurum sapientiæ aperit, vt bona diuidat suis, &c. Et Glossa ordinaria; Apertio oris profunditatem significat sacramenti, &c.

Aug. *Hayma.* *Prou. 31.* *Iob 3.*

Vena vitæ dicitur os iusti. Si iusti os vena est vitæ: multò præcellentius Christi os, vitæ vena, fons, fluuius, & mare vitæ est. Dum ergo os aperuit, vitæ fontem aperuit, terramque cælesti doctrina irrigauit. Glossa ordin. Quasi abyssum, quasi thesaurum os aperuit Christus, quasi fluuium paradisi, &c. Paradisi fluuius in quatuor diuiditur fluuios, vt legitur Gen. 2. *Fluuius egrediebatur de loco voluptatis; qui inde diuiditur in quatuor capita*, &c. Os Christi veluti paradisi fluuius, in octo diuiditur beatitudines. Lege Rupertum Matth. 5. conferentẽ cum cithara suauissima Christum: sermonem verò cũ cantico. Et quidem canticum fuit nouum, noui testamenti, in veteri numquam auditum. Hoc, inquit, cecinit canticum beatitudinis cithara gloriosa, cithara sonora, & dulcis, cui tota erat, & est insita musica Patris, vniuersa sapẽtia Dei. Octo chordis antiquitus citharæ fiebãt, & quæ per primã eadem vox resonabat per octauam, secundum musicæ naturalem vim. Quia septẽ tantùm sunt discrimina vocũ, & octaua vox eadem, quæ prima est: quod musicis non incognitum est. Et in ista beatitudinum cantilena: quæ prima, eadem octaua sententia est. *Quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Hæc Rupertus. Cardinalis Petrus Dam. in ser. de omnibus Sanctis, similem in modum has beatitudines canticum graduũ appellat. Canta, inquit, canticum graduum, & gradatim ascende, nec propero saltu aliquẽ prætermittas, &c.

Prou. 10. *Christi os vena vitæ, fons, & fluuius.* *Gen. 2.* *Rupert.* *Octo beatitudinum canticum.* *Matth. 5.* *Pet. Dam.*

Matth. 5. BEATI *pauperes ſpiritu.* Beatus, à ſeipſo beatitudinem habens, Deus eſt, vt obſeruat Nyſſenus Gregorius in lib. de beatitud. Quod vere, inquit, beatum habendum ſit, ipſum diuinum numen eſt, &c. Ab eo veluti fonte in homines atque Angelos beatitudo emanat. Itaque beatus Deus, beati quoque dicuntur homines & Angeli; ſed Deus ex ſe, ſuaque natura beatus eſt; homo & Angelus ex Deo. Vnde Nyſſenus: Secundo, ait, loco, beatum iudicandum fuerit id, quod per participationem eius, quæ vere beatitudo eſt hoc nomine appellatur, &c. Quemadmodum prima, ac præcellens pulchritudo in homine viuente cernitur; ſecunda in imagine illius; ſic præcellentiſſima beatitudo in Deo eſt; ſecunda in Angelis & hominibus, qui Dei ſunt imagines. Quod idem Nyſſenus his verbis ſignificat: Quemadmodum primaria pulchritudo in viuente, veréque ſubſiſtente facie eſt; ſecundum verò locũ ab hac pulchritudine obtinet id, quod ad imitationem eius in imagine oſtenditur; ita natura quoque humana, quæ eſt imago ſupernæ beatitudinis, etiam ipſa bona pulchritudine deſignatur, cùm in ſe beatorum oſtenderit inſignium repræſentationes, &c. Duplex autem beatitudo in homines ex Deo emanat. Altera in cælo, quæ in ipſo diuinæ eſſentiæ conſpectu, ceteriſque comitantibus poſita eſt; altera in terris, quæ in virtute conſiſtit. Etenim beati ſunt homines probi in cælo, beati quoque in terris. Sed in cælo beati ſunt re; in terris ſpe, vt Auguſtinus ait lib. 19. de ciuitate Dei, cap. 4. Sicut ſpe, inquit, ſalui; ita ſpe beati facti ſumus. Et ſicut ſalutem, ita beatitudinem, non iam tenemus præſentem, ſed expectamus futuram, &c. In cælo beati ſunt, quoniam diuino perfruuntur conſpectu; in terris beati ſunt, quoniam virtutum gloria ſplendeſcunt. Quamobrem virtutes ipſæ, quòd homines beatos in terris felicéſque reddant, beatitudines nuncupantur.

Deus ex ſua natura beatus eſt, homines & Angeli ex Deo. Greg. Nyſſ.

Duplex beatitudo.

Auguſt.

Prima virtus, quæ beatos homines in terris, ac fælices efficis, Paupertas eſt. Vnde Dominus, *Beati*, inquit, *pauperes ſpiritu.* Pauperes autem ſpiritu multi ex Patribus humiles eſſe interpretantur. Diuus Hilarius in Matthæum, Chriſtus, inquit, in ſpiritus humilitate, perfectę beatitudinis poſuit exordium, &c. Hieronym. nè quis putaret paupertatem, quæ nonnũquam neceſſitate portatur, à Domino prædicari, adiunxit, *ſpiritu*, vt humilitatem intelligeres, non penuriam, &c. Diuus Auguſtinus lib. 1. de ſerm. Domini in monte: Recte hic intelliguntur pauperes ſpiritu, humiles, & timẽtes Deum, id eſt, non habentes inflantem ſpiritum, &c. Eiuſdem ſententiæ eſt Diuus Gregorius li. 26. Moral. ca. 20. Ex Græcis præterea Gregorius Nyſſenus, in lib. de beatitudine. Theodor. ad Rom. 12. & Theoph. Euthymius ſic ait: Nõ dixit Chriſtus pauperes poſſeſſionibus, ſed pauperes ſpiritu, id eſt, humiles animo & voluntate. Chryſoſt. quoque rogat: Qui ſunt pauperes ſpiritu? Reſpondet? humiles mente, atque contriti ſpiritu, &c. Lege Epiphanium hære. 66. propè finem, & D. Leonis ſermonem de omnibus Sanctis.

Matth. 5. Pauperes ſpiritu humiles dicũtur. Antiqui Patres.

Sed, de iis pauperibus locus eſt intelligendus, qui opibus remittunt nuntium, Chriſtumque ſequuntur; iuxta illud *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus: & habebis theſaurum in cælo, & veni, ſequere me*, &c. In hac ſententia & D. Baſilius in regulis breuioribus, interrogatione 205. Hi, inquit, ſunt mendici ſpiritu, qui nõ aliam vllam ob cauſam ad mendicitatem deuenerunt, quàm ob doctrinam Domini, qui dixit: *Vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Si verò quis oblatam ſibi etiam quomodocumque mendicitatem ſuſceperit, & eam ad Dei voluntatem moderatus ſit, vt Lazarus: neque hic à beatitudine illa excluditur, &c. Item Chromatius antiquus Epiſcopus: Beata, ait, paupertas eſt ſpiritalis, eorum ſcilicet hominum, qui ſpiritu & volũtate pauperes ſe faciũt, propter Deum, renunciando ſæculi bonis, ſubſtantiam ſuam vltrò erogando, &c. Item: Hos, inquit, pauperes, ſignificat Chriſtus eſſe beatos: qui contẽptis mundi diuitiis, ſpretaque ſæculi facultate, vt Deo fierent digni, mundo pauperes eſſe voluerunt, &c. D. Ambroſ. Lucę 6. Primam (inquit) benedictionem, hanc id eſt, paupertatem, vterque Euangeliſta, ſcilicet Lucas & Matth. poſuit: ordine enim prima eſt, & parens quædam generatioque virtutum. Quia qui contempſerit ſæcularia, ipſe merebitur ſempiterna. Neque poteſt quiſquam meritum regni cęleſtis adipiſci, qui mundi cupiditate preſſus emergendi non habet facultatem, &c. Nyſſenus hanc quoque ſequitur interpretationem. & Bernardus ſer. 1. de omnibus ſanctis. Cardinalis Petrus Damianus, Druthmarus, Guerricus, D. Thom. Matth. 5. Lyranus, & alij.

Chromat.

Ambr.

Cur dicantur pauperes ſpiritu, dubium eſt. D. Auguſtinus ſpiritus nomine ventum intelligit inflantem, hoc ſenſu: Beati pauperes ſpiritu, id eſt, carentes inflante ſuperbiæ vento. Diuus Hieronymus ſpiritu pauperes eos putat appellari, qui propter Spiritum ſanctum voluntate pauperes ſunt. Beati, inquit, pauperes ſpiritu, qui propter Spiritũ ſanctum voluntate ſunt pauperes. Nyſſenus: Vis, inquit, intelligere quis pauper ſpiritu ſit? Qui corporalem opulentiam, animæ diuitiis permutat, qui propter ſpiritum egenus eſt, &c. Diuus Bernardus ſpiritu pauperes, volũtarios, & ſpiritales pauperes dici arbitratur ſerm. 1. de omnibus Sanctis; Non ſimpliciter, inquit, appellat Chriſtus pauperes: propter pauperes neceſſitate miſerabili, non laudabili voluntate. Pauperes ſpiritu, id eſt, ſpirituali voluntate, ſpirituali intẽtione, deſiderio ſpirituali propter ſolum beneplacitum Dei, & animarum ſalutem, &c. Chromatius; Beata paupertas eſt ſpiritualis: eorum ſcilicet hominum, qui ſpiritu & voluntate pauperes ſe faciunt propter Deum, &c. Huius etiam ſententiæ eſt Chryſoſtom. Spiritum, inquit, hic poſuit Dominus pro anima, & voluntate, &c. Hæc eſt vera ſententia: dicuntur enim pauperes ſpiritu, qui ex animo, & interno affectu, ex corde, ac voluntate pauperes ſunt, Apoſtolis ſimiles.

Cur dicantur pauperes ſpiritu. Hieron.

Nyſſ.

Bernar.

Chromat.

Rupertus Abrahamum, Iſaacum, & Iacob pauperes fuiſſe ſpiritu ait, etſi diuitias poſſederint; propterea quòd diuitias nõ amarint. Sed de iis pauperibus beatitudo intelligenda non eſt, illorum enim eſt, qui opes abiiciunt, vt Chriſtum celeriori ſe quantur gradu.

QVONIAM *ipſorum eſt regnum cælorum.* Præmia magna Dominus arduis proponit virtutibus. Doctrinam ſuam (ait Chryſoſtomus hom. 15.) non ſub ſpecie mandatorum, atque exhortationis inducit, ſed ſub prẹmiis beatitudinum, vt ſermonem faciat gratiorem, &c. Pauperibus, qui terrenas opes repudiant, præmium offert opulentiſſimum: videlicet cælorum regnum. *Ipſorum*, inquit, *eſt regnum cælorum. Eſt*, ponitur pro, *erit*, poſt mortem. Vel potiùs quemadmodum de hæreditate, quam nondum adiit primogenitus loquentes dicimus; hæc hæreditas eſt illius primogeniti, quoniam iure ad illum pertinet, ſic de pauperibus loquens Dominus ait: *Ipſorum eſt regnum cælorum*, veluti hæreditas, quæ ad illos pertinet. Reddit præterea Dominus rationem, cur beatos dixerit pauperes. *Beati pauperes*, videlicet, *quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Nunc ſunt beati

Matth. 5. Præmium paupertatis regnum cælorum.

Matth. 19. Pauperes ſpiritu ſunt qui caducis bonis nuntium remittunt.

Matth. 5.

De viua paupertate loquitur Dominus.

beati ſpe, poſtea erunt beati re. Dices: ſi pauper hic caritate, & gratia caruerit, regnum cælorum non conſequetur, non ergo paupertatis eſt cælorum regnum, ſed caritatis. Reſpondemus Chriſtum loqui de paupertate, quam charitas format, atque ornat, de paupertate viua, non de mortua. Quemadmodum enim fides ſine caritate mortua eſt, ita paupertas. De viuis virtutibus ſermonem habet Dominus, cùm cæleſtia merita proponit; non de mortuis. Quemadmodum nos, cùm de hominibus loquimur, quibus in certamine aliquo præmium donandum eſt, non de mortuis, ſed de viuentibus verba faciamus.

CAPVT II.

De beatitudinibus.

Matth. 5. Corporis imperium mitibus promittitur.

BEATI *mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Græci, Syrque codices ſecundam beatitudinem lugentibus tribuunt. Sed Latini ſequendi, qui mites hoc loco ſtatuunt. Qui autem mites ſint ſatis eſt apertum, quæ illis terra promittatur, ambiguum. D. Bernardus loco indicato, nomine terræ corpus ex terra compactum intellexit. Hanc terram mites poſſident: ſiquidem corporis appetitionibus dominantur. Chromatius item terram

Corpus beatum manſuetudinis præmium Chromat.

corpus appellari vult, ſed beatum, hoc ſenſu: *poſſidebunt terram*, id eſt, corpus beatum, atque fulgens. Maximè (inquit) de terra noſtri corporis loquitur Dominus; in qua ſancti transfigurati in gloriam, æterna fælicitate regnabũt, &c. Lege etiam diuum Hilarium & Haymonem. Mites (inquit Haymo) poſſidebunt terram, hoc eſt recipient corpora ſua incorrupta; vt ſicut Domino corpore, & anima ſeruierunt: ita etiam corpore & anima beatificentur, &c. D. Leo ſerm. citato. Terra, promiſſa mitibus caro ſanctorum eſt: quæ fęlici reſurrectione mutabitur, & immortalitatis gloria veſtietur, &c.

Haymo. Terra hæc quam incolimus promittitur mitibus.

D. Chryſoſt. Homilia 15. terram hanc, quam incolimus, promitti cenſet mitibus: Quia mitis, inquit propria putatur amittere, contrarium Dominus pollicetur, dicẽs, quòd ipſe mitis ſit, qui tutiſſimè cuncta poſſideat, &c. Theophylact. & Euthym. Chryſoſt. ſequũtur. Huic affinis eſt huiuſmodi interpretatio:

Matth. 5.

Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. id eſt, longæui erunt ſuper terram. Nam manſuetudo vitam prorogat: bella verò, lites, iurgia eandem ſuccidũt. Sic dicitur Pſal.

Pſal. 36.

Manſuetі hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.

Terra viuentium manſuetorum donũ.

D. Hieronymus terram cæleſtem in præmium proponi exiſtimat. Non terram, inquit, Iudæ, nec terram iſtius mundi, non terram maledictam, ſpinas, & tribulos afferentem, quam crudeliſſimus quiſq; & bellator magis poſſidet, ſed terram quam

Pſal. 26.

pſalmiſta deſiderat dicens, *Credo videre bona Domini in terra viuentium*, &c. Chromatius: Mitibus Chriſtus non in præſenti vita, ſed in futura poſſeſſionem terræ illius fælicis repromiſit, &c. Eodem modo interpretatur Haymo, & diuus Gregorius Nyſſenus. Ait verò Nyſſenus Chriſtum cæleſtem patriam terram appellaſſe, ad hominum captum ſeſe demittendo. Quòd ſi, inquit, appellatione terræ, ſupernæ partes denominantur, nihil mireris. Ad humilitatem enim noſtri auditus, ſermo quaſi condeſcendendo ſe accommodat. Per verba, & nomina nobis diuina myſteria tradit: his vocibus vtens quas continet humanæ vitæ cõſuetudo, &c. Forſitan Dominus cęleſte regnũ terrã appellauit: quoniam terra illa repromiſſionis fuerat deſignatum,

Matth. 5.

hoc ſenſu: *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram:* terram inquam, illã repromiſſionis veram, Abrahamo olim à Deo promiſſam, & hac terra Iudææ præfiguratã. Adiice & hunc ſenſum: *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terrã.* hoc eſt: Arbitrantur homines terram à viris bellatoribus, iracundis, potentibus, nullamque iniuriam ferentibus poſſideri: at ij à terræ poſſeſſione tandem excludentur; mites verò poſt reſurrectionem toti orbi terrarum dominabuntur, cùm cælum nouum erit, & terra noua, vt dicitur Apocal. 21.

Gen. 13.

BEATI *qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Quinam lugentes beati dicantur dubium eſt. Lugent enim multi: ſed non omnium lachrymæ beatæ prædicantur. Lachrymas beatas facit beata, ob quam funduntur, cauſa. Itaque diuus Hilarius beatos dici putat illos, qui propria deflẽt crimina. Non orbitates, inquit, aut contumelias, aut damna merentibus, ſed peccata vetera flentibus, & criminum conſcientia ærumnoſis, conſolatio in cęlo pręparatur, &c. Chryſoſt. quoque. Non ſimpliciter, ait, lugentes. Addit Theophylactus proximorum quoque peccata lugentibus conſolationem promitti, Lugentes, inquit, dixit Dominus ſemper, & non ſemel. Et non pro noſtris peccatis tantùm, ſed & pro peccatis proximorum. Item Chromatius: Beatos, inquit, Chriſtus ſignificat eos, qui aut propria commiſſa peccata iugi lacrymarum fletu expiare contendunt: aut qui pio legis affectu iniquitatem ſæculi, ac peccantium delicta lugere non deſinunt, &c. Diuus Hieron. Luctus hic non mortuorum ponitur communi lege naturæ: ſed peccatis, & vitiis mortuorũ. Sic fleuit Samuel Saulem, ſic Paulus *flere ſe dicit eos, qui poſt fornicationem, & immunditiam, non egerunt pœnitentiam*, &c. Diuus Leo: Religioſa, inquit, triſtitia, alienum peccatum luget, aut proprium, &c. Prætereà vtraque Gloſſa interlin. & ordin. lugentes pro ſuis alieniſque peccatis beatos intelligit. Addit etiam Gloſſa ordin. pro cælorum deſiderio lugentes his verbis: Beati qui lugent pro ſuis, vel aliorum peccatis, qui eſt ab irriguo inferiori. ſed qui fit ab irriguo ſuperiori, eſt ex deſiderio cæleſtis patriæ, &c.

Matth. 5. Beatæ lachrymæ quibus peccata tam noſtra quã proximorum deflemus.

Theoph.

Chromat.

D. Leo.

Gloſſ. ord.

D. Auguſtin. lugentes appellari putat illos, qui ob amiſſionem rerũ, quas pro Chriſto reliquerũt, triſtitia adhuc afficiuntur. Luctus, ait, eſt de amiſſione carorum. Conuerſi autem ad Deum ea, quæ in hoc mundo cara amplectebãtur, amittunt. Non enim gaudent de iis rebus quibus antè gaudebant: & donec fiat in illis amor æternorum, nonnulla mœſtitia ſauciantur, &c.

Auguſt.

Eſt & alia interpretatio hunc in modum: Beati qui lugent propter Deum oppreſſi, atque vexati, iuxta illud Chriſti *Plorabitis, & flebitis vos: mũdus autem gaudebit.* At ſi hũc ſenſum ſequamur, ſequitur hanc beatitudinem non diſtingui ab illa altera, *Beati qui perſecutionem patiuntur*, &c. Quod nõ videtur vero ſimile. Patres enim, ac Doctores reliqui diuerſas eſſe ſentiunt beatitudines. Sequimur Patres: eos beatos hoc loco intelligimus, qui caducas huius ſæculi ſpernunt delicias, gaudia, riſus, animiq; compunctioni & pœnitẽtiæ pro criminibus cõmiſſis agendæ ſe dedunt. Prima beatitudo opes contemnit, paupertatem amplectitur, tertia hæc ſæculi delicias ſpernit, pœnitentiam cordiſque compunctionem amat.

Ioan. 16.

Matth. 5.

Præmium conſolatio eſt, maximè in cælo, vt ait D. Hilarius, & Chromatius: Sanctè, inquit, lugentibus, conſolatio æternæ exultationis promittitur, &c. Sed conſolatio hęc in terra incipit, vnde Chryſoſtomus, Conſolabuntur, inquit, qui lugent, hîc, & quod eſt amplius, in futuro, &c. Addit Euthym. In præſenti conſolabuntur ea ſpe, quòd peccata ſua

Præmium lugentium.

sua luctu redimant, in futuro autē beatitudine, &c.

Theoph. Theophylactus. Lugentes, inquit, consolationem accipiunt, & hîc, qui enim luget propter peccata, gaudet spiritaliter: & illic quoque, id est, in cælo multò magis, &c.

Matth. 5. Quid sit sitire iustitiam? BEATI *qui esuriunt, & sitiunt iustitiam.* Illos aiunt Patres iustitiam esurire, sitire, qui iustitiæ auidissimi, ac cupidissimi sunt. Diuus Hilarius: Sitientibus, inquit, & esurientibus iustitiā, tribuit Christus beatitudinem, significans extensam in Dei doctrinam sanctorum auiditatem, bonis perfectæ satietatis in cęlo expleri, &c. D. Leo: Nihil hęc esuritio corporeum, nihil expetit sitis ista terrenum: sed iustitiæ bono desiderat satiari, &c. D. Chrysost. Non dixit Christus: Beati qui iustitiam seruant, sed *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam.* Vt non vtiq; mediocriter, sed cum omni illam cupiditate teneamus, &c. Chromatius: Non facili, inquit, desiderio, nec leui cupiditatis ardore expetendam à nobis esse iustitiam docuit Christus: siquidem hos beatos esse significat, qui ad eam consequendam esuriendi, ac sitiendi modo, interni desiderij cupiditatibus inardescunt, &c. sic & alij.

Dubitatur, quidnam iustitiæ nomen hoc loco significet, Chromatius, sanctitatem, siue virtutem significare putat, hoc sensu: Beati qui virtutem sanctitatémque auidissimè concupiscunt. D. Gregorius Nyssenus: Omnis, inquit, virtus hîc nomine iustitiæ significatur, &c. Idem sensus est Augusti. Leonis, & aliorum. Card. Petrus Dam. iustitiam sitire eos ait, qui non solùm suam, sed aliorum quoque sitiunt virtutem. Nam hæc esuries, & sitis omnium hominum sanctitatem sitit. Esurit (ait Cardinalis) & sitit iustitiam, qui vitia destruit, cōstruit virtutes, sobrius sibi, iustus proximo, pius Deo, cuius animam vrit zelus domus Dei, &c.

Quid nomine iustitiæ significetur?

D. Chrysost. iustitiæ nomine, iustitiam, quæ peculiaris virtus est, intellexit. Nam cùm sequens beatitudo misericordiæ tribuatur, verisimile videtur hanc iustitiæ tribui. Itaque Chrysost. sensus est: Beati qui iustitiæ, quæ cuique ius suum reddit, auidissimi sunt. Audi Chrysostom. Beati, inquit, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, vtique rationalem istā, quæ ex aduerso auaritiæ collocatur. Qui enim commendaturus erat misericordiam, ostendens quomodo misereri oporteat, id est, nō ex auaritia, nec rapina; opportunè beatificat iustitiam acquirentes, &c. Chrysostomum sequuntur Theophyl. & Euthymius. Eundem sensum reperies apud D. Thomam Matthæi 5. ait enim hanc beatitudinem intelligi posse, vel de iustitia generali, quæ virtutes omnes complectitur, vel de speciali, quæ ius suum cuique reddit. Obseruat autem aptè dictū; *Esuriunt, & sitiunt iustitiam;* quasi diceret Christus: Beati qui ita esuriunt, & sitiunt iustitiam, quemadmodum auari raptores aurum, pecuniasque esuriunt, & sitiunt. Vel, Beati qui famem, sitimquem auri, qua laborant auari, in iustitiam transferunt auaritiæ contrariam. D. Thomas; Esuries, inquit, & sitis propriè auarorum est, quia numquam satiantur, qui aliena iniustè possidere desiderant. Vnde ista esuries, de qua dicit Dominus, opponitur huic, scilicet auarorum, &c. D. Chrysost. Quia non sic desideramus cibum, ac potum, vt possidere latius, & indui pretiosius concupiscentiam istam, quæ habendi amore flagrat, iubet Dominus in meliora conuerti, &c.

Placeret hic sensus, nisi viderem paulò infrà iustitiæ nomen generalem iustitiam, ac virtutem significare absque dubio, cùm Christus ait; *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam:* id est, propter virtutem, & sanctitatem. Cùm igitur idem sit sermonis contextus, fit mihi verisimilius etiam hoc loco generalem iustitiam significare, ne idem nomen diuersas significationes in tam breui orationis contextu habeat. Eodem modo vniuersè iustitia sumitur, hoc eodem sermone, cùm ait Dominus; *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus; vt videamini ab eis.* Item: *Nisi abundauerit iustitia vestra, plusquam scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Verisimilius ergo eâdem significatione hîc accipitur. *Matth. 5.*

Iustitia virtutē & sanctitatem significat.

Præter has, est noua quædam interpretatio, qua esuries, & sitis non metaphoricè pro esurie, & siti spiritali, id est auiditate, & desiderio: sed pro fame cibi, & siti potus, sumitur hoc pacto. *Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam:* id est, qui fame, sitique conficiuntur, propter iustitiam, quia illis iustitia nō iudicatur, aut, iustitiam sequantur. Prętereà esuriunt, & sitiunt, quòd illis ius suum non tribuatur. Quales sunt, qui iniustè damnati bona sua perdiderūt: aut qui, quia pauperes sunt, quòd suum est recuperare non possunt: aut, quia iusti sunt. Sed hæc interpretatio, & à verbis Christi dissentit, & à sensu Patrum. A verbis quidem Christi quia non dixit Christus, *Beati qui esuriunt, & sitiunt propter iustitiā,* sed *beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam*, id est, qui ipsam iustitiam auidè instar esurientium, & sitientium cupiunt. Quæ metaphora cum aliis Scripturę locis congruit, in quibus sitis, & fames desiderium significant. *Qui edūt me adhuc esurient, & qui bibunt me adhuc sitient.* Psal. *Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum, &c.* A Patrum autem sensu dissentit hic sensus, quoniam communi Patrum, & Doctorum interpretatione, esuries hoc loco, & sitis, cupiditatem & auiditatem iustitiæ spiritalem significat. Adde, si hic sensus verus est, hanc beatitudinem in extremam illam incidere, *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiā.* Idem enim est, Beati qui fame, sitique conficiuntur, propter iustitiam: & Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Qui enim famem, sitimque propter fidem, & iustitiam in carceribus tolerant: persecutionem patiuntur propter iustitiam. *Nouainterpretatio refellitur.* *Eccli. 24.* *Psalm. 41.*

QVONIAM *ipsi saturabuntur.* Respondent præmia actionibus: paupertati respondent cælestis regni diuitiæ, luctui consolatio, esuriei & siti saturitas. Saturitas, reor, cælestis, ex sententia diui Hilarij, Chromatij, Haymonis, & aliorum, iuxta illud: *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* *Matth. 5.* *Psalm. 16.*

D. Chrysostomus iuxta suam sententiam, de saturitate huius vitæ interpretatur his verbis: Quia plurimos diuites facere putatur auaritia, dicit Christus hoc esse contrarium, magísque id præstare iustitiam. Noli igitur iustitiam exercens formidare pauperiem, neque famem timere, cùm certè illi magis omnibus bonis excidant, qui aliena diripiunt, vt ex aduerso ille qui iustitiam diligit tutissimè omnia bona possidet, &c. Sequitur Theophylactus. Quoniam, inquit, auari quidam abundantes esse videntur, & saturati, dixit Christus, quòd iusti magis hic saturentur, quia propria securè possidēt, &c. *Chrysost.* *Theoph.* *Matth. 5.*

BEATI *misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Misericordia satis nota est, quæ in subleuandis proximorum miserijs, & eleemosynis tum corporalibus, tum spiritalibus versatur. Præmium adiicitur misericordiæ humanæ, misericordia diuina: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur;* videlicet, à Deo. Misericordiam Deus misericordia remunerat. Sed paruæ misericordiæ magnam misericordiam rependit. Solet enim pro rebus paruis donare dona maxima. *Misericordia Deus misericordiā remunerat.*

CAPVT

CAPVT III.

De beatitudinibus.

Matth. 5. Quinam dicantur mundicordes.

BEATI *mundo corde.* Qui dicantur mundo corde præditi, vel vnico nomine mundicordes, ambigitur. Ex D. Hieronymi ſententia ij dicũtur, qui nulla peccati labe cor habẽt inquinatum. Beati, inquit, mundo corde, quos non arguit conſcientia vlla peccati, &c. Et Chromatius; Hos, inquit, mundo corde eſſe ſignificat Dominus; qui depoſito corde peccati, ab omni ſe carnis inquinamento purgauerint; & per opera fidei, atque iuſtitiæ, Deo placuerint, &c. D. Leo; Quid, inquit, eſt habere cor mundum, niſi eis quæ ſupra dictæ ſunt ſtudere virtutibus? Eadem eſt ſententia Auctoris imperfecti, D. Bern. Aug. vtriuſq; Gloſſæ, & aliorũ communis.

Mundus corde id eſt, qui purum cor habet.

D. Chryſoſtomus mundos corde appellari arbitratur, vel illos, qui vitiis carẽt, & virtutibus ſunt præditi, vel continentes. Mundos, ait, hic appellabat Chriſtus, aut vniuerſalem virtutem tenentes, & nullius ſibi mali conſcios, aut continentia conſpicuos. Nihil enim nobis eſt ita opus ad videndum Deum, vt iſtius puritate virtutis. Propter quod Paulus ait: *Pacem ſectamini, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum*, &c. Prætereà Theophylactus: Multi, inquit, ſunt non rapientes, ſed miſericordes; veruntamen ſcortantur, & aliàs immũdi ſunt. At Chriſtus iubet cum aliis virtutibus mundos etiam, hoc eſt, caſtos eſſe, non ſolùm corpore, ſed & corde. Nam abſque ſanctificatione, hoc eſt caſtitate, nullus videbit Deum. ſicut ſpeculum ſi fuerit mundum accipit imagines: ita & anima pura facile Dei & Scripturarum ſciẽtiam ſuſcipit. Hæc ille.

Mundicordes id eſt, caſti.

Hebr. 12. Theoph.

Anima pura Dei & ſcripturarũ ſcientiam accipit.

Exiſtimo communem ſentẽtiam eſſe veriorem, mundos corde eos dici, qui nullo mortifero opere, aut verbo, aut cogitatione ſunt contaminati. Corde verò mundo dixit Chriſtus, quoniam cor fons eſt peccatorum; ſi cor mundum eſt, ſi voluntas munda, totus homo eſt mundus; ſi cor eſt immundum, & voluntas, immundus eſt homo, iuxta illud: *Quæ procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ, hæc ſunt quæ coinquinant hominem*, &c. Subſcribo huic ſententiæ: quoniam ſi Chriſtus caſtos voluiſſet ſignificare, proprio nomine ſignificaſſet; quemadmodum miſericordes, & pacificos. Deinde quia quantùm fieri poteſt, nomina in ſua propria ſignificatione ſunt retinenda; mundi verò corde propria ſignificatione ij nominantur, qui nullius criminis mortiferi ſibi conſcij ſunt. Præterea, quia poteſt quis caſtus eſſe, & immundus corde, ſi aliquo mortifero ſcelere ſit inquinatus. Denique quia munditia cordis vniuerſam munditiam complectitur, non ſolius caſtitatis, quæ pars eſt munditiæ. *Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in monte ſancto eius?* hoc eſt: Quis erit beatus? Reſpondet Pſalmograph. *Innocens manibus, & mundo corde*, hoc eſt, qui manus habet mundas, & cor. Quemadmodum hoc Pſal. is dicitur mũdus corde, qui cordis internam munditiam habet, non ſolam caſtitatem, ſic & hoc loco, de quo agimus. Ita etiam: Mundum cor non caſtum ſolum, ſed purum, & criminum ſordibus minimè inquinatum ſignificat, his verbis: *Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato?* &c.

Matth. 15. Mundi corde illi ſunt qui cor habent vitiis expurgatũ, & purum.

Pſal. 23.

Prou. 10.

Ratio autem huius beatitudinis apponendæ ea videtur fuiſſe, quòd Iudæi externis corporis lotionibus dediti, de internis verò cordis non nimiùm eſſent ſolliciti, iuxta illud: *Phariſæi & omnes Iudæi, niſi crebrò lauerint manus, non manducant: tenentes traditionem ſeniorum, & à foro niſi baptizentur*, id eſt abluantur, *non comedunt. Et alia multa ſunt, quæ tradita ſunt illis ſeruare baptiſmata*, id eſt, ablutiones, *calicum & vrceorum, & æramentorum, & lectorum*, &c. Beatos igitur Dominus vocat mundos corde, qui de cordis munditia potiùs, quàm corporis, & calicum, & vrceorũ ſolliciti ſunt. Prætereà quia Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, vt dicitur Matthæi 23. *Similes erant ſepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus ſpecioſa, intus plena ſunt omni ſpurcitia*; ideò, *Beati* (inquit) *mundo corde*, qui ab omni hypocriſi alieni, nõ externam ſolùm virtutis ſpeciem habent; verùm etiam cordi perpurgando diligenter ſtudent. Hoc ſuadet Phariſæis ipſis eodem capite Dominus: *Væ vobis* (inquit) *ſcribæ, & Phariſæi hypocritæ quia mundatis quod deforis eſt calicis, & paropſidis, intus autem pleni eſtis rapina, & immunditia. Phariſæe cæce munda prius, quod intus eſt calicis, & paropſidis, vt fiat id, quod deforis eſt, mundum*, &c. Confert hominem cum vaſe, calice, vel paropſide; cuius interna pars, qua cibus cõtinetur, ablutionem magis flagitat, quàm externa. ô homo (inquit) cæce, qui internas non vides cordis ſordes; munda prius, quod intus eſt calicis, id eſt, interna n vaſis partem, id eſt, cor, vt fiat quod deforis eſt, mundum, id eſt, externa pars, ſcilicet opera.

Matth. 23.

Matth. 23.

QVONIAM *ipſi Deum videbunt.* Iudæis immundis immunditiis legalibus Leuit. 15. ingredi templum fas non erat, Deumque videre, qui in templo habitabat, eo modo, quo in templo fidei oculis videbatur. Iuxta illud: *Videbitur Deus Deorum in Sion*; id eſt, in templo, ſiue tabernaculo Sionis, &, *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei*; ſcilicet in tabernaculo, in domo Dei. Huc forſitan Dominus reſpicit, cùm ait, *Beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt.* Quaſi dicat, à legalibus immunditiis mundi, Deum in templo habitantem vident; eo modo, quo ibi videri poteſt fidei oculis. Immundi non vident, quia à templo arcentur. Mundi autem corde beati, quoniam Deum non in templo ſolùm terreno fidei oculis, ſed in cæleſti etiam poſt mortem, apertiſſimo, clariſſimoque intuitu videbunt. Immundi enim corde, cæli aditu prohibentur.

Matth. 5.

Pſal. 83.

Pſal. 41. Immundi non videbãt Deum in templo.

Cur Chriſtus mundis corde Dei promittat viſionem?

Prætereà congruit præmium viſionis Dei, munditiæ; quoniam quemadmodum ſol non niſi ab iis cernitur, qui mundos habent oculos; ſic infinita lux Deus, non niſi ab iis videtur, qui mundum habent cor. Vnde D. Hilarius Matthæi 5. Mundis, inquit, corde conſpectum Dei Chriſtus ſpondet. nihil enim pollutum, & ſordidum ad occurſum diuinę claritatis inſiſtit, & ad conſpectum Dei acies obſoletæ mentis hebetatur, &c. D. Auguſt. libro 1. de ſerm. Domini: Quemadmodum lumen hoc videri non poteſt niſi oculis mundis: ita nec Deus videtur, niſi mundum ſit illud, quo videri poteſt, &c. Et ſerm. 14. libro 17. homiliarum; Para, inquit, vnde videas Deum. Vt enim ſecundùm carnem loquar; quid deſideras ortum ſolis, lippis oculis? ſani ſint oculi, & erit illa lux gaudium, non ſint oculi ſani, erit illa lux tormentum. Non enim corde non mundo videre permitteris, quod non videtur, niſi corde mũdo, &c. D. Leo; Meritò beatitudo hęc puritati cordis promittitur, ſplẽdorẽ enim veri luminis, ſordẽs acies videre non poterit, &c.

Auguſt.

Quomodo Deus corde videatur. Auguſt.

Dices; Numquid Deus corde videtur? Corde videri aſſerit Auguſt. Quàm, inquit, ſtulti ſunt, qui Deum iſtis exterioribus oculis quærunt; cùm corde videatur, &c. Et in libro 17. homil. ſer. 14. In corde, inquit, viſio Dei promiſſa eſt, non ſine cauſa: niſi quia ibi ſunt oculi, vnde videtur Deus, &c. Obiicies. Cor carneum eſt, Deus ſpiritus, caro ſpiritum videre nequit. Prętereà Deus intellectu cernitur; cor non eſt intellectus, ergo non cernitur

Marci 7.

Deus

Deus corde. Respondemus, cor quod internum est homini, & inuisibile, & vitæ fons, significare in Scriptura mentem ipsam internam: quæque sub aspectum non cadit: atque ideò rectè Augustinus ait, Deum corde videri, id est, mente; & in corde esse oculos, quibus Deus videtur, id est, in mente intellectum. Tribui autem cordi ea quæ sunt intellectus, probatur ex Paulo: *Vt Deus* (inquit) *det vobis illuminatos oculos cordis vestri*, &c. *Obscuratum est insipiens cor eorum.* &, *Corde creditur ad iustitiam*, &c.

Ephes. 1. *Rom. 1.* *Rom. 10.* *Matth. 5. August.*

BEATI *pacifici*. Pacifici Diuo Augustino ij sunt, qui pacatos habent animi affectus, quique ita ordinatas habent hominis facultates omnes, vt inferiores superioribus obtemperent, veluti in regno pace tranquillitateque florente. Pacifici, inquit, in semet ipsis sunt, qui omnes animi sui motus cõponentes, & subiicientes rationi, id est, menti & spiritui, carnalésque concupiscentias habentes edomitas; fiunt regnum Dei. In quo ita sunt ordinata omnia, vt id quod est in homine præcipuum & excellens, hoc imperet cæteris non reluctantibus, quæ sunt nobis bestiisque communia. Atque id ipsum, quod excellit in homine, id est, mens & ratio, subiiciatur potiori, quod est ipsa veritas Filius Dei, &c. In libro autem 1. Retr. ca. 19. aduertit, non omninò posse extingui bellum, quod inter carnem, spiritúmque geritur, ita vt pax sit in hac vita pleniſſima. Non potest (inquit) in hac vita cuiquam prouenire, vt lex repugnans legi mentis omnino non sit in membris: id nũc pacifici agunt domando cõcupiscentias carnis, vt ad pacem pleniſſimam quandoque veniatur, &c.

Qui sint Pacifici. *Bellũ inter carnem & spiritũ non potest omnino in hac vita extingui.*

Aduerte nomen Græcum apud Matthæum esse, εἰρηνοποιοὶ, significat autem pacificantes, vel pacem facientes, à nomine εἰρήνη, id est, pax, & verbo, ποιέω id est, facio. Eos ergo beatos appellat Christus, qui pacem faciũt, hoc est, qui odia, contentiones, lites, iurgia restinguunt: dissidentes odio, amicitia iungunt: ne simultates exoriantur, cauent. Hi verò à se ipsis incipiunt. Vt enim alios in pacem reducant, pacem ipsos habere necesse est. Hæc est Diui Hieronimi sententia Matthæi 5. Beati, inquit, pacifici, qui primùm in corde suo, deinde & inter fratres dissidentes pacem faciũt. Quid enim prodest alios per te pacari, cùm in tuo animo sint bella vitiorum? hæc Hieronymus, & D. Gregorius Nyssenus; Est, inquit, pacificus is, qui pacem alteri dat. At nemo præbere aliteri possit id, quod ipse non habeat, &c. Similiter Chrysost. Bernardus item: Beati, inquit, qui de sua reconciliatione non ingrati, & pro fratribus suis piè solliciti, eos quoque quantum prævalent, & sibi, & Deo reconciliare laborant, &c. Et Haymo: Pacifici, ait, dicuntur, qui pacem faciunt, primùm in se ipsis, deinde in cæteris, &c. Theophylactus præterea: Non solùm illi qui cum aliis pacem habent, sed & qui seditiosos alios conciliant, &c. Euthymius: Beati pacifici, qui non solùm ipsi seditiones non mouẽt: sed & alios mouentes ad pacem reducunt, &c. Cardinalis Petrus Damiani: Beati pacifici, nõ solũ pacati, sed pacifici, facientes pacem, cõcordiæ semina seminantes, &c.

Qui sint pacifici ex Græco.

Extendo etiam beatitudinem ad eos, qui à Deo dissidentes hæreticos, improbósue alios homines in pacem Dei reuocant, nec sine auctoribus extendo. Theophylactus: Pacifici, inquit, sunt, & qui per doctrinam inimicos Dei conuertunt, &c. Chromatius: Potior, inquit, & sublimior pacificatio intelligenda est à nobis. Illam dicam, qua homines gentiles, qui inimici sunt Dei: per instantiam doctrinę, adducuntur ad pacẽ, qua peccatores emendantur, & Deo reconciliatur, qua hæretici corrigũtur, &c.

Hæreticos conuertere est opus pacificorum.

Beati quidem sunt pacifici, qui pacem Ecclesiæ custodiunt, fouent, tuentur, ac promouent. Contrà infelicissimi sunt illi homines, qui schismata, hæresumque discordiam, veluti zizania tartarea seminant: pacémque Ecclesiæ perturbant. Si filij Dei pacifici vocantur: hos meritissimò filios diaboli appellabimus: à patre enim diabolo pacem disturbare didicerunt. Hic fructus hæresis est, discordia, dissensiones, bella, inobedientia. Fructus autem veræ fidei, pax, vnitas, obedientia. Quod nostri temporis hæreses satis fecere compertum.

Hæretici Reip. perturbatores & pacis.

QVONIAM *filij Dei vocabuntur*. Hoc pacificorum est præmium, filij Dei vocabuntur, hoc est, nominabuntur, nomen filiorum Dei assequentur, nobilissimo nomine filiorum Dei illustrabuntur. Cur autem nomine tanto digni sint, ratio est, quia Deum imitantur, qui pacis est studiosissimus. Bernardus: Pacifici, inquit, filij Dei vocabuntur, non est enim Deus dissensionis, sed pacis, ideoque filios pacis, Dei quoque filios dignum est appellari, &c. Nam imitatione, vel Dei filij, vel diaboli homines efficiuntur. Filius enim naturalis natura imitatur patrem; filius moralis imitatur moribus. hinc illud Christi: *Vos ex patre diabolo estis.* Vnde Iudæi filij diaboli? (rogat August. in commentarijs Ioannis) respondet, imitando, non nascendo, &c. Eodem modo filij Abrahæ dicuntur Christiani ex sententia eiusdem Patris tractatu 24. in Ioannem. Imitando, inquit, Abrahæ fidem, filij facti sumus, &c. Item; Habet Deus vnde excitet filios Abrahę. Fient filij, qui fidẽ fuerint imitati, &c. Fidem, inquam, viuam, & operibus fulgẽtem, iuxta illud Christi: *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite, &c.*

Matth. 5. Præmium pacificorũ. *Cur pacifici filij Dei appellentur?* *Filij dicuntur natura & imitatione.* *Ioan. 8.* *Ibid.*

Alij aiunt filiorum Dei nomine vocari pacificos, quòd Christum Dei naturalem filium imitentur, qui maximè fuit pacificus, pacem enim inter homines, & Deum, Angelósque effecit. Chrysostomus: Filij Dei vocabuntur, siquidem vnigeniti hoc præcipuum opus fuit, distantia copulare, conciliare pugnantia, &c. Haymo: Qui filium Dei specialiter in pacis obseruatione imitantur, recte filij illius vocantur. Theophylactus. Pacifici, inquit, filij Dei fiunt. Etenim vnigenitus conciliauit nos Deo, &c. Euthym. Pacifici filij Dei vocabuntur, vtpote filium eius vnigenitum imitantes, cuius opus fuit dissidentia in vnum reducere, atque inimicos reconciliare, &c. D. Thomas; Pacifici filij Dei vocabuntur; quia habent officium filij Dei. Ad hoc enim filius Dei venisse dicitur in mũdum, vt congregaret dispersa. *Ipse est pax nostra.* Ad Coloss. *Pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt, &c.*

Ephes. 2. *Coloss. 1.*

BEATI *qui persecutionem patiuntur*. Octaua, & extrema hæc est beatitudo, quę in tolerantia persecutionum cernitur. D. Augustinus hanc beatitudinem ait homines clarificare, probare, consummatosque ostendere. Octaua, inquit, consummatum, perfectumque hominem ostendit, & probat. Item, Septem sunt, quę perficiũt, octaua clarificat, & quod perfectum est demonstrat. D. Gregorius Nyssenus, Octaua, inquit, beatitudo tamquam vertex omnium beatitudinum, in summo gradu boni ascensus posita est. D. Bern. martyrum prærogatiuam vocat; Octaua, ait, beatitudo, martyrum est prærogatiua, &c. D. Hieronymus, Octaua veræ circumcisionis beatitudo, martyrio terminatur, &c.

Matth. 5. Persecutio hominem clarificat & probat.

Quamobrem quæritur; Num solos martyres complectatur? Respondetur, non solos martyres complecti; sed alios etiam omnes quicumque propter iustitiam persecutionem tolerant. Ad martyres tamen præcipuè spectat. Non soli martyres (ait Theophylactus) sed & multi persecutionem patiuntur; quia iuuant iniuria afflictos, & in summa

An martyres solas hæc beatitudo cõplectatur.

ſumma omnem virtutem fouent. Iuſtitia enim eſt omnis virtus. Chromatius; Non immerito, inquit, eſuriendam, ac ſitiendam iuſtitiam Dominus memorauit, cuius deſiderio, in tantum eſurire nos docet, vt propter eam, & perſecutionem mundi, & pœnas corporis, & ipſam mortem contemnere debeamus. In qua ſignificatione martyres maximè declarantur, &c. Probatur hæc ſententia ex verbis Domini ſequentibus; *Beati eſtis cùm maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos mentientes, propter me, &c.* Martyres ij ſunt, qui pro Chriſto & iuſtitia occiduntur. Beati autem ſunt & illi qui ſic occiduntur, & illi, qui maledicta, opprobria, contumelias, cæteraque huiuſmodi perferunt, etſi vita minimè priuentur.

Matth. 5. *Martyres quinā ſint.*

PROPTER *iuſtitiam.* Eos qui perſecutionem patiuntur, beatos non facit ſola perſecutio; ſed perſecutionis cauſa, ſi iuſtitia eſt. Quamobrem D. Hieron. Signanter, ait, Chriſtus dixit; *Propter iuſtitiam.* Multi enim perſecutionem propter ſua peccata patiuntur, & non ſunt iuſti, &c. Et Auguſt. Multi, inquit, hæretici multa patiuntur, ſed ideò excluduntur ab ipſa mercede, quia non dictum eſt tantùm; *Beati qui perſecutionem patiuntur*; ſed additum eſt, *propter iuſtitiam*, Vbi autem ſana fides non eſt, non poteſt eſſe iuſtitia, &c. Iuſtitia autem hic vniuerſe pro omni virtute ſumitur, vt Chryſoſtomus ſentit, & alij. Perſpicuumque eſt, non loqui Dominum de iuſtitia ſolùm, quæ peculiaris virtus eſt, ſed de omni virtute.

Matth. 5. *Cauſa perſecutionis attendenda.* *Vbi ſana fides nō eſt nō poteſt eſſe iuſtitia.*

QVONIAM *ipſorum eſt regnum cælorum.* Præmium primæ, & extremæ beatitudinis regnum promittitur cælorum. Idem verò præmium ſignificatum eſt reliquis præmiis, quæ cæteris proponuntur, Chryſoſtomus homil. 15. Tu, inquit, etiam ſi per ſingulas beatitudines, regnum non audias repromitti; nequaquam tamen mœrore turberis. Etſi enim retributiones ipſas differenter appellat; eas tamen profectò cunctas, ad vnum cælorū regnum adduxit. Quando autem dicit: *Et lugentes conſolabuntur, & miſericordes miſericordiam conſequentur, & mundi corde Deum videbunt, & pacifici filij Dei vocabuntur*, nihil omnino aliud, niſi cæleſte regnum, per hæc cuncta deſignat. Item, Propterea Chriſtus in cūctis virtutibus, & promiſſionibus, beatitudinē poſuit; vt ne quid ſenſibile ſperandum putares. Neque enim eſſet beatum talibus coronari, quæ in præſenti vita continuò ſoluuntur ac deſluunt, & fugaciùs quam vmbra præteruolant. Aug. de ſer. Domini in mōte: Vnum, inquit, præmiū, quod eſt regnū cælorū pro his gradibus, varie nominatū eſt. Item Euthymius, Quamquā, ait, varię videtur acceptę retributiones, propter nominum varietatem, omnes tamen regnum cælorum deſignant. Siquidē omnes qui his digni habentur retributionibus, regno quoque cęlorum fruuntur, ideò etiā homnes beati dicti ſunt.

Matth. 5. *Præmia beatitudinis omnia regnum cælorum ſignificant.* *Chryſoſt.* *Aug.*

Paupertas genus quoddam martyrij eſt. Bernar.

D. Bernardus paupertati in prima beatitudine, & martyrio in hac octaua promiſſum eſſe vult regnum cælorum, quoniam paupertas genus quoddam martyrij eſt. Quid, inquit, ſibi vult, quòd eadem promiſſio facta eſt pauperibus, & martyribus, niſi quòd verè martyrij genus eſt, paupertas voluntaria? Item, Propterea pauperibus pariter, & martyribus, regnum cælorum promittitur, quia paupertate emitur, ſed in paſſione pro Chriſto, abſque omni dilatatione percipitur. Hæc ille.

Matth. 5. *Pœna nō facit martyrem.*

BEATI *eſtis, cùm maledixerint vobis homines.* Octauam beatitudinem latius exponit. Beatos illos pronuntiat, qui hominum maledicta, contumelias, opprobria, & perſecutiones patienter tulerint. Sed addit, *Propter me*: Vt enim ait Auguſtinus, epiſtol. 61. *Pœna non facit martyrem, ſed cauſa, &c.* Videlicet, quia propter Chriſtum pœna toleratur, Addit etiam Chriſtus: *Mentientes*; Nam opprobria falsò in nos iactata propter Chriſtum, animo æquo ferenda ſunt. Illud maledictum contemnendum eſt, ait Hieronymus Matth. 5. quod beatitudinem creat, quod falſo maledicentis ore profertur. Vnde & Dominus definit, quæ ſit beata maledictio dicens: *Omne maledictum aduerſum vos, mentientes, propter me, &c.*

rem, ſed cauſa. *Beata maledicta quæ ſunt.*

Adiungit Dominus non ſolùm ferenda beata maledicta (vt Hieron. appellat) & beatam perſecutionem patiente animo, ſed etiam exultante, *Gaudete*, inquit, *& exultate*; iuxta illud Pauli: *Gloriamur in tribulationibus.* Hanc exultationem gaudiumque parit in ipſa perſecutione, cæleſtis gloriæ conſideratio, præmiumque, & merces iis qui perſecutionem & opprobria pro Chriſto tolerant, propoſita, *Gaudete*, inquit, *& exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis.* Quàm glorioſa eſt (ait Chromatius) perſecutionis huius tolerantia, cuius, mercedem Dominus repoſitam eſſe dicit in cælis. Et idcircò propoſitæ gloriæ præmium conſiderantes, ad omnem tolerantiam paſſionis, parati eſſe debemus: vt conſortes gloriæ eſſe mereamur. Auctor imperf. Qui concupiſcit quę in cælo ſunt; opprobria non timet in terris. Nec cogitat quid loquātur homines propter ipſum: ſed quid iudicet Deus de ipſo, &c.

Iniuriæ lato animo ferendæ. Rom. 5. *Matth. 5.*

CAPVT IIII.

Morale.

De beatitudinibus.

CÆLESTIS Hieruſalem portæ, ex margaritis fabricatæ dicuntur, *Duodecim portæ* (ait Ioannes) *duodecim margaritæ ſunt per ſingulas, & ſingulæ portæ erant ex ſingulis margaritis*, &c. Ad fulgentiſſimas has portas, qui ducant gradus hic locus indicat. Sunt autem gradus octo; quos beatitudines appellamus, idcirco, quòd ad cęleſtes ianuas ducāt. Portæ margaritæ ſunt, conſentaneum eſt gradus quoque vt ſplendori portarum reſpondeant, margaritas eſſe. Ideóque meritò Epiſcopus antiquus Chromatius; Gradus, ait, quoſdā firmiſſimos ex lapidibus pretioſis ſternit quodammodo Dominus, per quos animæ aſcendere poſſint ad regnum cælorum, &c. Primus gradus fulgētiſſimus eſt ſmaragdus, id eſt, paupertas: ſecundus chryſolithus, hoc eſt, manſuetudo: tertius ſardonix, id eſt, luctus: quartus carbunculus, id eſt, fames, ſitiſque iuſtitiæ: quintus topazius, id eſt, miſericordia: ſextus ſapphirus, id eſt, cordis puritas: ſeptimus hyacinthus, id eſt, pacificatio; octauus adamas, id eſt, perſecutionis tolerātia.

Apoc. 21. *Gradus in cælum quinam ſint.*

Secundò. Olim Moſes Deo iubente Exod. 14. in mediis maris rubri fluentibus Iſraelitis viam aperuit, qua in terrā repromiſſam tranſirēt: hoc verò loco Moſe multò præſtantior Chriſtus, in medio huius pelagi, id eſt, mundi gurgite, aperiēs os ſuum octo aperuit vias, per quas in cælum promiſſum tendamus. Viam illam, quam Moſes aperuit, vtraq; ex parte aquarum cingebant rupes horrendæ, vias verò, quas Chriſtus aperit, amœni circundant horti, amœniſſima prata. Paupertatis intuere viā, vna ex parte beatitudinem, ex altera cælorū regnum, mediam paupertatem cernes. *Beati*, inquit, *pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Inſpice vias manſuetudinis, luctus, miſericordiæ, cæteraſque vias inter beatitudinem, cœlectiſque regni amœnitatem, omnes videbis interiacere. Vt ſi viæ aſperæ atque difficiles te forſitan terrent, quæ circum eas eſt amœnitas alliciat. *Filij Iſrael* (vt eſt in cantico Moſis) *ambulauerunt per ſiccum in medio eius*, id

Octo beatitudines viā aperta in cælum. *Matth. 5.* *Exodi 15.*

eſt, maris rubri, per viam quam aperuit Moſes. Similem in modũ filij Chriſti, ambulant per ſiccum in medio furentis pelagi, id eſt, mundi; per vias quas aperuit Chriſtus. Fluctibus obruuntur Ægyptij, id eſt, mundi amatores; per ſiccum ambulant Chriſti dilectores. Fluctibus diuitiarũ obruuntur cupidi diuites, per ſiccum ambulãt ſpiritu pauperes. Fluctibus iracundiæ abſorbentur iracundi, per ſiccum ambulant mites. Fluctibus inanis lætitiæ, turpiſq́ue voluptatis, demergũtur voluptarij omnes, per ſiccum ambulant lugentes. Fluctibus iniuſtitię opprimuntur iniuſti, per ſiccum ambulant, qui iuſtitiam eſuriunt ac ſitiunt. Idemq́ue in reliquis apparet, quos Chriſtus beatos appellat.

Pſal. 76. Chriſti ſemitæ quam diuerſæ à mundi ſemitis.

Tertiò, de viis Dei in mari rubro canit Pſalmographus, *Semitæ tuæ in aquis multis; & veſtigia tua non cognoſcentur.* At de ſemitis, quas in aquis multis ſæculi huius Chriſtus ſtrauit, aliter canere poſſumus. *Semitæ tuæ in aquis multis*, id eſt, in mari, in mundo, & *veſtigia tua cognoſcẽtur.* In iis enim ſemitis Chriſti veſtigia cernimus, altiſſimè impreſſa ad memoriam ſempiternam. Paupertatis veſtigia indicat præſepium, indicat crux, indicãt verba illa: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet,* *Matth. 8.* *Iſaiæ 53.* *vbi caput reclinet.* Manſuetudinis verò, verba illa oſtendunt: *Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuũ*, &c. Iam verò quiſnam peccata hominum acerbius quàm Chriſtus defleuit? quis iuſtitiam plus dilexit? quis cor purius habuit? quis pacificationis ſtudioſior fuit? quis perſecutiones, opprobria, acerbiſſimoſq́; cruciatus patientius tulit? Hinc illud: *Chriſtus paſſus* *1. Pet. 2.* *eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius*, &c. Secuti ſunt, ſequunturq́ue hodiè hæc Chriſti veſtigia viri ſanctitate præcellẽtes, ipſiq́ue in his viis ſua etiã veſtigia fixa reliquerunt, vt nos quoque ſequamur. In profundo mari conſignata Iſraelitarum veſtigia, aquis coëuntibus euanuerunt. At in ſemitis Chriſti apparent pauperum ſpiritu veſtigia quam plurima: qui diuitiarum abiecto onere, celeri curſu in cælum aſcenderunt. Apparent veſtigia manſuetorum, qui iracundiæ exardeſcentes flãmas, manſuetudine reſtinxerunt: lugentium, qui lacrymis crimina expurgarunt: illorum quoq; qui iuſtitiũ veluti cibum dulciſſimum, potumq́ue ſuauiſſimũ eſurierunt ac ſitiuerũt, nec non mundorum corde, miſericordiũ, pacificorum & perſecutionem alacriter tolerantium. Apertæ ſunt viæ, & pedibus ſanctorum tritæ, veſtigiiſq́ue omni ex parte ſunt conſignatæ. Præcedunt illi, præcedentes ſuo exemplo nos ducunt. Sequamur.

Veſtigia ſanctorum in his viis relicta.

Beatitudo mundi externa. Chriſtiana eſt interna.

Quartò Mundi beatitudo externa eſt, externiſq; in rebus, diuitiis, voluptatibus, imperioq́ue ſita: at Chriſtiana interna eſt, in paupertate, manſuetudine, perſecutionum tolerantia, cæteriſq́; virtutibus collocata. Hinc illud Aug. lib. 1. de ſer. Domini, c. 9. Animaduertat quiſquis delicias huius ſæculi, & facultates rerum temporalium quærit, in nomine Chriſtiano intrinſecus eſſe beatitudinẽ noſtram, ſicut de anima eccleſiaſtica ore prophetico dicitur, *Pſal. 44.* *Omnis gloria eius, filiæ Regis ab intus.* Nam extrinſecus maledicta, perſecutiones, & detractiones promittũtur, de quibus tamẽ magna merces eſt in cælis, &c. Lege eundẽ Aug. de verbis Domini ſer. 64.

Clem. Alex Beatitudinem qualẽ pingit Chriſtus.

Quintò, Apelles pictor (ait Clemens Alex. li. 2. ſtrom.) cùm vidiſſet quendam ex ſuis diſcipulis pinxiſſe Helenam multo auro ornatam, ô adoleſcens, dixit, cùm non poſſes pingere pulchram, feciſti diuitem, &c. Eundem in modum mundus pingit beatitudinem, quo ille Apellis diſcipulus Helenam pinxit. Pulchram beatitudinem neſcit pingere; pingit diuitẽ, & voluptatibus affluentem. Beati, A inquit, opulenti, beati qui deliciis affluitis, beati qui ridetis, beati qui omni dolore, omniq; perſecutione caretis. At Chriſtus cæleſtis pictor, non diuitem pinxit beatitudinem, ſed pulcherrimã, & quia pulcherrimã non diuitiæ faciunt, ſed paupertas, ideò beatitudinem pauperem pinxit. *Beati*, inquit, *pauperes ſpiritu.* Vultum verò illius pingit mitiſſimum, & ſereni inſtar cæli, nullis iracundiæ nubibus obductum: *Beati*, inquit, *mites.* Adiunxit oculos lachrymas, veluti pulcherrimos vniones effundẽtes, *Beati qui lugent.* Iam verò cor efformauit puriſſimũ, miſericordiæ iuſtitię́que cupiditate plenũ, *Beati mundo corde, beati miſericordes, beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam.* Addidit columbam illam, quæ poſt Noëticum B diluuium, oliuæ ramum, hoc eſt pacis ſignum roſtro prætulit; *Beati pacifici.* Leonibus rugientibus illam circumdedit, qui omnes hiatu ſæuo minantur; *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam.* Deniq; cæleſtis regni globum in manu dextera effinxit, quoniam beatitudini cæleſtis regni præmium propoſuit, *Beati*, inquit, *pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*, &c. Lege D. Greg. Nyſſenum lib. de Beatudinibus cap. 1. Chriſtus (ait ille) ad imitationem eius quod ſolum eſt beatum, animã noſtram quaſi pingendo reconcinnat: ſingula quæ pertinent ad beatitudinem ſermone deſcribit, &c.

Beatitudinem pingit Chriſtus.

Matth. 5.

Greg. Nyſſ.

Sextò, Epictetus Philoſophus Stoicus, cuius tãta fuit olim admiratio, vt lucerna eius fictilis tribus C drachmarũ millibus penderetur, teſte Gellio lib. 17. cap, 19. magnopere duo hæc verba commendabat: ἀνέχου, καὶ ἀπέχου, id eſt, *Suſtine, & abſtine*, Significat primum labores, moleſtias, cruciatúſq; omnes patienter ſubeundos: ſecundum verò voluptates, vitiáq; omnia conſtanter fugienda. Hinc illud D. Auguſt. ſer. 245. de tempore. Duo, inquit, ſunt quæ in hac vita, veluti laborioſa præcipiuntur à Domino, Continere, & Suſtinere. Iubemur enim continere ab iis, quæ in hoc mundo dicuntur bona; & ſuſtinere, quæ in hoc mundo abundant, mala. Illa continẽtia, iſta ſuſtinẽtia vocatur, duę virtutes, quę mundant animam, & capacem faciunt diuinitatis. Vt eſt continentiæ, fœlicitati mundi non credere: D ita & ſuſtinentiæ, iniquitati mundi non credere. Sic Auguſt. His duobus verbis, Suſtine, & Abſtine, continentia & ſuſtinentia, ferè omnes hæ beatitudines cõtinẽtur. Nã prima, *Beati pauperes*, à diuitiis: tertia, *Beati qui lugent*, à deliciis: ſexta, *Beati mundo corde*, à vitiis: ſeptima, *Beati pacifici*, à rixis, ac iurgiis, docet abſtinendum. Rurſus, ſecunda, *Beati mites*, & extrema, *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam*; labores, ac cruciatus patienter indicant eſſe ſuſtinẽdos. Quarta verò, *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam*, virtutes prædicat eſſe expetendas. Quinta, *Beati miſericordes*, iuuandi proximi documentum tradit.

Suſtine, & abſtine.

D. Auguſt. Duo præcipit Deus, continere, & ſuſtinere Auguſt.

His duobus verbis ſuſtine, & abſtine, beatitudines octo continentur.

Itaque qui beatus eſſe vult, ſciat malis & bonis benè vti. Duo autem ſunt bonorum genera; quædam terrena ac fluxa, vt opes; alia cœleſtia, ac diuina, vt iuſtitia, & ſanctimonia. Terrena bona, vel E omninò per paupertatẽ repudiet, iuxta illud: *Beati pauperes*: vel retinens per miſericordiam proximo impertiat, iuxta illud: *Beati miſericordes.* Cœleſtia verò bona eſuriens, ac ſitiens ſemper quęrat; iuxta illud: *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam.* Malorũ quoque quædã culpæ mala, alia mala pœnæ, appellantur. culpæ mala defleat, & toto conatu fugiat; cordisque puritatem conſectetur, iuxta illud: *Beati qui lugent, & beati mundo corde.* Pœnæ mala manſuetè fortiterq́ue toleret, iuxta illud; *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam*, &, *Beati mites.* In proximum quoque animi ſui bona, pacémq; deriuet, in pacem Dei impios reducat, odia, diſſenſionéſque compeſcat, iuxta illud; *Beati pacifici.* Quę ſi faciet, nõ ſolùm

Bonis, & malis, bene vtendum.

terque

terque quaterque, id est, septies, sed bis quater, id est, octies, beatus erit. Octo enim sunt beatitudines, quas complectetur. De singulis dicamus nonnihil.

CAPVT V.

Morale.

De paupertate.

Spiritu pauperes Spiritus sanctus facit.

BEATI, (ait Dominus) *pauperes spiritu.* Spiritu pauperes Spiritus Sanctus efficit. Nemo enim tam insigne factũ, nisi Spiritus Sancti affiatu aggreditur. Egregium facinus est munitas vrbes expugnare, fortissimósq; exercitus deuincere; quod sine duce effici nequit. Sed multò præclarius factũ est, diuitiarum, caducarũq; rerum cupiditatem omnino abiicere, ac superare; quod absque Spiritus Sancti ductu præstari non potest. Si prosper flatus non aspiret velo, soluere à terra nequit nauis; eundem in modũ si Spiritus Sanctus non perflet mentem, à rebus terrenis soluere non potest homo. Dicitur Deus, *ex thesauris*, id est, absconditis locis, *ventos producere: Qui producit* (ait psalmographus) *ventos de thesauris suis.* id quod Spiritus Sancti flatibus maxime congruit. Sunt enim pretiosissimi hi flatus, in thesauris diuinæ sapientiæ, ac prædestinationis reconditi; inde emittuntur, nauésque, id est homines, longissimè à terra, id est, terrenis cupiditatibus separant, tranquillũq; in portum, id est, regnum cælorum impellunt. *Beati* (inquit) *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Si vehemens flat ventus, pelagusque inflat, qui nauigant merces in pelagus iactant; vt depressam exonerent nauẽ, ne forte fluctibus obruatur; quod iis contingit, qui Ionam Prophetam olim vehebant. *Miserunt vasa, quæ erant in naui in mare: vt alleuiaretur ab eis,* &c. Similem in modum, si ex thesauris Deus validum emittit afflatum, si paupertatis spiritus vehemens spirat: caducorum omnium bonorum facile iacturam facimus, vt exoneremus animam, ne terrenis curis submergatur. O vtilissimã iacturam! Libenti animo, qui nauigant, merces, etsi pretiosissimas, in mare iactarent, si ea iactura non periculũ solum effugeretur, verùm etiam pretiosioribus aliis mercibus vacuata nauis compleretur. Id verò pauperibus euenit Euangelicis. Etenim viri religiosi, qui sanctissimi Spiritus afflatu permoti, diuitias abiiciunt: non solùm submersionis æternę effugiunt periculũ, quod diuitiæ conflant, sed etiam multò pretiosioribus diuitiis, videlicet regni cęlorum, vacuatum animum, corpúsque complent. *Beati* namque *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum calorum.*

Psal. 134. Spiritus S. flatus à terra hominẽ separat.

Matth. 5.

Ione 1. Spiritus S. vehemens flatus si spirat, facilè diuitiarum iacturam facimus.

Põdus diuitiarũ mergit, ideo abiiciendum.

Itaque duabus de causis vtilissima est hæc caducarum rerũ iactura. Prima, ne demergamur. Gravi enim auri, & argenti pondere, animus obruitur. Ponderosa res est aurum (ait D. Greg. Nyssenus in lib. de beatitud. c. 1.) Si igitur ad superna nos accedere oportet, ab iis quæ deorsum trahunt, inopes simus, vt in supernis versemur, &c. Crates Thebanus, vt scribit D. Hieron. lib. 2. contra Iouin. proiecto in mare non paruo auri pondere; Abite, dixit, pessim malæ cupiditates, ego vos mergam, ne ipse mergar à vobis, &c. Idem dictum pauper vsurpat euãgelicus, diuitiarum abitcit onera, terrenarumq; rerum cupiditates submergit, aiens: Ego vos mergam, ne ipse mergar à vobis: qui enim cupiditates effrænatas non mergit, ab illis mergitur. Naufragium fugis (ait August. Psal. 51.) & plumbum amplecteris? &c. Non graue plumbum complectendum est nataturi, sed omnia, ad vestes vsq; sunt excutienda, omnia sunt abiicienda, omnia amittenda,

Crates Thebanus põdus auri in mare proiecit.

A ne vnus Deus amittatur. Vnde D. Hieron. epist. 11. ad Ageruchiã: Melius, inquit, est rem familiarem minui, quàm salutẽ animæ perire. Melius est amittere, quod velimus, nolimus, aliquando periturum est: melius est sponte dimittere, quàm id amittere, id est, Deũ, pro quo omnia dimittẽda sunt, &c. Et in epistola ad Exuperantiũ: Proiice, ait, sarcinã sæculi, nec queras diuitias, quę camelorum prauitatibus comparantur. Nudus & leuis, ad cœlum euola: alas virtutũ tuarũ auri deprimant pondera, &c. Id feciſſe D. Basil. ait D. Greg. Nazian. in orat. ius de D. Basilio: Basil. inquit, omnibus facultatibus proiectis, leuiter faciléq; vitę pelagus trãsmittebat, &c.

Hieron.

Secunda causa, cur vtilissima iactura est, hæc est, vt cum æternis opibus, mox perituras opes commutemus. *Beati*, inquit, *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Vtilissima sane negotiatio est, qua B fluxæ res, cum sempiterno regno cælorum permutantur. Plus accepimus, quàm dedimus, (ait Diuus Hieron. ad Pammachiũ) parua dimisimus, & grandia possidemus, &c. *Seuit Isaac in terra illa, & inuenit in ipso anno centuplum, &c.* Vberrima terra est euãgelica paupertas, quæ centuplum metit, & ęternam vitam consequitur. D. Hieron. ad Pammachium: Centuplicato (ait) fœnore, Christi promissa redduntur. In tali Isaac quondã agro seuerat, &c. Gen. 32. ait patristypus Iacob: *In baculo meo transiui Iordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior,* &c. Baculo crucis innixus, omnibus diuitiarum abiectis sarcinis, euangelicus pauper iter facit, sed tandem in die iudicij, cum duabus regredietur turmis, beatitudine, videlicet, animi & corporis. *Beati enim pauperes spiritu.* Addę illud Augustini ser. vltimo de diuersis: Quid est glorioſius homini, quàm sua vendere, & Christum emere? &c. Et illud Nazianzeni Gregorij carmen, in tractatu de beatitud. & spir. vit. regul.

Paupertatis vtilissima negotiatio & commutatio.

Gen. 26.

Gen. 32.

Greg. Nyss.

Felix qui Christum fortunis omnibus emit.

Diximus supra beatitudines gradus esse ex margaritis fabricatos, qui in cœlestes ducunt portas. Primus gradus à terra attollens, primaque margarita paupertas est. In terra nascitur gemma hæc pretiosa: sed ab hominibus illius ignorabatur pretium. Descendit de cęlo sapientissimus margaritarius: quanti pretij esset indicauit, etenim regni pretium continere docuit: *Beati*, inquit, *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*, Neque verò C pretium verbis solum ostendit: sed etiam opere: dum illam è cęlis descẽdens quęsiuit in terris. Audi D. Bernar. serm. 1. de vigilia Natiuit. Paupertas, inquit, non inueniebatur in cælis: porrò in terris abundabat hæc species, & nesciebat homo pretium eius. Hanc itaque Dei Filius concupiscens, descendit, vt eam eligat sibi: & nobis quoque sua æstimatione faciat pretiosam, &c. Pretiosa hac gemma cęlum emimus: illam verò quonam pretio ememus? Magno quidem. omnibus enim quas possidemus opibus illa emenda est. Hoc illius pretium, tanti æstimatur. Quicunque paupertatis margaritam emit, omnia quæcumque possidet pro paupertate tradit, illi euãgelico simili negotiatori, qui, *Inuenta vna pretiosa margarita, abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.* Si quidpiam retinueris, si omnia non tradideris, gemmam non emes.

Primus in cælũ beatitudinum gradus paupertas.

Paupertas margaritæ simi pretij.

Bernar.

Quo pretio emitur paupertas, quæ cælũ emit.

Matth. 13.

Quasnam vires, ait, gẽma hæc habet? mirabiles sanè. Nam paupertas primò cor tranquillat. Quid enim quietius (ait Diuus Gregorius libro decimo octauo Moral. cap. vigesimo quinto) quàm nihil huius sæculi appetere? Et Seneca epistola decimaseptima: Paupertas expedita est, secura est, vis vacare animo, aut pauper sis, aut pauperi similis, &c. Ex puluere Ægypti orti sunt ciniphes. Quid diuitię nisi puluis Ægypti sunt? ex illis ciniphes, id est,

Seneca.

Paupertas animũ trãquillat.

Exodi 8.

curæ & ſollicitudines exoriuntur, quæ mentem pungunt. D. Gregorius Iob 31. ad illa verba: *Si expaui ad multitudinem*, &c. Magna, ait, ſecuritas cordis eſt, nihil concupiſcentiæ habere ſæcularis. Nam ſi ad terrena adipiſcenda cor inhiat, ſecurum tranquillumque eſſe nullatenus poteſt, &c. D. Chryſoſtomus homil. 18. in epiſt. ad Hebr. Paupertatem tranquillum appellat portum. Paupertas, inquit, eſt manu ductrix quædam in via, quæ ducit ad cælum: athletica vnctio, exercitatio magna, & admirabilis, portus tranquillus, &c. Item homil. 48. in Matthæum. Si animum, ait, auari nuda cogitatione perſpexeris, inuenies ſicut veſtē mille tineis corroſam, ſic vtique à curis perforatum, à peccatis putrefactum, & habendi ſolicitudine tabeſcentem. Non talis animus ſponte ſua inopis: ſed fulget ille quidem vt aurum, ſplendet ſicut gemma, floret quaſi roſa, nulla tinea ibi eſt, nullus fur, nulla cura ſpecularis, ſed viuit angelica vita, &c. Inſpice quæſo pauperis Hilarionis animum, vide quàm fuerit in media ſolitudine ſecura inter latrones paupertas. Cùm habitaret in tuguriolo (ſcribit Hier. in eius vita) latrones ad eum venerunt, reperto puero quaſi per iocum: Quid, inquiunt, faceres, ſi latrones ad te venirent? Quibus ille reſpōdit: Nudus latrones nō timet, &c. Simile illud Iuuen. Satyra 10.

Cantabit vacuus coram latrone viator.

Paupertas, ait Plutarchus in lib. de vitanda vſura, ſecuritate ſolùm à diuitiis differre videtur, &c. Climacus gradu 16. Nuditas, ait, rerum omnium, curarum eſt depoſitio, ſecuritas vitæ, viator omnibus impedimentis liber, &c.

Secundò, gemma hæc, id eſt, paupertas, inſatiabilem diuitiarū ſitim explet. Mirum ſane hoc eſt. Qui ſitit, ſi bibat, ſitim explet, qui fame vexatur, ſi cibum ſumat, famem pellit; at verò qui diuitiarum ſiti fameque tenetur, diuitiis hauſtis minimè ſatiatur. Lege Plutarchum in lib. de Cupiditate diuitiarum: Potus, inquit, ſedat ſitim, cibus famem ſanat; argenti cupidinem non extinguit argentum, nec aurum cupidinē auri, neq; ſi plura poſſideas coërcetur plura poſſidendi cupiditas. Quin idem dicas licebit diuitiis, quod in medicū competit impoſtorem: Pharmacū tuum morbum auget, &c. Et Chryſoſtomus homil. 81. in Matth. Non eſt huiuſmodi cupiditas, vt maiori rerū cumulo poſſit extingui, ſed è contra inflammari ſoleat: Et quemadmodum ignis addita materia magis effertur, ſic pecuniarum cupiditas, adiectione auri magis extollitur, &c. Quid igitur illud eſt, quod huic ſiti medetur? Paupertas ſpiritus. paupertatis enim eſt ſitim hanc ex animo pellere, omniq; argēti cupiditate liberare.

Tertiò, paupertas diuiſſimum hominem reddit. Euangelici enim pauperes ditiſſimi ſunt, ſiquidem ipſorum eſt regnum cælorū. D. Hieron. ad Heliodorum: Affatim, inquit, diues eſt, qui cum Chriſto pauper eſt, &c. D. Chryſ. hom. 18. in epiſt. ad Hebr. Nihil, inquit, opulētius eo, qui paupertatem ſponte diligit, & cum alacritate ſuſcipit. Et ſi vultis, ipſo imperatore ditiorē eſſe pronuntio eum, qui ſponte paupertatem eligit. Lege cetera. Et homil. 48. in Matth. Non habet paupertas duos, tres, vel viginti loculos rerum plenos. Sed ſic abundat, vt vniuerſum mundum parui pendat, & theſaurum habet in cælo. regnum porrò atque aurum, & omnia huius generis, quaſi pueriles ludos, trochos dico & pilas, aſpernatur, &c. D. Leo ſerm. 4. de quadrageſima: Semper, inquit, diues eſt Chriſtiana paupertas, quia plus eſt, quod habet, quàm quod non habet. Nec pauet in iſto mundo indigentia laborare, cui donatum eſt, in omnium rerum Domino omnia poſſidere, &c.

D. Baſilij diuitias paupertatem fuiſſe prædicat Nazianzenus Gregorius oratione 20. his verbis: Quid, inquit, vnquam fuit Baſilio præter corpus, ac neceſſaria carnis integumenta? Diuitiæ autem illi erant, nihil habere: & crux, cum qua ſola ipſius vita verſabatur, & quā maiori in pretio habebat, quàm ingentes pecuniæ aceruos, &c. De ſe autem ipſo, idem Nazianzenus orat. 28. ſic ait: Paupertatem & inopiam obiicient mihi? Meas ſcilicet opes & copias, &c. hoc eſt, quę paupertas meum eſt aurum, meum argentum, meæ diuitiæ. Item eodem loco: Pauper eſt Philoſophus Chriſtianus? Pro diuitiis Deum habebit, diuites irridebit. vt qui licet facultates ſuas quotidie augeāt, ſemper tamē pauperes ſint, quia pluribus indigent, bibuntque, vt maiori ſiti inflammētur, &c. Animus hominis, ait M. Tullius in paradoxis, nō arca, diues appellari ſolet, &c. Quod ſi ita eſt, non ſunt illi diuites, quorū arcæ diuitiis refertæ ſunt, ſed illi quorum animi opibus abundant, hi verò ſunt pauperes ſpiritu. D. Ambr. lib. 2. epiſt. 4. Verè, inquit, diues eſt, qui in conſpectu Dei poteſt diues videri, in cuius cōſpectu terra exigua, mundus ipſe anguſtus eſt. Sed ſolum illum Deus diuitem nouit, qui ſit diues ęternitati, qui non opum, ſed virtutū fructus recōdat, &c. Lege Chryſoſt. li. 2. cōtra vituperatores vitæ monaſticę. Lege etiam homiliam 81. in Matthæum, in qua diuites pauperes, contrà pauperes diuites eſſe oſtendit.

Quartò, paupertas hominem è diuitiarum ſeruitute liberat. Diuitias in ſeruitutē redigere diuites incautos, docet diuus Gregorius Iob 21. ad illa verba: *Non ſunt in manu eorum bona ſua*, &c. Quiſquis, ait, temporalia nimiè diligit, ſe magis illis ſupponit, quàm ipſa ſibi, &c. Itē, Iniqui ita ſe totis deſideriis in exteriorum rerum appetitionibus fundunt, vt non magis ipſa habita teneant, ſed ab iis, quæ habent, captiua mente teneantur, &c. Tertullianus in libro de habitu muliebri: Apud barbaros, inquit, quoſdam, quia vernaculū eſt aurum & copioſum, auro vinctos in ergaſtulo habent, & diuitiis malos onerant, &c. En tibi diuites diuitiarum ſeruos, auro vincti ſunt, in ergaſtulis habentur aureis, quemadmodum barbarorum illi vincti. Vis (vt alios omittam) Romanum Imperatorem aureis cupiditatis compedibus videre obſtrictū? Caligulam intuere, de quo Suetonius in eius vita c. 42. Contrectandæ, inquit, pecuniæ cupidine incenſus, ſæpe ſuper immenſos aureorum aceruos patentiſſimo diffuſos loco, & nudis pedibus ſpatiatus, & toto corpore aliquando volutatus eſt, &c. Quemadmodū iumenta in puluere volutari ſolent, ita Imperator hic in auro eſt volutatus, cuius cupiditate vinctus tenebatur. His vinculis paupertas liberat, quamobrem Philoſophi quoque pecunias contempſerunt. Plutarchum lege in libro de vitanda vſura. Crates, inquit ille, Thebanus, ob curas ſolùm domeſticas, moleſtiaſque familiares, ſubſtantiam octo reliquit talentorū. Sumptóque baculo ac pera, in philoſophiam ac paupertatem confugit. Anaxagoras quoque non infertili fundo ſe abdicauit. Philoxenus vitam ac domū opulentiſſimā, in Colonia Sicula, hereditate nactus, cùm delicias, voluptates, ac indigenā cōſideraſſet inelegantiam, per Deos, inquit, bona hæc non me perdent, ſed ego illa. Aliiſq; hereditate relicta, enauigauit. Hæc Plutarchus. Nazianzenus oratione vigeſima, huius dicti meminit: Crates Cratetem Thebanum liberat. Inani, inquit, gloria opus non habet Baſilius, nec publico illo præconio, Crates Cratetem Thebanum libertate donat. Nō enim optimus videri, ſed eſſe ſtudebat, &c. In quem locum Scholiaſtes ſic ſcribit: Crates cùm prædia ſua vaſta & deſerta reliquiſſet, aſcēdit in edi-

Greg. *Chryſoſt.* *Auari animus qualis.* *Iuuenalis.* *Plutarch.* *Paupertas ſitim explet diuitiarū.* *Plutar. Aurum non extinguit ſitim diuitiarum.* *Chryſoſt.* *Paupertas hominē locupletat.* *Chryſoſt.* *D. Gregor. Nazianz. diuitiæ & Baſilij, paupertas erat.* *Nazianz.* *Cicero.* *Ambr.* *Paupertas hominem à ſeruitute liberat.* *Greg. Iob 21.* *Tertul. Barbari aureis vinculis ſceleratos conſtringebant.* *Caligula in auro volutatus.* *Plutar.* *Philoſophi pecuniam contempſerunt.*

in editum quemdam locum, ac publicè proclamauit, Crates Cratetem libertate donat, id est, à pecuniarum seruitute seipsum in libertatem asserit, &c.

Christianus philosophus liber est onager.

Christianus Philosophus (ait idem Nazianzenus eadem oratione vigesima) Onager est in deserto, Iob trigesimo nono, solutus & liber: vrbis tumultus ridens, eius qui colligẽdis tributis prẽfectus est, expostulationem non audiens, &c. Lege alterum

Greg. Mag. Iob 39.

Gregorium Magnum, ad illa verba Iob: *Quis dimisit onagrum liberum, & vincula eius quis soluit? Contemnit multitudinem ciuitatis, clamorem exactoris non audit*, &c. Magna, inquit, est seruitus sæcularium negotiorũ, quibus mens vehementer atteritur; quamuis in eis sponte desudet. Cuius seruitutis conditione carere, est in mundo iam nihil concupiscere. Quasi B enim quodam seruitutis iugo premunt prospera, dum appetuntur, premũt aduersa dum formidantur. At si quis semel à dominatione desideriorum temporalium colla mentis excusserit; quadã iam etiam in hac vita libertate perfruitur; dum nullo desiderio felicitatis afficitur, nullo aduersitatis terrore coarctatur, &c. Item: Liber dimittitur, qui calcatis terrenis desideriis, ab appetitione rerũ temporalium, securitate mẽtis exoneratur, &c. Liberrimus esse cupiebat Nanzianzenus Gregorius: idcirco vestes etiam ipsas optabat excutere, oratione vigesima: Vtinam, inquit, & pannos hosce exuere possem, vt huius vitæ spinas nudus percurrerẽ, &c.

Libertas paupertatis

Paupertas impedimẽta viæ amouet

Quintò: Paupertas itineris in cælum impedi- C menta amouet, nimirum diuitias, rerumque caducarum abundantiam. Hę enim hominem in cælum tendentem curis, cupiditatibusque veluti remoræ quædam retardant; iuxta illud Pauli: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas; quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis*, &c. De columba illa, quam Noe post diluuium emisit ex arca, scriptum est: *Cùm non inuenisset vbi requiesceret pes eius, reuersa est ad eum in arcam, extenditque manum suam, & apprehensam intulit in arcam*, &c. Idipsum pauperi contingit. Non inuenit ille in terris, vbi pes eius, id est, animi affe- D ctus, amorque conquiescat ac retardetur; idcirco propere ad suum Noe, id est, requiem, Christum euolat. Christus verò venientem non extensa solùm manu, sed brachiis etiam excipit extensis. Neque verò in arcam, sed in regnum cælorum infert: *Beati*, inquit, *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Pes animæ (ait Augustinus Psalmo nono) amor intelligitur. Amore mouetur, tamquam ad locum quò tendit, &c. Non tutò in terrenis rebus columbæ hic pes locatur, plurimis enim laqueis irretitur, nimio luto inquinatur.

1. Tim. 6.

Gen. 8.

Columba Noe pauperis typus.

Matth. 5. Pes animæ amor est.

Quod autem de coruo dicitur, id in diuites auaros quadrat: *Coruus egrediebatur & non reuertebatur*, &c. Egrediuntur illi à Deo; cupiditatibus verò retenti non reuertuntur. Vis coruum cernere in terrenis E rebus conquiescentem, nec ad arcam reuolantem? Diuitem illum ante oculos propone, cuius apud Lucam extat hæc meditatio: *Dicam animæ meæ: habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare*, &c. At miser tuto in loco pedem non fixit. Sequitur: *Dixit illi Deus: stulte hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem parasti cuius erunt?* Lætabatur stultus (ait diuus Cyprianus de oratione Dominica) in fructibus, ipsa nocte moriturus. Et cui vita iam deerat, victus abundantiam cogitabat, &c. Vt amœnum iter viatorem retardat: sic vita abundantia ac opibus amœna, diuitem remoratur. Desertum paupertatis iter, vt festinemus impellit; amœna diuitiarum via, vt cunctemur, allicit. Hinc

Gen. 8. Coruus auari diuitis imago.

Luc. 12.

Cyprian.

Amœnavia viatorem retardat.

illud Magni Gregorij vigesimo tertio Moral. capite decimo quinto: Viatorũ gressus tardat pulchritudo itineris, dum delectat. Electis ergo suis ad se pergentibus, Dominus huius mundi iter asperum facit, ne dum quisque vitæ præsentis requie, quasi amœnitate vię pascitur, magis ad eum diu pergere, quàm citiùs peruenire delectet. Ne dũ oblectatur in via, obliuiscatur, quod desiderabat in patria, &c. A *Greg. Mag.*

Paupertas sitim accẽdit. Iob 39.

Sextò: Paupertas sitim cæli accendit. De onagro illo libero, caducisque rebus minimè seruiente, dicit Iob: *Tabernacula eius, in terra salsuginis.* Salsuginis terra paupertas est, quoniam vt sal aquæ, sic paupertas Dei sitim affert. In hac terra tabernacula figit is, qui è ceruicibus, mundi iugum excussit. Cúmque nulla terrenarum rerum cupiditate æstuet, in res cælestes totam sitim transfert. Audi Gregorium in eumdem locum Iob scribentem: Salsugo, ait, accendere sitim solet, & quia sancti viri quamdiu in huius vitæ tabernaculis degunt, ad supernam patriam desiderij sui quotidianis æstibus accenduntur, in terra salsuginis tabernacula habere perhibentur, &c. B

Greg.

Paupertas pro mancipiis habet regum dominos.

Septimò: Paupertas adeò nobilis & generosa est, vt pro mancipiis habeat Regum dominos. Multis regibus auri, argẽti, honoris, diuitiarúmque cupiditates dominantur: his verò regum dominis dominatur paupertas. Non indiget mãcipiis paupertas (ait Chrysostomus homil. quadragesima octaua in Matthæum) sed habet loco seruorum passiones, habet seruos appetitus, qui regibus dominãtur, &c.

Paupertas expeditum reddit homine ad expugnandum regnum cælorum.

Octauò: Paupertas expeditum militem ad expugnandum cælorum regnum reddit. Chrysostomus homil. sexagesima secunda ad populum: Certamen, inquit, vita præsens est: opus pugnare. Bellum est & pugna. In bello vnum miles duntaxat intuetur, quomodo superet inimicos. Hoc & nos curemus. Si cum victoria redierimus, Deus nobis conferet omnia, &c.

Pauper similis Angelis.

Nonò: Paupertas hominem similem Angelis reddit. Quemadmodum enim Angelus, sic pauper argẽto & auro non indiget. Ad Diogenem, vt narrat Laërtius libro sexto, venit aliquando Magnus Alexander, atque in hunc modum Philosophum pauperem compellauit. Adsum tibi subuenturus, quandoquidem video te multis egentem. At Philosophus respondit: Vter nostrũm pluribus eget? Ego qui vltra peram, & pallium nihil desidero, an tu qui patrio non contentus regno, tot periculis te obiicis, vt latiùs imperes, adeò vt vix totus orbis tuę cupiditati satisfacturus esse videatur, &c. Si paupertas illa philosophica effecerat, vt Diogenes Alexãdri opibus nõ egeret, & vltra palliũ & perã nihil desideraret, quid paupertas efficiet Christiana?

Diogenes quid respõderit Alexandro.

Diuitiarũ quis sit optimus vsus.

Decimò: Optimus diuitiarum vsus euangelicæ paupertatis est. Diuitiis quidam ad ædificandum, alij ad bellandum, alij ad familiam alendam, alij ad conuiuia exhibenda, alij ad ludẽdum, alij ad hospites excipiendos, alij ad pauperes reficiendos, alij ad alia vtuntur. At Euangelica paupertas pro Christo omnes pauperibus elargitur, nihilque omnino ex illis retinet: qui diuitiarum præstantissimus vsus est, vt docet Abbas Guerricus sermone primo de omnibus Sanctis: Pauperũ, inquit, Christi fides sic elusit sapientiam mundi, vt solus quis sit optimus diuitiarum vsus inuenerit. Quod videlicet diuitiæ pauperem faciunt, & miserum si diligantur: tunc faciunt diuitem & beatum, si pro Christo contemnantur, &c. Augustinus de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 70. Bonum, ait, est facultates cum dispensatione pauperibus erogare, melius est pro intẽtione sequendi Christum Dominũ, insimul donare, & absolutum solicitudine cum Christo egere, &c.

Paupertas manus vacuas cælo implet.

Vndecimò: Paupertas manus diuitum terra plenas excutit atque exinanit, vt cælum vacuis manibus possint rapere. Si manus plumbo haberes occupatas, aurumque & gemmæ rapiendæ offerrentur, nónne plumbum abiiceres, vt expeditis manibus aurum gemmasque raperes? Id Christi pauperes faciunt, terrena abiiciunt, vt cælorum regnum rapiant; iuxta illud: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Lege Chrysostomum hom. 53. in Ioannem: Bonum, inquit, est rapere, non ea quæ pereunt, sed regnum cælorum. Rapiamus regnum cælorum: quæ rapina non crimini, sed laudi datur. Dic quæso, plumbo tibi & auro proposito, quid potiùs raperes? nónne aurum? Et quomodo potest quis rapere? inquis. Disperge quæ habes. Quousque enim seruas, illa rapere non poteris. Propone tibi hominem plenis argento manibus: quoad id tenuerit, numquid aurum rapere poterit, nisi prius id proiiciat, & expeditus relinquat; rapientem bene expeditum esse oportet, ne quid eum impediat. Sic Chrysostomus.

Matth. 11. Chrysost.

Denique paupertas quamdam, vt Chrysostomus vocat, diuitiarum incantationem & præstigium dissoluit. Diuitiarum enim cupiditas, homines veluti incantat, & præstigiis de mentis statu deiicit. Chrysostomus homilia 10. in epistolam 1. Pauli ad Thessalonicenses: Incantatio, inquit, quędam est & præstigium, quòd aurum & argentum tantopere à nobis honorantur, &c. Euertit hoc præstigium, hæc veluti incantamenta paupertas exturbat, dũ opum pessundat cupiditatem, ac proterit. Non omittam illud Theodoreti serm. 6. de Prouidentia: Diuitias, inquit, simul & paupertatem tamquam materiam quamdam, vel instrumenta à rerum opifice nobis proposita & oblata esse dicimus. Homines verò, vt fabros quosdam, per hæc aut virtutis simulacrum effingere, aut malitiæ statuam sculpere. Ceterùm per diuitias vix aliquis paucula virtutis quædam membra elegãter exsculpet. Multi verò paupertate adiuti omnia simul fabricare possũt. Hęc Theodoretus; ex quibus constat ad virtutem colendam præsidium maximum in paupertate collocatũ esse.

Theodor.

CAPVT VI.

Morale.

De mansuetudine.

Bonauent.

PAVPERTAS perfectionis euangelicæ veluti fundamentum est; ideoque vt docet diuus Bonauentura in Apologia pauperum, à paupertate Christus exorsus est: Si, inquit, gemina abdicatio, scilicet mundi, & concupiscentiæ eius, quæ paupertas spiritus dicitur; ipsa est, qua radix omnium malorum perfectè amputatur, & Babylonis fundamentum euertitur; recta potest ratione concludi, quòd perfectionis euangelicæ ipsa paupertas spiritus, radix est & fundamentũ. Propter quod Christus cùm ad perfectionem discipulos informaret in monte, tamquam nouæ Ierusalem descendentis de cælo fundamenta collocans, à paupertatis excellentia sumit initium, &c.

Paupertas mansuetudine gignit, & perfectionis euãgelicæ est fundamentum.

Paupertatẽ sequitur mansuetudo; spiritus enim paupertas humilitatem & mansuetudinem animo affert; opes superbiam pariunt. Vt Plutarchus scribit in libro de industria animalium, Bucephalus Alexandri equus quantisper nudus erat, conscendendum se etiam equisoni dabat: ornatus verò regiis iam aulæis collaribúsque, neminem admittebat, Alexandro tantùm excepto. Ceteris periculum facturis, aut alioqui propiùs accedentibus, ingenti hinnitu occurrere insultareque; ac nisi cederent, fugaque sibi consulerent, proterere solitus, &c. Similes sunt homines Bucephalo; si diuitiis ornentur, insolescunt, ceteros proterunt, ne minimam quidem contumeliam patienter ferre volunt. Nudi verò, omnique diuitiarum ornatu sponte abiecto, humiles sunt, mites erga omnes, & humanissimi. Nónne truculentissimus Bucephalus Aman fuit? cùm Regis Assueri phaleris, vt in libro legitur Esther, ornatus erat; Mardochęum non adorantem, Israelitásque omnes proterere vitaque priuare conatus est. At miser phaleris spoliatus ad crucẽ cùm est ductus, quàm abiectus, quàm mitis omni iam depositá feritate incessit.

Bucephalo Alexandri equo similes multi.

Opes superbiã pariũt.

Ventorum impetus mare attollit, adeò vt cymbis, maioribusque nauibus interitum intentet; sic diuitiarũ honorumque flatus ac cupiditas impios diuites adeò inflat, vt reliquis hominibus per lites, rixas, & contumelias, perniciem minentur. Desinant flare venti, tranquillissimum erit mare; compescat & extinguat paupertas diuitiarum & honorum flatum, ac cupiditatem, mite erit pectus. Non fit mare tranquillum (ait Chromatius) nisi cessauerint venti: non extinguitur ignis, nisi materiam incendij, spinarumque sarmenta detraxeris: sic neque animus erit mitis & quietus, nisi ea quæ exsuscitant & inflammant, fuerint abdicata, &c. Et Nyssenus Gregorius de secunda beatitudine: Si ex animo, inquit, superbi exemeris occasionem irascendi, vitium iracundiæ non habebit, &c.

Chromat.

Ira (ait Salomon) *in sinu stulti requiescit.* Contrà verò in sinu sapientis requiescit mansuetudo. Qui ergo vult sapere, iram in pectore requiescere non sinat, ne mora sua pectus inflammet. Si fortè in sinum ardens insiliat pruna; protinus nulla interiecta cunctatione illam excutis. Ardentissimæ sunt iracundiæ siue prunæ, siue etiam scintillæ; si igitur in pectus insiliant, caue moram interponas, abiice properè, si tetrum ignem non vis exardescere. Plutarchus in libro de cohibenda iracundia: Vt incendium, ait, qui non addit materiam, extinguit, sic & iram, quisquis non aluit nascentem, neque eam flatu concitauit, seipsum seruauit, ac subtraxit incendio, &c. Vt tarda eruca virentia exedit olera, si non expellatur, sic ira virentes absumit caritatis flores, si non excutiatur. D. Hieronymus Ioëlis 1. Ego, inquit, reor erucam, incipientem esse in animo passionem, quæ tarda est, & discurrere non potest, & mora ipsa ac pertinacia ebibit & exugit omnem virorem; quam si non occiderimus, in nobis crescet, &c.

Eccli. 7.

Excutienda protinus ira ne nos incendat.

Plutar.

Hieron.

Huc illud pertinet Pauli: *Sol non occidat super iracundiam vestram; nolite locum dare diabolo,* &c. Extinguenda mox ira est, antequam solis lux extinguatur, neque ad noctem vsque protrahenda. Odia, rixæ, inimicitiæ, eadẽ ipsa die, qua exortæ fuerint, antequam occumbat sol, occumbant: antequam animum caligo obtegat, & in vltionem præcipitet, extinguantur. Vnde D. Hieronymus in Commentariis Pauli: Præcipit, ait, Apostolus, ne talia faciamus furore superati, per quæ nobis sol occidat, & principale cordis tenebris inuoluatur, &c. Idem Hieronymus in illud: *Nolite locum dare diabolo*: sic scribit: Nolite locum dare diabolo, qui tamquam leo rugiens quærit aditum, per quem possit irrumpere. Quomodo enim Pater & Filius stant ante ostium, & pulsant, vt introëant, & cœnent cum eo, qui se receperit: ita & aduersarius semper in nos est paratus irrumpere, & cùm locum dederimus ingreditur. Solet autem antequam veniat quædam iacula præmittere, & præcursorem aduentus sui facere cogitationem. Hãc si nos in corde susceptam nutrierimus intrinsecus, & crescere fece-

Ephes. 4. Ira mox extinguenda est.

Hieron.

Diabolus aditũ quærit in corda.

Principiis obstandum.

fecerimus : cùm in nobis prolem ſuam auctam viderit, & ipſe audebit intrare. Ita Hieronymus: Quærit in nobis diabolus locum, iram, vt pandat oſtium, locúmq; faciat, in cor immittit. Extingue iram ne oſtium aperiat, locumque diabolus inueniat. *Theoph.* Diabolus (ait Theophylact. in Paulum) quàm primum inuenerit diſſenſionem inter nos, tum ceu inuento loco, caput ſuum ſubintroitcit, ſerpentis inſtar; ac deinceps omnem reliqui corporis tractum ſecum contrahit, &c. *Chryſoſt.* Chryſoſtomus in eadem verba Pauli: Numquam, ait, ſic habet locum diabolus, vt in inimicitiis. Hinc mala naſcuntur innumerabilia. Et ſemper, ſolo opus eſt initio: & hoc eſt, quod difficulter ab eo geritur, nec facile ei ſuccedit: hoc autẽ facto ipſe ſibi omnia dilatat, &c. Principiis ergo irę obſta: manſuetudinem protinus obiice, ne per moram conualeſcat iracundia: *In ſinu enim ſtulti* (vt ait Salomon) *ira requieſcit*: at in ſinu ſapientis requieſcit manſuetudo.

Pſal. 4. *Iraſcimini & nolite peccare*, ait Dauid: hoc eſt, ſi iraſci contingat, ne quieſcat in ſinu ira, frænum adhibete manſuetudinis, ne vos in peccatum præcipites ferat. Frænabat ſane iram Imperator Theodoſius, de quo Ambroſius in oratione, quam de eius obitu habuit: Tunc, inquit, propior erat venię, cùm fuiſſet commotio maior iracundiæ. Prærogatiua ignoſcendi erat, indignatum fuiſſe. Item: Beneficium ſe putabat accepiſſe cùm rogaretur ignoſcere, &c. Frænandam manſuetudine iram Imperatorem Auguſtũ docuit Philoſophus Athenodorus. Cæſar, ait, cùm fueris iratus, ne quid dixeris, feceríſve, priuſquam Græcarum literarum 24. nomina apud te recenſueris &c. Lege Nicephorum lib. 12. hiſtor. Eccleſ. ca. 4. Iram quoque frænabant Plato & Socrates. De Platone Seneca libro tertio, de Ira cap. 12. ſcribit, quòd iratus ipſe noluiſſet verberare ſeruum, ſed ab altero verberari iuſſiſſet. Tu, inquiens, Speuſippe ſeruulum iſtum verberibus obiurga. Nam ego iraſcor. De Socrate capite 13. In Socrate, ait, iræ ſignum erat vocem ſubmittere, loqui parciùs. Apparebat tunc illum ſibi obſtare, &c.

Theodoſius imperator iram frænabat. *Frænanda ira & cohibenda.*

Plin. De apum rege Plin. lib. 11. cap. 17. ſic ſcribit. Non conſtat inter auctores, Rex apum nullumne ſolus habeat aculeum, maieſtate tantùm armatus: an dederit eum quidem natura, ſed vſum eius illi tantum negarit. Illud conſtat imperatore maculeo non vti, &c. Regia ſane virtus eſt manſuetudo, regij & auguſti animi eſt aculeo, id eſt, effrænata ira minime vti. *Memẽto Domine Dauid* (ait Rex Iſraeliticus) *& omnis manſuetudinis eius.* Contrà verò parui & anguſti pectoris eſt aculeum infigere, & ſimul cum infixo aculeo, vt apes, vitam relinquere. Qui enim proximo iraſcitur, granitérq; nocet, ſi non corporis, certe ſpiritus amittit vitam. Diuus Chryſoſtomus hom. 10. in epiſt. Pauli ad Theſſal. Inſidias, inquit, & calũnias ab inimicis paſſus es? At non nos illis lędimur, ſed ipſi qui faciunt: *Anima enim*, inquit, *quæ peccauerit, ipſa morietur.* Peccat autem non qui malis afficitur, ſed qui malis alios afficit. Non videtis apem quomodo propter ſtimulum alicui infixum moriatur: per hoc animal erudiuit nos Deus, ne proximum lædamus. Ipſi enim primi mortem ex eo capiemus,

Manſuetudo virtus regia. *Pſal. 131.* *Ezech. 18.*

Senec. Seneca lib. 2. de ira, ca. 34. Puſilli hominis & miſeri eſt, repetere mordentem, vt mures, & formicę, ad quas ſi manum admoueris, ora conuertunt, &c. Similes ergo formicis, & muribus ſunt ij, qui manſueti non ſunt: quique mordentes repetunt. Imbecilla (ait idem Philoſophus) ſe lędi putant, ſi tanguntur, &c. tangis formicam, tangis murem, tangis gallinam, non ferunt: imbecilla animantia ſunt, lædi ſe putant. Tangis equum, tangis elephantum, animantia valida, manſuetę patiuntur. Similem in modum, homines, animi puſilli, formicis gallinisque ſimiles, ſi vel verbo tangantur, non ferunt: lędi ſe credunt. Ingentibus verò elephantis, equisq; generoſis ſimiles, etſi millies tangatur, iniuriiſque appetantur, generosè tolerant: iniurias deſpiciunt, contumelias veluti catulorũ latratus non curant. Idem Seneca eodem libro cap. 32. Ille, inquit, magnus & nobilis eſt, qui more magnæ feræ, latratus minutorum canum ſecurus obaudit, &c.

Qui magno animo præditi ſunt iniurias tolerant mãſuetè. *Iniuria deſpicienda.*

Leones, elephantos, tigrides, hominum induſtria manſuefecit: at mitis hominis induſtria, quod multò & vtilius & generoſius eſt, ſeipſum mãſuefacit. iram, iniurias, dolores, & cruciatus ferarum inſtar irruentes mitigat ac placat. Quamobrem Seneca epiſtola 85. Sapientem vocat artificem domandi mala. O artem eximiam manſuefaciendi mala, toto perdiſcendam ſtudio. Leonibus (ait Philoſophus) magiſter manum inſertat: tigrim cuſtos ſuus oſculatur: Elephantem minimus Æthiops iubet ſubſidere in genua, & ambulare per funem. Sic ſapiens eſt artifex domandi mala. Dolor, egeſtas, ignominia, carcer, exilium, & cetera horrenda, ad cùm hunc peruenerunt, manſueta ſunt, &c.

Mitis mala omnia mãſuefacit veluti feras.

Matth. 5. *Pſal. 36.* *Præmium manſuetorũ*

Præmium mitibus proponit Dominus terræ poſſeſſionem: *Ipſi*, inquit, *poſſidebunt terram.* Proponit etiam Dauid: *Manſueti*, ait, *hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis*, vel *deliciabuntur* (vt petit Ruffinus) *in multitudine pacis*, &c. Terram in multitudine pacis poſſident mites, quoniam à rixis & litibus abſtinent. Poſſident præterea terram, id eſt, corpus ſuum, vt Bernardus ait ſuprà citatus, quoniam effrænatæ iræ dominantur. Item, *poſſidebunt terram*, id eſt, corpus beatum, vt aiunt Chromatius, & D. Leo. Denique *poſſidebunt terram*, illam repromiſſionis cœleſtem, vt interpretantur Nyſſenus, & Hieronymus. Lege quæ ſuprà dicta ſunt.

Pax manſuetorum.

Addit Dauid: *Et delectabuntur in multitudine pacis, ſiue deliciabuntur.* Etenim effrænata ira turbulentiſſimas in pectore humano tempeſtates concitat, manſuetudo concitatas ſedat, animúmque tranquillat. *Delectabuntur*, inquit, *in multitudine pacis manſueti*, iracundi verò torquentur in multitudine perturbationis. Ira iracundo pœnam ſuppliciúmque affert: ipſa illi flagellum & carnifex eſt. Quid enim acerbius quàm ira? quid inſuauius? quid moleſtius? Chryſoſtomus homilia vigeſima nona ad populum Antiochenum. Iracundus, inquit, iniucundus eſt ſibi, & alijs damnoſus. Nihil enim iracundo homine inſuauius, nihil grauius, nihil infeſtius, turpius nihil: feræ potiùs, quàm iracundo homini cohabitandum eſt. Nam illa cùm ſemel manſuefacta fuerit, ſuam ſeruat legem: hunc autem quotieſcumque mitigaueris, rurſus efferatur, niſi quis in talem habitum ipſum induceret, &c. Contrà verò manſuetudinis præmiũ pax eſt. Quid autem animi pace iucundius? quid delectabilius? *Delectabuntur* (ait) *in multitudine pacis.* Origenes loco citato Pſalm. 36. Quicumque, inquit, deſinit ab ira, & relinquit indignationem, & neque animus in iram irritatur, neque ſermone vtitur iracundo, non ſolùm foriſecus, verũ intrinſecus totus in pace eſt, & neque prouocanti ſe ad iracũdiam cedit, neque ipſe alterum ad iracũdiam prouocat, ſed in ſemetipſo pacem habet, & in aliis: ſi qui fortè diſſident, ſeruat diligere manſuetudinem, quæ pacis cuſtos eſt fideliſſima, quæ cuncta moderatur, iſte delicietur, vel delectatur in multitudine pacis. Hæc ille. Lege Chryſoſtomum homilia citata ad populum: Nónne, inquit, mãſueti anima ſimilis eſt ſolitudini cuidam multam habenti quietẽ? Item: Mitis mens

Iracundi quomodo torquentur. *Ira inſuauis & acerba.* *Chryſoſt.* *Pax manſuetudinis comes.* *Orig.* *Chryſ.*

cuidam montis vertici ſimilis eſt, auram quidem habenti tenuem, purum radium, pura fontium fluenta, multaſque florum amœnitates, &c. Item; Sicut dies clara, & ſerena, ita animus eſt manſueti; ſicut hyems multæ plena triſtitiæ, ita animus naſcentis. Lege reliqua.

CAPVT VII.

Morale.

De luctu.

Fōs lachrymarū virtutes irrigat.

NON poteſt hortus amœnus eſſe, ſi fontem, vel antliā non habeat, cuius aquis irrigetur. Hortus Chriſti animus noſter eſt; amœniſſimus autem erit, ſi lachrymarum habeat fontem, quibus reſpergatur. Huiuſmodi enim aquis, horti huius plantæ omnes, humilitas, patientia, caritas, virtutéſque reliquæ irrigatæ vireſcunt, nutriuntur, & incrementum accipiunt. Quemadmodum verò ardens æſtus arborum virorem arefacit: ita inanis lætitia, riſus, & cachinni virtutum vigorē exurunt, atq; eneruant. Hinc illud Salomonis: *Melius eſt ire ad domū luctus, quàm ad domum conuiuij*, &c. Ratio eſt, quoniam in domo conuiuij inani plena gaudio, virtus eneruatur, in domo verò luctus, mortis memoria & lachrymis irrigatur. Vnde addit Salomon: *In illa finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat, quid futurum, ſit*, &c. Lege Chryſoſtomum in hæc Salomonis verba ſcribentem homilia 15. ad populum Antiochenum. Quid eſt, inquit, quod ait Salomon; Vbi luctus, & lachrymæ, & gemitus, melius eſt accedere: quàm vbi choreę, & cymbala, & riſus, & deliciæ, & ebrietas? Qua de cauſa quæſo? quoniam illinc quidem modeſtia: hinc verò dementia naſcitur, &c. Et D. Hieronymus Eccleſiaſt. 7. In domo, inquit, luctus, recordationis noſtræ, & fragilitatis humanæ, ex præſenti cadauere commonemur. In conuiuij autem lætitia, etiam ſi quid timoris habere videbamur amittimus, &c. D. Ephræm in homil. de luctu: Initium, inquit, euerſionis atq; interitus monachi, eſt riſus, & impunitas, atque licentia. Luctus animam lachrymis tergit, mundamque reddit, voluptates exſcindit, & virtutes perficit, &c. Idem in tractatu de vita ſpiritali: Qui luctum ſectatur, non facilè peccabit: & qui cordis compunctione tangitur, non cogitat mala. Nam ex compunctione oritur fletus; in fletu autem à peccatis declinamus, &c.

Ecclo. 7.

Ineptà lætitia virtutes arefacit.

Chryſoſt.

Hieron.

Luctus vtilitates quæ ſint.

De Chriſto doctore noſtro, & exemplari nobis à Deo ad imitandum propoſito, ſic ſcribit Chryſoſtomus homil. 6. in Matthæum: Flentem Chriſtum frequenter inuenies, num quam verò ridētem, &c. Flendum igitur nobis potius, quàm ridendum eſt, vt exempla imitemur. Flere ſapiētis eſt, cachinnis diſſolui hominis eſt fatui. Vnde Cardinalis Caietanus Eccleſiaſt. 2. Riſus (inquit) rarò attribuitur ſapienti, & gaudia nihil egregij pariunt, &c. *Fatuus* (ait Eccleſiaſt.) *in riſu exaltat vocem ſuam, vir autem ſapiens, vix tacitè ridebit*, &c. Fatuus, cuius cor Dei timore vacuum eſt, cachinnos edit. Sapiens verò vir qui vallem lachrymarū ſe incolere nouit, lachrymatur, & vix ridet tacitè. Salomon: *Cor ſapientum vbi triſtitia eſt: & cor ſtultorum vbi lætitia eſt*, &c. Hebraice, Cor ſapientum in domo eſt luctus: cor ſtultorum in domo lætitiæ. Eundem in modum verterunt Septuaginta interpretes. Cor igitur ſtultorum in voluptate eſt, gaudióque temporis momento pereunte: cor autem ſapientum in domo eſt luctus æterni, id eſt in tartaro. Deſcendunt enim ſæpe corde in tartarum viuentes: ne & animo, & corpore deſcendant morientes. Hìc paucis diebus lugent, ne ibi in æternum lugeant: pauciſque lachrymis lachrymas æternas redimunt. Paueo gehennam (ait Bernardus ſermone 16. in Cantica) contremiſco à dentibus beſtiæ infernalis, à ventre inferi, à rugientibus præparatis ad eſcam, horreo vermem rodentem, & ignem torrentem, fumum, & vaporem, & ſulphur, & ſpiritum procellarum. Horreo tenebras exteriores. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, vt præueniam fletibus fletum, & ſtridorem dentium. Sic Bernardus, ſic viri ſapientes tartareas flammas corde voluunt, æternúmque & inutilem fletum potentiſſimo fletu præueniunt.

Ecclı. 21.

Eccl. 7.

S. Bernard. tartareos formidabat rogos.

Etenim dum viuimus potentiſſimæ aduerſus crimina ſunt lachrymæ, poſtquam è vita excedimus, vires penitus amittunt, & inutiles ſunt. Modicus fletus nunc ex pœnitentia emanans, magna abolet crimina, ſempiternus fletus poſt mortem, ne minimum quidem peccatum delet. Ideoque D. Ephræm de pœnitentia, ſerm. 1. rectè ſic ſuadet: Fundamus lachrymas, quamdiu tempus eſt ſuſcipiendi noſtras lachrymas: ne abeuntes in ſæculum illud, abſque fructu & vtilitate vlla plangamus. Ibi enim pro nihilo ducentur lachrymæ, &c. Item: Plange hìc modicum, ne plangas illic in ſæcula ſæculorum. Hæc D. Ephræm.

Ephræm.

Lachrymæ in hac vita vtiliſſimæ, in altera inutiles.

Itaque viri ſapientis vox illa eſt apud Salomonem, *Riſum reputaui errorem, & gaudio dixi: Quid fruſtra deciperis.* hoc eſt: Riſum, inanémque lætitiam errorem, & ſeductionem reputaui: errare ſeduciéque eos credidi, qui riſu, ineptáq; lætitia diffluunt. Vel potius, Ipſummet gaudium (per proſopopœiam) errare, ac decipi putaui: ideoque ad ipſum conuerſus dixi: ô gaudium inane, quid fruſtra deciperis? quid erras? deciperis, inquam, & erras, dum exiſtimas poſſe te tua læta facie me decipere, tuíſque blanditiis occupare, ac vincere animum meum. Non enim viri ſapientis animum inceptum gaudium occupat, & à ſancto luctu ac ſapientia auocat. Lyranus gaudij deceptionem aliter exponit, *Gaudio* (inquit) *dixi, quid fruſtra deciperis?* æſtimando fælicitatem in deliciis. Eſt ſenſus: Quid fruſtra ſeduceris, ô gaudium, dum fælicitatem in voluptatibus collocas, quæ in virtute eſt collocanda? Titelmanus in hunc modū interpretatur: Quid fruſtra deciperis, ô gaudiū, quid tibi vanè perſuades poſſe te hominis animum replere, & contentum reddere polliceris, cùm id minimè poſſis? His omnibus de cauſis decipi gaudium exponi poteſt. Quid fruſtra deciperis, dum exiſtimas poſſe te ſapientis animum occupare? Quid item fruſtra deciperis, dum fælicitatem in lætitia inani, & deliciis collocas? Deniq; dum hominis animum ſatiare te poſſe putas?

Eccl. 7.

Ecclı. 2.

Gaudium quomodo decipi dicatur à Salomone.

Titelm.

D. Hieron. in commentariis huius loci, huiuſmodi habet ex Hebræo verſionem: *Riſui dixi amentiam, & iucunditati, quid hoc facis?* Septuaginta ſic vertunt: *Riſui dixi circumlationem, & iucunditati, quid hoc facis?* Quæ verba explicans D. Hieron. ſic ſcribit: Septuaginta, inquit, tranſtulerunt, περιφοράν, quam nos circumlationem poſſumus dicere. Quomodo igitur ij, qui circumferuntur omni vēto doctrinæ, inſtabiles ſunt, in diuerſa fluctuant: ſic qui illo riſu cachinnant, quem Dominus in Euangelio fletu dicit mutandum, errore ſæculi raptantur, & turbine. Non intelligentes ruinam peccatorum ſuorum, neque præterita vitia plangentes, ſed putantes breuia bona eſſe perpetua, & in his exultantes, quæ magis digna ſunt planctu, &c. Olympiodorus circumlationem, circumuagationem interpretatur, hoc pacto: *Riſui vel lætitiæ dixi: Circumuagare à me longiùs, & abſiſte.* Exponi quoque poteſt. *Riſui dixi circumla-*

Hieron.

Olympiod.

cumlationem: id eſt, vertiginem capitis, quoniam immodica letitia caput rotando cerebrum mouet, è mentiſq; ſtatu deturbat hominem. *Anda coma cabeca ao redor*, Luſitanè dicimus. Itaque in his verſionibus effrenatus riſus, ſiue lætitia, ac voluptas error dicitur, amentia, & circumlatio, quod idem eſt quod ſtultitia. Stultorum enim eſt circumlatio, & rotatio capitis, & totius corporis. Eſt etiam tumultus. nam teſte Hieronymo, Symmachus vertit: *Riſum reputaui θόρυβον*, id eſt tumultum. Hebræa, ſi verbum verbo reddas, hæc ſunt, *Riſui dixi, inſaniēs, ſiue inſanire faciens, & lætitiæ, quid hoc faciens? vel, quid hoc facis?* Hæc vltima verba tranſtulit noſter interpres. *Quid fruſtra deciperis?* Pagninus aliter intellexit, & vertit: *Riſui dixi, inſanire facis, & lætitiæ, quid boni facis?*

Sunt autem in hac vita lugendi cauſæ multæ. Quamobrem Philoſophus Seneca in cōſolatione ad Polybium: Larga, inquit, vbique flendi eſt, & aſſidua materia. Lachrymæ nobis deerūt, antequam cauſa dolendi, &c. Vt autem alias inanes omittamus, duas lugēdi cauſas Magnus Gregorius commemorat libro ſexto Regiſt. Epiſt. vigeſima tertia. Duo inquit, ſunt cōpunctionis genera; vnum quod æternas pœnas metuit: aliud quod de cæleſtibus præmiis ſuſpirat. Quia Deum ſitiens anima priùs timore cōpungitur, pòſt amore. Ante enim ſemetipſam in lachrymis afficit; quia dū malorum ſuorum recordatur, pro his perpeti ſupplicia æterna pertimeſcit. At verò cùm longa mœroris anxietate, fuerit formido cōſumpta; quædam iam de præſumptione veniæ, ſecuritas naſcitur; & in amore cæleſtium gaudiorum animus inflammatur. Et qui priùs flebat, ne duceretur ad ſupplicium; poſtmodum flere amariſſimè incipit, quia differtur à regno, &c. Idem docet 3. libr. Dialog. cap. 34.

Larga lachrymarū materia.

Greg. Mag.

Anima priùs timore compungitur, pòſt amore.

Hæc autem duo lachrymarum genera, illō Caleb dono ſignificantur: *Dedit Calēb ei* (id eſt filiæ ſuæ Axæ ſuſpiranti, ac petenti) *irriguum ſuperius, & inferius.* Irriguum ſuperius lachrymas indicat, quæ cæleſtis patriæ funduntur deſiderio; irriguum verò inferius lachrymarum eſt, quas inferorum horror elicit. Ita Magnus Gregorius locis citatis exponit: Irriguum, inquit, ſuperius accipit anima, cùm ſeſe in lachrymis cæleſtis regni deſiderio affligit, irriguum verò inferius accipit, cùm inferni ſupplicia flendo pertimeſcit, &c.

Ioſue 15.

Duo lachrymarum genera.

Greg. Mag.

Accipit autem anima irriguum à Deo. eſt enim hoc Dei donum, & maximè quidem optandum, magnóque deſiderio poſtulandum. Axa Caleb filia irriguam terrā ſuſpirans poſtulauit; petenti ac ſuſpiranti data eſt. *Suſpirauit Axa. cui Caleb: Quid habes? inquit: At illa reſpondit: da mihi benedictionem, terram auſtralem & arentem dediſti mihi, iunge & irriguam*, &c. Suſpiranti ac poſtulanti animæ irrigua terra datur, otioſa & ſegnis arentē habet agrum, arētes oculos. Axa (ait Greg.) ſuſpirans à patre terram irriguam petit: quia à creatore noſtro, cum magno deſiderio quærenda eſt lachrymarum gratia, &c. Vis Axam ſuſpirantem audire, irriguumque ſuperius, & inferius, non à Caleb, ſed à Deo petentem? Sanctiſſimam audi Auguſtini animam libro Meditat. ca. trigeſimo ſext. Da mihi, inquit, Domine irriguum ſuperius, & irriguum inferius. Vt ſint mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Præſta mihi hanc gratiam propter te, & propter nomen tuū, vt quoties de te cogito, de te loquor, de te ſcribo, de te lego, de te confero, quoties tui reminiſcor, tibi aſſiſto, laudes, preces, & ſacrificium offero, toties obortis lachrymis in conſpectu tuo copioſe, & dulciter fleam. Ita vt efficiantur mihi lachrymæ meę panes die ac nocte. Rogo te bone Ieſu, per omnes miſerationes tuas, quibus nobis perditis mirabiliter ſubuenire dignatus es: da mihi gratiam lachrymarum, quam multū deſiderat & appetit anima mea. Quia ſine dono non poſſum habere eam: ſed per Spiritum Sāctum tuū, qui dura corda peccatorum mollit, & ad fletum compungit. Sic Auguſtinus.

Ioſue 15.

Auguſt.

Donum Dei lachryma.

Ad irriguum ſuperius illud ſpectat Pſalmi, *Super flumina Babylonis, illic ſedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Sion*, &c. Nam cæleſtis recordatio Sionis, & deſiderium, lachrymas ciet iis, qui ſuper Babylonis flumina exules ſedent, quique inſtar fluminum fluere omnia Babylonis, id eſt, mundi huius gaudia, nihil firmum eſſe, ſtare nihil, conſiderant. Organa ſua, id eſt, lætitiæ inſtrumenta ſuſpendunt: in terra aliena, cantica edere recuſant: lætitiam pauliſper in patriam differunt: Babylonicum gaudium, Babylonicum quoque fletum fugiunt; Sionis gaudia amant. Denique, vt gaudeant in Sione, flent in Babylone. Auguſt. in Commentariis huius Pſami: Multi, inquit, flent fletu Babylonico, quia & gaudent gaudio Babylonis. Quia gaudēt lucris, & flent damnis; vtrumque de Babylonia eſt. Flere debes: ſed recordando Sion, &c.

Pſal. 136.

Auguſt.

Ad irriguum inferius lachrymæ pertinent, quæ ad abluenda crimina, criminibuſque debita ſupplicia effugienda effunduntur. Quales illæ ſunt Pſal. pœnitentialis: *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo*, &c. Beati qui ſic lugent, quoniam facili lachrymarum medicamento grauiſſimis vulneribus ſanitatem afferunt. Accede (ait D. Ephræm ſerm. 1. de pœnitentia) ad Deum, & pro optimo medicamento lachrymas offer. Sic enim vult cæleſtis medicus, vnumquemque ſuis ſanari lachrymis, &c. Et in ſermone de compunctione: O lachrymarum, inquit, virtutem, quæ medicinalis officina es peccatorum. Per te peccatores efficiūtur beati, vnde & Dominus beatos tales prædicat dicens: *Beati qui nunc fletis, quoniam ridebitis*, in futurum ſcilicet. Non quidem dixit, beatos illos, qui deflent mortuum, aut damnum domus, aut quid aliud ſęculi huius, ſed, *beati*, inquit, *qui lugent de peccatis ſuis*. Sic ſanctus Ephræm. Diuus verò Chryſoſtomus homilia 5. de Pœnitentia: Rogum, inquit, peccatorum extinguimus, non iam aquis multis, ſed paruis cum lachrymis. Multus enim peccati ignis, & modica lachryma illum extinguit, &c. Auguſtinus Pſalm. 94. Ardes, inquit, fortè conſcientia delicti, lachrymis extingue flammam peccati, &c.

Lachryme peccati medicamentū. Pſal. 6.

Lachryme extinguunt peccati flammam.

Baptiſmi aqua abluūtur delicta, lachrymis quoque veluti ſecūdo quodam baptiſmate expiantur. Chryſoſt. homil. 6. in Matthæum: Sicut, inquit, ex aqua & ſpiritu, ſic rurſus ex lachrymis, & confeſſione purgamur, &c. Idem Chryſoſt. homil. 5. de Pœnitentia, lachrymas lauacrum peccatorum & purgatorium eſſe docuit: *Lauabo* (inquit) *per ſingulas noctes lectum meum*: dixit Dauid, vt oſtēdat lauacrum & purgatorium peccati lachrymas eſſe, &c. Diuus Gregorius Nazianzenus de iuſtis loquens: Quorum ait lachrymæ peccati diluuium ſunt, & mundi piamentum, &c. Diluuium Noeticum ex aquis ortum eſt, tum ex cœlo, tum ex abyſſo fluentibus. Nā *Cataractæ cæli apertæ ſunt & fontes abyßi*, &c. Eūdem in modum lachrymarum diluuium ex cęlo oritur, id eſt, cæli deſiderio, vt diximus; ex abyſſo quoque, id eſt, ex tartari horrore. At Noeticum diluuium hominibus mortem attulit: hoc diluuium lachrymarum, hominibus vitam, hominum hoſtibus, id eſt, peccatis, necem infert, tartareaſque extinguit.

Lachrymarum ſecundum baptiſma. Lauacrum & purgatorium peccati lachrymæ ſunt & diluuium

Gen. 8.

Lachryme ex cælo, & tartaro.

Cùm oppidum Siceleg Dauid viriq; eius cernerent igne ſuccenſum, abductáſque vxores, & filios in captiuitatē: *Planxerunt, donec deficerent in eis lachryma.* Ex Hebræo verti poteſt: *Planxerunt donec non eſſet in eis*

1. Reg. 30. Anima captiuitas deploranda.

in eis robur ad flendum. Septuaginta sic: *Fleuerunt donec non erat robur in eis, vt flerent amplius.* Quid facere par est hominem Christianum, cùm Dei ciuitatem, id est, animam suam, vitiorum facibus inflammatam, cúmque gratiam, pulcherrimásq; virtutes gratiæ comites, oblatas cernit? Flere equidem debet, donec deficiant in eo lachrymæ: donec robur non sit in eo ad flendum.

Supplicium peccati in tartaro inutiliter deploratur.

Deplorandis criminibus bene impenduntur lachrymæ in vita, deplorandæ verò criminum acerbissimæ pœnæ, inutiliter impendentur in tartaro, quamobrem D. Chrysostomus homilia 5. de Pœnitentia: Luge, inquit, peccatum, ne pœnam defleas, &c. Nam, vel peccatum lugendum est, vel supplicium. Satius est illud, quàm hoc deflere. Etenim supplicij luctus, supplicium minimè tollit peccati autem luctus peccatum abolet. At conqueritur de hominibus Augustinus, quòd flagella quibus ob peccata percutiuntur, defleant, peccata ipsa non defleant. Psal. 37. Flagella, inquit, sua dolent homines, quare flagellantur non dolent. Nescio quis, si damnum patitur, procliuior est, vt dicat: Indignè passus sum, quàm vt consideret, quare passus sit: dolens damnum pecuniæ, non dolens damnũ iustitiæ, &c. Item plerumque si filius cuiusquã moriatur, plangit illum; si peccet, non illum plangit: tunc plangeret, tunc doleret, cùm peccantẽ videret, &c. Ad hęc, nugas, nescio quas, ac nenias deploramus, crimina nullum pariunt dolorẽ. hinc illud eiusdem Augustini lib. 1. Confess. cap. 13. Cogebar plorare Didonem mortuam, cùm interea meipsum in iis à te morientem, Deus vita mea, siccis ferrem oculis, miserrimus. Quid enim miserius misero non miserante seipsum? Sic i le.

Flagella deflent multi nõ peccata. Augus.

Lachrymarum multæ causæ.

Denique lachrymas suadent vitæ nostræ principium, itemque finis & locus ipse atque exilium, in quo vitam traducimus, mille periculis laboribusque plenum. Nam vitæ initium à fletu ducimus: finem cum fletu imponimus vitæ. Tali initio, finique tali, par est media consonare. Infantes protinus cùm in lucẽ hanc ingredimur, lachrymamur viri, vel senes, cùm egredimur, lugemus. Interim dum per paucos dies in hoc ærũnoso exilio manemus, cur ridebimus? In hoc autem exilio tot sunt mala, quæ fletum commouere possint: vt Philosophus Heraclitus perpetuo in fletu vitam dicatur traduxisse. Vallis lachrymarum orbis hic appellatur: non vallis risus aut gaudij. In valle lachrymarum, non ridendum, sed lachrymandum est. Theodoretus Psalmo 82. Præsens, inquit, vita lachrymarum vallis est, in qua Adam in sudore vultus pane vescitur, &c. De viro in cælestem Ierusalem ad æternum celebrandum festum ascendente scribitur: *Ascensiones in corde suo disposuit, in valle lachrymarum, in loco, quem posuit.* hoc est, in cælestem Ierusalem decreuit ascendere, in hoc mundo veluti valle lachrymarum constitutus; in loco quem sibi posuit, & elegit, ad traducendam vitam ærumnis plenam. Diuus Hieronymus vertit hunc in modum: *Semitæ in corde suo, transeuntes in vallem fletus, fontem ponent eam.* Sunt autem semitæ in cælum ducentes, in corde iustorum; qui mundum veluti vallem lachrymarum pertranseuntes, fontem lachrymarum faciunt eum. Chaldæus de gehenna interpretatur hoc pacto: *Peccatores qui transeunt per profundum gehennæ, flentes fletus, sicut fontem ponent illud.* Quibus verbis infinitus ac perpetuus impiorum in tartaro dolor significatur & cruciatus. Præterea qui mente ac cogitatione per profundum tartarum transeunt, æternaque peccatis tormenta imposita, attento voluunt animo, fundunt lachrymas; adeò vt ipsum cogitatum tartarum, fontem ponant, id est, efficiant, lachrymarum.

Mundus vallis lachrymarũ.

Psal. 83.

Ad hæc, lachrymari suadent prętérita mala, præsentia & futura. Præterita, inquam, id est, commissa crimina; præsentia mala, quæ quotidie toto orbe grassari audimus; futura, hoc est, æterna improbis præparata supplicia. Quocumque vertas oculos, inuenient lachrymas; si tamen tot malorum adsit consideratio. Quemadmodum enim ventorum flatus nubes, si congreget, efficitur imber, sic mens tot mala si consideret, efficitur fletus.

Lachrymarum causæ mala omnia.

Præterea, lachrymas suadet ipsum lachrymarum eximium pretium. Vnioneslachrymarũ symbolum esse pleriq; prodidere, vt ait Pierius in fine lib. 28. & Suidas verbo, Margaritæ: Margaritæ, inquit, declarant lachrymarum fluxum. At omnium vnionum pretiumà pretio lachrymarũ superatur. Duo fuêre maximi vniones per omne æuum, ait Plin. lib. 9. c. 35. vtrumque possedit Cleopatra Regina, per manus Orientis Regũ sibi traditos. Centies sestertium vnius pretiũ fuit, &c. Sed quid hoc pretium est, si cum nostrorum vnionum, id est, lachrymarum, pretio conferatur? quibus criminum remissio impetratur, & ipsa cęlestis cõsolatio comparatur; iuxta illud Domini: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*: sempiternæ quoque Orci flammæ extinguuntur; iuxta illud Chrysostomi hom. 1. de Lazaro: Tales lachrymæ, quales erant Dauidis, ipsum etiã gehennæ incendiũ norũt extinguere, &c.

Eximiũ lachrymarũ pretium.

Vniones maximi.

Matth. 5.

Si aures ornant vniones, multò magis oculos ornant causa Dei effusæ lachrymæ. Vnde D. Chrysostomus homil. 30. in Genesim: Quid, inquit, dic oro, Dauidis illius oculis formosiùs, perpetuo lachrymarum imbre, & quasi margaritarum decore ornantis, &c. Vis te gemmis fulgentissimis ornare, quæ Deo Angelisque placeant? funde lachrymas, doloris ob crimina concepti testes. Vis munera iudici gratissima offerre? has offerto margaritas. Sunt enim ad placandum iudicem potentissimæ. Hinc illud Laurẽtij Iustiniani in libro, qui Lignum vitæ nominatur, capite nono: O lachryma, inquit, humilis, tua est potentia, tuum regnum; tribunal iudicis non vereris, amicorum tuorum accusatoribus silentium imponis, non est, qui te ad Deum accedere vetet. Si sola intres, vacua non redibis. Quid plura? vincis inuincibilem ligas omnipotentem, inclinas filium Virginis, aperis cælum, fugas diabolum. Sic Iustinianus.

Chrysost.

Lachrymæ margaritæ.

Iustian.

Lachrymarũ potẽtia.

Odorem suauem efflant aquæ ex rosis floribusque igne expressæ; multò suauiorẽ efflant lachrymarum suauissimæ guttæ, diuinis amoris flamma excitatæ. Ignis ex floribus aquas elicit; diuinus Spiritus ex cordibus elicit lachrymas ac gemitus; iuxta illud Paulli: *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, hoc est, Spiritus sanctus nos ad postulandum adiuuat; postulare nos facit, suo auxilio & concursu opem ferens. Similem in modum Matthæi decimo ait Christus: *Non estis vos, qui loquimini; sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Postulare autem facit, cum lachrymis ac gemitibus, qui enarrari neque ũt, id est, maximis. Felix qui hos inenarrabiles gemitus in corde experitur. Spiritus diuinus lachrymas & gemitus mouet, mundanus mouet risus turpésque cachinnos. Quemadmodum vẽtus in aëre pluuiã: sic diuinus Spiritus in oculis lachrymas excitat; iuxta illud: *Flabit spiritus eius, & fluent aquæ.* Dicitur Deus aquis superiores cæli, vel aëris partes tegere: *Qui tegis aquis superiora eius.* Eumdẽ in modũ iusti viri, qui cęlo similis est, superiora, id est, mentẽ, caput, oculos, tegit lachrymis. Aquæ huiusmodi ad laudes Dei inuitantur: *Aquæ quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini.* id quod his, de quibus loquimur aquis, id est, lachrymis, quæ super cælos,

Rom. 8.

Matth. 10.

Psal. 147.

Psal. 103.

Psal. 148.

id est,

id eſt,iuſtos,ſunt,egregiè cõgruit.Egregiè enim hę ex oculis effuſæ aquæ Deum laudant, eiuſque tum iuſtitiam tum miſericordiã,bonitatemq; prędicãt.

Nullus ex animalibus præter hominem lachrymatur.

Nullum ex animalibus, præter hominem lachrymatur. Solus homo fundit lachrymas, quoniam ſoli homini lachrymæ proſunt.Nihil vtilitatis ex fletu animantia reliqua reportarent, etſi flere poſſent: homo verò vtilitatem, & quidem maximam, vt iam diximus, nempe peccatorum remiſſionem, æternamque conſolationem reportat. *Beati enim qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.*

Matth. 5. Lachrymas ſequitur cõſolatio. Tobiæ 3. Chryſoſt.

Quemadmodum ſequitur tempeſtatem tranquillitas, ita ſequitur lachrymas conſolatio. *Poſt tempeſtatem tranquillum facis,* ait Sara, *& poſt lachrymationem & fletum, exultationem infundis.* Chryſoſtomus hom. 6. in Matthæum: Sicut poſt vehementes imbres mundus aër ac purus efficitur: ita etiam lachrymarum pluuias ſerenitas mentis ſequitur, atque tranquillitas,omniſque illa de peccatorum tenebris effuſa caligo diſſoluitur, &c. Et Euthymius Matthæi 5. Habet,inquit,luctus repenſum ſibi gaudium. Quemadmodũ enim poſtquam vehemens pluuia deſcenderit, ſerenitas ſtabilior eſſe ſolet,ita quoque deductis lachrymis tranquillitas & gaudium animi ſuccedit, &c. Huc illud Annæ ſpectat.

1.Reg. 1.

Poſtquam magnam lachrymarum vim corã Deo effudit,vouitque votũ: *Vultus illius,* ait ſacer auctor, *non ſunt amplius in diuerſa mutati,* hoc eſt, præ mœrore vultum amplius non mutauit, mœſtã faciem amplius non oſtendit. Septuaginta vertunt: *Vultus eius non concidit amplius.*Ex Hebræo verbum ex verbo ſic reddes: *Et facies eius non fuit amplius,*hoc eſt,illa facies triſtis,quam habebat,amplius ei non fuit,abſceſſit poſt illas lachrymas & orationem. Illam enim lachrymarum pluuiam tranquillitas cordis & vultus ſecuta eſt. Neque ſolùm ſequitur lachrymas, ſed comitatur etiam conſolatio, mentiſque dulcedo.

Lachrymæ dulces.

Hinc illud D. Auguſtini Pſalm. 127. Dulciores,ait, ſunt lachrymæ orantium, quàm gaudia theatrorum,&c. Qui verò lachrymarũ hanc dulcedinem experiri cupit,riſus,delicias,& inepta gaudia ſpernat. Vt enim ait Magnus Gregorius in Commentariis libri primi Regum cap.1. prope finem: Non poteſt experiri,quæ ſit interna lætitia, niſi qui perfectè contemnere exteriorem curat, &c. In hunc ſenſum illud exponit: *Cor quod nouit amaritudinem animæ ſuæ, in gaudio eius non miſcebitur extraneus,*&c. Extraneus eſt, ait Gregorius, qui adhuc de bonis exterioribus intentionem delectationis habet, &c. Hic verò extraneus, qui extraneæ lætitiæ ſe tradit, in gaudio cordis, quod amaritudinem animæ ſuæ nouit, non miſcebitur, hoc eſt, non erit particeps illius lætitiæ, quam interna amaritudo, mœſtitia fletúſque parit.

Prou. 14. Greg.

Poſt huius vitę conſolationem,alia in cæleſti patria ſempiterna ſequitur lugentes conſolatio. Vt enim Ioannes affirmat: *Abſterget Deus omnem lachrymã ab oculis eorũ,*&c. O felices lachrymas, quas omnipotens Dei manus abſtergit. *Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent, euntes ibant, & flebant mittentes ſemina ſua: venientes autẽ venient cum exultatione portantes manipulos ſuos,*&c. Sementẽ ſanctorum operum iuſti lachrymis irrigãt,in cæleſti verò patria ſempiterno cum gaudio vberrimas glorię ſegetes demetũt. Poſt tempeſtates orbis huius,& lachrymarum imbres, ſempiterna ibi erit tranquillitas & ſerenitas. Ibi de quolibet iuſto veriſſimum illud erit,quod de Anna ſcriptum eſt. *Vultus illius non ſunt amplius in diuerſa mutati.*Sempiterna enim lætitia corda vultúſque beatorum omnium perfundet.Implebitur denique illud: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.*

Apoc. 21.

Lachrymæ æterna conſolatione remunerantur. Pſal. 125.

1.Reg. 1.

Pſal. 93.

CAPVT VIII.

Morale.

De eſurie & ſiti iuſtitiæ.

HÆc beatitudo indicat,quàm vehementi deſiderio iuſtitia,id eſt,virtus, ſit expetẽda. Vehementiſſima hominis appetitio, eſuries ac ſitis, vehementiſſimã quoque eſſe oportet virtutis appetitionem, ſiquidem virtutẽ eſurire & ſitire conuenit. Quemadmodũ qui eſurit vel ſitit, omni conatu cibum vel potum quærit: ſic qui virtutẽ eſurit & ſitit,omni labore virtutem comparat. Exclamauit olim Poëta: *Quid non mortalia pectora cogis, Auri ſacra fames?* Quod in eſuriem iuſtitiæ præclare quadrat. Quid non mortalia pectora cogit, iuſtitiæ veræ ſacra fames? Quid ſitis Dauidis facere coëgerit expende. *Deſiderauit Dauid aquam de lacu,* & ait: *O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna, quæ eſt in Bethlehem iuxta portam.*Hoc Dauidis deſiderium tres fortiſſimos viros, hoſtium caſtra, quæ iter obſidebant, irrumpere, aquam per ſummum periculum haurire, & ad Dauidem aſſerre compulit. Quod propter alienam ſitim ſtrenuiſſimi illi viri fecere: id fortiſſimi Chriſti milites, propter propriam iuſtitiæ ſitim faciunt. Caſtra vitiorum irrumpunt, hoſtes proſternunt, per mille pericula, labores, ac cruciatus iuſtitiam quærunt.

Virtutis appetitio vehemens eſſe debet.

Æneid. 3.

2.Reg.23.

Commendat inſulſos cibos fames, iuxta illud Senecæ epiſt.119.Nihil contemnit eſuriens;fames mihi commendabit,quodcumq; comprehendero, &c.Et illud epiſt.123. Malum panem tenerum tibi & ſiligineum fames reddet, &c. Vnde Naziãzenus in carmine ad ſuam animam, famem appellat obſonium. Commendat etiam amaram aquam, ſitis. Eumdem in modũ inſulſos labores, virtutis commendat appetitio,durum pœnitentiæ panem,tenerum reddit ac ſiligineum, amaram cõtumeliarum aquam, in nectar vertit, eſtque omnium ærumnarum ſuaue condimentum.Contrà ſicut is,qui faſtidio laborat, etiam ſuauiſſimos cibos reſpuit: ita is, qui iuſtitiæ fame & ſiti caret,faſtidioq; tenetur,ſuauiſſimas virtutum epulas repudiat ac reiicit. Nam, vt dicitur, *Anima ſaturata calcabit fauum: & anima eſuriens etiam amarum pro dulci ſumet.* Virtutum fauum dulciſſimum ſaturata faſtidioſaque anima conculcat.At quæ eſurit,amaros labores pro dulcibus ſumit.Vnde Beda hunc in locum:Anima,inquit,eorum,qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, etiam aduerſa ſæculi pro Domino, immò ipſam mortem perpeti dulce habet,ſciens ſe per poculum amaritudinis, ad gaudia perpetuæ ſalutis eſſe venturam, &c.

Fames virtutis ſuauẽ reddit laborem.

Prou.28.

Beda.

Lagi filio Ptolemæo Regi Ægyptum peragranti, comitibus non conſecutis, cum cibarius panis in caſa datus eſſet, negauit vllum cibum vnquam ſibi viſum ſuauiorem.Aderat enim optimum condimentum fames. Similem in modum Cyrus iunior, cùm in fuga aridis ficis, & pane hordeaceo veſceretur:Dij boni,inquit,cuiuſmodi voluptatis hactenus inexpertus fuit: videlicet numquã eſuriens cibum ſumpſerat.Artaxerxi præ ſiti iam deficiẽti, Eunuchus Peribarzanes, à ruſtico quodam ſordidum vtrem detulit, putris aquæ cotylas octo continentem.Eam aquam cùm Rex totam ebibiſſet,rogatus, Ecquid illi placuiſſet ille potus? Deo teſtatus eſt,ſe nunquam vinum potaſſe iucundius, nec vllam aquam quamuis puriſſimam, ſibi viſam iucundiorẽ. Cibarium panẽ, & hordeaceum duobus Regibus fames:aquam putrem Artaxerxi,ſitis ſuauem reddit: eundem in modũ iuſtitiæ fames ac ſitis,quidquid in virtute aſperum, quidquid horridum apparet,iucundum efficit ac delectabile.

Fames cibo inſuaui dulcedinem affert.

Sitis

Plutar. Sitis hæc iuſtitiæ & fames, vt Plutarchus teſtatur in lib. de profectu morum, progreſſus in virtute ſignum eſt. Qui enim virtutis deſiderio tenetur, progreſſum in virtute fecit. Primum argumẽtum (ait Plutarchus) quo te ſentias in virtutis ſtudio profeciſſe, eſt amoris immenſitas. Non eſt cõtenta Philoſophia, vt præſentia duntaxat nos amore ſui capiat, veluti vnguenta, quorum abſentia nemo diſcruciatur. Sed inediam quamdam, ſitimq; oportebit concipere, ſicubi auellimur. Talique argumento intelligere vtique licebit, nos verè profeciſſe, &c. Quemadmodum ei, qui ex graui morbo recreatur, ſanitatis ſignum eſt cibi appetentia: ſic ei, qui ex peccato conualuit, ſalutis indicium eſt, virtutis ſanctorúmque operum auiditas. *Initium illius*, id eſt, ſapientię, *veriſſima eſt diſciplina concupiſcentia*, &c. Et ſapientiæ, & virtutis cum ſapientia coniunctæ initium eſt, veriſſima ardénſque auiditas, ſiue fames & ſitis, de qua ſermonem habemus.

Signũ profectus fames & ſitis iuſtitiæ.

Sap. 6.

Eiuſmodi verò ſitis hæc & fames eſt, vt in hac vita expleri nunquam poſſit: immo accreſcit ſemper. Etenim fames & ſitis eſt iuſtitiæ, ſiue virtutis, quæ quò copioſior habetur, eò amplior deſideratur; quóque maior eſt, eò maiorem ſitim accendit; iuxta illud: *Qui edunt me, adhuc eſurient, & qui bibunt me adhuc ſitient.* Nullum in hac vita terminum habet caritas, reliquæque virtutes; iuxta illud: *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc; & ſanctus, ſanctificetur adhuc.* Ideo nullum quoque terminum habet ſanctimoniæ ſitis & deſiderium. Simile igni eſt de quo ſcriptum extat: *Ignis numquam dicit ſufficit.* Similem in modum hæc ſitis, hæc de qua loquimur cupiditas, numquam dicit, *ſatis eſt*, illúdque Caroli V. clariſſimi Imperatoris ſibi aſſumit: *Plus vltra.* ſemper enim vlterius progredi deſiderat, & illud Pauli: *Quæ retrò ſunt obliuiſcens, ad ea verò quæ ſunt priora*, id eſt, ad ea quæ ſunt ante me, *extendens me ipſum, ad deſtinatum perſequor*, &c.

Eccli. 24.

Fames & ſitis virtutis expleri in terra non poteſt.

Apoc. 22.

Prou. 30.

Phil. 3.

Fames hæc robur addit homini.

Corporis fames ac ſitis imbecillem reddit hominem, ita vt nec cum hoſte pugnare, nec opus aliquod laborioſum præſtare valeat. At hæc animi ſitis, hæc fames, mirum ad profligandos hoſtes, laborioſaque omnia opera peragenda robur homini affert, vt ex dictis conſtat. Hæc per omnes virtutes & beatitudines permeat, omnium auidiſſima. Paupertatem eſurit, ideóque opes, caducáque bona omnia abiicit; manſuetudinem deſiderat, & lachrymarum fontem ſitit; cordis munditiem exoptat, miſericordiam ceteráſque beatitudines concupiſcit.

Omnes homines beatitudinem deſiderant ac ſitiunt; cùm igitur vir Chriſtianus ex Chriſti doctrina intelligat, quænam ſint beatitudines; has eſurire, has ſitire debet in omni tempore; iuxta illud Dauidis: *Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore.* quem in locum Theodoretus ſic ſcribit: Multi diuina iudicia deſiderant, cælorúmque regnum appetunt, ſed non ſemper. modò diuinis oblectantur, & modò corporis affectus ſequuntur. Sed vates exoptat hoc habere deſiderium continuè, &c.

Pſal. 118.

Denique Salomon ad ſapientiam comparandam illam famem nobis ineſſe vult, quæ iis ineſt, qui pecunias quærunt & theſauros. *Si*, inquit, *ſapientiam inuocaueris, & inclinaueris cor tuum prudentiæ: ſi quæſieris eam quaſi pecuniam, & ſicut theſauros effoderis illam; tunc intelliges timorem Domini, & ſcientiam Dei inuenies*, &c. Vt refert Pierius lib. 16. olim in littore Africano, quod eſt è regione maioris Syrtis inter Libyam & Ægyptum, columna viſebatur: in qua vir erat cælatus, cui ſerpens diro morſu ſitim, quæ nulla aqua ſedari poterat, afferebat. Quam ob cauſam aderant & feminæ, quarum quædam aquatum ibant, aliæ aquam ſummopere ſitienti propinabant. En tibi auari hominis imaginem; auaritiæ morſu exulceratus ſic ſitit, vt expleri ſitis non poſſit. Eſt enim auaritia ſerpenti illi ſimilis, qui mordebat hominem, quíque à ſiti Græcum nomen inuenit. Dipſas appellatur à verbo δίψάω, id eſt ſitio. quoniam quos mordet, adeò ardenti ſiti conficit, vt quò potant magis, eò ſint potandi auidiores. Vide qua auiditate huiuſmodi homines pecuniam theſauróſque conquirant. eâdem tu quoque virtutem conſectare. Ab auro & argento famem, ad iuſtitiam transfer, vt Chriſtus docet cùm ait: *Beati qui eſuriunt & ſitiunt*, non aurum & argentum, ſed *iuſtitiam*, tamquàm aurum & pretioſas margaritas; iuxta illud Dauidis: *Dilexi mandata tua, ſuper aurum & topazion.* Auri fames expletur numquam; at iuſtitiæ fames explebitur tandem. Vt enim ait Dominus: *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.*

Matth. 5.

Pſal. 118.

Matth. 5.

Craſſo pecuniarum cupidiſſimo (qui, Plutarcho autore, dicere ſolebat: Neminem diuitem, aut dici, aut exiſtimari debere, qui facultatibus propriis exercitum alere non poſſet) liquefactum aurum in os infuſum dicitur, cum hac exprobratione: *Craſſe aurum ſitiſti, aurum bibe.* Sic auri ſitis turpiter eſt ſedata. At iuſtitiæ ſitis, magno cum honore, diuinæ voluptatis torrente in os totúmque animum & corpus infuſo expletur, cum præclaro hoc elogio: *Iuſtitiam ſitiſti, voluptatis flumina bibe.* iuxta illud: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

Plutar.

In cælo expletur ſitis fames, iuſtitia.

Pſal. 35.

CAPVT IX.

Morale.

De miſericordia.

DE miſericordia aliquid etiam eſt dicendum: *Beati*, inquit Dominus, *miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Iudicem habemus Deum, qui ſeueriſſimè iudicat; & extremum quoque quadrantem exigit. Propitium nunc reddere poſſumus; vt cùm pro tribunali ſederit, miſericordiam conſequamur. Reddit autem propitium miſericordia. Par pari refertur; miſericordia miſericordi; miſericors miſericordiam conſequitur. Pecunia hunc iudicem & muneribus placare fas eſt, non illi (nulla enim re indiget) ſed pauperibus, propter illum donatis. *Placabo illum muneribus*, ait Iacob, *quæ præcedunt, & poſtea videbo illum: præceſſerunt itaque munera ante eum*, &c. Muneribus fratrẽ ſuum placare voluit Iacob, muneribus, inquam, quæ præcederent. Hunc in modum iudex noſter placandus eſt, eleemoſynis ac muneribus, quæ præcedant mortem. Eſt quidem optimũ etiam poſt mortem eleemoſynas per manus aliorum largiri; ſed dum viuis, ipſe quoque per manus tuas munera, quæ te præcedant, elargire. Diuum Chryſoſtomum audiamus homilia quinta de pœnitentia: Ante iudicij, inquit, tempus mitigabilis eſt iudex. Quare dicit Dauid: *Præoccupemus faciem eius.* Illic magnum iudicem ars Rhetoris nulla decipiet; & nullius potentia mitigatur, dignitati non condeſcendit, non veneratur perſonam, ſed tremendum & implacabile iuſti iudicium. Hic verò iudicem exorabimus & placabimus, non pecunia. Magis autẽ (ſi verum dicere oportet) clemens ipſe piuſque pecunia ſuadetur, non ipſe manu, ſed per inopes accipiens. Da inopi pecuniam, & iudicem mitigaueris. Sic Chryſoſtomus docet placare iudicem: & in iudicio

Placandus iudex miſericordia.

Gen. 32.

Iudex pecunia pauperibus data placandus.

Pſal. 94.

per

per miſericordiam noſtram conſequi miſericordiam Dei.

Iacobi 2. Huc illud ſpectat: *Iudicium ſine miſericordia illi qui non fecit miſericordiam. Superexaltat autem miſericordia iudicium, &c.* hoc eſt, miſericordia iudicium commendat, eleuat, laudabile reddit. Id enim ſignificat verbum, *ſuperexaltat.* Dicitur autem miſericordia iudicium ſuperexaltare; quoniam hominem, qui iudicatur, ſuperexaltat, ac extollit. Aliter, metaphora ſumpta à trutina, exponi locus poteſt, hoc pacto: In libra Dei iuſtiſſima, in lance vna miſericordia collocatur, in altera iudicium; at miſericordia iudicio præponderat. Nam miſericordia iudicium ſuperexaltat, atque eleuat; quoniam maioris ponderis eſt. Diuus Auguſtinus, Pſalm. 143. ita interpretatur. Quid eſt, inquit ſuperexaltat autem miſericordia iudicium? Superponitur miſericordia iudicio, in quo inuentum fuerit opus miſericordię, &c.

Quomodo miſericordia iudiciũ ſuperexaltet.

Quid ſit gloriari miſericordiam aduerſus iudicium.

Græcè ſic habetur, καταχαυχᾶται ἔλεος κρίσεως, hoc eſt, *gloriatur miſericordia aduerſus iudicium.* Gloriari autẽ dicitur miſericordia aduerſus iudicium, quoniam iudicium ſuperat, & de iudicio triumphat. Gloriatur miſericordia (ait Oecumenius, in commentariis epiſt. Iacobi) aduerſus iudicium; ſiquidem miſericordes miſericordiã conſequentur: iuxta Domini ſententiam, &c. Deinde miſericordiam cum oleo confert, quo athletę corpus vngebant, ne ab aduerſariis teneri poſſent. Vt enim vnctum corpus è manibus elabitur, ſic oleo miſericordiæ cum caritate coniunctæ vnctæ anima, è manibus cacodæmonum eripitur. Tale quiddam (ait Oecumenius) videtur mihi hæc miſericordia efficere, quale hoc oleum ab arboribus manans in athletis illitum. Dat enim iſtud elabi, ne ab aduerſariis teneantur. Et ita etiam in vniuerſali iudicio miſericordia noſtra erga egenos, dabit effugere impetus, ac pericula, quæ à dæmonibus accuſatoribus noſtris, imminebunt. Sic ille. Et Auguſt. in lib. 50. homil. homil. 39. Ante fores gehennæ ſtat miſericordia, & neminem permittit in carcerem mitti, &c. At attende, oportere miſericordiæ adiicere pœnitentiam, vt peccatorum cõdonationem conſequaris. Lege ea de re Auguſtinum lib. citato homil. 19. Eleemoſynæ, inquit, poſſunt tibi prodeſſe ad delenda peccãta præterita; ſi mores mutaueris. Si autem in eiſdem malis perſeueraueris, eleemoſynis tuis nõ corrumpes iudicium Dei, &c.

Oecum.

Auguſt.

Miſericordia vita æterna emitur.

Itaque miſericordiam Dei miſericordia noſtra veluti emimus; ſiquidem miſericordes miſericordiam Dei conſequuntur. Quamobrem D. Chryſoſtomus homilia 5. de pœnitentia, mirabiles nobis propoſitas nundinas ait; in quibus paruis noſtræ miſericordiæ operibus, infinitam Dei miſericordiam emamus. Nundinæ, inquit, nobis mirabiles ſunt; quamdiu nundinæ perdurant, demus eleemoſynam, ſalutem emamus, &c. Item epiſt. 2. ad Timotheum hom. 6. vitam æternam docet miſericordia in pauperes emi. Duæ, inquit, vitæ propoſitæ ſunt, temporalis, & æterna; vẽdit illas Deus. Cæterum æternam nobis vili pretio dare mauult. Et poteſt, inquies, vita pecuniis emi? poteſt, ſi noſtra in pretium demus, &c. Diuus Auguſtinus in lib. 50. homil. homil. 39. Fælix (inquit) operarius, cultor eleemoſynarum; eo quòd ære ſuo comparauerit cælum, &c.

Chryſoſt.

Aug.

3. Reg. 6. *Ex oliua Salomon oſtiola fecit intimæ partis templi, quæ Sancta Sanctorum dicitur*: & cælum adumbrat. Signum eſt miſericordiæ oliua; oſtia verò ex oliua in Sanctis Sanctorum fabricata, ſignificant miſericordiam ingreſſum nobis in Sancta Sanctorum, id eſt, cælum aperire. Etenim cæli oſtia ex miſericordia

Miſericordia in cælum præbet ingreſſum.

ſunt fabricata. Ex monte oliuarum aſcendit in cælum Chriſtus; ex monte miſericordiæ aſcendet Chriſtianus. Columba in arcam Noë intromiſſa oliuæ ramum roſtro preferebat, columbina anima in cælum intromittenda, præferat miſericordiam. *Venite benedicti* (ait Dominus) *poſſidete paratum vobis regnum, eſurini enim, & dediſti mihi manducare, ſitiui, & dediſtis mihi bibere*, &c. En miſericordiæ datur regnum cæleſte, & miſericordes miſericordiam conſequuntur.

Geneſ. 8.

Matth. 25.

A corde miſericordia dicitur, quia à corde incipit; à corde tranſit ad os, & manus. Ad os, inquam, ita vt blandis verbis opis indigentem compellet, minimèque acerbis; iuxta illud: *In omni dato non des triſtitiam verbi mali: Nonne ecce verbum ſuper datum bonum? ſed vtraque cum homine iuſtificato*, &c. Neque verò ſatis verba ſunt, accedant opera; iuxta illud *Filioli mei non diligamus verbo, nec lingua; ſed opere, & veritate.* Gregorius li. 20. Moral. ca. 14. Dilectio, inquit, noſtra ſemper exhibenda eſt, & veneratione ſermonis, & miniſterio largitatis, &c.

Miſericordia, ore, & opere.

Eccli. 18.

1. Ioan. 3.

Greg.

Suadet præterea Auguſtinus in lib. 50. homilia. homil. 39. vt proximi indigentis preces minimè expectemus; ſed vltrò non petenti tribuamus. Si enim miſericordia in corde eſt, feſtina eſt, preces antegreditur. Perfecta (ait Auguſtinus) miſericordia eſt, vt ante occurratur eſuriẽtibus, quàm roget mendicus. Non enim eſt perfecta miſericordia, quæ precibus extorquetur, &c. At ſemper mendici precedunt preces; ſi enim ore tacet, certè ipſa paupertate loquitur. Vnde idem Auguſtinus loco indicato: Si tacet, inquit, mendicus, loquitur pallor in facie, &c. Hinc illud D. Chryſol. ſer. 121. de Lazaro, & diuite: Deus inquit, ad aperiendum cor diuitis, totum corpus panperis vulneribus aperit; vt in admonendo diuite tot eſſent pauperis ora, quot vulnera, &c. Hæc ſatis, alibi enim de miſericordia redibit ſermo.

Non ſunt expectande indigentis preces. Auguſt.

Ipſa paupertas ſine voce clamat. Chryſol.

CAPVT X.

Morale.

De munditia cordis.

CORDIS munditia ſequitur, Chriſtianis ſummoperè neceſſaria, qui Dei æternam viſionem adipiſci exoptant. Etenim, *beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Quis aſcendet in montem Domini*, id eſt, in cælum altiſſimum, *aut quis ſtabit in loco ſancto eius?* rogat Vates. Et reſpondet: *Innocens manibus & mundo corde.* Duplici ait opus eſſe munditia, manuum, id eſt, operum, & cordium, id eſt, cogitationum atque affectuum. Ars corda minimè curat. Pingit eximiis coloribus hominis imaginem pictor, ſtatuam ſtatuarius fabricatur; de vultu, veſtibus, externâque ſpecie ſolum modò ſoliciti ſunt; de corde nulla cura. Similis arti eſt hypocriſis, ſimiles pictoribus, & ſtatuariis hypocritæ, quales olim erant Phariſæi; de quibus Dominus: *Hypocritæ benè prophetauit de vobis Eſaias dicens: Populus hic labiis me honorat; cor autẽ longè eſt à me*, &c. Natura verò, & gratia cor maximè curant. Prima naturæ cura dũ homo gignitur cordis eſt; vt Ariſtoteles ſentit. Nam in libro de iuuentute, & ſenectute, capite primo, cor primum ex membris omnibus procreari affirmat. Cor, inquit, animantium ſanguine prædito rum primum gignitur, &c. Plinius quoque libro 11. capite 37. Cor, ait, primum naſcentibus formari in vtero tradunt, &cet. Diuus quoque Baſilius Pſalm. primo, Natura cor præmolitur, ac vice

Matth. 5. Pſal. 23.

Duplex munditia cordis & operis.

Matth. 15. Iſaiæ 29.

Cor maximè curat natura, & gratia.

fundamenti præstruit,&c. Adde(vt alios omittam) D.Thomam secunda secundæ quæstione 122.art.2. In generatione (ait) animalis primò generatur cor, &c. Natura primam curam in cor producendum confert; gratia primam curam ad cor expurgandum adhibet.

Pharisæorũ & Christi quam diuisa beatitudinis pictura.

Pharisæi bonæ virtutis mali pictores,externam quandam iustitiæ imaginem depingebant, de corde parum solliciti erãt. Externum pingebant vultum, iuxta illud, *Exterminant facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes.* Pingebant item os,& labia: *Populus,* inquit, *hic labiis me honorat.* Vestes quoque pingebant: *Dilatant phylacteria sua, & magnificant fimbrias.* At cor parum curabant: *Cor*, ait, *eorum longe est à me.* Gratiæ princeps, & auctor Christus, pulcherrimæ iustitiæ, & beatitudinis pulcherrimus pictor, non externam solùm beatitudinis,& virtutis effigiem; sed internam quoque medullam, & cor diuinis verbis exprimit. *Beati,* inquit, *mundo corde*: Non est satis ad beatitudinem externam virtutis speciem; internum cor purum,omníque vitio expurgatum adiungere oportet. Non satis est ieiunare, orare, eleemosynas largiri, cæteraque Christiana officia externa præstare, cor hæc omnia flagitant. Quemadmodum homo ex corpore externo, & anima interna componitur; sic virtutis opera ex externa actione, & interna animi intentione, ac puritate conflantur. Mortuus homo est, qui animo caret, vel si mauis cadauer est hominis; eundem in modum mortua virtus est, cui cordis innocentia deest, vel si mauis cadauer est virtutis. Elargitus est quispiam pauperi sex mille aureos: Opus eximium,omnibúsque laudibus prædicandum! At ob inanem gloriam, vel prauum aliquem finem impuro corde elargitus est. Opus mortuum, ô misericordiam mortuam, ô misericordiæ cadauer! Deest enim illi anima,id est,cordis puritas. *Si distribuero* (ait Apostolus) *in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest*, &c. Quid autem prosint opera mortua alibi dicendum.

Matth. 23. *Matth. 15.* *Matth. 5.* *1.Cor. 13.*

Fons Bonitatis est cor mundum.

Fons bonitatis cor est purum,quamobrem meritò beati dicuntur mundo corde; siquidem bonitatis fontem ipsum,purum habent ac mundum. Diuus Thomas Matthæi 23. Tota animi puritas exterior est à puritate interiori, &c. Lege eundem D. Thomam prima secundæ quæst. 20. Et secunda secundæ quæstione 122. Huius quæstionis art. 3. ait fundamentum bonitatis,esse bonitatem internam voluntatis. In generatione,inquit,animalis primò generatur cor;in domo primò ponitur fundamentum, & in bonitate animæ, prima pars est bonitas voluntatis,&c. Beatus igitur is,qui hanc basim,hoc fundamentum constituit; eoq; posito virtutes extruit, operáque excitat: iuxta illud Domini *Munda prius, quod deforis est mundum*, id est, munda cor internum,vt sit mundum opus externum. Et illud Augustini Psal. 125. Si volueris vt exteriora munda sint,interiora mundato,&c.

Matth. 23.

Radix probitatis cor.

Radix probitatis cor est, vitæ, & decoris, qui virtutibus inest. Quemadmodum externa corporis vita,ac decor, ex interna viscerum valetudine, ac puritate oritur:sic virtutum solida pulchritudo ex interna cordis, & sanitate, & mũditia emanat. Non potest riuulus purus esse, si fons, ex quo effluit, sit impurus; nec potest opus esse mundum, Deóque gratum,si cor ex quo emanat, sit immundum. Deus (ait Augustinus sermone duodecima de verbis Apostolorum) cor interrogat, non manum, &c. Arescit arbor, cuius arescit radix; similem in modum aridum est opus, si cor aruit, gratiæque vigorem amisit. Toto igitur corde, cordis puritas, & sanitas procuranda est: siquidem fons radixque est probitatis.

Augustin.

Præterea,vt ait Origenes homil. 25. in Matth. cor nostrum altare est. Quis autem ferat altare Dei conspurcari? Vt altare mundum sit,vt ornetur,vt niteat, curamus; curemus igitur, & toto corde curemus,vt cordis altare ornatum sit,virtutũ splendore nitidum,nullíque peccati sordibus inquinatum. Procul à corde Christi throno,sordes, procul sit spurcitia,auro splendescere oportet tanti Regis solium, non sordescere. Solium autem Christi cor esse,ac templum Paulus docet,*Christum*,inquit, *habitare per fidem in cordibus vestris in caritate radicati, & fundati*,&c. Vide quali auro,velit Paulus Dei solium fulgere;& quali in solo cor hominis radicari. *In caritate*, inquit, *radicati, & fundati.* Aurum caritas est; hoc cælesti auro cupit rutilare diuinum thronum. In caritate vult Apostolus radices cor agere, in ea fundamenta ponere, vt dulces operũ fructus proferre possit. Caritatis radix puros fructus operum: cupiditatis radix impuros atque immundos profert. Augustinus serm. 44. de tempore; Sicut in caritate nihil vmquam mali; ita in cupiditate nihil vmquam boni poterit inueniri. Istæ duæ radices in duobus agris,à duobus plantãtur agricolis. Vnam in cordibus bonorum plantat Christus; aliam in cordibus malorum plantat diabolus. Nec de caritatis radice nascetur aliquid mali, nec de radice cupiditatis aliquid boni, &c. Addit sanctissimus Pater: Consideret quisque agrum cordis sui,& qui in se caritatem viderit, gaudeat, & germina in se sancta custodiat. Qui verò in agro cordis sui qualemcumque stirpem cupiditatis inspexerit: Christo adiuuante extirpet cupiditatem,& plantet caritatem. Nam quamdiu hoc facere noluerit, fructus bonos afferre non poterit. Sic Augustinus.

Cor altare Dei, quod mundum necesse est.

Cor Christi solium, & templum. Ephes. 3.

Augustin.

Duæ radices, altera caritatis, altera cupiditatis.

Cor hominis rector & auriga.

Denique cor totius hominis rector, & auriga est. Si igitur scelerum immundiia obcæcatum sit, illud nobis eueniet, quod Dominus ait; *Cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.* Lege Chrysostomum Psalm. 4. ad illa verba, *Filij hominum vsque quo graui corde?* quo loco cor aurigæ locum tenere docet, his verbis; Cor graue dixit Dauid, malorum esse causam, quòd cùm aurigæ locum teneat, non solùm equũm non cohibeat, sed etiam deorsum præcipitet. Et cùm oporteat carnem alatam efficere; cum ægritudinum onere pessundatur. Quando ergo vel auriga, vel gubernator talis fuerit, quænam est spes salutis? Sic Chrysostomus.

Matth. 15. Chrysost. Psal. 4.

Mundus cor efficit immũdum.

Cor autem immundum efficit mundus. Mundus enim plenus sordibus criminum cor inquinat. A mundo ergo, & corpore segregandum est cor, si mundum vis habere cor. Satius est cor habere mundum, quàm totum possidere mundum. Audi Platonem in Phædone: Purificatio in hoc consistit, vt quàm maximè possumus, animum à corpore seiungamus, eúmque assuefaciamus per se vndique à contagione corporis seuocari, & colligi, &c. Luteum cor appellat Chrysostomus cor corporis,mundíq; voluptatibus mancipatum. Nihil,inquit,Psal. 4. cor facit adeò graue,vt libido, & ad ea, quæ ad hanc vitam pertinent affectio, & terræ affixum esse. Quod tale est cor, non errauerit, qui cor luteum appellarit, &c.

Surſum attollenda corda sunt.

Surſum corda quotidie sacerdos in sacris clamat;ne lutea fiant, sed cælestia. A corde, dixit supra Chrysostomus oportere carnem effici alatam. Quòd si ipsum cor alis careat, quo nam modo carnem alatam poterit efficere? Refert Pierius lib. 21. dixisse olim Zoroastrem animum esse alatum;

Pierius.

tum; at decidentibus alis præcipitem in corpus ferri. Hoc animo, hoc cordi euenit; alæ ſi decidunt, in carnem decidit, humiq́ue in cœno, lutoque carnali, inſtar ſuis ſeſe volutat atque putreſcit. Vnde illud Auguſtini ſerm. 50. de tempore: Leua cor in cælo, ne putreſcat in terra, &c. Idem Auguſtinus ſerm. 44. Cor iuſtorum cælum eſſe ait. Igitur vt cælum à terrenis ſordibus, ita cor iuſti à terrenis cupiditatibus extollatur.

Putreſcit cor in terra

Viſio Dei totius beatitudinis fons.

Præmium autem mundi cordis, Dei viſio eſt, totius beatitudinis fons. Ex viſione enim amor, & fruitio emanant in animam; in corpus verò ſplendor ſummaque gloria. Corde mundo videtur Deus, quemadmodum oculo mundo videtur ſol.

Præmium cordis mũdi

Neque immundo oculo videri poteſt ſol mundiſſimus; neque impuro corde videri poteſt Deus puriſſimus. Vt enim ait Plato in Phædone: Impuro purum attingere nefas eſt. Neque verò ſolùm in cælo, ſed in terra etiam ij, qui mundo corde præditi ſunt, Deum videbunt. In cælo quidem videbunt perſpicuè, &, vt Paulus ait, *Facie ad faciem*; in terra autem per contemplationem. Qui enim purum, ab omnique terrenæ fęcis contagione ſegregatum cor habent; ij Deum contemplantur, contemplationiſque deliciis affluunt. Qui verò terrenis voluptatibus ſeſe manciparunt, porcis ſimiles in terram conuertunt oculos, cælumque minimè ſuſpiciunt. Audi Nyſſenum Gregorium libro de Virgin. cap. 5. Vitæ, inquit, huius (id eſt, quæ in puriſſima virginitate traducitur) omne ſtudium atque inſtitutum illud eſt; vt ne voluptatum impetu, animi deprimatur altitudo. Néve nos qui cæleſtia contemplari, quíve ad diuina animo contueri debemus; ad corporis affectiones delapſi cadamus. Quo enim modo animus noſter, qui inferiori huic carnis voluptati mancipatus eſt; atque in humanorum affectuum appetitionem totus incumbit; poteſt cognatum illud lumen, quódve mente ipſa cernitur, vacuo & libero ſenſu aſpicere; cùm is prãua quadam atque inerudita anticipatione, ad humiles has res & lutulentas, aciem intendat? Nam vt porcorum oculi natura in terram conuerſi rerum cæleſtium aſpectum non habent; ſic animus corporis luxu perditus, cùm ad humilia, & ad ea quæ ſunt pecudum inclinatus ſit, non cælum amplius, neque reliquarum rerum conuenientiam, & decorem cernere poterit. Sic ille.

Plato.

1. Cor. 13.

Greg. Nyſſ.

Idem Nyſſenus in libro de Beatitudin. Chriſti verba, *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*: aliter interpretatur, de Viſione, qua Deus à nobis videtur, non in ſeipſo, ſed in imagine ſua, quæ in corde mundo effulget. Eſt ſenſus ex Nyſſeno: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum in ſe habebunt, & in ipſo mundo corde, veluti imagine Dei, Deum videbunt. Non mihi videtur Chriſtus (ait Gregorius Nyſſenus) quaſi ex aduerſo ſpectandum Deum proponere ei, qui animæ oculum habuerit expurgatum. Sed forſitan hoc nobis magnificentia dicti ſuggerit; quod etiam ad alios Chriſtus apertiùs exprimit, vbi dixit: *Intra vos eſt regnum Dei*: vt doceamus, quòd qui cor ſuum ab omni creatura, atque vitioſa affectione expurgauit, in ſua ipſius pulchritudine, diuinæ naturæ imaginem intuetur, &c. Addit Nyſſenus: Quemadmodũ enim ij, qui in ſpeculo ſolem vident, etiamſi cælum ipſum fixis oculis non contueantur, in ſplendore ſpeculi ſolem vident. Ita etiam vos, etiamſi vires vobis non ſuppetant, ad contemplandum lumen inacceſſum; ſi ad eum, qui ab initio in vobis conſtitutus eſt, animæ decorem ac gratiam, reuerſi fueritis, in vobis ipſis, quod quæritis, habetis. Puritas enim, & vitiorum affectuumque vacuitas, & ab omni malo alienatio, Deitas eſt. Si igitur hæc in te ſunt, Deus prorſus in te eſt, &c. Ita Nyſſenus. Vnde colliges cor mundum imaginem eſſe diuinæ puritatis: eum verò qui mundum cor habet, cùm ſe intuetur, diuinæ puritatis effigiem quamdam intueri. Nam, vt ait idem Nyſſenus: Qui corde mundo præditus eſt, dum ſuam puritatem intuetur, per imaginem formam principalem animaduertit. Eſt ergo ſenſus moralis: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum in ſua munditia & puritate veluti in imagine quadam puriſſimi Dei videbunt.

Cor mundũ diuina Puritatis imago.

Matth. 5.

Luc. 17.

Puritas & vitiorum

Cuum & vacuitas, Deitas eſt.

Quo autem modo diuina imago in nobis reſplendeat, docet idem ſapientiſſimus Pater eodem loco ſic ſcribens: Si diligenti & accurata vita, ſordes cordi illicitas & obductas, rurſus ablueris, reſplendebit in te diuina pulchritudo. Quemadmodum in ferro fieri ſolet: cùm id quod paulò antè nigrum erat, per cotem detracta rubigine, ſplendores quoſdam in ſe, ad ſolem refulgens, & nitores edit. Ita homo quoque internus, quem cor Dominus nominat: cùm ſordes rubiginoſas abſterſerit, rurſus cum originali & principali forma, ſimilitudinem recuperabit, &c.

Dei pulchritudo in corde mundo reſplendet.

His adde, homines, qui immundum cor habent, in ſeipſis cernere dæmonem, poſſéque rectè de huiuſmodi hominibus dici: *Infelices immundo corde, quoniam ipſi dæmonem videbunt.* Videbunt, inquam, tum in tartaro poſt mortem, tum in ſeipſis, ſuáque impuritate, etiam ante mortem. Quemadmodum enim mundo corde fulgidi, Deum hìc in ſeipſis vident: ita immundo corde ſordidi, cernunt dæmonem in ſeipſis. Eſt enim immundum cor dæmonis facies & effigies, vt ait idem Nyſſenus: Si beati, inquit, ſunt, qui puro corde prædíti ſunt, miſerabiles omnino ſunt, qui mentem ſordidatam habent, quoniam faciem aduerſarij intuebuntur. Item: Si ipſa diuina effigies imprimitur vitæ cum virtute coniunctæ, perſpicuum eſt, quòd vita vitioſa, forma, ac facies aduerſarij exiſtit. Sic ille.

Immũdum cor imago cacodæmonis.

Obſerua etiam quid nomine cordis Nyſſenus intellexerit, nempe hominem internum: Homo, inquit, internus, quem cor Dominus nominat, &c. Duos habet homines vnus homo: alterum internum, alterum externum. Externi lautitiam, ornatum, ſplendorem plerique curant: interni puritatem deſpiciunt. Lege Chryſoſtomum hom. 74. in Matth. Multæ, ait, viæ exterioris ornatus exhibentur: magna cura & vigilia eius rei multos exagitat. Animæ verò decus & purgatio, penitus negligitur. Nam ſi conſcientiam ſingulorum cernere poſſemus, multos ibi vermes, multam ſaniem, atque incomparabilem reperiremus fętorem. Cupiditates dico improbas, quæ vermes ſpurcitia mirum in modum excedunt, &c. At verò interni hominis & abſconditi puritatem, & ornatum maximè quærendum, docet ſummus Pontifex Petrus de feminis loquens: *Quarum, inquit, non ſit extrinſecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus. Sed qui abſconditus eſt cordis homo, in incorruptibilitate quieti, & modeſti ſpiritus, qui eſt in conſpectu Dei locuples,* &c. Et Paulus: *Accedamus cum vero corde, in plenitudine fidei, aſperſi corda à conſcientia mala,* &c.

Homo internus deſpicitur, externus ornatur. Chryſoſt.

1. Pet. 3.

Hebr. 10.

Denique cùm neceſſaria adeò, expetendáque ſit cordis munditia, abſque cuſtodia verò diligentiſſima haberi nequeat, diligentiſſimè cuſtodiendum cor eſt, vt mundum ſit. Et quidem Salomon non quamcumque, ſed omnem cuſtodiam ad hanc rem iure flagitat. *Omni, inquit, cuſtodia cuſtodi cor tuum; quia ex ipſo vita procedit*, &c. Ex ipſo vita procedit, & corporis, & animi. Si vitam diligis,

Cor diligẽtiſſimè cuſtodiẽdum. Prou. 4.

vitæ fontem vigilanter cuſtodi. Naturam ipſam imitare, quæ hunc vitæ theſaurum penitus recluſit; &, vt Plinius ait, muro veluti quodam muniuit. *Plin.* lib. 11. cap. 37. Cordi (ait ille) præcipuus calor: palpitat certè, & quaſi alterũ mouetur animal. Intrà præmolli firmóque opertum membranæ inuolucro; munitum coſtarum, & pectoris muro; vt par erat, præcipuam vitę cauſam & originem, &c. Præterea obſeruant Anatomes periti, oſſa, quæ cor cuſtodiunt, effigiem referre gladij. Si cor habes, hoc eſt, ſi ſapis, natura ipſa te docet, quem in modum cor tuearis, adhibe murum, & gladium. Ad cuſtodiendum terreſtrem paradiſum, adhibuit Deus Cherubinos, flammeúmq; gladiũ, vt leges Gen. 3. *Cor vt à natura ſit munitum.*

Gen. 3. *Collocauit ante paradiſum Cherubim, & flammeũ gladium, atque verſatilem, ad cuſtodiẽdam viam ligni vitæ*, &c. Tuus paradiſus tuum cor eſt, pro foribus ſtatue Cherubinos, flammeúmque ſtatue gladium; ne tartareus irrepat ſerpens, ſuóque illud ſordidiſſimo peſtiferóque veneno contaminet.

CAPVT XI.

Morale.

De pacificis.

DE pace iam diximus tom. 1. lib. 8. cap. 16. & cap. 20. nunc aliqua adiungemus. Duces, atque imperatores à bello ſibi titulos pepererunt. A bello Africano Africani, ab Aſiatico Aſiatici, à Macedonico Macedonici ſunt appellati. Dux noſter imperatorq; Opt. Max. Dei Filius non à bello, ſed à pace titulum habere voluit, principem enim non belli, ſed pacis vocandum, Iſaias vaticinatur: *Vocabitur*, inquit, *nomen eius, princeps pacis, multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis.* Hic eſt verus noſter Melchiſedech, *Rex Salem*, id eſt, pacis, vt Paulus interpretatur, hic noſter Salomon, hoc eſt pacificus. Denique hic pax noſtra, ſic enim appellat Apoſtolus, *Ipſe* ait, *eſt pax noſtra*, &c. Pacem ille admirabilem in ſe habuit. Nihil enim pugnæ, nihil intra ſe habuit inteſtinæ ſeditionis, nihil inter carnem, & ſpiritum diſſidij; nihil inter rationem, & appetitum diſcordiæ, nihil inter diuinam, humaríamq; naturam diſſenſionis. Pacem in ſe habuit, pacem quoque hominibus locutus eſt, iuxta illud: *Loquar pacem gentibus*, & Paulus: *Veniens*, inquit, *euangelizauit pacem vobis, qui longè fuiſtis, & pacem iis, qui propè*, &c. Hominibus pacem dedit, atque reliquit, *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Pacem per ſummos cruciatus illis promeruit: *Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum*: hoc eſt, punitio, & caſtigatio, quæ nobis pacem peperit, ſuper eum fuit. *Interficiens inimicitias in ſemetipſo.* Chriſti enim morte inimicitiæ, quæ inter Deum, & homines erant, mortuæ ſunt. Mors Chriſti (ait Chryſoſtomus in comment.; inimicitiam interemit, vulnerauit, ac perdidit, &c. Denique pacem fecit, noſq́ue Deo reconciliauit. *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi*, &c. *Vos cùm eſſetis aliquando alienati, & inimici ſenſu*, id eſt, mente, *in operibus malis, nunc autẽ reconciliauit in corpore carnis eius, per mortem*, &c. Item eodem capite: *In ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipſum. Pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt*, &c.

Chriſtus à pace nominatur, non à bello. *Iſaiæ 9.* *Hebr. 7.* *Epheſ. 2.* *Chriſtus pacem ſemper habuit, & fecit.* *Zach. 9.* *Epheſ. 2.* *Ioan. 14.* *Iſaiæ 53.* *Epheſ. 2.* *2. Cor. 5.* *Coloſſ. 1.*

Expende quæſo Dei bonitatem, ipſe nos ad reconciliationem, pacémque vocauit; Filium ſuum pacificatorem miſit, qui per ſanguinem, & crucem pacem fecit. Expendit hæc Chryſoſtomus in commentarijs epiſtolæ ad Coloſſenſes 1. Magnum, inquit, eſt reconciliari, quòd verò per Chriſtum hoc factum eſt, maius eſt. Atque hoc quoque ipſo maius eſt illud, quòd per ſanguinem eius factum eſt; & non ſimpliciter per ſanguinem, ſed quod amplius etiam eſt, per crucem. Itaque quinque ſunt hîc præcipua, & admiranda, Deo nos reconciliauit; reconciliauit, inquam, Chriſtus, per ſe ipſum; per mortem, per crucem. Hæc ille. Nec ſolùm Deo, ſed etiam Angelis nos reconciliauit: quod ſignificant verba illa Pauli. *Pacificans per ſanguinẽ crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt*, &c. In terris erãt homines, in cęlis Deus, & Angeli: terreni homines Angelis cæleſtibus recõciliati ſunt. Auguſtinus in Enchiridio ad Laurent. cap. 62. Per ſacrificium, inquit, in quo mediator eſt immolatus, pacificantur terreſtria cum cæleſtibus, & cæleſtia cum terreſtribus, &c. Itaque maximus fuit pacificator Chriſtus. Maximum autem hunc pacificatorem Dei Filium naturalem, pacifici adoptiui Filij Dei imitãtur: pacem enim ſectantur, ſeruant, & pro viribus efficere nituntur. *Angelis & Deo Chriſtus nos reconciliauit.* *Coloſſ. 1.* *Auguſt.*

Eſt autem pax triplex, pax cordis, pax oris, pax operis. Eſt enim pax ſeruanda tùm in corde, tùm in ore, tùm in opere. Pax cordis, tranquillum reddit cor, & quietum. Lege Ambroſ. lib. 2. de Iacob, & vita beata, cap. 6. Perfectorum eſt, inquit, non facilè mundanis moueri, ſed quaſi in littore tutiſſimo aduerſus inſurgentes fluctus ſæcularium procellarum, mentem immobilem fida ſtatione placidare. Hoc firmamentum Chriſtianis mentibus Chriſtus inuexit; pacem in terram inuehens animis probatorum. Vt nõ turbętur cor noſtrum neque exagitętur animus. Item: Vita, ait, iuſti quieta eſt, iniuſtus perturbationis plenus eſt, &c. De iniuſtis dicitur, *Impij quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt*, &c. De corde iuſti: *Pax Chriſti exultet in cordibus veſtris.* Cor impij veluti mare procellis agitatur; in corde iuſti pax viget, triumphat, atque exultat. Sancti viri (ait Gregorius in commentariis capit. 3. Iob) qui nihil huius mundi appetunt, nullis in corde tumultibus premuntur, &c. *Pax triplex cordis, oris, & operis.* *Ambr.* *Iſaiæ 57.* *Coloſſ. 3.* *Greg.*

Auari autem, ambitioſi, iracundi, & ſimilium cor, deſideriorum turba, ac multitudine perturbatur: &, vt cum Gregorio dicam, conculcatur. Omnes (inquit loco citato) qui vel illicita appetunt, vel in hoc mundo aliquid videri volunt: denſis cogitationum tumultibus in corde comprimuntur. Dúmque deſideriorum turbas intra ſe excitant; proſtratam mentem pede miſeræ frequentationis calcant, &c. Lege Chryſoſtomum hom. 29. ad populum Antiochenum, in qua manſueti hominis animam cum tranquilla ſolitudine; ira verò perciti mentem, cum foro confert, & tumultu, mediiſq́ue ciuitatibus, vbi multus eſt euntium & redeuntium clamor, camelorum, mulorum, &c. Gregorius verò lib. 6. Moralium cap. 17. terrenam actionem inquietæ molæ ſimilem eſſe ait. Quid, inquit, per molam niſi actio terrena ſignatur, quæ dum colla mentis per ſtulta deſideria conſtringit, mentem in laboris circuitum mittit, &c. Vt verſatur inquieta mola: ſic is, qui terrenis actionibus ſe mancipat: iuxta illud: *In circuitu impij ambulant.* *Cupidorum perturbatio* *Greg.* *Chryſoſt.* *Greg.* *Pſal. 11.*

Pacem cordis mortificatio parit, & appetitionum veluti ferarum compreſſio, & frænatio. Vnde mortificato viro id, quod legitur contingit: *Beſtiæ terræ pacificæ erunt tibi.* Beſtię terrę ſunt corporis, ſiue carnis appetitiones; hæ virum improbum diſcerpunt, ac laniant; at viro probo pacificæ ſunt. Quòd ſi aliquando fremant, ac rugiant, tamen quia cauea continentur, morſum nequeunt infigere. Beſtiæ (inquit Gregorius in commentariis Iob) intra continentiæ clauſtra redactæ; etſi adhuc tentando rugiunt *Pacem facit mortificatio.* *Iob. 5.* *Greg.*

Magnum pacis à Chriſto factæ beneficium. *Chryſoſt.*

rugiunt, vsque ad morsum tamen illicitæ actionis, non excedunt, &c. D. Leo serm. 1. de quadragesima: Tunc, ait, est vera pax hominis, & vera libertas; quando & caro animo iudice regitur; & animus Deo præside gubernatur, &c. Parit etiam pacem legis Dei dilectio; iuxta illud: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum*: quòd scilicet pacem tollat. Accedit illud Christi: *Tollite iugum meum super vos, id est, legem meam, & inuenietis requiem animabus vestris.*

D. Leo. Legis dilectio & obedientia pacem facit. *Psal. 118.* *Matth. 11.*

Si igitur pace frui vis, legem Dei dilige, animique prauos affectus vince. Hæc enim victoria vtilior, quàm illa est, quæ de hominum exercitu debellato reportatur, quemadmodum vtilior est pax animorum, quàm corporum. Istius pacis (ait Ambrosius loco suprà citato) maior est fructus, quo spiritalis nequitiæ tentamenta, quàm quo arma hostilia repelluntur. Ista pax sublimior, quæ corporalium passionum excludit illecebras, perturbationésque mitigat; quàm ea, quæ barbaricos sedat incursus. Plus est enim clauso intra se hosti resistere, quàm remoto, &c. Lege Chrysostomum in fine Psalmi 4. Nihil, ait, æquè solet pacem facere, ac Dei cognitio, & virtutis possessio, quæ animi perturbationum internum bellum domo procul eiicit. Sanè si hac pace homo non fruatur; etiam si sit extrinsecus summa pax, est omnium, qui viuunt in terra miserrimus. Neque enim quæcumque sunt feræ gentes tam atrox bellum gerunt, quàm improba ac nefaria cogitatio, quæ versatur in penetralibus animi, & quæ non castigatur, intemperans libido, & amor pecuniæ, & potentiæ vehemens desiderium, & in res, quæ ad hanc vitam pertinent affectio. Illud enim est bellum externum, hoc internum. Hæc ille & alia, quæ lege si libet.

Ambr. *Chrysost.*

Ex pace cordis, pax oritur oris. Cor pacatum ac tranquillum, tranquilla ac pacificatoria verba profert. Cor ira concitatum iracunda verba, pacémque disturbantia in os, quemadmodum furens mare tumidos fluctus in littus, deuoluit. *Ex abundantia enim cordis os loquitur*, vt ait Dominus: *Fratres oderant Ioseph, nec poterant ei quidquam pacificè loqui*, &c. Erat in corde odium, verba pacifica pellebat ex ore. Sit in corde caritatis pax, verba pacifica in os immittet. Dauidis in corde pax erat, & erga Saulem caritas, inde in ore verba pacis plena. Quàm pacificè cum hoste & insectatore suo loquatur, considera, tunc cum ab eo ad necem quærebatur. *Inclinans se Dauid pronus in terram adorauit, dixitque ad Saul: Quare audis verba hominum loquentium: Dauid quærit malum aduersum te? Pater mi, vide, & ignosce oram chlamydis tuæ in manu mea, quoniam cùm perscinderem summitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum meam in te. Quem persequeris Rex Israel? Canem mortuum persequeris, & pulicem vnum*, &c. Insectatorem non iracundo, sed blando sermone compellat, & ad pacem adducere conatur vir maximè pacificus. Lege Chrysostomum tomo primo in fine homil. de Dauide & Saule.

Pax oris ex pace cordis oritur. *Matth. 12.* *Gen. 37.* *1. Reg. 24.*

Multùm habent ponderis ad conficiendam pacem verba pacifica. Nam, vt est in Prouerbiis, *Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem*, &c. Et, *Lingua mollis confringet duritiam*, &c. Pacifica lingua, mollis est & blanda. Sed sua hac mollitie, rixarum duritiem frangit. Pacificus, siue pacificator non addit oleum camino sermone duro, sed aquam infundit suaui oratione. Huiusce rei si quæris exemplum lib. 1. Regum, in quo mitissimum Dauidem dura Nabalis verba, iracundia magnopere inflammarunt. *Hæc faciat*, inquit, *Deus inimicis Dauid, & hæc addat, si reliquero de omnibus, quæ ad ipsum pertinent, vsque mane, mingentem ad parietem*, &c. Contra verò Abigailis blanda verba & dona, excitatam iræ flammam, aquæ instar, restinxerunt. Vnde Dauid ait: *Benedictus Dominus Deus Israel, qui misit te hodie in occursum meum, & benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie ne irem ad sanguinem, & vlciscerer me manu mea*, &c. Quæ verba indicant pacificum hominem, qui pacem facit à Deo mitti, benedictum esse illius eloquium, ipsum quoque esse benedictum, qui inimicitiarum rixarúmque ardores sedat & extinguit. *Deus* (inquit Dauid pacificæ Abigaili) *misit te hodie in occursum meum, & benedictum eloquium tuum, & benedicta tu*, &c.

Verba pacifica iram sedant. *Prou. 15.* *Prou. 25.* *1. Reg. 25.*

Denique, vt ait Ecclesiasticus: *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos, & lingua eucharis in bono homine abundat*, &c. Si pacem cum amicis vis seruare, si inimicos tibi vis conciliare; linguam habeto eucharim, id est, gratiosam, &, vt est in Græco textu, εὐλαλον, hoc est, bene loquentem, placidam, pacificam. Caue ne ira veluti febris linguam exasperet; cùm oritur ira, tunc diligentiorem linguæ curam habeto; vt lenis sit ac placida. In febri (ait Plutarchus libro de cohibenda iracundia) bonum est, sed melius in ira, linguam teneram ac lenem habere, &c. Teneram vult nos habere linguam; & benedictione plenam diuus Petrus, nec iracundiæ febri exasperatam: *Non reddentes malum pro malo* (ait summus Pastor) *nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes, quia in hoc vocati estis, vt benedictionem hæreditate possideatis*, &c. Vocati sumus à Deo, vt æternam benedictionem consequamur, debemus igitur dum viuimus, omnibus etiam iis, qui nos insectantur benedicere; nemini autem maledicere. Qui benedictionis hæres est; benedictionem, non maledictionem, in ore gerat.

Ecclí. 6. *1. Pet. 3.*

Oportet in Catholica doctrina seruare pacem & consensum. *1. Cor. 1.* *Hebr. 13.* *Ephes. 4.* *Greg. Naz. orat. 12.* *Dissentiens doctrina dissidia parit.* *Iacobi 2.* *Phil. 4.* *Rom. 15.* *Phil. 2.*

Ad pacem oris, pax & consensus pertinet Catholicæ doctrinæ ac fidei. Vno enim & eodem ore, de rebus fidei loquendum est; iuxta illud Pauli: *Obsecro vos fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Sitis autem perfecti, in eodem sensu, & in eadem scientia.* Necesse est, Christianos omnes summa cum pace de rebus fidei idem penitùs sentire; *Sitis*, inquit Paulus, *perfecti in eodem sensu, & in eadem scientia.* Præterea, idem penitùs loqui; *Obsecro*, ait, *vos, vt id ipsum dicatis omnes.* Ad Hebr. *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci, optimum est enim gratia stabilire cor*, &c. Et ad Ephes. *Vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, ad circumuentionem erroris*, &c. Consentiens doctrina pacem parit; dissentiens discordiam ac dissidia maxima, vt docet Gregorius Nazianzenus: Nihil, inquit, eos qui sincero animi affectu Deum colunt, æquè inter se conciliat, atque consentiens de Deo doctrina. Quemadmodum contra, nihil ad dissidium ita promptum ac paratum est, vt diuersa in hac re animorum sententia, &c. Quod satis probant, pacis & vnitatis disturbatrices hæreses. Sapientia, quæ è cælo est pacifica dicitur à diuo Iacobo, quia pacem seruat: *Quæ*, inquit, *desursum est sapientia primùm quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens*, &c. Et Paulus: *Pax*, ait, *Dei custodiat intelligentias vestras.* Pax enim custodit intellectum, ne à veritate dissentiat, & aberret. *Deus autem spei, repleat vos omni gaudio, & pace in credendo*, &c. Id est pacem det vobis in fide. Item, eodem capite: *Deus det vobis idipsum sapere in alterutrum, secundùm* IESVM CHRISTVM, *vt vnanimes, vno ore, honorificetis Deum*, &c. *Implete gaudium meum, vt idem sapiatis; eamdem caritatem habentes, vnanimes, idipsum*

i dipſum ſentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, &c. Lege Chryſoſtomum homil. 11. ad Epheſ. in Morali. Hanc fidei vnitatem ait D. Gregorius 2. parte paſtoralis capite 4. indicari malis punicis, quæ ex Pontificis veſte pendebant. Vt enim malum huiuſmodi vno cortice multa grana continet; ſic Eccleſia multos Chriſtianos vna eadémque complectitur fide. Quid, inquit, per mala punica niſi fidei vnitas deſignatur? Nam ſicut in malo punico, vno exterius cortice, multa interius grana muniuntur, ſic innumeros ſanctæ Eccleſiæ populos, vnitas fidei contegit, quos intus diuerſitas meritorum tenet. Clamat diſcipulis veritas, *Habete ſal in vobis, & pacem habete inter vos*, ac ſi figuratè per habitum ſacerdotis dicat; Mala punica tintinnabulis iũgite, vt per omne quod dicitis vnitatem fidei cauta obſeruatione teneatis. Sic Gregor.

Greg.

Marci 9.

De pace operis.

Tertia pax eſt operis. Pacis autem opera illa ſunt, quibus vel pax conſeruatur, vel odia, rixæq; ſedantur. Neminem lædere, omnibus pro viribus beneficia præſtare, id demùm eſt, pacem opere ſectari. *Inquire pacem, & perſequere eam.* Fugit aliquando pax, quia ab amicitia, amicus deficit in diſcordiam; tu pacem fugatam inquire, verbis, factiſque perſequere, quod docet Salomon & Paulus, his verbis; *Si eſurierit inimicus tuus ciba illum, ſi ſitierit potum da illi*, &c. Hæc pacis opera ſunt, inimicum cibo potúque reficere, & beneficiis ad pacẽ inducere. Cibo, potu, pacificis verbis, pacificiſque operibus, pax perſequenda eſt. Hoſti Malcho Chriſtus abſciſſam aurem reſtituit, vt te doceret etiam hoſtes beneficiis proſequẽdos, vt ait Chryſoſt. Ioãnis 18. ſimiliter Eliſeus 4. Reg. 6. magna ciborum præparatione plenam menſam, hoſtibus iuſſit apponi.

Pſal. 33.

Prou. 25. & Rom. 12.

Oſeæ 11.

In funiculis Adam (inquit Dominus) *traham eos, in funiculis caritatis*: Tu ſimiliter in funiculis Adam, hoc eſt hominis, quæ ſunt beneficia, in vinculis caritatis, inimicos trahe. Sic Saulem traxit Dauid. Cùm enim Saul à Dauide ſibi vitam in ſpelunca condonatam intellexit: leuauit vocem ſuam, & fleuit, dixitque ad Dauid; *Iuſtior es, quàm ego; Tu enim tribuiſti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala*, &c. Similem in modum cùm idem vitę beneficium à Dauide iteratum cognouiſſet, depoſito furore ait; *Peccaui, reuertere fili mi Dauid, nequaquam enim vltra tibi malè faciam, eò quod pretioſa fuerit anima mea in oculis tuis hodie*, &c. Fratrem Eſau cùm placare vellet Iacob, dixit; *Placabo illum muneribus.* Abigail quoque muneribus Dauidem placauit. Ethnici quoque accipe exemplum, vt narrat Seneca lib. 1. de clementia, Delatũ ad Cęſarem Auguſtũ indicium eſt, L. Cinnam inſidias ipſi ſtruere: vnus ex conſciis deferebat. Dum angeretur, & rem verſaret animo, Liuię vxoris conſilium cepit. Suaſit autem illa, vt ignoſceret. Cinnã vocat, inſidias aperit. Ad extremum orationem ſic concludit. Vitam tibi Cinna iterum do, prius hoſti, nunc inſidiatori, ac parricidæ. Ex hodierno die inter nos amicitia incipiat. Contendamus vtrũ ego meliori fide vitam tibi dederim, an tu debeas. Poſt hæc detulit vltrò conſulatum, queſtus quòd non auderet petere. Beneficio & clementia inſidiatoris furorem reſtrinxit; amiciſſimum, & fideliſſimum deinceps habuit. Noli vinci ab Ethnico imperatore, vir Chriſtiane. Denique vt Paulus ait, *Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum.* hoc eſt, noli vinci à malo odij, vel à malo inimici, ſed vince in bono, id eſt, benefic iis, ipſum malum.

1. Reg. 24.

1. Reg. 26.

Gen. 32.

1. Reg. 25.

Seneca. Auguſti clemẽtiæ factũ memorabile

Rom. 12.

Pax Dei, ait, *exultet in cordibus veſtris, in quo & vocati eſtis in vno corpore*, &c. Græcè pro, exultet, verbũ eſt, βραβευέτω, quod ſignificat etiam, vinco in certamine, & brauium, vel palmam fero. Vnde Pagninus vertit: *Pax Dei palmam ferat in cordibus veſtris.* Biblia regia: *Pax Dei ſuperet in cordibus veſtris.* Cùm igitur cum aduerſario contendis, non vincat iracundia, ſed brauium, & palmam ferat pax, iracundia mœſta recedat ac victa, pax vincens exultet in corde. Apud Theodoretum βραβευέτω, ſignificat inſtar braueutæ, & agonothetæ, id eſt, præfecti gymnicis ludis moderari, ac regere, ſic enim interpretatur Paulum. Si quis, inquit, ab aliquo modeſtiam aliquam acceperit: habeat in corde pacẽ agonothetæ officio fungentem, & regentem, & Deo gratam concordiam procurantem, &c. Similiter Oecumenius; Quoniam, inquit, pugnant frequenter cogitationes, arbitram vult Paulus eſſe pacem in cordibus, ac relegare contrarias cogitationes, &c. Chryſoſtomus verò: Si duæ, inquit, pugnent cogitationes, ne ſtatuas iram, nec violentiam, & inſultationem tenere brauium, & præmium; ſed pacem, &c.

Coloſſ. 3.

Pax vincat nõ odiũ & diſcordia.

Pax triplex alia cũ Deo, cum proximo, cum ſeipſo.

Eſt item pax triplex, vt colliges ex Origene ad Roman. 5. initio capitis. Pax hominis cum Deo; pax cum proximo, pax in ſeipſo. Deus pacis Deus eſt, Bellum cum hominibus, vel inimicitias gerere non vult Deus (ait Chryſoſtomus hom. 11. 2. Corinth. 5.) numquam inimicitias gerit, &c. Quia videlicet inimicitiarum cauſa ipſe non eſt, ſed nos à quibus offenditur grauiter. Offenſus verò ipſe ad pacem inuitat, & legatos mittit pacis, iuxta illud Pauli, *Deus nos reconciliauit ſibi per Chriſtum, & dedit nobis* id eſt, Apoſtolis, *miniſterium reconciliationis.* Item: *Deus propoſuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Chriſto ergo*, id eſt, loco Chriſti, *legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Obſecramus pro Chriſto* (id eſt, vice Chriſti) *reconciliamini Deo*, &c. Quid huic excellẽtiæ par fuerit (ait Chryſoſtomus in hunc locum) Deus contumelia affectus, non ſolùm non exigit pœnam, ſed & dedit Filium ſuum, vt conciliemur. Et poſtquam, qui acceperant, non ſunt conciliati, ſed & occiderunt: iterum miſit alios legatos obſecrantes, &c. Diuus Gregorius hom. 32. in Euangelia; Ecce inter nos, & Deum diſcordiam peccando fecimus, & tamen ad nos Deum legatos ſuos prior miſit, &c.

Deus ad pacẽ inuitat peccatorẽ.

2. Cor. 5.

Chryſoſt.

Mittit Deus legatos pacis, mittit concionatores, qui rebelles homines, atque improbos in Dei gratiam, pacémque reuocent. At ſæpè infecta pace mœſti redeunt, iuxta illud, *Angeli*, id eſt, nuncij, *pacis amarè flebunt.* Quæ verba D. Hieronymus de Apoſtolis interpretatur, quos Deus Angelos, pacíſque legatos ad Iudęos miſit. Cùm verò plerique pacem repudiaſſent oblatam, magno cum dolore Angelorum pacis, euerſi, totóq; orbe diſperſi ſunt. Nos verò audiamus pacis Angelos; lugeamus, ne lugeant ipſi, peccata noſtra deploremus, vt lætentur, pacem cum Deo conficiamus, vt exultent. Legati ſiue Angeli pacis, concionatores, prælati, & confeſſarij ſunt, pacem inter nos Deúmque conciliantes, amarè flent, ſi nos crimina non flemus. Lætantur non quia flemus, ſed quia ad pœnitentiam flemus, iuxta illud Pauli, *Gaudeo, non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam. Contriſtati enim eſtis ſecundùm Deum*, &c.

Mittit Deus legatos pacis.

Iſaiæ 33.

Angeli pacis audiendi.

2. Cor. 7.

Cum iis, qui per confeſſionem, & pœnitentiam iuſtificati ſunt, pacem Deus facit, vnde Paulus: *Iuſtificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum*, &c. Quo circa peccatrici mulieri poſtquam peccata lacrymis abluit dicitur à Domino, *Vade in pace.* Pſal. *Iuſtitia, & pax oſculatæ ſunt.* Vbi enim iuſtitia eſt, & mandatorum obſeruatio, ibi & pax. *Vtinam attendiſſes ad mandata mea, facta fuiſſet ſicut flumen pax tua.* Et: *Si in via Dei ambulaſſes, habitaſſes vtique in pace ſuper terram*, &cet. Et Hieronymus epiſtola 139. ad Cyprianum in explanatione Pſal. 89. obſeruat, Pauli

Per pœnitentiam pax fit.

Rom. 5.

Lucæ 7.

Pſal. 84.

Iſaiæ 47.

Baruch 3.

Hieron.

Epiſtolas

Epistolas non priùs pacem, postea gratiam, sed versa vice, priùs gratiam habere, postea pacem. Quia pacem non nisi remissis per gratiam peccatis consequimur. Omnes (ait Hieronymus) epistolæ Pauli in salutationis principio, non prius pacem habent, & sic gratiam: sed antè gratiam, & sic pacem. Vt donatis nobis peccatis nostris, pacem Domini consequamur, &c.

Gratia cur pacem præcedat.

Pacem Dei ait Paulus, omnem superare intellectum: *Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras.* Dubium est, quomodo pax superet omnem intellectum. Etenim cognoscit intellectus Dei pacem, & amicitiam, & quibus in rebus sita sit, quóve præmio afficiatur, non ignorat. Respõdebit aliquis, Paulum loqui de sensu, non de intellectu, pacem autem Dei, omnem sensum hominũ vincere; neque enim sensu percipitur. Sed hoc responsum ex Græco contextu refutatur; ex quo constat, sensum, hoc loco significare mentẽ & intellectum. Est enim Græcè νοῦς. Lyranus, Carthusianus, & Cardinalis Hugo facilè nodum dissoluent. Interpretantur enim pacẽ Dei, Deum appellari, Deus autem, vt compertum est, omnem mentem exsuperat. Illorum sensus est, pax Dei, id est, Deus, qui exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra. D. Ambrosius de mente aduersariorum locum videtur interpretari, his verbis: Hoc, ait, idcirco dixit Apostolus, quia qui cum Deo habet pacem, non timet omnem mentem aduersam, &c. Sensus erit; Pax Dei exsuperat omnem mentem & intellectum aduersariorum, omnes eorum machinationes, insidias, ac cogitationes. Qui enim stabilem cum Deo pacem confecit, omnia vincit, quæ impij aduersus ipsum excogitant & machinantur. Vt in martyribus perspicuè cernitur. Hunc sensum sequitur Adamus. Primasius quoque: Pax, inquit, Dei quæ exsuperat omnem sensum, qua malos sustinet & ingratos. Vel; Pax Christi, qua pro persequentibus orabat, recogitata, omnem mentem furiosam exsuperat, &c. id est, omnes aduersarios furore percitos vincit. Nisi velit dicere. Pax Christi recogitata vincit nostram mentem furiosam, id est, furore & iracundia, excandescentem. Meditatio enim pacis Christi aduersus hostes, iram in nostro pectore exorientem extinguit. Similiter Auctor Commentariorum in epist. Pauli, qui inter opera D. Hieronymi circumferuntur: Christi, ait, pax, qua pro suis persecutoribus exorabat, si recogitemus, omnem mentem superat & inclinat, &c.

Phil. 4. Pax Dei qua ratione omnem sensum superet

Ambr.

Primas.

Quid sit pax hoc loco.

Mihi pax hoc loco non videtur sumi pro Deo, ideóque Lyrani sensus nõ placet. Nec sequor sensum Ambrosij aut Primasij, quia puto verba illa, *quæ exsuperat omnem sensum*, significare, id quod sonant, videlicet pacem Dei non posse comprehendi intellectu, & perfectè cognosci in hac vita. Verbum Græcum ὑπερέχω, quo vtitur Paulus, significat supereminere & excellere. Est ergo sensus; *Pax Dei, quæ exuperat* & vincit omnem hominum intellectum, *custodiat corda vestra*, &c. Superat autem pax Dei omnem intellectum, quia quantum bonum sit, quàm expetendum, quàm magno præmio afficiendum, nullus hominum intellectus perfectè cognoscit in hac vita.

Theoph. Superat omnem intellectum modus quo Christus pacẽ fecit.

Præterea quia, vt Theophylactus ait, modus, quo per Christum pax hæc nobis est comparata, admirabilis est, omnémque mentem excedit. Reconciliatio (ait Theophylactus) quam Deus cum hominibus fecit, excedit omnem intellectum, ne dum humanum, sed etiam Angelicum. Perinde ac si dicat Paulus, Deus hac ratione nos liberauit, vt ne vllus quidem intellectus comprehendere possit, &c. In cuiusnam quæso mentem ad faciendam cum hominibus pacem Dei incarnatio, tormenta, crux, & acerbissima mors venire potuissent? Nisi Deus hęc feciſſet, quis ea cogitando assequi valuisset? Pax ergo Dei exuperat omnem intellectum. Vide Clarium ad Philipp. 4. Chrysostomus: Pax, inquit, Dei, quam cum hominibus fecit, omnem exuperat cogitationem. Quis enim superauit tanta aduentura bona? pro inimicis tradere suum Filium non recusauit, vt pacem nobiscum faceret, &c. Quòd si Paulus loquitur de intellectu, suis tantùm cum viribus considerato: sic liquet pacem Dei omnem intellectum superare.

Chrysost.

Oecumenius ait pacem Dei propterea excedere omnem intellectum, quòd cum inimicis etiam pacem habere iubeat. De illa, inquit, pace loquitur Paulus, de qua ait Christus; *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Cùm enim dixerit, vt etiam erga inimicos pacem habeant, nónne excedit omnem intellectum? Sic ille.

Oecum.

Porrò pax cum Deo idem velle, & idem nolle exigit; hoc est, mandatorũ omnium obedientiam. D. Leo ser. 6. de Natiuit. Domini: Quid est, inquit, pacem habere ad Deum, nisi velle quod iubet, & nolle quod prohibet? Si enim humanæ amicitiæ pares animos, & similes expetunt voluntates, neque vmquam diuersitas morum, ad firmam potest peruenire cõcordiam, quomodo diuinæ particeps erit pacis, cui ea placent, quæ Deo displicent, & iis appetit delectari, quibus illum nouit offendi? Hæc ille. Et sermone 9. Christiano vera pax est à Dei voluntate non diuidi, & iis solis, quæ Deus diligit, delectari, &c.

Pacẽ habet cũ Deo qui idem vult, quod Deus. D. Leo.

Pax vera Christiani quæ.

Pax hominis in seipso est cordis, de qua suprà iam diximus. Illud hoc loco adiiciemus Ambrosij epist. 82. lib. 10. Vetus, inquit, dictum est; Assuescè vnus esse. Vt vita tua quamdam picturam exprimat, eamdem seruans semper imaginem, quam acceperit, &c. Non poterit homo eamdem seruare vultus imaginem foris, nisi cor tranquillum sit intus.

Pax hominis in seipso. Ambr.

Pax cum proximo illa est, quæ cum hominibus habetur. *Si fieri potest*, ait Paulus, *quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes*, &c. Item: *Quæ pacis*, inquit, *sunt, sectemur.* Et: *Vnusquisque proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem*, id est, vnusquisque proximi commoda quærat, & pacem cum eo seruet. Proponit Christi exemplum: *Etenim Christus non sibi placuit*, &c. At verò Christus maximè sibi placuit. Nihil enim erat in Christo, quod ipsi displicere posset. Quid ergo significat Paulus, cùm ait, Christum sibi minimè placuisse? Respondetur, Christum non sibi placuisse, id est, non sua quæsiuisse commoda, sed tormentis potius se obtulisse, vt nobis pacem compararet. Propterea adiungit Apostolus; *Sed sicut scriptum est; Improperia improperantium tibi, ceciderunt super me*, &c. Quid est, ait Chrysostomus: Non placuit Christus sibi? Respondet; poterat nulla ferre opprobria, poterat, quæ passus est, non pati; si quæ sua erant spectare voluisset. Verùm noluit, sed quod nostrum erat respiciens, quod suum, neglexit, &c. Itaque *Christus non sibi placuit*, idem est, ac si diceret; Non ea quæsiuit Christus, quæ carni naturaliter placent, id est, quietem, voluptatem, dolorum omnium fugam, sed laborem, cruciatus, crucis mortem pro salute nostra. Vel; Christus non fecit voluntatem suam humanam naturalem carnis, quæ cruciatum refugiebat naturaliter; iuxta illud: *Pater si fieri potest, transeat à me calix iste*, &c. Idem nos facere oportet, nec nostræ voluntati, sed proximi potiùs commodis & paci obsequi. Similem in modum: *Non quæ sua sunt*, id est, sua

Pax hominis cũ proximo quæ. Rom. 12. Rom. 14. Rom. 15.

Quid sit illud Pauli, Christus nõ sibi placuit.

Matth. 26.

Phil. 2.

ſua commoda (ait Apoſtolus) *ſinguli conſiderantes, ſed ea quæ aliorum.* Deinde exemplum Chriſti adiungit; *Hebr. 13.* *Theoph.* *Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu,* &c. *Pacem ſequimini cum omnibus,* &c. id eſt, pacem perſequimini. Theophylact. Reputa, inquit, quod dixit Paulus; *Pacem perſequimini*; hoc eſt, pacẽ etiam remotam, ac quæ procul eſt, ſtudete comprehendere, ad vos ipſos attrahentes, &c.

Ioan. 17. *Chriſtiani vnum ſint pace.* *Serua* (ait Dominus) *eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, vt ſint vnum, ſicut & nos,* &c. Suos diſcipulos vult pacis vinculo ita conſtringi, vt vnum ſint. Pater, Filius & Spiritus ſanctus perſonæ tres ſunt; vnus Deus tantummodò, vnam numero habens naturam. Chriſtiani non ſunt vnus homo numero, ſed ſunt vnius naturæ ſpecificæ. Sunt prætereà vnum corpus myſticum Chriſti, præterea pace atque concordia vnum eſſe oportet. *Solliciti* (inquit Paulus) *Epheſ. 4.* *Vnitas Chriſtianorum.* *ſeruare vnitatem ſpiritus, in vinculo pacis.* Nam pax vinculum eſt, Chriſtianorum multitudinem in vnitatem colligans; diſcordia diſrupto vinculo, diſrumpit vnitatem, colligatóſque diſpergit, ac diſſipat. Addit Paulus ad pacem, & vnitatem incitamenta; *Vnum,* inquit, *corpus, & vnus ſpiritus; ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus, & pater omnium,* &c. hoc eſt; Vnum corpus eſtis Chriſti myſticũ, vnum & eũdem habetis S. Sanctum. Vel, ſiquidem vnũ corpus eſtis, eſtote etiã vnus Spiritus. Eſt vnitas corporis myſtici, ſit vnitas, & pax ſpiritus, & animorũ; iuxta illud: *Actor. 4.* *Coloſſ. 3.* *Multitudinis credentiũ erat cor vnũ, & anima vna,* &c. *Pax Dei exultet in cordibus veſtris, in qua & vocati eſtis, in vno corpore,* &c. Ad pacem (ait Paulus) vocati eſtis non ad rixas; vocati, inquam, in vno corpore myſtico. *Vnum corpus cur voluerit nos eſſe Dominus.* Vnum enim corpus omnes Chriſtianos eſſe voluit Dominus, vt pacem inter ſe veluti membra eiuſdem ſeruarent corporis. Deus (ait Theodoretus in hunc locum Pauli) quivos vocauit, vnum corpus ex vobis omnibus conſtituit, id ergo ne *Theodor.* diuidatis, &c. Et Oecumenius; Ordinauit Chriſtus, *Oecum.* vt pacem habẽdo, omnes vnum corpus efficiant, & ipſe ſit noſtrum caput. Vt hoc modo mutuum *Chryſoſt.* inter nos diſſidium fugiamus, &c. Chryſoſtomus homil. 14. in Ioann. Non quantam amicus amico debet propinquitatem, tantam nos habere inuicem oportet: ſed quãta eſt membri ad membrum, hac amicitia aliam maiorem nemo vmquam inuenire poſſet. *1. Cor. 12.* *Omnes in vnum corpus baptizati ſumus,* ait Apoſtolus. Quid ſignificat in vnum corpus? ne diuidamur, ſed mutuã conſuetudinem, amicitiámq; tamquam vnum corpus ſeruemus. Nolimus inuicem alter alterum contemnere, ne noſipſos contemnamus. Nemo vmquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit, & fouet. Sic Chryſoſtomus.

Vocationis vnitas pacem oſtẽdit. Poſtulat hanc ſpiritus vnitatem & pacem, etiam ipſa vocationis vnitas. Omnes enim Chriſtiani ad cæleſtem beatitudinem vocati ſumus. Eandem vnitatem poſtulat vnitas Domini. Vnum enim Dominum habemus omnes Chriſtum, omnes illius ſerui ſumus. Vnitas præterea fidei, quia idem omnes credimus. Vnitas item baptiſmi; quo abluti ſumus, vnum enim baptiſma eſt Chriſti, quod in nomine ſacroſanctæ Trinitatis donatur. Denique Dei, & Patris vnitas vnitatem animorum flagitat in Filiis; *Epheſ. 4.* *Chryſoſt.* *Vnus,* inquit, *Deus, & pater omnium,* &c. Addit Chryſoſtomus homilia 14. in Ioann. Propterea hunc mundum tamquam domum vnam nobis Deus largitus eſt, vnum ſolem omnibus lucere fecit, vno nos tecto, cælo videlicet, operuit. vnam cunctis menſam, hoc eſt, terram communicauit. Impartitus eſt aliam longè maiorem, vnam tamen (id eſt, menſam Euchariſtiæ) vnum generationis modum omnibu slargitus eſt ſpiritalem.

A Vna nobis & communis in cælo patria, &c. D. Leo ſer. 6. de Natiuitate. Gratia, inquit, Patris non diſcordes, neq; diſſimiles, ſed vnũ ſentientes, vnúmque amantes adoptauit hæredes. Ad vnã reformatos imaginem oportet animũ habere conformem, &c. D. Cyprianus in lib. de orat. Dominica; Pacifi- *D. Cypri.* cos, & concordes, atque vnanimes eſſe in domo ſua Deus præcipit, & quales nos fecit ſecunda natiuitate, tales vult renatos perſeuerare. Vt qui Filij Dei eſſe cœpimus, in Dei pace maneamus, & quibus ſpiritus vnus eſt, vnus ſit & animus, & ſenſus, &c.

Hanc vnitatem auguſtiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum nobis commendat. Myſticè enim in tanto ſacramento, pax, & vnitas populi Chriſtiani B ſignificatur. Iuxta illud Eccleſiæ in oratione ſecreta de feſto corporis Chriſti; *Eccleſia,* inquit, *quæſumus Domine, vnitatis & pacis dona concede, quæ ſub oblatis muneribus myſticè deſignantur.* Diuus Auguſtinus tra- *Aug.* ctatu 26. in Ioannem; O ſacramentum pietatis; ô ſignum vnitatis: ô vinculum caritatis, &c. Item; Sicut etiam ante nos hoc intellexerunt homines *Vnitas Chriſtiana in auguſtiſſima Euchariſtia commendatur.* Dei, Dominus corpus & ſanguinem ſuum, in eis rebus commẽdauit, quę ad vnum aliquid rediguntur ex multis. Namque aliud, id eſt, panis, in vnum ex multis granis conficitur; aliud, ſcilicet, vinum, *1. Cor. 10.* in vnum ex multis acinis conſluit, &c. *Vnus panis* (inquit Paulus) *& vnum corpus, multi ſumus, omnes qui de vno pane & de vno calice participamus,* &c. Lege Bedam C in hæc verba Pauli, & de conſecratione diſtin. 2. c. *Quia paſſus.* Catechiſmus Concil. Trident. in tractatu de Euchariſt. pag. 255. Cùm vnum Eccleſiæ corpus ex multis membris compoſitum ſit, nulla re magis elucet ea coniunctio, quàm panis vinique elementis. Panis enim ex multis granis cõficitur, & vinum ex multitudine racemorum exiſtit; atq; ita nos cũ multi ſimus, huius diuini myſterij vinculo arctiſſimè colligati, & tamquam vnum corpus effici declarant, &c.

Adde vnionem Chriſtiani populi cum Chriſto capite, illa aqua indicari, quæ in calice admiſcetur vino, vt teſtatur Concilium Trid. ſeſſione 22. ca. 7. *Cõcil. Trid.* his verbis; Cùm aquæ Apocal. 17. populi dicantur: *Aqua quæ vino cõmiſcetur vnitatem indicat Chriſtiani populi cũ Chriſto* D ipſius populi fidelis cum capite Chriſto, vnio repræſentatur, ſcilicet, mixtione aquæ & vini in calice. D. Cyprianus epiſt. 63. Quando, inquit, in calice *Cyprian.* vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur, & credẽtium plebs ei, in quem credidit copulatur, & coniungitur. Quæ copulatio & coniunctio aquæ & vini, ſic miſcetur in calice Domini; vt cõmixtio illa non poſſit ab inuicẽ ſeparari. Vnde Eccleſiam, id eſt, plebem in Eccleſia conſtitutam, fideliter & firmiter in eo, quod credidit perſeuerantem, nulla res ſeparare poterit à Chriſto, quo minus hæreat ſemper, & maneat indiuidua dilectio. Sic Cyprian.

Vnitas mater conſeruationis. Vnitas mater eſt conſeruationis, diuiſio mater euerſionis, iuxta illud Domini: *Omne regnum in ſe ipſum diuiſum deſolabitur.* Pax, quæ animorum *Luc. 11.* E vnitatem efficit, Rempublicam conſeruat; diſcordia, quæ diuiſionem parit, Rempublicam exſcindit. Dicitur Empedocles duo rebus principia tribuiſſe; Litem, & Amicitiam. Amicitiam vel *Empedoclis dictum.* concordiam, aſſerebat res omnes in antiquum chaos redigere, litẽ verò ex chao extrahere. Longè aliter in hominibus ſe res habet. Lis enim, atque diſcordia, in perturbatiſſimum malorum omnium chaos homines ducit, pax atque concordia educit. Murus eſt pax Reipublicæ. Quemadmodum enim murus vrbem; ſic pax regna, vrbes, domóſque tuetur, ac defendit. Tolle murum, facile vrbem euertent hoſtes; tolle pacem, idem eueniet. Sepem aufer horti, flores conculcantur, fructus diripiuntur; adhibe ſepem, tam flores, quàm fructus

conſer-

Muri pacis. conseruantur. Aufer pacem; vineæ, horti, segetes, agri, homineſque ipſi deuaſtantur. Cæleſtis Ieruſalem (ait Auguſtinus ſer. 168. de tempore) muros de pace conſtructos habet, &c. Omnia his muris defenduntur, nullus ingreditur hoſtis, nulla perturbatio, nullus dolor, florent omnia, pace vigent ac niteſcunt. Similem in modum ſi Ieruſalem terreſtris, id eſt, Eccleſia, muro pacis ſepta fuerit, tartarei hoſtis incurſus repellet, virtutibus effloreſcet, ſanctiſque operibus veluti fructibus dulciſſimis abundabit. Non poteſt terreſtris Ieruſalem quamuis pacis viſio dicatur (id enim nomen Hebræum Ieruſalem ſonat) non poteſt, inquam, perfecta in terris pace frui, vt Auguſtinus docet Pſalm. 147.

Auguſt.

Perfecta pax & plena in cælo. Quando, inquit, corruptibile hoc induerit incorruptionem, tunc plena pax, tunc firma pax, &c. Attamen poteſt cæleſtem imitari, & pacem, quæ in terris haberi poteſt, toto pectore inquirere ac ſectari.

A te pacem incipe ſi vis eſſe pacificus. Hoc pacificorum eſt officium, pacem inquirere, & tam in ſeipſis, quàm in aliis conficere. A ſe enim primùm incipiunt, iuxta illud Ambroſij lib. 5. in Luc. A te pacem incipere; vt cùm fueris ipſe pacificus, pacem aliis feras, &c. Ideo filij Dei vocabuntur; quia Deo ſimiles ſunt. Deus pacis Deus eſt; ipſi filij ſunt pacis, & pacis æternæ heredes.

Iſaiæ 57. Fructus labiorum pax dicitur. *Creaui*, ait Dominus, *fructum labiorum pacem*, &c. Pax cum Deo à gentibus inita fructus fuit labiorum & oris Apoſtolorum; ſimiliter pax, quam pacifici pacificis faciunt verbis, fructus labiorum eſt, & dulciſſimus quidē fructus. Ex fructibus arbor cognoſcitur, ex fructu agnoſce pacificos. *Lingua placabilis lignum*, id eſt, arbor, *vitæ*, &c. Poteſt etiam verti, curatio, vel medicina linguæ, arbor vitæ. Cùm enim diſſidia, odia, rixaſque extinguit, medicinam affert lingua; vitámque tam animi, quàm corporis, veluti fructum profert.

Pacifici lingua pacem facit.

Prou. 15.

Cant. Septuaginta vertunt: *Sanitas linguæ lignum vitæ.* Vitta coccinea labia Eccleſiæ dicuntur: *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.* Quemadmodum vitta crines colligat, ita dulce pacificorum eloquium, colligat homines. Sunt autem pacificorum labia coccinea, quoniam Chriſti ſanguinem paſſionemque loquūtur, vt tam admirabili propoſito exemplo, pacem efficiant. Oliuæ ramum, pacis ſignum, columba ore præfert: ita etiam pacifici, columbis manſuetudine ſimiles, pacem ferunt ore, non diſcordiam.

Gen. 8.

Filij diaboli dicuntur qui pacem diſturbant.

Matth. 13. Filij Dei vocabuntur pacifici (ait Chriſtus) rixarum verò, iurgiorúmque diſſeminatores, diaboli filij dicentur. diabolum enim imitantur. Quemadmodum *diabolus zizania ſuperſeminauit in medio tritici*, ſic pacis perturbatores, diſſidia ſeminant in medio hominum, ſchiſmata, hæreſes. Quemadmodum diabolus, ſic illi diſturbant pacem ac tollunt.

Apoc. 6. *Exiuit alius equus ruſſus, & qui ſedebat ſuper illum, datum eſt ei, vt ſumeret*, id eſt, tolleret, *pacem de terra. Et datus eſt ei gladius magnus*, &c. Equus ruſſus tyrannos ſignificat, martyrum ſanguine cruentatos, eques diabolum, qui veluti equos, iniquos tyrannos moderabatur, pacémque de terra tollebat. Datus eſt tunc illi gladius magnus; dant etiam impij dæmoni gladios, id eſt, linguas, quæ gladij acuti dicuntur. his ille pacem de terra tollit; immittitque iurgia, odia, ac diſſidia. Vnde illud: *Vir peccator turbabit amicos: & in medio pacem habentium immittet inimicitiam.* Item eodem cap. *Suſurro, & bilinguis maledictus: multos enim turbauit pacem habentes.* Item, *Lingua tetra multos commouit, & diſperſit illos de gente in gentem, ciuitates muratas diuitum deſtruxit, & domos magnatorum effodit. Virtutes populorum concidit, & gentes fortes diſſoluit*, &c. Ecce quàm magnum gladium impius ad pacem turbandam

Pſal. 56.

Eccli. 28.

Maledicorū detestatio.

A dæmoni dat; quem vt filius imitatur. Chryſoſtomus homil. 3. epiſtolæ ad Coloſſenſes: Tantum, inquit, bonum eſt pax, vt filij Dei vocentur, qui ipſam efficiunt & conſtituunt. Meritò; nam & Filius Dei ad hoc in terram venit; vt quæ in terra ſunt, & quæ in cælis pacificaret. Si verò pacifici filij Dei ſunt, qui nouandis rebus ſtudentes diſſidia faciunt; filij ſunt diaboli, &c. Gregorius 3. parte paſtoralis, cap. 24. Si filij Dei vocantur, qui pacem faciunt; proculdubio ſatanæ ſunt filij, qui pacem confundunt, &c.

Chryſoſt.

Hos autem diaboli filios, pacis hoſtes ac corruptores, Deo eſſe inuiſos docet Salomon. Sex res ait à Deo haberi odio; & ſeptimam, ſcilicet, eum, qui inter fratres diſcordias ſeminat. Pacis verò ſectatores Deo, hominibuſque caros eſſe indicat Eccleſiaſticus: *In tribus*, inquit, *placiū eſt ſpiritui meo, quæ ſunt probata corā Deo & hominibus. Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier bene conſentientes*, &c. Nam vt ait Ambroſius epiſt. 82. ad Eccleſiam Vercellenſem; Mulier non eſt digna coniugio quæ eſt digna iurgio, &c. Lege Chryſoſtomum homil. 3. in epiſtolam ad Coloſſ. Gregorium 3. par. paſtoralis ca. 23. & 24. Auguſtini ſermonem de tempore 166. & ſequentes. Et 19. de ciuit. Dei. D. Thomam ſecunda ſecundæ quæſtione 29.

Prou. 6. Pacis hoſtes & corruptores Deo inuiſi ſunt. Eccli. 25.

CAPVT XII.

Morale.

De perſecutione.

Extrema beatitudo perſecutionum tolerantia.

POST pacem ſequitur bellum; pacificos ſequuntur egregij bellatores, qui perſecutionem hoſtium patiuntur; hoſtibuſque deuictis æternum triumphum reportant. In exercitu, extremus locus militum erat fortiſſimorum, qui triarij dicebantur. In beatitudinibus, extremus locus eſt fortiſſimorum Chriſti militum, qui pro iuſtitia ad mortem vſque inuicto animo decertant. Hæc vltima eſt beatitudo, cæterarum apex, & cacumen arduum, difficile enim, arduumque eſt, patienter tolerare perſecutionem. Extremam huius horti partem, patientiæ palma, arbor nobiliſſima tenet, quæ etſi imponas perſecutionum põdera, non flectitur deorſum, ſed aduersùs onera nititur ſurſum. Fert palma hæc fructus dulciſſimos, qui ſecundis apponuntur menſis. Quis dulcior fructus, quàm regnum cælorum? *Beati* (inquit Dominus) *qui perſecutionem patiuntur, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Hic tamen ſuauiſſimus fructus, nõ in primam huius vitæ, ſed in ſecundam cæleſtis patriæ menſam infertur. In cruce acetum propinatum eſt Chriſto; poſt reſurrectionem mel comedit, id quod perſecutionem patientibus euenit: acetum, perſecutioniſque fel, & amaritudinem hîc deguſtant: poſteà mellis dulcedine paſcuntur.

Palma ſignum patientiæ.

Matth. 5.

Chryſoſtomus homil. 15. in Matth. propterea extremo loco collocatam perſecutionis tolerantiam putat; quòd oporteat cæteris virtutibus eum eſſe armatum, qui perſecutionem eſt patienter toleraturus. Eadem homilia, hunc beatitudinum ordinem catenam vocat auream, in qua extremus annulus aureus patientia eſt perſecutionis. Non abſque ratione (ait Chryſoſtomus) Chriſtus hoc fecit, id eſt, vltimo loco perſecutionis tolerantiam poſuit. Sed quia voluit oſtendere; quòd niſi quis illis, quas ſuperiùs poſuit, armatus fuerit ornatúſque virtutibus, ad hæc nequaquam poſſit prodire certamina. Propterea de priore ſemper etiam mandato ſequentis viam ſtruēs, auream quandam

Chryſoſt.

Beatitudinū catena aurea.

nobis

nobis carenã texuit, &c. Dicamus primò de perſecutionibus: deinde de cauſa perſecutionis ferendę; tertiò de modo, quo ferenda eſt, tandẽ de præmio.

2. Tim. 3. D. Leo. *Omnes qui piè volunt viuere in Chriſto* (ait Apoſtolus) *perſecutionem patientur*. Et D. Leo ſerm. 9. de Quadrageſima; Numquam deeſt tribulatio perſecutionis, ſi numquam deſit obſeruantia pietatis, &c. D. Hieronymus epiſt. 1. Erras, frater, erras, ſi putas vmquam Chriſtianum perſecutionem non pati, &c. Bernardus ſerm. de conuerſione D. Pauli: Videbatur, inquit, iam ceſſaſſe perſecutionis tempus; ſed vt palam factum eſt, numquam deeſt perſecutio Chriſtiano, &c. Et Chryſoſt. homil. 8. in 2. ad Timoth. Nemo certans requiem quærat. Nefas eſt pugilem Dei, vacare deliciis. Non licet epulari luctantem. Luctamen quidem ſunt præſentia omnia, certamen, bellum, ſtadium. Aliud eſt quietis tempus: hoc ærumnis deputatum eſt, atque ſudoribus. Nullus, vbi ad certamen ſe exuit, vnctúſque eſt, requiem quærit, &c. D. Petrus: *In hoc*, inquit, *vocati eſtis*: id eſt, ad patiendum. In quem locum Cardinalis Caietanus: Proprium, inquit, eſt Chriſtianæ religionis, vocare ad benefaciendum, & mala patiendum, &c. Non igitur noua videri debet Chriſtiano perſecutio. Quamobrem D. Petrus, *Nolite*, inquit, *peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis ſit, quaſi noui aliquid vobis contingat*, &c. id eſt: Nolite peregrini eſſe circa perſecutionem, non ſit vobis res noua vt peregrinis, feruor; Græcè, πύρωσις, id eſt, incendium, inflammatio, & ardor perſecutionis, &c.

Hieron. Bernar. Chryſoſt. 1. Pet. 2. Caiet. Non noua res eſt perſecutio. 1. Pet. 4.

Perſecutores ſunt dæmones, vitia, homines, denique noſmetipſi; nos enim ipſos noſmetipſi perſequimur, dum crimen committimus. Nihil verò alij perſecutores ſine nobis efficere poſſunt. Si nos ipſos non perſequamur, peccatis conſentiendo, omnes perſecutorum conatus vani erunt. Tollamus noſtram perſecutionem, cæteræ omnes in gloriam cedent maximam. Nónne is perſequitur, qui occidit? Occidit ſe ipſum qui mortifero crimine veluti gladio acutiſſimo ſibi vitam eripit. Quis igitur dicat, non perſequi peccatorem ſe ipſum etiam in deliciis agentem? At habet hoc hæc perſecutio peſſimum, in impio homine; quòd perſecutio eſſe non exiſtimatur. Lege Chryſoſt. hom. 24. in Acta Apoſt. Vides, inquit, nunc maiorem eſſe perſecutionem, inuadentibus nos vndiq; affectionibus, tamquam beſtiis? Nunc eſt grauis perſecutio, vel ob hoc, quòd non putatur eſſe perſecutio. Etenim etiam hanc difficultatem habet bellum, quod pax putatur, vt ne contra illud arma ſumamus, vel inſurgámus, nullus formidat. Hæc ille. D. Hierõ. epiſt. 1. ad Heliodor. Tunc maximè oppugnaris, ſi te oppugnari neſcis, &c.

Noſmetipſos perſequimur. Chryſoſt. Hieron.

Perſequuntur nos præterea vitia. Hieronymus epiſt. 1. Inde, inquit, me perſequitur luxuria, inde auaritia conatur irrumpere: inde vẽter meus vult mihi Deus eſſe pro Chriſto, compellit libido, vt habitantem in me Spiritum ſanctum fugem, vt templum eius violẽ, &c. Iſmaël (vt ait Paulus) perſequebatur Iſaacum; ſic corpus effrænatis blãdiſq; appetitionibus perſequitur animum. Ludentem cum Iſaac Iſmaëlem vidit Sara: nec placuit luſus. Ludus enim ille à Paulo dicitur perſecutio, vt volunt Origenes, & alij. Similem in modum, blandus ludus carnis, & vitiorum, cũ ſpiritu perſecutio eſt. Vnde Origenes homil. 7. in Geneſ. Si caro, cuius perſonam gerit Iſmael, qui ſecundum carnem naſcitur, ſpiritui blandiatur, qui eſt Iſaac, & illecebroſis cum eo deceptionibus agat, & delectationibus illiciat, voluptatibus molliat: huiuſmodi ludus carnis cum ſpiritu, Saram maximè, quæ eſt virtus, offendit, & huiuſcemodi blandimẽta acerbiſſimam perſecutionem indicat Paulus. Et tu ergo, ô auditor, non illam ſolam perſecutionem putes; quando furore Gentilium ad immolandum idolis cogeris. Sed ſi fortè te voluntas carnis illiciat, ſi tibi libidinis alludat illecebra; hæc, ſi virtutis es filius, tamquam perſecutionem maximam fuge. Sed ſi iniuſtitia blandiatur, & gratia eius flexus, non rectum iudicium feras: intelligere debes, quia ſub ſpecie ludi blandam perſecutionem ab iniuſtitia pateris. Verùm, & per ſingulas malitiæ ſpecies etiamſi molles & delicatæ ſint, & ludo ſimiles, has perſecutionem ſpiritus dicito. Hactenus Origenes.

Vitia. Gal. 4. Ludus eſt perſecutio. Orig.

Perſequuntur quoque nos dæmones; Perſequitur me hoſtis (ait Hieron. loco citato) cui nomina mille, mille nocendi artes, &c. Et Chryſoſt. hom. 40. ad pop. Ant. Qui pie viuunt ſemper perſecutionem patiuntur: etſi non ab hominibus, tamen à dæmonibus. Quæ quidem grauior eſt perſecutio, &c. Sed de perſecutione, & tentationibus dæmonum dictum eſt ſuprà.

Perſecutio dæmonum. *Chryſoſt.*

Reliqua eſt perſecutio hominum, de qua Chriſtus hoc loco. *Beati*, inquit, *eſtis, cùm maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint & dixerint omne malum aduerſum vos*, &c. Perſequuntur Eccleſiam Tyranni, & Hæretici Tyrannum, Eccleſiæq; perſecutorẽ apud Ioannẽ, equus ille ruffus ſignificat, ſanguine martyrũ rubens, cui inſidet diabolus, gladio armatus magno. Diabolus enim Tyrannos in perſecutionem Eccleſiæ, veluti equos calcaribus ad curſum incitat. Hæreticos verò, vt Beda, Haymo, & alij volunt, ſecundus equus indicat niger, quo etiam vehitur cacodæmon ſtateram tenens in manu. Sunt enim Hæretici hereſeos nigrore, & tenebris infecti: cacodæmoniſq; fræno obtemperant. Stateram verò doloſam, id eſt, iudicium, prauumque intellectum habent: quo Scripturæ verba ponderant, & vt libet, deprauant. Sic Lutherus, Caluinus, aliique Hæretici. Sed non vincet niger equus, aut ruſſus, tartareúſq; eques. *Vidi* (ait Ioan.) *& ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper illum, habebat arcum, & data eſt ei corona, & exiuit vincens, vt vinceret*. Equus albus læti, purique coloris Apoſtolos, verbíque diuini ſatores adumbrat; qui Chriſtum per orbem ferunt. Exeunt tyranni, atque hæretici cæteríque perſecutores omnes, vt vincantur, tartareiſque catenis victi in ſempiternum conſtringãtur. At Chriſtus vincitur numquam; neq; à tyrannis, neq; ab hæreticis, neq; ab vllis perſecutoribus ſuperatur. *Exiuit* (ait Ioan.) *vincens vt vinceret*. Illius victoria eſt, illius triumphus; & equi, quibus vehitur, candidi.

Perſecutio hominum. *Matth. 5.* *Apoc. 6.* *Hæretici ſunt errore nigri.* *Apoc. 6.* *Hæretici ac tyranni à Chriſto victi.* *Perſequuntur probos improbi.*

Præter hos ſunt etiam iuſtorum perſecutores homines impij, quod docet egregiè Auguſt. epiſt. 145. ad Sebaſtianum. Quid, inquit, ſic perſequitur vitam bonorum, quàm vita iniquorum? non cùm cogit imitari, quod diſplicet: ſed cùm cogit dolere, quod videt. Quoniam coram pio viuens impiè, etſi non obligat conſentientem; cruciat ſentientem. Nam ſæpè, & diu, impiorum corporibus, à ſæcularibus poteſtatibus, & quorum libet vexationibus, parcitur. Piorum autẽ cordibus, à malis hominum moribus, numquã parcitur, vſq; ad ſæculi finem. Hæc ille. Item: Pia eſt iſta triſtitia, &, ſi dici poteſt, beata miſeria, vitiis alienis tribulari, non implicari; mœrere, non hærere; dolore cõtrahi, non amore attrahi. Hæc eſt perſecutio, quam patiuntur omnes, qui volunt in Chriſto piè viuere, &c. Hæc erat Lot perſecutio, de quo D. Petrus, *Lot*, inquit, *habitãs apud eos*, id eſt, Sodomitas: *qui de die in diem animam* (ipſius ſcilicet Lot *inquis operibus cruciabant*, &c. D. Aug. Pſalm. 60. Lot non patiebatur ab aliquo corporalem perſecutionem, perſecutio eius, facta mala Sodomitarum erant, &c.

Auguſt. *2. Pet. 2.* *Perſecutio Lot.*

Hanc

Hanc perſecutionem adumbrat illa Iacob & Eſau colliſio in vtero matris. *Collidebantur in vtero eius*, id eſt, matris, paruuli. D. Auguſtinus ſerm. 78. de tempore: Sicut duo paruuli in vtero Rebeccæ collidebantur; ſic in vtero Eccleſiæ, duo ſibi populi iugiter aduerſantur. In ventre ſpiritalis Rebeccæ, id eſt, Eccleſiæ, duo populi colliduntur, humiles ſcilicet & ſuperbi, caſti & adulteri, &c. Lege Bernardum ſerm. 2. de conuerſione D. Pauli ad illa verba: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Gregorius libro 9. epiſt. 39. Ego, inquit, Abel eſſe non ſuſpicor, qui Cain non habuerit; ipſa malorum ſocietas, purgatio bonorum eſt. Iob de ſocietate reproborum dixit: *Frater frui draconum, & ſocius ſtruthionum.* Ad Ezechielem Dominus ait: *Incredulis & ſubuerſores ſunt tecum, & cum ſcorpionibus habitas*, &c. Hos perſecutores mihi ille adumbrat equus pallidus. *Ecce*, ait Ioannes, *equus pallidus, & qui ſedebat ſuper eum, nomen illi mors. Et infernus ſequebatur eum*, &c. Inſtar pallidi equi in probos faciunt impetum improbi; quibus mors inſidet, id eſt, mortiferum peccatum, quæ animi mors eſt. hanc infernus ſequitur. Pallidus autem eſt equus, quia mortis, id eſt, peccati, quod vehit, colorem contrahit ac præfert.

Typus perſecutionis. *Greg.* *Iob 30.* *Ezech. 2.* *Apoc. 6.*

Cauſa perſecutionis tolerandæ Chriſtus & iuſtitia. *Matth. 5.* *Martyrē nō facit pœna, ſed cauſa.*

Perſecutionis ferendæ cauſa Chriſtus eſt & iuſtitia. *Beati*, inquit Dominus, *qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam.* Item: *Beati eſtis, cùm perſecuti vos fuerint propter me*, &c. Perſecutio, ait diuus Gregorius lib. 2. epiſt. 36. dum non rationabiliter ſuſtinetur, nequaquam proficit ad ſalutem. Nam nulli fas eſt retributionem præmiorum expectare pro culpa. Debetis enim ſcire, ſicut beatus Cyprianus dixit; quia martyrem non facit pœna, ſed cauſa, &c.

Auguſt. *Pſal. 42.* *Auguſt.* *Matth. 5.* *1. Cor. 13.* *Auguſt.*

Diuus Auguſtinus epiſt. 50. ad Bonifacium: Ipſe Dominus cum latronibus crucifixus eſt. Sed quos paſſio iungebat, cauſa ſeparabat. Ideò, Vox illa intelligenda eſt verorum martyrum; *Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam.* Non dixit diſcerne pœnam meam: ſed, *diſcerne cauſam meam.* Poteſt enim eſſe impiorum ſimilis pœna, ſed diſſimilis eſt martyrum cauſa. Sic Auguſt. Et Pſalmo 34. Pœna ſimilis eſt bonis, & malis. Itaque martyres non facit pœna, ſed cauſa. Nemo dicat perſecutionem patior, non ventilet pœnam, ſed probet cauſam, &c. Item Pſalm. 68. Non perſecutionem pati laus eſt, ſed habendo cauſam bonam pati; hæc laus eſt. Laus enim eſt in cauſa bonitate, non in pœnæ acerbitate, &c. Hinc illud Apoſtoli: *Etſi tradidero corpus meum, ita vt ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*, &c. Sic patiuntur perſecutionem pro ſua perfidia Iudæi, ſic hæretici, & ſimiles, quos non reddit perſecutio beatos, ſed infeliciſſimos. D. Auguſt. ſerm. 76. de diuerſis: Quòd duo cum Chriſto crucifixi ſunt ex vtroque latere; oſtendit alios ſibi dextros, alios ſiniſtros eſſe paſſuros. Dextros de quibus dicitur: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam.* Siniſtros de quibus dicitur: *Etſi tradidero corpus meum, ita vt ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*, &c.

1. Pet. 4. *Nominis Chriſtiani prælium eſt inter Ethnicos & Chriſtianos.* *1. Pet. 1.* *1. Pet. 4.*

Nemo veſtrûm, ait D. Petrus, *patiatur vt homicida, aut vt fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor; ſi autem vt Chriſtianus, non erubeſcat, glorificet autem Deum in iſto nomine.* Huius hominis prælium fuiſſe ait Tertullianus in Apologet. inter martyres & Ethnicos. Ideo, inquit, torquemur confitentes, & punimur perſeuerantes, & abſoluimur negantes, quia nominis prælium eſt, &c. Nominis inquam glorioſi, ſcilicet, Chriſtiani. Item: *Hæc eſt gratia: ſi propter Dei conſcientiam, ſuſtinet quis triſtitias, patiens iniuſtè. Quæ enim eſt gratia ſi peccantes, & colaphizati ſuffertis? Sed ſi bene facientes patienter ſuſtinetis, hæc eſt gratia apud Deum, in hoc enim vocati eſtis*, &c. Et: *Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis, quoniam quod eſt honoris, gloriæ & virtutis Dei, & qui eſt ſpiritus eius, ſuper vos requieſcit*, &c.

Quomodo ſit tolerada perſecutio. *Matth. 5.* *Rom. 5.* *Coloſſ. 1.* *Act. 5.* *1. Pet. 4.* *Matth. 5.*

Quomodo ſit perſecutio toleranda, Chriſtus demonſtrat, nempe cum patientia & gaudio: *Gaudete*, inquit, *& exultate.* Hinc illa D. Pauli vox: *Gloriamur in tribulationibus.* &, *Nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis.* hinc illud Apoſtolorum gaudium, de quibus legitur: *Ibant gaudentes a conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt, pro nomine Ieſu contumeliam pati.* Hoc ſuadet D. Petrus: *Communicantes*, inquit, *Chriſti paſſionibus gaudete*, &c. Quòd communicemus Chriſti perſecutionibus, gaudendum ait Petrus. Chriſtus autem hoc loco ait, eos, qui perſecutionem patiuntur, communicare Prophetarū perſecutionibus. *Gaudete*, inquit, *& exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis. Sic enim perſecuti ſunt Prophetas, qui fuerunt ante vos.* Adde nos communicare etiam multorum millium martyrum paſſionibus.

Perſecutio cōmunis nobis cū Prophetis, cum martyribus, & cum Chriſto. *Eccli. 23.* *1. Pet. 2.*

Itaque communis eſt nobis perſecutio cum Martyribus, cum Prophetis, cum ipſo Chriſto Opt. Max. Non ſoli, ſed in magna ſanctorum ſocietate perſecutionem tolerabimus. Rex multis Martyrum Sanctorumque millibus comitatus præit, nos ſequimur. Quid præclariùs, quàm Regis ſequi veſtigia? *Gloria*, inquit Eccleſiaſticus, *magna eſt, ſequi Dominum*, &c. qui verò perſecutionem tolerat, Regis Dominique ſui Chriſti ſequitur veſtigia. *Chriſtus*, ait D. Petrus, *paſſus eſt nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius*, &c. Magna gloria eſt ſtemmata & inſignia Regis ferre. Regis noſtri inſignia plagæ ſunt & vulnera; hæc is fert, qui perſecutionem patitur; iuxta illud D. Pauli: *Ego ſtigmata Domini mei in corpore meo porto.* Non dixit Paulus (ait Chryſoſtomus) ſtigmata habeo, ſed, porto. tamquam aliquis de trophæis glorians, ſigniſque regalibus, &c.

Gal. 6. *1. Reg. 31.* *Tacit.*

Saulis armiger Regem ſuum ſecutus eſt; cùm irruiſſet ſuper gladium ſuum Saul, irruit etiam ipſe. Idem fecere milites aliquot Othonis Imperatoris, qui ſe occiderat, vt ſcribit Tacitus lib. 2. hiſt. pag. 398. Quidam, inquit, militum iuxta rogum Othonis interfecere ſe, non noxa, neque ob metum, ſed æmulatione decoris, & caritate Principis, &c. Si has vires habent regia exempla; vt in turpem ſceleratámque mortem pellant animum; quid virium par eſt mortem habere Dei, ad impellendam animam, æmulatione decoris & caritate ſummi Principis Chriſti, non in ſceleratam, ſed pretioſam ſanctamque necem, non propriis, ſed alienis perſecutorum illatam manibus propter iuſtitiam? Æmulabatur ſuum principem magiſtrumque Apoſtolus Andreas, cuius crucem iam aſpicientis paratam, verba hæc ſunt: O bona crux, diu deſiderata, & iam concupiſcenti animo præparata; ſecurus & gaudens ad te venio, &c. Non modò patienter (ait Bernardus in ſerm. de triplici genere bonorum) ſed & libenter, verùm & ardenter, ad tormenta, ſicut ad ornamenta, ad pœnas, ſicut ad delicias D. Andreas properabat, &c. Quid ego de mirabili Agatha dicam, verè Agatha, id eſt, bona & optima (id enim nomen ſignificat Græcum) de qua Eccleſia canit; *Agatha lætiſſimè & glorianter ibat ad carcerem, & quaſi ad epulas inuitata agonem ſuum Domino precibus commendabat*, &c. Similem in modum inclyti illi Romani fratres, Marcus & Marcellianus, in perſecutione exultabant; quos legimus ad ſtipitem alligatos, & confixos clauis, ſic tortori reſpondiſſe: Numquam tàm iucundè epulati ſumus, quàm hæc libenter Chriſti cauſa perferimus, in cuius amore nunc fixi eſſe cœpimus. Vtinam tamdiu hæc nos pati ſinat, quamdiu hoc corruptibili corpore veſtiti erimus.

Exemplum Chriſti in perſecutione præit. *Bernar.* *Lato animo martyres perſecutionem tulere.*

Denique

Præmium persecutionis regnum cælorum est. Matth. 5. 1. Pet. 4. 2. Cor. 4.

Denique persecutionis præmium regnum cælorum est: *Ipsorum*, inquit Dominus, *est regnum cælorum.* Item: *Gaudete & exultate; quoniam merces vestra copiosa est in cælis*, &c. *Communicantes Christi passionibus gaudete*, ait D. Petrus, *vt in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes*, &c. Et Paul. *Quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum, in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, &c. Regna terrarum Alexander, Cæsar, ceteriqúe similes, vulnera mortémque hostibus inferendo, comparárunt; regnum verò cælorum, qui persecutionem patiuntur, vulnera mortemque non inferendo, comparant. Admirabiliter enim in termis patientia pugnat, abiectisque armis omnibus, hostem superat. De manu Mutij Scæuolæ, quam sponte flammis imposuit, sic scribit Seneca lib. 9. epistola 68. Non dubito quin magis laudauerim truncam illam & torridam manum Mutij, quàm cuiuslibet fortissimi saluam. Rarius est hostem amissa manu vicisse, quàm armata. Confecit bellum inermis ac mancus, & illa manu trunca Reges duos vicit, &c. De patientia persecutionis eadem, multóque maiora dici possunt. Magis laudauerim truncas & torridas Martyrum manus, pedes, corpora; quàm Scipionum Pompeiorúmque triumphos. Rarum est hostem amissa vicisse vita, corporibus truncis, vulneratis, crucifixis, discerptis, Reges tyrannósque superare. Conficit bellum inermis patientia; vulnera mortémque tolerando, victoriam cælúmque reportat.

Patientia inermis vincit armatos

Seneca.

Patientia mortẽ peccati pœnã, in summam gloriam cõuertit.

Peccati pœna mors est; hanc verò peccati pœnam, persecutionis patientia in summam conuertit gloriam. Augustinus lib. 13. de ciuitate, cap. 6. Mors, inquit, pœna nascentis, si pro iustitia pietatéque pendatur; fit gloria renascentis, &c. Optimum mortis vsum patientia ostendit; si pro iustitia toleretur mors, vitam homini, mortem peccato afferet. Augustin. eodem lib. c. 7. Mors, ait, non vi sua in tantam vtilitatem, sed diuina opitulatione conuersa est; vt quæ metuenda proposita est, ne peccatum committeretur; nunc suscipienda proponatur, vt peccatum non committatur, commissúmque deleatur, magnæque victoriæ debita iustitiæ palma reddatur, &c. *Stipendia peccati mors.* Stipendium peccati mors est; sed si pro Deo toleretur, mortis stipendium ac pretium fit vita atque immortalitas; iuxta illud: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Pretiosa mors (ait D. Cyprianus epist. 11.) quæ emit immortalitatem pretio sui sanguinis, quæ accepit coronam de consummatione virtutis, &c. Protomartyri Stephano cælum apertum Christus ostendit. Id nimirum voluit indicare, martyres mox vt è vita excedunt, in cæleste regnum introire; *ipsorum enim est regnum cælorum.* In mari rubro via fuit Hebræis sine impedimento, vt legitur Sapient. 19. Mare rubrum mare est martyrij sanguineum; in hoc via est in cælum sine vllo peccati aut pœnæ impedimento. Vt enim ait Tertullianus (in Apologet.) Omnia huic operi, id est, martyrio, delicta donantur. Cùm donamur à iudicibus, à Deo absoluimur, &c.

Patiẽtia optimè vtitur morte.

Rom. 6. Mortis stipendium vita. Psal. 115. D. Cypri.

Matth. 5. Martyri protinus patet cælũ.

Tertul.

Hæc causa est gaudij; cælestis nimirum regni præmium. *Gaudete*, ait, *& exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Hoc excitatus præmio Stephanus, lapidum ictus (vt ait Nyssenus in libro de beatitudin.) veluti suauem quemdam rorem excepit, Sebastianus sagittas, Laurentius ardentem craticulam, Ignatius leones, alij cruces, gladios, denique mortem. De Hebræis Apostolus: *Rapinam*, inquit, *bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem, & manentem substantiam*, &c. Sciebant Hebræi, qui Christo nomen dederant, huius

Causa gaudij in persecutione præmiũ regni. Matth. 5.

Hebr. 10.

A sæculi opes esse inania quædam parui momenti accidentia; cælestes verò diuitias esse substantiam solidam ac sempiternam. Ideóque cum gaudio rapinam ferebant accidentium, vt substantiam perpetuam compararent. Iucunda enim est iactura plumbi, qua comparatur aurum. Substantia à Paulo diuitiæ dicuntur, Græcè ὑπάρξις, id est, diuitiæ, possessiones. De Mose autem: *Negauit*, ait, *se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem. Maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi. Aspiciebat enim in futuram remunerationem*, &c. Oculos Moses in regnum cælorum coniecit, ideoque affligi maluit, quàm Regis nepos existimari. *Hebr. 11.*

B Lege Tertulliani librum, quem ad Martyres scripsit, in quo exempla proponit Ethnicorum, qui pertulerunt fortiter cruciatus. Inter cetera, fuisse scribit apud Lacedæmonas solennitatem maximam, quæ διαμαστίγωσις, id est, flagellatio dicitur. In quo, inquit, sacro ante aram debiles quique adolescentes flagellis affliguntur, astantibus parentibus & propinquis, & vt perseuerent adhortantibus. Ornamentum enim & gloria deputabitur, maiore quidem titulo, si anima potiùs cesserit plagis, quàm corpus: id est, si animam potiùs inter verba exhalauerint, quàm ob corporis dolorem succubuerint. His adiicit; si tantùm terrenæ gloriæ licet de corporis & animi vigore; vt gladium, ignem, crucem, bestias, tormenta contemnant, sub præmio laudis humanæ. Possum dicere: Modicę sunt istæ passiones ad consecutionem gloriæ cælestis & diuinæ mercedis. *Tanti vitrum, quanti verum margaritum?* Quis ergo non libentissimè tantùm pro vero margarito, id est, vera gloria, habeat erogare, quantùm alij pro falso, id est, falsa gloria. Sic Tertul. Augustin. de hæreticis Donatistis epist. 50. ad Bonifacium: Quidam, inquit, se trucidandos armatis viatoribus ingerebant; percussuros eos se, nisi ab eis perimerentur, terribiliter comminantes. Iam verò per abrupta præcipitia, per aquas & flammas, occidere seipsos, quotidianus illis ludus est. Hæc enim eos tria mortis genera diabolus docuit; vt mori volentes, quando non inuenie- D bant, quem terrerent, vt eius gladio ferirentur; per saxa se mitterent, aut ignibus gurgitibúsque donarent, &c. Vides quid diabolj insani martyres faciant? Quid ergo par est Christi facere amatores? Diaboli sectatores sibi ipsis impiè mortem inferunt: Christi amatores persecutionem, conuicia mortémve à persecutoribus illatam patienti & exultanti animo non tolerabunt? Pro falso margarito, id est, falsa gloria, vt Tertullianus loquitur, multi multa tolerant acerba; nos pro vero margarito, id est, pro iustitia, pro vera cælestique gloria, acerbiora pati recusabimus?

Tertull. & Lacedæmonesquomodo flagellationis festũ celebrarent.

Augustin.

CAPVT XIII.

De sermone Domini in monte.

V o s *estis sal terræ.* Diuus Chrysostomus hom. 15. in Matth. existimat Dominum hoc loco discipulos laudibus permulcêre. Postquam, inquit, prout oportuit, ad virtutum studia cohortatus est; rursus eos laudum admixtione permulcet, &c. Crediderim potiùs è cælo lapsum doctorem, postquam beatitudinis viam aperuit; discipulos documentis instruere, & quales eos esse velit, sub duabus similitudinibus indicare. In primis cum sale illos confert: deinde cum luce. *Vos*, inquit, *estis sal terræ*: terra continens pro hominibus sumitur contentis.

Matth. 5. Chrysost.

Cur Apoſtoli ſal terræ dicatur.

contentis. Cur autem diſcipulos ſalem appellet terræ, ratio eſt, quia doctrina, & ſanctitatis exemplo, ſalis inſtar, homines inſulſos condierunt, & à vitiorum corruptione liberarunt. Salis enim eſt, tum cibos condire, tum carnes à corruptione defendere. Philo in libro de offerentibus victimas: Sal conſeruator eſt corporum, ſecundo poſt animam ordine. Nam ſicut anima cauſa eſt incorruptionis corporum; ſic ſal quàm diutiſſimè tuetur ea, redditque quodammodo immortalia, &c. Sal (ait Hieronymus Matth.5.) appellantur Apoſtoli, quia per illos vniuerſum hominum genus conditur. Et Chromatius: Sicut ſales, ait, cùm operantur in carne qualibet, corruptelam nõ admittunt, fœtores auferunt, ſordes expurgant, vermes non ſinunt generari; ita & cæleſtis gratia, ac fides, quæ per Apoſtolos data eſt, ſimili exemplo in nobis operatur. Aufert enim carnalis cõcupiſcentiæ corruptelam, peccatorum ſordes expurgat, odorem malæ conuerſationis excludit, vermes delictorum non ſinit generari, id eſt, de corpore libidinoſas & mortiferas voluptates exurgere, &c. Significat ſal ſapientiam, teſte Gregorio 2. parte paſtoralis, cap.4. fuerunt Apoſtoli ſal terræ, id eſt, mundi ſapientia, veram namque, cæleſtémque ſapientiam, in orbem terrarum attulerunt.

Philo. *Hieron.* *Chromat.*

Apoſtoli ſal quomodo facti.

Appellantur præterea meritò Apoſtoli ſal. Salis enim inſtar, Apoſtoli effecti ſunt. Etenim quemadmodum vt efficiatur ſal, marina aqua ex mari ſegregatur, ſoliſque radiis exponitur & incenditur: ſic Petrus Apoſtolíque reliqui, vt hoc acciperent munus, ſalque terræ fierent; ex mundo veluti procelloſo mari, ſunt ſeparati, veríque ſolis Chriſti radiis expoſiti, & inflammati, &c. Huc illud pertinet Remigij: Sal per aquam, & ardorem ſolis, & per flatum venti in naturam alteram commutatur; ſic & Apoſtolici viri per aquam baptiſmi, & ardorem dilectionis, & flatum Spiritus ſancti, in ſpiritalem regenerationem commutati ſunt, &c. Iericho habitatores ſic Eliſeum prophetam alloquuntur; *Ecce habitatio ciuitatis huius optima eſt, ſed aquæ peßimæ ſunt.* Ille verò ſale in peſſimas aquas immiſſo, commutauit peſſimas in aquas optimas. Habitatio quidẽ ciuitatis huius, id eſt mũdi, à Deo ſumma ſapientia fabricati, optima eſt. Eſt enim mundi ipſius ſtructura optima. At verò aquę peſſimę ſunt, id eſt populi. Etenim dicitur Ioãni: *Aquæ quas vidiſti populi ſunt, & gẽtes, & linguæ.* Immiſit in has peſſimas aquas Apoſtolicũ ſalem noſter Eliſæus Chriſtus; amarorẽ ſale cõditę cum dulcedine cõmutarunt.

4. Reg. 2. *Apoſtolici ſalis potentia.* *Apoc. 17.*

Poteſt ſal terræ recentes carnes, necdum corruptas, à corruptione liberare; corruptas minimè valet. Multò potentius eſt ſal apoſtolicum, corruptos homines, vitiiſque putentes à corruptione ac putore vindicare poteſt. Duplex hominum corruptio eſt, altera animi, altera corporis. Animi corruptio, à vitiis; corporis, à morte efficitur; vtramque corruptionem apoſtolicum ſal depellit, animi corruptionem ante iudicij diem; corporis, in die illa extrema. Quamobrem D. Hilarius in Matth. ait, Apoſtolos in ætenitatem corpora ſuo ſale ſalire. Apoſtolicæ enim doctrinæ (ſi obſeruetur) ſal, in æternitatem corpora conſeruabit incorrupta. Apoſtoli (ait Hilarius) ſunt rerum cæleſtium prædicatores; & æternitatis veluti ſalitores (aliter legitur ſatores) meritò ſal terræ nuncupati; quia per virtutem doctrinæ quaſi ſalientes æternitati corpora ſeruant. Sic ille.

Corruptio hominum duplex. *Hilar.*

Quodnam appelletur pactũ ſalis. Num. 18.

Ab hoc ſalis effectu depellendi corruptionem, dictum forte eſt, *pactum ſalis*; pactum incorruptum, & æternũ. Num.18. ait Deus Aaroni: *Omnes primitias ſanctuarij, quas offerũt filij Iſraël Domino, tibi dedi, & filiis, ac filiabus tuis, iure perpetuo pactum ſalis eſt ſempiternum, coram Domino tibi, ac filiis tuis,* &c. Erit, inquit, pactum ſalis, id eſt, ſalitum, ſale conſperſum, & incorruptum, ac perpetuum. 2.Par. ait Abias: *Num ignoratis, quòd Dominus Deus Iſraël, dederit regnũ Dauid ſuper Iſraël, in ſempiternum: ipſi & filiis eius, in pactum ſalis?* Credit Oleaſter Num.18. & Leuit.2. in omni pacto ſal olim adhibitum; quò pacti incorruptio & firmitas ſignificaretur: eamque forte ob cauſam pactum ſalis dici pactum firmiſſimum & perpetuum. Sed coniectura nullo teſte comprobatur.

2. Par. 13. *Oleaſter.*

Alia ratio eſt, cur pactum ſalis dici poſſit pactum perpetuum: nimirum quoniam Deus populo præceptum ſalis dedit, quamdiu lex vim haberet, perpetuum: quòd præceptum pactum ſalis erat. *Quidquid obtuleris ſacrificij, ſale condies: nec auferes ſal fœderis Dei tui, de ſacrificio tuo. In omni oblatione offeres ſal,* &c. Inde ergo videtur dictum pactum ſalis perpetuum: quoniam pactum hoc, ſalis in omnibus oblationibus offerendi, ſtabile, ac perpetuum erat, & omnibus oblationibus commune. *Nec auferes* (inquit) *ſal fœderis Dei tui,* &c. Sal fœderis dicitur, quod fœdus Dei hoc flagitaret, vt ſal omnibus oblationibus apponeretur. Vel appellatur ſal fœderis Dei; quòd indicaret fœdus Dei eſſe firmiſſimum. Quòd ſi ſal pactis adhiberi ſolebat, vt ait Oleaſter, ſignificabit ſal fœderis, ſalem fœderi Dei adhibitum, ad iudicandam illius ſtabilitatem, atque incorruptionem.

Leuit.2.

Forſitan pactum ſalis dicitur pactum amicitiæ: ſal enim videtur ſumi pro menſa, & cibo & conſuetudine amicorum, iuxta illud: *Memores ſalis, quod in palatio comedimus,* &c. Sic igitur explicari poterit illud: *Pactum ſalis eſt ſempiternum tibi, ac filiis tuis,* id eſt, pactum amicitiæ. Et illud; *Dedit Deus Dauid regnum in ſempiternum, in pactum ſalis,* id eſt, amicitiæ.

1. Eſdræ 4. *Num. 18.* *2 Par. 13.*

Prætereà ſal terræ fuere Apoſtoli, quoniam virtutes ſuo exemplo, ſuaque doctrina condiere. Etenim patientiæ, humilitati, modeſtiæ, paupertati, obedientiæ, virtutibuſque reliquis diuinum quemdam ſaporem præſtitere. Inſulſa eſt laborum tolerantia, imo & amara, non arridẽt carnis palato humilitas, paupertas, ſimiléſque virtutes. At Apoſtolico ſale conditæ placent adeò, vt ſint multi, qui illas & eſuriant, & ſitiant, iuxta illud Domini: *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam.*

Apoſtoli cõdimentum virtutibus intulerunt. Matth. 5.

Sal quoque terræ ſunt Apoſtoli; quoniam terrenis vitiis, inſtar ſalis, exitium vaſtitatémque attulere. Legimus (ait D. Hieronymus Matthæi 5.) vrbes quaſdam ira victorum ſale ſeminatas, vt nullum in ipſis germen oriretur, &c. Sichem ſale ſeminata eſt ab Abimelech, *Cepit vrbem interfectis habitatoribus eius, ipſáque deſtructa, ita vt ſal in ea diſpergeret,* &c. Et, *Poſuit Deus terram fructiferam in ſalſuginem, à malitia inhabitantium in ea,* &c. *Tabernacula eius in terra ſalſuginis,* id eſt ſterili. Nam ſal terræ pinguedinem, ſuccumque exedit, eíque ſterilitatem affert. Abulenſis Iudicum 9. quæſt.45. maris ſalſuginem terræ ſterilitatem attuliſſe ait diluuij tempore; atq; ideò poſt diluuium hominum vitam fuiſſe breuiorem; quòd cibi, quos terra ſuppeditat, ab illa prima vi degeneraſſent. Cauſa (inquit ille) ſterilitatis per ſal apparet. Quia terra ante diluuiũ erat valde fertilis: & ex temperie eius homines veniebant in ætatem quaſi mille annorum. Mox autem poſt diluuium incepit eſſe vita humana in trecentos annos, vt colligitur ex cap.11. Gen. & in breui redacta eſt in centum viginti annos, vel parum plus. Hoc non fuit principaliter, niſi propter diſpoſitionem terræ variam in virtute alimentorũ. Fuit enim terra corrupta ſalſugine, intrante oceano, & effuſo ſuper omnem terram: & aqua maris præ ſalſugine

Apoſtoli exitium attulere vitiis Iudicum 9. *Pſal. 106.* *Iob 39.* *Abulenſ.*

Maris ſalſugo terræ attulit ſterilitatem.

reddit terram ſterilem. Sic ille. Apoſtolicum ſal, & fæcunditatem terræ attulit & ſterilitatem; fæcunditatem attulit virtutibus: ſterilitatem vitiis. Nam vitia exedit, virtutibus ſuccum præbet.

Matth. 5. QVOD ſi ſal euanuerit, *in quo ſalietur?* Vt ſibi caueant conſulántque, monet Dominus, virtutémque, & acrimoniam ſalis conſeruent. *Si ſal*, inquit, *euanuerit, in quo ſalietur ipſummet ſal?* hoc eſt, Quo alio ſale condietur ſal, ſi vim amiſerit, & condiendi acrimoniam? Euaneſcere tunc dicitur ſal, cùm vanum fit & inutile, amiſſa vi ſaliendi. Græcè μωρανθῇ, id eſt: Si ſal infatuatum fuerit & inſulſum. Verbum ſalietur non eſt imperſonaliter accipiendum, ſed paſſiuè, vt expoſuimus, quod conſtat ex Marco: *Bonum eſt ſal.* (ait Dominus) *Quòd ſi ſal inſulſum fuerit, in quo illud condietis?* &c. Nullius pretij aut vtilitatis ſal eſt inſulſum: ad nihilum valet vltra, niſi vt mittatur foras, extra domum, & conculcetur in plateis ab hominibus. Idem vobis eueniet: ſi fidei & caritatis acrimoniam amittatis: veſtro muneri peragendo inepti eritis, & vt inutile ſal foras proiiciemini. Verbum μωραίνομαι, ſignificat ſtultum, vel fatuum fieri. Vnde illud, μωρανθῇ, verti poteſt, ſi ſal fatuum, vel ſtultũ fiat, id eſt, inſulſum. Et quidem doctor, qui euaneſcit, qui doctori neceſſariam virtutem doctrinamque amittit, is μωραίνεται, id eſt, fatuus & ſtultus eſt, cùm tamen ſibi ſapere maximè videatur, vt hæretici.

Quid ſit ſal euaneſcere.

Marci 9.

Matth. 5. Quomodo Apoſtoli à nullo alio condiri poterant.

Dubium parit illa Domini interrogatio, *Si ſal euanuerit, in quo ſalietur?* quamuis enim in ſale verum ſit, non poſſe alio ſale ſaliri; tamen in homine non videtur verum. Si enim homo ſaliendi vim, id eſt, virtutem amiſerit, ab alio homine condiri poteſt, hoc eſt, moneri, doceri, ac excitari. Reſpondetur, Apoſtolos quibuſcum Dominus loquebatur, nullos habuiſſe alios doctores, à quibus doceri poſſent: quamobrem ſi ipſi ſalis vim amitterent, nullum erat aliud ſal, quo condirentur. Si vos (ait diuus Auguſtinus) per quos condiendi ſunt populi, metu perſecutionum amiſeritis regnum cælorum: qui erunt homines, per quos à vobis error auferatur, cùm vos elegerit Dominus, per quos errorem auferat ceterorum? Præterea interrogatio hæc non impoſſibilitatem, ſed rei potiùs difficultatem indicat; difficile enim eſt, doctorem ſi euanuerit, corrigere. Vnde illud D. Hieronymi: Si doctor errauerit, quo alio doctore emendabitur? &c. Euanuerunt Lutherus aliique multi hæretici, qui fidem & ſapientiam amiſerunt, quique ſibi ſapere videntur, cùm maximè deſipiant; difficulter ad mentis ſanitatem reuocantur, foras extra Eccleſiam proiecti ſunt, & ab hominibus conculcantur. Dicuntur autem conculcari ab hominibus ij, qui pro nihilo ducuntur. *Omnis mulier, quæ eſt fornicata, quaſi ſtercus in via conculcabitur*, &c.

Auguſt.

Hieron.

Eccli. 9.

Matth. 5. VOS *eſtis lux mundi.* Hæc ſecunda eſt ſimilitudo, qua Apoſtolos ſui officij commonefacit Dominus. *Eſtis*, inquit, *ſal terræ, & eſtis lux mundi.* Prophetas olim mittebat Deus ad Iſraelitas; Apoſtolos ad omnes gentes illuminandas miſit, ideóque illos orbis totius lucem vocat. Non vnius domus aut oppidi eſtis ſal, ſed terræ totius; non vnius regni eſtis lux, ſed mundi vniuerſi. Chryſoſtomus hom. 15. Non ad duas vrbes, aut decem, aut viginti, neque ad vnam vos mitto gentem, ſicut mittebam Prophetas, ſed ad omnẽ terram prorſus, ac mare, totúmque mundum, & hunc variis criminibus oppreſſum, &c. In tenebris, & in vmbra mortis ſedebant gentes, viam pacis rectam ignorabant, in tartarum per diſtortas tenebroſaſque ſcelerum vias tendebant. Quamobrem Zacharias in Cantico petit: *Illuminare iis, qui in tenebris & in vmbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.* Gen. *Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi. Dixitque Deus: Fiat lux, & facta eſt lux.* Eumdem in modum, tenebræ erant ſuper faciem mundi; dixítque Deus: *Fiat lux: Vos eſtis lux mundi*, & facta eſt lux mundi apoſtolica, quæ mundum, gentéſque omnes ſedentes in tenebris & in vmbra mortis illuminauit: hominúmque pedes in viam pacis direxit. D. Hilarius in Matthæum: Mundus, inquit, extra cognitionem Dei poſitus, obſcurus tenebatur ignorantiæ tenebris; cui per Apoſtolos ſcientiæ lumen inuehitur, & cognitio Dei claret, &c.

Gen. 1.

Hilar.

Apoſtoli ſũt mundi ſol.

Lux mundi totius ſol eſt, Apoſtolos ergo vocat Dominus ſolem mundi. Quemadmodum ſol non vnam ſolùm illuminat vrbem aut vnum regnum, ſed orbem totum: ſic Apoſtoli non vnam aliquam ciuitatem, vel gentem, ſed omnes gentes illuminarunt. Sol non vno ſemper in loco lucet, ſed terras omnes peragrat; Apoſtoli non vno ſolùm in loco lucem diffuderunt, ſed orbis regiones peragrarunt. Sol cælo infixus lucet; Apoſtoli in cælo mente verſantes, ſplendore mundum compleuerunt; iuxta illud Pauli: *Noſtra autem conuerſatio in cælis eſt.* Remigius Apoſtolos lucem fuiſſe mundi ait, id eſt, ſolis Chriſti radios. Sicut ſol, inquit, dirigit radios ſuos, ita & Dominus, qui eſt ſol iuſtitiæ direxit Apoſtolos ſuos, ad effugandas humani generis tenebras, &c. Vt radij à ſole emittuntur, ſic à Chriſto Apoſtoli. Sol in cælo eſt, radij in terra. Chriſtus in cælo erat: Apoſtoli in orbe terrarum. Radiorum lux, ſolis eſt, ita & Apoſtolorum doctrina, Chriſti erat. Caietanus putat Apoſtolos dici lucem mundi, id eſt, lucernas mũdi. Lux, inquit, non vt ſol, hoc namque eſt Chriſto proprium; ſed vt lucerna, &c. At quamuis proprium ſit Chriſto ſolem eſſe mundi: tamen eamdem ſimilitudinem potuit Apoſtolis communicare. Fuerunt mundi quidam ſoles, fuerunt aſtra, fuerunt lucernæ: luce à ſummo ſole Chriſto accepta.

Phil. 3.

NON *poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita.* Diuus Auguſtinus lib. 16. contra Fauſtum, capite 17. ciuitatem ſupra montẽ poſitam Eccleſiam ſignificare interpretatur ſupra Chriſtũ fundatam. Sed literali ſenſu Dominus ſignificat apoſtolicum munus publicum eſſe, Apoſtolóſque latére non poſſe, quemadmodũ ciuitas, quæ in excelſo monte exædificata eſt, latere nequit. Cùm autẽ latére non poſſint, iuxta illud Pauli: *Spectaculum facti ſumus mundo, & Angelis & hominibus*: enitendum ait, vt vitæ ſanctiſſimæ exemplo præcellant. Quemadmodum, inquit, ciuitas ſupra altiſſimum montem extructa abſcondi non poteſt; ſic & vos diſcipuli abſcondi non poteritis: in oculis enim hominum verſabimini. Itaque date operam, vt ſic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Deum.

Matth. 5. Apoſtoli ſũt ciuitas ſupra montem poſita.

1. Cor. 4.

NEQVE *accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio*, &c. Idem lucernæ ſimilitudine Dominus oſtendit; videlicet munus Apoſtolicum publicum eſſe, & in oculis hominum poſitum, neque debere Apoſtolos latére, ſed toti orbi lucẽ afferre. Nemo, ait, lucernam inflammat, lucémque eius modio, vel vaſe aliquo contegit; quin potius in candelabro collocat, omniúmque oculis exponit, vt totam domum illuminet. Eumdem in modum vos ego veluti lucernas luce mea inflammo; non quidem, vt ſub modio aliquo ſplendor veſter deliteſcat; ſed vt lucernæ inſtar candelabro impoſitæ, gentibus cunctis lucem afferatis. Modius menſura eſt rerum aridarum, ſub qua commodè poterat lucerna abſcondi. Senſu morali, ille dicetur ſub modio lucernam, ſiue lucem ſuam ponere, qui

Matth. 5.

Apoſtoli in mundum vniuerſum miſſi.

Chryſoſt.

ſuam

ſuam doctrinam non in omnes diffunderit: ſed nobilibus ſolùm, aut diuitibus impertierit.

Matth. 5. SIC *luceat lux veſtra coram hominibus*, Dixerat Apoſtolos lucem eſſe munuſque Apoſtolicum in oculis hominum verſari, eam ob cauſam probitatis ſingulare exemplum ab illis flagitat. Attendite, inquit, quale eſt veſtrum munus, quàm excelſum, & hominum oculis expoſitum. Quemadmodum nec ciuitas celſo in monte extructa, nec lucerna candelabro impoſita: ita vos latere non poteſtis. Date ergo operam, vt non ſolum verbis, ſed etiam operibus fulgeatis. Ita vt videant homines opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Nolo autem vos opera bona inaniter oſtentare, ſed ita viuere adhortor, vt qui opera viderint, Deum laudent. Non ſit operum veſtrorum finis inanis gloria veſtra: ſed ſolida gloria Dei. Videant homines opera veſtra bona, non vt glorificent vos, ſed vt glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.

CAPVT XIIII.

De ſermone Domini in monte.

Matth. 5. NON *veni ſoluere legem, ſed adimplere.* Doctrinæ exemplique; ſplendorem à ſuis diſcipulis Dominus flagitauit. Exempli autem ſplendor ex legis mandatorumq; Dei obſeruatione exiſtit. Ideóque hoc loco legem vt ſeruent ſuo exemplo præcipit Non veni, inquit, frangere legem, ſed facere, ô diſcipuli, idemque vobis præſtandum eſt. Omnia legis mandata obſeruate, vt videant homines veſtram legis in omnibus, etiam minimis obſeruationem, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt. Auctor imperfecti; Dicit Chriſtus ſe nõ veniſſe vt ſolueret legem, ſed vt adimpleret; vt diſcipulos ſuos, quos omnibus bonis adornatos eſſe debere ſuprà docuerat, his verbis ad ſuum prouocaret exemplum. Vt quemadmodum ipſe omnem legem implebat, ſic & illi omnia etiam minima legis feſtinarent implere. Hæc ille.

Aliter poſſunt hæc cum conſequentibus ſic connecti. Vult Chriſtus legem perficere, ideò veluti præfatur hunc in modum. Nemo exiſtimet me ad ſoluendam legem veniſſe, non veni ſoluere, ſed perficere, & implere.

Auguſt. D. Auguſtinus lib. 1. de ſerm. Domini in monte cap. 13. aliter connectit hoc pacto. Dixerat Dominus diſcipulos eſſe ſal terræ, & doctores; nunc quid ſint docturi, docet. Poſteà quam (ait Auguſt.) Dominus cohortatus eſt audientes, vt ſe præpararent ad omnia ſuſtinenda pro veritate, atque iuſtitia, & non abſconderent bonum, quod accepturi erant; ſed ea beneuolentia diſcerent, vt cæteros docerent non ad ſuam laudem, ſed ad gloriam Dei bona ſua opera referentes: incipit eos iam informare, & docere, quid doceant. Tanquã ſi quærerent dicentes; Ecce volumus omnia ſuſtinere pro nomine tuo & doctrinam tuam non abſcondere, ſed quod vetas abſcondi, & pro quo iubes omnia tolerari? Numquid aliud dicturus es contra ea, quæ in lege ſcripta ſunt? Non, (inquit) nolite putare quod veni ſoluere legem, &c. Hæc Auguſtinus.

Autor imper. Auctor imperfecti addit, hæc à Chriſto dici, vt calumniæ Iudæorum futuræ occurrat. Quia (inquit) futurum erat vt Iudæi calumniarentur eum in ſabbatis operantem, quaſi ſoluentem legem, ideò priuſquam incurrat in calumniam, calumniatoribus ſatisfacit, dicens: *Nolite putare, quia veni ſoluere legem*, &c. Matth. 5.

Duobus autem modis ſoluitur lex; vel cùm non ſeruatur, vel cùm euertitur, & abrogatur. Vtroque modo poterat Chriſtus legem ſoluere: Dominus enim legis erat. Sed nullo modo ſoluit, dum vixit, neque enim legem ante mortem abrogauit, neque illius præcepta præſtare recuſauit. Hoc loco, Non veni ſoluere legem, idem eſt, ac non veni legem frangere, non veni legis præcepta deſpicere, & tranſgredi. *Miſit Deus filium ſuum* (ait Apoſtolus) *factum ex muliere, factum ſub lege*, hoc eſt, legi obtemperantem. *Chriſtus nõ ſoluit legem dum vixit.* Gal. 4.

Adimpleuit verò legem Chriſtus tribus modis. Primò, quia illam ſeruauit, ſecundò, quia illius promiſſa præſtitit, & vmbrarum ac typorum veritatem exhibuit; tertiò, quia legem interpretando perfecit. Si vis, adde quartum cum Chryſoſtomo, quia gratiam, quam lex vi ſua dare non poterat, ipſe contulit. Chryſoſtomus homilia 16. in Matthæum, Legem, inquit, non vno modo tantùm, ſed altero, & tertio impleuit Chriſtus. Vno quidem, quia nihil ex legitimis tranſgreſſus eſt, ſecundo quia ſtudebat lex hominem facere iuſtum, atque in hoc inueniebatur infirma: veniens Chriſtus, & per fidem (ſcilicet, viuam cum operibus) modum iuſtificationis certiſſimum inducens, voluntatem legis impleuit. Si verò aliquis diligẽter examinet, alium quoq; tertium modum impletæ ab eo legis inueniet, ipſa viiq; præcepta quæ erat daturus, &c. Deus omnibus modis intelligi poſſunt hæc verba; *Non veni ſoluere legem*, dum viuo, ſed adimplere; id eſt opere ſeruare, interpretando perficere, illius typos & figuras repræſentare, & gratiam, qua illa ex ſe vacua eſt, donare. *Chriſtus tribus modis legem impleuit.* Chryſoſt.

IOTA *vnum, aut vnus apex non præteribit à lege.* Hæc ad ſecundum modum pertinent, quo Chriſtus legem impleuit. Amen, inquit, dico vobis, id eſt verè dico vobis (Amen enim verum ſignificat Hebræis) donec tranſeat cælum, & terra, iota vnum non tranſibit, aut peribit à lege. tranſibunt autem cœlum, & terra, nõ quod omnino peribunt, ſed quòd immutabuntur, aliumque multò præſtantiorem ſtatum ſortientur. Senſus ergo eſt; Ad diem vſque iudicij, nihil ex lege peribit, quod à me non impleatur. Aliter, ſignificat impoſſibile eſſe legis promiſſa, & typos non impleri, hoc ſenſu, Facilius erit cælum, terramque perire omnino, quàm vel minimũ aliquod legis promiſſum, vel vaticinium per me non impleri. Donec pereat cælum, non peribit legis apex: cælum numquam quoad ſubſtantiam peribit, nec ergo peribit legis apex, aut iota, quin quod ſignificat impleatur. In hanc ſententiam ait Dominus: *Facilius eſt cælum & terram præterire, quàm de lege vnum apicem cadere.* Iota græcum, I, eſt; Chriſtus qui Hebraicè loquebatur Iod dixit, Iota græcis, Iod Hebræis minima litera eſt. Matth. 5. Luca 16.

Apex quid ſignificet dubium eſt. Etenim tempore Chriſti nondum puncta Hebræa, & apices extabant, qui nunc in vſu ſunt. Reſpondetur. apicem vocari literæ Hebrææ faſtigium ſummum, vt caput ipſius Iod, vel alterius literæ. Niſi fortè tempore Chriſti aliqui erant literarum apices, qui poſteà exciderint. Hinc colligit diuus Hieronymus, etiam quæ minima in lege videntur & veluti apices, typica eſſe. Ex figura, ait, literę Iota oſtenditur, quòd etiam quæ minima putantur in lege, ſacramentis ſpiritualibus plena ſint, & omnia recapitulentur in Euangelio. Cuius ergo eruditionis eſt, cuiuſque doctrinæ, etiam diuerſa ſacrificia, & quæ ſuperſtitioſa videtur in victimis, quotidie demonſtrare compleri? &c. Hieron. *Apices, & quæ minima videtur in ſcriptura typica ſunt.*

Addi poteſt & hic ſenſus: Oſtendit Dominus legis libros numquã perituros, ſed ad extremum

vsque diem in Ecclesia permansuros, hoc pacto: Non veni soluere legem, & destruere, id enim significat verbum Græcum, καταλύω. Verè enim dico vobis, donec transeat cælum, & terra, Iota vnum, aut vnus apex necessarius, non peribit ex libris legis, semper enim integri ab Ecclesia conseruabũtur. Adde & sensum alterum. Veni legem implere, & non soluere decalogum, verè enim dico vobis, donec transeat cælum, & terra; Iota vnum aut vnus apex, id est, nullum præceptum iuris naturalis, prẽteribit à lege decalogi, quinomnia fiant à Christianis. D. Augustin. lib. 1. de serm. Domini. Quod, inquit, Christus ait, Iota vnũ, aut vnus apex non trãsibit à lege: nihil potest aliud intelligi, nisi vehemens expressio perfectionis. Vide primum lib. Retract. cap. 19.

Augusti.

Matth. 5. De quibus mandatis Christus loquatur.

QVI *ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis.* Ambigitur, num Christus de mandatis legis veteris loquatur, an de mãdatis legis nouæ? Respondetur intelligi posse locum de mandatis legis veteris, quamdiu illa vim habuit obstringendi populum. hoc sensu; Volo vos exempli præire face, legémque seruare, quamdiu illa steterit, ego enim illam seruo, ac seruabo. Quicumque verò illius præcepta minima fuerit transgressus, minimus in regno cælorum vocabitur, &c.

At quia lex vetus in morte Christi abroganda erat post breue tempus, non videtur de illius præceptis loqui. Ideò respondendum potiùs, loqui Christum de mandatis, quæ hoc sermone tradit ad perficiendam & implendam legem, in hanc sententiam. *Non veni soluere legem, sed implere*, opere, & præceptorum explanatione. Qui ergo vnum ex minimis præceptis istis, quæ sequuntur, quæq; ego tradam, fregerit, minimus erit, &c. De mandatis, quæ hoc sermone Christus tradit, verba à Christo fieri ait Chrysostomus & Theophylactus; Minima, inquit, mandata dicit, quæ ipse traditurus erat, non legalia, &c. Idipsum Euthymius arbitratur & Auctor imperfecti: Quæ, inquit, sint ista mandata Dominus ostendit, dicens demõstratorie; *Si quis soluerit vnũ de mandatis istis*, id est, quę modò dicturus sum. Nam talis est mos loquendi in Scripturis, quæ post modicum dicturi sunt, quasi iam dicta demõstrantur. Sicut est: *Audite hæc omnes gentes*; quæ *Hæc*, nisi quæ in sequentibus versiculis erat ducturus? &c.

Matth. 5.

Theoph.

Psal. 48.

Decalogi mandata in lege noua permanent.

Tertio modo respondetur, Christum non loqui de tota lege veteri, sed de præcipua illius parte, videlicet de decalogo, id est, decẽ præceptis, quæ in tabulis conscripta fuere, hæc enim medulla legis erat, vt iam ostẽdimus tom. primo. *Non veni*, inquit, *soluere legem, quod attinet ad eius medullam, partem moralem, id est, decalogum.* Nam decalogus in lege noua manet. Non soluit autem Christus decalogum, quia perfectissimè illum obseruauit: prætereà quia in lege noua permanere iussit. Etenim legis est naturalis. Addit; *Amen quippe dico vobis, donec trãseat cælum & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit*, id est, peribit, *à lege* decalogi naturali, *donec omnia fiant*, in hoc terrarum orbe, quæ à diuina prouidentia decreta sunt. Nam lex decalogi ad iudicij vsque diem vim habebit in terris, neque vmquam abrogabitur. Legem igitur hoc sensu vocat Dominus hoc loco ipsum decalogum, quia, vt diximus, legis erat summa, ac præstantissima pars. Decalogo autem etiam illa duo precepta magna comprehendi intellige; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum sicut te ipsum*, ex quibus lex vniuersa, & Prophetæ pendent, vt Christus asserit: loquitur iuxta hunc sensum de mandatis decalogi, & illorum perfectione, atque apicibus.

Matth. 5.

Matth. 22.

Dubitatur prætereà, cur Christus appellet præcepta minima? Chrysostomus minima vocari putat à Christo præcepta, quæ hoc loco tradit humilitatis causa, & inuidiæ amouendæ. Similiter Theophylact; Nominat, inquit, mandata minima Dominus propter humilitatem, vt & te instruat, modestè docendo loqui, &c. Auctor imperfecti ait, minima dici, quòd minima videantur quoad peccatum. Nam si conferantur cum præceptis maioribus, minora sunt peccata, quæ aduersus hæc minima præcepta committuntur, quàm quæ aduersus maiora præcepta perpetrantur. Verbi causa præceptum, *non irascêris fratri*, &c. minimum, vel minus est, si conferatur cum præcepto, *Non occides.* & peccatum iræ, quæ corde continetur, minus est peccato homicidij, & sic de reliquis. Minima (inquit Auctor ille) mandata ista dicit Dominus, non irascaris, non concupiscas, quæ in obseruando quidem magna sunt (videlicet propter difficultatem) in peccando autem minima videntur, quantùm ad homines negligentes, &c. Euthymius causæ Chrysost. addit aliam, vocata præcepta minima, nè extollerentur, qui ea seruarent. Simul quoque, inquit, docens nos propria attenuare, quamuis magna sint, & excelsa. Eusebius Emissenus minima credit appellata comparatè, duorum præceptorum collatione, quæ maxima nominantur: *Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo, & proximum sicut te ipsum.* & comparatione decem præceptorum Decalogi. Maxima, ait, hæc duo sunt, & illa decem, quæ digito Dei in tabulis lapideis scripta sunt. Ad horum comparationem, alia omnia vel minora, vel minima intelligi possunt, &cet. Maldonatus minima dicta censet opinione Pharisæorum, qui ab oculis hominum toti pendebant: homicidium quod oculis videbatur, peccatum putabant, homicidij patrandi voluntatem, quæ non videbatur, fortè non putabant. Sic Auctor imperfecti homilia 11. Præcepta, inquit, Christi, quæ apud Scribas, & Pharisæos minima existimabantur, &c.

Cur Christus minima præcepta appellat?

Matth. 22.

Hæ variæ potuere causæ esse, propter quas Dominus præcepta hæc minima vocauerit. Potuit prætereà minima vocare præcepta sua, quòd illorum onus, & iugum suaue sit, iuxta illud: *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Quòd si cum obedientia, & gratitudine quam Deo debemus conferantur, minimum quid est, quod soluimus dum præcepta seruamus. Iuxta illud, *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus*, &c. Vides, quàm minima sint præcepta omnia, si cum obediẽtia, & amore, quem Deo debemus, conferantur? Potuit etiam minima vocare opinione frangẽtis, hoc pacto; qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, id est, quæ ipse quasi minima reputat soluens, & parui faciens, docensque soluẽda. Denique minima dicere potuit, id est, despicabilia hominibus; despicabile enim putant faciem percutienti offerre, dimittere pallium ei, qui tunicam petit, & similia, quæ Dominus infrà tradit. Quòd si obiicias hæc esse consilia. Respondetur, esse etiam mandata, amplo nominis significato.

Matth. 11.

Luca 17.

Aliter existimari potest, Christum non vocasse mandata omnia, de quibus loquitur, minima; sed quędam esse maxima, alia minora, alia minima mandata, de his verò loqui in hunc sensum. Qui soluerit vnum non solùm de maximis, & maioribus præceptis, sed de minimis etiam, minimus vocabitur. Sic Abulensis interpretatur, & Iansenius. Fauet Hieronymus Sugillat, inquit, Pharisæos Dominus, qui, contemptis mandatis Dei, statuebant proprias traditiones, quòd non eis profit

doctrina

doctrina in populis, ſi vel paruũ, quod in lege præceptum eſt, deſtruant, &c. Quia verò Chriſtus dixerat iota vnum, aut vnus apex, non præteribit à lege, &c. Iota autem, & apex minimæ res ſunt, idcirco adiũxit; *Qui ſoluerit vnũ de mandatis iſtis minimis.*

Matth. 5. ET *docuerit ſic homines.* Serm onem Chriſtus habet de iis, qui populum docent. Quidam enim ſoluunt mandata, & ſic docent, alij ſeruant mandata, & ſic doctrinam populo tradunt. Particula, *ſic*, duobus modis explicari poteſt. priori; Qui fregerit vnum ex minimis mandatis, & docuerit homines, *ſic*, id eſt, ſic affectus, ſic mandati tranſgreſſor, ſic mandatum non faciens, minimus erit. Ita in-

Auguſt. terpretatur Auguſtinus lib. 20. de ciuit. Dei cap. 9. & tractatu 122. in Ioann. Docent (inquit) bona loquendo, quæ ſoluunt malè viuendo, &c. D. Greg. B

Greg. homil. 12. in Euangelia. Mandatum, inquit, ſoluit, & docet; quando hoc quiſque voce prædicat, quod viuendo non implet, &c. Poſteriori modo: Qui ſoluerit vnum ex minimis mandatis, & docuerit homines, *ſic*, id eſt, ſic ſoluere, minimus erit. Poteſt namque doctor non facere præceptum, & docere eſſe faciendum, poteſt non facere præceptum, & docere, *ſic*, id eſt, non eſſe faciendum præceptum, quod ipſe non facit.

Duobus verò modis poteſt docere non eſſe ſeruandum præceptum, exemplo, & voce. De exemplo locum intellexit Euthymius. Chryſoſt. de eo exponit doctore, qui & ipſe præceptum nõ ſeruat, & ad id ipſum alios inducit, exemplóne inducat, C an doctrina non explicat. D. Greg. 19. Mora. ca. 5. De eo verba Chriſti interpretatur, qui opere ſoluit, & voce. Qui ſoluit (ait ille) opere, & ſic docet voce, &c. Auguſtinus quoque lib. 1. de ſerm. Domini; Qui, inquit, ſoluerit, & docuerit, *ſic*, id eſt, ſecundum id quod ſoluit, non ſecundum id quod inuenit, & legit, minimus vocabitur, &c. Huius ſententiæ eſt Lyranus, exiſtimat enim Chriſtum de iis loqui, qui præcepta ſoluunt, & per falſam doctrinam auditores corrumpunt; Abulenſis quoque, Ianſenius, Caietanus, & Hugo Cardinalis, & Maldonatus, iis ego ſuſcribo. De duplici enim doctorum genere Chriſtus loquitur. Primò de iis quorum doctrina, & vita praua eſt. Secundò de illis, quorum vtraque bona. Sed obiici poteſt huic in- D terpretationi; Chriſtus aſſerit, doctorem, qui prauam tradit doctrinam circa præcepta decalogi, eſſe in regno cælorum minimum, id eſt, in Eccleſia. At verò is, qui prauam doctrinam tradit, vt Lyranus & Abulenſis aiunt, hæreticus eſt, & extra regnum cælorum, id eſt, Eccleſiam. Ergo de illo non facit verba Dominus. Mox obiectionem ſequenti textu diſſoluemus.

Matth. 5. MINIMVS *vocabitur in regno cælorum.* Prima huius loci interpretatio hæc eſt; Qui ſoluerit vnum de mandatis minimis veniale peccatum committens, & docuerit ſic homines, commiſſo peccato veniali circa minimum mandatum, minimus vocabitur in regno cælorum, hoc eſt, erit quidem in cælo, ſed minimo loco, vel minori, quàm E is qui fecerit & docuerit, fauet Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum. Ac, vt vidimus, Chriſtus de mandatis loquitur, quæ mortiferam pariunt culpam, ſi frangantur. Præterea abſurdũ eſt eum, qui vnum peccatũ veniale commiſit, minimũ dicere in cælo, cùm poſſit magnopere excellere caritate.

Quomodo vocetur minimus in regno cælorũ qui prauã docuerit. Aduerte Chriſtum non dixiſſe, *Minimus erit in regno cælorum*: ſed, *Minimus vocabitur in regno cælorum*. Id verò veriſſimum eſt de doctoribus iis, qui prauè docent. Hi enim, qui vel minimam hæreſim tradunt, in regno cælorum, id eſt, in cælo, à Deo, atque Angelis, Sanctiſque hominibus minimi hominum A ac deſpicatiſſimi vocantur. Hæc interpretatio eſt Gloſſæ interlin. & Abulenſis, & Ianſenij. Apud il- *Gloſſ. inter.* los (ait Abulenſis) qui ſunt in regno cælorum minimus vocabitur, licet ipſe non ſit ibi, &c. Et Gloſſa; Minimus vocabitur ab illis, qui ſunt in regno cælorum, &c. Quod ſi velit qui; verbum; *vocabitur*, ſignificare, *erit*, hoc ſenſu, *Minimus erit*; Ita quoque ſenſus eſt verus; Nam prauam diſſeminantes doctrinam in regno cælorum, id eſt, in cælo apud Deum, & Angelos, Sanctoſque homines minimi ſunt, hoc eſt, minimo in pretio habentur, & abiectiſſimi exiſtimantur.

Secundo ſenſu, Chryſoſtomus quem ſequitur Theophylactus, Maldonatus, & Euthymius, regnum cælorum hoc loco pro tempore reſurrectionis & iudicij ſumpſit, quo tempore regnum *Regnũ cælorũ, regnum Chriſti apparens in iudicio.* Chriſti hominibus cunctis à morte excitatis patefiet. Minimus igitur erit prauus doctor, id eſt, nullius pretij, in regno cælorum, hoc eſt, cùm regnum cælorum demonſtrabitur, Chriſto ad iudicandum ſedente. Cùm audis (ait Chryſoſtomus hom. 16. in *Chryſoſt.* Matthæum) minimum in regno cælorum, nihil aliud intelligas, quàm in tempore regni atque ſupplicij. Solet enim regnum cælorum appellare non ſolùm ipſa gaudia præmiorum, ſed etiam reſurrectionis tempus, & præſentiam illam terribilem, &c. At verò etſi tempus illud reſurrectionis, regnum Dei appellare alicubi reperiam, vt in oratione Dominica, *Adueniat regnum tuum*, id eſt, tem- C pus illud reſurrectionis, in quo poſitis ſub ſcabello pedum cunctis hoſtibus, nullo iam rebellante regnabis: tamen quòd illud idem tempus regnum cælorum nominetur, non reperio. Præterea cùm Chriſtus mox verbis ſubſequentibus nomine regni cælorum cæleſtem gloriam intelligat, cùm ait: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum*: credendum *Matth. 5.* eſt, non adeò æquiuocè eodem nomine regni cælorum, hîc vſum fuiſſe.

Crediderim ergo ſumi hoc loco regnum cælorum, vel pro regno beatorum, vt ſuprà dictum eſt, vel pro regno Eccleſiæ, quæ ſæpè cælorũ regnum dicitur, hoc ſenſu. Minimus vocabitur in regno cælorum, id eſt, in Eccleſia. Etenim improbus doctor & hæreticus, nullo in pretio in Eccleſia à Catholicis habetur. Minimum autem dixit Chriſtus, quia dixerat minima præcepta, vt qui minima præcepta fregit, minimus vocetur. Regnum cælorum hoc loco Eccleſiam ſignificare, ait Gregorius libro 19. Moral. capite 5. Auguſtinus libro 20. de ciuitate Dei, capite 9. & alij.

Poteſt præterea locus ſic explicari. Qui ſoluerit præcepta, & docuerit, *ſic*, id eſt, hoc modo, ſcilicet præcepta frangens, & non exequens, minimus vocabitur in regno cælorum, hoc eſt, nullam in Eccleſia dignitatem conſequetur, ſi rectè dignitates diſtribuantur. Qui autem fecerit & docuerit, hic *Dignitates Eccleſiæ nõ tribuendæ indignis.* magnus vocabitur, hoc eſt, hic in Eccleſia ad magnas dignitates extolletur, hic dignus erit epiſcopatu, ſummo pontificatu, & reliquis Eccleſiæ honoribus ac titulis.

QVI *fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur*, &c. Hęc *Matth. 5.* verba omnia perſpicua ſunt ex ſuperioribus. Doctor qui ſoluerit præcepta, & ſoluere docuerit, minimus vocabitur in Eccleſia & in cælo: is autem, qui præcepta ſeruauerit, & doctrinam ſalutarem populo tradiderit, magnus vocabitur in cæleſti regno & in Eccleſia.

DICO *enim vobis, Niſi abundauerit iuſtitia veſtra*, &c. *Ibid.* Docet Dominus oportere diſcipulos ſuos ac *Doctorẽ docere oportet & facere.* doctores non docere ſolum, ſed etiam facere, ſupplicium̃que proponit non facientibus. Etenim ſi

præcepta non ſeruauerint, in regnum cæleſte non ingreſſuros pronunciat. Phariſæi, atque Scribæ docebant, ſed non faciebant, vnde Dominus. *Super Cathedram*, inquit, *Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi, omnia quæcumque dixerint vobis, ſeruate & facite, ſecundum opera eorum nolite facere. Dicunt enim, & non faciunt*, &c. Ait ergo Chriſtus; *Qui fecerit, & docuerit, magnus vocabitur in regno cælorum.* Et enim dico vobis, quòd ſi iuſtitia, id eſt, virtus veſtra, maior & abundantior non fuerit quàm Scribarum & Phariſæorum, non conſequimini regnum cælorum. Illi dicũt, & non faciunt; vos neceſſe eſt illos longe ſuperare, & non ſolùm dicere, id eſt, docere, ſed etiam facere, & ſeruare omnia etiam minima præcepta.

Matth. 23.

Aliter arbitratur Chryſoſtomus Chriſtum de Phariſæis, & Scribis loqui, qui docebant, & præcepta etiam ſeruabant, in hunc ſenſum. Dico vobis, quia niſi virtus veſtra virtutem ſuperarit Phariſæorum, & Scribarum, etiam filiorum, qui legem ſeruant, non intrabitis in regnum cælorum. Scribas ac Phariſæos (ait Chryſoſtomus) hic non iniquos, vt putatur, appellat, ſed eos, qui legis præcepta cuſtodiunt, Neque enim illos, qui non cuſtodirent, diceret habere iuſtitiam, &c. De Phariſæis, & Scribis, qui legem ſeruabant, locum interpretatur. Sed veriſimilius eſt ſermonem haberi de Scribis, & Phariſæis, qui docebant, & non faciebant, vt diximus, quæ eſt ſententia D. Auguſtini lib. 20. de ciuitate Dei, cap. 9. Abulenſis, & Euthymij. Niſi abundauerit iuſtitia veſtra (ait Auguſtinus) ſuper iuſtitiam Scribarum & Phariſæorum, id eſt, ſuper iuſtitiam eorum, qui ſoluunt, quod docẽt. De Scribis enim & Phariſæis dicit, *Dicunt, & non faciunt*. Niſi ergo ſuper eos abundauerit iuſtitia veſtra, vt vos non ſoluatis, ſed faciatis potiùs, quod docetis, non intrabitis in regnum cælorum. Sic Auguſtinus. Item in lib. de fide & operibus, cap. 26. Iuſtitia (ait) Scribarum, & Phariſæorum eſt, dicere, & non facere, ac per hoc noſtram iuſtitiam Chriſtus eſſe voluit abundantem, ſuper illorum iuſtitiam, dicere, & facere, &c. Quamuis autem Phariſæi illi iuſtitiam veram non haberent, tamen bona aliqua opera præſtabant, & iuſtitiam quamdam externam præ ſe ferebant; cum qua Dominus veram diſcipulorum iuſtitiam confert.

Chryſoſt.

Auguſt.

Matth. 23.

CAPVT XV.

Morale.

De ſermone Domini in monte.

Matth. 15.

NON *ſum miſſus* (ait Dominus) *niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſraël.* Etenim Iudæorum Chriſtus tantummodò, dùm in terris vixit, non gentium in perſona propria doctor fuit. Quamobrem à Paulo Miniſter circumciſionis appellatur Iudæis promiſſus. *Dico* (inquit) *Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis*, id eſt, Iudæorum; *Propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones Patrum*, &c. *Notus igitur erat*, vt eſt in Pſalm. *in Iudæa Deus Chriſtus, & in Iſrael magnum nomen eius.* Gentes verò obſcuriſſima errorum caligo obtegebat. Itaque vt gentibus quoque Chriſtiana doctrina affulgeret, doctores inſtituit Dominus, qui ſolis inſtar Euãgelij ſplendore totum orbem colluſtrarent, iuxta illud: *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*: quod Paulus ad Rom. 10. de euangelij promulgatoribus interpretatur. In cælum abiit, ſed paſtores, & doctores, legiſque ſuæ propagatores reliquit in terris, vt Euangelium promulgarent etiam gentibus, Eccleſiæq; templum toto orbe ampliſſimum exædificarent.

Chriſtus Iudæorum doctor.

Rom. 15.

Pſal. 75.

Pſal. 18.

Chriſtus aſcendit in cælum, ſed in terris euangelij reliquit propagatores.

Hoc docet Paulus, *Aſcendit*, inquit, *ſuper omnes cælos Chriſtus, vt impleret omnia. Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores, ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationẽ corporis Chriſti*, &c. Hoc eſt, aſcendit Chriſtus in cælum empyreum, veluti itineris ſui terminum. Tunc enim omnia compleuit; id eſt, aduentus ſui in terras compleuit totum curſum, quemadmodum ſol; iuxta illud: *A ſummo cælo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius.* Vnde Bernardus in ſerm. de aſcenſione Chriſti aſcẽſionem vocat itinerarij Chriſti clauſulam. Abiit in cælum, inſtituit verò in terra Apoſtolos, & cæteros ad conſummationem, id eſt, perfectionem Sanctorum, neutro genere, id eſt, templi, ſcilicet, Eccleſiæ. Nomen, *ſancta*, ſignificat templum, id eſt, Eccleſiam. ſunt igitur doctores, & paſtores inſtituti ad perficiendam Eccleſiam, Vel, ad conſummandos & perficiendos Sanctos, id eſt, Chriſtianos, ſi, *ſanctorum*, generis maſculini eſſe velis. Item, ſunt inſtituti ad exædificandam Eccleſiam, quæ corpus myſticum Chriſti eſt. Id ſignificatur illis verbis ſequentibus; *In ædificationem corporis Chriſti myſtici*, ſcilicet Eccleſiæ. Additur; *In opus miniſterij*, non enim ad otium vocãtur paſtores, ac doctores, non ad delicias, & voluptates, ſed *ad opus miniſterij*; hoc eſt, ad operandum, & miniſtrandum templi Salomonis, id eſt, Chriſti, exædificationi.

Ephes. 4.

Pſal. 18.

Paſtores & doctores inſtituti, vt Eccleſiam exædificent, & conſumment.

Salomonis typici templum typicum ſeptem annis eſt extructum, Salomonis veri templum verum, ad finem vſque orbis in terris exædificatur. Quocirca operariis ſemper indiget. Qui quidem neque hactenus ab initio quo exædificari cœpit defuerunt, neque in finem vſque ædificij deerunt. Lux mundi ſol numquam ſtat, perpetuóque motu, vt homines illuminet agitatur, ad iudicij vſque diem; ſtabit tunc, deſinetque moueri. Similem in modum doctores, quos cum luce mundi confert Dominus, numquam quieſcent, ad extremum vſque tempus toto orbe hominibus illucebũt, illo tandem die conquieſcent miniſteria, ſumma verò gloria tum animi, tum corporis illi affluent. Vt ſal in menſa vſque ad prandij permanet finem; ſic diuinum doctrinæ Chriſtianæ ſal ad finem vſque orbis in Eccleſia permanebit. *Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe, & tunc veniet conſummatio*, &c.

Templum Salomonis quot annis conſtructũ fuerit.

Matth. 24.

Quemadmodum ex aſtris, cùm occidunt quædam, alia oriuntur, ita ex fulgẽtibus his ſyderibus, id eſt, Eccleſiæ ſapientibus, cùm alij moriuntur, in locum eorum alij ſufficiuntur. De familia quadam ait Caſſiodorus lib. 5. Variarum in epiſtola Regis Theodorici ad ſenatum Romanum; Concordat huic familiæ ramus ille ditiſſimus, qui Virgiliano carmine ſemper enaſcitur. *hoc enim auulſo non deficit alter Aureus, & ſimili frondeſcit virga metallo*, &c. Idem Doctoribus congruit, hoc enim mortuo, non deficit alter aureus, aurea fide, caritate, ſapientiáque præditus, & ſimili ſemper doctorum metallo Eccleſia diteſcit. Contra verò vani hæretici, etſi aliquo tempore vt bullæ tumeant, tandem euaneſcunt, vt Manichæi, Ariani, cæterique ſimiles.

Caſſiodor.

Ramus auratus reuiuiſcit.

Ad iudicij verò vſque tempus paſtores ac doctores in Eccleſia permanſuros, videtur nonnullis ſignificare Paulus loco indicato verbis conſequentibus; *Dedit* (inquit) *Paſtores, & doctores ad ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia, ad circumuentionem erroris*, &c. Gloſſa ordinaria ſic habet, Donec occurramus in die iudicij, & Gloſſa interlin. Tandiu durabit hæc prælatio, donec occurramus

Ephes. 4.

Explicatur locus Pauli ad Epheſ.

occurramus; non poſt, &c. Lyranus: Dicta inquit, officia, exercebuntur in Eccleſia donec occurramus Chriſto venienti ad iudicium, &c. Similiter Catharinus: Hoc talis miniſterij opus durabit, donec occurramus ad iudiciū venienti Chriſto, &c. Ita quoque Dionyſius Carthuſianus: Prælatio, inquit, ordinationis prædictæ durabit donec occurramus omnes in die iudicij nobis inuicem & Chriſto, &c. Et D. Thomas: Vſque ad hoc extēditur prędictum miniſterium, donec in reſurrectionem occurramus Chriſto, &c. Similiter D. Anſelmus.

Hic nō habetur ſermo de die iudicij.

At mihi veriſimilius eſt, Paulum de tempore iudicij non loqui, cùm Sancti Chriſto occurrent. Nam cum Chriſto occurrēt, Deum iam videbunt, quamobrem fide carebunt, viſio enim Dei fidem pellit. Atqui Apoſtolus de occurſu loquitur, in quo fides permanet, & fidei vnitas in omnibus: quod de illo occurſu in die iudicij falſum eſt. *Donec*, inquit, *occurramus in vnitatem fidei*, &c. Si de die iudicij loqueretur, diceret; *Donec occurramus in viſionem, non in vnitatem fidei*. Illa etiam verba; *Vt non ſumus paruuli, fluctuantes*, &c. rectè expendenti, de die extremo non haberi ſermonem oſtendunt. Itaque Apoſtoli ſenſus eſt, paſtores, & doctores à Chriſto creatos eſſe, vt Eccleſiam extruant, & Chriſtianos perficiant, donec Chriſtiani omnes in eamdem perueniant fidem, & Chriſti cognitionem, euadántque viri perfecti, nec ſint paruuli in fide fluctuantes. Sítque corpus Eccleſiæ myſticum non puerile, ſed virile, id eſt, in perfecta viri ætate, & ſtatura ſpiritali, & myſtica, quemadmodum Chriſti corpus naturale perfectum eſt, & in perfecta viri ætate, & ſtatura. Doctores enim & paſtores eniti debent, vt ad perfectam, & ſtabilem fidem, atque caritatem Chriſtianos ducant.

Occurrere idē eſt quod peruenire.

Obiicies; verbum, *occurramus*, ſignificare videtur occurſum extremum in die iudicij. Reſpondetur, ſignificare hoc loco idē, quod perueniamus; Nam verbum Græcum, quo Paulus vtitur, καταντάω, id ſignificat. *Peruenit autem Derben, & Lyſtram*, &c. Græce, κατήντησε, id eſt, *occurrit in Derben*. Sic hoc loco; Donec occurramus, id eſt, perueniamus in vnitatem fidei, vt vertit interpres Oecumenij; vel, occurramus alij aliis. Oecumenius, καταντήςωμεν, inquit, id eſt, occurramus, capitur pro, φθάσωμεν, id eſt, perueniamus in vnitatem fidei: hoc eſt, donec omnes vnam fidem habeamus, vnuſquiſque (ſcilicet paſtorum, & doctorum) laborat, & miniſtrat. Virum autem perfectum, menſurámque ætatis dicit Paulus perfectam erga Chriſtum dilectionem, & de ipſo notitiam. Sic ille. Similem in modum Chryſoſtomus, & alij de tempore iudicij minimè interpretantur. Ætatem hîc (ait Chryſoſtomus) perfectam Chriſti cognitionē dicit Paulus. Quemadmodum enim, qui in virum euaſit, firmus perſtat, pueri verò mente vagantur; ita fidelibus vſu venit. in vnitatem fidei (ait Apoſtolus) id eſt, donec vnam omnes habere fidem declaraueri mus, &c. Hoc ad munus doctores, paſtoréſque vocat Chriſtus, vt corpus myſticū, id eſt, Eccleſiam ædificent, & ad virilem vſque atque perfectam ſtaturam ducant. Quales eos velit eſſe, hoc loco quadruplici ſimilitudine oſtendit. Cum ſale illos confert, cum luce, cum ciuitate ſupra montem poſita, cum lucerna ſuper candelabrum collocata.

Act. 26.

Oecum.

Chryſoſt. Ætas hic perfectam Chriſti notitiam deſignat.

Vxor Lot inſtatuam ſalis cōuerſa, vt nos condiret exemplo. Phil. 3. Auguſt.

Olim Deus ſalis quamdam ſtatuam in mundo propoſuit, vxorem videlicet Lot, in ſtatuam ſalis conuerſam, quòd poſt tergū reſpexiſſet. Gen. 19. Hoc ſale, id eſt, mulieris exemplo, condire nos voluit, ac docere, ne poſt tergum reſpiciamus, ſed *quæ retrò ſunt* cum Paulo, *obliuiſcentes, ad ea quæ ſunt priora nos ipſos extendamus*. Ad quid pertinet, ait Aug. 16. de

A Ciuit. Dei cap. 30. quod prohibiti ſunt, qui liberantur ab Angelis, retrò reſpicere, niſi quia non eſt animo redeundum ad veterem vitam, qua per gratiam regenerationis exuimur; ſi vltimum iudicium euadere cogitamus? Denique vxor Lot vbi reſpexit remanſit, & in ſalem conuerſa hominibus fidelibus quoddam præſtitit condimentum, quo ſapiant aliquid, vnde illud caueatur exemplum, &c. In hoc autem Euangelij loco non ſalis ſtatuam vita, ſenſuque carentem, ſed viuentes, ſpirantéſque ſalis homines, mundo præbet Deus condiendo. Vos, inquit, diſcipuli, vos ſacerdotes populíque doctores, eſtis ſal terræ viuens atque ſpirans, qui tum vita, tum verbo inſulſis hominibus cæleſtem ſaporem afferre debetis.

Inſulſi erant homines abſque diuini verbi & B gratiæ ſale, cibúſque erant ſerpentis, iuxta illud ſerpenti tartareo dictum; *Terram comedes*, id eſt, peccatores inſulſos, qui terram incolunt, & terrena ſolùm bona quærunt. Quæ verba ſic Auguſtinus exponit in libro de Agone Chriſtiano cap. 2. Datus eſt in cibum diabolo peccator. Non ſimus terra, ſi nolumus manducari à ſerpente, &c. Vt cibus eſſet Dei, qui cibus erat ſerpentis, miſit Deus in terram ſalem, à quo conditus ſerpentis cibus, cibus fieret Dei. *Vos eſtis*, ait, *ſal terræ*, terræ, inquam, illius ſal eſtis, quam ſerpens comedebat, ne iam illam comedat. Si apoſtolico bene condiatur ſale terra, ſerpentis cibus eſſe non poterit; ſi ſalem reſpuat, à ſerpente deuorabitur. D. Gregorium legito hom. C 17. in Euangelia: Quid, inquit, animas hominum niſi cibum Domini dixerimus, quæ ad hoc ſunt conditæ, vt in eius corpore traiiciantur, id eſt, vt in æternæ Eccleſiæ augmentum tendant. Sed huius cibi condimentum nos (ſcilicet ſacerdotes) eſſe debuimus, &c.

Gen. 3. Homines terreni à diabolo deuorantur.

Matth. 5.

Greg.

Legimus, ait Hieronymus Matth. 5. vrbes quaſ- *Hieron.*
dam ita victorum ſale ſeminatas, vt nullum in ipſis germen oriretur, &c. At victor mortis, tartarique Chriſtus mundum victum ſale ita ſeminauit, vt præclariſſima ederet germina. Sal victoris Chriſti, virtutum germina non extinxit; ſed emortua excitauit. Hoc ſale efflоruerunt virginitatis lilia, martyrij roſæ, humilitatis violæ; caritatis, reliquarúmque virtutum præſtantiſſimi flores, & fructus toto orbe orti ſunt. Hic ſal ſuccum terræ non exedit, ſed fertilitatem ſummā affert. Corrupti erant homines; iuxta illud: *Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt. Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.* & illud: *Omnis caro corruperat viam ſuam ſuper terram.* & illud: *Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ, à facie inſipientiæ meæ.* Vt hanc mundi corruptionem putredinémque ſanaret; ſalem Deus miſit in mundum. Tanta enim vis apoſtolici eſt ſalis, vt non ſolùm ſana à corruptione liberet, verùm corruptis etiam ſanitatem afferat.

Chriſtus victor mundi ſale ſeminauit viuificante.

Pſal. 15.

Gen. 6.

Pſal. 37.

Vetus ſententia eſt, ait Cęlius Rhodiginus libro 6. cap. 1. à celeberrimis vtriuſque linguæ auctoribus litteris commendata; totis corporibus nihil eſſe vtilius ſale ac ſole. Ideóque piſcatorum corpora videri cornea. Item: Aſtringit ſal, ſiccat, alligat, putreſcentia quoque corpora ita vendicat, vt ea durent per ſæcula. quod Ægyptiorum comprobant inſtituta, quibus mortuos ſale condire moris fuiſſe planè Herodoto credimus. Hæc ille. Nihil vtilius eſt corporibus ſale & ſole; nihil item vtilius animis ſale & ſole, ſed Apoſtolico. Aſtringit hic ſal, ſiccat, alligat, & corruptionem peccatorum putredinémque depellit. Sal quo Ægyptij mortuos condiebant, vitā illis minimè afferebat, Apoſtolicus autem ſal vita carentes à morte excitat.

Corporibus nihil vtilius ſale ac ſole. Cæl. Rhod.

Animis nihil vtilius ſale & ſole Apoſtolico.

Melle, id eſt, voluptate, fermentóque peccati,

totam maſſam, id eſt, totum hominem, animam, corpuſque cacodæmon corrumpit. At Deus mel, fermentumque execratur, ſale aſtringente, ſiccante, ſuauiterque mordente, mellis, fermentique, id eſt, voluptatis, ac peccati corruptionem pellit, gignitque virtutes. *Nec quidquam fermenti, ac mellis adolebitur in ſacrificio Domini. Quidquid obtuleris ſacrificij, ſale condies,* &c. Mel, & fermentum Dominus à ſacrificiis ſuis reiicit; ſalem in omnibus poſtulat. Sal carnem erodit cõcharum, vndè præclari vniones exoriuntur, vt Plinius ſcribit libro 9. cap. 35. his verbis: Conchæ capiuntur retibus; multo deinde ſale obrutas (tradunt quidam) in vaſis fictilibus, eroſa carne omni, nucleos quoſdam corporum, id eſt, vniones decidere in ima, &c. Eodem pacto, ſi diuinum ſal carnẽ noſtram erodat, atque conſumat, id eſt, mortificet; eximij, puríque exorientur vniones, gemmæq; virtutũ pulcherrimæ.

Leuit. 2.

Vniones ex conchis ſale corroſis.

Vt condiatur cibus, non magna ſalis copia opus eſt; eumdem in modum, vt populus cõdiatur, non multi neceſſarij ſunt ſacerdotes, & doctores. Pauci erunt ſatis, ſi ſalis habeant acrimoniam. Lege Chryſoſtomum homil. 1. ad populum Antiochenum. *Sufficit* (inquit) *vnus homo fidei zelo ſuccenſus, totum corrigere populum*, &c. Sufficit Epiſcopus vnus zelo Dei ſuccenſus, totum vt corrigat epiſcopatum. Sufficit Parochus vnus caritate inflammatus, vt totam corrigat parœciam, ſufficit Abbas vnus, præſes vnus, Dei proximique amore exardeſcens, vt totum corrigat & inflammet cœnobium. Quòd ſi ſal euanuerit, ſi ſacerdotes, ac doctores zeli caritatiſque acrimoniam amiſerint, etſi multi ſint, non ſufficient. Cùm non vnus tantum (Chryſoſtomus eodem loco) neque duo, vel tres, ſed tanta ſit multitudo, quæ negligentium curam poſſit attingere, non aliundè, ſed per torporem veſtrum, non per impotentiam plures pereunt, & labuntur, &c.

Pauci ſufficiãt doctores ſi ſalis habeant acrimoniã.

Chryſoſt.

Euaneſcit autem ſal, ſi mari admiſcetur. Fit ſal ex aqua è mari ſeparata, quòd ſi mari iterum admiſceatur, liqueſcit, diffluit, & euaneſcit. Fugiat mare, quicumque ſal eſt maris; fugiat terram, quicumque ſal eſt terræ. Si non fugerit, ſed terræ ſeſe admiſcuerit; proculdubiò euaneſcit, hoc eſt, diuini zeli virtutumque acrimoniam amittit. Sed dices: Neceſſe eſt ſalem in mare mitti, id eſt, ſacerdotem, & concionatorem in mundum ingredi, & cum hominibus verſari. Fateor; ſed aliud eſt in mare, id eſt, mundum ingredi, aliud marinis aquis, id eſt mundi cupiditatibus admiſceri. Qui ſolummodò mundum ingreditur, vt homines condiat, non euaneſcet, qui verò mundanis ſeſe moribus admiſcet, proculdubiò diffluet. Audi Ambroſium epiſtola 20. ad Irenæum. Non vtique, inquit, tranſire in Ægyptum criminoſum eſt, ſed tranſire in mores Ægyptiorum, &c. In Ægyptum tranſiit Moſes, ſed non euanuit; quia in mores Ægyptiorum non tranſiit. Vt populum ex Ægyptiaca captiuitate educeret in Ægyptum venit, Ægyptiorum vitiis ſe non admiſcuit; ita concionator in Ægyptum, id eſt, mundum veniat, ſed Ægyptiorum mores fugiat; populũ ex cacodæmonis captiuitate eripiat, mundi vitiis ſe non admiſceat.

Euaneſcit ſal, ſi mari, id eſt mundo permiſceatur.

Ambr.

Criminoſum eſt non tranſire in Ægyptũ, ſed in mores Ægyptios.

Idem mare rubrum ingreſſi ſunt tam Ægyptii, quàm Hebræi, illi ſubmerſi ſunt, hi verò, vt canit Moſes in Cantico: *Ambulauerunt per ſiccum in medio eius.* Similem in modum, idem mare, id eſt, eumdem mundum, concionatores, confeſſarii, ac paſtores ingrediuntur; at verò quidam Ægyptiis ſimiles medio gurgite abſorbentur, ac pereunt; alij verò ambulant per ſiccum in medio eius. Huiuſmodi erant præclari illi viri Theothiſtus, & Andreas, ad quos Magnus Gregorius lib. 6. epiſt. 23. ſic ſcribit. Quòd in tanto tumultu cauſarum veſtra excellentia poſita, ſacri verbi vbertate plena eſt, atque ad æterna inceſſanter gaudia ſuſpirat, magnas omnipotenti Deo gratias ago; quia hoc in vobis impletum video, quòd de dilectis patribus ſcriptum eſt. *Filij autem Iſraël ambulauerunt per ſiccum per medium mare.* Vos ad repromiſſionis patriam, inter vndas cauſarum ſæcularium, ſiccis, vt video, greſſibus ambulatis. Agamus ergo gratias Spiritui, qui corda quæ implet, leuat, qui inter tumultus hominum ſolitudinem in mente facit. Hæc Gregorius.

Bonus doctor ambulat per ſiccum in medio mari. Exodi 15.

Greg.

Exodi 15.

Lux mundi ſunt concionatores, & confeſſarij. lux autem in ſordida intrat loca, ſed ſordium nihil contrahit. Sic concionator, ſic confeſſarius ſordidiſſima audit peccata, cum ſordidiſſimis agit hominibus, nihil tamen adhæret illi ſordium. Hugo Cardinalis 2. Corinth. 4. Data, inquit, eſt lex in igne, qui ſordes conſumit, & non recipit; quòd ſignificat, illos, per quos lex datur, ita puros eſſe debere, vt ſordes conſumant, non accipiant, &c. *Conſtitui te Deum Pharaonis*, ait Deus Moſi, Paſtorem quoque populi veluti quemdam Deum Deus conſtituit. Nihil poteſt Deo adhærere fœcis; paſtor hac in re Deo ſit ſimilis, toto pectore enitatur, vt in medio luto nihil contrahat luti. Quod ſi faciet, ſal non euaneſcet; vimque ſeruabit ſuam, atque acrimoniam.

Ex mundi ſordibus nihil doctori hæreat.

Hugo Card

Exodi 7.

Secundò modo indicat Chryſoſtomus, ſalem euaneſcere hominum laudibus, homil. 15. in Matt. his verbis: Non vos oportet hominum maledicta timere, ſed laudes, quas ſi audire cupiatis, tunc verò infatuandi eſtis, atque calcandi, &c. Vanùm reddit doctorem, atque concionatorem gloria vana; verè euaneſcit vanus. Qui hominum captat laudes, ac gloriolam, vim ſalis amittit; concionatoris, paſtoriſque officium eneruat, ad popularem auram verba factáque dirigit; ſalem Apoſtolicum in ſales, facetiáſque, & in mella conuertit. Hoc eſt opus ſalis (ait Chryſoſtomus) laxa quæque vrere atque reſtringere, &c. At euaneſcens doctor, reſtricta laxat; neque vrit, ſed frigefacit. *Vos eſtis ſal terræ*: ſic interpretatur Theophylactus: Vos eſtis terræ ſal, mordentes, & condientes doctrina & reprehenſionibus diſſolutos, vt non pariant vermes perpetuos. Propterea ne abiiciatis mordacitatem, &c. Morde tamen vitia, hominibus parce. Diuus Hieronymus Iſaiæ 1. ad illa verba: *Vinum tuum mixtum eſt aqua*, &c. Omnis (inquit) doctor qui auſteritatem Scripturarum, per quam poteſt audientes corripere, vertit ad gratiam, & ita loquitur, vt non corrigat, ſed delectet audientes; vinum ſanctarum Scripturarum corrumpit ſenſu ſuo, &c. D. Ambroſius ſerm. 84. Tunc, inquit, auditor proficit; quando auſteriora annunciat prædicator, &c. Audiat Paulum concionator, audiat paſtor. *Neque aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis: neque in occaſione auaritiæ, Deus teſtis eſt: neque quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis*, &c. Non adulatur cuiquam Paulus; non quærit aurum, aut argentum, aut gloriam inanem, ſed animorum ſalutem. O verum mundi ſalem, numquam euaneſcentem! Tibi proponitur exemplar concionator.

Euaneſcit ſal hominũ laudibus.

Chryſoſt.

Salis opus laxa vrere & cõſtringere.

Matth. 5.

Theoph.

Hieron.

Ambr.

1. Theſſ. 2.

Tertiò modo euaneſcit omnino ſal, cum hæreſim doctor complectitur. Tunc ad nihilum valet vltra, niſi vt foras extra Eccleſiam mittatur, & ab hominibus conculcetur, Reprobati ſunt ab Eccleſia hæretici (ait Auguſtinus Pſalm. 106.) & facti ſunt ſal infatuatum, proiectum foras; ideò conculcatur ab hominibus, &c. Sic Lutherus euanuit, ſic Caluinus, ſic alij. Ad nihilum hoc ſal valet boni, ſed ad pluri-

Euaneſcit omnino ſal per hæreſim

Auguſt.

plurimum valet mali. In vrbibus à diabolo disseminatur; fidei germina, proh dolor, exurit, miramque terris amariorem absinthio amaritudinē infert. Vidit Ioannes stellam, cui nomē Absinthium, è cælesti regione in flumina & fontes decidisse, aquásque in amarorem Absinthij conuertisse. En tibi Hæresiarcharum, Lutheri, Caluini, & similium simulachrum. Stella è cælo: Hæresiarcha ex fide, & Ecclesiæ cælo cecidit; sal euanuit. Absinthium appellatur stella, quæ cecidit, amarissimum enim sal, & Absinthium est concionator hæreticus, hæresis amarore aquas, id est, populos inficiens.

Apoc. 8.

Hæretici absinthio amariores.

Amara herba est Absinthium, sed tamen visum acuere dicitur: eumdem in modum hæreses amarissimæ sunt, sed doctorum Catholicorum visum acuunt. Harum enim occasione, diligentius Scripturas, Patrúmque libros euoluunt, maiorémque scientiam comparant. Hinc illud diui Isidori libro primo de summo bono, capite 19. Hæreticorum occasione propagati sunt doctores in fide, & per acumina hæresum Ecclesiæ magistri creuerunt, &c. Adde illud Augustini sermone 98. de tempore: Si doctrina, inquit, Ecclesiastica nullis extrinsecus hæreticorum dogmatum assertionibus cingeretur, non poterat tam clara, & tam examinata videri fides nostra. Sed idcirco doctrinam Catholicam contradicentium obsidet impugnatio, vt fides nostra non torpescat otio, sed multis exercitationibus elimetur, &c. Psal. 106. Propositum, ait, est nobis, ex hæreticis inquisitionis studium, &c.

Hæreses instar absinthij visum acuunt. D. Isidor. August.

Sal quod euanescit, vt suprà diximus, sal dicitur infatuatū. Etenim fatuus est doctor, qui euanescit. Fatuus, qui mari iterum se admiscet, qui inani gloriæ laborem suum dedicat, millies fatuus, qui hæreseon laqueis sese irretit. Infatuatis hæreticis congruit illud Pauli: *Euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt*, &c. & illud: *Doctrina stultorum fatuitas*, &c. Expende recta trutina omnium hæreticorum dogmata, meram reperies fatuitatem.

Fatuum est sal, quod euanescit.

Rom. 1.

Prou. 16.

Denique, vt est in carmine: *Omnis mensa malè ponitur absque sale*: ita omnis populus habet male, absque Apostolico sale; id est, absque sacerdotibus sapientibus, & non euanescentibus, prudentibus, & non infatuatis. Sacerdos doctus ac probus, instar salis populo diuinum quemdam virtutis saporem impertit, laxa restringit, noxios animi humores exsiccat, & suaui quadam mordacitate à putredine vitiorum mentes liberat. Lege quæso Magni Gregorij homiliam 17. in Euangelia, in qua de officio salis & sacerdotis, vt solet, præclarè scribit: Petra, inquit, salis sacerdos debet esse in populis. Curare namque sacerdotem necesse est, quæ singulis dicat, vnumquemq; qualiter admoneat; vt quisquis sacerdoti iungitur, quasi ex salis tactu æternæ vitæ sapore condiatur, &c. Item: Quisquis ad nos iungitur, ex linguæ nostræ sale condiatur. Cùm coniugatum videmus, admonendus est, vt sic exerceat curam sæculi, ne postponat amorem Dei, sic placeat voluntati coniugis, vt non displiceat conditori. Cùm clericum videmus, admonendus quatenus sic viuat, vt exemplum vitæ sæcularibus præbeat, ne si quid in illo iustè reprehenditur, ex eius vitio ipsa religionis nostræ æstimatio grauetur. Cùm monachum videmus, admonendus est, vt reuerentiam habitus sui in actu, in locutione, in cogitatione sua, semper circumspiciat, vt ea quæ mundi sunt perfectè deserat, & quod ostendit humanis oculis habitu, hoc ante Dei oculos moribus prætendat. Iste itaque iam sanctus est; admoneatur vt crescat. Ille verò qui adhuc iniquus est, admoneatur, vt se corrigat. Quatenus quisquis se ad sacerdotij iunxerit, sale sermonis illius conditus recedat. Sic Gregorius.

Necessarius doctor in populo.

Greg. Mag.

Probus doctor & sacerdos instar salis omnes condit diuinis admonitionibus.

Illud tamen habet sal fugiendum, quòd vt saporem rebus aliis tribuat, ipse liquescit ac perit; id quod doctori cauendum est maximè. Sic enim condire alios debet, vt non diffluat ipse aut pereat; quin potius gratiam & gloriam indies vberiorem comparet. Conqueritur sponsa quòd *posita in vineis custos, vineam suam non custodierit*. Hoc pastori & doctori euenit, qui dum aliorum gerit curam, seipsum minimè curat; dum vineam alienam colit, suam deserit. De membris suis infirmantibus (ait Gregorius hom. 17. citata) Ecclesia dicit: *Posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodiui*. Vineæ quippe, nostræ actiones sunt, quas vsu quotidiani laboris excolimus. Sed custodes in vineis positi, nostram vineam minimè custodimus; quia dum extraneis actionibus implicamur, ministeriū actionis nostræ negligimus, &c. Eodem loco sacerdotes huiusmodi cum aqua baptismatis confert, quæ hominum peccata pereundo expiat. Postquam enim sacramentum celebratum est, absorpta perit. Cui (inquit ille) similes dixerim sacerdotes malos, nisi aquæ baptismatis, quæ peccata baptizatorum diluens, illos ad regnum cæleste mittit; & ipsa postea in cloacas descendit? &c.

Paster ceteris ita præsit, vt sibi non desit.

Cant. 1. Custodes vineæ quomodo sa custodire debeant.

Sed alio sensu, hac etiam in re, sali similis est caritate exardescens pastor. Nam quemadmodum sal, vt condiat liquescit; sic pastor misericordia liquescit, vt proximo succurrat. Cùm liquescit sal, tunc saporem cibis præbet, cùm caritate liquescit pastor vel doctor, tunc doctrinam, eleemosynam, consilium, vel quoduis aliud beneficium populo elargitur. Samaritanus ille qui in hominem incidit à latronibus spoliatum ac cæsum, vt Lucas ait, *Misericordia motus* & liquefactus, *appropians, alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum*, &c. Samaritanus custodem significat à verbo Hebræo שמר, Schamar, id est, custodire. Cùm igitur pastor ouium custos, cùm concionator & confessarius liquefiunt, id est, caritate mouentur, ad ouium vulnera alliganda euigilant ac festinant. Vinum infundunt & oleum, vel increpant si opus est; vel indulgent, & blandiuntur, si hanc medicinam vulnus flagitat. At Sacerdos & Leuita, qui misericordia & caritate non sunt liquefacti, semiuiuum hominem viderunt, sed præterierūt. O ferrea pectora! liquescat sal, vt condiat; liquescant viscera, vt proximo opem ferant. *Omnis Pontifex*, ait Paulus, *ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum; vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. Qui condolere possit iis qui ignorant & errant*, &c. Vides in pastore misericordiæ viscera requiri? Vides salem liquefactum? *Qui condolere*, inquit, *possit iis, qui ignorant & errant*. Et de Christo summo pastore: *Non habemus*, ait, *pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris*, &c. De seipso: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* &c.

Pastoris misericordia liquescente sale indicatur.

Pastoris caritas & misericordia.

Luc. 10.

Hebr. 5.

Hebr. 4. 2. Cor. 11.

Præterea detrimentum patitur sal, & perit, vt suo fungatur munere. Vos estis sal terræ: O pastores: *Bonus pastor animam*, id est, vitā suam, *dat pro ouibus suis*; instar salis perit corpore, ne ouium pereāt animi. Pretiosum detrimentum, & lucro plena iactura est; quam propterea incurrit pastor, vt succurrat ouibus. Audi bonum pastorem: *Aut dimitte eis hanc noxam*, ait Moses, *aut dele me de libro tuo*, &c. Audi Apostolum: *Optabam anathema esse pro fratribus meis*; &, *Ego libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris*, hoc est, non mea tantum vobis largiar, sed vitam etiam ipsam pro animabus vestris profundam.

Bonus pastor pro ouibus etiā vitam donat.

Exodi 32.

Rom. 9. 2. Cor. 12.

CA-

CAPVT XVI.

Morale.

De sermone Domini in monte.

Matth. 5. SECVNDA similitudo à luce petita est. *Vos*, inquit Dominus, *estis lux mundi*: non Iudææ solius, *Rom. 1.* sed orbis totius, vt suprà diximus: *Accepimus gratiam & Apostolatum*, ait Paulus, *ad obediendum fidei in omnibus gentibus*: hoc est, vt fidei Christi obediatur ab omnibus nationibus, non à Iudæis tantummodo. Lux mundi sol omnibus lucet; sic pastor, concionator, & confessarius absque personarum acceptione omnes illuminet. Idem Apostolus eodem loco: *Græcis*, ait, *ac barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum.* Isaiæ 60. *Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui*, &c. Chrysostomus homilia 2. ad Roman. Quod, inquit, in Sole ac Luna, in terra ac mari, ceteriſque Deus fecit; non diuitibus quidem ac sapientibus plus partiens, maiorémque copiam faciens, minorem autem pauperibus, sed æqualem omnibus vsum fructum proponens; id & in ipsa Euangelij prædicatione fecit. Idque tantò etiam magis, quantò ea rebus illis magis est necessaria. Quapropter & Paulus assiduè ait: *Omnibus gentibus*, &c.

Apostoli lux totius mundi non solius Iudææ.

Doctrina sine personarum acceptione tradenda. Chrysost.

Doctor non luceat solũ, sed etiam ardeat. Bernar.

Lux solis duo habet inter alia; lucet & ardet. Hoc probi est doctoris lucere & ardere, vt diuus Bernardus in sermone de natiuitate Baptistę docet: Lucere tantùm, ait, est vanũ, ardere tantùm est parum, lucere & ardere perfectum, &c. Lucet tantùm is, qui docet tantùm; ardet solùm is, qui non docet, attamen caritate flagrat; lucet & ardet, qui doctrina & caritate præstat. Is Ecclesiæ ornamento *Apoc. 12.* est magno, quæ mulier, ardente sole amicta dicitur atque ornata. Huiusmodi enim ardentes lucentéſque doctores, veluti solares radij Ecclesiã valdè ornant, & vt bombycinæ aureæque vestes amiciunt. Non ardet luna, ardet sol; neminem illa inflammat, hic quos illuminat, simul incendit. Non ardet doctor frigidus, caritatis zelíque carens flammis; ardet is qui diuini amoris igne flagrat. Luna ille est, hic vt sol ardet & inflammat, cordáque hominum veluti ceram liquefacit in lachrymas & gemitus. Id quod à doctore flagitat D. Hie- *Hieron.* ronymus in epist. ad Nepotianum: Docente, inquit, te in Ecclesia, non clamor populi, sed gemitus susciteturꝰ. Lachrymæ auditorum laudes tuæ sint, &c. *Lachrymæ auditorum laus concionatorum.*

Lucem habet verbi perfectus concionator ardorem zeli. Verbi, inquam, lucem habet ex fontibus lucis, id est, diuinis Scripturis, sanctíſque Patribus hausta, iuxta illud D. Hieronymi ad Nepotianum: Diuinas Scripturas sæpius lege, immò numquam de manibus tuis sacra lectio deponatur, disce quod doceas, &c. Item: Nolo te declamatorem, & rabulam, garrulúmque, sine ratione; sed mysteriorum peritum, & sacramentorum Dei tui eruditissimum, &c. Zelum verò habet ex fontibus Saluatoris tractum. Cùm enim, quæ Christus pro seruandis hominibus pertulit, in terras Dei aduentum, labores, opprobria, crucem, mortem animo contemplatur, zelo flagrat, nihílque durum adeò ac difficile arbitratur, quod pro seruando vel vnico Æthiope libenter non subeat. Præclaræ virginis D. Catharinę Senensis præclarum est dictum: *D. Cath. Psal. 68.* *Siquis videre posset pulchritudinem vnius animæ, centies in die pro illius salute subiret mortem*, &c. *Zelus domus tuæ comedit me*, ait Psalmographus. Etenim doctorem sanctum zelus comedit domus Dei. Comedit, inquam, in eo, atque extinguit vitæ, quietis, cibi, potúsque desiderium; ita vt veluti sui oblitus, pro animarum salute nullum periculum subterfugiat. *Dura*, dicitur, *sicut infernus æmulatio*, id est, zelus, vt Sept. Interp. vertunt. Quid non machinetur infernus, vt animam hominis perdat? Sicut infernus, id est, dæmones (vsurpetur continens pro contentis) nihil non machinantur vt homines in æterna tormenta præcipitent; sic zelo præditi doctores, & pastores nihil non moliuntur, vt eosdem in cælestia præmia euehant. Chrysostomus 1. Cor. hom. 21. à sacerdote militis exigit robur, agricolæ diligentiam, & pastoris vigilantiam. Militis (inquit Chrysostomus) fortitudinem exhibere oportet sacerdotem, & agricolæ diligentiam, & pastoris curam; & cum iis omnibus, nihil supra necessitatem quærere, &c. At verò quisnàm hæc præstabit, qui Dei ardenti zelo careat?

Cant. 8. Zelus animarum.

Sacerdoti quæ sint necessaria. Chrysost.

Nemo vmquam vendidit lucem; gratis enim datur cunctis mortalibus. Neque venditur, neque emitur Euangelij lux; gratis lucet. *Gratis* ait Dominus, *accepistis, gratis date*, Stipendia tamen non tolluntur, quæque ad victum sunt opus. *Quis militat* (ait Paulus) *suis stipendiis vmquam? quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* &c. Obserua quod Chrysostomus in eumdem locum scribens obseruauit. Necessarium, inquit, quærit Paulus tantùm, non superfluum. Non enim dixit: Quis militat, & non diteſcit? sed: *Quis militat suis stipendiis vmquam?* Neque dixit: Quis plantat vineam, & non colligit aurum? aut totum fructum vindemiat? sed: *De fructu eius non edit?* Neque dixit: quis pascit gregem, & non vendit agnos? sed, *Et de lacte gregis nõ manducat.* Rectè quidem non de agnis, sed de lacte locutus est, vt ostenderet, paruo lucro magistrum contentum esse oportere, & solo victu necessario. Hæc Chrysost. Idem innuunt verba sequentia: *Non alligabis os boui trituranti.* Triturat bos ore minimè alligato; sed cibi parum carptim sumit. Sic Euangelicum bouem multò plùs laboris, quàm cibi decet sumere.

Gratis Euangelij diffunditur lux. Matth. 10. 1. Cor. 9.

Doctor non superfluus, sed necessaria quærat.

Congruunt etiam doctoribus Apostolos imitantibus, alia, quæ in luce reperiuntur. Lux mundi, celso ex loco fulget; doctor celsa ex vita splẽdeat. Lux omnibus se impertit, doctor omnes, quos valet, illuminet. Lux in mediis sordibus non sordeſcit; doctor in mediis mundi sordibus non inquinetur. Lux viam ostendit; rerum colores, ac discrimina patefacit; delectat agros, fœcundat agros, à somno excitat, volucres ad cantum prouocat, immanes bestias in latibula fugat. Eadem in doctore inuenies Apostolico. Longum esset omnia fusius persequi. Ad illa Domini verba veniamus: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est.* *Matth. 5.*

Doctor tum luce confertur.

Duplicem postulat lucem Dominus à doctore Euangelico; lucem verbi, lucem quoque operum. Fulgent enim bona opera, & quidem pluſquam verba. *Sint*, ait, *lucernæ ardentes in manibus vestris*, &c. ardentes lucernas in manibus gerit, qui bonis operibus fulget. Est autem operum fulgor doctori pastoríque maximè necessarius; nè ſi hic desit splendor, obscura opera fulgentibus verbis tenebras offundant. D. Hieronymus ad Nepotianum epistola 2. Non confundant, inquit, opera tua sermonem tuum. Ne cùm in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat: Cur ergo hæc, quæ dicis ipse, non facis? Delicatus magister est, qui pleno ventre de ieiuniis disputat. Accusare auaritiam & latro potest. Sacerdotis Christi, os, mens, manúsque concordent, &c. Quemadmodum in musica inter se voces, & cum vocibus, musica instrumenta pulsanti ũ manus, necesse est cõgruere; ita

Duplex lux verbi, & operum, atque exẽpli. Luca 12.

Hieron. Doctoris vita & exemplum.

ita in concione vocem cum mente, atque manu concionatoris oportet concordare. D. Gregorius in fine expositionis capitis 28. Iob. Lex, inquit, est prædicatoribus posita, vt impleant, quod loquendo suadere festinant. Nam loquendi auctoritas perditur; quando vox opere non adiuuatur. Illa vox cor audientis penetrat, quæ hoc quod sonuerit, opere conseruat, &c. Huc illud spectat Theodorici Regis, siue Cassiodori lib. 5. Variarum, epistola ad Capuanum. Age, inquit, ne tributa obiiciatur oratio. Quia pondus est pudoris grauissimi propria voce cõuinci. Et lib. 11. in edicto per prouincias: Non potest auctorem habere sermo, qui nõ iuuatur exemplo. Dum iniquum sit bona præcipere, & talia non facisse, &c. Exemplum præbuit huiusce rei Diogenes Laërt. Philosophus. Vt enim ait Laert. lib. 6. Diogeni de non irascendo accuratè differenti, proteruus quidam adolescens, veluti periculum faciens, an re præstaret ea, quæ docebat, inspuit in faciem. Tulit hoc leniter, & respondit, Non irascor, sed dubito tamen an irasci oporteat, &c,

Psal. 131. Nõ satis est doctori virtus, necessaria quoque doctrina. *Sacerdotes tui* (dicitur in Psal. *induant iustitiã*, O indutum ornatissimum! O vestem omnibus sericis, aureisque vestibus pretiosiorem! Iustitia, virtus, sanctitas, sacerdotis doctorisque amictus est. At non est satis. Recordare ex vestibus antiqui sacerdotis suspensa sonuisse aurea tintinnabula. Ex præclara enim iustitiæ veste, necesse est diuinam sonare doctrinam. Sic hunc typum nobis explicat Magnus Gregorius 2. part. pastoral. cap. 4. his verbis: Vestimenta sacerdotis quid aliud, quàm recta opera debemus accipere, propheta attestãte, qui ait; *Sacerdotes tui induant iustitiam?* Vestimentis itaque illius tintinnabula inhærent, vt vitæ viam, cum linguæ sonitu, ipsa quoque bona opera clament sacerdotis, &c. Idem pater sapientissimus doctores argenteas columnas esse ait. Fulciunt enim Ecclesiam, tùm iustitiæ robore, ac rectitudine, tum argentea, *Exodi 28.* sonantéque doctrina. Cantic. 3. *Columnas eius*, id est Ecclesiæ, *fecit* Christus *argenteas*. Quia (ait Gregorius) Ecclesiæ prædicatores dedit. Qui, vt eam exemplis sustentarent, magna iustitiæ rectitudine roborauit, & vt prædicationibus erudirent, nitore eloquij quasi splendore argenti decorauit, &c. Luceat igitur luce verbi pastor, luceat quoque luce operum & exempli. *Cant. 3.*

Lucebant Pharisæi verbo, sed operum carebant luce: Pharisæorum iustitiam oportet transcendere; vt illam transcendamus, vtraque luce opus est. Nisi enim abundauerit iustitia nostra, plusquam Scribarum, & Pharisæorum; non intrabimus in regnum cælorum; ait Dominus. Illi dicunt & non faciunt; Christianus doctor & dicat, & faciat. Verbo doceat; addat in semetipso exemplum. Solent qui docent exemplis, rem de qua disputant, explicare. Optimum exemplum est, quod in docente cernitur. Difficile est (ait Plato in dialogo de Regno) absque exemplis res magnas dilucidè ostendere, &c. Maxima res virtus est, exemplis lucidè ostenditur, & hominum animis imprimitur. Subditorum enim quidam typus, principis est exemplum, & pastoris. *Obseruate* (ait Palulus) *eos qui ita ambulant, sicut habetis formã nostram*: Græcè, τύπον, id est, typum nostrum. Quo loco Diuus Chrysostomus docet Apostolorum vitam typum fuisse nostrum; doctorúmque vitam similiter typum esse oportere. Exemplar, inquit, erant Apostoli, imaginem quandam primarij exemplaris seruantes. Cogitate quàm exacta vita illis fuerit, vt archetypum, & exemplum, viuásque leges aliis exhiberent. Quod enim literæ referebant, illud re ipsa omnibus conspicuum faciebant. hæc de Apostolis. Deinde

Phil. 3. Pastoris exemplum. Chrysost.

addit: Ea demum est optima doctrina; ita discipulus induci ac persuaderi poterit. Si enim doctor verbis quidem doceat, operibus verò contraria fecerit; nondum doctor erit. Nam istud & discipulo facile præstitu fuerit, nempè verbis philosophari. Sed opus est admonitione, & inductione, quæ sit ex operibus. Ista quippè & doctorem venerabilem facit, & discipulum obsequentem. Sic Chrysostom. Et in sermone de eo, qui incidit in latrones, in fine tom. 2. qui tamen Chrysostomi esse non videtur: Sit, inquit, rectoris Ecclesiæ doctrina duplex, vt verbis facta conueniant, actus doctrinæ respondeant. In nullo sit minor, qui cunctis est potior, &c. Simplex doctrina illa est, quæ exemplo caret; duplex est quæ cum exemplo & operibus coniungitur. In opere tabernaculi vsus est byssi retortæ, hoc est duplicatæ, siue duplicis, coccus quoque adhibebatur sed bis tinctus, Exod. 36. & aliis locis. Similem in modum ad vsum Ecclesiæ, quæ diuinum est tabernaculum, non simplex doctrina, sed duplicata, non semel tinctus tantummodò literis doctor, sed bis tinctus, tum literis, tum virtute imbutus, adhiberi debet. *Doctrina sit duplex.*

Attende operum, & exempli scopum: *Luceat* (inquit Dominus) *lux vestra coram hominibus*, non vt glorificent vos; sed, *vt glorificent Patrem vestrum qui in cælis est*. Hic nostræ lucis scopus; non eò dirigatur, vt nomen nostrum, sed vt diuinum illustre fiat, iuxta illud: *Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam*. *Cauete*, ait Dominus, *à fermento Pharisæorum*. Vis Pharisæorum videre fermentum? *Omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus*. hoc multi sunt infecti. A magno Alexandro, narrat Plutarchus in fine libri de profectu morum, nuntium summa lætitia gestientem; dexteráq; protensa accurrentem, his verbis exceptũ: Quid mihi vir bone nuntiabis aliud, quàm Homerum reuixisse? Nihil videlicet (vt ait idem auctor) sibi deesse his verbis contestatus est, quàm famam insignem apud posteros. Hoc enim vnum cupiebat, Homerum poëtarum principem in vitam reuocari, vt res quas gesserat principe carmine celebratæ, Homericóque penicillo depictæ ab omnibus hominibus cognoscerentur. Scilicet, fermento feruebant Alexandri viscera. Demus veniam homini ethnico. O vir Christiane, ab hoc fermento caue. Adumbrat autem fermentum superbiam, inanémque gloriam. Quemadmodum fermentum massam inflat; sic superbia, inanisque gloria inflat hominem. Propterea Philo putat ab altari repulsum. In libro de offerentibus victimas sic ait: Iubet legislator oblationem omnem sine fermento fieri, propter tumiditatem, quàm efficit. Figurato præcepto: nè quis elatus ad altare accedat tumidus fastu, & arrogantia, &c. Prætereà quemadmodum fermentum (vt ait Apostolus) massam, sic inanis gloria, opus etsi præclarum, corrumpit. Saul post victos Amalecitas fornicem triumphalem sibi erexisse dicitur. Similem in modum, ait Gregorius in commentariis primo libro Regum; arrogantem doctorem, & inani gloria inflatum, post victa suis concionibus aliqua auditorum vitia, veluti fornicem triumphalem sibi erigere, dum superbit. Arrogantes, inquit, doctores dum magna dicunt, se in sublime æstimationis erigunt; & quales se intus aspiciunt, per iactantiam, & ostentationem, foris innotescunt. Cúmque & illud quod per se alij proficiunt, ad fauorem propriæ laudis trahunt, quid aliud videntur agere, nisi altum victoriæ signum, insigni titulo demonstrare? &c. *Matth. 5. Scopus vitæ sanctæ & doctrinæ, nõ nostra laus, sed Dei.* *Psal. 113.* *Marci 8.* *Matth. 23.* *Plutar.* *Alexander Homerum reuiuiscere cupit, vt sua celebret fa cinora.* *Philo.* *Fermẽtum superbiã & inanẽ glo riã indicat.* *1. Cor. 6.* *1. Reg. 15.* *Arrogãs doctor fornicẽ triumphalẽ erigit. Greg.*

In eos qui vanam sectantur gloriam illud quadrat

Psal. 105. Appetitus inanis gloriæ vitulus cornupeta fœnũ comedens.

drat, *Mutauerunt gloriam suam, in similitudinem vituli comedentis fœnum.* Mutant enim gloriam veram ac cæleſtem, gloriam quoque Dei, ad quam ſua opera dirigere debuerunt, in vitulum, qui fœno paſcitur, hoc eſt, vt Richardus Victorinus moraliter interpretatur, in appetitum inanis gloriæ, & popularis auræ, quæ fœnum eſt, quod hodie viget, cras in clibanum mittitur. Vitulus, ſiue potius taurus cornupeta eſt inanis appetitus gloriæ. *Cornu ferit ille; caueto. Ferit*, inquam, cornu, & alios, & illum à quo paſcitur. Richardus libro 1. de eruditione interni hominis, parte prima capite 4. Cùm, inquit, ſcriptum ſit: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri.* Quid aliud erit vitulus fœnum comedens, niſi humani fauoris appetitus, carnalem & temporalem gloriam ambiens? &c. Fœno paſcitur popularis auræ captator, ſiue potius aëre & aura. At ſolidam qui quærit gloriam, is diuinis ac cæleſtibus fruitur paſcuis. Fugiendo gloria quæritur. Si vanam atque inanem fugiamus; ſolidam ac veram conſequemur.

Richar.

Iſaiæ 40.

Matth. 5.

Ait præterea Dominus publicum eſſe Apoſtolorum doctorúmque munus, nec poſſe latêre. *Non poteſt*, inquit, *ciuitas abſcondi ſupra montem poſita.* Non poteſt abſcondi, qui Reipub. præeſt pontifex, concionator, aut paſtor; ante hominum oculos neceſſe eſt verſetur. Quid agat, quid loquatur, quid exempli præbeat, diligenter attendat. Neque enim latêre poteſt lux mundi. Huc ſpectat illud Philoſophi Senecæ lib. de Clementia, cap. 8. ad Imperatorem: Tibi non magis quàm ſoli, latêre contingit; multa contra te lux eſt. Omnium in iſtam conuerſi oculi ſunt. Item: Nullis magis cauendum eſt, qualem famam habeant; quàm qui qualemcumque meruerint, magnam habituri ſunt, &c. Illud quoque Satyrici huc attinet:

Seneca. Eccleſiæ doctores publicum habent munus, latere non poſſunt.

Iuuenalis.

Omne animi vitium, tantò conſpectius in ſe,
Crimen habet; quantò qui peccat maior habetur.

Caſſiod.

Et illud Caſſiodori libro 3. Variarum, in epiſtola Theodorici Regis ad Argolicum. Non patitur claritas illa (ſcilicet præfecti vrbis) committere, quod poſſit mobilis turba neſcire. Locatus in medium, ad ſe cunctorum trahit aſpectum; & totius vitæ iudicium, promulgat fama populorum. Item lib. 11. in epiſtola ad Ioannem Cancellarium: Latêre non poteſt, quod inter cancellos egeris; tenes quippe lucidas fores, clauſtra patentia, feneſtratas ianuas. Et quamuis ſtudiosè claudas, neceſſe eſt, vt te cunctis aperias. Vndique conſpiceris, qui in illa claritate verſaris, &c. Et libro 6. in formula Rectoris prouinciæ: Fama erunt noſtri temporis, tui mores, &c. Quamobrem ſic conſulit: Eſto vitæ continens, vt poſſis in alios eſſe iudex. Prima æquitas eſt à ſe præſules inchoare, vt debeant criminoſi metuere, quem nequeunt ſimilem reperire. Nullas enim in ſe culpas timet reus, quas in ſe habere perſpexerit cognitorem. O quale eſt, liberum tribunalibus inſidere, &c. Addam, illud quoque Claudiani in Paneg. in 4. conſul. Honorij:

Prima æquitas præſules à ſe inchoare.

Claudian.

Hoc te præterea crebro ſermone monebo.
Vt te totius medio telluris in orbe,
Viuere cognoſcas. Cunctis tua gentibus eſſe
Facta palam, nec poſſe dari regalibus vmquam,
Secretum vitiis. Nam lux altiſſima fati,
Occultum nihil eſſe ſinit, latebraſque per omnes,
Intrat, &c.

Plutarch.

Non tacebo illud Plutarchi in Politicis: Vitam, inquit, ſibi quiſque & mores excolere debet, quò prorſus omni nota vituperationéq; careat. Quãdo præſertim eorum, qui Reipub. præſunt, non modo ſingula verba, nec res tantùm publicitùs geſtæ animaduerti notaríque ſolent: ſed virtus quoque, ioci ſimul, & ſeria quæque, domus, ipſa familia, vxor, cubile, curioſius inquiruntur, &c.

Addit Dominus, lucernã accendi, non quidem, vt ſub modio, ſed vt ſuper candelabrum ponatur. Bene ſuper candelabrum ponitur lucerna ardens & lucens, malè lucerna, quæ vel ardore, vel luce caret. Lucis & ardoris merita, gradus ſunt per quos ad candelabrum, id eſt, Eccleſiæ dignitates aſcenditur. Qui digniſſimus eſt, is ceteris præferatur, qui indignus eſt, repulſam ferat. Nemo lucernam extinctam candelabro vt luceat, imponit, ſi mentis eſt compos; lateat hęc ſub modio. Lucernam ardentem, fulgentémque candelabrum flagitat. At quale candelabrum? Nempe aureum. Aureis enim candelabris Eccleſię ſignificantur. *Ambulat*, inquit, ſcilicet Chriſtus, *in medio ſeptem candelabrorum aureorum*, id eſt, ſeptem Eccleſiarum, ad quas Ioannes ſcribit. Quale candelabrum eſt, talis ſit lucerna; aurea nimirum, non ferrea aut ænea. Aureum erat tabernaculi antiqui candelabrum, aureas quoque non ferreas habuit lucernas. *Fecit & lucernas ſeptem cum emunctoriis ſuis, & vaſa, vbi ea quæ emuncta ſunt extinguantur, de auro mundiſſimo*, &c. Aureum eſt candelabrum Eccleſia, aureos poſtulat miniſtros, aureos Epiſcopos, aureos paſtores, aureos quoque cõcionatores; quos ſuper candelabrum non amicitia aut conſanguinitas, ſed merita collocent.

Apoc. 1.

Exodi 37.

Epiſcopi, Abbatis, Prioriſque dignitatem habeat ille, qui prior eſt meritis. ex meritis ſumat & nomen & dignitatem. Lege quæ de prophana Quæſtoris dignitate Rex Athalaricus ad Felicem ſcribit lib. 8. Variarum Caſſiodori; Aptamus, inquit, munera nomini & meritis tuis. Item; ſicut conſcientia læta eſt, quæ prouehitur meritis, ita ſub reatu iacet, qui ſe imparem cognoſcit muneribus conſecutis, &c. Addit; Sumpſiſti nomen ex meritis, cuſtodi; vt ſemper læteris veritate vocabuli. Nam cùm omnis appellatio ad declarandas res videatur impoſita; nimis abſurdum eſt, portare nomen alienum, & aliud dici, quàm poſſit in moribus inueniri, &c. Quid quæſo de ſacra dignitate dicemus, ſi de prophana hæc dicta ſunt? Dicamus idem: Sumant Epiſcopus, Abbas, Prior, Rector, ceteríque ſimiles, nomina hæc ex meritis, id eſt, ex luce & ardore. Lucem ardorémque cuſtodiant & exerceant, vt ſemper veritate vocabulorũ lætentur. Ne aliena portent nomina, dum aliena occupant loca, neque in moribus inuenitur, quod nomina pollicentur. Adiice id quod idem Caſſiodorus ait lib. 11. in epiſtola ad Ioannẽ Cancellar. Vituperabile eſt inferiorem erigere, niſi meritis alios videatur excellere, &c. Et illud quod in formula conſularitatis ſcripſit, Nomen, ait, tuum actionibus proba. Conſule feſſis, & tunc verè diceris conſularis, &c. Paſtor quoque nomen ſuum actionibus probet. Paſcat oues vberrimis in paſcuis Chriſti, & tunc veriſſimè paſtor appellabitur, vocabulum paſtoris nulla ſorde maculans, ſeruánſque dignitatem nominis, exercitatione virtutis.

Meritis donãda dignitates

Caſſiod. Quod nomina ſignificant præſẽt præſules.

Nominum mẽ ſuram impleant paſtores.

Meminerint paſtores in celſo loco ſe eſſe collocatos, vt ciuitates ſuper montes, vt lucernas ſuper candelabra aurea. *Non poteſt*, ait Dominus, *ciuitas abſcondi ſupra montem poſita: neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum*, &c.

Matth. 5.

Loci celſitudo non ſuperbiam, quin potius periculi conſiderationem, humilitatẽ, vigilantiámque pariat. Auguſtinum audiant Pſalm. 126. Quomodo, inquit, vinitori altior ſit locus ad cuſtodiendam vineam, ſic & Epiſcopis altior locus factus eſt. Et de ipſo alto loco periculoſa ratio redditur, niſi eo corde ſtemus hîc; vt humilitate ſub pedibus veſtris ſimus, & pro vobis oremus, &c. Ambroſius ſerm.

In loco celſo candelabri nõ ſuperbiat paſtor, ſed timeat ac vigilet. Auguſt.

ſerm. 83. Ruina quę de alto eſt, grauiori caſu paſtor colliditur, &c. Cernis paſtoris periculũ, vides, qua humilitate in celſo loco ſe debeat ſub pedibus ſubditorum proſternere? Hæc vera celſitudo eſt, aliorum pedibus ſubiici, iuxta illud Caſſiodori in lib. de anima: Nimia magnitudo eſt ſuam intelligere paruitatem, &c. Cerne iam vigilantiam. Paſtor ſpeculator eſt, ideo in edito ponitur loco, non vt ſuperbiat, ſed vt vigilet, vt ſpeculetur, populumque cuſtodiat diligenter. Auguſtinus eodem Pſal. Ideò, ait, altior locus poſitus eſt Epiſcopis, vt ipſi ſuperintendant, & tamquam cuſtodiant populum. Nam & Græce quòd dicitur Epiſcopus, hoc Latine ſuperintentor interpretatur, quia ſuperintendit, quia deſuper videt, &c. Et lib. 19. de ciuitate Dei, cap. 19. Nomen, inquit, Epiſcopi eſt nomen operis, non honoris. ἐπισκοπεῖν, ſi velimus, Latine, ſuperintendere poſſumus dicere. Vt intelligat non eſſe Epiſcopum, qui præeſſe dilexerit, non prodeſſe, &c. Itaque celſus locus candelabri, periculi admoneat, humilitatis atque vigilantiæ.

Caſſiod.

Paſtor ſpeculator eſt vigilans. Auguſt.

Paſtor non ſit idolum. Zach. 11.

Abſit vt paſtor idolum ſit; iuxta illud: *O paſtor, & idolum.* Idolum verò erit, ſi id vnum quæſierit, vt idoli inſtar ab hominibus colatur & adoretur. Debetur quidem paſtoribus magnus honor; at humilis honorem propter ouium vtilitatem inuitus recipit. Fugere mallet, quàm recipere. fugit Magnus Gregorius, fugit Auguſtinus, & alij, fugiunt humiles, appetũt indecore non humiles; ne quid dicam amplius. Auguſt. lib. 19. de ciuitate, cap. 19. Locus ſuperior, ſine quo populus regi non poteſt, indecenter appetitur, &c. Item otium ſanctum quærit caritas veritatis, negotium iuſtum ſuſcipit neceſſitas caritatis. Quam ſarcinam, ſi nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum eſt veritati, &c. In epiſtola verò 148. ad Valerium: Vis, inquit, mihi facta eſt, merito peccatorum meorum. Nam quid aliud exiſtimem neſcio; vt ſecundus locus gubernaculorum mihi traderetur, qui remum tenere non noueram, &c.

Auguſt.

Paſtorẽ merita eligant non cupiditas.

Sacerdotem atque doctorẽ merita eligant, non cupiditas honoriſque appetitio. Ambroſius lib. 10. epiſtola 82. Ideo ſacerdotem (ſcilicet Aaron) Deus ipſe elegit; vt non humana cupiditas in eligendo ſacerdote præponderaret, ſed gratia Dei, &c. In libra iuſtitiæ turpe eſt præponderare cupiditatem; merita verò pondus maius habere decorum, vt ad virtutum ſtudia & ſapientiæ prouocentur corda multorum: iuxta illud Caſſiodori lib. 11. epiſt. de Primiſcrinio: Differri non patimur merita fidelium, vt ad ſtudia bonorum actuum prouocemus vota cunctorum. Demus igitur, quæ iuſta ſunt laboribus, vt prouectu priorum, inuitemus corda ſequentium, &c. Dignitas Eccleſiaſtica nominatur. Quomodo dignitas erit, quæ datur indigno? Indignitatem ſecum fert indignus, non dignitatem. Tunc verè dignitas eſt, cum digniſſimo tribuitur.

In libra iuſtitiæ cupiditatẽ præponderare turpe eſt.

Lucernæ fumigans vitiis, ſub modio continetur.

Meminerint etiam doctores, lucernam ideo ſuper aureum Eccleſiæ cãdelabrum collocari, vt luceat, non verò, vt moleſtum præbeat fumum, oculiſque noxium, id eſt, exemplum vitij alicuius. Pura ſit lucernæ flamma, emungatur, antequam in candelabro collocetur. Solis lux fumo caret: careant & doctores ac paſtores, qui lux mundi ſunt. Ne ſanctiſſimus Bernardus iterum conqueratur, vt olim in præfatione vitæ D. Malachiæ illis verbis: Quem mihi oſtendas, vel de illorum numero, qui videntur dati in lucem gentium, non magis de ſublimi fumantem, quàm flammantem? &c. Fumigans lucerna ſub modio contineatur, flammans ſublimi candelabro imponatur.

Non venit Dominus ſoluere legem, ſed adimplere: vt nos legem non ſoluamus, ſed adimpleamus, etiam minima quæque. Iota vnum, aut vnus apex non tranſeat à lege Chriſti, quin à nobis fiat. Non magnas ſolùm, ſed paruas etiam maculas, quę quoquo modo legi aduerſantur, fugiamus. *Qui enim ſpernit modica* (vt ait Eccleſiaſt.) *paulatim decidet.* Et Magno Gregorio teſte lib. 10. Moral. cap. 9. ſi curare parua negligimus, inſenſibiliter ſeducti, audenter etiam maiora perpetramus, &c. Lege Philoſophum Plutarchum in fine lib. de profectu morum. Vt omittam cetera; refert eo loco illuſtris cuiuſdam viri hoc dictum; *Non eſſe laborem magis contemptibilem eo, qui ſordes relinquat in vnguibus*, &c. Sunt negotia quædam, ſiue etiam otia, quæ totam ſordibus inquinant manum, videlicet mortiferis criminibus. Alia ſunt, quæ velut in vnguibus ſordes ſolum relinquunt paruas, id eſt, venialia peccata. Fugiendæ ſordes etiam in vnguibus paruæ.

Iota vnum aut vnus apex non prætereat à lege Chriſti; quin à nobis fiat. Eccli. 19.

Parua peccata fugienda. Plutar.

Commonefaciant nos legis Dei ipſæ manus, quibus operamur. Decem enim habet digitos, vt decem legis mandata cunctis in operibus perficiant. Commonefaciant item pedes ipſi, in quibus decem quoque digiti numerantur; vt ad decẽ Dei præcepta curſus totius vitæ dirigatur. Obſeruat hoc Caſſiodorus in libro de anima: Neque illud, inquit, prætereundum; quòd pedes noſtri manuſque, denaria digitorum quantitate formantur. Vt curſus vitæ noſtræ, atque operatio ſacramenta cæleſtis decalogi contineret; ne præter legem Domini, aut cogitare aliquid, aut agere deberemus, &c.

10. Digiti in manibus & pedibus quid indicent.

Caſſiod.

Denique, qui mandata Dei fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum, hic lux erit mundi, ſal terræ, ciuitas ſuper montem iuſtitię poſita, lucerna ardens & lucens in candelabro aureo collocata, lampas Eccleſiam exornans & illuminans. Sunt viri ſancti, qui ſub modio ſe occultãt, apparere nolunt, Deo noti, hominibus ignoti traducunt vitam, neminẽ docent, viuunt in ſilentio. Sunt alij ſuper candelabrum poſiti, apparere volunt, non vt appareant; ſed vt diuini verbi fructus pariant. Deo & hominibus noti, exemplo & voce in Eccleſia perſonant, ad ſalutemque animorum toto animo incũbunt. Illos prunis ardẽtibus; hos verò lampadibus ſimiles eſſe ſcribit Magnus Gregorius hom. 5. in Ezech. in illa verba; *Aſpectus animalium quaſi carbonum ignis ardẽtium, & quaſi aſpectus lampadarum*, &c. Sunt, ait, plerique ſanctorũ ita ſimplices & occulti, ſeſeque in locis minoribus, ſub magno ſilentio contegentes: vt vix eorum vita ab aliis poſſit agnoſci. Quid iſti, niſi carbones ſunt? (ſcilicet incenſi) qui etſi per feruorem ſpiritus ardorem habent, tamen exempli flammam non habent, neque in alienis cordibus tenebras peccatorum vincunt: quia vitam ſuam omnino ſciri refugiunt. Hi autem, qui & exempla virtutum prærogant, & lumen boni operis per vitam & verbum, errantibus demonſtrant: vere lampades appellantur. Carbones ardent quidẽ, ſed eius loci, in quo iacuerint, tenebras non expellunt. Lampades quia magno flammarũ lumine reſplendẽt: diffuſas circumquaq; tenebras effugant. Hæc ille. Sunt neceſſariæ in Eccleſia huiuſmodi occultæ, ardentéſque prunæ, ex quibus odoriferum in cælum exhalatur orationis contemplationiſq; thymiama. Sed illam plus iuuant, & exornant argenteæ lãpades, hoc eſt, ſonantes toto orbe doctores atque paſtores, & Eccleſiã exempli, verbiq; fulgore illuminantes. Prunæ iuuare debent lampades. Qui ſub modio ſe occultant, iis poſcant opem, qui ventis expoſiti ſuper candelabrum ſunt. Qui latent, precibus opitulẽtur iis, qui apparent: qui tranquillam in ſilentio vitam degunt, illis ex cælo poſtulent auxiliũ, qui verſan-

Greg. Mag. Ezech.

tur in prælio. Dum præliatur Ioſue, manus attollat A in monte Moyſes, ſic Chryſoſtomus ſuadet in homil. de ſancto Philogonio. Non eſt, inquit, alia res, quæ perinde declaret doceatque, quis ſit fidelis & amans Chriſti, quàm ſi fratrum curam agat, próque illorum ſalute gerat ſolicitudinem. Hæc omnes audiant, & Monachi qui montium occupant cacumina, quique modis omnibus ſe mundo crucifixerunt, vt pro viribus Eccleſiarum præfectos adiuuent, horúmque curas leniant precibus, concordia, caritate, &c.

Chryſoſt. Solicitudo & animarum cura Chriſti amorem indicat.

Vtilis eſſe debet vnuſquiſque etiam aliis.

Tranſeo ad alia. his finem eiuſdem Chryſoſtomi verba faciant homil. 16. in Matth. Non ſibi, inquit, ipſi tantum vnuſquiſque vtilis eſſe debet, ſed etiam ceteris. Neque enim æqua merces eſt eius, B qui ſolummodò ſeipſum regit, & illius, qui etiam alios acquirit. Sicut enim docere abſque operibus, condemnat docentem: *Qui*, inquit Paulus, *doces alium, teipſum non doces?* Ita facere quidem, nec alij tamen facienda ſuggerere, non parum de illa plena mercede decerpit. Oportet igitur in vtroque eſſe perfectum. Cúmque primùm ſe aliquis ipſe correxerit, tunc eumdem etiam erga ceteros oportet fieri diligentem, &c.

Rom. 2. Facere & docere.

Proximus ad Deũ adducendus.

Ait eodem loco Chryſoſtomus, Chriſtum prius verbum *facere* poſuiſſe, quàm *docere*. *Qui fecerit*, inquit, *& docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Quoniam oportet doctorem prius facere, poſtea docere. Ne dicatur illi: *Medice cura teipſum.* Eum qui non facit & docet, confert D. Baſilius in lib. de legendis libris gentilium, cum pictoribus, & hiſtrionibus, & cum vmbris. Eſt enim doctoris potiùs vmbra, quàm doctor, qui dicit, & nõ facit. Qui verbo tenus, ait, ſunt philoſophati, nec vita ſermonem ſunt comitati, vmbris comparãdi, & ſimile aliquid pictoribus præ ſe ferentes exiſtunt, qui hominis pulchritudinem imitantes effingunt talem, qualis ille verè reperitur. Quoniam magnificè quidem virtutem laudare, & longos de hac re ſermones facere, priuatim verò voluptatem ſectari, ſimile ego dixerim hiſtrionibus, qui in ſcena fabulas agunt, & vt Reges ac principes ſæpenumerò ingrediuntur, qui nec Reges, nec principes exiſtunt, &c. Huc illud vocandum pulcherrimi pontificis Gregorij, eoque pulchrioris, quia ſe fœdum vocat, 4. parte Paſtoral. cap. extremo: Dum, inquit, monſtrare, qualis eſſe debeat paſtor, inuigilo, pulchrum depinxi hominem pictor fœdus, alióſque ad perfectionis littus dirigo, qui adhuc in delictorum fluctibus verſor, &c. Pulcherrimus pontifex, qui & faciebat præclarè & docebat, pulcherrimum libris ſuis veluti penicillis Pontificem pinxit. At qui docet & non facit, fœdus pictor pulchram pingit imaginem. De his ſatis.

Prius faciendum, deinde docendum. Baſil.

Qui nõ facit & docet ſimilis eſt vmbræ, pictori, & hiſtrioni.

Greg.

CAPVT XVII.

De ſermone Domini in monte.

MATTH. CAP. V.

AVdiſtis, quia dictum eſt antiquis; Non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis: Quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri ſuo, raca: reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. Si ergo offers munus tuum ad altate, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum. Eſto conſentiens aduerſario tuo citò, dum es in via cum eo, ne fortè tradat ſe aduerſarius iudici, & iudex tradat te miniſtro: & in carcerem mittaris. Amen dico tibi: Non exies inde, donec reddas nouiſſimum quadrantem.

Matth. 5.

AVDISTIS, *quia dictum eſt antiquis: Non occides.* Hoc loco incipit Dominus implere legem, perficere & exponere. A quinto Decalogi præcepto exordium ducit, quod vitam, præſtantiſſimum hominis bonum tuetur. Supplementum illi & abſolutionem addit, vt ait Chryſoſtomus hom. 16. in Matth. Non iraſci, inquit, abſolutio eſt & ſupplementum, per quod præceptum, *Non occides*; cuſtodiri queat. Qui enim in iracũdiam non effertur, quantò longiùs ab homicidio abſtinebit? Radix quippe homicidij iracundia eſt. Qui igitur radicẽ abſcindit, multò faciliùs ramos eius poterit amputare, immo ne germinare quidẽ eos patietur, &c. Ait igitur Dominus: Audiſtis traditum præceptum huiuſmodi, *Non occides*, antiquis Patribus, cùm lex eſt lata. Ex capite verò Exod. 21. ſcitis, eum qui occiderit, reum eſſe iudicio, id eſt, condemnationi obnoxium. Ego autem hoc legis præceptum impleo & interpretor, doceóque non externam ſolùm hominis occiſionẽ crimen eſſe, ſed internã etiam conceptã animo iracundiam, & verba contumelioſa. Deinde tres gradus proponit peccati, quibus tres ſupplicij gradus reſpondent. Primus gradus eſt, cùm quis aduerſus fratrẽ, id eſt, proximum, deliberata voluntate iram cõcipit. Secundus, cùm conceptam iram voce raca indicat. Tertius, cùm fatuũ appellat. Ille qui primi gradus peccatum committit, reus eſt iudicio; qui ſecundi, reus eſt concilio; qui tertij, reus eſt gehennæ ignis.

Perficit Dominus legis quintum præceptum.

Exodi 20.

Tres gradus iracũdiæ & ſupplicij.

Multæ inſunt huic loco quæſtiones, inprimis quæritur, an vetus lex hos tres peccati gradus prohiberet, quos Dominus prohibet? Deinde; an prohiberet internos animi actus? Tertiò, quinam ſint hi tres peccati gradus? Quartò, quinã ſint tres gradus ſupplicij peccatis reſpondentes? Breuiter quæſtiones expediemus. Primæ reſpondemus, legem naturalem illos tres gradus peccati prohibuiſſe. Natura enim ipſa docet, iraſci proximo, & iniuria afficere, malum eſſe. Prohibebat ergo idem lex etiam

Quatuor quæſtiones proponuntur.

An lex vetus prohibuerit tres iracundiæ gradus.

etiam vetus, quoniam legem naturę complectebatur. In prȩceptis tamẽ scriptis perspicuè hi gradus non explicabantur, quos Dominus nobis explicat. Perspicuè dixi, quoniã obscurè & implicitè quinto mandato vetitos vult Abulensis Matth. 5. Qui vetat, inquit, homicidium, non permittit membrorum mutilationem aut percussionem, quæ homicidio proxima sunt, neque etiam contumelias aut iram, cùm ita sint occasio homicidij, & ex iis soleat induci. Prohibito ergo homicidio, omnia ista prohibita erant. Et tamen propter rudes Christus voluit explicare, quomodo ira, & contumelia, & omnia pertinentia aliqualiter ad homicidiũ sint prohibita. Hæc ille. Crediderim potius hos gradus in illo præcepto legis apertius vetitos: *Diliges proximum sicut teipsum.* Qui enim hoc præceptum seruat, nec irascitur proximo, nec contumeliam irrogat.

Abulens.

Secundæ quæstioni eodem modo fit satis. Legem dicimus concupiscentiam quidẽ alienæ vxoris, & alienæ rei apertè vetuisse Exod. 20. vnde est illud Apostoli: *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret; Non concupisces.* Alios verò internos improbos animi motus non vetuisse adeò apertè, sed implicitè. Cùm enim vetat Deus occidere, occidendi quoque volũtatem prohibet, ex qua externi actus improbitas, velut è fonte manat. Idem de ceteris præceptis iudicandum. Hinc illud celebre extat dictum; *Lex vetus manum cohibebat, non animum,* id est, opera externa, non internos actus, quod in glossa est interlin. ad Philip. 3. explicatur verò à magistro in fine lib. tertij sententiarum. Lege D. Thomam, & doctores ceteros eodem loco, & Abulensem tum Matth. 5. quæst. 177. tum Exod. 20. quæst. 30.

Lex internos animi motus, quomodo cohiburit.

Rom. 7.

Lex quomodo manũ dicitur cohibuisse non animum.

Lyranus & Abulensis Matth. 5. aiunt Iudæos putasse præcepta Decalogi sola externa prohibere opera, non autem internos actus. D. Thomas 2. quæst. 107. art. 2. scribit Pharisæos & Scribas non intellexisse quinto & sexto præcepto actum internum vetitum; ideóque Christũ legem impleuisse, ostendẽdo etiam inter nos peccati motus sub prohibitionem cadere. D. August. lib. 19. contra Faustum, cap. 23. Quia, inquit, Iudæi non intelligebant homicidium nisi peremptionẽ corporis humani, per quã vita priuaretur; aperuit Dominus omnem iniquum motum ad nocẽdum fratri, in homicidij genere deputari. Vnde & Ioannes dicit: *Qui odit fratrem suum, homicida est.* Et quoniam putabãt tantummodo corporalem cum femina illicitam commixtionem vocari Mœchiam, demonstrauit Magister etiam talem concupiscentiam nihil esse aliud. Hæc Augustin. Lyran. Matth. 5. ad illa verba: *Non mœchaberis:* Iudæi, ait, per illud præceptum: Non concupisces vxorem proximi tui: intelligebant signa exteriora tantũ prohibita, vt sunt tactus impudici, oscula, & huiusmodi. Et ideo sic exponebant: Non concupisces vxorem proximi tui, id est, signa cõcupiscentiæ non facies. Similiter per illud præceptum; Non mœchaberis, intelligebãt actum Mœchiæ tantùm esse prohibitum, &c. Hugo Cardinalis; illud: *Non concupisces vxorem proximi tui,* putabant impleri Iudæi, dum alienam non raperent vxorem, &c. Carthusianus Matth. 5. Iudæi præceptum: *Non concupisces vxorem proximi;* exposuerunt de signis concupiscentiæ, non de concupiscentia intus latente, &c.

An Iudæi actus internos peccata esse putauerint.

August.

1. Ioan. 2.

Matth. 5.

Hugo Car.

Carthus.

Id tamen non omnino liquet. Legebant enim Iudæi illud: *Abominatio Domini cogitationes malæ,* vel *mali,* vt etiam est in Hebræo, si verbum verbo reddas, & illud: *Qui cogitat malè facere, stultus vocabitur; cogitatio stulti peccatum est,* &c. Item illud Isaiæ: *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Illud quoque Ierem. *Ne fortè egrediatur vt ignis*

Prou. 15. Peccata cogitationũ in veteri lege fuerũt prohibita.

Prou. 24.

Isaiæ 1.

Ierem. 4.

A *indignatio mea, propter malitiam cogitationum vestrarum.* Eodem cap. *Laua à malitia cor tuum Ierusalem, vt salua fias. Vsquequo morabũtur in te cogitationes noxiæ?* &c. Legebant alia huiusmodi, intelligebant voluntatẽ fontem peccati esse: absque illa peccatum non committi. Sciebant ergo volũtatis actus internos peccata esse. Forsitan digna supplicio non putabant. De quo errore videtur Iosephus dubitasse his verbis: Voluisse, ac non etiam perfeciſſe sacrilegium, non videtur res digna supplicio, &c.

Ioseph. l. 12. Antiq. c. 13.

Quod ad tertiam quæstionem attinet: quidam verba illa: *Qui autem dixerit fratri suo raca, reus erit concilio:* non dici ex persona Christi arbitrantur. In hunc verò sensum hunc locum explicant: *Audistis,* B *quia dictum est antiquis: Non occides, qui autem occiderit, reus erit iudicio.* Ego autem dico vobis, Non solùm qui occiderit, sed etiã qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Rursus: Dictum est antiquis: Qui dixerit fratri suo raca, id est, fatue, reus erit concilio: ego autem dico vobis, quòd qui dixerit fratri suo raca, siue fatue, dignus erit non solùm qui vocetur in concilium, sed qui in ignem gehennæ detrudatur. Vestra doctrina homicidam condemnat, ego etiam irascentem damno. Vos dicentem raca, siue fatuum, ad concilium ducitis: ego eumdem in gehennam præcipito. Interpretationi minimè assentior. Nam verba illa: *Qui autem dixerit fratri suo raca, reus erit concilio,* ex persona Christi dici, contextus verborum, & ordo rectè attendenti demonstrat. C Quemadmodum & illa sequẽtia ex persona Christi dicuntur: *Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Si enim ex persona aliorũ dicta essent, aliquo interpositò verbo id fuisset significatum: vel facilè posset subaudiri. Adde particulam, *autem, Qui autem,* inquit, &c. eidem personæ tribuendum sermonem ostendere. Denique omnes Patres verba illa personæ Christi tribuunt, illíque tribuenda sunt.

In persona Christi hæc omnia dicuntur.

Matth. 5.

Ibid.

Dicendum est, tres esse gradus. In primo gradu, is consistit, qui fratri irascitur, iramque continet animo. Quæres; num iræ venialis, an mortiferæ gradus hic sit? Chrysostomus venialis peccati esse arbitrari videtur, hunc primum & secundum quoque gradum. Sic enim scribit homil. 16. Dixit Do- D minus: *Qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit iudicio; eum verò qui dixerit raca, reum pronuntiat concilio.* Sed adhuc ista non magna sunt. Hæc enim idcirco sunt memorata supplicia, vt eum qui Fatue dixisset gehennæ ignibus deputaret, &c. Verisimilius est de ira mortifera loqui Christum, id quod probat supplicium. Nam Dominus idem supplicium, quod in lege homicidæ propositum erat, ei proponit, qui fratri irascitur. *Audistis,* inquit, *quia dictum est antiquis: Non occides: qui autem occiderit reus erit iudicio,* id est, afficietur mortis supplicio: ita enim Exod. 21. præcipitur. iudicium autem pro condemnatione sumitur. Addit: *Ego autem dico vobis, omnis qui irascitur fratri* E *suo, reus erit iudicio,* id est, eodem mortis, sed æternæ supplicio, diuina damnabitur sententia. ergo de ira mortifera habetur sermo, qualis ea est, qua quis ad homicidium tendit, qua necem, vel graue alicui damnum, vel vindictam cupit inferre.

Qui sint tres gradus iracundiæ.

Chrysost.

Matth. 5.

Secundus gradus est, cùm ira, quæ peccatum est mortiferum, erumpit in vocem contumelioſam raca. Quid autem raca significet, ambigitur. Diuus Chrysostomus ait lingua Syriaca significare idem quod, *Tu:* idem significatũ sequitur Euthymius, & putat hanc iniuriam tunc irrogari, cùm quẽpiam quasi nomine indignũ, proprio nomine appellare nolumus, & loco nominis vsurpamus, *Tu,* in signum iræ atq; abominationis. Hæc opinio probabilitate caret, alio enim pronomine vtuntur Syri. D. Hieronymus in Matth. scribit raca, Hebraicè

2. Gradus iracundiæ.

Quid raca significet.

ſignificare vacuum, quem nos (inquit) poſſumus vulgata iniuria abſque cerebro nuncupare. Auguſtinus de ſermone Domini in monte, refutata eorum opinione qui aiebant, raca, ſignificare pannoſum, à græca voce ῥάκος, id eſt, pannus, à quodam Hebræo ſe accepiſſe refert, raca, vocem eſſe nihil ſignificantem, ſed animi indignantis motum exprimentẽ. Hanc eamdem explicationem amplectitur diuus Gregorius lib. 21. Moral. cap. 5. Rupertus & diuus Anſelmus Matth. 5. Raca, ait, eſt interiectio, & ſignificat affectum iræ. Diuus Baſilius in regulis breuioribus, reſponſi. 51. vernaculum nomen eſſe putat, contumeliæ leuioris, quod aduerſus leuiuſculos vſurpatur.

Diui Auguſtini, & Hebræi illius ſententia cum verbis Chriſti conſentit, qui primo gradu locat eum, qui animo ſolo iraſcitur; ſecundo eum qui in vocem erumpit, *Raca*, iram ſolùm non contumeliam aliquam apertè ſignificãtem; tertio eum, qui in vocem erumpit, *fatue*, manifeſtam iniuriam prę ſe ferentem. Quòd ſi quis obiiciat, vocem, raca, potiùs ſignificare aliud. Negabimus. ſolùm enim in Scriptura hoc loco inuenitur, cui loco ſignificatio Hebræi illius, & Auguſtini magnopere congruit, vt differat gradus ſecundus, à tertio. Nam ſi dicamus raca ſignificare vacuum cerebro, idem eſt appellare raca & fatuum.

Auguſtini ſententia.

De voce Raca.

Ianſenius vult ſignificare vacuum opibus, Maldonatus leuem, Angelus Caninius de locis noui teſtamenti ex thalmudicis, ait genus eſſe contumeliæ familiaris, cùm ſuperior inferiorem corrigere verbis ſolet. Guido Fabricius in lexico Syro-chaldaico: Raca, ait, Syriacè, Thalmudicè dicitur Rica. ſ. inanis & vacuus; eſt autem minus conuitium, quàm fatuus. Sic ille.

Si Hebræa conſulamus. רק, Rek, Hebraicè vacuum & inanem ſignificat. Gen. 37. ciſterna *vacua* dicitur רק, Rek, רק, Rik, ſignificat inanitatem, ſiue vacuitatem; inde Raka. Sumi verò poteſt nomen pro homine egeno, vt ſumit Ianſenius, quoniam vacuus eſt opibus, vel pro fatuo, quia vacuus eſt mente & cerebro, vt D. Hieronymus in Matth. interpretatur. Idem D. Hieronymus Iudic. 11. רק, Rek in inopem vertit. & 2. Paralipom. 7. in vaniſſimum. 2. Reg. 6. Pagninus vertit in vacuum, Biblia regia in inanem, D. Hieronymus in ſcurram. Poteſt ergo ſumi etiam hoc loco pro ſcurra & homine parui pretij, vt à fatuo diſtinguatur, vel pro homine vacuo honore, id eſt, ignobili, hoc ſenſu; *Qui dixerit fratri ſuo raca*, hoc eſt, homo nullius pretij & ignobilis, reus erit concilio. Adde, רק, Rak, ſignificare conſpuere, fortè ergo vox raca ſignificabit aliquem immundum, ſolemus enim ſpuere cum immunda nominamus.

Tertius gradus parum habet difficultatis, is enim dicitur gehenna dignus, qui fratrem cõtumelioſè appellat fatuum. Sermo autem eſt in iis gradibus de ira criminéque letifero. Iam de gradibus ſupplicij dicamus.

Card. Bar.

Cardinalis Baronius tom. 1. Annalium ex Angelo Caninio, & ex Thalmudicis obſeruat, duo fuiſſe apud Hebræos iudiciorum genera; alterum pecuniarum, alterum animarum, hoc eſt, vitæ. Iudicum verò tribunalia tria. primum, quod domus iudicij appellabatur, trium virorum, id eſt, iudicum, in quo de minoribus cauſis diſceptabatur. Secundum, quod domus iudicij, vel συνέδριον, paruum dicebatur, viginti trium virorum. i. iudicum, in quo maiores cauſæ, nempe capitales agebantur. Tertium verò ſeptuaginta duorum virorum, quod συνέδριον, magnum nominabatur, in quo de rebus grauiſſimis iudicabatur. Hoc tribunal Ieroſolymis erat; alia in ſingulis erant tribubus. Ex Scriptura verò habemus aliquid ſimile. *Ioſaphat conſtituit iudices terra, in cunctis ciuitatibus Iuda munitis, per ſingula loca in Ieruſalem quoque conſtituit leuitas, & ſacerdotes, & principes familiarum ex Iſrael, vt iudicium & cauſam Domini iudicarent habitatoribus eius*, &c.

Iudicum tribunalia tria apud Hebræos. 2. Par. 19.

Fuiſſe verò apud Hebræos, Septuaginta duorum virorũ cõcilium, quod dicitur Sanedrin nomine à Græcis accepto, exiſtimat Paulus Burg. in benedictione Iudę Gen. 49. Galatinus li. 4. Lucidus in lib. de emendatione temporũ, vbi de vita Chriſti agit, Maldonatus hoc loco, Ioannes Annius in Breuiario temporũ, eius quoque Philo, & alij meminere, Ioannes Mirandulanus horum iudicum concilium ſimile fuiſſe ait collegio Cardinalium, appellarique in ſacris litteris ſeptuaginta duos illos viros, Seniores. Sed noſter Pererius in libro de benedictionibus Patriarcharum huius ſententiæ probatos, & antiquos aliquos auctores meritò requirit. Etenim Ioſephus diligens Antiquitatum ſcriptor, & Philo, de hoc ſeptuaginta duorum Iudicũ conſeſſu ſcripſere nihil, nihil Hieronymus, & alij Patres. Quocirca dubiæ videtur veritatis. Scripſit de Sanedrin Elias Hebræus in ſuo lexico: Sanedrin, ait, vocabantur ſeptuaginta ſeniores conſiſtorij magni, quod erat Ieroſolymis. Eſtque planè Græcum vocabulum. Hęc ille. In Chaldaica paraphraſi lib. Ruth, capite 5. nomen Sanhedrin reperitur in verbis his; Boos aſcẽdit ad portam domus iudicij, qui locus Sanhedrin, &c. Chaldaicè סנהדרין, Sanhedrin. Exod. quoque 15. vt idem Elias ait, Sanhedrin meminit. Sed hac de re iterum ſermo recurret, cùm de Senioribus Deo volente agemus. Hæc autem idcirco dicta ſunt hoc loco, vt gradus hos à Chriſto propoſitos explicaremus.

Concilium ſiue iudiciũ ſeptuaginta duorum iudicum Ieroſolymit.

De concilio Sanhedrin.

Nam in primo gradu iudicium ſumi videtur pro iudicio viginti trium virorum, qui de cauſis capitalibus iudicabant, hoc ſenſu; *Qui occiderit, reus erit iudicio*, hoc eſt, in iudicio viginti trium virorum, in quo capitales aguntur cauſæ, capite damnabitur. *Ego autẽ dico vobis, qui iraſcitur fratri ſuo reus erit*, iudicij eiuſdem capitalis, dignus enim eſt morte æterna. In ſecũdo gradu; *Qui dixerit fratri ſuo raca, reus erit concilio*; Concilium ſignificat conſeſſum Sanhedrin. Græcè dicitur apud Matth. ἔνοχος ἔσται τῷ συνεδρίῳ, id eſt, reus erit ſynedrio, ſiue obnoxius conſeſſui iudicium Sanhedrin. Grauius eſt iraſci, & proferre *Raca*; quàm iraſci tantummodo. Ideò illi peccato grauius iudicium proponitur, quàm huic. In tertio gradu, quia peccatum creuit, peccato grauiori tribuitur grauior gehennæ pœna. Dices; ergo reliquis duobus non tribuitur hæc pœna. Non igitur ſunt mortifera. Reſpondetur tres hos gradus ſupplicij, pœnã ſignificare gehennalem, cuilibet letifero crimini deſtinatã. ſed quia iracundiæ genera diſparia ſunt; etiã diſpariter ſignificata ſupplicia.

3. Gradus iracũdiæ & ſupplicij diſtinguũtur. Matth. 5.

Diuus Auguſtinus libro primo de ſermone Domini in monte, cap. 18. ait iudicium minus, quàm Concilium eſſe, quoniam defenſioni datur locus in iudicio; at in Concilio de ſupplicio, quo reus afficiendus eſt iam deliberatur. grauiſſimã dicit eſſe gehennam, in qua eſt certa damnatio. Diuus Gregorius libro 21. Moral. capite 4. Per gradus, inquit, culpæ creuit ordo ſententię. Quia in iudicio adhuc cauſa diſcutitur, in Concilio autem iam cauſæ ſententia definitur; in gehenna verò ignis, eaquæ de concilio egreditur ſententia expletur, &c.

D. Auguſt. quomodo diſtinguat Iudicium à Concilio.

Greg.

Verumtamen non puto ob has rationes eſſe illa grauiora, vel leuiora. Sed quia iudicium ſignificat tribunal minus, concilium tribunal maius, gehenna verò nihil grauius eſt. Nam concilium hoc loco non videtur ſignificare conſeſſum in quo de ſuppli-

supplicio rei deliberatur, vt vult sanctissimus Augustinus, sed confessum potius iudicum ius dicentium, quia Græce in Euangelio Matthæi, σωνέδριον, id est consessus appellatur.

Dubium est, cur tartarus gehenna à Domino nominetur? Dicam paucis, de nomine gehennæ, de loco, de causa cur tartarum significet. In primis nomen gehennę, vt ait D. Hieronymus, Matth. 10. in veteribus libris non inuenitur, sed primùm à saluatore pro Orco vsurpatur. Significat autem vallem Ennom. Vallis enim Hebraicè dicitur, גּי, ge, חנון, Ennon, hominis nomen est proprium, sit mentio Geennom Iosue 18. & Iosue 15. quo capite dicitur conuallis filij Ennon. Ieremiæ etiam 7. & aliis locis. Rabinos quoque tartarum gehinnam appellare, testatur Elias in lexico. Rabbini (inquit) nostri locum, vbi impij post mortem puniuntur, gehinnam vocant, &c. Habes de nomine, accipe de loco.

D. Greg. Cur tartarus gehenna appellatur à Domino.

Hieron. Vallis filij Hennom amœna prope Ierusalē.

Vallis fuit amœna prope Ierusalem teste Hieronymo. Hæc, inquit, vallis & parua planicies irrigua erat, & nemorosa, plenáque deliciis, &c. Ieremiæ capite 7. ait fontis Siloæ aquis fuisse irrigatam. Miraris cur flammas tartareas vallis significet amœna? Causam audi. Mos fuit Ethnicis, amœnis in locis idola colere, vt idem Hieronymus docet Ieremiæ 7. Gentilitatis error, ait, omnes prouincias occupauit, vt ad capita fontium, lucósque amœnissimos, victimas immolarent, & omnis prauæ superstitionis religio seruaretur, &c. Hunc Ethnicorum morem secuti Iudæi, in amœna valle, de qua loquimur, idolum coluerunt, illique filios suos incenderunt. Audi Hieronymum Matthæi 10. Idolum, inquit, Baal fuisse iuxta Ierusalem, ad radices montis Moria, in quibus Siloa fluit, non semel legimus. Hæc vallis plena deliciis erat, lucúsque in ea idolo consecratus. In tantam autem dementiam populus Israël venerat, vt deserta templi vicinia ibi hostias immolaret, & rigorem religionis deliciæ vincerent; filiósque suos dæmoniis incenderent, vel initiarent. Et appellabatur locus ille gehennom, id est, vallis filij Hennom, &c.

Ethnici in amœnis in locis idola colebant.

Filios idolo incendisse Israëlitas in hac valle, docet etiam Ieremias cap. cit. his verbis: *Ædificauerunt excelsa Tophet, quæ est in valle filij Hennon, vt incenderent filios suos & filias suas igni*, &c. Ne verò infantium, qui spirantes ac viuentes incredibili crudelitate exurebantur, ploratus audiretur; interim totus tympanis perstrepebat locus, vt Abulensis scribit 4. Regum 16. quæst. 3. Lyranus eodem capite, & alij. Vnde locum dictum volunt Tophet à Toph, quod nomen Hebræis tympanum significat. Lyranus, Leuit. 18. scribit, dicere Hebræos idolū fuisse humanæ formæ, æneum, instar fornacis concauū. Adhibito igitur intus igne, inflammabatur idolum æneum veluti fornax; illius verò in manibus puer veluti sacrificium collocatus, miserandum in modum incendebatur, sacerdotibus tympana pulsantibus, ne parentes eiulatus perciperent; quin potius animos filiorum ab idolo absque dolore excipi crederent. Isidorus Clarius Ierem. 7. ait idoli faciem fuisse vitulinam, quod manus ad recipiendum haberet dispositas. Habuit præterea illius ara (vt ille refert) septem conclauia. Vnum similæ offerendæ aperiebatur, secundum turturibus, tertium oui, quartum arieti, quintum vitulo, sextum boui. Qui verò filium volebat offerre, huic aperiebatur septimum cubiculum.

Ierem. 7.

Tophet à tympanis dicitur.

Isidor. Clar.

Quale fuerit idolum Geennæ.

Immolasse autem filios dæmoniis Israëlitas constat: *Commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum; & seruierunt sculptilibus eorum; & factum est illis in scandalum. Et immolauerunt filios suos, & filias suas dæmoniis. Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan*, &c. Quem in locum sic scribit Genebrardus: Vetus Chananæorum scelus & Ægyptiorum, de quo Leuit. *Semen tuum non dabis trasiciendum idolo Moloch*, per ignem scilicet. Locus appellabatur *Topheth*, à tympanis, quæ pulsabantur, ne pater miserè eiulantis voces audiret. De ritu Hebræi inter se variant. Nam alij putant combustos post immolationem super aram, exemplo Abrahæ instituentis sic Isaacum filium Deo offerre. Alij inclusos in concauitatem idoli, & in idolo succenso igne crematos; interim dum astantes tripudiarent, percutientes tympana, ne puelli eiulatus audiretur. Alij, vt Rabbi Salomon & Kimhi, traductos partim à patre, partim à sacrificulis inter rogorum duorum medias flammas, donec incendio consumerentur. Sic ille.

Psal. 105. *Genebr.* *Leuit. 18.*

Idolum dicitur Moloch. *Iosias Rex contaminauit Tophet, quod est in conualle filij Ennom. Vt nemo consecraret filium aut filiam, per ignem Moloch*, &c. Ierem. *Ædificauerunt excelsa Baal, quæ sunt in valle filij Emom, vt initiarent filios suos & filias suas Moloch*, &c. cap. 19. Israelitas ait filios incendisse Baalim. Iubetur eo loco Ieremias vallem filij Ennom petere, ibique populo huiusmodi verba prædicare. *Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel; Ecce ego inducam afflictionem super locū istum; ita vt omnis qui audierit illam, tinniant aures eius. Eo quòd dereliquerint me, & alienum fecerint locum istum, & libauerunt in eo Dus alienis, & repleuerunt locum istum sanguine innocentum, & ædificauerunt excelsa Baalim ad comburendos filios igni in holocaustum Baalim. Propterea ecce dies veniunt, dicit Dominus, & non vocabitur amplius locus iste Tophet, & vallis filij Ennom, sed vallis occisionis*, &c.

4. Reg. 23. Idolo Moloch consecrabant Iudæi filios per ignē Tophet. *Ierem. 32.* *Ierem. 19. Vallis filij hennom. i. gehēna, siue vallis Tophet, vallis occisionis Iudæorū in bello propter idololatriā.*

Quod de tympanorum strepitu dicitur, recentiorum Hebræorum, & auctorum videtur coniectura, à nomine תף, *Toph*, deducta, quod tympanum significat, cui nomen *Tophet*, affine est. Hieronymus enim locis citatis tympanorū non meminit: & Ieremiæ 7. *Tophet*, non à *Toph*, id est, tympano dictum ait, sed à פתה, pathah, id est, dilatare; puta autem significare latitudinem. Si locus coniecturis est, ego à tympanis potiùs nomen ductū putarem, quæ ab idololatris pulsabātur, dum ea in valle, lætitiæ ludisq; vacarent, quàm à tympanis, quæ puello ardente pulsarentur. Itaque locus Tophet dicebatur, id est, tympanorum, quasi locus lætitiæ, & ludorum, & chorearum. Postea verò, vt Ieremias vaticinatur, vallis dicta est occisionis, illa, quæ tympanorum, lætitiæ, ludorúmque vallis erat. Has vices peccatum habet. Forerius Isaiæ 30. Tophet à יפה, iaphah, deducit, quod pulchrū esse significat. Erat enim locus ille pulcher, vt diximus, & amœnus. Idem censet Leo Castro. Addit Forerius dici, *Tophet*, quasi *Mophet*, id est, portentum & prodigium, quoniam instar prodigij illa erat filiorum immolatio, & portentosus ille idoli cultus. Ait ille, *Tophet*, Iob 17. pro portento sumi; non probo. Noster interpres eo capite pro exemplo accepit, Bibl. reg. pro igne gehennæ.

De tympanis, quæ in Tophet pulsabantur. *Forer.*

Tenues sunt hæ coniecturæ de *Tophet*, & incertæ. Illud certum, in Tophet, siue valle filij Ennom, siue Gehennom filios suos igni incendisse Hebræos, vt constat ex capite 7. Hierem. & 19. Hæc igitur videtur causa cur tartarus gehennæ nomine sit appellatus. Quoniam quemadmodum in Gehennom pueri exurebantur, ita in tartaro exuruntur homines.

Pagnino in libro de interpretatione nominum

Hebræorum videtur, nomen gehennæ, & nomen Tophet, attributum tartaro, quoniam Tophet siue gehenna locus erat immundus, in quem cadauera & immundæ aliæ res proiiciebantur. Idem sentit Isidorus Clarius Isaiæ 30. In tartarum autem immundi, peccatísq; sordidi proiiciuntur homines. Sed Tophet, vel Gehennom, tempore Christi fuisse locum immundum, nullo ex loco probati autoris firmatur. Contaminatum fuisse locum à Iosia
4. Reg. 23. constat, posteà verò plenum mortuorum cadaueribus, & sepulchris, tempore oppugnationis Babylonicæ, sic enim legitur: *Ecce dies veniũt, dicit Dominus,*
Ierem. 7. *& non dicetur amplius Tophet, & vallis filij Ennom, sed vallis*
Cur tartarus appelletur gehẽna. *interfectionis. Et sepelient in Tophet, eò quòd non sit locus. Et*
erit morticinum populi huius in cibos, volucribus cæli, & be-
Ierem. 19. *stiis terræ,* &c. Item, *Ponam ciuitatem istam sicut Tophet,*
& erunt domus Ierusalem, & domus Regum Iuda, sicut locus
Tophet immundæ, &c. Immundæ (inquam) propter cadauera interfectorum à Chaldæis. Tempore Christi fuerit ne locus immundus, ignotum est. Certè tempore Hieronymi non erat. Sic enim ille
Ierem. 7. scribit. *Excelsa siue Ara Tophet, quæ est in valle filij Ennom,* illum locum significat qui Siloë fontibus irrigatur; & est amœnus, atque nemorosus, hodiéque hortorum præbet delicias, &c. Idem Pater sapientissimus cur Orcus vocetur gehenna, hanc rationem his verbis reddit eodem capite: Tradũt Hebræi ex hoc loco (id est Gehinnom, vel valle filij Ennom) appellatam Gehennam. Quòd scilicet, omnis populus Iudæorum ibi perierit offendens Deum. In quo loco etiam filios suos in igne Idolis consecrarint, siue holocaustum obtulerint, &c.

In Tophet siue Gehennon cõbusti sunt Assyrij ab Angelo. In hoc loco Tophet, siue gehenna, ab Angelo cæsa esse cẽtum octoginta millia hominum, id est, exercitum Sennacherib Regis Assyriorum, putat D. Thomas Isai. 30. Tophet (inquit) vallis filij Ennom, gehenna. Eadem est vallis Gethsemani, in qua destructus est exercitus Sennacherib, &c. Idem existimat Forerius eodem cap. Estque verisimile. Vt verò ait Cardin. Caietanus 4. Reg. 19. creditur militum corpora fuisse ab Angelo igne incensa, ne auram inquinarent; seruata tamen spolia, vt ab Hebræis diriperentur. Similiter Abulensis putat Angelum corpora, ait, Assyriorum sic combusta fuerunt, quòd in cineres fuerunt, redacta intractis armis, & vestibus, secundum aliquos, &c. Est hæc Hebræorum traditio vt D. Hieronym. docet Isai. 10. Sicut, inquit, tradunt Hebræi illæsis vestibus Assyriorum corpora occulto cremata sunt ardore, &c. Idem censet Carthusianus eodem capite 10. Isaiæ, & D. Thomas.

Combustum exercitum Assyriorum significat
Isaiæ 10. Isaias his verbis: *Subtus gloriam eius, id est, Assyrij, succensa ardebit quasi combustio ignis: & erit lumen Israel in igne, & sanctus eius in flamma. Et succendetur, & deuorabitur spina eius, & vepres in die vna,* &c. Spinam, & vepres, vocat exercitum Assyriorum, quos Dei flamma veluti spinas, vepréque combussit. Conuersa in cine-
4. Reg. 19. rem corpora non videntur. Sic enim legitur, *Cùm diluculo surrexissent Sennacherib, vidit omnia corpora mortuorum,* &c. Ergo non erãt corpora in cineres redacta. quod placet Caietano. De hac combustione loqui
Isaiæ 30. videtur Isaias, *Præparata est,* inquit, *ab heri Tophet, à Rege præparata, profunda, & dilatata. Nutrimenta eius ignis, & ligna multa. Flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam,* &c. Quasi dicat; A Rege cælesti Deo exercitui Assyriorum præparata est vallis lata, & profunda Tophet, siue gehennon, veluti fornax, lignis & sulphure, flatu Dei succensa. In hac enim valle succendentur ab Angelo. Hic tamen locus communi interpretatione de ipsa gehenna, & tartaro exponitur, in hunc sensum: Assyriis & sceleratis hominibus gehenna præparata est, profunda, dilatata: capere omnes poterit. Tophet est, id est latitudo, iuxta interpretationem Hieronymi Ierem. 7. plena igne, quem non homo, sed Dei flatus in sempiternum incendet. *Tophet significat tartarum.*

Transeamus ad alia. Illud tamen adijciam: non carere verisimilitudine Tartarum appellari Tophet, & gehennon, vel quia Isaias sic appellauit hoc loco: vel quia in Tophet exercitus centum octoginta millium hominum ab Angelo igne est incensus, quæ tartarei ignis imago fuit, tàm corpora, quàm animos exurentis. Dices: Isaias appellauit tartareum Tophet: ergo iam ante illum Tophet nominabatur: non enim ille nouo nomine loci amœnissimi, Orcum primus afficeret. Respondeo, Isaiam significare voluisse in Tophet Assyrios exurendos, & simul in tartaro, in hanc sententiam: Tophet locus est amœnissimus: Præparata est à Deo Assyriis Tophet vallis amœnissima, amœnissimus locus, per ironiam, videlicet Orcus, in quo igni exurantur. Vel, quoniam in Tophet exurebantur pueri, ideò Orcum Tophet appellauit. Simul tamen eodem nomine duplex supplicium Assyriorum intellexit, combustionis in valle gehennon, vel Tophet, & in Orco. Præterea potuit appellare Tophet tartarum, proptea incendium Assyriorum eo in loco, quia Tophet ea re similis fuit tartaro. *Cur Isaias Orcum appellauit Tophet.*

Diximus tres illos peccati gradus de mortifera ira intelligẽdos. Addimus de veniali quoque duos primos posse intelligi: posséque propositæ pœnæ gradus aliter explicari, hunc in modum. Audistis, quia qui occiderit, reus erit iudicio. Ego dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, etiam ira veniali, reus erit iudicio, hoc est, reddet rationem de ea, in die iudicij. Sic enim ait: *Omne verbum otiosum,* Matth. 12. *quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij,* &c. Rursus, *Qui dixerit raca,* hoc est, qui etiam Matth. 5. leuissimum & veniale verbum aduersus fratrem protulerit: *reus erit Concilio,* id est, in concilio, vel consessu sanctorum, qui in die iudicij iudices erunt rationem reddet. Auctor. Imperf. *Raca,* verbũ otiosum vocat hom. 11. in Matth. Non solũ, ait de grauibus peccatis, sed etiã pro verbo otioso, quod locutus es, id est, si raca alicui dixisti, pro eo sunt exigẽda supplicia, &c. In tertio gradu de conuicio agitur graui, & quod mortẽ, & gehennã animæ infert. *Altera sententia de gradibus iracũdiæ & supplicij.*

In primo gradu legit Augustin. Chrysost. & alij: *Qui irascitur fratri suo sine causa:* sicque in aliquibus codicibus græcis habetur. Sed audi D. Hieron. In quibusdam, inquit, codicibus additur, *sine causa.* Cæterùm in veris definita sententia est, & ira penitus tollitur, dicente Scriptura. *Qui irascitur fratri suo.* Si enim iubemur verberãti alteram præbere maxillam, & inimicos nostros amare, & orare pro persequentibus, omnis iræ occasio tollitur. Radendum ergo est, *sine causa,* quia *ira viri iustitiam Dei nõ operatur,* Iacobi 1. vt ait Iac. &c. Præterea in emendata editione iussu summi Pontificis, non legũtur illa verba, *sine causa.* Itaque absque dubio legenda non sunt. *An legendũ sit, qui irascitur sine causa.*

SI *ergo offers munus tuum ad altare.* Iram compescuit Dominus supplicij fœno: hoc verò loco ad reconciliandam gratiam calcaria addit. Confestim, vt in gratiam cum iis redeamus, quos aliqua in re læserimus docet, etiam ipso munere relicto ante altare. Sunt enim omnia prætermittenda etiam ipsum munus offerẽdum (si prudentiæ ratio permitaat) vt cum summa celeritate fratri læso faciamus satis. Si, inquit, offers munus tuum ad altare: & ibi dum munus offerre paras, in memoriam venerit, quòd frater tuus habet aliquid aduersum te: hoc est, quòd fratrem læsisti aliqua in re, ob quam causam aduersum te iustã habet querelam, Matth. 5.

relin-

relinque ibi munus ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo. Attende quàm celeres nos eſſe velit Dominus in recuperanda proximi gratia & amicitia. Te quærit Deus (ait Auguſt. ſer. 16. de verbis Domini) magis, quàm munus tuum. Offers munus tuum, & tu non es munus Dei. Plus querit Chriſtus, quem redemit ſanguine ſuo, quàm quod tu inueniſti in horreo tuo, &c.

Deus nos plus quærit, quàm munera. Auguſt.

Matth. 5. Aduerſario faciendum ſatis eũ benevolentia & feſtinatione.

ESTO *conſentiens aduerſario tuo.* Hæc etiam verba ad reconciliationis feſtinationem, & diſſoluendas lites pertinent. Aduerſarius is vocatur hoc loco, qui habet aliquid aduerſum nos: eo quòd aliquam illi offenſionem intulerimus. Græce dicitur ἀντίδικος, id eſt, aduerſarius, litigator, actor, ſiue accuſator. Læſiſti, inquit Dominus, fratrem, habet aduerſus te iuſtam querelam, læſus ducit te ad iudicem, vel ducere parat. Quamdiu cum illo in via es, qua ad iudicem tendis, citò redi in gratiam, & quod debes, reſtitue. Nam ſi hoc non facias, fortè aduerſarius tradet te iudici, iudex miniſtri opera in carcerem te coniiciet. Ex carcere autem non dimitteris, donec quod aduerſario debes ſoluas ad vltimum vſque quadrantem. Hæc incommoda feſtina tollit reconciliatio. Satius eſt in via ſoluere, antequam ad iudicẽ ducaris, quàm ſoluere ex carcere. In hanc ſententiã rectè exponit Euthymius. Chryſoſtomus de eo interpretatur, qui non læſit, ſed læſus eſt, & inſuper ad iudicem ducitur. Sed rectius Euthymius. Attamen vterque proprie, non parabolicè, iudicem, carcerẽ, & aduerſarium interpretatur. Mihi, ait Chryſoſt. de his, qui in præſenti ſunt, videtur Dominus dixiſſe iudicibus, ac de illa via, quæ ad iudicium ducit, ſupérq; iſto vſitato carcere, &c. Alij parabolicum volunt eſſe ſermonem.

Aduerſarius lex Dei quia peccare volentibus aduerſatur.

Auguſtino lib. 1. de ſer. Domini, cap. 22. aduerſarius legem Dei ſignificat, iudex Deum, miniſter Angelum, carcer tartarum, in hunc modum. Eſto conſentiens, vel beneuolus, vt legit Auguſtinus, Græcè, εὐνοῶν, quod nomen ſignificat conſentientem, vel bene ſentientẽ, & vt Hieronymus Matth. 8. docet, beneuolũ aut benignum: Eſto, inquã, beneuolus, & conſentiens aduerſario tuo, id eſt, legi Dei. Dicitur autẽ lex Dei aduerſarius noſter, quoniam cupiditatibus noſtris, & peccatis aduerſatur.

Auguſt.

Quid ſic aduerſatur, ait Auguſtinus, peccare volentibus, quàm præceptum Dei, id eſt, lex eius, & Scriptura diuina, quæ data eſt nobis ad hanc vitam, vt ſit nobiſcum in via? cui non oportet contradicere, &c. Hic bonus aduerſarius, id eſt, lex, ſi non obſeruetur, nos tradet iudici; ideo ſequitur: *Ne fortè tradat te aduerſarius iudici*, id eſt, lex non obſeruata Chriſto; *& ille tradat te miniſtro* Angelo, *& in carcerẽ*, id eſt, Orcum coniiciaris. *Non exies inde, donec reddas nouiſſimum quadrantem.* hoc eſt, ibi ſolues omnia peccata tua vſque ad minimũ. Nullum relinquetur impunitum: nec tamen inde vmquam liberaberis.

Matth. 5. Lex Dei ſeruanda ne tradat nos iudici.

Recta conſcientia aduerſarius, cui oportet conſentire. Athan.

D. Athanaſius quæ. 62. Aduerſarium corpus dici putat, quod animo aduerſatur. At huic aduerſario oportet non conſentire, ſed ab eius effrænatis affectibus diſſentire. Eodem loco rectius cõſcientiam aduerſarium vocari arbitratur. Aduerſatur enim peccatis. Illi oportet cõſentire ne tradat nos iudici Deo: Dicitur (ait ille) conſciẽtia aduerſarius. Nam occultè nos in corde redarguit, coërcet à malo, & ſi ſimus inobedientes, tandem nos ad Dei tribunal ſiſtit; vbi & pœnas dabimus tum enormium peccatorum, tum etiam leuium, & minimorum, &c. Sint hi ſenſus ſpiritales & myſtici.

Pax ineũda cum aduerſariis.

D. Hieronymus aduerſarium proprie ſumit. eius interpretatio huiuſmodi eſt: Eſto conſentiens, beneuolus & benignus tuo aduerſario, dum es cum illo in via huius ſæculi; ne fortè ſi id non feceris, A tradat te iudici Deo, & in tartarum mittaris. Hunc ſenſum ſequitur Lyranus, Maldonatus, & alij. Auctor quoque imperfecti: Si, inquit, quamdiu in via huius vitæ es, non feceris pacem cum aduerſario, quem læſiſti, ſed ſic inimicantes per mortem ieritis ante iudicem Chriſtum: tradet te Chriſto, conuincens te reum in iudicio eius. Et iudex tradet te miniſtro, id eſt, Angelo pœnarum crudeli, & ille mittet te in carcerem gehennæ. Sic ille. Qui ſenſus etiam eſt probabilis. Quadrans (ait Hieron. Matth. 5.) genus eſt nummi, qui habet duo minuta. Probatur ex Marco: *Cùm veniſſet*, inquit, *vidua vna pauper, miſit duo minuta*, quod eſt quadrans, &c. Eſt autem quadrans quarta pars aſſis. As continet quatuor B reis, quadrans hum real, minutum meo real.

Auct. imp.

Quid ſit quadrans, quid minutum.

Marci 12.

CAPVT XVIII.

Morale.

De ſermone Domini in monte, De ira.

Iræ inter-nus motus extinguendus magna cum feſtinatione.

IRÆ. Chriſtus non ramos ſolùm, verum radicem etiam præſcindit: idque ſupplicij acutiſſima ſecuri. Qui iraſcitur, inquit, fratri ſuo, reus erit iudicio, &c. Ex corde præſcindenda ira eſt interna, antequam vel in verba contumelioſa erumpat, vel in facta. *Veniebat leo, vel vrſus*, ait Dauid, *& illi conſurgebant aduerſum me. Apprehendebã mentum eorum, & ſuffocabam, C interfeciebamque eos*, &c. Eumdem in modum ſi aduerſus nos vrſa, vel ſæua leæna, id eſt, ira, in corde inſurgat, ſuffocemus eam, in ipſoque corde interficiamus, cùm primo inſurgit motu: ne inualeſcat, noſque ſuperet. Ipſam primam ſcintillam, id eſt, motũ primũ excutiamus, ne exuramur. De mari, *Circumdedi illud terminis meis*, ait Dominus, *& poſui vectem & oſtia. Et dixi: Vſque huc venies, & non procedes amplius: & hic confringes tumentes fluctus tuos*, &c. Terminos ſuos habet mare à Deo præſcriptos; vſque ad littora peruenit, in littore tumentes frangit fluctus. Mare amariſſimũ ira eſt, per quod cùm tumeſcit, in tartarum facilè nauigatur. Termini ſunt conſtituendi, quos minimè tranſgrediatur, termini, inquam, rationis. Vſque huc veniat, non procedat amplius, hîc procelloſos frangat fluctus. *In me turbatum eſt cor meum*, ait Dauid, quæ verba D. Baſilius in homilia de Ira, ſic interpretatur: Non foris perturbationem animi oſtendi: ſed veluti quamdam abruptam vndam intra littus retinui, &c. Si turbatur ira cor tuum, turbetur in te intus: foras non prodeat perturbatio. Turbetur, inquam, in te motu primo, rationiſque littore ira contineatur, extra rationis verò littus, ne exundet. Audi Auguſtinum Pſalm. 4. Etiam ſi inſurgit animi motus, qui iam propter pœnam peccati, non eſt in poteſtate: ſaltem ei non conſentiat ratio, &c.

Iob 38.

Ira rationis termini cõſtituendi.

Pſal. 142. Baſil.

Extinguere ſi vis ebullientem iram ei, iram conſidera, exundantíque iræ tum debita ſupplicia attende. *Reus*, inquit Dominus, *erit iudicio: reus erit con-* D *ſilio: reus erit gehennæ ignis.* O tremendũ ſupplicium! Ollam ſuccenſam vidit olim Ierem. cap. 1. & virgam vigilantem. Succenſæ ollę, atque feruenti, ſiti, ſimile cor eſt irati hominis. Vides in te ſuccendi ollam: dum calefieri incipit, virgã Dei attende vigilantem, terribile Dei iudicium, gehennæq; æternũ ſuppliciũ ante oculos propone, vt deferueſcat olla. Chryſ. hom. 2. in Ioan. Indomitæ belluæ, id eſt iræ, nolimus habenas remittere: ſed præduro fræno, metu ſcilicet futuri iudicij, eã cohibeamus, &c.

Matth. 5. Qui vult iram extinguere, Dei iram conſideret.

Chryſoſt.

Adde illum, cui iraſceris fratrem eſſe tuum, proximum, Chriſtianũ, eodem patre in baptiſmo genitum, nempe ipſo Deo. *Qui*, ait Dominus, *iraſcitur fratri ſuo: qui dicit fratri ſuo raca*, &c. Vide cui iraſceris: fratri

Fratri tribuit non iraſcendum.

fratri iraſceris. *Non ſit iurgium inter me, & te, & inter* A
Gen. 13. *paſtores meos, & paſtores tuos*, ait Abraham ad Lot. Vide
quam rationem reddat. *Fratres enim ſumus.* Non ſit
iurgium, non ſit ira inter homines Chriſtianos.
Cur ita? Fratres enim ſunt omnes, Deiq; filii. Præ-
tereà, conſidera fratrem eſſe eum, qui te læſit, vel
iniuria affecit, & fratrem ægrotum. Ægroto, non
ira, miſericordia debetur. Chryſoſtomus hom. 47.
Chryſoſt. in Ioann. Neque febribus laboranti, neque tumi-
do, quiſquam iraſcitur, ſed his morbis affecti ſui
miſericordiam, & lachrymas mouent: huiuſmodi
eſt irati animus, &c. Frater caritate, non iracundia
proſequendus eſt. At dices: me perſequitur. Perſe-
cutione augetur. Perſequentem ne perſequaris,
quin potius ſilentio ac patientia vince. Tace, ait
Chryſoſtomus loco indicato, ſi contumeliam con-
tumelia proſequeris, ignem excitabis, &c. Si iræ
tempeſtas inſurgit, ad ſilentium, & quietem veluti B
portum ſecede. Plutarchus in libr. de cohibenda
Plutar. iracundia. Quieſcere, inquit, optimum eſt, aut effu-
gere, aut occultari, ſeſeque ad ſilentium velut in
portum recipere: quemadmodum ſolent, qui ſen-
ſerunt epilepſiam oborientem. Ne concidamus,
aut potius, ne in quemquam irruamus, &c. Seneca
Iræ remedium ſeceſſio, ſilentiũ, dilatatio. lib. 3. de ira cap. 11. Maximum remedium iræ dila-
tatio eſt, vt primus eius feruor relangueſcat: & ca-
ligo, quæ premit mentem, aut reſideat, aut minus
denſa ſit, &c.

Prætereà, iniurias ride, ac deſpice, ſi falsò iactan-
tur. Si verò aliquid tibi veri obijcitur, cõpungere.
Ridẽda iniuria. Chryſoſt. Quod docet Chryſoſtomus homil. citata. Si vere,
ait, accuſaris, etiam coram compungi deberes, &
gratiam ei habere. Si falsò, deride. Dixit pauperem C
ride. dixit mendicũ: ride, &c. Item: Quare diues, ſi
pauper appellatur, ridet? Quoniam falſum nouit.
Itidem ſi nos iniurias ridebimus, magnum erit ar-
gumentum, quòd falsò reprehendamur, &c. Quid
iniuriæ ſint diligenter expende; venti euaneſcunt;
Inanibus rebus ne perturbemur. Seneca. neminem vulnerant, ſi deſpiciuntur. Inania ſunt,
& pene nihil. Puerorum eſt, aut animalium ratio-
nis expertium inanibus perturbari rebus ac friuo-
lis; non virorum. Taurum (ait Senec. lib. 3. de ira ca.
30.) color rubicundus excitat, ad vmbram aſpis
exurgit, vrſos, leonéſque mappa præritat. Omnia
quæ natura fera, ac rabida ſunt, conſternantur ad
minima. Idem inquietis & ſtolidis ingenijs euenit;
Plutar. rerum ſuſpicione feriũtur, &c. Plutarchus; Quem- D
admodum per nebulam corpora; ita per iram ma-
iora videntur quæ commiſſa ſunt, &c.

Adhæc, iniurias relinque Deo; noli tu vindictam
Rom. 12. Iniuriæ Deo relinquẽdæ. Deut. 32. expetere, aut cupere. Vindictam repetere Dei eſt.
Non vosmetipſos defendentes (ait Apoſt.) *ſed date locũ iræ.*
Scriptũ eſt enim, Mihi vindictam, & ego retribuam: dicit Do-
minus, &c. hoc eſt: Non vos vlciſcamini, ſed date lo-
cum iræ, iræ, inquam, diuinæ, date locum Deo, ad
quem vindicta pertinet. Vnde ſequitur: *Scriptum eſt*
Deut. 32. *enim Mihi vindictã*: ſcilicet ſerua; *& ego retribuam*: No-
ſtra verſio ſic habet: *Mea eſt vltio; & ego retribuam eis.*
Vltio Dei eſt, & eorum qui Dei locum obtinent:
noli tu eam tibi arrogare, &c.

Ira inſania Prætereà, noli inſanire. Quid enim ira eſt aliud, E
quàm inſania? ſic Chryſoſtomus vocat hom 47. in
Ioan. Inter iram, inquit, & inſaniam nihil differt.
Cicero. Et Marc. Tull. Tuſc. 4. Eſt, ait, quidquam ſimilius in-
ſaniæ, quàm ira? quam bene Ennius dixit initiũ in-
Seneca. ſaniæ, &c. Senec. li. 1. de ira c. 1. Quidam ex ſapien-
tioribus dixerunt, iram breuem eſſe inſaniam, &c.
Intuêre hominem ira ac furore percitum, mentis
Chryſoſt. impotem cernes. Chryſoſtomus hom. 3. in Ioann.
Videbis iratos nõ ſecus, ac inſanos, turpiter in me-
dium præcipites ferri. Cùm enim circa præcordia
ira efferbuerit, os ignem emittit, tota inflatur fa-
cies, incompoſitæ manus mouentur, ridiculè pro-
ſiliunt pedes, &c. lege reliqua. D. Gregorius lib. 5. Greg. Iratus de-
ſcribitur. Moral. cap. 31. Iræ ſtimulis accenſum cor palpitat,
corpus tremit, lingua ſe præpedit, facies igneſcit,
exaſperantur oculi, & nequaquam recognoſcun-
tur noti, &c. Quibuſdam iratis (ait Sextius apud Seneca. Senecam lib. 2. de ira, cap. 36.) profuit aſpexiſſe
ſpeculum. Perturbauit illos tanta ſui immutatio.
Veluti rem præſentem, adducti non agnouerunt
ſe, &c. Et Plutarchus lib. de iracundia cohibenda:
Si mihi, inquit, eſſet famulus diligens, haud mole- Plutar.
ſtè tulerim, ſi in ira ſpeculum afferret, &c. Dicitur
Minerua cum tibia caneret, inflatas buccas in ame
conſpexiſſe, vultúſq; illa de formitate offenſa
abieciſſe tibias. Atqui multò deformior irati ho-
minis vultus eſt. Iræ ergo deformitatem conſide-
ra: vt Minerua tibias, ſic tu iram procul abijcias.
Profuit iratis ſpeculũ aſpexiſſe: tibi proderit con- B
ſiderationis ſpeculum intueri. Vultum igitur iræ
diligenter cõſidera, quanta illius fœditas, quãta ſit
turpitudo expende: turpiſſimúmq; monſtrum, & Plutar.
morbum grauiſſimum fuge. Vt Hippocrates ait
apud Plutarchum, is morbus eſt grauiſſimus, qui
ægrotantis faciem quàm maximè mutat in diuer-
ſum. Grauiſſimus morbus ira eſt, quæ animi cor- Is morbus grauiſſimus qui faciem maximè immutat.
poriſque faciẽ tam turpiter immutat, atq; inuertit.

Idolo Moloch, de quo ſuprà diximus, ſimilis ira
eſt. Veluti fornax ardebat, idolum; fornax ardens
eſt iracundia. Ardentiſſimis Moloch manibus puer
exurendus tradebatur: ardentiſſimis iracundiæ
manibus animus inflammandus cõmittitur. Tym- Ira ſimilis idolo Moloch.
panis perſtrepebant ſacerdotes, infœlix puellus
interim incendebatur: ſic ſæpe amici, & conſan-
guinei verbis, ac clamoribus vindictam, vel ſua-
dentes vel probantes perſtrepunt, miſer interim
animus exuritur. O miſerum hominem, qui ani-
mum turpiſſimo huic immolat Idolo. Denique
falſam animo pelle opinionem, è tartaro natam,
videlicet victorem eſſe eum, qui proſternit, qui in-
iuriam facit; qui damnum irrogat. Veram imbibe
animo ſententiã, videlicet, vincere ac triumphare
eum, qui patienter tolerat. Hæc vera victoria, hic Is victor eſt, qui patienter iniuriam tolerat. Is victus qui iniuriam facit.
triumphus verus, hæc beatitudo: *Beati*, ait Domi-
nus *qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam.* Is verè
victus eſt, & imbellis, qui facit iniuriã. Doceat nos
Auguſt. Auguſt. Pſal. 92. Fortè, inquit, ideò te putes fortem,
quia percutis pugno. Non eſt iſta fortitudo, ſi con- D
uiciatus percutias: quoniã ab ira victus es: & valde
ſtultum eſt hominem victum fortem dicere, &c. Et
Prou. 16. Pſal. 111. Attende, inquit, quod ſcriptum eſt, *Melior*
eſt, qui vincit iram, quàm qui capit ciuitatem. Non eris in-
glorius in ignoſcendo, quia de ira victa laudabiliùs
triumphatur, &c. Prou. 16. noſter interpres ſic ha-
bet: *Melior eſt patiens viro forti: & qui dominatur animo*
ſuo, expugnatore vrbium, &c. D. Auguſtinus Septuag.
Chryſoſt. Interpr. verſionem ſequitur. Chryſoſtomum au-
Malorum perpeſſio victoria eſt. diamus hom. 3. in Ioannem: Quod, inquit, grauiſſi-
mum eſt, noſtram calamitatem victoriam nobis
ducimus. Et cùm maximè ab ira vincimur, tunc
maximè viciſſe exiſtimamus. Et cùm humi miſeri
proſtrati iacemus, innumeris plagis à diabolo vul- E
neribúſque acceptis, victoriam reportaſſe conten-
dimus. Quamobrem, fratres, vos ego hortor, &
moneo, vt victoriam ipſam cognoſcere non ne-
gligatis, eámque proſequamini. Siquidem malo-
rum perpeſſio victoria nobis eſt. Hæc Chryſoſt.
Item eodem loco: Victoria contra iram eſt, & qui-
dem maxima: non cùm vlciſcimur iniurias, ſed
cum eas æquo animo toleramus. Hoc namque ma-
gnum eſt, hoc laudabile, &c.

Homil. de Dauide & Saule tom. 1. præclarè oſten-
dit idem ſanctiſſimus pater, Dauidem eximium

ſacrifi-

ſacrificium in ſpelunca Deo obtuliſſe, eximiamque victoriam reportaſſe, tunc cùm Sauli aduerſario, quem in manibus habebat pepercit. Sacrificium, inquit, obtulit Dauid, idq; admirabile, haud quidem mactato vitulo, aut agno, ſed quod his erat multò honorificentius, manſuetudinem offerens Deo, atque occiſa iracundia. Et factus eſt idem tum victima, tum ſacrificus, tum altare. Siquidem & ratio, quæ offerebat manſuetudinem, & ipſa manſuetudo, denique cor in quo hæc offerebatur, omnia erant eiuſdem hominis Dauidis. Hæc ille de ſacrificio. De victoria hæc ſequuntur. Magnificentior, ait, hæc victoria Dauidis, quàm cùm Goliath caput amputauit, hæc magnificētiora ſpolia, hæc præda illuſtrior; hoc glorioſius trophæum. Siquidem illic & funda, & lapidibus, & acie habebat opus; hîc verò cuncta prudentia, rationéque peracta ſunt, & ſine armis cōtingit victoria, & incruentum trophæum erectum eſt. Itaque rediit non Goliath caput geſtās, ſed animi commotionem mortificatam, & iram eneruatam. Neque hæc ſpolia repoſuit Ieroſolymæ, ſed in cælo. Nunc haudquaquam in choris obuiam veniebant fœminæ excipientes illum cum laudibus, ſed angelicus populus e ſublimi applaudebat, admirans eius Philoſophiam, & humanitatem. Aſcendit enim hoſte, id eſt diabolo, innumeris vulneribus fauciato. Egreſſus ex ſpelunca dexteram illam totius orbis pretio parem, ſimul cum capite coronatam gerens. Quemadmodum enim ſæpenumerò fit, vt imperatores, eorum, qui egregiè ſeſe in pugilum certamine, aut in reliquis certandi generibus geſſerunt, ante caput, coronent dexteram: ita & Deus manum illam coronauit, quæ gladium purum potuerit educere, & aduerſus tantam iracundiæ procellam reſiſtere. Egreſſus eſt tanta cum gloria, cum quanta tres pueri egreſſi ſunt ex camino ardente. Nam quemadmodum illos nō exuſſit ignis, ita Dauid non conflagrauit iræ incendio. Hactenus Chryſoſtomus de Dauide. Vtinam huiuſmodi manſuetudinis, immolatæque iracundiæ ſacrificia Deo ſæpe offeramus, vtinam huiuſmodi de ira victorias ſæpe reportemus.

1. Reg. 24.

Dauid eximiam victoriam reportauit, cū hoſtē Saulem in Spelunca liberum intactumq; dimiſit.

Addamus etiam alia ad iram ſuperandam remedia, arma alia. Magnus Gregor. lib. Moral. c. 21. duo tradit remedia. Primum eſt præparatio ad omnia toleranda pro Chriſto. Mens inquit, ſollicita omnes ſibi, quas pati poteſt, contumelias proponat: quatenus redemptoris ſui probra cogitans, ad aduerſa ſe præparet. Quæ venientia tantò fortius excipit, quantò ſe cautius ex præſcientia armauit, &c. Armat igitur aduerſus iram, eorum quæ euenire poſſunt præmeditatio.

Ad ſuperandam iram remedia. Greg. Mag.

Secundum remedium eſt, noſtrorum delictorum cogitatio. Secundus, inquit, ſeruandæ manſuetudinis modus eſt, vt cùm alienos exceſſus aſpicimus noſtra, quibus in alijs exceſſimus delicta cogitemus. Conſiderata quippe infirmitas propria, mala nobis excuſat aliena, &c. Item: Quaſi aqua ignis extinguitur, cùm ſurgente furore animi, ſua cuique ad mentem culpa reuocatur, &c. Idem remedium ſuppeditat D. Chryſoſt. hom. 3. in Ioannem, Quoties, inquit, dolore aliquo amicus te, vel familiaris affecerit, ad iramque concitarit: veniant ad mentem, quæ tu contra Deum commiſeris, &c. Et Plutarchus in lib. de iracundia cohibenda: Siquis, inquit, illud Platonis ſemper aſſonans alienis peccatis: *Non cubi, & ego talis?* rationem ab externis referat intrò, & alienorū erratorum incuſationi interſerat cautionem; non admodum execrabitur aliena peccata, conſiderans ſibi ipſi multa opus eſſe venia, &c. Adde id, quod ad Eutonium ſcribit S. Iſidorus Peluſiota epiſtol. 280. Perſæpe obortum maledictum, animi morbum aut ignoratum, aut neglectum, curauit. Siquidem probi, & clari viri, aut veris amicis, aut acribus inimicis opus habent. Illi ſiquidem admonendo: iſti verò conuiciando à peccatis auertunt, &c. Cùm igitur inimicus peccatum obiicit, te ipſum ſcrutare, an verum dicat expende. Si verum eſt corrige, ſi falſum, ride.

Noſtra crimina in memoriam reuocata iram extinguunt.

Chryſoſt.

Plutar.

S. Iſidor.

Adiicit Chryſoſtomus tertium remedium: Veniat (inquit) in mentem, quòd ſi à proximo offenſam, & contumelias æquo animo toleraueris, leuius in te Dei iudicium prouocabis. *Dimitte* (inquit Dominus) *& dimittemini*, &c. *Luc. 6.*

Chryſoſt.

Quartum remedium eiuſdem Chryſoſtomi eſt celeritas. Eadem hom. 3. in Ioannem. Vehemens, ait, affectus iræ eſt: & omni flamma vehementior. Quare nobis celeritate opus eſt, vt hunc ignem extinguamus. Iræ enim morbus niſi mox ſedetur, multas generat calamitates. Domos, & familias totas euertit, veteres diſſoluit conſuetudines, & breui momento res infandas molitur, &c.

Ira ſumma feſtinatione propellenda eſt.

Chryſoſt.

Quintum, iniuriarum obliuio: Qui fuerit iniuria laceſſitus (ait Chryſoſtomus) non modò memor non infigat pectori: ſed quàm primùm eam obliuioni prorſus mandet, &c. *Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.* Si hæc Iudæis dicuntur, quid à Chriſtianis poſtulari debet?

Iniuriarū obliuio.

Leuit. 19.

Iræ mala D. Gregorius recēſet lib. 5. Moral. c. 31. Primum: Dei imaginē vitiat in nobis. Deus enim tranquilliſſimus eſt, etiam dum punit, iuxta illud. *Tu autem Domine cum tranquillitate iudicas.* At verò ira percitus homo longè à tranquillitate abeſt. Per iram (ait Gregorius) dum manſuetudo amittitur, ſupernæ imaginis ſimilitudo vitiatur, &c. Secundum: ſapientiam, prudentiamq; ira euertit. Greg. Per iram ſapientia perditur, vt quid, quóve ordine agendum ſit, omnino neſciatur. Quia intelligētiæ lucem ſubtrahit, cùm mentē promouendo cōfundit, &c. Tertiū: Ira iuſtitiā diſſipat. Greg. Per iram iuſtitia relinquitur, ſicut ſcriptum eſt Iacobi 1. *Ira viri iuſtitiā Dei non operatur.* Quia dū perturbata mēs iudicium ſuæ rationis exaſperat, omne quod furor ſuggerit, rectum putat, &c. Quartū: Ira ſocialem vitā diſturbat. Greg. Per iram, ſocialis vitæ gratia amittitur. Qui ſe ex humana ratione non tēperat, neceſſe eſt vt beſtialiter ſolus viuat, &c. Chryſoſt. hom. 29. ad populū: Feræ, inquit, potiùs, quàm homini iracundo cohabitandum eſt, &c. *Melius eſt habitare in terra deſerta, quàm cū muliere rixoſa, & iracunda*, &c. Quintum: Per iram (ait Gregorius) concordia rumpitur. *Sicut carbones ad prunas, & lingua ad ignem, ſic homo iracundus ſuſcitat rixas*, &c. Quemadmodū ligna, & carbones ignis materia ſunt: ſic ira rixarū. Denique ira amaritudinē & animo, & corpori affert, fellis inſtar. D. Damaſcenus lib. 2. de fide ca. 26. ex euaporatione fellis ait procedere iram, & felleam nominari. Fel ira eſt, mel verò eſt caritas. Fuge amarorem, dulcedinē caritatis ſectare. Lege Chryſoſtomum hom. 15. in epiſtolā ad Epheſios, ad illa verba Pauli: *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia, tollatur à vobis*, &c.

Ira mala. Sap. 12.

Ira imaginem Dei in homine vitiat.

Ira prudētiam euertit, iuſtitiā diſſipat. Vitam ſocialem diſturbat. Cōcordiam rumpit. Fel eſt amarum.

Prou. 21.

Prou. 26.

Epheſ. 4.

Quòd ſi fortè iratus fratrem læſiſti, magna cum feſtinatione, quod debes reſtitue: rediq́ue cum illo in gratiam. *Eſto*, inquit Dominus, *conſentiens aduerſario tuo citò.* Item: *Relinque munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo.* Vides celeritatem. Diuus Chryſoſtomus homil. 16. in Matth. Nihil eſt, quod ita vitam noſtram valeat euertere: vt operum bonorum actionem diſſimulare, ſemperque differre, ſemper enim iſtud omnibus nos bonis fecit excidere, &c. Item: Non cōcedit Dominus ne paululum quidem differre; ne huiuſmodi anima imple-

Summa cū feſtinatione in gratiam cum proximo redeundum.

Matth. 5.

Ad opera bona cunctatio perniciosa.

impleto absque reconciliatione sacrificio, desidia maiore capiatur, quotidie dissimulet in pacem reuerti. Nouit enim talē esse huiusmodi passionē, quę satis velocis curationis indigeat, &c. Nonnè paulò antè diximus ex Chrysostomo, iræ immolationem sacrificium esse, & munus Deo gratissimum? hoc munus vult sibi offerri Dominus ante alia munera. Immola prius iram, odium, inimicitiā: fratrem tibi concilia, postea veni, & aliud munus offer. Sacrificium est (ait Chrysostomus homil. 16. in Matth.) fratrum reconciliatio, &c. Vide supra Dauidis exemplum.

Matth. 5. *Vade* (ait Dominus) *prius reconciliari fratri tuo.* Vade, quære illum, roga illum, ne expectes, donec ille roget te, ne malus tibi compedes iniiciat pudor. Nónne Deus à nobis offensus prior rogauit? prior legatos qui de reconciliatione agerent, ad homines misit? Imitare Deum, etsi læsus, ad recuperandam gratiam prius incumbe. Audi Dei legatum Paulum ad reconciliationem inuitantem. *Pro Christo* (ait) *legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo,* &c. Audi magnum etiam Gregorium in homil. 32. in Euangel. Inter nos, inquit, & Deum discordiam peccando fecimus; & tamen ad nos Deus suos legatos prior misit, vt nos ipsi, qui peccauimus, ad pacem Dei rogati veniamus. Erubescat ergo humana superbia, confundatur quisque, si non satisfaciat prior proximo; quando post culpā nostram, vel ei reconciliari debeamus, & ipse qui offensus

Deus à nobis offensus prior rogauit, sic & nos priores ad reconciliationem properemus 2. Cor. 5. Greg. Mag.

A est, legatis interuenientibus obsecrat Deus, &c. Pudeat ab ethnicis vinci Philosophis. Aristippo cum Æschine nescio quid iræ incidit. Quidam illi dixit: O Aristippe, vbi nūc amicitia vestra? respondit: *Dormit: sed ego eam excitabo.* Adiitq; Æschinem. Adeò ne (inquit) tibi videor infælix, & insanabilis, vt ne moneri quidē merear abs te? At Æschines. Non mirum, ait, si cum in omnibus me præcellas ingenio; hîc quoque. O Christiane dormit amicitia, vel potius extincta est? excita illam prior placidis, caritateque plenis verbis, ac factis. Vince iram, vince illum quoque cum quo inimicitia intercedit, dum prior de gratia redintegranda agis. Fatetur Æschines hanc esse victoriam. Non mirum, inquit, si cū in omnibus me præcellas ingenio, hac etiā in re præcellueris, dum ad amicitiam B reparandā prior me adiisti. *Vade ergo prius reconciliari fratri tuo.* Relinque (si opus est) munus ante altare.

Ethnici Aristippi exemplum reconciliationis.

Matth. 5.

Chrysost.

Exclamat ad hæc verba Chrysost. O admirabilem, ait, benignitatem, atque ineffabilem erga homines Dei amorem! honorem suum despicit, dum in proximo caritatem requirit. Interrumpatur, inquit, ministerium meum, vt tua caritas integretur. Sacrificium mihi est fratrum reconciliatio, &c. Collige ex hoc loco quàm alienum ab ira, odio, & simultate eū esse necesse sit qui ad altare accedit, non vt munus suum Deo offerat, sed vt stupendum Dei munus, nempè augustissimam Eucharistiam accipiat. Vade prius, ô Christiane, reconciliari fratri tuo; & tunc veniens accipies munus Dei.

CAPVT XIX.

De sermone Domini in monte.

MATTH. CAP. V.

AVdistis, quia dictum est antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proiice abs te: expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam. Dictum est autem: Quicumque dimiserit vxorem suam det illi libellum repudij. Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat.

Matth. 5. NON *mœchaberis.* Exposuit Dominus quintum legis mandatum, & perfecit. nunc sextum quoq; quod sequitur exponit, & perficit. Est autem sextum legis præceptum: *Non mœchaberis*: hoc est, non committes adulterium. id enim propriè significat verbum grecum, μοιχεύω, quamuis ad alia quoque præceptum extendatur. Docet Dominus duplex esse genus adulterij; alterum externum, quod opere, alterum internū, quod corde patratur. Lex, inquit, sic habet: *Non mœchaberis*; non committes adulteriū: Nullā actus interni mentionem fecit. Ego illā perficio. Addo, non solū patrari adulteriū opere; sed etiam corde. Qui enim alienam vxorem viderit, & concupiuerit eam, corde cōmisit adulteriū. Ignorabant Iudęi, vt supra diximus ex Augustino & aliis, cordis adulterium, esse adulterium. Hoc errore illos liberat Dominus: impurisque cogitationibus, ac cupiditatibus corda expurgat. Nam vt ait hoc loco Chrysostomus; Non idcircò Christus aduenisse contentus est, vt solum modò corpus à malis actibus, sed vt prius animam

Perficit Christus sextū præceptum.

Adulteriū internum atque externum.

Chrysost.

C quoque ab huiusmodi cogitationibus auerteret. Quia enim spiritus sancti gratiam mente suscepimus, meritò ipsam purificat primam, &c. Et Diuus Hieronymus Matth. 5. In Euangelio, inquit, peccatorum auferuntur exordia, &c.

ERVE *eum, & proiice abs te.* Grauissimis verbis, cordique insculpendis, docet Dominus adulterij, fornicationis, cæterorūmque criminum occasiones amputandas. Oritur fornicatio, & adulterium cordis, ex aspectu, ideóq; oculum ait eruendum, si nos in eiusmodi scelus præcipitat, dextram quoque manum abscindendam similiter. Grauissima est, & hyperbolica exaggeratio, qua significatur fugiendas toto conatu peccatorum ansas. D Neque enim vult Dominus re ipsa eruēdum oculum, aut abscindendam manum, sed eruēdam occasionem, quamuis magno dolore, magnóque labore constet. Erue oculum, hoc est, ab aspectu huiusmodi sic coercere, ac si eruisses.

Matth. 5.

Peccatorum fugienda occasiones.

D. Hieronymus aliter, significari putat nomine oculi, & dextræ manus, consanguineos, qui nobis peccandi ansam præbent. In dextro, inquit, oculo,

Hieron.

& dextra

& dextra manu, fratrum, vxorum, liberorum, atq; affinium, & propinquorum monstratur affectus, quos si ad contemplandam veram lucem nobis impedimento esse cernimus, debemus truncare istiusmodi portiones, &c. Similem in modum intelligit Chrysost. August. Hilarius, & alij, sed hic sensus superiori continetur.

Consanguinei si sint impedimēto ad virtutis iter faciendum, fugiēdi.

Aduerte, quanto conatu velit Dominus nos ea fugere, quæ peccatorum seminarium esse possunt, dextram manū, oculum dextrum, id est, carissima quæque præcipit abscindenda, si laquei sunt, quibus nos malus dæmon illaqueat. Non fuit satis dicere: *Erue eum*, adiecit, vt obseruat Euthymius; *Proijce abs te*. Non enim satis est, quocumque modo peccati occasionem tollere: longè etiam proijcere oportet, ne redeat. Euthymius; Non dixit Christus percute oculum, sed erue, manifestans omnimodam separationem. Non ibi permansit, addit: *Proijce abs te*: ne in proximo remanens, fiat rursus familiaris, &c. Præcepit Deus Israelitis, azymis vt vescerentur septem diebus: præcepit quoque, vt omne fermentum domo pellerent. *Septem*, inquit, *diebus fermentum non inuenietur in domibus vestris*. Vt enim præceptum seruetur, omnem frangendi occasionem longè oportet propellere. Fermentum est occasio: si domi, vel in vicinia maneat, totam massam corrumpet. *Eduxerunt Angeli Lot, & posuerunt extra ciuitatem*. Non fuit hoc satis: *Nec stes*, inquiunt, *in omni circa regione*, &c. Similem in modum, si te Deus è peccato educit, veluti Lot è Sodomis: non satis est educi: sed ne stes in omni circa peccatum regione, hoc est, occasione in quam Sodomorum flammæ peruenire possint. Vt enim Ambrosius ait lib. 2. de virginibus: Causa peccandi etiam iustos decepit, &c.

De fugiēdis peccatorum occasionibus Euthym.

Exodi 12.

Gen. 19.

Caussa peccandi iustos decepit.

Disce vel ab Ethnicis peccati occasiones fugere. Gotys (vt narrat Plutarchus in Apophth.) cùm natura esset iracundior, & asper eorum, qui in ministeriis deliquissent, castigator, vasa fictilia tenuia quidem & fragilia, sed cælaturis quibusdam & sculpturis polite eleganterque elaborata, sibi ab hospite allata (cùm hospiti ipsi dona dedisset) simul omnia cōfregit. Ne in eos, vt dixit, qui illa fregissent asperius animaduerteret. Sic ille iracundiæ occasionem dum vasa frangit, fregit. Idem fecisse Augustum Cæsarem scribit Fulgosius, li. 5. Cœnabat, inquit, Augustus Cæsar apud Pollionē. Seruus crystallinum vas fregit, domini iussu damnatus, murænarum pabulo, in viuarium ferebatur. Effugit mauus ducentium: Augusti se pedibus prouoluit. Orat, vt alio mortis genere afficiatur. Augustus solui iussit seruū, omniaque Pollionis crystallina, virgula perfregit, viuariaq; euertit. Se enim causam dixit adimere Pollioni velle, ne in animi perturbationem incideret, aut ob eiusmodi causam seruum aliquem perderet tam crudeliter.

Gotys vasa frangit vt occasionem iracundiæ fugiat. Plutar.

Fulgos.

Augustus occasionem iracundiæ frangendo vasa crystallina tollit

Fregerunt hi vasa pretiosa: pretiosiora nos iubet Christus frangere, vt occasionem frangamus, oculum videlicet dextrum, & manum dextram. *Erue* (inquit) *oculum, abscinde dextram*. Neque verò abscindere solùm iubet, verùm acutissimum etiam præbet cultrum, quo id fiat. *Expedit*, inquit, *tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam*, &c. Gehennæ timor acutissimus gladius est, quo & oculi, & manus, & pedes, & carissima quæque, facile abscinduntur, ne in peccatum nos pertrahant. Hoc gladio Hieron. cuncta resecuit, omnibusque proiectis rebus, eremi se carcere ipse damnauit, ne in gehennam à Deo damnaretur. Sic ille scribit epist. 22. ad Eustochium: Ille ego, qui ob gehennæ metum, tali me carcere ipse damnaueram: scorpionum tantùm socius, & ferarum, &c.

Matth. 5.

Hieron.

Earum rerum aspectum, quæ occasionem præbent ruinæ, hoc cultro reseca. Alioqui per oculos facile in tartarum corrues. *Qui viderit* (ait Dominus) *mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo*. Oculi cæterique sensus fenestræ cordis sunt, per quas hostilis irruit exercitus, arcémque capit. Muniendæ igitur, obseruandæque sunt diligēter, non incautè aperiendæ. Per quinq; sensus (ait. D. Hieron. lib. 2. contra Iouinianum) quasi per quasdam fenestras, vitiorum in animam introitus est. Non potest antè metropolis, & arx mentis capi, nisi per portas eius irruerit hostilis exercitus &c. Miminit Plinius lib. 8. capit. 21. feræ quæ Catoblepas nomine græco appellatur, id est, deorsum aspiciens: habet enim graue caput, ac dejectum semper in terram. Alias, ait Plinius, internecio humani generis, omnibus, qui oculos eius viderunt confestim expirantibus: Docet natura in fera hominem, fœminarum oculos aspectúmque fugere, caput consideratione ponderosum, non leue habere, deorsum aspicere: ne vel sibi, vel alijs afferat interitum. Si ex periculis volumus euadere, sursum corda, deorsum sint oculi. Lege epistolam 65. Diui Isidori Pelusiotæ ad Nilum: Omnibus, inquit, viribus oculos custodire, ac velut inuicto fræno coërcere oportet: atque à curioso & impudico aspectu, vt intimas animi partes perstringente, sese abstinere. Maxima enim ex eo in animum improbitas influit, &c.

Sensus fenestræ sunt, per quas hostes ingrediuntur. Hieron.

Plin.

D. Isidor.

Oculi frænandi.

DET *ei libellum repudij*. Ad sextum præceptum etiam hæc attinent. Perficit & adimplet Christus legem. Permisit lex repudium vxoris: Christus non permittit, sed tollit. huiusmodi extat lex: *Si vxor iōinuenerit gratiā ante oculos eius, id est viri, propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudij, & dabit in manus illius, & dimittet eam de domo sua. Cúmque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitq; ei libellum repudij, & dimiserit de domo sua, vel certè mortuus fuerit: non poterit prior maritus recipere eam in vxorem*, &c. Ex hac lege constat permissum fuisse Israelitis vxores, propter fœditatem aliquam in illis repertam, repudiare, dato repudij libello. Permissum quoque fuisse vxori nubere viro alteri, neque potuisse iterum à priori marito duci.

Matth. 5.

Repudium vxorum reuocatur à Christo.

Deut. 24.

Dubium est: Num fuerit licitum Iudæis repudium huiusmodi, an potius ita permissum, vt peccarent quidem, lege tamen non punirentur? Vtraque pars quæstionis suos habet fautores D. Thom. quæst. 67. Additionum, vtramque probabilem iudicat, communiorem tamen eam esse ait, quæ illicitum fuisse repudium affirmat: eam sequitur Magister 4. dist. 33. D. Bonauentura, Ianſenius, Lyranus, Matth. 19. & alij. Licitum verò fuisse Deo permittente, & dispensante, existimat Card. Bellarminus in lib. de Matrimonio cap. 17. & aliquos recenset, Maldonatus quoque Matth. 5. Abulensis Matt. 19. q. 49. & Deuteron. 24. q. 2. & Burgensis eodem capite additione 2. Caietanus Matthæi 19. arbitratur non fuisse illicitum repudium mortaliter, id est, non fuisse peccatum mortale. Quæstioni videtur respondere Dominus Matthæi 19. Rogatus enim à Pharisæis, An liceret homini dimittere vxorem quacumque ex causa? Respondet: *Quod Deus coniunxit, homo non separet*. Quasi diceret, non licere viro vxorem repudiare, & illam à se separare. Sed Pharisæi de Iudæis quærebant, ergo Christus Iudæis asseruit non esse fas vxores dimittere. Permissum verò à Mose ait, propter eorum duritiem, ne vxores occiderent. Sed de hac quæstione, & probatione, tunc commodius agemus, cùm ad illud 19. Matth. caput Deo volente peruenerimus, & Christi verba explicauerimus.

An fuerit licitum repudium.

Matth. 19.

Dubitatur

An propter adulterium tantummodò permissum fuerit Iudæis vxores dimittere?

Dubitatur secũdò; An propter fornicationem, siue adulterium, tantummodò permissum fuerit Iudæis vxores dimittere, an propter alias etiam causas? Tertullianus lib. 4. aduersus Marcionem cap. 34. propter solam fornicationem potuisse repudiari à Iudæis vxores existimare videtur. Id opinatur Paulus Burgensis Deuteron. 24. additione 1. & Ribera Malach. 2. Probabilius censet diuus Chrysostomus homilia 17. D. Thomas quæst. 67. Additio. artic. 6. non fornicationem solam, sed alias etiam fuisse repudij causas, Abulensis Matth. 19. quæst. 55. Oleaster, & Lyranus Deuter. 24. & alij. Vnde Caietanus Matthæi 5. Lex (inquit) vetus latum reliquit campum dimittendi vxorem, &c. Et Glossa ordinaria Deuteron. 24. Multæ erant in lege causæ dimittendi vxores, &c. Opponitur hebræa dictio. Quo enim loco in nostra versione est:

Deut. 24. *Si vxor non inuenerit gratiam ante oculos eius, propter aliquam fœditatem*: Hebraicè habetur, quoniam inuenit in ea, דבר ערות, hhgeruath dabar, id est, turpitudinis, vel fœditatis verbum. Dictio namque ערוה hheruah, significat turpitudinem eam, quæ

Leuit. 18. in re venerea est, vt constat, *Turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ non discooperies*, &c. Est idem

Gen. 9. nomen eo loco; *Cùm vidisset Cham verenda*, (patris sui scilicet) *esse nudata*. Item in eo; *Patris virilia non viderunt*. Ergo lex Deuteronomij cùm permittit vxorem dimitti, propter hhgueruath dabar, id est, fœditatem aliquam, intelligenda est de fœditate, siue turpitudine fornicationis. Septuaginta vertunt; ἄσχημον πρᾶγμα, id est, turpem, vel fœdam, vel inuerecundam rem. Tertullianus loco citato transfert, *impudicum negotium*; Biblia regia; *Nuditatem*: Pagninus, *turpitudinem*. Respondemus dictionem Hebræam illam quidem fœditatem significare. Sed solam illam indicare negamus, quod fuerat probandum. Obiiciuntur prætereà Christi verba illa: *Qui-*

Matth. 19. *cumque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*, &c. Christus Pharisæis rogantibus; Num quacumque de causa liceret vxores dimittere? respondit, licere relinquere propter fornicationem, quo ad thorum, neque alicuius alterius causæ meminit. Ergo lex propter solam fornicationem permittebat dimittere. Quòd si dicas Christum de noua lege loqui non de veteri; opponitur, Pharisæos de lege veteri interrogasse, quæ nondum erat abrogata. Quamobrem Christum non de noua, sed de ea, quæ tunc vigebat responsum dedisse, atque adeò significasse, Iudæis non licere vxorem dimittere nisi causa fornicationis. Respondetur, Christũ Matth. 19. docere iuris esse naturalis matrimonij indissolubilitatem, atque adeò non posse virum vxorem repudiare. Excipit fornicationem, propter quam dimittere potest, quoad thorum tantùm. Ius autem naturale Iudæos complectitur. Itaque docet non licere Iudæis vxores repudiare. Lex tamen id permittebat fieri, & multas ob causas repudiare. Quamobrem permissione legis vtebantur. de his dicemus cum verba Christi Matt. 19. explicabimus Deo fauẽte.

De libello repudij. Libellus verò repudij, libellus dicitur, qui vxori dabatur, ex quo repudiatam, & à mariti potestate liberam esse constabat. A maritone, an ab alio scriberetur, dubium est. A Scribis solitum scribi ait

August. D. Augustinus libr. 19. contra Faust. cap. 26. Vt perhibent, inquit, apud Hebræos scribere literas Hebræas nulli fas erat nisi Scribis solis; cùm & excellentiorem profiterentur sapientiam, & si qui eorum essent æquitate ac pietate præditi; non tantùm profiterentur, verùm etiam sectarentur. Ad hos igitur, quos oporteret esse prudentes legis interpretes, & iustos dissidij dissuasores, lex mittere voluit eum, quem iussit libellum repudij dare, si dimisisset vxorem. Non enim poterat scribi libellus nisi ab ipsis, &c. Existimat item Augustinus eodem loco, propterea iussisse legem libellum repudij dari, vt interim illa mora, & Scribarum consilio, ira vel odium deferuescèret. Nolebat, inquit, dimitti vxorem à viro, qui hanc interposuit moram, *scilicet libelli dandi*: vt in dissidium animus præceps, libelli conscriptione refractus absisteret, & quid mali esset vxorem dimittere, cogitaret, &c. Item, Ad Scribas lex mittere voluit eum, quem iussit libellum dare repudij, si dimisisset vxorem. Non enim poterat ei scribi libellus nisi ab ipsis qui per hanc occasionem, & necessitatem venientem quodammodo in manus suas, bono consilio regerent, atque inter ipsum & vxorem pacificè agendo, dilectionem concordiamque suaderent. Hæc Augustinus.

An à Scribis scriberetur libellus repudij.

An solis Scribis liceuerit literas hebræas scribere.

Attamen à Scribis, id est, legis peritis scribi solitum libellum, incertum est, illisq; solis Hebræas literas scribere licuisse. Forte satis erat, si à viro scriberetur, & à testibus subscriberetur. Neque enim opus fuit ad iudices, vel scribas rem deducere, quoniam nullæ repudij causæ probandæ erant. Vnde Abulensis Matth. 19. quæst. 72. ad 2. Iudæis, inquit, licebat dare libellum repudij sine auctoritate iudicis, nulla causa probata, neque expressa, &c. Ita Ioseph de Deipara virgine occulte repudianda, absq; iudicis auctoritate cogitauit. Matth. 1.

Abulens.

Quæ libelli forma fuerit, scire refert parum, illam reperies apud Ianseníum, & Maldonatum Matth. 19. & Oleastrum Deuter. 24. ea tamen an sit antiqui illius temporis, incertum est. Magister historiæ de hoc libello sic scribit in Deuter. c. 13. Vir apud quem vxor nõ inueniebat gratiam, propter aliquam fœditatem, quæ multimode proueniunt, scribebat quòd numquam cõueniebat cum ea, & causam ob quam displicebat ei mulier, ne conueniret. Et tradebat libellum, in quo scripta erant hæc mulieri, vt coram sacerdotibus legeretur. Et cùm iurasset verum esse quod scripserat, licebat alij copulari. Sic ille. Sed aliqua non multùm habent auctoritatis.

Magist. Hist.

Matth. 5.

EXCEPTA *fornicationis causa*. Tollit Dominus libellũ repudij, Iudæi legis permissione vxores repudiabant, ob multas causas, aliasque ducebant, illæ quoque aliis viris nubebant. Christus vnam tantummodo causam concedit, fornicationem scilicet, siue adulterium, ob quam possit vxor dimitti. Dimittti autem posse quoad thorum tantummodò, & cohabitationem, matrimonij integro vinculo permanente, ita vt nec dimissæ, nec dimittenti fas sit ad alterum transire coniugium, quod synod. Trident. definit sess. 24. can. 7. Paulus,

1. Cor. 7. *iis* (inquit) *qui matrimonio iuncti sunt præcipio, non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Vniuersè loquitur Paulus, & absolutè. Quòd si ob fornicationem dimissæ licuisset virum alterum accipere, id expressisset, neq; cogeret innuptam permanere. *Quicumque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit* (ait Dominus) *adulterium committit super eam, & si vxor dimiserit virum suum, & alteri nupserit mœchatur*, &c. Nullam hic exceptionem admittit Dominus, quoniam voluit definire, non esse fas coniugi ad alias nuptias transire, etiã si ob fornicationem coniux relinquatur. Eundem in modum loquitur, Luc. 16.

Numquam licet post vxorẽ etiã ob adulteriũ dimissam alteri se copulare. Marci 10.

Luca 16. *Omnis* (inquit) *qui dimittit vxorem, & alteram ducit, mœchatur, & qui dimissam à viro ducit, mœchatur.* Scilicet, quacumque ex causa dimittat, nullam adhibet exceptionem.

Ex Luca, & Marco, Matthæus est explicandus; apud

apud quem Dominus fornicationis exceptionem appoſuit, quoniam propter fornicationem dimitti poteſt vxor. Quod ſi dimiſſa alteri nubit, mœchatur. Eſt ergo ſenſus. Omnis qui dimiſerit iniuſtè vxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari, quia exponit eam periculo adulterij. Excepta (inquam) fornicationis cauſa, quia ſi ob hanc dimittat cauſam, iuſtè dimittit, & non facit eam mœchari. Non enim exponit eam periculo, quoniam iure ſuo vtitur, & iuſtè dimittit. Quicumque verò, quocumque modo, etiam ob fornicationem, dimiſſam duxerit, mœchatur, id eſt, adulterium committit. Nulla enim de cauſa ſoluitur matrimonij vinculum. Prætereà cùm Dominus ait: *Quicumque dimiſerit vxorem, excepta fornicationis cauſa, & aliam duxerit, mœchatur*: noluit ſubintelligi: *Et qui ob fornicationem dimiſerit, & aliam duxerit, non mœchatur*. Sed excepit fornicationem tãtummodò, quoniam propter illam poteſt vxor iuſtè dimitti; non tamen ita, vt ad alias nuptias tranſeat. Quaſi diceret; Quicumque dimiſerit vxorem ſuam (excepta fornicationis cauſa, ob quam poteſt, quoad thorum, & cohabitationem, tantùm dimitti) & aliam duxerit, mœchatur, &c. Idcircò Dominus illa verba, *excepta fornicationis cauſa*, coniunxit cum verbo, *dimiſerit*, non autem cum verbo, *duxerit*; Non enim dixit; *Quicumque dimiſerit vxorem ſuam, & duxerit aliam, excepta fornicationis cauſa*. Videlicet, quia fornicationis cauſa vxorem dimittere licet, aliam verò ducere non licet. lege quæ diximus Tom. 3. lib. 3. cap. 19.

Explicatur locus Diuus Matth.

Matth. 5.

CAPVT XX.

De ſermone Domini in monte. De iuramento.

MATTH. CAP. V.

ITerum audiſtis, quia dictum eſt antiquis; Non periurabis; Reddes autem Domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis, non iurare omnino: neque per cælum, quia thronus Dei eſt. Neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum eius. Neq; per Ieroſolymam, quia ciuitas eſt magni Regis. Neque per caput tuum iuraueris, quia non potes vnum capillum album facere, aut nigrum. Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt: non, non. Quod autem his abundantius eſt, à malo eſt.

Matth. 5. NON *periurabis*, Tranſit Dominus ex ſexto ad ſecundum præceptum Decalogi. Chriſtiano homini iuramenta omnia fugienda docet. *Antiquis*, ait, *dictum eſt*; *Non periurabis, reddes autem Domino iuramenta tua*. Prior illa pars; *Non periurabis*; ſumpta eſt ex Exod. idem enim eſt; *Non periurabis, & non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum*. Et ex Leuit. vbi ſic legitur: *Non periurabis in nomine meo*. Ex Hebræo ad verbum: *Non iurabitis in nomine meo mendaciter*. Altera pars: Reddes Domino iuramenta tua: tribus modis exponi poteſt. Primò, ſolues Deo, quod iuramenti aſſertione promiſeris. Quod præcipitur. *Siquis virorum votum Domino vouerit, aut ſe conſtrinxerit iuramento, non faciet irritum verbum ſuum, ſed omne quod promiſit, implebit*, &c. Secundo: *Reddes iuramenta Deo*: id eſt, ſeruabis iuramentum. Quid eſt (ait Chryſoſtomus) *Reddes Domino iuramenta tua*? hoc eſt iurans verum loqueris, &c. Hi duo ſenſus in ipſo præcepto: *Non periurabis*: includuntur. Vt enim quis non periuret, ſoluat neceſſe eſt, quod ſoluendum iuramento confirmauit. Tertio: *Reddes Domino iuramenta*: hoc eſt, Deo tribues iuramenta, non idolis. Cùm iuraueris, nomen Dei aſſumes, non Idolorum nomina. Quod præcipitur: *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſeruies, ac per nomen illius iurabis*, &c.

Exodi 20. Leuit. 19. Perficit Dominus ſecundum mandatum de iuramento.

Num. 30.

Reddere iuramenta quid ſit.

Deut. 6.

Matth. 5. NON *iurare omnino*. Ex Scriptura malè intellecta errores hauriunt homines ſuæ tenaces ſententiæ. ex hoc loco hunc hauſerunt hæretici: Iuramentum nunquam eſſe fas Chriſtiano. At fas eſſe Chriſtiano verum iuſiurandum ſuſcipere cùm opus eſt, eaque reuerentia, quam diuinum nomen flagitat, Eccleſiæ vſus, Sanctorúmq; exẽpla, & verba demonſtrant. Nam Paulus ſæpe iurauit. *Teſtis*, inquit, *mihi eſt Deus* 2. Cor. 1. *Teſtem Deum inuoco in animam meam*. Ad Phil. *teſtis mihi eſt Deus, quomodo cupiam vos in viſceribus Chriſti*. 1. Cor. 15. *Quotidiè morior per veſtram gloriam fratres, quam habeo in Chriſto* (ſic in correcta editione legitur) Per gloriam, ſiue gloriationem iurat Paulus, vt ex græco contextu conſtat, & ex Auguſtino de ſermone Domini, & epiſt. 89. quæſtione 5. Græcè enim ſic habetur. ὑπὲρ τὴν καύχησιν. Et *Omnis*, inquit, *controuerſiæ hominum finis ad confirmationem, eſt iuramentum*, &c. *Iurauit Rex Dauid, & ait. Viuit Dominus*, &c. Itẽ, *Sicut iurauí* (ait Dauid eod. cap.) *per Deum Iſrael dicens, Salomon regnabit, ſic faciam*, &c. Ioſeph quoque iurauit Geneſ. 42. Eliſæus 4. Reg. 5. Apocalypſ. 10. Angelus iurat per viuentem in ſæcula ſæculorum, & Deus Optimus Max. *Iurauit & non pœnitebit eum. Tu es ſacerdos*, &c. & *Iuſiurandum, quod iurauit ad Abraham*, &c. Non ergo malum eſt iurare, ſi debitæ adhibeantur circumſtantiæ.

Rom. 1. 2. Cor. 1. Phil. 1. 1. Cor. 15.

Hebr. 6.

3. Reg. 1.

Pſal. 109. Luc. 1.

Quemadmodum verò, cùm Dominus præcipit abſque vlla adiectione; *Non occides*: iudici non vetat, cùm ius poſtulat hominem occidere. Ita cùm hoc loco, ſine vlla exceptione, ait: *Nolite iurare omnino*: non prohibet tunc iurare cùm neceſſitas flagitat iuſiurandum. Iurare ergo prohibet abſque neceſſitate, & debitis circumſtantiis. Prætereà iurare prohibet, ne ſæpe iurando aliquando in periurium incidamus. Auguſtinus epiſt. 154. *Nolite*, inquit, *iurare omnino*: propterea mihi dictum videtur: non quia verũ iurare peccatum eſt, ſed quia peierare immane peccatũ eſt, à quo nos longè eſſe voluit, qui omnino, ne iuremus admonuit, & epiſt. 89. quæſt. 5. Non eſt peccatum verum iurare, ſed grauiſſimum peccatum eſt falſum iurare: quo citius cadit, qui conſueuit iurare. &c. Lege Gratianum

Chriſtus nõ vetat iurare cum neceſſitas flagitat.

Auguſt.

Fas eſt iurare debitis adhibitis circumſtãtiis.

22. quæſt.1. & de iureiurando c. etſi Chriſtus.

Iuramenta frequentãda minimè ſunt.

Alia ex parte confirmabit aliquis iuramenta frequentanda. Nam iuramẽtum actus eſt virtutis, videlicet latriæ; actus verò virtutum frequentandi ſunt. Reſpondetur, eſt quidem iuſiurandum latriæ actuis, quoniam Deo reuerentiam cultumque præſtamus, cùm per illum iuramus: vt enim *Hebr. 6.* Paulus ait, *homines per maiorem ſui iurant*. Cùm ergo per Deum iuramus, Dei magnitudinem confitemur. prætereà omnia cognoſcere, veritatiſq; fontem eſſe ſignificamus. Adde illud D. Hieronymi Matth. 5. Qui iurat, aut veneratur, aut diligit eum, per quem iurat, &c. At verò, quia rari ſunt, qui, vt præſtari debet, hunc actum præſtent, & quia lingua in vdo poſita facile labitur in periurium, ſatiùs eſt non iurare omnino. Nõ enim vult Deus in teſtem vocari rerum humanarũ, ac terreſtrium, niſi magna cum reuerentia, & neceſſitate, exploratiſſimáque veritate, & iuſtitia. Superat enim medium hoc res humanas, quæ per illud confirmantur infinito interuallo. Medicinæ inſtar periculoſæ adhiberi debet, magna in neceſſitate. Reuerentiam exhibebit quis regi, ſi illum teſtẽ vocet rei arduæ, veræ, ac iuſtæ, cùm omnino opus eſt. At ſæpe ad res parui ponderis confirmandas, regem vocare non decet. Cùm igitur paucæ ſint res graues, ad *Matth. 5.* quas iuramento opus eſt, meritò Dominus ait; *Nolite iurare omnino*, videlicet, cùm neceſſarium non *Iuramentũ neceſſitatis eſt.* eſt iuramentum. Vnde Auguſt. in libro 1. de ſerm. Domini. Qui intelligit (inquit) non in bonis, ſed in neceſſariis iurationem habendam, refrænet ſe, *Auguſt.* vt nõ ea vtatur, niſi neceſſitate, &c. Ait autem Auguſtinus iurationem non eſſe in bonis habendam, quæ ſcilicet bona ſunt abſolutè, & ſimpliciter. Iuratio enim abſque neceſſitate, veritate, & iuſtitia, bona non eſt, ſed mala. Eſt tamen in bonis, & religionis actus, ſi comites ſuos habeat. Lege D. Thomam. quæſt. 89. art. 5. Quod, inquit, non quæritur *D. Thom.* niſi ad ſubueniendum alicui defectui, non numeratur inter ea, quæ ſunt per ſe appetenda, ſed inter ea, quæ ſunt neceſſaria, ſicut patet de medicina. Iuramentum autem quæritur ad ſubueniendum alicui defectui, quo ſcilicet vnus homo alteri diſcredit. Et ideò non eſt habendum inter ea, quę ſunt per ſe appetenda, ſed inter ea, quæ ſunt huic vitæ neceſſaria, quibus indebitè vtitur, quicumque eis vtitur vltra terminos neceſſitatis, &c.

Matth. 5. NEQVE *per cælum, neque per terram*. Ambigitur, vetétne Dominus iurare per Deum? Quod enim non vetet, probatur; quoniam tantùm per creaturas iurare prohibet. *Nolite* (inquit) *iurare omnino, neque per cælum, neque per terram, neque per Ieroſolymam, neque per caput tuum iurabis*. Nullã de iuramento, quod per Deum ſuſcipitur, facit mentionem; ergo illud minimè prohibet. Quod obſeruat Hieronymus Matth. 5. Conſidera, inquit, quod hîc ſaluator non per Deum iurare prohibuerit, ſed per cælum, & terram, & Ieroſolymam, & per caput tuum, &c. Et D. Hilarius exiſtimat Chriſtũ Iudæos incuſare, quòd per creaturas iurarent. Superſtitionem, inquit, contumaciæ veteris condemnat, his enim elementorum nominibus Iudæis erat religio iurare, & cæli, & terræ, Ieruſalem, & capitis ſui, quibus in contumeliam Dei, ſacramento veneration em deferebant, &c. Item Hieronymus, Inlege, ait præceptum eſt, vt non iuremus niſi per Deum. Iudæi per Angelos, & vrbem Ieruſalem, & templum, & elementa iurãtes, creaturas reſque carnales venerabantur honore, & obſequio Dei, &c.

Prohibeatne Chriſtus iurare per Deum?

Hilar.

Hieron.

Reſpondetur, Chriſtum tam per Deum, quàm per creaturas iurare prohibuiſſe, abſque debitis circumſtantiis. Quod patet ex D. Iacobi epiſtola, *Ante omnia* (ait) *fratres mei, nolite iurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcumque iuramentum*, &c. Probatur ex verbis Chriſti ſequentibus: *ſit ſermo veſter eſt, eſt; non, non*. id eſt, Nullum adiiciatis iuramentum, neque per Deum, neque per creaturas. *Quod enim amplius eſt, à malo eſt*. Verba etiam illa Chriſti: omne iuramẽtum complectuntur, *Nolite iurare omnino*: dictio, *omnino*, omne iuramentum, tàm per Deum, quàm per creaturas tollit. Fecit autem mentionem iuriiiurãdi, quod per creaturas effertur, quoniam minus eſt. Quòd ſi minus eſt fugiendum, fugiendum quoque maius eſt, quod per Deum datur.

Iacobi 5.

Matth. 5.

D. Auguſtinus in lib. de ſermone Domini arbitratur Chriſtum aduerſus falſam Iudæorum ſententiam, docere iuſiurandum, quod per creaturas effertur, eſſe iuſiurandum. Quæri poteſt (inquit Auguſtinus) cùm diceretur? *Non iurare omnino*; Cur additum ſit, *Neque per cælũ, neque per terram*, &c. Credo propterea, quia non putabant Iudæi ſe teneri iureiurando, ſi per iſta iuraſſent. Et quoniam audierant, *Reddes autem Domino iuſiurandum tuum*; non ſe putabant Domino debere iuſiurandum, ſi per cælum, aut terram, aut per Ieroſolymam, aut per caput ſuum, iurarent. hęc Auguſtinus ſed de hac falſa Iudæorum opinione non conſtat. Fxiſtimaſſe aliqua huiuſmodi iuramenta hominem conſtringere, alia minimè, ex Matth. colligitur. Dicebant enim Scribæ & Phariſæi; *Quicumque iurauerit per templum, nihil eſt, quicumque iurauerit in auro templi, debet, & quicumque iurauerit in altari nihil eſt, quicumque autem iurauerit in dono, quod eſt ſuper illud, debet*, &c.

Falſa Iudæorũ ſententia. Auguſt.

Matth. 23.

QVIA *Thronus Dei eſt*. Docet Dominus non eſſe proferendum iuſiurandum per cælum; reddit rationem, quia Thronus Dei eſt. Obiicitur. Imo propterea iuramentum eſſe ſuſcipiendum per cælum, quia Thronus Dei eſt, hoc eſt, quia in eo Dei elucet maieſtas. Alioqui iurare per cælum, quatenus cælum eſt, nullo licet modo. Reſpondetur, cauſam quidem, cur per cælùm iuramentum ſuſcipi poſſit, eſſe, quoniam Dei Thronus eſt, maieſtaſque Dei in eo lucet; ſic verò eſſe hanc cauſam iurandi, vt ſit etiam cauſa terroris, & non iurandi. A iureiurando enim Dei maieſtas, quæ in cælo, & terra ſplẽdet deterrere poteſt. Similem in modum addit Dominus; *Neque per terram iuretis, quia ſcabellum eſt pedum Dei*. Deus incorporeus in Throno non ſedet, ſcabellum non habet ſubiectum pedibus. Loquitur ergo Chriſtus humano modo, ad captum hominum, vt intelligant Deum in cælo eſſe, vt in parte mundi ſuprema, ac præclariſſima, & in terra, vt in parte infima, veluti pedibus illius ſuppoſita. Quod additur; *Neque per Ieroſolymã iuretis, quia ciuitas eſt magni Regis*: ſic eſt interpretandum. Ne iuretis per Ieruſalem, quia ciuitas eſt magni Regis Dei, in qua modo illius eſt templum, & cultus.

Non iurandum per cælum quia in eo Dei ſplẽdeſcit maieſtas.

Matth. 5.

Non iurandum per terram.

Matth. 5.

NEQVE *per caput tuum iuraueris*. Diuerſum ab aliis rationem reddit, cur per caput iurandum non ſit; *Quia*, inquit, *non potes vnum capillum album facere, aut nigrum*, hoc eſt, quoniam caput tuum non eſt tuum, ſed Dei. Nam qui iurat per caput, deuouet caput ſuum ſupplicio, ſi falſum dicat; at verò nemo rem alienam debet deuouere, & ſupplicio ſubiicere. Prætereà indicat hæc ratio caput eſſe Dei, atque adeò, cum per caput iuratur, per rem ad Deum pertinentem iuramentum ſuſcipi. Forſitan vt hæc vltima ratio indicat, à iuramento deterret Dominus hoc loco, hac ratione; Nolite iurare per creaturas, quia non ſunt veſtræ ſed Dei, qui non vult eas ad iuramenta vſurpari. Cælum non eſt veſtrum, ſed Dei thronus, terra Dei eſt ſcabellum,

Non iurandũ per caput quia nõ eſt tuũ, ſed Dei.

Ieruſalem

Ierusalem Dei ciuitas, caput tuum in tua potestate non est, sed Dei. Noli res alienas ad iuramentum vsurpare, inuito Domino, id est, Deo. Et multò minus per Deum iura, quia omnium est Dominus, ne te puniat.

Auctor Imp.

Auctor imperfecti non rectè interpretatur, in hanc sententiam. Nolite iurare per creaturas, quia creatura non est Deus. Non per cælum, quia non est Deus, sed thronus Dei, non per terram, quia non est Deus, sed scabellum pedum Dei: non per Ieroſolymam, quia non est Deus, sed ciuitas Dei. Falsa interpretatio est. Christus enim tàm per Deum, quàm per creaturas iurare vetat absque necessitate. Qui autem per creaturas iurat, per Deum, qui in illis per essentiam, præsentiam, potentiamque est, iurat. Nam duobus modis per creaturas iuramentum potest pronunciari, altero per creaturam, vt creatura est; altero per eam, vt in ea Deus elucet, ac manifestatur. Priori modo iurare per creaturam minimè licet, posteriori adhibitis circumstantiis debitis licet. Sic enim per Deum iuratur, qui in creatura est, vt in ea spectatur. Iuxta illud Domini: *Qui iurat in cælo, iurat in throno Dei, & in eo qui sedet super eum.* Item: *Quicumque iurauerit in templo, iurat in illo, & in eo qui habitat in ipso*, &c.

Per creaturas quomodo iuretur.

Matth. 23.

Matth. 5. Absque iuramento loquendum.

Sit *sermo vester: Est, Est.* Quomodo sit loquendum docet Dominus, nimirum absque iuramento. *Sit*, ait, *sermo vester, est, est; non non.* Græcè: ναὶ, ναὶ, quod est aduerbium affirmandi profectò, etiam, Amen. Sensus est, Simplici affirmatione, simplicive negatione, nullo interposito iureiurando, vtimini. Si affirmare vultis quidpiam dicite; *est, est*, Ita est. Si verò negare, dicite, *Non, Non*, Non est ita. Iuramentum cauete. Nam quod his abundantius est, à malo est; hoc est, iuramẽtum quod his, scilicet affirmationi aut negationi coniungitur, à malo proficiscitur.

Quod abundantius est à malo est.

Quid significet hoc loco malum, dubitatur. Græcè dicitur, ἐκ τοῦ πονηροῦ. D. Augustin. malam causam interpretatur, hoc pacto: Iuramentum à malo est; id est, à mala causa: ab incredulitate enim hominum & infirmitate ortum est. Nam si homines fidem alij alijs haberent, opus non esset iuramento.

Augustin.

Si iurare cogeris (ait Augustin. de sermone Domini) scias de necessitate venire infirmitatis eorum, quibus aliquid suades. Quæ infirmitas vtique malum est, &c. Eodem modo interpretatur Innocentius 3. De Iureiurando, cap. *Etsi Christus.* A malo, inquit, est non tàm culpę, quàm pœnæ; nec exhibentium, sed exigentium iuramẽtum. Nam incredulitas huiusmodi magis est pœna, quàm culpa. Vnde nõ dicit, *malum*, sed, *à malo*, &c. Aliter, *à malo est*: hoc est, à mendacio malo ortum est. Quoniam enim homides mentiri solent, quod malum est, ideò iuramentum ad confirmationem dictorum adhibetur, ne mentiantur.

Quomodo quod abundantius est, à malo sit.

Iuramenti causa hominum infirmitas.

Chrysost. Psal. 5. Euthym. Theoph. *Malum*, diabolum putant significare, hoc sensu: *A malo est*, id est, à diabolo. Oppones. Christus ait id, quod additur simplici affirmationi, aut negationi, *A malo esse*, id est, diabolo: ergo omne iuramentum est à diabolo; ergo numquam fas est iurare. Respondetur, Christum iuxta hunc sensum, non loqui hoc loco de iuramento necessario, ac cito, quo vti fas est: sed de reliquis, quæ sunt à diabolo. Aliter sic exponi potest locus, vt complectatur iuramenta etiam licita, hoc pacto, *Quod amplius est*, hoc est, iuramẽtum, *A malo est*, hoc est, à peccato ortum est: Vel, à diabolo ortum est, qui primos parentes in peccatum impulit, ex quo peccato iuramẽtum duxit originem. Nam si non peccassent homines, & in statu innocentiæ permansissent, iuramento opus non fuisset. Etenim mendacio in statu illo locus non erat, ac proinde nec iuramento. Abulensis sic etiam interpretatur, *A malo est*, iuramentum, id est, malum est. Nam Christus de iuramentis non necessariis & illicitis verba facit, quæ mala sunt, & à malo peccatore & ore proficiscuntur.

In statu innocentiæ iuramento non fuisset opus.

Similis locus est apud D. Iacobum, *Nolite* (inquit) *iurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcumque iuramentum. Sit autem sermo vester, est, est: non, non. Vt non sub iudicio decidatis.* Græce legitur. ἤτω δὲ ὑμῶν τὸ ναὶ, ναὶ; καὶ τὸ οὒ, οὔ, ἵνα μὴ εἰς ὑπόκρισιν πέσητε. Pagninus vertit: *Sit autem vestrum, etiam, etiam: non, non. Vt ne in simulationem incidatis.* Eodem ferè modo Clarius; Biblia regia: *Vt non in hypocrisim decidatis.* Exponit Caietanus: Vestrum *etiam*, sit *etiam*: Vestrum *non*, sit *non*. hoc est, verè loquimini. Vt non incidatis in simulationem. Nam si meum *etiam*, non est *etiam*: & meum *non*, non est *non*, id est, si falsò loquor, & simulatè; incido in hypocrisim, & simulationem. Quia aliud animo gero, aliud ore profero, vt hypocrita. Melius noster interpres: *Sit vestrum*, id est, sit sermo vester, *Est, Est; Non, Non.* Ne sub iudicio decidatis. Nam vel legit κρίσιν, id est, iudicium, vel, ὑποκρισιν pro iudicio accepit, ὑπόκρισιν (ait Græcus Oecumenius) dicit Iacobus, κατάκρισιν, id est, condemnationem. Sic etiam Syri.

Iacobi 5.

Fugere iurisiurandi cõsuetudinem hortatur locus hic, sermonemq; Christianum format. *Sit sermo vester, Est, Est: Non, Non*, &c. Sit igitur Christiani sermo veritate fulgens, & à iuramento alienus, multis de causis.

Prima: Ne iurando, vt Augustinus ait in li. contra Mendacium, ad facilitatem iurandi veniatur: ex facilitate ad consuetudinem, atque ita ex consuetudine in periurium decidatur. Hinc illud *Iurationi ne assuescat os tuum. Multi enim casus in illa*, &c. Iter fugimus, in quo multi sunt casus; fuge igitur lubricam iurandi consuetudinem, in qua multi sunt lapsus. Adiungit Ecclesiasticus: *Sicut seruus interrogatus assiduè, à liuore non minuitur, sic omnis iurans, & nominans, in toto à peccato non purgabitur.* Hoc est: Quemadmodum seruus qui sæpe à domino in quæstionem, & verbera vocatur, vibicibus, verberúmque signis maculatur, sic & animus hominis sæpe Deum nominantis, ac iurantis, aliquibus peccatis inquinatur: quæ sunt iuramentorum velut vibices.

Eccli. 23. Iurandi cõsuetudo multis de causis fugienda. Iurando ad facilitatẽ, & consuetudinẽ iurandi veniatur.

Secunda. Quia iusiurandum à malo est, id est, à peccato Adami profectum, vt diximus: non propter se appetendum est, sed medicinæ instar causa necessitatis adhibendum. Si morbus peccati non fuisset, iuramento opus non haberemus. Est morbus, necessaria est medicina. Sicut nemo medicina absque necessitate vtitur; sic nemo iuramento absque necessitate vtatur. Iuxta illud Augustini supra citatum in libr. 1. de sermone Domini: Qui intelligit non in bonis, sed in necessariis iurationem habendam, refrænet se, vt non ea vtatur, nisi necessitate, &c.

Iuramentũ instar medicinæ causa necessitatis adhibendum.

Augustin.

Tertia. Ne à Deo puniamur; iuxta illud: *Vir multum iurans implebitur iniquitate: & non discedet à domo illius plaga*, &c. Cæteris præceptis decalogi supplicium Deus non adiunxit. Adiũxit autem præcepto secundo, *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra*, id est, supplicium de illo sumet. Lege Chrysostomum homil. 15. ad popul. Audiuistis (inquit) Zachariam de iuramentis loquentem: *Dixit ad me Dominus; Quid tu vides? & dixi: Video falcem volantem longitudine cubitorum viginti, & latitudine cubitorum decem. Et ingredietur domum iurantis nomine meo, & dissoluet in medio, & suffodiet lapides*,

Eccli. 23. Iuramentũ frequẽs fugiendum ne puniamur.

Exodi 20.

Chrysost.

Zach. 5.

pides & ligna. Falcem in collum delapſam, & pro funiculo factam, nemo fugere poteſt. Cùm autem & alæ ſint, quæ vlterius ſalutis ſpes? Sic Chryſoſtomus Zachar. 5. iuxta Septuaginta Interpretes videt vates falcem volantem, quæ in domum iurantis ingreditur ad puniendum. Iuxta vulgatum videt volumen volans, in quo & periurantis crimina & ſupplicia ſcripta ſunt. Lege eumdem Chryſoſtomum hom. 19. & 27.

Qui ſponte iurat, ſe indignum fide videtur profiteri. Ioſephus.

Quarta. Ne nos fide indignos profiteamur. Diuus Baſilius Pſal. 14. Turpe, inquit, eſt, & omnino ſtultum, ſeſe vt fide indignum accuſare: & ad iuramenti ſecuritatem confugere, &c. Ioſephus libro 2. de Bello, cap. 7. Eſſeni, inquit, iuſiurandum quaſi periurio deterius vitant. Iam enim mendacij condemnatum arbitrantur, cui ſine Deo non creditur, &c.

Chromat.

Chromatius Matth. 5. concione 2. Idcirco Dominus non ſolùm peierare, ſed etiam iurare nos prohibet; ne tunc tantùm videamur verum dicere, cùm iuramus, &c.

Plutar.

Quærit Plutarchus in libro problem. Roman. numero 43. Cur flamini diali iurare non liceret? Reſpondet: An quod ei parua in re fidem non habere abſurdum eſt, cui ſumma ac diuina credita ſunt? &c. Congruunt hæc ſacerdotibus religioſiſque viris. Si ſacerdos Dialis omnia fugiebat iuramenta, ſacerdoti Chriſti quidnam faciendũ eſt? Si ſacerdotis ethnici, & infidelis munus fidem faciebat; qualem fidem facere oportet ſacerdotis Chriſtiani fidem & officium?

Sacerdos vitet iuramenta & vir religioſus.

Quinta. Quia tormenti quoddam genus eſt homini libero iuſiurandum, vt Plutarchus ait loco indicato. Quorſum enim adhibentur hominibus tormenta? nónne ad veritatem extorquendam? Ad eamdem quoque extorquendam adhibetur iuſiurandum. Iniuriam tibi facis, ſi tormento tibi opus eſſe fateris, ad proferendam veritatem.

Plutar. Tormenti genus iuramentum ad extorquendã veritatẽ.

Veritas Chriſtianorum.

Sexta cauſa. Quia Chriſtianorum tanta eſſe veritas debet, vt ſatis ſit affirmatio, vel negatio ſimplex, ſufficiatque *Eſt, Eſt, Non, Non*; vt Dominus ait.

Chromat.

Quid vnicuique noſtrum iurare neceſſe eſt (inquit Chromatius) quorum verba ita vera ſemper, ita debent eſſe fideliſſima, vt pro iuramento habeantur? &c. Ioſephus lib. 2. de Bello, cap. 7. de Eſſenis loquens: Omne, inquit, quod dicunt, iuramento fortius habent, &c.

Chriſtianorũ vita talis eſſe debet, vt iuramenti locum obtinere poſſit.

Quid dicendum de Chriſtiano? Ipſam Chriſtianorũ vitam talem eſſe oportet, vt in locum iuriſiurandi poſſit ſuffici. Fideles vocantur Chriſtiani. Tanta igitur ſanctitate ornata ſit fides, vt ſine iureiurando faciat fidem. Imo vt ipſa veluti iuſiurandum ſit. Sic docet Clemens Alexandrinus libro 7. Strom. his verbis: Iuſiurandum, inquit, eſt confeſſio definitiua, cum diuina aſſumptione. Qui eſt autem ſemel fidelis, quemadmodum ſeipſum infidelem præbuerit, vt etiam opus habeat iureiurando, & non ita vitam geſſerit, vt ea ſit firmum ac definitum iuſiurandum, & fidem confeſſionis oſtenderit, in vita conſtanti, ſtabilique, & ſermone? &c.

Clem. Alex.

Auguſt.

Auguſtinus de ſermone Domini lib. 1. Chriſtianus, ait, verum loquatur: neque iurationibus crebris, ſed morum probitate commendet veritatem, &c.

Ad vincendam iurãdi conſuetudinem.

Ad vincendam autem iurandi conſuetudinem Chryſoſt. remedia præbet hom. 17. in Matth. Primum eſt, vehemens cupidáque vincendi voluntas. Quis labor eſt fugere iuramentum? (ait Chryſoſtomus) Numquid pecuniarum opus eſt impenſa? numquid ærumnis ac ſudore perficitur? Tantummodo velle ſufficit, & totum, quod iubetur, impletum eſt, &c. Secundum eſt, praua̅ conſuetudinem conſuetudine bona extinguere. Chryſoſtomus eodem loco: Si mihi conſuetudinem tuam opponis vt legem; per hanc ipſam te admoneo, ſit facilis iſta correctio. Si enim ex alia conſuetudine in aliam te conuerteris, hoc quod tibi difficile videtur, effeceris. Item: Sicut conſuetudo ad inuitandum eſt violenta; ita fit potens ad corrigendum, &c. Tertium: Admonitores apponere, qui iurantem admoneant. Chryſoſtomus: Si multos tibi volueris domi præficere cuſtodes, & ſeruos ſcilicet & amicos: compulſus atque exactus à cunctis, à vitioſa conſuetudine facile diſcedes. Et ſi quadraginta ſaltem diebus hac te meditatione firmaueris, nequaquam ad ſimilem laborem, alterius vltra temporis indigebis, &c.

nẽ remedia ex D. Chryſoſtomo.

Iuramenti comites numerat D. Hier. in Ierem. ad verba illa: *Iurabis, viuit Dominus, in veritate, & in iudicio, & in iuſtitia*, &c. Animaduertendum, inquit, quod iuſiurandum hos habeat comites: *Veritatem, iudicium, atque iuſtitiam*, &c. Et D. Thom. 2. 2. quæſt. 89. art. 3. Ad bonum, ait, vſum iuramenti, duo requiruntur. Primò quidem quòd aliquis non leuiter, ſed ex neceſſaria cauſa, & diſcretè iuret; & quantùm ad hoc, requiritur iudicium, ſcilicet diſcretionis, ex parte iurantis. Secundum, quantùm ad id, quod per iuramentum confirmatur: vt ſcilicet neque ſit falſum, neque ſit aliquid illicitum. Et quantùm ad hoc, requiritur veritas, per quam aliquis iuramento confirmat, quod verum eſt: & iuſtitia, per quam confirmat, quod licitum eſt. Iudicio autem caret, iuramentum incautum; veritate, iuramentum mendax; iuſtitia, iuramentum iniquum, ſiue illicitum. Hæc D. Thomas: ex quibus quomodo iuſiurandum ſuſcipiendum ſit, cognoſces. Scilicet in veritate, iuſtitia, & iudicio. Addit iuramento alium comitem, ſcilicet ieiunium, Cornelius ſummus Pontifex 22. quæſt. 5. cap. *honeſtum*: Honeſtum, inquit, videtur, vt qui in Sanctis audet iurare, hoc ieiunus faciat, cum omni honeſtate & timore Dei, &c. Etenim magna reuerentia iuramento debetur, quo nomen Dei aſſumitur, ὅρκῳ τιμιώτατόν ἐστι (ait Ariſt. 1. Metaph. cap. 3.) id eſt, iuramentum ſummo eſt dignum honore. Honoretur ergo iuramentum, honoretur Dei nomen, neque niſi magna cum neceſſitate, iuſtitia, atque iudicio vſurpetur, ore ieiuno, ſi non à cibo, certè à mendacio.

Hieron. Ierem. 4. Iuramenti comites.

D. Thom.

Ariſt.

Addam mirum exemplum Cliniæ Pythagorei Philoſophi, quod à iurandi cõſuetudine nos Chriſtianos deterreat, ſumptum ex homilia D. Baſilij de legendis libris Gentilium: Illud, inquit Baſilius, Cliniæ vnius ex ſecta Pythagorea difficile eſt credere, quod caſu, non de induſtria noſtros imitatur. Nam illi dum per iuramentum mulctam trium talentorum vitare liceret; iniuriam pati maluit, quàm iurare. Idque cùm non eſſet falsò iuraturus. Atque ita iam tunc, quaſi illud de iuramento nobis interdicto præceptum audiuiſſe videtur. Sic Baſilius. De iuramento diximus tom. 1. lib. 9. cap. 5.

Baſil.

Exemplum Cliniæ Philoſophi.

CA-

CAPVT XXI.

De ſermone Domini in monte.

MATTH. CAP. V.

AVdiſtis quia dictum eſt: Oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo; ſed ſiquis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram, & ei qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Et quicumque te angariauerit mille paſſus, vade cum illo, & alia duo. Qui petit à te, da ei. Et volenti mutuari à te, ne auertaris.

Matth.5. OCVLVM *pro oculo.* A iuramentis ad legem talionis tranſit Dominus. Lex talionis Iudæis tradita extat, Exod. & Deut. *Qui irrogauerit maculam quilibet ciuium ſuorum, ſicut fecit, ſic fiet ei. Fracturam pro fractura, oculum pro oculo: dentem pro dente reſtituet. Qualem vulnerauerit maculam, talē ſuſtinere cogetur,* &c. Fuit etiā lex talionis apud Romanos, de qua lege Gellium lib. 20. cap. 1. & Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 10. Hanc tamen legem non putes fuiſſe priuatas perſonas exequi: Non enim licebat priuato Iudæo, cui oculum alter eruerat; per talionis legem oculum pro oculo eruere. Ad iudicem id ſpectabat. D. Thomas Matth. 5. Talionis, ait, erat lex iudici in præcepto. Et hoc vt faceret zelo iuſtitiæ, & non zelo vindictæ, ad malorum cohibitionem, &c. Nam Leuit. 19. lege altera vlciſcendi libido vetita eſt. *Non quæras vltionē: nec memor eris iniuriæ ciuiū tuorū,* &c.

Exodi 21. Deut. 24. Lex talionis, Nō erat à priuatis executioni mandanda.

Leuit. 19.

Dices, vetitum erat vltionem quærere; ergo vetitum quoque erat, oculum pro oculo, & dentem pro dente repetere. Reſpondet Caietanus Leuit. 19. prohibitum minimè fuiſſe vltionem quærere à iudice, ſed propria auctoritate vlciſci. Reſeruatum enim eſt publicæ auctoritati ſupplicium. Septuag. Interpret. verſio huic fauet reſponſioni, quæ huiſmodi eſt: *Non vlciſcatur tua manus, & non iraſcaris filijs populi tui,* &c. Lyranus reſpondet prohibitum quærere vltionem, liuore vindictæ, & ex odio; non tamen amore iuſtitiæ, & ſine vllo odio. Vtrumque vetitum, & propria manu, & ex odio vindictam petere; non autem ſecundum ius correctionis, & iuſtitiæ amore à iudice. Lege de lege hac talionis Auguſtinum lib. 29. contra Fauſt. cap. 25.

Caiet.

Lyran.

Matth.5. NON *reſiſtere malo.* Perficit Chriſtus Legem. Iniurias illatas talione vindicari non vult; quin potius docet mala quæuis patienter abſque reſiſtentia eſſe toleranda. Itaque pro talione tolerantiam tradit. Lex, inquit, oculum pro oculo, & dentem repetit pro dente. Ego autem dico vobis, non ſolùm, vt oculum pro oculo, & dentem pro dente non repetatis; verùm etiam vt malo non reſiſtatis. Hoc eſt, vt vos etſi poſſitis defendere aduerſus malum, quod infertis, non defendatis; ſed patienter quodcumque fuerit, illud toleretis.

Quid ſignificet malum, quæritur. Græcè legitur, τοῦ πονηρου. Chryſoſtomus diabolum putat ſignificare in hunc modum: *Non reſiſtere malo,* id eſt, diabolo, quo inſtigante talia perpetrantur. Per quod (ait ille) indignationem læſi, ac dolentis, aduerſus lædentem plurimùm imminuit, dum quaſi in alium, id eſt, dæmonem, cauſam doloris tranſfert, &c. Quod ſi dicas. Diabolo præcipimur reſiſtere, *Cui reſiſtite fortes in fide*; ergo non ſignificatur hoc loco diabolus. Reſpondet Chryſoſtomus non eſſe reſiſtendum diabolo per adminiſtros ſuos

Malus ſignificat diabolū.

1. Pet. 5.

A percutienti, vel iniurias inferenti, ſimilibus iniuriis, ſed reſiſtendum patientia. Quid? Non oportet quidem: verum eo modo quo Chriſtus præcepit. Vt ſcilicet ad perferēdas iniurias nos præbeamus. Sic enim aliquando ignis igne, ſed aqua vtique ignis extinguitur, &c. Itaque quod ad iniurias ſpectat: tunc maximè diabolo reſiſtimus, cùm iniuriis non reſiſtimus. tunc maximè illum ſuperamus, cùm iniurias patienter toleramus: tunc illum maximè torquemus, cum torquemur. Eſt hic ſenſus etiam Theophylacti, & Euthymij.

Malũ ſignificat iniuriā, & incommodū illatum, vel hominem malum.

Veriſimilius malum pro iniuria ſumitur, quæ ab homine infertur. Sic Maldonatus & alij. Vel pro homine malo, qui πονηρὸς, Græcè appellatur: ſic Ianſenius. Obſerua hęc priuatis perſonis dici, C non iudicibus, quatenus munere funguntur publico: quorum eſt reſiſtere malo, vt mundus flagitat. Lege Diuum Chryſologum Sermone 38. Vult Chriſtus, ait ille, non vitia nos repenſare vitiis, ſed ſuperare virtutibus. Et in ipſis ſcintillis extinguere iram. Ira lenitate vincitur, & manſuetudine extinguitur furor. Impatientia punitur patientia, &c.

Impatiētia punitur, & frangitur patientia Chriſto.

PRÆBE *illi, & alteram.* Quod dixit non eſſe reſiſtendum malo, tribus exemplis propoſitis patefacit Dominus. Primum eſt: Noli reſiſtere malo percuſſionis, ſed ſi quis te percuſſerit in dextram maxillam tuam, ne reſiſtas, ne vtaris talione, ne te defendas; quin potius ſiniſtram percuſſori præbe. D Quæritur, cur dixeris: *Si quis te percuſſerit in dextram maxillam,* cùm potius dicendum foret; ſiquis te percuſſerit in ſiniſtram: Vt enim ait Auguſtin. epiſt. 5. ad Marcel. Magis ſiniſtra maxilla percutitur, quòd in eam potius partem, quam ad dextram ferientis ictus facilior eſt. Lege Origenem libr. 4. per iarchon, cap. 2. Reſponſionem Auguſtinus reddit, reddi eo iam tempore ſolitam. Sic, inquit, intelligi ſolet, ac ſi dictum eſſet: ſiquis in meliora fuerit perſecutus; & inferiora ei præbe. Nam quia dextera nobiliora ſunt, quàm ſiniſtra; dextera maxilla, bona nobiliora, ſiniſtra verò bona ignobiliora ſignificantur, hoc pacto: Siquis te percuſſerit in bonis nobilioribus, præbe ei quoque reliqua E ignobiliora, quæ remanent, &c. Literalis ſenſus non videtur.

Matth.5.

Cur dixerit Chriſtus, ſi quis percuſſerit in dexteram maxillam?

Auguſt.

Dicimus potiùs poſſe etiam hominem percuti in dextra maxilla, quamuis faciliùs colaphus in ſiniſtram impingatur. Voluiſſe autem Dominum meminiſſe prius dexteræ maxillæ, quia nobilior eſt, & grauior illius videtur percuſſio. Aliter, vt vult Ianſenius & Maldonatus, nō eſt vis facienda in eo, quòd dexteræ meminit maxillæ, ſed accipiendum, dextram maxillam poſitam hîc pro altera maxilla, hoc ſenſu: Qui te percuſſerit in vna maxilla, præbe illi & alteram. Pro vna, & altera:

Dextera maxilla pro vna. & sinistra pro altera ponitur.

dexteram dixit,& sinistram.Et quia priùs dextera, quàm sinistra solet nominari, loquendi morem, non morem alapam impingendi secutus est. Interpres quidam arbitratur maxillæ dexteræ percussione minorem iniuriam significari, maiorem percussione sinistræ, voluisséque Dominum à minori injuria ad maiorẽ progredi, vt paratus quisque sit post iniuriam illatam sibi, nõ solùm illam, sed maiorem aliam perferre. Putat autẽ minorem iniuriam significari percussione dexteræ maxillæ, quia minor ac leuior est alapa quæ dexteræ infertur, grauior, quæ sinistræ. Nam percutientis manus in sinistram percussi fertur non in dexteram. Quod si dexteram percutiat,leuius percutit,quàm sinistram. Ratiõ hæc mihi non facit satis. Potest enim fortiori ictu dextera percuti. Et Dominus dexteræ maxillę prius meminisse videtur , quia nobilior est: quemadmodum cum suprà ait, *si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum*, &c.

Matth. 5.

Iusti facies dextera est, id est, fortis ad excipiendas pro Christo alapas.

D. Hieronymus in Matth. mysticum sensum tradit his verbis: Secundum mysticos intellectus percussa dextera nostra, non iubemur sinistram præbere, sed alteram, hoc est, alteram dexteram. Iustus enim sinistram non habet. Sic ille. Numquam prębenda est verberanti maxilla sinistra,sed semper dextra, id est, fortis , & ad colaphum accipiendum paratissima. Sic iusti faciunt. Iusti enim (vt ait Hieron.) nõ habent sinistram maxillam, id est debilem, quæ ad colaphos , si opus fuerit Christi causa accipiendos,nõ sit parata.Attamen Christus cùm dixit; *Præbe illi & alteram*: non dexteram alteram intellexit,sed sinistram , sensu literali.

Quæritur secundò , quonam modo hæc Christi verba sint intelligenda? Siquidem neque Apostolus Paulus alteram maxillam percutienti præbuit,neque Christus Opt. Maxim. percussus enim à seruo Pontificis , alteram maxillam percutiendam minimè obuertit,sed respondit: *Si malè locutus sum,testimonium perhibe de malo; si autem bene,quid me cædis?* Respondet quæstioni D.Augustinus in libro de mendacio, capite 15. docere Dominum alteram maxillam percutienti obuertendam cordis præparatione.Dominus cùm alapa percussus esset(inquit Augustinus) non ait: Ecce altera maxilla; sed ait: si malè dixi, exprobra de malo, si autem bene, quid me cædis? Vbi ostendit illam præparationem alterius maxillæ,in corde faciendam. Quod etiam Apostolus Paulus vtique nouerat. Nam & ipse, cùm esset alapa percussus ante Pontificem, non ait: Percute maxillam alteram, sed: *Percutiet te Dominus*, inquit, *paries dealbate. & tu sedens iudicas me secundùm legem, & contra legem iubes me percuti?* sed tamen cor paratum habebat , non tantum ad alias alapas accipiendas, sed etiam quælibet tormenta pro veritate patienda. Sic Augustinus eodem modo respondet epistola 5. Aduerte tamen Christum semel vna percussum alapa respondisse; at plurimas alias alapas tacitum,non auersa facie excepisse; iuxta illud: *Faciem meam non auerti ab increpantibus, & conspuentibus in me*, &c. Similiter & Paulus fecit, iuxta illud: *Colaphis cædimur, maledicimur, & benedicimur.*

Act. 3. Ioan. 18.

Cur Christus & Paulus faciem alapæ non obtulerint coram Pontificibus.

Act. 3.

Augustin.

Isaiæ 50.

2. Cor. 4.

Sensus horũ verborum Christi.

Quod igitur Christus his verbis vult, hoc est: Imprimis nos paratos esse ad tolerandas iniurias omnes absque resistentia , & absque vlla vindictæ cupiditate. Prætereà cùm se offerunt , easdem patienter perferre. Si verò circumstantiæ loci , temporis , & personæ , id non patiantur, præbendam maxillam alteram non intelligit.

Matth. 5.

TVNICAM *tuam tollere*. Secundum exemplum non resistendi malo est huiusmodi; siquis in iudicium te vocat , tunicámque tuam vult tollere, A ne resistas;non solùm ei tunicam,sed palliũ etiam dimitte. Augustinus hoc etiam,ad animi præparationem ait pertinere libro 1. de ser.Domini ca. 36. Illud (inquit) *qui voluerit tecum iudicio contendere,& tunicam tuam tollere, remitte illi & vestimentum*:ad præparationem cordis,non ad ostensionem operis,præceptum rectè intelligitur, &c.

Aug.

ANGARIAVERIT. Exemplum tertium. Siquis te coegerit mille passuum , siue vnius milliaris iter conficere, ne resistas , sed adde alia duo, scilicet millia passuum: confice cum illo duo alia milliaria. Græce legitur, ὕπαγε μετ' αὐτοῦ δύο, hoc est: Vade cũ eo duo,hoc sensu,siquis te coëgerit vnũ milliare conficere;confice tu cum eo non vnum solùm sed duo milliaria. Noster interpres videtur legisse, ἄλλα δύο,id est, alia duo. Augustinus lib. 1. de sermone Domini cap. 36. Hoc vtique,inquit, non tam vt pedibus agas, quàm vt animo sis paratus, &c. Sed ad externum etiam hæc actum pertinent, quando aliud ratio recta,& circumstantiæ non postulauerint. Lege Augustinum epist. 5. ad Marcellinum.

Matth. 5.

Augustin.

QVI *petit à te, da ei.* Docuit Dominus non resistere malo: nunc docet nos liberales,ac misericordes esse in bono. Quasi dicat: Ne resistatis malo; quod verò ad bonum attinet, petẽtibus largimini bona, quæ habetis. Siquis verò mutuum quidpiam postulare vult, ne auertamini ab eo,hoc est, ne in aliam partem vertamini , ne aliò abeatis, ne illum fugiatis. Græcè, μὴ ἀποστραφῇς, passiuè sumẽdum est, id est, ne auertaris,quamuis Iansenius cum Caietano deponentialiter accipiat.D.August. lib. 1. de serm. Domini legit: *Ne auersatus fueris*: & ad animum, ac voluntatem refert. Qui inquit, voluerit à te mutuari , ne auersatus fueris, id est, ne voluntatem alienes ab eo,qui petit, &c. Idem Augustinus hęc cum superioribus sic connectit: Quoniam parũ est non nocere, nisi etiam beneficium præstes,quantùm potes; adiungit Dominus: *Omni petenti da*,&c. Aduerte circumstantias esse considerandas. Nec enim id petenti dandum est, quod ei noceat. Vnde Augustin. Quid, inquit,siquis pecuniam petat,quia innocentem conatur opprimere? Id dandum est, quod nec tibi nec alteri noceat. Et cum negaueris, indicanda est ipsa iustitia,&c.

Matth. 5.

Augustin.

Admiranda sanè hæc est doctrina , illorúmque omnium cordibus infigenda,quorum est magister ille,à quo traditur. Malo non resistendum; bonum largiẽdum. O Philosophiam verè è cęlo delapsam! O legem admirabilis talionis ! Vide quæso , quam doceat Dominus talionem.Lex ait: *Oculum pro oculo reddet*:Christus ait : Ne reddas alapã pro alapa , sed pro alapa redde maxillam alteram. Lex ait: *Dentem pro dente reddet*,&c.Christus ait: *Ei qui vult tunicam tollere , ne tolle tunicam , sed pro sublata tunica , redde insuper pallium* , Lex ait : *Fracturam pro fractura reddet*: Christus ait : *Quicumque te angariauerit mille passus , ne redde ei alteram angariationem , siue coactionem , sed redde alia duo millia passuum*. O talionem diuinam! sic legislator summus iniurias docet retaliare. Tali nempe talione omnes iniurię absq; resistentia superantur.

Malo non resistendum bonum largiendum.

Nautæ, cùm vehemens ventus & aduersus spirat, minimè resistunt, quin potius demisso contractóque velo,ne submergantur,cedunt. Idipsum facere docet Dominus eos,qui in cælum nauigant; non resistere malo,hoc est, procelloso turbini,iniuriis, contumeliis;sed demittere velum , & cedere , ne odij , simultatumque fluctibus obruantur. Pugnandum est cum aduersario. Sed pugnandum non repugnando. Sic enim diuina quadam pugnandi arte, victoriam absque repugnantia reportabimus.

Quomodo sit malo cedendum.

tabimus. Qui lædit & nocet inimicus, non vincitur talione, ſed humili paſſione; non vincitur ſi retalias, ſed ſi toleras. non vincitur, ſi par pari, ſed ſi impar impari reddas, hoc eſt, ſi pro ſuperbia humilitatem, pro conuitio benedictionem, pro contumelia tolerantiam retribuas. Nihil (ait Chryſoſt. homil. 18.) ita lædentes coërcet vt patientia, modeſtiáque læſorum, &c. Et Auguſtinus epiſt. 5. Hoc, inquit, fit, vt vincatur bono malus, imo in homine malo vincatur bono malum, & homo liberetur à malo, non exteriore & alieno, ſed intimo ac ſuo; quo grauius & pernicioſius, quàm cuiuſuis hoſtis extrinſecus immanitate vaſtatur, &c.

Chryſoſt.

Auguſt.

Chryſoſt. Iniuria vincitur manſuetudine & beneficiis.

Non extinguitur ignis igne (ait Chryſoſtomus in Matth. hom. 18.) ſed aqua. Sic iniuria & ira, non extinguitur iniuriæ talione, ſed manſuetudine, humilitate, beneficiis. Canem Cerberum trifauci perſonantem latratu, offa conſopitum canit Poëta. Si Cerberus eſt inimicus, trifauciſque latratu perſonat; ne oblatres; ſed offam potius mellitam quære, hoc eſt, beneficia, quibus conſopiatur. Ne talionis vtare lege, ſed, ἀμνησίας, id eſt, obliuionis omnium iniuriarum, quàm olim Thraſybulus tulit. Obliuiſci enim iniuriarum Chriſtiani eſt, non retaliare. *Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores*: legitur Pſal. 128. Non enim ſupra pectus iuſti, ſed ſupra dorſum, fabricant inimici. Quoniam iuſtus poſt tergum iniurias reiicit, & obliuiſcitur: ante pectus & oculos non habet. Ollæ ab igne remotæ, præcepit Pythagoras in cinere veſtigium non relinquendum; ſic iræ & iniuriarum nullum veſtigium in memoria eſt retinendum. Clemens Alexandrinus libro 5. Stromatum: Pythagoras, inquit, olla ab igne ablata, præcepit non relinquere figuram in cinere. Tacitè ſignificabat, iræ non eſſe relinquendum veſtigium. Cùm autem ebullire ceſſauerit, eam eſſe componendam; & omnem eſſe delendam iniuriæ memoriam, &c. Huc illud etiam pertinet D. Iſidori Peluſ. epiſt. 211. ad Euſtathium: Inimicitiam, inquit, in aqua ſcribere oportet, vt quàm primum obliteretur. Amicitiam autem in æs incidere, vt perpetuò firmá conſeruetur, &c. Iniurias igitur in aqua ſcribe; beneficia in æs incide.

Pſal. 128.

Iuſtus poſt tergũ iniurias reiicit.

Clem. Alex.

Iniuriæ ſcribenda in aqua.

Philoſophorum exempla ſunt cõſideranda.

Philoſophorum exempla conſiderare iubet Chryſoſtomus homilia 17. in Matth. Philoſophos, inquit, conſiderate gentilium, & diſcetis, quántò ſumus digni ſupplicio, qui diuinæ legis præcepta contemnimus. Quandoquidem inueniuntur illi propter humanam hanc honeſtatem, innumera feciſſe. Vos verò nec propter cælorum quidem regnum tale ſtudium adhibetis, &c. Aliquot igitur ethnicorum accipe exempla, qui æquo animo tulere iniurias, ex D. Baſilio lib. de legendis lib. gentilium. Quidam in foro Periclem probris omnibus inceſſebat. Quid tum Pericles? Numquid lege talionis vſus, pro conuiciis reddidit conuicia? Non conuicia reddidit, ſed patientiam & beneficium. Nam probra minimè curare viſus, toto ferè die ſuſtinuit; deinde veſperi iam diſcendentem conuitiatorem cum lumine comitatus eſt. Euclidi Megarenſi concitatus animo quidam mortem ſe iurauit illaturum. Quid Euclides? Numquid par retulit pari? Minimè, ſed iurauit, ſi inferret mortem, patienter laturum, placatúmque, & ei quamuis infeſto ſe conciliatum iri. Alius Socratis faciem vehementi impetu percuſſit. Quid Socrates? Numquid alapam alapa retaliauit? Vide quid egerit. Minimè commotus eſt; ſed totus ex plagis tumidus ac contuſus, vbi percuſſor cædere deſtitit, nihil aliud feciſſe dicitur, quàm fronti propriæ inſcripſiſſe: *Talis fecit*: veluti ſtatuæ cuidam auctoris nomen. Qua in re præter patientiam, quàm ſit turpe alterum lædere indicauit; quemadmodum ſi turpiſſimæ picturæ nomen inſcriberet pictoris. Hæc ex Baſilio.

Exemplum Periclis.

Exemplum Euclidis.

Exemplum Socratis.

Adde ex Seneca lib. 3. de ira, capite 23. conuitia à Rege (quod magnum eſt) patienter audita. Si qua alia, inquit, in Philippo Macedonum Rege Alexandri Magni patre, virtus fuit, & contumeliarum patientia, ingens inſtrumentum ad tutelam regni. Democharis ad illum inter alios Athenienſium legatos venerat. Audita legatione Philippus: Dicite, inquit, mihi, facere quid poſſum, quod ſit Athenienſibus gratum? Excipit Democharis: Te, inquit, ſuſpendere. Indignatio circumſtantium ad tam inhumanum reſponſum exorta eſt. Quos Philippus contiteſcere iuſſit, & Therſitem illum incolumem dimittere, &c. De Auguſto Cæſare idem Auctor libro 1. de Clement. ſic ſcribit: Bonum principem Auguſtum, & bene illi conueniſſe parentis nomen fatemur; ob nullam aliam cauſam, quàm quòd contumelias quoque ſuas, quæ acerbiores principibus ſolent eſſe, quam iniuriæ, nulla credulitate exequebatur, quòd probroſis in ſe dictis arriſit, &c.

Exemplum Philippi regis Maced.

Exemplum Aug. Cæſ.

Arcadion quidam, vt narrat Plutarchus in libro de iracundia cohibenda, Philippo Macedonum Regi maledixerat. Amici auctores erant, vt puniretur. At Rex cùm occurriſſet homini humaniter cum eo eſt collocutus, & xenia ac dona miſit. Poſtea iuſſit amicos rogare, quomodo Arcadion de ſe loqueretur. Cùm verò teſtarentur cuncti eum iam mirum Philippi laudatorem eſſe factum. Ego igitur, inquit Rex, melior medicus ſum, quàm vos, &c. Is enim optimus medicus eſt, qui iniurias curat beneficiis, & gratiarum actione; quod narrat de quodam Seneca lib. 2. de ira, cap. 33. Notiſſima, inquit, vox eſt eius, qui in cultu regum conſenuerat. Cùm illum quidam interrogaret: Quomodo rariſſimam rem in aula conſecutus eſſet, ſcilicet ſenectutem? Iniurias, inquit, accipiendo; & gratias agendo. O egregiam talionem hanc ſequere. Ne Cteſiphonti pancratiaſtæ ſimilis ſis, qui, vt ſcribit Plutarchus in lib. de iracundia cohibenda, mulæ recalcitrauit. Quemadmodum ridiculi, furioſique hominis eſt, equo calcitranti recalcitrare; ita ridiculi inſanique hominis eſt, inimico iniuriam inferenti, iniuriam inferre.

Senectutem in aula cõſequi rarũ.

Patienter ferto iniurias abſq; talione, hoc enim ſummæ eſt gloriæ. Vnde illud Chryſoſtomi homilia 18. in Matth. Mihi magis proueniat inimicitias ſuſtinere propter Deum, atque contemni; quàm vel à cunctis Regibus honorari. Nihil enim prorſus, nihil huic gloriæ poteſt comparari, &c. Adiice illud D. Iſidori Peluſiotæ, qui eiuſdem Chryſoſtomi fuit diſcipulus epiſtola 390. Lubentius, inquit, cùm de omnibus bene meritus eſſem, tamquam qui iniuria omnes affeciſſem, pœnas darem; quàm cùm vnum læſiſſem, tamquam de omnibus bene meritus corona donarer ac prædicarer, &c. Vide quàm deteſtabile eſſe iudicet vir præclarus, vel vni nocere.

Sũma gloriæ eſt iniurias ferre patienter.

D. Iſidorꝰ Peluſiot.

CAPVT XXII.

De ſermone Domini in monte.

MATTH. CAP. V.

AVdiſtis, quia dictum eſt: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite iis, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cælis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nónne & publicani hoc faciunt? & ſi ſalutaueritis fratres veſtros tantùm, quid amplius facitis? Nónne & Ethnici hoc faciunt? Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter perfectus eſt.

Matth. 5. ODIO *habebis inimicum tuum*. Iis, quæ dixit, de tolerandis iniuriis, adiicit Dominus de dilectione inimicorum præclarum documentum legémque perficit, in qua expreſsè & aperte huiuſmodi præceptum non exſtat. *Audiſtis*, inquit, *quia dictum eſt: Diliges proximum tuum; & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros*, &c. Leuit. habetur: *Diliges amicum tuum, ſiue proximum tuum, ſicut teipſum*: quod ſequitur: *& odio habebis inimicum tuum*. D. Auguſt. de ſer. Domini, cap. 41. in lege quoque ſcriptum ait; ſed vbi ſit ſcriptum non indicat: Quod, inquit, in lege ſcriptum eſt: *Oderis inimicum tuum*: non vox iubentis iuſto accipienda eſt, ſed permittentis infirmo, &c. Itaque vult eſſe legis permiſſionem propter infirmitatem & imbecillitatem populi, non præceptum. Lib. 19. contra Fauſtum, cap. 24. oſtendit non eſſe contrarium: *Diligite inimicos veſtros: & odio habebis inimicum tuum*. Quoniam idem homo inimicus diligendus eſt propter bonum, quod habet, & odio habendus propter peccatum, quo ſe commaculauit. Docetur, ait Auguſtinus, non eſſe contrarium, quod in antiqua Scriptura dictum eſt; *Oderis inimicum tuum*: & in Euangelio: *Diligite inimicos veſtros*. Quòd vnuſquiſque iniquus homo, in quantùm iniquus eſt, odio habendus eſt, in quantùm autem homo eſt, diligendus eſt. Vt illud quod in eo rectè odimus arguamus, id eſt, vitium, quò poſſit illud, quod in eo rectè diligimus, id eſt, humana natura, ipſa emendato vitio liberari, &c. Item; Audito, & non intellecto, quòd antiquis dictum erat: *Oderis inimicũ tuum*: ferebantur homines in hominis odium, cùm deberent non odiſſe niſi vitium. Hos corrigit Dominus dicendo: *Diligite inimicos veſtros*. Vt qui iam dixerat: *Non veni legem ſoluere, ſed adimplere*: ideóque de odio inimici, quod ſcriptum eſt in lege, non ſoluerat; præcipiendo vtique, vt diligamus inimicos, cogeret nos intelligere, quonam modo poſſemus vnum, eumdémque hominem, & odiſſe propter culpam, & diligere propter naturam, &c. Serm. 59. de tempore aliter exponit: *Odio habebis inimicũ tuum*, id eſt, diabolum. In lege, ait, Dominus non inimicos, ſed inimicum præcipit odiri, vt qui ſpiritales erant in lege, ſolum diabolum odio haberent. Hęc Auguſtinus, ex quibus conſtat illum putaſſe hæc verba: *Odio habebis inimicum tuum*: ex Scriptura deſumpta eſſe, ea verò ſic interpretari: odio habebis inimicum tuum, propter peccatum tantum modò, propter naturam diliges. vel, odio habebis diabolum. D. etiam Hilarius in Matth. Amari, inquit, proximum lex eligebat: & in inimicum licentiam odij dabat, &c.

Ibid.

Leuit. 19.

Auguſt.

Quomodo odia inimici cum eius amore eſſe poſſit.

Hilar.

A Alij verò verba hæc in lege nuſquam ſcripta eſſe aiunt. Et verè quidem. Nullo enim Scripturæ loco reperiuntur. Eſt ergo Iudæorum hæc gloſſa aliqua & interpretatio. Ex verbis enim, *Diliges amicum tuum*: & aliis Scripturæ locis, inferebant; *habebis ergo odio inimicum*. ſed malè inferebant. Aduerte, non dixiſſe Dominum hoc loco; *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis*; ſed, *Audiſtis, quia dictum eſt*. Eſt ergo dictum illud legiſperitorum legem interpretantium. Gloſſa ordinaria; Sciendum eſt, in toto corpore legis non eſſe ſcriptum; *odio habebis inimicum tuum*; ſed hoc dicitur quantùm ad traditionem Scribarum, &c. Quòd ſi quæras; Num Iudæis licuerit odio habere inimicos? Reſpondet Abulenſ. Matth. 5. quæſt. 347. Non licuiſſe; lex enim naturalis odium etiam adB uerſus inimicos vetat. ſolum namque peccatum odio eſt habendum, non homo, vt ait Auguſtinus. In lege quoque veteri caritatis erga inimicos mentio fit, *Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum*; Non quærere autem vltionem ex inimico, caritatis eſt. præterea: *Si ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuum. &, ſi eſurierit inimicus tuus ciba illum, & ſi ſitierit da ei aquam bibere*, &c. Exod. *Si occurreris boui inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum. Si videris aſinum odientis te ſub onere iacere, non pertranſibis, ſed ſubleuabis cum eo*, &c. Adde, extare præceptum diligendi proximum: *Diliges* (inquit) *amicum, ſiue proximum tuum, ſicut te ipſum*. Proximus autem eſt etiam inimicus, vt indicat Dominus, vbi oſtendit Samaritanum proximum fuiſſe illi, qui in latronum manus inciderat. SamaritaC nis autem Iudęi non coütebantur, Ioan. 4. Auguſtinus ſerm. 26. de diuerſis, Dilige, inquit, proximum tuum, id eſt, omnem hominem. Ex duobus enim primis parentibus omnes nati, omnes vtique proximi ſumus. Item, cùm dicit: *Diliges proximum tuum*: ibi ſunt omnes homines, etſi fuerint inimici, &c.

In lege non extat illud, odio habebis inimicum tuum.

Non licuit Iudæis odio habere inimicos.

Leuit. 19.

Prou. 24.

Prou. 25.

Exodi 23.

Leuit. 19.

Luca 10.

Proximus eſt omnis homo.

DILIGITE *inimicos veſtros*. Dictum illud Iudæorum excludit Dominus; *Odio habebis inimicum tuum*, iubétque non amicos ſolùm, verùm inimicos etiam, qui nos odio habent, diligere. QuoD niam verò dilectio in corde in primis eſt, inde verò in opera, & ora profluit, diligere iubet corde, deinde operibus benefacere. *Benefacite*, inquit, *iis qui oderunt vos*: Præterea ore & lingua pro illis orare: *Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos*. Vt ait Auctor imperfecti hom. 13. odiũ ſpiritus eſt tenebrarum, & vbicumque inſederit ſordidat pulchritudinem ſanctitatis, &c. Fugiendum igitur odium inimicorum, ne animum ſordidet, caritas amplectenda inimicorum, quæ animum purgat. Addit idem Auctor eodem loco: Cùm ſit mundus iſte ſcandalis plenus, ſi amicos tantum voluerimus diligere

Matth. 5.

Inimici diligẽdi corde, ore, opere.

Matth. 5.

Auct. Imp.

Odium inimicorũ fugiendum.

diligere, non poterimus inuenire, quos diligamus, &c.

Matth. 5. *Vt sitis filij Patris vestri.* Duabus rationibus ad inimicorum inuitat dilectionem. Prima ex similitudine cũ Deo sumitur; Diligite, ait, inimicos vestros, vt similes sitis tamquã filij Patri vestro Deo. Est autẽ magnũ, ac præclarum Dei similitudinẽ gerere. Filium similẽ esse oportet bono Patri, eiúsq; imaginem ferre ne ab illo degeneret; cùm ergo Deus inimicos etiam diligat, illísque bene faciat; si filij estis Dei, quod ille facit, facite. Dei filios vos esse opere ipso demonstrate. Inimicis etiam bene facit Deus: *Solem enim suum oriri facit super bonos & malos, pluit super iustos & iniustos,* alia quoque multa beneficia etiam impiis præstat. Patrem vestrum imitamini. Diuina virtus est inimicorum dilectio.

Diligendi inimici vt Deo simus similes Patri nostro.

Matth. 5. *Diuina virtus est inimicorum dilectio.*

Matth. 5. QVAM *mercedem habebitis?* Secũda ratio sumitur ex difficultate, præstantia, mercede, & præmiõ dilectionis inimicorũ. *Si diligitis,* inquit, *eos qui vos diligunt,* amicos, quàm mercedem, quodnã præmium merebimini? Facile factu, & cuiuslibet hominis etiam impij, & ethnici est, amicos amore vicissim prosequi, & beneficijs. Quòd si inimicos diligitis, rem præstatis difficillimam, ac diuinam, ideóque eximium præmiũ, siue mercedem consequemini. At videtur Dominus meritum à dilectione amicorum tollere. Si amicos, inquit, diligatis, quàm mercedem habebitis? quasi dicat, nullam habebitis. Respondetur, Dominum loqui de dilectione amicorum, qua amici propter Deum ex caritate, quæ se ad inimicos etiam extendat, non diliguntur, sed propter alias causas amantur veluti propter propriam vtilitatem, aut propter naturalem quemdam affectum absque caritate, quemadmodum brutæ animantes natos suos amant, & publicani, atque ethnici suos amicos. Si verò in caritate amici diligãtur, ita vt dilectio nulla mala circumstantia vitietur, mercedem meretur. Quamobrem à Doctoribus quæstio agitatur; vtra sit præstantior, amicorúmne, an inimicorum dilectio? Quã de re lege D. Thomam eiúsque commentaria 22. quæst. 27. art. 7. Quid etiam inimicorum caritas à nobis flagitet, idem sanctissimus doctor docet eodem tomo quæst. 25. artic. 8. & 9. lege etiam D. Gregor. hom. 27. in Euang. Ille, inquit, veraciter caritatem habet, qui amicum diligit in Deo, & inimicum diligit propter Deum, &c. Item: Sunt nonnulli, qui diligunt proximos, sed per affectum cogitationis & carnis, quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt. sed aliud est, quod sponte impenditur naturæ, aliud quod præceptis dominicis ex caritate debetur obedientiæ. Hi nimirum & proximum diligunt, & tamen illa sublimia dilectionis præmia non assequuntur. Quia amorem suum non spiritaliter, sed carnaliter impendunt Sic D. Gregorius.

Merces magna diligẽtibus inimicos.

An dilectio amicorum habeat meritum?

Greg.

Matth. 5. NONNE *& publicani hoc faciunt?* Facile esse amicos diligere exemplo probat publicanorum, & ethnicorum, qui amicos diligunt. Præterea suadet imitari potiùs Deum, quàm publicanos, & ethnicos. Quasi dicat; Deus Pater vester inimicos diligit, cumulátq; beneficijs; publicani, & ethnici amicos solùm amant, & beneficijs afficiunt. Turpe est publicanos, atq; ethnicos imitari potiùs, quàm Deum. Vnde sequitur

Matth. 5. ESTOTE *perfecti sicut Pater vester cælestis perfectus est.* Non sunt imitandi publicani, & ethnici, ad diuinam imitationem aspirandum. Estote, inquit, non publicanis & ethnicis similes, sed Deo. Ab imitatione autem inuitat, Patris nomine. Estote perfecti, sicut & Pater vester perfectus est. Decet enim Filium patri esse similem. Qualis sit pater, indicat. Perfectus, inquit, est in dilectione cæterisque omnibus, perfectissime diligit amicos, & inimicos. Tanti Patris imago in vobis splendeat. Patris caritate estote perfecti, quæ amicos inimicósque complectatur. Adde iis illud D. Leonis in serm. de Martyribus. De diligendis, inquit, inimicis nullus vmquã in veritate poterit se excusare. Potest enim aliquis mihi dicere; non possum ieiunare; non possum vigilare. Numquid potest dicere; Non possum diligere? Potest dicere; Non possum res meas totas pauperibus erogare, & in monasterio Deo seruire. Numquid potest dicere; Non possum diligere? si dixeris; Non possum à vino & carnibus abstinere, credemus tibi. Si autem dixeris, quòd non possis in te peccantibus indulgere, omnino non credimus. Ita D. Leo.

Diuinæ imitatio appenda.

D. Leo.

A dilectione inimicorũ excusari nemo potest.

Morale.

De dilectione inimicorum.

PRÆCLARE à Xenophonte dictum est, (teste Plutarcho in libro de vtilitate capenda ex inimicis) prudentis, cordatíq; viri esse, etiam ex inimicis vtilitatem capere. Quemadmodũ enim non solum ex domesticis, verùm etiã ex feris animantibus, non solùm ex fructiferis, verùm etiam ex syluestribus arboribus, non solùm ex dulci, verùm etiam ex salsa & amara aqua: ita etiam non solùm ex domesticis, fructiferis, dulcibúsque amicis, sed etiam ex feris, syluestribus amarísque inimicis, vtilitas capienda est. Et quidem maior ex inimicis, quàm ex amicis vtilitas percipi potest, si Christi hoc præceptum obseruemus; *Diligite inimicos vestros, benefacite iis, qui oderunt vos.* Amici veluti agri, frumentum nobis, flores, pomáque præbebunt. At inimici, si ex illis vtilitatem capere sciamus, steriles licet, & sentibus referti montes, aurum nobis & gemmas exhibebunt. Latet enim sub illis inimici sentibus thesaurus opulentus. Ex animo vtilitatem plerumque refert corpus, ex inimico, si diligatur, animus maximam consequitur. Hinc illud Augustini serm. 59. de tempore: Plus, inquit, diligendi sunt inimici, quàm amici. Qui enim inimici sunt, corpori aduersantur, & animæ præparant æterna præmia. Quia qui carnalia nostra, & terrena rapiunt, cælestia nobis, & spiritualia congregant. Nónne magis diligendus est, quàm odiendus, qui nobis dat æternas opes? Amici verò carnis nostræ nobis suauia suadere contendunt, quæ animæ nostræ parant æternam mortem, &c. Et D. Basil. in regulis breuioribus respons. 176. Quid, inquit, est, quod ab amico magnum adeò beneficium possit proficisci, quantùm est illud, quod ab inimicis nobis datur? Quorum opera fit, vt beatitudinem illam assequamur, de qua Dominus dicit; *Beati estis, cùm vos oderint homines, & persecuti vos fuerint,* &c.

Plutar.

Ex inimicis vtilitas summa cæpi potest.

Augustin.

Inimici plus diligẽdi sunt quã amici.

Basil.

Matth. 5.

Sed diuinæ artis est in ipso inimici odio, & iniuriis thesaurum reperire, magnæ est fortitudinis opima spolia ex hoste detrahere: ardentis caritate animi est, probra concoquere, iísque ali. Animantia, ait Plutarchus, quæ plurimùm stomacho valent, quæque corporibus sunt saluberrimis, etiam si serpentes & scorpios edant, concoquunt. Sunt quæ saxis etiam & testis alantur, &c. Eundem in modum Christiani, qui stomacho & animo valent, diuinique amoris ardore excellunt, omnia opprobria, omnia concoquunt conuicia, his serpentibus scorpiísque pinguescunt. Propone tibi ante oculos martyrum ardentissimũ stomachum: nónne lapides, gladios, sagittas, crucésque concoxerunt? nos ne verbulum quidem, aut conuicium vnum, concoquere

Plutar.

coquere poterimus? O frigidum ſtomachum! Auguſtinus ſerm. 61. de tempore: Tot, inquit, viri, tot mulieres, clerici, pueri, tantæ & tam delicatæ puellæ, flammas & ignes & beſtias æquanimiter pertulerunt, & nos hominum conuitia dicimus tolerare non poſſe. Vnde neſcio qua fronte, vel qua conſcientia, cum omnibus Sanctis partem in æterna beatitudine habere deſideramus, quorum exempla ſequi in rebus minimis non acquieſcimus. Sic Auguſtinus. Vt ſolis ardor nubes abſumit; ſic caritatis incendium iniurias in nihilum redigit. Noctis frigiditas nubes fouet, cordis verò gelu conuicia retinet, atque auget. *Nubecula parua, quaſi veſtigium hominis, aſcendebat de mari. Ecce cæli cõtenebrati ſunt, & nubes, & ventus, & facta eſt pluuia grandis*, &c. Idem ſæpe nobis ſolet euenire. Nubecula primùm è mari aſcendit, hoc eſt, ex amaro corde parua quædam iniuria, verbulum aliquod contumelioſum prodit. hanc ſequuntur nubes aliæ, id eſt, iniuriæ; mens deinde caligine offunditur; ingens tandem mixta tonitruis pluuia exoritur. At ſi ſolis, id eſt, caritatis ardor à mari aſcendentem iniuriæ nubeculam mox extenuet ac diſſipet, ingens malorum pluuia non exorietur.

Caritatis ardor iniurias abſumit.

3. Reg. 18.

Cicero.

Caritas ſol eſt ardens. Dixit olim M. Tullius in lib. de Amicitia; Solem è mundo tollere videntur, qui amicitam è vita tollunt. nos verò rectius dicemus: Solem è mundo tollit, qui caritatem tollit. Huic noſtro ſoli illa congruunt, quæ de ſole Dauid cecinit: *In ſole*, inquit, *poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tamquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. Exultauit vt gigas ad currendam viam, à ſummo cælo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius, nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius.* In hoc enim ſole, id eſt, caritate ardente, Deus tabernaculum ponit ſuum, in hoc habitat: vbi ſol hic non fulget, Dei habitatio non eſt. *Si quis diligit me* (ait Ioan.) *ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Quemadmodum templum Salomonicum, quod Dei palatium erat, totum auro rutilabat, ſic cor, quod Dei habitaculum eſt, caritate oportet ſplendeſcere.

Caritas ſol eſt. Pſal. 18.

In caritate poſuit Deus tabernaculum ſuum. Ioan. 14.

Tria præterea tribuit ſoli Dauid, pulchritudinem, impetum, ardorem. Pulchritudinem illis verbis; *Ipſe tamquam ſponſus procedens de thalamo ſuo.* Vnde Theodoretus in comment. Pſalmi; Sol, inquit, ſecundùm pulchritudinem ſponſum imitatur, ex thalamo, multo cum decore exeuntem. Et Euthymius: Pulcher, ait, eſt ſol radiorum fulgentium ſplendore, inſtar ſponſi è thalamo exeuntis, &c. Impetum tribuit gigantis: *Exultauit*, ait, *vt gigas ad currendam viam.* Et calorem: *Non eſt qui ſe abſcondat à calore eius.* Tria hæc noſtro conueniunt ſoli, id eſt, caritati, præclariſſimè.

Soli tria tribuit Dauid Pſal. 18. pulchritudinem, impetum, ardorem.

Caritatis pulchritudo tanta eſt, vt pulchra omnia reddat, ſine ea verò pulchrum nihil ſit, Deique oculis dignum in humanis actionibus. Si tollatur ab Angelis, vel hominibus pulcherrimis caritas, pulchritudo auferetur; ſi reddatur ipſis cacodæmonibus caritas, turpiſſimis monſtris eximia pulchritudo reddetur. Tanta eſt caritatis pulchritudo, vt fœdiſſimos etiam dæmones pulcherrimos poſſit efficere. Vt pulcher ſol lucem aſtris, ita pulchra caritas pulchritudinem Angelis hominibúſque confert. Quemadmodum aurum, ligna, ferrúmque inaurat ac decorat, ita caritas veluti inaurat animos, decoréque afficit diuino. Expende quæſo ipſe ſeriò, qualis ea poſſit eſſet pulchritudo, quæ diuinis oculis grata eſt, quam diuinum pectus concupiſcit; iuxta illud: *Concupiſcet rex decorem tuum.*

Caritatis pulchritudo admirabilis.

Pſal. 44.

Caritatis verò impetus quantus ſit, ille nouit, qui Deum amat. Pondus meum amor meus, ait Auguſtinus: Magno impetu terreno pondere fertur lapis, magno impetu amoris pondere cæleſti fertur amicus. Exultat caritas vt gigas fortitudine gigantea, ad currendam viam, etſi ſentibus plenam. Sic amor ille Pauli, amor inquam, non manus, ſed gigas, exultabat ad currendam non vnam, ſed mille vias. *In laboribus*, inquit, *plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter*, &c. Quanto verò cucurrerit impetu oſtendit: *Quis*, ait, *nos ſeparabit à caritate Chriſti? tribulatio? an angueſtia? an fames?* &c. *Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à caritate Dei*, &c. Tantus erat caritatis Paulinæ impetus, vt nullis laboribus aut periculis poſſet retardari. Hoc ſol habet, ſic impetum curſumque tenet ſuum, vt nulla illum res ne puncto quidem temporis poſſit remorari. hoc caritas habet vehemens, curſu ſuo ita fertur, vt nullis blanditiis, nullis voluptatibus, nullis contumeliis, nullis tormentis poſſit à curſu depelli. Lege Bernardum cant. 79. O amor, inquit, præceps, vehemens, flagrans impetuoſe, qui præter te aliud cogitare non ſinis, faſtidis cetera, contemnis omnia præter te, te contentus, &c.

Caritas inter ceteras virtutes, eſt gigas. 2. Cor. 11.

Rom. 8.

Amor impetuoſus.

Denique non eſt, qui ſe abſcondat à calore ſolis: neque eſt qui ſe abſcondat à calore amoris. Fulgorem calorémque ſuum omnibus ſol impertit, tum bonis, tum impiis, tum amicis, tum Dei inimicis, *Facit*, ait Dominus, *ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos.* Similem in modum caritas ardorem ſuum omnibus tribuit, non probis ſolùm, ſed improbis quoque, non iis tantùm qui diligunt, ſed iis etiam, qui odio habent; iuxta illud Domini: *Diligite inimicos veſtros, benefacite iis qui oderunt vos.* Latiſſimum caritas ſinum expandit. De illa intellexit Auguſtinus illud: *Latum mandatum tuum nimis.* & epiſtola 121. ad Probam cap. 6. Amicitia, inquit, non anguſtis finibus terminanda eſt. Omnes enim, quibus amor & dilectio debetur, amplectitur; quamuis in alios propenſiùs, in alios ſuſpenſiùs inclinetur. Peruenit autem vſque ad inimicos, pro quibus etiam orare præcipimur. Ita nemo eſt in genere humano, cui non dilectio, etſi non pro mutua caritate, pro ipſa tamen communis naturæ ſocietate debeatur, &c.

Non eſt qui ſe abſcõdat à caritatis ardore.

Matth. 5.

Caritatis latitudo. Auguſt. Pſal. 118.

Caritatis curſus ſolis curſum ſuperat. Sol neque in cælum Empyreum, neque in purgatorium radios ſuos mittit. Caritatis verò radij hæc etiam in loca penetrant. Angelos enim ſanctáſque animas, quæ in cælo empyreo degunt, quæque in purgatorio ardentiſſimo igne cruciantur, complectimur caritate. *Non eſt qui ſe abſcondat à calore eius*, præter eos, quibus in ſempiternum abſconditus eſt vultus S. Trinitatis, malos dæmones hominéſque damnatos. Tanta caritatis vis eſt (ait Chryſoſtomus homilia 44. in acta Apoſtol.) vt cælo latiorem faciat animam, &c. Nihil cælo latius, nihil latius caritate. ea cor latum efficit, quale Chryſoſtomi erat, qui eadem homilia; Si liceret, inquit, cor noſtrum diſrumpere ac oſtendere, videretis intus eſſe in magna latitudine vos omnes, mulieres, pueros, ac viros, &c. Quis tantam hanc latitudinem effecerat? profecto caritas. Nam, ait idem Chryſoſtomus homilia 13. in epiſt. 2. ad Corinth. Quemadmodum quod calefacit dilatare facit, ita & caritatis opus eſt dilatare. Virtus enim calida eſt, & feruens caritas, &c. Eodem loco quàm latum Paulo effecerit caritas oſtendit his, & aliis verbis: Cor Pauli dilatauit caritas. Nihil latius corde Pauli, totum orbem complexum eſt, &c.

Caritatis curſus ſuperat curſum ſolis.

Pſal. 18.

Chryſoſt.

Latum cor Chryſoſtomi fuit.

Caritas cor dilatat etiã vſque ad inimicos.

Cor Pauli caritas latiſſimum fecit.

Exiguis

Exiguis illam amicorum finibus Iudæi circumſcribebant; *Diliges proximum, & odio habebis inimicum.* At Chriſtus iſtiuſmodi metas tranſgreſſus, ad inimicos iubet extendere. *Diligite*, inquit, *inimicos veſtros.* Hic triumphat caritas, cùm in re difficili arduaque verſatur. Amicum diligere facile eſt; diligere inimicum arduum & difficile. *Si diligitis eos, qui vos diligunt*, ait Dominus, *quam mercedem habebitis*, rei facillimæ non à caritate, ſed ab ipſa natura profectæ? Nónne & publicani & ethnici, nónne & animantes ratione carentes, nónne ipſi etiam ſerpentes hoc faciunt? Auguſtinus ſerm. 61. de tempore: Amas amantes te filios, & parentes, amat & latro, amat & draco, amant & lupi, amant & vrſi. Item: Qui ſolos amicos diligunt, adhuc in hac parte publicanis, & gentibus, & beſtiis ſimiles ſunt. Vt ergo ſuperiores ſimus & gentibus, & beſtiis, etiam inimicos & aduerſarios diligamus, &c. Quale ſit aurum, non in molli lana, ſed in duro lapide Lydio; qualis verò ſit caritas, non in dulci amico, ſed in duro inimico exploratur. Nam vt Auguſtinus ait eodem loco: Ipſa eſt vera & germana caritas, quæ non ſolùm vſque ad amicos, ſed etiam vſque ad ipſos peruenit inimicos, &c.

Matth. 5. *Auguſt.* *Vt ſimus beſtiis ſuperiores, diligendi inimici.*

Amicorum amor negotiationis & mercaturæ nomine ſuſpectus eſſe poteſt, iuxta illud Senecæ epiſtola 9. Iſta negotiatio eſt, non amicitia, quæ ad commodum accidit, quæ quid conſecutura ſit ſpectat, &c. & illud M. Tullij; Amicitiam ſi ad fructum noſtrum referemus, non ad illius commoda, quem diligimus, nõ erit iſta amicitia, ſed mercatura quædam vtilitatum ſuarum, &c. Inimicorum autem amor longè ab hac ſuſpicione abeſt. Nihil enim in eo negotiationis huiuſmodi, nihil ineſt mercaturæ: quamuis & alia lucroſior negotiatio, alia multò vtilior inſit æternarum rerum mercatura. Poteſt quidem propter Deum amari amicus, attamen an propter Deum ametur, non admodum apparet. Inimicus cùm amatur, propter Deum amari conſtat. In amico non adeò fulget diuinus amor, in hoſte latè diffundit radios, in quo nihil præter Deum inuitat ad amandum.

Seneca. *Cicero.*

Facito ergo ſolem tuum, id eſt, amorem, oriri ſuper bonos & malos, ſuper amicos & inimicos. Sol & lucet, & calefacit, ſic & caritas vultus hilaritate, oriſque lenitate inimico lucet, beneficiis verò ac precibus calefacit. *Diligite*, ait Dominus, *inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.* Paulus: *Os noſtrum patet ad vos, ô Corinthij, cor noſtrum dilatatum eſt. Non anguſtiamini in nobis, anguſtiamini autem in viſceribus veſtris. Eamdem autem habentes remunerationẽ, dilatamini, & vos*, &c. Odij vox eſt, *Os meum clauſum eſt, cor contractum & anguſtum.* Qui enim odio incenditur, tam os inimico claudit, quàm cor; neque amat corde, neque loquitur cum eo ore. Frænat linguam tartareum odium, cor anguſtiſſimum reddit. At caritatis vox ad inimicos, vox eſt Pauli; *Os noſtrum patet ad vos, cor noſtrum dilatatum eſt.* Patebat os Pauli ad concionandum, & loquendum omnibus cum hominibus. patet item os viri caritate inflammati ad loquendum cum inimicis, patet & cor ad diligendum. Non anguſtiamini in me (ait vir huiuſmodi) latiſſimum enim cor omnes lato capit ſpatio. Nullus inimicorum, quos non inimicos, ſed amicos reputo, anguſtum in meo corde locum habet, ſed latum. Vos anguſtiamini in viſceribus veſtris, anguſta enim viſcera erga me habetis, qui inimici eſſe vultis. Neque enim me viſcera veſtra capiunt. Dilatamini & vos, dilatate corde, caritate capite me.

Matth. 5. *2. Cor. 6.* *Dilatãdum cor vt capiat etiam inimicos.*

Patet omnibus ſolis lux, patet omnibus latiſſimum cor, & os caritate prædíti viri. Quemadmodum omnes calefacit ſol, ſic ille omnibus etiam inimicis benefacit pro viribus. Sol hominem quærit vt calefaciat, ſi quam vel minimam reperit rimam, ingreditur domum; ita etiam ardens diuino amore vir inimicum ipſe quærit, ipſe etſi læſus, ad reparandam feſtinat gratiam. ſi quam rimam, ſi quam amicitiæ occaſionem, vel minimam, aduerſarius offert, lætus arripit. Is qui nos lædit ægrotus eſt, phreneſiq; vexatur: ægrotis autem non iraſcimur, ſed indolemus & benefacimus; ſic etiam aduerſariis non iraſci, ſed indolere, & benefacere oportet. Chryſoſt. hom. 18. in Matth. Medici quando iniuriis & calcibus læduntur furentium, tunc illorum magis miſerẽtur, tunc maximè ad reddendam illis ſanitatem parantur. Et tu igitur de inimicis eamdem teneto ſententiam, ſicque vtere tibi iniuriari cupientibus. Illi namque ſunt maximè ægroti, &c. Lege eumdem 2. Cor. homil. 5. Inimico autem benefacere etiam in lege præcepit Deus. *Si occurreris boui inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum, ſi videris aſinum odientis te iacere ſub onere, non pertrãſibis, ſed ſubleuabis cũ eo*, &c. Nónne hoc eſt inimico & odienti benefacere? Hanc legem B. Iſidorus Peluſiota epiſtola 389. latam eſſe ait ad amicitiam reparandam; Non, inquit, quòd animalis cura tantopere tangeretur legiſlator, hanc legem tulit; ſed ipſorũ præſertim hominum cauſa. Nam inimicus ad prolapſum animal erigendum accedens, inimicum omnino alloquetur ac dicet, tu iſthinc erige, ego hinc. colloquium porrò reconciliationis præludium eſt, ac via ad amicitiam ducens, &c.

Aduerſarijs indolere debemus & benefacere vt ægrotis. *Chryſoſt.* *Exodi 24.* *Iſidor. Pel.* *Cur Deus præceperit animal inimici lapsũ erigere.*

Denique, Patris noſtri cæleſtis exemplum nos permoueat. *Vt ſitis*, inquit, *filij Patris veſtri, qui in cælis eſt.* Diligamus inimicos, vt ſimus filij Patris, qui in cruce fuit. Aſpice in cruce ſolem illum orientem ſuper bonos & malos, ſanguine pluentem ſuper iuſtos & iniuſtos. Cerne Patrem noſtrũ Chriſtum pro inimicis, à quibus vita priuabatur, in cruce orantem, ipſumque ſanguinem pro illis, & vitam profundẽtem. Imitemur Patrem, ſi filij ſumus, noſtris quoque inimicis beneficia precéſque pro noſtra tenuitate conferamus. Auguſt. ſer. 61. de temp. Quod, inquit, exemplum Domini ſecuturi ſumus? Numquid vt mortuos ſuſcitemus? numquid vt ſupra mare pedibus ambulemus, non vtique; ſed vt ſimus mites & humiles corde, & non ſolũ amicos, ſed etiã inimicos toto animo diligamus, &c. Item, Chriſtus in cruce fixus erat, & tamen per viam caritatis currebat, dicens: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Et nos etiam cùm patimur ab inimicis, hoc clamare debemus; *Quia neſciũt quid faciunt.* Phrenetici ſunt, vt liberẽtur orare debemus, &c. Chryſoſtomus hom. 18. in Matth. Vidiſti, inquit, Deum hominem fieri, tantáq; propter te eſſe perpeſſum, & adhuc inquiris, & dubitas quemadmodum poſſibile ſit iniurias donare conſeruis? Non audiſti eum in patibulo dicentem; *Pater dimitte eis, non enim ſciunt quid faciunt.* Non vides, quia poſt crucem, & poſt reſurrectionem Iudæis interfectoribus ſuos Apoſtolos miſerit, bona illis innumera portantes? &c. D. Chryſolog. ſer. 38. Non dedignetur ſeruus hoc accipere a conſeruis, quod Dominus à ſeruis, & pro ſeruis accepit. Palmis faciem non negauit; tollenti tunicã & pallium dimiſit & corpus, angariantem ſe ad laborem, libens ſecutus eſt ad mortem. Si dignum pati duxit Dominus, quomodo videtur indignum pati ſeruum? &c. D. Leo ſerm. de omnibus Sanctis: Miſericordem te miſericordia, iuſtũ vult te eſſe iuſtitia. Vt in creatura ſua creator appareat, & in ſpeculo cordis humani per lineas imitationis expreſſa Dei imago reſplendeat, &c. Lege quæ ſuprà de pacificis, & de iniuriis ferendis dicta ſunt.

Exemplum Chriſti ad diligendos inimicos calcaria admouet. *Auguſt.* *In quibus ſit Chriſtus imitandus.* *Chryſoſt.* *Chryſol.* *D. Leo.*

CA-

CAPVT XXIII.

De ſermone Domini in monte, De inani gloria.

MATTH. CAP. VI.

ATtendite, ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Cùm ergo facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt in ſynagogis, & in vicis; vt honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua, vt ſit eleemoſyna tua in abſcondito, & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.

Matth. 6. Inanis gloriæ cauēda.

ATTENDITE *ne iuſtitiam veſtram*. Inanem gloriam cæleſtis theſauri direptricem cauendam docet Dominus. *Attendite*, inquit, *ne iuſtitiam veſtram*, id eſt, opera iuſta, virtutem veſtram, *faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis*. Græci codices pro iuſtitia, habent eleemoſynam. Sed noſter interpres legit, δικαιοσύνην, non, ἐλεημοσύνην, hoc eſt, iuſtitiam, non eleemoſynam. Exiſtimat quidē grauis Interpres, hoc loco iuſtitiam poni pro miſericordia, ſed non eſt opus. Satius enim eſt nomen iuſtitiæ ample pro omni virtute accipere. In omnibus enim virtutis operibus, inanis gloria cauenda fugiendaque eſt. *Attendite*, inquit, *ne iuſtitiam veſtram*, id eſt, opera iuſta, coram hominibus faciatis.

An ſit hic principium alterius cōcionis Chriſti in cāpo?

Eſt etiam opinio, Chriſti alteram concionem ſumere initium hoc loco. Probatur, quia diſſimile eſt argumentum. Præterea, quia ſuperior ad Apoſtolos in mōte dirigebatur, hęc ad omnes in campo. Illic de Euangelica tantùm perfectione, hic de communi fuga vitiorum agitur, omnibus neceſſaria. Sed iam diximus, non eſſe concionem hanc à ſuperiori diuerſam, ſed illius partem. Argumenti autem diſſimilitudo, diuerſam eſſe minime probat. Siquidem in eadem concione argumenta ſolent multa tractari. Quod additur, illam ſuperiorem in monte ad Apoſtolos, hanc in campo habitam: inficiamur. Quòd ſi pars ſuperior Euangelicam continet perfectionem, ſimilis illi eſt hæc ſecunda, vt legenti erit perſpicuum.

Non aduerſantur hæc verba, illis Sic luceat lux veſtra corā hominibus, &c.

Videntur verba hæc: *Ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis*: illis ſuperioribus aduerſari: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona*. Videri vult opera noſtra ab hominibus, & non videri. Videri autem, & non videri pugnant. Ipſa Chriſti verba pugnantiam ſoluunt. *Sic luceat*, inquit, *lux veſtra, vt videant homines opera veſtra bona*; Quorſum? quo fine? Adiungit: *Vt glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt*. Hoc propoſito fine, illuſtria facta etſi videantur, nulla ſubeſt inanis gloriæ tinea. Sic ea videri non prohibet Dominus. Hoc autem loco; *Attendite*, ait, *ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus*. Nec conſtitit hoc loco ſententia. Additur; *vt videamini ab eis*, hoc eſt; Ne opera iuſta coram hominibus faciatis, vt vos glorificent, non cæleſtem Patrem. Itaque ſic videri vult Dominus opera, vt cæleſti Patri laus tribuatur. Vult non videri eo fine, vt nos videamur, id eſt, inani laude & gloria efferamur. Videri autem, & non videri hoc pacto, non pugnant. Sicut lampas accenſa abſcondi non poteſt (ait Auctor Imperfecti hom. 13.) ſic nec opus iuſtitiæ poteſt celari. Ergo non eleemoſyna ingrata eſt ante Deum, quæ hominibus viſa fuerit, ſed quæ ideo facta fuerit, vt ab hominibus videatur, &c. Chryſologus ſerm. 9. Vbi, inquit, eſt illud; *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona; & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt?* Quomodo iuſtitiam vult celari cuius opera vult ſic elucere? hæc præceptio vult iactantiam tollere, ſubmouere inanē gloriam, &c.

Hæc præceptio iactantiam tollit. Matth. 6.

MERCEDEM *non habebitis*. Timore damni ab inani deterret gloria. Si opera veſtra bona ideo feceritis, vt inanem captetis gloriam, ea vobis pro mercede erit: gloriam autem veram, à Deo Patre veſtro minimè conſequemini. Pro inani exigui temporis gloriola, ſolidæ atque ſempiternæ gloriæ iacturam facietis. Multam (ait Chryſoſtom. hom. 19. in Matth.) præceptum hoc continet cautionem, & ineffabilem Dei erga homines curam, id vtique prouidentis, ne alicuius operis mercedem amittant, &c. Amittit mercedem operis, qui inanem auram captat; comparat mercedem apud Patrem cæleſtem, qui propter Patrem cæleſtem operatur. Vnde infra ait Dominus; *Pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi*. Propter quem quis operatur, ab eo mercedem expectat. Si propter Deum operaris, expecta ab illo præmium, ſi propter homines diſcruciaris, illi ſoluant. Soluent autem, non ſolido auro, ſed inani aura.

Chryſoſt.

Propter quē quis operatur, ab eo mercedem expectat.

CVM *ergo facis eleemoſynam, noli tuba canere*. Cauendam docuit inanem gloriam vniuersè in omnibus virtutum operibus. Ad peculiaria nunc deſcendit, videlicet ad eleemoſynam, ieiunium, & orationem. In primis ab eleemoſyna oſtentationem pellit. *Cùm facis*, inquit, *eleemoſynam, noli tuba canere ante te*. Tubis vtebantur olim Iudæi ad conuocandam plebem, quemadmodū nos vtimur cymbalis. vt ſuprà iam diximus. *Fac tibi*, ait Dominus Moſi, *duas tubas argenteas, quibus conuocare poſſis multitudinem*. Nonnulli igitur (vt ait Euthymius) opinati ſunt hypocritas ad eleemoſynam præbendam tuba pauperes conuocaſſe. Hanc opinionem ſequuntur Lyranus, Caietanus, Abulenſis, Ianſenius, & alij. Veroſimilius Chryſoſtomus tropum eſſe putat, loquendíque modum figuratum: *Noli tuba canere ante te*, hoc eſt, ne eleemoſynam oſtentes arroganter. Non quia hypocritæ (ait Chryſoſt.) eleemoſynam ad ſignum erogant tubarum, ſed maximam in eis volens notare oſtentationis inſaniam tranſlatione verborum vitij redundantiam publicauit, &c. Et Theophylactus: Non tubas, inquit, habebant hypocritæ, ſed animum eorum deridet, &c. Eodem modo Euthymius. D. etiam Auguſt. ſic interpre-

Matth. 6. Quomodo hypocrita tuba canere ante ſe? Tubis plebs olim conuocabatur.

Num. 10.

Chryſoſt.

Theoph.

interpretatur; *Noli tuba canere*, noli sic velle innoteſcere, vt hypocritæ, &c.

Matth. 6. Quid signifiet hypocrita. Auguſt.

SICVT *hypocritæ faciunt in ſynagogis*. Nomen, ὑποκριτὴς Græcum eſt, hiſtrionem ſignificans, qui aliud eſt, aliud apparet. Sunt (ait Auguſtinus de ſermone Domini) hypocritæ ſimulatores tamquam pronuntiatores perſonarũ alienarum, ſicut in theatricis tabulis. Non enim qui agit partes Agamemnonis in tragœdia, ſiue alicuius alterius, verè ipſe eſt, ſed ſimulat eum, & hypocrita dicitur. Sic in Eccleſia, vel in omni vita humana, quiſquis ſe vult videri, quod non eſt: hypocrita eſt. Hęc ille. Huiuſmodi homines tuba canebant ante ſe, cùm eleemoſynam in ſynagogis & vicis, in conſpectu hominum, pauperibus erogabant, hoc eſt, eleemoſynam oſtentabant, & vt viderentur ab hominibus largiebantur. Fugienda hypocritarum imitatio. Etenim mercedem Dei amittũt, *mercedem ſuam*, id eſt, inanem, quam ambiunt gloriam, recipiunt. Hæc merces eſt hypocritarũ. Non Dei mercedem receperunt hypocritæ (ait Hieron. in Matth.) ſed ſuam. Laudati enim ſunt ab hominibus, quorum cauſa exercuere virtutes, &c.

Matth. 6.

NESCIAT *ſiniſtra tua quid faciat dextera tua*. Non venditandam eleemoſynam, & veluti tubæ ſonitu publicandam, docuit Dominus. Nunc clàm & abſcõdite docet largiendam. figurato vtitur ſermone. Cùm eleemoſynam (inquit) largiris, ſiniſtram etiam tuam lateat opus dexteræ, id eſt, eleemoſyna, quam dextera manu donas. Hyperbolicam eſſe locutionem ſentit Chryſoſt. Theophylactus, & Euthymius. Si (inquit Chryſoſtomus) poſſibile eſt te ipſum quoque ignorare, quod facis, ſit tibi hoc prorſus in ſtudio, &c.

Quid ſit ſiniſtram ignorare quod facit dextera. Auguſt.

Auguſtinus de ſermone Domini, capite quinto, dextera putat ſignificari intentionem implendi præceptadiuina: ſiniſtra laudis delectationem: in hanc ſententiam. Non ſe miſceat conſcientiæ tuæ laudis humanæ appetitio. Et ſermone 60. de tempore: In dextera, inquit, intelligitur amor Dei, in ſiniſtra cupiditas mundi. Si pro laude humana dederis eleemoſynam, totum ſiniſtra facit. Si pro remiſſione peccatorum, & amore vitæ æternę, totum dextra facit, &c. Omitto alias interpretationes, quæ literales non ſunt, quemadmodum neque hæ Auguſtini.

Præter primum, alius eſſe poteſt ſenſus literalis huiuſmodi: *Neſciat ſiniſtra, quid faciat dextera*, hoc eſt, ſola dextera manu eleemoſynam largire: non ſiniſtra. Is autem ſola dextera manu operatur, qui rectè propter Deum operatur; is ſiniſtra operatur, qui propter homines ad aucupandam gloriam popularem facit opus.

Id optis quod recta intentione fit, etiam ſit, & abſconditè, etſi in oculis hominũ fiat.

Quid igitur? non licet eleemoſynam coram hominibus largiri? quærēda ſunt deſerta loca, in quibus nulli appareant hominum oculi? Minimè quidem quærenda deſerta loca, ſed quærenda deſerta voluntas ab omni inanis gloriæ, quam oculi hominum pariunt, cupiditate. Si non oculis omnium hominum præclarum opus geſſeris, non hominum curans oculos, ſed Dei: abſcondite, & ſiniſtra ignorante geres. Si verò nullo cernente homine feceris, videri tamen cupiens, hominumque laudem captans, coram hominibus ſiniſtra ſciente facies. Auctor Imperfecti; Qui, inquit, non ideò facit, vt ab hominibus videatur, etſi coram hominibus fecerit, tamen non videtur coram hominibus feciſſe, &c. Chryſologus ſermone nono: Deus arguit largientem ad ſuam famam, non ad pauperis famam. Vota culpat (id eſt. deſideria laudis) nõ loca. Docuit miſericordiæ auctor, vt miſericordia non terræ ſit nota, ſed cælo; non hominibus inſinuata,

Autor Imper.

Chryſol.

A ſed Deo, &c. Theophylactus: Licet coram hominibus eleemoſynam facias, non tamen ideo facias, vt videaris ab hominibus; non condemnaris. Si vanæ gloriæ ſcopum ſpectaueris: etiamſi in penetralibus promptuarij tui facias, condemnaris. Voluntatem enim vel coronat, vel punit Deus, &c. Condemnari autem ait illum qui in vanam gloriam incidit, quia punitur. Quod ergo Dominus ſignificat illa hyperbole hoc eſt; Non eſſe venditandam eleemoſynam, ſed operandum potiùs, vt nemo ſciat à nobis donari. Deniq; quoad fieri poterit, occultè largienda, ne inanis ſubrepat gloria.

Theoph.

Voluntatem vel coronat vel punit Deus.

PATER *tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi*. Hypocritæ eleemoſynam homines vident, mercedemque tollunt. At illius qui inanem fugit auram, bonum opus etiam in abſcondito loco factũ Deus videt, mercedemque ampliſſimam, ampliſſimo in theatro reddit. Recte D. Chryſoſt. homilia 19. in Matthæum. Quid deſideras, inquit, Nonne habere aliquos tuorum operum ſpectatores? Ecce igitur habes non Angelos: atque Archangelos tantùm, ſed etiam horum omnium Deum. Quòd ſi habere etiam homines ſpectatores concupiſcis, nec hac quidem mercede priuaberis; ſed cùm opportunum tamen tempus aduenerit. Quando certe cum maximo cumulo hoc tibi præſtabitur, quod requiris. Nam modo ſi ſpectari velis, decem, aut viginti, aut centum tantummodò hominibus oſtentare te poteris; ſi verò latere nunc curaueris, tunc, id eſt in die Iudicij, ipſe te prædicabit Deus, toto prorſus orbe præſente, &c. Græci codices habent: *Pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi ἐν τῷ φανερῷ*, id eſt, *in aperto*, iudicij ſcilicet tempore. Sed hæc verba legenda non eſſe, ex editione correcta conſtat.

Matth. 6.

Operis recta intentione facti merces. Chryſoſt.

In iudicio ſpectatores habebimus operũ omnium, nunc eos nõ quæramus.

Morale.

Attendite, ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus.

ATTENDITE, ait Dominus. Attendere enim oportet, ac vigilare, ne Bonorum operum ſpoliatrix inanis gloria nos ſpoliet: oportet diligentem adhibere attentionem, ne prauam adhibeamus bonis operibus intentionem. Quaſi de inſidioſiſſimo aliquo ſerpente loqueretur Dominus (ait Chryſoſtomus homil. 19.) potentiſſimóque furandi, ei vtique, qui non toto mente vigilaſſet; *Attendite*, inquit, &c. & Theophylactus; Attendite, ait Dominus, & cauete: quaſi de aliqua mala beſtia dicat: Attende, ne te dilaceret, &c. Similiter Euthym. Dicit Chriſtus: Attendite; inſinuans feram hanc latenter in modum furis irrepere, &c. Fur eſt, ſed fraudulẽtus, & dulcis; dulci oſculo inſtar Iudæ nos ſpoliat. Quamobrem à Diuo Baſilio in conſtitutionibus Monaſticis cap. 11. dulcis ſpiritalium opum ſpoliatrix appellatur, iucundus animarum noſtrarum hoſtis, blandiſſima deprædatrix, quæ mellis illitu venena ſua colorat. Attendere ergo oportet diligenter, furémque cauere dulciter ac blandè irrepentem & ſpoliantem.

Magnã attentione cauenda inanis gloria.

Vana gloria ſpiritalium opum ſpoliatrix.

NE *iuſtitiam veſtram faciatis*, &c. Iuſtitiæ inſidiatur gloria inanis. Alia vitia in terra nobis inſidiantur; hoc in ipſo cælo; id eſt, in ipſis virtutibus, laqueos tendit, vt diuus Baſilius ait in conſtitutionibus Monaſticis cap. Vndecimo. Callida, inquit, inſidiatrix vana gloria, vel in ipſius cæli conuexis inſidiarum aduerſus nos collocatrix, &c. D. Auguſtinus Pſal. 58. Omnia vitia in malefactis timenda ſunt, ſuperbia in benefactis plus metuenda eſt, &c. Ibidem: Cùm quiſque bene profecerit, ſuperbia tentatur, vt perdat totum, quod profecit, &c. Hanc ob cauſam, vt idem Auguſtinus ait, maximè

Inanis gloria iuſtitiæ inſidiatur.

Baſil.

Auguſt.

Vltimum vitiũ, quod vincitur est superbia, & inanis gloria.

cauenda est perfectis. Augustinus Psal. 7. Qui bene didicit, vel expertus est vitiorum superandorum gradus, intelligit vitium inanis gloriæ solum vel maximè cauendum esse perfectis. Quo primo enim vitio lapsa est anima, hoc vltimum vincit, initium autem omnis peccati superbia, &c. Lætus sub viridi hedera sedebat Ionas, ea verò à verme subito corrosa exaruit. Floret viresciteque iustitiæ opus, quamdiu à verme inanis gloriæ ac superbiæ non corroditur; ab inani gloria si corrodatur, exaresci. Vana gloria (ait D. Basilius loco indicato) virtutes ramis in cælum vsque licet expassis adornatas profligare, ac deturbare contendit, &c. Ventus est inanis gloria, iustitiæ mercibus onustam nauem demergere conatur. Diuus Basilius: Simulatque, inquit, illa animaduertit mercatorem virtutum mercibus nauẽ complesse; procella sua ocyus excitata, in eo omni conatu operam dat, vt illam euertat, & aquis pessundet, &c. de inani gloria diximus tom. 1. lib. 8. cap. 7. & aliis locis.

Basil.

Miri latrones, qui oculis spoliant.

CORAM *hominibus, vt videamini ab eis.* Is qui oculos attendit Dei, oculos non curat hominum. Non vult videri sed latêre, qui aurum, gemmásq; fert. Vt enim ait Magn. Greg. homil. 11. in Euangelia deprædari desiderat, qui thesaurum publicè portat in via, &c. Ne ergo ab inani diripiamur gloria, bona opera veluti thesaurum abscondamus, neque publicè in via portemus. Est enim via latronibus plena miris. Quis vnquam latrones vidit, qui oculis hominem spoliarent? miri sunt latrones homines, oculis nos spoliant, virtutumque merita opulentissima diripiunt. Ideò Dominus admonet: *Ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* Quasi dicat: Fugite miros latrones, fugite hominum oculos. Oculi sunt basilicorum; operibus præclaris vitam adimunt, virtutum quædam veluti cadauera vobis relinquunt. Quòd si necesse est videri opera, videantur, non vt nos videamur, & laudemur; sed vt in illis videatur, laudetúrque cælestis Pater. Sic sit opus in publico (ait Gregorius homilia citata) quatenus intentio maneat in occulto. Vt & de bono opere proximis præbeamus exemplum, & tamen per intentionem qua Deo soli placere quærimus, semper optemus secretum, &c. Diuus Chrysologus serm. 9. In plateis, & in triuiis, suam pietas habet secretum, &c.

Greg. Mag.

Matth. 6.

Si opus in publico, intentio sit in occulto.

Pietas etiã in plateis secretũ habet bonæ intentionis.

PATER *qui videt in abscondito.* Homines vident in aperto: Pater videt opus etiam in abscondito, homines vident oculis fascinantibus: Pater videt oculis paternis, homines vident, & diripiunt: Pater videt, & coronat. Stolidus ergo est, qui in aperto mauult coram hominibus, quàm in abscondito coram Patre operari. Audi Chrysostomum homil. 19. in Matthæum. Cuius, inquit, stoliditatis est, vt ad spectandas virtutes eius Rege properante; Regem quidẽ relinquat, ac negligat, ab egenis verò, atque mendicis spectari velit, ab eisque potiùs laudem requirat? &c. Item: Si ostentare nos volumus, Patri, id est Deo, ante omnia nos studeamus ostendere; qui & coronandi nos tenet potestatem, & mercede priuandi. hæc ille.

Deus videt, & coronat.

Chrisost. Stolidus qui egenis, mauult placere, quàm Regi, & nobilibus.

NOLI *tuba canere ante te.* Velim, te, cùm eleemosynam, vel opus aliud bonum facis, tuba canere ante te. Non quidem tuba ostentationis, sed tuba iudicij extremi. Hac si canas ante te, sonitu terribili inanem deterrebis gloriam, ac fugabis. Hypocritæ canunt ante se tuba ostentationis, ad ostendenda opera; tuba verò iudicij extremi canet ante illos, ad ostendendam illorum hypocrisim. Tunc enim quales sint, toti apparebit orbi, cùm laruam deposuerint, & in vera sua facie apparuerint. Si tuarum laudum tuba delectaris, illam

Matth. 6.

Non tuba ostentationis, sed tuba iudicij ante te cane.

A iudicij versa animo, quæ omnium personabit aures tuáque bona opera, magno cum præconio prædicabit. Modo ait (ait Chrysostomus) si spectari velis, decem, aut viginti, aut centum tantum modò hominibus ostẽtare te poteris. Si verò latere nunc curaueris, tunc (id est, in die iudicij) ipse te prædicabit Deus toto orbe præsente, &c.

Chrysost.

Qui polum Arcticum intuentes nauigant, buccinam intuentur: qui verò alterum cernentes polum, fluctus sulcant, intuentur crucem. Sunt enim in polo Arctico, stellæ in speciem buccinę: in polo Antarctico, in formam dispositæ crucis. Eundem in modum, ex iis, qui mare hoc magnum, id est mundum nauigant; quidam, id est, hypocritæ, aliiq; persimiles, buccinam, tubamve, id est, hominum laudes, inanémq; aspiciunt gloriã. Alij verò tuba laudum contempta, in crucem conijciunt oculos.

Quidam buccinam, alij, crucem intuentes nauigant.

B Iuxta illud Pauli: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri* IESV CHRISTI, &c. Audi etiam Senecam ethnicum Philosophum lib. 3. de ira cap. 41. Conscientiæ, inquit satisfiat. Nihil in famam laboremus. Sequatur vel mala, dum bene merearis, &c.

Gal. 6.

RECEPERVNT *mercedem suam.* Vana gloria hominem priuat vera gloria. Qui enim vane operatur, vana facit opera, cælesti vacua mercede. Quales sunt operatores, talia sunt opera, similisq; merces. Vani operatores vana efficiunt opera: vanamque mercedem consequuntur, nempe vanam hominum laudẽ. Pro hac vana mercede, laborem suum locant hominũ oculis homines vani. Dúmque eam expetunt, diuino frustrantur præmio, vt Basilius ait in Constitution. Monast. cap. vndecimo Iure, inquit, diuinorum præmiorum frustrationem incurrimus; quippe qui non propter Deum labores suscipiamus, sed hominibus operarios nos met ipsos locemus, &c. D. Chrysolog. sermone 9. Iustitia, quæ se humanis oculis locat, diuini Patris non potest expectare mercedem. Voluit videri, & visa est. Voluit hominibus placere; & placuit. habet mercedem, quam voluit. Præmium quod habere noluit, non habebit, &c.

Gloria vana reddit opera vana, id est, sine mercede.

Basil.

Chrysol.

Lege Gregorium hom. 11. in Euang. & hom. 12. de fatuis virginibus, quas eos indicare existimat, qui ex virtutibus humanam expetunt laudem. Fatui verò meritò dicuntur, quoniam æternam gloriam cum inani, mercedémque cęlestem, cum terrestri commutãt. Fatuæ (inquit Gregorius) profectò sunt virgines, quia solùm laudis transitorię retributionem quærunt, &c. Et libr. 8. Moral. ca. 25. Magna inquit, væcordia est, laborioſa agere, & auræ laudis inhiare. forti opere præceptis cælestibus inseruire; sed terrenæ retributionis præmiũ quærere. Vt enim ita dixerim, qui pro virtute, quã agit, humanos fauores desiderat, rẽ magni mereri, vili pretio vænalem portat. Vnde cæli regnum mereri potuit, inde nummum transitorij sermonis quęrit. Vili ergo pretio opus vendit, quia magna impendit; sed minima recipit, &c. Lege eumdem libr. 12. Moral. capite 24. quo ostendit hypocritas aridos, steriléſque esse in conspectu Dei, iuxta illud, *Congregatio hypocritæ sterilis.* Congregant, inquit, hypocritæ bona opera; sed eorum sterilis est ipsa congregatio. Quia per hoc quod agũt, fructũ recipere in æterna retributione non appetunt. Fæcundi, ac virides in suis operibus humanis oculis videntur; sed in conspectu occulti iudicis, infæcundi & aridi apparent, &c. Lib. 8. capite vigesimo quinto, hypocritis cum vitibus confert, quarum botri in terra iacent, ac putrescunt. Similes, inquit, existunt hypocritæ fæcundis & neglectis vitibus; quæ fructum proferunt, sed nequaquam à terra subleuãtur, &c. Vitis racemi, si in sublime nõ attolluntur, in terra iacent;

Fatui sunt qui propter inanem laborant gloriam.

Greg.

Vili pretio res magni pretij vendunt inanis cupidi gloriæ.

Iob. 15.

Hypocritæ virides arbores, sed steriles.

Hypocritæ quibus similes sunt.

ra iacent; eumdem in modum opera bona, si cæ- A lesti intentione in cælum non subleuantur, iacent, ac putrescunt. *Culmus stans non est in eo; germen non faciet farinam. Quòd etsi fecerit, alieni comedent eam*, &c. Inanem gloriam amantium segetes, vel farinam & triticum non producunt, vel si producunt, à volucribus, id est inani gloria, diripitur. Gregorius eodem loco: Cùm fecerit, inquit, farinam, hanc alieni comedunt. Quia & cùm bona opera hypocritæ ostendunt, de his malignorum spirituum vota satiantur. Qui enim per hęc placere Deo non apperunt, nequaquam agri dominum, sed alienos pascunt, &c.

Osea 8.

Matth. 6. August. Iusti dextera manu operantur, iniusti sinistra.

NESCIAT *sinistra tua, quid faciat dextera tua.* In dextera manu (ait Augustin. serm. 60.) intelligitur amor Dei, in sinistra cupiditas mundi, &c. Dextra operantur iusti, quia ex amore Dei illorum opera proficiscuntur. Sinistra operantur iniusti, quia ex cupiditate mundi eorũ actiones emanant. Dexteram ad operandum cælestis gloriæ excitat spes; sinistram inanis gloriæ stimulat auiditas, *Obliuiscatur mei dextera mea* (ait Psalmograph.) *si non meminero tui, ô Sion.* Etenim si Sionis, hoc est, cęlestis obliuiscimur patriæ: dextera nostra obliuiscitur nostri. hoc est, veluti oblita nostri, nos minimè iuuat, operariq́; cælestia opera renuit. Non iuuãte dextera, turpiter operatur sinistra. Turpe ducunt homines sinistra manu pro dextera vti. Vnde illud Aug. in commentariis Psalm. 136. Nonne, ait corripis eum, qui de sinistra voluerit manducare? Mensæ tuæ iniuriam putas fieri, manducante conuiua de B sinistra, &c. Turpe igitur ducamus, in rebus animi manu sinistra operari, & ad auram inanem captandam opera dirigere. *Nesciat sinistra, quid faciat dextera.* Si filius tuus sinistra pro dextra vti incipit, vt morem exuat, sinistram constringis, solam dexteram relinquis liberam. Similem in modum, si animus tuus inani assuescit gloriæ, sinistráque operatur manu; fortissimo timoris vinculo sinistram alliga, vt sola vtatur dextra.

Psal. 138.

Languescit dextera nisi spe gloriæ roboretur.

August.

Turpe est operari manu sinistra.

CAPVT XXIV.

De sermone Domini in monte.

MATTH. CAP. VI.

CVm oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis, & in angulis platearum stantes orare, vt videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum tuum; & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito: & Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. Orantes autem nolite multum loqui, sicut ethnici. Putant enim quòd in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis. Scit enim Pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis eum.

Matth. 6. Inanis gloria in oratione cauenda.

CVM *oratis, non eritis sicut hypocritæ.* Docuit inanem gloriam ab eleemosyna repellendam, eandem docet in oratione cauendam: *Cum oratis*, inquit, *non eritis hypocritis similes*, qui publicis in locis inanis gloriæ cupiditate flagrantes, auram captant populare. In synagogis, platearumque angulis orant, vt hominum laude, veluti leni suauique flatu, cordis æstum refrigerent. Quæ fuerint synagogæ Iudæorum perspicuum est, domus videlicet, in quas sabbatis cõfluebant. Quinam dicantur platearũ anguli, dubium. Duo enim sensus esse possunt huius loci. Prior huiusmodi; Amant hypocritæ in angulis platearũ orare, hoc est in angulis, qui in plateis sunt, in recessibus platearum, in locis angustis, & à turba separatis; tamen oculis D omnium expositis. Vnde Auctor Imperfecti: Christus, inquit, non dixit plateis, sed in angulis platearum, vt ne si in plateis orauerint, quasi religionis simulatores vituperarentur: sed in angulis; vt videantur absconditè orare. Astuta vanitas. sciunt enim quia hoc ipsum absconditè orare, laudabilius est, ideò fingunt se abscondere, vt dupliciter laudentur: Primò, quia orant. secundò, quia absconditè orant. sic ille. Et Glossa ordin. Amant in angulis orare hypocritæ, quasi absconsores precum; & tamen in plateis, vt videantur. In angulo orat, qui in abscondito se orare simulat; & tamen in platea, cum famam captat, &c. Posteriori sensu, anguli C platearum significant compita, biuia, ac triuia, vbi maior hominum concursus esse solet. Glossa Ordinaria: Anguli platearum sunt, vbi via per transitum viæ ducitur, & quadriuium reddit. Sensus est: Amant hypocritæ orare in angulis platearum: hoc est, in triuiis, & quadriuiis, vbi sunt platearum anguli. Ad finẽ enim platearum sunt anguli ædium. Iuxta illos angulos hypocritæ orabant. Sensum hunc sequitur Abulensis: Vocantur, inquit, anguli platearum concursus viarum, vbi per transuersum se intersecant, & efficitur quadriuium, &c. Eundem sequitur noster Maldonatus, Sa, & Iansenius. Mihi vterque verisimilis est. Lyranus platearum nomine, templi atria intelligit, in quibus Iudæi orabant, & doctores de verbis diuinis verba facientes audiebant. Non probo vicos, & plateas vrbis intelligo.

Quid sit in angulis platearum orare.

Autor. Imp.

Gloss. Ordin.

Abulens.

Ait Dominus hypocritas in synagogis, & in angulis platearum stantes orare. Stantes, interpretabitur aliquis, fixos, immobiles quasi homines animo in cælum raptos, sed flexis genibus orantes; quòd consuetudo fuerit Iudæis flexis orare genibus, nec sit verisimile Pharisęos, qui maximè volebant videri sancti, aliter orasse. Ego verò orasse hypocritas in synagogis flexis genibus concedam. At in plateis non assentior. Itaque hoc loco corporis situm demonstrari, atque stantes in plateis orasse reor, cum Iansenio, & aliis.

An hypocritæ flexis genibus orarent in plateis, an stantes?

Matth. 6. INTRA *in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora.* Secretam vult Dominus eſſe orationem, & à popularis auræ cupiditate remotam. Cùm oras, ait, cubiculum ingredere, ora abſcondite. Deus ſolus audiat, & videat. Publicam orationem minimè damnat his verbis, ſed inani gloriæ ſeruientem. Eſt enim in templo orandum, in cõſpectu hominum; ſed ſic orandum, ac ſi in cubiculo, clauſo oſtio oratio habeatur. Quid igitur (ait Theophylactus) in Eccleſia non orabo? Omnino; ſed recto animo, & citra oſtentationem. Locus enim non nocet, ſed modus, & intentio, &c. Diuus Auguſtinus ſenſu morali, cubiculum cor eſſe ait. Cùm igitur oramus, cor ingrediamur, & ex corde preces ad Deum magna cum intentione, & affectu animi effundamus. Claudendum verò eſt cubiculi oſtium. *Intra* (ait Dominus) *cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem*; claudendum, inquam, oſtium cordis, ne alienæ ab oratione cogitationes ingrediantur. Auguſtinus lib. 2. de ſermone Domini cap. 6. Quæ, inquit, ſunt iſta cubicula, niſi ipſa corda? parum eſt intrare cubicula, ſi oſtium pateat, &c. Diuus Cyprianus in libro de oratione Dominica: Nihil in oratione animus, quàm id ſolum cogitet, quod precatur. claudatur contra aduerſarium pectus, & ſoli Deo pateat, &c. Idem pater obſeruat, Chriſtum oſtendere hoc loco, Deum vbique eſſe, & intueri omnia, atque audire. Magiſterio, inquit, ſuo Dominus ſecretò orare nos præcepit in abditis, & ſemotis locis, in cubiculis ipſis, quod magis conuenit fidei, vt ſciamus Deum vbique eſſe præſentem, audire omnes, & videre, &c.

Oratio ab oſtẽtatione ſit aliena, intẽta Deo.

Theoph.

Oratio attenta.

Auguſt.

Cyprian.

Oſtenditur Chriſtus Deũ vbique eſſe, videre omnia, & audire omnes.

Math. 6. ORANTES *nolite multùm loqui, ſicut ethnici.* Oſtendit Dominus Deum non indigere verborum copia, vt nos exaudiat, & optata concedat, errorémque excludit ethnicorum. *Nolite* (inquit) *multùm loqui orantes, ſicut ethnici. Putant enim, quòd in multiloquio ſuo exaudiantur.* Fugite ethnicorum hunc errorem; verborum copiam orationi propterea non adhibeatis, quod exiſtimetis Deum ex copioſiore oratione, quid vobis opus ſit meliùs agnoſcere, & libentiùs concedere. Scit enim Deus quid vobis opus ſit, antequam os ad petendum aperiatis. Non igitur verbis multis indiget, vt id cognoſcat, & tribuat.

Quid ſit multum loqui in oratione?

Battologia.

Non ait Dominus: *Nolite multùm orare.* Nam ipſe multum orauit, & in oratione pernoctauit. Neque ait: *Nolite loqui.* Nam ipſe in oratione locutus eſt: *Pater, ſi fieri poteſt, &c.* Non igitur orationem longam, aut vocalem reprobat; ſed ait. *Nolite multùm loqui, ſicut ethnici.* Multum tamen loqui fas eſt, ſicut Chriſtiani longa loquuntur oratione vocali, non quidem, vt Deum certiorem indigentiæ efficiant ſuæ, ſed vt illius impetrẽt beneficia. Qui quod ſcit nobis opus eſſe, id precibus vult à nobis comparari. Græcè dicitur, μὴ βαττολογήσητε, id eſt, ne battologizetis. Verbum deductum dicitur ab inepto quodam poëta Batto, eadem ſæpius repetente. D. Greg. Nyſſenus in lib. de oratione: Cordatus, inquit, ſermo, doctus, & prudens, & vtilitatem ſibi propoſitam habens, propriè ſermo dicitur. At quæ per inanem voluptatem, cupiditatibus vanis ſuperfunditur oratio, non amplius, λόγος, id eſt, ſermo, ſed, βαττολογία, eſt, quaſi dicas, linguę volubilitas, & vanus ſermo. Vt aliquis Græce melius explicans dixerit, τῇ νῇ φλυαρία, id eſt, mentis efferueſcentia, atque effutitio, λήρος καὶ φλήναφος, id eſt, deliramenta, atque nugæ. Conſulit igitur nobis ſermo, ne idem cõmittamus in tempore orationum, qualis in mente furioſorum, atque delirorum abſurda perturbatio conflatur. Lege cætera.

Excitat Auguſtinus hoc loco quæſtionem huiuſmodi. Quid opus eſt oratione, ſiquidem Deus, quid nobis opus ſit, iam nouit? Reſpondet opus eſſe oratione. Quia, inquit, ipſa orationis intentio cor noſtrum ſerenat, & purgat, capaciúſque efficit ad excipienda diuina munera, quæ ſpiritaliter nobis infundũtur. Non enim ambitione precum nos exaudit Deus, qui ſemper paratus eſt dare ſuam lucem vobis vitalem, ſed nos non ſemper parati ſumus accipere, cùm inclinamur in alia, & rerum temporalium cupiditate tenebramur, &c. Item Hieronym. Conſurgit, inquit, hoc loco quædam hæreſis, Philoſophorum quoque peruerſum dogma dicentium; Si nouit Deus, quid oremus, & ante quàm petamus, ſcit, quibus indigemus, fruſtra ſcienti loquimur. Reſpondet: Breuiter, inquit, reſpondẽdum eſt: Nos non narratores eſſe, ſed rogatores. Aliud eſt enim narrare ignorãti, aliud ſcientem petere, &c. Reſpondet etiam Chryſoſtomus hom. 19. in Matthæum, ſic; Orandum eſt, non vt Deum doceas, ſed inflectas, vt familiaris efficiaris interpellationis frequentia, vt humilieris orando, vtque peccatorum tuorum ſæpe recorderis. hæc ille. Adde Deum quidem ſcire, quibus indigeamus antequam petamus; ſed velle dona ſua deſideriis precibúſque expeti. Quemadmodum Rex videt & nouit, quid ſit famulo opus, ſed vult illum priùs preces adhibere, quàm munera accipiat.

Cur oremus ſi Deus quid opus nobis ſit iã nouit? Auguſt.

Hieron.

Chryſoſt.

Cur autem Deus velit oratione ſua dona poſtulari, multę ſunt cauſæ. Videlicet, vt merita per orationem congregemus, vt hoc religionis, & humilitatis actu ipſum colamus; vt bona omnia ab eo emanare profiteamur; vt ad illum tamquã ad Patrem confugiamus; vt denique mentem à terrenis curis ad cæleſtia extollamus, & fidei, ſpei, atque caritatis actus exerceamus.

Cur Deus velit à nobis ſua dona poſtulari.

CAPVT

De oratione Dominica.

MATTH. CAP. VI.

SIc ergo vos orabitis: Pater noſter, qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra. Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. Amen.

An oratio Dominica tradita à Chriſto ſit Apoſtolis in monte?

BREVEM quamdam orandi formam præſcribit Dominus diſcipulis, hoc ſermone in mõte habito. Non enim ſententia placet illorum, qui arbitrantur hanc orandi formã alio tempore fuiſſe traditã, & à Matthæo huic ſermoni inſertam. Veriſimilius eſt, quod Euthymius putat Luc. 11. Rupertus Matth. 6. & Toletus Luc. 11. orationem Dominicam à Chriſto prolatam ſemel in monte, iterum alio loco, vt legitur Luc. 11. Idque probant locorum circunſtantiæ diuerſæ.

Appellatur oratio hęc dominica, quoniam à Domino compoſita, nobiſque ad orãdum eſt tradita. Non ſolent reges ad petendum verba dictare, dicat regum Rex, quia largiri vult precantibus. Quid verò petere debeamus, quid Pater dare libenter velit, oſtendit; ſubminiſtratque verba cariſſimus Filius, quibus Patrem precemur, vt Filij verbis Pater annuat, iuxta Cyprianum. D. Cyprianus in libro de oratione Dominica: Filius, inquit, Dei orandi formam dedit, quid precaremur, monuit & inſtruxit. Qui fecit viuere, docuit & orare; vt dum prece & oratione, quam filius docuit, apud Patrem loquimur, faciliùs audiamur, &c. Item: Amica & familiaris oratio eſt, Deum de ſuo rogare, ad aures eius aſcendere Chriſti orationem. Agnoſcat Pater Filij ſui verba, cùm precem facimus. Qui habitat intus in pectore, ipſe ſit & in voce. Quando peccatores pro delictis noſtris petimus, aduocati noſtri verba promamus, &c. Chryſologus ſerm. 70. Supplicandi, inquit, normam, ipſe tibi, qui exorandus eſt, indulſit. Ad amoris indicium, Rex ipſe functus eſt officio aduocati, vt preces, quibus reſponſurus erat ipſe dictaret, &c. Continet oratio Dominica, vt Auguſtinus obſeruat lib. 2. de ſerm. Domini, petitiones ſeptẽ, tres primæ ad honorem Dei; reliquæ ſequentes ad vtilitatem noſtram pertinent.

Cyprian.

Pater orãdus eſt filij ſui verbis.

Chryſol.

Auguſt.

Matth. 6. Audemus Deum Patrem appellare quia iubemur.

PATER *noſter*. Admirabile habet exordium oratio. A nomine incipit Patris admirabili. Auderetne inops & ignobilis homo Regem potentiſſimum Patrem orando appellare? At nos homunculi in peccati ſordibus ſummaque ignobilitate nati, terrarum cœlorumque Regem admirandum, Patrem vocare audemus. Sed audemus, quia iubemur. *Præceptis ſalutaribus moniti, & diuina inſtitutione formati* (ait Eccleſia) *audemus dicere: Pater noſter qui es in cælis.* &c. & D. Cyprianus in libr. de oratione Dominica: Hoc nomen, inquit, nemo noſtrum in oratione auderet attingere, niſi ipſe nobis ſic permiſiſſet orare, &c. O admirãdam ſic volentis, & iubentis Dei erga ſeruos benignitatem! Quanta, inquit Cyprianus, Domini indulgentia, quata circa nos dignationis eius, & bonitatis vbertas. Qui ſic nos voluerit orationem celebrare in conſpectu Dei, vt Deum Patrem vocemus, &c. Vocari pater voluit Deus, neque appellari ſolùm, ſed quod admirabilius eſt, eſſe. Quia eſt, & quia eſſe deſiderat Pater, placuit nominari. Non enim inane Patris nomen: ſed rem etiam ipſam donat. Quos Patrem iubet appellare, eos filios facit; id eſt, *Videte*, ait Ioann. *qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & ſimus*, &c. Nominamur igitur filij Dei, & ſumus.

Cyprian.

Dei benignitas.

Ioan. 3.

Potuiſſet initium hoc orationi dare; Omnipotens Domine, qui es in cælis; ſed Patris maluit, quàm Domini nomen in hoc orationis exordio collocare. Primò, quia filiali potiùs, quam ſeruili affectu vult obſecrari. Secundò quia nomen hoc Patris, amoris eſt pleniſſimum; vult autem Dominus nos amoris pleniſſimo corde orare. Hoc nomine, *Pater* (ait Auguſtinus lib. 2. de ſermo. Domini cap. 8.) caritas excitatur. Quid enim carius filiis debet eſſe quàm Pater? &c. Tertiò, quia patris nomine fiducia, ſpéſque impetrandi incenditur. Excitatur, inquit Auguſtinus, hoc nomine quædam impetrandi, quæ petituri ſumus, præſumptio. Cùm priuſquam aliquid peteremus, tam magnum donum accepimus, vt ſinamus dicere Deo: *Pater noſter*. Quid enim iam non det filiis petentibus, cùm hoc ante dederit, vt filij eſſent? &c. Diuus Bernard. ſerm. 15. in Cant. Vbi, inquit, illud, quod apud antiquos tam terribiliter, quàm frequenter intonare ſolebat: *Ego Dominus, Ego Dominus?* Mihi dictatur oratio, cuius principium nomine dulci paterno, ſequentium obtinendarum petitionum præbet fiduciam, &c. Quartò, quia nomen, *Patris*, nomen eſt ſtatus noui teſtamenti. Veteris enim teſtamenti ſtatus, vt diximus tom. 1. ſeruorum erat, noui verò teſtamenti ſtatus eſt filiorum. Indicatur igitur præcellentiſſimus hic ſtatus filiorum, cùm in nouo teſtamento Deum Patrem appellamus. Vtatur (inquit Auguſtinus lib. 2. de ſerm. cap. 9.) voce noui teſtamenti populus nouus, ad æternam hæreditatem vocatus, &c. Et cap. 8. Nuſquam, ait, inuenitur præceptum populo Iſraël, vt diceret, *Pater noſter*, vt oraret Patrem Deum; ſed Dominus eis inſinuatus eſt, tamquã ſeruientibus, id eſt, ſecũdum carnem viuẽtibus. Hoc autem dico, cùm mandata legis acciperent, quæ obſeruare iubebantur. Nam prophetæ ſæpe oſtendunt eumdem, Dominum Deum, etiam Patrem eorundem eſſe potuiſſe, ſi ab eius mandatis non aberrant. Hæc ille. Quintò: Patrem appellamus Deum, vt noſtræ dignitatis memores ſimus: patrique noſtro ſimiles eſſe enitamur. Nyſſenus Gregor. in libro de oratione: Cùm, inquit, præcepit Chriſtus vt patrem tuum Deum dicas: nihil aliud quam per diuinum vitæ inſtitutum te cæleſti Patri ſimilem fieri iubet; &c. Cyprianus: Meminiſſe, ait, debemus, quia quando Patrem Deum dicimus, quaſi filij Dei agere debemus. Vt quomodo nos nobis placemus de Deo Patre, ſic ſibi placeat ille de nobis, &c. Et Chryſologus ſermo. 68. Qui ſe Dei Filium credit; moribus tanto generi reſpondeat. Item, ſermon. 67. Dei Filium ille ſe probat, qui vitiis non obſcuratur humanis, diuinis virtutibus eluceſcit. &c. & ſerm. 71. Homo, inquit, quid commune cum terris tibi, qui

Deus nõ dat inane nomẽ Filij, ſed ſolidum.

Auguſt.

Cur Chriſtus initio orationis voluit nos Deũ appellare patrẽ.

Bernar.

Patris nomen eſt ſtatus noui teſtamenti.

Auguſt.

Greg. Nyſſ.

Cyprian.

Chryſol. Patri Deo quantum ſimiles eſſe debeamus.

confiteris tibi genus esse de cælis? Ergo cælestem A
vitam mostra in habitatione terrena. Quia si quid
in te gesserit terrena cogitatio, cælo maculam, cæ-
lesti generi iniuriam intulisti, &c.' Augustinus de
Augus. sermone Domini ca.8. Quanta cura animum tan-
git, vt qui dicit, *Pater noster*, tanto Patre non sit
indignus. Si enim plebeius senatorem patrem vo-
care permittatur, trepidabit cogitans humilitatem
generis sui,& opum indigentiam,& plebeiæ perso-
næ vilitatem. Quantò ergo magis trepidādum est,
appellare Patrem Deum, si tantæ sunt labes, tan-
tæque sordes in moribus; vt multò iustius eas à sua
coniunctione Deus appellat, quàm ille senator
cuiusuis mendici egestatem,&c. Sextò appellamus
Patrem Deum; vt eximium beneficium cælestis B
adoptionis in memoriam reuocemus. Theophy-
lactus: Dicens, *Pater*, ostendit tibi quanta bona sis
assecutus, factus filius Dei, &c. & Chrysostomus:
Auditorem, inquit, cuiuslibet, beneficij inter prin-
cipia ista commonuit Christus: qui enim Patrem
Quæ & qualia bona à Deo nomine Patris designantur fuisse nobis collata. Deum appellauit, & veniam peccatorum, & pœ-
narum interitum, & iustificationem, & sanctifica-
tionem, & liberationem, & filiorum adoptionem,
& hæreditatem Dei,& fraternitatem cum vnigeni-
to copulatam, & sancti Spiritus dona largissima,
vno sermone confessus est. Duplici igitur modo
Pater sumitur essentialiter, in oratione dominica, nō solum personaliter. eorum animos accendit, ex eius scilicet quem pa-
trem nominant diuinitate, & magnitudine bene-
ficiorum, quibus ipso donante potiuntur. Hęc ille. C

Aduerte autem Patrem hoc loco non esse no-
men singulare Patri, sed commune Trinitatis, Pa-
tris, Filij,& Spiritus sancti. Est enim Trinitas Deus
Pater noster. Cyprianus supra citatus personali-
ter accepit.

NOSTER. Latissima est caritas, omnes suo
complectitur sinu, & pro omnibus precatur.
Docet Christus (ait Chrysostom. hom. 20.) gene-
ralem orationem facere pro fratribus. Non enim
dicit, *Pater meus*: sed, *noster*, vt vbique non tam pro-
pria commoda, quàm proximorum petas, &c. Et
Cur dicamus Noster, non Meus. Cyprianus; Publica est nobis, & communis oratio.
Deus Pater & concordiæ magister, qui docuit vni-
tatem, sic orare vnum voluit pro omnibus, quo- D
modo in vno omnes ipse portauit, &c. Prætereà:
Pater noster, dicimus, vt intelligamus nos omnes
fratres esse, vnius filios patris, vnius, & eiusdem,
cælestisque nobilitatis. Admonentur (ait Augusti-
Augus. nus. lib. 2. de serm. Domini, cap. 8.) hîc diuites &
nobiles non superbire aduersus pauperes, & igno-
biles. Quoniam simul dicūt Deo, *Pater noster*, &c. Et
Theophylactus; Nō dicit, *Pater meus*, sed, *Pater noster*.
Vt omnes quasi fratres vnius patris habeas, &c.
Chrysostomus. hom. 20. Cunctis vnam, eamdemq;
donauit nobilitatem Deus, cùm dignatus est om-
Pater mi dicere propriū Christi est. nium ex æquo Pater vocari, &c. Adde, dicere; *Pater
mi*; proprium esse Christi, qui Filius vnicus ac na-
turalis est. Adoptiuorū verò est dicere, *Pater noster*,
quia plures sunt. D. Thomas Matth. 6. Non dicit; E
Pater meus, quia Christus voluit seruare, quod sibi
proprium est. Qui quadam singularitate est filius
Dei. Vnde Ioannis 20. ait, *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum*. Quia aliter meus, aliter vester. sic
D. Thom. Glossa itē ordinaria; Dicitur, *Pater noster*,
quod commune est omnibus, nō Pater meus, quod
soli Christo conuenit, qui est filius per naturam,
&c. Rupertus Matth. 6. Vnus est Filius primogeni-
tus, & vnigenitus, nō, vt nos, gratię, sed solus natu-
ræ filius, cui cōuenit dicere, *pater mi*. Et Pater no-
ster nusquam legitur dixisse, quia dissimiliter illi,
& nobis Deus Pater est. Illum genuit, nos adopta-
uit, &c. Matt. 26. patrem sic alloquitur, *Pater mi, si non
potest calix hic transire*, &c.

QVI *es in cælis*. Augustinus sic interpretatur. *Qui es in cælis*, id est Sanctis. Sunt enim Sancti cæli quidam à terra mente elati. Et (vt ille ait) tantum inter peccatores, & iustos interesse videtur spiritaliter, quantum inter cęlum, & terram interest corporaliter. Similis est interpretatio Cyrilli Hierosolymitani catech. 5. mystagogica, quæ est interpretatio mystica. Literali sensu dicitur Deus in cælis esse, & Matth. 5. Cælum dicitur Dei thronus, quoniam cælum nobilissimus mundi locus est, in quo Deus tam Angelis, quàm hominibus se ipsum ostendit, & veluti Rex curiam habet. D. Bernardus in Psal. 90. concione 1. Licet, inquit, Deus vbique esse non dubitetur, sic tamen in cælo est, vt ad eius comparationem neque esse videatur in terris. Propter quod & orantes dicimus; *Pater noster qui es in cælis*. Sicut enim anima cùm in toto quoque sit corpore, excellentius tamen, & singularius est in capite, in quo sunt omnes sensus. Ita si præsentiam illius cogitemus, qua beati Angeli perfruuntur, videri possumus vix aliquam protectionem, & nomen habere, &c.

Matth. 6. Sancti cæli sunt.

Cur dicatur Deus qui vbique est, in cælis esse. Matth. 6.

Hæc verba mentem orantis à terra tollunt, & in cælum sustollunt. Vnde Chrysostomus homil. 20. Cùm, inquit, Deum dicit esse in cælis, non ibi eum hoc dicendo concludit, sed à terris abducit orantem, eúmque supernis habitaculis, ac regionibus affigit excelsis, &c. Theophylactus; Cùm Christus ait: *Pater noster qui es in cælis*; Ostēdit tibi patriam tuam, & domum paternam, &c. Bernardus in serm. de Aquæ ductu, Fidelis, inquit, oratio, scilicet dominica, cuius ipsa primordia, & diuinæ adoptionis, & terrenæ peregrinationis admoneant. Vt hoc scientes quòd quamdiu non sumus in cælis peregrinamur à Domino, gemamus intra nosmetipsos adoptionem filiorum expectantes, præsentiam vtique Patris, &c. Infigendus ergo est cælo animus, dùm oramus, à terrenis cogitationibus abducendus, vt docet diuus Cyprianus libr. indicato. Cogitatio, ait, omnis carnalis, & sæcularis abscedat. Nec quidquam in oratione animus, quàm id solùm cogitet, quod precatur. Claudatur contra aduersarium pectus, & soli Deo pateat. Quæ autem segnitia est, capi ineptis cogitationibus cùm Dominum deprecaris, quasi sit aliud, quod magis debeas cogitare, quàm quod cū Deo loqueris? Quomodo te audiri à Deo postulas, cùm te ipse non audias? &c. Item: Ideo, ait Cyprianus, sacerdos ante orationem præmissa, parat fratrum mentes dicendo; *Sursum corda*: Vt dum respondet plebs, *Habemus ad Dominum*; admoneatur nihil aliud, quàm Dominum cogitare debere, &c. Diuus Bernardus in sermon. de 4. modis orandi; Omnino, inquit, oportet nos orationis tempore curiam intrare cælestem. Illam vtique curiam, in qua Rex regum stellato sedet solio, circundante innumerabili & ineffabili beatorum spirituum exercitu. Quanta ergo cum reuerentia, quanto timore, quanta illuc humilitate accedere debet, à palude sua procedens & repens ranula vilis? In cunctis actionibus nostris, magna opus est animi vigilantia, sed præcipuè in oratione. Licet enim semper videamur, sed tunc etiam præsentamus, & ostendimus nos quasi facie ad faciem cum Deo loquentes. Porrò quamuis vbique sit Deus, in cælo tamen orandus est, ibique orationis tempore cogitandus. Vt mens nostra non oratorij tecto, non aëris spatio, non ipsa retardetur nubium densitate; iuxta eam formam, quæ nobis à Christo tradita est, vbi ait sic orabitis: *Pater noster qui es in cælis*. Cælum enim quadam prærogatiua etiam sedes, siue thronus Dei vocatur. Quia ad eam comparationem

Chrysost. *Theoph.* *Bernar.* *Oratio attenta. Cyprian.* *In orationis summa opus est vigilantia.* *Bernar.*

qua

qua Deum in cælis Angeli,& electorum animæ vident, nos peregrini super terram, vix solùm nomen habere videmur. Hæc D. Bernardus.

Matth. 6. Filij Dei est Patris desiderare gloriam.

SANCTIFICETVR *nomen tuum.* Septem sunt, vt diximus, in hac oratione petitiones. Prima hæc est, meritò prima, quoniã ante omnia, optanda & quærenda à nobis est Dei gloria, quæ hac petitione continetur. *Sanctificetur nomen tuum*: hoc est, glorificetur. D. Chrysostomus homilia 20. in Matth. Digna, inquit, prorsus oratio eo, qui Deum Patrem appellauit, nihil omnino prius, quàm pro illius gloria supplicare. Omnia verò reliqua secundo loco ducere, infráque laudes eius numerare. *Sanctificetur*, quippe est, *glorificetur*, &c. Tunc sanctificatur nomen Domini, cùm ab hominibus, vt sanctissimum colitur & honoratur. D. Chrysostomus in hunc sensum exponit; Glorificetur nomen tuum in nobis, in moribus, & vita nostra; iuxta illud suprà dictum: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.* Rogare, inquit, orantem iubet Dominus, vt per vitam nostram glorificetur. hoc perfectæ philosophiæ est, tam irreprehensibilem exhibere vitam, vt eam singuli quique mirantes, Dominum de seruorum sanctitate collaudent, &c.

In nobis nomẽ Dei glorificandum vita sãcta.

Matth. 5.

Matth. 6.

Theophylactus quoque sic interpretatur; *Sanctificetur nomen tuum*; facito nos sanctos, vt tu per nos glorificeris. Sicut enim blasphematur propter me, ita & sanctificatur propter me Deus, &c. Cyprianus; *Sanctificetur nomen tuum*, in nobis, vt in sanctitate baptismi perseueremus, &c. Nyssenus Gregor. Sanctificetur in nobis nomen tuum per vitam sanctissimam, & bona opera, &c.

Latiùs protenditur petitio. Petimus glorificari Dei nomen non in nobis solùm Christianis per vitam moréque Christianis dignos, verùm in toto etiam orbe, coram ethnicis, Mahometanis, atque Iudæis. D. Augustinus epistola 121. de orando Deo, capite 11. cùm dicitur: *Sanctificetur nomen tuum*, nos ipsos admonemus desiderare, vt nomen Dei, quod semper sanctum est, etiam apud homines sanctum habeatur. hoc est, non cõtemnatur, quod non Deo, sed hominibus prodest, &c. Et capite 12. Qui dicit, clarificare in omnibus gentibus, sicut clarificatus es in nobis, quid aliud dicit, quàm, *Sanctificetur nomen tuum*, &c. Petimus itaque sanctificari nomen Dei toto orbe. Et quia per conuersionem gentium, & populorum maximè sanctificatur, idipsum etiam petimus, vt ab omnibus populis, & agnoscatur, & vera, Christianáque religione colatur. Hoc opus Dei est. Nisi enim ipse populos conuertat, frustra nos laborabimus. Ideo meritò ab eo postulatur.

Augusti.

Matth. 6. Regnũ Dei quid signi-ficet.

ADVENIAT *regnum tuum.* Regnum Dei quatuor modis sumitur. Primò, regnum Dei significat imperium Dei in totum orbem, omnésque creaturas, quibus amplissimè ac potentissimè dominatur. Secundo, significat regnum cæleste ac beatum. Tertio, regnum terrestre Dei in hominibus per gratiam. Quarto, regnum Dei perfectissimum, quo omnibus hostibus æterno tartari carcere conclusis, omnibus amicis in cælum receptis, omnibúsque regibus à terra sublatis, Deus solus in sempiternum in fine sæculi regnabit. Primo modo perspicuum est non sumi regnum hoc loco, ceteri tres modi tres sensus pariunt.

Primus est de cælesti regno: *Adueniat nobis regnum tuum* cæleste, id est, cælestis beatitudo. Sic Cyprianus & D. Thomas. Secundus sensus est, de terrestri regno per gratiam; *Adueniat regnum tuum*, in nos, quo in terra in hominibus iustis regnas, regna in nobis per gratiam, non regnet diabolus, non regnent vitia affectúsque praui. Sic Nyssenus. Et D. Hieronymus; Petit, inquit, vt in vno quoque regnet Deus. Et non regnet peccatum in mortali hominum corpore, &c.

Tertius de regno Dei perfectissimo, quo omnibus hostibus sub iugum missis, & æterno carcere conclusis, omnibus amicis gloria summa affectis, summa in pace post iudicium regnabit. Nũc enim etsi regnat, tamen multi hostes rebelles sunt, *Aduenìat regnum tuum*, quo omnibus subiugatis hostibus, cum Beatis in sempiternum nemine iam resistente regnabis. Hic sensus videtur omnibus præcellere. Eum sequitur Theophylactus, Euthymius, Rupertus, Ianssenius, Maldonatus, & Augustinus lib. 2. de sermone Domini cap. 10. *Adueniat*, inquit, *regnum tuum*, id est, manifestetur hominibus. Nulli autem licebit ignorare regnum Dei, cùm eius Vnigenitus visibiliter de cælo venerit, iudicaturus viuos & mortuos, &c Petimus ergo hac secunda petitione id, quod desiderare debemus, & expectare, iuxta illud diui Pauli: *Apparuit gratia Saluatoris nostri, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & secularia desideria, sobriè, iustè & piè, viuamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi*, &c. Hoc ipsum Paulus vehementi desiderio expectabat. *Ipsi intra nos geminus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri.* Eodem cap. ait omnes creaturas idem expectare, per quamdam prosopœiam. *Expectatio* (ait) *creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat*, id est, tempus iudicij, cùm apparebit filiorum Dei gloria maxima. Petimus honorem gloriámque Dei coram toto orbe maximam; simulque petimus cælestem, perfectámque animi & corporis beatitudinem nobis aduenire. Aduenìet enim tunc perfectè, etiam corporibus. Nunc iustorum beantur animi, in fine sæculi etiam corporibus sua continget æterna beatitudo, cùm perfecta illa salus apparebit, de qua D. Petrus ait: *In virtute Dei custodimini per fidem, in salutem paratam reuelari in tempore nouissimo*, &c. Hæc sunt iusti hominis desideria, qui non inanes honores, punctóque temporis pereuntes, sed æternos ille concupiscit. Qui renuntiauit sæculo (ait D. Cyprianus) maior est & honoribus eius & regno. Et ideo qui se Deo dedicat, non terrena, sed cælestia regna desiderat, &c. Et Chrysostomus homil. 20. Hoc gratissimi serui est, neque inhærere præsentibus, neque magnum aliquid, quæ videntur putare, sed ad Patrem semper vrgeri, sempérq; in futura gestire. Quod certè de optima oritur conscientia, & mente terrenis omnibus rebus exuta, &c.

Omnis creatura regnũ Dei expectare dicitur.

Honores deserendi.

FIAT *voluntas tua*, &c. Hanc tertiam petitionem, vt alios omittam, explicat Augustinus lib. 1. de ser. Domini, ca. 11. hunc in modum: *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*, hoc est, Obediatur præceptis tuis sicut ab Angelis qui sunt in cælo, ita ab hominibus qui sunt in terra, & Hieronymus Matth. 6. *Fiat voluntas tua*, &c. hoc est, Quomodo Angeli tibi inculpatè seruiunt in cælis; ita in terris seruiant homines, &c. Hæc est germana interpretatio.

Matth. 6.

Alias adiungit August. quæ litterales non sunt. Prima est, *Fiat voluntas tua sicut in cælo*, hoc est, sicut in iustis, qui cælo similes sunt; *ita in terra*, id est, in peccatoribus, qui terræ similitudinem gerunt. Secunda, *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*, hoc est, sicut in spiritu, ita in carne. Tertia est, *Fiat volũtas tua sicut in cælo*, id est, in Christo; ita *& in terra*, id est, in Ecclesia. D. etiam Cypriani sensus ille est: *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*, id est, sicut in spiritu, ita & in corpore. Cùm corpus, inquit, è terra, & spiritum possideamus è cælo, ipsi terra & cælum sumus. Et in vtroque, vt Dei voluntas fiat, oramus, &c.

Cælum & terra nos quodã modo sumus.

Hac

Augusti. Hac petitione, vt Augustinus ait epist. 121. ad Probam, obedientiam postulamus, & obedientiam quidem perfectam atque euangelicam. Videlicet, vt in terra degentes, Angelorum Sanctorúmque imitemur obedientiam, qui incolunt cælũ. Chrysostomus homilia 20. Antequam superna præstetur habitatio, cælum quodammodo fieri iussit Dominus è terra. Vt scilicet tales sint homines etiam dum in ea degunt, ita & omnia faciant & loquantur, quasi qui prorsus conuersentur in cælo, &c.

Matth. 6. Meritò hæc petitio illam sequitur; *Adueniat regnum tuum.* Quoniam, vt adueniat Dei regnum in nos, necesse est, vt voluntatem eius faciamus, eiusque præceptis perfectam obedientiam præstemus; iuxta illud Domini: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Semper autem Dei voluntas fit, siue permissiua, qua peccata permittit, siue complacentiæ. hoc loco sermo est de voluntate complacentiæ, siue beneplaciti. hæc in cælo impletur, eamdem petimus impleri in terra.

Matth. 19. *Semper Dei volũtas fit.*

Matth. 6. PANEM *nostrum quotidianum.* Hæc est petitio quarta. Panis nomine etiam reliquos cibos Scriptura significat. *Præcepit Saul, ne quis panem comederet vsque ad vesperam;* quod præceptum eodem capite dicitur fregisse ignorãs Ionathas, cùm tamen non edisset panem, sed mel. ait Eliseus Regi; *Pone panem coram eis;* & additur; *Apposita est eis ciborum magna præparatio.* Marc. *Non lauant manus cùm panem manducant,* id est, cùm cibum sumunt. Significat ergo panis hoc loco cibum, quemadmodum Hebræum nomen לחם lechem, à verbo לחם lacham, id est, comedere; corporis cibum à Deo petimus. Nisi enim ille dederit, peribimus. Vnde illud: *Omnia à te expectant, vt des illis escam in tempore. dante te illis colligent, aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Auertente autem te faciem turbabuntur, auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur,* &c. Chrysostomus non propter diuitias atque delicias, non ob pretiosæ vestis ornatum, sed pro cibo dumtaxat quotidiano iussit orare, &c. Idem sentit Augustinus epist. 121. Nyssenus Gregorius, Euthymius, & alij.

1. Reg. 14. *4. Reg. 6.* *Marc. 15.* *Panis significat cibos etiam reliquos.* *Corporis cibus à Deo.* *Psal. 103.*

An petatur hic cibus corporis an animi? Caietano videtur, non peti hac petitione cibum corporis, sed animæ, verbum diuinum, sacramenta, & quidquid animam alit ac vetegat. Nam de cibo corporis, infra prohibet Dominus nos esse solicitos. *Ne soliciti sitis animæ vestræ quid mãducetis.* Item; *Nolite soliti esse in crastinum,* &c. Ergo non iubet quotidie cibum petere. Qui enim quotidie petit, de re solicitus est, quam toties petit. D. etiam Hieronymus in Comment. epist. ad Titum, cap. 2. Absit, inquit, vt nos qui in crastinum cogitare prohibemur de pane isto, qui post paululùm concoquendus, & abiiciendus est in secessum, in prece Dominica rogare iubeamur, &c. Existimamus nihilominùs cibum peti corporis. Neque enim Christus hac solicitudine postulandi à Deo panem vult nos carere, quæ non separat à Deo, sed cum Deo per preces nos coniungit. An petatur simul cibus animi, mox dicemus.

Hieron.

Petimus autem cibum, vel panem quotidianum. Græcè tam apud Matth. cap. 6. quàm apud Lucam, cap. 11. dicitur. ἄρτος ἐπιούσιος. Interpres in Matthæo vertit, *panem supersubstantialem,* in Luca vertit, *panem nostrum quotidianum.* D. Ambrosius libro 5. de Sacramentis cap. 4. vertit; *Aduenientem panem.* Hunc, inquit, panem Latinus dixit, *quotidianũ,* quem Græci dicunt aduenientem, quia Græci dicunt, ἐπιοῦσαν ἡμέραν, aduenientem diem, &c. ἐπιοῦσα verò verbi, ἔπειμι, participium est, scilicet, ὤν, ὄντος, ἐπιοῦσα. significat autem verbum ἔπειμι, accedo, aduenio, ἐπιοῦσα ἡμέρα, diem sequentem. Act. 7. D. Hieronymus Matth. 6. ait in Euangelio, quod appellatur secũdum Hebræos dici panem, מחר, machar, id est, crastinum. In Bibliis regiis vertitur Matth. 6. Panis postpræsens, Luc. 11. Panis adpræsens. παρουσία, significat aduentum & præsentiam, idem, ἐπουσία significare poterit, vnde ἐπιούσιος panem significabit aduenientem, siue adpræsentem, id est, quotidianum, hodiernum. Dicitur autem panis quotidianus, quoniam quotidie nobis est necessarius. Vnde Syriacũ Euangelium habet; דסונקנן לחמא lachema desunekanan, id est, *Panem indigentiæ nostræ* da nobis, id est, panem quo quotidie indigemus.

Dies ἐπιοῦσα quæ propriè sit. *Hieron.*

Alio modo deriuatur dictio; ἐπιούσιος, ab οὐσία, id est, substantia: ideo vertit interpres apud Matth. *Panem nostrum supersubstantialem da nobis.* Potest etiam verti; *Panem adsubstantialem,* hoc est, panem nostræ substantiæ necessarium & congruentem, vel panem ad nostri corporis substantiam pertinentem da nobis. Sic diuus Basilius in regulis breuioribus quæst. 252. panem, ἐπιούσιον, ait panem dici ad quotidianam vitam substãtiæ nostræ vtilem, & Suidas: ἐπιούσιος, inquit, panis est naturæ nostræ cõgruens. Theophylactus eodem modo ἐπούσιον panem interpretatur panem substantiæ, & constitutioni nostræ sufficientem. Similiter Euthymius.

Panis supersubstantialis.

Sed ambigitur, quomodo possit panis corporeus supersubstantialis appellari? Nam supersubstantiale id dicitur, quod super substantias est, eásque superat; at corporeus panis substantias reliquas minime superat. Recentioris interpretis cuiusdam hoc loco hæc sunt verba: Quidam nostro tempore in vulgata editione pro quotidiano, *supersubstantialem,* posuerunt quod corporis cibo minimè conuenit, &c. Sed in vulgata dictione apud Matthæum, legendum esse, *supersubstantialem,* constat ex emendata editione. Conuenire autem corporis cibo hanc editionem posse existimo. Dici enim potest supersubstantialis, quia super substãtiam nostram aduenit, & adiicitur: nisi enim super substantiam corporis nostri assumatur, peribimus. Adde posse dici supersubstantialem, quoniam superat reliquas substantias corporeas hac in re, quòd vitam conseruat humanam. Ad conseruandam igitur vitam panis supersubstantialis est, alias substantias corporeas ad hanc vnam rem superans. Quid enim aurum, argentum, reliquáque huiusmodi, absque cibo, ad vitam traducendum vtilitatis habent?

Panis corporeus quomodo possit supersubstantialis appellari.

Fortè probabilius est, nos hac petitione, non panem solùm corporis, sed præcipue animi postulare, hoc sensu; Panem nostrum, tum animi, tum corporis quo quotidie indigemus, da nobis hodie. Apud Lucam ergo dicitur, *Panis quotidianus,* quia vterque panis nobis est necessarius quotidie, tam corporis, quàm animi. Apud Matthæum fit mentio tantum modò panis quo animus alitur. atque hunc panem spectasse interpretem reor, cùm *supersubstantialem* vertit. Etenim panis animi maximè est augustissima Eucharistia, panis verè supersubstantialis, id est, omnibus substantiis longè præcellens. Hunc ergo præcipuè indicat nomen *supersubstantialis.*

Panis supersubstantialis panẽ significat animi.

Gratia & verbum Dei sunt panis supersubstantialis.

Significare etiam potest, verbum Dei, gratiam, & reliqua omnia, quibus animus pascitur. Nam animi panis, id est, cibus, supersubstãtialis est, quoniam terrenas substantias & opes superat. Non displicet Augustino simul postulari vtrumque panem, sic enim scribit lib. 2. de serm. Domini cap. 7. Si quis etiam illa, quæ de victu corporis necessario, vel Sacramento Dominici corporis, istam sententiam vult accipere; oportet vt coniunctè accipiantur omnia tria. Vt scilicet quotidianum panem

Augusti.

simul

ſimul petamus, & neceſſarium corporis, & Sacramentum viſibile & inuiſibile verbi Dei, &c. *Hieron.* Hieronymus in Matthęum, ἐπιούσιον & περιούσιον, idem eſſe vult, id eſt, peculiarem vel præcipuum panem. Et in Comment. epiſt. ad Tit. cap. 2. Non multum, inquit, differt inter ἐπιούσιον & περιούσιον. Præpoſitio enim tantummodo eſt mutata, non verbum, &c. περιούσιον, autem docet ſignificare egregium, præcipuum, peculiarem. Sic verò petitionem interpretatur Matth. 6. Quando, inquit, petimus, vt peculiarem, vel præcipuum nobis Deus tribuat panem, illum petimus, qui dicit apud Ioan. *Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi*, &c. *Ioan. 6.* Addit; Poſſumus ſuperſubſtãtialem panem & aliter intelligere, qui ſuper omnes ſubſtantias ſit, & vniuerſas ſuperet creaturas, &c. Lege eumdem in Com. epiſt. ad Tit. cap. 2. ἐπιούσιον, inquit, panem, id eſt præcipuum, egregium, peculiarem. Eum videlicet qui de cælo deſcendens ait vt ſupra. *Ego ſum panis, qui de cælo deſcendi*, &c. Adiicit. Quidam, ἐπιούσιον, exiſtimant oratione dominica panem dictũ, quòd ſuper omnes οὐσίας ſit, hoc eſt, ſuper vniuerſas ſubſtantias, & lib. 3. aduerſus Luciferianos; Panem, inquit, quotidianum ſiue ſuper omnes ſubſtantias venturum, Apoſtoli deprecantur, vt digni ſint aſſumptione corporis Chriſti, &c. D. Cyprianus & Chryſologus ſer. 70. & 68. de Euchariſtia interpretãtur. Et D. Ambroſius lib. 5. de ſacram. c. 4. Panem (inquit) dixit, ſed ἐπιούσιον dixit, hoc eſt, ſuperſubſtantialem. Non iſte panis eſt, qui vadit in corpus, ſed ille panis vitæ æternæ, qui animæ noſtræ ſubſtantiam fulcit. Latinus *quotidianum* dixit. Si quotidianus eſt panis, cur poſt annũ illum ſumis? Accipe quotidie, quod quotidie proſit. Sic viue, vt quotidie merearis accipere, &c. Lege Aug. loco citato.

De Euchariſtia ſacroſancta, qui locum hunc interpretentur.

Nos tam de pane animum nutriente, quàm de cibo corpus reficiente intelligimus. Ample enim verbum Domini, qui eodem verbo multa intelligebat intelligimus. De verbis enim diuinis aliter quàm de humanis ſentiendum. Humanis inſit ſenſus vnus, diuinis multiplex. Eſſe autem petitionem de vtroque pane intelligendam probatur, quia veriſimile eſt Chriſtum, bona cæleſtia, gratiam, virtutes, ceteraque dona, quæ animi cibus ſunt, non ſolùm corporeum panem poſtulare docuiſſe.

Matth. 6. Quomodo diuites petere poſſint panes in hodiernũ diem cùm iam habeant.

DA *nobis hodie*. Dubium exiſtit, quonam pacto verba hæc diuitibus, & iis qui paratos iam habent in totum annum cibos conueniant. Nemo enim petit, quod habet. huiuſmodi homines paratum habent panem; non poſſunt igitur Deo dicere; *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* D. Auguſt. particulam, *hodie*, exiſtimat ſignificare temporariam hanc vitam lib. 2. de ſer. Domini, c. 7. *Da nobis hodie*, inquit, dictum eſt, quamdiu dicitur hodie, id eſt, in hac temporali vita. Vt dictum eſt, *Hodie ſi vocem eius audieritis*. quod interpretatur Apoſtolus, *Quamdiu dicitur hodie*; ita & hic accipiendũ eſt; *Da nobis hodie*. Sic ille. Iuxta hanc interpretationem reſpondetur dubitationi, diuites, & eos qui paratum iam habent panem, poſtulare, vt illis in temporali hac vita panis non deſit. Poſſunt enim habere aliquo tempore Deo dante, ſi non dederit, alio tempore carebunt. Præterea panis etiam paratus à Deo datur, & conſeruatur ſemper. meritò igitur ſemper petitur panis, qui ſemper datur. Niſi enim Deus omnipotenti manu ſua hodie panem diuiti dederit, panem non habebit. Auguſtin. epiſt. 121. ad Probam, cap. 7. Iſta, inquit, cùm habentur, vt teneantur, cùm autem non habẽtur, vt habeantur, orandum eſt, &c. Præterea non ſibi ſoli petit diues, ſed etiam pauperibus, qui horreo carent, idcircò dicit; Panem noſtrũ da nobis indigentibus hodie.

Hodie ſignificat temporariã vitã.

Pſal. 94. Hebr. 3.

Denique cibus iam præparatus, & domi concluſus, non diuitis eſt, ſed Dei, ideóque meritò diues, qui domum cibis refertam habet precatur; *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*; hodie enim illi dat Deus panem. *Matth. 6.*

Ad id repugnare videtur, quòd panem appellamus noſtrũ. Si noſter eſt, non eſt Dei. Inficias imus. Dei eſt. Si verò noſter eſt, propterea eſt, quia à Deo datur. hoc loco dictio, *Noſtrum*, non ſignificat panis nos eſſe dominos, ſed ſignificat pane nobis neceſſarium hoc ſenſu; *Panem noſtrum quotidianum*, id eſt, nobis neceſſarium quotidie, da nobis. Vel, *panem noſtrum*, quem nobis dare ſoles, panem naturæ noſtræ conuenientẽ. Vel, *panem noſtrum*, id eſt, panem, quo vtimur; vel panem, qui poſtquam illum nobis donas, noſter eſt, ſemper tamẽ tuus permanet. Euthymius explicat; *Panem noſtrum quotidianum*, id eſt, panem propter nos formatum. Nam propter homines Deus cibos condidit. Auctor imperf. *panem noſtrum* interpretatur, id eſt, communẽ etiam aliis. Quoniam, inquit, omnia, quæ dat nobis Deus, non nobis ſolis dat, ſed etiã aliis per nos, vt de eo, quod accepimus à Deo, partẽ impotẽtibus faciamus, &c.

Quomodo panis dicatur noſter.

Præterea petimus panem in hodiernum diem tantùm, quia ignoramus, an ſequenti die victuri ſimus. Chryſoſt. hom. 20. Da nobis hodie, inquit, vt nequaquã illos vlterioris diei cura contereret. Cuius enim diei ſpatio vſurum eſſe te neſcit, quam ob cauſam illius ſollicitudine torqueris? Hoc etiam in conſequentibus imperauit. *Nolite ſolliciti eſſe in craſtinum.* Volens etiam nos vndique accinctos eſſe, & quibuſdam veluti pennis fidei inſtructos, ſemper ad cæleſtia ſubuolare, nec ampliùs indulgere naturæ, quã à nobis ipſe neceſſitatis vſus expoſcit, &c.

Cur nobis hodie panẽ petimus. Chryſoſt.

Auctor imperfecti hæc verba propter dubium propoſitum aliter exponit, in hanc ſententiam; *Panem noſtrum da nobis hodie*, hoc eſt, manu tua hodie panem accipiamus, etiam paratũ, non manu dæmonis. Is enim ex manu Dei panem accipit, qui cum iuſtitia illum comparat. Ille ex manu dæmonis ſumit, qui per rapinam & iniuſtitiam conſequitur. Si libet verba ipſius audiamus. Sic rogat; Qui in craſtinum paratum habet panem, aut in quinque, aut in decem dies, quomodo poteſt dicere; *Panem meum quotidianum da mihi hodie?* Deinde poſt pauca reſpondet; ita intelligendum eſt; quia non ideo ſolũ oramus: panem noſtrum da nobis hodie; vt habeamus quod manducemus. ſed vt quod manducamus de manu Dei accipiamus. Nam habere ad manducandum, commune eſt inter iuſtos & peccatores. Frequenter autem, & abundãtiùs peccatores habent, quàm iuſti. De manu autem Dei accipere panem non eſt commune, ſed tantùm Sanctorum. Præparare ergo non vetant hæc verba, tamẽ cum peccato præparare vetant. Nam qui cum iuſtitia præparat, illi Deus dat panem, quem manducat. Qui autem cum peccato præparat, illi non dat Deus, ſed diabolus. Sic ille. Sed ſuperior ſenſus eſt ſequẽdus.

Auct. Imp.

De manu Dei panis quomodo accipiatur, vel de manu dæmonis

DIMITTE *nobis debita noſtra*. Quinta hac petitione delicta nobis remitti petimus, quæ debita appellantur, quia Deo debitores nos conſtituunt. Peccatum (ait Euthymius) obnoxium reddit hominem, ſicut æs alienum, &c. Tertullianus in libro de oratione, cap. 7. Debitum, ait, in Scripturis delicti figura eſt, quòd perinde iudicio debeatur, & ab eo exigatur, nec euadat iuſtitiam exactionis, niſi donetur exactio, ſicut illi ſeruo Matthæi 18. Dominus debitum dimiſit, &c. D. Ambroſius libro 5. de Sacramentis, c. 4. Improbos etiam diaboli debitores eſſe ait; Qui eras, inquit, liber in Chriſto, debitor factus es diaboli, &c. Peccata veluti pecuniam diabolus homini fœneratur, pro fœnore miſer

Matth. 6.

Tertul.

Diabolus homini peccata fœneratur.

miſer homo æternas ſoluit pœnas. Ab iis vſuris liberat nos Chriſtus, vt eſt in Pſal. *Ex vſuris & iniquitate redimet animas eorum.* Quæ ſunt iſtæ vſuræ (ait diuus Auguſtinus in comment.) niſi peccata, quæ etiam debita nominantur? &c. Petimus ergo ab iis debitis liberari. *Pſal. 71.*

Omnes enim ſaltem peccatorum venialium debitis obſtringimur, ideóque remiſſionem petimus. Hieronymum lege lib. 3. aduerſus Pelagianos, quod Dominicam orationem Pelagianis obiicit, & Auguſtinum lib. 2. contra epiſtolam Parmeniani, c. 10. *Dimitte*, inquit, *nobis debita noſtra*; de iis dicitur peccatis, quæ quotidie de ſæculi amariſſimis fructibus, humanæ vitæ infirmitas contrahit. Quibus curandis adhibentur medicamenta eleemoſynarum, ieiuniorum, & orationum, &c. & libro 3. contra duas epiſtolas Pelagianorum, cap. 5. Quid, inquit, ſanctius Apoſtolis? & tamen præcepit eis Dominus in oratione dicere; *Dimitte nobis debita noſtra*, &c. Lege item librum 3. de peccat. merit. & remiſſ. in fine, & homiliam 42. in qua orationem Dominicam interpretatur. Et inter alia: Quis, ait, hîc viuit in carne, & non habet debita? Quis eſt homo ſic viuens, vt ei non ſit iſta oratio neceſſaria? hoc Chriſtus docuit orare Diſcipulos ſuos, arietes illos magnos, primos Apoſtolos ſuos, arietes noſtros. Si ergo pro peccatis ſuis dimittendis arietes orant, agni quid debent facere? &c. Aduerte tamen Apoſtolos poſt Spiritus ſancti aduentum in gratia fuiſſe confirmatos, ſolúmque aliquot venialia commiſiſſe delicta, de quibus eadem homilia Auguſtinus; Alia, inquit, ſunt illa magna crimina, quæ vobis bonũ eſt in Baptiſmo dimitti, & à quibus ſemper eſſe alieni debetis; alia quotidiana peccata, ſine quibus homo viuere non poteſt, propter quæ neceſſaria quotidiana oratio, &c.

Peccata venialia omnes committimus. Auguſt. *Matth. 6.* *Peccata mortalia quædã, alia venialia.*

SICVT *& nos dimittimus debitoribus noſtris.* Obſerua quàm ſit Dominus caritatis fraternæ cupidus. Non ſatis duxit tot verbis mutuam nobis beneuolentiam in hoc ſermone commendaſſe; ipſi etiam quotidianæ precationi iniuriarum inſeruit remiſſionem, ſicque precari iuſſit; *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Pactum nobiſcum init, ſi dimittimus fratribus debita, dimittet ille nobis; ſi non dimittimus, non dimittet. Par pari reddet. Auguſt. hom. 4. Induxit, ait, nobiſcum Deus pactum, & placitum, firmúmque chirographum, vt dicamus; *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Qui vult dicere efficaciter; *Demitte nobis debita noſtra*; oportet, quòd dicat veraciter; *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, &c. D. Cyprianus; Addidit Dominus legem, certa nos conditione & ſponſione conſtringens; vt ſic nobis dimitti debita poſtulemus, ſecundũ quod & ipſi dimittimus, ſcientes impetrare nos nõ poſſe, quod pro peccatis petimus, niſi & ipſi circa debitores noſtros paria fecerimus. Idcircò dicit: *In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.* Et: *Seruus, qui cõſeruo ſuo noluit dimittere, in carcerem relegatur.* Sic Cyprianus, D. Chryſ. A nobis tota hæc res ſumit exordiũ, futurúmq; de nobis in noſtra eſt poteſtate iudicium. Ipſum reum, dominum Chriſtus fecit eſſe ſententiæ. Quemadmodum, inquit, tu tibi iudicaueris, ita etiam tibi iudicabo. Si enim dimiſeris conſeruo tuo, à me quoque eamdem gratiam conſequeris, &c. Chryſologus ſerm. 71. Homo, tu tibi miſericordiæ factus es ipſe menſura. Quantùm quæris miſericordiæ, fac tantùm, &c.

Matth. 6. Deus fraternæ concordiæ cupidiſſimus. *Auguſt.* *Cyprian.* *Marci 4. Matth. 18. Chryſoſt.*

Deus hominum eſt exemplar, hac verò in re (ſi fas eſt ita loqui) vult hominem exemplar eſſe Dei. Siquidem ita loquitur Nyſſenus Gregorius: Ordo, inquit, quodammodo inuertitur, vt audeamus ſperare futurum, vt Deus noſtra facta imitetur. Vt dicas, quod ego feci, Domine fac; ſolui, ſolue; dimiſi, dimitte, &c. Et Theophylact. Habet, ait, me Deus, & exemplar, & quod facio alij, facit & mihi, &c. *Greg. Nyſſ.*

Nobiliſſimum Dei opus eſt remittere peccata, opúſque ſolius Dei. *Quis poteſt peccata dimittere, niſi ſolus Deus?* Hoc verò opus communicat nobis quodammodo, vt idem Nyſſenus Gregor. ait, Præſcribit, inquit, Dominus qualem eſſe velit eum, qui ad Deum acceſſurus ſit. Qui ipſi Deo per virtutem aſſimiletur, vt Deus eſſe videatur, dum faciat ea, quæ ſolius Dei eſt facere. Debitorum enim remiſſio proprium eſt Dei munus, &c. Proprium Dei munus eſt peccatorum remiſſio, in quo ille ſuam maximè omnipotentiam indicat; iuxta illud orationis Eccleſiaſticæ, Domin. 10. poſt Pent. *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miſerando manifeſtas*, &c. Homo quoque in eadem peccatorum remiſſione ſuam maximè oſtendat animi potentiam, ſuam nobilitatem ac generoſitatem. Is enim potens eſt animus, qui potenter iram vincit, iniuriáſque dimittit, is nobilis ac generoſus, qui debita condonat liberaliter. *Opus proprium Dei eſt dimittere peccata. Luca 5.* *Deus omnipotentiam parcendo manifeſtat, & homo animi potentiam.*

Hac de re præclarè Eccleſiaſticus: *Qui vindicari*, inquit, *vult, à Domino inueniet vindictam, & peccata illius ſeruans ſeruabit. Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata ſoluentur. Homo homini reſeruat iram, & à Deo quærit medelam? In hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam, & de peccatis ſuis deprecatur? Ipſe cùm caro ſit reſeruat iram, & propitiationem petit à Deo? Quis exorabit pro delictis illius*, &c. *Eccli. 28.* *Parcendum proximo.*

Rogabit quiſpiam; Num ſi fur debita remiſerit, propterea Deus illi peccata remittat? Reſpondetur, Remittere quidem, ſed ſi pœnitentia ad remiſſionem peccatorum debita accedat. Sic enim verba Domini ſunt intelligenda, ſubintellecta pœnitentia. Alioqui ſine pœnitentia peccata non remittuntur. Conditio ad remiſſionem neceſſaria, remiſſio eſt debitorum. Sed illa ſola ſine pœnitentia non eſt ſatis. Illud addo cum Caietano, Deum peculiari concurſu cum illo ad pœnitentiam peccati agendam concurrere, qui iniurias propter Deum remittit. *Sine pœnitentia peccata nõ dimittuntur.*

Rogabit præterea; Num is aduerſus ſeipſum precetur & mentiatur, qui cũ dimittere nolit, orat; *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, &c. Auctor imperfecti mentiri ait; Sicut, inquit, ipſe orans mentitur, dicit enim; Remitto, & non remittit; ſic à Deo petit indulgentiam, & non illi indulgetur. Auguſt. lib. 2. de ſer. Domini, c. 18. Nulla, inquit, alia ſententia ſic oramus, vt paciſcamur cum Domino. In qua pactione ſi mentimur, orationis totius nullus erit fructus, &c. Chryſolog. ſerm. 69. Qui ſic petit, & debita non relaxat; iſte ſe etiam, per quod orat, accuſat, &c. Reſpondet rectiùs D. Thom. in Matth. neque mentiri, neque aduerſum ſe precari; Oratio, inquit, dicitur in perſona Eccleſiæ. Vnde licet ipſe non remittat, Eccleſia tamen remittit, &c. Eumdem in modum, reſpondet Abulenſis Matth. 6. quæſt. 116. Non enim ſic quiſpiam orat; *Dimitte ſicut ego dimitto*; ſed, *ſicut nos dimittimus.* In Eccleſia autem multi ſunt qui dimittunt, hanc ſententiam ſequitur Catechiſmus Concilij Tridentini. *Matth. 6.* *An mẽtiatur orans, qui non parcit.* *Auguſt.* *Chryſol.* *D. Thom.*

NE *nos inducas in tentationem.* Non petimus à Deo hac petitione ſexta, ne patiatur nos tentari, tentari enim neceſſe eſt, & multis præliis decertare Dei milites. Dicitur Deus ſabaoth, id eſt, Deus exercituum. Habet militiam Angelorũ cæleſtem Luc. 2. habet & hominum militiam terreſtrem. De cæleſti legitur: *Michael & Angeli eius prælia bantur cum draconе.* De terreſtri Paulus: *Non eſt nobis colluctatio aduerſus* *Matth. 6.* *Apoc. 12.* *Epheſ. 6.*

Neceſſe eſt probari & tentari Chriſti milites. Sup. 3. Iacobi 1.

aduerſus carnem & ſanguinem. Sed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, &c. Præliari ergo oportet milites & tentari, vt tanto duce digni eſſe probentur. Iuxta illud: *Deus tentauit eos, & inuenit eos dignos ſe*, &c. Immo D. Iacobus: *Omne*, inquit, *gaudium exiſtimate, cùm in varias tentationes incideritis*, &c. Gaudendum eſt, non igitur à Deo petendum, ne tentemur.

Petimus ne tentatione vincamur. Auguſt.

Neque verò id petimus, ſed ne in tentationem inducamur & vincamur. Audi Auguſtinum lib. 2. de ſer. cap. 14. Aliud, ait, eſt induci in tentationem, aliud tentari. Nam ſine tentatione probatus eſſe nullus poteſt, ſiue ſibi ipſi, ſiue alij. Non ergo hic oratur, vt non tentemur, ſed vt non inferamur in tentationem. Tamquam ſi quiſpiam, cui neceſſe ſit igne examinari; non oret, vt igne non cõtingatur, ſed vt non exuratur, &c. Ioſeph tentatus eſt adulterij illecebra, tentata Suſanna, ſimiliter Iob, & alij huiuſmodi. Sed inducti in tentationem non ſunt; quia tentationes omnes ſuperarunt. Tentati ſunt Adamus, Eua, Iudas, & ſimiles; ſed in tentationem ſunt inducti, quoniam ſunt victi. Hoc vt aduertat Deus, his poſtulamus verbis: *Et ne nos inducas in tentationem.* Eſt dæmonis telum tentatio, quo ille nobiſcum certat. Non petimus, ne telo certet; ſed ne nos vulneret. Eſt laqueus tentatio. Non petimus, ne paretur laqueus ab aucupe diabolo, ſed ne in laqueum inducamur.

Deus non inducit in tentationẽ, ſed permittit induci.

Hæſitas ac rogas: Numquid Deus hominem in tentationem inducit? Si enim non inducit, cur ne inducat obſecramus. Reſpondet Auguſt. loco indicato, his verbis; Deus non inducit per ſeipſum, ſed induci patitur eum, quem ſuo auxilio deſeruerit, ordine occultiſſimo ac meritis. Cauſis etiam ſæpe manifeſtis dignum iudicat ille, quem deſerat, & in tentationem induci ſinat, &c. Nemini autem Deus ſufficiens denegat auxilium, quo tentationem ſuperare poſſit; peculiare tamen aliquando denegat.

Greg.

D. Greg. lib. 3. Moral. c. 3. ad illa verba: *Animam illius ſeruа*: Non inducit Dominus in tentationem, qui ſemper à tentatione ſubditos miſericorditer protegit. Sed tamen in tentationem quaſi eius inducere eſt, à tentationis nos illecebra non munire. Et tunc nos in tentationis laqueum non inducit, cùm tentari nos vltrà, quã poſſumus, nõ permittit, &c.

Nõnulli exponunt, Ne nos inducas in tentationem, id eſt, Ne patiaris nos tentari. Matth. 6.

Auctor imperfecti duo ait hic peti: Duo, inquit, petimus. Primum, vt non inducat nos Deus in tentationem. Secundum, vt ſi induxerit, liberet de periculo tentationis, &c. Exiſtimat ergo petere nos à Deo, vt tentationes à nobis repellat. Verba illa; *Ne nos inducas in tentationem*; ſic intelligit; ne nos permittas tentari, tentationes hoſtiles à nobis propulſa. Sic etiam Euthymius: Iubet, inquit, Dominus nos precari, ne in tẽtationem inducamur, ipſe verò, cùm ſit animarum noſtrarum moderator, interdum quidem permittit, interdũ prohibet. Iuxta quod vtrumque expediens eſt. Quare non inductis tentationibus, ab is cauere debemus. Vbi autem inductæ ſunt, viriliter contra ſtandum, &c. Nyſſenus quoque in hac videtur eſſe ſententia. Hunc ſenſum ſequitur Maldonatus, & Tertulliano, Auguſtino, Cypriano, Chryſoſtomóque tribuit, ſed horum verba illum apertè non ſignificant; verba tamen ipſa petitionis indicant. Nam in tentationem inducere, idem eſt, quod ad tentationem ducere, ad tentationem autem is ducit, qui quoquomodo tentat. Cùm ergo petimus, Ne nos inducas in tentationem, idem eſt ac ſi diceremus: Ne nos ducas ad tentationem; ne nos tentari permittas. Fragiles enim ſumus & imbecilles. Hoſtis tentationes lõgè à nobis propelle, ne ſuperemur. Eumdem in modum loquitur Chriſtus: *Vigilate & orate;*

Euthym.

Matth. 26.

ne intretis in tẽtationem, hoc eſt, ne tẽtemini. Quemadmodum intrare in tentationem eſt, quouis modo tentari; ſic etiam induci in tẽrationem eſt, tentari, non autem tentationi ſuccumbere.

Vulgarior interpretatio eſt illa ſuperior Auguſtini, qua is dicitur in tentationem induci, qui non ſolùm tẽtatione pulſatur, ſed etiam ſuperatur, hoc ſenſu: *Ne nos inducas in tentationem*, hoc eſt, ne patiaris nos à tentatione vinci, & in peccatum incidere. *Matth. 6.* Sic Auguſtinus loco citato, & epiſt. 121. Cùm dicimus (inquit) *Ne nos inferas in tentationem*, nos admonemur hoc petere, ne deſerti Dei adiutorio, alicui tentationi, vel conſentiamus decepti, vel cedamus afflicti, &c. *Auguſt.* Sic etiam D. Thomas, Caiet. Abulenſis, Lyranus, D. Bonauentura Lucæ 11. Titelmannus, Heſſel. Carthuſ. Catechiſm. Conc. Trid. & alij. Probatur hæc interpretatio: Quia veriſimile eſt Chriſtum non docuiſſe Chriſtianos milites petere, ne in certamen inducantur. Quis enim miles, niſi ignauus, à duce petat, ne in prælium mittatur? Docuit ergo petere, ne ſuperari ſuos milites in certamine, & tentatione patiatur Deus; non autem, ne in tentationẽ & certamen veniant. Verba petitionis in hoc ſenſu ſunt interpretanda: *Ne nos inducas in tentationem*; quemadmodum ſi dicamus: Ne nos inducas in laqueum. Quemadmodum enim is inducitur in laqueum, qui laqueo capitur; ita is inducitur in tentationem, qui tentatione irretitur. Is verò qui tentationem, id eſt, laqueum frãgit ac dilacerat; in laqueum & tentationem non inducitur.

Quòd ſi quis velit induci in tentationem, idem eſſe, quòd duci ad tentationem; tẽtationem ſumere debet pro tentatione non probante & exercente; ſed ſuperante, hoc pacto: *Ne nos inducas in tentationem*, qua nos vincat. Sic exponere videtur D. Hieronymus Matth. 26. Impoſſibile, inquit, eſt, humanam animam non tentari. Vnde & in oratione Dominica dicitur: *Ne nos in inducas in tentationem*, quam ferre non poſſimus, non tentationem penitus refutantes, ſed vires ſuſtinendi in tentationibus deprecantes, &c. Eodem modo explicatur locus ille ſuprà allatus Matth. 26. *Vigilate & orate ne intretis in tentationem*, id eſt, ne à tentatione ſuperemini. Sic Hieronymus eo loco expoſuit: Non ait Dominus, inquit, Vigilate & orate, ne tẽtemini; ſed Ne intretis in tentationem, hoc eſt, ne tentatio vos ſuperet & vincat, & vos intra caſſes teneat, &c.

Alia interpretatio Hieron.

SED *libera nos à malo.* Ianſenius ſex tantùm eſſe putat orationis Dominicæ petitiones: hæc verò verba cum præcedenti petitione coniungit. Cum Auguſtino optimo auctore diſiungo, ſeptemque petitiones eſſe malo, quamuis parum referat. Superiori petitione à tentatione: hac à malo petimus liberari. Græci Malum, diabolum appellari putant: ἀπὸ τῦ πονηρῦ, id eſt, ab iniquo dæmone libera. Eſt enim malus & iniquus per antonomaſiam. Malus (ait D. Cyrillus) eſt aduerſarius noſter, à quo liberari petimus. Et D. Chryſoſtomus: Malum, inquit, diabolum vocat Dominus: docens nos cum eo habere prælium, nullo vmquam fœdere dirimendum, &c. Eadem eſt Nyſſeni, Theophylacti & Euthymij interpretatio. Malum (ait Euthymius) diabolum nominauit per antonomaſiam, &c. Similiter D. Chryſologus ſer. 70. Liberat, inquit, nos à Malo, id eſt, diabolo, qui mali totius origo eſt. Diabolus natura cæleſtis fuit, nunc eſt nequitia ſpiritualis, ætate maior ſæculo, nocendi vſu tritus, lædendi arte peritiſſimus, &c. Sic etiam interpretatur Tertullianus initio libri de fuga in perſecutione: Erue, inquit, nos à maligno, id eſt, ne nos induxeris in tentationem, permittendo nos maligno. Tunc enim eruimur diaboli manibus, cùm illi

Matth. 6.

Diabolus dicitur Malus per antonomaſiã.

illi non tradimur in tentationem, &c.

D. Auguſt. Malum non diabolum, ſed rem malam ſignificare putat. ſic D. Thomas, Caiet. Abul. Ianſen. Carthuſ. & Catechiſmus Concilij Trident. ſic habet: Differt hæc, & proxima petitio. Quòd illa vitationem culpæ, hac pœnę liberationem poſtulamus, &c. Hunc ſenſum ſequitur Eccleſia, cùm poſtquam ſacerdos Dominicā recitat orationem, poſt petitionem; *Sed libera nos à malo*, ſubiicit: *Libera nos, quæſumus Domine, ab omnibus malis, præteritis, præſentibus, & futuris*, &c. Vtraque interpretatio eſt probabilis: ſecunda probabilior. Nomen Græcum πονηρὸν (nequis hæſitet) non ſolùm malignum ſignificat & impium; ſed rem etiam malam. Vt ex Græca verſione probari poteſt, Pſalm. 40. Leu. 6. Num. 13. lib. 1. Reg. c. 25. Iob 2. &c.

Malum ſignificat rē malam.

In Græcis codicibus ſubiicitur hæc clauſula: ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία, καὶ ἡ δύναμις, καὶ ἡ δόξα, εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν. hoc eſt, *quoniam tuum eſt regnum, & potentia, & gloria in ſæcula, Amen.* Exponitur à Græcis D. Chryſoſtomo, Euthymio, Theophylacto; & ab Auctore imperfecti. In Euangelio quoque Syriaco reperitur. At verò in Græcū Euangelium irrepſit ex oratione Græcorum, quia fortaſſe Dominicæ orationi, dum orarent, hæc verba addebant. Sed neque ab Eccleſia, neque à Latinis Patribus agnoſcuntur, neque in emendata editione adhibentur.

Clauſula orationis dominicæ in Græcis codicibus.

AMEN. *Amen*, dictio eſt Hebræa, & aduerbium, vt Hieronymus ait. Significat *vere*, ſiue *fideliter*. Septuaginta Interp. γένοιτο, vertunt, id eſt, fiat. D. Hieronymus epiſt. 137. ad Marcellam: Amen (inquit) Aquila, πεπιςομένως, exprimit, quod nos fideliter poſſumus dicere. Ductum aduerbium ex nomine fidei Amen, Septuaginta, γένοιτο, id eſt, fiat. Vnde & in fine librorū (in quinque ſiquidem volumina apud Hebræos diuiſum eſt pſalterium) *fiat, fiat*, tranſtulerunt, quod in Hebraico legitur, *Amen, Amen.* Quòd ſcilicet ea verè dicta, quæ ſunt ſuprà, confirmentur. Vnde & Paul. 1. Cor. 14. aſſerit non poſſe aliquem reſpōdere, *Amen*, id eſt, confirmare; quæ prædicta ſunt, niſi intellexerit prædicationem, &c. Item ad Galatas 6. Saluator, ait, noſter in Euangelio per verbum *Amen*, vera eſſe quæ loquitur oſtendit. Quòd aute.., *Amen*, conſenſum ſignificet audientis, & ſit ſignaculum veritatis, ad Corinth. quoque prima nos docet, in qua Paulus ait, *Ceterum ſi benedixeris ſpiritu, qui ſupplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen, ſuper tua benedictione? quoniam quidem neſcit quid dicas.* Ex quo oſtendit non poſſe idiotam reſpōdere verum eſſe, quod dicitur, niſi intellexerit, quod docetur. Hæc Hieronymus. Significare autem, *Amen*, Verè, probatur ex Luca 21. & Marci 12. Nam ſic loquitur Dominus: *Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus miſit.* Lucæ verò 21. ſic, ἀληθῶς λέγω, id eſt, *verè dico vobis, quia vidua hæc pauper pluſquam omnes miſit.* Quod Marcus dixit, *Amen*, Lucas dixit *Verè*, & Hieronym. Iſaiæ 25. Dominus, inquit, ſæpe in Euangelio vtitur hoc verbo, *Amen, Amen*, id eſt, *Verè, Verè, dico vobis.*

Hieron.

Quid ſignificet vox, Amen.

1. Cor. 14.

Marci 12. Luca 21.

Itaque, Amen confirmantis eſt id, quod dicitur vt, *Amen dico vobis*, id eſt, verè dico. Eſt etiam confirmantis id quod ab altero dictum eſt, & aſſentientis illi. Vt ſi quis dicenti; Chriſtus extremo die homines iudicabit, reſpondeat, *Amen*, id eſt, *Verè*, verum eſt, ſic erit. D. Auguſtinus in fragmento ſerm. contra Pelagianos: Fratres, inquit, mei, Amen veſtrum ſubſcriptio veſtra eſt, cōſenſio veſtra eſt, adſtipulatio veſtra eſt, &c. Sed in fine orationis Dominicæ, & ſimilium, non eſt confirmantis vera eſſe, quæ dicta aut poſtulata ſunt, neque aſſentientis; ſed potius optantis, *fiat, fiat*; quo ſenſu à Septuag. Interp. ſumitur. Eſt ergo ſenſus. *Amen*, id eſt, *Fiat*, Precamur Domine, vt quod petimus fiat, eueniat, nobis concedatur, precamur, vt verum ſit. Nam exiſtimo, *Amen*, proprie ſignificare verè. Cùm verò in fine orationis additur, ſignificare verè, vel verum ſit, quaſi dicamus, verum ſit hoc quod petimus, contingat nobis, & vt ſeptuaginta vertunt, fiat. Non enim, Amen, ad verbum ſignificat, *fiat*, ſed ſignificat *verè*, vel *verum ſit*, quod idem eſt. Forte orationi Dominicæ addidit Dominus, *Amen*, velut ſubſcriptionem & ſigillum ſuum, hoc ſenſu: Amen, id eſt, verè, verum erit, fiet quod petieritis hac oratione.

Auguſt.

SI *enim dimiſeritis, dimittet*, &c. Reuertitur Dominus ad quintam petitionem: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus*: redditque rationem, cur orationi petitionem inſeruerit. *Si enim*, inquit, *dimiſeritis, dimittetur vobis.* Oſtendit quantopere oporteat nos caritatem curare, remiſſionem iniuriarum inculcans. Chryſoſtomus hom. 30. Abundantiùs, inquit, oſtendere volens, quantam huius rei curam gerat; idipſum ſpecialiter inculcauit. Et poſt impletam orationis formulam, nullius prorſus mandati meminit, niſi iſtius; certè, quod ad dandam nos veniam concitauit, &c. Et Auguſtinus lib. 2. de ſer. Domini, cap. 18. Non negligenter prætereundum eſt, quòd ex omnibus ſententiis, quibus nos orare Dominus præcipit, eam potiſſimùm commendandam eſſe iudicauit, quæ pertinet ad dimiſſionem peccatorum. Nulla enim alia ſententia ſic oramus, vt quaſi paciſcamur cum Domino, &c. In Enchiridio ad Laurent. cap. 74. Verba hæc tonitruum vocat, quo tonante, vtinam ij expergiſcantur, qui inimicos odio habent. Mentiri, inquit, veritas non poteſt: *Si non dimiſeritis*, inquit, *peccata hominibus, nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* Ad tam magnum tonitruum qui non expergiſcitur, non dormit, ſed mortuus eſt. Et tamen potens eſt Deus etiam mortuos ſuſcitare, &c.

Matth. 6. Chriſtus ad quinta petitionē reuertitur, valdeq; cōmendat caritatem & miſericordia in proximum.

Verba Chriſti tonitruū.

CAPVT XXV.

De ſermone Domini in monte.

MATTH. CAP. VI.

CVM autem ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes. Exterminant enim facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem ſuam. Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua; ne videaris hominibus ieiunans, ſed Patri tuo, qui eſt in abſcondito. Et Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.

CVM

Matth. 6. CVM *ieiunatis*. Sunt Deo gratissima opera, *eleemosyna oratio, ieiunium*: quæ purissima sibi offerri vult. Docuit Dominus omnem inanis gloriæ impuritatē in eleemosyna, & oratione cauendam, id ipsum docet hoc loco in ieiunio præstandum. Cùm, inquit, ieiunium obseruatis, nolite hypocritas imitari, qui tristitiæ laruam assumunt, vt ieiunare videantur. Quin potius sub externa vultus hilaritate, ieiunium occultate. De hypocritis ait Dominus, *exterminant facies suas* Græce, ἀφανίζουσι, hoc est, disparere faciunt, veluti exterminant, & demoliuntur facies. Exterminare autē dicuntur facies hypocritæ, vel quia lætitiam à vultu exterminabant, tristitiæque personam induebant, iuxta illud D. Hieron. Demolitur faciem suam hypocrita vt tristitiam simulet, & animo fortè lætante, luctum gestet in vultu, &c. Vel potius, quia maciem, & pallorē sibi inducebant, veluti ieiunij effectum. Id enim magis significat verbum, *exterminant*, & ἀφανίζουσι, Græcum.

Quomodo hypocrita faciem exterminabat

Matth. 6. CVM *ieiunas, vnge caput tuum*. Figurata est locutio. Nec enim præcipit Dominus, vt cum ieiunamus, re ipsa caput vngamus. Ex more loquitur regionis Iudæorum, quibus lætis in rebus vnctionis vsus erat, vt colliges ex lib. Ruth ca. 3. ex li. 2. Reg. 12. & 14. ex Lucæ 7. Iudith 10. & 16. Hieron. Matth. 6. Iuxta ritum, inquit, prouinciæ Palestinę loquitur Dominus, vbi diebus festis solent vngere capita, &c. Vult ergo Dominus, nos non ostentare ieiunium, vult omnem inanis gloriæ auram repellere, Dei tantummodò causa, non aucupandæ vanæ laudis gratia, cibo abstinere. Ne, vt in eleemosyna, & oratione supra dixit, eā recipiamus ab hominibus mercedem, quam hypocritę recipiunt, nempe inanem gloriam, sed solidam, atque æternam à Deo, quàm solùm ij consequuntur, qui ad illum opera veluti in scopum dirigunt.

In ieiunio cauenda inanis gloria.

Primo die quadragesimæ caput nostrū Ecclesia vngit cinere. Et faciem lauare imperat. 1. conscientiam. Isaiæ 1.

Hæc Christi verba Ecclesia Christianis recitat, primo sacræ quadragesimæ die. *Cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua.* Vngit verò caput nostrum vnguento, etsi non odorifero, certè saluberrimo, videlicet cinere, faciémque & lauare docet, & imperat. Deplorat Isaias populi Israelitici vulnera, oleóque confota & curata non esse dolet. *A planta*, inquit, *pedis vsque ad verticem capitis, non est in eo sanitas. Vulnus, & liuor, & plaga tumens, non est circumligata nec curata medicamine: nec tota oleo*, &c. Vulneribus quoque, hoc est, peccatis affectum populum Christianum deflet Ecclesia. Ne vero illud dicatur; *Plaga tumens non est curata medicamine, nec fota oleo*, medicamentum præbet, quo tumentes perungat, sanétque plagas. Vulnera inflixere superbia, auaritia, libido, cæteráque vitia, cinereum adhibet vnguentum siue puluerem, egregium ad sanitatem recuperandam medicamentum. Quod enim pharmacum salubrius animi morbis adhiberi potest, quam pœnitentia? hanc cinis significat capiti impositus. Aliud potentissimum medicamen adiungit Ecclesia, quo nos ad pœnitentiam adducat, videlicet mortis memoriam, de qua breuiter nonnulla hoc loco verba libet facere.

Mors si memoria concipitur vita est mors, & potens.

Memento homo, ait, *quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Memēto*, inquit, quia memoria morti vitam donat. Mors enim, si obliuioni traditur, mortua est, & veluti picta, nullúmque impiis horrorem incutit. At si mors memoria concipitur, atque excitatur, mors, vt ita dicam, viua est, & terribilis, truculentóque aspectu peccata mundique vanitatem fugat. Si sulphureo puluere ignem non adhibeas, nihil habebit efficacitatis, quod si concipiat flammam, celsissimas etiam turres æquabit solo. Eumdem in modum, si puluere tuo, si cineri, si morti, non adhibeas recordationem, nil habebit virum. Si verò acri frequentiáque memoria illam concipias, magna euertet crimina, celsásque superbiæ turres diruet. Despicabilis, tenuisque res & inutilis sulphureus puluis videtur, sed adhibito igne, potentissimus est. Similem in modum nullius momenti, nulliusque roboris puluis videtur humanus; at meditatione adhibita magnas habet vires ad euertendam vanitatem.

Puluerīs nostri potentia.

Dux inclytus Gedeon milites suos sic armat: *Dedit tubas in manibus eorum, lagenásque vacuas, ac lampades in medio lagenarum*, &c. his instructi armis, personantibus tubis, fractis lagenis, accensisque lampadibus, exercitum vicere Madianitarum. Videlicet, potentissima arma sunt fractæ lagenæ fictiles, hoc est, fracta in cinerémque redacta fictilia nostra corpora, horrendum personans extremi iudici; tuba, tartareóq; igne inflammatæ lampades. Huiusmodi armis Christianos animos frequens instruit meditatio assiduáque mortis, iudicij, tartaríque consideratio, qua vigente non Madianitarum, sed criminum, mundi, dæmonúmque superatur exercitus. Gedeonis arripe arma, Christiane, quem vndique circumstant hostes. Perstrepat in auribus tuis iudicij extremi stupenda illa tuba; tartareis æternisque flammis accensæ in mente ardeant lampades: fracta corporis lagena ante oculos proponatur. Non Gedeone, sed Christo duce, atque iuuante vinces.

Iudicum 7. Arma Gedeonis moraliter.

Fortissimus Samson Iud. 15. mortui animalis osse. i. mandibula, pro telo aduersus hostes vsus mille Philisthæos percussit, atque interfecit. Mortuorum ossa tela sunt, percutient hostes atq; fugabūt, si valida memoria, meditationéque vibrentur.

Ossa mortuorū sunt arma.

Danielis cap. 14. Sacerdotum Belis dolum, atque impostura Daniel in cinere deprehendit. Eundem in modum mundi fraudes atque fallacias, si prudens ipse sis, in humano cinere deprehendes. Neque te decipient voluptates, neque diuitiæ, neque honores, puncto euanescentes temporis: si voluptariorum, si diuitum, si regum, si dynastarum in cinere relicta tenuissima tantùm vestigia, sæpè vigilanti mente consideres. Opulenta illa regio, ex qua ad Salomonē aurum ductum est. 3. Regum. 9. Ophir appellatur. Sonat autem nomen Hebræum Ophir cinerem. Opulentissima regio est cinis mortis, pretiosum inde aurum non ligone, sed mentis trahitur consideratione.

Daniel dolos Sacerdotum Bel deprehendit in puluere Sic nos dolos.

Ex sepulchro velut Ophir aurū ducitur.

Terra pugnat hostis; repugnat terra sapiens. Cacodæmon terra pugnat, hoc est, terrenis bonis atque caducis. Sapiens terra repugnat, hoc est, sepulchri cineriſque sui memoria *comportabit aggerem, & capiet eam*. i. munitionem: scilicet Nabuchodonosor. Legitur Hebraicè cōportabit, עפר. i. hhaphar puluerem, aut terram. D. Hieron. Veniet, inquit, Tyrum Nabuchodonosor, & iactos in mari aggere peninsulam faciet de insula: & introitum inter fluctus maris in vrbē terra præbebit, &c. Tyrum Nabuchodonosor iacto cepit terræ aggere: animū dæmon terrenarū rerū obiecta capit cupiditate. Aggerem dæmō terræ facit: facito aduersus aggerem rerum terrenarum, aggerem sepulchralis terrę, ac cineris. Non feret ille palmam, Tyrum, id est, animum, non capiet tartareus Nabuchodonosor.

Habac. 1.

Hieron.

Perdix (ait Plinius naturalis historiæ libr. 10. cap. 33.) in pauore resupina in sulco, gleba terræ pedibus apprehensa se operit, &c. Aduersus aucupem perdix, terra pedibus apprehensa, se protegit ac tuetur. Ab aue disce animum defendere, Christiane. Si tartareum aucupem vis euadere, sepulchrali te protege terra, non pedibus,

Perdix terra gleba se protegit.

sed mentis considerationē apprehensa, mortis te cinere veluti clypeo operi ac protege.

Cuniculi effossis se protegunt antris.

Cum cuniculum canes insequuntur, in foueam se recipit, in effossisq; antris habitare gaudet: cum tartarei molossi te inuaserint, id ipsum facito, in foueam te recipe, in antro sepulchri per meditationem gaude habitare,

Aues puluere pennas emundant.

Paratum esse iubet Columella auibus puluerem & cinerem, quo plumas emundent. Si auis es, cælóque volas, paratum semper habe puluerem, & mortis cinerem, quo tam corpus emundes, quàm animum. Columella lib. 8. ca. 4. Siccus, inquit, puluis & cinis, vbicumq; cortem porticus vel tectum protegit, iuxta parietes reponendus est, vt sit, quo aues se perfundant. Nam his rebus plumas, pinnásque emundant, si modò credimus Ephesio Heraclito. Qui ait sues cœno, cortales aues puluere, vel cinere lauari, &c. Si lauatur aues puluere, multò certè nitidius puluere sepulchrali lauantur homines. Ablue te, ô Christiane, hoc cinere, & super niuem dealbaberis. *Faciem tua laua*, ait Dominus, id est, conscientiam tuam, laua, inquam, huius etsi sordidi puluēris memoria. Sordidus est, sed sordes pellit, emundatque animum.

Columel.

Matth. 6.

Arbor vt virorem seruet fructúmque ferat, radices necesse est vt terræ infigat. Hominis radix caput est. Igitur vt gratiæ retineat virorem, bonorúmque operum producat fructū, caput meditando tumulū, infigat humo. Nulla tellus tumuli tellure feracior est. Humilitatis fert vberes fructus, castitatis, despicientiæ rerum caducarum, ceterarúmq; virtutū omniū. Sepulchri tellus post mortem quidē corporis mēbra exedit, corrumpit, vermibus cōplet: at in vita, si memoria assidua versetur, animi perturbationes absumit, àpeccati corruptione vermibúsq; mētē liberat, virtutibus replet.

Iudicū 14.

Memento ergo homo, quod homo es, id est, *puluis, & in puluerem reuerteris*. Vt legitur: *Samson declinauit à via, vt videret cadauer leonis*. Samsonem imitare, à via, hoc est, negotiis occupationibúsque declina: vt cadauera videas ac contempleris, non vnius tantummodò, sed multorum leonum, hoc est, Principum, Imperatorum, & diuitum. Profectò cum Baruch exclamabis: *Vbi sunt principes gentium, & qui dominantur super bestias, quæ sunt super terram, qui in auibus cæli ludunt, qui argentum thesaurizant, & aurum in quo confidunt homines? Exterminati sunt, & ad inferos descenderunt, & alij loco eorum surrexerunt*. Lege D. Basilij orationem, quæ de morte inscribitur: Mortalem, inquit, te esse recordare, circumspice illos, qui ante te similibus sese splendoribus efferebant. Vbinam sunt illi, qui ciuilibus dignitatibus ornati erant? Vbi inuicti rhetores atque oratores? Vbi duces? vbi potestates? Vbi tyranni? Nónne omnia puluis? nónne fabula? nónne in paucis ossibus memoria vitæ ipsorum conseruatur? Contemplare sepulchra. Vide num possis discernere, quis nam seruus, quis dominus, quis pauper, quis locuples fuerit, &c.

Principum, regū, similiumq; considerandā mors. Baruch 3. Basil.

Exterminati sunt (ait Baruch) *& ad inferiores descenderunt*. Hic leonum finis, à terra, à vita, à diuitiis, voluptatibus, honoribus exterminantur. In æternum verò Orci exilium, si pœnitentia carent, æternásque flammas mittuntur. *Alij autem*, inquit, *loco eorum surrexerunt*. Exterminantur à terra mortui; eorum verò locum, honores, opes, alij occupant. Etenim nihil habet homo stabile in terra, nihil immutabile, omnia fluxa. Qua de re ita eadem homilia D. Basilius: Hodie, inquit, agrū tuum coluisti, cras alius, & mox post illum alius eumdem colet. Vides ne agros hos, hásque magnificè extructas ædes? Bone Deus, quot iam nomina, vnaquæque harum, ex quo extructæ sunt, mutauit? Quæ huius paulo ante dicebantur, ab alio nomen acceperunt, & quæ iam in istius ditionem venerunt, exiguo temporis interuallo in alterius dominium transeunt, &c. Denique vt Augustinus ait Psalm. 62. ex angusta hac regione, alij alios impellentes excludimus. Non capit omnes angusta tellus. Necesse est, ait Augustinus, vt alij nascantur; & ad hoc nascantur filij, vt excludant parentes suos. Ad hoc enim nascitur puer, vt dicat maiori: Quid hic agis? Necesse est, vt qui succedunt, & qui nascuntur, excludant eos, qui se præcesserunt, &c. Vnam habet homo domum; quæ nomen nón mutabit, quæque ad iudicium vsque perpetua erit, nempe sepulchrum. Villæ, ædes præclaræ, horti, agri, prædia, mille mutant nomina, & mille cum nominibus dominos. At sepulchrum, nomen incisum cum Domino semper retinet: *Sepulchra eorum, domus illorum in æternum*, id est, vsque ad sæculi consummationem. Iob ait, *Solùm mihi superest sepulchrum*.

Mortui abeunt, alij loco eorum occupant.

Opes sæpe mutant dominos.

Aug. Alij alios è mundo excludimus.

Sepulchrū hominis domus vsq; ad iudicium.

Psal. 48. Iob 17.

Qui hæc animo versat, terrena flocci facit, cælestia concupiscit, iuxta illud Hieronymi ad Paulinum: Facile contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum. Sit hæc cineris nostri cogitatio & memoria assidua, sit panis noster quotidianus; iuxta illud: *Cinerem tamquam panem manducabam*. Quotidie manducat panem corpus, quotidie considerando, mentis ore manducet cinerem animus. Hoc enim cibo refectus ac corroboratus, viam, quæ ad cælum tendit, etsi aspera sit atque arcta, tenebit semper. *Subcinericium panem ab Angelo oblatum Elias edit; & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus, vsque ad montem Dei Horeb*. En tibi panis, de quo loquimur effigiem. Subcinericius est, immo cinereus ex sepulchri cinere confectus; magnum tamen illis robur affert, qui in montem Dei, id est, cælum, iter faciunt. *Memor esto, quoniam mors non tardat*, &c. hoc est: Memor esto, quòd mors non tardo, sed celeri gressu ad te venit. Si senex es, in foribus adest. Si iuuenis, insidias parat. Sic enim, ait Bernardus in sermone ad Clericos, cap. 14. Mors, ait, senibus in ianuis, adolescentibus in insidiis est, &c. Si celeri gradu vita recedit, celeri gradu mors accedit. Pari gressu, & illa abit, & hæc venit. Vita autem recedendo volat, volandóque recedit. *Dies mei*, ait Iob, *velociores fuerunt cursore; fugerunt, & non viderunt bonum. Pertransierunt quasi naues poma portantes, sicut aquila volans ad escam*, &c. Ecclesiast. *Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit: meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum. Qui cùm venerint, vanitatis arguentur præterita*, &c. Egregium est ad arguendum argumentum ex morte sumptum, illam probat conclusionem celeberrimam Salomonis: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*. Cùm venerit mors, vanitatis arguentur vniuersa. Quæ viuenti solida, vera, diuturna apparent; morienti, vana inania, temporis momento permanentia videntur. ô potentissimum ad arguendam mundi vanitatē mortis argumentum. Hoc igitur argumentum semper memoria cogitationéque voluamus; mundi blandimenta vana esse concludemus; ad ea verò, quæ non apparent, & æterna sunt atque alta, animum extollemus. Debet vnusquisque (ait D. Isidorus lib. 3. de summo bono, cap. 66.) semper terminum vitæ suæ considerare. Vt de contemplatione illius, animus se semper ad alta sustollat, & huius sæculi blanditias cum timore caueat, &c. Et D. Gregorius initio cap. 7. Iob: Qui considerat qualis erit in morte, nihil quod transeat appetit, cunctis desideriis vitæ præteritis contradicit. Et penè mortuum se considerat; quia moriturum minimè ignorat, &c.

Sit assiduæ mortis memoria. 3. Reg. 19.

Eccli. 14.

Mors senibus in ianua, adolescentibus in insidiis.

Iob 19.

Eccli. 11.

Mors omnia vana esse ostēdit.

Eccli. 1.

D. Isid.

Greg.

Vngit

Faciem lauat qui lauat conscientiam. Matth. 6. Auctor imperfecti.

Vngit caput cinere Ecclesia, faciem verò lauare iubet. *Vnge caput tuum, & faciem tuam laua.* Hominis interna facies conscientia est, vt Bernardus ait sermone primo, in capite ieiunii. Et Auctor Imperfecti homilia 15. Facies, inquit, spiritualis animæ, est conscientia eius, &c. Hæc abluenda est facies, hæc ornanda. Hominibus illa non apparet, apparet autem nobis, nobis illius sordes notæ sunt. Faciem videmus alterius (ait D. Augustin. Ioan. 14.) nostram videre non possumus; conscientiam verò nostram videmus, alterius non videmus, &c. Siquis corporis faciem maculis aspersam gerat, obtendit excusationem, *Maculas non videbam.* At animi faciem si sordidam habeas, quam excusationem obtẽdes? Si in facie corporis, vel minimam aspiceres labem, protinus elueres; in facie animi, mille aspicis sordes, neque eluis, imò sordes sordibus addere pergis. Si oculos non vereris tuos, oculos Dei formida; quos semper in facie tua interna defixos habet. Puriſſimi iudicis scientiam, horreat sordida conscientia. Ergo faciem, id est, conscientiam laua atque orna, vt pulchram Deo faciem exhibeas. Sicut enim in conspectu hominum (ait Auctor imperfecti) gratiosa facta est facies pulcra: sic in oculis Dei speciosa est conscientia munda, &c.

Augustin. Faciem nostram non videmus, sed alterius: conscientiam contra.

Multi faciem, id est, conscientiã exterminãt.

Ne extermina faciem tuam. Sunt enim multi qui hypocritarum instar, facies suas exterminant, id est, conscientias suas veluti in exilium mittunt, perindeque viuunt, ac si conscientia carerent. Quibus illud congruit Pauli, *Cauteriatam habẽtes conscientiam*, & illud Hieronymi, *Denigrata est super carbones facies eorum: & non sunt cogniti in plateis*, &c. Pudorem iniiciat Christiano, Ethnicus Pythagoricus. Is emit sibi à sutore calceos. Non promptam habens pecuniam, orauit, vt in crastinum expectaret diem. Cùm venisset satisfacturus, sutorẽ iam mortuum esse audiuit. Nummos gratulabundus de facto lucro domum retulit. Verũ cùm sceleris conscientia subinde torqueretur, arreptam pecuniam in sutoris domum proiecit, atque ait; *Tibi viuit, qui alijs defunctus est.* Non exterminauerat hic cõscientiam, non occiderat: mortuus erat creditor, sed viuebat conscientia, viuebat, & viuentem increpabat. increpantem conscientiam Philosophus audiuit, debitumque mortuo restituit.

1. Tim. 4. Thren. 4.

Pythag.

Exemplum philosophi Pythagorici

Conscientia

Latam caue conscientiam. Lata enim conscientia, lata porta est qua magna in animum intrant crimina: de Pharisæis & Scribis ait Dominus: *Camelum glutientes*: latissimum os est, quod camelum deglutit: latissima est conscientia, quæ mortifera deuorat scelera. Impluuia, inferioresque domus, amplas habent portas, quæ equos, currusque capiant: ac excelsiores domus, cubiculaque, arctiores habẽt. Eundem in modum improbi homines, humoque affixi, latissimas habent conscientias, quæ facinora capiant turpissima. Iusti verò, cæloque hęrentes, habent adeò arctas, vt peccata omnia mortifera, & pleraque quoque venialia excludant. In ingressu Oraculi fecit Salomon ostiola, &c. Sancta Sanctorum ostiola habuerunt. Sic etiam sancti viri, non ampla, peccatisque patentia habent ostia: sed arcta ostiola, id est, arctas conscientias, clauibus diuini timoris & seris egregiè occlusas. Iuxta illud, *Confortauit seras portarum tuarum.*

lata conscientia.

Matth. 23.

Iustorum conscientia arcta porta.

3. Reg. 6.

Psal. 147.

Præterea D. Augustl. lib. 2. de ser. Domini, ca. 20. Vnctum caput, ait, ad lætitiam pertinet. Et ideò caput vngit, qui lętatur interius, & mente, ac ratione, &c. Significat igitur vnctum caput, ex sententia Augustini, lætitiam spiritalem, atque internam. Hæc ad ieiunandum, orandumque, & cætera opera præstanda, quæ laborem pariunt, maximè est necessaria. Cùm igitur ieiunas, vnge caput tuũ oleo lætitiæ spiritalis, iuxta illud: *Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ.* Lætitia enim huiusmodi leue ieiunij iugum reddit. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.* Cor lætitia dilatatum, viam mandatorum, & ieiunij currit: tristitia contractum labori succumbit. Nam, vt ait diuus Gregorius lib. 8. epistol. 1. Mens affecta tristitia minùs se ad ea, quæ vtilitatis sunt erigit: & ante incipit succumbere, quam laborare, &c. Quòd si lætitiam spiritalem habere cupis, deuotione adhibe. Hanc ex sententia D. Bernar. loco cit. vnctio capitis significat: Vnctum caput, ait ille, potest mẽs deuota intelligi, &c. Cùm ergo ieiunas, vnge caput tuum deuotionis pretioso vnguento. Hæc lætitiam spiritalem, animique alacritatem pariet. *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea: & labiis exultationis laudabit os meum.* Adeps, pinguedóque spiritalis, est deuotio; hæc si adest, labia exultationis ad orandum, manus exultationis ad operandum, cor exultationis ad ieiunandum habebis.

Latitia spiritalis cõparanda, vt ieiunij labores, cæteroque acri animo subeamus.

Psal. 44.

Psal. 118.

Greg.

Bernar.

Psal. 62.

CAPVT XXVI.

De sermone Domini in monte.

MATTH. CAP. VI.

NOlite thesaurizare vobis thesauros in terra: vbi ærugo, & tinea demolitur: & vbi fures effodiunt, & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo: vbi neque ærugo, neque tinea demolitur: & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Vbi enim thesaurus tuus est, ibi est & cor tuum. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Nemo potest duobus dominis seruire, aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget; aut vnum sustinebit, & alterum contemnet. Non potest Deo seruire, & mammonæ. Ideo dico vobis, ne soliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini. Nónne anima plus est, quàm esca, & corpus, plusquàm vestimentum? Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt,

neque metunt, neq; congregant in horrea. Et Pater veſter cæleſtis paſcit illa. Nónne vos pluris eſtis illis? Quis autẽ veſtrũ cogitans poteſt adiicere ad ſtaturã ſuam cubitum vnũ? Et de veſtimẽto quid ſolliciti eſtis? Cõſiderate lilia agri, quomodo creſcũt: nõ laborãt, neq; nẽt. Dico autẽ vobis, quòd nec Salomõ in omni gloria ſua, coopertus eſt ſicut vnũ ex iſtis. Si autẽ fœnũ agri, quod hodie eſt, & cras in clibanũ mittitur, Deus ſic veſtit, quantò magis vos modicæ fidei? Nolite ergo ſolliciti eſſe dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius. Et hæc omnia adiicientur vobis. Nolite ſolliciti eſſe in craſtinum. Craſtinus enim dies ſolicitus erit ſibi ipſi: ſufficit diei malitia ſua.

Matth. 6. NOLITE *theſaurizare vobis theſauros in terra.* Hactenus cum inani gloria pugnatum eſt: nunc cum auaritia, diuitiarúmque auiditate pugnat Dominus. Theſaurum non in terra, ſed in cælo recondendum docet. Rationibus hoc perſuadet. Prima eſt; Theſaurus in loco nullis periculis expoſito eſt recondendus, terra locus eſt multis periculis expoſitus, ærugo enim, & tinea, theſaurum in terra reconditum demoliuntur, fures effodiunt, & furantur: in cælo nullum periculum eſt, nec enim ærugo, nec tinea, nec fures eò pertingunt: ergo non in terra, ſed in cælo loco tutiſſimo theſaurus eſt recõdendus, vbi æternus erit. Ærugo pecuniam, tinea veſtes corrodit, fures non hæc ſolum, ſed illa etiam rapiũt, quibus nec ærugo nocet, nec tinea, vt aurum, & gemmas pretioſas. Dubiũ de quónã theſauro loquatur Dominus. Reſpõdeo loqui de opibus, in hũc ſenſum; Nolite argenti auríque theſaurũ in terra reponere, ſed per eleemoſynã in cælo recondite. Explicat hunc locum ille. *Vendite quæ poſsidetis, & date eleemoſynam, facite vobis ſacculos qui non veterascunt, theſaurũ non deficientẽ in cælo, quò fur non appropiat, neq; tinea corrũpit*, &c.

Theſaurus vbi ſit recõdendus.

Luc. 12. Quis ſit theſaurus hoc loco nominatus.

Tobiæ 4.

Per eleemoſynã theſaurizare docet filiũ Tobias, his verbis: *Si multũ tibi fuerit, abundãter tribue, ſi exiguum tibi fuerit, etiã exiguũ impertire ſtude. præmiũ enim bonum tibi theſaurizas in die neceſsitatis*, &c. Angelus verò Raphael, *Bona*, inquit, *eſt oratio cum ieiunio, & eleemoſyna, magis quã theſauros auri recõdere*, &c. Paul. *Diuitibus huius ſæculi præcipe, non ſublimè ſapere, neque ſapere in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo, qui præſtat nobis omnia abunde ad fruendũ. Benè agere, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, cõmunicare, theſaurizare ſibi fundamentũ bonũ in futurum, vt apprehendãt vitam æternã*, &c. Vult Paulus diuites nõ ſapere ſublime, Græcè, ὑψηλοφρονεῖν, hoc eſt, minime ſuperbire, ſperare in Deo ditiſſimo, qui abundè, Græcè, πλουσίως, id eſt, opulẽtè, hominibus bona omnia ſuppeditat, à quo omnes opes emanãt vt à fonte. Non ſperare in incerto, vel in incertitudine diuitiarũ, ſunt enim incertæ, acfugaces. Præterea bene agere, diuites eſſe bonis operibus, hæ enim verè diuitiæ ſunt, facilè tribuere, & eleemoſynã præſtare. Cõmunicare, Græcè, κοινωνικοὺς εἶναι, id eſt, communicabiles eſſe, humanos, ſocietatis & æquabilitatis amatores. D. Aug. ſer. 5. de Verb. Domini: Diuites, inquit, cõmunicent, id eſt, pares ſuos mortales agnoſcãt, &c. Per *cõmunicantes*, ait Theoph. ſocietatis amantes, & humanos intellige: quibus cæteri deſpicatui non habentur, &c. Denique theſaurizare ſibi opes non incertas & fluxas, in quibus conſiſtere, pedémq; firmiter figere nequeunt, ſed ſolidas, atque æternas. *Theſaurizare ſibi*, inquit, *fundamentum bonum in futurum.* Eleemoſynæ enim, bonaque opera fundamentum bonum, ſolidúmq; ſunt æternæ gloriæ. Quod igitur hic dixit Dominus; *Theſaurizate vobis theſauros in cælo*, per eleemoſynam, ait Paulus, *theſaurizare fundamentum bonum in futurum.* Bonorũ operum actio (ait Theoph.) quam fundamentũ Paulus nominauit, vitã æternam ſibi

Diuites ne ſuperbiant.

Deus fons diuitiarũ.

Diuitiæ incertæ.

Diuites bonis operibus ſumus.

1. Tim. 6.

Matth. 6.

A cõciliare poteſt, &c. Et Oecumenius: Propter hãc vitam (ſcilicet æternã) recondendũ eſt bonũ fundamentũ. Quomodo autẽ hoc eſſe poterit? ſi in hac vita bonis operibus incũbendo, reponamus nobis huius vitæ fundamentũ. Bonorũ nãq; operũ actio, quã & fundamentũ nominauit Paulus, illius fruitionem conciliare poteſt, &c. Itẽ D. Thomas. Theſaurus, ait, ſpiritalis eſt cõgregatio meritorũ, quæ ſunt fundamentũ futuri ędificij, quod nobis prępa-

Oecum.

D. Thom. Theſaurus ſpiritalis eſt congregatio meritorum.

ratur in cęlo. Quia tota præparatio futuræ gloriæ eſt per merita, quę acquirimus per gratiã. Sic ille. Qui ergo eleemoſynã prębet, reliquáq; bona opera pręſtat, in cęlo theſaurizat, ſtabiléq; cæleſtis gloriæ fundamẽtũ præparat. Quia tamẽ theſaurus pecunia eſt, auri, & argẽti: ad eleemoſynã rectè refertur.

B VBI *eſt theſaurus, ibi eſt & cor.* Coniiciũt nõnulli, hoc fuiſſe prouerbiũ vulgare Chriſti tẽpore: fieri poteſt, vt fuerit. ſed quid opus eſt præclaras ſententias propter tenues coniecturas vulgo, non Chriſto tribuere? ſententia potiùs ſit præclara à Chriſto, nõ tanquã vulgi prouerbiũ pronuntiata: *Vbi eſt theſaurus tuus, vbi eſt & cor tuũ*: qua ſecũda ratio continetur, cur in cælo, nõ in ſolo, ſit theſaurus reponẽdus. Theſaurũ, inquit, cor ſequitur: ſi ergo in terra theſaurũ recondis, cor ſimul terra obruis? id verò turpiſſimũ eſt, hominẽ ad cæleſtia natũ, cor in terra ſepelire. In cælo igitur theſaurus eſt reponendus; in cælo poſitus cor ad ſe vocabit, ac ducet. Vbi autẽ eſt theſaurus, ibi eſt & cor, quoniã theſaurus valde diligitur. Vbi igitur theſaurus eſt, ibi amor eſt; vbi autẽ amor eſt, ibi & cor eſt. Hoc vero

Matth. 6.

Secũda ratio cur theſaurus in cælo reponendus.

C (ait Hieron.) non ſolũ de pecunia, ſed & de cũctis paſſionibus ſentiendum eſt. Guloſi Deus venter eſt: ibi ergo habet cor, vbi eſt theſaurus. Luxurioſi theſaurus epulæ ſunt, laſciui ludicra, amatoris libido: huic ſeruit vnuſquiſq;, quo vincitur. Sic ille.

Cor mundanorum vbi ſit. Hieron.

Beatos mũdo corde appellauit Dominus ſupra, Matt. 5. nõ poteſt eſſe mũdũ cor, quod in terra theſaurũ habet, & cũ theſauro ſepelitur. Vnde Aug. li. 2. de ſer. Dom. c. 21. Quomodo, ait, erit mundũ cor, quod in terra volutatur? ſi autẽ in cęlo erit, mundũ erit, quia mũda ſunt quæcumq; cæleſtia. Sordeſcit enim aliquid, cũ inferiori miſcetur naturæ, quãuis in ſuo genere nõ ſordidę. Quia etiã de puro argẽto ſordidatur aurũ, ſi miſceatur: ita & animus noſter terrenorũ cupiditate ſordeſcit, quãuis iſta ipſa terra in ſuo genere, atq; ordine mũda ſit. hæc Auguſt.

Auguſt.

Sordeſcit quidquid miſcetur rebus inferioribus.

D SI *oculus tuus fuerit ſimplex.* Quis dicatur oculus ſimplex ambigitur. de oculo enim corporis agimus. D. Hieronymus videtur intellexiſſe oculum ſimplicẽ eũ eſſe, qui res ſimplices, nõ multiplicatas cernit. Sic enim ſcribit: Lippiẽtes oculi ſolent lucernas videre numeroſas, ſimplex oculus & purus ſimplicia intuetur & pura, &c. Rectius dicitur oculus ſimplex oculus, cui nihil humoris mali eſt permixtũ, vt Caiet. & Iãſen. interpretãtur, & oculus purus, vt etiã Hier. exponit, atq; mũdus. Oculus vero nequã Græcè, πονηρὸς, i. malus, dicitur oculus male affectus, humore aliquo malo obcæcatus. Parabola eſt. *Corporis*, inquit, *lucerna eſt oculus.* Lucerna

Matth. 6.

Hieron. Quis ſit oculus ſimplex, & oculus malus, vel nequam.

domum

domum luce sua illuminat, oculus illuminat corpus, & membra omnia, vt suis fungi possint actionibus. Sic oculus purus est, nullaque mali humoris permixtione excęcatus, totum corpus lucidum est, hoc est illuminatum. Si oculus obcæcatus est, totum corpus, & omnia membra tenebris circumfusa sunt. Quòd si lumen, quod in te est, tenebræ sunt, hoc est, si oculus, qui lucerna tua est, & lux tua, obcæcatus est; ipsæ tenebræ quantæ erunt? hoc est, reliqua corporis membra, quæ natura sua tenebræ sunt, quia nullum nisi ex oculis lumen habent quàm tenebrosa erunt? Obiicimus huic interpretationi, corporis reliqua membra non posse crassiores habere tenebras, quàm oculi obcæcati habent. ideóque sic interpretabimur. Tenebræ ipsæ corporis quantæ erunt? ita vt sit sensus: Si lumen, id est, oculi tenebrosi sunt, quàm crassæ tenebræ te oppriment? Hæc parabola.

Parabola de oculo simplici, & nequam explicatur.

Animi oculus intellectus animi in suis actionibus illuminat.

Chrysost.

Significat autem oculus ex sententia D. Chrys. mentem & intellectum eritque sensus: Si oculus animi, id est, intellectus, fuerit simplex, purus, nullisque tenebris obcæcatus, totus animus lucidus erit, ab eo illuminatus. Si verò thesaurizandi in terra cupiditate fuerit vitiatus intellectus, totus animus erit tenebrosus. Quemadmodum (ait Chrysostom.) in corpore hoc maximè prouidemus, vt oculos habeamus incolumes: sic etiam in anima intellectus conseruemus salutem. Si verò cæcamus intellectum, quo aliis quoque debemus lumen inferre, vnde iā ipsi poterimus aspicere? Sicut enim qui caput fontis obstruxit, totum simul exsiccauit & fluuium: sic etiam qui oculum mentis tenebris obduxit, omnes quoque vitæ istius actus vna confusione cæcauit. Quando enim lucerna extinguitur, quando gubernator mergitur, quando dux ipse capitur, quæ tandem obedientibus supererit spes salutis? &c. Item: Quemadmodū si medicum, cuius ad aliorum ægritudines depellendas sanitas necessaria est, in ægritudinem mittas, & in deaurato cubiculo, lectóque argenteo iacēre præcipias, nihil proficiet omnino languentibus. Ita etiam si mentis principale corrumpens, quo scilicet ingruentibus potes vitiis repugnare, thesauro feceris assidere, non modo nihil omnino profeceris, sed totum prorsus animum læseris, &c. Connectitur hic locus cum superioribus iuxta hanc sententiā hoc modo. Dixerat Dominus: *Vbi thesaurus tuus, ibi est & cor tuum*, id est, mens tua, intellectus, & voluntas. oportet autem cor in cælo esse, non in terra si in cælo sit, purum erit, ac simplex totúmque animum illuminabit. si in terra sit, excæcabitur, totúmque animum circumfundet tenebris. Si autem lumen tuum, id est, intellectus, & mens, tenebræ sunt; ipsæ tenebræ quantæ erunt, id est, quàm crassæ erunt? Vel ipsum corpus, ipsa caro, ipse appetitus, qui tenebrosus est, & lucem ab intellectu & ratione accipit, quàm tenebrosus erit?

Matth. 6.

Oculus animi intentio animum illuminat in suis actionibus vt oculus corpora.

D. Augustinus lib. 2. de serm. Domini, cap. 21. oculū existimat significare intētionem. Iuxta hanc sententiam dicendum est, Dominum, quoniam suprà de inani gloria in eleemosyna, ieiunio, & precatione fugiendā egit, interserere hoc loco parabolā hanc de intentionis puritate. Præterea quia de thesauro agit in cœlo per eleemosynam reponendo: thesaurum autem in cælo reponere nemo potest per eleemosynam absque intentione bona, ideò de intentione purganda verba facit, hunc in modum. *Si oculus tuus*, &c. id est, Quemadmodum cum oculus corporis est purus, totum corpus illuminat, si verò est obcæcatus totum corpus obscurat, ita cùm animi oculus. i. intentio simplex est, pura, & inanis gloriæ sordibus minimè infecta, ieiunium, eleemosynam, precationem, reliquáque bona opera, sua luce collustrat. At verò si praua est, inanis gloriæ vel diuitiarū auiditate corrupta & excæcata, eleemosynę, ieiunio, precationi, cæterisq; bonis operibus tenebras offudit. *Si ergo lumen, quod in te est*, id est, si intentio, quæ lumen bonis operibus præbet, in ipsis bonis operibus, ieiunio, eleemosyna, & oratione tenebrosa est: *ipsæ tenebræ*, id est, peccata tua quanta erunt? Quasi dicat, si bona opera tua sunt tenebrosa propter tenebras prauæ intentionis, ipsa mala opera quàm erunt tenebrosa? D. Gregor. lib. 28. moral. cap. 6. Si hoc, inquit, quod bene agere credimus, ex mala intentione fuscamus, quanta ipsa mala sunt, quæ mala esse, etiam cum agimus, non ignoramus? &c. Vel aliter: Si lumen rectę intentionis in te est extinctum, quantis, quàm crassis tenebris obscuraberis?

Matth. 6.

Greg.

Hanc de intentione interpretationem sequitur etiam Magnus Gregorius loco indicato. Quid, ait ille, per oculum exprimitur, nisi opus suum præueniens cordis intentio, quæ priusquā se in actione exerceat, hoc iam, quod appetit, contemplatur? Et quid appellatione corporis designatur, nisi vnaquęque actio, quę intentionem suam quasi intuentem oculum sequitur? Lucerna itaque corporis est oculus, quia per bonæ intentionis radium merita illustrantur actionis, &c. Aduerte autem intentionem oculo significari, quoniam non solùm voluntatis actum, sed etiam intellectus complectitur, propter quid agat inspicientis.

Tertia ratio cur in terra non sit thesaurus reconditus.

NEMO *potest duobus Dominis seruire.* Nonnulli hæc quoque verba prouerbium fuisse credūt: sed ego Christo tribuo sentētiam, potius quàm vulgo. Non esse in terra thesaurizandum, corque diuitiis insepeliendum, hac tertia ratione confirmatur. Nemo duobus dominis seruire potest; Deus, & Mammona, siue diuitię vel thesaurus, duo sunt domini, ergo nemo Deo & diuitiis seruire potest. Oportet autem seruire Deo, ideò diuitiis non est seruiendum, is autem diuitiis inseruit, qui thesaurū in terra magna cupiditate ac cura recōdit. Oppones, vnum, eundemque seruum posse duobus dominis seruire, videmus enim quotidie eundem famulum & patri seruire & filio, seruire vxori & viro. Respondet Chrysost. verba Christi de duobus dominis intelligenda, qui contraria imperant. Adde, intelligenda de duobus dominis, quibus sit omnino subiectus seruus, qui diuersa iubeant, qui subordinati non sint. Nam pater & filius, vxor & vir, multi etiam subordinari domini, qui idem iubeant, pro eodem reputantur domino.

Matth. 6.

Quomodo nemo possit duobus Dominis seruire.

AVT *enim vnum odio habebit. Vnū*, Hebraismo noto pro primo: *Alterū*, pro secūdo, accipi dicet aliquit, hoc sensu; Aut enim primū dominū odio habebit seruus, & secundū diliget; aut primū sustinebit, & alterū cōtemnet. Sed nihil opus est Hebraismo, absq; illo cōmodissimè verba exponūtur, hoc modo; Aut enim vnū ex duobus dominis, si duos habuerit, odio, & alterum amore prosequetur. Aut vnū ex iisdem duobus, etsi nō diligat tolerabit, illique seruiet, & alterū spernet minimeq; curabit.

Matth. 6. Hebraismus notus vnum pro primo.

NON *potestis Deo seruire, & mammonæ.* Hi sunt duo domini, quibus simul seruire nemo potest, Deus, & Mammona, contraria enim imperia contrarias habent voluntates. Mammona, teste Hieronymo, in Matth. sermone Syriaco, diuitiæ nuncupantur. Obseruat autem Hieronym. non dixisse Dominum; *Non potestis habere diuitias*: sed, *non potestis seruire diuitiis & Deo.* Aliud est enim diuitias habere, aliud illis seruire. ille diuitiis seruit, qui serui instar diuitiarum cupiditati obsequitur, vtque diuitias congreget, crimina non pertimescit. Non dixit

Matth. 6.

Domini contrarij Deus & Mammona.

Hieron. Aliud est habere vel possidere diuitias, aliud illis seruire.

dixit Dominus (ait Hieronymus) qui habet diuitias, sed qui seruit diuitiis. Qui enim diuitiarum seruus est, diuitias custodit vt seruus. Qui autem seruitutis excussit iugũ, distribuit eas, vt dominus, &c. Huius res Chrysostomus homil. 22. in Matth. Iob exemplum nobis proponit. Iob, inquit, diues erat, non tamẽ pecuniæ seruiebat. Sed habebat diuitias, eisque, vt cõgruit, imperabat, nec erat famulus earũ, sed dominus, sicut enim alieni patrimonij dispensator, ita illa omnia possidebat, non modo aliena non rapiens, sed propria, quoque indigentibus largiens, &c. his adiungit; Nõ tales sunt ætate nostra diuites, sed captiuis omnibus deterius affecti, & sicut inuiti cuidam tyranno tributa pendentes, non quiescũt è miseria seruitutis. Quasi enim arcem quandã, ita eorum mentes amor auri insedit. Vnde per dies singulos præcepta eis plena iniquitatis imponit, &c. Itẽ Auctor imperfecti, Aliud, ait, est, habere diuitias, aliud seruire diuitiis si habes diuitias, & diuitiæ non te faciunt superbum, aut violentum, sed secundum quod potes, das impotentibus, dominus es diuitiarum tuarum, non seruus. quia non te diuitiæ tuæ tenent, sed tu diuitias tuas, &c.

Captiui diuites sunt Mammonæ veluti tyranni.

Auct. Imp.

Matth. 6.

NE *soliciti sitis animæ vestræ quid manducetis*, &c. A seruitute diuitiarum sollicitudineque liberos nos esse vult Dominus. *Non potestis*, ait, *Deo seruire & Mammonæ*. Ideoque mãmonæ seruitutem & iugum excutite à ceruicibus. Ita verò excutite, vt neque de cibo, neq; de indumento soliciti sitis, sed hæc è manu liberalissimi Dei absque anxia vestra solicitudine, vos accepturos confidatis. Hinc illud, *Omnem solicitudinem proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis*, &c. Dices: numquid anima manducat? ait enim Dominus; *Ne soliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis*; *neque corpori vestro quid induamini*; respondet Chrysostomus propterea dictum; *Ne soliciti sitis animæ vestræ quid manducetis*: quòd anima sine cibo in corpore esse non possit. Aliter, anima sumitur pro vita, vt aliis locis: est enim vitæ causa, in hunc sensum: Ne sitis soliciti vitæ vestræ, quid manducetis, sic Augustinus lib. 2. de ser. Domin. cap. 22. Quæri, ait, solet, vtrum & ad animam cibus iste pertineat, cùm anima incorporea sit? sed animam hoc loco pro ista vita positam nouerimus, cuius retinaculum est alimẽtum istud corporeum, &c. Existimarim animã pro anima accipi, non pro vita. Ratio est; quia in verbis consequentibus sic accipitur: *Nonne anima plus est, quam esca, & corpus plusquam vestimentum?* &c. Duas Dominus hominis partes commemorat, animam & corpus, quarum fecerat mentionem: nisi velis animam etiam hoc loco sumi pro vita.

Mammonæ seruitus excutienda & solicitudo.

1. Pet. 5.

Matth. 6.

An sumatur hic anima pro vita

Matth. 6.

Ibid. Christi prima ratio ad probandum intentum.

NONNE *anima plus est quam esca?* Rationes subiicit Dominus, quibus anxiam de rebus ad vitam traducendam necessariis solicitudinem, à nobis depellat. Prima huiusmodi est. Qui quod maius est dedit, quod minus est, non negabit. Nónne anima siue vita præstantior est cibo? Nónne corpus præcellentius est indumento? Deus animam præstantiorem, præstãtiusque corpus dedit; ergo quod minus est, cibum indumẽtumque largietur. Quod dixit Dominus (ait Hieronymus) istiusmodi est. Qui maiora præstitit, vtiq; & minora præstabit, &c.

Matth. 6.

Christi secũda ratio.

RESPICITE *volatilia cæli*. Secunda ratio. Absque solicitudine volucres à Deo cibum accipiunt, ergo etiam homines accipiẽt, quorum causa volucres procreauit. Si illorum (ait Chrysostomus) quæ propter nos creauit, tantam Deus curam gerit, quantò potius nostri, quos dominos fecit? &c.

Lucæ 12.

Lucæ 12. peculiariter decoruis Dominus loquitur; *Considerate*, inquit, *coruos, quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, neque horreum, & Deus pascit illos. quantò magis vos plures estis illis?* &c. Huc spectat illud Psal. *Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Item Iob: *Quis præparat coruo escam suam, quando pulli eius clamant ad Deum, vagantes, eo quòd non habeãt cibos?* &c. In quem locum D. Gregor. Coruus, inquit, vt fertur, editis pullis escam plenè præbere dissimulat, priusquam plumescendo nigrescant: eósque inedia affici patitur, quoad vsque in illis per pennarum nigredinem sua similitudo videatur, &c. Idem alij scribũt. Sed res est incerta. Meminit autem Christus coruorum potius, quàm aliarum volucrum, quod atri sint, viles, atque voraces, multóque cibo ob caloris vehementiam egentes. Si Deus huiusmodi tetras aues pascit, pascet etiam homines, quorum benignus pater est. *Pater*, inquit, *vester cælestis pascit cæli volatilia. Nonne vos magis pluris estis illis?* estis enim homines rationis capaces, estis Dei filij. Si seruos, & iumenta domus, Pater alit: libentius & indulgentius filios alet.

De coruis Deus peculiarem curam habere dicitur.

Psal. 146.

Iob 38.

Matth. 6.

Ibid. Christi tertia ratio.

QVIS *vestrum cogitans potest adiicere ad staturam suam cubitum vnum?* Tertia ratio sic apud Lucam proponitur: *Quis vestrum cogitando potest adiicere ad staturam suam cubitum vnum? si ergo neq; quod minimum est potestis, quid de cæteris soliciti estis?* &c. Ostendit hominem, etsi nimium sollicitus sit, nimia sua sollicitudine non posse cibum comparare, nisi Deus suppeditet. *Nemo* (inquit) *vestrum cogitans*, Græcè, μεριμνῶν, id est, *sollicitus existens*, potest sua sollicitudine, vel sua sollicita cogitatione, adiicere ad staturam suam cubitum vnũ (quod minimum quidem est) nisi Deus adiiciat. Si ergo minimum quid, id est, cubitum staturæ, vestra sollicitudine comparare non potestis, quorsum de cæteris, id est, victu & amictu comparãdis inaniter solliciti estis? Sicut corpori, ait Chrysostomus, ne exiguum quidem augmentum potes adiicere curando, sed absque tua sollicitudine, illius incremẽta consequeris, ita te oportet etiam alimoniam congregare, &c.

Lucæ 12.

Non possumus nobis victũ nostra sollicitudine sine Deo cõparare.

Chrysost.

Obiicit huic interpretationi ex recentioribus interpres quidam, argumentum hic esse à minori ad maius. At verò adiicere ad staturam cubitum vnum, maius esse, quàm victum & vestitum comparare? Quam ob rem, non esse hunc sensum, si non potestis cubitum vnum adiicere ad staturam, quod minus est, quid de cæteris, id est, de victu, vestitúque comparando, quod maius est, solliciti estis? Itaque ille existimat Christum vocare minimum, id quod est, adiicere cubitum vnum, nõ comparatione victus, & amictus, sed totius corporis, & animæ. Deinde suam interpretationem adiungit; Probat, inquit, Christus his verbis minorem superioris argumentationis, quàm suppresserat. sic enim argumentatus fuerat: Anima plus est, quàm esca, & corpus plus quam vestimentum; sed animam & corpus non vos, sed Deus facit, ergo escam & vestimentum non vos debetis quærere, sed Deus. Illam autem partem minoris propositionis: Animam, & corpus vos facere non potestis: nunc probat. Non potestis vnum cubitum facere, ergo multò minus totum. Hæc ille.

Respondemus, sensum Christi, & argumentationem aliam esse, neque illam minorem esse suppressam. Non enim, vt vult hic auctor, Christus argumentatur, sed hunc in modum. *Anima plus est quam esca, & corpus plusquam vestimentum*: Deus dedit quod maius est, scilicet animã & corpus, ergo dabit quod minus est, videlicet escã & vestimentũ Non igitur suppressa est illa minor, quã ille protulit. Præterea, argumentatio Christi illis verbis tota continetur. *Nonne anima plus est, quam esca, & corpus plusquam vestimentum?* Ad aliam verò transit, cùm subiicit:

subiicit; *Respicite volatilia cæli*, &c. Neque verò reuertitur ad primam argumentationem, cùm ait: *Quis vestrûm cogitans*, &c. Si enim hæc esset minoris suppressæ probatio, primam argumentationem, non secundam sequeretur. Denique verba Christi repugnant illius interpretationi, nostramque probant, sic enim ait Dominus: *Quis vestrum cogitando potest adiicere ad staturam suam cubitum vnum? si ergo neque quod minimum est potestis, quid de ceteris solliciti estis?* ille auctor sic concludit: Non potestis vnum cubitum facere, ergo multò minus totum, id est, animam & corpus. At Christus aliter cõcludit; *Non potestis vnum cubitum facere, quid ergo de ceteris solliciti estis?* De quibus ceteris? Numquid de anima & corpore faciendo? Minimè ergo de ceteris, id est, victu vestitúq; comparando, vt expositum est. Adiunge, illam partem minoris propositionis; Animam & corpus vos facere non potestis, adeò esse perspicuam, vt verisimile non sit, Christum probationem adhibuisse. Tam enim perspicuum est hominẽ non posse facere corpus & animam, immo magis perspicuum, quàm non posse adiungere cubitum suæ staturæ.

Matth. 6.

Quomodo Christus argumentetur.

Obiectioni, quæ illum in hanc impulit explanationem respondemus, Christum non argumẽtari, à minori ad maius. Non enim est sensus. Si ergo neque quod minimum est potestis; quid de maioribus, id est, victu & vestitu solliciti estis; sed, hic est: Nemo vestrûm potest adiungere ad staturam suam cubitum vnum, quæ quidem res minima est. Si ergo rem minimam anxia vestra sollicitudine facere non potestis, inanisque esset huiusmodi sollicitudo, quorsum de aliis rebus solliciti estis? Nónne hæc sollicitudo vana est? Absque comparatione, ostendit in hac vna re minima, inanem esse hominum sollicitudinem in aliis rebus, nisi Deus prouideat.

Tolet.

Toletus concedit Lucæ 12. minus esse cubitum vnum corpori adiicere, quàm escas homini pascendo producere. Maius enim opus putat cibos homini præbere, quàm quantitatem augere. Itaque argumentum est ex illius sententia, à minori ad maius.

Matth. 6. Quarta ratio Christi.

CONSIDERATE *lilia agri.* Quarta ratio circa indumentum versatur. Lilia, inquit, non solùm horti, sed etiam agri, nullam de ornatu sollicitudinem habent: ea tamen Deus sic vestit, vt ipsum Salomonem pretiosissimis indutum vestibus, decore superent. Nam (vt Hieronymus ait) quod sericum, quæ regum purpura, quæ pictura textricum, potest floribus comparari? Quid ita rubet vt rosa? quid ita candet vt lilium? Violæ verò purpuram nullo superari murice, oculorum magis, quàm sermonis iudicium est, &c. Si flores, qui fœnum & herba sunt, quæ hodie viresci, cras in clibanum iniicitur, Deus tam ornatè induit, qui fieri potest, vt homines, vt filios suos, pater cælestis non induat?

Hieron.

Fœnum dicitur lilium, id est, herba. Obseruat Chrysost. Deum herbas magno decore induisse, vt sapientiam suam in terra ostenderet & gloriam. Cuius, inquit, rei gratia, tanto decore etiam herbas vestiuit Deus? Vt suam sapientiam ostenderet, copiámque virtutis, vt vndique eius gloriam discereremus. Non enim cęli tantummodo enarrant gloriam Dei, verùm etiam terra. Nam hoc quoque Dauid dicit: *Laudate Dominum ligna fructifera, & omnes cedri.* Alia quidem fructu, alia magnitudine, alia decore laudem creatoris transmittunt. Id autem maximas designat diuitias sapientiæ Dei: quãdo etiam in hæc, quæ sunt vilissima, tantùm decoris effudit. Hæc ille, Si agri lilia Deus sic ornat, vt Salomonis gloriam superent in terra. Quonã decore, quáve

Chrysost.

Psal. 148.

pulchritudine filiorum suorum corpora ornabit in cælo? Non ornat in terra, quia non expedit. Locus enim est terra pœnitentiæ ac laborum; non pulchritudinis corporis ac decoris. Quemadmodum Christus corporis sui pulchritudinem eximiam ac splendorem, in resurrectionis tempus reseruauit. Sic nostrorum corporũ decorem in tempus illud, quo resurgemus reseruat. Nunc etsi à liliis superemur, refert parum. Nunc superamur à liliis, tunc solem ipsum astráque splendida superabimus. *Salomon in omni gloria sua non vestiebatur sicut vnum ex liliis.* Nos in omni gloria nostra induemur, sicut induitur summus Deus Christus; iuxta illud Pauli: *Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ*, &c.

Corpora nostra nunc pulchritudine ab aliis superantur, in resurrectione superabunt.

Matth. 6.

Phil. 3.

Præterea, verba illa; *Neque Salomon in omni gloria sua*; D. Chrysostomus interpretatur: *In omni regno suo*, hoc est, quamdiu regnauit Salomon, toto regni sui tempore, numquam indutus est, sicut vnum ex liliis & floribus. Salomon (ait ille) florum decore superatus est. Et non semel aut iterum, sed tota prorsus illa, qua regnauit, ætate, &c. Aliter exponuntur, hoc pacto: *Neque in omni gloria sua*, id est, neque in maxima gloria sua, neque in fastigio summæ suę gloriæ, cùm ornatissimis se vestibus induit, florum decorem vestitu exæquauit.

Chrysost.

HÆC *omnia gentes inquirunt.* Quinta ratio. sollicitudo de victu vestitúque inueniendo, ethnicorum est, ergo cauenda. Ethnici enim de terrenis his rebus maximè sunt solliciti, eásque anxiè inquirunt. Vos autem nolite solliciti esse, quasi Deo diffidatis dicentes: *Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?*

Matth. 6. Christi ratio quinta.

Matth. 6.

SCIT *enim pater vester.* Sexta ratio. Patrem habetis filiorum amantissimum. Scit vos homines esse, non Angelos; atque adeò rebus ad vitam mortalem in terris propagandam indigere. in hunc Patrem curam proiicite vestrã & sollicitudinem. Quæ illius sunt curate, ille curabit, quę vestra sunt. Si Pater vester, & talis Pater (ait Chrysost.) nequaquam profectò patietur despici à se filios mala vltima sustinentes. quando ne homines quidem patres, hoc aliquando patiuntur. Quis pater inuenitur aliquando, qui liberis suis necessaria se non præstare patiatur? &c. Neque verò dicere potestis, Patrem esse, velleque necessaria filiis suppeditare. At quæ illis sunt necessaria ignorare. *Scit enim Pater vester, quia his indigetis*, scit quæ, qualisve natura vestra sit, nempe mortalis, cibi, potus, indumentíque indigens. Ne hoc quidem poteris opponere, ait Chrysost. quòd sit quidem Pater, sint etiam necessaria, quæ à filiis requiruntur. ignoret autem ille, quia in eorum sint indigentia constituti. Est enim omnino clarum, quòd Deus qui naturam ipsam nouit, & eius creator exitit, quique illam talem creando formauit, indigentiam quoque eius magis profectò prospiciat, quàm tu ipse, qui huiusmodi necessitatibus coarctaris, &c.

Ibid. Christi sexta ratio.

Chrysost.

Quanta sit æterni Patris de nobis sollicitudo.

QVÆRITE *ergo primùm regnum Dei & iustitiam eius.* Tandem concludit Dominus quærẽdum regnum Dei & iustitiam eius: ea verò quæ ad victum vestitúmque spectant iis, qui regnum iustitiámque Dei quæsierint, adiicienda. Regnũ Græcè βασιλεία, feminini est generis, αὐτοῦ, id est, eius, masculini. Non igitur potest referri ad regnum, vt retulit Caietanus, sed ad θεὸν, id est, Deum, hoc sensu; *Quærite regnum Dei & iustitiam eius*; scilicet Dei.

Matth. 6.

Hactenus sollicitudinem nostram à rebus terrenis depulit. Nunc quanam in re illa sit collocanda docet, nempe in regno Dei quærendo Deique iustitia. hæc enim inquisitio iure optimo omnem sollicitudinem, omnemq; hominis curam flagitat.

Primũ quærendum Dei regnum & iustitia.

Matth. 6. *Quærite* (inquit) *primum, & ante omnia Dei regnum,* hoc est, vt Dei regnum & Ecclesia per orbem propagetur, per Euangelij promulgationem. Id si faciatis cibus amictusque nō deerit. Euangelij enim prædicatoribus necessaria Deus suppeditat. Sicut *Augus.* omnes militantes (ait Augustinus libr. 2. de serm. Domini cap. 25.) accipiunt annonam, & stipēdium; sic omnes euangelizantes accipiunt victum, & tegumentum, &c. Hoc sensu cum discipulis & Euangelij promulgatoribus loquitur Christus. Amplior sensus probabiliorque est; *Quærite regnum Dei,* hoc est, regnum cæleste, cælestem beatitudinē, Deique iustitiam, id est, iustificationē, gratiam, caritatem, sanctimoniam vniuersam, & hæc omnia terrena vobis adiicientur.

Chrysost. Græcè προστεθήσεται, id est, apponentur. Non dixit, dabuntur, ait Chrysostomus, sed adiicientur, vt scilicet disceremus, horum quæ in præsenti B dantur, nihil esse omnino magnum, si futurorum magnitudini comparentur, &c. Donantur corporalia bona à Deo tamquam maxima bona, & quæ *Corporalia bona quomodo à Deo dentur.* propter se sint quærenda, sed veluti apponuntur bonis animi. Nam propter bona animi, bona corporis conferuntur, illorumque veluti appendices, additamenta, & corollaria sunt. Potuit Dominus dicere; *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius,* secundo loco terrena quærite. Sed quia de solicitudine à rebus terrenis auellenda agebat, ideò noluit dicere? Quærite hæc, sed: *Hæc adiicientur vobis:* nimirum absque vestra solicitudine.

Augus. Augustinus existimat cùm Dominus dixit; *Quærite primum*; significasse corporis bona etiam quærenda esse post bona animi. lib. 2. de serm. Domini, C *An significarit Dominus bona terrena secundo loco quarenda.* capite 24. Cùm Dominus dicit illud, *Primum* (ait Augustinus) significauit quòd hoc posteriùs quærendum est, non tempore, sed dignitate. Illud tamquam bonum nostrū, hoc tamquam necessarium nostrum. Necessarium autē propter illud bonum, &c. Item capite 25. si ideo quæramus cibum, vt habeamus regnum Dei, facimus quod dictum est? *Matth. 6.* *Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia apponentur vobis,* &c. Caietanus tamen vult Christum non significasse terrena quærenda esse. Non refertur, ait, primum necessario ad secundū, sed negat anterius, seu prius. Et propterea hinc non habetur Dominum præcipere, vt regnum Dei quæramus primùm, sic quòd secundariò quæramus D hæc alia. Sed habetur quòd debemus quærere regnum Dei primùm, hoc est, quod nihil ante ipsum quæramus, &c. Augustinum sequor.

Ibid. NOLITE *soliciti esse in crastinum.* Ad auellendam à corpore solicitudinem reuertitur, & in animi bona transferendam. Diuus Augustinus crastinum putat significare bona temporalia. Non enim *Quid significet crastinum.* dicitur crastinus dies, nisi in tempore, vbi præteritо succedit futurum. Auctor imperfecti crastinum superfluum indicare existimat. Quòd, inquit, Dominus dicit, *hodie,* hoc solum significat, quòd opus habemus in vita nostra præsenti. Quòd dicit, *cras,* quòd superfluum est, supra necessitatem ostendit, *Augus.* &c. Est sensus iuxta Augustinum, Nolite soliciti E esse de rebus temporalibus. iuxta Auctorem imperfecti. Nolite soliciti esse de superfluis: Nihil, inquit ille, curetis superfluum habere, quàm necessarium est vobis in vita præsenti, ad vitam quo- *Hieron.* tidianam, &c. Diuus Hieronymus crastinum futurum tempus interpretatur: De præsentibus, inquit, concessit debere esse sollicitos, qui futura prohibet cogitare. Cras in Scripturis futurum tempus *Cras futurū tempus in Scriptura significat.* intelligitur, dicente Iacob: *Exaudiet me cras iustitia mea,* & in Samuelis phantasmate Pythonissa loquitur ad Samuelem 1. Reg. 28. *Cras erit mecum.* Sic Hieronymus. Sumitur etiam *cras* pro tempore futuro. Iosue; *Cras* (aiunt Israelitæ) *dicent filij vestri filiis nostris,* &c. Id est, tempore futuro. Item; *Vos hodie reliquistis Dominū, & cras in vniuersum Israel ira eius desæuiet.* Iuxta hanc significationem exponit Lyranus in hunc sensum: Nolite soliciti esse in futurum tempus. Idem Hieronymus epistola 150. ad Hedibiam quæst. 1. Quidquid, inquit, in præsentibus alimentis necessarium est, hoc vnius diei victus appellatur. Vnde præceptū est, non cogitetis de crastino, hoc est, de futuro tempore, &c. Verisimilius est crastinum significare proprie diem crastinum. Est igitur sensus; Nolite soliciti esse in diem crastinum, de cibo & victu crastino. *Iosue 22.*

Quæstio exoritur; Num patiatur Dominus nos solicitos esse in hodiernum? siquidem solum monet, ne soliciti simus in crastinum. Diuus Hieronymus solicitudinem in hodiernum & præsens, *An patiatur Dominus nos esse solicitos in hodiernum* concessam putat, vt ex verbis citatis liquet. De *diem.* præsentibus, inquit, concessit debere esse solicitos, qui futura prohibet cogitare, &c. Item ad illa verba: *Sufficit diei malitia sua;* Sufficit, ait, nobis præsentis temporis cogitatio: futurorum curam, quæ incerta est, relinquamus, &c. Item Glossa ord. *Nolite soli-* *Gloss. ord.* *citi esse in futurum:* de præsentibus concedit; de futuris, quæ diuina procurat ordinatio, non conuenit solicitari, &c. At verò Christus omni nos solicitudine liberare vult, quæ mentem à diuinis rebus abducit. Solicitudo verò in hodiernum, tam abducit à rebus diuinis mentē, quàm solicitudo in crastinum: ergo si vnam tollit, tollit quoque alteram, cùm ratio in vtraque par inueniatur. Respondetur, Christum omnem solicitudinem tollere nimiam, anxiam, ac non necessariam, quæ à diuinis rebus animam auocat, tam in hodiernum, quàm in crastinum. Necessariam verò, & Deo confidentem, & in hodiernum, & in crastinum non tollere. Est ergo sensus; *Nolite soliciti esse in crastinum,* solicitudi- *Matth. 6.* ne immoderata; superflua, anxia, à cælestibus rebus auocante. Non fecit autem hodierni mentionem, quia solicitudo est de futuris, non de præsentibus iam paratis. Præterea quia solicitudo de crastino, non tantam præ se fert necessitatem, quàm solicitudo de hodierno.

CRASTINVS *dies solicitus erit sibi ipsi.* Græcè, *Ibid.* μεριμνήσει τὰ ἑαυτῆς, hoc est, solicitus erit de eis quæ sua sunt, de suis, de iis rebus, quæ ad seipsum pertinent. Tribuit diei personam; quasi cogitare, & solicitus esse possit. Cùm tamen non dies sit *Quomodo dies solicitus sit sibi.* solicitus, sed in die homo solicitudinem habeat de iis quæ diei sunt necessaria. Est sensus: Nolite in crastinum diem soliciti esse immoderata solicitudine, & non necessaria atque anticipata. Nam ipse dies crastinus suam solicitudinem necessariam afferet; cúmque ille venerit, tunc solicitudinem habebitis necessariam ac moderatam. Quid autem opus est præuertere, atque anticipare solicitudinem, & diem præcedentem sequentis onere & curis onerare? Non dixit Dominus; Crastino die vos eritis soliciti, sed dies ipse erit solicitus. Vt indicaret solicitudinem necessariam. Dies enim necessariam aliam affert solicitudinem, siue curam, homo verò superfluam addit. Præterea, noluit videri concedere nos posse esse solicitos. Forsitan & innuit idem ipsum fore veluti solicitū, si nos soliciti non fuerimus. Nam Deus in die nobis prouidebit.

SVFFICIT *diei malitia sua.* Malitia afflictio dici- *Matth. 6.* tur, cura solicitudóque diei. Non enim est hæc *Malitia significat afflictionē & laborem.* malitia moris, sed laboris; non culpæ, sed pœnæ. Singulos dies sua sequitur malitia, hoc est, suus comitatur labor, sua de victu quærendo solicitudo. Satis sit cuique diei suum onus suaque solicitudo;

Gen. 30.

ne

Chrysost. ne alteram illi addas. Si enim (ait diuus Chrysostomus hom. 23. hodie cures de crastino, & rursus crastino ipso die cures, nónne superfluo ac nimio temetipsum deprimes onere curarum? Cur cogis diem, plusquam ipse sortitus est, afflictionis accipere; & supra proprios eius labores, etiam sequentis diei pondus ei imponis? &c.

Quæ sit solicitudo Christiano cauenda. Quid ergo (dicet aliquis) non licet Christiano de cibo & tegumento curam gerere? non est fas pro victu & amictu laborare? Prima propositio hęc sit. Dominus sollicitudinem prohibuit, non laborem. Ait enim: *Nolite soliciti esse*; non autem ait: *Nolite laborare.* Diuus Hieronymus Matthæi 6. Labor, inquit, exercendus est, sollicitudo tollenda, &c.

Hieron.

Chrysost. Chrysostomus homil. 22. Non dicit Dominus, quia B seminare non debeas; sed quia sollicitus hinc atque anxius esse non debes. Neque ait: Non oportet operari: sed quia pusillanimem esse non oporteat, & curarum angore distendi, &c. Auctor quoque Imperfecti: Non dixit Dominus, Nolite laborare, sed, *Nolite soliciti esse.* Ergo soliciti esse vetamur, laborare autem iubemur. Sic enim & Dominus loquens ad Adam non dixit: Cum solicitudine facies tibi panē: Sed, *Cum labore & sudore faciei tuæ.* Ergo non in solicitudinibus spiritualibus, sed laboribus corporalibus, acquirendus est panis. Sic ille. Lege diuum Augustinum de opere Monachorum tomo 3. Secunda; Si velis hoc documentum ad singulos spectare Christianos, vt suprà dictum iam C est, loquitur Dominus de solicitudine immoderata animi perturbatrice, anxia, non confidente diuinæ bonitati, quæque animum suffocat; iuxta illud: *Solicitudo sæculi istius, & fallacia diuitiarum suffocant verbum*, &c. Item, de solicitudine quæ Mammonæ ancilla est, cupida & auara, ac quærens superflua; hinc enim exorsus est: *Non potestis Deo seruire & Mammonæ; ideo dico vobis, Ne soliciti sitis*, &c. Tertia; Dici potest Dominum præcipuè discipulis, perfectisque viris hoc in loco documentum tradere; & de Apostolica perfectione loqui, cuius est cibum amictumque non admodum curare. Etenim qui Apostolicam sectantur perfectionem, modico cōtenti viuunt, in crastinum non sunt soliciti, à Deo cibum D ac tegumentum magna confidentia exspectant. Laborant tamen, exercitisque vacant siue corporalibus, siue spiritualibus. Quamuis autem præcipuè viris perfectionem sectantibus, qui terrenis bonis remiserunt nuntium, hæc congruant; reliquis etiam modo in secunda propositione explicato conueniunt. Lege Basilium in regulis breuioribus interrogatione 206. & 207.

Laborare iubemur sine solicitudine.

Gen. 3.

Loquitur Dominus de solicitudine anxia, & Mamona seruiēte. Matth. 13.

Matth. 6.

Loquitur Dominus de perfectis, quorum est sine sollicitudine Deo seruire, non Mamonæ.

CAPVT XXVII.

Morale.

De sermone Domini in monte.

Thesaurizandū, sed in cælo. Matth. 6. NOLITE *thesaurizare vobis in terra.* Non prohibet Dominus thesaurizare, sed locum indicat tutissimum & celsissimum, in quo thesaurum recondamus, nempe cælum. *Thesaurizate*, inquit, *vobis thesaurum in cælo*; nam terra locus est mille periculis expositus. Vt verò reliqua euadas; furem euadere non poteris, videlicet, furacissimam mortem, quæ paulò pòst cunctis te opibus spoliabit. *Psal. 48.* Nam, vt est in Psalmo: *Dues, cùm interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius.* Eiusmodi est præsens felicitas (ait Chrysostomus homilia 23. in Genes.) & diuitiarum natura, vt non commigrent, vbi hinc fuerit abeundum, &c.

Chrysost.

A Non commigrant tecum diuitiæ, cùm moreris; si tamen eas dum viuis, in tutum locum transtuleris, tecum commigrabunt. Si sapis igitur, in cælum thesaurum transfer, in quo ab omnibus liber eris periculis. Diuus Augustinus sermone 5. de verbis Domini: Migrandæ, ait, sunt facultates nostræ ad locum veræ vitæ, vt hoc ibi inueniamus, quod hic damus, &c. Aliena regio terra est, & paulò pòst deserenda, cælum patria est numquam relinquenda, in sempiternum verò inhabitanda. In regione aliena, & mox relinquenda thesaurum recondit insanus; in patriam perpetuam transfert mente sanus. Chrysostomus homilia 15. in Ioannem: Ea, inquit, id est, bona nostra & diuitias, nos ipsi ad ciuitatem nostram transmittamus; quibus solis fruemur, aliis minimè. Illa in asylum, & locum tutissimum recondemus; vnde nihil ea possit auferre, non mors, non testamenta, non hereditatum successiones, non calumniæ, non insidiæ, &c. Diuus Chrysologus sermone 22. O homo si hic permansurus es, quæ tua sunt hic repone; si illuc iturus es, hìc, quæ tua sunt, cur derelinquis? Qui relinquenda seruat, alienorum custos est, non suorum, &c.

Exculiatēnostræ in patriam trāsferendæ.

August.

Chrysost.

Chrysol.

Quibusnam baiulis ad transmissionem hanc vtemur? Respōdet diuus Augustinus sermone 50. de tempore; Pauperibus. Quid sunt, inquit, pauperes nisi laturarij nostri, id est baiuli. Das, laturario tuo das, ad cælum portat quod das, &c. Et Chrysologus sermone 7. Præmittamus, ait, thesauros nostros in cælum, sint vectores pauperes, qui possunt sinu suo, quæ nostra sunt, ad superna portare, &c. Quia verò baiuli isti fidelissimi sunt, quæque illis committuntur, in cælum fidelissimè transferunt, adiicit Chrysologus: Nemo de fraude dubitet baiulorum. Tuta est transuectio, per quam nostra ad Deum, Deo fideiussore, portantur, &c. D. Chrysostomus homilia indicata: Transferamus, inquit, in cælum nostras diuitias. Nō nobis camelis opus est. Nullis iumētis, nullis curribus, nullo alio vehendi instrumento, tantùm pauperibus indigemus, claudis, cæcis, infirmis. Hi res & pecunias in cælum perferre, & earum dominos ad æternorum bonorum hæreditatem perducere poterunt, &c. Et homilia 48. in Genesim: In thesauro, ait, inde prædabili reponimus, quæcumque per pauperū manus præmittimus. Eorum enim manus in cælestia promptuaria sibi data reponunt, &c. Et Dominus Matth. *Vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo*, &c.

August.

Pauperes thesaurum in cœlum transferūt.

Chrysol.

Tuta transuectio.

Chrysost.

Matth. 19.

Non amittitur quod pauperibus datur, sed in thesaurum cælestem præmittitur. Diuus Augustinus sermone 50. de tempore; Non perdes, ait, quod dedisti; sed sequeris, quod misisti. Non sine thesauro remanebis, sed quod habes in terra sollicitus, habebis in cælo securus, &c. D. Chrysologus sermone 22. Christus te ditare voluit, non nudare, manere tibi tua voluit, non perire: iussit te transferre, non perdere, &c. Et sermone 43. Ne seruando, inquit, perdas, collige prorogando, dando pauperi, da tibi, &c.

Eleemosyna non amittitur, sed præmittitur.

August.

Chrysol.

Transferendus est thesaurus in cælum, transferendum etiam cor iuxta illud: *Vbi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum.* Quemadmodū pomū in celso arbor is ramo viget, & sanum est: si verò in terram decidat, putrescit: Sic cor, si in cælo defigitur, valet, vegetúmq; est, si hęreat terrenis, putridum fit, cupiditatumq; vermibus arroditur. Audi Augustinum sermone citato: Frumentum, inquit, tuum, times ponere in terra: & cor tuū perdis in terra? Ecce Dominus dat tibi cōsiliū de corde tuo. *Vbi enim*, inquit, *fuerit thesaurus tuus, illic erit & cor tuū.* Leua, inquit, cor in cœ-

Matth. 6.

Trāsferenda cor in cœlū.

August.

Matth. 6.

Putrefcit in terra cor: ab ærugine & tinea exeditur.

in cælum, ne putrefcat in terra, &c. *Nolite*, ait Dominus, *thefauzrare vobis thefauros in terra: vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur.* Ærugo thefaurum in terra defoſſum demolitur & tinea. Cor verò in terra ſepultum, alia peior demolitur ærugo, alia deterior tinea corrumpit, nempe ſuperbia, auaritia, cupiditas, inuidia, fures alij rapiũt & furantur, videlicet caro, dæmones. Ærugo (ait

Beda.

Beda) allegoricè ſuperbiam ſignificat, tinea inuidiam deſignat, fures ſunt dæmones, &c. Hæc Chriſti verba: *Vbi eſt thefaurus tuus, ibi & cor tuum*: vt leges apud Surium in vita diui Antonij Paduani, Diuus Antonius thematis loco propoſuit, in exequiis cuiuſdam vſurarij concionaturus. Inter cetera verò ait; Mortuus eſt hic diues, & ſepultus eſt in inferno. Ite ad thefaurum eius, & in illius medio inuenietis cor eius, corpore iam humato, &c. Abierunt, & cor adhuc calidum in medio nummorum repererunt. Etenim vbi thefaurus erat, ibi & cor diuitis erat. Sed quale cor? nempe cupiditatis ærugine tineaq; exeſum, vitiorumq; putredine corruptum.

Cor diuitũ inter nummos.

Hebr. 4.

Ait Apoſtolus: *Relinquitur ſabbatiſmus populo Dei*, id eſt, ceſſatio & requies illa, quàm ſabbati ceſſatio & requies ſignificabat. Duplex autem eſt ſabbatiſmus, alter in cælo, de quo Paulus loquitur; alter in terra. In cælo populus Dei ab omni opere, & labore curiſque requieſcet, quemadmodum Deus, vt dicitur: *Requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere, quod patrauit.* In terra verò populus Dei, id eſt, ſerui non Mammonæ, ſed Dei, à ſolicitudine, curis, terrenarúmque rerum deſideriis quieſcunt, quarum cupiditas mentem perturbat, ſollicitat, à Deo abducit. Hoc ſabbatum, hanc requiem indicat Dominus illis verbis: *Nolite ſoliciti eſſe animæ veſtræ quid manducetis, aut corpori veſtro quid induamini.* Item illis: *Nolite ſolliciti eſſe in craſtinum*, &c. Quaſi dicat, Chriſtianum ſeruate ſabbatum, Chriſtianam requiem: ſuauis Dominus ſum, ſeruis meis animi ſabbatum requiémque tribuo.

Gen. 2.

Serui Dei à curis & ſolicitudine diuitiarum quieſcunt.

Matth. 6.

Mammonæ imperium inquietum.

Matth. 6.

Exodi 35.

Mammonæ verò inquietum imperium fugiendum ait: *Non poteſtis Deo ſeruire & Mammonæ.* Exod. *Non ſuccendetis ignem in omnibus habitaculis veſtris, per diem ſabbati*, &c. In ſabbato iudaico ac typico, præcepit Dominus, ne ignis incenderetur in domibus Iudæorum: in ſabbato autem Chriſtiano & ſpirituali, præcipit ne inflammetur ignis Mammonæ, & auaritiæ in cordibus Chriſtianorum. Mammona ſabbatum, id eſt, requiem ſeruis ſuis minimè concedit. Inquietus eſt Dominus, immo tyrannus, animum variis ſolicitans curis, atque exagitans. Tyrannum aurum, ſiue Mammonam vocat Gregorius Nazianzenus oratione 24. Aurum, inquit, occultus tyrannus, per quem nunc multa ſurſum deorſumque, velut in talorum ludo iactantur, &c.

Mammona ſeruis ſuis requiẽ non præbet.

Paupertas libera, diuites ſerui.

Diuus Ambroſius in libro de Nabuthe, capite 12. Seruitis, inquit, diuites, ac miſeram quidem ſeruitutem, qui ſeruitis errori, cupiditati, auaritiæ, quæ expleri non poteſt. Captiua eſt opulentia, paupertas libera, &c.

Chryſoſt.

Quàm verò inquietus diuitum dominus ſit, docet Chryſoſtomus homilia 59. in Geneſ. de diuite loquens: Mare, inquit, fluctibus non ita intumeſcit, vt talem animam à cogitationibus, & affectionibus infeſtari videmus, &c. Ambroſius quoque de diuitibus agens in libro de Nabuthe, capite 14. Deſideriorum, ait, ſuorum eſtu voluuntur, & quodam ſalo fluctuant, &c. Cain poſſeſſionem ſignificat à verbo קנה Canah, quod eſt poſſidere vel acquirere. De Cain legitur, *Vagus eris & profugus ſuper terrã.* Is enim qui multa poſſidet & acquirit, vagus eſt in terra & inquietus. Quemadmodum inquietis ac pungentibus muſcis vexati ſunt olim Ægyptij: ita inquietis ac pungentibus ſolicitudinibus vexantur diuites. Gregorius libro 18. Moralium, capite 25. Iſraeliticus, inquit, populus cuſtodiam ſabbati accepit in munere; Ægyptus muſcarum multitudine percuſſa eſt. Populus namque, qui Deum ſequitur, accipit ſabbatum, id eſt, requiem mentis, vt nullo in hac vita deſideriorum carnalium appetitu fatigetur: Ægyptus verò, quæ huius mundi ſpeciem tenet, muſcis percutitur. Muſca enim nimis inſolẽs & inquietum animal eſt. In qua quid aliud, quàm inſolentes curæ deſideriorũ carnalium deſignantur, &c. Muſcæ igitur Ægyptiæ, terrenæ ſunt ſolicitudines, à corde ſerui Dei longè abigendæ: *Nolite*, ait Dominus, *ſoliciti eſſe.* Etenim, ait Eccleſiaſtes, *muſcæ morientes perdunt ſuauitatem vnguenti.* Et vt Gregorius ſcribit eodem loco: Cogitationes ſuperfluę, quæ aſſiduè in animo carnalia cogitante, & naſcuntur, & deficiunt: eam ſuauitatem, qua vnuſquiſque intrinſecus per Spiritum vnctus eſt, perdunt. Quoniam integritate eius perfrui non permittunt, &c.

Greg.

Eccli. 10.

Cogitationes, & curæ deuotionem extinguũt.

Proditum eſt memoriæ, ſummum Pontificem Sylueſtrum, ſabbati & dominici diei nomine retento, reliquos hebdomadæ dies, feriarum nomine diſtinctos appellari voluiſſe, quò ſignificaretur quotidie clericos abiecta ceterarum rerum cura, vni Deo prorſus vacare debere. Ferias voluit hebdomadæ dies vocari, vt doceret à terrenis curis feriandum. Has à terrenis ſolicitudinibus ferias maximè ſacerdotes agere oportet, & religioſos viros, reliquos etiam, quicumque guſtare volunt, quoniam ſuauis eſt Dominus. *Nolite*, ait Dominus, *ſoliciti eſſe animæ veſtræ quid manducetis: & corpori veſtro quid induamini.*

Feriæ eur appellentur hebdomadæ dies.

Feriandũ à curis mũdi.

Matth. 6.

Si de cibo & tegumento neceſſario, nos vult non eſſe ſolicitos; quid de honore diceret, de dominatu, & de ceteris huiuſmodi rebus minimè neceſſariis, vanis, perniciemque animo ſępè afferentibus? Clemens Alexandr. lib. 2. Pædagogi, capite 11. Si de veſte, ait, & deliciis, rebúſque ſuperuacaneis, tamquam non neceſſariam omnino curam tollit Dominus: quid cenſendum eſt eum dicere de nimio ornatus ſtudio, de tinctura lanarum, varietate colorum, ſuperflua cura gemmarum, auri elaboratione, capillis artificioſis, & intortis crinibus? &c.

Si de cibo tollitur ſolicitudo, quid de honoribus &c

Quemadmodum nubes ſolis aſpectum tollunt; ita nimiæ de rebus terreſtribus ſollicitudines rerum cæleſtium tollunt meditationem. Iuſtinianus Patriarcha de affectu, & cupiditate diuitiarum loquens in libro de diſciplina Monaſtica cap. 4. Hic, ait, affectus præſentia amat, temporalia cumulat, ſpiritualia negligit, & cùm totus ſe ſpargit in imis, nihil poteſt amare de ſummis, &c. Quæſtione 68. in Exod. ad illa verba Iethro ad Moſem: *Nunc audi me, & conſilium dabo tibi. Et erit Deus tecum*, &c. Mihi videtur (ait D. Auguſtinus) ſignificari; nimis intentum humanis actionibus animum, Deo quodammodò euacuari. Quo ſit tantò plenior, quantò in ſuperna atque æterna liberius extenditur, &c. At per rerum cæleſtium meditationem in ſuperna extendi oportet Chriſtianum hominem, ac veluti alimento mentem alere. Solam (ait Philo in libro: Quòd deterius pot. inſid.) in terris cæleſtem plantam Deus fecit hominem. Cæterarum plantarum capita defixit in terra. Soli homini ſublime caput dedit, vt alimenta cælitus incorruptibilia quærat, &c. Plantæ, quæ terræ radices infixas habent, è terra alimoniam trahunt; homo cæleſtis planta, quæ in cælum radices attollit, è cælo alimentum contemplando haurit. Vt oculus terram ſimul cælúmque intueri non poteſt: ita idem animus terrenis immoderatiſque curis, & cæleſtium contem-

Solicitudines meditationem tollunt.

Iuſtian.

Auguſt.

Philo.

plationi

Hemo cæleſtis planta eſt, cælo radices infigat. Chryſoſt.

plationi vacare nequit. Oculis corporis terræ puluis lumẽ ſolare eripit, ſi puluere oppleãtur: oculis animi terræ cupiditas lucem diuinam aufert, ſi cupiditate ſuffundantur. Chryſoſt. hom. 35. in Geneſim. Non eſt, inquit, poſſibile, vt qui prę ſentibus eſt mancipatus, ineffabilium bonorum deſiderium accipiat vmquam. Sicut enim plumæ quædam oculos opplentes, ita præſentium cupiditas intellectum obſcurat, & non permittit videre, quid oporteat facere, &c.

Matth. 6.

Abiectas igitur pecudum omitte curas, ſume dignas homine. Quas curas ſumere debes docet Dominus; *Quærite primum*, inquit, *regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicentur vobis*: transferte à rebus terrenis ſollicitudinem ad cæleſtes, à minimis ad maximas, à vilibus ad pretioſiſſimas. Minima ſunt, quæ quæritis, cibum quæritis & amictũ, quem Deus teterrimis etiam coruis donat. Conſiderate, ait, coruos: Deus paſcit illos. Conſiderate Turcas, Mauros, Ethnicos coruis ſimiles. Deus alit illos, & veſtit. Si ergo fœnum hoc, quod hodie eſt, & cras in clibanum tartareum mittitur, Deus ſic paſcit, ſic veſtit; quanto magis vos modicæ fidei? Maiora quærite, ad maiora aſpirate, ad maiora enim nati eſtis, quàm vt corpori, eiúſque curis ſeruiatis. Ethnicus Philoſophus Seneca dixit epiſtola 66. Maior ſum, & ad maiora genitus, quàm vt mãcipium ſim mei corporis, &c. Nonne mancipia corporis ij ſunt, quorum curæ in cibum, potum, amictum, reliquáque huiuſmodi conferuntur?

Corui, Turcæ, Mauri, & fœnum, quod in clibanũ mittitur.

Corporis mancipia qui ſint.

Maiora quærite, ad maiora nati. *Primum quærite regnum Dei & iuſtitiam eius.* Ad regnum Dei nati eſtis, regnũ Dei quærite, cætera deſpicite, & pauperibus largimini. Eſt animi fælicis (ait Chryſol. ſerm. 23.) vt adſcitus ad regnum, parentibus, propinquis, & ciuibus indigentibus liberaliter proroget, quod fuit proprium. Tali prouidentia Dominus iubet, vt vilia largiamur; qui in cæleſti regno, omnia, quę in cælo, & quæ in terra ſunt, volumus poſſidere, &c. Ad regnum natum turpe eſt ſeruire Mammonæ; & de vilibus rebus eſſe ſolicitum. Abiicere debet habitum ſeruitutis (ait Chryſologus eodem ſermone) qui ſe Regem credit diuinitùs conſecratum, &c. & ſerm. 163. O miſerum, inquit, cui cùm detur regnum, ſuſpirat panem. Cùm donetur perpetuitate, deflet potum, cum immortalitatis gloria induatur, plangit corporis veſtimentũ, &c. D. Ambroſius Lucæ 12. Indecorum eſt homines curare de cibo, qui militant regno. Nouit Rex, quemadmodum familiam ſuam paſcat, alat, veſtiat. Et ideo dixit: *Iacta in Dominũ cogitatũ tuũ, & ipſe te enutriet*, &c.

Cæleſtia quærenda, temporalia indigẽtibus roganda. Temporalia ſpernenda propter æterna.

Ambr.

Pſal. 54.

Quærite (ait Dominus) *primum regnum Dei.* Prima cura, præcipua, ac prædominans de regno quærendo ſit. D. Gregor. Iob 21. loco infra citato. Nobis, inquit, in intentione æternitas, in vſu temporalitas eſſe debet, &c. Quemadmodum interuallo longiſſimo ſuperant cæli terram, ſic ſuperare debent de cælo conſequendo curæ, curas omnes terreſtres. Si cum cælo conferatur terra, punctum eſt: ſi cum cæleſtibus curis terreſtres comparentur curæ, punctum ſunt. Punctum illis temporis ſat ſit; reliquum cæleſtibus tribuatur. Qualis eſt proportio inter æternitatem, noſtræque vitæ tempus; tãlem eſſe oportet proportionem inter infinitę æternitatis, & huius breuiſſimæ vitæ curas. Si cum æternitate vita comparetur, nihil eſt; ſi cum æternitatis ſollicitudine, vitæ cura conferatur, nihil ſit. Baſilium lege in regulis breuioribus interrog. 266. Huiuſmodi, inquit, animi inductionem adiuuat, vehemens in exequendis Domini mandatis ſtudium, & inexplebilis eorumdem cupiditas. In qua qui eſt, hic ne ſpatium quidem habet, in quo ad curandas corporis neceſſitates mẽtis cogitatione poſſit dilabi, &c.

Prima, maxima, & prædominãs cura de regno Dei quærẽdo, & noſtitia.

Baſil.

Reſpicite volatilia cæli, ait Dominus. Nõ terræ animantibus, ſed cæli volatilibus ſimiles nos eſſe vult; habere cordis alas, cæloque ſemper volare, terram, eiúſque curas fũgere. *Matth. 6.*

Primum, inquit, *quærite regnum: cætera adiicientur vobis.* Obſeruat Tertullianus lib. 3. cõtra Marcionem cap. 24. benedictionis Iſaac ſtructuram. *Det tibi*, ait Iſaac, *Deus de rore cæli: & de pinguedine terræ*, &c. Prius rorem cæleſtem, poſtea pinguedinem terræ imprecatur. Quoniam priora ſunt cæleſtia terrenis; prius illa quærẽda, hęc poſterius. Prius cęleſtia promittũtur; deinde terreſtria adiiciũtur. Animaduertenda eſt, ait Tertullian, ſtructura benedictionis. Nam circa Iacob qui poſterioris populi figura eſt, id eſt, noſtri, prima promiſſio cæleſtis eſt roris; ſecunda terrenę opimitatis. Nos enim primò ad cęleſtia inuitamur cùm à ſęculo auellimur; & ita poſteà inuenimur terrena etiam conſecuti, &c. Benedictio Eſau aliter ſe habuit in hunc modũ: *In pinguedine terræ & in rore cæli deſuper, erit benedictio tua.* Terræ pinguedo cæleſti præponitur rori. Inuertunt enim ordinem improbi diuites: pinguedinem terræ rori cæleſti, caduca bona æternis præponunt, illa prius quærunt, hæc poſterius; ſi tamen quærunt. *Tertul. Gen. 27. Iuſti prius æterna quærunt, poſtea temporalia, contrà iniqui.*

Domus mea deſerta eſt, & vos feſtinatis vnuſquiſque in domum ſuam, &c. Templum Dei nondum ædificatum erat; Iudęi verò ex captiuitate Babylonica reuerſi, domos ſuas priùs quàm templum ædificarunt. Aiebant autem nondum tempus adueniſſe templi extruendi. eodem capite: *Populus iſte dicit: Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ. Et factum eſt verbum Domini in manu Aggæi Prophetæ dicens: Numquid tempus vobis eſt, vt habitetis in domibus laqueatis, & domus iſta deſerta?* &c. Quærebant hi priùs terrena, quàm cæleſtia, prius domos ſibi quàm Deo conſtruebant. Sic improbi homines prius terrena quærunt commoda, quàm cæleſte regnum. Tempus verò regni cæleſtis quærendi nondum adueniſſe, ſi non ore, ipſis operibus aiunt. *Aggæi 1.* *Iudæi prius domos ſuas, quàm Dei templũ ædificarunt.*

Non quærebant Iudæi primùm domum, & templum Dei, ideò reliqua illis non adiiciebantur. Sic enim eo Aggæi capite leges: *Reſpexiſtis ad amplius, & ecce factum eſt minus, & intuliſtis in domum, & exſufflaui illud. Quam ob cauſam? dicit Dominus exercituum Quia domus mea deſerta eſt, & vos feſtinatis vnuſquiſque in domum ſuam. Propter hoc ſuper vos prohibiti ſunt cæli, ne darent rorem, & terra prohibita eſt, ne daret germen ſuum. Et vocaui ſiccitatem ſuper terram, & ſuper montes, & ſuper triticum, & ſuper vinum, & ſuper oleum*, &c. At iis, qui primùm regnum Dei quærunt, terrena non ſicut præcipua, ſed veluti ſubſidia ad iter agendum, adiiciuntur. *Nõ quæſierunt Iudæi primũ, quæ Dei erant. Ideo temporalia illis non ſunt adiecta. Aggæi 1.*

Præcipua enim ſunt, quæ ad æternitatem pertinent. quæ verò breuiſſimæ vitæ peragendæ ſeruiunt, ſunt adiectitia. Diuus Gregorius Iob 21. ad illa verba, *Quid nobis prodeſt, ſi orauerimus illum?* &c. Qui, inquit, non ait: *Dabuntur*, ſed, *Adiiciuntur*, profectò indicat, aliud eſſe, quod principaliter datur; aliud quod ſuperadditur, &c. Clemens Alexandrinus lib. 4. ſtromat. *Quærite*, inquit, *primùm regnum cælorum, & iuſtitiam.* Ea enim magna ſunt. Parua autem & quæ ad victum pertinent, ea adiicientur vobis, &cet. *Præcipua ſũt æterna, temporalia ſunt adiectiua.* *D. Greg.* *Matth. 6.*

Scit, ait Dominus, *Pater veſter, quia his omnibus indigetis.* Paruulus puer de cibo minimè ſollicitus eſt. Ad Patrem ſollicitudo pertinet, cui filij nota eſt indigentia. Sic paruulus, id eſt, humilis, à faſtu, & Mammona abhorrens, curam alimoniæ immoderatam abiicit, Patrique ſuo Deo confidit. Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædagogi, cap. 5. Qui, inquit, infantes *Paruulus puer non eſt ſollicitus de cibo quærẽdo, patris eſt iſta ſollicitudo.* *Clem. Alex.*

infantes ſumus,humi non amplius volutamur,neque vt antea ſerpentum more in terra ſerpimus, toto corpore in ſtultis cupiditatibus prouoluti.Sed mente ſurſum erecti, mundóque & peccatis renuntiantes,ſuſpenſo pede eatenus terram tangentes,quatenus in mundo eſſe videamur, ſanctã proſequimur ſapientiam. Iure ſunt pueri, qui Deum ſolum Patrem nouerunt, &c. Item: Rerum ac negotiorum, quæ hîc ſunt, iubet Dominus curam abiicere: & ſuadet ſolum Patrem attendere, puellos imitantes.Curis de victu depoſitis ſoli Patri adhærere præcipit,&c. D.Chryſoſtomus homilia 23. in Matth. Nemo,inquit,ad conuiuium iturus opulentum, de ipſius diei cibo ſe curare patietur. Nec ad fontem aliquis accedens, ſolicitudinem de ſitis neceſſitate perpetietur. Nequaquam ergo etiam nos,cùm habemus liberalitatem, & prouidentiam Dei, cunctis fontibus & conuiuiis affluentiorem, inopes nos putemus, &c.

Pueri ſunt qui Deum Patrẽ ſolũ nouerunt.

Chryſoſt.

Non dixit Dominus ſolùm: *Quærite primùm regnum Dei*, ſed etiam iter oſtendit, quo quærendum eſt,nimirum iuſtitiam. *Quærite primùm regnum Dei & iuſtitiam eius.* Per iuſtitiam ad regnum peruenitur. Dicitur Dominus oſtendiſſe Iacob regnum Dei. *Oſtendit illi*,id eſt, Iacob,*regnũ Dei; & dedit illi ſcientiam ſanctorum*,&c. Neque verò regnum Dei tantummodo oſtendit, ſed ſcalam quoque ad regnum pertingentem. Tunc enim regnũ Dei Iacob demonſtrauit Dominus, cùm ſcalam vidit. *Vidit ſcalam ſtantem ſuper terram,& cacumẽ illius tangens cælum*,&c. Similem in modum hoc loco Chriſtus regnum Dei nobis indicat. Et non ſolùm regnum indicat, ſed etiam ſcalam in illud ducentem, videlicet, iuſtitiam. In ſcala illa Angelos tantùm vidit Iacob; in hac quoq; ſolùm ſimiles Angelis homines verſantur. Angelisenim ſimiles ij ſunt homines,qui iuſtitiam colunt; Angelis ſimiles ſunt ij, quos Chriſtus hoc ſermone efformat, ab omni terrena ſollicitudine liberos, cæleſtibúſque totos infixos curis.

Sap. 10.

Gen. 28.

Iuſtitia iter & ſcala ad regnũ Dei.

Nemo poteſt duobus dominis ſeruire.

Illud præterea obſerua, neminem poſſe duobus dominis ſeruire. Vnicum regnum eſt in corde noſtro. Vnum tantùmmodò dominum habeat,vnum Monarcham Deum. Roma,vt condita eſt(ait Hieronym. epiſt. 4.) duos fratres ſimul habere Reges non potuit, & parricidio dedicatur, &c. Et Cyprian.in lib.de idolorũ vanitate: Quãdo vmquam, ait,regni ſocietas, aut cũ fide cœpit,aut ſine cruore deſiit? ſic Thebanorũ germanitas rupta, & permanens rogis diſſidentibus etiam in morte diſcordia.Et Romanos geminos vnũ non capit regnum, quos vnũ vteri cœpit hoſpitium, &c. Cùm Darius regni partem Alexandro offerret, vt leges apud Curt.lib.4. & Iuſtinum lib. 11. reſpondit: *Nec mundum poſſe duobus ſolibus regi;neque orbem ſumma duo regna ſaluo terrarum ſtatu habere. Omniſq; poteſtas* (ait Lucan.) *impatiens conſortis erit.* Nec fert vnus mundus duos ſoles;nec fert vnũ regnum duos Reges;nec vnum cor duos dominos, Deum & mundum, vel dæmonem ferre poteſt. Nec poſſunt tenebræ & lux eodem in loco permanere, nec poteſt dæmon cum Chriſto eodem in corde commorari. Vnde Paulus: *Quæ*, inquit, *participatio luci ad tenebras? quæ conuentio Chriſti ad Belial?* &c. Quemadmodum fieri non poteſt, vt eumdem clauum duo moderentur gubernatores, quorum alter in Orientem, alter nauiget in Occidentem.Sic fieri nequit,vt idem cor Chriſtus moderetur & dæmõ.Chriſtus enim in Orientem,dæmon in Occidentem, Chriſtus in cælũ nauigat,dæmon in tartarũ. Non poteſt mundus duos habere Deos;nec poteſt cor duos habere dominos. Non poteſt (ait Cyprianus in lib.citato) Dei ſublimitas habere conſortem, cùm ſola omnem teneat poteſtatem,&c. Omnem cordis poteſtatẽ ſibi vendicat Deus, conſortem non fert. In naui vnus eſt gubernator(ait Hieron.epiſt.4.) in domo vnus dominus,in quouis grandi exercitu vnius ſignum expectatur, &c. Eodem modo in corde noſtro,vnus tantùm ſit gubernator,vnus Dominus, vnus Dux Chriſtus. Nõne ſæpe & audiuimus,& legimus,animam iuſti appellari ſponſam Chriſti? Vna ſponſa vnum tãtum ſponſum habet; vna anima vnũ tantum ſponſum Chriſtum habeat, veneretur, amet.

Cyprian.

Alexan.

Lucan.lib.1

Vnum cor non poteſt duos habere dominos.

2.Cor. 6.

Monarchia in corde.

Cyprian.

Deus ſolus & amandus & colendus.

Serui eſt dominum eligere;ſeruire nos oportet: dominum eligamus.Nam bonum dominũ eligere in noſtra eſt poteſtate,Deo iuuante,poſitum. Aug. in lib.50.homiliarũ hom. 16. In tuo arbitrio Deus poſuit,cui pares locum;Deo aut diabolo. Cùm paraueris,qui poſſidebit,ipſe imperabit,&c. O térq; quatérque beatum illum,qui Chriſtum eligit,& in corde ſuo veluti throno Imperatorem habet imperantem! O millies infelicẽ,qui dæmonis tyrannidi ſeipſum ſubiicit! Qualis dominus, talia erunt præcepta, talia obſequia. Auguſtinus loco citato: Quomodo, inquit, de interiori palatio, quidquid iuſſerit imperator per imperiũ Romanũ emanat. Quantus motus fit, ad vnam iuſſionem imperatoris intus ſedentis. Mouet ille ſolùm labia,cùm loquitur,& mouetur omnis prouincia, cùm fit,quod loquitur. Sic in vnoquoque noſtrum,intus eſt imperator; in corde ſedet.Si bonus,bona iubet,& bona fiunt. Si malus, mala iubet, & mala fiunt. Cùm ibi ſedet Chriſtus, quid poteſt iubere niſi bona? cùm poſſidet diabolus, quid poteſt iubere niſi mala? Sic Auguſtinus.

Eligamus bonũ dominũ, ſiquidẽ in noſtra eſt poteſtate Deo iuuãte.

Auguſt. Intus in corde eſt imperator, bonus bona iubet, malus mala.

Quàm verò ſit nobilis Chriſti ſeruitus docet Iuſtinian.li.de diſcipl.monaſtica,c.5. Chriſti, inquit, ſeruitus vera ingenuitas eſſe probatur. Reliquæ prætereunt dignitates, hæc inconcuſſa perſiſtit. Mens non apprehẽdit huius præcellentiſſimę ſeruitutis ſancta præconia. Omnis laus hac inferior eſt. Qui veram appetit libertatem, Chriſti ſeruus eſſe feſtinet, &c. Olim virgini præcellentiſſimæ Agathæ,Chriſti obiecit humilem ſeruitutẽ Quintianus: Nónne, inquit, te pudet nobili genere natam, humilem & ſeruilem Chriſtianorum vitam agere? At illa præclarè reſpondit,hunc in modum; Multò præſtantior eſt Chriſtiana humilitas & ſeruitus, regum opibus ac ſuperbia, &c. Nobilis eſt comitis,ducis,principis,regis, imperatoris titulus. At nobilior titulus ſerui Chriſti,quem ſibi meritò Paulus tribuit ad Rom. *Paulus ſeruus Ieſu Chriſti.* Ad Philip.*Paulus & Timotheus ſerui Ieſu Chriſti*,&c. Ad Titum:*Paulus ſeruus Dei*,&c. & Dauid: *O Domine,quia ego ſeruus tuus,ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ*, &c. Magnus autem Gregorius, aliique Pontifices ſummi conſequentes, non ſolùm Dei ſeruos, ſed ſeruos ſeruorum Dei ſe nominarunt.Summa enim gloria eſt, non ſolùm ſeruũ eſſe Dei, ſed etiam ſeruorum Dei.Origenes initio commentariorum epiſtola ad Rom. Omni,inquit, libertate nobilior eſt ſeruitus Chriſti,&c.Et Chryſoſtomus hom.1.in epiſtola ad Philip.Non addit,inquit,Paulus Apoſtolicæ dignitatis titulum, ſed alium quemdã, & ipſum magnificum; ſeruũ profitetur ſeipſum,non Apoſtolum. Nam re vera magna hæc eſt dignitas,omniúmque bonorum caput, ſeruum eſſe Chriſti; nec vulgari modo dici ſeruum Chriſti. Siquidem hic vere eſt liber à peccato.Et qui Chriſti verè ſeruus eſt,nulli alteri ſeruus eſt. Alioqui nõ eſſet ſeruus Chriſti,ſed ex dimidio ſeruus Chriſti, ex dimidio peccati, &c.

Quã ſit nobilis Chriſti ſeruitus. Iuſtinian.

Agathæ.

Titulus Pauli,ſeruus Chriſti, nobiliſſimus.

Rom. 1. Phil. 1. Tit. 1. Pſal. 115.

Chryſoſt.

Huiuſmodi ex dimidio ſeruos non probat Dominus: *Nemo enim poteſt duobus dominis ſeruire.* Iuxta verſionem Sept. Interpr. Pharaoni hæc dicit Dominus: *Dimitte populum meum,vt ſeruiant mihi in deſerto.*

Deus ex dimidio ſeruos non probat. Exodi 8.

Dimitti

Dimitti enim oportet à Pharaone eum, qui Deo vult ſeruire. Deo & Pharaoni, id eſt, diabolo ſiue Mammonæ, ſeruire nemo poteſt. Seruitutem autem præſtari ſibi vult Dominus in deſerto, hoc eſt, extra mundum eiúſque ſolicitudines, quibus animus obcæcatur. Origenes homilia 3. in Exod. Non vult, inquit, Moſes, vt populus in Ægypto poſitus ſeruiat Domino; ſed vt exeat in deſertum, & ibi ſeruiat Domino. hoc eſt, quòd oſtendit: quia donec quis in tenebris ſæcularibus manet, & in negotiorum obſcuritate verſatur, non poteſt ſeruire Domino. Non enim poteſt duobus dominis ſeruire; non poteſt Domino ſeruire & Mammonæ. Exeundum igitur nobis de Ægypto, relinquendus eſt mundus, ſi volumus Domino ſeruire: relinquendus inquam animo. Sic ille.

Orig.

Relinquendus Pluto, & opes ſalnem animo. Pſal. 61.

Relinquendus eſt mundus (ait Origenes) ſaltem animo. Eodem quoque modo Mammona & Pluto relinquendus eſt; iuxta illud: *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere*, id eſt, nolite cor & animum diuitiis tradere; cogitationes ſolicitudineſque veſtras nolite illis impendere; diuitiarum ſerui nolite eſſe; eſtote domini. Lege D. Gregorium Iob 21. ad illa verba: *Non ſunt in manu eorum*, id eſt, malorum, *bona ſua*. Bona, inquit, in manu habet, qui deſpiciendo temporalia ſub dominio mentis premit. Nam quiſquis ea nimiè diligit, ſe magis illis, quàm ſibi ipſa ſupponit. Multi enim iuſtorum diuites fuerunt; quorum mentem quia eorum quæ aderant, delectatio nimia non poſſidebat, bona illorum in manu erãt. Quia poteſtati animi ſubiecta tenebantur. At contra iniqui ita ſe totis deſideriis in exteriorum rerum appetitionibus fundunt, vt non magis ipſi habita teneant, ſed ab iis quæ habent captiua mente teneantur. Ita Gregorius. Lege Ambroſium quoque libro de Nabuthe, capite 15. Quicumque, inquit, patrimonio ſuo tamquam poſſeſſione non vtitur, qui largiri pauperi, & diſpenſare non nouit; is ſuarum ſeruus eſt, non dominus, facultatum, &c. Et capite 14. huiuſmodi diuites *viros* vocat *diuitiarum*, ex Pſal. 57. quoniam diuitiis cor tradiderunt, illiſque ſeruiunt. Diuitias autem virorum eſſe oportet; non viros diuitiarum. Bene, inquit Ambroſius, viros diuitiarum appellauit Pſalmographus; non diuitias virorum, vt oſtenderet eos non poſſeſſores diuitiarum eſſe, ſed à ſuis diuitiis poſſideri. Poſſeſſio enim poſſeſſoris eſſe debet, nõ poſſeſſor, poſſeſſionis, &c. Illud aduerte, ſenſu literali, & Hebraiſmo, virum diuitiarũ dici virum diuitem, quemadmodum vir fortitudinis dicitur vir fortis.

Diuitiis imperandum eſt, non ſeruiendum.

Ambr.

Viri diuitiarum qui.

Diuites iniqui duplici modo bona ſua in manu non habent. Primò, quia non poſſunt ea, cùm è vita migrant, exportare; ſecundò quia illorum ſerui ſunt. At probi diuites duplici modo in manu bona ſua habent. Primò dum viuunt quia eis dominantur. Secundò poſt mortem, quia in cælo illis fruuntur, quod per eleemoſynam ea transferunt. De inſipientibus illud dicitur: *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis*. Somno ſimilis fuit eorum vita, vt Auguſtinus ait in commẽtariis eiuſdem Pſalmi; Diuitias habuerunt inſtar ſomniantium, qui interim, dum ſomniant, diuites ſibi videntur; cùm expergeſiunt, ſuam cernunt oculis vigilantibus paupertatem.

Iniqui diuites duplici modo bona ſua in manu non habent: iuſti duplici modo ſua bona in manu habent. Pſal. 75. Somno ſimilis vita diuitum.

Sic, ait Auguſtinus, illis facta ſunt ipſa præſentia delitioſa, quomodo qui videt per ſomnium inueniſſe ſe theſauros; tamdiu diues, quamdiu non euigilat Somnium illum diuitem fecit: euigilatio pauperem, &c. Item: Tranſit ſomnus iſte, tranſit vita iſta, & nihil inuenerũt in manibus ſuis. Quia nihil poſuerunt in manibus Chriſti, &c. At verò ſapientes diuites, qui theſaurum ſuum in cælo repoſuerunt; cùm dormiunt ſomnum ſuum, id eſt, cùm à vita migrant, theſaurum in manibus ſuis inueniunt. Quia diuitias in manibus pauperum repoſuerunt. Reſpice (ait Aug. eodem loco) manus inanes, ſi vis habere manus plenas, &c. hoc eſt: Reſpice manus pauperum vacuas, imple illas eleemoſynis. Poſteà cùm dormieris ſomnum tuum, non inuenies manus tuas inanes, ſed cæleſtibus diuitiis pleniſſimas.

Auguſt. Diuites auari poſt mortem nihil in manu ſua inueniunt.

Denique, intentionis oculum ſimplicem habere, & purum ſtudeamus, nihilque in eo, quod Dei placitis non conſentiat, toleremus. Quemadmodum ferre non poſſumus in oculo corporis, feſtucam, vel pulueris quidpiam, ſic in oculo mentis, id eſt, intentione, ne minimam quidem impuritatem patiamur. Si oculus intentionis fuerit ſimplex & mundus, opus bonum lucidum erit; ſi autem fuerit nequam, & impurus, opus etiam ex genere ſuo optimum, tenebroſum erit. Eſt intentio operis baſis, & fundamentum. Vt fundamentum firmum oportet eſſe atque ſtabile, ita intentionem. Illa autem intentio ſtabilis eſt, quæ Chriſtum, cæleſtemque intendit gloriam. Quàm verò inanis ac vana intentio ſit, quæ inanem & vanam gloriam ſpectat, ipſum inanis ac vanæ gloriæ nomen aperte indicat. Lege diuum Gregorium, in cap. 38. Iob, ad illa verba: *Super quo baſes illius ſolidatæ ſunt*, &c. Baſes, ait, vniuſcuiuſque animæ ſunt, intẽtiones ſuæ. Nam ſicut fabrica columnis, columnæ baſibus innituntur; ita vita noſtra in virtutibus, virtutes verò in intima intentione ſubſiſtunt, &c.

Ab oculo intentionis vana gloria puluis pellendus.

Greg. in Iob 38.

Intentio baſis animi

Fœmina filium dormiens oppreſſit. Eundem in modum viri fœminini, minime in virtute ſtrennui, dormientes, id eſt, quantam faciant iacturam non expendentes, ex ſe nata opera, conciones, orationes, ieiunia, cæteráque huiuſmodi, per malam opprimunt intentionem; vitáq; & merito priuant. Lege Richardum Victorinum tract. 1. de ſtatu interioris hominis, ca. 7. Quod, inquit, eſt corpus ſine vita, hoc eſt opus ſine intentione bona, &c, Item; Intentio bona virtutum opera ad meriti vegetationem animare conſueuit. Item: Quid iuuat bonorum operum prolem gignere, & eam per intentionis deprauationem necare, &c. Audiamus igitur Patriarcham Iuſtinianum libro de regimine prælatorum, cap. 22. In cunctis, inquit, operibus quicumque animi ſalutem exoptat, intẽtionis ſuæ componat obtutum, & ad illum, quem diuina lex mandat, dirigat finem. Vt non caſſo labore deſudet. Parum quippe prodeſt in alto dignitatum reſidere faſtigio, populorum multitudinis præeſſe regimini, arduа tractare negotia, cum principibus, & regibus familiariter conuerſari, & ſanctitatis & ſcientiæ celebre nomen acquirere, & obliqua intentione hoc agere. Hæc Iuſtinianus.

3. Reg. 3.

Richar. Victorin. Per intentionis deprauationẽ opera veluti filij necantur. Iuſtinian.

CAPVT XXVIII.

De ſermone Domini in monte.

MATTH. CAP. VII.

NOlite iudicare, vt non iudicemini. In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini, & in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis. Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Aut quomodo dicis fratri tuo, ſine eiiciam feſtucam de oculo tuo, & ecce trabs eſt in oculo tuo? Hypocrita, eiice primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis deiicere feſtucam de oculo fratris tui. Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus ſuis, & conuerſi dirumpant vos. Petite, & dabitur vobis, quærite, & inuenietis, pulſate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inueniet: & pulſanti aperietur. Aut quis eſt ex vobis homo, quem ſi petierit filius ſuus panem, numquid lapidem porriget ei? Aut ſi piſcem petierit, numquid ſerpentem porriget ei? Si ergo vos cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris: quantò magis Pater veſter qui in cælis eſt, dabit bona petẽtibus ſe. Omnia ergo quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc eſt enim lex & Prophetæ. Intrate per anguſtam portam, quia lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam. Quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam! & pauci ſunt, qui inueniunt eam.

Matth. 7. An ſeruauerint Euangeliſtæ in deſcribendis Chriſti cõcionibus verborum ordinem?

NOLITE *iudicare.* Subiicit Dominus documenta aliqua ad Chriſtianam vitam ſpectantia. Neque verò de connectendis iis cum ſuperioribus, oportet nos eſſe ſolicitos. ſiquidem in concione de diuerſis rebus agi ſolet, quas omnes non oportet eſſe concatenatas. Ab vna enim re tranſitus ad aliam fit omnino diuerſam. Præterea incertum eſt, an Euangeliſtæ Chriſti conciones eo ordine deſcribant, quo à Chriſto habitæ ſunt. Quemadmodum enim in deſcribendis rebus, ordinem temporis non ſeruarunt, quo factæ ſunt: ita in deſcribendis concionibus ordinem verborum, & documentorum forſitan non tenuerunt, quo dictæ ſunt. Id quod Ianſenius hoc loco exiſtimat: Non dubitandum, ait, eſt Dominum in hoc ſermone fuſius multa dixiſſe, ac pleraque alio etiam ordine, quàm Euangeliſtæ conſcripſerunt, &c.

Ianſen.

Primum documentum aliter à Luca cap. 6. aliter à Matthæo connectitur. Sed non mirum, ſunt enim ſermones diuerſi, vt iam diximus ſuprà. Primum documentum huiuſmodi eſt: Nolite iudicare, vt non iudicemini. Auctor quidam contendit ſic legendum apud Matthæum; *Nolite iudicare, & non iudicabimini, nolite condemnare, & non cõdemnabimini.* Sed ante editionis vulgatæ emendationem ſcripſit. ex ea conſtat ſic legendum apud Matthæum; *Nolite iudicare, vt non iudicemini.* Sequentia verba; *Nolite condemnare, & non condemnabimini;* nec Græci legunt, nec veteres Latini, & ab emendata editione expungũtur in Matthæo. in Luca verò legenda ſunt, ex quo in Matthæum ſunt tranſlata. Sic enim Lucas: *Nolite iudicare, & non iudicabimini; nolite condemnare, & non condemnabimini,* &c. Hæc de lectione.

Varia lectio

Luc. 6.

De quonam iudicio loquatur Dominus.

De quonam iudicio loquatur quæſtio eſt. Dicet quiſpiam de iudicio iudicum loqui, qui ex tribunali ſententiam in reos ferunt. Periculoſum enim munus hoc eſt, in alterum exercere iudicium, hominémque vel bonis, vel ipſa etiam vita priuare.

A Quaſi dicat; Nolite iudices eſſe, propter periculum; ne iudicemini ob ſententias iniuſtè prolatas. Sic Iacobus: *Nolite,* inquit, *plures magiſtri fieri, fratres mei; ſcientes, quoniam maius iudicium ſumitis,* &c. Et Eccleſiaſticus: *Noli quærere fieri iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tua,* &c. Sed de iudicio potiùs, quo temerè proximum iudicamus, verba facere Dominum ſequentia illa verba indicant; *Quid vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides? Aut quomodo dicis fratri tuo, Sine eiiciam feſtucam de oculo tuo,* &c. quod quidem non eſt iudicis è tribunali ſententiam dicentis. Itaque de iudicio B temerario interpretatur Auguſtinus de ſermone Domini, & alij. Nihil aliud, inquit, Auguſtinus, hoc loco nobis præcipi exiſtimo, niſi vt ea facta, quæ dubium eſt, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur, &c. Lege eumdem Auguſtinum ſermone 202. de tempore. Euthymius: Sermo, ait, hic monet, ne qui propria debent inſpicere, & ſeipſos diiudicare; inſpiciant aliena, ac diiudicent alios, &c. Lege Baſilium in regulis breuioribus, interrogat. 164. Anaſtaſium quæſt. 83. & Bedam. Ambroſius Lucæ 6. Addit Dominus, ait, non temerè iudicandum. Ne cùm ſis tui conſcius ipſe delicti, dum alterum iudicas, in te ipſum cogaris C ferre ſententiam, &c. Idem Ambroſius libro de Paradiſo, capite 10. & cap. 12. hæc verba in alium ſenſum accommodat. D. Hilarius in Matthæum ſic exponit; Nolite iudicare de ſponſionibus, id eſt, promiſſis diuinis. Similiter D. Irenæus libro 4. capite 49. Nolite iudicare de diuinis diſpoſitionibus. Rupertus: Quòd, inquit, dicit Dominus; *Nolite iudicare, vt non iudicemini,* hoc eſt dicere; Nolite in iudicando habere odium in cordibus veſtris, &c. Chryſoſtomus homilia vigeſima quarta: Non dicit, inquit, Dominus; Noli cohibere peccantem. ſed noli vtique iudicare, hoc eſt, noli effici iudex amarus, & cetera. Euſebius Emiſſenus, ſiue potius Eucherius, vt vult Cardinalis

Iacobi 3.

Eccli. 7.

Periculum iudicum.

Matth. 7.

De iudicio temerario ſermo habetur.

Auguſt.

Baro-

Baronius tomo 6. Annalium pagin. 8. de Iudicibus locum intelligit. Sic ille scribit; Non iudicandi licentia auferetur, non iustitia prohibetur. temeritas tollitur, ambitio vetatur, crudelitas interdicitur. Tale est igitur, ac si diceret Dominus, Nolite iudicare sine misericordia, vbi misericordia haberi, & custodiri potest. Nolite condemnare; Nolite in danda sententia esse præcipites, expectate, dum ira transeat. diu deliberate sententiam, vt tandem nocentes & impios condemnetis. In propriis autem causis, in quibus iudices non estis constituti, omnibus dimittite, &c. Communis interpretatio, at sequenda est illa D. Augustini. Lege Diuum Thom. 2.2. quæst. 60.

Aduerte de manifestis fas esse iudicare. Vnde D. August. lib. 2. de serm. Domini. Quod, ait, scriptum est infra. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*; de manifestis dictum est, quæ non possunt bono animo fieri, sicut sunt stupra, blasphemiæ, vel furta, vel ebriositas, & siquæ sunt alia, de quibus iudicare permittitur, &c. Item: Sunt facta quædã media, quæ ignoramus, quo animo fiant, quia & bono & malo animo fieri possunt: de quibus temerarium est iudicare, maximè vt condemnemus, &c.

Matth. 7.

Matth. 7. Temerario iudicio pœna talionis proponitur.

VT *non iudicemini.* Temerario iudicio pœnam proponit velut talionis. Nolite iudicare, temeréque proximum damnare, ne à Deo iudicemini. Etenim talionis lege aget Deus vobiscum. Quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini, & pari mensura pœnas dabitis. Abulensis Matthæi 7. quæst. 2. Iansenius, & alij, hæc verba; *Vt non iudicemini*; ad hominum iudicium referunt, in hanc sententiam; Nolite iudicare temerè homines, ne ab hominibus temerè iudicemini. Si enim iudicio temerario iudicaueritis, temerario quoque iudicio iudicabimini, qua mensura iudicij alios mensi fueritis, eadem remetietur vobis. Permittet enim Deus, si aliorum censores temerarij fueritis, vt aliorum in vos censuram patiamini. Non est improbabilis interpretatio. Sed probabilius D. Aug. & alij, de iudicio diuino interpretantur, in hunc sensum, *Nolite iudicare*, temerè, vt nõ iudicemini à Deo, id est, condemnemini à Deo propter temerarium iudicium.

Matth. 7.

IN *quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini.* Difficultatem continent hæc verba, quam Augustinus aliique præuiderunt. Numquid (ait August. lib. 2. de serm. Domini, cap. 29.) si nos iudicio temerario iudicauerimus, temerè etiam de nobis Deus iudicabit. Aut, numquid si iniqua mensura mensi fuerimus, apud Deum iniqua mensura est, vnde nobis remetietur? Respondet. Nullo modo Deus vel temerè iudicat, vel iniqua mensura cuiquam rependit. Sed hoc dictum est, quoniam temeritas, qua punis alium, eadem ipsa te puniat necesse est, &c. Ex sententia ergo Augustini verba sic sunt interpretanda: *In quo iudicio temerario iudicaueritis, eodem iudicio iudicabimini, & condemnabimini.* Nam ipsa iudicandi temeritas vos damnabit. *In qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis.* Quia mensura temerarij iudicij, debitum vobis afferet supplicium. Eundem in modum illud interpretatur: *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt*: quia videlicet peccato ipso homicidij, omnes homicidæ veluti gladio pereunt. Quid (inquit Augustinus) aliud dictum est; omnis qui gladio percusserit, gladio morietur; nisi quia ipso peccato anima moritur quodcumque commiserit? &c. Lege eumdem Augustinum, epistola 49. quæst. 4.

Matth. 7.

Matth. 26.

Respondemus verborum sensum esse huiusmodi; *In quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini*, &c. hoc est, Quomodo iudicaueritis, sic à Deo iudicabimini: si bene iudicaueritis, id est, si proximum non damnaueritis, sed bonam de illo opinionẽ animo conceperitis; Deus bene de vobis iudicabit; hoc est, vos non damnabit, imò præmio afficiet. Si verò malè de proximo iudicaueritis, proximúmque vt peccatorem temerè damnaueritis; Deus vos male, id est, in malum vestrum iudicabit, peccatíque & supplicij reos habebit. Vos tamen facietis temerè, Deus autẽ magna cum causa faciet. Nam omni similitudine, & comparatione, quæ à creatis rebus depromitur, cùm de Deo sermo est, quidquid mali, vel imperfectionis est, longè propellere oportet.

In similitudine omni, qua Deus creatura assimilatur, imperfectio omnis tollẽda à Deo est.

Verba autem illa: *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*: idem significant, quòd, In quocumque iudicio iudicaueritis, iudicabimini. Qua mensura proximum nos metimur, eadem nos metitur Deus, quoniam si proximum reum temerè iudicamus, Deus quoque nos ducit reos. sed nos temerè iudicamus, Deus iustissimè. Quis autem sensus sit verborum Christi; *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt*; Matth. 26. suo loco Deo faciente dicetur.

Qua mensura metimur, eadem colligimus.

Matth. 26.

QVID *vides festucam in oculo fratris tui?* Eos increpat Dominus, qui aliorum minora peccata cernunt, & incusant, sua maxima nec accusant, nec vident. Festucas appellat minora, trabes peccata maiora. Veniale peccatum quispiam si in alio acutè cernat, & carpat, cùm ipse mortifero sit obstrictus; is festucam alieno in oculo cernit, trabem in suo non videt. Precipit Dominus, trabem vt eiicias tuam, deinde festucas pellas alterius. A te incipe, vt aliis prodesse possis, ne tibi possit quispiam obiicere: *Quid vides festucam in oculo fratris, & trabem in oculo tuo non vides?* Si alterius curam gerere cupis (ait Chrysostomus homilia 24. in Matthæum) te ipsum antè curato, &c.

Matth. 7.

Quid sit festuca, & trabs in oculo?

HYPOCRITA *eiice primum trabem.* Hypocritam appellat, qui dicit fratri; *Sine eiiciam festucam de oculo tuo*: quoniam ob inanem hoc faciebat gloriam, vt minima quæque vitia videretur habere odio, & emendare velle. Volebat videri id, quod non erat, id verò hypocrisis est. Diuus Augustinus serm. 59. de tempore: Mihi, inquit, videtur & ille hypocrita esse, qui dicit fratri suo; *Dimitte, vt tollam festucam de oculo tuo*, propter gloriam hoc faciens, vt ipse esse iustus videatur; vnde ei à Domino dicitur: *Hypocrita*, &c.

Matth. 7.

Quid hic sit hypocrita.

August.

NOLITE *dare sanctum canibus.* Secundum documentum, de mysteriis est Christianæ fidei non propalandis. Habent enim velum suum Sancta Sanctorum, quo sunt cùm oportet obtegenda, nec profanis in cassum patefacienda. *Nolite*, ait, *dare sanctum canibus, nec mittatis margaritas vestras ante porcos*, &c. hoc est, Fidei Christianæ sancta & occulta mysteria, pretiosasque gẽmas, hominibus flagitiosis, impuris, veritatis impugnatoribus ne pandite: quos videtis nihil, si pandatis, fructus percepturos, quin potiùs & docentibus perniciem & mysteriis contemptum, & conculcationem allaturos. Chrysostomus libro 1. de compunctione, sanctum, & margaritas, mysteria diuina vocari existimat, Augustinus quoque libr. 1. de adulterinis coniugiis, cap. 27. Gregorius item Nazianzenus oratione 1. Canibus, inquit, sancta proiicimus, atq; ad porcorum pedes margaritas mittimus, prophanis auribus & animis doctrinam diuinam euulgantes, &c. Euthymius; *Sanctum*, inquit, *& margaritas*, appellauit Christus fidei nostræ mysterium. *Sanctum*, vtpote diuinum, *margaritas*, propter pretiosa dogmata. *Canes, & porcos*, vocauit eos, qui immedicabili tenentur impietate, &c. Hieronymus: Non conuenit iis porcis, & canibus citò Euangelicum credere

Matth. 7.

margaritum, ne conculcent illud, & conuersi nos incipiant dissipare, &c. Mysteria veritatis (ait Auctor imperfecti) margaritæ sunt. Quia sicut margaritæ inclusæ cochleis, positę sunt in profundo maris, sic diuina mysteria in verbis inclusa posita sunt in altitudine sensus sacrarum Scripturarum, &c. Diuus Augustinus lib. 2. de sermone capit. 31. Margaritæ, quæcumque spiritalia magni æstimanda sunt. Et quia in abdito latent, tamquam de profundo eruuntur, & allegoriarum integumentis quasi apertis conchis inueniuntur. Lege Magnum Gregorium in comment. 1. Reg. 5. in fine, & 3. parte Pastoral. capite 5.

Mysteria fidei margaritæ sunt.

Mysteria latent in abdito.

Matth. 7. Verba illa: *Et conuersi dirumpant vos:* Caietanus refert ad canes, sic enim interpretatur, & canes conuersi dirumpant vos. Nam potius canum, quàm porcorum esse videtur hominem inuadere, illúmque dirumpere. Erasmus quoque hunc sensum sequitur. Sed dicendum potius, hæc verba ad porcos referenda esse. hoc enim suauis postulat explanatio. *Nolite dare Sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos*, id est, impios homines, *ne forte conculcent eas pedibus suis*, ipsi porci, id est, impij: *& conuersi* iidem, id est, versi in vos, *vos* lacerent, ac *dirumpant*. Inuadere enim hominem & dirumpere possunt apri, agrestésque porci. Præterea etsi non soleant hominem dirumpere, de hominibus impiis Christus loquitur, qui id facere solent.

Matth. 7. De oratione agit Dominus. Chrysost. PETITE, *& dabitur vobis.* Tertium documentum orationis studium commendat, quæ ad ea, quæ hactenus tradita sunt obseruanda, auxilium Dei exposcit. Vnde Chrysostom. hom. 24. Non solùm, inquit, nos oportet studere virtutibus, sed ad tantum opus, diuinum inuocare præsidium. Veniet enim atque aderit Deus, & nobiscum certamina ipsa tractabit, ac facilia nobis cuncta perficiet. Propterea & petere præcepit Dominus eisque se daturum spopondit, &c. Auctor imperf. Quoniam, ait, maiora erant mandata, quàm virtus humana est, transmittit eos ad Deum, cuius gratiæ nihil est impossibile, dicens: *Petite, & dabitur vobis*, vt quod ex hominibus consummari non potest, per gratiam Dei impleatur, &c.

Studium orandi & vigilãtiam significat locus. Vtitur Dominus verborum coaceruatione, idémque diuersis verbis exaggerat: *Petite*, inquit, *& dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis*: hæc enim tria idem significant, nimirum summo cum studio, & vigilantia orandum esse Deum, vt vult D. Augustin. lib. 1. retractationum, capite 19. Operosè, ait, tria ista, quid inter se differant exponendum putaui, in libris de sermone Domini in monte; sed longè melius ad instantissimam petitionem omnia referuntur, &c. Sensus ergo est, Petite à Deo, quæ vobis opus sunt, quærite instanti precatione, fores Dei pulsate, ne desinatis. Ita quod petieritis impetrabitis. alia moralia quære in Morali. Druthmarus Matth. 7. ita interpretatur; *Petite animo, quærite verbis, pulsate operibus.* Item: *Petite verbo: quærite operibus bonis, pulsate perseuerantia.* Itẽ: *Petite fide, quærite spe, pulsate caritate.* Sic ille.

Augustin.

Druthmar.

Matth. 7. OMNIS *qui petit accipit.* Vt accipiat, qui petit, aliquæ sunt adhibendæ conditiones. Nec enim simpliciter, & absque vlla adiectione, intelligenda est huiusmodi propositio, & similes. Lege D. Thomam 2. 2. quæst. 83. artic. 15. ad 2, quo loco quatuor numerat conditiones, ad impetrandum, quæ postulamus à Deo, necessarias. Ponuntur, inquit, quatuor conditiones, quibus concurrentibus semper aliquis impetrat, quod petit. Scilicet, *vt pro se petat, necessaria ad salutem, piè, perseueranter*, &c. Piè exponit Abulensis Matthæi 7. quæst. 15. cum pietate, & latria. His quatuor conditionibus, adde fidem, fiduciam, humilitatem, caritatis feruorem, & similes. Oportet enim orationem magno cum virtutum comitatu, in cælum ascendere, Euthymius Matthæi 7. Qui petit, nec accipit, aut indignè petit, aut nõ perseuerat, aut tepidè petit, &c. D. Chrysostomus homilia 24. in Matth. Duo, inquit, adesse oportet oranti. Vt scilicet, & vehementer petat, & illa proculdubio quæ petẽda sunt, &c. Lege diuum Basilium constitutionum Monast. capite 2. Non impetrasti, ait, quia non rectè petisti: videlicet, aut, dubitabundus, aut aliud agens, aut quæ tibi vtilia non erant futura. Quòd si, & quæ tibi erant vtilia sæpè petiusti; at perseuerantiam non adhibuisti, &c. Lege etiam Augustinum in comment. Epistolę 1. Ioannis, capite 3. ad illa verba: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus accipiemus ab eo. Quoniam mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo facimus*, &c. Lege eundem tract. 73. in Ioannis Euangeliũ & Psal. 59.

Quæ sint ad obtinẽdum, quæ à Deo petuntur necessaria.

1. Ioan. 3.

Matth. 7. SI *vos cùm sitis mali.* A minori ad maius, à terreno patre ad cælestem argumentatur, fiduciámque ad petendum excitat. *Si vos*, inquit, *cùm mali sitis*, id est, peccatis infecti; *nostis filiis vestris*, etiam non petentibus, bona dona largiri; quid de Deo patre optimo, sentiendum est? Quanto maiori amore & liberalitate, eximia dona summa contentione petentibus filiis largietur?

Matth. 7. OMNIA *ergo quæcumque vultis.* Quartum documentum præceptum continet, à natura animis nostris inditum. *Quod tibi fieri vis boni, id fac alteri.* Docuerat Dominus non esse iram aduersus proximum concipiendam, non esse hominem odio habendum, neminem temerè iudicandum, & alia. Nunc de iis, quæ ad proximum spectant concludit, in hunc modum; *Ergo omnia quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis. hæc est enim lex, & Prophetæ*, hoc est, hæc est summa legis, & Prophetarum. Vel, hoc docent lex, & Prophetæ. Est autem hoc naturale principium, summa legis, & Prophetarum, quod ad dilectionem attinet proximi. dilectionem enim Dei non complectitur. Nisi dicere velis complecti etiam Dei dilectionem, propterea quòd proximi vera dilectio ex dilectione Dei veluti fonte profluat. Quem in modum Paulus quoq; explicari potest, cùm ait: *Omnis lex in vno sermone impletur, Diliges proximum sicut te ipsum.* Nam qui proximum verè diligit, propter Deum illum diligit, Deum autem magis diligit, & vtrumque implet dilectionis præceptum, tùm Dei, tùm proximi. Lege Augustinum lib. 2. de sermon. Domini, cap. 34. & libr. 8. de Trinitate cap. 7. Apud Tobiam cap. 4. alteram huius præcepti habes partem, videlicet: *Quòd ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.*

Quod tibi vis fieri, alteri feceris.

Summa legis & Prophetarum quomodo sit

Gal. 5.

Quomodo qui proximum diligit, legem impleat.

Hoc autem præceptum parum differt ab illo, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Augustinus idem esse ait lib. 2. de serm. Domini, cap. 24. Cùm, inquit, de hominibus dictum est: *Omnia quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, ita & vos facite illis*; nihil aliud dictum videtur, quàm, *diliges proximum tuum sicut te ipsum*, &c. De hoc Paulus *qui*, inquit, *diligit proximum, legem impleuit*, &, *plenitudo legis est dilectio*, &c. Qui autem diligit proximum, legem impleuit, quoniam Deum quoque diligit, & propter Deum diligit proximum. Nam lex & prophetæ, vt Dominus affirmat Matthæi 22. non ex vno, sed ex duobus præceptis pendent; *in his*, ait, *duobus mandatis vniuersa lex pendet & prophetæ*; altero de dilectione Dei, altero de dilectione proximi. Potest etiam Paulus sic explicari. Qui diligit proximum, legem impleuit, quæ videlicet, de dilectione proximi præcepta tradit.

Matth. 7.

Matth. 22. Rom. 13.

Matth. 22.

INTRA-

Matth.7. INTRATE *per angustam portam.* Quintùm documentum, quale cęleste sit iter indicat, quale tar-
Porta arcta cæli, lata tartari. tareum. In cælum angusta, in tartarũ lata itur via: hæc viatorum multitudine redundat, illa à paucis teritur. *Intrate*, inquit, *per angustam portam, lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem*, id est, tartarum. *Et multi sunt, qui intrant per eam.* In orcum ducit via lata, & improborum hominum multitudine plena est. De cælesti addit; *Quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam?* id est, cælestem beatitudinem. *Et pauci sunt, qui inueniunt eam.* Non solum est arcta, sed etiam ignota, nam à paucis quæritur, & inuenitur.

Lata via omnibus sese offert, arctam semitam quærere oportet, vt inuenias. Hieronymus Matth.
Lata via se offert, non quæsita. 7. Latam, inquit, viam non quærimus, nec inuentione opus est, sponte se offert, & errãtium via est. Angustam verò viam, nec omnes inueniunt, nec qui inuenerint, statim ingrediuntur per eam. Siquidem multi inuenta veritatis via, capti sæculi voluptatibus, de medio itinere reuertuntur, &c.

Qualis via, talis porta. Lata via Orci est, & lata porta, capiens plurimos. Arcta via cæli, arcta & angusta porta. Orci porta Ethnicos, Mahometanos, Iudæos, hereticos, scortatores, periuros, fures,
Quot & quanti per latam viã ingrediũtur huiúsque furfuris immensam excipit multitudinem. Cæli portam pauci ingrediuntur. Pauci enim sunt, qui inueniunt eam. Attamen, nequaquam (ait Chrysostomus homil. 24.) ad multitudinem oportet aspicere, neque exemplorum densitate
Hieron. turbari. Sed imitari paucos, qui hoc nos itinere cautissimè incedere hortantur, &c. Lege epistolam 14. D. Hieronymi, siue D. Paulini ad Celantiam; Vide, inquit, quanta inter has vias separatio fit, quantúmque discrimen. Illa ad mortem, hæc tendit ad vitam, illa teritur à multis, hæc vix inuenitur à paucis, illa vitiis per consuetudinem quasi decliuior, ac mollior, hæc insueto calle virtutum tristior, & horridior, &c. Item: Ponamus rationem vitæ nostræ, & per quam potissimùm gradiamur viam, conscientia teste discamus. Omne enim quod agimus, omne quod loquimur, aut de lata, aut de angusta via est, &c.

Obiicies, si arcta cæli via est, & porta angusta, non
Matth. 11. potest Christi suaue esse iugum, & onus leue. At Christus iugum suum suaue esse & onus leue affir-
Quomodo si via arcta est, sit Christi iugum suaue. mat: Non est ergo arcta via cæli, sed lata. Respondemus, viæ suauitatem non in latitudine esse positam. Potest enim arctissima via esse, sed amœnissima florum fontiúmque aspectu iucundissima. Talis cæli via est. Arcta est, angusta est, sed florum, vmbrarum, fontiúmque præstans amœnitate. Etenim virtutum omnium odoriferis floribus nitet, arboris illius celsissimæ, nempe Crucis, saluberrima vmbra opacatur, fontium, id est, sacramentorum cælestibus aquis viatores mirum in modum reficit, ac recreat. Admirabilium etiam rerum, qui ex ipsa patet, prospectus, viæ difficultatem tollit. Etenim ex illa cæli æterna gaudia, tartari dolores æterni, rerum caducarum vanitas, rerum cælestium soliditas, virtutum eximia pulchritudo, vitiorum horrẽda fœditas prospicitur. Quo theatro mens rapta, viæ asperitatem ducit pro nihilo. Accedunt Christi optimi, maximi, sanctissimorúmque virorum, in illa altissimè impressa vestigia, quæ qui intuentur, ipsa viæ angustia, & arctitudine, non solùm non deterrẽtur, verũ etiã delectantur.

Viæ finis cõsiderandus. Nam viam facit lata, vel arctam. Adde viæ finem, etsi longissimæ, toti viæ afferre suauitatem. Iucunda enim via est, quæ ad thesaurum ducit locupletissimum, etsi redũdet sentibus. Quis opulentior thesaurus æterna vita? hic arctæ viæ finis. *Arcta via est*, dicit Dominus, *quæ ad vitam ducit*, scilicet æternam. Quotiescumque finem viæ cogitaueris, toties tibi via ipsa non arcta, sed lata videbitur. *Non enim sunt condignæ passiones huius temporis* (ait Paulus) *ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* *Rom. 8.* Vtinam latæ viæ finẽ viatores sibi ante oculos proponerent, non lata, sed arctissima potius videretur. *Lata via est* (ait Dominus) *quæ ducit ad perditionem*; *Matth.7.* scilicet æternam. Quis non totis artubus contremiscet, si horrendum hunc finem animo conceperit? Heu, clausis oculis ad perditionẽ ducuntur, miseri spatiosæ viæ viatores. Quà, id est, quam amœna via eant, considerant: non quò, id est, in quem locum eant. At verò potiùs est considerandum quò, quam quà, iter habeas. *Statim eam* *Prou.7.* *sequitur quasi bos ductus ad victimam*, &c. Per pinguissima pascua bos tendit ad victimam: sed quò tendat nescit. Eum in modum per amœnam viam impius in perditionem ducitur, sed quò ducatur minimè considerat. Chrysostomus homil. 24. in Matth. Tu nequaquam istud aspicias, quia hæc *Chrysost.* via vel arcta, vel aspera est, nec quia lata, & spatiosa est illa contraria: sed quonam hæc vtraque perducat, &c.

CAPVT XXIX.

Morale.

De sermone Domini in monte.

NOLITE *iudicare, ait Dominus, & non iudicabimini.* *Matth.7.* Neminem Deus iudicat temerè, sed causa optimè perspecta fert sententiam. Dei imitatorem *Temerè non iudicandũ.* oportet esse hominem; quod tibi omni ex parte perspectum est iudica, quod latet noli iudicare, ne iudiceris. Iniquus & temerarius iudex est, qui de causa ignota sententiam dicit. Ignotæ nobis sunt hominum cogitationes, ignotæ intentiones, notæ Deo. Deo igitur iudicium cordis relinquendum est, homini non vsurpandum. Vt enim ait Paulus de Christo loquens, quem λόγον appellat, id est, *Hebr.4.* sermonem, vel Verbum; *Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ, ac spiritus, compagum quoque, ac medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis*, &c. Qui discretor est cogitationum, & intentionum cordis, hic iudex est cordis. homo verò, quem cor hominis latet, si de corde iudicare velit, vt cæcus de coloribus, in tenebris iudicabit, cùm iustitiæ sol, cordium tenebras in die iudicij illuminabit, iuxta illud Pauli. *Nolite ante tẽpus iudicare, quo-* *1.Cor.4.* *adusque veniat Dominus. Qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*, &c. Augustinus lib. 2. de serm. Domini, cap. 28. De manifestis, inquit, iudicemus, de occultis verò iudicium Deo relinquamus, &c.

In qua mensura mensi fueritis (ait Dominus) *reme-* *Matth.7.* *tietur vobis.* Optima mẽsura caritas, hac proximum *Mensura optima caritas.* metiamur. *Caritas* (ait Paulus 1. Corint. 13.) *non cogitat malum*: hoc est, vt interpretatur Chrysostomus, nõ suspicatur quidquam mali aduersus eum, qui diligitur, eodem loco idem Chrysostomus; Caritas, inquit, non tolerat malam suscipere su- *Caritas nõ cogitat malum, non iudicat temerè.* spicionem, vnde est fons iræ, &c. & Theodoretus; Non cogitat caritas malum; id est, ignoscit iis, qui errarunt, existimans ea non esse facta malo animi proposito, &c. Quemadmodum sol atris nubibus aureum donat splendorem: sic caritas dilecti proximi operibus, quæ atroris aliquid habere videntur, auream tribuit excusationem. Nescit praue iudicare, qui nouit amare. Nõ æquè inimici audiunt,

Hieron. audiunt, & amici (ait Hieronymus epist. 61. ad Pammachium) qui inimicus est, etiam in scirpo nodum quærit, amicus prava quæque recta iudicat. scribunt sæculi literæ amantium cæca esse iudicia, &c. Amoris cæcum est ad mala cernenda iudicium; oculatum ad videnda bona. Si proximum amaueris, à temerario iudicio longè aberis. Caritas trabes proximi in festucas conuertit. Odium ex festucis trabes excitat, & in scirpo (vt ait Hieronymus) vbi nullus est nodus, nondum quærit.

Amantium cæca iudicia.

Inimicus nodum in scirpo quærit.

Nosmetipsos iudicemus, non alios.

Matth. 7.

Te ipsum iudica, alios non iudicabis. *Vt quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides?* trabem considera, vitia tua expende, proximi vitia non videbis. In aliorum delictis (ait Chrysostomus, lib. 1. de compunctione) seueri, & amantissimi iudices residemus, nostras autem trabes non videmus, &c. Et Hieronymus ad Augustinum epistol. 91. Illa est vera inter amicos reprehensio, si nostram peram non videntes, aliorum iuxta Persium, manticam consideremus, &c. Persius verò sic:

Persius Satyra 4.

Vt nemo in sese tentat descendere, nemo:
Sed præcedenti spectatur mantica tergo.

Singuli homines duas habent manticas.

Nemo, inquit, in suum pectus cogitatione descendit; nemo sua, sed aliena vitia considerat. Etenim singuli homines binas dicuntur habere manticas, siue peras: alteram ante pectus, alterâ à tergo pendentem. In illam, quæ à tergo pendet, sua; in alteram, quæ ante pectus, & ante oculos est, aliena immittunt vitia. Nostras enim trabes obliuiscimur, & velut in mantica post tergum gestamus; alienas verò festucas ante pectus, & oculos ponimus. Hoc vitium Horatius in hunc modum carpit:

Horat. Satyra 3.

Cùm tua peruideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quàm aut aquila, aut serpens Epidaurius? &c.

Greg. At cõtra ij, qui ad alta virtutum surgere veraciter appetunt (ait D. Gregorius, lib. 3. Moral. ca. 18. cùm alienas culpas audiunt, mox ad cor proprias reducunt. Et tantò rectius illas diiudicant, quantò verius istas deplorant, &c.

Peccata trabes, & festuca ignis materia.

Obseruandum Dominum peccata trabes appellasse, & festucas. Vt enim ait Chrysostomus homil. 24. in Matthæum, grauius trabe est peccatum, &c. Ex his trabibus tartarea extruitur pyra. Caue ergo ne æterno igni fomenta suggeras. Parua etiam peccata ne tolera. Nequit oculus paruam tolerare festucam; nequeat conscientia paruam tolerare maculam.

Qui vult alterius festucam eiiecere, trabem sua tollat.

Greg. Mag.

Videbat hic hypocrita festucam, vt eiiceret. At multò peius multi festucas, id est, peccata vident, non vt eiiciant, sed vt de homine detrahant. Festucam eiicere volenti dicitur; *Eiice primum trabem de oculo tuo.* quia, vt est in Glossa ordinar. Non est idoneus doctor aliis mederi, qui nondum se sanauerit, &c. Vt verò ait Magnus Gregorius 2. parte Pastoral. cap. 2. Necesse est, vt munda studeat esse manus, quæ diluere aliorum sordes curat, &c. & Iob 19. ad illa verba: *Contra me erigimini:* Iudicare, inquit, recte aliena merita non valet, cui conscientia innocentiæ propriæ, nullam iudicij regulam præbet. Hinc est, quòd insidiantibus quibusdam, &

Ioan. 8. puniendam adulteram deducentibus dicitur, *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidẽ mittat.* Ad aliena quippe punienda peccata ibant, & sua reliquerant. Reuocantur itaque intus ad conscientiam, vt prius propria corrigant, & tunc aliena reprehendant. Hæc Gregorius. Ad aliud Domini documentum transeamus.

Matth. 7. Sacramenta beneficia ab his

NOLITE *dare sanctum canibus, ait Dominus.* Sancta sanctis danda sunt. Sancta sunt sacramenta; ergo non impuris porcis, & canibus, sed puris A sunt tribuenda hominibus. Qui Sacramenta ministrat, quam præparationem flagitent bene consideret: & præparatis illa largiatur. Quibus Sacramentum Ordinis, Ecclesiasticáque beneficia dentur expendendum diligenter, maximéque cauendum est, ne sanctum, id est, sacerdotium detur canibus, ne margaritæ pretiosæ, id est, Ecclesiastica beneficia, mittantur ante porcos, id est, homines carni mancipatos. Hi enim sancta hæc magno cum populi scandalo conculcant, iuxta illud dictum à Domino sacerdoti Heli, *Quare calce abiecisti victimam meam, & munera mea, quæ præcepi, vt offerrentur in templo,* &c. Calce dicitur abiecisse victimas, & sancta munera. Sic sacerdotes improbi calce abiiciũt sancta, & spernunt Dei stupendum sacrificium, quod peccato mortali iniquinati celebrãt. Ipsa Ecclesiastica beneficia conculcant, quæ prophano & turpi impendunt vsui. Sed hoc de re Cardinalem Caietanum loquentem audiamus Matth. 7. An non, inquit, margaritę mittuntur ante porcos, cùm Sacramentum ordinis, sacræ religionis, aut castitatis professio, sacerdotia, & id genus alia pretiosa apud Ecclesiam, exhibentur hominibus sola cupiditate hæc subeuntibus? Testatur consequens conculcatio, tam pretiosorum ordinum, statuum, graduum, atque officiorum. Hæc ille. De oratione aliqua verba faciamus.

Ecclesiastica non danda porcis, & canibus.

1. Reg. 2.

Caiet.

Ait Dominus; *Sine me nihil potestis facere;* Illius ergo *Ioan. 15.* auxilium, sine quo nihil possumus facere, assidua oratione oportet implorare. Idcirco hoc loco ait; *Petite, & accipietis,* &c. D. Basil. in const. cap. 16. Neque in rebus, inquit, bonis, conatus humanus sublata ope diuina, perfecte vnquam quod vult poterit adipisci: neque item diuinum præsidium ad nos nullo nostro studio venturum putandum est. Sed ad perfectum virtutis cumulum, coniuncta simul esse vtraque hæc oportet; & humanum studium, & auxilium cæleste fidei opera comparatum. Sic Basilius D. Gregorius Nyss. lib. de oratione: Peccati, inquit, nulla alia causa est, quàm quod ad ea, quę in manibus habet, & tractant negotia, diuinum etiam auxilium homines non simul adhibent, & assumunt. Quòd si oratio negotium præcesserit, peccatum aduersus animam aditum non inueniet, &c. Sicut infantes lachrymis, sicut pulli clamore escam petunt, sic homines fletu, & intimo cordis gemitu petere oportet: iuxta illud Ezechiæ Regis, *Sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor vt columba. Attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelsum,* &c. hoc est, vt Hieronymus interpretatur: in similitudinem hirundinis, & columbæ, fletibus, & gemitibus, dies noctesque iungebam; & à Deo solo, qui poterat subuenire, eleuatis in altum oculis, auxilium præstolabar.

De oratione Basil.

Non oportet sine nostris Deum nobis daturum necessaria optima. Greg. Nyss.

Isa. 38.

Petite, ait, & dabitur vobis. Non obiter tamen postulare iussit (ait Chrysostomus homilia 24. in Matth.) sed cum sedulitate multa, & magna patientia, crebróque pulsatu. Hoc est enim, quod ait; *Quærite.* Siquidem ille, qui quærit aliquid, cuncta alta mente proiiciens, vnum intendit illud, quod solum requirit, ac præsentium rerum nihil omnino considerat. Norunt illud quotquot vel auro, vel seruis, vt plerumque contingit, amissis, experti sunt hanc, quam dico, diligentiam requirendi. Ne inferius, ô homo, studium impende virtuti, quàm cùm aurum requiris amissum. Sic ille.

Cum magna sedulitate, & patientia orandum. Chrysost.

Additur: *Pulsate, & aperietur vobis.* Pulsate, dicit Christus, ait Chrysostomus, vt ostenderet, quia etsi non continuò aperuerit, te nihilominus oportet ad inauam permanere, &c. Hominum ianuam importuno tempore pulsabis; Dei ianuam etsi media pulsaueris nocte, pulsabis opportunissimè.

Matth. 7.

Pulsantur Christi fores omni tempore opportuno.

Hac

Chryſoſt. Hac ille importunitate lætatur. Chryſoſtomus: Ab hominibus quidem, cùm aliquid expoſcis, & moleſtus omnino, & oneroſus videris. Deum verò, quando id non facis, tunc amplius, vt tibi indignetur, accendis. Si verò permaneas poſtulãdo, etiamſi non continuò accipias, accipies tamen. Propterea quippe oſtium clauſum eſt, vt tu pulſare cogaris; idcircò non celeriter annuit, vt tu diutius inquiras, &c. Regis fores nemo intempeſtiuo tempore pulſare audet. At regis regum ianuam, omni tempore, etiã nocte concubia pulſare fas eſt. Quò verò vehementior pulſatio fuerit, eò ſummo Regi gratior erit. Auguſtinus ſerm. 171. de tempore: Hoc, inquit, amat ianua ſaluatoris, vt pulſatoribus ſemper abundet, opportunis, importunis. Propterea ipſe Dominus videns ianuam ſuam à petitorum voce, à pulſantium clamore ſilere; inuitat nos ad orationem, omnibus paratus tribuere pietatẽ, &c. Eodem loco ianuam Chriſti, ianuam vocat pietatis, eſt enim vere ianua miſericordiæ, ex qua diuinæ miſericordię dona copioſè in homines pulſantes ſparguntur. Suauis (ait Auguſtinus) Dominus, & mitis, habet ianuã pietatis. Nec repellit inde pulſantes, ſed culpat potiùs negligẽtes, &c. Faſtidiunt homines, præſertim auari, illos qui non recedunt à ianua, etiam atque etiam inſtant, & petunt multa. At Deum huiuſmodi oblectant, & recreant importuni petitores, hæc faſtidia, vt ait eodem ſermone Auguſtinus, delectabilia illi ſunt. Tunc, inquit ille, theſauri domus Dei triſtitiam patiuntur, quando deſunt delectabilia faſtidia petitionum, &c.

Auguſt. Chriſtus vult ianuã ſuam abundare pulſatoribus.

Ianua Chriſti ianua pietatis.

Faſtidia delectabilia petitionum.

Matth. 7. Obſerua etiam illa verba: *Quis eſt ex vobis homo, quem ſi petierit filius ſuus panem, numquid lapidem porriget ei? aut ſi piſcem petierit, numquid ſerpentem porriget ei?* &c. Non porrigit pater filio inutilia, vt lapide; aut pernicioſa, vt ſerpentem. Sic Deus. Exiſtimant fortè filij ſe panem petere, vel piſcem, id eſt, rem vtilem aut neceſſariam. Sed lapidem petunt, vel ſerpentem, hoc eſt, rem noxiam atque pernicioſam. Idcirco quod petitur non datur. Vnde Chryſoſtomus hom. 24. Si non accipis, inquit, quia lapidem petis, idcirco non accipis. Nam & ſi filius ſis; non tamen tibi ſufficit ad omne, quod popoſceris impetrandum. Sed hoc ipſum eſt, quod vetaris accipere, quòd cùm ſis filius Dei, ea, quæ tibi non expediunt, deprecaris, &c.

Chryſoſt.

Quod tibi vis fieri alteri faceris. Matth. 7. Præterea, exemplar benefaciendi proximo, tu ipſe eſto. Te intuere, quid tibi ſecundùm rectã rationem velis fieri animaduerte; id ipſum fac alteri; iuxta illud Domini: *Omnia quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Legito Magnum Gregorium lib. 19. Moral. cap. 13. Iuſti, ait, ab omni ſtrepitu ſæculari ad corda ſua redeunt, ibiq; aſcendunt tribunal mentis, atque ante oculos ſe, & proximum ſtatuunt. Deducunt ad medium regulam teſtamenti, qua dicitur: *Quæ vultis, vt faciant vobis homines, & vos eadem facite illis.* Transferunt in ſe perſonam proximi, & ſollicitè attendunt, quid ſibi ſi ita eſſent, fieri, vel non fieri iuſti voluiſſent. Sicque diſtricto iure atque iudicio, cauſam ſuam & proximi iuxta tabulas diuinæ legis in foro cordis examinant, &c. Et Iob 5. ad illa verba: *Viſitans ſpeciem tuam non peccabis.* Species, inquit, noſtra rectè dicitur proximus noſter: quia in illo cernimus, quid ipſi ſumus. Speciem ſuam viſitat, qui vt in ſe alterum reficiat, ſe in altero penſat, &c. Iob 11. in illa verba: *Multiplex lex eius.* Proximi, inquit, dilectio, ad duo præcepta deriuantur, cùm & per Tobiam dicitur: *Quod ab alio tibi odiſti fieri, vide ne tu alteri facias.* & per ſemetipſam veritas dicit: *Quæ vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Per vnum malitia compeſcitur, per aliud benignitas prærogatur, &c. Multa addit alia, quæ breuitatis cauſa prætermitto. Lege epiſt. 14. Hieronymi ſiue Paulini ad Celantiam, in qua compendioſum commonitorium hoc vocat præceptum, & à Chriſto traditũ ait ad breuiarium totius iuſtitiæ, ſpeculumque eſſe affirmat ſemper inſpiciendum. Illum audiamus: Quaſi, inquit, compendioſum quoddam commonitorium illa tibi Euangelij eligenda ſententia eſt, & ſuperſcribẽda cordi tuo, quæ ad totius iuſtitiæ breuiarium dominico ore profertur: *Omnia quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, hæc & vos facite illis.* Cuius præcepti vires exprimens, iungit; *Hæc enim lex & Prophetæ.* Ad omnem actum, verbum, cogitatum, hæc ſententia retractetur. Quæ tibi quaſi ſpeculum quoddam paratum, & ad manum ſemper poſitum, qualitatem tuę voluntatis oſtendat; ac etiam vel de iniuſto opere redarguat, vel de iuſto lætificet. Hæc ille. De arcta lataque via iam dicamus.

Hieron.

Matth. 7.

Duplex via eſt, altera virtutis, altera vitij. Arcta illa & anguſta: hæc lata ac ſpatioſa. Etenim in celſo monte ſedes virtutis eſt; in depreſſa valle vitij locus. De duplici hac via Lactantius Firmianus agit lib. 6. de vero cultu, cap. 3. & 4. Hieronymus ad Celantiam, diuus Baſilius Pſal. 1. & in libro de ſancta virginitate, Xenophon libro 2. de factis & dictis Socratis. Eo libro ex Heſiodo hæc citat. Dicit Heſiodus, prauitatẽ quidem ſimul totam licet eligere facile; plana enim ad hanc ducit via, cùm valde prope habitet. Virtuti verò ſudorem præpoſuerũt Dij immortales. Longum enim & arduum iter ad virtutẽ, &c. Deinde ex Prodico inducit Herculem à ciuitate in ſolitudinem egreſſum, & cogitantem vtram harum duarum viarum præponeret alteri. Tum à prauitate, ſiue malitia ad latam, à virtute verò ad arctiorem inuitatum ait, malitiæ & virtutis deſcribens alloquia. Heſiodi carmina hæc ſunt in opere cui titulus eſt, opera & dies:

Via arcta virtutis.

Hercules ad viã virtutis inuitatus.

Heſiod.

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
ἀθάνατοι· μακρὸς δὲ, καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν,
καὶ τρηχὺς, &c.

id eſt, *ante virtutẽ Dij ſudorem poſuerunt immortales. Longa & ardua via ad illam eſt atque aſpera.* Apud Clementem Alexandrinum lib. 4. Strom. Simonides: Fertur, inquit, virtus habitare in rupibus aditu difficilibus, &c. & Origenes hom. 5. in Exod. Non eſt, ait, procliue iter, quod tendit ad virtutes; ſed aſcenditur, & difficulter aſcenditur, &c. Firmianus lib. 6. de vero Cultu, capite 4. Via, ait, cæleſtis difficilis, & cliuoſa propoſita eſt, vel ſpinis horrentibus aſpera, vel ſaxis extantibus impedita. Vt cum ſummo labore ac pedum tritu, cumque magna cadendi ſolicitudine, ſit cuique gradiendum, &c. Diuus Bernardus in ſermone de quadruplici debito: Arduus eſt aſcenſus Hieruſalem. Vtpote per ipſam montis ſummitatem inciſus, &c.

Orig.

Firmian.

Ne deſponde animum. Audi eumdem illum Heſiodum:

Heſiod.

τρηχὺς τὸ πρῶτον, ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηται,
ῥηιδίη δηπειτα πέλει, χαλεπὴ περ ἐοῦσα,

hoc eſt, *Aſpera via virtutis primùm. Sed cùm ad cacumen ventũ eſt, facilis deinde eſt, difficilis licet fuerit,* &c. Magnus Gregorius hom. 17. in Ezechielem: Via Dei, & inchoantibus anguſta eſt; & perfectè iam viuentibus lata. Ipſa anguſta porta amantibus lata ſit; ipſæ viæ duræ ſpiritaliter currentibus molles, & planæ fiunt; dum ſcit animus ſe pro temporalibus doloribus gaudia æterna recipere; & hoc incipit, quod affligit, amare, &c. Paucis dicam: Carni arcta eſt via, ſed ſpiritui ſatis lata. Carnis cupiditatibus obſiſte, rebus ſpiritalibus intẽde; non adeò anguſtam virtutis viam eſſe in animum induces. Deus anguſtias viæ cæleſti dilatat dulcedine; iuxta illud: *In tribulatione*

Via virtutis ſit lata & facilis. Greg. Mag.

Via virtutis quomodo ſit facilis. Pſal. 4.

Psal 118. tione dilataſti mihi. & illud, *Ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquiſiui*, &c. Ignis fornacem, in quam Hebræi adoleſcentes iniecti ſunt, vento quodam Dan. 3. ſuauiſſimo Deus perflauit. *Fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem.* Ambulabant itaque adoleſcentes illi in medio arctæ fornacis, in latitudine læti, & benedicētes Dominum. Eſto, ſit fornax via Dei, ſed perflat Deus hanc fornacem ſuauiſſimo ſpiritu ſuo, rorem dulcedinis ſuæ in eam immittit, extinguit laboris flammas, ſummámque lætitiam viatoribus affert. Adde cum adoleſcentibus illis in fornace vidiſſe Nabuchodonoſorem ſocium ſimilem filio Dei. Angelus ſic erat. Nos autem in fornace, & via noſtra, ipſum Dei Filium Chriſtum habemus ſocium, Filij Dei veſtigiis inſiſtimus, Filium Dei ſequimur; tali ſocio, talique duci, quis viam aſperam & arctam eſſe conqueretur? Iis arcta via videtur, qui latæ viæ aſſueſcunt. Nam ei, qui vitiis ſe mancipauit, aſpera virtus eſt. Aſſueſce virtuti, ſuaue iter conſuetudo reddet. Nam vt docet Hieronymus, ſiue Paulinus epiſt. 14. ad Celantiam, Aſperam nobis & inſuauem virtutum viam, nimia facit vitiorum conſuetudo. Quæ ſi in partem alteram, id eſt, virtutem transferatur, inuenietur ſicut Prou. 4. Scriptura dicit: *Semita iuſtitiæ leuis*, &c.

Illud etiam conſiderandum, quod porta indicat & via. Nam tam porta, quàm via indicat tranſitum. Nemo in porta conſiſtit aut via; ſed per portam & viam tranſit in habitationem. Portæ & viæ amœnitas & latitudo, aſperitas & anguſtiæ, mox traſeunt; habitationis cruciatus, & dolor, vel lætitia, & gloria, abſque fine perſeuerant. Non minima conſolatio eſt (ait Euthymius) vocare ipſam portam ac viam. Siquidem neutra permanet, ſed tranſit, &c. Cui nō videbitur lata via, etſi arcta ſit, quæ in æternam ducit gloriam ac lætitiam? Cui non videbitur arctiſſima, etſi ſit ſpatioſiſſima, quæ in cruciatus & dolores fert nullo vmquam fine terminandos? Ideo diuus Paulinus ad Celantiam, eos ait viam arctam eligere, qui non tam viæ amœnitatem, quàm perpetuæ manſionis, ſiue habitationis commoditatem curat. Hęc, inquit, via inſueto calle virtutum triſtior atque horridior, ab iis tantùm eligitur, quibus non tam delectio itineris cordi eſt, quàm vtilitas manſionis, &c. Cæleſtem manſionē & gloriam mente volue, & vel cum Ethnico Poëta canes:

Porta & via tranſitum veram temporalia ſignificat.

Euthym.

D. Paulin.

Magnum iter aſcendo; ſed dat mihi gloria vires.

Decipit incautos via lata bonorum ſpecie, non fallit cautos. Conſiderant enim in duabus his viis, qualia bona ſint qualiáve mala. In via lata minima quędam cernunt bona, locum priorem obtinentia, punctóque temporis auolantia; mala poſtea maxima, nullo definita termino, bonis minimis videnſuccedere. Contra in arcta via primùm quidem mente aſpiciunt mala minima, quæ mox diſparēt; poſthęc, bona ſumma atque inaudita contemplantur, quæ in ſempiternum durant. Egregie Firmianus libro 6. de vero cultu, capite 4. In iis, ait, viis Deus bona oſtendit & mala; ſed ordine præpoſtero atque conuerſo. In vna enim, id eſt, arcta, monſtrauit temporalia prius mala, cum æternis bonis; qui eſt ordo melior. In altera, id eſt, lata, temporalia prius bona, cum æternis bonis, qui eſt ordo deterior. Vt quicumque præſentia mala cum iuſtitia delegerit, maiora & certiora conſequatur bona, quàm fuerunt illa, quæ ſpreuit. Quiſquis autem præſentia bona præpoſuerit iuſtitiæ, in maiora & longiora incidat mala, quàm fuerunt illa, quæ fugit. Hæc enim vita temporalis, quia breuis eſt, idcirco bona eius & mala breuia ſint neceſſe eſt. Illa verò quoniam ſempiterna eſt, idcirco & bona eius, & mala ſempiterna ſunt. Ita fit, vt & bonis breuibus mala æterna; & malis breuibus bona æterna ſuccedant. Itaque cùm ſimul propoſita ſint homini bona & mala, conſiderare vnumquemque ſecum decet, quantò ſatius ſit perpetuis bonis, mala breuia penſare; quàm pro breuibus & caducis bonis mala perpetua ſuſtinere. Hactenus ille.

Cauti conſiderant in duabus viis qualia ſint bona qualiáve mala.

Firmian.

CAPVT XXX.

De ſermone Domini in monte.

MATTH. CAP. VII.

ATtendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoſcetis eos. Numquid colligunt de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona, fructus bonos facit: mala autem arbor, malos fructus facit. Non poteſt arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum. Sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum. Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis; quia numquam noui vos: diſcedite à me, qui operamini iniquitatem. Omnis ergo qui audit verba mea hæc, & facit ea; aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſupra petram, & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit. Fundata enim erat ſuper petram. Et omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, ſimilis erit viro ſtulto, qui ædificauit domum ſuam

ſuper

ſuper arenam, & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna. Et factum eſt, cùm conſummaſſet Ieſus verba hæc, admirabantur turbæ ſuper doctrina eius. Erat enim docens eos, ſicut poteſtatem habens: & non ſicut Scribæ eorum & Phariſæi.

Matth. 7. DE arcta cæli via Dominus dixit; *Pauci ſunt, qui inueniunt eam.* Vt ergo illam inueniamus, demonſtratoribus indigemus. Sunt autem falſi quidam demonſtratores, id eſt, pſeudo-prophetæ. Hos Dominus cauendos ſexto documento præcipit. Falſos autem prophetas (qui in Græco Euangelio pſeudoprophetæ à mendacio appellantur) vult Chryſoſtomus dici homines impoſtores, non hæreticos. D. Hieronymus de omnibus ait locum hunc intelligi poſſe, qui aliud habitu ac ſermone promittunt, aliud opere demonſtrant: ſed ſpecialiter de hæreticis eſſe intelligendum. De hæreticis exponunt Theophylactus, D. Thomas, Lyranus, Abulenſis, Ianſenius, Theodoretus, libro 3. hæreticarum fabularum in prologo, & alij. Tertullianus quoque in libro de præſcriptionibus, capite 4. Inſtruit, inquit, Dominus multos eſſe venturos, ſub pellibus ouium, rapaces lupos. Quænam iſtæ ſunt pelles ouium, niſi nominis Chriſtiani extrinſecus ſuperficies? Qui lupi rapaces, niſi ſenſus & ſpiritus ſubdoli, ad infeſtandum gregem Chriſti intrinſecus deliteſcentes? Qui pſeudoprophetæ ſunt, niſi falſi prædicatores? &c. Auctor imperf. Sciens Dominus futuros eſſe falſos doctores hæreſum diuerſarum: ideo doctores admonet, &c. Luporum eſt gregem diſpergere & lacerare oues, quod hæreticis maximè congruit. Præterea falſi prophetæ propterea dicuntur, quia falſa nunciant. Falſa autem nunciare ac docere, hæreticorum eſt. Hæretici itaque pſeudoprophetis ſimiles ſunt, id eſt, mendacibus prophetis, qui falſa mendacique doctrina, à via cæli arcta, populum in viam Orci latam trahunt. Suppeditat noſtrum tempus exempla multa huiuſmodi hæreticorum, quos latæ in tartarum viæ demonſtratores & duces cacodæmon habet.

Cauēdi falſi prophetæ.

Quinā dicantur falſi prophetæ.

Hæretici falſi prophetæ dicuntur.

Matth. 7. Hæretici veniunt non miſſi. Ierem. 23. *Attendite*, ait Dominus, *à falſis prophetis, qui veniunt ad vos.* Veniunt, inquam, non miſſi. Hoc enim hæreticorum eſt, ſua ſponte venire, nec miſſionem à legitimis Eccleſiæ prælatis expectare. *Non mittebam prophetas*, ait Dominus, *& ipſi currebant. Non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant*, &c. Quòd ſi quæras: quiſnam huiuſmodi peſtem in terras mittit? Reſpondeo: Mittit illos mater hæreſeon ſuperbia, mittit ambitio, mittit denique malus dæmon.

Mittit hæreticos ſuperbia & cacodæmon.

Quemadmodum verò ille *in Angelum lucis ſe transfigurat*, vt Paulus ait, ſic ſuos transfigurat miniſtros. *Eiuſmodi pſeudoapoſtoli*, ait Paulus, *ſunt operarij ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti. Et non mirum. Ipſe enim ſatanas transfigurat ſe in Angelum lucis. Non eſt ergo magnum, ſi miniſtri eius transfigurentur velut miniſtri iuſtitiæ*, &c. Transfigurant ſe lupi in oues, ouináque pelle lupinam tegunt rapacitatem. Foris oues, intus lupi, virtutis ſpeciem quamdam oculis obiiciunt, ex corde hæreſeos venenum euomunt. *Veniunt ad vos*, ait Dominus, *in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Sic olim pſeudoprophetæ pallio induebantur ſaccino, vt mendacia ſua habitu tegerent. Vnde illud: *In die illa confundentur prophetæ* (ſcilicet falſi) *vnuſquiſque ex viſione ſua, cùm prophetauerint. Nec operientur pallio ſaccino, vt mentiantur*, &c.

2. Cor. 11. *Matth. 7.* *Zach. 13.* *Pſeudoprophetæ lupi ouiū, id eſt,*

Quo autem ſupplicio huiuſmodi falſi prophetæ digni ſint, indicat Zacharias eodem capite, his verbis: *Cùm prophetauerit quiſpiam vltrà* (ſcilicet falſus propheta) *dicent ei pater eius & mater eius, qui genuerunt eum; Non viues, quia mendacium locutus es in nomine Domini. Et configent eum pater eius & mater eius, genitores eius, cùm prophetauerit*, &c. Nempe morte dignus eſt propheta falſus & hæreticus, qui praua doctrina corrumpit populum, adeóque dignus, vt ab ipſis etiam genitoribus huiuſmodi ſupplicio mulctetur. *Configent*, inquit, *eum genitores eius*, &c.

prophetarū pelle, id eſt, palliū ſaccinum induebant.

Supplicium pſeudoprophetarum.

Matth. 7. A *Fructibus eorum cognoſcetis eos.* Cauendos ſub ouina pelle latentes lupos, id eſt, prauæ doctrinæ ſeminatores docuit. Cauēri non poſſunt, niſi cognoſcantur; cognoſci nequeunt, niſi aliquod detur ſignum. En tibi ſignum; *A fructibus eorum cognoſcetis eos.* Non cognoſcetis, inquit, ex veſtimento; eſt enim ouium. Sed ex fructu; eſt enim luporum. Quemadmodum ex fructu arbor; ſic ex fructu hæreticus & pſeudopropheta agnoſcitur. Sed quinam ſunt fructus huiuſmodi, qui hæretico detrahunt laruam? Reſpondeo cum Abulenſi Matthæi 7. quæſtione 28. & Ianſenio, fructus eſſe tam opera, quàm doctrinam; addo & doctrinæ effectus. Hæreticus maximè ex doctrina cognoſcitur. Video hominem habitu quidem externo ſanctimoniam præ ſe ferentem, ſed occultas hæreſes diſſeminantem. Numquid euidentiùs quæram ſignum, vt lupum eſſe cognoſcam? hoc ſignum Ioannes præbet ad cognoſcendos huiuſmodi lupos: *Nolite*, inquit, *omni ſpiritui credere; ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſunt. Quoniam multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoſcitur ſpiritus Dei. Omnis ſpiritus, qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt. Et omnis ſpiritus, qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus*, &c. Vnde Heſſelius: Falſus, inquit, propheta à vero, ex proprio fructu dignoſcitur, id eſt, ex mala doctrina. Quia proprius prophetæ fructus eſt doctrina, &c. Theodoretus loco citato: Impia dogmata per ſe ſufficiant ad ſuum patrem oſtendendum. Ex fructu enim, ait Dominus, arbor agnoſcitur. & antiquus, atque optimus auctor Vincentius Lirinenſis: Ait, inquit, Saluator: *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos*, id eſt, Cùm cœperint diuinas voces exponere & interpretari tunc rabies intelligitur, tunc virus exhalabitur, tunc ſcindi ſepem videas, Catholicam fidem cædi, Eccleſiaſticum dogma lacerari, &c. Auctor imperfecti: Fructus, inquit, hominis eſt confeſſio fidei & opera conuerſationis illius, &c.

Pſeudoprophetæ à fructibus cognoſcentur.

Hæretici maximè ex doctrina cognoſcuntur.

1. Ioan. 4.

B

C

Obiicitur, hîc de fide, id eſt, de ipſa falſorum prophetarum doctrina cognoſcenda agitur, & abſurdum dictu eſt, doctrinam ex doctrina probari. Reſpondemus agi quidem de fide falſorum prophetarum cognoſcenda, ſiue potiùs de cognoſcendis falſis prophetis. Sed fidem dicimus egregiè cognoſci ex ore & doctrina. Vt enim ait Paulus: *Ore fidei confeſſio fit ad ſalutem.* Quemadmodum ore confeſſio fit fidei, ſic ore confeſſio fit hæreſeos. At, abſurdum dictu eſt doctrinam, ex doctrina probari. Immo verò rationi maximè conſonum eſt, fidem ex doctrina & ore probari, vt diximus. Præterea aptiſſimè doctrina ex doctrina probatur, vel reprobatur. Ex doctrina enim Scripturæ, conciliorum, ſummorum Pontificum, ſanctorumque Patrum, egregiè doctrinam hæretici

D

Rom. 10.

hære-

hæreticam esse probamus; quoniam ab illa dissentit. Esto igitur hoc pseudoprophetarum signum & indicium, doctrina falsa & opera. Ex iis agnoscuntur Lutherani, Caluiniani, reliquíque huiusmodi, & cauentur.

Fructus hæreticorum bella, &c. Bernar.

Sunt etiam hæreticorum fructus, mala, quæ doctrinam consequuntur; vt bella, strages, aliáque similia. Bernardus epist. 240. ad Hildefonsum comitem: Versatur, inquit, in terra vestra sub vestimẽtis ouium lupus rapax. Sed ad Domini designationem, à fructibus eius cognoscamus illũ, &c. Deinde fructus indicat: Basilicæ, inquit, sine plebibus, plebes sine sacerdotibus, sacerdotes sine debita reuerentia sunt; & sine Christo deinde Christiani. Ecclesiæ synagogæ reputantur, sanctuarium Dei sanctum esse negatur, Sacramenta non sacra censentur, dies festi festiuis frustrãtur solemniis. Moriuntur homines in peccatis suis, rapiuntur animæ passim ad tribunal terrificum, nec pœnitentia reconciliati, nec sacra communione muniti, paruulis baptismi negatur gratia, &c.

Matth. 7. Hæretici spinæ & tribuli.

NVMQVID *colligunt de spinis vuas?* Confert pseudoprophetas cum arboribus. Dixerat enim: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Qualis, inquit, arbor, talis & fructus; arbor mala malos fert fructus, bonos fert bona. Nec arbor bona fructus malos, nec arbor mala fructus producit bonos. Malæ spinæ non ferunt bonas vuas; mali tribuli dulces ficus non præbent. Eumdem in modum, qualis propheta, talis eius est fructus, id est, vita, doctrina, & opera. Malus & falsus propheta atque hæreticus, malos fert operum & doctrinæ fructus; bonus & verus propheta producit bonos.

Matth. 7.

NON *potest arbor bona malos fructus facere.* Arborem bonam, fructus malos, arborem verò malam fructus bonos non posse producere, compertum est. At quomodo in hominibus hoc sit verum ambigitur. Etenim homo malus fructus aliquos ex genere bonos, vt eleemosynam, ieiunium, & orationem; homo verò bonus, fructus aliquos malos, vt otiosa verba, & peccata alia venialia, potest producere. Imo potest à virtute deficere, & crimina committere mortifera. Est enim liber, arbor verò minimè. In primis respondetur hæc verba ex abundanti dicta esse à Domino, vt ostenderet arborem bonam, fructus bonos, & arborem malam, fructus malos ferre. Hunc in modum: Arbor bona fructus bonos fert, arbor mala fert malos. Non enim potest arbor bona malos, & arbor mala bonos producere. Voluit itaque Dominus illud verum esse in hominibus; *Arborem bonam bonos, malam malos edere fructus;* boni enim homines bona opera, mali mala efficiũt. Quod verò sequitur: *Non potest arbor bona malos fructus facere*: hominibus noluit accommodari, sed arboribus tantùm. Neque enim quæcumque in parabolis dicuntur, ad amussim iis rebus, quas significant sunt accommodanda. Aliqua enim veluti parerga quædam adiiciuntur. Aliter respondetur. Verum hoc esse in hominibus, si rectè explicetur. Voluit enim Dominus his verbis, vt Iansenius exponit, significare, non posse fieri, vt hominis boni fructus omnes, vel plures, & potiores sint mali; nec etiã posse fieri, vt hominis mali omnes, vel plures, & potiores fructus sint boni. Abulensis quoque: Intelligitur, inquit, verbum Christi, non quidem quòd dicat impossibile esse malum hominem facere bona aliquando. Sed quòd non est possibile, quòd semper bona faciat, cùm sit malus, & malus esse intendat, &c. Denique loquitur Dominus de morali quadam potentia, vt res contingunt. Sic enim contingit, vt improbi improbè, probi probè operẽtur.

Quomodo nec arbor bona possit fructus malos facere, nec arbor mala fructus bonos.

Matth. 7.

A De fructu doctrinæ facilè sic interpretabimur. *Non potest arbor bona*, id est, probus, orthodoxus, quamdiu orthodoxus est, *malos doctrinæ fructus facere.* Non enim potest vir orthodoxus hæreses docere. Quòd si obiicias. Liberum habet arbitrium, poterit igitur, etsi sit orthodoxus, recte sentiat, ob aliquam vtilitatem hæretica dogmata disseminare. Respondemus pro liberi arbitrij magna libertate posse quidem; sed inauditum hoc esse, atque ideò dici impossibile. Item, *Non potest arbor mala*, id est, hæreticus, *bonos* sanæ, & Catholicæ doctrinæ fructus *facere.* Si obiicias, posse docere multa vera dogmata. Respondemus, propositionẽ de vniuersa doctrina esse intelligendam. Quamuis aliqua vera tradat B dogmata, non poterit hæresim suam non disseminare. Aliter Augustinus libro 2. de serm. Domini: *Augusti.* Quamdiu, inquit, quisque malus est, non potest facere fructus bonos. Si enim bonos fructus fecerit, iam malus non erit. Sic dici potest verissimè, non potest nix esse calida. Cùm enim calida esse ceperit, non iam niuẽ, sed aquam vocamus, &c. Auctor *Autor Imper.* imperfecti: Non dixit Dominus: *Arbor mala non potest fieri bona, neque bona mala.* Sed malus non potest facere fructus bonos, id est, quamdiu malus est. Si verò factus fuerit bonus, potest. Vt vnusquisque, *Vnusquisq; quod bonus aut malus est voluntatis est non naturæ.* quòd malus est aut bonus, voluntatis eius sit, non naturæ, &c. Verumtamen obiicitur, malum quamdiu malus est, posse facere bona aliqua opera mo- C ralia, vt eleemosynam largiri, ieiunare, & similia; ergo arbor mala potest aliquos bonos fructus facere; ex quibus bona possit existimari ab hominibus. Non tamen à Deo, qui illius nouit occultam prauitatem. Lege, si placet, Augustinum libro primo contra Iulian. cap. 3. & Enchir. cap. 25. & contra Adiamantum, capite 26.

Alio sensu Scribas & Pharisæos appellat hoc loco *Scribæ & Pharisæi pseudoprophetæ.* Dominus falsos prophetas. *Attendite*, ait, *à falsis prophetis*, id est, Scribis & Pharisæis. Similem in modum ait: *Attendite à fermento Pharisæorũ, quod est hypocrisis*, &c. *Luc. 12.* Hanc hypocrisim illa verba indicant: *Qui veniunt ad Matth. 7. vos in vestimentis ouium intus sunt lupi rapaces*, hoc est, qui hypocritæ sunt, foris oues, intus lupi. Quales foris, quales intus fuerint docet Dominus: *Væ vobis Scribæ Matth. 23.* D *Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia mundatis, quod deforis est calicis & paropsidis, intus autem pleni estis rapina & immunditia*, &c. Item: *Similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa; intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia. Sic & vos à foris quidem paretis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate*, &c. Additur indicium, ex quo cognoscantur hypocritæ hi: *A fructibus eorum*, id est, operibus, *cognoscetis eos.* Hos fructus numerat Dominus eodem capite: *Dicunt, & non faciunt; alligant enim onera grauia & Matth. 23.* E *importabilia, & imponunt in humeros hominũ; digito autem suo nolunt ea mouere. Omnia verò opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus. Amant primos recubitus in cœnis, primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.* Denique amplo sensu de Pharisæis, de hæreticis, de falsis prophetis, omnibúsque aliis, qui ouium pellem, lupíque rapacitatem habent, locus intelligi potest.

ARBOR *quæ non facit fructum bonum excidetur.* Hæ- *Matth. 7. Hæreticorũ supplicium.* reticis falsísq; prophetis suppliciũ prædicit æternũ. Quemadmodũ arbores malæ exscinduntur, & in ignem coniiciuntur. Sic malis arboribus similes homines mortis securi resecãtur, tartareisque flãmis, ac sempiternis cruciatibus mãcipãtur.

NON *omnis qui dicit mihi Domine, Domine.* Sunt in *Matth. 7.* arbore folia, sunt fructus. Non sunt satis folia, fructus quoque producat necesse est. Similem in modum, sunt in homine verba foliorum instar, sunt opera veluti fructus. Non satis sunt verba, *Non satis est fides, nec sol-*

opera

saria quoque opera sunt.

opera bona præstet opus est, si cœlorum regnum ingredi vult. quod Dominus his verbis docet. *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum*: quasi dicat; Non omnis qui amœna verborum habuerit folia, cælestem consequetur beatitudinem. Amœna enim folia sunt verba hæc, *Domine, Domine.* Quis igitur intrabit? *Qui voluntatem Patris mei fecerit*; hoc est, qui operum bonorum fructus produxerit, qui Dei mandata seruarit. Sterilis arbor, quæ folia solùm habet, & fructus nullos fert, exscinditur, & in ignem mittitur: ita sterilis homo, qui sola verba, vel solam fidem habet, & opera bona non facit, exscindetur, & in flammas Orci præcipitabitur. Beatus vir cum arbore confertur, sed quæ tùm etiam fructus producit; *Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium eius non defluet*, &c. Si beatus esse vis, regnúmque cælorum intrare, præter folia fructum etiam producito, mandata Dei exequere, voluntatem patris cælestis facito. Vnde sequitur de beato viro eodem Psalmo; *In lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die, ac nocte*, &c.

Psal. 1.

Matth. 7. MVLTI *dicent mihi in illa die.* Docuit Dominus non esse satis verba, & fidem, absque operibus, ei qui in regnum cælorum ingredi vult. Addit, neque esse satis absque rectè factis dona data gratis, scilicet, miracula, & prophetiam. Non vnus, inquit, aut aliter, sed multi in illa die celeberrima iudicij extremi, dicent mihi, totum orbem iudicanti; *Domine Domine, nonne nomine tuo inuocatio, & auxilio tuo, prophetauimus: dæmonia eiecimus, & virtutes, gracè δωάμεις, id est, potentias, & miracula multa fecimus?* Qui igitur fieri potest, vt nos in hoc damnes iudicio? Tunc cõfitebor illis palam, coram orbe vniuerso: *Numquam noui vos*: approbationis, & amicitiæ cognitione. Neque enim satis est prophetare, aut miracula edere, bona opera oportuit habere, quibus quia caretis: *Non noui vos*; discedite à me in Orci flammas, siquidem iniquitatis estis, non sanctitatis operatores.

Matth. 7.

Dubitatur. Num verè, an falsò hi homines improbi miracula se fecisse asserant? Mendacium dicere nonnulli opinati sunt, vt refert D. Chrysost. hom. 25. in Matth. Sunt, inquit, quidam, qui opinantur mentiri tunc illos ista dicendo, &c. Auctor imp. hom. 19. Considera, inquit, eos etiam post mortem mentientes. Domine in nomine tuo, hoc & hoc fecimus. Nũquid nesciebant ipsi, apud se, quia numquam nec dilexerant Christum, nec fecerant voluntatem eius? Sed putant se sicut in hoc seculo homines deceperunt, sic & ibi etiam Deum fallere posse, &c. Respondemus, hos verum dicturos. Vult enim Christus ostendere, nec miracula, nec prophetiam, absq; operibus rectis, ad consequendum cælorum regnum prodesse, idque his exemplis probat. Sunt ergo exempla vera.

An hi de quibus agitur miracula fecerint.

Sit-ne sermo de veris miraculis? Auctor imp.

Si quæramus, an de veris miraculis sermo sit? Auctor imp. falsa hæc miracula, & prophetiam quoque arbitratur. Prophetant, inquit, in nomine Christi, Spiritu autem diaboli, quales sunt diuinatores dæmonia eiiciunt in nomine Christi, habentes Spiritum inimici. magis autem non eiiciunt, sed eiicere videntur, colludentibus sibi dæmonibus, &c. Dicendum, de veris miraculis haberi sermonem. Indicat enim Dominus nec vera miracula, nec veram prophetiam, absque operibus, in regnum cælorum hominem inducere. Fuere etiam quidam, qui dixerunt, hos non eo tempore, quo miracula edebant, operibus vacasse iniquis, sed postea esse mutatos, & ad iniquitatis opera conuersos. Eos refutat Chrysostomus homilia 25.

A OMNIS *ergo, qui audit verba mea hæc*, &c. Præclarum sermonem, præclara concludit similitudine, qua ad obseruantiam traditæ doctrinæ auditores excitat. Eum qui prædicta documenta obseruauerit, cum viro confert sapiente, qui supra saxeum solidúmque fundamentum domum extruxit, nullis procellis, fluminúmve inundationibus, labefactandam. Eum verò, qui non obseruarit, cum homine comparat stulto, qui super arenã domum exædificauit, procella vrgente mox solo equãdam. D. Augustinus lib. 2. de sermone Domini, fundamentum solidum Christum esse interpretatur, supra quod is ædificat, qui Euangelium & audit, & seruat. Pluuias, ac procellas tentationes appellari B ait, quæ in domum, id est, mentem irruunt, sed minime euertunt. Et lib. 25. contra Faustum cap. 90. Christus, inquit, eos qui audiunt verbum eius, & faciunt, comparat prudẽti viro, qui ædificat domum suam super petram, ne tentationibus cedat, & corruat, &c. Lege eundem Augustinum libro 6. de Baptismo contra Donatistas, capite 24. Eodem modo interpretatur D. Hilarius, petram, vel rupem dici Christum, procellas tentationes, similiter D. Hieronymus, Beda, & alij. D. Chrysostomus, quem Euthymius sequitur, petram dici putat doctrinæ à Christo traditæ firmitatem; Petram, ait ille, doctrinæ suæ munimentum vocauit. siquidem omni petra Christi præcepta fortiora sunt, & obedientem C Deo cunctis præstant tribulationum fluctibus celsiorem. Quicumque enim diligenter hæc custodit, ac fortiter, non modò hominibus nocere cupientibus, verùm etiam ipsis dæmonibus sibi insidiantibus superior eminebit, &c. Pluuiæ verò, & procellæ ex eius quoque sententia tentationes sunt. Pluuiam, ait, & flumina, & ventos translatione verborum, afflictiones & ingruentia hominibus pericula nuncupauit Christus, &c.

Matth. 7.

Ad obseruandã traditam doctrinam excitat Dominus similitudine. August.

Quid sit hoc loco petra.

Exiltimo cum Chrysostomo Christum appellare vitæ Christianæ fundamentum, euangelicæ doctrinæ obseruantiam, & obedientiam. Pluuias verò & procella, tentationes iudiciique horrorem. Qui enim Christi doctrinam audit, illique obedit, veluti in fundamento firmo domum & vitam exædificat, quam nec vitæ tentationes euertent, nec mortis iudiciique tempestas obruet. At verò qui euangelicam doctrinam tantùm audit, soláque contentus fide, non obseruat, & obedit; is domum vitamq; suam in arena construit, quæ pluuiis, procellis, fluminumque inundationibus, id est, mundi tentationibus, tandémque iudicij horribili sententia æquabitur solo. Nec enim Euangelicam, & doctrinam audiuisse, illique fidem habuisse satis est; eandem obseruare, diuinisq; præceptis obtemperare est necesse. Vt horribilis iudicij horribilem feras tempestatem, non sola fides sufficit. Absque dubio fluctibus obruêris. Fidei adiice opera, mandatorum adiice obedientiam, ad cælestem patriæ portum per medias tempestates, saluus incolumisque peruenies.

Obseruãtia mandatorum est necessaria.

Legi apud quendam ex recentioribus interpretibus, hanc clausulam non solùm ad Christi hunc sermonem, sed ad omnia illius verba referendam. Attamen ipsa verba apertè indicant, de hoc sermone Dominum loqui. *Omnis,* inquit, *qui audit verba mea hæc*, &c. Id est, huius sermonis. Quid clarius dici poterat? Exponit auctor ille: *Verba hæc*: verba huiusmodi, & similia. Sed perspicuum est: *Verba hæc*; significare, verba dicta, & præcedentia. Id tamen verissimum est, parem esse de cæteris Christi verbis rationem.

Matth. 7.

Matth. 7. ADMIRABANTVR *turbæ*. Sermonem Domini secuta est auditorum admiratio. Admirabilis enim ex cælo aduenerat concionator, ab Scribis Phariseísque longè diuersus. Erat enim docens eos, sicut potestatem habēs,& non sicut Scribæ eorum & Pharisæi, vt serui auditorum loquebantur, captantes gratiam. Christus vt Dominus potestatem habens loquebatur, non ad gratiam populare mque plausum, sed ad auditorum vtilitatem, diuinámque gloriam dirigens sermonem. hęc verba; *Erat docens eos, tamquam potestatem habens*; iam *Ibid.* exposuimus hoc tomo 2. lib. 5. cap. 7.

CAPVT XXXI.

Morale.

De sermone Domini in monte.

Hæreses cur Deus patiatur. PATITVR Deus hæreticos esse, variaque tempora, varia hæreseon edere monstra. Non sine causa. Nam vt Tertullianus ait, initio libri de præscriptionibus; Ad hoc sunt hæreses, vt fides habendo tentationem, habeat etiam probationem.

Deut. 13. Indicat hoc Deus: *Si surrexerit*, inquit, *in medio tui propheta, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum, atque portentum, & euenerit, quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus, & sequamur Deos alienos, quos ignoras, & seruiamus eis. Non audies verba prophetæ illius aut somniatoris. Quia tentat vos Dominus Deus vester, vt palam fiat, vtrum diligatis eum, an non, in toto corde & in tota anima vestra*, &c. Permittit ergo Dominus falsos prophetas, vt nostram tentet ac probet fidem & caritatem. Lege antiquum auctorem Vincentium Lirinensem. In libro aduersus hæreses sic ille scribit

1. Cor. 11. hac de re. *Oportet* (ait Paulus) *hæreses esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.* ac si diceret: Ob hoc hæreseon non statim diuinitus eradicantur auctores, vt probati manifesti fiant: id est, vt vnusquisque, quàm tenax, & fidelis, & fixus sit Catholicæ fi-

Hæreses probant Ecclesiam. dei amator, appareat. Et re vera, cùm quæque nouitas ebullit, statim cernitur frumentorum grauitas, & leuitas palearum. Tunc sine magno molimine excutitur ab ea, quod nullo pōdere intra aream

August. tenebatur, &c. D. Augustinus lib. 19. de ciuit. Dei, cap. 51. Hęretici, ait, veris Catholicis malo suo prosunt, dum Deus vtitur, & malis bene, & diligentibus eum omnia cooperantur in bonum. Inimici

Hæretici Ecclesiæ prosunt. enim omnes Ecclesiæ, si accipiunt potestatem: corporaliter affligendi, exercent eius patientiam: si tantummodò malè sentiendo aduersantur, exercent eius sapientiam, &c. Item serm. 98. de tempore. Si doctrina Ecclesiastica simplex esset, & nullis extrinsecus hæreticorum dogmatum assertionibus cingeretur, non poterat tam clara, & tam examinata videri fides nostra. Sed idcirco doctrinam Catholicam contradicentium obsidet impugnatio, vt fides nostra non otio torpescat, sed multis exercitationibus elimetur. Hæc Augustinus.

Itaque fuerūt, sunt, erúntque in orbe terrarum rapaces hi lupi, quos nostra tulere sæcula, tulere etiam superiora. Attētione opus est. Quamobrem

Cauendi hæretici. Matth. 7. Dominus: *Attendite*, ait, *à falsis prophetis*, cauete, fugite. Quod enim ouibus lupi, id populo sunt hæretici. Miseram plebem lacerant ac discerpunt, ni pa-

Cyprian. stores vigilent. Vnde D. Cyprianus epistola 40. ad plebem: Admoneo, inquit, & consulo, ne perniciosis vocibus temerè credatis, ne fallacibus verbis consensum facilè commodetis, ne pro luce tenebras, pro die noctem, pro cibo famem, pro potu sitim, venenum pro remedio, mortem pro salute

A sumatis. Deus vnus est, & Christus vnus, & vna Ecclesia, & cathedra vna super Petrum Domini voce fundata. Aliud altare cōstitui aut sacerdotium nouum fieri, præter vnum altare & vnum sacerdotium, non potest. Quisquis alibi collegerit spargit. Procul ab huiusmodi hominum contagione discedite, & sermones eorum velut pestem fugiendo vitate. Vitate lupos, qui oues à pastore secernunt, vitate linguam diaboli venenatam. Sic Cyprianus hæreticorum dogmata pestifera docet esse vitāda. *Ecclesia super petram Dominivoce fundata.*

Hæreticorum & schismaticorum linguam venenatam diaboli linguam appellat D. Cyprianus. D. vero Irenæus lib. 4. in præfatione, hæreticos ve- *D. Iren.*

B nenato illi serpenti similes esse ait, qui Euam decepit: Quemadmodum, inquit, serpens Euam seduxit, sic & hæretici in mortem demergunt sibi credentes, &c. Et D. Augustinus libro 2. de Genesi contra *Aug.* Manichæos cap. 25. ille serpens (scilicet, qui Euam decepit) secundùm prophetiam, hæreticorum venena significat, &c. Quemadmodum serpens ille *Hæretici serpenti similes, qui Euam decepit.* scientiam boni & mali promisit, sed pro scientia falsitatem, mendacium, mortémque præbuit; sic hæretici, scientiam rerum diuinarum & Scripturarum pollicetur. at pro scientia & veritate, impiam falsitatē, hæresim, mendacium, æternámque mortem afferunt. D. Leo ser. 5. de ieiunio mensis deci- *D. Leo.*

C mi: Sicut, inquit, decipiēdis primis hominibus ministerium sibi serpentis assumpsit hostis noster; ita hæretici orum linguas ad seducendos rectorū animos veneno suæ falsitatis armauit, &c. *Attendite* igitur *à falsis prophetis*, attendite à tartareis serpentibus, attendite ab scopulis, cæca vada fugite, in quæ satanas multos trahit, vt miserandū fidei naufragium faciant; iuxta illud Apostoli: *Circa fidem naufragauerunt.* Sicut piratæ (ait Origenes ad Rom. 14.) solent *1. Tim. 1. Orig.* in mari in locis vadosis, occultísque scopulis, per obscurum noctis lumen accendere, quo nauigantes sub spe confugiendi ad portum salutis, ad naufragia perditionis inuitent: ita & istud lumen falsæ sapientiæ, vel falsæ fidei, à dæmonibus accenditur, non per quod euadant, sed per quod pereant homines mundi huius pelagus nauigantes. Sic Orig.

Veniunt, ait Dominus, *in vestimentis ouium*; veniunt *Matth. 7.*

D absque legitima potestate, à superbia missi. Nam, Augustino teste, hæreses gignit superbia. in lib. de pastoribus, cap. 8. Diuersis, inquit, in locis, diuersæ *Superbia est mater hæreticorum.* sunt hæreses, sed vna mater superbia omnes genuit, &c. Superbia ergo hæreticos mittit, & diabolus. Vnde Augustin. in tract. de vtilit. ieiunij: Quia, *August.* inquit, diabolus multos deos non potuit fabricare, Christianis sectas multiplicauit, errores seminauit, hæreses instituit, &c. Et lib. 18. de ciuitate Dei c. 51. Videns diabolus templa dæmonum deseri, hæreticos mouit, &c. Itaque prius idololatriam in orbem immisit: illa profligata & expulsa, immittit hæreses atque hæreticos. Ab eo missi veniunt.

Veniunt autem in vestimentis ouium. Vt enim ait D. Basilius in libro de sancta virginitate, diabolus

E sub honesti specie vitia inserere maligniſſimè quærit. Lege Origenem homilia 7. in Ezechielem, qua docet hæreticos idola & figmenta sua, id est, hæreses, virtutis specie conuestire. Vide, inquit, *Hæretici virtutis speciem induunt.* mihi aliquem Marcioniſtam, siue discipulum Valentini, aut cuiuslibet hæresis defensorem, & considera, quomodo idola sua, id est, figmenta, quæ ipse composuit, manſuetudine, & castitate vestiat, vt in aures audientium faciliùs, ex vitæ bonitate ornatus sermo, subrepat, &c.

Lirinensis ouium vestimēta interpretatur Scri- *Lirin.* pturæ sacræ eloquia, quibus sua dicta hæretici impiè conuestiunt. Quid, inquit, est vestitus ouium, *Vestimēta ouium scriptura eloquia.* nisi Prophetarum & Apostolorum proloquia? Qui sunt *quia.*

sunt lupi rapaces, nisi sensus hæreticorum feri, & rabidi? Sed vt fallacius incautis ouibus obrepant, lupinam deponunt speciem, & sese diuinæ legis sentētiis, velut quibusdam velleribus obuoluunt. Vt cùm quisque lanarum molliciem præsenserit, nequaquam aculeos dentiū pertimescat, &c. D. Athanasius oratione secunda cōtra Arianos: Ista, inquit, hæresis speciem suam dissimulat, & literarum sacrarum vocibus quasi honesto cultu induitur, vt pater eius diabolus, &c. Et oratione prima: Cùm vnaquæque hæresis sui commenti parentē habeat diabolum, ac pudore tam exosi nominis teneatur: pulcherrimum, & quod super omnia est nomē salutaris profitetur, Scripturarúmque dictionibus amicitur. Et verba quidem profert, verùm inde sententiam suffuratur, &c. Item oratione secunda: Hæresum (ait) inuētor diabolus metu suæ graueolentiæ, Scripturarum voces vsurpat. Vt illis obtectus aspersō veneno suo simplices decipiat, &c. Lege Vigilium martyrem libri secundi initio, contra Eutychetem.

D. Athan.

Hæretici verba scripturæ proferunt, sententiā suffurantur.

Mundus est liber. Basil.

Mundum hunc librum esse à Deo conscriptum docet D. Basil. Hexaēm. hom. 11. Vniuersa, inquit, hæc mundi moles perinde est, ac liber literis exaratus, deprædicans gloriam Dei, &c. At hoc libro abusi sunt Ethnici, qui pro Deo coluere creaturas. Abutuntur etiam alij improbi, voluptatibúsque mancipati homines, dum per ea, quæ facta sunt, ad eum, qui fecit nō ascendunt, sed ad inferos potius descendūt. Hæretici alio abutuntur libro, videlicet sacra Scriptura, dum ex falsa illius intelligētia hæreses depromunt, lupinámque rabiem eloquiis sacris contegere nituntur. Nam (vt Augustinus ait tractatu 18. in Ioannem) non sunt hæreses natæ, nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non bene. Et quod in eis non bene intelligitur, etiam temere & audacter asseritur, &c. D. Basilius in libro de vera virginitate. Per quæ, inquit, putabant se Deum cognoscere, per ea maxime gentiles Deum ignorare fecit dæmon. Mundus enim, opificis sui index propositus cùm sit, illi à visibilium specie, non vt decebat, ad conditorem se erexerunt, neque eius pulchritudinem glorificauerūt, sed coluerunt, & seruierunt creaturæ, potiùs quàm creatori. Et vnde oportebat Christum agnoscere, inde in primis illum ignorari molitus est, de Scripturis scilicet prædicantibus Christum, ignorationem eius hæreticis intelligentiis callidus ingerens, &c.

Augusti.

Basil.

Vt gentiles in errorem per mundū induxit Dæmon, sic hæreticos per Scripturam.

D. Iren.

Lege D. Irenæum lib. 1. cap. 1. in quo ait hæreticos Scripturæ margaritis, id est eloquiis, hinc inde depromptis, ad effingendam fœdi canis, vel vulpis effigiem, id est, hæresim, abuti. Cùm sit, inquit, eorum tale argumentum, quod neque prophetæ prophetauerunt, neque Dominus docuit, neque Apostoli tradiderunt, quod abundantiùs gloriantur, plusquàm cæteri cognouisse, de iis quæ non sunt scripta legentes, & quod solet dici, de arena resticulas nectere affectantes, fide digna aptare conantur iis, quę dicta sunt, vel parabolas Dominicas, vel dictiones Propheticas, aut sermones Apostolicos, vt figmentum eorum, non sine teste esse videatur. Ordinem quidem, & textum Scripturarum supergredientes, & quantùm in ipsis est, soluētes membra veritatis. Transferunt autem, & transfigunt, & alterum ex altero faciētes seducunt multos, ex iis quæ aptant ex Dominicis eloquiis malè compositō phantasmate. Quomodo, si quis regis imaginem bonam, fabricatam diligēter ex gemmis pretiosis à sapiente artifice, soluens subiacētem hominis figuram, transferat gemmas illas, & reformās faciat ex iis formam canis, vel vulpeculæ. Et hanc malè dispositam dehinc confirmet, & dicat, hanc esse Regis illam imaginem bonam, quam sapiens artifex fabricauit, ostendens gemmas, quæ bene quidem à primo artifice in regis imagine compositæ erant, malè verò à posteriore, in canis figurā translatæ sunt. Et per gemmarum phantasiam decipiat idiotas, qui comprehensionem regalis formæ non habeant; & suadeat quoniam hæc turpis vulpeculæ figura, est illa bona regis imago. Eodem modo & hi anicularum fabulas assumētes, post deinde sermones, & parabolas hinc inde afferentes, vt aptare volunt fabulis suis eloquia Dei. hactenus Irenæus. Et in fine capitis de Orthodoxo, ait. Si gemmas agnoscet, sed vulpem pro regali imagine non recipiet, &c. hoc est, verba Scripturæ sacræ esse fatebitur. at hæresim turpissimam vulpem repellet. Malè enim ex illis gemmis fœda imago composita est, impiè ex falso Scripturæ sensu hæresis constructa.

Hæretici Scripturæ margaritis abutuntur.

ad effingendam canis vel vulpis, id est, hæresis effigiem.

Attendite ergo ab his falsis prophetis. Malæ arbores sunt, vt Dominus ait, &, vt ait D. Iudas in epist. *arbores sunt autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, & eradicatæ.* Ab huiusmodi arboribus qui fructus decerpi potest? Numquid ex his spinis vuas, ex his tribulis colliget quis ficus? *Mala arbor malos facit fructus:* quamuis bonos esse, per cæcitatem, iactet. Arbor illa, quam primis parentibus Deus interdixit, arbor dicta est scientiæ boni & mali, non quidem quòd scientiam producēdi vim haberet, sed quòd eam vim habere dæmon mentitus sit. Non scientiam, sed peccatum illa, mortēmque protulit. Huiusmodi arbori similes sunt hæretici. Dicent illi se arbores esse scientiæ boni & mali, arbores sapientiæ & veritatis. Vt enim ait D. Athanasius oratione prima contra Arianos: Venit diabolus dicens in vnaquaque hæresi: ego sum Christus, & apud me est veritas, &c. Et Alexander Alexādrinus episcopus in epistola ad Alexandrum Constatinopolitanum de Arianis hæreticis; Neminē, inquit, volunt ex antiquis Patribus sibi comparari. Ne vnū quidem collegarum nostrorū, vel ad mediocrem sapientiā peruenisse censent, sed solos se sapientes, solos dogmatum inuentores, & sibi solis patefacta esse mysteria arbitrantur, &c. At miseri homines arbores sunt interdictæ, arbores mendacij, ignorantiæ, mortisque sempiternæ.

Hæretici arbores autumnales bis mortuæ.

Matth. 7.

Athan.

Alex. Epist.

Hæretici solos se sapientes putabant.

Ex omni ligno paradisi comede, ait Dominus, *de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas*, &c. Arbores paradisi homini cōcessæ, ex quibus egregij fructus decerpuntur, Patres sunt, ac doctores orthodoxi. Arbor autem mendacis falsæque scientiæ, scilicet hæreticus, cauenduse st maximè. *De ligno*, ait, *scientiæ boni & mali ne comedas. Quacunque enim die comederis morte morieris.* Nonne quicunque hæreticorum fructus comedit, id est, hæretica dogmata animo vorat, neque euomit, mortem subit animi, ignéque tartareo in sempiternum exuritur? His consentanea scribit diuus Irenæus lib. 5. cap. 20. Plantata, inquit, est Ecclesiæ paradisus in hoc mundo. Ab omni ergo ligno paradisi escas manducabis, ait Spiritus Dei, Gen. 2. id est, ab omni Scriptura dominica manducate; superelato autem sensu, ne manducaueritis, neque tetigeritis vniuersam hæticam dissensionem. Ipsi enim confitentur semetipsos habere agnitionem boni, & mali. Sic ille. Denique, vt ait D. Bernardus in sermone de sancto Benedicto: Sunt arbores, quæ si quem faciunt fructum, non humano esui aptus est, sed porcino, &c. Sic hæretici porcis dignos faciunt fructus, dignam impiis, voluptariis, Epicureisque hominibus, id est, porcis, doctrinam proferunt.

Gen. 2.

Hæreticus arbor scientiæ boni & mali.

D. Iren.

Bernar.

Quis autem harum arborū finis sit, docet Dominus; *Omnis*, inquit, *arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur*

Matth. 7.

Hæreticorũ supplicium. *excidetur, & in ignem mittetur.* Infructuosæ malæque arbores exciduntur, igníque fiunt pabulũ. hic hæreticorum finis, hic exitus. Paucis diebus ad Ecclesiæ probationem viuere permittuntur, mortis deinde securi dissecti in flãmas tartareas præcipitantur. Probus vir, qui, vt canitur, *Psal. 1.* *fructum bonum dat in tempore suo*, ex terrestri hac habitatione in cælestem traducetur: impius verò, vt eodem scribitur Psalmo, *erit tanquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ*, in igneos Orci rogos. Illud quoque illi congruit, *Ierem. 17.* *Erit quasi myricæ in deserto, & non videbit, cùm venerit bonum*, &c. Hæreticus enim impius, dum viuit, myrica est infructuosa in deserto, à gratia, à caritate, à Spiritus sancti donis, & ecclesia separatus. Cũ autem summum venerit bonum, id est, cùm summa hominis gloria extremi iudicij tempore apparuerit, illam non videbit, id est, non assequetur. summum autem videbit malum, & in sempiternum tolerabit.

Apoc. 9. De fumo putei exiisse dicuntur locustæ in terram. Ex cæcitate enim, & arrogãtia veluti fumo in sublime elato, prodeunt hæretici, qui locustarum instar fidei virorem corrodunt, ingenij verò alis ad veritatem non euolant, sed per diuersos saluentes errores vagãtur. Pessimis his locustis id euenit, quod Ægyptiis illis olim contigit, de quibus sic scribitur: *Exodi 10.* *Arreptam locustã ventus protecit in mare rubrum*, &c. Eundem in modum pessimas has locustas arreptas, Deus tartareo pelago obruit, hostibus verò submersis epinicion Ecclesia canit.

Hæreses tãdem euanescũt, Ecclesia permanet stabilis. Pereunt hæreses omnes, & tandem euanescunt, Ecclesia nunquam perit, sed ad extremum vsque iudicij diem, in terris hæreseon victrix permanet. Quis poterit fando hæreseon monstra percurrere, quæ ex fumo tartarei exiere putei? Vbinam sunt monstra hæc? Eò rediere, vnde prodiere, ex tartareo prodiere fumo, in tartareũ abiere ignem. Vbi nam sunt principes hæreseon Simon, Menander, Basilides, Valentinus, Marcion, Arius, Nestorius, Donatus, Manichæus, multiq; alij similes, eorúmque hæreses? *Baruch.* *Exterminati sunt* (vt cum Baruch propheta loquar) *& ad inferos descenderunt, & alij loco eorum surrexerunt.* Surrexerunt, inquam, nostræ ætatis infausti hæretici, ne Catholicæ fidei auro desit probationis fornax. Fornacem feret aurum, quamdiu summo placuerit Deo. Idem tamen harum hæreseon exitus erit, qui cæterarum. Has quoque pessimas locustas arreptas diuina iustitia pelago demerget. Euanescent illæ, Ecclesia verò Romana, atque Catholica, ad iudicij vsque tempus stabit. Hæreseon enim fundamentum arena est, Romanæ *Matth. 7.* Ecclesiæ fundamentum solida rupes. *Descendit*, vt Dominus ait, *pluuia, & venerũt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in illam, & non cecidit, fundata enim est supra firmam petram.* Audiamus de iis Theodoretum in præfatione lib. tertij hæreticarũ fabularum. Quod, inquit, falsum est, facile dissoluitur, firmæ autem & stabiles sunt veritatis vires. Quocirca euanuerunt quidem diabolicæ operationis fabulæ; floruerunt autem & germinarunt, Euangeliorum dogmata. Et cùm multi ea oppugnarint populi, & populorum duces, regésque, & imperatores, permanserunt supra petram collocata Ecclesiæ fundamenta. Infaustarum autem execrandarúmque hæreseon prædicatores *fugerunt*, vt dixit sapiens, *nemine sequente,* *Prou. 28.* &c. Sic ille. *Theodor.*

Hæc de hæreticis dicta sint, quos diabolus fide spoliauit. At sunt ex Orthodoxis multi quos etsi non fide, caritate tamen spoliat, & operibus. Sciens diabolus (ait diuus Leo serm. 4. de Collectis) *D. Leo.* Deum non solùm verbis, sed etiam factis negari, multis quibus auferre non potuit fidem, sustulit caritatem: spoliauit fructu operum, quos non priuauit confessione labiorum, &c. Non solùm ergo fidei diligens cura gerenda est, ne à falsis prophetis lædatur, verùm etiam operum, & charitatis, ne à malo dæmone eripiatur. Coniungenda est cum fide mandatorum obseruatio, caritásque, vt in regnum cælorum possimus ingredi. Nam, vt Dominus ait: *Non omnis, qui dicit, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui voluntatem Dei fecerit*: id est, qui cum fide opera copulauerit, quíq; mandata à Deo tradita seruauerit. *Non sufficit sola fides.* *Matth. 7.*

Mandatorum hanc obseruationem hominis fundamentum solidum esse docent verba illa. *Omnis, qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram.* Non enim, ait Augustinus, quisque firmat, quæ audit, vel percipit, nisi faciendo, &c. hoc fundamentum nullæ mortis iudiciique procellę, nulli turbines labefactare poterunt. *Descendit pluuia, venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit. fundata enim erat super firmam petram.* Contrà verò, qui in sola fide seipsum, suaque fundarit, cadet. Cecidit, ait Christus, domus caritatis operúmque fundamento carens. Qui audit, & non facit, ait Augustinus, non habet stabile fundamentum. Sed audiendo, & non faciendo, ruinam ædificat, &c. *Et fuit ruina illius magna*, ait Dominus. Quæ enim maior ruina excogitari potest, quã hominis in tartareas flammas præcipitatio? Idcirco meritò D. Chrysostomus homilia 25. Facta, inquit, est ruina magna. Neque enim exiguarum leuiúmque rerum periculum est, sed de animæ discrimine, de immortalibus suppliciis sustinendis, déque cælestis regni amissione agitur, &c. *Mandatorũ obseruatio fundamentum. Matth. 7.* *Ibid.* *Magna ruina illius, qui in tartarũ ruit, & in peccatum.*

LIBER

LIBER OCTAVVS.

CAPVT PRIMVM.

De sermone Domini secundùm Lucam.

D. LVC. CAP. VI.

ET descendens cum illis stetit in loco campestri, & turba discipulorum eius, & multitudo copiosa plebis, ab omni Iudæa, & Ierusalem, & maritima, & Tyri, & Sidonis, qui venerant, vt audirent eum, & sanarentur à languoribus suis. Et qui vexabantur à spiritibus immundis, curabantur. Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.

Et ipse eleuatis oculis in discipulos suos, dicebat: Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei. Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini. Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Beati eritis, cùm vos oderint homines, & cùm separauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrum tamquam malum propter Filium hominis, gaudete in illa die & exultate. Ecce enim merces vestra multa est in cælo secundum hæc enim faciebant Prophetis patres eorum.

Verumtamen væ vobis diuitibus, quia habetis consolationem vestram. Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis. Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Væ cùm benedixerint vobis homines. secundum hæc enim faciebant pseudoprophetis patres eorum.

Sed vobis dico, qui auditis: Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui oderunt vos. Benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos. Et qui te percutit in maxillam, præbe & alteram. Et ab eo, qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere. Omni autem petenti te tribue, & qui aufert quæ tua sunt, ne repetas. & provt vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis similiter. Et si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? nam & peccatores diligentes se diligunt. Et si bene feceritis his, qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? siquidem & peccatores hoc faciunt. Etsi mutuum dederitis his à quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, vt recipiant æqualia. Verumtamen diligite inimicos vestros, benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes, & erit merces vestra multa, & eritis filij Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos.

Estote ergo misericordes, sicut & Pater vester misericors est. Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. Dimittite, & dimittemini. Date, & dabitur vobis. Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.

Dicebat autem illis & similitudinem: Numquid potest cæcus cæcum ducere? nónne ambo in foueam cadunt? Non est discipulus super magistrum. Perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras? Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, sine eiiciam festucam de oculo tuo: ipse in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita eiice primùm trabem de oculo tuo, & tunc perspicies, vt educas festucã de oculo fratris tui. Non est enim arbor bona, quæ facit fructus malos. Neq; arbor mala, faciens fructũ bonum. Vnaquæq; enim arbor de fructu suo cognoscitur.

Neque enim de spinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant vuam. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, & malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur.

Quid autem vocatis me, Domine, Domine, & non facitis quæ dico? Omnis qui venit ad me, & audit sermones meos, & facit eos, ostendam vobis cui similis sit.

Similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum, & posuit fundamentum super petram. Inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, & non potuit eam mouere, fundata enim erat super petram. Qui autem audit, & non facit, similis est homini ædificanti domum suam super terram sine fundamento, in quam illisus est fluuius, & continuò cecidit. Et facta est ruina domus illius magna.

Diuersi sūt sermones à Matthæo & Luca descripti.

DIVERSVM esse sermonem à Luca descriptū, ab eo quem Matthæus litteris mandauit, diximus lib. 7. cap. 1. Descendit enim Christus ex monte, in quo sermonem à Matthęo memoriæ proditum habuit: tum ex sermone in monte habito aliqua repetens, sermonem alium similem, ac breuiorem campestri in loco fecit, quem Lucas cap. 6. describit. Lege quæ illo loco dicta sunt. Huius sententiæ est Euthymius Lucæ 6. Aliæ, inquit, sunt hæ beatitudines ab iis, quæ suprà scriptæ sunt in Euangelio iuxta Matthęum, illas siquidem dixit, vbi montem conscendisset ac resedisset: has verò cùm descendisset, stetisset́q; in loco campestri, &c. eiusdem opinionis est D. Basilius lib. de Baptismo, D. Bonauētura Luc. 6. Card. Caietanus, & alij. Quia verò sermonem à Matthęo descriptum iam explicauimus, breuiter hunc transcurremus, illáque solùm, quæ nondum exposita sunt exponemus.

Euthym.

Luca 6.

STETIT *in loco campestri.* Sermo à Matthæo descriptus in monte habitus est. hic in campo, qui locus dicitur campestris. Aderāt non solùm Apostoli duodecim, sed etiam turba aliorum discipulorum, qui à Christo cælestem discebant doctrinam. erant enim multi, idcirco turba dicuntur, id est, multitudo. Aderat præter discipulos, plebis magna multitudo, quæ variis ex locis conuenerat. Nempe ab omni Iudæa, à ciuitate metropoli Ierusalem, & à regione maritima tam Tyri, quam Sidonis. Nam hæ duæ præcipuæ ciuitates, & propinqua illis regio maritimæ erant. Mirum est nullam hìc fieri mentionē Galilææ. Non enim dicitur à Galilæa venisse plebem ad audiendum Christum. Cùm tamē in Galilæa sermonē hunc habuerit. Nam post illum, Capharnaum Galilææ ciuitatem petiuit. Respondetur, Lucā vel Iudæam latè accepisse pro tota Iudæorū regione, ita vt Galilæam etiam complectatur. Vel Galilææ non meminisse, quia perspicuum erat propinquos Galilęos sermoni interfuisse. Voluit Lucas eos cōmemorare, qui ex distātibus confluxerūt regionibus, Galilęos vicinos prętermisit.

Luca 6.

VIRTVS *de illo exibat.* Sanabat Christus diuina potentia ægros. exibat ab illo actio diuinitatis, quæ miracula patrabat, non verò qualitas aliqua creata. Nam qualitas creata miracula edere vi sua non potest, hæc autem virtus, vt hoc loco ait Euangelista, Sanabat omnes. Ergo miracula edebat sua. De hac virtute egimus lib. 5. capite 24. cùm de hæmorrhoousa verba fecimus.

Qualitas creata vi sua miracula edere non potest.

Luca 6.

BEATI *pauperes.* In monte octo beatitudines, in loco cāpestri quatuor tantummodò proposuit Dominus, nimirum paupertatem, esuriem, fletum, persecutionis tolerantiam. De paupertate agit voluntaria etiam hoc loco. *Beati*, ait, *pauperes*, subintellige spiritu ac volūtate: intus & foris. Neque enim beatos illos pauperes vocat, qui coactè in paupertate vitam degunt. Itaque eadem hæc est beatitudo apud Lucam & Matthæum. Nam apud Matthæum de pauperibus sermo est, qui diuitiis nuntium omnino remiserunt: itemque hoc loco. Neque rationes vllius momēti contrariam opinionē probant.

Beati qui pauperes hic dicantur.

Luca 6.

BEATI *qui nunc esuritis.* Ex D. Bonauentura & interlin. glossa sic exponitur: *Beati qui nunc esuritis iustitiam*: quo sensu eadem est beatitudo hæc apud Matthæum & Lucam. Sed quia Dominus non addit hoc loco, *iustitiam*, probabilius de iis interpretabimur, qui Christi causa esuriem patiuntur corporis & sitim. Euthymius; Esurientes, inquit, Christus beatificat, eos videlicet, qui voluntaria esuriunt paupertate, gratóq; sustinent animo, &c. Beda quoque: Potest, ait, simpliciter accipi, *Beati qui nunc esuritis*: qui castigatis corpus vestrū, & seruituti subiicitis: qui in fame & siti, verbo operā datis, &c. Item Caietanus: Non dicit Christus: Esuritis iustitiam, vt in monte dixerat; sed dicit: Qui nunc esuritis: loquens de corporali fame, qua comprehēdit voluntariam abstractionē ab iis, quæ sunt carnis, &c. Hæc esuries in cælo parit saturitatem, in terra castitatem. Nam, vt ait Augustinus serm. 77. de temp. Fames amica virginitatis est, inimica lasciuiæ, &c.

Esuriē quæ patientes beati sunt.

Caiet.

Fames amica virginitatis est.

BEATI *qui nunc fletis.* De fletu & persecutionis tolerantia diximus lib. 7. hæ enim duæ beatitudines ab illis Matthæi non differūt. In monte plures, in cāpestri loco pauciores beatitudines proponuntur, nempe numerus dimidiatus, octo in mōte, quatuor in cāpo, quibus ostendit Dominus ea, quæ miseros atque infelices homines efficere vulgus existimat, videlicet paupertatē, fletū, esuriē, opprobria, cruciatus, non miseros & infelices, sed beatos potius ac infelices reddere, si Dei causa tolerētur.

Luca 6.

VÆ *vobis diuitibus.* Pauperes, esurientes, eos, qui lugent, & persecutionē ferunt, beatos Dominus prædicauit. Nunc diuites, saturos, ridentes, hominumq; laudibus cumulatos, infelices esse proclamat. Quatuor beatitudinibus quatuor væ opponit. Suauis beatitudo est; Væ, est horrendum. *Væ*, inquit, *vobis diuitibus, quia habetis consolationem vestrā.* Duo sensus sunt horum verborū. Prior est; Vę vobis diuitibus, qui vestram consolationē, voluptatem, delicias, & cor in diuitiis caducísque rebus habetis: Deum & virtutes minimè curatis. Nam, vt ait Ambrosius Lucę 6. Non eos, qui habent diuitias Dominus condemnat; sed eos, qui vti illis nesciunt. Nec census, sed affectus in crimine est, &c. Diuites (ait Euthym.) dicit nunc auaros, diuitiis intabescentes, &c. Posterior est; *Væ vobis diuitibus, quia habetis vestram consolationem*; & vestram beatitudinem in hac vita: aliam verò post mortem non habebitis, iuxta illud diuiti epuloni dictum: *Recepisti bona in vita tua.* Sic exponit Cardinalis Caietanus: Ideo, inquit, erit vobis væ in alia vita, quia in hac vita recepisti à Deo, quidquid consolationis vobis debetur, nullàque supereſt vobis in alia vita debita consolatio, &c. Et adiungit: Indicium hinc habes lector æternæ damnationis, in prosperis successibus iniquorū. Recipiunt enim hic mercedem aliquorum bonorum operum, quæ faciunt, &c. Reliqua sunt perspicua.

Ibid.

Duplex sensus.

Diuites hic cōsolationē habēt, post mortem deconsolationem.

Luca 16.

DILIGITE *inimicos vestros.* Inimicos docet esse diligendos, & beneficiis prosequendos. Præterea malo minimè resistendum, obuertendam alteram maxillam percutienti, tunicam quoque dimittendam tollenti pallium, & ablata non repetenda, pacis atque animi tranquillitatis, & Christianæ philosophiæ conseruandæ causa. Denique seruandam naturæ illam legem: *Quod tibi vis fieri, alteri feceris.* Hæc omnia suprà iam sunt exposita.

Luca 6.

QVÆ *vobis est gratia?* Hoc est: Quid gratiæ & beneficij gratuiti confertis: si diligitis eos, qui

Ibid.

vos

vos diligunt, cùm id peccatores quoque faciant? Rectius: Quæ vobis est gratia habenda, quod donum reddendum à Deo? Græcè, ποία χάρις, id est, qualis gratia. Sic dixit Matthæus: *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* *Matth. 5.*

Luc. 6. NIHIL *inde sperantes.* Inter alia beneficia mutuatio numeratur. Vult autem Dominus beneficia, non propter retributionis spem, sed Dei causa gratis cõferri: *Benefacite*, inquit, *& mutuũ date, nihil inde commodi, vel retributionis ab hominibus sperantes.* Etenim si Dei causa nihil ab homine quærẽtes, beneficia contuleritis, Deus vobis magnam rependet mercedẽ. Erit merces vestra à Deo multa. Præterea filij eritis Dei, similes Patri. Nam Deus gratis in ingratos & improbos beneficia cõfert, nihil ab eis spẽrãs vtilitatis. Idẽ vult à filiis præstari. Imitamini ergo Deũ misericordia, ac gratuita in homines beneficentia. Estote misericordes & benefici: sicut & Pater vester misericors est, & beneficentissimus.

Alius esse potest sensus huiusmodi: Quæ vobis gratia, quod præmium erit, si mutuũ illis dederitis, à quibus speratis id vos recepturos, quod mutuo datis? Nihil præstãtius facitis, quã peccatores. Nam peccatores peccatoribus fœnerãtur, id est, mutuantur, vt recipiãt æqualia, id est, vt recipiant æqualem pecuniam, ei quam mutuo dederũt, vel æquale triticum & similia. Vos autẽ mutuum date, nihil inde sperantes, id est, non sperantes vos recepturos, id quod mutuò datis. Quasi dicat Dominus, Date mutuum, ne curetis solutionẽ; etsi non soluatur mutuum, ne repetatis, nec aliquid inde speretis, iuxta id quod suprà dixit: *Qui aufert quæ tua sunt, ne repetas.* Sed probabilior est prior sensus. *Mutuum date, nihil inde sperantes vtilitatis & retributionis.* Non iubet Dominus donare, sed mutuari. Si autem mutuator id, quod mutuò dat non sperat, donum non mutuum videbitur. Ergo interpretãdus locus est hoc modo. Quæ vobis gratia, si mutuum illis dederitis, à quibus simile mutuum, aut similia beneficia recipere speratis? Nã & peccatores peccatoribus mutuatur, vt recipiant æqualia beneficia, vel similia. Vos autẽ benefacite, & mutuũ date, nihil inde sperãtes mercedis, beneficij, aut repensionis. Rependet Deus.

Ex mutuo quomodo nihil sperandum.

De mutuo quod gratuitum esse debet loquitur.

Luc. 6. NOLITE *iudicare, & non iudicabimini.* Hæc exposita sunt libro 7. cap. 28.

Ibid. Mẽsura Dei magna conferta, coagitata, superefluens. DATE, *& dabitur vobis.* Ad largiendum hortatur Dominus præmio proposito: *Date*, inquit, *& dabitur vobis* à Deo. Deinde mensurã qua Deus donat, describit: *Mensurã bonã, & confertã, & coagitatam, & superefluentẽ, dabunt in sinũ vestrum.* Sed, quinam dabunt mensuram? Respondet Caietanus, dabunt vestra merita. Augustinus lib. 2. quæst. Euang. c. 8. Dabunt ij, quibus dedistis. Non diceret Dominus (ait Augustinus) dabunt in sinum vestrũ; nisi quia per illorum merita, quibus vel calicem aquæ frigidæ in nomine discipuli dederint, mercedẽ cælestẽ recipere merebũtur, &c. Euthymius: Reddent mensurã beneficij ij, qui beneficio affecti sunt. Deo enim pro ipsis rependente, ipsi rependere videntur, &c.

Qui dabũt mercedem. Luc. 16. Sic de pauperibus dicitur. *Recipient vos in æterna tabernacula*, &c. Rectius alij verbum *dabunt* impersonaliter accipiunt, hoc sensu, *dabunt*, id est, dabitur vobis mensura. Vel aliter, Dabũt ij, ad quos pertinet vestra merita remunerare. hoc autem Dei est.

Luc. 6. MENSVRAM *bonam & confertam.* Mensura bona Græcè dicitur, μέτρον καλὸν, id est, bona, pulchra. Est autẽ bona mẽsura & pulchra, mensura magna. Aliter dicitur mensura bona, mẽsura iusta & vera; iuxta illud: *Pondus habebis iustũ & verum. Et modius æqualis, & verus erit tibi*, &c. *Deut. 25.* Sed arbitror, bonam mensurã & pulchram, magnã mensuram appellari potiùs, quàm iustam. Mensura conferta Græcè dicitur πεπιεσμένον, id est, pressa. Est autẽ mensura pressa & cõferta, cùm id quo plena est comprimitur, vt plura capiat. Coagitata Græcè σεσαλευμένον, id est, commota, cõcussa. Nam solet mensura concuti & commoueri, vt capacior fiat. Deniq; supereffluens mensura illa appellatur, quæ ita plena est, vt supereffluat, & redundet addito magno cumulo. Euthymius: Solent, inquit, qui triticum bene metiũtur, superpositis modio manibus deorsum illud premere: prẽterea concutere, vt descendat, & adiicere, donec supereffundatur, &c. Vides qualiter Deus metiatur. Nẽpe mensura magna, pressa, concussa, atq; exundata. Vnde illud Pauli: *Non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* &, *Quod momentaneum est, & leue tribulationis nostræ, æternũ gloriæ pondus operatur in nobis*, &c. Theophylactus Lucæ 6. Non parcè, inquit, remetietur Dominus. Sed opulentè. Sicut mensurus farinã accumulas, cõcutis, exundaréq; facis: ita & Dominus mensuram magnam & exundantem dabit tibi, &c.

Euthym.

Merces lẽgè maior meritis suauis est. *Rom. 8. 1. Cor. 4.*

Caiet.

Caietanus putat loqui Christum hoc loco de mẽsura, tam præmij, quàm supplicij: Dominus intendit, inquit ille, declarare tam præmia, quàm pœnas futuræ vitæ, respectu earũ, quę sunt in præsenti pœnarum, & similiter præmiorũ, fore ad similitudinẽ mensuræ bonæ, confertæ, coagitatæ, & supereffluentis. Incomparabiliter siquidem exceduntur hæc bona & mala pœnæ, præsentis vitæ, à bonis & malis futuræ vitæ, &c. Verũ ego de mẽsura præmij verba hæc intelligo, nõ de mẽsura supplicij. Dixit enim Dominus: *Date, & dabitur vobis.* Deinde quàm magna mẽsura daret, indicauit: mensurãq; præmij, non supplicij descripsit. Quamuis verũ sit supplicij mensurã ingẽtem esse, illius hîc non meminit.

Mensura præmij non supplicij descripta est.

Luc. 6. DABVNT *in sinum vestrũ.* Nũquid id quod mensura metitur, in sinũ hominũ datur? Minimè quidẽ datur, si mẽsura magna est. Non enim sinus mensuram capit magnã. Cur igitur Dominus ait: *Dabunt in sinũ vestrum?* Respondetur, aliquando dona dari in sinum, & in sinum recondi, significaréque Dominum hoc dicendi modo, dona Dei, quę in cælo donat, adhærere homini. Mensura enim illa magna & conferta in sinum datur, non in arcam, vel in horreum. Homini adhærent bona, quæ metitur, in sinum, id est, animum corpusq́ue ipsum dantur, vt est compertum. Reges terreni in arcam dabunt dona quædam externa. At summus Rex dona dat animo inhærentia, animúmque exornantia, & locupletantia, & corpus. Est simile illud: *Redde inimicis nostris septuplum in sinu eorum*, &c. *Psal. 78.*

Luc. 6. EADEM *mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Suprà explicauimus verba hæc lib. 7. c. 28. Videntur illa superioribus repugnare. Mensura magna, ac exundãte, & multò maiore, nobis est remetiendum: non eadem ergo mẽsura nobis remetietur. Nam nostrorum operum mensura parua est: præmiorũ mensura ingens. Respondetur eamdem esse mẽsuram ac diuersam. Diuersam magnitudine, quia Dei maior est mensura. Sed eamdem circa bona vel mala. Nam si bona proximo metiamur: bona nobis remetietur Deus: si mala metiamur, remetietur mala, id est, supplicia. Vnde D. Augustinus lib. 21. de ciuit. Dei, c. 11. Propter vicissitudinem, inquit, mali, id est, vt qui mala fecerit, mala patiatur; *eadẽ dicta mensura*, &c. Theophylactus: Dicimus, non esse dictum, quòd tanta mensura metientur nobis & alij: sed eadem. Dicit igitur Dominus, Quòd si bene feceris, bene fiet etiam tibi. Sicut & in condemnatione dixit. Qui enim condemnat, & postea condemnatur, eamdẽ mensuram recipit, &c. Addit Augustinus: Qui iudicat & cõdemnat iniustè, iudicatur & condemnatur iustè. In eadem mensura recipit.

Eadem est mensura & diuersa.

Augustin.

Theophil.

Augustin.

cipit. Quamuis non hoc quod dedit. Iudicio enim fecit, iudicio patitur, &c. *Qui parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*, &c. hoc est, eadem mensura recipiemus, quod dederimus. Si parcè, & parum dederimus, parū nobis dabitur eadem mēsura. Si largiter tribuerimus, eadem larga mensura retribuetur nobis Sic tellus si parum seminas, parū reddit: si multùm seminas, multùm restituit. Psal. 17. *Cùm sancto sanctus eris, & cum innocente innocens eris, & cum electo electus eris. Et cum peruerso peruerteris.* hoc est, eadem mensura ages, cum hominibus. Cum sancto, & innocente innocēter ages, non punies. Peruersum, & improbum torquebis.

2. Cor. 9.

Psal. 17.

Luc. 6. Qui sint cæci. Matth. 7.

NVNQVID *potest cæcus cæcum ducere?* Hoc loco cæcos appellat Dominus, quos apud Matthæum falsos appellauit prophetas, cùm dicit: *Attendite à falsis prophetis.* falsos ergo, & cæcos doctores docet fugiendos, ne nos in foueam ducant. Si enim cæcus, & hæreticus doctor discipulum ducat: ambo in foueam hæresis, errorúmq; multorum, tādemque in foueam tartaream cadent. En quales hæretici sunt, qui se maximè videre iactant. Cæci sunt, & cæcorum discipulorum duces. Intelligi etiam possunt verba de Scribis, & Pharisæis improbis. Nā in illos hæc dicta sunt. *Cæci sunt, & duces cæcorum. Cæcus autē si cæco ducatū præstet, ambo in foueam cadūt, &c.*

Ministri hæreticorum cæci sunt & cæcorū duces.

Matth. 15.

Luc. 6.

NON *est discipulus super magistrum.* Quales sint cæcorum discipuli indicat. Sunt magistris similes. Magistri sunt cæci, cæci quoque discipuli. *Non est enim discipulus super magistrum. Perfectus est omnis discipulus, si sit sicut magister eius.* Discipulus magistri non plus videbit, quàm magister. Tunc in cæcitate perfectus erit discipulus, cùm tàm cæcus fuerit quàm magister. Possunt etiam hæc de insipientibus magistris explicari hoc pacto. Docet Dominus nō esse comparandam scientiam à magistris, & doctoribus cæcis, id est imperitis, atque indoctis. Cùm enim discipulus non sit super magistrum, non poterit cæcus magister vidētem efficere discipulum. Non esse autem discipulum super magistrum, intelligit quamdiu ab eo discit. Tūc enim inferior est scientia illa, quam discit. Perfectus autem est discipulus magistri alicuius, cùm magistri scientiam perfectè animo concepit. Nihil enim habet, quod ab eo vltrà discat. Docet locus quęrēdos magistros, qui cæci non sint, qui bene viuendi scientia, & moribus excellant. Quales enim magistri, tales erunt discipuli. Magistri cæci cæcos discipulos efficient, & in foueam ducent. Sequitur enim discipulus magistrum illiusque vestigiis inhæret.

Quis discipulus nō sit super magistrum.

Quærendi boni magistri.

A QVID *vides festucam in oculo fratris tui*, &c. Dictum est de his supra lib. 7. cap. 28. *Luc. 6.*

NON *est enim arbor bona, quæ facit fructus malos*, &c. Hypocritam monuerat Dominus, vt primùm trabē suam eiiceret, postea à peccato trabali liber, fratris festucam educeret Adiicit rationem. *Non est enim arbor bona, quæ facit fructus malos: nec arbor mala faciens fructum bonum.* Quasi dicat: Eiice peccatum ex animo, tunc arbor bona fies, & fructum bonū correctionis fratris bene produces. Etenim non est arbor bona, quæ trabes, id est, peccata, fructusque huiusmodi malos, quos tu fers, producit. Neq; arbor mala fructus bonos facit. Ergo, vt fructum bonum facias, id est, vt eiicias festucam, & peccatū ex animo fratris, esto bona arbor, non mala: eiice priùs ex te trabem, id est, peccatū maius. Vnaquæq; enim arbor de fructu suo cognoscitur, mala arbor ex malo, bona ex bono: quia bona bonū, mala malum B fructum producit. De malis spinis nemo colligit fructum bonum, ficus: aut de mala rubo fructū bonum, vuam. Similē in modū se habet homo. Nam bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonū, vt arbor bona: malus homo profert malum, vt arbor mala. Quemadmodum enim ex abundantia cordis loquitur os: sic ex abundātia cordis manus operatur. Ex corde bono bona verba & opera, vt ex bona arbore boni fructus: ex malo corde mala verba malaq; opera, vt ex mala arbore mali fructus producuntur. Aliter, forsitan de verbis loquitur Dominus. Nā hypocrita verbis agebat cum fratre, cuius volebat festucam eiicere, id est, peccatum emēdare. Bona erant verba, bonus fructus, sed ex mala arbore oriebatur, nempe ex hypocrita & corde improbo. Monet ergo Dominus, vt peccata animo pellat, fiatq; arbor bona, vt verba illa bona, illa bona correctio, ex bona arbore producatur. Siquidē nec arbor bona malos, nec mala bonos fructus facit. Adiūgit: *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonū*, id est, bona verba, bonam proximi correctionem, bonam doctrinā. Malus profert verba mala. ideo addit: *Ex abundantia enim cordis os loquitur.* Cor bonitate abundans, veluti thesaurus refertus auro, aurea profert verba. Cor malitia abundans verba profert mala. Similis nāq; fructus ast arbori.

Bonus homo bonum fructum, & malus malum producit.

Luc. 6.

Ibid.

QVID *vocatis me, Domine Domine.* Eos reprehendit, qui verbo tenus Deum colunt, legē verò non obseruant, qua de re suprà dictum lib. 7. c. 30. *Luc. 6.*

SIMILIS *est homini ædificanti domum.* Hæc suprà interpretati sumus lib. 7 cap. 30. *Ibid.*

CAPVT II.

De leproso sanato.

MATTH. CAP. VIII.

CVm autem descēdisset de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ. Et ecce leprosus veniens adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens Iesus manum, tetigit eum, dicens: Volo, Mundare. Et confestim mūdata est lepra eius. Et ait illi Iesus: Vide nemini dixeris, sed vade, ostende te sacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyses, in testimoniū illis.

MARC. CAP. I.

ET venit ad eum leprosus deprecans eum: & genu flexo dixit ei: Si vis, potes me mundare. Iesus autem misertus eius, extendit manum suam, & tangens eum, ait illi: Volo, Mundare. Et cùm dixisset, statim discessit ab eo lepra, & mundatus est. Et comminatus est ei, statimque eiecit illum, & dicit ei: Vide nemini dixeris, sed vade, ostende te principi sacerdotū, & offer pro emundatione tua, quæ præcepit Moyses in testimonium illis. At ille egressus cœpit prædicare & diffamare sermonem, ita vt iam non posset manifestè introire in ciuitatem,

tatem, ſed foris in deſertis locis eſſet, & conueniebant ad eum vndique.

LVC. CAP. V.

ET factum eſt, cùm eſſet in vna ciuitatum, & ecce vir plenus lepra, & videns Ieſum, & procidens in faciem, rogauit eum, dicens: Domine ſi vis, potes me mundare. Et extendens manum, tetigit eum, dicens: Volo, Mundare. Et confeſtim lepra diſceſſit ab illo. Et ipſe præcepit illi, vt nemini diceret: ſed vade, & oſtende te ſacerdoti, offer pro emundatione tua, ſicut præcepit Moyſes, in teſtimonium illis.

Matth. 8. CVM *deſcendiſſet in monte.* In montem aſcendit Dominus, ſermonémque habuit, vt Matthæus ſcribit. Deinde ex monte deſcendens eiuſdem ſermonis aliquam partem in loco campeſtri repetiuit, vt Lucas narrat. Poſt ſermonem diſceſſit eo ex loco, & ſequutæ ſunt eum turbæ multæ. Occurrit illi leproſus, vt Lucas ait, plenus lepra. Sanitatem petiit, petitam recepit.

Dubium eſt, quonam in loco leproſo huic ſit ſanitas reddita. Matthæus videtur indicare prope montem redditam, ſic enim ſcribit: *Cùm deſcendiſſet de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ, & ecce leproſus veniens*, &c. Dicendum, non eſſe ſanatum leproſum ad montis radices, ſed in ciuitate, vel, iuxta ciuitatem Capharnaum, vt conſtat ex diuo Luca: *Cùm, inquit, eſſet Chriſtus in vna ciuitatum, & ecce vir plenus lepra*, &c. Non repugnat Matthæus: neque enim meminit loci, in quo miraculum eſt editum. Intelligendus autem eſt in hunc modum: *Cùm deſcendiſſet de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ. Cumque eſſet in vna ciuitatum, ecce leproſus veniens adorabat eum*, &c.

Quomã in loco ſit ſanatus leproſus. Lucæ 5.

An leproſis licuerit in ciuitatibus habitare?

Obiiciet quiſpiam, leproſis non licuiſſe in ciuitates ingredi, atque adeò hunc leproſum in vna ciuitatum non fuiſſe curatum. Reſpondet Abulenſis curatum, cùm Chriſtus eſſet in vna ciuitatum, hoc eſt, in ſuburbano agro. Nam ciuitas complectitur etiam agros ſuburbanos. Similem in modum, quo

Ioſue 3. loco noſter Interpres vertit: *Cùm eſſet Ioſue in agro vrbis Iericho*, Hebraicè legitur: *Cùm eſſet Ioſue in Iericho*. quomodo verterunt Septuaginta interpretes. Dicitur eſſe Ioſue in Iericho, cùm tamen eſſet foris in agro adiacente. Aliter reſpondet Caietanus, & Ianſenius, leproſis non licuiſſe quidem in vrbibus habitare, iuxta illud. *Omni tempore, quo leproſus eſt, & immundus, ſolus habitabit extra caſtra*, &c. *Præcipe filiis Iſraël, vt eiiciant de caſtris omne leproſum*, &c. licuiſſe tamen vrbes ingredi, & per publicas plateas trãſire: occurriſſéque hũc leproſum Chriſto in platea aliqua vrbis; vrbis, inquam, Capharnaum, vt Abulenſis ait. Nam, vt conſtat ex Matthæo, & Luca, poſt ſermonem habitum Chriſtus Capharnaum petiit. Iuxta vrbẽ verſabatur, vel habitabat leproſus ille. Et iuxta vrbẽ videtur ſanatus. Indicat enim Matthæus poſt ſanatũ leproſum Chriſtũ Capharnaum intraſſe. Forſitan aliquam ciuitatem ingreſſus eſt, priusquàm Capharnaum veniret, in qua leproſum ſanitate donauit, vt ait Lucas. Poſtea Capharnaum eſt ingreſſus, vt Matthæus ſcribit. Obiicies verba

Leuit. 13. Num. 5.

Leproſis licuit vrbes ingredi, & per plateas tranſire.

Marci 1. Marci: *Ita vt iam nõ poſſet manifeſtè introire in ciuitatẽ, ſed foris in deſertis locis eſſet*, &c. Ait Marcus miraculo illo patrato, nõ potuiſſe Chriſtum in ciuitatẽ ingredi, propter hominũ confluentem multitudinẽ. Ergo non fuit factum in ciuitate hoc miraculũ. Reſpondeo, vel factum in ciuitate: egreſſum poſtea Dominum. Interim leproſum miraculũ prædicaſſe, nec voluiſſe Dominum ciuitatem ingredi manifeſtè, ne hominum magnus fieret ad illum concurſus.

Matth. 8. Luc. 5. DOMINE *ſi vis, potes.* Acceſſit leproſus, Chriſtúmque adorauit, vt Matthæus ait: vt ait Marcus, genu flexit: vt verò Lucas, procidit in faciem. Quæritur, an crediderit Chriſtum Deum eſſe? Credidiſſe putant Theophylactus, Euthymius, & Auctor imperfecti: idem ſentire videtur Chryſoſtomus. D. Athanaſius oratione 5. contra Arianos ad Adelphium: Leproſus, inquit, adorabat Dominum, eúmque Deum eſſe præſentiebat, his verbis vtens: *Domine, ſi vis, potes me mundare*, &c. Quæ ſententia ſi vera eſt, id peculiari Dei auxilio eſt factum. Modeſtiſſimè, ſummáque cum humilitate poſtulat ſanitatem hic leproſus. In faciem procidit; neque verò ait: Munda me Domine: ſed, *ſi vis, potes me mundare*. Non dixit, ait Chryſoſtomus, ſi oraueris, potes me mundare: neque Domine, munda me: ſed ipſi cuncta commiſit, eumque conferendæ ſanitatis Dominum eſſe confeſſus eſt, atque in ipſo conſtituit omnium poteſtatem, &c.

An nouerit leproſus Chriſti diuinitatem

VOLO *mundare.* Reſpondit Dominus, tum verbo, tum facto. Dixerat leproſus: Si vis: Reſpondet: Volo. dixerat: Potes me mundare; reſpondet, imperatiuè: Mundare, iſt eſt, mundus eſto. Quæ verba Chriſti diuinitatem indicant, non aliena, ſed propria poteſtate volendo, ac iubendo curantem. Ambroſius Lucæ 5. *Volo*, dicit Chriſtus, propter Photinum, *imperat* propter Arium, *tangit* propter Manichæum, &c. Beda in verbo *Volo*, oſtendit Dominus pietatis clementiam, in verbo: *Mundare*; maieſtatis potentiam, quia ipſe dixit, & facta ſunt, &c. Euthymius: Verbum, inquit, *Volo*, benignitatis indicium eſt. *Mundare*, potentiæ, &c.

Matth. 8. Marci 1. Luc. 5.

Diuinitas Chriſti ſeipſam prodit

Extenſa manu tetigit Dominus leproſum. Cur autem tetigerit rationes reddit Theophylactus: Tetigit, inquit, leproſum, oſtendens quòd legi non ſit obnoxius, quæ præcipit, ne tãgatur leproſus, ſed Dominus eius ſit. Et quòd mũdo nihil ſit immundum. Et quòd ſancta eius caro ſanctificationem communicet, &c. Euthymius addit, ſimul etiã docebat, non abominãdam eſſe corporalem lepram hominum. Solam namque lepram animæ conuenit execrari, quæ eſt peccatum, &c. Chryſoſtomus homil. 26. Eliſæus leproſum Naaman ad Iordanis fluenta mittit lauandum. At Chriſtus oſtẽdit, quia non vt famulus, ſed vt Dominus curet ac tangat. Non enim tangentis manus immũda eſt facta per lepram, ſed per ſanctã manum leproſi corpus omne mundatum, &c. Obſerua legem præcepiſſe, vt leproſi ex caſtris, & ſimiliter ex ciuitatibus, & opidis eiicerẽtur. Sed expreſsè non præcepit, ne quis leproſum tangeret. Dubium igitur eſt: An lex tangere leproſos vetuerit? Theophylactus & Euthym. citati affirmant, vetuiſſe legẽ leproſos tangere, alij quoque. Abulẽſis exiſtimat non vetuiſſe. hanc opinionẽ ſequor. Illius hæc ſunt verba, Matth. 8. q. 13. Tangere leproſum non erat peccatũ ſecundũ legem, quodcumq; quis tangeret: niſi ſic immundus vellet accedere ad res ſacras, &c. Nemo itaq; prohibebatur leproſum tãgere. Attamẽ immũditiam ſiue, vt ita dicã, irregularitatẽ incurrebat. Quẽadmodũ nũc iudex latronẽ ſuſpendẽs ſine peccato, fit irregularis. Ergo cũ Dñs leproſum tetigit, nihil

Theoph. Cur Dominus leproſũ tetigerit

Chryſoſt.

An lex leproſum tãgere vetuerit. Abulenſi.

contra legem fecit. Nullam immunditiam incurrit, quinimo lepræ immunditiam depulit. homo enim erat, & Deus. Prætereà miraculum operabatur, ex tactu verò ad miraculum operandum non contrahebatur immunditia. Ideóq; Abulensis putat Eliam, & Eliseum, qui mortuos tetigerunt, immunditiam non incurrisse.

Matth. 8. Leprosus diuinitus curatus ostenditur.

CONFESTIM *mundata est lepra eius.* Medici multa morbis adhibēt pharmaca. Christus verbo solo lepram curat, & tactu. Medici longo indigēt tempore. Christus puncto tēporis sanat. *Cōfestim*, inquit, *mundata est lepra*: nō lōga mora interceſſit. D. Chryſ.

Chryſoſt.

hom. 26. Ceſſit, inquit, ex tēplo Chriſti iuſſui natura. Cū tanta vtiq; celeritate, quanta Deū conuenit operari. Et profectò maiore, quàm Euāgeliſta memorauit. Nā ipſum *confeſtim*, multò eſt tardius illius operis celeritate, quo leproſi facta eſt curatio, &c.

Matth. 8. Mar. 1. Cur Dominus dixerit leproſo, Nemini dixerīs.

NEMINI *dixeris.* Auctor imperfecti, cenſet Chriſtum non præcepiſſe leproſo, vt nemini vmquam diceret: ſed vt nemini diceret, antequam ſe ſacerdotibus oſtenderet. In hunc ſenſum: *Vide nemini dixeris*, te eſſe ſanitati redditum, antequàm ſacerdotes adeas. Illius hæc ſunt verba. Non iubet Chriſtus leproſum tacere ſemper, ſed quamdiu oſtendat ſe ſacerdotibus. Ne forte ſi ante alicui nuntiaret, de verbo in verbum audirent ſacerdotes, & occaſionem habentes lepræ, propter odium, & inimicitiam Chriſti, expellerent eum de populo, quaſi leproſum, non recipientes mundatum. Sic ille. Non placet ſententia. Id enim Chriſtus præcepit huic leproſo, quod cæcis duobus, quibus

Matth. 9.

lucē reddidit, Matthęi 9. *Aperti*, inquit, *ſunt oculi eorum. Et comminatus eſt illis Ieſus dicens: Videte, ne quis ſciat*, & Similiter cùm Archiſynagogi filiā ſuſcitauit, parentibus præcipit; ne alicui dicerēt, quod factum erat.

Luc. 8.

Abſolutè iis dixit, ne miracula proderent; ſic & leproſo. Idque verba Chriſti ſignificant, abſque reſtrictione vlla prolata; *Vide nemini dixeris.*

An iuſſerit Dominus taceri miracula ad deuitādam Phariſæorū inuidiam.

Legi apud interpretem quendam, Matthęi 9. iuſſiſſe dominum aliqua miracula taceri, ad Phariſęorum, & Scribarum inuidiam deuitandam. At verò videbat Chriſtus miracula illa non tacenda, ſed diuulgāda: præceptum verò ſuum, nec Phariſæis, & Scribis forte notum, nec ad inuidiam vitandā aliquid profuturū. Adde plurima alia miracula Phariſæorum inuidiam concitare potuiſſe, quæ taceri non præcipiebat. Non igitur hæc fuit cauſa.

Druthmar.

Druthmarus in Matthæum. Neceſſe, inquit, non erat verbis narrare, cū omnes ſanū viderēt quem leproſum anteà viderant, &c. Et Victor Antiochenus, Marc. 1. *Nemini*, ait, *dixeris*. non indigeo tua prędicatione. ſi enim morbus quo laborabas, me non prædicauerit, mundities tua nulla erit, &c. Item D.

Victor Antioch.

Hieron.

Hieron. Matth. 8. Quid, inquit, erat opus, vt leproſus iactaret, quod corpore præferebat? &c. Ex his educitur cauſa. Chriſtus leproſo dixit: *Nemini dixeris.* quia ipſamet ſanitas corporis, miraculū prædicabat. Nec opus erat verbis in miraculo manifeſto.

Chriſtus oſtendendæ modeſtiæ cauſa vulgari vetuerat miracula. Tertull.

Alia cauſa fuiſſe videtur, videlicet Chriſti modeſtia, & humilitas, vt Chryſoſtomus ſentit, homil. 26. Mundauit, inquit, leproſum Dominus, & iuſſit eum nulli hoc fateri; docens quàm eſſet alienus ab aura gloriæ, pompáque iactantiæ. Et certè nouerat, quòd non eſſet ille taciturus: tamē quantùm in ipſo eſt, fugit oſtentare, quod fecerat, &c. Tertull. lib. 4. contra Marcionem cap. 9. Quantùm, inquit, ad humanæ gloriæ auerſionem pertinebat, vetuit Chriſtus leproſum miraculum diuulgare, &c. Fuit

Haymo.

cauſa exemplum. Haymo: Præcipit, inquit, leproſo Dominus, vt nemini dicat. Vt daret nobis exemplum, quotieſcumque aliquid boni gerimus, non ſolùm abſtinere à mercede pecuniæ debere, ſed etiam à mercede laudis humanæ, &c. D. Ambroſ. Lucæ 5. Cur præcepit nemini dicere, niſi vt doceret non vulganda noſtra beneficia; ſed premenda? Vt non ſolùm à mercede abſtineamus pecuniæ, ſed etiam gratiæ, &c. Euthym. quoque: Præcipit Dominus leproſo, vt taceret: & ipſe laudem fugiēs apud homines, & eos inſtruens, qui beneficia in aliquem conferunt, vt ambitionem execrentur. Atqui manifeſtè ſciebat Chriſtus, quòd taciturus non eſſet, ſed benefactorem palàm prędicaturus. Tamē quod ſuum eſt facit, & præcipit, Oportet enim eos, qui beneficia conferunt, modeſtiæ cauſa, præcipere ſilentium. Eos verò, qui beneficio ſunt affecti, prædicare beneficium propter gratitudinem, &c. Et Origenes hom. 5. in diuerſos, Vt doceamini, inquit quando aliquid boni facitis, non gloriari, aut extolli, vel inaniter placere velle, &c.

Ambr.

Euthym.

Qui beneficiū conferūt taceat, qui recipiūt prædicent.

Orig.

Petes, an leproſus hic tacuerit? Nō tacuiſſe ſcribit Marcus: *Egreſſus*, inquit, *cœpit prædicare, & diffamare ſermonem*, &c. intellexit enim Chriſtū noluiſſe eum præcepto obſtringere, ne loqueretur. Tolet. Cardin. Luc. 5. putat Chriſtum præcepiſſe leproſo, ne miraculum tunc temporis vulgaret, ne turba confluereret non tamen vetuiſſe, ne alio tempore paulò poſt patefaceret, quod ille præſtitit. Nā tempus Domino præbuit, vt in ciuitatē ſine turba ingrederetur, & poſtea miraculum vulgauit. Attamen his nihil opus. Ita enim iuſſit tacere leproſum quemadmodū cæcos, vt ſupra diximus, & puellæ parentes in vitam reuocatæ; eadem in omnibus cauſa.

Marci 1.

OSTENDE *te ſacerdoti.* Quorſum præcepit Dominus leproſo, vt ſacerdoti ſe oſtenderet? Reſpondetur, vt lex ſeruaretur, quę extat Leuit. 14. quo loco præcipitur, vt ad ſacerdotem mundatus leproſus adducatur, offerátque munus, ſiue ſacrificium Deo. Propterea ait Dominus: *Oſtende te ſacerdoti: & offer munus quod præcepit Moyſes*; ſcilicet Leui. 14. Tertull. li. 4. contra Marcionem ca. 9. Quantum ad tutelam legis. iuſſit Chriſtus ordinem impleri, &c. Adde, voluiſſe Chriſtum hoc facto ſacerdotibus exhibere reuerentiam. Vnde D. Cypr. epiſt. 65. ad Rogatianum: Chriſtus, inquit, vſque ad paſſionis diem ſeruauit honorem pontificibus, & ſacerdotibus, quamuis illi nec timorē Dei nec agnitionem Chriſti ſeruaſſent. Nā cùm leproſum emundaſſet, dixit illi: *Vade, & monſtra te ſacerdoti.* Prætereà voluit ſacerdotibus miraculum fieri notum, ſi Origenti credimus, vt crederent; hom. 5. in diuerſos: Oſtendere, inquit, ſe ſacerdoti iubetur leproſus, vt ipſe; ſacerdos intelligeret gratia Dei eſſe curatum, &c.

Matth. 8. Luc. 5. Cur præceperit leproſo Dominus, vt ſacerdoti ſe oſtēderet.

Cyprian. Chriſtus vſq; ad paſſio. ē ſuam de tulit ſacerdotibus.

De leproſis iudicium penes ſacerdotes erat, vt cognoſces ex cap. 13. lib. Leuitic. & 14. Marcus ait miſſum leproſum ad principem ſacerdotum: ſic enim ſcribit: *Vade, oſtende te principi ſacerdotum.* Nō, quia ad illum ſolum ſpectabat iudicium leproſi, ſed vt miraculum illi fieret notum, & quia princeps erat. Miror quendam interpretem in hunc locum ſic ſcripſiſſe: Vetus erat lex, ne vllus de mundatione leproſi decerneret, ſed ſolus ſummus ſacerdos, vt conſtat Leuit. 13. &c. Nam verba Leuit. hæc ſunt: *Adducetur*, ſcilicet leproſus, *ad Aaron ſacerdotem, vel ad vnumquemlibet filiorum eius*, &c. Ex quibus cōſtat non ſolum ad Aaronem, id eſt, principem ſacerdotum, ſed ad alios quoq; ſacerdotes, qui filij Aarō dicuntur, leproſi iudicium ſpectaſſe. Quòd ſi dicas, filios Aaron dici filios principes, & ſucceſſores ſummi ſacerdotij, non rectè interpretaberis. Filij enim Aaron minores ſacerdotes appellantur.

Marci 1.

Leuit. 13. Non ſolus ſummus ſacerdos de lepra cognoſcebat.

Dicitur leproſus hic à Luca vir plenus lepra. At verò vir plenus lepra mundus indicatur, ergo non opus erat mittere hunc leproſum ad ſacerdotes, ſiquidē ex lege mūdus erat. ſic habet lex: *Sin autem, efflor-*

Leuit. 13.

efflorueritdiſcurrens lepra in cute: & operuerit omnem carnem à capite vſque ad pedes, quidquid ſub aſpectum oculorum cadit, conſiderabit eum ſacerdos, & teneri lepra mundiſima iudicabit, eò quòd omnis in candorem verſa ſit, & idcirco homo mundus erit, &c. Reſpondetur, legẽ de leui quodam lepræ genere loqui, ſiue ſcabiei totã operientis cutem: hanc verò huius viri lepã grauẽ fuiſſe, & propriè leprã, de qua oportebat ſacerdotem iudicare.

Matth. 8. Marc. 1. & Luc. 5.

Quid ſit in teſtimoniũ illis.

IN *teſtimonium illis.* Chryſoſtomus ſic interpretatur: *In teſtimonium illis*: hoc eſt; in redargutionem & accuſationem, atque documentum: Si peruerſæ voluerint eſſe ſententiæ, tu mihi in teſtimonium eris, quòd à prẽuaricatione legis alienus ſim. Quippe cùm te curauerim, ad legem remitto, atque ad ſententiam ſacerdotum, &c. Sequũtur Chryſoſtomum Theophylactus & Euthymius. Tertullianus ita loco citato; Vt ſit, ait, in teſtimonium: ſine dubio quo teſtabatur ſe legem non diſſoluere, ſed adimplere, quo teſtabatur ſe eſſe, qui morbos, & valetudines eorum, ſuſcepturus annuntiabatur, &c. Haymo hunc in modũ; Oſtende te illis in teſtimonium ſalutis, ſi voluerint in me credere: ſi autem noluerint, in teſtimonium damnationis, &c. Ianſenius, teſtimonium pro ſtatuto, & præcepto accipit, Pſalmo enim 118. teſtimonia dicuntur præcepta. Illius hic ſenſus eſt: *Oſtende te ſacerdoti, & offer munus, quod Moyſes præcepit in teſtimonium*, id eſt, vt eſſet in ſtatutum: & legem, illis ſacerdotibus; hoc eſt: legem à Moſe traditam obſerua. Abulenſis interpretatio huiuſmodi eſt: *Offer munus quod præcepit Moyſes*, & erit illis in teſtimonium, quòd mundatus es. Loquitur Dominus de teſtimonio ſanitatis. Oblatio enim munerum, teſtimonium erat ſanitatis recuperatæ, vt conſtat ex capite decimo quarto Leuitici. Sic interpretor: *Offer munus tuum, quod præcepit Moyſes in teſtimonium illis*, hoc eſt; offer munus quod Moyſes Leuit. 14. illis ſacerdotibus præcepit offerendum, in teſtimonium ſanitatis adeptæ, & lẽpræ ſanatæ. Lege Leuit. 14.

Tertul. *Haymo.* *Ianſen.* *Matth. 8.*

Marci 1.

VT *non poſſet manifeſtè introire in ciuitatem.* Marcus affirmat Leproſum acceptum beneficiũ prædicaſſe. Tãto autem miraculo ſic excitati ſunt populi, vt non poſſet Dominus ciuitatem introire, propter hominum concurrentem multitudinem. In deſerta igitur loca ſeceſſit, ſed in deſerta etiam loca illum ſequebantur. Loquitur Marcus humano more, cùm ait; *Ita vt non poſſet manifeſtè introire in ciuitatẽ.* Poterat Dominus quidquid vellet. ſed non poterat manifeſtè introire in ciuitatem, quin turba conflueret, quia prohibere miracula nolebat, ſed rem hominum voluntati relinquebat.

CAPVT III.

Morale.

De leproſo ſanato

LEPROSVS ille Naamã Syriacæ militiæ princeps, de Eliſæo conqueritur, quod ad ſe non egrediatur, quodque lepræ locum non tangat: ſed ad Iordanis aquas abluendũ mittat. *Putabam*, inquit *quòd egrederetur ad me, & ſtans inuocaret nomen Domini Dei ſui, & tangeret manu ſua locũ lepræ, & curaret me*, &c. At de Deo conqueri non poteſt homo. Etenim vt Leproſo ſanitatẽ redderet, è celſo deſcendit monte; è cælo egreſſus ad hominem venit, lepramque tetigit, neque ad Iordanem mundandum miſit, ſed manibus in cruce extenſis mundauit. Naaman, vt eodem dicitur capite, indignatus abire cœpit, quòd Eliſæus ad eum ſanandum non veniſſet. Contrà verò, quia Dei Filius ad hominem ſanandum venit totus illum orbis eſt ſecutus. *Cùm deſcendiſſet de monte* (ait Euangeliſta) *ſecutæ ſunt eum turbæ multæ.* Vnde Beda: Deſcenſio, inquit, de monte incarnationem domini ſignificat. Et ſecutæ turbæ multæ; quia ante tantùm notus erat in Iudæa, poſt admirabilis factus eſt in vniuerſa terra.

4. Reg. 5.

De Deo cõqueri non poteſt homo

Chriſtus è cælo deſcendit, vt leproſo hominis ſanitatẽ conferret.

Matth. 8. Beda.

Emittis fontes in conuallibus, canit Regius vates. deinde addit, *Potabunt omnes beſtiæ agri, expectabunt onagri in ſitu ſua.* In editiſſimo monte, id eſt patris ſinu, fons vberrimus ſcaturit, videlicet Filius. Ex hoc monte in terrarum conualles effluxit: ſequuntur eum turbæ multæ; potant non beſtiæ agri, ſed homines vberrimiſque illius aquis ſitim extinguunt. *Trahe me poſt te*, precabatur Eccleſia; *Curremus in odorem vnguentorũ tuorum.* Deſcendit ex monte cæleſti Dominus, traxit Eccleſiæ multitudinem poſt ſe; ſecutæ ſunt eum turbæ multæ ex toto terrarum orbe conflatæ. Currunt in odorem vnguentorum, quibus fragrat. illius enim diuinitas, & humanitas admirabilem, ſuauiſſimumque odorem exhalant. Eccleſia (ait Bernardus ſerm. 22. Cant.) non ante currere valuit in odorem ſui Salomonis, quouſque is, qui ab æterno ex Patre ſapientia erat; factus eſt ei in tempore à Patre ſapientia, quò ipſius odorem percipere poſſet, &c.

Pſal. 103. *Chriſtum turbæ multæ ex toto orbe ſecutæ ſunt.* *Cant. 1.* *Bernar.*

Iſaias iuxta verſionẽ Septuaginta interpretum, *Plurimam*, ait, *partem populi deduxiſti in lætitia tua. Et lætabitur in conſpectu tuo ſicut lætari ſolent in meſſe, & ſicut ij, qui diuidunt ſpolia*, &c. Etenim Chriſtus plurimam Iudaici populi partem ad ſe traxit: traxit, inquam, in lætitia non vana, ſed vtili, qualis ex meſſe, & ſpoliis, ac triumphis percipitur Magna enim lætitia perfruitur, qui Chriſtum ſequitur, quoniam bonorum cæleſtium meſſem præclaram demetit, & de ſuperatis hoſtibus opima refert ſpolia. Noſter interpres vertit; *Multiplicaſti gentem: non magnificaſti lætitiam*, &c. Si interrogatio addatur, idem erit ſenſus, qui Septuaginta; Multiplicaſti gentem Iudæorum numquid non magnificaſti, lætitiam? per interrogationem: imo & gentem multiplicaſti & lætitiam magnificaſti. Sed interpres non videtur interrogationem adhibuiſſe. Sine interrogatione autem Iudæorũ euerſio, & incredulitas ſignificatur, hoc pacto: Multiplicaſti gentem Iudæorum; ſed non magnificaſti lætitiam; quoniã ob illatam Meſſiæ necem illorum Remp. deuaſtaſti. Hi verò, qui te ſequẽtur, *lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultant victores capta præda, quando diuidunt ſpolia*, &c. Qui gratię, virtutúmque ſegetes demetunt, qui dæmonem, cæteróſque hoſtes vincunt, ij lætantur in Chriſto. At verò qui gratiæ ne granum quidem habent, quíque dæmonis iugo oppreſſi, immaniſſimo tyrãno omnibus cæleſtibus bonis ſpoliati ſeruiunt, hac lætitia carent.

Lætitia ſequentium Chriſtum. *Iſaiæ 9.*

Quomodo Deus multiplicauit gentem Iudæorum, ſed non lætitiã.

Neſcio an verum illud ſit, quod de Aquila ſcribit Abulenſis Leuitici 11. quæſt. 24. Prædam, inquit ille, quã capit aquila non ſola comedit, ſed auibus ſequentibus facit communem. Ideò aliæ aues aquilam ſemper ſequuntur, ſperantes, quòd de præda aliquid impertietur, &c. Si in aquila dictum fallit, in Chriſto non fallit. Aquila noſtra nobiliſſima prædam cepit admirabilem, nimirum gratiam, & gloriam: cepit, inquam, non ſibi, ſed nobis. Non enim ſibi aut gratiam, aut animæ ſummam gloriam meritus eſt. Nobis opulentiſſimam hanc prædam diſtribuit, ſplendidiſſima hæc ſpolia nobis diuidit. Ideóque cæleſtẽ aquilam terreſtres ſequuntur volucres, vt de præda, quàm cepit, accipiant: *ſequutæ ſunt eum turbæ multæ.*

Abulenſ. *Aquila prædam nõ ſola comedit.* *Chriſtus nec gratiã, nec animæ ſummam gloriam ſibi meritus eſt.*

Annuntiaui, ait Dominus, *& loquutus ſum. Multiplicati ſunt ſuper numerum*: hoc eſt, Valde ſunt multiplicati; ſequutæ ſunt me turbæ multæ. Diuus Auguſtinus vult

Pſal. 39.

Multiplicati super numerum qui sint. August.

vult Christianos qui Christum sequuntur, multiplicatos dici super numerum prædestinatorum; quoniam ad numerum Sanctorum, & prædestinatorum multi non pertinent. Est, inquit, numerus: sunt super numerũ. Numerus certus est, pertinens

2. Tim. 2.

ad illam cælestem Ierusalem. *Nouit enim Dominus qui sunt eius.* Christianos timentes, Christianos fideles, Christianos præcepta seruantes, Dei vias ambulantes, à peccatis abstinentes, si ceciderint confitentes; ipsi ad numerum pertinent. Sunt & super numerum. Quantæ turbæ concurrunt: multi verè conuersi, & multi falsò conuersi, & pauciores sunt

Psal. 39.

verè conuersi, plures falsò conuersi. *Quia multiplicati sunt super numerum.* Ita Augustinus: Sequuntur turbæ multæ, in turbis autem multis improbi continentur multi: qui sola fide sequuntur Dominum, multi quoque continentur probi, qui & fide sequuntur, & operibus. Danda est opera Christiano, vt ex illis sit, qui tam fide sequuntur, quàm operibus, & charitate.

Miracula Christi linguam suam habent.

Christi miracula, vt Augustinus ait, tractatu 24. in Ioannem, habent linguam, & factum. Verbi diuini verbum nobis est, habet igitur linguam suam hoc miraculum; quid præterea loquatur nobis videre pergamus. Postquam ex monte descendit Dominus, leproso salutem attulit: eundem in modum, postquam ex cœlo in terras venit, lepra fœdissima infectum hominem sanitati restituit. Leprosus hic nulla Christo merita proponit propter quæ curari debeat. Nulla enim merita habuit homo, propter quę sanitatem à Christo sit consequutus. Bonæ voluntatis diuinæ, amoris, & potestatis

Hominis salus opus fuit bonæ voluntatis Dei.

hoc opus fuit: *Domine*, inquit, *si vis, potes me mundare*; quasi dicat; meritis careo; imò sanitate planè indignus sum. Non meis confido meritis: bonæ voluntati tuæ, & potentiæ me committo: *Si vis, potes.*

Psal. 39. Hebr. 10.

Respondit æternũ Verbum: *Volo: Mundare.* Psal. 39. & ad Hebræos ait: *Ecce venio, vt faciam voluntatem tuam, Deus meus volui*, &c. Ecce è cælesti mõte in mundum descendo, vt hominem leprosum meo sanguine mundem: *Volui*: libentissimè id faciam, libentissimè pro eo sanguinem vitamque profundam. Moriar ego, tu verò, homo leprose, *Mundare.* Prætereà extendit manum suam Christus, leprosum hunc tetigit, & sanauit. Non vna extensa manu, leprosum sanauit, hominem, non vna tantùm, sed vtraque. Aspice cruci suffixum, brachia in ligno, sanctissimasque manus extensas cernes. Tantæ molis erat leprosum mundare: lepra enim, id est, peccati macula, Christi sanguine, vt ablueretur, indigebat. Est

Sanguine Christi mundatus homo leprosus. Cyril.

lepra morbus adeò grauis, vt medicorũ vim superet & scientiam, vt D. Cyrillus adnotat libro 2. de Adoratione. Carnis, inquit, morbus est lepra; isque grauior, quàm vt à medicis ei succurri possit, aut illorum peritia expugnari, &c. Rectè ergo peccati symbolum est, cuius teterrima macula vt ablueretur, Dei sanguine opus fuit. id quod sacrificium illud adumbrabat, quod mundatus leprosus offerre

Leuit. 14.

iubetur: *Hic*, inquit, *ritus est leprosi, quando mundandus est. Adducetur ad Sacerdotem: qui egressus de castris, cùm inuenerit lepram esse mundatam, præcipiet ei, qui purificatur, vt offerat duos passeres pro se, quos vesci licitũ est*, &c. Additur: *vnum ex passeribus immolari iubebit in vase fictili super aquas viuentes: Alium autem viuum cum ligno cedrino, & cocco, & hyssopo, tinget in sanguine passeris immolati, & dimittet passerem viuum in agrum*, &c. Duo hi passeres duas Christi naturas eodem in supposito designant; humanam, secundùm quam immolatus est, & diuinam, quam mors contingere non potuit; illam indicat passer occisus: hanc passer auolans. Theodoretus quæstione 19. in Leuiticũ; Duo, inquit, passeres, qui in purificatione leprosi offerũtur, salutaris passionis typum continent. Nam quemadmodum ex passeribus illis alter mactabatur, alter sanguine mactati tinctus soluebatur: ita Dominus crucifixus est, carne quidem perferente mortem; diuinitate verò passionem humanitatis sibi accommodante, &c.

Christi natura duplex in vno nomine prænotata.

Theodor.

Illa quoque obseruanda Domini verba: *Vade, ostende te Sacerdoti.* Etenim ad antiqui testamenti Sacerdotes de lepra iudicium pertinebat, Leuit. 13. & 14. Ad noui autem testamenti Sacerdotes iudicium pertinet de lepra alia grauiori, videlicet de peccatis. Theodoretus quæst. 15. in Leuiticum: Quemadmodũ, ait, Sacerdos Lepram discernit, ita peccatorum animę iudicem ipsum esse oportet, &c. Admirandum sanè tribunal Sacerdotum, in quo potestate à Deo accepta, de lepra peccatorum iudicant, feruntque sententiam, iuxta illud Domini. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*, &c. Et illud, *Quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio: Corporis, inquit, lepram purgare, seu verius dicam, non purgare quidem, sed purgatos probare, Iudæorum sacerdotibus solis licebat. At verò nostris sacerdotibus nõ corporis lepram, verùm animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est, &c. Item eodem loco: Iis qui terram incolunt, commissum est vt ea, quæ in cælis sunt, dispensent: iis datum est, vt potestatem habeant, quam Deus neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit, &c. Ergo quicumque lepra peccati te inquinasti, vade, & celeriter vade, ne cuncteris, ostende te sacerdoti, ostende animum, detege peccata, qualis sis videat sacerdos. Antiquæ legis sacerdos lepram corpore pellere non poterat; nouæ legis sacerdos lepram multo peiorem, id est, peccatum, animo pellere potest, vt Chrysostomus dixit, cælestique Dei gratia te exornare. *Vade, ostende te sacerdoti*, & offer, quæ præcepit Christus in testimonium illis: offer animi dolorem & contritionem, firmum offer animi decretum ac stabile, quo mores in melius corrigere statuas: obedientiam offer & satisfactionem: his ad percipiendam diuinam peccatorum absolutionem paratum te esse testaberis.

Ad sacerdotes antiquos iudicium spectabat lepra.

Ad sacerdotes noui testamenti iudicium spectat lepra, id est, peccati. Ioan. 20. Tribunal sacerdotum admirabile Matth. 18. Chrysost.

Sacerdos animæ sordes purgat.

Matth. 8. Luc. 5.

CAPVT

CAPVT IV.

De Centurione.

MATTH. CAP. VIII.

CVm autem introiſſet Capharnaum, acceſſit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Et ait illi Ieſus: Ego veniam, & curabo eum. Et reſpondens Centurio ait: Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum; ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur puer meus. Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites; & dico huic, vade, & vadit; & alij, veni, & venit; & ſeruo meo, fac hoc, & facit. Audiens autem Ieſus miratus eſt: & ſequentibus ſe dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſrael. Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Iacob, in regno cælorum: filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores. Ibi erit fletus & ſtridor dentium. Et dixit Ieſus Centurioni: Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi, & ſanatus eſt puer in illa hora.

LVC. CAP. VII.

CVm autem impleſſet omnia verba ſua in aures plebis, intrauit Capharnaum. Centurionis autem cuiuſdam ſeruus malè habens, erat morituruſ, qui illi erat pretioſus. Et cùm audiſſet de Ieſu, miſit ad eum ſeniores Iudæorum, rogans eum, vt veniret, & ſanaret ſeruum eius. At illi cùm veniſſent ad Ieſum, rogabant eum ſollicitè dicentes ei: Quia dignus eſt, vt hoc illi præſtes. Diligit enim gentem noſtram, & ſynagogam ipſe ædificauit nobis. Ieſus autem ibat cum illis. Et cùm iam non longè eſſet à domo, miſit ad eum Centurio amicos dicens: Domine, noli vexari: non enim ſum dignus, vt ſub tectum meum intres. propter quod & me ipſum non ſum dignum arbitratus, vt venirem ad te: ſed dic verbo, & ſanabitur puer meus. Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites: & dico huic, vade, & vadit, & alij, veni, & venit, & ſeruo meo, fac hoc, & facit. Quo audito Ieſus miratus eſt, & conuerſus ſequentibus ſe turbis, dixit: Amen dico vobis, nec in Iſrael tantam fidem inueni. Et reuerſi, qui miſſi fuerant domum, inuenerunt ſeruum, qui languerat, ſanum.

Fuerítne Centurio Iudæus vel Ethnicus.

POST ſanatum leproſum vrbem Capharnaum ingreſſus eſt Dominus, vt ex Matthæo colligitur, Lucas quoque ait poſt habitũ ſermonem Capharnaũ intraſſe. Vterque narrat Centurionem quemdam ſanitatem famulo, fide impetraſſe admirabili.

Hilar.

Fuerítne Iudæus an ethnicus Centurio hic, ambigitur. Diuus Hilarius Iudæum fuiſſe putat; Non erat, inquit, tribunus iſte de gentibus. Et quomodo in Iſrael fides talis non eſt reperta, cùm qui crederet eſſet Iſraëlita? &c. Centurionem tribunum vocat. Reſpondetur ethnicum fuiſſe. Quod colliges ex verbis illis Iudæorum; *Diligit gentem noſtram*, id eſt, Iudæorum; quæ indicant alterius illum fuiſſe gentis, ſcilicet, Ethnicorum. Probant idem verba illa Domini: *Multi*, ſcilicet ethnici ſimiles huic Centurioni, *ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Iacob, in regno cælorum. Filij autem regni*, id eſt, Iudæi, *eiicientur in tenebras exteriores*, &c. Et illa; *Non inueni tantam fidem in Iſrael*; id eſt, in Iudæis, quantam in hoc ethnico. Lucas habet: *Neque in Iſrael tantam fidem inueni*. Munus etiam Centurionis accedit. Videtur enim Romani præſidij, quod Galilæam teneret, fuiſſe Centurionem. Dicitur autem Centurio is, qui centum præeſt militibus. D. Chryſoſt. hom. 27. Ex genere (inquit) Iudęorum non fuiſſe Centurionem, tum à nomine ipſo, vocabulóque Centurionis perſpicuum eſt: tum etiam, quia dictum eſt; *Neque in Iſrael tantam fidem fuiſſe inuentam*, &c. D. Auguſtinus de verbis Domini ſer. 6. Erat, ait, iſte de gẽtibus: erat quippe Cẽturio. Iam Iudæa gens habebat militem, habebat Romanum imperium, &c. Eadem eſt aliorum ſententia.

Matth. 8.

Fuit ethnicus.

Luc. 7.

Chryſoſt.

Auguſt.

Nonnulli verò, vt refert Chryſoſtom. in Ioan. hom. 34. & alij, hunc Centurionem regulum illum eſſe putarunt, qui apud Ioannem capite 4. filio ſanitatem à Chriſto eſt conſecutus. Sed diuerſum à regulo eſſe Centurionem facile eſt iudicare Matthæum & Ioannem legenti. Aliqui etiam, teſte eodem Chryſoſtomo, homilia 27. in Matthęum, Centurionem, de quo ſcribit Matthęus, ab eo diuerſum eſſe, de quo ſcribit Lucas, exiſtimarunt. Eumdem eſſe, communis Chryſoſtomi, Auguſtini, & aliorum ſententia eſt. Neque verò id iam venit in dubium.

Chryſoſt.

Idẽ eſt Centurio Matt. & Luca.

ACCESSIT *ad eum centurio.* Diſcrepare videtur Matthæus à Luca. Nam Lucas ait, Centurionem ſanitatem puero per internuntios petiiſſe: Matthæus verò affirmat ipſum eumdem ad Chriſtũ acceſſiſſe. *Acceſſit*, inquit, *Centurio*. Duobus modis hæc

Matth. 8. Concordia Matthæi & Lucæ circa Centurionem.

hæc tollitur discrepantia. Augustinus lib. 2. de consensu Euangelistarum cap. 20. opinatur accessisse quidem Centurionem ad Christum, non per se; sed per internuntios, quos misit. Itaque ex sententia Augustini, sic verba Matthæi sunt explananda: Accessit ad eum Centurio, non per semetipsum, sed per internuntios, eáque dixit, quæ sequuntur, vt Lucas scribit. Sequor potius Græcos, Chrysostomum, Theophylactum, & Euthymium, qui per semetipsum opinantur Centurionem accessisse. Volo enim verba in propria & vsitata retinere significatione. Propriè autem & vsitatè, is accedere ad alterum dicitur, qui per seipsum accedit. Præterea Matthæus ait Dominum dixisse Centurioni: *Vade*, id est, reuertere, & sicut credidisti fiat tibi: ergo præsens aderat. Non est absurdum (ait Chrysostomus) missos esse primò aliquos, qui illud dicerent: deinde quoque ipsum Centurionem accessisse, ac per se iterum eadem dixisse, &c. Sic ergo res se habet: Misit, vt ait Lucas, Centurio ad Christum Iudæorum seniores. Postea cùm non longè à domo abesset, misit amicos, vt idem Lucas narrat. Tandem cùm iam foribus propinquaret, accessit ipse, quod scripsit Matthæus, tacuit Lucas. Etenim verisimile est valde, Centurionem, postquam semel atque iterum, miserat internuntios, cùm videret Christum domum suam venire, ad eum accessisse, & verba protulisse, quæ Matthæus commemorat. Fortè aliqua ex illis verba tunc non protulit, sed illi tribuit Matthæus, quoniam iam ab eodem antea, eiúsque nomine, dicta fuerant.

Luc. 7.

Matth. 8. PVER *meus iacet in domo paralyticus.* Puer erat seruus Centurionis, qui ægrotabat, illi carus & pretiosus. Sic enim Lucas scribit; *Centurionis cuiusdam seruus malè habens erat moriturus, qui illi erat pretiosus.* Græcè Lucas dixit δοῦλον, id est, seruum, Matthæus παῖδα, id est, puerum, scilicet seruum, non filium, puer enim tum pro filio sumitur, tum pro seruo. Pretiosus Græcè ἔντιμος dicitur, quia Centurioni carus erat, & in magno pretio ab illo habitus, quia fidelis, & rebus administrandis necessarius. Morbus autem teste Matthæo fuit paralysis. Hæc verba; *Puer meus iacet*, &c. Centurionis sunt, qui ad Christum accessit. Lucas huius accessus non meminit, sed scribit Centurionem misisse seniores Iudæorum ad Christum, quia Ethnicus erat, & putabat Iudæos fore ad id, quod cupiebat impetrandum magis idoneos. Senioribus Iudæorum ad se missis annuit Dominus, & in ædes Centurionis abiit. Quod cùm Centurioni fuisset nuntiatũ, amicos misit, qui id dicerent quod refert Lucas; *Domine noli vexari: non enim sum dignus, vt sub tectum meum intres, propter quod & meipsum non sum dignum arbitratus, vt venirem ad te, sed dic verbo, & sanabitur puer meus*, &c. Christus autem ire perrexit. Tum Cẽturio domo exiit, illique occurrit (vt Matthæus narrat) & inter alia hæc verba protulit; *Domine puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur*, &c.

Luc. 7.

Ibid.

Matth. 8.

EGO *veniam, & curabo eum.* D. Chrysostomus: Domum, inquit, Centurionis se profecturum pollicetur Dominus, vt quanta sit fides illius perdiscamus. Nisi enim ita feciſſet, sed illico puerum sanasset, sincera, feruensque Centurionis fides ignota nobis fuisset, &c. Auctor imperfecti homilia 22. Cùm non peteretur Christus, vt iret, promisit se ire. primùm quidem, vt excitaret fidem Centurionis, nisi enim Christus dixisset; *Veniam, & sanabo eum*, numquam Centurio responderet, *Non sum dignus*. Hoc enim consilio, & Chananæa clamante: *Filia mea malè à dæmonio vexatur*: respondit, *Non est bonum tollere panem filiorum, & dare canibus*: vt illa prouocata responderet; *Etiam Domine, nam & catelli de micis*

Ibid. Chrysost.

Autor Imper.

filiorum manducant. Sic & Centurioni respondit, quod nolebat, vt quod volebat audiret. Deinde quoniam petitio Centurionis erat pro seruo, ideo ire proposuit, vt nos doceret non magnos colere, & modicos contemnere, sed pauperes & diuites similiter honorare. Hæc ille. Item: Regulo postulante pro filio, non dixit; *Ego veniam*; sed, *Vade, filius tuus viuit*. Illic cùm rogaretur noluit ire, ne fortè personam Reguli videatur accipere: hîc non rogatus promisit ire, ne videatur humilitatem serui contemnere. Lege, quæ de Regulo dicta sunt libro 4. capite 13. ad illa verba; *Domine descende*, &c. Et capite 15. in Morali.

Christus docet æque magnos & pauperes colere.

DOMINE *non sum dignus.* Indignum se proclamat Centurio, cuius domum Christus ingrediatur, idque per amicos iam ante dixerat, vt ex D. Luca constat. Cur hoc dixerit, quæritur. Lyranus putat sic locutum Centurionem, quòd Iudæis abominabile esset domos ingredi Ethnicorum. quod probatur in Actis: *Vos scitis* (ait diuus Petrus) *quomodo abominatum sit viro Iudæo coniungi, aut accedere ad alienigenam*, &c. Addit Lyranus; & fortè quia Centurio idola domi habebat, ideo ab ingressu Christum repellebat. Abulensis repugnat, nec opinatur vero simile hominem, in quo tanta reperta est fides, domi habuisse simulachra. Dicendum, verba hæc ex fide profecta. Propterea enim dixit; *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum*; quoniam Christi summam dignitatem Deo illustrante cognouit. Vidit Dominus (ait Hieronymus) Centurionem suam intelligere maiestatem. Eamdem ob causam per amicos Luca testante dixit: *Meipsum non sum dignum arbitratus, vt venirem ad te*, &c. Si Iudæi ad Ethnicos accedere non audebant; Ethnici tamen ad Iudæos venire, eosque in ædes suas recipere non verebantur. Ergo Centurio Christum, quòd Iudæus esset, in ædes suas iam venientem recipere non recusabat: sed quòd summam illius dignitatem cognouerat, dicebat; *Domine non sum dignus*. Itaque ex fide profecta sunt verba hæc. D. Chrysologus sermone 15. Petrus, inquit, exclamauit, dicens; *Exi à me Domine, quia homo peccator sum*. Sic eum Petrus exire à se rogat, quomodo Centurio eum ad se supplicat non venire. Agit vterque, ne indignitas hospitij, in hospitis manet iniuriam, &c.

Matth. 8.

Act. 10.

Cur Centurio dixerit, Domine nõ sum dignus.

Matth. 8.

Luc. 7.

His verbis, *Dominus non sum dignus*, &c. non videntur consentire illa verba Lucæ; *Misi ad eum seniores Iudæorum, rogans eum, vt veniret*. Si enim indignum se arbitrabatur Centurio, qui Dominum tecto suo reciperet, cur per seniores rogauit, vt domum ipsius veniret? Præterea, si rogauit, vt veniret, cur posteà prohibuit dicens *Noli vexari*, &c. Item, *Me ipsum* (inquit apud Lucam) *non sum dignum arbitratus, vt venirem ad te*, &c. Si se dignum non existimabat, qui ad Christum veniret, quomodo Christum rogabat, vt domum suam veniret? Aduerte autem non dixisse Lucam, misit seniores rogantes: sed, misit seniores rogans ipse. Non enim seniores ex se ipsis, sed ex ore Centurionis rogarunt. Soluitur nodus hic, si dicamus Cẽturionem cum Iudæis senioribus crassius egisse, nec patefeciſſe illis suam fidem. Illis igitur se accommodans, & illorum ductum sequens, per illos rogauit vt veniret. Posteà verò, per amicos, & per se ipsum fidem suam demonstrauit, petens ne veniret: quòd dignus non esset, qui eum tecto reciperet.

Matth. 8.

Luc. 7.

Matth. 8. Luc. 7.

Concilian-tur Euangelista. Luc. 7.

DIC *verbo, & sanabitur puer. Dic verbo*; id est, iube ore, verba sufficiunt. Vel, satis vnũ verbum est. Dic vno verbo, puer sanitatem recuperabit. Non est opus domum ingredi, vel puerum tãgere, impera, imperio oris tui paralysim fugabis.

Matth. 8. Luc. 7.

HOMO

Matth.8. & Luc.2.

HOMO *sum sub potestate constitutus.* Probat Centurio posse Christum verbo sanitatem conferre. Verbo, inquit, meo parent milites; verbo tuo obtemperabunt morbi. *Ego homo sum sub potestate constitutus* aliorum, videlicet imperatoris, & ducis. habeo verò sub potestate mea milites & seruos, quibus verbo solo impero, illiq́ue verbo obediunt. Obediunt verbo meo milites, qui sub potestate sum cõstitutus. Multò magis obedient verbo tuo morbi, qui omnme superas potestatẽ. Dei potestatẽ tribuisse Christo Cẽturionẽ ait Chrysostomus hom.27. Diuus Hieronym. Christi maiestatem intellexisse docet, & intra corporis tegmẽ latentem cognouisse diuinitatem. Diuus Augustinus serm.6. de verbis Domini, hęc verba sic interpretatur. Si ego homo sub potestate, iubẽdi habeo potestatem, quid tu possis, cui omnes seruiunt potestates? &c. Diuus Hieronymus putat his verbis significasse Centurionem, Christum Angelis sic imperare, quemadmodum ipse imperabat militibus. Ad illa enim verba; *habens sub me milites*: sic scribit; Volens ostẽdere Centurio, Dominñ quoque non per aduentum tantùm corporis, sed per Angelorum ministeria posse implere, quod vellet, &c. Idem putat Origenes homil 5. in diuersos,

Centurio Christi diuinitatem cognouit.

Matth.8. & Luc.7.

MIRATVS *est*: Dubiũ est, an interno actu admiratus sit Dominus Centurionis fidem? Nam admiratio ex inopinatis & incognitis rebus oritur. Nemo enim id admiratur, cùm videt, quod iam ante habebat exploratum. Vnde Augustinus lib.1. contra aduersarium legis, & Prophetarum; cap.7. Quisquis, inquit, miratur secundùm consuetudinẽ, qua homines loquuntur, inopinatũ, atque improuisum sibi esse significat, quod miratur, &c. Et lib.1. de Genesi contra Manichęos, ca.8. Admiratio, inquit, re vera de rebus insperatis nasci solet, &c. Cùm ergo Christo exploratissima esset Centurionis fides, ipsęque, vt Augustinus ait, illã efficeret; nõ est illam admiratus. An verò (ait Augustinus loco citato) alius in corde Centurionis fidem operabatur, quàm ipse qui mirabatur? &c. Maldonatus existimat Dominum non esse re vera miratum, tamen dici miratum, quod ad modũ mirantis hominis fuerit locutus. Huius sententiæ videtur esse Augustinus. In libro enim primo cõtra aduersarium legis, sic scribit; Quisquis miratur secundùm consuetudinem, qua homines loquuntur, inopinatũ atque improuisũ sibi esse significat, quod miratur. Sed IESVS, qui omnia præsciebat, quod mirandũ aliis commendabat, mirãdo laudabat, &c. Et lib.1. de Gen. cõtra Manichęos cap.8. Quòd mirabatur, ait, Dominus noster, nobis mirandum esse significat; quibus adhuc est opus sic moueri. Omnes ergo tales motus eius, nõ perturbati animi sunt signa, sed docentis magistri. Sic sunt & verba veteris testamenti, quæ non Deum infirmum docent, sed nostræ infirmitati blandiuntur. Nihil enim de Deo digne dici potest. Nobis tamen, vt nutriatur fides, & ad ea perueniamus, quæ nullo humano sermone dici possunt; ea dicuntur, quæ capere possumus. Sic Augustinus.

Christi admiratio qualis. August.

Receptior sententia.

Receptior est sententia Diui Thomæ 3. part. qũæst.15. art.8. re vera miratum Christum. Non enim se admirari finxit. Argumẽto proposito respondet, admiratum Christum secundùm experimentalem scientiam, secundùm quam res illi nouæ, inopinatæ, & incognitæ esse poterant, etsi secundùm scientiam diuinam, beatã, atque infusam, essent notissimæ. Sed obiicitur, experientiam, siue experimentalem scientiam nõ parere admirationem ei, cui aliter perspecta iam res est: Respondetur, non magnã parere, sed posse aliquam

Christus miratus est secundum scientiam experimentalem.

A afferre. Potest enim Astrologus cùm eclipsim primò cernit, quam euenturam nouerat, aliquo modo admirari. Sic Dominus, quamquam perspectissimam haberet Centurionis fidem, tamẽ cùm illam experientia percepit, miratus est intus, sed nõ magnopere. Foris verò vultu, & verbis, admirationem, qua digna erat, indicauit.

Admiratio quid.

Aliter respondet idem sanctissimus doctor in commentariis Matthæi, his verbis; Admiratio est apprehensio magnitudinis effectus: quod fit ex imaginatione, & phantasia alicuius effectus magni. & sic potest cadere in Christum. Vnde admiratus est, id est, magnum reputauit, &c. Augustin. Epistola 101. ad Euodium sic scribit: Istæ causæ sunt admirationis, cùm vel ratio cuiusq; rei latet, vel eadem res vsitata non est, quòd aut singularis, aut rara est. Et infrà: Ex causa, inquit, admirationis, quæ ideo est, quia insolitum aliquid occurrit, scriptum est de Domino, quòd miratus sit Centurionis fidem: neque enim eum rei vllius ratio poterat latere. Sed admiratio pro laude posita est eius, cuius par in populo Hebræo non apparuerat. Vnde ipsa admiratio satis exposita est, cùm Dominus ait; *Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israël.* Sic ille. Augustinus admirationem interpretatur laudationem, nec concedere videtur Christum re vera admiratum. Diuus etiam Thomas de affectu admirationis non loquitur, sed admirationem, quam Christo tribuit, apprehensionem appellat magnitudinis effectus. Euangelij verò verba; *Admiratus est Christus;* interpretatur, Magnum reputauit Centurionem.

August.

Matth.8.

Dici potest Christum admiratum Centurionis fidem, non quòd secundũ experimẽtalem scientiam illi fuisset ante incognita: sed quòd, vt raram in Ethnicis & insolitam re ipsa, magnamq́ue animo conceperit. Possumus enim res magnas, & hominibus insolitas, quamuis nobis notæ sint, admirari. Prætereà potuit Dominus, etsi rem haberet exploratissimam, motum in se excitare admirationis.

Matth.8.

NON *inueni tantam fidem in Israël.* Hæc quoque verba dubitationem pariunt. Etenim fuit in Israelitis maior fides, quàm centurionis. videlicet in Patriarchis, in Deipara Virgine, in Ioanne Baptista, in Apostolis. Respondetur tamen dubitationi, Christum de fide loqui præsentium, nec conferre cum Patriarchis Centurionem. De præsentibus loquitur (ait Hieronymus) non de omnibus retro Patriarchis, & Prophetis, &c. Prætereà loquitur Dominus de eo tempore, à quo cœpit concionari, & miracula edere; nec confert fidem Centurionis cum fide Deiparæ Virginis, & Ioannis Baptistæ, quam ante illud tempus iam inuenerat multò præstantiorem fide Centurionis. Adde Dominum, vt ait Abulensis, sermone hoc non complecti personas præclarissimas, quales erant Deipara virgo, & Ioannes Baptista. Comparat enim fidem Centurionis cum fide populi. non autem cum fide illorum, qui extra controuersiam erant.

An fides centurionis superauerit fidem omnium Iudæorum?

Superatam autem à Centurione Apostolorum fidem, quam vocationis initio habuerunt, Magdalenæ, & Marthæ, existimat Diuus Thomas Matthæi 8. Similiter Origenes homilia 5. in diuersos, fidẽ Centurionis fidei Magdalenæ, & Marthæ anteponi t Quæstio (inquit D. Thomas) est de Apostolis, & Martha, & Maria. Et dicendum est, quòd Centurio maioris erat fidei, quia nullum præambulum viderat, sicut isti, qui miracula viderant. Petrus venit ad vocem Andreæ; Andreas ad vocem Ioannis Baptistæ. in verbo Marthæ fuit aliquid dubietatis, quia dixit; *Domine si fuisses hic, frater*

Quomodo fuerit maior fides Centurionis Apostolorũ fide.

meus non fuisset mortuus; quasi absens non posset. Sed in verbo Centurionis nihil fuit dubietatis, &c.

Fides Centurionis maior proportione.

Exponi quoque potest, fidem Centurionis maiorem fuisse fide Israëlis, proportione quadam. Quoniam parua fides in homine Ethnico maior visa est, quàm magna in homine Israëlita. Quemadmodum parua scientia in puero maior videtur, quàm magna in sene. Itaq; maior erat fides Centurionis, quàm fides Apostolorum fuerat, proportione. Quia erat fides hominis ethnici. Vnde

Autor imp.

Auctor imperfecti, Si (inquit) non sumus ausi fidelioré Centurionem putare, quàm Apostolos, ita testimoniũ Christi intelligendũ est. Quòd vnumquodque bonum hominis, secundùm qualitatem

&c.

personæ illius laudatur. Putà si rusticus aliquod verbum sapienter loquatur, Philosophus multò amplius sapienter; in modico sermone sapientiæ, rusticus plus laudatur, quàm in magno Philosophus. Quoniam rusticum dicere aliquid sapienter, magnũ est: Philosophum autem dicere sapienter, non est mirũ. Aut si puer aliquid astutè loquatur, dicimus, Sapiens puer; si autem vir perfectus sapienter loquatur, non laudatur quasi sapiens. Non quia puer plus sapuit, quàm perfectus, sed quãtum ad comparationem ætatis suæ, sapientior videtur esse quàm ille perfectus. Sic & in Centurione dictum est:

Matth. 8.

Non inueni tantam fidem in Israel. Non quia nec Apostoli tantam fidem habuerunt. Sic ille.

Abulens.

Existimauerim cum Abulensi, Dominum non simpliciter omnes Israelitas cũ Centurione conferre, sed illos tãtùm, qui ab eo sanitatem petierunt, estque sententia illorũ verborum huiusmodi; *Postquam concionari, & miracula coepi facere, nullus à me tanta fide sanitatem petiit, quanta hic petiit centurio*; nullus enim dixit; *Dic verbo, & sanabitur*, &c. Hic sensus & facilis est, & Apostolis suũ seruat honorẽ. Non enim cum Centurione cõparantur. Illum indicat verbum, *Inueni*, quasi dicat; Non occurrit mihi hactenus vllus, qui tanta fide sanitatem postularet.

Euthym.

Euthymius censet fidem leprosi maiorẽ fuisse fide Cẽturionis, nec male probat hac ratione. Cẽturio verbum postulauit, *Dic verbo*, Leprosus solam

Matth. 8.

voluntatem petiuit: *Si vis, potes me mundare.* Maioris autem fidei est solam petere voluntãtem, quàm verbum. ergo leprosi fides maior fuit. Centurio (ait Euthymius) verbũ expposcit, leprosus autem solam voluntatẽ, quod maioris est fidei, &c. Quòd si rogares Euthymium: Cur igitur Christus non leprosi, sed Cẽturionis fidem admiratur? Respon-

Cur Christus fidem leprosi non sit miratus.

deret: Quia fides Centurionis in homine ethnico fulgebat magis, quàm fides leprosi in homine Iudæo. quemadmodum magis fulget fax in nocte, quam stella magna in die. Atque adeò proportione quadam, non autem re ipsa maior erat.

Nos tamen negamus leprosi fidem maiorem reuera fuisse fide Centurionis. Verba enim Chri-

Centurionis fides, maior fuit, quàm leprosi.

sti Centurionem illi apertè anteponunt. Rationi respondemus, etsi verba leprosi fidem maiorẽ indicarent, attamen internã Centurionis fidẽ præstantiorem esse potuisse fide leprosi, vt Dominus asserit. Addimus, verba etiam ipsa Centurionis, maiorem demonstrasse fidẽ, quàm leprosi verba. Etenim Centurio solo verbo dixit Christum posse sanare; leprosus autem non dixit sola posse voluntate curare. Sed, *Si vis, potes* sanitatem mihi afferre, vel tangẽdo, quod Christus fecit, vel aliquo alio modo. Modum non expressit, quòd fecit Centurio. Non enim sic dixit; Sola voluntate potes me sanare; Vel, si tantum modò volueris, sanabor.

Matth. 8.

MVLTI *ab Oriente, & Occidente venient.* A fide Centurionis, qui ex gentibus erat, ad gentium fidem transit Dominus; & de gentium vocatione, beatitudineque, & Iudæorum abiectione vaticinatur. Multi, inquit, ethnici, similes huic Centurioni, venient à Deo vocati, ab Oriente, & Occidente, id est, ab omnibus orbis partibus: & recumbent, in cælesti regno cum parentibus Iudæorum, Abraham, Isaac, & Iacob. Ipsi autem Iudæi, filij Abraham, Isaac, & Iacob, & filij regni in tenebras exteriores eiicientur. Quæritur quonam modo recumbent beati cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum? Respondetur, regni cælestis voluptates inauditas, significari conuiuij, vel cœnæ nomine. Recumbent igitur beati, hoc est, conuiuium agent. Etenim recumbentes sumebant antiqui cibum.

Beatitudo cælestis nomine conuiuij indicatur.

FILII *autem regni.* Filios regni cælestis Iudæos vocat Dominus, vt vult Hieronymus, quia in illis Deus antè regnauit. Euthymius ait appellari Deum hoc loco regnum; filios regni dici Iudæos, id est, filios Dei. Addit regnum posse significare æternam requiem; filios verò eius Iudæos, tanquam existimantes se esse eius filios, eò quòd essent semen Abrahę. Melius Chrysostomus, Filios, inquit, regni eos vocauit, quibus regnum fuerat præparatum. Caietanus verò; Iudæi, ait, appellantur filij regni, quia ex genere, cui promissum est regnum, nascuntur. Ita Ianscnius, & Maldonatus. At regnum cælorum Iudæis non est promissum in lege veteri, vt primo tomo ostendimus: ergo non dicuntur filij regni, quod illis fuerit promissum. Respondetur fuisse promissum sub typo terræ promissionis.

Matth. 8.

Cur Iudæi dicantur filij regni?

Chrysost.

Dicendum, dici Iudæos filios regni, de quo loquitur Dominus dicens: *Recumbent in regno cælorum.* De regno cælorum loquitur, igitur regni cælorum filios Iudæos appellat. Potest etiam nõ incommode regnum sumi pro regno Dei in terra, vt sumit Hieronymus, quoniam Iudæorum peculiaris Rex erat Deus, & Iudæorum respublica regnum erat Dei in terra. Nomine autem filij vtuntur Hebræi sæpe, vt cùm dicitur, aliquis *filius mortis*, id est, dignus morte, *filius fortitudinis* 2. Regum, hoc est fortis; *filij olei*, Zacha. id est vncti, *filij areæ*, Isai. id est, triturandi. & Ecclesiastæ, *filij domus*, serui, familiam vertit Hieronymus, Septuag. οἰκογενεῖς, id est, domi genitos. Ita hoc loco filij regni dici possunt Iudæi, id est, in regno, & Rep. Dei geniti, vel ad regnum cælorũ nati Dei beneficio, & ad regnum cælorum vocati. Vel filij regni dici possunt Iudæi sua opinione, iuxta interpretationem Euthymij, quasi dicat, Ii autem, qui se existimant filios esse regni, id est, cum Abraham, Isaac, & Iacob regni participes futuros; eiicientur in tenebras exteriores. Adde, posse dici filios regni, id est, hæredes: filij enim hęredes sunt. Potest esse huiusmodi sensus, filij regni, id est, ij, qui regni hæreditatem veluti filij adire debuerant, vel ij, qui regni hæredes esse videbãtur, hæreditate priuati in tenebrosum tartari carcerem dabuntur præcipites.

Matth. 8.

Nomine filij sæpe vtitur Hebræi.

2. Reg. 2. Zach. 4. Isaiæ 21. Eccli. 2.

IN *tenebras exteriores.* Remigius in Catena diui Thomę, tenebras exteriores appellari putat nationes exteras, prædicíq; hoc loco Iudæorũ captiuitatem, & dispersionẽ, in hãc sententiã. *Filij regni* Iudæi, *eicientur in tenebras exteriores*, id est, in nationes exteras, ethnicorum. ibi verò, id est, in regionibus, in quas abducentur, erit *fletus* propter ardorẽ regionum, *& stridor dentium* propter frigus. In regionibus calidis æstu vexati flebũt; in frigidis, frigore afflicti stridebunt dentibus. D. Augustinus epistola 120. ad Honoratum, tenebras exteriores, interpretatur cacodæmonũ societatem pœnalem. Aliter eodẽ loco, quia corpus est exterius anima: animæ mala, quibus à caritatis luce auersa mens oblecta-

Matth. 8.

Quæ appellentur tenebræ exteriores.

oblectatur, tenebras exteras; corporis autem mala, quibus in sempiternum torquebitur, tenebras exteriores dici posse arbitratur. Et Psalmo 6. tenebras exteriores appellat hominum cæcitatẽ, qui penitus extra infinitam lucem, id est, Deum in tartaro sunt. D. Hier. Tenebræ, inquit, semper interiores sunt, non exteriores. Sed quoniam, qui à Domino foras expellitur, lumẽ relinquit; idcirco exteriores tenebræ nominatæ sunt, &c.

Caietanus tenebras exteriores, siue externas appellari sentit respectu internarum. Internæ tenebræ illæ sunt, quæ intus animum obscurant. Exteriores extra animum sunt, & luce priuant externa, ac sensibili. Beda: Christus interiores tenebras dicit cæcitatem cordis; exteriores quoque noctem æternæ damnationis, &c. Mittuntur ergo impij in tenebras exteriores, id est, in tartarũ tenebrosum in quo tenebræ sunt, non solùm internæ animi, sed etiam externæ loci.

Interne tenebræ quæ sint.

Beda.

Ianseu.

Iansenius comparatiuum pro superlatiuo accepit, ita vt tenebrę exteriores dicantur tenebrę extimæ, quæ à luce absunt longissimè, quæque obscurissimæ sunt, & profundissimæ. Sensus illius est. *Eiicientur in tenebras exteriores*; id est, profundissimas, & obscurissimas. Alius quidam auctor ait de regno cœlorum hic agi, sub similitudine cœnæ conuiuialis, quæ copioso tædarum lumine celebrari solet. Eos verò, qui sunt in cœnaculo, in magno esse lumine: qui extra, in magnis versari tenebris. Ideóq; qui ex regno cælorum excluduntur, dici in tenebras abire exteriores, quia quidquid tunc in iudicio extra regnum cælorum erit, si cum eo comparetur, tenebræ erit.

Matth. 8.

Existimo tenebras hic, veras tenebras appellari, atque obscurissimas. Non verò propterea, quia quidquid extra regnum cælorũ erit, tenebræ erit, si cum eo comparetur. Prætereà existimo non dici tenebras exteriores, quòd extra conuiuium solent esse tenebræ, in conuiuiali verò cœna lux sit. Nam etiam extra conuiuialem cœnã lux est lucernarum, & Dominus tenebras exteriores appellat, cùm de conuiuio nulla fit mentio, *Inutilem*, inquit, *seruum eiicite in tenebras exteriores*: hoc loco nulla mentio fit conuiuialis cœnæ: iubetur tamen seruus eiici in tenebras exteriores. Ergo exteriores tenebræ nõ dicuntur, quòd extra conuiuialem cœnam sint. Denique existimo tenebras exteriores dici, Græcè ἐξοτέρας, quòd extra hunc mundum, qui cernitur sint: videlicet in tartaro, in terræ profunditate. Est ergo sensus: Eiicientur in tenebras exteriores, hoc est, in tenebras tartareas, quæ extra mundi splendorem sub terra sunt, quo numquam lux pertingit. dicimus de iis plura tom. 3,

Matth. 25.

Matth. 8. IBI *erit fletus, & stridor dentium.* Tartarea tormenta fletu, dentiúmque stridore significantur. An verò veræ lacrymæ post iudicium in damnatis sint concedendæ, alio loco, numine fauente, dicetur, cùm de tartaro agemus.

Ibid. SANATVS *est puer.* Quod petebat Centurio, id fecit Dominus. Non est ingressus tectum, sed verbo restituit puero sanitatem. *Vade*, inquit, *& sicut credidisti, fiat tibi.* Crediderat autem Dominum verbo posse sauare seruum.

CAPVT V.

Morale.

De Centurione.

Fides gẽtiũ maior fide Iudæorum.

IN Centurione hoc, vt Glossa habet interlin. fides gentium præfigurabatur. Quemadmodum hic, sic etiam gentes Iudæos fide superarunt. Non enim inuenit Dominus tãtam fidem in Israëlitico populo, quantam in gentibus, excipe Deiparam Virginem, & Apostolos. De hac gentium fide Dauid sic vaticinatur: *Populus, quem non cognoui, seruiuit mihi; in auditu auris obediuit mihi*, &c. hoc est, Gentes mihi veluti ignotæ, quia ex meo populo non erant & fide carebant, ait Christus, mihi obsecutæ sunt; audito Euangelio crediderunt, & obtemperarunt. At de Iudæis: *Filij*, inquit, *alieni mentiti sunt, & claudicauerunt à semitis suis*, &c. hoc est, Iudæi filij adulterini non veri, *mentiti sunt mihi*, obedientiam, fidémque negarunt. *Inueterati sunt*, id est, in veteri lege male persistentes consenuerunt, imbecilléque, & debiles facti sunt, quia per legem nouam renouari, & fortes fieri noluerunt. *Claudicauerunt à semitis suis*, id est, errauerunt à semitis legis suæ Mosaicæ: claudicauerunt inquam, quia Messiam, ad quem veluti semita, & via, lex ducebat, non exceperũt. Isaias de Christo: *Ecce gentem, quam nesciebas vocabis, & gentes, quæ te non nouerunt ad te current*, &c. & 65. ait Christus: *Quæsierunt me qui ante non interrogabant, inuenerunt, qui non quæsierunt me. Dixi: Ecce ego, ecce ego, ad gentẽ, quæ non inuocabat nomen meum.* & de Israelitis: *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas*, &c. Hoc est, quod Dominus hoc loco prædicit. Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob, in regno cælorum, &c. Ioannis 11. Christus moriturus dicitur, vt Filios Dei dispersos congregaret in vnum, ex Oriente, scilicet, Occidente, aliisque orbis partibus.

Ibid.

Gentilium conuersio à quibus prophetis prædicta. Is. 55. & 65.

Filij regni erant quondam Iudæi; sed eiecti sunt in tenebras exteriores: Christiani nunc filij regni sunt ridebant ne idem ipsis contingat. Non enim satis est filios esse regni per fidẽ solam; addere necesse est opera, vt hereditatem tàm opulentã adire possint. Alioqui filij regni eiicientur in tenebras exteriores. *Si filij Abrahæ estis*, ait Dominus Iudæis, *opera Abrahæ facite.* Similem in modum Christianis dicendum: *Si filij regni estis, opera regni facite*, in est, opera bona, quæ cum regno Ecclesiæ consentiant, & ad regnum cælorum ducant. Illius memento hominis, qui absque veste nuptiali in nuptialem cœnam ingressus est, & propterea in tenebras mittitur exteriores. Non satis est fides: vestem veluti nuptialem pretij summi, id est, operum margaritis fulgentem charitatem, induere oportet eum, qui in cælesti conuiuio cum Abraham, Isaac, & Iacob recumbere volet.

Christiani sunt filij regni.

Ioan. 8. Filij regni opera faciãt regni.

Matth. 22.

Ad regnum, idque cæleste vocati sumus; tanta vocatione dignam vitam agamus. Quod Paulus obsecrat *Obsecro*, inquit, *vos, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis*, &c. Si quæras, quonam modo vocatione dignè ambuletur, id est, viuatur. Addit, & respondet Paulus; *Cum omni humilitate, & mansuetudine, cum patientia, supportantes inuicem in caritate, soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis*, &c. & Diuus Petrus, *Magis*, inquit, *satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis*, &c.

Ephes. 4. Ambulare oportet dignè vocatione qua ad regnum vocati sumus. 2. Pet. 1.

Regni autem cælestis inexplicabilem voluptatem conuiuij nomine Dominus significat. *Recũbent* (inquit) videlicet, ad mensam lautissimã, omniúmque ferculorum genere plenissimam, *cum Abraham, Isaac, & Iacob.* Neque solùm cum Abraham, Isaac, & Iacob, cum Apostolis etiam recumbent, cum Deipara Virgine, cúmque ipso Christo Deo Optimo Maximo. *Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt*, &c. Post labores diei, cæna apponitur: sic post labores, rectáq; vitæ facta, nõ otiosis, sed negotiosis ętèrna datur gloria. Tartari verò acerbissimi cruciatus, fletu, & stridore dentium indicantur. Flebunt, qui

Conuiuium cæleste quale.

Apoc. 19. Non datur conuiuium otiosis.

hic effusè rident, dentibus stridebunt, qui suauissimas hic epulas dentibus conficiunt.

Cum Dauide Amalecitæ cuiusdam seruus sic loquitur. *Puer Ægyptius ego sum, seruus viri Amalecitæ. Dereliquit autem me Dominus meus, quia ægrotare cœpi nudius tertius*, &c. Amalecita, illique similes, seruos ægrotantes derelinquunt; non derelinquit Centurio; sed magna cura, vt sanitatem recuperet enititur. *Erat enim illi*, vt Lucas ait, *seruus pretiosus*. Christiano oportet omnes seruos esse pretiosos, imo pretiosissimos; siquidem Christi sanguine empti sunt. Illi seruus pretiosus est, qui serui salutē, tùm corporis, tùm vel maximè animi diligenter curat patris instar. 4. Reg. 5. serui dominū suum Naaman patrem appellāt: *Accesserunt ad eū serui sui, & locuti sunt ei: Pater, etsi rem grādem dixisset tibi*, &c. Etenim hominis Christiani est, erga seruos animum gerere paternum. Vt filios docere, punire, alimenta corpori, animóque præbere. Suadet hoc patris familiæ nomē. Obseruauit Tertullianus in Apologetico cap. 34. vocari homines patres familias magis, quàm dominos. Familiæ, inquit, magis patres, quàm domini appellantur, &c. Et Senec. epist. 47. Maiores, inquit, dominum patrem familiæ appellauerunt: seruos familiares, &c. Patres igitur familiæ, vt patres curam familiæ gerant. *Si est tibi seruus, sit tibi quasi anima tua, quasi fratrem sic eum tracta*, &c. Auctor Imperfecti homilia 22. Inter seruum, inquit, & dominum, nullam differentiam existimabat Centurio. Sciens quoniam etsi dignitas in hoc sæculo diuersa est inter illos, vna est tamen natura illis. Ideò magis Dei imaginem honorabat in homine, quàm opus captiuitatis contemnebat in seruo, &c.

Lege Senecæ epist. 47. & Macrobium lib. Saturnal. cap. 11. Seneca ad Luciliū sic scribit: Ex iis, qui à te veniunt libenter cognoui, familiariter te cum seruis tuis viuere. Hoc prudentiam tuam, hoc eruditionem decet. Serui sunt? Imo homines. Serui sunt? imo contubernales. Serui sunt? imo humiles amici. Serui sunt? imo conserui, si cogitaueris tantumdem in vtrosque licere fortunæ. Itaque rideo istos, qui turpe existimant cum seruo suo cænare, &c. Item: Viue cum seruo clemēter, comiter quoque, &c. Vidésne quàm humaniter velit Philosophus tractari seruos? Vides Lucilij exemplū? Accipe D. Martini, cùm miles esset, aliud exemplum præstantius, quod Seuerus Sulpitius memorat. Sacramentis, inquit, militaribus implicatus, vno tantum seruo comite fuit contentus. Cui tamen vice versa dominus seruiebat; adeò vt plerumque ei & calceamenta ipse detraheret, & ipse detergeret, cibum vna caperent, hic sæpius ministraret. hæc Sulpitius. D. Ambrosius serm. 33. Etsi seruus, ait, est conditione, gratia tamen frater est. Etenim similiter Christum induit; iisdem participat sacramentis. Eodem quo & tu vtitur Deo Patre; cur te non vtatur, vt fratre? &c. Sunt ergo serui non contumeliosè, sed blandè tractandi, dummodò cùm opus est, puniantur. Vt enim ait Ecclesiasticus: *Panis, & disciplina, & opus seruo*; id est, tria hæc reddenda sunt seruo, panis, id est, cibus tùm animi, tum corporis; & disciplina, id est, castigatio, & correptio; præterea opus & labor. Lege Platonem libr. 3. & 4. de legibus.

Denique seruus à seruando dicitur, vt Augustinus docet libro primo quæstionum in Genesim cāpit. 53. Homo, inquit, qui ab homine superatus iure belli posset occidi, quia seruatus, seruus appellatus est. Inde & mācipia, qui manu capta sunt, &c. Si ergo seruus à seruando dicitur, tunc verè seruus tibi erit, cùm illum seruaueris; hoc est, ab omnibus tùm corporis, tùm animi malis, pro virili eripueris. Verè fuit hic Centurionis seruus, quoniam illum à morte, quæ imminebat, Christum exorans seruauit.

Seruos ille ac milites sub se habebat, quibus imperabat: *Habeo*, inquit, *sub me milites*, &c. *Dico huic Vade, & vadit, & seruo meo Fac hoc, & facit.* Habebat etiam supra se duces alios quibus parebat: *Ego*, ait, *homo sum sub potestate constitutus.* Hic egregius est Reipub. ordo vt quidam imperent, alij obtemperent. Vnde illud, *Excelso excelsior est alius: & super hos quoque eminentiores sunt alij. Et insuper vniuersæ terræ Rex imperat seruienti*, &c. In iis qui imperant benignitas in inferiores amorque requiritur talis, qualē erga suum seruum exhibet Centurio. Illud quoque exigitur, vt subditi sint illis pretiosi. *Erat*, ait Lucas, *hic seruus Domino pretiosus.* Sint subditi superioribus pretiosi; vt superiores quoque sint pretiosi subditis. de Christo Rege Optimo Maximo dicitur: *Honorabile nomen eorum coram ipso*, Græcè, ἔντιμον, Hebraicè, יקר Iekar, id est, pretiosum erit nomen subditorum coram Christo Rege. Pontifex antiquus filiorum Israel nomina duodecim lapidibus pretiosis insculpta ferebat in pectore: *Portabit Aaron nomina filiorum Israel in rationali iudicij super pectus.* Eundem in modum, Pontifex, Rex, pastor, Dominus, denique superior omnis, subditorum nomina, ipsósque etiam subditos gestet in pectore caritate flagrante, ipsisque pretiosis lapidibus multò pretiosiores existimet. Lege epist. 2. D. Hieronymi ad Nepotianum. Illud, inquit, dico, quòd Episcopi sacerdotes se esse nouerint, non dominos. Honorent clericos quasi clericos: & ipsis à clericis quasi Episcopis honor deferatur. Scitum illud est oratoris Domitij: Cur ego te, inquit, habeam vt principem; cùm tu me non habeas, vt senatorem? hæc ille. A subditis verò obedientia flagitatur. *Dico*, ait Centurio, *huic Vade, & vadit, & alij Veni, & venit, & seruo meo Fac hoc, & facit*, &c. hæc omnia obedientiam indicant. Ad Rom. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*, &c. Dei ordinationem vocat Paulus ordinem illum, de quo supra diximus; nimirum vt alij imperent, alij verò obtemperent. Theodoretus in hunc Pauli locum sic scribit; Deus communis ordinis curam gerens effecit, vt hi quidem imperarent, illi verò parerēt: veluti quoddam frænum iis, qui se iniustè gerunt magistratuum timorem incutiens. Item: Magistratum gerere, eique parere, à diuina prouidentia pendere statuit Apostolus. Si sit Deus propitius, dat magistratus, qui iustum colunt & obseruant. *Dabo eis pastores secundùm cor meum, & pascent eos pascentes cum scientia.* Et Isai. *Dabo iudices sicut prius, & consiliarios sicut ab initio.* Cùm autem vult eos qui peccant, castigare, eos etiam à malis magistratibus regi permittit. Isai. *Dabo*, inquit, *adolescentulos principes eorum, & illusores dominabuntur eis.* Hactenus Theodoretus. Et Theophylactus: Potestates, ait, omnes à Deo sunt institutæ, siue patris in filium, siue viri in vxorem, vel si quas alias dixeris; siue ceteras omnes, quas esse vel inter bruta animantia cōstat, quales apum, anserum, & piscium sunt, & eiusmodi. Sic ille.

Est præterea animaduertenda Centurionis humilitas: *Domine*, ait, *non sum dignus, vt intres sub tectum meum; propter quòd & meipsum non sum dignum arbitratus, vt venirem ad te.* Dicendo se indignum (ait Augustinus serm. 6. de verbis Domini) præstitit dignum, non in cuius parietes, sed in cuius cor Christus intraret, &c. & serm. 74. de tempore: Humilitate, ait, Centurio placuit, tecto non recipiebat, corde recipiebat. Quantò humilior, tantò capacior, tantò plenior.

1. Reg. 30.

Luc. 7. Christianus seruos reputet pretiosos.

4. Reg. 5. Christianus sit seruorū pater.

Tertul.

Seneca.

Eccli. 33. Auct. Imp.

Seneca.

Serui non cōtumeliosè sed modestè & humaniter tractandi.

Sulpic.

Ambr.

Seruo tria reddēda panis, disciplina, opus. Eccli. 33.

Augustin.

Seruus vnde dictus.

Ordo reip. parent quidam, alij imperant. Eccli. 5.

Inferiores sint pretiosi superioribus. Luca 7. Psal. 71.

Exodi 28.

Subditi à suis maioribus in pretio habēdi.

Hieron.

A subditis obedientia flagitatur. Rom. 3.

Theodor.

Deus propitius bonos dat magistratus. Ierem. 3.

Deus cùm punire vult remp. permittit regere malos magistratus. Isaiæ 1. Isaiæ 3.

Omnis potestas à Deo.

Humilitas Centurionis.

Matth. 8. plenior. Colles enim aquam repellunt, valles implebuntur, &c. Ad humilem Christus se iturum pollicetur: *Ego veniam*, inquit, *& curabo eum*. In humilem enim vallem aqua defluit, ad humilem venit Deus, humiles respicit, superbos à longè cognoscit, vt est in Psalmo, *Excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longè cognoscit*, id est, humiles quasi cominus, & propinquo ex loco aspicit veluti dilectos. Altos, atque superbos, veluti eminus, & à longè videt, quia displicent. Humilem Centurionem cominus respexit: *Ego* (inquit) *veniam & curabo eum*; humili magis ac magis appropinquabat. Nam, vt ait Augustinus in fine Psalm. 50. Deus si te excelsum feceris, longinquabitur à te; si te humiliaueris, propinquabit ad te, &c. D. Ambrosius serm. 89. O fides, inquit, Christiana, quæ cum humilitate totum impetrare consueuisti. Ecce Centurio ad accipiendam salutem fit dignior, dum se profitetur indignum, &c.

Psa. 137.

Deus humilibus appropinquat, à superbis recedit.

Obseruanda quoque fides: *Dic verbo, & sanabitur puer meus*. Verbo solo posse Christum sanitatem conferre credidit. Hoc Dei proprium est, verbo, atque imperio cuncta posse facere. *Ipse dixit, & facta sũt, ipse mãdauit, & creata sunt*. Lege Genesim, Dei verbo orbem creatum cernes: *Dixit Deus; fiat lux, & facta est lux. Dixit Deus; fiat firmamentum, & fecit Deus firmamentum. Dixit Deus; fiant luminaria in firmamento cæli*, &c. Psalm. *Emittit eloquium suum terræ; velociter currit sermo eius.* id est, Mittit verbum suum, & imperium in terram: ipsum autẽ Dei imperium, & verbum velociter currit, & operatur quæcumque vult. Mouet Imperator solum labia (ait Augustinus Psalm. 148.) cùm loquitur, & mouetur omnis prouincia, cùm fit quod loquitur, &c. At Imperator labiorum motu imperat quidem; sed si ministros, materiámque non adhibeat, facit nihil. Iubeat, *fiat nauis, fiat domus, debellentur hostes*; nisi ministros, materiam, instrumentáque suppeditet; nec domus fiet, aut nauis, nec debellabuntur hostes, Quid moror? congregentur totius orbis Reges, & exercitus, clament omnes vsque ad rauim: *fiat musca:* non fiet musca. Nec Reges solùm clament, sed Angeli etiã omnes, Seraphinique potentissimi: *fiat formica ex nihilo*; etsi in æternum clament, nunquam formica fiet. O potentiam Dei infinitam; dicat Deus, verbo: *Fiat terrarum orbis, fiat cælum, fiant sydera, fiat Sol, fiat Luna*; nulla adhibita materia, nullis interuenientibus administris, subitò fient omnia. Merito ergo Centurio ait: *Tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus*.

Deipropriũ solo verbo posse facere.

Psa. 148.

Gen. 1.

Psal. 147.

Augus.

Creaturæ omnes simul nihil vnquam creare potuerunt.

Ex Centurionis autem ore hæc verba humilitate fidéque plena, accepit Ecclesia: nobisque; tunc vsurpanda tradidit, cùm Christum Optimum Maximum augustissimo in sacramento Eucharistiæ excipimus. *Domine non sum dignus* (ait quisque nostrûm) *vt intres sub tectum meum; sed tantùm dic verbo, & sanabitur anima mea*. Satis Domino fuerat dicere verbo; & sanaretur anima nostra. Sed si satis fuerat saluti, non fuerat satis amori. Non est passus amor hominem solo sanare verbo. *Ego veniam*, ait, *& curabo eum*. Ego in orbem veniam, in ipsa hominum tecta ingrediar, ex meo sanguine balneum efficiam, & curabo eos. Neque hoc satis: *Ego veniam*, non sub tectum tantùm, sed sub hominis quoque pectus; *& curabo eum*, nõ amara, sed suauissima medicina, meo videlicet corpore, atque sanguine. At non poterit homo Dei ferre splendorem, ac maiestatẽ; ego splendorẽ maiestat emq; panis speciebus contegã. Nõ poterit tantũ corpus tantillo capere tecto; ego meũ corpus, in breuissimã immittã panis quantitatẽ, vt tantillũ oris ostiolũ possit ingredi. Quid hîc Salomõ diceret? Admirans Salomõ aiebat; *Ergo ne credibile est, vt habitet Deus cum hominibus super terram? Si cælum, & cæli cælorum non te capiunt, quantò magis domus ista, quam ædificaui?* &c. Quo stupore eadem verba geminaret, si nunc adesset, Deúmque videret, non in templum augustissimũ, sed sub tectum humani corporis angustissimum ingredientem? Miratus est Centurionis fidem Dominus: Nos Domini admiramur & humilitatem, & amorem erga homines magno stupore dignissimum. *Ecce Domine seruus meus*, id est appetitus, qui seruire rationi debet, *iacet in domo*, iacet, inquam, quia ad alta non assurgit, sed terrenis hæret: *iacet paralyticus*, id est dissolutus, rationis fræno minime constrictus, vagari liberè conatur. *Non sum dignus, vt intres sub tectum meum*, satis tibi est verbo dicere, & sanabitur. At venire vis sub tectum vile. Siquidem sic amori placet tuo, veni Domine, paralyticum dissolutũmque seruum sana: vt rationi seruiat semper, vtque numquam dominetur effice.

Domine nõ sum dignus &c. dicitur ab iis qui ad augustissimum sacramentum accedunt.

Eucharistia sacramentum plane admirabile

2. Par. 6.

Matth. 8.

CAPVT VI.

De filio viduæ in vitam reuocato,

LVC. CAP. VII.

IT factum est deinceps, ibat Iesus in ciuitatem, quæ vocatur Naim, & ibant cum eo discipuli eius, & turba copiosa. Cùm autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ, & hæc vidua erat, & turba ciuitatis multa cum illa. Quam cùm vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: noli flere. Et accessit, & tetigit loculum. Hi autem, qui portabant steterunt. & ait: Adolescens, tibi dico, surge & resedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illum matri suæ. Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum, dicentes, quia Propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitauit plebem suam. Et exiit hic sermo in vniuersam Iudæam de eo, & in vniuersam circà regionem.

Ordo gesterum.

QVæ apud Matthæum sequuntur miraculũ præcedens sanati serui Centurionis, alio tempore facta sunt, vt supra ostendimus lib. 5. c. 8. Nõ enim Matthæus ordinem temporis in narratione seruauit. Lucas post sanatum Centurionis puerum, reuocatum in vitam adolescente narrat viduæ filium. *Et factum* (inquit) *est deinceps, postquam Centurionis seruo sanitatem reddidit, ibat Iesus in ciuitatem, quæ vocatur Naim.* Græcè, ἐν τῇ ἑξῆς, hoc est, in die deinceps. Articulus enim, τῇ, ἡμέρᾳ, indicat, id est diem: ἑξῆς, verò significat idem

Luc. 7.

idem quod deinceps. Est sensus, in die post se- A quenti. Syriacum Euangelium habet: *Et factum est postero die, &c.* Ergo editum est hoc miraculum posteriori die, post Centurionis sanatũ puerum. Discessit namque Dominus ex ciuitate Capharnaum, in qua puero sanitatem contulerat; cúmque ciuitatem alteram Naim peteret, mortuum adolescentem viduæ filium vita donauit. De hac ciuitate sic scribit Hieronymus in libro de locis Hebraicis. Naim oppidum vsque hodie in secundo miliario Thabor montis ostenditur, contra meridiem, iuxta Endor, &c. Et Borchardus 1. parte, cap. 6. §. 11. A Nazareth (inquit) duabus leucis; à monte Thabor plus vna leuca contra Austrum, est mons Hermon minor, in cuius latere Aquilonari est vrbs Naim, &c. Ex his constat hanc ciui- B tatem propinquam fuisse Nazareth patriæ Domini, & monti Thabor. Significat autem Hebræum nomen pulchram.

Naim ciuitas vbi sita.

Luc. 7. ECCE *defunctus efferebatur.* Nihil improuisum Christo accidebat, omnia habebat longè anteà præuisa. Non accidit occursus hic inopinatus, in vrbem Naim idcirco venit, vt tanto miraculo fidem, noménque suum illustraret. Efferebatur autem adolescens viduæ filius extra vrbem humandus. Hic enim Iudæorum mos erat, non in vrbe, sed extra vrbem cadauera sepelire. Vnde & Christi sepulchrum extra vrbem in horto fuit. Duo item dęmoniaci de monumentis exeunt, quę extra ciuitatem erant.

Extra vrbes Iudæi sepeliebantur.

Matth. 8.

Luc. 7. Miraculi circumstãtia. TVRBA *multa cum illa.* Miraculi circumstantias describit Lucas. Qui efferebatur in sepulchrum, adolescens erat, in ipso ætatis flore extinctus; deinde filius viduæ; prætereà vnicus, Græcè, μονογενὴς, id est, vnigenitus. Vnde Gregorius Nyssenus in libr. de Creatione hominis, capit. 26. Partus, inquit, extiterat viduæ singularis; solùm hunc in doloribus nouerat, solùm suis lactauerat vberibus. Quicquid matris oculis dulce pretiosumque suberat, solus vnicus efferebat. Stirps videbatur generis, ramusculus successionis, baculus senectutis, &c. Mater lachrymis respersa filium sequebatur in tumulum; flentem matrem hominum multitudo magna comitabatur. Miserabile erat funus, misericordiam Christi concitauit. *Viduam cùm vidisset* (ait Euangelista) *misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere.* Decreuerat enim D funus in lætitiam vertere, gaudiúmque illi suum, id est filium, rediuiuum reddere. Misertus est Dominus corde: *Misericordia motus*, ait Euangelista; deinde ore, & verbo: *Noli* (inquit) *flere*. Deniq; opere; dedit enim filium matri vitæ restitutum.

Greg. Nyss.

Luc. 7.

TETIGIT *loculum.* Quomodo miraculum factũ sit, docet. Accessit Dominus, feretrúmque tetigit, ne vlterius ferret mortuum, portitores steterunt continuò. Tùm adolescenti mortuo, vt in vitam rediret, his verbis imperauit. *Adolescens tibi dico, surge.* Paruit absque mora vlla diuino imperio mors, mortuum remisit in vitam. In feretro resedit, cœpítque loqui. Quid dixerit, siluit E Euangelista. Forte in diuinas prorupit laudes, mortis faucibus se ereptum cernens. Aliter Dominus, aliter Elias, & Elisæus mortuos in vitam reuocarunt. Elias *Expandit se atque mensus est super puerum tribus vicibus, & clamauit ad Dominum*, &c. Elisæus verò *orauit ad Dominum, & incubuit super puerum*, &c. At Dominus vnico verbo adolescentem velut è somno à morte excitat. Nimirum Deus erat; illi homines. Descendit è loculo viuus adolescens, ad pedes Domini se abiecit, gratiásque pro accepto beneficio egit. Accessit simul mater præ gaudio lacrymans, idémque præstitit. Dominus verò filium vnigenitum matri tradidit, siue potiùs, vt ait Euangelista, dedit veluti donum pretiosissimũ. *Dedit* (inquit) *illum matri suæ.*

Ibid. Quomodo factum sit miraculũ.

3. Reg. 17.

4. Reg. 4.

ACCEPIT *omnes timor.* Ex conspecto miraculo timor ortus est, Deíque laus. *Accepit* (inquit) *omnes timor, & magnificabãt Deum.* Sed quidnam timebant mali? Malum non timebant, sed Deum reuerebantur timore illius commoti. Nam timere Deum in Scriptura, est Deum reuerenter colere; & timor est cultus, & reuerentia, vt alio loco dicemus, volente Deo. Magnificabant autem Deum dicentes: *Quia propheta magnus surrexit in nobis*, &c. Nondum Christum agnouerant. Prophetam quemdam magnum esse credebant, Eliæ, aut Elisæo similem, per quem Dominus Israeliticum vi- B sitauerat populum. nec est à vero alienum, nomine prophetæ Messiam intellexisse. Sed cùm Christus vulgò in concionibus non ederet de futuris rebus vaticinia, cur prophetam appellant? Respondetur, Quoniam miracula edebat, concionabatur, docebat populum, vitæ sanctitate præstabat: hæc prophetam esse indicabant, & quidem maximum.

Luc. 7.

Ibid.

Quomodo appellarit turba Christum prophetam.

EXIIT *hic sermo in vniuersam Iudæam.* Fuit maximè publicum hoc miraculum. In vitam reuocatus est mortuus adolescens. Quid maius? id verò factum non clàm, sed coram magna illa multitudine hominum, & fœminarum, quæ feretrum comitabatur, coram turba etiam copiosa, quæ sequebatur Christum, in porta ciuitatis. Erat autem ciuitatis porta locus celebris, vt alibi diximus. Itaque plurimi fuêre huius miraculi testes, totam Iudæam, & regionem, quę circa Iudæam est, illius fama peruasit. Iudæa autem hic significare videtur saltem duas prouincias, Iudæam, & Galilæam, quas Iudæi colebant. Forsitan & Samariam complectitur, in quam, quamuis à Samaritanis incoleretur, tanti miraculi fama penetrauit. Vel forsitan proprie sumitur Iudæa, hoc sensu. Non solùm miraculi fama Galilæam compleuit, in qua factum est: sed in Iudæam etiam, & propinquas regiones peruolauit.

Luc. 7.

CAPVT VII.

Morale.

De filio viduæ in vitam reuocato.

CVM Sol à nobis longiùs recedit, mortua sunt prata, arbores, flores: eodem appropinquante reuiuiscunt. Eundem in modum cùm à ciuitate Naim sol verus Christus abesset, mortuus est adolescens, & efferebatur filius vnicus matris suæ: at cùm appropinquaret portæ ciuitatis, mortuus reuixit, extinctus flos refloruit. Iuuenem enim hunc Diuus Gregorius Nyssenus in libr. de Creatione hominis capit. 26. florem appellat. Qui, inquit, iuuenem retulit, florem, qui marcuerat indicauit, cuius adhuc vultus lanugine vestiretur, & genarum decor grato fulgore niteſceret, &c. Appropinquauit lux, discessere lethi tenebræ, occurrit morti vita, in fugam versa est mors, incidit in ipsum gaudium mœror, victus mœror abiit. *Noli* (inquit) *flere*; lamenta in lætitiam, in risum lacrymæ, in festum diem exequiæ commutatæ sunt. *Hæc mutatio dexteræ excelsi*, ait Dauid. Tetigit excelsi dextera loculum, funeris portitores stetere protinus. Non potuit vltra mors progredi, occurrente vita; stetit, potentísque dexterę superata vi, terga vertit, quamque ferebat prædam deseruit. Surgit (mi-

Greg. Nyss.

Psal. 76.

rabile

rabile dictu) mortuus iuuenis, loquitur, feretrum relinquit, matri rediuiuus restituitur. Obstupescit turba, sed potentissimam dexteram nondum agnoscit, prophetam vocat Christum, latentem in corpore diuinitatem ignorat. Latebat illa, sed radios foras emittebat. Quid enim aliud miracula, quàm radij quidam erant clarissimi, diuinitatis intus absconditum lumen indicantes?

Deus suum nobis præbet auxiliũ etiam non rogatus.

Secundò. Vt sol vltrò, non rogatus suum præbet splendorem; sic Christus vltrò, nec rogatus, viduæ suum præbuit auxilium. Eundem in modum impio suam offert opem, etiam antequam rogetur, vt in meliorem se recipiat frugem *Ego;* inquit, *sto ad ostium, & pulso.* Pulsat Dominus etiam non rogatus. Ostium vi à cardine posset reuellere, & referare, sed vim inferre nemini vult. Dextera potentiam habet infinitam, pulsatio verò finita est, certisque constricta mensuris. Non enim Deus auxilium homini donat infinitum, sed finitum, & quantùm sit conuersioni perficiendæ satis, Moses in Cantico, Deum cum Aquila comparat, quæ pullos ad volandum prouocat. *Sicut aquila,* inquit, *prouocans ad volandum pullos suos.* Ad volatum enim, & gressum ex Ægypto Israëlitas ipse prouocauit. Eundem in modum nos, vt ex Ægypto, & ex peccati nido euolemus, prouocat, & prior inuitat, portátque in humeris suis. *Expandit alas suas* (ait Moses) *& assumpsit eum, atque portauit in humeris suis.* Portat nos Deus velut humeris suis, id est, auxiliis suis. Si enim nos auxiliis suis non portet, in terram repromissionis nemo perueniet. Vt perueniamus in cælum, gratia, opéque Dei præuenimur, *Misericordia,* ait, *eius præueniet me.* præueniet nos Dei misericordia, præcurrit, vocat, excitat. Nónne Dauidem post graue scelus, misericordia præuenit Dei, cùm Nathanũ prophetam ad eum misit? Nónne post negationem præeunit Petrũ, cùm illum misericordia plenis aspexit oculis? Nónne Paulum Ecclesiæ persecutorem præuenit, cùm in ipso persecutionis ardore, cælesti illum luce circumfudit? Quemadmodũ Magos per stellam, sic nos per inspirationes, auxiliaque diuina prior aduocat: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Nemo Deum præuenit donis, omnes ille beneficiis præcurrit. Bonorum ille fons, & initium est; malorum nos. ex illo iustificationis, ex nobis damnationis origo est. *Perditio tua Israël; tantumodo in me auxilium tuũ, &c.* hoc est, perditionis tuę causa es Israël. tua est perditio, dãnatio ex te oritur: at auxilium, quo perditionem, damnationémque effugias, non in te est, sed in me tantummodò, non in hominibus, non in Angelis. Vt enim solus Deus mortuo huic adolescenti vitam potuit restituere; ita solus Deus mortuus animæ gratiam, quæ illius vita est, potest reddere. Auxilium verò suum, sine quo excitari à morte, id est, peccato, non possumus, ille vltrò etiam non rogatus offert, quemadmodũ huic viduæ.

Prouocat Deus vt aquila. Deut. 32.

Ibid.

Deus nos velut portat in humeris.

Psal. 58.

Quomodo nos gratia Dei præueniat.

Rom. 11.

Osc. 13.

Solus quidem Deus gratiæ nos potest restituere, sed administris ad hanc rem Angelis, & hominibus, nobisque ipsis vtitur. Etenim nisi nos illius auxilium complectamur, illóque cooperante, quæ ad peccati expiationem necessaria sunt præstemus, vitam minimè recuperabimus. Oblatum igitur auxilium celeriter accipiamus, ne illud nobis contingat. *Vocaui, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Ego quoque in interitu vestro ridebo,* &c. Et illud, *quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos sub alas, & noluisti, ecce relinquetur vobis domus vestra deserta,* &c. Vocat nos Deus, velut pullos; alas expandit, tartareúmque miluum, vt fugiamus hortatur: fugere si nolumus rapiemur. Christum hospitio animæ recipere. si negligamus, omni gratia, omniq; bono relinquetur deserta domus nostra, omnique plena malo. Si igitur vocem Dei audimus; *tibi dico, surge;* protinus surgamus, excitemur, animus resideat, mortuus incipiat loqui, hoc est, perpetrata crimina confiteri. Non enim satis est, ex feretro per cõtritionẽ surgere, ac residere; loqui oportet, id est, tum peccata sacerdoti confiteri, tùm Deo gratias agere. *Gratia Dei sum id quod sum: & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboraui. non ego autem, sed gratia Dei mecum,* &c. Sic Paulus gratiæ Dei quidquid erat tribuit; quoniam ab illa, vt diximus, omne promanat bonum. Gratia igitur Dei omnes sumus, id quod sumus. Laborandum pro parte virili, vt gratia Dei in nobis vacua non sit. Non sint in nobis inanes, & sine fructu, diuinæ inspirationes, diuináque auxilia, diuina item beneficia, protinus cùm inspiratio vocarit, quò Deus vocat, curramus. Paulum imitemur: *Plus,* inquit, *omnibus laboraui. Non ego, sed gratia Dei mecum.* Laboremus enixè, non nos laborabimus, sed gratia Dei nobiscum. Huc illud pertinet: *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.* Si Deus manum aperit, si donat, implemur bonitate. At si auertit faciem, si non donat, id fit, quod sequitur eodem Psalmo: *Auetrente autem te faciem turbabuntur: auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur,* &c. Si Deus faciem auertat, puluis ille sumus, de quo dicitur, *Non sic impij, non sic, sed tamquã puluis, quem proiicit ventus à facie terræ:* à facie enim terræ promissionis proiicimur. Quòd si spiritum suum emittat, renouamur. *Emitte,* inquit, *spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ,* &c.

Confiteri peccata sacerdoti debemus. 1. Cor. 15.

Ibid.

Psal. 103.

Ibid.

Psal. 1.

Tertiò. Erat hic adolescens filius vnicus matri suę, idcirco dolor erat maior. nullus enim supererat, qui matri consolationem afferret. sic vnica tibi anima est, diligenter igitur ne moriatur, caue. Quòd si moriatur instar, viduę huius fũde lachrymas, mortuam deplora animam, vt reuiuiscat. Audi Chrysostomum homil. 22. ad populum; Dum, inquit, tempus habemus, venite dilecti, animæ vulnera lachrymis curemus. Si enim templum ex lapidibus constructum Hieremias lugebat euersum, quantò magis animam deplorare conuenit? si morientibus compatimur, quis tam sine misericordia est, qui animam suam morientẽ non deploret? &c. Misericordiam commouerũt Christo viduæ lachrymę, pro filio profusæ, *Misericordia* (inquit Lucas) *motus super eam.* Misericordia quoque istæ lachrymæ Christo concitabunt, pro anima ex corde, oculísque effluentes. Viduæ dixit; *Noli flere:* tibi verò dicet; *Noli non flere.* Etenim viduæ lachrymæ filio parum proderant: at tuæ lachrymæ tibi proderunt maximè, quamdiu in valle lachrymarum traducis vitam. *Beati enim qui lugent.* Cùm intraueris in gaudium Domini tui, tunc lachrymas in sempiternum absterget, dicétque; *Noli flere in æternum.*

Anima nostra mortua quanta cura habenda est.

Chrysost.

Luc. 7.

Matth. 5.

Quartò. Mortuus hic adolescens erat. Magna adolescentium gerenda cura, ne spiritaliter moriantur. Vt enim ait D. Chrysostomus in epistola ad Olympiam; In adolescentibus maius est naturæ incendium, maior concupiscentiæ tempestas, infirmiora consilia, ratio, quæ vitia gubernet, infirmior, &c. Et Hieronymus ad Nepotianũ: Multa, inquit, corporis bella sustinet adolescentia, & inter incentiua vitiorum, & carnis titillationes, quasi ignis in lignis viridibus, suffocatur sapientia, &c. Augustinus ser. 43. de verbis Domini; Acrior, ait, pugna iuuenũ est, &c. Vigilandum ergo adolescenti, ne in bello cadat, ne concupiscentiæ incendio

Deus non sine nobis salutem nostram operatur.

Prou. 1.

Matth. 23.

In adolescentibus maior cura adhibenda est.

cendio pereat; ne affectuum tempestate iactatus demergatur. quò fluctuum maior est agitatio, impetusque ventorum, eò gubernatoris maior est vigilantia. Eumdem in modum, quò ætatis, affectuumque vehementior est procella, eò vigilantiorem oportet esse adolescentem.

Vir anima est intellectus, anima vidua est quæ intellectus meditatione caret. Ioan. 4.

Mortui adolescentis mater vidua erat. Ille perit iuuenis, cuius non mater, sed anima vidua est. Augustinus tract. 15. in Ioannem, animæ virũ intellectum esse ait. Constitue, inquit, animam excepto intellectu, tamquam fœminam, intellectum autem habere tamquam virũ, &c. *Voca virum tuum*; ait Dominus Samaritanæ, id est, iuxta Augustini interpretationem, adhibe intellectum. Et enim quemadmodum vir fœminam, sic intellectus animam gubernat. Illa ergo anima vidua est, quæ intellectu, hoc est, prudentia, & consideratione caret. Adolescens verò ille spiritalem facilè incurrit mortem, cuius anima vidua est, id est, quæ intellectu, rerumque æternarum meditatione est priuata. Quicumque igitur adolescens peccati mortem vult effugere, animam non habeat intellectu viduatam. Etenim viduata intellectu anima, quinque alios viros sequitur, id est, quinque sensus, Samaritanæ instar, de qua Dominus: *Quinque viros habuisti.* Quæ verba sic Augustinus exponit; Quinque sensus carnis te primò rexerunt, &c. Hi autem quinque viri animam perdunt, & in scelerum omnium gurgitem præcipitant. fuge sensus, ô anima, non boni duces sunt, prædetia appetunt, æterna ignorant. Intellectum fidei illustratum lumine, veluti ducem, virumque sequere. Etenim, vt Augustinus ait loco indicato; Intellectus ad æternitatem regit, ad æternitatem excolit, ad æternitatem instruit. quinque verò sensus non ad æternitatem nos regunt, sed ad ista temporalia, vel fugienda, vel appetenda.

Ioan. 4. Quinque sensus animam perdunt.

Filius viduæ adumbrat peccatorem opere peccantem. August.

Quinto, Adumbrat filius hic viduæ mortuus, & extra portam elatus, auctore Augustino ser. 44. de verbis Domini, peccatorẽ, qui non solùm consensu, sed etiam facto peccat, foras enim extra pectus peccatum effert. Sed occurrit illi Dominus, ante quàm in sepulchrum, id est, peccandi consuetudinem inferatur, & vitæ spiritali restituit. Alij (ait Augustinus) post consensum eunt in factum, tamquam efferentes mortuum, vt quod latebat in secreto, appareat in publico. Numquid iam isti, quia in factũ processerunt, sunt desperandi? Nónne & illi iuueni dictum est; *Tibi dico surge?* Nónne redditus est matri? Sic ergo & qui iam fecerit, si fortè commonitus & commotus verbo veritatis, ad Christi vocẽ resurgit, viuus redditur, &c. Surrexit hic adolescẽs, ante quàm sepulchro traderetur: sic surgendum à peccato est, antequam consuetudine peccãdi, velut sepulchrali mole opprimamur. Surgat (inquit Augustin.) elatus mortuus; pœniteat facti, de proximo reuiuiscat, nõ eat in profundum sepulturę, nõ accipiat desuper consuetudinis molem, &c. Nam, vt ait Chrysost. hom. 22. ad populum; Peccatorum consuetudo lapsum in peius trahit. Si purum habes vestimentum, caues ne pessundes omnino. ne quo modo sordidetur. Si primam, secundam, & tertiam contemperis maculam, iam velut sordidum habes vestimentum, non graue videtur, licet totum fiat lutum. Sic ille. Eumdem in modum, qui puram habet animam, ne peccato inquinetur vigilanter cauet. Quòd si primum peccatum, & secundum, tertium, & plura negligit, consuetudine oppressus totus fit lutum. Iuxta illud: *Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit*, &c.

Luca 7.

Chrysost.

De consuetudine peccandi.

Prou. 18.

Sextò, efferebatur adolescẽs hic in sepulchrum, Effertur etiam peccator in sepulchrum aliud horrendum. In primis scelerati hominis anima, quod ad naturam attinet, immortalis est, quòd verò ad gratiam spectat, est mortalis. Cùm enim gratiam caritatemque amittit; vitam amittit supernaturalem, seruat tamen perpetuò naturalem. Itaque mortua dicitur anima Dei carens gratia. Feretrum vero, quo in tartarum fertur, corpus est. Quemadmodum feretrum, auro pretioso que serico ornatur, cadauer verò sindone obuoluitur; ita corpus improbi auro, bombycinisque vestibus induitur, anima verò veluti fœtidum cadauer tegitur vilissimo amictu. Portitores, qui feretrũ ferunt, peccata sunt, libido, superbia, iracundia, inuidia. Turba, quę comitatur, praui comites, & amici. Sic in sepulchrum ducitur horrendum, id est, in tartarum mortua peccatoris anima, iuxta illud: *Mortuus est diues, & sepultus est in inferno*, &c. Occurrit Dominus, feretrum tangit, hoc est, corpus graui aliquo morbo afficit, adolescentemq; vocat; *Adolescens tibi dico surge.* stant portitores, hoc est, peccata, quæ in tartarum celeri illum cursu ducebant. Tactu territus externo atq; interno Dei, pœnitentiam agit, atque resurgit. Nam Dei tactus medicina est, cùm impium tangit, cùm pœnam infert, sanat. Chrysostomum lege hom. 6. ad pop. Pœnæ, inquit, nos ad Deum ducunt. peccatum sanies est, pœna ferrum medicinale. Sicut saniem habens, & si non secatur, malè habet, & cùm non secatur, tunc est in maioribus malis: ita peccans, etiam si non puniatur, omniũ est miserrimus, & tũc maximè miser, cũ nõ punitur, & graue nihil patitur, &c.

Effertur peccator in sepulchrum horrendum, effertur.

Corpus animæ feretrũ, portitores peccata.

Tartarus sepulchrum impiorum. Luca 16.

Luca 7. Tactus Christi mortuos, inspiratio, &c.

Pœnæ nos ducunt ad Deum. Chrysost.

Septimò. Efferre in sepulchrum vita functos, funusque ducere, opus est pium, ac sanctum. Primò, habetur honor debitus Christianis. Augustinus lib. 1. de Ciuit. Dei, cap. 13. Non contemnenda (ait) sunt corpora defunctorũ, maximeque iustorum ac fideliũ, quibus tamquam organis, & vasis ad omnia bona opera sanctus Spiritus vsus est, &c. Organa fuere Spiritus sancti corpora iustorum, & vasa pretiosa, honesto igitur collocanda loco. Secundò, Mors reuocatur in memoriam. Videmur enim audire dicentem defunctum illud: *Memor esto iudicij mei, sic enim erit & tuum. Mihi heri, & tibi hodie*, &c. Sepulchra mortuorũ, sunt monumenta viuorum. Sepulchrum enim monumẽtum appellatur, quia viuos monet, monet inquam, instare mortem, monet quoque, vt pro defuncto fundant preces. Augustinus lib. de cura pro mortuis agenda, cap. 4. Non ob aliud, inquit, vel memoriæ, vel monumẽta dicuntur, ea quæ insignita fiunt sepulchra mortuorum, nisi quia eos qui viuentium oculis morte subtracti sunt, ne obliuione etiã cordibus subtrahantur, in memoriam reuocant, & admonendo faciunt cogitari. Cùm itaque recolit animus, vbi sepultum sit carissimi corpus, & occurrit locus nomine martyris venerabilis, eidẽ martyri animam dilectã cõmendat recordãtis, & precantis affectus, &c. Tertiò, Resurrectionis fides declaratur. Testamur enim corpus illud iterũ vita à Deo donandũ. Vnde D. Thomas 4. dist. 45. q. 2. art. 3. ad tertiã quæstionẽ. Sepultura, inquit, spiritaliter prodest viuis, in quantũ per hoc astruitur resurrectionis fides.

De exequiis & funere vita functorum.

Corpora iustorum vasa & organa Spiritus sancti sunt. Eccli. 38.

Sepulchra, & exequiæ reuocant mortem in memoriam.

August.

Resurrectionis fides funere declaratur.

Resurget illud ipsum corpus, quod tumulo mandasti præcellenti gloria conspicuum. Æquũ ergo est, vt sancto in loco collocetur, donec resurgat. Iam verò si Diui alicuius corpus est, quem diuino iam frui conspectu, ex Ecclesię canonizatione scimus, argento auróque recõdi & exornari par est. *Seminatur corpus in ignobilitate*; ait Paul. *surget in gloria*, &c. Seminatur (inquit) cum sepulchri terra tegitur, veluti frumentum. Surget in magna gloria, cùm

Reliquiæ Diuorũ auro argentoq; tegendæ.

1. Cor. 15.

cùm in vitam redierit. Sub veteri teſtamento extra ciuitates efferebantur mortui, ac humabantur; at ſub nouo non in ciuitatibus ſolùm, ſed in templis etiam ſepeliuntur. Quemadmodum enim in nouo teſtamento, templi cæleſtis portæ animis: ita templorum terreſtrium portæ corporibus mortuis apertæ ſunt. In veteri autem cæli portæ animis corpore exutis, & templi portæ corporibus mortuis clauſæ fuere. Quidni ſepeliantur in templis Spiritus ſancti organa & vaſa, vt appellat Auguſtinus? Iam ritus illi antiqui abrogati ſunt, quibus ſtatuebatur, vt qui oſſa mortuorum tangerent, immundi eſſent. Corpora, quæ Deum coluerunt, & in templis adorarunt, quæ Dei chriſmate inuncta fuerunt. Vbinam meliùs, quàm in domo Domini ſui, rurſus excitanda collocabuntur? Pretioſas veſtes, qui exuit in mundo reponit loco, moxque vigilãs reſumit: ſic Chriſtiani pretioſum corpus in morte exuunt, extremo tempore euigilabunt, rurſuſque induent. Interim in mundo reponitur loco.

Auguſt. Exequiæ defunctorũ ſolatia viuorum & mortuorum quoque.

Denique ait Auguſtinus lib. 2. de ciuitate Dei, cap. 12. defunctorum exequias ſolatium eſſe viuorum. Solatia ſunt, ſed ſancta ſolatia, ſi ſanctè & ex more Eccleſiæ fiant. Sit ſolatium ſanctũ exequias celebrare, precibus Deum exorare, ſacrificium offerre, pauperibus eleemoſynas largiri. Apud Maronem lib. 6. flores quidam poſcit, vt nepotis animam inani cumulet munere:

A

——*Manibus* (inquit) *date lilia plenis.*
Purpureos ſpargam flores, animamque nepotis.
His ſaltem accumulem donis, & fungar inani
Munere.

Aliis floribus atque donis, animæ mortuorum non inaniter, ſed maximo cum fructu accumulantur. Nimirum ſacrificiis, precibus, eleemoſynis. Vnde illud D. Hieronymi epiſt. 26. ad Pammachium; Ceteri, inquit, mariti ſuper tumulos coniugum ſpargunt violas, roſas, lilia, floréſque purpureos, & dolorem pectoris his officiis conſolantur. Pammachius noſter ſanctam fauillam, oſſaque honoranda, eleemoſynæ balſamis rigat, his pigmentis atque odoribus, fouet cineres quieſcentes, &c. Si ſic exequiæ celebrentur, non ſolatia ſolum viuorũ erunt, ſed maxima etiam mortuorum.

Flores quibus animæ mortuorum accumulantur. Hieron.

B

Efferebatur adoleſcens hic extra vrbem; effertur mortuus homo extra vrbem, hoc eſt, extra honores, dignitates, diuitias, magiſtratus, ſceptra, coronáſque. *Volucris nudabatur pennis, quæ in locum proiiciebantur, vbi cineres effundi ſolebant.* Dignitates, honores, opéſque, pẽnę ſunt, quibus in hoc orbe volitamus, quæque graues nobis poſt vitam pœnas pariunt. His omnibus nos mors ſpoliat, vt alij induantur. Deplumatos verò in locum proiicit cinerum, id eſt, ſepulchrum. *Nudus*, ait Iob, *egreſſus ſum de vtero matris meæ: & nudus reuertar illuc*, &c. *Iob* 1.

Effertur homo extra dignitates, &c. cùm moritur. Leuit. 1. Honores pẽnæ quibus hic volitamus.

CAPVT VIII.

De nuntio Ioannis Baptiſtæ miſſo ad Chriſtum ex carcere.

MATTH. CAP. XI.

IOannes autem cùm audiſſet in vinculis opera Chriſti, mittens duos de diſcipulis ſuis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Et reſpondens Ieſus ait illis: Euntes, renuntiate Ioanni, quæ audiſtis & vidiſtis. Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur. Et beatus eſt, qui non ſcandalizatur in me. Illis autem abeuntibus, cœpit Ieſus dicere ad turbas de Ioanne: Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam? Sed quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtitum? Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt. Sed quid exiſtis videre? prophetam? etiam dico vobis, & pluſquam Prophetam. Hic eſt enim, de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Amen dico vobis, Non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptiſta. Qui autem minor eſt in regno cælorum, maior eſt illo. A diebus autem Ioannis Baptiſtæ vſque nunc, regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Omnes enim Prophetæ & lex, vſque ad Ioannem prophetauerunt. Et ſi vultis recipere, ipſe eſt Elias, qui venturus eſt. Qui habet aures audiendi audiat. Cui autem ſimilem æſtimabo generationem iſtam? Similis eſt pueris ſedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus dicunt; Cecinimus vobis, & non ſaltaſtis: lamentauimus, & non planxiſtis. Venit enim Ioannes neque manducans, neque bibens, & dicunt: Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus, & iuſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis, &c.

LVC. CAP. VII.

ET nuntiauerunt Ioanni discipuli eius, de omnibus his. Et conuocauit duos de discipulis suis Ioannes, & misit ad Iesum dicens: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Cùm autem venissent ad eum viri, dixerunt: Ioannes Baptista misit nos ad te dicens: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? In ipsa autem hora multos curauit à languoribus, & plagis, & spiritibus malis, & cæcis multis donauit visum. Et respondens dixit illis: Euntes renuntiate Ioanni, quæ audistis & vidistis: quia cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur: & beatus est, quicumque non fuerit scandalizatus in me. Et cùm discessissent nuntij Ioannis, cœpit de Ioanne dicere ad turbas: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? Sed quid existis videre? hominem mollibus vestimentis indutum? Ecce, qui in veste pretiosa sunt & deliciis, in domibus Regum sunt. Sed quid existis videre? Prophetam? vtique dico vobis, & plusquam Prophetam. Hic est de quo scriptum est: Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Dico enim vobis, Maior inter natos mulierum Propheta Ioanne Baptista nemo est: qui autem minor est in regno Dei, maior est illo. Et omnis populus audiens, & publicani iustificauerunt Deum, baptizati baptismo Ioannis. Pharisæi autem, & legis periti consilium Dei spreuerunt in semetipsos, non baptizati ab eo. Ait autem Dominus: Cui ergo similes dicam homines generationis huius, & cui similes sunt? Similes sunt pueris sedentibus in foro, & loquentibus ad inuicem, & dicentibus: Cantauimus vobis tibiis, & non saltastis: lamentauimus, & non ploraſtis. Venit enim Ioannes Baptista neque manducans panem, neque bibens vinum, & dicitis: Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans & bibens, & dicitis: Ecce homo deuorator, & bibens vinum, amicus publicanorum & peccatorum. Et iustificata est sapientia ab omnibus filiis suis, &c.

Luc. 7. QVO tempore nuntios ad Christum misérit Ioannes, non indicat Matthæus: ex Luca colligitur post miraculum præcedens missos esse. *Nuntiauerunt*, inquit, *Ioanni discipuli de omnibus iis*, quæ scilicet scripserat, id est, de filio viduę reuocato in vitam, & aliis. Habebat discipulos Ioannes, vt est perspicuũ, ij verò magistro in carcerẽ conjecto colloqui non prohibebantur. Cùm ergo Christi admiranda miracula audissent, vel etiam vidissent, Ioanni renuntiarunt. Ille duos ad Christum misit, qui interrogarent; *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Græcè Tu es, ὁ ἐρχόμενος, id est, *Tu es ille veniens*, scilicet Messias, qui venturus erat; hæc interrogatio difficilem continet dubitationem.

Matth. 11. & Luc. 7.

An dubitarit Ioãnes, & quid quæsierit per discipulos?

Numquid Ioannes dubitabat Christum Messiam esse; Tertullianus in lib. de Baptismo, capite 10. pessimè putauit spiritu prophetiæ destitutum sic interrogasse; Spiritus, inquit, prophetiæ, post totius Spiritus in Dominum translationem, vsque adeò defecit, vt quẽ prædicauerat, quem aduenientem designauerat, postmodum an ipse esset, misérit scisitatum, &c. Et lib. 4. contra Marcionẽ, cap. 18. Ipso, inquit, iam Domino virtutum operante in terris, & prædicante, necesse erat portionem Spiritus sancti, quæ ex forma prophetici moduli in Ioanne egerat, abscedere iam à Ioanne, redactam scilicet in Dominum, vt in massalem suam summam, &c. Eodem capite dubitasse scribit; Ioannes, ait, dubitabat, ipsum venisse quem expectabãt, &c.

1. Sententia penitus aliena à veritate & pietate.

Iustin. Mart. 2. Sententia minimè probabilis.

Iustinus Martyr in quæstionibus à gentibus propositis, quęstione 38. existimat, Ioannem dubitasse, an quæ nuntiabantur miracula à Christo facta essent, an verò ab aliquo alio propheta. Quoniam, inquit, diuersi rumores de miraculis Christi spargebantur, cùm alij dicerent, Elias est, qui hęc facit; alij Ieremias; quidam, aliquis alius ex Prophetis. Audiens hos rumores Ioannes in carcere mittit discipulos suos. Qui scirẽt, num is, qui signa faceret, is esset, cui ipse testimonium dixisset, an aliquis alius, qui à multis diuulgaretur, &c.

3. Sententia minimè probabilis. Greg.

Diuus Gregorius hom. 6. in Euangelia, arbitratur dubitasse Baptistam, non quidem, an Christus Messias esset, sed an ad inferos esset venturus, hoc sensu. *Tu es qui venturus es ad inferos, an alium expectamus, qui eò sit descensurus, patrumq́; animas liberaturus?* Quærit (ait Gregorius) vt sciat, si is qui per se venerat in mundum, per se etiam ad inferni claustra descendat, &c. Et homil. 1. in Ezechielem: Ioannes, ait, in terris quidem venisse redemptorem nouerat; sed an per semetipsum ad aperienda inferni claustra descenderet dubitabat. D. Hieronymus Matth. 11. quem sequitur Beda, in eamdem sentẽtiam verba Ioannis interpretatur; indicátque dubitasse, num Christus mortẽ esset perpessurus. Manda, inquit, mihi vtrum te & inferis debeam nũtiare, qui nuntiaui superis. An non conueniat filio Dei, vt gustet mortem, & alium ad hæc sacramenta missurus es? &c. Lege eumdem Hieronymũ epist. 151. ad Algasiam. Druthmarus sic: Tu es qui venturus es, sicut credebant, per mortem tuam ad liberationem hominum, qui tanta facis: an alium debes mittere, qui debeat mori pro nobis? &c. Meminit huius sententiæ Chrysostomus homil. 37. in Matth. his verbis: *Chrysost.* Ignorabat Ioannes, aiunt nonnulli, non totũ mysterium, sed ipsum esse Christum non ambigebat. Vtrum verò ab hominibus morti traderetur, an non, id dubitabat. Præterea etiam interrogabat dicens: *Tu es venturus?* id est, tũne ipse ad inferos descendes? &c. Ambrosius quoque Lucæ 7. Nonnulli,

nulli, inquit, de ipso Ioanne sic intelligunt; magnum quidem prophetam, vt Christum agnoscere, annuntiare remissionem peccatorum futuram: sed tamen non tamquam dubium, sed tamquam pium vatem, quem venturum crediderat, non credidisse moriturum. Non igitur, fide sed pietate dubitauit, &c. Id tamen falsum est, ipse enim prædixit Christum Agnum Dei esse, qui peccata mũdi suo ablueret sanguine; absurdumq; est concedere plusquam prophetã ignorasse Messiam moriturũ. Lege Chrysost. hom. citata Ioannes, inquit, Christum vocauit agnum, quia in crucis patibulo suspendendũ sciebat. Cùm etiam dixerit: *Qui tollit peccata mundi*: id ipsum significauit, &c.

Ioannes Christum moriturum nouisse, egregiè ostenditur.

Recepta opinio est Chrysostomi loco indicato, & aliorum, qui rectè arbitrantur interrogationem, non à dubitatione Ioannis, sed à discipulorum cæcitate esse natam. Magistri enim amore, & æmulatione aliqua obcæcati, Christum Messiam esse, maioremque Ioanne non videbant. Quamobrem morti propinquus Ioannes ad Christum duos misit, vt cæcitati mederetur summus medicus. Rogat ergo; *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* id est, Es ne tu Messias ille promissus, an alius est venturus? non dubitans, sed discipulorum dubitationem in se transferens, & ignorantiam in se recipiens. Diuus Hilarius in Matth. Non suæ, inquit, sed discipulorum ignorantiæ Ioannes consulit, &c. Auctor imperfecti, Volebat, ait, Ioannes discipulos suos Christo ad iungere, tamquam si prouidus pater moriens filios suos consignet tutori. Desiderabat enim viuens plenam fidem videre discipulorum, & sine dubitatione aliqua credentes in Christum. Magis autem non sicut pater filios suos commendabat Christo, quasi tutori, sed quasi pedagogus, alienos filios quos ad tempus accepit vt erudiret, eruditos volebat Christo reddere quasi proprio patri ipsorum. Ideo interrogabat per discipulos suos non vt ipse disceret, sed vt missi discipuli oculis viderent opera Christi, & crederent. Sic ille. Haymo; Non dubitat, inquit, Ioannes. Non enim propter se misit discipulos ad Dominum, sed propter inuidiam discipulorum, quam habebant contra Dominũ. Vt inuidia cessaret, ideò misit eos Ioãnes ad Dominũ, &c. Diuus Cyrillus libro 2. thesauri, capit. 4. Quando Ioannes prophetico spiritu, quo repletus erat ex vtero matris suæ, nudum iam imminere sibi gladium vidit: voluit discipulos suos in fide Christi confirmare, apertéque docere, vt scirent ipsum esse qui ad salutem omnium expectabatur, &c. Diuus Hieronymus; Quomodo saluator interrogat, vbi sit positus Lazarus, Ioannis 11. vt qui locum sepulchri indicabant, saltem sic pararentur ad fidem, & viderent mortuum resurgentem: sic & Ioannes interficiendus ab Herode, discipulos suos mittit ad Christum, vt per hanc occasionem videntes signa, ac virtutes, crederent in eum, & magistro interrogante, sibi discerent, &c. Item epist. 151. ad Algasiam quæst. 1. Ioannes, inquit mittebat discipulos, vt sibi quærens illis disceret, &c.

Opinio recepta Ioannem dubitationem. discipulorũ recepisse in se, nequaquam dubitasse.

Autor imper.

Haymo.

Cyrill.

Hieron.

Addam quod menti occurrit, alij iudicent. forsitan Ioannes Christũ interrogauit, quia id facere voluit, quod Iudæi facere debuerant. Meminerat Iudæos legationem ad se misisse, vt interrogarent eum, an Messias esset; ad Dominum verò qui verus Messias erat, non misisse. Id igitur quod Iudæi non faciebant, cùm facere maximè deberẽt, facere voluit, vt Christus interrogatus Messiam se esse apertè populo indicaret. Nam vt Luc. cap. 7. scribit, populus prophetam magnũ surrexisse aiebat, cùm viduæ filium excitauit, nec dum Messiam appellabat. Mittit igitur legationẽ Ioannes & interrogat? *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* quasi dicat, Scio te esse Messiam, idque testimonio meo comprobaui. Populus nondum agnoscit. Quid igitur cunctaris, cur quisnam sis, non aperis? Testare manifestè hominibus te esse Messiam, nec alium expectandum. Idcircò autẽ discipuli Ioannis coram plebe Christũ rogarunt, vt ipse se proderet.

Alia interpretatio.

Ioannes legationem ad Christũ misit quam Iudæi mittere debuerant.

At cur Ioannes non affirmauit, sed interrogauit? Cur non dixit: Messiam te esse noui, idque testor, vt iam sæpe testatus sum? Sed, *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Respõdetur. Ne videretur adulari Christo; testimoniumq; eneruaret. Vel potius interrogauit, vt Christũ interrogationi respondere, séq; Messiã esse demõstrare, quodãmodo cogeret.

Matth. 11. & Luc. 7.

Obiici potest, hanc Ioãnis interrogationẽ scandalũ potuisse parere, quod dubitare videretur, an Dominus esset Messias. Respõdetur, forsitã nõ ita nudè propositã interrogationẽ àIoãne, sed adiuncta alia verba ab Euãgelista prætermissa, quæ dubitationẽ explodere rẽt. Vel dicendũ, Ioannem spiritu prophetico sic interrogasse, quoniam sciebat hęc verba nullũ allatura scandalũ, imò occasionem Christo prębitura demõstrãdi populo quisnã esset

Num Ioannis interrogatio scandalum attulerit.

RENVNCIATE *Ioanni, quæ audistis, & vidistis.* Cognouit is, cui omnia sunt cognita, quid Ioannis vellet interrogatio. Nimirum, vt se Messiã esse aperiret. Aperuit multis editis miraculis. Vt enim Lucas scribit: *In ipsa hora multos curauit à languoribus & plagis, & spiritibus malis, & cæcis multis donauit visum.* D. Cyrillus lib. 2. Thesauri cap. 4. Cùm discipuli (inquit) Ioãnis venissẽt, multò magis tunc quàm antea miraculis Christus effulsit: illaq; dispensando faciebat, quæ prophetæ scribunt tunc futura, quãdo Christus veniet. Ideo interrogatus, an ipse esset vẽturus, non statim respõdet, neque dicit, ego venturus sum. Sed miraculorũ magnitudine, simul & multitudine, ostendit se ipsũ esse, &c. Nam vt Chrysost. ait homilia 37. in Matthæũ, Testimoniũ quod à rebus trahitur, certiusest quàm verborũ; & absque vlla suspicione, &c. Messiã autem esse Dominum probant miracula. Quamuis enim prophetę miracula fecerint, tamẽ alio modo fecerũt, nempe aliena potestate, Christus propria. quod indicabat imperium, quo illa patrabat. Præterea frequẽtia, & multitudo miraculorũ hoc maximè confirmabat. Nam prophetæ non multa, aut crebra miracula fecerũt, Christus passim faciebat. Cantica 5. manus Messiæ dicuntur plænę hyacinthis, lapidibus prætiosis. Quoniam plenæ erant miraculis. Etenim annuli gemmis ornati cælestibus, manuum Christi miracula adumbrant. Prophetarum verò manus hyacinthis plenæ non erant. quamuis aliquot gemmis fulserint, longè inferior fulgor fuit, & gemmarũ numerus. D. Cyrillus citatus: Christus miraculorum magnitudine, simul & multitudine ostendit se Messiam esse, &c.

Rebus Christus se Messiam probat. Luc. 7. Cyril.

Testimoniũ rerum est præstantius quam verborum.

Chrysost.

Christi manus hyacinthis plena quid significet.

Postea discipulis Ioannis respondit; *Ite, renunciate Ioanni, quæ audistis, & vidistis, cæci vidẽt, claudi ambulãt,* &c. Renunciari Ioanni iubet quæ viderant, & quæ audierant. Viderant miracula, audierant Christum concionantem pauperibus, vnde infrà ait; *Pauperes euangelizantur.* In ipsa concione forsitan Dominus se Messiam esse indicauit, quamuis sub velo, nec apertè id verbis dixerit. Non enim legimus coram populo dixisse vmquam, Ego sum Messias. Audierant prætereà discipuli, eorum qui sanitatem comparauerant, voces. Nam vt ait Auctor imperfecti; Qui curati fuerãt gratias agebant & quidam dicebant, Numquã sic factum vidimus in Israël. Alij autem dicebant; Gloria Deo, qui talem potestatem dedit hominibus. Alij; visitauit

Matth. 11. & Luc. 7.

Quid viderint Ioannis discipuli, & quid audierint. Ibid. Auctor imp.

Deus

Deus in bono plebem ſuam,&c. Addit, Diſcipuli Ioannis & oculis,& auribus patiebantur, mirabilia ſanitatũ vidẽtes; gratias agentium voces audientes. Aut certè mirabilia Chriſti videntes,& doctrinam eius audientes. Aut ſanitates infirmorum videntes, & cõfeſſiones eiectorũ dæmonum audientes,&c. Caietanus, Ianſenius, Maldonatus, Toletus, ita exponunt: Renunciate, quæ audiſtis,id eſt, miracula,quę me feciſſe auditu percepiſtis:& quæ vidiſtis,id eſt miracula quæ veſtris oculis conſpexiſtis. D. Cyrillus lib.2.theſauri cap.4.ſic:Quæ audiſtis à prophetis, & vidiſtis per me cõſummata,&c. Sed de prophetis non videtur locus intelligendus.

Dubium eſt; An Ioannes diſcipulis aperuerit ſe non dubitare Chriſtum eſſe Meſſiam, ſed iuſſiſſe interrogare,ita vt diſcipuli credere poſſent magiſtrum dubitare? Maldonatus arbitratur Ioannem diſcipulis minimè declaraſſe ſe nihil de Chriſto dubitare.fortè (inquit) putabãt nuntij,verè Ioannẽ,non ſimulatè dubitaſſe.Nec enim id diſcipulis declaraſſe credendũ eſt.Ego verò crediderim Ioannẽ cunctis Iudęis,preſertim diſcipulis aperuiſſe veritatem. Cùm verò diſcipuli dubitarent,ſuo nomine interrogare iuſſiſſe.Cùm tamen ipſum minimè dubitare omnibus eſſet exploratum. Quis enim credat magnũ Baptiſtam viſũ alicui eſſe, de fide Meſſiæ dubitare,& ſuis dictis contradicere?

Matth. 11. & Luc.7. PAVPERES *euangelizantur.* Lyranus ſic interpretatur: *pauperes euangelizantur:*id eſt,nũciantur habere regnum cælorum,prędicantur beati,iuxta illud: *Beati pauperes ſpiritu.* Sed aduerte Iſaiæ 61. vbi noſtra verſio habet *ad annunciandũ manſuetis miſit me:* Septuaginta interpretes vertiſſe: *Ad euãgelizandum pauperibus miſit me.*Hebræa enim verba vtroq; modo verti poſſunt.ſignificat ergo Dominus Iſaię vaticinum impleri.*pauperes,*inquit, *euangelizantur,*hoc eſt, Euangelij lætiſſimum nuncium audiunt, vt Iſaias prædixit. Videtur Chriſtus plus aliquid ſignificare. Nimirũ non ſolùm pauperes Euangelij lætiſſimum audire nuncium, verumetiam illud recipere,& viua fide credere. Etenim paupertas aptiſſima eſt ad euangelium recipiendum, quod omnia humana Dei præceptis poſtponenda præcipit. id verò diuitibus graue eſt.

Matth.5. Iſa.61.

Pauperes euangelizãtur quam vim habeat.

Matth.11. & Luc.7. An Chriſtus tunc temporis aliquot mortuos excitarit.

MORTVI *reſurgunt.*Dubium eſt,an tunc temporis aliquot mortuos Chriſtus in vitam reuocarit? Quod enim reuocarit,ſuadetur, quoniam miracula conſpecta iubet Ioanni renunciare diſcipulos. Prætereà: verba hæc id indicant: *Mortui reſurgunt,* &c. Quòd verò nullũ mortuum tunc vita donarit,probatur ex Luca: *In ipſa* (inquit) *hora multos curauit à languoribus, & plagis, & ſpiritibus malis, & cæcis multis donauit viſum,*&c. Nullam mortuorũ mentionem fecit,facturus ſanè, ſi Chriſtus aliquos tunc vitæ reddidiſſet:eo quòd miraculum hoc ſit inter reliqua præcipuum. Ergo Dominus nullam tunc temporis vitæ reſtituit.Hoc opinatur Ianſenius,& videtur vero ſimilius. Argumento reſpondetur; Dominum non ſolùm conſpecta,ſed etiam audita miracula iuſſiſſe renunciari,cùm ait,*Renunciate quæ audiſtis,& vidiſtis.* Cùm verò addit; *Mortui reſurgunt;* de mortuis loqui,quos excitatos audierant Ioannis diſcipuli,vt viduæ filium,& filiam archiſynagogi, & forſitan alios.Quod ſi de ſolo viduæ filio ſermo ſit,pluralis numerus pro ſingulari vſurpatur, vel ſenſus eſt; *Mortui reſurgunt:*id eſt;reſurgere incipiunt.Poſtea enim tum Lazarus,tum in reſurrectione Chriſti multi ſurrexerunt.

Luc.7.

Matth. 11. & Luc. 7.

Ioannes nõ eſt ſcandalizatus.

BEATVS *eſt,qui non fuerit ſcandalizatus in me.*Verba hæc contra Ioannẽ prolata multi arbitrati ſunt,vt Hieronymus docet Matth.11. quaſi ſcandalizatus in Chriſto fuerit. Lege Tertullianum libro 4.contra Marcionem cap.18.Sed abſit,vt tãtum prophetam quis ſcandalizatum arbitretur. Non indiget refutatione apertè falſum dictum:ſatis illud refutat Dominus,cùm mox Ioannem vehementer laudet. Contra diſcipulos Ioannis dicta verba ait Hieronymus epiſtola 151. ad Algaſiam, quæſt.1. Non Ioannem,inquit, ſed diſcipulos eius percutit, &c. Similiter Chryſoſtomus; Cùm diſcipuli,ait, Ioannis ſcandalum propter Chriſtum paterentur,paſſionem mentis eorum detexit,&c. Ita quoque Theophylactus,& alij.Eſt ergo ſenſus; vos in me ſcandalizamini,dum credere non vultis me eſſe Meſſiam Ioanne maiorem.Ne ſcandalizemini,credite:etenim *Beatus eſt qui in me non fuerit ſcandalizatus:* infelix qui fuerit.Aliter, dici poteſt, Chriſtum poſtquam miraculis probauerat ſe eſſe Meſſiam,quoniam multos ſciebat id minimè credituros,ſed ſcandalizandos,addidiſſe; *Et beatus eſt, qui non fuerit ſcandalizatus in me:*quaſi dicat;Et beatus, qui crediderit me Meſſiam eſſe,nec in meam humilitatem,veluti in lapidem offenſionis,& in petram ſcandali,per incredulitatem impegerit. Fuit enim petra ſcandali,& lapis offenſionis Dominus. *Vobis credentibus honor, non credentibus lapis offenſionis, & petra ſcandali,*&c. Et Simeon, *Ecce poſitus eſt in ruinam & in reſurrectionẽ multorum in Iſrael.* Credendũ etiam eſt, Dominum his verbis Paſſionẽ indicaſſe ſuam, quæ Iudæis & gentibus ſcandalum peperit, iuxta illud Pauli, *Prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam. Ipſis autem vocatis Iudæis, atque Græcis, Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam,* &c. Diuus Hilarius: Quia futura erat crux plurimis ſcandalum,beatos eos profeſſus eſt Chriſtus, quorum fidei nihil tentamenti deferret crux,mors,ſepultura,&c.

Diſcipuli Ioannis hæc verba tãgit.

Chriſtus fuit petra ſcandali.

Iſa.8. Rom.9.& 1.Pet.2. Luc.2.

Paſſio Chriſti ſcandalum attulit Iudæis.

1.Cor.1.

CAPVT IX.

De laude Ioannis Baptiſtæ.

ILLIS *autem abeuntibus.*Coram hominum magna multitudine,Ioannis legationem excepit Dominus poſtquam legati abierunt, Ioannẽ laudauit. D.Hilarius ait laudaſſe,ne videretur Ioannes ipſe ſcandalizatus:Ne,inquit, iſtud(id eſt verba illa: *& beatus eſt,qui non fuerit ſcandalizatus in me*) referri ad Ioannem poſſet, tamquã aliquid ſcandalizatus eſſet in Chriſto; abeuntibus diſcipulis, ad turbas de eo loquutus eſt,&cęt.& Hieronymus: Quia turba circunſtans interrogationis myſteriũ neſciebat,& putabat Ioannem dubitaſſe de Chriſto,vt intelligerent Ioannem non ſibi interrogaſſe,ſed diſcipulis ſuis: *Quid* (inquit Dominus) *exiſtis in deſertum,* &c. Quod Hieronymus ait, turbam exiſtimaſſe Baptiſtam dubitare de Chriſto, mihi difficile videtur.Quomodo enim concedi poteſt, Baptiſtam de fide Meſſiæ viſum fuiſſe dubitare, feciſſęque aliquid, propter quod id à populo crederetur? Credo rem ſic diuino nutu geſtã, vt omnibus magni Ioannis fides eſſet explorata. Chryſoſtomus:Pro Ioanne reſpondet Chriſtus, oſtendens non eſſe mutatum à priore ſua opinione, &cæt. Ita quoque Diuus Cyrillus libro 2.Theſauri capite 4. Laudat autem Ioannem Chriſtus poſt diſcipulorum diſceſſum, ne ſi præſentibus diſcipulis laudaret, adulationis ſuſpicio oriretur. Euthymius: Quare diſcipulis præſentibus non eſt locutus de Ioanne Chriſtus? Reſpondet. Ne ei videretur adulari. Et Chryſoſtomus, Cœpit dicere Chriſtus diſcipulis abeuntibus;ne multitudo putaret aſſentatiunculis gratiam Ioannis Chriſtum colligere,&cæt.Idem ſcribit Theophylactus.

Matth.11. Cur laudarit Baptiſtã Dominus poſtquam aliore diſcipulit

Baptiſta de Chriſto nũquam ſententiam mutauit.

QVID

Matth. 11. & Luc. 7. Laudat Dominus Ioannis conſtantiã, & Meſſiam ſe eſſe probat ex conſtanti ipſius teſtimonio.

QVID *exiſtis in deſertum videre?* Laudat Ioannis conſtantiam, Meſſiamque ſe eſſe probat ex conſtãti illius teſtimonio, quaſi dicat: Ne exiſtimetis Ioannem ab antiqua mutatum ſententia, qua Meſsiam me eſſe aſſeruit. In eadem adhuc eſt. Neque enim arundini ſimilis eſt, quæ in hãc, & illam partem, vento perflante mutatur. Conſtantem verò Ioannem eſſe, vos ipſi veſtro ad illum concurſu comprobaſtis. Quid enim exiſtis in deſertum videre, cùm ad Ioannem, antequàm carcere clauderetur, confluebatis? Numquid ad hominem iuiſtis arũdini in deſerto natæ ſimilem? minimè. Non ad leuem arundinem, ſed ad proceram confluxiſtis arborem, firmiſſimis hærẽtem radicibus; quam nulli vmquam vẽtorum turbines à iuſta ſententia dimouere poterũt. Verũ poſſet turba reſpondere, B Ioannem eſſe arũdinem, propterea quòd ante carcerem affirmaſſet Dominum eſſe Meſſiam, modo verò dubitaret. D. Hier. & qui volent turbam putaſſe Baptiſtam dubitare, reſpondeant obiectioni. Ego enim puto turbam non credidiſſe Baptiſtam de re, quã toties affirmauerat dubitare: ideò arundinem eſſe obijcere non poterat. Non poſſum credere fidem Baptiſtæ de Meſſia, turbæ dubiã fuiſſe viſam. Nonne omnes mortem ſubire debemus, ne aut fidem negaſſe, aut de illa dubitaſſe videamur? Quid igitur de Baptiſta par eſt credere?

Hieron.

Matth. 11.

ECCE *qui mollibus veſtiuntur.* Vitæ laudat aſperitatem, ex veſtitu aſpero. *Quid*, inquit, *exiſtis in deſertum?* Numquid, vt hominem cerneretis mollibus pretioſiſq; veſtibus indutum, & deliciis deditum? Minimè. Huuſmodi enim homines non in deſerto, ſed in palatiis Regum reperiuntur: *Ecce enim, qui mollibus veſtiuntur in domibus regum ſunt.* Ioannes verò in deſerto erat. C

Matth. 11. & Luc. 7.

Cur Ioannes dicatur pluſquam propheta? D. Gregor. Hieron.

PLVSQVAM *prophetam.* Ioannem laudat à prophetia. Pluſquam prophetã vocat (ait D. Hilar.) quia ipſi ſoli licuit & prophetare Chriſtum, & videre, &c. Diuus Gregorius homil. 6. in Euangelia: Prophetæ miniſterium eſt ventura prædicare: non etiam demonſtrare. Ioannes pluſquam propheta eſt, qui eum, quem præcurrendo prophetauerat, etiam oſtendendo demonſtrabat, &c. Hieronym. In eo Ioannes prophetis cæteris maior eſt, quòd quem illi prædicauerant eſſe venturum, hic veniſſe digito demõſtrauit. Et quia ad priuilegium prophetale, etiam Baptiſtæ acceſſit præmium, vt Dominum ſuum baptizaret, &c. Similiter D. Cyrillus D

Cyrill.

lib. 2. Theſauri cap. 4. Pluſquam propheta Ioannes eſt. Nam prophetæ venturum prædicarunt Chriſtum, nec ipſum videre potuerunt; Ioannes autem & venturum prædicauit, & vidit, &c. Chriſtus verbis ſequentibus rationem huius rei reddit.

Matth. 11. Malac. 3. Cur dicatur Ioannes pluſquam propheta?

ECCE *ego mitto Angelum meum*, &c. Dico, inquit, vobis pluſquàm prophetam eſſe Ioannem: hic eſt enim de quo ſcriptum eſt: *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam: qui præparabit viam tuam ante te*, &c. Illa particula, *enim*, rationem indicat cur pluſquam propheta Baptiſta dicatur: videlicet, quia non ſolùm propheta Chriſti fuit, verùm etiam præcurſor, & angelus, id eſt, nuntius aduentui propinquus, viæque præparator. Diuus Chryſoſtomus in hæc verba: Cùm dixiſſet Chriſtus Ioannem prophetis maiorem eſſe: quare maior ſit oſtendit. Cur igitur maior prophetis Ioannes? quoniam propinquior erat Chriſto venturo. *Mittam enim*, inquit, *Angelum meum ante faciem tuam.* qui autem ante faciẽ eſt, is proximus eſt. Nam quemadmodum maiore dignitate ij ſunt, qui proximè regibus deambulantibus ordinantur: ſic & Ioãnes in ipſo aduentu cõſtitutus, maiore gratia fulſit. Ita

Chryſoſt. Ioanes proximus Chriſto.

Autor imp.

Chryſoſtomus. Auctor Imperfecti: Omnes, inquit, A prophetæ ante faciem Chriſti tranſmiſſi ſunt, ſolus autem Ioannes ſic miſſus eſt ante faciem Chriſti, vt pene cum ipſo Chriſto veniret. Quantùm præ cæteris prophetis Ioannes in tempore, iuxta Chriſtum, tantùm iuſtitia præ illis proximior erat Chriſto. Multæ quidem ſtellæ ante Solem præcedunt, nunciantes lucis aduentum: nulla tamen earum Luciferi nomen habere meruit, niſi vna, quæ cum ipſa luce procedit. Sic omnes prophetæ ante faciem Chriſti procedunt, nuntiantes aduentum eius, ſolus autem Ioannes præcurſor eſt appellatus, quia non ſolùm aduentum eius annuntiat, ſed ipſum illum digito ſuo oſtendit, &c. Forſitan Dominus plusquàm prophetam Baptiſtam vocauit, quia & præcurſor, & viæ præparator erat; & angelus quoque non natura, ſed vita. Nam nomen Angeli græcum, & nomen, מלאך, *Maleac*, Hebræum, non ſolùm pro nuntio, ſed etiam pro cæleſti ſpiritu ſumitur. Senſus erit; plus quàm propheta eſt Ioannes, quoniam vt Malachias de eo ſcripſit, Angelus eſt non natura, ſed vitæ puritate ac ſanctimonia. *Ecce*, inquit, *ego mito Angelum meum.* Præterea quoniam præcurſor filij Dei eſt, viæque præparator. Id quod ſignificant verba ſequentia: *Qui præparabit viam tuam ante te.*

Ioanes proximus Chriſto tepore, & iuſtitia.

Baptiſta Angelus vitæ ſanctitate.

Fuiſſe autem Ioannem Angelum natura, non defuere qui dicerent, vt teſtatur diuus Cyrillus in Ioannem libro primo, capite ſeptimo: Iam, inquit, rumores fuerunt, nõ natura hominem, ſed de numero ſanctorum Angelorum Baptiſtam fuiſſe, hac humano corpore vſum prædicaſſe. Quod inde af- C firmabant, quia dictũ eſt: *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciam tuam.* Ignorãtes videlicet, nomen angeli miniſterium magis, quàm ſubſtantiam ſignificare. Angelus Baptiſta nuncupatus eſt, non quia natura Angelus, ſed quia ad annunciandum, clamandumque venit, præparandam eſſe Domini viam. Hæc Cyrillus. Hieronymus quoq; Ioannem Angelum dici putat, id eſt, nuncium. Prętereà Angelus dictus eſt propter Angelicam vitæ puritatem, vt Theophylacto placet. Angelus, inquit, vocatus eſt Ioannes, & propter Angelicam vitam, ac fermè materiæ expertem; & propter hoc, quòd nũtiauit Chriſtum, &c. & Euthymius; Ioannem Angelum ſuum Deus nominauit, ſiue quia ἄγγελος, dicitur nuncius, & Ioannes, quæ ſibi dicta erant de Chriſto, annunciauit populo. Siue quaſi Angelicam degentem vitam, eò quòd ſuper terrena eleuabatur, ac cæleſtia ſapiebat, &c. Apud Malachiam loquitur Filius Dei hunc in modum: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam tuã ante faciem meam.* Chriſtus Dominus Patri tribuit eandem miſsionẽ, dicens: *Hic eſt, de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam qui præparabit viam tuam ante te.* Etenim veriſsimũ eſt Ioannem à tribus perſonis ſanctiſsimę Trinitatis miſſum. Miſit illum filius ante faciem ſuam: miſit quoque Pater ante faciem Chriſti.

Nonnulli Ioannem naturã Angelũ fuiſſe putarunt falſo. Cyrill.

Baptiſta Angelus quomodo ſit. Hieron.

Malach. 3.

Ioannes à tribus perſonis S. Trinitatis miſſus.

NON *ſurrexit inter natos mulierum maior.* Pergit Dominus oſtendere Ioannem eſſe plusquã prophetã: quaſi dicat, plusquàm propheta Ioannes eſt, quia Angelus, præcurſor, viæ præparator: denique quia omnes prophetas ſuperat officio, & ſanctitate. Nam inter natos mulierum non ſurrexit maior illo; quo dicendi modo indicare videtur omnes prophetas ſanctitate viciſſe. Quo autem modo inter natos mulierum Ioannes maximus ſit, iam explicauimus 1. tomo li. 8. ca. 4. Nunc dicimus Chriſtum conferre Baptiſtam cũ prophetis, vt ex Luca conſtat. Sic enim apud Lucam ait: *Maior inter natos mulierum propheta Ioanne Baptiſta nemo eſt.* Vnde excipitur Virgo Deipara, excipiuntur quoq; Apoſtoli, & quicunq; prophetæ à populo nõ habebãtur. Obiicies;

Matth. 11.

Cur Ioannes ſit pluſquam propheta.

Luca 7.

Apud Matthæum Dominum cum prophetis non contuliſſe Baptiſtã,ſed abſolutè eſſe locutum. *Non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptiſta.* Reſpondetur, Chriſtũ verba repetiuiſſe: cumque dixiſſet priùs, vt Lucas ſcribit: *Maior inter natos mulierum propheta Ioanne Baptiſta nemo eſt*:addidit quod Matthæus literis mandauit,quaſi corrigens quod dixerat,abſolutè loquens:*Non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptiſta.* Vel potius dicimus, Chriſtũ id dixiſſe,quod Matthęus ſcribit,ſed cùm ſermo eſſet de prophetis, intellexiſſe nullum prophetã maiorem Ioanne ſurrexiſſe. hoc verò clariùs Spiritum ſanctum per Lucã explicuiſſe addito nomine prophetæ. Quod Iãſenius vult,probabile quoque eſt,& placet,Chriſtũ id dixiſſe, quod ſcripſit Lucas, Matthæum autẽ abſolutè locutũ, propterea quod nulli homines ante Ioannẽ prophetis maiores fuerint. Si ergo Ioannes prophetis fuit maior,omnes ſuperauit ex mulieribus natos ante ipſum. Videtur obſtare verba illa,*Non ſurrexit vltra propheta in Iſrael ſicut Moyſes,quem nouit Dominus facie ad faciem,in omnibus ſignis ac portentis*,&c. Moyſes anteponi videtur cũctis prophetis,etiam Ioanni. Hac de re iam egimus tom. 1. lib.8.cap.4. Conſule locum ne eadem repetamus.

Matth. 11. *Matth. 11.* *Luc. 7.* *Matth. 11.* *Deut. vlt.*

QVI *autẽ minor eſt in regno cælorũ,maior eſt illo.* Difficilis locus hic eſt. Neq; enim facile poteſt explicari,quis minor in regno cęlorũ dicatur,qui tamẽ maior Ioãne ſit. Paucis, quas reperi interpretationes percurrã;quę verò mihi magis placeat aperiã.

Matth. 11.

Quis in regno cælorum minor dicatur,qui tamen maior ſit Baptiſta. Cyrill.

Prima interpretatio eſt Diui Cyrilli l.2.theſaur. cap.4.Cùm,inquit, magna de Ioanne Dominus dixiſſet, & ſummum inter natos mulierũ eſſe ipſum affirmaſſet, quod ad extremum humanæ virtutis peruenisſet:maius bonũ poſtea ponit,melioremq; dicit,atq; maiorem eum qui iam regnum cælorum tetigerit,& filius Dei factus ſit,per Spiritũ ſanctum renatus, Regnum cælorum donum Spiritus ſancti eſſe modo diximus,ſecundum illud Chriſti, *Regnum cælorum intra vos eſt*,&c. Natos autẽ mulierum, inter quos maiorem Ioanne nõ ſurrexiſſe,ait Dominus, putat Cyrillus dici natos ex fœminis, qui donum Spiritus ſancti per baptiſmum non receperũt. Maior,ait,omnibus natis mulierum inuenitur,qui per Spiritum renatus eſt. illi enim filij carnis adhuc appellãtur:iſti filij Dei ſunt. Quare etſi inter natos mulierum ſecundùm humanam virtutẽ mirabilis Ioannes ſit: qui tamen ipſo minores videntur in regno cęlorum,hoc eſt,renati per ſpiritũ ſanctum, maiores ſunt. Quia non mulierũ nati, ſed Dei participes filij Dei ideò appellantur, etiam ſi minimi perfectioribus virtute, quaſi infantes videantur, quia modo renati. Quòd autem Ioannem,& omnes natos mulierum,regeneratio, quæ per Spiritũ ſanctum fit, magno interuallo excedit, non longè nobis quærendus eſt teſtis. Cùm ipſe Ioannes ad Ieſum dixerit,*opus eſſe ſibi ab eo baptizari*,&c. Ex his verbis colligitur hæc Cyrilli interpretatio: *Inter natos mulierum*,id eſt,inter carnis filios nõ baptizatos,neque per Spiritum ſanctum regeneratos, *non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta. Qui autem minor eſt in regno cælorum*, id eſt,qui per baptiſmum, & Spiritum ſanctum regeneratus eſt,maior eſt illo. Similem in modum ſcribit D. Iſidorus Peluſiora li.1.epiſt.68. *Qui minor*, ait,*eſt in regno cælorum,maior eſt Ioanne*;id eſt,qui in lege perfectus eſt, vt erat Ioannes, omnino inferior eo eſt, qui in Chriſti mortẽ baptizatus eſt. Hoc enim cælorum regnum eſt, nimirum cum Chriſto qui ſpoliandæ mortis cauſa deſcendit, & ſepultum eſſe, atque vnà cum ipſo victoriam aduerſus eam præbente, reſurrexiſſe. Quoniam igitur maior quidem omnibus qui ex mulieribus nati fuerant, erat Ioannes, caput autem ipſi ante donatum regnum cælorũ præciſum fuit, ipſe quidem, ſi legis iuſtitia ſpectetur, nihil habebat, quod reprehendi poſſet: at iis qui vitæ in Chriſto poſitæ ſpiritu perfecti fuerunt, inferior extitit, quòd ſcilicet priùs à vita diſceſſiſſet. Quiſquis igitur minor eſt in regno cælorũ,hoc eſt in Chriſtiana regeneratione maior eo eſt, qui in lege laudem iuſtitiæ conſecutus eſt. Quoniam lex nihil omnibus ſuis partibus perfecit. Sic Iſidorus Peluſiota. hãc interpretationẽ ſequitur Card. Toletus; ſequitur etiã Maldonatus his verbis: Minimus quiſq; in Euãgelio,id eſt, eorum, qui euangeliũ recipiunt,maior eſt illo,id eſt, Ioanne,&c. Si quæras,quomodo dici poſſit minimus eorum,qui Euangelium recipiũt,maior Ioanne:Non malè reſpõdetur,maiorem eſſe ratione ſtatus & legis nouæ, quæ filiorum eſt: vetus verò erat ſeruorum. Nam filius minor,maior eſt ſeruo maximo.

Matth. 3. *Matth. 3.* *Luc. 17.* *Matth. 3.* *Matth. 11.* *D. Iſidor. Peluſ.*

At verò hæc interpretatio non omnino placet, quia opinor Ioannem à Chriſto fuiſſe baptizatum, atque adeò ad teſtamentum potius nouum pertinere, vt docet D. Thomas 2.2.quæſt.174.artic.4.ad tertium. Dicendum,inquit,quòd Ioannes pertinet ad nouum teſtamentum, cuius miniſtri præferuntur etiam ipſi Moyſi, quaſi magis reuelatè ſpeculantes,2.Corinth.3. D.ipſe Cyrill.ab hac ſententia non videtur alienus, ait enim, eodem loco Ioannem Chriſto dixiſſe: *Ego à te debeo baptizari*; Chriſtũ verò baptiſmum in aliud tempus diſtuliſſe. Chriſtus, inquit, neceſſarium Ioanni baptiſinum, per diſpenſationem in aliud tempus differendum aſſeruit, nihil enim aliud illa verba Saluatoris ſignificant:*ſine modo*,&c. Hæc ille. Præterea iuxta hanc ſententiam hic ſenſus eſt;*Minimus eorum,qui Euangelium recipiunt,& baptizantur,maior eſt Ioanne*. Quaſi verò Ioannes Euangelium non receperit. Maximè quidem recepit,& dux recipiendi fuit: ergo nullus illum ea in re præcedet. Ad hęc:Chriſtus Ioannem laudare voluit: non autem deprimere; at ſi minimum Chriſtianum illi præpoſuit, valdè ſanè depreſſit. Minor enim in regno cælorum, id eſt, eccleſia,dicitur minimus Chriſtianus. Ait ergo Chriſtus minimum Chriſtianum,ratione legis & ſtatus, eſſe maiorem Ioanne, quem maximè volebat laudare. Et quis hoc credit? Quis ſibi perſuadeat ratione legis factam comparationem? Id verò eſſet, non homines inter ſe, ſed leges comparare. Chriſtus autem nõ de legibus, ſed de prophetia, & ſanctitate faciebat verba.

Ioannes baptizatus ad teſtamentũ nouum pertinuit. *Cyrill.* *Matth. 3.* *Matth. 3.*

Profectò ſatius eſt, non de minimo Chriſtiano, ſed de ſummo Rege Meſſia hæc verba intelligere, ita vt cum Chriſto Opt.Max.fiat cõparatio. Sic intellexere D. Hilarius, D. Chryſoſt. Auctor imperfecti, Theophylactus, Euthymius in Matthæum, Auguſtinus tractatu 13.in Ioannem,& libro ſecundo contra aduerſariũ legis & prophetarũ, capite quinto. Tertullianus libro quarto contra Marcionem capite 18. Rupertus in Matthæum, Caietanus, & Ianſenius. D. Hieronymus Matth. 11. Multi, inquit,de Saluatore hoc intelligi volunt, quod qui minor eſt tempore,maior ſit dignitate,&c. Erit ergo huiuſmodi ſenſus: Inter natos mulierũ maior propheta nõ ſurrexit Ioanne. At licet cæteris prophetis maior ſit,non eſt maior Meſſia. Rectè ſic cohærent omnia: credibiléq; eſt Dominũ miraculis, & hac etiam cõparatione voluiſſe oſtendere ſe eſſe Meſſiã. Etenim Ioãne,de quo *omnes in corde ſuo cogitauerant,ne fortè ipſe eſſet Meſſias*, Ioãne,inquã ſolus Meſſias maior propheta eſſe poterat. Quaſi ſic argumẽtetur. Meſſias ſolus omnibus prophetis præcelleret debet: ego præcello omnibus; ergo Meſſias ſum. Quòd verò præcellat omnibus,ſic probat: Ioannes cæteros omnes ſuperat; ego ſupero Ioannẽ; ergo omnes

Luc. 3. *Chriſtus ſolus maior Ioanne propheta eſſe poterat.*

omnes ſupero. Quemadmodum Ioannes ſibi Chriſtum præponebat; ita Chriſtus ſibi Ioannem poſtponit; non tamen apertis verbis, modeſtiæ cauſa. Ioannes ait, *Ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt, cuius ego non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti.* Chriſtus verò hoc in loco, *Qui minor eſt in regno cælorum*, videlicet prædicando, ſcilicet Meſſias, *maior eſt Ioanne.* Quod Ioannes dixit: *Qui poſt me venturus eſt*, ſcilicet ad prædicandum, dixit Chriſtus, *Qui minor eſt in regno cælorum*: minor, inquam, quia poſt Ioannem ad prædicandum regnum cælorum venit. Aliter Chryſoſtomus: Minor, inquit, ætate, minor opinione multorum. Et Auguſtinus tractat. 13. in Ioannem; Minor, ait, natiuitate; maior poteſtate, & diuinitate, &c. Nã Chriſtus poſt Ioannem natus eſt. Aliter. Qui tempore minor eſt, nobilitate, hominúmq; exiſtimatione. Etenim Chriſtus fabri, Ioannes ſacerdotis filius exiſtimabatur. Item: Minor rigore abſtinentiæ, & vitæ aſperitate. Hæc namque Ioannem apud plebem extollebant. D. Bonauentura, Qui minor eſt, id eſt, Chriſtus humilior in Eccleſia.

Ioan. 1.

Matth. 11.

Quomodo Chriſtus minor dicatur Ioanne?

Illa verba, *in regno cælorum*, connectit Chryſoſtomus cum ſequentibus, non cum antecedentibus, vt hactenus coniunximus, hoc pacto. Qui minor eſt ætate, hic maior eſt in regno cælorum, id eſt, vt Chryſoſtomus exponit, in ſpiritalibus omnibus, cæleſtibúſque bonis. Euthymius; Qui minor videtur, maior eſt in regno cælorum, id eſt, imperando cælis. D. etiam Hilarius & Diuus Auguſtinus lib. 2. contra aduerſarium legis, cap. 5. eandem ſequuntur connexionem. Sic exponit Auguſtinus: Qui minor eſt Ioanne, naſcendi tempore in regno cælorum, id eſt, Eccleſia, maior eſt eodem Ioanne. Nam Chriſtus in Eccleſiæ regno maximus eſt, eius Rex, ac Pontifex ſummus, verúſque Deus. Ioannes illius ſeruus. Sed ſuauis literæ explanatio poſtulat, vt illa verba, *in regno cælorum*, cũ antecedentibus potius copulemus, eritq; ſenſus huiuſmodi: Qui minor eſt in regno cælorum, id eſt, in regno Eccleſię, minor, inquam ætate, & minor, quia poſt Ioannem concionari cœpit, maior eſt illo.

Chriſtus in Eccleſiæ regno maximus eſt.

Eſt & alius ſenſus valde probabilis, & cum antecedentibus, ac conſequentibus egregiè cohærens. Ioannem contulit Dominus cum iis, qui in terra vixerant prophetis, *Inter natos*, inquit, *mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta.* Nunc confert illũ cum Angelis, qui erant in cælo. Vt intelligeremus magnum inter beatos, ac viatores eſſe diſcrimen. Prętereà, vt viam muniret ad loquendum de vi adhibenda regno cęlorum. Itaque ſenſus eſt; Inter eos, qui in terris vixerunt prophetas, nullus Ioanni præcellit. At qui minor eſt in regno cælorum Angelus Deum cernens, maior eſt illo. Superat enim Dei cognitio, beatificáque ſcientia, omnem propheticam cognitionem. Amor quoq; patriæ, amorem viæ, obiecto præſente vincit. Hũc ſenſum approbat diuus Auguſtinus libro 2. contra aduerſarium legis, & prophetarum ca. 5. Quia in regno cęlorum, inquit, ſunt Angeli, quilibet in eis minor, maior eſt vtique quolibet Sancto, & iuſto portante corpus, quod corrumpitur, & aggrauat animã, &c. Beda etiam de aliis beatis interpretatur, Matth. 11. Accepit ex Diuo Hieronymo, cuius hæc eſt interpretatio Matth. 11. Nos, inquit, ſimpliciter intelligamus; quòd omnis Sanctus, qui iam cum Deo eſt, maior ſit illo, qui adhuc conſiſtit in prælio. Aliud eſt enim coronã victoris poſſidere, aliud adhuc in acie pugnare, &c. Adiungit deinde commẽtarium de Angelis. Quidam, ait, nouiſſimum Angelum in cælis meliorem volunt accipere quolibet primo homine, qui verſetur in terris. Hæc Hier. Obſerua tamen eo tempore, quo hæc à Chriſto dicta ſunt, nondũ fuiſſe homines donatos cælo. Sed par ratio eſt in hominibus beatis & Angelis. Ambroſius Lucę 7. Ioannes, inquit, infra Angelos æſtimatur: quia Chriſtus eum inter natos mulierum declarauerat potiorem, ideo addidit: tamen qui minor eſt in regno cælorũ, maior eſt illo, vt Angelis ſcires eſſe cedendum, &c. Eundem in modum exponit Diuus Bonauentura, Lucæ 7. & D. Thomas 1. parte quæſt. 117. artic. 2. & Matthæi 11. Habet, inquit, hãc dignitatem Ioannes, quod eſt in quodã confinio. Quia maior viatoribus; ſed minor cõprehenſoribus, &c.

Alius ſenſus probabilis.

Angeli omnes ſuperant quoſuis viatores.

Auguſt.

Beda.

Hieron.

Obiicies, Ioannes tunc maiori gloria dignus erat, quàm minimus Angelus; erat enim dignus Seraphinorum choro. Ergo non erat illo maior, Angelus minor in cælo. Reſpondet D. Thomas artic. citato ad tertium, hunc in modum. Dicendum, quòd aliqui homines etiam in ſtatu viæ ſunt maiores aliquibus Angelis, non quidem actu, ſed virtute; in quantùm ſcilicet habent caritatẽ tantæ virtutis, vt poſſint mereri maiorẽ beatitudinis gradum, quàm quidam Angeli habeant. Sicut ſi dicamus ſemen alicuius arboris eſſe maius virtute, quàm aliquam paruam arborem, cùm tamen multò minus ſit in actu, &c. Erat igitur Ioannes Angelo minimo maior, non actu, ſed virtute.

Quomodo Ioannes minor ſit diuus minimo Angelo.

Eſt præterea interpretatio huiuſmodi; *Inter natos mulierum non ſurrexit propheta maior Ioanne Baptiſta:* Maior inquam prophetandi dignitate & explicandi myſteria: non ſanctitate ac meritis. Aſſerit enim hæc opinio Chriſtum non comparaſſe Ioannem cũ prophetis in ſanctitate, & meritis, ſed in dignitate tantum prophetæ, donoque prophetiæ. Sequitur: *Qui autem minor eſt in regno cælorum, maior eſt illo*; hoc eſt minor ex apoſtolis & diſcipulis meis, maior eſt Ioanne, non quidem ſanctitate, ſed dono cognoſcendi, & explicãdi myſteria. Multò namque plura myſteria explicarunt, & cognouerunt Apoſtoli Chriſtique diſcipuli, quàm Ioannes. At verò Chriſtum cõferre Ioannem cum prophetis dono prophetiæ tantùm, non autem ſanctitate, inficiamur, putamuſque veriſimilius Dominum tàm ſanctitate, quàm prophetiæ munere, Ioannem cum illis contuliſſe. Simpliciter enim, atque abſolutè ait, *Maior inter natos mulierum propheta Ioanne Baptiſta nemo eſt.* Cur ad ſolum prophetãdi munus abſoluta verba reſtringemus? Quis ex Patribus ſic reſtrinxit? Maior (ait D. Cyrillus lib. 2. theſauri cap. 4.) dicitur Ioannes inter natos mulierũ virtutis ſublimitate, qua ad eos peruenit terminos, quò natura humana peruenire poteſt, &c. Iam verò etſi id concedamus: verba ſequentia malè de diſcipulis Chriſti exponuntur: *Qui minor eſt in regno cælorum, maior eſt Ioanne.* Nam tunc temporis, falſum erat dicere: minor diſcipulus Chriſti, aut apoſtolus, maior eſt Ioãne dono prophetãdi, & myſteria cognoſcẽdi. Non enim Dominus de futuro, ſed præſenti loquitur.

Alia interpretatio.

An Chriſtus contulerit Ioannem cum prophetis tantummodo in munere prophetãdi.

Matth. 11.

Luca 7.

Matth. 11.

REGNVM *cælorum vim patitur.* Dixerat Dominus: *Qui minor eſt in regno cælorum Angelus, maior eſt Ioanne.* Nunc de ipſo regno cælorum agit, quod Ioannes prædicare cœpit, dicens: *Pœnitentiam agite: Appropinquauit enim regnum cælorum*: hoc pacto. Qui minor eſt in regno cælorum Angelus, & qui minor erit homo, maior eſt Ioanne in terris exiſtente. hoc autem regnum cælorum, in quc tanta dignitate Angeli excellunt, excellentque etiam homines, à diebus Ioannis vim patitur, viąque comparari debet magna. Vel aliter; dixerat ſe Meſſiam maiorem eſſe Ioanne. Iam oſtendit Meſſiam aduenisse, regnúmque cælorum propterea prædicari, & vim pati. aliter: Baptiſtam laudat ab officio præcurſoris bene geſto. Iudæos enim ita permouit, vt regno

Matth. 3.

Quid ſit cælorum regnum vim pati.

Matth. 11. cælorum vim inferrent. *A diebus*, inquit, *Ioannis Baptiſtæ vſque nunc, regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Diuus Hilarius interpretatur de gentibus: Vim, inquit, regnum cęlorum patitur, inferentéſque diripiunt illud, quia gloria Iſraël Patribus debita, à Prophetis nuntiata, à Chriſto oblata, fide gentium occupatur, & rapitur, &c. & Ambroſius Luc. 7. Rapuit, inquit, Eccleſia à Synagoga regnum. Rapitur regnum cælorum, cùm Chriſtus à domeſticis, id eſt, Iudæis denegatur, à gentibus adoratur. Rapitur, cũ ab illis repudiatur, à nobis colitur, &c. & ſer. 15. de Natali Domini; Raptores nonniſi aliena diripiunt. Chriſtũ Eccleſia rapuit Synagogæ, & alienę gentis regũ vim faciendo poſſedit. Nam Saluator dum à Iudæis negligitur, à gentibus occupatur. Sic ille. Hanc interpretationem probat noſter Maldonatus, propterea; dici exiſtimat regnũ cælorum vim pati, & à violentis rapi, quia non intra vnũ Iudæorũ populũ concluſum eſt, ſed omnibus gẽtibus apertũ. At Dominus nõ loquitur hoc loco de gẽtibus, ſed de Iudæis; ergo non eſt ſequẽda interpretatio. Verba Domini expẽdamus. *A diebus*, inquit, *Ioãnis Baptiſtæ vſq; nunc regnũ cælorũ vim patitur*, &c.

Hilar. *Gentes Iudæis regnũ rapuerunt. Ambr.* *Loquitur Dominus de vi illata regno à Iudæis.* *Matth. 11.*

Loquitur de tẽpore quod interfluxit inter principium prædicationis Baptiſtæ, & legationẽ, quam ad Chriſtum miſit. Hoc autem temporis ſpatio, neque regno cælorum vim gentes intulerunt, neque illud Iudæis rapuerunt vt compertum eſt. Ergo non eſt probanda explanatio.

Diuus Gregorius homil. 20. in Euangelia, ita interpretatur. *A diebus*, inquit, *Ioannis Baptiſtæ patitur regnum cælorum vim*: per pœnitentiam quam Ioannes prædicauit. Item rapitur, quia peccator agens pœnitentiam alienum locum, id eſt, cælum occupat. A diebus (ait Greg.) Baptiſtæ regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud; quia qui pœnitentiam peccatoribus indixit, quid aliud, quam regno cælorum fieri violentiam docuit? Item: Quid eſt regnum cælorum niſi locus iuſtorum? ſolis enim iuſtis cæleſtis patriæ præmia debentur, vt humiles, caſti, mites atque miſericordes ad gaudia ſuperna perueniant. Cùm verò quis vel ſuperbia tumidus, vel carnis facinore pollutus, vel iracundia accenſus, crudelitate impius, poſt culpas ad pœnitẽtiam redit, & vitam æternam percipit, quaſi in locum peccator intrat alienum, &c. Ait Gregor. peccatorem pœnitentiam agentẽ rapere cælum; quoniam cælum locus eſt alienus, id eſt, iuſtorum, non peccatorũ. Attamen peccatores per pœnitentiam iuſti fiunt, atque adeò non rapiunt alienum locum.

Pœnitentia rapit regnũ & vim illi infert. *Gregor.*

Cyrill. D. Cyrill. lib. 2. Theſ. cap. 4. regnum cælorum putat appellari donum Spiritus ſancti, & regenerationem per baptiſmum Chriſti, quam multi recipiebant tempore Ioannis. Quod, inquit, cælorum regnum donũ Spiritus, & regenerationem fidelium appellet Dominus, ex ipſis verbis ſciamus; *A diebus Ioannis vſque nunc regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Nã cùm Ioãnes prædicaret; *Parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius*; multi magna vi, magnoq; ſtudio à vitiis ad virtutẽ vertebantur. Sed & filij Dei per S. Sancti gratiã fiebant, per baptiſmum regenerati, &c. Item; A tempore Ioannis donum Spiritus ſancti, & regeneratio per baptiſmum fide rapitur, &c. Per baptiſmum intellige Chriſti.

Per baptiſmum regnũ cælorũ vim patitur. *Luc. 3.*

Chryſoſtomus de fide interpretatur: Multi, inquit, quotidie fidem rapiunt. Sic enim iam manifeſta, atque illuſtris eſt, vt ad ipſam multi curſu contendant. Illam rapuerunt, qui magno ſtudio properantes Chriſto adhæſerunt, &c.

Chryſoſt. Græcè ſic habetur. ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν, βιάζεται, καὶ βιασταὶ ἁρπάζουσιν αὐτήν. Verbum græcum, βιάζω, ſignificat vim inferre, βιαστὴς, eum qui vim infert. Eſt ergo ſenſus, Regno cælorum infertur vis, vel vt ita dicam, regnum cælorũ violentatur, & violẽti illud rapiunt, id eſt, qui vim illi inferunt, rapiunt illud per vim illatam. Metaphoricè loquitur Dominus, quaſi de arce, vel regno terreſtri, cui vis à multis infertur, quódque per vim oppugnatur, & rapitur. quaſi dicat. Olim Iſraëlitę terræ promiſſionis intulerunt vim, & per vim illam rapuerunt. A diebus verò Ioannis Baptiſtæ, qui cœpit cælorum regnũ prædicare: promiſſo cælorum regno vim inferunt, & per vim illud conſequuntur. Dicuntur autem vim intuliſſe Iudæi, & oppugnaſſe, atque rapuiſſe regnum cęlorum, quia multi per pœnitentiam illud oppugnarunt, & promeriti ſunt. Præterea, quia multi à Ioanne præparati ad Chriſtum venerunt, eiúſque baptiſmum ſuſceperunt; iuxta illud Zachariæ: *Præibis ante faciem Domini parare vias eius:* & illud Angeli: *Ipſe præibit ante illum, vt conuertat corda patrũ in filios, & incredulos ad prudentiã iuſtorum, parare Domino plebem perfectam*, &c. *Omnis populus audiens, & publicani iuſticauerunt Deum, baptizati baptiſmo Ioannis*, &c. Hæc verò vis, & oppugnatio à diebus Ioannis cœpta ad id vſque tẽpus quo hæc dicebat Dominus perſeuerabat. Ideò ait: *A diebus Ioannis Baptiſtæ vſque nunc regnum cælorum vim patitur.* Rogabis; Nunquid ante tempus Baptiſtæ Iudæi non inferebant vim cæleſti regno? Nunquid nõ agebãt multi pœnitentiam, regnumque cælorũ per Chriſti merita promerebantur? Reſpondeo non intuliſſe vim Iudæos ante Ioannis tempora regno cælorum, tanto feruore, atque impetu, & tanta vi; neque illud tam aperte cognouiſſe. Obiicies; Iudęos nõ rapuiſſe tunc cælorũ regnum, cùm Chriſtus hæc loquebatur: non ergo rectè illud explicari: *Et violenti rapiunt illud.* Rapiunt, præſentis eſt temporis: regnum verò tunc clauſum erat. Reſpondeo, dixiſſe Dominum, *Rapiunt*, quia tunc regnum promerebantur. Quemadmodum ſi proponatur præmium donandum poſt annũ, qui illud hodie promeritus fuerit, iam rapuiſſe recte dicetur. Obſerua autem colligi ex hoc loco multos Iudæos à Ioãne, & Chriſto permotos, magno animi ardore egiſſe pœnitentiam, & ad cæleſtia bona comparãda, magna vi incubuiſſe.

Quomodo Iudæi vim regno cælorum intulerunt à diebus Baptiſtæ. *Luc. 1.* *Luc. 7.* *Matth. 11.* *A tempore Ioannis Baptiſtæ ad pœnitentiã Iudæi feruentius acceſſerunt.*

Aliter locus ſic explicari poteſt. *A diebus Ioannis Baptiſtæ vſque nunc, regnum cælorum vim patitur: & violenti rapiunt illud*, &c. Hoc eſt, à diebus Ioannis, qui regnum cælorum appropinquare docuit, vſque ad hoc tempus, quo ego de eodẽ regno ago regnum cælorum iam prædicatum patitur vim, id eſt, non ſine vi comparari poteſt. Et violenti, qui illi vim inferunt rapiunt illud. Hoc ſenſu nõ ait Dominus multos Iudęos vim regno intuliſſe, ſed quid fieri debeat docet. Similiter: *Regnum* (inquit) *Dei euangelizatur. Et omnis in illud vim facit*, &c. Id eſt, omnis qui in illud ingredi vult, vim faciat neceſſe eſt. Additur autẽ: *A diebus Ioannis*, quoniã ipſe regnũ cælorũ primus prædicauit, *Appropinquauit*, inquit, *regnũ cælorum.*

Matth. 11. *Luc. 16.*

LEX *& Prophetæ, vſque ad Ioannem.* Lex vetus prophetica fuit: in Meſſiam tendebat, & de Meſſia prophetabat. Dicũtur verò lex & prophetę antiqui prophetaſſe vſq; ad Ioannem, id eſt, vſque ad tempora Ioannis, de Meſſia: quoniã Meſſias legis, prophetiæq; finis tũc aduenit: deinceps: verò regnum cælorũ, & regnũ Meſſiæ prædicari cœpit: quod nec lex, nec prophetæ apertè prædicauerunt, Sic Dominus, *Lex*, inquit, *& prophetæ vſque ad Ioannem: Ex eo regnum Dei euangelizatur: Et omnis in illud vim facit.* Eſt ergo ſenſus omiſsis aliis: Regno cælorum infertur vis à diebus Ioannis, quoniam vſque ad Ioannis tempus lex & prophetæ prophetarunt de Meſsia, qui Ioanne prædicante venit: nec apertè regnum cælorum prædicarunt, ideò illi vis illata non eſt.

Matth. 11. *Lex & prophetæ ad Chriſtum tendebant.* *Luc. 16.*

Ioannes

Ioannes primus regnum cælorum apertè prædicauit, Messiamque ostendit, quamobrem à diebus eius regnum Messiæ, & regnum cælorum euangelizatur, & vim patitur.

Tempus, quod, clauso cælorum regno, Ioannem præcessit, legis fuit, & prophetię de Messia: at à diebus Ioannis prædicantis, tempus fuit Messiæ iam præsentis, & regni cælorum iam appropinquantis. Successit enim prophetiæ res prophetata. Nō ergo significat Dominus legem à Ioanne esse abrogatam, vt imperitè nouatores quidā interpretantur: post Ioannem enim abrogata est. *Lex & prophetæ*, ait Dominus, *vsque ad Ioannem prophetauerunt.* Non autem ait; vsque ad Ioannem durauerunt. Longè aliud est prophetare, quàm durare, vt ex dictis est exploratum. Probat autem Dominus hoc loco Messiam iam venisse, hoc modo. Lex & prophetæ vsque ad Ioannem prophetauerunt: quia Ioannis tempore Messias prophetatus venturus erat, ergo Messias iam venit. Siquidem Ioannis tempus adest. Tempus legis prophetantis de Messia, & prophetarum, vsque ad Ioannem fuit. à Ioanne iam tempus est Messiæ prophetati, qui adest, & vobiscū loquitur.

Lex à Ioāne abrogata nō est. Matth. 11.

Matth. 11. Messiam iam venisse Christus indicat.

IPSE *est Elias.* Indicat Dominus Messiam iam adesse, legis ac prophetarum finem, quoniam iam Elias, id est, præcursor eius Ioannes aderat. Expectabant enim Iudæi Eliam venturum ante Messiæ aduentum, ex Malachiæ 4. Adueniet quidem Elias persona ante aduentum secundum; sed Elias spiritu, id est Ioannes ante aduentum primum venit, id significat hoc loco Dominus. Quia verò Ioannes non persona, sed spiritu Elias erat, vt angelus ait Lucæ 1. Idcirco. *Si vultis*, inquit, *recipere, ipse est Elias, qui venturus est.* Elias inquam non persona, sed spiritu. Præterea quia de aduentu Messiæ agebat re maximè necessaria, ideo adiicit. *Qui habet aures audiendi*, id est, ad audiendum, *audiat*, & intelligat. præterea quia mystice de Elia loquebatur.

Ioānes Elias spiritu. Matth. 11.

Ibid.

Luca 7. OMNIS *populus audiens, & publ.* &c. Hoc depromptum est ex Luca. In nonnullis autē codicibus ante illud: *Cui ergo similes dicā homines generationis huius*, &c. sic legitur; *Ait autem Dominus:* quòd ostendit hæc verba Euangelistæ esse tribuenda, non Christo. Sic legit Card. Toletus: ideoque putat hæc verba esse Euangelistę. Attamen emendata editio illud, *ait autem Dominus*, expunxit, veluti nothum, vnde efficitur sermonem à Domino continuari, quidquid Iansenius velit, qui verba expuncta vult subintelligenda. Sermo est Christi continuatus, vt ipsa indicabit explanatio. De Ioāne egit Dominus hactenus, nūc de Iudęis agit ad quos missus est, populum laudat, Pharisæos & legis peritos accusat. *Omnis*, inquit, *populus, & publicani*, baptismum Ioannis, & pœnitentiam percipientes, iustificauerunt Deum, hoc est, iustum, sanctumque esse baptismo & pœnitentia ostenderunt, verbisque prædicarūt, quòd Ioannem virum sanctissimum ad pœnitentiam docendam, baptizandumque misisset. Pharisæi verò, & legis periti, νομικοὶ, id est, legistæ, à lege, cui studebant, consilium Dei spreuerunt quo Ioannes missus est ad baptizandum. Noluerunt enim baptizari. Spreuerunt autem consilium Dei in semetipsos, hoc est, contra semetipsos, in suam perniciem; vel in semetipsos; pro in semetipsis, apud semetipsos, intra se, nō aperte. Hic ostēdit Dominus populum & publicanos vim intulisse regno cælorum, & regnum cælorum vim passum.

Populus baptizatus à Ioanne & publicani.

Pharisæi Dei consiliū spreuerunt, noluerunt à Ioanne baptizari.

Matth. 11. Parabola sumpta à puerorum ludo quam vim habeat Matth. 11. Luce 7.

CVI *similem æstimabo generationem istam*, &c. Quales fuerint Pharisæi, de quibus suprà est locutus, & alij similes, erga Ioannem, & Christum, ostendit parabola à puerorum sumpta ludo. In foro ludentes pueri coæqualibus suis, Græcè, ἑταίροις, id est, sociis, & coætaneis sic clamare solebant; *Cecinimus vobis*, Græce, ηὐλήσαμεν, id est, *tibijs cantauimus*, vt est apud Lucam. At nostro cantu non estis ad saltandum excitati, *Lamentauimus vobis*, Græce, ἐθρηνήσαμεν (vnde Ieremiæ threni i. *lamentationes*) lamentatione verò nostra ad plangendum non estis adducti. Similem in modum, Baptista sua illa aspera, atque horrida vita, neque manducans, neque bibens, & pœnitentiam prædicans lamentatus est: attamen Pharisæi, & similes alij ad lamentandum, pœnitentiāmque agendam non sunt permoti. Christus placida quadam, & communi vita manducans, & bibens, veluti ceciniisse visus est; sed nec tam suaui vitæ miraculorumq; concentu ad imitandum sunt illecti; imò tàm Ioannis, quam Christi viuendi rationem calumniati sunt. de Ioanne, *dæmonium habet*: de Christo dixere; *Ecce homo vorax & potator vini, publicanorum, & peccatorum amicus.* Idem fecerunt Christus, & Ioannes (ait Chrysostomus) quod venatores solent facere: qui quando fugacissima, captúque difficilia insectantur animalia; non vna via, sed diuersis aggrediuntur, vt si alterum effugerit, in alterum incidant, &c. Addit Euthymius; Iudæi tamquam fera captu difficilis, vtrumque fugientes, Ioannem scilicet, & Christum, vtrique detrahebant, &c. Obiicies Christum paulò suprà dixisse, omnē populū, & publicanos baptizatos baptismo Ioannis iustificasse Deū: ergo populus nō fuit fera captu difficilis. Verū quidem est: non de populo & publicanis, qui baptismum Ioannis susceperē loquitur Dominus, sed de Pharisæis, qui consilium Dei spreuere legisque petiris.

Matth. 11. & Luc. 7.

IVSTIFICATA *est sapientia à filiis suis.* Lucas addidit omnibus: *Iustificata est sapientia ab omnibus filiis suis.* Dixerat Dominus; omnis populus audiens, & publicani iustificauerunt Deū, baptizati baptismo Ioannis; Pharisęi autem spreuerunt cōsilium Dei. Deinde Pharisæos cum pueris comparauit ludentibus, qui coæqualium suorum, nec lamentatione, nec cantu permouebantur. Addit: *Et iustificata est sapientia ab omnibus filiis suis*: quasi dicat, Pharisæi & legis periti tam de me, quam de Ioanne detraxerunt, Deique consilium spreuerunt: at sapientiæ filij, id est, qui meam Ioannisque receperunt sapientiam & doctrinam: sapientiam Dei, consilium, & prouidentiam erga populum suum singularem iustificauerunt, ac prædicarunt.

Matth. 11. Quomodo iust. ificata sit sapientia Dei à filiis.

Luca 7.

Secundus sensus potior: Sapientia Dei quæ in gubernando orbe hominúmque æterna salute procuranda cernitur, iustificata est ab hominibus filiis suis, hoc est, à Iudæis. Quos enim filios regni supra dixit Matth. 7. cùm Centurionis puerum sanitate donauit, hoc loco filios sapientiæ Dei appellat, à quo peculiari gubernabātur modo. Iustificata autem dicitur à Iudæis sapientia Dei, id est iusta declarata, quia nihil prætermisit ad salutē necessariū, iuxta illud, *Quid debui facere, & non feci?* Chrysost. *Et iustificata*, inquit, *est sapientia à filiis suis*: id est, nulla vos potui via āttrahere. Quare iure me iā incusare numquam poteritis. Deus enim quamuis sciat vos nihil boni facturos, cura tamen & prouidētia summa erga vos vtitur. ita vt etiā iis, qui impudētissimi sunt, nec vmbrā quidem dubiæ, atq; ingratę excusationis relinquat, &c. Addamus & alios sensus.

Isaiæ 5. Matth. 11.

Diui Hieronimi hic est, *Iustificata est sapientia*: id est, Dei dispensatio, & doctrina: vel, *iustificata est sapientia, id est*, Christus, qui Dei sapientia est, iustè, fecisse comprobatus est, à filiis suis, id est, ab Apostolis. Euthymij, *Iustificata est sapientia Dei*, irreprehensibilis, & iusta habita & prædicata est à *filiis suis*, id est, ab hominibus sapientibus, ac piis: hi enim sunt sapiētes filij. Caietani: Sapiētia Dei disponens

omnia suauiter, iusta apud Iudæos facta est, & offensa à filiis suis, id est, à puerulis ex quibus sumpta est parabola. De puerulis interpretatur etiam Abulensis. Iansenij, *Iustificata est sapientia Dei*, id est, absoluta est ab impiorum cõdemnatione & reprehensione: *à filiis suis*, id est, à Christo & Ioanne filiis sapientiæ. Sed hũc sensum euertit illud, *omnibus* quod
Luc. 7. apud Lucam additur: *Iustificata est ab omnibus filiis suis.* Respondet Iansenius, addendos Christo & Ioanni Prophetas, & doctores alios in hanc sententiam, *iustificata est sapiẽtia ab omnibus filiis suis*, id est, à Christo, à Ioãne, ab aliisq; Prophetis & Doctoribus populi.

Denique quemadmodum dicitur publicanus
Luc. 18. iustificatus à Pharisæo. *Dico vobis, descendit hic*, id est, publicanus, *in domum suam, iustificatus ab illo*, id est, præ
Luca 7. illo Pharisæo. Sic hoc loco; *Iustificata est sapientia Dei ab omnibus filiis suis*, id est, præ omnibus filiis suis; iusta apparuit magis, quàm omnes filij eius Iudæi. quoniam illa Iudæos multis miraculis, verbisque, & vitæ sanctitate vocauit: illi consilium Dei spreuere.
Matth. 11. *Ibid.* Væ *tibi Corozain.* Hæc verba, illa quoque: *Confiteor tibi pater*, &c. iterum à Christo prolata sunt Lucæ 10. quo capite discipuli septuaginta ad prædicandum mittuntur: eo loco fauente Deo illa exponemus. Nunc ad mores digrediamur.

CAPVT X.

Morale.

De nuntio Baptistæ ex carcere.

Matth. 11. Cvm *audisset in vinculis.* Ioannem, quem Angelus Lucæ 1. magnum coram Domino futurum prædixerat, vinculis videmus in carcere constrictum: Herodem verò impium sublimi in throno collocatum. *Datur honor cornu* (vt cum poëta dicam) *vexat censura columbam*: innocens cruciatur; nocens deliciatur. Ne miremur. Sic cum Ioanne agitur,
Magni coram Domino in laboribus & cruciatibus magni sunt. Chrysost. quia *Magnus est coram Domino.* Qui enim magnus est, magna tolerat; potentes virtute, potenter propter Deum tormenta patiuntur. Magna patientia viros magnos facit, virtutis magnę magni labores comites sunt. Diuus Chrysostomus hom. 8. in Matth. Viriliter, inquit, cuncta sustineas, sciens tribulationes maximas inseparabiles quasdam comites esse virtutum, &c. Dulcibus in fluuiis ingentes ceti, magnive alij pisces non reperiuntur; amaro in mari procreantur. Eumdem in modum dulci in vita, magni coram Domino viri minimè visuntur; amaris in vinculis cruciatibúsque inueniuntur. Hìc Ioannes inuenies, hìc Petros, hìc Paulos, hìc Iacobos, hìc ceteros Dei Magnates. Magnæ naues per profundum pelagus: magni coram Domino viri per profundas tribulationes in cælum nauigant. Nobiles suos crucibus, ex auro sericóque fabrefa-
Deus prælia committit iuxta virili & sanctitatis mensurã. ctis ornant Reges: Deus Primates suos crucibus ex labore, cruciatúque fabricatis, eximie decorat. Quemadmodum Reges magnis ducibus periculosa prælia: sic Deus magnis ducibus suis difficillima committit cum hoste certamina. Etenim iuxta virium sanctitatisque magnitudinem prælia com-
Orig. mittit Dominus: vnde Origenes libro 3. de Principiis, capite 2. Sicut, inquit, qui agonibus præsunt, eos qui ad certamen veniunt non vtcunque, neque fortuito, inter se sinunt inire certamina: sed diligenti examinatione, pro vt viderint corpora, vel ætates, æquissima comparatione iungentes illum cum illo, verbi causa, pueros cum pueris, viros cum viris, qui sibi vel æui, vel roboris propinquitate conueniant. Ita intelligendum est etiam de diuina prouidentia, quòd omnes qui in hos humanæ vitæ descenderint agones, iustissima moderatione dispenset, secundum rationem vniuscuiusque virtutis, quam ipse agnoscit, &c. Sicut sublimi conspicuóque ædificij in loco statuendi lapides pluribus quàm alij percussionibus dolantur: sic sublimiori in throno cæli collocandi homines, pluribus quàm ceteri cruciatibus expoliuntur.

Cherubinos illos, qui in Sanctis sanctorum, potissima templi parte, collocati erant: iussit Deus ex auro malleatoris opere fabricari. Sic enim ad Mosem loquitur: *Duos Cherubim aureos & productiles facies*, &c. Productiles erant, hoc est, ex auro ductili, & mallei opera extenuato fabricati. Sic Cherubini fabricãtur, hoc est, homines in Sanctis sanctorum, hoc est, in potissima cæli parte statuendi, malleis percutiuntur: dùmque percutiuntur, virtute meritisque extenduntur. *Exodi 25. Cherubini quid significarent.*

Parui pueri est cruciatus fugere: magni viri propter Deum patiẽter ferre. Quod indicat veneranda illa Paula, cuius laudes à D. Hieronymo in Epitaphio sunt celebratæ: In tribulationibus (ait Hieronymus) & angustiis replicabat eloquia: *Qui ablactati estis à lacte, qui abstracti ab vbere, tribulationem super tribulationem expectate, spem super spem.* Et Scripturæ testimonium in consolationem suam edisserebat, ablactatorum esse, eorum scilicet, qui ad virilem ætatem peruenissent, tribulationem super tribulationem sustinere, vt spem super spem mereantur accipere. *Scientes, quoniam tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem, probatio autem spem*, &c. Sic Paula. Sequitur autem versionem Sept. Interpret. *Isaiæ 28. Patientia probationẽ parit & spẽ.* *Rom. 3.*

Ecce igitur cur Ioannes in vinculis sit. nimirum, quia magnus erat coram Domino. Aureis torquibus milites suos exornent Reges: Deus duces suos ferreis catenis illustrissimos facit. Vis videre quàm illustres fuerint catenæ Ioãnis & Pauli? lege Chrysostomum ad Ephesios 4. homilia 8. ad illa verba Pauli: *Ego vinctus in Domino*: quæ eadem Ioanni tribui possunt. Quemadmodum enim Paulus, sic & Ioannes dicere potuit: *Ego vinctus in Domino.* Qui titulus quàm sit præclarus docet Chrysostomus his verbis: Nihil est æquè præclarum, atque vincula propter Christum, & catenæ sanctis illis manibus impositæ. Vinctum esse propter Christum, est præclarius, quàm esse Apostolum, quàm esse Doctorem, vel Euangelistam. Non tam splendidum facit caput vitta ex gemmis cõpositã, ei impositã, quàm catena ferrea propter Christum. Me pudet conferre diuitias, & mundum aureum cum vinculis. Si quis me faceret vnum ex potestatibus, quæ sunt circa cælos, aut circa thronos: aut talem vinctum: potiùs optarẽ talis esse vinctus. Nihil est melius, quàm malè pati propter Christum. Mihi optabilius est, & magis eligendum malè pati pro Christo, quàm honorari à Christo. Hoc magnus est honor, hoc est gloria, quæ omnia exuperat. O beata vincula, ô beatas manus, quas illa ornauit catena. Hæc Chrysostomus & alia: ex quibus intelliges Ioannis Magni coram Domino vincula, nihil de magnitudine detraxisse: quin potius plurimum decoris gloriæque adiunxisse. *Ephes. 4. Vincula Baptistæ gloriosa. Chrysost.* *Gloriosum est pro Christo pati.*

Dixi suprà: Videmus Ioannem in carcere vinculis obstrictum: Herodem sublimi in throno collocatum. Corrigo dictum: Videmus, aio, Ioannem gemmato rutilantem torque: Herodem verò plus quàm ferreis catenis vinctum. Nónne plus quàm ferreæ sunt improbæ voluntatis catenæ, quibus Herodes obstringebatur? Suspirabam (ait August. lib. 8. Confess. cap. 5.) ligatus non ferro aliquo, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me, &c. Eumdem in modum ligatus erat Herodes, non *Herodis catena.*

non ferro aliquo, quod sub oculorum aspectum caderet: sed peccati vinculis, quæ mentis cernuntur oculis. Velle illius tartareus tenebat hostis; catenam ex impio amore fecerat impiæ Herodiadis: vt ille adolescens. *Sequebatur eam, quasi bos ductus ad victimam.* Bos apud Ethnicos ad victimam ducebatur olim saginatus, & vt Tertullianus ait in lib. de corona militis, cap. 10. coronatus; sic pinguis ille taurus Herodes saginatus & coronatus, ad victimam tartari miser ductus est.

Prou. 7. Herodes bos saginatus ductus ad victimam.

Matth. 11. Vox & verbū Dei non alligatur.

Mittens duos de discipulis suis, &c. Vox fuerat Ioannes clamantis in deserto; nunc vox est clamantis in carcere. Qui Dei vox est, vbique clamat, in deserto, in vrbe, in plateis, in palatiis Regum, in ædibus pauperum. Alligatur carcere corpus: non alligatur vox, non alligatur verbum, vt Paulus scribit: *In Euangelio*, inquit, *laboro vsque ad vincula: sed verbum Dei non est alligatum*, &c. Vinciuntur manus (ait Chrysostomus in hæc Pauli verba) sed manet lingua libera, quam nemo ligare possit, nisi formido sola atque infidelitas, &c. Erat corpus Ioannis in vinculis, sed non erat in vinculis vox Ioannis, ex carcere Christum discipulis indicauit, de quorum erat salute sollicitus. Hoc enim Sanctorum magistrorum, concionatorumque est proprium, salutem auditorum, etiam dum laboribus premuntur, curare. Quod docet Magnus Gregorius lib. 3. Moralium, cap. 12. his verbis: Habent hoc iusti proprium, vt in dolore positi tribulationis suæ curam non deserant vtilitatis alienæ. Et cùm de se aduersa patientes dolent: aliis necessaria docentes præuident: & quasi percussi quidam magni medici ægrotant. Ipsi tolerant scissuras vulneris: & aliis proferunt medicamenta sanitatis, &c.

2. Tim. 2.

Chrysost.

Cōcionatorum est & magistrorū, salutē auditorum curare. Greg. Mag.

Act. 20.

Ex vobis ipsis (ait Paulus cum Ephesiis loquens) *exurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se*, &c. Hi discipulos post se abducere volebant: at Ioannes discipulos suos ad Christum adducere cupiebat. Non enim sibi, sed Christo eos erudierat: quemadmodum nutrix non sibi, sed matri infantem nutrit. Quasi pædagogus (ait Auctor imperf.) alienos filios, quos ad tempus acceperat, vt erudiret: eruditos volebat Christo reddere, quasi proprio patri ipsorum, &c. Felix ille magister est, qui discipulos, felix ille pater, qui filios, felix ille dominus, qui famulos & seruos, ad Christum bonis instructos moribus mittit: nec sibi, sed Christo alit atque erudit. Sed mirum sane est Ioannis discipulos, Ioanni præceptori suo Christi dignitatem prædicanti fidem non habuisse. Philautia causa fuit: scilicet, volebant præceptorem suum Christo esse nobiliorem. Excæcat mentis oculos, ne veritatem videant, nimius amor. Præterea non omnes discipuli Ioannis magistro non credebant: sed forte pauci: forte duo illi tantùm, quos ad Christum misit. Cùm enim illos in incredulitate persistentes cerneret, ad Christum misit. Papilionibus hi discipuli fuere similes, quibus lucernarum ardor & lux affert exitium. dum lucernis aduolant luce forsitan delectati, exustis alis cadunt ac pereunt. Lucerna lucens & ardens erat Baptista: discipuli verò fulgore delectati illi aduolabant, relinquentes solem. Itaque fidei in verum Messiam velut exustis alis peribant.

Ioannes non abducere post se discipulos, sed ad Christū ducere volebat.

Præceptoris amor & philautia oculos discipulorum Baptistæ excæcauit.

Matth. 11. & Luc. 7.

Tu es qui venturus es? Musicæ magistri excedunt aliquando tonum: id verò vt discipuli congruum tonum accipiant: sic Ioannes vox præclarissima excedere hoc loco tonum videtur, cùm Christum rogare iubet: *Tu es qui venturus es?* Quid est hoc Ioannes? dubitásne num is sit Messias, quem in vtero ipso matris agnouisti, quem exultatione indicasti, quem Agnum Dei esse, qui peccata mundi tolleret, professus es, quem Iordanis aqua baptizasti? de quo Patris tonantem vocem audisti: *Hic Filius meus dilectus?* Minimè dubitat magister. sed tonum excedit. Quorsum? Vt discipuli debitum tonum, hoc est, fidem accipiāt. Non suæ, ait Hilarius, sed discipulorum ignoratiæ Ioannes consulit, &c. Adumbrabat præterea Ioannes, legem. Quemadmodum enim Ioannes, ita lex ad Christum discipulos misit; vnde interlin. Glossa. Lex ad gratiam Euangelij mittit, &c. & Hilarius; Ioannes forma legis elata est, &c.

Baptista propter discipulos, tonū excessit.

Gloss. interlin.

Renuntiate Ioanni, quæ audistis & vidistis. Christus rarò verbis perspicuis Messiam se esse affirmauit: vnde illud Iudæorum: *Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus*, id est, Messias, *dic nobis palam.* Operibus & miraculis rem tantùm comprobabat. Quamobrem eisdem Iudæis verba flagitantibus, eodem loco sic respondet: *Loquor vobis, & non creditis. opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me*, &c. Illi verba petebant: Dominus opera præbebat. Docebat enim factis se Messiam esse. Idem hoc loco præstat. Quærit Ioannes: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Non respondet perspicuè verbis: sed quod multò difficilius est, operibus admirandis. Verba dare facile est: miracula dare solius Dei est. Quilibet dicere poterat: Ego sum Messias. At multitudine magnitudinéque miraculorum dignitatem tantam sibi vendicare solus Christus valebat. *Veniam*, ait Paulus: *& cognoscam non sermonem eorum, qui inflati sunt: sed virtutem. Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute*, &c. Græce, δυνάμει, est, vtroque loco, id est, potētia, admiracula facienda. in hac autē potentia regnū Dei esse ait; quoniā per potentiam miraculorum regnū Christi confirmatū est. Vnde Chrysostomus sic interpretatur, quasi dicat Paulus: Per signa, non per facundiam vincimus. Et propterea quod diuina est doctrina nostra, & cæloru regnum annunciamus, maximam certitudinem præbent signa, quæ facimus, &c. Miracula annuli erant, quibus Messiæ digiti fulgebant, vt suprà diximus: miracula pretiosissimæ erant gemmæ, & cælestis coloris hyacinthi, quibus illius manus radiabant, iuxta illud, *Manus illius aureæ, plenæ hyacinthis.* Miracula sigilla erant Dei, quibus Messiæ dignitas confirmabatur, iuxta illud, *Hunc pater signauit Deus*, Græce, ἐσφράγισεν, id est, sigillis notauit. Quibusnam sigillis? admirandis operibus, quæ sigilla sunt Dei solius. Solus enim Deus propria potestate miracula edit: viri Sancti potestate aliena, nempe Dei. Miracula radij fuere solis iustitiæ, carnis nube tecti, quibus nubem ipsam mirabiliter illustrabat, seque latentem prodebat. Denique, miracula Christi signa appellantur sæpè in Euangelio, & meritò quidem: quia signa erant potentiæ, diuinitatis, sanctitatisque Christi, ipsumque verum esse Messiam significabant. Vis videre in digitis Messiæ splendentes annulos, fulgentesque pyropos? vis videre Dei sigilla, solisque tecti radios? *Cæci*, inquit, *vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt.*

Matth. 11. & Luc. 7.

Ioan. 10.

Christus nō dicebat se Messiā verbis apertis.

Christus magnitudine multitudineq; miraculorum probauit se Messiæ esse.

1. Cor. 4.

Miracula annuli manus Messiæ.

Cant. 5.

Miracula, sigilla, & vadij, & signa Messiæ.

Ioan. 6.

Deus solus propria potestate miracula edit.

Matth. 11. & Luc. 7.

Quòd si queras cur Christus manifestè Messiam se esse verbis non asserebat? respondetur, quoniam Messiam Regem Iudæi expectabant, idque nomen Messiæ significat: quamobrem si Messiam se diceret, id est, Regem, Pharisæos ad accusandum, Romanos ad occidendum excitaret. Ne igitur ante destinatum tempus passioni ansam daret, palàm Messiam, & Regem se esse affirmare nolebat. Miraculis tamen, & operibus, satis superque ad fidem faciendam, comprobabat.

Cur Christus Messiā se esse non asserui apertè.

Obserua, Dominum esse se Christum, id est, Messiam

Operibus bonis vacandum.

Messiam operibus maximè demonstrasse, idemq; Christiano faciendum. Christianus es? operibus Christianum te esse demonstra Laudent te opera tua; optima enim laus, ab optimis est factis. *Laudent eam in portis opera eius*, &c. Iacobus, *Dicet quis: Tu fidem habes, & ego opera habeo. ostende mihi fidem tuam sine operibus: & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam*, &c. hoc est; dicet quis illi, qui opera bona non habet; *Ostende mihi fidem tuam sine operibus.* Ostendere illam, & probare efficaciter non poterit absque operibus. At verò is qui opera Christi fidei consentanea præstat, fidem suam probat ex operibus, Christianumque se esse ostēdit, opera ostendens. Vnde interlin. Glossa sic explanat; Ego per opera, quæ habeo possum probare fidem meam, &c. Ex fructu arbor agnoscitur. si pruna arbor fert, prunum; si pyra profert, pyrum; si vuas, vitē: si oleas, oliuam se esse indicat. Christiani fructus opera bona sunt, si igitur bona fert opera, Christianum bonum se esse ostendit. Operibus artifices artem demonstrant. Pictorem picturæ indicant; aurificem aurei annuli, & torques; statuarium statuæ: sartorem vestes: magnus est artifex Christianus, ipsum quoque opera prædicant. Maximè autem Christianum demonstrat patientia, cruciatuúmque tolerantia. Quocirca meritò martyres, id est testes Christi, ac fidei Christianæ ij dicūtur, qui pro Christo, Christianáque fide sanguinem vitamque profundunt.

Renunciate, ait Dominus, *quæ audistis, & vidistis.* Magni illius pastoris, ac concionatoris Christi auditores audiebant, nec audiebant solùm, sed etiam videbant. Audiebant diuinum verbum, videbāt modestiam, humilitatem, sanctimoniam, opera stupenda. Qui pastor est aut concionator, non exhibeat solùm auditoribus quod audiant; sed etiam quod videant. Diuinum exhibeat verbum, quod audiant; vitæ sanitatem, operúmque exemplum, quod videant. Vt renunciare possint, non solùm quod audierint, sed etiam quod viderint. Lege magnum concionatorem Paulum. *Quæcumque*, inquit, *sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque iusta, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ: si qua laus disciplinæ, hæc cogitate. Quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me, hæc agite: & Deus pacis erit vobiscum*, &c. Et ad pastorem Timotheum; *Exemplum autem esto fidelium in verbo, & conuersatione, in caritate, in fide, in castitate*, &c. Verbum auditur, conuersatio videtur. Audi Senecam epist. 53. Eum elige adiutorem, quem magis admireris, cùm videris, quàm cùm audieris, &c.

Caci vident, claudi ambulant, &c. Miserunt legationem Iudæi ad Ioannem, nō miserunt ad Christum. Quod facere debuerāt Iudæi nec tamen fecerunt, Ioannes fecit. Legationi à Iudæis missæ Ioannes neganter respondit: *Non sum Messias:* Christus verò legationi à Ioanne missæ respondit asseueranter: *Sum Messias, qui venturus erat.* Respondit autem non verbis, sed miraculis: *Caci*, inquit, *vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, mortui resurgunt*, &c. O stupendam responsionem, & dignam doctore tanto. Quæstionibus Doctores verbis respondere solent, at summus Doctor respondet rebus, iisque omni admiratione dignis, Nempe Dei dicere, est facere: & Dei facere, est dicere. Hæc miranda Christi opera Haymo Episcopus sensu allegorico sic interpretatur: Secundùm altiorem, inquit, intellectum, prædicante Domino, & docente, qui erant cæcati corde, & in tenebris ignorantiæ positi, lumen receperunt scientiæ & veritatis. Qui erant surdi, receperunt aures audiendi verbum Dei; qui erant claudi à bonis operibus, receperunt gressum bonæ operationis: qui erant leprosi, id est, peccatis originalibus polluti, mundati sunt per gratiam baptismi, qui erant mortui peccato & infidelitate, cœperunt viuere Deo. Sic ille. Vtroque sensu hæc miracula Messiam demonstrant, tum litterali, tum etiam allegorico. Messiam enim demonstrant oculi corporis, & mentis illuminati, aures corporis atque animi apertæ, gressus directi, lepra mundata, vita reddita. Hæc facere Messiæ proprium erat.

Illa verba: *Pauperes euangelizantur*, pastores, & concionatores, confessariique obseruent; pauperumque magnam habeant curam, quorum Christus se Euangelistam & concionatorem fuisse indicat, iuxta illud ex versione Septuaginta Interpretum: *Ad euangelizandum pauperibus misit me.* D. Hieronymus: Pauperes, inquit, euangelizantur: vel pauperes spiritu: vel certè opibus pauperes. Vt nulla inter nobiles & ignobiles, inter diuites & egenos, in prędicatione distantia sit. Hæc magistri rigorem, hæc præceptoris comprobant veritatem: quando omnis apud eum, qui saluari potest æqualis est, &c.

Beatus qui non fuerit scandalizatus in me. Si miraculis Christus regiam maiestatem, regias opes, atque splendorem adiunxisset, à Iudæis receptus fuisset. Quia verò non maiestatem exhibuit, sed humilitatem, non opes sectatus est, sed paupertatem; idcirco petra fuit scandali, vt Isaias cap. 8. vaticinatur. Humilitas Christi & passio, lapis fuit offensionis, in quem Israelitæ impegerunt. Iudæi (ait Tertullianus libro tertio contra Marcionem) negant venisse Christū suum, quia non in sublimitate venerit, &c. Et Paulus: *Prædicamus Christum crucifixum, Iudæis scandalum*, &c. Scandali petra, & lapis offensionis, est lapis qui humi iacet. Non enim pedem lædit is lapis, qui in sublimi loco ædificij collocatus est. Eundem in modum fuit Dominus petra scandali Israelitis; quia humi, id est, in magna humilitate, se collocauit. In illum minimè impegissent, si excelsam regiamque dignitatem attulisset. Offenderunt Iudæi (ait Augustinus tractatu 4. in Ioannem) in Christum præsentem, tamquam in humilem lapidem, &c. Præuidebat Dominus Israelitarum scandalum & ruinam, ideoque admonet Ioannis discipulos ceteroſq; omnes: *Beatus*, inquiens, *qui non fuerit scādalizatus in me.* quasi diceret; Ego Messias sum, vt probant mirabilia opera; sed vitæ humilitas Israelitis erit offendiculum; propterea me minimè recipient, quòd ad humilitatem, patientiamque exemplo docendam, & crucem tolerandam; non ad regnum administrandum venerim. Beatus verò ille erit, qui non fuerit scandalizatus, in humilitate, in morte, in dictis, vel in factis meis.

Iam præteriit crucis scandalum, iam Christus lapis est non humi iacens, sed in capite anguli positus; iuxta illud: *Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est illud, & est mirabile in oculis nostris*, &c. Lapis reprobatus à Iudæis in celsissimo totius ædificij loco est collocatus, ad dexteram Patris. Lapis humilis sine manibus, id est, sine opera hominis, ex monte, id est, regno Iudæorum, vt Augustinus tract. 4. in Ioannem interpretatur, abscissus, vt vaticinatus est Daniel cap. 4. factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram. Ipsi verò Iudæi qui in eum impegerunt contriti, fracti comminutique sunt; iuxta illud Domini: *Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem verò ceciderit, conteret eum*, &c. Si Iudæis fuit petra scandali, certè Christianis Christus crucifixus, non petra scandali est, sed fons amoris. Vnde Bernardus ser. 1. de Epiphania: Quanto, inquit, pro me vilior Christus, tanto mihi carior est, &c. Et Augustinus hom. 36. Quantò magis deformis nobis commēdatus, tantò carior, tātò dulcior factus

Prou. 31. *Iacobi 2.*
Gloſ. interl.
Christiani ex operibus Christianos demōſtrāt.
Matth. 11. & Luc. 7.
Cōcionator exhibeat auditoribus, quod audiant & quod videant.
Phil. 4.
1. Tim. 4.
Ioannes negauit cū legationē audiuit, Christus affirmauit.
Matth. 11. & Luc. 7.
Haymo.
Sensus allegoricus.
Matth. 11. & Luc. 7. *Pauperum habēda cura à concionatoribus, &c.* *Isaiæ 61.* *Hieron.*
Matth. 11. *Scandalum Iudæorū in Christi humilitate.*
Tertul.
1. Cor. 1. *Scandali petra cur Christus dicatur.*
Aug.
Matth. 11.
Psal. 117. *Crucis scādalū Christo exaltato præteriit.*
Matth. 21. *Christus fons est amoris, non petra scandali.*
Aug.

factus est sponsæ, &c. Non affert crux scandalum, sed caritatem, sed humilitatem, sed patientiam, sed virtutes cunctas. Qui enim Dei considerat amorem, in cruce maximè fulgentem, amore incenditur; qui Deum crucifixum cernit, seipsum, hoc est, animi sui effrænatas appetitiones crucifigit; qui Dei humilitatem, patientiamque animo expendit, humilitatem, patientiam, ceteráque virtutes amplexatur. *Prædicamus Christum crucifixum*, ait Paulus, *Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis, Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus*, &c. Christum crucifixum, cæcis Iudæis offensionis lapidem; stultis ethnicis stultitiam; quoniam à ratione alienum putant Dei filium dicere crucifixum. At verò ipse Christus crucifixus sapientibus Christianis, vocatis ad fidem tam ex Iudæis, quàm ex Ethnicis; non scandalū est, sed Dei virtus, δύναμις, id est, potentia: non stultitia est, sed Dei sapientia. Per crucem enim potentissimè peccatum, diabolum, mortem, mundumque superauit, cæli fores aperuit, hominem ex crudelissima captiuitate eripuit, & in cæleste regnū introduxit. Per crucem sapientissimè hæc omnia præstitit. Elucet namq; in cruce maximè, tum Dei potentia, tum sapientia. Quod infirmū est Dei, id est, ipsa Crux, ipsi cruciatus Christi, qui infirmitatem & imbecillitatē indicant, fortiores & potentiores sunt cunctis hominibus, Regibus, atque Imperatoribus, ipsisque Angelis, atque Seraphinis. Nulla enim creata potentia ea efficere potest, quæ Christi illa in cruce infirmitas perfecit. Item quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, hoc est, crux, quæ reputatur stultitia ab Ethnicis, sapientior est omnibus philosophis Ethnicorum, mundique sapientibus. Hæc enim summam Dei indicat sapientiam; hęc veram philosophiam, veràmque rerum cognitionem in orbem induxit. Crucis imbecillitate orbem Deus potēter vicit; illa, quæ Ethnicis videtur crucis stultitia, orbem docuit, & sapientia compleuit. Non affert crux prudentibus scandalum, sed salutem, sapientiam vitámque sempiternā. Vt enim eodem capite ait Paulus; *Factus est nobis Christus sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio.* Sapientia nostra Christus crucifixus est, quia sapientes nos reddit; iustitia nostra est, quia iustos facit; sanctificatio nostra est, quia nos sanctificat; redemptio est, quia nos redimit.

Crux non scandalum affert, sed amorem virtutesq; omnes. 1. Cor. 1.

Christus Dei virtus & sapientia.

Infirmū Dei fortius hominibus, & stultum Dei sapientius hominibus quomodo.

Crucis virtus & potentia.

1. Cor. 1.

CAPVT XI.

Morale.

De laude Ioannis.

Matth. 11. ILLIS *autem abeuntibus*, &c. Discipulis Baptistæ abeuntibus, ipsum magistrum Baptistam laudat Dominus. Felix qui à Deo laudatur, & commendatur. *Non enim qui seipsum cōmendat, ille probatus est* (ait Paulus) *sed quem Deus commendat*, &c. Guarricus Abbas sermone 3. de Baptista; Dixit, ait, Salomon: *Laudent te labia proximi tui.* Sed quantò felicius & gloriosius, cùm laudant quempiam labia Dei. Deus quippe nec falli potest, nec adulari, &c. Hominum laudes sæpe inanes sunt adulationes; Dei laus vera solidáque est. *Ille*, ait Paulus, *probatus est, quem Deus commendat*; ille Deo gratus, ille sanctus. Probatus fuit Ioannes, quem hoc loco Deus commendauit, probatus Iob, quem in libro Iob commendat: *Considerasti*, inquit, cum Satana loquens, *seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, homo simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo*, &c. Probatus Dauid, de quo extat præclarum illud elogium; *Inueni Dauid filium Iesse, virum secundum cor meum, qui faciat omnes voluntates meas.* Probatus Noe quem iustū Deus ipse prædicat, Genes. 7. *Te vidi iustum corā me in generatione hac.* quem in locum Chrysostomus; Magnum, inquit, & fide dignū testimonium. Quid enim hoc maius esset, cùm ipse conditor, & qui cum vt esset produxit, talia de iusto pronuntiat? *Quia te*, ait, *vidi iustum coram me.* Vera hæc virtus est, quando coram Deo quis illa accipit; quando oculus ille, qui decipi nequit, suum fert calculum, &c. O millies illum beatum, quem Deus laudat, etsi Herodes vinculis illum teneat constrictum. Quis non malit Ioannes esse in carcere vinctus, & à Deo laudatus, quàm Herodes solutus, opibusque & hominum encomiis affluens, sed à Deo reprobatus?

Act. 13. Gen. 7.

Vera virtus est, quando quis illam coram Deo accipit.

Laudat Deus sanctos viros; eosdem nosquoque laudemus; iuxta illud: *Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua*, &c. Quia verò omnis sanctorum laus in Deum refunditur, addit Ecclesiasticus: *Multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua à sæculo.* quasi dicat; Laudemus viros sanctos & gloriosos, quibus Deus magnam gloriam cōtulit magnificè, ab antiquis temporibus. Laudemus Ioannes, Petros, Paulos, Hieronymos, Augustinos, Bernardos, reliquósque Patres, quos Deus magnifica exornauit sanctitate, & ab antiquis tēporibus veluti terrestria quædam sydera in orbe terrarū micare voluit, iuxta illud diui Gregorij in præfatione Moral. cap. 6. Cognitioni hominum diuina dispensatio quot iustos exhibuit, quasi tot astra super peccantium tenebras cælū misit, &c. Dum eorum laudes memorabimus, corda nostra ad imitandum inflammabimus. Narrat (ait idem sanctissimus Pater libro secundo Moralium, cap. primo) Scriptura gesta Sanctorum, & ad imitationē corda prouocat infirmorum: dùmque illorum victricia facta commemorat, contra vitiorum prælia debilia nostra confirmat, &c. Idipsum nos faciamus. Gesta narremus Sanctorum, & encomia celebremus, vt ad imitationem nosipsos auditoresque prouocemus. D. Bernardus in præfatione vitæ Malachiæ; Semper, inquit, fuit operæpretium Sanctorum scribere illustres vitas, vt sint in speculum & exemplum, ac queddam velut condimentum vitæ hominum super terram. Per hoc enim quodammodo apud nos etiam post mortem viuunt: multósque ex iis, qui viuentes mortui sunt, ad veram prouocant & reuocant vitam. Sic Bernardus. Sed quid in Ioanne laudet Dominus videamus.

Viri sancti laudibus prosequēdi. Eccli. 44.

Sancti sunt astra cæli. Greg.

Exemplum Sanctorum.

Bernar.

ARVNDINEM *vento agitatā.* Laudat Dominus in Ioanne cōstantiam. Non fuit, inquit, arundini similis, quæ incōstans valdè est, faciléq; mobilis. Optimè D. Gregorius homil. 6. in Euangelia: Arundinē, inquit, mox vt aura cōtigerit, in partem alteram inflectit. Sed arundo agitata vēto Ioannes non erat: quia hunc nec blandum gratia, nec cuiuslibet detractationis ira asperū faciebat. Neque prospera hunc erigere; neque aduersa nouerant inclinare. Arundo ergo vento agitata non erat, quem ab status sui rectitudine, nulla rerum varietas inflectebat. Sic ille. Arundines multas fluuij ferunt Babylonis, inconstantes multos, quos leuis aura mouet, hoc est, leuis mutat tentatio; hodie peccatis nuntium remittunt, cras ad illa redeunt. Turpissimis canibus hi similes sunt ad vomitum redeuntibus; iuxta illud: *Sicut canis qui reuertitur ad vomitum suum, sic imprudens qui iterat stultitiam suam*, & cetera. Imprudens est peccator, & canis similis, qui stultitiam, & peccatum repetit, quod per confessionem pœnitentiámque euomuit.

Arundo inconstans. Matth. 12. & Luc. 7. D. Greg.

Inconstantes in gratia acceptā, similes sunt arundini, canibus, & porcis.

Prou. 26.

2. Cor. 10.

Prou. 27.

Dei laus vera ac solida.

Laudati à Deo. Iob 1.

euomuit. Similes item ſunt immundis ſuibus, ad luti volutabrum repedantibus. Nónne ſui ſimilis eſt homo libidini mancipatus? cùm peccata confeſſione expiat, pretioſo in lauacro ſanguinis Chriſti ſe abluit. Cùm verò eadem repetit, ad idem luti volutabrum ſus reuertitur. *Contigit eis illud veri prouerbij; canis reuerſus ad vomitum ſuum; & ſus lota, in volutabro luti,* &c. Aduerte autem non ſignificare Petrum ſuem in volutabro luti ſe abluere. Sed poſtquam aqua lota eſt, ad volutabrum redire; Græcè habetur, ὑγλυσαμένη, εἰς κύλισμα βορβόρυ, id eſt, *ſus lota ad volutabrum luti*, videlicet reuerſa, quemadmodum canis ad vomitum. In noſtra verſione, *In volutabro luti*, accipi debet pro, In volutabrum luti. Vel poteſt eſſe ſenſus, Sus lota; poſtea in volutabro luti ſeſe volutans.

2. Pet. 2.

Habet præterea aliud arundo; vacua eſt, medullam caret. Sic mundo addicti homines vacui ſunt, conſiderationis medulla carent, ideoq; leues quouis rapiuntur flatu. Vtinam conſiderationis haberent medullam ac pondus; nec eſſent ſanè leues, nec ad relicta ſcelera reuerterentur. *Manus Moyſi*, vt legitur, *erant graues*. Sic ſanctorum virorum manus, id eſt, actiones graues ſunt, ponderéque conſiderationis plenæ. Lege Philonem in libro allegoriarum legis, pag. 60. Sunt, inquit, Moſis manus graues. Nam cùm hominis mali actiones ſubuentaneæ leuéſque ſint, meritò ſapientis graues habentur, immobiles, inconcuſſæque. Ideoque fulciuntur ab Aarone, id eſt, ratione, & ab, Vr, lumine, quòd nulla lux in rebus ſit clarior, quàm veritas. Vult igitur Scriptura figuratè docere te, ſapientis actiones fulciri veritate rationéque, &c.

Arüdini ſimiles ſunt, qui medulla carent conſiderationis.

Exodi 17.

Actiones Sanctorum, ſunt graues.

Philo.

Eodem capite Exodi ſcribitur, manus Moſis ab Aarone & Vr ſuſtentatas eſſe; his verbis: *Aaron & Vr ſuſtentabant manus eius, ex vtraque parte*, &c. Aaronem ait Philo rationem adumbrare: Vr verò, cuius nomẽ ſignificat ignem, ait adumbrare fulgentem veritatem. Itaque manus ſapientis viri graues, à ratione veritatéque ſuſtentari docet. Et verè quidem docet. Nam æternarum rerum veritas, conſideratione expẽſa, actiones hominis, & reddit ponderoſas, & fulcit. Ventorum ſimilitudinem gerunt leues animi & incõſtantes. Quemadmodum enim venti leuiſſimi ſunt atque inconſtantiſſimi: ſic leuium animorum cogitationes atque actiones. Sed his ventis Deus pondus facit & conſtantiam, cùm æternam gloriam promiſſam probis, flammarumque ſempiternos rogos improbis deſtinatos, homines conſiderant: cùm mortis horrorem, ſepulchri fœtorem, rerum caducarum inconſtantiam ante oculos proponunt. *Deus*, ait Iob, *fecit ventis pondus*, &c. In quem locum ſic ſcribit diuus Gregorius Magnus: Deus fecit ventis pondus, quia cùm leues motus animi miſericorditer dignatur aſpicere, hunc protinus ad conſtantiæ maturitatẽ format, &c. Item pondus accipiunt animæ, vt ab intentione Dei, non iam leui motu diſſiliant: ſed in eum fixa conſtantiæ grauitate conſiſtant. Item: Deus fecit ventis pondus, quia dum ſuperna ſapientia replet animas, eas maturitate indita graues facit, &c. Supernam ſapientiam ait ſapientiſsimus Pontifex animis maturitatem grauitatémque afferre: ſuperna autem ſapientia eſt rerum cognitio æternarum & meditatio. Quicumque igitur leuis arundo eſſe non vult, ſed conſtantiæ pondus habere cupit, à rebus inſtar aquæ fluentibus, moxque diſparentibus auertat oculos, illas, quæ nullo fine terminantur, ſemper intueatur.

Aarõ & Vr ſuſtentant graues manus Moſis moraliter. Exodi 17.

Cõſideratio menti facit pondus.

Iob 28.

D. Gr. Mag.

Arundines fluuios, fluentéſve amant aquas: ſic leues meditationéque vacui homines Babylonis fluuios, id eſt, res inſtar aquarum labentes fluxãſque expetunt. Vnde Ambroſius Lucæ 7. Arundines, inquit, fluuios amant; & nos labentia mundi caducáque delectant, &c. Et Auguſtinus Pſal. 136. Flumina, ait, Babylonis ſunt omnia, quæ hic amantur, & tranſeunt, &c. Graues autem viri, & conſiderati Babylonis flumina, vel fugiunt penitus, vel ſuper illa ſedent, & flent, dum Sionis ſuæ cæleſtis recordantur; iuxta illud Pſalmi indicati: *Super flumina Babylonis, illic ſedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Sion.* Sede ſuper flumina (ait Auguſtinus) noli ſedere in flumine, noli ſedere ſub flumine. Ecce in Babylonia pulchra ſunt, quæ tenent, non te teneant, non decipiant, &c.

Ambr.

Flumina Babylonis ſunt, quæ hic amãtur & trãſeũt. Pſ. 136.

Præterea arundines infructuoſæ ſunt. Similiter & impij fructu carent: ſalicibus Babylonis adumbrantur, de quibus canitur eodem Pſalmo: *In ſalicibus in medio eius, ſuſpendimus organa noſtra*. Rigantur, ait Auguſtinus, hęc ligna de fluminibus Babylonis, & nullum fructum ferunt. Sicut ſunt homines cupidi, auari, ſteriles in omni opere bono: ita ciues Babyloniæ, vt etiam ligna ſint illius regionis. Ex iſtis voluptatibus rerum tranſeuntium, paſcuntur, tamquam irrigata à fluminibus Babyloniæ. Quæris fructum, & nuſquam inuenies, &c.

Arundines ſunt infructuoſæ.

Pſal. 136. Auguſt.

Homines cupidi & voluptarij rigantur flumine Babylonis.

Qvi *mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt*. Sunt terreſtrium regum palatia: eſt etiam palatium & domus Chriſti. In palatiis Regum nobiles mollibus; in palatio Chriſti duris veſtiuntur. Nobilis fuit in Chriſti domo Baptiſta, nobiles Petri, Pauli, Antonij, Hilariones, Arſenij, Franciſci, aliique ſimiles; at vitæ aſperitatem, non mollitudinem ſunt amplexati. In aulam Aſſueri Regis non erat fas aſpero indutum ſacco ingredi, vt legitur Eſther cap. 4. at in aulam Chriſti ſacco, pœnitentiáque amictis maximè patet aditus. Aduerte (ait diuus Chryſoſtomus homilia 29. in epiſtolam ad Hebræos) Chriſtum dicentem: *Qui mollibus veſtibus induuntur, in domibus Regum ſunt*. Qui verò talia veſtimenta non habent, in cælis ſunt, &c. D. Gregorius hom 6. in Euangelia: Quid eſt, inquit, dicere: *Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt*: niſi aperta ſententia demonſtrare, quia non cæleſti, ſed terreno Regi militant ij, qui pro Deo perpeti aſpera fugiunt, & ſolis exterioribus dediti, præſentis vitæ molliciem & delectationem quærunt, &c. Iuxta fluuios Babylonis arundines foris amœnæ, intus inanes conſitæ ſunt; in hortis verò Chriſti arbores foris ſpinarum aculeis horridæ, ſolidæ tamen fertiles, atque amœniſſimæ plantantur. Percurre Sanctorum virorum geſta, non mollitudinem in eis, ſed duritiem reperies. Nam, vt Tertullianus ait in libro ad Martyres; Virtus duritia extruitur, mollicie verò deſtruitur, &c.

Matth. 11.

In palatio Chriſti aſperis veſtiuntur nobiles.

Chryſoſt.

Greg.

Virtus duriciem amat.

Molles autem veſtes pretioſæ appellantur, & bombycinæ; quæ & molles ſunt, & mollẽ animum reddunt. Chryſoſtomus homilia 29. in epiſtolam ad Hebræos, in Morali: Molle, inquit, veſtimẽtum etiam fortem diſſoluit, & frangit animum ac diffundit. Et licet corpus acceperit aſperũ & durum, id molle reddit & imbecillum, &c. Diuus Bernardus in Apologia: Mollia indumenta animi molliciem indicant. Non tantò curaretur corporis cultus, niſi prius neglecta fuiſſet mens inculta virtutibus, &c. Vt refert Herodotus ad finem extremi libri, Perſæ de mutãda regione aſpera egere cum Cyro. Annuit ille; ſed ſimul admonuit, id ſi facerent, non ad imperandum aliis, ſed ad parendum, ſe vt pararent. Natura enim comparatum eſſe aiebat, vt è mollibus regionibus molles viri exiſtant, néve ex eadem terra admirandæ fruges, & egregij bello viri gignantur. Quemadmodum mollis regio, vt Cyrus dixit, ſic mollis veſtis, cibus, lectus, molliſque

Veſtes molles reddũt molles homines.

Bernar.

Cyri dictũ.

Mollis vitæ & mollis regio molles viros efficit.

mollísque viuendi ratio, molles viros efficit. Vnde D. Chryſoſtomus loco citato: Mulieres, ait, quæ in agris agunt vitam, fortiores viris ſunt, qui ſunt in ciuitatibus conſtituti, &c. Non viros ſolùm, ſed arbores quoque molles, molle ſolum reddit. Sume arbuſtum aliquod (ait Chryſoſt.) ex horto aliquo in eremo conſtituto, qui ventis & tempeſtatibus verberatur, & pone in loco opaco & aquoſo; & videbis quod multùm à fortitudine ſua mutabitur, quã habebat in loco, vnde cõſtat eſſe tranſlatũ, &c.

Chryſoſt.

Fugienda ergo eſt veſtium mollitudo, ne corpus animumque molliat, atque eneruet, pœnitentiæque aſperitati, & duritiæ capeſſendæ ineptum reddat. Etenim vt molles citharæ chordæ, ad reddendum ſuauem ſonũ; ſic mollis ac delicatus homo, ad reddendas aſperas pœnitentiæ actiones, parum aptus eſt. Diſcutiendæ ſunt deliciæ (ait Tertullianus, in libro de cultu feminarum cap. 13.) quarum mollicia & fluxu, fidei virtus effeminari poteſt, &c. Corporis ornandi curam Deo relinquamus, qui, vt Paulus ait: *Reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.* Ornandi animi curam ſuſcipiamus diligentem. Verus autem animi ornatus virtutes ſunt, bombycinis aureiſque indumentis multò pretioſiores. Nónne anima Regina eſt corporis? Vt ergo Regina aureo ſplendet ornatu; ſic ſplendere debet anima aureo caritatis amictu; iuxta illud: *Aſtitit Regina à dextris tuis, in veſtitu deaurato, circũdata varietate.* Ignoras (inquit Chryſoſtomus homilia 70. in Matthæum) ciuitatis principem magnificè magis, quàm ciuitatem ornari oportere? propterea principi purpura & diadema, contexta ſunt. Pariter ergo etiam tu viliora corpori tribue; animam verò purpura atque corona magnificè polias, & in ſublimi ſolio atque ſplendido ſedere facito, &c. Præterea corpus domus animi eſt, animus dominus & habitator. Ornandus igitur potiùs habitator, quàm domus. Domũ enim ornatam, dominum verò domus nudum eſſe, turpe eſt. Si quis (ait diuus Chryſoſtomus) domũ tuam aureis tapetis depẽſis ornare velit, te verò nudum in ciliciis ſedere cogeret; non æquo animo id ferre poſſes. Nunc verò non alius, ſed tu ipſe, domicilium animæ tuæ, id eſt, corpus, auro & gemmis exornas; animam verò in turpitudine cilicij ſedentem negligis, &c.

Fugienda veſtiũ mollitudo.

Tertull.

Phil. 3.

Verus animi ornatus virtutes ſunt.

Pſal. 44. Chryſoſt.

Expende animo quali ornatu Ioannes in diuina Apocalypſi Babylonem, quali Eccleſiam depingat: *Mulier, inquit, erat circundata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioſo, & margaritis,* &c. Sic Babylon ornatur. Sic Babylonis ornantur filij filiæque. Quid mirum? à matre diſcunt. At de Eccleſia: *Mulier,* ait, *amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim,* &c. hic Eccleſiæ, hic filiorum eius, non è terra cultus ſplendidiſſimus, ſed è cælo. Quod aurũ, quæ gemmæ, quæ purpura, quæ bombycinæ veſtes aut aureæ, cum ſole conferri poſſunt? Rutilanti ac ſolari caritatis, ceterarumque virtutum ſplendore probus induitur Chriſtianus; fidei fulgente veritate, velut ſtellis, caput decorat; rerum caducarum contemptu, velut Luna, pedes munit: Babylonis aurum, gemmas, monilia, ſericáque veſtimenta conculcat. Tunc ornatum ſe putat, cùm iis non ornatur, iuxta illud D. Ambroſij lib. 1. de Virgin. In vobis reiecta decoris cura plus placet; & hoc ipſum, quòd vos non ornatis, ornatus eſt, &c. Si Ethnicus Lyſander filias ſuas pretioſo amictu dehoneſtari potiùs, quàm ornari olim exiſtimauit; quid virum Chriſtianum, quid Chriſtianam exiſtimare par eſt feminam? Vt narrat Plutarchus in præceptis connubialibus. Lyſandri filiabus tyrannus Siculus veſtes, mundumque mulierem pretioſum miſit. Lyſander capere noluit, ſic fatus: Hoc ornamentum dehoneſtabit potius filias meas, quàm ornabit, &c. Verus ornatus virtus eſt ſanctique mores. Ornamentum (ait Plutarchus eodem loco) vt inquit Crates, eſt quod ornat; ornat autem quod honeſtiorem mulierem facit. Talem verò præſtat, non aurum, nõ ſmaragdus, non coccineus color; ſed quæcumque grauitatis, moderationis, & pudoris ſpecimen adhibent, &c.

Apoc. 17.

Apoc. 17. Ornatus Babyloniæ.

Apoc. 12.

Ornatus Eccleſiæ.

Ambr.

Ornatus eſt, non ornari.

Plutar.

Lyſandri dictum.

Verus ornatus virtus eſt ſanctique mores.

Verus ornatus.

Si vera ornamenta expetunt feminæ. Tertullianum audiant, in fine libri de cultu feminarum ſic ſcribentem: Prodite iam medicamentis, & ornamentis extructæ Apoſtolorũ. Sumentes de ſimplicitate candorem, de pudicitia ruborẽ, depictæ oculos verecundia, & ſpiritus taciturnitate, inſerentes in aures ſermonem Dei, annectentes ceruicibus iugum Chriſti. Caput maritis ſubiicite; & ſatis ornatæ eritis. Manus lanis occupate, pedes domi figite, & pluſquam in auro placebunt. Veſtite vos ſerico probitatis, byſſino ſanctitatis, purpura pudicitię. Taliter pigmentatæ Deum habebitis amatorem. Hactenus ille. Hic Chriſtianorum eſt ornatus virtutũ internus, non verò externus auri & veſtium. Vide quid dicat Gregorius Nazianz. oratione tertia in Iulianũ: Nos (ſcilicet, Chriſtiani) externam ſpeciẽ, ac velut picturã, parùm admodũ curamus. In interno autẽ homine, multò plus operæ, ſtudiiq; ponimus. Idq; potiſſimũ ſtudemus, vt ſpectatorem ad ea, quæ animo cernuntur retrahamus, &c. Vtinam hoc ſit Chriſtianorũ ſtudium, opera, cura, externum deſpicere ornatũ, internum comparare.

Tertull.

Vera fœminarum ornamenta.

Greg. Naz.

Matth. 11.

Animo vacuo eſt ad oppugnandum regnum cælorum.

Chryſoſt.

Hieron.

Quid ſit violentia quæ fit regno cælorũ.

Baſil.

Ambr.

REGNVM *cælorum vim patitur.* De laudibus, & prærogatiuis Baptiſtæ actũ eſt copioſè primo tomo libro 8. cap. 3. Quocirca his omiſſis, de vi regno cælorum inferenda paucis agendum. Vim patitur cælorum regnum, ait Dominus. Abiicienda ergo eſt omnis deſidia, & ignauia, animus robuſtus & inuictus aſſumẽdus eſt ad oppugnandũ, vt docet Chryſoſtomus homilia 53. in Ioannem. Quod, inquit, vim patitur, deſidia acquiri non poteſt, ſed cura, & diligẽtia. Vim patitur, ſignificat vi opus eſt multa. Anguſta eſt via, robuſta anima opus eſt, & generoſa, &c. D. Hieronymus Matthæi 11. Grandis, ait, violentia eſt, in terra nos eſſe generatos, & cælorum ſedem quærere. Poſſidere per virtutem, quod non tenuimus per naturam, &c. Arcem munitam milites bombardis oppugnant, aliiſque belli machinis: tuncque arx vim patitur, cùm ſic oppugnatur. At regnum cælorum Chriſti milites pœnitentia oppugnant, oratione, ieiunio, eleemoſyna, mortificatione, humilitate, caſtitate, cæteriſque virtutibus. His machinis, his telis oppugnatum cælorum regnum vim patitur. Hæ enim machinæ ſunt, hæc tela, quibus illi infertur vis. Violentiam appellauit Chriſtus (ait D. Baſilius in fine ſermonis de abdicatione rerum) aſſiduam, & acrem corporis in laboribus fatigationem. Quod diſcipuli Chriſti faciunt, cùm & voluntatem propriam, & corporis omne luxamentum abnegant, & magiſtri ſui præcepta omnia cõſeruant. Quocirca ſi tibi in animo eſt rapere regnum Dei, violentiæ te dato, ceruices tuas Chriſti iugo ſubmittito, labore illud virtutis atterito, ieiunando, vigilando, taciturnitatem ſeruando, orationibus & lachrymis operam dando. hæc ille. D. Ambroſius ſermone decimo quinto de Natali Domini: Vim, ait, facimus Domino, non comprehendo, ſed flendo, nõ prouocando iniuriis, ſed lacrymis exorãdo. Aggredimur illum non ferro, non fuſte, non ſaxo, ſed manſuetudine, bonis operibus, caſtitate. Hæc ſunt arma fidei noſtræ, quibus in congreſſione certamus, &c.

Qui vim alicui regno, vel arci faciunt, vi repelluntur;

luntur; telis, igne, bellicíſque machinis fugantur. A
Vis quæ fit cælo, non repellitur vi. Ambr. At qui vim cælo inferunt, non repelluntur vi, nec fugantur telis: imo ab ipſo cæli Rege magnopere iuuantur. O beata violẽtia (exclamat Ambroſius) quæ non indignatione percutitur, ſed miſericordia condonatur. Beata violentia, quæ vim patienti bonitatem elicit; & vtilitatem tribuit inferenti. Vis admittitur, & religio propagatur. Quiſquis enim violentior Chriſto fuerit, religioſior habebitur à Chriſto. Sic ille. Non repellunt nos telis cali incolæ, imo iuuant. Repellunt incolæ aëris dæmones, qui regnum, quod amiſerunt, à nobis capi nolunt. Hinc illud Pauli: *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem; ſed aduerſus principes & poteſtates; aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia* B *nequitiæ in cæleſtibus*, &c. hoc eſt, bellum gerimus cum dæmonibus, qui in cæleſtibus ſunt, id eſt, in aëre verſantur, & cæli oppugnationem impediunt. Diuus Chryſoſtomus interpretatur; Eſt nobis pugna contra ſpiritus nequitiæ, in cæleſtibus, id eſt, pro cæleſtibus. Pro cælorum enim regno, ex quo expulſi ſunt, cum illis decertamus. *In cæleſtibus* (ait Chryſoſtomus) pro eo quod eſt *pro cæleſtibus*, non vt dæmones victoriam adepti aliquid conſequantur, ſed vt nos priuent, &c. Vim ergo oportet inferre non ſolùm cælo, ſed etiam dæmonibus. Deſiderauit olim Dauid ex ciſterna Bethlehem aquam, ne autem illius deſiderio fieret ſatis, hoſtes prohibebant. Attamen viri tres fortiſſimi per media irrumpentes caſtra, aquam hauſerunt, regíque po- C tandam obtulerunt. Deſideramus nos non aquam ciſternæ Bethlehem, ſed æterni cæli gaudia. Ne deſiderium expleamus, obſtant hoſtes, itérque obſident. Vim igitur illis inferre, & per media irrumpere Orci caſtra opus eſt, ſi deſiderij compotes eſſe volumus. Vi gaudia cæli comparantur; ignauia amittuntur.

Dæmones ne rapiamus regnũ cælorum enituntur. Epheſ. 6.

Chryſoſt.

Vis inferẽda cælo, & dæmonibus, quis obſiſtat

1. Par. 11.

Chriſtus delectatus cælorum rapina. Ambr. VIOLENTI *rapiunt illud*. Rapimus vi Chriſto regnum, ſed ille hac violenta rapina ſummopere delectatur. Etenim ſpoliari gaudet. Ambroſ. ſerm. illo 15. Aggredimur, inquit, in itinere Dominum; ſiquidem ipſe eſt via; & more latronum ſuis eum ſpoliare nitimur, cupimuſque illi auferre regnum, theſauros, vitam. Sed ille tam diues & largus D eſt, vt non abnuat, non reſiſtat: & cum omnia dederit, nihilominus omnia ipſe poſſideat, &c. Ad hanc beatam felicémque rapinam hortatur Chryſoſtomus hom. 53. in Ioan. his verbis: Rapiamus regnum cælorum; quæ rapina non crimini ducitur, ſed laudi. Noli aurum rapere, ſed diuitias, quarum comparatione aurum lutum eſſe apparet, &c.

Chryſoſt.

Pauperes ſpiritu cælũ rapiunt. Pauperum dixit Dominus regnum cælorũ eſſe, quoniam ipſum rapiunt. Qui rapere vult aliquid; id quod habet in manibus, prius abiicit ac diſpergit. Sic qui voluntariam ſectantur paupertatẽ, quas in manibus & poteſtate habent poſſeſſiones, relinquunt, pauperibuſque largiuntur, vt vacuis expeditíſque manibus cæleſte regnum rapere poſſint. Diſpergunt terrena, vt rapiant cęleſtia; diſpergunt arenam, vt rapiant gemmas. Diſperge quæ habes in manibus (ait Chryſoſtomus eodẽ loco) quouſque enim preſentia ſeruas, illa rapere non poteris. Propone tibi hominem plenis argento manibus; numquid aurum rapere poterit, niſi prius argẽtum proiiciat, & expeditus fiat? Rapientem bene expeditum eſſe oportet, ne quid eum impediat. Siquidem etiam nunc contrariæ poteſtates ſunt obuiæ, vt id nobis auferant. Sic Chryſoſtomus. D. Bernardus initio libri ſententiarum; Regnum, inquit, cælorum rapiunt, qui reliquerunt omnia, & ſequuntur Chriſtum. De quibus dicitur apud Matth. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*; &c.

Chryſoſt.

Bernar.

Matth. 5.

Sapientia quomodo ſit iuſtificata ab omnibus filiis ſuis.

IVSTIFICATA *eſt ſapientia ab omnibus filiis ſuis.* Summa vtitur Deus in gubernando homine ſapientia. Hæc iuſtificata eſt ab omnibus filiis ſuis; quoniam nulla in re ſaluti hominis procurandæ vmquam defuit. Legem naturalẽ primùm hominum menti indidit; pòſt ſcriptã dedit, tandẽ legem gratiæ tulit. Auxiliis humanũ genus ſemper iuuit neceſſariis, præmia propoſuit & ſupplicia, Scripturas ſacras exhibuit, ad virtutẽ hortatus eſt, à vitiis deterruit. Denique ipſemet Deus humanã aſſumpſit naturam, homines docuit, vitam pro illis ſanguinémque profudit. Meritò igitur illud inclamat: *Quid debui facere vineæ meæ, & non feci?* Imo quæ nõ debuit omnia fecit. Quid enim homini debet Deus? Iuſtificata eſt Dei ſapientia, & ab omni hominum calumnia libera. Si medicus ad ægrotum veniret, medicináſq; ad ſanitatem conſequendam neceſſarias omnes præberet; ægrotus verò illas reſpueret, animámq; exhalaret; in ęgrotum culpam reiiceremus omnẽ, medicum ab illo iuſtificatum diceremus. Similem in modũ Deus medici inſtar, ex cęlo ad viſendum hominẽ ægrotum in terrarũ orbem deſcendit, aduerſus morbos omnes remedia præſentiſſima exhibuit; exhibita remedia reiicit homo, vitámque amittit ſempiternam. Hominis tota culpa eſt, Dei vero ſapientia à filiis ſuis iuſtificatur. Heu ſimiles ſumus pueris illis, qui canentibus & lamentantibus, ſaltatione & lamentis minimè reſpondebant. Canunt nobis ipſæ Scripturæ, concionatores ac paſtores, cùm cæleſtia cæli gaudia, virtutum decus, Chriſti reſurrectionem, aſcẽſionem, lætáque alia nuntiant. Lamentãtur, cùm de ſuppliciis ſempiternis, de morte, de iudicio extremo, de pœnitentia, déque aliis huiuſmodi agunt. Sed nos nec cantantibus, bonis operibus: nec lamentantibus, pœnitentia, reſpondemus. Reſpondere oportet concionatori, & canenti, & lamentanti. Tunc autem reſpondemus, cùm fructum ex illius ſermone carpimus. Phariſæos verò imitetur nemo, qui conſilium Dei de baptiſmo Ioannis ſpreuerunt in ſemetipſos. Nemo conciones parui faciat, ſacramentorum frequentationem nemo non probet. In ſemetipſum enim, id eſt, contra ſemetipſum aget. Aget autem pro ſemetipſo quicumque concionum, ſacramentorumque fuerit ſtudioſiſſimus.

Iſaiæ 5.

Culpa ſua perit homo, quia medicina parata vti nõ vult.

CAPVT XII.

De conuerſione peccatricis fœminæ.

LVC. CAP. VII.

ROgabat autem illum quidam de Phariſæis vt manducaret cum illo. Et ingreſſus domum Phariſæi diſcubuit. Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit, quòd accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum vnguẽti, & ſtans retrò ſecus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.

Vngebat. Videns autem Pharisæus, qui vocauerat eum, ait intra se dicens: Hic si esset propheta, sciret vtique quæ,& qualis est mulier,quæ tangit eum,quia peccatrix est. Et respondens Iesus, dixit ad illum: Simon habeo tibi aliquid dicere. At ille ait. Magister dic. Duo debitores erant cuidam fœneratori: vnus debebat denaris quingentos,& alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent,donauit vtrisque. Quis ergo eum plus diligit: Respondens Simon dixit: æstimo quia is, cui plus donauit. At ille dixit ei: Rectè iudicasti. Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni. Vides hanc mulierem; intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit. Osculum mihi non dedisti:hæc autem ex quo intrauit,non cessauit osculari pedes meos. Oleo caput meum non vnxisti:hæc autem vnguẽto vnxit pedes meos.Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Cui autem minùs dimittitur, minus diligit. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibipeccata. Et cœperũt,qui simul accumbebant, dicere intra se: Quis est hic, qui etiampeccata dimittit? dixit autem ad mulierem: Fides tua te saluam fecit: Vade in pace.

Luc. 7. Ordogestorũ

ROGABAT *autem*,&c. Post ea,quæ exposita sunt narrat Lucas peccatricem fœminam ad pedes Christi prouolutam peccatorum veniam obtinuisse. Quo tempore hoc factum sit non indicat,neque vllus est locus,ex quo colligatur.Nos cum ipso D.Luca fœliciss imæ huic fœminæ hunc tribuamus locum. In domo Pharisæi cuiusdam cibum Christus sumpsit: in eam mulier peccatrix venit. Simonem appellatum ex narratione Lucæ constat. An autem fuerit ille Simon leprosus, in cuius ædibus soror Lazari Christum paulò ante passionem vnxit,dubitatur.D. Augustinus lib.2.de consensu Euangel.cap.79. alium fuisse sentit, Euthymius quoque Matth.26.Theoph.Luc.7.Toletus Luc. 7. annot. 72. Probabilius est eundem fuisse. Nam cùm eadem fuerit fœmina, quæ in domo Simonis bis Christũ vnxit;videtur idem esse Simon, cum quo familiaritatem, vel consanguinitatem habuerit aliquam. D. Bonauentura de vita Christi cap.28.huius est sententiæ, & Maldonatus. In Ecclesiastico officio hęc est Antiphona,in festo Magdalenæ: *In diebus illis mulier,quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit,quòd Iesus accubuit in domo Simonis leprosi,attulit alabastrum vnguenti.* Obiici potest sic:Simon leprosus à Christo fuit lepra liberatus, vt D.Hieronym. ait Matthæi 26.tantum ergo miraculum expertus non dubitaret, an Christus propheta esset. At hic Simon Pharisæus dubitat,*Si hic*,inquit,*esset Prophete, sciret quæ & qualis est mulier*,&c. Respondetur,etiam si fuerit miraculum expertus, potuisse in illam hæsitationem incurrere, vt perspicuum est. Prætereà quo in loco fœmina hæc à Christo peccatorum consequuta fuerit remissionẽ,ambigitur. Quidam, vt ait Magister historiæ, in ciuitate Nazareth: plures in Bethania factum existimarũt. Huius opinionis est Maldonatus Matthæi 26. Nam Simonis leprosi domus in Bethania erat, vt docet Matthæus: *factum*,inquit,*est cùm esset Bethaniæ in domo Simonis leprosi*,&c. Sed obstat,quòd Bethania non appelletur ciuitas,sed castellum à Ioanne cap. 11. Græcè, κώμη, id est,vicus, vel pagus. At hæc fœmina,vt Lucas significat,in ciuitate ad Christum videtur accessisse: *Ecce*,inquit,*mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix,vt cognouit*. Græce sic,*ἰδοὺ γυνὴ ἐν τῇ πόλει, ἥτις ἦν ἁμαρτωλός*, &c.Hoc est.*Ecce mulier in ciuitate, quia erat peccatrix.* Erat igitur in ciuitate quædam mulier peccatrix, non in vico Bethania, quæ cùm cognouisset in eadem ciuitate Christũ à Pharisæo inuitatum, ad illum venit. Responderi potest, sensum D.Lucæ esse huiusmodi:*Ecce mulier,quæ erat*, id est,habitabat,*in ciuitate*,videlicet,Ierusalẽ,*peccatrix*, cùm Bethaniam A veniisset, quæ Ierusalem vicina est: vt cognouit, quòd Dominus recubuisset in domo Pharisæi, accessit,illiúsque pedes vnxit. Appellat autem Lucas Ierusalem ciuitatem per excellentiam. Obiicitur, Christus nunc agebat in Galilæa: ergo nec erat in ciuitate Ierusalem,nec Bethaniæ,nam in Iudæa est Ierusalem,& Bethania. Respondeo, ignotum esse an Lucas ordinem gestorum, & temporis sit secutus. Ideóq; potuisse narrare, quod in Iudea factum est,post illa,quæ in Galilæa facta sunt. Sed probabilius est hoc esse factum in Galilæa. Nam Magdalena in Galilæa erat nunc, postea delictorum locum reliquit,secutáque est Christum in Iudæam, & habitauit in Bethania. Aliter igitur dici potest,Simonẽ leprosum nõ Bethaniæ,sed in Galilæa Christum excepisse conuiuio. Potuit enim tunc in aliqua Galilææ ciuitate commorari. Nõnulli in ciuitatẽ Naim rem hanc gestam volunt, cuius opinionis est Toletus. Neque deest, qui in Capharnaum potiùs Magdalenam Christum dicat vnxisse: res incerta est.

Fuerit ne hic Pharisæus Simon leprosus?

Incertum vbi hoc acciderit.

Luc. 7.

ATTVLIT *alabastrum vnguenti*. Diuus Epiphanius in libro de ponderibus, & mensuris ait, alabastrum vasculum vnguenti esse vitreum, libram olei capiens. alabastrum autem appellatum propter fragilitatem. Existimo vas fuisse ex lapide alabastro factum.Nam Plinio teste libro 13.cap.22. vnguenta optimè seruantur in alabastris. Et apud Tullium li.2.Academ.dicitur alabaster plenus vnguenti. Significat alabastri nomẽ ansis carere vas. nam,α particula est priuans,& λάβη,ansa. Vnguentum autem odoriferum in conuiuium attulit fœmina hæc non abs re, sed ex more conuiuij. Erat enim mos conuiuas vngendi, vt constat ex verbis Christi ad Simonem:*Caput*,inquit, *meum non vnxisti.* Matthæi, *Cum ieiunas vnge caput tuum:* &, *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* hoc est, dum Rex in mensa recumberet, nardino vnguento perunxi illum.

Luc. 7. Alabastrum quodnam vas fuerit.

In conuiuio vsus erat vnguentorũ Luc. 7. Matth. 6. Cant. 1.

STANS *retrò,secus pedes eius*. Sumebant antiqui cibum in lectis recumbentes,& cubito innixi,atque in orbem circùm mensam positi. Vnde recumbere dicebantur,qui sumebant cibum. *Multi ab Oriente,& Occidente venient, & recumbent cum Abraham*, &c. *Recumbentibus illis*:id est,cibum capientibus. Recumbebat ergo Dominus in lecto à terra sublato, pedibus supra lectum locatis. Quamobrem fœmina non procubuit in genu à fronte:sed à tergo stetit,cœpitque pedes lacrymis rigare,non tamẽ erecta stetit, sed incuruata. Non enim lectus sublatus adeò fuit,vt stans recta,nec incuruata,lacrymis rigare,& osculari pedes potuerit. Maldonatus interpretatur,

Luc. 7. Antiqui cibum sumebant recumbentes. Matth. 8. Marci vlt.

Quomodo fœmina steterit secus pedes.

Luc. 7.

Quomodo Simon Christum Prophetam esse dubitauerit. Luc. 7.

Quo loco fœmina Christum vnxerit. Matth. 26.

Luc. 7.

Maldonat. pretatur, *ſtans retrò*, id eſt, conſiſtens retrò, conſtituta retrò. Credibile, ait, non eſt tàm altum fuiſſe thorum, vt ſtans recta mulier pedes oſcularetur, & capillis tergeret. Stetiſſe igitur, id eſt, cõſtitiſſe dicitur, &c. Contrà Ianſenius: Coniicere, inquit, licet triclinium more veterũ in edito fuiſſe, ita vt ſtans attigerit pedes Chriſti, &c. Fuiſſe autẽ altos lectos ſiue thoros indicat vulgatum Poëtæ carmen, *Inde thoro*, id eſt, lecto, in quo diſcumbebat: *Pater Aeneas ſic orſus ab alto*, &c. Opinor mulierem ſtetiſſe, vt dixi, ſed incuruaſſe ſe, ad tangendos Domini pedes.

Ianſen.

Thori ſiue lecti antiquorum. Æneid. 2.

Si noſtro more Chriſtus ſumpſiſſet cibum, in cathedra ſedens, pedibus ſub mẽſa latentibus, difficile eſſet intelligere, quonã modo retrò ſteterit mulier, & ſtans pedes fuerit oſculata. Vnde colligitur more illo antiquorum recubuiſſe in lecto edito; in menſam verſo capite, & vultu, pedibus apparentibus, & extenſis verſus exteriorem partem ſupra lectum, quos facile fuerit vngere, & oſculari. Quòd autem Chriſti tempore in lectis recumbentes Iudæi epularentur, ex Philone Iudæo colligitur in libro de Ioſeph pagina 476. de fratribus enim Ioſeph conuiuio exceptis, hæc ſcribit: Iuſſi ſunt ſedere iuxta ætatis ordinem. Nondum enim diſcumbendi mos receptus erat, &c. Quaſi dicat: iuſſi ſunt fratres Ioſeph, non diſcumbere ſed ſedere: quoniam diſcumbendi mos, qui noſtro tempore ſeruatur, nondum erat. Vixit autem Philo Apoſtolorũ temporibus. Prætereà Dominus ad diſcipulos: *Ipſe*, inquit, *oſtendet vobis cœnaculum magnum ſtratum*, videlicet lectos habens ſtratos.

Mos recũbendi ad menſam Chriſti tempore.

Philo.

Luca 22.

LACRYMIS *cœpit rigare pedes eius.* Quatuor obſequia Chriſti pedibus præſtitit hæc mulier. Lachrymis irrigauit, capillis terſit, oſculata eſt, odorifero vnguẽto imbuit. Quæ obſequia mulieris fuêre, peccatorum quærentis veniam. Hoc enim ſingulare in illa eſt, quòd non ad quærendam corporis, vt alij, ſed animi ſanitatem, ad Chriſtum venit. Iam adepta erat ſanitatem corporis, à dæmoniis ſeptem liberata, vt Lucas ait ca. 8. & Marc. 16. Nunc etiam animo medicinam adhiberi cupiebat. Mos erat in cõuiuiis caput vngere, vt colligitur ex verbis Chriſti ad Simonem, *Oleo caput meum non vnxiſti*: & Matth. *Cum ieiunas vnge caput tuum.* Quamobrem Matth. *acceſsit ad Chriſtum mulier, habens alabaſtrum vnguenti pretioſi, & effudit ſuper caput ipſius recumbentis.* hinc illud, *Paraſti in conſpectu meo mẽſam: impinguaſti inole ocaput meum: Et calix meus inebrians quam præclarus eſt*, &c.

Luca 7. Quatuor obſequia Magdalenæ

In conuiuiis caput vngere mos erat. Luca 7. Matth. 6. Matth. 26. Pſal. 22.

Cur ergo hæc mulier pedes, non caput vnxit? Maldonatus Matth. 26. credibile putat, non ſolùm pedes vnxiſſe, ſed etiam caput; Lucam verò capitis vncti non meminiſſe: id quod Ioannes quoq; fecit cap. 12. Nam Maria ſoror Lazari non ſolùm pedes Chriſti ante paſſionem pretioſo vnguento vnxit: verùm etiam caput, vt ex Matthæi 26. & Marci 14. conſtat. Ioannes verò vnctionis tantummodo pedibus exhibitæ meminit. Verò ſimilius videtur nunc pedes tantummodò vnxiſſe: poſtea verò, & pedes, & caput, vt ſuo loco dicemus. Chriſtus enim, cùm ſigillatim fœminæ recenſet omnia obſequia, capitis etiam meminiſſet, ſi caput vnctum fuiſſet. At illius nec Euangeliſta, nec Chriſtus vllam fecit mentionem. Sic enim Chriſtus ad Simonem: *Oleo caput meum nõ vnxiſti: hæc autem vnguento vnxit pedes meos.* Si caput ſimul vnxiſſet, dixiſſet Dominus: Tu non vnxiſti caput: hæc autem non ſolùm caput, verùm pedes etiã vnxit. Mutaſſe videtur idem auctor opinionem Lucæ 7. eo enim loco cur pedes nõ caput vnguento peccatrix imbuerit, rationem reddit: quòd fieri potuit, vt hoc vnguentum minùs pretioſum fuerit, indignum capite, neque enim dicitur à Luca pretioſum. At verò, cùm mulier hæc dines fuerit, probabilius crediderim vnguentum odoriferum, pretioſum, quamuis id Lucas ſiluerit, capitéque dignum fuiſſe.

An Magdalena vnxerit etiam caput Chriſti nunc?

Luca 7.

An vnguẽtum illud fuerit capite dignum.

Vnxiſſe verò pedes exiſtimo, potiùs quàm caput, humilitatis cauſa, & concepti ob peccata pudoris. Vnde Origenes tractatu 35. in Matthæum: Non fuit, inquit, auſa ad caput Chriſti venire: ſed lachrymis pedes eius lauit. Quaſi vix etiam ipſis pedibus eius digna præ triſtitia operãte pœnitentiam in ſalutem ſtabilem, &c. D. Hieron. Matth. 26. Non poterat, inquit, ſtatim capite Domini meretrix digna fieri, &c. Præterea pedes vnxit, quia à conſuetudine non abhorrebat pedes vngere in cõuiuiis. Certè Fuluius Vrſinus in appendice de Triclinio pedes etiam in conuiuiis vnctos ait, idq; ex Athenæo confirmat.

Cur vnxerit pedes, non caput. Orig.

Hieron.

Rogabis: ſi Chriſtus calceis vtebatur, vt diximus, lib. 1. cap. 6. quonam modo vngere pedes potuit peccatrix? Reſponderi poteſt Chriſtum ſandaliis vſum, quæ totum pedem minimè contegunt: atque adeò potuiſſe fœminã apertas pedum partes perungere. Sed dicendum potius ſandalia depoſuiſſe cùm in lectum aſcendit, ad capiendum cibũ: ideóque liberum fuiſſe fœminæ nudis pedibus huiuſmodi beneficium præſtare. Etenim conuiuæ, vt Fuluius Vrſinus in appendice docet, lectos aſcenſuri ſoleas deponebant, ne lectos pedibus fœdarẽt. Quod probat Ciacconius in libro de Triclinio ex marmoribus antiquis, & auctoribus. De diſcumbendi ratione plura dicenda, cùm ad Cœnam Domini Deo fauente peruenerimus.

Si Chriſtus calceis vtebatur quomodo vngi pedes potuerint.

VIDENS *autem Phariſæus.* Videbat hæc omnia Phariſæus, quoniam pedes Domini ſupra lectum poſitos fœmina vngebat, & oſculabatur, cunctis cernentibus. Nouerat mulierem, ſciebat eſſe peccatricem, ignorare id Dominum putabat: apud ſe verò temerè iudicãs aiebat: *hic ſi Propheta eſſet, quænam mulier hæc ſit non ignoraret*, tangique ſe à peccatrice minimè pateretur. Non reprehendit Chriſtum Phariſæus, quòd vngi ſe ſinat, ſed quòd vngi ſe ſinat à muliere peccatrice, quoniam in more poſita videtur fuiſſe vnctio illa. Non eſt admiratus Phariſæus vnctionem, quòd ſolita eſſet exhiberi in conuiuiis. Sed tamen lacrymas peccatricis inſolitas admirari debuit, & quærere; Cur peccatrix in conuiuio plorat? quorſum tot lachrymas læto fundit tempore? atque hinc de pœnitentia illius iudicare in hunc modum: Verè hæc mulier peccatrix peccata deplorat, agit pœnitentiam, ſceleribus nuntium remittere parat. At ille, non de pœnitentia peccatricis: ſed de ſcientia Chriſti iudicat. *Hic* (inquit) *ſi eſſet propheta, ſciret vtique, quæ & qualis eſt mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix eſt.* Inepta hæc eſt tua conſecutio Simon, hominiſque quid ſit Propheta ignorantis. Numquid prophetæ omnia ſciunt? Non legiſti Eliſæum prophetam, quid fœminæ Sunamitidi accidiſſet ignoraſſe? *Anima eius*, ait Eliſæus, *in amaritudine eſt: & Dominus celauit à me, & non indicauit mihi*, &c. Poteſt ergo eſſe propheta, & qualis fœmina ſit ignorare. Sed non ignorat, qualis ſit fœmina: qui quales ſint cogitationes tuæ, nouit, quibus ſtatim reſpondebit. Non ignorat qualis fœmina ſit, prophetarum Dominus: imo quia qualis ſit egregiè nouit, ideò tangi ſe ab illa patitur. Scit eſſe peccatricem; ſed etiam ſcit eſſe pœnitentem. Si peccatrix eſt abiicienda, certè pœnitens eſt admittenda. Rectius intuliſſes: *hic quia propheta eſt, ſcit, quæ & qualis eſt mulier, quæ tangit eum, quia pœnitens eſt.* Potuiſti peccatricem videre, & non potuiſti videre pœnitentem? Sed præſtat oculos ad virtutes proximi cernendas habere; quàm ad cernenda vitia.

Phariſæi iudicium, de Chriſti ſcientia.

Admirari debuit Phariſæus fœminæ pœnitentiam.

Luc. 7.

4. Reg. 4.

Prophetæ nõ ſciũt omnia.

vitia. Si medicos non reprehendis, quòd ægrotos curandos admittant; ne reprehende medicum summum, quòd curandam admittat peccatricem. Non potest incusari salus, quòd ab ægris se tangi sinat. Nisi enim salutem tangant ægri, nequeunt esse sani.

Luc. 7. DVO *debitores erant cuidam fœneratori.* Pharisæi cogitationem intuebatur Christus. illi respondet, propositáque similitudine indicat, peccatricem iam pœnitentem, sanctiorem esse ipso Pharisæo. Duos, inquit, debitores habuit fœnerator quidam. Vnus quingentos denarios, alter debebat quinquaginta. debitum illis remisit, quoniam soluendo non erant. Dic quæso Simon, vter ex his debitoribus, fœneratorem maiori amore prosequitur, vel prosequi debet? Respondit Pharisæus, opinor ex his duobus, illum maiori amore fœneratorem cõplecti, qui maius beneficium, nimirũ quingentorum denariorum remissionem accepit. Quò enim acceptũ beneficium maius est; eò maiorem flagitat, erga illum qui confert, amorem. Debito argẽti exoneratur debitor; sed amoris debito oneratur. Quò est maius amoris debitum, quod remittitur; eò est maius amoris debitum, quòd cõflatur.

Parabola ostendit Dominus fœminam pœnitentem esse meliorem Pharisæo.

Luc. 7. VIDES *hanc mulierem?* &c. Pharisæi responsionem approbauit Dominus. Rectè, inquit, respondisti. Deinde ad mulierem, quæ retrò erat, ore conuersus, sic illum est affatus. Vides hanc mulierem, quam peccatricem appellas? Vicit te factis. Nam tu aqua pedes meos non abluisti; hæc autem lachrymis illos irrigauit, capillis vice lintei tersit. Osculum ori non dedisti. hæc mille oscula pedibus dedit. Oleo caput meum non perfudisti, hæc vnguento pretioso pedes meos perfudit. Itaque à fœmina, quàm peccatricem dicis, tu vir Pharisæus superatus es. Videtur in more fuisse posita pedum ablutio, vt conuiuæ iis ablutis, lectos conscenderẽt, siquidem in lectis stratis accumbere solebant; ideò Dominus ait: *aquam pedibus meis non dedisti.* alioqui si in more non fuisset, respondisset Pharisæus: Quorsum darem aquam pedibus homini non peregrinanti? Nisi forte quis velit dicere, dominum tunc venisse in ciuitatem illam alio ex loco, & à Pharisæo exceptum: ideóque dixisse: *Aquam pedibus meis non dedisti.* Nam peregrinorũ pedes abluere cõsuetudo erat. Tribus Angelis, qui peregrinorum gerebant speciem, Abraham pedes voluit abluere: similiter Lot. Græcè legitur, ἐπὶ τῶν ποδῶν, id est, aquam super, vel in pedes meos non dedisti. Idem significat nostra versio. Præterea osculum pacis dare antiquis fuit mos. Vnde illud Pauli, *Salutate inuicem in osculo sancto*: idque osculum à Iuda Christo datum indicat. Idcircò Dominus ad Simonem ait: *Osculum mihi non dedisti.* Obserua autem verba illa: *Hæc ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos*: indicant enim vehementem mulieris affectum, & ardorem. Quod autem additur: *Oleo caput meum non vnxisti: hæc autem vnguento vnxit pedes meos*: ex more etiam sumptum est. Quasi dicat: Tu ne oleo quidem simplici, quo pauperes inunguntur, caput meum vnxisti: hæc verò fœmina vnguento odorifero vnxit pedes meos. Nam Græcè diuersa sunt nomina, priori loco: *Oleo caput meum non vnxisti*: Græcè nomen est, ἔλαιον, posteriori loco: *Hæc vnguento vnxit pedes meos*: nomen est, μύρον. illud significat oleum, hoc secundum significat vnguentum. Potest tamẽ oleum significare vnguẽtum, quemadmodum & Psalm. *Vnxit te Deus oleo lætitiæ.* id est, vnguento pretioso. Græcè est nomen ἔλαιον.

Pedum ablutio in cõuiuiis.

Luc. 7.

Gen. 18. Gen. 19.

Osculum pacis. Rom. 16.

Luc. 7.

Psal. 44.

Luc. 7. *Quomodo Christus ex parabola*

PROPTER *quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa: quoniam dilexit multum.* Verba hæc difficultatem continẽt. Etenim videtur ex parabola proposita, & ex concessis à Pharisæo, non fuisse hoc colligendum. *Remittuntur ei peccata multa: quoniam dilexit multùm.* Sed potiùs; Quoniam remissa sunt ei peccata multa: ideo dilexit multũ. Parabola namque indicat maiori amore diligi fœneratorem à debitore, cui maius debitum remissum est; idque indicauit Simon, & approbauit Christus. Statuatur igitur hæc propositio. Is cui maius debitum dimittitur, magis diligit; vel is cui debitum magnum remittitur, multùm diligit. Si velis argumẽtandi formam sequi, addes assumptionem, & conclusionem huiusmodi: Atqui fœminæ huic peccatrici maius debitum dimissum est, quàm Pharisæo: ergo plus diligit, quàm Pharisęus. Vel, feminę huic magnum debitum dimissum est: ergo dilexit multùm, dilexit inquam multùm quia remissa sunt ei peccata multa. At Pharisæus diligit parum, quia putat sibi remissa esse peccata pauciora.

hoc collegerit. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

Vt igitur conueniant cum parabola Domini, nonnulli sic illa explicarunt. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam*, id est, idcircò, dilexit multùm. Vt sit sensus: Idcircò *dilexit multùm*: quia remissa sunt ei peccata multa; quemadmodum debitor idcircò multum dilexit, quia remissum est illi debitum multum. At mulier hæc nesciebat sibi remissa esse peccata multa. Ergo non idcirco multùm dilexit, quia remissa illi erant multa peccata. Præterea durum est exponere, *quoniam*, id est, *idcirco*. Alij sic interpretantur: *Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum*: id est, quod hinc constat; quia dilexit multùm, ita vt dilectio signum sit ex quo remissio colligitur peccatorum. In hunc sensum exponit Augustinus lib. 11. de Ciuit. Dei cap. 14. illud: *Ego clamaui, quoniam exaudisti me*: hoc est, clamaui. constat autem ab effectu me clamasse: quoniam exaudisti me. Sed sensus Psalmi huiusmodi est: Clamaui, quoniam exaudisti iam antea me: id est, quoniam expertus sum te alios meos clamores & preces exaudisse. Lege Hugonem Victorinum lib. 2. de Sacramentis parte 14. cap. 6. Non placet sensus; suauis enim literæ, & Patrum expositio docet, idcirco remissa esse peccata; signum verò remissionis esse dilectionem.

Quoniam dilexit multum, an idẽ sit quod idcirco.

August. Psal. 16.

Retenta ergo suaui Patrum interpretatione responderi potest, similitudinem illam à debitoribus sumptam, non esse explicandam de amore consequente debiti remissionem, vt est explicata. Sed de amore antecedente, hoc pacto. *Duo debitores erant cuidam fœneratori, vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque. Quis ergo eum plus diligit?* hoc est; Quis fœneratorem plus dilexit, antequàm debitum remitteret? Respondet Simon. *æstimo, quia is, cui plus donauit.* hoc est, Existimo fuisse dilectum magis fœneratorem ante debiti remissionem ab illo debitore, cui maius debitum quingentorum denariorum remisit. Nam fœnerator debitum maius propter maiorem, quem in debitore sentiebat, amorem, minus verò debitum propter minorem amorem condonauit. Tunc Christus; Rectè iudicasti. Vides hanc mulierem? magna in me caritatis officia contulit, quæ tu prætermisisti. propter quod dico tibi, fuisse similem illi debitori, cui magnum debitum quingentorum denariorum condonatum est, propter maiorem amorem. Nam huic mulieri remissa sunt peccata multa, quoniam dilexit multùm, quemadmodum illi debitori remissum est debitum maius, quia dilexit magis.

Amor antecedens remissionem peccatorũ, & consequens. *Luc. 7.*

Est quidem in speciem interpretatio accommodata, & nodum soluit. Sed mihi propterea non placet,

cet, quia ſimilitudinem à debitoribus ductam, vt cum verbis illis : *Remiſſa ſunt ei peccata multa, quia dilexit multum* ; congruat, recondito ſenſu explicat, quem illa non ſuauiter, ſed vi, & extorſione quadam exhibet. Interrogatio enim illa ; *Quis eum plus diligit?* ſi ſuauem & veram ſequamur interpretationem, quæ ſe cunctis audientibus profert, non de amore antecedente debiti remiſſionē, ſed de conſequente intelligitur; vt ſuprà explicamus,& omnibus eſt perſpectum. Si ſic rogem; Duo homines beneficium ab amico acceperunt; alter minus, alter maius. Vter ergo eum plus diligit? Quisnam intelliget me de amore præcedente beneficium, non verò de conſequēte interrogare? Nemo ſanè. Eodem ergo modo intelligenda eſt Chriſti interrogatio. Vulgari enim modo loquebatur, cùm quempiam interrogabat: aliter is à quo reſpōſum petebat,quid rogaretur minimè intelligeret. Quis credat Simoni protinus illum abſtruſum ſenſum tunc veniſſe in mentem, qui poſt tot annorū ſtudia inuentus eſt? Sanè exiſtimo Phariſæum verba vulgari accepiſſe ſenſu, Chriſtum quoque. Aliter aperire oportuiſſet, non loqui ſe de amore conſequente, quem præ ſe verba ferunt, ſed de amore beneficium præcedente, quem illa minimè indicant. Denique cùm Chriſtus hominem rogat, in eo ſenſu ſunt exponenda verba,quem prima facie indicant, non in ſenſu aliquo recondito, ad quem perſcrutandum ſtudio opus eſt. Qui enim reſpondet, iuxta ſenſum reſpondet, quem primò verba indicant,ſenſus autem reconditus latet.

Luc. 7.

Non loquitur Chriſtus de amore antecedente. Luc. 7.

Præterea, ſi de amore antecedente Chriſtus interrogationē intelligi voluiſſet, ſic rogaſſet. Quis ergo eum ante remiſſionem debiti plus dilexit, vel plus diligebat? At ille ait: *Quis eum plus diligit?* videlicet, poſt debiti remiſſionē. Quòd ſi quis dicat præſens ſumi pro præterito, inficiamur. Imo Græcus codex futurum habet, ἀγαπήσει. Neq; verò D. Auguſtinus de hac interpretatione cogitauit, cùm homil. 23. legit; *Quis eum plus dilexit?* Sed ſic intellexit; Quis fœneratorem poſt debitum dimiſſum dilexit plus? ſimilitudo enim de præterita re propoſita fuerat. Ad hæc, Chriſtus cauſam præcedentem, cur debitum condemnauerit fœnerator, ait fuiſſe inopiam; *Non habentibus*, inquit, *illis vnde redderent, donauit*, &c. Quod ſi de amore ageret præcedente, illum etiam veluti cauſam adiunxiſſet : at non adiunxit.

Præterea, hic ſenſus falſus eſt. Non enim maius debitum dimiſit fœnerator, quia à debitore magis diligebatur, & minus debitum, quia à debitore minus amabatur. Sed quia contigit alterum maiori, alterum minori debito eſſe obſtrictum. Nam aliquādo illum maiore amore proſequimur, cui minus debitum remittimus, quoniam non debet maius. quòd ſi maius deberet, etiam remitteremus. Si quis mihi quæſtionem hanc proponat : Vni debitori creditor remiſit mille aureos, alteri viginti. quis eum plus dilexit, vel diligebat, ante remiſſionem debiti? Sanè, non rectè reſpondebo. Diligebat eum magis is, cui plus dimiſit. Nam potuit is, cui minus dimiſit, diligere plus ante remiſſionem. At poſt remiſſionem is, qui maiorem accipit remiſſionem, maiorem debet amorem.

Eſt & alia interpretatio huiuſmodi. Poſt propoſitam parabolam reſpondet Dominus Simoni. In primis feminæ actus ex amore ortos indicat. *Vides hanc mulierem?* &c. Deinde infert; *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Quaſi dicat: in remiſſione argenti is plus diligit, cui plus remittitur: at in remiſſione peccatorum contra, ei plus remittitur, qui plus diligit. Ideo huic feminæ remiſſa ſunt peccata multa, quia dilexit multum. Non puto Chriſtum voluiſſe ſimilitudinem inuertere, & contrario ſenſu loqui.

Ibid.

Reſpondeo, parabolam propoſuiſſe Dominum, neque explicaſſe, quemadmodum & alias multas, quódque ex ea inferre volebat, ſubticuiſſe. Volebat autem inferre ex parabola duorū debitorum, debita multa, id eſt, peccata multa, eſſe aliquando occaſionem magni amoris atque ſanctitatis. Quia enim Phariſæus feminam appellauerat peccatricem, ſeque peccata pauciora commiſiſſe exiſtimabat, ſimilitudine oſtendit potuiſſe Phariſæum à femina vinci amore & ſanctitate, quamuis illa plura peccata patraſſet, hoc pacto: *Duo debitores erāt cuidam fœneratori, vnus debebat denarios quingentos, alius quinquaginta, vtrique eſt remiſſum debitum. Vter eum plus diligit? Reſpondit Simon, is cui plus donauit.* Subticuit Dominus parabolæ explicationem. Scilicet, Tu Simon, & hæc peccatrix duo eſtis debitores Dei. Tu debuiſti denarios quinquaginta, id eſt, pauciora peccata, hæc debuit denarios quingentos, id eſt, plura peccata. Vtrique Deus remiſit, tam tibi, quàm feminæ. Quemadmodum verò is debitor, cui plures denarij cōdonati ſunt, plus dilexit, quàm alter, cui condonati ſunt pauciores : ſic hæc femina, quàm tu peccatricem dicis, cui condonata ſunt plura peccata, multò plus dilexit quàm tu, cui pauciora ſunt dimiſſa, atque adeò multò ſanctior eſt, quàm tu. Hanc parabolæ explanationem prætermiſit Dominus, qua oſtendit feminam plus dilexiſſe, quàm Phariſæum, atque eo eſſe iuſtiorem. Tum probat feminam plus dilexiſſe, ex officiis caritatis, quæ ipſa exhibuit, Phariſæus verò prætermiſit. *Aquam pedibus meis non dediſti, hæc autē lachrymis lauit pedes meos, & capillis ſuis terſit. Oſculum mihi non dediſti, hæc autem ex quo intrauit, non ceſſauit oſculari pedes meos. Oleo caput meum non vnxiſti, hæc autem vnguento vnxit pedes meos.* Itaque oſtendit feminam Phariſæum ſuperaſſe actibus caritatis, pluſq; dilexiſſe eam, quæ plura debita, id eſt, peccata habebat, quod parabola indicabat. Poſtea hunc amorem quem habuit cauſam fuiſſe remiſſionis peccatorum indicat, dicens: *Propter quod dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Phariſæū verò minus dilexiſſe, quàm feminā, verbis ſequentibus oſtendit : *Cui autem minus dimittitur, minus diligit.* Id eſt, Tu Simon, qui exiſtimas pauciora peccata tibi eſſe dimiſſa, minus diligis, quàm hæc femina: quemadmodum debitor ille, cui minus dimiſſum eſt, creditorem minus dilexit. Vel aliter: Quia dixerat propter caritatem magnam multa peccata feminę remiſſa, docet, ei qui minorem habet caritatem pauciora remitti. Ita vt ſenſus ſit: illi cui minus dimittitur, propterea minus dimittitur, quia minus diligit. Si diligeret multùm, vt hæc femina, multùm illi remitteretur. Nam ſi caritas magna eſt, magna fit peccatorum remiſſio. Si minor eſt caritas, minor eſt remiſsio. Obiicitur, quæcumque parua caritas ad conſequendam multorum peccatorum remiſsionem ſatis eſt. Ergo non eſt hic verborum ſenſus. Reſpondetur, quamcumque paruam caritatem ad delēda peccata, quod ad culpam attinet, ſufficere. Locum verò hunc intelligendum etiam de pœna peccatis debita. Nam maxima caritas multorum expurgat peccatorum tum culpam, tum pœnam. Parua caritas culpam abſtergit, ſed non totam, vel maximam pœnam.

Explicatio parabolæ ad mentē Auctoris.

Luc. 7.

Ibid.

Luc. 7.

Quomodo parua caritas ad remiſſionē peccatorum ſufficiat, vel nō.

REMITTVNTVR *tibi peccata tua*. Quæritur, num feminæ huic tunc remiſſa fuerint peccata, cùm à Chriſto hæc verba ſunt dicta, an verò priuſquam dicerentur? Quòd enim cùm verba hæc dicerentur fuerint remiſſa, probant verba ipſa; *Remittuntur tibi peccata tua*, ſcilicet, nunc. Quòd autem iam priùs fuerint remiſſa, probant illa verba

Luc. 7. An fuerint remiſſa feminæ peccata, cùm à Chriſto verba remiſſionis audiuit, an antea

verba superiora: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum:* quæ ante hæc sunt prolata. Respondetur, peccata, si culpam spectes, priusquàm ad Christum venisset, mulieri fuisse condonata, cùm primùm contritionem, caritatémque corde concepit. Nimirum cùm à dæmoniis septem, quibus vexabatur, est liberata. Christus enim cùm corporis sanitatem conferebat, animæ quoque salutem & remissionem peccatorum tribuebat. Si verò spectes pœnam, tota atque integra pœna tunc illi remissa est, cùm Christus hæc verba protulit; *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Cùm autem mulieri dixit; *Remittuntur tibi peccata*; remissionem quam fuerat largitus, illi aperuit.

Quando ei remissa sunt quoad culpa & quoad pœnam. Luc. 7.

QVIS *est hic, qui etiam peccata dimittit?* Caietanus stupentis Simonis, & aliorum, qui simul recumbebant, verba hæc esse putat. Paulò ante, inquit, Simon nec prophetam reputabat Iesum: modò autem stupens cogitat, *quis est hic?* &c. vero similius est verba esse non stupentium, sed incusantiũ Dominum, quòd peccata dimitteret, Deique munus sibi vsurparet. Deum enim Christum esse ignorabant. Eundem in modum aiunt Scribæ, & Pharisæi: *Quis est hic, qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus.*

Quorum hæc verba fuerint, & ad quid dicta.

Luca 5.

Luca 7.

FIDES *tua te saluam fecit.* Tribuerat Dominus peccatorum remissionẽ caritati mulieris, cùm dixit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multũ.* Nunc tribuit fidei salutem. *fides*, inquit, *tua te saluam fecit.* Nam & fides, & caritas, adde etiam spem, & pœnitentiam, ad iustificationem concurrunt. fides autem illa saluos nos facit, quæ cum caritate, & operibus cõiuncta est, qualis huius mulieris fuit. Credidit, dilexit multùm, pedes vnxit, cæteráque caritatis opera præstitit. De tali fide ait Dominus: *fides tua te saluam fecit.* De falsa vanaque hæreticorũ fide verè dicitur *fides tua te damnatum fecit.*

Fides quæ ad salutem sufficiat.

Luca 7.

VADE *in pace.* Græce, πορεύου εἰς εἰρήνην, id est, *vade in pacem*, vel *in pace.* Theophylactus pacem putat dici iustitiam. sic verò interpretatur: vade in iustitiam, fac ea, quæ te Deo concilient. Pax enim (ait ille) iustitia est sicut peccatum inimicitiæ cum Deo. Melius pax sumitur pro animi tranquillitate, quam pœnitentia peccatorúmque parit remissio. Vade in pace, id est, tranquillo viue animo, ac quieto, in gratiam reducta Dei. Sumi etiam potest pro fælicitate, estque modus discedentem salutandi. *Vade in pace*, id est, fæliciter abi, discede fælix. Nam diximus alibi, pacem fælicitatem significare.

Quid sit vade in pace.

CAPVT XIII.

Fuerit ne mulier peccatrix Maria soror Lazari, & Magdalena?

QVænam fuerit hæc peccatrix fœmina, cui remissa sunt peccata multa, quia dilexit multùm, hactenus non aperuimus. Mariam Magdalenam, & sororem Lazari fuisse, recepta habet sententia. Ea verò nonnullis oppugnatur rationibus, non tamẽ expugnatur. Prima ratio huiusmodi est. Maria soror Lazari nobilis erat fœmina, ergo non est credibile, publicè peccatricem fuisse, atque impudicam, qualis hæc erat, de qua verba facimus. Adde, habuisse sororem virginem Martham, & Lazarum fratrem, qui nullo modo sororem paterẽtur infami vitio deturpari. Non est credibile (ait Origenes tract. 35. in Matthæum) vt Maria, quam diligebat IESVS, soror Marthæ, quæ meliorem elegerat, partem peccatrix in ciuitate fuisse dica-

Probatur fœminam peccatricem non esse Magdalenam, aut sororem Lazari.

Orig.

A tur, &c. Secundò, Maria soror Lazari ex Bethania erat, vt docet Ioannes cap. 11. quę sita est in Iudæa, ergo non est Magdalena. Nam Magdalena à Magdalo oppido Galilææ prope lacum Tiberiadis huc oriunda fuit. A patria enim Magdalo, Magdalena nominatur. Prętereà Maria Magdalena inter fœminas numeratur, quæ à Galilæa secutæ fuerant Christum in Iudæa: ergo ex Galilæa erat, non verò ex Iudæa, vt soror Lazari. Lege Marci 15. Tertiò, Magdalena à septem dæmonijs vexabatur, vt compertũ est; septem enim dæmonia ab illa Christus expulit. ergo non vacauit impudicitiæ. Etenim à dæmoniis vexatam fœminam homines fugiunt, non quærunt. Quartò, Magdalena familiariter Christum sequebatur, vt Lucas testatur, ministrans ei de facultatibus suis. Minimè autem decorum erat, fœminam paulò ante publicè impudicam Domino ministrare, & cum illo, & discipulis agere familiariter. Præberet enim Pharisæis calumniandi ansam. ergo Magdalena impudica non fuit. Quintò, in fine capitis septimi D. Lucas mulierem peccatricem ad Christum venisse, peccatorúmque remissione donatam narrat: mox initio capitis octaui, de Maria Magdalena tamquam de alia penitus diuersa fœmina loquitur. Scribit enim fœminas aliquot secutas esse Christum, illique de facultatibus suis ministrasse, inter quas Magdalenam numerat. ergo Magdalena non erat illa peccatrix. Sextò, peccatrix fœmina gentilis fuit: ergo non fuit soror Lazari, quæ Iudæa erat. Quod verò gentilis fuerit peccatrix fœmina, probatur; quoniam meretrix erat: meretrices autem esse Iudæas fœminas lex vetuit, *Non erit meretrix de filiabus Israel*, &c. Septimò, Spiritus sanctus voluit nesciri nomen peccatricis, idcirco illud Lucas subticuit. Ergo ignoratur etiam nunc. Si enim scitur, frustra Lucas illud silentio oppressit. Octauò, Maria Magdalena Christum sequebatur, illique ministrabat ex facultatibus suis, vt Lucas ait: at soror Lazari Maria, vt idem scribit cap. 10. cum Martha sorore habitabat in Bethania, neque illi ministrauit, sed secus pedes sedit: ergo diuersæ sunt mulieres.

Matth. 27

Luca 8.

Ibid.

Deut. 23.

Luc. 8.

Origenes tractatu 35. in Matthæum, arbitratur Mariam Lazari sororem, non esse hanc peccatricem. Tres enim fœminas credit vnxisse Christum, sororem Lazari, Ioannis 12. alteram Matthæi 26. & Marci 14. præterea peccatricem, de qua agimus Lucæ 7. Hæc sententia est Theophylacti, Lucæ 7. cum aliis quos sequitur. Ego, inquit, credo iis, qui dicunt tres fuisse mulieres, quæ Dominum vnxerunt. Vnam quidem apud Ioannem, quæ soror fuit Lazari, aliam apud Matthæum & Marcum, & tertiam illam, de qua Lucas, scilicet peccatricem, &c. Subscribit opinioni Euthymius, Matthæi 26.

Qui tres Magdalenas dixerunt.

Theoph.

D. Chrysostomus homilia 81. in Matthæum, peccatricem hanc fœminam, sororẽ Lazari non fuisse existimat. Nam duas tantùm fœminas vnxisse Dominum putat, alteram hanc peccatricem, quæ Christum vnxit Luc. 7. item Matth. 26. & Marci 14. alteram sororẽ Lazari. Hæc inquit, mulier, vna & eadem apud omnes Euangelistas esse videtur. Meo autem iudicio, eadem est apud tres, scilicet, Matthæum, Marcum & Lucam. Alia verò quædam & mirabilis Lazari soror, apud Ioannem, &c. Et homilia 61. in Ioannem: Intelligendum, inquit, est, nõ fuisse sororem Lazari meretricem illam, de qua apud Matthæum, & Lucam scribitur, sed aliam: illæ meretrices & infames erant, hæc honesta & studiosa. eiusdem opinionis est Titus Bostrensis episcopus, & D. Hieronymus Mat. 26. Nemo, inquit, putet eandem esse fœminam, quę super caput effudit

Chrysost.

Duæ fuerũt non vna.

Hieron.

vnguentum, & quæ ſuper pedes. Illa enim & lachrymis lauat, & crine tergit, & manifeſtè meretrix appellatur, de hac autē nihil tale ſcriptū eſt.

Qui dubitant. D. Aug. tract. 49. in Ioan. dubitat his verbis: Ecce ipſa ſoror Lazari (ſi tamen ipſa eſt, quæ pedes Domini vnxit vnguēto, & terſit capillis ſuis, quos lauerat lachrymis) melius ſuſcitata eſt, quā frater eius, de magna malæ conſuetudinis mole eſt liberata. Erat enim famoſa peccatrix, &c. Dubitat quoque Petrus Damiani, ſiue Bernard. in ſer. de Magdalena, an peccatrix quā Mariam appellat, ſit illa, quæ caput Chriſti vnxit apud alios Euangeliſtas. Eſt vnguentū bonum (ait ille) quod Maria pedibus ſaluatoris infudit, eſt & melius, quod eadem (ſi tamen eadem) ſuper caput recumbentis effudit, &c.

Turrian. Quòd verò ſoror Lazari non fuerit Maria Magdalena, defendit noſter Turrianus in explanationibus libri tertij conſtitutionum Clementis, ca. 6. id eo loco opinatur Clemens: Erant, inquit, nobiſcum Maria mater Domini, & ſorores eius, & Maria Magdalena, ac Maria Iacobi, item Martha, & Maria ſorores Lazari, & Salome, &c. Ex quibus verbis liquet, Mariam Magdalenam, à Maria ſorore Lazari diuerſam eſſe. quam opinionem tribuit idem Turrianus Macario Ægyptio hom. 12. cenſetque Mariam Magdalenam fuiſſe peccatricem: Mariam verò aliam ſororem fuiſſe Lazari.

Duas verò Magdalenas fuiſſe, nonnullos ex antiquis dixiſſe refert Hieronym. in quæſtionibus ad Hedibiam quæſt. 4. ex eodem vico Magdalo Magdalenas appellatas. Idem ait, ex Euſebio ad Marinum, Anaſtaſius in quæſtionibus in ſcripturam.

Peccatricem fuiſſe ſororem Lazari qui teneāt. Hanc autem peccatricem ſororem fuiſſe Lazari D. Auguſtini ſententia eſt, lib. 2. de conſenſu Euangeliſtarum cap. 79. quo loco docet eamdē Mariam Lazari ſororem bis Chriſtū vnguento vnxiſſe. ſemel Luc. 7. cùm remiſſionem peccatorum eſt adepta: iterum in Bethania Ioan. 12. de qua vnctione ſuo loco dicemus. eſt etiam D. Greg. li. 6. Epiſt. epiſtola 22. ad Gregoriam Auguſtæ cubiculariam: ſororem enim Lazari aperte eam eſſe affirmat, cui remiſſa ſunt peccata multa, quoniam dilexit multum. Lege eumdem homilia 33. & 25. in Euangelia.

Autor imp. Idem opinatur Autor imperfecti hom. 15. in Matt. Maria, inquit, poſtquam conſcientiam ſuam lachrymis pœnitentiæ lauit, poſteà infudit oleum ſuper caput Chriſti, Ioan. 12. & impleta eſt domus odore, &c. Rupertus Ioan. 12. Hæc (ait) eadem Maria ſoror Lazari peccatrix: eadem, inquam, ſicut à diligentioribus tractatoribus veraciter aſſertum

Beda. eſt, &c. Beda in Lucam; Qui diligentius, inquit, inueſtigant, inueniunt eamdem mulierem, Mariam videlicet Magdalenam, ſororem Lazari, bis eodem functam fuiſſe obſequio, ſemel hoc loco, cùm primò accedens cum humilitate, & lachrymis remiſſionem meruit peccatorum. Secundò autem in Bethania non iam peccatrix, ſed caſta, & ſancta, non ſolùm pedes, ſed & caput eius vnxiſſe reperitur. Sic ille. Habetur hæc opinio in præfatione

Orig. Ambroſianæ miſſæ de Magdalena. Multorum fuit antiquorum, de quibus Origenes tractatu 35. in Matth. Multi, inquit exiſtimant de vna eadémque muliere, quatuor euāgeliſtas expoſuiſſe, quia conſcripſerunt tale aliquid de muliere: & omnes ſimiliter alabaſtrum vnguenti nominarunt, &c. Ipſe quoq; Orig. in celebri illa hom. de Maria Magdalena, illā ſequitur: ſic enim ſcribit: A Phariſæo te defendebat, à ſorore tua diligenter excuſabat. Olim laudabat te, quando vnguento pedes eius vngebas, & lachrymis rigabas, capillis tergebas, dolorem tuum mulcebat, peccata dimittebat, &c.

Denique hæc eſt recepta ſententia non ſolùm à Doctoribus, verùm etiam ab ipſa Eccleſia, cuius auctoritas maximum habet pondus. Eſto non definiat, ſed tamquam certiorem hāc opinionem ſequatur, ſua auctoritate maximam illi addit auctoritatem. Confirmatur igitur Eccleſiæ auctoritate, quæ apertè in feſto Mariæ Magdalenæ, ſentit ſororem Lazari fuiſſe Mariam Magdalenam peccatricem. Neque verò videtur Spiritus Sanctus fuiſſe permiſſurus, vt ſoror Lazari tam ingenti infamiæ nota ab Eccleſia commacularetur. Ecquis credat, caſtiſſimam fœminam, toto terrarum orbe, peccatricem fuiſſe, & impudicam ſingulis annis ab Eccleſia prædicari? Prætereà, probatur ex verbis D. Ioan. Cùm peculiare factum ſororis Lazari commemorare, & ſignum proprium præbere vellet: *Maria, inquit, erat, quæ vnxit Dominum vnguento, & exterſit pedes eius capillis. Cuius frater Lazarus infirmabatur*, &c. quaſi dicat; Maria ſoror Lazari fœmina illa erat peccatrix, quæ recumbentis Chriſti in domo Phariſæi pedes vnxit, & terſit capillis. Sic Auguſtinus exponit lib. 2. de conſenſu Euangel. cap. 79. Scio poſſe verba Ioannis de vnctione exponi, de qua ipſemet agit, cap. 12. ſequenti, hunc in modum; Maria erat illa fœmina, quæ, vt mox dicam, Domini vnxit pedes, & capillis terſit. Verumtamen cùm Ioannes, vt diximus, peculiare, ac ſingulare factum ſororis Lazari commemorare voluerit, ex quo agnoſceretur, ſit vt ſola ſoror Lazari Chriſti pedes vnxerit, & capillis terſerit, atque adeò ſit peccatrix mulier. Nam ſi alia fœmina hoc fecit, non ſatis indicaret hoc factum Mariam ſororem Lazari. Verba ergo Ioannis de vtraque vnctione intelligēda ſunt, hoc ſenſu. Maria erat, quæ vnguento vnxit bis Domini pedes, & capillis exterſit. Nulla enim alia præter illam, Dominum vnxit. Ad hæc, abſurdum eſt dicere, fœminæ nomen ignorari ab eccleſia, quæ adeò dilexit, adeò à Chriſto laudata eſt, quę tot caritatis obſequia Chriſto præſtitit: ergo credendum eſt, nomen illius eſſe notum Eccleſiæ, eſſéque Mariam Magdalenam ſororem Lazari, vt Eccleſia prædicat. Et quidem geſta eadem, idem ardor, eadem dilectio, eandem eſſe mulierem ſuadent. Denique, tàm hiſtoria de vita Magdalenæ conſcripta, quàm ſepulchri inſcriptio teſtantur peccatricem fœminā ſororem fuiſſe Lazari. Valeant igitur, qui aliud ſentiunt.

Fuit vna tantùm, nō plures.

Sententia ab eccleſia recepta, & deliumē ſenſus.

Ioan. 11.

Reſpondetur argumentis pro contraria opinione allatis.

Argumentis aduerſantibus reſpondeamus. Primò reſpondetur, Magdalenam publicam meretricem minimè fuiſſe, ſed delicijs, impudicitiæque deditam, idque palàm. quod in fœminam nobilem cadere potuiſſe nemo inficiabitur. Neque verò, vel frater Lazarus, vel ſoror Martha obſtare potuerūt, præſertim cùm illa ab eis diſceſſiſſet, alibique habitaret, in Galilæa. Obiicies, hāc fœminam appellari à patribus meretricem, ergo meretrix erat. ſic appellatur à Chryſoſt, homil. 61. in Ioan. citat. Hieronymo Matthæi 26. Iſidoro Peluſiota li. 1. epiſt. 142. Auguſtinus tract. 49. in Ioannē, famoſam appellat peccatricem. Reſpōdemus, meretricem dici, id eſt, impudicam, quamuis non omnino vulgaſſet corpus. erat enim nobilis, & diues. Prętereà ſatis erat, vt peccatrix & meretrix diceretur, ſi viri alicuius nobilis concubina eſſet, toto ſciente, & vidente populo. Quod ſi concedatur, dicemus fuiſſe virum potentem, nec valuiſſe Lazarum, aut Martham illi prædā eripere: potuit ſolus Chriſtus. Secundo reſpondetur, Mariam ſororē Lazari habitaſſe quidem in Bethania: Ioannes enim capite 11. Bethaniam oppidū appellat Mariæ, & Marthæ ſororis eius, quia in eo habitabant. Sed habitauit quoque antea in oppido Magdalo, à quo Magdalena eſt appellata, quoniam viro illius oppidi incolæ nupſerat.

Cur meretrix à Patribus dicatur.

nupſerat. nupſiſſe enim viro Magdali incolæ, Ian- A
ſenius ex aliis refert. D. Antoninus in vita Mag-
dalenæ, & alij aiunt, oppidum Magdalum hæredi-
tate illi obueniſſe. vnde ab oppido nomẽ Magda-
lenæ habere potuit. Illud certum in Galilæam ve-
niſſe, indeque Chriſtum Iudæam vſque eſſe comi-
Matth. 11. tatam, ſic habet: *Erant tibi mulieres multæ quæ ſecutæ*
erant Ieſum à Galilæa, miniſtrantes ei, inter quas erat Maria
Marc. 15. *Magdalena.* Marcus verò, *erant* (inquit) *mulieres de lon-*
ge aſpicientes, inter quas erat Maria Magdelena, & Maria
Iacobi minoris, & Ioſeph mater, & Salome, & cum eſſet in
Galilæa ſequebantur eum, & miniſtrabant ei, &c. Itaque
Maria in Galilæa nupſit, ibique poſtquam vita vir
functus eſt, corpus impudicitiæ tradidit. A Chriſto
conuerſa illum ſecuta eſt, Galilæam reliquit, & in
Bethaniam cum ſorore, & fratre habitauit. Tertio B
reſpondetur, Magdalenam à ſeptem fuiſſe dæmo-
niis Dei miſericordia agitatã, vt impudicitiæ nun-
tium remitteret. Iis verò à Chriſto expulſis, pec-
catorum pœnitentiam animo concepit, diuiniſq;
pedibus aduoluta remiſſionem impetrauit. Impu-
dica autem fuit, antequam à dæmoniis vexaretur.
Cum Magdalena ad Chriſtum venittum à dæmoniis liberata erat. Cùm ergo venit ad Chriſtum, iam à dæmoniis li-
bera venit. Vnde colliges, quidnam ad Chriſtum
Magdalenam adduxerit. Adduxit enim hoc tan-
tum beneficium: à dæmoniis libera pœnitentiam
agere, tantumque benefactorem ſummopere di-
Quidnam Magdalenã ad Chriſtũ ad duxerit? ligere cœpit. Tùm peccatorum dolore ſaucia, &
amore ardens, in conuiuium venit, pedes illius la-
crymis rigauit, capillis terſit, oſculata eſt, pretioſo C
vnguento perunxit. Suſpicor ego Magdalenam
ipſam à Simone Phariſæo familiari, vel conſan-
guineo petiiſſe, vt Chriſtum inuitaret, vt poſſet ip-
ſa magni beneficij largitori, illis caritatis officiis
gratiam perſoluere. Quarto reſpondetur, non fuiſ-
ſe indecorum, fœminam, cuius à dæmoniis libera-
tio pœnitentia, vitæque mutatio nota erat, Chri-
Cur Lucas peccatricis nomen taceuerit? ſtum ſequi, illique miniſtrare. Quinto reſponde-
tur, Lucam nomen Mariæ ſiluiſſe, quia peccatri-
cem appellauit, in fine capitis ſeptimi. Initio autẽ
capitis octaui nomen aperuiſſe, quia opus laude
dignum commemorabat, videlicet adminiſtraſſe
Chriſto ex facultatibus propriis; atque ideò videri
de Magdalena ita agere, ac ſi de illa capite præce-
dente nihil dixiſſet, cùm tamẽ peccatrix illa eſſet. D
Sexto reſpondetur, peccatricem fœminam nec
fuiſſe gentilem, nec meretricem, ſiue publicum
ſcortum, ſed impudicam, impudicitiæque infamia
Cur nomen peccatricis non ſit literis mandatum à Luca laboraſſe. Quod ſi D. Chryſoſtomus, & D. Hiero-
nymus meretricem vocant, meretricis nomẽ pro
impudica debet ſumi, vt diximus. Septimo reſpõ-
detur, Spiritum ſanctum noluiſſe à Luca nomen
peccatricis aperiri, vt doceret, nos, crimina pro-
ximi caritatis velo tegere. Præterea, vt doctoribus
id diſcutiendum relinqueret. Itaque ex Lucæ euã-
gelio ſciri noluit nomen peccatricis: ex Eccleſiæ
verò feſto, & doctoribus voluit cognoſci. Octauo
reſpondetur, Mariam ſororem Lazari Chriſtum
ſequi ſolitam in Galilæa, vt diximus, & Iudæa, ali-
quando tamen Bethaniam reuertebatur. In Betha- E
nia ergo erat, cùm Chriſtus, vt Lucas narrat capi-
te decimo, Bethaniam venit. Inde tamen ad ſequẽ-
Cur Lucas dixerit à Martha exceptum Chriſtum non à Magdalena? Luc. 10. dum Chriſtum diſcedebat. Obſerua autem non
dixiſſe Euangeliſtam illo capite decimo, Chriſtũ
eſſe exceptũ à Maria, ſed à Martha: *Mulier* (inquit)
quædam Martha nomine excepit illum in domum ſuam; qua-
ſi domus illa non eſſet Mariæ; quippe quæ Chriſtũ
ſequi ſolebat, Chriſtum ſolùm curabat. Quam-
obrem ad pedes eius ſe contulit, vt loquentem au-
diret, cibi præparatione relicta ſorori Marthę.

CAPVT XIIII.

Morale.

De conuerſione Magdalenæ.

Magdalena toti orbi oſtenditur, proponitur quæ, vt exemplar pœnitentiæ atque amoris

ECCE *mulier.* Meritò quidem oſtenditur toti terrarum orbi, omnibus viris, omnibúſque mulieribus, hæc mulier. *Ecce mulier.* Eſt enim totius orbis, omnium virorum, omniúmque mulierum ſingulare exemplum. Ecce mulier admirabilis, ecce mulier pœnitentia inſignis, ecce mulier diuino amore inclyta, ecce mulier Chriſto amoris obſequia præſtans, quæ nemo alius præſtitit. Ecce mulier illa fortis, quæ quæritur: *Mulierem fortem* (ait Salomõ) *quis inueniet?* Etenim impudicitiæ ingum, quo premebatur, ceruicibus excuſsit, Satanæ vincula fregit, tartarum ſuperauit. Ecce mulier, quæ, vt legitur Iudith 14. fecit confuſionem in domo Regis Nabuchodonoſor, id eſt, dęmonis. Ecce mulier, quæ libidinis vitium ingulauit, quod Holophernis inſtar, tartarei Nabuchodonoſoris dux eſt, orbem oppugnans. Vicit victorem, magnámque in domo Satanæ confuſionem fecit. *Procul, & de vltimis finibus pretium eius:* hoc eſt pretium eius magnũ, quale eſſe ſolet raræ mercis, quæ ex longinquis affertur regionibus. Rara res Magdalena, rara illius pœnitentia, rarus in Deum amor. Ecce mulier, ô peccator; illius pœnitentiam ante oculos propone, vt commiſſa peccata profuſis deleas lachrymis. Cuius enim vel ſaxeum pectus (ait D. Gregorius hom. 33. in euangel.) illæ huius peccatricis lachrymæ, ad exemplum pœnitentiæ nõ emolliant? & de ſe ipſo ſic ſcribit: Mihi cogitanti de Mariæ Magdalenæ pœnitentia flere magis libet, quam aliquid dicere, &c.

Prou. 31.

Greg.

Luc. 7. Cur Scriptura memoriæ prodat peccata ſanctorum. Auguſt.

QVÆ *erat in ciuitate peccatrix.* Literæ ſacræ Sanctorum peccata produnt memoriæ, non vt cadendi; ſed à peccato reſurgendi, proponatur exemplum. Quòd docet Auguſtinus initio pſalm. 50. de peccato Dauidis verba faciens: Non cadendi, inquit, exemplum propoſitum eſt; ſed ſi ceciderit, reſurgendi. Audiant qui non ceciderunt, ne cadãt; audiant qui ceciderunt, vt reſurgant, &c. Magdalenæ igitur crimina Lucas commemorat, peccatricemque appellat, non vt patrocinium quis peccatis ſuis hinc ſumat; ſed vt pœnitentiam peccatorum agere diſcat. Morbum proponit, & pœnitẽtiæ pharmaca, egregius medicus: morbũ vt fugias, pœnitentiæ pharmaca vt tuis morbis adhibeas. Egregius verò pictor prius imaginem atro carbone delineat; deinde illuſtriſsimis coloribus exornat. Quis tetrior carbo impudicitia? *Ecce* (inquit) *mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix*; id eſt impudica. Vidiſti colorem atrum. Pœnitentiæ addit, humilitatis, fidei, & caritatis, colores ſplendidiſsimos.

Luc. 7.

Tria tempora vitæ Magdalenæ

Tria ſunt in anno tempora; ver, hyems, æſtas. Tria hæc tempora in vita Magdalenæ reperiuntur. Vernum vitæ tempus hoc fuit, quo erat in ciuitate peccatrix. Tale ſibi pingunt impij ver. *Vino* (inquit) *pretioſo, & vnguentis nos impleamus; non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos roſis, antequam marceſcant, nullum ſit pratum, quod non pertranſeat luxuria noſtra*, &c. Florido velut in vere, Magdalena hoc tempore, ætate, pulchritudine, veſtibus, criniúmque decore florebat. Succeſsit Veri hyems nubibus & pluuiis, id eſt, dolore, lachrymiſque plena; qua cuncti ad Chriſti pedes prociderunt flores, delicię, vnguenta, veſtium criniumque decor; cùm peccatorum geſsit pœnitentiam, & lachrymis crimina abluit. Tertium tempus fuit æſtiuum, hoc eſt ardentiſſimum

Sap. 2.

mum;quo diuino amore ad mortem vsque venementer æstuauit.

Magdalena speculum peccatorũ.

Peccatorum speculum est hęc peccatrix.Speculum à tergo habet aliquid atrum, atque opacum; opaco crystallus imponitur splendidissima.Eunde in modum,hoc peccatorum speculu opacum habuit aliquid, & atrum,videlicet crimina multa; erat enim *mulier in ciuitate peccatrix*. Sed crystallum habet splendidissimam,nimirum illustrissima pœnitentiam.Peccatrix fuit,pulchritudinem,dataque à Deo dona,luto impudicitiæ immersit,iuxta illud, *Circulus aureus in naribus suis,mulier pulchra,& fatua*,&c. Quemadmodum sus aureum annulum naribus appositum cœno conspurcat;sic peccatrix hæc auream pulchritudinem à Deo donatam vitæ impuritate contaminauit. Sed ex naribus suis ereptus annulus,pretioso rutilans lapide,emudatus,Christóque est oblatus.Et,vt canit Ecclesia:*In thesauro reposita Regis est drachma perdita, gemmáque luce inclyta de luto luci est reddita.*Peccatrix fuit fœmina,mortua est sicut frater eius Lazarus, iam fœtebat, plus quam quatriduana erat.Erat enim in ciuitate nota peccatrix.Sed quod de infirmitate,& morte fratris Lazari dictum est,in mortem quadrat sororis.ait Dominus: *Infirmitas hæc non est ad mortem sed pro gloria Dei, vt glorificetur Filius Dei per eam*, &c.Similem in modu, infirmitas Magdalenæ,& spiritalis mors,nõ fuit ad mortem,ad morte,inquam,æternam: sed pro gloria Dei,vt glorificaretur Filius Dei per eam. Sicut enim Filius Dei per resurrectionem corporalem fratris Lazari maxime est glorificatus:sic per resurrectionem spiritalem sororis illius Magdalenę eximiam gloriam est assecutus. Lege Rupertum de operibus Spirit.sancti lib.2.ca.28. Permissa, inquit, est Lazari soror mori in peccatis, & esse famosa peccatrix,non ad mortem,siue ad interitum æternum;sed pro gloria Dei,&c. Magnam ex resurrectione Magdalenæ gloriam assecutus est Christus; magnam quoque,imo maximam,ipsa Magdalena, tam in terra,quam in cælo.In terra quidem, quoniam gemmato euangelij curru,per orbem triumphans fertur: iuxta illud Domini, *Vbicumque prædicatum fuerit euangelium istud in vniuerso mundo & quod fecit hæc,narrabitur in memoriam eius* &c. In cælo autem, quoniam immortali præclarissimaque inter Seraphinos beatitudine perfruitur. O fælicem peccatricem! Fas sit etiam dicere ô fælicem culpam,quæ talem, ac tantam habuit pœnitentiam.

Luc.7.

Marci 14.

Ioan.11.

Lazari infirmitas ac Magdalenæ insignem Christo gloriam pepererunt.

Luc.7. Vt cognouit,quòd accubuisset. Iam Christus expulerat a Maria dæmonia septem. Christi igitur pedes vngere,criminumque remissionem petere, & pro beneficio gratiam aliquam referre cupiens, rogauit Simonem,vt Christum ad prandium, siue cœnam vocaret. Rogatum aute Phariſæum à Magdalena, vt Dominum inuitaret, coniicit etiam Simon Cassianus lib.9.cap.29. Forsitan, inquit, ipsa prænenit Phariſæum tamquam sibi familiarem, & cognitũ;rogans eum,vt ipse pro discubitu in sua domo rogaret Iesum &c. Rogatus Dominus venit domum,quid factura esset Magdalena præuidens; cuius fercula, multò magis, quàm Phariſæi cibos, expetebat;cuius lacrymas,multò magis quàm homines pretiosissima vina sitiunt, sitiebat.

Simon rogatus Magdalenæ Christum inuitauit.

Luc.7. Lacrymis cœpit rigare pedes eius. Inter epulas (ait Diuus Gregorius) lacrymas Magdalena occulit.Discite quo dolore ardet, quæ flere inter epulas nõ erubescit,&c. A lacrymis cœpit Pœnitentis enim est,ob peccata commissa dolore angi, ac lacrymari.*Lacrymis*,inquit,*cœpit rigare pedes eius*. O nouam pœnitentiæ irrigationem! O inauditam pedum ablutione! peluis instar oculi se habent,aquę lachrymæ sunt,linteum crines. Vt aquis irrigata tellus fructum affert vberem,sic Dei pedes pœnitentiæ lacrymis irrigati,fructum vberrimum attulerunt,nempe criminum remissionem.*Remittuntur*, inquit,*tibi peccata*.D.Chrysostomus hom. 6. in Matthæum:Illa,inquit,in euangelio meretrix,à maximis sordibus peccatorum,largissimo lacrymarum fonte purgata est,&c.Solet cælum irrigare terram; at vice versa nunc terra irrigat cęlu,hoc est,oculi terreni, pedes Dei. Mutatur ordo rerum (ait D. Chrysologus serm.93.)Pluuiam terræ cælum dat semper;ecce nunc rigat terra cælum. Imo super cælos,& vsque ad ipsum Dominum imber humanarum profluit lacrymarum,&c. Fructiferę illæ sunt lacrymæ,quæ ob crimina profusæ Christi rigant pedes. O quanta vis est,in lacrymis peccatorum (ait Chrysologus loco citato) rigant cælum, diluunt terram,extingunt gehennam,delent in omne facinus latam diuina promulgatione sententiam, &c. D.Chrysostomus homil.6.in Matth.In sæculatibus iudiciis,quantumlibet post acceptam sententiam lamenteris,non tamen effugies flendo supplicium.Hic verò si toto corde ingemueris ad Deũ, soluiti repente sententiam,veniamque meruisti, &c. Steriles sunt illæ lacrymæ, quæ mundi rigant arenam:hoc est, quæ propter terrena funduntur incommoda. Plorandi sunt qui taliter plorant: ait Cardinalis Petrus Damiani in sermone de Magdalena. Religiosa enim tristitia, aut alienum peccatum luget, aut proprium.sic ille.

Lacryma fœcunda.

Chrysost.

Chrysol.

Fructifera lacryme quæ sint.

Chrysost.

Steriles mœdi lacrymæ.

Obserua verbum *rigare*, quod lacrymarum indicat copiam : lacrymis rigabat pedes, quia largiter flebat. Flet copiose is, qui vere pœnitens, tum peccatorum grauitatem, tùm Dei, quem offendit, maiestatem nouit. Magnus Gregorius Iob 37. ad illa verba : *Super omnes cælos ipse considerat*,&c.ait.Graui, inquit, luctu afficit gratia, quæ post facinora mentem replet, &c. Et ad illa verba,*Post eum rugiet fremitus*: Quem :ait, illustrando repleuerit Dominus,eius vitam in lamentum vertit. Atque illuminatæ menti,quò magis æterna supplicia insinuat,eò hanc durius de tranſacta nequitia gemitibus fatigat.Et dolet homo quod fuit;quia bonum iam incipit videre,quod nõ fuit.Odit qualem se fuisse meminit:amat qualem se esse debuisse cognoscit.Et sola iam pœnitentiæ amaritudinẽ diligit: quia caute considerat,in quantis voluptatibus sua delectatione peccauit, &c.

Copiosè flet qui peccatorum nouit grauitatem.

Gregorius. Mag. Iob 37.

Rigabat Magdalena Christi pedes lacrymis: copiosè flebat,quæ copiose peccauerat. Rigabat beatam illa terra,quę remissionis fructũ tulit. Itaque verbum rigare,& fructum indicat irrigatæ terræ;& lacrymarum copiam,quæ gemmarum instar oculos,genasque Magdalenæ exornabant. Non enim sic in mundo muliebri fulgent margaritæ,vt in facie illa beata fulgebant lacrymæ. Quod de Dauide dixit Chrysostomus, Magdalenæ commodemus hom.30.in Gen.Quid(inquit Chrysostomus)oculis illis formosius,perpetuo lachrymarum imbre, & quasi margaritarum decore ornatis?&c.

Luc.7. Et capillis capitis sui tergebat. Non carebat linteis; sed vis amoris fecit,vt pro linteis ad extergẽdum lacrymas, capillis vteretur. Titus Bostrensis Episcopus antiquus :Vt per ea,inquit, aucuparetur sanctitatem, per quæ iuuentutem pellexerat ad noxam, &c. Euthymius: Ab iis, vnde prius ipsa suam venabatur perditionem; ab eisdem nunc venata est salutem, &c. Magni faciunt fœminæ aureos capillos.Quod igitur magni faciebat,in Christi pedes Magdalena impendebat, passis capillis quasi mortuam se plangebat : vt autem vitæ redderetur,Vitæ ipsius pedibus hærebat. O beatos capillos, qui Dei pedes exterserunt! Pretiosa

Capillis Magdalena sanctitatem aucupatur, quibus pellexerat ad noxam.

Luca 7. De lacrymis

fuit

fuit Abſalonis cæſaries: ſed multò hæc pretioſior. Colore fuit illa nobilis, hæc nobilior. Nobiliſſimum enim ex pedibus Chriſti colorem hauſit. Ex capillis ſuis ſuſpenſus ille periit; Magdalena capillis vitæ pedes extergens, vitam inuenit. O fælicem fœminam, quæ flauos crines ad pedes abiicit Chriſti: infelix, quæ pulchro Abſaloni ſimilis, ſe ipſam ſuſpendit ex crinibus.

Luc. 7. Alabaſtrũ eor Magdalenæ plenũ vnguento.

ET *vnguento vngebat.* Vnguentum (ait Gregorius homil. 33. in Euangelia ſibi fœmina pro odore carnis ſuę adhibuit. Quod turpiter ſibi exhibuerat, hoc iam Deo laudabiliter offerebat, &c. Alabaſtrum viſibilis vnguenti attulit viſibile, ſed aliud ferebat alabaſtrum ſpiritalis vnguenti inuiſibile; nimirum cor humilitate, contritione, fide, ſpe, & caritate plenum. Hæc pretioſa ſunt vnguenta, quæ illius vulneribus medicinam attulere, hęc vnguenta odorifera, quæ cælum ipſum mirò odore perfudere. Chriſti nomen vnctum ſignificat, meritò ergo vnctus eſt in conuiuio à Magdalena. Forſitan ea vnctione, Meſſiam illum eſſe, id eſt, vnctum, ſignificare volebat; pedes vnxit propter humilitatem: ad caput accedere non eſt auſa. Magdalenæ hæc vnguenta ad hunc vſque diem odorem ſuauiſſimum in Eccleſia ſpirant, ſpirabuntque in ſempiternum.

A Phariſæo vocatus eſt Dominus, ſed à Magdalena ſuauiſſimo epulo refectus.

Vocauerat ad conuiuium Phariſæus Chriſtum, ſed à Magdalena vnctus eſt. Ad Magdalenæ conuiuium venit Dominus, potiùs quàm ad conuiuium Phariſęi. Ille vocauit, hęc ſuauiſſimas epulas apposuit. Diuus Gregorius hom. 33. Ad Phariſæi prandium Dominus diſcumbebat: ſed apud pœnitentem mulierem mentis epulis delectabatur. Apud Phariſæum paſcebatur foris, apud mulierẽ paſcebatur intus. Plus pœnitens mulier paſcebat intus, quam Phariſæus foris, &c. Quæ ſuauiores Deo, Angeliſque epulæ ſunt, quam animi ſubmiſſio, cordis contritio, fides, & amor? has obtulit Maria. Diuus Chryſologus ſermone 93. Pœnitentiæ, inquit, ponit menſam, fercula compunctionis apponit, panem doloris infert, potum lachrymis temperat in menſura, &c. ô epulas Deo, Angeliſque ſuauiſſimas! Si gaudium eſt in cælo, ſuper vno peccatore pœnitentiam agente: quale fuit gaudium ſuper hac vna peccatrice, pœnitentiam agente talem? Profectò gaudium tale fuit, qualis pœnitentia. Eximia pœnitentia, eximium gaudium. Numquam Deus has faſtidit epulas: *Cor contritum, & humiliatum*, ait Vates, *Deus non deſpicies*, non faſtidies. Neque verò dulcis in hoc conuiuio defuit muſica, vt idem D. Chryſol. indicat; Ad delicias, inquit, Deitatis, totam pulſat cordis ſui & corporis ſymphoniam. Organi planctus dat clamorem, citharam per ſuſpiria lõga modulatur; gemitus aptat in fiſtulam, & dum pectus ſæpè percutit, facit placitura Deo cymbala perſonare &c. Homines vocum; Deum verò lachrymarum gemituumque concentus oblectat.

Chryſol. Magdalenæ epulum & menſa.

Pſal. 50. Muſica in conuiuio. Chryſol.

Homines vocũ, Deum lacrymarũ contentus oblectat. Rom. 6.

Ait Paulus, *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire iniquitati, ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ, in ſanctificationem* &c. Exhibuit Magdalena membra ſua ſeruire peccato; iam nũc eadem exhibet ſeruire iuſtitiæ. Euthymius: Quæ primùm fuerunt inſtrumenta peccati, ea nunc fecit inſtrumenta virtutis, &c. Diuus Gregorius homilia 33. Vnguentum, inquit, quod ſibi turpiter exhibebat, iam Deo laudabiliter offerebat; oculis terrena concupierat, ſed hos iam per pœnitentiam conterens flebat; capillos ad compoſitionem vultus exhibuerat, ſed iam capillis lacrymas tergebat; ore ſuperba dixerat, ſed pedes Domini oſculans, hoc in Redẽptoris ſui veſtigia figebat. Quot ergò in ſe habuit oblectamenta, tot de ſe inuenit holocauſta.

Magdalena oblectamẽta fiunt holocauſta.

Conuertit ad numerũ virtutũ numerũ criminum; vt totum Deo ſeruiret in pœnitẽtia, quidquid ex ſe Deum contẽpſerat in culpa, &c. Audiamus etiam D. Chryſoſt. de hoc Magdalenæ facto loquentem, homilia 6. in Matthæum, Illa, ait, in Euangelio meretrix, virgines quoque ipſas honeſtate ſuperauit, & incredibilis in Chriſtũ amoris igne incenſa, & à maximis ſordibus peccatorũ, largiſſimo lacrymarum fonte purgata. Quia enim perfectè incaluerat pœnitẽdo, bacchari (vt ita dixerim) cœpit, deſiderio exagitata Chriſti. Siquidem continuò, & crines reſoluit, & ſanctos pedes vberibus diluẽs lacrymis, ac propriis extergens capillis, pretioſo rigauit vnguento. Et hęc quidem extrinſecus cuncta faciebat. hæc ille. Quis verò poſſit fando explicare ea, quæ intrinſecus in corde Magdalenæ agitabantur, dolorem, compunctionem, pœnitentiam, ardorem, deſideria, caritatem, fidem, anteactæ vitæ deteſtationem, de futura vita ſanctè agenda decreta conſtantiſſima? De iis Chryſoſt. eadem homilia, Ea, ait, quæ in ſecreto mentis agitabat, multò erant feruentiora iis, quę extrinſecus, faciebat multoq; maiora, quæ tantummodò Deus ipſe cernebat, &c. Silebat os, clamabat cor. Os nihil petebat vocibus, cor poſtulabat affectibus.

Chryſoſt.

DVO *debitores erant cuidam fœneratori.* Duos habet Deus debitores: pœnitentem & innocentem. Vterque Deo debet, tam is, qui innocentiam in baptiſmo donatã ſeruauit, quàm is, cui Deus flagitia commiſſa remiſit. Deus enim, qui peccata remittit pœnitenti; innocentiam baptiſmalem conſeruat innocẽti. Quod Auguſtinus docet in lib. quinquaginta homiliarũ hom. 23. Hic, inquit, multa commiſit, & multorum debitor eſt factus. Ille Deo gubernante pauca commiſit. Cui deputat ille, quod dimiſit; huic & iſte deputat, quod nõ commiſit. Agnoſce gratiam eius, cui debes, & quod non admiſiſti Deo debet iſte, quod factum eſt & dimiſſum vidiſti; Deo debes & tu, quod non admiſiſti. Nullum enim eſt peccatum, quod fecit homo, quod non poſſit facere alter homo; ſi deſit rector, à quo factus eſt homo. ſic Auguſtinus. Et lib. 2. Confeſſionum cap. 7. Gratiæ, inquit, tuæ deputo, & miſericordiæ tuæ, quòd peccata mea tanquàm glaciem ſoluiſti. Gratiæ tuæ deputo, & quæcunque non feci mala. Et omnia mihi dimiſſa eſſe fateor, & quæ mea ſponte feci mala, & quæ te duce non feci, &c. Debet ergo pœnitens Deo ſatisfactionem; debet amorem, & gratiarum actionem. Debet innocens, etſi non pro peccatis, quibus ſe minimè obſtrinxit, ſatisfactionẽ; tamen, amorem & gratiarum immortalem actionem. Quæſtio eſt; Vter maiores debeat Deo gratias, maiorémque amorem, & obſequia: pœnitens ne, an innocens? Diuus Auguſtinus libr. 2. Confeſſionum capite indicato, innuit innocentem maiorem debere amorem, & gratias. Eius hęc ſunt verba: Qui vocatus à te, ſecutus eſt vocem tuam, & vitauit ea quæ me, de me ipſo fatentem legit; non me derideat, ab eo medico ægrum ſanari, à quo ſibi præſtitum eſt, vt non ægrotaret, vel potius minus ægrotaret. Et ideo te tantumdẽ, imo verò amplius diligat: quia per quem me videt, tantis peccatorum lãguoribus exui, per eum ſe videt, tantis peccatorũ languoribus non implicari, &c.

Luc. 7. Duo Dei debitores ſunt pœnitens & innocens.

Auguſt.

Gratia Dei deputanda, quæcunque mala non fecimus.

Deus nos præſeruat à peccatis quæ non committimus.

Vter maiores debeat Deo gratias innocens an pœnitens.

Reſpondemus quæſtioni, tam pœnitentẽ, quàm innocẽtem, immortales Deo gratias debere. Quòd ſi donum abſolutè conſideres, maius donum, & optabilius eſt innocentia, quàm pœnitentia, peccatorũmque remiſſio. Ideóque maiores hac conſideratione gratias innocens debet, amorémque maiorem, vt Auguſtinus ſignificat: *Tantumdem* (inquit) *imo verò amplius diligat*, &c. Et Simon Caſsianus lib. 9.

Plus debet innocens, quàm pœnitens.

capite

capite 30. Peramplius, ait, tenetur diligere Deum, qui non peccauit eius gratia retentus; quàm is, qui poſt omnem præuaricationem legis Dei, eadem gratia remiſſionem accepit, &c. Si verò comparatè ad accipientem ſpectetur beneficium, pœnitentia homini improbo illa indigno, æterniſque tormentis digno, donata, præſtãtius donum eſt, quàm innocentia. Quemadmodum præſtantius eſt comparatè, centum aureorum donum hoſti datum, quàm ducentorum datum amico. Itaque hac conſideratione maiores pœnitens debet gratias, maioremque amorem. Illa alia conſideratione maiores gratias, maioremque amorem debet innocẽs. Lege D. Thomam ſecunda ſecundæ, quæſt. 106. artic. 2. & Abulenſem Matth. 18. quæſt. 142. Contendant ergo pœnitentes cum innocentibus, de gratiarum actione & amore, nec ſe vinci patiantur.

Luc. 7. Non habet homo, vnde reddat ex ſe, ſed ex merito Chriſti.

NON *habentibus illis vnde redderent, donauit vtriſque.* Debitor eſt homo, qui peccauit, ſed vnde reddat ex ſe non habet. Neque enim poteſt homo viribus ſuis, Deo pro peccato facere ſatis. Non habenti igitur vnde reddat, donat Deus peccata per Chriſti merita, & pœnitentiam hominis. Ex nobis vnde reddamus non habemus: ex Chriſto vnde reddamus habemus. Habemus, inquam, theſaurum meritorum infinitum. A nobis pœnitentiam veram requirit Dominus, quam etiam donat ob merita Chriſti.

Luc. 7.

QVIS *eum plus diligit.* Amorem flagitant beneficia: quò maiora ſunt, eò maiorem. *Quis*, inquit, *eum plus diligit?* Reſpondet Simon: *Æſtimo, quia is, cui plus donauit*, id eſt, qui maius beneficiũ accepit. Dei ergo beneficia memoria recolamus, vt amore exardeſcamus; beneficiis enim velut lignis, amoris ignis incenditur. Accepit pœnitens maximum à Deo beneficium pœnitentiam peccatorũmque remiſſionem; diligat maximè, caueátque maximè, ne iterum peccando ſummo benefactori ingratus inueniatur.

Ibid.

CONVERSVS *ad mulierem.* Ante pœnitentiam auerſus eſt à peccatore. Deus cùm pœnitentiam agit, conuertitur ad illum. Antequam Magdalena pœnitentiã ageret, auerſus ab ea erat: cùm pœnitentiam egit, cõuerſus eſt ad mulierem conuerſam; iuxta illud: *Conuertimini ad me, & conuertar ad vos*, &c. Cùm à nobis Sol auertitur, nox eſt: cùm ad nos conuertitur, dies. Eumdem in modum, cùm Deus ab homine auertitur, craſſiſſimis tenebris homo circumfunditur: cùm ad illum conuertitur, clariſſima gratiæ luce colluſtratur.

Zach. 1.

Luc. 7. Viſenda mulier.

VIDES *hanc mulierem?* Viſenda ſanè, & ab omnibus hominibus contemplanda mulier hæc eſt, quam Chriſtus indicat: Vides hanc mulierem peccator? Peccatis multis ſe inquinauit, pœnitentia & amore omnia abluit: numquã verò ampliùs ad vomitum rediit. Vide exemplar, fac ſimiliter.

Luc. 7. Sigillatim Chriſtus Magdalenæ obſequia numerat.

LACHRYMIS *rigauit pedes meos.* Quantùm ſibi placuerit Magdalenæ actus, oſtendit Dominus, dum in eis ſigillatim numerandis ac ponderandis, immoratur. Lacrymas commemorat, pedibus data oſcula, vnguentum: nihil prætermittit. Charitatis actus eſſe oſtendit; cùm remiſſa illi peccata, propter caritatem concludit. Libet (ait Gregorius homilia 33. in Euangelia) conſiderationem tantæ pietatis intueri. Pœnitentis mulieris opera qua æſtimatione veritas apud ſe ſeruat: quæ eius aduerſario ſub tanta diſtributione enumerat, &c.

Greg.

Luc. 7. Vaſa iræ, & vaſa miſericordiæ. Rom. 9. Homines nõ ſiunt à Deo

REMITTVNTVR *ei peccata multa, quia dilexit multum.* Vt ex Paulo conſtat, ſunt vaſa quędam iræ Dei, nimirũ reprobi: alia ſunt vaſa miſericordiæ, nimirum electi. *Suſtinuit*, inquit Paulus, *in multa patientia vaſa iræ aptata in interitum: vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ, in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam* &c. De reprobis non dixit: *Fecit illos Deus vaſa iræ*; ſed, *Vaſa iræ aptata, & facta in interitum.* Reprobi enim ſe ipſos aptant ad iram & interitum, ſibique perniciem afferunt. De electis verò dixit: *Vaſa miſericordiæ, quæ præparauit Deus in gloriam.* Deus enim electos præparat, omniúmque bonorum illis auctor eſt. Vas miſericordiæ ſingularis Magdalena fuit, quod Chriſtus præparauit in gloriam ſingularem. Ipſe illam vocauit, ipſe iuſtificauit tandemque gloria ſumma compleuit. Nimiam peccatorum contraxerat vas rubiginem; at in fornace pœnitentiæ ac caritatis, rubigine abſumpta, de vaſe contumeliæ (vt canit Eccleſia) in vas tranſlata eſt gloriæ. *Re-*

vaſa iræ, ſed à ſeipſis.

Vas miſericordiæ Magdalena.

Luc. 7.

mittuntur, ait Dominus, *ei peccata multa, quia dilexit multùm*, hoc eſt, peccatorum magna rubigo in fornace caritatis incenſa eſt. Vnde Magnus Gregor. homil. 33. Quid, inquit, eſſe dilectionem credimus, niſi ignem? & quid culpam niſi rubiginem? Vnde nunc dicitur: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multùm.* Ac ſi apertè diceretur; incendit planè peccati rubiginẽ, quia ardet valdè per amoris ignem. Tantò namque amplius peccati rubigo conſumitur, quantò peccatoris cor magno caritatis igne concrematur, &c. Suaue fuit Magdalenæ purgatorium, ignis charitatis. Dulce purgatorium (ait Simon Caſsian. libro 9. capite 31.) amœnum atque ſuaue eſt dilectio, &c.

Greg. Culpa eſt rubigo, Dei amor ignis.

Purgatorium Magdalenæ dilectio.

Mutauit amorẽ Magdalenæ Dominus, non abſtulit. Auguſt.

Non abſtulit à Magdalena amorem Dominus; ſed mutauit. Pretioſas amoris aquas, quibus mundi cloacam illa irrigabat, ad ſe conuertit, & ad virtutum hortum irrigãdum deriuauit. Id quod Chriſtianum facere docet Auguſt. Pſalm. 31. Purga, inquit, amorem tuum; aquam fluentem in cloacam, conuerte in hortum. Quales impetus habebas ad mundum, tales habeas ad artificem mundi, &c. Purgauit amorẽ Magdalena. Iam purgatus amor, purgauit amantem. Quales impetus ad mundum habebat, tales habuit ad artificem mundi.

Purgandus & mutandus amor.

Ignis amor eſt; quales igitur impetus ignis, tales impetus ſunt amoris. Si ignis celſæ turri ſubiiciatur, ſuo illam impetu proſternit, æquatque ſolo. Quid Magdalena? nónne celſa turris erat, ex qua cacodæmon impudicos homines oppugnabat? Id eius ſignificat nomen. Nam magdal, ſiue migdal, ab Hebræis turris dicitur; vnde Magdalenæ nomen deriuatur. quod indicat D. Hieron. ad Principiam, in explanatione Pſalmi 44. Magdalena, inquit, verè turris candoris & Libani, quæ proſpicit faciem Damaſci; ſanguinem videlicet Saluatoris, ad ſacci pœnitentiam prouocantem, &c. Et in epitaphio Paulæ: Maria, inquit, propriè Magdalena; quæ ob ſedulitatem, & ardorem fidei turritæ nomen accepit, &c. Huic turri ſubiectus eſt caritatis vehemens ignis. *Dilexit*, inquit, *multum.* Hic ignis ſuo impetu ad pedes Chriſti turrim proſtrauit, ipſiſque ſolo per humilitatem æquauit. Quid Magdalena eſt ad pedes proſtrata Chriſti? Turris eſt æquata ſolo. Celſa vide mœnia, videlicet flauos crines, oculos, oris pulchritudinem, odores; ante victorem proſternuntur omnia.

Magdalena quid ſignificet.

Hieron.

Magdalena turris æquata ſolo eſt.

Vexilla deiiciuntur hoſtis, Chriſti vexillum in turri numquam deiiciendum refigitur, caritas numquã amittenda Magdalenæ donatur, ait ſponſa Domini: *Ordinauit in me caritatem.* Verti etiam poteſt, *Vexillum eius ſuper me amor.* En vexillum, quod captæ turri infixit Dominus, amorem ſuum. Dicat igitur turris noſtra: Vexillum eius ſuper me amor, quod nullus vmquam hoſtis auellet. Vt ſcriptum eſt: *Fuit arca Domini in regione Philiſtinorum aliquo tempore; tandem Deo liberante adducta eſt in Bethſames ciuitatem.* Significat autem Bethſames domum ſolis. Similem

Cant. 2.

1. Reg. 6.

milem in modum, Magdalena arca maxima Dei, in regione Philistinorum, id est, dæmonum aliquo fuit tempore, cùm vitiis vacabat. Tamen Deo fauente liberata in Bethsames, id est, domum solis ardentissimi, id est, amoris peruenit; à domo hæc numquam recessit, in ea semper ad mortem vsq; multùm diligens, multúmque dilecta habitauit.

Luc. 7. REMITTVNTVR *tibi peccata tua.* Summus Pontifex Christus iubileũ Magdalenæ, plenariamque criminum largitur indulgentiam. In mari lacrymarum rubro flagitia omnia peccatricis mulieris demersa sunt: iuxta illud, *Contribulasti capita draconum in aquis*, &c. Draconibus similia sunt peccata, imo draconibus ipsis sæuiora: sed vide quibus interimantur armis. Horum draconum sæuissima capita aquis lacrymarum conteruntur. Facile est aduersus sæuos dracones remedium lacrymarum aqua. Vtere remedio, ne te patiaris deuorari. Fælices lacrymæ tuæ sancte Apostole (ait diuus Leo sermone 9. de passione, Petrum alloquens) quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem sacri habuere baptismatis, &c. Idem de lacrymis Magdalenæ meritò dici potest. Fælices lacrymæ tuæ Magdalena, quæ ad diluenda multa crimina, virtutem sacri habuere baptismi. Fælices lacrymæ, quæ misericordiæ linteo à Deo extersæ sunt. Fælices, quæ plenissimam peccatorum indulgentiam sunt consecutæ. Petebat Dauid à Deo: *Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam; & exultabunt ossa humiliata.* Quod Dauid petebat, Magdalenæ ore Domini concessum est. Auditui eius dedit gaudium, & lætitiam, cùm hæc protulit verba: *Remittuntur tibi peccata tua*; & exultarunt ossa ad pedes Christi humiliata. Auctor antiquus quæstionum ex vtroque testamento, tom. 4. Augustini, quæst. 112. in hæc Dauidis verba: Dubium, ait, non est, quia vox prædicantis remissionem, gaudium præstat peccatoribus. Quis enim non lætetur, cùm audit dari indulgentiam? &c. Neque verò solùm peccata Christus remisit, sed omnibus etiam virtutibus Magdalenam compleuit. Vas prius mundatur, deinde balsamo impletur. Sic Magdalenæ animus à malis est expurgatus, & mox bonis repletus, iuxta illud Augustini ser. 11. de verbis Domini. Nõ infert Deus nobis bona sua: nisi auferat mala nostra. Et in tantùm bona crescunt, in quantùm mala minuuntur, &c.

Lacrymis dracones suffocantur.

Psal. 73.

Psal. 50

Luc. 7.

Christus nõ infert bona sua, nisi auferat mala nostra.

Luc. 7. Chrysost. VADE *in pace.* Lacrymarum imbrem animi serenitas, & pax secuta est. Nam, vt ait Chrysostomus homilia 6. in Matth. Sicut post vehementes imbres mundus aër, ac purus efficitur: ita etiam lacrymarum pluuias serenitas mentis sequitur, &c. Bellum cum Deo gesserat Magdalena, belli pœnitens, armaque ad pedes Christi abiiciens, pacem exposcebat: pacem optatam iam impetrat. *Vade in pace*: ait verus Salomon, id est pacificus, totius auctor pacis. In pace abiit: ad bellum numquam rediit. En transacto iam peccatorum diluuio, columba oliuæ ramum, pacis insigne reportat. Oliuæ enim ramo pacem indicanti, simile dixerim hoc Christi dictum: *Vade in pace*; similem verò columbæ, quæ illum portabat, Magdalenam. Nam Magdalena columba illa est, de qua canitur: *Columba mea, in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ; sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora*, &c. Contemplare quaso illam in vasta altissimi montis spelunca, triginta annos cælestium rerum contemplationi vacantem; columbam tibi Canticorum videre videberis, in foraminibus petræ, & in cauerna maceriæ latitantem, cuius vox cordis, & oris, in auribus semper sonãs Christi, dulcissima erat, facieq; decora maximè, etsi ieiuniis, eremique asperitate exesa, atque squalida. Hæc vera faciei pulchritudo est; illa, quæ ex crinibus ornamẽtisq; aliis Magdalenæ ante cõuersionem contingebat, fœditas erat. Nunc verè pulchra est, nunc verè decora, atq; visenda, nunc fragrantibus vnguentis delibuta, in cælum odorem suauissimũ exhalat. Meritò de illa quæritur: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertũ sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* Per desertum illud horridum Maria in cælum ascendebat, odores pœnitentiæ, & amoris, toto corpore, totóque animo suauissimos efflabat. *Fortis est vt mors dilectio.* Vt mors sepulchro condit hominem; sic dulcis mors dilectiõ, spelunca deserti condidit Magdalenam, mundo mortuam, Deo maximè viuentem.

Cant. 3.

Cant. 8. Spelunca Magdalenæ est dilectio.

Addamus prædictis pauca. ait Angelus Ioanni: *Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, cum qua fornicati sunt Reges terræ. Et mulier* (ait Ioannes) *erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso & margaritis*, &c. Ex sententia Tertulliani in lib. aduersus Iudæos, & aliorum, mulier hæc Romam ethnicam, Christianósque persequentem significat. Eiusdem verò conuersionem Magdalenæ conuersio mihi adumbrat. De Romana enim vrbe verè dici potest. *Erat mulier in mundo peccatrix*, & meretrix, quia idola colebat. hæc cùm Christus accubuisset in domo Simonis non leprosi, sed Petri, hoc est, in Ecclesia, cuius Simon caput erat, & Pontifex summus; attulit non alabastrum solùm vnguenti pretiosi, sed imperatoriam etiam purpuram illam, qua erat induta, fulgentes illos pyropos, quibus rutilabat, illud aurum, & diuitias, quibus abundabat, & procidens ad pedes Christi, iam ad illum conuersa cœpit lacrymis rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergere, & osculari. Quid enim sunt aliud summi Pontificis Romani pedes, nisi pedes Christi, cuius in terris gerit vices? Hos Roma osculatur, totúmque orbem osculari docet. In Ierusalem inuehitur his verbis Isaias: *Quomodò facta est meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij?* Iisdem sed conuersis Romam conuersam nos admiremur. Quomodò facta est fidelis, diuinique plena iudicij, ciuitas illa meretrix, cum qua fornicabantur Reges terræ? Hæc sanè mutatio dexteræ excelsi.

Apoc. 17.

Magdalena ipsius Roma conuersa.

Isaiæ 1.

Solus potuit Dauid ingenti mole gigantem absque armis sternere, & solus potuit Christus ingenti mole populum, ciuitatémque terrarum dominam, sub suum suaue iugum absque exercitu mittere; vt, quæ caput quondam erat idololatriæ, caput sit fidei Christianæ. Gerebat ethnica Roma poculum in manu sua, *Plenum abominatione, & immunditia fornicationis suæ*, id est idololatriæ. At Roma Christiana poculum gerit aureum cælesti plenum potu, hoc est cælesti, verissimáque doctrina. *Felix, qui Romano poculo Christi doctrinam hausit, infelix, qui hæretico se inebriat calice.*

Apoc. 17.

Obserua præterea duos Christi pedes à pœnitentibus peccatoribus esse amplexãdos, nimirùm misericordiam, & iustitiam: misericordiam ne desperent: iustitiam; ne tepidè pœnitentiã agant. Pedes isti (ait Cardinalis Pet. Damiani in sermone de Magdalena) sunt misericordia, & iudiciũ. quorum alterũ sine altero osculari, vel temeraria securitas est, vel desperatio fugienda. Quis enim Dei misericordiam indefinẽter attendens, nõ statim tepidioris vitæ quietẽ exoptet? Fallitur, qui sic osculatur misericordiæ pedem, vt pedem iudicij non attendat: qui totum de misericordis pietate præsumit, hoc solùm ad salutem sufficere credens, quòd credit. Rursus cùm iudicij pedẽ crebrioribus osculis inter-

Duo Christi pedes misericordia & iustitia.

Pet. Dam.

Gen. 8.

Cant. 2.

Magdalena columba in foraminibus petræ.

Spelunca Magdalenæ in nostra Prouincia Italiæ.

intertangit, ſubcutitur carnis animæque ſubſtantia,& vtriuſque hominis ſtatum vehementior aura percellit. Quis iudicium diutius cogitans,non ſtatim cõtremiſcat,& in deſperationis rotetur abyſſum? Non eſt igitur huic pedi moroſius incumbendum, ne pietatis intuitum iudicantes ferocia occludat. Vtrumque igitur iungat pedem animæ pœnitentis affectus,& nunc miſericordiam amplectens,nunc iudicium oſculans,contribulati ſpiritus offerat holocauſtum. Hæc ille.

Præterea capillis terſit Magdalena Chriſti pedes. Chriſtianus quoque idem facit,cùm pauperes ſuis opibus alit. Opes enim capillis ſimiles ſunt,vt docet Magnus Gregorius: pedibus Chriſti ſimiles ſunt pauperes. D. Gregorius homilia 33. Lachrymis, inquit, mulier pedes rigat, quod nos quoque facimus, ſi quibuſlibet vltimis membris Domini, per compaſſionis affectum inclinamur. Capillis mulier pedes terſit. Capilli ſuperfluunt corpori. Ecquid abundans terrena ſubſtantia, niſi capillorum ſpeciem tenet? Capillis ergo pedes Domini tergimus, quando ſanctis eius quibus ex charitate compatimur, etiam ex iis, quæ nobis ſuperfluunt, miſeremur,&c.

Greg.

Vnguento pedes Domini vnxit Magdalena. Non deſunt nobis odorifera vnguenta,quibus Dominum vngamus. Cardinalis Petrus Damiani tria vnguenti genera enumerat: Primum, inquit, vnguentum contritionis eſt, de recordatione peccatorum, de ſpiritu contrito & contribulato deſcendens: ſecundùm deuotionis, de recordatione beneficiorum Dei: tertium eſt pietatis vnguentum, eius ſpecies ſunt vniuerſæ miſerorum miſeriæ; tam animarum, quàm corporum, oculo pietatis inſpectæ. Lege multa alia, quæ breuitatis cauſa relinquo.

Pet. Dam.

CAPVT XV.

De expulſione dæmonis muti, Phariſæorúmque blaſphemia.

MATTH. CAP. XII.

TVnc oblatus eſt ei dæmonium habens,cæcus,& mutus:& curauit eum, ita vt loqueretur, & videret. Et ſtupebant omnes turbæ, & dicebant: Numquid hic eſt filius Dauid? Phariſæi autem audientes dixerunt: Hic non eiicit dæmones, niſi in Beelzebub, principe dæmoniorum. Ieſus autem ſciens cogitationes eorum,dixit eis: Omne regnum diuiſum contra ſe deſolabitur,& omnis ciuitas,vel domus diuiſa contra ſe,non ſtabit. Etſi ſatanas ſatanam eiicit, aduerſus ſe diuiſus eſt. Quomodo ergo ſtabit regnum eius? Etſi ego in Beelzebub eiicio dæmones, filij veſtri in quo eiiciunt? Ideo ipſi iudices veſtri erunt. Si autem ego in Spiritu Dei eiicio dæmones,igitur peruenit in vos regnum Dei. Aut quomodo poteſt quiſquam intrare in domum fortis, & vaſa eius diripere,niſi prius alligauerit fortem,& tunc domum illis diripiet? Qui non eſt mecum, contra me eſt: & qui non congregat mecum,ſpargit. Ideo dico vobis:Omne peccatum, & blaſphemia remittetur hominibus. Spiritus autem blaſphemiæ non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei. Qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro. Aut facite arborem bonam,& fructum eius bonum, aut facite arborem malam, & fructum eius malum: ſiquidem ex fructu arbor agnoſcitur. Progenies viperarum, quomodo poteſtis bona loqui, cùm ſitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur. Bonus homo, de bono thezauro profert bona: & malus homo,de malo thezauro profert mala. Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Ex verbis enim tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.

Tunc reſponderunt ei quidam de Scribis & Phariſæis, dicentes: Magiſter volumus à te ſignum videre. Qui reſpondens ait illis: Generatio mala & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus: ſic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta,& condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ: & ecce pluſquam Ionas hîc. Regina auſtri ſurget in iudicio cum generatione iſta,& condemnabit eam: quia venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis: & ecce pluſquam Salomon hîc. Cùm autem immundus ſpiritus exierit ab homine,ambulat per loca arida quærens requiem,& non inuenit. Tunc dicit: Reuertar

uertar in domum meam,vnde exiui.Et veniens inuenit eam vacantem,scopis mundatam & ornatam.Tunc vadit,& assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi: & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Sic erit & generationi huic pessimæ.

MARC. CAP. III.

ET veniunt ad domum: & conuenit iterum turba, ita vt non possent neque panem manducare.Et cùm audissent sui,exierunt tenere eum.Dicebant enim: quoniam in furorem versus est.Et Scribæ,qui ab Ierosolymis descenderant dicebant: quoniam Beelzebub habet, & quia in principe dæmoniorum eiicit dæmonia.Et conuocatis eis in parabolis dicebat illis: Quomodo potest satanas satanam eiicere? Et si regnum in se diuidatur, non potest regnum illud stare. Et si domus super semetipsam dispertiatur, non potest domus illa stare. Et si satanas consurrexerit in semetipsum, dispertitus est,& non poterit stare,sed finem habet.Nemo potest vasa fortis, ingressus in domum, diripere, nisi prius fortem alliget: tunc domum eius diripiet. Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata & blasphemiæ, quibus blasphemauerint. Qui autem blasphemauerit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti. Quoniam dicebant, Spiritum immundum habet.

LVC. CAP. XI.

ET erat eiiciens dæmonium, & illud erat mutum. Et cùm eiecisset dæmonium,locutus est mutus. Et admiratæ sunt turbæ.Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia. Et alij tentantes signum de cælo quærebant ab eo. Ipse autem vt vidit cogitationes eorum,dixit eis: Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur: & domus supra domum cadet. Si autem & satanas in seipsum diuisus est: quomodo stabit regnum eius? quia dicitis in Beelzebub me eiicere dæmonia? Si autem ego in Beelzebub eiicio dæmonia: filij vestri in quo eiiciunt? ideo ipsi,iudices vestri erunt. Porro si in digito Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei. Cùm fortis armatus custodit atrium suum: in pace sunt ea,quæ possidet. Si autem fortior eo superueniens vicerit eum: vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet. Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum,dispergit. Cùm immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem: & non inueniens dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui. Et cùm venerit,inuenit eam scopis mundatam & ornatam. Tunc vadit,& assumit septem alios spiritus secum nequiores se.Et ingressi habitant ibi. Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.

Turbis autem concurrentibus cœpit dicere: Generatio hæc generatio nequam est: signum quærit,& signum non dabitur ei,nisi signum Ionæ Prophetæ. Nam sicut fuit Ionas signum Niniuitis: ita erit & Filius hominis generationi isti. Regina Austri surget in iudicio cum viris generationis huius,& condemnabit illos. quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, & ecce plusquam Salomon hic. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabũt illam, quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Ionæ, & ecce plusquam Ionas hîc. Nemo lucernam accendit,& in abscondito ponit, neque sub modio,sed supra cãdelabrum, vt qui ingrediuntur lumen videant. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex,totum corpus tuum lucidũ erit. Si autem nequam fuerit,etiam corpus tuum tenebrosum erit. Vide ergo,ne lumen, quod in te est, tenebræ sint. Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te.

VT suprà diximus, post sermonem in monte habitum, leprosum hominem, & ægrum Centurionis seruum, Dominus sanitate donauit, mulierisque viduæ filiũ prope ciuitatem Naim, in vitam reduxit: accessit Ioannis legatio, Christi responsum, peccatricisque feminæ præclara pœnitentia. Quid nunc sequatur incertũ est. D. Lucas post pœnitentiam peccatricis, de qua actum est, subiicit Christi concionem, celebrémque illam parabolam: *Exiit qui seminat*, &c. Ea tamen videtur à Christo dicta post eiectum mutum dæmonium, quod colligitur ex Matthæi 13. & Marci 4. ideóque prius de eiectione muti dæmonis, ceterisque consequentibus dicendum est. quem ordinem sequitur Iansenius, Buisonius, Cardinalis Baronius, & alij. Repugnare videtur huic ordini diuus Marcus. Nam postquam scripsit Christũ in monte Apostolos elegisse, sermonémque habuisse, hæc adiungit verba: *Et veniunt ad domum. & conuenit iterum turba, ita vt non possent nec panem manducare, & cùm audissent sui, exierunt tenere eum*, &c. postea: *Et Scribæ*, inquit, *qui ab Hierosolymis descenderant, dicebant: Quoniam Beelzebub habet*, &c. Vnde efficitur Christum, postquam è monte descendit, domum petiuisse, docendóque, & ægris sanitatem donãdo, tanto cum ardore operam turbæ impendisse: vt neque ad cibum capiendum tempus suppeteret. tunc verò blasphemiam à Pharisæis esse iactatam; *In Beelzebub eiicit dæmonia.* Iansenius & alij, verba illa: *Et veniunt domum*: existimant, non significare Christum, mox postquam è monte descendit, domum esse ingressum, turbamque conuenisse, sed postquam Naim abiit, legatos Ioannis audiuit, & Magdalenam criminum vinculis soluit. Itaque verba Marci; *Et veniunt domum*, &c. post hæc omnia adscribunt. Illud enim, *Et*, non significat proximam consequentiam, sed remotam. Dici quoque potest, fortè probabilius, Dominum, postquam è monte descendit, Capharnaum venisse, leprosum Centurionisque puerum sanasse: domum deinde petiuisse, turbam docuisse, eiecisséque dæmonem. Sed ordinem iam propositum sequamur. Tamen aduerte, illud Matthæi, *tunc*, cùm ait: *Tunc oblatus est ei dæmonium habens*: non significare consequentiam proximam rei gestæ. quemadmodum nec verba hæc; *In illo tempore*, aut: *In diebus illis*, illam significant necessariò.

Luc. 8. *Ordo gestorum.* *Marci 3.* *Matth. 12.* *Marci 3.*

Ibid. Auditas audiendi conciones. ET *veniunt ad domum.* Post Apostolos in monte electos, ait Marcus domum venisse Christum, & confluxisse turbam, ita vt non possent panem manducare, id est, cibum sumere, Christus & discipuli. Audiendi enim auidam turbam Dominus deserere nolebat. Beda Marci 3. O quàm felix, inquit, occupatio saluatoris, quàm beata frequentia turbę confluentis, cui tantùm studij ad audiendum verbum Dei, tantùm fuit curæ ad obtinendam salutem: vt auctori salutis, cum eis, qui secum erant, ne vescendi quidem hora, à solatio vitæ miseris impendendo libera maneret. Vtinam Domine Iesu & in nostri æui temporibus, tãtùm gratiæ tuis fidelibus largiaris; qui doctores suos assiduitate discendi, non solùm ab appetitu carnalium voluptatum, verùm etiam nonnumquam ab ipsa quoque panis quotidiani perceptione præpediant. hæc Beda. Feruorem in Christianis desiderat Beda. Qui vtinam tantus esset ad audiendas conciones nostris temporibus, & ad expianda confessione peccata, vt concionatoribus & confessariis, ad capiendum cibum tempus sæpe non suppeteret.

Beda. *Marci 3.*

ET *cùm audissent sui.* Auctor commentariorum in Marcum qui D. Hieronymo tribuuntur, & glossa interlin. *suos*, interpretantur discipulos; propabilitate caret interpretatio. Sui, Græcè, ὅι παρ' αὐτοῦ, id est, *qui ab ipso erant*, vel, qui ad ipsum attinebant, dicuntur cognati Christi: vnde Euangelium Syriacum sic habet: *Et audierunt patrueles eius*, id est, consanguinei, *& exierunt, vt prehenderent eum. dicebant enim, eum extra mentem suam exisse*, &c. Dubium est, cur affines siue cognati Christi prehendere illum voluerint, dixerintque in furorem esse versum? Theophylactus inuidiæ tribuit. Audientes, inquit, necessarij Christi, quòd dæmonia eiiceret, & morbos sanaret, præ inuidia opinabantur, quòd dæmonium haberet, & furiosus esset. Vnde volebant comprehendere eum, vt tamquam dæmoniacum ligarent. Hæc ille. Beda tribuit altitudini sapientiæ Christi: Quia, inquit, altitudinem sapientiæ, quam audiebant, capere non poterant, quasi alieno eum sensu locutum esse credebant, &c. Cardinalis Caietanus sentit, consanguineos existimasse Christum versum in furorem: conferendo, inquit, vitam eius cum tam repẽtina nouitate. Sciebant eum operam litteris numquam dedisse, & propterea audientes, quòd prædicabat, putauerunt ipsum versum esse in insaniam. Similiter Iansenius ait, cognatos, cùm audirent, quæ dẽ Christo nuntiabantur, esse insolita, humanasque vires excedere, dixisse, à dæmone & furore agi. Lyranus aliter: Videntes, ait, cognati insolitum feruorem in Christo, quia propter feruorem prædicandi horam omittebat comedendi, videbant etiam in vultu eius insolitam claritatem ex virtute diuinitatis procedentem: item audiebant eum loquentem de diuinis ardua, & insolita, & eis non intelligibilia: ideò credebãt, eum loqui sicut arreptitium, vel furiosum. Idcirco voluerunt eum tenere & ligare, ne sibi, vel aliis posset nocere, & isti mouebantur pietate. Sic ille. Verum iis rationibus obiicitur, Christi cognatos sæpe iam vidisse Christum ante hoc tempus concionantem, & miracula patrantem, non igitur propterea dixerunt eum in furorem esse conuersum, quod concionaretur, & ea, quæ vires superarent humanas, ageret. Melius Euthymius ait, dictum hoc à quibusdam, quia Dominus totum se ad dandas sanitates tradiderat.

Cur sui voluerint Christi sui tenere. *Theoph.* *Beda.* *Caiet.* *Iansen.* *Lyran.*

Crediderim Euangelistam Marcum causam attigisse, cùm dixit: *Conuenit multitudo, ita vt non possent neque panem manducare.* Fuit igitur causa ardor Christi in docenda turba, & cibi neglectus. tanto enim feruore doctrinæ se impendebat, & sanandis ægris, vt cibum non curaret. Exierunt itaque cognati tenere eum, id est, compescere à labore, ne totum diem ieiunus transigeret laborando, dicebántque illum in furorem esse versum, quòd sui ipsius & discipulorum curam minimè gereret, & magno cum feruore doceret. Non est igitur opus dicere, quod dicit Iansenius & Maldonatus, cognatos Domini voluisse iuxta leges humanas Dominum veluti mentis impotem cohibere vel ligare. Id enim iam antea facere decreuissent, cùm Christus cœpit concionari.

Marci 3. *Christus nõ fuit habitus à suis furiosus.*

Græcè sic habetur, ἔλεγον, ὅτι ἐξέστη. verbum ἐξίστημι significat, Extra me sum, mente excido, in furorem vertor, significat quoq; recedo. Inde dicitur extasis. Euthymius græcus tres affert interpretationes. Prima est, exierunt sui tenere Christum, id est, adiuuare, dicebant enim ἐξέστη, id est, excessit, siue dissolutus est, à vigore corporis, præ nimio labore. Secunda est, exierunt tenere eum propinqui, ne recederet ab eis, dicebant enim quidam ἐξέστη, id est, excessit, vel recessit, abiit. Tertia, cùm audissent propinqui turbam conuenire: exierunt vt eum tenerent & cohiberent. Relatiuum namque illud,

Verbum ἐξίστημι, quæ significationem habeat.

Eum

Eum Græce referri potest tam ad Christum, vt retulit noster interpres, quàm ad turbam, quæ generis masculini est Græce ὄχλος. Dicebant enim quidam, quoniam ἐξέστη, id est, in furorem versus est. Aliter: dicebant enim, quoniam ἐξέστη, id est, turba excessit, in furorē versa est: quoniā Christū maxima auiditate, veluti insaniens quærebat. Sed in iis refutādis, siue excutiendis immorari non est opus. Nostræ versionis sensus, omissis aliis, sequēdus est.

Potest etiam sic explicari nostra versio: Cùm audissent propinqui exierunt tenere Dominū. Quoniam dicebant, non ipsi propinqui, sed alij improbi, in furorem versum esse. Ponitur enim verbum absque suppositio, vt cùm dicimus, ferunt, aiunt. Maldonatus vult, propinquos, ne quid mali à Iudæis, vel Christus, vel ipsi propter Christum paterentur, rem furori tribuisse.

Propinqui Christū cōsulerecupiētes furorē ei tribuebant.

Matth. 12. An sit idem miraculū à Luca c. 11. & à Matth. c. 12. narratum?

TVNC *oblatus est ei dæmonium habens.* Eamdem historiam à Matthæo capite 12. & à Luca cap. 11. conscriptam esse sententia est Augustini lib. 2. de consensu Euangelist. cap. 33. Euthymij Lucæ 11. Iansenij, Baronij, Abulensis, & aliorum. Abulensis verò ait, hanc opinionem omnium esse, probaturque, quoniam eadem est Pharisæorum blasphemia, *in Beelzebub eicit dæmonia*: eædem rationes apud Matthæum & Lucam, quibus Christus confirmat se in Beelzebub dæmonia non pellere. Non deest tamen, qui arbitretur miraculum, quod Lucas describit cap. 11. illud esse de quo Matthæus agit, illis verbis: *Ecce obtulerunt ei hominē mutū dæmoniū habentem*, &c. Probatur, quia vtrobique dæmonium est mutum: vtrobique dæmonio eiecto turbæ dicuntur admiratæ, & Pharisæi vtrobique dixerunt; *In principe dæmoniorum eicit dæmonia*. Existimamus miraculum, quod cap. 9. Matthæus refert, diuersum esse ab eo, quod Lucas cap. 11. narrat. Neque illæ similitudines idem esse probant, quæ facilè vtrique contingere potuerunt. fuerunt enim duo miracula similia, sed non vnum atque idem. At conuenientia, quæ inter Lucam & Matthæum in narrando miraculo, de quo nunc agimus, reperitur, maior est, vt sapiens iudicabit lector, magisque probat idem esse miraculum.

Luca 11. *Matth. 9.* *Ibid. & Luc. 11.*

ET *illud erat mutum.* Appellatur dæmonium à D. Luca mutum, quoniam in homine muto erat. Vox Græca, κωφὸς, mutū significat & surdum. Hic significat mutum. fuisse hunc hominem non mutum solùm, sed etiam surdum existimat Tertull. lib. 4. contra Marcionē, Chrys. Matth. 12. Theoph. & Euthymius Luc. 11. fuisse quoque cæcū, ait Matthæus. Erat igitur cæcus & mutus, à dæmone præterea torquebatur. & fortè etiā surdus erat, vt vult Chrysostomus & alij, quamuis id incertum sit.

Surdus dicitur fuisse hic dæmoniacus.

Dubitatur, Num dæmon hominem hunc mutum cęcumque effecerit? D. Chrysostom. affirmat: O pestiferam, inquit, dæmonis astutiam: vtramque viam occupauit atque obstruxit, quibus ille erat crediturus, visum atque auditum, &c. Euthymius: Dæmon nec loquebatur, vel audiebat, nec hominem sinebat loqui, vel audire, &c. Idem sentiunt Lyranus, Maldonatus, & Iansenius.

Chrysost. *An dæmon cæcū mutūque hominē effecerit.*

Abulensis verò Matth. 12. quæstione 50. arbitratur, vel natura, vel aliquo casu, mutum fuisse hunc hominem & cæcum. Probatur ex Matthæi verbis; *Oblatus*, inquit, *est ei, dæmonium habens, cæcus, & mutus, & curauit eum, ita vt loqueretur & videret*, &c. Distinguit tria, videlicet dæmonium habere, cæcū esse & mutum. Significat igitur fuisse cæcum & mutum, non ex dæmonis sola præsentia, sed ex causa alia. Hæc sententia mihi placet magis, quæ miraculum magis attollit, & videtur esse D. Hieronymi Matth. 12. Tria, inquit, signa simul in vno homine perpetrata

Matth. 12. *Hieron.*

A sunt. Cæcus videt, mutus loquitur, possessus à dæmone liberatur, &c. Quòd si dæmon sua tantùm præsentia mutum, cæcumque hominem effeciisset, vnum tantùm fuisset miraculum. Eiecto enim dæmone, sine alio miraculo mutus loqueretur cæcusque videret, impedimento ablato.

Obstare videntur Lucæ illa verba: *Illud erat mutum. Et cùm eiecisset dæmonium, locutus est mutus.* Quasi dicat, Dæmonium erat mutum, quoniam mutum efficiebat hominem. Quamobrem pulso dæmonio locutus est mutus, sublato loquendi impedimento. Respondetur, non dici dæmonium mutum ab effectu, vt alij volunt, quòd hominem loqui impediret, dæmonium enim potius loquaces faciet, quàm mutos, loquendo enim multa peccata committuntur, quæ tacendo euitantur. Dicitur dæmonium mutum quod in homine muto esset, & loqui non posset, vt solent dæmones, qui homines loquentes torquent. Est ergo sensus Lucæ; *Illud erat mutum*, hoc est, non loquebatur per hominem, quem torquebat, vt solent loqui dæmones, per illos quos arripiunt. Erat enim homo mutus. Et cùm eiecisset dæmonium, locutus est mutus donante Domino loquendi facultatem, per miraculum diuersum. Neque solùm locutus est mutus, sed etiam visum recepit cæcus, vt ait Matthæus.

Luca 11. *Cur dicatur dæmonium mutum.* *Luca 11.*

CAPVT XVI.

De blasphemia Pharisæorum.

IN *Beelzebub principe dæmoniorum eicit dæmonia.* Perpetratum miraculum secuta est turbæ quidem admiratio; Pharisæorum verò inuidia, ingens blasphemia & detractio. *In Beelzebub*, inquiunt, *principe dæmoniorum eicit dæmonia*. Neque solùm hoc dicebant, sed etiam ipsum Beelzebub in Christo Opt. Max. esse affirmabant, vt Marcus ait his verbis; *Scribæ, qui ab Ierosolymis descenderant, dicebant: Quoniam Beelzebub habet, & quia in principe dæmoniorum eicit dæmonia*, &c.

Ibid. *Marci 3.*

Beelzebub, siue Baalzebub, vt dicitur Hebraicè 4. Regum capite primo, Deus, siue idolum erat Accaronitarum. Baal significat habentem, dominum & possessorem: zebub verò, muscam. Totum nomen significat, vt Hieronymus ait, Ecclesiastæ 10. habentem muscas, vel virum muscarum, aut idolum muscarum. Cur sic appellaretur, hæc ratio redditur: Quia propter victimarum sanguinem multæ in illius templo muscæ volitabant. Remigius ait, Abimelech filium Gedeonis Baali tēplum extruxisse, constituisseque in eo sacerdotē Zebub, id est, muscam, seruum suum, ad abigendas muscas, quæ ob cruorem victimarum confluebant. Vnde dici posset dictum Beelzebub à sacerdote Zebub. Sed hoc incertum est. Dicerem dictum Deum muscæ, siue muscarum, contemptus causa, si à Iudæis solùm sic diceretur. Sed ab ethnicis etiam, & iis qui eum consulebant, hoc nomine appellatum, indicat Rex Ochosias: *Ite*, inquit nunciis, *consulite Beelzebub Deum Accaron, vtrū viuere queam de infirmitate mea hac*, &c. Si contemptus esset hoc nomen, aliudque haberet nomen illud idolum, profectò non vsus fuisset Rex nomine contemptus Beelzebub, sed alio. Ergo aliud non habebat.

Quod idolum fuerit Beelzebub, & quid significet nomen. *4. Reg. 1.*

Forsitan dictum est idolum muscæ, vt vult Maldonatus Matth. 10. quòd ad pellendas muscas inuocaretur, quemadmodū ab Elæis dictus est Deus quidā, μυίαγρος, id est, muscarū venator, vt refert Plinius libro 10. cap. 28. quem aduersus multitudinem muscarum pestem afferentem inuocabant.

Cur vocatus sit muscarū Deus.

Sed incerta est res. Nam in Palæstina, vbi idolum erat Beelzebub, non legimus muscarum tantam fuisse multitudinem, vt opus fuerit idolum, à quo pellerentur, effingere. Id aduertendum, in Græcis codicibus dici Beelzebub. Septuaginta verò Interpretes 4. Reg. 1. verterunt, non; *Deum muscæ*, aut, *Baal muscæ*, sed Baal, μυῖαν, id est, *Baal muscam*, ita vt nomen idolo fuerit Baal musca, vel Deus musca. Adde potuisse appellari Deum muscarum, quod earum ab ethnicis creator vel curator putaretur. Nomine idoli Pharisæi dæmonum principem vocarunt.

Baal musca non muscarum à 70. dictus est.

Luca 11. OMNE *regnum in se diuisum desolabitur*. Ad cogitata Pharisæorum respõdit Dominus, vt ait diuus Hieronymus. Et D. Lucas; *Ipse* (inquit) *vt vidit cogitationes eorum, dixit eis*. Ex eodem Luca constat Pharisæos verbis cogitationes declarasse. *Quidam* (ait) *dixerunt; In Beelzebub eiicit dæmonia*, &c. Submissa voce hæc dixisse docet Chrysostomus hom. 42. in Matthæum: Arcana, inquit, cordium ipsorum, quæque inter eos secrete agitabant, protulit Dominus, &c. Respondit autem ad cogitationes, quoniam iam Pharisæi non loquebantur, sed adhuc eadem cogitabant, ad cogitata respondit. Chrysostomus loco citato: Quia, ait, impudentissima erat talis cogitatio, ideo timore multorum perterriti Pharisæi, non ausi fuerãt in publicum afferre. Sed mente secum assiduè versabant, &c. Præterea quamuis Pharisæi & cogitarent, & ore cogitationes promerent: tamen dicitur Dominus ad cogitationes respondere, quia illas intuebatur, cùm dictis cõiunctas. Aiebant Pharisæi Christum viribus Beelzebub dæmonia eiicere. Respondet magna cum mansuetudine, & probat rationibus, se dæmones non per vim principis dæmoniorum, sed per potentiam diuinam pellere. Prima ratio huiusmodi est. Princeps dæmonum vult permanere regnum suum; ergo non pellit passim vi & potentia, dæmones inuitos ex corporibus, quemadmodum ego pello. Nam si violenter, vt vos existimatis, pelleret, discordia esset inter principem & subditos: per discordiam autem regnum suum ipse euerteret. Omne enim regnum in se per discordiam diuisum, desolatur, neque solùm regnum, sed etiam domus quælibet. Aduerte hanc rationem probare principem dæmonum dæmones violenter non pellere, quod Christus faciebat; per vim enim eos discedere cogebat. De eiectione verò per collusionem, non est in ea sermo. Nam Pharisæi de eiectione violenta agebant; ideoque à principe potentiore, eiici alios minoris roboris dicebant.

Luca 11.

Ibid.

Christus nouit arcana cordium.

Christus probat se nõ auctore dæmone dæmones eiicere.

Habent dæmones principem, quem Pharisæi Beelzebub, nos Luciferum appellamus ex Isaia: *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer*; quo loco sermo Prophetæ de Rege est Babylonico: simulque de principe dæmonum, qui Luciferi instar, id est, astri in cælo fulgebat, cadénsque in noctiferum conuersus, ipsa nocte est tenebrosior. Princeps est dæmonum natura. Nam qui inter dæmones natura sunt nobiliores, ac potentiores, ij ceteris imperant; qui natura est nobilissimus, & potentissimus, is princeps est omnium. Est etiam princeps impiorum hominum per malitiam, quoniam impij per peccatum illius se imperio subiiciunt. Vnde dæmones dicuntur ad Ephesios, *rectores tenebrarum*, id est, hominum impiorum. Cupiunt dæmones stare hoc impium regnum, omnesque homines sub hoc imperium trahere, idcirco magno cõsensu illud promouent, & cõcordis exercitus instar, aduersus homines præliantur. Quòd si potestate nocendi hominibus priuarentur, vt Abulensis ait Matth. c. 12. quæst. 60. concordiam hanc & obedientiam minimè seruarent. Lege Origenem hom. 25. in lib. Iosue, quo loco singulorum vitiorum putat esse singulos principes, aduersus nos belligerantes. Puto, inquit, fornicationis principem spiritum vnum esse: innumeros verò esse, qui ei in hoc officio pareant, & per singulos homines, diuersi spiritus sub eo principe militantes, ad huiusmodi eos peccata sollicitent. Similiter iracundiæ spiritum principem vnum esse arbitror, innumeros verò esse sub ipso agentes. Similiter & auaritiæ vnum esse principem: sic & superbiæ, & ceterorum malorum. & ideo non vnus principatus dicitur ab Apostolo, sed plures. Tamen reor omnium principem, velut eminentiorem quemdam in nequitia, &c.

Daemones habet principem, quem Luciferum nominamus.

Isaiæ 14.

Regnũ dæmonum in impios.

Ephes. 6.

Orig.

Principes dæmonum multi.

FILII *vestri in quo eiiciunt?* Secunda ratio. Ego dæmones eiicio, eiiciunt quoque filij vestri. Rogo vos, filij vestri eiiciúntne dæmones in Beelzebub, an diuina potestate? Profecto diuina potestate eiicere respondebitis. Idem est opus, eadem dæmonum expulsio: cur ego eidem illam effectori, nempe Deo, non tribuitis; sed me in Beelzebub, filios vestros in Dei potentia, dæmones pellere dicitis? Si par est opus, atque idem; par atque idem oportet esse iudicium. Quos appellet Dominus filios Iudæorum, ambigitur. D. Hilarius, D. Hieronymus, D. Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius, D. Augustinus ser. 11. de verbis Domini, Apostolos appellari sentiunt.

Matth. 12. *Luca* 11.

Sed obstat, quòd Pharisæi dicerent, etiam Apostolos potentia dæmonis dæmonia eiicere, paremque esse rationem in magistro & discipulis, iuxta illud: *Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quantò magis domesticos eius*, &c. Præterea si de Apostolis loqueretur Dominus, discipulos suos appellasset, non autem Iudæorum filios. Verisimilius est, quod sentit Abulensis & Ianssenius, loqui Dominum de exorcistis, qui Dei inuocatione apud Iudæos dæmones pellebant. In his enim maius robur habet ratio. Filij vestri, id est, exorcistæ, si aliquando dæmones pellunt, diuina vi id fieri dicitis. Quare igitur in me idem opus, eandem non habeat causam? Non displicuit D. Hieronymo hæc interpretatio, sic enim scribit: Filios Iudæorum, vel exorcistas gentis illius ex more significat, qui ad inuocationem Dei eiiciebant dæmones: vel Apostolos ex eorum stirpe generatos, &c. Alloquitur Dominus Pharisæos, filios Pharisæorum exorcistas appellat, fortè quia erant illorum discipuli. Sic enim dicuntur filij Prophetarum, id est, discipuli.

Quinã dicuntur filij Iudæorum. Matth. 10.

Hieron.

Filij Iudæorum sunt exorcistæ.

Si de Apostolis rationem explicemus, aliter efformanda erit, hunc in modũ: Si in Beelzebub ego eiicio dæmonia, & in me est Beelzebub, vt dicitis: in filiis vestris, id est, discipulis meis, non erit. In quo igitur expellẽt dæmones? Non in Beelzebub, sed per vim diuinam. Atqui eiiciunt in nomine meo, ergo nomen meum vim habet diuinam.

IDEO *ipsi iudices vestri erunt*. Si de Apostolis locus explanetur, perspicuum est, fore in die iudicij iudices. Exorcistæ verò iudices erunt: Non potestate (ait diuus Hieronymus) sed comparatione: dum illi expulsionem dæmonum Deo assignant: vos Beelzebub principi dæmoniorum, &c. Aliter, exorcistæ erunt iudices Pharisæorum; quoniã Pharisæos dãnandos demonstrabunt. Ostendent enim in iudicio Pharisæos credidisse, se Dei virtute dæmones pellere; idem verò opus in Christo tribuisse Beelzebub, propter inuidiam. Ipsi iudices vestri erunt (ait Euthymius) & condemnabunt vos de hac blasphemia; quoniam illis relictis, moti inuidia me solùm accusatis, &c. Simile illud est: *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam*, &c.

Matth. 12. *& Luc.* 11.

Hieron.

Exorcistæ quomodo iudices erũt.

Matth. 12.

PORRO

Matth. 12. & Luc. 11. Christus Messia aduenisse probat.

PORRO *si in digito Dei eiicio dæmonia.* Probauit Dominus, se dæmones pellere non Beelzebub viribus, sed Dei potentia. Nunc ex probata conclusione, Messiam venisse infert, hoc pacto. Ego non ope Beelzebub, sed Dei potestate dæmones eiicio, vt probatum est. Atqui tot dæmonum eiectio, qualis à nullo prophetarum facta est, Messiam aduenisse probat; ergo Messias iam venit. *Si ego*, inquit, *in digito Dei eiicio dæmonia; peruenit in vos regnum Dei*, id est, regnum Messiæ, qui verus Deus est.

Digitus Dei Spiritum S. significat.

Quod Lucas dixit: *In digito Dei eiicio dæmonia*; Matthæus dixit: *In Spiritu Dei.* Nam, vt ait diuus Hieronymus in Matth. Digitus Dei Spiritum sanctum: brachium verò & manus Dei Filium significat. Quemadmodum enim brachium & manus, oritur ex corpore: & ex corpore & brachio ac manu, oritur digitus: ita ex Patre oritur Filius, per quem omnia facta sunt, ex Patre & Filio producitur Spiritus sanctus. Augustin. serm. 6. de verbis Apostoli: Nónne, inquit, digitus Dei Spiritus sanctus intelligitur? lege Euangelium, & vide, quia vbi dicit vnus Euangelista, Domino dicente: *Si ego in Spiritu Dei eiicio dæmonia*; alius dicit: *Si ego in digito Dei eiicio dæmonia*, &c. Et in libro de catechizãdis rudibus cap. 20. Accepit, ait, populus legem digito Dei scripta, quo nomine significatur Spiritus sanctus: sicut in Euangelio manifestissimè declaratur, &c. Eumdem in modũ D. Gregorius hom. 10. in Ezech. ex his duobus Euangelistis colligit, Spiritum sanctũ digitum Dei appellari, sic Theophylactus, & alij digitum Spiritum sanctum dici aiunt. In hymno quoque ecclesiastico, *Dextræ Dei digitus*, nominatur.

Processio diuinarum personarũ.

Cur Spirit. sanct. appelletur digitus Dei?

Cur digitus appelletur, docet D. Augustin. lib. 2. quæst. Euangel. c. 17. Ideo (inquit) dicitur Spiritus sanctus digitus Dei propter partitionẽ donorum, quæ in eo dantur, vnicuique propria, siue hominum, siue Angelorum, &c. Si roges cur Spiritus sanctus dicatur digitus, propter partitionem donorum ipsius Spiritus sancti, respõdet Augustinus: Quia in nullis membris nostris magis apparet partitio, quàm in digitis, &c. De hac Spiritus sancti partitione scribit D. Paulus:

1. Cor. 12.

Alij, inquit, *per Spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ, alij fides, alij gratia sanitatum*, &c. & subiicit: *Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult*, &c. Appellatur etiam digitus Spiritus sanctus quia digito indicamus, vnde digitus quidam index nominatur. Spiritus autem sanctus, sancta nobis, & salutaria per suas indicat inspirationes. Ille viam indicat in cælum, viam indicat in tartarum: hanc vt fugiamus, illam vt ingrediamur. Humilitatem, patientiam, paupertatem, castitatem, virtutumque omnium pulchritudinem indicat; vitiorum turpitudinem, hostis technas, insidias, tentationésque demonstrat. Attende quid demonstret hic digitus index Dei. Quidquid demonstrarit, vt amplectaris, amplectere. Quidquid ostenderit, vt caueas fugiásque; caue atque fuge.

Cur Spiritui sancto dæmonum tribuatur expulsio.

D. Thomas Matth. 12. causam reddit cur Spiritui sancto dæmonum tribuatur expulsio? Quia, inquit, amor & bonitas Spiritui sancto appropriatur: ideo repellere diabolum conuenit personæ Spiritus sancti, &c. Lege Augustinum ser. 11. de verbis Domini. At verò, cur Christus dixerit in Spiritu sancto se eiicere dæmonia, causa est, quoniam Iudæi dixerant ipsum in Beelzebub eiicere, id est, in spiritu malo. Quasi dicat: non in spiritu malo, sed in Spiritu sancto, dæmones pello, vt Theophylactus interpretatur. Christus vt Deus dæmones pellebat, potestate propria: vt homo per donum miraculorum ab Spiritu sancto acceptum. Vnde diuus Thomas secunda secundæ quæst. 14. art. 1. Christus,

Christus dæmones propria virtute pellebat.

ait, dæmones eiiciebat, & per virtutem propriæ diuinitatis; & per operationem Spiritus sancti, quo secundum humanitatem erat repletus.

Alio sensu simpliciori digitus Dei significat: potest Dei potentiam, quemadmodum *Digitus Dei est hic*, id est, potentia Dei. Est sensus; Si in digito Dei, id est, si in potentia & opera Dei, non viribus Beelzebub, eiicio dæmones: peruenit in vos regnum Dei. Sic Euthymius interpretatur, Abulensis, Caietanus, & Iansenius. Spiritum quoque ait Euthymius apud Matthæum significare potentiam, hoc sensu; Si in Spiritu Dei, id est, potentia, eiicio dæmones, &c. Eumdem sensum sequitur Abulensis. Idem enim esse ait; *In digito Dei eiicio*, &, *In Spiritu Dei*, id est, potestate diuina. Rectiùs dicetur, vtrumque dixisse Dominum, scilicet, in Spiritu sancto, & digito, id est, opera & potentia Dei, eiicio dæmonia per Spiritum sanctum. Aliter potest exponi hic locus hoc pacto. Si in Spiritu Dei, id est, in spiritali diuinitate, per diuinitatem, quæ est spiritus, quæ in me est cum natura humana copulata, eiicio dæmonia, &c. *Exodi 8.*

CVM *fortis armatus custodit atrium suum.* Hac tertia ratione concludit Dominus se digito, id est, potentia Dei, dæmones vincere atque religare, eisque multò fortiorem esse. Matthæus sic habet: *Quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, & vasa eius diripere; nisi prius alligauerit fortem?* Marcus: *Nemo potest vasa fortis ingressus in domum diripere, nisi prius fortem alliget*, &c. Vasa fortis, appellant supellectilem & opes. Lucas verò: *Cùm vir fortis & armatus custodit atrium suum*, id est, domum suam, vel arcem; *in pace sunt omnia quæ possidet*, id est, illius supellex, & opes saluæ sunt, non diripiuntur. At si fortior hostis superuenit, fortémque illum virum vincit ac religat, tunc facilè, & armis, & bonis omnibus victum spoliat, & quibus vult spolia, id est, direpta bona distribuit. Prius vincitur, armis exuitur, & religatur hostis; deinde victus, atque vinctus spoliatur. Atqui ego in mundum ingressus, quem dæmon, vt fortis armatus in pace custodiebat, dæmonem spolio hominibus quos possidet, illiusque vasa diripio; ergo illum vinco, armis exuo atque religo, vt hostem, diuináq; potentia multò fortior supero. Nisi enim vincerem, atque religarem, fortiórque essem, diripere non possem illius vasa, id est, illius supellectilem, & opes quas in mundo hoc habet. Hi sunt homines quos possidet. Nullas enim alias opes in hac mundi domo dæmon habet, præter impios. Hi illius supellex & diuitiæ sunt. *Custodit atrium suum*, ait Lucas, atrium Græcè αὐλὴ, locus est patens ante magnas ædes, in eo custodia dicitur collocata, ne in ædes quis irrumpere posset. Quomodo autem Christus dæmonẽ alligauerit, docet Ioannes Apocalyp. cap. 20. Ipsum Beelzebub siue Luciferum, vsque ad Antichristi tempora per Angelum in tartaro ligari iussit, ne hominibus nocere possit. Ante passionem Christi solutus erat: postea omnibus armis ablatis, in quibus confidebat, acerbo orci carcere est constrictus. De hac alligatione Luciferi, plura dicemus in Morali. Quamuis autem dicamus Luciferum non esse in tartaro ligatum: dicemus tamen Christum ligasse dæmonem, quantum est ex se. Ea enim fecit, per quæ ligatus diabolus est ita, vt nobis nocere nullo modo possit. Quòd si nocet, non inuitis, sed volentibus nocet nostra culpa. Christus ligauit, nos soluimus, vt nos discerpat. Illud etiam aduerte, non oportere ea, quæ in parabolis dicuntur, omnia rebus, de quibus sermo est, accõmodare. sunt enim aliqua parerga. Loquitur Christus hoc loco de expulsione dæmonum, vtitur similitudine hac. Cùm homo quispiam

Luc. 11.

Matth. 12. Marci 3.

Luc. 11.

Ibid.

Dæmon à Christo ligatus vsque ad tempora Antichristi.

fortis,& armatus domum ſuam cuſtodit, in pace poſſidet opes ſuas.Si fortior ſuperueniat, alligabit eum, & in captiuitatem rediget, opéſque auferet inuito ac repugnanti. Fortis armatus dæmon eſt cuſtodiēs atrium ſuum,id eſt,hominem dæmoniacum, quem vexat: in pace illū poſſidet,id eſt,nullo repugnante,quouſque fortior ſuperueniat, qui eum pellat inuitū.Ego fortior ille ſum,qui ſuperueniens dæmones vinco,alligo, è corporibus, quæ poſſident inuitos ac reluctantes expello.

Matth. 12. & Luc. 11. Chriſtus oſtendit dæmonem ſuum eſſe aduerſarium.

QVI *non eſt mecum contra me eſt.* Ad extremum oſtendit Dominus his verbis dæmonem aduerſarium ſuum eſſe,atque hoſtem, nihilque inter ipſos amicitiæ intercedere.Montanus in ſchoIiis arbitratur,prouerbium eiuſmodi Iudæis fuiſſe: *Qui non eſt mecum,contra me eſt;& qui non colligit mecum, diſpergit.*Id verò prouerbium in ſe,& dæmone Chriſtus verum eſſe aſſerit.Quaſi dicat; illud quod eſt in prouerbio. *Qui non eſt mecum,contra me eſt,& qui non colligit mecum,diſpergit;*in me,& dæmonum principe verum eſt. Ille enim mecum nō eſt, ſed contra me eſt, mihi aduerſatur.Ille non colligit mecū in vitā æternā homines,ſed diſpergit,& à vita æterna āuocat. Quod ſi velis non eſſe prouerbiū,ſic interpretaberis; Princeps dæmoniorū non eſt mecum,ſed aduerſarius mihi eſt,& Beelzebub nō colligit mecum, ſed diſpergit.De dæmone autem nunc loqui Chriſtum ſentiunt Chryſoſtomus, Hieronymus, Hilarius,Theophylactus,Beda,& alij. Hæc probabilior altera opinione, quam Abulenſis commemorat Matth.12. quæſt. 63. nimirum loqui Chriſtum de Phariſæis. luxtra hanc ſenſus erit ; Vos Phariſæi qui mecum non eſtis, contra me eſtis, & qui non colligitis mecum , diſpergitis . Sed cùm Chriſtus de diabolo hactenus loquutus fuerit, neque hæc dicens ipſos Phariſæos cōpellarit, veriſimilius eſt de dæmone verba fieri. Chryſoſtomus, & Theophylactus hanc ſententiam ſequuntur, vt diximus. Aiunt tamen ſimul Iudæos à Chriſto eſſe denotatos,quòd dæmonum eſſent imitatores, videlicet, quòd Chriſto vt dæmones aduerſarentur, & populum diſpergere conarentur. Neque verò aiunt de Phariſæis verba Chriſti exponi poſſe.

Maldonati interpretatio.

Maldonatus de Phariſæis interpretatur,in hanc ſententiam:Vos Phariſæi iudices indifferentes videri vultis,quaſi nec pro me,nec cōtra me ſitis.At ne erretis,neve aliosdecipiatis.Nam etiam ſi quod ſimulatis,vos nec pro me,nec contra me eſſe, verum eſſet,ob id ipſum eſſetis reprehendendi. Quia qui non eſt mecum,contra me eſt. Vos enim qui legis profitemini ſcientiam,primi pro me eſſe debuiſtis,méque Meſſiam recipere. Qui autem pro me eſſe debuit, & non fuit, cōtra me eſt. Quemadmodum ſubditus is,qui cùm pro Rege ſuo eſſe debeat,pro Rege nō eſt,contra eum eſſe dicitur. An Phariſæi voluerint indifferentes haberi in rebus Chriſti,iudicet ſapiens lector. Mihi videtur illos aperuiſſe ſatis ſe indifferentes non eſſe.

Heſſel.

Heſſelius Matth.12.dictum hoc ait aduerſus eos, qui non apertè Chriſto aduerſabanrur, nolentes tamen ei adhærere.Nulla enim, inquit,neutralitas eſt.Si enim Chriſto non adhærent, hoc ipſo coniunguntur diabolo, &c.Sed primus ſenſus Patrum ſequendus.Veriſimile etiam eſt Chriſtum hoc loco ſignificare voluiſſe, non ſolùm diabolum ſibi eſſe aduerſarium , ſed omnes quoque homines, qui ipſi non adhærent.Quaſi dicat : Non diabolus ſolus mihi eſt aduerſarius,ſed *quicūque mecum non eſt, contra me eſt.*Nam qui cum Chriſto non eſt, gratia caret;quicumque autem caret gratia,contra Chriſtum eſt,propter peccatum illi aduerſarius.Quam obrem Auguſtinus lib .1. de peccatorum meritis, & remiſſione,capit.28. ait paruulos nō baptizatos, quia cum Chriſto,non ſunt, contra Chriſtum eſſe: Quia, inquit,paruulus non baptizatus non eſt cum Chriſto , aduerſus Chriſtum eſt ex peccato originali, &c. Addit Dominus : *Qui non colligit mecum , diſpergit* . colligere ſignificat fructum ex vita, & operibus capere ; at diſpergere ſignificat iacturam facere,& perdere . Perſpicuum verò eſt, eum qui cum Chriſto non colligit , id eſt, fructum ex operibus ſuis non capit adhærens Chriſto, opera bonáque ſua omnia diſpergere,ac perdere. Lege Auguſtinum ſermone 11. de Verbis Domini. Quomodo autem hæc Chriſti verba: *Qui non eſt mecum,contra me eſt*;cum illis Lucę ab eo dictis:*Qui non eſt aduerſus vos,pro vobis eſt*; conſentiant;eo loco dicemus.Lege Auguſtinum libro 4.de conſenſu Euangeliſtarum,cap. 5.

Paruulus nō baptizatus contra Chriſtum eſt. Matth. 12. & Luc. 11.

Luca 9.

CAPVT XVII.

De blaſphemia in Spiritum ſanctum.

QVI *dixerit contra Spiritum Sanctum,* &c. Blaſphemiam dixerunt Phariſæi, cum in Beelzebub dixerunt Chriſtum dæmones pellere. Hanc blaſphemiam grauem adeò eſſe ait Dominus,vt omni venia ac remiſſione careat.*Omne* (inquit) *peccatum, & blaſphemia,remittetur hominibus;* videlicet,ſi pœnitētiam agant. *Spiritus autem blaſphemiæ*, id eſt blaſphemia in Spiritum ſanctum , *non remittetur.Et quicunque dixerit verbum,*id eſt blaſphemiam,*in filium hominis,remittetur ei. Qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei,neque in hoc ſæculo,neque in futuro.* Idem habetur Marci 3. & Lucę 12.Hinc quęſtio oritur, qua vt ait Auguſtinus ſermone 11. de verbis Domini , nulla fortè maior eſt in ſanctisScripturis,nulla difficilior inuenitur. Quæſtio verò eſt; quęnam ſit blaſphemia hæc in Spiritum ſanctum, quæ, cùm omnia peccata remittātur, remiſſionis expers eſt?

Matth. 12. & Mar. 3.

Quænā dicatur blaſphemia in Spiritum. Sanctum. Matth. 12.

Quid ſit Blaſphemia in Spiritum Sanctum. Sententia Origenis.

Scripſit in hoc euangelij dictum opuſculum Diuus Athanaſius . In eo ait , Origenis,& Theognoſti fuiſſe ſententiam , blaſphemiam irremiſſibilem in Spiritum ſanctum hanc eſſe, cùm qui in baptiſmo dona Spiritus ſancti acceperunt,ad peccata reuertuntur.Lege Origenem Matthæi26.Forſitan,inquit, & omnes homines,quando denegant Ieſum,ita vt peccatum negationis eorum,recipiat medicinam:ante galli cantum negare eum videntur,nondum eis nato ſole iuſtitiæ, neque appropinquante eis ortu ipſius.Si autem poſt ortum huiuſmodi ſolis ad animam,volentes peccauerimus, poſtquàm accepimus ſcientiam veritatis; iam non relinquitur nobis ſacrificium pro peccato,ſed terribile iudicium,& zelus ignis, qui conſecturus eſt impios,&c. Item:Si poſt gallicantum,vel ſemel in quouis periculo cōſtitutus quis negauerit, impoſſibile eſt eum renouari in pœnitentiam,vt iterum crucifigat ſibi FiliumDei,&c.Itaque ſignificat omnia peccata Chriſtianorum peccata eſſe in Spiritū ſanctum,quem in baptiſmo acceperunt. Ea tamen ſententia manifeſtè falſa eſt,vt D. Athanaſius eodem loco probat,& D. Auguſt.ſerm. 11. de verbis Domini.Nouatianus quoque,vt ſcribit D. Hieronymus epiſt. 149. ad Marcellam, falſò affirmauit, non poſſe peccare in Spiritum ſanctum niſi eum qui Chriſtianus ſit,& poſteà negarit.

Orig.

Impœnitētia finalis eſt peccatū in Spiritum ſanctum. Auguſtini ſententia Ioan. 20.

D. Auguſt.ſerm.illo 11.de verbis Domini multa hac de re verba facit.Putat autē blaſphemiam in Spiritum ſanctum eſſe finalem impœnitentiam;illam ſcilicet blaſph. (vt eius verbis vtar)cordis impœnitētis,quæ reſiſtitur remiſſioni peccatorū, quæ fit in Eccleſia.per Sp. ſanctum, iuxta illud, *Accipite Sp. ſanctum;quorum remiſeritis peccata remittuntur eis.*Hoc enim

enim ſolùm peccatum eſt, quod remiſſione caret, quoniam remiſſioni reſiſtit, quæ abſque pœnitentia non datur. Eſt verò contra Spiritum ſanctum, quia Spiritus ſancti obſtat remiſſioni. Si roges, quorſum igitur cum Iudæis Chriſtus de peccato contra Spiritum ſanctum locutus eſt? Reſpondetur: Vt eos moneret, ne illud committerent, & in peccatis abſque pœnitentia vſque ad mortẽ perſeuerarent. Eamdem ſententiam ſequitur Auguſtinus in Enchiridio, capite 83. & epiſt. 50. ad Bonifacium, & libro de correp. & gratia, capite 12. & aliis locis. Sed non loquitur hoc loco Chriſtus de hoc peccato in Spiritum ſanctum. Nam loquitur de blaſphemia: finalis verò impœnitentia non eſt blaſphemia. Præterea, peccatum in Spiritum ſanctum in viuentibus reperitur; non in iis ſolùm, qui animam agunt ſine pœnitentia. Adde Chriſtum de peccato in Spiritum ſanctum accuſare Phariſæos; qui tamen nondum animam exhalabant, nec finalem impœnitentiam habebant. Aliter idem Auguſt. lib. 1. de ſer. Domini in monte, cap. 44. Hoc (inquit) fortaſſe eſt peccare in Spiritum ſanctum, id eſt, per malitiam & inuidiam, fraternam oppugnare caritatem, poſt acceptam gratiam Spiritus ſancti. Quod peccatum Dominus, neque hic, neque in futuro ſæculo dimitti dicit. Sic ille.

Blaſphemia in Spiritũ S. eſt negare Chriſtũ eſſe Deum. Ambr.

Diuus Hilarius exiſtimat blaſphemiam in Spiritum ſanctũ illam eſſe, qua negat quiſpiam Chriſtum eſſe Deum, & conſiſtentem in eo paterni ſpiritus ſubſtantiam illi adimit. D. Ambroſius lib. 1. de Spiritu ſancto, cap. 3. peccatũ in filium hominis illud eſſe ait, quo aliquis de Chriſti humanitate indignum aliquid ſentit. Peccatum autem in Spiritum ſanctum, ſi quis Spiritus ſancti maieſtatem & poteſtatẽ abneget, & putet non in ſpiritu Dei, ſed in Beelzebub eiici dæmonia. D. Cyprianus libro 3. ad Quirinũ num. 28. verba Chriſti profert, tamen illa non explicat. Vnde quid ſenſerit colligi non poteſt. D. Epiphanius hæreſi 54. Volens, ait, Chriſtus muniri ſalutem eorũ; qui aliquando in ipſum maledicta ieciſſent, & ad pœnitentiam reflecterẽt, vt ne decerneret illis condemnationem, propter excellentem manſuetudinem ac benignitatẽ erga homines, præuaticinatur hunc ſermonem: *Qui dixerit verbum in Filium hominis, remittetur ei.* Et eò quòd noſſet futurum, vt aliqui blaſphemarent Spiritum ſanctum, & ſerui locum ipſi decernerent, & creatum ac alienum ab eſſentia Dei affirmarent. Quapropter muniens dicit: *Qui verò blaſphemat in Spiritum ſanctum, non remittetur ipſi, neque hic, neque in futuro ſæculo.* Ita Epiphanius. D. Chryſoſtomus homil. 42. in Matth. Quicumque, inquit, dixerit verbum aduerſus Filium hominis, dimittetur ei. Quicumque autem aduerſus Spiritum ſanctum dixerit, minimè. Quare ſic? Quoniam cùm Spiritus ſanctus vobis iam notus eſſe debeat, rem claram, atque manifeſtam oppugnatis. Nam ſi me ignoratis, ignorare tamen non poteſtis expulſionem dæmonum, curationéſque hominum, mirificas Spiritus ſancti eſſe operationes. Non ergo mihi, ſed Spiritui ſancto cõtumelias exaggerare conanimi. Quapropter niſi pœnitentiam agatis, neque in præſenti vita, neque in futura, punitionem effugietis. Hæc ille. Quod verò arbitratur Phariſæis Spiritũ ſanctum fuiſſe notum, non eſt verò ſimile. D. Athanaſius epiſt. citata: Phariſæi, ait, verbum quod in corpore eſt, prorſus abnegant, & diuinitatis opera diabolo, eiuſque dæmoniis imputant. Meritò iſtius impietatis indeprecabilem pœnam luunt, &c. Alij, vt ait D. Thomas 2. 2. quæſt. 14. art. 1. dixere, peccatum in Patrem, eſſe peccatũ ex infirmitate profectum, quoniam Patri applicatur potentia; peccatum in Filium, peccatum ex ignorantia, quia Filio applicatur ſapientia; peccatum verò in Spiritum ſanctum, peccatum ex certa malitia, quia Spiritui ſancto appropriatur bonitas. Lege Richardum Victorinũ in libello de ſpiritu blaſphemiæ. Idem diuus Thomas art. 2. eiuſdem quæſtionis colligit ex Auguſtino ſex ſpecies peccati in Spiritum ſanctum, deſperationem, præſumptionem, impœnitentiam, obſtinationem, impugnationem cognitæ veritatis, inuidentiam fraternæ gratiæ, quas numerat Magiſter ſententiarum lib. 2. diſt. 43. ſed omiſſis aliis, quid verius videatur, iam aperiamus.

Peccati in Spiritum S. ſex ſunt ſpecies.

Si Euangelij contextus expendatur, reperiemus blaſphemiam in Spiritum ſanctum, dici hoc loco illã, qua Phariſæi ex malitia & inuidia affirmabãt, Chriſtum dæmonis principẽ habere, eiuſque opera dæmones pellere. Cùm enim hanc protuliſſent blaſphemiam, Dominus de peccato in Spiritum ſanctum egit. Marcus verò hoc indicat. Poſtquam enim ſcripſit, Chriſtum affirmaſſe blaſphemiam in Spiritum ſanctum eſſe irremiſſibilem, addidit hæc verba: *Quoniam dicebant Spiritum immundum habet:* indicans blaſphemiam in Spiritum ſanctũ, de qua Chriſtus loquitur, his verbis Phariſæorum contineri: *Beelzebub habet, & in principe dæmoniorum eiicit dæmonia.* Eſt hæc ſententia diui Hieronymi Matth. 12. & epiſt. 149. ad Marcellam, & D. Ambroſij lib. 2. de pœnitentia, cap. 4. Diui Athanaſij, Theophylacti Matth. 12. Euthymij, D. Baſilij in Moralibus, regula 35. cap. 1. & in regulis breuioribus reſponſione 273. D. Chryſoſtomi, Bedæ Marci 3. Richardi de ſancto Victore in libello de Spiritu blaſphemiæ, & aliorum. Blaſphemia igitur in Filium hominis eſt contumelia, quæ fiebat Chriſto ab iis, qui ignorabant eſſe Deum, vt hominis filio, qualis illa apud Matth. *Ecce homo vorax, & potator vini,* &c. Blaſphemia autem in Spiritum ſanctũ illa appellatur, qua opera Spiritus ſancti, vel diuinitatis, vt miracula & ſimilia, ex malitia ſcienter dæmoni aſcribuntur. Euthymius, Abulenſis, Caietanus, & Ianſenius volunt Spiritum ſanctũ hoc loco non ſignificare tertiam Trinitatis perſonam, ſed diuinitatem tribus perſonis communem, quæ Spiritus eſt & ſanctiſſimus. Sed rectiùs ex Auguſtini & aliorum ſententia, tertiam perſonam ſignificat, cui Dominus ſuprà tribuit dæmonum expulſionem illis verbis: *Si ego Spiritu Dei eiicio dæmonia,* &c. Appellauit autem Chriſtus hanc blaſphemiam in Spiritum ſanctum, quoniam dixerat ſe in Spiritu Dei eiicere dæmonia. Erat ergo blaſphemia in Spiritum ſanctum, dicere miracula, quæ per Spiritum ſanctum à Chriſto fiebant, fieri per Spiritum immundum Beelzebub.

Blaſphemia Phariſæorũ quæ & vnde.

Marci 3.

Ibid.

Matth. 11.

Curſit appellata blaſphemia in Spirit. Sanctum.

Matth. 12.

NON *remittetur ei.* Difficile eſt explicatu, quomodo eiuſmodi blaſphemia irremiſſibilis dicatur. Ait enim Dominus: *Non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* D. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum, teſtimonio 28. numquam in Eccleſia remitti ſentit. Non poſſe, inquit, in Eccleſia remitti ei, qui in Deum deliquerit, in Euangelio Matth. *Qui dixerit verbum aduerſus Spiritum ſanctum, non remittetur illi,* &c. Hilarius quoque canone 12. Cùm cetera, inquit, dicta geſtáque, liberali venia relaxentur; caret miſericordia ſi Deus negetur in Chriſto, &c. Idem exiſtimaſſe Hieronymum illius verba præ ſe ferũt locis citatis. Auguſtinus idem credidit, ideoque dixit, peccatum contra Spiritum ſanctum eſſe finalem impœnitentiam, quia numquam remittitur. Didymus initio lib. 1. de Spiritu ſancto, Blaſphemiam in Spiritum ſanctum ait ſine venia eſſe, ita vt blaſphemantis pœna tendatur, non ſolùm in præſens omne ſæculum, ſed etiam in futurum. D. item Ephrem in interrogat. ſic ait; In Spiritum

Matth. 12. Quomodo dicatur irremiſſibilis blaſphemia in Spiritum Sanctum.

ſanctum blaſphemis non dimittetur peccatũ, neque in hoc, neque in futuro ſæculo; atteſtante Domino. Siquidem Deo ipſi reſiſtunt. & quis adiutor eorum erit? &c. Beda prætereà ait numquam remittendum. Vega quoque libr. 13, cap. 9. Ne vis, inquit vlla inferatur Scripturis, germanius, & ſimplicius putarem concedere, peccatum in Spiritum ſanctũ eiuſmodi eſſe, vt licet remiſſibile ſit, numquam tamen remittatur, &c.

Non remitti hoc peccatũ ſine pœnitentia quidam putat.

Contrà Theophylactus, non remitti interpretatur ſine pœnitentia. Qui, inquit, blaſphemat in Spiritum ſanctum, id eſt, in ſpiritalia opera Chriſti, & dicit ea eſſe diabolica; niſi pœnitentiam egerit, veniam non aſſequetur, &c. Similiter Abulenſis exponit; nõ remittetur ſine pœnitẽtia. Sed non habet interpretatio veriſimilitudinem, vt eſt perſpicuum, id enim omnibus peccatis commune eſt.

Richardus Victorinus de remiſſione huius peccati quid ſcripſerit.

Richardus Victorinus loco indicato, de remiſſione pœnæ verba hæc intellexit, Illud, inquit, hominis peccatum non incongruè irremiſſibile dici poterit, cui nulla pœne relaxatio fit, quæ in peccatis actualiter ſimilibus fieri contingit, &c. Item; Benè dicitur de eo, qui blaſphemauerit in Spiritum ſanctum, quòd non habet remiſſionem in æternum, quoniam ſi pœnitet, nihil ei de plenitudine diſtrictiſſimæ expiationis; ſi non pœnitet, nihil ei remittitur de plenitudine diſtrictiſſimę damnationis, &c: Obiicitur illud Marci. *Qui blaſphemauerit in Spiritum ſanctum, non habet remiſſionem in æternum, ſed reus erit æterni delicti.* Si de pœnæ remiſſione hæc verba intelligantur, ſenſus erit, blaſphemum in Spiritum ſanctum, non habere in æternum remiſſionem pœnę, perſoluturumq; eſſe pœnam æternam, vnde ſequitur eum etiam habiturum culpam æternam. Qui enim pœnam habet æternam, æternam quoque habet culpam. Non igitur hîc agitur de ſola remiſſione pœnę.

Mar. 3.

Caietan & alii.

Omiſſa hac expoſitione, Caietanus ad hunc modum exponit; Non remittetur ſecundùm regularem curſum: quia comitẽ ſemper habebit obſtinationem. Ianſenius ſimiliter: Non dimittetur regulariter; difficile impetrabitur venia; quia qui ſic peccant traduntur in reprobum ſenſum, nec reſipiſcunt. Lyranus: Peccatum in ſpiritum ſanctum irremiſſibile dicitur, quia difficile remiſſibile eſt, &c. Heſſelius: Dicitur iſtud peccatum non remitti per comparationem, quia admodum difficulter remittitur. Dionyſius Carthuſianus, Ideò dicitur irremiſſibile peccatum hoc, non quaſi nequaquam remiſſibile; ſed quoniam difficulter, & rarò dimittitur, non ex immiſericordia Dei, ſed quoniam homines ex tali peccato rarò, & difficillimè pœnitent, &c. D. Thomas ſecunda ſecundæ quęſt. 14. art. 2. Dicitur, ait, peccatum hoc irremiſſibile, non quòd nullo modo remittatur, ſed quia quantùm eſt de ſe, habet meritum, vt non remittatur. Item; dicitur irremiſſibile ſecundùm ſuam naturam, in quantùm excludit ea, per quæ fit remiſsio peccatorum. Per hoc tamen non præcluditur via remittendi, & ſànandi, omnipotentiæ Dei, & miſericordiæ, per quam aliquando tales, quaſi miraculosè ſpiritualiter ſanantur, &c. Hæc cenſetur mitior, & magis ſequenda interpretatio. Etenim nullum in Eccleſia peccatum eſt irremiſsibile, ſi pœnitentia adſit. Quamobrem videtur irremiſsibilis, in Spiritum ſanctum blaſphemia; non quòd non remittatur, ſi pœnitentiam agat blaſphemus, ſed quia magna cum difficultate remittitur, & quia ex ſua natura miſericordiam Dei excludit. Hæc ſententia eſt diui Chryſoſtomi Matthæi 12. Significare, inquit, voluit Chriſtus hoc peccatum multò minus cæteris eſſe ignoſcibile, &c. Euthymius verò aperte ait eſſe remiſsibile, ſi pœnitentia agatur. Manifeſtum, ait, eſt, quòd eis qui reſipiſcunt, remittetur hoc peccatum. Multi enim, qui tunc ita deliquerunt, cùm poſtmodum credidiſſent, veniam ſunt adepti. Sic ille.

Cur hoc peccatum dicatur irremiſſibile.

Beda putat poſſe quidem remitti, ſed numquam remittendum; quia qui hoc crimine ſe obſtringunt, veram pœnitentiam numquam agunt. Qui, inquit, manifeſtè intelligens opera Dei, cùm de virtute negare non poſsit, ſtimulatus inuidia calũniatur, & Chriſtum, Deíque Verbum, & Spiritus ſancti opera dicit eſſe Beelzebub: iſti non dimittetur, neque in præſenti ſæculo, neque in futuro. Non quòd negemus, & ei ſi pœnitentiam agere voluerit, poſſe dimitti ab eo, qui vult omnes homines ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire: ſed quòd ipſi iudici, & largitori veniæ credentes; qui & ſe pœnitentiam ſemper acceptaturum, & hanc blaſphemiam numquam dicit eſſe remittendam: credamus hunc blaſphemum exigentibus meritis, ſicut numquam ad remiſsionem, ita neque ad ipſos dignæ pœnitentiæ fructus eſſe peruenturum. ſic Beda.

Beda.

Qui comiſit blaſphemiam in Spiritum, quo modo remiſſionem non conſequetur.

Eſt ergo difficillima remiſsio huius peccati, quia difficillima eſt pœnitentia. Qui enim ex malitia peccat, & inuidia, atque odio, difficillimè ad pœnitentiam peruenit. Prætereà nullam habet hoc peccatum excuſationem ignorantiæ, vel fragilitatis. Richardus loco indicato. Vnam, ait, eandemque blaſphemiam, vnus facit ex coactione: alius ex aliqua deceptione: tertius ex ſola malignitate, ſiue malitia. In tribus culpa, quantùm ad actionem, per omnia ſimilis. In duobus tamen accipit aliquid remiſsionis, quoniam habet aliquid excuſationis. In tertio nullam accipit huiuſmodi remiſſionem, quoniam nullam habet excuſationem, &c. Dionyſius Carthuſianus: Ex ſe, inquit, irremiſſibile crimen eſt. Quoniam nullam habet excuſationem, & obuiat principio, quo fit peccati remiſsio, ſcilicet bonitati, caritati, ſeu pietari, &c. Adde difficillimam eſſe pœnitentiam, quia Deus his hominibus largitur quidem ſufficientia auxilia, ſed rarò ſuperabundantia, & efficacia.

Tria genera vnius & eiuſdem blaſphemiæ. Richardus Victor.

Forſitan Chriſtus de Iudæis ſolùm loquitur, iiſque non remittendum affirmat peccatum in Spiritum ſanctum: quoniam præuidebat illos in peccato morituros; iuxta illud, *In peccato veſtro moriemini.* Prætereà forſitan blaſphemia irremiſsibilis in Spiritum ſanctum, à Domino hîc appellatur, blaſphemia illorum tantùm qui Chriſti in terra verſantis miracula, quæ ipſis oculis cernebant, dæmoni tribuerunt. Itaq; iuxta hunc ſenſum, Phariſæi tantummodò in Spiritum ſanctum blaſphemauerunt irremiſsibiliter. ſoli enim Phariſæi Chriſti in terra verſantis miracula, quæ videbant ſumma cũ vitæ ſanctitate coniuncta, Beelzebub poteſtate facta eſſe affirmarunt. Hæc dicta ſint, ne dicere cogamur peccatum aliquod, videlicet in Spiritum ſanctum, eſſe irremiſsibile.

Ioan. 8.

Quo modo hoc peccatũ ſit irremiſſibile. Auctoris ſententia.

NEQVE *in hoc ſæculo, neque in futuro.* Ex hoc loco conſtat remitti aliqua peccata in futuro ſæculo: atque adeò eſſe purgatorium. Auguſtinus lib. 21. de ciuitate Dei capite 24. Neque, inquit de quibuſdam veraciter diceretur, *quòd non ei remittatur, neque in hoc ſæculo, neque in futuro*; niſi eſſent, quibus etſi non in iſto, tamen remittentur in futuro, &c. D. Greg. lib. 4. Dialog. cap. 39. De quibuſdam, ait, leuibus culpis eſſe ante iudiciũ purgatorius ignis credendus eſt, pro eo quòd veritas dicit: *Quia ſi quis in Spiritum ſanctum blaſphemiam dixerit, neque in hoc ſæculo, neque in futuro remittetur ei.* In qua ſententia datur intelligi quaſdam culpas in hoc ſæculo, quaſdam verò in

Matth. 12. Purgatorium ex hoc loco aſtruitur.

Ibid.

rò in futuro poſſe laxari. Quòd enim de vno negatur, conſequens intellectus patet, quia de quibuſdam conceditur, &c. D. Iſidorus lib. 1. de officiis eccleſiaſticis, capite de Sacrificio; Cùm Dominus dicit: *Non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro*; demonſtrat quibuſdam illic dimittenda peccata, & quodam purgatorio igne purganda, &c.

Bernar. D. Bernardus de hæreticis loquens ſerm. 66. in Cant. Non credunt, inquit, ignē purgatorium reſtare poſt mortem. Quærant ergo ab eo, qui dixit quoddam peccatum eſſe quod neque in hoc ſæculo, neque in futuro remitteretur; cur hoc dixerit; ſi nulla manet in futuro remiſſio purgatione peccati, &c. Idē docet Beda Marci 3. & alij Remittuntur verò in alio ſæculo in purgatorio mortifera peccata, quantùm ad pœnam; venialia quantùm ad culpam etiam, & pœnam. Cardin. Bellarminus lib. 1. de Purgatorio capite 4. hæreticorum futiles quaſdam circa hęc obiectiones ſoluit.

Matth. 12. AVT *facite arborem bonam, & fructum eius bonum.* D. Auguſtinus ſerm. 12. de Verbis Domini, interpretatur, Chriſtum Iudæis pręcipere, vt ſint bonæ arbores, & fructum afferant bonum. Quod autem dicit: *Aut facite arborem malam, & fructum eius malum*; non præceptum eſt (ait Auguſtinus) vt facias, ſed admonitio ne facias, &c. At verò iam Phariſæi arborem faciebant malam, & fructus malos, id eſt, ſe ipſos tanquam arbores faciebāt malos, & opera ſua tanquam fructus, mala. Quid igitur opus fuit hoc dicere? Ait quidam interpres, iubere Dominum, aut aperte bonos, aut aperte malos eſſe, non hypocritas. Sed Chriſtus non ait, facite palam arborem malam, aut bonam. Prætereà improbabile eſt, Chriſtum iuſſiſſe quemquam, qui malus eſſet clàm, malum eſſe aperte. Lege eundem Auguſtinum lib. 2. de Actis cum Felice Manichæo capite 4. & libro 2. contra literas Petiliani capite 6. & lib. 2. de ſermone Domini in monte capite 36.

Chriſtus nō præcipit, vt fructus malos facias, ſed monet, ne facias.

Chriſtus de ſeipſo tamquam arbore loquitur. Veriſimilius eſt, loqui Dominum de miraculis tamquam fructu, & de ſe ipſo tamquam arbore, ex qua hic fructus productus eſt, in hunc modum. Ex fructu arbor agnoſcitur, ſimilis eſt fructui arbor. Expulſio dæmonum eſt bonus fructus, vt vos conceditis in filiis veſtris. Si ergo facitis dicto veſtro & opinione, fructum bonum; facite etiam arborem bonam, id eſt, dicite eum etiam, qui dæmones eiicit, eſſe bonum, non autem principem dæmoniorum. At ſi facitis veſtro dicto arborem malam, dicitiſque hominem eſſe improbum, & dæmonem habere, vel eſſe Beelzebub; ne tribuatis illi fructum bonum, id eſt, dæmonum expulſionem, quam compertum eſt eſſe fructum bonum. Nam arbor mala, qualis eſt Beelzebub, bonum fructum proferre nequit. In hanc ſententiam interpretantur Chryſoſtomus, Euthymius, & Diuus Hieronymus. Theophylactus quoque; Miracula, inquit, id eſt, fructum, bona eſſe diciti: igitur & ego bona ſum arbor. Sicut enim ex fructu arbor; ita ego ex miraculis cognoſcor. ſic ille. Caietanus latius de operibus Chriſti exponit, hoc pacto. Si veſtro iudicio me tamquam arborem, malum facitis, & dæmoniacum; facite etiam fructus meos malos, id eſt, opera mea. At verò id facere non poteſtis, ſunt enim omnia plena ſanctitate; quod ſubticuit Dominus. Aut ergo facite opera mea mala, ſimul cum animo: quod non poteſtis; aut facite animum ſimul & opera bona.

Matth. 12. PROGENIES *viperarum.* Reprehēdit Dominus Phariſæos calūniatores. viperas appellat, quòd mordeant, dæmonum enim eiectionem, opus admirabile, dæmonum principi Beelzebub aſcribebant. Hic morſus fuit viperarum, veneno blaſphemiæ plenus. Sed morſus viperarum viperis, non nocet: hic autem morſus viperinus, viperis, id eſt, Phariſæis, maxime nocuit. Filij hominum homines dicuntur phraſi Hebræa: ſic progenies, vel filij viperarum, viperæ appellantur. Tamen D. Gregorius hom. 20. in Euangel. filios viperarum vult dici, quòd parentes improbos imitentur. Malæ, inquit, ſoboles malorum parentum actionem imitantes, genimina viperarū vocantur, &c. Chryſoſtomus verò filios viperarum dici ait, quoniam de maioribus nimium gloriabantur. Ideo viperarum filios, non Patriarcharum vocat illos Dominus. Poſſunt etiam dici viperæ, quòd inſtar viperarum nequitiæ veneno pleni eſſent; nullum enim venenum peius peccato eſt.

Viperi morſus viperarum quomodo noceat.

B QVOMODO *poteſtis bona loqui.* Poſſunt mali, ſi velint, bona loqui: ſed more humano loquitur Chriſtus, per amplificationem interrogando. hæc autem interrogatio cum antecedentibus ſic cohæret; Blaſphematis opera Dei, tribuitis ea diabolo, peſſimè loquimini: quomodo enim bene loqui poteſtis, cùm ſitis improbi? Nam ex abundātia cordis os loquitur. Cùm autem cor veſtrum viperino abundet veneno, quid effundere poteſtis ore, niſi venenum, vt viperæ? Malum cor malus eſt theſaurus, ex quo mala verba, & opera: bonum cor bonus theſaurus, ex quo bona verba, bonaq; opera proferuntur. Cor veſtrum malus eſt theſaurus, id circo ex eo blaſphemias profertis.

Matth. 12.

C OMNE *verbum otioſum.* De blaſphemia Phariſæorum ſermo eſt hactenus, rationem Deo de illa reddendam Chriſtus à minori ad maius oſtendit. *De omni*, inquit, *verbo otioſo reddent rationem homines in die iudicij.* Quòd ſi otioſa verba exquirentur, ac punientur, multò magis blaſphemia veſtra. Nam non ſolùm opera, verùm etiam verba in iudicium venient. *Ex verbis enim tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis*; hoc eſt, in iudicio, propter verba bona iuſtus declaraberis, & præmio afficieris, propter mala, ſententia iudicis damnaberis. Non excludit Chriſtus opera. ex operibus enim & verbis tunc iuſtificabimur, vel damnabimur. nam verbis & operibus, vel merita comparamus, vel peccata cōmittimus. Adde etiam cogitationes, quæ operum verborumque ſunt fontes. D. Hilarius de verbis confeſſionis, vel negationis, exponit. De confeſſionis (ait) noſtris verbis, aut cōdemnandi ſumus, aut iudicandi. talem futuri iudicij beneuolentiam recepturi, qualem de cęleſtis glorię Domino ſententiam tenuerimus, &c. Sed de verbis vniuerſe locus eſt explicandus.

Ibid. Quomodo a blaſphemia ad verba otioſa tranſeat.

Matth. 12.

D *Hilar.*

Verbum autem otioſum definit hoc loco diuus Hieronymus, quod ſine vtilitate, & loquentis dicitur & audientis. D. Hilarius verbum otioſum interpretatur ineptum, & inutile dictum. D. Chryſoſtomus, Verbum, inquit, otioſum eſt, quod rei propoſitæ non conuenit, nihilque confert vtilitatis, quod mendacio inquinat, quod ad calumniam dicitur, &c. D. Gregorius homil. 6. in Euangelia;

E Otioſum verbum eſt, quod aut vtilitate rectitudinis aut ratione iuſtæ neceſſitatis caret, & in Paſt. p. 3. Admonit. 15. Otioſum verbum eſt, quod aut ratione iuſtæ neceſſitatis, aut intentione piæ vtilitatis caret, &c. Phraſis hebræa eſt hoc loco. Satis fuiſſet dicere: *De omni verbo otioſo reddent rationem*, &c. Sed phraſi Hebręa dicitur. *Omne verbum otioſum, reddent rationem de eo.* Sic Pſal. *Domino in cælo ſedes eius.* Satis fuiſſet dicere; Domini in cælo ſedes, noſtra phraſi. Hebræi ſic loquebantur.

Verbum otioſum.

Hebræa phraſis. Pſal. 10.

CAP.

CAPVT XVIII.

De petitione signi è cælo.

Matth. 12. VOLVMVS *à te signum videre.* Postquã Dominus Pharisæorum blasphemiam redarguit, ex Scribis, & Pharisæis quidam miraculum postularunt, *Magister*, inquit, *volumus à te signum videre*. Dubitatur, quorsum hi miraculum à Christo postularint, cùm tot iam ante vidissent? Dubitationi D. Lucas facit satis, sic enim scribit: *Et alij tentantes, signum de cælo quærebant ab eo.* petebant ergo miraculũ aliquod nouum, & inusitatum; non in terra, sed in cælò perpetrari. Volebant (ait Hieronymus) vel in morem Eliæ, ignem de sublimi venire, vel in similitudinem Samuelis, tempore æstiuo contrà naturam loci, mugire tonitrua, coruscare fulgura, imbres ruere, &c. Petebant prætereà hoc miraculum, non simplici bonoq animo vt crederent: sed malo, tentantes, an Christus posset de cælo miracula edere, qui in terra tot operabatur.

Luc. 11.

Quale signum Iudæi quærerent.

Matth. 12. Ibid. GENERATIO *mala, & adultera.* Blandis verbis illi tentabãt; *Magister* (inquiunt) *volumus à te signum videre.* Christus asperis, durisque respondet. cor enim, ex quo mollia, fallaciaque verba emanabant, intuebatur, *Generatio*, inquit, *mala, & adultera.* Adulteram interpretatur Maldonatus degenerẽ, quę à maioribus suis degeneravit. Abulensis interpretatur, indignam honore, sicut sunt filij adulterini. Verisimilius adulteræ vocabulo eam generationem significari, quæ relicto Deo dæmonem sequitur. quemadmodum ea mulier adultera nominatur, quæ marito relicto sequitur adulterũ. Adulteram ergo appellat Dominus Iudæorum generationem, quòd relicto vero Messia Deo, incredduli hærerent dæmoni. Incredulitatem enim hoc nomen indicit. D. Hieronymus ait appellari generationem adulteram, quòd olim Deum sæpè reliquerit, & idola coluerit. Egregiè dixit Christus (ait Hieronymus) Generatio adultera: quia dimiserat virum, & iuxta Ezechielem 16. multis se amatoribus copulauerat, &c. D. Chrysostomus; Tale, inquit, est, quod dicit Christus; Quid mirum est, si ita perperam me tractatis, quem nondum cognouistis; cùm etiam Patrem, quem plurimis & maximis periculis cognoscere deberetis, pariter offendatis, quem crebrò derelinquentes dæmonum cultum secuti estis? &c. Theophylactus similiter; Adulteram, ait, generationem vocat; quia descisscebant à Deo, & adhærebant dæmonibus, &c. Et Euthymius; Adulteram, inquit, generationem dixit Christus, propter progenitorum à Deo defectionem; qui olim fide à Deo disiuncti, fidei dæmonum adhæserunt. Adulterium quippe etiam nominauit idololatriam, veteris testamenti Scriptura, &c.

Quænam dicatur generatio adultera?

Cur Iudæi dicantur generatio adultera.

Matth. 12. SIGNVM *non dabitur ei.* Postulationem Pharisæorum, & Scribarum tentantium reiicit Dominus. Postulabat adultera generatio signum: *Signum* inquit, *non dabitur ei*, Opponitur veritati horum verborum, Christum multa posteà signa dedisse: multa enim miracula posteà perpetrauit. Quomodo igitur respondet; *Miraculum non dabitur ei*: cùm multa data sint? Respondet Chrysostomus, cætera signa non esse data Pharisæis istis, id est, propter eos, qui obstinati erant: sed propter alios. Et Euthymius: Fecit, ait, Christus signa, sed non propter eos; nam obdurati erant: sed ad aliorum vtilitatem, &c. Aliter respõdetur, dedisse posteà multa signa, sed nullum dedisse, quale generatio adultera postulabat, nempe de cælo. Erit sensus; *signum non dabitur ei*, de cælo, quale petit. Sed eneruatur hic sensus, quoniam signũ de cęlo dedit posteà. Nonne signum de cęlo fuit, admirabilis eclipsis illa Solis, quæ Christo in crucem sublato, Iudæos terruit? Prætereà vox de cælo audita est: *Et clarificaui, & clarificabo.* Rectius igitur dicimus, sensum verborum hunc esse; signum non dabitur generationi malæ nunc petenti: petebant enim Pharisæi, vel Scribæ, vt signum daret tunc, cùm postulabant. Negat Christus se propter petitionem eorum, signum tunc daturum, quod flagitabant; *Signum*, inquit, *petit, & signum non dabitur nunc ei petenti.* Postea verò alia dedit, non tamen propter petitionem eorum dedit. Alia est huiusmodi responsio, Christum non dedisse postea signum vllum Pharisæis, quo efficaciter ipsum agnoscerent, nisi signum Ionæ. Nam post resurrectionem illum agnouerũt. Itaque iuxta hanc sententiam sic exponuntur verba illa: *Signum non dabitur ei*: quo scilicet, efficaciter me cognoscant, & quo efficaciter mundo manifester. At Pharisæi qui tentabant, signum de cælo absolutè petebant: non autem signum, ex quo efficaciter ipsum cognoscerent. Respondetur, etsi Pharisæi id non intellexerint, cùm signum petierunt, Christum intelligere voluisse, cùm respondit.

Ioan. 12.

Matth. 12.

Quæritur, cur Christus signũ dare noluit, quod petebant de cælo? Respondet Euthymius: Quia non ex fide, sed ex dolo, tentando signum petebant. Altera causa est, quia curiosa signa, & inutilia dare nolebat. Lege Abulensem Matthæi 12. quæst. 88.

Cur Christus signum de cælo dare noluit.

NISI *signum Ionæ Prophetæ.* Illi signum de cælo petebant, quod à Christo protinus efficeretur. Christus signum dat, sed multò pòst efficiendum, videlicet, stupendum suæ resurrectionis miraculum. Idem signum præbuit signũ petentibus. *Soluite*, inquit, *templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Ille autem dicebat de templo corporis sui.* Datum autem Iudæis est signum resurrectionis Christi, quoniam illis nunciata est à sepulchri custodibus, ab Apostolis multis miraculis comprobata, & à plurimis Iudæis in Iudæa, & toto orbe à gentibus credita. Adde Iudæos Christi sepulchrum vacuum conspexisse, quod resurrectionem testabatur. Ergo datum Iudæis est hoc signum, id est, miraculum maximum, vt crederent. Sed cur Christus signum resurrectionis, quæ postea futura erat, præbuit? Respondetur, quia prædicere mortem suam voluit, & resurrectionẽ, vt postea crederent, qui multò antea prædictam scirent; iuxta illud: *Nunc dixi vobis, antequam fiat, vt cùm factum fuerit credatis*, &c. Præterea hoc signum dedit, quoniam post illud Iudæi multi conuersi sunt. Quasi diceret; Modo tot signis datis, non recipitis me vestrum Messiam, tandem dato meæ resurrectionis signo plurimi recipietis. Nunc me non agnoscitis; tunc agnoscent non solùm Iudæi, sed etiam toto orbe gentes. Lege Abulensem quæst. 92. Matth. 12. Forsitan Christus ad opinionem, siue errorem respexit, quem Iudæi de Messia habebant. Glorioſum enim & opulentum, non humilem & pauperem, Messiam exoptabant. Dat igitur eis signum resurrectionis, qua glorioſus opulentusque Rex Christus apparuit, quasi dicat: Messiam cupitis diuitem, regémque gloria percelebrem? id nunc minimè cernetis. Post mortem autem meam, cùm resurrexero, quàm sit glorioſus Rex, quamque dives apparebit. *Cùm exaltaueritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum*, &c. Adde signum resurrectionis signum fuisse de cælo, quale Iudæi petebant, quoniam cæleſti gloria, & immortalitate, Christi corpus rutilabat.

Ioan. 2.

Signum resurrectionis est Iudæis datum.

Ioan. 14.

Iudæi Messiã glorioſum & opulentum habere optabant.

Ioan. 8.

Quomodo Iudæis signa data sint, quæ Christus se datum negauerat.

Cardi-

Caiet. Cardinalis Caietanus Matthæi 12. ait Christum hoc signum dare Iudæis,& vere signum futuræ eorum ruinæ, propter obstinationem. Et affert, inquit,Christus figuram Ionæ prædicantis Niniuitis, & in ventre ceti triduò manentis.Sic ego, ait,pluſquàm Ionas prædico vobis ſalutem,& pœnitentiam,& ero triduò mortuus,& reſurgam. Et inde veſtra ſubſequetur ruina obſtinationis in animo, & deuaſtationis,ac diſperſionis in corporibus per Romanos.ſic Caietanus. Maldonatus quoque cenſet, Christum ſignum Iudæis dare condemnationis.Signum autem, id eſt, argumentum, eſt, quòd cùm Niniuitæ gentiles, legemque ignorantes, ad vnum Ionæ verbum hominis peregrini,atq; ignoti,crediderint,& pœnitentiã egerint: illi tot Chriſti auditis verbis, tot miraculis conſpectis,nõ modò non crediderint, ſed dæmonium eum habere dixerint.

Christus dedit Iudæis signum condemnationis.

Exiſtimo Chriſtum reſurrectionis ſuæ ſignum maximũ Iudæis hoc loco dediſſe,quemadmodum dedit Ioan.2.eſt hęc ſententia Theophylacti,& Euthymij, & ex Euangelio aperte colligitur, ſi verba recte expendantur. *Signum* (inquit Dominus) *non dabitur ei,niſi ſignum Ionæ prophetæ* Deinde quod ſit hoc ſignũ Ionæ manifeſte indicat,ſubiungens: *ſicut enim fuit Ionas in vẽtre ceti tribus diebus, & tribus noctibus: ſic erit filius hominis in corde terræ, tribus diebus & tribus noctibus.* Hoc verò ſignum eſt reſurrectionis. Neque placet quod Maldonatus ait,his verbis nihil aliudChriſtũ docere voluiſſe, quàm ſe eſſe Iudæis, quod Ionas fuerat Niniuitis. Quaſi verba hæc ſignum datum non ſignificent,ſed veluti per parẽtheſim ſint addita. At ea manifeſtè,quod ſignum datum ſit oſtẽdunt,vt indicat particula, *ſicut*,& particula, *enim*. Prætereà Dominus ait; *Dabitur ſignum Ionæ prophetæ*, videlicet, quod in ipſo Iona propheta præceſſit. At quod Niniuitæ egerunt, in ipſo Iona minimè præceſſit.Oſtenditur hoc ex Luca *Signum non dabitur ei,niſi ſignum Ionæ prophetæ.Nam ſicut fuit Ionas ſignum Niniuitis,ita erit filius hominis generationi iſti*,&c. Quid clarius? Adde Niniuitas non fuiſſe ſignum Iudæorum, nam ſi ſignum fuiſſent,Iudæos pœnitentiam acturos,& à damnatione liberandos ſignificaſſet, quod falſum eſt.Egerunt enim pœnitentiam Niniuitæ, & ſupplico imminenti ſunt erepti; vt ex Iona propheta liquet.

Matth. 12. *Ibid.* *Luca 11.*

In corde terræ. Cor terræ ſepulchrumappellatur ex ſententia Euthymij. Cor, inquit,terræ intelligit, ipſius profunditatem. Nam in profunditate illius lapidis inciſum erat ſepulchrum,&c. Et Chryſoſt. hom.44.in Matth.In corde terræ dicit Dominus, vt & ſepulchrum denotet,& nemo apparentiam fuiſſe ſuſpicetur,&c. Hæc eſt interpretatio Gloſ. interlinear.Bedæ,Abulenſis, Hugonis, Card.& D. Thom.3.part.quæſt.51.art.4.

Quid appelletur cor terræ.

Theophylactus cor terræ infernum,id eſt, limbum interpretatur:in quem locum anima Chriſti poſtmortem deſcendit. Poſtquam(ait Theophylactus) Chriſtus in cor terræ, in infimum locum, infernum deſcendit,reſurrexit,&c.Eadem ſententia eſt D. Hieronymi Ionæ 2. Per *cor*,inquit, *maris*, ſignificatur infernus. pro quo in Euangelio legimus;*in corde terræ*. Quomodo autem cor animalis in medio eſt,ita &infernus in medio terrę eſſe perhibetur,&c.Et Ezechielis 27.Quòd cor maris medium ſignificet, propheticus ſermo demonſtrat Pſal.45. *Propterea non timebimus, dum transferentur montes in cor maris.* Sed & Dominus,*in corde terræ*,id eſt,in medio, & ad inferos dicitur deſcendiſſe. Sic Hieronymus.Tertullianus quoque cor terræ, inferos ſignificare ait libro de anima capite 55. Lege Ambroſium ad Epheſ.4. Irenæum libro 5. capite 31.

Cor terræ limbum denotat. *Hieron.* *Psa. 45.*

A Gregorium Nyſſenum oratione 1.de reſurrectione,Cyprianum libro 2. aduerſus Iudæos. num. 25. Hic ſenſus eſt amplectẽdus.Cor enim terræ, ſignificat medium terræ,vbi limbus erat.Sequuntur illum Caietanus, Maldonatus, & alij.

Matth. 12.

Tribvs *diebus, & tribus noctibus*. Quomodo Chriſtus tribus diebus,& tribusnoctibus,apud inferos fuerit in corde terræ, Deo vitam ſuppeditante,tunc explicabimus cõmodius,cùm de Chriſti morte faciemus verba.Fuit autem Ionas Chriſti vmbra,quòd mortem illius, ac reſurrectionem præfigurarit. Deglutiuit cetus Ionam ,ſed viuum paulò poſt in aridam eiecit;ſic mors Chriſtum deuorauit, ſed paucos poſt dies rediuiuum demiſit. Prætereà miſſus eſt Ionas ad prædicandam Niniuitis pœnitentiam , & Chriſtus miſſus à Patre eſt, ad prædicandam pœnitentiam Iudæis, & gentibus. Sponte Ionas ſe obtulit in mare præcipitandum, vt procella ſedaretur : *tollite*, inquit,*me, & mittite in mare, & ceſſabit mare à vobis*.Sponte quoque Chriſtus ſe obtulit cruci ſuffigendum,vt diuinæ iræ tempeſtas comprimeretur.

Christi vmbra Ionas.

Matth. 12.

Viri *Niniuitæ*. Quoniam Ionæ meminit Dominus,qui Niniuitis pœnitentiam prædicauerat,confert Iudæos cum Niniuitis Ethnicis, vt Iudæorum incredulitatem , & obſtinationem hoc exemplo , & comparatione coarguat. Viri, inquit, Niniuitæ vos in iudico condemnabunt. Quoniam illi prædicante Iona crediderunt, & egerunt pœnitentiam: at vos prædicante Meſſia vero Deo,& miraculis coruſcante,neque pœnitentiam egiſtis,neque credidiſtis.

Ibid.

Regina *Auſtri*. Addit exemplum alterum ad accuſandos Iudæos. Regina, inquit, Auſtri,& Ethnica,vos in iudicio damnabit.Quoniam à finibus terræ venit, vt Salomonis ſapientiam audiret: at vos Meſſiæ ſapientiam, quæ Salomonis ſapientiam infinito ſuperat interuallo, ſpernitis. Regina Auſtri dicitur hoc loco illa quæ appellatur regina Saba.Saba autem nomen eſt non reginæ illius proprium,ſed loci,in quo illa regnabat. Proprio nomine,vt vult Ioſephus libro 9. antiquitatum, cap. 6.Nicaula dicta eſt. Abiſſini verò, vt ſcribit Ioannes Barius decade 3. libro 4. capite 2. Maquedam appellatam eſſe aiunt.

3.Reg.10. & 2.Par.9. *Regine Saba nomen.*

Quænam regio fuerit Saba,dubium eſt. Diuus Hieronymus in traditionibus Hebraicis in Geneſ. ait duplicem eſſe Saba,alteram ſcribi per ש, *ſchim*, Hebræam literam, *Schaba*, & ſignificare Arabiam. Alteram per, ס *Samech*,*Saba*,& eſſe Sabeam regionem thuriferam. Vnde illud Georgicorum 1. *India mittit ebur,molles ſua thura Sabæi*.Sunt hæc duo nomina coniuncta in illo verſu; *Reges Arabum & Saba dona adducent*.Hebraicè*Reges*,שבא,*Schaba*,id eſt,Arabiæ,& סבא,Saba,*dona adducent*.Nomen Saba,vnde hæc regina ad Salomonem venit, 3. Regum 10.& 2.Paral.9. per,ש,ſchim ſcribitur. Cùm igitur hoc modo ſcriptum Arabiam ſignificet , efficitur reginam Arabiæ imperaſſe.quam opinionem ſequuntur Lippomanus Geneſ. 10. Pererius, & alij; D. Hieronymus Iſaiæ 61. Madian, ait, & Epha, regiones ſunt trans Arabiam; omniſque prouincia appellatur Saba,vnde fuit & Saba regina,&c.

Quæ regio fuerit Saba *Virgil.* *Psa. 71.*

Dicitur autem à Chriſto regina Auſtri, quia Arabia fœlix Auſtralis eſt Iudææ. dicitur *à finibus terræ veniſſe*, quoniam Arabia fœlix duplici mari, id eſt,ſinu Perſico, & mari rubro, clauditur, atque adeò finis eſt terræ illius . Intelligi etiam poteſt dictum ,*à finibus terræ*,reginam veniſſe,propterea quòd à regione longè à Iudæa diſtante venerit.

Cur dicatur Regina Auſtri. *Matth. 12.*

Alia eſt Ioſephi ſententia.Scribit enim libro 2. Anti-

Saba Meroe est Persarũ Regia. Antiquitatum, capite 10. Sabam regiam fuisse Æthiopum, quàm posteà Cambyses Persarum rex de nomine sororis Meroem appellauit. est autem Meroe ciuitas Æthiopiæ, & insula, quàm Nilus efficit. Idem Iosephus libro 8. Antiquitatum, ca. 6. Nõ Æthiopię solùm sed etiam Ægypto reginam hanc imperasse ait. Herodotus Halicarnasseus (ait Iosephus) cùm 330. reges post Minæum Memphis conditorem, deinceps successisse dixerit, nomina eorum non recensuit, quia Pharaones vocati sint omnes. Cùm enim post hos mulier imperium arripuisset, nomen eius ponit Nicaulem. Nimirum ea de causa, quòd soli mares huius appellationis essent capaces, & non etiam fœmina, oportuit peculiare ipsius nomen dicere. Ego verò in nostræ gentis commentarijs reperi, quòd post Salomonis socerum Pharaonem, nemo Ægyptiorum regum amplius hoc nomine sit vocatus: & quòd post illum venerit ad Salomonem iam dicta mulier, quæ tunc Ægypti simul, ac Æthiopiæ regnum obtinebat. sic Iosephus. Dominabatur ergo, iuxta hanc sentẽtiam, regina hęc in Saba ciuitate, siue Meroe, & in Æthiopia, quę iuxta Ægyptum est; dicitúrque regina Austri, quia regio est australis si cum Iudæa conferatur. Dicitur à finibus terræ venisse, quoniam à Iudæa longè distat. Huius sententiæ sunt Abulensis lib. 3. Reg. capite 10. Iansenius, & Maldonatus Matth. 12. Ea mihi videtur verisimilior, éstque Glossæ interlin. 3. Reg. 10. & 2. Paral. 9. fauet diuus Hieronymus Isai. 43. Pro Syene, inquit, reliqui interpretes posuerunt Saba, vnde fuit Regina Austri, quæ venit sapientiam audire Salomonis, &c. Est autem Syene ciuitas in confinibus Æthiopiæ atque Ægypti. Septuaginta interpretes eodem Isai. ca. Saba, Syenem interpretantur. Procopius Isaiæ 43. Est, inquit, Saba gens illa Æthiopiæ, ex qua reginam ad Salomonem esse profectam legimus, &c. Euthymius Matth. 12. Austrum dicit Dominus regionem à qua flat Auster, dico sanè Æthiopiam, quàm Saba vocauit tertius Regum liber, &c. Theodoretus quoque quæst. 32. in 3. librum Reg. Æthiopicam gentem ait esse gentem Saba.

Regina Saba Æthiopia imperabat & Ægypto.

Iosephus.

Saba Syene etiam dicta est.

Procopius.

Ex Æthiopia quoque Regina Candaces fuit, cuius mentio fit in Actis: *Ecce vir Æthiops Eunuchus potens Candacis Reginæ Æthiopum, qui erat super omnes gazas eius*, &c. miminit quoque Strabo lib. 17. cuiusdam Candacis Reginæ Æthiopum. Candace, inquit, regina per nostra tempora, Æthiopibus imperauit, virilis sanè mulier, sed altero oculo capta, &c. Vt constat ex epistola Dauidis Æthiopiæ imperatoris, ad Regem Lusitaniæ Emmanuelẽ missa, Æthiopię imperator inter regiones quibus se imperare ait, Saba nũerat his verbis: Rex de Xoa, de Cafate, de Angote, de Baru, de Sabaim, vnde fuit regina Saba, &c. Quòd si obiicias nomen Saba cùm regionem significat, cuius hæc regina principatum obtinebat, per, ש, *schin*, scribi 3. Reg. 10. & 2. Paralip. 9. cùm verò significat Æthiopiam scribi per, ס, *samech*. Respondebimus scribi etiã per, ש, *schim*, cùm Æthiopiam indicat. Lege, si libet, de Regina Saba Ioannem Barium, Decade 3. loco iam citato.

Act. 8.

Candace regina Æthiopum.

Matth. 12. SVRGENT *in iudicio.* Diuus Hilarius ait à Niniuitis, & regina, in iudicio iudicandos Iudæos. diuus Hieronymus, quale hoc sit futurum iudicium, docet his verbis; Viri Niniuitæ condemnabunt Iudæos, non sententiæ potestate, sed comparationis exemplo, &c. Condemnabunt Iudæos, non sententiæ potestate, sed cõparationis exemplo, &c. Condẽnabunt ergo Iudęos Niniuitę, & Regina Saba, non ex thronis, vel sedibus sententiam ferentes, sed iudicio quodam comparationis, inter alios surgentes. *Viri* (inquit Dominus) *Niniuitæ surgent in iudicio: Regina Austri surget*, &c. Euthym. Dicere solemus, hunc aut illum in futuro iudicio nos condemnaturum, non quasi ille futurus sit Iudex, sed quòd illius operatio nostris collata confundet nos, hanc quoque consuetudinem sequutus est Christus, &c.

Iudæi quomodo à Niniuitis condẽnabũtur.

Matth. 12.

Est opinio alia, non iudicaturos Niniuitas, vel reginam, sed accusaturos tantùm. Probatur, quoniam iudicum est sedere, iuxta illud Domini: *Sedebitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.* At Dominus ait, Niniuitas surrecturos, & reginam, quòd accusatorum est. Respondemus, eorum, qui iudicio comparationis iudicant, non esse sedere, sed potius surgere. Niniuitæ autem, & Regina Austri, non erunt iudices auctoritate, sed solùm comparatione quadam damnabunt Iudæos. Adde hoc loco surgere, significare idem quod resurgere, hoc sensu; *Viri Niniuitæ surgent*, id est, resurgẽt in iudicio. est enim Græcè, ἀναστήσονται, id est, resurgent. Item: Regina Austri surget Græcè, ἐγερθήσεται, id est, excitabitur in iudicio; & condemnabunt Iudæos.

Matth. 19.

Cur dicãtur surgere non sedere.

ECCE *plusquam Salomon hic.* Tam Iona Propheta, quàm Salomone præcellentiorem se esse ait Dominus, Iudæisque quis sit, indicat, sed non aperte. Quis enim Salomone sapientissimo Rege sapientior, & præcellentior esse poterat præter Messiam? Illud hic Græcè, ὧδε, significat, *hoc loco*. Ecce hoc loco, inter vos præstantior est Iona, vel Salomone. De se veluti de tertia loquitur persona.

Matth. 12.

Christus se Messiam esse indicat.

CVM *immundus spiritus exierit ab homine.* Nonnulli de hæreticis hæc putant dicta, vt Hieronymus ait. D. Augustinus in libro 1. quæstionum Euang. capite 8. de redeuntibus ad sæculum interpretatur: Significat, inquit, Christus quosdam ita credituros, vt ferre non possint labores continentiæ, & ad sęculum redituri sint. Sed de Iudæis loqui Dominum, probat verborum illa clausula: *Sic erit, & generationi huic pessimæ*, hoc est, id eueniet Iudæis, quod contingit homini à dæmone liberato, ad quem septem postea reuersi sunt. De Iudæis exponunt Hilarius, Hieronymus, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius. Immundus dicitur spiritus dæmon propter peccatum. nulla enim impuritas peccato maior est. Præterea immundus ab effectu, propterea quòd ad immunda homines impellit. Exit autem ab homine, cùm pellitur vi diuina.

Matth. 12. Luca 11.

Dæmon immundus spiritus cur dicatur.

AMBVLAT *per loca arida & inaquosa.* Quæ sint hæc arida loca, per quæ dæmon ab homine pulsus ambulat, non est facilè explicatu. Diuus Hilarius gentiles loca arida & inaquosa, id est, baptismi aquis minimè irrigata, putat appellari. hoc sensu, Pulsus à Iudæis olim per legem dæmon, per loca arida, id est, gentiles, ambulauit. Sed à gentibus per Apostolos, & concionatores reliquos eiectus, ad Iudæos rediit. Similiter diuus Hieronymus; Immundus, inquit, spiritus exiuit à Iudæis, quando acceperunt legem; & pulsus à Iudæis ambulauit per gentium solitudines, quæ cùm postea Domino credidissent, ille non inuento loco in nationibus, dixit: Abibo ad Iudæos, &c. Sic etiam interpretantur Lyranus & Abulensis.

Matth. 12. & Luc. 11.

Per quenã loca arida dæmon ambulet.

Hieron.

Aduerte hoc loco comparationem esse. Comparat enim Dominus Iudæos cum homine, à quo dæmon pellitur. Explicanda prius est vna comparationis pars de homine, à quo dæmon eiicitur; altera deinde, qua Iudæi huic homini dicuntur similes. Prior pars in hunc modum explicatur; Cùm dæmõ ab homine pellitur, ambulat per loca arida, aquisque carentia, id est, per deserta & solitudines.

Coge-

Cogebantur enim dæmones à Christo pulsi, ne hominibus nocerent, loca deserta atque arida petere. Hoc suadet Angeli factum Tobiæ 8. eo namque capite dicitur Raphael Angelus dæmonium in deserto superioris Ægypti religasse, ne videlicet hominibus noceret. Sic igitur Christi iussu dæmones ex hominibus pulsi in deserta exterminabantur, ne læderent quempiam, & per loca arida, & inaquosa ambulabāt quærentes requiem. Sed quam requiem dæmon tartareis incensus flammis quærere, & habere potest? Respondeo, dæmonem requiem tunc inuenire cùm homini nocet. Vnde Abulensis: Dæmon, ait, non potest quiescere, quia in æternum cruciabitur. Sed quærit quietem suæ malæ voluntatis, est enim inuidus, & desiderat nocere homini, & quando nocere potest, quiescit aliquo modo, &c. Ambulat igitur per loca arida, & inaquosa, quærens huiusmodi requiem: sed desertis in locis atque inuiis, illam non inuenit, quia hominibus aliquid detrimenti non affert. Aliter dici posset, dæmonem ex homine eiectum, doloréque affectum, sua sponte deserta loca petere, si homines alios lædere non permittitur. Posteà verò ad eundem hominem reuertitur, qualiter viuat, explorát. Cùmque vacantem, id est habitatore Deo carentem, flagitiisque mancipatum, & ad excipiendum priorem hospitem, veluti domum scopis mundatam, & ornatam, paratum cernit; sociis aliis comitantibus miserum ingreditur. Vnde fiunt nouissima hominis peiora prioribus, peius enim torquetur à septem dæmoniis, quàm priùs ab vno torquebatur. In hunc modum prior comparationis pars sit explanata.

Dæmones pulsi cogebantur petere loca deserta.

Quæ sit requies dæmonis.

Mat. 12. Luc. 11.

Illa verba: *Inuenit eam vacantem, scopis mundatam, & ornatam:* indicant dæmonem paratam inuenire domum, in qua quietem, quàm cupit, inueniat. Nam illa domus parata est ad excipiendum habitatorem, quæ vacans est, id est, quæ alium non habet habitatorem, quæ scopis est mundata, quæque aulæis est ornata. Similis est homo ad quem reuertitur dæmon; instar domus est vacantis, quia Deum habitatorem non habet, veluti scopis est mundata, & ornata, id est, parata est ad excipiendum pessimum hospitem. Sic exponit Euthymius. Inuenit, inquit, domum scopis mundatam, hoc est, instructam ad ipsius susceptionem, insuper & ornatam, siue delectabilem sibi, &c.

Quæ domus apta sit ad excipiendū Dæmonem.

Mat. 12.

Sic *erit & generationi huic pessimæ*. Alteram similitudinis partem Dominus hoc loco indicat, ea sic explicatur, similes erunt Iudæi homini, ad quem pulsus regreditur dæmon. Etenim ab illis pulsus est dæmon à Deo per legem, per Mosem, per Prophetas, per supplicia, sed postquam Messiam suum repulerunt, dixit dæmon;

Luca 11.

Reuertar in domum meam, vnde exiui; id est, in Synagogam Iudæorum. Et inuenit eam vacantem. Græce σχολάζοντα, id est, otiosam, videlicet nulli habitationis vsui seruientem, habitatore carentem. Inuenit diabolus Iudeorum synagogam vacantem, otiosam, absque Deo Messia habitatore; inuenit scopis veluti mundatam, & ornatam, id est, paratissimam ad excipiendum tartareum hospitem. Tunc pluribus comitatus sociis, illam ingressus est. Factáque sunt nouissima Iudaicæ gentis peiora prioribus. Maximū enim scelus Iudæi perpetrarunt, cùm Messiam suum occiderunt; maximasque pœnas tanti sceleris dederunt à Romanis profligati, totóque terrarum orbe, absque vlla reparationis spe dispersi. Peius modo habent quàm vllo vnquam tempore: absque Deo, absque Messia Dei filio naturali, absque fide, absque lege, absque regno, & Rege, crassissimis in tenebris degunt.

Iudæi peius nunc habēt, quàm vllo vnquam tempore.

Quodque peius est, tenebras suas lucem putant, & veluti phrenetici, cùm grauissimo opprimantur infidelitatis morbo, sanos se putant, medicamentáque omnia despiciunt.

Luca 11.

Nemo *lucernam accendit & in abscondito ponit.* Diuus Lucas huic sermoni Christi, quem explicamus, hæc addit verba, & alia, quorum difficilis est cum antecedentibus nexus. Sic autem necti possunt. Pharisæos qui blasphemauerant, & in Beelzebub dæmonem pulsum dixerant, hortatur Dominus, ne rationis, fidei, & scientiæ lucem, qua à Deo donati sunt, sub modio ponant, sed veluti super candelabrum, vt videant quàm turpe sit diuina miracula dæmoni ascribere. Quasi dicat: Habetis rationis, fidei, & scientiæ lucernam sub modio cæcíque estis: ideóque non videtis, quàm sit fœdum Dei opera Dæmonum principi tribuere. At nemo lucernam inflammat, illiúsque lucē modio tegit atque occultat: quin potiùs in candelabro collocat, vt domum totam possit illuminare. Idem & vos facite: rationis, fideique lucernam sub inuidia, veluti sub modio, ne ponatis. Inuidia enim vos obcæcat. In candelabro ponite, vt vos illuminet: tunc quæ facio opera, Dei opera esse & cernetis; & Deo adscribetis. Ad Pharisæos hæc refert Theophylactus; Videtur, inquit, mihi hoc dicere Christus; O Pharisæe habes scientiam, hoc est, lucernam, oportet te scientia illa vti, vt per eam cognoscas miracula, & aliis quoque ostendere possis, quòd sint opera Filij Dei, & non Beelzebub. At Pharisæi vos hoc facere non vultis: sed oculum mentis vestræ feciſtis obscurum. Sic ille.

Scientiæ & fidei lux super animæ candelabrū ponenda vt videamus.

Theoph.

Addit Dominus: *Lucerna corporis tui est oculus tuus:* Si oculus fuerit simplex, absque vlla mali humoris permixtione, si fuerit purus: totum corpus erit lucidum, id est, illuminatum, habebit lucem totum corpus per quam operetur. Quòd si oculus fuerit nequam, id est, humoribus infectus, & cæcus: totum corpus tenebrosum erit. Oculus mentis ratio est, fides, & scientia. Si hic oculus simplex fuerit, & perspicuus, nullis inuidiæ, odij, & auaritiæ, vitiorúmque aliorum infectus humoribus, totus animus lucidus erit, & videns. Si hic oculus cæcus fuerit, & malis humoribus permixtus, totus animus erit cæcus, *Vide ergò, ne lumen, quod in te est, tenebræ sint*, ist est, caue ne oculi tui lux in tenebras conuertatur, fiásque cæcus. *Quòd si totum corpus tuum lucidum fuerit*; id est, illuminatum ab oculis, & videns, *nec habens aliquam partem tenebrarum*, id est neque aliqua ex parte tenebrosum, & cæcum: *erit lucidum totum*, ipsum corpus. id est, erit omni ex parte illuminatum, & videns, *& sicut lucerna fulgoris illuminabit te*: id est, & veluti lucerna quædam fulgida lucem tibi præbebit, veluti lucernam quandam habebis, qua illumineris, ipsum videlicet oculum purum, & videntem. Oculus, vt iam diximus, ratio est, fides, & scientia. Cauendum, ne lucem amittat vitiis inquinatus. Quòd si purus sit, vt oculus corporis corpus totum: ita hic oculus animum totum, veluti fulgida lucerna illustrabit.

Oculus lucerna est corporis. Luca 11.

Oculus animi fides, ratio, scientia, sit purus.

Luca 11.

Ibid.

Ibid.

Potest etiam locus de oculo intentionis exponi, Hortatur Dominus Iudæos, vt rectam seruent in factis intentionem. Petiuerant enim signū de cælo absque recta intentione, non vt crederent, sed tentantes, vt supra diximus. Erit ergo sensus: *Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio, sed supra candelabrum, vt qui ingrediuntur lumen videant.* Eundem in modū lucerna corporis accensa, id est, oculus, non est posita in abscondito, sed veluti super candelabrum, in capite est collocata, in loco manifesto, atque edito, vt membris omnibus lumē suppeditet. *Nam lucerna corporis tui est oculus tuus*

De pura intentione nostrarum actionum. Luca 11.

Ibid.

Si oculus fuerit purus, totum corpus illuminatum erit: si oculus fuerit impuris humoribus excæcatus, totum corpus in tenebris deget. Hæc est parabola, explicatur sic. Ne lucernam vestram in abscondito sub inuidiæ, auaritiæ, superbiæ, aliarúmque animi perturbationum, & vitiorum modio, sed super caritatis Dei, proximique candelabrum ponite. Lucerna corporis est oculus, lucerna animi intentio. *Intentio animi lucerna.* Quemadmodum oculus purus corpori lucem præbet; ita intentio pura lucem præbet operibus. sicut oculus cæcus corpus obscurum reddit: sic intentio cæca, Deum non cernens, neque intendens, opera efficit obscura. Vide ergo, ne intẽtionis lumen in tenebras cõuertatur. Caue, ne mala sit, & obscura intentio tua. Quemadmodum corpus, quod oculum habet acute cernentem, nullaque ex parte cæcum, totum est lucidum, & veluti lucerna quædam splendida illuminatum; sic animus, qui caritatem habet, & intentionem perspicacem, acutè Deum spectãtem, totus in operibus lucidus est, & veluti lucernæ fulgore illustratus. Vide similis loci explicationem, lib. 7. c. 26. Videtur hoc loco tautologia esse. *Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, erit lucidum totum.* Eadem enim verba repetuntur; *si totum lucidum fuerit, totum lucidũ erit.* Lege Maldonatum qui multis verbis de hac tautologia agit, tandem vult particulam, *totum*, secundo loco non esse referendam ad *corpus*, sed absolutè accipiendam, ita vt significet omnia, hoc sensu: Si totum corpus tuum lucidum fuerit, erit lucidum totum, hoc est, nihil erit obscurum, erunt illuminata omnia, sicque tautologiam vitat. Crediderim particulam, *totum*, ad corpus referendam esse in secundo, loco, quemadmodum refertur in primo. Par enim est ratio, idque petit suauis verborum structio, Prætereà oculus corporis, nihil aliud illuminat, quàm corpus, ergo particula, *totum*, ad corpus est referenda. Quamuis autem aliquid tautologiæ insit, id Dominus, parum de verbis solicitus, vitare noluit. Itaque sensus est: *Si corpus tuũ totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum*: hoc est, Si totum corpus oculum habuerit perspicacem, à quo illuminetur, illuminabitur & erit lucidum totum corpus, veluti quandam habebit lucernam, qua illustretur. *Luca 11.*

CAPVT XIX.

Morale.

De expulsione dæmonis muti, &c.

Luca 11. ERAT *eiiciens dæmonium.* E cælo deturbatus empyreo dæmon, hominum animos veluti terrestres quosdam cælos occupauit. Sed qui ex cælo empyrea illum expulit; in terrestribus cælis habitare non est passus. Vt ex hominum animis belluam immanem pelleret, ad homines descendit Deus. Hæc illius in terris fuit occupatio, hoc negotium. *Erat* (inquit Lucas) *eiiciens dæmonium.* Si quæras; quid Deus agat incarnatus in vtero Virginis, in præsepi, in columna, in cruce, aliisque in locis. Respondebitur: *Erat eiiciens dæmonium.* Vnde illud Ioan. 12. *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras, &c.* *Dei in terris negotiũ dæmonis expulsio.* *Ioan. 12.*

Christus cur ceruus dictus. *Ceruus serpentes ex cauernis trahit.* Merito Canticorum 2. similis dicitur, *ceruorum himulo*; & in titulo Psalm. 21. iuxta versionem Diui Hieronymi, *cerua matutina*, appellatur. Nam quemadmodum ceruus serpentes ex cauernis extrahit; ita Christus dæmones ex cordibus hominum expulit. Diuus Gregorius Nyssenus in commentariis Canticorum: Cùm, inquit, hinnulorum naturæ sit proprium, bestias quasdam absumere, suoque anhelitu, ac proprietate quadam corporis abigere angues; propterea ceruorum hinnulo Christus comparatur: vt qui vim aduersariam proculcet, atque absumat, &c. Psellus: Sponsum, inquit, sponsa hinnulo ceruorum comparat, ita dæmones profligantem, vt hinnulus serpentes destruit, &c. Similem in modum exponit Theodoretus, & Origenes homilia 2. in Cantic. Ceruus, ait, serpentium inimicus, ac debellator est; ita vt spiritu narium eos extrahat de cauernis. Interficit Christus serpentes; cõtrarias fortitudines iugulat, &c. *Obstetricante manu eius*, id est Dei, *eductus est coluber tortuosus.* Gregorius Magnus: Cauernæ, inquit, huius colubri, corda fuerant iniquorum. Sed obstetricante manu Domini coluber de cauernis pulsus est; quia dum nobis diuina gratia medetur, is qui nos tenuerat hostis, eiicitur, &c. Isai. 11. *Delectabitur* (inquit) *infans ab vbere, super foramine aspidis; & in cauernam reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet, &c.* Christus infans iam tunc, cùm virginis vbera fugebat, in cauernas basiliscì tartarei manũ mittẽs, illum extrahebat. Diuus Gregorius eodem loco: Manum, inquit, suam Dominus in foramine reguli atque aspidis misit; quando iniquorum corda tenuit, & exinde comprehensum aspidem, vel regulum, id est, captiuum diabolum traxit, &c. *Psellus.* *Iob 26.* *Christus etiam infans serpẽtes profligauit.* *Isaiæ 11.*

Quodnam negotium in palatium Saulis Dauidem typicum pastorem attulit? dæmonis sanè expulsio, quem ille citharam pulsando pellebat. *Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & leuius habebat Saul: recedebat enim ab eo spiritus malus, &c.* Ob similem negotium Dauid verus Christus, in orbem venit; non tamen cithara dæmonem, sed cruce expulit. Nam vt ait Diuus Leo sermone decimo de Passione: Claui illi, qui manus Domini pedésque transfoderunt, perpetuis diabolum fixere vulneribus. Et sanctorum pœna membrorum, inimicarum fuit interfectio potestatum, &c. *Dauid pastor typicus, Dæmones pellebat.* *1. Reg. 16.*

Itaque hoc Christi in terris negotium fuit, dæmonem pellere, animisque salutem afferre, iuxta illud, *Deus Rex noster ante sæcula, operatus est salutem in medio terræ. Contribulasti capita draconum in aquis, &c.* & illud, *In hoc apparuit Filius Dei, vt dissoluat opera diaboli, &c.* Idem nobis negotium esse debet. Si quis dæmonem corde recepit, hoc illius sit maximum negorium, hostem corde pellere. Pellitur autem pœnitẽtia, & lachrymarum aquis suffocatur, iuxta illud citatum: *Contribulasti capita Draconum in aquis.* Quòd si pulsus iam dæmon est, negotium restat difficile, ne aditus illi aliquis ad reditum aperiatur. *Psalm 73.* *1. Ioan. 3.* *Negotium Christiani dæmonem si habet pellere.*

ET *illud erat mutum.* Pelli non vult malus dæmon; ideóque locum illum, per quem pellendus est, videlicet os, obstruit; mutúmque efficit hominem, ne aperto per confessionem, pœnitentiámque ore, extrudatur. *Et illud* (inquit) *erat mutum.* Psalm. *Aperui os meum, & attraxi spiritum, &c.* Ore trahitur aer, quo viuimus: ore quoque trahitur spiritus, quo spiritalem vitam traducimus. Ore, inquam, gemente, ac peccata confitente. Os conatur dæmon claudere, ne spiritum trahamus. Hac porta peccata exeunt, virtutes ingrediuntur. Obseratam vult esse hostis. *Luca 11.* *Psal. 118.*

Mutus est dæmon; mutum hominem, sibíque similem efficere nititur. Murus autem est dæmon, quoniam commissum crimen neque fassus vmquam est, neque vmquam debita cum pœnitentia fatebitur. Est enim in peccato pertinax, duritiéque marmorea, vel etiam ferrea obstinatus. Vnde illud, *Cor eius indurabitur quasi lapis; & stringetur quasi malleatoris incus, &c.* Expende quàm sit marmor inflexibile *Mutus dæmon cur dicatur.* *Iob 41.*

Dæmon obstinatus in scelere.

inflexibile, quàm sit incus dura, tam est inflexibilis, duráque voluntas dæmonis. Magnus Gregor. in eadem verba; Cor antiqui hostis, vt lapis indurabitur; quia nulla vnquam conuersionis pœnitentia mollietur, &c. Dicitur prætereà cor dæmonis, *Incus*, quia quemadmodum incus mille ictibus percussa numquam in vas aliquod transmutatur: sic dæmon magnis suppliciis affectus, numquam in vas pœnitentiæ, & misericordiæ transfertur. Diuus Gregorius eodem loco. Dæmon, inquit, semper percutitur, & in vas vtile numquam mutatur, &c.

Dæmonis cor cur incus dicatur.

Itaque obstinatus est, & mutus ad confitendum peccatum; ad tentandum verò loquacissimus. Imitatores vtinam non haberet multos, ad crimina confessariis aperienda mutos, magis quàm pisces, ad alia ranis loquaciores. Spiritus tartareus mutus est; Spiritus verò cælestis insignia, lingnæ sunt igneæ, Act. 2. quibus tùm diuinæ laudes deprædicantur; tum crimina confessariis aperiuntur. Iure optimo confitentis lingua ignea appellatur. Vt enim ignis syluam, sic illa crimina absumit. Ignis expurgat aurum, huiusmodi lingua expurgat animum. Lingua huiusmodi clauis est, qua cor confessario reseratur. Reserat homo cor claue sua; reserat confessarius cælum claue Petri, remuneratione admirabili. Aperis cor, & peccata: aperitur cælum. Claudis cor, mortifera occultas peccata, cælum quoque claditur. Quemadmodum eadem clauis domum, ita eadem lingua cælum aperit, & claudit.

Spiritus diuini insignia lingua ignea.

Bias Philosophus, vt narrat Plutarchus in libro de loquacitate, iussus ab Amasi Tyranno ex victima, quod optimum esset, & pessimum mittere, linguam resectam misit. Indicans nimirum, & optimum esse membrum, si rectè munere fungatur suo: & pessimum, si illud deserat. Optimum sanè membrum est, quod peccata aperiens, cælum aperit: pessimum, quod peccata celans, cælum occludit. *Mors, & vita in manibus linguæ*: ait Salomon. Mors est, si mortifera peccata male confitearis, vita, si ritè aperias. Media (inquit Chrysostomus in homilia ad baptizandos) est lingua vtriusque partis. Et si vtriusque est, tu Dominus es. Nam & gladius in medio positus, si quidem fuerit aduersus hostes arreptus, salutaris accipienti reperitur. Si verò tenentis viscera inferatur, mortem præparat inferenti. Non quia talis est ferri natura, sed quia vtentis tale consilium est. Ita & lingua æstimetur gladius in medio positus (id est, quo in vtramque partem, vti potes, siue in bonum, siue in malum) armetur aduersus peccata tua, non ad fratris plagam præparetur. sic Chrysostomus.

Lingua mẽbrum optimum, & pessimum.

Prou. 18.

Chrysost.

Mirum est hominem à dæmone vexatum esse mutum.

Mirum sanè est, hominem à dæmone, id est, peccato mortifero vexatum mutum esse. Clamat, qui dolore vexatur, medicum inuocat, dolorem, morbumque aperit. At miser, qui mortiferis tabescit criminibus, mutus silet, nec medicũ accersit, nec morbum patefacit, *Quoniam tacui*, ait Dominus, *inueterauerunt ossa mea: dùm clamarem tota die*, &c. Si tacet, improbus homo, & clamat. Clamat morbo aliquo vel dolore corporis cruciatus; tacet, animi morbo correptus. Aliter quoque clamat, & tacet. Tacet, quia peccatum minimè confitetur: clamat, quia peccata peccatis addit, quæ magno clamore supplicium à Deo exposcunt. In hanc sententiam Magnus Gregorius verba Dauidis exposuit in commentariis Psalmi septimi pœnitentialis: Ille, inquit, tacet & clamat, qui peccata quidem præterita per confessionem non annunciat; & per cor impœnitens, alia committere accepta peccandi

Psal. 31.

Peccator tacet, & clamat.

Greg. Mag.

libertate non cessat. Nam quod peccatum clamor sit, testatur Scriptura, *Clamor Sodomorum multiplicatus est*, &c. Peccatum cum voce, culpa est in actione, peccatum cum clamore, culpa est cum libertate. Tota die clamat, qui publice peccare non trepidat. Hæc Gregorius. Cùm igitur homo crimina confessione non patefacit, mutus est, ipsa verò crimina clamant. Cùm verò crimina confitetur, ipsa crimina obmutescunt; mutus verò loquitur. Vnde sequitur.

Gen. 18.

Peccatum cũ clamore est culpa cũ libertate.

ET *locutus est mutus.* Aperuit mutus ostium clausum; dæmonem per ostium, id est, per os expulit, maximè inuitum. Sed quonam modo locutus est mutus? In amaritudine loquitur animæ, cum cõtritione, & dolore. Congruunt illi illa verba, *Tædet animam meam vitæ meæ: dimittam aduersum me eloquium meum: loquar in amaritudine animæ meæ: dicam Deo, noli me condemnare*, &c. In primis eum qui confiteri peccata vult, vitæ in peccatis transactæ tædium habere, ac fastidium necesse est. *Tædet*, inquit, *animam meam vitæ meæ*; displicet mihi valde vita improba, mirum in modum illius me pœnitet. Deinde se ipsum accusare debet, non excusare: *Dimittam*, ait, *aduersum me eloquium meum.* Quo loco Diuus Gregorius sic scribit: Quasi pro se eloquio suo vtitur, qui praua, quæ gessit, defendere excusationibus conatur. Sed aduersum se eloquium dimittit, qui accusare in se hoc incipit, quod errauit, &c. Prætereà dolorem afferre, ac contritionem oportet. *Loquar*, inquit, *in amaritudine animæ meæ.* Qui culpas suas, ait Gregorius, detestando loquitur, restat, vt has in amaritudine animæ loquatur. Vt hæc ipsa amaritudo puniat, quidquid lingua per mentis iudicium accusat, &c. Diuus Bernardus sermone 3. de Apostolis Petro & Paulo: Petrus egressus foras fleuit amarè. In egressu confessionem, in amaro fletu compunctionem cordis intellige, &c. Hunc in modum si mutus noster os aperiat, ac loquatur, confessariique præceptis pareat, veniam consequetur. *Dicam*, inquit, *Deo: noli me condemnare.* Diuus Gregorius; Qui peccatorem se in amaritudine animæ asserit, quid Deo aliud, quàm ne condemnetur dicit? quia amaritudo præsentis pœnitentiæ, extinguit supplicia sequentis iræ, &c.

Luca 11.

Quonam modo mutus peccator loqui debeat, dum confiteretur peccata.

Iob 10.

Accuset se, non excuset pœnitens.

Contritio.

Aperiens Noe fenestram arcæ, emisit columbam: at illa venit ad eum portans ramum oliuæ, &c. Simili modo mutus noster aperiens fenestram cordis, id est, os, columbinam, id est, gementem, candidam simplicémque, & absque fuco confessionem emittit. Illa verò ramum oliuæ portat, hoc est, veniam, reconciliationem, & pacem. Columbinam oportet esse confessionem, hoc est, nõ simulatam, sed consummatam. Diuus Bernardus in Sententiis: Tres, inquit, sunt species pœnitentiæ, simulatoria, desperata, & consummata, &c. Simulatoria illorum est, qui simulato, non columbino fatentur corde. Desperata pœnitentia fuit illa Iudæ, qui laqueo suspensus periit. Consummata, & columbina, fuit pœnitentia Magdalenæ, Dauidis, & similium.

Gen. 8.

Confessio columbina.

Bernard.

Tres species pœnitentiæ.

Beatus vir, dicitur, *cui non imputauit Dominus peccatum, neque est in spiritu eius dolus.* In spiritu illius dolus est; qui non columbino, sed vulpino animo, crimina confitetur. Nonnulla aperit, alia præ superbia, vel verecundia dolosè occultat. Audiat hic Diuum Bernardum in Sententiis; Cur, inquit, te pudet peccatum tuum dicere, quod non puduit facere? Aut cur erubescis Deo confiteri, cuius oculis nõ potes abscondi? Quòd si fortè pudor est tibi, vni homini, & peccatori, peccatum tuum exponere; quid facturus es in die iudicij, vbi omnibus exposita tua conscientia patebit? sic Bernardus. Lege Chry-

Psalm. 31.

Bernard.

Verecundia peccatum tacere ne faciat.

soſtomum homil. 3. de pœnitentia, tom. 5. Diaboli, ait, hæc aſtutia eſt, quòd te in peccato erubeſcere vetat; & peccatum dicere; pudore impedit. Cùm te peccato liberes, erubeſcis? tunc erubeſcere debuiſſes, cùm peccabas, &c.

Luc. 11. Inuidia ex bono malũ elicit.

IN *Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia.* Caritas ex malo alieno bonum, veluti mel ex petra elicit; inuidia ex bono elicit malum. Optimum opus, & admirandum eſt, dæmonis ex humano corpore expulſio: ex hoc optimo opere Phariſæi malũ elicuere maximum, videlicet blaſphemiam. Diuus Proſper libro 3. de vita contemplatiua, capite nono. Inuidi, inquit, ſunt in bono mali, &c. Phariſæi inuidi, in tanto bono, id eſt, miraculo, fuere peſſimi. *In Beelzebub* (inquiunt) *principe dæmoniorum eiicit dæmonia.* Dei opus tribuerunt dæmoni, inuidiæ flagello percuſſi. Inuidos (ait idem Proſper eodem loco) bona puniunt aliena, &c. Ipſa bona aliena ſunt inuidorum flagella, quibus puniuntur, vt Auguſtinus ait, tormentum, quo torquentur, ſerm. 83. de tempore: Alienam, inquit, fœlicitatem inuidia tormentum facit inuidi, &c. Flagellabant Phariſæos pra clara Chriſti opera; fama, nominiſque claritas inuidos torquebat. Ideóque tenebras conabantur offundere tantæ luci. Lucem tenebras, bonúmque malum eſſe affirmabant. Sed, *Væ* (ait Iſaias) *qui dicitis bonum malum, ponentes lucem tenebras*, &c. *Dauid pſallebat manu ſua, tenebatque lanceam Saul: & miſit eam, putans quòd configere poſſet Dauid cum pariete*, &c. Citharam pulſabat Dauid, ad pellendum malum dæmonem. Saul verò inuidus haſtam in illum contorſit. Haſtam in Dauid inuidus Saul; blaſphemiam in Chriſtum veluti haſtam, inuidi conieccre Phariſæi. *Non rectis oculis Saul aſpiciebat Dauid*: vt eodem capite dicitur: videlicet propter inuidiam. Non enim habet rectos oculos inuidia, ſed obliquos, atque diſtortos. Diuina opera diſtortis oculis videbant Phariſæi: ideóque dæmoni aſcribebant.

Inuidi ſunt in bono mali. B

Inuidia facit tormentum inuidi alienã fœlicitatem. Iſaiæ 5. 1. Reg. 18. C

Inuidia rectos oculos non habet.

Nomen dæmonis, *Beelzebub*, qualis dæmon, qualéſque ſint ij, quibus ille imperat, oſtendit. Vt Septuaginta Interpretes vertunt, *Beelzebub*, Baal muſcam ſignificat. Eſt igitur dæmon muſca, tentationibus moleſtè pungens; quæ, ſi fides, caritáſque adſit, diuino auxilio facilè abigitur. Significat etiam nomen poſſeſſorem muſcarum, vt diximus ſupra. Muſcas enim, non aquilas, poſſidet dæmon. Si mellis vas palàm proponas, mille protinus conuolant muſcæ, non verò aquilæ; ſic ad mella, & voluptates turpes, non aquilæ, id eſt, viri virtute inclyti, ſed alij muſcis ſimiles accurrent. Quemadmodum verò muſcæ melle irretiuntur, & pereunt: ſic homines voluptatibus capiuntur, & intereunt.

Diabolus muſca eſt moleſta, muſcarum poſſeſſor. D

Luc. 11. OMNE *regnum in ſe diuiſum deſolabitur.* Mater deſolationis diuiſio eſt, atque diſcordia: mater conſeruationis vnio & concordia. Diuide, ac diſperge domus lapides; tota euertetur domus. Diuide ligna nauis, tota nauis diſſipabitur. Diuide animalis cuiuſlibet partes, totum peribit animal. Diuide à corpore animam, interibit homo. Eundem in modum ſi regnum in varias diuidas factiones, deſolabitur. Fugiendæ igitur factiones ſunt, diſcordiæ, ac diuiſiones; vnitas amanda, regni, domus populíque conſeruatrix. Vnitatem, ſocietatémque ſeruant dæmones, quemadmodum latrones, vt nos ſpolient, & interimant. Quòd ſi inter nos diuiſio & odium ſit, facilè quod optant, conſequentur. *Terribilis*, dicitur Eccleſia, *vt caſtrorum acies ordinata.* Caſtrorum ordinata acies vnitatem ſeruat, diuiſionem fugit. Cohors cohorti hæret, miles militi. Eumdem in modum ſi terribiles eſſe hoſtibus volumus, alij aliis per concordiam caritatémque adhæreamus, & quæcumque animos diuidunt, ſimultates, rixas, contentiones, odia, fugiamus. *Qui non colligit mecum* (ait Dominus hoc loco) *diſpergit*, &c. Chriſti eſt colligere, & in vnitatem redigere caritatis. *Ieſus moriturus erat, vt Filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in vnum*, &c. Dæmonis eſt diſpergere, *Lupus rapit, & diſpergit oues*, &c. Tartareus lupus oues rapit, cùm peccant: & odiis, rixis, diſſidiiſque diſpergit. *Vnus panis* (ait Paulus) *multi ſumus.* Vide quàm ſit triticum ſiue farina in pane vnita, ſic vnitos oportet eſſe Chriſtianos, vt pani vni ſimiles ſint. Lege quæ diximus de pace, cùm de beatitudinibus egimus.

Chriſti eſt colligere, & in vnitatem redigere. Lucæ 11. Ioan. 11. Ioan. 10. *1. Cor. 10.*

De diſcordia & concordia. E

Cant. 6.

FILII *veſtri in quo eiiciunt?* Idem erat opus; non idem iudicium. In Chriſto dæmoni, in Filiis Deo tribuebatur. Animi perturbationes iudicium perturbant. Amor, & odium, ſiue inuidia, peſſimi ſunt iudices. Diuus Hieronymus epiſtola 61. ad Pammachium: Amicus, inquit, praua quo que recta iudicat, &c. Contrà inimico, quæ recta ſunt, ea videntur eſſe praua, atque diſtorta. Is rectè iudicat, & æqualiter, qui rectè & æqualiter propter Deum amat. Nam odium, vel inæqualis amor iudicij lancem deprimit. Quò propendet amor, eò propendet libra. Auguſtinus tractatu 30. in Ioannem: Quis eſt (inquit) qui non iudicat perſonaliter? Qui diligit æqualiter. Dilectio æqualis facit nòn acceptari perſonas. hæc ille.

Matth. 12. & Luc. 11.

Amor nimius, & inuidia, non boni iudices.

CVM *fortis armatus.* Fortis eſt dæmon, & armatus. *Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ comparatur ei*, &c. Nam vt diuus Gregorius eodem loco ait: Dæmon etſi beatitudinem perdidit, naturæ tamen ſuæ magnitudinem non amiſit, cuius adhuc viribus humana omnia ſuperat, &c. aiunt exploratores illi Iſraelitarum, *Vidimus monſtra quædam filiorum Enach, de genere giganteo, quibus comparati quaſi locuſtæ videbamur.* Equidem idem nos dicere poſſumus. Monſtra enim ſunt dæmones, de genere angelico, quibus comparati homines locuſtæ videntur. Armati autem ſunt, non ferro, ſed dolis, & aſtutia. Vnde Bernardus ſerm. 3. in Pſalm. 90. *Qui habitat*: Aſtutiſſimi, ait, ſunt dæmones; ita vt ſicut eſt ante venatorem beſtia, ſic ad eorum comparationem ſit quilibet aſtutiſſimus hominum, præter eos, quibus in Dei ſapientia datum eſt, fraudes deprehendere malignorum, &c. Gregorius Nazianzenus orat. 28. Nemo, inquit, eſt tam ſolers rerum variarum architectus, quàm peritus vitij artifex eſt diabolus, &c.

Lucæ 11. Iob. 41.

Diabolus eſt, & habet ſua naturalia. Num. 13.

Aſtutia dæmonis.

At obiicies, dæmonem eſſe muſcam, vt dictum eſt. Si muſca eſt, imbecillis ſanè eſt, non autem gigas, cui nulla ſuper terram poteſtas exæquetur. Reſpondeo, & muſcam eſſe, & gigantem. Vt cum diuo Gregorio loquar, aio, & formicam eſſe, & leonem: gigas eſt, & leo iis, qui negligentes, parúmque de animi ſalute ſolliciti ſunt; muſca eſt & formica, illis, qui virtutum robore præſtant. Magnum Gregorium audiamus, in caput 4. Iob, ad illa verba: *Rugitus leænæ*, &c. Antiquus, inquit, hoſtis ſicut contra conſentientes fortis eſt; ita contra reſiſtentes debilis: ſi enim eius ſuggeſtionibus aſſenſus præbetur, quaſi leo tolerari nequaquã poteſt; ſi autem reſiſtitur, quaſi formica atteritur, &c. Item, Dæmon aliis leo eſt, aliis formica; ſpiritales infirmitatem illius, pede virtutis calcant, &c. Eſto leo: erit aduerſus te dæmon muſca. Si fueris muſca; ille leo erit.

Dæmõ quibus ſit gigas, quibus muſca.

Greg. Mag

Reſiſtẽdum diabolo.

Denique reſpondeo, nos ſupra dixiſſe dæmonem eſſe Beelzebub, id eſt, poſſeſſorem muſcarum. Muſcas ergo poſſidet, aduerſus muſcas, vel formi-

formicas fortis est: aduersus aquilas imbecillis. Aduersus armatos, inermis est: aduersus inermes, armatus. Diuus Augustinus sermone 197. de tempore: Multùm, inquit, præualet dæmon: sed tepidis, & negligentibus, & Deum in veritate non timentibus dominatur, &c. Sit gigas aliquis, sit fortis, sit armatus; sed si ligatus fuerit, à puero vinci poterit. Gigas est dæmon, fortis, & armatus; sed est ligatus. *Matth. 12.* *Quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, & vasa eius diripere, nisi prius alligauerit fortem?* &c. Alligatum tenet fortior Christus, multò imbecilliorem hostem à pueris, puellisque ligatus vinci potest.

Diabolus negligentibus præualet.

Dæmon alligatus instar canis.

Insipiens valde est ille, quem leo, vel canis catenis constrictus mordet; quòd ad illum securus, minimèque sibi cauens accesserit. Eundem in modum, stultus valde est ille cui tartareus Cerberus morsum infigit, quòd mortiferos illius dentes temerario ausu non vitarit. Diuus Augustinus loco indicato: Alligatus, inquit, est dæmon tamquam innexus canis catenis. Et neminem potest mordere, nisi eum, qui se illi mortifera securitate coniunxerit. Iam videte quàm stultus est homo ille, quem canis in catenis positus mordet, &c. Quòd si roges quomodo Cerberi huius euitare possis venenatos dentes? Respondet Augustinus: Tu te illi per voluntates, & cupiditates sæculi, noli coniungere: & ille ad te non præsumet accedere. Latrare potest, sollicitare potest, mordere omnino non potest, nisi volentem, &c. Itaque si fugere dentes vis mortiferos, fuge mortiferas cupiditates, fuge peccandi occasiones, fuge peccati consensum, & peccandi voluntatem. Non mordet dæmon nisi volentem, & consensum peccato præstantem.

Dæmon latrare potest, mordere non potest, nisi volentem.

Luc. 11. *Dæmon nititur conscientiæ aculeos eximere.* *In pace sunt omnia quæ possidet.* In pace nititur dæmon omnia, quæ possidet collocare; conscientiæ pugnam sedare: pungentésque animum aculeos eximere. Conscientia enim in pace degens à dæmone non deficit, nullisque aculeis stimulata in peccato conquiescit. *Isa. 10.* *Inuenit quasi nidum manus mea*, ait Assyriorum Rex, *fortitudinem populorum. Et sicut colliguntur ouа quæ derelicta sunt; sic vniuersam terram ego congregaui. Et non fuit, qui moueret pennam, & aperiret os, & ganniret*, &c. En tibi dæmonis similitudinem. Quasi in nido oua vel pullos implumes; sic impios colligit, in voluptatibus, & flagitiis, absque stimulis conscientiæ conquiescentes. Hic mollis illorum nidus est, in quo mortifera pace quiescunt, neque dæmoni rebellant. Non est ex illis, qui moueat pennam, siue alam, & aperiat os, & ganniat: hoc est, non rebellant hosti, volatu ad Deum non effugiunt; non aperiunt os, vt crimina confessione expient; non ganniunt, id est, non plorant, non gemunt, conscientiæ aculeis compuncti. Ionas, cùm reliqui tumentibus iactati fluctibus horrerent, in pace dormiens quiescebat. Sed pax, & somnus, in bellum, vigiliamque amaram est transmutatus. Etenim in pelagus horridum deiectus, cetique immanis ventre exceptus est. Idem iis accidit, quos in pace dæmon possidet. Flagitiis circundati quiescunt, ac stertunt: posteà verò pax in bellum mutatur æternum, quies in tormentum, somnus in vigiliam. Immanis enim belluæ, id est Tartari, ventre excepti, omni carentia fine supplicia luunt.

Pax peccatorum.

Sunt homines nonnulli, quos tanta in pace possidet Satanas, vt videantur cum morte, & inferno fœdus percussisse, iuxta illud, *Isa. 28.* *Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.* Neque enim mortem timent, nec tartari cruciatus sempiternos. At verò, ait Isaias eodem loco: *Delebitur fœdus vestrum cum morte, & pactum vestrum cum inferno non stabit. Flagellum inundãs cum transierit, eritis in conculcationem,*

Quinam sunt qui cũ morte fœdus percutiant.

&c. Fœdus cum morte, & inferno ratum esse non potest: deletur pactum: pax euanescit impia. Moriemini impij, infernique rogis impositi, æternis flammis exuremini. Diues ille affluentibus agri fructibus lætus: *Dicam*, inquit, *animæ meæ: Anima habes multa bona posita in annos plurimos. Requiesce, comede, bibe, epulare*, &c. At rumpitur stulti quies voce formidabili; *Dixit autem illi Deus, stulte hac nocte animam tuam repetunt à te*, &c. Hæc quies est, & pax impiorum, breui permanet tempore: horrendum iudicij bellum mox sequitur. Caue, ne te in pace possideat Satanas, caue, ne conscientiæ stimulos extinguat, hos enim sacram anchoram appellat Chrysostomus concione 4. de diuite, & Lazaro. Conscientiæ, inquit, increpatio sacra est anchora, non sinens nos tandem in peccatorum profundum demergi, &c. Lege Origenem in Psalm. 37. Sunt quidam, ait, qui cùm peccauerint, securi sunt prorsus, nec cogitant de peccato suo, nec venit ad sensum eorum quid male gesserint. Sed ita viuunt, quasi nihil commiserint. Isti non possunt dicere: *Peccatum meum contra me est semper*, vt dicebat Dauid. Cùm verò post delictum quis consumitur, & affligitur pro delicto suo, & conscientiæ stimulis agitatur, mordetur sine intermissione, atque occultis confutationibus impugnatur; iste merito dicit: *Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum*, &c. Non sit pax dæmonis ossibus tuis. Increpantem audi conscientiam, bellum dæmoni absque induciis & pace vlla perpetuum indicito. Bellum enim triumphum pariet clarissimum: pax cruciatus pariet sempiternos. In pace captiuos suos esse vult Satanas. Etenim si rebellent, bellúmque aduersus illum gerant, scit reportaturos victoriam. Hanc pessimam pacem disrumpit Christus, iuxta illud: *Nolite arbitrari, quia pacem veni mittere in terram. Matth. 10.* *Non veni pacem mittere, sed gladium*, &c. Gladium igitur spiritus sume aduersus fortem armatum, certáque viriliter.

Conscientiæ increpatio sacra anchora. *Orig.*

Psal. 50.

Psal. 37.

Dæmon sicos captiuos vult esse in pace.

Si autem fortior illo superueniens vicerit eum. Gigas Goliath olim aduersus Israelitas in certamen descendit, terruitque omnes vasta illa moles, turris illa carnea, ille fortis armatus. Resistere audebat nullus, certamen detrectabant, vertebantque terga cuncti. Videlicet humili Dauidi victoria illa erat reseruata. Superueniens fortior gigantem pastor superauit. Eundem in modum è cælo præcipitatus ferox gigas, id est, diabolus, aduersus homines certamen susceperat. Nullus in singulare certamen descendere, nullus illum alligare, imperióque poterat expellere. Itaque, vt Theophylactus recte ait, prævalebat, & imperabat humanæ naturæ, fortiter, & securè, &c. Fortiter imperabat, quia fortis erat armatus; securè, quia in pace omnia possidebat. Neque Noë, neque Abraham, neque Moses, neque Elias, aut Elisæus, neque vllus, aut Patriarcharum, aut Prophetarum, vincere hunc fortem armatum, & ex mundo potuit exterminare. Hæc victoria verò Dauidi, id est, Christo reseruata erat, illi soli debebatur. Superueniens fortior fortem vicit, prædámque eripuit, iuxta illud, *Numquid tolletur à forti præda? aut quod captum fuerit à robusto, saluum esse poterit? Quia hæc dicit Dominus; Equidem, & captiuitas à forti tolletur, & quod ablatum fuerit à robusto, saluabitur*, &c. In hæc verba sic scribit D. Hieronymus. Fortis, inquit, & gigas diabolus est, qui omnes gentes suo subiugauerat imperio, audens dicere saluatori, *Hæc omnia mihi tradita sunt, & dabo tibi ea, si procidens adoraueris me.* Mundus enim in maligno positus est, quem nullus iustorum vincere potuit: nec iuxta Amos capite 3.

Luc. 11. *Dauidis de Goliath victoria.* *1. Reg. 17.*

Prædam dæmoni Christus eripuit. *Isai. 49.*

Matth. 4.

prædam de ore leonis auferre. Propoſita igitur quæſtione, quòd nullus poſſit fortem, & gigantem vincere, nec ſaluare, quod ab eo raptum erat; reſpondit Dominus, ſuo aduentu omnia perpetranda; quòd ſcilicet captæ gentes, à gigante tollantur, & omnis illius ſupellex, vniuerſaque ſpolia Apoſtolis diuidantur, &c.

Non eſt victus gigas ille Goliath armis ſolitis, ſed inſolitis; funda, lapidéque percuſſus gigas fortis, armatuſque, occubuit. Neque verò à duce aliquo potentiſſimo, aut inſolente milite, ferreis induto armis ſuperatus eſt; ſed à paupere paſtore Dauide, vili induto amictu, occiſus. Adumbrarunt hæc Chriſti victoriam. Non eſt victus Satanas à Meſſia Rege temporali opulento, auro gemmiſque rutilante, multis militum millibus ſtipato: ſed à Meſſia inope, humili, opum contemptore. Non ferro eſt victus, non gladio, haſtáque ſuperatus, ſed cruce. Super fortem multò fortior ſuperuenit, qui cruci manibus pedibuſque fixis, dæmonem ſolutum ligare potuit, mundóque expellere. *Nunc* (inquit) *princeps huius mundi eiicietur foras*, &c. Fortior ſuperuenit, qui vno tantum digito fortem armatum potuit pellere: *In digito*, inquit, *Dei eiicio Dæmonia.* Vnus tantummodo digitus Chriſto ſatis erat, ad vincendos, ligandóſque omnes dæmones. Non vno tamen digito, ſed in manu forti, & extento brachio, voluit vincere, iuxta illud, *Memento, quòd eduxerit te Deus in manu forti, & brachio extento*, &c. Extendit in cruce manus, extendit brachia: ſicque admirabiliter fortem armatum vicit, ac ligauit, & populum ſuum ex Pharaonis, id eſt, diaboli captiuitate eduxit.

Victoria Chriſti admirabilis.

Ioan. 12.

Lucæ 11. Chriſtus vno tãtum digito dæmonem pepulit. Deut. 5.

Marci 3.

NISI *prius alligauerit fortem.* Parabola indicat eum, qui fortem armatum ſpoliauit, illum prius alligaſſe. Sic enim fieri ſolet; prius dux capitur, vinculiſque conſtringitur, ſimilitérque milites reliqui; poſtea ſpolia colliguntur. Spoliauit, ſpoliatque quotidie Chriſtus dæmonem ſuis opibus, id eſt, hominibus, quos poſſidet. Videamus quomodo alligauerit. Diuus Auguſtinus alligaſſe ait, quia illius ad ſeducendum & tentandum poteſtatem frænauit. Lib. 20. de ciuitate, cap. 7. Alligauit, inquit, Chriſtus diaboli poteſtatem; ab eis ſeducendis, ac poſſidendis, qui fuerant liberandi, cohibuit, atque frænauit, & cap. 8. Alligatio, ait, diaboli, eſt non permitti exercere totam tentationem, quam poteſt, vel vi, vel dolo, ad ſeducendos homines in partem ſuam, cogendo violenter, fraudulentérve fallendo, &c. Diuus Gregorius Iob 7. ad illa verba: *Numquid mare ſum ego?* Diabolus, inquit, carcere conſtringitur, quia tentare bonos, quantùm deſiderat prohibetur, &c. Rectè quidem. Sit ita diabolus alligatus poſt aduentum Chriſti, vt minores habeat ad tentandum vires, quàm anteà. Sed veriſimile videtur, quod iam olim opinatus ſum, dum ſacrã Apocalypſim Ioannis meis auditoribus exponerem, quódque apud alios interpretes poſtea reperi, Luciferum poſt Chriſti paſsionem in tartaro eſſe alligatum, ita vt inde ad tentandos homines exire nequeat, ad tempus vſque Antichriſti, quo ſoluetur. *Vidi* (ait Ioannes) *Angelum deſcendentem de cælo, habentem clauem abyſſi, & catenam magnam in manu ſua. Et apprehendit draconem, & ligauit eum per annos mille. Et miſit eum in abyſſum, & clauſit, & ſignauit ſuper illum, vt non ſeducat amplius gentes, donec conſummentur mille anni*, &c. id eſt, vſque ad tempus Antichriſti. hæc eſt ſententia D. Gregorij libr. 4. Moralium, capite 12. Hunc, inquit, Leuiathan electi Angelorum ſpiritus, nunc in puteo abyſſi clauſum premunt. Vnde

Auguſt.

Quomodo Chriſtus dæmonem ligauerit.

Gregor. Iob 7.

Apoc. 20. Lucifer ad tempus vſque Antichriſti in inferno ligatus.

ſcriptum eſt, *Vidi Angelum deſcendentem de cælo*, &c. Andreas etiam Cæſarienſis Epiſcopus ſic in hæc Apocalypſis verba ſcribit: Hic, inquit, factam in paſſione narrat Ioannes diaboli ſubuerſionem, in qua eum, qui fortis eſſe videbatur, fortior eo Chriſtus ligauit: nóſque, qui ſpolia eius eramus, ab ipſius manibus liberauit, condemnato eo in abyſſum. Ligatum autem eum eſſe oſtendit idololatriæ interitus, & ſubuerſio templorum idolorum, &c. Idem videtur ſentire D. Hieronymus Matth. 12. Alligatus, inquit, eſt fortis, & religatus in tartarum, & Domini contritus pede, &c.

Apoc. 20.

VNIVERSA *arma eius auferet.* Quæ ſint diaboli arma dubium eſt. Beda dolos eſſe putat: Arma, inquit, in quibus male fortis confidebat, aſtutiæ, dolíque ſunt nequitiæ ſpiritalis, &c. Theophylactus ait eſſe peccata. Arma, inquit, omnia ſcilicet peccatorum genera. Illa enim arma ſunt diaboli, in quibus fidebat, &c. Potius arma diaboli tentationes dixerim. his enim veluti, armis, nobiſcum pugnat. Obiicitur, hæc non abſtulit dæmoni Chriſtus. Reſpondemus, abſtuliſſe; ſiquidem doctrina ſua abſtulit materiam, ex quibus fiunt, videlicet voluptates, diuitias, & concupiſcentiam rerum caducarum, peccatáque omnia, ad quæ tentando dæmon ducere conatur. Erant etiam arma diaboli idola, ex quibus gentes oppugnabat, & ſub iugum ſuum mittebat. Hæc arma abſtulit Chriſtus. Sunt etiam arma membra noſtra, iuxta illud Apoſtoli. *Neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato: ſed exhibete vos Deo, tamquam ex mortuis viuentes, & membra veſtra arma iuſtitiæ Deo*, &c. hæc quoque Dominus abſtulit. Faxit Deus, vt nos quoque eadem arma hoſti auferamus, ne noſtris armis vincamur. Suomet gladio gigas Goliath occiſus eſt. Sic ſuomet gladio occiditur Chriſtianus, cùm membra ſua peccato arma præbet. Diuus Gregorius Nazianzenus in Apologet. Cum eo, inquit, hoſte dimicandum habemus, qui nobiſmetipſis, quo nihil miſerius eſt, tamquam armis, in perniciem noſtram vtens, peccati morte nos afficit, &c.

Diaboli arma quæ ſint Lucæ 11.

Theop.

Rom. 6.

Gladio ſuomet quomodo Chriſtianus occiditur.

SPOLIA *eius diſtribuet.* Spolia, quæ Chriſtus hoſti abſtulit, homines ſunt. Fortis armatus vigilanter cuſtodit atrium ſuum, propter hæc ſpolia. Hæc enim illius ſunt opes, hæc illius vaſa, vt Matthæus appellat, hæc illius ſupellex Aufert. Chriſtus hæc ſpolia, cùm homines è diaboli poteſtate ereptos ad ſe conuertit. Diſtribuit illa per varios Chriſtianæ vitæ ſtatus. Dent operam hæc ſpolia, id eſt, qui ad Chriſtum conuertũtur, vt Eccleſiam locupletent, & ornent virtutibus, exemplo, ac doctrina; iuxta illud: *Et ſpeciei domus diuidere ſpolia*, &c. hoc eſt; ad ſpeciem, & pulchritudinem Eccleſiæ dabit Deus ſpolia diuidere. Diuus Auguſtinus Pſalm. 67. Dominus, inquit, hæc ſpolia ſanctificans hoſti erepta alligato, diuiſit ea ſpeciei domus ſuæ, alios conſtituens Apoſtolos, alios prophetas, alios paſtores, & doctores, &c. Sunt quædam minora ſpolia, alia maiora, & opima. Opimum ſpolium Paulus fuit dæmoni ereptum, Auguſtinus, Conſtantinus Magnus, Magdalena, ſimiliáque alia, quæ Eccleſiæ Dei decoris attulere plurimùm. imponitur nomen Chriſto: *Accelera, ſpolia detrahere*, &c. Quoniam ideo in mundum venit, vt hæc ſpolia diabolo detraheret. *Ipſe*, Chriſtus, *diripiet theſaurum omnis vaſis deſiderabilis*, &c. hoc eſt, quod ait apud Matthæum; *Quomodo poteſt quiſquam intrare in domum fortis, & vaſa eius diripere, niſi prius alligauerit fortem?* Mundus theſaurus eſt omnis vaſis deſiderabilis, id eſt, hominum, ſed hunc theſaurum in pace poſſidebat dæmon. Superueniens fortior Chriſtus alli-

Spolia detracta dæmoni ſunt homines. Lucæ 11. Matth. 12.

Pſal. 67.

Spolia quædam maiora & minora, & opima. Iſaiæ 8.

Oſeæ 13.

Matth. 12.

alligauit eum, thesaurumque diripuit.

Luc. 11. Cur dæmon homines persequatur

QVÆRENS *requiem, & non inueniens.* Tunc requiescit dæmon, cùm hominibus nocet. Nam vt ait D. Chrysologus serm. 92. diabolus hominum damnum, suum computat lucrum. Et quod perierit hominibus, hoc se æstimat acquisisse, &c. Quia verò in locis desertis, atque aridis, illis nocere non potest, requiem non inuenit. Illius requies hominis est pernicies. Non tamen est vera requies, aut lætitia. Sed vndenam tanta in nos inimicitia orta est? Respondetur, ortam ex inuidia, vt docet D. Ambrosius lib. de Paradiso, cap. 12. Quæ, inquit, causa est inimicitiarum diaboli, nisi inuidia? sicut Salomon ait, *Quia inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Considerabat enim, quòd ipse in hæc mundana ceciderat, homo autem sperabat æterna. Hoc est, quod inuidet dicens: iste inferior adipiscetur, quod ego seruare non potui? iste de terris migrabit in cælum; cùm ego de cælo lapsus in terram sim? &c. Et D. Basilius homilia 9. Diabolus inquit, ex inuidia se nobis opposuit. Non tulit terrenam creaturam, ad Angelorum dignitatem exaltari, &c. Aliam rationem reddit idem Pater, odium videlicet Dei, homil. 21. in aliquot locos Scripturæ; Qui pardalis, inquit, deludere furorem quærunt, hominis imaginem ei ex charta ostendunt. Illa furibunda statim eam lacerat, satis ostendens, quanta eius sit aduersus hominem inimicitia. Sic diabolus in Dei imagine, id est, homine, quo sit erga Deum odio ostendit, quando Deum ipsum attingere nequit, &c. Item; Vbi vidit diabolus hominem ad Dei imaginem factum. Cùm non posset auctorem ipsum; in eius imaginem suam exercuit malignitatem. Veluti si quis homo, quando Regem inimicum attingere non valet, eius simulachrum cæderet, &c.

Sap. 2.

Basil.

Dæmon persequitur homines in odium Dei.

Pœnitentia. Matth. 12. & Luc. 11.

AMBVLAT *per loca arida, & inaquosa.* Diuus Gregorius lib. 33. Moral. cap. 3. loca arida, & inaquosa interpretatur iustorum corda, vitiorum tetro humore vacua, & pœnitentiæ actionibus arida. Loca, inquit, arentia, & inaquosa sunt corda iustorum, quæ per disciplinæ fortitudinem, ab omnis carnalis concupiscentiæ humore siccantur, &c. Et Euthymius, Significat, inquit, Dominus Sanctorum animas nullum affectionis humorem habentes, &c. In his cordibus requiem non inuenit diabolus. Non requiescit ille in lecto, vesteque aspera, sed in molli: non requiescit in mensa ieiunij, sed in mensa, in qua frangitur lex ieiunij. Nō requiescit in animo solis iustitiæ ardore exsiccato, sed in animo vitiorum humore pleno. Non requiescit in corpore per castitatem arido, sed in corpore per libidinem conspurcato. Non in rosis requiescit sus immundus, sed in luto. *Sub vmbra dormit in secreto calami, in locis humentibus*, &c. Dormit hostis, requiescit, somnum capit, non iis in cordibus, quæ sol iustitiæ incendit, sed in iis, quæ vitiorum vmbra, tetraque caligo tegit: non in aridis, & inaquosis, sed in humentibus. Vbinam requiescet sanguisuga? numquid in locis aridis? minimè, illius locus, & quies, locus est aquosus. Sanguisuga diabolus est sanguinem sitiens humanum, ac fugens. Iuxta illud, *Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes, affer, affer*, &c. In quem locum sic scribit Beda: Sanguisuga est diabolus, qui siti peccandi, ac peccata suadendi incessanter accenditur, &c. Hæc tartarea sanguisuga, siue hirudo, in locis aridis & inaquosis requiem non inuenit, sed mortē: in locis aquosis requiescit. Isaiæ 13. *Requiescent ibi*, id est, in Babylone, *bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus*, &c. In Babylonia siue Babel id est, confusione bestiæ, & dracones, id est, dæmones requiescunt. *Draco magne, qui cubas in medio fluminum*, &c. requiescit in medio fluminum: non autem in locis aridis, & inaquosis. Contra Christus, vt diuus Ambrosius docet ser. 37. de quadragesima, in cordibus habitat, & requiescit in arentibus, & pœnitentia squalidis, hominibus. Tunc Christus (ait diuus Ambrosius (habitat desertū pectoris nostri, cùm nostram terram fame squalidam, ac siti aridam esse reperit: secundùm quod ait propheta, *In terra deserta, & inuia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi.* Aliter enim, sicut in sancto ei apparere non possumus, nisi terra corporis nostri fuerit deserta mundanis deliciis, inuia diabolicis concupiscentiis, & inaquosa libidinosis illecebris. Hæc ille.

Ezech. 29.

Christus requiescit in locis aridis & squalidis Psal. 62.

Loca arida & inaquosa sunt homines iusti.

Iob 40.

Dæmon hirudo est, quæ in locis humidis quiescit.

Prou. 30.

Isaiæ 13.

REVERTAR *in domum meam, vnde exiui.* Etiam si tota terra aurum (ait Philo in lib. de Cherubim pag. 110.) aut si quid auro pretiosius repentè fieret, moxque per opificum artes in porticus, vestibula, aulas, areas, ædesque sacras impenderetur: ne scabellum quidem Dei pedibus posset fieri. Dignum tamen eo domicilium anima est, modo sit idonea, &c. Dei quidem domus idonea, anima est à peccatis expurgata, & gratiæ decore exornata. Dæmonis verò domus anima est peccatis inquinata, & gratiæ ornamentis omnibus spoliata. Domus illius hęc est, imò antrum, iuxta illud, *Ingredietur bestia latibulum suum, & in antro suo morabitur*, &c. hoc autem antrum, hæc domus talis est, qualis homo ille, in quo diabolus habitabat. Erat ille cæcus, mutus, &, vt nonnulli volunt, surdus. Cæca est anima, quæ dæmonis domus est, quia diuinas, æternasque res nō cernit; surda est, quia diuinum verbum non audit. Nec enim aures habet audiendi, de quibus Dominus ait; *Qui habet aures audiendi, audiat.* Muta est, quia crimina fateri non vult. Præterea vacans est, *inuenit eam dæmon vacantem*: vt est in Euangelio, Græcè, σχολάζουσα, id est, otiantem, feriantem. Otiatur anima, in qua dæmon habitat, férias agit tartareas. Scopis est mundata, & ornata extrinsecus. Improbi enim homines, ac voluptarij corpus comunt, & ornāt; intus verò anima sordidissima est, omnique gratiæ ornatu carens. At quæ Dei domus est anima, videt, audit, loquitur; non est vacans, non scopis extrinsecus mundata, & ornata, sed intus. Videt æterna, verbum Dei magno affectu audit, delicta confessione expiat; Deo habitatore plena est, conscientiæ examine quotidie veluti scopis mundatur, gratiæ verò pulchritudine exornatur.

Matth. 12. & Luc. 11.

Domus Dei iustus.

Antrum dæmonis impius.

Iob 37.

Qualis sit domus dæmonis.

Matth. 12.

Domus Christi qualis sit.

REVERTAR (ait impius hostis) *in domum meam*, quæ mea fuit aliquando. Possessione pulsus sum, iterum ad possessionem reuertar. O infælicem domum, quam suam potest dæmon verè appellare, quod in ea habitet. Reuerti conatur hostis, caue, ne illum excipias, ne fiant posteriora tua peiora prioribus. Quis ita demēs est, vt hospitem, à quo oculis, auribus linguaque priuatus est, milleque sordibus inquinatus, domo excipiat reuertentem, vt eadem iterum faciat? demens ita est is, qui in peccatum mortiferum relabitur, & ad vomitum redit. Dæmonem enim, à quo pessimo hospite illa omnia mala accepit, redeuntem recipit. O insignem insipientiam! *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ.* Cicatrices præteritorum peccatorum corrumpuntur rursus per noua peccata, & putrescunt, propter peccatoris insipientiam: *à facie*, inquit, *insipientiæ meæ.* Maximæ enim insipientiæ est peccare. Vnde Origenes in comm. huius Psalmi. Nemo, inquit, sapiens peccatum aliquando cōmittit, &c. Intellige mortiferum. Si maxima insipientia est peccare, qualis insi-

Matth. 12. & Luc. 11. De relapsu in peccatū.

Psal. 37.

Maxima insipientia est peccare.

insipientia erit, peccata iterare? Caue ne reuertatur hostis iterum, si iam vel semel, vel sæpe venit. Semel peregrinum illum hospitem excepit Dauid, cuius suasu Vriæ vxorem accepit, & virum interfecit: iterum pessimum hospitem non recepit.
Leuit. 16. 2. Reg. 12. Hircus ille, qui Israëlitarum iniquitates portabat, in deserta loca mittebatur, neque inde reuertebatur. fœtidus hircus dæmon in deserta & arida pellatur loca, ita vt numquam redeat. Coruus
Gen. 8. ex arca Noë emissus: *egrediebatur, & non reuertebatur.* Tartareus coruus ex anima Christi eiectus, egrediatur, & non reuertatur. Quid remedij? Ob- A sera fores fortissimis repagulis, id est, de cretis numquam peccatum committendi. Sint animi tui fores obseratę, sicut portę Sionis de quibus dicitur *confortauit seras portarum tuarum.* Prætereà resiste hosti, fuga illum ex ipso limine: iuxta illud D. Gregorij, Iob 37. capite: Recti, inquit, ne captiuandam domum conscientiæ præbeant, ab ipso cordis limine hostem fugant, &c. Item: Hostis etsi aliquando repentinis suggestionibus, vsque ad primum vestibulum surripuerit; ad consensus tamen ianuam non pertingit, &c. Illud horrendum tonitruum time: *& fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus*, &c,
Psal. 147. *Matth. 12. & Luc. 11.*

CAPVT XX.

De fœmina ex turba, quæ Christum laudauit.

LVCAS CAP. XI.

EActum est autem, cùm hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portauit; & vbera, quæ suxisti. At ille dixit: Quinimo, beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.

Luc. 11. Christum simplices prædicant, dum à Pharisæis blasphematur. EXTOLLENS *vocem quædam mulier.* B Pharisæi, atque Scribæ, in Dominum blasphemiam iactarunt: at fœmina simplex, illius admirandam sapientiam, doctrinam, & miracula laudibus extulit. Illi dæmoniacum appellarunt, hæc non ipsum tantùm, sed eius etiam matrem
Psal. 8. beatam esse magna voce inclamauit. *Ex ore infantium & lactentium, perfecisti laudem*, canit vates regius, *propter inimicos tuos.* hoc verò loco, ex ore fœminæ simplicis, & indoctæ, laudem perfecit, propter Pharisæos hostes suos. Dicitur, vt Lyranus ait, fuisse Marcella D. Marthæ famula. Extulit autem vocem feruore animi inflammata. Vnde Euthymius; Cùm vehementem, inquit, in eam impressionem Christi sermones fecissent, magna & exaltata voce eam beatificauit, quæ illum peperat, &c. Propè orientalem Tyri portã, locus ostenditur, in quo beata hæc fœmina fertur in laudem Christi exclamasse. Borchardus i. part. c. 2. §. 5. Ante Tyri, inquit, ianuam ad ortum sitam iactu duarum sagittarum inter spatiosas arenas ostẽditur Christi prędicationis locus, vbi mulier exclamauit: *beatus venter*, &c. Idem scribit Adrichomius in theatro terræ Sanctæ, in tribu Aser, num. 85. Hinc efficitur, dæmonium mutum propè Tyrum expulsum esse, & Pharisæos à Domino reprehensos.

Luc. 11. B. Virgo ob filium prædicatur. BEATVS *venter, qui te portauit.* Christum laudat, simúlque Deiparam Virginem. Cùm enim beatam appellat propter filium matrẽ; & matrem laudat, & à filio omni laude digno, laudem habere indicat. Exclamans ait: *Beatus venter, qui te portauit,* D *& vbera, quæ suxisti.* hoc est, ô beatam matrem, quæ te vtero gestauit suo, præbuitque vbera. Beatos appellat Apostolorum oculos Dominus, qui ipsum
Luc. 10. viderunt, *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis.* Si beati oculi Apostolorum, quantò beatior erit Deiparæ vterus, qui Christum cõcepit, ac portauit, quanto fæliciora erunt vbera, quæ Dei lac propinarunt?
B. V. Seraphinos superat beatitudine. Hic fons est maximæ beatitudinis Deiparæ. Propterea enim ipsos etiam Seraphinos superat beatitudine, quòd Christi mater sit. Nam decebat Dei matrem, omnibus creaturis longè gratiæ, & gloriæ dotibus, præcellere.

Dubium est; An fœmina hæc cognouerit, qualis mater esset virgo, quam contenta voce beatam prædicabat: Beda in Lucam cognouisse scribit his verbis; Magnæ deuotionis, & fidei, hæc mulier ostenditur, quæ Scribis, & Pharisæis Dominum tentantibus simul, & blasphemantibus; tanta eius incarnationem sinceritate cognoscit, tanta fiducia confitetur, vt & præsentium procerũ calumniam, & futurorum hæreticorum confundat perfidiam, &c. Verisimilis est Bedæ sententia. Illud verò credendum, fœminam hanc Spiritu sancto afflatam in hæc prorupisse verba: neque tam fœminę simplicis, quàm Spiritus sancti esse huiusmodi Deiparæ virginis præconium. Vnde Canisius libro 4. de Virgine, cap. 25. Hæc, inquit, mulieris vox, non secus, quàm pro Spiritus sancti testimonio debet C accipi, &c. Et Iansenius: Nihil, ait, dubium est, quin ex suggestione Spiritus sancti mulier hæc Christo hoc testimonium perhibuerit, &c.

Hæc mulier an B. V. cognouerit. *Fœmina hæc Spiritu S. afflata fuit.*

Diuino afflantur Spiritu, qui Deiparæ laudes celebrant, tartareis agitantur furiis nouatores, qui illius gloriam obscurant. Insanus quidem erit, qui vterum omni pręconio non extulerit, in quo Verbum Sanctissimam carnẽ assumpsit. Hic Dei thalamus fuit, iuxta illud Dauidis. *Ipse tamquam sponsus* *Psal. 18.* *procedens de thalamo suo.* Hic *hortus* semper *conclusus.* *Cant. 4.* Hic *fons bonorum omnium*, diuino Dei sigillo *signatus.* *Ibid.* Hic mons terram cælúmque altitudine superans, ex quo sine manibus lapis ille abscissus est, qui variis constantem metallis statuam contriuit. Hoc *Dan. 2.* est plusquam Salomonicum templum, virginitatis illibatissimæ auro radians. 3. Reg. 6. Hic eburneus Dei thronus, integerrimæ puritatis ebore admirabilis. 3. Reg. 10. Hic terrestris paradisus. Hic paradisus voluptatis, qui summã mundo produxit voluptatem. Gen. 2. Hic hortus amœnissimus, qui vitæ lignum protulit, secundo Adamo prępparatus. Hæc dulcissimi mannæ vrna. Ad Heb. 9. Hic liber candidissimus, in quo Patris Verbum admirabiliter est descriptum. Hæc propositionis mensa, in qua cælestis panis est propositus. Exod. 25. Hic nostræ redemptionis thesaurus. Hoc veri Salomonis ferculum. Cant. 3. Hoc aureum reclinatorium. Cant. 3. Hoc vellus Gedeonicum cæleſti rorę perfusum.

Vteri virginei laudes. *Virginis incomparabilis epitheta.*

fusum. Iud. 6. Patres loquentes audiamus.

Patres antiqui. Nyssenus in orat. de Natali Domini. O beatum, inquit, vterum illum, qui bonitatis præstantia, ad se animi traxit bona. In reliquis enim omnibus vix animus purus Spiritus sancti præsentiam capit. Hic autem caro fit Spiritus Sancti receptaculum, &c. D. Epiphanius in sermone de laudibus Deiparę: O vterum, ait, impollutum, habentem circulum cælorum, qui Deum incomprehensum, in te verè comprehensum portasti! O vterum cælo ampliorem, qui Deum in te non coarctasti! O vterum, qui cælum es septem circulis constans, & capacior illis existis! &c. Diuus Bernardus serm. 1. de assumptione; Nec in terris locus dignior vteri Virginalis templo, inquo Filium Dei Maria suscepit: nec in cælis regali solio, in quo Mariam Mariæ filius sublimauit, &c.

Vterus V. locus in terris dignissimus, & locus V. locus in cælo dignissimus.

Chrysippus in orat. de Virgine: Aue, inquit, Virgo, quæ vluam adepta es prętер naturam, vel ipsis cælis latiorem; quandoquidem per hanc comprehendisti eum, quem ne cæli quidem capiunt, &c. Huc illud pertinet, *Nouũ creauit Dominus super terram, mulier circumdabit virum.* Vtero enim suo circumdedit virgo Christum, corpore infantem, mente virum sapientissimum. Quod ad diuinitatem attinet, incomprehensibilis erat infans: si humanitatem consideres, Deiparæ vtero circumdabatur, & comprehendebatur. O fœmina super fœminas (ait Augustinus ser. 9. de tempore) quæ & virum non cognouit, & virum in vtero circumdedit, &c. D. Bernardus hom. il. 2. de Virgine: Fœmina circumdans virum, virgo est concipiens Deum, &c. Idem Bernardus serm. 2. de Pentecoste, illud, *Operatus est salutem in medio terra*: de Virginis vtero exponit. Operabatur, inquit, Christus salutem nostrã, in medio terræ, in vtero videlicet virginis Mariæ; qui mirabili proprietate terræ medium appellatur. Ad illam enim sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium sæculorum, respiciunt & qui in cælo habitant, & qui in inferno, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequentur, & nati natorum, & qui nascentur ab illis. Illi qui sunt in cælo, vt resarciantur; qui in inferno, id est, purgatorio, vt eripiantur; qui præcesserunt, vt prophetæ fideles inueniantur; qui sequentur, vt glorificentur, &c.

Ierc. 31.

V. B. virum in vtero circũdedit.

Psal. 73.

B. V. terra medium dicitur.

Ascendet, ait Isaias, *sicut virgultum, & sicut radix de terra sitienti*: id est, arida, & minimè irrigua. Aquila interpretatur, ascendet de terra inuia. Terra arida, & inuia, nullo humano irrigata opere, Virginis est vterus. Ex hoc pulcherrimũ virgultũ, radixq; bonorum omniũ Christus prodiit. *Ex vtero ante Luciferũ genui te.* verti etiã potest: *Ex vtero aurorę tibi ros natiuitatis tuæ.* Auroræ vterus fuit vterus Virginis, qui natiuitatis rorẽ, ac materiã, Christo suppeditauit, vt alibi iam diximus. *Ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.* Virginis vterus nuptiarum admirabilium thalamus fuit, in eo enim diuina, humanaque natura, eadem in persona Verbi, stupendum in modum coniunctæ sunt. Hoc ex thalamo veluti ex Oriente, sol ad currendam viam processit Christus, humanitatis pulcherrima veste amictus; iuxta illud, *Dominus regnauit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit, se*, &c. Quemnam decorem iudutus est Deus? Decorem humanitatis, ait diuus Epiphanius hæresi 69. Quid enim in cælo, terrave, humanitate Christi pulchrius potest reperiri? Quid fortius? ideóque additur: *indutus est Dominus fortitudinem.* Præcinxit verò se, vt inferret truculentissimo hosti dæmoni bellum. Præcinxit præterea se, quia humanitatis vestem amplissimam constrinxit, seque, vt Paulus ait, *exinaniuit.*

Isaiæ 53.

Virginis vterus terra est sitiẽs. Psal. 109.

Psal. 18.

Psal. 92.

Vid.

Phil. 2.

Obserua his fœminæ verbis virginei conceptus modum indicari: dum nullam patris mentionem facit, sed solam matrem beatam vocat, quia sola, absque viri opera Christum concepit. Propterea Deiparæ vterus vallatus dicitur liliis. *Venter tuus sicut aceruus tritici, vallatus liliis*, &c. Vterus namque Virginis horreum fuit gratiæ, cuius purissimo tritico totus orbis pascitur. Lilia autem quibus circumuallatur, puritatem indicant virginitatis. Aceruus tritici appellatur propter conceptum: liliis vallatus dicitur, propter admirabilem Virginitatem.

Cant. 7.

QVINIMO, *beati qui audiunt verbum Dei*, &c. Audiuit Christus verba fœminæ, beatam Deiparam prædicantis. Accepta verò occasione, quia fœmina de beatitudine fuerat locuta, qua in re beatitudo sita sit docet. Diuini verbi, quod prædicabat, auditores atque custodes, beatos esse indicat. Fœmina de peculiari Dei genitricis beatitudine verba fecerat: Dominus de generali agit. Non negat peculiarem matris beatitudinem. Quis enim nisi planè amens hoc sentiat? sed de ea dicere prætermittens, ad beatitudinem generalem, omnibúsque cum matre communem transit. Eam verò positam esse asserit in verbo Dei audiendo, atque custodiendo. *Quinimo*, ait, *beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Quasi dicat, Beatam dicis matrem meam, & meritissimò: sed hæc beatitudo vnius tantum est, nulli prætер illam conuenire potest. Ostendam autem tibi viam ad beatitudinem omnibus communem, ea est verbum Dei tum audire, tum custodire. Custodire autem verbum Dei Græcè, φυλάττειν, est mente seruare atque opere, iuxta illud, *In corde bono, & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia*, &c. Terra semen recipit, custodit & in fructum profert. Sic anima verbum Dei cùm audit, recipit, receptum custodit ac fouet, & in opus veluti fructum producit.

Luca 11. *Generalem proponit beatitudinẽ Dominus.* *Luca 11.* *Custodire verbum.* *Luca 8.*

Dixerat fœmina, beatã esse Virginem, quæ Dei Verbum ventre conceperat, vberibúsque aluerat; Respondet Dominus, beatum esse illum, qui Dei verbum, quod audit, corde veluti concipit, conceptumque custodiendo alit, & ad opus perducit. Quæ beatitudo Virgini Deiparæ præ omnibus congruit, illa enim non solùm diuinum Verbum ventre concepit, vberibúsque nutriuit: sed etiam verba Dei mente accepit, corde aluit, vberrimumque in fructum perduxit. Beda in Lucam; Pulchrè, ait, saluator attestationi mulieris annuit. Non eam solummodò, quæ Verbum Dei corporaliter generare meruerat: sed & omnes, qui Verbum idem spiritaliter auditu fidei concipere, & boni operis custodia, vel in suo, vel in proximorum corde parere, & quasi alere studuerint, asseuerans esse beatos. Quia & eadem Dei genitrix, & inde quidem beata, quia Verbi incarnandi ministra facta est temporalis: sed inde multò beatior, quia eiusdem semper amandi, custos manebat æterna. D. Augustinus lib. de Sancta Virginitate, cap. 3. Beatior, ait, fuit Maria percipiendo fidem Christi, quàm concipiendo carnem Christi, &c. Item: Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi fælicius Christum corde, quàm carne gestasset, &c. Et tractatu 10. in Ioannem, verba hæc Christi: *Quinimo, beati qui audiunt verbum Dei*, &c. interpretatur his verbis: Hoc est dicere: Mater mea, quam appellastis fælicem, inde fælix, quia verbum Dei custodiuit, non quia in illa Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, sed quia custodit ipsum Verbum Dei, per quod facta est, & quod in illa caro factum est, sic Augustinus. Ait verò Dei-

Beatitudo hæc Deiparæ præ omnibus conuenit.

B. V. vnde maximè beata fuerit

Luca 11.

Deiparam non ideò esse facilem, quia in illa Verbum caro factum est; quoniam si verba, & præcepta Dei non custodisset, Christi partus absque obseruantia mandatorum, illi parùm profuisset.

Virgo beata est, quia verbi Dei mater est.

Verumtamen simpliciter, atque absolutè dicitur Deipara beata, quòd Dei mater sit. Quoniam Dei matris titulum mandatorum omnium obedientia, gratia summa, admirabilísque virtutum omnium chorus, summáque gloria comitatur, vt tom. 1. lib. 6. cap. 2. ostendimus; Quamobrem Damascenus Virginis conceptum, omnium Virginis bonorum initium, & fontem appellat, in orat. 1. de dormitione Deiparæ; Quamuis, inquit, omnibus Dei seruis, quorum mors beata dicitur, ab ipso vitæ fine istud comparetur: vt Deo grata eorum vita iam in tuto sit, eóque nomine mors eorum fælix habeatur. Mors enim eos perficit, beatósq; ostendit, id videlicet ipsis afferens, vt in eorum virtutem nulla iam mutatio cadat, iuxta illud scripturę oraculum; *Ante mortem neminem beatum dicas.* Minimè tamen hoc in te vsurpabimus, ô Virgo. Neq; enim mors tibi beatitudinem attulit, nec migratio perfectionem conciliauit, nec rursus hoc tibi affert vitæ discessus, vt iam periculi nihil extimescas. Omnium enim bonorum initiũ, medium, & finis, securitas itẽ, & vera confirmatio, in illa seminis experte cõceptione, in illa diuina inhabitatione, in illo deniq; à labe omni remoto partu, positafuit, &c.

Eccli. 11.

Quòd autem absolutè dicenda sit fælix ac beata virgo, quòd Christum ventre portauerit, & vberibus aluerit, ex ipsius verbis confirmatur, *Ex hoc*, inquit, *beatam me dicent omnes generationes*, id est, ex hoc tempore, quo Deum concepi; propter admirabilem hunc conceptum, beata, à cunctis dicar generationibus. Vnde idem Damascenus eodem loco addit; Verè à te, ô Virgo, non à morte, sed ab ipsa conceptione, dictum est, fore, vt te generationes omnes beatam dicerent, &c. Lege quæ diximus tomo 1. in Cantico Virginis de illius beatitudine. De multiplici verò vtilitate verbi Dei, lege sermonem D. Bernardi, eiusdem tituli. Nos verò de verbo Dei custodiendo, in parabolis dicemus.

Ex ipsa cõceptione B. V. beata dicenda. Lucæ 1.

CAPVT XXI.

Mater, & fratres Christum quærunt.

MATTH. CAP. XXII.

ADhuc eo loquente, ecce mater eius, & fratres, stabant foris quærentes loqui ei. Dixit autem ei quidam; ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te. At ipse respondens dicenti sibi ait; Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? & extendens manum in discipulos suos dixit; Ecce mater mea, & fratres mei. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.

MARCVS CAP. III.

ET veniunt mater eius, & fratres: & foris stantes, miserunt ad eum vocantes eum, & sedebat circa eum turba, & dicunt ei: ecce mater tua, & fratres tui, foris quærunt te. Et respondens eis ait; Quæ est mater mea, & fratres mei? Et circumspiciens eos, qui in circuitu eius sedebant, ait, ecce mater mea, & fratres mei. Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, & soror mea, & mater est.

LVCAS CAP. VIII.

VEnerunt autem ad illum mater, & fratres eius, & non poterant adire eum præ turba. Et nunciatum est illi; Mater tua, & fratres tui stant foris volentes te videre. Qui respondens dixit ad eos; Mater mea & fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt, & faciunt.

IN hac historia narranda, vt ait Aug. libro 2. de consensu Euangelistarum, capite 40. Lucas temporis ordinem non seruauit: seruarunt Matthæus, & Marcus, qui præcedentibus illam adnectunt. ex Matthæo autem compertum fit, post Christi verba, quæ hactenus explicauimus, historiam hanc suum flagitare locum. Sic enim Matthæus scribit; *Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius, & fratres stabãt foris*, &c. Adhuc, inquam, Christo loquẽte ad turbas, post eiectum dæmonem mutum. hic igitur locus est historiæ.

Ordo gestorum, Matth. 12.

ET *veniunt mater eius, & fratres.* Dubium est, quorsum Virgo Deipara Christique fratres, id est, consanguinei, illum euocauerint. Chrysostomus ambitionem, & ostentationem, causam fuisse ait homil. 45. in Matth. Considera, inquit, tàm matris, quàm fratrum, importunitatẽ. Nam cùm debuissent intrare, aut cum turbis simul audire, aut saltem expectare foris sermonis finem, ac demum accedere, ambitione quadam, ac ostentatione commoti, foris eum in præsentia omnium euocauerunt, vt viderentur facilè, ac magna cum potestate Christo imperare, &c. Et infrà; Patet, ait, inani quadam

Marci 3.

Chrysost.

dam gloria ipsos commotos,&c. Homilia item 46. ait ostentationis causa Christum euocatum à fratribus. Sed vt rectè ait D. Thomas 3. parte quæst. 27. Chrysostomus hac in re excessit. Neque enim vel vmbra ostentationis, aut ambitionis vlla tribuenda est Deiparæ,quam constat nullius peccati, etiam venialis,cõtagione fuisse maculatam. Theophylactus quoque cautè legendus est:hoc enim loco excessit quoque cum Chrysostomo. Auctor imperfecti hunc matris, & fratrum aduentum,dæmone impellente cõtigisse ait, vt Christi diuinitatem obseruaret. Videns,inquit, Diabolus, quia persuadebat populis Christus, se esse Filium Dei dicens; *Ecce plusquam Ionas hic, & plusquam Salomon hic*: timuit, ne si Dei Filius cognoscatur ille, qui putabatur homo, ipse derelinquatur ab omnibus. Ad conuincendos sermones eius,sub introduxit parentes eius carnales, vt per illorum contemplationem diuinitatis eius obscuraret naturam, &c. Sed falsum est, Virginem Deiparam ad aliquid agendum potuisse impelli à Dæmone. Præterea fundamento caret hæc ratio. perspicuum enim cũctis erat, Christum matrem, consanguineósque habere,etsi ad illum non venissent. Lege Tertullianum libro de carne Christi, capite 7.

Chrysostomus excessit cum B. V. ambitionis aliquid tribuit. *Autor. imp.* *Luca 11.*

Dicendum est Deiparam, fratrésque ad Christum nunc venisse, eúmque vocasse honestam aliquam ob causam nobis ignotam. Forsitan desiderium vidēdi filium matrem traxit, eámque aliqui ex consanguineis comitati sunt. Vnde Titus in catena Diui Thomæ; Quia, inquit, desiderabatur Christus propter absentiam, accedunt ad eum cognati, &c. Canisius libro 4. de Deipara, capite 21. existimat Virginem accessum ad Christum docentem expetiuisse, vt quia præ turba propius accedere non poterat, locum ad audiendum opportunum sibi & cognatis pararet. Caietanus Marci 3. putat, vocatum Christum à cognatis ex compassione, & amore, vt cibum sumeret. Nam, vt Marcus dixit eodem capite; *Conuenit turba, ita vt non posset panem manducare,&c.* Fortè audierant consanguinei imminere Christo periculũ à Pharisæis, ideóque illum vocarunt,vt periculo liberarent.

Cur B.V. & alij Christũ vocauerũt. *Marci 3.*

Marci 3. MISERVNT *ad eum, vocantes eum.* Obiicit consanguineis Chrysostomus verbis citatis, debuisse illos intrare. Sed à D. Luca excusantur. *Non poterant*, inquit, *adire eum præ turba.* Cùm ergo adire non possent, miserunt, qui vocaret, non quidem concionantem, sed postquàm loqui desineret. Cupiebant enim illum periculo, quòd à Pharisæis imminere putabãt, eripere. Nulla ergo fuit importunitas in hoc facto, sed caritas. Non enim concionis cursum impedire volebant. Neque verò nuncius concionantem auderet interpellare. Quòd si roges, Num Virgo Christum euocarit? Crediderim non euocasse, sed consanguineos nuncium misisse, qui nunciaret matrem adesse,& cognatos.

Luca 8. *B.V. Filium non euocauit.*

Luca 8. ECCE *mater tua,& fratres tui foris quærunt te.* Quæritur, num simplici, bonóque animo hic nuncius Christo nunciarit adesse matrem, & fratres? Diuus Hieronymus insidiosè ait nunciasse. Matth. 12. Videtur, inquit, mihi iste non simpliciter, & fortuitò nunciare, sed insidias tendere saluatori, vtrum spiritali operi carnem, & sanguinem præferat,&c. Auctor imperfecti diaboli nuncium fuisse censet. Venit, ait, aliquis quasi diaboli aduocatus, qui humano ore verba diabolica loqueretur, dicens, *Ecce mater tua, & fratres*, ac si dicat; Quid gloriaris, de cælo dicens descendisse, qui radices habes in terra. *Ecce mater tua, & fratres tui.* Non potest esse Filius Dei, quem homines genuerunt.

An nuncius bono animo nunciarit.

Tunc Iesus quasi hominem quidem aspiciebat, tamen verè diabolus loquebatur &c. Verisimilius est, nuncium simplici animo bonóque Christo nunciasse adesse, matrem & fratres. Missus enim est à cognatis, vt ait Marcus; *Miserunt*, inquit, *ad eum vocantes eum.* Credendum ergo est, non insidiosè, sed simplici animo id, quod cognati iusserant, fecisse. *Marci 3.*

Quod si roges,cur ergo asperum reddit responsum Dominus,si simplici animo nunciabatur? Respondemus responsum nõ esse asperum,sed egregium continens documentum,carnalem affectum despiciendi,vt dicemus.

ET *respondens eis*. Data occasione docet Dominus, quàm sit præclarum Dei voluntatem facere: docet item esse genus quoddam cognationis spiritalis,carnali cognatione præstantius. Neque verò de matris dignitate, detrahit quidquam. Siquidem illa vtraque cognatione fuit cum Christo maximè coniuncta,tàm cognatione carnis, quàm spiritus. *Quæ est*, ait, *mater mea, & qui sunt fratres mei? & extendens manum in discipulos suos dixit:ecce mater mea, & fratres mei.* Discipulos matrem appellat suam,& fratres spiritu. In quo autem posita sit spiritalis cognatio significat,cùm addit: *Quicũque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, & soror,& mater est*,&c. *Marci 3.* *Duplex Christi cognatio carnalis & spiritualis, & hæc illa potior.* *Matth. 12.* *Ibid.*

Itaque duplicem docet esse cognationem, alteram carnis inferiorem, alteram spiritus præcellentiorem. Virgo vtramque summo in gradu habet. Carnis cognationem summo in gradu habet, quoniam mater Dei est: spiritus cognatione præcellit, quia in faciendo voluntatem Dei omnibus præcelluit. Bis igitur mater Dei Virgo est,tùm carne tùm spiritu. Nam si eum spiritu matrem Christus appellat, qui Dei voluntati obsequitur: quis vmquam Dei voluntati magis, quàm virgo Deipara obsecutus est? Audi Guarricum Abbatem serm. 4. de assumptione;Mariam,inquit,quę secundùm carnem mater erat, alia quoque ratione matrem sibi Iesus probat. Quandoquidem & ipsa voluntatem Patris in tantùm faciebat, vt de ipsa prædiceret Pater, *Vocaberis voluntas mea.* Igitur vbi eã filius negligere videtur, ibi amplius honorasse inuenitur. Dum ei scilicet, materni nominis honor duplicatur. Pro eo quòd eundem filium,quem aluo gestauerat incarnatum, etiam nunc animo gestabat inspiratum. Sic ille. Iustinus quoque martyr quęst. 136. duplicem maternitatem Virgini tribuit, sic scribens; Non matrem debito honore fraudat Dominus: sed docet, qua, vt ita dicam, ex maternitate Virgo sit beatissima. Si enim is, qui verbum Dei & audit, & seruat, Dei est & frater, & soror, & mater: quorum vtrumque in eius matre inerat; perspicuum est matrem ipsius ex hac matris ratione beatam dici oportuisse, &c. Et Augustinus lib. de sancta Virginitate, cap. 5. Maria, inquit, faciens voluntatem Dei,corporaliter Christi tantummodò mater est: spiritaliter autem, & soror, & mater.

B. Virgo bis est mater Christi, carne & spiritu. *Guarric.* *Isaiæ 62.* *Iustin.* *Maternitas in B.V. duplex.*

Quod si quæras, quæ maternitas sit præcellentior, carnisne, an spiritus? Respondetur spiritus maternitatem præcellere, vt docet idem Augustinus eodem loco; Sanctæ, inquit, Virgines cum Maria matres Christi sunt, si Patris eius faciunt voluntatem. Hinc enim & Maria laudabilius atque beatius Christi mater est, secundùm Christi sententiam: *Quicumque facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse mihi frater, & soror, & mater est*, &c. Et capite 3. Beatior, ait, Maria fuit concipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi, &c. *Spiritus cognatio præcellit.* *Matth. 12.*

Matth. 12. Deus parentibus amicisque anteponendus.

QVÆ *est mater mea, & qui sunt fratres mei?* Hac A responsione in speciem duriori, præclarum nobis documentum Christus tradit, Videlicet, vt Deum, diuina spiritaliáque negotia, parentibus, consanguineis, & amicis anteponamus. Abbas Guarricus sermone 4. de Assumptione: Illi, ait, qui sermonem Euangelij, parentes annunciando interrumpebat, melius responderi non poterat. Vt scilicet spiritualia carnalibus præferenda Christus monstraret. Ac si more suo diceret parentibus quærentibus se occupatum in negotio Euangelij, Quid est quod me quæritis? Nescitis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse? &c. Item: Absit vt matrem aspernatus sit, qui tanta cura de parentibus honorandis legem dedit. Imò potius ordinabat in nobis caritatem, tàm verbis, quàm exemplis nobiscum agens; vt carnalium necessitudinum affectibus, non solùm Dei præponamus dilectionem, sed etiam eorum, qui Dei faciunt voluntatem. Hæc ille. D. Bernardus serm. 2. de nuptiis Canæ; Optimè, inquit nos docuit Dominus, ne solliciti simus super propinquis carnis nostræ, plusquam religio postulet. Quando ipse matri, & tali matri, respondit, *Quid mihi, & tibi est mulier?* Sic & in alio loco cùm suggereret ei quidam, quoniã foris staret cum fratribus Domini, quærens ei loqui, respondit: *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei,* &c. Augustinum lege, epistola 58. ad Lætum. Isto, inquit, saluberrimo magisterio contemni carnalem affectum in parentibus docuit Christus, &c. & Ambros. Lucæ 8. Præscripturus cæteris, quoniam qui nõ reliquerit patrem, aut matrem suam, non est Filio Dei dignus; sententiæ huic primus ipse se subiecit. Non quò maternæ refutet pietatis obsequia; sed quò paternis se ministeriis amplius, quam maternis affectibus debere cognoscat, &c. Si igitur filius ad religionem à Deo vocatur, à consanguineorum verò & amicorum amore impeditur; dicat: *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?* Deus mihi matre, patre, consanguineis, amicisque omnibus est charior. Si is, qui iniuriam remittere vult, ab amicis prohibetur, dicat: *Qui sunt amici mei?* Deus amicus magis. Si à cõsanguineis, & fratribus Episcopus rogatur vt beneficia Ecclesiastica indignis conferat, respondeat: *Quæ est mater mea, & qui* D *sunt fratres mei?* Si pater, vt filiis opes relinquat, ad illicitos impellitur contractus, hæc vsurpet verba, &c.

De propinquis carnis nostræ ne simus solliciti plusquam religio postulet. Ioan. 2. Matth. 12.

Præclara documenta ex hoc Christi verbo colligenda.

Matth. 12.

Præstantior est cognatio spiritus quã carnis.

Docet præterea Dominus hoc loco, præstantiorem esse spiritus, quàm carnis cognationem. Quod obseruat Ambrosius Luc. 8. Non iniuriosè, inquit, refutantur parentes; sed religiosiores copulæ mentium docentur esse quàm corporum, &c. & diuus Hilarius in Matth. Formam, ait, seipsum vniuersis agendi, sentiendiq́ue constituens Christus, propinquitatum omnium ius atque nomen, iam non de conditione nascendi, sed de Ecclesiæ communione retinendum, &c. Diuus Hieronymus Matth. 12. Non matrem negauit; sed Apostolos cognationi prætulit. Vt & nos in cõparatione dilectionis, carni spiritum præferamus, &c.

Matth. 12. Summa spiritalis cognationis coniunctio.

MEVS *frater, & soror, & mater est.* His verbis Dominus summam esse docet spiritualem Sanctorum cum Deo coniunctionem: quemadmodum summa est sororis, fratris, & matris cognatio, atque coniunctio. D. Gregorius homil. 3. in Euangelia sororem, & fratrem Domini Christianum effici ait, fide viua credendo. Matrem verò prædicando. Quoniam qui concionatur Christum veluti concipit, & cordis vtero gestat, paritque, cùm loquitur. Gregorium audiamus: Sciendum, inquit, nobis est, quia qui Christi soror, & frater est credendo; mater efficitur prædicando. Quasi enim parit Dominum, quẽ cordi audiẽtis infuderit; & mater eius prædicando efficitur, si per eius vocem amor Domini in proximi mente generatur, &c. D. Hieron. Matth. 12. Isti, inquit sunt mater mea, ait Dominus, qui me quotidie in credentium animis generant. Isti sunt fratres mei, qui faciunt opera patris mei, &c. Exclamat hoc loco & meritò quidem Euthymius: O admirandam, inquiens, virtutem, quæ ad se accedentes ad tantũ extollit honorem, vt ipsos Christi faciat esse cognatos, &c. & Chrysostomus hom. 45. Qui, inquit diligenter Dei voluntatem sequuntur, & fratris, & sororis, & matris retinent locum. O admirabilem honorem! o virtutis incredibiles vires, quò ducitis benè viuentes homines! &c. Magnum esset ac præclarum, si nos virtus Dei seruos tantummodò faceret; at cognatos etiam, & verò maximè cognatos, nempe fratres, sorores, matresque facit.

Concionator efficitur mater Christi prædicando.

Hieron.

Chrysost.

Virgo Christi mater, & fratres foris stantes, dicuntur typum hoc loco gessisse Synagogæ, & Iudæorum, qui foris stant, neque in Christi fidem, & Ecclesiam ingrediuntur. Hilarius Canone 13. Quia (inquit) Christus in sua venit, & sui eũ non receperũt, in matre eius, ac fratribus, Synagoga, & Israëlitæ præfigurantur, ingressu eius, atque aditu abstinentes, &c. Tertullianus libro de carne Christi, cap. 7. Figura est Synagogæ in matre abiuncta; & Iudæorum in fratribus: foris erat in illis Israël: discipuli autem noui, intus audientes, & credentes, & cohærentes Christo, Ecclesiam delineabant, &c. Lege Hieronymum, Bedam, Gregorium quoque hom. 3. in Euang.

Mater foris stans typum gessit Synagoga.

Obserua Christum matris fecisse mentionem, fratris, sororis, sed non patris. *Meus*, inquit, *frater & soror, & mater, est.* non dixit; *& pater*, quoniam secundùm humanitatem carebat patre. Obserua præterea obedientiæ præclaram prærogatiuam. Ipsa enim fratres, sorores, matréque Christi facit. *Quicumque*, ait, Dominus, *fecerit voluntatem patris mei, ipse meus frater, & soror, & mater est*, &c. Id est, quicumque mandatis Dei obedientiam præstiterit. Diuus Chrysostomus Matth. 12. hom. 45. Vna, inquit, sola, & vera, & communis nobilitas, atque necessitudo cum Christo est, vt voluntatem Dei facias, &c. Item: Multò propinquiores Deo sunt, qui voluntatem eius faciunt, quàm qui summa carnis necessiitdine coniunguntur, &c.

Obedientia Christi matrem, & fratrem facit. Matth. 12.

Obedientia.

LIBER

LIBER NONVS.

CAPVT PRIMVM.

De parabola ſeminantis.

MATTH. CAP. XIII.

IN illo die exiens Ieſus de domo, ſedebat ſecus mare; & congregatæ ſunt ad eum turbæ multæ, ita vt nauiculam aſcendens ſederet. Et omnis turba ſtabat in littore. Et locutus eſt eis multa in parabolis, dicens: Ecce exiit, qui ſeminat ſeminare. Et dum ſeminat, quædam ceciderunt ſecus viam; & venerunt volucres cæli, & comederunt ea. Alia autem ceciderunt in petroſa, vbi non habebant terram multam; & continuò exorta ſunt, quia non habebant altitudinem terræ. Sole autem orto æſtuauerunt; & quia non habebant radicem, aruerunt. Alia autem ceciderunt in ſpinas; & creuerunt ſpinæ, & ſuffocauerũt ea. Alia autem ceciderunt in terram bonam; & dabant fructum, aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud trigeſimum. Qui habet aures audiendi, audiat. Et accedentes diſcipuli dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris eis? qui reſpondens ait illis: Quia vobis datum eſt noſſe myſteria regni cælorum: illis autem non eſt datum. Qui enim habet, dabitur ei; & abundabit. Qui autem non habet, & quod habet, auferetur ab eo. Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt. Et adimpletur in eis prophetia Iſaiæ dicentis, Auditu audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non videbitis. Incraſſatum eſt enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt, nequando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligãt, & cõuertantur, & ſanẽ eos. Veſtri autem beati oculi, quia vident, & aures veſtræ, quia audiunt. Amen quippe dico vobis, quia multi prophetæ, & iuſti cupierunt videre, quæ videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt. Vos ergo auditè parabolam ſeminantis. Omnis qui audit verbum regni, & non intelligit; venit malus, & rapit quod ſeminatum eſt in corde eius. Hic eſt, qui ſecus viam ſeminatus eſt. Qui autem ſuper petroſa ſeminatus eſt, hic eſt, qui verbum audit, & continuò cum gaudio accipit illud, non habet autem in ſe radicem, ſed eſt temporalis. Facta autem tribulatione, & perſecutione propter verbum, continuò ſcandalizatur. Qui autem ſeminatus eſt in ſpinis, hic eſt qui verbum audit, & ſollicitudo ſæculi iſtius, & fallacia diuitiarum, ſuffocat verbum, & ſine fructu efficitur. Qui verò in terram bonam ſeminatus eſt; hic eſt, qui audit verbum, & intelligit, & fructum affert, & facit aliud quidem centeſimum, aliud autem ſexageſimum, aliud verò trigeſimum.

MARC. CAP. IV.

ET iterum cœpit docere ad mare. Et congregata eſt ad eum turba multa, ita vt nauim aſcendens, ſederet in mari. Et omnis turba circa mare ſuper terram erat; & docebat eos in parabolis multa, & dicebat illis in doctrina ſua. Audite; ecce exiit ſeminans ad ſeminandũ, & dum ſeminat, aliud cecidit circa viam, & venerunt volucres cæli, & comederunt illud. Aliud verò cecidit ſuper petroſa, vbi non habuit terram multam, & ſtatim exortum eſt quoniam non habebat altitudinem terræ; & quando exortus eſt ſol exæſtuauit, & eò quòd non habebat radicem, exaruit. Et aliud cecidit in ſpinas, & aſcenderunt ſpinæ, & ſuffocauerunt illud; & fructum non dedit. Et aliud cecidit in terram bonam, & dabat fructum aſcendentem, & creſcentem, & afferebat vnum triginta, vnum ſexa-

ginta,& vnum centũ.Et dicebat:Qui habet aures audiendi audiat.Et cùm eſſet ſingularis, interrogauerunt eum hi,qui cum eo erant duodecim, parabolam. Et dicebat eis:Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei; illis autem,qui foris ſunt,in parabolis omnia fiunt.vt vidẽtes videant,& non videant,& audientes audiant, & non intelligant,ne quando conuertantur,& dimittantur eis peccata.Et ait illis : Neſcitis parabolã hanc ? & quomodo omnes parabolas cognoſcetis?Qui ſeminat ; verbũ ſeminat.Hi autẽ ſunt,qui circa viam,vbi ſeminatur verbũ,& cùm audierint,cõfeſtim venit Satanas,& aufert verbum,quod ſeminatũ eſt in cordibus corũ.Et hi ſunt ſimiliter,qui ſuper petroſa ſeminantur,qui cùm audierint verbum, ſtatim cum gaudio accipiunt illud,& non habent radicem in ſe,ſed temporales ſunt:deinde orta tribulatione,& perſequutione propter verbum confeſtim ſcandalizantur. Et alij ſunt, qui in ſpinis ſeminantur,hi ſunt qui verbum audiunt,& ærumnæ ſæculi, & deceptio diuitiarũ, & circa reliqua concupiſcentiæ,introeuntes ſuffocant verbum,& ſine fructu efficitur. Et hi ſunt, qui ſuper terram bonam ſeminati ſunt, qui audiunt verbum,& ſuſcipiunt,& fructificant,vnum triginta,vnum ſexaginta,& vnum centum.Et dicebat illis:Numquid venit lucerna,vt ſub modio ponatur, aut ſub lecto? nónne,vt ſuper candelabrum ponatur? Non eſt enim aliquid abſconditum, quod non manifeſtetur,nec factum eſt occultum,ſed vt in palam veniat.Si quis habet aures audiendi,audiat. Et dicebat illis; Videte quid audiatis : in qua menſura menſi fueritis remetietur vobis, & adiicietur vobis. Qui enim habet dabitur illi, & qui non habet,etiam quod habet auferetur ab eo.

LVCAS CAP. VIII.

ET factum eſt deinceps,& ipſe iter faciebat per ciuitates,& caſtella,prædicans, & euangelizans regnum Dei. Et duodecim cum illo, & mulieres aliquæ,quæ erant curatæ à ſpiritibus malignis,& infirmitatibus,Maria,quæ vocatur Magdalene, de qua ſeptem dæmonia exierant,& Ioanna vxor Chuſæ procuratoris Herodis, & Suſanna, & aliæ multæ,quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis.Cùm autem turba plurima conuenirent, & de ciuitatibus properarent ad eum,dixit per ſimilitudinem .Exiit,qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum.Et dum ſeminat,,aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt: & volucres cæli comederunt illud.Et aliud cecidit ſupra petram, & natum aruit,quia non habebat humorem.Et aliud cecidit inter ſpinas,& ſimul exortæ ſpinæ ſuffocauerunt illud.Et aliud cecidit in terram bonam,& ortum fecit fructum centuplum.Hæc dicens clamabat:Qui habet aures audiendi,audiat.Interrogabant autem eum diſcipuli eius,quæ eſſet hæc parabola.Quibus ipſe dixit:Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei : cæteris autem in parabolis.Vt videntes non videant & audientes non intelligant.Eſt autem hæc parabola.Semen eſt verbum Dei. Qui autem ſecus viam,hi ſunt qui audiunt,deinde venit diabolus,& tollit verbum de corde eorum, ne credentes ſalui fiant.Nam qui ſupra petram,qui cùm audierint,cum gaudio ſuſcipiunt verbum, & hi radices non habent,qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.Quod autem in ſpinas cecidit:hi ſunt qui audierunt, & à ſollicitudinibus & diuitiis, & voluptatibus vitæ,euntes ſuffocantur, & non referunt fructum.Quod autem in bonam terram : hi ſunt,qui in corde bono,& optimo audientes verbum retinent,& fructum afferunt in patientia. Nemo autem lucernam accendens,operit eam vaſe,aut ſubtus lectum ponit:ſed ſupra candelabrum ponit, vt intrantes videant lumen.Non eſt enim occultum, quod non manifeſtetur : nec abſconditum,quod non cognoſcatur,& in palàm veniat.Videte ergo quomodo audiatis. Qui enim habet dabitur illi,& quicumque non habet, etiam quod putat ſe habere,auferetur ab illo.

Ordo gestorum.

Hæc quæ explicauimus superiori capite, Matthæus, & Marcus, parabolas quasdam subiungunt. Itaque hoc loco explanandæ sunt. Parabola autem græcum nomen est, à verbo, παραβάλλω, deductum, quod significat comparare. Est autem parabola comparatio, siue similitudo, vt nunc de illa agimus. Hebraicè dicitur, משל Maschal. Parabolæ siue similitudines ad explicandas res spiritales sunt accommodatæ. Cùm enim sub sensum non cadant; per parabolas, & similitudines sensibus velut subiiciuntur, & memoriæ tenacius infiguntur. Hinc illud Dionysij Areopagitæ libro de cælesti hierarchia capite 1. Impossibile est aliter lucere nobis diuinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum, anagogicè circumuelatum, &c. Sacræ parabolæ sacra quædam sunt velamina, quæ velant non explicata; explicata verò, diuinas, ac spiritales res nobis aperiunt. D. Chrysostomus in Matth. hom. 45. In parabolis, inquit, Christus loquitur, vt tenacius memoriæ, quæ dicuntur, commendari possint. Et expressior propter similitudines sermo res ipsas ante oculos apponat, &c. Clemens Alexandrinus, lib. 5. stromatum, cap. 4. Omnia, inquit, quæ ostenduntur per aliquod velamentum, maiorem & præclariorem ostendunt veritatem. Sicut res, quæ in aqua pellucent, &c. D. Cyrillus in Ioannem, cap. 62. Figuræ intellectualium hæc corporalia sunt. Quæ cùm sentiantur, clariora plerumque faciunt ea, quæ aliter vix possumus intelligere, &c.

Parabolæ ac commodatæ sunt ad explicandas res spiritales.

Chrysost.

Prætereà gratæ sunt audientibus, rerum, de quibus loquimur, cum aliis similibus collationes, vt Augustinus docet lib. 2. de Doctrina Christiana, cap. 6. Iucundius enim auditur id, quod per comparationes effertur, quàm si simpliciter absque similitudine proferatur. Nemo ambigit (ait Augustinus) & per similitudines libentius quęque cognosci; & cum aliqua difficultate quæsita multò gratius inueniri, &c. & epist. 119. ad Ianuarium: Plus, inquit, mouent figuratè dicta, & accendunt amorem, quàm si nuda, & sine vllis sacramentorum similitudinibus ponerentur. Cuius rei causam difficilè est dicere. Sed tamen ita se habet, vt aliquid per allegoricam significationem intimatum, plus moueat, plus delectet, plus honoretur quàm si verbis propriis diceretur apertissimè, &c. Item eadem epistola; Si feratur animæ motus ad similitudines corporales, & inde feratur ad spiritalia, quæ illis figurantur; ipso quasi transitu vegetatur, & tamquam in facula ignis agitatus accenditur, &c. D. Chrysostomus hom. 33. in Ioannem, Quid, ait, sibi hæ volunt translationes, quibus non hîc tantùm, sed per totum vtitur Euangelium Christus? Itidem & Prophetæ iis plurimùm vti solent. Quanam hoc gratia? Neque enim temerè Spiritus sanctus ita instituit; duabus rationibus. Primùm, vt significantius loqueretur & magis ante oculos poneret. Mens enim familiarium rerum imagine concepta, magis suscitatur, & tamquam in pictura rem ipsam magis amplectitur. Deinde, vt iucundior esset narratio, & diutius animo immoraretur. Non enim tàm facilè sententia capitur, neque ita trahit auditorum multitudinem; vt rerum narratio, & per ea maximè, quorum periculum fecimus, descriptio. Similitudo quoque multam præ se fert sapientiam, &c.

Parabolæ sunt auditoribus iucundæ.

Augusti.

Chrysost.

Cur Christus parabolis vtatur.

Ad hæc; vtitur Christus parabolis ex more Syriæ, in qua Iudæa erat. Nam (ait Hieronymus Matthæi 18.) familiare est Syris, & maximè Palæstinis ad omnem sermonem suum parabolas iungere, vt quod per simplex præceptum teneri ab auditoribus non potest, per similitudinem, exemplaque teneatur, &c. Lege Chrysologũ ser. 96. Hoc etiam sapientibus antiquis fuisse in vsu, docet Clemens Alexandrinus lib. 5. stromatum: Qui de rebus, inquit, diuinis tractarunt, tàm Barbari, quàm Græci, rerum quidem principia occultarunt; veritatem autem ænigmatibus, signisque, ac symbolis, & allegoriis, rursus & metaphoris, & quibusdam talibus tropis, modisque tradiderunt, &c. Seneca libro 8. epist. 60. Antiqui illi, qui simpliciter, & demonstrandæ rei causa eloquebantur, parabolis referti sunt. Quas existimo necessarias, vt imbellicitatis nostræ adminicula sint, & vt discentem, & audientem in rem præsentem adducant, &c. Denique Aristotele teste in libro 1. Physic. capite 1. innata nobis via est, vt à notioribus ad minus nota nobis progrediamur. Quæ sub sensum cadunt, ea notiora sunt nobis. Ab iis ergo, cùm parabolæ sumantur, hanc viam tenent. Huc illud spectat D. Gregorij hom. 11. in Euang. Cælorum, ait, regnum, idcirco terrenis rebus simile dicitur, vt ex iis, quæ animus nouit, surgat ad incognita, quæ non nouit. Quatenus exemplo visibilium, se ad inuisibilia rapiat, & per ea, quæ vsu didicit, quasi confricatus incalescat, &c. Cur autem modo parabolis sit vsus Dominus, ipse explicabit inferius.

Gregor.

In illo die exiens de domo. Ait Matthæus eodem die, quo ea facta sunt, quæ explanauimus superiori capite, Christum è domo egressum, mare Galilææ, siue Tiberiadis petiisse. Potest tamẽ dies pro tempore accipi, hoc pacto, *In illo die*, hoc est, in illo tempore; sed simplicius pro eodem die accipitur; obstat verò nihil. Sic Beda accipit, qui Marc. 4. arbitratur eodem die à Christo hunc sermonem habitum, quo in domo fuerat, ad quam fratres venerunt. Factus est ad cælestem concionatorem magnus hominum concursus. Quamobrem in cymbam, quæ propè littus erat, se recepit, indéque docuit, &, vt Euthymius ait, sedens in cymba piscabatur eos, qui erant in terra. Sedit autem in cymba (ait Theophylactus) vt omnes commodius audirent. Præterea ne à turba comprimeretur.

Matth. 13.

Quo tempore sermo habitus.

Exiit qui seminat. Prima parabola, quales sint Verbi Dei auditores ostendit. Exiit, inquit Dominus, domo sua arator, ad faciendam tritici sementem. Dúmque agrum sereret, seminis pars vna propè viam; pars altera in saxa; tertia pars in spinas; quarta in terram bonam incidit. Itaque ex quatuor partibus vna tantum modò, videlicet, quæ in bonam incidit terram, fructum attulit. Non eadem tamẽ in quantitate, sed varium. Quædam terræ portio centesimum, alia sexagesimum, alia triceſimum, hoc est, quædam fructum attulit magnum, alia mediocrem, alia paruum. Reliquæ tres seminis partes periere. Nam semen iuxta viam satum, & volucres diri puerunt, & viatores conculcauerunt. Illud quod in saxosam incidit tellurem, ortum quidem est, sed deficiente humore aruit. Quod verò inter spinas est productum, ab iisdem est suffocatum.

Matth. 13. & Luc. 8.

Quales sint Verbi Dei auditores.

Qui habet aures audiendi, audiat. Cum parabolam Dominus proposuisset, vt Lucas ait, in hæc verba clamauit, *Qui habet aures audiendi*, Græcè, ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, id est, *aures audire*, vel *aures ad audiendum, audiat*. Attentionem his verbis captauit, & ad inuestigationem obscuræ parabolæ excitauit, quasi dicat, Qui habet aures, attentè audiat parabolam, percipiat, scrutetur. D. Hieronymus. Prouocamur, inquit ad dictorum intelligentiam, quoties his

Matth. 13. Mar. 4. Luc. 8.

Quæ sint aures audiendi. Luc. 8.

Syrorum mos parabolis vti. Hieron.

Aures audiendi quæ sunt.

sermonibus commonemur,&c. Euthymius Matth. 11. asserit Christum de auribus loqui intelligibilibus: Aures inquit, dicit intelligibiles, omnes siquidem auditores habebant sensibiles. Dicit autē: Qui habet intelligibiles ad intelligendū, intelligat, quod dictū est,&c. Multi (ait Theohp.) aures habent, sed non ad audiendum,&c. ij videlicet, qui attentionem diuino Verbo minimè præstant, quique perinde verbum audiunt, ac si non audirent. Audire namque Verbum, est attentè, vtiliter, obedientérque audire. Beda Marci 4. Aures, inquit, audiendi, aures sunt cordis,& sensus interiores, aures obediendi,& faciendi, quæ iussa sunt,&c.

Matth. 13. ACCEDENTES *discipuli.* Quærendum est (ait Hieronymus) quomodo accedāt ad eum discipuli, cùm Iesus in naui sedeat? Respondet: Nisi fortè intelligi datur, quòd dudum cum ipso Nauem conscenderint,& ibi stantes super interpretatione parabolæ scisciti sunt,&c. Existimat ergo Hieronymus discipulos in cymbam cum Præceptore conscendisse, ibique de parabolæ explicatione interrogasse. Sed dicendum, post concionem interrogasse discipulos cùm Christus solus esset absque turba. Quod docet Marcus *Cum esset*, inquit, *singularis* id est solus Christus, *interrogauerunt eum duodecim parabolam*,&c. Vnde Beda Lucæ 8. Nemo, inquit putet finita mox parabola, discipulos hęc interrogasse, sed, vt Marcus ait, cùm esset singularis,&c.

Discipuli an rogauerunt Christum in naicula. Marci. 4.

Matth. 13. Mar. 4. & Luc. 8. VOBIS *datum est nosse mysterium regni Dei.* Interrogarunt discipuli Dominum postquam parabolam proposuerat, cur per parabolas Iudæis loqueretur, vt Matthæus scribit. Lucas verò ait interrogasse prætereà quid parabola prædicta significaret. Vtrique quæstioni respondit. Primæ quidem hunc in modum. *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis*,&c. Sed cùm Apostoli parabolam non intellexerint, quēadmodum turba, cur ait: *Vobis datum est nosse mysterium*, id est, arcana, *regni Dei, cæteris in parabolis?* Respōdetur, sensum esse huiusmodi: Vobis gratis à Patre sine parabolis data est cognitio absconditi regni Messiæ, & fides. Cognoscebant enim Apostoli Dei & Messiæ regnum, fidémque habebant. At cæteris incredulis, cognitio hæc per parabolas exhibetur. Vel; loquor eis in parabolis: & vobis apertè loquor. quia vobis datū est nosse mysteria regni Dei. Illis nō est datū.

Quomodo Apostolis data est cognitio mysterij regni Dei.

Marci 4. Foris ij sunt, qui extra fidem veri Messiæ sunt.

Apud Marcum, sic loquitur Dominus; *illis autem, qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt.* Foris eos esse ait, qui extra fidem erant in verum Messiam incredulos, vt Euthymius interpretatur. Vel; qui foris sunt, id est, qui non sunt mei discipuli, qui foris extra meam disciplinam sunt. In parabolis verò fiebant illis omnia; omnia, inquam, quæ ad doctrinam pertinebant. Beda ait, non solùm verba, sed etiam facta Christi parabolas fuisse. Erit ergo sensus: Incredulis in parabolis omnia fiunt. Tam facta mea, quæ parabolica sunt, quàm dicta non intelligunt. Non solùm ea, quæ loquebatur Dominus (ait Beda) verùm etiam quæ faciebat, parabolæ fuerunt, id est, rerum mysticarum signa: cùm dicuntur illi quibus in parabolis omnia fiebant, neque quę videbant, neque quæ audiebant ad intellectum potuisse perducere,&c.

Beda.

Matth. 13. QVI *enim habet dabitur ei.* Ianseno, Maldonato, & Salmeroni videtur hoc fuisse prouerbium, sed coniectura ducuntur tenui. Reddit rationem Dominus, cur discipulis arcana regni sui sine parabolis aperiat; incredulis verò per parabolas eadem contegat. Qui enim, inquit, habet, scilicet fidem, dabitur ei, mysteriorum regni Dei, id est, regni Messiæ cognitio, quemadmodum vobis datur.

Cur cum parabolis turbas docebat.

A Sine fide enim ea percipi non possunt. Ei verò, qui non habet fidem, quique incredulus est, & verbis meis repugnat, vt Pharisæi, non solùm non dabitur arcanorum regni Messiæ cognitio; verùm, si quid boni habet, illo spoliabitur. Hoc Iudæis incredulis euenit. Quia enim fidem in verum Messiam habere noluerunt, regni Messiæ cognitionem minimè habuerunt, Regnóque, Pontificatu, Templo, Patria, Deique cognitione spoliati sunt. D. Hieronymus. Non inæqualitate, inquit, iudicij, habentibus additur, & non habentibus, id quod habere videntur, aufertur: sed quòd Apostolis in Christo habentibus fidem, etiam si quid minus virtutum habeant, conceditur: Iudęis autem, qui non crediderunt in Filium Dei, etiam si quid per naturæ bonum possident, tollitur,&c. Euthymius quoque sic interpretatur: Qui fidem habet, dabitur ei secretorum cognitio: idque abunde. Qui verò fidem non habet, auferetur ab eo etiam id, quod habet à Deo donum,&c. Diuus Hilarius in Matth. similiter de fide intelligit: Regni, inquit mysteria fides percepit. Hæc in quibus fuerit proficiet, & incrementis profectus sui abundabit. In quibus verò non fuerit, etiam quod habent, auferetur ab eis. Donum scilicet, legis, ex fidei inopia declarat. Quam fidem Iudæi non habentes, legem quoque, quam habuerant, perdiderunt,&c.

Hieron.

Euthym.

Hilar. Iudæis quia non crediderunt in Messiam omnia ablata sunt.

C Theophylactus de studio, & diligentia ad quærendam cognitionem exponit hoc pacto: Vobis inquit, datum est scire mysteria, quia habetis alacritatem, & studium. Illis autem non adhibentibus studium, non est datum. Ille enim accipit, qui quærit. Vide autem quomodo parabolam dixit Iesus; & discipuli soli, quæ interrogauerant, acceperunt. Vnde benè diximus, adhibenti studium datum esse scientia abundantiorem fieri; quia adhibet studium, & mentem dignam. Ab eo autem, qui non habet studium, nec mentē, vt par est adhibet, etiam tolli, quod habere videtur; hoc est etiam si paruam quandam boni scintillam habeat; & eam non excitet, & accendat per spiritum, & spiritalia opera; extingui. sic ille. Est hæc sententia vera in schola tùm literarum, tùm virtutis. Nam qui habet studium, ac diligentiam in virtute, literisque comparandis, dabitur ei virtus & scientia. Qui verò studium diligentiámque non adhibet, quin potius ignauus segnisque est, id amittit virtutis, & scientiæ per segnitiem ac teporem, quod habere videbatur. Sæpe ingeniosus doctor (ait Beda Matthæi 13.) se priuat sapientia negligendo; quam simplex, & studiosus laborando degustat,&c. Chrysostomus homilia 46. in Matthæum: Tale est quod dicitur: Cùm enim quispiam desiderat, & magno studio ac cura virtutem inquirit, tunc ei ex Deo cuncta præstabuntur. Cùm autem nullo studio atque voluntate, ad recte faciendum promus est, tunc ei diuinum auxilium non conceditur, & quod etiam habet auferetur ab eo. Non aufert certè Deus, sed non præbet indignis fauorem, & patrocinium suum,&c. In eamdem sententiam interpretatur Remigius. Legę D. Thomam in Matth. & Bedam.

Theoph.

Studio & diligentia virtutes comparantur & literæ ampliores.

Chrysost.

Diuus Augustinus lib. 1. de doctrina Christiana, capite 1. hæc verba doctoribus accommodat, & concionatoribus. Nam doctori, qui doctrinam habet, impenditque populo, à Deo doctrina datur. Non est metuendum (ait Augustinus) ne Deus dare desinat cetera, cùm ea, quæ data sunt, cœperimus impendere. Omnis enim res, quæ dando non deficit, dum habetur, & non datur, nondum habetur, quomodo habenda est. Ille autem ait:

Doctori, qui doctrinā habet, & populo dat, datur à Deo doctrina. Aug.

Qui

Qui habet, dabitur ei. Dabit ergo habentibus; id est, cum benignitate vtentibus eo, quod acceperunt, adimplebit, atque cumulabit, quod dedit. Quinque panes erant, antequam inciperent dari esurientibus; quod vbi fieri cœpit, cophinos, & sportas, satiatis tot hominum millibus, impleuerunt. Sic Augustinus.

Matth. 13. VIDENTES *non vident.* Auditorum segnitiem, & incredulitatem his verbis ostendit Dominus; propter quam per parabolas loquitur. *Ideo*, inquit, *in parabolis loquor eis*, obscurè, *quia videntes non vident, & audientes non audiunt*, &c. hoc est, quia increduli sunt. Videntes enim Messiam suum oculis; animo illum non vident, quia non credunt. Audientes Messiam auribus; non audiunt mente, quia sermoni auribus percepto non obediunt, neque intelligunt, quis ille sit, quid ue dicat. Adimpletur autem in eis illud Isaię vaticinium iuxta versionem Sept. Interpr. *Auditu audietis*, Messiã; *& non intelligetis. Et videntes* illum oculis corporis, *videbitis; & non videbitis* oculis animi, ac fidei. *Incrassatum est enim cor populi*, Iudaici, non est subtile, & spiritale, sed crassum, ac carnale cor: crassas ac carnales de Messia cogitationes, crassa carnaliaq; desideria habent Iudęi. Crassum enim cor tenues cogitationes non gignit. Cor crassum Messiam crassum, opulentum, Regem, bellatorem, temporali regno clarum cogitat. *Auribus grauiter audierunt*; hoc est aures habent humore malo prægrauatas, oppletas, atque occlusas. Denique animi oculos habent clausos, lucéque priuatos, ne videant clausis oculis, ne prægrauatis auribus audiant, ne corde, atque intellectu Messiæ aduentum intelligant, intelligentésque conuertantur, æternámque salutem comparent. Effectus enim crassi cordis, grauium aurium, cæcorum oculorum est à Messia auersio, æternamque afferens mortem incredulitatis morbus.

Ibid. Iudæorum incredulitatis causa est cur Iudais Christus in parabolis loquatur.

Isaiæ 6.

Luce 8.

Diuus Lucas scribit sic dixisse Christum: *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligãt*, &c.

Marci 4.

D. Marcus sic: *Illis qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt, vt videntes videant, & non videant, & audientes audiant, & non intelligant. Ne quando conuertãtur, & dimittãtur eis peccata*, &c. Videntur hæc verba aduersari iis, quæ, à Matthæo conscripta sunt. Nam Matthæi verba significant Iudæos iam tunc fuisse non videntes, & non audientes, cùm Christus loquebatur. Sic enim ait Dominus: *Ideo loquor in parabolis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt*, &c. Iam ergo non videbant, neque audiebant. Non ergo propterea loquebatur in parabolis, vt videntes non viderent, quod est apud Lucam, & Marcum. Siquidem iam antè non videbant, neque intelligebant. Respondetur, iam ante quam Christus loquereturfuisse Iudæos non videntes, & non audientes, vt apud Matthæum ostenditur. Apud Lucam verò & Marcum, ait Christus se in parabolis loqui, vt videntes non videant, & audientes non audiant; hoc est, vt in sua cæcitate permaneant, & in eo, quod iam habebant, malè perseuerent. In pœnam enim peccatorum permisit Iudæorum cæcitatem, illámque tollere noluit. Vtrumque autem dixit Dominus, tam id, quod Matthæus, quàm quod Lucas, & Marcus scripserunt. Lege quæ diximus ad illa verba Ioan. 12. *excœcauit oculos eorum*, &c. tomo 3.

Matth. 13. Concordia inter Mat. & Lucam, & Marcũ.

Iudæi cæcitatem quã prius habebant ex Christi dictis non amiserunt.

Matth. 13. VESTRI *autem beati oculi.* Iudæorum non credentium oculi clausi erant, Apostolorũ verò oculi ad cernendum Messiam aperti; illorum aures ad audiendum graues atque obtusæ, horum aures leues, & patentes; illorum cor incrassatum, horum cor & intellectus pingui carens crassitudine. Ideò Dominus beatos discipulorum vocat oculos, beatas aures; si quidem tam mentis, quàm corporis oculis verum cernebant Messiam, & auribus audiebant, quem prophetæ, iustique multi cernere magnopere concupierant, neque tamen id quod concupierant, fuerant adepti. Magnum itaque in Apostolos collatum beneficium Dominus significat, dum id eos ait assecutos, quod prophetę, iustique, qui præcesserant, assequi desiderauerant. Iudæorum verò non credentium, & oculos & aures infelices esse innuit, qui Messiam videntes, non videbant, & audientes, non audiebant.

Oculi Discipulorum cur beati dicantur.

Luce 8. EST *autem hæc parabola.* Respondet Dominus secundæ quæstioni à discipulis propositæ. Rogarunt illi, quid parabola significaret; parabolam interpretatur. Semen, ait, est verbum Dei. Tunc autem semen iuxta viam cadit, cùm ab auditoribus non intelligitur, vt est apud Matthæum. Diripitur verò à volucribus cæli, hoc est, à tartareis hostibus, qui hoc in aëre instar volucrũ volitant. Apud Matthæum sic habetur: *Omnis, qui audit verbum regni, & non intelligit, venit malus*, id est, Diabolus, *& rapit quod seminatum est in corde eius. hic est, qui secus viã seminatus est.* Rogabis, quor sum diabolus verbum rapit, quod auditor non intelligit? Si enim non intelligit, fructum nullum potest reportare. Respondetur, idcircò rapere, ne postea intelligat, & ex illius intellectione, ac meditatione fructum capiat. Vel quia non intelligit, idcirco rapit, quia facilè obliuiscitur. Aliter: Is auditor verbum non intelligere dicitur, qui intelligit quidē quæ dicuntur, sed non benè animaduertit, non meditatur, &, vt Caietanus ait, non penetrat. Aliter: Non intelligit sermonem, quia parabolicus est, vel alia de causa. Ex sententia Euthymij is dicitur non intelligere, qui profundo corde verbum non recipit. *Hic* (ait Dominus) *iuxta viam seminatus est.* Dicitur, vt obseruat Euthymius, seminari semen, videlicet cùm in terra spargitur: & dicitur seminari ager, siue terra, cùm semen suscipit. hoc loco dicitur homo seminatus, non vt semen, sed vt ager, qui semen recipit iuxta viam. Quemadmodum enim ager iuxta viam seminatus, à volucribus, sic homo qui Dei verbum non intelligit, à satana semine spoliatur.

Parabolæ expositio.

Matth. 13.

Cur Diabolus verbum ab eo rapiat, qui non intelligit.

Quid sit nõ intelligere verbum.

Matth. 13.

QVI *autem super petrosa.* Terræ saxosæ similes ait auditores, qui cum gaudio diuinum audiunt verbum, sed radices profundas iacere non sinunt. Nam in terram saxosam sparsum semen profundis radicibus caret. Itaque temporales dicuntur huiusmodi auditores apud Matthæum, & Marcum; quoniam in profunda virtute, & verbi obseruatione non sunt constantes atque perpetui, sed cum tempore, si persecutio exoriatur, mutantur, & vt est apud Lucam, ad tempus credunt.

Ibid.

Auditores terræ saxosæ similes sint.

QVI *autem seminatus est in spinis.* Seminatus in spinis, vel cum spinis, auditor dicitur, instar agri cum spinis seminati. Spinæ verò, quæ verbi semen suffocant, dicuntur apud Matthæũ sollicitudo sæcularium rerum, fallaciaque diuitiarum. Apud Marcum, ærumnæ, & calamitates seculi; diuitiarum deceptio, & reliquarum rerum, scilicet voluptatum, & honorum concupiscentia. Apud Lucam, sollicitudines, diuitiæ, & voluptates. *A sollicitudinibus*, ait, *& diuitiis & voluptatibus vitæ, euntes suffocantur.* Illud, *euntes*, Græce πορευόμενοι, significat in vita progredientes, vitæ tenentes cursum in diuitiis, & huiusmodi curis, ac concupiscentiis.

Matth. 13.

In spinis qui dicantur seminati.

Luce 8.

QVI *verò in terram bonam seminatus est.* Is auditor dicitur seminatus in terram bonam, qui, vt terra bona, & fœcunda, semine verbi seminatur. hic autem iuxta Matthæum ille est auditor, qui audit verbum, & intelligit, ac penetrat, & meditatur, fructumque affert. Secundum Lucam ille est,

Matth. 13.

qui in corde bono, & optimo, Græcè, ἐν καρδίᾳ καλῇ, καὶ ἀγαθῇ. i. *in corde pulchro & bono:* vel *bono & bono:* si ue *optimo, audiens verbum retinet, & fructum affert in patientia*. Est enim opus patientia, ne temporalis sit, & ad tempus solùm credat, in tempore autem persecutionis recedat. Distinguitur hic auditor bonus ab aliis tribus auditorum generibus. Nam à primi generis auditoribus distinguitur; quia verqum retinet, & intelligit ac expendit: illi verò verbum nõ intelligunt. Ab auditoribus secundi generis; quia hic verbum recipit in corde bono & optimo, spinis & sollicitudinibus vacuo: illi spinis suffocant. A reliquis tertij generis, quia hic fructum affert in patientia perseuerans: illi autem minimè perseuerant, sed temporales sunt, exortáque tentatione deficiunt. Patientia græcè hoc loco dicitur, ὑπομονὴ id est, permanentia, perseuerantia, & expectatio cum tolerantia, qualis agricolarum est, qui vt fructum ex segete consequantur, magnum subeunt laborem, sed spe fructus sustinẽt. Iuxta illud Pauli. *Debet in spe, qui arat arare, & qui triturat, in spe fructus percipiendi, &c.*

Luc. 8. *Auditor bonus à cæteris quomodo distinguatur.* *1. Cor. 9.*

Matth. 13. ALIVD *quidem centesimum.* Neque æquali mensura ferunt frugiferi agri frumentum, neque æquali mensura ferunt frugiferi auditores verbi fructum. Nam quemadmodum ex agris quidam pro mensura vna, mensuras centum, alij sexaginta, alij triginta reddunt. Ita verbi auditores, nonnulli centesimum, alij sexagesimum, alij trigesimum fructum producunt. Indicat Dominus meritorum in Ecclesia inæqualitatem. Nonnulli enim vberrimum virtutis fructum, recepto fidei verbo; pariunt, quem significat fructus centesimus; aliqui mediocrem, quem adumbrat sexagesimus, alij minorem, quem innuit trigesimus. Non est omnium vbertas par. Ita Euthymius interpretatur. Per centuplum, inquit, significat Dominus perfectam virtutis fructificationẽ; per sexagecuplum mediam: per trigecuplum minorem, &c. D. Augustinus lib. 1. quæst. Euangel. cap. 9. centesimum fructum ait esse martyrum, sexagesimum Virginum, trigesimum coniugatorum. Hieronymus lib. 1. aduersus Iouinianum, cẽtuplum virginibus assignat, sexagesimum viduis, trigesimum coniugatis. Theophylactus centesimũ anachoretis tribuit, sexagesimum cœnobitis, trigesimum coniugatis, & laicis. Dubitatur, quid nomine fructus intelligi debeat, operúmne & virtutis fructus, an gloriæ, & beatitudinis æternæ præmium? vtrumque intelligo, sed potius opera & virtutes. fructus enim tùm bona opera dicuntur, tùm æterna vita.

Quis sit fructus cẽtesimus, sexagesimus, trigesimus. *Meritorum in Ecclesia inæqualitas* *Euthym.* *Aug.* *Hieron.* *Theoph.*

Marci 4. NVNQVID *venit lucerna, vt sub modio ponatur?* Parabolam discipulis aperuit, nunc vt idem illi faciant, hortatur, doceantque populos, quæ didicerunt. loquitur autem parabolicè, *Numquid venit*, id est, infertur in domum lucerna, *vt sub modio, aut sub lecto ponatur*. luxque illius occultetur? Minimè, Sed vt in candelabro collocetur. Quemadmodum lucernæ lucem nemo occultat; sic vos verbi quod à me discitis, & parabolarum lucem ne occultetis, sed aperite omnibus. Nam vobis datum est nosse regni Dei mysteria, hoc est arcana; nõ vt in pectore illa recondatis, sed vt populis manifestetis.

Marci. 4. Doctrina Christi populis manifestanda. NON *est enim aliquid absconditum, quod non manifestetur.* De occultis loquitur parabolis apud Marcum, & Lucam, in hanc sententiam. Manifestate populis, quæ auditis, non est enim aliquid absconditum parabolarum inuolucris, quod non sit manifestandum populis à vobis meis discipulis, aliisque doctoribus diuini verbi. *Neque factum est occultum*: Græcè, ἐγένετο, hoc est, non est factum, vt quidquam esset occultũ sub parabolis; ita vt semper sit occultum, sed vt posteà hominibus patefiat. Hinc illud, *Nihil est opertum, quod non reuelabitur, & occultum, quod non scietur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis: prædicate super tecta*, &c. Et, *Ideò omnis Scriba doctus in regno cælorum, similis est homini patri familias, qui profert de thesauro suo noua & vetera*, &c. Quoniã verò parabolice etiam hæc dixerat, addit: *Si quis habet aures audiendi, audiat.* Adiicit: *Videte quid audiatis*: vel, vt est apud Lucam; *videte quomodo audiatis*; quod idem est. hoc est: Attendite quæ vobis mysteria aperio, vt ea auditoribus Euangelij ampla mensura patefaciatis.

Matth. 10. *Matth. 13.* *Ibid.* *Marci 4.* *Luc. 8.*

IN *qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Hoc est, In qua mensura doctrinam populis impenderitis, & laborem: in eadem reddetur vobis laboris vestri, & traditæ doctrinæ præmium. *Qui enim habet* laboris in docendo meritum, & talenti multiplicationem; *dabitur ei*, præmium. Qui verò meritum non habet, neque habebit gloriæ præmium, quin potiùs damnabitur, & iis quæ habet spoliabitur. vide parabolam talentorum. Aliter: Videte quid, & quomodo. i. qua attentione & diligentia, ac cupiditate audiatis. In qua enim mensura attentionem, diligentiam, & cupiditatem mensi fueritis, remetietur vobis, ac retribuetur rerũ intelligentia. Qui enim habet audiendo attentionem, & diligentiam, dabitur ei intelligentia, rerúmque cognitio: qui verò segnis est, nec attentionem, & diligentiam habet: etiam quam habet cognitionẽ segniter amittit, quas audit & habet parabolas, obliuiscetur, & per obliuionem auferentur ab eo. Beda: Qui, inquit, amorem habet verbi, dabitur illi etiã sensus intelligendi, quod amat, &c. Euthymius: Qua mensura metimini attẽtionem, in eadem metietur vobis in cognitione. hoc est, quantùm intuleritis attentionis, tantùm conferetur vobis cognitionis. Quicumq; enim habuerit attentionem, dabitur ei cognitio: & qui non habet, semen cognitionis auferetur ab eo. Quemadmodum enim studium auget tale semen, ita segnities corrumpit. Sic Euthymius.

Marci 4. *Ibid.* *Beda.* *Euthym.*

CAPVT II.

Morale.

De parabola seminantis.

EXIIT *qui seminat.* Cœlestis seminis sator Christus à patre exiit, & vt veritatis sementem faceret, ad nos venit. Exiit seminans ad seminandũ (ait Beda) quia Dominus è sinu Patris egrediens venit in mundum, & verbum veritatis seminauit, &c. Satanas sementem fecit mendacij: Christus sementem fecit veritatis. *Exiit* Dominus *seminare semen suum*, id est, veritatem. Dei enim semen veritas est. Exiit Satanas seminare semen suum, id est, mendaciũ. semen enim Satanæ mendacium est. *Mendax est, & pater eius*: id est, pater, genitor, & seminator mendacij. *Ego* (ait Dominus) *in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati, &c. Voluntarie genuit nos verbo veritatis*, id est, semine veritatis.

Mat. 13. & Luc. 8. *Christus in mundum venit vt seminaret veritatem.* *Luc. 8.* *Ioan. 8.* *Ioan. 18.* *Iacobi 1.*

Hinc discat concionator, vnde ad concionandum exire debeat: nimirum à Deo, à sinu Patris, à vulneribus Filij, ab ardore Spiritus Sancti. Exeat, qui seminat concionator ab oratione, exeat à meditatione, & rerũ diuinarum cõtemplatione. Concionator maximus Paulus 2. Cor. 12. raptus est ad tertium cælum, & audiuit arcana Dei. E tertio exiit cælo. Apostoli reliqui exierũt è Christi sinu, & à Spiritus

Vnde exire debeat concionator ad concionãdũ.

Spiritus ſancti ardoribus. Nam antequam concionari inciperent, igneis Spiritus ſancti linguis ſunt inflammati. In ſinu Chriſti, in cæleſtium rerum contemplatione & oratione, cophinus ſemen accipit: ſemen verò ad fructum ferendum vim adipiſcitur. Ideo Auguſtinus lib. 4. de doctrina Chriſt. cap. 15. Agit (inquit) concionator, vt intelligenter, libenter, & obedienter, audiatur. Et hæc ſe poſſe, ſi potuerit, & in quantùm potuerit, pietate magis orationum, quàm oratorum facultate, non dubitet. Vt orando pro ſe & pro illis, quos eſt allocuturus, ſit orator, antequam dictor. Ipſa hora, iam vt dicat accedens, priuſquam exerat proferentẽ linguam, ad Deum leuet animã ſitientem. Vt eructet, quod biberit, vel quod impleuerit, fundat, &c.

Aug. Concionator agere debet, et intelligẽter, libenter & obediẽter audiatur.

Pro maxima cauſa, populi ſcilicet ſui ſalute, Eſther Regem Aſſuerum allocutura; orat, ſermonémque à Deo poſtulat. *Tribue*, inquit, *ſermonem compoſitum in ore meo, & transfer cor illius*, &c. Sic concionator populum pro maiori cauſa, animi videlicet ſalute, allocuturus, oret; ſermonemque à Deo ardentem, & corda auditorum à vitiis ad virtutes transferentem petat. Auguſtinus lib. indicato cap. 30. Si Regina (ait) Eſther orauit pro ſuę gentis temporaria ſalute locutura apud Regem, vt in os eius Deus congruum ſermonem daret: quantò magis orare debet, vt tale munus accipiat, qui pro æterna hominum ſalute, in verbo & doctrina laborat? &c. Hinc illud Pauli: *Orantes ſimul, & pro nobis, vt Deus aperiat nobis oſtium ſermonis ad loquendum myſterium Chriſti, vt manifeſtem illud, ita vt oportet me loqui*, &c.

Eſther 14.

Coloſſ. 4.

Dicitur autem concionator ſeminare, quoniam quemadmodum ſeminatoris eſt ſpargere ſemen, & pro fructu orare; Dei autem incrementum, fructumque præbere. Sic concionatoris eſt, Dei verbum populo tradere, & pro illo preces fundere, Dei autem eſt, ad fructum verbũ producere. Nam, vt ait Auguſtinus eodem lib. 4. de Doctrina Chriſt. cap. 16. Adiumenta doctrinæ tunc proſunt animæ adhibita per hominẽ, cùm Deus operatur, vt proſint, &c. Et in Pſalm. 126. Nos (inquit) loquimur foris. Deus ædificat intus, laboramus & nos, tamquam operarij, ſed niſi Dominus ædificauerit domum, id eſt, Eccleſiam, in vanum laborauerunt ædificantes eam, &c. *Neque qui plantat eſt aliquid* (ait Paulus) *neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. ego plantaui, Apollo rigauit; ſed Deus incrementum dedit*, &c. Plantat, & ſeminat, rigatque concionator, ſed incrementum Deus dat. *Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum.* Tunc terra noſtra fructum dat, cùm Deus dat benignitatem & auxilium, abſque illo ſterilis eſt. *Nemo poteſt corrigere, quem Deus deſpexerit*, &c. D. Gregor. lib. 11. Mor. cap. 5. Plerumque fit, vt cùm audiẽtis cor, exigẽtibus culpis, Dei gratia non repletur, in caſſum exterius à prædicatore moneatur. Quia mutum eſt os omne, quod loquitur, ſi ille interius in corde non clamet, qui aſpirat verba, quæ audiuntur, &c. legimus, *Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent.* Seminet igitur ſeminator noſter, non in vento gloriæ vanæ, qui concionatorum rapit ſemina: ſed in lachrymis, pro iis, qui audiunt profuſis.

Adiumenta doctrinæ tũc proſunt, cũ Deus operatur vt proſint.

1. Cor. 3.

Pſal. 84.

Eccli. 7. Greg.

Pſal. 125.

Adde ſeminatorem ſeminare manu. Sic concionatorem oportet verbi ſemen diſpergere, maximè manu, hoc eſt, opere. Operum copia, egregia eſt fandi copia, vt Auguſtinus ait libro 4. de Doctrina Chriſt. cap. 29. Præbeat, inquit, aliis exemplum, & ſit eius quaſi copia dicendi, forma viuendi, &c. Præcipit Dominus: *Agrum tuum non ſeres diuerſo ſemine.* Is autem agrum diuerſo ſerit ſemine, qui aliud ſemen ore, aliud exemplo ſeminat, ore bonum, manu malum. Seminet manus idem, quod lingua ſeminat. Concionatoris indumentum pretioſum, ait D. Baſilius, duabus ex rebus texendum, ex verbis & operibus, veluti ſtamine & ſubtegmine. Pſal. 44. Puto, ait, ſpiritalem prętexi tunc veſtem, cùm operatio comes attexitur verbo doctrinę. Quemadmodum enim pallium corpori tegendo tunc texitur, cùm ſubtegmen innectitur ſtamini: ſic vbi verbum primas in ordiendo obtinuerit, ſi mox actiones verbo conſentaneæ attexentur; tunc exornandæ animæ decentiſſimus, & plurimùm habens honeſtatis amictus confici poſſit, animæ, inquam, ſecundum virtutem & verbo & opere, ſuam abſoluenti vitam. Sic ille. Eodem loco ſermonem, ait, fimbriam eſſe operibus attextam. Sermo, inquit, veritatis, quaſi fimbria quædam eſt, à textura, ad actionem, ex abundantia annexa, &c. Hæ ſunt illæ aureę fimbriæ, quæ ex præclara Eccleſię veſte pendent. *In fimbriis aureis, circumamicta varietatibus*, &c

Baſil.

Pſal. 44.

Exiit Chriſtus in mundum agrum plenum vepribus, ignem ille merebatur, ſed pro ſua clementia pro igne admirandum Euangelij ſemẽ iniecit. Vnde Chryſoſtomus hom. 45. in Matth. Vnde, inquit, exiit Deus, qui vbique præſens eſt? Certe non loco, ſed habitudine, ac incarnationis diſpenſatione, propinquior nobis factus eſt. Ad quid igitur exiuit? An vt terram vepribus plenam perderet, & ignauos agricolas puniret? Minimè, verùm vt optimo cultu, terram arando fertilem faceret, &c.

Mũdus vepribus plenus ignem merebatur. Chryſoſt.

Cõcionator exeat, percurrat opida.

Præterea exit qui ſeminat, frigora fert, pluuias, laborem. Sic oportet concionatorem exire, ciuitates, vicos, oppidáque etiam exigua, inſtar Chriſti & Apoſtolorum percurrere, neque delicatè vitam agere. *Quam ſpecioſi pedes* (ait Paulus ex Iſaia) *euangelizantium pacem, euangelizantium bona!* Pedes concionatorum laudantur, non os & lingua, pedes, inquam, non qui domi ſe continent, ſed qui vicos oppidáque percurrunt, vt Apoſtolorum pedes.

Rom. 10.

Luca 8.

Semen *eſt verbum Dei.* Omnium bonorum ſemen & initium, eſt Dei verbum. Nam fides ex eo oritur, quæ fundamentum eſt virtutum omnium; iuxta illud Pauli: *Fides ex auditu; auditus autem per verbum Chriſti.* Item, *Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient, ſine prædicante? quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur?* &c. Iſaias: *Niſi Dominus reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus*, &c. Tolle verbum Dei ex mundo, ſolem tolles, virtutem tolles, bona omnia cum ſemine tolles; in Sodomam & Gomorrham mundus conuertetur. *Voluntariè genuit nos verbo veritatis*; videlicet, veluti ſemine. Item: *Suſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſaluare animas veſtras.* Scilicet, ſi operi mandetur.

Rom. 10.

Verbum Dei omnium bonorum fons & origo. Iſaiæ 1.

Iacobi 1.

Ibid.

Semen niſi in terram iaciatur, fructum non feret. Sparge triticum in aere, vel aqua, vel igne, nihil reportabis fructus. Eumdem in modum Dei verbum, niſi in cor incidat, non pariet emolumentum. Si in aures tantùm verbum auditum, ſi in oculos tantùm verbum ſcriptum incidat, quid proderit? Id verò erit in aqua, vel aere ſeminare. Quemadmodum terra in medio mundi ſita, ſemen excipit: ita cor, quòd in medio hominis eſt locatum, excipiat verbum, foueat, ad fructum ducat. Sterilis erit ſine ſemine terra, vepres tantùm, inutiléſque producet herbas: eumdem in modum ſterilis erit ſine verbo Dei homo, vepres, id eſt, peccata, herbáſque proferet infœcundas. Vt ſemen à zizaniis ſeparatum repurgatúmque eſſe oportet: ſic & verbum ab omni hæreſi falſitateque longè ſeiunctum eſſe debet. Vt fructum ſemen producat, agrum poſtulat mollem, ſubactum, aratróque proſciſſum: verbum Dei, molle, ſubactum proſciſſumque cor flagitat.

Semen in terram iactẽ debet.

Opere docendum.

Leuit. 19.

Prædicator ore & opere docere debet.

Matth. 13. Marc 4. & Luc. 8. QVI *habet aures audiendi, audiat.* Attentionem & intelligentiam in primis postulat verbum Dei & beneuolentiam; ne similis Iudæis sit auditor, de quibus dicitur: *Videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt. Qui habet*, ait Dominus, *dabitur ei*, qui habet attentionem, & beneuolentiam, amorémque verbi, dabitur ei fructus, vt suprà est explicatum. Non solùm aures corporis, sed aures etiam cordis, verbo Dei adhibendæ sunt, quas hic à Domino requiri, ait D. Gregorius homilia 15. in euang. Omnes, inquit, qui illic aderant, aures corporis habebant. Sed qui cunctis aures habentibus dicit: *Si quis habet aures audiendi, audiat*: aures procul dubio cordis requirit, &c. Multi aures habent (ait Theophylactus in Matth.) sed non ad audiendum. Propterea ait Christus: *Qui habet aures audiendi, audiat*, &c. Augustinus ser. 18. de verbis Domini. Surdos quàm multos Dominus ante oculos suos intuebatur, cùm diceret; *Qui habet aures audiendi, audiat.* Quis enim ante illum sine corporis auribus stabat? Quas ergo alias aures nisi interioris hominis requirebat? &c. *Auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam*, &c.

Matth. 13. Ibid. Greg. Eccli. 3.

Psal. 39. *Aures perfeciſti mihi.* Aures verò perficere, concinnare, & componere, ad verbum audiendum, Dei est. Ex Hebræo hic Hieronymus vertit: *Aures fodisti mihi*, hoc est, seruum me tuum perpetuum fecisti. Iuxta id quod Exodi 21. de seruo dicitur, *serui* petui signum erat, auris perforatio: ita serui Dei perpetui signũ est, auris ad diuina verba obedienter excipienda apertio, ad audienda verò dæmonis mundíque verba exclusio. Incircumcisas Iudæorum aures Ieremias vocat cap. 6. Incircumcisæ autem aures illæ sunt, quæ ad verba noxia audienda circumcisæ non sunt; quæ mundum dęmonémque veluti prophetas falsos ac mendaces audiunt. *Cui loquar*, ait Dominus, *& quem contestabor, vt audiat? ecce incircumcisæ aures eorum, & audire non possunt*, &c. Theodoretus; Vocat, inquit, aures incircumcisas, quæ sine discrimine excipiunt omnia. Tales erant isti, qui facilè quidem admittebant pseudoprophetarum sermones, prolatos delectationis gratia: verbis autem diuinis nolebant attendere, &c.

Aures perforatæ. Serui Dei perpetui signum. Aures incircumcisæ quæ. Ierem. 6. Theodor.

Luc. 8. ALIVD *cecidit secus viam.* Perit sæpe semen ab agricola satum, quòd ex cælo, vel pluuia, vel solis desit calor. At semen Dei nequaquam periisse dicitur, quòd vel defuerit ex cælo pluuia, vel solis calor; sed culpa terræ. Verbum etenim Dei non perit, eo quòd desit è cælo Dei fauor & auxilium, sed hominis culpa. Vnde Chrysostomus homil. 45. in Matthæum; Maior, inquit, pars seminis amissa est, non seminantis causa: sed suscipientis culpa terræ, &c. Et Dominus, *Quid est, quod debui facere vineæ meæ, & non feci?* &c.

Semen Dei nunquam perit, nisi ex culpa terræ. Isaiæ 5.

Aduerte autem multos agros sic esse steriles, vt ferre segetes non possint, quamuis excolantur. Attamen semini de quo loquimur, nullus ager, hoc est, nullus animus, sic ineptus est, vt, si velit, Deo colente atque auxiliante, fructum non possit ferre. Fructum ferre potest is, qui iuxta viam situs est, si velit à via recedere: is quoque qui saxosus est, & is qui spinas habet, si modo saxa & spinas repellat. Est noster ager voluntarius, ex bono & fertili in malum & sterilem, contráque ex malo & sterili, in bonum ac fœcundum, Deo opitulãte, potest commutari. Chrysostomus: Quomodo (inquies) credendum est, in vepribus, & in lapide, & in via prudentem hominem seminare? In agris quidem, & in seminibus, quæ terræ traduntur, stultè factum videretur: in animis autem hominum non ita. Possibile enim est, vt lapis in terram fertilem conuertatur, & vt via non conculcetur, nec cunctis præ-

Nullus animus ita est sterilis, vt non possit fructũ ferre si velit. Chrysost. Cur seminator Deus in his locis seminet, quæ fructũ laturæ nõ sũt.

A tereuntibus proposita iaceat, sed in vberes agros traducta, nec vepres emittat, & semina foueat, &c.

Præter hæc, agricola si prænosset agrum nullas allaturũ fruges, sementẽ minimè faceret; at Deus etsi prænoscat hominem nihil redditurũ fructus, semen tamẽ verbi illi tradit. Chrysost. eadẽ hom. 45. Seruator non diuitẽ, non pauperẽ, nõ ingeniosum, aut rudem, aut fortẽ, aut ignauum, aut diligentem, aut desidem discernit: sed omnibus, quamuis futurũ exitum non ignoret, pietatis doctrinã commendat, &c. Videlicet, nostra quærit commoda. Chrysost.

Noștri itaque seminatoris semen, aliud cecidit secus viam, id est, in terrã, quæ iuxta viam erat. Illi iuxta viam sunt, qui verbum Dei non custodiunt mente, non intelligunt, non meditantur. Hi auditores sunt obliuiosi; iuxta illud: *Qui perspexerit in lege, perfectæ libertatis, nõ auditor obliuiosus factus*, &c. Obliuiosos auditores confert Iacobus cũ viro, qui seipsum in speculo intuetur, móxque vultus sui obliuiscitur. *Si quis*, inquit, *auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo. Considerauit enim se, & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit*, &c. Facilè obliui scimur vultus nostri, quem in speculo intuemur: sic etiam facilè obliuiscimur verbi diuini, quod audimus. Vir speculum obiter intuetur, nec diu in eo intuendo immoratur. Contra femina attentè, & diu, speculum aspicit; vt se comat atque ornet. Obliuiosus auditor, vt vir, concionis inspicit speculum, vt Iacobus ait. At auditor attentus, qui verbum Dei expendit ac considerat, is instar feminæ moram facit, in speculo diuini verbi contemplando.

Quinã sint iuxta viam. Iacobi 1. Speculum verbũ Dei. Ibid.

Necessaria attentio est, & meditatio verbi, ne à volucribus rapiatur. Pharaonis ille pistor, tria se canistra farinæ super caput habere, diuinitus somniauit; & in vno celsiori omnes cibos portare, qui artefiunt pistoria, auésque comedere ex eo. Ioseph verò diuinitus, ex somnio à Deo immisso, suspendium illi prædixit. Si eximium verbi Dei triticum, siue farinam, & diuinas, quæ ex ea fiunt escas, supra caput, & in capite solùm gestas; nec animi dentibus, id est, cogitatione teris, & manducas, & in viscera traiicis, sed volucribus diripiendas exponis: suspendium time tartareum. Contrà verò si similis eiusdem Pharaonis pincernæ sis, & peccatorum veniam, & cæleste consequeris præmium. Pincerna, vt eodem scribitur capite, in somnis vitem, trésque in ea propagines & botros vidit; quos in calicem Regis expressit. A Ioseph verò in pristinam dignitatem se restituendum, ex illa visione diuina accepit. Si vides ante te concionem, veluti vitem pulcherrimam propositam; botris, hoc est, Scripturæ testimoniis, Patrum dictis documentísque cælestibus plenam: ne solo delecteris aspectu, botros carpe. Nec carpe solùm, sed etiam preme, hoc est, verba expende, ac diligenter considera, & in opera conuerte, Regíque Christo offer. Ne sis Herode peior, de quo dicitur; *Herodes libenter audiebat Ioannem, & audito eo, multa faciebat*, &c.

Gen. 5. Meditatio verbi diuini necessaria est. Marci 6.

ALIVD *cecidit in petrosa, & natum aruit.* Pars alia seminis in saxosam terrã incidit: exortũ est, sed humore deficiẽte, exaruit. Deficit humor cùm deuotio deest, culpa nostra. Hic humor semen nutrit, radicibusq; firmis fulcit. *Lãpades nostræ exstinguũtur*: aiunt virgines illæ stultæ. extinguebãtur autem, præ olei penuria. Eumdem in modum verbi diuini extinguitur lux, quoniam oleum deuotionis deest. Deest autẽ oleum deuotionis, quia deest oliua orationis ac meditationis, quæ oleum huiusmodi producit. Deuotione deficiente, durum fit cor & saxosum, ita vt radicibus in eo firmis verbũ nõ hæreat. Deuotione verò abũdante cereum fit & carneum, diuini

Luc. 8. Saxosa terra quæ sit. Matth. 25. Deuotio humor semen nutriens.

diuini Spiritus Scripturæ aptum. Scribit enim diuinus Spiritus verba ſua in tabulis teneri cordis, mollis ac carnei, non lapidei; iuxta illud Pauli: *Epiſtola eſtis Chriſti, miniſtrata à nobis, & ſcripta non atramento, ſed Spiritu Dei viui: non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus*, &c. *Anima mea liquefacta eſt* (ait ſponſa Cant. 5.) *vt dilectus locutus eſt.* Cùm dilectus Chriſtus loquitur, liquefiat cor ceræ inſtar, vt verbum loquentis alte imprimatur, radicéſque fixas iaciat. Magnum Dei beneficium eſt hoc cor carneum ac liquefactum; iuxta illud Ezech. 11. *Auferam cor lapideum, de carne eorum, & dabo eis cor carneum*, &c.

2. Cor. 3.

QVOD *in ſpinas cecidit.* Quemadmodum ſuffocant ſpinæ ſemen; ſic ſuffocant ſolicitudines, diuitiæ, & voluptates, Dei verbum, fructuque ſuo priuant. Vnde illud Pauli: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum*, &c. Mergunt ſolicitudines, & deſideria nociua, & ſuffocant homines. Qui enim mergitur ſuffocatur: qui ſuffocatur, ſpiritu priuatur, quo viuit. Huiuſmodi deſideria ac curæ, diuino ſpiritu, qui ſpiritalē confert vitam, priuant hominem, ideo ſuffocāt. Diuus Gregorius hom. 15. in euang. Solicitudines, inquit, & diuitiæ, & voluptates, ſuffocant verbum, quia importunis cogitationibus ſuis guttur mentis ſtrangulant. Et dum bonum deſiderium intrare ad cor non ſinunt, quaſi audit flatus vitalis necant, &c.

Spina frumentū ſuffocātes quæ. 1. Tim. 6.

Greg.

Qui verbum audit ſuffocari non vult, huiuſmodi ſolicitudines ſuffocet, & repellat à corde. *Non plantabis lucum & omnem arborem, iuxta altare Domini Dei tui*, &c. Nónne altare Dei cor eſt? Iuxta lucus non eſt plantandus, non ſunt plantanda noxia deſideria ac ſolicitudines, quæ mentem obumbrent, diuinóque ſplendore priuent. *Agrum tuum non ſeres diuerſo ſemine.* Ager animus eſt, eodem ſemine, non diuerſo eſt ſeminādus. Is diuerſo ſemine animum ſeminat, qui ſimul cum verbo Dei, noxias curas ac deſideria verbum ſuffocantia ſerit. Seminandus ager eſt vno tantummodo ſemine, verbi ac virtutum: vitioſæ verò curæ ac cupiditates extirpandæ ſunt. *In manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum*; Græcè ἔμφυτον. Qui frugiferæ arboris ſurculum arbori inſerit infœcundæ, omnes arboris ramos reſecat, vt ſurculus inſitus adoleſcat. Alioqui radicis ſuccus, ramos potiùs, quàm ſurculum alet. Eumdem in modum inſitum verbum Dei, vt Iacobus loquitur, ſuſcipiendum eſt, nimirum ſurculi inſtar cordi inſerendum, à quo omnes cupiditates, noxiæque ſollicitudines reſectæ ſint. Nam ſi hæ non reſcindantur, cordis ſuccum ad ſe trahēt; Dei verò verbum ſine fructu areſcet, & ramorum copia ſuffocabitur. *Radix omnium malorum eſt cupiditas*: ait Paulus, in hac radice ſurculus verbi inſitus, quid fructus poterit producere? nónne protinus ſuffocabitur?

Deut. 16.

Leuit. 16.

Quomodo ſit ſeminandus ager diuerſo ſemine.

Iacobi 1.

1. Tim. 6.

Suffocant diuitiæ verbum & virtutem; ſi tanto illis amore hæreant diuites, vt legis mandatorumque Dei obliuiſcantur. Quod ſi virtutis in eis deſiderium, veluti oleum, diuitiis ſupernatet, non ſuffocabitur verbum. Quamobrem Theophylactus capite indicato obſeruat, dixiſſe Paulum: *Qui volunt diuites fieri; incidunt in tentationem*, &c. Non dixit Paulus (ait Theophylactus) diuites, ſed volentes diuites fieri. Poteſt enim quiſpiam pecunias habere, atque eas probè diſpenſare: quippe qui aſpernetur eas, atque in vſum pauperum eroget, quod non eſt volentis diteſcere, &c. Chryſoſtomus hom. 45. in Matth. Potes, dummodo velis, pernicioſa hæc germina ſpinarum incidere, ac diuitiis laudabiliter vti. Poſſumus ita ditari, vt non decipiamur, & in hoc ſæculo ita conuerſari, vt harum rerum curis non ſubmergamur, &c. Spinæ ſunt diuitiarum malæ ſollicitudines, quamuis videantur roſæ. Vnde Theophylactus 1. ad Tim. 6. Spinarum, inquit, inſtar ſunt diuitiarum ſollicitudines. Vnde ſi tetigerit has quiſpiam, manus cruentas faciunt, vulnera infligentes, &c.

Quomodo diuitiæ ſuffocāt verbū.

Theoph. 1. Tim. 6.

Chryſoſt.

Spinæ ſollicitudines diuitiarum.

Rectè autem dixit Dominus (ait Chryſoſtomus homil. 45.) *fallacia diuitiarū.* quippe cùm nihil aliud in diuitiis ſit, præter deceptionem. Nomina enim ſunt in illis de rebus poſita. Nam cùm voluptas & gloria, tum ornatus & pompa, horumque ſimilia, phantaſmata quædam ſunt, nullam rem vere continentia. Sic ille. Lege eumdem Pſal. 4. Sapientem eſſe oportet, ac cautum hominem, ne ab hac fallacia diuitiarum decipiatur. Difficile eſt auri argentique pulchritudine non decipi. ſed introſpice bene, quid ſint mundana omnia, quàm breui euaneſcant: & deceptione liberaberis. Fallaces ſunt diuitiæ (ait Gregorius loco citato) quæ nobiſcum diu permanere non poſſunt, fallaces quæ mentis noſtræ inopiam non expellunt. Cur amatur quod relinquitur? &c.

Marci 4. *Diuitæ fallaces.*

Greg.

Aliud cecidit in terram bonam. Terra bona, ij ſunt, vt eſt apud Lucam, qui in corde bono & optimo verbum retinent, & fructū afferunt in patientia. Cor- de excipiendū eſt verbum, non ſolùm auribus, ad cor dirigendū eſt à concionatore Apoſtolico. Iſai. *Loquimini ad Ieruſalem, & aduocate eam.* Oſeas: *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius*, &c. Quamuis autem Hebræa phraſi loqui ad cor ſit blanda loqui, & blandiri, tamen etiam qui dura loquitur, diuiniſq; terret minis, ad cor loquitur, & Ieruſalē ad Deum vocat: *Sagittæ tuæ acutæ (populi ſub te cadent) in corda inimicorum regis*, &c. In corda coniiciuntur Chriſti ſagittæ, nō in aures ſolùm: corda ferire oportet, non aures mulcere. Auriū vulnus non eſt mortiferum; cordium vulnera feliciſſimam afferunt mortem; de qua dicitur: *Mortui eſtis, & vita veſtra eſt abſcondita in Chriſto*, &c. Si corda ſagitta verbi percutiuntur, populi ſub Chriſto cadunt. O beatum caſum!

Marci 4. & *Luc.* 8.

Terra bona quæ.

Ad cor loquendum.

Iſaiæ 40. *Oſea* 2.

Pſal. 44.

Coloſſ. 3.

Caue, ne concio tua inſtar ſit cantici dulcis, ad delectandum tantummodo, non ad permouēdum comparata; ne tibi illud occinatur: *Es eis quaſi carmen muſicum, quod ſuauì dulciq́ue ſono canitur, & audiunt verba tua, & non faciunt ea*, &c. Canticum enim auditur, non vt fiat, quod cantico perſonat, ſed oblectandi gratia. Nemo in aërem ſemina iactat, vel in aquam, ſed in terram, quæ in medio mundi ſita eſt. quoniam non aër aut aqua, ſed terra ad producendas ſegetes vim habet. Eumdem in modum nemo, qui ſapiat, verbi ſemen, aut in aures ſolùm auditorum, aut in intellectum ſparget, ſed in cor maximè, cui in medio hominis poſito, ad ferendum fructum vis inſita eſt, Deo opitulante. Multorum intellectus ſatis ſupérque, diuini verbi ſemine refertus eſt, nihil tamen fert fructus, quia ad cor ſemen non tranſit. *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam.* Sic Dominus. Sic doctor hoc conetur, vt legem Dei in viſceribus, & corde ſcribat auditorum.

Concio non debet eſſe ad delectadum ſolum comparata.

Ezech. 33.

Ieremi. 31.

Vide quale cor auditoris boni eſſe debeat. In corde (inquit) *bono & optimo.* Optima corda flagitat optimum verbum, optimos agros poſtulat optimum ſemen. Optimum autem cor verbū retinet, & cuſtodit, ne à volucribus diripiatur. Neq; enim iuxta viam ſitum cor eſt, ſed procul à via ſecedit. Id cor iuxta viam eſt, quod omnibus cogitationibus, amicitiis, negotiiſque patet; diuerſorio ſimile, quod probis & improbis, notis & ignotis hominibus eſt apertum. Simile ſcaphæ, quæ rimarum plena eſt, omniq; ex parte ſalſos maris fluctus ebibit. Bonum autem cor & optimum, procul à via abeſt. Intus eſt, non foris, non vagatur, ſed in verbo

Cor bonū & optimū eſſe debet.

Luc. 8.

Cor iuxta viā poſitū.

Dei

Prou. 22. Dei contemplando verſatur; iuxta illud: *Appone cor tuum ad doctrinam meam, quæ pulchra erit tibi, cùm ſeruaueris eam in ventre,* id eſt, pectore, *tuo: & redundabit in labiis tuis,* &c. *&, Ingrediatur ad doctrinam cor tuum, & aures tuæ ad verba ſcientiæ,* &c. Ingrediatur cor domum doctrinæ, ne vagetur foris.

Prou. 23.

Præterea retinet verbum cor optimum, meditatur, conſeruat, confert; iuxta illud: *Maria conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo.* Niſi ſtomachus cibum retineat, coquat, ac dirigat, & in reliquas corporis partes diſpertiat: nihil cibus proficiet. Eumdem in modum, niſi cor animi cibum, quod eſt Dei verbum, conſeruet, intelligat, conſideret, & in actiones hominis diſtribuat, quid proderit? Verbum Dei non retinere; eſt cibum ſumptum euomere, quod imbecillis admodum eſt ſtomachi D. Gregorius homilia 15. in euang. Cibus mentis eſt ſermo Dei. Et quaſi receptus cibus ſtomacho languente reiicitur, quando auditus ſermo in ventre memoriæ non tenetur. Sed quiſquis alimenta non retinet, huius profectò vita deſperatur, &c. Cor bonum & optimum, ſtomachus eſt animi validus: alimenta retinet, conſiderando coquit, & in cunctas diſpergit actiones. Nam cor per verbum Dei, actiones, negotiáque omnia moderatur, & dirigit.

Luc. 2.

Greg.

Cor ſtomachus verbũ coquens.

Denique cor optimum, fructum affert in patientia. Saxoſum cor, & humore carens, ſegetem quidem producit, ſed ad fructum, & ſpicam minimè perducit: deficiente enim humore areſcit. At cor bonum & optimum ad fructum ſemen perfert, ſemper vireſcens, numquam areſcens. Non enim deeſt illi meditationis, & deuotionis humor, qui radices confirmet, ſtabiléſque reddat aduerſus omnes tentationum æſtus atque ardores. Itaque fructum affert in patientia ac perſeuerantia, quæ cordi ſaxoſo deeſt, in tentatione deficienti. Patientia opus eſt ſeminatori, vt ſemen ad ſpicam perueniat: alioqui ſi frigora, æſtus, perſecutiones ferre nolit, areſcet in herba ſeges, & carebit fructu. *Ecce agricola expectat pretioſum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum & ſerotinum,* &c. Eccleſ. *Væ,* inquit, *diſſolutis corde, qui non credunt Deo, & ideo non protegũtur ab eo. Væ iis, qui perdiderunt ſuſtinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas,* &c. Terra bona (ait D. Gregorius homilia 15.) fructus per patientiam reddit. Vua calcibus tunditur, & in vini ſaporem liquatur: oliua contuſionibus expreſſa amurcam ſuam deſerit, & in olei liquorem pingueſcit: per trituram areæ à paleis grana ſeparantur, & ad horreum purgata perueniunt, &c.

Patiẽtia eſt neceſſaria agricolæ.

Iacobi 5.

Eccli. 2.

De eo, qui petroſum cor habet, ait Dominus Matth. 13. *Non habet radicem, ſed eſt temporalis. Facta autem tribulatione, & perſecutione propter verbum continuò ſcandalizatur,* &c. Is autem, qui bonum & optimum cor habet, radicem habet, nec eſt temporalis, ſed æternus. Tribulatione & perſecutione exoriente, patienter perſeuerat. Bernardus epiſt. 253. Iuſtus, ait, non ad annum, vel ad tempus inſtar mercenarij, ſed in æternum, diuino ſe mancipat famulatui. Audi vocem iuſti, *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum,* &c. Sic Bernardus.

Iuſtus in ſempiternũ ſe Deo mãcipat.

Matth. 13.

Psal. 118.

Fructum affert cor bonum bonorum operum. Quemadmodum bonus ſtomachus cibum coquit, vt in carnem vertatur: ſic bonum cor diuinũ verbum concoquit, vt conuertatur in ſancta opera; iuxta illud Auguſtini ſermone 112. de Tempore: Beatiſſimus eſt, qui diuinas ſcripturas vertit in opera, &c. Quemadmodum diuinæ Scripturæ in opera bona ſunt conuertendæ: ſic audita verba, in facta recta ſunt commutanda.

Cor bonum bona verba conuertit in bona opera.

Quia verò non omnes eumdem producunt fructum, ait Dominus: *Fructũ affert* auditor, *& facit, aliud quidem centeſimum, aliud autem ſexageſimum, aliud verò trigeſimum,* &c. Marcus inuerſo ordine, à trigeſimo cœpit: *Fructificant,* inquit, *vnum triginta, vnum ſexaginta, & vnum centum,* &c. Diuus Gregorius Nazianzenus orat. 28. Quis, inquit, centeſimum fructũ edit? quis ſexageſimum? quis trigeſimum? Aut conuerſo ordine, quis à trigeſimo ad ſexageſimum progreſſus, in centeſimum deſiit: vt nouos ſubinde progreſſus faciens, velut Iſaac, magnus tandem fiat: de virtute in virtutem ambulans, Pſalm. 83. & Cantica graduum canens, atque aſcenſiones in corde ſuo ponens? Sic ille. Danda opera eſt diligens, vt maximum feramus fructum, id eſt, centeſimum: ſempérque faciamus, à trigeſimo vſque ad ſexageſimũ, tandémque vſque ad centeſimum, id eſt, vſque ad perfectionem.

Matth. 13

Marci 4.

Gen. 26.

Diuus Bonauentura Lucæ 8. bonos auditores verbi diuini, ait verbum recipere in corde bono, quoad cognoſcentem potentiam, id eſt, in bono intellectu. Et in corde optimo; quoad affectiuam, id eſt, bono affectu. Item: Audientes verbũ retinent; quo ad memoratiuam. Et fructum afferunt; quo ad operatiuam. In patientia; quo ad paſſionem ſupportatiuam. Itaque bonus auditor, totum ſe Dei verbo audiendo mancipat. Intellectum, voluntatem, ſiue affectum, memoriam, operandi facultatem, & patiendi. Intellectum mancipat & voluntatem, quia verbum recipit *in corde bono & optimo.* Memoriam, quia *verbum retinet.* Operandi facultatem, & patiendi, quia *fructum affert in patientia.* Multi autem verbum retinent in libris, & in intellectu ſolùm; ſed non prodeſt frumentum in horreo cuſtoditum; ad cibum & fructum neceſſe eſt veniat. Vnde Cardinalis Hugo Lucæ 11. Quidam, inquit, cuſtodiunt verbum ſicut frumẽtum in arca, id eſt, in quaternionibus & libris, numquam ſeminantes, & numquam inde comedentes. Et ideo numquam metent, &c. Patientia opus eſt, vt verbum in opus veniat. Multa enim aduerſa accidunt, quæ ſi patientia non adſit, à verbo exequendo auocant. Fructum non affert terra quamuis optima, niſi patiendo aratrum, & ſimilia. Eumdem in modum fructum non affert homo, niſi patiendo aduerſa.

Bonus auditor verbi, quos fructus ferat.

Luc. 8. Ibid.

CAPVT

CAPVT III.

De parabola zizaniorum.

MATTHÆVS CAP. XIII.

ALiam parabolam propoſuit illis, dicens: Simile factum eſt regnum cælorum homini, qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo. Cùm autem dormirent homines, venit inimicus eius, & ſuperſeminauit zizania in medio tritici, & abiit. Cùm autem creuiſſet herba, & fructum feciſſet: tunc apparuerunt & zizania. Accedentes autẽ ſerui patris familias, dixerunt ei: Domine, nónne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Serui autem dixerunt ei: Vis imus, & colligimus ea? & ait? Non; ne fortè colligentes zizania, eradicetis ſimul cum eis & triticum. Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem, & in tempore meſſis dicam meſſoribus; colligite primùm zizania, & alligate ea in faſciculos, ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum, &c.

Tunc dimiſſis turbis venit in domum, & acceſſerunt ad eum diſcipuli eius dicentes: Ediſſere nobis parabolam zizaniorum agri. Qui reſpondens ait illis: Qui ſeminat bonum ſemen, eſt Filius hominis. Ager autem eſt mundus. Bonum verò ſemen, hi ſunt filij regni. Zizania autem filij ſunt nequam. Inimicus autem, qui ſeminauit ea, eſt diabolus. Meſſis verò conſummatio ſæculi eſt. Meſſores autem Angeli ſunt. Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur, ſic erit in conſummatione ſæculi. Mittet Filius hominis Angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala, & eos, qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus & ſtridor dentium. Tunc iuſti fulgebunt ſicut Sol in regno Patris eorum. Qui habet aures audiendi, audiat.

Quomodo regnum cælorũ homini ſeminanti ſimile dicatur.

DVBITATVR, quonam modo regnum cælorum ſimile dicatur homini ſeminanti, cùm regnum cælorum non ſeminet. Reſpondetur, regnum cælorum in iis parabolis ſignificare, id quod in regno cælorum contingit. Simile enim dicitur cælorum regnum huic aut illi rei, quia in regno cælorum, id eſt, Eccleſia, tale quid contingit, quale de huiuſmodi re narratur. Itaque horum

Matth. 12. verborum: *Simile factum eſt regnum cælorum homini, qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo*; ſenſus eſt, Idem accidit in regno cælorum, id eſt, in regno Chriſti Eccleſia, ac ſi quis ſeminaſſet bonum ſemen in agro ſuo, &c. Parabola perſpicua eſt, à Domino diſcipulis non turbæ explicata. Significat in primis in regno cælorum, id eſt, Eccleſia, non ſolum bonum ſemen eſſe, id eſt, bonos homines, ſed etiam malum ſemen, & zizania, id eſt, malos. Zizania enim malos homines ſignificant: ſemen bonum bonos indicat, interprete Domino. Deinde ſignificat parabola Deum non eſſe mali ſeminis, id eſt, malorum hominum, quatenus mali ſunt, auctorem. Nam Deus bonum condidit hominem: mali auctor dæmon fuit zizaniorumque ſator. Præterea docet Deum nolle zizania, id eſt, malos homines protinus eradicare, id eſt, ſupplicio, & morte mulctare: quamuis digni morte ſint, & extirpatione. Sed patienter ferre velle, in meſſe pœnas daturos acerbiſſimas.

Quid ſignificet parabola.

Matth. 13. HOMINI, *qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo.* Homo, qui ſeminauit, indicat Chriſtum, ipſomet Chriſto interpretante: *Qui ſeminat*, inquit,

Ibid.

bonum ſemen, eſt Filius hominis, &c. Seminat autem in agro ſuo, id eſt, mundo, ſemen bonum, hoc eſt, filios regni. Filij autem regni dicuntur, filij Eccleſiæ, quę regnum Dei eſt, non ſolùm boni, ſed etiam mali, quemadmodum apud Matth. *Filij*, inquit, *regni eiicientur in tenebras exteriores*, &c. Sed hic cùm Chriſtus dicat, bonum ſemen eſſe filios regni: filij regni vocantur homines boni gratiæque participes, quos Deus in mundo ſeminat. Sic Auguſtinus exponit ſermone 46. de diuerſis.

Filij regni etiam mali ſunt.

Matth. 8.

INIMICVS *homo hoc fecit.* Inimicus homo, qui zizania ſuperſeminat, diabolum indicat, vt Dominus ait, Dei enim & hominum inimicus eſt. Non eſt ille homo, ſed in homine illo inimico adumbratur: quem admodum homo non eſt vox, ſed voce ſignificatur. Zizania filij ſunt nequam. Græcè, υἱοὶ τοῦ πονηροῦ, id eſt, filij illius mali & nequiſſimi, ſcilicet dæmonis. Dicuntur autem filij nequam, id eſt, diaboli, homines impij, quoniam ab eo ſunt proſeminati, & illum imitantur; iuxta illud: *Vos ex patre diabolo eſtis*. Omnis qui peccatum admittit (ait Baſilius Pſalm. 44.) ex patre diabolo eſt, &c. Sed numquid diabolus homines ſeminat in mundo? Nónne Deus omnium hominum creator eſt, ac proinde ſator? Reſpondetur, dæmonem dici ſeminare zizania, id eſt, homines improbos, non quidem propterea quòd illos procreet aut gignat; hoc enim falſum aperte eſt. Sed quia ex bonis malos reddit, & ex tritico conuertit in zizania. Deus auctor mali minimè eſt. Hominem in agro ſuo, hoc eſt, mundo, velut repurgatum

Matth. 13.

Filij nequã quare ſic dicantur.

Ioan. 8.

Cur dæmon dicatur pater improborum.

tri ticum

triticum seminauit. Quid enim aliud Adamus fuit in gratia iustitiaque originali conditus, quàm tritici purum granum? Gratiæ, virtutumque omnium, & hominum, Deus sator est, dæmon verò sator vitiorum. Quia malos fecit homines: & ex tritico in zizania conuertit, ideo illos dicitur in mundo superseminasse. Zizania verò significare etiam improbos Christianos sentit D. August. ser. 46. de diuersis, & Cyprianus epist. 51. ad Maximum, cuius verba recitat Aug. lib. 2. contra Cresconium, c. 34. idem sentiunt Carthusianus, Abulensis, & Caiet.

Zizania improbos Christianos significant.

Matth. 13. SVPERSEMINAVIT *zizania.* Superseminasse dicitur zizania, quia super triticum ea seminauit. Nam prius est bonum, quàm malum; priùs Deus boni sementem fecit, quàm dæmon faceret sementem mali. Deus seminauit bonum semen, dæmon superseminauit malum. Diuus Chrysologus sermone 96. Nullum, inquit, malum ab originis processit auctore; ab inimico superseminatum est malum. Malum non est à rerum parente procreatum. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona,* &c. Præterea Deus prius sementem fecit veritatis & Euangelij: dæmon postea sementem fecit mendacij & hæresum. Hæretici omnes non seminant, sed superseminant; nimirũ super veritatem Euangelij à Christo seminatam, seminant ipsi meram falsitatem. Quamobrem cauendæ nouæ hæreses nouáque dogmata, quæ non seminantur, sed superseminantur, vt zizania. Vnde Tertullianus in lib. de Præscript. aduersus hæreticos cap. 31. Reuertar, inquit, ad principalitatem veritati, & posteritatem mendacitati deputãdam, ex illius quoque parabolæ patrocinio, quæ bonum semen frumenti à Domino seminatum primò constituit; auenarum autem sterilis fœni adulterium, ab inimico diabolo postea superducit. Propriè enim doctrinarũ distinctionem figurat, quia & alibi verbum Dei seminis similitudo est. Ita ex ipso ordine manifestatur, id esse dominicum & verum, quod sit prius traditum; id autem extraneum & falsum, quod sit posterius immissum, &c. Lege etiam Chrysost. homil. 47. in Matth. & Pammelium in locũ Tertulliani citatum.

Deus bonũ seminat, dæmon malum superseminat.

Gen. 1.

Cauẽdi nouatores. Tertul.

Quod prius traditum id verum est, quod posterius falsum.

Matth. 13. Noctu superseminat dæmon.

CVM *dormirent homines.* Sementem dicitur fecisse inimicus homo clàm, noctu. Noctem significant hæc verba, *Cùm dormirent homines.* Nocte enim homines dormiunt; ideo noctis hæc est descriptio. Est sensus: Cùm nox esset, quo tempore omnes homines dormiunt: venit homo ille agricolæ hostis, zizaniáque super triticum seminatum sparsit. Bonus agricola, luce fulgente, bonum semen terræ mandauit: impius sator & inimicus, tenebrosa in nocte zizania sua in agrum iniecit. Quamobrem à Tertulliano libro de anima capite 17. auenarum dicitur superseminator, & frumentariæ segetis nocturnus interpolator. Malum semen in caligine seminatur: bonum amat lucem. D. Chrysostomus homines dormiẽtes interpretatur, præsules esse minimè vigiles. sic etiam diuus Augustinus in quæstion. euangelij secundùm Matthæum, capite 11. Diuus etiam Hieronymus. In similem sententiam Euthymius & alij exponunt.

Matth. 13. In parabolis aliqua sunt parerga.

ACCEDENTES *serui.* Aduerte hoc loco in parabolis, quemadmodum in picturis aliqua adiungi parerga, quæ ad ipsum parabolæ significatum minimè pertinent, sed ad narrationem complendam adhibentur. Quamobrem docet Chrysostomus, non esse anxia cura parabolas explanandas, homilia 65. in Matthæum. In parabolis, ait, non oportet nimia in singulis verbis cura perangi. Sed cùm quid per parabolam intendat Dominus didicerimus, inde vtilitate collecta, nihil vlterius anxio est conatu inuestigandum, &c. Lege eundem

Chrysost.

A homilia 16. in epistola ad Romanos ad illa verba: *Num dicet figmentum:* homilia item 48. in Matthæum: Sæpius, inquit, me dixisse memini, non ad verbum exponendas esse parabolas, &c. Augustinus de typis atque figuris veteris testamenti loquens, id docet, quod in parabolis quoque verum est. Libro 16. de ciuitate Dei capite 2. Non sanè, ait, omnia, quæ gesta narrantur, aliquid etiam significare putanda sunt, sed propter illa, quę aliquid significant, etiam ea, quæ nihil significant, attexuntur. Solo enim vomere terra proscinditur, sed vt hoc fieri possit, etiam cetera aratri membra sunt necessaria. Et soli nerui in citharis, atque huiusmodi vasis musicis, aptantur ad cantum; sed vt aptari possint, insunt & cetera in compaginibus organorum, quæ non percutiuntur à canentibus; sed ea, quæ percussa resonant, his connectuntur. Ita in prophetica historia, dicuntur & aliqua, quæ nihil significant: sed quibus adhæreant ea, quæ significant, & quodammodo religentur. Hactenus Augustinus. Vide Origenem in caput 13. Matthæi, ad verba illa: *Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare,* &c.

Aug.

Non omnia quæ gesta narrantur, aliquid significant.

Matth. 13.

B Hoc igitur, quod dicitur in hac parabola, seruos accessisse ad dominum, &c. parergon & emblema esse potest, ideo fortè à Christo non explicatur. Attamen diuus Hieronymus hos seruos patrisfamilias Angelos ait significare, idem sentit Theophylactus. Diuus Augustinus in libro de quæstion. Euangelij secundùm Matthæum cap. 12. hanc interpretationem refutat; seruos autem patrisfamilias probos homines putat significare. Angeli enim non ignorant, vnde semen malum oriatur, quamobrẽ interrogatio illa: *Vnde ergo habet zizania?* illis tribuenda non est. Præterea Angelis nota sunt zizania antequam herbescant, & fructum faciant. Messores igitur sunt, vt Christus ait: non verò huiusmodi serui, quales hic describuntur. Verũ Hieronymi sententia defendi potest. Possunt Angeli tam seruis, quàm messoribus adũbrari: potest illis interrogatio, non tamquam ignorantibus, tribui. Non enim ad amussim exponendæ sunt parabolæ. Euthym. in sententia Augustini est: Seruos, inquit, effingit Dominus orthodoxos, qui feruentiorem erga cultum suum gerunt zelum: qui frequenter admirãtur, quòd Deus zizania nasci permittat, &c.

Quid sint serui patrisfamilias.

Matth. 13.

C VIS, *imus, & colligimus ea?* Zelus seruorum Dei indicatur, optantium nullum improbum hominem esse in mundo; nulla zizania in agro Domini. Indicat etiam Dominus se habere seruos, per quos zizania facile possit extirpare, impiósque omnes è mundo euellere. Per Angelos enim id potest efficere; vel, si malit, vno nutu.

Ibid.

D NON; NE *fortè colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum.* Euellendi zizania potestatem non facit seruis paterfamilias; illorum zelum compescit. Si enim improbos homines ex orbe eradicaueris, simul etiã eradicabis probos multos. Probi enim multi nascuntur ex improbis. Præterea ipsimet improbi in probos, ipsa zizania in triticum sæpe transmutãtur, iuxta illud Augustini sermone 46. de diuersis: Fieri potest, vt qui hodie sunt zizania, cras sint frumentũ, &c. Adde, impios magnã sanctis virtutis exercendæ præbere materiam. Tolle impios tyrannos, martyres non erunt. Augustinus in lib. quæstionũ ex Matthæo cap. 12. has causas reddit his verbis; Non esse, ait, tales auferendos è vita, ne cùm malos conatur quispiam interficere, bonos interficiat, quod fortè futuri sunt. Aut bonis obsit, quibus & inuiti fortè vtiles sunt, &c.

Matth. 13. Cur zizania noluerit eradicari paterfamilias.

Tolle impios tyrannos, martyres non erunt.

E Ex his inferes; ergo hæretici comburendi non sunt. Malè inferes, si inferas. Etenim Christus non de solis hæreticis hic agit, sed de sceleratis omnibus.

Christus nõ de solis hæreticis hic agit.

omnibus. Nam zizania filios Nequam, id est, mali diaboli esse dixit. Filij autem diaboli nõ solum hæretici, sed etiam alij flagitiosi homines sunt, fures, homicidæ, huiusque farinæ reliqui. Quemadmodum ergo malè ex hoc loco probabis, non esse suspendendos fures, aut non esse mulctandos morte parricidas; sic pessimè inferes non esse comburendos hæreticos, qui & fidem furantur rem pretiosissimam, & hominum animas gratiæ vita priuant. Quod indicat parabola hoc est, semper vsq; ad iudicium fore malos permixtos bonis; neque esse à Deo, summo patrefamilias, omnes protinus extirpandos, sed potiùs patienter, vt à vitiis ad virtutem reuertantur, tolerandos. Non autem prohibet, à magistratibus Reipublicæ Christianæ, vel hæreticos igni tradi, vel fures, reliquosque maleficos extirpari, iuxta illud: *Maleficos non patieris viuere*. Præterea ex sententia diui Hieronymi & Theophylacti, serui hoc loco dicuntur Angeli, quibus Deus imperat, ne homines improbos neci dẽt. Vetat Angelos, & priuatos homines, priuata potestate, quempiam interimere, Reipublicæ magistratus, potestate publica, id facere minimè vetat.

Non prohibet Dominus hæreticos flammis tradi.

Deut. 13.

D. Thomas, secunda secundæ, quæst. 10. artic. 8. ait Deum prohibere zizania, hoc est, hæreticos euelli, tunc cùm periculum est, ne triticum simul euellatur, vt constat ex parabola. Lege D. Augustinum libro 3. contra epistol. Parmeniani capite 2. Ipse, inquit, Dominus cùm seruis dixit: *Sinite vtraque crescere vsque ad messem*. Causam præmisit dicens: *Nè forte cùm vultis colligere zizania, radicetis simul & triticum*. Vbi satis ostendit, cùm metus iste non subest, sed omnino de frumẽtorum firma stabilitate certa securitas manet: id est, quando ita cuiusque crimen notum est omnibus, & omnibus execrabile apparet, vt vel nullos prorsus, vel non tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere: non dormiat seueritas disciplinæ. In qua tantò est efficacior emendatio prauitatis, quantò diligentior confirmatio caritatis. sic ille. Et sermone 46. de diuersis. Volebamus (inquit) si fieri posset, nullum malum manere inter bonos. Sed dictũ est nobis: *Sinite vtraque crescere vsque ad messem*. Quare? tales enim estis, vt falli possitis. Denique addit: *Ne forte dum vultis eradicare zizania: eradicetis simul & triticum, &c.* Lege eundem contra Cresconium libro 2. cap. 34. & 37. & contra literas Petiliani li. 3. c. 2. & 3.

Hæretici quando iuste puniri possint.

Matth. 13.

Matth. 13.

Ibid.

Matth. 13. SINITE *vtraque crescere vsque ad messem*. Ad messem vsque, hoc est, iudicium, zizania, hoc est, improbi homines, simul cum probis, in Ecclesia vitam ducent. Nec deerunt impij, nec iusti. Vtraque, tàm zizania, quàm frumenta, crescent vsque ad falcem. Augustinus sermone 18. de verbis Domini. Concedo, inquit, in comparatione zizaniorum, simul ac palearum, frumenta esse pauciora. Tamen vtraque crescunt vsque ad messem. Item: Toto agro deesse non potest frumentum: quod perseuerando vsque ad finem, saluum fiat, &c.

Crescunt zizania cum tritico.

Matth. 13. ALLIGATE *ea in fasciculos*. Messis tempus iudicium indicat. Tunc zizania à tritico separabuntur, & in fasciculos alligata, flammisque tradita, pœnas dabunt sempiternas. Hi fasciculi quales futuri sint exponit D. Augustinus sermone 39. de Sanctis, his verbis: Ligate fasciculos, hoc est, rapaces cum rapacibus; adulteros cum adulteris; fornicatores cum fornicatoribus; homicidas cũ homicidis; auaros cum auaris; iracundos cum iracundis; falsos testes cum falsis testibus; fures cum furibus: similes cum similibus. Hi sunt fasciculi ad comburendum, &c. & D. Gregorius libro 9. Moralium capite 39. in illa verba Iob: *Vbi nullus ordo, &c.* Fasciculos, inquit, ad comburendum ligare est, hos qui æterno igni tradendi sunt, pares paribus sociare: vt quos similis culpa inquinat, par etiam pœna constringat, &c. Euthymius: Ostendit sermo, quòd ij, qui in eodem peccato cõmunicant, etiam in supplicio communicaturi sunt eodem: simulque vltionem sustinebunt, &c. Præterea Theophylactus ex hac alligatione intelligit, alligandos damnatos, ne amplius operari possint: In fasciculos, inquit, hoc est, ligatis eorum manibus, & pedibus. Non enim tunc vltrà quis operari poterit; sed omnis operandi vis ligabitur, &c.

Euthym.

Theoph.

Qui sint fasciculi impiorum.

Dominus his verbis significare voluit, impios gehennæ ignibus cruciandos. Quia verò zizania in fasciculos colligari solent, de zizaniis loquens: *Alligate*, inquit, *ea in fasciculos*; in explicatione autẽ parabolæ, fasciculorum non meminit. Iubet autem paterfamilias messores primum colligere zizania, quoniam Angeli in iudicio impios à piis separabunt. *Mittet*, inquit, *Angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala*: hoc est, omnes offensiones, omnia peccata, quæ scandala dicuntur, quia hominũ sunt offendicula, in quæ impingunt, & cadunt. Colligent etiam eos, *qui faciunt iniquitatem*, hoc est, omnes peccatores, & mittent eos in caminum ignis. Vel, *colligent omnia scandala*, id est, zizania, quæ triticum scandalizant, & corrumpunt exemplo, vel etiam doctrina praua.

Matth. 13.

Ibid.

Ibid.

TRITICVM *congregate in horreum meum*. Triticum iusti sunt. Horreum cælum est, & æterna fælicitas. Tunc in horreum omne triticum cõgregabitur, cùm iusti in die iudicij, in cælum empyreum congregabuntur. *Tunc* (ait Dominus) *fulgebunt iusti sicut sol*. duplici lumine rutilabunt, lumine corporis, & animi. Corpus enim, & animus, miris splẽdoribus fulgebit: lumine spiritali animus, lumine externo corpus splendescet.

Matth. 13.

Iusti in horreum congregantur

Matth. 13.

Hanc parabolam de Hæriticis exponunt Diuus Chrysostomus homilia 47. D. Hieronymus Matthæi 13. Augustinus in libro de quæstio. secundum Matthæum quæst. 11. Theophylactus, & Euthymius. De omnibus tamen impiis, maximè verò de Hæreticis, est interpretanda, vt diximus. Hæretici verò filij sunt nequissimi dæmonis, semen pessimum segetem producens pessimam. Vide qualem segetem produxerit Arius, Pelagius, Lutherus, Caluinus, & cæteri huiusmodi diaboli filij, semen prauum, & zizania triticum corrumpentia. Hos diabolus in medio tritici superseminauit, *cum dormirent homines*. Permittit Deus hæc zizania, non extirpat funditus, fert patienter, pœnitentiam expectat. Nisi in triticum commutentur, tandem euellentur, tartareisque exurentur flammis.

De hæreticis exponitur parabola.

CAPVT IV.

Morale.
De parabola zizaniorum.

TOTVS hic terrarum orbis ager est Dei. In eo bonum semen seminat, hoc est, viros probos. Hi enim triticum Dei sunt, iuxta illud Diui Ignatij dictum, quod D. Hieronymus refert in Catalogo de script. Eccles. iast. Cùm iam rugientes, inquit, audiret leones, dixit Ignatius: Frumentum Christi sum; dentibus bestiarum molar, vt panis mundus inueniar, &c. Triticum, vt hominis panis fiat, mola atteritur; iustus, vt Christi panis euadat, persecutionibus, pœnitentia, laboreque molitur. Ignatij mola dentes fuere leonum, Laurentij mola ferrea craticula, Andreæ crux.

Viri iusti semen Dei triticum.

Iusti cur semen dicantur.

Meritò viri iusti bonum semen dicuntur; quia seminis instar, alios sibi similes, tùm exemplo, tùm verbis, docēdo, producunt. Nonne bonum semen à Christo satum fuere Apostoli, ex quo in Ecclesia tot viri sanctissimi semini similes exorti sunt? De hoc semine illud dicitur. *Isaiæ 1.* *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, &c.* Nisi Dominus Apostolos in mundo seminasset; in Sodomam fuisset mundus conuersus & Gomorrham, penitúsque periissset. *Euseb.* Eusebius libro 2. de Demonstratione euangelica, capite 36. Chorus, ait, Apostolorum, & qui ex Hebræis in Christum crediderunt, fæcundi instar seminis seruati sunt, & per vniuersam terram, omnem regionem proprio, atque Israelitico semine impleuerunt. Adeò, vt ex illis quasi spicæ, Ecclesiæ sint enatæ. Sic Eusebius.

Meritò etiam impij homines semen malum appellantur, & zizania; quoniam sibi similes imitatione proferūt. Sic Lutherus semen pessimum, sic Arius, sic alij hæretici, sibi similes hæreticos instar seminis peperierunt. A zizaniis zizania sunt producta. Sic etiam improbi homines, qui fide quidem prædíti sunt, sed caritate & operibus vacui; exemplo iniquo, alios eiusdem improbitatis participes progignunt.

Matth. 13. Deus in luce operatur, diabolus in tenebris.

Cvm *dormirent homines.* Deus in luce seminat, in luce operatur. Cùm orbem cōdidit prima die dixit, *Fiat lux.* Lux est, & lucis amicus. At diabolus initio operum suorum ait; Fiant tenebræ. Lucifuga est, & lucis hostis. D. Bernardus serm. 72. in Cant. noctem illum vocat. Diabolus, inquit, nox est: nox est, Angelus Satanæ, etsi se trāsfiguret in Angelum lucis, &c. Tenebras offundit rationi, nocte animam obscurat. Si enim illa in luce sit, semina mala, id est, malas cogitationes repellet: si in tenebris sit, & zizania recipiet, & tartareum ad fructum perducet. Odit lucem fur, lucernam extinctam vult, vt furetur, sic & dæmon. *Ioan. 3.* *Omnis qui malè agit odit lucem* (ait Dominus) *& non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius, &c.* Non vult opera sua impia argui dæmon, & manifestari: ideóque mentis lucem odit. *In caligine dæmon parat insidias.*

Quemadmodum insidiator latet, insidiásque parat clam; sic hostis noster, iuxta illud, *Psal. 9.* *Insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca sua, &c.* item, quemadmodum venator laqueum, sic hostis noster tentationum suarum retia tegit: *Psal. 141.* *In via hac, qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi, &c.* *Psal. 63.* *Narrauerunt, vt absconderent laqueos. Dixerunt: Quis videbit eos? &c.* Videbit illuminata à Deo mens, & spiritus alis prædita. *Prou. 1.* *Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.* Si rete iacias ante oculos volucris, euolabit: si ante oculos illuminatæ mentis laqueos suos dæmon paret; auolat illa. Lege Bernardum sermone 64. in Cantica. Chrysologus sermone 97. Insidiator, inquit, in noctibus latitat, in diebus vigilātes fugit, appetit dormientes, &c. *Psal. 9.* *Inclinabit se, & cadet, cùm dominatus fuerit pauperum.* ex Hebræo verti etiam potest: *incuruabit se; & cadet in fortia eius*: scilicet, in fortia retia eius; *congregatio pauperum.* hoc est, deprimet se, incuruabitque, ne videatur, vt solent aucupes & venatores. Et cadent in eius fortes cassēs homines, veluti volucres. Incuruat se dæmon, & veluti auceps, ne conspiciatur, humi procidit, vt in retia nos sua pertrahat.

Prætereà cùm dormiunt homines: sementem zizaniorum facit dæmon, id est, cùm desides sunt, ac negligentes Ecclesiæ pastores, vt dictum est suprà. *Desides prælati. Prou. 24.* *Per agrum hominis pigri transiui, & per vineam viri stulti: & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant superficiem eius spinæ, & maceria lapidum destructa erat, &c.* Pigri pastoris, & dormientis ager, & vinea, id est, Ecclesia, vrticis, spinis, & zizaniis repletur. D. Bernardus libro secundo de Consideratione: Inferiorum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quàm ad desides, negligentésque rectores, &c. D. Hieronymus Matth. 13. Non dormiat, inquit, qui Ecclesiæ præpositus est, ne per illius negligētiam inimicus homo superseminet zizania, &c. Prælatorum somnus multorum malorum & hæreseon causa est, vt docte ostendit Castro lib. 3. de iusta hæreticorum punitione cap. 4. quo loco illud affert, quod lib. 3. Regum cap. 3. narratur; fœminam filium, quem vigilans lactauerat, oppressisse dormientem, & vita priuasse. Id quod pastoribus Ecclesiæ euenit. Filios enim, quos si vigilent, suaui doctrinę lacte pascunt: si dormiant, prauo exemplo, & negligentia opprimunt, & occidunt. D. Hieronymus Nahum 3. Scit, inquit, Rex Assyrius, id est, diabolus, non posse se oues decipere, nisi pastores antè consopierit, &c. *Prælatorum somnus hæreseon causa est.*

Ad hæc; cùm dormiunt homines, dæmon zizania eorum in animis seminat. Negligētes enim, & salutis suæ parùm studiosi, diaboli malum semen, hoc est, cogitationes, & peccata corde excipiunt, atque alunt. Beda Matth. 13. Hæc sententia, videlicet: *Cùm dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania*: cautos nos esse admonet, ne dum torpemus inertia, diabolus fœditatem vitiorum super semen bonæ voluntatis spargat, &c. Imbecillis est dæmon, vigilantes non vincit, sed dormientes. D. Chrysologus serm. 97. Maximæ, inquit, infirmitatis indicium est, dormientibus irruisse, &c. Imbellis fœmina Dalila Iudicum 16. fortissimū Samsonem crinibus, & fortitudine spoliare ausa est; sed dormientem. Fœmina Iahel Sisaram vita priuare non est verita, sed dormientem. Omni fortitudine somnus, id est, negligentia, ac socordia, hominem priuat, diaboloque aduersus eum præbet audaciam. Hieronymus Nahum 3. Semper, ait, diaboli studium est, vigilantes ánimas consopire, &c. Sed tu cum Dauide dicito: *Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis; donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob, &c.* id est: Non dormiam, sed vigilans tabernaculum in me extruam Domino. *Negligentiæ & desidia.* *Dæmon imbecillis qui vigilantes non vincit sed dormientes. Matth. 13.* *Iudicum 4.* *Psal. 131.*

Venit *inimicus eius.* Inimicus Dei diabolus est. Quemadmodum inimicus homo, quia inimicus erat patri familias, semētem zizaniis corrumpere, ac vastare conatus est; sic diabolus, quia Dei hostis est, eius frumētum, id est iustos, conatur perdere, & imaginem, id est, hominem, lacerare, vt D. Basilius docet orat. 10. de inuidia, & odio. Pantheræ, inquit, naturalem quandam habent aduersus hominem iram, & solent vel maximè in oculos insilire. Hinc qui bestiæ illudunt, ex charta imaginem quasi hominem ipsi ostentant. Illa verò nimio impetu esse hominem autumans, chartam veluti hominem discerpit, atq; hinc quantò sit in hominem odio ostendit. Sic & dæmon, in imagine, id est homine, quo sit in Deum odio ostendit; cùm ipsum Deum attingere nequeat. Sic Basil. *Matth. 13.* *Diabolus quia Deum odit, hominem persequitur.* *Basil.*

In *medio tritici.* In medio proborum hominum, superseminat diabolus improbos amicos, veluti scabiosas oues inter sanas; vt malis moribus sanos inficiant. Amicitia enim improborum inficit ac corrumpit. Vnde D. Basil. homil. 9. *Quòd Deus auctor mali non sit*; Noxiæ, inquit, sunt amicitiæ, quæ cum malitia contrahuntur. Nā ea est amicitię huius lex, & vis, vt per similitudinem malitiam cōiunctis indat. Quamobrem rectè prouerbium dicit: *Corrumpunt bonos mores colloquia praua.* Quemadmodum enim in pestilentibus locis, sensim attractus aër, latentem corporibus morbum iniicit: sic item in praua consuetudine, ac conuersatione, maxima nobis mala hauriuntur; etiam si statim incommodum non *Matth. 13.* *Amici improbi fugiendi.* *Basil.*

Psal. 105. non sentiatur, &c. *Commixti sunt inter gentes:* hoc est zizaniis commixtum est frumentū. Sequitur corruptio. *Et didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum,* &c.

Ibid.

Dæmon tentare potest, cōsensum extorquere non potest. Matth. 13.

ET *abiit.* Dæmon superseminare solùm potest, malæ cogitationis zizania vt fructum pariant efficere nequit. Tentare potest; vt assentiaris tentationi, efficere nō potest. Quamobrem postquam seminat, *Abit,* quasi id iam fecerit, quod potest; reliqua tibi facienda relinquit. Seminator zizania in terram iacit: nisi terra illa excipiat, & foueat, fructum minimè ferent. Eodem modo malus dæmon malas cogitationes in cor immittit: sed nisi cor illas recipiat, & assensu foueat, atque alat, nihil fructus impio seminatori parient. Diabolus (ait diuus Bernardus sermone 85. in Cant.) impellit, sed non euertit. Si quidē tuum illi negaueris assensum, &c. Item, homo suo sine alieno impulsu cadere potest, alieno absque suo cadere non potest, &c.

Matth. 13. CVM *creuisset herba, & fructum fecisset.* Zizania in herba non agnoscuntur, sed in fructu: sic & homines impij cognoscūtur ex operibus, & à frumento discernuntur: iuxta illud, *ex fructibus eorum cognoscetis eos.* D. Chrysologus ser. 97. Quod, inquit, latet in herba manifestatur in spica, &c. Apparuerunt in segete zizania, apparet etiā nunc in segete Dei zizaniorum multitudo: & Deo tolerante, malū semē crescit, vita, diuitiis, & honoribus. Sed breui crescit tempore, mox ignibus tradetur æternis.

Matth. 7.

Vnde ortum sit malum? Matth. 13.

VNDE *ergo habet zizania?* Quæstio hæc est de origine mali: Vnde ortum est malum, vnde peccatum? Deus omnia bona condidit, & valde bona: sementem fecit egregij seminis, vndenam zizania orta sunt? Numquid ex bono semine Dei? Numquid ex bono malum oriri potest? Respondetur: *Inimicus homo hoc fecit.* Non ortum est malum hominis, id est, peccatum, à Deo optimo; ortum est ab hoste pessimo. Vrgebis, hic hostis pessimus à Deo creatus est: ergo malum à Deo creatū est. Respondemus, creatus est hostis pessimus à Deo, sed nec hostis, nec pessimus, aut malus, creatus est. Cōditus est bonus, ipse se fecit malum, & pessimum. Quidquid bonitatis habuit, atque etiam nunc habet, à Deo est, solum peccatum à se habet. Nimirū habebat voluntatem, vel ad bonum, vel ad malum complectendum liberam: maluit pro libertate sua malum amplecti, eáq; de causa ex bono se malum ipsemet fecit. Tertullianum lege li. 2. contra Marcionem cap. 10. quo loco ostendit diabolū à se ipso esse malum, non à Deo. Quòd, inquit, factus est à Deo, id est, Angelus, id erit eius, qui fecit. Quòd autem factus à Deo non est, id est, diabolus, id est, delator, supereſt, vt ipse se fecerit, &c. Item: Retrò quidem inuituperabilis, à die cōditionis suæ, à Deo in bonum conditus, vt à bono conditore inuituperabilium conditionū, & excultus omni gloria Angelica, & apud Deum constitutus, qua bonus apud bonū, posteà verò à semetipso trāslatus in malum, &c. Itaque inimicus homo, id est, dæmon primo se ipsum in cælo malum fecit, deinde hominem in terra. Prius se ipsum in zizaniam conuertit; postea hominem. Dei inimicitiam malus concepit, & hominis quoq; à Deo conditi. Ideoque perditus ipse, homines perdere non cessat, & vt ait Chrysologus ser. 97. hominū damnū, suū computat lucrum, & quod perierit hominibus, hoc se æstimat acquisiuisse, &c. Et ser. 96. Malis nostris gaudet, nostris ruinis surgit, nostris viuit ex mortibus. Ad cælum vnde cecidit, non patitur hominem peruenire, &c.

Ibid.

Diabolus bonus est creatus.

Diabolus à seipso malus est.

Diabolus nostris malis lætatur.

Vis imus, & colligimus ea? Obseruandus est horum seruorum zelus aduersus peccata. Mundum omnibus sceleribus, ac sceleratis hominibus expurgatum esse cupiebant. Vtinam zelo arderemus, & pro nostra virili è mundo flagitia, vt extirparentur conaremur. Obserua diligentiam, *Vis imus, & colligimus ea?* Si multi essent prudentes, docti ac diligentes Dei serui, qui se se illi offerrent, per orbem ad extirpanda zizania mittendos, multò sanè melius cum mūdo ageretur. *Vis,* inquiunt, *imus,* in Indiam, Iaponiam, Æthiopiam, Brasiliā? in totum iam imus orbem, si vis. Mitte, imus. Iube; statim facimus, te volente, te mittente, si eamus, zizania, hoc est, idolatriam, hæreses, vitiáque reliqua eradicabimus. *Vis imus?* Sic olim Isaias cùm Dominum dicentem audisset: *Quem mittam? & quis ibit nobis?* se ipsum obtulit, *Ecce ego,* inquit, *mitte me.*

Matth. 13.

Isaiæ 6.

Duo obseruanda in his seruis. 1. Cor. 15.

Duo obseruat D. Thomas in his seruis: Dicuntur inquit, de ipsis duo laudabilia, quia mouentur ad destruēdum malum, *Auferte malum ex vobis ipsis.* Item illud laudabile, quia hoc facere nolūt proprio motu: sed iussu Domini, &c. Hæc in concionatore requiruntur, zelus ad extirpandum malum, & superioris iussus & approbatio. *Zelo zelatus sum,* ait Elias, *pro domo Domini exercituum, quia dereliquerunt pactum Domini filij Israel,* &c. Zelus hic ille est igneus Eliæ currus, quo vectus concionator mūdum docendo percurrit, hoc Petrus vectus, hoc Paulus, cæteríque Apostoli orbem peragrarūt, hoc etiam hodie multi in nouum ducuntur orbem, in Indiam, Brasiliam Iaponiamque, & Æthiopiam. Zelus hic ignitus ille est calculus, quo Seraphinus ex altari templi sublato, Isaiæ mittendi ad populum, labia tetigit. Ignita enim labia concionantis, zelus ardēs efficit. Zelus hic doctorem populi comedit; iuxta illud, *Zelus domus tuæ comedit me.* Comedit, inquam, vitæ amorem, honoris cupiditatem, periculorū horrorem. Animarum enim salutem vitę, honori, cæterisque omnibus commodis anteponit.

3. Reg. 19.

Zelus Concionatorum qualis esse debeat.

Psal. 68.

SINITE *vtraque crescere vsque ad messem.* Non loquitur Dominus de singulis hominibus. Nec enim vsque ad messem, id est, iudicium singuli crescunt. è vita ante iudicium discedunt. Loquitur ergo de toto humano genere, quod ad iudicium vsq;, cum malorū permixtione perseuerabit. Crescent zizania cum tritico, improbi inter probos vitā ducent. Sed tamē licet corpore nō sint separati, sunt mente separati, sunt vita, & moribus. Augustinus lib. 3. contra literas Petiliani cap. 3. Etsi, inquit, ab iniquis ad tempus corporaliter non potest; recedat tamen ab ipsa iniquitate omnis qui nominat nomen Domini. Licet enim à malis interim vita, moribus, corde ac voluntate separari, ac discedere, quæ separatio semper oportet custodiatur. Sic Augustinus. Licet etiam, & expedit ab iisdem non solùm vita, sed corpore etiam seiungi, fugere amicitiam, faliaritatem euitare ne maculent, ne vitiorum sorde inquinent, vt suprà dictum.

Matth. 13.

Iusti sunt separati ab improbis vita, & moribus.

Augusti.

Crescent zizania. Interim dum in agro crescunt, in triticum mutari possunt. Sunt enim zizania voluntate, non naturæ necessitate. Si mutentur, in horreum mittētur: si mutari noluit, ignibus comburentur. In agro sunt zizania (ait Augustin. serm. 46. de diuersis) & fieri potest, vt qui hodie sunt zizania, cras sint frumētum. Zizania alloquor. Corrigite vos antequam messis adueniat, &c. Ideo crescere sinit Deus zizania vt mutētur in frumētum. Potest protinus eradicare, sed vult potius pœnitentiam expectare. Quamobrem doctè August. ser. citato ait; Non dicas; peccaui, & quid accidit mihi? Non perdidit Deus potentiā; sed à te exigit pœnitentiam, &c. Non perdidit Deus ad extirpanda zizania potentiam, sed tolerat, & exigit pœnitētiam. Diuus Chrysologus ser. 97. Si zizaniis, inquit, non subueniret Dei potentia, nec Matthæum de publi-

Mutari possunt zizania in triticum. Augusti.

Exigit Deus à zizaniis pœnitentiā.

Zelus horum seruorum laudatur.

cano Euangeliſtam, nec Paulum de perſecutore Apoſtolum Eccleſia poſſideret, &c.

Patientiæ exemplum hic Deus exhibet.

Tolerantiæ exemplum hic obſeruat Beda Matthæi 13. Hic, ait, nobis patientiæ exemplum præbetur, vt ſicut pater familias in dolo inimici patiens fuit; ſic in aliqua nos læſione, non ſtatim ad vindictam, ſed magis ad tolerantiam recurramus, &c. Lege D. Gregorium Nyſſenum in lib. de Anima, & reſurrectione, ante libri medium, in quo bonum ſemen animi appetitus rationi conſentientes eſſe ſcribit. Zizanium verò errorem circa iudicium boni, atque honeſti. Deum verò noluiſſe animi impetus omninò penitúſque extirpari.

Matth. 13. ALLIGATE *ea in faſciculos ad comburendum.* Non perdidit Deus potentiam: illam tandem zizania experientur. Ignibus ſolùm vtilia ſunt, ignibus tradentur: frumẽtum autem in horrea recondetur. Cum frumẽto zizania ſunt in agro, ſed non erunt in horreo: ſunt in terra, ſed non erunt in cælo. Non capit cæleſtis ager malum ſemen, permixtum zizaniis triticum non capit cæleſte horreum. Expurgatum, ac trituratum oportet eſſe triticum, antequàm in horreo reponatur: expurgatos omnino, & pœnitentia tribulationibuſque trituratos, oportet eſſe homines, priuſquàm in cælo collocentur. de faſciculis impiorum ſuprà iam diximus.

Deus beneficia per ſe, per alios ſupplicia infert. Matth. 13. Chryſoſt.

DICAM *meſſoribus.* Obſeruat hoc loco Chryſoſtomus hom. 48. in Matthæum, Chriſti miſericordiam, qui beneficia per ſe, per alios cõferat ſupplicia. *Dicam*, inquit, *meſſoribus: Alligate ea in faſciculos ad comburendum.* Conſidera (ait Chryſoſt.) ineffabilem Chriſti miſericordiã, & quòd ad benefaciendum quidem pronus eſt, à deſiderio autẽ puniendi alienus. Nam quando ſeminat, per ſe ipſum id peragit, ſupplicia verò per alios inſert, &c. Philo etiam lib. de Abrahamo pag. 321. exiſtimat ex tribus Angelis, qui ab Abrahamo viſi ſunt, duos tantum Sodomam iuiſſe, vt illam euerterent: quia Deus per ſe punire non vult. Cùm Abrahamo, inquit, oblata ſit trium virorum ſpecies, duos tantùm eloquia diuina ad excidendam regionem veniſſe dicunt, vt delerent eius incolas, cùm tertius indignos aduentu ſuo duceret. Is quantùm intelligo, erat ille, qui verè eſt (.i. Deus) æquum iudicãs, vt bona per ſe ipſum largiretur, contraria verò exequenda ſuis potentiis relinqueret. Id quod mihi videtur reges facere ad imitationẽ naturæ diuinæ, dum per ſe ipſos gratias porrigunt, pœnas per alios ſanciunt, &c.

Phil.

CAPVT V.

De parabola ſeminis ſenſim creſcentis.

MARCVS CAP. IV.

ET dicebat: Sic eſt regnum Dei, quemadmodum ſi homo iaciat ſementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte & die, & ſemen germinet, & increſcat, dum neſcit ille. Vltrò enim terra fructificat, primùm herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica. Et cùm produxerit fructus, ſtatim mittit falcem, quoniam adeſt meſſis.

Marci 4.

ET *dormiat, & exurgat nocte & die.* Hæc parabola à Marco refertur. *Sic eſt regnum Dei*: hoc eſt, ſic ſe habet negotium regni Dei. i. Eccleſiæ: quemadmodum ſi agricola ſemen in terra ſpargat, & dormiat ipſe agricola, & exurgat poſt ſomnum, *nocte, & die*: dormiat, inquam, nocte, & exurgat die, & ſemen interim eo nocte dormiente, & die exurgente, negotiiſque vacante, neque ſciente, neq; aduertente, germinet, & creſcat. Auctor commentariorum in Marcum, qui D. Hieronymo tribuuntur, verbum, *exurgat*, ad ſemen refert, hoc ſenſu; Sic eſt regnum Dei, quemadmodum ſi homo iaciat ſementem in terram, & dormiat ipſe homo, & exurgat ſemen nocte & die, & creſcat eo neſciente, hanc interpretationem habet gloſſa ordinar. nec reiicit Ianſenius, imo ſequitur in ſecunda expoſitione parabolæ. Sed priorem probabit, qui bene attenderit, & contextum legerit. Coniunctio illa, *&*, quæ ſemẽ antecedit, refutat hanc interpretationem, vt alia omittam. Euthymius, & Theophylactus, illa verba, *die ac nocte*, coniungunt cum verbo, *exurgat*, in hanc ſentẽtiam, Et exurgat ipſe ſeminator, *nocte & die*. interpres Euthymij ſic verba Euangelij vertit. *Et ille*, id eſt, ſeminator, *excitetur nocte, & die*. Chriſtus enim, vt ait Euthymius, & Theophylactus, exurgere dicitur nocte, cùm permittit nos obſcuris tentationibus agitari; die verò, cùm conſolatur. Satius eſt, diem cum verbo, *exurgat*, noctem cum verbo, *dormiat*, copulare, *dormiat, & exurgat*: nocte videlicet dormiat, die exurgat ſeminator, vt eſt explicatum. Ita Caietanus, Maldonatus, & Ianſenius. Poteſt etiam ſic explicari locus hic; *dormiat, & exurgat, die ac nocte*; id eſt, congruis horis diei & noctis, vt exponit Carthuſianus. nam tàm die, quàm nocte homo dormire poteſt & ſurgere.

De ſemine quomodo creſcat imperceptibiliter.

Marci 4.

VLTRO *enim terra fructificat.* Terra ſponte ſua triticum minimè profert, cur ergo ait Dominus, vltrò fructificare herbam, ſpicam, & frumentum? Reſpondetur, terram fructificare frumẽtum vltrò, & ſponte, poſtquàm ſemen ſuſcipit. A natura enim hoc habet, ideóque vltrò dicitur producere. Prætereà quia terra hominem indicat fructum ſponte producentem, ideò vltrò dicitur fructificare. Græcè habetur, αὐτομάτη ἡ γῆ καρποφορεῖ, id eſt, *ſpontanea terra fructum affert.* Adde, *vltrò*, ſignificare terram ſine alia ſeminatoris opera fructum proferre, ſi cælum faueat.

Marci 4.

ET *cùm produxerit fructus.* Græcè, ὅταν δὲ παραδῷ ὁ καρπός, fructus eſt caſus primi. ſed, quis ſit ſenſus conſtat, ſcilicet, cùm terra fructum iam produxerit perfectum, atque formatum frumentum in ſpica, falx immittitur. Ita vt verbum Græcum, & Latinum, *produxerit*, paſſiuè accipiatur, hoc modo, cum produxerit fructus, id eſt, cum productus fuerit maturus fructus, vel cùm prodierit fructus. Si actiuè, ſenſus erit, Cùm fructus terræ, ſcilicet, ſemen, produxerit alium fructum, ſcilicet frumentum, ſed non placet. Forſan interpres ſenſum curauit, non verba, hoc pacto, *& cum produxerit fructus* maturos ipſa terra, ſtatim agricola falcem mittit.

Quid

Quid significet parabola. Theoph.

Quid significet hęc parabola dubium. Theophylactus sic explanat, Homo, inquit, est ipse Deus, semen misit in terram, id est, Euangelij prædicationem, semine proiecto dormit, hoc est, ascendit in cælum: attamen surgit nocte, & die. Nam quamuis Deus dormire videatur, surgit tamē. Et nocte quidem, quando per tentationes, in sui cognitionem nos suscitat: die verò, quando per suauia, & iucunda, nostram vitā moderatur. Crescit autem semen ipso nescio, liberi enim arbitrij sumus, & in nostra electione oportebit semē crescere, vel non. Sponte enim fructum afferimus. Primùm quidem herbam, ac principium boni demonstrantes, deinde spicam proferimus, quando & contra tentationes consistere valemus, spica enim & geniculis cingitur, & rectè stat, & perfectior est. Posteà plenum etiam frumentum, in spica; cum perfectum quis fructum attulerit. Per messem intellige consummationem sæculi. Sic Theophylactus, eodem ferè modo interpretatur Euthymius.

Liberi arbitrij sumus.

D. Greg. Bona intentio semen.

D. Gregorius hom. 15. in Ezechielem hoc pacto: Semen, inquit, homo iactat in terram, cùm cordi suo bonam intentionem inserit. Postquam semen iactauerit, dormit, quia iā in spe boni operis quiescit. Nocte verò exurgit, ac die, quia inter aduersa, & prospera proficit. Et semē germinat, & crescit, dum die nescit, quia & cùm adhuc metiri incremēta sua non valet, semel concepta virtus ad profectum ducitur. Et vltrò terra fructificat: quia præueniente se gratia, mens hominis spontanea, ad fructum boni operis assurgit. Sed hæc eadem terra primùm herbam; deinde spicam, deinde plenum frumentum producit in spica. Herbam quippe producere est, inchoationis bonæ teneritudinem adhuc habere. Ad spicam herba prouenit, cùm se virtus animo concepta, ad perfectum boni operis pertrahit. Plenum verò frumētum in spica fructificat: quando iam in tantùm virtus proficit, vt esse robusti, & perfecti operis possit. Deus producto fructu mittit falcem, quia cùm vnumquemque ad perfecta opera perduxerit, eius temporalem vitam incidit, vt granum suum ad cælestia horrea perducat. Ita D. Gregorius: quæ ex eo transtulit Beda in Marcum. Lege eundem Gregorium lib. 22. Moral. cap. 14.

In virtute progressus.

Autor in Marcum.

Auctor ille in Marcum, qui D. Hieronymus dicitur, & habetur in glossa ordinaria: Semen, ait, est verbum vitæ, terra, corda humana, dormitatio hominis, mors saluatoris. Exurgit semen nocte, & die: post somnum Christi, numerus credētium per aduersa, & prospera, magis magisque germinabat in fide, & creuit in opere. *Dum nescit ille*; id est, nescire nos fecit, quis fructum in finem afferat, dum dicit; *Qui perseuerauerit vsq; in finem, hic saluabitur, &c. Vltrò terra fructificat primum herbam*, i. timorem; *initium enim sapientiæ timor Domini. Deinde spicam*, id est, pœnitentiam lachrymosam. Deinde plenū fructum in spica, id est, caritatem, plenitudo enim legis charitas. Falx est mors, vel iudicium, quod secat omnia, messis consummatio sæculi, &c.

Herba timor, spica pœnitentia plenus fructus charitas.

Matth. 24. Marci 4.

Ianseni.

Iansenius parabola significari putat, euangelicam doctrinam præter hominum opinionem, ac ne sentientibus quidem illis, passim enascituram, & fructificaturam, ordine quodam, donec ad perfectum fructū perueniat. Quemadmodum semen, non sentiente nascitur homine, & ordine quodam ad fructum perfectum peruenit, ab herba, ad spicam frumento plenam.

Caiet.

Caietanus arbitratur indicari, fructū verbi Dei seminati, non produci opera concionatoris. Nam quemadmodum seminator seminat quidem triticum, quod illius opera non crescit; ipso enim nesciente, & aliis negotiis vacante, crescit, Deo producente & terra: sic concionator serit quidem verbum, non tamen incrementum illi dat, sed Deus. hoc est, quod Paulus dixit. *Neque qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat Deus, &c.* Crescit autem Dei verbum paulatim, nemo enim repente fit summus, vt Caietanus ait, sed primùm exercetur operibus incipientium, deinde proficientium, & demum perfectorum. Primùm herba est, posteà spica, tandem plenum in spica frumentum.

1. Cor. 3.

Maldon.

Maldonatus existimat, ostendi tantam esse vim verbi Dei, vt (si in bonā incidat terram) etiam si is, qui iecit, nihil aliud agat; germinet, crescat, & fructum ferat. Prætereà credit voluisse Christū, Apostolis gloriandi occasionem tollere, dum aliis verbis dicit illud Pauli citatum; *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus, &c.*

1. Cor. 3.

Bonus auditor quis.

Duas partes parabola habet. Prior est, sementem nesciente seminatore, & aliud agente, absque noua ipsius opera, è terra germinare, & crescere. Posterior, terrā paulatim producere, primùm herbam, deinde spicam, tandem formatū in spica triticum. Prior pars significare potest, bonum auditorem, qui in corde bono, & optimo (vt in alia parabola dictum est) verbum Dei recipit, nulla alia concionatoris opera indigere, sed etiam ipso concionatore nesciente fructum verbi posse producere. Nam fieri poterit, vt bonus auditor, postquam Dei verbum audit, domum petat, nec concionatorem adeat, aut alloquatur vnquam: sed ipso ignorante, auditum verbum, Deo iuuante, ad maximū fructum perferat. Itaq; indicat parabola verbi Dei fructum, postquàm est corde receptum, non ex concionatoris opera, sed maximè ex Dei auxilio, & hominis cooperatione pendere, quemadmodū seminis fructus, non ex opera seminatoris, postquam seminauit, sed ex cælo, & terræ fœcunditate pendet. Hortatur Dominus auditores, vt similes terræ fœcūdæ sint, quæ ipso agricola nesciente, vltrò frumentum profert, cælo adiuta. Posterior pars parabolę significat, paulatim crescere fructum verbi, id est, hominis virtutem. Nam primùm velut herba est, deinde veluti spica, tandem perfectionem consequitur.

CAPVT VI.

De parabola grani sinapis.

MATTHÆVS CAP. XIII.

ALiam parabolam proposuit eis, dicens: Simile est regnum cælorum grano sinapis, quod accipiens homo seminauit in agro suo, quod minimum quidem est omnibus seminibus, cùm autem creuerit, maius est omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cæli veniant, & habitēt in ramis eius.

MARCVS CAP. IV.

ET dicebat: cui assimilabimus regnum Dei; aut cui parabolæ comparabimus illud? Sicut granum sinapis, quod cùm seminatum fuerit in terra, minus est omnibus seminibus, quæ sunt in terra: & cùm seminatum fuerit, ascendit, & fit maius omnibus oleribus, & facit ramos magnos, ita vt possint sub vmbra eius aues cæli habitare.

LVCAS CAP. XIII.

DIcebat ergo, cui simile est regnum Dei, & cui simile æstimabo illud? Simile est grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, & creuit, & factum est in arborem magnam: & volucres cæli requieuerunt in ramis.

Quid significet parabola grani sinapis. Ecclesia minima, maximè creuit.

PARABOLA hęc Ecclesię significat incrementũ per Euangelicã doctrinam. Nam regnum cælorũ, hoc est, regnũ cæleste, Ecclesia, similis fuit ardẽti sinapis grano, quod cùm minimum sit, si seminetur, in arborem excrescit. Ecclesia Christiana initiò, cùm à Christo in terris seminata est, minima erat: sed caritate ardens, postea arbor facta est ingens, qualis illa, quæ Dan. 4. describitur. Et Psal. *Operuit montes vmbra eius, & arbusta eius cedros Dei, extendit palmites suos vsque ad mare, & vsque ad flumen propagines eius*, &c. Item. *Postula à me, & dabo tibi gentes, hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Psal. *Dominabitur à mari, vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum.* Psal. *Ecce alieni genæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic*, &c. Chrysost. in Matthæum: Hac, inquit, imagine prædicit Christus prædicationem per vniuersum orbem omnino coruscaturam. Idcirco huius oleris similitudinem proposuit, &c. Euthymius: Per hanc parabolam prædicationis augmentum prænunciat Christus, &c. Theophylactus; granum sinapis prædicatio est, & Apostoli. Pauci enim videntur hi, & tamen totum orbem occuparunt, &c.

Psal. 79. Psal. 2. Psal. 71. Psal. 86. Chrysost. Theoph.

Matth. 13. Christus varias epulas proponit. Hieron.

ALIAM *parabolam proposuit eis.* Parabolas multas proponit Christus, & veluti dives, atque opulentus pater familias varias epulas mensæ infert. Quod D. Hieronymus sic dixit: Proponit, inquit, eis & aliam parabolam, quasi dives paterfamilias, inuitatos diuersis reficiens cibis, vt vnusquisque secundùm naturam stomachi sui, varia alimenta susciperet, &c. Item adiungit: Proponit Dominus diuersas parabolas, vt iuxta vulnerum varietates, & medicina diuersa sit, &c.

Vndenam parabolas summa sapientia Christus desumat, aduerte, nimirum non ex rebus cælestibus, subtilibus, ab vsuque remotis, sed quotidianis, & in vsu positis. quod obseruat Chrysologus serm. 99. his verbis: Bonus Dominus regni sui similitudines iterat, variat comparationes. Quas non de occulto sumit, non captat de cælestibus, sed profert de quotidiano vsu, de communi cõuersatione proponit. Vt ad omne genus hominum perueniat, quod est omnibus profuturum. Loquitur nota diuiti, vsitata pauperi, omnibus vitæ ipsius necessitate vernacula, &c.

Chrysol.

Matth. 13. MINIMVM *est omnibus seminibus.* Omitto grammaticam. Ait enim D. Gregorius in epistola ad Leandrum: Indignum vehementer existimo, vt verba cælestis oraculi, restringam sub regulis Donati, &c. Minimum dicitur granum sinapis omnibus seminibus, vel omnium seminum, fortè

Excusatur interpres errans in grammatica.

A tempore interpretis illa constructio in vsu erat. Columella lib. 8. de Re Rust. simili vtitur. Media (inquit) cella tribus minima esse debet, &c.

Dubium quomodo verum sit, granum sinapis esse minimum inter omnia semina. semen enim papaueris, vel rutæ, minus videtur grano sinapis. Respondemus, granum sinapis minimum esse inter semina olerum, vt ex sequentibus colligitur, de oleribus enim loquitur Dominus; *Maius* (inquit) *est omnibus oleribus.* Vel inter semina, quæ in cibum veniunt, at papauer, & ruta neque sunt olera, neque eduntur. Vel dicitur minimum omnium seminum, quia fere omnium seminum est minimum. pauca enim, si sint minora, pro nihilo reputantur. Nam, *Omnis*, non significat aliquando omnimodam vniuersitatem, vt docet Diuus Hieronymus epist. 146. ad Damasum: Secundum, inquit, illum canonem, quem sæpe exposuimus Scripturarum: Omnia, non ad totum referenda esse, sed ad partem maximam. vt, *omnes declinauerunt.* &, *omnes qui venerunt ante me, fures fuerunt.* ad Philipp. *omnes quæ sua sunt quærunt.* Sic Hieronymus. Denique, dicitur omnium seminum minimum, quoniam semen est maximè vulgare, & inter vulgaria semina maximè paruum. Vel fortè in Iudæa sic res se habebat, vt nullum esset semen eo minus. Nam vt Caietanus obseruauit, non est eiusdem quantitatis omnibus in locis. Comparaui (ait) hæc semina in Italia, nec apparet vniformitas, &c. Albertus Magnus ait esse minimum comparatione ad productum. Nam id quod granum sinapis producit, maius est, quam id, quod profert semen papaueris, & rutæ, adeo vt appelletur à Domino arbor.

Granum sinapis quomodo sit minimum. Matth. 13. Hieron. Psal. 13. Ioan. 10. Phil. 2. Caiet. Albert. Mag.

De sinapi sic scribit Plinius libro 20. capite 22. Sinapi Pythagoras iudicauit principatum habere ex iis quorum in sublime vis feratur. Quoniam non aliud magis in nares, & cerebrũ penetret. Ad serpentium ictus, & scorpionum, tritum cum aceto illinitur. Contra pituitam tenetur in ore, donec liquescat, aut gargarizatur, cum aqua mulsa: ad dentium dolorem mãditur. stomacho vtilissimum contra omnia vitia, pulmonibusque, &c. Diuus Ambrosius serm. 1. Granum sinapis prima fronte specie sui paruum est, vile, despectum; non sapore præstans, non odorem circumferens. At vbi teri cœperit, statim odorem suum acrimonia exhibet, cibum flammei saporis exhalat, & tanto feruoris calore succenditur, vt mirum sit, in tam friuolis granis, tantũ ignem fuisse conclusum. Cuius etiam seminis cibum homines, hyemis tempore, magna pro suauitate percipiũt; quatenus repellant frigora, humores egerãt, viscerum interna calefaciant, &c. Ibidem fidem Christianam cum sinapi cõfert.

Plin. Ambr.

D. Hi-

Hilar. Chriſtus granum ſinapis.

D. Hilarius in Matthæũ ait, minimum granum ſinapis, humilem Chriſtum ſignificare Cruci ſuffixum, & in ſepulchro veluti horto ſeminatum; vnde ſumma cum gloria reſurgens in arborem excreuit maximam. Grano, inquit, ſinapis ſe Dominus comparauit, acri maximè, & omnium ſeminũ minimo. Granum hoc poſtquam in agro ſatum fuerat, id eſt, vbi à populo traditus morti, tamquam in agro, ſatione quadam fuit corporis conſepultus: vltra mẽſuram omnium olerum excreſcit, & vniuerſam prophetarum gloriam excedit, &c. D. etiã Ambroſius ſer. 2. Chriſtus (ait) naſcendo humiliatus, vt granum eſt: aſcendẽdo ad cælum exaltatus, vt arbor eſt. Granum planè Chriſtus eſt, dum patitur: arbor eſt, cum reſurgit, &c. Ait eo loco Ambroſius hoc granum Ioſeph accepiſſe, & ſeminaſſe in agro ſuo, ſiue horto. Chriſtum enim Ioſeph ab Arimathia in horto ſuo ſepeliuit, & granum hoc veluti ſeminauit. Item D. Gregorius lib. 19. Moral. cap. 1. Chriſtus in horti ſepultura plantatus, arbor magna ſurrexit, granum namq; fuit cùm moreretur, arbor cùm reſurgeret, &c. Chryſologus ſer. 98. Chriſtus velut granum ſinapis, in hortum virginei corporis miſſus, tantum dedit fructus ſui ſaporem, cùm teritur paſſione, vt quidquid eſt vitale, ſuo ſaporaret, & condiret attactu, &c.

Chriſtus granum eſt cum patitur, arbor, cum reſurgit.

Sinapis granum doctrina euangelica. Hieron.

D. Hieronymo granum ſinapis doctrinam ſignificat euangelicam, ſeminator autem à quo granum ſeminatur in agro, intellectum noſtrum ſignificat in corde ſeminantem. Quis, inquit, eſt iſte, qui ſeminat, niſi ſenſus noſter, & animus, qui ſuſcipiens granũ prædicationis, & fouens ſementem humore fidei, facit in agro ſui pectoris pullulare? &c. Ergo cum verbum Dei meditamur, ardens granum ſinapis in corde ſerimus, quod cor incendat, illíque medeatur. Sinapi enim & incendit, & medetur. Acrimoniam habent ſinapis grana, lacrymasque cient: ſic & Dei verbum acre eſt, & lacrymas, mœrorémque naturæ affert, quam ab inani lætitia auocat. Vnde illud D. Ambroſij ſer. 2. Fides (inquit) Chriſtiana vigorem obtinet, quem ſinapis natura depromit. Nam ſicut cùm ſinapis ſuccũ ſumimus, vultu contriſtamur, fronte contrahimur, ad lacrymas promouemur, & ipſam ſalubritatem corporis noſtri, cum quodam fletu auſteritatis accipimus. Illinc enim nos amaritudo exaſperat, acrimonia penetrat, ſiue calor ignei ſaporis accendit, & toto perturbato corpore, tunc magis ſani efficimur, cùm amplius de ploramus: ita & cum fidei Chriſtianæ mandata percipimus, contriſtamur animo, afflgimur corpore, ad lacrymas promouemur, & ipſam noſtram ſalutem cum quodam fletu, ac mœrore conſequimur, &c. Sinapis granum contritũ, oſtendit ardorem, & ſaporem; ſic Dei verbum ſi meditatione, & conſideratione conteratur, vim patefacit ſuam. Si non conteras, ſi non conſideres, mirificam hanc vim non experieris. Conſidera quæſo, contere ſinapi, & experire. Minimum, inquit, Euthymius, eſt granum ſinapis quantitate, ſed maximum qualitate, ſiue virtute, ideo quoque in magnitudinem excreſcit, &c. Sic verbum Dei minimum quantitate eſt, maximum virtute. Nam pauca verba in corde ſeminata, & meditationis calore fota, in magnam ſurgunt virtutis arborem.

Euthym.

Verbũ Dei minimum quantitate, maximum virtute.

Tu quoque (ait Theophylactus) eſto granum ſinapis, &c. Is Chriſtianus granum eſt ſinapis, qui minimus eſt humilitate; magnus ardore, & caritate. Sinapis virtus, ac poteſtas (ait citatus Hilarius) tribulationibus, & preſſuris accẽditur, &c. Sic ardens Chriſtianus, cum teritur, cum peſſundatur, tunc inflammatur, & ardet. Lege D. Gregorium in præfatione libri Iob. capit. 2. Granum, inquit, ſinapis, niſi conteratur, nequaquam vis virtutis eius agnoſcitur. Non contritum lene eſt, ſi verò conteratur inardeſcit, & quod in ſe acerrimum latebat, oſtendit. Sic vir ſanctus cùm non pulſatur, deſpicabilis ac lenis aſpicitur: ſi qua verò illum tritura perſecutionis opprimat, mox omne, quod calidũ ſapit, oſtendit, &c. In verſione Septuaginta Interp. iuſſu Sixti 5. P. edita ſic legitur. *In die mãdabit Dominus miſericordiam ſuam, & nocte declarabit, &c.* In die conſolationis, miſericordia ſua erga nos vtitur Chriſtus, in nocte verò tribulationis, dona nobis collata declarat. Diuus Gregorius eodem loco, ſic hanc lectionem exponit: Miſericordia Domini in die mandatur; quia in tranqullo tempore, cognoſcendo percipitur. In nocte verò declaratur: quia donum, quod in tranquillitate ſumitur, in tribulationibus manifeſtatur, &c. Lege Diuum Ambroſium ſer. 1. Chryſologus ſerm. 98. Chriſtum cum grano conferens ſinapis ſic ait: Sicut in integritate grani ſinapis, virtus ſinapis habetur occulta, apparet verò vehementiſſimè, ſi teratur: ita Chriſtus corpore teri voluit, qui ſuam noluit latere virtutem, &c.

Ardor, & amor in tribulatione.

Pſal. 41.

Tribulatio oſtendit virum.

Chryſol.

CAPVT VII.

De parabola fermenti.

MATTHÆVS CAP. XIII.

ALiam parabolam locutus eſt eis: Simile eſt regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus; donec fermentatum eſt totum. Hæc omnia locutus eſt Ieſus in parabolis ad turbas; & ſine parabolis non loquebatur eis, vt impleretur quod dictum erat per prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abſcondita à conſtitutione mundi.

MARCVS CAP. IV.

ET talibus multis parabolis loquebatur eis verbum, pro vt poterant audire: Sine parabola autem non loquebatur eis. Seorſum autem diſcipulis ſuis diſſerebat omnia, &c.

LVCAS CAP. XIII.

ET iterum dixit: Cui ſimile æſtimabo regnum Dei? Simile eſt fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſata tria; donec fermentaretur totum.

Quid ſignificat parabola fermenti.

HÆC parabola idem quod præcedens ſignificat, videlicet, Eccleſiæ, & Euangelicæ doctrinæ vim, & incrementum. Nam quemadmodum fermentum maſſam fermentat; ſic Euangelica doctrina fermentauit orbem. In tria ſata ſiue menſuras immiſſum eſt fermentum parabolæ; & in tres orbis partes Europam, Africam, Aſiam immiſſum eſt fermentum Euangelij: donec fermentetur totum id quod Deus fermentandum præſciuit, ac decreuit.

Fermẽtum in bonam, & malam accipitur partem. Marci 8. Gal. 5. 1. Cor. 5. Plin.

Fermentum in malam, & bonam accipitur partem, vt obſeruat Auguſtinus libro 3. de doctrina Chriſtiana cap. 25. In malam: *Cauete à fermento Phariſæorum, & fermento Herodis*, &c. & *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* & *Expurgate vetus fermentum*, &c. In bonam partem hoc ſumitur loco. De fermento de Plinium lib 18. cap. 11. Nunc, ait, fermentum ſit ex ipſa farina, quæ ſubigitur, priuſquam addatur ſal; ad pultis modum decocta, & relicta, donec aceſcat, &c. Calorem habet, dicitúrque fermentum à feruore. Illius vim explicat Ambroſius ſerm. 5. conteritur, & comminuitur, vt maſſam fermentet, & eleuet. D. Ambroſius ſermone 5. Fermentum, ait, cùm in cumulum conſpergẽdum eſt farinarum, confringitur, comminuitur, & ipſum omne diſſoluitur; vt diſperſam illam farinæ multitudinem in vnum vigorẽ conſtringat & in ſolidum corpus redigat, quod in pulueris modum ipſa diminutione languebat, &c.

Ambr.

De vi fermenti.

Euthym.

Euthymius; Fermentum, inquit, cum ſit modicum, in multa tamẽ farina abſconditum, per conſperſionem totam farinam in vnum ſimul corpus vnit. Et in alteram ſpeciem ab ea, quam prius habebat, tranſmutat. Cúmque farina res ſit mortua: eam quodammodo viuificat, ac vim habens actiuam ſurſum aſcendere facit. Ita quoque fidei ſermo, cùm ſit quantitate modicus, in multorum hominum animabus occultatus per doctrinam, omnes in vnum vnit Eccleſiæ corpus, ac in alteram conuerſationis ſpeciem tranſmutat. Cúmq; mortui ſint ad opera virtutis, viuificat ad eius operationẽ: & ſurſum aſcẽdere facit ad cęlũ. hactenus Euth.

Hilar. Sanctiſſimũ fermentum Chriſtus eſt in Euchariſtia.

Diuus Hilarius fermento, quod maſſam peruadit, & fermentat, ſimilem ait eſſe Chriſtum, qui totum fermentauit orbem, diuinúmq; illi per Euangelium ſaporem præſtitit. Eadẽ eſt Ambroſij ſententia ſerm. 5. Et quidem Chriſtus Opt. Max. ſanctiſſimum, potentiſſimumque fermentum in Euchariſtia eſt, quod corpore noſtro abſcondimus, dum ore ſumimus digne. Fermentat verò totam maſſam, cùm corpori ipſi caſtitatem & modeſtiam; animo cunctas virtutes affert. Audi D. Cyrillum

Cyrill.

lib. 4. in Ioannem cap. 17. Sicut, inquit, parum fermẽti, vt Paulus ait 1. Cor. 5. totam maſſam fermentat; ſic paruula benedictio totum hominem in ſe ipſum attrahit: & ſua gratia replet: & hoc modò in nobis Chriſtus manet, & nos in Chriſto. Verè enim totum fermentum, in totã maſſam pertranſit, &c. In concionibus tamen ſatiùs erit, Chriſtum fermentum non appellare.

Fermẽtum verbũ Dei.

D. Hieronymus ſcripturarum notitiã fermento adumbrari cenſet. Prætereà tribus ſatis, id eſt, menſuris ſignificari ait, τὸ λογικὸν, id eſt, rationalem hominis partem: τὸ θυμικὸν, id eſt, iraſcibilem: τὸ ἐπιθυμιτικὸν, id eſt, concupiſcibilẽ. Hæc tria ſata euangelico ſcripturarum fermẽto fermentantur; cùm diuinum verbum expenditur, ruminatur, & frequẽti meditatione has omnes peruadit partes. Parti rationali prudentiam præſtat, iraſcibilem domat, concupiſcentiam frænat.

Verbum Dei conſideratæ totum hominem fermentat.

D. Chryſoſtomus in Matthęum fermento Apoſtolos putat deſignatos: Sicut fermentum, ait, magnam farinæ copiam (quamuis modicum) in vires ſuas conuertit: ſic quoque Apoſtoli terrarum orbem conuerterunt, &c. Carpens verò, in cõuertendis ad Deum hominibus ignauiam, hæc adiicit. Si duodecim homines totã penè farinam orbis fermentarunt; animo, quæſo, verſa, quanta ſit noſtra malignitas, atque ignauia; qui cùm iam innumeri ſimus, has gentiũ reliquias conuertere non poſſumus, qui vel mille mundis ſatisfacere deberemus, &c. Deinde oſtendit non ſatis fuiſſe Apoſtolis miracula ad conuertendos populos, ſed virtute maximè fuiſſe opus. Si paſſionibus, inquit, veluti nos ſeruiſſent, etiãſi à morte innumeros homines ſuſcitaſſent, nõ ſolùm nihil vtilitatis feciſſent, verùm etiam ſeductorum nomen non effugiſſent, &c.

Fermentum Apoſtoli.

D. Auguſtin. lib. 1. quæſt. euangel. quæſt. 12. fermentum arbitratur ſignificare dilectionem: quòd feruere, inquit, facit, & excitat, &c. Eximium fermentum eſt caritas, quæ totum feruere facit animum, excitátque in Deum. Lege præterea Clementem Alexand. libro 5. ſtromatum.

Fermentum charitas.

ACCEPTVM *mulier.* Hominis eſt ſeminare, ideò homini tribuitur ſeminatio. Mulieris eſt fermentum in farinam immittere, & pinſere. Quamobrem mulier accepiſſe dicitur fermẽtum, & in ſatis tribus farinæ abſcondiſſe. Res de vſu geritur (ait Chryſologus ſermone 99.) vir in agro ſinapis arborem ſerit: domi mulier fermentum procurat, & panes præparat alimoniæ. Quia virum foris expectat labor: intus mulierem domeſtica cura conſtringit, &c.

Matth. 13. Luc. 13.

Chryſol.

IN *ſatis tribus.* Satum menſura eſt. De menſuris Hebræis, hæc nunc pauca accipe. Ghacal, עכל, ouum, & quintam eius partem continet. קב, kab, quantum 24. oua capit. סאה, Seah, ſatum, facit ſex cabos, id eſt, oua 144. erat autem hæc menſura, certa vaſis forma vulgo notabilis, in cuius medio ſignum erat expreſſum, quo dimidium menſuræ ipſius dignoſcebatur.

Matth. 13. Menſura hebræa nõ nulla. Satum modius.

Epha, vel ephi, אפי, continet tria ſata. Ephi ergo farinæ fermentauit hæc mulier: quemadmodum & Sara: *Accelera, tria ſata ſimilæ commiſce*, &c. ait Saræ Abraham. Satum tertia pars eſt Ephi. Interpres 1. Reg. 1. Ephi vertit tres modios: *Adduxit eum*, id eſt, Samuelem, *ſecum poſtquàm ablactauerat, in vitulis tribus, & tribus modiis farinæ.* Hebraicè pro, *tribus modius* eſt, *Epha.* Ruth. *Inuenit hordei quaſi Ephi menſuram*, id eſt, *tres modios*, &c. Tres igitur modij ſunt tria ſata; tria ſata eſt Ephi, tamen interpres alibi modium pro Epha vſurpat. *Nec erit in domo tua modius maior, & minor: modius æqualis, & verus erit tibi*, &c. Hebraicè eſt, Neque erit in domo tua Epha, & Epha, &c.

Epha tria ſata, vel 3. modii. Gen. 18. 1. Reg. 1. Ruth. 2. Deut. 25.

עמר

עמר. Gomor decima pars est Ephi. חמר, vel, כר. Corus, vel Chomer, decem Epha capit, id est,
Isaiæ 5. sata triginta. *Triginta modij seminis facient modios tres.* Hebraice habetur, semen Cori, facit Ephi. Quoniam Cori triginta continet modios: Ephi verò
Num. 11. tres. *Populus congregauit coturnicum multitudinem, qui parum, decem Coros:* id est, decies triginta modios. Modius appellatur Lusitanè alqueire.

Matth. 13. August. An Christus loqueretur sine parabolis. SINE *parabolis non loquebatur eis.* Augustinus ait in omni sermone Christum parabolam adhibuisse, eaque de causa dicere Euangelistam, *sine parabolis non loquebatur eis.* in libro de quæst. euangelicis secundùm Matthæum, quæst. 15. *Sine parabolis*, inquit, *non loquebatur eis.* Non quia nihil proprie locutus est; sed quia nullum fere sermonem explicauit, vbi non aliquid per parabolam significauit: quamuis in eo aliqua, & propriè dixerit. Ita vt sæpe inueniatur totus sermo eius parabolis explicatus, totus autem propriè dictus nullus inueniatur. hæc Au-
Chrysost. gustinus. D. Chrysost. sententia est: hęc verba, *sine parabolis non loquebatur eis*: significare Christum hoc sermone, & tempore sine parabolis non fuisse locutum: aliis sermonibus multa sine parabolis dixisse. Dixit, inquit, multa etiam absque parabola, sed non illo tempore. Euthymius quoque: Sine parabolis ait, non loquebatur Christus, eo tempore. Multa enim sæpius illis locutus est sine parabolis, &c. Augustini interpretatio placet magis. *Sine parabolis non loquebatur eis*, hoc est, in omnibus sermoni- C
bus parabolam aliquam, vel parabolas adhibebat, ita vt nullus, vel rarus esset sine parabolis sermo
Beda. Christi. Beda Marci 4. Non hoc, ait, dictum quasi nullum apertum ad turbas sermonem fecerit. Verum ita potius, quia nullus facile sermo eius inuenitur, in quo non aliquid parabolarum sit intermixtum, &c. Lege Tertull. libro de resurrectione carnis, cap. 33. aduersus eos, qui Christum omnia in parabolis pronunciasse contendebant.

Marci 4. PRO *vt poterant audire.* Marcus sic scripsit: *Talibus multis parabolis loquebatur eis, prout poterant audire.*
Ibid. Numquid non poterant Iudæi audire Christi sermonem sine parabolis? Euthymius sic exponit
Euthym. Matthæi 13. *Prout poterant*, inquit, *audire*, id est, quate- D
nus digni erant ad audiendum Scribæ, & Pharisæi. Nam quia non ad sumendam vtilitatem audiebant, sed ad struendam sermonibus eius calumniam: in parabolis locutus est eis. Ita ille. Est ergo sensus iuxta Euthym. Loquebatur eis in parabolis, prout poterant audire. Propter indignitatem enim & ineptitudinem ad audiendum, aliter sine damno non poterant audire Pharisæi.

Theoph. Theophylactus hoc pacto exponit: Dicebat, inquit, ad turbas, in parabolis multis: iuxta habitudi-
Cur Christus apud simplicem turbam parabolis vteretur. nem audientium compositis parabolis. Quoniam enim turba erat imperita, & indocta, ideo mentionem facit grani sinapis, & herbæ, & seminis, vt cognatis, & consuetis nominibus doceat eos vtile quiddam; vel excitet, vt accedant, & interrogent: & in- E
terrogando quæ ignorant, discant, &c. Hæc probabilior interpretatio. Significat enim Euangelista Christum aptasse sermonem ad auditorũ captum, atque eam ob causam parabolis vsum, quas ex rebus quotidianis, ac notissimis depromebat. Sic Caiet. Iansen. & Salmeron exponunt.

Si opponas, hanc interpretationem repugnare
Matth. 13. illi causæ, quam Dominus reddit, *idco parabolis loquor eis; quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt.* Respondetur illud, apud Matthæum propter improbos, & calumniatores dictum esse à Domino: qui videntes non videbant, vt suprà explicatum est. At quod Marcus refert, ad plebem simplicem spectat, malitia, & inuidia mi- A
nimè deprauatam; quæ Christi doctrinam sine parabolis audire, & intelligere non poterat. Si autem diligentiam adhiberet ad interrogandum, discere poterat. Christus enim parabolas proponebat, neque explicabat plebi, cui permixti erant Pharisæi, & Scribæ. Volebat interrogari. Et forsitan multi illum interrogabant; vel à discipulis quid parabolæ significarent, ediscebant. Nemo enim, si sincerus auditor sit, tam iners est, vt cùm *Parabolæ discipuli interpretabantur.* parabolam audierit, præsertim à viro sapiente, diligentiam non adhibeat, ad inuestigandũ sensum. Igitur vel Christus, vel discipuli interrogantibus, vel etiam aliis non interrogantibus, sed ad audiendum aptis, parabolas interpretabantur.

B Illud hoc loco animaduerte, Deum tàm in nouo, quàm in veteri testamento parabolis esse vsum, & *Deus in veteri, & nouo testamẽto parabolis est vsus.* similitudinibus. Nam quæ in veteri testamento scribuntur parabolica sunt, similitudines, vmbræ, typique Christi, & Ecclesiæ. Vt parabolicè loquitur Deus in nouo testamento, sic parabolicè in veteri locutus est. Cùm igitur vetus legis testamentum, parabolas te legere animaduerte, ad nucleum perueni, in cortice ne consistas. Augustinus in libro de *Augusti.* quæst. euangel. secundùm Matthæum capite 16. Si Christus, inquit, per parabolas adhuc loquitur, donec eius passio velum discindat, vt nihil sit occultum, quòd non reueletur. Multò magis illa quæ ad commendandam tantam eius salutem, tàm longè de illo scripta sunt, videlicet in testamento veteri, C
parabolis operta esse meminerimus. sic August.

Est præterea tertia horum verborum interpretatio. *Talibus multis parabolis loquebatur eis, prout poterant* *Marci 4.* *audire*, hoc est, prout quisque obscurè dicta capere, & intelligere poterat. Loquebatur enim Christus in parabolis: ex auditoribus verò quisque, pro vt poterat, intelligebat. Simplicior, & verior videtur *Alius sensus.* secundus sensus, eúmque indicat verbum, *poterant.* Si hunc tertium sensum indicare voluisset Euangelista, non dixisset, *pro vt poterant audire*: sed prout poterant intelligere. Obiectioni huic respondeti potest: *Audire*, significare, *intelligenter audire.*

DISSEREBAT *omnia.* Ait Marcus Christum *Marci 4.* plebi quidem cum concionaretur parabolas D
minimè explicasse, discipulis seorsum explicasse. Discipuli verò (vt licet coniicere) postea interrogantibus, & aliis, quid significarent, aperiebant.

VT *impleretur quod dictum est per prophetam.* Prædi- *Matth. 13.* ctum esse indicat Matthæus Christum parabolico dicendi genere vsurum. Testimonium desumptum est ex Psalmo, *Aperiam in parabolis os meum: eructabo abscondita à constitutione mundi*, &c. Septua- *Psal. 77.* ginta vertunt: *Aperiam in parabolis os meum: loquar propositiones ab initio*: scilicet, mundi. quod idem est. Per accommodationem allatum videbitur alicui testimonium. Non probo. Euangelista enim *Testimonium non est allatum per accommodationem sed in proprio sensu.* dicit in Christo impletum; non ergo per accommodationem, sed in sensu mystico allatum est. Scripturæ profunditas nostrum superat intelle- E
ctum, quæ psalmographo conueniunt, eadem de Christo venturo dicebantur. Vnde illud Tertulliani in lib. contra Praxeam cap. 11. Omnes penè Psalmi, Christi personam sustinent: Filium ad Patrem verba facientem repræsentant, &c.

D. Hieronymus Matth. 13. hęc verba dicta putat *Hieron.* à propheta in persona Christi. Describitur autem eo psalmo populi Israëlitici ex Ægyptiaca seruitute egressus, signáque narrantur, quæ Exodi libro continentur. Ex quo (ait Hieron.) intelligimus *Quæ in testamento veteri scripta sunt parabolæ sunt.* vniuersa illa, quę scripta sunt parabolicè sentiẽda. Nec manifestam tantũ sonare literã; sed abscõdita sacramenta. Hoc enim se saluator dicturum esse promittit, aperiens os suũ in parabolis, & eructans abscon-

Tertul. abſcondita à conſtitutione mundi. Sic Hieronym.

Tertullianus quoq; Chriſto proprium fuiſſe parabolicum ſermonem ex hoc Pſalmo confirmat, libro 4. contra Marcionem cap. 11. Nec forma, inquit, ſermonis in Chriſto noua. Cùm ſimilitudines obiicit, cùm quæſtiones refutat, de ſeptuageſimo ſeptimo venit Pſalmo: *Aperiam* (inquit) *in parabolam os meum*, id eſt, ſimilitudinem: eloquar problemata, id eſt, ediſſeram quæſtiones. Si hominem alterius gentis probare voluiſſes, vtique de proprietate loquelæ probares. Hæc Tertullia. Ait verò proprium fuiſſe Chriſto loquendi modum parabolicum, atque ex eo cognoſci potuiſſe; quemadmodum Luſitanus homo de proprietate Luſitani ſermonis agnoſcitur. Septuaginta Interpretes vbi nos habemus, *propoſitiones*, vertunt, προβλήματα, problemata; quod ſequitur Tertullian. Sunt autem propoſitiones, ſiue problemata, obſcuræ propoſitiones, quæ proponuntur, vt explanentur, à παραβάλλω, id eſt, propono, proiicio. Hebraice, חִידוֹת, Chidoth, dicũtur, id eſt, ænigmata. Apud Matthæũ, κεκρυμμένα, id eſt, abſcondita, obſcura. Eſt igitur Pſalmus myſticus. Latet ſenſus ſpiritalis ſub literali. Eructaſſe autem dicitur Chriſtus, id eſt, è pectore ſanctiſſimo exprompſiſſe abſcondita à conſtitutione, id eſt, creatione mundi. Quæ ſint hæc abſcondita in dubium venit. Reſpondetur, abſcondita hæc à creatione mundi, eſſe parabolas ipſas, & Chriſti doctrinam. Quoniam ab orbe condito audita nunquam fuerat, & latuerat.

Quid ſit propoſitio ſiue problema.

CAPVT VIII.

De parabolis theſauri, & margaritæ.

MATTHÆVS. CAP. XIII.

SImile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro: quem qui inuenit homo, abſcondit; & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuerſa, quæ habet, & emit agrum illum. Iterum, ſimile eſt regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Inuenta autem vna pretioſa margarita, abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.

Parabolas has diſcipulis Chriſtus propoſuit.

ALIAS parabolas ſuperioribus adiungit Dominus. Eas verò vel turbæ propoſuit, vel diſcipulis tantummodò, vt Matthæi narrationis ordo ſubindicat, rectè expendenti. Nam cùm diſcipulis parabolam expoſuiſſet zizaniorum, has ſubiunxit: poſteáque interrogauit: *Intellexiſtis hæc omnia?* perinde ac ſi cũ illis ſolùm loqueretur. Huius opinionis eſt Origenes Matthæi 13. Hanc, ait, ſimilitudinem cum duabus ſequentibus videtur iam ingreſſus domum dixiſſe diſcipulis, &c. Idem ſentit Chryſoſtomus homilia 48. Euthymius quoque: Non præſentibus, inquit, turbis loquebatur diſcipulis in parabolis, &c. Maldonatus cum cæteris dictas ſentit.

Euangelica doctrina theſaurus eſt, & margarita.

Egit prima parabola Dominus de Euangelij, ſiue Euangelicæ doctrinæ ſeminatione, & fructu: ſecunda de zizaniorum ſuperſeminatione; tertia, & quarta de vi, & incremento Euangelij: hac quinta parabola, & ſexta, de pretio agit, & acquiſitione. Simile ait eſſe regnum cælorum theſauro abſcondito in agro, & pretioſæ margaritæ. Etenim Euangelica doctrina, & viua fides, theſaurus eſt opulentiſſimus, propter quem omnia mundi bona, ſi ſit opus, relinquenda ſunt. Margarita eſt ſummi pretij, quæ omnibus diuitiis, ac deliciis eſt comparanda. Diuus

Chryſoſt. Chryſoſtomus homilia 48. Fermenti, inquit, & ſinapis parabolis, magna Euangelij virtus oſtendebatur: quæ omnino totum orbem terrarum erat ſuperatura. Hæ verò parabolæ (ſcilicet theſauri, & margaritæ) ſummi eſſe pretij, ſignificant. Sicut enim, vt ſinapis extenditur, atque propagatur: & vt fermentum ſuperat: ſic quaſi margarita pretioſiſſimum eſt, &c. Euthymius: Sicut per duas parabolas, fidei vim, & incrementum, indicauit Dominus: ita rurſum per has duas illius ſignificauit diuitias, & excellentiam, &c.

Hilar. Diuus Hilarius in Matthæum, theſaurũ abſconditum in agro, diuinum Verbum in carne abſconditum interpretatur: propter quod omnia mundi emolumenta meritò repudianda ſunt. Theſaurus, inquit, in agro Chriſtus intelligitur in carne: ſed poſſidendi huius theſauri cum agro poteſtas, non poteſt eſſe ſine pretio. Quia cæleſtes diuitiæ, non ſine damno ſæculi poſſidentur, &c. D. Hieronymus addit theſaurum eſſe poſſe diuinas Scripturas, in quibus Chriſti latet cognitio, veluti pretioſum aurum, aut gemmæ pretioſæ. Theſaurus (ait Hieronymus) aut Deus Verbum eſt, qui in carne Chriſti videtur abſconditus. Aut Sanctæ Scripturæ, in quibus repoſita eſt notitia ſaluatoris: quem cùm quis in eis inuenerit, debet omnia iſtius mundi emolumenta contemnere, vt illum poſſit habere, quem reperit, &c. Prætereà margaritam pretioſam Euangelium putat adumbrare: bonas autem alias margaritas, legem & Prophetas, quas hæc pretioſa longè ſuperat. Bonæ margaritæ (ait ille) lex & prophetæ ſunt, & notitia veteris Teſtamenti. Vnum autem eſt pretioſiſſimum margaritum, ſcientia ſaluatoris, & ſacramentum paſſionis illius, & reſurrectionis arcanum, &c. Lege Origenem Matthæi 13. Etiam Auguſtinus theſaurum Scripturas ſacras interpretatur libro 1. Euangel. quæſt. quæſtione 13. Theſaurum, inquit, in agro abſconditum dixit Dominus, duo teſtamenta legis in Eccleſia, quæ quis cùm ex parte intellectus attigerit, ſentit illic magna latere. Et vadit, & vendit omnia ſua, & emit agrum illum: id eſt, contemptu temporalium comparat ſibi otium, vt ſit diues cognitione Dei, &c. Et Druthmarus: Ager, inquit, latitudo eſt Scripturarum, in quo inuenitur theſaurus, id eſt, Chriſtus, quem qui inuenit, debet omnia poſtponere, & vilia in amore eius computare, &c.

Theſaurus in agro, Verbum in carne.

Hieron.

Margaritæ pretioſa Euangelium.

Theſaurus ſcripturæ ſacra. Auguſt.

Druthm.

Diuus Gregorius homilia 11. in Euangelia ait, theſaurum deſiderium eſſe cæleſte. Et quidem vehemens cæli deſideriũ theſaurus eſt virtutum omnium. *Radix omnium malorum eſt cupiditas*: vt ait Paulus: Græcè φιλαργυρία, id eſt, cupiditas argenti.

Theſaurus deſiderium cæleſte.

1. Tim. 6.

Quem-

Quemadmodum cupiditas, desideriúmque argenti, & voluptatum, radix est omnium malorum: sic cupiditas desideriúmque cæleste, radix est omnium bonorum, & thesaurus omnium diuitiarum.

Bona margaritæ, boni homines pretiosa margarita, Christus.

Diuus Augustinus in libro de quæst. Euangel. secundùm Matthæum cap. 13. bonas margaritas interpretatur bonos homines: vnicam verò pretiosam margaritam, Christum hominem, atque Deum. Aliter etiã exponit, margaritas bonas præcepta esse iustitiæ, quibus seruatis cum hominibus recte conuersamur. Pretiosam verò margaritam dilectionem proximi, in qua præcepta iustitiæ continẽtur. Idem D. Augustinus verbum diuinum in eodem loco margaritæ pretiosissimæ, ac fulgentissimæ simile esse scribit, tectæ integumento mortalitatis, quasi concha. Accipe eius verba. Est, inquit, Verbum Domini lucidum candore veritatis & solidum firmitate æternitatis: & vndique sui simile pulchritudine diuinitatis. Margarita, quæ integumentis mortalitatis, quasi concharum obstaculo inter profunda huius sæculi, atq; inter saxeas Iudæorum duritias aliquando latuerat, &c.

Pretiosa margarita charitas.

Margarita verbum diuinum.

Margarita Christus auro includenda. Ambr.

Diuus Ambrosius sermone 6. margaritam Christum esse sentit. Cùm verò margarita fulgẽtissima non nisi auro inseri debeat, infert nos aurum esse oportere pretiosum, vt pretiosa nobis gemma Christus inseratur. Gemma, inquit, sicut ipsi scitis, nisi auro non conuenit: margarita, nisi pretiosis monilibus non aptatur. Estote ergo aurum optimum, estote monile pretiosum: vt possit in vobis margarita spiritualis includi. Margarita enim Christus est Dominus, &c.

Margarita pretiosa charitas.

Denique Augustinus tractatu 5. in epistolam Ioan. margaritam caritatem esse scribit. Homo, ait, negotiator describitur in Euangelio, qui inuenit vnam margaritã, & vẽdidit omnia, quæ habebat, & emit eam. Hæc est margarita pretiosa caritas, sine qua nihil tibi prodest, quodcunq; habueris. Quam si solùm habeas, sufficit tibi. Hæc Patres.

Crediderim, his duabus parabolis, Euangelicæ paupertatis statum describi, quẽ qui vult assequi, omnibus caducis bonis remittat nuntium. Est hic status thesauro similis abscondito in agro mundi: quẽ diuino nutu, & auxilio, homo inuenit, venditque omnia quæ habet, & veluti emit illum. Est similis margaritæ cum qua omnes diuitiæ commutandæ sunt. Quemadmodum, qui thesaurum, vel pretij summi margaritam habet absconditam, ditior est aliis diuitibus, etsi nõ appareat: sic religiosus pauper, opulentior est omnibus sæculi diuitibus, quamuis lateat. Qui margaritã tenet in manu (ait Theophylactus in Matthæum) ipse scit quantas habeat diuitias: alij autem ignorant, &c.

Religiosus diues est.

Religiosus status cum gaudio quærendus. Matth. 13. Psal. 44.

Obserua illa verba: *Præ gaudio illius vadit, & vendit vniuersa, quæ habet*, &c. Ex quibus disce, quantum gaudium animo afferat religiosi status inuentio, quantóque cum gaudio caduca omnia pro Christo sint repudianda. *Adducentur Regi virgines post eam, proximæ eius afferentur tibi. Afferentur in lætitia, & exultatione: adducentur in templum Regis*, &c. In templum summi Regis Christi, id est, religionem, adducentur virgines fœminæ, siue viri, qui omnibus carnis voluptatibus & opibus longissimum vale dicunt. Adducentur autem non in mœstitia, sed in lætitia, & exultatione. Diuus Chrysostomus homilia 48. in Matthæum: Non illud solùm discimus, quia cætera abiicienda sunt omnia, & sola prædicatio Euangelij retinenda: verùm etiam magno id esse gaudio faciendum. Sanè, qui renuntiationem bonorum facit, is nullam iacturam, sed quæstuosissimam facit mercaturam. Sic ille. Gaudet, qui quæstuosissimam mercaturam facit: quidni summopere exultet, qui vtilibus sarcinulis, opulentissimum thesaurum religionis mercatur? Thesaurus est, religiosæ & Euangelicæ paupertatis status, in quo infinitæ latent diuitiæ, nempe virtutes, cælestéque præmium amplissimum. Margarita est pretiosissima.

Chrysost.

Bonorum renuntiatio est mercatura quæstuosissima.

Sunt alij quoque status Ecclesiæ margaritæ bonæ. Margarita bona est status coniugij, si benè colatur: margarita quoque bona est status sacerdotis, si sacerdotio vita sit consentanea: margarita status continentis, & similes. Sed qui bonas margaritas quærit, pretiosissimam esse sciat margaritam euangelicæ paupertatis, castitatis, atque obedientiæ statum. Hanc vt emat, quæcumq; habet magno cum gaudio repudiet, faciátque (vt cum Chrysostomo loquar) mercaturã quæstuosissimam. Pretiosa quoque margarita est episcopalis status: est enim perfectionis comparatæ status: religionis verò status est perfectionis comparandæ. Attamen multò optabilior est religionis status episcopali dignitate. Est enim humilior, tutior ac trãquillior. Qua de re lege Platum libro primo de bono status religiosi, ca. trigesimo octauo, quo religiosam humilitatem cum episcopali confert celsitudine.

Status Ecclesiæ margarita.

Pretiosa margarita status religiosi.

Esto bonus negotiator, explora, expendéque margaritas. Si sapis, pro hac facile relinques omnia. Nam vt ait D. Gregorius homil. 11. in Euangelia: Qui cælestis vitæ dulcedinem perfectè cognouerit, quæ in terrenis amauerat, libenter cuncta derelinquit. In cõparatione eius vilescunt omnia: deforme conspicitur, quidquid de terrenæ rei placebat specie. Quia sola pretiosæ margaritæ claritas fulget in mente, &c. Si sacerdoti tenue possidenti beneficium, canonicatum opulentum conferas; nónne hilaris, quod possidet, deserit? Si infimæ sortis homini regia dignitas obueniat: nónne magno cum gaudio tuguriolum suũ repudiat? Cùm igitur tibi regnum, & cælorum regnum à Deo offeratur: cur magna cum hilaritate tua prædiola non derelinquis? Ratio hæc est; Margaritas bonas, id est, cælestes non quæris, sed terrestres. Hic autem Euangelicus negotiator cælestes quærebat, non terrestres. *Simile*, inquit, *est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas*: tu quæris malas, id est, quæ forsitan te malum facient. Bonæ margaritæ, veræ sunt margaritę, non falsæ, non vitreę. Decipit multos mundus. Nõ bonas quærunt margaritas, id est, veras margaritas, nempè virtutes. Sed vitreas quærunt & mendaces, id est, diuitias vitri instar pellucentes, at maximè fragiles. Velut Æthiopes, insipientes decipi se patiuntur, dum pro falsis vitreísque, veras margaritas, summíque pretij, id est, animas dæmoni sæpè mancipant.

Dulcedo cælestis, si degustetur, terrena despiciuntur.

Matth. 13. Quæ bona, quæ falsæ margaritæ.

Diues esse qui cupit, hanc emat margaritã omnibus bonis. Illam qui habet, etsi pauper videatur, est ditissimus. Qui margaritam habet (ait Chrysostom. hom. 48. in Matthæum) nouit se diuitem esse, etiam si ignotum nonnumquam illud sit, cùm paruo in loculo margarita recondatur, &c.

Negotiatores sumus, non otiatores. *Simile*, inquit, *est regnum cælorum homini negotiatori.* Hinc illud Gregorij Nazianzeni in Sententiis: Mercatum ait, hanc vitam existima. Si negotiatus fueris, quæstum facies, &c. Negotiatores autem sumus cælestes; in regnum enim cælorum tendit negotiatio nostra. Egregia negotiatio est, peritura & breui amittenda bona cum æternis, & numquam amittendis commutate. Auctor sub nomine Eusebij Emisseni. Negotiator, inquit, callidus est, qui ex iis, quæ diu possidere non potest, tale aliquid emit, quod numquam amittere timeat, & in quo vniuersa possidet, &c. Caduca bona amittere quis est

Matth. 13.

Negotiatio nostra egregia.

qui

qui non timeat? immo quis est, qui mox amittenda ignoret? Sapiens igitur ille est negotiator, qui his perituris, & amittendis bonis nec peritura, nec vllo casu amittenda emit, id est, cælestia bona. Haymo hoc loco: Negotiatores, inquit, spiritualiter nos sumus, qui de terrenis facultatibus cœlestem gloriam mercari iubemur, &c. Negotiatores nullum laborem mari, terraque subire recusant: sic Euangelicus negotiator cælestis mercaturæ causa nullum vitæ discrimen horret. Debemus (inquit Haymo) seruare in opere, quod accepimus in nomine negotiatoris. Sicut terrenos negotiatores, non maris pericula ab officio negotiandi prohibent, non latronum insidiæ terrent, non asperi casus itineris vetant, non hyemis frigus, non æstatis calor retinet, tantùm vt terrenum lucrum acquirere possint. Ita & nos ab amore cælestis patriæ nulla mundi blandimenta retineant, nulla eius aduersitas terreat, neque aliqua tribulatio prohibeat. sic Haymo.

Haymo.

Negotiatores sumus.

Prætereà est hæc negotiatio suauis, iuxta illud, *Gustauit, & vidit, quia bona est negotiatio eius*, &c. Ideò cũ gaudio omnia relinquit negotiator Euãgelicus. Est prætereà opulentissima, & nobilissima: nam in thesauris, & margaritis pretiosissimis comparãdis versatur, vt Euangelium indicat. Tertiò, est quæstuosissima: locupletissimum enim hominem reddit, adeò vt omnes huius sæculi diuitias stercora esse arbitretur, præ lucro, iuxta illud Pauli, *Omnia detrimẽtum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam*, &c. Vide quàm sit opulentum lucrum: Christum Deum lucratur. Quartò, hominis præcipuam partem locupletat, nimirum animum. Nam aurum, margaritæque terrestres, corpus terrestre ornant, ac ditãt: aurum verò cæleste, id est, caritas cælestésque margaritæ, id est, virtutes cæteræ, animum decorant ac locupletant: vnde in corpus quoque redundant opes.

Prou. 31. De negotiatione cælesti.

Phil. 3.

Sed cur in negotiationem terrestrem tantũ impendimus laboris, ad cælestem exercendam segnes sumus? Respondeo, causam esse, quia thesaurus absconditus est, non patet, non cernitur oculis corporeis. *Simile enim est regnum cælorum thesauro abscondito in agro*: itémque absconditæ sunt margaritæ.

Consideratio & meditatio absconditum thesaurum inuenit.

Matth. 13.

Quærere oportet oculos, quibus thesaurus, & margaritæ cernantur. Si cernantur, animum rapient. Considerationis oculi quærendi sunt. His oculis thesaurus, & margaritæ conspiciuntur, conspectæ omni pretio emuntur. *Considerauit agrum, & emit eum.* Si consideres, emes, quia non consideras: nõ emis. Eodem cap. de strenua dicitur anima: *Facta est sicut nauis institoris, de longè portans panem suum*, &c. Fælix anima, quæ nauis instar, millies in cælum nauigat; beatorúmque gloriam considerando intuetur. Millies quoque nauigat in tartarum, æternoque cruciatus acri mentis acie contemplatur. Nauigat prætereà sepè in sepulchrum; & vitæ instar vmbræ euanescentis breuitatem expendit. Locupletant animam hæ nauigationes. Absque vllis verò fluctibus, tempestatibusque perficiuntur. Nauis mercatoris ex diuersis regionibus comparat opes. Anima naui institoris similis, ex cælo, ex tartaro, ex valle Iosaphat, ex Christi præsepio crucéque, ampliss imas diuitias meditando conquirit. Panem suum hinc portat, quo in via pascatur, ne deficiant vires. Qui enim meditatione caret, deficit, animúmque despondet.

Prou. 31.

Ibid.

Anima nauis.

At dices forsitan: pauper sum, opes non habeo, quibus thesaurum emam, vel fulgentem margaritam. Respondeo tibi, neminem in hoc mercatu, ad emendum esse pauperem. Nemo ita pauper est, vt seipsum non habeat. Da teipsum Deo, thesaurum tibi, & gemmam donabit. Audi Augustinum in lib. Euangelicarum quæst. secundum Matth. quæst. 13. Pretium, inquit, margaritæ est, nos ipsi, &c. Quod si relinquenda sunt omnia, idcircò relinquẽda sunt, vt nos è captiuitate rerum caducarum eripiamus. Deóque totos nos tradamus. Nos enim quærit, non sine nobis, nostra. August. eodem loco; Ad margaritam (ait) possidendam; non sumus liberi: nisi omnibus pro nostra liberatione contemptis, quę temporaliter possidẽtur. Venditis enim rebus nostris, nullum earũ maius accipimus pretium, quàm nos ipsos. Quia talibus implicati, nostri nõ eramus. Vt rursus nos ipsos pro illa margarita demus. Nõ quia tanti valeamus; sed quia plus dare non possumus, hæc Augustinus.

Nemo adeò pauper vt margaritam non possit emere

August.

Omnibus relictis nos recipimus liberos.

CAPVT IX.

De parabola sagenæ missæ in mare.

MATTHÆVS CAP. XIII.

ITerum simile est regnum cælorum, sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Quam cùm impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione sæculi. Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus, & stridor dentium. Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideò omnis Scriba doctus in regno cælorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera.

Non omnes ingressuri sunt Ecclesiam.

CONFERT Dominus Ecclesiã cum sagena piscatoris, in marinas aquas immissa, piscibúsque, & bonis, & malis referta: quæ post peractam piscationem in littus trahitur, sitque piscium selectio. Indicat parabola, in primis non omnes homines Ecclesiam ingressuros, quemadmodum non omnes maris pisces ingrediuntur rete. Non intrant Ecclesiam Mauri, Turcæ, Iudæi, Ethnici multi. Ne mireris; prædixit hoc Christus hac parabola. Non intrant sagenam pisces cuncti, qui mare pernatant, nec intrant Ecclesiã homines cuncti

cuncti, qui mundum incolunt. *Non omnium eſt fides,* ait Paulus. Non omnes fidem complectuntur, permulti extra ſagenam percurrunt pelagus, ac vagantur. Donum Dei eſt fides, non datur omnibus efficaciter. *Gratia eſtis ſaluati per fidem*: videlicet, viuam: *& hoc non ex vobis. Dei enim donum eſt, non ex operibus, vt ne quis glorietur*, &c. In retia Eccleſiæ piſces adducit Deus, eo duce ingrediuntur, duce dæmone egrediuntur.

2. *Theſſ.* 3. *Donum Dei fides.* *Epheſ.* 2.

Secundò. Significat parabola, eſſe in Eccleſia bonos permixtos malis: eámque permixtionem ad iudicium vſque permanſuram, vt in parabola etiam zizaniorum dictum eſt. Nam in ſagena piſces mali bonis permixti ſunt, eáque permixtio ad littus vſque permanet. In littore ſecernuntur piſces mali à bonis, in iudicio per Angelos ſeparabuntur tandem omnes improbi homines à probis, ita vt deinceps numquam permiſceantur. D. Gregorius hom. 11. in Euangelia: Nunc, inquit, bonos malóſque communiter quaſi permixtos piſces, fidei ſagena nos continet: ſed littus indicat, ſanctæ Eccleſiæ ſagena quid trahebat, &c. Et Chryſol. ſer. 47. Piſces (ait) congregat captura confuſos: ſed in vaſa diſcretio dat electos. Sic vocatio Chriſtiana iuſtos & iniuſtos, malos bonóſque congregat, ſed bonos malóſque electio diuina diſcernit, &c. Item; Breuis mixtura longa ſeparatione penſabitur, &c. Haymo: Boni, inquit, ſoli nuſquam ſunt, niſi in cælo, mali autem nuſquam ſoli ſunt, niſi in inferno. Eccleſia autem, quæ in medio conſiſtit, vtriuſque partis ciues recipit, &c.

In iudicio ſeparantur boni à malis. *Greg.* *Chryſol.* *Haymo.*

Tertiò. Significat, non ſatis eſſe fidem abſque operibus & caritate, vt quiſpiam æternam ſalutem conſequatur. Addit Chriſtus parabolam (ait Euthymius) qua diſcimus, quòd non omnes, qui credunt, ſalui fiunt, &c. Non ſatis eſt eſſe intra ſagenam, vt bonus piſcis ſit: nec ſatis eſt eſſe intra Eccleſiam per fidem ſolam, vt probus quiſquam ſit Chriſtianus. Quicumque in Eccleſiæ ſagena ſunt, fidem habent. Attamen alij ſunt piſces boni, alij mali, vt docet parabola. Ergo ſola fides non facit bonos. Nã ſi ſola fides bonos faceret, cùm omnes, qui in ſagena ſunt, fidem habeant, omnes eſſent boni. Chriſtus autem ait, eſſe multos malos, in littore à bonis ſeparãdos. Quid igitur illud eſt, quod bonos piſces facit? quid illud eſt, quo piſces mali carent, ac propterea, quia carent, mali ſunt? Nimirum caritas eſt, & opera cum fide coniuncta. Quia fidem, caritatem, & opera habent quidã, boni ſunt, & ſeruantur: quia fidẽ habent, non verò caritatem & opera, alij ſunt mali, & repudiantur. Chryſoſtomus hom. 48. Iſti, inquit, male viuendo pereunt, & ceteris ſunt inferiores: quia veritatem quidẽ nouerunt, & in verriculum piſcatorum inciderunt, & tamen malè viuendo perierũt, &c. Theophylactus: Terribilis (inquit) eſt hæc parabola. Oſtẽdit enim, quòd licet credamus, non habeamus autem vitam bonam, in ignẽ proiiciemur. Licet crediderimus, inuenti autem fuerimus mali, abiiciemur, &c.

Fides non ſatis eſt ſine operibus & caritate. *Chryſoſt.* *Theoph.*

Quartò. Significat nullum genus hominum eſſe deſpiciendum, ſed omnes vocãdos ad Eccleſiam, Braſilos, Æthiopas, Iudæos, Græcos, Romanos, ceteróſque. Ex omni, inquit, genere piſcium congreganti. Hinc illud Pauli: *Græcis ac barbaris, ſapientibus & inſipientibus, debitor ſum*, &c. Omnes enim à concionatore Euangelico ſunt vocandi, tam barbari, quàm Græci, tam ſapientes, quàm inſipientes. Et Petrus: *In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente, qui timet eum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi*, &c. D. Gregorius hom. 11. in Euangelia: Eccleſia ex omni genere piſcium congregat: quia ad peccatorum veniam, ſapientes & fatuos, liberos & ſeruos, diuites & pauperes, fortes & infirmos vocat. Vnde & per Pſalmiſtam dicitur: *Ad te omnis caro veniet*, &c.

Omnes homines vocandi in Eccleſiam. *Rom.* 1. *Act.* 10. *Pſal.* 64.

Quintò. Oſtendit improbis Chriſtianis præparata tormenta. Sicut piſces mali à bonis in littore ſeparantur: ſic Chriſtiani improbi à probis in iudicio ſeparabuntur. *Et mittent*, inquit, *eos Angeli in caminum ignis. Ibi erit fletus & ſtridor dentium*, &c. Hoc (ait Gregorius Magnus loco indicato) timendum eſt, potiùs quàm exponendum. Aperta enim voce tormenta peccantium dicta ſunt; ne quis ad ignorantiæ ſuæ excuſationem recurreret, ſi quid de æterno ſupplicio obſcurè diceretur, &c.

Matth. 13. *Mutemur in bonos piſces.*

Demus ergo operam interim, dum in ſagena ſumus, vt boni piſces ſimus. Vt enim idẽ Gregorius ait: Piſces qui capti fuerint, mutari nõ poſſunt: nos autẽ mali capimur, ſed in bonitate permutamur, &c. Si autem ex malis piſcibus, in bonos volumus permutari, hęc propoſita ſupplicia frequenter cogitemus. Vnde idem Gregorius: Cogitemus, ait, in captione, ne diuidamur in littore, &c. Item: Quidquid animo ex præſenti ſæculo arridet, ex cõſideratione æterni ignis amareſcat. torpentẽ animum, & terræ vehementer inhærentem, ſi amor ad regnum nõ trahit, vel timor minet, id eſt, ducat, &c.

Greg.

INTELLEXISTIS *hæc omnia?* Intelligẽtes auditores, & diſcipulos tantus flagitat magiſter; vt quæ intellexerint, aliis euulgẽt. Poſt parabolicum ſermonem, rogat num intellexerint. Nouerat quidem, quod interrogabat: interrogat tamen ſciens, vt inſtituat. Sic magiſtri, quod minime ignorant, à diſcipulis ſciſcitantur. Reſpondent illi, *Etiam*. Intellexerant enim parabolas prædictas. Tum Chriſtus ſubiungit: *Ideo omnis Scriba doctus in regno cælorum*, &c. Cuius rei cauſam reddat particula; *Ideo*, dubium eſt. Euthymius exiſtimat non reddere cauſam, ſed affirmare, quaſi dicat Dominus; *Vtique omnis Scriba*, &c. Auguſtinus in quæſt. Euang. ſecundùm Matth. cap. 16. dubitat, an voluerit hac concluſione Chriſtus exponere, quem dixerit theſaurum abſconditum, videlicet, Scripturas veteres ac nouas, poterítque hoc pacto locus exponi; Dixi regnum cælorum ſimile eſſe theſauro: ideo dico vobis, omnis Scriba doctus ſimilis eſt patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo noua & vetera. Nam vt paterfamilias, ſic Scriba doctus, ex theſauro, de quo in parabola ſuperiori dixi, id eſt, ex antiquis & nouis Scripturis, proferre debet, quæ loquatur. Sed theſauri nomine, vt dictum eſt, alia potius quàm Scripturæ intelliguntur. ideo non placet explanatio.

Matth. 13. *Intelligere oportet auditores verbum Dei.*

Exiſtimo particulam, *Ideo*, ad intellectum diſcipulorum eſſe referendam. Id quoque exiſtimat Abulenſis & Ianſenius. ſenſus hic eſto: Rogauit; *Intellexiſtis hæc omnia?* reſponderunt: *Etiam*. Adiicit; *Ideo*, quia intellexiſtis hæc omnia, volo, vt in pectore, ſiue intellectu, veluti theſauro, ea recondatis, & vt Scribæ docti, ſuo tempore ea ex theſauro proferatis. Indicat Auguſtinus hunc ſenſum loco citato, his verbis: An quia in parabolis ita locutus eſt; & cùm quæſiſſet à diſcipulis, vtrum intellexiſſent, reſponderunt, ſe intellexiſſe? &c. Et Chryſoſtomus; Quoniam, inquit, intellexerunt diſcipuli, laudat dicens; *Ideo omnis Scriba*, &c.

Ibid.

Aliter ſenſus eſſe poteſt; intellexiſtis has omnes parabolas, quas propoſui? reſpondent; *Etiam*. Et Chriſtus ait; ideo, videlicet, vt parabolas ſciat apoſitè conficere, & plebi proponere, omnis Scriba doctus theſaurum habere debet cognitionis omnium rerum, tam antiquarum, quàm recẽtiorum, vt ex illis exempla ſimilitudinéſque ducat, ad perſuadendum appoſitè. Græcè, διὰ τοῦτο, propter hoc, ſcilicet, vt ſciat parabolas populo proponere,

Theſaurus concionatoris & doctoris.

variámque doctrinam, sicut & ego facio, similis est omnis Scriba patrifamilias, &c.

Matth. 13. Scribæ vocantur Apostoli.

OMNIS *Scriba doctus in regno cælorum.* D. Hieronymus Scribas Apostolos vocat, quòd Scribæ essent & notarij, vt ait, Saluatoris, qui verba illius, & præcepta signabant in tabulis cordis carnalibus.

Quis sit Scriba doctus.

Græcè legitur: *Scriba doctus in regnum cælorum*: Iansenius exponit doctus ad regnum cælorum prædicandum. Potius, doctus in regnum, vel in regno cælorum Scriba, id est, qui aptus est ad regnum cælorum, id est, ad Ecclesiam: qui doctrinam habet idoneam Ecclesiæ. Noster interpres vertit: *Doctus in regno cælorum*: doctus in Ecclesia. Non enim agitur de Scribis synagogæ, sed Ecclesiæ. Scriba Græcè dicitur γραμματεὺς, id est, litteratus, à γράμμα, id est, littera, legis peritus, siue legis doctor. De Scribis & Pharisæis 3. tomo Deo fauente dicemus.

Matth. 13.

SIMILIS *est patrifamilias.* Parabolicè hoc etiam loco Dominus loquitur. Doctorem Ecclesiæ similem ait patrifamilias, qui cùm opus est, vel ad conuiuium, vel ad nuptias, vel ad aliquid aliud simile, ex thesauro penuque suo: *profert noua & vetera*, id est, veteres, iámque diu asseruatos, recentésque fructus, nouam recentémque supellectilem, noua veteráque vasa argentea, siue aurea, hoc est, copiosè apparat conuiuium, non ieiunè. *proferre enim noua & vetera*, significare videtur, copiosè & abundanter exhibere quæ quis habet. Ait sponsa: *Noua & vetera, dilecte mi, seruaui tibi.* Si verò thesaurum sic accipere velis, vt supra in parabola thesauri, intellige proferre vasa aurea, & similia. Euthymius interpretatur, *noua & vetera*, nouas & veteres res aureas. Abulensis nouam & veterem pecuniam. Vt paterfamilias profert de thesauro noua & vetera: sic Euangelicus doctor de thesauro, quem parare debet, producit noua & vetera, id est, copiosè dicit, non ieiunè, variam habet paratam doctrinæ supellectilem, varias similitudines & parabolas, à rebus antiquis nouisque desumptas, à nouo testamento veteréque depromptas.

Ibid.

Cant. 7. Thesaurus doctoris.

Abulens.

A Chrysostomus, Euthymius, Hieronymus, Gregorius, Beda, & Augustinus, *noua & vetera*, nouum volunt indicare & vetus testamentum. Sed obiicit Abulensis Matthæi 13. quæst. 75. cùm Christus hæc dicebat, noui testamẽti libros nondum fuisse scriptos, quamobrẽm de illis Christum sermonẽ non habuisse. Sed tenue est argumentum. Nam etsi libri scripti non essent, doctrina testamẽti noui iam erat. Præterea hanc parabolam non discipulis tantùm, sed toti Ecclesiæ Christus proponebat, quæ vtrumque habet testamentum. Videbat Christus nouum vetusque testamentum, cùm loquebatur, Scribas suos, id est, doctores Ecclesiæ instruebat, vtriusque testamenti maximè peritos esse volebat. *Abulens.*

B Quocirca hoc loco Lyranus: Ex hoc, inquit, loco paret, quòd Episcopi, qui successores sunt Apostolorum, debent habere notitiam vtriusque testamenti. in cuius signum portant mitram in capite cum duplici cornu, &c. Nam duplex tiaræ pontificiæ cornu, duo significat testamẽta, teste Innocentio lib. 1. de mysteriis missæ, cap. 60. his verbis: Mitra Pontificis scientiam vtriusque testamẽti significat. Nam duo cornua duo sunt testamenta: duæ fimbriæ spiritus & litera: circulus aureus, qui anteriorem & posteriorem partem complectitur, indicat quòd omnis Scriba doctus in regno cælorum, de thesauro suo noua profert & vetera. Caueat ergo Episcopus, ne prius velit esse magister, quàm norit esse discipulus. Ne si cæcus cæcum duxerit, ambo in foueam cadant. Scriptum est enim in propheta Osea: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Hæc Innocentius 3. summus Pontifex. Lege Gratianum, d. 36. Can. *Qui ecclesiasticis*, quo loco ex Scriptura ostendit Episcopo scientiam esse necessariam. D. Augustinus lib. 20. de ciuit. cap. 4. arbitratur Dominum noua præposuisse veteribus, propter dignitatem noui testamenti. Non dixit Christus, ait, *vetera & noua*: quod vtique dixisset, nisi maluisset meritorum ordinem seruare, quàm temporum, &c. *Lyran.* *Episcopi sint vtriusque testamenti scientia ornati.* *Osea 4.* *August.*

CAPVT X.

De aduentu Christi in patriam Nazareth.

MATTHÆVS CAP. XIII.

ET factum est, cùm consummasset Iesus parabolas istas, transiit inde. Et veniens in patriam suam, docebat eos in synagogis eorum, ita vt mirarentur, & dicerent: Vnde huic sapientia hæc & virtutes? Nónne hic est fabri filius? Nónne mater eius dicitur Maria: & fratres eius, Iacobus & Ioseph, & Simon, & Iudas, & sorores eius, nónne omnes apud nos sunt? Vnde ergo huic omnia ista? & scandalizabantur in eo. Iesus autem dixit eis: Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua. Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem illorum.

MARCVS CAP. VI.

ET egressus inde, abiit in patriam suam: & sequebãtur eum discipuli sui. Et facto sabbato cœpit in synagoga docere. Et multi audientes admirabãtur in doctrina eius, dicẽtes: Vnde huic hæc omnia? & quæ est sapientia, quæ data est illi, & virtutes tales, quæ per manus eius efficiuntur? Nónne hic est faber, filius Mariæ, frater Iacobi, & Ioseph, & Iudæ, & Simonis? nõne & sorores eius hîc nobiscum sunt? & scandalizabantur in illo. Et dicebant illis Iesus: Quia non est

Propheta

Propheta ſine honore, niſi in patria ſua, & in domo ſua, & in cognatione ſua. Et non poterat ibi virtutem vllam facere, niſi paucos infirmos impoſitis manibus curauit. Et mirabatur propter incredulitatem eorum.

LVCAS CAP. IV.

ET regreſſus eſt Ieſus in virtute Spiritus in Galilæam: & fama exiit per vniuerſam regionem de illo. Et ipſe docebat in ſynagogis eorum: & magnificabatur ab omnibus. Et venit Nazareth, vbi erat nutritus, & intrauit ſecundùm conſuetudinem ſuam, die ſabbati, in ſynagogam: & ſurrexit legere. Et traditus eſt illi liber Iſaiæ Prophetæ. Et vt reuoluit librum, inuenit locum vbi ſcriptum erat: Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde, prædicare captiuis remiſſionem, & cæcis viſum, dimittere confractos in remiſſionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis. Et cùm plicuiſſet librum, reddidit miniſtro, & ſedit. Et omnium in ſynagoga oculi erant intendentes in eum. Cœpit autem dicere ad illos: Quia hodie impleta eſt hæc Scriptura in auribus veſtris. Et omnes teſtimonium illi dabant, & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius. Et dicebant: Nonne hic eſt filius Ioſeph? Et ait illis: Vtique dicetis mihi hanc ſimilitudinem. Medice, cura te ipſum: quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hîc in patria tua. Ait autem: Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua. In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Iſrael, quando clauſum eſt cælum annis tribus, & menſibus ſex, cùm facta eſſet fames magna in omni terra; & ad nullam illarum miſſus eſt Elias, niſi in Sarephta Sidoniæ ad mulierem viduam. Et multi leproſi erant in Iſrael ſub Eliſæo Propheta: & nemo eorum mundatus eſt, niſi Naaman Syrus. Et repleti ſunt omnes in ſynagoga ira, hæc audientes. Et ſurrexerunt, & eiecerunt illum extra ciuitatem, & duxerunt illum vſque ad ſupercilium montis, ſuper quem ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum. Ipſe autem tranſiens per medium illorum ibat.

Matth. 13. MATTHÆVS poſt dictas parabolas ſignificat Chriſtum petiuiſſe patriam Nazareth his verbis: *Et factum eſt, cùm conſummaſſet Ieſus parabolas iſtas, tranſiit inde: & veniens in patriam ſuam docebat eos,* &c. D. Marcus & D. Lucas ordinem factorum non ſunt ſecuti, ideóque alio loco huius rei meminerunt. Matthæi ordinem ſequitur Ianſenius & Cardinalis Baronius. D. Auguſtinus lib. 2. de conſenſu Euangeliſt. cap. 42. aliud opinatur: videlicet ordine potiùs illo hæc eſſe geſta, quē Marcus & Lucas ſecuti ſunt. Marcus quidem poſtquam *Marci 4.* Chriſtus parabolas populo propoſuit, adiicit. *Et ait illis,* ſcilicet diſcipulis, *in illa die, cùm ſerò eſſet factum: tranſeamus contra.* Deinde narrat Chriſtum cum diſcipulis trans mare nauigaſſe in regionem Geraſenorum. Similiter Lucas poſt parabolā ſeminantis, ſcribit in regionem Geraſenorū transfretaſſe. Marcus ait, *In illa die,* qua ſcilicet, parabolas dixit, nauigaſſe in regionem Geraſenorum: ergo Marci & Lucæ ordo ſequendus eſt. Sed reſpondemus ex eodem Marco cap. 4. apertum eſſe, quo tempore parabolæ dictæ ſunt, duodecim diſcipulos cum *Parabolæ quo tēpore dictæ ſint. Marci 4.* Chriſto fuiſſe. Sic enim ille ait: *Cùm eſſet ſingularis interrogauerunt eum ij, qui cum eo erant duodecim.* Ergo iam Matthæus vnus ex duodecim ad Apoſtolatum fuerat vocatus. Atque Matthæus poſt illam transfretationem vocatus eſt, vt ex dictis cōſtat, & ex Matthæo cap. 8. & 9. ergo parabolæ non præceſſerunt transfretationem. Verba illa Marci, quæ negotium huic ordini exhibēt, ab Euthymio ſic exponuntur, Marci 4. *In illa die,* perinde eſt, ac ſi dixiſſet, *In vna*

A *dierum,* ſicut habet Lucas. neque enim illam innuit, *Luc. 4.* qua dixit parabolas, &c. Itaque quod Lucas dixit: *Factum eſt in vna dierum, & ipſe aſcendit in nauiculam,* &c. Id dixit Marcus: *Ait illis in illa die: Tranſeamus contrà,* &c. *In illa die,* id eſt, in quadam die, ſicut ſi dixiſſet, *In illo tempore.*

ET *veniens in patriam ſuam.* Patria Chriſti hoc loco *Matth. 13.* dicitur Nazareth, vt ex Luca intelligitur: *Venit,* *Patria Chriſti Nazareth.* inquit, *Nazareth, vbi fuerat nutritus.* Patria Chriſti appellatur Bethlehem, quia in ea eſt natus: Nazareth, *Luc. 4.* quia in ea eſt nutritus: Capharnaum, quia in ea eſt commoratus. Erat enim ampla ciuitas, & doctrinæ B Euangelicę diſſeminadę idonea. D. Ireneus lib. 4. c. 40. ſcribit Chriſtū in Capharnaū Iſaiæ legiſſe prophetias. Sed memoriæ fuit lapſus, vel librariorum.

SVRREXIT *legere.* De more die ſabbatho ſyn- *Ibid.* agogam Nazareth ingreſſus eſt Dominus. eo enim die ſolebant Iudæi, in ſynagogam ad audiendam legem conuenire. Obſeruat Ianſenius videri *Ianſen.* fuiſſe morē apud Iudæos, vt in ſynagoga non vnus tantùm faceret verba ad populum, ſed liberū eſſet diuerſis ſucceſſiuè concionari. Vnde Paulus Co- *Mos Iudæorum in ſynagogis.* C rinthiis ſcribens ſtatuit, vt in Eccleſia Prophetæ vicißim dicāt, & audiant, & ſi cui fuerit reuelatum aliquid dignum cognitu, cedat, qui prior dixerat, & det locum ſucceſſori. Sic ille. Maldonatus quoque; Apparet (inquit) liberum in ſynagoga vnicuique fuiſſe dicere, ſi quid occurreret, vt apud nos in publicis diſputationibus diſputare, &c. Sed ex antiquis id non liquet, neque ad præſentem locum explanandum, mos hic eſt neceſſarius. Siue plures dicere poſſent, ſiue vnus tantùm ſoleret in

ſynagoga loqui, Chriſtus in ſynagogam ingreſſus pro ſua auctoritate,& nominis ſplendore, ſurrexit ad legendum Scripturã ſacram. Is enim erat mos, vt priùs ſtans concionator Scripturæ aliquem locum legeret,deinde ad loquendum ſederet.quem morem Chriſtus ſeruauit. prius legit,deinde ſedit. Ianſenius putat morem fuiſſe, vt ſtantes doctores, & legerent Scripturam, & concionarentur. Sed verba illi Chriſti: *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, quæcumque dixerint vobis ſeruate, & facite*: indicant ſediſſe legis doctores, cùm docebant populum. Præterea id indicat Chriſti factum. Non enim præter rectum morem quidquam agebat.

Cõcionatores ſedebãt.

Matth. 23.

Luca 4. TRADITVS *eſt illi liber Iſaiæ.* Non caſu, ſed diuina prouidentia traditus eſt Chriſto, liber Iſaiæ legendus. Reuoluit librum, Græcè verbũ eſt ἀναπτύσσω, quod ſignificat explicare & aperire. Aperuit librum,ſiue reuoluit,quoniã volumen erat, ſiue membrana inuoluta. Inuoluta erat, & clauſa Scriptura ante Chriſtum: Chriſtus illam reuoluit, & aperuit. Beda hoc loco: Librũ,inquit,Prophetæ clauſum accipit: ſed reuolutum legit. Quia myſterium incarnationis ſuæ prophetarũ voce præſcriptum, & prius ſuſcepit exhibendũ, & poſt intelligendũ mortalibus aperuit,&c. Sed poſtquam legit, complicuit librũ,vt Lucas ait,& reddidit miniſtro Iudæo. etenim Iudæis non ſunt explicatæ,ſed clauſæ literæ diuinæ, vt primo tomo ſatis oſtendimus.

Chriſtus aperuit Scripturas.

Luca 4. SPIRITVS *Domini ſuper me.* Extat locus hic, quem ſibi legendũ Chriſtus elegit,apud Iſaiam cap.61. Recitatur à Luca iuxta verſionem Septuaginta interpretum. In ſe impletũ aſſerit Dominus vaticinium,illis verbis: *Quia hodie impleta eſt hæc Scriptura in auribus veſtris.* Spiritum ſanctum ſuper Chriſtum fuiſſe, humanitatémque eius totam compleſſe, & odoratiſſimo oleo admirabilium donorum perunxiſſe liquet.

Ibid.

Luca 4. Expoſitio loci Iſaiæ.

Dubium tamen pariunt verba cõſequentia: *Propter quod vnxit me.* Nã videtur tautologia,id eſt,eiuſdem rei inutilis repetitio. Eſt enim ſenſus; *Spiritus ſanctus in me eſt,propter quam cauſam in me eſt*: nam Deus Chriſtum vnxit Spiritu ſancto. Quidã diſpungunt, & interpretantur in hunc modum: *Spiritus Domini ſuper me,propter quod vnxit me,euãgelizare pauperibus,* hoc eſt; Spiritus ſanctus in me eſt; propterea verò,quia Spiritu ſancto repletus ſum, vnxit me Deus,id eſt, conſecrauit ac deputauit ad euangelizandum pauperibus. Tertullianus lib.4.contra Marcionẽ,cap. 14. hanc diſpunctionem ſequitur. Nam ſic ille diſtinguit; *Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me ad euangelizandum pauperibus.* Deinde; *Miſit me curare obtritos corde,* &c. Et Theophylactus Luc.4.locum interpretatur his verbis: *Spiritus Domini vnxit me*, hoc eſt,conſecrauit me,cõſtituit me,*vt euangelizarẽ pauperibus,* id eſt,gentibus. Sic ille. Hieronymus fauet, & D. Irenæus lib. 3. cap.10. Biblia quoque regia ſic diſtinguunt; *Spiritus Domini ſuper me, propterea vnxit Dominus me ad euangelizandum manſuetis.* Poſtea: *Miſit me ad ligandũ faſcia contritos corde,* &c. Chaldæus interpres eodem modo, & Forerius ita vertit: *Ideo vnxit me Iehoua, vt euangelizarem inopibus.* Ianſenius & Maldonatus hanc interpretationẽ ſequuntur. Leo Iſaię 61.hoc pacto exponit; *Propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus miſit me*, hoc eſt, ad euangelizandum me miſit Dominus,propter quod,id eſt,ad quã rem præſtandam,*vnxit me.* Miſit me ad euangelizandum pauperibus, quæ cauſa finalis erat vnctionis meæ.

Simplicius, & rectius retinetur communis diſpunctio,eſtque ſenſus; *Spiritus Domini ſuper me,propter quod*,vel cuius cauſa, Græcè οὗ ἕνεκεν,*vnxit me*,id eſt, quia Spiritus ſanctus in me eſt, vnxit me Dominus,id eſt, ipſo Spiritu ſancto vnctus ſum non ſenſibili oleo. Quemadmodum ſi pontifex,vel rex diceret; vnguentũ Domini ſuper me: propter quod vnxit me. ſignificaret ſe vnctum, quia vnguento eſſet perfuſus. Vnguentum autem, quo Dominus perfuſus eſt, fuit Spiritus ſanctus, vt Auguſtinus docet lib. 3. contra Maximinum,capite 16. Prædictum,inquit,eſt vt vngeret Deus Chriſtum: vngeret autem non viſibili & corporali oleo: ſed Spiritu ſancto, quem Scriptura nomine olei exultationis figurata, vt ſolet, locutione ſignificat Pſal. 44. &c. Itaque nulla hic eſt tautologia. Aliter, ſic poteſt locus explanari. *Spiritus Domini ſuper me.* Deinde: *Propter quod Deus vnxit me, euangelizare pauperibus miſit me*,hoc eſt,euãgelizare pauperibus miſit me Deus, propter quod, id eſt, quod vt facerem, vnxit me, &c. Alia quoque eſt non ſpernenda interpretatio, hunc in modum: Spiritus Domini ſuper me, columbæ ſpecie in baptiſmo, oſtendens me Meſſiam miſſum ad euangelizandum, propter quod, id eſt, vt Meſſias eſſem, & euangelizarem mundo, vnxit me in vtero Virginis,euangelizare pauperibus miſit me,&c.

Luca 4. Iſaiæ 61.

Euthymius putat Spiritum Domini hoc loco ſignificare diuinitatem, in hanc ſententiam: Spiritus Domini ſuper me, id eſt, diuinitas Domini, quia Deus vnitus eſt mihi. Vult autem ſubaudiri hæc verba: *Vt homines ſaluos faciam*, hunc in modum: diuinitas Domini ſuper me eſt, & mihi vnita, vt homines ſaluos faciam. propter quod, ſcilicet, vt homines ſaluos faciam, vnxit me. Sed Spiritu ſancto vnctum Dominum docet diuus Petrus: *Quomodo*, ait, *vnxit eum Deus Spiritu ſancto & virtute*, &c. Euſebius Cæſarienſis lib.9.cap.10. Ex hac(inquit)Scriptura videtur Chriſtus longè excellentius ac melius, quàm illi ſacerdotes, qui olim corporali vnctione vngebantur, non oleo comparato, neque ab hominibus, vt alij ſolebant,ſed diuino,hoc eſt,Dei Patriſq; ſui Spiritu vnctus,&c. D. Irenæus li.3.c.10. Vnctus eſt,inquit, à Patre,Spiritu,ſicut & Iſaias ait: *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritu ſapientiæ & intellectus*,&c. Ambroſius Lucæ 4. Vngitur oleo ſpiritali Chriſtus,& virtute cæleſti,&c. D. Athanaſius orat.2.contra Arianos: Non quemadmodũ Aaron, aut Dauid, aut reliqui omnes, ita quoque Chriſtus oleo vnctus eſt. Sed aliter, ſuper omnes conſortes ſui oleo lætitiæ, quod oleum Spiritũ ſanctum eſſe per Prophetam Iſaiam expoſuit: *Spiritus Domini ſuper me,eo quòd vnxerit me.* Quemadmodum & ab Apoſtolo Petro dictum eſt: *Quòd Deus illum vnxerit Spiritu ſancto.* Quando igitur iſta de eo pronuntiata ſunt, niſi tum, cùm in carne conſtitutus baptizabatur in Iordane,ac Spiritus in eum deſcendebat?&c.

Spiritus Domini eſt diuinitas.

Sed propriè Spiritum S. deſignat. Euſebius Cæſar. Act. 10.

Iſaiæ 11.

Chriſtus S. Spiritu oleo vnctus eſt.

Act. 10.

Exiſtimat Athanaſius vnctum eſſe Chriſtũ, tunc cùm Spiritus ſanctus in baptiſmate ſupra caput eius aſſitit. Hieronymus quoque idem ſentit, Iſaiæ 61.ſic ſcribens: Quia erat vnctio Chriſti ſpiritualis, & nequaquam humani corporis, vt fuit in ſacerdotibus Iudæorum; idcirco præ conſortibus, id eſt, ceteris ſanctis, vnctus eſſe memoratur, Pſalm. 44. cuius vnctio illo expleta eſt tempore, quando baptizatus eſt in Iordane,& Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ deſcendit ſuper eum. ſic Hieronymus. Beda quoque in Lucam. At dicendum eſt Spiritum ſanctũ in baptiſmate nihil Chriſto contuliſſe gratiæ aut virtutis,atque adeò non vnxiſſe,ſed Filium Dei eſſe,& vnctum demonſtraſſe. Vnxit autem Chriſtum omnibus donis, ipſo conceptionis puncto, in vtero Deiparæ. Quòd ſi vngere ſumatur,vt ſumpſit Theophylactus pro deputare,& deſtinare ad euangelizandum, verum eſt in baptiſmate vnctum Chriſtum, id eſt, ad prædicandum deputatum ac miſſum. At verò hoc Iſaiæ vaticinium in

Chriſtus quando vnctus eſt Spiritu ſancto.

ipſo

ipso Virginis vtero completum est inuisibiliter: quemadmodum & alterum: *Requiesceat super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ*, &c. completum autem esse, demonstratum est in baptismate visibiliter. Augustinus lib. 15. de Trinitate cap. 26. Spiritū, inquit, sanctum Christus non solùm dedit, vt Deus, sed etiam accepit, vt homo. Propterea dictus est Ioan. 1. plenus gratia. Et manifestius de illo scriptum est: *Quoniam vnxit eum Deus Spiritu sancto.* Non vtique oleo visibili, sed donogratiæ, quod visibili significatur vnguento, quo baptizatos vngit Ecclesia, &c. Deinde subiicit: Nec sanè tunc vnctus est Christus Spiritu sancto, quando super eum baptizatum velut columba descendit. Sed ista mystica, & inuisibili vnctione, tunc intelligendus est vnctus, quando Verbum Dei caro factum est, &c.

Isaiæ 11.

Christus vnctus est Spiritu S. in ipso puncto incarnationis. Act. 10.

EVANGELIZARE *pauperibus.* Dictio Hebræa עניים, Hhaanauim, & pauperes significat & mansuetos: Septuaginta in pauperes vertunt, diuus Hieronymus vertit in mansuetos. Theophylactus gentes indicare vult, quæ rerum spiritalium inopia maximè laborabant: Origenes hom. 32. in Lucam, in eadem sententia est. Eusebius Cæsariensis de pauperibus interpretatur, quos Christus beatos vocat, Matthæi 5. his ait Christum Euangelizasse, quòd beatos esse dixerit. lib. 3. de demonstratione euangelica, cap. 1. Hinc, inquit, suam doctrinam exorsus, euangelizare cœpit pauperibus, eos in commendatione beatorum, quia apud se futuri sint, reliquis anteponens. *Beati*, inquit, *pauperes spiritu*, &c. Lege eumdem lib. 9. cap. 10. Sic etiam Tertullianus lib. 4. contra Marcionem, cap. 14. & diuus Hieronymus Isaiæ 61. Vnctus, inquit, est Christus Spiritu sancto, vt annuntiaret pauperibus, siue mansuetis, dicens eis in Euangelio: *Beati pauperes spiritu, quoniam eorum est regnum cælorum. Beati mites*, &c. Eodem modo Beda. Satius videtur, pauperum nomine intelligere non solùm pauperes volũtarios, sed plebem etiam pauperem, cui Christus concionabatur. Non enim diuites quæsiuit aut potentes, quibus lætissimum Euangelij nuntium promulgaret, sed plebem. Vnde illud: *Pauperes euangelizantur.* Probi concionatoris & Deum quærentis est, euangelizare pauperibus libenter.

Luca 4.

Matth. 5.

Ibid.

Beda.

Concionatoris est euangelizare pauperibus. Matth. 11. Luca 4.

SANARE *contritos corde.* Hebraicè לחבש, lechabosch, id est, ad alligandum fascia, confractos corde. Metaphora ex Chirurgis sumpta, qui contrita membra & fracta fasciis alligant & vulnera. Confracti, siue contriti corde, ij dicuntur, qui cor habent fractum siue contritum, aut peccatis veluti vulneribus affectum, hæc vulnera sanat, siue alligat Christus; iuxta illud: *Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum*, id est, vulnera eorum, confractiones, peccata, quæ vulnera sunt cordis, quoniam mortem afferunt sempiternam. D. Hieronymus Isaiæ 61. Missus, inquit, est Christus ad sanandos eos, qui corde contriti sunt, & dicunt: *Cor contritum & humiliatum* Deus non despicit; siue iuxta Symmachum & Theodotionem ad alliganda vulnera peccatorum, &c. Theophylactus quoque cor contritum interpretatur, cor solutum; & Euthymius cor grauitate peccatorum contritum & confractum. Hilarius Psal. 52. cor peccatis præfractum. Possunt etiam contriti corde dici tristes ac mœsti, qui cor habẽt veluti confractum mœrore ac dolore, vt Maldonatus exponit.

Qui sint contriti corde.

Psal. 146.

Hieron.

Psal. 50.

Hieron.

Alius sensus esse potest ille D. Hieronymi; *Sanare contritos, vel confractos corde*, hoc est, eos, qui contritum habent cor dolore, & peccatorum pœnitentia. ij enim sanantur à Christo, non autem illi, qui incontrito ac duro corde, pœnitentiam non curant. Obijcitur huic interpretationi, Christum hoc Isaiæ loco, non bonum, sed malum, & miserabilem eorum statum significare voluisse, quibus Christus succurrit: contritionem verò, non malum, sed bonum esse statum. Respondetur, iuxta hunc sensum, significari hoc loco, non malum statum, sed modum, quo ex malo & miserabili statu impij liberantur, nempe per contritionem.

PRÆDICARE *captiuis remissionem.* Sub dæmonis & peccati captiuitate, flagitiosam vitam degebat humanum genus, libertatem, siue remissionem ex captiuitate hac Christus prædicauit: nec prædicauit solùm, sed etiam effecit. Quemadmodum è Babylonica ciuitate Israelitas, sic ex tartarea captiuitate populum suum liberauit.

Luca 4. Christus è captiuitate nos liberauit.

ET *cæcis visum.* Impij vulnerati sunt, captiui, & cæci, vt ex his constat. Vulneratis sanitatem, captiuis libertatem, cæcis illuminationem Christus attulit, nimirum fidem, cælestiumque rerum cognitionem. Hebraicè sic legitur: פקח קוח לאסורים, leassurim pekach koach, significat autem *asurim*, ligatos, vel vinctos, & *pekach*, apertionem, ideóque D. Hieronymus vertit, *clausis*, scilicet in carcere, apertionem. *koach*, carcerem videtur significare, à לקח lakach, id est, capere. Sensus Hebrææ lectionis est, vinctis apertionẽ carceris Christum prædicasse, hoc est, impiis, qui scelerum catenis erant obstricti, peccatique carcere conclusi, carceris portas aperuisse, vt fugerent. Septuaginta interp. vertunt: *Cæcis visum.* Nam אסורים *asurim*, significat ligatos, cæci autem veluti ligatos habent oculos, & vinctos. פקח *pekach*, verò significat apertionem visus, ideo vertunt visum. Maldonatus putat non dici cæcos à Septuaginta interp. proprie, videlicet, eos qui oculis orbati sunt; sed eos qui in tam tenebroso, & obscuro carcere vincti degunt vitam, vt nihil penitus videant, perinde ac si cæci essent. hoc pacto: *Prædicare cæcis visum*, id est, iis, qui in tenebroso carcere, omni luce, veluti cæci, priuati sunt; visum, id est, lucem. Nam è carcere educti tenebroso lucem cernunt. Sic explicata hęc verba: *Cæcis visum*: idem significant quod illa: *Clausis, vel vinctis, apertionem.* Ingeniosa est interpretatio. Sed nõ puto Septuaginta interpretes, id quod perspicuè dicere poterant, dixisse obscurissimè. Ego soleo verba Scripturæ, quo ad possum in proprio accipere significato. Ideoque priorem interpretationem, ac communem præfero.

Luca 4. Christus peccati carcerem aperuit.

DIMITTERE *confractos in remissionem.* Existimat idem Auctor hæc verba citasse Lucam non tamquam partem prophetici Isaiæ testimonij: sed tamquam illorum superiorum verborum, *Cæcis visum*, explicationem. Quia enim obscura erant, his additis illa explicasse ait. Quos suprà, cæcos dixit, hîc *confractos*, id est, carceris tenebrosi cruciatibus fractos; quem suprà dixit *visum*, hîc remissionem, id est, libertatem, qua lucem aspicere licet, appellasse. Laudo ingenium, non sequor interpretationem. Hæc verba neque in Hebræo contextu extant, neque apud Septuaginta Interpretes Isaiæ 61. Dubium idcirco est, cur à Christo Optimo Maximo dicta sint, citante testimonium Isaiæ. Maldonatus, vt dictum est, ingeniosè ait, explicationem esse antecedentium verborum Isaiæ. Sequatur qui volet. Leo Isaiæ 61. arbitratur verba Hebræa אסורים פקח קוח *Assurim pekach koach*, duplicem habere sensum, vt reuera habent; alterum, quem D. Hieronymus expressit, scilicet, *Clausis, siue vinctis apertionem.* alterum quem Septuaginta secuti sunt, scilicet, *Cæcis visum, vel visus restitutionem*: τυφλοῖς ἀνάβλεψιν. hos autem duos Hebraicæ litteræ sensus Lucam complexum esse: ideoque dixisse: *Cæcis visum*, qui sensus Septuaginta Interpretum

Luc. 4. pretum & addidiſſe: *Dimittere confractos in remiſſionem,* id eſt, dimittere ex carcere, confractos carceris laboribus in remiſſionem, ſiue libertatem. Qui ſenſus eſt diui Hieronymi: vterque autem Hebrææ lectionis. Eſt enim canon interpretandæ Scripturæ, quem tradit ex Hebræis Iſidorus Clarius, Geneſ. 49. & Leo Iſaiæ 61. Cùm verbum ſignificat multa, quæ rei, de qua agitur conueniant, ea omnia voluiſſe ſignificare Spiritum ſanctum. Quod Chriſtus Optimus Maximus hoc loco docet. Rectè quidem hæc dicta. Si hæc non placent, addo, ſi non verba, ſenſum tamen verborum eſſe apud Iſaiam.

Canon Scripturæ explicandæ.

Iſaiæ 61. Nam apud Iſaiam legitur: *Vt conſolarer omnes lugentes, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu,* &c. Id quod ſignificant hæc verba: *Dimittere confractos in remiſſionem,* hoc eſt, dimittere triſtes ac lugentes, in libertatem, ſiue hilaritatem libertatis. Quod quid aliùd eſt, quàm, *vt conſolarer lugentes?* Nam *confracti* Græcè τεθραυσμένοι, dicuntur illi, qui animum habent dolore, & mœſtitia fauciatum, vt conſtat ex 1. Regum 20. quo loco ſic Septuaginta Interpretes vertunt, ὅτι ἐθραύσθη ἐπὶ τὸν Δαβίδ, hoc eſt, quoniam Ionathas contriſtatus eſt, vel fauciatus mœrore ſuper Dauid. Illa ergo, quæ apud Iſaiam ſunt; *Vt conſolarer omnes lugentes, & darem eis coronam pro cinere,* &c. Complexus eſt his paucis verbis D. Lucas.

Qui ſint confracti.

Iſaiæ 61.

Luc. 4. PRÆDICARE *annum Domini acceptum.* Hebraicè annus acceptus dicitur, שנת רצון ſchenath ratſon, id eſt, annus bonæ voluntatis Dei, vel beneplaciti Dei, annus acceptus Deo. Diuus Hieronymus vertit; *Annum placabilem.* Hic autem annus pleniſſimi eſt Iubilei, cælo acceptiſſimus, placationis, & propitiationis pleniſſimus ac gratiæ, de quo Paulus: *Ecce nunc tempus acceptabile. Ecce nunc dies ſalutis,* &c. Annum enim vocat tempus Euangelij, quo cæli patent, terra mira Dei largitate completa eſt. Si roges, cur tam longum tempus, quo Euangelium perdurat, annus vocetur? Reſpondeo, alluſionem fieri ad annum iubilei Iudaici, qui quinquageſimo quoque anno recurrebat, eratq; celeberrimus annus, annuſque remiſſionis nominabatur, vel libertatis, Hebraicè דרור deror.

Qui ſit annus acceptus.

2. Cor. 6.

Leuit. 25. *Sanctificabis annum quinquageſimum, & vocabis remiſſionem,* id eſt, libertatem, *cunctis habitatoribus terræ tuæ. Ipſe eſt enim iubileus,* &c. Cur remiſſionis, vel libertatis diceretur annus cauſa eſt, quia eo adueniente Hebræi ſerui libertatem recuperabant, & venditores ad antiquas poſſeſſiones redibant. Nam Iudæi agros, ſimiliaque bona immobilia, vſque ad annum tantummodo iubilei vendebant, ne ſortes, & hæreditates permiſcerentur. Leuit. 25. In ipſo, id eſt, in anno iubileo, omnis venditio redibit ad dominum, & ad poſſeſſorem priſtinum, &c.

Annus Iubileus.

Iubilei nomen à יובל Iobel, deducitur. Quid autem Iobel ſignificet dubitatur. Maſius Ioſue 6. à Iubal ductum nomen arbitratur, qui ex poſteris Cain, primus muſicorum inſtrumentorum fuit inuentor. *Iubal fuit pater canentium cithara & organo,* &c. Pagninus, Eugubinus, & alij ſentiunt ſignificare cornu arietinum, atque inde iubileum nominari, quòd cornibus arietum eo anno clangeretur. Chaldæus fauet, qui illud: *Sacerdotes tollent ſeptem buccinas, quarum vſus eſt in iubileo*; vertit, *Tollent ſeptem buccinas ex cornu arietis.* Hebraicè, שופרות היובלים ſchopheroth haiiobelim, id eſt, Iubileorũ: tamen Leuit. 25. Iobel Iubileum interpretatur. Sequendus potius eſt Ioſephus Hebræus, qui lib. 3. Antiquitatum cap. 10. Iobel libertatem ſignificare docet apertè. Septuaginta quoque Interpretes pro Iubileo vertunt ἄφεσιν, id eſt, remiſſionem & libertatem. Non diſſentit diuus Hieronymus, initio libri ſecundi in Iſaiam. Lege Leuitici cap. 25. & Ioſephum loco indicato.

Gen. 4.

Ioſue 6. Vnde dicatur Iubileus.

Adumbrabat Iubileus annus, Euangelij tempus. eſt enim tempus remiſſionis peccatorum, & libertatis ex crudeli dæmonis captiuitate, vt hoc loco dicitur; *Prædicare captiuis remiſſionem,* id eſt, libertatem, *cæcis viſum,* &c. Et lex noua lex dicitur *perfectæ libertatis.* Hoc anno ſerui dæmonis, ſi volunt, libertatem conſequuntur; quique bona ſua immobilia, id eſt, cæleſte & immobile regnum pro viliſſima voluptate, ſatanæ vendiderunt, ad poſſeſſionem reuertuntur. Erat in Iubileo tubarum vſus, vt liquet ex Ioſue: *Sacerdotes tollent ſeptem buccinas, quarum vſus eſt in Iubileo,* &c. Similem in modum hoc Euangelij tempore ſacerdotes Euangelicæ prædicationis tubas tollunt, eiſque clangunt, vt muri Hiericho æquentur ſolo.

Typus Euangelici temporis.

Luc. 4.

Iacobi 1.

Ioſue 6.

Luc. 4. ET *diem retributionis.* Diuus Hieronymus vertit diem vltionis, יום נקם, Iom nakam. Idem eſt *vltio & retributio* hoc loco. Diem iudicij appellari diem retributionis, ait D. Hilarius Pſalm. 52. & 64. Origenes quoque Leuit. 9. Eo enim die retribuet Chriſtus vnicuique, quod meretur, vlciſcetur-que peccata omnia. Diuus Hieronymus diem vltionis dici vult illud tempus, quo de Iudæis pœnas meritas Deus ſumpſit, ducibus Veſpaſiano ac Tito, quæ interpretatio eſt Euſebij libro nono demonſtrationis, capite 13. Veriſimile eſt diem vltionis, ſiue retributionis intelligi aduentum Chriſti primum, quo hoſtes noſtros, id eſt, dæmones perdidit, quo de peccatis omnibus pœnas ſumpſit, quo diuinam iuſtitiam vltus eſt, illique ſeueriſſimo iure fecit ſatis. Denique hoc die iuſtitiæ diuinæ cumulatiſſimæ retribuit ſatisfactionem, dæmonique vaſtationem. Probabilior etiam eſt Origenis & Hilarij ſententia diem retributionis diem iudicij appellari. Nam Chriſtus diem iudicij prædicauit. Probabiléque eſt hic de primo aduentu agi ceteris verbis. His verò extremis de aduentu ſecundo.

Quis ſit dies retributionis ſiue vltionis.

Luc. 4. OMNIVM *oculi erant intendentes in eum.* Mos eſt auditorum in concionatorem oculos intendere. Ideóque hi auditores oculos in Chriſtum concionantem intendebant, maximè quia magna pollebat fama. Vtinam nos in Chriſtum ſemper docentem oculos intendamus, vt hic docet Origenes. Sed non ſatis eſt oculos; animum quoque aduertere oportet, & cor fide plenum ac beneuolentia. Hoc quia Nazareth ciues non præſtiterunt, ex tanti concionatoris concione non fructum, ſed ſcandalum perceperunt.

Ibid. QVIA *hodie impleta eſt hæc Scriptura,* &c. Particula *quia* non reddit cauſam. Significat *Vtique* Hebraica phraſi. Dubium, quonam modo Iſaiæ vaticinatio illa die impleta fuerit, qua in Synagoga Nazarethana Chriſtus docuit? Numquid ea die vnctus eſt, ceteráque omnia dixit, quæ vaticinatione continentur? Reſpondetur, ea die impletam dici Scripturam in auribus auditorum; quoniam ea die, auditores illi Meſſiam audierunt à Deo vnctum & miſſum; euangelizare pauperibus, &c. Sed numquid Chriſtus hæc tantum verba dixit; an alia his adiunxit? Reſpondetur, multa alia his adiunxiſſe, quæ Euangeliſta ſilentio præteriit. Id quod ex conſequentibus probatur. *Omnes* (ait Euangeliſta) *teſtimonium illi dabant*; teſtimonium, inquam, laudis, & ſapientiæ, & miraculorum. Teſtabantur enim illum eſſe ſapientem, & concionatorẽ eximium, & miraculorũ patratorẽ, *& mirabantur in verbis gratiæ,* id eſt, gratioſis, gratia plenis, *quæ procedebãt de ore ipſius.* Iuxta illud: *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis.* Alia igitur multò plura verba fecit, quę litteris non ſunt conſignata.

Quomodo completa ſit hæc Scriptura.

Luc. 4.

Pſal. 44.

NONNE *hic eſt fabri filius?* Ciues Nazareth Chriſtum ab incunte ætate nouerant, ſciebant litterarum

De Christo Nazarethanorum peruersum iudicium.

terarum ſtudio numquam vacaſſe; admirabiliter concionantem, Scripturámque explanantem videbant; miraculorum famam audierant, nonnulla etiam viderant. Quamobrem ſtupentes aiunt, vt Matthæus ſcribit, vnde huic ſapientia hæc? & virtutes, Græcè, δυνάμεις, id eſt, poteſtates ad miracula perpetranda? Diuus Auguſtinus libro 1. quæſt. Euangel. cap. 14. ſic exponit: *Vnde huic ſapientia?* in iis, quæ loquebatur. *Virtutes*, in iis, quæ operabantur.

1. Cor. 1. Ideóque Apoſtolus cùm dixit Chriſtum *Dei virtutem & ſapientiam*; virtutem ad ſigna retulit, ſapientiam ad doctrinam. ſic Auguſtinus. Deinde ad

Marci 6. Matth. 13. genus humile deſcendunt. Addunt; *Nonne hic eſt faber?* vt Marcus ait, & Matthæus; *Nonne hic eſt fabri filius?* Vtrumque enim dixerunt, alij hoc, alij illud. Exiſtimabant Chriſtum Ioſeph filium eſſe, diuino incarnationis arcano latente; in filio fabri, qui gymnaſia numquam frequentarat, tantam reperiri ſapientiam, & miraculorum operationem admirabantur.

Ioſeph quæ fabrilē artē exercuerit.

Fabrum fuiſſe Ioſeph ex hoc loco agnoſcitur: quàm verò artem fabrilem exercuerit non agnoſcitur. Nam tam nomen latinum faber quàm græcum, τέκτων, fabros complectitur omnis generis, ferrarios, argentarios, aurarios, lignarios. Quocirca Caietanus Matthæi 13. incertum eſſe ait, qua

Cuiuſnam artis fuerit Ioſeph? fabri ſpecie faber fuerit. Diuus Hilarius can. 14. in Matthæum, innuit ferrarium fuiſſe fabrum. Planè, inquit, Chriſtus fabri erat filius, ferrum igne vincentis, &c. non de Ioſeph, ſed de Deo loquitur; alludit tamen ad fabrilem artem Ioſeph. Similem

Beda. in modum Beda Marc. 6. Non ſine certi, ait, ſacramenti prouiſione, faber, & fabri filius dici voluit Chriſtus. Quin potiùs etiam per hoc ſe eius filium eſſe docuit, qui fabricator omnium in principio creauit cælum & terram. Nam etſi humana non ſunt comparanda diuinis, typus tamen integer eſt; quia pater Chriſti operatur igne, & ſpiritu. Vnde & de ipſo tanquam de fabri filio præcurſor

Matth. 3. ait. *Ipſe vos baptizabit Spiritu ſancto, & igni.* Qui in domo magna huius mundi diuerſi generis vaſa fabricat; imo vaſa iræ, ſpiritus ſui igne molliendo, in miſericordiæ caſa commutat. Sic Beda. Diuus Ambroſius, Lucæ 3. capite, ferrarium, vel lignarium fa-

Ambr. brum inſinuat fuiſſe Ioſeph. Hoc inquit, typo patrem ſibi eſſe demonſtrat Chriſtus, qui fabricator omnium condidit mundum. Nam etſi humana non ſunt comparanda diuinis, typus tamen integer eſt; quòd pater Chriſti igni operatur, & ſpiritu; & tanquam bonus animæ faber vitia noſtra circumdolat, citò ſecurim admouens arboribus infœ-

Ioſeph fuit faber lignarius. cundis, &c. Hugo item Lucæ 4. fabrum ferrarium fuiſſe ſignificat. Vulgata opinio fert fabrum fuiſſe lignarium, Diui Bonauenturæ, Diui Thomæ Matthæi 13. Abulenſis, Lyrani, & aliorum. Ioſeph (ait Diuus Thomas) non erat faber ferrarius, ſed lignarius. Diuus Iuſtinus in dialogo cum Tryphone huic opinioni fauet. Chriſtum autem eandem

An Chriſtus artem fabrilē exercuerit aliquando. exercuiſſe artem antequam ad Euangelium promulgandum prodiret, Lyrano, Montano, & aliis placet. fauet D. Iuſtinus loco citato. Etenim à Nazarethanis faber dicitur. Tamen fieri potuit, vt faber dictus ſit, non quòd fabrilē exercuerit artem, ſed quod fabri filius crederetur. D. Aug lib. 2. de conſenſu Euangeliſtarum c. 42. Marcus, inquit, Dominum fabrum dicit à ciuibus ſuis dictum, non ſicut Matthæus fabri filium. Nec mirandum eſt, cùm vtrumque dici potuerit. Eò enim & fabrum credebant, quo fabri filium, &c. Nos tomo primo in

Matth. 13. fine de hac re iam diximus.

FRATRES *eius, & ſorores.* Fratres Chriſti dicuntur Chriſti cognati, & ſorores dicuntur conſanguineæ, vulgato Iudæorum more. Nam Lot filius Aram fratris Abraham, Abraham frater vocatur Geneſ. 13. & Laban auunculus Iacob Geneſ. 28. frater Iacob nominatur Gen. 29. Non ſolum autem virginis Deiparæ, ſed etiam Ioſeph conſanguineos, Chriſti eſſe cognatos, ſiue fratres arbitrabantur Nazarethani. Græci exiſtimarunt Ioſeph aliam habuiſſe vxorem, atque ex ea filios ſuſcepiſſe, qui fratres Domini dicuntur hominum exiſtimatione; quemadmodum Ioſeph pater dicebatur. Hæc tamen opinio exploditur. Recepta ſententia eſt virginem fuiſſe Ioſeph, vt Hieronymus docet, neque vxorem aliam habuiſſe. Lege Hieronymum libro contra Heluidium impiè affirmantem, quòd aures horrent Chriſtianæ, fratres Domini dici filios Ioſeph ex ſemper Virgine Deipara.

Fratres Chriſti dicuntur cognati Chriſti.

SCANDALIZABANTVR *in eo.* Matthæus & Marcus aiunt ſcandalizatos Nazareth incolas in Chriſto. Verbum Græcum σκανδαλίζεσθαι, ſignificat impingere in lapidem, vel quodlibet aliud offendiculum. Cur ſcandalizati ſint, quæritur. Maldonatus ait non potuiſſe ſcandalizari, niſi credidiſſent, quæ dicebat atque faciebat Chriſtus, diaboli opera dicere, & facere, vt illi qui dicebant; *In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia*. Abulenſis Matth. 13. in eadem eſt ſententia. Sic enim interpretatur, *Scandalizabantur in eo*; cùm non putarent iſta à Deo proueniſſe; putabant quòd habuiſſet à dæmonibus, &c. Lyranus quoque; Scandalizabantur, ait, attribuentes virtuti dæmonis, quod debebat attribui virtuti diuinitatis, &c. Idem ſentit Carthuſianus. At ſi ita ſe haberet res, Euangeliſtæ memoriæ prodidiſſent, vt cuiuſmodi ſcandalum eſſet docerent. Aiunt verò ſcandalizatos in eo, id eſt, in Chriſto & Chriſti perſona, hoc eſt, in generis humilitate. Sic Matthæus: *Nonne hic eſt fabri filius? Nónne mater eius dicitur Maria, & fratres eius Iacobus, & Ioſeph, & Simon, & Iudas, & ſorores eius nonne omnes apud nos ſunt? Vnde ergo huic omnia iſta? & ſcandalizabantur in eo*, hoc eſt, in humilitate generis illius, & quod ſcirent litteras numquam didiciſſe; iuxta illud: *Quomodo hic litteras ſcit, cùm non didicerit?* &c. Hinc ortum ſcandalum; in hunc lapidem impingebant. Increduli fiebant; & per incredulitatem cadebant.

Matth. 13.

Cur ſint ſcandalizati Nazareni.

Matth. 12.

Scandalizati ſunt in generis humilitate.

Matth. 13.

Ioan. 7.

MEDICE *cura te ipſum.* Poterant Nazareni de Chriſto conqueri, quòd ſuam patriam Nazareth poſtponeret Capharnaum, aliiſque locis, in quibus concionabatur, & miracula edebat. Huic querimoniæ occurrit Dominus; rationem reddit, cur in patria Nazareth miracula non faciat, neque diſcipulos habeat credentes. Quia ſcilicet increduli erant ciues, & in humilitatem generis veluti in offendiculum impingebant. *Vtique* (inquit) Græcè, πάντως, id eſt, omnino; *dicetis mihi hanc ſimilitudinem*, Græcè, παραβολὴν, id eſt, hanc parabolam, vel ſimilitudinem à medico deſumptam, vel hoc prouerbium, *Medice cura te ipſum*. Explicauerat Chriſtus Iſaiæ locum, quo Meſſias dicitur medicus, illis verbis, *Sanare contritos corde*. Ideo fortè ex dictis, ait poſſe dicere Nazarenos: *Medicè cura te ipſum*, hoc eſt, tu qui medicum te eſſe profiteris, cura te ipſum, hoc eſt, patriam tuam Nazareth; ægros illius ſana, miracula in ea ede, ſicut in Capharnaum. Ne ſis medicis ſimilis, qui aliis non ſibi medicinā adhibent. *Quanta audiuimus* miracula *facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua*, hoc eſt, cura te ipſum, id eſt, patriam tuam, qui alienos curas. Nam patriæ maior eſt habenda cura, quàm aliarū vrbium, vt Capharnaum. Cur nos relinquis, & in Capharnaū habitas, ibique miracula edis, & nō in patria tua? Dubiū, an Nazareni poſtularint à Chriſto, vt miracula in patria faceret? Reſpōdetur, veriſimilius eſſe, nō poſtulaſſe.

Luca 4.

Chriſtus ab Iſaia medicus dictus.

Luca 4.

Si enim postulassent, id memorasset Euangelista, vt rationem verborum Christi redderet. Forsitan apud se cogitabant, vel inter se quæsiuerant, cur in patria non ederet signa, sed extra patriam Quamobrem Christus hæc loquitur. Non dixit Christus: vtique dicitis mihi; sed *vtique dicetis*, quia non dixerant.

Luc. 4. NEMO *propheta acceptus est in patria sua.* Cur à Nazarethanis parui fiat, indicat. videlicet, quòd apud eos nutritus, quodque eius patria sit ipsa Nazareth. Etenim prophetæ in patria honore carent, nec magnifiunt. Quia familiaritas, & humilis generis notitia, contemptum parit. Theophylactus Lucæ 4. Solent, inquit, homines rara, & admirabilia curare; despicere autem communia, & familiaria, &c. Hæc verba iam à nobis suprà explicata sunt libro 4. capite 14. Significat Christus in patria sua honorem debitum, fidémque sibi minimè tribui, & miracula non edere propter incredulitatem.

Luc. 4. Qui propheta miracula fecerint ni alienos non in suos. MVLTÆ *viduæ erant in diebus Eliæ.* Exempla proponit duorum medicorum, Elię, & Elisæi, qui se ipsos, id est, suos non curauerunt, sed alienos. Elias, viduæ Sarephtanæ, 3. Regũ 17. miraculo suppeditauit alimoniam. Elisæus, 4. Regum 5. Naamã hominem alienigenam, non Iudęum; lepræ morbo liberauit. Sic non mirum, si Christus medicus summus non suos Nazarenos, quòd indignos se præstent, miraculis curet, sed alienos. Ambrosius: Cur, inquit, non curabat Christus ciues, cùm sanaret alienos; nisi quia volũtatis est medicina, non gentis; & diuinum munus votis eligitur, non naturæ iure defertur? Disce Christiane rogare, quod cupias; fastidiosos viros cęlestiũ profectus munerum non sequuntur, &c. item: Non dormientibus diuina beneficia, sed obseruantibus deferuntur, &c.

Diuina beneficia non dormientibus, sed obseruantibus deferuntur.

Luc. 4. REPLETI *sunt omnes in synagoga ira hæc audientes.* Omitto causas alias huius iræ Nazarethanorum, minus probabiles. Illa vera est, indignatos quòd Christus in patria prophetas sine honore esse dixisset, exemplũq; Eliæ, & Elisæi, qui apud alienigenas miracula patrassent proposuisset. Accusatos enim se his verbis, præponique gentes Iudæis hominibus intelligebant, ferebantque ægrè,

Luc. 4. Nazareni grauiter redarguũtur. EIECERVNT *eum extra ciuitatem.* Impio facto incredulitatem suam impij Nazareni patefecerunt, quamque essent miraculis indigni, Prophetam sine honore esse in patria sua suo, exemplo confirmarunt. Ita exardescentes Christo necem sunt machinati. Itaque extra ciuitatem, occidendum eijciunt. Rei enim extra ciuitatem, extremo affici supplicio solebant. Adducunt verò in supercilium montis in quo Nazareth erat extructa; vt darent inde præcipitem. Supercilium montis vertex appellatur, & locus montis eminẽtior. Quid Dominus? Non excæcat ducentes, non præcipitat præcipitare decernentes? *Transiens* (ait Lucas) *per medium illorum ibat.* Non fuga, non festinatione elapsus est, nõ vi adhibita, sed per medios hostes, lento, sedatóque, vt solebat, gradu incessit securus, tiens neminem. Quem enim timeret is, quem totus orbis timebat? Nazarenorum conspectui se per miraculum eripuisse verisimile est, vt sentit Caietanus, idque significant citata verba Lucæ; *transiens*, scilicet, inuisibiliter, *per medium illorum*, illis transeuntem non videntibus; *ibat*, & discedebat à Nazareth. Beda existimat visibiliter trãsiisse, sed mutata voluntate, vel obstupefacta mente furentium.

Luc. 4.

Quomodo Christus per medium Nazarenorum transierit.

Potuit etiã Dominus illos excęcare, ne abeuntem cernerent, vt Angelus Sodomæ ciues Genes. 19. Potuit se nebula aliqua circundare. Lyranus Lucæ 4. sic scribit; Dicit Beda, quod cùm Dominus de manibus eorum elapsus de monte descenderet, & sub rupe latêre vellet, subitò ad tactum Dominicæ vestis saxum illud subterfugit, & instar ceræ solutum, quemdam sinum effecit, id est concauitatem, in qua Dominicum corpus reciperetur. In quo loco omnia lineamenta, & rugæ vestis, & vestigia pedum, in rupe apparent adhuc, sicut testantur qui viderunt. hæc Lyranus. Erricus quoque hoc scribens ait, ab iis acceptum, qui terrę sanctæ miracula diligenter inuestigarunt. Habetur idem sub nomine Bedæ in Glosa ordinaria. Et Borchardus prima part. capit. 6. §. 8. Est inquit, extra Nazareth contra, Austrum quantum iacere potest arcus quater, locus dictus *Saltus Domini*, vbi Iudæi tentauerunt Christum præcipitare, sed exiens de manibus eorum, statim inuentus est in latere montis oppositi, ad iactum arcus, & oculo videntur clarissime corporis illius lineamenta, ac vestigia lapidi impressa, &c. Idem scribit Adrichomius in theatro in tribu Zabulon num. 84.

Lyran.

Dominicæ vestis in rupe vestigia.

Saltus Domini quis locus.

ET *non poterat ibi virtutem vllam facere, &c.* Diuus Matthæus sic; *Non fecit ibi*, id est, in ciuitate Nazareth, *virtutes multas*, id est, miracula multa, *propter incredulitatem illorum.* Marcus verò: *Nõ poterat*, inquit, *ibi virtutem vllam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curauit. Et mirabatur, propter incredulitatem eorum*, &c. Tanta erat Nazarenorum incredulitas, vt admiratione esset digna Ideóque propter eam dicitur Christus admiratus, secundum scientiam experientia comparatam, vt docet D. Thomas 3. parte, quæst. 15. articul. 8. Benè igitur mirabatur, propter incredulitatem eorum; Græcè, ἐθαύμαζε διὰ τὴν ἀπιστίαν. nec opus est verbum (*mirabatur*) claudere parentheſi, quod suspicatur ex recentioribus quidam interpres. Illa verba, *Non poterat ibi virtutem vllam facere*, &c. nõ indicant, in Christo aliquam fuisse ad miracula facienda impotentiam; omnipotens erat, poterat omnia. Indicant igitur recusasse, ac noluisse miracula in patria edere, propter incredulitatem ciuium. Lege Gregoriũ Nazianzenum orat. 4. de Theologia. Quo loco docet illud impossibile dici, quod voluntas abhorret; quem in modum de fratribus Ioseph scribitur. *Oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui*, &c. Non poterant, quia nolebant. Sic etiam solemus loqui; non possum carnibus vesci, vel non possum vinum potare (cum tamen possimus) quia appetitus carnes vel vinum respuit. Ita Christi voluntas miracula in patria facere recusabat, idcircò facere non poterat. Nam priùs oportebat velle facere, vt posteà faceret, cùm potentiam volũtas semper præcedat. Præterea illud fieri non posse dicitur, vt ait idem Gregorius, quod rationi non est consentaneum. Hoc modo dicet aliquis: Non possum in funere ridere: vel, non possum in conuiuio flere. Non quia simpliciter non possit; sed quia nec decet funera risus, nec conuiuiis conuenit fletus, Hoc etiam pacto, non poterat Christus facere miracula in Nazareth, quoniam non decebat, non conueniebat, propter incredulitatem ciuium. Denique non poterat Christus potentia ordinaria; qua statuerat miracula incredulis non concedere; & margaritas ante porcos minimè proijcere.

Marci 6. Matth. 13.

Quomodo Christus dicitur non potuisse in patria miracula edere.

Impossibile dicitur quod voluntas horret. Gen. 37.

Gregor.

CAP.

CAPVT XI.

De missione Apostolorum.

MATTH. CAP. X.

ET conuocatis duodecim discipulis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, vt eijcerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem. Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc: Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius, Iacobus Zebedæi, & Ioannes frater eius, Philippus, & Bartholomæus, Thomas, & Matthæus publicanus, & Iacobus Alphæi, & Thadæus, Simon Cananæus, & Iudas Iscariotes, qui & tradidit eum. Hos duodecim misit Iesus: præcipiens eis dicens; in viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: sed potiùs ite ad oues, quæ perierunt domus Israël. Euntes autem prædicate, dicentes: Quia appropinquauit regnum cælorum. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eijcite. Gratis accepistis; gratis date. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris. Non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam. Dignus enim est operarius cibo suo. In quamcumque autem ciuitatem, aut castellum intraueritis, interrogate quis in ea dignus sit; & ibi manete, donec exeatis. Intrantes autem in domum, salutate eam, dicentes; Pax huic domui. Et si quidem fuerit domus illa digna; veniet pax vestra super eam. Si autem non fuerit digna; pax vestra reuertetur ad vos. Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo, vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij, quàm illi ciuitati. Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Cauete autem ab hominibus. Tradent enim vos in Conciliis, & in synagogis suis flagellabunt vos; & ad præsides, & ad Reges ducemini propter me, in testimonium illis, & gentibus. Cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & insurgent filij in parentes, & morte eos afficient, & eritis odio omnibus, propter nomen meum. Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Cùm autem persequentur vos in ciuitate ista: fugite in aliam. Amen dico vobis, nõ consummabitis ciuitates Israël, donec veniat filius hominis. Non est discipulus super magistrum, nec seruus super Dominum suum. Sufficit discipulo, vt sit sicut magister eius: & seruo, sicut Dominus eius. Si patrem familias Beelzebub vocauerunt, quantò magis domesticos eius? Non ergo timueritis eos. Nihil enim est opertum, quod non reuelabitur: & occultum, quod non scietur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta. Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Sed potiùs timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam. Nonne duo passeres asse væneunt: & vnus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem, & capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos. Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est. Qui autem negauerit me coram hominibus: negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est. Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram. Non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam

aduersus

aduerſus matrem ſuam, & nurum aduerſus ſocrum ſuam: & inimici hominis domeſtici eius. Qui amat Patrem, aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus. Et qui amat filium, aut filiam ſuper me, non eſt me dignus. Et qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me, dignus. Qui inuenit animam ſuam; perdet illam. Et qui perdiderit animam ſuam propter me; inueniet eam. Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit: recipit eum, qui me miſit. Qui recipit prophetam in nomine prophetæ: mercedem prophetæ accipit: Et qui recipit iuſtum in nomine iuſti: mercedem iuſti accipiet. Et quicumque potum dederit vni ex minimis iſtis, calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine diſcipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.

MARCVS CAP. VI.

ET circuibat caſtella in circuitu docens. Et vocauit duodecim, & cœpit eos mittere binos; & dabat illis poteſtatem ſpirituum immundorum. Et præcepit eis, ne quid tollerent in via, niſi virgam tantùm; non perã, non panem, neque in zona æs, ſed calceatos ſandaliis; & ne induerentur duabus tunicis. Et dicebat eis: Quocumque introieritis in domum, illic manete, donec exeatis inde. Et quicumque non recepeint vos, nec audierint vos, exeuntes inde excutite puluerem de pedibus veſtris, in teſtimonium illis. Et exeuntes prædicabant, vt pœnitentiam agerent & dæmonia multa eijciebant, & vngebant oleo multos ægros, & ſanabant.

LVCAS CAP. IX.

CONuocatis autem duodecim Apoſtolis, dedit illis virtutem, & poteſtatem ſuper omnia dæmonia; & vt languores curarent. Et miſit illos prædicare regnum Dei, & ſanare infirmos. Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via; neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. Et in quamcumque domum intraueritis, ibi manete; & inde ne exeatis. Et quicumque non receperint vos, exeuntes de ciuitate illa, etiam puluerem pedum veſtrorum excutite, in teſtimonium ſupra illos. Egreſſi autem circuibant per caſtella, euangelizantes, & curantes vbique.

Ordo geſtorum.

DIuus Matthæus, poſtquam narrauit in fine capitis 13. quomodo à ſuis Nazarenis Chriſtus fuerit exceptus; ſcribit initio capitis 14. Herodem fama audita, exiſtimaſſe Chriſtum Ioannem eſſe Baptiſtam, in vitam reuocatum. Tum docet quo pacto Baptiſta ab Herode vita fuerit priuatus. Idem narrat D. Marcus cap. 6. ſed Apoſtolorum miſſionem interponit, quam Matthæus per anticipationem cap. 10. commemorauit, D. quoque Lucas cap. 9. antequam ſcribat Chriſti famam ad Herodem peruenisſe, miſſos eſſe à Chriſto Apoſtolos refert. Poſt commemorata verò Herodis verba Apoſtolos ex miſſione rediiſſe indicat. Quamobrem hoc loco Apoſtolorum miſſio collocatur. Hic igitur erit ordo. Mittit Chriſtus Apoſtolos ad docendum Iudæos; occiditur Ioannes; Herodes Chriſti famam audit, & quiſnam ſit ambigit: ex miſsione redeunt Apoſtoli; diſcedit cum illis magiſter trans lacum Galilææ in locum deſertum, ingens hominum multitudo confluit, quam quinque panibus, duobuſque ſaturat piſcibus, Paſchate inſtante.

Matth. 10.

CONVOCATIS *duodecim Apoſtolis*. Cùm Chriſtus meſſem videret copioſam, vt ait in fine c. 9. Matthæus, c. 10. ſequenti operarios in meſſem mittit. Mittit autem diſcipulos duodecim. Aduerte iam ante, duodecim diſcipulos à Chriſto electos fuiſſe, & Apoſtolos nominatos, Marc. 3. Lucæ 6. Nunc verò ad euangelizandum mitti cum ampla ad miracula facienda poteſtate, vt affirmat Matthæus.

Chriſtus longe ante Apoſtolos elegerat quem mitteret. Marci 3.

An fuerit hæc prima Apoſtolorũ miſſio.

Ambigitur, fueritne hæc prima Apoſtolorum miſſio? Non fuiſſe primam probant verba Marci 3. Is enim cùm electos refert Apoſtolos, ſic ſcribit: *Fecit vt eſſent duodecim cum illo, & vt mitteret eos prædicare, & dedit illis poteſtatem curandi infirmitates, & eiiciendi dæmonia*, &c. Indicant hæc verba, Apoſtolos tunc ad prædicandum miſſos, cum poteſtate miraculorum, cùm ſunt electi. Igitur non fuit hæc prima miſsio, ſed alia præceſsit. Idem confirmatur Ioan. 4. *Ego* (inquit Chriſtus) *miſi vos metere, quod vos laboraſtis. Alij laborauerunt, & vos in labores eorum introiſtis*, &c. Quæ verba ante electionem Apoſtolorum dicta ſunt, vt ex ſerie geſtorum Chriſti propoſita colligitur. Ergo hæc non fuit prima Apoſtolorum miſsio, ſed aliæ priores fuere.

Ioan. 4.

Plures fuerunt Apoſtolorum miſſiones, ſed hæc præſtantior.

Reſponderi poteſt, non fuiſſe vnã tantummodò Apoſtolorum miſsionem, ſed plures, citata verba indicant. Aliæ præceſſerunt, hęc tamen cæteris excellit

excellit, ob data à Christo præcepta, & quia omnium Apostolorum fuit, idéoque peculiaris illius mentio facta est. hoc tamen verba illa Marci non probant, sic enim exponenda sunt; *Fecit vt essent duodecim cum illo*: id est, elegit duodecim Apostolos. *Et vt mitteret eos prædicare*; non tunc cum elegit, sed postea. Dedit verò illis potestatem miraculorum similiter, non tunc, sed hoc tempore, cum illos ad docendum misit. Græcè, δύναμιν, καὶ ἐξουσίαν, apud Lucam; id est vim dedit, & potestatem super omnia dæmonia, & vt languores curarent: habebant enim Apostoli tum imperium in dæmonia, & morbos, tum vim & potentiam, ad ferendam sanitatem, dæmoniáque exterminanda. Itaque non sunt missi tunc Apostoli, cùm sunt electi, vt ex ipso Marco colliges, sed postea, capite 6.

Antecedente tempore etiam missos confirmant verba Christi citata à Ioa. Aperte enim ait; *Ego misi vos metere*. Item, *Vos in labores eorũ introistis*. Interpres quidam Ioannis 4. *Ego misi vos metere*, dictum putat, non quasi iam re ipsa misisset Christus: sed quasi re ipsa Apostolos elegisset, ac destinasset, vt suo mitteret tempore, hæc tamen interpretatio repugnare videtur ipsis verbis. Non enim ait Dominus; Mittam vos, sed *misi vos*. Iam ergo erant missi, neque solùm destinati. Dicendum, Christum misisse Apostolos ad baptizandum. Discipulos enim baptizasse multò ante hanc missionem, de qua loquimur, docet Ioannes *Quamquam* IESVS, inquit, *non baptizaret: sed discipuli eius*. Miserat ergo Dominus discipulos ad baptizandum, & docendum, idcirco ait; *Misi vos metere*. Quamobrem non est hæc prima missio, prima tamen dici potest, quia fuit præstantior, qua missi sunt omnes Apostoli, postquam sunt Apostoli nominati, atque electi, & Christi doctrina eruditi.

COEPIT *eos mittere binos*. Missi sunt à Christo Apostoli bini, vt docet Marcus; propter mutuam consolationem, vt Euthymius ait. Si roges, quinam Apostoli in hac missione fuerint socij? Respondeo Euangelistas cùm Apostolorum recitant nomina, binos nominare; forsitan ergo sic bini missi sunt, vt à Matthæo capite 10. & Marco ca. 3. copulantur. Nimirum, socius Diui Petri fuit D. Andreas; Ioannis socius Iacobus eius frater; Philippi socius Bartholomæus; Thomæ socius Matthæus; Iacobi minoris socius Thaddæus; Simonis socius Iudas Iscariotes. Sic enim à Matthæo sociantur cap. 10. quo huius missionis facit mentionem. Primus, inquit, Simon qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius: Iacobus Zebedæi, & Ioannes frater eius: Philippus, & Bartholomæus: Thomas, & Matthæus publicanus. Iacobus, Alphei & Thaddæus: Simon Cananæus, & Iudas Iscariotes, &c. Ita ille. Marcus c. 3. eodẽ modo Apostolos copulat; præterquàm quòd inter Petrum, & Andream collocat Iacobum, & Ioannem. Sed id fecit, vt Petrum, Iacobum, & Ioannem simul coniungeret, quibus Christus nomen mutauit. Itaque Iacobum, & Ioannem socios, inter Petrum, & Andream interposuit; mox ad Andream reuersus est, cui nullum socium dedit, quoniam Petri socius, erat. Eius verba hæc sunt. *Et imposuit Simoni nomen Petrus, & Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem Iacobi, & imposuit eis nomina boanerges quod est filij tonitrui; & Andream, & Philippum, & Bartholomæum, & Matthæum & Thomam, & Iacobum Alphæi, & Thaddæum: & Simonem Cananæum, & Iudam Iscariotem*, &c. D. Lucas in reliquis consentit, sed Simonem Cananæum coniũgit cum Iacobo Alphæi. Iudam verò siue Thaddæum cum Iuda Iscariote, fortè propter similitudinem nominis. Non est igitur Lucas in omnibus ordinem missionis secutus, neque verò certum est, sed verisimile, sic consociatos esse, & à Christo missos binos, vt Matthæus illos numerauit.

Dedit autem Christus Apostolis potestatem spirituũ immundorum, id est, ad eijciendos spiritus immundos, scilicet, dæmones, qui spiritus dicuntur, quia incorporei sunt, immundi verò, quia peccati sordibus inquinati, scelerum immunditiis, veluti spiritales quidam porci oblectantur. Præterea immundi dicuntur eo sensu, quo in lege animalia dicuntur immunda, à quorum esu, tactuque Iudæi arcebantur, Leuit. 11. Fugiebant illi animantia immunda, ne redderentur immundi; nobis fugiendi sunt immundi spiritus, ne nos efficiant immundos.

PRIMVS *Petrus*. Numerat Apostolos Matthæus, de iis iam diximus eo loco, quo de electione actum est. Hic obserua Matthæum Petrum appellasse primum; de ordine Apostolorum cæterorum non curasse. Nec enim dixit, secundus Ioannes, tertius Iacobus, quartus Andreas. Sed tantummodo primus Petrus; primus, inquam, dignitate ac primatu. Nam scire Petrum primum fuisse, id est, principem Apostolorum, & principem Ecclesiæ, necessarium Ecclesiæ erat: ideò primus dicitur: reliquorum verò Apostolorum ordinem scire non tanti referebat. Ideoque egregiè Card. Caietanus; solus, inquit, Petrus ordine insignitur, & describitur primus, ad insinuandum, valdè spectare ad Christianam notitiam, scire primatum Petri. Nulliúsque momenti esse, nosse ordinem Apostolorum inter se. Ac si apertè dixisset Matthæus: scitote Petrum esse primum, quidquid sit de aliis, propter quod nullũ descripsit secũdum, aut tertium, ex hoc ipso significans, quòd primatum Petri super alios intendebat insinuare. Sic ille.

IN *viam gentium ne abieritis*. Nonnulla præcepta dat Dominus Apostolis in ipsa missione seruanda. Primum hoc est, ne gentibus concionentur, vel Samaritanis, sed Iudæis duntaxat. Nam quoniam Iudæis Messias erat promissus, ad illos missus est, illisque primis tam per se ipsum quàm per discipulos Euangeliũ nuntiauit. Postquã verò Iudæis nunciatũ Euangeliũ, gentibus quoque per eosdẽ Apostolos est diuulgatum, iuxta illud Domini præceptum, *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ*, &c. Nondum tempus aduenerat, quo gentibus euangelica lex tradenda erat, idcirco ad Iudæos solùm discipulos mittit. Aiunt Paulus, & Barnabas; *vobis*, id est, *Iudæi, oportebat primum loqui verbum Dei. Sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus*, &c. Ad Rom. *Euangelium* (ait Paulus) *virtus Dei est in salutem omni credenti, Iudæo primùm, & Græco*; id est, potissimum Iudæo & priùs, deinde gentili.

Iudæis primùm prædicatum est Euangelium, quoniam veritas, & promissio Dei id flagitabat: iuxta illud, *Dico Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum*. Hoc est, dico Christum doctorem fuisse Iudæorum in propria persona, vt Deus veritatem promissionum, quas Patribus Abraham, & Iacob, & Dauid fecerat, seruaret. De Gentibus verò addit eodem capite; *Gentes autem super misericordia honorare Deum*, &c. Iudæos Christus docuit propter seruandam Dei veritatem: gentiles docuerunt Apostoli propter Dei misericordiam. Dices: Iudæis lex Euangelica ob summam Dei misericordiam, data est. ergo par est de Iudæis, gentibusque ratio. Respondeo, Iudæis promulgatum esse Euangelium ex misericordia, sed promissa; gentibus ex misericordia, nõ promissa, quamuis à prophetis predicta.

Cur dicantur dæmones spiritus immundi.

Matth. 10.

Primatum Petri scire Ecclesiæ interest.

Caiet.

Cur Matth primum Petrũ vocarit

Matth. 10.

Marci 16.

Act. 13.

Rom 1.

Iudæis primum prædicatum est Euangeliũ & cur.

Rom. 15.

Ibid.

Quomodo Iudæi & gentiles ex misericordia Euangelium audierint.

In

Marci 3. *Ioan. 4.* *Ioan. 4.* *Marci 6.* *Curbini Apostoli missi sunt* *Apostoli qualiter bini Missi sint.* *Marci 3.*

In viâ autem gentium non abire, exponit Chryſoſtomus, ne viam quidem attingere. Sed, ſignificat non proficiſci in viam. *In viam gentium ne abieritis*; hoc eſt, ne ad gentes proficiſcamini. *Matth. 10.*

Matth. 10. Oues Iſraëlitæ erant ſed ſine paſtore. Pſal. 94. Pſa 79. Matth. 9. ITE *potius ad oues, quæ perierunt domus Iſraël*. Oues paſcuæ Dei dicti ſunt Iſraëlitæ. Pſalm. *Nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius*. Pſalm. *Deducis velut ouem Ioſeph*. Matth. *Videns Chriſtus turbas miſertus eſt eis quia erant vexati, & iacentes, ſicut oues non habetes paſtorem*, &c. Phariſæi enim, & Scribę paſtorum nomine erant indigni. Perierant ex iis ouibus multæ, idcirco paſtores mittit, qui reducant perditas. *Diſperſæ ſunt oues meæ, eò quòd non eſſet paſtor, & factæ ſunt in deuorationem omnium beſtiarum agri*, &c. Additur: *Ecce ego ipſe requiram oues meas, & viſitabo eas*, &c. *Ezech. 34.*

Mat. 10. PRÆDICATE *dicentes, quia appropinquauit regnum cælorum*. Concionandi materiam ſiue thema, vt appellant, ſuggerit Dominus diſcipulis, idem quod ipſi, & Baptiſtæ fuit. Apoſtoli enim & pœnitentiam prædicabant, vt Marcus ait, & appropinquaſſe regnum cęlorum, vt ait Matthæus. Regnum prædicabant, & viam, qua illuc tenditur, ſcilicet pœnitentiam. Regnum verò cælorum hoc loco non ſignificat Eccleſiam, vt aliis locis, ſed cæleſtem beatitudinem, quæ pro foribus iam erat. Nam poſt Chriſti paſſionem apertum eſt regnum, & beatitudo collata latroni, & iis patribus, qui limbo ſubterraneo continebantur. Regnum cælorum (ait Theophylactus) futurorum intelligit fruitionem. Chryſoſtomus hom. 33. in Matthæum, Cælorum, inquit, regnum, & totam illam beatitudinem prædicare iubentur Apoſtoli, &c. De hac re iam ſupra dictum, *Appropinquauit regnum cælorum* ſignificat, propinquum eſſe tempus referendi regni cælorum, quod multis annorum millibus clauſum fuit. Significat etiam ipſum regnum hominibus appropinquaſſe; quia longiſſimè homines à cæleſti beatitudine diſtabant ante Chriſtum. Chriſtus verò ſuis præclariſsimis meritis, propinquum nobis regnum fecit. Non ſolùm deſcendit, ſed cælos ipſos inclinauit, qui alti adeò olim erant, vt nec Abraham, nec Iacob, nec Dauid, eò poſſent conſcendere. Ita verò inclinauit, vt infans baptiſmi aqua elutus iam conſcendat. Congruit illud Pſal. 17. *Inclinauit cælos, & deſcendit*. &c Suo enim deſcenſu, cælorum regnum nobis fecit appropinquare. *Quid ſit appropinquauit regnum cælorum.* *Pſal. 17.*

Matth. 10. Miracula ſunt arma Apoſtolorũ. INFIRMOS *curate, mortuos ſuſcitate*. Theophylactus Matthæi 10. Miracula arma appellat quibus Deus armauit Apoſtolos; Armat (inquit) eos miraculis, &c. Et quidem neceſſaria erant hæc arma ad expugnanda Iudæorum corda. Nam, vt ait Paulus, *Iudæi ſigna petunt*. Quemadmodum Moſi miſſo, vt Iſraelitas è Pharaonis captiuitate liberaret, Deus poteſtatem miraculorum dedit: ita Apoſtolis miſsis, vt Iudæos è captiuitate dæmonis eriperent, eandem, ſed maiorem poteſtatem contulit. Poteſtatem ergo acceperunt prædicandi, iuxta illud Pauli, *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* &c. Poteſtatem quoque miraculorum, vt verba confirmarent miraculis. Gregorius homil. 4. in Euang. Adiuncta, inquit, ſunt prædicatoribus miracula, vt fidem verbis daret virtus oſtenſa, & noua facerent, qui noua prædicarent, &c. Hominibus indoctis nemo crederet (ait Hieronymus) pollicentibus regna cælorum. Dat Chriſtus poteſtatem infirmos curare, leproſos mundare, dæmones eijcere, vt magnitudinem promiſſorum probet magnitudo ſignorum, &c. *1 Cor. 1.* *Rom. 10.*

Qualis erat Apoſtolorum poteſtas ad miracula facienda. Hæc verò poteſtas non erat poteſtas, & qualitas aliqua realis Apoſtolis inſita. Nõ enim illi propria potentia faciebant miracula, alioqui miracula non fuiſſent, quoniam vires naturæ non ſuperaſſent, potentia ergo, & poteſtate Dei infinita per illos fiebant. Ait Euangeliſta, Chriſtum dediſſe eis *virtutem*, id eſt, potentiam miracula perpetrandi, quoniam Chriſti nomine inuocato ab Apoſtolis, Deus ſua potentia miracula perpetrabat maxima. Maximum enim miraculum erat, leproſos mundare & mortuos ſuſcitare, hæc autem ab Apoſtolis in Iudæa facta ſunt. Etenim, vt in hac miſsione ea facerent, poteſtatem acceperunt, quæ quidem poteſtas in opus prodiit. Euangeliſtæ verò ab eis facta miracula ſilentio prætermiſerunt. Satis fuit dicere poteſtatem accepiſſe. quæ nec fruſtra data eſt, nec fruſtra accepta.

GRATIS *accepiſtis, gratis date*. Theophylactus putat his verbis humilitatẽ docuiſſe Chriſtum, & diuitiarum contemptũ. Nihil, inquit, tam decet doctorem, quàm humilitas, & diuitiarum contemptus. Duo igitur hoc loco docet Chriſtus dicens *Gratis Accepiſtis*; ne ſuperbirent quod talia dona & haberent, & darent, gratis enim, & per gratiam talia accepiſtis. Sed cum humilitate, & diuitiarũ eſtote contemptores; *gratis*, inquit, *date*. hæc ille. Chryſoſtomus etiam: Ne, inquit, diſcipuli quaſi ſua ipſorum poteſtate miracula facientes, inde ſuperbirent, dixit Chriſtus: *gratis accepiſtis*, &c. Maldonatus arbitratur præcipere Dominum, vt largiter miracula tribuant. Quæ enim gratis accipiuntur, largiter dantur. *Matth. 10. Humilitas & contemptus diuitiarum decet concionatores.*

Non puto id præcepiſſe Dominum. Sed quod Hieronymus & alij dicunt, verbáque ipſa ſonant; gratis acceptam eſſe miraculorum poteſtatem, & ſine vllo pretio miracula populo impertiẽda, pauca, vel multa, ſicut neceſſitas poſtularit. Hieronymus Matthæi 10. Quia, inquit, ſemper dona ſpiritualia, ſi merces media ſit, viliora fiunt; adiungitur auaritiæ condemnatio; *gratis accepiſtis, gratis date*. Ego abſque pretio hoc vobis tribui, & vos ſine pretio date, ne Euangelij gratia corrumpatur, &c. Sic propheta Eliſæus 4. Reg. 4. à Naamano leproſo, cui ſalutem miraculo attulerat, munus noluit accipere, quod quia famulus Giezi accepit, in lepram incurrit, quæ à Naamano diſceſſerat. *Venite, emite abſque argento, & abſque vlla commutatione*, &c. Et Petrus ad Simonem, à quo Simoniæ vitium nomen inuenit, *Pecunia*, inquit, *tua tecum ſit in perditionem. Quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri*, &c. *Gratis data ſpiritualia.* *Iſaiæ 55.* *Actor. 8.*

NEQVE *pecuniam in zonis veſtris*. Paupertatis præceptum tradit, aurum, vel argentum habere vetat, pecuniam in zonis ferre prohibet. Græcè, χαλκὸν, id eſt, æs, pecuniam æream, Dicitur pecunia in zonis ferri, vt vult Abulenſis, quia in marſurpiis fertur, quæ ex zonis pendent. & Euthymius; Moris, inquit, erat iis, qui per viã gradiebantur, crumenas ferre zonis appẽſas, in quibus æreos nummos habebant, &c. Rectius, quia olim in ipſis zonis pecunia portabatur. Suetonius in vita Vitellij cap. 16. Zona, inquit, ſe aureorum plena circundedit, &c. Et Alexander Seuerus Imperator (vt ſcribit Lampridius in eius vita, non longe à fine) Miles, ait, non timet niſi veſtitus, armatus, calceatus, & ſatur, & habẽs aliquid in zonula, &c. Spartianus in vita Peſcennij Nigri ad finem; Iuſſit, ait; ne in zonis milites ad bellum aureos, vel argenteos nummos portarent, &c. Item apud Apuleium lib. 7. fœmina quædam Plotina zonis auro monetali refertis incincta dicitur. Gracchus apud Gellium libr. 15 cap. 12. Zonas, inquit, quas plenas argenti extuli, eas ex prouincia inanes retuli, &c. Præterea Zonam perdidit, dixit Horatius de eo qui pecuniam caret. lib. 2. epiſt. 2. *Ibit eò quò vis, qui zonam perdidit*, Id eſt, qui pecuniam amiſit, & inopia laborat. Et Iuuenalis ſatyr. 14. *Zonam*, ait, *laua morſuque tenebit*. à naufrago *Matth. 10. Paupertatis præceptum datur Apoſtolis.* *In zonis pecunia olim ferebatur.* *Horat.* *Iuuen.*

naufrago enim Zona pecunię plena, manu tenetur & dentibus. Plutarchus quoque tradit in vita Demetrij, Sosigenem nummos aureos habuisse in cingulo militari.

Matth. 10. NON *peram in via, neque duas tunicas.* Expeditissimos vult esse Apostolos, neque peram portare permittit, in qua viaticum ferant; neque duas tunicas habere. Sublimioris vitæ fundamenta, ait Chrysostomus, voluit Christus iacere. Nam cùm ad orbis magisterium Apostolos missurus esset, non iniuria ad Angelicam, vt ita dixerim, disciplinam, ex humana vita traducit ab omni cura rerum sæcularium liberos reddens, vt vni rei, prædicationi videlicet Euãgelij, vacarent, &c. Euthymius; Dat, inquit, Christus discipulis legem perfectæ paupertatis. Volens, vt non solum sine suspicione, sed etiam in admiratione sint. Nihil enim ita admirandos reddit, sicut vita frugalis, ac quibuslibet obuiis contenta. Deinde omni eos cura liberat, quæ frequenter impedimento esse solet: suamque vult ostendere potentiã, quæ eis ad omnia sufficiat. Ideóque postmodum dicebat, *Quando misi vos sine sacculo, & pera, numquid aliquid defuit vobis?* Hæc Euthymius, causas reddens cur hæc Dominus Apostolis præcipiat.

Christus vult Apostolos esse expeditissimos.

Euthym.

Luc. 22.

Quorsum Christus duas tunicas non gestare præceperit.

Hieron.

D. Thom.

Augus.

Marci 6.

Præcipit autem ne duas habeant tunicas. quod nonnulli sic interpretantur, vt non prohibuerit duabus indui tunicis simul; sed duas habere mutatorias. Diuus Hieronymus: In duabus, inquit, tunicis videtur mihi duplex intelligere vestimentum. Non quò in locis Scythiæ, & glaciali niue rigentibus, vna quis tunica debeat esse contentus: sed quò in tunica vestimentum intelligamus, ne alio vestiti, aliud nobis futurorum timore seruemus, &c. D. Thomas Matthæi 10. Non præcepit Dominus, quòd non haberent, nisi vnam tunicam, sed quòd non haberent duo paria vestimentorum: ita quod vnum reconderent, & aliud iudueretur, &c. Augustinus lib. 2. de consensu Euang. cap. 30. Hoc, inquit, de duabus tunicis intelligendum est ne quisquam Apostolorum præter eam, qua esset indutus, aliam portandam putaret, solicitus ne opus esset, &c. At apud Marcum sic legitur: *Præcepit eis, ne induerentur duabus tunicis.* Explicari possunt hæc verba iuxta hanc sententiam, de tunicis mutatoriis, hoc sensu, præcipit eis, ne induerentur duabus tunicis mutatoriis, modo hac, modo illa. sic exponit Iãsenius, qui in hac est opinione, & Maldonatus.

Quot tunicis vsus sit Christus.

Luc. 3.

Simplicior sensus est, præcepisse Dominum, vt vna tantum tunica induerentur, præter pallium. Nam in terra illa calida, vt Lyranus ait, vna tãtum tunica satis erat, addito pallio. Vnde illud Baptistæ, *qui habet duas tunicas, det non habenti*, &c. Non enim duæ tunicæ necessariæ erant habenti, idcirco altera donari poterat. Obijcies, Christum duabus tunicis vsum: habuit enim tunicam inconsutilem, præterea alteram, & pallium; ideóque non esse verisimile, præcepisse discipulis, ne duabus tunicis vterentur. respondeo, Christum vnicam tantum habuisse tunicam externam, præter pallium nam tunica illa inconsutilis subucula erat corpori hærens, quam nos camisiam vocamus. hæc est

Euthym.

opinio Euthymij Matthæi 27. Quidam, inquit, dixerunt vestimenta Christi fuisse quinque, quatuor quidem quatuor militibus diuisa, quintam verò tunicam inconsutilem, &c. Refutat hanc sententiam, & addit, Coniectantes ergo dicimus, tria

Vestes Christi tres tantum.

fuisse Christi vestimenta. Vnum quidem fuisse tunicam corpori applicatam, in modum subuculæ. dico sane tunicam hanc inconsutilem. Alterum autem quo super primum vestiebatur, & tertium super ius indumentum. hæc ille.

A NEQVE *calceamenta*. Matthæus scribit calceamẽta Apostolis prohibita fuisse à Christo: at Marcus ait concessa sandalia, quæ sunt calceamenta. Quid ergo dicendum? Respondet sensum Domini esse. Neque calceamenta portetis alia, præter sandalia, quæ in pedibus habetis. Apostoli sandaliis calceati erant, ne alia præter ea calceamenta, id est, sandalia sumant, prohibet. Caietanus apud Matthæum ait, prohiberi calceamenta mutatoria, eodem sensu, scilicet, præter calceamenta, quibus pedes indutos habetis, nẽ ferte alia, quæ iis attritis induatis. potest iuxta hanc opinionem existimari illorum verborũ apud Matthæum: *Neque duas tunicas habeatis, neque calceamenta*; hũc esse sensum. Neq; habeatis duas tunicas, neq; duo paria B calceamentorũ; vel nec duplicatas portate tunicas, neq; duplicata calceamẽta. D. Thomas Matth. 10. Non est, inquit necessariũ, vt alia calceamẽta possideatis, præter hæc quibus estis calceati, &c. Fauet Augustl. lib. 2. de cõsensu Euang. ca. 30. Calceamẽta, inquit, cùm dicit non esse portanda; curam prohibet, qua ideò portãda cogitantur, vt nõ desint, &c.

Concordia Euang.

Matth. 10.

Quomodo ab Apostolis calceamẽta portanda nõ sint.

Aliter respondetur, calceamenta non concedi apud Matthæum, sandalia concedi apud Marcum: sandalia verò à calceamentis esse diuersa. etenim calceamenta totum pedem contegunt, sandalia partem duntaxat, videlicet, plantam muniunt, vt ait Augustinus. Nam sandalia appellat soleas. Prohibet ergo Christus calceamenta portare, quæ totum pedem operiant, non prohibet sandalia, vel C soleas, quæ plantam solam muniant, ac tueantur, quæque pedum potiùs sunt munitio, quàm calceamenta.

Sandalia sunt diuersa à calceamentis.

Euthymius vult Christum Matthæi 10. & Luc. 9. prohibuisse calceamenta: postea verò concessisse sandalia. Maldonatus Matth. 10. ait calceamenta, & sandalia, Græcè, ὑποδήματα, &, σανδάλια, eadem esse. Probat ex Act. vbi hæc sunt Angeli verba ad Petrum, *Calcea te caligas tuas*; Græcè, ὑποδήσαι τα σανδάλιά σου, id est, subliga sandalia tua. Hinc vult effici, ὑποδήματα, & σανδάλια, eadem esse. fortè quia Lucas cum sandaliis coniunxit verbum, ὑποδήσαι, siue ὑποδέω, id est, subligo, à quo, ὑποδήματα, deriuantur, quia subligantur. Sed coniectura non vincit. Nam sandalia subligabantur, D ideo Lucas vsus est verbo ὑποδέω, id est, subligo. à quo dicuntur, ὑποδήματα, calceamenta totum pedem tegentia, quia etiam subligantur.

Sandalia & calceamenta non differunt, ait Mald. Act. 12.

NEQVE *virgam*. Est etiam in virga disceptatio, *Matth. 10.* sed difficilior. Voluit enim Dominus huiusmodi disceptationes in Scripturis extare, vt & fidem exerceret, & studiũ. Apud Matthæũ, & Lucam præcipit Dominus Apostolis, ne virgã ferant; apud Marcum, virgam cõcedit. *Præcepit* (ait Marcus) *eis, Marci 6.*
ne quid tollerent in via, nisi virgam tantùm. Quonã igitur modo nodus hic dissoluendus est? Euthymius sic *Euthym.*
soluit; Primũ, inquit, Christus ita iussit, sicut Matthæus & Lucas dixerunt, videlicet, ne virgã, id est, baculum, & calceamenta ferrent. postmodum autem E permisit eis, vt calcearentur sandaliis, & retinerent baculũ, ad pedum custodiã, & sustẽtamentum corporis: demittens se ad imbecillitatem eorum, propter laborem, qui ab itinere prouenit, &c.

Diuus Augustinus lib. 2. de consensu Euangel. capit. 30. virgæ nomine arbitratur significari, tùm minimam rem, tùm potestatem accipiendi ea, quæ ad victum essent necessaria, iuxta illud Pauli, *Dominus ordinauit iis, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere*, &c. Apud Matthæum, & Lucam, ait virgam sumi pro re minima, hoc sensu; *Neque virgam portetis*; id est, nihil portetis, ne minimam quidem rem feratis, qualis virga est, siue

Quid per virgam intelligatur.

1. Cor. 9.

baculus. Apud Marcũ verò, pro poteſtate illa, hoc pacto: virgam portate, hoc eſt, poteſtatẽ accipiendi, quæ ad victum ſunt neceſſaria, & de Euangelio viuendi. Auguſtini nõnulla verba ſubiiciam. Hoc, inquit, ordinans Dominus, quod eum ordinaſſe dicit Apoſtolus, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere; illa Apoſtolis loquebatur, vt ſecuri non poſſiderent, neque portarent huic vitæ neceſſaria, nec magna, nec minima. Ideò poſuit: *Neque virgam.* Oſtendens à fidelibus ſuis omnia deberi miniſtris ſuis, nulla ſuperflua requirentibus. Ac per hoc addendo; *Dignus eſt operarius cibo ſuo*; prorſus aperuit, & illuſtrauit, vnde & quarè hæc omnia loqueretur. hanc ergo poteſtatem virgæ nomine ſignificauit, cùm dixit; *Ne quid tollerent in via, niſi virgam tantùm.* Potuit enim etiam ſic breuiter dici; Nihil neceſſariorum vobiſcum feratis nec virgam, niſi virgam tantùm: vt illud quod dictum eſt, *Nec virgam*: intelligatur, quia per poteſtatem à Domino acceptam, quæ virgæ nomine ſignificata eſt, etiam quæ non portantur, non deerunt. Sic Auguſtinus.

Noſter Maldonatus credit Euangeliſtas verba nõ numeraſſe, ſed ſenſum Chriſti expoſuiſſe. Voluerunt ergo (vt ait) Euangeliſtæ ſignificare Dominum præcepiſſe Apoſtolis, ne quid haberent præter ea, quæ eſſent in præſentem vſum neceſſaria. Matthæus, & Lucas id ſignificarunt, dicentes; *Neque virgam*; id eſt, neque baculum quidem feratis; virgam enim pauperrimus quiſq; habet. Marcus idem indicauit dicens; *ſed virgam tantùm.* Nam qui virgam, id eſt, baculum tantùm habet, nihil ſuperfluum habet.

Matth. 10. Luc. 9.

Marci 6.

Poteſt etiam locus exponi apud Matthæum de virga punitoria, de qua Paulus, *Numquid*, inquit, *vultis, in virga veniam ad vos?* &c. Aut etiam de virga defenſoria, vt exponit Caietanus, & Ianſenius. Erit ſenſus; Neque feratis virgam punitoriam, aut defenſoriam, neque enim ad puniendum vos mitto. Aliud Marcum verò de baculo: ſed virgã tantùm ferte, id eſt, baculum: Quaſi ita dixerit Dominus: Mitto vos, ô diſcipuli, virgam ferte, qua corpus fulciatis; non virgam, qua puniatis, vel vos defendatis. hoc dixit Matthæus, illud Marcus.

Virga punitoria & defenſoria. *1. Cor. 4.*

Virga baculus.

Aliter, poteſt virga apud Matthæum ſignificare publicam poteſtatem, & honorem. Nam virga inſigne eſt poteſtatis publicæ, & honoris. Senſus erit: portate virgam, id eſt, baculum, vt ait Marcus: ne portetis virgam honoris inſigne, & poteſtatis publicæ, quod ſcribit Matthæus. Nam Lyranus ait, Iudæorum doctores virgam manu tuliſſe, doctrinæ inſigne.

Virga publica poteſtatis in dextra.

D. Thom.

D. Thomas interpretatur: Neque virgam portetis: id eſt, nihil portate, quemadmodum ſi diceret, neque feſtucam feratis vobiſcum. quoniam dignus eſt operarius cibo ſuo, & ideò non eſt opus quidquam portare. Non igitur loquitur apud Matthæum, & Lucam de baculo: ſed apud Marcum.

Matth. 10. DIGNVS *eſt enim operarius cibo ſuo.* Prohibuit Dominus Apoſtolis ferre peram, & pecuniam. rogare poſſent: Si neque alimenta ferenda nobis ſunt, neque pecunia, qua emuntur, vndenam ea comparabimus? nam abſque alimentis vitam traducere non valemus. Reſpondet Dominus, auditores cibum ſuppeditaturos, dignus enim eſt operarius, id eſt, doctor, & concionator, cibo.

Quæritur, num hæc obſeruare iuſſerit Dominus Apoſtolos in hac miſſione tantùm, an in omnibus cæteris? Cùm in orbis diuerſas regiones extra Iudæam miſſi ſunt, in Græciam, Aſiam, Indiam, &c. numquid neque peram portare poterant, neque pecuniam, vt cibos emerent, habere? Reſpondet Chryſoſtomus homil. 9. in epiſtol. ad Philippenſes. Præcepta, ait, illa temporalia erant, & non perpetua, &c. Idem opinatur. D. Anſelmus Mat. 10. & D. Thomas eodem loco: Ante paſſionem inquit, miſſi ſunt Apoſtoli ad Iudæos, apud Iudæos autem conſuetudo erat, quòd ſuis debebãt prouidere magiſtris. ideò Chriſtus nihil ferre præcepit Apoſtolis, cùm mitteret eos ad Iudæos. Sed iſta nõ erat cõſuetudo in gentibus. Ideò cũ miſſi ſunt ad gentes, data eſt eis licentia portandi ſumptus, portabant igitur quando prædicabant aliis, quàm Iudæis. Sic diuus Thomas. In eadem ſententia eſt Carthuſianus eodem capite, quàm probat ex illo Pauli, *Numquid non habemus poteſtatem mulierem ſororẽ circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli?* &c. Hæ autem fœminæ cibum Apoſtolis ſuppeditabant. Idem arbitratur Ianſenius Matthæi 10. & Cardinales Hugo, Toletus, & Bellarminus, lib. 1. de Clericis, cap. 26. Attamen hæc miſſio præluſio quædam fuit miſſionum omnium. Ideóque credendum eſt Apoſtolos hæc, quo ad fieri poterat, ſeruaſſe in aliis miſſionibus.

Poſt paſſionem Apoſtoli portabant ſibi neceſſaria.

1. Cor. 9.

An Chriſtus iuſſerit hac ſeruare hac vice tantum.

CAPVT XII.

De Miſſione Apoſtolorum.

IN *quamcumque ciuitatem, aut caſtellum intraueritis.* Hactenus Dominus diſcipulos, omni terrenarum rerum onere liberauit: cùm de illorum cibo egit, ac veſtitu. Nunc de habitatione documenta tradit. Cùm, inquit, in ciuitatem aliquam vel caſtellum, Græcè, κώμην, id eſt, pagum aliquem, docendi cauſa intraueritis, interrogate, non, quis ſit diues, quis nobilis, quis amplas habeat ædes, amplúmque hoſpitium: ſed quis ſit dignus, Græcè, ἄξιος. Quanam re dignus? nempe Apoſtolorum hoſpitio, & cohabitatione. Hoſpes, inquit Hieronymus, vnus eligitur, non tribuens beneficium ei, qui apud ſe manſurus eſt, ſed accipiens. hoc enim dicitur: *Quis in ea dignus eſt*: vt magis ſe nouerit accipere gratiam, quàm dare, &c. Iubet igitur non temerè ad hoſpitem quemlibet diuertere, ſed interrogare prius, quis ſit dignus, vt eius domum adeant. Etenim impiorum hominum cohabitatio, ac conſortium, & prædicationi nocet, & auditores offendit. Idem Hieronymus, Matthæi 10. Hoſpes, inquit, fama eligendus eſt populi, & iudicio vicinorum, ne prædicationis dignitas ſuſcipientis infamia deturpetur, &c. Euthymius dignum interpretatur, honeſtum Dei cultorem.

Matth. 10.

Hoſpes eligatur vir probus.

IBI *manete, donec exeatis.* Non mutanda præcipit hoſpitia. idem præcepit cum ſeptuaginta duos diſcipulos miſit, *Nolite*, inquit, *tranſire de domo in domum*, &c. Cauſam reddit Chryſoſtomus triplicem, non diſcedendi ab hoſpite. prima, ne turbaretur relictus. ſecunda, ne Apoſtoli leuitatis notam incurrerent. tertia, ne ventri viderentur dediti, ſi mutarent hoſpites. ſimiliter Euthymius. Et Theophylactus: Iubet, inquit, Dominus Apoſtolos manere, & non de domo in domum ire; ne tamquam guloſi malè audiant, & videantur primos, qui ſuſceperant iniuria afficere, &c

Matth. 10. Luca 10.

Cur nõ ſint mutãda hoſpitia.

PAX *huic domui.* Domum cùm intrarint, iubet Dominus habitatores ſalutare, *Salutate*, inquit, *eam*, id eſt, domum: continens pro contento vſurpatur. Salutate domum, hoc eſt, incolas domus. Salutatio verò Iudæorum vulgata hæc erat. שלום לכם, ſchalom lecha, *pax tibi*, vel

Matth. 10.

pax

pax vobis, vel, *pax huic domui*. Pacis nomine Hebræi omne bonum, & fælicitatis omne genus includunt, vt obseruat Genebrardus Psalm. 71. Cùm ergo Apostoli pacem imprecabantur, prosperitatem, & diuinam maximè pacem imprecabantur. D. Hieronymus pacem propriè pro ea, quę discordiæ contraria est interpretatur, his verbis: Pacem imprecamini hospiti. Et quantum in vobis est discordiæ bella sedate, &c. Theophylactus per salutationem, & pacem, benedictionem Apostolorum intellexit. Chrysostomus ait, non fuisse nudam salutationem, sed benedictionis vires retinuisse. Hac autem salutatione siue imprecatione, etiam cùm discedebant, & vale dicebant, Hebræi vtebantur, vt indicant illa Christi verba discedentis, *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*, &c.

Salutatio Hebræorū. Pax quid indicet.

Ioan. 14.

Matth. 10. SI *quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam.* Imprecabantur fælicitatem, maximè spiritalem Apostoli: quod autem imprecabantur, dignis contingebat, indignis minimè. Id significant hæc verba, *si ibi fuerit filius pacis*, id est, dignus vestra salutatione; *requiesceat super illum pax vestra*, id est, salutatio vestra. Quod sequitur habet dubitationem; *sin autem non fuerit digna domus, pax vestra reuertetur ad vos*. Etenim dubitatur, quonam modo pax reuertetur ad Apostolos. D. Hieronymus de merito interpretatur; *Pax vestra reuertetur ad vos*; id est, merces; & meritum salutationis reportabitis. sic enim scribit: Sin orta fuerit contradictio, vos mercedem habebitis de oblata pace. Illi bellum, quod habere voluerint, possidebunt, &c. Sic etiam D. Thomas exponit, Caietanus, Abulensis. Ita Psalm. *Oratio mea in sinu meo conuertetur*. hoc est, oratio mea in meam cedet vtilitatem, in sinum meum redibit. Erit sensus: meritum salutationis reportabitis. vel, id quod imprecabimini aliis, in vos redibit Obiicitur: etiam si in domo dignus esset hospes: pax reuertebatur ad Apostolos, hoc est, meritum, & merces salutationis. Nam quia salutabant, bonumque opus agebāt, digni mercede erant. Respondetur, Christum hoc non negare, sed significare Apostolos, etiam si indigno hospiti pacē imprecentur, non amissuros mercedem suam: neque vanam & sine fructu fore salutationem. Itaque siue digna, siue indigna domus esset, pax ad Apostolos reuertebatur, id est, merces salutationis, & beneuolentiæ, atque caritatis, qua bonum domus desiderabant. Forsitan, *pax vestra reuertetur ad vos*: idem significat, quòd non permanebit in indignis, hoc pacto: si fuerint incolæ domus digni vestra benedictione, & pace, veniet super illos. Si verò fuerint indigni, reuertetur ad vos, hoc est, non permanebit in illis, sed repulsa ad vos redibit, quemadmodum famulus repulsus, ad dominum reuertitur. Adde & hunc sensum; dixerat Dominus: interrogate quis dignus sit vestra cohabitatione. Adiungit: salutate domum. Si fuerit digna; pax veniet, & requiescet super eam, hoc est, recipiet salutationem vestram, vósque hospitio excipiet. Sin autem non fuerit digna domus; salutatio vestra ad vos reuertetur, hoc est, non recipient vestram salutationem, hospitio vos non excipient, ideò alium dignum hospitem quæretis. Itaque digni recipiebant Apostolos, indigni minimè. Id enim Euangelij postulabat prædicatio, ne male audirent Apostoli propter hospitis iniquitatem. Non ad omnes iussit ire, ait Theophylactus, ne mixti indignis arguantur, &c.

Luc. 10.

Quid sit pax ad vos reuertetur.

Digni recipiebant Apostolos, indigni minimè.

Matth. 10. Quomodo fieret excussio pulueris. EXCVTITE *puluerem de pedibus vestris*. In eos, qui Apostolos non receperint, iubet Dominus excuti pedum puluerem. Quæritur, quonammodo hæc fieret excussio: præterea, quid ea indicaret.

A Priori quæstioni respondet Abulensis, Matth. 10. quæst. 83. verisimiliter: Apostolos sandalia excalceasse, eaque manibus collisisse. Aliter dici potest non excalceasse sandalia, sed pedes extersisse, vel excussisse aliquo in lapide, vel ligno. Hoc autē faciebant extra vrbem. Matthæus: *Exeuntes foras de domo, vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris*, &c. Marc. *Exeuntes inde, excutite puluerem*. Lucas: *Exeuntes de ciuitate illa, etiam puluerem pedum vestrorum excutite*, &c. Possunt tamē verba hæc sic intelligi, vt exeuntes in ipsa ciuitate, cùm iam abirent, puluerem excuterent. Nam cùm mittit Dominus 72. discipulos: *Exeuntes*, inquit, *in plateas dicite: etiam puluerem extergimus in vos*, &c. Abulensis vult bis extersisse, semel in plateis, iterum extra vrbem.

Matth. 10. Marci 6. Luca 9.

Luca 10.

B Posterioris quæstionis variæ sunt responsiones. Chrysostomus ait Apostolos puluerem excussisse, vt ostenderet nihil penitus ab illis habuisse, à quibus non recipiebantur. Theophylactus Marc. 6. sequitur Chrysostomum: Iubet, inquit, Christus, vt puluerem excutiant Apostoli, monstrantes, quòd nihil ab eis acceperint, & ne puluerem quidem, quem etiam ipsum excusserint, &c. Euthymius addit Apostolos puluerem excussisse, velut impium. Ambros. quoque Luc. 9. & Hieronym. Excutitur, ait, puluis, vt nihil ab eis recipiant, ne victum quidem necessarium, qui euangelium spreuerint, &c. August. in li. quæst. Euang. ex Matth. q. 7. Vt ostenderent, inquit, vsque adeò se ab ipsis nihil terrenum quærere, vt etiam puluerem de terra eorum, sibi non paterētur adhærere, &c. Idem Patres aliam causam adiungunt. Excussisse aiunt Apostolos puluerem pedum, vt testarētur ad illos venisse, sed iter nihil profecisse. Augustinus: *Excutite*, inquit, *puluerem de pedibus vestris*: ad contestationem laboris terreni, quem pro illis inaniter susceperint, &c. Hieronymus: Puluis excutitur de pedibus, in testimonium laboris, quòd ingressi sint ciuitatem, & prædicatio Apostolica ad illos vsque peruenerit, &c. Theophylactus, Vel quod testantur, inquit, se illorum nomine, magnum iter confeciisse, nihilque illis profuisse, &c. Chrysostomus: Vt testimonium, ait, perhibeant longi itineris, quo ad eos peruenerunt, &c.

Quid indicaret expulsio pulueris Apostolorū.

C

D

Obserua hanc puluerис excussionem factam, in testimonium contra eos, qui non recepissent Apostolos. Apud Marcum sic habes: *Excutite puluerem de pedibus vestris, in testimonium illis*. & Lucas: *In testimonium supra illos*. Testabantur ergo Apostoli illo actu, homines illos Euangelij repulisse legatos, siue nuncios, seque abscedere, neque velle, vel puluerē, qui pedibus ex eorum ciuitate adhæserat, ferre. Origen. hom. 4. in c. 18. Geneseos, significat, puluerem illum excussum fuisse in testimoniū incredulitatis in iudicio puniendæ. Volebat, inquit, præuenire Abraham, & leuare pedes, ne quid fortè puluerис resideret, quod ad testimonium incredulitatis excussum, posset in die iudicij reseruari, &c. D. Hilar. in Matth. In eos, inquit, qui audita cælestis regni prædicatione, Apostolorum præcepta respuerint: egressu eorum, & signo puluerис, pedibus excussis æterna maledictio relinquitur. Nescio quę enim insistenti loco, cū eo, in quo institerit loco, videtur communio, & fit inter eos, quædam corporis solique coniunctio. Ergo omne domus illius, habitationisque peccatum intra ipsam excusso puluere pedum relinquitur: nihilque sanctitatis de insistentium Apostolorum vestigiis mutuatur. Vt quorum aditu, ingressuque delicta terrenæ originis auferuntur; eorū testimonio infidelitas, cum omni terræ suæ puluere, iudicetur. Sic Hilarius.

Hæc puluerис excussio fiebat contra illos, qui Apostolos non recepissent. Marci 6. Luca 9. Orig.

Hilari

Matth. 10. Genes. 13.

TOLERABILIVS erit terræ Sodomorum. Cùm scelera Sodomæorum, & Gomorrhæorum fuerint maxima, dubium est, cur in die iudicij tolerabiliores sint subituri cruciatus, quàm ij, qui Apostolos non receperunt. Respondet Lyranus, Sodomæos inter cætera vitia illud etiam habuisse, vt est apud Ezech. capite 16. quod egenis manum non porrigebant, Conferantur ergo ij, qui Apostolos non recipiebant cum Sodomæis quod ad hoc vitium. Grauius autem erat manum Apostolis, & eleemosynam non porrigere, quàm reliquis egenis. Attamen comparatio absolutè à Christo fit, non in hoc tantùm vitio. Caietanus duplicem ait esse peccati grauitatem. alteram ex parte conuersionis, quomodo grauiora fuerunt peccata Sodomæorum, & Gomorrhæorum. alteram ex parte auersionis: atque hoc pacto grauius crimen ij commiserunt, qui Apostolos non receperunt. Beda sic exponit: *Tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum, quàm illi ciuitati*, &c. quia ipsi vnam legem tantùm, hoc est, naturæ spreuerunt, Iudæi verò simul & naturæ, & literæ, insuper & Prophetarum, & Apostolorum dicta contempserunt. Atque ideo, cui multum datum est, multum quæritur ab eo, &c.

Cur tolerabilius erit in die iudicij Sodomis, quàm iis, qui Apostolos non receperunt.

Grauitas peccati Sodomorũ in quo sit leuior.

Respondetur tolerabilius fore punienda Sodomorum peccata, propter hanc circumstantiam, quia Euangelij prædicationem non audierunt, & Euangelij legatos non repulerunt. Tantò enim grauiora erunt supplicia, quantò is, qui peccauit plura, vel maiora habuit Dei auxilia, & ad relinquendum peccatum incitamenta. *Idcirco*, inquit Hieron. *tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum*; quia Sodomis, & Gomorrhis non fuit prædicatum. Huic autem ciuitati, quæ non receperit Euangelium prædicatum sit, & tamen non receperit Euangelium, &c. D. Thomas, Dicendum, inquit, quòd non comparat Dominus peccatum, ad peccatum, sed ad circumstantiam, quia peccabant isti, quibus fuerat prædicatum, illis verò non, &c. Euthymius; Sodoma, & Gomorrha, neque miracula viderant, sicut isti, innumera, neque ad terram illorum discipuli missi sunt, &c.

A lupis nouum bellum mittebantur. Chrysostomus homil. 34. Vt videant, inquit, nouum, atque inauditum quemdam bellandi modum imminere, ac mirabilem hanc aciem militum futuram: qui nudi, vna induti tunica, sine calceis, ac virga, sine cingulo, absque proprio cibo, in prælia descendebant, &c. Poterat Christus leones mittere in medium ouium. Sed voluit potius oues inermes mittere in medium luporum: vt ipsius potentiam lupi ab ouibus superati declararent. Chrysostomus Christum loquentem facit hunc in modum: Etsi possum contrarium præstare, vt nihil laboris ac doloris ad vos perueniat: neque vt tanquam oues lupos timeatis: sed quasi leones terrorem inferatis omnibus. Tamen confert ita fieri, quemadmodum iubeo. Id enim illustriores vos facit, id meam declarabit virtutem, &c. Hoc est, quod Paulo Dominus dixit. *Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus* (id est potentia Dei) *in infirmitate perficitur.* Docet eodem loco Chrysostomus, Christianos tunc vincere cùm ouium mansuetudinem seruant: cùm verò luporum rabiem imitantur, tunc superari. Erubescant, ait, qui quasi lupi aduersarios suos persequuntur: cùm videant lupos innumeros, ab ouibus superari paucissimis. Et certe quousque sumus oues, facile hostes vincimus; cùm verò in naturam luporum transimus, tunc superamur. Tunc enim nullum nobis à pastore patrocinium adest, qui non lupos, sed oues pascit, &c.

Cur vt oues mittantur Apostoli.

Christianus mansuetudine vincit. 2. Cor. 12.

Cùm oues sumus, hostes vincimus, cùm lupi superamur.

ESTOTE *ergo prudentes, sicut serpentes.* Quidam, vt refert D. Ambrosius in fine lib. 9. in Lucam, his verbis significari voluerunt imitandam esse Christi prudẽtiam. Dixit Christus (ait Ambrosius) *estote astuti sicut serpentes.* Quem locum plerique accipiunt, vt quia, serpente suspenso, Christi crux annunciata est, Numer. 21. quò serpentinum nequitiæ spiritalis virus aboleret; videatur astutus ita esse debere sicut Christus, simplex sicut spiritus, &c. Hæc interpretatio aliena à verbis est, vt liquet. Diuus Hilarius ad serpentem, qui primum hominem decepit, putat fieri allusionẽ: eum enim Genes. 3. Scriptura appellat callidiorem cunctis animantibus terræ, & Septuaginta Interpretes, φρονιμώτατον, id est, prudentissimum omnium bestiarum. Ille serpens prudens fuit ad euertendos homines: concionatores prudentes esse oportet, ad conuertendos. Huius serpentis (ait Hilarius) prudentiam malignantis consilij ordine, Genesis docuit. Primùm enim animum sexus mollioris aggressus est, spe illexit, & immortalitatis communionem spopondit. Pari igitur opportunitate, introspecta vniuscuiusque natura, & voluntate; verborum adhibenda prudentia est, spes futurorum bonorum reuelanda, & cælestia præmia proferenda, &c. Similem in modum D. Basilius, in Regulis breuioribus interrogat. 245. Hæc, inquit, discipulis Christus mandat, &c. Vt videlicet, quemadmodum in paradiso serpens, & blandiore aspectu, callidè ad primos parentes accessit, & verborum probabilitate eos auertit à Deo, & peccata subiunxit: item nos quoq; personę & loci, & idonei ad agendum temporis rationem habeamus, & omnibus modis sermones in iudicio disponamus, vt à peccato homines auertamus, & ad Deum reducamus. Sic Basilius. Hic etiam sensus non consentit cum verbis: Christus enim non de vno aliquo, sed de pluribus loquitur serpentibus. *Estote prudentes sicut serpentes*: non ait, sicut serpens. Est igitur in serpentibus aliqua prudentia siue astutia naturalis, quam imitari debemus.

Matth. 10.

Serpentis qui hominẽ decepit astutia.

Basil.

Diuus Hieronymus proponi ait in exemplum ser-

De prudentia serpentis.

CAPVT XIII.

De Missione Apostolorum.

Matth. 10. *Duæ res quæ conciònatori Euangelico maximè nocere possunt.*

ECCE *ego mitto vos.* Duæ sunt res, quæ Euangelico concionatori nocere maximè possunt: lucri cupiditas; & mortis, similiumque malorum formido. Aduersus cupiditatem discipulos armauit Christus; nunc aduersus imminentia mala communit. *Ecce*, inquit, *ego mitto vos*: pro nomen, *Ego*, emphasim habet. Ego Deus mitto vos, sine cuius nutu nemo vobis nocere poterit. Similem emphasim habet illud Absalonis, *Ego; nolite*, inquit, famulis suis, *timere. Ego enim sum, qui præcipio vobis: roboramini, & estote viri fortes*, &c. Theophylactus, Consolatur, inquit, Christus per hoc quod dicit: *Ego*: Ego, inquit, potens ille; & proinde fidite, inuicti enim eritis, &c. Chrysostomus: *Ecce ego mitto vos*: sufficiat hoc vobis ad omnem consolationem. Satis sit ad confidendum, &c. Beda: Quod dicit: *Ecce ego*, auctoritas, & fortitudo est Deitatis, &c.

Pronominis ego emphasis.

2. Reg. 13.

Matth. 10. *Oues mittũtur ad bellũ gerendum cum lupis.*

SICVT *oues in medio luporum.* Inter animantia maximè inermes oues sunt. Christi discipuli, si externa ac visibilia spectes præsidia, oues erant, omnibus carentes armis. Sic ad gerendum cum

serpentis astutiam, siue prudentiam: ea toto corpore occultat caput, & illud, in quo vi posita est, protegit, ac tuetur. Ita verò Christus qui caput nostrū est, nos oportet totius corporis, vitiarum, vitæque periculo custodire. Et D. Augt Psal. 57. rogat: Quid est, *Astuti sicut serpentes?* ispondet: Offer omnia membra tua percutienti, immodo caput serues integrum, id est, Christum. Et in lib. quæst. euangel. ex Matthæo, quæst. 8. *Estote prudentes sicut serpentes*, ad cauendum malum; in caje custodiendo, quod est Christus. Nam serpe totum corpus pro capite obiicit persequenti, & D. Epiphan. hæresi 37. Serpens occultat craniu suum, tradit autem reliquum corpus per excellitē calliditatem: sic vult Christus nos in tempo persecutionis, & tentationis, omnia nostra trare gladio, ac igni: custodire autem nostrum capi, id est, Christum non negare, &c. Eiusdem sententiæ est Chrysostomus; Quemadmodum, inquit serpens totum se ipsum tradit, neque admodum urat, si corpus inciditur, donec caput suum integrum seruet; eodem tu quoque modo, &c.

August. Serpens caput custodit maximè.

Chrysost.

Sequuntur Chrysostomum Theophylactus, & Euthymius, adduntque aliam serpentis prudentiam, cuius meminit Beda Matth. 10. Sicut serpens (ait Theophylactus) in angustam cauernam circumgyrat se, & transiens, veterem pellem expoliat: ita & nos per angustā viam incedamus vt veterem hominem exuamus, &c. Basilius quo; ora. 7. idem de serpente docet, & Augustinus Psl. 57. Serpēs, vt exuat veterem tunicam, coarctat se per foramen angustum. Arcta via est, foramen angustum, &c. De hac serpentis renouatione sic scrosit Arist. lib. 8. hist. Animal. cap. 17. Exuit serpens senectutem, tum vere, tum autumno. Cùm exuere incipit, ab oculis primùm detrahi aiunt. Tū caput exuitur; atque vna ferè nocte, & die, senectus tota exuitur, à capite orsa ad caudam, & cute altera intus subnascente, ipsa remouetur, &c. Nos quoque arctam viam, quæ ducit ad vitam ingrediamur: à capite, & oculis, id est, ab intellectu, per æternarum rerum considerationem, veterem hominem exuere incipiamus: serpentisque celeritatem imitemur. Vna ferè nocte, & die, senectutem exuit; nos velocissimè vitia exuamus, iuxta illud Pauli. *Expoliantes veterem hominem cum actibus suis, induentes nouum eum, qui renouatur in agnitionem, secundum imaginem eius qui creauit illum*, &c.

Serpentis alia prudētia.

Serpens exuit senectutem.

Coloss. 3.

Beda Matth. 10. & Augustinus Psalm. 57. tertiam referunt serpentis prudentiam. Beda: Prudentia, inquit, serpentis est, quòd vnam aurem petræ opponit, alteram cauda occludit, ne audiat incantantes, &c. Augustinus: Allidit serpens vnam aurem terræ, & de cauda obturat alteram, &c. *Sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium*, &c. Hac prudentia vti oportet aduersus diaboli, & impiorum hominum praua consilia, ac tentationes. Occludendæ sunt aures cauda, & terra: id est, finis memoria humanæque fragilitatis, ac sepulchri.

Occludit aures serpens aduersus incantantem.

Psalm. 57.

Adiungit his D. Ambrosius aliam initio Psalmi 37. Serua, inquit, caput tuum, sicut serpens; etsi laceratus fueris, reuiuisces. Imitare serpentem, qui exteriorem suum exuit, vt renouetur interior. Imitare serpentem, qui venenum suum euomit. Beatus & tu, si malitiæ tuæ venena deponas, &c. D. Epiphanius hæresi 37. Alteram, ait, prudentiam, habet serpens, velut naturæ rerum docti tradunt. Quando enim siti pressus à latibulo procedit ad aquam, vt bibat, non simul accipit secū venenum, sed in latibulo relinquit, & sic progressus potum aquarum sumit. Proinde & ipsi hoc imitemur,

Serpens venenū suum euomit.

D. Epiph.

vt quando ad Ecclesiam, aut preces, aut ad mysteria venerimus, malitiam nobiscum ne feramus, &c.

Iansenius, & Titelmannus adiiciunt prudentes esse serpentes, quòd non viribus agunt, sed astutia, atque prudentia. Tacitè enim obseruant opportunitatem effundendi venenum; neque illud nisi commodissimo tempore, & cautissimè ad nocendum effundunt. Sic euangelico concionatori non viribus agendum, sed prudenter sermo diuinus proferendus. Quid, si Christus prudentes vult esse discipulos sicut serpentes: id est, oculos mentis acutos habere, acutéque cernere, quemadmodum serpentes acutè cernunt? Serpentes autem acutè cernere prouerbium indicat: *Serpentis oculus.* Vnde Flaccus.

Serpentes astutia, non viribus, agunt.

Serpentes acutè videāt.

Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut aquila, aut serpens Epidaurius? *Flaccus.*

Simplices *sicut columbæ.* Græcè ἀκέραιοι, simplices, sinceri. Prudentiam iubet comitari simplicitatem, animiúque candorem. Gregorius Past. libro 3. cap. 12. Admonendi, inquit, sunt simplices, vt simplicitatis bono prudentiam adiūgant. Quatenus sic securitatem de simplicitate possideant; vt circumspectionem prudentiæ non amittant. Hinc dicitur: *Volo vos sapientes esse in bono; simplices autem in malo*, &c. & in caput 1. Iob sic scribit: Christus vtraque necessariò, in admonitione coniunxit; vt & simplicitatem columbæ astutia serpentis instrueret: & rursum serpentis astutiam columbæ simplicitas temperaret. Hinc est, quòd Spiritus sanctus non in columba solummodò præsentiā suam, sed etiam in igne patefecit. Per columbam quippe simplicitas, per ignem verò zelus indicatur, &c. Lege eundem Gregorium hom. 30. in euangel. & Hieronymum Oseæ 7.

Matth. 10.

Prudentia comitari debet simplicitatem.

Rom. 16.

Is simplex est, qui sine fuco est, & dolo, qui quod in corde habet, id ore præfert. Huius simplicitatis, ac sinceritatis imago quædam, & typus columba est. Ideo Dominus: *Estote*, ait, *simplices sicut columbæ*: ne sitis vafri, astuti, versipelles, seductores, sed veraces, ac sinceri. Ex Hieronymo: *Estote simplices*, id est, innocentes. Diuus Hieronymus Matth. 10. Vt per prudentiam, inquit, deuitent insidias, per simplicitatem non faciant malum, &c. & Oseæ 7. Præcepit, ait, Dominus, vt essemus simplices quasi columbæ & astuti quasi serpentes; nimirum vt nec aliis nocere velimus; nec ab aliis patiamur insidias, &c. Syri legunt, תמימא, thamime, vox autem. תם, tham perfectū significat, immaculatum, & simplicem. D. Basilius loco citato, sic explicat hunc locum; Prudens, vt serpens est, qui in doctrina tradenda ita se moderatur, vt adhibita circumspectione, considerationeque: qua ratione id & fieri, & facile fieri possit, omnia faciat, vt audientium animos ad auscultandum habeat paratos. Simplex autem vt columba, qui ne simpliciter quidem de vlciscendo eo, qui sibi aduersarius sit, cogitat: potiusque in instituto suo benè de illo merendi perseuerat, &c.

Quis sit simplex.

Matth. 10.

D. Basil.

Cavete *autem ab hominibus.* Prudenter serpentis prudentia cauēdos homines docet insidiatores, & impios, prædicitque Apostolis futuras persecutiones. Græcè προσέχετε, id est, attendite, idem quod cauete, cauti estote, & circumspecti; ne omnibus fidatis. Euthymius exponit: obseruate homines, siue pericula ab illis expectate. Tradent enim vos in Conciliis, Græcè εἰς συνέδρια, ad Concilia sua, siue iudicia. *Et in synagogis suis flagellabunt vos*, Iudæi: siue in congregationibus suis, & ethnici. Synagoga enim significat congregationem, & cœtum. *Ad præsides, & Reges ducemini, in testi-*

Matth. 10.

Cauendum ab hominibus Christus monet.

Matth. 10.

Matth. 10. *testimonium illis, & gentibus.* hoc est, vt testimonium de me, meáque lege perhibeatis ipsis Regibus, & præsidibus, ac gentibus. Vel, in testimonium contra illos, si doctrinam vestram non fuerint amplexati. Ad redargutionem Iudæorum & gentium, ait Euthym. ne postmodum dicere possint, quòd prædicatione m non audierint, &c. Ita etiam Theophylactus: In testimonium, inquit, in notam, & reprehensionem eorum, qui non credunt, &c. Quamuis hæc missio in Iudæam solam fuerit, tamen admiscet Dominus aliqua, quæ ad aliud tempus pertinent. Quale hoc est; *ad præsides, & Reges ducemini*, &c. Non enim in hac missione hoc contingit. Ibid.

Matth. 10. NOLITE *cogitare quomodo, aut quid loquamini.* Pollicetur Dominus Apostolis verba, quibus respondeant aduersariis, cùm in Concilia tradentur, vel ante præsides adducentur. *Ne cogitetis*, inquit, *quomodo, aut quid loquamini.* Græcè, μὴ μεριμνήσητε, id est, *ne solliciti sitis.* Idem significat verbum Syrum, ʾʿʸ, Ietsaph, Lucæ 12. vertit interpres: *Nolite solliciti esse.* Non prohibet (vt vult Iansenius, & Maldonatus) cogitare; sed anxiè cogitare, & sollicitè, ac trepidè. Vel potiùs, absolutè significat non oportere cogitare, ac præmeditari verba, quibus respondeant aduersariis. Nam sic legitur: *Ponite ergo in cordibus vestris non præmeditari, quemadmodum respondeatis, &c.* Dabitur (inquam) à Spiritu sancto, is enim in vobis, & per vos loquetur. *Ego dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri.* Act. 6. *Non poterant resistere sapientiæ, & Spiritui, qui loquebatur*, videlicet in Stephano. Lege Augustinum li. 13. confess. ca. 31. & lib. 4. de doctr. Christ. cap. 15. & serm. de Apostolis.

Non prohibemur cogitare, sed anxiè cogitare. Luca 21. Luca 11. Act. 6.

Matth. 10. TRADET *frater fratrem in mortem.* Nullus est inter eos affectus fidus, quorum diuersa est fides: ait Hier. Matth. 10. Non solùm nō erat affectus fidus in credulis erga fideles, sed persecutio etiam oriebatur. Fratrem frater, filium pater, patrem filius, maritus vxorem, cognati cognatos insequebantur. Hæc futura vaticinatur Dominus discipulis. Addit; *& eritis odio omnibus propter nomen meum.* Omnibus, videlicet, improbis hominibus. Omnes (ait Euthymius) dicit pro pluribus. Beda: Prædixit, inquit futuram perturbationem, vt quasi antè cognitam, leuius portarent, &c. D. Hilar. can. 10. Multùm proficit ad tolerantiæ assumptionem, rerum imminentium cognitio, &c.

Non est inter eos affectus fidus, quorum diuersa est fides. *De persecutionibus vaticinium Christi.* Matth. 10. *Mala præcognita leuiora.*

Matth. 10. *De perseuerantia.* QVI *perseuerauerit vsque in finem.* Non satis est pati: necesse est perseuerare. Sine perseuerantia, victoriæ præmium non assequitur patientia. Ideò Dominus perseuerantiam Apostolis commendat in patiendo. *Patientia*, ait Iacobus, *opus perfectum habet.* Perfectum, inquam, opus habet, si perseueret: sin minus opus erit imperfectum. Patientiæ corona perseuerantia est. Et si multa patiaris, nec tamen perseueres, coronam non assequêris. *Qui perseuerauit vsque in finem, hic saluus erit,* id est, hic coronabitur. D. Bernardus epist. 129. Perseuerantia, inquit, meretur viris gloriam, coronam virtutibus. Vigor est virium, virtutum consummatio, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium, soror patientiæ, propugnaculum sanctitatis. Tolle perseuerantiam, neque obsequium mercedem habet, neque beneficium gratiam, neque laudem fortitudo. hæc Bernardus, *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*, &c. Non est satis duci hostem primò secundóve vincere conflictus nisi perseueret, omnibusque vincat præliis, trophæum non refert. Non est satis laborem, vel cruciatum, vel tentationem, semel iterumque superare; si tandem succumbas, neque rursus te erigas, repteseque victoriam. Si saluus esse cupis, si victom reportare, vince vsque in finem: Vt autem vcas vsque in finem: semper intuere finem. Iacobi 1. Matth. 10. Bernard. Apoc. 2.

FVGIT *in aliam.* Militésne suos fugere docet dux mamus? Fugere quidem docet, non ad instaurandn prælium. Tunc autem fugere vult, cùm sine vla fidei macula, sed cum magna vtilitate iniri fugpotest. Nam si fidei honor, vt moriantur postul, moriendum in vestigio est. Quia verò fidei progandæ vtilitas postulabat, ne Apostoli occuberent; ideò ait: *Si vos persecuti fuerint in vna ciute, fugite in aliam.* Aliquando enim fugere, viere est, *fugit Iosue, sed fugiendo vicit.* Christus Hedem fugit, & superauit. Non fuga est, sedictoria, qua superatur hostis. Fugiebant aum Apostoli ex vna ciuitate, quæ Euangelium olebat recipere, in aliam, vt Euangelium illbromulgarent. ô quàm specioſi pedes, etiam inuiusmodi fuga, quæ Euangelij seminarium at. Fugite in aliam ciuitatem, ait Beda, non timido passionem, sed declinando; vt tribulationis ccasio, seminarium fieret Euangelij, &c. An verticeat in persecutione fugere, docet diuus Thomasecunda secundæ quæst. 185. artic. 5. Augustinus oistol. 180. Abulensis quoque copiose vt solet, bc loco. Matth. 10. *Aliquando fugere vincere est.* Iosue 8. *Specioſi pedes Apostolorum etiã fugiendo.*

NO *consummabitis ciuitates Israel.* Horum verborm multiplex est sensus. Verbum Latinum consummo, & Græcum, τελέω, significant perficere, vefinire, siue finem imponere, in quo significatonterpretantur Græci, Chrysostom. Euthym. & Theophylactus: Primus sensus est Chrysostomi: Cùn vos persequentur in vna ciuitate, fugite in alàm. Neque vmquam deerunt vobis ad fugam cuitates, in quas vos recipere possitis. Non enim consummabitis perambulando, id est, non percurretis ciuitates omnes Israëlitarum; *donec filius hominis veniat*, hoc est, donec ego veniam ad vos. Prius enim quàm omnes peragretis, ego ad vos ibo. Obstat huic sensui, quòd Christus non venerit ad Apostolos, sed potiùs Apostoli post missionem, & peregrinationem venerint ad Christum, vt fit ex compertum Luca capite 9. & Marco capite 6. Responderi potest, non tamen probabiliter, non omnia esse scripta, & forsitan Christum ad Apostolos iuisse. Præterea, hæc verba dicta esse sub conditione, *non consummabitis ciuitates Israël*, fugiendo, donec veniam ad vos, si opus fuerit. At non fuit opus, nulla enim persecutio est in hac missione exorta. Matth. 10. Matth. 10. *Ibid.*

Secundus sensus: Non peragrabitis ciuitates Israël omnes, donec filius hominis veniat ab inferis & in vitam redeat. Sic interpretatur D. Thomas, Lyranus, Abulensis, Carthusian. Caiet. & alij.

Tertius: Nō percurretis omnes ciuitates Iudæorum, donec ego veniam ad sumendas de illis pœnas, euertendámque Vespasiani, ac Titi opera, Israëliticam Rempublicam.

Quartus: Non perambulabitis ciuitates Iudæorum, donec ego ad vos veniam, vt vobis auxilium feram.

Quintus sensus: Non percurretis omnes ciuitates Israëlis spiritalis, id est, Christianorum, vos, cæterique euangelij promulgatores, donec filius hominis veniat ad iudicandum. Ita ferè Rupertus. Tot (inquit ille) erunt Ecclesiæ per orbem, & ciuitates meo nomini dicatæ, qui sum verus Israël; vt non possit quiuis consummare illas, donec veniat regnum Dei. Nemo enim tamdiu viuet, vt fugiendo pertransire possit omnes, &c.

Probabilius verbum, *consummo*, hoc loco significat

ficat perficio; & illa verba; *Donec filius hominis veniat;* aduentum ad iudicium. Mittit igitur Dominus Apostolos ad perficiendos, consummandosque per diuinam doctrinam,& conuertendos Israëlitas. Indicat verò illos neque consummandos, neq; conuertēdos generaliter, ante iudicij extremum tempus. Sensus huiusmodi est: *Cùm persequentur vos in vna ciuitate, in aliam fugite. Amen dico vobis, non consummabitis.* non perficietis, & perfectè conuertetis nunc ciuitates Iudæorum, neque conuertent successores vestri; donec ego veniam ad iudicandum. Incredulitatem Iudæorum prædicit Christus, quam ipsis videmus oculis. Prædicit etiam cōuersionem prope iudicium, vt ait D. Hilarius his verbis: Ait Dominus post plenitudinem gentium, quod erit reliquum Israel (id est, reliquias Iudæorum) futuro charitatis suę aduentu, in Ecclesiam cōuocandum, &c. At Iudæi antequā veniat Christus ad iudicium sunt conuertendi, non ergo germanus est sensus. Respondetur, appellari aduentum ad iudicium, tempus illud extremum, iudicio propinquum, in quo Iudæi sunt conuertendi.

Matth. 10.

Iudæorum incredulitas, & conuersio ad finem mundi prædicitur.

Aliter; forsitan Christus his verbis significare voluit Apostolos absque suo auxilio Israëlitas conuertere non posse, & consummare, iuxta illud, *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam, &c.* Non consummabitis, inquit, non perficietis, & cōuertetis vestra prædicatione Israëlitas, antequā ego veniam, & auxilium illis ad conuersionem afferam. *Quia sine me*, meóque auxilio, *nihil potestis facere.*

Psal. 126.

Ioan. 15.

Aliter, si sumatur verbum in priori significatione; Non peragrabitis vos, successoresque vestri, ait Dominus, ciuitates omnes Israel, id est, in quibus aliqui sunt ex Israëlitis secundùm spiritum, prædestinati in vitam æternam; donec veniat filius hominis ad iudicandum. Etenim postquam prædicatum fuerit Euangelium in vniuerso orbe, veniet consummatio, id est, finis mundi.

Matth. 24.

Beda hoc pacto exponit: Non perducetis ad fidem Israëlitas ante meam resurrectionem; antequam redeam ad vitam, & veniam ad vos. (sic *Vado* (inquit) *& venio ad vos*) & post resurrectionem potestatem concedam prædicandi Euangelium, non Iudæis solùm, sed etiam in toto orbe.

Ioan. 14.

A thymius. Neque discipulus magistro præstantior est, neque seruus suo domino, ille dum discipulus fuerit, & iste seruus, &c. Forte prouerbium apud Iudæos erat: eo in rem præsentem vtitur Christus. Respondeti etiam potest, loqui non generatim, sed speciatim de se, suisque discipulis, in hanc sententiam. Non est discipulus meus, super me magistrum suum, &c. Satis est discipulo meo si sit sicut magister, id est, similis mihi magistro suo. Similes autem eritis, si aduersariorum insectationes æquo animo pertuleritis. Obserua Iudæos non solùm impio ore dixisse Christum in Beelzebub eiicere dæmonia, sed etiam ipsum appellasse Beelzebub. *Si patrem familias* (inquit) *Beelzebub vocauerunt.* *Euthym.*

Matth. 10.

B Imitatio Christi & similitudo, egregium est discipulorum ad perferendos labores incitamentum. hinc illud militis fidelissimi Vriæ. *Arca Dei, & Israel, & Iuda habitant in papilionibus, & Dominus meus Ioab, & serui Domini mei super faciem terræ manent, & ego ingrediar domum meam, vt comedam, & bibam, &c.* Diuus Hilarius canon. 10. Multum proficit ad tolerantiæ assumptionem, rerum imminentium cognitio. Maximè si patientiæ voluntas præsumatur exemplo, &c.

Imitatio Christi incitamētum ad perferēdos labores.

2. *Reg.* 11.

NIHIL *enim est opertum, quod non reueletur.* Primus horum verborum sensus, est Diui Hieronymi. Nolite, inquit, timere persecutorum sæuitiam, & blasphemantium rabiem, quia veniet dies iudicij, in quo & vestra virtus, & eorum nequitia demonstrabitur, &c. Eodem modo interpretantur Lyranus, Caietanus, & alij. Diuus Hilarius can. 10. Dies, ait, iudicij, ea quæ nunc occulta existimantur, luce cognitionis publicæ deteget. Igitur non minas, non consilia, non potestates insectantium monet Christus esse metuendas. Quia dies iudicij nulla hæc fuisse, atque inania reuelabit. sic ille. Secundo sensu locus exponitur de tempore iudicium præcedente hoc pacto; Ne timueritis calumnias hominum, & cōtumelias; quoniam vestra innocentia, & sanctimonia, non erit operta, sed simul cum Euangelio prædicabitur totoq; vulgabitur orbe. Non multò post (ait D. Chrysostomus) saluatores vos, benefactoresque totius orbis terrarum prædicabunt. Tempus enim, quod obumbrata omnia deteget, virtutis vestræ splendorem accendet, &c. Vaticinij videmus veritatem. Apostolos quos impij contumeliis, & cruciatibus sunt insectati; toto orbe celebrari, mirisque laudibus extolli cernimus. Et hæc secunda ratio, quæ animum ad toleranda conuicia affert. Aperit enim tempus, cùm vel in hac vita Deus, vel in iudicio, innocentiam patefaciat. *Reuela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet. Et educet quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum tamquam meridiem.* hoc est, virtutem, innocentiamque tuam manifestam omnibus faciet, & veluti ex tenebris educet. Nonne in tenebris falsi testimonij Susannæ iacebat castitas? ex iis tenebris illius iustitiam Deus eduxit, quasi lumen, splendoremque clarissimum, è tenebris quoque Ioseph innocentiam, Apostolorúmque eduxit sanctitatem.

Matth. 10.

Dies iudicij iustorū iustitiam, iniquorum iniquitatem patefaciet.

Chrysost.

Innocētiam iustorum Deus patefacit.

Psal. 36.

Aliter exponi potest locus, de manifestatione Euangelij in hunc modum. Ne timueritis impios homines Euangelio repugnantes. Nihil enim est opertum Euangelij, quod non sit reuelandum, manifestandumque hominibus, etiam repugnantibus improbis. Nihil absconditum legis meæ nouæ, quod non sit aperiendum. Congruit hic sensus rectiùs cùm sequentibus: *Quod dico vobis in tenebris*, id est, priuatim, domi, non in turba, *dicite in lumine*, id est, palàm, publica in luce. *Et quod in aure auditis:*

Matth. 10.

Tecta Palæstinæ plana erant.

CAPVT XIV.

De missione Apostolorum.

Matth. 10.

NON *est discipulus super magistrū.* Nonnullas subiicit rationes, quibus hortatur patienter ferre insectationes. Prima hæc est: Neque est discipulus magistro præstantior; neque seruus Domino; neque domestici patrefamilias. Ego magister vester sum, & Dominus, & paterfamilias; vos discipuli, & serui, vos domestici mei; si ergo me magistrum, Dominum, patremque familias, contumeliis homines affecerūt, quantò magis vos afficient? Obiicitur: Discipulos reperiri posse magistris præstantiores, imò & seruos dominis excellentiores. Respondetur, nullum seruum, aut discipulum, quatenus seruus, aut discipulus est, vel interim dum sub magistro, & domino est, præstantiorem esse. Chrysostomus: Quousque, inquit, discipulus, aut seruus est, magistro & domino numquam excellentior erit honore, ac dignitate. Noli enim ea, quæ rarissima sunt, in medium producere, sed ab iis, quæ solent sæpè fieri, orationem considera, &c. Et Eu-

Quomodo discipulus non sit super magistrum.

Chrysost.

hoc est, secretò, *prædicate super tecta*: clara voce & contenta. Erant enim Palæstinæ tecta plana, non sicut nostra cacuminata. Similia erant nostris solariis. Vnde intelliges, cur Dominus Deuter. 22. tecta muro cingere præceperit. Ne videlicet aliquis inde rueret in præceps. Intelliges quoque quod legitur Iud. 16. spectasse Philisthæos Iudæum Samsonem de tecto, & solario. Constanter (ait Hilarius) Dei ingerenda cognitio est: & profundum doctrinæ Euangelicæ secretum, lumine prædicationis Apostolicæ reuelandum, &c. *Exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Ieruſalem, exalta, noli timere, &c.* Constantiam & fortitudinem, non timorem flagitat Euangelij prædicatio.

Prædicatio constans.

Matth. 10. NOLITE *timere eos, qui occidunt corpus.* Timor timore pellitur; timor mundi, timore Dei superandus est. Multò enim grauiora sunt mala, quæ Deus, quàm quæ homines inferre possunt. Hominum vis tota in corpus irruit; ad animum minimè penetrat. Vita priuare possunt corpus mortale, occidere nequeunt animam immortalem. Furor tyrannorum sæuit in carnem; ad animum non pertingit. Corpore lacerato viuit animus, euolatque in cælum. At si Deum offendas, nõ corpus solùm, sed animus quoque supplicio afficitur grauissimo. Corpus enim, & animam, æternis tartari addicit Deus cruciatibus.

Timor mũdi timore Dei repellendus.

Matth. 10. NONNE *duo passeres asse væneunt.* Suadet Dominus à diuina prouidentia, & cura, homines non metuere. Nónne, inquit, passeres minimi pretij sunt? Attamen Deus passerculorum curam gerit; adeò vt nullus absque illius voluntate vitam amittat. Longissimo interuallo passerculos superatis. Non igitur vitã vobis poterit aliquis eripere, Deo minimè permittente. Qui vestros etiam capillos habet in numerato. As Græcè dicitur hoc loco, ἀσσάριον, quod nomen est diminutiuum, significatque assem minutum, quasi dicas teruntiolum, vel minimum obolum, vt ait Euthymius.

Prouidentia Dei etiam ad minima pertingit.

Matth. 10. OMNIS *qui confitebitur me.* Præmium proponit constantibus, qui coram tyrannis fidem confitebuntur: supplicium verò timidis qui negauerint. Confitebitur Christus confitentem, negabit negantem. Confessio autem coram hominibus, confessio est publica, non cordis solùm; sed etiam oris, siue operis. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Auctor imperfecti hom. 25. Nec valet confessio oris, sine fide cordis; nec fides cordis, sine confessione oris, &c. Lege Tertullianum in Scorpiaco cap. 9. quo loco legit: *Omnis qui in me confessus fuerit, &c.* Sic etiam Græcè habetur, πᾶς οὖν, ὅστις ὁμολογήσῃ ἐν ἐμοὶ, ὁμολογήσω κἀγὼ ἐν αὐτῷ, id est, *omnis, qui confitebitur in me, confitebor & ego in illo.* Sed Hebraismus est.

Confessio oris & cordis necessaria.

Rom. 10.

Matth. 10. NON *veni pacem mittere, sed gladium.* Non venit Christus mittere in terram pacem vitiosam, sed sanctam. Bellum (ait Hieronymus) missum est bonum, vt rumperetur pax mala, &c. Et Chrysostomus; Non semper est concordia laudanda: cum etiam latrones magna inter se concordia conspirare sciamus, &c. Gladium se misisse ait Dominus, quoniam ex confessione fidei dissidia inter fideles, & infideles exorta sunt, inter patres infideles, & filios fideles, similiterque inter alios etiam cognatos. Euthymius gladium interpretatur Dei amorem; Gladium, inquit, vocat Christus dilectionem erga se, vtpote fideles ab infidelibus diuidentem. Cuius inexpugnabili virtute, ipsi quoque genere amicissimi, citius à mutua coniunctione sunt diuisi, faciléque abstracti, &c. Theophylactus gladio significari putat verbum Dei, & D. Hilarius, & Auctor imperfecti. Acutus quidem gladius est, Dei amor, & verbum Dei. Sed hic locus non videtur de amore, vel verbo Dei exponendus, sed potius de separationibus, quæ legis nouæ occasione sunt exortæ. Significat gladius diuisionẽ, & separationem. Gladij enim est diuidere. Vnde sequitur: *Veni enim separare hominem aduersus Patrem suum*; hominem, inquam, fidelem aduersus Patrem infidelẽ, &c. Græcè veni, διχάσαι, id est, diuidere veluti gladio, hominem aduersus patrem suum, &c. Lege Tertulliani Scorpiacum, cap. 8. & 9. &c.

Bellum bonũ missum, vt rumperetur pax mala.

Gladius verbum Dei esse acutum.

Matth. 10.

INIMICI *hominis domestici eius.* Sumpta sunt hæc verba ex Michæa Propheta, *Filius* (inquit) *contumeliam facit patri, & filia consurgit aduersus matrem suam, nurus aduersus socrum suam, & inimici hominis domestici eius, &c.* Domestici à fide Christiana abhorrentes, inimici erant iis, qui fidem complectebantur. Ideóque fideles ab infidelibus diuidebantur.

Matth. 10. Mich. 7.

QVI *amat Patrem, aut matrem plusquam me, &c.* Ex toto corde diligendus est Deus, & rebus omnibus anteponendus. seruandus in caritate ordo. Infra Deum reliqua omnia sunt amanda. *Ordinauit in me caritatem.* D. Hieronym. Matth. 10. Hic ordo in omni affectu necessarius est. Ama post Deum, patrem, ama matrem, ama filios. Si autem necessitas venerit, vt amor parentum, ac filiorum, Dei amori comparetur, & non possit vtrumq; seruari, odium in suos, pietas in Deum est. Non ergo prohibuit Christus amare patrem, aut matrem. Sed addidit: *Qui amat patrem aut matrem plusquam me.* hæc Hieronymus. *Non est me dignus,* (ait Dominus) hoc est, non est dignus, qui me sequatur, qui discipulus meus sit, non est dignus, qui in cælesti beatitudine me perfruatur.

Matth. 10. Ordo caritatis seruandus. Cant. 2.

Odium in suos, pietas in Deũ est, quando vtrumq; seruari non potest.

QVI *non accipit crucem suam.* Quales esse debeant Discipuli ostendit Dominus, nimirum, qui Deum rebus omnibus creatis, etiam carissimis, anteferant, prætereà qui ad mortem, etiam crucis, subeundam sint parati. Accipere crucẽ est ad mortem crucis perferendam paratum esse. solebant enim, qui in crucem agebantur, crucem accipere, ac ferre. Chrysostom. Non ad mortem, inquit, simpliciter paratos esse iubet Dominus, sed ad mortem etiam violentam. Nec ad violentam solùm, verùm etiam ad maximè omnium exprobabilem, &c. Auctor imperf. Crucẽ suam tollit, qui paratus est ad omne periculum propter Deum, si necessarium fuerit, vsque ad mortem; magis quàm relinquere Christum, &c. Theophylactus: Quisquis non renunciauerit vitę, & tradiderit se in mortem contemptibilem, non est me dignus, &c.

Matth. 10.

Accipere crucem quid sit.

Chrysost.

Alij cruce volunt significari carnis maceratio-nem, siue proximi compassionem. Beda; Accipere crucem, est post Dominũ ire, est abstinentiam carnis, vel compassionem proximi, æternæ beatitudinis studio exhibere, &c. Eandem interpretationem habet gloss. interlin. In ordinaria sic leges: Crux duobus modis portatur; vel cùm per abstinentiam corpus afficitur, vel cùm per compassionẽ proximi animus affligitur. Peccata proximorum frixorium sunt Sanctorum, &c. Eodem modo interpretatur D. Gregorius, homilia 32. in Euangelia. D. Hilarius in Matthæum, eos crucem ait accipere, qui corpus crucifixerunt cũ vitiis, & concupiscentiis. Euthymius; Crucem (inquit) vocat Christus mortem ad ea quæ mundi sunt. quia mortis instrumentum erat crux. oportet enim eum, qui Christum sequitur, mortuum esse ad mundanas voluptates, &c. Similiter exponit Diuus Hieronymus Matth. 16. Vterque sensus est amplectendus, sed prior præferendus.

Crux carnis maceratio.

Crux duobus modis portatur.

QVI *inuenit animam suam, perdet eam.* De vita pro Deo amittẽda, & cruce subeunda loquitur. Is dicitur *inuenire.*

Matth. 10. Quid est animam inuenire.

dicitur animam, id est, vitam inuenire, qui vitam negando, conseruat, neque morti pro Christo tradit, cùm ad martyriũ vocatur. Is dicitur animam, id est, vitam perdere, siue amittere, qui mortem oppetit. At verò qui perdit vitam, Christum confitendo, vitam inuenit: qui inuenit vitam Christum negando, vitam perdit. est sensus. Qui inuenit, & sua opinione lucratur vitam suam, fidem abnegando; perdet eam. videlicet, quia sempiternis cruciatibus mancipabitur. Qui verò perdiderit vitam confidendo fidem, is eam in cœlesti gloria sempiternam inueniet. Tertullianus in Scorpiaco, ca. 11. Animam, ait, ille inuenit, qui negarit lucrifaciendo vitam; sed perdet in gehennam, qui se putat in negando lucrifacere eam. Perdet autem eam ad præsens, qui confessus occiditur, sed inuenturus eam in vitam æternam, &c.

Matth. 10. QVI *recipit vos, me recipit.* Suprà de supplicio eorum verba fecit, qui Apostolos repellerent. Nunc de prẽmio illorum loquitur, qui eosdem exceperint: *Qui vos* (inquit) *recipit, me recipit,* in vobis. Nam in legatis is recipitur, qui misit illos. Apostoli autem legati Christi erant; iuxta illud, *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, &c.* Excipiendi igitur sunt Euangelij concionatores magna cum beneuolẽtia, & alacritate, in quibus Deus ipse excipitur. Vide quo affectu Galatę Paulum exceperint, *Testimonium vobis perhibeo, quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi.* Item: *Non me respuistis, sed sicut Angelum Dei excepistis me, sicut Christum* IESVM, *&c.* Et de Thessalonicensibus, *Cùm accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non vt verbum hominum, sed sicut est verè, verbum Dei, &c.*

Præmium eorum qui Apostolos receperint.

Gal. 4.

1. Thes. 2.

Matth. 10. QVI *recipit prophetam, in nomine prophetæ.* Docet Dominus Apostolorũ receptores, participes fore præmij illorum. Qui, inquit, prophetam, vel iustum, vel discipulum receperit, in nomine Prophetæ, vel iusti, vel discipuli, hoc est, quia propheta nominatur, & est, vel iustus, vel discipulus meus: præmij prophetæ, vel iusti, vel discipuli, particeps erit. Iuuat enim illum, ad euangelizandum, vt D. Greg. ait hom. 20. in Euangel. Significat (ait Chrysostomus) ne alia de causa sæculari, neque propter has caducas, mortalésque res, sed solùm quia propheta, vel iustus sit, suscipiat, tunc enim mercedem prophetæ, vel iusti accipiet, &c. Propheta hoc loco Euangelij doctorem videtur significare.

Chrysost.

Euthymius duplicem affert interpretationem. Mercedem prophetæ, vel iusti, vel discipuli accipiet, id est, tantam mercedem accipiet, quantam ipse iustus, vel propheta, vel discipulus, accipit, æqualis erit ipsi in præmio. Iuxta illud, *Æqua pars erit descendentis in prælium, & remanentis ad sarcinas, &c.* Vel *Mercedem prophetæ accipiet*; hoc est, propheta erit, & Euangelij doctor. Item: Mercedem iusti accipiet, id est, erit iustus. Euthymius: Vel quòd æqualibus cum his honoribus dignus habebitur. Nam magna res est hospitalitas, & præcipuè si Dei sint cultores, qui excipiuntur. Aut, quòd dicendo; *Mercedem prophetæ, & iusti*; ostenderit discipulos, & prophetas, & iustos futuros, &c. Aliter, receptor prophetæ, mercedem prophetæ, vel iusti, id est, mercedem à propheta, vel iusto, accipiet. Non gratis, & sine commodo illi sua donabit. Nam recipiet ab illo Euangelicam doctrinam, quæ omnem superat mercedem. vel recipiet orationem; Deum enim pro hospite precabitur iustus. recipiet bona & vtilia cõsilia. Vel potiùs, recipiet à Deo hospitij mercedem: vt supra dictum est.

1. Reg. 30. Quid sit mercedem iusti, vel prophetæ accipere.

Matth. 10. QVICVMQVE *potum dederit.* Ne minimum quidem beneficium in discipulos collatum, suo præmio carere indicat Dominus. Quid minùs offerri potest, quàm frigidæ aquæ calix? qui minimo hoc dono discipulum Christi affecerit, hac ratione, quia Christi discipulus est, amplo à Christo donabitur præmio.

Etiam minima remunerat Deus.

ET *exeuntes prædicabant, vt pœnitentiam agerent.* Audito Domino, ac magistro, acceptisque mandatis, ad prædicãdum profecti sunt Apostoli, vt Marcus docet cap. 6. prædicabant autem regnum cœlorum appropinquare, pœnitentiæ viam, quæ in illud ducit, ostendebant, doctrinam verò miraculis confirmabant. *Egressi* (ait D. Lucas) *circuibant per castella euangelizantes, & curantes vbique, &c. Et vngebant* (ait Marcus) *oleo multos ægros, & sanabant.*

Marci 6.

Luc. 9.

Marci 6.

Dubitatio hinc exoritur; Num vnctio hęc Sacramentum fuerit illud, quod extrema vnctio appellatur? Discrepantes enim sunt doctorum sententiæ. Euthymius: De vnctione, ait, olei, solus Marcus loquitur. Admonet autem & de hoc Iacobus dicens; *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmũ, & alleuiabit eum Dominus.* Verisimile est autem, Dominum etiam docuisse Apostolos, &c. Sic Euthymius. Existimat ille hanc vnctionem eam esse, de qua Iacobus loquitur. Iacobus autẽ de Sacramento loquitur extremæ vnctionis: ergo hæc Sacramentum erat. Eodem modo loquitur Theophylactus, & Beda, Marci 6. & Iacobi 5. Dionysius Carthusianus. Ex hoc, ait, elicitur, quòd extrema vnctio infirmorum, fuit ante passionem instituta à Christo, &c. Idem sentit Thomas Vualdensis 4. d. 23. Alphonsus à Castro de hæres. & Maldonatus Mar. 6. Respondetur cum Concilio Tridentino Sess. 14. insinuatum fuisse Sacramentum extremæ vnctionis Marci 6. cum Apostoli ægros inungebant oleo. Per Iacobum verò cap. 5. fidelibus commendatum, & promulgatum, à Christo autem institutum. Non ergo erat hæc vnctio Sacramentum, sed Sacramenti insinuatio quædam, vt Concilium asserit, quæ sententia est Iansenij, Bellarmini, Toleti in Lucam, Soti, & aliorum.

An vnctio illa, qua Apostoli in missione vsi sunt, fuerit Sacramentum? Iacobi 5.

Sacramentum vnctionis hic insinuatum nõ traditum.

CAPVT XV.

Morale.

De Missione Apostolorum.

HOS *duodecim misit.* Apostolos Christus misit. Missi verò, vt Lucas ait, *circuibant per castella*, id est, pagos, *euangelizantes, & curantes vbique.* Hoc est Apostolici concionatoris munus, circuire ciuitates, & pagos, euangelizare, animósque curare vbique. Huius rei exemplum est Christus, de Christo enim Matthæus sic scribit; *Circuibat Iesus omnes ciuitates, & castella, docens in synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni, & curans omnem languorem.* Theophylactus Mar. 6. Non in solis (inquit) ciuitatibus docebat Dominus; sed & in vicis, vt nos discamus paruas non despicere, nec semper magnas quærere ciuitates, sed & in contemptis oppidulis prædicemus, &c. Solem alterum oportet esse concionatorem Apostolicum. Videlicet, quemadmodum sol non vno stat loco, sed omnes ciuitates, omnes pagos, omnia loca, tã celsa quàm infima, luce collustrat sua: sic ardens concionator, non vno tantùm stat oppido, sed multis ciuitatibus, oppidis, pagisq; etiam ignobilibus, doctrinæ suæ splendorem diffundit. *Cursum cõsummaui*, ait sol ille orbis Paulus. Pauli enim vita cursus solis fuit peragrantis mundum, id quod de reliquis quoque Apostolis intelligendum est. Cursus (ait Chrysostomus homil. 9. in epist.

Matth. 10. Luc. 9.

Matth. 9.

2. Tim. 4.

epist. citatam) sole purior est, quem Paulus currebat in terra, plusque illustrabat orbem, quàm Solis iubar, &c. ait Dominus: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum, &c.* Clama, ait, ne cesses. Nec cessat à cursu sol, nec cessat à cursu concionator. percurrat oppida, percurrat pagos, exaltet vocem, & multò exaltet magis vitam. Tunc enim vox scelera poterit populo annunciare, cum vita nullum concionatoris vitium annuntiauerit.

Isaiæ 58.

Caueat concionator, ne tubæ illi similis sit, de qua dicitur; *Buccinate in Neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestræ.* Ne velit in insigni tantùm ciuitate, vel in insigni tantùm solemnitatis die audiri: omnium dierum, omniúmque oppidorum, concionator sit, qui Apostolos, Christumque imitari vult, illúdque Pauli animo sæpe voluat, *Prædica verbum, insta opportunè, importunè, &c.*

Psal. 80. Concionator non in celebri tantum ciuitate, sed in pagis etiam concionari debet. 2. Tim. 4.

Lege quæso quid fecerit Rex Iosaphat, *Tertio anno regni sui, misit de principibus suis, vt docerent in ciuitatibus Iudæ; & cum eis Leuitas, & cum eis Elisama, & Ioram sacerdotes, docebantque populum in Iuda, habentes librum legis Domini; & circuibant cunctas vrbes Iuda, atque erudiebant populum, &c.* Faxit Deus vt sæpius huiusmodi à concionatoribus suscipiantur missiones ad erudiendum populum, cælestiumque rerum amore inflammandum.

Rex Iosaphat cupit doceri populum. 2. Par. 17.

Obserua à Christo missos Apostolos, non à se: oportet enim concionatorē à Christi vicario Pontifice mitti, facultatémque impetrare concionandi. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Isaias, *Ecce ego; mitte me.* Et dixit Dominus: *Vade.* Ipsi quoque Apostoli à missione nomen inuenerūt. Apostolus enim significat missum. *Vas electionis est mihi iste,* de Paulo ait Dominus, *Vt portet nomen meum, &c.* Et Paulus, *sicut,* inquit, *probati sumus à Deo, vt crederetur nobis Euangelium, &c.* Non ipsi à nobis (ait Theodoretus eodem loco) electi doctores sumus constituti: sed à Deo creditum est nobis Euangelium, &c. Contrà, hæretici docent, zizaniáque sua spargunt non missi, similes pseudoprophetis, de quibus dicitur; *Non mittebam prophetas, & ipsi currebant, non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant, &c.*

Concionator mittendus. Rom. 10. Isaiæ 6. Act. 9. 1. Thes. 2.

Hæretici nō mittuntur, & docēt non missi. Iere. 23. Luc. 9.

Nihil *tuleritis in via.* Vide quales concionatores miserit Christus; expeditissimos, & ad percurrendum orbem paratissimos. Exonerat eos curis, & cupiditatibus. neque pecuniam, neq; peram, aut panem ferre permittit. Cælestia prædicabant; terrena contemnebant, & contemnenda exemplo docebant. Euthymius; Quia, inquit, regnum cælorum annunciabant Apostoli, oportebat eos quasi Angelos de cælo descendentes, leues, ac expeditos incedere; Omni terrena cura liberos, & solùm ad ministerium sibi commissum respicientes, &c.

Concionatorem exemplo oportet docere. Si terrena despectui habenda docet, despectui ipse habeat. Auaritiam verò maximè fugiat, pecuniæ cupiditatem longè pellat à corde. D. Bonauentura Luc. 9. Prædicator, inquit, veritatis, super omnia vitare debet vitiū cupiditatis. Alioqui nō erit prædicator veritatis, sed adulator, &c. de pseudoprophetis à se ipsis missis, ait D. Petrus; *In auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur, &c.* Item: *Cor exercitatū auaritia habentes, maledictionis filij, derelinquentes rectam viam erranerunt, secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amauit, &c. Principes eius in muneribus iudicabant, & sacerdotes eius in mercede docebant, & prophetæ eius in pecunia diuinabant, &c.* At Paulus à Deo missus. *Loquimur* inquit, *non quasi hominibus placētes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione auaritiæ. Deus testis est, neque quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab alijs, &c.*

Exemplum concionatoris.

Concionator fugere debet auaritiam. 2. Pet. 2.

Mich. 3.

1. Thes. 2.

Hic verò terrenorum bonorum contemptus, concionatoribus populum maximè conciliat, & auditoribus persuadet. Quamobrem Simon Cassianus lib. 9. capit. 18. Audacter, inquit, dixerim, quòd neque in miraculis Apostoli sæculo ita mirabiles apparuerunt, sicut in contemptu rerum. Neque in efficacia verbi tam homines commouerūt, ad nouitatem vitæ, siue doctrinæ, ad præstandum fidem dictis, sicut à visibilibus, & communiter appetibilibus, tota libertas. In hoc solo peramplius cogniti fuerūt esse diuini, & cælestes, & creditum est aliam esse vitam, quò istam verbis & moribus despexerunt. In hoc auditores non poterant deceptionis calumniam inuenire, aut ipsos iudicare fallidicos; si de hoc sæculo, excepta necessitate iure naturæ, iure viuēdi, quæ omnibus conuenit, nihil aliud capiebant, &c. Chrysostomus hom. 47. in Matthæum: Magnos Apostolos efficit, verus ac non simulatus gloriæ atque pecuniæ contemptus. Et quoniam nullam sæcularium harum rerum omnino curam habebant. Nam nisi hoc habuissent, si passionibus veluti nos seruissent, etiam si à morte innumeros homines suscitassent, non solùm nihil vtilitatis fecissent, verùm etiam deceptorum nomen non effugissent. Viuendi ergo disciplina est, quæ vbique fulget, &c.

Mundi contemptus auditorum benenolentiam conciliat, & persuadet.

Simon Cassianus.

Virtus auditores mouet.

Chrysost.

Nolite *possidere aurū, &c.* D. Antoninus 1. par. tit. 5. §. 10. moraliter interpretatur: *Nolite possidere aurum,* id est, mundanam sapientiam; *neque argentum,* id est, vanam eloquentiam. Beda etiam aurum sæcularis sapientiæ sensum interpretatur, argentum rhetoricæ artis facundiam. Concionatori enim Apostolico sapientia inanis, inaníque eloquentia fugienda est, solida tamen sapientia, solidáque, & viro Euangelico digna eloquentia complectēda, qualem Scripturarum sanctarum esse iudicat Augustinus lib. 4. de doctrina Christ. cap. 6. de auctoribus loquens. Vbi eos, inquit, intelligo, non solùm nihil eis sapientius, verum etiam nihil eloquentius mihi videri potest. Et audeo dicere, omnes qui rectè intelligūt, quod illi loquuntur, simul intelligere, non eos aliter loqui debuisse. Sicut est enim quædam eloquentia, quæ magis ætatem iuuenilem decet, est quæ senilem: nec iam dicenda est eloquentia, si personæ non congruat eloquentia. Ita est quædam, quæ viros summa auctoritate dignissimos, planéque diuinos decet, hac illi locuti sunt. Nec ipsos decet alia, nec alios ipsa. Ipsis enim congruit. Alios autē quantò videtur humilior, tantò altius, non ventositate, sed soliditate transcendit, &c. Quærenda est viro Apostolico huiusmodi eloquentia, quærenda sapientia, quæ non ventositatem habeat, sed soliditatem. Quid prodest clauis aurea (ait Augustin. eiusdem libri cap. 11.) si aperire quod volumus non potest? aut quid obest lignea, si hoc potest? &c. Quid, inquā, prodest verbis splendens eloquentia, si veritatem, si cor hominis Deo aperire nequit? Præstantior erit lignea clauis, hoc est, non adeò accurata, sed ardens dictio, si hoc efficere valet.

Matth. 10.

Auri mundana sapiētia, argentū mundana eloquentia.

Scriptura eloquens quomodo.

Eloquentia personæ congruat loquentis.

Augustin.

Concitatum ego, grande, affectibúsque violentum dicendi genus in concionatore amo, ac requiro. Quod his verbis idem Augustinus describit, cap. 20. Grande, inquit, dicendi genus, hoc maximè distat à temperato, quòd non tam verborum ornatibus comptum est, quàm violentum animi affectibus. Nam capit etiam illa ornamēta ferè omnia. Sed ea si non habuerit, non requirit. Fertur quippè impetu suo, & elocutionis pulchritudinem, si occurrerit, vi rerum rapit, non cura decoris assumit. Satis enim

Concitatum dicendi genus affectibusq; violentum amplectendum concionatori.

enim est ei, propter quod agitur, vt verba congruentia non oris eligantur industria, sed pectoris sequantur ardorem, &c. Quantam verò habeat vim, cap.24.docet; Grande, ait, genus plerumq; pondere suo voces, id est, acclamationes, premit: sed lachrymas exprimit, &c. Exemplum adiungit suum.

Exemplum Augustini.

Nam apud Cæsaream Mauritaniæ, cùm hoc vsus esset eloquentiæ genere, vt pugnam quandam dissuaderet populo, motum, fletumque attulit, ac persuasit. Egi (inquit) granditer, non tamen egisse aliquid me putaui, cùm eos audirem acclamantes, sed cùm flentes viderem. Quod vbi aspexi, immanem illam consuetudinem deuictam credidi, &c. Addit; Sunt & alia multa experimenta, quibus didicimus, homines quid in eis fecerit sapientis granditas dictionis, non clamore potiùs, quam gemitu, aliquando etiã lachrymis, postremò vitæ mutatione monstrasse, &c. Hæc Augustinus. Hanc igitur sapientis dictionis granditatem expetat, assequique conetur concionator. Neque se aliquid egisse putet, cùm audierit auditores laudantes; sed cùm viderit flentes, & vitam mutantes.

Lucæ 9.

NEQVE *duas tunicas habeatis.* Illud, *neque duas tunicas*, exponit Augustinus libro 2. de consensu Euang. cap. 30. de duplicitate animi. Ne induerentur (ait) duabus tunicis; quid eos monet, nisi nõ dupliciter, sed simpliciter ambulare? &c. Is qui intus dolis, vel nequitia indutus est, foris verò veritatis probitatisque specie amictus, duabus induitur tunicis. Qui verò tam intus, quàm foris, veritate, sanctitatéque est vestitus, is vnicam tantùm habet sanctitatis tunicam, eámq; splendidissimam. Hac alba tunica indutus suggestũ ascendat concionator, illa ornatus maximè persuadebit. Iuxta illud Augustini lib. 4. de doct. Christ. ca. 27. Habet, inquit, vt obedienter audiatur, quantacumque granditate dictionis, maius pondus vita dicentis, &c.

Simplicitas.

Vita dicẽtis maius pondus habet quàm verba.

Matth. 10.

NEQVE *pecuniam in zonis vestris: non peram, &c.* Non ferendam peram interpretatur Beda, onera sæculi non portanda. Est enim mũdi pera gravis, magnique ponderis. D. Hilarius; Admonemur (ait) nec peram habere in via: curam scilicet sæcularis substantiæ relinquendam. Quia omnis thesaurus in terra pernicioſus est cordi illic futuro, vbi condatur thesaurus, &c. *Pecuniam in zonis*, sapientiam occultatam esse ait Beda, proximo nõ impertitam. Debet concionator pecuniam suam, id est, doctrinam, proximis impertiri, non ligare in sudario, aut in zona habere, ne illud audiat. *Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cum vsuris vtique exegissem illam?* In quem locum Beda sic scribit: Pecunia & argentum, Euangelij prædicatio est, & sermo diuinus. qui dari debuit ad mensam, hoc est, promptis, paratisq; fidelium cordibus intimari, &c. Concionator pecuniam Christi dat auditoribus; Christus vsuras exigit pecuniæ, id est, doctrinæ, videlicet opera. *Ego* (inquit) *veniens cum vsuris exegissem illam.* Beda: Qui (inquit) verbi pecuniam à doctore percipit, emitq; credendo, necesse est, eam cum vsuris soluat operando. Vt quod auditu didicit, sequatur & actu, &c.

Sæculi pera non ferẽda.

Doctrina & sapientia populo impertienda.

Luc. 9.

Ibidem.

Deus cũ vsuris doctrinam requirit.

Marci 6.

CALCEATOS *sandaliis.* De sandaliis Augustinus, libro 2. de consens. Euang. cap. 30. Marcus (inquit) dicendo calceari eos sandaliis siue soleis, aliquid hoc calceamentum mysticæ significationis habere admonet. Vt pes neque tectus sit desuper, neq; nudus ad terram, id est, non occultetur Euangelium, nec terrenis commodis innitatur, &c. Pedes animi affectus sunt, affectibus enim animus mouetur. hos autem pedes indui oportet sandaliis siue soleis. ita vt ex parte superiori nudi sint, cælumque semper respiciant, ex parte verò inferiori sint tecti, ne à terrenis sordibus inquinentur.

Animi pedes, id est, affectus terra non tangant, cælo aperti sint.

NEQVE *virgam.* Deniq; non est portanda virga, id est, præsidium carnis, vt exponit Beda, & D. Hieronymus; Docet, inquit, Dominus, non habere virgam, quæ vertatur in colubrum, neque in aliquo præsidio carnis inniti. Quia huiusmodi virga, & baculus arundineus est, quem si paululum presseris, frangitur, & manum transforat incumbentis, &c.

Matt. 10. & Luc. 9.

Baculus arundineus carnis præsidium.

SPIRITVS *Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Loquitur per concionatorem Spiritus sanctus, vt docet Augustinus, lib. 4. de doct. Christ. ca. 15. Si loquitur (inquit) in eis Spiritus sanctus, qui persequentibus traduntur pro Christo, cur non & in eis, qui tradunt discentibus Christum? &c.

Loquitur Sp. S. per concionatorem. Matth. 10.

GRATIS *date.* Is concionator gratis diuina verba nõ dat, qui ab auditoribus inanem gloriam aucupatur. Audi Gregorium hom. 4. in Euangelia. Cuncta, inquit, gratis agite. Nolite operis vestri in hoc mundo retributionem quærere, quem cum tanta iam cernitis velocitate defecisse. Sicut malè acta abscondi vultis, ne alij videant, ita bona, ne ad humanam laudem appareant, cauete. Neque mala quoquomodo; neque bona pro temporali retributione faciatis. Ipsum vestri operis testem quærite, quem iudicem sustinetis, &c.

Matth. 10.

Gratis danda concionatore inani gloriæ mercede, &c.

QVOD *dico vobis in tenebris, dicite in lumine.* Bonus concionator ea docet publice, quæ priuatim à Domino audit, cum orationi, rerumq; æternarum meditationi vacat, cùm studio Scripturarũ incumbit, cùm antiquos Patres noctu, diuq; voluit. Quod à Deo, Scripturis, & Patribus haurit, id effundit, quod in aure audit, prædicat super tecta. Oret igitur, res æternas meditetur Scripturarum, Patrumque lectioni diligenter vacet; hinc solidam illam, de qua diximus sapientiã discat, quam doceat. Sapientia enim solida ex Scripturis hauritur diuinis, vt Augustinus ait, lib. 4. de doct. Christ. capit. 5. his verbis. Sapienter dicit homo, tantò magis vel minùs, quantò in Scripturis sanctis magis minúsve profecit. Non dico in eis multùm legendis, memoriáque mandandis, sed bene intelligendis, & diligenter earum sensibus indagandis, &c. D. Gregor. hom. 6. in Ezechielem hæc verba: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine*: sic exponit, Aperte exponite, quæ in allegoriarum obscuritatibus audistis. Cùm enim mysticos allegoriarum nodos per explanationem soluimus, in lumine dicimus, quod in tenebris audiuimus. Sic ille.

Matth. 10.

Cõcionator meditationi, lectioni & vacet.

Solida Sapientia hauritur ex scripturis & Patribus. D. Greg.

POTEST *& animam, & corpus perdere in gehennam.* Vt malũ timeatur, opus est vt videatur. Malum enim, quod non videtur, non timetur. Si vis maximum timere malum, id est, gehennam, necesse est vt ipsam videas. Corporis oculis videre nõ potes; oculis animi potes. Igitur sæpius in tartarum descende, dum viuis, ne descẽdas, postquàm vitam amiseris. Propone sæpè ante oculos animi horrendas illas flammas, horrendos socios, horrendos cruciatus, horrendam tormentorum æternitatem. Si attentè hæc inspexeris, sanè non timebis homines, timebis Deum, *qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam*, timebis peccatum, quod in gehennam trahit. Chrysostomus homilia 5. ad populum: Quemadmodum, inquit, in corporibus quando duo dolores nos oppresserint, inferiorem potentior absondere cõsueuit: sic & nunc factum esset: si futuri supplicij timor in anima remansisset, omnem timorem humanum obscurasset. Itaque si quis gehennæ semper meminisse laboret, omnem mortem deridebit; & non præsenti tantùm angustia liberabitur, sed & ab illa flamma eripietur. Gehennam enim continuè timens, numquam in gehennæ

Matth. 10.

Gehẽna timenda, vt timeatur, mentis oculis cernenda.

Chrysost.

gehennæ ignem decidet, continuè hoc castigatus metu, &c.

Matth. 10. Timemus non timenda, non timemus timenda, vt pueri. Chrysost.

Nolite timere eos, qui occidunt corpus, ait Dominus, sed timete eum, qui ignibus gehennæ vos potest tradere. At nos contra, mortem, ignominiam, paupertatem, cæteráque huiusmodi timemus, peccatum verò & gehennæ ignem non formidamus, pueris similes, vt Chrysostomus eadem homilia 5. docet. Pueri (inquit) parui laruas quidem timent, ignem verò non timent: sed si ad lucernam lumen habentem portari contingat, inconsideratè manum immittunt lucernæ, & flammæ. Sic quidem, & nos timemus mortem, quæ est larua contemptu digna; peccatum verò nō timemus, quod est verè timendum, & ignis more conscientiam comedit, &c.

August.

Augustinus serm. 18. de verbis Apostoli, Timet, inquit, B homo carcerem, & non timet gehennā, timet cruciatum temporalem, & non timet pœnas ignis æterni; timet ad modicum mori, & non timet in æternum mori, &c. Discamus ergo timere, ne timeamus non timenda, scilicet, mortem, ignominiam, & quæ velocem finem habent, mala timeamus timenda, videlicet peccatum, quique finem non habet ignem.

Qui timet, effugit; qui nō timet, in mala incidit. Prædixit Moses Ægyptiis venturum malum, videlicet, mirabilem grandinem. qui timuerūt, malum effugerunt, qui neglexerunt, in illud inciderunt.

Exodi 9. Qui timēt, effugerunt supplicia, qui negligunt, non effugiunt.

Qui timuit verbum Domini de seruis Pharaonis, fecit confugere seruos suos, & iumenta in domos. Qui autem neglexit sermonem Domini, dimisit seruos suos, & iumenta in agris. Deinde subiungitur; *Dominus dedit tonitrua, & grandinem, ac discurrentia fulgura super terram, pluitq; Dominus grandinem super terram Ægypti, & grando & ignis mixta pariter ferebantur. Et percussit grando in omni terra Ægypti cuncta quæ fuerunt in agris, ab homine vsque ad iumentum, &c.* Id ipsum nunc contingit. Prædixit grauissimum malum Christus, videlicet gehennam. Qui negligunt, in illam incidunt: qui timent, effugiunt. iuxta illud Chrysostomi supra citatum; Gehennam continuè timens, nunquam in gehennæ ignem decidet, continuè hoc castigatus metu, &c.

Peccator animæ suam occidit.

Animam non possunt occidere tyranni, vt ait Dominus, in solum corpus furorem promunt. At homo tyrannis ferocior, quod tyranni facere non D possunt, ipse facit, animam suam peccati gladio occidit. Nullo enim alio ferro potest illa interimi. tolle peccatum, viuet anima; peccatum committe, moritur. Noli tyrannis esse sæuior. Noli animam

August.

occidere, vel tuam, vel alterius. Augustinus serm. 18. citato. Ecce quem times, & sub cuius comminationibus expalleſcis, non potest occidere animam tuam. Vsque ad corpus sæuit. Tu noli sæuire in animam tuam. Ab illo occidi non potest, à te potest, non lancea, sed lingua, &c. Occidi autem dicitur anima, cùm vita sua, id est, Deo priuatur. Vita corporis anima est (ait Augustinus eodem loco) vitæ animæ Deus est, &c.

Matth. 10. Prouidentia Dei etiam in minima.

NONNE *duo passeres asse væneunt?* Terræ reges res E maioris momenti curant, quæ minoris ponderis sunt, aliis curandas relinquunt. At cæli, terrarúmque omnium rex Deus, tàm maximarum, quàm minimarum rerum curā habet. Non solùm curam habet cælorum, terræ, maris, aëris, ignis, regum, hominúmq; cæterorum, leonum, & reliquorum animalium ratione carentium; verùm etiam ad minimos passer culos, ad tenuissimos vsque capillos, illius protenditur prouidentia. Absque illius voluntate, atque prouidentia, in laqueum non cadit passerculus; capillos nostros in numerato ha-

Matth. 10.

bet. *Nonne* (inquit) *duo passeres asse væneunt? & vnus ex illis non cadet super terram sine patre vestro. Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt.* Attamen quamuis rerum omnium etiam minimarum curam habeat, hominis habet peculiarem, ac præcipuam, quòd indicat Paulus, cùm ait; *Numquid de bobus cura est Deo?* Non omnem de bobus curam Dei negat, sed peculiarem, qualis ea est qua homines prosequitur. Inter homines verò de iustis, virtutéque præclaris, est solicitus, iuxta illud, *Ego mēdicus sum, & pauper, Dominus solicitus est mei, &c.* Hæc Dei cura & solicitudo iustorum animos consolatur, roborat, & spe extollit. *Timentis Dominum beata est anima eius. Ad quem respicit, & quis est fortitudo eius? Oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegumen ardoris, & vmbraculum meridiani, deprecatio offensionis, & adiutorium casus. exaltans animam, & illuminans oculos, dans sanitatem, & vitam, & benedictionem, &c.* Hinc illud, *Et si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala; quoniam tu mecum es. Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Item; *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* Et alia similia.

Hominis peculiaris prouidentia. 1. Cor. 9.

Psal. 39.

Eccli. 34.

Psal. 22.

Hilar.

Diuus Hilarius animam, & corpus, duos passeres interpretatur, quos improbi homines asse, id est, modica voluptate, diabolo vendunt. Quod venditur, (ait Hilarius) corpus, atque anima est, & cui venditur, peccatum est. Qui duos passeres asse vendunt, se ipsos peccato minimo vendunt, natos ad volandum, & ad cælum pennis spiritalibus oforendos. Sed capti pretiis præsentium voluptatum, & ad luxum sæculi vænales, totos se talibus C auctionibus nundinantur. Tertullianus quoque in libro contra Gnosticos, capit. 9. duos passeres animam & corpus significare putat. Nec passerum (inquit) alter in terram cadit, id est, nec caro, aut anima, &c.

Asse venditi corpus & animam diabolo impij, tanquā duos passeres.

Pax mundi & amicitia pernicioſa. Matth. 10.

NON *veni pacem mittere, sed gladium.* Est pax quædam mundi, & amicitia pernicioſa, quæ criminum occasio est, vel causa; hanc dissoluere oportet diuini verbi gladio. Non habet (ait D. Leo serm. 6. de Nat. Domini) mundus amicitias veras, & multos facit peruerso amore concordes. Sunt etiam in vitiis pares animi, & similitudo desideriorum æqualitatem gignit affectuum, &c. Non bona pax erat inter primos Babylonicæ turris exædificatores, qui *Venite*, aiunt, *faciamus nobis ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum, & celebremus nomen nostrum, &c.* Varietate immissa linguarum, pacem non bonam Dominus benè dissoluit. Eodem capite legitur; *Et diuisit eos Dominus ex illo loco in diuersas terras: & cessauerunt ædificare ciuitatem, &c.* Similem in modum disturbanda est pax eorum, qui aliquid impium, vel aduersus Deum, vel aduersus proximum moliuntur. Linguarum varietas primos illos homines diuisit: eodem pacto post Christi aduentum linguarum dissimilitudo ac pugnantia, diuisit fideles ab infidelibus. fideles enim Christum, quem animo colebant, ore confitebantur Christianamque fidem loquebantur; infideles verò blasphemias iactabant.

Genes. 11.

Pax mala dissoluenda.

VENI *separare hominem, aduersus patrem suum, &c.* Quemadmodum ferro membra putrida à sanis separantur, sic Euangelij Dei gladio, fideles ab infidelibus seiungebantur. Seiungebantur ab infidelibus, & Christo coniungebantur, Chrysologus, serm. 164. Coniunctio, inquit, cælestis est in ista separatione terrena. Nemo potest connecti terræ, & coniungi cælo, &c. Hinc illud, *Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet rex decorem tuum, &c.* Ignis aurum à terra separat; sic Euangelij ignis aureos Christianos à terrenis Ethnicis ac Iudæis separauit; filiū à patre, filiam à matre, nurum à socru, &c. *Fortis est vt mors dilectio.* Vt mors filium à patre, filiam à matre, cognatos à cognatis, sic dilectio

Matth. 10. Separat euangelium.

Psal. 44.

Cant. 8.

Christi

Christi separat. D. Leo ser. citato: Pax spiritualium & Catholicorum, à supernis veniens, & ad superna perducens, cum amatoribus mundi nulla nos vult communione misceri, &c.

Matth. 10. Per amicos & domesticos euertere nos conatur hostis. D. Greg.

INIMICI *hominis domestici eius.* Per amicos domesticósque nostros, conatur nos euertere tartareus serpens, quemadmodum Adamum per domesticam vxorem suam Euam euertit. D. Gregorius lib. 3. Moralium, cap. 6. Vigilanter, inquit, debemus aspicere, quòd antiquus aduersarius, non solùm per semetipsum, sed per eos etiã, qui nobis adhærent, statum satagit nostræ mentis inclinare. Cùm enim cor nostrum sua persuasione non subruit, ad hoc per linguas adhærentium rapit, &c. Caue*ndi ergo sunt improbi amici, consanguinei, domestici, eorum suasiones, si à Dei præceptis dissentiant, non audiendæ; ne amoris vis aliquid suadeat mali. Nam hominis amor facilè suadet, & impetrat, quod postulat; nisi Dei multò maior amor vincat. Vnde Gregorius loco indicato: Callidus, ait, aduersarius, cùm in bonorum cordibus repelli se conspicit; eos qui ab illis valdè diliguntur, exquirit: & per eorum verba blandiens loquitur, qui plus ceteris amantur. Vt dum vis amoris cor perforat, facilè persuasionis eius gladius, ad intimæ rectitudinis munimina irrumpat, &c. *A filiis caue, & à domesticis tuis attende,* &c. Ierem. *Vnusquisque se à proximo suo custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam,* &c.

Hominis amor facilè suadet quod postulat.

Eccli. 32. Iere. 9.

Appetitus proprij fugiendi. Matth. 10.

Caue præterea maximè domesticos tuos, id est, appetitus effrænatos. De iis enim verè dicitur: *Inimici hominis domestici eius.* Quid domesticum magis est, quàm appetitus? quàm amor, odium, ira, inuidia, mœstitia, cupiditas? Quid inimicum magis? Caue igitur hos inimicos, fræna, cohibe, illorum suasiones ne audias. *Non veni pacem mittere,* ait Dominus, *sed gladium*; gladium igitur arripe, & aduersus has immanes feras dimica strenuè.

Ibid.

Matth. 10. Amor Dei supremũ in corde locum obtineat.

QVI *amat patrem aut matrem, plusquam me, non est me dignus.* Amoris diuini sublimitatem hæc verba ostendunt. Supremum enim in corde locum obtinet; ita vt creaturarum omnium dilectiones infra se habeat. Quid amabilius patre, matre, & filiis? At patris, matris, filiorumque amorem, superet necesse est amor Dei. *Qui amat,* inquit, *patrem aut matrem, plusquam me, non est me dignus. Et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.* Quid ipsa vita carius? at vitæ amorem opus est vt vincat amor Dei. *Qui,* inquit Dominus, *non accipit crucem suam, & sequitur me,* id est, qui ad subeundam crucis mortem, non est paratus; *non est me dignus.* Indignus planè amicitia creatoris est, qui aliquam creaturam maiori amore prosequitur. Hæc enim lex est amicitiæ huius: Vt amicus Dei nihil præponat Deo. Quemadmodum enim Deus natura creaturas omnes superat: ita erga Deum amor omnes creaturarum amores superare debet. Antiquus ille Pontifex, Israelitarum nomina in pectore & humeris; nomen autem Dei in capite ferebat. Exodi 28. Videlicet, quia Deo, eiusque amori supremus debetur locus. Quemadmodum oleum nullius aquæ copia demergitur, sed supernatat; sic Dei caritas, nullius creaturæ dilectione opprimi debet, sed omnes supernatare. De spiritu Domini, qui amor est, dicitur: *Spiritus Domini ferebatur super aquas*: eumdem in modũ, erga Deum amor, non infrà, sed super creaturarum omnium dilectiones fertur. Diuus Augustinus in libro 50. homiliarum, homilia 37. Primùm, inquit, dilige Deum, deinde te ipsum, post hæc, proximum sicut te ipsum, &c.

Ibid.

Ibid.

Indignus planè est amicitia Dei qui aliquid eo magis diligit.

Gen. 1.

Matth. 10.

QVI *non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Accipiunt martyres crucem suam, id est, subeunt mortem, & sequuntur, atque imitantur crucem Christi; ideóque digni sunt Christo; iuxta illud: *Deus tentauit eos, & inuenit eos dignos se.* Dignos, inquam, discipulos, dignos milites, dignos amicos, dignos honoribus, dignos Christi conspectu gloriáque sempiterna. Præterea inuenit eos digna se holocausta. Digniora sanè, quàm illa, quæ in templo Ierosolymitano offerebantur. Illa typus erant, hæc veritas. Holocausta digna Deo martyres sunt. *Tamquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos,* &c. Illud: *Sapientia immolauit victimas suas*; de martyribus exponit diuus Augustinus lib. 17. de ciuitate Dei, capite 20. in hunc sensum: Christus Dei sapientia immolauit victimas suas, id est, martyres.

Martyres digni sunt Christo. Sap. 3.

Ibid. Prou. 9.

QVI *perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.* De martyribus sermo est, qui vitam perdere, siue amittere videntur, cùm maximè inueniant. *Visi sunt oculis insipientium mori; illi autem sunt in pace. Etsi coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. In paucis vexati, in multis bene disponentur. Quoniam Deus tentauit eos, & inuenit eos dignos se,* &c. Ait Dominus: *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Quia verò martyres crucẽ acceperunt, id est, subierunt mortem, inuenit eos dignos se; dignos, inquam, qui ipsum possideant, qui ipso in gloria sempiterna perfruantur. Mirabile dictu; Inuenitur vita in morte: mors autem inuenitur in vita. Nam qui pro Christo moritur, is viuit; qui verò Christum negat, vt viuat, is moritur. Tertullianus aduersus Gnosticos cap. 5. Voluit, inquit, Deus mortem morte dissoluere; tormentis tormenta discutere; vitam auferendo conferre; carnem lædendo iuuare; animam cupiendo seruare, &c. Itaque qui vitam pro Christo amittit, vitam lucratur; qui vitam Christũ negando lucratur, vitam amittit. O miram negotiationem, in qua qui lucratur, amittit; qui verò amittit, lucratur. Tertullianus in libro ad Martyres: Si aliqua, inquit, amisistis vitæ gaudia; negotiatio est, aliquid amittere, vt maiora lucreris, &c. Ambr. 2. ad Cor. 12. Tunc vincit Christianus, cùm perdere putatur; & tunc perdit perfidia, cùm se vicisse gratulatur, &c.

Matth. 10.

Vita inuenitur in morte, & mors in vita.

Mira negotiatio, in qua is qui amittit, lucratur, & qui lucratur, amittit

Ecce ego mitto vos, ait Dominus, *sicut oues in medio luporum.* Si roges: Domine, nónne discipulos diligis? Si diligis, cur vt leones nõ mittis in medio ouium, siquidem potes: sed vt oues in medio luporum discerpendas? Respondebit Dominus: Quia diligo, sic mitto, vt in ipsis luporum dentibus atque vnguibus, vitam inueniant sempiternam. Hic optimus est vitæ vsus, si pro Christo morti offeratur; hic optimus mortis vsus, si pro Christo toleretur. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Pretiosa mors est, pretiosa tormenta, pretiosæ contumeliæ, quia æternæ vitæ sunt pretium. Pretiosa (ait Cyprianus epistola 11.) mors hæc est, quæ emit immortalitatem pretio sanguinis, &c. Plena sunt martyrum membra tormentis, plena morte: sed anima plena est immortalitate. Quia sciunt eum, qui animam pro Christo perdit, animam inuenire. *Etsi coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. In paucis vexati, in multis bene disponentur.* Pauca sunt tormenta omnia, pauci cruciatus, breuisque temporis. At multa sunt gaudia, multi honores, gloria longissimæ æternitatis.

Matth. 10.

Optimus vitæ vsus, si pro Christo morti offeratur. Psal. 115. Pretiosa mors sanctorum.

Sap. 3.

Melius est inuenire mortem; quàm inuenire vitam. Siquidem qui *inuenit animam*, id est, vitam suam, *perdet eam*; perdet, inquam, in sempiternum. Tormentorum sempiternitas, quæ effugitur, leuem efficit tormentorum breuitatem, quæ Christi causa toleratur; immortalitas quæ sequitur, dulcem

Matth. 10.

Sanguis martyris extinguit flammas orci.

cem efficit mortem,quæ præcedit. Sanguis enim martyrum tartareos extinguit rogos,æternámque parit coronam. Cyprianus epistola citata: Fluebat, inquit sanguis,qui flammas gehénę glorioso cruore sopiret, &c. Item epistola 56. Ne vereamur occidi quos constet quando occidimur,coronari, &c.

Est autem martyrum corona illustrissima, quia illustrissima est pugna. Cyprianus epistola vndecima: Creuit,inquit, pugna, creuit & pugnantium gloria, &c. Pugnant aduersus carnis illecebras virgines: pugnant aduersus hæreses, & ignorantiam errorémque doctores. Sed martyrum pugna creuit;creuit etiam pugnantium gloria illustriórque est corona. Diuus Cyprianus in libro de exhortatione martyrij: Martyrij inquit, inæstimabilis gloria, infinita mensura, immaculata victoria, inæstimabilis titulus,triumphus immensus,&c.

Martyris gloria maxima.

Mors scala vitæ.

Fecit Deus, vt mors scala esset vitæ; scala, inquam,similis illi,quàm in somnis Iacob vidit, Genes.28. Ascendebant per illam Angeli, & descendebant. Per hanc si descendere possent, & ascendere,mirum in modum exultarent. Pro Deo enim summo cum amore, & exultatione, si mortis capaces essent,tormenta omnia paterentur. Martyribus intuident(vt nostro loquamur more)quos cernunt pro Deo sanguinem,vitámque per summos cruciatus effundere. At non possunt per hanc scalam ascendere Angeli: ascendunt, & descendunt homines. Ad tolerandum cruciatus descendunt; ad sempiternam verò gloriam ascendunt. Descendunt corpore in sepulchrum;ascendunt mox animo in cælum. Innixus erat Deus scalæ Iacob; innixus etiam est scalæ martyrum; vt ascendentes beato excipiat complexu. Deniquedixit Iacob; *Non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli.* Martyri enim protinus domus Dei, & porta cæli reseratur. Vnde illud protomart. Stephani, *Ecce video cælosapertos*,&c.

Angeli si possent pro Deo occidi libenter offerrent millies vitam.

Martyrium porta cæli Gen. 28.

Act. 7. Matth. 10.

QVI *recipit prophetam, in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipit*. Indicat locus,quanti præmij sit, eos qui Euangelium disseminant, rebus eam in rem necessariis adiuuare. Qui enim Euangelij disseminatores iuuat,ipsius sementis, ac segetis particeps fit. Illi ad bellum pergunt; qui opitulatur, ad sarcinas manet, sed magnum præmium reportat. Qui enim recipit prophetam,& Euangelij concionatorem,in nomine prophetæ,mercedem prophetæ accipiet. Diuum Gregorium lege hom. 20. in Euangelia: Quid est, inquit, dicere Mercedem prophetæ accipiet; nisi quia is,qui prophetam sua largitate sustentat, quamuis ipse prophetiam non habeat, apud omnipotentem tamen Dominum prophetiæ præmia habebit? Propheta prophetiæ spiritu plenus est, sed corporeo eget alimento; & si corpus non reficitur, certum est, quod vox ipsa subtrahatur. Qui ergo alimentum prophetæ, propter hoc,quòd propheta est;distribuit: prophetiæ illius vires ad loquendum dedit. Cùm propheta ergo mercedem prophetæ recipiet, qui etsi spiritu prophetiæ plenus non fuit: hoc tamen ante Dei oculos exhibuit,quod adiuuit,&c. Item eadem homilia. Qui spiritalia dona habentibus, temporalia subsidia tribuit: in ipsis donis spiritalibus cooperator existit, &c. Item, *Qui recipit*, inquit, *prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet;* quia & si fructum vlmus non habet, vitem tamen cum fructibus portans, hæc ipsa sua efficit, quę bene sustentat, aliena, &c.

Euangelij satores qui adiuuant, magnũ præmium reportant D. Greg.

Matth. 10.

Illud quoque ad eleemosynam valde excitat: *Quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine discipuli; amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Diuus Augustinus serm. 62. de tempore: Quis, inquit, est qui possit se excusare, cùm etiam pro calice aquæ frigidæ mercedem se Dominus redditurum promiserit? Et quare frigidæ dixit? Ne fortè se posset aliquis pauper de lignorum penuria excusare, aut dicere, se vasculum vbi aquam calefaceret non habere, &c.

Matth. 10. Eleemosynas etiam minimas Deus afficit præmio.

CAPVT XVI.

De nece Ioannis Baptistæ.

MATTHÆVS CAP. XIIII.

IN illo tempore audiuit Herodes Tetrarcha famam Iesu. Et ait pueris suis: Hic est Ioannes Baptista, ipse surrexit à mortuis, & ideo virtutes operantur in eo. Herodes enim tenuit Ioannem, & alligauit eum, & posuit in carcerem, propter Herodiadem vxorem fratris sui. Dicebat enim illi Ioannes: Non licet tibi habere eam. Et volens illum occidere, timuit populum, quia sicut prophetam eum habebant.

Die autem natalis Herodis saltauit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi. Vnde cum iuramento pollicitus est ei dare quodcunque postulasset ab eo. At illa præmonita à matre sua, Da mihi, inquit, hîc in disco caput Ioannis Baptistæ. Et contristatus est Rex. Propter iuramentum autem, & eos, qui pariter recumbebant, iussit dari. Misitque, & decollauit Ioannem in carcere. Et allatum est caput eius in disco, & datum est puellæ, & attulit matri suæ. Et accedentes discipuli eius, tulerunt corpus eius, & sepelierunt illud: & venientes nuntiauerunt Iesu.

MARCVS CAP. VI.

ET audiuit Rex Herodes (manifeſtum enim factum eſt nomen eius) & dicebat: Quia Ioannes Baptiſta reſurrexit à mortuis, & propterea virtutes operantur in illo. Alij autem dicebant: Quia Elias eſt: Alij vero dicebant: Quia propheta eſt, quaſi vnus ex prophetis. Quo audito Herodes ait: Quem ego decollaui Ioannem hic à mortuis reſurrexit. Ipſe enim Herodes miſit, ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcere, propter Herodiadem vxorem Philippi fratris ſui, quia duxerat eam. Dicebat enim Ioannes Herodi; Non licet tibi habere vxorem fratris tui. Herodias autem inſidiabatur illi: & volebat occidere eum, nec poterat. Herodes enim metuebat Ioannem, ſciens eum virum iuſtum, & ſanctum, & cuſtodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.

Et cùm dies opportunus accidiſſet, Herodes natalis ſui cœnam fecit principibus, & tribunis, & primis Galilææ. Cúmque introiſſet filia ipſius Herodiadis, & ſaltaſſet, & placuiſſet Herodi, ſimulque recumbentibus, Rex ait puellæ. Pete à me quod vis, & dabo tibi, & iurauit illi: Quia quidquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei. Quæ cùm exiſſet, dixit matri ſuæ: Quid petam? At illa dixit; caput Ioannis Baptiſtæ. Cùmque introiſſet ſtatim cum feſtinatione ad Regem, petiuit dicens: Volo, vt protinus des mihi in diſco, caput Ioannis Baptiſtæ. Et contriſtatus eſt Rex. Propter iuſiurandum, & propter ſimul diſcumbentes noluit eam contriſtare. Sed miſſo ſpiculatore præcepit afferri caput eius in diſco. Et decollauit eum in carcere, & attulit caput eius in diſco, & dedit illud puellæ, & puella dedit matri ſuæ. Quo audito diſcipuli eius venerunt, & attulerunt corpus eius, & poſuerunt illud in monumento.

LVCAS CAP. IX.

AVdiuit autem Herodes Tetrarcha omnia, quæ fiebant ab eo. Et hæſitabat, eò quòd diceretur à quibuſdam: Quia Ioannes ſurrexit à mortuis. A quibuſdam verò; Quia Elias apparuit. Ab aliis autem: quia propheta vnus de antiquis ſurrexit. Et ait Herodes; Ioannem ego decollaui. Quis eſt autem iſte, de quo ego talia audio? & quærebat videre eum.

Ioannes propè Paſchale tẽpus occiſus dicitur.

AVo tempore ſit ab Herode occiſus Baptiſta in cõtrouerſia eſt. Occiſum prope Paſchale tempus colligitur ex Matthæo 14. Narrat enim Chriſtum, cùm audiſſet à diſcipulis Ioannis, Ioannem ab Herode iugulatum, in deſertum diſceſſiſſe locum. Is autem diſceſſus, vt ex cap. 6. Ioannis Euangeliſtæ probatur, prope Paſchale tempus contigit: ergo circa Paſchale tempus ab Herode priuatus eſt vita Ioannes. Repugnant huic ſententiæ Ianſenius, & alij. Illa verò verba Matth. quibus ea fulcitur: *Quòd cùm audiſſet Ieſus ſeceſſit:* cum Theophylacto ſic exponunt: *Cùm audiſſet*; non quidem, quòd occiſus eſſet Baptiſta: ſed *cùm audiſſet*, quòd Herodes diceret Baptiſtam ſurrexiſſe. Ita vt Matthæus, interiecta veluti per parentheſim narratione de nece, & ſepultura Baptiſtæ, ad id, vnde cœperat reuertatur. At verò longa parentheſis illa eſt.

Matth. 14.

Suauis verborum contextus indicat, veriorem eſſe expoſitionem, quæ hæc verba: *Quòd cùm audiſſet, &c.* refert ad mortem Ioannis, cui adnectuntur. *Accedentes* (ait Matthæus) *diſcipuli Ioannis, tulerunt corpus, & ſepelierunt illud; & venientes nunciauerunt IESV*, &c Nunciauerunt, inquam, Ioannem occiſum eſſe ab Herode, & ſepultum. Sequitur, *Quod cùm audiſſet Ieſus, ſeceſſit inde*: id eſt, cum audiſſet Ioannem eſſe interfectum, receſſit, &c. Quid clarius dici potuit? Hanc interpretationem ſequitur Diuus Auguſtinus libro 2. de conſenſu Euangeliſtarum, capite 45. Chryſoſtomus homilia 50. Diuus Hieronymus Matthæi 14. Euthymius, & alij. Græcè non eſt, *Quod*; ſed, καὶ ἀκούσας ὁ ἰησοῦς, hoc eſt, *& audiens* IESVS, videlicet, quod Ioannis diſcipuli nuntiarunt. Occiſus igitur eſt Baptiſta ab Herode ante paſchale tempus. Cùm id audiſſet à diſcipulis illius Chriſtus, trans mare Tiberiadis abiit. Poſt mortem verò Ioannis audiuit Herodes famam Chriſti, Ioannémque in vitam rediiſſe exiſtimauit. Matthæus per anticipationem, prius ſcripſit famam Chriſti ad Herodem perueniſſe, quod poſterius fuit: quàm Ioannem fuiſſe occiſum, quod fuit prius.

Ibid.

Ante quod paſcha ſit occiſus Baptiſta.

Paſcha verò ante quod occiſus eſt Ioãnes quartum Paſcha fuit, poſt baptiſima Chriſti. Chriſtus namque baptizatus eſt, vt diximus ſuo loco, ſexto die Ianuarij, cùm præcedentis menſis Decembris vigeſimo quinto die quo natus eſt, annum egiſſet vigeſimum nonum, & trigeſimum eſſet ingreſſus. Primum Paſcha poſt baptiſmũ fuit illud anni trigeſimi ætatis Chriſti: cuius Ioannes Euangeliſta non meminit. Secundũ Paſcha fuit anni trigeſimi

Paſchata Chriſti.

primi commemoratum ab eodem Euangelista cap. 2. hoc Paschate ementes, & vendentes e templo Dominus eiecit. Tertium Pascha fuit anni trigesimi secundi, quo apud probaticam piscinam paralyticum donauit sanitate, Ioan. 5. Quartum Pascha fuit, de quo nũc loquimur anni trigesimi tertij vitæ Christi. Ante hoc occisus est Baptista. Hoc quarto Paschate agebat Dominus annum trigesimum secundum, & menses tres, quot intersunt inter vigesimum quintum diem Decembris, & mensem Nisan, in quem Pascha Iudæorum incidit, Martio, & Aprili nostro respondentem.

Quot annos vixerit Baptista.

Hinc notum fit, quod annos Baptista vixerit, & quoto ætatis anno vitam cum morte sanctissima commutarit. Superabat enim Christum sex menB

Luca 2.

sium ætate, iuxta illud Angeli, *Hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis*. Metaphrastes ait occisum cùm triginta duos annos, & sex menses per egisset. Nicephorus quoque libro primo, capite 19. Erat ergo Baptista natus annos fere triginta tres cùm ab Herode est interfectus: antè Pascha à Christi baptismate quartum. Quanto verò tempore ante Pascha sit occisus, non est exploratum. Sed non longum fuisse tempus inde colligitur, quòd videntur Ioannis discipuli magistri necem nõ multò pòst quàm ea peracta est, Christo nunciasse. Christus autem mox discessit trans mare, & quinque hominum millia mirabiliter, cùm proximum esset Pascha, C satiauit.

Obiiciet quispiam, Ecclesiam decollationẽ Baptistæ vigesimo nono die mensis Augusti celebrare. Non igitur paulò ante Pascha decollatus est. Fatemur quidem Ecclesiam vigesimo nono Augusti die, Baptistæ decollationem celebrare: sed non propterea celebrat, quod ea die è vita discesserit, sed quòd tunc eius caput inuentum fuerit, vt indicant Ado & Beda in Martyrologio.

Quot annis Baptista in carcere fuit.

Si quæras quot annis, vel mensibus, Baptista carcere fuerit conclusus, ex dictis respondebitur, coniectum in carcerem post secundum Pascha à baptismo Christi, paulò ante illud tempus, quò Christus ex Iudæa per Samariam reuersus in Galilæam, cum Samaritana femina locutus est. Cùm enim D audisset, vt Matthæus ait cap. 4. quòd Ioannes traditus esset, secessit in Galilæam, videlicet per Samariam: quemadmodum hoc loco, cùm audisset, quòd esset occisus, secessit trans mare. Fuit ergo Baptista in vinculis vsque ad tertium Pascha: deinde ferè vsque ad hoc quartum, spatio anni vnius ac dimidio, plus minus.

Matth. 14.

AVDIVIT *Herodes Tetrarcha famam Iesu*. Herodes hic filius fuit Herodis illius, qui innocentes infantes priuauit vita, Galilææ Tetrarcha, siue princeps. Lege quæ diximus tom. 1. libro 5. & hoc tomo 2. libro 1. capite 1. Tetrarcha eum significat, qui quartæ regni parte dominatur: sed pro principe nomen sumitur. Appellatur etiam hic Herodes Rex, quoniam Tetrarchia instar erat regni, & Tetrarcha Regi similis. Lege Plinium libro 1. cap.

Cur tam serò audiuit famã Christi Herodes.

18. & 21. & Strabonem libro 12. Cur tam serò audierit Herodes tot miraculorum Christi famã, dubium est. Respondet quidam doctus interpres, Ioannem Baptistam non multò post quàm Christus cœpit prædicare, esse interfectum, atque adeò non serò auditam famam Christi ab Herode. Sed Ioannem multò post quàm Christus cœpit prædicare occisum, suprà ostendimus. Serò igitur fama Christi ad Herodem peruenit. Vnde D. Chrysostomus homilia 49. in Matthæum: Herodes, inquit, non percepit famam Christi, ab ipsis statim miraculorum exordiis, sed post multũ tempus. Huiusmodi certè sunt, qui in principatibus viuunt. Nam

Principes rarò perdiscũt ea, quæ

A quoniam fastu rerũ plurimùm sibi arrogant, parui facientes cetera, rarò ea perdiscunt, &c. Theophylactus: Ecce, ait, post quantũ tempus fama de Christo ad Herodem peruenit. Qui enim potẽtatu sunt prædi-

ad se non pertinent.

ti, tardè ista discunt, eò quòd non curent eos, qui virtute sunt conspicui, &c. Beauxamis putat famam Christi ad Herodem peruenisse etiam ante Baptistæ necem. Sed si tunc peruenisset, non existimasset Herodes Christum esse Ioannem, à mortuis excitatũ: cùm simul & Christum & Ioannem viuere sciret. Fortè Herodes, eiusque aulici à Galilæa abfuerant illo tempore, quo Christus miracula patrabat. Præterea, quia aulici concionibus Christi & miraculis non intererant, serò ad principem fama perducta est. Cardinalis Baronius in Annalibus anno Domini 33. causam reddit, quòd Herodes absens fuerit hoc tempore, in expeditione Arabica. Nam bellum gessit aduersus Aretam Regem, quod multis annis durauit. Præterea, antequã Ioannem in carcerem coniiceret, Romam venit Herodes. Lege Iosephum lib. 18. Antiq. cap. 7. & Baronium.

ET *quærebat videre eum*. Ait Lucas Herodem & optasse, & quæsiuisse videre Christum. Sed segnis fuit & iners, numquam enim ad Christi conciones iuit, numquam illum vidit, ad tempus vsque passionis. Lucas enim sic scribit: *Herodes viso Iesu gauisus est valdè: erat enim cupiens ex multo tempore videre eum*, &c. Theophylactus Lucæ 9. putat Herodem quæsiuisse videre Christum, quoniam si videret agnosceret, an esset Ioannes Baptista. Quod verisimile est.

Luca 9.

Segnis Herodes ad videndũ Christum fuit.

Luca 23.

IPSE *surrexit à mortuis*. Audita Christi fama Herodes, vt Matthæus ait, existimauit Christum esse Ioannem, qui in vitam fortior, & maiori cum potestate ad edenda miracula rediisset. *Hic*, inquit, *est Ioannes Baptista, ipse surrexit à mortuis: & ideo virtutes operantur in eo*, &c. Græcè, δυνάμεις ἐνεργοῦσιν ἐν αὐτῷ, id est, *potestates operantur*, actiuè, Agũt in illo, vel per illum. Maldonatus verbum ἐνεργοῦσι, nec actionem, nec passionem arbitratur significare, sed pro verbo neutro poni, hoc sensu; virtutes, hoc est, miracula vigent, & apparent in illo. sed noster interpres auctiuè sumpsit; virtutes operantur in illo: hoc est, potentiæ, vel potestates Dei ad facienda miracula in illo agunt; in illo efficaces sunt. Vnde patet illam interpretationem reiiciendam esse: virtutes, id est, sanctitas Ioannis & merita, operantur in illo. Quia causa sunt, cur ei data sit potestas ad edenda miracula. Virtutes enim hoc loco, potestates dicuntur ad miracula perpetranda. Vel forsitan Herodes malus Theologus, δυνάμεις, Angelos vocauit; per quos falsò, & absurdè putabat miracula perpetrari.

Matth. 14.

Ibid.

Virtutes operantur in eo, quid significet.

Videtur Lucas, à Matthæo & Marco dissentire. Sic enim Lucas scribit: *Hæsitabat Herodes, eò quòd diceretur à quibusdam: quia Ioannes surrexit à mortuis*. Matthæus & Marcus, aiunt Herodem; Lucas ait, alios dixisse, Ioannem à mortuis surrexisse. At nihil est dissensionis aut difficultatis. Nam & alij & Herodes quoque aiebant, Ioannem in vitam esse reuersum. Illud difficilius, quod Herodes hæsitat apud Lucam: *Hæsitabat*, inquit, *Herodes, eò quòd diceretur à quibusdam, quia Ioannes surrexit à mortuis*. Apud Matthæum verò & Marcum asserit Ioannem surrexisse. Item, apud Lucam dubitat: *Ioannem*, ait, *ego decollaui. Quis est autem iste, de quo ego talia audio?* hoc est, Ioannes è vita discessit, nam ego illum interfeci. Quis igitur est hic, cuius tam illustris est fama? Quasi dicat, non potest esse Ioannes. Respondetur, Herodem non asseruisse sine vllo dubio, aut hæsitatione Ioannem surrexisse à mortuis, sed animo hæsitante id dixisse. Lucas hæsitãtem animum

Concordia inter Lucã, & Matthæum, ac Marcum.

Luca 9.

Ibid.

Luca 9.

indicauit:

indicauit: Matthæus, & Marcus verba ipſa diſcri-
pſerunt: quo animo fuerint dicta tacuerunt. Itaque
Matth. 14. cùm apud Matthæum ait Herodes: *Hic eſt Ioannes Baptiſta, ipſe ſurrexit à mortuis*, &c. cùm apud Marcum legitur; *Dicebat*, ſcilicet Herodes (ſic enim legendum docet emendata editio, & textus Græcus, ἔλεγεν, quamquàm Auguſtinus libro ſecundo de conſenſu euangeliſtarum capite 43. *dicebant*, legat, *quia Ioannes Baptiſta ſurrexit à mortuis*. hæc verba non aſſeue-
Luca 9. ranter, & abſque hæſitatione prolata intelligi debent. Ideóque dixit Lucas: *Hæſitabat Herodes*, &c.

Reſponderi prꝛterea poteſt, Herodem primùm quidem ab aliis audiuiſſe Ioannem à mortuis excitatum, vt Lucas ſcribit; & ea de re dubitaſſe. Poſtea verò id in animũ induxiſſe, & affirmaſſe, quod ſcribunt Matthæus, & Marcus. Lege Auguſtinum loco citato: Intelligendũ, inquit, eſt, aut Herodem poſt hæſitationem confirmaſſe in animo ſuo, quod
Matth. 14. ab aliis dicebatur, cùm ait: *Hic eſt Ioannes Baptiſta, ipſe ſurrexit à mortuis*. Aut ita enunciandaſunt hęc verba, vt hæſitantem adhuc indicent, &c. Euthymius aliter reſpondet, Herodem videlicet coram externis quidem negaſſe Ioannem excitatum à mortuis, ne ad eum concurrerent, & ſeditionem excitarent. At coram famulis, vt Matthæus ait, confidenter idem affirmaſſe, Chryſoſtomus verò homilia 49. Veriſimile, inquit, mihi videtur aduerſus eos qui Chriſtum Ioannem eſſe dicebant; illud primò Herodem dixiſſe, quaſi inſoleſcentem, & amentiæ cæteros incuſantem: *Ego Ioannem interfeci*; quomodo dicitis Ioannem hìc eſſe? Fama verò ſignorum iam corroborata, ſurrexiſſe Ioannem ſuſpicatur, &c.

An putauerit Herodes animam Baptiſtæ in Chriſtum introiſſe.

Dubitatur, quomodo exiſtimarit Herodes, & alij, Ioannem ſurrexiſſe à mortuis. Caietanus arbitratur Herodem animam Baptiſtæ putaſſe in Chriſtum introiſſe, ſine reſũptione corporis eiuſdem; ſed quòd alio in corpore venerit in vitam. Idem ſẽtit Ianſenius. Herodes, inquit, credidit Ioannem reſurrexiſſe à mortuis, quia anima ipſius aliud corpus eſſet ingreſſa, &c. Veriſimilius Maldonatus cenſet, Iudæos ex Scripturis cognouiſſe mortuum tactis oſſibus Eliſæi, 4. Regum 13. & filium viduæ Sarephtanæ, 3. Regum 17. filium quoque Sunamitidis, 4. Regum 4. ſurrexiſſe. Atque in eundem modum exiſtimaſſe Ioannem rediiſſe in vitam. Lege quæ hac de re diximus ad illa verba: *Elias es tu*, lib. 2. cap. 13. & ad illa: *Quem dicunt hominis eſſe filium hominis? alij Ioannem Baptiſtam*, &c. libro 10. cap. 22.

Matth. 14. POSVIT *in carcerem*. De carcere Ioannis, & cauſa cur in carcerem eſt miſſus, de Herodiade, Herodiſque fratre, cuius illa vxor fuit, ſupra ſatis dictum ſuo loco. Cum de carcere egimus Baptiſtæ libro 4. capite 8.

Marci 6. CVM *dies opportunus accidiſſet*. Cui rei dicatur opportunus hic dies, dubium eſt. Opportunus videtur dici, quoniam Herodiadi fuit opportunus ad petendam Baptiſtæ necem. Hanc enim occaſionem oblatam arripuit, filiámque ad ſaltandum induxit. Vel opportunus dicitur, ad conuiuium exhibendum, vt indicant verba textus.

Marci 6. Herodes & Pharao natalem diem celebrarũt.

NATALIS *ſui cœnam fecit*. Natalem diem ſuum conuiuio opiparo Herodes celebrauit. Is tantummodò, & Pharao in diuinis literis legitur natalem ſuum celebraſſe. Pharao ipſo die natalis ſui piſtorum principem ſuſpẽdi iuſſit. Gen. 40. Herodes inſano ſcelere Baptiſtam occidit. Soli mortalium (ait Beda Mar. 6.) Pharao, & Herodes leguntur diẽ natalis ſui feſtiuis gaudiis celebraſſe. Sed vterque infauſto auſpicio, feſtiuitatem ſuam ſanguine fœdauit. Sed Herodes tanto maiore impietate, quantò innocentem & ſanctum doctorem veritatis occidit: & hoc pro petitione ſaltatricis. Neque eum caput occiſi ante conuiuas inferre puduit, &c.

Quonam loco conuiuium ſit exhibitum.

Quo loco conuiuium ſit exhibitum ambigitur. Ex dictis Bedæ colligitur exhibitum Ieroſolymis. Ait enim in Martyrologio, caput Baptiſtæ humatum fuiſſe in ædibus Herodis Regis: in homilia verò de decollatione Baptiſtę ſcribit, ſepultũ eſſe Ieroſolymis. In Romano quoque Martyrologio 24. die Februarij legitur, caput Baptiſtæ primò inuentum Ieroſolymis. Cardin. Baronius 29. Auguſti die, addit inuentum apud Herodis olim Regiam. Lege Nicephorum lib. 12. cap. 49. Erat ergo Herodis domus, in qua conuiuatus eſt, & Herodes ipſe, Ieroſolymis. Nam in eadem domo videtur caput ſepultum, in qua conuiuium eſt celebratum. Metaphraſtes in encomio de exportatione manus dexteræ Baptiſtæ, ex Antiochia; conuiuium actum arbitratur, in vrbe Samaria, ibique regiam Herodis fuiſſe ait. Sed Samariæ prouinciam, & ciuitatem, ſub poteſtate Herodis huius non fuiſſe, atque adeò regiam domum in ciuitate Samariæ non habuiſſe probatur ex Ioſepho lib. 17. Antiquitatum capite 13. Herodi, inquit, Antipæ Tranſamnana regio ceſſit, id eſt, regio quæ erat trans Iordanem, cum Galilæa, & 200. talenta annua. Batanæa verò cum Trachonitide, & Auranitis, cum parte quadam Zenodori (vt vocant) domus, obtigit Philippo, & centum talenta annui reditus. Archelao verò Iudæa, & Idumęa, præterque has Samaria. 600. autem talenta quotannis redibant è ſua ditione ad Archelaum, &c. Eodem loco ait Sebaſten vrbem, id eſt, Samariam, in Archelai ditione fuiſſe.

Caput Ioannis Ieroſolymis ſepultum.

Loca quibus imperabãt, Archelaus, Philippus, & Herodes fratres. Samariæ nõ imperabat Herodes Tetrarcha.

Maldonatus Matthæi 14. exiſtimat, conuiuium in arce Macheruntina celebratum. Probatur. Quoniam vt Ioſephus ſcribit libro 18. capite 10. in ea arce vinctus eſt Ioãnes ab Herode. Conſtat autem hoc conuiuium eodem loco fuiſſe celebratum, in quo Ioannes fuit vinctus. Allatum eſt enim caput in diſco ad conuiuium. Et puella ait: *Volo, vt protinus des mihi in diſco caput Ioannis Baptiſtæ*, Protinus, inquit quaſi Ioannes in eodem conuiuij loco eſſet. Fieri potuit, vt in Machærunte caſtro actum fuerit conuiuium, indeque caput fuerit adductum ac ſepultum Ieroſolymis in regia Herodis. Hoc caſtrum non eſt in Galilæa, ſed in regione, quæ trans Iordanem eſt, non longè à mari mortuo ſitum.

Marci 6.

CVMQVE *introiſſet filia ipſius Herodiadis, & ſaltaſſet*. *Marci 6.* Abulenſis Matth. 14. quæſt. 23. ait fortè fuiſſe hanc puellam filiam Herodiadis, & Herodis. Quod videtur exiſtimare Metaphraſtes in vita Ioannis; & aperte docet diuus Chryſologus ſermone 174. Re vera, inquit, filiam ſuam tunc credidit Herodes, cùm talem vidit. Item: Reſpondit ſuo turpi generi; dum patri complacet turpiori, &c. Non fuiſſe tamen ipſius Herodis filiam, ſed Herodiadis ex alio viro, ſentit Theophylactus, idque innuunt Euangeliſtæ verba. Solius enim Herodiadis filiam vocat, quoniam Herodis ipſius filia non erat. Maldonatus ait appellatam Salomen, genitamque ex Philippo priore marito. At Ioſephus, vnde hæc opinio videtur emanaſſe, ſcribit libro 18. antiq. capite 7. Salomen filiam quidem fuiſſe Herodiadis: ſed Philippo nupſiſſe. Quod ſi Salome filia fuit Herodiadis, vt ipſe affirmat & viri, quem ante Herodem habuit, Philippi filia fuit. quia is vir fuit Herodiadis, vt Euangeliſta Marcus capite 6. ſcripſit. Matrem verò ſecuta eſt filia, & cum matre Herodiade, potius quàm cum patre voluit habitare. Lege quæ diximus lib. 4. cap. 8. de Herodiadis coniugio, eiuſque filia Salome. Inaudito mortis genere affecta dicitur hæc ſaltatrix, vt ſcribit Nicephorus libro 1.

Filia Herodiadis non fuit filia Herodis.

Puella saltatrix morte periit inaudita.

historiæ, cap. 20. Eundum, inquit, ei quopiam erat, brumali tempore, & fluuius traiiciendus, qui cùm glacie cõstrictus esset, pedes eum transibat, glacie autem rupta (idque non sine Dei numine) demergitur illa statim capite tenus, & in vndis saltat. Caput verò glaciei crustis resectum, in glacie ipsa saltationem lethalem exhibet, &c. Idem narrat Simeon Metaphrastes in vita Baptistæ.

Marci 6. *Esther 7.*

QVID QVID *petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei.* Similem in modum Rex Assuerus ipsi Esther dimidiam promittit regni partem. *Quæ*, inquit, *est petitio tua Esther, vt detur tibi, & quid vis fieri? etiam si dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis*, &c.

Esther & huius saltatricis petitiones dissimiles.

Sed Esther petitio vitæ fuit, huius puellæ petitio fuit mortis. Petiuit Esther, vt Israëlitis vita conce- B deretur: petiuit saltatrix Herodiadis filia, vt Baptista morte afficeretur. Eodem modo respondit

Esther 7.

idem Rex eidem reginæ Esther: *Etiam si dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi*, &c. Forsitan mos erat regum sic respondere. Vel Herodes responsum Assueri regis voluit imitari.

Marci 6. *Matth. 14.*

VOLO, *vt protinus des mihi in disco caput Ioannis.* Attulit saltatrix discum, & regi obtulit, vt vrgeret negotium. Nam apud Matth. sic petit; *Da mihi hic in disco caput Ioannis Baptistæ.* quasi dicat, Da mihi in hoc disco, quem fero, caput Ioannis. hoc pretiosum ferculum ex tanto petebat epulo.

Matth. 14. & Mar. 6. An Herodis mœstitia fuerit simulata.

ET *contristatus est Rex.* In quæstionem vocatur, fuerítne hæc Herodis tristitia vera, an simula- C ta? Et quidem Euangelistæ Matthæus & Marcus, apertè affirmant regem contristatum, & iureiurando compulsum, propter conuiuas discumbentes, Ioannem occidi iussisse. Nihilominus D. Hieronymus ait Herodem tristitiam in facie, lætitiam in mente habuisse. Adiungit propterea fortè iurasse, vt occisioni futuræ machinas præpararet: Euangelistas verò secundùm conuiuarum opinionem dixisse, Herodem contristatũ: sic enim conuiuæ existimarunt. Possunt etiam explicari Euangelistæ, hunc in modum; *Contristatus est Rex*, simulatè videlicet. propter iusiurandũ autem, & eos qui discumbebant conuiuas populi principes, fingens se iuramenti religione cogi, præcepit puellæ dari caput. Iuxta hanc interpretationem, simulata fuerũt hæc D omnia; & inter Herodiadem, Herodémque ante, ad interficiendum Baptistam composita; ne populus eius necẽ ægrius ferret, iurisiurandi coactione perpetratam, & principum Galilææ cõsensu. Omnes enim (ait D. Thomas Matth. 14.) rogabant pro puella, id est, vt caput quod puella petebat concederetur. Hæc est Card. Caietani sententia, qui hanc ob causam ait Herodem à Christo vulpem appellari Luc. 13. *Ite dicite vulpi illi*, &c. id est, Herodi. Con-

Herodes vulpes, quia simulatè hæc fecit.

sidera (inquit Caietanus) verba Domini, quod scilicet appellauerit Herodem vulpem, & intelliges hæc omnia fuisse simulationes, &c. Beda, Haymo, Victor Antiochenus, Lyranus, & Abulensis, in hac sunt sententia.

Herodes fuit vtrè contristatus.

Contrà D. Augustinus ser. 1. & 2. de decollatio- E ne Baptistæ, arbitratur hæc non fuisse simulata, veréque, & non fictè contristatum esse Herodem. Eiusdem sententiæ est Euthymius, Iansenius, & alij. Ea mihi videtur similior vero. Siquidem apertè Euangelistæ affirmant Herodem fuisse contristatum, neque vllum de simulatione faciunt verbum. Videtur ergo Herodes imperitus princeps, existimasse iureiurãdo se constringi ad nefandum facinus. Commotus etiam discumbentiũ conspectu, qui, vt D. Thomas opinatur, pro puella rogabant, venerandum cælo caput saltatrici iussit tradi.

Marci 6. Qui sit speculator.

MISSO *speculatore.* Spiculator ab spiculo, id est, pilo satelles dicitur principis, gestabãt enim A pila, siue spicula spiculatores. Marcus Græcè vocat σπικϐλάτωρα.

Marci 6. Carcer Ioannis.

DECOLLAVIT *eum in carcere.* Carcer in quo Ioannes vinctus est, si Iosepho fides est habenda lib. 18. Antiq. cap. 10. fuit castrum, quod Machærus appellatur, situm non longè à mari mortuo trans Iordanem. Ioannem (ait Iosephus) vinctum Herodes, missum in Machæruntem, illic occidi imperat, &c. Erat autem hoc castrum sub Herodis potestate. Vt enim scribit idem auctor lib. 12. Antiquit. cap. 13. Herodes hic Antipas regioni quæ trans Iordanem erat imperabat, & Galilææ. Lege quæ de carcere Ioannis diximus lib. 4. cap. 8.

Marci 6. Ioannes sepultus est Samariæ.

POSVERVNT *illud in monumento.* Ioannis corpus capite carens, illius discipuli, vt est verisimile petierunt, quemadmodum Ioseph ab Arimathæa corpus petiuit Christi: acceptum ex Machærunte in vrbem Samariã adduxerunt, vt vult Ado Episcopus in Martyrologio, ibique tumularunt. Sepultum enim in vrbe Samaria Ioannem docet Nicephorus lib. 10. cap. 13. Diuus Isidorus in libro de Patribus noui & veteris testamenti, diuus Hieronymus in Epitaphio diuæ Paulæ, & in prologo Abdiæ: Sepulchrum, inquit, Abdiæ vsque hodie, cum Mausoleo Elisæi Prophetæ, & Baptistæ Ioannis, in Sebaste veneratione habetur, quæ olim Samaria dicebatur, &c. Caput in regia Herodis humatum est, *Caput sepultum Ierosolymis.* vt suprà iam diximus hoc eodem capite, & memoriæ prodit Nicephorus lib. 12. cap. 49. Caput, ait, Baptistæ Herodias, quod adhuc eius reprehensionem timeret, in Herodis regia abstrusò quodam loco sepelierat, &c. Eodem loco scribit, inuentum postea à monachis quibusdam. Lege Bedæ homiliam de decollatione Baptistæ. Forte postea sepultum est corpus Baptistæ in vrbe Samaria. Nam quo tempore obiit, Samaritanorum vrbs erat, quibus Iudæi non coutebantur, Ioan. 4. Non ergo in vrbe Samaritanorum discipuli Baptistam humarunt. postea à Christianis videtur translatum corpus.

CAPVT XVII.

Morale.

De nece Baptistæ.

Ioannes fuit astrum fulgentissimũ.

FVIT Baptista astrum fulgentissimum, quod Solis, id est, Messiæ aduentum mundo nuntiauit. Postquam in superiori nuntiauit hemisphærio vi- uus, occiditur, & in inferiori nuntiat mortuus. Lucerna erat lucens, Christumque indicans. Indicauit verò non superis solùm, verum etiam inferis, qui limbo concluſi expectabant liberatorem. Quemadmodum lucerna sole illuminante extinguitur: sic Ioannes Christo veluti sole radiis orbem colluſtrante, extinctus est.

Vox erat Baptista clamans in deserto. In deserto quidem clamauit duabus immanissimis belluis Herodi atque Herodiadi, à quibus crudelissimè di- laniatus occubuit. Belluã videt propheta Vrso si- *Libido vrsa quæ Baptistã laniauit.* milẽ, cui dicebatur; *Surge, comede carnes plurimas.* Ecce imaginem libidinis. Vrsa est immanis, carnes *Dan. 7.* plurimas, id est, carnales viros ac feminas vorat. In eos verò, qui carnes auferre conantur irruit. Conabatur Baptista ex ore Vrsæ. 1. libidinis carnes, id est, Herodiadem, Herodemque auferre, irruit in eum vrsa, & laniauit. Cur enim occisus est Ioannes? Quia vox clamans in deserto, libidinosis Herodis auribus inclamabat; *Non licet tibi habere* *Marci 6.* *vxorem fratris tui.* Non tulerunt casta verba & vera, aures, quæ Herodiadis potiùs blanditiis, quàm veritatis stimulis oblectabantur. At *verba sapien-* *Eccles. 12.* *tium*, qualis Baptista erat, vt legitur: *Sicut stimuli sunt*,

stimuli sunt, & quasi claui in altum defixi. quia stimulant ac pungunt. Clauis (ait Magnus Gregorius hom. 6. in euangelia) ac stimulis, sapientium verba comparantur, quia culpas delinquentium nesciunt palpare, sed pungere, &c. Verbis sapientissimi Baptistæ Herodes & Herodias puncti sunt, sed non compuncti ad pœnitentiam. Quin potius impia femina verborum stimulis, veluti equus calcaribus, adacta, in scelus infandum se dedit præcipitē. Caput stimulantis Ioannis petiit, linguámque illam, cuius verbis fuerat stimulata, discriminali acu (proh nefas) stimulauit ac transfixit. Narrat hoc D. Hieronymus in Apologia aduersus Ruffinum: Ne glorieris, inquit, si facis, quod scorpiones possunt facere, & cantharides. fecerunt hæc Fuluia in Ciceronem, & Herodias in Ioannem, quia veritatem non poterant audire, & linguam veridicam discriminali acu confoderunt, &c.

Sapientium verba non palpat peccata, sed pungunt.

Herodias linguæ Baptistæ transfixit acu.

Hieron.

Quid prodest Herodias acu linguam transfigere? etiam mortua ac transfixa loqui non desinet. Hodie auditur, audieturque perpetuò illius illa vox, *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*: qua tu cum tuo Herode argueris, ac dānaris. Vox (ait D. Chrysologus ser. 174. occidi non potest, sed magis clamat angustiis corporis absoluta. Ioannes toto orbe clamat, totis sæculis facinus vestrum cunctis refert, & ostentat in gentibus, &c. *Omnis qui malè agit* (ait Dominus) *odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.* Male agebat Herodias, ideoque lucernam lucentem atque ardentem, id est, Baptistam, odio habebat. malum enim opus argui nolebat. Ita lucernam extinxit.

Marci 6. Scelus Herodis & Herodiadis Ioannis lingua auditur.

Ioan. 3.

Extinxit, dixi, immo inflammauit. Multò enim magis lucet nunc lucerna lucens, multò ardet magis lucerna ardens. Nam quemadmodum oleum lucernæ infusum, maiorem illi fulgorem affert; ita Baptistæ sanguis, ab impia femina effusus, lucernæ lucenti & ardenti, maiorem lucem maiorémque ardorem attulit. Discus ille, in quo caput est impositum candelabrum fuit, in quo Christi lucerna multò clarius effulsit. Passus est Dominus lucernam Dei ab impiis extingui, vt splendidiores lucis radios effunderet. Si Baptista occisus non fuisset; martyrij clarissimis radiis caruisset. Ne clarissimis careret radiis, in obscuram noctem incidit, cui illud præclare congruit. *Nox sicut dies illuminabitur.* Item illud: *Nox illuminatio mea*, &c. Nox enim, id est, mors martyris, sicut dies splendidissimus, martyrij splendore rutilat; potiusque illuminatio, quàm nox, potiùs vita, quàm mors est appellanda.

Lucernæ extinctæ magis lucet & ardet.

Psal. 138.

Herodes principibus Galilææ conuiuium celebrauit. Ioannes cæli principibus, & Deo ipsi, epulum iucundissimum exhibuit. Herodes in die natalis sui; Ioannes in die mortis suæ. Vincit mors Ioannis regum omnium natales dies. Stultus Herodes conuiuio eum celebrauit diem, quo in huius mundi pelagus, veluti naufragus eiectus est nudus, paulò post in tartareos præcipitandus rogos. Ioannes diem illum festiuum egit, quo ex huius mundi carcere, in consortium Patrum abiit, non post longum tempus in cœlestia deducendus regna. Fœtent Herodis fercula cælo, Ioannis ferculum terram, cælumque ardore ac dulcedine complet. Nullum vmquam conuiuium tali ferculo est celebratum, videlicet, capite Baptistæ, cælo terræque venerando. O beatum ferculum! ô dulce ferculum! ô pretiosum ferculum! non Herodis, sed cælesti mensa dignum! Non tibi offertur hoc ferculum impie Herodes, nec tibi, vt nominis, ita sceleris consors Herodias, sed Christo. Si vobis dulce est, multò dulcius est Christo. Dulcis cibus sæpe magnum edēti amarorē affert. Dulce hoc caput plurimum vobis amaroris pariet. Dulces fuere Iudæis in deserto cōturnices; sed vt canitur: *Adhuc esca eorū erant in ore ipsorū, & ira Dei ascendit super eos*, &c. Ascendet super vos ira Dei, vestramque libidinem, & horrendum scelus æternis flammis vlciscetur.

Baptistæ cōuiuium cælitibus iucundissimū.

Ferculū cælo pretiosum caput Baptistæ.

Psal. 77.

Tota Baptistæ vita Deo conuiuiū fuit. ad extremum veluti ferculum, suauissimum caput reseruauit, suumque sanguinem veluti vinū pretiosum propinauit: ô dulcissima mensæ secundæ bellaria! ait Dominus; *Messui myrrham cum aromatibus meis; comedi fauum cum melle meo: bibi vinum meum cum lacte meo.* Quid Baptistæ caput? Nónne myrrha cum aromatibus, fauus cum melle? Quid eius sanguis? Nónne vinum cum lacte? hanc in morte Baptistæ myrrham Deus messuit, hoc fauo, hoc vino, hoc lacte, hoc conuiuio magnopere delectatus est.

Cant. 5.

Herodes pro puellæ saltatione dimidium pollicetur regni, Christus pro Baptistæ capite quidnam largietur? Numquid Herodes Christo est liberalior? Nempe non Galilææ angustissimum, sed cæli augustissimum donauit regnum. *De torrente in via bibit* Ioannes, *propterea*, inter cælestes Seraphinos, *exaltabit caput*, caput, inquam, illud, quod impius Herodes amputauit, Christus exaltabit. Quis fando explicare poterit, coronæ illius fulgentissimum aurum, pyropósque radiantes, qua amputatū sanctissimi Præcursoris caput decorabitur? Quis torquis illius smaragdos, topazios, adamantes, chrysolithos enumerare valebit, quo sacrum collum, crudelis gladij ictu percussum exornabitur? Faxit Deus vt quod verbis explicare non possumus, oculis in cælesti patria cernamus.

Christi cum Herode antithesis.

Psal. 109.

Caput Baptistæ exaltatum.

Herodes *natalis sui cœnam fecit.* Natalis dies ille fuit Herodis, fuit etiam natalis Ioannis. Sed modo diuerso. Herodi natalis dies ille erat, quo in mortalem hanc vitam est ingressus, mox moriturus. natalis verò Ioannis dies erat, quo in immortalem vitam introiuit, in sempiternum victurus. Etenim is martyrum dies est natalis, quo pro Christo peritura vita priuati, in æternam vitam renascuntur. Vnde D. Chrysol. ser. 2. de Baptista; Iustus, inquit, tunc inchoat viuere, cùm pro Christo meretur occidi. item; Transfertur morte vita martyris, non aufertur, &c. Cùm occidit sol, tunc oritur. in hemisphærio nostro occidit, oritur in altero. Eumdem in modum vir sanctus etsi in terrarum orbe occumbit, in orbe tamen cælorum exoritur. Transfertur lux Solis, non aufertur; sic vita iusti, non tollitur, sed migrat. Quemadmodum infans, in die natalis sui, in lucem hanc magno cum matris dolore ingreditur: sic martyris anima in suo natali, in æternam quietem magno cum corporis cruciatu intrat. Dolore constat vterque natalis, tam infantis, quàm martyris. Sed dolor matris infantem in orbem terrarum immittit: dolor corporis animam in cæleste regnum introducit.

Marci 6. Natalis dies Herodis, idē & Baptistæ.

Natalis dies martyrū, is quo in æternam vitam nascuntur.

Celebrat Herodes conuiuio suam natiuitatem, at Abrahamus non natiuitatem sui Isaac, sed ablactationem epulo celebrauit. *Fecit Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius*, &c. Etenim non natiuitatem in mundum, sed ablactationē, cùm mundi voluptatem veluti pestiferum lac repudiant, sancti viri celebrant. Origenes Leuit. 12. Nemo, inquit, ex omnibus Sanctis inuenitur diem festum, vel conuiuium magnum egisse in die natalis sui, &c. Docent te infantes, ô Herodes, natalem diem non in conuiuio agendum, sed in fletu. In hanc enim lucem prodeuntes, velut prophetantes deplorant diem illum, quo in mundi pelagus multas subituri tempestates ingrediuntur. Istos pueros, qui nascuntur (ait Augustinus serm 24. de verbis Apostoli) interrogemus, quare à ploratu incipiunt,

Abrahā nō celebrauit natalē diem filij, sed ablactationē. Gen. 21.

Infantes cū nascuntur, cur plorent.

qui nec redire poſſunt. Naſcitur, & ſtatim plorat, poſt neſcio quot dies, ridet. Quando plorabat naſcens, propheta ſuæ calamitatis erat. lacrymę enim teſtes ſunt miſerię. Nōdū loquitur, & iam prophetat. Quid prophetat? in labore ſe futurū, vel timore. Etſi bene vixerit, & iuſtus fuerit, certe in mediis poſitus tentationibus ſemper timebit. Sic Auguſt.

Lacrymæ teſtes ſunt miſeriæ.

Eccl. 7. *Melior eſt dies mortis* (ait Salomon Rex ſapientiſſimus) *die natiuitatis.* In quæ verba ſic ſcribit Olympiodorus: Natalitius dies in turbulentum huius vitæ pelagus nos inducit, vbi draco latibulum ſuum poſuit: tranſitus verò dies, ex ſtadio nos educit, &c.

Ibid. *Melius eſt ire ad domum luctus* (ait idem Salomon eodem loco) *quàm ad domum conuiuij*, &c. In domo conuiuij Herodis impij natalis celebratur, in domo luctus mors in memoriam reuocatur. In domo conuiuij tripudiatur, in domo luctus omnis inanis ſaltatio, & lætitia repudiatur. In domo conuiuij temere iuratur, impieque factum iuramentum opere præſtatur, in domo luctus ad iuramenta lingua frænatur. In domo conuiuij Baptiſtæ caput ſaltatriculę pro tripudio donatur, in domo luctus quàm execrandum ſit ſcelus proximo nocumentum afferre, cogitatur. Vade igitur ad domum potius luctus, quàm ad domum conuiuij Herodiani.

Domus luctus & domus conuiuij.

Quomodo natalitius dies celebrandus ſit.

Quòd ſi natalem tuum diem ſingulis annis celebrare vis, laudabo, dummodo ſpiritaliter, non carnaliter celebres. Natiuitatis beneficium à Deo collatū volue animo; age gratias ob vitę huius vſuram, illius obſequio, à quo ipſam accepiſti impende; tuam, ne inſoleſcas, fragilitatem conſidera; iuxta illud: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſeriis. Qui quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra*, &c. Et illud grauiſſimi inter ethnicos de rebus naturalibus ſcriptoris Plinij in proœmio lib. 7. Hominem natura nudum, & in nuda humo natali die abiicit ad vagitus ſtatim & ploratū. Ab hoc lucis rudimento vincula excipiunt, & omnium membrorū nexus. Heu dementia, ab his initiis exiſtimantium ad ſuperbiam ſe genitos, &c.

Iob 14.

Hominis fragilitas. Plinius.

Hominum maxima dementia.

Marci 6. LICET *dimidium regni mei.* Ad vitia perpetranda liberales, ac prodigi ſunt multi diuites, ad opera præſtanda virtutum tenaces atque auari. Erga hiſtriones, paraſitos, venaticos canes, equos, ludos, pretioſas veſtes, ceteraque huiuſmodi profuſi, erga pauperes réſque diuinas pauperrimi. Herodes ſaltatriculę dimidium pollicetur regni, ſanctiſſimo Præcurſori vitæ vſuram negat. Pecunia, ait Seneca epiſt. 87. ſic in quoſdam homines, quomodo denarius in cloacam cadit, &c. Quemadmodū enim denarius cloacæ ſordibus ſic prauo vſu pecunia conſpurcatur. Veluti in cloacam in eos homines opes incidunt, à quibus impuris vſibus impenduntur.

Prauo vſu pecunia cōſpurcatur.

Marci 6. DIXIT *matri ſuæ, quid petam?* Matrem conſulit filia. Sed matrem impiam. Conſilia caue impiorum. Vide quale conſilium nefaria dat conſiliatrix: *Pete*, inquit, *caput Ioannis Baptiſtæ.* Quid peteret luxuria, ait Chryſologus ſer. 174. niſi caſtitatis interitum? &c. *Beatus vir*, dicitur, *qui non abiit in conſilio impiorum.* Abiit ſtolida puella in conſilio impiæ matris, ad Herodem exiit, caput Baptiſtæ petiit.

Ibid.

Pſal. 1.

Marci 6. VOLO, *vt protinus des mihi in diſco caput Ioannis Baptiſtæ.* Accelerat necem ſaltatricula. ô ſaltum tartareum: ex tripudio in cædem ſanctiſſimi Præcurſoris ſalit. Sic ſaltat (ait D. Fulgentius) vt placeat, ſic placet, vt occidat, &c. *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem*: ecce puellæ pedes, & ad ſaltandum, & ad effundendum ſanguinem veloces.

Pſ. 13.

Ibid. *Sepulchrum patens eſt guttur earum, venenum aſpidum ſub labiis earum*, id eſt, matris & filiæ. Guttur enim tam matris, quàm filiæ, patens fuit ſepulchrum Baptiſtæ, venenum veneno aſpidum pernicioſius ex labiis earum effuſum, terræ cælóque venerandum Præcurſorem occidit.

Marci 6. PROPTER *iuſiurandum.* Iurandi morem fugiendum docet Auguſtinus in homiliis de decollatione Baptiſtæ. hac de re egimus tomo 1. lib. 9. cap. 5. Pro conſuetudine iurandi inducenda eſt conſuetudo non iurandi, conſuetudo conſuetudinem ſuperabit. iuxta illud Auguſtini hom. 1. de decollat. Luctatus ſum contra conſuetudinem meam (quam ſcilicet ante baptiſmum habuerat iurandi) nihil mihi faciliùs eſt, quàm non iurare, &c. Chryſoſtomus hom. 11. in Matthæum: A primis, inquit, & facilioribus inchoemus, videlicet à non iurando. quod quaſi primum diſciplinæ elementum ſæpe meditemur, & præcipuè domi, &c. Primum diciplinæ elementum Chryſoſtomus eſſe ait cauere iuramenta: in hoc ergo primùm incumbendum, vt iurandi conſuetudinem omnino extirpemus. facile hoc eſt, vt idem docet Chryſoſtomus, modo animi adſit conatus ac diligentia.

Marci 6. Conſuetudo iurandi fugienda.

Marci 6. ET *propter ſimul diſcumbentes.* Neminem Herodis ſceleri obſtitiſſe legimus, neminem dediſſe conſilium, ne virum integerrimum morte afficeret. Indigni conuiuæ (ait Beda hom. de decol.) Baptiſta an potiùs inuitatore ſuo condigni; e quibus nullus inuentus eſt, qui hominem inter feſta diſcumbentium puniri, qui ab adulteris iuſtum, qui iudicem à reis capite plectivetaret. Præſertim cùm Rex aſſumpta ſpecie mœſtitiæ, coactum ſe hoc facere proteſtaretur: eſſetque opportunū, quò hortatū cōuiuantium à promiſſo ſcelere reuocari deberet. Si non illum hæc de induſtria præſtruxiſſe cognoſcerent, imo ipſos quoque par eiuſdem ſceleris amor irretiret, &c. Pauci Ioānes reperiuntur, qui regibus principibuſque viris dicere audeant; *Non licet tibi.* Forte iuramenti religione tenebantur quemadmodum & Herodes. Imperiti enim vota & iuramenta, etiam contra fas prolata, non ſeruare putabant nefas, vt conſtat ex facto Iephte Iud. 11. Si ſic illi inique nuncupata iuramenta errantes ſeruabant; rite nuncupata, quęque obſeruationem flagitant, quanam religione obſeruanda ſunt? Si filiam vita ipſa priuat Iephte, vt ſeruet temerarium votum, quid facere Chriſtianus debet, vt votum de re Deo placente editum ſeruet?

Nemo Herodi ſcelus diſſuaſit.

Vota & iuramenta rite nūcupata ita ſeruanda.

Marci 6. PRÆCEPIT *afferri caput in diſco.* Peccatum in peccatum trudit hominem. libido Herodem impulit in homicidium. Beda in hom. de decollat. Baptiſtæ: Quoniam, inquit, Herodes noluit cohibere luxuriam, ad homicidij reatū prolapſus eſt, &c. Quemadmodum, vt eſt in Pſal. *Abyſſus abyſſum inuocat*: ita peccatum inuocat peccatum. Neceſſe eſt ergo omnia fugere crimina, ne ſi vel vnum maneat, alia vocet. Quis (ait diuus Ambroſius lib. 3. de Virginibus) cùm è conuiuio ad carcerem curſari videret, non putaret Prophetam iuſſum eſſe dimitti? &c. Et quidem dimitti iuſſus eſt, non ex carcere, ſed ex vita. Imo & ex carcere, id eſt, corpore, in quo veluti carcere, ſanctiſſimus animus continebatur. Tunc diuinus Baptiſta illud cecinit Simeonis: *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum*, &c. Dimiſsus è carcere animus in loca illa deſcendit, in quibus Abrahamus, ceteríque agebant Patres. Ab omnibus admirabili cum lætitia & exceptus eſt, & de Chriſti redemptoris aduentu auditus. Præcurſor fuit Chriſti apud Superos & apud inferos. Quod ſi Lazari animus ab Angelis in ſinum Abrahæ portatus eſt, quid de animo Magni Baptiſtæ dicēdum? Equidem magna Angelorum multitudo in carcerem confluxit, corporiſque ergaſtulo ſolutum animum, in ſinum Abrahæ deportauit.

Marci 6. Peccatū in peccatū hominē duxit.

Pſ. 41.

Ioannes è carcere dimiſſus eſt, cùm occiſus.

Luc. 2.

Luc. 16.

Marci 6. Baptiſta ſanguinis baptiſmo baptizat Ioan. 1.

ET *decollauit eum in carcere*. Ioannes baptizatus nunc eſt prȩcellenti ſanguinis baptiſmate. Etenim par erat Baptiſtæ ſic baptizari. par erat eum, *qui in teſtimonium venit, vt teſtimonium perhiberet de lumine*, egregio hoc ſignaculo teſtimonium ſuum ſignare ac confirmare. Ioannes (ait Beda) teſtimonium, quod Domino perhibuit, martyrij ſignaculo concluſit, &c. Par erat roſeam cruoris purpuram, tanto principi non deeſſe: ideóque, vt Beda ait, diem Natalem ſuum roſeo ſanguinis ſui fulgore decorauit. Sacrũ caput Herodes amputauit, Ioannem minuit; iuxta illud eiuſdem Ioannis: *Illum oportet creſcere: me autem minui*. Vt enim ait Auguſtinus ſer. 116. Ioannes minutus eſt in capite, Chriſtus creuit in cruce, &c. Minutus eſt capite Ioannes, ſed gloria creuit. Capitis minutio æternã capitis peperit exaltationem; iuxta illud: *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput*.

Ioan. 3.

Pſal. 109.

Marci 6. PVELLA *dedit matri ſuæ*. Angelorum manibus digniſſimum caput, ſaltatricis filiæ impudicæque matris manibus traditur, caſtiſſimus ille vultus impuris digitis contrectatur, lingua adulterij incuſatrix diſcriminali acu transfigitur. Sic Herodiadis libido Vrſæque illius, de qua ſuprà diximus, crudelitas exaturatur. Diſcat vir Chriſtianus exemplo propoſito, libidinem turpémque fugere amorem. Fugit viator foueam profundam, fugit puteum in via occurrentem, ne incautus in illum incidat, caræque vitæ iacturam faciat. Profunda fouea, puteúſque profundus libido eſt, in via, hoc eſt, in vita, paſſim occurrens, caue ne incautus incidas. Audi Salomonem: *Fouea profunda eſt meretrix, & puteus anguſtus aliena*, &c. Fugit auis laqueos, fuge vitij huius omnes occaſiones. Laquei enim ſunt, quibus blandè ac facilè capiuntur, ni caueant, etiam illi, qui volant. *Inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum eſt, & ſagena cor eius. Vincula ſunt manus illius. Qui placet Deo effugiet illam, qui autem peccator eſt capietur ab illa*, &c. Victima tartari homo eſt huic addictus ſceleri; iuxta illud de iuuene vecorde: *Sequitur eam*, id eſt, feminam, *quaſi bos ductus ad victimam*, &c. ô miſerum hominem! ſiue potiùs, ô ſtultum bouem! qui ad oblectationem ſe duci putat, cum ducatur ad victimã & macellum. ô infelicem Herodem! qui ſicut ſtultus bos Herodiadem ſecutus eſt, & ſicut ferox taurus percuſſus œſtro ſanctiſſimum Heroem Ioannem inuaſit atque occidit. Ad victimam tartareúmque macellum cum nominis, facinoriſque conſorte Herodiade, Herodes ductus acerbiſſimas iam luit pœnas. Alieno exemplo tibi caue.

Ecclꝛ. 7.

Victima tartari libidinoſus.

Prou. 7.

Fugienda libido.

CAPVT XVIII.

De reditu diſcipulorum, & Chriſti diſceſſu trans mare.

MATTHÆVS CAP. XIV.

QVod cùm audiſſet Ieſus, receſſit inde in nauiculam in locum deſertum ſeorſum: & cùm audiſſent turbæ, ſecutæ ſunt eum pedeſtres de ciuitatibus.

MARCVS CAP. VI.

ET conuenientes Apoſtoli ad Ieſum, renuntiauerunt ei omnia, quæ egerant, & docuerant. Et ait illis: Venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite puſillum. Erant enim qui veniebant, & redibant multi: & nec ſpatium manducandi habebant. Et aſcendentes in nauim abierunt in deſertum locum ſeorſum. Et viderunt eos abeuntes, & cognouerunt multi, & pedeſtres de omnibus ciuitatibus concurrerunt illuc, & præuenerunt eos.

LVCAS CAP. IX.

ET reuerſi Apoſtoli, narrauerunt illi quæcumque fecerunt. Et aſſumptis illis receſſit ſeorſum in locum deſertum, qui eſt Bethſaidæ. Quod cùm cognouiſſent turbæ, ſecutæ ſunt illum.

POST Baptiſtæ necem, illius diſcipuli ad Chriſtum venerunt, occiſumque ab Herode magiſtrum nuntiarunt. hoc Matthæus cap. 14. narrat. Redierunt præterea Apoſtoli, quos ad docendum miſerat, vt narrant Marcus cap. 6. & Lucas cap. 9. *Et renuntiauerunt ei* (ait Marcus) *omnia quæ egerant & docuerant*. Chriſtus verò in deſertum receſſit locum, trans mare Tiberiadis.

Marci 6.

Matth. 14. SECESSIT *inde in nauiculam*. Quæritur, huius Chriſti receſſus, quæ fuerit cauſa? ex D. Marco colligimus cauſam fuiſſe Apoſtolorum quietem, qui à labore docendi redierant. Sic enim ſcribit: *Et conuenientes Apoſtoli ad Ieſum renuntiauerunt ei omnia, quæ egerant & docuerant. Et ait illis: Venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite puſillum*, &c. Deſertum autem locum petere opus fuit, quòd confluentium multitudo quietem capere non ſineret. *Erant enim, vt Marcus ait, qui veniebant ad Chriſtum, & redibant multi, & nec ſpatium manducandi habebant.* *Ibid.*

Chriſtus cũ Apoſtolis cur receſſerit?

Marci 6.

Alteram huius receſſus cauſam, innuit Matthæus fuiſſe nuntium acceptum de nece Baptiſtæ, *Venientes*, inquit, *diſcipuli Ioannis nuntiauerunt Ieſu. Quod cùm audiuiſſet Ieſus, receſſit inde in nauicula in locum deſertum ſeorſum*, &c. Chriſtus (inquit Metaphraſtes) vtpote ex eo dolore affectus, non amplius patitur manere in regione. Sed illinc ſurgit protinus, & vnà cum diſcipulis nauem conſcendens venit in deſertum locum, & ſe & illos quiete recreans, & veluti conſolans mœſtitiam, &c. Similiter Nicephorus libro 1. cap. 19. Cùm, inquit, audiuiſſet Chriſtus, ea quæ Ioanni accidiſſent, magnum de eo concepit mœrorem,

Matth. 14.

Metaph.

Nicepha

mœrorem, & nauigio conſcenſo in locis deſertis A mare Galilææ erat, appellatam vulgò regionem
verſatus eſt, &c. Nouerat quidem Dominus Ioannem & occidendum, & occiſum: ſed dolorẽ tunc, humano more, voluit concipere, ac præ ſe ferre, cùm de cæde nuntium audiuit à diſcipulis.

Hieron. D. Hieronymus Matth. 14. alias cauſas huius receſſus affert his verbis: Receſſit Chriſtus parcens inimicis ſuis, ne homicidio homicidium iũgerent (videlicet homicidio Ioannis, homicidiũ Chriſti) vel in diem Paſchæ ſuum interitum differens. Siue ideo receſſit, vt nobis præberet exemplũ vitandæ vltro tradentium ſe temeritatis. Quia non omnes eadem conſtantia perſeuerãt in tormentis, qua ſe torquendos offerunt. Eleganter quoque Euangeliſta non ait, fugit, ſed receſſit, vt perſecutores vitauerit magis, quàm timuerit, &c. At verò ſciebat Chriſtus nullum ſibi ab Herode imminere periculum, quippe qui videre illũ quærebat, vt ait D. Lucas c. 23. non vt occideret, ſed vt agnoſceret, & miraculum aliquod cerneret. *Erat*, inquit, *cupiens ex multo tempore videre eum, eò quòd audierat multa de eo, & ſperabat ſignum aliquod videre ab eo fieri*, &c. Non igitur Herodis inſidias vitauit Dominus, quia nullas moliebatur: neque Ioannem occidiſſet, niſi ipſum arguiſſet. Quòd ſi illud obiicias Phariſæorũ dictum, *Exi, & vade hinc, quia Herodes vult te occidere.* Reſpondebitur, Phariſæos finxiſſe.

Chriſtus quas ob cauſas cum Apoſtolis receſſum petierit.

Luca 23.

Luca 13.

Marci 6. REQVIESCITE *puſillum. Venite*, ait Dominus, C
Ibid. *in deſertum locum, & requieſcite puſillum.* Eſt enim à labore nonnumquam quieſcẽdum, relaxandusque animus. Plutarchus in lib. de educãdis liberis: Laboribus, inquit, condimentum eſt otium. Idque non in animantibus ſolùm, ſed etiam in iis, quæ anima carent, fieri conſpicies. Arcus enim, lyráſque remittimus, vt tendere poſſimus, &c. Vnde D. Gregorius Iob 38. ad illa verba: *Quis tetendit ſuper eam lineã.* Ex ſtudio arcus diſtenditur, vt in ſuo tempore cum vtilitate tẽdatur. qui ſi otium relaxationis non accipit, feriendi virtutem ipſo vſu intentionis perdit, &c. Seneca lib. 1. de tranquillitate vitæ, cap. 15. Danda, inquit, eſt animis remiſſio; meliores acrioréſque requieti ſurgent. Vt fertilibus agris non eſt imperandum, cito enim exhauriet illos numquã intermiſſa fœcunditas: ita animorum impetus, aſſiduus labor frãgit, &c. Sed animaduerte Domini verba: *Requieſcite*, ait, *puſillum.* Longus nimirum labor, puſilla quiete eſt intermittendus.

A labore quieſcendũ, ſed puſillũ.

Gregor. Iob 38.

Marci 6.

Luca 9. SECESSIT *in locum deſertũ, qui eſt Bethſaidæ.* Matthæus ait Dominum in nauicula receſſiſſe in deſertũ locum: idem affirmat Marcus; Lucas hunc locum aſſerit fuiſſe Bethſaidæ ciuitatis, quæ patria D. Petri fuit & D. Andreæ. Difficile eſt dubiũ. Num Chriſtus mare Galilææ tranſierit, abierítque in ripam vlteriorem, an verò in deſertum aliquem locum nauigarit, qui in citeriori lacus ripa eſſet? Beda Marci 6. arbitratur in vlteriorem ripam non tranſiſſe. Abulenſis & Maldonatus in eadem ſunt opinione. Probatur opinio; primò, quoniam, vt ait Matthæus, viderunt Chriſtum & Apoſtolos abeuntes multi, *& pedeſtres de omnibus ciuitatibus concurrerunt illuc, & præuenerũt eos.* Pedeſtres ſecuti ſunt Chriſtum nauigantem, ergo Chriſtus non tranſiit in vlteriora maris littora, in quæ vt traiicerent, cymbis erat opus. Secundò, quoniam Lucas affirmat Chriſtum receſſiſſe *in deſertum locum, qui eſt Bethſaidæ.* Bethſaida verò in citeriori lacu, ſiue maris Galilææ ripa eſt ſita. At mare traieciſſe Chriſtum, & in vlteriorem regionem perueniſſe oſtenditur ex Ioanne: ſic ille de hac nauigatione ſcribit: *Abiit Ieſus trans mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis.* Quid dici potuit clarius? *Abiit trans mare*: ergo in vlteriorem regionem tranſiit. Interpres quidam ait regionem, quæ Cis

An Chriſtus in vlteriorẽ ripam lacus tranſierit?

Marci 6.

Luca 9.

Ioan. 6.

trans mare, eo quòd Hebræis ex Ægypto venientibus trans mare fuerit. Coniectura tenuis eſt, nec placet. Non enim eſt ſimile vero Iudæos ad illa tam antiqua tempora reſpexiſſe, ſermonémque ita inuertiſſe, vt ripam, quæ citerior erat, appellarent vlteriorem. Præterea ex Scriptura refutatur hæc opinio, in qua regio, quæ vltra mare & Iordanem eſt, trans Iordanem eſſe aſſeritur. Deuter. 1. Num. 14. Deut. 3. & aliis locis.

Reſpondeo Chriſtũ vltra mare nauigaſſe, quod *Deſertum Bethſaidæ vbi fuerit.* apertè Ioannes ſcribit. Turbam verò illam pedeſtrem, per pontem, aut per vadoſa aliqua Iordanis loca fluuium tranſiiſſe. At non legimus in Iordane B vllum fuiſſe pontem, præter pontem Tiberiadis, qui longè diſtabat. Fatemur non legi, attamen ex hoc loco fuiſſe coniicitur. Nec etiam legimus regionem, quæ Cis mare erat, appellatam trans mare: attamen ſic appellatam ipſe interpres coniicit. Adde ex Adrichomio in deſcriptione tribus Nephthalim num. 78. pontem fuiſſe, quo ex vrbe Capharnaum in ciuitatem Corozaim tranſitus erat, id eſt, in vlteriorem maris, ſiue lacus ripam. Nam Corozaim in vlteriore ripa ſita fuit. Per hunc igitur pontem pedeſtris turba tranſire potuit. Pons fuit (ait Adrichomius) quo ex vrbe Capharnaum per Iordanem in ciuitatem Corozaim tranſitus erat: vbi receptores nomine Romanorum à tranſeuntibus vectigal accipiebant, &c. Illud quod ex Luca opponitur, *Receßit in deſertum locum, qui eſt Bethſaidæ*, ſic exponitur; Receſſit in deſertũ locum, qui è regione erat Bethſaidæ, & ad Bethſaidam pertinebat. Bethſaida quidem in citeriore littore erat, deſertus verò locus in vlteriore: qui quoniam ciuitatis poſſeſſio fuit, Bethſaidæ locus à Luca dicitur. Adrichomius in deſcriptione tribus Nephthalim num. 69. ſic hac de re ſcribit: Mons Chriſti, ſic dictus, quòd Chriſtus in eo ſolitus ſit orare & prædicare, abeſt à Capharnaum tribus milliaribus, non procul à mari Galilææ. Hic diuina oratione integras noctes Chriſtus traxit, hic Apoſtolos duodecim elegit, hic inſigni ſermone de Beatitudinibus, & Euangelicis perfectionibus differuit. Sunt D qui Chriſtum in hoc quoque monte quinque panibus & duobus piſcibus, quinque hominum millia ſatiaſſe cenſent, ideóque locum hunc Chriſti & Apoſtolorum menſam vocant. Quod tamẽ vltra mare Galilææ factum eſſe ex Matthæi, Marci, & Ioannis Euangelio manifeſtè patet, qui ſcribunt Dominum mare cum Apoſtolis traieciſſe, atque peracto hoc miraculo Apoſtolos rurſus idẽ mare tranſnauigaſſe. Hæc ille. Et in deſcriptione tribus Manaſſe nu. 44. aſſerit deſertũ Bethſaidæ, in quod Chriſtus nauigauit, locum eſſe ciuitatis Bethſaidæ tranſmarinum, vt nos exiſtimamus. Ibique miraculum editũ ſcribit. Aliter, dicitur, Chriſtũ abiiſſe trans mare Tiberiadis, quamuis in vlteriorem ripam non tranſierit; videlicet, quòd trans aliquem maris illius ſinum nauigauerit, qui in citeriore ripa eſſet. Ille ſinum traiecit ſcapha, turba per longum circuitum pedeſtris eumdem in locum peruenit. Sed Ioannes trans mare abiiſſe refert, non trans ſinum maris: ideo non placet interpretatio.

Deſertum Bethſaidæ vbi fuerit.

Pons in Iordane fluuio fuiſſe dicitur.

Adrichom.

Luca 9.

Deſertum Bethſaidæ vbi fuerit.

Adrichom.

Mõs Chriſti cur ſic dictus ſit.

SECVTÆ *ſunt eum turbæ.* Abeuntem trans mare *Matth. 14. & Luca 9.* Chriſtum, turbæ magno concurſu ſecutæ ſunt, vel per pontem, vt diximus, vel per vadoſa Iordanis loca tranſeuntes. Addit Marcus; *Et præuenerunt eos*, hoc eſt, prius in vlteriorẽ ripam peruenerunt, quàm Chriſtus & Apoſtoli. Nam Chriſtus in mari quietis gratia cum diſcipulis moratus eſt, liber à turbæ confluxu, nec feſtinare voluit. Ideo turba præuenit ex omnibus propinquis ciuitatibus.

Marci 6.

LIBER DECIMVS.

CAPVT PRIMVM.

Saturat Dominus quinque millia hominum.

MATTHÆVS CAP. XIV.

ET exiens vidit turbam multam, & misertus est eis, & curauit languidos eorum. Vespere autem facto accesserunt ad eum discipuli eius, dicentes: Desertus est locus, & hora iam præteriit, dimitte turbas, vt euntes in castella emant sibi escas. Iesus autem dixit eis: Non habent necesse ire, date illis vos manducare. Respondérunt ei: Non habemus hic nisi quinque panes, & duos pisces. Qui ait eis: Afferte mihi illos huc. Et cùm iussisset turbam discumbere super fœnum, acceptis quinque panibus, & duobus piscibus, aspiciens in cælum benedixit, & fregit, & dedit discipulis panes, discipuli autem turbis. Et manducauerunt omnes, & saturati sunt. Et tulerunt reliquias duodecim cophinos fragmentorum plenos. Manducantium autem fuit numerus, quinque millia virorum, exceptis mulieribus & paruulis.

MARCVS CAP. VI.

ET exiens vidit turbam multam Iesus, & misertus est super eos, quia eruat sicut oues non habentes pastorem, & cœpit illos docere multa. Et cùm iam hora multa fieret, accesserunt discipuli eius, dicentes: Desertus est locus hic, & iam hora præteriit, dimitte illos, vt euntes in proximas villas & vicos, emant sibi cibos, quos manducent. Et respondens, ait illis: Date illis vos manducare. Et dixerunt ei: Euntes emamus ducentis denariis panes, & dabimus illis manducare. Et dicit eis: Quot panes habetis? ite & videte. Et cùm cognouissent, dicunt: Quinque, & duos pisces. Et præcepit illis, vt accumbere facerent omnes secundùm contubernia, super viride fœnum. Et discubuerunt in partes per centenos & quinquagenos. Et acceptis quinque panibus, & duobus piscibus, intuens in cælum, benedixit, & fregit panes, & dedit discipulis suis, vt ponerent ante eos; & duos pisces diuisit omnibus. Et manducauerunt omnes, & saturati sunt. Et sustulerunt reliquias fragmentorum duodecim cophinos plenos, & de piscibus. Erant autem, qui manducauerunt quinque millia hominum.

LVCAS CAP. IX.

QVod cùm cognouissent turbæ, secutæ sunt illum. Et excepit eos, & loquebatur illis de regno Dei, & eos, qui cura indigebant, sanabat. Dies autem cœperat declinare. Et accedentes duodecim dixerunt illi: Dimitte turbas, vt euntes in castella villásque, quæ circa sunt, diuertant, & inueniant escas: quia hic in loco deserto sumus. Ait autem ad illos: Vos date illis manducare. At illi dixerunt: Non sunt nobis pluſquam quinque panes & duo pisces. Nisi fortè nos eamus, & emamus in omnem hanc turbam escas. Erant autem ferè viri quinque millia. Ait autem ad discipulos suos: Facite illos discumbere per conuiuia quinquagenos. Et ita fecerunt. Et discumbere fecerunt omnes. Acceptis autem quinque panibus & duobus piscibus, respexit in cælum, & benedixit illis, & fregit, & distribuit discipulis suis, vt ponerent ante turbas. Et manducauerunt omnes, & saturati sunt. Et sublatum est, quod superfuit illis, fragmentorum cophini duodecim.

IOANNES CAP. VI.

POst hæc abiit Iesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis. Et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur. Subiit ergo in montem Iesus: & ibi sedebat cum discipulis suis. Erat autem proximum Pascha dies festus Iudæorum. Cùm subleuasset ergo oculos Iesus, & vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Vnde ememus panes, vt manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat, quid esset facturus. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, vt vnusquisque modicum quid accipiat. Dicit ei vnus ex discipulis eius, Andreas frater Simonis Petri: Est puer vnus hic, qui habet quinque panes ordeaceos, & duos pisces: sed hæc, quid sunt inter tantos? Dixit ergo Iesus: Facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia. Accepit ergo Iesus panes: & cùm gratias egisset, distribuit discumbentibus: similiter & ex piscibus quantùm volebant. Vt autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite, quæ superauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinque panibus ordeaceis, quæ superfuerunt his, qui manducauerant. Illi ergo homines cùm vidissent, quòd Iesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum. Iesus ergo cùm cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus.

Pascha quartum à baptismo Christi hic incipit. Ioan. 6.

HOc libro decimo gesta Christi enarrare incipimus, à quarto Paschate, quod proximum fuit miraculo celebri. *Erat*, inquit Ioannes, *proximum Pascha dies festus Iudæorum*, &c. Pascha, inquam, erat quartum à baptismate Christi, vt diximus libro 9. cap. 16.

Ibid.

ABIIT *trans mare Tiberiadis*. De mari Tiberiadis, siue Galileæ egimus lib. 5. cap. 4. huius tomi. Appellatur mare Tiberiadis à ciuitate Tiberiade, mari siue lacui vicina. Fuit hæc ciuitas ex duabus maximis Galilææ, auctore Iosepho in libro de vita sua, Galilææq; metropolis Herodis Tetrarchæ tempore, à quo est exædificata, vt idem Iosephus docet lib. 18. Antiq. cap. 3. dictáque Tiberias in gratiam Tiberij Cæsaris Romanorum Imperatoris, in cuius amicitiam Herodes fuerat receptus.

Tiberias metropolis Galilææ.

Abiisse autem Christum trans mare Tiberiadis Ioannes ait, quoniam fortè propè Tiberiadem nauigauit. Et quidem ex Nicephoro colligitur, locum miraculi prope hanc fuisse vrbem. Eius enim verba hæc sunt lib. 8. cap. 30. Helena Tiberiadem venit, vbi δωδεκάθρονον, id est, duodecim thronorum templum statuit, quo loco Christus quinque hominum millia pauit, &c. Adrichomius in descriptione tribus Nephthalim num. 69. Nonnulli inquit, miraculum hoc iuxta Tiberiadem ciuitatem contigisse autumant, &c. Sed ex D. Luca constat, in deserto loco Bethsaidæ patratum, vt vidimus in fine libri præcedentis. Quia tamen Helenæ illud factum auctoritate mouet, dici potest, desertum illum locum Bethsaidæ fuisse, id est, ad Bethsaidæ possessiones pertinuisse, quamuis Tiberiadi propinquus esset. Quod si verum est, potuit turba illa pedestris per pontem Tiberiadis in vlteriorem ripam lacus transire. Qua de re suprà habitus sermo est.

Miraculum editū propè Tiberiadē.

Matth. 14. & Mar. 6.

EXIENS *vidit turbam multam*. Quæstio est, de quonam exitu Matthæus loquatur & Marcus. A Iansenius cum Caietano arbitratur, Christum ex secretiori deserti loco, in quem secesserat, exiisse, & venisse ad turbas, idem sentit Carthusianus. Euthymius putat, exiisse ex mõte, in quem ascenderat, vt Ioannes scribit capite 6. Verisimilior est opinio Abulensis & Maldonati, loqui Euangelistas de exitu ex cymba. Nam exitus ex deserto aut monte, non satis proprie dicitur. Itaque exiens ex cymba Dominus vidit turbam, quæ præuenerat. Lucas ait, turbam excepisse, quoniam ex cymba egressus ad turbam venit. Addit Marcus: *Et misertus est super eos, quia erant sicut oues, non habentes pastorem. Et cœpit illos docere multa*. Matthæus adiicit: *Misertus est eis, & curauit languidos eorum*. Lucas similiter: *Loquebatur*, inquit, *eis de regno Dei, & eos, qui cura indigebant, sanabat*. *Marci 6.* *Matth. 14.* *Luca 9.*

B

SVBIIT *ergo Iesus in montem*. Exiens ex scapha Christus, hominum illam multitudinem docuit, multisque sanitatem contulit, vt ex aliis Euangelistis compertum est. Postea, vt ait Ioannes, in montem ascendit cum discipulis, quietis gratia: ibique ad vespertinum vsque tempus mansit. Vesperi, vt Matthæus scribit, & vt scribit Lucas, die declinare incipiente, discipuli turbam, vt dimitteret, suggesserunt, ad emendas escas. Christus verò: *Vos*, inquit, *date illis manducare*: vt Matthæus, Marcus, & Lucas scribunt. Discipuli responderunt, vt Marcus testatur: *Euntes emamus ducentis denariis panes, & dabimus illis manducare*. Quæ verba diuus Augustinus libro secundo de consensu Euangelistarum, cap. 46. soli Philippo tribuit: Marcum putat numero multitudinis vsum, quòd vellet intelligi Philippum ex ore ceterorum dedisse responsum. Sed satiùs est pluribus Apostolis ea tribuere. *Ioan. 6.* *Marci 6.*

C

ERAT *autem proximum Pascha*. Diuus Augustinus sermone primo de Epiphania ait, miraculum, quod hoc loco Ioannes narrat, factum eo die, quo in nuptiis aqua in vinum conuersa est, alio tamen anno. At miraculum nuptiarum diximus sexta *Ioan. 6.* *Miraculum quinque panum quādo editum.*

Ianuarij die editum, longè ante Paſcha, hoc autem prope Paſcha eſt patratum; ergo non eadem die. Diuus Cyrillus libro 3. in Ioannem capite 11. non legit, *Paſcha*, ideóque exiſtimat hoc feſtum eſſe tabernaculorũ, quod menſe ſeptimo celebrari ſolebat. Sed legendum eſt: *Erat autem proximum paſcha dies feſtus*, &c. vt Græci, Latiniſque habent codices, & correcta editio. Fuit igitur hoc feſtum abſque dubio Paſcha.

Ioan. 6.

Ibid. CVM *ſublenaſſet oculos Ieſus*: Poſt illud diſcipulorum reſponſum, factum hoc eſt, quod Ioannes ſcribit. Oculos Chriſtus in multitudinẽ illam hominum, fœminarumque coniecit: deinde Philippum interrogauit: *Vnde ememus panes, vt manducent hi?* ille iuxta reſponſum ab aliis diſcipulis redditum, reſpondit: *Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, vt vnuſquiſque modicum quid accipiat.* Denarius continet duos vintens, ducenti denarij ſummam efficiunt aureorum viginti.

Ibid.

An Apoſtoli habuerint ducentos denarios.

Quæritur: num Apoſtoli pecuniæ hanc ſummam habuerint? habuiſſe enim nonnulli interpretes volunt. Probatur, quia tùm alij tùm Philippus, ducentorum tantum denariorum mentionem faciunt; videlicet, quod illos haberent. Si enim non haberent, ſane aliquam multò maiorem pecuniæ ſummam, qua tot hominibus cibus emi poſſet, protuliſſent, videlicet centum denariorum millia, vel ſimilem. Illa etiam verba hoc indicant: *Marci. 6.* *Euntes emamus ducentis denariis panes; & dabimus illis manducare.* quaſi dicãt: habemus in loculis denarios ducentos, his panes toti turbæ cõparabimus. Veriſimilis eſt hæc opinio, & caritati Apoſtolorum conſentanea. Credi ergo fas eſt, Apoſtolos habuiſſe tunc temporis ducentos denarios, eóſque voluiſſe in panes impendere, vt turbam paſcerent. Philippus verò cùm videret pecuniam non eſſe ſatis, reſpondit in hanc ſententiam, Ducentos habemus denarios, ſed ducentis denariis empti panes, tot hominibus paſcendis, ſufficere minime poſſunt.

Eſt & ſecunda opinio, Apoſtolos dixiſſe, ſe ducentis denariis empturos panes, quòd exiſtimarẽt illam pecuniæ ſummam facile poſſe à viris probis, & Chriſti ſtudioſis colligi, id quod minus probabilitatis habet.

Tertia opinio eſt D. Thomæ, Lyrani, Ianſenij, Carthuſiani, Maldonati, & Caietani, qui negant Apoſtolos ducentos denarios habuiſſe. Item D. Cyrillus ſic ſcribit in Ioannẽ, *Vnde ememus panes?* dixit Chriſtus, vt paupertatem diſcipulorum oſtenderet, qui iam pridem colligendi æris abiecto ſtudio, vnde emerent non habebant, &c. hæc ſententia placet magis. Videntur enim diſcipuli pecunia caruiſſe, exiſtimaſſe verò tantæ hominum multitudini cibum ſuppeditari non poſſe. Illa verba: *Euntes emamus ducentis denariis panes, & dabimus illis manducare:* quaſi per ironiam dere, quam impoſſibilem arbitrabantur, dicta ſunt hoc ſenſu; euntes ememus panes ducentis denariis, quos non habemus. Sic etiam intellige illa apud Lucam, *Niſi fortè nos eamus, & emamus in omnem hanc turbam eſcas*, &c. Sine ironia intelligi poſſunt, ſi velimus Apoſtolos exiſtimaſſe Chriſtum pecuniam emendis panibus fuiſſe largiturum. Maiorem verò argenti ſummam proferre opus non fuit, quoniã ea illis magna viſa eſt.

Ioan. 6. *Apoſtoli nõ habuerunt in loculis ducentos denarios.* *Marci 6.* *Luca 9.*

Ioan. 6. HOC *dicebat tentans eum.* Tentaſſe dicitur Chriſtus Philippum, quoniam illius fidem, quamuis ſibi ſatis notam, interrogatione exploratuit. Oportuerat Philippum ſic reſpondere; Domine non indiges emptis panibus; potes cibos non huic ſolùm multitudini, ſed toti etiam orbi ſuppeditate. Rogas, vnde habere panes poſſis? Ex nihilo facere; ex nihilo per infinitam potentiam, qua præditus es, A habere potes. Nec eſt tibi pecunia opus, qua emas, nec materia vlla, ex qua facias. At longè ſecus reſpondit: *Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt*, &c. Chriſti interrogantis potentia minimè cõſiderata. *Ioan. 6.*

Cur Chriſtus Philippum interrogarit.

Cur autem Philippum, potius quàm alium ex Apoſtolis interrogarit, incertum eſt. Diuus Cyrillus in Ioannem, rationem reddit his verbis. Libenter Philippus diſcebat, quærebatque ſæpius. Sed non erat adeò acutus, vt altiora poſſet intelligere. Quod inde patet, quia magno tempore Saluatorem ſecutus, & varia Deitatis eius ſigna indies aſpiciens, & tam rebus, quàm verbis ad cognitionem attractus, quaſi nihil adhuc didicerit, in vltimo fere diſpenſationis tempore, dicit ad Ieſum, *Domine oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis.* Vt ergo ru- B diorem, ad ſublimiora ingenio conſequenda, & ad fidem vocans, & roborans, rogat, &c. Et Theophylactus: Non alium, inquit, interrogat Chriſtus quàm Philippum, ipſe enim maiore indigebat eruditione. &c. Hæc tamen cauſa valdè incerta eſt. Forſitan Philippum interrogauit, quòd eius patria Bethſaida eſſet, & loca illa haberet explorata, vnde cibus comparari poterat. forſitã quia in cibo comparando erat peritior. Sed mirum, cur Iudam Dominus non interrogauerit, qui habebat loculos. ad eum enim hæc interrogatio pertinere videbatur. *Ioan. 14.*

Duplex tentadi modus.

Obſerua duplex eſſe tentandi genus, alterum ad malum, quod dæmonis eſt, alterum ad probandam, oſtendendamque virtutem, quod eſt Dei. hoc C modo Abrahamum tentauit, & Philippum. Lege D. Gregorium 28. Mor. cap. 5. Auguſtinum tractat. 43. in Ioannem, & epiſt. 146. & libro ſecundo de ſermone Domini in monte, capite 14.

Ioan. 6. *Puer ſignificat famulum.* *Matth. 14.* *Pſal. 112.*

EST *puer vnus hic, qui habet quinque panes.* Puer in diuinis literis famulum ſignificat. *& ait Herodes pueris ſuis*, id eſt, famulis. *Laudate pueri dominum*, id eſt, ſerui Dei laudate Deum. Hoc igitur loco puer ex ſententia Abulenſis Matth. 14. quæſt. 83. famulum ſignificare poteſt, in hanc ſententiam: *Eſt puer vnus hic*, id eſt, ſeruus tuus, videlicet ex Apoſtolis aliquis, qui panes quinque habet, & duos piſces. Chriſtus etiam Apoſtolos pueros vocat illis verbis: *Pueri numquid pulmentarium habetis?* Sed ſatius eſt exiſtimare, puerum aliquem in ea turba fuiſſe, qui hos D panes, & piſces haberet, Euthymius venales habuiſſe ſentit. His videntur obſtare Marci verba, *& dicit eis*: ſcilicet Chriſtus diſcipulis: *Quot panes habetis? ite, & videte. & cum cognouiſſent, dicunt: Quinque, & duos piſces*, &c. Matthæi 14. reſpondent: *Non habemus hic, niſi quinque panes, & duos piſces.* Luc. *Non ſunt nobis pluſquàm quinque panes, & duo piſces. Niſi fortè nos eamus, & emamus in omnem hanc turbam eſcas*, &c. Ergo Apoſtoli quinque panes habebant, & duos piſces; non autem puer. Reſpondet Euthymius, puerum illum venales habuiſſe panes, ac piſces; atque ideò Apoſtolos dixiſſe, quinque habemus panes, & duos piſces: quæ reſponſio veriſimilis eſt. Apoſtoli enim, quia facilè à puero panes habere poterant, reſponderunt, habere ſe quinque panes; & duos piſces. E Vel ſignificabant his verbis, eſſe in turba illa, illos panes, & piſces. Vero ſimilius, puerum alicuius Apoſtoli fuiſſe conſanguineum, & comitem, qui panes illos, & piſces in cibum Apoſtolorum ferebat. Itaq; panes, & piſces Apoſtolorum erant, non pueri, venales. Forte illis miſerat aliquis eleemoſynam illam. *Vnde nam habuerint Apoſtoli quinq; panes, & duos piſces?* *Marci 6.* *Matth. 14.* *Luca 9.*

Chriſtus igitur Apoſtolos rogauit, vt ait Marcus, *Quot panes habetis?* iuſſit videre: *Ite & videte*, iuerunt, & viderunt habere puerum quinque panes, & duos piſces. Ideóque reſponderunt: *Non habemus niſi quinque panes, & duos piſces.* Andreas verò pueri portantis mentionem fecit: *Eſt puer vnus hic, qui habet* *Marci 6.* *Matth. 14.* *Ioan. 6.*

quinque panes ordeaceos, & duos pisces. Sed hæc quid sunt inter tantos? id est, inter tot homines, & fœminas. Aliter dici potest, Andream solũ nomine reliquorum, locutum, vt scribit Ioannes. Cæteros verò Euangelistas omisso puero, scripsisse, Apostolos respondisse, non habemus nisi quinq; panes, & duos pisces: quia id Andreas dixerat, nomine aliorum.

Ioan. 6. FACITE *homines discumbere.* Præludia quędam miraculi præmissa sunt, vt Apostolis miraculi magnitudo clarius fieret perspecta. Ideo Christus interrogauit, vnde panes emere possent. Itemque, quot haberent panes. Perspectum igitur iam erat, non posse reperiri in solitudine illa, tot hominibus pascendis cibum. Tunc, iussit discumbere conuiuas humi, in viridi herba. *Erat*, ait Ioannes, *fœnum multum*, id est, viridis herba, *in loco.* B *Ioan 6.* *Marc. 6.* Et Marcus: *Et præcepit illis*, scilicet Christus Apostolis, *vt accumbere facerent omnes, secundum contubernia, super viride fœnum.* Apostoli enim in partes & contubernia, siue conuiuia, quinque hominum millia diuiserunt.

Præludia miraculi.

Ibid. SECVNDVM *conturbernia.* Græcè συμποσία, συμπόσια, id est, conuiuia, conuiuia; geminatio multitudinem indicat. Præcepit Dominus Apostolis, vt permixtam sine ordine multitudinem in ordinem, & varia conuiuia, siue contubernia redigerent. Conturbernium nomen castrense, significans decem milites, sub vno degentes papilone: quibus decanus, siue decurio præerat. Vnde pro conuictu sumitur, siue sodalitate.

Contubernium quid.

Marci 6. DISCVBVERVNT *in partes.* Græcè discubuerunt πρασιὰι πρασιὰι, hoc est *areolæ, areolæ.* Significant enim, πρασιὰ, aream, siue areolam hortorum, siue quadratam dispositionem in formam laterculi. Translatè sumitur hoc sensu: Discubuerunt per areas, siue areolas dispositi, quasi areolatim. Hoc est, quod interpres dixit: *discubuerunt per partes.* In quibusdam verò partibus centum erant homines; in aliis quinquaginta, *Discubuerunt in partes* (Diuus Marcus) *per centenos, & quinquagenos.* Per singulos enim discubitus, centum edebant, vel quinquaginta viri, discretis locis siue areolis; ita vt facile numerari possent. Ipsi Apostoli cùm illos in varia conturbernia distribuerunt, quinque millia numerarunt, exceptis fœminis, ac paruulis, vt Matthęus docet. Cũverò per centenos, & quinquagenos discubuerint, Lucas per quinquagenos discubuisse scribit: *Facite*, inquit Dominus apud Lucã, *illos discumbere per conuiuia, quinquagenos. Et ita fecerunt*, &c. Vtrumq; dixit Christus; quod scribit Marcus, & quod scribit Lucas. Et vtrumq; factum est. Nam per quinquagenos discubuerunt, & per centenos. Magis autem per quinquagenos.

Quomodo discubuerint quinque millia hominum.

Marci 6.

Luca 9.

Ioan. 6. CVM *gratias egisset.* Postquam conuiuæ per diuersa loca illius eremi; veluti per diuersos lectos, siue herbaceos thoros, distributi sunt ab Apostolis; paucos illos panes, & pisces, accepit Christus, deinde in cælum oculos sustulit, vt Matthæus ait, ostendens à Deo bonorum omnium fonte cibum hominum emanare, petens etiam à Patre, vt cibum illum multiplicaret. Gratias quoque egit, εὐχαριστήσας, vt ait Ioannes, pro beneficio, etsi nondum collato, tamen conferendo statim, id est, pro cibo, illi turbæ largiendo. Præterea benedixit panibus, vt ait Lucas, εὐλόγησεν αὐτοῖς, benedixit illis, scilicet, panibus multiplicationem imprecando, & imperando. Est qui existimet verbum, εὐχαριστῆν, quo Ioannes vsus est, non significare hoc loco Christum gratias egisse: sed gratiam Patris in panes, vt multiplicarentur, inuocasse. Dicendum, verbum, εὐχαριστέω, significare gratias agere, vt compertum est, quamobrem in-

Ioan. 6. *Gratias egit Christus.*

A terpres noster vertit: *cum gratias egisset.* Gratias igitur egit Christus. Præterea panibus benedixit, & patris gratiam inuocauit.

DEDIT *discipulis panes, discipuli autem turbis.* Postquam Christus gratias egit, panibusque benedixit, & piscibus; panes fregit, pisces in partes diuisit, Apostolisque tradidit. Matthæus ait: Apostoli turbæ distribuerunt. Ita verò tum panes, tum pisces multiplicati sunt, vt cophinos duodecim fragmentorum Apostoli duodecim post turbam saturatam collegerint. Si quæras, quonam modo panes, piscesque sint multiplicati? Respondetur, vel per creationem ex nihilo fuisse multiplicatos, multis panibus piscibusque nulla ex materia creatis. Vel per conuersionem aëris, aut terræ in panes, & pisces. Hoc secundo modo multiplicatos putat Abulensis quæst. 103. Facta est autem multiplicatio, in manibus Christi, & Apostolorum distribuentium, in ipsis quoque cophinis, quibus panes ferebant. *Matth. 14.* *Quomodo facta sit multiplicatio panis & piscium.*

Vinum non præbuit Dominus, quoniam necessarium non est: neque aquam miraculo facere voluit, quia propinquus erat lacus siue mare Galilææ, aquæ potabilis. Rectè Dionysius Carthusianus Ioan. 6. Certum, inquit, videtur, quòd si non habuerunt aliunde potum, quòd Christus dedit istis cibis, virtutem agendi, quod efficit potus, ita quòd sitim perpessi non sunt. Opera nempe Christi perfecta fuerunt. Quos ergo refecit, perfectè refecit. hæc ille. *Potum an præbuerit Dominus.*

C COLLIGITE *quæ superauerunt fragmenta.* Ex panibus, duodecim cophinos superfuisse ait Ioannes, de piscibus tacet. Sed ex piscibus etiam multa superfuere fragmenta, quamuis id Ioannes silentio præterierit. Etenim par erat in piscibus, & panibus ratio. Ex Marco hoc colligitur. Sic ille scribit, *Et sustulerunt reliquias fragmentorum, 12. cophinos plenos, & de piscibus*, &c. *Ioan. 6.* *Marci 6.*

FVGIT *iterum in montem ipse solus.* Cognouit turba quinque tantùm panes, duosque pisces Christo traditos, in illam copiam exuberasse. Admirabili igitur opere conspecto, prophetam esse confessa est illius patratorem: prophetam, inquam, illum, qui in mundum erat venturus, hoc est Messiam, de quo Moyses scripserat; *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicuti me, suscitabit tibi Dominus Deus*, &c. Regem prætereà illum creare decreuerunt, qui facilè posset regnum cibi copia complere. At Christus id sciens regnum fugit temporarium, in montemque recessit solus, hoc est, sine discipulis. Nec existimes insalutata fugisse turba. Vt enim scribit Matthæus, turbam dimisit, *Dimissa*, inquit, *turba, ascendit in montem solus orare*, &c. & Marcus: *Coëgit*, inquit, *discipulos suos ascendere nauim, vt præcederent eum trans fretum, ad Bethsaidam. Dùm ipse dimitteret populum*, &c. Ascendit autem solus in montis locum remotum, in quo inueniri non posset. Discipulos cymbam conscendere, & abire iussit. *Ioan. 6.* *Fugit dominus regnum* *Matth. 14.* *Marci. 6.*

E Quæres quid significet particula illa, *iterum: fugit iterum in montem.* Nunquid Christus alio iam tempore in montem fugerat; vt nunc dicatur iterum fugere? Respondeo, sensum verborum hunc esse: *fugit in montem iterum:* hoc est, iterum ascendit in montem, à quo descenderat, ad pascẽdam, & dimittendam turbam. Semel iam ascenderat hunc montem, vt idem Ioãnes docet initio capitis: *Subiit*, inquit, *in montem:* inde descendit, & dimissa turba, ascendit iterum. Quomodo (ait Augustinus tractatu 25. fieri potest, vt rursus illuc fugeret, nisi ante de monte descenderet? &c. Non deest, qui putet, in hac nobili fuga inuisibilem se reddidisse, ne *Ioan. 6.*

à disci-

à discipulis, & turba reperiretur. Sed cùm ille, vt ex aliis Euangelistis ostendimus, discipulos abire compulerit, turbamque dimiserit, nihil opus est hac inuisibilitate. Oportet omnes inter se conferre Euangelistas, vt veritas appareat.

CAPVT II.

Morale.

Saturat Dominus quinque millia hominum.

Trans mare conuiuium cæleste exhibetur. Ioan. 6.

ABIIT *trans mare.* Trans mare conuiuium exhibetur. Postquam enim sæculi huius fluctus transnauigauerimus cælesti conuiuio excipiemur in cælo. In terra autem postquam pœnitentiæ mare traiicimus, cælesti Eucharistię pabulo pascimur. *Transiuimus per ignem, & aquam,* ait Regius vates, *& deduxisti nos in refrigerium.* Aduerte mare hoc, quod cum Christo transimus, dulcis aquæ esse, instar maris Galilææ. Dulcis enim est omnis labor, si cũ Christo, & pro Christo toleretur.

Psal. 65. Dulcis labor si pro Christo toleretur.

Ioan. 6.

SEQVEBATVR *eum multitudo magna.* Huius turbæ ardorem contemplare, pedestris Christum sequebatur, ac properans. Marc. *Viderunt,* inquit, *eos abeuntes,* id est, Christum, & Apostolos, *& cognouerunt multi, & pedestres de omnibus ciuitatibus cucurrerunt illuc, & præuenerunt eos.* Sic Christus sequendus est, ardenter, ac properanter. *Cucurrerunt & præuenerunt,* eos satiat Dominus qui currũt, quique cum labore pedestres sequuntur.

Turba sequentis Christum ardor. Marci 6.

Ibid.

MISERTVS *est super eos.* Marcus scribit: Exiens, scilicet ex scapha, Dominus vidit turbam multam, & misertus est super eos, ô viscera misericordiæ! Miseriam vidit, misertus est corde. Neque in corde stetit misericordia, foras in opus prodiit. Animæ præstantiori parti, verbi diuini cibum prius impertiuit. *Cœpit illos docere multa:* ait Marcus, & Lucas, *Loquebatur illis de regno Dei.* Corpori postea inferiori, tum sanitatem præstitit: *Misertus est eis,* ait Matth. *& curauit languidos eorum,* cùm escam præbuit. Christum imitare; pauperum miserere corde, sed ad opus misericordia cordis regrediatur vel verbo, vel consilio, vel precatione, vel cibo, denique dono aliquo, vel spiritali, pauperibus, opem ferto. Animum priùs, si vales, pasce, deinde corpori escam exhibe. *Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei,* &c. Donum habes diuitiarum, vel aliud quodlibet, fidelis esto dispẽsator. Priùs Christus, quæ ad animum spectabant perfecit: posteà corpus refecit. Tu quoque priùs quæ spiritus sunt, posteà, quę sunt corporis negotia age. Audi Diuum Chrysost. hom. 79. ad populum. Propterea multa tam in communibus, quã in priuatis rebus, præter sententiam nobis eueniunt, quoniam non circa spiritualia primùm, tum verò circa sæcularia, curam exhibemus, &c.

Ibid. Lucæ 9. Prius Dominus eleemosynam animo, deinde corpori largitus est. Matth. 14.

1. Pet. 4.

Prius animi agenda negotia quam corporis.

Respiciat in cælum, qui eleemosynã dare vult. Lucæ 9.

RESPEXIT *in cælum.* In cælũ respexisse Christum scribit Lucas, & Matthæus. Illum respicere oportet in cælũ, qui pauperibus bona sua vult dispergere. Si bona respicias, cælestia tribues liberali manu terrena. Sapiens is est, qui terra emit cælum, quia vilem puluerem cum æternis commutat opibus. Respice item in cælum, cùm eleemosynam largiris, cælesti tantùm Patri placere stude, hominum gloriolã despice. Prætereà oculos subleuasse dicitur Christus Ioan. 6. vt turbam cerneret. subleua mentis oculos vt pauperes cernas. pauperũ infima ne considera: sublatis oculis suprema aspice. Si infima consideres, homines ignobiles, rudes, ægros, cæcos, claudos, inopes intueberis: si suprema aspicias, Christos quosdam videbis. Etenim sic Christus ait, *Quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.*

Ad cernendos pauperes oculi sunt subleuandi.

Matth. 25.

CVM *gratias egisset.* Gratias egit Dominus pro cibo conferendo: forsitan etiam pro largitate, qua Pater generi humano escam præbet. Docet gratias Deo agere, cùm cibum sumimus, respicere quoque in cælum, id est, in Deum, à quo cibus nobis suppeditatur, ne similes rationis expertibus animantibus simus, qui cùm escam è cælo accipiant, cælum respiciunt numquã. Chrysost. hom. 41. in Ioannem: Cur, inquit, cùm sanaturus esset paralyticum, cùm suscitaturus mortuum, cùm maris sedaturus tempestatem, non agit gratias Christus, hic autem agit? scilicet, vt ostendat ante cibum gratias Deo agendas, &c. Et hom. 79. ad populum: Mensa, ait, ab oratione sumens initium, in orationem desinens, nunquam deficiet: sed fonte largiùs, omnia nobis afferet bona. Ne tantum itaque prætermittamus emolumentũ. Absurdum est enim seruos nostros, si quam appositorum partem à nobis accipiant, nobis gratias nõ agere, & cũ benedictione recedere; nos autẽ tot bonis potientes, nec tantum honoris Deo rependere, &c. Tertull. in Apolog. cap. 39. Non prius, inquit discumbitur, quàm oratio ad Deum præguſtetur, æquè oratio conuiuium dirimit, &c. *Vt cum comederit, & satiatus fueris benedicas Domino pro terra optima,* &c.

De agendis gratiis post cibum. Ioan. 6.

Deut. 8.

Neque verò solùm pro cibo, rebusque prosperis gratiæ agendæ sunt Deo, sed etiam pro rebus aduersis. Illud enim etiam Ethnici faciunt, hoc Christianorum est proprium, vt Hieronymus docet ad Ephes. 5. ad illa verba: *Gratias agentes semper pro omnibus.* Dupliciter, ait Hieronymus, intuendum, vt & in tẽpore, & pro omnibus, quæ nobis accidunt, Deo gratias referamus. Vt non tantum pro iis, quę bona putamus, sed etiam, quæ nos coarctant, & contra nostram veniunt voluntatem, in Dei præconium mens læta prorumpat. Hæc actio gratiarum apud prudentes viros, & generaliter, & specialiter, obseruatur. Generaliter vt gratias agamus Deo quod nobis sol oritur, dies currit, &c. Specialiter, quando in Dei beneficiis, quæ nobis accidunt gratulamur. Sed hoc gentilis facit, & Iudæus, & publicanus, & Ethnicus. Christianorum propria virtus est, etiam in iis, quæ aduersa putantur, gratias referre creatori. Sic Hieronymus. Lege Philonem lib. de Plantatione Noë: Dicimus, inquit, nihil esse Deo magis proprium, quàm bene facere: nihil item creaturæ, quam gratias agere, &c. Quàm sit Deo grata gratiarum actio, indicat August. epist. 77. ad Aurelium his verbis: Quid melius, & animo geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus, quàm Deo gratias? Hoc nec dici breuius, nec audiri lætius, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius potest, &c. Verùm sunt multi, quibus illud cõgruit, *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit,* &c. Videlicet, beneficiis saginati recalcitrant.

Agendæ gratiæ etiã pro aduersis rebus. Hieron. Ephes. 5. Hieron.

Christianorũ propriũ etiam pro aduersis agere gratias

Deut. 32. Ioan. 6.

ACCEPIT *Iesus panes.* Fœcũdissimæ sunt Christi manus, paucos panes accipiunt, pauciores pisces, & instar fœcundissimi agri, non solùm centuplum, sed plus quàm millecuplum fructum afferunt. In fertili solo libẽter serit agricola, quidquid habet frumenti; cùm Christi manus sint fertilissimæ, quidquid habemus, cur in illis nõ seminamus? Tradamus diuinis manibus scientiam, ingenium, opes, honores; fructum reportabimus vberrimum. Si vis in manibus tuis bonorum copiam reperire, postquam animã exhalaueris: in manibus Christi nunc sementem facito. Audi Augustinum Psal. 75. Nihil, inquit, inuenerunt viri diuitiarũ in manibus suis,

Christi manus ager fœcundissimus.

suis, quia nihil posuerunt in manu Christi, &c.

Deus per pontifices sacerdotesque bona spiritalia donat. Matth. 14.

DEDIT *discipulis panes.* Dedit Dominus Apostolis panes, illi autem turbæ discumbenti distribuerunt. Hunc ordinem seruat Deus. per Pontifices, sacerdotesq; gubernat Ecclesiam, spiritalemque suppeditat cibum. Illi enim panes, id est, cælestem doctrinam, cælestiaque sacramenta, cæteris Christianis administrãt. In manibus Apostolorum miraculum Deus operabatur, quia in manibus illorũ panis multiplicabatur. Multò maius miraculum posteà in iisdẽ manibus operatus est, hodieq; in manibus cũctorum sacerdotũ operatur, panem in corpus, & vinum in sanguinẽ cõuertens suum.

Eucharistiæ mysterium Christus operatur.

Præterea quemadmodum Deus Apostolis dedit, vt darent turbæ: sic donat diuitibus, vt donent ipsi pauperibus. Fecit Deus pauperem (ait Augustinus Psalm. 123.) vt probet hominem. & fecit Deus diuitem, vt probet illum de paupere, &c. Probatur autẽ dives de paupere, fideliq; inuenitur dispensator, vel infidelis; fidelis, si pauperi eleemosynam impertit: infidelis, si negat. Pauperem probat paupertas premendo: diuitem eadem probat, alimenta, indumentaque postulandò.

Ioan. 6.

VT *autem impleti sunt.* Liberaliter donat Christus. Sequentem turbam impleuit cibo: neque necessariam solum escam, sed superabundantem

1. Tim. 6.

præbuit. *Deus* (ait Paulus) *præstat nobis omnia abunde ad fruendum.* Græcè πλουσίως, id est, opulentè. Etenim ex opulentissimo thesauro opulentè dona præbet. Te obsecro lector, vt mentis oculos in eam iniicias mensam, quam Dominus hominum generi in hoc orbe apparauit: quàm sit abundans, quàm lautis instructa ferculis expendas. Nonne panis ordeaceus pascendis hominibus, præsertim peccati macula infectis, fuisset satis superque? At quot frumenti, quot ciborum, quot deliciarum genera præbet? Non necessitatibus tantummodò nostris prouisum est, ait Seneca libro 4. de beneficiis

Deus liberaliter donat.

cap. 5. vsque ad delicias amamur. Tot arbusta non vno modo frugifera, tot herbæ salutares, tot varietates ciborum, &c. Iam verò quis, vt conuiuium his hominibus exhiberet, Christum orauit? nemo profectò. Misericordia pectus commouit liberale.

Etiam non rogatus largitur Dominus. Marci 6.

Misertus est super eos, ait Marcus. similem in modum, vt abundantissimam, omniumq; epularum genere refertam mensam, hominibus sterneret, à Deo petiuit nemo, bonitas illum commouit sua.

De mensa sanctissimæ Eucharist.

Quòd si de mensa augustissimæ loquamur Eucharistiæ: quis diuinam liberalitatem, bonitatemque mirari satis queat? In hac mensa liberalitatis suæ diuitias expromit Deus. Nec panem donat ordeaceum, sed cælestẽ, omnis saporis melle redundantem. Trans mare autem donat pœnitentiæ, & in desertò locò. Animum enim flagitat conuiuium hoc ab omnibus desertum curis, & maximè desertum à criminibus. Humilitatem quoque postulat, cernis enim vniuersam hanc turbam humi humiliter discumbentem. eandem cernis fœni calcantem viriditatem. *Omnis caro fœnum*, clamat vates Isaias, huius viriditatem, floscu loque fœni tu mihi

Isaiæ 40.

quoque calca. Illud adiice, prius Christũ sanasse ægros, posteà præbuisse panẽ. Si æger es, sanitatem prius compara, postea ad diuinum accede epulum. Hoc conuiuium verè hominem implet, saturatq; Solus enim Deus, quem mensa habet, implere satiareque hominem potest. De caducis huius sæculi

Caduca bona non satiant. Ioan. 6.

bonis, id verè dici potest, quod Andreas ait: *Hæc quid sunt inter tantos?* Minimæ quædam micæ sunt, ex mẽsa summi cadentes regis, ossa quædam sunt, quæ Deus Turcis, Mauris, Ethnicis, veluti canibus,

Psalm. 77.

arrodenda proiicit. At de Eucharistia illud dicitur. *Panem Angelorum manducauit homo, cibaria misit eis in*

A *abundantia. Omnia flumina intrant in mare*, ait Salomon, *& mare non redundat.* Sic quamuis omnia caduca bona in hominem influant: non redundabit, non implebitur, deerit aliquid. At si mare in flumẽ intret, protinus implebitur flumen, protinus redundabit. Eundem in modum, si in hominem venerit Deus, tunc satiabitur. Deus antequam mundum conderet, satiatus erat. Quanam re? equidem se ipso. Seipso, non mundo, satiatur Deus: Deo item, non mundo satiatur similis Deo iustus. Nonne vmbræ sunt res caducæ? Quis verò vmbra ciborum satiari poterit?

Eccle. 1.

Deus solus satiare potest.

SIMILITER *ex piscibus.* Necessaria præbuit Deus turbæ, non superflua: panes, & pisces, non

B perdices, aut gallinas, aliaque gulæ irritamenta tribuit. ô Rex potentissime, idemque liberalissime, nonne omni volucrum, delicatorumque animantium carnibus, nonne dulcibus bellariis conuiuium hoc exornare vales? Cur panes, eosque ordaceos, cur pisces, non carnes, apponis? cur vinum pretiosum sectatoribus tuis non propinas? facere vales, facere cur non vis? Necessitati Deus docet esse seruiendum, nõ cupiditati. Qui necessitati seruit, facili dominæ seruit; qui seruit cupiditati, difficili seruit tyranno. Necessitati facile, vel pane solo & aqua fit satis: cupiditati & vanitati mare tellusque non sufficit. vnde prudẽtissimus Philosophus

Ioan. 6. Deus necessaria præbuit non superflua.

Necessitati seruiendũ, nõ cupiditati.

Naturalia desideria finita sunt.

C Seneca epist. 16. Naturalia, inquit, desideria finita sunt: ex falsa opinione nascentia, vbi desinant non habent. & epist. 111. Necessaria tibi occurrent superuacanea, & semper, & toto animo quærenda sunt, &c.

Necessarium cibum huic turbæ, necessarium quoq; Israëlitis, in eremo olim suppeditauit Deus, scilicet manna. Illi verò superuacaneas cõcupiuerunt carnes. Malæ dominæ cupiditati seruierunt, atque idcirco in sepulchris concupiscentiæ perierunt. Num. 11. Si concupiscentiam sepeliissent sepulchris, concupiscentiæ nomen nõ dediissent. Sepeli concupiscentiam, ne te ipsa suis in sepulchris sepeliat. Adde etiam illud; Deum manna Israëlitis

Iudæi cupiditati seruierunt.

Exodi 16.

præbuisse, statuisse verò, vt in diem tantùm necesD sarium cibũ, non superfluũ, colligerent. Qui verò superfluum collegerunt, vermibus corruptum viderunt. D. Chrysostomus homilia 56. in Matth. Immoderato cibo, potuque apparatas mensas, naufragiis refertas vocat. Quãdo, inquit, nos moderatè probeque viuemus, quibus mensę mille naufragiis refertæ proponuntur? &c. Etenim huiusmodi in mensis naufragium facit temperantia, modestia, ratio. in tenui mensã prosperè nauigatur.

In mensa sunt naufragia multa.

COLLIGITE *quæ superauerunt fragmẽta ne pereãt.* Quod in hæc verba D. Cyrillus scribit hic apponam; vnde eleemosynam vtilem esse intelligamus. non ad bona solùm spiritalia, sed ad corporalia etiam comparanda. Liberalitas nobis hoc miraculo cõmendatur, ait Cyril. lib. 3. in Ioan. cap. 18.

Ioan. 6.

Cyrill.

& quasi magna voce dicitur, Quantò plura dabis

E liberaliter, ac misericorditer; tantò tibi plura largiùs confluent, &c. Eleemosyna semen est. Quemadmodum semẽ, ita eleemosyna multiplicatur, ex quinque panibus duodecim cophinos multiplicatos cernis. D. Basil. hom. in diuites auaros: Quẽadmodum, inquit, frumentum in terram cadens, lucrum proiicienti parit; sic & panis in esurientem proiectus multam in posterum tibi reddet vtilitatẽ, &c. *date, & dabitur vobis*, &c. *Qui parcè seminat, parcè & metet*, &c. Chrysost. hom. 13. ad populum, eleemosynã artem vocat; omniũ artium quæstuosissimam: Sarephtana illa viduã eleemosynam Eliæ contulit, sed magno cum quæstu contulit. hunc enim à Deo magnum quæstum accepit, vt in magna annonæ

Eleemosyna vtilitas.

Basil.

Luc. 6. 1. Cor. 9.

3. Reg. 17.

penuria

penuria hydria farinæ non deficeret, & lecythus olei non minueretur. Similem quæstum in bonis temporariis, & æternis facies, si pascas inopes.

Chrysol. Chrysologus ser. 8. Thesaurus cæli est manus pauperis & gazophylacium Christi. Da pauperi terram, vt accipias cælum, da nummum, vt accipias totum. Da pauperi, vt det tibi. Quia quidquid pauperi non dederis, habebit alter, &c.

Quæstus magnus eleemosyna.

Chrysost. Chrysostomus hom. 50. in Matthæum, de arte eleemosynam dandi egregie agit. hanc à diuitibus discendam docet his verbis: Diuites non fabricare, nec ædificare, nec texere, nec nauem extruere, nec aliud huiusmodi artificum norunt. illam igitur artem discant, vt diuitiis recte & vt decet vtantur. Non est enim certè ars illa contemnenda, qua discunt opulenti conferendum indigentibus esse. Præcipua enim est, & aliis artibus multo præstantior. huius magister Christus est, &c.

Ars à diuitibus discenda.

Præterea Christus fragmenta colligere iussit ne perirent, vt miraculum fieret exploratius. Docet etiam locus fugiendam prodigalitatem, & colligenda fragmenta, id est, quæ supersunt, vt pauperibus donetur. Heu quot pereunt fragmenta. Imo quot pecuniæ hominum, qui opes suas in canes, equos, bombycinas vestes, exquisitos cibos, ludos, fæminarumque turpissimum obsequium impendunt, pauperes nudos minimè curat. Libet quamuis cum impio luda exclamare: *Vt quid perditio hæc?* Potuerunt opes vestræ venundari Christo magno pretio, & dari pauperibus. Colligat ergo vnusquisque opes suas, quas malè impēdit, ne malè pereant.

Fugienda prodigalitas.

Malè pereũt multorum opes.

Matth. 26.

Ioan. 6. FVGIT *in montem ipse solus.* Multis de causis regnum fugit Christus. Prima causa fuit exemplum, vt ait D. Gregorius prima parte past. cap. 3. Exemplum, inquit, se sequentibus præbens, rex fieri noluit Christus, ad crucis verò patibulum sponte peruenit. Oblatam gloriam culminis fugit, pœnam probrosæ mortis appetit. Vt membra eius discerent fauores mundi fugere, terrores minimè timere, &c. D. Cyrill. lib. 3. in Ioan. cap. 20. Docet, inquit, nos Christus, re ipsa parua esse, quæ maxima in hac vita putantur. Stultum est, si æterna regna desideras, regna huius mundi appetere, &c. Ibidem; Voluntaria, inquit, humilitas fulgentissimum affert finem. Quod probat Christi exemplo ex Paulo, *Exinaniuit semetipsum*, &c. *propter quod Deus exaltauit illum*, &c. Fulgentissimum habuit finem Christi humilitas, habebit & nostra. Tandem concludit Cyrillus: Ipsum, ait, etiam supremum regni honorem, si offertur, recusemus, si cælestia potiùs, quàm terrena sapimus, &c. Beda Marci 6. fauores hominum ob bene acta, non expetendos docet, inter alia verò. Minus, inquit, periculosum est, in his quę rectè agimus aduersantium nos improbitate fatigari, quàm honorantium fauore demulceri. Fauor enim securiorem sæpe corrumpit animum; aduersantium improbitas circũspectum sæpe reddit, & cautum, &c.

Cur regnũ fugerit Christus.

Christus fugit honorem, amplexatus est opprobria.

Humilitas finem affert fulgentissimum. Phil. 2.

Contemnẽda omnia.

Amicorum laudes periculosæ.

Secunda causa cur fugit, redditur ab Augustino tract. 25. quia non erat talis rex, qui ab hominibus fieret: sed talis rex, qui regnum hominibus daret. Tertia causa est. quia noluit rebellioni Iudæorum, & seditioni aduersus Romanos ansam dare. fugienda enim est maximè seditio, ac rebellio. Præterea noluit creari à turba saturata. Nam reges, ac pastores, nõ à saturatis electoribus: sed à sobriis, magnoque consilio, sunt eligendi. Id etiam obseruandum, turbam regem elegisse, à quo pasci posset. Est enim regis proprium populum pascere, quippe qui populi pastor appellatur. Euthymius in gulositatem horum hominum inuehitur. ô manifestam, inquit, gulositatem! Cùm impleti sunt, tunc hunc prophetam esse dixerũt, repleto ventre omnia illis erat & propheta, & regno dignus, &c. Similiter loquitur Chrysostomus hom. 41. in Ioannem. At vulgus hominum temporali vtilitate maximè allicitur. Indicat etiam locus muneribus maximè corda permoueri. Cibus hic tot hominum corda permouit, vt Christum regem crearent. Cauendum igitur est, ne electores donis subornentur. Etenim, vt cum Euthymio loquar: repleto ventre, omnia subornatis ille erit, qui donis subornarit, & quacumque dignus dignitate iudicabitur.

Euthym.

Electores nõ subornandi.

CAPVT III.

De Petro ambulante super aquas.

MATTHÆVS CAP. IV.

ET statim compulit IESVS discipulos ascendere in nauiculam, præcedere eum trans fretum, donec demitteret turbas. Et dimissa turba, ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto solus erat ibi. nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus: erat enim contrarius ventus. Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans super mare. Et videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt, dicẽtes: Quia phantasma est. Et præ timore clamauerunt. statimque IESVS locutus est eis, dicens: Habete fiduciam: ego sum, nolite timere. Respondens autem Petrus dixit: Domine, si tu es, iube me ad te venire super aquas. At ipse ait? Veni. Et descendens Petrus de nauicula, ambulabat super aquam, vt veniret ad Iesum. Videns vero ventum validum, timuit: & cùm cœpisset mergi, clamauit dicens: Domine saluum me fac. Et continuò Iesus extendens manum apprehendit eum: & ait illi: Modicæ fidei quare dubitasti? & cùm ascendissent in nauiculam, cessauit ventus. Qui autem in nauicula erant, venerunt, & adorauerunt eum, dicentes: Verè filius Dei es. Et cum transfretassent,

venerunt in terram Geneſar. Et cùm cognouiſſent eum viri loci illius, miſerunt in vniuerſam regionem illam, & obtulerunt ei omnes malè habẽtes. Et rogabant eum, vt vel fimbriam veſtimenti eius tangerent. Et quicumq; tetigerunt, ſalui facti ſunt.

MARCVS CAP. VI.

ET ſtatim coëgit diſcipulos ſuos aſcendere nauim, vt præcederent eum trans fretum ad Bethſaidam, dum ipſe dimitteret populum. Et cùm dimiſiſſet eos, abiit in montem orare. Et cùm ſero eſſet, erat nauis in medio mari, & ipſe ſolus in terra. Et videns eos laborantes in remigando (erat enim ventus contrarius eis) & circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans ſupra mare: & volebat præterire eos. At illi, vt viderunt eum ambulantem ſupra mare, putauerunt phantaſma eſſe, & exclamauerunt. Omnes enim viderunt eum, & conturbati ſunt. Et ſtatim locutus eſt cum eis, & dixit eis, Confidite, ego ſum, nolite timere. Et aſcendit ad illos in nauim, & ceſſauit ventus. Et plus magis intra ſe ſtupebant: non enim intellexerunt de panibus: erat enim cor eorum obcæcatum: & cùm transfretaſſent, venerunt in terram Geneſareth, & applicuerunt. Cúmque egreſſi eſſent de naui, continuò cognouerunt eum, & percurrentes vniuerſam regionem illam, cœperunt in grabatis eos, qui ſe malè habebant, circumferre, vbi audiebant eum eſſe. Et quocumq; introibat, in vicos, vel in villas, aut ciuitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabuntur eum, vt vel fimbriam veſtimenti eius tangerent, & quotquot tangebant eum, ſalui fiebant.

IOANNES CAP. VI.

VT autem ſerò factum eſt, deſcenderunt diſcipuli eius ad mare. Et cùm aſcendiſſent nauim, venerunt trans mare in Capharnaum, & tenebræ iam factæ erant: & non venerat ad eos Ieſus. Mare autem, vento magno flante, exurgebat. Cùm remigaſſent ergo quaſi ſtadia viginti quinque, aut triginta, vident Ieſum ambulantem ſupra mare, & proximum naui fieri, & timuerunt. Ille autem dicit eis: ego ſum, nolite timere. Voluerunt ergo accipere eum in nauim: & ſtatim nauis fuit ad terram, in quam ibant.

Marci 6. COEGIT *diſcipulos aſcendere in nauim.* Poſtquam turbæ Chriſtus admirandum in modum ſuppeditauit eſcam, diſcipulos compulit (vt Matthæus & Marcus aiunt) cymbam conſcendere, & rurſus nauigare trans fretum. Compulit, inquam, nolebant enim ſine magiſtro proficiſci. *Diſcipuli nolebant à Chriſto diuelli.* Hieron. Oſtenditur, inquit, inuitos eos à Domino receſſiſſe: dum amore præceptoris, ne ad punctum quidem temporis ab eo volunt ſeparari, &c. Theophyl. Nolebant, inquit, diſcipuli à Chriſto diuelli, ſed vi ſeparabantur. Partim ob amorem erga illum, partim quòd dubitabant quonam modo ad ipſos rediret, cùm abeſſet nauis, &c. & Chryſoſt. Cum dicit Euangeliſta, *compulit*, declarat, quòd magno ſuæ amore præſentiæ diſcipuli tenebantur, &c.

Marci. 6. Coëgit autem diſcipulos abire: & præcedere trans mare, *ad Bethſaidam*, ait Marcus. Nam in vlteriore maris parte nauem conſcenderunt; inde in Bethſaidam iuſſi ſunt nauigare, quæ in parte erat citeriore, & oppoſita.

Ioan 6. Quo tempore profecti ſint diſcipuli Ioãnes docet his verbis, *Vt autem ſero factum eſt, deſcenderunt diſcipuli eius ad mare.* Etenim cùm turbæ cibus datus eſt, veſpertinũ erat tempus, vt ſuprà diximus, ex Matthæo, & Luca. Poſt ſumptum cibum ſerò factum erat, cùm diſcipuli cœperunt prope noctem nauigare, vt ait Ioannes. Interpres quidam vult ideò ſerò factum fuiſſe, quòd diſcipuli Chriſtum expectauerint, vſque ad noctem. At Chriſtus diſcipulos abire compulerat, vt ait Matthæus, & Marcus. Non igitur illum expectarunt. Serò autẽ dicitur factum, quia poſt cibum veſperi turbæ diſtributum, profecti ſunt, vt diximus. Poſtquam diſcipuli abierunt, dimiſit Chriſtus turbam, vt ait Matthæus, & Marcus. Dimiſſa turba, cùm ſciret, quia venturi erant, vt raperent eum, & regem facerent: in montem, à quo deſcenderat, iterum aſcendit, regnum fugiens, vt ait Ioannes: & vt oraret, quod ait Matthæus, & Marcus.

Ioan. 6. VENERVNT *trans mare in Capharnaum.* Non ſignificat Ioãnes diſcipulos veniſſe in Capharnaum: ſed veniſſe, id eſt, nauigaſſe verſus Capharnaum, protinus enim addit tempeſtate fuiſſe iactatos. *Quo nauigarint diſcipuli.* Vel potius, ſignificat veniſſe in Capharnaum per anticipationem. poſtea quid nauigantibus contigerit, narrat. Marcus ait diſcipulos à Chriſto compulſos præcedere, & nauigare ad Bethſaidam; videtur ergo non conſentire cum Ioanne. Maxime conſentit. Nam duæ hæ ciuitates Bethſaida, & Capharnaum, in eadem maris Galilææ ripa ſitæ erant. iuſſi ergo ſunt diſcipuli nauigare ad Bethſaidam, id eſt, verſus Bethſaidam, non tamen venerunt Bethſaidam, ſed Capharnaum, quæ in eadem ripa erat. Aliter reſpondetur, diſcipulos nauigare iuſſos Bethſaidam: ſed poſtea quam Chriſtum

ſcapha

scapha exceperunt, Capharnaum appulisse, vt infrà dicitur. Vel forsitan prius in Bethsaidam, postea in Capharnaum venerunt.

Ioan. 6. MARE *vento magno flante exurgebat.* Postquam à Christo separati discipuli nauigare cœperũt, tempestas exorta est magna. Vnde Diuus Hieronymus: Recte, ait, quasi inuiti & retractantes Apostoli à Domino recesserant, ne illo absente naufragia sustinerent, &c. Voluit autem Dominus tempestate iactari discipulos, vt pericula experirentur, vtque futuro miraculo locus daretur.

Absente Christo tẽpestas exoritur.

Marci 6. VIDENS *eos laborantes in remigando.* Videbat ex monte Christus, vt Marcus ait, discipulos aduersus vndarum, ventique vim magno cum labore remigantes. Habet lacus ille, Iosepho teste lib. 3. de Bello cap. 18. centum stadiorum longitudinem, quadraginta stadiorũ latitudinem. octo stadia miliare efficiunt. Cum ergo, vt Ioannes ait, remigassent, quasi stadia viginti quinque, aut triginta, laborantibus opem tulit Dominus, circa quartam noctis vigiliam, vt Matthæus, & Marcus scribunt. Nam nox in quatuor partes militari vsu distributa est. hæ partes vigiliæ quatuor appellantur, eò quòd quater vigiles mutabantur, aliique aliis succedebant. tres verò horas vigilia quæque continebat. Vnde D. Hieronymus Matth. 14. Stationes, inquit, & vigiliæ militares, in terna horarum spatia diuiduntur, &c. Itaque quarta, id est; extrema vigilia noctis, prope matutinum tempus, venit ad discipulos Christus, super mare ambulans. Volebat verò cymbam præterire, vt Marcus ait. Discipuli super mare ambulantem hominem cernentes, non Christum, non hominem, sed phantasma, hoc est, hominis spectrum esse existimarunt, turbatique spectri aspectu, ac territi, in clamorem eruperunt. Ne enim mali aliquid ab illo paterentur, formidabant. Tamen Dominus voce timorem longè protulit. *Ego*, inquiens, *sum, nolite timere.*

Maris Galilææ longitudo, & latitudo.

Vigiliæ militares quatuor.

Discipuli vidẽt Christum super aquas ambulantem.

Ioan. 6.

Matth. 14.

Feruens Petri charitas.

PETRVS *ambulabat super aquam.* Concessit Petro Christus quod petierat, vt super aquas ad se veniret. Petiit autem à Christo super aquas venire, quia, vt ait Theophylactus, feruentissima erat Petri erga Christum charitas. desiderabat statim prope illum esse, & præ aliis. Chrysostomus: Petrus ausus est hoc petere, vt cum Christo citiùs esse posset. At cùm ventũ vidisset validum, horruit, mergique cœpit. Opem imploranti manum porrexit Dominus, dicens: *Modicæ fidei, quare dubitasti?* Maximæ quidem fidei fuit, tumentibus vndis se committere, & ad magistrum tendere. Vnde Hieronymus: In omnibus locis, ait, ardentissimę fidei inuenitur Petrus. Eodem fidei ardore, quo semper, nũc quoque cæteris tacentibus, credit se posse facere per voluntatem magistri, quod ille poterat per naturam, &c. Et Chrysostomus Matthæi 14. Vides, inquit, quàm vehemẽter Petrus arderet? vides quanta fides ipsius etiam nunc esset? Nemo ita vt ipse Iesum amabat. Non solùm charitatem, sed fidem etiam ostendit. Quia enim credebat, non tantummodò Christum super mare ambulare, verũ etiam id aliis posse concedere, ausus est hoc petere, vt cùm eo citius esse posset, &c.

Matth. 14.

Fides Petri magna in hoc facto.

Chrysost.

Cur igitur nunc modicæ fidei arguitur? Respondeo, quoniam præ humana fragilitate vento exorto, ne mergeretur; timuit. Ardebat animi fides (ait Hieronymus) sed humana fragilitas in profundum trahebat, &c. Ait præterea Dominus Petrum dubitasse: *Modicæ fidei, quare dubitasti?* Quæritur, qua de re dubitarit? Respondetur, non dubitasse de potentia Christi, sed dubitasse num à vento illo validus esset demergẽdus, Christo permittente. Quæritur item, cur Christus Petrum permisit dubitare,

Cur arguitur Petrus.

Matth. 14.

Cur Petrum Christus permisit aliquo modo mergi.

A & aliquo modo mergi? Respondet D. Hieronym. Paululum relinquitur tentationi Petrus, vt augeatur fides: & intelligat se non facilitate postulationis, sed potentia Domini conseruatũ, &c. Et Diuus Maximus serm. 1. de Apost. Pet. & Paulo. Petrus ob id trepidasse visus est, vt fragilitas humana cognosceret, quanta esset inter Dominum, seruumque distantia, &c. Theophylactus: Hoc, inquit, fecit Christus, ne Petrus superbiret, &c.

CVM *ascendisset in nauiculam, cessauit ventus.* Ascendit Christus in scapham, vt Matthæus ait, & Marcus. Ioannes verò sic scribit; *Voluerunt accipere eum in nauim. Et statim nauis fuit ad terram, in quam ibant,* &c. Non solùm voluerunt in nauim accipere, sed re ipsa acceperunt, quod Ioannes ab aliis Euangelistis dictum prætermisit. Postquam verò cymbam ingressus est Christus, cessauit ventus, cæli marisque rediit tranquillitas. Cymba verò in portum admirabili celeritate appulit.

Matth. 14.

Christus nauim ingressus, & ventus cessauit.

Ioan. 6.

B

D. Chrysostomus Ioannis 6. arbitratur, bis Christum discipulis conspectum, super mare ambulantem. Semel apud Matthæum, & Marcum: iterum apud Ioannẽ: diuersasq; esse has apparitiones. Putat etiam Christum apud Ioannem nauim nõ conscẽdisse, quoniam diuersum miraculum existimat ab eo, quod memorant Matthæus, & Marcus. Sed idem miraculum esse probabilius est, eandemque super mare apparitionem. Forsitan voluerunt discipuli Christum naui excipere, ipse verò tunc ingredi noluit, sed super mare simul cum Petro ambulauit; postea verò nauim conscendit, protinusq; in portum venit. hoc significat Euthymius his verbis Matthæi 14. Non statim, inquit, nauim, ascenderunt Christus, & Petrus; sed vento vehementer vrgente, longo adhuc spatio ambulauerũt, vt Petrus certior redderetur, & de sua exigua fiducia cõinceretur. Dicit enim Ioannes, quod *voluerunt eum sumere in nauim, & illico nauis appulit terræ.* Et inde manifestum est, quòd cũ nauis terræ proxima esset, tum demum in eam intrauerunt, &c. vel dicito, discipulos voluisse scapha Christũ excipere, postquam dixit; *Ego sum, nolite timere*: illum verò ingredi noluisse. Quod significat Marcus illis verbis: *Venit ad eos, ambulans super mare, & volebat præterire eos,* &c. Tum Petrus cùm videret Christum nolle intrare cymbam, *Domine*, inquit, *iube me ad te venire super aquas.* Venit; cumq; cœpisset mergi, liberatus est: posteaque cùm aliquod maris spatiũ perambulasset cum Christo, nauicula est exceptus. protinusque nauicula in terram appulit. Chrysostomus homil. 51. in Matthæum: cùm terræ applicaturus esset, in nauigium Christus ascendit, &c.

Chrysost.

Opinio D. Chrysostomi bis Christum super mare discipulis visum.

Concordia euangel.

Ioan. 6.

Ioan. 6. Marci 6.

C

D

QVI *autẽ in nauicula erant.* Nonnulli hæc verba de discipulis Christi intellexere, alij, inter quos Hieronym. de nautis, atq; vectoribus. Abulensis de omnibus, qui in nauicula erant, tã nautis, & vectoribus, quàm discipulis. Maldonatus nautis & vectoribus hanc tribuit adorationem, cum Hieronymo, & rectè quidem. Sed illud, quod adiicit, non placet, scilicet verba illa: *Verè tu es filius Dei*; parùm Apostolis conuenire, quia iam dudum credebant eum filium esse Dei. Nam quoniam filium Dei iam dudum esse credebant, idcircò post tantum miraculum adorare potuerunt, & quod credebant verbis profiteri. Præterea qui fieri potuit, vt vectores, & nautæ, Christum adorarent, & filium Dei confiterentur, Apostoli verò obmutescerent? Dubium est quo sensu dictus sit hoc loco filius Dei Christus? Caietanus, & Iansenius, arbitrantur filium Dei dici per excellentiam. id est Messiam, non autem per naturam. Probatur, quia non cognoscebant imperiti illi homines vectores, augustissimæ Trinitatis

Matth. 14.

Quorum sint hæc verba.

Matth. 14.

An vectores agnouerint Christi diuinitatem?

E

mysterium. Deumque Patrem filium habere naturalem, Abulensis credit Christum appellatum hîc filium Dei per naturam, hanc autem cognitionem accepisse eos qui naui vehebantur per reuelationem.

Marci 6. NON *enim intellexerunt de panibus.* Discipuli, vt Marcus ait, miraculum stupendum cernentes, *Ibid.* *Plus magis stupebant.* Græcè, λίαν ἐκ περίσσου, id est, valde ex abundanti, vel supra modum, stupebant intra se. Reddit rationem, cur ita stuperent. *Non enim intellexerunt de panibus;* hoc est, nõ intellexerunt ex miraculo superiore, quo ex quinque panibus, & duobus piscibus, quinque hominum millia pauit, Christo facillimum esse super mare ambulare. Addit Marcus causam, cur ex panibus, id est, B ex miraculo quinque panum, non cogitauerint, *Mar. 6.* Christum posse super mare ambulare. *Erat enim,* inquit, *cor eorum obcæcatum.* Græcè, καρδία πεπωρωμένη, id est, *erat cor veluti callo obduratum,* fortè tempestatis metu, & stupore, & obcæcatum, ad considerandam ex miraculo præterito Christi potentiam.

Beda. An discipuli agnouerunt nunc Christi diuinitatem. Beda Marci 6. vult discipulos non cognouisse nunc Christum esse Deum. Dominus, inquit, & in miraculo panum, quòd esset rerum cõditor ostendit: & in ambulando super vndas, quòd haberet corpus ab omni peccatorum grauedine liberum edocuit. Et in placando ventos, vndarumque rabiem sedando, quòd elementis dominaretur monstrauit. Sed carnales adhuc discipuli, necdũ hunc Deum esse cognoscunt. Et quidem virtutum magnitudinem stupebant: nec dum tamen in eo veritatem diuinę maiestatis cognoscere valebant. Sic C *Euthym.* Beda. Euthymius Matthæi 14. Supra modum, inquit, admirabantur discipuli, Christum veluti hominem, qui talia posset, cùm maximè illum adorare oportuisset, tanquam Deum omnia potentem. Volens autem Marcus ostendere, quòd neque in miraculo panum se cõuertissent, ad id quod oportuit; addidit, quòd non intellexerunt, neque de pa-*Gloss. inter.* nibus, &c. Glossa interlin. Marci 6. Stupebant discipuli magnitudine miraculorum; non cognitio-*Abulens.* ne diuinitatis, &c. Abulensis quoque Matthæi 14. quæst. 191. ait, cùm primùm Christus nauim intrauit, stupentes discipulos cor habuisse obcæcatum, neque agnouisse esse filium Dei naturalem. Posteà verò à Christo discussa cæcitate, ac cordis illa cali-D gine verum filium Dei esse, fuisse professos. Simi-*Euthym.* lem in modum Euthymius; Nos, inquit, dicimus quòd simul vt Christus est in nauim ingressus, cõtigerunt ea, quę dicit Marcus. Deinde dissoluta cæcitate, facta sunt ea quæ scripsit Matthæus. Scire enim oportet, quòd interdum quidem tenebatur cor discipulorum, nec poterant intelligere, quandoque verò soluebatur, & intelligebant. Vtrumque autem diuina dispensatione contingebat. hæc *Carthus.* ille. Carthusianus verò Dionysius Matthæi 14. de Apostolorum fide sic scribit: Certum, inquit, est, quod neque Apostoli habuerunt firmam & fixam fidem de hoc (id est, de Christi diuinitate) vsque E post resurrectionem. Nondum enim sciebant minora de Christo, vt quòd esset passurus pro mundo, vel resurrecturus à morte, &c. Existimari potest, Apostolos nunc credidisse Christũ esse Deum. *Apostoli tunc crediderũt Christum esse Deum.* Verba verò Marci nõ repugnant. significant enim eorum cor illo tempore, quo Christum super mare ambulantem viderunt, fuisse obcæcatum stupore, & tempestatis horrore; atque adeò non cogitasse, eum, qui tot hominum millia tam paucis panibus satiauerat, posse etiam super mare iter habere.

Matth. 14. CVM *transfretassent venerunt in terram Genesar.* Matthæus scribit Apostolos venisse in terrã Genesar; Marcus in terram Genesareth. eadem verò A est tellus Genesar, & Genesareth. sed quę tellus sit ambigitur. Lyranus Matthæi 14. Marci 6. arbitratur terram Genesar esse regionem Gerasenorum, ad quam Christus nauigauit Matthæi 8. quæq; erat trans mare Galilææ, vt eo loco diximus. Idem opinatur Maldonatus Matthæi 14. At ex Iosepho apertũ est, terram Genesar illam appellari regionem, quæ citra mare Galilææ est, in qua Bethsaida erat, & Capharnaum. Verba Iosephi lib. 3. de bello cap. *Terra Genesar natura & pulchritudine mirabilis.* 18. hæc sunt: Ad locum Genesar, eiusdem nominis terra prætenditur, natura simul, & pulchritudine admirabilis. Præter aëris lenitatem fonte irrigatur vberrimo: qui Capharnaum ab indigenis appellatur. Longitudo autem regionis secundum *Fons Capharnaum appellatus.* littora cognominis lacus 30. stadiis extenditur, & latitudo 20. hęc ille. In hac regione Bethsaida erat, & Capharnaum ciuitas, & fons eiusdem nominis. Ad eam igitur Apostoli venerunt, non autem ad Gerasenos.

Quæ sit terra Genesar.

Vnde etiam colligitur Christum in vlteriorem maris ripam transisse, vt Ioannes ait, *Abiit trans mare Tiberiadis.* Nam ex vlteriore ripa transnauigarunt Apostoli in terram Genesar, quæ erat in citeriore, hinc intelliges illud, *Coegit discipulos ascendere nauim, Marci 6. vt præcederent eum trans fretũ, ad Bethsaidam.* Cùm enim Bethsaida in regione Genesar esset; qui versus Bethsaidam nauigabant, in terram Genesar nauigabant. Ioannes cap. 6. ait discipulos etiam venisse Capharnaum, quę ciuitas in eadem erat ripa. Itaque omnia rectè consentiunt. Nomen Genesareth, C significat vallem floridam.

Christus in vlteriorem lacus ripam transiuit. Ioan. 6.

ET *cùm cognouissent eum viri loci illius.* Incolæ regionis *Matth. 14.* Genesar, cùm Christum adesse cognouissent, in omnem regionem nuntios miserũt, qui ad summum medicum ægros vocarent, vt Matthæus ait. Vt verò ait Marcus, percurrentes vniuersam regionẽ illam, cœperunt in grabatis eos, qui se malè habebãt, circumferre. Vide (inquit Hieronymus) quanta sit fides hominum Genesareth; vt nõ præsentium tantùm salute contenti sint; sed mittant ad alias per circuitũ ciuitates, quò omnes currant *Proximi procurandi salus nobis est.* ad medicum, &c. Ita nos sola nostra salute nõ contenti, aliorum quoque salutem diligenter curemus, ægrosque ad medicum afferamus.

ET *quocunque intrabat in vicos vel in villas, aut ciuitates.* *Marci 6.* Christus vicos, ac ciuitates cùm percurrebat, D in plateis, per quas præteribat, ægri locabantur; vt illos videret. Orabant, verò, vt vel fimbriàm vestis illos tangere sineret. Quotquot tangebant, sanitatem consequebantur. Non vestis solùm (vt ait *Christi corpus nobis propositum, non vt tangamus, sed vt manducemus.* Chrysostomus hoc loco) sed corpus Christi nobis propositum est; non vt tangamus solummodò: sed vt comedamus, & saturemur. Adeamus igitur Christum singuli ægrotantes, magna cũ fide. Nam si qui fimbriam vestimenti eius tunc tetigerunt, rectè omnes conualuerunt; quantò magis corroborabimur, si totum in nobis habebimus: hæc Chrysostomus. *Chrysost.*

E

CAPVT IV.

Morale.

Petrus ambulat super aquam.

PROCELLIS suos exercet, ac probat Dominus. Tranquillum enim ac pacatũ mare, qualis sit nauarchus, minimè indicat. Tempestate oppressi discipuli remigabant. Nemo in rebus aduersis animum despondeat, remos apprehendat cum *In rebus aduersis animo se agendum.* Apostolis; si velo non potest, saltem remis vtatur.

Ambu-

Ambulabant (ait Augustinus tract. 25. in Ioan.) promouebant Apostoli; nec venti illi, & tempestates, fluctus, & tenebræ, id agebant, vt vel nauis non promoueretur, vel soluta mergeretur. Sed inter omnia illa mala ibat, &c. Idipsum contingat nobis; inter omnia mala, nauicula nostra eat; si secundo non potest vento, remis vi magna propellatur. Videbat è monte Christus Apostolos *laborantes remigando*, vt Marcus ait. videt, & considerat, quinam despondeant animum, mediisque in fluctibus deficiant: quive animo valido vndis procellisque obluctentur. *Viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.* Abacuc. *Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit.* Ad Apostolos venit non prima, non secunda, non tertia vigilia noctis: sed, quarta, atque extrema. *Si moram fecerit; expecta eum*: veniet, vel ad quartam noctis vigiliam. Propterea, inquit Chrysostomus in Matthæum hom. 51. periclitantibus Apostolis non confestim succurrit Christus, sed quarta vigilia in mari ambulans venit ad ipsos: erudiens nos, non esse citò solutionē calamitatum quærendam, sed magno animo aduersa perferenda, &c. Theophylactus Marc. 6. Propterea non statim assistit Apostolis Dominus, sed tota nocte sinit in tempestate esse, vt doceat fortes esse, & non in principio tentationum sperandam requiem, &c.

Mar. 6. Videt labores nostros Dominus.

Psalm. 26. Abac. 2.

Calamitatum solutio non est cito quærenda.

Petit Dauid: *Non me derelinquas vsquequaque.* Hebraicè, קד מאד *bhad meod*, id est, *vsque valde.* Derelinquit suos Dominus aliquando, sed non vsque valde, non omnino. Opportuno enim tempore fert opem. D. Gregorius in caput 30. Iob, ad illa verba: *Non fuit qui ferret auxilium*: Deus, inquit, eos quos in æternum diligit, aliquando ad tempus relinquit. Vnde scriptum est, *Ad punctum, in modico dereliqui te: & in miserationibus magnis congregabo te. in momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te. & in misericordia sempiterna misertus sum tui.* Hinc etiam Psalmista deprecatur dicens: *Non me derelinquas vsquequaque.* Derelinqui igitur se, sed ad modicum posse vtiliter nouerat, qui ne vsquequaque relinqueretur petebat. Sanctos enim suos Dominus veniendo adiuuat: derelinquendo, probat. donis firmat; tribulationibus tentat, &c.

Psalm. 118.

Deus non derelinquit suos vsque valde. D. Gregor. Iob 30. Isaiæ 54.

Psalm. 118.

Sanctos Dominus iuuat, probat, tentat.

Aliquando verò tardare videtur Dominus, quoniam ad quartam noctis vigiliam venit. sed secundum prouidentiæ ordinem, minimè serum est auxilium, vt idem Pater sanctissimus eodem loco docet. Plerumque, inquit, iusti tribulatione deprehensi, tardam manum subuenientis æstimant, cùm se persequentium immanitas paulò longiùs angustiat. & concita quidem sunt ereptoris remedia, sed hoc quod ab ereptore citius agitur, dolori tardum videtur, &c. item: Supernum auxilium, etsi adest, quantùm ad ordinatam prouidentiam protectoris, deesse tamen creditur, quantùm ad concita vota patientis, &c.

Greg.

Tardare videtur aliquando Deus.

Præter hæc, obserua ortam tempestatem in naui absente Domino. ita in Ecclesia à qua pastor abest; procella exoritur. Absente Mose Exod. 32. vitulum fabricarunt Israelitæ, & Matthæi 13. dormientibus hominibus, inimicus homo zizania superseminauit.

Oriuntur tempestates in Ecclesia absente pastore.

A vento contrario procella excitata est. Ventus est hæresis, magno impetu Ecclesiam quatit: sed tandem venti instar euanescit. sic euanuere Arianorum, Sabellianorum, Manichæorum, Marcionistarum, aliæque hæreses: sic euanescent illæ, quæ nostris temporibus sunt excitatæ, *Omnis plantatio* (ait Dominus) *quam non plantauit Pater meus, eradicabitur*, &c. Et Gamaliel, *Si est ex hominibus consilium hoc, dissoluetur*, &c. Eradicabitur igitur Lutheranorum, cæterorumque plantatio, quam Satanas plantauit; dissoluentur inania hæreticorum hominum consilia; dissoluentur sine aqua nubes, & venti Ecclesiam perturbantes euanescent. Interim dum tempestas furit, nos remigando cum Apostolis laboremus, Ecclesiæque matri toto conatu seruiamus.

Hæreses vt ventus euanescunt.

Matth. 15.

Act. 5.

Augustinus serm. 13. de verbis Domini tempestatem ait esse cupiditatem. Vnicuique, inquit, sua cupiditas tempestas est, &c. Hæc cupiditatis tempestas multos mergit. Si vis tranquillare tempestatem: tranquilla cupiditatem. Mundum ait idem Augustin. similem esse mari. Maris instar fluctuat mundus semper, & absorbet. Amas, inquit, sæculum, absorbebit te; amatores suos vorare nouit, non portare, &c. Paucorum est siccis vestigiis hoc mare calcare: mergemur, nisi Christus, vt Petro, manū porrigat. Aduersus ventus hoc pelagus perflat, & prosper. Ab vtroque periculum graue imminet. Non solùm enim aduersæ, sed prosperæ quoque res, in naufragium ducunt. Vnde Augustinus: Magnæ, ait, virtutis est, cum felicitate luctari, magnæ fælicitatis est, à fælicitate non vinci, &c.

Tempestas est cupiditas.

Mare mundus.

Aduersus, & secundus ventus excitat tempestatem.

August.

Est consideranda Petri fides, & amor erga Christum. Ad Christum enim venire calcatis optabat fluctibus. Nemo (ait Chrysostomus homil. 51. in Matth.) ita vt Petrus Iesum amabat. Propterea nec dixit, iube, vt super aquas ambulem: sed *iube me venire ad te*, &c. item: Non dixit, ora Deum, vt venire possim: sed *iube me venire*, &c. Petrus ad Christum calcato iuit mari. Felix qui ad Christum calcato it mundo. Sed à Deo initium, & vocatio, à Deo est perseuerantia. Calcat vndas vocatus Petrus. Veni, ait Dominus. At antequam ad Christum perueniat, validum horret ventum, mergiq; incipit, inanes formidamus ventos, pelagoq; forbemur. Succurret inuocatus Dominus, ne in profundum descendamus. Magna aliquando pericula Deo iuuante superamus, in paruis ex nostra imbecillitate deficimus. Petrus (ait Chrysostomus hom. 51.) quod maius erat, super maria, scilicet de nauigio descēdere, magno animo fecit. Vi autem ventorum, & impetu fluctuum, quòd erat minus, superatus, timuit. Naturæ quippe humanæ hæc conditio est, vt difficilioribus nonnunquam superatis, succumbat in minoribus, &c.

Amor Petri & fides.

Matth. 14.

Perseuerantia à Deo & vocatio & auxilium.

Superamus maiora aliquando, non minora.

Porrexit Dominus manum Petro, mergi non est passus. Iuxta illud, *Impulsus euersus sum vt caderem, & Dominus suscepit me.* &, *cùm ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam*, &c. item, *Misit de summo, & accepit me, & assumpsit me de aquis multis*, &c. Chrysostomus: Sicut si pullus, cùm antequam volare queat, nido exiens, in terram decidat, mater velociter raptum in nidum restituit. sic tunc Christus in Petro peregit, &c.

Succurrit Dominus. Psal. 117. Psalm. 26. Psal. 17.

Obseruauit Theophylactus, hoc loco adumbrationem existere quandam negationis Petri. Matthæi 14. Vide, inquit, quòd negationem Petri, & pœnitentiam præsignarunt, quæ in mari acciderunt. Nam sic ille dicebat confidens: *Non te negabo*, sic & hic: *Iube me venire ad te super aquas.* Sicut tunc permisit Christus illum negare: ita & hic permittit mergi. Hic manum ei porrexit Dominus, & non permisit eum submergi. Ita tunc per pœnitentiam eum à profundo negationis extraxit. Sic Theophylactus.

Theophyl. Adumbratio negationis Petri.

Matth. 14.

CAPVT

CAPVT V.

De quærendo pane cæleſti.

IOANNES CAP. VI.

ALTERA die, turba, quæ ſtabat trans mare, vidit quia nauicula alia non erat ibi, niſi vna; & quia non introiſſet cum diſcipulis ſuis Ieſus in nauim, ſed ſoli diſcipuli eius abiiſſent. Aliæ verò ſuperuenerunt naues à Tiberiade, iuxta locum vbi manducauerant panem, gratias agente Domino. Cùm ergo vidiſſet turba, quia Ieſus non eſſet ibi, neque diſcipuli eius: aſcenderunt in nauiculas: & venerunt Capharnaum querentes Ieſum, & cum inueniſſent eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi, quando huc veniſti? Reſpondit eis Ieſus, & dixit: Amen amen dico vobis, quæritis me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis. Operamini non cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam? quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater ſignauit Deus. Dixerunt ergo ad eum? Quid faciemus vt operemur opera Dei? Reſpondit Ieſus, & dixit eis: Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum, quem miſit ille. Dixerunt ergo ei; Quod ergo tu facis ſignum, vt videamus, & credamus tibi? quid operaris? Patres noſtri manducauerunt manna in deſerto, ſicut ſcriptum eſt: Panem de cælo dedit eis manducare. Dixit ergo eis Ieſus: Amen, amen, dico vobis. Non Moſes dedit vobis panem de cælo, ſed Pater meus dat vobis panem de cælo verum. Panis enim Dei eſt, qui de cælo deſcendit, & dat vitam mundo. Dixerunt ergo ad eum: Domine, ſemper da nobis panem hunc. Dixit autem eis: Ego ſum panis vitæ: qui venit ad me, non eſuriet: & qui credit in me, non ſitiet vnquam. Sed dixi vobis quia vidiſtis me, & non creditis. Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet; & eum, qui venit ad me, non eiiciam foras. quia deſcendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me. Hæc eſt autem voluntas eius, qui miſit me Patris, vt omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in nouiſſimo die. Hæc eſt autem voluntas Patris mei, qui miſit me, vt omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam; & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.

Ioan. 6. ALTERA *die*. Græcè, τῇ ἐπαύριον, id eſt, ſequenti die poſt miraculum, turba cui Chriſtus cibum præbuerat trans mare Galilææ, vidit (ait Ioannes) quod cymba nulla ibi trans mare erat, præter illam in quam diſcipuli cõſcenderant. vidit præterea Chriſtum in illam non introiiſſe. Quocirca ignorabant illi homines, quonam modo in Capharnaum Chriſtus peruenisſet. Vnde orta interrogatio eſt, de qua dicemus infra. Hæc autem à Ioanne dicta vult Chryſoſtomus; vt, licet non tam manifeſtè, admoneat tamen, turbam miraculum Chriſti ſuper aquas ambulantis intelligere potuiſſe. At verò ſi turba pedeſtris iter illud facere potuit. vt ſuprà vidimus: potuit etiam exiſtimare Chriſtum ſine cymba idem iter feciſſe.

Ioan. 6. ALIÆ *ſuperuenerunt naues à Tiberiade*. Quomodo turba mare traiecerit indicat Ioannes, quibuſue cymbis. Nam cùm nulla in eo loco cymba eſſet, qua turba traiiceret, aliquot ſcaphæ ſuperuenerunt ex ciuitate Tiberiade, ſuperuenerunt, inquam, iuxta eum locum, id eſt, prope, vel ad eum locum, in quo cibum à Chriſto acceperãt, panemque manducauerant, & piſces, *gratias agente Domino*: *Ioan 6.* ſic legendum: non verò, *gratias agentes Domino*. Nam Chriſtus cum panẽ multiplicauit, vt ſuprà dictum eſt, gratias egit Deo, panemque benedixit. His ſcaphis quæ ex Tiberiade ad locũ miraculi venerant, ex vlteriore ripa nauigauit turba illa in citeriorem, venitque Capharnaum Chriſtum quærens, vt Ioannes ait.

Ioan. 6. CVM *inueniſſet eum trans mare*. Inuenerunt homines illi Chriſtum trans mare, id eſt, in citeriore maris, ſiue lacus parte, in qua erat Capharnaum. Dicitur hoc loco, *trans mare*, quoniam turba illa ex vlteriore parte tranſnauigauerat. re autem vera cis mare erat. In quo nam loco inuenerint Chriſtum non aperit Euangeliſta hoc loco: ſed ex illis verbis quæ inferius addit: *Hæc dixit in ſynagoga* *Ibidem.* *docens in Capharnaum*: colligitur, in ciuitate Capharnaum inueniſſe.

Ioan. 6. RABBI, *quando huc veniſti*. Ignorabant illi homines, quos cibo refecerat in deſerto, vltra mare, quonam modo, & quando Chriſtus in Capharnaum veniſſet: ideoque ſic interrogant: *Magiſter, quando huc veniſti?* Non rogant, quo modo venerit, ſed quando venerit. quia quando diſcipuli venerant, ille non venerat.

Ioan. 6. QVÆRITIS *me, non quia vidiſtis ſigna*. Dixerat *Ibidem.* ſuperiùs Ioannes: *Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna, quæ faciebat ſuper his, qui infirmabantur*. Cur ergo nunc Chriſtus ait: *Quæritis me, non quia vidiſtis ſigna?* Reſpõdetur. Chriſtum, & Ioannem de diuerſis loqui temporibus. Secuti ſunt enim illi homines

Concordia verborum Chriſti & Ioannis.

homines Chriſtum in deſertum, quia videbant ſi-
gna, id eſt, miracula. Sed modò in Capharnaum ſe-
cuti ſunt eum, nõ quia videbant ſigna alia, ſed quia
ſaturati erant à Chriſto, & quia ſaturari volebant.
Ioan. 6. Aliter ſenſus Chriſti eſt: *Quæritis me, non quia vidiſtis ſigna*; vt ea videri debent, & per ea credidiſtis in me.
Propterea enim ego ſigna facio vt credatis, atque
ita ea videri volo. Significat Dominus iis verbis il-
los non credidiſſe, nec reportaſſe fructum ex mi-
raculis, qui fides eſt viua, & operoſa. Propter car-
Auguſt. nem me quæritis (ait Auguſt. tract. 25.) non pro-
pter ſpiritum, &c. Similes his ſunt, qui in Eccle-
ſiaſticis beneficiis, concionibus, cæteriſque huiuſ-
modi rebus ſpiritalibus, cibum quærunt, nõ Chri-
ſtum. Quàm multi (ait Auguſtinus) non quærunt
Ieſum, niſi vt illis faciat benè, ſecundum tempus.
Vix quæritur Ieſus propter Ieſum, &c. & D. Greg.
Per ordines ſacros virtutũ merita quærenda maxime. Iob cap. 30. Per horum, inquit, perſonã Dominus
illos intra ſanctam Eccleſiã deteſtatur, qui per ſa-
cros ordines ad Dominum propinquantes, nõ eiſ-
dem ordinibus virtutum merita, ſed ſubſidia vitæ
præſentis exquirunt. Nec cogitant, quid viuendo
imitari debeant; ſed quæ compendia percipiendo,
ſatientur. Satiatos quippe de panibus Dominum
ſequi, eſt de ſancta Eccleſia temporalia alimenta
ſumpſiſſe, &c.

Ioan. 6. OPERAMINI *non cibum qui perit.* A cibo corpo-
reo aſſurgit Dominus ad cibum ſpiritalem:
ſic Ioan. 4. cùm Samaritanam alloquitur, ab aqua
A cibo corporis ad cibum animi tranſfert ſermonem Dominus. corporea tranſit ad incorpoream. vt Auguſtinus
aduertit. *Operamini* (inquit Dominus) *non cibum qui perit, qui abſumitur & decoquitur*, vel, qui perit tandem
cum ipſa hominum mortali vita, quam alit. Ope-
remini non cibum corruptibilem, id eſt, operando
comparate cibum incorruptibilem.

Ioan. 6. SED *qui permanet in vitam æternam.* Cibus corpo-
reus abſumitur, & perit tandem illius & ſub-
ſtantia, & effectus: ſcilicet, hominis vita, quam nu-
trit. At cibus ſpiritalis, gratia, virtutes, percepta ſa-
Apoc. 14. Cibus animi non perit. cramenta, opera bona, non pereunt. *Opera enim illorum ſequuntur illos.* Etſi deſinat ieiunij actus, oratio-
nis, eleemoſynæ, etſi Euchariſtiæ perceptio tranſ-
eat; attamen permanent hæc omnia in ſuo effectu,
qui gratia eſt, & gloria. Similem in modum, Sama-
Ioan. 4. ritanæ dixit Chriſtus: *Qui bibit ex hac aqua ſitiet iterum*; id eſt, peribit hæc aqua. *Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum.* Opera igitur & labor
Iſaiæ 55. impendendus eſt cibo, qui non perit. Vnde illud,
Quare appendit is argentum nõ in panibus; & laborem veſtrum non in ſaturitate, &c. Quaſi dicat: Cur in cibum mox
Quærendus cibus qui non perit. periturum, quique in æternum ſaturare vos ne-
quit, laborem impenditis? De cibo verò ſpiritali:
Iſaiæ 55. *Comedite*, inquit, *bonum: & delectabitur in craſſitudine*, id
eſt, pinguedine; *anima veſtra*, &c.

Ioan. 6. QVEM *filius hominis dabit vobis.* Rogarat turba; vti-
denam cibum hunc perpetuo nutrientem,
poſſumus comparare? id oſtendit Dominus. Hunc
cibum, qui in vitam permanet æternam, filius ho-
minis donabit vobis. Hunc cibum ego habeo, ego
Chriſtus cibum dat qui non perit. Iſaiæ 55. dono. Similiter Iſaias illo capite citato, ad cibum
hunc inuitat. *Omnes*, inquit, *ſitientes venite ad aquas, emite abſque argento, & abſque vlla commutatione, vinum, & lac*, &c.

Ioan. 6. HVNC *enim Pater ſignauit Deus.* Rupertus, & alij,
hæc verba ad cibum referunt, de quo Chri-
ſtus locutus eſt, hoc ſenſu; hunc cibũ Pater ſigna-
uit. Sed ex græco contextu liquet, eſſe referenda
ad filium hominis, id eſt, Chriſtum. Nomen enim,
τροφὴ, id eſt, *cibus*, fœmininum eſt, τοῦτον, id eſt, *hunc*
maſculinum.

Diuus Auguſtinus tract. 25. in Ioannem, exiſti-
mat, propterea ſignatum dici à Patre Chriſtum,
A quòd illum veluti eximio ſigno notatum omnibus
hominibus antepoſuerit. iuxta illud, *Scitote, quoniam mortificauit Dominus ſanctum ſuum.* Signare (inquit Au-
guſtinus) eſt ſignum rei ponere. Cuicumque rei
ponis ſignum, ideo ponis, ne confuſa cum aliis, à
te non poſſit agnoſci. *Pater ergo eum ſignauit.* Quid
eſt, *ſignauit?* Proprium quiddam illi dedit, ne cæte-
ris comparetur hominibus, &c. item: Iſte filius
hominis ſequeſtratus quadam gratia Spiritus: & ſe-
cundum carnem filius hominis: exceptus à nu-
mero hominum, filius hominis eſt. Iſte & filius
hominis, & filius Dei eſt. Iſte homo etiam Deus
Chriſtus filius Dei, & hominis. eſt, &c. Chryſoſtomus ſignatum arbitratur Chri-
ſtum à Patre, id eſt, declaratum Patris teſtimonio:
B idem ſentit Theophylactus; & Euthymius Hunc
(ait Chryſoſtomus) ſignauit Pater, id eſt, oſtendit,
Chryſoſt. & ſuo reuelauit teſtimonio, &c. Oſtendit autem fi-
lium Pater in baptiſmate, illa voce: *Hic eſt filius meus dilectus*, &c. *Matth. 3.*

Diuus Hilarius libr. 8. de Trinitate putat hoc di-
cendi modo ſignifi caſſe Chriſtum, ſe à Patre to-
Chriſtus imago patris. tam recepiſſe eſſentiam: quemadmodum quod ſi-
gnatur, à ſigillo totam recipit formam. Quia, in-
quit, omnem in ſe paternæ formæ plenitudinem
ſignantis ſe Dei cõtineret. Vt quod ſignaſſet Deus,
non aliud ex ſe, quàm formam Dei ſignantis affer-
ret, &c. Ad eundem modum D. Cyrillus libr. 3. in
Ioannem capite 29. Signauit, inquit, aut pro vngi
C poſuit, ſignabantur enim qui vngebantur. Aut na-
turaliter ad formam Patris, vt ita dicam, ſe eſſe for-
matum, ſignationis nomine denotauit, &c. Senſus
Signauit Deus filiũ, formam ſuam ei imprimendo. is elicitur ex his patribus: *Hunc ſignauit Pater*, id eſt,
Deus Pater filio formam ſuam impreſſit, naturam
ſuam illi communicauit. Quemadmodum ſigil-
lum in cera effigiem imprimit, ac communicat,
quam habet.

Diuus Thomas ſic exponit: filium hominis Pa-
ter ſignauit, quia in natura humana Pater impreſ-
Verbũ imãginẽ, ſuam Pater impreſſit in natura humana. ſit Verbum, quod eſt figura ſubſtantiæ eius, &c.
Nam quemadmodum in cera ſigilli imago im pri-
mitur, illique adhæret; ita in natura humana per
incarnationem imago Patris, id eſt, Verbum diui-
D num, impreſſa eſt, illique perpetuum copulatur.
Merces niſi ſigillo munitę ſint, in regnum non ad-
mittuntur: ſic natura humana, antequam Patris ſi-
gillo, atque imagine, id eſt, Verbo diuino, eſſet no-
bilitata, in cæleſte regnum minimè recipiebatur,
poſteà verò protinus eſt recepta. Lyranus ita in-
terpretatur: *Hunc Pater ſignauit*, id eſt, aſſignauit, vt *Ioan. 6.* panem permanentem nobis daret.

Obſerua verbum Græcum, quo vſus eſt Ioan-
Miraculis Deus Chriſtum ſignauit. nes, σφραγίζω, ſignificare idem, quod *ſigillo inſignire.*
Significant ergo verba Chriſti Patrem, veluti ſigil-
lis appoſitis, Chriſtum Dei eſſe filium, verumque
Meſſiam comprobaſſe, qui cibum in vitã æternam
permanentem hominibus poſſit donare, id eſt, fi-
dem, gratiam, & ſacramenta. Iam quæris, quodnam
ſigillum Pater Chriſto appoſuerit? Reſpondeo, vi-
E tæ ſanctimoniam, & miracula, quæ ſigillorum in-
ſtar filium Dei eſſe, & Meſſiam oſtendebant. Sigil-
la enim Dei, miracula ſunt. Quemadmodum ſigil-
lum Regis epiſtolam à Rege miſſam eſſe probat:
Miracula ſigilla Dei, ſunt. ſic miraculum hominem à Deo eſſe miſſum con-
firmat. Miracula igitur Chriſti, ſigilla erant Dei.
Hunc pater ſignauit Deus, hoc eſt, hunc miraculis
veluti ſigillis filium eſſe ſuum, & Meſſiam promiſ-
ſum, cõ firmauit Pater Deus, qui falſum quidpiam,
aut mendacium confirmare nequit.

Poſſunt hęc verba de Euchariſtia ſanctiſſima in-
telligi, alio ſenſu. Nam ſignare claudere ſignificat.
De Euchariſtia hæc explicantur. Quæ enim clauſa eſſe volumus ſignamus, vt epi-
ſtolas. Olim etiam alia ſignabant, ne referarentur,

Templi

Templi ostium clausum Regis annulo obsignatur. Matth. Lapis sepulchri. & Cant. fons dicitur signatus, id est, conclusus, *Nónne hæc condita sunt apud me: & signata in thesauris meis?* sensus ergo erit: Hunc filium hominis Pater Deus sua potentia signauit, id est, abscondit. Abscõdit, inquam sub panis, viniq́ue speciebus, & integumentis, in sacramento stupendo. Video quid obiicias. Nondum cùm hæc dicebat, Christus sacramentum Eucharistiæ instituerat. Atqui de præterito hoc loco loquitur, *signauit*, non *signabit*. Respõdeo, præterito vti prophetam pro futuro. Quæ enim futura sunt, propheta etiam per præteritum tempus enuntiat. Iob 9. stellas claudere Deus dicitur quasi sub signaculo. sed in stupendo Eucharistiæ sacramento, veluti sub signaculo, ipsum clausit solem Christum. Nec enim mortalium oculi fulgentissimos illius radios possent ferre. Hic est fons totius gratiæ signatus, & occultus; ex quo, qui puro accedunt corde, gratiam hauriunt singularem.

Matth. 27. Cant. 4. Deut. 32. — Signantur clausa. — Prophetavtitur præterito pro futuro.

Ioan. 6. QVID *faciemus, vt operemur opera Dei?* Intellexerũt auditores cibum, de quo loquebatur Dominus, opera esse Dei, id est, opera diuina, bona, Deo grata. ideo rogant. *Quid faciemus, vt opera Dei operemur?* quasi dicant: Quid faciemus, vt operemur hunc cibum permanentem invitam æternam? Bono animo videntur interrogasse.

Ioan. 6. HOC *est opus Dei, vt credatis.* Aperit perspicuè Dominus, quodnam sit opus Dei, quique sit cibus in vitam permanens æternam. *Hoc est*, inquit, *opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille.* id est, in me. Noluit modestię gratia dicere, *vt credatis in me.* Opus autẽ Dei fidem appellat. Non quòd à Deo efficiatur; quamuis id verum sit. Sed quòd Deo gratum opus est, credere. Respondet enim Dominus eodem sensu, quo interrogatus est. *Quid faciemus, vt operemur opera Dei?* id est, Deo grata, atque placentia, opera bona, & sancta. Fidei verò nomine non nudam fidem, sed cum operibus coniunctam intelligit; quemadmodum Paulus ad Rom. 3. vt alibi diximus. Est ergo sensus; hoc est opus Dei, hic est cibus, quem operari debetis, & comparare; scilicet, fides in me Messiam à Deo missum, cum operibus, & charitate coniuncta. Fidei namque nomen, quia radix est, & initium, ac fundamentum Euangelicæ legis, totam ipsam Euangelicam legem significat.

Opus Dei fides. — Fidei nomine quæ intelligatur.

Ioan. 6. QVOD *ergo tu facis signum, vt videamus, & credamus tibi?* Mirabilis hæc est interrogatio. Mille miracula Christus fecerat, quæ perspecta omnibus erant. Paulò antè quinque panibus, piscibusque duobus, quinque hominum millia satiauerat, quo signo permoti regem illum decreuerant creare. Attamen interrogant: *Quod tu facis signum, vt videamus, & credamus? quid operaris?* Incredulitatem indicant, qua laborabant. Nec enim satis sibi esse significant, ad credendum, facta miracula; nouum aliquod fieri postulant è cælo, simile illi, quo Moses in solitudine Israëlitas manna aluit. Vel miraculum postulant, quo cibus illis detur, non semel tantùm, sed sæpe, vel semper quemadmodũ Israëlitis in solitudine datum est manna. Hinc intelliges, cur suprà Dominus dixerit: *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis.* Etenim ventris quærebant saturitatem, non mentis. Possunt hæc verba sic exponi. Quod facis tu nunc miraculum, præter cætera, quæ iam fecisti, vt credamus in te? Cætera iam facta sunt. Nunc nouum facito, quo nos pascas.

Miraculum ecfariũ postulant.

Ioan. 6. PATRES *manducauerũt manna in deserto.* Quale miraculũ expoſcant, vt credant, his verbis aperiunt. Patres nostri (inquiunt) cum ex Ægypto egrederentur, manducauerunt nõ semel, aut iterum, sed quadraginta annis panem è cælo decidentem. Id probant ex Psalm. *Panem de cælo dedit eis manducare.* sic Psalmus habet: *Et pluit illis manna ad manducandum, panem cæli dedit eis*, &c. Tu igitur si vis nos credere in te, simile miraculum facito. Pasce nos cibo, non semel, aut iterum, sed multis annis; vt Moses: & credemus. Præbuisti quidem nobis cibum, sed semel tantum. Iam videre volumus, an possis id facere, quod Moses; scilicet, præbere cibum semper, vel sæpe. Hæc enim cupimus. Id si facias, & Regem te creabimus, & in te credemus. Neque negabant hi homines miracula Christi alia, neque illud panum, sed frequentari à Christo volebant, sæpiusque fieri. Vnde infra sic petunt: *Domine semper da nobis panem hunc.*

Exodi 16. — Psal. 77. — Ioan. 6.

NON *Moyses dedit vobis panem de cælo.* Cupiditati non vult facere satis Dominus. à vẽtre attollit hos carnales homines ad mentem: à manna, ciboque terrestri, ad manna cibumq́; cælestem erigit: *Non Moyses*, inquit, *dedit vobis panem de cælo*: Videtur Dominus verbis Psalmi citatis repugnare: Psalmus affirmat: *Panem cæli dedit eis.* Christus negat: *Non Moyses dedit vobis panem de cælo.* Minimè repugnat. Nam Psalmus non de Mose loquitur, sed de Deo. *Panem cæli dedit eis*: scilicet Deus, non Moses. Etenim panis non à Mose, sed à Deo, Angelis ministrãtibus, suppeditabatur. Prætereà manna non erat è cælo supremo, sed ex aëre. In aëre enim ab Angelis efficiebatur. Est igitur sensus: Moses non dedit vobis panem de cælo, sed ex aëre. Pater meus dat vobis panem de cælo verum. Moses dedit panem typicum: typicus enim panis erat manna, vmbra Christi. At pater dat vobis non vmbram panis: sed panem verum, me ipsum. Moses dedit vobis panem, qui periit, quique famem in sempiternum extinguere non potuit. Pater dat vobis panem verum, id est, permanentem in vitam æternam, qui perpetuò saturat. Moses dedit vobis panem ex aëre, Pater dat vobis panem ex cælo supremo descendentem. Scilicet me ipsum, qui de cælo descendi.

Ibidem. — Manna non ex cælo, sed ex aëre descendit.

Ioan. 6. PANIS *enim Dei est, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo.* Sic Biblia correcta habent, non autem: *Panis enim verus est*; vt aliqui libri. Panis Dei dicitur, quia à Deo datus est: è cælo descẽdisse dicitur, quia Christus ex cælo descẽdit. Dat autem vitam mundo spiritalem. Est enim panis spiritus, non carnis morituræ carnaliter vitam alens. Manna vitam corporalem Iudæis tantummodò dedit: at hic panis vitam dat vniuerso mundo, vitam, inquam animæ, & per resurrectionem etiam corporis. Est sensus. Pater dat vobis panem de cælo verum. Est enim ô Israëlitæ panis quidam Dei, id est, à Deo datus, non à Mose, qui dat mundo, non solùm Iudæis vitam.

Panis Dei quis dicatur.

Ioan. 6. DOMINE *semper da nobis panem hunc.* Quemadmodum Samaritana illa fœmina, postquam audiuit: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum*, &c. aquam petiuit: *Domine*, inquiens, *da mihi hanc aquam, vt non sitiam*, &c. Ita hi homines, cùm audierunt à Christo panem quemdam esse Dei, qui mundo vitam daret, panem hunc postulant; Christumque honorificè Dominum appellant. *Domine*, aiunt, *semper da nobis panem hunc.* Existimant Christum de pane corporali loqui; cupiuntque sine labore saturari. Ideo petunt, vt panem illis det, non semel, aut iterum, sed semper. *Da nobis semper.*

Non irrisoriè petunt panem, de quo Christus loquitur.

Est opinio quædam, de pane spiritali illos intellexisse Christum loqui: & irrisoriè petiisse: *Da nobis hunc panem*, quasi dicant: Nec vllus est panis huiusmodi: nec si esset, dare tu posses. Sic etiam Sama-

Samaritana irriſoriè à Chriſto aquã petiiſſe dicitur, cùm dixit: *Domine da mihi hanc aquã.* Credo tam hoſce homines, quam Samaritanam, non irriſoriè ſed ſeriò panem petiiſſe, & aquam. Exiſtimarunt enim Chriſtum de pane, & aqua loqui corporali. Obiicitur. Chriſtus ait, panem hunc mundo æternam vitam donare: panis autem corporalis æternam vitam donare nequit: ergo hic homines intellexerunt, Chriſtum non loqui de pane corporali, ſed ſpirituali: irriſorieque illum petierunt. *Ioan. 6.* *Iudæi non irriſoriè petierunt panem de cælo.* Reſpondeo, Chriſti proxima verba hæc eſſe: *Panis Dei eſt, qui de cælo deſcendit, & dat vitam mundo,* Non addidit æternam, quamuis de æterna intellexit. Nihil ergo ponderis obiectio habet. Adde potuiſſe malè intelligere panem dare vitam æternam, id eſt, longiſſimam corpori. Prætereà, etſi de ſpirituali pane intellexerunt Chriſtum, credendũ eſt non irriſoriè, ſed ſeriò petuiſſe. Nulla enim ratio irriſionem hanc perſuadet. Quemadmodum ſine irriſione *Ioan. 6.* dixerunt: *Quid faciemus, vt operemur opera Dei:* ita ſine irriſione dicunt: *Domine ſemper da nobis panem hunc.* Id quod indicat vox *Domine,* non enim irriſorie; ſed ſeriò Dominum appellarunt.

Ioan. 6. EGO *ſum panis vitæ.* Petiuere non ſimulatè, aut irriſorie, ſed verè panẽ auditores à Chriſto. Aperit ille, qualis ille panis ſit, de quo loquitur. *Ibid.* *Ego,* inquit, *ſum panis vitæ, qui venit ad me, nõ eſuriet, & qui credit in me, non ſitiet vnquam,* &c. Ego ſum panis de quo verba facio, quia panis officio fungor. Panis eſt vitam ſuſtentare, ego ſum panis vitæ, id eſt, vitalis, viuificus, vitam mundo dans. Panis eſt eſuriem *Panis vitæ Chriſtus.* pellere, ego eſuriem pello in æternum. Qui venit ad me per fidẽ, non qualem hæretici ſomniarunt nudam, ſed caritate operoſam, & conueſtitam, quique edit me, non eſuriet. Nec ſolùm cibi, verùm potus quoque vim habeo. Qui enim credit in me, non ſitiet in æternum. Sic Samaritanæ reſpondit; *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei non ſitiet in æternum; ſed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam,* &c. Quid ſit hoc loco, *venire ad Chriſtum,* Auguſtinus docet his verbis. qui venit *ad me,* hoc eſt, quod ait, qui credit in me, &c.

Ioan. 6. SED *dixi vobis, quia vidiſtis me, & non creditis.* Primus ſenſus horum verborum hic eſt. Dixi vobis, *quia,* Græcè ὅτι, ponitur, *quia,* pro *quamuis,* dixi, inquam vobis me panem eſſe vitæ; quamuis vidiſtis me, & non creditis. Secundus: dixi vobis, & locutus ſum obſcurè, & minimè apertè de pane hoc, quia vidiſtis me & non creditis. Non placet; quoniam apertè dicit illis; *ego ſum panis vitæ,* &c. Aliter exiſtimo verba interpretanda tertio ſenſu. hunc in modũ, *Ego ſum panis vitæ,* &c. Sed dixi vobis paulò ante, quia, vel quòd vidiſtis me miracula facientem, & ſaturantem quinque hominum millia paucis panibus, & piſcibus paucis, & non creditis in *Ioan. 6.* me, nec tunc credidiſtis, nec nũc creditis. At quando dixit Chriſtus huic turbę, *vidiſtis me & non creditis?* *Iudæi non credebant in Chriſtũ.* reſpondeo, tunc dixiſſe, cùm dixit; *Quæritis me, non quia vidiſtis ſigna: ſed quia mãducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis.* Eſt enim ſenſus: Quæritis me, non quia vidiſtis ſigna, vt videri illa debent ad credendum, quęritis me, non quia per ſigna, quæ vidiſtis, credidiſtis: ſed quia ſaturati eſtis. Dixit ergo Dominus turbæ, vidiſtis me, & non creditis, etſi non apertè. Nam quia videri poterãt quærere Chriſtum, quia in eum credebãt, ait illos non credere, ſed panem quærere. Prætereà iam dixerat Iudæis Chriſtus, illos non credere in ipſum, quem cernebant, capite *Ioan. 6.* præcedente, *Quem* (inquit) *miſit ille, huic vos non creditis.* item: *Non vultis venire ad me.* item: *Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis?* Et; *Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi. Si autem illius literis non creditis, quomodo verbis meis credetis?* &c. Veriſimile etiam eſt Chriſtũ in hoc eodẽ ſermone hæc dixiſſe verba; *Vidiſtis me, & non creditis.* quę tamen à Ioanne ſunt omiſſa. Nõ enim ſcribunt omnia Euãgeliſtæ, *Euangeliſtæ non ſcribũt omnia.* multa tacent, & omittunt. Quemadmodũ Ioannes omiſit dicere, Chriſtum vocaſſe Mariam, cùm tamen poſtea Martha illi dicat; *Magiſter adeſt, & vocat* *Ioan. 12.* *te.* Item eodem capite ait Chriſtus Marthæ: *Nonne dixi tibi, quia ſi crediderís, videbis gloriam Dei?* Attamen Euangeliſta hæc verba prætermiſit. Sic hoc loco illa prætermiſit; *Vidiſtis me, & non creditis.*

OMNE *quod dat mihi pater, ad me veniet.* Venerat *Ioan. 6.* turba ad Chriſtũ greſſibus corporis, non fide animi. Quomodo venire deberent animi greſſu, indicauit illis verbis; *Qui venit ad me, non eſuriet.* Non *Ibid.* ſic venire oſtendit illis: *Sed dixi vobis, quia vidiſtis me, & non creditis;* hoc eſt, nõ venitis ad me greſſu mentis & fidei, ſed greſſu corporis ſolùm. Nunc para- *Paratiſſimus Dominus ad excipiendos homines.* tiſſimum ſe eſſe ſignificat ad excipiendos omnes, qui ad ipſum mentis affectu venerint, multoſque venturos docet, quos Pater afferet. *Omne,* inquit, *quod dat mihi Pater, ad me veniet,* id eſt, omnes homines, ex omni hominum genere, ſiue Iudæorum, ſiue Ethnicorum, quoſcumque Pater mihi dat, veluti donum gratiſſimum, ad me venient. Eum verò hominem, qui ad me venerit, ego libentiſſimo excipiam animo. id enim ſignificat; *Non eiiciam foras,* *Ibid.* domo excipiam, non reiiciam, non repellã à meo conſortio. D. Auguſtinus; *Non eiiciã foras:* interpretatur; Non eiiciam ex gaudiis cæli æternis. D. Cyrillus ſimiliter: *Foras,* inquit, hoc; tale quid ſignificat, vt apud Matthęum, *elegerunt bonos in vaſa ſua, malos autem foras miſerunt,* &c. Pater autem dare filio dicitur eos, quos ad fidem adducit, ſiue trahit: iuxta illud, quod infra ait. *Nemo poteſt venire ad me niſi Pater* *Ioan. 6.* *traxerit eum,* &c. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam: & poſſeſſionem tuam terminos terræ,* &c. *Foras quid hic ſignificet.* *Matth. 13.* *Pſalm. 2.*

QVIA *deſcendi de cælo.* Reddit rationem, cur fo- *Ioan. 6.* ras non eiiciat, ſed recipiat omnes, quos Pater dat. Nimirum, quia è cælo deſcendit, vt Patris voluntatem faciat. Voluntas autem Patris hæc eſt, vt neminem Chriſtus ad ſe venientem foras eiiciat, neminem perdat: ſed vitam omnibus, quos illi dedit, conferat æternam, tùm animi, tùm corporis per reſurrectionem. Ex his verbis colligitur, D. Auguſtini, & Cyrilli, ſuperiorum verborum interpretationem eſſe, probabilem. Nimirum: *eum* *Voluntas Dei hominum ſalus.* *qui venit ad me, non eiiciam foras:* à regno cæleſti. Ait enim hoc loco Dominus: *Hæc eſt autem voluntas Patris, vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in nouiſſimo die,* &c. hoc eſt: Non eiiciam foras eos, quos mihi Pater dat. Nam hæc eſt illius voluntas, vt neminem illorum perdam, id eſt, neminem eiiciam foras ex cæleſti gloria. ſed omnes in die extremo in vitam excitẽ beatam. Dicitur au- *Chriſtus vt Deus qua ratione de cælo deſcenderit.* tem filius Dei de cælo deſcendiſſe ſecundũ diuinã naturam, non locali motu, quia implet omnia, ſed quia naturam humanam aſſumpſit, quæ in terra erat, vt docet D. Thomas Ioannis 3.

Duas habet Chriſtus voluntates, humanam, atq; *Chriſtus duas habet voluntates.* diuinam. diuina voluntas eadẽ eſt voluntas Patris, & Spir. S. quemadmodũ eſſentia. humana diuerſa eſt à volũtate Patris, natura non tamẽ eſt diuerſa, rebus volitis. Nihil enim vult Chriſtus voluntate humana, quod nolit pater: ideoq; ait, *deſcendi de cælo* *Ioan. 6.* *non vt faciam volũtatem meam* aliquam propriã, & ſingularẽ, id eſt, non vt aliquid velim, & faciam, quod nolit Pater: ſed *vt faciam voluntatẽ Patris.* D. Cyrill. de volũtate naturali Chriſti interpretatur, qua mortem ſecũdum carnẽ horrebat, ac recuſabat, vt illa verba indicant: *Si poſsibile eſt, tranſeat à me calix iſte. Verũtamen non ſicut ego volo ſed ſicut tu.* quę ſunt apud Mat. *Matth. 26*

CAPVT VI.

De pane cæleſti, & viuo.

IOANNES CAP. VI.

MVRMVRABANT ergo Iudæi de illo, quia dixiſſet: Ego ſum panis viuus, qui de cælis deſcendi; & dicebant: Nonne hic eſt filius Ioſeph, cuius nos nouimus patrem, & matrem? Quomodo ergo dicit hîc: Quia de cælo deſcendi? Reſpondit ergo IESVS, & dixit eis: Nolite murmurare in inuicem: Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Eſt ſcriptum in prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. Non quia Patrem vidit quiſquam, niſi is, qui eſt à Deo, hic vidit Patrem. Amen, dico vobis: Qui credit in me, habet vitam æternam. Ego ſum panis vitæ. Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt. Hic eſt panis de cælo deſcendens: vt ſiquis ex ipſo manducauerit, non moriatur. Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Litigabant ergo Iudæi ad inuicem, dicētes: Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum? Dixit ergo IESVS: Amen, Amen dico vobis: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem; habet vitam æternam: & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.

Ioan. 6. MVRMVRABANT *ergo Iudæi*. Non capiebant Iudæi carnales Chriſti καθυφωνίαν, id eſt, *profunditatem eloquij*. idcirco ſubmiſſa voce murmurabant, quòd ſe panem viuum è cęlo delapſum dixiſſet. Cùm homo eſſet, & eorum exiſtimatione filius Ioſeph, in terra procreatus; quo modo è cælo deſcendiſſet minimè intelligebant: *Ioan. 6.* ideoque murmurabant. *Quomodo*, inquiunt, *dicit, quia de cælo deſcendi.*

Ioan. 6. NEMO *poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum*. Nihil Chriſtum latet. Non latuit Iudæorum murmuratio. ideoque illam ſic compeſcuit. *Nolite*, inquit, *murmurare*. Deinde reddit rationem, cur murmurent, nempe quia non credunt, neque intelligunt. Eſtque conciſa oratio, in qua aliqua ſunt intelligenda. Murmuratis, quia quæ dico, non intelligitis, neque mihi creditis. Non autem intelligitis nec creditis, quoniam à Patre non eſtis edocti, & tracti. Etenim nemo ad me venire poteſt, & credere, & verba mea intelligere, niſi Pater meus eum docuerit, & traxerit. Aliter: Murmurare deſinite. idcirco murmuratis, quia non eſtis ad me tracti, à Patre. Nemo enim venit ad me, niſi Pater traxerit eum. vos adhuc non traxit. Aliter: Compeſcuit Chriſtus mur- *Ioan. 6.* murationem illis verbis: *Nolite murmurare in inuicem*. Deinde non reddit rationem, cur murmurarent; neque id illis aperit, de quo murmurabant, quomodo è cælo deſcenderit: ſed ſermonem quem habebat, continuit. Illud verò: *Nolite murmurare in inuicem*, quaſi per parentheſim dixit, ad cohibendum murmurarium ſtrepitum. Sic concionator poſtquam in concione confabulantes verbis frænat, ad ea, quæ cœperat, reuertitur. Dixerat ſuprà *Ioan. 6.* Chriſtus. *Qui venit ad me non eſuriet*; Item; *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet, & eum qui venit ad me, non eiçiam foras*. Nunc indicat, quonam modo homines ad ipſum veniant, ne exiſtimemus poſſe nos abſque diuina ope venire. Simul etiam forſitan indicare voluit, Iudæos non eſſe tractos à Patre, ideoque murmurare.

Christi cõciſa oratio expletur.

Nemo, inquit, *poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*. Niſi illi opem tulerit, niſi vocauerit, niſi auxilio manuq; ſua duxerit. Etenim ad fidem nemo venit niſi à Deo adiutus diuinoque lumine illuſtratus. Magna gratiæ commendatio (ait Auguſtinus hoc loco) Nemo venit, niſi tractus, &c. Trahit pater, trahit Filius, trahit & Spiritus ſanctus. Sed quæ diuinitatis ſunt, tribuit Chriſtus Patri, quia fons eſt diuinitatis, à quo Filius, & Spiritus ſanctus diuinitatem eandem, & eſſentiam accipiut. Præterea, quia Deus Patris nomine Iudæis notus erat, non Filius, non Spiritus ſanctus. Verbum verò, *traxit*, quidquid imperitè, & ineptè hæretici dicant, non ſignificat hoc loco violentiam liberum arbitrium abolentem: ſed ſuaue Dei auxilium, quo homines ad fidem, & pœnitentiam, libertate ſeruata ducit, ipſiſmet volentibus, & liberè conſentientibus. D. Chryſoſtomus hom. 45. in Ioan. Hoc, inquit, noſtrum non tollit arbitrium, ſed diuino egere auxilio oſtendit: & non inuitum, ſed omni conatu contendētem venire hominem, &c. Auguſtinus tract. 26. in Ioannem. Noli, inquit, cogitare, te inuitū trahi: trahitur animus & amore. Parū eſt voluntate, etiam voluntate traheris. Porrò ſi poetæ Virgilio dicere licuit, *trahit ſua quemque voluptas*. Quantò fortius nos dicere debemus, trahi hominem ad Chriſtum, qui delectatur veritate, beatitudine, iuſtitia, vita ſempiterna, &c. Item Cyrillus ait, trahi nos ad Chriſtum non vi, ſed monitione, doctrina, reuelatione; arbitrij conſeruata

Ibidem.

An fidem nemo venit niſi adiutus à Deo.

Cur patri hic tribuantur, quæ ſunt tributa perſonis communia.

Non trahit Dominus homines inuitos.

Liberum arbitrium hic affirmatur.

Virgil. Eeloga 2.

ſeruata libertate. Idem Auguſtinus ſerm. 2. de verbis Apoſtoli: Non dixit (inquit) Chriſtus, niſi Pater duxerit; ſed, *traxerit*. iſta violentia cordi fit, non carni. Crede, & venis. Ama, & traheris. Dulcis eſt violentia, ſuauis eſt, ipſa ſuauitas te trahit. Nonne quis trahitur cum eſurièti herba monſtratur? &c.

Dulcis tractio Dei, & ſuauis.

Indicat etiam verbum, *traxerit*, difficile eſſe impium à peccato, terreniſq; rebus, quibus eſt agglutinatus auelli, & ad Deũ, virtutũq; opera adduci.

Ioan. 6.

ERVNT *omnes docibiles Dei.* Quomodo Pater trahat, docet Dominus, nempe, non vi, ſed intellectus illuſtratione, & doctrina, atque inſpiratione, & voluntatis motione: Vide, ait Auguſtinus, quomodo trahit Pater. docendo delectat, non neceſſitatem imponendo, &c. Ecce quomodo trahit. *Scriptum eſt* (inquit Dominus) *in Prophetis*, id eſt, in vno prophetarum, ſcilicet Iſaia: *Erunt omnes docibiles Dei. Ponam vniuerſos filios tuos dictos à Domino:* Hebraicè lemudim, למודים, id eſt, diſcipulos. Græcè, διδακτοὺς, id eſt, *doctos*. Loquitur Deus cum Eccleſia, cuius filios ait fore à Deo docendos. Addit Dominus omnes Patris bonos diſcipulos, qui illius doctrinę, & inſpirationibus obediunt, ad ſe venire, *Omnis*, inquit, *qui audiuit à Patre* obedienter, *& didicit, venit ordine*. Multi ſunt qui diuinas audiunt inſpirationes, tamen non veniunt ad Chriſtum; quia illis obedire nolunt: videlicet, non audiunt obedienter, non diſcunt vt boni diſcipuli.

Trahit Deus non vi, ſed intellectus illuſtratione. Iſaiæ 54.

Ioan. 6. Docibiles & diſcipuli Dei idem ſunt. Schola Dei Eccleſia.

Ioan. 6.

NON *quia Patrem vidit quiſquam, niſi is, qui eſt à Deo.* Docet Patrem magiſtrum eſſe inuiſibilem, qui à nullo hominum cernatur, ſed animi auribus. Magiſter, ait, eſt Pater: tamen diſcipuli, quos docet, illum non cernunt. Nemo enim hominum illum cernit, præter eum, *qui à Deo eſt*: hoc eſt, præter me, qui à Deo natus ſum, & in mundum miſſus. Etenim ex hominibus, tunc temporis, ſolus Chriſtus Dei videbat eſſentiam. Auguſtinum lege libro de Prædeſtinatione ſanctor. cap. 8. Valde, ait, remota eſt à ſenſibus carnis hæc ſchola, in qua Pater auditur, & docet, vt veniatur ad filium. Nec agit hoc cum carnis aure, ſed cordis. Multos venire videmus ad filium, quia multos credere videmus in Chriſtum; ſed vbi, & quomodo à Patre audierint hoc, & didicerint non videmus. Nimirum gratia iſta ſecreta eſt, &c.

Schola Dei remota à ſenſibus.

Auguſt.

Ioan. 6.

AMEN, *Amen dico vobis*. Inculcat id, quod dixerat. Panem vitam largientem ſe eſſe affirmat, eamque æternam. Confert item ſe cum manna, de quo ſupra Iudæi locuti ſunt. *Qui credit* (inquit) *in me, habet vitam æternam*. Ego ſum panis vitæ, id eſt, vitam tribuens, & multò præcellentior panis ſum, quàm manna. Nam manna mortem non pellebat. Etenim Patres veſtri, quos vos dicitis manducaſſe manna in deſerto, manducauerunt quidem manna, ſed non potuit illos à morte liberare. Omnes mortui ſunt. Ego autem mortem pello. Nam panis ſum è cælo deſcendens, vt edentes à morte liberem. *Si quis ex hoc pane manducauerit, viuet in æternum*. Item: *Ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die*. Oppones: eos qui panem celeſtem edũt, etiam mortem ſubire corporis, quemadmodum Iſraelitæ ſubiere, qui manna manducarunt, atque adeò non eſſe diſcrimen inter manna, cæleſtemq; panem aſſignandum; quòd qui manna comederunt, mortui ſnnt; qui verò panè celeſtem ſumunt, non moriuntur. Reſpondetur, Chriſtum propterea mannę præferre panem cęleſtem; quòd manna Iſraelitas à morte temporali eripere non potuit. Omnes enim mortui ſunt. At verò panis cæleſtis, quamuis ab hac morte non eripiat, tamen omnes, à quibus dignè ſumitur, ſi in gratia perſeuerent, eripit à morte æterna, quod multò eſt præſtantius. Eſt ſenſus. Manducauerunt manna Patres veſtri in deſerto, & mortui ſunt, quia manna corporis morti illos eripere non potuit. At ſi quis panem è cælo delapſum manducauerit, æterna vita tùm animi, tùm corporis perfruetur, quoniam poteſt homines ab æterna morte liberare. Vnde exploratum fit, infinito interuallo, ab hoc pane illum ſuperari. Siquidem ille vitam temporalem producere nequiuit Patribus veſtris: hic autem panis vitam confert ſempiternam.

Ibid.

Schola Dei remota à ſenſibus.

Ioan. 6. Ibid.

Diſcrimen inter Chriſti corpus rite ſumptum, & manna.

ET *panis, quem ego dabo caro mea eſt, pro mundi vita.* Clarius aperit, quis ſit iſte panis, de quo loquitur. *Panis, quem ego dabo, pro mundi vita*, id eſt, vt mundus nutriatur, & viuat: caro mea, & corpus meum eſt. Dedit autem Dominus carnem, ſiue corpus ſuum, pro mundi vita, tum in cruce, tum in auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. Græca lectio eſt, ἄρτος δὲν ἐγὼ δώσω, ἡ σάρξ μού ἐστιν, ἣν ἐγὼ δώσω ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς, id eſt, *Panis verò, quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita*. Repetitur verbum, *dabo*. Biblia correcta ſic habent, vt ſupra ſcripſimus: *Panis, quẽ ego dabo, caro mea eſt, pro mundi vita*, id eſt, quam dabo, vt hominibus vitam conferam immortalem. dabo (inquam) ad edendum in Sacramento, ac ſacrificio.

Ioan. 6.

Chriſtus dedit carnem ſuam edendam in Euchariſtiæ Sacramẽto. Caro Chriſti panis vitæ.

LITIGABANT *ergo Iudæi ad inuicem.* Græcè, ἐμάχοντο, id eſt, pugnabant, & diſceptabant inter ſe, de verbis Chriſti, quòd dixiſſet: *Panis quem ego dabo, caro mea eſt.* Aiebant verò: *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare, ad manducandum?* Cùm Dominus ſupra dixit: *ego ſum panis vitæ*, non litigarunt, quòd metaphorica eſſe verba exiſtimarunt. Cùm verò audierunt, carnem panem appellari, arbitrati ſunt daturum carnem ſuam in fruſta conciſam dentibus diſcerpendam, ac inſtar aliorum ciborum ſtomacho decoquẽdam, atque abſumendam. Videbant præterea carnem humanam, in cibum ab hominibus vſurpari non poſſe. ideóque litigabant ad inuicem. Alij enim pro Chriſto, alij contra Chriſti verba diſceptaſſe videntur.

Ioan. 6.

Litigant Iudæi de verbis Chriſti. Ioan. 6.

Verbum; *Quomodo*, appellat hoc loco D. Cyrillus verbum Iudaicum, in rebus fidei fugiendum maxime. Neque enim quærendum eſt animo dubitante: Quomodo Deus hoc, vel illud poſſit facere, quomodo poſſit nobis carnem ad edendum dare. Firmam fidem (ait D. Cyrillus) myſteriis, id eſt, Euchariſtiæ Sacramento adhibentes, numquam in tã ſublimibus rebus, illud: *Quomodo?* aut cogitemus, aut proferamus. Iudaicum enim hoc verbum eſt, & extremi ſupplicij cauſa. Cùm Deus operetur, non quæramus, *quomodo?* ſed operis ſui viam, ac ſcientiam illi ſoli concedamus, &c. Theophylactus: Quando cogitationes incredulitatis ingrediuntur animum, ingreditur ſimul *Quomodo?* Oportet igitur nos cùm audierimus, *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam*: in ſumptionibus diuinorum myſteriorum, indubitatam retinere fidem, & non quærere, *Quomodo, &c.* Lege etiam Chryſoſtomum homilia 45. in Ioannem, & Auguſtinum epiſt. 2. ad Voluſianum.

Quomodo *verbum iudaicum.*

Ioan. 6.

Fides verbis diuinis habenda.

Ioan. 6.

NISI *manducaueritis carnem filij hominis.* Illi, *Quomodo?* Iudæorum, reſpondet Dominus, non quomodo poſſit carnem ſuam dare ad manducandum. Credere enim oportet accedentem ad Deum, non curioſiùs rei credendæ modum inueſtigare. ſed aſſeuerat, non ſolùm carnem ſuam eſſe cibum, verum etiam ſanguinem ſuum eſſe potum, huncque cibum, & potum hominibus adeò eſſe neceſſarium, vt vitam ſine eo habere non poſſint. Similem in modum, Nicodemo reſpondit. Cùm enim dixiſſet, *Oportere naſci denuo*. Et Nicodemus reſpondiſſet? *Quomodo poteſt homo naſci, cùm ſit ſenex?*

Ibid.

Caro Chriſti cibus ſanguis potus.

Ioan. 3.

Addidit Dominus; *Amen, amen dico tibi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest videre regnum Dei*, &c. Sicut respondit illi *Quomodo?* Nicodem. ita hic respondet *Quomodo?* Iudæorum. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: vitam inquam, spiritalem & æternam, de qua mox addit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die*, &c. Habere dicitur vitam æternam, quia ius ad illam habet. Vita autem æterna, non solius est animæ, sed etiam corporis, ideo adiicit: *& ego resuscitabo eum in nouissimo die*. De Eucharistiæ Sacramento agitur, in quo Christi corpus manducamus, & sanguinem bibimus.

Ioan. 6. *Ibid.* *Quomodo habemus vitam æternam.*

Quòd si inferat hæreticus; ergo necessaria est communio sub vtraque specie toti populo. Inficiamur: solis enim sacerdotibus necessariam esse, Ecclesia Spiritu sancto inspirante intellexit. Totus Christus sub specie panis, totus sub specie vini est. Vnde efficitur eum, qui vnam speciem tantùm sumit, totum sumere Christum, atque adeò & corpus, & sanguinem. Cur igitur sanguinem Christus hoc loco à carne distinxit? Cur duas species, siue duo symbola, eiusdē Sacramenti alterum corporis, alterū sanguinis instituit? Respondeo, vt per sacramētum illa sanguinis à corpore in cruce separatio, effusioq; copiosa significetur, vtque ipsa quoque passio in sacrificio repræsentetur. Non autem, vt communionem sub vtraque specie præceptam esse populo, hinc colligatur. Videbat enim, quàm sit periculosum populo porrigere calicem, videbat sæpe vinum communicātium multitudini suppetere non posse, videbat vnam speciem iis, qui non sacrificant, satis esse. Itaque posse Ecclesiam statuere, vt sub vna tantùm specie panis, à populo Sacramentum sumatur satis significauit, cùm sæpe hoc capite solius manducationis meminit. *Si quis* (inquit) *manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum*; nulla hîc mentio sanguinis est, vel potus, & aliis etiam locis, quæ refert Tridentinum Concil. sess. 21. cap. 1. Neque ex sermone, inquit, illo apud Ioannem, rectè colligitur, vtriusque speciei communionem à Domino præceptam esse, vtcunque iuxta varias sanctorum Patrum, & doctorum, interpretationes intelligatur. Nam, qui dixit; *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in nobis*: dixit quoque: *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum*, & qui dixit *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*: dixit etiam, *Panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita*, & denique qui dixit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in illo*. dixit nihilominus: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*. Hæc Concilium. Significat ergo Christus, vt ait Concilium, duos modos sumendi Eucharistiam, vel sub vtraque specie, vel sub vna tantùm. Prior modus sacrificantibus congruit, posterior cæteris, qui non faciunt sacrum. Quæro, est ne verum quod Christus dixit; *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum?* Item illud: *Hic est panis de cælo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur?* Item, *si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum?* Verissima hæc esse nemo negabit. Ergo satis erit Christum sub specie panis manducare: quamuis sub specie vini minime sumatur. Nulla enim his verbis de potu mentio fit.

Communio sub vtraque specie à Christo de præcepto instituta non est. *Ioan. 6.* *Ioan. 6. Ibid.* *Ioan. 6. Ibid.* *Ioan. 6.* *Ibid.* *Communio sub vtraque specie solis sacerdotibus est necessaria.*

CAPVT VII.

De Augustissima Eucharistia.

IOANNES CAP. VI.

CARO enim mea verè est cibus & sanguis meus, verè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse viuet propter me. Hic est panis, qui de cælo descendit. Non sicut manducauerunt Patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternū. Hæc dixit in synagoga docens, in Capharnaum.

CARO *enim mea verè est cibus*. Dixerat Dominus: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die*. Cur vitam æternam conferat caro ipsius, & sanguis, subiicit. Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Nam cibi & potus effectus propius est, manducantibus & bibentibus vitam dare. Cùm igitur caro Domini verè cibus sit, & sanguis verè sit potus, vitam manducantibus ac bibentibus, diuinum hoc epulum affert. Cumque vita, quam affert æterna sit, vita vero, quam reliqui cibi tribuunt, paucorum sit dierum; infinito interuallo, cibi huius effectus, reliquorum effectum superat. Est enim illius effectus infinitus, nempe vita nullo fine circumscripta. Præterea, reddit Dominus rationem, cur dixerit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem*, &c. *Caro enim*, inquit, *mea verè est cibus*. Ideoq; verè manducari potest in Sacramento: *& sāguis meus verè est potus*. Idcirco verè potest potari.

Ioan. 6. *Ibid.* *Caro vt cibus vitam confert sed æternam.* *Ioan. 6.*

Cur carnem suam verè appellet cibum & sanguinem verè potū, ambigitur. Respondemus, verba Christi sensu fecunda esse, ideoque triplici sensu dici posse carnem illius vere cibum, & sanguinem vere potum. Primus sensus: *Verè*, id est, sine vllo dubio, est cibus, potus. Vnde D. Hilarius lib. 8. de Trinitate: De veritate, ait, carnis, & sanguinis, non relictus est ambigendi locus. Nunc enim, & ipsius Domini professione, & fide nostra, verè caro est, & verè sanguis est. sic ille. Indicat Dominus, iuxta hunc sensum, se carnem, siue corpus suum, sub panis, sanguinem sub vini specie, in Sacramento daturum, vt possit verè esse hominum cibus, & potus. Secundus sensus: *Verè est cibus*; id est, verè diuinitatem in se habens, cuius comparatione res omnes pictæ sunt, & adumbratæ, iuxta illud, *Ego sum, qui sum*.

Tertius: *Verè est cibus & potus*, effectu. Quia verè cibi potusq; effectum, & proprietatem habet. Cibi enim, & potus, effectus & proprietas est famem extinguere, nutrire vitam, & augmentum dare: hi omnes effectus diuino epulo insunt. Famem enim æternam, famem quoque rerum caducarum extin-

Cur suam carnem appellet Dominus verè cibum & sanguinem verè potum. *Cæteri cibi picti & vmbræ cum hoc comparati.* *Exodi 3.*

extinguit, animum nutrit, in virtutibus incrementum præstat, vitamque sempiternam. Theophylactus, *verè* dici cibum putat carnem Christi, comparatione cæterorum ciborum. Nam reliqui non pellunt semper famem, hic pellit in æternum. Carò, inquit, Christi vere est cibus, eò quòd non ad paruum tempus duret, neque corrũpatur, sicut corruptibilis cibus, sed æternæ vitæ sit subsidium: & potus sanguinis Domini verè est potus, quia non ad tempus sufficit siti: sed semper absque siti conseruat, &c.

Manna cibus typicus.

Quartus sensus: *Verè est cibus, & potus*: non typicus: longè aliter ac manna. Quasi dicat: Manna quod patres vestri manducauerũt, non erat verè cibus, sed typice; aqua, quæ ex petra effluxit, nõ erat verè potus, sed adũbratè. Caro mea nõ typice, sed verè est cibus, illo mãna significatus, sanguis meus verè est potus, illa aqua adumbratus. Quintus; *Verè est cibus*: nõ parabolicè. Chrysostomus; *Caro verè est cibus*, &c. Aut quòd is est verè cibus, qui saluat animam, aut vt eos in prædictis cõfirmet, ne obscurè locutũ in parabolis arbitrarẽtur. Sed scirent omnino necessarium esse, vt corpus comederent, &c. Ambr. lib. 6. de Sacrament. c. 1. Sicut verus est Dei filius Christus, nõ quemadmodũ homines per gratiam, sed quasi filius ex substãtia Patris: ita vera eius caro est, sicut ipse dixit, & verus eius sanguis, &c.

Ioan. 6.

IN *me manet, & ego in illo.* Cibus cum homine, & homo cum cibo copulatur, vt vitam producat. Ad eundem modum cælestis panis cum homine, & homo cum cælesti pane coniũgitur, vt vitam æternam assequatur. *Qui manducat*, inquit, *meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in illo*: id est, mihi vnitur, & ego illi. Fit vnio hæc, & immanentia per amorem, & gratiam. Amans enim in amato manet per amorem, atque affectum: Amatũ quoq; manet in amante. Eucharistia verò Sacramentum summi amoris est, *Deus caritas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*, &c. Prætereà manemus in Christo, & Christus in nobis, quoniã membra eius sumus. Nam caput in mẽbris manet vnitum, membra verò in capite. Augustinus tract. 27. in Ioann. Manemus in Christo, cùm sumus membra eius; manet ipse in nobis cum sumus templum eius, &c. Manemus quoque in Christo, vt sarmẽta; siue palmites in vite. Quemadmodum verò vitis succum, vitamque sarmẽtis coniunctis præbet: ita Christus vitis vera nobis cum eo vnitis, vitam tùm gratiæ, tùm gloriæ sempiternam confert: à vite, in qua manẽt palmites succum trahũt, quo virescũt; à Christo in quo manemus, nos gratiam trahimus, qua viuimus, *Manete* (ait Dominus) *in me, & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite: sic nec vos nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multũ: si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet*, &c. Manet etiam Christus in nobis quemadmodũ anima in corpore. Vt enim anima in corpore manẽs, vitam illi tribuit corporalem; sic Christus manens in nobis, vitam nobis tribuit spiritalem.

Vnio per amorem animæ cum Christo.

Vnio fit in amato per amorem.

1. Ioan. 4.

Quomodo manemus in Christo, & ille in nobis.

Ioan. 15.

Quomodo fiat vnio similitudine declaratur.

D. Cyrill. in Ioan. l. 4. c. 17. vnionem hanc his verbis explicat. Sicut si quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, alterã cum altera per totũ commisceat necesse est: sic qui carnem & sanguinem Domini recipit, cum ipso ita coniũgitur, vt Christus in ipso, & ipse in Christo inueniatur, &c. Addit: Sicut parũ frumenti totã massam fermẽtat, sic parua benedictio totũ hominẽ in se ipsã attrahit, & sua gratia replet, &c. Theoph. Hoc, inquit loco discimus Sacramẽtum cõmunionis. Nã qui edit, & bibit carnẽ & sanguinẽ Domini, in ipso manet Domino, & Dominus in ipso, &c. Cibus cõmunis in

Theophyl.

A homine manet actu, ad breue tẽpus: sed effectu, ad longũ tempus, quia in carnẽ conuertitur. sic cibus cælestis Eucharistię, actu quidẽ ad breue tẽpus, effectu verò in ęternũ manet per gratiã, quã cõfert.

SICVT *misit me viuens Pater.* Comparatione eximia, ac sublimi, explicat, quonã modo vitã hominibus largiatur. De vita Dei Chrys. exponit, D. Cyrill. & Hilar. sensus est: Quemadmodũ Pater fons vitæ, qui me misit, in me manẽs, quia eiusdem essentię est, vitã ęternam, atq; essentialẽ mihi communicat: ita ego fons etiã vitæ, quã à Patre accepi, tamquã ab ingenito principio, manẽs in homine, qui me mãducat, perpetuam vitam illi impertior.

Ioan. 6.

Vitam largitur nobis Christus in nobis manens.

Aliter etiam verisimiliter, de vita æterna, quam B Pater in Christo manẽs, illi vt homini conferebat, locus intelligitur. id enim indicãt illa verba: *Misit me viuens Pater.* Sicut misit me Pater, qui viuens est, vitamq; à se ipso habet, qua missione homo factus sum. Viuo autẽ homo factus, gratiæ, gloriæq; æterna vita, *propter*, Græcè, διὰ, id est, per Patrem in me manentẽ, quia Pater mihi vitã cõfert: sic qui manducat me, vita gratiæ, gloriæque æterna viuet propter me, quia ego illi vitam tribuam. Ambros. l. 4. de fide c. 5. Si quasi filius hominis missus est, atq; descẽdit: ita quasi filius hominis viuit propter Patrem, &c. Item: Quid est, sicut ipse viuit propter Patrẽ, & nos viuimus propter ipsum? nisi quod sic viuificat filius hominẽ, sicut Pater in filio carnem C viuificauit humanam, &c. Aug. quoque tract. 26. de humana Christi vita interpretatur: Vt ego, inquit, viuam propter Patrem, id est, ad illum tanquã ad maiorẽ referam vitam meã, exinanitio mea facit, &c. De humanitate interpretatur etiam D. Basil. lib. 4. contra Eunom. & in Apolog. ad Cæsarianos epist. 141. Vnica tantum est comparatio, non duplex. Sicut ego vitam à Patre accipio: sic is qui me manducat, vitam accipit à me. Duplex sic erit: Sicut viuit Pater qui me misit, sic & ego viuo propter ipsum. Item, Sicut ego viuo propter Patrem: sic viuit propter me, qui me manducat.

Ioan. 6.

Augustin.

Basilius.

HIC *est panis, qui de cælo descendit.* Epilogo concludit sermonem: iterumq; asseuerat, se panem D esse è cælo delapsum, qui æternam vitam manducantibus largitur. Hic est panis, qui de cælo descẽdit, non qualis manna erat. Nam manna æternam vitã tribuere patribus vestris manducãtibus, non potuit: at hic panis manducantibus vitam præstat, nulla morte terminandã. Quærit D. Ambros. quomodo panis è cælo descẽderit, siquidẽ caro Christi panis est, quæ è cælo minimè descẽdit, l. 6. de Sacrament. c. 1. Caro, inquit, non descendit è cælo, quia carnem in terris assumpsit ex virgine. Quomodo ergo descendit panis e cælo, & panis viuus? Respõdet; quia idem Dñs noster cõsors est, & diuinitatis, & corporis, &c. Ratione igitur suppositi diuini, panis de cælo descẽdisse dicitur. humanitatis enim suppositũ, siue hypostasis Verbũ est diuinũ.

Ioan. 6.

Quomodo panis è cælo descenderit.

QVI *manducat hunc panem, viuet in æternum.* Sæpe vi- E tam ęternã inculcat Dominus, ac repetit hoc sermone. Sumus enim omnes vitę cupidi, mortem verò maximè formidamus. Theophyl. Ioã. 6. Vbique, inquit, Christus vitæ meminit, & crebro hoc nomen addidit; quia nihil ita suauè hominibus, vt resilla, &c. Chrys. hõ. 46. Vitę vbiq; Christus meminit. Nã eius trahimur cupiditate, & nihil suauius, quã non mori, &c. Addit Chrys. vitæ æternæ pollicitationẽ testamẽti noui esse. Nam in veteri, æterna vita non promittebatur, sed dierum lõgitudo. In veteri, ait, testamento longa vita, & multi dies promittebantur. Nunc verò non simpliciter vitæ longitudo, sed vita sine fine promittitur, &c. Adiungit: Simul & ostendere vult Christus, quòd

Theophyl. Vitam maximè amamus, ideo vitam inculcat Dominus.

Pollicitatio vitæ æternæ est testamenti noui. Chrysost.

ſupplicium ex peccato inductum nunc reuocat; ſententiam illam mortis ſoluendo, & vitæ ſempiternæ inducendo, contra ſuperiorum temporum inſtitutionem. Sic Chryſoſtomus. Lege Auguſtinum lib. 1. de peccatorum meritis & remiſſione cap. 24. quo loco refert punicos Chriſtianos Baptiſmum nihil aliud quàm ſalutem, & Euchariſtiam nihil aliud, quàm vitam appellaſſe. Eſt enim Euchariſtia vita, eaque ſempiterna, vt Chriſtus ſæpè affirmat. Intellige autem Euchariſtiam, niſi peccatum obſtet, vitam largiri. Alioqui, qui indignè, ſcelere iniquitatis vitæ panem ſumit: non vitam adipiſcitur, ſed mortem incurrit.

Euchariſtia dicebatur à punicis Chriſtianis, vita

HÆC *dixit in ſynagoga docens in Capharnaum.* Quo loco ſermonem hunc de Euchariſtia habuerit Dominus, indicat Euangeliſta. Nempe in ſynagoga Capharnaum, coram populo. Quamuis autem nunc intellecta verba non fuerint: intellecta poſtea ſunt. Nobis enim illa potius quàm Capharnaitis dicebantur. *Ioan. 6.*

CAPVT VIII.

De ſcandalo diſcipulorum.

IOANNES CAP. VI.

MVLTI ergo audientes, ex diſcipulis eius, dixerunt: Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire? Sciens autem Ieſus apud ſemetipſum, quia murmurarent de hoc diſcipuli eius, dixit eis: Hoc vos ſcandalizat? Si ergo videritis Filium hominis aſcendentem, vbi erat prius? Spiritus eſt, qui viuificat: caro non prodeſt quidquam. Verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt. Sed ſunt quidam ex vobis, qui non credunt. Sciebat enim ab initio Ieſus, qui eſſent non credentes, & quis traditurus eſſet eum. Et dicebat: Propterea dixi vobis; quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo. Ex hoc multi diſcipulorum eius abierunt retro: & iam non cum illo ambulabant. Dixit ergo Ieſus ad duodecim: Numquid & vos vultis abire? Reſpondit ergo ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Et nos credidimus, & cognouimus, quia tu es Chriſtus Filius Dei. Reſpondit eis Ieſus: Nónne ego vos duodecim elegi; & ex vobis vnus diabolus eſt? Dicebat autem Iudam Simonis Iſcariotem: hic enim erat traditurus eum, cùm eſſet vnus ex duodecim.

Ioan. 6.

DVRVS *eſt hic ſermo.* Chriſti ſermonem non intellexere auditores. ideoque multi ex diſcipulis eſſe durum, abſurdum, ac minimè ferendum dixerunt. Non fuerunt hi diſcipuli Apoſtoli, vt infrà dicatur. Euthymius ait fuiſſe ex diſcipulis ſeptuaginta. Auguſtinus etiam tract. 1. in priorem epiſtolam Ioannis, ſcribit ferè omnes ſeptuaginta diſcipulos hac doctrina fuiſſe ſcandalizatos: Septuaginta, inquit, ferè omnes dixerunt; *Durus eſt hic ſermo*, receſſerunt ab eo, & manſerunt duodecim, ſcilicet Apoſtoli, &c. & Pſalm. 98. Scandalizati ſunt quidam diſcipuli Chriſti, ſeptuaginta fermè, & dixerunt: *Durus eſt hic ſermo.* Durum illis viſum eſt, quod ait Dominus: *Niſi quis manducauerit carnem meam*, &c. D. Epiphanius hæreſi 51. narrat, ex his duos Euangeliſtas fuiſſe, Marcum & Lucam. Marcus, inquit, vnus erat ex ſeptuaginta duobus diſcipulis diſperſis ob verbum, quod dixerat Dominus: *Niſi quis manducauerit meam carnem*, &c. Et infrà; Lucas vnus ex ſeptuaginta duobus diſcipulis ob ſermonem Domini diſſipatus fuit, &c. Tamen Marcum per D. Petrum; Lucam per D. Paulum reuocatum affirmat.

An fuerint hi ex 70. diſcipulis Euthym.

Ioan. 6.

Non fuerũt ex ſeptuaginta duobus diſcipulis.

At Dominus nondum hoc tempore ſeptuaginta diſcipulos elegerat, vt ex euãgelica ſerie, quam ſequimur, colligitur. Videntur ergo hi diſcipuli, ex multitudine fuiſſe eorum, qui Chriſtum ſequebantur, & audiebant; quamuis nondum eſſent peculiari electione diſcipuli. Theophylactus; Quando audis, ait, quòd diſcipuli eius recedunt; ne intelligas eos, qui verè ſunt diſcipuli, ſed eos qui ſequebantur in ordine diſcipulorũ; & videbantur figuram quidem gerere diſcipulorum, cùm docerentur ab eo. Etenim & inter diſcipulos erant quidam, qui ad reliquam turbam collati, dicebantur eius diſcipuli. Manebant enim apud eum longiori tempore, quàm turbæ; ad alios autem veros diſcipulos collati, nullius erant momenti; eò quòd ad tempus credebant ei; & frigido quodam vt ita dicam calore, &c.

Theoph.

Cur autem durus viſus ſit ſermo, idem Auguſtinus ſic docet: Acceperunt, inquit, illud ſtultè, carnaliter illud cogitauerunt: & putauerunt, quòd præciſurus eſſet Dominus particulas quaſdam de corpore ſuo, & daturus illis, & dixerunt: *Durus eſt hic ſermo.* ipſi erant duri, non ſermo. Etenim ſi duri non eſſent, ſed mites, dicerent ſibi: Non ſine cauſa dicit hoc, niſi quia eſt ibi aliquod ſacramentum latens; manerent cum eo, & diſcederent ab illo, &c. Diuus Cyrillus; Ex imperitia multi, qui ſequebantur Chriſtum, verba ipſius non capientes perturbabantur: ad ferarum mores vocari ſe à Chriſto arbitrabantur, incitarique vt vellent crudas hominis carnes manducare, & ſanguinem bibere, quæ horribilia ſunt, &c. Sacramentum Euchariſtiæ diſcipulis in mentem minimè veniebat. Quomodo autem Chriſtus carnem ſuam ad manducandum, & ſanguinem ad bibendum in propria ſpecie dare poſſet, intelligere non valebant; ideoque durus ſermo videbatur. Durus fuit non intelligentibus. Nobis verò iam intelligentibus eſt blandiſſimus & ſuauiſſimus. Quid enim ſuauius Euchariſtiæ ſacramento dulciſſimo? Durus hodieque

Cur durus viſus ſit ſermo.

Ioan. 6.

Sermo Chriſti fuit intelligẽtibus blãdiſſimus.

dieque eſt hic ſermo hæreticis, durus, inquam, quia non intelligunt. Vtinam ſaperent & intelligerent, rectæque fidei lumen, non intellectus ſui tenebras ſequerentur.

Ioan. 6. *Si ergo videritis Filium hominis aſcendẽtem, vbi erat prius.* Dominus occultam murmurationem diſcipulorum non audiuit; ſed, vt ait Euangeliſta, apud ſemetipſum, id eſt, nullo indicãte cognouit, atque hæc verba retulit: *Hoc vos ſcandalizat? Si ergo videritis Filium hominis aſcendentem, vbi erat prius?* Imperfectus eſt ſermo per Apoſiopeſim, id eſt, reticentiam. Quid ſit intelligendum, dubitatur. Poteſt enim ſubintelligi: *Quid dicetis?* Eſt ſenſus. hæc vos ſcandalizant? ſi ergo videritis me in cælum aſcendentem, quidnã dicetis, quid facietis? Numquid etiam tunc ſcandalizabimini? etiam tunc in ſcandalo perſeuerabitis? Minimè. Sed credetis, me eſſe panem, qui de cælo deſcẽdi: credetis me omnia poſſe. ſiquidem reſurrectio & aſcenſio potentiam meam demonſtrabunt. Aliter; Si videritis Filium hominis, aſcendentem vbi erat prius; quid vobis videbitur? credetis me eſſe panem è cælo deſcendentem, & vitam mundo dantem? Numquid exiſtimabitis, non poſſe me carnem edendam dare? Si verba ſine interrogatione legantur, ſenſus erit: Si ergo videritis Filium hominis aſcendentem vbi erat prius. tunc credetis eum eſſe panem, qui de cælo deſcendit; tunc omne ſcandalum & incredulitas abſcedet. Vel, tunc intelligetis, & videbitis id, de quo modo dubitatis. Quoniam poſt aſcenſionem Chriſti, & aduentum Spiritus ſancti, cœperunt diſcipuli carnem Chriſti in Sacramento edere & ſanguinem bibere. Et intellecta ſunt verba Chriſti ab omnibus.

Quid ſit intelligendum.

Auguſt. *Ioan. 6.* Diuus Auguſtinus his verbis interpretatur: Diſcipuli putabant eum erogaturum corpus ſuum; ille autem dixit, ſe aſcenſurum in cælum, vtique integrum. *Cum videritis Filium hominis aſcendentem vbi erat prius*; certè, vel tunc videbitis, quia non eo modo, quo putatis, erogat corpus. Certè vel tunc intelligetis, quia gratia eius non conſumitur morſibus. Sic Auguſtinus. & ſer. 2. de verbis Apoſtoli: Putatis, inquit, quia de hoc corpore meo, quod videtis, partes facturus ſum, & membra conciſurus, & vobis daturus? Quid ſi ergo videritis Filium hominis aſcendentem vbi erat prius? certè qui integer aſcendere potuit, conſumi non potuit, &c.

Cyrill. *Ex aſcenſione probatur Chriſtus in Euchariſtia.* Diuus Cyrillus: Si credere, inquit, non vultis vitã vobis à meo corpore dari, quid facietis, quando in cælum volare me conſpicietis? Non enim aſcenſurum me ſolummodo in cælum profiteor, ne rurſus, quomodo id fieri poſſit quæratis, ſed oculis etiam veſtris id fieri cernetis. Quid igitur hoc videntes videtis? An non erit hoc magnum dementiæ veſtræ argumentum? Si enim putatis, carnem meam vitã vobis afferre non poſſe; quomodo tamquam volucris in cælum aſcendet? quomodo per aëra volabit? hoc enim ſimiliter, generi humano impoſſibile eſt. Quod ſi præter naturam caro mea in cælum conſcendet, quid prohibet, ne ſimiliter præter naturam viuificet? &c. Putat Cyrillus, Chriſtum ex aſcenſione probare, carnem ſuam vitam dare poſſe manducantibus, quod diſcipuli non credebant.

Theoph. Theophylactus: Hoc dixit Chriſtus, vt abducat Iudæos ab opinione, qua putabant eum eſſe filium Ioſeph, &c. Arbitratur, Chriſtum dixiſſe ſe in cælo fuiſſe priùs, ne exiſtimarent filium eſſe Ioſeph. idem ſenſiſſe videtur Chryſoſtomus, ſed opinio

Rupert. non ſatis eſt veriſimilis. Rupertus ſic: Si ergo videritis Filium hominis, in die iudicij in gloria & maieſtate; tunc intelligetis, quòd malè ſenſeritis.

A ſed non eſt ſermo de die iudicij.

Aliter: ſubintelligi poteſt aliud longè diuerſum; hunc in modum. Hoc vos ſcandalizat, quòd dixi, me daturum carnem meam edendam, & potãdum ſanguinem? Si ergo videritis me aſcendentem in cælum? tunc ſi in veſtra duritie perſeueraueritis, maiorem habebitis ſcandali occaſionem. Dicetis enim; Quî fieri poteſt, vt nobis carnem ſanguinemque ſuum præbeat in terra is, qui in cælum aſcendit, qui immortalis eſt atque æternus. At ſcitote, me in cælo exiſtentem & ad dexteram Patris ſedentem, carnem meam daturũ manducandam, & ſanguinem potãdum in terris. Illud obſtat huic ſenſui, quòd aſcenſio conſpecta non potuit ſcandalum augere; ſed tollere. Quis enim Chriſtum B in cælum ſumma cum gloria aſcendentẽ cernens, non crederet omnia, quæ dixerat eſſe veriſſima? Sed loquitur ſuppoſita diſcipulorum incredulitate, quæ anſam ex loci diſtantia, & immortalitate ſumere potuit.

An hi diſcipuli viderint Chriſtũ aſcendentem in cælum. Quæres, num hi diſcipuli Chriſtum viderint aſcendentem in cælum? Affirmat Cyrillus vidiſſe. Hæc enim verba tribuit Chriſto: Non aſcenſurum me ſolummodo in cælum profiteor; ſed oculis etiam veſtris ita fieri cernetis, &c. Loquitur autem Chriſtus cum his diſcipulis. Rupertus contra arbitratur, non vidiſſe aſcendentem in cælum; ſed viſuros ad iudicium venientem. Quod, inquit, C ſi videritis, imò quia videbitis; nam etſi retrorſum abeuntes videre non mereamini, quando aſcendam in cælum, videntibus illis, qui mecum perſeuerabunt vſque in finem, diſcipulis meis: attamen aſcendiſſe me videbitis tunc, quando venientem in nubibus hunc Filium hominis videbit omnis oculus. tunc intelligetis quod malè ſenſeritis. Sic ille. Forſitan aliqui ex iis diſcipulis, vel omnes ad Chriſtum redierunt, eumque in cælum viderunt aſcendentem.

Ioan. 6. SPIRITVS *eſt qui viuificat, caro nõ prodeſt quidquam.* Chryſoſtomus: Hoc, inquit, eſt, ſecundum ſpiritum verba mea audienda ſunt. Qui ſecundum carnẽ audit, nihil vtilitatis accipit, &c. Item: Quid eſt carnaliter intelligere? ſimpliciter, vt res dicun- D tur; neque aliud quidpiam excogitare, &c. Theophylactus: Quoniam diſcipuli carnaliter exponentes, ea quæ dicebantur à Chriſto, offendebantur: Dicit quod ſpiritaliter intelligenda ſunt ea, quæ dicuntur à me; hoc eſt, prodeſſe. Caro, autem, hoc eſt, carnaliter illa exponere: nihil prodeſt, ſed offendiculi occaſio fit, &c. Eſt ſenſus ex Chryſoſtomo & Theophylacto: *Spiritus*, hoc eſt, ſpiritalis ſenſus meorum verborum: eſt qui vitam affert. At *caro*, id eſt, ſenſus carnalis, quem ipſa verba prima facie præ ſe ferunt, non prodeſt quidquã. Vos carnali ſenſu verba mea accipitis; de carne dentibus diſcerpenda, & ſanguine, ſub ſanguinis viſibili ſpecie potando, cogitatis carnaliter; ideo nihil accipitis vtilitatis, quin potius ſcandalizamini. At verò verba mea *Spiritus ſunt*; id eſt, ſpiritali ſenſu E accipienda: quomodo ſi accipiantur vita ſunt. Si verba ſpiritali intelligatis ſenſu, ſcandalizari deſinetis; magnumque ex illis fructum reportabitis. Spiritali autem ſenſu intelliguntur Chriſti verba de ſpiritali & reali manducatione carnis Chriſti in Euchariſtia. Quamuis enim verè & realiter in Euchariſtia ſit corpus Domini, tamen non carnali modo editur, vt edi ſolent & laniari carnes, ad nutriendam & augendam carnem hominis: ſed ſpiritali modo ſub panis ſpecie. ſimiliter ſanguis non potatur carnaliter, ita vt ſanguis ipſe non propria videatur ſpecie, ſed ſub vini ſpecie ad nutriendum & augendum ſpiritum. Hic igitur ſpiritalis modus

Quid ſit carnaliter intelligere. Theoph.

Verba Chriſti quomodo ſpiritali ſenſu intelligantur.

non excludit realem, & veram Christi in Sacramento existentiam. Lege Augustinum Psal. 98. ad illa verba: *Adorate scabellum pedum eius*, &c.

Psal. 98.

Cyril. Spiritus quis viuificat, & quæ caro non prosit.

Secundus sensus probabilior, est diui Cyrilli; *Spiritus*, hoc est, diuinitas, quæ est spiritus cum carne coniunctus, viuificat, id est, dat hanc vitã æternam, de qua vobis hactenus locutus sum; *caro* absque spiritu, id est, à diuinitate separata, non prodest quidquam, ad donandã æternam vitam. Deus igitur est, qui per carnem dat vitam. Ne igitur scandalizemini, quòd dixerim eum vitam æternam habiturum, qui carnem meam manducauerit. *Verba quæ locutus sum vobis, spiritus sunt & vita:* hoc est, spiritalia sunt, de spiritu & vita agunt. Diuus Cyrillus: Quamuis natura, carnis vt caro est, viuificare nequeat, facit tamen hoc; quia totam Verbi operationem suscepit. Corpus enim est non cuiusuis hominis, cuius caro prodesse quidquam potest. Non enim Pauli, aut Petri, aut ceterorum, sed ipsius vitæ, & Saluatoris nostri corpus, in quo deitatis plenitudo corporaliter habitat, facere hoc potest. Spiritum verò seipsum appellat, quoniam Deus spiritus est, &c. Et in frà explicat verba illa: *Verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Huiusmodi, inquit, est quod dicitur: Putatis me dixisse viuificum natura sua terrestre hoc esse corpus: ego verò de spiritu & de vita æterna locutus sum. Non enim natura carnis viuificum reddit spiritum; sed virtus spiritus viuificam carnem efficit. Verba ergo quæ locutus sum vobis, spiritus, id est, spiritalia, & de spiritu, & vita, id est, de viuifica, & naturali vita sunt. Sic Cyrillus.

Ioan. 6.

Possunt etiam sic hæc verba exponi: *Spiritus & vita sunt*; hoc est, de spiritu, id est, Verbo æterno, quod vita est, quod viuificat natura sua; non de carne à Verbo separata. Augustinus tract. 27. *Caro* (inquit) *non prodest quidquam*; sed quomodo discipuli intellexerunt. Carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadauere laniatur; aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur, &c.

August.

Ego sic verba hæc intelligo. Indicat Christus verba, ex quibus scandali occasionem discipuli sumpserunt, nullam in se continere rationẽ scandali; sed vitam, eamque æternam. *Spiritus* hoc loco animam: *caro* carnem significat humanam. Anima viuificat carnem humanam, caro sine anima cadauer est inutile. Est itaque sensus: *Spiritus*, id est, anima humana est, quæ viuificat, & vitam corpori tribuit; caro sine spiritu, sine anima, nihil prodest, putre cadauer est. *Verba, quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt:* hoc est, sunt spiritus viuificans; similia sunt spiritui & animæ viuificanti carnem. Quemadmodum spiritus & anima, vitam corpori donat; sic verba mea si seruentur, vitam tribuunt ipsi animæ & corpori æternam per resurrectionem. *Qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam*, &c. Forsitan sic Christum D. Petrus intellexit, cùm respondit: *Verba vitæ æternæ habes*, hoc est, habes verba efficientia æternam vitam: quemadmodum anima vitam efficit corporis.

Auctoris interpretatio.

Ioan. 6.

Ioan. 5.

Ioan. 6.

SED *sunt quidam ex vobis, qui non credunt.* Causam scandali, indicat Dominus esse discipulorum incredulitatem. Verba quidem mea vitam efficiunt, credentibus viua fide: sed ex vobis aliqui non credunt, ideoque scandalizantur. Propterea dixi vobis, quia nemo potest ad me venire, nisi fuerit ei datum à Patre meo. Vobis non est datum vestra culpa; ideo non venitis, quia Pater non trahit vos. Dat quidem vobis auxilium sufficiens, sed non efficax. *Sciebat enim* (ait Euangelista) *ab initio, qui essent non credentes*, ex eis qui illum sequebantur. Sciebat etiam Iudam fore traditorem. Nihil eum

Ibid.

Ioan. 6.

A latebat, præcognouerat omnia, antequam fierent. Illud: *Ab initio*: Theophylactus interpretatur: Ab initio mundi. Chrysostomus verò: Particula, inquit, *Ab initio:* non simpliciter hic ponitur, sed vt eius præsentiã intelligas. Et quòd ante hæc verba, non post eorum murmurationem & scandalum, proditorem norat: quod diuinitatis erat, &c. Potest intelligi: *Ab initio*: cùm discipulos habere cœpit: sciebat, qui credentes essent. Vel amplè: *Ab initio* & principio, in quo erat Verbum, & ab æternitate.

EX *hoc multi discipulorum eius abierunt retrò.* Ex hoc tempore, quia durus illis visus est sermo de Augustissima Eucharistia habitus, multi discipulorum à Christo defecerunt, & abierunt retrò. Augustinus exponit retrò abiisse post satanã, quo loB quendi modo Paulus vtitur, *Quadam*, inquit, *conuersæ sunt retrò post satanam.* Addit Augustinus præcisos à corpore vitam perdidisse. Euthymius interpretatur, rediisse ad priorem vitam. Theophylactus ad incredulitatem. & Chrysostomus; Abierũt, inquit, retrò, hoc est, non proficiebant in virtute, & fidem quam iam habebant, perdiderunt, cùm se scinderent, &c. Existimo, abiisse retrò idem significare, quod discessisse à Christo, & quem tenuerant cursum non tenuisse; sed retrò fuisse conuersos ab itinere, quo Christum sequebantur.

Ioan. 6.

Retro abire quid sit. 1. Tim. 5.

Et si non intelligebant hi discipuli Christi verba, tamen cum eo permanere debuerunt, magistrum rogare, & illius verbis mysterium inesse credere. Chrysostomus homil. 46. Expectare, inC quit, temporis opportunitatem eos oportuit, non discedere. interrogare, non desperare, &c. Augustinus Psalm. 98. Discipuli erant duri, non sermo. Etenim si duri non essent, sed mites, dicerent sibi: Non sine causa dicit hoc, nisi quia est ibi aliquod sacramentum latens. Manerẽt cum eo lenes, non duri: & discerent ab illo, quod, illis discedentibus, qui remanserunt didicerunt, &c. Item tract. 27. in Ioannem; Secretum (inquit) Dei intentos debet facere, non aduersos, &c.

De iis quæ non intelligimus magistros rogare debemus, non scandalizari. August.

NVMQVID *& vos vultis abire?* Neminem cogit Dominus, liberi arbitrij voluit esse hominem. D. Cyprianus lib. 1. epist. 3. Non miretur aliquis præpositum seruum deseri à quibusdã; quando ipsum Dominum discipuli sui reliquerunt. Et D tamen ille non increpat recedentes, neque comminatus est; sed magis conuersus ad Apostolos dixit: *Numquid & vos vultis abire?* seruans scilicet legem, qua homo libertati suæ relictus, & in arbitrio proprio constitutus, sibimet vel mortem appetit, vel salutem, &c.

Ioan. 6.

Liberum arbitrium homo habet.

D. Cyrillus arbitratur propterea Apostolos sic à Christo rogatos, vt fidem suam profiterẽtur: Ne putarentur, inquit, duodecim Apostoli Iudæorum imperitia detineri; aut cum illis murmurare discipulis, vtilissimè interrogauit, An vellent abire? vt hac interrogatiuncula ad confessionem rectæ fidei prouocaret, &c. Rupertus: Confessionem, ait, necessariam, opportunè, aliis diffidentibus, exigit E Christus ab Apostolis, qui credentes erant, &c. D. Chrysostomus ait, voluisse Christum hac interrogatione indicare, se Apostolis minimè opus habere: Quid, inquit, dicit ad Apostolos Dominus: Numquid & vos vultis abire? Vt se eorum ministerio non indigere ostendat, &c. Lege D. Prosperum part. 2. de Promissionibus, cap. 28.

Cyril.

Nemine indiget Deus.

DOMINE *ad quem ibimus?* Respondet Petrus, pro ceteris etiam Apostolis, fidemq; & amorem profitetur. *Domine*, inquit, *ad quem ibimus*, si te relinquamus? quasi dicat (vt Augustinus interpretatur) Repellis nos à te, da nobis alterum te. si à te recedimus, ad quem ibimus? &c. Chrysostomus:

Ioan. 6.

Petri amor & fides.

Quanti

Quanti amoris verbum; *Ad quem ibimus?* quo & patribus & matribus, & omnibus rebus Chriſtus pretioſior oſtenditur. quodque qui ab eo diſcedunt,

O miſerum hominē, qui à Deo recedit. non habent ampliùs, quò confugiant, &c. O miſerum hominem, qui à Deo recedit! Aug. 4. Confeſſ. cap. 10. Quaqua verſum ſe verterit anima hominis, ad dolores fugitur alibi, præterquam in te, &c.

In ſolo Deo requies. Et 6. Confeſſ. cap. 16. Væ animæ audaci, quæ ſperauit, ſi à te receſſiſſet, ſe melius aliquid habituram. Verſa & reuerſa, in tergum, & in latera, & in ventrem; & dura ſunt omnia, & tu ſolus requies, &c. Lege Cyprianum lib. 1. epiſt. 4. & lib. 4. epiſt. 9.

Luc. 9. Dixit Petrus in monte Thabor: *Domine bonum eſt nos hic eſſe*: ſed neſciens quid diceret. Idem nunc dicit, ſed ſciens quid dicat. *Domine bonum eſt nos hic eſſe.*

Pſal. 72. Ioan. 6. Bonum eſt tecum eſſe: *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt.* Ad quem ibimus, ſite deſeramus? *Verba vitæ æternæ habes*: hoc eſt, verba habes, quæ de vita æterna agunt, quæ vitam æternam promittunt. Vel, quæ vitam æternam efficiunt, & afferunt viua fide credentibus. Non eſt durus ſermo tuus, vt illi aiebant, ſed viuificans eſt ſermo tuus, nobiſque blandiſſimus & dulciſſimus. Quid enim blandius, quid dulcius, mollius, ac ſuauius, æterna vita, qua plenus eſt?

Ibid. NOS *credimus, & cognouimus, quia tu es Chriſtus Filius Dei.* Non dixit Petrus, vt obſeruat Auguſtinus: *Nos cognouimus, & credimus.* ſed contrà; *Nos credimus, & cognouimus:*

Crede vt intelligas. credidimus enim, vt cognoſceremus. Nam ſi prius cognoſcere, deinde credere vellemus, nec cognoſcere, nec credere valeremus. Sic Auguſtinus. & D. Cyrillus: Optimè, inquit, fidem cognitioni propoſuerunt. Præcedit namque fides, cognitio ſequitur, iuxta illud ſecundùm verſionem ſeptuag. Interp. *Si non crediderit is,*

Iſaiæ 7. *non intelligetis*, &c. Auguſtinus tract. 29. in Ioannem: Intellectus merces eſt fidei. Ergo noli quærere intelligere, vt credas, ſed crede, vt intelligas. Quoniam, *niſi crediderit is, non intelligetis*, &c.

Ibid. Ioan. 6. NONNE *ego duodecim vos elegi*, &c. Hoc eſt: Non receditis à me, quemadmodum alij diſcipuli receſſerunt, quia ego vos elegi duodecim, à me non receſſuros, vno excepto Iuda, qui diabolus eſt. quia vt diabolus à Deo receſſit, ſic à me recedet. Vt diabolus pœnitentiam non egit, ſic ille ſceleris ſui pœnitentiam non aget, ſed perpetuis tartari ſuppliciis mancipabitur. *Vnus ex vobis diabolus eſt*: non

Ioan. 6. natura, ſed imitatione & ſimilitudine. An hoc tempore Iudas eſſet improbus, incertum eſt. Ex his enim verbis id ſolum certò colligitur, illum fore impium. Quamuis enim Dominus vtatur præſenti tempore; *Diabolus eſt*, tamen diabolus dicitur propter futuram traditionem, vt Ioannis indicāt verba illa: *Dicebat autem Iudam Simonis Iſcariotem: hic enim*

Cur Iudas vocetur diabolus. Ioan. 6. *erat traditurus eum*, &c. quaſi dicat diabolum dixit Iudam, propter futurum traditionis ſcelus.

Caietanus Ioan. 6. & 3. p. q. 80. art. 12. arbitratur Chriſti ſermonem quem expoſuimus non eſſe intelligendum litterali ſenſu de Euchariſtia: ſed de ſpirituali Chriſti manducatione, qua per fidem viuam Chriſtum cruci ſuffixum, panem viuum, Patres etiam veteris teſtamenti manducarūt. Sequitur eumdem ſenſum Ianſenius, Gabriel lect. 84. in canon. Richardus art. 15. & alij. Concilium Trid. ſeſſ. 21. cap. 1. cùm de hoc Ioannis ſermone ageret, definire noluit, quæ eſſet litteralis & germana verborum Chriſti intellectio. illud tantùm aſſeruit non colligi ex illo, vtriuſque ſpeciei communionem in præcepto eſſe poſitam. Vtcumque, ait, iuxta varias ſanctorum Patrum & Doctorum interpretationes intelligatur, &c. Patres plerique de Sacramento Auguſtiſſimo intellexere, quos recenſere longum eſſet: lege Nicolai Sanderi libellum quem de hac quæſtione ſcripſit.

Ego literali ſenſu de Euchariſtia intelligendum reor; nihilque eſſe, quod impediat, ex propoſita expoſitione conſtat. Alter quoque ſenſus ſimul cum hoc recipi poteſt. Ideo verò Ioannes de Euchariſtia, ante paſſionem nihil ſcripſit, quia alij Euangeliſtæ id fecerant. Præterea quia hoc capite ſexto, de illa copioſe ſcripſerat. Quis credat Ioannem de Euchariſtia dixiſſe nihil: quis in animum inducat, regiam illam aquilam tam admirandum myſteriū præteruolaſſe? At ſi hoc cap. 6. de Euchariſtiæ ſtupendo myſterio non egit, nullibi in Euangelio egit. Auguſtinus lib. 3. de Conſenſu Euangeliſt. cap. 1. De corpore, inquit, & ſanguine Domini, nihil dixit Ioannes. ſed planè alibi multò vberiùs hinc locutum eſſe Dominum teſtatur, &c. hoc eſt: Ioannes in Cœna nihil de Euchariſtia ſcripſit. Sed de illa cap. 6. iam copioſum Chriſti ſermonem litteris commendauerat.

CAPVT IX.

Morale.

De Auguſtiſſima Euchariſtia.

Ioan. 6. LITIGABANT *ergo Iudæi.* De ſermone Chriſti Iudæi litigarunt, noſtriſque temporis hæreticos adumbrarunt. Litigant etiam hæretici de auguſtiſſima Euchariſtia, diſceptant, durum Chriſti ſermonem putant; denique retrò abeunt, Chriſtumque & Eccleſiam deſerētes, in caſtra ſatanæ tranſfugiunt. Quid mirum? fide opus eſt ad intelligendum, non litigio. Vt enim Auguſtinus ait ſer. 51. de verbis Domini cap. 1. Fides debet præcedere intellectum: vt ſit intellectus fidei præmium. Iſaias enim dicit, *Niſi crediderit is, non intelligetis*, &c.

Hæretici inſtar Iudæorū litigāt de ſermone Euchariſtiæ & retro abeūt duri corde.

Fide opus ad intelligenda myſteria. Iſaiæ 7.

Durus ſermo de auguſtiſſima Euchariſtia eſt incredulis; ſuauis credentibus. Durus eſt duræ ceruicis hæreticis, quorum duriciem fides non emollit: blandiſſimus eſt iis, quorum intellectum fides Chriſtiana ſuo ſplendore illuſtrauit. Hæreſis litigat; fides intellectum in obſequium Chriſti captiuat. hæreſis cor obdurat: fides emollit. hæreſis obſcurat: fides illuminat. hæreſis ait: *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* fides de potentia Dei numquam dubitat: numquam dicit, *Quomodo poteſt?* Firmam fidem (ait Cyrillus lib. 4. in Ioan. c. 13.) myſteriis adhibentes numquam in tam ſublimibus rebus, illud, *Quomodo?* aut cogitemus, aut proferamus. Iudaicum enim hoc verbum eſt, & extremi ſupplicij cauſa, &c. Item: Quomodo ſummis cruciatibus digni non erunt, qui rerum omnium opificem Deum ita contemnunt, vt, *Quomodo?* in operibus ſuis dicere audeant, &c. D. Hilarius lib. 8. de Trinitate: Non eſt humano aut ſæculi ſenſu, in Dei rebus loquendum, &c.

Sermo de Euchariſtia non durus, ſed dulcis credentibus. Ioan. 7.

Cyril.

Auguſtinus lib. 9. Confeſſ. de matre diua Monica; Ad pretij, inquit, noſtri Sacramentum (videlicet Euchariſtiam) ligauit ancilla tua animā ſuam, vinculo fidei, &c. Quia hoc vinculo infelices carent hæretici: veluti effrænes equi, habenis fidei fractis, præcipiti curſu in tartara ruunt. D. Ephrem in libro de natura Dei minimè ſcrutanda capite 5. Participa (inquit) immaculato corpori Domini fide pleniſſima. Certus quòd agnū ipſum integrum comedis. Ignis immortalis ſunt myſteria Chriſti, noli temere ea perſcrutari: ne in ipſorum perſcrutatione comburaris, &c. Cōtingit hoc hæreticis; abſque fide perſcrutantur & comburuntur.

Auguſt.

Ephrem.

Ipſe

Pſal. 146. Ambr. *Ipſe dixit, & facta ſunt*, opera admirabilia. Dixit, & factum eſt hoc admirabile Sacramentum. Ambroſius lib. 4. de Sacramentis, cap. 4. Sermo, inquit, Chriſti hoc conficit ſacramentum. Quis ſermo Chriſti? Nempe is, quo facta ſunt omnia. Iuſſit Dominus, & factum eſt cælum, iuſſit Dominus, & facta eſt terra. iuſſit Dominus, & facta ſunt maria. iuſſit Dominus, & omnis creatura generata eſt. Vides ergo quàm operatorius ſit ſermo Chriſti? Si ergo tanta vis eſt in ſermone Domini Ieſu, vt inciperet eſſe, quæ non erant: quantò magis operatorius eſt, vt quæ erant, in aliud commutentur? Non erat corpus Chriſti ante conſecrationem, ſed poſt conſecrationem dico tibi, quòd iam corpus eſt Chriſti. Ipſe dixit, & factum eſt. Hæc Ambroſius.

Sermo Chriſti maximè operatorius.

Litigantes Chriſti iudicis ſententiam ſequantur. Ioan. 6. Caro verè cibus, & ſanguis verè potus. *Caro mea vere eſt cibus.* Vtinam litigantes ſummi iudicis ſententiæ acquieſcant. Hanc de hac lite Chriſtus ſententiam fert: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Non metaphorice, non in figura, ſed ipſamet caro, ipſum met corpus meum, verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Itaque, vt cum diuo Hilario dicam lib. 8. de Trinitate, de veritate carnis & ſanguinis, non relictus eſt ambigendi locus. Nunc enim & ipſius Domini profeſſione & fide noſtra, verè caro eſt, & verè ſanguis eſt, &c. Non cernunt corporis oculi hanc veritatem, ſed cernunt oculi fidei: quæ, vt Bernardus ait, maximè eſt oculata; ſerm. 2. de Epiphania: Videte (inquit) quàm oculata eſt fides, quàm lynceos oculos habeat. Cognoſcit Dei Filium lactentem, cognoſcit in ligno pendentem, &c. Adde, cognoſcit quoque ſub ſpecie panis vinique latentem.

Oculata fides in Euchariſtia Chriſtum cernit.

Gen. 27. Alienis veſtibus indutus, ab Iſaac benedictionem petiturus venit Iacob. Pellium amictus eſſe Eſau indicabat: vox tamen eſſe Iacob oſtendebat.

Typus & ſimilitudo. *Vox quidem*, inquit Iſaac, *vox Iacob eſt: ſed manus manus ſunt Eſau*, &c. Similem in modum, alienis indumentis panis ac vini, obtectus ad nos venit Chriſtus: non petiturus, vt Iacob, ſed daturus de rore cæli benedictionem. Indumenta quidem illa, illæ ſpecies externæ, ſunt Eſau, ſunt panis & vini. Vox verò, vox Iacob eſt. Etenim vox Chriſti eſt: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Vox Chriſti eſt: *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* vox Chriſti eſt: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur*, &c. Si Iſaacus voci Iacob credidiſſet; deceptus non fuiſſet. Quia alieno pellium amictui credidit, falſus opinione ſua eſt. Hæretici cæco Iſaaco ſimiles ſunt; caligant eorum oculi, ex alieno panis & vini amictu iudicant; ideoque toto cælo à veritate aberrant. Si ex voce de reali Chriſti exiſtentia in auguſtiſsimo ſacramento iudicare vellent, veritatem agnoſcerent. Amictus quidem eſt Eſau: vox autem eſt Iacob; vox eſt Chriſti. Ex voce cognoſcit fides Chriſtum. *Fides* enim, vt Paulus ait, *ex auditu eſt*, non ex viſu. Quod enim videmus minime credimus. Occultatum eſt (ait Auguſtinus Pſal. 109.) vt crederetur, &c. *Myſterium fidei*, dicitur Euchariſtia ſacramentum. quia fidem poſtulat magnam.

Ex voce Iacob agnouit Iſaac nõ ex amictu. ita ex voce Chriſtus agnoſcitur, non ex amictu ſpecierũ panis & vini.

Hæretici ex amictu iudicãtes falluntur vt Iſaac.

Ioan. 6.

Rom. 10.

D. Auguſt. Myſterium fidei.

Iudicũ 14. Propoſuit olim Samſon Philiſthæis ænigma huiſmodi: *De comedente exiuit cibus; & de forti egreſſa eſt dulcedo.* Illi autem quis cibus, quæ dulcedo, quiſve fortis ille eſſet, diuinare nullo modo potuerunt, donec à Samſonis vxore id didicerunt. Obſcuriſſimum ænigma eſt hominibus, auguſtiſsimum ſacramentum. Quid ſit, intelligere non potuerunt, niſi ab ſponſa Chriſti Eccleſia id didicerint. De Chriſto comedente, in extrema illa cœna exiuit cæleſtis cibus: de forti illo, qui poſt cœnam dæmonem, mortem, peccatumque profligauit, egreſſa eſt ſuauiſsimi ſacramenti dulcedo. *Niſi credideritis,*

Eccleſia magiſtra veritatũ.

Iſaiæ 7.

A ait Iſaias, *non intelligetis. Si non araſſetis in vitula mea*, ait Samſon Iud. 14. *non inueniſſetis propoſitionem meam*; hoc eſt, ſi opera meæ vxoris non fuiſſetis vſi, nullo modo ænigmatis nodum potuiſſetis ſoluere. Eundem in modum, niſi homines arent in vitula Chriſti pulcherrima, id eſt, Eccleſia: illius ænigma minimè intelligent.

Cùm totus Chriſtus cibus ſit, totus potus, totus ſub ſpecie panis, totus ſub ſpecie vini, tamen carnem appellat cibum, & ſanguinem potum. Ratio eſt, quoniam ex vi ſacramenti ſub ſpecie panis caro eſt, ſiue corpus: per concomitantiam verò, eſt etiam ſanguis & anima, atque diuinitas. hæc enim omnia in Chriſto ſunt coniuncta. Sub ſpecie verò vini ex vi Sacramenti ſanguis eſt: ſed ſanguinem comitatur caro, anima, diuinumque Verbum. Si B in triduo illo, quo Chriſti corpus in tumulo ab anima ſeparatum iacuit, D. Petrus ſacrum feciſſet, ſub ſpecie panis, corpus ab anima & ſanguine ſeiunctum: Verbo tamen vnitum, vt erat in tumulo, effuſus autem ſanguis, à carne animaque, nec tamen à diuinitate dimiſſus, ſub vini ſpecie fuiſſet.

Ex vi ſacramenti quid ſit ſub ſpecie panis, &c.

Vt Clemens Alexandrinus ait lib. 1. Pædag. c. 6. Quidquid generauit, ei quod generatur, protinus alimentum præbere, eſt conſentaneum, &c. Itaque natura hæc duo copulauit, generationem, alimentique ſubminiſtrationem. Generat homo filium. alimentum generato ſuppeditat, generant leones, tigrideſque, & volucres: genitos alunt natos. Sum- C mus nos generat Pater, genitis alimoniam præbet. Qualis eſt generatio, talis alimonia. *Non ex ſanguinibus neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Generatio ergo noſtra cæleſtis eſt, diuina, admirabilis: cibum poſtulat ſimilem, cæleſtem, diuinum, admirabilem. Numquid tali generationi ſatis erit manna illud terreſtre? numquid terræ repromiſſæ lac illud & mel? numquid illæ coturnices Iudæis conceſſæ ſufficiunt? Seruorum hi cibi ſunt. filiis aliud multò admirabilius manna, aliud multò dulcius mel, multò ſuauius lac, multoque pretioſior caro data eſt. Nempe filios Dei, caro paſcit Dei. *Caro mea vere eſt cibus*, ait Dominus. *Verè*, inquam, *cibus*, tali generationi conueniens, tales enim filij, aluntur carne, ſanguineque Patris, quod eſt dictu factuque mirabile. Nullus vmquam pater D carne propria filios enutriuit. Nutrit quidẽ mater lacte, ſed non ſanguine, ſæpe verò nutricibus alendos tradit. At Deus cariſsimos natos, quos magno dolore in cruce genuit, non aliena ſed propria alit carne ſanguineque proprio. *Caro*, ait, *mea*, non aliena, non manna, non lac Iudæę & mel, non coturnicum pingues carnes Iudæis conceſſæ, filiorũ meorum cibus eſt. Chryſoſtomus hom. 61. ad populum Antiochenum: Parentes ſæpe aliis filios tradunt alendos. Ego autem (inquit Dominus) non ita, ſed carnibus meis alo, me ipſum vobis appono, &c. O admirabilem cibum, ô ſtupendum conuiuium. Re- E gina illa Saba, inter alia, cibos menſæ Salomonis dicitur admiratione proſecuta. *Videns regina Saba omnem ſapientiam Salomonis: & domum, quam ædificauerat: & cibos menſæ eius: & habitacula ſeruorũ: & ordines miniſtrantium, veſteſq; eorum, & pincernas; & holocauſta quæ offerebat in domo Domini: non habebat vltra Spiritũ*, &c. Similem in modum, anima quæ menſam, quam Chriſtus nobis appoſuit, cibum eius, holocauſtũ veri Salomonis, in quo ipſemet offertur, domum, id eſt, Eccleſiam, quam toto orbe ędificauit, ſacerdotes & pontifices, fidei oculis cõſiderauerit, ſanè obſtupeſcet.

Natura cõiunxit, generationẽ, & alimenti ſubminiſtrationem.

Qualis generatio talis cibus.

Ioan. 1.

Generatio cæleſtis cæleſtẽ poſtulat cibum.

Ioan. 6.

Admirabilis panis.

3. Reg. 10.

Ioan. 6. In me manet, & ego in illo. Euchariſtiæ Sacramẽtum eximium eſt ad perſeuerandum remedium. Qui frequenter diuino epulo paſcitur, in virtute, in gratia, in Chriſto permanet. *In me*, inquit, *manet*, & ego

Euchariſtiæ remedium ad perſeuerandum.

& ego in illo. Manet, inquam, non vno, vel altero die, ſed ad mortem vſque. *Frumento & vino ſtabiliuit eum,* &c. Frumento & vino ſtabiliuit Iſaacus filium Iacob; filios verò ſuos, cæleſti pane in virtute reddit ſtabiles Chriſtus. *Viuent tritico*: Septuaginta vertũt; *Viuent & confirmabantur frumento. Panis cor hominis confirmet.* Pſal. *Erit firmamentum in terra, in ſummis montium.* hoc eſt, erit panis hominem firmans in montibus. D. Hieronymus vertit; *Erit memorabile triticum in terra, in capite montium.* Chaldæus: *Erit ſubſtantia ficus panis in terra*, &c. Egregiè hæc omnia in Euchariſtiam quadrant. Firmamentum hominum eſt Euchariſtia in terra, ne in peccatum cadant. Panis eſt ſubſtantificus, & memorabile frumentum. Hebræus Paulus Burgenſis Pſalm. 71. Hebræam dictionem, פסה, piſat interpretatur placentulam. eſt ſenſus. *Erit placentula frumenti in terra*; hoc eſt, hoſtia ſacra. Erit, inquam, *in ſummis montium*, vel, *in capitibus montium*; hoc eſt, in ſacris altaribus, quæ capita & cacumina ſunt montium, id eſt, Eccleſiarũ. Montes enim mundi Eccleſiæ ſunt. horum montium celſa cacumina ſunt altaria, in quibus Chriſtus immolatur, & ſumitur. Idem Burgẽſis ait in tranſlatione Chaldaica legi; *Erit in capitibus ſacerdotum.* Sacra enim hoſtia ſupra ſacerdotũ capita, qui etiam Eccleſiæ montes ſunt, eleuata adoratur. Confirmat ergo in virtute hominem Euchariſtia.

Gen. 27. *Oſea 4.* *Pſal. 103.* *Pſal. 71.* *Memorabile triticum ſubſtantificus panis.* *Firmamentum.* *Altaria cacumina mõtium.*

Ad vitanda crimina vires roburque ſuppeditat. Quamobrem à Concilio Trident. aduerſus peccata antidotum eſſe dicitur ſeſſ. 13. cap. 2. Sumi, inquit, voluit Chriſtus hoc Sacramentum, tamquam ſpiritalem animarum cibum; quo alantur & confortentur, viuentes vita illius qui dixit: *Qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* Et tamquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſeruemur. ſic Concilium. Item Vrbanus Quintus Pontifex ſummus de Reliquiis & Ven. Sanct. Hoc, inquit, eſt memoriale ſaluificum, in quo gratam redemptionis noſtræ recenſemus memoriam, in quo à malo retrahimur, & in bono confortamur, & ad virtutum, & gratiarum proficimus incrementa, &c. Theophylactus 1. ad Cor. 10. Quia prior carnis noſtræ natura corrupta eſt à peccato, vitaque deſtituta eſt; dedit nobis Chriſtus ſuam impeccabilem, & omnis peccati expertem, viuacem, & vitæ plenam, ſimilem tamen nobis carnem. Vt eam aſſumentes, in ipſam permiſceamur, & viuamus citra peccatum, quatenus licet, &c.

Euchariſtia robur præbet ad vitanda crimina. *Ioan. 6.* *Quint.* *Theoph.*

His adde Euchariſtiam hominem cum Deo coniungere per amoris quamdam immanentiam. Qui enim frequenter, debita præparatione adhibita, ad Euchariſtiam accedit; per amoris habitum, & actus etiam frequentes, in Chriſto manet; illique adhæret cum Pſalmographo dicens: *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt*, &c. Vnio inter contraria non fit; ſed inter ſimilia. Nemo enim poterit cum aqua ignem coniungere; at facillimè aquam cum ſimili aqua copulabit. Similem in modum, inter dura fieri nequit vnio ac permixtio, niſi emolliantur. Quis enim ferrea vaſa niſi igne emollita poterit copulare? Oportet ergo, ſi Chriſto vniri volumus, corde minimè repugnante ac aduerſo, minimeque duro: ſed ſimili atque emollito, ad auguſtiſſimam accedere Euchariſtiam.

Euchariſtia hominem cum Deo coniungit. *Pſal. 72.* *Præparatio ad Euchariſtiã cor purũ, & minimè durũ.*

Eſt in eadem Euchariſtia vnionis Chriſti cum ſuo populo ſignum. Etenim aqua, quæ in vinum funditur, populum adumbrat. Quemadmodum verò aqua vino vnitur, imò in vinum conuertitur; ſic qui dignè Euchariſtiam ſumunt, Chriſto hærent, & in illum quodammodo conuertuntur. iuxta illud Auguſtini lib. 7. Confeſſ. cap. 10. Cibus ſum grandium, creſce, & manducabis me. Nec tu me in te mutabis, ſicut cibum carnis tuæ: ſed tu mutaberis in me, &c. Hilarius Arelatenſis homil. 5. de Paſchate: Aduertimus, inquit, in aquis figuram gentium demonſtrari, in vino autem dominicæ paſſionis oſtendi. Ac ſic dum in Sacramẽto vino aqua miſcetur, Chriſto fidelis populus incorporatur, & iungitur, & quadam ei copula perfectæ caritatis vnitur, &c. Item; Sicut aqua vino permixto ad propriam redire ſubſtantiam non poteſt: ſic fideles ita debent, quaſi inſeparabilia membra capiti ſuo ſociari; vt ab eo non vlla terrenæ ſpei ambitione, non ipſa poſſint morte diuelli, &c. Lege decreta Eugenij Papæ 4. Armenis data.

Hilar. *Aqua mixta vino in calice quid ſignificet.* *Inſeparabilis cũ Chriſto coniunctio.*

Significatur quoque Euchariſtiæ Sacramento, vnio Chriſtianorum inter ſe, quam caritas efficit. Quemadmodum enim panis vnus ex multis granis, & vinum ex multis botris vnum efficitur; ſic per fidem & caritatem, vnum efficiuntur Chriſtiani. iuxta illud: *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna*, &c. Auguſtinus in ſermone ad infantes ad altare, de Sacramento, apud Bedam 1. ad Cor. 10. Vos, inquit, eſtis corpus Chriſti (ſcilicet myſticum) & membra. Si ergo vos eſtis corpus Chriſti & membra, myſterium veſtrum in menſa Domini poſitum eſt, &c. *Myſterium veſtrum*, hoc eſt vnitatis veſtræ ſignum. item; Recolite quia panis non fit de vno grano, ſed de multis. grana multa pendent ad botrum, ſed liquor granorum in vnitate confunditur. ita Dominus nos ſignificauit, nos ad ſe pertinere voluit, myſterium pacis, & vnitatis noſtræ in ſua menſa conſecrauit. Sic Auguſtinus. Vnde à Concilio Trid. Seſſ. 13. cap. 8. Euchariſtiæ Sacramentum dicitur vnitatis ſignum, vinculum caritatis, concordiæ ſymbolum.

Vnionis Chriſtianorum ſignũ. *Act. 4.*

Oportet ergo eum, qui concordiæ ſymbolum, paciſque ſignum accipit, cum proximo in ſumma concordia & pace viuere. Qui accipit myſterium vnitatis (ait Auguſtinus eodem loco) & non ſeruat vinculum pacis, non myſterium accipit pro ſe; ſed teſtimonium contra ſe, &c. Item, in ſer. de Sacram. fidel. feria 2. Paſch. Quomodo, ait, videtis eſſe vnum quod factum eſt, ſic vnum eſtote, vos diligendo, tenendo vnam fidem, vnam ſpem, indiuiduam caritatem, &c. *Vnus*, inquit Paulus, *panis, vnum corpus, multi ſumus, omnes, qui de vno pane participamus*, &c. Theophylactus in Paulum, Quid, inquit, ſiunt ſumentes corpus Chriſti? Non corpora multa, ſed vnum corpus. Quemadmodum panis ex multis granis vnus efficitur: ſic & nos multi cùm ſimus, vnum efficimur corpus Chriſti. *Omnes enim*, ait Paulus, *de vno pane participamus.* Itaq; etiam vnum ſumus. Quomodo igitur caritatem non obſeruamus, & vnum ſecundũ hoc efficimur? Atqui Deus (ait Paulus) propterea corpus ſuum nobis tradit, vt vniat nos tum erga ſe ipſum, tum nos inter nos mutuo. Sic ille.

Pax & concordia ſeruanda. *Vnio Chriſtianorum.* *1. Cor. 10.*

Itaque in auguſtiſſima Euchariſtia corpus Chriſti eſt naturale & myſticum. myſticum corpus in dicto ſigno eſt; naturale verò corpus realiter eſt, atque ſubſtantialiter cum anima & diuinitate. Myſtici corporis dulciſſimum alimentum eſt corpus naturale.

In Euchariſtia eſt naturale Chriſti corpus & myſticum.

IPSE *viuet propter me.* Quemadmodum corpus viuit propter animam, ſic anima viuit propter Chriſtum. ſicut diſcedente anima ex corpore, corpus moritur, ita diſcedente Chriſto ex anima, anima perit. vitam ergo animæ Chriſtus efficit, propter Chriſtum illa viuit. Qualis anima eſt, talis eſt vita. Anima leonis leoninã, anima equi equinam, anima lupi lupinam, anima porci porcinam, anima hominis humanã vitam efficit. Chriſtus verò

Ioan. 6. *Chriſtus vita animæ.* *Qualis Chriſtus vitam donans, talis vita.*

Deus

Deus vitam efficit Christianam ac diuinam. Qualis Christus est vitæ effector, talis est vita. Christus humilis, patiens, longanimis, amore, omnibusque virtutibus pleniſſimus; vita, quam efficit, humilis quoque est, patiens, longanimis, caritate cunctisque virtutibus decorata. Vir iustus propter Christum, qui in illo habitat, vitam viuit Christo similem. Paulus; *Viuo*, inquit, *iam non ego, viuit verò in me Christus*, &c. Augustinus lib. 7. Confess. cap. 10. Non tu me in te mutabis: sed tu mutaberis in me, &c. ô felicem mutationem! mutatur homo in Christum, fit Christus, hoc est, Christo similis: Neque verò solam animæ, sed etiam corporis æternam vitam, à Christi gratia homo habet: propter Christum viuit anima; propter Christum viuet in æternum, tum anima, tum corpus ex cinere in vitam reuocatum sempiternam.

Gal. 2. Mutatio hominis in Christum fit per Eucharistiam.

Ioan. 6.

HIC *est panis, qui de cælo descendit.* Panis hic cælestis est, è cælo venit, vt in terra homines pascat, eoque ascendere faciat manducantes, vnde ipse descendit. Cælestis panis descendit è cælo, vt nos ascendere faciat in cælum. Graue est cordis nostri pondus, iuxta illud: *Filij hominum vsque quo graui corde?* &c. Graue autem cor efficit mundi leuitas & vanitas. Vnde sequitur: *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Ipsa leuitas & vanitas, ipsæ res ponderis nullius, pondus afferunt cordi, nimirum ipsum amorē, quo illas prosequitur. Vt enim Augustinus ait, pondus meum est amor meus. *Vt quid* (ait Psalmographus) *diligitis vanitatem?* Si non diligeretis, graue cor non esset. quia diligitis res nullius ponderis, ponderosum cor habetis. Vt igitur hoc pondus tollat, leueque, agile, & in cælum volans cor efficiat, panis è cælo descendit. Eò ducit, vnde venit, è cælo venit, in cælum ducit. Cordi aquilarū alas addit, vt volet in æthera. Chrysostomus 1. ad Cor. homil. 24. *Vbi*, inquit, *fuerit corpus, ibi & aquilæ*: aquilas Christus vocat. ostendens quòd oportet, eum qui ad hoc corpus accedit, esse sublimem, & cum terra nihil habere commune, neque deorsum trahi & serpere, sed assiduè sursum volare, & ad Solem iustitiæ aspicere, acutosque, & perspicaces habere mentis oculos. Aquilarum enim, non graculorum hæc est mensa, &c. Mensa est aquilarum, alas efficit aquilarum, imò Angelorum, *Panem Angelorum manducauit homo*: vt homo alas habeat Angelorum, vitam viuat Angelorum, in cælo habitet, vbi habitatio est Angelorum. De cælo descendit panis Angelorum, vt fieret panis hominum.

Eucharistia cor subleuat in cælum.

Psal. 4. Graue cor reddit amor leuitatis & vanitatis.

Mensa Eucharistiæ mensa est aquilarum. Chrysost. 1. Cor.

Eucharistia Angelicas præbet alas. Psal. 77.

In cælo panis est Angelorum, in cælo habitantium. è cælo descendit in terram, vt fieret quoque panis hominum in terra commorantium. Non tamen sic descendit, vt in cælo non maneat, in cælo manet, dum descendit. simul eodemque tempore in cælo pascit Angelos, in terra pascit homines. Attamen in cælo pascit Angelos Christus apertè conspectus, in terra pascit homines sub panis specie abditus. Conspicitur autem non hominis, sed Dei lumine. Etenim Angelis beatisque hominibus lumen gloriæ opus est, vt Deum apertè in cælo intueantur: hominibus in terra degentibus lumen fidei est necessarium, vt abditum in Sacramento cernant. Neque sine lumine gloriæ in cælo; neque sine lumine fidei videtur in terra. Qui fidei face caret, Deum in Sacramento abditum non videt.

In cælo Deus pascit Angelos, in terra homines.

Videtur Deus in cælo lumine gloriæ, in terra lumine fidei.

Quemadmodum Moses vultus fulgorem velamine tegebat, cùm filios Israel alloquebatur. Exodi 34. sic Christus diuini splendoris radios specie panis vinique tegit, vt hominibus sese totum donet. Si agnoscere vis Dominum, fidei præfer fulgentem facem. Olim in tabernaculo, temploque Salomonico 2. Par. 3. Exod. 40. ante arcam Dei velum extendebatur, *Demittes ante illam. i. arcam velum.* & Exod. 26. *intra quod, scilicet, velum, pones arcam testimonij*, &c. Similiter in Ecclesia, ante Dei arcam, humanitatem videlicet Christi, panis, vinique species, quasi velum oppanduntur. Ante arcam illam antiquam aureum fulgebat candelabrum, Eod. 25. Ante Christi humanitatem aurea fides fulgeat.

Exod. 40.

NON *sicut manducauerunt Patres vestri manna.* In solitudine versantibus Israelitis manna præbuit Deus, Christianis verò in terra degentibus, multò nobiliorem tribuit escam, cuius manna typus & vmbra quædam erat tenuis. Dicitur manna, *panis Angelorum*, eo quòd Angelorum in aëre fieret opera. At Eucharistiæ Sacramentum, hac ratione panis Angelorum dici nequit. Superat enim omnes Angelorum vires. Neque Angeli, neque Archangeli, neque Principatus, neque Cherubini aut Seraphini, ad conficiendum tam admirandum Sacramentum potentiam habent. *Panis est Dei*, quoniam à Deo solo effici potuit. Ille in cœna illa admirabili confecit, suaque potentiæ administros sacerdotes esse voluit. Non enim sua, sed Dei potentia, sacerdotes tantùm perficiunt Sacramentum; veluti Dei ministri. Præterea manna cibus fuit corporis; Eucharistia cibus est animi. Manna cibus erat ex aëre; Eucharistia cibus est è cælo empyreo. Manna panis erat mortuus; Eucharistia est panis viuus. Manna morti Israelitas eripere non poterat, Eucharistia perpetuæ morti manducantes eripit. Quid plura? manna præter id quod cernebatur, nihil aliud realiter continebat, at Eucharistia, præter id quod cernitur, incarnatum Deum, totius orbis conditorem, atque dominatorē, realiter ac substantialiter habet. Igitur, non sicut manducauerunt Patres Iudæorum manna, sic & nos manducamus. Illi tenuissimam manducauerunt vmbram, nos veritatem. Illi, *manducauerunt manna, & mortui sunt*: nos panem viuum manducamus, & in æternum viuemus. Quomodo autem manna vmbra sanctissimæ fuerit Eucharistiæ, alio loco dicemus.

Ioan. 6. Psal. 77.

Multo præcellentiore mãna pascit Christianos

Quantum differat mãna ab Eucharistia.

Ioan. 6.

QVI *manducat hunc panem, viuet in æternum.* In paradiso illo antiquo, arborem produxit Deus, quæ à vita, quam efficiebat, arbor vitæ nominatur. Eumdem in modum in paradiso nobiliore, id est, in Ecclesia, arborem nobiliorem collocauit, id est, Eucharistiæ Sacramentum, quod Sacramentū est vitæ, vitæ (inquam) sempiternæ. *Qui manducat*, inquit, *hunc panem, viuet in æternum.* Vnde D. Ignatius in epist. ad Ephes. Eucharistiam appellat pharmacum immortalitatis, & antidotū incorruptionis. Vnum (inquit) panem frangentes, qui est medicamentum immortalitatis, antidotum non moriendi, sed viuendi, &c. Reliqui cibi mortui sunt; imò nisi mortui sint, edi non possunt. Nos vita carentibus cibis vitam damus, cùm in viuentem carnem illos conuertimus. At Eucharistia panis est viuus, vitam & habet & donat. Non conuertitur, vt mortuus cibus: sed conuertit, vt viua esca, iuxta illud Augustini iam citatum: Cresce, & manducabis me. Nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me, &c. Triplex est vita. Vita naturæ, quæ hominibus cum belluis communis est: vita gratiæ, vita gloriæ, quæ est perpetua. Has duas vitas præcellentissimas Eucharistia in homine efficit. gratiam enim & gloriam homini affert. Nutrimentum est, quo vita gratiæ nutritur; viaticum est, quo iter in cælestem gloriam peragitur.

Ibid. Eucharistia arbor vitæ, vita fructū fert.

Panis viuus cõuertit nos in se.

Christus est absconditus in Eucharistia opus est fide, vt videatur.

Viuus est panis hic, vitamque largitur. Panis præterea est, non mortuorū, sed viuorum. Quemadmodum mortui cibo non pascuntur, sic qui in scelere

scelere aliquo mortui iacent, hoc viuo pane minimè aluntur, quin potiùs grauius moriuntur. Viuus est panis, viuos nutrit, non mortuos, hoc est, eos, qui scelere aliquo contaminati ad cælestem mensam accedunt. Opus igitur est antequam cælestes sumant dapes, crimina omnia diligenter confessione expiare, mentisque puritatem comparare, *Iustitia, & iudicium, præparatio sedis tuæ.* Vt in te Deus sedeat, iustitiam adhibe & iudiciũ, iudicium, inquã, confessionis. In sacramento enim pœnitentiæ, de peccatis iudicium exercetur: sed suaue, & plenum misericordia. Vbi illud dulce auditur verbum; *Ego te absoluo*, &c. *Domum tuam decet sanctitudo Domine, in longitudinem dierũ.* Si domus vis esse Dei, sanctitatẽ serua, non paucis diebus, sed in lõgitudinem dierum.

Pſal. 88.

Peccata expianda anquam sumatur Eucharistia.

Pſal. 92.

Arca illa Dei, & antiqui testamẽti 3. Reg. 6. & 8. in loco collocata erat, qui Sancta Sanctorũ appellatur, *Intulerunt sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum, in oraculum templi in Sancta Sanctorum*, &c. Eucharistiæ Sacramentum, Arca Dei est, quippe quod Christum Deum realiter præsentem habeat. huius Arcæ, huius sacramenti locus, est Sanctum Sanctorum, id est, locus, animusque sanctissimus.

3. Reg. 8.

Post deuictos hostes occurrit sacerdos Melchisedec Abrahamo Gen. 14. panem, vinumq; proferens, huius vmbram sacramenti. Vis vt tibi Dei altissimi sacerdos cælestem proferat panẽ, & non vmbram, sed veritatem tradat? Vince hostes, hoc est, crimina omnia cõfessione profligata extingue. Ante deuictos hostes, cælestis non sumitur cibus. Dic quæso; Manna illud decantatum, quonam tempore Israelitis datum est? Nonne postquam maris rubri fluctibus Ægyptij sunt obruti? Exod. 14. & 16. Quid nam quæso, hoc adumbrat? Illud videlicet; tunc diuino manna pasci debere Christianum, cùm Ægyptios omnes. i. crimina omnia contritionis, confessioniſque fluctibus demerserit.

Viuus igitur esto, si panem vis manducare viuum. Viuus hic panis, vitã tibi cõseruabit. Quemadmodũ ignis oleum, natiuus calor radicalem humorem consumit; ita natiua cupiditas caritatis consumit radices, oleumque viuificans. Ne lucerna extinguatur, oleum infundis; ne vita exhausto humore pereat, cibum potumque sumis. Ne igitur caritatis vita abscedat, ne illius feruor tepescat, diuina esca animum pascito, ac sagina. Etenim non solùm pascit animum, sed etiam saginat. Vnde Tertullianus in lib. de resurrectione, carnis cap. 8. Caro (inquit) corpore, & sanguine Christi vescitur: vt & anima de Deo saginetur, &c. Pascit animum diuina esca, saginat, & aduersus hostes Tartareos, ipsiusque carnis, mundique certamina, robur magnum præstat. Psal. 23. *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me.* ô mensam admirandam! quæ aduersus hostes vires armaque suppeditat. Aduersus superbiam humilitatem, aduersus inuidiam caritatẽ, aduersus auaritiam eleemosynam, aduersus libidinem castitatem, aduersus vitia omnia vires subministrat. Hinc illud Chrysostomi homil. 61. ad populum Antiochenum: Tanquam leones ignem spirantes, ab illa mensa recedamus, facti diabolo terribiles, &c. Paratam habes aduersus hostes mensam. Ne te inedia conficias, viresque ad certandum, simul cum victoria amittas, cibum sume, robur compara, fortiter decerta, Deoque duce triumpha.

Cupiditas consumit oleum caritatis.

Euchristia saginat, animum.

Pſal. 23.

Aduersus hostes parata mensa.

Leones facit Eucharistia.

CAPVT X.

Pharisæi discipulos reprehendunt, quòd illotis manducent manibus.

MATTHÆVS CAPITE XV.

TVNC accesserunt ad eum ab Ierosolymis scribæ, & Pharisæi, dicentes: Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? non enim lauant manus suas, cùm panem manducant. Ipse autem respondens ait illis: Quare & vos transgredimini mandatum Dei, propter traditionem vestram? Nam Deus dixit: Honora Patrem, & matrem, &, qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicumq; dixerit patri, vel matri: Munus quodcumque est ex me, tibi proderit: & non honorificabit patrem suum, aut matrem suam. Et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. Hypocritæ, bene prophetauit de vobis Isaias dicẽs: Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè est à me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominũ. Et conuocatis ad se turbis, dixit eis: Audite, & intelligite. Non quod intrat in os, coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. Tunc accedentes discipuli eius dixerunt ei; Scis, quia Pharisæi audito hoc verbo, scandalizati sunt? At ille respondens ait: Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cælestis, eradicabitur. Sinite, illos cæci sunt, & duces cæcorum. Cæcus autem, si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt. Respondens autem Petrus dixit ei: Edissere nobis parabolam istam. At ille dixit: Adhuc & vos sine intellectu estis? Non intelligitis, quia omne, quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur? Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. hæc sunt quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.

MARCVS CAPITE VII.

ET conueniunt ad eum Phariſæi, & quidam de ſcribis, venientes ab Ieroſolymis. Et cùm vidiſſent quoſdam ex diſcipulis eius communibus manibus, id eſt, non lotis manducare panes, vituperauerunt. Phariſæi enim, & omnes Iudæi, niſi crebro lauerint manus, non manducant, tenentes traditionem ſeniorum. Et à foro niſi baptizentur, non comedunt. & alia multa ſunt, quæ tradita ſunt illis ſeruare, baptiſmata calicum, & vrceorum, & æramentorum, & lectorum. Et interrogabant eum Phariſæi, & Scribæ: Quare diſcipuli tui non ambulant iuxta traditionem ſeniorum, ſed communibus manibus manducant panem? At ille reſpondens, dixit eis; bene prophetauit Iſaias de vobis hypocritis, ſicut ſcriptum eſt: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. In vanum autem me colunt, docentes doctrinas, & præcepta hominum. Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditionem hominum, baptiſmata vrceorum, & calicum: & alia ſimilia his facitis multa. Et dicebat illis: Bene irritum facitis præceptum Dei, vt traditionem veſtram ſeruetis. Moyſes enim dixit: Honora patrem tuum, & matrem tuam, &, qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: ſi dixerit homo Patri, aut matri, corban (quod eſt donum) quodcumque ex me, tibi profuerit. Et vltra non dimittitis eum, quidquam facere patri ſuo, aut matri, reſcindentes verbum Dei per traditionem veſtram, quam tradidiſtis. Et ſimilia huiuſmodi multa facitis. Et aduocans iterum turbam, dicebat illis: Audite me omnes, & intelligite. Nihil eſt extra hominem introiens in eum, quod poſſit eũ coinquinare; ſed quæ de homine procedunt illa ſunt, quæ communicant hominem. Si quis habet aures audiendi, audiat. Et cùm introiſſet in domum à turba, interrogabant eum diſcipuli eius parabolam. Et ait illis: Sic & vos imprudentes eſtis? Non intelligitis, quia omne extrinſecus introiens in hominem, non poteſt eum communicare: quia non intrat in cor eius, ſed in ventrem vadit, & in ſeceſſum exit, purgans omnes eſcas? Dicebat autem, quoniam, quæ de homine exeunt, illa communicant hominem. Ab intus enim de corde hominum, malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia, furta, auaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ, oculus malus, blaſphemia, ſuperbia, ſtultitia. Omnia hæc mala ab intus procedunt, & communicant hominem.

Ordo geſtarum.

EX ſententia D. Auguſtini lib. 2. de Conſenſu euangelistarum cap. 48. & ſequent. hæc eſt euangelicæ hiſtoriæ ſeries. Pauit Dominus quinque panibus, & duobus piſcibus, hominum quinque millia vltra mare Tiberiadis, venit deinde in terram Geneſar, quæ cis mare, vt diximus, ad occidentale latus eſt. Allatis vndique ægrotis ſanitatem contulit, ſermonemque habuit de Auguſtiſſima Euchariſtia, celeberrimum. Poſt hæc (vt inquit Matthæus cap. 15.) Phariſæi & ſcribæ Ieroſolymitani, diſcipulos, quòd manibus illotis cibum ſumerent, accuſarunt. Illis poſtquam reſponſum dedit Chriſtus, vt idem Euangeliſta refert, in partes diſceſſit Tyri, & Sidonis, vbi à filia Chananææ fœmine, dæmonem expulit. Cùm verò ex finibus Tyri per Sidonem ad mare Galilææ veniſſet, inter medios fines Decapoleos, oblatum mutum hominem, ſurdumque ſanitate donauit. Denique cùm ad locum mari propinquum acceſſiſſet in montem conſcendit, hominumque quatuor millium turbam, ſeptem panibus, pauciſque piſciculis ſaturauit. Hic eſt Auguſtini ordo, quem ſequimur, facileque colligitur ex duobus euangeliſtis Matthæo, & Marco.

Matth. 15. QVARE *diſcipuli tui trãſgrediuntur traditionem ſeniorum?* Ex ciuitate Ieruſalem venerũt ad Chriſtum audiendũ Scribę, & Phariſæi: Erant autẽ Phariſæi, & Scribæ per omnes locos diſperſi, vt Chryſoſt. docet; ſed Ieroſolymit. cæteris auctoritate, & ſapientia præſtabant, ideoque, vt ait Theophylact. Chriſto magis inuidebãt. Quamquam in omnibus locis erãt Scribę & Phariſæi (ait Theophyl.) magis tamen venerabiles erant Ieroſolymit. ideò magis Chriſto inuidebãt, vtpote inanis gloriæ magis appetentes, &c. Et Euthymius. In vniuerſis, ait, tribubus erant Scribæ, & Phariſæi, cæteris tamen iniquiores erant, qui ab Ieroſolymis erãt, vtpote metropolim inhabitates, ideoq; faſtum maiorem præ ſe ferentes, &c. Item Chryſoſt. hom. 52. in Matth. Per omnes, inquit, tribus Scribæ, & Phariſæi diſſeminati erant, ac nequiores aliis Ieroſolymit. fuiſſe nõ eſt dubitandũ, quia cùm maiores honores conſequerẽtur, plurimũ ſibi arrogabãt, &c. Videlicet, honor ſuperbiã parit, ſuperbia inuidiã procreat.

Scribæ & Phariſæi per omnes tribus erant diſperſi.

Inuidia ſtimulati Chriſti diſcipulos incuſarunt, quòd à ſenioribus traditum de abluendis manibus documentum, non ſeruarent. Nihil aliud, quod reprehenderẽt arripere potuerunt. Inculpata enim diſcipulorũ vita erat, omni carens crimine. Feſtucam arripiunt, qui trabes ſuas non curabãt. Grandia negligentes, ait Chryſoſtomus, maxima de friuolis cura ſollicitabãtur, &c. Beda Mar. 7. Phariſæi diſcipulos de non lotis manibus vituperant, in quorum

Inuidia accuſat diſcipulos, videt feſtucã, non ſuam trabem.

quorum operibus nihil immunditiæ inuenire valebant. Cùm ſe magis ipſos culpare debuerint, qui lotas aqua manus habentes, conſcientiam liuore pollutam geſtabant, &c.

Matth. 15. *Quare* (inquit) *diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? Non enim lauant manus, cùm panem manducant.*

An Phariſæi diſcipulos reprehenderint, quòd ante cibum manus non lauarent?

Dubitatur: Num Phariſæi Apoſtolos arguant, quòd antè quam cibum ſumerent manus minime abluerent; an potiùs, quia in ipſa menſa edentes manus crebrò non lauarent? Hoc ſecundum placuit Caietano. Non eſt, inquit, quæſtio de lotione manuum ex decentia hominibus ſolita, qua ſolent homines ante prandium, & cœnam manus lauare. ſed de lotione manuum ex ſtatuto ſeniorum, quæ erat crebra, ſcilicet, quòd ter, aut quater eodem prandio lauabant manus. Quam etiam Matthæus tacitè inſinuauit, dum arguentes Phariſæi, non allegant turpitudinem immunditiæ, ſed quia tranſgrediuntur traditionem ſeniorum. ſic Caietanus. Et Ianſenius: Notandum, inquit, quod non dicant Phariſæi, & Scribæ; non lauant diſcipuli tui manus ſuas, antequam panem manducet; ſed cùm panem manducant. Traditio enim ſeniorum non tantùm exigit ciuilem illam ablutionem manuum, quæ paſſim fit antè prandium, & cœnam: ſed crebram etiam inter manducandum, &c. Accedit Remigius in catena D. Thomæ. Vel, inquit, reprehendebant Phariſæi diſcipulos, non de iſta lauatione, quæ conſueto more congruit, & neceſſariis temporibus agitur. ſed de illa ſuperflua, quæ de ſuperſtitioſa traditione ſeniorum fuerat reperta, &c. Confirmatur opinio. Quoniam non adeò ruſticis moribus fuere diſcipuli, vt illotis omninò manibus menſæ accumberent.

Diſcipuli nõ lauabant manus ante cibum, quod à Phariſæis reprehenditur.

Veriſimilius arbitratur Lyranus ſeniorum traditionem fuiſſe hanc; Ante cibum abluendæ ſunt manus. Neque verò fuiſſe præceptum, ſed quãdam decentiæ, & honeſtatis admonitionem. Itaque opinatur diſcipulos propterea reprehendi ab Scribis, & Phariſæis, quòd antequàm cibũ ſumerent manus non lauarent. In eadem ſententia eſt Dionyſius Carthuſianus, & Abulenſis, Matth. 15. q. 14. idem exiſtimant Chryſoſtomus hom. 52. Theophylactus & Euthymius. Probatur ex Marco, *Cùm* (inquit) *vidiſſent* (Scribæ & Phariſæi) *quoſdam ex diſcipulis Chriſti communibus manibus*, id eſt, non lotis, *manducare panes, vituperauerunt*, &c. Hæc fuit reprehendendi occaſio Phariſæis, quòd viderint diſcipulos nullo modo lotis manibus manducare. ergo quod viderant reprehendebant. nimirum, quòd non lotis manibus ederent diſcipuli, non verò, quod crebrò manus non lauarent. Id quod ex eorum verbis confirmatur. ſic enim apud Marcum diſcipulos arguunt; *Quare diſcipuli tui non ambulant iuxta traditionem ſeniorum, ſed communibus* (id eſt, non lotis manibus) *manducant panem?* &c. Itaque diſcipuli illotis aliquando manibus ſumebant cibum, quod nonnulliis contigit, cùm à Phariſæis vituperati ſunt.

Marci 7.

Ibid.

Non eſſe autem hoc ruſticitati tribuendum, vt obiiciebatur, docet D. Chryſoſtomus hom. 52. in Matthæum his verbis: Conſideratione dignum eſt, cur illotis manibus diſcipuli manducarent. Cuius igitur rei cauſa ſic comedebant? Non ſtudioſe, atque data certè opera: ſed ſeriis, atque neceſſariis apprimè attendentes, ſuperflua & inutilia facilè ſpernebant. Ita vt nullam haberent legem lotis, aut illotis manibus comedere, ex temporis opportunitate alterum faciebant. Nam qui alimenta neceſſaria plerumque negligebant, quomodo his minimis animum dediſſent? ſic ille.

Marci 7. Ablutiones Iudæorum quales eſſent.

NISI *crebro lauerint manus non manducant.* Phariſæorum, Iudæorumq; morem refert Marcus. Niſi ſæpe manus lauarent, cibum non capiebãt, ex ſeniorum traditione. Quæritur, num crebra hæc manuum lotio fieret, antequam menſę accumberent; an verò poſtquam accumbebant? Cardinalis Caietanus exiſtimat, inter manducandum ſolitas fieri huiuſmodi lotiones crebras. Idem ſentiunt Ianſenius, & Maldonatus. Caietanus ait ter, aut quater, eodem prandio conſueuiſſe Iudæos manus abluere. Veriſimilis opinio eſt. Forſitan tamen traditione ſeniorũ ſtatuebatur, vt antequam menſæ accumberent, non ſemel tantùm, vt in more gentium poſitum; ſed ſæpe manus lauarent. Probatur hæc ſententia ex interpretatione Syriaca. Quod enim Latinè legitur *crebrò*, Syriacè legitur, בטילאיה batilait, id eſt, curioſè, ſedulo, diligenter. erat igitur mos abluendi manus crebris & multis lotionibus, curioſè, magna cura, & diligenter. Græcè habetur, πυγμῇ, id eſt, vt interpretatur Euthymius, *cubitaliter*, vſque ad cubitum. Quæ interpretatio indicat Iudæos manus lauiſſe vſque ad brachij cubitum. In bibliis regiis alia eſt interpretatio, πυγμῇ, id eſt, pugillatim. Nam πυγμὴ, Græcis pugnus dicitur. ſed quid ſit manus pugillatim lauare, non ſatis intelligo; niſi forte ſignificetur pugno extergendas. Quidquid ſit, noſtra editio eſt vera, morem Iudæorum fuiſſe, vt manus crebrò abluerent. Nonnulli arbitrantur ſcriptum fuiſſe, πυκνῇ, id eſt, crebrò, frequẽter; nõ πυγμῇ, à pugno,

Quid ſit quod crebro dicitur.

Marci 7.

A FORO *niſi baptizentur, non comedunt.* Alias ſubiicit Marcus à Iudæis obſeruatas lotiones. A foro venientes baptizabantur, id eſt, ſeſe abluebant. Nam forum locum iudicabant impurum, videlicet, in quo Iudæi, gentiles, mundi, immundique verſarentur. Præterea: Alia, inquit, multa tradita ſunt Iudęis à ſenioribus ſeruanda baptiſmata, id eſt, ablutiones. Baptiſmus enim Græcis, ablutionem, ſignificat, & baptizare, abluere. Abluebant calices, hoc eſt, pocula, quibus vtebantur, vrceos, æramenta, hoc eſt, vaſa ex ære confecta, & lectos. Quinam lecti à Iudæis abluerẽtur ambigitur: erat enim duplex lectorũ genus: nam in lectis, & ſomnum capiebant, & cibum. Mihi, ſicut & Maldonato, hoc loco ſermo videtur eſſe de lectis, in quibus recumbentes edebant. Etenim ſignificat Euangeliſta ea quæ ad cibum, & potum ſpectabant, ablui conſueuiſſe: videlicet, manus, pocula, vaſa, lectos. hinc colligitur morem fuiſſe Iudæis in lectis recumbendi, cùm cibum ſumebant.

Baptiſma ablutionem ſignificat.

In lectis cibus ſumebatur.

Conſtat etiam Phariſæos, & Scribas, externam mundiciem maximè curaſſe: inde enim tot ablutiones ſunt ortæ. at verò de interna non admodum fuere ſolliciti, vt illis Chriſtus obiicit, *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus ſpecioſa: intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum, ſic & vos à foris quidem paretis hominibus iuſti, intus autem pleni eſtis hypocriſi, & iniquitate*, &c. Abulenſis Matthæi 15. quæſt. 45. ait Phariſæos docuiſſe populum, munditiem ſpiritalem per externas lotiones comparari: ſpiritales verò ſordes ex ſordibus externis contrahi. eundem lege q. 13.

Externam munditiem Phariſæi curabant, non interna.

Matth. 23.

QVARE *& vos tranſgredimini mandatum Dei, propter traditionem veſtram?* Phariſæorum friuolam reprehenſionem grauiſſima reprehẽſione depellit Dominus. Phariſęi diſcipulos reprehendebant, quòd ſeniorum leuem traditionem eſſent tranſgreſſi: Dominus ipſos reprehendentes reprehendit, quòd Dei grauiſſimum mandatum propter traditionem ſuam tranſgrediantur. Rogarunt illi: *Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum?* Rogat Dominus: *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei:* quod eſt grauiſſimum? ſic malus clauus, clauo pellitur bono.

Matth. 15.

Ibid.

Matth. 15. DEVS *dixit: honora patrem, & matrem.* Hoc est mandatum, quod Pharisæi frangebant. Præcepit Deus parentes honorandos: Pharisæi autem debito honore fraudabant. Honor non solum in verbis, externaque reuerentia: sed in eleemosynis etiam munerumque oblatione positus est. Vnde D. Hieronymus Matthæi 15. Honor, inquit, in Scripturis non tãtùm in salutationibus, & officiis deferẽdis, quantùm in eleemosynis, ac munerum oblatione sentitur. *Honora*, inquit Apostolus, *viduas quæ verè viduæ sunt*. Hìc honor donum intelligitur. Et, *presbyteri duplici honore honorandi, maximè, qui laborant in verbo, & doctrina Dei*. sic Hieronymus, & Ambrosius Lucæ 18. Est, inquit, honor non solùm honorificentiæ; sed etiam largitatis. *Viduas honora, quæ verè viduæ sunt*. honor enim est deferre pro meritis. Pasce patrem tuum, pasce matrem tuam, &c. D. Hieronymus præceptum de honorandis parentibus sic interpretatur: Præceperat (inquit) Dominus, vel imbecillitates, vel ætates, vel penurias parentum considerans; vt filij honorarent etiam in vitæ necessariis ministrandis, parentes suos, &c. Debebant ergo filij parẽtibus honorem, id est, vitæ necessaria, ex præcepto Dei. At traditio impia præceptum oppugnabat.

Honor munera etiam significat.

1. Tim. 5.

Matth. 15. MVNVS *quodcumque est ex me, tibi proderit.* Difficilis locus. Primus sensus est Chrysostomi: Pharisæi docebant pietatis simulatione despicere parentes. Si quis parens ouem à filio peteret, aut aliquid huiusmodi doctus à Pharisæis, & Scribis, respondebant: *Munus, quodcumque ex me tibi proderit*; id est, (vt idem Chrysostomus interpretatur) quod à me in tuam vtilitatem petis, munus est Deo iam promissum, ideò dare non possum. Nec tamẽ Deo postea offerebant, & parentes oblationis nomine deridebant, vt Chrysostomus sentit. Idem sensus est Euthymij, Origenis Matthæi 15. & Theophylacti. Conuenit lectioni Græcæ, sed non satis conuenit nostræ Latinæ versioni propter verbum, *est*, additum ab interprete. Græcè enim sic habetur, δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, id est, *munus, quodcumque ex me tibi proderit*. Chrysostomus, & alij verbum, est, addunt muneri, hoc modo: Munus est Dei, id est, Deo iam promissum, quodcumque tibi prodesse poterit ex me.

Pharisæorum doctrina ergo honorantes parentes.

Augustin. Diuus Augustinus lib. 1. quæst. Euangel. quæstione 16. interpretatur his verbis: *Munus quodcumque est ex me, tibi proderit*, id est, Munus, quod offers causa mei, ad te iam pertinebit. Quibus verbis significant filij; iam sibi opus non esse parentum pro se oblationes: quòd ad eam ætatem peruenissent filij, vt possent iam ipsi offerre pro se. In hac ergo ætate constitutos, vt possent parentibus hoc dicere: cùm hoc dixissent, negabant Pharisæi reos esse, si parentibus suis non præstarent honorem. sic Augustinus. Ex cuius sententia sensus est: Qui filius dixerit patri, vel matri suæ: *Munus quodcumque est ex me*, id est, quodcumque donum Deo ex me, id est, propter me offers, pater, vel mater; *tibi proderit*: id est, in tuam, non meam vtilitatem cedet. Ego enim iam adoleui, pro me offerre iam possum: tuis oblationibus non indigeo. Huiusmodi autem filios, qui hoc dixissent: si honorem parentibus non haberent, Pharisæi nullius criminis reos esse affirmabant, sicque honore debito parentes spoliabant.

Quomodo August. locum interpretetur.

Hieron. D. Hieronymus sic Matth. 15. Docuerũt Scribæ & Pharisæi pessimos filios; vt si quis ea, quæ parentibus offerenda sunt, Deo vouere voluerit, qui verus est Pater; oblatio Domini præponatur parentum mnueribus. Vel certè ipsi parentes, quæ Deo consecrata cernebant, ne sacrilegij crimen incurrerent declinantes, egestate conficiebãtur. Atque ita fiebat, vt oblatio liberorũ sub occasione templi, & Dei, in sacerdotum lucra cederet. Hæc pessima traditio de alia veniebat occasione. Multi habentes obligatos ære alieno, & nolentes sibi creditum reddere; delegabant sacerdotibus, vt exacta pecunia ministeriis tẽpli, & eorum vsibus deseruiret. Potest autem & hunc breuiter habere sensum: *Munus, quod ex me est, tibi proderit*: Compellitis filios, vt dicant parentibus suis: quodcumque donum oblaturus eram Deo, in tuos consumo cibos, tibique prodest, ô pater, & mater. Vt illi timẽtes accipere, quod Deo mancipatum videãt, inopem magis velint vitam ducere, quàm comedere de cõsecratis. hæc Hieronymus, & Beda quoque. Hieronymi lege epistolam 11. ad Ageruchiam, ibi sic hæc verba explicat. Corban, inquit, id est, donum quod altari pollicitus sum, & in templi dona promisi, si tu pater à me acceperis cibos, vertetur in tuum refrigerium, &c. Est sensus Hieronymi primus. *Munus quodcumque est ex me, tibi proderit*: quia præstantius est Deo offerre Patri summo; quàm tibi. Alter sensus: *Munus quodcumque est ex me*, id est, oblatio quæcunque est ex me Deo oblata, tibi proderit; id est, in tuos cibos illam absumam, neque tradam Deo.

Corban quid sit.

Matth. 15.

Glossa ordinaria hunc in modum: *Munus quodcumque est ex me, tibi proderit?* per interrogationem. hoc est: Nũquid munus quod Deo voui, proderit animæ tuæ? Minimè. Sacrilegus eris, si acceperis. Aliter: Nũquid vis, vt munus, quod ex me est oblatũ Deo, in tuos vertatur vsus, posthabito Deo?

Glossa ord.

D. Ambrosius hoc pacto exponit, Luc. 18. Vos, quare dicitis patri, aut matri, quos lex præcipit honorari: *Munus quodcumque est ex me, tibi proderit?* id est, cùm petit aliquid ad sumptum egens pater, aut mater à filio, filius, quia legem timens, excusationem non dandi requirit, dicere solet: *Munus, quod est ex me, tibi proderit*: vt dicatam Deo pecuniam pater religiosus accipere reformidet. Sed hæc traditio hominum est, excusationes obtexentium auaritiæ suæ. Cæterum Dei traditio est, vt prius pascas parentes, &c. ibidem: Non quærit donum Deus, de fame parentum, &c.

Ambros.

Montanus in scholiis, Matthæi decimo quinto, scribit duo fuisse apud Iudæos votorum genera: Alterum abstinentiæ à cibo, vel potu, vel aliquo voluptatis genere. Alterum voluptatis, vel commoditatis; cùm quis vouebat se omnem commoditatem abnegaturum alicui. Putat ergo hoc loco significari, votum abnegandæ parentibus omnis commoditatis: hunc in modum. *Qui dixerit patri vel matri; Munus*, id est, sanctum Dei munus iuro. Est enim, vt Montanus ait, Corban, id est, *Munus*, iurisiurandi modus. *Quodcumque ex me tibi proderit*: hoc est, quæcumq; res mea tibi vtilis esse poterit, subaudi, interdicta tibi est, per votum abnegãdę commoditatis. Vel; *Munus*: id est, sanctũ Dei munus iuro: subintellige, me esse damnatum; si quidquam proficiscatur ex me, quod tibi prosit. Verba Græca, supra iam citata, sic vertit: *Munus: Quod si ex me iuuaberis.*

Duo votorum genera apud Hebraos.

Matth. 15.

Corban autem quod nomen Marcus retinuit, iurisiurandum esse docet Iosephus lib. 1. contra Appionem versus medium. Inter Sacramenta, inquit, cum quibusdam aliis, etiam iusiurandum quod, Corbã, appellatur enumerat Theophrastus. Apud nullos autem hoc inuenitur iuramentum, nisi apud Iudęos solos, quod interpretatur donum Dei, &c. Similem in modum Burgensis additione prima Matthæi decimo quinto. ait in libro à Talmudicis composito de votis, quę Hebraicè dicitur, Nedarim, id est, vota, inter alios errores hũc etiam esse:

Corban iusiurandum est.

Paulus Burgenſis. Traditio

eſſe: Tradunt, inquit Burgenſis, quòd ſicut quilibet poteſt conſecrare bona ſua Deo; ſic, quòd facta iſta conſecratione per votum, non licet alicui talibus bonis vti, niſi in Dei obſequiũ. Sic quilibet poteſt cõſecrare bona ſua ſingulariter; hoc eſt, reſpectu vnius perſonæ tantum. Verbi gratia ſi quis alicui dicat, volo, ſeu voueo, quòd mea bona ſint conſecrata reſpectu tui. Tunc aiunt, bonis illis illum vti non poſſe, ac ſi ſimpliciter Deo eſſent conſecrata. Cæteros verò vti poſſe, ac ſi non eſſent cõſecrata. Votum autem huiuſmodi, verbis his exprimi poterat: ſicut templũ; vel ſicut altare, vel ſicut Corban, id eſt, Munus Dei: ſic eſt res mea reſpectu tui. Ex quibus inferunt, quòd ſi quis patri dicat: *Munus quodcumque eſt ex me tibi proderit*: tunc patrẽ non poſſe vti bonis filij, etiam volẽte filio, & indigẽte patre. Quia bona filij ſunt conſecrata reſpectu patris. Eſt ergo ſenſus: Qui bona ſua reſpectu patris vel matris conſecrauerit, dicẽs: *Munus*: hoc eſt, munus Dei eſt, conſecratum eſt reſpectu tui. *quodcumque ex me tibi proderit*, vel prodeſſe poterit; dare tibi nõ poſſũ.

Hebræorum de voto.

Matth. 15.

Noſtrę verſioni magis cõgruit ſenſus huiuſmodi. *Qui dixerit patri ſuo, vel matri: Munus, quodcumque eſt ex me, tibi proderit*: ſubaudi, bene facit. Quæ verba ſubticuit Dominus, quoniam notum erat Phariſæis, & Scribis, quid eſſet ſubaudiendum. *Quj*, inquam) *dixerit: Munus quodcumque eſt ex me*, hoc eſt, Munus quodcumque ex me Deo offertur, ô pater, vel mater; tibi proderit, Deo oblatum etiam pro te. Satiuſque eſt Dei Patri ſummo, quàm tibi donare. In hanc ſententiam interpretantur, Gloſſa ordinaria, Lyranus, Abulenſis, Ianſenius, Maldonatus, & alij. Oblatum autẽ Deo munus prodeſſe poterat parentibus apud Deum. Præterea, quia ex ſacrificiis pacificis pars offerentibus cedebat, poterant etiam parentes ſacrificiorum hac ratione participes fieri. Syriaca verſio ſic habet Matth. 15.

Matth. 15. *Vos dicitis; Quiſquis dixerit patri, aut matri: Oblatio mea eſt id, quod tibi proderit ex me*, &c. hoc eſt, ô pater vel mater, munus Deo eſt oblatum, id quod tibi ex me prodeſſe poteſt. & Marc. *Vos dicitis: ſi dixerit patri ſuo aut matri ſuæ; donum meum*, id eſt Deo oblatum, *eſt id, quo ex me abundabis*, &c.

Marci 7.

Matth. 15. Et *non honorificabit patrem ſuum aut matrem*. Verba hæc coniungi poſſunt cum ſuperioribus verbis doctrinæ Phariſæorum, & Scribarum in hunc modum: Qui dixerit patri vel matri ſuæ: Munus quod ego Deo offero tibi proderit, & non honorificabit patrem ſuum, & matrem ſuam; id eſt, licet alimẽta non prębuerit patri, vel matri: (de hoc enim honore agitur) bene facit, nec frãgit legem de honorandis parentibus quia ſummo Patri Deo bona ſua offert. Poſſunt etiam verba eſſe, non doctrinæ Phariſaicæ, ſed Chriſti, hoc pacto: Vos dicitis: Quicumque dixerit patri, vel matri: *Munus quodcumq; eſt ex me, tibi proderit*: culpa vacabit: & filius ex hac doctrina veſtra, nõ honorificabit patrem ſuũ, aut matrem ſuam. Vnde ſequitur, vos irritũ facere per veſtrã traditionẽ, Dei præceptũ de honorãdis parentibus traditũ. Vtraque interpretatio eſt veriſimilis. Maldonatus Phariſæorum & Scribarum; Ianſenius & alij, verba eſſe putant Chriſti.

Ibid.

Marci 7. Corban quid ſit apud Ioſephum.

Corban. D. Marcus nomen Hebræum retinuit. קרבן *korban*, id eſt, *Munus ſiue donum*, à קרב karab. Iuramenti genus erat, vt ſupra diximus ex Ioſepho. Ex eodẽ Ioſepho cõſtat homines, qui ſe Deo in aliquod miniſterium offerebant, appellatos *Corban*, id eſt, munus. lib. 4. Antiquit. c. 4. ſic ſcribit; Qui corban ſeipſos nominant, hoc eſt, Dei donum, ſi velint à miniſterio, ad quod ſe vltrò obligauerunt dimitti, ſacerdotibus pecuniam numerare, mulierem triginta ſiclos, virum viginti quinque, &c. Significat etiam *Corban* gazophylacium, ſiue ſacrum ærarium. Vnde illud Matth. *Non licet eos mittere in Corbonam, quia pretiũ ſanguinis eſt*. Hoc loco, vt Marcus exponit, donum, ſiue munus ſignificat. *Corban*, inquit, (*quod eſt donum*) *quodcumque ex me tibi profuerit*. hoc eſt, quodcumque donum Deo ego obtulero, tibi pater profuerit. Ideò Deo offeram, non tibi. Addit Dominus apud Marcũ: *Et vltra non dimittitis eum quidquam facere patri ſuo, aut matri*. hoc eſt, poſtquam Deo ſua bona offert, & hæc dicit; non permittitis vos Scribæ, & Phariſæi, hominẽ patri, vel matri ſuę indigẽti, quidquam donare, ſub religionis colore. Nec verò hac ſolùm in re Phariſæi, & Scribæ, ſed in multis aliis ſimiliter errabãt. ſubiungit enim Chriſtus, *Et ſimilia huiuſmodi multa facitis*.

Matth. 15. *Ibid.*

Matth. 15. Hypocritæ. *bene prophetauit de vobis Iſaias*. Hypocritas Phariſæos, Scribaſque appellat, hoc eſt, ſimulatores, hiſtrionibus ſimiles, qui perſonati fabulas agunt; aliud foris, aliud intus ſunt, foris reges, intus ſutores. ὑποκριτὴς, enim Græcè mimum ſignificat, & hiſtrionem. Iſaiæ verbis hypocritas eſſe confirmat, capite vigeſimo nono. *Populus hic labiis me honorat*, (ait Dominus) perſonam habet ſanctitatis externam. *Cor autem eorum longè eſt à me*. Aliud ore, aliud corde gerit. Aliud intus eſt, aliud foris exhibet. Cor longè à me diſtat, os ſolùm propinquum eſt. D. Hieronymus ſic vertit: *Appropinquat populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me: cor autem eius longè eſt à me*, &c. Septuaginta hoc pacto interpretantur: *Appropinquat mihi populus hic ore ſuo, labiis honorat me; cor autem eorum longè eſt à me*. Priora illa verba, *Appropinquat mihi populus iſte ore ſuo*, Dominus prætermiſit.

Quid ſignificet hypocrita. Matth. 15. Marci 7.

Matth. 15. Hieron. Iſaiæ 29.

Sine *cauſa autem colunt me*. D. Hieronymus ſic vertit Iſaiæ 29. *Et timuerant me manda o hominum, & doctrinis*. Hebraicè: *Fuit timor, eorum mandatum hominum edoctum* hoc eſt, fuit cultus eorum, quo me timuerunt, & coluerunt. Nam timere Deum ſignificat Deum colere, ac reuereri. fuit, inquam, cultus eorum mandata hominum, & doctrinæ ab hominibus traditæ. Septuag. ſic: *Fruſtra colunt me docentes mandata hominum, & doctrinas*. Quod igitur vertit noſter interprs apud Matthæum *ſine cauſa*, & apud Marcum, *in vanum*, Græcè dicitur, μάτην, id eſt, fruſtrà. ſenſus eſt: Fruſtra colunt me Iudæi, docentes hominum traditiones, diuinis repugnantes præceptis. Certant his verbis hæretici noui, veluti plumbeo pugione, aduerſus eccleſiaſticas traditiones, hominũ eſſet ralitiones aientes. Sed ſi aduertãt Chriſtũ de iis traditionibus agere, quæ Dei mandata reſcindunt, obmuteſcent. *Irritum* (inquit) *feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram*, &c. Eccleſiæ autem traditiones, cum diuinis præceptis maximè conſentiunt. De traditionum verò Eccleſiaſticarum ſanctitate dicere plura non eſt loci huius. Illos lege, qui aduerſus hęreſes ſcripſerunt.

Timere Deũ eſt Deum colere, ac reuereri.

Matth. 15.

CAPVT XI.

De reprehenſione Phariſæorum.

Matth. 15. Non *quod intrat in os coinquinat hominem*. Quia impuritatis, ac ſordium oſores videbantur Phariſæi, & Scribæ, externarum amantes lotionum, docet Chriſtus aduocatã turbam, vndenam veræ trahantur ſordes, Trahuntur, inquit, non ex cibis, & illotis manibus, ſed ex peccatis. *Non quod intrat in os*, ait, *coinquinat hominem*. hoc eſt: Non cibus in os intrans, & multò minùs ſordes ipſæ manuum, hominem vera impuritate contaminant: ſed quæ ex ore exeunt peccata, ea hominem conſpurcant. Euthymius de ſordibus exponit manuum,

Vnde veræ ſordes trahuntur.

Ioſephus.

nuum, his verbis: *Non quod intrat in os, coinquinat hominem*: hoc est, non sordes manuum illotarum, quæ vna cum escis in os ingrediuntur, contaminant hominem; quia nec tangunt animam; solum namque peccatum fœdum est, quod animæ nocet. sic ille. Melius Theophylactus de cibis interpretatur, de cibo enim aperte Christus loquitur: Quia (inquit Theophylactus) Pharisæi arguerunt discipulos, quòd illotis manibus comederēt: Dominus de cibis dicit; quòd nullus cibus coinquinet hominem, & si cibus non coinquinat, multò minus illotis manibus comedere, &c. Addit, Christum ideo dixisse; *Sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem*: quoniam verbis suis, quæ ex ore procedebāt, Pharisæi sese conspurcabant. Notat, inquit, latenter Pharisæos, qui dicentes inuidorum verba, coinquinabantur, &c.

Cibi nulli coinquināt hominem.

Matth. 15.

Hæretici male hoc loco vtuntur.

Aranearum retia hic muscis tēndet hæreticus. Non quod intrat in os, dicet, inquinat hominem: ergo feria sexta caro arietina, vel perdix in cibū sumpta, hominem non coinquinabit. Huiusmodi araeanarum telis homines muscis similes irretiuntur. Loquitur Christus de cibo, & potu, ex sua natura cōsiderato: sic enim animum inquinare non potest, cùm res sit corpora ad animū minimè pertingens. sic quod intrat per os non coinquinat hominem. Nihil enim suaptæ natura immundum est. Ipsi cibi (ait Hieronymus Matthæi 15.) & Dei

1. Cor. 4. creatura, per se omnis munda est, &c. Paulus, *Omnis creatura Dei bona est*, &c. Et Augustinus lib. 16. cōtra Faustum cap. 31. docet animalia Iudæis prohibita, quæ immunda dicuntur, immunda fuisse non natura, sed significatione, vt porcum, &c. Quòd si cibus, vel potus, vt à superiore vetitus spectetur, tunc ad animum peruenit. tunc quod intrat per os, inquinat hominem: quoniam inobedientiam & intemperantiam secum affert, animum conspurcantem. Numquid rectè sic argumentabor: Non quod intrat per os coinquinat hominem: ergo poma illa, quæ in os Euæ, & Adam intrauerunt, nullas mentis sordes illis attulerunt? Ecquis hoc dicat. nisi planè amens? Quemadmodum igitur ille cibus vetitus à Deo, primos parentes inquinauit; sic cibus quilibet, vel potus à Deo, vel ab eo, qui Dei vices gerit prohibitus, inquinat. Non quia cibus est, aut potus, sed quia à Deo, vel superiore prohibitus; cuius mandato debetur obedientia.

Cibus coinquinat hominem per inobedientiam esu.

Iudaica ciborum obseruantia abrogata.

Præterea his verbis Christus Iudaicam illam in cibis obseruantiam, noua lega abrogandam indicabat. Vnde Euthymius: Aiunt, inquit, alteram interpretationem hìc profundius esse recluſam: scilicet, quòd nihil factum à Deo, natura impurum est. Ait enim Moses, *& vidit Deus cuncta quæ fecerat, & ecce bona valde*. Dicunt ergo, hac profundiori interpretatione, ciborum reiici obseruationem, quam Iudæi seruabant, &c.

Gen. 2.

Marci 7. Communicare significat inquinare.

COMMVNICANT *hominem*. Vtitur Marcus verbo, *communico*, pro coinquino, & nomine, *commune*, pro immundo, atque illoto. *Communibus manibus mandacare* dixit; hoc est, illotis & immundis. *communicant hominem*: hoc est, contaminant. Verbum. *communico*, (ait Hieronymus Matthæi 15.) propriè Scripturarum est. Populus Iudæorum partem Dei esse se iactans, communes cibos vocat, quibus omnes vtuntur homines. verbi gratia, suillam carnem, ostreas, lepores, & istiusmodi animantia, quæ vngulam non findunt, nec ruminant, nec squamosa in piscibus sunt. Vnde scriptum est. *Quod Deus sanctificauit, tu ne commune dixeris*. Commune ergo, quod cæteris hominibus patet, & quasi non est de parte Dei, pro immundo

Commune animal Iudæis quodnam. Actor. 10.

A appellatur, &c. Itaque communis piscis & commune animal dicebatur, quod Ethnicis commune erat, & immundum Indæis, res item communis, res prophana, & immunda, manus communes, manus illotæ, & sordidæ. Inde verbum, *communico*, significat coinquinare.

PHARISÆI *audito hoc verbo scandalizati sunt*. Pharisæi scandalizari dicuntur verbis Christi: videbatur enim aduersus Iudaicam ciborum obseruantiam loqui; & legem de animalium munditia, & immunditia dissoluere: quod quidem postea re ipsa præstitit. Quemadmodum Pharisæi, sic etiam hæretici in verbis Dei scandalizantur, & cadunt. Quia enim praue Scripturam sacram interpretantur, ideo pereunt. Audi Hieronymum Matthæi 15. Omnium, inquit, Euangeliorum loca, apud hæreB ticos, & peruersos, plena sunt scandalis, &c. Hæretici enim in Scripturæ verba malè intellecta impingunt, & cadunt.

Matth. 15. *Scandalis plena scripturæ apud hæreticos.*

OMNIS *plantatio, quam non plantauit pater meus cæleſtis, eradicabitur*. Plantatio hoc loco, ipsas plantas inutiles, & steriles significat. Theophylactus, & Eythymius, seniorum traditiones, & Iudæorum præcepta, plantas appellari censent, hoc sensu: Omnes plantę, quas Pater meus non plantauit: hoc est, omnes traditiones seniorum, Pharisæorumque præcepta extirpabuntur. Similiter D. Hilarius de traditionibus interpretatur. Alij quoque. Chrysostomus tum de Pharisæis, & Scribis, tùm de traditionibus hæc verba intellexit. Non de lege, inquit, sed de illis ipsis ac de

Matth. 15. *Plantatio de doctrina Phariſæorū.* *Chryſoſt.*

C traditionibus suis hæc disputat Dominus, &cæt. D. Augustinus lib. 1. quæst. Euangel. cap. 17. Plantationem Pharisæorum cupiditatem appellari putat: Omnis, ait plantatio, quam non plantauit Pater meus, eradicabitur; hoc est, carnalis cupiditas, secundum quam sentientes offendebantur, de prætermissis rerum signis, vel etiam traditionibus suis & præcepta vitæ non curabant, quæ à cupiditate animum purgant, &c. Glossa interlin. Pharisæos & Scribas, doctores improbos, eradicādos interpretatur. Is sensus Origenis est Matth. 15. Caietani, Iansenij, Maldonati. Placet mihi ipsos Pharisæos, & Scribas plantationem appellari eradicandam. At quisquam obiiciet sic: Pharisæos & Scribas licet improbos plantauit Pater cælestis: ergo de doctrina potius legi repugnāte, & futili, quam

Plantatio eradicāda, Phariſæi, malique Doctores.

D Deus non plantauit, quàm de hominibus locus est explicandus. Respondeo, Deum plantasse quidem Pharisæos, & Scribas, id est, creasse: at improbos non fecisse. Ideo igitur dicuntur à Patre cælesti minimè plantati, quoniam illorum nequitia à Deo plantata non erat. Deus enim peccati causa non est, sed naturæ. Bonas plantas Deus facit: nos bonas à Deo consitas, in malas conuertimus. iuxta illud, *Ego plantaui te vineam electam, omne semen verum. Quomodo erga conuersa es mihi in prauum, vinea aliena?* &c. Hic arbores à Deo non plantatæ, appellantur improbi. Matthæi 13. vocantur zizania à diabolo superseminata. Iansenius ad prædestinationem

Deus naturæ causſa eſt, non peccati. Ierem. 2.

E retulit. Reprobi, inquit, dicuntur non plantari à Deo, quia nō sunt ad vitam æternam prędestinati, & præparati, vt fructus Deo dignos proferant, &c.

SINITE *illos; cæci sunt, & duces cæcorum*. Quoniam Pharisæi (ait Origenes) non erant plantatio Patris, ideò relictis illis velut insanabilibus, loquitur discipulis suis: *Sinite illos*, propterea quòd cùm sint cæci, debeantque sentire cæcitatem suam, ac vitæ duces quærere, carentes sensu cæcitatis, profitentur etiam se duces esse cæcorum, non reputantes futurum, vt in foueam inciderent, &cæt. Theophylactus quoque: Quoniam desperati, ac

Matth. 15. Phariſæi quomodo ſint cæci.

in-

incurabiles erant Phariſæi, dixit Dominus: *Sinite, illos*, &c. Similiter Euthym. *Sinite illos*, inquit, tamquam incurabiles, &c. Cæci ducem viæ quærere debent: non duces ſe præbere. Phariſæi & Scribæ cùm cæci eſſent, ducemq; viæ deberent quærere; ipſi ſe aliorum duces & magiſtros exhibebãt. Cæci autem duces, ſequentẽ cęcum populum in foueam perfidiæ, captiuitatis, tartariq́ue præcipitauerunt.

Matth. 15. Reſpondere ſignificat aliquãdo, nõ reſponſum reddere, ſed ſimpliciter loqui.

RESPONDENS *autem Petrus.* Petrus reſpondiſſe dicitur hoc loco, cùm tamen nulla interrogatio præcedat. Hebraiſmus eſt. Nam reſpondere, vt Euthymius obſeruat Matthęi 11. principij aliquando habet locum, vt apud Matth. *Reſpõdens Ieſus dixit: Confiteor tibi Pater*, &c. *Reſpondens Petrus, dixit*, &c.

Matth. 11. Matth. 17. Marci 11. *Et reſpondẽs dixit ei*, ſcilicet ficui, &c. In gloſſa tamen interl. habetur hoc loco reſpondiſſe Petrũ ad prædicta. Aduerte Petrum rogaſſe Chriſtum, vt parabolã explicaret domi, vt Marcus ſcribit. Nec ſolus Petrus, ſed ceteri etiam diſcipuli rogauerunt. niſi velis dici reliquos etiam rogaſſe, quia Petrus omnium rogauit nomine. *Cùm introiſſet in domum à turba* (ait Marcus) *interrogabant eum diſcipuli eius parabolã*, &c. Introiuit autem Dominus domũ à turba, id eſt, ſemotus à turba, relicta turba: poſtquam cum turba locutus eſt. Euãgelij Syriaci interpres exponit; *præturba* ingreſſum domũ eſſe, id eſt, vt turbã fugeret prementem. Parabolicè putarunt diſcipuli Chriſtum loqui; tum quia ſermonẽ non intellexerunt, tum quia Chriſtus apud Marcũ addit: *Si quis habet aures audiẽdi, audiat*; quod ſermonẽ obſcurũ indicabat.

Marci 7. Petrus rogauit parabolæ explicationem.

Ibid.

Matth. 15. OMNE *quod in os intrat in ventrẽ vadit.* Quod dixerat, exponit Dominus, diſcipulis rogantibus. Iudicat, cibum ſuapte natura (ſi peccatum edendo non committatur) hominem ſpiritalibus ſordibus (quæ veræ ſordes ſunt) inquinare non poſſe; eò quòd in os intret, & in ſeceſſum eiiciatur, cor & voluntatem minimè tangat. Quidquid autem cor minimè tangit, & voluntatem; id hominẽ nequit contaminare. *Non intelligitis*, inquit, *quia omne extrinſecus introiens in hominem, non poteſt eum communicare*, id eſt, inquinare. *quia non intrat in cor eius, ſed in ventrẽ vadit, & in ſeceſſum exit, purgãs omnes eſcas?* &c. Apud Matth. igitur ſubintelligendũ eſt, cibos non introire in cor. Nã introeunt in os & ventrẽ, ſed non in cor; ideoq́ue homini impuritatem non afferũt ſpiritalem.

Cur cibi ſuapte natura non inquinant hominem. Marci 7.

Matth. 15. IN *ſeceſſum emittitur.* Abulẽſis Matthæi 15. quæſt. 47. ait ſeceſſum ſignificare viam poſteriorem, ad emittendum inſtitutã à natura. At in Græco Euangelio, ἀφεδρὼν, dicitur: id eſt, cloaca. ſeceſſus igitur hîc ſignificat locum ſeiunctũ ac ſecretum, in quo exoneratur vẽter. Dubium eſt, quid nam ſit illud, quod purgare dicitur eſcas omnes apud Marcum:

Quid ſit ſeceſſus.

Marci 7. *In ſeceſſum*, inquit, *exit, purgans omnes eſcas.* Dices ſeceſſum purgare omnes eſcas. Sed participiũ purgans, non poteſt cõiungi cum ſeceſſu, vt conſtat; diuerſi enim caſus ſunt. eodẽ modo in Græco Euangelio, ἀφεδρῶνα, coniungi nequit cũ participio, καθαρίζον, tum propter caſus, tum propter genera diuerſa.

Ibid. Dicendum ergo illud: *Purgans omnes eſcas*: coniungi cum illis verbis: *Omne extrinſecus introiens in hominem*, &c. *Non intelligitis*, ait Dominus, *quia omne extrinſecus introiens in hominem, non poteſt eum communicare*, id eſt, inquinare; *quia non intrat in cor eius, ſed in ventrem vadit, & in ſeceſſum exit, purgans omnes eſcas?* &c. Quidnam eſt illud, quod purgat omnes eſcas? videlicet, id quod extrinſecus in os intrat, in ventrem vadens, & in ſeceſſum exiens, purgat eſcas in corpore remanentes. Cùm enim ciborum excrementa ſeparantur, tunc cibi expurgantur. Aduerte autem Chriſtum craſſa minerua egiſſe cum diſcipulis, nec modum nutritionis voluiſſe explicare, cùm dixit:

Quidnã eſt illud, quod purgat omnes eſcas.

Matth. 15. *Omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur.* Non enim omnis cibus, qui ore ſumitur, in ſeceſſum emittitur: multæ partes in corpus animantis conuertuntur. Eſt ergo ſenſus: *Omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & purgans eſcas in ſeceſſum emittitur*, ſecundum aliquam partem. ſcilicet ſecundum id, quod ſordidum eſt, & ad nutritionem corporis minùs aptum.

QVÆ *autem procedunt de ore, de corde exeunt.* Duo dixerat Dominus. Primum; *Non quod intrat in os: coinquinat hominem.* hoc verum eſſe, iam oſtendit; quia cibi cor non attingunt, vnde vera oritur immundicies. ſecundum: *Quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.* hanc propoſitionem explanat. Ea, inquit, quæ ex ore exeunt, exeunt etiam ex corde & voluntate: atque ideo hominem conſpurcant. Nam quæ ex corde ſordida emanant, cordi ſordes afferunt, totiq́ue homini. Enumerat autem multa, quæ ex corde exeunt, immundiciemq́ue pariunt; videlicet, malas cogitationes, homicidia, adulteria, fornicationes, & alia. Apud Marcum additur, *oculus malus.* Malus autem oculus inuidũ ſignificat, qui alienam cernens felicitatem torquetur. Vnde de inuido Saule dicitur: *Non rectis oculis Saul aſpiciebat Dauid*, &c. *Nequam eſt oculus liuidi*, &c. *An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* &c. Additur etiam à Marco *ſtultitia*, id eſt, ſtultiloquium. Poſſunt illa verba: *De corde enim exeunt cogitationes malæ*, &c. ita explicari: Quæ procedunt de ore ſordida, de corde exeunt; probatur. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, &c. Hæc autem procedunt ex ore. Nam cogitationes malæ, homicidia, & cetera, ex corde in os veniunt. Concludit tandem Dominus id de quo erat quæſtio. *Non lotis manibus manducare non coinquinat hominem.*

Matth. 15. Ibid. Ibid. Marci 7. Oculus malus quid ſit. 1. Reg. 18. Eccli. 14. Matth. 20. Marci 7. Matth. 15. Ibid.

CAPVT XII.

Morale.

De reprehenſione Phariſæorum.

EMVNCTORIA (ait Dominus) *& vbi, quæ emuncta ſunt extinguantur, fiant de auro puriſſimo*, &c. Quemadmodum templi Salomonici, ita Eccleſiæ, quæ Chriſti templum eſt, emunctoria, ex caritatis auro, eoq́ue puriſſimo eſſe oportet. Is lucernam emungit; qui hominis vitia reprehendit. caritate ergo aureus, morum corrector ſit. Non erant caritate aurei Phariſæi, diſcipulorum Chriſti correctores, ſed inuidia & hypocriſi ferrei, ſiue lutei. Animo & ore illoto, diſcipulorum reprehendebant manus illotas. illotas habebant manus Apoſtoli; Phariſæi illotum os atque animum. Sordido ore detractor, aliorum vituperat ſordes.

Exodi 25. Reprehenſio ac correctio magna cum caritate exhibenda.

Quid detractione ſordidius? quid immundius? Immundum animal, in lege veteri erat canis. cane detractor adumbratur. Aduerſus proximũ latrat, honoremq́ue ac famam morſu laniat, & immũdus eſt. Canem appellaui detractorem? Cane peior eſt: ſerpentem appellat Salomon ſordidiſſimum. *Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihil eo minùs habet, qui occultè detrahit*, &c. D. Hieronymus in eadem verba: Serpens, & detractor, æquales ſunt. Quomodo enim ille mordens venenum infert; ſic iſte detrahens, pectoris virus ſui in fratrem effundit, &c. Os abluе, detractionis immunditiem pelle. Chriſti puriſſima labia hiſce verbis depinguntur: *Labia eius lilia, diſtillantia myrrham primam*, &c. His ſimilia ſint labia Chriſtiani. Mundiſsima ſint vt lilia; myrrhæ, hoc eſt, mortificationis odorem exhalent; inuidiæ, & detractionis fœtidum halitum non emittant. Eccleſiæ dentes ſic deſcribuntur: *Dentes tui ſicut grex ouium, quæ aſcenderunt de lauacro*, &c.

De detractione. Eccle. 10. Cant. 5.

Christiani dentes non canibus similes dicuntur; sed ouibus. Canes mordent, oues à morsibus alienissimæ sunt. Christianus ouis sit, non canis. tam sit à detractionibus alienus, quàm ouis aliena est à morsibus. Nec solùm ouibus similes dicũtur dentes Ecclesiæ: sed ouibus ascendentibus ex lauacro, hoc est, lotis. Oportet enim os & dentes abluere, omnesque detractionis sordes longè propellere.

Prou. 4. *Remoue a te os prauũ & detrahentia labia sint procul à te,* &c.

Detractores non sunt audiendi. Prou. 25. Hieron.

Durè Christus Iudæos arguentes discipulos excepit. Durè excipiendi sunt detractores, fronte tristi repellendi. Vt enim legitur; *Ventus aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem,* &c. D. Hieronymus in epistola ad Nepotianum: Non minus, inquit, auribus, quàm lingua fugias detractionem. Nam detractor dum te videt, non libenter audire, non facilè potest detrahere, &c. Item: Nemo inuito auditori libenter refert detractoria. Sagitta in lapide non infigitur: sed interdum resiliens percutit dirigentem. Detractor, dum te videt non libenter audire, non facilè detrahere discat, &c. Idem Hieronymus in epist. ad Rusticum: Detractor cùm tristem faciem viderit audientis, imò non audientis, sed obturantis aures suas, ne audiat sanguinem; illico cõticescit, pallet vultus, hærent labia, saliua siccatur, &c. Ecclesiasticus auribus suadet sepem adhibere spinarum, quibus

Eccli. 8. detrahentium pungantur linguæ. *Sepi,* inquit, *aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire,* &c. Quemadmodum spinarum vallo vinea sepitur, ne quis illã possit ingredi; sic sunt sepiendæ aures, ne quod detractorium verbum possit intrare. Serpentis sibilum & morsum, quis non horreat? detractionem ergo horre, quia serpentis est sibilus & morsus,

Eccle. 10. iuxta illud: *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit,* &c.

1. Reg. 24. *Percussit cor suum Dauid eo quòd abscidisset oram chlamydis Saul.* Percutiat quoque te cor tuum, si non oram vestis: sed famam proximi, vel abscindas, vel abscindi videas. Augustinum imitare de quo Possidius sic scribit cap. 22. Contra pestilentiam humanæ consuetudinis, in mensa ita scriptum habebat Augustinus:

Possidius.

Quisquis ama dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam indignam nouerit esse sibi.

Et ideo omnem conuiuam à superfluis, & noxiis fabulis, & detractionibus sese abstinere debere admonebat. hæc Possidius Episcopus Augustini discipulus.

Augustinus quam durè detractores exceperit.

Quam verò durè detractores Augustinus exceperit, idem Episcopus eodem loco his verbis indicat; Quosdam suos familiarissimos coëpiscopos, illius Scripturę, quæ scilicet in mensa erat, oblitos, & contra eam loquentes, tam asperè aliquando reprehendit commotus, vt diceret; Aut delendos illos de mensa versus; aut se de media refectione, ad suum cubiculum surrecturum. Quod ego, & alij, qui illi mensæ interfuimus, experti sumus, &c.

Matth. 15 Lex Dei non est trãsgrediẽda, sed summa cura seruãda. Psal. 118.

Pharisæi immeritò discipulos de illotis manibus arguebant. At Christus meritò illos de legis transgressione arguit: *Quare,* inquit, *& vos transgredimini legem Dei propter traditionem vestram?* Lex Dei magna cura seruanda est, iuxta illud: *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis. Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas.* Item, *Portio mea Domine dixi custodire legem tuam,* &c. In penetralibus antiqui templi arca erat, auro vndique ornata. Exodi 25. Deut. 10. ad Hebr. 9. Si quæras: Quisnam in ea the-

Lex Dei thesaurus omni diligẽtia seruandus. Psal. 118.

saurus, quæ gemmæ asseruarentur? respondeo, legem Dei. Videlicet, hic est Dei thesaurus. Hic quoque debet esse thesaurus hominum. Audi Dauidem Psalmo citato: *Dilexi,* inquit, *mandata tua, super aurum & topazion.* Magna cura thesaurus seruatur, seruanturque gemmæ & vniones, ne surripiantur. cura maiori seruanda sunt Dei mandata, omnibus pretiosiora gemmis: ne vel vnum nobis à tartareis furibus auferatur. Inuitis, nec videntibus, eripitur gemmarum thesaurus: sed non nisi volentibus, ac videntibus, eripitur thesaurus mandatorum Dei. ô miserum infelicemque hominem, qui opulentissimum thesaurum, & videns, & volens amittit, amittit, inquam, propter carbones.

Mundi tartariq; mores pessũdandi. Matth. 15.

Quare, inquit Dominus, *vos transgredimini mandatum Dei, propter traditionem vestram?* Nonne mundi siue tartari traditiones, id est, mores, carbones sunt, qui ex igne tartareo in orbem transilierunt? Quare propter hos carbones, tartareis flammis exardescentes, gemmas omni superiores pretio, insani abiicimus. Caritatis legem transgreditur Christianus, propter traditionem Orci, de iniuria vindicanda, castitatis legem propter traditionem carnis, de libidine explenda, ieiunij legem propter gulam. sicque Dei leges alias propter mundi carnis, & Plutonis traditiones frangit. Qui leges Dei, sanctæque Ecclesiæ seruare cupit, hominum improborum iudicia nihili faciat, carnis cupiditates crucifigat, aliaque incedat via, mundo contraria. Traditiones transgrediatur, ac pessundet mundi, carnis ac Orci, propter legem Dei, in cruce perseueret, clauis mandatorum Dei confixus, quamuis dicant impij: Descende de cruce. Audi Augustinum serm. 86. de diuersis; Reprimendarum, inquit, carnalium voluptatum crucem nobis ipsi faciamus, sicut dicit Apostolus: *Qui sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis:* in hac cruce per totam vitam debet pendere Christianus. Non enim est in hac vita tempus euellendi clauos. Claui sunt præcepta iustitiæ. Sic ille.

Gal. 5. Claui sunt mandata Dei.

Lex Dei est sepes & murus.

Verbum, *transgredimini,* indicat legem Dei sepem esse animi ac Reipublicæ, intra quã se debet continere. Quare, ait Dominus, transgredimini sepẽ, ac murum diuinæ legis? Qui hostibus cinctus est, nec intra murum se continet, vulneratur, & perit: sic Christianus, quem tartarei obsident aduersarij, si murum, vel sepem trãsgreditur legis, sauciatur, spiritalemque vitam amittit. *Qui dissipat sepem, mordebit eum coluber,* &c. Lex Dei sepes est: Caue ergo, ne illam dissipes. si dissipes, crudelissimus te mordebit draco, hoc est, dæmõ. Ne dissipes sepem, sed ædifica; iuxta illud: *Vocaberis ædificator sepium, auertens semitas in quietem,* &c.

Eccli. 10.

Isaiæ 58.

Sepem circumdedit Deus vineæ, id est, synagogæ. *Vinea facta est dilecto meo, in cornu filio olei, & sepiuit eam,* &c. Videlicet, sepe legis. Deus filiis præcipiebat, vt parentes non solùm honore ac reuerentia afficerent: sed etiam indigentes officiis & donis iuuarent. hanc sepem, hunc murum à Deo ædificatum Pharisæi, propter traditionem suam transgrediebãtur. In duabus tabulis lapideis Deus mandata tradidit. In priori tabula illa sunt exarata, quæ Dei honorem & caritatem spectant: in secunda reliqua sunt scripta, quæ ad proximi caritatem attinent. Horum primum hoc est, *Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* Huic soli præcepto in tabulis longæ vitæ additur promissio, propagat enim Deus vitam filiis, qui parentes honorant, quibus post Deum acceptam referunt ipsam vitam. ideo diuus Paulus hoc præceptum primum appellat in promissione, id est, primum tabulæ secundæ, cum promissione longæ vitæ. *Filij* (ait Paulus) *obedite parentibus vestris in Domino. hoc enim iustum est. Honora Patrem tuum & matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione. vt bene sit tibi, &*

Isaiæ 5.

De honorandis parentibus. Exodi 20.

Ephes. 6.

sis

Eccli. 3. *Qui honorat Patrem ſuum, vita viuet longiore*, &c. Eodem capite docet honorandos parentes, non verbis ſolum, ſed etiam opere, atque officiis. *in opere*, inquit, *& ſermone, & in omni patientia honora patrem tuum*, &c. honorandos ait parentes in primis opere, deinde ſermone. Addit: *in omni patientia*. Vt enim ætatis ſenilis & decrepitæ moleſtiæ tolerentur, opus eſt patientia. Adiungit eodem capite: *Fili ſuſcipe ſenectam patris tui, & non contriſtes eum in vita illius: Etſi deſecerit ſenſu*, id eſt, intellectu, *veniam da, & ne ſpernas eum in virtute tua*, id eſt, in robore tuo, cùm tu fortis es ac robore valens, &c. Senes bis ſunt pueri, vt ait Theopompus apud Clementem Alexandrinum lib. 6. ſtrom. & Antipho. Senis, inquit, educatio, eſt ſimilis educationi pueri, &c. Si defecerit ſenſu pater (ait ſacer auctor) inſtar pueri, veniam da; & ne ſpernas, ſed venerare ſenem puerum. paſce illum, qui te prius pauit, da illi, qui tibi te ipſum dedit. Denique tanquam ſeruum dominis, vult Deus filium parentibus ſeruire. *Qui timet* (inquit) *Dominum, honorat parentes, & quaſi dominis ſeruiet eis, qui ſe genuerunt*, &c. Prætereà præmiis allicit: *Eleemoſyna* (ait) *Patris* (id eſt, in patrem collata) *non erit in obliuione. Nam pro peccato matris reſtituetur tibi bonum, & in iuſtitia ædificabitur tibi, & in die tribulationis commemorabitur tibi, & ſicut in ſereno glacies ſoluentur peccata tua*, &c. Item: *Sicut qui theſaurizat, ita & qui honorificat matrem ſuam*, &c. Theſaurus ergo eſt, parentibus exhibitus honor, tum verbo, tum opere.

Parentes etſi debiles ſenſu, honorandi ſunt. *Eccli. 3.*

V. dicitur διζηταῖος οἱ γέροντες.

Ambr. Lege Ambroſium in Lucam cap. 18. de honorandis parentibus. Et Hexaëmeron li. 5. cap. 16. De Ciconiis Depoſiti, inquit, patris artus, per longæuum ſenectutis, plumarum tegmine, alarumque remigio nudatos, circumſtans ſoboles pennis propriis fouet. & quid dicam, collatitio cibo paſcit, quando etiam ipſa reparat naturæ diſpendia, vt hinc, atque inde, ſubleuãtes ſenem fulcro alarum ſuarum, ad volandum exerceant, & in priſtinos vſus deſueta iam reuocent pij membra parentis. Aues non erubeſcunt reuerendi ſenis membra portare. Eſt enim vectura pietatis. Non recuſant aues paſcere patrem, &c. & D. Baſilius in Hexaëmeron. hom. 8. Pietas, ait, & obſequium ciconiarum erga ſuos ſenio confectos parentes, ſatis profectò liberos noſtros beneuolos parentibus, atque obſeruantiſſimos efficere poteſt; modo mentem adhibere velint. Nemo enim prorſus eſt, qui naturæ ſenſu, prudentiáve ſic deſtituatur, vt non mediocri pudore eum exiſtimet dignum, quiſquis, quod ad virtutem attinet, ſinit ſe alitibus his, nulla rectæ rationis vi præditis, deprehendi inferiorem. Illæ genitorem per ſenium defluxu pennarum degraueſcentem ſuiſmet pennis circũdatum fouent, & abundè victum, lautéque ſubminiſtrantes, ſubſidium etiam ei in ipſo volatu præſtant, ſenſim vtrimque ſuis eum ſubleuantes alis. ſic ille. Imitentur igitur filij ciconias, parentes ſenio confectos paſcant, veſtibus veluti pennis contegant, & pro virili iuuent, nec ab auibus ſe vinci patiantur. Ambroſius Lucæ 18. exemplum parentes honorandi præcellens proponit Chriſtum, his verbis: Honora tuos parentes, quia ſuos Dei filius honorauit. Legiſti enim, *Erat ſubditus illis*. Si Deus ſeruuis, quemadmodum tu parentibus? &c.

Ciconiarũ exemplum.

Bernard.

Luce 2.

Matth. 15. Pergit Chriſtus Phariſæos, Scribaſque reprehendere. *Bene*, inquit, *prophetauit de vobis Iſaias dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.* Similem in modum Ieremias, *Prope es*, inquit, *tu ori eorum & longe à renibus eorum*, &c. Et, *Dilexerunt eum in ore ſuo, & lingua ſua mentiti ſunt ei, cor autem eorum non erat rectum cum eo*, &c. Vtinam Chriſtiani multi Phariſæis ſimiles non ſint, qui labiis Deum honorent, corde verò longiſſimè ab eo diſtent. Maximè diſtat Occidens ab Oriente: ſic maximè diſtat peccatum à Deo. Cor quod in peccato mortifero eſt, in obſcuro Occidente eſt, omni gratiæ ſplendore carens, à Deo vera luce longiſſimè ſeparatum. Longè ſeparatur à ſole, ideò frigidum, longè à ſumma bonitate, ideo malum, longè ab infinita puritate, ideo impurum, longe à vita, ideo mortuum eſt. Ad Deum accedat cor, ne frigidum, ne malum, ne impurum, tenebroſumque ſit, *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur*, &c. Verbum eſt Sol animæ (ait Clemens Alex. lib. 6. ſtromat.) ſi ſic exortus in profundo mentis, mentis ipſius oculus illuſtratur, &c. Illuſtratur ſolis huius propinquitate cor, incenditur, expurgatur, reuiuiſcit. Accedat ad Deum cor, longe à peccato recedat, iuxta illud, *Quantùm diſtat Ortus ab Occidente, longè fecit à nobis iniquitates noſtras*, &c. Quantum diſtat Ortus ab Occidente, tàm longè diſtet cor à peccato.

Pſal. 33.

Pſal. 102.

Appropinquare oportet Deo ore & corde.

Populus Dei, populus dicitur appropinquans Deo: *Hymnus omnibus Sanctis eius, filiis Iſraël, populo appropinquanti ſibi*, &c. Appropinquare oportet, non ſolùm labiis, atque hymnis, verùm etiam corde. D. Paulus duos in vno homine indicat eſſe homines, alterum oculis expoſitum, alterum abſconditum, *Licet*, inquit, *is qui foris eſt noſter homo corrumpatur, tamen is, qui intus eſt, renouatur de die in diem*, &c. D. Petrus, hominem abſconditum, cordis hominẽ appellat. Phariſæi & Scribæ externo tantùm homine appropinquabant Deo; at probi Sanctique viri, tùm externo, tum interno homine ad Deum accedunt: Externum hominem ſolummodò abluunt impij, comunt, ornant, interni ſordes abſtergere non curant. Vultum manuſque abluunt quotidie, excutiunt veſtes, nihil in corpore ferre poſſunt ſordidum; animum verò peccatorum ſordibus fœtidum, atque inquinatum ferunt. Similes hi ſunt infimo elemento terræ, quæ externa quidem ſpecie florum, plantarumq; amœnitate eſt exornata; intus verò mediis in viſceribus, tartareas ſordes, dæmonumque continet multitudinem. ſic iſti, extrinſecus ſunt floridi, intus ipſum tartarum ferũt. Probi autem viri, externum hominem propter Deum pœnitẽtia affligunt: interni verò puritatem maximè curãt. Cælo ſimiles, quod intus, atque extrà, pulcherrimum eſt: ſed pulchrius intus, quàm foris. Multò enim pulchrius id eſt, quod in cælo non cernitur, quã id quod oculis obiicitur. D. Bernard. ſer. 25. Cant. Omnis, inquit, cura ſanctorum meritò ſpreto ornatu, cultuque ſuperfluo exterioris ſui hominis, qui certè corrumpitur, omni ſe diligentia præbet, & occupat excolendo, ac decorando interiori illi, qui ad imaginem Dei eſt, & renouatur de die in diem, &c.

Pſal. 148.

2. Cor. 4.

1. Pet. 3.

Sordes interne præcipuè abluenda.

Sanctorum cura in interno homine excolẽdo.

Præter hæc cæcos appellat Dominus Phariſæos, & Scribas, duceſque cæcorum. En tibi hæreticorum typum. *Cæci ſunt & duces cæcorum: cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet ambo in foueam cadunt.* Cæci hæretici debuerunt duces quærere, à quibus ducerentur. illi verò duces ſe præſtant, non niſi cæcis. Quis, enim niſi planè cæcus, cæcum ſequetur ducem? ſequũtur cæci homines cæcos miniſtros, tartareamque in foueam, tùm duces cæci, tùm illi, qui eos ſequuntur, cadunt. Heu ſerò aperient oculos, cũ ſe flammis torqueri viderint æternis. Miſerrimus ille cæcus eſt, qui cæcitatẽ ſuã amat miſerrimus. qui ſe videntẽ eſſe putat, cum talpa ſit. Audi Senecã epiſt. 52. ad Lucilium. Harpaſten, inquit, vxoris meæ fatuam, ſcis hereditariũ onus in domo remãſiſſe. hęc fatua ſubitò deſiit videre. Incredibilẽ tibi narro rẽ, ſed verã. neſcit eſſe ſe cæcã, ſubinde pædagogum ſuũ rogat, vt migret. Ait domũ tenebroſã eſſe. Hoc quod

Matth. 15. Hæretici cæci duceſque cæcorum.

Cæcus qui ſe videntem putat, miſerrimus.

Harpaſte cæca fatua.

Lõge diſtat cor peccatoris à Deo.

quod in illa ridemus, omnibus nobis accidere; liqueat tibi. Nemo se auarum esse intelligit, nemo cupidum. sic Seneca. Multi huic fatuę similes sunt, vt Seneca ait. Cæci sunt, seque egregiè videre aiunt. Quis dubitet nisi cæcus, hæreticos esse cæcos? at plus quàm lynceos se habere aiunt oculos. sic Harpaste aiebat fatua. Alij etiam multi, qui vitia non cernunt sua, cæci sunt, attamen se egregiè videre aiunt, sed instar Harpastes. Nosse oportet cæcitatem, vt remedia quærantur. Ad sanitatem (ait Seneca) difficiliter ideo peruenimus: quia nos ægrotare nescimus, &c. ô infelices homines, qui sanari nolunt! Eradicabuntur, quantumuis nunc florere videantur hæretici omnes, iuxta illud: *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cæleſtis, eradicabitur*, &c.

Harpaſta qui ſimiles ſint.

Matth. 15.

Denique docet Dominus, vnde nam veræ emanant sordes, nempe ex corde. *De corde*, inquit, *exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes. hæc sunt quæ coinquinant hominem*, &c. Cor fons cogitationum est, operum ac verborum. Si fons impurus est, impuri sunt riui; si purus fons, pura fluit vnda. Puro ex corde puræ emanant cogitationes, opera, ac verba, ex impuro effluunt sordida. Custodire necesse est fontem, ne ab hoste, vel veneno inficiatur, vel sordibus polluatur. *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus*, &c. Hortus Dei cor est & fons. hortus sit conclusus dupliciter, magna diligentia, fons sit sigillo signatus Dei. iuxta illud: *Pone me, vt signaculum super cor tuum.* Felix cor, quod Christi crucifixi memoria & amore, veluti regis summi sigillo clauditur. ex hoc corde, ex hoc fonte signato, & horto concluso, puri emittuntur fructus, atque aromata cælestis paradisi, siue horti. Vnde sequitur: *Emissiones*, inquit, *tuæ paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo, nardus & crocus, fistula, & cinnamomum, cum vniuersis lignis Libani, myrrha, & aloë, cum omnibus primis vnguentis*, &c. Signatum cor non habuit Iudas, ideo veneno infectum ab hoste est. *Cum diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas*, &c. Venenum traditionis in cor Iudæ diabolus misit: videlicet, signatum amore magistri non inuenit.

Ibid.

Sordes veræ ex corde emanant.

Cant. 4.

Cant. 8.

Cor fons ſignatus Chriſti memoria & amore.

Ibid.

Iudas non habuit cor ſignatum. Ioan. 13.

Considera quæso peccatorum exercitum ex corde exeuntem. *Ex corde* (inquit Christus) *exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ*, &c. Ipsum cor hominis, hostium exercitum, aduersus hominem parit. Vnde D. Chrysologus serm. 171. Nouus, inquit, est hic ordo bellandi. De homine contra hominem gentes exeunt bellaturæ, &c. Ipsos hostes nos gignimus, armamus, in prælium producimus. Quis tantam non miretur stultitiam? Primo loco numerat Dominus cogitationes malas. Nam malæ cogitationes primi sunt hostes, qui hominem aggrediuntur. Principiũ peccati à cogitatione ducitur. Principiis ergo obsta. Si cogitationes, in prima decertãtes acie superaueris, reliquos hostes in fugam vertes. Hanc pugnandi rationem docet Psalmista his verbis: *Beatus, qui tenebit, & allidet paruulos tuos*, (ô Babylon) *ad petram*, &c. Babylonis paruuli, paruulæ sunt cogitationes, quæ si cordis consensu nutriantur, adolescũt, pariuntque sibi similia verba, atque opera. Itaque beatus ille est, qui adolescere illas non sinit: sed antequam consensum vllum præbeat, paruulas perimit ac trucidat. sic Iob; *Pepigi*, inquit, *fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine*, &c.

Matth. 15. Ex nobis cõtra nos prodit exercitus.

Mala cogitationes primi prodeũt hoſtes, protinus occidendæ ſunt.

Pſal. 136.

Iob 31.

Lege D. Gregorium Nyssenum, in libro de vita Mosis: Quid, inquit, hac historiæ figura docemur? (videlicet, cum primogenita Ægyptiorum occiduntur) Docemur, quòd oporteat primas cogitationes, & prima peccandi initia, & vias primas, radicitus tollere. Nam qui principia destruxit, is totum nequaquam admisit. Qui primogenitum interimit, is partum quoque qui ex primogenito nascitur, simul interimit. Sicut in occidendo serpente, qui caput oppressit, is totum quod à capite trahitur corpus, mortificat, &c. Item; Primogenitorum nece, & postium per sanguinem custodia; discimus, & illinc primas vitiorum appetitiones tollendas, & hinc primum vitiorum aduersus nos aditum, per verum agnum repellendum esse intelligimus. Non enim ingressum percussorem eiicere, sed ne omnino subingrediatur cauere lex iubet. Hæc Nyssenus.

Greg. Nyſſ.

Initia peccati protinus eradicanda.

Concludit Dominus; *Non lotis manibus manducare, non coinquinat hominem.* Non lotis autem manibus, id est, operibus, cælestem panem, id est, Eucharistiam manducare, maximè coinquinat hominem. Vnde Beda Marci 7. Necessaria, inquit, est doctrina veritatis, quæ iubet eos, qui eum pane vitæ descendente de cælo participare desiderant, crebrò eleemosynarum, lachrymarum, aliorumque iustitiæ fructuum lauamento, sua opera purgare, vt casto corde & corpore, cælestibus valeant communicare mysteriis, &c. Discamus (ait diuus Chrysostomus homilia 52. in Matthæum) quænam ea sint, quibus turpiter homines fœdantur. discamus, & fugiamus. In nonnullis enim iam Ecclesiis hunc morem corroboratum videmus, vt diligenter multi studeant, quomodo manibus loti, candidis induti vestimentis, in Ecclesiam ingrediantur. Quomodo autem animam atque mentem suam, puram atque defæcatam, offerant Deo, nullam prorsus habent curam. Hæc dico, non quia lauare os aut manus prohibeam: sed quia non aqua solùm lauare os velim, verùm etiam, vt æquius est, omni virtutis numero. Sordescũt quippe manus operationibus prauis. os autem maledictione, blasphemia, contumelia, verbis iracundis, atque obscænis, scurrilitate, &c. hæc Chrysostom.

Matth. 15.

Loto animo ad Euchariſtiam accedendum.

Chryſoſt.

Eccleſiæ miniſtri, vt candida veſte, ſic moribus ſplendere debent.

CAPVT XIII.

De femina Chananæa.

MATTHÆVS CAP. XV.

ET egressus inde IESVS, secessit in partes Tyri & Sidonis. Et ecce mulier Chananæa, à finibus illis egressa clamauit, dicens ei: Miserere mei Domine, fili Dauid, filia mea malè à dæmonio vexatur. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli eius, rogabant eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos. Ipse autem respondens ait: Non sum missus, nisi

nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel. At illa venit, & adorauit eum, dicens; Domine adiuua me. Qui respondens, ait: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa dixit: Etiã Domine. nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. tunc respondens Iesus, ait illi: ô mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora.

MARCVS CAP. VII.

ET inde surgens abiit in fines Tyri, & Sidonis, & ingressus domum neminem voluit scire, & non potuit latere. Mulier enim statim vt audiuit de eo, cuius filia habebat Spiritum immundum, intrauit, & procidit ad pedes eius. Erat enim mulier gentilis, Syrophœnissa genere. Et rogabat eum, vt Dæmonium eiiceret de filia eius. Qui dixit illi: Sine prius saturari filios. Non est enim bonum sumere panem filiorum & mittere canibus. At illa respondit, & dixit illi, vtique Domine. Nam & catelli comedunt sub mensa de micis puerorum. & ait illi; Propter hunc sermonem vade, exiit dæmonium à filia tua. Et cùm abiisset domum suam, inuenit puellam iacentem supra lectum & dæmonium exisse.

Matth. 15. SECESSIT *in partes Tyri & Sidonis.* Post ea, quæ supra à Matthæo scripta sunt, narrant duo Euangelistæ Marcus, & Matthæus secessisse Christum in partes Tyri, & Sidonis, quæ vrbes maritimæ Phœniciæ sunt vicinæ Galilææ versus Septentrionem, monti Libano propinquæ. D. Marcus ait venisse, εἰς τὰ μεθόρια, id est, in confinia Tyri, & Sidonis, Tyrus à Cæsarea Philippi viginti distat milliaribus, vt auctor docet, qui de locis Hebraicis scripsit in Acta Apostolorum tomo 3. Hieron. Tyrus, inquit metropolis Phœnices, in tribu Nephthalim vicesimo prope milliario à Cæsarea Philippi. Hæc quondam insula fuit, alto mari septingentis passibus diuisa: sed ab Alexandro terra continens facta est, propter expugnationẽ multis in breui freto aggeribus comportatis. Sic ille. Sidon à Cæsarea Philippi distare dicitur milliaribus vndecim: ab Antilibano monte, milliario vno. Vtraque vrbs Ethnicorum erat, vt Augustinus docet ser. 74. de tempore. Tyrus & Sidon, inquit, non erant ciuitates populi Israel, sed gẽtium, quamuis vicinæ illi populo, &c. Septem trioni propinquior est Sidon. Abulensis Matth. 15. quæst. 55. ait magis esse Aquilonarẽ, quàm Tyrum leucis vndecim per littora maris mediterranei. Tradunt autẽ historiæ, vt scribit Hieronymus Isaiæ 23. quòd Tyrus colonia Sidonis sit. Sed præstantior Sidone Tyrus fuit, de qua lege Ezechielis cap. 27. Profectus est Dominus è terra Genesar, in confinia Tyri, & Sidonis: vel ex Capharnaum, aut locis illi propinquis. Distat autem Capharnaum à Tyro, vt ait Abulẽsis loco indicato, leucis fere viginti quinque.

Tyrus & Sidon vrbes vbi sita.

Tyrus ab Alexandro facta est continens.

Augustin.

Abulens.

Marci 7. INGRESSVS *domum neminem voluit scire.* Abiit Dominus in fines Tyri, & Sidonis, vt verò Marcus ait, postquàm eò peruenit, domum ingressus est, quoniam latere volebat. Cur autem latere voluerit rationem reddit Theophylactus: Christus, inquit, quæsiuit latere, vt ne habeant Iudæi posteà, quò possint ipsum accusare, quòd ad immundas gẽtes præcurrerit, &c. Euthymius putat latere voluisse, quia non ad cõcionandum, sed ad quiescendum venerat cum discipulis. Non abiit, inquit, Christus prædicaturus: sed vt paululùm requiesceret. Ideò domum ingressus neminem scire voluit, &c. Beda ait præcepisse discipulis, ne cuiquam, in regione ignota, quis ipse esset aperirent. Itaque

Christus cur latere voluerit.

A Christus in confiniis Ethnicorum latere volebat, quia ad concionandum Ethnicis non venerat. Etenim vt paulo post ait, non erat missus nisi ad oues, quæ perierant domus Israel. Ethnici autem non erant oues huiusmodi. Abulensis quæst. 38. ait Christum nunc in confinia Tyri, & Sidonis profectum, vt à filia Chananææ dæmonem pelleret.

NON *potuit latere.* Omnipotens Christus potest omnia. Loquitur Euangelista de voluntate humana, vt docet Agatho summus Pontifex in 6. synodo, in epist. ad Augustos. Latere voluit, quia tamquã homo, vt lateret, quantùm satis erat, fecit. Ingressus enim est domũ, occultauit se, discipulisq; silentium præcepit. Attamen nõ potuit latere per hęc omnia, quę fecit. Potuisset latere, si omnino absolutè latere voluisset. Voluntas illa omnino absoluta, & efficax non fuit, sed aliquo modo: Voluit namq; latere per illa, quæ faciebat. Volebat tamen fœminæ Chananææ opitulari. Cardinalis Hugo sic explicat: Non potuit latere, de misericordia. sicut dicitur de homine largo, quòd non potest comedere solus, &c. est sensus: Voluit Dominus latere: sed compulit eum misericordia, ne omninò lateret. Dionysius Carthusianus. Non potuit, inquit, latere secundum naturalem cursum, & ordinem; propter celebrem famam. Loquendo autem de absoluta potentia, certum est, quòd latere potuerit: imo & se inuisibilem reddere, &c. Cardinalis Caietanus, Non significatur, ait, impotentia Christi: sed silentij; id est, hominum, qui silere non potuerunt. Quamuis enim Christus venisset, non vt publica persona, non potuerunt tamen silere, qui ipsum cognoscebant, &c. est sensus Caetani: Non potuerunt homines illum nõ iudicare.

Marci 7.

Quomodò Dominus dicitur latere non potuisse.

Voluntas Dei nõ omnino absoluta.

Dionysius Carth.

Caiet.

Auctor quæstionum ex nouo testamento inter opera Augustini, tomo 4. quæst. 77. Impossibile, ait, est, vt saluatoris voluntas non impleatur. Neque potest velle, quod scit fieri non debere. Idcircò quod factum est, hoc voluisse dicendus est.

Autor. quæst.

Quæritur, Quare neminem voluit scire? Animaduertendum, quia istud in finibus gestum est gentilium; quibus adhuc tempus prædicandi non erat. Denique mittens discipulos suos præcepit dicens Matth. 10. *In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, sed ite potius ad oues quæ perierunt domus Israël.* Idcirco noluit se prodi, quòd esset in domo. Requiri autem se non noluit, sed

Cur Christus latere voluerit.

Matth. 10.

Gentibus vltro venientibus prædicari ante passionem potuit.

sed libenter accepit. Quamuis enim tempus non esset prædicandi gentibus; vltrò tamen venientes ad fidem non suscipere, inuidiæ erat. Sic factum est, vt dum Saluator à discipulis proditus non esset; ab aliis tamen, qui eum ingredientem domum viderant, proditus sit. Et cæpit sciri quòd esset in domo, vt intrarent ad illum, qui vellent consequi beneficia. A suis ergo noluit prædicari, quòd esset in domo. Requiri enim se voluit: Et ita factum est. Non enim latuit, ab aliis demonstratus, quòd esset in domo. Sic ille.

D. Damascenus lib. 3. fidei cap. 17. de voluntate Christi humana hæc interpretatur, simpliciterque concedit, Christum quoad humanam voluntatem non potuisse latere. Voluntas enim humana adhibuit media ad latendum: sed ipsa per se, sine ope diuinitatis latere per illa media non potuit. Alia verò media per diuinitatem adhibere noluit, cùm posset. Factum est (ait Damascenus) vt cùm sui conspectum subducere vellet, per se id non potuerit. Quòd nimirum Deo Verbo perspicuum hoc fieri placuisset, verè in se inesse humanæ voluntatis imbecillitatem, &c. Et cap. 14. ait, Christum quatenus homo erat, id est, secundùm voluntatem humanam, nequiuisse occultari. Si, inquit, cùm profectus Dominus in partes Tyri & Sidonis, & ingressus in domum, neminem scire voluerit, nec tamē latere potuerit; profecto, si diuina ipsius voluntas quiduis potest, cùm aduentum suum obscurum esse voluerit, nec potuerit; nihil afferri potest, quin quatenus homo id voluerit, nec potuerit. Ac proinde quatenus homo erat, volendi facultatem habuerit. Sic Damascenus. Similem in modum summus Pontifex Agatho in epistola citata: Ergo ne, ait, Christus latere volens non potuit, nisi hoc ad humanam eius voluntatem redigatur? &c.

Christi voluntas humana qualis.

Damasc.

Matth. 15.

ECCE *mulier Chananæa.* Cur mulier hæc Chananæa dicatur dubium est. Adrichomius in descriptione tribus Aser Num. 31. sic respondet. Cana siue Chana maior, ciuitas est in tribu Aser. Est quippe altera Cana, quæ minor appellatur, vbi Christus aquam mutauit in vinum. Ex maiori Cana erat mulier illa Cananæa, cuius filiam Dominus à dæmonio liberauit. Sunt tamen qui Chananæam dictam putant, quòd ex posteritate Chanaan superstes esset. Hæc ille. D. Hieronymus Isaiæ 23. Chananæam dictam putat hanc feminam à terra Chanaan, quam incolebat. Tyriorum enim & Sidoniorum regio terra erat Chanaan. Dominus Isaiæ 23. mandauit, inquit Hieronymus, aduersus Chanaan. Tyrus enim in terra Chanaan condita est. Lege Scripturas maximeque Euangelium, vbi Syrophœnissa interpellans pro filia, egreditur de terra Chanaan, quæ dicitur mulier Chananæa, &c. Item: Tyrum & Sidonem esse in terra Chanaan suprà ostendimus, Euangelij testimonium proponentes, in quo legitur Chananæam mulierem exiisse de finibus Tyri & Sidonis, &c. Dicendum puto, appellari hanc feminam Chananæam, eo quòd à Chananæis originē duceret; qui in terra illa remanserant. D. Chrysostomus: Cùm audieris, inquit, Chananæam, non poteris non meminisse iniquissimarum illarum gentium, apud quas etiam leges ipsius naturę euersæ fuerant. Quòd cùm memoria repetieris, virtutem quoque aduentus Christi diligentiùs cogita. Qui enim eiecti sunt, ne Iudæos peruerterent; hi adeò ipsis Iudæis meliores fuēre, vt terminis suis relictis ad Christum accederent, cùm Iudæi ad ipsos venientem extruserunt, &c.

Vnde Chananæa dicatur.

Hieron.

Chrysost.

A Marco dicitur, hæc femina, Syrophœnissa genere, & gentilis, Græcè, ἑλληνὶς, id est, græca: gentiles enim græcos vocat nouum testamentum. Erat græca, id est, gentilis, & Syrophœnissa, hoc est, ex Phœnicia prouincia Syriæ. Syria enim multas complectitur prouincias, inter quas est Iudæa, Galilæa, Samaria, & Phœnicia. Porrigitur verò Phœnicia à mari mediterraneo occidentali, vltra Libanum, Damascum vsque, versus Orientem. A Valanio fluuio Aquilonari, versus Austrum, vltra montem Carmelum extenditur. Phœniciæ metropolis fuit Tyrus. Lege Plinium lib. 5. cap. 12. & 19. Dicitur itaque femina Syrophœnissa, id est, de Phœnicia Syriæ, vt Marcus ait, erat etiam Chananæa, quia regio illa etiam Chanaan dicitur, & à Chananæis olim incolebatur.

Vnde dicatur Syrophœnissa.

Phœnicia quæ regio sit

Matth. 15.

A *Finibus illis egressa clamauit, dicens.* Marcus ait mulierem Chananæam domum, in qua Christus latebat intrasse; cumque ad illius procidisset pedes, rogasse, vt à filia dæmonē pelleret. Matthæus verò indicare videtur, feminam post Christum & discipulos, in via clamasse. Vnde discipuli; *Dimitte,* inquiunt, *eam, quia clamat post nos.* Respondendum est, cum Augustino lib. 2. de Consensu Euang. cap. 49. Beda & Haymone, feminam primùm ingressam esse in domum, vbi latebat Christus, ad eiusque pedes procidisse, & rogasse, vt filiæ afferret sanitatem, quod narrat Marcus, Christum verò nullo responso reddito, exiisse domo, feminam secutam fuisse, & in via clamasse post eum; quod narrauit Matthæus. Itaque magna est inter duos Euangelistas concordia.

Ibid.

Concordia Euangelist.

MISERERE *mei, fili Dauid.* Cur non dixit, *Miserere filiæ meæ,* sed *mei?* Respondeo, quia mater filiæ cruciatu cruciabatur, sibique beneficium conferri petebat. Chrysostomus: Femina, inquit, non dicit miserere filiæ meæ: sed, *miserere mei.* Nam filia insensata iacet: ego verò quam sensus morbi non fugit, quæ sentiens atque intelligens insanio, mille vexor ærumnis, &c. Theophylactus: Miserere, dicit, non filiæ meæ, illa enim sensu caret: sed mei, quæ tam grauia patior. Nec dicit; Veni & sana: sed miserere, &c. Regulus petebat à Christo, vt descenderet, filioque salutem conferret; at femina hæc non petit, vt domum veniat, sed tantùm vt misereatur, flagitat. vnde Chrysostomus: Medicum femina non domum suam, vt Regulus ille adducere conatur: sed calamitatibus suis expositis, misericordiam postulabat à Domino, &c. Quamuis autem ethnica erat femina, Dauidis tamen nomen audierat, Christumque sciebat filium Dauid appellari. ideo ait: *Miserere mei, fili Dauid.*

Matth. 15.

Cur non dixit, Miserere filiæ, sed mei.

Chrysost.

Theoph.

Chrysost.

Matth. 15.

QVI *non respondit ei verbum.* In domo sanitatem filiæ petiuit femina, vt Marcus indicat. Christus nullum ei responsum reddidit; sed tacitus domo egressus est. illa verò à petitione non destitit clamans. Sed cur Christus responsum non reddidit, & Chananæam repellere visus est? Respondet Chrysostomus, vt illius virtutem indicaret. Non quia negligebat Christus (ait Chrysostomus) verum vt absconditum in animo feminæ virtutis thesaurum in lucem protraheret, eam repellebat, &c. Et homilia 44. in Genesim sic ait: Sciebat Dominus reconditam margaritam, quam latēre nos nolebat. Idcirco differebat, nec responso dignabatur, vt posteris omnibus, mulieris sedulitas, magna foret doctrina, &c. Theophylactus ait responsum non dedisse, vt ostēderet tum fidem mulieris, tum venisse propter Iudæos. Non respondit, inquit, verbum feminæ Christus, non vt contemnat, sed ostendat, quòd propter Iudæos venerit, priùs illos docens: & vt occludat calumnias eorum, ne possent dicere, quòd gentilibus bene fecerit, ipsis contem-

Ibid.

Cur Christus Chananæa responsum non dedit.

Chrysost.

Theoph.

contemptis. Ad hæc, etiam firmam mulieris fidem manifeſtam reddit, &c. Euthymius: Fœmina altè clamabat, Chriſtus ſilebat, ſuſtinens, donec omnis fœminæ fides, animi modeſtia, ac prudentia, manifeſtaretur, ſimul etiam, vt Iudæis oſtenderet, qualem erga illos gereret affectum, cùm infirmos eorum ſemel tantùm rogatus, imo neque ſemel quidem, ſtatim curabat. gentilium verò non ita, &c. D. Hieronymus: Non de ſuperbia, inquit, Phariſaica, neque de Scribarum ſupercilio, non reſpondit Dominus: ſed ne ſuæ ſententiæ videtur eſſe contrarius per quam iuſſerat, *in viam gentiũ ne abieritis*, Nolebat enim occaſionem calumniatoribus dare, perfectamq; ſalutem gentium, paſſionis, & reſurrectionis temporis reſeruabat, &c. Diuus Auguſtinus, ſerm. 74. de tempore: Clamabat fœmina, & diſſimulabatur à Chriſto; non vt miſericordia negaretur, ſed vt deſiderium accenderetur. Nec ſolùm, vt deſiderium accenderetur, ſed vt humilitas commendaretur, &c. Attamen tanto illa filiæ ſanandæ deſiderio erat incenſa, vt magis accendi non fuerit opus. Ideoque cauſa hæc, non admodum videtur veriſimilis.

Chriſtus videri voluit defuiſſe Iudæis.

Hieron.

Matth. 10.

Auguſtin.

Matth. 15. DIMITTE *eam quia clamat poſt nos*. D. Hieronymus ait diſcipulos rogaſſe Dominum pro fœmina Chananæa, vel commotos miſericordia, vel importunitate eius carere cupientes. Et Theophylactus: Diſcipuli (inquit) grauatim ferentes clamorem mulieris, rogabant: *dimitte eam*, &c. Chryſoſtomus homil. 38. in Geneſim. Diſcipuli, inquit, quaſi magis compatientes, acceſſerunt, & obſecrabant eum dicentes: *Dimitte eam, quia clamat poſt nos*. quaſi monſtrarent, ſe iam non ferre illius moleſtiam. *Dimitte* enim *eam*, aiunt, non quia tam ærumnoſa eſt, non quia preces eius rationabiles ſunt, ſed quia clamat poſt nos, &c. & homil. 44. in Geneſim. *Dimitte*, inquit, *eam*, aiunt diſcipuli, *quia clamat poſt nos*. Quaſi dicentes; libera nos à moleſtia; libera nos à clamore, quem excitat, &c. Numquid diſcipuli rogabant, vt dimitteret eam, id eſt, repelleret abſque miſericordia, quam poſtulabat? Minimè. ſed rogabant, vt dimitteret eam, idquod poſtulabat tribuendo. quod fit perſpicuum ex reſponſo Domini.

Cur diſcipuli Dominum rogarint?

Matth. 15. Iudæis primùm prædicatum Euangeliũ.

NON *ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael*. Ad gentes quoque ſeruandas venit Dominus. Cur ergo ad gentes ſe miſſum eſſe negat? Reſpondet D. Hieronymus, propterea negaſſe, quia ad Iudæos primùm eſt miſſus, vt illis non recipientibus Euangelium, iuſta fieret ad gentes tranſmigratio. iuxta illud Pauli, *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes.*

Actor. 13.

Cyril.

Diuus Cyrillus in Iſaiam lib. 5. ad illa verba: *Lætare Hieruſalem, & feſtum celebrate*, &c. Recta (inquit) via & iter Chriſto fuit ex propoſito, & voluntate Patris, ad Iſraelitas. itaque ait: *Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael*. Cùm verò illi fidem reſpuerent, declinauit ab illis, & gentium congregationem ex ſacris riuulis conſolatione perfudit, &c. Ambroſius Pſalm. 43. ad illum verſum: *Poſuiſti nos opprobrium vicinis noſtris*, Oſtendere, inquit, dignatus eſt Chriſtus propoſitum; quòd eos, id eſt, Iudæos, quos primò elegerat, nequaquam refutare cupiebat; & ſæpe deuios, & errantes, paterno quodam reuocare quærebat affectu. ſed vbi ipſi auctorem proprium reliquerunt, paulatim conuerſus ad gentes eſt, &c.

Matth. 15.

Ambr. Pſal. 43.

Reſpondeo potius cum Auguſtino, Chriſtũ ad Iudæos tantùm miſſum in perſona propria, quamobrem à Paulo, *miniſter circumciſionis*, id eſt, Iudæorũ dicitur. Gentibus verò Apoſtoli fidem promulgarunt, non Chriſtus in perſona propria, vt eſt perſpicuum. Auguſt. ſer. 74. de tempore. *Non ſum*, inquit, *miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael.* (ait Dominus) vt illis præſentiam ſui corporis exhiberet: non vt oues, quas habebat in gentibus contemneret, &c. Et tract. 31. in Ioan. *Habeo alias oues, quæ non ſunt ex hoc ouili*: ait Dominus, qui dixerat: *Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael*. Quomodo habet alias oues, ad quas non eſt miſſus; niſi quia ſignificauit, præſentiam corporalem, non ſe miſſum exhibere, niſi ſolis Iudæis? &c. Reſpondet igitur diſcipulis Dominus, ſe non eſſe miſſum ad gentes; ideoq; non tribuere gentili fœminæ, quod petebat. Probat adhuc fœminæ fidem ad perſeuerantiam; dum à diſcipulis rogatus non tribuit. Sed illa perſeuerat, & vrget dicẽs: *Domine adiuua me*. Neque his verbis annuit Dominus, repellit dicens. *Non eſt bonum*, &c.

Chriſtus miſſus eſt ſolum ad Iudæos in propria perſona.

Ioan.

Matth. 15.

Matth. 15.

NON *eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus*. Acceſſit femina ad Chriſtum in via, & adorans, Chriſti implorauit auxilium. Ille verò reſpondit: *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus*. Græce, κυναρίοις, canibus, catellis, voce diminutiua, quæ etiam vtitur fœmina. Filios Iudæos vocat; canes, ſiue catellos, ethnicos, propter idololatrię, & peccatorũ ſpurcitiem. panem, miraculum, hoc ſenſu. Petis, vt filiæ tuæ ſanitatem conferam? Non eſt bonum, Græcè, καλὸν, id eſt, non eſt pulchrum, & honeſtũ, decens, panem filiorum ſumere, & gentilibus, qui catellis ſimiles ſunt, proiicere. Marcus addit his verbis hæc: *Sine prius ſaturari filios*. ſic igitur Chriſtus reſpondit: *Sine prius ſaturari filios. Non eſt bonum ſumere panem*, &c. Quibus verbis euangelicam doctrinam, & miracula, gentibus quoque tribuenda prædicit; videlicet, poſtquam Iudæi fuiſſent ſaturati, id quod factum cernimus: ſine prius Iudæos ſaturari à miraclis; poſtea etiam gentes ſaturabo.

Filij vocantur Iudæi, gentiles catuli.

Marci 7.

Chriſtus dicit gentium conuerſionem.

ETIAM *Domine. Nam & catelli edunt de micis*. Non abegit Chananæam verborũ aſperitas. Inſtat, ex ipſis Chriſti verbis miraculũ, veluti è mẽſa Domini micam, ſibi dandam poſtulat, veluti catulo. Prima interpretatio aliquid ſubintelligit hoc pacto: *Etiam Domine*: Verum eſt, quod dicis, non eſſe bonum ſumere panem filiorum, & catellis proiicere: attamen non ob hoc ego repellenda ſum. Nam etiam catelli de micis è menſa cadẽtibus comedunt; mihi, vt catellæ, vel mica vna tribuatur è menſa filiorum. Secunda; Catellam me appellas? etiam Domine, catella ſum. *Nam & catelli comedunt de micis.* Itaque ſi catella ſum, micas tribue. ſic ferè Euthym. interpretatur his verbis: Etiam, vel certè Domine verè dixiſti. Iudæi quidem ſunt filij, ego verò vna ex catellis; ideoque mei potiùs miſerere oportet. Nam & catelli edunt de micis. Quia ergo catella ſum, non aliena ſum, neque de micis participare prohibeor, ſicut neque catelli. hæc ille. Et Chryſoſtomus homil. 44. in Geneſim ſic: Confiteor, ait, me catulum eſſe; igitur ſicut catulum, dignare me micis menſæ, &c. Attamen videtur fœmina potiùs totum, quod Chriſtus dixerat concedere; nempe: Non eſſe bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus: ideoq; ſenſus aliorum mihi placet magis, qui eiuſmodi eſt: Etiã Domine, ita eſt vt dixiſti: Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & canibus dare. Nam catelli edunt de micis, quæ cadũt de menſa dominorum ſuorum. non autem de pane. Micas ſolùm edũt catelli: non panem. Indicabat verò iis verbis Chananęa, ſe catelli inſtar, non panem petere, ſed micas, panem relinquere filiis. Quod interpres vertit. Nam & catelli. Græcè legitur, καὶ γὰρ τὰ κυνάρια, id eſt, *etenim catelli*.

Matth. 15. Perſeuerat Chananæa, & ſe catellam profitetur.

Chryſoſt.

Micas petit Chananæa.

Rom. 15.

eodem nomine diminutiuo Christus & fœmina vsi sunt, κυνάρια, id est, catelli. sed interpres priori loco canes, posteriori catellos est interpretatus, nisi forte legit Græcè.

Matth. 15. Concordia euang. Matth. 15.

DE *mensa dominorum suorum*. Marcus, *De micis puerorum*. Vtrumque dixit Chananæa hunc in modum; *Catelli edunt de micis puerorum, quæ cadunt de mensa dominorum suorum*. Chrysostomus putat fœminam Iudæos appellare dominos, quos Christus filios dixerat.

Matth. 15. Cum laude Dominus concedit, quod petiuit fœmina.

OMVLIER *magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Fœminæ satis probatæ votis, facit Christus satis. Chrysostomus hom. 38. in Genesim, Quam, inquit, principio neque responso dignabatur Dominus, cum admirationibus, & laudibus admittit. *Magna*, inquit, *est fides tua*. Erat enim supra naturam magna; quòd cùm videret semel, atque iterum, & sæpius, Christũ auersantem preces, non segnior fuerit facta, neque retrò cesserit, sed perseuerantia sedula prouocauerit Dominũ, ita vt voti compos fieret, &c. Marcus sic ait locutum Dominum: *Propter hunc sermonem, vade, exiit dæmonium à filia tua*, &c. Vtrumque dixit Christus hoc pacto: *O mulier magna est fides tua, propter hunc sermonem vade, exiit dæmonium à filia tua*. Credidit illa; domum rediit; filiam à dæmonis vexatione liberatam reperit.

Concordia euang. Marci 7.

CAPVT XIIII.

Morale.

De fœmina Chananæa.

NON est Christus missus in propria persona, vt diximus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël. Attamen post resurrectionẽ, & ascensionem, secessit in partes Tyri & Sidonis, hoc est, ad gentes etiam venit, quæ male à dæmonio vexabantur. Et ecce (ô rem admirabilem) Ecclesia, cuius typus mulier Chananæa fuit, (vt Augustinus ait) à finibus illis gẽtium egressa est ad Christum, sanitatemque sibi impetrauit. Egressa est Ecclesia gentium à finibus suis, hoc est ab idolorum cultu, à libidine, auaritia, cæterisque criminibus; ideoque à Christo recepta. Synagoga à finibus suis, hoc est, à ceremoniis Mosaicæ legis, & peccatis egredi noluit, ideoque reiecta est. Illa similis fuit reginæ Saba, hæc Agar. *Regina Austri* (ait Dominus) *venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis*, &c. sic Ecclesia à finibus terræ omnibus, venit audire sapientiam, doctrinam, Euangelium, æterni Salomonis Christi. Ecclesia (ait Ambrosius in Lucam) in Regina Austri per studium percipiẽdæ sapientiæ, de totius orbis finibus congregatur, vt pacifici Salomonis verba cognoscat. Regina plane, cuius regnum est indiuisum, de diuersis, & distantibus populis, in vnum corpus assurgens, &c. dicitur Abrahamo: *Eiice ancillam hanc;* scilicet, Agar, *& filium eius*. Quemadmodum ex domo Abraham eiecta est cum filio Ismael Agar; ita ex domo Christi, eiecta est cum suis ritibus antiquis, & lege synagoga. Christi enim domum noui decebant ritus, lexque noua. vt tomo 1. latè ostendimus.

Christus ad gentes per Apostolos venit. *A finibus suis ecclesia exiit, non synagoga.* *Ecclesia similis reginæ Saba. Luca 11.* *Synagoga similis Agar. Gen. 21.*

Canes appellat Dominus Ethnicos ob idololatriæ, scelerumq; impuritatem. O stupendam mutationem! iam canes mutati sunt in filios Dei, *Dedit eis potestatem filios Dei*, &c. Hæc mutatio dexteræ excelsi Christi. Ipse ex canibus filios Dei efficere potuit. Iam non micas edunt de mensa cadentes, sed cælestibus satiantur epulis, mensæ cælesti accumbentes. Iudæorum panis scriptura erat, ablatus est synagogæ, datus Ecclesiæ. Misera synagoga esurit; Scripturæ durum corticem, id est, literam arrodit. Ecclesia dulcissima illius medulla saturatur. Adde regnum, sacerdotium, & maxima Spiritus Sancti dona, quibus Ecclesia decoratur; adde augustissimam Eucharistiam, qua suauissimè pascitur. O stupendam mutationem! gentes quæ nec micas habebant; diuinæ mensæ accumbunt. Israëlitæ, qui mensæ accumbebant, nec micas habent. De hac mutatione Isaias, *Conuertetur*, inquit, *Libanus in Charmel, & Charmel in saltũ reputabitur*. hoc est Gentilitas in fertilem montem; synagoga verò in nemus sterile cõmutabitur. Ecclesia à Deo Sacramentis, diuinoque coletur verbo: synagoga Sacramentis diuinoque priuata verbo, & vero Messia, nullũ fructũ feret, vt incultus saltus.

Canes mutati in filios Dei. Ioan. 1. *Admirabilis mutatio.* *Isaiæ 29.*

Denique infælix synagoga ex finibus suis egredi noluit, & fidem amisit. Qui finibus rationis naturalibus se continet, is nihil aliud vel intelligit, vel credit, quàm id quod naturali ratione assequitur. His finibus angustissimis fides minimè continetur. Ex finibus humani intellectus egredi oportet, altiusque diuina auctoritate innixum euolare, eum qui fidem volet habere. Superat intellectus fines fides. Intellectus res solum intelligere potest illas, quas offert sensus, vel illas, quas ex his intellectus ipse arguendo colligit: fides verò nullo sensu præceptas, vt credamus efficit. Etenim *argumentum est non apparentium*. Quò intellectus naturale lumen nõ peruenit, illuc fidei supernaturale lumen accedit, quod multò certius est, quàm naturale. quippe quod à diuina sit auctoritate, quæ falli nequit. Ex finibus suis egressa Ecclesia, diuina auctoritate elata, ac suffulta, quę non cernebat credidit tanto affectu, vt synagogæ antiquam fidem longe superarit. Vnde Christus, *ô mulier*, inquit, *magna est fides tua*.

Oportet egredi ex finibus naturæ, eum qui vult credere. *Superat fines intellectus fides.* *Hebr. 11.*

Laudabilis etiam est in Chananæa humilitas, quam illius verba præ se ferunt: *Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum*. hac humilitate caruisse synagogam, non caruisse Ecclesiam ostendit Augustinus serm. 74. de tempore, ac propterea illam repulsam, hanc fuisse receptam. Videte, inquit, fratres, quemadmodum in hac muliere, quæ Chananæa erat hoc, est quæ de gentibus veniebat, & typum, id est, figuram Ecclesiæ gerebat: maximè humilitas commendata est. Etenim gens Iudæa, vt ab euangelio repelleretur, superbia inflata est, quòd legem accipere meruisset, quòd de ipsa Patriarchæ processerint, prophetæ extiterint, Moyses miracula fecerit. Erat vnde extolleretur gens Iudæa. Et per ipsam superbiam factum est, vt Christo nollet humiliari auctori humilitatis. Propter superbiam populus ille non accessit. *Rami naturales, fracti sunt* propter superbiam, *insertus oleaster*, id est, populus gentium, propter humilitatem. hanc humilitatem ostendit mulier dicens: *ita Domine, canis sum, micas desidero*, &c. & infra; Vnde rami naturales, id est, Iudæi, præcidi meruerunt, nisi superbia? Vnde oleaster inseri: nisi humilitate? &c. Sic August.

Humilis ecclesia. *Superba synagoga.* *Rom. 10.*

Chananæam, & Ethnicos, canes Christus vocauit. Quemadmodum canis venaticus vbi primum prædam odoratur, toto illam impetu sequitur, quousque comprehendat: sic Chananæa fœmina, vbi primum Christum odorata est, toto illum conatu est secuta, quousque optatam prædam est consecuta. Canis latratu fugat latronem; sic Chananæa suo latratu, id est, clamore latronem tartareum, id est, dæmonem, qui filiam arripuerat, fugauit. Postulabat illa micas, sed integrum panem adepta est, id est, fidem admirabilem. *O mulier*, inquit Dominus, *magna est fides tua*. Magna fuit fides, ac probata à Christo. Nam difficilem

Venatico canis similis Chananæa. *Magna fides fœminæ Chananææ.*

se illi

se illi præbuit. Non respondit ei verbum, surrexit, domo exiit, interpellatus à discipulis beneficium negauit; rogatus ab ipsa fœmina, ethnicos catulos vocauit pane filiorum indignos. Verbum diuinum tacebat, illa clamabat. Domo exiit, illa sequitur. Canem vocat, illa canem se fatetur, è mensa filiorum cadentes micas veluti cani sibi dari petit. Meritò ergo clamat Dominus, *O mulier magna est fides tua: fiat tibi sicut vis*. Augustinus serm. 74. Ipso veluti conuicio humilitatem ostendit Chananæa, misericordiam impetrauit, &c. Chrysologus serm. 100. Meritò, inquit, quæ se canem confessa est, in hominem commutatur. Meritò adoptatur in filiam, leuatur, honoratur ad mensam, quæ se sub mensa laudabili humilitate deiecit, &c.

Augustinus.

Chrysost.

Chrysostomus homil. 38. in Genesim: non simpliciter annuit Christus Chananææ precibus, sed prædicauit illam, & celebrauit. Nam dicendo, *ô mulier*: monstrauit quomodo fidem eius obstupescat. Dicendo autem: *Magna est fides tua*: diuitias quoque mulieris ostendit, &c. & hom. 44. in Genesim. A fine, inquit, discas Dei bonitatem: quòd volens Chananæam clariorem fieri, tanta dilatione fuerit vsus. Et quidē si statim annuissēt, nescisemus nos mulieris virtutem. Quia autem parumper distulit, & Domini cognouimus misericordiam, & illius fidem eximiam, &c.

Clariorem fecit Chananæam probatio Domini.

Perseuerantia orationis.

Discamus ex hac fœmina in petendo perseuerare, & orationi instare. Etsi Deus nullum respondeat verbum, etsi repellere nos videatur minimè recedamus. Iacob cum angelo luctatus est; dimittereque noluit, donec benedictionem est consecutus. Dixit ad Iacob angelus: *dimitte me, iam enim ascendit aurora*. Respondit Iacob: *Non dimittam, donec benedixeris mihi*. Eundem in modum, cum Deo veluti luctare orando, quamuis repellat te, respondē: *Non dimittam te, donec benedixeris mihi*. Luc. 11. *Si ille perseuerauerit pulsans, propter improbitatem surget, & dabit illi*, &c. Quemadmodum amicus propter importunitatem perseueranti amico, quod petit donat; sic Deus. Simon Cassianus libro 5. cap. 24. Christus, inquit, vult suos oratores esse omnimodè importunos. Humilis quippe importunitas sæpe flexit animos duros. Amat Deus in precibus ad eum iugiter assistentes: vt nec ab implorando deflectātur, si non acceperint vota. Vult suas imagines sibi assistere, non illico tribuens, quod exigitur, ne facies auertantur à facie. Nec vult turbari, aut tepefieri orantem, etiam exprobratum. Cùm non statim exaudit, probat fidem, experitur patientiam, &c.

Gen. 32.

Luca 11.

Simon Cassianus.

Importunos oratores suos vult esse Dominus.

Psal. 112.

Ecce sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum, sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum donec misereatur nostri. Qui orat, oculos mentis in Deum intentos habeat. Quousque nam? videlicet; *donec misereatur*. Non præscripto tempore (ait Theodoretus eodem Psal.) spem definimus. Sed expectamus, donec misericordia digni effecti simus, &c. Et Diuus Chrysostomus. Non dixit, inquit, donec mercedem reddat: aut donec vicem restituat. *Sed donec misereatur nobis*. Et nos ergo continua deprecatione debemus insistere: & si acceperimus, tamen non recedamus. Nam cùm hoc facis, incunctanter accipies, &c. Idem homilia 30. in Genesim. Siue, ait, consequamur, quod petimus, siue non consequamur, perseueremus semper in oratione. Et non solùm gratias agamus si consequamur, sed etiam si repulsam passi fuerimus. Nam cùm Deus aliquid nobis denegat, non minus est, quàm si concessisset. Nescimus enim nos, quæ nobis conducant, sicut ipse nouit, &c.

Cum Deus negat non minus est quàm si cōcedat.

Ardenter autem, non negligenter orandum Chananææ huius clamor docet. *Dimitte eam* (aiunt discipuli) *quia clamat post nos*. Clamor cordis, gemitus sunt, cordisque amor, & desiderium. Vnde illud Pauli de Spiritu sancto, *Ipse postulat pro nobis gemitibus*. Postulat, inquam, hoc est, postulare nos facit, vt interpretatur Augustinus epist. 121. capite 15. Ex corde desiderante ac feruente, gemitus inenarrabiles emittuntur, quibus veluti suaui musica Christus demulcetur.

Ardenter non negligēter orandum est. Matth. 15. Rom. 8.

Neque verò post Christum tantummodò, sed etiā post Apostolos fœmina clamat: *Dimitte* (aiunt) *eam, quia clamat post nos*. Sunt enim precibus Sancti quoque inuocandi, vt Deum pro nobis precentur. Clama post Deiparam virginem, clama post Sanctos reliquos, vrge, insta, vt optata consequaris. Dicent illi Deo: *Dimitte illum Domine, quia clamat post nos*. Rogant nos: nos rogamus te. clamat post nos, nos clamamus ad te. dimitte eum, quod petit concede.

Matth. 15.

Voluit latere Dominus, sed non latuit: fides latentem inuenit. Si fidem habeas ardentem, fax est splendida, quæ Christum, etsi latentem, patefacit. Chananææ fides domum penetrauit, in qua Christus erat: Christiani fides penetrat cælum. Quid cælum dico? quasi verò fides in cælo tantùm Deum cernat. in cælo cernit, & in toto orbe; vbique cernit, & vbique orat. Nihil est (ait Chrysostomus Psalmo 4.) quod prohibeat, quò minùs prope Deum simus. *Deus enim appropinquans ego sum, & non Deus procul*. Quamobrem quòd longè abest, à nobis proficiscitur. ipse enim semper prope est, &c. Voluit latere Dominus, sed (vt Marcus ait) mulier intrauit. Neque enim ostium clausit, aut satellites pro foribus, qui venientes abigerent, collocauit. Chrysostomus eodem Psalmo: Non assistit miles, qui expellat, non satelles, qui tempus interrumpat. Non est, qui dicat: Non est nunc tempus accedendi, veni posteà. Sed quando veneris, stat audiens Dominus, etiam si tempore prandij, etiam si tempore cœnæ, etiam si nocte intempesta, etiam si in foro, etiam si in via, etiam si in cubili fueris, & eum vocaueris, nihil vetat, quominus tuam petitionē audiat, si ritè vocaueris, &c.

Fides Christum latentem indicat.

Vbique ōrādus Deus, & omni tempore. Ierem. 3.

Clamat fœmina: *Miserere mei fili Dauid*. Etenim bonum nostrū, & dona ex misericordia Dei emanant; & ex incarnatione, qua factus est filius Dauid: Et si innumerabilia (ait Chrysostomus Psal. 4.) rectè fecerimus, à miserationibus, & clementia auditur. Etiam si ad ipsum virtutis fastigium peruenerimus, seruamur à misericordia, &c. sic precatur Dauid: *Miserere mei, & exaudi orationem meam*, &c. Chananæa verò: *O fili Dauid*, id est, Deus incarnate, propter incarnationem tuam, quæ misericordiæ fons est, *miserere mei*. & propter misericordiam, præsta quod peto.

Matth. 15.

Ex misericordia dona emanant Dei.

Psal. 4.

Egressa est Chananæa ex finibus Tyri, & Sidonis, vt ad Christum veniret. Tu quoque à finibus mundi, imo tartari, id est, à peccatis, peccatorumque occasionibus egredere, si ad Christum vis accedere, aiunt angeli Lot: *Saluā animam tuam, noli respicere post tergum, nec stes in omni circā regione*, &c. Qui saluare animam vult, scelera relinquat, à finibusque peccatorum egrediatur, post tergum ad occasionem aliquam ne respiciat, nec stet in omni circà peccatum regione. Abscedat longissimè. Abraham iurgiorum occasionem vt præscinderet, longe à Lot recessit. Orta enim fuerat rixa inter pastores Abraham, & pastores Lot: Ne igitur similis oriretur rixa, *Recede* (inquit) *à me, obsecro. si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo. si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam*, &c.

A finibus mundi exeundum.

Gen. 19.

Occasiones peccati fugiendæ.

Gen. 14.

Similem in modum, si occasio tibi ad dexteram est, tu sinistram teneto; si ad sinistram, tu ad dexteram pergito, de finibus peccati egredere omnino. neque oculo: retrò vertas, neque ad concupiscendum memoriam.

Matth. 15. Egredi autem fœminam filiæ compulit vexatio. *Filia*, inquit, *mea malè à dæmonio vexatur.* Etenim vexatio intellectū dat, vt à peccati finibus homo egrediatur, *Isaiæ 28.* *Tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui*, &c. Egregius magister est vexatio, intellectum af- *Vexatio dat intellectum.* fert doctrinæ Dei morumque docet correctionem. Diuus Hieronymus verba Isaiæ sic exponit: Pœnarum formido, & tormentorum metus vos corriget ad salutem, & mala vestra intelligere *Osea 2.* faciet. Cumque vexati fueritis, tunc scietis prophetas meos vera dixisse, &c. *Ego sepiam*, ait Dominus, *viam tuam spinis, & sepiam eam maceria, & semitas suas nō inueniet, & sequetur amatores suos & nō apprehendet eos, & quæret eos, & non inueniet & dicet. Vadam, & reuertar ad virum meū priorē*, &c. Discedit à Deo anima, *Ad Deum ducit afflictio.* res creatas quas amat, insaniēs sequitur. Quonam modo ad Deum reducetur? *Ego*, inquit, *sepiam viam tuam spinis*, &c. Ego obiiciam animæ discedenti à me, non flores, sed spinarum septum; hoc est, vexationis veluti septum, quo intercluſa ad me *Prouidentia Dei nobis mala accidunt.* reuertatur. Diuus Hieronymus Oseæ 2. Ex quo, inquit, intelligimus, quod prouidentia Dei sæpe nobis accidant mala: ne habeamus ea, quæ cupimus, & variis calamitatibus huius sæculi, ac miseriis ad Dei seruitutem redire cogamur, &c. Diuus *Gregor.* Gregorius libro 24. Moral. cap. 2. Eos quos voluntas praua peruertit, plerumque aduersitas corrigit. difficilius malum corrigitur, quod profectionis prosperitate fulcitur, &c. Quemadmodum tribulis teritur frumentum, vel perticis flagellatur, vt granum separetur à palea: sic tribulationibus teritur homo, & flagellatur, vt anima à peccato, rerumque caducarum amore separetur.

Matth. 15. *Filia*, inquit, *mea malè à dæmonio vexatur.* Vexantur quidam malè tentationibus à dæmonio; alij benè. Male illi vexantur, qui vincuntur: bene illi *Quidam mala alij bene à dæmonio tētationibus veantur.* vexātur, qui vincunt. Vexatus est à dæmonio Iob, sed bene, siquidem victor euasit. Vexatus est Iudas, sed male; etenim victus, & ad suspendium ductus est. Bernardus sermone 48. in Cantica bene, inquit, pungeris, si compungeris, &c. Aurum benè ab igne incenditur; malè incenditur palea. Nam aurum purgatur, palea comburitur. Vt aurum incenditur, qui tentatione purgatur; vt stipula com- *Augusti.* buritur, qui tentatione superatur. Augustinus. Psal. 103.

A Homo, inquit, & diabolus, & quælibet dæmonia, non nisi accepta potestate nocent; sed proficientibus non nocent. Malis ita sunt tanquam ignis fœno: bonis ita sunt, tamquam ignis auro, &c. item libro primo de Ciuitate Dei, capite octauo. Manet dissimilitudo passorum, etiam in simi- *Dissimilitudo passorū, similitudo passionum* litudine passionum, & licet sub eodem tormento, non est idem, virtus, & vitium. Nam sicut sub vno igne aurum rutilat, palea fumat; & sub eadem tribula, stipulæ comminuuntur, frumenta purgan- *Sub eodem igne aurum rutilat, palea fumat.* tur, neque ideo cum oleo amurca confunditur, quia eodem præli pondere exprimitur, ita vna eademque vis irruens bonos probat, purificat: eliquat malos, damnat, vastat, exterminat. Vnde in eadem afflictione mali Deum detestantur, atque blasphemant: boni autem precantur, & laudant. Tantùm interest, non qualia: sed qualis quisque patiatur. Nam pari motu exagitatum, & exhalat horribiliter cœnum, suauiter fragrat vnguentum. Hactenus Augustinus.

B Denique obseruāda illa verba Christi sunt: *Non est bonum*, id est, pulchrum, & decorum *sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Nobiles viri ac opulenti, verba hæc animo versent. Non est bonum, non est pulchrū, sumere panem filiorum Dei, id est, pauperum, & mittere canibus alendis, accipitrū multitudini, parasitis, impuris fœminis. Non est bonum sumere panem pauperum, & mittere canibus, id est, dæmonibus, ô sacerdotes. Christi patrimonium in pauperes expendatur, non in canes. Tunc canibus tartareis panis filiorū proiicitur, cùm in nefaria flagitia pecunia consumitur, qua pauperes ali possent. *Vt quid perditio est?* potest panis vester venundari multò, & dari pauperibus. C Nihil datur gratis pauperibus; venditur Christo, quod datur pauperi. iuxta illud, *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperu: & vicissitudinem reddet ei*, &c. Diuus Basilius Psal. 14. Quando pauperi daturus es in Domini gratiam, idem ipsum & donum, & fœnus est. Donum quidem, quòd à paupere non speres te recepturum: mutuum verò, siue fœnus, ob Domini munificam liberalitatem, pro illo reddentis. Qui parua quidem per pauperem cùm acceperit; maxima pro ipsis retribuet. Qui enim pauperis miseretur, Deo fœneratur. Non vis vniuersorum Dominum tibi ad solutionem auctoratum habere? Si quis in ciuitate diues tibi pro aliis spondeat, fideiussionem illius accipis: Deum verò non admittis, tantò se plura persoluturum, pauperum causa pollicentem? Hæc Basilius.

Matth. 15. *Non est bonum panem pauperum mittere canibus, &c.* *Sacerdos bene expendat opes Christi.* *Matth. 26.* *Prou. 19.* *Non datur gratis quod datur pauperi, sed venditur.*

CAPVT XV.

De sanato surdo & muto.

MARCVS CAPITE VII.

ET iterum exiens de finibus Tyri: venit per Sidonem ad matre Galilææ, inter medios fines Decapoleos. Et adducunt ei surdum, & mutum: & deprecabantur eum, vt imponat illi manum. Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius: & expuens tetigit linguam eius: & suspiciens in cælum, ingemuit, & ait illi: Ephpheta, quod est adaperire. Et statim apertæ sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè. Et præcepit illis, ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant; & eò ampliùs admirabantur, dicentes: Benè omnia fecit: & surdos fecit audire, & mutos loqui.

VENIT

VENIT *per Sidonem ad mare Galilææ*. Poſtquam à filia Chananææ dæmonem eiecit Dominus, non eſt diu commoratus in regione illa; per Sidonem reuerſus eſt ad mare Tiberiadis, ſiue Galilææ. Græci codices, & Syriaci ſic habent; *Iterum exiens è finibus Tyri, & Sidonis*. Ianſenius mirum eſſe ait, quòd omnes Latinorum libri habeant aliter, *Exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem*. *Lectio varia.* Sed hæc lectio verior eſt in bibliis iuſſu ſummi Pontificis correctis probata, & Græcos nonnullos codices habet conſentientes. Senſus eſt; Chriſtum veniſſe ex finibus Tyri, per Sidonem, ad mare Galilææ. Obiicit Ianſenius: quomodo Chriſtus veniſſet per Sidonem, qui vetuerat Apoſtolis ingredi ciuitates gentium? Deinde, volentibus ire e finibus Tyri ad mare Galilææ, non eſt iter faciendum per Sidonem, ſed contrà potiùs è Sidone, per fines Tyri iter fieret ad mare Galilææ. Reſpondetur, Chriſtum per Sidonem ſolùm tranſiſſe; neque in ciuitate illa concionatum eſſe. Vel potiùs per Sidonem veniſſe, id eſt, per loca propinqua. *Quomodo Chriſtus per Sidonem venerit.* Sidoni, neq; verò ingreſsũ ipſam ciuitatẽ. Ingredi etiam potuit, quamuis vetuerit Apoſtolis ciuitates gentium intrare, quoniam Dominus erat Apoſtolorum, ſciebatque quid facto opus eſſet. Quamuis autem Sidon Septemtrionalior eſſet, quàm Tyrus, voluit Dominus per Sidonem iter facere in mare Galilææ. Cauſam verò cur id fecerit, Euangeliſta ſilentio præteriit.

Marci 7. INTER *medios fines Decapoleos*. Græcè legitur, ἀνὰ μέσον ὁρίων δεκαπόλεως, id eſt, *per medium finium Decapoleos*. Senſus eſt: Venit per Sidonem; & venit inter medios, vel per medios fines regionis Decapoleos, ad mare Galilææ. Quà habuerit Chriſtus iter, docet Euangeliſta, nempe per Sidonem, & deinde per medios fines regionis De- *Regio Decapolis quæ.* capolitanæ. Decapolis regio, à numero decem ciuitatum, hoc eſt appellata nomine. δέκα enim decem ſignificat, πόλις verò vrbem. De illa Borchardus parte prima, c. 6. §. 6. ſic ſcribit: Scias, inquit, ad vrbem Tiberiadem terminari regionem *Borchar.* dictam Decapolim. Nam Dominus Iacobus de Vitriaco Ieroſolymitanus Patriarcha, & Romanæ ſedis legatus in libro, quem de Conqueſto terræ ſanctæ edidit, ſic dicit: Regionis Decapoleos fines ſunt, mare Galilææ ab Oriente, & Sidon magna ab Occidente; & hæc eſt latitudo eius. In longitudine verò protenditur à Tiberiade, & toto litore Aquilonari maris Galilææ vſque ad Damaſcum. Dicta autem eſt Decaoplis quaſi decem vrbium regio, quæ, vt præcipuæ in ea continentur. Sunt autem Tiberias, Sephet, Cedes, Nephthalim, Aſor, Cæſarea Philippi, Capharnaum, Bethſaida, Corozaim, & Bethſan, quæ & Scythopolis dicta eſt. Sunt in ea plures aliæ, ſed hæ ſunt celebriores vrbes, ſic ille. Adrichomius verò in tribu Nephthalim numero 40. *Adrich.* Longitudo, ait, Decapoleos triginta milliaribus, latitudo autem paulo minor cẽſetur. A Septemtrione Libanum, & Damaſcum; ab Occidente Sidonem, à meridie Bethſan fines habet. Ad Orientem verò trans Iordanem, & mare Galilææ, vltra Gadaram, Hippum, & Pellem ſe extendit, &c. D. Hieronymus in libro de locis He- *Hieron.* braicis, Decapolim trans Iordanem collocat. Eſt, inquit, Decapolis regio decem vrbium trans Iordanem, circa Hippum & Pellem, & Gadaram, &c. idem docet Beda in Marcum; & Haymo. Plinius *Plin.* quoque lib. 5. cap. 18. Decapolitana, inquit, regio à numero oppidorum, in quo non omnes eadem obſeruant. Plurimi tamen Damaſcum, & Opoton riguas amne Chryſorrhoa, fertilem Philadelphiam, Raphinam, omnia in Arabiam recedentia. Scythopolim, Gaddara. Hieromirace præfluente, & iam dictum Hippon, Dion, Pellam aquis diuitem, Galaſam, Canatham. Intercurſant, cinguntque eas vrbes Tetrarchiæ, regionum inſtar regulæ, & in regna contribuuntur, Trachonitis, Paneas, Abila, Arca, Ampeloeſſa, Gabe. Hæc Plinius.

Ioſephus lib. 3. de bello cap. 16. maximam Decapoleos ciuitatem, ait eſſe Scythopolim, & Tiberiadi vicinam. Eſt autem ciuitas hęc cis Iordanem. Quamobrem videtur regio decapolitana partim cis Iordanem fuiſſe, partim vltra Iordanem, quod Ianſenio placet. Beda, ait, Chriſtum non intraſſe fines Decapoleos, ſed potiùs ad mare vſque veniſſe, atque ad ipſum peruenisſe locum, qui medios fines Decapoleos, trans mare vltra Iordanem poſitos reſpiciebat. Sed Euangeliſtæ verba indicant per ipſoſmet fines tranſiiſſe, ipſoſque intraſſe.

ADDVCVNT *ei ſurdum & mutum*. Græcè mutus hic dicitur, μογιλάλον id eſt, vix loquens, videtur ergo ab interprete mutus ſumi pro homine penè muto, vixque verba proferente. Vnde poſt miraculum patratum ait Euangeliſta. *Et loquebatur rectè.* Erat ſurdus homo hic, erat item mutus. ex morbo ne, an ex dæmone dubium. Theophylactus ex dæmone morbum putat profectum. Adductus eſt ad Chriſtum ab aliis, qui precabantur, vt manum illi imponeret, & ſanitatem tactu manus conferret. *Marci 7.*

APPREHENDENS *eum de turba ſeorſum*. Surdum hunc & mutum, multis adhibitis ceremoniis Chriſtus ſanitati reſtituit, cùm verbo tantùm ſanare poſſet, videlicet Eccleſiæ ſuæ ceremonias hac in re probauit. Prima ceremonia; à turba illum ſemouit. Cur id fecerit, docet Euthym. Ne, inquit, miracula videretur populo exponere. Et Theophylactus: ideo, ait, factũ quòd Chriſtus non erat arrogantiæ ſectator, &c. At Chriſtus miraculum in omnium fecit conſpectu. Exiſtimarim potiùs à turba ſeorſum hominem apprehendiſſe, ne à turba premeretur, & expeditior eſſet. *Marci 7. Ceremonias multas adhibuit Dominus in ſanando muto & ſurdo.*

MISIT *digitos ſuos in auriculas eius*. Secunda ceremonia; digitum dexteræ manus in vnam intulit aurem, digitum verò ſiniſtræ in alteram. illa ceremonia oſtendens obturatas aures, ac ſurdas, ſe aperire, ac veluti perforare digitis. *Marci 7. Accommodatæ ceremoniæ.*

EXPVENS *tetigit linguam eius*. Tertia ceremonia, ſputo linguam mutam tetigit, indicans ſputum illud diuinum, præſentiſſimum eſſe medicamentum. Cùm expuiſſet (ait Theophyl.) tetigit Chriſtus linguam, vt oſtẽderet omnes partes carnis ſuæ ſanctas, ac diuinas eſſe, adeò vt ſputum ſolueret linguæ vinculum, tametſi ſuperfluitas ſit omne ſputum. Sed in Domino admirabilia erant, ac diuina omnia, &c. Congruæ erant hæ ceremoniæ facto. Etenim auribus aperiẽdis accommodata ceremonia eſt, digitos in illas immittere. Linguæ verò maximè congruit ſputum, ſiue ſaliua; ſaliua enim humectatur lingua, fitque volubilis, & ad loquendum expedita. *Marci 7. De ſputo Chriſti.*

ET *ſuſpiciens in cælum*. Quarta ceremonia; Suſpexit in cælum Dominus: fontem indicans Deum, ex quo bona omnia, noſtrorũq; malorum medicamenta emanant. In cælum autem ſuſpiciens Patrem oraſſe videtur. Suſpexit in cælum, ait Beda, vt inde mutis loquelam, ſurdis auditum, cunctis infirmitatibus medelam, doceret eſſe quærendam, &c. *Mar. 7.*

INGEMVIT. Quinta ceremonia; Ingemuit. *Suſpiciens in cælum ingemuit.* Gemitus autẽ hic oratio

fuit cùm gemitu. Theophylactus: Vt ſuſpexit in cælum Chriſtus ingemuit, fortaſſis & orans Patrem; quo miſericordia dignaretur hominem, &c. Ingemuiſſe ait Euthymius hominis commotum afflictionibus: ingemuit, inquit, motus hominis afflictionibus, ac humanæ miſertus naturæ, quæ tùm à dæmonibus, tum ab infirmitatibus adeò impetitur, propter peccati tranſgreſſionem, &c. Lege etiam Theophylactum.

Marci 7. ET *ait illi, ephpheta, quod eſt adaperire.* Sexta ceremonia; Verbum etiam adhibuit. Chaldaicus eſt imperatiuus & Syriacus, Græce legitur, ἐφφαθὰ, in Syriaco euangelio, אתפתח, *ethpatthach*, eundem ferè in modum Chaldaicè, אתפתח: *ethpathah*, ſed vt obſeruat auctor grammaticæ Chaldææ Guido Fabricius, amouetur, ת, dicitúrque אפחה, *ephathach*, latinè ſcribitur, Ephphetha, in coniugatione Hitphael, à verbo, פתח, *pathach*, id eſt, aperio. Hebraicè in coniugatione Niphal fuerat dicendum, חפתח, *hippethach*. Fortè hic imperatiuus eſt Hebræus in Niphal, ſed mutatis punctis. Non enim Galilæi adeò grammatica obſeruabant puncta. Aſpiratio in fine à Græcis non ſcribitur. Sicut *Matth. 8.* leproſo dixit, *Mundare*: hoc eſt mundus eſto. Sic *Marci 7.* ſurdo ait; *Adaperire*: hoc eſt, apertus eſto, Audi, & loquere. Adaperire, tùm auribus, tùm lingua, & ore. *Eſaiæ 35.* lingua enim aperiri etiam dicitur; *tunc aures ſurdorum patebunt, & aperta erit lingua mutorum*: de Zacha- *Lucæ 1.* ria patre Baptiſtæ: *Apertum eſt illico os eius, & lingua eius, & loquebatur*, &c.

Marci 7. PRÆCEPIT *illis, ne cui dicerent.* Iis, qui hominem adduxerunt præcepit Chriſtus, ne cui miraculum patefacerent. At quò magis ille præcipiebat, eò magis illi prædicabant. Gloria enim fugientes, vt vmbra ſequitur; ipſum fugere laude dignum eſt. Fugiebat Chriſtus gloriam, ſed illa *Gloria fugientes ſequitur.* ſequebatur. Sciebat Chriſtus ſecuturam; ſed vt exemplum nobis præberet, illam fugiebat. Docemur (ait Theophylactus) quod quando bene facturi ſumus, ne plauſus, vel celebritates ex beneficiis quæramus, &c. Auguſtinus lib. 4. de Conſenſu Euangel. capit. 4. Pigris, inquit, volebat oſtendere Dominus, quantò feruentius eum prædicare debeant, quibus iubet, vt prædicent; quando illi qui prohibebantur, tacere non poterant, &cæt. *Laudare Deum ardenter debemus.*

Marci 7. BENE *omnia fecit. Bene omnia fecit*, legendum, vt correcta habent biblia. Sed cùm ſurdum vnum audire fecerit, & mutum vnum loqui, cur numero vtuntur multitudinis? reſpondeo ſumi numerum pluralem pro ſingulari, vel de aliis quoque mutis, & ſurdis à Domino ſanatis, ſermonem haberi.

CAPVT XVI.

Morale.

De ſanato ſurdo & muto.

NAVES verſus cælum apertæ ſunt, verſus mare maximè clauſæ, ne fluctus ſorbeat. Homines verò pleriq; cõtrà, verſus cælũ ſunt clauſi, verſus mare, id eſt, mũdum, apertiſſimi. quamobrẽ peſtiferas illius aquas ſenſibus hauriunt, Orcoque demergũtur. Deo clauſas aures habent, clauſumque os, neque diuina audiunt, neque loquuntur. Clauſum habent intellectum, memoriam, voluntatem, clauſum cor, nec diuina intelligũt, nec amant, nec repetunt memoria *Iericho clauſa erat*. Sic impij homines inſtar Iericho Deo clauſi ſunt. Iudiciũ 16. *Homo impius Deo clauſus eſt mundo apertus.* *Ioſue 6.*

Samſonẽ hoſtes clauſum in carcere molere fecerunt: eundem in modum homines clauſos, tartarei hoſtes, inſtar animantium ratione carentium, molas agitare faciunt; perpetuumque in gyrum, poſt res caduces eas trahunt. Quicumque huiuſmodi homo eſt, Domini audiat verbum: *Adaperire*; nauem imitare, verſus cælum eſto apertus, verſus mare, hoc eſt, mundum maximè occluſus. diuinis ac cæleſtibus rebus intellectum, memoriam, voluntatemque aperi, illas cogita, conſidera, animo volue, ama, deſidera. Aures aperi Dei vocibus, linguam laudibus. Adaperire Deo; mundo te claude. ſurdus eſto, & mutus, non Deo, ſed mundo, iuxta illud, *Ego autem tanquã ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuũ.* Gen. *Incluſit eum*, id eſt, Noe, *Dominus deforis*. In mediis illis fluctibus, ne arcam ingrederentur aquæ, à Deo incluſus eſt Noe. Tu quoque à Deo poſtula, vt te claudat intus, ac deforis. Os, aures, oculos, reliquaſque animi facultates, niſi claudar Dominus, mundi fluctus, etiam per paruas rimas abſorbebis, ac mergêris. Aqua concluſa in ſuperiora tendit, ſi exitum aperias, inutiliter effunditur. ſic animus mundo clauſus cælum petit; mundo apertus diffluit. D. Gregorius 3. p. Paſtor. admon. 15. Humana, inquit, mens, aquæ more, & circumcluſa ad ſuperiora colligitur, quia illud repetit, vnde deſcendit; & relaxata deperit, quia ſe per infima inutiliter ſpargit, &c. *Aperi cor Deo, mundo claude.* *Pſal. 37.* *Gen. 8.*

Illud etiam obſerua, adductum eſſe hominem ſurdum, ac mutum, ab aliis, ad Chriſtum. *Adducunt eum* (ait Euangeliſta) *ſurdum, & mutum*. hi qui audiebant ac loquebantur, ſurdum mutumque, ſani ægrum, ad Chriſtum adduxerunt. Similem in modum, qui animo ſani ſunt, alios animo ægros adducere conentur. Surdus (inquit Beda Marci 7.) & mutus eſt, qui neque aures audiendis Dei verbis, neque os aperit proloquendis. quales neceſſe eſt, vt ij qui loqui iam, & audire diuina eloquia longo vſu didicerunt, Domino ſanandos offerant, &c. Conſiliis adducuntur, exemplo, concionibus, & deprecatione. Vnde ij, qui ſurdum, mutumque adducebant; deprecabãtur Chriſtum, vt imponeret illi manum. Niſi Deus manum imponat, hominem non conuertemus. D. Bern. in ſerm. de ſeptem miſericordiis. Tuæ, inquit, eſt Domine Deus, & non humanæ virtutis, ſuſceptũ ſemel peccati iugum à ceruicibus excutere. Quoniam omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Nec eſt liberari niſi in manu forti, &c. Deprecemur ergo Deum, vt manum fortem, cordi admoueat, excitetque ad conuerſionem illum, quem adducere conamur. *Marci 7.* *Adducendi ad Chriſtũ impij.* *Beda.* *Auxilium Dei conuerſioni neceſſarium.* *Bernard.*

Vt autem ſurdæ aures diuinis Spiritus ſancti aperiantur inſpirationibus, à turba tum negotiorum, tum hominum oportet recedere. *Apprehendens* (inquit) *eum de turba ſeorſum, miſit digitos ſuos in auriculas eius.* Auctor cõment. in Marcũ inter opera Hieron. Seorſum, ait, ſemper à turbulentis cogitationibus, & actibus inordinatis, ſermonibuſq; incompoſitis ducitur, qui ſanari meretur. Digiti, qui in aures eius mittuntur, verba ſpiritus ſunt, &c. Quemadmodum Nili ſonitus aures corporis, ſic turbæ ſtrepitus aures obtundit animi. lege Senecam lib. 4. quæſt. natur. c. 2. Fuge igitur turbam, in ſecretum cubiculi locum te recipe diuinis digitis aures præbe. Aperientur, & mira audies, quæ iis obtuſis non audiebas. Studeamus (ait D. Bernardus in ſerm. de obediẽtia, patientia, & ſap.) ſtudeamus, inquã, furari aliquando noſmetipſos, & à peſſimis occupationibus iſtis ſurripere, vel ad horã, iaculari animos, vibrare corda in id quod ſurſum eſt, & quod quãtò naturaliùs, tantò ſuauius eſt. hoc enim eſt quod dici- *A turba ſecedendum.* *Marci 7.* *Furari noſmetipſos ſtudeamus.*

Pſal. 45. Oſea 2. dicitur, *Vacate & videte, quoniam ego ſum Deus.* Sic Bern. *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.* Felix homo ille eſt, quem Chriſtus apprehendit, eductumque à turba, id eſt, ex mundi ſtrepitu, in ſpiritalia exercitia, & ſolitudinem cæleſti amœnitate florentem inducit. *Exodi 3.* *Cùm Moſes minaſſet gregem ad interiora deſerti, venit ad montem Dei Horeb. Apparuitque ei Dominus,* &c. Qui cogitationum ſuarum atque affectuum gregem, ad interiora deſerti minat, id eſt, ducit, illi apparet Dominus, illius aures aperit, ad cor illius loquitur.

Poſtquam verò cæleſtia ac æterna apertis haurit auribus, ex muto fit loquēs, & loquitur rectè. aiunt *Act. 4.* Apoſtoli; *Non poſſumus quæ vidimus, & audiuimus, non loqui.* Similem in modum, ij qui à turba ſemoti æterna audiunt, non poſſunt non loqui, quæ audierunt. *Matth. 12.* Vt enim Chriſtus ait, *Ex abundantia cordis os loquitur.* Quemadmodum Luſitanus in Italia agens, linguam audit, diſcitque Italicam, eademque loquitur; ſic qui in ſpiritalibus agit exercitiis, linguam audit, diſcitque ſpiritalem, eademque vtitur. de *Qui ſpiritalibus exercitiis vacat, rectè loquitur.* populo Iſraelitico dicitur: *Linguam quam non nouerat audiuit.* hoc eſt, audiuit linguam Dei, vt exponit Theodoretus & alij. Iſraelitæ linguam Dei, quam non nouerant, in ſolitudine audierunt, legemque *Pſal. 80.* in ſolitudine acceperunt. ſic ij, qui ſpiritalibus vacant exercitiis, linguam quam non nouerant audiunt, diſcunt, loquuntur. Dei legem tabulis cordis inſcriptam ferunt, peccatorum grauiſſima onera, & mundi cophinum viliſſimum, id eſt, ſeruitutem penitus reiiciunt. ſequitur enim eodem *Mundi cophinus.* *Pſal. 80.* Pſalmo: *Diuertit ab oneribus dorſum eius, manus eius in cophino ſeruierunt,* &c. Seruierūt, ſed iam non ſeruiunt, poſtquam à Chriſto apprehenſi, & in ſolitudinem ſeorſum à turba ducti ſunt.

Deuotio linguam mouet ad diuina verba. Saliua, id eſt, humore oris ſui, Dominus linguam muti tetigit, vt loqui poſſet. ſaliua, atque humore opus habet lingua, vt loquatur expedite. Si vis de Deo, diuiniſque rebus alacriter loqui, ſaliua tibi ſiue humor deuotionis neceſſarius eſt. *Pſal. 136.* *Adhæreat* (ait Pſalmographus) *lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui.* Etenim illius lingua muta, atque exſiccata hæret palato, qui deuotionis humore carens Dei obliuiſcitur. *Pſal. 62.* At verò, *Sicut adipe*, inquit, *& pinguedine repleatur anima mea, & labiis exultationis laudabit os meum.* Nam ſi adipe deuotionis, ac pinguedine repletur anima, mox cor atque labia, exultanter laudes celebrant diuinas. *Cant. 4.* *Mel & lac ſub lingua tua.* Ecce linguæ de Deo ardēter loquentis humorem; videlicet deuotionis mel & lac. hac dulci ſaliua tacta atque imbuta, dulciter loquitur atque ardenter. Itaque D. Bernardus animæ linguam deuotio- *Deuotio linguæ animæ.* nis appellat feruorem. in Cantic. ſerm. 45. Animæ, inquit, lingua, deuotionis eſt feruor. Elinguis eſt anima atque infans, quę linguam hanc non habet, & non poteſt ipſi vllatenus ſermocinatio eſſe cum *Deuotio oritur ex oratione.* Verbo, &c. Quemadmodum autem ſaliua, quæ linguam ad loquendum humectat, ex capite oritur; ſic deuotio, quæ ſpiritalis eſt ſaliua, atque humor linguæ, ex capite, id eſt, intellectu emanat. Etenim qui diuinas, æternaſque res conſiderat intellectu, atque meditatur, is deuotione abundat. Sicut ex viſione beante, ſumma in beatis enaſcitur delectatio; ſic ex viſione Dei, æternarumque rerum, licet obſcura, magna terræ incolis efficitur deuotionis exhilaratio. Qui igitur deuotionis exoptat aquas, meditationis ſiue conſiderationis fontem in intellectu aperiat.

Denique ſuſpiciens in cælum Chriſtus gemuit, noſque gemere docuit, vt ait D. Gregorius hom. 10. in Ezechielem: Suſpiciens, inquit, in cælum Chriſtus ingemuit, non quòd ipſe neceſſarium gemitum haberet, qui dabat, quod poſtulabat: ſed nos ad eum gemere, qui cælo præſidet, docuit, vt & aures noſtræ per donum Spiritus ſancti aperiri, & lingua per ſaliuam oris, id eſt, per ſcientiam diuinæ locutionis, ſolui debeat ad verba prædicationis, &c. *Gemere docet Chriſtus*

Gemuit autem, vt Euthymius ſentit, hominis commotus afflictionibus, humanæque miſertus naturæ. Quis non gemat tot preſſus malis, niſi cæcus, qui ea mente non cernit? De vitæ huius calamitatibus ac miſeriis lege D. Gregorium lib. 8. Moral. cap. 20. ad illa verba Iob: *Quare poſuiſti me contrarium tibi?* Et Iob 14. *Omne,* inquit, *quod hic agitur pœna & miſeria eſt,* &c. Inter pœnas & miſerias, quis non ingemiſcet? Quis non ingemiſcet inter ſpinas? Bernardus ſer. 48. in Cantica: Donec, inquit, in carne eſt anima, inter ſpinas profectò verſatur, & neceſſe eſt, vt patiatur inquietudines tentationum, tribulationumque aculeos, &c. Lege Eccleſiaſt. *Iugum, ait, graue ſuper filios Adam, à die exitus eorum de ventre matris eorum, vſque in diem ſepulturæ in matrē omnium,* &c. Sub graui iugo quis non gemet? *Vitæ calamitates.* *Iob 14.* *Eccli. 40.*

Suſpiciens in cælum ingemuit Dominus. Nos quoque in valle exſules lachrymarum, ſuſpicientes in cælum, hoc eſt, in patriam noſtram, ingemiſcamus, iuxta illud; *Illic ſedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion.* Et illud; *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt, habitauit cum habitantibus Cedar,* &c. Bernardus in ſerm. de obedientia, patient. & ſap. Concupiſcamus, inquit, in atria Domini, crebrò ſuſpiremus illuc. Patria noſtra ipſa eſt, odoremus ſaltem, & à longè ſalutemus eam, &c. Vt Plutarchus ſcribit in libro de tranquillitate animi: Alexander cùm audiret Anaxarchum mundos infinitos eſſe differentem, illacrymaſſe dicitur. interrogantibuſque amicis, ecquid lacrymis dignum ei contigiſſet? reſpōdit: An indignum eſt, nos flere, ſi cùm infiniti mundi eſſe dicantur, nondum vnius domini facti ſimus? Lacrymatur Ethnicus Rex, terreni atque inanis regni ductus cupiditate; lacrymetur potius, ingemiſcatque Chriſtianus, cæleſtis æternique imperij, ac gloriæ, permotus imperio. Cùm cæli ſuſcipit amplitudinem, atque immenſitatem, ex intimo pectore ſuſpirans dicat; Heu me miſerum, ad infinitum illud regnum poſſidendum natus, terræ gurguſtio inhæreo? cùm infinitæ ſint in cælo manſiones, nondum vnius poſſeſſor factus ſum. *Suſpicientes in cælū patriam noſtram ingemiſcimus.* *Pſal. 136.* *Pſal. 119.* *Quare Alexander lacrymatus ſit.*

Præterea obſerua ordinem illum verborum Euangeliſtæ. *Apertæ ſunt aures eius, ſolutum eſt vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè.* Cui enim ad obediendum diuinis mandatis aures aperiuntur, huius linguæ vinculum ſoluitur, ad loquendum rectè ac docendum. D. Gregorius hom. 10. in Ezechielem; Cui, inquit, aures cordis ad obediendum apertæ fuerint, ex ſubſequenti proculdubio etiam linguæ eius vinculum ſoluitur, vt bona quæ ipſe fecerit, etiam facienda aliis loquatur. Vbi bene additur: *& loquebatur rectè.* Ille enim rectè loquitur, qui prius obediendo fecerit, quæ loquendo admonet eſſe facienda. Sic Gregorius. *Obediens mandatis rectè loquitur.* *Marci 7.* *D. Greg.*

CAPVT XVII.

Saturat Dominus quatuor hominum millia.

MATTHÆVS CAPITE XV.

ET cùm transiisset inde Iesus, venit secus mare Galilææ: & ascendens in montem, sedebat ibi. Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos. & proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos. Ita vt turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes: & magnificabant Deum Israel. Iesus autem conuocatis discipulis suis, dixit: Misereor turbæ, quia triduo iam perseuerant mecum, & non habent, quod manducent; & dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via. Et dicunt ei discipuli: Vnde ergo nobis in deserto panes tantos, vt saturemus turbam tantam? Et ait illis Iesus: Quot habetis panes? At illi dixerunt: Septem, & paucos piscsiculos. Et præcepit turbæ, vt discumberent super terram. Et accipiens septem panes & pisces, & gratias agens, fregit, & dedit discipulis suis, & discipuli dederunt populo. Et comederunt omnes, & saturati sunt. Et quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas. Erant autem qui manducauerunt, quatuor millia hominum, extra paruulos & mulieres. Et dimissa turba ascendit in nauiculam, & venit in fines Magedan.

MARCVS CAPITE VIII.

IN diebus illis iterum cùm turba multa esset, nec haberent quod manducarent, conuocatis discipulis ait illis: Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent quod manducent; & si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in via; quidam enim ex eis de longè venerunt. Et responderunt ei discipuli sui: Vnde illos quis poterit hîc saturare panibus in solitudine? Et interrogauit eos: Quot panes habetis? Qui dixerunt: Septem. Et præcepit turbæ discumbere super terram. Et accipiens septem panes, gratias agens fregit, & dabat discipulis suis, vt apponerent, & apposuerunt turbæ. Et habebant piscsiculos paucos: & ipsos benedixit, & iussit apponi. Et manducauerunt, & saturati sunt, & sustulerunt, quod superauerat de fragmentis, septem sportas. Erant autem qui manducauerant quasi quatuor millia; & dimisit eos.

Matth. 15. VM *transisset inde, venit secus mare Galilææ.* Ex finibus Tyri, vbi Chananææ filiam donauerat sanitate, egressus Dominus, per medios fines Decapoleos, vt suprà ex Marco diximus, in mare siue lacum Galilææ venit, in montemque mari propinquum ascendit. Et accesserũt ad eum turbæ multæ (ait Matthæus) habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos, & proiecerunt eos ad pedes eius. Ad medicum è cælo delapsum ægrotos sanandos afferebant. Ille verò gratis attulit absque vllis medicamentis medicinam. videlicet, potentia infinita medicamentis minimè indiget. Sanitatem ægris admirabiliter collatam hominum sequebatur admiratio, Deique laus & gloria. Quis enim mutos loquentes cernens, claudos ambulantes, cæcos videtes, alioſque ægrotos sanitati repentè restitutos, non admiraretur, Deumque laudaret? Aduerte multa simul miracula hoc loco Dominum edidisse, quæ Euangelista sigillatim non enarrauit. Præterea obserua debiles non significare homines, præ morbo imbecilles, sed manu captos. Est enim Græcè χυλοὺς. D. Hieronymus Matthæi 15. Vbi, inquit, transtulit

Ordo rerum à Christo gestarum.

A Latinus interpres, *Debiles*, in Græco scriptum est, χυλὸς, quod non generale debilitatis, sed vnius infirmitatis est nomen. vt quomodo claudus dicitur, qui vno claudicat pede, sic χυλὸς, appelletur, qui vnam manum debilem habet, &c. *Debiles quinam hic dicantur.*

MISEREOR *super turbam.* Non solùm ægris sanitatem contulit Dominus, verum etiam turbam pane, piscibusque in solitudine illa pauit. D. Hieronymus in Matthæum: Vult, inquit, Christus pascere, quos curauit. Prius aufert debilitates, vt postea sanis offerat cibos, &c. Ex misericordia veluti fonte, illius emanant dona. Vnde ait; *Misereor* B *super turbam, quia iam triduò sustinent me.* Græcè, προσμένουσί μοι, id est, permanent mihi, vel mecum, quod Matthæi 15. dicitur, *perseuerant mecum.* Per tres dies cum Christo turba perseuerauerat, nec domum repetiuerat, doctrina, conspectu, miraculisque Christi tracta. *Marci 8. Ægris dedit sanitatem omnibus cibum.* *Perseuerantia.*

NEC *habent quod manducent.* Dubium est, an tribus illis diebus turba cibo caruerit? respondendum, cibum attulisse, sed tertia die iam fuisse consumptum, vt ait Theophylactus Marci 8. Miraculum, inquit, operatur Christus sumpta occasione iusta; nempe quòd tres dies manserat turba, *Marci 8. Turba non manserat ieiuna per tres dies, sed cibos cõsumpserat.*

turba,& abſumpta erant omnium viatica. & diuus Chryſoſtomus Matthæi 15. Ne, inquit, reſpondere poſſent diſcipuli, quia ſecum viatica portarunt; triduo iam mecum ſunt ait Chriſtus. ita etiam ſi quidquam ſecum habuerunt, conſumptum eſſe debet,&c. Ægritudines paſſim Dominus à populo pellebat; at cibum ſemel tantùm atque iterum præbuit, ne cauſa cibi illum populus ſequeretur. Theophylactus: Non ſemper facit Chriſtus miraculum in alimentis, vt ne putent, quòd propter cibos populus illum ſequatur, &c. Præterea cibum præbuit Dominus tunc, cùm maximè turba indigebat, ciboque carebat. Non enim miracula, niſi cùm opus erant, faciebat. Chryſoſtomus: Non in prima die, neque in ſecunda, miraculum fecit; ſed expectauit, vt omnibus conſumptis, indigentia coacti, maiori admiratione factum proſequerentur,&c. Theophylactus: Nunc, inquit, niſi periculum ex ciborum penuria fuiſſet, neutiquam miraculum feciſſet Dominus,&c.

Chriſtus miracula nō niſi cùm opus erat faciebat.

Marci 8. DEFICIENT *in via.* Quàm ſit opus turbæ eſcam ſuppeditare,& miraculum edere, indicat Dominus. Cibum, inquit, non habent; ſi autem ieiunos dimiſero, in via deficient. *Quidam enim ex eis de longè venerunt.* Chriſti fama ex remotis locis, ac regionibus homines ducebat; ideo ait: *Quidam enim ex eis de longè venerunt.* Vt autem longum peragerent iter, eſca indigebant.

Ibid.

Marci 8. VNDE *iſtos quis poterit ſaturare panibus, in ſolitudine?* De paſcenda turba egit cum diſcipulis Dominus. *Conuocatis diſcipulis ſuis* (ait Euangeliſta) *ait illis: Miſereor ſuper turbam,* &c. Cauſam reddit D. Hieronymus his verbis: Conuocat Chriſtus diſcipulos ſuos,& quod facturus eſt, loquitur; vt vel magiſtris exemplum tribuat, cum minoribus, atque diſcipulis, communicanda eſſe conſilia; Vel, vt ex confabulatione intelligant ſigni magnitudinem, reſpondentes ſe panes in eremo non habere. ſic ille.

Ibid. Cur diſcipulos Dominus conuocarit.

Miſericordia Chriſti. Matth. 15. Miſericordiam ſuam erga turbam Dominus diſcipulis aperuit; *miſereor,* inquit, *ſuper turbam*; aperuit & voluntatem. Sic enim apud Matthæum loquitur; *Dimittere eos ieiunos nolo.* Præbendæ quoque eſcæ neceſsitatem oſtendit: *Nec habent quod manducent, & ſi dimiſero eos ieiunos, deficient in via.* dignam eſſe turbā cibo indicauit; *quia iam triduo ſuſtinent me.* Quid ad hæc diſcipuli reſpondere debuerunt? hoc ſanè. Domine iam ſemel maiorē turbam quinque panibus, duobuſq; piſcibus ſatiaſti. Nihil tibi difficile. qui maiorem pauit, paſcere poteſt,& minorē. Qui claudis, cæcis, mutis, ſanitatem nunc coram oculis noſtris donaſti; potes ſanè eadem potentia, cibi inopia laborantes ſaturare. At illi nullum de præterita quinque millium hominū ſaturatione, nullum de præſenti tot ægrotorum admiranda ſanitate, verbum faciunt; ſed rei difficultatem opponūt. *Vnde,* inquit, *iſtos, quis poterit ſaturare panibus in ſolitudine?* & vt eſt apud Matthæum; *Vnde ergo nobis in deſerto panes tantos comparabimus,* id eſt, tam multos, *vt ſaturemus turbam tantam?* In ſuam potentiam, ſiue potius impotentiam, ac penuriam, diſcipuli coniiciebant oculos, non autem in magiſtri potentiam; ideoque difficillimum, imò impoſsibile illis videbatur, turbæ panes ſuppeditare. *Vnde,* inquiunt, *nobis panes tantos?* &c. Si Chriſti potentiam cōſideraſſent, facillimum id eſſe exiſtimaſſent. Quæritis, vnde vobis panes tantos ô diſcipuli? facilis eſt reſponſio ſi aduertitis; ex magiſtro veſtro vobis panes tanti. ille ſuppeditabit, ille cumulatiſsimè præbebit. A veſtra penuria oculos auertite, in opulentia, potentiaque magiſtri figite, vnde panes habere facillimè poſsitis. facillimè reperietis, non huic tantum turbæ, verùm totius orbis terrarum multitudini

Apoſtoli non rectè reſpōdēt ad Chriſti interrogationem. Marci 8. Matth. 15.

A ſaturandæ. *Oculi omnium* (ait Pſalmographus) *in te ſperant Domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione,* &c. Pſal. *Sicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum, ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri.* In Deum igitur ſuſtollendi ſunt oculi, non in nobis collocandi.

Pſal. 144. *Pſal. 122.*

Marci 8. QVOT *panes habetis?* Sciebat Chriſtus, quot haberent panes diſcipuli: rogat tamen, vt miraculum fiat manifeſtum. Reſpondent illi, ſeptem ſe habere panes,& piſciculos paucos. Iubet ergo turbam ſuper terram, ad ſumendum cibum, diſcumbere; panes accipit, gratias agens frangit, turbæque apponi præcipit, ſimiliter & piſciculos. Satiata B ſunt hominum millia quatuor, præter pueros & mulieres; ex panibus ſeptem, pauciſque illis piſciculis. Magna verò fragmentorum ſuperfuit copia. ſeptem enim ſportas fragmenta compleuerunt. In priori ſigno duodecim ſuperfuere fragmentorum cophini, iuxta duodecim Apoſtolorum numerum; hìc ſeptem ſuperfuere ſportæ, iuxta numerum ſeptem panum: vt in miraculo eſſet diſſimilitudo, quod Chryſoſtomus obſeruat: Ne, inquit, reliquiarum æqualitas miraculum confunderet, & obliuionem obduceret, hoc diſcrimine ac differentia, vtriuſque ſigni memoriam voluit confirmare. Propterea tunc quidem diſcipulorum numero corbium numerum, nunc verò panibus ſportas exæquauit, &c. Miraculi vtriuſque diſcrepantiam Hieronymus indicat his verbis: Suprà C legimus, *Veſpere autem facto acceſſerunt ad eum diſcipuli, dicentes: Deſertus eſt locus,* & reliqua: hic diſcipulis conuocatis ipſe Dominus loquitur: *Miſereor turbæ, quia triduo iam perſeuerant mecum.* Ibi quinque panes erant & duo piſces: hic ſeptem panes & pauci piſciculi. ibi ſuper fœnum diſcumbunt: hic ſuper terram. ibi qui comedunt, quinque millia ſunt, iuxta panum numerum quos comedunt; hìc quatuor millia. ibi duodecim cophini replentur de reliquiis fragmentorum, hìc ſeptem ſportæ. Hæc Hieronymus.

Fragmenta conuiuij.

Duorum miraculorū diſcrepātia. Matth. 15.

Quid de fragmentis his factum ſit, ambigitur. Putarim pauperibus donata ab Apoſtolis, neque D enim videtur veriſimile fuiſſe aſſeruata omnia. Rogabis quomodo cophini & ſportæ in deſerto potuerint inueniri? Reſpondetur: ſportas & cophinos portaſſe homines, vel feminas è turba, vel etiam Apoſtolos. Petes: vnde aquam habuerit turba? Reſpondeo, ex fontibus, vel lacu Galilææ. Vinum autem Dominus in nuptiis præbuit propter honorem nuptiarum; quia erat opus: in deſerto præbere noluit, quia ſatis erat aqua. Neque Iſraëlitis per deſerta iter habentibus vinum dedit, quia neceſſarium non erat: vtque temperantiam commendaret.

De fragmētis quia factum ſit.

CAPVT XVIII.

E

Morale.

Saturat Dominus quatuor millia hominum.

Marci 8. MISEREOR *ſuper turbam.* Patefacit hic locus Chriſti ſummam miſericordiam ſummamque potentiam: quarum eximia fuit in Chriſto copulatio. Multi ſunt homines, in quibus miſericordia eſt: ſed potentia deeſt. Miſerentur corde, miſericordiam præſtare nequeunt opere. Multi, in quibus potentia cernitur: miſericordia deſideratur. Pauperum ſubleuare miſeriam poſſunt: ſed

In Chriſto miſericordia & potentia eſt, vult & poteſt.

quia

quia abeſt miſericordia, nolunt. At in Chriſto cum miſericordia, mirandum in modum copulata erat potentia: ita vt & miſericordiam indigentibus conferre vellet, & quotieſcumque vellet, poſſet. Cùm ergo in ſolitudine eſſet, turbamque cibo carentem conſpiceret; & miſertus eſt, & cibum præbuit admirabiliter. *Miſereor*, inquit, *ſuper turbam*.

Miſericordia fluuius paradiſi qui in 4 diuiditur capita.

Miſericordia fons eſt omnium Dei donorum. propterea namque donat, quia miſeretur. fons autem eſt, qui exhauriri numquam poteſt: infinitis enim aquis ſcaturit. Eo totum cælum, totaque irrigatur terra. Quemadmodum paradiſi ille fluuius Gen. 2. in quatuor diuidebatur fluuios: ſic infinitum diuinæ miſericordiæ flumen, in quatuor diſtribuitur flumina: quæ cælorum, terræque orbes irrigant. Primum flumen eſt creationis, ſecundum gubernationis, tertium redemptionis, quartum glorificationis. Ex profundiſſimo miſericordiæ pelago creatio orbis effluxit, ex eodem effluxit redemptio, gubernatio, hominumque & Angelorum glorificatio. Stupenda ſunt hæc flumina quatuor, ſtupendus fons, ex quo illa originem ducũt. Cùm præter Deum nihil eſſet penitus, ipſeque ſolus ſibi abundantiſſimè ſufficeret, miſericordiæ, bonitatiſque ſuæ flumen effudit pectore: cælos, terram, maria, Angelos, homines, ceteraq; omnia, tum quæ oculis cernuntur, tum quæ ſub illorum aſpectum minimè cadunt, condidit. Ea verò quæ condidit, eadem ductus miſericordia, gubernare non deſinit. Cùm verò humani generis turbam acerbiſſimæ dæmonis ſeruituti mancipatam videret: *Miſereor*, inquit, *ſuper turbam*: tum miſericordia compulſus è cælo deſcendens, ſanguinis ſui omne pretium ſuperante pretio, captiuos homines redemit. Eoſdem ſi ea præſtent, quæ iubet, admirandum in modum in cælis gloria æterna cõdecorat.

Flumina diuinæ miſericordiæ.

Marci 8.

Miſericordia diuinæ riuuli.

Hæc miſericordiæ latiſſima, profundiſſimáque ſunt flumina. Sunt etiam alij veluti riuuli, qui ſingulorum hominum domos penetrant, quibus ſi non irrigentur, protinus areſcent. Irrigauit ſolitudinem arentem diuinæ miſericordiæ riuulus quidam, panéſque admirabili riuo irrigata produxit. Quis vmquam vidit ſolitudinem inaratam panes ſubito producentem? Rogant diſcipuli; *Vnde iſtos poterit quis hîc ſaturare panibus in ſolitudine?* ô diſcipuli, poterit Dei miſericordia, ſaturare panibus in ſolitudine. Saturauit iam olim manna Iſraelitas in deſerto. Nonne audiſtis magiſtrum dicentem; *Miſereor ſuper turbam*. Satis eſt Dei miſericordia, ad producendos panes in ſolitudine. ô felix illa turba, ſuper quam miſeretur Chriſtus! Sed aduerte quibus miſereatur.

Marci 8.

Felix turba ſuper quam miſeretur Chriſtus.

Miſereor, inquit, *ſuper turbam, quia iam triduo ſuſtinent me*: vel, vt Matthæus ait, *Quia iam triduo perſeuerant mecum*. Perſeuerantibus cum Chriſto in labore & deſerto, miſeretur Dominus. Ambroſius in Luc. lib. 6. cap. 37. Gratiæ, inquit, cæleſtis Chriſtus impartitur alimentum: ſed quibus impartiatur aduerte. Non otioſis, non in ciuitate, quaſi in ſynagoga, vel ſæculi dignitate reſidentibus; ſed inter deſerta Chriſtum quærentibus, &c. *Vos eſtis*, ait Dominus, *qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis*. ſequitur: *Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam, in regno meo*, &c. Qui cum Chriſto permanet in tentationibus, in deſerto, in æſtu, & fame, in rebus aduerſis, in quibus perſeuerare difficile eſt; huic Chriſtus conuiuium exhibebit omnibus epulis inſtructiſſimum; is edet & bibet ſuper menſam magni Regis in regno cæleſti. *In diſciplina*, ait Paulus, *perſeuerate*. hoc eſt, in flagellis, quibus vos Deus veluti filios

Marci 8. Matth. 15.

De perſeuerantia.

Luca 22.

Hebr. 12.

A corripit. vnde ſequitur: *tamquam filiis vobis offert ſe Deus. Quis enim filius, quem non corripit pater?* &c. Perſeuerauit Iob in diſciplina, in flagellis, & dolore. Vnde illud vxoris: *Adhuc tu permanes in ſimplicitate tua?* & illud Domini ad Satanam: *Numquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quòd non ſit ei ſimilis in terra, vir ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam?* &c. *Adhuc*, inquit, *retinens innocentiam*: hoc eſt, in tot calamitatibus rebúſque aduerſis, perſeuerans in innocentia. Miſertus eſt Dominus ſuper eum, quia non ſolùm triduo, ſed multis diebus ſuſtinuit eum. Non dimiſit ieiunum, ſed opiparo excepit conuiuio. *Addidit Dominus omnia quæcumque* B *fuerant Iob duplicia*. Item: *Dominus benedixit nouiſſimis Iob magis, quàm principio eius. & facta ſunt ei quatuordecim millia ouium, & ſex millia camelorum, & mille iuga boum, & mille aſinæ. Et fuerunt ei ſeptem filij, & tres filiæ*, &c. Ecce feliciſſimum perſeuerantiæ finem, ecce opiparum conuiuium, boum pinguium, &c. Hinc illud; *Suſſerentiam Iob audiſtis, & finem Domini vidiſtis; quoniam miſericors Dominus eſt & miſerator*, &c. hoc eſt, Audiſtis Iob tolerantiam, finémque feliciſſimum, quem Dominus illius doloribus impoſuit. Vidiſtis, quoniam miſericors Dominus, miſertus eſt ſuper illũ, quia multis diebus ſuſtinuit eum. perſeueranti panes dantur; ſi non perſeueraſſet, panes non impetraſſet. *Si perſeuerauerit pulſans* (ait Dominus) *dico vobis, & ſi* C *non dabit illi ſurgens, eò quòd amicus eius ſit: propter improbitatem tamen eius ſurget, & dabit illi, quotquot habet neceſſarios*: ſcilicet panes, &c. Perſeuerantia ergo cũ Chriſto miſericordiam impetrat, & alimoniam. Adde & Tobiam, de quo ſic ſcribitur: *Non eſt contriſtatus contra Deum, quòd plaga cæcitatis euenerit ei; ſed immobilis in Dei timore permanſit*, &c. Miſertus eſt Dominus ſuper eum, magno que epulo eum excepit, & ingenti gaudio cumulauit. *Per ſeptem dies, epulantes omnes cum gaudio magno gauiſi ſunt*, &c. Diſce; permane immobilis in tentatione, labore, & cruciatu. Aſſequeris conuiuium.

Iob 2.

Iob 42.

Iob ſingulare perſeuerantiæ exemplum.

Iacobi 5.

Luca 11.

Tobiæ 2.

Tobiæ 11.

Iam triduo, ait Dominus, *perſeuerant mecum*. Numerat Dominus dies perſeuerantiæ noſtræ. Per tres iam dies mecum permanent. Omnia etiam minima quæque numerat, vt remuneret, vel vt puniat. D Omnes vitæ noſtræ dies, omnes numerat horas ac momenta, omnes tum animi, tum corporis greſſus, omnes actus, verba, & cogitationes. *Tu greſſus meos dinumeraſti*. Matth. *Capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt*. & capilli, & cogitationes omnes ſunt numeratæ. *Numerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud. Appenſus es in ſtatera*, &c. Numerat Deus omnia, & in ſtatera iuſtitiæ appendit. *Sicut dies mercenarij dies eius*: id eſt, hominis: Quemadmodum mercenarij dies omnes diligenter numerantur, vt laboris præmium perſoluatur; ſic hominis cuiuſque dies omnes ad calculum vocantur, vt operum, cogitationum, verborúmque omnium ſtipendium reddatur.

Matth. 15.

Deus noſtra etiã minima numerat.

Iob 14. Matth. 10.

Dan. 5.

Iob 7.

Diſcant reges principéſque viri famulorum E numerare annos; diſcant præclara numerare opera, vt meritis illa præmiis afficiant. Aſſuerus Rex iuſſit ſibi afferri hiſtorias, & annales priorum temporum. *Qui cùm illo præſente legerentur, ventum eſt ad illum locum, vbi ſcriptum erat: quomodo nuntiaſſet Mardochæus inſidias Bagathan & Thares, eunuchorum, regem Aſſuerum iugulare cupientium. Quòd cùm audiſſet Rex, ait: Quid pro hac fide, honoris ac præmij Mardochæus conſecutus eſt? Dixerunt ei ſerui illius ac miniſtri. Nihil omnino mercedis accepit*, &c. Vides, quàm fuerit rex ſolicitus, de reddendo merito præmio operi Mardochæi? *Quid*, inquit, *pro hac fide, honoris ac præmij, Mardochæus conſecutus eſt?* Cùm verò nihil præmij accepiſſe cognouiſſet, protinus perſoluit, vt cetera, quæ ſequuntur eodem capite, teſtan-

Principes famulis præmia laborum reddant.

Eſther 6.

Aſſuerus remunerat Mardochæũ

Ezech.29. teſtantur. *Fili hominis* (ait Dominus) *Nabuchodonoſor Rex Babylonis ſeruire fecit exercitum ſuum ſeruitute magna, aduerſus Tyrum: omne caput decaluatum, & omnis humerus depilatus eſt: & merces non eſt reddita ei, neque exercitui eius de Tyro, pro ſeruitute, qua ſeruiuit mihi aduerſus eam. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego dabo Nabuchodonoſor regem Babylonis in terra Ægypti, & accipiet multitudinem eius, & deprædabitur manubias eius, & diripiet ſpolia eius. & erit merces exercitui illius, & operi, quo ſeruiuit aduerſus eam, dedi ei terram Ægypti, pro eo quòd laborauerit mihi, ait Dominus Deus,* &c. Cerniſne quàm magnificè Deus Nabuchodonoſori pro expugnata Tyro mercedem perſoluerit? pro labore expugnationis vnius ciuitatis, Ægypti regnum dedit. Diſcant igitur reges, qua mercede illi ſint cumulandi, qui Mauros, Turcas, reliquoſque Chriſtianæ religionis hoſtes ſuperant; eorumque regiones ſub Chriſti iugum mittunt.

Ægyptum Deus donat Nabuchodonoſori pro mercede.

Diſcant ceteri omnes, qui aliorum opera vtuntur, & dies operariorum numerare, & debitam illis mercedem citò dare. Pater familias operarios conducit, mittitque in vineam. Eadem verò die mercedem debitam ſoluit. *Cùm ſerò factum eſſet, dicit Dominus vineæ procuratori ſuo, voca operarios, & redde illis mercedem,* &c. imitare hunc patrem familias, operariis quod debes, citò reſtitue; ne merces retenta, & fraudata ad Deum clamet; iuxta illud: *Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit,* &c.

Operariis merces citò reddenda. Matth. 20.

Iacobi 5.

Triduo perſeuerant mecum, ait Dominus. Quis cum Chriſto non perſeueret per vitam totam, imò per totam æternitatem? Quis amicus dulcior? quis rex potētior? quis Dominus munificentior? quis pater indulgentior? quis ſponſus inueniri poteſt pulchrior & amabilior? Meritò ſane ſacra illa ſponſa, *Tenui,* inquit, *eum, nec dimittam,* &c. *Non habet amaritudinem conuerſatio illius, nec tædium conuictus illius, ſed lætitiam & gaudium,* &c. Meritò Petrus, cùm rogarentur Diſcipuli à Domino: *Numquid & vos vultis abire?* reſpondit: *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Perſeueremus cum Chriſto, neque deſeramus illum, etiam in deſerto, in dolore, in cruce; vt noſtri miſereatur, dicatque; *Miſereor ſuper vos, quia perſeueraſtis mecum.* D. Ambroſ. Luc. 9. Chriſtus ſolus eſt, quem nemo deſerere debet, nemo mutare, cui bene dicitur: *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes,* &c.

Perſeuerantia in Chriſto neceſſaria. Matth. 15.

Cant. 3.

Sap. 8.

Ioan. 6.

Addit Dominus: *Si demiſero eos ieiunos, deficient in via.* Plane ſi nos Dominus ieiunos dimiſerit, deficiemus in via. Etenim ſi cibum diuinà manus non ſuppeditet, quis vitam poterit conſeruare? *Oculi omnium* (ait Pſalmographus) *in te ſperant Domine, & tu das illis eſcam in tempore opportuno.* &, *Dat eſcam omni carni,* &c. Niſi det, peribimus omnes. *Omnia à te expectant, vt des illis eſcam in tempore. Dante te illis, colligent. Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Auertente autem te faciem, turbabuntur. Auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur,* &c. *Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti, quia non defecerunt miſerationes eius,* &c. Quia non deficiunt miſerationes Dei, non deficimus nos in via.

Marci 8. Si Deus nos non paſcat, deficiemus. Pſal. 144.

Pſal. 135.

Pſal. 193.

Tiren. 3.

Miſeretur Dominus ſuper turbam, etiam improbis hominibus, etiam Mauris, Turcis, Ethniciſque pro ſumma miſericordia largitur alimenta. Fuiſſet ſatis panem nobis præbere ordeaceum, ne ieiuni deficeremus in via; at munificentiſſimus Dominus panem etiam præbet triticeum: neque panem ſolùm, ſed varia quoque carnium, varia piſcium, varia fructuum, & bellariorum in ſecundas menſas donat genera. Iſraelitas olim, ne in via deficerent, manna pauit: nos variis paſcit cibis. Neque verò homines ſolùm, verùm cetera etiam omnia animalia paſcit diuina manus, ne deficiant. iuxta illud: *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* &, *Producens fœnum iumentis, & herbam ſeruituti hominum,* &c.

Dei munificentia.

Pſal. 144.

Pſal. 103.

Quid de cæleſti pane dicam? Et quidem ſi dimittamur à Chriſto ieiuni, abſque cæleſti gratiæ pane, omnino in via deficiemus: ſine auxilio enim Chriſti in cælum iter nemo poteſt facere. Pericli-tatur (ait D. Hieronymus Matth. 15.) qui ſine cæleſti pane ad optatam manſionē peruenire feſtinat. Vnde Angelus loquitur ad Eliam: *Surge & manduca, quia grandem viam ambulaturus es.* ſic ille. Copioſè igitur cæleſtem panem, abundanterque donat, ex Sacramentis & Scripturis, veluti ex cellis penuariis. Adde cæleſtis conſolationis dulcedinem, qua ſuos demulcet Deus, ne deficiant in via. Solet enim terreſtrem tartaream que vitiorum dulcedinē, cæleſti pellere dulcedine; ipſamq; viam difficilē, reddere facilem, virtutis ſuauitate. Hinc illud Auguſt. lib. 9. Confeſſ. cap. 1. Quàm ſuaue mihi ſubitò factū eſt, carere ſuauitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat! Eiiciebas enim eas à me, vera tu & ſumma ſuauitas: eiiciebas & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, &c.

Sine cæleſti pane deficimus in via.

3. Reg. 19.

Dulcedo Dei pellit dulcedinē ſæculi.

Auguſt.

Aug. quàm ſubito mutatus fuerit.

QVIDAM *ex eis de longe venerunt.* De longè ad Chriſtum veniunt, qui ex peccato mortifero per pœnitentiæ iter veniunt. Eſt enim peccatum regio illa longinqua, in quam prodigus patrē deſerens proficiſcitur, Lucæ 15. 13 qui longè veniunt, non ſunt ieiuni dimittendi, ne deficiant in via. Paſcendi ſunt diuino verbo, diuina lectione, diuinarumque rerum meditatione. D. Gregorius homil. 21. in Ezechielem: Alij, inquit, poſt carnis flagitia, alij poſt falſa teſtimonia, alij poſt facta furta, alij poſt illatas violētas, alij poſt perpetrata homicidia, ad pœnitentiam redeunt; atque ad omnipotentis Dei ſeruitium conuertuntur. hi videlicet ad Dominum de longinquo veniunt. Quātò enim quiſque plus in prauo opere errauit, tantò ab omnipotente Domino, longius receſsit. Nam & prodigus filius, qui patrem deſeruit, abiit in regionē longinquam, in qua porcos pauit, quia vitia nutriuit. Dentur igitur alimenta eis etiam, qui de longinquo veniunt: quia cōuerſis peccatoribus, doctrinæ ſanctæ cibi præbendi ſunt: vt in Deū vires reparent, quas in flagitiis amiſerūt. hæc ille. Ideò qui de longe veniunt in via deficiunt; quia diuini verbi lectione, & meditatione ſe non paſcunt. Pœnitentiam quidem agunt: poſtea verò nihil de æternis flammis, nihil de perpetuis cœli gaudiis, nihil de Chriſti paſſione, nihil de iudicio aut morte cogitant: ieiunam ab hoc cæleſti cibo mentem gerunt: ideo in via deficiunt.

Marci 8.

De longè veniunt pœnitentes. D. Greg.

Pœnitentes indigent refectione meditationis.

VNDE *iſtos poterit quis ſaturare panibus in ſolitudine?* Cùm Dominus paſcere vellet turbam, Diſcipuli difficultatem opponunt. Sic ei, qui eleemoſynam largiri vult, obtendit natura difficultates. Vnde ait, poteris pauperes paſcere, qui familiæ alendæ neceſſaria non habes? Si pauperi eleemoſynam dederis, pauper ipſe fies, & familia. At verò ſi ludere, ſi voluptati, ſi gulæ, ſi libidini ſeruire vult, facilia reddit omnia, amplamque pecuniam repræſentat. Chryſoſtomus 2. Corinthior. hom. 19. In ventrem, inquit, & ebrietatem & intemperantiam inſumens, nullius paupertatis memor es. Vbi autem paupertatem iuuare oportet, omnibus es pauperior. Et paraſitos quidem paſcens, & adulatores, quaſi ex largis fontibus fouens, gaudes. Si autem pauperē alicubi videas, tūc tibi paupertatis metus incidit, &c. Vide quanta cū facilitate Iſraëlitæ in ſolitudine Tabernaculo fabricando obtulerunt dona. *Manè vota populus offerebat, vnde artifices venire*

Marci 8.

Natura difficultatem obtendit virtuti.

Chryſoſt.

Iſraelitæ alacriter offerunt munera Tabernaculo. Exodi 36.

venire compulſi, dixerunt Moyſi: Plus offert populus, quàm neceſſarium eſt. Iuſſit ergo Moyſes præconis voce cantari: Nec vir, nec mulier, quidquam vltrà offerat in opere Sanctuarij. Sicque ceſſatum eſt à muneribus offerendis: eò quòd oblata ſufficerent, & ſuperabundarent, &c. Tu quoque Dei tabernaculis, id eſt, pauperibus reparandis, facilè offer dona. Iſaiæ 65. *Ponitis fortunæ menſam*, ait Dominus. Fortunæ menſam hi ponebant, non pauperibus. Similiter & luſores, fortunæ, ludorumque caſui, & aleæ, menſam ponunt, argentique vim magnam abſque difficultate offerunt; pauperibus verò menſam ponere, pecuniamque eorum alimentis impendere, difficillimum arbitrantur.

Luſores mẽſam non eleemoſynæ, ſed fortunæ ponunt.

Chriſtus ad ſaturandã multitudinem panibus non indigebat.

QVOT *panes habetis?* Non indigebat Chriſtus diſcipulorũ panibus, abſque illis ſaturare turbam valebat. Voluit tamen illos, veluti ſemen abundantiſſimæ illius ſegetis, afferri. Non indiget Deus noſtris panibus, noſtra pecunia, aut bonis.

Pſal. 15. *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Poteſt pauperes ipſe paſcere, poteſt omnes diuitiis cumulare. Sed tamẽ vult panes noſtros, & pecuniam ſibi dari, vt ſemen æternæ ſint segetis. Etenim panis, quem pauperi tradis, pecunia, veſtis, æternæ ſemen eſt meſſis. Si fertiliſſimum haberes agrum, qui quidquid ſeminis traderes, magna cum fertilitate redderet; nonne ſementem faceres? En tibi fertiliſſimum agrum, videlicet Chriſti manus, ſementem facito, quidquid hiſce manibus tradideris, multiplicatum recipies. Chryſoſtomus homil. 55. in Geneſim; Tanta, inquit, eſt Domini liberalitas, quod licèt accipiat de iis, quæ ipſe dedit, non putet tamen propria ſe accipere; ſed magna munificentia nobis ea redditurum ſe pollicetur. tantùm nos & quæ noſtra ſunt facere velimus; & ſic pauperibus erogemus, quaſi deponentes ea in manus Domini. ſcientes quòd quæcumque acceperint manus eius, ea nõ ſolùm reddit, ſed multiplicatiora nobis iterũ largitur, ſuę liberalitatis gloriam declarans, &c. & hom. 19. in epiſt. 2. ad Corint. ad illa verba Pauli: *Qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet:* Rem, inquit, ſemen vocauit Paulus, vt ad retributionem ſpectes, meſiſque recorderis; & diſcas quòd plura accipis, quàm das. Ideo non dixit: *Qui dat*; ſed, *qui ſeminat*, &c. Lege Cyprianum in libro de opere & eleemoſynis.

Eleemoſyna eſt ſemẽ gloriosæ meſſis.

Chryſoſt.

2. Cor.

Marci 8. Eleemoſyna etiam de neceſſariis facienda.

QVI *dixerunt ſeptem.* Prompto animo Apoſtoli panes, quos habebant, Domino obtulerunt, non negarunt ſe habere panes, non ſunt tergiuerſati, neque verò aiunt; Si panes turbæ præbemus, quid nos manducabimus? Si pauper eleemoſynam petit, imò Chriſtus in paupere; ne neges, ne tergiuerſeris, ne hæſites, aut dicas: Quid mihi ſupererit? alacriter, quod potes tribue. Paulus, *Qui miſeretur in hilaritate*, id eſt, miſereatur, & donet cum hilaritate. *Non ex triſtitia aut neceſsitate. Hilarem enim datorem diligit Deus*, &c. Theodoretus hoc loco: Oportet, inquit, animi alacritatem præcedere ſuppeditationem pecuniæ, &c. & ad Rom. 12. Beneficentię, ait, adiungit Paulus hilaritatem, erogationis, bonorumque communicationis lucrum oſtendens. ſolent enim gaudere, qui lucrantur, &c. *Quomodo potueris, ita eſto miſericors. ſi multùm tibi fuerit, abundanter tribue; ſi exiguum tibi fuerit, etiam id libenter impertiri ſtude*, &c. Chryſoſtomus 2. Cor. homil. 19. Multùm, inquit, & parum

Rom 12. 2. Cor. 9.

Alacriter eleemoſyna danda.

Tobiæ 4.

Chryſoſt.

Deus non ad menſuram dantium definit; ſed ad potentiam facultatum dantis, &c. Quid vidua illa Sarephthana fecerit in memoriam reuoca. Eliæ cibum poſtulanti reſpondit, ſupereſſe in ſumma fame pugillum tantummodo farinæ, ex qua placentulam ſibi, filioque faceret. At Elias: *Mihi*, inquit, *primùm fac de ipſa farinula ſubcinericium panem parvulum, & affer ad me. tibi autem, & filio tuo facies poſtea. hæc autem dicit Deus Iſrael; hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur*, &c. Fecit vidua, quod Elias poſtularat: ſibi filioque ſuo pauperem præpoſuit: ex farinæ illo pugillo & oleo, quod in lecytho habebat, primùm Eliæ placentulam fecit. Miſericordiam Deus abundè perſoluit, farina & oleo multiplicatis. *Comedit ipſe & illa, & domus eius. & ex illa die hydria farinæ non defecit; & lecythus olei non eſt imminutus*, &c. Diſce primùm pauperi largiri alacriter veluti Chriſto; ille datum cibum multiplicabit, ſicuti hoc loco panes. *Qui tribuit in ſimplicitate*, &c. Theodoretus: Non aliorum captãs gloriam, ſed eius, qui indiget inopiæ ſubueniens. Nec apud ſe ratiocinans, an quæ habet ſibi ſufficiant, an non; ſed in Deo ſpem ponens, eoque fretus liberalitatem ſuppeditans, &c.

Vidua Sarephthana primò Eliæ, deinde ſibi parauit cibum.

3. Reg. 17.

Ibid.

Rom. 12.

ET *ſaturati ſunt.* In conuiuio Dei omnes ſaturantur. In conuiuio mundi omnes fame torquentur. Quis enim menſæ mundi accumbit, de quo dicere poſsimus, Et ſaturatus eſt? ô egregiam menſam, in qua quantùm cibus, tantùm fames creſcit! Nonne Poëta dixit:

Matth. 15. & Marci 8. In conuiuio mũdi fames nõ pellitur.

Creſcit amor nummi quantum ipſa pecunia creſcit?

Iuuen. Satyra 14.

Idem in voluptatibus & honoribus contingit.

Quò plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ. Non ſatiat vanitas, aut venti inanitas. Vt autem ait Salomon, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* & rurſum Iuuenalis:

Eccli. 1.

Vnus Pellæo iuueni non ſufficit orbis. Videlicet, quia inanis. Inanes ſunt honores ac diuitiæ; opinione noſtra pretium habent, vt dixit Seneca epiſt. 82. Diuitiæ (inquit) honores, potentia, in opinione noſtra cara ſunt; pretio ſuo vilia. Nihil habent magnificum, quo mentes noſtras in ſe trahant, præter hoc, quòd mirari illa conſueuimus, &c. *Ne deſideres de cibis eius, in quo eſt panis mendacij*, &c. Panis mendacij ſiue mendax eſt, qui famem pellere poſſe videtur, ſed minimè pellit. hic eſt mundi panis. Igitur ſi ſapis, mundi panem ne deſideres: eſt enim panis mendacij. panem deſidera Chriſti, qui verè te poteſt ſatiare. *Manducauerunt*, inquit, *& ſaturati ſunt.*

Iuuenal.

Mũdana res in opinione noſtra cara, reipſa viles ſunt. Prou. 23.

Marci 8.

Ibid.

ET *ſuſtulerunt, quòd ſuperauerat de fragmentis, ſeptem ſportas.* In conuiuio hoc ſeptẽ ſportæ fragmentorum, in altero duodecim ſuperfuerunt cophini. In parco conuiuio ac temperãti, multa ſuperſunt, in prodigo nihil. Si parſimonia ac temperãtia vtaris; quod pauperibus tribuas, non deerit. ſi prodigus ſis, nihil habebis. Animaduerte, quid de manna præceperit Deus. *Hic eſt ſermo, quem præcepit Dominus: Colligat vnuſquiſque ex eo quantùm ſufficit ad veſcendum, gomor per ſingula capita, iuxta numerum animarum veſtrarum, quæ habitant in tabernaculo, ſic tolletis*, &c. Colligere Precepit ex manna quantùm ſufficiebat. Id ipſum in cibo, potu, veſte, ceteriſque faciendum. Quod ſatis eſt, temperanter ſumendum; reliqua pauperibus donanda ſunt.

Fragmenta ſeruat parſimonia quæ pauperibus largiatur. Exodi 16.

CAPVT XIX.

Petunt Phariſæi ſignum de cælo.

MATTHÆVS CAPITE XV. & XVI.

ET dimiſſa turba, aſcendit in nauiculam: & venit in fines Magedan. Et acceſſerunt ad eum Phariſæi, & Sadducæi tentantes; & rogauerunt eum, vt ſignum de cælo oſtenderet eis. At ille reſpondens ait illis: Facto veſpere dicitis: Serenum erit, rubicundum eſt enim cælum. Et manè: Hodie tempeſtas, rutilat enim triſte cælum. Faciem ergo cæli diiudicare noſtis, ſigna autem temporum non poteſtis ſcire? Generatio mala, & adultera ſignum quærit, & ſignum Ionæ Prophetæ. Et relictis illis abiit.

MARCVS CAP. VIII.

ET ſtatim aſcendens nauim cum diſcipulis ſuis, venit in patres Dalmanutha. Et exierunt Phariſæi, & cœperunt conquirere cum eo, quærentes ab illo ſignum de cælo, tentantes eum. Et ingemiſcens ſpiritu, ait: Quid generatio iſta ſignum quærit? Amen dico vobis, ſi dabitur generationi iſti ſignum.

Mat. 15. & 16.

ET *dimiſſa turba.* Poſtquam pauit turbam Dominus: ſcapham ſtatim conſcendit, ac diſceſſit. Chryſoſtomus receſſiſſe ait nauigio, ne turbę ſequerentur. Quoniam, inquit, nullo miraculo ad ſequendum ipſum magis turbæ inducebantur, quàm hoc ſigno; quippe qui non ſolum ſequerentur, verùm etiam ad regni faſtigium promouere vellent, vt omnem tyrannidis ſuſpicionem euitaret, poſt huiuſmodi miracula confeſtim recedit, nec pedibus, ne ipſum ſequerentur, ſed nauigio, &c. Vt ſuſpicionem tyrannidis euitaret abiiſſe Chriſtum, non exiſtimo. Nemo enim ſuſpicabitur tyrannidem illum affectare, quòd turbæ ſequerentur.

Quis locus ſit Magedan.

Venit autem, vt Matthæus ait, in fines Magedan, vt Marcus, in partes Dalmanutha. Quæ loca ſint Magedan, & Dalmanutha dubium eſt. Lyranus & Carthuſianus putant Magedan locum eſſe, in quo Ioſias Rex eſt occiſus à Rege Ægypti,

4. Reg. 24. Abiit Ioſias rex in occurſum eius (ſcilicet regis Ægypti) & occiſus eſt in Maggedo, &c. ſed Hieronymus in lib. de locis Hebraicis, circa Geraſam eſſe ſcribit. Illius apponam verba; Magedan, inquit, ad cuius fines Matthæus ſcribit Dominum perueniſſe: ſed & Marcus eiuſdem nominis recordatur. nunc autem regio dicitur Magedena circa Geraſam. hæc ille. Ex quibus conſtat Magedan trans mare eſſe Galilææ, ſiquidem iuxta Geraſam eſt; Geraſeni autem, vt ſuprà diximus, trans mare ſunt. Hieronymus in Marco videtur legiſſe, non *Dalmanutha*, ſed *Magedan*, vt eius verba indicant. Auguſtinus quoque lib. 2. de conſenſu Euangeliſt. cap. 51. ait in quibuſdam codicibus Marci legi *Dalmanutha*, in pleriſque *Magedan*. Legendũ tamen eſt apud Marcum, non *Magedan*, ſed *Dalmanutha*. ſic enim Biblia habent ſummi Pontificis iuſſu correcta.

Quæ loca ſint Magedan, & Dalmanutha.

Concordia Euangeliſtarum.

Idem locus eſt Magedan & Dalmanutha.

Nulla verò inter Matthæum, & Marcum de loco eſt diſcrepantia. Nam vt Auguſtinus ait, idem locus eſt Dalmanutha, & Magedan, duobus appellatus nominibus. Non eſt, ait, dubitandum eundem eſſe locum ſub vtroque nomine, &c. Alij volunt duas eſſe regiones diuerſas, ſed coniunctas: ita vt, quí in fines vnius veniret, in fines etiam veniret alterius. Quomodo ſupra dicitur Chriſtus veniſſe in fines Tyri, & Sidonis. Potuit etiam vnum nomen eſſe ciuitatis peculiare, in cuius fines Chriſtus venit, alterum regionis generale.

Mat. 15. & 16. Petunt à cælo ſignum Phariſæi, & Sadducæi.

ROGAVERVNT *eum vt ſignum de cælo oſtenderet eis.* Poſtquam Chriſtus in Magedan peruenit, acceſſere ad illum Phariſæi, & Sadducæi, tentãt eſque miraculum è cælo poſtularunt. Stupenda in terra Dominus patrabat miracula, quæ ad afferendam fidem hominibus, ſatis ſuperque erant. Miracula admiranda, & vt ilia edebat, quæque hominibus vitam ac ſalutem afferebant. At Phariſæi & Sadducæi alia petebant, non vtilia, ſed vana, & curioſa: idque non fidei comparandæ cauſa, ſed tentandi gratia. Non vt crederent, quærebant (ait Chryſoſtomus homil. 54. in Matthæum) ſed facultatem reprehendendi inueſtigabant. Nam ſi quaſi credituri ipſum adiiſſent, dediſſet vtique ſignum, &c. Putat Chryſoſtomus Chriſtum fuiſſe daturum miraculũ Phariſæis & Sadducæis, ſi credituri ipſum adiiſſent. ſed cùm ſatis eſſent miracula, quæ edere ſolebat: forſitan veriſimilius eſt, non fuiſſe daturum miraculum è cælo. Signa autem ſiue miracula quæ è cælo poſtulabant, eiuſmodi erant, vt idem Chryſoſtomus docet, vt ſolem ſiſteret, aut lunam frænaret, & inhiberet, aut fulmina proiiceret, aut aërem commutaret, aut ſimilia. hæc inutilia ex cælo miracula, ſuperbi poſtulabant homines.

Chryſoſt.

Mat. 15. & 16.

FACTO *veſpere dicitis ſerenum erit.* Veſpertinus in cælo rubor ſerenitatis; matutinus verò pluuiæ ſignum eſt. Idcirco Iudæi cum veſperi rubicundum cernebant cælum, aiebant, ſerenum, vel ſerenitas erit. Nam cælum rubore perfuſum eſt. Cùm vero matutino tempore ruborem conſpiciebant, dicebant hodie tempeſtas erit; rutilat enim triſte cælum, id eſt, rubeſcit, Græcè, πυῤῥάζει, verbum vtrobique eſt. id eſt, rubet. ex rubore ergo cæli futuram ſerenitatem, vel tempeſtatem ſciebãt prænoſcere, cælique faciem diiudicare.

Mat. 15. & 16.

FACIEM *ergo cæli diiudicare noſtis, ſigna autem temporum non poteſtis ſcire.* Duobus modis hæc verba leguntur, & explicantur. Et ſine interrogatione, & cum interrogatione. Sine interrogatione legit, &

explicat Lyranus, in hunc sensum :faciem quidem cæli scitis diiudicare, & ex facie cæli scitis serenitatem cognoscere, aut tempestatem. At verò signa temporum, quæ Deus prædefiniuit sua præscientia, de aduentu Messiæ, non potestis ex facie cæli diiudicare. quia non pendet, ex constellatione Messiæ aduentus. Cognoscendus igitur, & inuestigandus est, ex Prophetis. sed sensus hic probabilitate caret. Nec enim Dominus significat aduentum Messiæ ex constellatione non posse cognosci, quod perspicuum erat; neque ea de re eat quæstio. Melius interpretatur Caietanus hoc pacto: ex facie cæli, & signis, ô Pharisæi didicistis cognoscere futuram pluuiam, vel serenitatem. Signa autem præsentia temporum Messiæ, non solùm nescitis, sed nec potestis scire propter vestram malitiam. Cùm tamen clariora sint, & certiora, quàm pluuiæ, & serenitatis signa.

Messiæ aduentus non pendet ex constellatione.

Chrysost.

D. Chrysostomus sic exponit hom. 54. in Matthæum: Sicut in cælo, inquit, aliud tempestatis, aliud sereni temporis signum est. & nullus signo tempestatis conspecto tranquillitatem expectat; neque in tranquillo tempore tempestatem scrutatur: eodem quoque modo in me cogitare oportet. Aliud enim tempus est huius aduentus; aliud futuri. His miraculis, quæ in terra facimus vobis nunc opus est; quæ verò in cælo fiunt illi tempori reseruantur, &c. Itaque ex sententia Chrysostomi significat Christus, signa ex cælo, quæ petebant Pharisæi, ad secundum aduentum pertinere, iuxta illud, *Erunt signa in sole, & luna, & stellis*, &c. signa autem curationum, quæ patrabat in terris, primum aduentum postulare, iuxta illud, *Deus ipse veniet & saluabit nos: tunc aperientur oculi cæcorũ, & aures surdorum patebunt. tunc saliet sicut cernus claudus, & aperta erit lingua mutorum*, &c. Faciem (inquit Christus) cæli, ô Pharisæi, diiudicare nostis; scitis diuersa esse signa serenitatis & tẽpestatis. signa autẽ temporũ, videlicet, signa temporis primi aduentus, & tẽporis secundi aduentus, non potestis scire? D. August. lib. 1. quæst. euang. c. 20. Signa, inquit, temporũ dixit Christus, de aduentu suo, vel passione, cui simile est roseum cælum vespere. & item de tribulatione ante aduentum suum (scilicet ad iudicium) futura; cui simile est, mane roseum cum tristitia cælum, &c.

Alia signa primi, alia secundi aduentus.
Signa ex cælo secundi sunt aduentus.
Signa curationum primi aduẽtus sunt.
Luca 21.
Isaia 35.

Hieron.

Aliter D. Hieronymus: Sensus, inquit, manifestus est, quod ex elementorum ordine, atque constantia possint & sereni, & pluuiæ dies prænosci. Scribæ autem, & Pharisæi, qui videbantur legis esse doctores, ex prophetarum vaticinio non potuerunt intelligere Saluatoris aduentum, &c.

Cum interrogatione legenda sunt Christi verba, & explicãda, vt docent Biblia correcta. Negat tentantibus signum è cælo, eosq; arguit, quod ex miraculis in terra datis, non credant se Messiam esse. Erant enim ad ingenerandã fidem satis superque. *Faciem*, inquit, *cæli diiudicare nostis*: ex signis tempestatem, serenitatemq; cognoscere scitis. signa autem temporum horum, in quibus ego Messias vester in terris versor, non potestis scire? per interrogationem legendũ. Equidem potestis scire, sed scire non vultis. Ita exponit D. Anselmus Mat. 16. Faciem inquit, cæli cognouistis discernere; signa autem temporum aduentus mei, non potestis animaduertere. sic etiam D. Hieronymus, vt supra diximus. At interrogationis non meminerunt. sic Hilarius. Probatur hic sensus ex simili loco, *Hypocritæ* (ait Dominus) *faciem cæli & terræ nostis probare: hoc autem tempus, quomodo non probatis?* &c. hoc, inquit, tempus mei aduentus, quomodo non cognoscitis ex signis, quæ videtis, quemadmodum futurum imbrem, vel æstũ, ex signis cæli cognoscitis? Quadrant hæc verba in aliquos philosophos, viroſque doctos, naturæ & scientiarum scrutatores. Faciem cæli, terræ, elementorumque omnium, & scientiarum, diiudicare nouerunt. signa autem æternæ damnationis in se ipsis, non nouerunt. Peccatorum pondus, virtutisque splendorem, Dei iustitiam, tartarique horrendas flammas, non cognoscunt. Thaletem scribit Anaximenes in epist. ad Pythagoram, dum æthera securus explorat, in subiectam incidisse foueam. En tibi multorum imaginem, qui dum cælum, terram, maria, rerumque omnium naturas explorãt securi, subiectam peccati, Orcique foueam non cauent.

Ex miraculis Christus poterat cognosci, & ex Prophetis.
Matt. 15. & 16.
Luca 12.
In Philosophos qui res diuinas non meditãtur.

GENERATIO *mala, & adultera signum quærit.* Ingemiscens protulit verba hæc Dominus, vt Marcus ait; cæcitati enim & improbitati Pharisæorum indoluit. Generationem appellat malam, & adulterã, hoc est, hominum genus impium & à Deo ad diabolum deficiens; quemadmodum adultera fœmina à viro deficit ad adulterum. Ita interpretatur Hieronymus Matthæi 12. Egregiè, inquit, dixit Christus, adultera: quia dimiserat virum, & iuxta Ezechielem multis se amatoribus copulauerat, &c. Dimiserat autem virum, scilicet, Deum; & idolis se olim copulauerat; quamuis Christi tempore idola non coleret. Non appellat generationem adulterinam, & de generẽ, sed adulteram. *Signum*, ait, *non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ*. Hæc verba bis à Christo dicta sunt, & supra expositа lib. 8. cap. 18.

Matth. 15. & 16.
Generatio adultera quanam appelletur.
Hieron.
Mat. 15. & 16.

CAPVT XX.

Cauendum à fermento Pharisæorum.

MATTHÆVS CAPITE XVI.

ET cùm venissent discipuli eius trans fretum, obliti sunt panes accipere. Qui dixit illis: Intuemini, & cauete à fermento Pharisæorum, & Sadducæorum. At illi cogitabant intra se dicentes: Quia panes non accepimus. Sciens autem Iesus, dixit: Quid cogitatis intra vos modicæ fidei, quia panes non habetis? Nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum, in quinque millia hominum, & quot cophinos sumpsistis; neque septem panum in quatuor millia hominum, & quot sportas sumpsistis? Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis: Cauete à fermento Pharisæorum, & Sadducæorum. Tunc intellexerunt, quia non dixerit cauendum à fermento panum, sed à doctrina Pharisæorum, & Sadducæorum.

MAR

MARCVS CAPITE IIVI.

ET dimittens eos, aſcendit iterum nauim, & abiit trans fretum. Et obliti ſunt panes ſumere, & niſi vnum panem non habebant ſecum in naui. Et præcipiebat eis, dicens: Videte, & cauete à fermento Phariſæorum, & fermento Herodis. Et cogitabāt ad alterutrū, dicentes: Quia panes non habemus. Quo cognito, ait illis Ieſus: Quid cogitatis, quia panes non habetis; nondum cognoſcitis nec intelligitis? adhuc cæcatum habetis cor veſtrum? oculos habentes non videtis? & aures habentes non auditis? Nec recordamini, quando quinque panes fregi in quinque millia; quot cophinos fragmentorum plenos ſuſtuliſtis? Dicunt ei: Duodecim. Quando & ſeptem panes in quatuor millia: quot ſportas fragmentorum tuliſtis? Et dicunt ei: ſeptem: & dicebat eis: Quomodo nondum intelligitis?

Cur panes non habebant Apoſtoli ex tot ſportis, & fragmētis, quæ collegerant.

RELICTIS tentantibus Phariſæis, ac Sadducæis, veluti incurabilibus, è regione Magedena, quæ vltra mare Galilææ erat, diſceſſit Dominus, & in loca ea venit quæ cis mare erant. Diſcipuli verò cymbam ingreſſuri, panes ſumere obliti ſunt, vnum tantum modò ferebant in ſcapha panem, vt Marcus ait. Quærit D. Hieronymus, quomodo panes non habebant, qui ſtatim impletis ſeptem ſportis, aſcenderunt in nauiculam, & venerunt in fines Magedan? &c. Reſpondet, habuiſſe quidem panes, qui ſuperfuerant ſatiatæ turbæ, ſed oblitos eſſe ſumere, vt ait Euangeliſta. Nos ſupra opinati ſumus diſcipulos ſeptem illas ſportas pauperibus diſtribuiſſe, ſibi verò neceſſarios aliquot panes reſeruaſſe, qui cùm cymbam ingreſſi ſunt, abſumti iam erant. Obliti igitur dicuntur ſumere panes, id eſt, emere. ſolebant enim panes ad edendum ſumere, ſecumque in deſerta loca ferre. Dediſſe autem pauperibus panis ſportas ſentit Carthuſianus, Matthæi 16. & Maldonatus. Obliuio hæc panis, ait D. Anſelmus, iudicium eſt, quòd modicam carnis curam haberent diſcipuli in reliquis; quibus ipſa reficiendi corporis neceſſitas, intentione Dominici comitatus, & dulcedine veri panis, qui cum eis erat, id eſt, Chriſti, mente exciderat, &c.

Fragmenta quæ ſuperfuerunt ex panibus & piſcibus, pauperibus data ſunt.

Obliuio cibi in Apoſtolis quid denotet.

Mat. 16. Marc. 8.

CAVETE *à fermento*. Reliquerat Dominus Phariſæos, & Sadducæos, qui e cælo ſignum poſtularant; ideoque de eorum doctrina agit cum diſcipulis. *Intuemini*, inquit, *& cauete* diligenter, *à fermento Phariſæorum, & Sadducæorum*. Addit Marcus: *& fermento Herodis*. Quid fermenti nomine ſignificauerit Dominus ambigitur. Diuus Matthæus id exponit, *tunc*, inquit, *intellexerunt, quia non dixerit cauendum à fermento panum, ſed à doctrina Phariſæorum*, &c. Fermentum ergo hoc loco doctrinam prauam ſignificat, à vera Dei doctrina abhorrentem. Hieronymus Matthæi 16. Fermentum, ait, Phariſæorum & Sadducæorum, non corporalem panem, ſed traditiones peruerſas, & hæretica ſignificat dogmata. item: Iſtiuſmodi fermentum, quod omni ratione vitandum eſt, habuit Marcion, & Valentinus, & omnes hæretici. Fermentum hanc vim habet, vt ſi farinæ mixtū fuerit, quod paruum videbatur, creſcat in maius, & ad ſaporem ſuum vniuerſam conſperſionem trahat. ita doctrina hæretica, ſi vel modicam ſcintillam in tuum pectus iecerit, in breui ingens flamma ſuccreſcit, & totam hominis poſſeſſionem ad ſe trahit. Hæc D. Hieronymus. Cauendum igitur diligentiſſimè eſt à fermento hæreticorum, Lutheri, Caluini, & reliquorum. Nam, vt Paulus ait, *modicum fermentum totam maſſam corrumpit*. Quod experientia ſatis ſuperque noſtris docuit temporibus. *Intuemini* (ait Dominus) *& cauete à fermento*, &c.

Fermentum doctrina eſt Phariſæorū, & hæreticorum.

Doctrina hæretica maſſam corrumpit.

Cauendum à doctrina Lutheri, & Caluini.

1. Cor. 5.

QVIA *panes non accepimus*. Lyranus ita hunc locum interpretatur. De naturali fermento, vel pane fermentato, diſcipuli Dominum loqui putarunt. Cùm dixit: *Cauete à fermento Phariſæorum, & Sadducæorum*. Cogitabant ergo intra ſe, & dicebant: *Quia panes non accepimus*, vllos; quaſi dicerent, bene cauimus à fermento Phariſæorum, & Sadducæorum; vtique ab eis nullum accepimus panem. Cardinalis Hugo ſic: Aiūt diſcipuli; Ideò dicit magiſter: *Cauete à fermento Phariſæorum*; quia panes non accepimus; nec vult nos panes à Phariſæis accipere. Carthuſianus hoc pacto; *Quia panes non accepimus*; ideo admonet nos Dominus, ne eamus, vel accipiamus panem à Phariſæis, & Sadducæis. *Matth. 16.*

Exponenda ſunt verba, in hunc modū, vt Chriſti increpatio probat: Cùm Chriſtum de fermēto loquetem audiſſem, recordati ſunt diſcipuli, panum quos ſumere obliti fuerant; tunc ſoliciti, *cogitabant intra ſe* (ſic legendū vt correcta habent Biblia, non, *inter ſe.*) *dicentes: Quia panes non accepimus. Quia*; cauſam non ſignificat hoc loco, ſed, *vtiq;* vel *certè*. quaſi dicant: Vtiq; panes nō emimus, panes nō habemus. vnde nam illos comparabimus, ſi forte in deſertū locū magiſter nauigarit? Itaque Apoſtoli de panis penuria ſolliciti erant; quam ob cauſam à Chriſto increpātur, & modicæ fidei, ὀλιγόπιστοι, appellātur.

QVID *cogitatis intra vos modicæ fidei, quia panes non habetis*. Increpat Dominus diſcipulorū de panibus ſolicitudinē, *Quid*, inquit, *cogitatis modicæ fidei*, quid ſoliciti eſtis, quòd panibus caretis? Nondū intelligitis metaphorā fermenti? Adhuc obcęcatum habetis cor? oculos habentes, miracula in panibus facta non videtis? Aures habentes non auditis parabolam fermenti vobis propoſitā? Non recordamini miracula in panibus perpetrata? quot cophinos fragmentorū ſuſtuliſtis; quādo ex quinq; panibus quinque hominū millia pauī? reſponderūt illi, *duodecim*. Quot ſportas fragmentorum collegiſtis, paucis ante diebus, cùm ex ſeptē panibus, quatuor hominū millia ſaturaui? reſpōderunt, *ſeptem*. Quare non intelligitis me de pane nō eſſe ſollicitū, nec loqui, quem tanta facilitate abundātiſſimè largiri potsū: ſed fermentū Phariſæorū, & Sadducæorū aliquid aliud appellare? *Tunc* (ait Matthæus) poſt increpationē, intellexerunt, quia non dixerit cauendum à fermento panum: ſed à doctrina Phariſæorum, & Sadducæorum, &c. Qui autem fuerint Phariſæi, & Sadducæi, tomo 3. dicimus. *Reprehēdūtur diſcipuli quòd eſſent ſoliciti de pane.*

Chryſoſtomus homil. 54. in Matthæū obſeruat, Chriſtum hoc loco acriter diſcipulos increpaſſe, atque homines duobus indigere, & māſuetudine, & increpatione. Sic, inquit, nos, nō vbique, neque ſem- *Homines duabus rebus indigēt increpatione, & māſuetudine.*

ſemper aſſentari ſubiectis velimus neq; optemus vt principes nobis adulentur. Nam vtriſque remediis animus hominũ indiget. Vnde & Deus orbem ita gubernat, vt modo hoc, modo illud adhibeat: nec ſecũda ſemper cõcedat, nec aduerſa per A ſe ſola eſſe permittat. Et quemadmodum nox eſt poſt diem, & dies poſt noctem, & æſtas, atq; hyems viciſſim: eodẽ nos quoq; modo aliàs dolor vexat, aliàs voluptas permulcet, & nunc quidem ægrotatione laboramus, modo autẽ fruimur ſanitate, &c.

CAPVT XXI.

MARCVS CAP. VIII.

ET veniunt Bethſaidam, & adducunt ei cæcum, & rogabant eum, vt illum tangeret, & apprehenſa manu cæci, eduxit eum extra vicum: & expuens in oculos eius, impoſitis manibus ſuis, interrogauit eum, ſi quid videret. Et aſpiciens, ait; Video homines velut arbores ambulantes. Deinde iterum impoſuit manus ſuper oculos eius; & cœpit videre. Et reſtitutus eſt, ita vt clarè videret omnia. Et miſit illum in domum ſuam, dicens: Vade in domum tuam: & ſi in vicum introieris, nemini dixeris.

Marc. 8. ET *veniunt Bethſaidam*. Ex regione Magedena venit Dominus in Bethſaidam, vt Marcus docet, ſiue id primùm fuerit oppidum, in quod venit, ſiue aliud. Inter nauigandum diſcipulis præcepit, vt à fermento Phariſæorum & Sadducæorum cauerent. Niſi quis velit, & poſtquàm ex cymba deſcendit id contigiſſe, antequam veniret Bethſaidam. Eſt autem Bethſaida magni Petri patria, iuxtà mare Galilææ ſita.

Ordo rerum à Chriſto geſtarum.

Marc. 8. ET *adducunt ei cæcum*. Cæcus qui non videbat, ad Chriſtum venire non poterat, quocirca adducitur. Rogabant verò qui ducebant, vt oculos illius tangeret, tactuque conferret lumina.

Marc. 8. Cæci curatio facta certis cæremoniis. Marc. 8.

ET *apprehenſa manu cæci*. Non verbo ſolo, aut nutu (quod facere poterat) non tactu ſolo, cæcum hunc ſanat: ſed primùm illius apprehendit manum, & extra vicum Bethſaidã educit; deinde in oculos eius expuit manuſque imponit, imponit inquam manus, ἀυτῷ, vt græcè habetur; id eſt, ipſi cæco, videlicet capiti aut oculis. tùm manibus impoſitis, ſi quid videat, rogat. apertis oculis, ille; *video*, ait, *homines velut arbores ambulantes*: Videbat enim imperfectè. Rurſus impoſuit Dominus manus non capiti, ſed oculis, perfectamque lucem contulit.

Cur ex oppido cæcum eduxerit Dominus. Matth. 11.

Cur ex oppido cæcum eduxerit; dubitatur. Propter incolarum incredulitatem id factum ſentit Theophylactus, & Euthymius. Incredulos enim fuiſſe ex illis Chriſti verbis cõſtat, *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida*, &c. Crediderim potius extra oppidum eductum cæcum, ne turba conflueret. Miraculum enim coram paucis voluit facere, & iactantiæ fugiendæ exemplum præbere. Expuit autem Dominus in oculos luce carentes; ſcilicet diuina ſaliua veluti collyrio eos imbuit. Primùm imperfectè curauit, quia imperfectè credebat, vt Theophylactus ait. Præterea, vt deſiderium cæci, & fidem accenderet; tandem perfectam lucem præbuit, quoniam *Dei perfecta ſunt opera*.

Cur primũ imperfectè cæcus viderit. Deut. 32. Marc. 8.

VADE *in domum tuam*. Sanatum cæcum in domum ſuam miſit, præcepitque, vt nemini miraculum aperiret, ſed ſilentio tegeret; humilitatis exemplum nobis exhibens. *Vade*, inquit, *in domum tuam, & ſi in vicum*, id eſt Bethſaidam, *introieris, nemini dixeris*. Theophylactus putat, Chriſtum præcepiſſe cæco, ne Bethſaidæ miraculum vulgaret, quia increduli erant oppidi incolæ. Sed humilitatis potiùs, & exempli cauſa factum reor. Græci habent, μηδὲ εἰς τὴν κώμην εἰσέλθῃς, μηδὲ εἴπῃς τινὶ ἐν τῇ κώμῃ, hoc eſt; *neque vicum introeas, neque dicas alicui in vico*. At latina lectio vera eſt, quæ in Bibliis correctis extat. Videtur hic cæcus in oppido Bethſaida nõ habitaſſe, quod colligitur ex his verbis. *Vade in domum tuam, & ſi in vicum*, id eſt, Bethſaidam, *introieris, nemini dixeris*. Nam ſi domus illius in vico erat, & in domum mittebatur: mittebatur etiam in vicum Bethſaidam. Quorſum igitur ait Dominus, *etſi in vicum introieris*, cùm neceſſe eſſet introire, vt domum peteret. Non ergo Bethſaidæ habitabat, quam forſitan ob cauſam, illum extra oppidum curare voluit.

Hoc loco appellatur Bethſaida vicus. At Ioannis 1. ciuitas dicitur. Ianſenius, & Maldonatus putant, appellari vicum, græcè, κώμην, ob paruitatem, quòd parua eſſet ciuitas. vel dicendum appellari Bethſaidam vicum hoc loco, quoniam vicus fuerat. Ciuitatem verò à Ioanne dici, quia ex vico in ciuitatem eſt mutata, vt Ioſephus teſtatur lib. 18. Antiq. cap. 3. Philippus, inquit, vico Bethſaidæ, in ripa lacus Geneſareth, ſpeciem vrbis addidit, frequentato incolis & aucto opibus. quem Iuliæ Cæſaris filiæ cognominẽ eſſe voluit, &c. Dicta enim eſt Bethſaida etiam Iulias, à Iulia Cæſaris filia. Forſitan κώμη, nomen græcum, paruis ciuitatibus tribuebatur. Nam Bethleem, quæ parua erat ciuitas, κώμη, dicitur, Ioannis 7.

Bethſaida vicus fuit, poſtea ciuitas.

Bethſaida ex vico ciuitas.

Morale. Spiritualiter cæcus quis ſit.

Quis ſit cæcus, docet hoc loco gloſſa interlin. his paucis verbis: Qui non videt, *quid fuit, quod eſt; quod erit*, &c. Is igitur cæcus eſt, qui Chriſti Opt. Max. cruciatus, doloreſque pro hominibus toleratos, Sanctorumque virorum exempla, quæ præceſſerunt, non videt, non meditatur. Qui, *quod eſt*, hoc eſt, Orci tormenta, cæleſtia gaudia, Dei potentiam, iuſtitiam, cæteraque attributa, non contemplatur. Qui, *quod erit*, hoc eſt, mortis acerbiſſimum diem, iudicij tùm peculiaris, tum generalis retributionem, non conſiderat. Heu quot cæcos mundus habet. Excæcauit Tobiam hirundinũ ſtercus, Tob. 2. hos caduca bona, quæ videtes veluti ſtercora ſpernunt, excæcat. ſtercus enim hoc in oculis ipſis ferũt, hoc eſt vehemẽter amãt. Qui fieri poteſt, vt is videat, qui plenos vel puluere, vel ſtercore habet oculos?

Caduca res excæcat hominem.

oculos? hi autem intellectum, ac memoriam, qui qui animæ oculi ſunt, ſordidis caducarum rerum cogitationibus perpetuò refertos habent.

Quicumq; valet, ex his cæcis aliquem ad Chriſtum adducat; roget Chriſtũ, vt illum tangat. Tangitur (vt eſt in gloſſa interl.) qui compungitur, &c. ô fælicem cæcum, quem tangit Dominus, quem inſpirationis validis aculeis pungit, quem ex vico, id eſt, mũdo, ex Bethſaida, id eſt, domo frugum, ex horreis, ex diuitiarũ cupiditate, ardentiq́ue opum amore, apprehẽſa manu adducit, quemadmodum olim angeli Lot è Sodomis eduxerunt, *Diſsimulante illo, apprehenderunt manum eius, & manum vxoris, ac duarum filiarum eius. eduxeruntq́ue eum, & poſuerunt extra ciuitatem.* &c. Difficile eſt hominem ex Bethſaida, hoc eſt, domo frugum (id enim ſignificat Hebræum nomen) ex opulenta domo frumento, oleo, vinoq́ue referta, ad æternas res contemplandas extrahere. Niſi Deus manum apprehendat, non extrahetur.

Gen. 19.

Difficile eſt hominem ex Bethſaida educere, id eſt opibus.

Expuit Dominus in oculos cæci: ſaliua ſua veluti collyrio illos inunxit. Quid ſaliua ſit Chriſti, D. Gregorius indicat homil. 10. in Ezechielem: Saliua, inquit, nobis, ex ore redemptoris, accepta ſapientia in eloquio diuino. Saliua quippe ex capite defluit in ore, &c. Et Autor ille cuius eſt homilia 9. in Marcum, quæ Chryſoſtomo tribuitur: Saliua, ait, Domini perfecta doctrina eſt; quæ, vt perfecte doceat, à Dominico ore procedit, &c. tunc ergo oculi ſaliua Chriſti imbuuntur, cùm Chriſti ſapientia, & doctrina, intellectus qui animi oculus eſt, inungitur; cùm rerum diuinarum meditatione imbuitur: cùm æternitatis conſideratione reſpergitur. Mox cernere incipit ea, quæ non cernebat, ſed paulatim. Primùm obſcurius, vt hic cæcus: deinde apertiùs. Videt in primi homines veluti arbores ambulantes: intelligit enim homines arboribus eſſe ſimiles, quæ ni ferant fructum, ignis pabulũ fiunt. Videt improbos veluti arbores ambulantes, ambulantes, inquam, in perpetuum incendium; timet, horret animus. hic timor initium eſt ſalutis. Vnde D. Bernardus 1. de Euangelio ſeptem panum. Prima, inquit, dies eſt timoris. dies, inquam, declarans & illuminans tenebras tuas, interiores ſcilicet: & horrendum gehennæ ſupplicium demonſtrans, in quo ſunt tenebræ exteriores. huiuſcemodi ſiquidem cogitatio, ſicut ipſi noſtis, noſtræ ſolet exercere primordia conuerſionis, &c. Pòſt, videt arborum viridantium, ac fructiferarum, id eſt, hominum proborum fructus, quàm ſint dulces, quàm iucundi, quàm ſuaues. hi ſunt bona opera, gratia, virtutes, & gloria ſempiterna. horum fructuum ſuauitate mens capta mundi ſtercora contemnit, deſeritq́ue Bethſaidam, id eſt, frugum domum, quas vermis exedit, in æterna ardet atque ſuſpirat. Tandem à Domino fælix illud verbũ audit noſter cæcus, iam videns: *Vade in domum tuam*: quæ cælum eſt. veni in regnum gloriamq́ue tuam, tibi à me ex æternitate præparatam.

Quid ſit ſaliua Chriſti.

Timor Dei initium ſalutis.

Bernard.

Marc. 8.

CAPVT XXII.

De confeſſione D. Petri.

MATTHÆVS CAPITE XIV.

VENIT autem IESVS in partes Cæſareæ Philippi: & interrogabat diſcipulos, dicens: Quem dicunt homines eſſe filium hominis? At illi dixerunt: Alij Ioannem Baptiſtam, alij autem Eliam, alij verò Ieremiam, aut vnum ex prophetis. Dicit illis Ieſus: Vos autem, quem me eſſe dicitis? Reſpondens Simon Petrus, dixit, TV ES CHRISTVS, FILIVS DEI VIVI. Reſpondens autem Ieſus, dixit ei: Beatus es Simon Barlona: quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum. Et quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.

MARCVS CAPITE VIII.

ET egreſſus eſt Ieſus, & diſcipuli eius, in caſtella Cæſareæ Philippi: & in via interrogabat diſcipulos ſuos, dicens eis: Quem me dicunt eſſe homines? Qui reſponderunt illi, dicentes: Ioannem Baptiſtam, alij Eliam, alij verò quaſi vnum de prophetis. Tunc dicit illis: Vos verò quem me eſſe dicitis? Reſpondens Petrus, ait ei: TV ES CHRISTVS.

LVCAS CAPITE IX.

ET factum eſt cùm ſolus eſſet orans, erant cum illo & diſcipuli: & interrogauit illos, dicens: Quem me dicunt eſſe turbæ? At illi reſponderunt, & dixerunt: Ioannem Baptiſtam, alij autem Eliam, alij verò, quia vnus propheta de prioribus ſurrexit. Dixit autem illis: Vos autem, quem me eſſe dicitis? Reſpondens Simon Petrus dixit: CHRISTVM DEI.

Ordo gest.

POST ea, quæ supra exposuimus, narrat Matthæus Christum in partes Cæsareæ Philippi venisse, Marcus ait egressum in castella Cæsareæ, græce, εἰς τὰς κώμας, id est, in vicos, & oppida circumuicina Cæsareæ. videlicet, vt plebem doceret, regiones illas pedibus peragrabat.

Duæ Cæsareæ in Palæstina.

Duæ fuere vrbes in Palæstina, quæ in honorem Cæsarum, Cæsareæ sunt appellatæ. Altera ab Herode Innocentium interfectore, eo in loco extructa, qui turris Stratonis dicebatur, in honorē Augusti Cæsaris, Cæsarea Palæstinæ nūcupata est. Altera à Philippo ipsius Herodis filio aucta, & ornata, in honorem Tiberij Cæsaris, à nomine Cæsaris, & amplificatoris Philippi, Cęsarea Philippi est nominata. De illa priore Iosephus l. 1. de bello Iud. c. 16. Cùm, inquit, inter maritimas ciuitates vidisset Herodes vnā vetustate iam fessam, quæ Stratonis turris dicebatur, totam eam candido saxo reparatam, clarissima regia decorauit, &c. Et. lib. 15. Antiq. ca. 13. Cùm, ait, animaduertisset Herodes in maritimis locum condendæ vrbi opportunissimum, cui olim Stratonis turris nomen fuerat, formam eius magnificè descripsit, & ædificiis marmoreis totam exornauit. Et quod fuit omnium operosissimum, portum à tempestatibus tutum addit, magnitudine Pirẹo parem, admirandum structura. Sita est hæc vrbs in Phœnice, inter Dorā, & Ioppen. hæc ille. De posteriore Cæsarea Philippi, idem auctor lib. 18. Antiq. cap. 3. Philippus, ait, Paneada sitam ad Iordanis fontes, instruxit ædificiis, indito Cæsareæ nomine, &c. Erat ergo hæc Cæsarea Philippi prope locum illum sita, in quo Iordanis fluuius oritur, ad radices Libani montis, proinde in fine erat regionis Iudæorū, versus Semptrionem.

Iosephus.

Cæsarea Palæstinæ.

Cæsarea Philippi.

Duo termini regionis Dā & Bersabee. 2. Reg. 3.

Nam duo erant termini regionis, alter versus Austrum, videlicet Bersabee: alter versus Septemtrionem, scilicet Dan. vnde, *Eleuetur thronus Dauid super Israel, à Dan, vsq; Bersabee*: id est, super vniuersam terram Israel à Septemtrione in Austrum. &, *Congregetur ad me vniuersus Israel, à Dan, vsq; Bersabee*. Cæsarea autē Philippi prope Dan erat, teste D. Hieron. in libro de locis Hebraicis. Dan, inquit, viculus est, in quarto à Paneade milliario euntibus Tyrum, terminus Iudææ contra septemtrionē, &c. Paneas dicta est Cæsarea Philippi. Itaque versus Septemtrionē iter fecit Dominus, in extremas Iudęę oras.

2. Reg. 17.

Dan viculus prope Paneadem.

Matth. 16. Luc. 9.

ET *interrogabat discipulos suos.* D. Lucas, ait Dominum cum solus esset orans, discipulos interrogasse, & *factum est*, inquit, *cùm solus esset orans, erant cum illo & discipuli, & interrogauit illos*, &c. Si solus erat, quomodo cum illo erant discipuli? Respondetur, fuisse cum illo discipulos sed à loco orationis separatos. Rogabis, numquid Dominus cùm esset orans, in ipsa oratione discipulos interrogauit? Respōdetur post orationem interrogasse. Explicandus Lucas est hoc pacto: Cùm solus esset orans, post ipsam orationem, discipulos rogauit. Obstat Marcus, sic enim scribit: *In via interrogabat discipulos suos*: hoc est, inter eundum, cùm iter facerent, non ergo cùm oraret. Respondet D. Augustinus lib. 2. de consens. Euang. ca. 53. Marcus, inquit, dicit in via discipulos à Domino interrogatos: sed eum mouet, qui putat, quòd numquam orauit in via, &c. Videtur Augustinus arbitrari Christum in via, id est, cùm faceret iter, in ipso itinere orasse solum, & à discipulis separatum, & rogasse discipulos. Potest etiam sic exponi Marcus: forsitan Augustinus id significat. Venit Christus in partes Cæsareæ Philippi, diuertit in aliquē locum solus, & orauit, non cùm faceret iter in ipso itinere, sed eodē in loco discipulos interrogauit post orationem. Interrogasse autem dicitur in via, hoc est, antequàm ad oppidum peruenirent, cùm adhuc in via esset & itinere, sed tamen quiescerent, & oraret.

Christus discipulos rogauit in via.

Concordia Euangelistarum. Marc. 8.

QVEM *dicunt homines esse filium hominis.* Sciebat Dominus, quē dicerent homines esse filium hominis; sed vt Petri fidem patefaciat, illique Ecclesiæ promittat claues, id rogat, quod nouit. Præterea, quia passionem suam discipulis volebat prędicere, de fide prius illos voluit rogare. vnde D. Anselmus in Matth. Quia, inquit, mortē suam Apostolis reuelare volebat, prius in fide sua eos vult cōfirmare ne audita infirmitate suę passionis titubent, &c. Sic autem rogat: *Quem dicunt homines*, hoc est vulgus hominū, *esse filium hominis*, id est, me; filium enim hominis se appellare solebat ab humanitate, quam videbant homines. Inter homines, Pharisæos, & similes non comprehendebat. Nā Lucas sic proponit hanc interrogationem; Quem me dicūt esse turbæ? &c. D. Chrysost. hom. 55. in Matth. Non dixit Christus, quem me asserunt esse Scribę, & Pharisæi? sed Quem me dicunt esse homines? populi opinionem de se quærebat, quoniā etsi deiectior esset, procul tamē ab omni era malitia, qua Pharisæi & Scribæ, maximè peruertebantur, &c.

Matth. 16.

Cur discipulos Christus interrogat.

Christus cur se hominis filium dicat.

Chrysost.

ALII *Ioannem Baptistam.* Quid de Domino dicerent homines aperiūt discipuli. Alij aiunt Domine te esse Baptistam Ioannem, alij Eliam, alij Ieremiam, aut vnum ex prophetis. Iansenius hoc loco & cap. 16. concordiæ, existimat Iudæos putasse Christum esse Baptistam Ioannem, vel Eliam, vel Ieremiam, propterea quòd anima Baptistæ, aut Ieremiæ, in Christi corpus migrasset, iuxta Pythagoræ μετεμψύχωσιν, & παλιγγενεσίαν.

Anputarint Iudæi animam Baptistæ, vel prophetæ alicuius, migrasso in corpus Christi?

Caietanus quoque Matthæi 16. eiusdem opinionis est. Putabant, inquit, spiritū Ioannis occisi ingressum esse in Iesum, &c. Itē, regressum animarum in corpora omnes isti præsupponebant, excepta opinione Eliæ. Venturū enim expectabant Eliam, &c. idē sensit Card. Bar. in Annalibus anno Domini 33. Admirandum, ait, est quàm egregiè in Galilæa fuerit illa Pharisæorum hæresis propagata, qua defunctorum animas in alia corpora, pro meritis cuiusque personæ commigrare dicebant. Dum post tot signa à Domino edita, ea de Christo inualuisset opinio, ipsum esse Ioānem Baptistam, vel Ieremiam, aut quempiam alium ex prioribus prophetis illis. quos quidem omnes cùm constet fuisse defunctos, sic intelle xisse certūest, quòd anima alicuius ex his in Christū migrasset. hæc ille.

Card. Bar.

In hanc sententiam non eo. Existimo potiùs Iudæos existimasse Baptistam à mortuis surrexisse. quod indicat Herodes, *hic*, inquit, *est Ioannes Baptista, ipse surrexit à mortuis*, &c. Non ait; Anima eius migrauit in Iesum, sed ipse surrexit à mortuis. Similiter existimabant Ieremiam, aut alium ex antiquis Prophetis surrexisse. Eliam autem venturum expectabant, ex Malachia cap. 4. Nota Iudæis erat resurrectio ex Scripturis, & ex miraculis Christi, ideoque opinātur Baptistam surrexisse, vel alium ex antiquis prophetam.

Matth. 14.

Cur hi Iudæi non putarint Christum esse nouum aliquem prophetam.

Petes, cur hi non credebant, Christū esse prophetam aliquē nouū, ad Iudęos recens missum: sed ex antiquis vnum? Respōdetur, miraculorum magnitudinē, ac multitudinē in causa fuisse. Etenim non putabant tot miracula adeò stupenda, ab alio posse patrari, quā à propheta aliquo à mortuis excitato. Nam post resurrectionē prophetas ad miracula edenda potentiores esse opinabātur, iuxta illud Herodis, *Hic est Ioānes Baptista, ipse surrexit à mortuis, & ideo virtutes, δυνάμεις operantur in illo.* En, Herodes Ioannē ait miracula edere, quod à mortuis potentior ad ea edēda esset excitatus, idē alij opinabātur.

Matth. 14.

Illud

Cur discipuli non fecerint eorũ mentionem, qui aiebant Dominum esse Messiã. Matth. 12. Luce 7. Ioan. 6.

Illud quæritur hoc loco, cur discipuli non addiderint, alios dicere, Dominum esse Christum, id est, Messiam, hoc pacto. Quidam dicũt te esse Ioannem Baptistã, alij Eliam, alij Ieremiam, aut vnum ex Prophetis, alij Messiam. fuere enim multi, qui Dominum Messiam esse arbitrabantur. *Numquid hic est Filius Dauid?* Luc. *Propheta magnus surrexit in nobis*, id est, Messias. Ioan. *Hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum.* Respondet Abulensis, agi hoc loco de opinionibus populi stabilibus ac constantibus. Opinionem autem, quòd Dominus esset Messias, nondum hoc tempore in populo fuisse constantem. Potiùs crediderim discipulos, tam de cõstantibus, quàm de inconstantibus agere populi opinionibus. Præterea multos fuisse in populo, qui Dominum esse Messiam putarent. Neque verò obstat, quòd regium in eo apparatum non cernerent. neque enim illum in Baptista Ioanne cernebant, de quo scribitur: *Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne ne forte ipse esset Christus*, id est, Messias, &c. Cur ergo discipuli huius sententiæ non meminerunt? Respondetur: Quia vera erat. Nam illi hominum sententias numerare voluerunt ineptas ac falsas: hanc autem veram, falsis admiscere noluerunt. Præterea, hæc sententia non erat hominum, id est, vulgi, sed discipulorum rectè sentientium, ideoque Apostoli inter alias vulgi opinationes eam minimè numerarunt.

Luce 4.

Deus sufficiẽs auxiliũ nemini denegat.

Ait Abulensis hoc loco, Christum cum Iudæis non concurrisse, vt crederent ipsum esse Messiam, ne passioni impedimentum opponeretur. Si de auxilio ad credẽdum sufficiente intelligatur, falsum est. Deus enim sufficiẽs auxilium nemini denegat. si de auxilio abundantiori velis intelligere, verum erit multis abundantius auxilium non dedisse. Dedit tamen omnibus, quod satis superque esset.

Ambr.

D. Ambrosius in libro de Incarn. dominicæ sacram. cap. 4. ait Petrum ad primam hanc Christi interrogationem siluisse. Taces, inquit Ambrosius, respondentibus aliis, cùm ipse sis primus, qui etiam non interrogatus, interrogas? nec times, ne reprehendaris à Domino, quia non respondes interroganti? Ideo, inquit, non respondeo, quia non interrogor meam, sed alienam sententiam, &c. hæc Ambrosij est opinio. Verisimile quoque est Petrum cum reliquis respondisse.

Matth. 16. Marci 8. & Luce 9.

Apostoli nominantur Dij.

Vos *autem quem me esse dicitis?* Rogauit quid homines alij sentirent. Nunc rogat, quid sentiant discipuli, fidemque illorum examinat. Quasi dicat: Hæc est hominum de me sententia, quam retulistis. vos autem, qui mei estis discipuli, qui in mea versamini schola, quid existimatis? D. Hieronymus piè putat, discipulos hominibus opponi, & appellari Deos. Sic enim interpretatur: Illis, quia homines sunt, humana opinantibus, vos qui estis Dij, quem me esse existimatis? Chrysostomus verò homilia 55. in Matthæum: Vos, inquit, qui mecum semper versantes, plura me fecisse vidistis: qui meo nomine complures virtutes ipsi quoque fecistis; quem me esse dicitis? Hac interrogatione, vt vult idem Chrysostomus, discipulos Christus ad sublimiorem de se opinionem extulit. Hac, inquit, secunda interrogatione monuit Dominus discipulos, vt maiora de ipso cogitarent. ipso enim interrogandi modo ostendit, illas vulgares opiniones multùm à sua dignitate abesse, &c.

Marci 8. Cur solus Petrus respondit?

Respondens *Petrus*. Omnes discipulos Christus interrogauit: Petrus solus respondit. Cur responderit quæritur. Respondetur, Petrum respondisse, quia inter Apostolos eminebat, & quia ardentior erat. D. Cyrillus lib. 12. in Ioan. cap. 64. Præueniebat, ait, alios Petrus. Ardore namque Christi præcipuo feruens, & ad faciendum, & ad respondendum paratissimus erat. Vnde tarditatem nauigij videns, Ioan. 21. tunica succinctus in mare exiliit. & quando saluator discipulos interrogauit: quem me dicunt homines esse? cùm iterum post responsionem ab eis quæreretur: *Vos autem quem me esse dicitis?* vt princeps caputque ceterorum primus exclamauit: *Tu es Christus*, &c. Diuus Chrysostomus hom. 55. in Matth. Quid igitur Petrus, omnium Apostolorum os, vertex consortij totius? Cùm omnes interrogati essent, ipse solus respondit. & quando quidem de sentẽtia vulgi petebat, omnes responderunt. Cùm verò de sua eos rogaret, Petrus confestim prosiliuit, &c. D. Leo serm. 2. Ille primus est in Domini confessione, qui primus est in Apostolica dignitate, &c. Quid igitur Petrus de Domino sentiret, aperuit: idipsum reliquos Apostolos sentire intelligebat. Aduerte tamen Petrum nondum hoc tempore caput fuisse Apostolorum, & primatũ accepisse. Etenim nondum illi claues regni cælorum traditæ erant. quæ Ioan. 21. traduntur.

Petrus omnium Apostolorum os & vertex totius consortij.

An Petrus pro reliquis Apostolis responderit?

Quæritur: Num Petrus pro se tantùm, an etiam pro reliquis Apostolis responderit? Respondet D. Augustinus ser. 13. de verbis Domini: Petrus, inquit, vnus pro multis dedit responsum, &c. D. Ambrosius lib. de incarn. cap. 4. Petrus respondit præ ceteris Apostolis, imo pro ceteris, &c. D. Anselmus: Quamuis, ait, eadem voluntas esset omnium Apostolorum: tamen Petrus pro omnibus respondit, &c. D. Thomas in Matth. Respõdet Petrus pro se, & pro aliis, &c. D. Hieronymus Matth. 16. Petrus ex persona omnium Apostolorum profitetur: *Tu es Christus filius Dei viui*, &c. Glossa interlin. sciunt Apostoli, sed Petrus respondet pro omnibus, &c. Idem opinatur Dionysius Carthusianus, Iansenius, & Lyranus; Petrus, ait, tanquam principalis inter alios, pro se, & pro aliis dedit responsum, &c.

Matth. 16.

Petrus pro se solus respondit.

Abulensis in contraria est sententia & Maldonatus, cui sententiæ ego subscribo. Nam credo pro se respondisse Petrũ. Probatur, quia Christus propter respõsionem solum Petrum remunerat, cum illo solo loquitur, illũ solum beatum appellat, illi claues promittit, nullã de reliquis Apostolis mentionem facit. Cur ita? Quia pro se Petrus responderat, suam fidem explicauerat, & ceteris Apostolis, vt idem facerent exemplo præiuerat. Dicitur tamen pro ceteris Apostolis respõdisse; quia quod illi fuerant responsuri, respondit primus. Rogat Dominus: *Vos autem, quem me esse dicitis?* Non respondet Petrus: Nos dicimus te esse Christum Filium Dei viui. Sed, *Tu es Christus filius Dei viui*. quasi diceret; Ego dico te esse, non Ioannem Baptistã, aut Eliam, aut Ieremiam, aut vnum ex Prophetis. Sed Messiam Filium Dei viui, horum omnium Dominum atque creatorem.

Matth. 16. Vtramque confitetur Christi naturã Petrus diuinam & humanam.

Tv *es Christus filius Dei viui.* Vtramque in Christo naturã Petrus profitetur, humanam atque diuinam. Christũ esse testatur, hoc est, Messiam hominem, & Deum, Filiumq; Dei non adoptione, sed natura. D. Petrus (ait D. Leo ser. de tranfig.) per reuelationẽ summi Patris corporea superans, & humana transcendens, vidit mentis oculis Filiũ Dei viui, & cõfessus est gloriam Deitatis, &c. D. Chrys. hom. 55. in Matth. Ea, ait, de re Petrus beatificatur, quia Christũ Patris proprie Filiũ confessus est, &c. & hom. 20. in Ioan. Petrus Filium Dei tanquã verum Deum confessus est, &c. Theophyl. Matth. 16. Dixit Petrus; Tu es Christus ille Filius, qui solus est & vnicus. Non gratia Filius, sed qui ex ipsa Patris substantia genitus, &c. D. Augustinus ser. 33. de verbis Apostoli: Ecce (inquit) habens cõfessionem

Cõfessio vera de Christo quanam fit.

veram, confessionem plenam. Iungere enim debes vtrumque, quod de se Christus, & quod de Christo Petrus. Quid de se Christus? *Quem me dicunt homines esse filium hominis?* Quid de Christo Petrus? *Tu es Christus Filius Dei viui.* Vtrumque coniunge. Et venit Christus in carne. hoc de se Christus, quod minus est: hoc de Christo Petrus, quod maius est, &c. D. Anselmus in Matthæum: Dominus de se intimat, quod factus est (scilicet homo) propter nos. Petrus verò quia ipse fecit nos, &c.

Deus viuus sur dicatur.

Appellauit autem Petrus Christum Filium Dei viui, vt D. Hieron. ait, ad distinctionem eorum Deorum, qui putantur dij, sed mortui sunt, id est, idolorum. Vnde illud: *Comederunt sacrificia mortuorum*; hoc

Psal. 105.

est, sacrificia inanium Deorum, qui mortui erant, omniq́ue carentes halitu, lapides atque stipites. contrà verus Deus, viuus est, vitaq́ue ipsissima.

An Nathanael & alij Christum Filium Dei sint confessi eodem sensu quo Petrus? Matth. 14.

Dubium hoc loco existit: Num Nathanael & alij, Christum Filium Dei sint confessi, eodē sensu, quo Petrus? Nam Nathanael Ioan. 1. *Rabbi*, ait, *tu es filius Dei, tu es Rex Israel.* & Ioannis 11. Martha: *Ego credidi, quia tu es Christus filius Dei viui*, &c. Qui in naui-

cula erant, venerunt & adorauerunt eum, dicentes: *Verè filius Dei es*, &c. Quod ad Nathanaelem attinet, D. Cyrillus in Ioannem arbitratur fuisse confessum Christum esse Dei filium naturalem. Irenæus quoque lib. 3. cap. 11. & Tertullianus in libro contra Praxeam, cap. 21. Hoc, inquit, id est, Christum esse Filium Dei, Nathanael statim sensit, sicut & alibi Petrus, *Tu es filius Dei*, &c. Gloss. interl. sic habet: Ecce eadem vox Nathanaelis & Petri, &c. Et Ordinaria: Nathanaelem Israelitā vocat Christus, id est, videntem Deum, videlicet, quòd Christi diuinitatem fuit confessus, &c. Probabilis est opinio hæc, quam etiam Carthusianus sequitur & Maldonatus.

Chrysost.

Sed probabilior D. Chrysostomi sententia, cuius hæc sunt verba Matth. 16. Nisi proprie sic Petrus intellexisset, & ab ipso Patre natum Christum crederet, non fuisset reuelationis opus illa confessio, neq; aliqua beatificatione digna, si vnum ex multis Dei filiis illum putasset. Etenim iam pridē post

Matth. 16.

tempestatem, qui erant in nauigio dixerunt: *Verè filius Dei es tu.* & quamuis verè dixerint, beatificati tamen ab eo non sunt. Non enim, ita vt Petrus, sed vnum ex multis verè Filium æstimabant, præcipuum quidem, magisq́ue dilectum, non tamen ex Patris substantia natum. Nathanael quoque dice-

Ioan. 1.

bat: *Rabbi, tu es filius Dei.* nec solùm beatificatus non est, verū etiam quasi multò inferiora, quàm oporteat, cogitaret, à Christo erat redargutus, &c. & Ioan. 1. Etsi, inquit, iisdem verbis Petrus & Nathanael vsi sunt: non tamen idem ambo senserunt. Sed Petrus filium Dei tanquam verum Deum, Nathanael tanquam hominem tantùm confessus est. Sic Chrysostomus. & Theophyl. Ioan. 1. Quamuis Nathanael filium Dei confiteatur Christum, non tamen sicut Petrus. Nam Petrus quidem confessus est Filium Dei, ideo & beatus prædicatur, & Ecclesia ei cōcreditur. Nathanael verò, vt hominem nudum eum fatetur, gratia autem propter virtutem adoptatum in Filium Dei, &c. In eadem sententia est Euthymius, Lyranus, Caietanus, Toletus, Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 19. De iis, qui in nauicula cum Christo erant, quid sit dicendum, suprà diximus suo loco. Martham quoque Christum Deum esse eo tempore nōdum intellexisse, testantur Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, & Toletus. Nondum enim personarum diuinarum mysterium illi fuerat reuelatum, qua de re suo loco agendum. Itaque alio sensu Petrus multoq; altiori, quàm reliqui Christum Filium Dei esse, & cognouit, & confessus est.

D. Hilarius Canon. 16. in Matth. ait Petrum primum Christi diuinitatem agnouisse; ergo ex illius sententia non agnouit Nathanael primò: Beatus, inquit, Petrus est, vt vltra humanum oculos intendisse, & vidisse laudatus est. Non quod ex carne & sanguine erat contuens, sed Dei Filium cælestis Patris reuelatione conspiciens, dignusque iudicatus, qui quod in Christo Dei esset, primus cognosceret, &c. lib. 6. de Trinitate existimat, nunc primum Petrum diuinam in Christo naturam intellexisse. Quid, inquit, istud est, quod nunc in Petro Pater reuelat, quod beatæ confessionis gloriam sumit? Numquid Patris & Filij nomen nesciebat? Atqui frequenter audiuerat. Sed loquitur, quod vox humana nondum protulerat: *Tu es Christus filius Dei viui.* Nam tametsi in corpore manens, Dei Filium se esset professus, tamen Apostolica fides nunc primùm in Christo naturam diuinitatis agnouit, &c.

Petrus primus Christi diuinitatem agnouit.

Nūc Petrus primum diuinā Christi naturam intellexit, vt vult Hilar. Matth. 16.

Respondeti etiam dubio potest, Nathanaelem & Martham implicita quadam fide: Petrum verò fide explicita Christum Dei Filium naturalem appellasse. Quæres: Num verum sit illud D. Hilarij: Apostolica fides nunc primùm in Christo naturam diuinitatis agnouit. Nam ex Ioanne colligitur iam antea agnouisse. Petri enim eo loco hæc extant verba: *Nos credidimus, & cognouimus, quia tu es Christus Filius Dei viui*, &c. ergo iam tunc Petrus & reliqui Apostoli Christum Deum esse intelligebant. Respondetur, Petrum & reliquos Apostolos iam tunc cognouisse Christum natura Filium esse Dei, vt aiunt.

Christū implicita fide Dei filium alij dixerūt, Petrus explicita.

Ioan. 6.

CAPVT XXIII.

De promissione summi Pontificatus facta Petro.

Matth. 16.

BEATVS *es Simon Bariona.* Vnde confessionem & cognitionem diuinitatis Christi acceperit Petrus, aperit Christus, nempe à Patre accepit. Neque verò excluduntur reliquæ duæ personæ, Filius & Spiritus sanctus. Nam Petrus à sanctissima Trinitate reuelationem accepit. *Beatus* (ait Dominus) *es Simon Bariona.* D. Petri pater Ioannes vocabatur, vt cōstat ex illis verbis Christi, Ioan. 21. *Simon Ioannis diligis me?* etenim Simon Ioannis dicitur, quia filius Ioannis erat. Græcè illo cap. 21. Petrus Simon Iona appellatur, & Ioannis c. 1. Quamobrem Caietanus illo cap. 21. ait patrem Petri non esse vocatum Ioannem, sed Ionam. At verò Ioannis 21. non est legendum Simon Iona, sed Simon Ioannis, vt Biblia habent Pontificis summi iussu correcta. Itaque Ioannes dicebatur Petri pater, Hebraicè Ioanna, & per contractionem, Iona. Hoc loco Christus contractione vtitur: Beatus es Simon Bar, id est, filius, Iona, id est, Ioannis per contractionem. Diuus Hieronymus Matth. 16. ait hoc loco, Iona, significare columbam. Nam Hebraicè יונה Iona columba dicitur. Vocatur igitur Petrus, bar Iona, id est, filius columbæ, videlicet filius Spiritus sancti, qui columbina specie supra Christum in baptismo apparuit, à quo Petrus reuelationem de Christi diuinitate habuit. D. Hieronymus: Ex confessione, inquit, Petrus sortitur vocabulum, quod reuelatione ex Spiritu sancto habeat, cuius & filius appellandus sit. Siquidem, bar Iona, in lingua nostra sonat filium columbæ, &c.

Petrus à Deo accepit cognitionem diuinitatis Christi.

Petri pater Ioannes appellabatur.

Petrus filius Iona, id est, columbæ Spiritus sancti.

Hieron.

Chrysostomo placet propterea Christum patris natura-

Chriſtus Patris æterni naturalis eſt filius.

naturalis Petri meminiſſe nunc, vt indicaret ſe Filium eſſe Dei naturalem, quemadmodum Petrus Ioannis, ſiue Ionæ naturalis filius erat. Ac ſi diceret (ait Chryſoſtomus) quemadmodum tu Ionæ filius es: ſic ego Patris mei Filius ſum. Item: Quia

Cur ſit Petrus à Chriſto appellatus filius Iona.

Petrus dixit: *Tu es Filius Dei.* vt ſic ſe eſſe filium Dei Chriſtus oſtendat, ſicut Petrus Ionæ erat filius, eiuſdem videlicet ſubſtantiæ cum patre. Idcirco illud adiecit, &c. Simplicius erit dicere, appellatum Simonem filium Ionæ, quia cognomina Hebræorum, quibus inter ſe diſtinguebantur à patribus ſumebantur. Vnde Dauid filius Iſai, Saul filius Cis, Ieroboam filius Nabath, appellantur.

Matth. 16. Caro & ſanguis quid hic ſignifi-cet.

QVIA *caro & ſanguis non reuelauit tibi.* D. Hilarius de carne & ſanguine Chriſti, verba hæc videtur intellexiſſe, in hanc ſententiam: Beatus es Simon Ioannis, quia id, quod oculis corporeis cernis in me, videlicet, caro & ſanguis, non reuelauit tibi me Deum eſſe. Caro enim & ſanguis humanitatem indicabant, non verò diuinitatem. Beatus

Hilar.

Petrus eſt (ait Hilarius) vt vltra humanum oculos intendiſſe, & vidiſſe laudatus eſt, non id, quod ex carne & ſanguine erat contuens, ſed Dei Filium cæleſtis Patris reuelatione conſpiciens, &c. Poteſt etiam locus intelligi, de carne & ſanguine Petri hoc modo: Caro & ſanguis tuus, hoc eſt, humanitas tua, non reuelauit tibi.

D. Hieronymus nomine carnis & ſanguinis, homines carnales intelligit, hoc ſenſu: Caro & ſanguis, id eſt Phariſæi, vel homines carnales non aperuerunt tibi meam diuinitatem. Eodem ſenſu ait

Gal. 1.

Paulus: *Continuo non acquieuit carni & ſanguini.* id eſt, carnalibus Iudæis, vt idem Hieronymus interpretatur. Non contulit Paulus (ait Hieronymus ad Galat. 1.) poſt reuelationem Chriſti, cum carne &

Caro & ſanguis & homines carnales ſunt. Gen. 6.

ſanguine. Quia noluit margaritas proiicere ante porcos, nec dare ſanctum canibus. Vide quid de peccatoribus ſcriptum ſit, *Non permanebit ſpiritus meus in hominibus iſtis, quia caro ſunt.* Cum talibus, qui caro & ſanguis erant, quæ Petro quoque non reuelauerunt Filium Dei, non contulit Apoſtolus Paulus Euangelium quod ei fuerat reuelatum. ſed paulatim eos de carne & ſanguine vertit in ſpiritum, & tunc demum occulta eis Euangeliis ſacramenta commiſit. Sic Hieronymus. & Anſelmus Matth. 16. Caro, inquit, & ſanguis, rectè intelliguntur homines ſapientia carnali inflati, &c.

Exiſtimo potius carnem & ſanguinem, hoc loco homines ſignificare quoſcumque, tam carnales, quàm ſpiritales. Propterea autem dicuntur caro & ſanguis, quòd carne & ſanguine conſtant. Eſt

Quid ſignificet caro & ſanguis hoc loco.

ſenſus; *Caro & ſanguis non reuelauit tibi:* hoc eſt, homines ex carne & ſanguine compoſiti, non reuelauerunt tibi meam diuinitatē. Sed Pater meus qui in cælis eſt. In hanc ſententiam interpretatur Chryſoſtomus verba illa Pauli, *Non acquieui carni & ſanguini.* hoc eſt, non contuli Euangelium cum hominibus. Apoſtolos (ait Chryſoſtomus) hic rectè ſignificat Paulus naturæ cognomento eos deſignās,

Gal. 1.

Theoph.

&c. Item Theophylactus: Nō acquieui, inquit, carni & ſanguini, hoc eſt, nequaquam me ad Apoſtolos colloquendi gratia contuli. Hos namque carnem vocat & ſanguinē, à natura eos denominans. Vel ſimpliciter de vniuerſo hominū genere loquitur. Vel fortè de neceſſariis, & ſanguine ſibi coniunctis nunc dicit, quia nulla illorū habita ratione, protinus ſe ad Chriſti nomē vulgandū contulerit, &c. Hic tertius ſenſus: quo caro & ſanguis, pro conſanguineis ſumitur, in hęc etiam Chriſti verba quadrat. Caro & ſanguis nō reuelauit tibi: hoc eſt, conſanguinei tui, diuinitatem meam tibi non fecerunt notam. Optimus ſenſus eſt, quo caro & ſanguis, vniuersè pro hominibus ex carne & ſanguine compoſitis ſumitur. *Caro & ſanguis non reuelauit tibi.* hoc eſt, nullus hominū carne & ſanguine conſtantium, Deum me eſſe tibi patefecit: ſed Pater. *Matth. 16.*

ET *ego dico tibi, quia tu es Petrus.* Pollicetur Dominus Petro ſummum Eccleſiæ pontificatum verbis adeò apertis, vt mirum ſit eſſe homines, qui hac in re hallucinentur. Sed hæretici ipſa in luce clariſſima tenebras, & in nitidiſſimo ſcirpo nodum inueniunt. *Beatus es ô Simon Bar Iona* (ait Dominus) qui à Patre quis ego ſim edoctus es. Pater meus diuinitatem tibi meam reuelauit, & ego Patri æqualis Eccleſiæ meæ ſummum pontificatū tibi dabo. Quid eſt, ait Chryſoſt. *Ego tibi dabo?* quemadmodum Pater tibi dedit, vt me cognoſceres; ſic ego tibi dabo claues regni cælorum, &c. D. Leo ſer. 3. aſſumptionis ſuæ ad Pontificatum: Hoc, inquit, eſt; ſicut meus Pater tibi manifeſtauit diuinitatem meam, ita & ego tibi notum facio excellentiam tuam. Quia tu es Petrus, id eſt, Cùm ego ſim inuiolabilis petra, ego lapis angularis, ego fundamentum. tamen tu quoque petra es, quia mea virtute ſolidaris; vt quæ mihi poteſtate ſunt propria, ſint tibi mecum participatione communia, &c. Aliter D. Hieronymus. Dixiſti mihi, *Tu es Chriſtus Filius Dei viui.* Et ego dico tibi, *Quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Dico, inquam, tibi ego Deus, cuius verba ſunt facta. Ego dico tibi (ait Hieronymus) non ſermone caſſo, & nullum habente opus; ſed dico tibi, quia meum dixiſſe feciſſe eſt, &c. Sic & Aug. ſer. 13. de verbis Domini: Tanquam, inquit, diceret Chriſtus: Quia tu dixiſti mihi: *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* & ego dico tibi: *Tu es Petrus,* &c. *Ibid. Pollicetur Dominus Petro ſummum Pontificatum. Hieron.*

Fuit hæc Pontificatus promiſſio, confeſſionis præmium. Theophylactus; Remunerat, inquit, Petrum Dominus, mercedem illi dans magnā, quod ſupra eum ædificabit Eccleſiam, &c. D. Cyril. lib. 4. Trinit. Dixit Petrus: *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* tam veræ ſententię reportauit remunerationē, Chriſto dicente: *Beatus es Simon Bar Iona, & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam,* &c. An autem nomen Petri impoſitum hoc loco fuerit, iam ſuprà diximus, lib. 2. cap. 18. Impoſitum autem eſt à Chriſto maxima cum ratione, & præcellenti ſignificatione, quia in Petro, veluti petra, rupeque firmiſſima Eccleſiam ſuam exædificauit. hanc nominis rationē verbis ſequētibus explicat. *Pontificatus promiſſio confeſſionis præmium. Cyril. Matth. 16. Nomen Petræ magna ratione impoſitum Simoni.*

ET *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Quid nomine petrę hoc loco ſit intelligendum ambigitur. D. Hilarius lib. 6. de Trinitate, Petri confeſſionem intelligit; Super hanc, inquit, confeſſionis petram Eccleſiæ ædificatio eſt, &c. & D. Ambroſius ad Epheſ. 2. Super hanc petram, hoc eſt, in hac Catholicæ fidei confeſſione ſtatuo fideles ad vitā, &c. Item Gregorius Nyſſenus in fine libri contra Iudæos: Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; ſuper confeſſionem videlicet Chriſti, &c. D. Cyrillus lib. 4. de Trinitate, petram interpretatur fidem Petri; Petra, ait, opinor per agnominationem aliud nihil, quàm inconcuſſam & firmiſſimā diſcipuli fidem vocauit Chriſtus, &c. D. Auguſtinus tract. 10. in epiſt. Ioā. Quid eſt, Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam? Super hanc fidem, ſuper id, quod dictum eſt: *Tu es Chriſtus Filius Dei viui,* &c. Chryſoſtomus quoque hom. 55. ſuper hanc petram, id eſt, ſuper fidem confeſsionis, &c. *Matth. 16. An nomine Petræ hoc loco intelligatur Petrus?*

Præterea D. Auguſtinus petram Chriſtum dici arbitratur, tract. 124. in Ioan. ſic exponit. Super hāc petram, quam confeſſus es, ædificabo Eccleſiam meam. Petra enim erat Chriſtus, &c. Eodē loquitur modo ſer. 13. de verbis Domini. ſequitur Auguſtinum D. Gregorius in Pſal. 7. pœnit. Chriſtus, ait, eſt *Auguſt.*

petra,

petra, à qua Petrus nomen accepit; & ſuper quam ſe ædificaturum Eccleſiam dixit, &c.

Germanus perſpicuuſq; ſenſus eſt, quo petra Petrum ſignificat: id quod manifeſtiſſime ipſa verborum flagitat ſtructio. Tu, ait Dominus, es *Petrus* ſiue כאפא, *chipha*. i. petra. Vtebatur enim Hebraico, vel mauis, Syriaco nomine. ſequitur; *Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Quamnam petrã demonſtrat pronomen illud demonſtratiuum, *hanc?* profectò illam, quæ præceſſerat. præceſſerat autem *Petrus.* Ergo ſuper Petrũ Eccleſia dicitur extruẽda. Reddit enim Dominus rationẽ nominis *Petri*, quod Apoſtolo impoſuerat. Quaſi dicat: Tu es Petrus à me appellatus. Etenim ſuper te, tanquã ſuper petram, ædificabo Eccleſiam meam. Sic Angelus nominis Ieſu rationem reddit, *Vocabis nomen eius Ieſum. ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Sic nominis Abraham cauſa indicatur, *Appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium conſtitui te.* Eumdem in modum hoc loco: Tu es Petrus, id eſt, nomen tuum eſt petra, ſiue ſignificans petram. & ego ſuper hanc petram, id eſt, ſuper te, Eccleſiam meam exædificabo. Hæc eſt enim nominis ratio. Ideo te petram voco, quia ſuper te Eccleſiam extruam. D. Clem. ep. 1. ad Iacob. Simon, inquit, Petrus veræ fidei merito, & integræ prædicationis obtẽtu, fundamentum eſſe Eccleſiæ definitus eſt. Qua de cauſa etiam Domini ore cognominatus eſt Petrus, &c.

Petra hoc loco ſignificat Petrum.

Matth. 1.

Gen. 17.

D. Clem.

Si reliqua omnia verba manifeſtum eſt Petro tribui, cũ quo Chriſtus loquitur hæc verba: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiã meam*: cur vel de Chriſto, vel de fide, & non de Petro dicta in animũ inducemus? *Tu es Petrus: tibi dabo claues regni cælorum: quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis*; hæc omnia de Petro manifeſte dicuntur: cur igitur illa media: *ſuper hanc ædificabo Eccleſiam meam*; de Petro non dicentur? Equidẽ & ſi Chriſtus nomine Petri non fuiſſet vſus, ſed nomine Simonis, quod petram non ſignificat; tamẽ verba illa de Simone dicta eſſe, verborum conſtructio ipſa clamaret. Si ſic dixiſſet: *Tu es Simon, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Senſus ſane eſſet: Tu es Simon, & ſuper te tanquam petram ædificabo Eccleſiam meam. Nunc autem cùm vſus fuerit nomine Petri, eiuſq; rationem planè reddiderit, cui dubium eſſe poterit, hęc verba; *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*: de Petro à Chriſto eſſe pronuntiata? Quid in hac explanatione eſt ſalebræ? quid aſperitatis?

Hæc verba verè de Petro intelliguntur.

Matth. 16.

At dicent imperiti homines, Chriſtus eſt Eccleſiæ fundamentum; iuxta illud: *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus*, &c. Ergo Petrus petra, & fundamẽtum Eccleſiæ dici non poteſt. Diſcãt hi ex ædificiis nõ vnum tantùm eſſe fundamẽti lapidẽ, ſed multos. Quemadmodũ ergo in ædificiis, ſic in Eccleſia, lapis maximus præcipuumq́ue fundamentũ Chriſtus eſt. Super Chriſtũ fundatur Eccleſia primò. illi Petrus tanquam petra fundamẽti ſecunda innititur. Hinc illud Pauli: *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu*, &c. &, *Murus ciuitatis habens fundamenta duodecim. & in ipſis duodecim nomina Apoſtolorũ Agni*, &c. Quamobrẽ Auguſtinus Chriſtũ fundamentum fundamentorũ eſſe ait, Pſal. 86. Vt nouerimus, inquit, quia fundamentum Chriſtus, & primum, & maximũ: *Fundamẽtum*, inquit Apoſtolus, *nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.* Quomodo ergo fundamenta Prophetæ & Apoſtoli, & quomodo fundamentum Chriſtus Ieſus, quo vlteriùs nihil eſt? Quomodo putamus, niſi quemadmodum apertè dicitur Sanctus ſanctorum; ſic figuratè fundamentum fundamentorum. Si ergo ſacramenta cogites, Chriſtus Sanctus ſanctorum. ſi gregem ſubditum cogites, Chriſtus paſtor paſtorum. ſi fabricam cogites, Chriſtus fundamentũ fundamentorum, &c.

1. Cor. 3.

Chriſtus fundamentum Eccleſiæ præcipuum eſt.

Petrus ſecundum. Epheſ. 2. Apoc. 21.

Chriſtus eſt fundamentum fundamentorum. 1. Cor. 3.

Petram autem & fundamentum Eccleſiæ hoc loco dici Petrum patres cenſuerũt, etiam illi, quorum ſupra diuerſas interpretationes recenſuimus. ſcilicet Hilarius, Cyrillus, Ambroſius, Chryſoſtomus, Auguſtinus. Hilarius lib. 6. de Trin. ſic ſcribit: Poſt ſacramenti confeſsionem beatus Simon ædificationi Eccleſiæ ſubiacẽs; & claues regni cæleſtis accipiens, &c. & Pſal. 131. Tanta, inquit, fuit Chriſto religio patiendi, vt Petrum primum Dei Confeſſorem, Eccleſiæ fundamẽtum, cæleſtis regni ianitorem, & in terreno iudicio iudicẽ cæli, ſatanæ conuitio nuncuparet, &c. & Matt. 16. O, inquit, in nuncupatione noui nominis, felix Eccleſię fundamentum, dignaq́; ædificatione illius petra, &c. D. Cyrillus Ioan. 1. *Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas*; vocabulo ipſo commodè ſignificans, quòd in eo tanquam in petra lapideq́; firmiſsimo, ſuam eſſet ædificaturus Eccleſiam, &c. Chryſoſtomus hom. 4. de verbis Iſaiæ: Petrus, ait, baſis Eccleſiæ, &c. hom. 3. in c. 1. Matth. Petrus factus eſt Eccleſiæ fundamentum, &c. itẽ Pſal. 50. Audi quid Petro dixerit Chriſtus columnæ, & fundamento fidei. Qui ob robur confeſsionis vocatus eſt Petrus, dicente Domino: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiã meam*, &c. hom. 55. in Matth. Petrum (inquit Chryſoſt.) vniuerſo terrarum orbi Chriſtus præpoſuit, &c.

Ex ſentẽtia Patrum Petrus eſt petra & fundamentum Eccleſiæ. Hilar.

Cyril.

Chryſoſt.

Matth. 16.

D. Auguſtinus lib. 1. retractationum c. 21. de lib. agens contra epiſtolã Donati: In hoc, inquit, libro dixi in quodam loco de Apoſtolo Petro quòd in eo tanquã in petra fundata ſit Eccleſia; qui ſenſus etiam cantatur ore multorum, in verſibus beatiſſimi Ambroſij, vbi de gallo gallinaceo ait: *Hoc ipſo Petra Eccleſiæ canente culpam diluit.* Sed ſcio me poſtea ſæpiſsimè ſic expoſuiſſe, quod à Domino dictum eſt: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, vt ſuper hanc intelligeretur, quam confeſſus eſt Petrus. Poſt alia cõcludit his verbis: Harum duarum ſententiarum, quæ ſit probabilior eligat lector, &c. Vides Ambroſium aperte appellare Petrum petram Eccleſiæ; & Auguſtinum in lib. contra epiſt. Donati dixiſſe, in Petro tamquam in petra Eccleſiam fundatam, lectori autem vtra ſit opinio probabilior diiudicandum relinquere. Quod pro altera ſententia affert parui eſt momenti. Non, inquit, dictum eſt Petro: Tu es petra; ſed *Tu es Petrus.* Petra autem erat Chriſtus, quem confeſſus Simon ſicut eum tota Eccleſia confitetur, dictus eſt Petrus, &c. Nam Chriſtus non eſt vſus nomine Græco, ſed Hebræo, vel Syriaco, ſignificante petram. Præterea quamuis concedamus vſum nomine aliquo à petra deriuato, egregiè conuenit Petro quod ſequitur: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*: vt ſuprà oſtendimus. Audi eumdem Auguſtinum ſerm. 29. de Sanctis: Petrus ſolus inter Apoſtolos meruit audire; *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Dignus certe, qui ædificandis in domo Dei populis lapis eſſet ad fundamentum, columna ad ſuſtentaculum, clauus ad regnum, &c. & in ſerm. de Cathedra D. Petri: Petrum, inquit, fundamentum Eccleſiæ Chriſtus nominauit. Et ideo dignè fundamentum hoc Eccleſia colit, ſupra quod Eccleſiaſtici ædificij altitudo conſurgit, &c. item Pſalm. 69. Petrus, ait, confeſſus erat Filium Dei, & in illa confeſsione appellatus erat *Petra*, ſupra quam fabricaretur Eccleſia, &c. lege tract. 7. in Ioan. ad illa verba: *Reſpondit Nathanael*, &c.

Auguſt.

Ambroſ.

Auguſt.

Fundamentum & petram cenſet eſſe Petrum.

D. Ambroſius ſerm. 47. ſic ait: Petrus pro ſoliditate deuotionis Eccleſiarum petra dicitur, ſicut ait

Petrus eſt Eccleſiarum petra.

ait Dominus: *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, &c. Et ſerm. 68. Diximus, inquit, frequenter, ipſum Petrum à Domino nuncupatum. ſicut ait: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Si ergo Petrus petra eſt, ſuper quam ædificatur Eccleſia, rectè prius pedes ſanat, Act. 3. vt ſicut in Eccleſia fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmet, &c.

Ambr. *Matth. 16.*

Alij Patres

Addam & alios Patres. D. Gregorius Nazianzenus in orat. de modeſtia ſeruanda in diſput. Vides, inquit, quemadmodum ex Chriſti diſcipulis hic petra vocetur, atque Eccleſiæ fundamenta, fidei ſuæ concredita habeat, &c. D. Baſilius hom. 29. de pœnitentia: Petras dixerat: *Tu es Filius Dei excelſi*; & viciſsim audierat, ſe eſſe petram. Petra eſt Chriſtus, & petram fecit. quæ ſua ſunt largitur ſeruis ſuis, &c. & Iſaiæ 2. Petrum, inquit, Chriſtus Petram appellauit, ſuper quam petram promiſit ædificare Eccleſiam ſuam, &c. D. Epiphanius in Ancorato propè principiũ. Ipſe Dominus conſtituit Petrum primum Apoſtolorum, Petram firmã, ſuper quam Eccleſia Dei ædificata eſt, &c. & hæreſi 59. Sanctus ille Petrus, ac ſummus Apoſtolus, qui verè nobis factus eſt firma Petra, fundas fidem Domini, ſuper quam ædificata eſt Eccleſia per omnes modos, &c. Origenes hom. 5. in Exodum. Vide, magno illi Eccleſiæ fundamento, & Petræ ſolidiſsimæ, ſuper quam Chriſtus fundauit Eccleſiam, id eſt Petro, quid dicatur, &c. Hippolytus martyr in oratione de conſummatione mundi. Princeps, ait, Petrus, fidei Petra, &c. Tertullianus in libro de præſcript. Latuit, inquit, aliquid Petrum, ædificandæ Eccleſiæ Petram dictum? &c. D. Cyprianus de ſimplicitate prælatorum: Loquitur Dominus ad Petrum: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram*, &c. ſuper vnum ædificat Eccleſiam, & illi paſcendas oues mandat, &c. & in tract. de habitu Virginum: Super Petrum poſuit Dominus, & fundauit Eccleſiam, &c. D. Hieronymus Matth. 16. ſicut Chriſtus ipſe lumen Apoſtolis donauit, vt lumen mundi appellarentur; ceteraque ex Domino ſortiti ſunt vocabula. ita & Simoni, qui credebat in Petram Chriſtum, Petri largitus eſt nomẽ. ac ſecundùm metaphoram Petræ, rectè ei dicitur: *Ædificabo Eccleſiam meam ſuper te*, &c. & lib. 1. aduerſus Pelagianos, ſuper Petrum Eccleſia Domini ſtabili mole fundata eſt, &c.

Chriſtus eſt petra & Petram fecit.

Hieron.

Cyprian.

Hæc ex Patribus ſatis ſint, vt intelligas Petrum Eccleſiæ eſſe Petram, ſiue rupem, fundamentum, ac principem. Cùm enim Chriſtus in terris manere voluerit (ſic enim oportebat fieri) Vicarium aliquem relinquere opus fuit, & Eccleſiæ vniuerſę vnum moderatorem, vnumque caput: vt ſchiſmatis, & hæreſeon tolleretur occaſio. Vnde illud diui Hieronymi libro 1. contra Iouinianum: Propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio, &c. & Cyprianus tract. de ſimplicitate prælatorum: Vt vnitatẽ Dominus manifeſtaret, vnam cathedram cõſtituit, & vnitatis eiuſdem originem, ab vno incipientem diſpoſuit, &c. Item: Exordium ab vnitate proficiſcitur. Primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia, & cathedra vna monſtretur, &c. Vna Eccleſia, vnum paſtorem, vnum in terris poſt Chriſtum fundamentum, vnum poſtulat moderatorem. Hic Petrus fuit, fuitque poſt Petrum quilibet Petri ſucceſſor in Romana cathedra. Eſt verò hodie S. D. N. Clemens VIII. Pontifex Max.

Chriſtus Vicarium relinquere voluit.

Vna Eccleſia eſt, vnum Chriſti regnum, vnũ poſtulat moderatorem. Iam verò eſt Paulus V. qui regnet in æuum.

Illud aduerte, Petram non ſignificare hoc loco lapidem quemuis, ſed rupem. quemadmodum Iſa. 2. *Ingredere in petrã, & abſcondere in foſſa humo*, &c. Item: *Introibit in ſpeluncas petrarum*: cap. 7. *requieſcent in cauernis petrarum*. cap. 51. *Attendite ad petram, vnde exciſi eſtis*, &c. Eſt ergo ſenſus, *Tu es Petrus*, id eſt, tu es petra, vel, nomen tibi impoſui ſignificans petram, ſiue rupem. Et ſuper hanc petram ſiue rupem, ſuper te, cuius nomen ſignificat rupem, ædificabo Eccleſiam meã. Propterea enim petræ ſiue rupis tibi nomen indidi, vt ipſo etiam nomine Eccleſiæ meę fundamentum, paſtorem, caput, principemque te eſſe, demonſtrarem. *Ædificabo Eccleſiã meam*; Vnam Eccleſiam in vna petra extruã, vni corpori vnum caput dabo. Voluit enim Chriſtus Eccleſiæ principatum eſſe optimum, nempe monarchicum. Deus vnus eſt (ait D. Cyprianus libro 1. epiſt. 8.) & Chriſtus vnus, & Cathedra vna, ſuper Petrum Domini voce fundata, &c.

Eccleſia principatus monarchicus.

ET *portæ inferi non præualebũt aduerſus eam.* Quoniam Dominus Eccleſiam ædificium appellauit in rupe exædificatum, quàm ſit ſtabile firmumque docet. *Portæ*, inquit, *inferi non præualebunt aduerſus eam.* Portæ autem inferi (ait Theophylactus) temporales ſunt perſecutores, qui ad infernum mittere conantur Chriſtianos, & hæretici quoque portæ ſunt ad infernum ducentes, &c. *Portas inferi*, appellat eas, per quas ad inferos introitur, hoc ſenſu. *Portæ inferi non præualebunt*, id eſt, perſecutores, & hæretici qui veluti portæ ſunt, per quas in tartarum ingreſſus patet, non præualebunt aduerſus Eccleſiam. Diuus Epiphanius in Anchorato: Portæ inferorum ſunt hæreſes, & hereſiarchæ, &c. D. Hieronymus Matth. 16. Ego portas inferi reor vitia atque peccata; vel certè hæreticorum doctrinas, per quas illecti homines ducuntur ad tartarum, &c. D. Anſelmus: *Portæ inferi*, id eſt, peccata, vel hæretici, vel blandimenta, vel quælibet talia, non præualebunt aduerſus Eccleſiam, &c. Gloſſ. ord. *Portæ inferi*, ſunt peccata, minæ, blandimenta, hæreſes, quibus infirmi ruunt in mortem, &c. D. Gregorius Pſalm. 7. pœnitent. *Portæ inferi*, hæreſes ſunt, quæ dum multos in fide infirmos fucata verborum calliditate decipiunt, quaſi inferorum eis aditum pandunt. Sunt etiam portæ inferi quædam poteſtates huius mundi. Quid enim Nero, quid Diocletianus, quid denique iſte qui hoc tempore Eccleſiam perſequitur, numquid non omnes portæ ſunt inferi? &c. D. Chryſoſtomus in demonſtratione, quòd Chriſtus ſit Deus, tom. 5. Inferi portas pericula dici putat: Portæ, inquit, inferi, pericula ſunt, quæ mortem generant, pericula, quæ ad infernum deducunt, &c.

Matth. 16. *Stabile ædificium Eccleſia.*

Quid ſignificẽt portæ inferi.

Portæ inferi peccata & hæreſes.

Anſel.

Gregor.

Perſecutores, portæ inferi.

Pericula portæ inferi.

Dominus de Eccleſia ſua, veluti de arce agit fortiſſima, aut vrbe, in rupe excelſa ædificata, cùm ait: *Super hanc petrã ædificabo Eccleſiam meam.* Ei verò veluti arcem alteram, ſiue vrbem tartaream opponit, in qua diabolus imperat. tum pollicetur à tartarea vrbe nullo vmquam tempore cæleſtem vrbem, id eſt, Eccleſiam ſuperandam. Portæ igitur inferi, Græcè, πύλαι ᾅδου, vrbem indicant Erebi, ſiue diadoli. Sed cur portas inferi dixit, non vrbem, vel arcem, vel regnum inferi? Quoniam de oppugnatione tartareæ Babylonis loquebatur. Solent autem vrbes per portas oppugnari, atque capi. Vnde illud: *Poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum*: id eſt, expugnabit, capiet. *Nova bella elegit Dominus, & portas hoſtium ipſe ſubuertit*, &c. Itaque ſignificat Chriſtus à cæleſti ciuitate, ciuitatis tartareæ portas oppugnandas; neque robur ad reſiſtendum habituras. Atque adeò tartaream Babylonem à cæleſti Ieruſalem expugnandam, atque vaſtandam. *Portæ*, inquit, ᾅδου ſiue *inferi*, hoc eſt, portæ vrbis, ſiue regni tartarei; *non præualebunt aduerſus eam*, οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς. Nõ poterũt Eccleſiæ reſiſtere, non reportabunt, cùm oppugnabuntur, victoriam.

Matth. 16. *Dua vrbes Babylon & Ieruſalem, hac illam oppugnat.*

Gen. 22. *Iud. 5.*

Non præualebit Babylõ aduerſus Ieruſalem nouam, id eſt, Eccleſiam.

Iſaiæ 2.

Congruit

Congruit huic interpretationi illud: *Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia, quæ poſſidet. Si autem fortior eo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet,* &c. Luca 11. Iuxta hanc interpretationem Eccleſia oppugnat Orci portas; illæ prævalere non poſſunt, & oppugnationi reſiſtere.

Communis interpretatio, portis inferi oppugnationem aduerſus Eccleſiam tribuit, in hanc ſententiam, *Portæ inferi*, cùm Eccleſiam oppugnabunt, cumque illam vaſtare conabuntur, non prævalebunt aduerſus eam, non euertent in rupe ædificatam vrbem, non vincent, non opprimēt. ſemper Eccleſia ad iudicium vſque in petra fundata ſtabit; nullis hoſtium machinis, nulla tartari potentia euertetur. Hic ſenſus mihi magis placet, quàm ſuperior. Loquitur enim Dominus de Eccleſia tamquam de vrbe vel arce, in rupe excelſa exædificata, quam tartarei oppugnant hoſtes; ſed expugnare, aut ſolo æquare, nequaquam valent. id quod ſonant verba ipſa: *Non prævalebunt aduerſus eam.* *Babylon oppugnat Ieruſalē nouā ſed non prævalet.*

Obſtat huic explanationi, quòd portæ non oppugnant, ſed reſiſtunt; non igitur offendendi, ſed defendendi vis per portas ſignificatur. Reſpondemus, portas quæ ſunt loca munitiſſima per ſynecdochem ſumi pro tota vrbe: *Portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam:* hoc eſt, vrbs inferi. Poteſt eſſe metonymia, qua res continens pro re contenta vſurpatur: *Portæ inferi*, pro hominibus & dæmonibus, qui intra portas Babylonis ſunt. Nam in Scriptura incolæ intra portas vrbis eſſe dicūtur. *Peregrinus, qui eſt intra portas tuas.* &, *Leuites qui intra portas tuas eſt*: & aliis locis. In portis quoq; olim iudicia exercebantur. Curia erat, & magna hominum frequentia ac multitudo. Vnde illud: *Portæ eius deſolamini vehemēter.* Et illud: *Vt annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.* Poſſunt ergo non portæ ſumi pro hoſtium multitudine, pro conſiliis, technis, ac machinationibus; quæ omnia aduerſus Eccleſiam erunt irrita. *Quid ſignificent portæ.* *Deut. 5. Deut. 14. In portis Curia & forum. Iere 2. Pſal. 9.*

Aliter, *portæ inferi* dici poterunt pericula omnia, tentationes, perſecutiones, hæreſes, quæ ex portis ciuitatis tartareæ, ad extinguendā Eccleſiam egrediuntur, hoc ſenſu: *Portæ inferi* nullā poterunt tantam emittere perſecutionem, nullum exercitum, nullam hæreſim, quæ Eccleſiæ prævaleat. Denique *portæ inferi* hoc loco intelligi poſſunt pericula, quæ ad mortem & inferos ducunt. iuxta illud: *Qui exaltas me de portis mortis.* hoc eſt: Qui me à periculis eripis, quæ portæ ſunt, quibus ad mortem ingredimur. hoc pacto: *Non prævalebunt aduerſus eam*: id eſt, aduerſus Petram, aduerſus Petrum, aduerſus Pontificem ſummum, cùm ipſe paſtorali officio fungetur, quæ ad fidem, moreſque pertinent decernendo. Non prævalebunt aduerſus Petram, ipſam prorſus de Eccleſiæ fundamento tollendo. Semper enim Eccleſia ſummum habuit, habebitque Pontificem, à quo Chriſti vice gubernetur. Item: *Non prævalebunt aduerſus eam*, id eſt, Eccleſiam. *Portæ inferi quid ſignificent.* *Pſal. 9.*

Et *tibi dabo claues regni cælorum.* Qui domus claues poſſidet, poteſtatem in domum habet. Quamobrem claues poteſtatem ſignificant. *Dabo clauem domus Dauid ſuper humerum eius, & aperiet, & non erit qui claudat, & claudet, & non erit qui aperiat,* &c. hoc eſt, dabo illi ſupremam in domo Dauid poteſtatem. quęcumque ſtatuerit, rata erunt. ait Dominus: *Habeo claues mortis & inferni*: hoc eſt, poteſtatem occidendi, æterniſque pœnis occiſos damnandi. *Qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit,* &c. Chriſtus ergo claues Eccleſiæ promittit Petro, hoc eſt, ſupremam, ac plenam ad gubernandam Eccleſiam poteſtatem; ita vt quæcumque ipſe ſtatuerit in terris, rata ſint in cælis. *Tibi*, inquit, *dabo* *Matth. 16. Claues ſignificant poteſtatem. Iſaiæ 22.* *Apoc. 1.* *Apoc. 3.*

claues regni cælorū, id eſt, Eccleſiæ, quàm perſpicuum eſt regnum cælorū appellari. Aperies, & non erit, qui claudat: claudes, & non erit, qui aperiat. *Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* quaſi dicat: Tu Vicarius meus in terris, Eccleſiam adminiſtrabis: ego verò in cælis quæcumque ritè pro poteſtate tibi tradita egeris, rata habeo. tu in terra, ego in cælis gubernabo. Vide, quā amplam Chriſtus Petro promittat poteſtatem. *Claues cælorum promittuntur Petro. Matth. 16.*

Alio modo ſignificare poteſt regnum cælorum, regnum beatorum, quod in cælis eſt; clauditurque omnibus iis, qui peccato ſunt inquinati. *Non enim intrabit in illud aliquid coinquinatum*, vt eſt in Apocalypſi. Hoc ſenſu, ſi accipias regnum cælorum, promittit Dominus Petro claues, quibus aperire poſſit clauſos impiis cælos; & poteſtatem ſoluendi criminum vincula, vel etiam retinendi. Non enim ligat quempiam criminum catenis ſummus Pontifex; ſed ligatum relinquit, quia ſolutione eſt indignus. Ligat tamen excommunicationis vinculis horrendis. Clauſæ ſunt cæleſtes fores improbis: dantur claues Petro, quibus reſerari poſſint. Non poſſunt criminum vinculis conſtricti in cælum euolare; datur Petro poteſtas, qua vinculis ſoluantur, vt euolent. Quod ſi indigni ſint ſolutione, vincula retinendi poteſtas tribuitur. *Apoc. 12. Petrus habet poteſtatē qua poteſt aperire improbis cælos.*

Obſerua poteſtatem ſummam, ſummumque Pontificatum, Petro eſſe promiſſum hoc loco: traditus autem eſt, poſt Chriſti reſurrectionem, Ioan. 21. vt eo loco fauente Numine explicabimus. Idcirco hic futuris vtitur; *ædificabo, tibi dabo claues*, &c. at, Ioan. 21. *Paſce*, inquit, *oues meas*. Non dixit; *paſces*, ſed, *paſce*. neque verò ſemel dixit; *Paſce*, ſed ter. Et eſt, qui obedire recuſet Paſtori, à Chriſto apertiſſimis verbis totius orbis ouibus præpoſito? *Summus Pontificatus hic promiſſus Ioan. 21. traditus Ioan. 21.*

CAPVT XXIV.

Morale.

De promiſsione ſummi Pontificatus facta Petro.

REGNVM condidit in terris Deus, nimirum Eccleſiam, adeò amplum, vt totum terrarum orbem complectatur. Vnde Eccleſia Catholica, id eſt, vniuerſalis, perque omnes propagata populos, nominatur. Huius regni Rex potentiſſimus Chriſtus eſt, de quo Dauid ſic cecinit: *Dominabitur à mari vſque ad mare, à flumine vſque ad terminos orbis terrarum.* &, *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Illi reliquos omnes reges ſeruire iubet, verbis conſequentibus. *Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite diſciplinam,* &c. ideo dicitur: *Rex regum & Dominus dominantium.* Regnum hoc, regnum cælorum illis verbis appellatur: *Et tibi dabo claues regni cælorum.* id eſt, Eccleſiæ. Etenim cæleſtem habet Regem, cæleſtia inſtituta, cæleſtes leges, cæleſtia præmia. idque illi propoſitum eſt, vt cæleſtes efficiat in terris homines. Cæleſtem habet Regem & Paſtorem, in cælis Chriſtum; à quo tumentes inter fluctus, veluti altare Noë arca gubernatur. *Pſal. 71.* *Pſal. 2. Regnum Chriſti amplitſimum Eccleſia.* *Apoc. 19. Eccleſia regnum eſt cælorum.*

At fuit opus gubernatorem quoque habere in terris; qui à regni incolis conſpiceretur, Regiſque ſummi vices obtineret. Ita factum: Cùm Regum Rex, dominantiumque Dominus Chriſtus, in cælum vellet abire, Proregem quemdam cæleſtem, ſummum *In cælis regē habet Chriſtū Eccleſia. in terris Chriſti Vicarium.*

summum Pontificem, vicariumque, cum amplissima potestate in terris constituit, quam ipse successoribus suis relinqueret. Hic Petrus est. Ante verò quàm faceret; hoc se facturum indicauit. In primis cùm Simoni, Petrę nomē imposuit. Ioan. 1. Petrum enim idcirco appellauit, vt Ecclesiæ fundamentum demonstraret. Deinde cùm summum
Matth. 16. Pontificatum promisit illis verbis: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, &c. Denique
Ioan. 21. pontificatus est traditus illis verbis: *Pasce oues meas.*

Præcessit hanc ad summum Pontificatum promissionem, siue electionem, oratio. *Cùm solus esset*
Luc. 9. *orans* (ait Lucas) *erant cum illo, & discipuli, & interrogauit illos, Quem me dicunt esse turbæ?* &c. Verisimile est
Oratione præcedente eligendi pastores, & matura consideratione. tunc orasse Christum pro Petro, eiusque successoribus, quibus Ecclesiæ claues promittere decreuerat. Pontifices, Reique publicæ gubernatores, præcedente tum oratione, tum matura consideratione, eligendi sunt. Quicumque ex gemmis, quibus multæ vitreæ ac falsæ permixtæ sunt, illam vult, quæ pretiosissima est, eligere: non in tenebris, sed in luce clarissima eligit. Omnes intuetur, expendit, diligenterque explorat. Vt pretiosissima eligatur gemma, lux adhibetur clarissima; pretiosissimus verò animarum pastor in caligine eligetur, quam vel consanguinitas, vel munus, vel
Bernard. affectio, mentis oculis offundit? Non expectatur ratio (ait Bernardus epist. 12.) vbi affectio trahit, &c. At tanto in negotio, etsi trahat affectio, expectetur ratio; etsi trahat consanguinitas, vincat diuini iudicij consideratio. Matthiam cùm eligerent
Actor. 1. Apostoli, *Orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem eligeris ex his duobus vnum*, &c. Ostendet Dominus eligendum, si orauerint electores, si vt ostendat, Deum implorarint, si quanti sit momenti, bonum pastorem Ecclesię tradere, consideraverint. Hinc illud Synodi Trident. sess. 24.
Ecclesiæ pastores quomodo eligendi. cap. 1. Statuit sancta Synodus, vt cùm primùm Ecclesia vacauerit, supplicationes, ac preces, publicè, priuatimque habeantur; atque à Capitulo per ciuitatem, & diœcesim indicantur; quibus clerus, populusque, bonum à Deo pastorem valeat impetrare, &c.

Præcessit præterea hanc electionem scientiæ, ac doctrinæ, veluti examen quoddam. Quæstionem arduam ac difficilem, doctorum maximus Chri-
Matth. 16. stus, discipulis proposuit: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* Quæstioni præpositæ diuina illustratus sapientia respondit Petrus: *Tu es Christus Filius Dei*
Examinandus sacerdos, & pontifex. *viui*. Examinandus sacerdos est, ac Pontifex diligenter. Oportet enim sapientem esse, diuinaque scientia eruditum. Si in laicis (ait D. Leo, epist. 22.) vix tolerabilis videtur inscitia; quantò magis in iis, qui præsunt, nec excusatione digna est, nec
Ignorantia sacerdotibus vitanda. venia? &c. Concilium Tol. 4. cap. 24. Ignorantia mater cunctorum errorum, maximè in sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. Sciant sacerdotes Scripturas sanctas, & canones, vt omne opus eorum in prædicatione, & doctrina consistat; atque ædificent cunctos, tam fidei scientia, quàm operum disciplina, &c. Item septima Synodus, cap. 2. Substantia summi sacerdotij nostri, sunt eloquia diuinitus tradita, id est, vera diuinarum Scripturarum disciplina, quemadmodum magnus perhibet Dionysius,
Osea 4. cap. 1. Eccl. hier. *Tu scientiam repulisti, & ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi*. hæc Synodus. *Si cæcus cæ-*
Matth. 15. *co ducatum præstet* (ait Dominus) *ambo in foueam cadunt.* Si cæcus, hoc est, sapientiæ expers sacerdos, populo præeat; vterque in barathrum incidet. Diuina-
Sacerdos, & pontifex sit doctus. rum rerum scientia, humanarumque, oculorum instar est, quibus homo illustratur ac dirigitur.

hanc si tollas, oculis captus erit pastor; qua via oues ducere debeat, non videbit. *Vos estis lux mũdi*, ait *Matth. 5.* Christus Apostolis, cęteris; pastoribus, Mat. 5. fiũt autem lux mundi pastores, tum sapientia, tùm vel maximè virtute: sapientia si careant non lux, sed tenebræ sunt, quid erunt oues? *Si lumen, quod in te est* *Matth. 6.* (ait Dominus) *tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?* Si sol obscurissima caligine contegatur, obtegitur etiam tellus: si pastor ignorantię atris nubibus inuoluatur, inuoluitur quoque populus. Bernardus serm. 66. in Cantica; Quomodo in pascua diuino- *Bernard.* rum educet eloquiorum greges dominicos, pastor idiota? Sed etsi doctus quidem fuerit, non si autem bonus; verendum, ne non tam nutriat doctrina vberi, quàm sterili vita noceat. Temerè itaque hoc onus subitur, absque scientia pariter, & vita laudabili, &c.

Pones (ait Dominus Mosi) *in Rationali iudicij, Do-* *Doctrina & veritas erant in rationali.* *ctrinam, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino*, &c. In pectore Israëlitici sacerdotis Doctrina erat, & Veritas, in pectore item Chri- *Exod. 28.* stiani sacerdotis, cælestis doctrina, Theologicaque veritas fulgeat: ita vt sacerdotale pectus sapientiæ, veritatisque thesaurus sit; iuxta illud, *Omnis* *Matth. 13.* *Scriba doctus in regno cælorum, similis est homini patri familias, qui profert de thesauro suo noua & vetera*, &c. D. Hie- *Hieron.* ronymus Malachiæ 2. Idcirco, inquit, in sacerdotis pectore Rationale est, & in Rationali Doctrina, & Veritas ponitur; vt discamus sacerdotem doctum esse debere, & præconem dominicæ veritatis, &c. Eodem cap. Malachiæ ait Dominus: *Labia* *Malach. 2.* *sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est*, &c. in quem locum Hieronymus sic scribit; Non dixit labia pro- *Hieron.* ferent scientiam; sed custodient; vt loquantur in tempore, dentque conseruis cibaria in tempore suo. *Et legem requirent ex ore eius*. In Aggæo hoc *Aggæi 2.* idem scribitur, *rogate sacerdotes legem Domini*. Ad sacerdotis pertinet disciplinam, interrogatum respondere de lege. Qui si ignorantiam in cæteris diligentem, in Scripturis sanctis obtenderit negligentem; frustra iactat dignitatem, cuius opera non exhibet. hoc est, quod Apostolus scribit, *Vt* *Tit. 1.* *potens sit exhortari in doctrina sana, & contradicentes reuincere*. Et *quoniam ab infantia sacras literas nosti, quæ te* *2. Tim. 3.* *possunt instruere ad salutem*. Sic Hieronymus, & *D. Greg.* Diuus Gregorius homilia decima septima in *3. Reg. 7.* Euangelia illud quod scribitur: *In basibus templi leones efformatos fuisse boues, & Cherubim*. De sacerdo- *Sacerdotes quæ habere debeant.* tibus moraliter exponit, qui bases sunt Ecclesiæ, quos oportet leonum habere insculptam fortitudinem, boum patientiam, mansuetudinem, & laborem, Cherubinorum scientiam. Quid aliud (ait Gregorius) significant bases nisi sacerdotes, qui more basium super-impositum onus portant. in basibus Cherubim exprimuntur, quia decet, vt sacerdotum pectora scientiæ plenitudine sint referta. Per leones terror seueritatis: per boues patientia mansuetudinis figuratur, &c.

Videamus qualem Pontificem, vicariumque Dominus elegerit. Numquid ex regibus, opulentisque principibus aliquem? Minimè. Pauperem elegit piscatorem, illiusque humeris, totius Ecclesiæ administrandæ, giganteis viribus formidandum onus, imposuit. Deus bone, siccine tantum extruitur ædificium in arena, & puluere? Quid enim aliud homo est, quam pul- *Christus super petrã non super arenam Ecclesiam ædificauit.* uis, & cinis? Nonne tam tenui fultum fundamento, corruet? Verum quidem est, hominem puluerem esse, ac cinerem, si secundùm vires suas spectetur; neque verò tanti ædificij

pondus his viribus poterit ſuſtinere. Si autem ſecundùm Dei potentiam conſideretur; non puluis eſt Simon, & cinis, ſed Petra, rupeſque admiranda. Audi illius verba, cuius potentia nullis finibus circumſcribitur; cuiuſq; dixiſſe, feciſſe eſt.

Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Ex ſe quidem Simon puluis erat; ex Chriſto eſt Petrus, ſiue petra. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo.* Sapientiſſimus igitur architectus, non ſuper puluerem, aut arenam, ſed ſuper Petram ædificauit ſolidiſſimam. Id quod vt toto mundo exploratum eſſet, Simonem nominauit Petrum, id eſt, rupem ſolidiſſimã. Non enim ſine cauſa Deus imponit nomina. Nominauit quoque Barjona, id eſt, filium columbæ, videlicet Spiritus ſancti, vt Hieronymus interpretatur. Cur Dominus Petrum filium Spiritus ſancti appellat? Nimirũ quia ab Spiritu ſancto ducitur Pontifex Max. in Eccleſia adminiſtranda; ita vt in iis definiendis, quæ ad fidem, moreſque attinent, à veritate aberrare non poſſit. filius Spiritus ſancti fuit Petrus; filij quoque eiuſdem Spiritus, ſunt ſucceſſores Petri. Regunt illi Eccleſiam; ſed reguntur ab Spiritu ſancto. Non corruet errore vllo Eccleſiæ ædificium; ſiquidem ab Spiritu veritatis, ſolidum illius fundamentum, veritate ſtabilitur. Non corruet vlla tartari potentia; ſiquidem Dei potentia confirmatur. *Portæ inferi* (ait potentiſſimus Deus) *non prævalebunt aduerſus eam.*

Pontifex ab Spiritu S. ducitur in Eccleſia adminiſtranda.

Matth. 16.

Non dixit; *Non oppugnabunt*; ſed, *Non prævalebunt.* Etenim oppugnant Eccleſiam hoſtes, ſed non prævalent; iuxta illud, *Deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit. fundata enim erat ſuper petram*, &c. Irruerunt, ſed non prævaluerunt. Gregorius Pſalmo 7. pœnitentiali. Quòd in hac vita Eccleſia nullis aduerſitatibus frangenda ſit, nullis perſecutionibus ſuperanda, Chriſtus euidenter oſtendit, cùm ait: *Portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam*, &c. Non deſunt Idumæi, qui Babyloniis dicant illud, *Exinanite, exinanite vſque ad fundamentum in ea.* At neque exinanierunt, neque exinanient vlli hoſtes Ieruſalem nouam; fundata enim eſt ſupra firmam Petram. Quemadmodum rupes in medio locata pelago, circum tumentibus, irruentibuſque fluctibus, ſtat infracta; ſic Eccleſia. *Mirabiles elationes maris: mirabilis in altis Dominus.* fuere quidem, hodieque ſunt, mirabiles aduerſus Eccleſiam inſurgentes fluctus; mirabiles perſecutorum, hæreticorumque hominum elationes. Verumtamen non viribus conſiſtit ſuis. *Mirabilis in altis Dominus*: à quo mirabiles fluctus, & hominum. dæmonumque elationes mirabiliter ſedantur, ac diſſipantur. Ambroſius in lib. de Salomone, cap. 4. Eccleſia, inquit, etſi vndarum fluctibus, aut procellis ſæpè vexatur; tamen numquam poteſt ſuſtinere naufragiũ. Quia in arbore eius, id eſt, cruce, Chriſtus erigitur, in puppe Pater reſidet gubernator; proram Paracletus ſeruat Spiritus. Et ſi ſæculum iſtud tanquam pelagus ſortitur infeſtum; numquam alliditur ad ſaxum, nec mergitur ad profundum. Ita Ambroſius.

Oppugnant hoſtes Eccleſiam, ſed non prævalent.

Matth. 7.

Pſal. 116.

Pſal. 92.

Eccleſia numquam ſuſtinere poteſt naufragium.

Eccleſia eſt arca Noe.

Admirandam illam Noë arcam ad ſalutem hominum fabricatam, & infrà immanes vndæ, & ſuprà horridi quatiebant imbres. Quatiebant, ſed non obruebant. En tibi Eccleſiæ imaginem, extra quam nemo ſalutem conſequitur, perſecutionibus concutitur, ſed non obruitur. Quam ob cauſam à D. Gregorio lib. 29. Moral. cap. 28. cum ſydere Arcturo confertur, quod numquam occidit. In Arcturo, inquit, qui per gyrum ſuum, nocturna ſpatia, nõ occaſurus illuſtrat, Eccleſia deſignatur; quæ fatigationes quidem patitur, neque tamen ad defectũ proprij ſtatus inclinatur; gyrum laborum tolerat, ſed ad occaſum cum temporibus non feſtinat, &c. Pſal. 7. pœnitent. ab eodem S. Pontifice Eccleſia cum terra immobili, ac fœcũda meſſibus comparatur, iuxta illud, *terra in æternum ſtat*. Terra, ait Gregorius, dicta eſt Eccleſia, tùm quia in meſſe fidelium populorum, ſpirituali fæcunditate exuberat; tum quia in ſoliditate fidei perpetua firmitate immobiliter perſeuerat. vnde per Salomonem dicitur; *terra in æternum ſtat*, &c.

Ecclef. 1.

Generatio præterit, & generatio aduenit: terra autem in æternum ſtat: ait Salomon. Terræ firmiter ſtanti ſimilis eſt Eccleſia; generationibus prætereuntibus, & aduenientibus ſimiles hæretici, & perſecutores. Itaque generatio hæreticorum quorũdam, & perſecutorum, præterit; aliorum generatio ad oppugnandam Eccleſiam Deo permittente aduenit. At Eccleſia terræ immobili ſimilis, in æternum ſtat, nulliſque oppugnantibus de ſtatu deiicitur. Prætériit generatio Nouatianorum, aduenit generatio Arianorum, ſed & hæc præteriit, quemadmodum & Eutychianorum, Neſtorianorum, Manichæorum, Pelagianorum, Montaniſtarum, Donatiſtarum, & aliorum ſimilium. Aduenit generatio Lutheranorum, Caluiniſtarum, Anabaptiſtarum; hæc etiam ſicut reliquæ more aquæ fluentis præteribit. Non vos terreant (ait Auguſtinus Pſalm. 57. quidam fluuij, qui dicuntur torrentes. Hyemalibus aquis implentur: nolite timere, poſt paululum tranſit. decurrit aqua, ad tempus perſtrepit, mox ceſſabit; diu ſtare non poſſunt. Multæ hæreſes iam emortuæ ſunt; cucurrerunt in riuis, quantum potuerunt; decurrerunt, ſiccati ſunt riui. Vix eorum memoria reperitur, vel quia fuerint, &c. Vt hæretici, ſic etiam Nerones, Diocletiani, Maximini, cæterique Eccleſiæ perſecutores euanuerunt. Eccleſia autem in æternum ſtabit; quoniam portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam. Chryſoſtomus tom. 1. homil. 4. de verbis Iſaiæ: Facilius, inquit, eſt Solem extingui, quàm Eccleſiam obſcurari, &c. & tom. 5. in oratione de non contemnenda Eccleſia. Quid Eccleſia Dei potentius eſſe poteſt? Mœnia barbari deſtruunt, Eccleſiam verò ne dæmones quidem ſuperant. Cùm oppugnatur vincit, cùm appetitur inſidiis, ſuperat, &c.

Ibid.

Hæretici & Eccleſiæ perſecutores euaneſcunt. Eccleſia ſtabilis permanet.

Auguſt.

Facilius eſt ſolem extingui, quam Eccleſiam obſcurari.

Non prævalebunt inferi portæ aduerſus Eccleſiam, & non prævalebunt aduerſus Petram, in qua fundatur, id eſt, aduerſus Petrum, eiuſque ſucceſſores. Auguſtinus in Pſalmum contra partem Donati. Numerate, inquit, ſacerdotes, vel ab ipſa ſede Petri. Ipſa eſt petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ, &c. Chryſoſtomus hom. 55. in Matthæum: Peccatorum, inquit, remiſſionem, & vt futura Eccleſia tot tantiſque fluctibus irrumpentibus, immobilis maneat, cuius paſtor & caput piſcator homo, atque ignobilis, terrarum orbe reluctante, adamantis naturam firmitate ſuperet, pollicetur Chriſti, &c.

Non prævalebunt hoſtes aduerſus Petram. Auguſtin.

Chryſoſt.

Ædificabo, ait Dominus, *Eccleſiam meam*, etenim ædificio, ſiue templo ſimilis eſt Eccleſia, ex viuis extructa lapidibus, iuxta illud, *Ad quem*, ſcilicet Chriſtum, *accedentes lapidem viuum, & ipſi tanquam lapides viui ſuper ædificamini, domus ſpiritalis*, &c. Huius ſpiritalis domus exædificator eſt Chriſtus Deus. Dei enim potentia ad hoc opus erat neceſſaria. Lege Chryſoſtomum in demonſtratione, quod Chriſtus ſit Deus. Niſi, ait, diuina quædam virtus effeciſſet, nequaquam hæc vel principium, vel præludium accepiſſent. Sicut cum dixit Deus; *Germinet terra herbam fœni*; & omnia mox hortus erant, & omnia pratum, terraque mandatum ſuſcipiens, infini-

Matth. 16.

1. Pet. 2.

Dei potentia ad extruendam Eccleſiam neceſſaria. Chryſoſt.

Eccleſia cum Arcturo comparatur.

infinitis ornabatur plantis. Sic & nunc, vbi dixit: *Ædificabo Ecclesiam meam:* multa acceleratione facta est, etiam contra illam tyrannis se armantibus, & militibus arma mouentibus, & populis plus igne valido insanientibus, &c. Item: Nullus ædificare potest parietem vnum, quem lapidibus, & calce extruit, si impediatur, & fugetur. Christi verò discipuli toto orbe extruxere, licet ligarentur, persecutionem ferrent, occiderentur, & ædificabant non lapidibus, sed animabus, & institutis; quod plane multò est difficilius, quam lapidibus extruere. Nihilominus hoc potuerunt nudi illi, & calceis carentes, & vna veste amicti, perque vniuersum orbem currentes. Habebant enim adiutricem, & comitantem inuictam virtutem eius, qui dixerat, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.* Sic Chrysostomus. Psalmo 126. *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam.* In vanum laborassent omnes homines, in Ecclesia ædificanda, nisi Dominus eam ædificasset. *Ego*, inquit, *ædificabo eam.* ego Dominus, ego Deus. Addit Psalmographus: *Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.* Dominus Ecclesiæ domum, & ciuitatem custodit, ni custodiret, actum de illa esset, inter tot procellas. Quia ipse custodit, idcirco ait; *Portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.*

Ecclesia nulla vi humana ædificari potuit. Psalm. 126.

Præclarissimi huius ædificij, à se exdificati, claues Petro Christus tradit. *Tibi*, inquit, *dabo claues regni cælorum.* Eliacim filio Helciæ pollicetur Deus claues domus Dauid; *Erit*, inquit, *quasi pater habitantibus Ierusalem, & domui Iudæ. & dabo clauem domus Dauid super humerum eius, & aperiet, & non erit qui claudat, & claudet, & non erit qui aperiat*, &c. Hoc autem loco pollicetur claues domus templique sui Petro, eiusque successoribus, quibus ea quæ Eliacim dicuntur, multo sublimiori sensu congruunt. fuit enim Petrus, suntque eius successores Romani Pontifices, verissimi patres habitantibus Ecclesiam. Claues habent domus Dauid, id est, Christi, aperiunt, & nemo claudit, claudunt, & nemo aperit. *Figam illum* (ait Dominus de Eliacim) *paxillum in loco fideli, & suspendent super eum omnem gloriam domus patris eius, vasorum diuersa genera, omne vas paruulum, à vasis craterarum, vsque ad omne vas musicorum*, &c. Paxillo similem ait fore Eliacim, hoc est, ligneo clauo. Quemadmodum enim ex clauo vasorum & instrumentorum diuersa genera pendent: sic ex Eliacim omnis gloria domus patris eius pendebat. Cum clauo, eoque ligneo confertur Eliacim; at Petrus non clauo fragili, sed Petræ, ac rupi, similis dicitur. Nō susp̃enditur ex Petro gloria domus patris eius, sed ædificaturin Petro gloria Ecclesiæ vniuersæ, *Tu es*, inquit, non paxillus, *sed Petrus, & super hanc petrã ædificabo Ecclesiã meam.*

Matth. 16. Claues Ecclesiæ traditæ Deus Petro. Isaiæ 22.

Eliam dedit Deus claues domus Dauid.

Ibid.

Matth. 16.

Libro 1. Machab. cap. 15. venit Athenobius, & vidit gloriam Simonis (pontificis Iudæorum) & claritatem, in auro, & argento, & apparatum copiosum, & obstupuit, &c. Obstupuit Athenobius Simonis illius gloria conspecta, quæ in auro, argento, externoque rerum caducarum apparatu posita erat. Nos verò obstupescimus nostri Simonis Petri gloria considerata; quæ non in auro, argento, rerumque inanium apparatu, sed in virtute admiranda, stupendaque potestate posita est. Quis non obstupescat cùm piscatorem videt cælorum gerentes claues, hominum animos soluentem, ac ligantem? Reges, principesque orbis, corpora ligare possunt, vel soluere. At Petrus, eiusque successores, animos corpore multò præstantiores ligant, soluuntque. Quis non obstupescat, cùm terrarum dominam Romam, cùm regnum, imperatorumque gloriam, Petri pedibus prostratam animaduertit?

Admirabilis Petri gloria.

Mulier quæ erat in ciuitate peccatrix: vt cognouit quod Iesus accubuisset in domo Simonis, attulit alabastrum vnguenti pretiosi. Et osculabatur pedes eius, &c. Ita Roma illa antiqua, quæ erat in mundo peccatrix, idolorumque cultrix, vt cognouit, quod Iesus accubuisset in domo Simonis, id est, in Ecclesia, cuius Simon Petrus fuit primus pontifex Max. non alabastrum, sed mentem pretioso fidei vnguento plenam attulit, ad pedes Simonis procidit, eosque osculata est. *Vidi mulierem* (ait Ioannes) *sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem, & cornua decem, & mulier erat circumdata purpurra, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione, & immunditia fornicationis suæ, & in fronte eius nomen scriptum; Mysterium, Babylon magna, mater fornicationem & abominationum terræ*; id est, idololatriæ, &c. Hæc fuit idolorum cultrix Roma, quæ Iesum in domo Simonis accubuisse ignorabat; quæque de sanguine sanctorum martyrum eodem loco dicitur ebria. *Et vidi* (ait Ioannes) *mulierem ebriam de sanguine sanctorum, & de sanguine martyrum Iesu*, &c. At postquam cognouit in domo Simonis accumbere regem cæli, è bestia coccinea capita habentem septem, & cornua decem, descendit, ad Christi Petrique pedes fæliciter procidit, turpem meretricis ornatum exuit, cælestem ornatum induit, plenum abominatione idololatriæ, atque immunditiæ poculum confregit, veræ, cæleſtisque doctrinæ poculum orbi propinauit, & martyres quorũ sanguine ebria erat, veneratione summa affecit. Turpis ille ex fronte titulus, deletus est; *Babylon magna, mater fornicationum, & abominationum terræ*: præclarissimus titulus inscriptus est; Sedes Petri, ideoque mater veræ doctrinæ, & fidei Petra.

Roma conuertitur ad Christum instar Magdalenæ.

Apoc. 17. Roma ante conuersionem qualis.

Ibid. Roma post conuersionem qualis.

In hac fidei Petra, Ecclesia scilicet Romana stemus, in hac viuamus, in hac moriamur, quicumque in regnum cæleste peruenire cupimus. iuxta illud, *Est locus apud me* (ait Dominus) *& stabis super petram, & videbis posteriora mea*, &c. Locus, qui apud Deum est, Ecclesia sancta est, fideique petra. super hanc petram qui stat, neque in peccatum cadit, vel si cadit, resurgit, Dei videt posteriora, id est, gloriam æternam, quæ posterior est gratia & cæteris huius vitæ donis, quæque posterius datur post hanc vitam. Sic Diuus Gregorius interpretatur epistola 53. lib. 7. ad Moysen (inquit) dicit Dominus: *Est locus penes me, & stabis super petram.* Est locus apud Deum, videlicet sanctæ Ecclesiæ vnitas, in qua super petram statur, dum confessionis eius humiliter soliditas tenetur. de quo loco subiungitur, *Tunc videbis posteriora mea*: In petra enim, id est, in sancta Ecclesia stantes, Dei posteriora videbimus, quando iam ea, quæ in fine promissa sunt, cælestis patriæ gaudia contemplabimur. hæc Gregorius. *Crura eius*, id est, Christi, *columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas*, &c. Christi crura ait Psellus Petrum appellari: Canticor. 5. Per crura, inquit, Petrum intellige Apostolorum principem. in hoc enim Dominus in Euangeliis se Ecclesiam suam ædificaturum promisit, &cæt. Sunt hæc crura firmissimarum columnarum instar. quemadmodum corpus in cruribus, & domus in columnis, ita mysticum Christi corpus, id est, Ecclesia in Petro, Petrique successoribus fundatur. Petrus autem fundatur in Christo. *Crura*, inquit, *eius columnæ marmoreæ,*

Exodi 33. Gregor. Cant. 5. Christi crura sunt Petrus.

quæ fundatæ sunt, &c. Columna est Petrus Ecclesiæ, sed columna fundata; super quódnam fundamentum? additur: *Super bases aureas*. Aurea basis, aureum Petri fundamentum, Christus est Deus & homo. Absq; cruribus incedere nemo valet; si columnas tollas, ædificium corruet. Crura sibi resecant hæretici, columnam tollunt, qui Romano pontifici A obedientiam debitam denegant. Ideoque in via cæli non incedunt, ideo apud se ædificium cæleste diruunt. Qui in cælum iter facit, qui cæleste ædificiū extruit, his robustissimis cruribus, his firmissimis columnis innitatur. Neque in cęlum sine his cruribus perueniri, neque ædificiū stabile absque hoc columnarum fundamento extrui potest.

Petri fundamentum est Christus

CAPVT XXV.

Agit Christus cum discipulis de sua passione.

MATTHÆVS CAPITE XVI.

TVNC præcepit discipulis suis, vt nemini dicerent, quia ipse esset IESVS Christus. Exinde cœpit Iesus ostendere discipulis suis, quia oportet eum ire Ierosolymam, & multa pati à senioribus, & Scribis, & principibus sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere. Et assumens eum Petrus, cœpit increpare illum dicens: Absit à te, Domine: non erit tibi hoc. Qui conuersus, dixit Petro: vade post me Satana, scandalum es mihi: quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.

MARCVS CAPITE VIII.

ET comminatus est eis, ne cui dicerent de illo. Et cœpit docere eos, quoniam oportet Filium hominis pati multa, & reprobari à senioribus, & à summis sacerdotibus, & Scribis, & occidi: & post tres dies resurgere. Et palam verbum loquebatur. Et apprehendens eum Petrus, cœpit increpare eum. Qui conuersus, & videns discipulos suos, comminatus est Petro, dicens: vade retro me Satana, quoniam non sapis, quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominū.

LVCAS CAPITE IX.

ET ille increpans illos, præcepit, ne cui dicerent hoc; dicens: Quia oportet Filium hominis multa pati, & reprobari à senioribus, & principibus sacerdotum, & Scribis, & occidi; & tertia die resurgere.

Mat. 16. TVNC *præcepit discipulis suis, vt nemini dicerent*. Confessus est Petrus coram cæteris discipulis magistrum suum esse Christum, id est, Messiam lege promissum, & Filium Dei. *Tu*, inquit, *es Christus*, id est, Messias expectatus, *Filius Dei viui*. hoc vulgari nolebat Dominus, ideò discipulis præcepit, vt nemini dicerent, *quia ipse esset Iesus Christus* (sic correcta habent Biblia) hoc est, præcepit discipulis, vt nemini dicerēt, quòd ipse esset Iesus Messias, siue Iesus Rex ille Patribus promissus. vel, quod ipse esset IESVS, id est, seruator hominum, & Messias. Neque solùm præcepit, sed etiam, vt Marcus ait, comminatus discipulis est, ne dicerent. & Lucas; *increpans*, inquit, *illos præcepit ne cui dicerent hoc*. Vtroque loco verbum est Græcum, ἐπιτιμάω, id est, comminor.

Ibid.

Christus præcepit Apostolis ne se Messiam esse vulgarent.

Luca 9.

Cur Dominus discipulis præceperit, ne vulgarent se Messiam esse, dubitatur. Respōdemus, duo fuisse tempora. alterum hoc probandi; alterum vulgandi. Tempore quod resurrectionem, & Spiritus sancti aduentum præcessit, Messiam se esse satis probauit Dominus. huius verò rei per discipulos promulgationem, in tempus illud reliquit, quod Spiritus sancti aduentum est consecutum. Spiritus enim sancti lumine indigebāt, tùm Apo- B stoli, vt veritatem hanc prædicarent; tùm auditores vt illam possent intelligere. D. Hieronymus Matthæi 16. Potest, inquit, fieri, vt idcirco ante passionem & resurrectionem se noluerit prædicari, vt completo postea sanguinis Sacramento, opportuniùs Apostolis diceret. *Euntes docete omnes gentes*, &c. Euthymius: Immissurus erat Spiritus sanctus intellectum non solis discipulis, sed omnibus etiam credentibus, & tunc iam demùm omnibus publicari volebat, & diuinitatis, & passionis suæ mysterium; vt absque vllo offendiculo, prædicatio procederet, &c. D. Chrysostomus hom. 55. Cuius, C ait, rei gratia mandauit Christus discipulis vt nemini dicerent? Vt scilicet scandalis de medio sublatis, & mysterio crucis, ac omnino passione consummata, cùm nihil restaret, quod retundere aut perturbare multitudinis fidē posset; sincera & immobilis opinio de ipso in audientiū animis cōfirmaretur. Nondū enim clare sua virtus effulserat. qua de causa post resurrectionem, quādo rerū veritas, erat coruscata, & virtus eorū, quę fiebāt, præcipuè Apostolis auxiliatura, volebat ista prædicari, &c. Theophylact. Volebat Christus ante crucem obscurari gloriam suam. Nam si homines audissent ante passionem, quòd Deus esset, & deinde vidissent eum pati, quomodo non fuissent offensi?

Hieron.

Euthym.

Chrysost.

Theophyl.

Cur præceperit Dominus discipulis ne dicerent ipsum esse Messiā.

& pro-

& propterea occultabat se multis, vt post resurrectionem absque offendiculo à multis sciatur, Spiritu sancto omnia miraculorum operationibus adæquante, &c.

Aliam rationem Abulensis Matth. 16. quæst. 94. reddit, videlicet præcepisse Christum discipulis, vt nemini dicerent, ne passioni opponeretur impedimentum. Idem sensit Carthusianus, & Hesselius. At verò hæc sententia non placet, quoniam, etsi à discipulis diceretur, magistrũ suum esse Messiam Filium Dei viui, nullum passioni impedimentum opponeretur. Nec enim persuasissent; nec Pharisæorum & Sacerdotũ inuidiam extinxissent. Non impediuit passionem Ioannis prædicatio, non impediuit celeberrima illa populi acclamatio, *Hosanna filio Dauid*, &c. qua Messias esse proclamabatur. Non ergo impediuisset discipulorũ nuntiatio. Probabitur hæc sententia ex verbis Luc. *Increpans illos, præcepit, ne cui dicerent: Quia oportet Filium hominis multa pati*, &c. hoc est, Præcepit, ne cui dicerent se Messiam esse Dei Filium, ne passionem impedirent: oportebat enim multa pati, &cæt. Respondetur, sensum alium esse; videlicet tempus opportunum aperiendi dignitatem Christi, fore post resurrectionem. Præcepit, ne cui dicerent hoc; dicens, quòd non esset oportunum tempus dicendi, ante passionem, quæ futura erat. *Oportebat enim multa pati*, &c. Vel aliter, illud, *quia*, non reddit causam, sed ponitur pro, *vtique*; hoc pacto, præcepit eis ne cui dicerent, dicens: Vtique oportet Filium hominis multa pati, &c. confirmatur hic sensus ex aliis Euangelistis. Matthæus enim sic scribit: *Præcepit, vt nemini dicerent. Exinde cœpit Iesus ostendere discipulis suis, quia oportet eum ire Ierosolymam, & multa pati*, &c. Marcus ita: *Et cœpit docere eos, quoniam oportet Filium hominis pati multa*, &c. Illud enim non placet, quod dicitur, præcepisse Dominum, ne cui dicerent, ne in passione grauius scandalizarentur, qui id audirẽt, cùm viderent eum crucifigi, qui Messias dictus fuerat, & Dei Filius. Nam paulò antè passionem voluit Christus sibi acclamari à turbis, *Hosanna Filio Dauid*; volũitque tunc Messias appellari, & haberi.

Mat. 2. — Luca 9. — Ante passionem tempus opportunum non erat aperiendi Christi dignitatem. Matth. 16. — Marc. 8. — Mat. 2.

Forsitan tacere iussit discipulos, ne Pharisæorum & Sacerdotum inuidiam magis inflammarent. Coniici quoque potest sic discipulos tacere iussisse, quemadmodum tacere iussit leprosum sanitate donatum, *Vide*, inquit, *nemini dixeris*. Marci, *Comminatus est ei, statimque eiecit illum, & dixit ei, vide nemini dixeris*, &c. Et duos cæcos illuminatos, *comminatus est illis Iesus, dicens: videte ne quis sciat. illi autem exeuntes diffamauerunt eum in tota terra illa*, &c. Eos quoque qui surdum & mutum adduxerunt, *Præcepit illis ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant*, &c. Hos tacere iussit humilitatis causa, qua incredibili præditus erat. Similem ergo in modum credi potest, præcepisse etiam cum cõminatione Apostolis, propter eximiam humilitatem, vt nemini summam Messiæ, Filiique Dei dignitatem aperirent ante tempus destinatum; neque tamen illos præcepto obstringere voluisse. Lege Gregorium lib. 19. Moral. cap. 14. D. Ambrosius Luc. 9. Multis, inquit, de causis iubet tacere discipulos, vt fallat principem mundi, vt declinet iactantiam, doceat humilitatem, simul ne rudes, & imperfecti adhuc discipuli, maximæ prædicationis molibus opprimantur, &cæt.

Christus noluit se Messiam esse vulgari ob humilitatem. Matth. 8. — Marc. 1. — Matth. 9. — Marc. 7. — Ambros.

Dubitatur præterea. Num discipuli, ante hoc tempus, magistrum Messiam esse prædicauerint? Respondetur Matth. 10. missos esse prædicare regnum cælorum, nec ibi vllam fieri de prædicatione Messiæ mentionem. *Euntes*, ait Dominus, *prædicate dicentes: Quia appropinquauit regnum cælorum*, &c. Est ergo probabile discipulos à nomine Messiæ abstinuisse, quemadmodũ magister abstinebat. Non enim palàm se Messiam esse affirmabat: sed miraculis, verbisque aliquibus id indicabat. Vnde illud Iudæorum, *Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus*, id est, Messias, *dic nobis palàm*, &c.

An discipuli prædicauerint, Dominum esse Messiã ante hoc tempus. — Matth. 10. — Ioan. 8.

EXINDE *cœpit Iesus ostendere discipulis*. Hactenus de passione sua, cum discipulis Christus non egerat. Iam nunc de cruciatibus, morte, & resurrectione verba incipit facere. Nimirum postquàm illos in fide confirmauit. Ex eo tempore, ait Euthymius, ex quo firmiter cognouerunt discipuli, quòd naturalis esset Dei Filius: tunc demum cœpit prædicere illis quæ passurus esset, &c. Oportuit autem discipulis passionẽ prædicere, ne scandalizarentur: & vt intelligerent Christum non ex imbecillitate aliqua, sed ex voluntate passum. Vnde Euthymius: Cœpit, inquit, prædicere discipulis, quæ passurus erat, vt hæc præscientes tempore passionis non offenderentur, neque suspicarentur, quod propter naturæ imbecillitatem pateretur, &c. & Theophylactus: Prædicit Christus passionẽ, ne inexpectata illa veniente, offendantur, putantes, quòd inuitus, & non præsciens passus esset, &c.

Matth. 16. — Cur cũ discipulis egerit Dominus de passione. — Euthym.

ABSIT *à te Domine*. Non potuit vehemens Petri amor, de morte carissimi magistri, quem Dei filium fuerat confessus, æquis auribus audire sermonem. Itaque familiariter seorsum illum assumpsit, cœpitque magno amoris affectu increpare, dicens: *Absit à te Domine*, id quod de morte dicis; non eueniet tibi hoc, non occidẽris à Iudæis. Non recipiunt aures meæ, interpretatur Diuus Hieronymus, vt Dei Filius occidendus sit. Græcus contextus paulo aliter habet, sed idem sensus est, ἵλεώς τοι κύριε, hoc est, *propitius tibi Domine*. D. Hieronymus subintelligit, *sis*, in hunc sensum: *propitius tibi sis Domine*. sic etiam vertit interpres Euangelij Syriaci: *propitius esto tibi*, &c. Alij subintelligi volunt, *sit*, propitius tibi sit Deus ô Domine. Huiusmodi phrasi vtuntur septuaginta interpretes, Gen. 43. quo loco legimus, *pax vobiscum*, Hebraicè, שלום לכם schalom lichem, vertunt illi, ἵλεως ὑμῖν, id est, propitius vobis, scilicet sit Deus. Est vox quædam Hebræis prohibentis, חלילה chalilah, id est, *absit*: hanc interpres vertit, &, *absit*, &, *propitius sit Dominus*. 1. Regum 24. חלילה לי מיהוה chalilah li me ADONAI, &c. vertit, *propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem*, &c. 2. Reg. 23. יהוה חלילה לי chalilah li ADONAI, &c. interpretatur, *propitius sit mihi Dominus ne faciam hoc*, &c. hac fortè voce, חלילה chalilah, vsus est Petrus. ea habetur in Euangelio Matthæi quod Hebræum circumfertur, Chalila lac. id est, *absit tibi*, vel *absit à te*, In Euangelio Syriaco legitur, chas lach חס לך quæ verba duobus modis verti possunt. Primò, *propitius esto tibi*. significat enim verbum חוס chus, misereri, parcere, propitium esse: secundò, absit tibi, sic enim vertuntur Iosue 22. & 24. quibus locis Hebraicè habetur vox, חלילה Chalilah, Chaldaicè, חס Chas. Ex iis constat idem significare, *propitius tibi Domine*, & *absit à te Domine*.

Matth. 16. — Petri amor in Christũ eum ad increpandum Christum compulit.

VADE *post me Satana*. Quæritur, an iisdem verbis repulerit Christus Petrum hoc loco & diabolum Matthæi 4. capite. Iansenius & Caiet. dictum etiam dæmoni volunt: *Vade post me Satana*. Sed ex correctis bibliis summi Pontificis iussu, cõstat, Dæmoni dictum, *vade Satana*. Petro autem; *vade post me Satana*. D. Hilarius existimat Petrum non esse appellatum Satanam; sicque distinguit verba, vt

Matth. 16. — An Christus iisdem verbis repulerit Petrũ & diabolum.

Petro quidem dixerit Dominus: *Vade post me*. Diabolo autem: *Satana scandalum es mihi*. D. Hieronymus Matthæi 16. Multi, ait, putant, quod non Petrus corruptus sit, sed aduersarius spiritus, qui dicere Apostolum suggerebat, &c. Sed dicendum cum recepta sententia nomen, *Satanæ*, Petro attributum.

An Satanas significet hic diabolum. Hilar.

Dubium verò est, an sumatur hoc loco pro diabolo ipso, vt sensus sit; *Vade post me diabole?* D. Hilarius: Non conuenit, inquit, existimare Petro Satanæ nomen, & offensionem scandali deputari, post illa indultæ & beatitudinis, & potestatis tanta præconia, &c. Aliam interpretationem sequitur Psalm. 131. Tanta, ait, Christo religio fuit pro humani generis salute patiendi, vt Petrum Satanæ conuicio nuncuparet, &c. Chrysostomus: Apostolorum, inquit, vertex Satanas vocatus est, &c. D. Hieronymum ait nomen Hebræum Satan aduersarium significare, sensumque esse; *Vade post me aduersarie*. Vtramque interpretationem proponit Euthymius. vtraque est verisimilis. Aduersarius autem dicitur Petrus, quòd diuinæ voluntati (inscius tamen) aduersaretur.

Chrysost.

Petri bonus affectus. Hieron.

Affectus bonus erat, ab amore, non à dæmone profectus, vt docet D. Hieronymus. Mihi, inquit, hic error de pietatis affectu veniens, numquam incentiuum diaboli videbitur, &c. sed increpatur à Domino, quoniam passioni etsi ignorans obsistebat, &c. Origenes: Petri, ait affectum Christus suscipiens, ignorantiam exprobrans, dixit ei: *Vade post me Satana*, &c.

Horum autem verborum sententia ex Hieronymo hæc est: *Vade post me*; id est, sequere sententiam. Ex Hilario. Sequere me exemplo passionis. Ex Theophylacto. Ne obsistas mihi; sed sequere voluptatem meam. Aduerte hæc verba esse abigentis aduersantem, & ab oculis, conspectuque repellentis. Nam is qui aduersatur ante faciē obsistit. ideoque dicitur illi: *Vade post me*, vel, *vade retrò*, hoc est, discede ab oculis, conspectuque meo, ne mihi obsistas.

A

B

C

SCANDALVM *es mihi*. Scandalum obstaculum significat, & impedimentum. Quia igitur Petrus amore ductus passioni obstabat, idcirco scandalum esse dicitur, hoc est, impedimentum. Non quidem quòd Christum scandalizare posset, sed quòd obstaculum opponeret passioni. *Matth. 16.*

QVIA *non sapis ea, quæ Dei sunt*. Dei voluntas erat, vt Christus subiret mortem: hoc quod Dei erat, ignorabat Petrus. Hominum est vitam quietemque complecti, mortem fugere; hoc quod est hominum sapiebat Petrus, cum Christo suadebat, vt fugeret mortem. idcirco ait illi: *Non sapis*, Græcè, οὐ φρονεῖς, nō intelligis, *ea quæ sunt Dei*: id est, Dei de mea morte voluntatem, ac decretum, quæque ex illa sequantur bona, sed ea nouisti, quæ sunt hominum, scilicet, mortem & cruciatus fugere. *Matth. 16. Hominum proprium quidnam sit.*

Obserua quantopere sunt amici fugiendi, qui bonis operibus præstant impedimentum peccata confessione expurgandi, tum Eucharistiam sumendi vsui, & similibus. Satanæ nomine censendi, siquidem illum imitantur, & vt Satanas sunt fugiendi. Si Christus Petrum, qui vehementi amore ad concilium ductus est, sic repulit, quanto acrius repellendi illi sunt qui impia suggerūt consilia? Illa etiam verba aduerte. *Non sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum.* Plerisque enim congruunt, qui diuinas res minimè sapiunt, humanas egregiè callent. Lege D. Gregorium lib. 3. Moral. cap. 11. Malè suadentes, ait appellatione Angeli apostatæ censentur, qui verbis blandis ad illicita quasi diligentes trahit, &c. Vide quomodo Iob, cap. 2. malè suadentem repulit vxorem. & Dauid, malè suadenti respondit Abisai: *Quid*, inquit, *mihi & vobis filij Saruiæ? cur efficimini mihi hodie in Satan?* &c. Bernardus de S. Andrea. sermon. 2. Si iniquum aliquid tamquam iustum persuadere quis tentat, Iudas est, osculo me prodit, &c. *Amici qui bonis operibus obstant fugiendi.* 2. Reg. 19.

CAPVT XXVI.

De abnegatione, & cruce tollenda.

MATTHÆVS CAPITE XVI.

TVNC Iesus dixit discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Quid enim prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui, cum angelis suis; & tunc reddet vnicuique secundùm opera eius. Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.

MARCVS CAPITE VIII.

ET conuocata turba cum discipulis suis, dixit eis: Si quis vult me sequi, deneget semetipsum: & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me, & Euangelium, saluam faciet eam. Quid enim prodest homini, si lucretur mundum totum, & detrimentum animæ suæ faciat? Aut quid dabit homo commutationis pro anima sua? Qui enim me confu-

confuſus fuerit, & verba mea, in generatione iſta adultera & peccatrice; & Filius hominis confundetur eum, cùm venerit in gloria Patris ſui, cum Angelis ſanctis. Et dicebat illis: Amen dico vobis, quia ſunt quidam de hîc ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant regnum Dei veniens in virtute.

LVCAS CAPITE IX.

DICEBAT autem ad omnes: Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me. Qui enim voluerit animam ſuam ſaluã facere, perdet illam. nam qui perdiderit animam ſuam propter me, ſaluam faciet illam. Quid enim proficit homo, ſi lucretur vniuerſum mundum, ſe autem ipſum perdat, & detrimentum ſui faciat? Nam qui me erubuerit, & meos ſermones; hunc Filius hominis erubeſcet, cùm venerit in maieſtate ſua, & Patris, & ſanctorum Angelorum. Dico autem vobis verè; Sunt aliqui hîc ſtantes, qui non guſtabunt mortem, donec videant regnum Dei.

Hæc præcedẽtibus cõnectuntur.

POSTQVAM Dominus diſcipulis ſuam prædixit mortem, Petrumque obſtantem repulit: turbam & diſcipulos conuocauit, vt Marcus ait, tum, vt Lucas ſcribit, dixit ad omnes: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum*, &c. Matthæus diſcipulorum tantùm mentionem facit: ſed turbæ etiam dicta ſunt verba hæc. Hortatur Chriſtus ad martyrium, ad ſubeundam conſtanter pro Deo mortem, imitandamque paſſionem, de qua egerat cum diſcipulis. Si quis, inquit, ſequi me vult, & diſcipulus eſſe meus, abneget ſemetipſum, hoc eſt, corpus vitamque ſuam, perinde ac alienam, & abnegatam, atque repudiatam habeat. Chryſoſtomus: Denega, ait, teipſum, pericula ſubi, certaminibus te offer; & quaſi alius hæc patiatur, ſic affici aris, &c. Abnegare eſt repellere & repudiare. *Abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria*, &c. hoc eſt, minimè perficientes, ſed repellentes ac mortificantes. *Et tollat crucem ſuam quotidie.* hoc eſt, quotidie ad perferendam mortem, etiam crucis, paratus ſit: mente & voluntate tollat quotidie crucem in humeros, cui ſuffigatur. Chryſoſtomus: Ne quis putet ad verba tantùm, ac contumelias hanc ſui abnegationem fieri oportere; id ſubiunxit, vt videas abnegandos nos eſſe vſque ad mortem, & mortem turpiſſimam, quam deſignans, non dixit, abneget ſeipſum vſque ad mortem; ſed tollat crucẽ ſuam, mortem ignominioſam ſignificans. & non ſemel nec bis, ſed continuè, per totam vitam hanc tecum mortem circumferas, & continuè ad necem paratiſſimus ſis, &c. Theophylactus, *Abneget ſemetipſum*, dixit Chriſtus perfectam abnegationem ſignificans. Exempli gratia: ne habeat communionem quamdam cum corpore, ſed contemnat ſe ipſum. ſicut cõſueuimus dicere, quòd quis quempiam negarit, hoc eſt, non habuit eum pro amico, vel noto. ſic igitur omnes docet nullam cum corpore habere communionem, id eſt, amicitiam. ita vt & crucem tollant, hoc eſt, mortem eligant, & cum ſtudio inquirant etiam mortem ignominioſiſſimam, qualis crux fuit apud veteres, &c. Euthymius quoque: *Tollat crucem ſuam*: ſemper ſui ipſius cædem expectet, ſemper ad mortem paratus ſit, & quotidie voluntate moriatur, &c. Hic germanus eſt ſenſus, cui D. Hilarius fauet; Sequendus, ait, eſt cruce aſſumpta, & paſſioni ſuæ ſi non ſorte, attamen voluntate, comitandus eſt, &c. Hinc illud: *Propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.* 2. Cor. 4. *Semper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes.* 1. Cor. 15. *Vt quid & nos periclitamur omni hora? Quotidie morior*, &c.

Matth. 16. Luc. 9. Hortatur Dominus ad martyrium ſubeundum.

Theoph.

Quid ſit abnegare. Tit. 2. Luc. 9.

Quid ſit tollere crucem.

Pſal. 94. 2. Cor. 4. 1. Cor. 15.

D. Hieronymus de abnegatione, ac cruce veteris, ac carnalis hominis, locum intellexit: Qui, inquit, deponit veterem hominem cum operibus ſuis, denegat ſemetipſum dicens: *Viuo autem non ego, viuit verò in me Chriſtus*, vt Paulus ait, tollit crucem ſuam, & mundo crucifigetur, &c. Similiter Origenes tract. 2. in Matth. Denegat, inquit, ſemetipſum, qui priorem vitam ſuam malam, bona conuerſatione relinquit, vt puta, aliquando luxurioſus, denegat ſe luxurioſum, conuerſus ad caſtitatẽ. ſic & in omni malitia eſt dicendum; qui ſe ab ea conuerterit, denegat quod fuerat. Vox eſt denegantis ſeipſum illa, *Viuo ego, iam non ego*, &c. Theophylactus, abnegat ſeipſum, qui heri intemperatus erat; hodie caſtus & ſobrius: tollit crucem, qui mortificauit, & crucifixit ſeipſum mundo, &c. Præterea Gregorius hom. 32. in Euangelia: Tunc nos abnegamus, cùm vitamus, quod per vetuſtatem fuimus; & ad hoc nitimur, quò per nouitatem vocamur. Penſemus quomodo ſe Paulus abnegauerat, qui dicebat: *Viuo ego, iam non ego.* extinctus namque fuerat ſæuus ille perſecutor, & viuere cœperat pius prædicator, &c. Item: duobus modis crux tollitur, cùm aut per abſtinentiam affligitur corpus; aut per compaſſionem proximi affligitur animus, &c. in hanc ſententiam Beda, & alij interpretantur. Lege D. Baſilium in regulis fuſius diſputatis, interrogatione 8. Vtrumque ſenſum Dominus his verbis complexus eſt.

Gal. 2.

De mortificatione.

Duobus modis crux tollitur.

QVI *enim voluerit animam ſuam ſaluam facere.* Rationem reddit Dominus, cur abneganda vita ſit, & crux morſque pro Deo ſubeunda conſtanter. Quoniam, inquit, qui animam, id eſt, vitam ſuam, ſeruare voluerit, Deum potiùs quàm vitam ipſam denegando, is perdet eam. Sempiterno enim addicetur ſupplicio. Qui autem animam, id eſt, vitam ſuam, propter me, non me, ſed vitam ipſam denegando, perdiderit; illam inueniet. ſiquidem æternam vitam conſequetur.

Matth. 16. Marci 8. Luc. 9. Cur abneganda vita & voluntas.

QVID *enim prodeſt homini.* Quàm ſit fugienda animæ iactura indicat Dominus. Nihil enim homini omnia lucra proſunt, quæcumque excogitari poſſunt, ſi animæ iactura illi contingat. Quid enim prodeſt totius orbis imperium lucrifacere, animam verò amittere? Græcè, τὴν ψυχὴν ζημιωθῇ, hoc eſt, animæ ſuæ damnum patiatur, anima mulctetur.

Matth. 16. Marci 8. Omnia potius amittẽda, quàm animã.

AVT *quam dabit homo commutationem.* Res perditæ inueniri poſſunt, venditæ redimi, in ſeruitutem ducti homines commutatione facta liberari.

Matth. 16.

At verò perdita anima, Orciſque flammis mancipata, inueniri; dæmoni vendita, æterniſque cruciatibus tradita, redimi; in ſempiternam illam tartari captiuitatem ducta, libertate donari non poteſt. Ideoque vita potius amittenda, quàm anima. Poteſt etiam ſumi anima hoc loco pro vita hoc pacto. Quid prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, vitam verò dum illum lucratur, amittat? Nihil ſanè. Nam ſine vita mundi imperio frui non poteſt. Ita etiam: Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, æternæ verò vitæ, dum illum lucratur, iacturam faciat? Nihil ſanè prodeſt. Nam ſine vita æterna mundi imperium nihil habet momenti. Pro anima, id eſt, vita B ſua iam amiſſa, quam dabit homo cõmutationem? Profecto nullam. Nemo enim mortuum hominem, etſi totius orbis aurum, atque argentum impendat, reuocare in vitam poterit. Eumdem in modum, quam dabit homo commutationem pro vita æterna, poſtquam illius iacturam fecerit, æterniſq; cruciatibus fuerit addictus? Nullam penitus.

Anima iactura irreparabilis.

Matth. 16. Extremum iudicium.

FILIVS *enim hominis venturus eſt.* Extremi iudicij meminit, in quo anima vel ſalua fiet, vel peribit, nullaque commutatione redimi poterit, in quo martyribus triumphus, negantibus æternum dabitur ſupplicium. Apud Lucam additur: *Qui me erubuerit, & ſermones meos, hunc Filius hominis erubeſcet, cùm venerit in maieſtate ſua*, id eſt, gloria, Græcè, δόξῃ, *& Patris, & ſanctorum Angelorum.* Apud Marcum ſic C legitur: *Qui me confuſus fuerit, & verba mea in generatione iſta adultera, & peccatrice, & filius hominis confundetur eum, cùm venerit in gloria Patris ſui, cum Angelis ſanctis*, &c. Græcè apud Lucam & Marcum eodem legitur modo, ὃς γὰρ ἂν ἐπαισχυνθῇ με, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπαισχυνθήσεται αὐτὸν, &c. Senſus eſt: Qui erubuerit coram hominibus me confiteri; ego quoque in extremo iudicij die illum coram Angelis confiteri erubeſcam. Qui me negauerint, illos ego negabo, dicens, *Neſcio vos.* Qui me confuſus fuerit; dixit interpres, pro; Quem mei puduerit; Filius hominis confundetur eum, hoc eſt, Filium hominis pudebit illius. hæc etiam ad martyres pertinent, qui Euangelium & Chriſtum crucifixum non erubeſcunt. iuxta illud Pauli: *Non erubeſco Euangelium*, &c. D

Luca 9.

Marci 8.

Rom. 1.

Matth. 16. Marci 8.

SVNT *quidam de hic ſtantibus.* Dixerat Dominus venturum ſe in gloria, ſiue in maieſtate Patris, extremo iudicij die. hoc loco huius maieſtatis, ac gloriæ conſpectum nonnullis ex diſcipulis aſtantibus, antequam è vita diſcedant, pollicetur. *Sunt*, inquit, *quidam de hîc ſtantibus*; adſunt quidam, qui non morientur, donec me cernant in regno, & gloria mea venientem. Marcus; *Non guſtabunt mortem donec videant regnum Dei veniens in virtute.* Græcè ἐν δυνάμει, id eſt, cum potentia.

Greg.

D. Gregor. hom. 32. arbitratur regnum Dei ſignificare hoc loco Eccleſiam. Ex illius ſententia pollicetur Chriſtus nonnullos ex aſtantibus non morituros, antequam videant conſtructam Eccleſiam. Eumdem ſenſum ſequitur Beda, & alij. Ex E ſententia Caietani promittit Dominus nonnullos ex aſtantibus, id eſt, omnes Apoſtolos, præter Iudam, qui inter alios aſtabat, viſuros Filium hominis venientem in regno ſuo poſt reſurrectionem. Tunc enim regnare cœpit in Eccleſia, accepta omni poteſtate in cælo & in terra. Veriſimilius Hieronymus, Hilarius, Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, Gloſſa interl. D. Thomas, Lyranus, & alij exiſtimant, promittere Chriſtum Apoſtolis gloriæ ſuæ conſpectum in transfiguratione. Eſt ergo ſenſus; Dixi vobis Filium hominis venturum in gloria Patris. Hanc verò gloriã paulò A poſt nonnullis oſtendet. Nam ſunt quidam de hic ſtantibus, videlicet Petrus, Iacobus, & Ioannes, qui è vita non diſcedẽt, antequam videant Filium hominis venientem, ſiue apparentem in regno ſuo, hoc eſt, in maieſtate, potentia, gloriaque regia, quali in iudicio ſplendebit. Confirmatur hic ſenſus, ex Euangeliſtis Matthæo, Marco, & Luca, qui poſt hæc verba, de transfiguratione mox agunt. Lege Damaſcen. in oratione de transfiguratione.

Præmittit Chriſtus Apoſtolis gloriæ ſuæ conſpectũ.

CAPVT XXVII.

Morale.

De abnegatione, & cruce tollenda.

SI *quis vult venire poſt me.* Neminem cogit Dominus: *ſi quis*, inquit, *vult.* Theophylactus: Dicit Chriſtus, ſi quis vult, vt oſtendat liberũ arbitrium, & non coactam virtutem, &c. & Chryſoſtomus: Non dixit Chriſtus oportere ipſos pati, vellent, nollentque; ſed, *ſi quis*, ait, *vult venire poſt me.* Non impello, non vrgeo, ſed liberam ſingulorum voluntatem efficiens, dico: *ſi quis vult*, &c. Voluntarios diſcipulos ac ſectatores Chriſtus vocat, non trahit vi coactos. Nam quidquid neceſsitate fit (ait Hieronymus Oſeæ 7.) cito ſoluitur quod voluntate arripitur, perſeuerat, &c. Et Nazianzenus oratione 37. Quod voluntarium non eſt, ne diuturnum quidem eſt. Quemadmodum neque fluenta, nec ſtirpes, quæ per vim retinentur. Quod autem voluntariũ eſt, tum diuturnius eſt, tum certius, &c. item: Deus minimè faciendum ſibi duxit, vt inuitos beneficiis afficeret, ſed vt de volentibus bene mereretur, &c. quo loco legimus: *Tecum principium in die virtutis tuæ*: Hebraicè legitur: עמך נדבות hhammecha nedaboth, id eſt, *Populus tuus, voluntatum*; id eſt, populus tuus voluntarius, & ſpontaneus tibi ſeruiet, te ſequetur. Montanus vertit: *Populus tuus deuotionum.* D. Hieronymus: *Populi tui duces ſpontanei, in die fortitudinis tuæ.* Pſal. *Voluntarie ſacrificabo tibi*: animo voluntario libentique ſacrificia offeram. vel ſponE tanea oblatione te colam, quæ ſacrificij pacifici ſpecies erat.

Neminem cogit Dominus.

Quod voluntariũ eſt perſeuerat.

Pſal. 109.

Milites Chriſti ſpontanei.

Pſal. 53.

Spiritu principali, Hebraicè, רוח נדיבה veruach nedibah, *principe, liberali, ſpontaneo, confirma me.* Dei ſpiritus beneficus, liberalis, & ſpontaneus eſt; eos in quibus habitat beneficos quoque efficit, ſpontaneos, & erga Deum liberales, ita vt totam illi voluntatem, totum cor tribuant. *Toto corde vniuerſus Iſrael ſequitur Abſalon*, &c. ſic tota voluntate improbi homines ſequuntur mundum. At probi tota voluntate poſt Chriſtum veniunt, ab illo tracti, iuxta illud: *Trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorũ tuorum.* Voluntarij milites ſecuti ſunt Barac ducem. vnde illud: *Qui propria voluntate obtuliſtis vos diſcrimini, benedicite Domino*, &c. huiuſmodi milites ſunt Chriſti. *Non ex triſtitia*, ait Paulus, *aut neceſſitate, hilarem enim datorem diligit Deus*, &c. Lege Bernardum ſermone de diligendo Deo, qui indicat Deum tum timore, tum præmiis, & amore homines traxiſſe voluntarios, non coactos. Volens Deus (ait Bernardus) nobilem creaturam hominem recuperare, ſi, inquit, inuitum coëgero, aſinum habeo, non hominem; quoniam quidem non libens veniet, neque ſpontaneus. Numquid aſinis dabo regnũ meum? vt ergo habeam voluntarium, terrebo eum, &c. Habet voluntas actus duos, affirmantem volo, negantem nolo. Affirmantem poſtulant res diuinæ, ſunt enim tota voluntate volendæ, atque ample-

Pſal. 50.

2. Reg. 16.

Cant. 1.

Iud. 5.

2. Cor. 9.

Bernar.

Duo voluntatis actus.

amplectendæ. Negans effrænatis appetitionibus A eſt tribuendus. Sunt enim abnegandæ, & tota voluntate reſpuendæ, vt mox oſtenditur.

Matth. 16. Lucæ 9. ABNEGET *ſemetipſum.* Ad ſubeundam pro fide mortem paratos nos eſſe vult Dominus, viuendi cupiditatem abnegare, crucemque quotidie mentis præparatione tollere. Dixerat Petro: *Matth. 16. Hominum ſapientia.* *Non ſapis ea, quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum.* Hominum ſapientia eſt mortem, cruciatus, laboreſque fugere; at Dei ſapientia eſt, viuendi auiditatem abnegare, crucem tollere, pro fide mortem cruciatuſque fortiter tolerare. *Martyrum ſapientia.* Hæc martyrum eſt ſapientia, qui ea quæ Dei ſunt ſapuere, nō ea quæ hominum. hęc Dei ſapientia illis fecit ſapida amariſſima tormenta, inſipida, quæ mundi ſunt omnia. *Duplex Martyriū.* Eſt autem B martyrium duplex; alterum, quo corpus pro Deo neci offertur; alterum, quo animi cupiditates *Bernar.* trucidātur. Vnde Bernardus ſermone 30. in Cant. Genus, inquit, martyrij eſt, ſpiritu facta carnis mortificare; illo nimirum quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, ſed diuturnitate *Auguſt.* moleſtius, &c. & Auguſtinus ſermone 32. de Sanctis: Tota vita Chriſtiani hominis, ſi ſecundùm Euangelium viuat, crux eſt, atque martyrium, &c. & ſerm. 250. de tempore: Nemo, ait, dicat, quod temporibus noſtris martyrū certamina eſſe non poſſint; habet enim & pax noſtra martyres ſuos. *Habet pax ſuos martyres.* Nam iracundiam mitigare, libidinem fugere, iuC ſtitiam cuſtodire, auaritiam contemnere, ſuperbiam humiliare, magna pars martyrij eſt, &c. Lege eumdem ſermon. 46. de Sanctis. Idem Pſal. 127. Si mortuus eſt diabolus, mortuæ ſunt perſecutiones, &c. Cùm igitur ſemper viuat diabolus, ſemper etiam perſecutiones & martyria viuent.

De vtroque martyrio hic agitur. Prioris generis martyrium in præparatione animi; poſterioris, in actu eſſe debet. Semper enim Chriſtianus effrænatas cupiditates abnegare ac cohibere, cru- *Abnegatio martyrium eſt.* cemque quotidie debet tollere, cui animi prauos affectus ſuffigat. Martyr Græcè, Latinè dicitur teſtis. *Teſtis & martyr Chriſti eſt, qui illius ſeruat mandata.* Teſtis Chriſti eſt is, qui mortem pro fide perfert: ille etiam, qui cupiditatum abnegatione & exemplo, Chriſtum Dominum ſuum ac Deum eſſe teſtatur. Auguſtinus ſermone illo 32. de SanD ctis citato: Martyr, inquit, Græcè, Latinè teſtis dicitur. Igitur quotieſcumque bonis affectibus mandatum Chriſti facimus, toties Chriſto teſtimonium perhibemus, &c. Eodem loco crucem Chriſtiano tollendam, mortificationem, laboremque eſſe interpretatur, quem pro virtutibus con- *Quæ crux tollenda ſit.* ſequendis tolerare neceſſe eſt. Crux, ait, Domini, non tantùm illa dicitur, quæ paſſionis tempore ligni affixione conſtruitur; ſed illa, quæ totius vitæ curriculo cunctarum diſciplinarum virtutibus coaptatur. de qua mihi videtur Saluator dice- *Matth. 16.* re: *Qui vult poſt me venire, tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Numquid enim omnes martyres, qui ſecuti ſunt Dominum, crucifixi ſunt cum Domino? numquid omnes virgines, qui ſequuntur agnum Dei, crucifixi ſunt, vt ſequantur? numquid Paulus E *Gal. 6.* crucifixus fuerat, cùm dicebat: *Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo?* hoc autem dicit, vt intelligas, crucem non ligni eſſe patibulum, ſed vitæ virtutiſque propoſitum, &c.

Martyrium prioris generis à nobis inferri fas non eſt: neque enim mortem nobis ipſis licet con- *Ioan. 21.* ſciſcere, iuxta illud: *Alius te cinget & ducet, quo tu nō vis,* &c. Poſterioris verò generis martyrium à nobis eſt perficiendum, ipſa crux à nobis fabricanda, cruci cupiditates à nobis ſunt ſuffigendæ. Niſi enim nos noſmetipſos abnegemus, quis nos poterit abnegare? In hoc ſacrificio homo ipſe, & ſacerdos eſt immolans, & ſacrificium, quod immolatur. *Sacrificium in quo idem eſt, & ſacerdos, & victima, quale Gal. 5. Auguſt.* *Qui ſunt Chriſti carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis,* &c. Ipſimet, inquit, ſemetipſos affixerunt cruci, ipſi crucem fecerunt. D. Auguſtinus ſerm. 86. de diuerſis: Conuenit, ait, noſtræ deuotioni, vt qui Domini paſſionem iam propinquantem celebraturi ſumus, reprimendarum carnalium voluptatum crucem nobis ipſi etiam faciamus. In hac cruce per totam iſtam vitam debet *In hac vita non eſt tempus deſcendendi de cruce.* pendere Chriſtianus. Non enim eſt in hac vita tempus euellendi clauos. Claui ſunt præcepta iuſtitiæ. Sic Auguſtinus.

Duplex mors eſt, idcirco duplex martyrium, quod mortem infert. Altera mors naturæ, altera *Mors naturæ & abnegationis.* abnegationis; illa breuis eſt temporis, hæc longi. Illa vno ſæpe gladij ictu perficitur; hæc multis variiſque per totam vitam repetitis ictibus conſtat. Illam ſubeunt martyres; hanc reliqui qui ſeipſos abnegant. illam nobis ipſis afferre ſcelus grauiſſimum eſt, hanc inducere virtus maxima. Sancti (ait Caſſiodorus in lib. de anima) viuo corpori mor- *Caſſiod.* tem delectantur infligere, &c.

Philoſophis quoque mors hæc nota fuit. Lege Macrobium lib. 1. de ſomnio Scipionis: Plato, in- *Duplex mors ex Platone.* quit ille, duas mortes hominis nouit, quarum vnam natura, alteram virtutes præſtant. Homo enim moritur, cùm anima corpus relinquit ſolutum lege naturæ. Mori etiam dicitur, cùm anima adhuc in corpore conſtituta, corporeas illecebras philoſophia docente contemnit, & cupiditatum dulces inſidias, reliquaſque omnes exuitur paſſiones. Hanc ergo mortem dicit Plato ſapientibus *Mortificatio* appetendam; illam verò, quam omnibus natura conſtituit inferri vetat, &c. De hac felici morte exponit diuus Gregorius illud: *Expectant mortem, & D. Greg. Iob 3.* *non venit, quaſi effodientes theſaurum, gaudentque vehementer, cùm inuenerint ſepulchrum,* &c. Etenim viri ſancti appetitionum mortem, ſiue abnegationem, vehementer expetunt, veluti opulentiſsimum theſaurum; magnoque efferuntur gaudio, cùm mortificationis repererint ſepulchrum.

Martyrum hoſtes externi ſunt, ex quibus victoriam reportant. externa infligunt carnifices D vulnera, externis hortantur vocibus. At ſeſe ab- *Se mortificātium aduerſarij intus ſunt.* negantium aduerſarij intus ſunt, intus hortantur, in ipſomet homine inhærent. Vnde Chriſtus: *Abneget,* inquit, *ſemetipſum,* ſecum pugnet, ſe vincat, *Matth. 16.* inſitam cupiditatem proſternat. Laurentius Iuſtinianus in libro de interiori conflictu, cap. 8. Non alienus, ait, quærendus eſt, qui feriatur, non bellandi extrinſecus quærenda eſt materia. Intra nos armatus eſt hoſtis: videlicet, praua cupiditas, &c. *Vnde bella & lites in vobis? nónne hinc? ex concupiſcentiis Iacobi 4.* *veſtris, quæ militant in membris veſtris?* &c. In membris noſtris concupiſcentiæ militant, ipſis membris veluti armis vtuntur. Vnde illud Pauli: *Neque exhi- Rom. 6.* *beatis membra veſtra arma iniquitatis peccato,* &c.

Ceſſat martyrum bellum martyre occiſo. ſed E abnegantium ſe bellum tamdiu durat, quamdiu vita ſuppetit. ſemel enim atque iterum ſæpeque victi, ac proſtrati hoſtes, prælia renouant, incautoſque trucidant. Semper igitur in acie ſtan- *Quotidie beandū ſei, qui ſe vult mortificare.* dum, ſemper crucis, & mortificationis gladius eſt exerendus. Simon Caſsianus libro 9. cap. 39. Gladius crucis ſemper euaginatus tenendus eſt, cùm omni die mundus ſe offerat cum delectationibus ſuis, & caro inceſſanter ſpiritum impugnet, &c. *Tollat* (ait Dominus) *crucem ſuam quotidie:* *Luca 9.* ſemper cruce veluti gladio munitus ſtet in acie; hoc gladio, hac haſta armatus, ducem me ſuum ſequatur, ſimilem haſtam ferentem, hoſteſque

cæden-

Ierem. 48. Mortificatio affectuũ.

cædentem. *Maledictus qui prohibet gladium à sanguine:* hoc est, maledictus qui hostes suos, affectus prauos, mortificationis gladio non insequitur, non cædit, sed viuere patitur, ac dominari.

Gen. 1.

Faciamus hominem, ait Dominus, *& præsit bestiis*, &c. hæc verba Magnus Basilius de affectibus intellexit belluinis, his enim præesse & imperare, hominis est. In te ipso (ait Basilius hom. 10. in hexaëmeron) circumfers numerosam, & apprime turbulentam belluarum imtemperiem. Da operam istiusmodi bestiis, vt imperes, &c. Et D. Augustinus lib. 1. de Genesi contra Manichæos, cap. 20. Quod, inquit, dictum est: *Habete potestatem piscium maris, & volatilium, cæli, & reptantium omnium*: recte intelligitur spiritaliter, vt omnes affectiones & motus animi, quos habemus istis animalibus similes, subditos haberemus, & eorum dominaremur. Cùm enim non reguntur isti motus, faciunt nos similes omni generi bestiarum: cùm autem reguntur, mansuescunt, & nobiscum concorditer viuunt, &c.

Bellua quibus & imperandum sunt appetitus.

Affectus bruti domandi sunt.

Voluptas hydra Lernæa.

Basilius in fine libri de vera Virginitate, Voluptatem cum hydra confert Lernæa, quæ mortificationis, ac continentiæ cauterio sit perimenda. Voluptas, ait, vniuersa, in carnis limo, à materialique natura, veluti in palustri loco, instar horrendi illius serpentis incubat. si continentia, veluti cauterio elatum caput exciderimus, id prorsus ita perimemus, vt vltra germinare non possit, &c.

1. Pet. 2.

Carnalia desideria sunt milites

- *Obsecro*, inquit, *vos, tamquam aduenas & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam*, &c. Carnalia desideria D. Petrus milites vocat, qui ex ipsa carne veluti arce, aduersus animam iugiter militant. Diruta arce milites hi omnes perirent; sed diruere, soloque omnino æquare non est fas. necesse est arcem, id est, carnem conseruare. Abnegatione veluti fame vincendi sunt hostes, & mortificationis vinculis constringendi.

Matth. 16. Gal. 5.

Mortificatio signũ militiæ Christi.

Denique, *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum*, ait Dominus. & Paulus; *Qui sunt Christi*, id est, qui Christum sequuntur, *carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs*. hoc militum Christum sequentium eximium signum est, sui abnegatio, crucisque voluntaria deportatio. Hinc illud Iustiniani lib. de Intern. Conflictu, cap. 8. Omnis disciplina Christianæ professionis, non in miraculis faciendis, non in futura prædicendo, non in eloquio composito, Scripturarumque explanatione, sed in resecandis concupiscentiis commendatur, &c.

Tit. 1.

Hanc de abnegatione doctrinam Christum magnopere suo aduentu commendasse docet Paulus, *Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, & piè, & iustè, viuamus in hoc sæculo*, &c. Erudiit nos cælestis magister, doctrinam de abnegatione tradidit; illi discipuli euadunt eruditi, qui egregiè se abnegant. Milites ille cupit, non delicatos & imbeles, sed abnegatione induratos & labore. Nam vt Seneca ait epist. 51. Fortior miles ex contragoso venit; segnis est vrbanus, & verna. Nullum laborem recusant manus, quæ ad arma ab aratro transferuntur: in primo deficit puluere vnctus & nitidus, &c.

Milites Christus cupit abnegatione induratos.

Christus in laboribus præit, nos sequimur. 1. Pet. 2.

Illud etiam aduerte, te non præcedere, sed sequi Christum. Ille prior crucem tulit, tu Deum crucem ferentem sequeris. *Qui vult*, ait, *venire post me.* 1. Pet. 2. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius*, &c. Vestigia prius Christus alte impressit, nos illis insistimus. Augustinus Psalm. 60. Quidquid, inquit, pateris, cogita, quia prior Christus passus est, &c. *Christo in carne passo, & vos eadem cogitatione armamini*, &c. Armamini, inquam, Christi præcedẽtis cogitatione, vt quemadmodum ille crucifixus est, sic & vos carnem vestram cruci suffigatis. Sequitur: *Quia qui passus est in carne desijt à peccatis: vt iam non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne viuat temporis*, &c. hoc est: Qui passus est in carne; is qui commortuus est Christo, is qui carnem suam cruci suffixit Christum imitando, peccare desiit, cupiditatesque suas abnegauit. *Eadem cogitatione armamini*, ait Petrus. Præcedit enim nos Christus, exemplo armans suo: Præcedit nos, vt turris, in quam nos recipiamus, fortiterque ea muniti aduersus hostes dimicemus. sic Augustinus censuit, ad illa verba, *Tu es spes mea, turris fortitudinis à facie inimici.* Turris ait est Christus ipse: nobis factus turris à facie inimici. Caue, ne feriaris à diabolo, fuge ad turrim. Quomodo autem fugies ad turrim? Ante te est turris, recordare Christum, & intra in turrim, &c.

1. Pet. 4.

Christus exemplo suo nos armat.

Christus turris. Psal. 60.

2. Mach. 11.

Ierosolymis *apparuit præcedens eos eques, in veste candida, armis aureis, hastam vibrans. tunc omnes simul benedixerunt misericordem Dominum, & conualuerunt animis, non solùm homines, sed etiam bestias ferocissimas & muros ferreos parati penetrare*, &c. Videsne quantum animi ac roboris, attulerit Machabæi militibus præcedens Angelus? Illos præcedebat Angelus, veste indutus candida, armis aureis, hastam vibrans: nos præcedit Deus, purpureo amictus sanguine, crucis oneratus pondere. Excitet nostros animos tanti conspectus ducis. Conualescamus animis, non solùm homines, sed bestias ferocissimas, & muros ferreos parati penetrare. hoc est, omnes labores, tentationes, periculaque vincere.

Mors fons vitæ in martyrio.

Mortem Deus vitæ fontem fecit; in morte voluit vitam reperiri, & ex morte contraria, vitam nasci. Ex morte, inquam, Christi causa fortiter tolerata. Augustinus lib. 13. de ciuitate Dei, cap. 4. Tantam Deus fidei præstitit gratiam, vt mors, quam vitæ constat esse contrariam, instrumentum fieret, per quod transiretur in vitam, &c. Si igitur pro Christo moriaris; viues. si vitam pro Christo amiseris; tunc lucraberis. Morte enim vita emitur, eaque sempiterna. Cyprianus epist. 11. pretiosa mors hæc est, quæ emit immortalitatem pretio sui sanguinis, &c. *Ecce video cælos apertos*: ait protomartyr Stephanus; quoniam mox patent, morientibus pro Christo, immortalitatis fores. & ille alius martyr, *Tu quidem*, inquit, *scelestissimè in præsenti vita nos perdis: sed rex mundi defunctos nos pro suis legibus, in æternæ vitæ resurrectione suscitabit*, &c. Chrysologus sermone 173. Iustus tunc inchoat viuere, cùm pro Christo meretur occidi, &c. Ambrosius 2. Corinth. 12. Tunc vincit Christianus, cùm perdere putatur; & tunc perdit perfidia, cùm se vicisse gratulatur, &c. Hanc ob causam Augustinus Psalmo 127. Martyres vocat feliciter infelices; quòd dum vitam amittunt, vitam inueniunt. Martyres, ait, feliciter infelices erant, &c.

Morte vita emitur.

Act. 7.

2. Mach. 7.

Martyres fuerunt feliciter infelices.

Vitã perdũt martyres & ij etiam qui se abnegant & mortificant.

Matth. 16.

Perdunt pro Christo vitam martyres; perdunt etiam ij, qui se abnegant. Bernardus serm. 30. Cantic. *Qui amat*, inquit, *animam suam perdet eam*: ait Christus. *Perdet eam*, dixit, siue ponendo, vt martyr, siue affligendo, vt pœnitens, &c. At verò dum perdunt vitam qui se abnegant, inueniunt vitam, ac lucrantur. *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini.* (ait Apostolus) *si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis*, &c. Mortem inueniunt qui secundùm carnis cupiditates viuunt; vitam reperiunt, qui per abnegationem moriuntur. Lege Chrysostomum homilia 13. in epist. ad Rom. Fac, inquit, vt corpus

Rom. 8.

tuum

Qui se abnegant & mortificant vitam inueniunt.

tuum moriatur, vt ne moriatur. Nam si viuum manserit, nequaquam viuet. Si verò moriturum fuerit, tunc denique viuet, &c. Vide quanti pretij sit mortificatorum lucrum. Vitam amittunt brutam atque animalem, vitam inueniunt diuinam ac cæleſtem. Iuxta illud Apoſtoli: *Viuo, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.* Non viuit in te iracundia, ſuperbia, libido; non viuunt in te beluæ huiuſmodi turpiſſimæ. Viuit Chriſtus, viuit Deus. O commutationem eximiam; turpiſſimam vitam, cum vita diuina commutare, vitam carnalem abnegare, cæleſtem in terris amplecti!

Gal. 2.

Ioan. 12.

Si agricola frumentum diu ſeruare vult, perdit: ſi verò terræ mandat, ac mortificat, ſeruat. *Granum enim frumenti ſi mortuum fuerit,* vt ait Dominus, *multum fructum affert.* Eumdem in modum, ſi vitam ſeruare vis, voluptatibus indulgendo, vitam perdis. Si verò eamdem veluti frumentū mortificas, ſeruas. Fructum enim magnum affert gloriæ ſempiternæ. Diuus Gregorius hom. 32. in Euangel. Sic dicitur fideli: *Qui voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam, & qui perdiderit animam ſuam propter me, ſaluam eam faciet:* ac ſi agricolæ dicatur: Frumentum ſi ſeruas, perdis: ſi ſeminas, renouas, &c. Item frumentum vnde putreſcit in puluere: inde vireſcit in renouatione, &c. ſic anima. vbi veluti putreſcit in abnegatione, vel mortificatione: inde vireſcit in renouatione, &c. Renouat enim animam mortificatio veluti aquilam, dum affectuum prauorum plumas veteres exuit, virtutum verò nouas induit.

Luc. 9.

Matth. 16.

QVID *prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur.* Animæ curam maximam habendam hæc verba docent: qua amiſſa, cetera omnia nihil proſunt. Quid prodeſt toti mundo imperaſſe, ſi finem habet imperiū, animæ verò amiſſæ ſupplicia æterna ſunt? Nihil animæ præferendum, non opes, non imperia, non vita ipſa. *Non facio animam meam,* id eſt, vitam meam, *pretioſiorem, quàm me,* ait Paulus, hoc eſt, Non præfero mihi vitam meam, nolo animam & corpus, id eſt, me ipſum pro vita conſeruanda perdere. Bernardus ſer. 30. Cant. Optimus æſtimator rerum, qui nihil ſuorum ſibi præferendum exiſtimet. Quàm multi ſaluti propriæ, modicam? viliſſimamque pecuniam prætulerunt Paulus neque animam. Prudenter quidem tu Paule tibi pluris es, quàm quiduis tuum, &c.

Omnia animæ poſtponenda.

Act. 20.

Bernar.

Matth. 16. In futuro ſæculo non poteſt dari cōmutatio pro anima.

QVAM *dabit homo commutationem pro anima ſua.* In futuro ſæculo (ait Theophylactus) non poterit quis dare commutationem pro anima ſua. hîc quidem poteſt dare lacrymas, & eleemoſynam, & ieiunare: illic autem non: iudex enim tunc nos excipiet, dona reſpuens, &c. Commutationē da Deo pro anima tua nunc, dolorem, pœnitentiam, vitæ ſanctitatem. hæc ſi dederis, animam vitamq; æternam recipies. commutationē fuge dæmonis, commutationem pro anima tua dabit vilē pecuniam, turpem voluptatem, inanem honorem. hæc ſi pro anima receperis, animam recipiet dæmon, torquebitque in ſempiternum. Porrigit pomum, & ſurripit paradiſum: ait Bernardus in tract. de gradu humilitatis cap. de curioſitate, Ecce dæmonis commutationem, pro cæleſti gloria, & pro anima, pomum dabit, vel aliquid pomi inſtar. At verò, vt Euthymius rectè ait Pſal. 48. pro vnius hominis anima, vniuerſus orbis ſufficiens pretium non eſt, &c.

Cōmutatio animæ & pretium.

Luc. 9. Rom. 1. Gal. 6. In tolerātia laborū pro Chriſto gloriari.

QVI *me erubuerit.* Ad Rom. *Non erubeſco Euangelium:* ait Paulus. & non ſolùm non erubeſcit, ſed gloriatur in cruce. *Mihi,* ait, *abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti,* &c. Erubeſcat is qui pro homicidio, pro furto, ceteriſque flagitiis afficitur morte; at qui pro Chriſto alapam, vulnus, contumeliam, paupertatem, ignominiam, mortémve tolerat, glorietur, & quidem maximè. *Nemo veſtrum patiatur, vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem vt Chriſtianus, non erubeſcat, glorificet autem Deum in iſtonomine,* &c. *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt, pro nomine Ieſu contumeliam pati,* &c.

1. Pet. 4.

Act. 5.

FILIVS *enim hominis venturus eſt.* Nunc moriuntur tum martyres, tum ij, qui ſe abnegant. veniet Chriſtus iudex; tunc toto inſpectante mundo ea apparebit vita, quam hac morte conſecuti ſunt. hinc illud Pauli: *Mortui eſtis: & vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo. Cum Chriſtus apparuit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria,* &c. Infert Paulus; *Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam,* &c. Qui enim vitā illam, quæ in iudicio omnibus hominibus apparebit, conſiderat, libenter ſe abnegat ac mortificat; qui triumphum illum præ oculis ſemper habet, adueruſus animi motus effrænatos, voluptateſq; fortiter decertat. Triumphum igitur illum admirabilem ante oculos propone. Si verò triumphare vis, certa, & vince voluptates, Eliæ inſtar, de quo Ambroſius ſerm. 47. Elias, inquit, raptus ad cælum, & quadriga ignea impoſitus, quaſi in quodam triumpho victor aſcendit. Victor enim extiterat, non gentium barbararum, ſed ſæcularium voluptatum. Siquidem grauiores inimici ſunt praui mores, quàm hoſtes infeſti. Hæc ille.

Matth. 16.

Coloſſ. 3.

Apparebit in iudicio vita eorum qui nunc pro Chriſto mūdo mortui ſunt.

Victoria & triumphus de voluptatibus. Ambr.

CAPVT XXVIII.

De transfiguratione.

MATTHÆVS CAPITE XVII.

ET poſt dies ſex, aſſumit IESVS Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & ducit illos in montem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos. Et reſplenduit facies eius ſicut ſol; veſtimenta autem eius, facta ſunt alba ſicut nix. Et ecce apparuerunt illis Moyſes & Elias, cum eo loquentes. Reſpondens autem Petrus, dixit ad Ieſum: Domine, bonum eſt nos hic eſſe: ſi vis, faciamus hîc tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos. Et ecce vox de nube, dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipſum audite. Et audientes

audientes discipuli, ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valdè. Et accessit IESVS, & tetigit eos, dixitque eis, Surgite, & nolite timere. Leuantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solum IESVM. Et descendentibus illis de monte, præcepit eis IESVS, dicens, nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis à morte resurgat.

MARCVS CAP. IX.

ET post dies sex, assumit IESVS Petrum, & Iacobum, & Ioannem: & ducit illos in montem excelsum seorsum solos, & transfiguratus est coram ipsis. Et vestimenta eius facta sunt splendentia, & candida nimis, velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere. Et apparuit illis Elias cum Moyse: & erant loquentes cum IESV. Et respondens Petrus, ait Iesu: Rabbi, bonum est nos hic esse: & faciamus tria tabernacula, tibi vnum, & Moysi vnum, & Eliæ vnum. Non enim sciebat quid diceret: erant enim timore exterriti. Et facta est nubes obumbrans eos: & venit vox de nube, dicens: Hic est filius meus carissimus: audite illum. Et statim circumspicientes, neminem amplius viderunt, nisi IESVM tantùm secum. Et descendentibus illis de monte, præcepit illis, ne cuiquam, quæ vidissent, narrarent; nisi cùm Filius hominis à mortuis resurrexerit.

LVCAS CAP. IX.

FACTVM est autem post hæc verba, ferè dies octo, & assumpsit Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & ascendit in montem, vt oraret. Et facta est, dum oraret, species vultus eius altera, & vestitus eius albus, & refulgens. Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyses & Elias, visi in maiestate. Et dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem. Petrus verò, & qui cum illo erant, grauati erant somno. Et euigilantes viderunt maiestatem eius, & duos viros, qui stabant cum illo. Et factum est, cùm discederent ab illo, ait Petrus ad Iesum: Præceptor, bonum est nos hic esse: & faciamus tria tabernacula, vnum tibi, & vnum Moysi, & vnum Eliæ, nesciens quid diceret. Hæc autem illo loquente, facta est nubes, & obumbrauit eos: & timuerunt, intrantibus illis in nubem. Et vox facta est de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite. Et dum fieret vox, inuentus est Iesus solus. Et ipsi tacuerunt, & nemini dixerunt in illis diebus quidquam ex his, quæ viderant.

Matth. 17. & Marci 9. Quod verbo pollicitus est Christus re ipsa præstat.

Matth. 16. Lucæ 9.

Chrysost.

Concordia Matthæi & Luca.

ET *post dies sex.* Verba Christi (ait Hilarius) res sequitur, dixerat: *Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.* Post dies sex, quod verbo erat pollicitus, re ipsa præstitit: Apostolis tribus seipsum ostendit, in regno suo venientem. Lucas tamen dies octo numerat: *Factum,* inquit, *est post hæc verba ferè dies octo.* Soluit nodum diuus Chrysostomus hom. 57. Lucas, inquit, tam illum diem quo Christus locutus est, quàm illum, quo in montem discipulos adduxit; Matthæus intermedios dies solùm numerauit, &c. Si intermedios numeres, sex sunt. si illum quoque diem quo Christus gloriam se ostensurum dixit, addas; illum præterea, quo gloriam ostendit, octo erunt. Eumdem in modum respondet Augustinus libro 2. de consensu Euangel. cap. 56. Hieronymus, Theophylactus, Damascenus, & reliqui. Quia tamen octo dies non fuerunt integri, videtur Lucas addidisse particulam, *ferè.* Celebrat Ecclesia sexta Augusti die Christi transfigurationem. An verò, quòd illam in diem inciderit, incertum est.

Matth. 17. Cur Dominus Petrũ, Iacobum, & Ioannem assumpserit.

ASSVMPSIT *Iesus Petrum.* Non omnes Apostolos assumpsit Christus, sed tres, Petrum, Iacobum, & Ioannem. Cur hos assumpserit ratio redditur à Chrysostomo; quia excellentiores ceteris erant. Assumpsit autem ceteris ignorãtibus, quorsum à Christo in montẽ ducerentur. si enim sciuissent, participes tantæ visionis se non fuisse factos, ægrè tulissent. Tres tantùm assumpsisse, ait Damascenus in oratione de transfiguratione, vt venerandum sanctissimæ Trinitatis mysterium subindicaret; vt in ore trium testium staret transfigurationis verbum, iuxta illud: *In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.* Censuit idem Damascenus reliquos Apostolos infra montem mansisse propter Iudam, qui illa visione erat indignissimus. Sed satiùs est dicere hos tres sic ad montem esse assumptos, quemadmodum in horto quoque assumpti sunt, & vt miraculo interessent, cùm filia archisynagogi vitæ est reddita. D. Ambrosius Lucæ 9. ait hunc Iacobum primum conscendisse solium sacerdotale; quæ verba extant in gloss. interl. similiter D. August. in expositione epistolæ ad Galat. c. 2. existimat fuisse Episcopũ Ierosolymorum.

Deut. 19.

At

Iacobus hic fuit Ierosolymorum Episcopus.

At verò perspicuum est episcopum Ierosolymorum fuisse Iacobũ minorem. hic autem qui transfigurationi interfuit, Iacobus maior fuit, Ioannis frater, vt Matthæus ait.

Mat. 17. & Marc. 9. Mons Thabor fuit in quo facta est transfiguratio.

In montem excelsum. Transfigurationem rem excelsam, in monte excelso fieri conueniebat. in monte Sinai Mosi se ostendit Deus, in monte quoque Apostolis. Hic mons fuisse fertur mons Thabor, vt docet præter alios Damascenus. propinquus est ciuitati Nazareth. Borchardus ait, duabus distare leucis ad Orientalem plagam. Altitudo montis, vt Iosephus scribit libro 4. de bello, cap. 2. triginta stadiis consurgit: in vertice viginti stadiorum planities patet. locus erat transfigurationi accommodatus. Adumbrabat enim empyrei cæli altitudinem, in quo gloriam suam B Deus beatis patefacit.

Matth 17. Cur Christus voluerit transfigurari? Matth. 16.

Matth. 3.

Et *transfiguratus est ante eos*. Cur Christus transfigurari voluerit, causæ aliquot reddi possunt. Prima transfigurari voluit, vt singularem illam Petri confessionem: *Tu es Christus filius Dei viui*, confirmaret; seque Messiam regem, ac Dei filium esse regio habitu, splendore, ac potentia indicaret, voce etiam patris, è cælo delapsa: *hic est filius meus dilectus*, &c. Secunda, vt gloriam ac maiestatem, in qua ad iudicandũ venturus est, ostẽderet. dixerat enim discipulis, filium hominis venturũ in gloria Patris sui. Tertia, vt id quoque stabiliret, quod de sua passione dixit. quocirca in transfiguratione cum Mose, & Elia, de passione est collocutus. Quarta, vt C ostenderet sponte se corporis gloriam abnegasse, & crucis opprobria subiisse: eoque exemplo ad abnegationem rerum caducarum, crucemq; tollendam, de qua verba fecerat, nos traheret. Quinta, vt gloriæ præmium iis propositum patefaceret, qui se abnegarent, vitam pro fide perderent, crucemque tollerent. Sexta, ex Diuo Leone in serm. de transfiguratione: vt de cordibus discipulorum crucis scandalum tolleretur, nec conturbaret eorum fidem voluntariæ humilitas passionis, quibus reuelata esset absconditæ excellentia dignitatis. Sic Leo. Græce legitur, μετεμορφώθη, id est, *transfiguratus*, vel *transformatus est*. Vnde transfiguratio

D. Leo.

Luca 9.

Græcè, μεταμόρφωσις, appellatur. D

Et *facta est dum oraret, species vultus eius altera*. Docet Lucas transfiguratum esse Dominum, dum oraret. Nam vt idem Lucas, ait, in montem Thabor ascendit, vt oraret. Itaque postquam eò peruenit, orare cœpit, discipuli quoque, in ipsa verò oratione transfiguratus est. Sed numquid faciem Christus mutauit? ait enim Euangelista factam esse speciem vultus eius alteram. Respondetur, factam esse mutationem, non in figura, sed in splendore, & pulchritudine. Euthymius: Transformatus, inquit, est corpore quidem in propria figura manente; diuino autem splendore modicum quiddam in eo detegẽte, ac faciem eius E illustrante, speciemque illius ad maiorem Dei similitudinem immutante, &c. Diuus Hieronymus Matth. 17. Nemo putet Christũ pristinam formam, & faciẽ perdidisse, vel amisisse corporis veritatem, & assumpsisse corpus vel spiritale, vel aërcum. Sed quomodo transformatus sit, Euangelista demonstrat dicens: *Resplenduit facies eius, sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix*. Vbi splendor faciei ostenditur, & candor describitur vestium; non substantia tollitur, sed gloria commutatur. sic ille.

An Christus vultus figuram mutauit? Euthym.

Hieron.

Matth. 17.

Ibid. An sola facies Christi splenduerit. Luca 9.

Et *resplenduit facies eius sicut sol*. Dubitatur, num sola Christi facies splenduerit? faciei enim solius Matthæus meminit, Lucas quoque: *facta est*, inquit, *species vultus eius altera*. Græcè, εἶδος, id est, *forma*, vel *species*. Respõdetur, faciei tantùm meminisse Euangelistas; qui illa præcipuè discipulis apparebat, corpus velatũ erat veste, non tamẽ sola facies fulgebat. Quis enim dubitet manus, & pedes quoque, qui cernebantur iactasse splendorem? id ipsum de reliquo corpore est verisimilius. Quod præter Cardinalem Caietanum, & alios, existimat sanctus Ephræm in oratione de transfiguratione: *Facta*, in- *Matth. 17.* quit, *sunt vestimenta eius alba*. Etenim ostendit Euangelista, quòd ex toto eius corpore, eius gloria scaturiit: & ex tota eius carne resplenduit eius facies, & ex totis eius membris resplenduerunt radij, &c. Item; Christus toto suo corpore, tamquam sol suis radiis, resplenduit gloria suæ diuinitatis, &c. Lege etiam diuum Hieronymum epistola 61. ad Pammachium, & auctorem de mirabilibus sacræ Scripturæ lib. 3. cap. 10. Caro (inquit ille) illuminata per vestimenta radiabat, &c. Abulensis tamẽ Matthæi 17. quæst. 47. arbitratur Christi faciẽ in transfiguratione splenduisse; corpus verò minimè. Ne- *Totũ Christi corpus in trãsfiguratione mutatum est.* que enim erat necessarium, quia à discipulis illius fulgor non cernebatur, propter quos transfiguratio fiebat. hæc verò ratio parum habet momenti. Voluit enim Christus perfectè transfigurari. Præterea discipuli quamuis internum corpus non cernerent, transfiguratum esse ex splendore externo colligebant. Adde affluisse etiam Mosem & Eliam, & oculis splendorem esse contemplatos.

An hic splẽdor fuerit miraculosus. D. Thom.

Quæritur: Num fuerit hic fulgor corporis Christi miraculosus? Respondet Diuus Thomas 3. p. quæst. 45. art. 2. fuisse: Ad corpus, inquit, glorificatum redũdat claritas ab anima, sicut qualitas quædam permanens corpus efficiens. Vnde fulgere corporaliter, nõ est miraculosum in corpore glorioso. sed ad corpus Christi in transfiguratione deriuata est claritas à diuinitate & anima, nõ per modum qualitatis immanentis, & afficientis ipsum corpus; sed magis per modum passionis transeuntis, sicut cùm aër illuminatur à sole. Vnde ille fulgor miraculosus fuit. hæc D. Thomas. Hinc collige miraculum fuisse corpus Christi non fulgere. hoc tamen miraculum ad illud pertinet miraculum in incarnatione factum, & postea continuatum, quo Christus gloriam animæ habere voluit, absq; gloria corporis. Collige præterea miraculum fuisse fulgere in transfiguratione per modum passionis transeuntis, vt ait diuus Thomas. si verò perpetuis ac permanẽtibus dotibus fuisset corpus donatum, non fuisset miraculum. Id enim animæ gloria ex lege ordinaria postulabat.

An dote impassibilitatis fuerit affectum Christi corpus in trãsfiguratione, &c.

Si roges, num in transfiguratione dote impassibilitatis, & ceteris fuerit affectum Christi corpus? Respondetur; Minimè. propter solum enim fulgorem dicitur transfiguratus, vt D. Thomas docet art. 1. & 2. quæstionis indicatæ. Adde fulgorem illum transeuntem non dici dotem. Est enim dos perpetua, vt ait D. Thomas art. 2. Erat ergo corpus Christi in transfiguratione mortale & passibile.

Matth. 17.

Vestimenta *autem eius facta sunt alba sicut nix*. Græci codices habent, ὡς τὸ φῶς, *sicut lux*. Sed noster interpres melius legit, ὡς χιὼν, id est, *sicut nix*, vt Marcus habet etiam Græcè: est enim accommodatior similitudo, nec solùm candida facta sunt vestimenta, verum etiam splendida. sic enim Marcus, *Vestimenta eius facta sunt splendida, & candida nimis, velut nix*. & Lucas, *Vestitus*, inquit, *eius albus, & refulgens*. Cardinalis Caietanus putat, vestiũ candorem ex splendore corporis emanasse. Vt splendorem, inquit, non spiritalem, sed corporeum intelligamus; candor vestimentorum ex splendore corporis consurgens testatur, &c. At verò in vestibus Christi summus fuit candor & splendor. Candorẽ ex splendore emanasse, minimè cõcesserim.

Marci 9. An splendor vestiũ, manarit ex splendore corporis. Luca 9.

ſplendor enim ſplendorem parit, non candorem, qualitas ab ſplendore diuerſa eſt. Prætereà, vt Abulenſis ait, quæſt. 42. lux non poteſt per opacum corpus tranſire; ergo lux corporis Chriſti non poterat opacas veſtes omnino penetrare. Cenſeo igitur tàm ſplendorem, quàm candorem, indumentis Chriſti per miraculum à Chriſto eſſe tunc tẽporis datũ, neque à corporis fulgore totum profectum.

Color albus lætis ſeruit rebus. Marc. 16. Ioan. 20. Actor. 1. Apoc. 7.

Alba autem facta ſunt Chriſti indumenta, quia is color lætis ſeruit rebus. Lætiſſimæ igitur tranſfigurationi magnopere conueniebat. Ideo angeli canditati apparent, Marc. *Viderunt iuuenem ſedentem, opertum ſtola candida*, Ioan. *Vidit duos angelos in albis ſedentes.* Actor. *Duo viri aſtiterunt in veſtibus albis.* Et Apoc. *Vidi turbam magnam ex omnibus gentibus, ſtantes ante thronum, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum*, &c. Dubitabis, an veſtium Chriſti color fuerit immutatus? Reſpondeo, incertum eſſe cuiuſnam coloris Chriſti veſtes fuerint. Si candidę erant, quod veriſimile putat Abulẽſis quæſt. 46. non eſt color immutatus, ſed perfectiſſimus datus. quòd ſi alterius fuere coloris, deſiit ille color eſſe trãsfigurationis tempore, niueus fulgiduſque color eſt inductus.

An color veſtium fuerit immutatus?

Chriſtus talis apparuit qualis in iudicio futurus eſt.

Aduerte autem Chriſtum in ea apparuiſſe gloria, in qua in die iudicij apparebit. Vnde D. Hieronymus. Qualis Chriſtus futurus eſt tempore iudicandi, talis apparuit Apoſtolis, &c. & Baſilius epiſcopus Seleuciæ in oratione de transfiguratione: O beata (inquit) Apoſtolorum lumina, quæ terribilem diem iudicij, in miti cernunt ſpecie, &c.

Matth. 17. ET *ecce apparuerunt illis Moſes, & Elias cum eo loquentes.* In gloſſa ordin. Lucæ 9. habetur, verum Moſem, verumque Eliam in transfiguratione non apparuiſſe. eius hæc ſunt verba. Notandum non corpora, vel animas Eliæ, vel Moſis apparuiſſe, ſed ex aliqua ſubiecta creatura illa corpora formata fuiſſe. Poteſt etiã credi Angelico miniſterio illud factum eſſe, vt Angeli eorũ perſonas aſſumerẽt. ita gloſſa, ſed non ſequẽda. Sentiendũ eſt, verum Moſem, verumq; apparuiſſe Eliam. Elias quidẽ ex paradiſo terreſtri, vel alio quopiã loco, per Angelũ adductus eſt. Moſis anima ex limbo, per aliquod corpus aſſumptũ (vt cerni ſolent Angeli) affuit. Sic arbitratur D. Tho. 3. p. q. 45. art. 3. ad 2. & Lyran. Et Abulenſ. q. 54. Nõ ſurrexit, inquit, Moſes, ſed corpus accepit de aëre, ſicut cõmuniter tenetur, &c.

Gloſ. ord. An verus Moſes & Elias apparuerint in transfiguratione.

Hieron. An Moſes reſurrexit, vt transfigurationi adeſſet.

Hieronymus tamen Moſem reſurrexiſſe exiſtimat; Dat Chriſtus (ait ille) ſignum, Moſe ab inferis reſurgente. Auctor quoque lib. de mirabilibus Sacræ Scripturæ, in hac ſententia eſt; in eadem ſui temporis doctores fuiſſe ſcribit lib. 3. c. 10. quæſtionem proponit; An Moſes aëreum aſſumpſerit corpus? Reſpondet his verbis; De hac quæſtione auctores vna eademq; ſententia prolata, non differẽter dicũt, quòd dum Dominus cum tribus diſcipulis, & Elia, non cum imaginatis, ſed veris corporibus conueniſſe non dubitantur; & ipſe Moſes in ſuo vero corpore, de ſepulchro ſumpto videtur. ſic ille. Si roges vtrum mortuus iterum fuerit Moſes? reſpondet affirmanter. Sed ſine vllo dolore mortuũ dicat, qui hanc opinionem ſequetur; quæ mihi magis placet. Verum enim Eliam, verumque Moſem, tùm anima, tùm corpore fuiſſe reor; quẽadmodum vera erat gloria non adumbrata, ita verum Moſis erat corpus, non ex aëre efformatum.

An Moſes iterum fuerit mortuus?

Cur Moſes & Elias apparuerint?

Apparuerunt autem Moſes, veteris Teſtamenti promulgator, & Elias Propheta, Chriſtumq; adorantes venerati ſunt, & Dominum confeſſi, vt intelligerẽt diſcipuli, Chriſtum & Moſis, & prophetarum omnium eſſe Dominum; non autem eſſe Eliam, aut Ieremiam, aut Ioannem Baptiſtam, aut vnum ex prophetis, vt populus aiebat. Secundo, vt cognoſcerent tam legem à Moſe promulgatam, quàm Prophetas, illi teſtimonium perhibere. Tertio, vt hominibus gloriam ſuam communicãdam in cælo indicaret; quemadmodum Moſi & Eliæ in monte communicabatur. Quartò, vt de paſſione cum illis colloqueretur, de qua iam cum diſcipulis egerat. Lege Chryſoſtomum homilia 57.

An Angeli in transfiguratione viſi ſint?

Rogabis, an Angeli quoque viſi ſint? Reſpondet D. Thomas 3. p. q. 45. art. 3. ad 1. Angelos tranſfigurationis non fuiſſe teſtes, ſed homines. Quoniam Chriſtus corporis gloriam in transfiguratione patefecit, quæ hominum eſt, non Angelorum corporis expertium. Vnde ſequitur Angelos non interfuiſſe, vt Abulenſis etiam putat, quæſtion. 65. Probatur: quoniam Euangeliſtæ Moſis tantum & Eliæ meminerunt, Angelorum verò nullam fecerunt mentionem. Feciſſent autem illuſtriſſimæ rei mentionem, ſi in corporibus aſſumptis apparuiſſent Apoſtolis.

Luc. 9. Moſes & Elias viſi ſunt in gloria.

VISI *in maieſtate.* Græcè, ὀφθέντες ἐν δόξῃ, ait Lucas, id eſt, *viſi in gloria.* Transfigurationi enim ſuæ, transfiguratos, gloriaque ac ſingulari maieſtate ornatos, voluit Chriſtus adeſſe ſeruos. Sic ſolent in nuptiis feſtiſve aliis diebus, nobiles viri, pretioſis ornati veſtibus regibus adeſſe. In gloria ſiue maieſtate viſus eſt Chriſtus; in gloria quoque ſiue maieſtate, illius ſerui. Sed longe inferior ſeruorum erat gloria.

Luc. 9. Quid ſignificet exceſſus.

ET *dicebant exceſſum.* Matthæus ait, apparuiſſe Moſem & Eliam loquentes cum Chriſto. qua de re loquerentur indicat Lucas; *Dicebant*, inquit, *exceſſum quem completurus erat in Ieruſalem.* Exceſſus appellatur Chriſti paſſio, vt vult Lyranus, quia fuit exceſſiua propter eximiam caritatem. Græcè, ἔλεγον τὴν ἔξοδον αὐτοῦ, id eſt, *dicebant exitum eius.* Significat ergo exceſſus exitum, id eſt, mortem Chriſti, quæ fuit exitus illius ex hac mortali vita. Dicitur autem Latine, *exceſſus*, non ab exceſſiua caritate, vt Lyranus vult; ſed quia per mortem, ex vita exceſſit. Voluit autem Chriſtus de morte, quam in Ieruſalem ciuitate erat ſubiturus, ſermonem habere cum Elia & Moſe; vt id confirmaret, quod dixerat diſcipulis, Matth. 16. *Exinde* (inquit) *cœpit Ieſus oſtendere diſcipulis ſuis, quia oportet eum ire Ieroſolymam, & multa pati à ſenioribus & Scribis, & occidi*, &c.

Matth. 16.

Luc. 9. Ordo transfigurationis. Ordo geſtorũ in transfiguratione.

GRAVATI *erant ſomno.* Ex Luca hic in tranſfiguratione colligitur ordo. Aſcendit Chriſtus in montem Thabor, vt oraret: orare cœpit, ſimulque diſcipuli: neque enim magiſtro orante, diſcipuli aliud agerent. Orantibus ſomnus, quemadmodum in horto, obrepſit. Interim dum dormiebant, transfiguratus eſt Chriſtus in ipſa oratione, adfueruntque Moſes & Elias. Euigilarunt diſcipuli, Chriſtum transfiguratum viderunt, cum Elia & Moſe de paſſione colloquentem.

An noctu transfiguratus ſit Dominus.

Colligit ex hoc ſomno Caietanus, transfigurationem poſt aliquas noctis horas factam. Nocturno enim tempore obrepere ſolet ſomnus. Adde, Chriſtum ſequenti die ex monte deſcendiſſe, vt Lucas teſtatur, nocte ergo in monte fuit, veriſimileque eſt in mediis tenebris veluti ſolem ſplenduiſſe. Contraria ſententia eſt Chryſoſtomi hom. 57. diurno tempore factam transfigurationem cenſet. Et S. Ephræm: Duos, inquit, Soles in monte videbant oculi diſcipulorum; vnum ex conſuetudine, alterum, id eſt, Chriſtum, præter conſuetudinem, &c. Euthymius quoq; idem ſentit. Confirmatur opinio, quoniam nubes dicitur Apoſtolos obumbraſſe. nubes autem non obumbrat nocturno, ſed diurno tempore. Reſponderi poteſt, nubem ſerena etiam nocte, fulgente Chriſto veluti Sole, obumbrare potuiſſe.

Somnum

Somnum Apostolorum Chrysostomus interpretatur, virium fuisse resolutionem, à visione profectam. Et Euthymius: Non nox, inquit, erat, sed dies, splendoris tamen excessus obscurabat Apostolorum oculos, ac mentem aggrauabat. Theophylactus: Somnum, inquit, dicit Euangelista multam grauationem è visu, &c. At verò mirum est splendorem somnum efficere. Prætereà discipuli, vt ex Luca constat, post somnum, non ante, Christum viderunt transfiguratum. Somnus igitur ille, non est effectus à visione, sed verus somnus fuit. Cùm autem splendor ille glorioſus nobilior fuerit ipso solis splendore, & supernaturalis, verisimile est Apostolorum oculos ad intuendum fuisse à Christo adiutos.

Qualis fuerit Apostolorum somnus in monte Thabor.

Matth. 17. Marc. 9.

BONVM *est nos hîc esse*. Euigilantes Apostoli, vt Lucas scribit, transfiguratum videre Christum; cum Christo Eliam, & Mosem. Quanto temporis spatio transfiguratio durarit visioque, incertum est. Cùm Moses, & Elias iam abirent, gloriæ raptus dulcedine Petrus Christum vt, illos retineret, sic est allocutus: *Domine, bonum est nos hîc esse.* Græcè, καλὸν, id est, bonum, & pulchrum. *Et factum est* (ait Lucas) *cum discederent ab illo*, scilicet, Moses, & Elias; *ait Petrus ad Iesum; Præceptor, bonum est nos hîc esse*, &c. quasi diceret, Bonum est nos in hoc monte commorari. idcirco, ne patiaris Mosem discedere, & Eliam. Quòd si de habitatione agitur, tria hic faciamus tabernacula, tibi, Mosi, & Eliæ.

Luc. 9.

Cur Petrus dixerit, bonũ est nos hic esse.

Chrysostomus arbitratur Petrum propterea dixisse, *Bonum est nos hîc esse*, quod nollet Christum ire Ierosolymam, mortemque subire. Theophylactus item sic scribit: Petrus ob multam dilectionem Christum pati nolens dicit: *bonum est hoc loco manere*, & non descedere, & occidi, &c. idem opinatur Euthymius. Verisimilius est, Petrum gloriæ dulcedine captum in monte voluisse manere. Vnde Beda in homilia de Transfiguratione: Petrus, ait, glorificatam Christi humanitatem contemplatus, tanto afficitur gaudio, vt nullatenus ab eius intuitu velit secerni, &c. D. Thomas: Ex nimio feruore Petrus videns gloriam, ita affectus erat, quod numquam voluisset separari, si Deus voluisset, &c.

Beda.

Cur Petrus de Tabernaculis sibi Ioanni, & Iacobo construendis siluerit.

Sed cur Petrus Christo, Mosi & Eliæ tabernacula construere vult; de tabernaculis verò sibi, Iacobo, & Ioanni, construendis silet? Respondet Lyranus sic: Non loquitur Petrus de tabernaculo faciẽdo pro se, & sociis suis, quia volebat cum Christo esse in ipsius tabernaculo, & socij eius cum aliis duobus, scilicet, Mose, & Elia. sic ille. Abulensis quæst. 64. ideò de tabernaculis huiusmodi Petrum siluisse opinatur, quòd in eodem cum Christo tabernaculo discipulos habituros existimauerit. Forsitan tunc temporis Petrus sui, & tabernaculorũ sibi, sociisque parandorũ est oblitus; ideo de illis nullam fecit mentionẽ. De se, & sociis nõ curat, de Christo solùm, Elia & Mose sollicitus.

Luca 9.

NESCIENS *quid diceret*. Non ita erat extra se raptus Petrus, vt verba, quæ proferebat, non intelligeret. Sed dicitur apud Lucam, & Marcum, nescire quid diceret, eo modo, quo dicitur Iacobo & Ioanni, *Nescitis quid petatis*. Nesciebat autem Petrus quid diceret, & quid peteret, quia existimabat Christum glorioſum, Mosemque & Eliam, tabernaculis indigere. quia cupiebat Christum in monte Thabor manere; quia beatitudinem in terris & visione corporis Christi, non in visione diuinitatis, collocabat; quia Christum ab opere, ad quod venerat, id est, à redimendis hominibus auocabat; quia quinque tantum homines Christi gloria perfrui volebat, ad quam plurimi erant adducendi. Cognouit autem Petrus Mosem & Eliam ex diuina reuelatione, vel ex colloquio illorũ cum Christo. forsitan etiam cum Apostolis locuti sunt.

Matth. 20. Cur Petrus nesciebat quid diceret.

Quomodo Petrus Mosem cognouerit, & Eliam.

ECCE *nubes lucida*. Loquebatur adhuc Petrus, cum fulgida nubes eos obumbrauit. Græce, ἐπεσκίαζεν αὐτοὺς. Dubitatur, an solos discipulos nubes obumbrarit, an etiam Christum, & Mosem, atque Eliam? Respondendum, obumbrasse Christum, & discipulos, vt infrà ostenditur. Cur obumbrasse dicitur, cùm fulgida fuerit? respondetur, obumbrare hoc loco, idem esse quod tegere, & circumdare; nubis modo obumbrauit eos, hoc est, circumdedit, texit ita, vt cerni non possent: erat enim nubes latissima, ac maximè dẽsa, vt fulgerer.

Matth. 17. An nubem intrarint Moses, & Elias?

ET *timuerunt intrantibus illis in nubem*. Hæc verba Lucæ sunt. Græcè, ἐφοβήθησαν δὲ ἐν τῷ εἰσελθεῖν εἰς τὴν νεφέλην, hoc est, *timuerunt autem, in illos intrare, siue dum illi intrarent in nubem*. Qui nam sint ij, qui timuerunt; qui nam etiam ij, qui in nubem intrarunt, explicandum est. Non enim timuit Christus, aut Moses, vel Elias. Nubem intrasse Christũ, & Moysem, atque Eliam, ait Theophylactus Luc. 9. & Damascenus in oratione de Transfiguratione. Maiore, inquit, timore discipuli obsessi sunt, Dominum cum Mose & Elia, intra nubem conspicientes, &cæt. Euangelium prætereà Syriacum sic habet: *Et timuerunt cum spectarent Mosem & Eliam, qui ingrediebantur nubem*. Est ergo sensus, iuxta hanc interpretationem; timuerũt Apostoli, Christo, Mose & Elia, in nubem intrantibus. Attamen, quo tempore nubes obumbrauit, Moses & Elias iam discesserant; ergo Moses, & Elias, nubem non intrarunt. Nam Lucas sic scribit: *Et factum est, cùm discederent ab illo*, scilicet, Christo, Moses & Elias: *ait Petrus ad Iesum; Præceptor bonum est nos hîc esse*, &c. quando ergo Petrus verba illa protulit, discesserunt Moses & Elias. Cùm verò Petrus loqueretur, nubes obũbrauit. Prætereà vox è nube prolata Christum indicabat; ergo iam non aderant Elias, & Moses, sed solus Christus, quem vnicum discipulis demonstrabat vox; *Hic est, Filius meus dilectus*, &c. Ad hæc nulla ratio erat, cur discipuli timerẽt, Christo, Mose, & Elia, nubem intrantibus, nisi ipsi intrarẽt.

Luc. 9.

Cùm nubes obumbrauit iam Moses & Elias discesserant.

Luc. 9.

Mat. 17. & Luc. 9.

Itaque dicendum erit, post discessum Mosis & Eliæ, nubem maximam tum Christum, tunc discipulos circumtexisse, Timuisse autem dicuntur discipuli, quia videbant se vndique nube ambiri, & veluti comprehẽdi. Verba Lucæ, quæ aduersari videntur, sic explicanda sunt. *Timuerunt, intrantibus illis in nubem*, hoc est, cùm illi, vel ipsimet discipuli, intrarent nubem, cùm viderent se nube comprehendi, formidine sunt correpti. Græcè *in intrare illos*, id est, cùm intrarẽt illi, vel ipsi Apostoli in nubem, timuerũt. Quod si velis Mosem, & Eliam, non discessisse ante nubem, exponi verba possunt hoc pacto: *Timuerunt discipuli intrantibus in nubem illis omnibus*, scilicet, Christo, Mose & Elia, & discipulis quoque. timuerũt autem, quia videbant se nube cingi. Verba illa Lucæ; *Et factum est cùm discederent ab illo*, Moses, videlicet & Elias, iuxta hanc interpretationem sic expones: Cùm discederent, hoc est, cùm iam velle se discedere præ se ferrent. Nam aliquo temporis spatio in monte manserunt. Non caret etiam probabilitate, nubem solos circumsepsisse discipulos, non verò Christum.

Luc. 9.

ECCE *vox de nube*. Nube Dei gloria & maiestas indicatur. *Iam nunc veniam ad te in caligine nubis.* Exod. *Operuit nubes montem, & habitauit gloria Domini super Sinai, tegens illum nube*, &c. Exod. *Operuit nubes tabernaculum testimonij, & gloria Domini impleuit illud. nec poterat Moyses ingredi tectum fœderis, nube operiente omnia, & maiestate Domini coruscante, quia cũcta nubes operuerat*, &c. Leuit. *In nube apparebo* (ait Dominus) *super oraculum.*

Matth. 17. Exod. 19. Exodi 24. Exod. 40. Nubes Domini gloriã indicat. Leuit. 16.

3. Reg. 8. 3. Reg. 8. *Nebula impleuit domum Domini.* Item: *Dominus dixit, vt inhabitaret in nebula*, &c. Quemadmodum Rex in templo, aureo peripetaſmate vndique tegitur: ſic regum Rex Dominus, nube veluti occultatur. Ex nube igitur locutus eſt Deus Pater. Attamen tam nubem, quam vocem Angelus efformauit. dicitur autem Pater locutus, quia vice Patris, ab Angelo vox illa proferebatur.

An Angelus vocem efformarit.

Similem vocem Matthæi 3. in baptiſmo à tota Trinitate efformatam docet Auguſtinus lib. 4. de Trinitate, cap. 21. D. Fulgentius in lib. de fide ad Petrum, cap. 9. & D. Thomas 3. p. q. 39. art. 8. ad 2. Etenim opera S. Trinitatis ſunt inſeparabilia. Veriſimile igitur eſt, hanc vocem, & nubem, à tota S. Trinitate effectam.

Opera S. Trinitatis ſunt indiuiſa ad extra.

Origenes tract. 5. in Matth. Beda, Ambroſius, & alij, à nube hac Spiritum Sanctum indicatum eſſe aiunt. & D. Thom. 3. p. q. 45. art. 4. In transfiguratione, ait, tota Trinitas apparuit, Pater in voce; Filius in homine; Spritus ſanctus in nube clara. Indicat autem nubes Spiritum ſanctũ, quoniam nubis inſtar fulgidæ, hominem illuminat, tegit, obumbrat.

Nube indicatur Spiritus ſanctus.

Matth. 17. IN *quo mihi bene complacui*. D. Hilarius ſignificari his verbis putat Chriſtum Patri eſſe complacitum. D. Chryſoſtomus ſic interpretatur: *In quo bene complacui*; ac ſi diceret, in quo requieſco, & oblector. Theophylactus ita: in quo bene complacitum mihi, id eſt, ſuper quem requieſco, & qui mihi placet. Euthymius ſimiliter: In quo requieſco, in quo oblector, vt in vnanimi, & æquali mihi. Tertullianus in lib. aduerſus Praxeam cap. 23. in hunc modum vertit. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo bene ſenſi.* Sic etiam vertit D. Cyprianus epiſtola 63. ad Cælium. & D. Auguſtinus ſerm. 63. de verbis Domini. ſignificat autem, In quo benè ſenſi, de quo optimè ſentio, de quo eximiam habea exiſtimationem.

De verbo Græco εὐδοκέω.

Noſtra verſio multò præſtantior eſt, *In quo mihi bene complacui*. Græcè non eſt, mihi, ſed ſubintellitur, ἐν ᾧ εὐδόκησα, *in quo cõplacui*. De verbo, εὐδοκέω, & εὐδοκία, diximus tom. 1. lib. 8. cap. 19. Significat εὐδοκία, bonam voluntatem, propenſam in aliquem beneuolentiam, & placitum; εὐδοκέω, bene

Hieron. velle, complacere. D. Hieronymus ad Epheſ. 1. Verbum, inquit, εὐδοκία, quod Latinus interpretatus eſt, placitum; apud Græcos compoſitum eſt ex duobus integris εὐδοκία, ἀπὸ τῦ εὖ καὶ τῦ δοκεῖν, *à bene*, & *à placito*, quod nos dicere poſſumus beneplacitum. quia non ſtatim omne quod placuit, & beneplacere poteſt. Sed ibi tantùm, εὐδοκία, hoc eſt beneplacitum dicitur, vbi quod placuit rectè placitum comprobatur. Hunc autem ſermonem

De nomine Hebræo רצה *ratſon.*

de Hebraico, רצון, ratſon, ſeptuaginta interpretes tranſtulerunt, rebus nouis verba noua fingentes. Hæc Hieronymus. רצון, Ratſon Hebraice beneuolentiam ſignificat, & beneplacitum, verbum, רצה ratſath, velle, placere, complacere.

Iſaiæ 42. Pſal. 76. *Complacuit ſibi in illo anima mea.* Hebraicè רצתה ratſetha. *Non apponet vt complacitior ſit adhuc?* id eſt, vt ſit magis beneuolus, vt magis illi complaceat. Hebraicè לרצית lirtſoth complacitior dicitur, à

Pſal. 149. complaceo, non à complaco. *Beneplacitum eſt Domino in populo ſuo*. Hebraicè eſt verbum רוצה rotſeh. Vertit Hieronymus, *complaceat ſibi Dominus in populo ſuo*; id eſt, placet illi populus, vel complacentiam & oblectationem habet in populo. Senſus igitur

Matth. 17. eſt. *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*: in quo complacentiam habeo maximam, qui mihi infinitum in modum placet, propter quem placent homines, quicumque placent.

Ibid. & Luc. 9. Chriſtus Filius Dei

IPSVM *audite*. Chriſtum Dei Filium naturalem eſſe vox Patris indicat, (quod Petrus confeſſus fuerat) dilectiſſimũ, & qui Patri maximè placeat.

A Præterea gẽtium doctorem eſſe demonſtrat, quem omnes audire debeant. *Ipſum*, inquit, *audite*: ipſius verbis obtemperate. Simile illud eſt, *Prophetam*, id eſt, Chriſtum, *de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies*, &c. de hac voce D. Petrus. *Non*, inquit, *doctas fabulas ſecuti, notam fecimus vobis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem, & præſentiam: ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis. Accipiẽs enim à Deo Patre honorem, & gloriam, voce delapſa ad eum huiuſmodi, à magnifica gloria: Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacui, ipſum audite. & hanc vocem nos audiuimus de cælo allatam, cùm eſſemus cum ipſo in monte ſancto*, &cæt. hoc eſt, non artificioſas vobis fabulas, ſed quæ veriſſima ſunt prædicamus. nimirum virtutem, Græcè, δύναμιν, id eſt, potentiam, & præſentiam, id eſt, aduentum Chriſti. Ea prædicauimus, quæ oculis noſtris cõtemplati ſumus. Etenim magnitudinis, & maieſtatis Chriſti ſpeculatores fuimus. *Accipiens enim*, ſubaudi more Hebraico, *fuit*, id eſt, accepit enim Chriſtus à Patre honorem, ac gloriam magnam, in monte Thabor, cùm voce e cælo delapſa Dei Filius eſt denuntiatus. Eam nos in monte illo ſancto audiuimus, &c.

naturalis, & gentium doctor indicatur.

Deut. 18.

2. Pet. 1.

B CECIDERVNT *in faciem ſuam*. Inſtar tonitrui vox tremenda ſonuit ex nube; ideoque illam audientes diſcipuli, vt Euangeliſta ait, ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valde. S. Ephrem in oratione de transfiguratione. Ad hanc,

Matth. 17. De lapſu Apoſtolorũ in terram.

C inquit, vocem Apoſtoli, proni ceciderunt in terram, erat enim tonitru terribile. Quamobrem voce eius tremuit terra, & ij ceciderunt in terram. ſic ille. Humana fragilitas (ait Hieronymus) conſpectum maioris gloriæ ferre non ſuſtinet, at toto animo, & corpore contremiſcens ad terram cadit, &c. Origenes cadentes in terram Deo ſupplicaſſe ait. Non ſuſtinentes, ait, gloriam vocis, neque virtutem procedentem ex ea, ſupplicarunt Deo cadentes in faciẽ ſuam, &c. & Chryſoſtomus. Ceciderunt trementes ſimul, & adorantes, &c. Euthymius: Poteſt, ait, dici, quòd prociderunt in faciem ſuam Apoſtoli, hoc eſt, adorauerunt, &c. Dicendum eſt tremore perculſos Apoſtolos, in faciem

D procidiſſe, vt ait Matthæus. An autem Deum tunc adorarint, dubium eſt. Fieri potuit, vt timore perterriti ad adorandum in faciem procidierent. Sic autem explicabuntur Euangeliſtæ verba. Audientes ceciderunt in faciem ſuam: videlicet, vt adorarent; & timuerunt valdè.

Matth. 17. NEMINI *dixeritis viſionem*. Opportunum tempus non erat aperiendæ viſionis, ante reſurrectionem; ideo tacere iubet Apoſtolos. Lege quæ ſupra diximus hoc libro, cap. 4. D. Hieronymus: Non vult, inquit, hoc, id eſt, transfigurationem Chriſtus in populos prædicari, ne & incredibile eſſet pro rei magnitudine; & poſt tantam gloriam apud rudes animos ſequens crux ſcandalum face-

Cur Chriſtus ſuam tranſfigurationem nemini voluerit.

E ret, &c. Et Chryſoſtomus. Quãtò maiora de Chriſto dicebantur, tantò difficiliora tunc creditu videbantur: & ſcandalum, quod à cruce oriebatur, multò magis creſcebat. ideo ſilentium iuſſit, &c. Beda: Non vult Chriſtus hæc prædicari, ne poſt tantam gloriam crux ſcandalum fiat, &c. Verùm non video quodnam maius ſcandalum potuerit crux afferre, trãsfiguratione prædicata. Ideoq; arbitror Chriſtum propterea noluiſſe vulgari transfigurationẽ, quòd in tempus opportunũ videlicet, poſt reſurrectionem huiuſmodi prædicationẽ voluerit reſeruari. D. Damaſcenus exiſtimat, tribus Apoſtolis imperari ſilentiũ, ne reliquos Apoſtolos, qui transfigurationi minimè interfuiſſent, ſi rem aperirẽt, mœſtitia afficerent. Dolerent enim quòd tam præclara viſione digni habiti nõ eſſent.

CAP.

CAPVT XXIX.

Morale.

De transfiguratione.

Hebr. 11. Præmij ſpes magnum incitamentum eſt. Pſal. 118. Caſſiod.

EST præmij ſpes, ad perferendos labores quoſcumque magnum incitamentum. *Moyſes* (vt Paulus ait) *elegit affligi cum populo Dei*, ſpreuitque Pharaonis aulam: *aſpiciebat enim in remunerationem.* & Dauid, *Inclinaui*, inquit, *cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas, propter retributionem*. Non eſt (ait Caſſiodor. lib. 2. Var. epiſt. ad Senatum Rom.) quiſquam, qui non ad morum ſummanitatur aſcendere; quando irremuneratum non relinquitur, quod conſcientia teſte laudatur, &c. D. Damaſcenus in orat. de *Damaſ.* transfiguratione: Qui laborum fructus perſpectos habet, intrepido animo in certamen deſcendit. Etenim lucri cupiditas. homines eò ducere ſolet, vt corpori ſuo minimum parcant, &c. Quodnam præmium cæleſti beatitudine maius, aut verbis exprimi, aut mente poteſt concipi? Tantum hoc præmium proponit ob oculos Chriſtus, vt alacriter certemus. Itaque quicumque alacriter certare vis, æternam tibi propoſitam beatitudinem, in *Auguſt.* cælum ſublatis animi oculis ſæpe intuere. Sic Auguſtinus hortatur Pſalm. 36. Noli, inquit, attendere, quam iturus, ſed & quò venturus ſis. Si vis ſuſtinere laborem, attende mercedem, &c.

Cæleſtis beatitudo conſideranda.

Difficile iter eſt, confragoſum, accliue, ab itinere oculos amoue, finem itineris lætiſſimum, omniſque voluptate cæleſti pleniſſimum ſuſpice. Audi Chryſoſtomum hom. 12. ad. Philip. Caput ſurſum, ſurſum oculos. Iſtud & pædotribæ currentibus præcipiunt. ita ſolidatur fortitudo. Surſum vbi palma eſt ſuſpice, ipſe palmæ cõſpectus multam facit alacritatem, &c. De Ceruis Plinius lib. 8. *Plin.* cap. 32. Gregatim, ait, maria tranant nantes, nec terras vident, ſed in odore earum natant, &c. Sic & nos etſi cæleſtem illam regionem corporeis non conſpicimus luminibus, fidei odore percipiamus; taliſque in odore, mundi huius pelagus *Spes gloriæ cæleſtis anchora.* traiiciamus. Auguſtinus Pſalm. 64. hanc cæleſtis gloriæ ſpem anchoram vocat, qua continetur animus ne faciat in vitiis naufragium. Spem, inquit, in illam terram quaſi anchoram præmiſimus, ne in iſto mari turbati naufragemus, &c. Item; Contra tentationes huius peregrinationis noſtræ, ſpes noſtra fundata in illa ciuitate Ieruſalem, facit nos non abripi in ſaxa, &c.

Chriſtus nos ducit in gloriam.

ASSVMIT *Ieſus Petrum, Iacobum, & Ioannem.* Chriſtus eſt, qui homines aſſumit in gloriam. Etenim niſi aſſumat ille, aſcendet nemo. Aſſumpſit humanitatem in diuinum ſuppoſitum, *Pſal. 64.* vt aſſumeret homines in cælum, *Beatus quem elegiſti, & aſſumpſiſti; inhabitabit in atriis tuis*, &c. Eligit Chriſtus, & aſſumit in cæleſtia atria. Si mortem pro nobis non ſubiiſſet, quis nos in cæleſtia palatia aſſumſiſſet? celſiſſimus mons eſt, niſi Chriſtus ſuo ſanguine, auxiliis, meritiſque in eum ducat, nemo *Pſal. 72. Cant. 8.* ducet: *Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me; & cum gloria ſuſcepiſti me*, &c. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, innixa ſuper dilectum ſuum*, &c.

Vide quos aſſumat: Petrum Eccleſiæ Petram, Ioannem illibatę virginitatis exemplar, Iacobũ, id eſt ſupplãtatorem. Si aſſumi vis, eſto petra, in fide, & caritate, boniſque operibus conſtans, firmus ac ſolidus. Eſto caſtitate conſpicuus, vitiorum denique omnium eſto ſupplantator, ac victor. D. Hilarius Cant. 17. tres Apoſtolos ait aſſumptos, vt oſtenderetur, homines ex tribus filiis Noë natos, ad gloriam eſſe aſſumẽdos, id eſt, nõ ſolos Iudæos, ſed ex omnibus gẽtibus aliquot. D. Thom. Mat. 17.

Qui aſſumantur à Chriſto ad vitam æternam.

vult, non omnes Apoſtolos ad ſpectandam Chriſti gloriam adductos; vt indicaretur non omnes vocatos, ad Chriſti gloriam adducendos: iuxta illud, *Multi ſunt vocati, pauci verò electi.* Adde non ſine Petro *Matth. 20.* vidiſſe reliquos Chriſti gloriam; quoniam ſine ſocietate, & obedientia Petri, id eſt, Romani Pontificis, ſucceſſoris Petri, nemo gloriam conſequetur. Illud quoque adiice, non niſi nobiles Aquilas Petrum, Ioannem, & Iacobum, ad intuendũ Solem, in montem Thabor conuolaſſe. D. Petrus *ſpeculatorem* *2. Pet. 1.* ſe fuiſſe ait *magnitudinis Chriſti*. illius enim magnitudinem, & imperium, tam ipſe quàm Iacobus & Ioannes ſpeculati ſunt.

POST *dies ſex.* Sex diebus operatus eſt Deus, ſeptimo die, vt legitur, *Requieuit ab vniuerſo opere, quod patrarat*. Sex igitur dies laboris atque operum tempus ſignificant. Poſt ſex dies, id eſt, poſt laborẽ & opera, nos quoque in æternã abſque labore vitam, aſſumpti requieſcemus. iuxta illud Pauli, *Relinquitur ſabbatiſmus*, id eſt, requies, *populo Dei. Qui enim ingreſſus eſt in requiem eius, etiam ipſe requieuit ab operibus ſuis, ſicut à ſuis Deus*, &c. *Requieuit Deus die ſeptimo*, Gen. 2. *ab omni opere quod patrarat*, ſic requieſcet probus vir in cæleſti illo ſabbato, ab omni labore & opere quod patrarit. Lege Aug. l. 22. de ciuit. c. 30.

Mat. 17. Opera ſancta gloria ſequitur. Gen. 2.

Hebr. 4.

Gen. 2.

IN *montem excelſum ſeorſum.* Canit vates: *Montes exultaſtis ſicut arietes, & colles ſicut agni ouium. A facie Domini mota eſt terra, à facie Dei Iacob.* Si in exitu Iſrael de Ægypto, terra à facie Domini mota, monteſq; exultaſſe dicũtur, nonne in trãsfiguratione Dñi, mons Thabor ab ſplendẽti Domini facie gaudio exiliiſſe dicetur? Hermonẽ quidẽ montẽ tunc exultaſſe ait D. Damaſcen. in orat. de transfiguratione, cùm in baptiſmate Chriſti cæleſtẽ Patris vocẽ audiuit. In trãsfiguratione autẽ exultauit Thabor, iuxta illud, *Thabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt.* Tũc, vt idem *Pſalm. 88.* Damaſcenus ait, cũ cælo mons certauit. Fuit enim quoddam cęleſtis glorię theatrum, empyreiq; cæli ſimulacrum. Ipſum cælum monti Thabor potuit inuidere. Neque enim cælum Chriſti habebat humanitatẽ, quæ in Thabor monte fulgebat. Quemadmodum in montem Thabor; ſic in cælum empyreum ſuos ducit Dominus Petros, ſuos Ioannes, ſuos Iacobos. Ducit eos in montẽ excelſum ſeorſum; ſeorſum, inquam, à terra, ſeorſum ab impiis, ſeorſum à peccatis, ſeorſum à doloribus, ſeorſum à fame, ſiti, omnibuſque malis.

Matth. 17. Pſalm. 113. Thabor & Hermon quando exultarunt præ gaudio.

ET *facta eſt dum oraret, ſpecies vultus eius altera.* Dum oraret transfiguratus eſt Dominus. Etenim ad transfigurãdum hominẽ oratio ſummopere confert. Euthy. Luc. 9. Orans transformatus eſt Chriſtus, vt diſcamus, quòd oratio transformat atque illuſtrat hominem, ſi fiat quemadmodum oportet, &c. Moſis facies, vt ſcriptum extat Exod. 34. ex conſortio ſermonis Domini illuminata eſt: eundem in modum hominis facies, lingua, manus, geſtus, operaque omnia, ex orationis cũ Deo conſortio illuminãtur, ac transfigurantur. Qui imaginem aliquam ex exemplari depingit, attente ac vigilanter inſpicit exemplar. Quid aliud eſt transfigurari, quam figurã Chriſti ex ipſo Chriſto velut exemplari, in nobis pingere? Attentè ergo ac vigilanter, Chriſtum crucifixũ, velut exemplar, in oratione inſpice; illius virtutes in animũ tuũ trãsfer, ſi trãsfigurari, ideſt, Chriſti figurã cupis gerere. Huius enim vitæ transfiguratio, eſt Chriſti imitatio. Speculũ illius rei figurã recepit, cui obiicitur & quodammodo ſe transfigurat, ſimilẽ in modum animus noſter, ſi ſe Chriſto ſpeculi inſtar puri in oratione offerat; illius recipiet figurã, & ſe ipſum transfigurabit, dicetq; cũ transfigurato Paulo, *Viuo iã nõ ego, viuit verò in me Chriſtus*, hoc eſt, in Chriſtũ ſum *Gal. 2.* transfi-

Oratio hominem trãsfigurat. Luc. 9.

2. Cor. 3. transfiguratus. 2. Cor. 3. *Nos omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandē imaginem trāsformamur à claritate in claritatē, tanquā à Domini spiritu*, &c. Speculantes Græcè, κατοπτριζόμενοι. Significat autem κατοπτρίζομαι, Speculor, contemplor, siue in speculo video: κάτοπτρον, speculum dicitur. significat etiam in speculo repræsento. Nos omnes (ait Paulus) veluti in speculo gloriam Domini, absque velo mosaico intuentes, in eandem Dei imaginem transformamur, Græcè μεταμορφούμεθα, id est, transfiguramur, &c. Theodoretus in hunc locum. Quemadmodum, inquit, aquia perspicua eorum, qui inspiciunt aspectum, & ipsius solis circulum, & cęlorum conuexa effingit; ita etiam cor purum, fit diuinæ gloriæ veluti quoddam speculum, quod eam refert, & exprimit, &c. Cardinalis Caietanus, κατοπτριζόμενοι, interpretatur, instar speculi suscipientes gloriam Domini, & reddentes, officium speculi exercentes. id verò iis contingit qui orationi vacant, instar speculi transfigurantur, figuram Christi suscipiunt, & hominibus eandem repræsentant.

Quid sit κατοπτριζόμενοι.

Mat 17. Christus non ostendit in transfiguratione diuinitatē.

TRANSFIGVRATVS *est ante eos*. Ostendit Dominus discipulis corporis gloriam: diuinitatem minimè ostendit. Gustum quemdam cælestis beatitudinis præbuit, & vt Damascenus ait, in Orat. de Transfiguratione, veluti exiguam carnis rimam strictim aperuit. Quemadmodum si quis ingentem auri argenti, gemmarumque thesaurum, per tenuissimam rimulam ostenderet; sic Dominus immensas illas gloriæ opes, per rimulam carnis indicauit. ita sol per rimulam, ex summo illo splendore, paruulum aliquem radium solet in domum immittere. Regum gloria externa est; extrinsecus ab externis trebus auro, argento, vestibus, equis, comitatuque aduenit: ideoque cum transfigurari volunt, omnia extrinsecus emendicant. At summi Regis omnis gloria est ab intus; nihil opus fuit quærere foris. D. Ephrem. Ex ipso, inquit, scaturiebat eius gloria, &c. Intus infinitum habebat gloriæ pelagus, nempe diuinitatem; ex infinito Oceano paruulum quemdam riuulum deriuauit in corpus. Quid illud est: *Resplenduit facies eius sicut Sol: vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix?* Sanè paruulus quidam est ex infinito fonte riuulus, paruula ex infinito igne scintilla, paruula ex infinitis diuinitatis opibus gemmula. Repromissæ terræ lacte, melleq; manantis, exploratores fuere tres Apostoli. Est regio illa lætissima, fæcundissima, opulentissima, infinita. At nostri exploratores, ad intima illius loca, id est, diuinitatem, minimè penetrarunt, extremas tantum oras percurrerunt; corporis tantùm Christi splendorem, ac pulchritudinem contemplati sunt.

Gloria Christi ab intus, regnum à foris.

Matt. 17.

Omnis hæc gloria, & splendor, corpori Christi, à puncto conceptionis debitus erat: Etenim postulat anima beata, corpus carnemque beatam, sed vt posset pati caro, gloriæ influxum ipso conceptionis puncto coercuit Christus; idque per miraculum. Itaque miraculum fecit, vt pro nobis labores ac cruciatus tolerare posset. Nos quoque miracula, si potestas esset, facere oporteret, vt pro Christo pateremur. In transfiguratione compressam gloriam effudit in corpus, Soleque reddidit fulgentius. D. Damascenus loco citato: Nunc, inquit, visa sunt; quę hominum oculis cerni non poterant: nimirum terrenum corpus diuinumque splendorem emittens; mortale corpus deitatis gloriam, fotis instar fundens, &c.

Miraculum fecit Christus, vt pro nobis cruciatus ferret.

In monte Thabor gloria fuit riuulus, in cælo pelagus.

In monte Thabor gloriæ ostendit riuulum, in cælo autem fontem ipsum, pelagusque infinitum aperit, nempe diuinitatem. In cælo id fit, quod est

A in Psalmo, *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniā apud te est fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen.* Etenim vbertas summa est in cælo, beatos inebrians, hoc est, omni ex parte illorum desideria explens: torrens est, fluuius, mare immensum voluptatis sanctissimæ, quæ sola mentem exsatiare potest: lumē est, quod gloriæ lumen à Theologis dicitur, intellectum ad cernendum Deum illuminās: deniq; fons est vitæ sempiternę. Inebriantur beati ab vbertate, & opulentia domus Dei, dulcissimo sanctissimarum voluptatum fluuio potantur: glorię lumine illuminati Deum cernūt: ex fonte vitæ sempiterno, sempiternā vitam, omnibus deliciis refertissimam hauriūt. Quis poterit fando explicare quales hæ sint deliciæ, qualis vita, qualis gloria? Lege Chrysostomum homil. 24. ad Hebr. Considera atque enumera quæso diuitias, cæteraque dona, quibus Deus homines, impios etiā Turcas, Mauros, Ethnicus cumulat. Quod si impiis in hoc terrarū orbe, tot dona, tam eximia liberalitate largitur; sanctis beatisque hominibus quid in cælo largietur? Augustinus lib. 22. de ciuit. c. 24. Quid dabit iis, quos prædestinauit ad vitā, qui hæc dedit eis, quos prædestinauit ad mortem? &c. Lege quæ de ciuitate cælesti diximus tom. 1. lib. 2. c. 7. *Psalm. 35.*

B

VESTIMENTA *eius facta sunt alba sicut nix.* Facta sunt Christi indumenta, non solum candida sed etiam splendida, vt diximus. D. Gregorius 32. Moral. c. 7. arcano sensu, viros sanctos illis ait adumbrari. Quemadmodum enim vestes pretiosæ, homini adhærētes, eundem exornant: ita viri sancti Christo amore adhærētes, gloriam illi & ornamentum afferunt. In transfiguratione (ait Greg.) quid aliud quàm resurrectionis vltimæ gloriæ, nunciatur? In monte vestimenta eius sicut nix facta sunt: quia in supernæ claritatis culmine, sancti omnes ei luce iustitiæ fulgentes adhærebunt, &c. Item eodem loco: Luce sicut vestimento amictus est Deus, quia sanctis omnibus, quibus dictum est: *Vos estis lux mundi*: in illa ęterna gloria vestitur, &c. & D. Thomas 3. p. q. 45. art. 2. ad 3. Claritas, ait, vestimētorum Christi, designat futurā claritatem sanctorū, &c. Candida frigidaque nix castitatem indicat. Vestimēta Christi alba facta sunt, tāquam nix; sic adhęrētes Christo viri probi, albi fiunt velut nix, id est casti, puritatisque fulgore conspicui. *Mat. 17. Vestimenta Christi sanctos indicāt viros. Greg.*

C

D

ET *ecce apparuerunt illis Moyses, & Elias.* In mōte cernuntur cū Christo transfigurato Moyses, atq; Elias, ieiunio illi similes. Vterque enim quemadmodum Christus quadraginta dierum ieiuniū seruauit. Vnde D. Hieron. l. 2. contra Iouinian. Ob ieiuniorum, inquit, cōsortia, Moysem & Eliam trāsfiguratus Dominus in monte secum ostendit in gloria, &c. Si vis igitur cum Christo transfigurari, ieiuna. Origenes Exod. 12. putat completum nunc esse illud, quod Deus Mosi promisit, *Posteriora mea videbis*. Moses, inquit, in mōte cū Christo totus apparuit in gloria, colloquens cum Iesu. Et ibi completur ei illa promissio, quam accepit in monte Sinai, cùm dictum est ei; *Posteriora mea videbis*. Vidit enim quę in posterioribus & nouissimis diebus facta sunt, & gauisus est, &c. Lege D. Irenæū lib. 4. cap. 37. & Tertullianū lib. 4. aduersus Marcionem cap. 22. & lib. aduersus Praxeam, cap. 14. *Mat. 16. Socij transfigurationis Elias & Moyses ieiunatores. Exod. 33.*

E

VISI *in maiestate.* Non solùm Christus, sed Moses etiam, & Elias, in gloria apparuere. *Visi* (ait Lucas) *in maiestate.* Adumbratur hoc loco hominū in cælo gloria, atque maiestas. Videntur enim beati omnes *in maiestate*, quæ regum omnium, & imperatorum maiestatem, longo superat interuallo. Plusquam reges sunt omnes, in cęlesti illo palatio, & imperatores, plusquam imperatoria maiestate *Luca 9. Elias & Moses gloria splendentes visi sunt.*

ac

ac gloria condecorati. Quam iucundum erit, innumera regum, atque imperatorum millia cernere. Visi sunt in gloria cum Christo Moyses & Elias; sic cum Christo in gloria innumeri videbuntur homines. Nam vt Paulus ait: *Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ*, &c.

Beati omnes plusquam reges sunt. Phil. 3.

Luca 9. ET *dicebant excessum.* Diuus Gregorius homil. 27. in Euangelia: Per calicem, inquit, pertingitur ad maiestatem, &c. Pertingũt beati ad maiestatem, sed per calicem Christi, id est, per passionem. Perueniunt in transfigurationem, sed per illius crucem. De hoc calice & cruce, in summa maiestate Moses & Elias, cum Christo agunt. *Et dicebant excessum*, ait Lucas, *quem completurus erat in Ierusalem.* Quorsum in summa gloria, de summo agitur crucis opprobrio? Respondetur, quia per summum crucis opprobrium, summa est parta gloria. Crux arbor est vitæ Christi irrigata sanguine, quæ vitæ gloriæque sempiternæ fructũ attulit. Scala est, per quam ascenditur in gloriam. Docet etiam locus Reges, Principes, diuitesque viros, & opinione mundi felices, in media mundi huius gloria, diuitiis, & felicitate, meminisse mortis, quæ hoc loco excessus dicitur. Excedent omnes ex vita, ex mundo, ex gloria, ex diuitiis, tollent secum nihil. *Opera illorum sequuntur illos.* sequuntur illos opera; deserunt cetera. Quemadmodum aqua diluit vinum; sic mortis memoria diluit felicitatem, ne mentem à sancto virtutis statu deturbet.

Per crucem Christi peruenimus in gloriam.

Luca 9.

Mortis memoria prosperit admisceda.

Apoc. 14.

Aperiendi mẽtis oculi, & in gloria cælestem intendendi. Luca 9.

EVIGILANTES *viderũt maiestatem eius.* Euigilare oportet eum qui Christi gloriã videre vult, hoc est, mentis oculos apertos habere, & in ipsam intentos. Veluti somno, siue veterno capti sunt homines; ideoque cælestia præmia non considerant, sed terrestria ambiunt. Euigilemus quæso, intellectusque oculis apertissimis, cælestem gloriam intueamur. Exploratores in terram promissionis miserunt Israelitæ, antequam in eam ingrederentur, Num. 13. nos etiam exploratricem considerationem, siue meditationem, in nostram repromissionis terrã mittamus. Exploratores illi botrum, malogranata, & ficus, ex regione explorata attulerunt, vbertatis indices. At nostra exploratrix non hæc puerorum præmiola, sed Dei visionem, coronas, sceptra, opes immensas, voluptates, gaudia, vitamque sempiternam reportabit. Hi enim cælestis regionis vberrimæ fructus sunt, quorum cupiditate virorum animus exardescit. Christus simul viator erat & comprehensor, vt adfirmant Theologi. Christianus viator est, sed oportet etiam suo modulo gloriæ esse comprehensorem. Is autem aliquo modo est gloriæ comprehensor, qui gloriam, quæ in cælo virtuti parata est, mente vigili, vt potest, comprehendit, & considerat. Augustinus Psal. 148. Non vobis, inquit, placeat amor Babyloniæ, id est, mundi. Ne obliuiscamini Ierusalem (id est cælestis ciuitatis) Et si corpus in Babylone adhuc tenetur, cor ad Ierusalem præmittatur, &c. Adumbrat etiam Apostolorum hic somnus mortem; post mortem videtur Dei gloria. Dormiunt iusti in sepulchris; euigilabunt in resurrectione, corporisque & animi perfecta gloria perfruentur. Interim animus cælesti beatitudine potitur, iacente corpore.

Cõsideratio terræ promissæ exploratrix.

August.

Matth. 17. Marci 9. & Luca 9.

BONVM *est nos hic esse.* Græcè καλὸν, id est, bonum, vel pulchrum est. Si bonum & pulchrum erat in monte Thabor esse; quàm bonum, quàm pulchrũ erit, esse in cælo? si bona, si pulchra erat gloria montis; quàm bona, quàm pulchra erit gloria cæli? Nihil melius, nihil est pulchrius cæli gloria, ideoque beati, cum Petro aiunt; *Bonum est nos hic esse.* Bona in hac vita admixta habent mala, siue culpæ,

Cæli gloria nihil melius, nihil pulchrius.

A siue pœnæ. gloriæ æternæ bonum sincerum purumque est, nihil habet admixtum mali. Longissimè ab illa distat culpæ malum, iuxta illud: *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum*, &c. illud Augustini lib. 3. contra duas epistolas Pelag. cap. 7. Hic, ait, est præceptum, vt non peccemus, ibi (id est in gloria) præmium non posse peccare. hic præceptum, vt desideriis peccati non obediamus; ibi præmium, vt desideria peccati nõ habeamus, &c. Pœnæ quoque malum à cælesti ciuitate exulat, iuxta illud: *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum. mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà*, &c. Non quemadmodum videmus fieri in mundo (ait Richardus Victorinus ad hæc Apocalyp. verba) ita erit & in cælo, vt videlicet bonis illis cælestibus, mala quędam permisceantur. Habebunt beati omne bonum absque omni malo, &c. scilicet, hoc est esse beatum, omne bonum habere, & nullum habere malum. Quamobrem à Boëtio lib. 3. de consol. prosa 2. Beatitudo dicitur status omnium bonorum congregatione perfectus.

Apoc. 21.

In cælesti gloria omne bonum est absque mali permixtione.

Apoc. 21.

B

Ad hæc autem bona ascenditur per mala; per mala, inquam, pœnæ. *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Augustinus serm. 6. de verbis Domini: Quare, inquit, vis peruenire delicatus, ad eam rem; ad quam non perducit nisi labor? Attende Christum, pati venit, sed & glorificari, &c. Æschylus apud Clementem Alexandrinum lib. 4. Stromatum, gloriam filiam laboris appellat. Vt terrestris gloria laboris est filia, sic etiam cælestis, quoniam ex labore nascitur. Laborem qui tulit (ait Æschylus) debetur huic laboris natus gloria. Diuus Gregorius Iob 7. ad illa verba: *Sicut mercenarius*, &c. Labores pignora vocat gloriæ, siue remunerationis: Sancti, ait, quot labores nunc veritati commendantes exhibent; tot iam remunerationis suæ pignora, intra spei cubiculum clausa tenent, &c. In media gloria de Cruce Christus loquitur, perinde ac si dicat: Vultis ad hoc bonum peruenire? per crucem, hoc est, per mala pœnæ patienter tolerata, ascendetis. Lege apud Herodotum in fine lib. 3. quid Zopyrus fecerit, vt Babylonem caperet. Nares sibi præcidit & aures, vibicibus sanguineque se conspersit; vt deceptis Babyloniis, vrbem in potestatem Darij redigeret. Si pro Babylone capienda hæc fecit Zopyrus, quid pro cælesti capienda Ierusalem facere oportet Christianum? Mala pœnæ in summũ hoc bonum ducunt; mala verò culpæ à summo hoc bono abducunt. ideoque illa patienti animo & læto sunt ferẽda, hæc velis remisque fugienda. hinc illud Augustini initio Psalm. 118. tam magnum bonum, id est, beatitudinem quærere per mala scilicet culpæ nolite, & illud: Si vis esse beatus, esto immaculatus, &c.

Ad bona cæli per mala pœnæ tolerata pro Christo ascenditur. Rom. 8.

Gloria filia laboris.

Labores pignora gloriæ

C

D

A summo gloriæ bono deturbant mala culpæ.

NESCIENS *quid diceret.* In monte Thabor, frui gloria, ac quiete cupiebat Petrus: sed nesciebat, quid diceret. Multa illi prius certamina subeunda, crux prius erat toleranda. Nescit quid dicat, qui in terra, gloria & quiete vult perfrui. Non est hic beatitudinis & quietis locus. terra stadium est, in quo currimus, campus est, in quo certamus; in cælo cursus ac certaminis præmia dantur. Non eodẽ loco Romani & certabant, & triumphabant: certabant in Hispania, Gallia, Asia, Africa; triumphabant Romæ. Alius locus belli erat, alius triumphi. Eumdem in modum, Christiani in terra belligerant, in cælo triumphant. Chrysostomus ad Philip. hom. 12. Sursum posita est palma. Vide quantum sit spatium percurrendum, vide quanta sit sublimitas, quò peruolandum est alis spiritus? Cum corpore eundum est illò. item: In-

Luca 9.

E

frà voluit Deus te certare; suprà verò coronabit. Non videtis hîc, quomodo quos maximè honorant, siue athletas, siue aurigas, non in stadio infrà coronant, sed ad superiora vocatos Rex illic coronat. ita & hîc. In cælo accipies palmam, &c. Ergo gloriam in terra ne quære; sed fortiter certa, & labores, per quos ad illam peruenias, patiëter ferto.

Petrum vna stilla gloriæ rapuit.

Præterea nesciebat Petrus, quid diceret; quia rapuit illius mentem Christi gloria. sic reginam Sabæ gloria rapuit Salomonis. de qua legitur, *Videns Regina Saba omnem sapientiam Salomonis, &c. non habebat vltra spiritum, &c.* D. Augustinus in soliloq. cap. 22. Dulcedinem, inquit, tuam Domine vt gustauit Petrus, omnium inferiorum oblitus clamauit, quasi ebrius dicens: *Domine, bonum est nos hic esse: faciamus hic tria tabernacula*, hic moremur, hæc contemplemur: quia nullo alio indigemus. sufficit nobis Domine videre te, sufficit tanta dulcedine satiari. Vnam enim stillam dulcedinis ille gustauit, & omnem aliam dulcedinem fastidiuit. Quid putas dixisset, si magnam illam gustasset multitudinem dulcedinis diuinitatis tuæ? &c. Rapuit Petrum gloria Christi conspecta, vnam stillam gloriæ degustauit, vt Augustinus ait, & omnem aliam dulcedinem fastidiuit. Sic rapit ad se homines de gloria Dei meditantes, gloria mentis oculis perspecta; hanc si degustant, mundi voluptatem, turpemque dulcedinem fastidiunt. *Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini*, &c. Et D. Gregorius Nazianzenus orat. 7. Non me respirare finit gloria vētura ac iudicium. Ex quibus illam desidero donec dicere valeo: *Defecit in salutare tuum anima mea:* hoc verò horreo, ac vehemēter effugere cupio, &c. D. Basilius Psal. 44. Pulchritudo diuina vbi semel humanę affulsit animæ, cetera omnia, quæ diligebantur, turpia esse conspiciuntur & reiectitia. eoque Paulus simul vt vidit hunc speciosum forma, omnia duxit stercora esse, vt Christum lucrifaceret, &c.

3. Reg. 10.

Matth. 17.

Vnam dulcedinis stillã Petrus. gustauit, & omnia fastidiuit.

Rapit homines gloria si cõsideretur. Psal. 83.

Qui gloriã cælestem nõ voluit animo, caducis inhæret rebus.

Qui de gloria cælesti non cogitat, non rapitur, à terra non abstrahitur, terrenis inhæret honoribus ac voluptatibus, auellique non vult. Clemens Alexandrinus homines huiusmodi cum piscibus confert, qui marinis adhærent petris. In exhortatione ad gentes. Alij, inquit, homines, qui mundo adhæserunt, vt pisciculi quidam qui vocantur, φύκια, petris marinis; contemnunt immortalitatem. Sicut senex Ithacensis, qui non veritatem, & cælestem patriam, & eam etiam, quæ verè est lucem desiderabat; sed fumum, &c. Senem Ithacensem appellat Vlyssem, quem Calypso inuitum retinebat, fumum patriæ suæ Ithacæ cernere cupientem, de quo sic Homerus Odysseæ lib. 1. vt omittam Græca carmina:

Homer.

Semper verò mollibus & dulcibus sermonibus Calypso demulcet Vlyssem, vt Ithacæ obliuiscatur. Sed Vlysses cupiens & fumum exilientem videre suæ terræ, mori cupit.

Vlyssi similes dicit Clemens homines, qui terrena concupiscunt. Quemadmodum Vlysses fumum desiderabat cernere. sic hi res fumo similes instarq; fumi euanescētes, & obcæcātes exoptant.

Lotophagi qui rerum caducarum dulcedine capiuntur.

Similes iidem sunt Vlyssis sociis, qui Loti dulcedine capti ad nauim redire noluere obliti patriæ. Odysseæ lib. 9. Homer. Horum, inquit, quicumque Loti comedissent dulcissimum fructum, non iam renuntiare rursus volebāt, nec redire, sed illic volebant cum viris Lotophagis, id est, Lotum manducantibus, Lotum edentes manere, redituque obliuisci.

Depingit tibi fabula nostros Lotophagos qui modica rerum caducarum veluti Loti dulcedine sic capiuntur, vt cælestis patriæ, & illius, quod illuc ducit itineris, ac nauis, id est, virtutis, obliuiscātur.

A Adde in cælo Beatos comprehensores dicere cum Petro: *Bonum est nos hic esse.* At in terra viatores numquam posse dicere: *Bonum est nos hic esse*, id est, permanere. Nescit quid dicat, qui hoc dixerit. necesse est enim numquam consistere, sed pergere. Theophylactus Matthæi 17. Ne dixeris, inquit, cum Petro, *Bonũ est nos hic esse.* Nam oportet semper proficere, & non permanere in vno gradu virtutis, & contemplationis, sed ad alia transire, &c.

Matth. 17.

In cælo tabernacula sunt extruenda bonis operibus.

B FACIAMVS *hic tria tabernacula.* Qui vult in cælo habitare, ipse, Deo iuuante, tabernaculum sibi debet in cælo bonis operibus extruere. sic extruebat ille Deus dedit, de quo agit D. Gregorius lib. 4. Dialogorum cap. 36. alter etiam eodem capite, cui domus amœno in loco laterculis ædificabatur aureis. Sunt autem aurei laterculi, vel aurei, aut pretiosi lapides, quibus domus in cælo extruitur, bona opera. Quemadmodum quò plures sunt lapides ac pretiosiores, eò altius & pretiosius, domus consurgit: ita quò plura ac præclariora sunt opera, eò præclarius sublimiusque erit cæleste ædificium. De domo in cælis ædificanda lege D. Chrysostomum in fine hom. 55. in Ioannem: Si in hac, inquit, vita, vt splendidas nobis domos & salubres comparemus, magnam pecuniarum vim ædificando anxij consumimus; considera qui nobis subeundi sint labores, vt clarissimam nobis in cælis domum ædificemus, vbi lux est ineffabilis, &c. item: Ædificant, inquit, domum in cælo manus pauperum, &c. Et D. Gregorius loco indicato: Qui

Pauperes in cælo nobis domum ædificant.

C præmia æternæ lucis, eleemosynarum largitate promerebitur, nimirum constat, quia auro ædificat mansionem suam, &c.

Terrestres domus breui stant tempore, cælestes æternæ sunt. Amens profecto est, qui in regione, in qua exiguo tempore peregrinus est, domum magno pretio ædificat; de ædificanda verò domo, in regione, in qua per æternitatem est habitaturus, non curat. Si quis (ait Chrysostomus) te in Persidem visurum regionem illam, & mox reuersurum duceret; iuberetque vt illic domum strueres: nonne eius amentiam reprehenderes, ac si inutilem suaderet impensam? Cur non idem in hoc mundo facis, quem paulò post relinques? &c.

Chrysost.

De cælestibus tabernaculis illud est Dauidis;

D *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum*, &c. Dilecta appellat tabernacula cælestia. Qui ea diligit pro illis consequendis multa fert, quò maior est dilectio, eò plura tolerat ac grauiora. sequitur: *Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini*: hoc est, desiderat cælestia tabernacula, siue atria anima mea, præ desiderio deficit, & veluti deliquium patitur. *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum*, id est, exultauerunt ad videndum Deum viuum. Memoria visionis illius beatificæ, cordi summam affert exultationem. *Etenim passer inuenit sibi domum, & turtur nidum sibi, vbi ponat pullos suos.* O Domine auiculæ nidos habent, in quibus conquiescant: at ego vagus sum, peregrinus, exul in terra, absque nido. Nidus enim meus non terra est, sed cælum. *Altaria tua Domine*, illa cælestia concupisco, in quibus perpetuæ laudis tibi sacrificia offeruntur. Nam qui in domo cælesti habitant, *in sæcula sæculorum te laudabunt.* Sed necessarium est Dei auxilium, opus est, vt assumat nos Christus, aliter in montem nemo ascendet. idcirco additur: *Beatus vir, cuius auxilium abs te Domine, ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum in loco quem posuit*, id est, Is cui tu opē tuleris, in animo suo disposuit, & decreuit in cælum ascendere, in valle hac lachrymarum vitam traducens, in loco, & in quocumque vitæ genere, quod sibi posuit, & elegit. Vel, decreuit ascendere in montem cælestem,

Pſalm 83. Explicatur de cælestibus tabernaculis.

E

ex

ex hac valle lacrymarum quam ſibi poſuit locum, ſua enim culpa è paradiſi deliciis, in lacrymas ac labores excidit propter peccatum, vallem inhabitat fletus & doloris. *Etenim benedictionem dabit legiſlator: ibunt de virtute in virtutem. Videbitur Deus Deorum in Sion*, &c. id eſt, iis qui in cæleſtia tabernacula aſcendere decernunt, in hac valle lacrymarum non deerunt diuinæ conſolationes & auxilia. Nam Chriſtus legiſlator benedictionem dabit, diuina auxilia cæleſtemque dulcedinem, qua indies robuſtiores ad iter peragendum fient, itaque *ibunt de virtute in virtutem*, id eſt, de fortitudine, in fortitudinem, indies fortiores, & diuina gratia robuſtiores erunt. tandemque, *Videbitur* ab illis Deus verus *in Sion* cæleſti.

Nubes lucida mors eſt. Matth. 17. NVBES *lucida obumbrauit eos.* Eorum qui in cæleſtem montem aſſumendi ſunt, mors nubes quidem eſt, at nubes lucida, virtutũ bonorumque operum radiis illuminata. Ex illa vox auditur: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Prædeſtinatus enim Dei eſt filius, *quòd ſi filius & hæres:* vt Paulus ait, filius eſt dilectus, & ab æternitate à Deo electus. in illo ſibi bene complacuit. Sed totius complacentiæ, fons Chriſtus eſt. Idcirco enim Deo placemus, quia Chriſtus gratiæ decorem diuinum nobis meruit ac contulit. Chriſtus filius eſt naturalis, dilectus, in quo Patri bene complacuit. Nos filij ſumus adoptiui, dilecti per Chriſtum, in quibus per illum bene Patri complacet. Placuit autem Patri filios adoptiuos filio naturali ſimiles facere, tum in vita laboribus exantlandis, tum poſt mortem, gloriæ admirabili decore. Vnde illud Pauli: *Quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imagines filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus*, &c. Conformes filio primogenito, fratres adoptiuos vult eſſe Pater, tum cruce, tum præmio & gloria. in hac vita cruce, iuxta illud: *Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis*, &c. Poſtquam è vita exceſſerint, æterna gloria, iuxta illud: *Reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ*, &c. Neque verò ſolùm corpus reformabit atque illuminabit, ſed præcipuè animam reformat, & gloriæ decore lumineque ſempiterno illuminat. Diuus Auguſtinus libro 22. de ciuitate Dei cap. 16. tam de reformatione & ſimilitudine corporis, quàm animi, Pauli illa verba intelligi poſſe ait; *Conformes fieri imaginis filij ſui.* Illud (inquit Auguſtinus) quod ait Apoſtolus prædeſtinatos fieri conformes imaginis filij Dei, poteſt & ſecundùm interiorem hominem intelligi, &c. Itaque ſecundùm hominem tam interiorem, quàm exteriorem, hoc eſt ſecundùm animam & corpus ſimiles Chriſto in cæleſti erimus regno. Animæ Chriſti virtutes & gloriam conſidera, corporis quoque. Anima noſtra illius animæ, corpus noſtrum illius erit corpori ſimile atque conforme. *Scimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus*, &c.

Chriſto ſimiles beati. *Rom. 8.* *Gal. 5.* *Phil. 3.* *Rom. 8. Auguſt.* *1. Ioan. 3.*

IPSVM *audite.* In terra dicitur nobis: *Ipſum audite.* In cælo dicetur: *Ipſum videte.* In terra enim fides eſt ex auditu, in cælo ſpecies eſt & pulchritudo Dei in conſpectu. *Per fidem* (inquit Paulus) *ambulamus, non per ſpeciem*, &c. Fides & auditus non ſatiant. ſpecies & pulchritudo Dei ſatiat. *ſatiabor*, ait Dauid, *cùm apparuerit gloria tua.* Diuus Auguſtinus ſerm. 16. de verbis Apoſt. Eſuriat, inquit, & ſitiat peregrinatio mea, vt ſatietur præſentia tua, &c. Item: Omnino me non ſatiaret Deus, niſi promitteret mihi ſe ipſum Deum, &c. Item, arrideat mundus multis rebus pulchris, fortibus, variis; pulchrior eſt ille qui fecit, fortior, clarior, ſuauior. *Satiabor cùm manifeſtabitur gloria tua*, &c. Interim verò Chriſtum audiamus, per fidem ambulemus, per fidem Deum intueamur, per fidem & caritatem illum eſuriamus. Beati enim, qui illum hîc eſurierint, quoniam in cæleſti regno ſatiabuntur.

In terra dicitur, Ipſum audite, in cælo, Ipſum videte. *2. Cor. 5.* *Pſalm. 16.*

NEMINEM *viderunt niſi ſolum Ieſum.* Non diu gloria in terris oſtẽſa permanet, gloria illa montis Thabor diſparuit. *Neminem viderunt* Apoſtoli, *niſi ſolum Ieſum* non ſplendidum atque coruſcantem, ſed vt ſoliti erant cernere, abſq; ſplendore & gloria. Non eſt huius vitæ gloria diuturna. Vt enim ait Iſaias: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius ſicut flos fœni*, &c. Si terra, in qua flos ortus eſt areſcit, areſcit quoque ipſe flos; eundem in modum, ſi caro, in qua humana gloria ſubſiſtit, perit; perit quoque ipſa gloria. Caro autem diu ſubſiſtere non poteſt; ea cadente cadit gloria. Diuus Gregorius lib. 17. Mor. cap. 5. Carnalis, inquit, gloria dum nitet, cadit. dum apud ſe extollitur, repentino intercepta fine terminatur, &c. Eodem loco cum fumo, & aquæ bullis gloriam hanc confert. Sic, inquit, ad nubila fumus attollitur; ſed repente in nihilum tumeſcẽdo diſſipatur. Sic aquarũ bullæ ab intimis certatim prodeunt, ſed eò celerius diſruptæ pereunt, quo inflatæ citius extenduntur, &c. *Eleuati ſunt ad modicum*, &c. Eleuantur humana gloria reges ceteriq; in terra mortales. Sed *ad modicum.* Vt enim eſt in Pſalmo, *Deieciſti eos, dum alleuarentur*, &c. Dum alleuarentur, à morte in ſepulchrum deiiciuntur. Breuis terrena gloria; at cæleſtis ſempiterna. Semper in cælo Chriſtus ſplendido, atque coruſcante videtur corpore, ſemper diuinæ eſſentiæ pulchritudo, maieſtas, atque opulentia cernitur. Nulla ibi nubes gloriam præſcindit; non diſparet Moſes, non Elias viſi in maieſtate. æterna eſt in omnibus beatis maieſtas, æternus honor, æternæ diuitiæ, æternũ gaudium, æterna voluptas, æterna & numquam deficiens pulchritudo. ibi amica Dei anima tota pulchra eſt, abſque macula vlla, iuxta illud: *Tota pulchra es amica mea, & macula nõ eſt in te.* Pulchra eſt hic amica Dei, & in cælo pulchra. Sed multò pulchrior in cælo, quã in terra. maculas hîc habet peccatorum venialiũ, ibi nullã. Bis pulchra dicitur eodẽ Cant. capite; *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es*, &c. Quoniã & in terris pulchra eſt, & in cælo; ſed cæleſtis pulchritudo terreſtrem longo ſuperat interuallo. D. Greg. lib. 9. Mor. cap. 6. Pulchram narrat ſpõſus, & pulchrã replicat: quia alia eſt pulchritudo morũ in qua nũc cernitur, atq; alia pulchritudo præmiorũ, in qua per conditoris ſui ſpeciem ſubleuabitur. Magna eſt gloria aperti operis; ſed lõgè incomparabilis occultæ remunerationis, &c. Quæ maior pulchritudo, quàm Dei pulchritudo? Sibi ſimiles cùm faciat beatos, erunt ſanè omnes pulcherrimi. *Similes ei erimus*, ait Ioan. *quoniam videbimus eum, ſicuti eſt*, &c. Similes Deo erimus pulchritudine, ſimiles ſanctitate, ſimiles nobilitate, ſimiles honore, ſimiles opulentia, ſimiles gloria. Ipſe ſibi eſt omnia; ipſe nobis omnia erit. Dic quæſo antequam mundũ conderet, quid præter Deum erat? Nihil ſanè. Tunc Deus ſibi omnia erat. Nũc etiam ſibi eſt omnia. Creaturæ enim Deo beatitudinis nihil conferunt. ſibi omnia eſt, nobis omnia erit. iuxta illud Pauli; *Vt ſit*, inquit, *Deus omnia in omnibus*, &c. Auguſt. ſerm. 16. de verbis Apoſtoli: Quid erit, ait, ſpecies? id eſt, viſio Dei. Audi quid erit, *Vt ſit Deus omnia in omnibus.* Quid eſt omnia? Quidquid hîc quærebas, quidquid hîc pro magno habebas, ipſe Deus tibi erit. Ipſe tibi erit cibus & potus, immortalitas, gloria, &c. D. Gregorius Nyſſenus in libro de anima & reſur. Beatitudo, inquit, nullius harum rerum egena eſt. Omnia autem nobis locoque omnium, erit diuina natura, ad omnem vſum, ac neceſſitatem illius vitæ ſeſe conuenienter & aptè

Matth. 17. *Iſaiæ 40. Gloria mũdi breuis.* *D. Greger.* *Iob 24.* *Pſalm. 72.* *1. Ioan. 3. Deus in cælo omnia in omnibus.* *Deus ſibi eſt omnia etiã nunc.* *1. Cor. 15.* *Greg. Nyſſ.*

aptè impartiens. At id planum eſt ex ſacris oraculis, quòd Deus locus exiſtit iis, qui digni ſunt, & domus, & indumentum, & cibus, & potus, & lumen, & diuitiæ, & regnum, ac quidquid, vel mente concipi, vel nominari poteſt, quod nobis conferat, & conducat ad bonam vitam. Sic Nyſſenus. Erit igitur Deus in omnibus beatis, *Omnia*, atque idcirco ſatiabuntur. Ille enim, cui deeſt aliquid, ſatiatus non eſt. Is verò, in quo omnia ſunt, ſaturatur. Nihil enim illi deeſt. Cùm ergo in beatis omnibus, Deus ſit *omnia*; omnes ſunt abundantiſſime diuina viſione ſatiati. Si ſatiari vis, Deum quære.

Si ſatiari vis, Deum quære.

Matth. 17. Reuelationes occultandæ. 2. Cor. 12.

NEMINI *dixeritis viſionem.* Viſiones & reuelationes ſilentio ſunt tegendæ, ſi quas Deus animæ impertierit, confeſſariis tantùm doctiſque viris, vt quales ſint agnoſcant & doceant; aperiendæ. *Raptus eſt Paulus vſque ad tertium cælum, & in paradiſum: audiuitque arcana verba, quæ non licet homini loqui:* A reuelationem hanc ſiluit, neque niſi neceſſitate compulſus Corinthiis patefecit, quaſi de alio loquens homine. *Scio*, inquit, *hominem ante annos quatuordecim, raptum eiuſmodi vſque ad tertium cælum*, &c. Poſt annos quatuordecim reuelationem aperit. Præterea quaſi de alio verba facit. Multas verò alias reuelationes habuiſſe Paulum ait Chryſoſtomus, & colligit ex illis verbis: *ne magnitudo reuelationum extollat me.* Non ſola (ait Chryſoſtomus) hæc reuelatio facta eſt, ſed etiam aliæ multæ. Paulus verò vnam ex multis ponit. Quod enim multæ fuerunt, audi quid dicat, *Ne magnitudo reuelationum extollat me.* Hæc ille. Multas habuit Paulus reuelationes, ſed ex omnibus vnam tantùm (quòd ſciamus) magna adactus neceſſitate aperuit, poſt multos annos. Occultandæ enim ſunt, non patefaciendæ temerè, niſi magna vtilitas, vel neceſſitas poſtulet.

2. Cor. 12.

Ibid.

CAPVT XXX.

De Elia & Ioanne Baptiſta.

MATTHÆVS CAP. XVII.

ET interrogauerunt eum diſcipuli, dicentes: Quid ergo Scribæ dicunt, quod Eliam oporteat primùm venire? At ille reſpondens, ait eis: Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia. Dico autem vobis, quia Elias iam venit, & non cognouerunt eum, ſed fecerunt in eo, quæcumque voluerunt. Sic & filius hominis paſſurus eſt ab eis. Tunc intellexerunt diſcipuli, quia de Ioanne Baptiſta dixiſſet eis.

MARCVS CAP. IX.

ET interrogabant eum, dicentes: Quid ergo dicunt Phariſæi & Scribæ, quia Eliam oportet venire primùm? Qui reſpondens, ait illis: Elias cùm venerit primò, reſtituet omnia: & quomodo ſcriptum eſt in filium hominis, vt multa patiatur & contemnatur. Sed dico vobis, quia & Elias venit (& fecerunt illi quæcumque voluerunt) ſicut ſcriptum eſt de eo.

Matth. 17. QVID *ergo Scribæ dicunt?* Poſt transfigurationem, cùm ex monte reuerterentur, rogarũt diſcipuli magiſtrum, Quid ergo dicunt Scribæ, id eſt, legis periti, quod Eliam oporteat primùm, id eſt, ante Meſſiam venire? Quæ fuerit interrogationis huius cauſa, latet. D. Hieronymus exiſtimat, diſcipulos putaſſe, transfigurationẽ illam aduentum eſſe Chriſti in gloria, ante quem Elias eſſet venturus. ideoque cùm vidiſſent diſceſſiſſe Eliam, ſic rogaſſe. Æſtimant (ait Hieronymus) diſcipuli transformationem gloriæ hanc eſſe, quam in monte viderant. & dicunt: Si iam veniſti in gloria, quomodo præcurſor tuus (id eſt, Elias) non apparet? maximè, quia Eliam viderant receſſiſſe, &c. Euthymius verò: De diuinitate, ait, Chriſti, & à Petri confeſsione & transfiguratione, & à voce cæleſti edocti diſcipuli, interrogant: Cùm tu ſis Chriſtus, id eſt, Meſsias, quare Scribæ dicunt, quòd Eliam oporteat venire, ante Chriſtum? quomodo non venit hic ante te? &c. Crediderim viſionem Eliæ in mõte, huius interrogationis fuiſſe cauſam. Cùm enim diſcipuli Eliam vidiſſent in monte Thabor, meminerunt doctrinæ, quam ab Scribis audierant, videlicet, Eliam ante Meſſiam venturum, ideo in- B terrogant; Domine Elias non venit ante te, ſed tecum in gloria apparuit, & mox receſſit. Quomodo ergo dicunt legis periti, quòd oporteat Eliam Meſſiam antecedere?

Cur diſcipuli de Elia aduentu Chriſtum rogarint.

Hieron.

Euthymius.

ELIAS *quidem venturus eſt, & reſtituet omnia.* Græcè, ἐρχεται, in præſenti, *Venit*, pro futuro, *venturus eſt*. Sic & Samaritana; *Scio*, inquit, *quia Meſsias venit*; ἐρχεται, id eſt, venturus eſt, ſic & Marci 9. *Elias*, ἀποκαθιςᾶ, id eſt, *reſtituit*, pro *reſtituet*. Reſpondet Chriſtus diſcipulis, Eliam quidem venturum ante ſecundum aduentum, non ante primum. Veniet, inquit, Elias in fine mundi, & tunc reſtituet omnia. Docet C venturum, & quorſum ſit venturus, Græcè ἀποκαθιςάνει, hoc eſt, veniet, & Iudæos conuertet. Ita exponit Chryſoſtomus. Reſtituet omnia (ait Chryſoſtomus) id eſt, incredulitatem Iudæorum, qui tunc erunt reſidui, ad fidem conuertet, &c. Similiter Theophylactus; Reſtituet ad fidem omnes Hebræos, quos perſuaſibiles inueniet, &c. Euthymius Marci 9. Reſtituet omnia Elias, id eſt, conuertet omnem Iudæum ad Chriſtum. in eandem ſententiam exponunt Theodoretus ad Rom. 11. D. Hilarius, D. Anſelmus, D. Thomas, Gloſſ. Ordin. & alij. Auguſtinus libro 1. quæſtionum Euangelicarum cap. 21. Quod, inquit, dixit Dominus, *Elias reſtituet omnia;*

Matth. 17.

Ioan. 4. Marci 9.

Elias quomodo reſtituet omnia.

omnia; id eſt, vel eos quos perſecutio Antichriſti conturbauerit, vel vt ipſe reſtituat moriendo, quæ debet. hæc ille. Senſus verò quem addit: *Elias reſtituet omnia*; id eſt, reſtituet mortis debitum, non eſt ſequendus. Reſtituere enim omnia, plus ſignificat, quam reſtituere mortis debitum. Reſtituere omnia, eſt id quod dixit Malachias: *Conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum*, &c. Probatur ex verſione ſeptuaginta Interp. ſic enim habent, ἀποκαταστήσῃ καρδίαν πατρὸς πρὸς υἱὸν, &c. id eſt, *conuertet, vel reſtituet cor patris ad filium*, &c. De aduentu Eliæ diximus tom. 1. lib. 2. cap. 19. quo loco Malachiam explicauimus.

Reſtituere omnia non eſt mortis debitum ſoluere.

Malach. 4.

Matth. 17. DICO *autem vobis, quia Elias iam venit.* Ioannes Baptiſta Elias fuit, non perſona, ſed ſpiritu. Vt enim Angelus ait, Chriſtum *præceſſit in ſpiritu & virtute*, Græce; δυνάμει, id eſt, potentia & fortitudine *Eliæ*. De hoc Elia nunc loquitur Dominus: Elias, ait, perſona, nondum venit, veniet ante ſecundum meum aduentum, Elias verò ſpiritu, id eſt Ioannes Baptiſta, iam venit. Secundum aduentum præcedet Elias perſona; primum aduentum iam præceſſit Elias ſpiritu. *Et non cognouerunt eum*; id eſt Baptiſtam, Iudæi non intellexerunt Meſsiæ fuiſſe præcurſorem. *Sed fecerunt in eo, quæcumque voluerunt*, id eſt, pro voluntate ſua illum occiderunt: occiderunt, inquam, Herodes & Herodias. D. Hieronymus ſcribit Matthæi 17. Phariſæos etiam in Ioannis nece conſenſiſſe. Concludit Dominus: *Sic Filius hominis paſſurus eſt ab eis*; id eſt, quemadmodum Ioannes, ita ego à Iudæis occidar, quamuis alio mortis genere. De alia perſona vaticinatus eſt Malachias cap. 4. vt diximus; de Elia ſpiritu, id eſt, de Ioanne Baptiſta, vaticinatus quoque eſt capite 3.

Luc. 1.

Ioannes Baptiſta Elias non perſona ſed ſpiritu.

Matth. 17.

Ibid.

Ibid.

Malach. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam*, &c.

Eliam autem ante iudicium venturum teſtatur apertè Malachias cap. 4. vt ſuprà tomo 1. expoſuimus. Teſtatur etiam Dominus hoc loco. Neque enim hæc verba; *Elias reſtituet omnia*, & *reſtituet omnia*: de Ioanne Baptiſta intelligi poſſunt, quicquid nonnulli velint. Teſtantur Patres, Hieronymus, Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, Beda, qui hæc verba de Elia interpretantur, Tertullianus lib. de anima cap. 50. D. Gregorius homil. 12. in Ezechiel. & aliis locis. Damaſcenus lib. 4. fidei cap. 27. D. Hilarius canone 20. D. Anſelmus & Aretas Apocal. 11. Richardus, & Haymo, D. Auguſtinus libro 20. de Ciuitate capite 29. & tract. 4. in Ioannem, & 83. Theodoretus ad Rom. 11. & alij. Diuus Auguſtinus hoc loco citato: Per Eliam, inquit, vltimo tempore ante iudicium expoſita ſibi lege, Iudæos in Chriſtum eſſe credituros, celeberrimum eſt in ſermonibus cordibuſque fidelium, &c. De conuerſione Iudæorum ad finem mundi diximus tom. 1. lib. 2. cap. 10.

Elias ſecundum aduentum Chriſti præcedet.

Apocal. 11. duo teſtes ante iudicium dicuntur venturi, alterum ex his teſtibus eſſe Ieremiam ſcribit D. Victorinus in Apocalyp. affirmatque hanc fuiſſe veterum ſententiam: Omnes, inquit, veteres noſtri tradiderunt illum eſſe Ieremiam, &c. Probatur, quia dicitur, *Prophetam in gentibus dedi te*. At Ieremias nondum in gentibus prophetauit; ergo veniet ante iudicium cum Elia, vt id præſtet. Reſpondetur, probationem non eſſe magni ponderis. Nam Ieremias gentibus dum viueret prophetauit. Sunt in Ieremia multa aduerſus gentes vaticinia, prophetaſſe ergo dicitur in gentibus, quia aduerſus gentes Prophetias ſcripſit. Sic Hieronymus exponit. Diuus Hilarius canone 20. duos teſtes ait fore Eliam & Moſem, qui tranſfigurationi interfuerunt. Diuus Victorinus: Multi (inquit) putant eum eſſe Eliam, aut Eliſæum, aut Moſem, &c.

An Ieremias ſit venturus ante iudiciũ & Moſes? Ierem. 1.

Communis opinio eſt, ante iudicium Eliam venturum & Enoch. ita opinatur D. Iſidorus in vita Eliæ, D. Anſelmus Apoc. 21. Gloſſ. Ord. Rich. Victorinus, Haymo, Card. Hugo, Carthuſianus, & alij. Tertullianus lib. de anima, cap. 50. Tranſlatus, inquit, eſt Enoch & Elias, nec mors eorum reperta eſt, dilata ſcilicet. Ceterum morituri reſeruantur, vt Antichriſtum ſanguine ſuo extinguãt, &c. Aretas Epiſcopus Cæſareæ Cappadociæ: Fertur, inquit, ex traditione præconum Chriſti, quòd inuariabiliter in Eccleſia recipitur, Enoch venturum cum Elia. hæc ille. Probatur ex lib. Eccleſiaſtici: *Enoch placuit Deo, & tranſlatus eſt in paradiſum, vt det gentibus pœnitentiam*, &c. Colligitur ex his verbis Enoch venturum, vt gentes ad pœnitẽtiam vocet, in fine mundi, veniet autem cum Elia.

Ante iudicium venturi ſunt Elias & Enoch.

Eccli. 44.

D. Hippolytus martyr in oratione de conſummatione mundi, addit comitem Ioannem Euangeliſtam. Prior, inquit, Chriſti aduentus præcurſorem habuit Ioannem Baptiſtam; poſterior autem Enoch, Eliam, & Ioannem Theologum exhibebit, &c. idem exiſtimaſſe multos ſcribit Aretas Apocap. 11. Opinantur, ait, multi, Ioannem vſque ad ſæculi conſummationem viuere, ac venturum eſſe circa tempora Antichriſti cum Enoch & Elia, &c. Sed Ioannem mortuum eſſe probabimus Deo volente ſuo loco, & in cælo agere, nec venturum cum Elia. De iis ſatis.

Ioan. Euangeliſta non erit comes Eliæ.

Marci 9. ET *quomodo ſcriptum eſt in filium hominis.* D. Marcus ſic ſcribit: *Elias cùm venerit primò, reſtituet omnia, & quomodo ſcriptum eſt in Filium hominis, vt multa patiatur & contemnatur*, &c. hæc verba difficilia ſunt intellectu. Euthymius cum interrogatione legit, & exponit in hanc ſententiam; Elias cùm primùm venerit, reſtituet omnia, id eſt, omnes Iudæos conuertet ad Chriſtum. Et quomodo traditum eſt de Chriſto in Scripturis, vt multa patiatur? hoc eſt, Si Elias omnes Iudæos cõuertet, & venturus eſt ante Meſſiam, Iudæi omnes ante aduẽtum Meſſiæ, conuertentur ad Meſsiam; non igitur Iudæi Meſsiam occident. ſi enim ad Meſsiam conuertendi ſunt ab Elia, quomodo ab ipſis multa patietur & cõtemnetur? Atqui Scriptura tradit Meſsiam à Iudæis occidendum, ergo Elias non veniet ante primũ Meſſiæ aduentum. Similem in modum interpretatur Theophylactus & cum interrogatione etiam legit. Non placet interpretatio. Caietanus videtur exponere in hanc ſententiam; Elias cùm primò venerit, reſtituet omnia; & quomodo ſcriptũ eſt de me, quòd multa patiar & contemnar, id eſt, Hoc verò tam verum eſt, quàm verũ eſt, me multa paſſurum. Vel, Eo modo ſcriptum eſt de Elia, quòd ſit venturus, & omnia inſtauraturus, quomodo ſcriptum eſt de me, quòd multa ſim paſſurus. Fidei, ait Caietanus, de aduentu Eliæ, interſerit fidem paſſionis ſuæ. Vt ſic ex conſortio ſimilis credibilis, diſcipuli incipiant credere futuram paſſionem. Simplicior & verior ſenſus videtur gloſſ. interl. & Ordin. & Bedæ Marci 9. Elias cũ venerit reſtituet omnia; & quomodo ſcriptũ eſt de Chriſto, vt multa patiatur & cõtemnatur, ſubaudiendũ; ſic Elias ab Antichriſto patietur & cõtemnetur. eſt enim reticẽtia.

Marci 9. *Ibid.*

Forſitan hæc verba non cum antecedentibus, ſed cum ſequentibus coniungenda ſunt. Nam Matthæus ſic ſcribit, *Elias iam venit*, id eſt, Baptiſta Ioannes, *& non cognouerunt eum, ſed fecerunt in eo, quæcumque voluerunt. Sic & filius hominis paſſurus eſt ab eis*; videlicet, ſicut Ioannes. idem poſſunt ſignificare verba Marci: *Et quomodo ſcriptum eſt de filio hominis, vt multa patiatur. Sed dico vobis, quia & Elias*, ſpiritu, id

Matth. 17.

Marci 9.

eſt,

eſt, Ioannes, iam *venit, & fecerunt illi quæcumque voluerunt*, id eſt, occiderunt illum, & paſſus eſt, quemadmodum patietur filius hominis. Poteſt illud πῶς græcum, &, *quomodo*, latinum, veluti admiratiuè accipi. *Et quomodo ſcriptum eſt in filium hominis, vt multa patiatur & contemnatur*! prius de ſua, deinde de Ioannis loquitur paſſione.

Marci 9. ET *fecerunt illi quæcumque voluerunt, ſicut ſcriptum eſt de eo.* Nullibi ſcriptum ſcitur, Ioannem Baptiſtam fuiſſe ab Herode occidendum, vt videntur hæc verba indicare. Ideoque in bibliis etiam correctis, illa verba (*& fecerunt illi quæcumque voluerunt*) parentheſi clauduntur, vt ſit ſenſus. Elias ſpiritu, id eſt, Ioannes, *iam venit, ſicut ſcriptum eſt de eo. Ecce ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* Et, *Vox clamantis in deſerto*, &c. reliqua verba parentheſis ſeparat. Malach. 3. Iſaiæ 40.

CAPVT XXXI.

De Lunatico ſiue Dæmoniaco ſanitati reſtituto.

MATTHÆVS CAPITE XVII.

ET cùm veniſſet ad turbam, acceſſit ad eum homo genibus prouolutus ante eum, dicens: Domine miſerere filio meo, quia lunaticus eſt, & malè patitur: nam ſæpe cadit in ignem, & crebrò in aquam: & obtuli eum diſcipulis tuis, & non potuerunt curare eum. Reſpondens autē Ieſus, ait: O generatio incredula & peruerſa, quouſque ero vobiſcum? vſque quo patiar vos? Afferte huc illum ad me. & increpauit illum Ieſus, & exiit ab eo dæmonium, & curatus eſt puer ex illa hora. Tunc acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum ſecretò, & dixerunt: Quare nos non potuimus eiicere illum? Dixit illis Ieſus: Propter incredulitatem veſtram. Amen quippe dico vobis, ſi habueritis fidem, ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, tranſi hinc illuc, & tranſibit, & nihil impoſſibile erit vobis. Hoc autem genus non eiicitur niſi per orationem & ieiunium.

MARCVS CAPITE IX.

ET veniens ad diſcipulos ſuos, vidit turbam magnam circa eos, & Scribas conquirentes cum illis. Et confeſtim omnis populus videns Ieſum, ſtupefactus eſt, & expectauerunt, & accurrentes ſalutabant eum. Et interrogauit eos. Quid inter vos conquiritis? Et reſpondens vnus de turba, dixit: Magiſter, attuli filium meum ad te habentem ſpiritum mutum: qui vbicumque eum apprehenderit, allidit illum, & ſpumat, & ſtridet dentibus, & areſcit: & dixi diſcipulis tuis, vt eiicerent illum, & non potuerunt. Qui reſpondens eis, dixit: O generatio incredula quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar? afferte illum ad me. Et attulerunt eum. Et cùm vidiſſet eum, ſtatim ſpiritus conturbauit illum: & eliſus in terram, volutabatur ſpumans. Et interrogauit patrem eius: Quantum temporis eſt, ex quo ei hoc accidit? At ille ait: Ab infantia: & frequenter eum in ignem & in aquas miſit, vt eum perderet. ſed ſi quid potes, adiuua nos, miſertus noſtri. Ieſus autem ait illi: Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti. Et continuò exclamans pater pueri, cum lacrymis aiebat: Credo, Domine; adiuua incredulitatem meam. Et cùm videret Ieſus concurrentem turbam comminatus eſt ſpiritui immundo, dicens illi: Surde & mute ſpiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo: & amplius ne introeas in eum. Et exclamans, & multum diſcerpens eum, exiit ab eo, & factus eſt ſicut mortuus, ita vt multi dicerent: Quia mortuus eſt. Ieſus autem tenens manum eius, eleuauit eum, & ſurrexit. Et cùm introiſſet in domum, diſcipuli eius ſecretò interrogabant eum: Quare nos non potuimus eiicere eum? Et dixit illis: Hoc genus in nullo poteſt exire, niſi in oratione & in ieiunio.

LVCAS CAPITE IX.

FACTVM est autem in sequenti die, descendentibus illis de monte, occurrit illis turba multa. Et ecce vir de turba exclamauit, dicens: Magister, obsecro te, respice in filium meum, quia vnicus est mihi: & ecce spiritus apprehendit eum, & subitò clamat, & elidit, & dissipat eum cum spuma, & vix discedit dilanians eum: & rogaui discipulos tuos, vt eiicerent illum, & non potuerunt. Respondens autem IESVS, dixit: O generatio infidelis, & peruersa, vsque quo ero apud vos, & patiar vos? Adduc huc filium tuum. Et cùm accederet, elisit illum dæmonium, & dissipauit. Et increpauit IESVS spiritum immundum, & sanauit puerum, & reddidit illum patri eius.

Luca 9. FACTVM *est autem in sequenti die.* ait Lucas Christũ cum discipulis ex monte Thabor sequenti die descendisse, vnde constat nocturno tempore in monte cum discipulis permansisse. Reliquerat discipulos, ad radices, *Marci 9.* vt videtur, montis; nunc ad eos rediit. *Et vidit* (ait Marcus) *turbam magnam circa eos, & Scribas conquirentes cum illis.* Sciebant Christum esse in monte; illum expectabunt. Scribæ verò, γραμματεῖς, id est, literati, legis periti, cum discipulis conquirebant, & disputabant; qua de re disputarent non constat. fortè vt ex sequentibus colligitur; & Beda existimat, conquirebant, cur discipuli dæmonem eiicere non valerent. Cùm nouem discipulos solos inuenissent Scribæ (ait Euthym.) circumueniebant eos interrogationibus, futurum sperantes, vt illos compedirent, seu fallerent, &c.

Marci 9. OMNIS *populus videns* IESVM *stupefactus est.* Cur nunc stupefactus fuerit populus viso Domino, & expauerit, atque ad salutandum accurrerit. dubium est; erat enim res hæc insolita. Non legitur alio loco, ex intuitu Christi, vel aduentu, populum stupefactum esse, & expauisse, & salutasse. *Ex transfiguratione in vultu Christi gratia quadam & pulchritudo relicta fuit.* Existimarim Christum ex transfiguratione gratiam quandam insolitam in vultu retinuisse, & pulchritudinem, ac maiestatem, quam fuerit populus vehementer admiratus: sic Mosis è monte descendentis facies fulgens apparuit. Euthymius Mar. 9. Obstupuit, ait, populus, aut propter accessus opportunitatem; quasi præcognouerit Scribarum inuasionem; ideoque ad discipulorum auxilium aduenerit, vel propter splendorem aspectus eius. *Cur populus viso Christo stupefactus est.* etenim verisimile est à transfiguratione gratiam quamdam contractam esse, &c. Theophylactus: Quidam (inquit) dicunt, quòd facies eius facta à luce transfigurationis formosior, ad salutationem populum inuitarit, &c.

Matth. 17. MISERERE *filio meo, quia lunaticus est.* Erat in turba homo cum filio (quem vnicum habebat, vt est apud Lucam) à dæmone correpto. Is ad Christum accessit salutemque petiit, quam discipuli afferre nequiuerant. Marci 9. dicitur habere spiritum mutum; surdum quoque fuisse indicant illa Domini verba eodem capite; *surde, & mute spiritus exi ab eo*, &c. *Marc. 9. Cur dicatur lunaticus puer.* Lunaticũ vocat pater, apud Matth. Dicitur autẽ lunaticus, qui furore nõ perpetuo, sed per interualla arripitur. Quia igitur hic adolescẽs per interualla à dæmone arripiebatur, idcirco lunaticus à patre appellatur. Vel quòd secundùm lunæ cursum, à dæmone vexaretur. Caietanus putat habuisse dæmonium mutum, ac surdum; præterea fuisse lunaticum, non à dæmone; sed naturali ægritudine. D. Hieronymus Matth. 17. lunaticum dici arbitratur, quòd à dæmone obseruato lunæ cursu vexaretur. & Matthęi 4. Lunaticos qui ad A Christum afferabantur, non verè lunaticos fuisse ait, sed qui putabantur lunatici, obseruantes luna- *Dæmonum calliditas obseruantiã lunæ tempora.* ria tempora, creaturam, id est, lunam, infamare cupiebant, vt in creatorem blasphemiæ redundarent. Similiter Theophylactus Matthæi 17. Non erat, inquit, luna causa morbi, sed diabolus obseruabat plenilunium, & tunc insidiabatur, vt arguerentur opera Dei (id est) luna, tanquam nobis malum inferentia. idem aiunt Chrysostomus, Origenes, & Euthymius. Græcè legitur, σεληνιάζεται, id *Marc. 9.* est, à luna malè afficitur. *Vbicumque eum apprehenderit* (ait Marcus) *allidit illum, & spumat & stridet dentibus, & arescit*, id est, fit aridus, & macilentus. Vt ait Matth. sæpe in ignem, sæpe etiam in aquam deiiciebatur.

OGENERATIO *incredula, & peruersa.* Putauit *Matth. 17.* Origenes tractat. 4. in Matthæum hæc verba dicta esse discipulis: sed Iudæis reliquis, patriqúe adolescentis dicta, rectius sentiunt Hilarius, Chry- B sostomus, & Diuus Hieronymus. Reprehendit Iudæorum incredulitatem, generationem, siue nationem incredulam appellat, & peruersam, Græcè, διεστραμμένην, id est, *distortam, non rectam.* Ostendit *Propter incredulitatẽ patris non est sanatus puer ab Apostoli.* cur discipuli non potuerint eiicere dæmonem, nimirum, propter incredulitatem patris. Dixerat illé; *Obtuli eum discipulis tuis, & non potuerunt curare eum.* Respondit Dominus; *ô generatio incredula*, &c. quasi diceret; Tua incredulitas causa fuit, cur discipuli *Matth. 17.* mei curare non potuerint filium tuum. estis enim Iudæi increduli, & peruersi. Theophylactus: Christus, ait, in patrem ipsum crimen regerit, quasi ita dicẽs: Tu quia incredulus, in causa fuisti, quòd non sanatus sit filius tuus. Verùm hoc non soli illi dicit, sed generalẽ ad omnes sermonem vertit, &c.

QVOVSQVE *ero vobiscum?* Ostendit his verbis *Matth. 17.* (ait Theophylactus) quòd desideret in cruce pati, & ab ipsis secedere, &c. & Chrysostomus Matth. 17. Cùm dicit Christus; *quousque ero vobiscum*, quàm mori sitiat, quantumque ad Patrem redire C desideret; & quia non sit sibi molesta passio, sed cum huiusce modi hominibus conuersatio, ostendit. hæc ille. Verba potius sunt increpantis incredulitatem. Non quòd tædio superatus sit (ait *Hieron.* Hieronymus Matth. 17.) mansuetus, ac mitis; sed quòd in similitudinem medici, si ægrotum videat contra sua præcepta se gerere, dicat Vsque quo accedam ad domum istam? quousque artis perdam industriam? me aliud iubente, & te aliud perpetrante, &c.

AFFERTE *huc illum. Dum iratus fueris, misericor-* *Matth. 17.* *diæ recordaberis*, ait Abacuc, iratscitur Dominus *Abac. 1.* incredulitati, miseretur adolescẽtis. Post increpationem afferri illum iubet, & quod discipuli facere non valuerũt, facillimè facit, pellitq; dæmonem.

PROPTER *incredulitatem vestram.* Non potuerũt *Matth. 17.* discipuli à dæmone adolescẽtem liberare: cur non potuerint rogarunt magistrum, non palàm

Incredulitas patris & discipulorum non magna fides causa fuit, cur dæmon à puero non discesserit. Matth. 17.

coram turba, sed secretò. Respondet, incredulitatem fuisse causam. *Propter incredulitatem* (inquit) *vestram*, pellere dæmonem non valuistis. Duplex igitur fuit causa, videlicet, incredulitas, tum patris, tum discipulorum: patris incredulitatem coram multis reprehendit Dominus, nec verò apertè, sed generali quodam sermone vtens: *O generatio incredula, & peruersa*, &c. discipulos interrogantes, similiter incredulitatis arguit, sed absque arbitris. Coram multis (ait Euthymius) Christus multorũ incredulitatem reprehendit; semotis autem arbitris suorum diffidẽtiam. Neque enim æquum erat, vt coram multis confunderet cõmunes orbis præceptores, &c. Incredulitas autem hæc discipulorum, fidei fuit imperfectio atq; fiduciæ ad patrandum miraculum. Fidem enim discipuli habebant, sed non tantam, quantam miraculum postulabat. D. Hilarius canone 71. Crediderunt (inquit) Apostoli; sed nondũ erãt perfectę fidei, &c. Et D. Chrysostomus: Ex imperfectione Apostolorum accidit, vt maiore infirmitate languerent, &c.

Matth. 17. Qua fides appelletur fides sicut granum sinapis.

SI *habueritis fidem, sicut granum sinapis*. His verbis non leuis inest difficultas. Si enim sufficit fides, vt granum sinapis, id est, exigua, ad efficienda miracula, sequitur eos omnes, qui fidem habent sinapis grano similem, id est, perexiguam, miracula posse edere: sequitur præterea Apostol. ne exiguã quidem fidem habuisse. Nam Christus, ait: *Si habueritis fidem, sicut granum sinapis*: quasi non haberẽt. Præterea Paulus, ad transferendos montes omnem, id est, maximam fidem exigit. *Si* (inquit) *habuero omnem fidem*, id est, perfectissimam, & maximam, *ita vt mõtes transferam*, &c. Quonã igitur modo Christus, fidem sicut granum sinapis, id est exiguam, ad transferendos montes satis esse ait? Respondetur: fidem sicut granũ sinapis, non appellari fidem exiguam, sed potiùs fidem maximã, feruẽtem, atque acrem, instar sinapis, in arborem magnam excrescẽtem. Sic Chrysostomus interpretatur hom. 86. in Matt. Sinapis (inquit) meminit Christus, cuius maxima est virtus. Nam cùm minima sit; magnitudine virtutis vehemẽtior est cæteris omnibus, &c. Euthy. quoque ita exponit: Si habueritis fidẽ adeò acrẽ, & vehementẽ, ac feruẽtem, sicut granũ sinapis, &c. D. Hier. Magna, inquit, est fides, quę grano sinapis comparatur, &c. idem sentit Theoph. D. Thomas, Origenes, & alij. Aliter: Si habueritis fidem illam, quam ego cum grano sinapis comparaui, dicetis monti huic, &c. Comparauit autem Dominus, fidem siue euãgelium, vel Ecclesiam, grano sinapis, Mat. 13. Ea enim minima fuit initio, id est, in paucis fuit hominibus, postea in arborẽ creuit maximam, per orbem totũ propagata. Præterea ea minima est, quia articulis continetur paucis, & breui symbolo, sed in arborẽ magnam operũ excrescit. Si habueritis, inquit, hãc fidem ardẽtem, & acrem, dicetis mõti, &c. Ex his fit satis propositis dubiis.

1. Cor. 1.

Fides quæ grano sinapis similis dicitur qualis sit.

Abulensis Matthæi 17. quæst. 165. Iansenius, & P. Salmeron de fide miraculorum hic agi putant, quæ donum est gratis datum, ad facienda miracula, iuxta illud Pauli, *Alij datur fides in eodem spiritu*. Præterea D. Chrysostomus Matth. 17. Fidem, inquit, Christus miraculorũ dicit, &c. & 1. Cor. 12. Fidem, ait, non eam dico, quæ dogmatũ est, sed signorum, de qua Christus: *Si habueritis fidem*, inquit, *sicut granum sinapis, dicetis monti huic*, &c. Eundem in modũ loquitur Euthymius. Hanc miraculorum fidem videtur Dominus explicare cùm ait: *Quicumque dixerit huic monti, tollere, & mittere in mare, & non hæsitauerit in corde suo, sed obedierit, quia quodcumque dixerit fiat, fiet ei*, &c. Per hanc enim fidem creditur absque hæsitatione, quod Deus miraculum faciet. Iuxta hanc sententiam sensus erit: Si habueritis fidem, non hæsitantem circa miraculorum perpetrationem, quamuis illa sit exigua, sicut granum sinapis, tamẽ quælibet miracula perpetrabitis. Crediderim potius Christum de fide loqui virtute Theologica, feruente, & confidente, vt suprà dictum est. Etenim reprehendit incredulitatem discipulorum, id est fidei imperfectionem, non autem illos reprehendit, quòd fidem miraculorum, quę donum est gratis datum, non haberent. Præterea illos ad fidei perfectionem exhortatur, cùm ait: *Si habueritis fidem, sicut granum sinapis*: ad fidem autem miraculorum, quæ est donum gratis datum, quorsum exhortatur? similis locus est Lucæ 17. Dixerunt Apostoli Domino: *Adauge mihi fidem*. Dixit autem Dominus: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro, eradicare, & trãsplantare in mare; & obediet vobis*, &c. Petierunt Apostoli à Domino: Adauge nobis, vel in nobis fidem, de fide loquuntur virtute Theologica, eam sibi augeri postulabant. de eadem respondet Dominus: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis*, id est, feruentem, acrem, confidentem, &c. similiter hoc in loco. De fide miraculorum alio loco dicemus.

Agitur de fide Catholica.

Luca 17.

Matth. 17.

Alia huius loci interpretatio.

Est huius loci alia interpretatio, cuius auctor fidem sicut granum sinapis, minimam fidem dici arbitratur, si cum ea conferatur, quam discipulos habere par erat, tamdiu cum Christo versatos, cùm tamen ea magna esset. Putat autem Christum hyperbole, & exaggeratione fuisse vsum, reprehendẽtis more, quasi dicat: Si minimam fidem haberetis, id est, tantam quantam vos iam habere par erat, mecum tamdiu versatos, diceretis monti huic Transi hinc, & transiret. hunc in modum homini alioqui ingenioso, minus tamẽ quod dicimus intelligenti, obiurgantes dicere solemus: Si vel minimũ haberes ingenium, hoc intelligeres. Non placet interpretatio etsi acuta, & ingeniosa. Non enim ait Dominus; *Si habueritis fidẽ minimam, diceretis*, sed, *si habueritis*. Præterea hîc sensus nõ congruit his verbis Lucæ 17. ergo neque iisdem conuenit Matth. 17. Vt enim constat ex Luca, fides sicut granum sinapis, non nimiam, sed ardentem fidem indicat, vt ostendimus. Adde Christum dicere: *Amen dico vobis, si habueritis*, &c. quod non est exaggerãtis, sed documentũ tradẽtis asseuerãter.

DICETIS *monti huic*. D. Hieronymus montis nomine dæmonẽ intelligit hoc sensu: Dicetis monti huic, id est, dæmoni, instar montis superbo, Transi hinc, id est, abi ex hoc homine; & discedet, sed mysticũ hoc sit. Literalis sensus est, montes transferetis ex vno in alium locum. quod forsitan fecerunt aliquando Apostoli, quamuis memoriæ non sit proditum. si non fecerunt, certè facere potuerunt, propter donum miraculorum. Vnde Euthymius: Si palam, inquit, non fecerunt Apostoli transmigrare montes, ne mireris: non enim hoc ideò fuit, quòd non possent; sed quia noluerunt, vtpote huiusmodi necessitate, aut vtilitate sese illis non offerente. Post hos namque Sancti alij Apostolis longè inferiores, vrgente necessitate, montes demigrare fecerunt, &c. Est autem hoc loco antithesis inter montem maximum, & granum sinapis minimum, cum dicitur: Fides instar grani sinapis, montem transferet.

Matth. 17. Hieron.

Euthym.

Matth. 17. An agat Dominus de fide miraculorum. Marc. 11.

HOC *autem genus non eiicitur, nisi in oratione, & ieiunio*. Fuit incredulitas discipulorum causa, cur dæmonem non potuerint expellere. Addit Dominus aliã causam. *Hoc* (inquit) *genus non eiicitur, nisi oratione, & ieiunio*. Discipuli autem non ieiunauerant, & forsitan neque ad faciendum miraculum orauerant. Dubium est, Quodnam sit hoc dæmonum genus, quod sine ieiunio, & oratione pelli nequit? D. Chrysostomus, omne dæmonum genus esse ait.

Marci 9.

Quodnam sit genus dæmonum, quod sine ieiunio, & oratione eiici nequit.

Idem

Idem sentit Euthymius, & D. Thomas. Abulensis Lunaticorum dæmonum genus esse putat, Caietanus eorum, qui reddunt homines surdos, ac mutos, quique illos præcipitant ab infantia, modo in ignem, modo in aquam, qualis hic erat. Stapletonus in Antidotis aduersus hæreticos, eorum qui diu quempiam possederunt. Lyranus eorum, qui ad libidinem prouocant. Chrysostomi opinio non caret probabilitate, scilicet, ad pellendos quoscũque dæmones necessarium esse ieiunium, & orationem. Quòd si obiicias, discipulos multos expulisse, absque ieiunio, & oratione. Respondendum est, Christum loqui de ordinario pellendi dæmones modo, potuisseque Apostolos aliter pellere. Iuxta hanc sententiam, verba hunc habent sensum. hoc genus rei (scilicet dæmones) non eiicitur, nisi in ieiunio, & oratione. Attamen existimo Christum de peculiari aliquo dæmonum genere loqui, potentiore, cæterisque nocentiore, quod ieiunio, & oratione superatur, vt sentit D. Leo ser. 2. de ieiunio septimi mensis. Esse autem diuersa dæmonum genera, siue species, nemo est, qui nesciat.

Morale de homine lunatico.

Ex dictis collige esse quosdam homines lunaticos, huic lunatico similes, qui à dæmone iuxta lunæ, id est, mundi cursum, agitantur, modoque in ignem auaritiæ, turpis amoris, & iracundiæ; modò in aquam libidinis, cæteraque huiusmodi vitia præcipitantur. Si sanari volunt, orationem adhibeant, rerumque cælestium meditationem, & ieiunium, ac pœnitẽtiam veram. Ieiunium atque oratio aduersus dæmones, & vitia omnia egregium sunt remedium. Militibus qui aduersos corporeos hostes dimicant, robur affert cibus; eos verò qui aduersus hostes spiritales certant, fortes reddit, ac strenuos, cibi abstinentia. Armantur milites ferro, at spiritales milites armantur ieiunio. D. Basilius homilia prima, de laudibus ieiunij. Ieiunium, inquit, armatura est ad confligendum cum impiis spiritibus. Nam hoc genus non eiicitur, nisi per precationem, & ieiunium, &c. Homines Angelos facit ieiunium, vt cum spiritibus & Angelis pugnent. Ieiunium (ait Chrysostomus homil. 58. in Matthæum) Angelum ex homine facilè reddit, & virtutibus incorporeis mirum in modum reluctatur. Quamuis non ieiunio solùm, sed oratione quoque, ac multò magis oratione opus sit. sic ille. Dux quem hostis obsidione cinxit, protinus ad Regem literas dat, quibus auxilium petat. Eundem in modum, si ab hoste obsideris, & oppugnaris, non literas, sed orationem ad Deum mitte, auxiliumque implora, *Venerunt nuntij, & indicauerunt Iosaphat, dicentes: Venit contra te multitudo magna,* &c. Sequitur: *Iosaphat timore perterritus, totum se contulit ad rogandum Dominum, & prædicauit ieiunium vniuerso Iuda,* &c. Chrysostomus loco indicato: Nihil est homine probè orante potentius, &c. & Euthymius Matthæi 17. Oratio dæmoni admodum terribilis est, &c. Diuus Leo sermone 2. de ieiunio septimi mensis: In omni agone certaminis Christiani, vtilitas continentiæ plurimùm valet. Ita vt quidam sæuissimorum spiritus dæmonũ, qui ab obsessis corporibus nullis exorcizantium fugantur imperiis; sola ieiuniorum, & orationum virtute pellantur, dicente Domino: *hoc genus non eiicitur, nisi in ieiunio, & oratione.* Grata ergo est Deo, & terribilis diabolo, ieiunantis oratio. Nec latet, quantum acquirit suæ saluti, quæ tantùm præstat alienæ. sic Diuus Leo. Rex Iosaphat totum se contulit ad rogandum Dominum; eundem in modum totum te confer, non partem solùm, ad orandum; magna attentione, atque ex toto corde preces funde.

2. Par. 20.

Orationis potentia.

Marc. 9.

Lunatici moraliter qui sint.

Ieiunium & oratio antidotum aduersus omnia mala.

Obserua etiam hunc dæmonem, quem pellere fuit difficile; ab infantia adolescentem illum vexasse. Etenim difficile est pellere vitia, quibus diu quis assuescit: Iob 20. *Ossa eius implebuntur vitiis adolescentiæ eius, & cum eo in puluere dormient,* &c. Pagninus vertit: *Ossa eius repleta sunt peccatis adolescentiæ eius. Et cum eo peccatum super terram requiescet,* &c. Peccata enim adolescentiæ requiescunt in improbo, quia illi adhærent, in puluere, id est, sepulchro cum eo dormiunt, quia vsque ad mortem in illis perseuerat, quibus assuescit.

Iob 20. Ea vitia pellere est difficile, quibus quis assuescit.

Illud quoque aduerte, oportere fidem similem esse grano sinapis, seruentem, ac in arborem magnam excrescentem; præterea humilem. D. Thomas Matthæi 17. Triplex perfectio designatur fidei. Inuenimus enim in grano sinapis seruorem, fœcunditatem, & paruitatem. Granum sinapis, antequam conteratur, nullum seruorem habere videtur; cùm conteritur seruere incipit. sic homo fidelis antequam probetur, despectabilis videtur. quandò verò atteritur, tunc apparet eius sanctitas. inuenimus fœcunditatem in grano, quod quamuis sit paruum, crescit in segetem magnam, ita quòd volucres cæli habitant ibi. item, inuenimus paruitatem. & potest per hoc designari humilitas fidei: tunc enim agnoscitur humilis in fide, quando acquiescit sermonibus Dei, &c.

Fides ardẽs & humilis. D. Thom.

CAPVT XXXII.

De soluto tributo.

MATTHÆVS CAPITE XVII.

CONVERSANTIBVS autem eis in Galilæa, dixit illis Iesus: Filius hominis tradendus est in manus hominum: & occident eum, & tertia die resurget. Et contristati sunt vehementer. Et cùm venisset Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester non soluit didrachma? Ait, Etiam. Et cùm intrasset in domũ, præuenit eum Iesus dicens. Quid tibi videtur Simon? Reges terræ, à quibus accipiunt tributum, vel censum? à filiis suis, an ab alienis? & ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Iesus: Ergo liberi sunt filij. Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte ha-

m: & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle: & aperto ore eius, inuenies ſtaterem: illum ſumens, da eis pro me, & te.

MARCVS CAP. IX.

ET inde profecti, prætergrediebantur Galilæam, nec volebat quemquam ſcire. Docebat autem diſcipulos ſuos, & dicebat illis: Quoniam filius hominis tradetur in manus hominum, & occident eum, & occiſus tertia die reſurget. At illi ignorabant verbum, & timebant interrogare eum. Et venerunt Capharnaum.

LVCAS CAP. IX.

DIXIT ad diſcipulos ſuos: Ponite vos in cordibus veſtris ſermones iſtos. Filius enim hominis futurum eſt, vt tradatur in manus hominum. At illi ignorabant verbum iſtud, & erat velatum ante eos, vt non ſentirent illud, & timebant eum interrogare de hoc verbo.

Matth. 17. Marc. 9. CONVERSANTIBVS *autem illis in Galilæa*. Marcus ſic: *Et inde profecti prætergrediebãtur Galilæam; nec volebat quemquam ſcire*, &c. *Inde*, inquit, *profecti*, id eſt, ex loco in quo dæmonium iuxta montem Thabor eiecerat, *tranſibant per Galilæam*. Matthæus; Conuerſantibus illis in Galilæa, antequam Iudæam, & Ieroſolymam peterent, paſſionem, & reſurrectionem prædixit. Suprà prædixit, Chriſtus diſcipulis paſſionẽ. iterum hoc loco prædixit, cùm adhuc verſarẽtur in Galilæa, antequam Iudæam peterent. Reddit cauſam Euthymius; Vt præexercitati, inquit, monitionis frequentia, facile ferant cùm acciderit. Et Theophylactus: Subinde memoriam paſſionis facit Dominus, ne exiſtiment diſcipuli, quòd inuitus patiatur. & interim hoc agit, vt exerceat eos, & ne terreantur, ſi hoc inexpectatum eueniat, &c.

Chriſtus prædicit diſcipulis paſſionem.

Marc. & Luc. 9. Apoſtoli quomodo Chriſtum de paſſione loquentem non intellexerint.

AT *illi ignorabant verbum*. Marcus & Lucas aiunt, diſcipulos Chriſtum de paſſione loquentem non intellexiſſe. Matthæus ſcribit contriſtatos eſſe vehementer. Si non intelligebant Chriſtum moriturum, quomodo contriſtati ſunt? Reſpondet Chryſoſtomus, diſcipulos intellexiſſe, quidẽ Chriſtum moriturum, atque idcirco contriſtatos eſſe; ſed ignoraſſe mortem Chriſti nõ duraturam, milleque bona allaturam. Euthymius de morte, ait, intelligebant: de reſurrectione verò ignorabant. item; Ideo Marci 9. conquirebant quid eſſet; cùm à mortuis reſurrexit, &c. Veriſimilius eſt intellexiſſe verba Chriſti, ſed ignoraſſe cauſam, modũ, & alia. Quade re dicemus commodiùs, in explicatione Euãg. *Ecce aſcẽdimus Ieroſolymã*. nũc hæc ſint ſatis.

Matth. 20. Matth. 17. MAGISTER *veſter non ſoluit didrachma?* Chriſtus Capharnaum venit, nobilem Galilææ vrbem, prope lacum, ſiue mare Tiberiadis ſitam. Hìc ad Petrum acceſſerunt tributi exactores, ac rogarunt: *Magiſter veſter non ſoluit didrachma?* numero plurali, Græcè, τὰ δίδραχμα, ſingulari didrachmum. hoc eſt: Magiſter veſter non ſoluit tributum? Reſpondit Petrus; *Etiam*. Lyranus, Abulenſis, Caietanus, & interlin. neganter exponunt: *etiam*: id eſt, verum eſt, quod dicitis non ſoluit Magiſter tributum. Veriſimilius Titelmannus, & Ianſenius interpretantur affirmanter; *etiam*. hoc eſt, ſoluit tributũ magiſter. Chryſoſtomus quoque affirmanter explicat. hoc verbo Petrum promiſiſſe ait, Chriſtũ ſoluturũ tributũ, hoc ſenſu: *Etiã ſoluet.*

Matth. 17. REGES *terræ à quibus accipiunt tributũ?* Chriſtus dñs Petrum anteuertit. Quid tibi, inquit, videtur Petre? Nũquid Reges à filiis ſuis tributũ accipiũt, an ab alienis? quaſi dicat: Regibus non pendũt tributũ filij, ſed ali; qui filij nõ ſunt. Cùm ergo ſũmi Regis, id eſt, Dei Filius ſum, tributũ pendere non debeo. Verũtamen ne exactores ſcãdalizemus, qui Regis me Filiũ, & Regẽ eſſe, ac Deũm ignorant; in mare abi, ſiue lacum Galilææ, piſcẽ expiſcaberis, in ore piſcis ſtaterẽ, ſiue tetradrachmũ reperies, quod ſatis erit, vt pro me & pro te tributũ ſoluas.

Quodnam tributum petierint exactores à Chriſto ſoluendum.

Quodnã ſit tributũ inueſtigemus. Galilæa prouincia hoc tẽpore Herodi Tetrarchæ parebat. Verũtamen Romanis etiam tributa pẽdebat. Imo ipſum etiam Herodem, aliquam argẽti ſummã ſolitum ſoluere veriſimile eſt. Soluebant autẽ, ſi Lyrano, & Abulẽſi credimus, hoc tributũ tãtummodò patres familias, vel capita familiarum. Sed veriſimilius eſt, viritim ſolutũ à ſingulis Iudęis, vt vult Claudius, & Ianſenius. Et in Syriaca trãſlatione dicitur: *Acceſſerunt ij, qui accipiũt binas drachmas argenti capitatim*, id eſt, per ſingula capita, &c. Nam Romanis tributum Iudæi ſoluebãt, quale templo pendebãt; pendebãt autem tẽplo ſinguli viri didrachmum, ſiue duas drachmas, id eſt, dimidiũ ſiclũ, vt conſtat Exod. 30. Ioſeph. l. 7. de bello Iudaico c. 26. Tributum, inquit, Iudæis indixit Veſpaſianus vbicumq; degerent: binaſq; drachmas ſingulis annis deferre in Capitoliũ iuſſit, ita vt ante hac Ieroſolymorum templo pẽdebat. hęc ille. Quemadmodũ Veſpaſianus duarum drachmarũ tributum Iudæis indixit; ſic ante eum Auguſtus Cæſar idem indixiſſe videtur, ſiue Pompeius. Nam Pompeium victis Iudæis tributum impoſuiſſe ſcribit Hegeſippus libro 1. cap. 7. Lege Ioſephum lib. 14. Antiquit. cap. 8.

Iudæi ſoluebant Romanis tributũ.

Matth. 17. Hanc opinionem refutare videntur exactorum verba illa? *Magiſter veſter, nõ ſoluit didrachma*; videlicet plura; nam numero plurali vtuntur. Titelmannus coniicit, ex Romanorum inſtitutione, quemlibet pertrãſeuntem Capharnaum, debuiſſe ſoluere didrachmum vnum, ſi ſolus trãſiret; quòd ſi cum familia, aut comitatu maiori tranſiret, debuiſſe duo didrachma. Cùm ergo Chriſtus cũ diſcipulis trãſiret, exegerũt publicani duo didrachma, alterum pro Chriſto, alterũ pro comitatu. tenuis cõiectura eſt. Reſpõdemus ſingulos viros vnum ſoluiſſe didrachmum. Quod probatur, quia Chriſtus pro ſe, & pro Petro, iuſſit ſolui ſtaterẽ, in ore piſcis repertum, id eſt duo didrachma, alterum pro ſe, alterum pro Petro. Ergo ſatis erat vni viro, vnum pendere didrachmum. quod conſtat ex Syriaco Euangelio citato. Exactores autem loquebantur de didrachmis pro Chriſto ſoluendis, & pro diſcipulis. Oppones verba illa. *Oſtendite mihi numiſmæ cenſus. Matth. 20. At illi obtulerunt ei denarium*. Ergo denarius erat numiſma tributi, non autem didrachmum; nam didrach-

didrachmum duos denarios continet. Reſpondeo denarium numiſma cenſus appellari, quod pars eſſet tributi. duo enim denarij ſoluebantur. Aliter dici poteſt, tributum à Romanis indictum ad illud vſque tempus, & ante Veſpaſianum fuiſſe denarium, qui propterea dicatur numiſma cenſus; didrachmum verò fuiſſe tributum Herodis, qui ciuitati Capharnaũ imperabat. Didrachmum duas habet drachmas, ſiue duos denarios. drachma ſiue denarius regalis Hiſpanici ſummam continet.

Denarius cur dicatur cenſus numiſma.

Didrachmum duas habet drachmas. Chryſoſt.

D. Chryſoſtomus de hoc tributo ſic ſcribit homil. 59. Quando Ægyptiorum primogenita Deus interfecit, tunc Leuiticam tribum pro ipſis accepit. Quoniam huius tribus Leuiticæ minor numerus erat, quàm primogenita Iudæorum fuiſſent; pro deficientibus, ad ſupplendum numerum, ſiclum (vel potius quinque ſiclos) iuſſit deferri. Num. 3. Conſuetudo igitur ex illo tempore obtinuit, vt primogeniti hoc vectigal perſoluerent. Cùm itaque primogenitus eſſet Chriſtus, Petrus quoque diſcipulorũ primus eſſe videretur, ipſum adeunt. Hæc ille. Theoph. Chryſoſtomũ vt ſolet, ſequitur. Lege Numerorum cap. 3. quo iuſſit Deus redimi primogenitos numerũ Leuitarum ſuperantes, ſingulos quinque ſiclis. Ea verò conſuetudo permanſit, vt infantes quinque ſiclis redimerentur; non autem vt viri primogeniti tributum ſoluerent. Quam ob cauſam Chryſoſt. & Theophyl. opinio non probatur. Euthym. aliter: Primogeniti, inquit, ſingulis annis didrachma pendebãt Deo in gratiarũ actionem, eò quòd olim Aegyptiorum primogenita perdiderat; Chriſtus primogenitus erat, &c. Fallitur. Non enim primogeniti ſingulis annis tributum pendebãt; ſed tantũmodò cum quinq; ſiclis infantes redimebãtur.

Auctor quæſtionum ex nouo teſtamento.

Auctor quæſtionum ex nouo teſtamento apud Auguſtinum, q. 75. Didrachma, inquit, ab eis exigenda erat, qui aliquid negotij gerebant, aut artibus operam dabant. Saluator autem quia nihil horum curabat, neque diſcipuli eius; exigẽda vtique non erat. ſed diabolus exactorum animos occupauit, vt accedetes ad Petrum, ſolui debere dicerent didrachmam. ſic ille. Sed probabilius eſt, omnes, etiam eos, qui nihil negotij gererẽt, tributum hoc ſoluiſſe. Alioqui non dixiſſet Dominus. *Ne ſcandalizemus eos*, &c.

Matth. 17.

D. Hilarius canone 17. tributum hoc illud eſſe arbitratur, quod templo pendebatur. *Media pars ſicli offeretur Domino*, &c. videlicet, cùm populus numerabatur. Media vero pars ſicli eſt didrachmum. Nam ſiclus cõtinet quatuor drachmas. Hoc dimidij ſicli tributum, ſentiunt Hebræi, ſingulis annis in feſto expiationis ſolutum: vt refert Fonſeca in annotationibus in Caiet. Exod. 30. Neque hæc Hilarij ſententia recipitur. Etenim hoc tributũ, quod à Chriſto petebatur, non Deo, ſed Romanorũ Imperatori, vel Herodi ſoluebatur; vt ex illis verbis Chriſti colligitur: *Simon, reges terræ, à quibus accipiunt tributum?* Regi igitur terrę, Romanorũ Imperatori Tiberio, vel Herodi Tetrarchæ, tributũ pendebatur illud, *non Deo*, vel templo. Attamen ſententiæ Hilarij fauent verba illa Chriſti; *Ergo liberi ſunt filij.* quaſi dicat; quemadmodum reges terræ tributum à filiis non recipiunt, ſic Rex cæli Deus à Filio ſuo tributum recipere non debet. Liber ergo ſum à tributo tẽpli, quia Filius ſum Regis, cuius eſt templum. hanc ob cauſam nõ caret probabilitate opinio Hilarij. Sed probabilius puto, tributum illud nõ à ſacerdotibus in templi ſumptus, ſed à publicanis in impenſas Imperatoris Tiberij, vel Tetrarchæ Herodis, fuiſſe exactum. verba verò Chriſti iam ſupra ſunt pro hac ſententia expoſita.

Exod. 30.

Hoc tributum ſoluebatur vel Herodi, vel Tiberio.

Matth. 17. Ibid.

A NE *ſcandalizemus eos*. Ignorabant exactores illi tributorum, Chriſtum nullum debere tributum. ideo Chriſtus, ne illi ſcandalizarentur, tributum ſoluere voluit. Sed mirandũ in modũ. Adimiſcet enim humilia ſublimibus. tributum ſoluit, quod fuit humilitatis; ſed mirabiliter ſoluit, quod fuit magnæ ſapientiæ, & maieſtatis. Vitãdum ſcandalum ex hoc loco diſce. Lege D. Gregorium homil. 7. in Ezechielem.

Matth. 17.

VADE *ad mare*. Admirabiliter tributum ſoluit Chriſtus. Petrum ad mare Tiberiadis mittit, piſcem expiſcatus eſt, aperto ore eius ſtaterem reperit, quem tributorum exactoribus dedit. Quid primum mirer (ait D. Hieronymus in hunc locum) neſcio. Vtrum præſcientiam, an magnitudinem Saluatoris. Præſciẽtiam, quòd nouerit piſcem habere in ore ſtaterem, & quòd primus ipſe capiendus eſſet. Magnitudinem, atque virtutem, ſi ad verbum eius, ſtatim ſtater in ore piſcis creatus eſt, & quod futurum erat, ipſe loquẽdo fecerit. ſic Hieronymus. An creata fuerit illa in ore piſcis pecunia dubitat. Forſitan creata eſt. ſic eſt in gloſſa interlin. Mira potentia, qua hoc dicendo, creauit ſtaterem, &c. Potuit etiam à piſce inueniri, ne verò deglutiret, & in ventrem traiiceret, à Domino eſt impeditus. Fortè in ventrem iam traiecerat, ſed ad os reuocata pecunia eſt.

Matth. 17. Tributum ſoluit Dominus admirabiliter.

An ſtater in ore piſcis creatus à Chriſto ſit.

Dominum maris hoc facto ſe oſtendiſſe Chriſtum ait Theophylactus. Vt oſtendat, inquit, quòd Deus ſit, & maris Dominus, miſit Petrum tollentem ſtaterem ex ore piſcis, &c. Euthymius. A mari Chriſtus dat tributum. hinc quoque oſtendens, quòd tanquam omnium Dominus præcipit & mari, quod quaſi præcepto eius ſubiectum, mittit piſcem, qui tributum Domino deferat, &c. Chryſoſt. hom. 59. Imperio Chriſti, quaſi verriculo demerſo in mari, ille captus eſt piſcis, in quo ſtater reſeruabatur. Diuina igitur Chriſti virtute, munera pelagus offerebat, & vndique ſubiectionem ſuam oſtendebat, &c.

Chriſtus ſe Dominum maris oſtendit.

Chryſoſt.

Paupertatem Chriſti ex hoc loco colligit Hieronymus. Aedificat, inquit, auditorem, dum tantæ Dominus fuit paupertatis, vt vnde tributa pro ſe, & Apoſtolo redderet, non habuerit, &c. Obiicit idem ſanctiſſimus Pater: Et quomodo Iudas, in loculis portabat pecuniam? Reſpondet: Rem pauperum, in vſus ſuos conuertere Chriſtus nefas putauit, &c. At ex loculis non ſolùm pecunia in paupere, ſed in res etiam alias neceſſarias expendebatur. Ergo ex loculis potuit Chriſtus ſoluere tributum. Credibile igitur eſt, vel Iudam non adfuiſſe tunc tẽporis, vel in loculis pecuniam nõ habuiſſe. Vel dicendum, Chriſtũ non ex loculis, ſed ex ore piſcis, admirandum in modum tributum ſoluere voluiſſe. Stater duo didrachma cõtinet, id eſt, quatuor drachmas, ſiue quatuor regalia Hiſpanica.

Chriſti paupertas.

Heſſelius Matthæi 18. ait Chriſtum ſecundùm diuinitatem ab omni tributo pendẽdo fuiſſe liberum; attamen ſecundùm humanitatem tributum debuiſſe, quoniã vt Paulus ait. *Factus eſt ſub lege*. Loqui autẽ hoc loco ſecũdùm diuinitatẽ, cùm ait, ſe à tributo eſſe immunẽ. Sed falsũ eſt, Chriſtũ tributũ alicui principi debuiſſe, vel legi ſubiectũ fuiſſe. Erat enim ſecũdùm humanitatẽ, ratione vnionis regũ rex. Tributũ igitur ſoluit, quia voluit, legem ſeruauit, quia ſeruare placuit. Factus eſt ſub lege, vt Paulus ait, nõ tamẽ quia debuit, ſed quia voluit.

An Chriſtus ſecundum humanitatem debuerit tributum. Gal. 4. Chriſtus ſuæ legi ſubiectus eſt, quia voluit.

DA *eis pro me, & te*. Iubet Chriſtus ſolui tributum pro ſe, & pro Petro. Cur pro reliquis Apoſtolis ſolui non iuſſerit, difficile eſt cauſam reddere. Potuit ille pecuniã ad eam rem facilè cõparare? cur igitur non iuſſit ſolui? Num quia cæteri

Matth. 17. Cur pro ſe & Petro tantum iuſſerit Dominus ſoluã.

Apoſtoli, eum non comitabantur? at comitatos A tes hunc honorem, in Petrum à Chriſto collatum, quaſi per hoc indicaſſet eum cæteris diſcipulis meliorem, &c. Lege Nazianzenum orat. 9.

Obſeruat etiam Chryſoſtomus Petri in hac re fidem. in mare iuſſus ire, protinus abiit, hamum miſit, inuenturum ſe ſtaterem in ore piſcis, abſque hæſitatione credidit. Miraris (ait Chryſoſtomus) omnipotentiam Chriſti? Mirare diſcipuli etiam, id eſt, Petri fidem, qui ad rem ita natura incredibilē, illico paruit, &c. Huius fidei præmium, fuiſſe putat honorem, de quo diximus: Fidei (inquit) retributionem confeſtim Petrus habuit, Chriſto in tributi ſolutione coniunctus, &c.

D. Petri fides.

Chryſoſt.

Auctor quæſtion. ex nouo teſtamento.

B

Obſerua Domini humilitatem; cùm maximi Regis Filius eſſet, tributum voluit ſoluere, quod minimè debebat. Sic etiam tributa ſoluit humanæ naturæ, à quibus liber erat, videlicet famem, ſitim, mortem. Vnde Auguſtinus, ſermone 6. de verbis Apoſtoli: Chriſtus, inquit, tributum non debitum perſoluebat. ſic perſoluit & mortē. Non debebat, & perſoluebat. Ille niſi indebitū ſolueret, nūquam nos à debito liberaret, &c. Obſerua maieſtatem in ſoluendo. Pecuniam reddit, non ex marſupio, ſed ex piſcis ſub aqua natantis ore extractam. Obſerua prætereà proximi offenſionem vehementer fugiendam. *Ne* (inquit) *ſcandalizemus eos, vade ad mare,* &cæt. Paulus: *Si eſca*, ait, *ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem*, &c. Theophylactus auarum hominem, nihil aliud in ore habentem, quàm pecuniam, aurum, & argentum, huic piſci eſſe exiſtimat ſimilem. Sed ſi Petrus à Chriſto miſſus, id eſt, concionator, hamum mittat; piſcem, id eſt, auarum capiet. Pecuniam ex ore piſcis, & viſceribus extrahet, ita vt non pecuniam, ſed Deum, in ore, & viſceribus, deinceps habeat.

Humilitas Chriſti.

Auguſt.

Proximi ſcandalum fugiendum. 1. Cor. 8.

Auarus pecuniam habet in ore & corde.

Auctor quæſtion. ex nouo teſtamento.

Obſerua Domini humilitatem; cùm maximi Regis Filius eſſet, tributum voluit ſoluere, quod minimè debebat. Sic etiam tributa ſoluit humanæ naturæ, à quibus liber erat, videlicet famem, ſitim, mortem. Vnde Auguſtinus, ſermone 6. de verbis Apoſtoli: Chriſtus, inquit, tributum non debitum perſoluebat. ſic perſoluit & mortē. Non debebat, & perſoluebat. Ille niſi indebitū ſolueret, nūquam nos à debito liberaret, &c. Obſerua maieſtatem in ſoluendo. Pecuniam reddit, non ex marſupio, ſed ex piſcis ſub aqua natantis ore extractam. Obſerua prætereà proximi offenſionem vehementer fugiendam. *Ne* (inquit) *ſcandalizemus eos, vade ad mare,* &cæt. Paulus: *Si eſca*, ait, *ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem*, &c. Theophylactus auarum hominem, nihil aliud in ore habentem, quàm pecuniam, aurum, & argentum, huic piſci eſſe exiſtimat ſimilem. Sed ſi Petrus à Chriſto miſſus, id eſt, concionator, hamum mittat; piſcem, id eſt, auarum capiet. Pecuniam ex ore piſcis, & viſceribus extrahet, ita vt non pecuniam, ſed Deum, in ore, & viſceribus, deinceps habeat.

Dignitas Petri præ reliquis Apoſtolis.

C

Hieron.

Aduertit quoq; Hieronymus, magnū hunc honorem putaſſe diſcipulos, his verbis indicat: Ex æqualitate pretij, arbitrati ſunt Petrum omnibus Apoſtolis eſſe prælatum; qui in traditione tributi Domino fuerat comparatus, &c. Similiter Origenes ſcribit: Maximum, inquit, diſcipuli exiſtimantes hunc honorem, in Petrum à Chriſto collatum, quaſi per hoc indicaſſet eum cæteris diſcipulis meliorem, &c. Lege Nazianzenum orat. 9.

Obſeruat etiam Chryſoſtomus Petri in hac re fidem. in mare iuſſus ire, protinus abiit, hamum miſit, inuenturum ſe ſtaterem in ore piſcis, abſque hæſitatione credidit. Miraris (ait Chryſoſtomus) omnipotentiam Chriſti? Mirare diſcipuli etiam, id eſt, Petri fidem, qui ad rem ita natura incredibilē, illico paruit, &c. Huius fidei præmium, fuiſſe putat honorem, de quo diximus: Fidei (inquit) retributionem confeſtim Petrus habuit, Chriſto in tributi ſolutione coniunctus, &c.

D. Petri fides.

Chryſoſt.

Humilitas Chriſti.

Auguſt.

Proximi ſcandalum fugiendum. 1. Cor. 8.

Auarus pecuniam habet in ore & corde.

CAPVT XXXIII.

De maiore in regno cælorum.

MATTHÆVS CAPITE XVIII.

IN illa hora acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum dicentes: Quis putas, maior eſt in regno cælorum? Et aduocans Ieſus paruulum, ſtatuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis, niſi cōuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Quicumque ergo humiliauerit ſe, ſicut paruulus iſte, hic eſt maior in regno cælorum. Et qui ſuſceperit vnum paruulū talem in nomine meo, me ſuſcipit. qui autem ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Væ mundo à ſcandalis. Neceſſe eſt enim, vt veniāt ſcandala: verumtamen væ homini illi, per quem ſcandalum venit. Si autem manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te: abſcide eum, & proiice abs te: bonum tibi eſt ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem, mitti in ignem æternum: Et ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & proiice abs te: bonum tibi eſt cum vno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Videte ne cōtemnatis vnum ex his puſillis. dico enim vobis, quia Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt. Venit enim Filius hominis ſaluare, quod perierat. Quid vobis videtur? Si fuerint alicui centū oues, & errauerit vna ex eis: nōne relinquit nonaginta nouem in montibus, & vadit quærere eam, quæ errauit? & ſi contigerit vt inueniat eam: amen dico vobis, quia gaudet ſuper eā, magis quàm ſuper nonaginta nouē, quæ non errauerūt. Sic nō eſt volūtas ante Patrem veſtrū, qui in cælis eſt, vt pereat vnus de puſillis iſtis.

MARCVS

MARCVS CAP. IX.

ET venerunt Capharnaum. Qui cùm domi eſſent, interrogabat eos: Quid in via tractabatis? At illi tacebant. Siquidem in via inter ſe diſputauerant, quis eorum maior eſſet. Et reſidens vocauit duodecim, & ait illis: Si quis vult primus eſſe, erit omnium nouiſſimus, & omnium miniſter. Et accipiens puerum, ſtatuit eum in medio eorum: quem cùm complexus eſſet, ait illis: Quiſquis vnum ex huiuſmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit: & quicumque me ſuſceperit, non me ſuſcipit, ſed eum qui miſit me. Reſpondit illi Ioannes, dicens: Magiſter, vidimus quemdam in nomine tuo eiicientem dæmonia, qui non ſequitur nos, & prohibuimus eum. Ieſus autem ait: Nolite prohibere eum. nemo eſt enim qui faciat virtutem in nomine meo, & poſſit citò malè loqui de me. Qui enim non eſt aduerſum vos, pro vobis eſt. Quiſquis enim potum dederit vobis calicem aquæ, in nomine meo, quia Chriſti eſtis: amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam. Et quiſquis ſcandalizauerit vnum ex his puſillis, credentibus in me: bonum eſt ei magis ſi circumdaretur mola aſinaria collo eius, & in mare mitteretur. Et ſi ſcandalizauerit te manus tua, abſcinde illam: bonum eſt tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem: vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Et ſi pes tuus te ſcandalizat, amputa illum: bonum eſt tibi claudum introire in vitam æternam, quàm duos pedes habentem, mitti in gehennam ignis inextinguibilis: vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Quod ſi oculus tuus ſcãdalizat te, eiice eum: bonum eſt tibi luſcum introire in regnum Dei, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis: vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Omnis enim igne ſalietur; & omnis victima ſale ſalietur. Bonum eſt ſal: quòd ſi ſal inſulſum fuerit: in quo illud condietis? Habete in vobis ſal, & pacem habete inter vos.

LVCAS CAP. IX.

INTRAVIT autem cogitatio in eos, quis eorum maior eſſet. At Ieſus videns cogitationes cordis illorum, apprehẽdit puerum, & ſtatuit illum ſecus ſe, & ait illis: Quicumque ſuſceperit puerum iſtum in nomine meo, me recipit: & quicumque me receperit, recipit eum, qui miſit me. Nam, qui minor eſt inter vos omnes, hic maior eſt. Reſpondens autem Ioannes dixit: Præceptor, vidimus quemdam in nomine tuo eiicientem dæmonia, & prohibuimus eum, quia non ſequitur nobiſcum. Et ait ad illum Ieſus: Nolite prohibere; qui enim non eſt aduerſum vos, pro vobis eſt.

Matth. 18. QVIS *putas maior eſt in regno cælorum?* Venit Dominus, vt capite præcedenti dictum eſt, in ciuitatẽ Capharnaum. Intrauit autem, vt Lucas ait, in corda diſcipulorum ambitioſa cogitatio; Græcè, διαλογισμὸς, *ratiocinatio, dialogiſmus* de primatu. Neque verò cogitatio intra mentem ſe continuit, ſed foras in verba prodiit. Nam, vt addit Marcus in via, qua Capharnaum petebant, diſputarũt, Græcè, διελέχθησαν, quis eorũ ceteris eſſet maior. Domum peruenerunt, vt Matthæus ait. Iuſſit Chriſtus Petro, vt in mare abiret, piſcem expiſcaretur, tributum ſolueret. Poſtquam rediit, interrogauit (vt Marcus ſcribit) quid in via tractabatis? Græcè, διελογίζεσθε. illi pudore ſuffuſi tacebant. Sedens verò Dominus vocauit illos. Tunc, *in illa hora*, id eſt, in illo tempore (ſumitur enim hora & dies, pro tempore, vt 1. Ioan. 2. *Nouiſſima hora eſt*, id eſt, nouiſſimum tempus) acceſſerunt, vt ait Matthæus, & quæſtionem non de ſe, ſed vniuerſim propoſuerunt. *Quis putas maior eſt in regno cælorum?* Sic facilè oſtenditur Euangeliſtas inter ſe conſentire. Lege omnes ſimul, nihil reperies diſcrepantiæ, ſi ordinem conſideres rei geſtæ. *Quis putas*, Græcè, τίς ἄρα, *quiſnam*. Quiſnam maior, vel maximus eſt in regno cælorum? ponitur comparatiuus, *maior*, pro ſuperlatiuo, *maximus*.

Ordo geſtorum. *Euang. concordia.* *Matth. 18.* *1. Ioan. 2.* *Matth. 18.*

Dubium eſt, ſignificet ne regnum cælorum hoc loco Eccleſiam, hoc ſenſu: Quiſnam maximus eſt in Eccleſia? an potius regnum cæleſte beatorum, in hanc ſententiam: Quiſnam maximus eſt, vel erit, in cælo? Lyranus & Carthuſianus arbitrantur, regnum cælorum ſignificare tam militantem, quàm triumphantem Eccleſiam. Maldonatus pro Eccleſia militante ſumi vult. Alii pro regno Meſſiæ accipiunt; Interlin. pro collegio iuſtorum. Exiſtimo

Quid hic ſignificet regnum cælorum.

Exiſtimo pro cæleſti regno ſumi hîc cælorum regnum; quæ ſententia eſt Origenis, D. Chryſoſtomi, D. Maximi, Euthymij, Haymonis, D. Thomæ, & aliorum; hoc ſenſu: Quis maximus in cæleſti beatitudine erit? Obiicies; diſcipuli non de primatu cæleſti, ſed terreſtri diſputauerunt. ergo de terreſtri Eccleſia loquuntur, non de cęleſti. Reſpondeo diſputaſſe quidem de terreno primatu, ſed quæſtionem de illo non fuiſſe auſos Chriſto proponere, & mutaſſe in quæſtionem de primatu cæleſti. Probatur hæc interpretatio, ex reſponſione Domini. Loquitur enim de cæleſti regno; ergo diſcipuli de eodem rogabant. Veriſimilis etiam eſt alia interpretatio, ſcilicet regnum cælorum ſumi pro regno Meſſiæ, quod hoc tempore temporale fore arbitrabantur Apoſtoli. eritque ſenſus: Quis maior erit in regno tuo, quod in terris erit poſt reſurrectionem? ſic mater Iacobi & Ioannis: *Dic*, inquit, *vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram, in regno tuo*, &c. Apoſtoli de regno quærebant Meſſiæ, quod temporale fore tunc exiſtimabant; Chriſtus ad regnum cæleſte, & æternum ſermonem tranſfert.

Regnum cælorum hic beatitudinem alienã deſignat.

Matth. 20.

Cur diſputarint Apoſtoli de primatu?

Quæritur, quænam cauſa fuerit, cur Apoſtoli de primatu diſputauerint. D. Hieronymus cauſam fuiſſe ait, quòd idem tributum pro Chriſto, & pro Petro fuiſſet perſolutum. Quia, inquit, viderant Apoſtoli pro Petro & Domino, idem tributum redditum; ex æqualitate pretij arbitrati ſunt, Petrum omnibus Apoſtolis eſſe prælatum qui in redditione tributi Domino fuerat comparatus. Ideo interrogant, quis maior ſit in regno cælorum. Theophylactus quoque: Quia, inquit, viderant diſcipuli Petrum à Chriſto honoratum; honoratus enim erat, dando ſtaterem pro Chriſto & pro ſe; & propterea humanum quiddam paſſi, accedunt interrogantes Dominum, &c. Idem ſentit D. Thomas Matthæi 18. Chryſoſtomus hanc etiam reddit cauſam: & alias adiungit, his verbis: Non ex hac re ſolùm, ſed ex aliis multis, diſcipuli inflammati fuerunt. tum quia Chriſtus dedit Petro *claues regni cælorum*; tum quia dixit ibidem; *Beatus es Simon Bar-Iona*. tum etiam hîc: *Da eis pro me, & pro te*. tum denique, quia liberius eum multò cum Chriſto colloqui conſpiciebant. ita Chryſoſtomus. Chryſoſtomum ſequitur Euthymius. Similem in modum ſcribit Origenes tract. 5. in Matthæum. At verò diſcipuli de primatu diſputarũt in via, cùm Capharnaum petebant, vt Marcus ait, antequam tributum ſolueretur. Ergo ad diſputationem de primatu, non ſunt incitati, quòd pro Domino & Petro idem tributum reddi viderint. Stimulauit acrius illos ille honor habitus Petro; ſed non fuit prima occaſio, vel cauſa cogitationis & diſputationis. Potuerunt igitur aliæ eſſe cauſæ, videlicet, promiſſio clauium Eccleſiæ, item illud: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*; & aſſumptio in montem Thabor.

Chryſoſt.

Matth. 18. Ibid.

Matth. 18.

Matth. 16.

Non caret veriſimilitudine, cauſa quam reddit Iãſenius; ait ille cauſam diſputationis fuiſſe ipſam mortis & reſurrectionis prædictionem. Chriſtus enim, antequam veniret Capharnaum, mortem & reſurrectionẽ, diſcipulis prædixit; poſt prædictionem in via de primatu inter ſe diſceptarunt, vt ex Euangeliſta Marco conſtat. Cùm enim Chriſtum moriturum audiſſent, quærere cœperunt, quis poſt eius mortem inter eos principatum eſſet habiturus. Eumdem in modum Matth. 20. prædixit paſſionem & reſurrectionem Apoſtolis. Tunc, vt ait Matthæus, acceſſit ad eum mater filiorũ Zebedæi, filiiſq; petiit ſedes primas in regno Chriſti. & Lucæ 22. paulò ante mortem Chriſti, in ipſa extrema cœna, facta eſt contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe maior. Ex quibus locis coniicitur, de primatu egiſſe diſcipulos, quòd Chriſtum moriturum & reſurrecturum audirent, & poſt reſurrectionem regnaturum exiſtimarent. At hanc cauſam expendemus, cùm hæc duo Matthæi & Lucæ loca Deo fauente exponemus.

Contẽtio de primatu orta eſt ob imminentem Chriſti paſſionem.

ADVOCANS *Ieſus paruulum. Segnius irritant animos, demiſſa per aures* (ait Poëta.) *Quam quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus.* ideoque Chriſtus ante oculos diſcipulorũ humilitatis proponit exemplar puerulum, vt efficacius perſuadeat. Complexus illum eſt teſte D. Marco: Græcè, ἐναγκαλισάμενος, Pagninus vertit, *in vlnas accepit*. Vtrumque enim ſignificat verbum, ἐναγκαλίζομαι. Complexus eſt infantulum, quem ſtatuit in medio diſcipulorum, id eſt, inter diſcipulos. hic litteralis ſenſus eſt. Hieronymus moralem adiungit: Statuit Chriſtus paruulum in medio eorum, id eſt, ſeipſum, vt eis humilitatis tribueret exemplum. Bernardus hom. 4. ſuper Miſſus: Studeamus, inquit, effici ſicut paruulus iſte, diſcamus ab ipſo, quia mitis eſt & humilis corde, &c. Is puerulus teſte D. Anſelmo, D. Thoma, Lyrano, & aliis dicitur fuiſſe D. Martialis Lemouicenſium Epiſcopus. Nonnulli diuum Ignatium fuiſſe exiſtimarunt, vt teſtatur Simeon Metaphraſtes in vita D. Ignatij: Ignatio, inquit, cùm eſſet planè puer, aiunt Chriſtum manus impoſuiſſe, & dixiſſe: Niſi quis ſe ipſum humiliauerit, vt hic puellus, non intrabit in regnum cælorum, &c. res incerta eſt.

Matth. 18. Horat. in arte poët.

Puer exemplum humilitatis.

Quis fuerit ille puer.

NISI *conuerſi fueritis.* Reſpondet Dominus propoſitæ quæſtioni. Niſi in pueros paruulos conuertamini, id eſt, niſi paruuli per humilitatem efficiamini, non intrabitis in regnum cælorum. *Quicumque humiliauerit ſe ſicut paruulus hic*, id eſt, Quicumque per humilitatem ſe paruulum & minimum omnium effecerit, ita vt, quemadmodũ hic puerulus corpore eſt minimus, ita ille ſit minimus per mentis humilitatẽ; *hic maior eſt in regno cælorum.* Adiecit etiam Dominus, quod ait Marcus: *Si quis vult primus eſſe* in cælorum regno, *erit omnium nouiſſimus*, id eſt, extremus & minimus, *& omnium miniſter.* & apud Lucam: *Qui minor eſt inter vos omnes*, hoc eſt, qui humilior eſt, & ſimilior huic puero paruulo; *hic maior eſt.* De humilitate agit Dominus, vt diſcipulorum cogitationes hac doctrina, quaſi iniecta aqua extinguat. Puero ſimiles eſſe vult paruitate, id eſt, humilitate.

Matth. 18.

Ibid.

Ibid.

Similitudo pueri quid deſignet. Marci 9. Luca 9.

Nihilominus Patres etiam aliis in rebus ſimilitudinem collocant. D. Hieronymus: Non præcipitur, inquit, Apoſtolis, vt ætatem habeant paruulorum, ſed vt innocentiam. Et quod illi per annos poſſident, hi poſſideant per induſtriam; vt malitia non ſapientia, paruuli ſint, &c. D. Hilarius: Non niſi reuerſos in naturam puerorum, introire in regnum cælorum Dominus docet; id eſt, per ſimplicitatem puerilem, vitia corporum noſtrorum, animæque reuocanda, &c. Haymo: Sicut paruulus iſte mulierem non concupiſcit, alienas diuitias non appetit, læſus non lædit, non aliud cogitat, aliud loquitur, & iratus non perpetuas tenet diſcordias: ita & vos niſi talem habueritis innocentiam in mente, qualem iſte habet in corpore, regnum cælorum, quod humilibus & ſimplicibus eſt præparatum, intrare numquam poteſtis, &c. ita etiam Euthymius, Origenes, & alij.

Innocentiã puerorum in nobis Chriſtus requirit.

Haymo.

Ambigitur, an Apoſtoli ſuperbiæ mortiferum crimen commiſerint? ait enim Dominus; *Niſi conuerſi fueritis, &c. non intrabitis in regnum cælorum.* à regno autem cælorum, nihil niſi crimen mortiferum

Matth. 18. An diſcipuli ſuperbia crimen mortif. commiſerint.

in

in ſempiternum excludit. Abulenſis Matthæi 18. quæſt. 22. ſentire videtur Apoſtolos mortiferum perpetraſſe crimen. ſic enim interpretatur: Niſi conuerſi fueritis ab hac alienatione, ceſſando contendere, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Præterea Chriſto hunc tribuit ſermonem: Vos diſcipuli, omnes eſtis in peccato, quia contenditis de maioritate, & ita nemo veſtrum meretur regnum cælorum, &c. & Dionyſius Carthuſianus: Quoniam, inquit, nemo excluditur à regno cælorum, niſi pro peccato mortali, videntur Apoſtoli peccaſſe mortaliter. Si autem dicuntur non peccaſſe mortaliter, tunc illud, quod dicitur: *Niſi conuerſi fueritis:* intelligendum eſt, conditionaliter. Vt ſit ſenſus; ſi fueritis elati & ambitioſi, non poteritis ſaluari, niſi conuerſi fueritis. hæc ille. Reſpondeo Apoſtolos non commiſiſſe peccatum ſuperbiæ mortale. Cogitarunt enim, vt Euangeliſtæ ſcribunt de primatu, quis eorum eſſet maior, inter ſe diſceptarunt. hac verò in re peccatum mortale non videntur commiſiſſe. Cùm verò Chriſtus ait: *Niſi conuerſi fueritis*; non loquitur de conuerſione ab alienatione, vt vult Abulenſis. Non enim ſenſus eſt, niſi conuerſi fueritis à peccato, ſed *niſi conuerſi fueritis*, id eſt, niſi vos conuertatis in pueros; quod magis explicant verba ſequentia, *& efficiamini ſicut paruuli.* Eſt ergo generalis quædam doctrina; ſi vultis ingredi cælum, oportet vos eſſe paruulos; quæ nõ probat Apoſtolos peccato mortali fuiſſe inquinatos. Quemadmodum ſi viris caſtiſſimis dixerit quiſpiam: Niſi ſitis caſti vt pueri, non intrabitis in regnum cælorum: non indicat illos non eſſe caſtos, ſed quid agere debeant, docet. ſic Chriſtus quid agere deberent Apoſtoli, docebat; non autem indicare volebat, illos in peccatum mortiferum incurriſſe.

Matth. 18. *Apoſtoli ſuperbiæ peccatũ mortale non cõmiſerunt.*

Matth. 18. Iuuãdi paruuli, id eſt, humiles.

QVI *ſuſceperit vnum paruulum talem.* Paruulos, id eſt, humiles, ſuſcipiendos hoſpitio, ac iuuandos docet Dominus, nulloque modo ſcandalizandos, atque offendendos; quoniam ipſi ſunt cariſſimi. Qui propter me ſuſceperit, fouerit, defenderit humiles, qui ſe in paruulos conuertunt, me ipſum peculiari quadam ratione ſuſcipit; cariſſimi enim mihi ſunt. Qui verò huiuſmodi paruulos ſcandalizauerit, *expedit ei, vt ſuſpẽdatur mola aſinaria in cello eius, & demergatur in profundum maris.*

Matth. 18.

Dubitatur, quonam modo expediat ſcandalizatori, vt in mare præcipitetur. quidnam illi vtilitatis demerſio afferre poteſt? Reſpondet D. Hieronymus, vtilius eſſe ſcandalizatori demergi, & breuem hanc pœnam ſoluere, quàm æternis ſeruari cruciatibus. Ex Marco & Luca colligitur verborum ſenſus: ſic enim apud Marcum Chriſtus loquitur: *Bonum eſt ei magis, ſi circumdaretur mola, &c.* Apud Lucam: *Vtilius eſt illi, ſi lapis molaris imponatur circa collum eius, & proiiciatur in mare, quàm vt ſcandalizet vnũ ex puſillis iſtis.* Significat ergo Chriſtus expedire, hoc eſt, melius eſſe & vtilius ſcandalizatori, in pelagus præcipitari, quàm quempiam ſcandalizare. Deum enim offendit, tartareique ignis ſupplicium incurrit; quod multò eſt grauius, quàm ſubmerſio. Vides, ſatiùs eſſe vel turpiſſimo mortis genere vitam amittere, quàm crimen aliquod committere. Mola, quæ manu truditur truſatilis appellatur, ſiue manuaria; quæ verò ab aſino circumagitur, dicitur aſinaria. hoc autem ſupplicium, vt Hieronymus putat, maiorum criminum fuit apud Iudæos. ligato ſaxo in mare demergebantur.

Expedit illi, vt ſuſpendatur mola aſin. &c. exponitur. Satius eſt mori quàm peccare. Marci 9. Luca 17.

Dubium eſt, quid ſignificet hoc loco ſcandalizare? D. Chryſoſtomus ait, ſignificare deſpicere & vituperare. Nec mireris, inquit, ſi ſcãdali vocabulo contumeliã & vituperationẽ intellexit Dominus; cùm multi propter puſillanimitatem non parum ſcandalizentur, ſi cõtempti vituperatiq; ſint, &c. Sed conſtat verbum ſcandalizare hoc loco ſignificare offendiculum alicui opponere, in quod impingat & cadat, quidquid illud ſit, ſiue malo exemplo & conſilio, ſiue cõtumelia, ſiue alio modo ſcandalum præbeatur. Conſtat, inquam, ex illis verbis: *Si manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te.* Non eſt ſenſus: Si manus tua, vel pes tuus, deſpicit aut vituperat te: ſed, ſi tibi eſt offendiculum. Dominus enim eodem ſenſu de ſcandalo loquitur omnibus his verbis. D. Hieronymus Matth. 25. Quia, inquit, crebrò teritur in Eccleſiaſticis Scripturis, ſcandalum; breuiter dicamus quid ſignificet, προσκομμα, & σκάνδαλον, nos offendiculum, vel ruinam, & impactionem pedis poſſumus dicere. Quando ergo legimus: *Quicumque de minimis iſtis ſcandalizauerit quempiam*: hoc intelligimus; qui dicto factove, occaſionem ruinæ cuiquam dederit. Sic Hieronymus.

Quid ſignificet ſcandalizare. *Matth. 18.* *Hieron.* *Mat. 18 & Marci 9.*

Obiicitur: paruuli hi, de quibus Chriſtus loquitur, ſunt maximi in regno cælorum, & magna virtute prædi ti; ergo non ſcandalizantur, non cadunt. Nam, vt ait Hieronymus Matthæi 18. Qui ſcandalizatur, paruulus eſt. Maiores enim ſcandala non recipiunt, &c. Reſpondetur, ſcandalizari hos paruulos, quoniam offendicula perſecutionum, & ſimilia, eis proponuntur; ſed quia virtute præcellunt, non cadunt. Præterea etſi multi non cadunt, cadunt aliqui. Dominus autem ait: *Quicumque ſcandalizauerit vel vnum*, &c. Ex Origene tract. 5. in Matth. colligitur reſponſum huiuſmodi. Duplex eſt puerorum ſpiritalium genus. quidam iam ſunt effecti pueri, viriq; perfecti, hi non ſcandalizantur, ita vt cadant. Alij pueri effici volunt, fieriq; incipiunt, hi, quia virtute imbecilles ſunt, ſcãdalizantur, ita vt à virtute recedant. Hi, ait Origenes, propter hoc ipſum, quòd ſic conuerſi ſunt, vt fiant quaſi pueri, nondum autem ſunt facti, ſed videntur nuper eſſe conuerſi, puſilli habentur in Chriſto, & paruuli ſunt, ſcandali receptores, &c.

Quomodo dicantur paruuli ſcandalizati. *Duplex ſpiritalium puerorum genus eſt.*

Forſitan à pueris ſpiritualibus deſcendit Chriſtus ad pueros ætate, qualis erat ille quẽ ante oculos Apoſtolorum ſtatuit, & de illis loquitur ab illo loco: *Qui ſuſceperit vnum paruulum talem*, &c. Facile hi ſcandalizantur, id eſt, ad vitia incitantur, facto, vel dicto; ideo non ſcandalizandos, ſed magno cum virtutis exemplo educandos docet, illiſque grauiſſimum prædicit ſupplicium, qui exemplo, vel conſilio hos in vitia trahunt. Suprà verò docuit ſuſcipiẽdos ac iuuãdos ſpiritalibus corporalibuſque beneficiis. Aduerte tamen iuxta hanc ſententiam Chriſtum loqui de pueris credentibus, vt ex illis verbis eſt exploratum: *Qui ſcandalizauerit vnum ex his puſillis, qui in me credunt.*

Pueri non ſcandalizandi. *Matth. 18.* *Ibid.*

VÆ *mundo à ſcandalis.* In orbe numquam ſcandala de futura prædicit Dominus: O miſerum, inquit, mundum à ſcandalis, id eſt, propter ſcandala, quibus abundat, ſemperque abundabit, propter improborum hominum, ac dæmonum multitudinem. Neceſſe eſt enim vt ſint ſcandalizatores in mundo. hæc neceſſitas non eſt abſoluta, ſed ex hypotheſi: neceſſe eſt, vt veniant ſcandala, ſuppoſita hominum improbitate. Quemadmodum ait Paulus: *Oportet hæreſes eſſe, vt & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis.* eumdem in modum, oportet, ſiue neceſſe eſt ſcandala ab hæreticis & improbis hominibus, tum falſa doctrina, tum prauis operibus & perſecutionibus illata, eſſe in mundo, vt viri probi atque humiles probentur.

Matth. 18.

Scandala quomodo eſſe neceſſe ſit. *1. Cor. 11.*

VERVMTAMEN *væ homini illi.* Supplicium graue ſcandalizatoribus denũtiat. Neceſſe quidem eſt, vt ſcandala ſint in orbe, hominum conſiderata prauitate.

Matth. 18.

Chryſoſt.

prauitate. Attamen ô miſerum atque infelicem A ſcandalizatorem! grauiſſimas enim pœnas dabit. Generalis ſentẽtia eſt in omnes ſcandalizatores; ſed hac generali ſententia peculiariter Iudã percuti ſentit D. Hieronymus: Per generalem, inquit, ſententiam percutitur Iudas, qui proditioni animum præparauerat, &c. Sed Iudas hoc tempore nihil de proditione cogitabat.

Matth. 18. Remedium ad fugienda ſcandala.

SI *autem manus tua vel pes tuus.* Hæc verba ſuprà expoſita lib. 7. c. 19. Remedium indicat Dominus ad vitanda ſcandala, nimirum, fugiendos ſcandalizatores, etiamſi inſtar oculorum, manuum, vel pedum ſint cariſſimi, ſummẽve coniuncti, & maximè neceſſarij. Chryſoſtomus: Viam, ait, mõſtrauit Chriſtus, per quam ſcandala fugere poſſimus. B

Amici improbi fugiendi.

Praui homines, inquit Dominus, etiam ſi valdè tecum amore, aut neceſſitudine, coniuncti ſint, abſcindendi ſunt ab amicitia tua. Si cuius coniunctio ſaluti tuæ obeſt, reiice ipſum abs te. Nam ſi noſtra plerumque membra reſcindimus, cùm incurabili morbo ipſa tabeſcunt, & reliquis officiunt; multò magis in amicis atque cognatis, id faciendum, &c. Theophylactus: Per manum, pedem, & oculos intellige amicos. Si nobis noceant, oportet contemnere eos, vt membra putrida, & exſecare, ne & aliis noceant, &c.

Marci 9. Quid ſignificet ſaliri igne.

OMNIS *enim igne ſalietur.* Marcus ſic habet: *Si oculus tuus ſcandalizat te, eiice eum. Bonum eſt tibi luſcum,* id eſt, cum vno oculo, *introire in regnũ Dei, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Omnis enim igne ſalietur, & omnis victima ſale ſalietur,* &c. Difficile intellectu eſt, quid hæc extrema verba ſignificent. Euthymius ignem ait ſignificare ignem fidei, vel caritatis, hoc ſenſu: Omnis, inquit, fidelis igne fidei, quæ ad Deum eſt, vel caritatis, quæ eſt ad proximum ſalietur, vt putredinem abiiciat; vel condietur, vt ſuauis Deo reddatur, &c. Minus probabilis eſt ſenſus. Theophylactus ignem probationẽ, quæ per labores & afflictiones fit, interpretatur. *Omnis,* inquit, *igne ſalietur*: hoc eſt, probabitur, &c. Beda quoque de igne tribulationis exponit. ſenſus eſt: Dico eruendum oculum ſcandalizantem, abſcindendam manum & pedem; difficile hoc eſt, laborioſum, cum afflictione ac dolore coniunctum; ſed tolerandum. Nam omnis homo igne afflictionis D velut ſale cõdiendus eſt, vt Deo ſit grata victima. Quemadmodum in lege Leuit. 2. præcipitur, vt omnis victima ſale condiatur. hic ignis afflictionis temporarius, ab æterno igne, hoc ſal, ab æterno verme liberabit.

Damnatorum ignis.

Alij de damnatis interpretantur; eſtque ſenſus probabilior huiuſmodi: Vermis damnatorũ non moritur, & ignis non extinguitur. Omnis enim dãnatus victimæ eſt ſimilis, quæ occiditur. Quemadmodum verò omnis victima ſale aſpergitur, ita omnis damnatus igne, inſtar ſalis, ſalitur in tartaro. Quemadmodum hoſtes cæſi, ſic etiam damnati

Iſaiæ 34. Ierem 12.

cum victimis conferuntur. *Victima Domini in Boſra, & E interfectio magna in terra Edom,* &c. Ierem. *Tu Domine congrega eos quaſi gregem ad victimam, & ſanctifica eos in die*

Ierem. 46. Ezech. 39.

occiſionis, &c. Et, *Victima Domini Dei in terra Aquilonis,* &c. Ezech. *Concurrite vndique ad victimam meam, quam ego*

Ignis damnatorum eſt inſtar ſalis. Marci 9.

immolo vobis, &c. Indicat etiam Dominus perpetuitatem ſupplicij. ignis enim damnatorum eſt inſtar ſalis. *Omnis,* inquit, *igne ſalietur.* quemadmodum ſal non abſumit corpora, ſed conſeruat, ſic ignis tartareus non abſumit damnatos, ſed incorruptos comburit. Vſus eſt autem Dominus verbo, *ſalietur,* cùm de igne loquatur, propter ſimilitudinem victimæ. victima propriè ſalitur ſale; damnatus ad ſimilitudinem victimæ ſalitur igne.

Alia ſeſe mihi offert interpretatio non contemnẽda. Summa cum aſſeueratione Chriſtus hoc loco de tartareo igne locutus eſt, vt legenti liquet. His verbis Chriſtianos docet, huius ignis perpetuam habere memoriam ac meditationem, eoque veluti ſale, ad condiendas omnes actiones, & præſeruandum à putredine ſcandalorum animũ, vti. Ait igitur, *Omnis igne ſalietur*; quaſi dicat: Ignem vobis tartareum propoſui, ceteroſq; dolores cum eo contuli, omnis enim homo, qui Dei victima eſſe cupiet, hoc igne in memoria incenſo ſalietur; quemadmodũ omnis victima ſale ſalitur. Eſt enim æterni ignis meditatio ſal eximium, quo à peccatorum corruptione ac putredine homo præſeruatur. Victimã omnẽ ſale ſaliendam præcipit Dominus: *Quicquid obtuleris ſacrificij ſale cõdies, nec auferes ſal fœderis Dei tui de ſacrificio tuo. in omni oblatione offeres ſal,* &c.

Tartarei ignis meditatio animi eſt ſal.

Marci 9.

Leuit. 2.

VERMIS *eorum non moritur.* Hæc verba ex Iſaia ſumpta ſunt cap. 66. Quis hic ſit vermis immortalis, qui numquã moritur, dubium eſt. D. Auguſtinus lib. 21. de ciu. Dei cap. 9. permittit, vt opinemur in Orco vermes eſſe corporeos atque immortales: Eligat, inquit, quiſque quod placet, aut ignem tribuere corpori, animo vermẽ; autvtrumque propriè corpori. Iam enim ſuperius diſputaui, poſſe animalia in ignibus viuere per miraculum, &c. Probatur hæc opinio: *Humilia,* inquit, *valdè ſpiritum tuum, quoniam vindicta carnis impij, ignis & vermis,* &c. Et, *Dominus, omnipotẽs vindicabit in eis, in die iudicij viſitabit illos. Dabit enim ignem, & vermes in carnes eorũ, vt vrantur, & ſentiant vſque in ſempiternum,* &c. Cur (ait Aug. loco citato) dictũ eſt, *vindicta carnis impij,* niſi quia vtrumque, id eſt, ignis & vermis, pœna erit carnis, &c.

Marci 9.

Quid ſit vermis immortalitas?

Eccli. 7.

Iudith 16.

Alij vermem metaphoricè cõſcientiæ morſum appellari putãt, qui damnatos torquet. Beda Marci 9. In verme Dominus putredinẽ deſignat gehennæ, ſicut in igne ardorem. ſiue vermis dicit ſeram ſcelerum pœnitentiam, quæ numquã in tormẽtis conſcientiã afflictorũ mordere ceſſabit. Vt ignis ſit pœna extrinſecus ſæuiens; vermis dolor interius accuſans, &c. Procopius Iſaiæ 66. Vermis (inquit) appellatione, ſignificat Iſaias aſſiduã eorum, quæ ſinguli peccauimus, in pœnitendo conſcientiam; quæ tantorum bonorum priuatione animam remordens, ſuorum omnes ſcelerum recordatione accuſet, &c. Et D. Thomas 4. d. 50. q. 11. Vermis, inquit, eſt conſcientiæ remorſus; qui dicitur vermis, in quantũ oritur ex putredine peccati, & animam affligit, &c. Mihi propter locum illum ex lib. Iudith citatum, videntur vermes ad carnẽ etiam pertinere; *Dabit,* inquit, *ignem, & vermes in carnes eorum,* &c. Quid clarius dici poterat? ſignificatur ergo dolor pœnaque corporis, tum igne, tum vermibus. ignis proprius eſt, vermes non proprij.

Vermis conſcientiæ morſus.

D. Thom.

Iudith 16.

BONVM *eſt ſal.* Difficilis eſt horum verborũ cum ſuperioribus nexus. Ita videntur nectenda: dixerat Dominus damnatos ſaliendos igne, quemadmodum ſalitur ſale victima. Vel, dixerat ſaliendas actiones ignis tartarei meditatione, inſtar hoſtiæ Deo gratæ; iuxta ſenſus propoſitos. dixerat ex Leuitico omnem victimam ſale condiendã. Addit nunc, *Bonum eſt ſal:* ſumitq; ſal in alia ſignificatione pro prudentia. quaſi dicat: *Omnis victima ſale ſalietur;* vos etiam ſale ſaliamini. *Habete,* inquit, *in vobis ſal prudentiæ.* Bonum enim eſt hoc ſal, & appetendum, ac neceſſarium. *Quod ſi ſal,* id eſt, ipſa veſtra prudentia, inſulſa fuerit & imprudens, *in quo illud condietis?* id eſt, Si prudentia vos careatis, qui doctores orbis eſtis futuri, quis hominum illam vobis præſtare poterit? itaque habete in vobis ſal prudentiæ; & pacem habete inter vos, ne deceptetis imprudenter, quis inter vos ſit maior.

Marci 9.

Ibid.

Marci 9. Sale prudẽtiæ condienda verba & opera.

VIDE-

Matth. 18. Pueruli non contemnendi, id est, humiles.

VIDETE *ne contemnatis vnum ex his pusillis.* Vel de hominibus loquitur Dominus, de quibus suprà; vel de pueris ætate, hoc sensu: Ne contemnatis vel vnũ ex pusillis istis, paruulis ætate, aut alios similes. Vel ne contemnatis vnum ex iis, qui se in paruulos conuertunt. Qui opes, superbiam, mundum, seque ipsos contemnunt, à vobis ne contemnantur. Magni enim à Deo fiunt, adeò vt Angelorum illis custodiam tribuerit, qui Dei faciem semper intuentur. Aliter: Ne contemnatis vnũ ex his pusillis, quoniam Angelos habent, qui Dei vultum conspiciunt semper, possuntque in contemptores vindictam à Deo facilè impetrare. Quos seruant Angeli (ait Euthym.) hos despicere non oportet: etsi non propter illorũ virtutem, at saltẽ propter custodes eorũ, &c. D. Hilarius. Periculosè ille contẽnitur, cuius desideria & postulationes, ad Deum Angelorum ministerio peruehuntur, &c.

Angeli seruant paruulos.

D. Chrysostomus de Angelis excellentibus ac supremis, Christum hìc loqui existimat. significari autem ait hos Angelos esse præcipuos, quia dicuntur videre faciem Dei. Hìc, ait Chrysostomus, non simpliciter de Angelis dicitur; sed de Angelis excellentibus atque supremis. Nihil enim aliud designatur, cùm dicat Christus faciem Parris mei aspiciunt; quàm summa fiducia eorum Angelorum, & honor præcipuus, &c. Sed dicendum hoc loco loqui Dominum de Angelis custodibus, qui ex infimo sunt ordine Angelorum, non verò ex suprema hierarchia. Illud verò, *semper vident faciem Patris*: non significat præcellentiam, sed id quod omnibus beatis, tam Angelis, quàm hominibus commune est; vt semper Deum, intueantur. Semper autem intueri Angelos Deum etiam cùm in terra sunt, docet D. Greg. Iob cap. 1. ad illa verba: *Cùm veniissent filij Dei, vt assisterent coram Domino.* Et Bernardus ser. 5. Dedicationis Ecclesiæ: Angeli, inquit, simul & mittuntur in ministerium, & assistunt vultui maiestatis. Sic paruulorum custodiæ deputati, vt non priuati vllo modo beatitudine sua, &c.

Chrysost.

Custodes Angeli Deũ semper cernunt.

Matth. 18.

Iob 1.

Matth. 18. VENIT *enim Filius hominis saluare quod perierat.* Docuit Dominus non esse contemnendos paruulos. hoc probauit: Quia, inquit, Angelos habent custodes. Nunc altera ratione idem probat: nimirum, quia propter illos Deus incarnatus est, mortẽq; subiit, *Venit enim Filius hominis saluare quod perierat;* id est, hos paruulos, qui perierant. Venit, inquam, saluare per crucẽ ac mortẽ. Quos Deus venit saluare, eos nemo contẽnere, sed magnificare; nemo scãdalizare, sed ab omni offẽdiculo debet liberare.

Quos Deus venit saluare, nemo debet contemnere.

Matth. 18. SI *fuerint alicui centum oues.* Ostendit similitudine quadam, ita sibi omnium pusillorum salutem curæ esse, vt ne vnum quidem ex illis velit perire. Quemadmodum, inquit, pastor, qui centum habet oues, ne vnam quidem ex eis vult amittere; quòd si aliqua à grege aberrrauerit, ceteris nonaginta nouem relictis illam vnam quærit. Sic Deus, ne vnum quidem ex his pusillis vult perire. Quòd si aberret, ad se reducere curat. Lege Chrysostomum homil. 5. aduersus Iudæos in fine, qua docet peccatores esse quærendos.

Ibid. GAVDET *super eam.* Pastor ex vnius ouis inuentione maius percipit gaudium, quàm ex aliarum omnium conseruatione: maius, inquam, gaudium actuale ac nouum. Hac parabola vtitur Dominus Lucæ 15. nos copiosius eam suo loco explicabimus.

Luc. 9. & Marci 9. VIDIMVS *quemdam in nomine tuo eiicientem dæmonia.* Cùm Christus verba de suscipiendis paruulis faceret, ait Marcus respondisse Ioannem: *Vidimus quemdam,* hominem, *in nomine tuo,* videlicet, in nomine Iesu, *eiicientem dæmonia, qui non sequitur nos; &*

Historia de Ioãne sitne huius loci.

A prohibuimus eum. Quorsum hoc Ioannes nunc dixerit, quæritur. Dicet aliquis hanc historiam extra suum esse locum, obiterq; hic à Marco insertam, quamobrem non esse rationem inuestigandã, cur Ioannes hoc dixerit. At verò quis sibi persuadeat Marcum verba Christi interrupisse, vt quæ alio tẽpore Ioannes dixerat, interfereret? Nonne multo commodior alius locus sese obtulisset? Sanè si huius loci non fuisset historia, Marcus sermonem Christi absoluisset; postea verò historiam scripsisset. Adde, non solùm Marcum, sed etiam Lucam eumdem tenuisse ordinẽ, & post illa Christi verba, Ioannis verba subiecisse. quod indicat rei gestæ, & dictorũ contextum, & seriem. Respondetur, Ioannem motum illis verbis Christi: *Quisquis vnum ex huiusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit,* &c. narrasse Christo se prohibuisse hominem eiicientem dæmones in nomine eius; vt sciret, an rectè egisset. *Marci 9.*

ET *prohibuimus eum.* Homo hic eiiciebat dæmones in nomine Iesu; idque fortè didicerat ab Apostolis. Prohibitus autẽ est ab Apostolis, quòd ignotus illis esset, nec sequeretur Christum. Qui (inquit Ioannes) non sequitur nos. hęc fuit causa. Vnde Theophylactus, Non zelotypia, aut inuidia ductus Ioannes, prohibuerat illũ; sed volens omnes, qui inuocant nomen Domini Iesu, sequi ipsum, & vnum esse corpus omnes discipulos, &c. Nonnulli fuisse aiunt infidelem. Fortè fide & charitate præditus, nomine Iesu inuocato, dæmones pellebat; attamen non sequitur Christum, hoc est, non erat ex discipulis notis. sed potuit esse fidelis incognitus discipulis, cognitus Christo. Quamuis enim miracula per iniquos homines fieri possint, Matthæi 7. tamen tempori illi, vt per improbos eiicerentur dæmonia in nomine Iesu, non erat conueniens. Euthymius Marci 9. fidelem fuisse putat, sed amore inanis gloriæ ductum. Quidam, inquit, eorum qui crediderãt, gloriæ amore capti, imitabantur Apostolos, & per inuocationem nominis Christi, expellebant dæmones. Non sequebãtur tamen propter continentiam, & asperũ viuendi modum ipsorum, &c. Theophylactus: In principio, inquit, prædicationis, quidam vanæ gloriæ studio capti, voluerunt & signa facere. Videntes autem nomen Iesu multum valere super infirmos, hoc dicebant, signaque faciebant. Alioqui gratia diuina indigni. Volebat enim Christus dilatare prædicationem, etiam per indignos. hæc ille. Lege Act. 19.

Marci 9. & Luc. 9.

Ioannes cur hunc prohibuerit facere miraculum.

Euthym.

Theophyl.

NOLITE *prohibere.* Præcipit Apostolis, ne deinceps similes homines prohibeant. Rationem reddit, *Nemo est enim, qui faciat virtutem,* id est, potentiam, miracula, *in nomine meo; & possit citò malè loqui de me,* &c. hoc est, nolite prohibere huiusmodi dæmonum expulsores, qui in nomine meo dæmones abigunt. Etenim qui in nomine meo miracula faciunt, non possunt citò, & facilè, mihi detrahere, imò me laudabunt, meamque potentiam agnoscent & confitebuntur.

Marc. & Luc. 9.

Marci 9.

QVI *enim non est aduersum vos, pro vobis est.* Secunda ratio: Qui vobis non aduersatur, imò in nomine magistri vestri dæmones eiicit, pro vobis est, vestrum agit negotium, vobis auxiliatur. huiusmodi homines nequaquam vobis aduersantur; ergo vobis opitulãtur, à vobis stant, non ergo sunt prohibendi. Videntur verba hæc illis aduersari, quæ à Domino dicta sunt: *Qui non est mecum, contra me est.* At minimè aduersantur. Illis enim locis de diabolo sermo est, hoc loco de homine, qui dæmones eiiciebat. Præterea videtur hæc verba veluti prouerbia fuisse vulgi. *Qui non est mecum contra me est.* videlicet, quia mihi non fert opem. Nam qui indigenti non fert opem, cùm possit, & indigere sciat; contra

Luca 9.

Matth. 12. & Luca 11.

eum

Luca 9. eum esse videtur. Item: *Qui non est aduersum vos, pro vobis est.* scilicet, quia vobis non repugnat, imò fauet. cùm in nomine meo eiiciat dæmonia. Hæc duo prouerbia vsurpauit Dominus locis indicatis: ea verò vt loca ipsa in quibus vsurpantur, postulant, sunt explananda.

CAPVT XXXIV.

Morale.

De maiore in regno cælorum.

Superbia in cælo inuasit Angelos. SVPERBIA in cælo inuasit Angelos, in terra Christi discipulos. disputarunt in via (vt Marcus ait) quis eorum esset maior. Superbiæ est primatum expetere. superbus ceteris prior ac maior

Plutar. esse cupit. De Crasso sic scribit Plutarch. in Crassi vita. Non satis esse putabat, si inter tot hominum millia, præ ceteris excellentissimus haberetur. Sed quia duobus tãtùm (videlicet Pompeio & Cæsare) aliquantò videbatur inferior, omnia sibi deesse arbitratus, tantas res aggredi non dubitauit,

Superbia primatum expetit. &c. Non dubitauit ille aggredi tãtas res, id est, bellum Parthicum, in quo victus & interfectus est. De Cæsare idem auctor in vita Cæsaris: In transitu, inquit, Alpium, cùm quoddam barbarorũ oppidum paucis admodũ ac mœstis habitatum incolis, præterueheretur, comites eum ioco & risu ita percontati tradũtur. Num hîc aliquas esse putas principatus ambitiones, dignitatumque certamina, &

Cæsaris dictum superbissimum. mutuam inter se potẽtium inuidiam? Quibus Cæsar seriò; Malem equidẽ, inter ipsos primus, quàm inter Romanos esse secundus, &c. Vidésne quanta primatus cupiditate Cæsar teneretur? Malebat in vili pago, inter ignobiles, nulliusque pretij homines, esse primus, quàm Romæ inter viros nobilissimos esse secundus. Huc illud spectat:

Lucan. lib. 1
Te (ô Cæsar) iam series, vsusque laborum
Erigit, impatiensque loci fortuna secundi.
Nec quemquam iam ferre potest, Cæsárve priorem,
Pompeiusque parem, &c.

In lucifero angelo exemplum habes. Non satis illi fuit inter innumerabilia Angelorũ millia esse

Igni similis superbia. præcellentissimum; similis Deo esse voluit. *Ascendam,* inquit, *super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.*

Esaiæ 14. Superbia similis igni est. Ignis sursum semper ascendit suapte natura; deorsum numquã descendit, nisi coactus. sic superbia ascendere cupit semper; sed descendere cogitur. Ascendere optabat Luciferi superbia. *Ascendam,* inquit, sed descendere

Isaiæ 14. compulsa est. sequitur, *Verumtamen ad infernũ detraheris, in profundum laci, qui te viderint, ad te inclinabuntur,* &c.

Matth. 18. ET *efficiamini sicut paruuli.* Amplissimum quidem est cælorum regnum, sed angustam habet portam, iuxta illud: *Quam angusta porta & angusta via est,*

Matth. 7. Angusta cæli porta non capit superbos. *quæ ducit ad vitam!* Non capit angusta, humilisque porta, nisi paruulos & humiles. ideoque Dominus: *Nisi efficiamini,* inquit, *sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Humilitate (ait Ambrosius serm. 11.) peruenitur ad regnum; simplicitate penetratur ad cælum. Quisquis ergo cupit diuinitatis tenere fastigia, humilitatis ima sectetur, &c. Angelos superbos è cælorum regno Deus deturbauit: numquid hominem superbum in cælo collocauit? minimè. Bernardus ser. 2. de verbis Isaiæ: Qualem, ait, putas necesse est hominẽ inueniri, qui repudiati locum

Superbia in homine, qui cupit saluari reperiri non debet. Angeli sortiatur? planè immunem ab omni iniquitate, sed ab ea maximè, quæ in ipso Angelo iuuenta est, ad odium sempiternum (id est, superbia.) Semel turbauit superbia regnum illud, cõcussit mu-

ros, etiam prostrauit ex parte, & parte non modica. Quid ergo? facilè ne deinceps admittenda videtur? Numquid nõ odio ciuitas illa, & vehementer huiusmodi pestem abominatur? Certi estote fratres, eum qui superbis non pepercit Angelis, nec hominibus parciturum. Sola ei placet humilitas, siue in Angelo, siue in homine. sic Bernardus.

Matth. 18. Qui vult esse magnus fiat paruulus. HIC *est maior in regno cælorum.* Quicumque (inquit Dominus) humiliauerit se sicut paruulus iste, hic maior est in regno cælorum. Magnitudo, siue maioritas, vt ita dicam, in paruitate latet. Qui magnus esse vult fiat paruulus, & erit magnus.

Greg. Augusti. D. Greg. epist. 38. lib. 4. Humiliemur in mente, si ad solidam conãmur peruenire celsitudinẽ, &c. Aug. serm. 213. de temp. Esto (inquit) paruus in oculis tuis; vt sis magnus in oculis Dei, &c. & serm. 10. de verbis Domini; Magnus esse vis? à minimo incipe. Cogitas magnam fabricã construere celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis, &c.

Asinaria mola, cuius Dominus meminit, magna est mole: pretiosus verò lapis, smaragdus, adamas, vel pyropus, paruulus est. si tamen pretium consideras, multò maior est pretiosus lapis, quàm mola asinaria. Eumdem in modũ superbi, qui instar asinariæ molæ à superbis & asinariis desideriis circumaguntur, magni sunt externa mole, diuitiis, honoribus, magno comitatu. At verò si internam spectes molem, verumque pretium, humiles paruuli multò illis maiores sunt, multò præcellentiotiores. Imò hi verè magni sunt, illi paruuli. Non

Magna mõles non facit magnũ hominem. enim externa moles magnum facit hominem, sed interna. Si pusillus aliquis homo altis soccis siue calceis indutus, magnã præ se ferret altitudinem; nihilominus pusillus esset, non magnus. Similiter superbus, etsi diuitiis honoribusq; veluti altis soccis impositus, altus magnusque videatur; nihilominus si humilitate caret, pusillus homuncio est & minimus. Egregiè D. Chrysostom. hom. 1. in epist.

Chrysost. priorem Pauli ad Corinthios: Est, inquit, quispiam altus statura corporis, alius autem cùm sit breuis, acceptis calceis fit altior. Quem ergo vocamus altum & magnum? An non eum, qui ex se habet altitudinem? Ille enim hoc habet alienum, & iis, quæ sunt parua ascensis, sic fit altus. Quod multis accidit hominibus, qui pecuniis & gloria se efferunt. Quod quidem non est altitudo. Est enim altus, qui nullis eorum indiget, sed omnia despicit, & à seipso habet magnitudinem. Simus ergo humiles, vt efficiamur alti. Hæc Chrysostomus.

Magnitudo interna cõsideranda, nõ externa. Internam virtutem, non externam rerum caducarum magnitudinem spectãdam docet. Diuus Basilius hom. 21. in aliquot Scripturę locos, his verbis: Quid quæso ab externis probas homines, præcordia verò mentemque minimè curas? Bel externè quidem æs habuit, lutum verò sub ære fulgente absconditum. Si illustres in vita videris, considera æs esse apparens, intus cœnosa omnia. Contra verò quidam aurum intus habent, exteriore testa circundatum, hoc est, thesaurum in vasis fictilibus absconditum, &c. De Bel idolo lege Dan. 14. *Iste,*

Dan. 14. inquit Daniel, *est extrinsecus luteus, & forinsecus æreus,* &c. huic similis est superbus. humilis verò aurum habet in fictili latens vase.

Marci 9. Cur puerũ complexus est Dominus. COMPLEXVS *eum.* Puerum complexus est Dominus, quo complexu, quàm sit innocentiæ, simplicitatis, humilitatisque amator indicauit. Quod complectitur Christus puerum (ait Beda) significat, humiles suo dignos esse complexu ac dilectione, &c. Quemadmodum matres grandiores filios à lacte depellunt, neque brachiis & sinu gestant; paruulis verò & vbera præbent & sinum atque cõplexum. Ita Dominus eos, quos grandiores

superbi-

Humiles complectitur Christus, superbos reijcit. Cant. 1. Psal. 130.

superbia fecit, ab amplexu reiecit suo, vberibusq; illis, de quibus legitur: *Meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.* Puerulos autem, id est, humiles, suauissimo pascit lacte. *Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam: sicut ablactatus est super matre sua, ita retributio in anima mea.* hoc est, Si superbus fui, hæc sit mihi retributio, hoc supplicium; instar ablactati pueri, à lacte tuo me depelle Domine. Huiusmodi paruuli fuere Apostoli, qui lactentes appellantur. Etenim diuinæ sapientiæ lacte nutriti,

Psal. 8.

orbem docuerunt. *Ex ore infantium & lactentium perfeciſt: laudem, propter inimicos tuos, vt destruas inimicum & vltorem,* &c. hoc est, Ex ore Apostolorum, qui in infantes paruulos sese conuerterunt: & lactentium, qui sapientiæ tuæ vberibus lactati sunt: perfeciſti laudem tuam, & Euangelium per totum orbem, B hostibus deuictis promulgasti.

Scandalis, & laqueis plenus est mundus Matth. 18.

Væ *mundo à scandalis.* Scandalis mundus plenus est, laqueis, offendiculis. Iter in cælum oculis vigilantibus oportet facere, & omnia circumspicere, ne impingamus in offendiculũ aliquod, néve in laqueum aliquem incidamus. Scandalum imminet nobis à dæmonibus, ab hominibus, à nobis ipsis, à diuitiis, honoribus, & voluptatibus. Si quando domus paries cadit, dispergũtur in platea lapides scandalumque, & offendiculũ sunt transeuntibus.

Dæmonum scandala.

Cecidit cælestis ciuitatis ingẽs paries, id est, Angeli plurimi, siue dæmones: hi per orbem viamque nostram dispersi sunt, scandalumque & offendiculum iter in cælum agentibus præbent. Non solùm in lapides impingimus, sed etiam in serpentes & C dracones. Etenim sunt aspides, basiliſci, leones, & dracones in via locati, qua facimus in cælum iter, quos viri fortes atque humiles conculcant, iuxta

Psal. 90. Lucæ 10.

illud: *Super aspidem & basiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem,* &c. Consonat illud Christi, *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem,* id est potentiam, *inimici.* illud

Rom. 16.

quoque Pauli: *Deus pacis conteret satanam sub pedibus vestris velociter,* &c. Scandalum parat satanas pedibus tuis, tu illum sub pedibus contere ac conculca velociter, vbi primùm ad te accedit: nulla sit in tentatione mora, velociter conculca hostem. In velocitate magna est pars victoriæ. Lege D. Basilium

Dæmon iter in cælum obsidet.

hom. 21. in aliquot Scripturæ locos: Ne sequere, inquit, dæmonem, neque commercium cum illo vllum susci pe. Prima iactura minime contentus, se- D cundas etiam excogitat vias, cursum nobis ad beatam vitam obstruẽdo: quando murus est quidam, & impedimentũ nobis iter facientibus innumeræ sunt ipsius remoræ, quibus nos impedit, &c.

Hominum scandala. Gen. 49.

Præterea homines etiam, amici, & inimici, scandalum sunt in via cæli, quibus illud congruit, *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita,* &c. sunt enim amici improbi, vel inimici, colubro, vel Ceraſtæ serpenti similes, in via cæli insidiantes. Addit: *Mordebit vngulas equi, vt cadat ascensor eius retrorsum.* Equus animi corpus est, ascensor, & rector, ipse animus. Inimici equum, id est, corpus, contumeliis, odiis, & in-

Ibid.

iuriis: amici prauis consiliis, prauoque exemplo E mordent, ascensoremque, id est, animum, in peccatum deiicitur. Ad hæc: Nos ipsi nobis scandalum sumus, oculus noster scandalizat nos, sensusque, & appetitiones effrenatæ: laqueũ portamus, quod est corpus nostrũ, vt Bernardus ait Psal. 90. Ipsum corpus laqueus quidam est. Vnde Threnorum 3. oculus legitur animam deprædari. Minimè ergo decet esse securum hominem: qui secum portat laqueũ suum. Sic Bernardus. Laqueus hic multos habet laqueos, videlicet sensus, atque affectus. Denique diuitiæ, honores, voluptates, scandala sunt. Sæpe enim in hæc impingunt homines, & cadunt.

Nos ipsi nobis sumus scandalum.

Corpus est laqueus.

A Si *oculus tuus scandalizat te.* Plenus est mundus scandalis. *Væ mundo à scandalis:* ait Dominus, id est, propter multitudinem offendiculorum. Quis ergo poterit euadere tot laqueos, tot scãdala? Respondetur: Mortificatio, æternúq; supplicij consideratio: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum* (ait Dominus) *& proijce abs te,* &c. hoc efficit mortificatio. Illa enim oculum scandalizãtem eruit, pedem, manumque abscindit. Mortificat, ac refrænat oculos, ne scandalizentur, pedes, manus, sensus, affectusque omnes cohibet. Gladium habet spiritalem, quo cadendi occasiones resecat vniuersas. *Mortificatio scandala laqueo ꝙ effugat. Matth. 18.*

Præterea æterni ignis frequens meditatio scandala tollit. Quamobrem Dominus postquam erui oculum, manus, pedesque abscindi, id est, cariſſima quæque, quæ scandalũ pariunt resecari, præcepit, B maxima cum assèueratione, & repetitione addit: *Melius est tibi, cum vno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur,* &c. ter Christus hæc verba repetiuit: Vnde Augustinus lib. 21. de ciuitate Dei cap. 9. Non piguit, inquit, Dominum eadem verba vno loco ter dicere. Quem non terreat ista repetitio, & illius pœnæ comminatio tam vehemens, ore diuino? &cæt *Æterni ignis meditatio scandala tollit. Mar. 9. Augusti.*

Omnis (inquit Dominus) *igne salietur.* Egregium sal est æternus ignis, si memoria, & consideratione omnibus actionibus inspergatur. Condit verba, cogitationes, operaque omnia, scandalorum peccatorumque putredine carnem nostram liberat, C vitiorum vermes abigit. *Descendant in infernum viuentes:* dicitur descende viuens in infernum: ne descẽdas moriens. Descendes autem viuens, si æternas flamas sæpe cogitatione versaueris. Volucres laqueos velado fugiunt, homines tartareũ ignem considerando, & de illius æternitate ratiocinando. Quod auibus alæ, id hominibus sunt sanctæ cogitationes, & ratiocinationes. Vnde Chrysostomus homil. 15. ad populum. Propterea, inquit, alæ sunt hominibus, vt peccata fugiant, &c. *Marc. 9. Ignis æternus sal vitiorum vermes abigẽs. Psal. 54.*

Et egredientur, & videbunt cadauera virorum, qui præuaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. & erunt vsque ad satietatem visionis omni carni, &c. Hæc de tartareis intelliguntur suppliciis. Egrediẽtur sancti viri non loco (ait Hieronymus) sed intelligentia, & impiorũ videbunt tormenta. D Tu quoque egredere è mũdanis occupationibus, ac futilibus, cadauera siue corpora damnatorum, mentis oculis flammis succensa cerne, vermes, à quibus corroduntur, æternumq; ignem, qui numquam extinguitur, considera. Hæc si consideres, scandala, peccataque effugies. Ne verò leuiter, ac negligenter hæc meditare, sed intellectum satia huiusmodi meditatione, & vilissima visione. *Erunt* (inquit) *vsque ad satietatem visionis, omni carni,* &c. Vis à verme illo tartareo, qui numquam moritur præseruari? Sale te insperge. sal enim à vermibus carnem præseruat. Sal autem ignis est æterni meditatio: iuxta illud Domini: *Omnis igne salietur,* &c. *Isaiæ 66. Hieron. Meditatio ignis frequens, qua intellectum satiet. Isaiæ 66. Marc. 9.*

Ad hæc: Si scandala vis fugere, de mundo exi. E Mundo enim Væ dicitur à scandalis; id est, exi de cupiditatibus sæculi. Vnde Origenes tract. 5. in Matthæum: Et si, inquit, mille sunt scandala, non tangunt eum, qui non fuerit ex hoc mundo, &c. item: Si volumus declinare hoc, *Væ mundo;* suscipiamus in nobis Apostoli affectum dicentis: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo,* &c. *Mundus fugiendus.*

Svspendatvr *mola asinaria in collo eius.* Molam asinariam in sensu tropologico, censet Augustinus lib. 1. quæstionũ euangelicarum c. 24. significare rerum temporalium cupiditatem. Et D. Gregorius lib. 6. Moral. cap. 16. Quid, inquit, per *Cupiditas mola asinaria. Matth. 18.*

mare niſi ſæculum, quid per molã aſinariam, niſi actio terrena ſignatur? &c. Merttò ab Auguſt. cupiditas mola aſinaria dicitur,& à Gregorio terrena actio cupiditas enim effrænata caducarum rerum, veluti mola eſt aſinorum, id eſt, ſtultorum hominum;quę ex collo ſuſpenſa,põdere ſuo hominem imprudentem,in mare amariſſimum, id eſt, tartarum trahit; & in pelago vitiorum ſic mergit, vt nolit emergere. Quemadmodum ſolent diuites collo aureos torques appendere; ſic viri iuſti,animi collo appendunt aureum caritatis torquem, cæterarum virtutum illuſtratum gemmis fulgentibus. At imprudẽtes,pro gemmato virtutum torque, aſinariam ferunt molam, id eſt,aſinariã,inſanamque,& põderoſam cupiditatem; quæ rectè aſinaria appellatur, quia ſtultorum eſt. Vt enim (ait Augu. loco citato)huic molæ,id eſt,cupiditati ſtulti,& cæci colligantur,&c. Origenes tract.5.in Matthæum,aſinariam molam appellat improbi hominis carnẽ, & corpus, quod ſuo pondere trahit hominem in res infimas. Aſinaria,inquit, mola, non irrationabiliter dici poteſt, corpus grauiſſimum hominis mali, quod ſemper deorſum trahit, &c. Hęc aſinaria mola in die iudicij ſuſpẽdetur ex collo impij animi,& ſtulti,& demergetur in profundũ maris,id eſt,in Orcum. Origenes idem: Corpus,inquit in reſurrectione ſuſcipiet vnuſquiſque peccator, vt demergatur in abyſſum, quæ dicitur profundum maris, &c.

Caro mola aſinaria.

Matth.18. ANGELI *eorum.* Væ mũdo à ſcandalis, ait Chriſtus, quoniam ſcandalis plenus eſt. Vt igitur ab ſcandalis liberemur, Angelorum dat auxilium. *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*, &c. Lapis offendiculum ſignificat, vel ſcandalum,in quo pes læditur. Præcepit Deus angelis,vt cuſtodiant nos. Illi verò velut in manibus nos portant, ne fortè ad lapides in via iacentes, id eſt, ſcandala pedẽ offendamus. Propterea à Angeli hominũ dicuntur. *Angeli*, inquit, *eorum*. Sunt Angeli Dei: ſunt Angeli hominũ: ſunt Angeli Michaelis: ſunt etiam Angeli draconis. iuxta illud, *Michael & angeli eius, præliabantur eum dracone, & draco pugnabat, & angeli eius.* Angeli Dei dicuntur, quoniam à Deo creati ſunt, Deoque ſeruiunt, atque adhærent. Angeli hominũ appellãtur, quia homines cuſtodiũt. Angeli Michaelis,quia Michaelẽ ducẽ ſequuntur. Angeli Draconis,quia Draconi tartareo,in dracones ſæuos ex Angelis mutati, obtemperant.

A ſcandalis liberant nos angeli. Pſal.90.

Angeli Dei, Angeli hominum, angeli D. Michaelis. Apoc.12.

Angeli cum creati ſunt, protinus gratia ſunt exornati.

Primum opus Dei, cælum fuit empyreum Angelis plenum, natura ſpiritali,gratiaque fulgentibus. Etenim in ipſa creatione gratię fulgore donati ſunt. Angelos ait D. Baſil. Pſal.32.) initio vt eſſent, Verbum condidit: ſanctificationẽ verò ſimul impendit Spiritus Sanctus,&c. item: In prima conſtitutione,& quaſi quadam conſperſione ſuæ ſubſtantiæ, ſimul infuſam habuere ſanctitatem, &c.

Iſaiæ 14. *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris?* ait Iſaias. Mane oriebatur Lucifer, gratia fulgidus. Hebraicè legitur, בן שחר, ben ſchachar, id eſt, *filius Aurorę*. Filius erat auroræ nõ noctis, in luce gratiæ, in ipſa mundi aurora, ante ceteras conditus creatutas, cum reliquis Angelis. Gratiam omnes habebant: in regnum cælorum, id eſt, beatificam viſionem, paulò poſt ingreſſuri erant. At plurimi non ſunt ingreſſi. Quæ cauſa? quia paruuli eſſe noluerunt, quia datis à Deo donis intumuerunt. Noluerunt effici paruuli, facti ſunt diaboli, ſerpentes, & dracones. Nam ipſis etiã Angelis verũ eſt, quod *Matth.18.* Chriſtus ait: *Niſi efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnũ cælorũ*. Superbia ſuperbos angelos è cælo præcipitauit, humilitas in cælo humiles conſeruauit.

Angeli ſuperbia è cælo præcipites dedit.

Cecidere è cælo ſuperbi angeli, cecidere fulmina,& flammæ,cecidere laquei,hominumque ſcandala. Solet cælum in terras pluuias mittere ſalutares; at hæc de cælo decidens dæmonum pluuia fuit peſtilentiſſima. *Væ terræ, & mari*, dicitur Apocalyp. *quia deſcendit ad vos diabolus,habẽs iram magnam*,&c. Quæ peſtilentior, quàm pluuia dæmonum excogitari poteſt? non aquæ guttæ è cælo, ſed dæmones, ſerpẽtes, & dracones tunc cadebant. Væ terræ, væ hominibus, *Væ mundo à ſcandalis*. Angeli verſi ſunt in ſerpentes, in laqueos hominum, inſcandala. Sed ne deſpondeamus animum, aduerſus malos angelos bonos Agnelos dedit nobis, Deus aduerſus tartareos oppugnatores, cæleſtes dedit defenſores. E cælo ceciderunt hoſtes; è cælo venit auxilium. *Angeli eorum* (ait Dominus) *ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt.*

Apoc. 12.

Dominum è cælo pluuia terra inimica. Matth. 18.

Ibid.

De cuſtodibus Angelis.

Angeli, inquit, eorum ſcilicet, defenſores, tutores, cuſtodes, aduerſus angelos malos, eorũ oppugnatores, hoſtes, tentatores. Bernard. in Pſal.90. Etſi tam paruuli ſumus, quid tamen ſub tantis cuſtodibus timeamus? Nec ſuperari, nec ſeduci poſſunt, fideles ſunt, prudentes, potentes ſunt; quid trepidamus? &c. item: Quàm facilè tranſit, qui Angelorum portatur manibus, quàm ſuauiter iuxta vulgare prouerbium natat, cuius alter ſuſtinet mentum, &c. Cur autem nos Angeli libenter cuſtodiant, tres cauſas reddit idem ſanctiſſimus pater in ſermone de D. Michaële: Propter Deum, inquit, cuius ergo nos miſericordiæ viſcera imitantur. Propter nos, in quibus propriam ſimilitudinem miſerantur: conſtat enim humanas animas angelicæ cognatas eſſe naturæ. Propter ſe ipſos, quorum ordines inſtaurandos ex nobis toto deſiderio præſtolantur. ſic ille.

Matth. 18

SEMPER *vident faciem Patris*. Quamuis Angeli homines cuſtodiant in terris, tamen vbicumque ſint, Dei faciem intuentur. Angeli (ait Cardinalis Petrus Dam. in ſerm. de S. Michaele) etiam cum mittuntur, non fraudantur gloria viſionis. Quia vbique occurrit diuinitatis eſſentia, &c. Hac in re vtinam hi, qui cuſtodiuntur homines, cuſtodes ſuos imitarentur Angelos. Fælix qui vbicumque eſt, Dei faciem intuetur. Angelus perſpicuè, & abſque velo cernit, homo cernat per fidẽ. Egregium ad fugienda ſcandala & peccata remedium eſt, Deum omnia intuentem, in omnibuſque locis præſentem, fidei oculis, omnibus in locis intueri. Auguſtinus ſermone 113. Magna eſt cautela peccati, Dei ſemper præſentiam timere. &c. Item: Qui erubeſcit in conſpectu hominis peccare, quantò magis dignum eſt, quòd erubeſcat in conſpectu Dei iniquitatem agere, qui non ſolùm opera, ſed & corda conſiderat? &c. Præterea, Homo, inquit, ſapiens in omnibus operibus ſuis Deum metuit: ſciens ſe eius numquam effugere præſentiam. hæc Auguſtinus.

Dei præſentiam ſemper intueri, eximium aduerſus vitia ſcandala eſt remedium.

Alia etiam in re imitandi ſunt cuſtodes Angeli, videlicet in cuſtodiendis, & à peccato liberandis hominibus. Angelicum eſt (ait Theophylactus Hebr. 1.) mortalium ſaluti inſeruire, &c. Vnus Angelus vnum cuſtodit hominem. ſi non potes multos, ſaltem vnum tu quoque cuſtodi. Lege Chryſoſtomum homilia 3. in epiſtol. 1. ad Corinthios: Ne, inquit, quoniam orbem terrarum non potes ſeruare, etiam paucos deſpice. etſi non poſſis centum, decem curam geras, & ſi non poſſis decem, ne quinque deſpicias: & ſi quinque non poſſis, vnum noli deſpicari, &c.

Angelicum eſt homines cuſtodire. Theophyl.

Chryſoſt.

CAP.

CAPVT XXXV.

De correctione fraterna.

MATTHÆVS CAPITE XVIII.

SI autem peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum. si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum vel trium testium, stet omne verbum. Quòd si non audierit eos; dic Ecclesiæ. si autem Ecclesiã non audierit: sicut tibi sicut ethnicus, & publicanus. Amen dico vobis, quæcumq; alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumq; solueritis super terram, erunt soluta & in cælo. Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcũq; petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis est. Vbi enim sunt duo, vel tres cõgregati in nomine meo, ibi sum in medio eorũ.

Matth. 18. SI *autem peccauerit in te frater tuus*. Postquam de scandalis egit Dominus, de correctione agit fraterna peccantiũ. Dubiũ est, quid significent hæc verba: *Si peccauerit in te*. Quidã sic interpretantur: si peccauerit in te; id est, te sciente. At Christus de eo loquitur, qui nos læsit vt ex consequẽtibus patet, videlicet, ex interrogatione D. Petri; *Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei?* & ex parabola à Christo proposita. itẽ ex Luc. 17. Est ergo sensus, si peccauerit in te: hoc est, si te aliqua in re læserit, & offenderit frater. Glossa interlin. sic exponit: si te iniuria, vel cõtumelia affecerit. De fratre nos lædente interpretatur Chrysost. in Matth. & hom. 70. ad populum, Hilarius, Theophylactus, Hieronymus in Matthæum, Augustinus serm. 16. de verbis Domini, Beda, D. Thomas Matthæi 18. Caietanus, Iansenius, Arelatensis in libro de correctione fraterna conclusione 2. latissimè.

Quid significent verba, Si peccauerit in te.

Matth. 18.

Matth. 18. CORRIPE *eum inter te, & ipsum solum*. Corripi iubet fratrem lædentem: Primùm secretò, remotis arbitris, toties quoties opus fuerit, vt resipiscat. Corripiendus quoque est frater, id est, proximus, etiam de crimine, quod nos minime lædit. Sed de correctione fraterna agere ad scholasticos pertinet doctores: nos pergamus. Quæres: Christus vult nos dimittere peccantibus in nos, iuxta illud, *Dimitte, & dimittemini*. Cur igitur nunc iubet illos corripere, & Ecclesiæ peccata renũtiare? Respondetur; Velle Christũ duo, tum vt dimittamus; tũ vt eorum, qui nos offenderunt curam geramus. Possumus enim dimittere peccãtibus in nos, ita tamẽ, vt in peccato illi non perseuerent. Ideò Dominus iubet, vt remissioni correctionẽ etiam adiũgamus, qua is, qui nos læsit à peccato commisso liberetur.

Christus postulat vt dimittamus, & corripiamus. Luca 6.

Matth. 18. LVCRATVS *eris fratrem tuum*. Hic finis est correctionis fraternæ, fratrẽ peccato perditũ lucrari. Si te audierit, id est, si tuis obtẽperarit monitis, & se correxerit, fratrẽ lucraberis. Quòd si te nõ audierit secretò corripientẽ, seq; minimè correxerit, adhibẽdi sunt alij admonitores, & correptores.

Finis correctionis.

Matth. 18. ADHIBE *tecum adhuc vnum, vel duos*. Remedia alia adhibenda indicat Dominus, ad emendandum fratrem. Si prima admonitio, & correptio non prodest, vnus vel duo sunt assumendi correptores, vt iuxta legem Deut. *in ore duorum, vel trium stet omne verbum*. id est, vt duobus, vel tribus testibus omnis res stabiliatur. Vt Hieronymus ait, adhibendus est primùm vnus, si illum non audierit, tunc adhibẽdus est alter. Quorsum sunt ij auxiliatores adhibẽdi? Respondet D. Hieron. adhibẽdos, vel corrigẽdi studio, vel conueniendi sub testibus. Chrysost. vt testetur læsum feciſſe, quod debuerat,

Deut. 17. & 19.

Quorsum adhibendi alij correctores.

A scilicet admonuisse peccatorẽ per se, & per alios. idem vult Euthym. addit verò assumendos etiã, vt testes sint mãsuetudinis læsi, ac corripiẽtis, & duritiæ lædentis, ac correpti. Lyr. placet adhibẽdos testes, vt fratris delictũ sciant, vtq; coram eis arguatur, qui deinde ad facti probationem inducantur. Abulensis q. 101. putat adhibendos interdũ, vt admoneant peccantem, & peccati pudorem ingerãt; interdum vt probent, id quod actum est esse peccatum, si is qui peccauit peccatũ esse neget. Lege D. Thom. 2.2. q. 33. art. 8. Ex Euãg. legitur testes assumendos, vt moneat ac corripiant. sic enim Dominus ait: *Si non audierit eos, dic Ecclesiæ*. Si (inquam) non audierit monentes eos, & corripientes.

Matth. 18. DIC *Ecclesiæ* D. Hieron. hæc verba sic interpretatur: si nec illos, id est, testes, audire voluerit, tũc multis dicendũ est, vt detestationi eũ habeãt; B & qui non potuit pudore saluari, saluetur opprobriis, &c. Eodẽ modo Beda exponit. Theoph. Si non audierit, inquit, ne graueris in Ecclesiæ suggestu promulgare peccatũ, &c. Auctor sub nomine Eusebij Emisseni: *Dic Ecclesiæ*; quatenus vel omniũ obiurgatione erubescat, qui paucorũ humili allocutione satisfacere noluit. Vnde Apostolus ait, *Sufficit illi, qui eiusmodi est, obiurgatio, quæ fit à pluribus*, &c. Interl. *Dic Ecclesiæ*, vt obiurgatio plurimorũ eum corrigat, &c. D. Thom. Matth. 18. Dic Ecclesiæ, id est, toti multitudini, vt cõfundatur; vt qui noluit sine cõfusione corripi, cum cõfusione corripiatur, &c. Significatur autẽ multitudo, siue Ecclesia, cum suo pastore: olim enim in primæua Ecclesia ad pastorem, & Ecclesiam crimina referri solita colligitur ex Paulo, *Ego*, inquit, *absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui, vt præsens in nomine Domini nostri Iesu Christi, cõgregatis vobis, tradere huiusmodi satanæ*, &c. Et Tertul. in Apologetico c. 39. de conuentu Christianorũ verba faciẽs: Ibidem, ait, exhortationes, castigationes, & cẽsura diuina. Nam & iudicatur magno cũ pondere, vt apud certos de Dei conspectu: Summumq; futuri iudicij præiudicium est, si quis ita deliquerit, vt à cõmunicatione orationis, & conuẽtus, & omnis sancti commercij relegetur. Præsident probati quique seniores, &c. Auctor sub nomine Eusebij Emisseni, qui Eucherius Lugdunensis esse dicitur: Episcopi, inquit, prius singulariter, aut per se, aut per alium, peccantes conueniãt, deinde cum paucis, post modũ verò cum tota Ecclesia, &c. Significat ergo Dominus peccatum renuntiãdum esse præsuli Ecclesiæ, vt fratrem etiam ipse corripiat. Quod si peccatis Ecclesiæ non obtemperarit, sicut Ethnicus, & publicanus habendus est.

2. Cor. 2.

Ad pastorem & Ecclesiam crimina olim referri solita.

1. Cor. 5.

Augustinus ser. 16. de Verbis Domini exponit: *Sit tibi sicut ethnicus, & publicanus*: Noli illum deputare iam

Sit tibi sicut ethnicus & pu-

blicanus *quam vim habeat. Matth.* 18.

iam in numero fratrum tuorum. Nec ideò tamen salus eius negligēda est. Nam & ipsos Ethnicos in numero fratrū non deputamus, sed tamen eorum salutem inquirimus, & Theophylactus: Abiiciatur, ne suæ malitiæ participes faciat alios, &c. Euthym. Sit tibi deinceps incōmunicabilis, cum quo nullam ineas vitæ societatē, &c. Hanc pœnam D. Augustinus maximam esse docet lib. 1. Cōtra aduersarium legis, & Prophetarum cap. 17. Illud, inquit, quod ait Dominus: *Si nec Ecclesiam audierit, sit tibi tamquam Ethnicus, & publicanus*, grauius est, quàm si gladio feriretur, si flāmis absumeretur, si feris subigeretur. Nam ibi quoque subiunxit: *Quæ ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis.* vt intelligeretur quantò grauius sit punitus, qui velut relictus est impunitus. hæc ille. Lege quæ ex Tertulliano sunt citata, & Augustinum homil. vltima ex quinquaginta.

Excommunicatio omnium pœnarum grauissima.

Matth. 18.

Matth. 18.

QVÆCVMQVE *alligaueritis super terram*. Quia dixerat Dominus Ecclesiam audiendā, eumque sicut ethnicum, & publicanum habēdum, qui illi non obtemperarit: quantam Ecclesiæ pastores potestatem habeant ostendit, ne quis Ecclesiæ audeat repugnare. Quidquid enim alligant vel soluunt in terris, id alligatū, vel solutum est in cælis. Vnde intelliges, cùm dicitur: *Dic Ecclesiæ*; vel Ecclesiam intelligi cum suo pastore, penes quem est soluendi, ligandique potestas; vel ipsum pastorem.

Pastor Ecclesiæ potestas.

D. Augustinus serm. 16. de verbis Domini ait, ab eo fratrem solui, qui illum corrigit, & cum illo concordat; ab eo fratrem ligari, qui vt publicanū & Ethnicū habet. Cœpisti, inquit, habere fratrem tuum tanquam publicanum, ligas illum in terra. sed vt iuste alliges vide. Nam iniusta vincula disrumpit iustitia. Cùm autem correxeris, & concordaueris cum fratre tuo, soluisti illū in terra. Cùm solueris in terra, solutus erit & in cælo, &c. Similiter D. Chrysostomus: Non dixit Christus Ecclesiæ præsuli, Vinculis istum cōstringe: sed Si ligaueris, ei qui dolorem pertulit totum permittens, tunc hæc vincula indissolubilia manent, &c. Theophylactus quoque: Si tu offensus, habes eum, qui te iniuria affecit, sicut publicanum & gentilem, erit ille & in cælo talis. Si autem solueris eum, hoc est, ignoueris, erit ei & in cælo condonatum, &c. Lege etiam Origenem tract. 6. in Matthæum.

Quæ sit potestas ligandi & soluendi.

Is qui offensus est, ligare dicitur impropriè & tropologico sensu, cùm illi qui offendit nō ignoscit: soluere cùm ignoscit. Longè verò aliter Ecclesiæ præsules & sacerdotes ligant proprie, & absoluunt, vt perspicuum est. Itaque hæc interpretatio impropria est, nec habet probabilitatem. In Euangelio enim ligare, & soluere pastorum Ecclesiæ est. Vnde Euthymius rectè: Vbi, inquit, Christus Ecclesiæ dicere iussisset, præsidibus videlicet Ecclesię. Nunc ad eos sermonem intendit, dicens: *Quæcumque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo.* est autem orationis huius sensus iste: Quidquid vos in terra censueritis, aut sententia decreueritis, hoc Deus in cælo ratum habebit. sic ille. Dicta sunt hæc verba Apostolis, Apostoli autem Ecclesiæ fuere præsides. Cùm loquebatur Christus de fratre corrigente, numero singulari est vsus, Corripe, adhibe tecum vnum vel duos, dic Ecclesiæ. At hoc loco non cum vno, sed cum pluribus loquitur, videlicet cum pastoribus Ecclesiæ. *Quæcumque alligaueritis*, &c.

Ligare & soluere pastorum Ecclesiæ est. Matth. 18.

Matth. 18.

SI *duo ex vobis consenserint super terram*. Dissidentem fratrem, & Ecclesiæ non obtemperantem, sicut publicanum & Ethnicum habendum dixerat Dominus hoc loco, vt Chrysostomus sentit, dissidia, & inimicitias dissoluit, & concordiæ proponit præmium. *Si vel duo*, inquit, *ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à patre meo*, &c. D. Hilarius in Matthæum: In tantum, inquit, humanæ pacis concordiæ Christus studuit, vt vnitatis merito omnia, quæ à Deo precanda sint impetranda esse confirmet. Et vbi duo atque tres pari spiritu, atque voluntate collecti sint, ibi se medium eorum pollicetur futurum, &c. D. Hieronymus: Omnis supra sermo Christi nos ad concordiā prouocat. Igitur & præmiū pollicetur, &c. D. Cyprianus in libro de vnitate Ecclesiæ: Dominus cùm discipulis vnanimitatem suaderet, & pacem: *Dico*, inquit, *vobis, quoniam si duobus ex vobis conuenerit in terra de omni re quamcumq; petierint, fiet vobis*, ostendens non multitudini, sed vnanimitati deprecantium plurimum tribui, &c. Theophylactus: Quia prohibuit Dominus, ne mutuum offenderemus, nunc & de mutua concordia dicit, &c. Euthymius. Magna Christus promittit ijs qui diligunt; vt tum promissis, tùm minis ad amorem congreget Christianos, &c.

Concordia & pax retinenda in Ecclesia.

Meminit Christus Ecclesiæ, cùm dixit; *Dic Ecclesiæ*; item; *si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus & publicanus*. Ideo de Ecclesiæ pastoribus adiecit. *Quæcumque alligaueritis*, &c. Nunc de ipsa Ecclesiæ congregatione addit: Si ex congregatione Ecclesię vel duo tantùm consenserint, Græcè, συμφωνήσωσι, à verbo, συμφωνέω, id est, *consono, consentio. simul voce edo* si duo ex vobis cōsonantes fuerint, & eodem animo atque ore aliquid petierint à Patre, impetrabunt. Quod si duo consonantes, & de re aliqua petenda inter se consentientes impetrabunt; quid de magna Ecclesiæ multitudine in rem aliquam consentiente Deumq; orante dicēdum erit? Aduerte adhibendas debitas orationis ad impetrandum circunstantias, de quibus suo loco dictum est.

Matth. 18.

Multorum consensus in oratione impetrat.

VBI *enim sunt duo vel tres*. In medio Ecclesiæ se esse docet Dominus, nec solùm in medio plurium, sed etiam in medio paucorum, qui in nomine eius, id est, fide, congregentur. Vbi fuerint non dico, plurimi, sed etiam duo, aut tres, congregati in nomine meo, ibi sum ego in medio eorum, id est, inter illos, adiutor, fautor, orationis rector, precumque exauditor.

Matt. 18. *Christus in medio suorū est.*

Matth. 18.

Aliter: Christus de Ecclesiæ gubernatione hic agit cum illius gubernatoribus, quibus dixerat: *Quæcumq; alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo*, &c. Quoniam vero Dei auxilium, & lux cælestis illis valde est necessaria, sic ait: *si duo ex vobis consenserint de quacumque re*, præsertim, quæ ad Ecclesiæ & clauium administrationē pertineat, impetrabitis à Patre. *Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo*, id est, autoritate mea, me meumque repręsentātes nomen, & numen, ad Ecclesiam gubernandā: ibi sum ego eorū orationes audiens, cum illis iudicās, decernens, Ecclesiamque regens. Vnde colliges ad administranda Ecclesiæ negotia orationem esse maximè necessariam. Præterea Patrum, & sacerdotum conuētibus interesse Christum adiutorem. Si enim inter duos, vel tres est: erit & inter plures congregatos. D. Gregorius epistola 112. Domini, inquit, vobis adesse præsentiam, si hæc obseruabitis, scitote. Quia scriptum est: *Vbi duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, vbi sum ego in medio eorum*. Si ergo adesse dignatur, vbi duo, vel tres fuerint, quantò magis non deerit, vbi plures conuenerint sacerdotes? Hæc ille.

Pastoribus ecclesiæ adest Christus.

Christus Præsulum & pastorū conuentibus interest.

Matth. 18.

CAPVT XXXVI.

Morale.

De correctione fraterna.

DVPLEX beneficiorum genus in proximum conferre possumus: alterum ad corpus perti-

Beneficium quod in animum con-

fertur, est præstantius eo, quod confertur in corpus.

pertinet, alterum ad animum. Ad corpus, corporis medicina, eleemosynæ, ceteraque huiusmodi; ad animum medicina animi, correptio, aliaque similia spectant. Est autem beneficium, quod animo impertitur, præstantius eo, quo afficitur corpus, vt Chrysostomus docet hom. 3. in Genesim: Vt anima, inquit, corpore melior est: ita iis, qui indigentibus pecunias, & facultates suppeditant, maioribus præmiis digni sunt ij, qui admonendo, & continuè docendo in viam rectam supinos & desides inducunt; monstrando eis virtutum diuinarum fragrantiam, vitiorumque maleolentiam, &c. & homil. 3. in epist. 1. ad Corinth. Nullius, ait, rei pretium est cum anima conferendum, ne totus quidem mundus. Quam ob rem etiam si diuitias innumerabiles dederis pauperibus, nihil tale efficies, quale is, qui conuertit animam, &c. Carent multi pecuniis, corpori eleemosynã nequeunt tribuere; at animo præbere eleemosynam omnes possunt. Animi enim eleemosynæ sunt recta consilia, admonitiones, & debitis circumstantiis correptiones, per quas animas Deo expiscamur. Diuus Gregor. hom. 6. in Euangelia: Fortasse aliquis panem, vt indigenti eleemosynam porrigat, non habet; sed maius est, quod tribuere valeat, qui linguam habet. Plus enim est verbi pabulo victuram in perpetuum mentem reficere, quàm ventrem morituræ carnis, terreno pane satiare. Nolite fratres proximis vestris eleemosynam verbi subtrahere, &c.

Nullius rei pretium nec totius quidem mundi, cum anima conferendum.

Eleemosyna spiritalis facilis.

Facilis est hæc eleemosyna, vt appellat Gregorius, hæc expiscatio, vt vocat Chrysostomus. Licet (ait Chrysostomus homil. 3. citata) domi sedentibus eam exercere piscationem. Si quis habet amicum, & cognatum, & familiarem, hæc faciat. Etsi non persuaseris hodie, cras persuadebis, & si numquam persuaseris, tu integrã & perfectam habebis mercedem, &c. Lege eiusdem Chrysostomi homiliam de habenda cura salutis proximi, & de nomine Abraham, quę extat tom. 1. Nautæ, inquit, licet nauis secundo vento feratur, cùm tamen vident alios, vel longe naufragium facere, non ad propriam spectantes vtilitatem, illorum contemnunt calamitatem. Sed sistunt nauem, detrahunt vela, eiiciunt anchoram, eiiciunt funes, proiiciunt tabulas, vt ille qui à fluctibus mergitur, forte aliquo illorũ arrepto emergat. Imitare & tu nautas, cùm videris nauigantium aliquem natare in fluctibus, & iam submergi, relictis negotiis tuis, statim illius prouide saluti, &c.

Proximi cura habenda. Succurrendum proximo.

Elephantes vt sibi mutuo succurrant.

Vt Plinius narrat lib. 8. c. 8. in foueam si elephas decidat, protinus cæteri congerunt ramos, moles deuoluunt, aggeres construunt, omniq́ue vi eum conantur extrahere. Tu ne elephãte inhumanior eris? vides fratrem in foueam peccati incidisse, negligis, nec conaris extrahere? Errantem hominem si quis animaduertit, protinus admonet, viãque indicat. Vides errantem fratrem, animaduertis; vade, corripe, viam ostẽde. Lapsum vides, opem ferto. Nazianzenus Gregorius orat. 43. Proximi, inquit, lapsum ne rideas; verùm tu quàm potes tutissimè transi, atque interim humi iacenti manum porrige, &c. Sed heu, vt Bernardus ait, in fine lib. 4. de consideratione, cadit asina; & est qui subleuet eam; perit anima, & nemo est qui reputet, &c.

Cadit asina, & subleuatur, perit anima, & negligitur. Psal. 68.

Vbinam zelus est domus Dei, ille qui Sanctorum corda comedit, iuxta illud, *Zelus domus tuæ comedit me:* si domus, si domestici, & filij, si famuli, si serui peccatis inquinati sunt, Domini verò nihil curant; si vicini, si amici, in crimine iacent, nec est qui manum porrigat: si flagitia committuntur,

A ij verò qui committunt à nemine corriguntur? Vnusquisque Christianus (ait Augustinus tract. 10. in Ioannem) zelo domus Dei comedatur. Quis comeditur zelo domus Dei? Qui omnia quæ forte ibi videt peruersa, satagit emendare, cupit corrigere, non quiescit, &c. Chrysostomi lege tom. 3. homiliam de ferendis reprehensionibus: Nonne, inquit, audisti quid Deus Iudæis præcepit, nempe ne errantia inimicorũ iumenta despiciant, & lapsa ne prætereant? Quod cùm Iudæis præceptum, ne inimicorũ bruta contemnant, nosne fratrum animas despiciemus? Et quomodo non est summa inhumanitas, nos non tantùm curæ hominibus impendere, quantùm alij iumentis? &c.

Zelus domus Dei iacet.

Chrysost. Exod. 23. & Deut. 22.

B Sit te audierit. Audiendi sunt libenter ij, qui tam publicè in concionibus, quàm priuatim nos admonent, & corripiunt. Nam, vt legitur. Prou. 15. *Qui abiicit disciplinam, despicit animam suam. Qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis*, id est, cor habet, cordatus est. &, *Qui odit increpationes insipiens est.* Et, *Qui illusor est, non audit, cùm arguitur.* Item: *Qui acquiescit arguenti, glorificabitur.* &, *Viro, qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus ei superueniet interitus, & eum sanitas non sequetur*, &c. Ne igitur duram ceruice correptionem respuas, ne interitus tibi superueniat; ne duram ceruicem frangat Dominus grauissimo supplicio. sic enim Hebraicè habetur: *Vir correptionum indurans ceruicem subito frangitur sine sanitate.* Illud potius sequere, *Corripiet me* C *iustus in misericordia, & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*, &cæt. Satius enim est à iustis corripi, & percuti, quàm ab improbis pretioso vnguẽto perungi. Iustorum enim correptiones, & verba, peccatorum sunt medicamenta. at impiorum vnguenta criminũ sunt fomenta. Ex Hebræo sic etiam vertitur: *Oleum veneni non frangat caput meum:* increpatio namque iusti caput mentemq́ue sanat. peccatoris oleum & adulatio, caput dum vngit, frangit. Dicitur oleum peccatoris Hebraicè שמן ראש *schemen rosch*, id est, *oleum veneni.* Venenum namque est improbi amici adulatio, quæ peccata fouet & nutrit, animumque perimit. suaue odoriferumque vnguentum est, admonitio, siue correptio, quo perungitur caput, id D est, intellectus atque voluntas, vt molliscat, sanetur, peccatiq́ue tetrum odorem pellat. Ex Hebræo verti potest ille Psalmi locus, hunc etiam in modum: *Percutiat me iustus, & increpet me. Vnguentum capitis non franget caput meum:* hoc est, Pulset me iustus, & corripiat: vnguentum capitis, id est, vnguentum caput vngens, est hæc correptio & pulsatio, non franget caput meum, siquidem vnguentum potius est, quàm percussio.

Qui nos corripiunt, libenter audiendi sunt. Prou. 15.

Prou. 12. Prou. 13. Ibid. Prou. 29.

Psal. 140.

Adulatio venenum.

Correptio vnguentum suaue.

Psal. 140.

Caietani interpres transtulit; *Oleum capitis non prohibebit caput meum.* Exponit Caietanus; Oleum capitis, quo vnctus sum, id est, vnctio regia, non prohibebit caput meum à susceptione reprehensionis & castigationis. quamuis vnctus in regem sim, tamen patienter feram corripientem. Re ipsa probatum hoc est. Corripuit Dauidem Nathan. 2. Reg. 12. oleum regium non prohibuit, quominus patienter ferret. Ille (ait Ambrosius in Apolog. Dauidis c. 2.) ille, inquã, regio clarus imperio, cùm corriperetur à Nathan Propheta, non indignatus infremuit: sed confessus ingemuit, &c. Etiã si nobilis, diues, potens sis; si tamen in crimen aliquod incidisti & iaces: patienter ferto, imò gratias age, si tibi manum aliquis porrigit. Ne indignatus fremas, sed confessus cum Dauide ingemisce, ageq́; pœnitentiã. Caue ne imiteris Amasiã. Hunc regẽ propheta quidam de idolorum cultu arguit, *Cur*, inquit, *adorasti Deos, qui non liberauerũt populũ suum, de manu tua?* &c.

Etiam à nobilibus libenter audienda est correptio.

Correptionẽ Prophetæ Amasias rex iniquo animo audiuit. 2. Par. 25.

At Rex arguenti interminans, respondit: *Num consiliarius regis es? quiesce: ne interficiam te.* Ab illo discendens propheta: *Scio,* inquit, *quod cogitauerit Deus occidere te, quia feciſti hoc malum, & inſuper non acquieuiſti consilio meo*, &c. Punitionis diuinæ signum est, monentes non audire, vt supra dictum est ex cap. 13. Prouerbiorũ. & 15. *Qui increpationes odit, morietur*, &c.

Prou. 15.

Prou. 9. Sapiens, vt Dauid, correptionem amat. *Argue ſapientem, & diliget te*, &c. Insipiens vt Amasias fugit, fertque molestè. Seneca lib. 3. de ira, cap. 37. Admoneri bonus gaudet, pessimus quisque correptorem asperrimè patitur, &c, *Non amat pestilens eum, qui se corripit nec ad ſapientes graditur*, &cæt. *Qui corripit hominem, gratiam postea inueniet apud eum, magis quàm ille, qui per linguæ blandimenta decipit*, &c. Causa, cur corripi nolimus superbia est, & prępostera nostri amor. Superbus non vult corripi: humilis correptione gaudet. Lege Gregorij Nazianzeni Apologeticum: Sagacitas, inquit, & præposterus nostri amor, & quod facilè cuiquam credere nec scimus, nec sustinemus, plurimùm ad virtutem impedimenti affert: ac velut instructa quædam acies, aduersus eos, qui nobis opem ferunt existit. Quantumque studium à nobis adhiberi conueniebat, vt morbum medicis detegeremus, tantùm ad medicinam fugiendam adhibemus. Aduersus sanitatem nostram periti sumus, aut enim seruilem in modum peccatum suffuramur, non secus ad morbum subputridum, in intimis animæ recessibus occultãtes; perinde ac magnum quoque Dei oculum fugituri, si homines fefellerimus: aut excusationes in peccatis excusamus, verborum patrocinium vitiis nostris exquirentes: aut etiam obstructis auribus instar aspidis surdæ, & obturantis aures suas, obstinato studio, in hoc incũbimus, vt ne incantantium vocem audiamus, ac sapiẽtiæ remediis, quibus animę morbus depelli solet, curemur: aut postremò ad peccatũ, huiusque medicos frontem apertè perfricamus, hæc ille. Dauid à Deo petebat: *Ne declines cor meum in verba malitiæ*: id est, in verba mala: *ad excusandas excusationes in peccatis*; id est, vt prætexam prætextus, & excusationes peccatis. Etenim peccatum absque excusatione fatendum ac emendandum est. Nihil excusationis prætexuit Dauid peccato suo, absq; vllo prætextu Nathano respondit, *Peccaui Domino*. Ideoque ab eo audiuit: *Dominus quoque transtulit peccatũ tuum. Non morieris*, &c. Saul vero à Samuele correptus, peccatũ excusatione texit, & agnoscere noluit. *Imò*, inquit, *audiui vocem Domini, ambulaui in via, per quã misit me Dominus*, &c.

Seneca.

Prou. 15.
Prou. 28.

Superbia est causa, cur corripiẽtem non feramus.

Aduersus sanitatem periti sumus.

Psal. 140.

Peccatum absque excusatione fatendum.

2. Reg. 12.

1. Reg. 12.

Correptio est inauris aurea. Denique correptor, siue correptio, inauris est aurea, fulgente pyropo exornata, quæ obedienti auri inseritur, eamque ornat. Laude enim dignus est, qui humiliter correptionem audit; eique dum paret, ornatur. Vnde, *Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit ſapientem, & aurem obedientem*, &c. *Quàm bonum* (inquit) *est, correptum manifestare pœnitentiam*, &c. Græcè, καλὸν, quàm pulchrum, pulcherrima enim est, illius qui corripitur humilitas, obedientia, & pœnitentia; turpissima verò est superbia, pertinatia, ac serpentinus furor. Iuxta illud, *Furor illis secundùm similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas. Quæ non exaudiet vocem incantantiũ, & venefici incantantis ſapienter*, &c. Is qui salutares monitiones audire non vult, quique cùm admonetur, furore excandescit, & in crimine pertinax est, similis fit furibundæ serpenti, & aspidi surdæ, aureque obturanti. Quoniam peccati venenum deponere non vult, *Odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfectè abominati sunt*, &c. Ecce tibi surdas aspides aures obturantes, odioque prosequentes illos, à quibus peccati veneno liberabantur.

Prou. 25.
Eccli. 20.

Psal. 57.

Amos 5.

A LVCRATVS *eris fratrem tuum.* Eximium lucrum est correptionis, & doctrinæ. Non aurũ, aut argentum, sed omni auro omnique argẽto præstantiorem fratris animam admonendo, corripiẽdo, & docendo lucramur. D. Chrysost. hom. 3. in Epist. ad Corinthios, Nullius, ait, rei pretium est cum anima conferendum, ne totus quidem mũdus. Quamobrem, etiam si diuitias innumerabiles dederis pauperibus, nihil tale efficies, quale is, qui conuertit animam. sic ille. Vides quàm magnum sit lucrum? Talentum nobis tradidit Dominus; hoc lucrum reddamus maximum, scilicet fratrũ animas. Chrysostomus hom. 1. in Iudæos in fine. Talentum, inquit, quod acceperat ac defoderat seruus ille Matthæi 25. reddidit integrum; attamen dat pœnas, eò quòd non auxerat lucrum. ita tu quidem, etsi innocens perseueres, cæterùm non augeas talentũ, nec fratrem pereuntem reuoces ad salutem, eadẽ, quæ ille patitur, patieris, &c. Gratissima Deo donaria sunt animæ à peccato liberatæ. Vnde eodem loco Chrysostomus. Quid magis, inquit, postulo? vnusquisque vestrum vnum mihi ex fratribus ad salutem reuocet. hìc sollicitus, hìc quisque curiosus esto, quò nimirũ in crastina communione multa cum fiducia compareamus, donaria Deo ferentes, donaria, inquam, omnium pretiosissima, si animas errantium reduxerimus, &c. Non solùm animas fratrum corripiendo, admonẽdo, docendoque lucramur: sed illud etiam lucrũ reportamus, de quo D. Gregor. lib. 6. Epist. 27. Tanto, inquit, celerius quisq; ab omnibus suis peccatis absoluitur, quantò per eius vitam, & linguam, aliorum animæ suorum peccatorum nexibus soluũtur, &c. Nam pœnæ indulgentiam, propter hoc opus, & auxilia, vt à peccato surgamus tribuit Dominus.

Matth. 18.

Lucrum maximum est animas correptione lucrantis.

Lucrandi proximi cura nobis incumbit.

Chrysost.

D. Greg.

Vt autem fratrem lucreris prudentia est opus, vt scias tum seueritatem, cũ opus fuerit, tum vel maximè lenitatem adhibere. *Et si præoccupatus fuerit homo*, ait Paulus, *in aliquo delicto, vos qui ſpirituales estis, huiusmodi instruite in ſpiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris*, &c. & *Seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt patrem, iuuenes vt fratres, anus vt matres, iuuenculas vt ſorores, in omni castitate*, &c. D. Ambrosius in hunc locum Pauli: Blanditiis, inquit, solent obtineri, quæ auctoritate non possunt. Nam animalia quamuis membra sua zelantur, blãditiis tamen cedunt, &c. D. Gregorius 3. parte Pastoralis curæ cap. 18. Considerandum, inquit, quòd elatos plerumq; vtilius corripimus, si eorum correptionibus quædam laudum fomenta misceamus. Inferẽda namque sunt illis, aut talia bona, quæ in ipsis sunt, aut dicendum certè, quæ poterant esse, si non sunt: & tunc demum resecanda sunt mala, quæ nobis displicent, cùm prius ad audiẽdum, eorum placabilem mentem fecerint, præmissa bona, quæ placent. Nam & equos indomitos, blanda manu prius tangimus, vt eos nobis plenius postmodum, etiam per flagella subigamus. Et amaro pigmentorum poculo, mellis dulcedo adiungitur: ne ea quæ saluti profutura est, in ipso gustu, aspera amaritudo sentiatur. Ipsa ergo in elatis, inuectionis exordia, permixta laude sunt temperanda; vt dum admittunt fauores, quos diligunt, etiam correptiones recipiant, quas oderunt. Sic ille. Seneca lib. 3. de ira cap. 39. Medicum aiunt cùm Regis filiam curare deberet, nec sine ferro posset, dum tumentem mammam leniter fouet, scalpellum spongia tectum induxisse. Repugnasset puella remedio palàm admoto: eadem, quia non expectauit, dolorẽ tulit, &c. Vt medicus hic spongia scalpellum texit, sic lenitate, mansuetudine, laudéque, veluti tegenda est correptio. Sic Nathan Dauidis correptionẽ velut spongia, texit parabola.

Prudentia opus in corripiendo.
Gal. 6.
1. Tim. 5.

D. Ambr.

D. Greg.

Lenitas correptionis.

Seneca.

CAPVT

CAPVT XXXVII.

De parabola regis, qui decem millia talenta dimisit seruo.

MATTHÆVS CAPITE XVIII.

TVNC accedens Petrus ad eum dixit: Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vsque septies? Dicit illi Iesus: Non dico tibi vsque septies; sed vsque septuagies septies. Ideo assimilatum est regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis. Et cùm cœpisset rationem ponere, oblatus est ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta. Cùm autem non haberet, vnde redderet, iussit eum Dominus eius venundari, & vxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi. Procidens autem seruus ille, orabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Misertus autem Dominus serui illius dimisit eum, & debitum dimisit ei. Egressus autem seruus ille, inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios; & tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes. Et procidens conseruus eius, rogabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. ille autem noluit: sed abiit, & misit eum in carcerem, donec redderet debitum. Videntes autem conserui eius, quæ fiebant, contristati sunt valde: & venerunt, & narrauerunt Domino suo omnia, quæ facta fuerant. Tunc vocauit illum Dominus suus: & ait illi: Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Nónne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? Et iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuersum debitum. Sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.

Matth. 18. VOTIES *peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vsque septies?* Fecerat verba Dominus de fratre peccante in nos, & corripi iussit. Non tamen dixerat, quoties dimitēda esset fratri iniuria. *Ibid.* Ideoque Petrus hanc proponit quæstionem: *Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei?* Numquid dimittam ei vsque septies? D. Lucas hæc scribit dixisse Christum: *Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum. etsi pœnitentiam egerit, dimitte illi. Et si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicens, Pœnitet me: dimitte illi*, &c. Verisimile apparet, hæc verba à Christo dicta esse, cùm de fraterna correctione egit, Matthæi 18. Lucam verò alio illa loco, non seruato temporis ordine cōmemorasse. Quia igitur Christus numeri septenarij fecit mentionem, videri potest Petrum de eodem quæstionem proposuisse; *Dimittam*, inquiens, *vsque septies?*

Luc. 17. An verba Lucæ 7. hoc tempore dicta sint de correctione fraterna.

Crediderim tamen verba Lucæ alio dicta tempore. Nam si hoc tempore, & loco dicta fuissent, quæstionem hanc non excitasset Petrus: *Quoties peccabit in me frater meus?* &c. Iam enim Christus illi re- *Matth.* 18. sponderat: iam dixerat remittendam fratri iniuriam. & si septies in die peccaret, etiam remittendam. Si Christus iam affirmauerat septies in die peccanti fratri esse parcendum, quorsum Petrus interrogasset: parcámne fratri vsque septies? Dices: Rogasse Petrum, an posset numerum transire septenarium, & sæpius parcere. At verò Christus iam dixerat numerum septenarium trāseundum. affirmauit enim, & si septies quotidie peccaret frater, peccatum condonandū. Quid igitur opus erat hac interrogatione? Petrus enim nō rogat, dimittámne ei vsque septies in die? sed vsque septies absolutè, per omne tempus. Quòd si Christus verba, à Luca conscripta hoc loco dixisset, Petrus non absolutè interrogasset, sed definitè ad diē; dimittam ne ei vsque septies tantùm in die? & Christus respondisset: dimitte septuagies septies in die. Respondit verò absolutè; vsque septuagies septies. Itaque ratio interrogationis, illa fuit prior.

VSQVE *septuagies septies.* Respondet Dominus misericors, non esse numero complectēdam remissionem, sempérque parcendū peccanti fratri. Petrus numero septenario, determinatè vsus fuerat, dimittámne ei vsque septies? Christus numero vtitur definito, sed significatio est infinita. Non dico tibi vsque septies solùm, vt tu rogas, parcēdum; sed vsque septuagies septies. Significat autem Dominus his verbis semper fratri pœnitenti peccatum condonandum. Potest hic numerus sic accipi, vt cōiunctio, &, subintelligatur, hoc pacto; *septuagies & septies.* Eritque sensus, parcēdum non solùm septies, sed septuaginta & septem vicibus. sic accipit D. Augustinus serm. 15. de verbis Domini. Potest etiam accipi, ita vt nulla subaudiatur coniunctio, septuagies septies, significatq; numerum septenarium septuagies multiplicatum, id est, summam quadringentorum nonaginta. sic Hieronymus exposuit. *Septuagies septies*, id est, quadringentis nonaginta vicibus. sic etiam Theophylactus. Græcè legitur, ἑβδομηκοντάκις ἑπτὰ, id est, *septuagies septem*; septuagies multiplicato numero septenario. Numerus verò determinatus pro numero ponitur indeterminato.

Matth. 18. *Remissio numerum non comprehendit.* *Septuagies septies quia numerus sit*

ASSIMILATVM *est regnum cælorum homini Regi.* Ignoscendum fratri indicat Dominus parabola proposita. Sic, inquit, se res habet in regno cælorum, id est, in Ecclesia, in regno Messię, quod cælestibus gubernatur institutis, à cælesti rege: ac si rex esset aliquis, qui à seruis suis exposceret rationē, &c. Perspicua parabola est: paucis explicabitur.

Matth. 18.

DECEM *millia talenta.* Magno debito obstrictus *Ibid.* hic erat seruus. Tractabat regis pecunias; manibus hærebant. Difficile enim est ab auro & argento, manus excutere. Decē millium talentorum ingens

ingens debitum contraxit. Budæus libro 4. de asse, numarium talentũ Hebræis concedit; Talentum, inquit, numarium Hebræorum tetradrachmum erat, id est, quatuor drachmarum, &c. Concedit etiam Couarruuias in libro de collatione numismatum cap. 4. talentum, quod non fuerit pondus, sed nũmus aureus 4. drachmarum, quemadmodum siclus. Sed opinionem non probant. Alij putant talentum valere sexcentis aureis, siue coronatis: sed hoc est talentum Atticum, non Hebræum. Christus autem de Hebræo forsitan loquitur. De Hebræo autem talento iam fusè egimus suprà lib. 3. cap. 12.

Matth. 18. Serui pœnitentia & supplicatio.

CVM *autem non haberet, vnde redderet.* Debito se obstringebat Regis hic seruus: vnde soluturus esset, non cogitabat. Soluendo non erat: ideoque non illum tantummodo, sed vxorem etiam, & filios, opesque Rex iussit venundari. vt quoquo modo fieret satis debito.

Matth. 18. Regis clementia debitum remittentis.

PROCIDENS *autem seruus.* Quod vnicum est afflictorum perfugium, ad orationẽ seruus confugit, à Rege, cuius nouerat clementiam, temporis prorogationem prostratus postulat. *Patientiam,* inquit, *habe in me,* expecta me patienter; & omnia restituam, quæ debeo. Græcè μακροθύμισον ἐπ' ἐμοὶ, id est, longanimis esto erga me, & patiens.

Matth. 18.

Ibid.

MISERTVS *autem dominus.* Magna fuit Regis clementia cum summa coniuncta munificentia. Prostratum vt vidit debitorem, temporisque propagationem postulantem, protinus non solùm abire liberũ permisit, verùm ingens etiam debitum remisit, multoque plus concessit, quàm postulauerat. Petierat, vt solutionem expectaret debiti; Rex non expectat, sed toto debito liberat, incredibili liberalitate.

Matth. 18. Serus ingratitudo & immanitas.

INVENIT *vnum de conseruis.* Proposuit Dominus exemplum clementis Regis, qui maximum debitum remisit facile. Proponit aliud crudelis serui atque ingrati, qui minimum debitum remittere non solùm noluit, sed acerbissimè etiam à debitore efflagitauit. Is idem seruus, qui decem millium talentorum remissionem acceperat, è domo regis tanto exoneratus debito egressus, in debitorem incidit, qui exiguam centum denariorum pecuniam illi debebat. Oblitus verò impetratæ paulò antè remissionis, hominem apprehendit, gutturesque stringens, ac penè suffocans, verba illa Regis

Ibid.

inclamabat; *Redde quod debes,* adnumera mihi statim pecuniam debitam. Debitor procidens vsus est

Matth. 18.

precatione eadem, quæ creditorem ingenti tot millium talentorum debito liberauerat: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Crudelis tamen creditoris ferrea viscera emollire non potuit, pro minimoque debito in vincula est coniectus. Chrysostomus homil. 61. Nec verba quidem ipsa (inquit)

Chrysost.

Serui ingẽs nequitia.

veritus est seruus, quibus salutem acquisiuit. his enim ipse dictis: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi,* decem millium talentorum debitum euitauit. Ita, ne portum quidẽ cognouit, quo tutatus à naufragio euasit; nec modus ipse supplicationis ad misericordis Domini memoriam eum reduxit, &c. Item: Et certè non æquali de re iste supplicabat, cùm pro talentis hic decem millibus, alter autem pro centum denariis supplicauerit. & ille cõseruo se prostrauit, iste Domino, & cui omnino indultum fuit, is ne prorogationem quidẽ temporis cõcessit.

Matth. 18.

Vinculis enim ac carcere ipsum oppressit, &c.

VIDENTES *autem conserui eius.* Valdè displicet probis, improborum nequitia. Tyrannica hæc serui crudelitas, cõseruis maximè displicuit. Rem totam ad dominum, oppressorem accusantes, oppresso condolentes, retulerunt.

Matth. 18.

VOCAVIT *illum Dominus.* Dominus crudelem ingratúmq; seruum ad se vocauit, reprehendit, tortoribusque tradit torquendũ, quoad totum decem millium talentorum debitum restitueret.

Ibid.

SIC *Pater vester.* Huc parabola tendit, docet Deum illis non parcere, qui non parcunt. Quo autem modo debeat lædẽti parcere Christianus, ex Scholasticis disce. Rex Deum adumbrat, qui rationẽ ab hominibus exposcit, ingenti peccatorum debito obstrictis. Procidunt illi coram Deo, pœnitentiam agunt veram, remittitur ingens debitum, etsi multorum sit talentorum. Cùm autem à Deo remissionem impetrent ingentium debitorum, proximo remittere nolunt debita exigua. Ideoque meritò suppliciis mancipantur, donec vniuersum reddãt debitum. Quia verò reddere numquam poterunt, à suppliciis numquam liberantur. Chrysostomus. Ad perpetuitatem supplicij tradidit seruum. numquam enim persoluturus erat, &c. Quia huius vitæ supplicium æternum non est, & quia in hac vita solui possunt debita; idcirco in parabola dicitur; *Tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuersum debitum.* At supplicium quod post mortem de improbis sumitur, æternum est. In Tartaro debita minimè soluuntur. Purgante igne qui agunt veram pœnitentiam torquentur, quoadusque soluant vniuersum debitum.

Parabolæ scopus.

Chrysost.

Matth. 18.

Purgatorium est temporarium.

CAPVT XXXVIII.

Morale.

De parabola regis, qui decem millia talenta dimisit seruo.

PROCIDENS *autem seruus.* Colligit Chrysostomus ex hac parabola Deum ad vtilitatem nostram nos diuexare, vt procidamus, peccatorumque veniam petamus: quemadmodum minis diuexatus seruus hic, ante Regem procidit, veniamque petiuit. Non ex crudelitate, ait Chrysostomus, iussit seruum venundari, vxorem & filios; sed quia incredibili cura illius deuictus, hac comminatione, ad supplicandũ, ne venderetur, adducebatur, &c. Theodoretus in Ionam, cap. 3. Quoniam conseruare Deus gaudet, minatur tristia: ne in nos tristia inuehat, &c. D. Hieronymus in Ionam: Deus neminẽ punire desiderans, quæ facturus est comminatur, &c. Vtinam nobis profint Dei comminationes, vt coram Deo procidamus, pœnitentiamque agamus. Quis non procidat sub comminatione supplicij æterni? *Incuruati sunt colles mundi, ab itineribus æternitatis eius,* &c. Etiam colles mundi, etiam montes, hoc est, Reges Principésque viri, ab infinitis itineribus æternitatis supplicij, si illa mente concipiant, incuruantur ac procidunt. Aeternas tartari flammas minatur Deus. Profint nobis terribiles hæ minæ. Si minæ non profint, haud dubium, in supplicia nihil profutura incidemus. Ne pœnam inferat, prius Deus intentat pœnam. Videlicet vt à facie arcus fugiamus: iuxta illud: *Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus.*

Matth. 18.

Deus ad vtilitatem nostram nos vexat.

Minatur Deus, ne puniat.

Abac. 3.

Æternum ignẽ minatur Deus.

Psal. 59.

Lege Chrysostomum hom. 55. tom. 5. in qua docet Deum hominibus æterna supplicia aperuisse, vt illa sancte viuendo fugerent. Sic iter facienti foueæ, insidiæ, cædes, latronúmque pericula indicantur, nõ vt in illa incidat, sed vt illa caueat. Mortem (inquit Chrysostomus) peccatoris dicit Deus, ne mittat in mortem. Nisi fuisset intentata gehenna, omnes in gehennam incidissemus; nisi prænunciatus

Chrysost.

Minatur Deus, vt supplicium fugiamus.

ciatus fuisset ignis, nemo fugisset ignē, &c. Et hom. 1. de pœnitētia, de prædicatione Ionæ loquens: Cuius, inquit, rei gratia Domine, quæ facturus es mala prædicis? Vt non faciam, quæ prædico. Propterea & gehennā minatus est, vt gehennā non inducat. Terreant (inquit Dominus) vos verba, ne conturbēt facta. Sic Chrysost. Minatus est Dominus, Ionæ Prophetæ voce, Niniuitis ciuitatis subuersionem; profuēre minæ. Ante Deum procidit Rex, & populus, pœnitentiam egerunt, veniamque impetrarūt. Lege Ionæ cap. 3. Nisi per Ionam, ait Chrysostom. subuersio Niniues denunciata fuisset: Niniuitæ periissent, &c. Profuit Niniuitis de euersione ciuitatis, prosit nobis de sempiternis flammis, comminatio. Terreant nos verba, ne incendant facta.

Matth. 18. POSVIT *rationem cum seruis suis.* Ponit Deus rationem cum seruis suis maximè metuendam, tum in fine vitæ, tum in fine mundi. In fine vitæ, à singulis figillatim rationem exposcit; in fine mundi exposcet ab omnibus simul & singulis, ad tribunal horrendum euocatis. Huius rationis oportet meminisse, & ad eam reddendā diebus singulis præparari. *Lætare iuuenis*, ait Salomon, *in adolescentia tua: in bono sit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ: Et ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum. Et scito, quia pro his omnibus adducet te Deus in iudicium*, &c. Et, *Cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium, pro omni errato; siue bonum, siue malum sit*, &c. hoc est, omnia hominum ōpera Deus iudicio discutiet, siue bona, siue mala ea fuerint; pro omni errato puniendo; id est, vt de omni peccato pœnas sumat debitas. Adducet Dominus in iudicium opera nostra, adducamus nos eadem prius quotidie in iudicium. Exposcet ille à nobis vitæ rationem, exposcamus nos prius, paratiq; erimus ad rationem reddēdam. Hoc Philosophus Seneca docet lib. 3. de Ira, c. 36. Animus, inquit, quotidie ad rationem reddendam vocandus est. Item: Quid pulchrius consuetudine excutiendi totum diem? &c. Quod faciebat Philosophus, cur non faciet Christianus? Quotidie, ait Seneca, apud me causam dico. Cùm sublatum è conspectu lumen est, & conticuit vxor moris iam mei conscia; totū diem mecū scrutor, facta ac dicta mea remetior, &c. Imitare Ethnicum ô Christiane: Apud te quotidie noctu causam dicito, in te ipsum inquire, te scrutare, ad reddendam summo Regi rationem sic te para.

Ad reddendam rationem Deo, oportet animū parare. *Eccle. 11.* *Eccle. 12.* *Conscientia quotidie excutienda.*

Matth. 18. Grauissimū debitum est peccatum. DECEM *millia talenta.* Magnum graueque debitum est peccatum; debitum est plusquam decem millium talentorum. debitum enim est infinitū. Nam quicumq; mortifero se obstringit crimine, infinitas, hoc est, æternas pœnas debet. Nos tamen tā graui oppressi debito, deliciamur ac stertimus. Cùm equitis Romani, qui graui debito erat obstrictus, idque dum viueret cælauerat, res subiicerētur auctioni, vt creditoribus ex pecunia satisfieret; fertur Augustus Imperator sibi emi præcepisse culcitram illius cubicularem, ac mirantibus hoc præceptum, sic respondisse? Habenda est ad somnum mihi conciliandū illa culcitra, in qua ille tanto ære alieno obstrictus somnum capere potuit. Nam Augustus ob ingentes curas sæpè maximam noctis partem ducebat insomnē. Mirandum esse significabat Imperator, hominis graui ære alieno oppressi somnū ac quietem. Quod æs grauius reperiri potest, quàm peccatum? Mirandus sanè est hominis, qui hoc ære est obstrictus somnus, miranda in peccato quies ac securitas & socordia. Hæc peccatoris culcitra est, non emenda, sed instar pestis fugienda. In socordia negligentiaque summa, velut in molli culcitra, stertit improbus peccatorum debito obrutus, somnumq; capit mortiferum; donec ad tribunal ducitur tortoribusque traditur.

Hominum socordia. *Quantum nos tædere deberet esse in peccato.*

A Chrysostom. hom. de Adam, Sodomitis, &c. tom. 1. Tale, inquit, est peccatorum debitum, vt si solliciti fuerimus, ad soluendum leue sit. Sin negligentes, erit grauissimum. Totam enim simul mergit debentium substantiam. Non curabant Sodomitę debita, neglexerunt; quotidie neglectu crescente, creuit debitum, repetitionis chirographum auctum est, fœnora peccati aucta sunt. Factum est tempus repetitionis, non erant soluendo. Imperauit Dominus debiti, vt traderentur igni, & mulieres eorum, & filij eorum, & omnia, quæ habuerunt in satisfactionem cederent. sic ille.

Peccati debitum totā mergit substantiam.

ET *omnia reddam tibi.* Suprà dictum est, non habuisse hunc hominē, vnde redderet debitum. *Cum*, inquit, *non haberet, vnde redderet, iussit eum dominus* B *eius venūdari*, &c. Si non habebat, vnde redderet, cur respondet tanta cum fiducia: *Et omnia reddam tibi.* Vtrunque verissimū est: non habet peccator vnde reddat, & potest cum fiducia maxima dicere: *Omnia reddam tibi.* Non habet vnde reddat à se: habet vnde reddat à Deo: non potest peccati debitum soluere pecunia propria, potest soluere pecunia & meritis Domini sui Christi. In seipsum si oculos coniiciat, nihil reperiet, quod pro peccato dimittendo sit satis: si Christum cruci suffixum intueatur, fidenter clamabit: Domine, *omnia reddam tibi.* Non reddā ex opibus meis, sed soluā ex opulentissimis thesauris vulnerum Domini mei. Ego (ait Bernard. ser. 61. in Cant.) fidēter quod ex me mihi deest, vsurpo mihi ex viscеribus Domini: quoniam misericordia af- C fluunt. Neq; desunt foramina, per quæ affluant, &c.

Matth. 18. *Ibid.* *Peccator nō est soluendo debito, sed potest, dicere, Omnia reddā tibi.*

Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam, &c. Ex Hebræo etiā vertitur: *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, contemnendo contemnet eum*, &c. hoc est, non potest emi caritas, Deique amor omnibus hominis opibus. Etiamsi quidquid possidet offerat pro remissione peccati, & charitate, despicietur: quia nullum offeret pretium illa dignum. *Perditio tua Israel*, ait Dominus, *tantummodo in me auxilium tuum. Vbi est Rex tuus? maximè nunc saluet te*, &c. hoc est, O Israel, ô peccator, perditio tua est tibi tribuenda. Perdere te potes, non potes saluare. Auxilium, quo perditionem euadas, tantummodo in me est Deo tuo. *Vbi est Rex tuus? nunc saluet te*, id est, Neque reges, D neque terræ Principes, à perditione te poterunt liberare. Ego solus possum, quia ego solus sum Saluator. Bernardus in sermone de triplici misericordia: Difficilis, inquit, prorsus res, & soli diuinæ virtuti posibilis, susceptum semel peccati iugum, à ceruicibus excutere. Quoniam qui facit peccatum, seruus est peccati, nec est iam liberari, nisi in manu forti, &c. O rem miram, non habet homo pecuniam, qua debitum soluat; ab eo accipit, cui debet. Ære alieno, æs soluit alienum; peccatis suis facit satis ex pecunia, meritis & donis Domini. ideoque clamat: *Omnia reddam tibi.* Sunt enim thesauri illi Domini opulentissimi. ita vt omnia ex illis mundi totius debita, etsi grauissima, soluí possint ab eis, qui veram agunt pœnitentiam. Ait seruus Domino: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Ait Dominus seruo: Pœnitentiam habe in me, & omnia remittam tibi. Nam merita Christi pœnitentiam non excludunt nostram, aut merita, quæ tamen propter Domini merita, sunt merita: sine illis verò nihil habent aut pretij aut meriti.

Cant. 8. *Peccator pœnitentiam agens ex Christi thesauro omnia reddit Deo.* *Osee 13.* *A solo Deo homo à peccato liberari potest.* *Matth. 18.* *Ibid.* *Merita Christi non excludunt pœnitentiā, merita, & opera nostra, imò illis dāt pretium.*

Certè rectè hic seruus ait: *Omnia reddam tibi*; quoniam omnia quæcunque habemus, Christo debemus, corpus, animam, intellectū, memoriam, voluntatem, sensus, appetitus, opes. Omnia debemus; omnia reddamus. Omnia autem reddemus, si omnia in Dei gloriam obsequiumq; cōferamus.

Lege

Lege Bernardi ſermonem de quadruplici debito.

Pœnitentia non eſt differenda in aliud tempus.

Seruus hic à Rege petebat temporis prorogationem, vt ſolueret: *Patientiam*, inquit, *habe in me, & omnia reddam tibi.* Vt pœnitentiam agat peccator, qua aboleatur culpa, non eſt opus temporis dilationem petere. Statim enim pœnitentia agenda eſt, nec in craſtinum differenda. At vt aboleatur pœna, & pro peccatis fiat ſatis, ieiuniis, verberibus,

Pœnitentia opera non ſunt vnius dei.

orationibus, eleemoſynis, ſanctiſque aliis operibus, precatur peccator Deum: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Expecta Domine, tempus aliquod vitæ concede, vt quas pro peccatis pœnas debeo, eas potius in ſæculo hoc, quàm in purgante igne reddam. Si enim hîc iuſtitiæ non fecero ſatis, igni purganti trades me; neque inde egrediar quoadusque reddam vniuerſum debitum.

Matth. 18. MISERTVS *autem Dominus.* Ex infinito miſericordiæ fonte, debitorum emanat remiſſio. Videſne ingentis remiſſionem debiti? Ex miſericordi effluxit pectore. Miſertus eſt Dominus ſerui

Epheſ. 2.

illius, debitum dimiſit ei. *Deus*, ait Paulus, *qui dives eſt in miſericordia*, &c. Dives eſt peccator in debito decem millium talentorum. ſi dives eſt peccator in

Deus dives eſt in miſericordia.

debito: dives eſt Deus in miſericordia. Dives debitum, vt remittatur, diuitem poſtulat miſericordiam. Per hanc diuitem miſericordiam Dauid poſtulat, vt peccati condonetur dives debitum. *Miſe-*

Pſal. 50.

rere, inquit, *mei Deus, ſecundùm magnam miſericordiam tuam*. Magna diueſque eſt miſericordia, qua ma-

Bernar.

gnum remittitur debitum. Lege Bernardi ſermonem de triplici miſericordia: Magnus, inquit, peccator magna miſericordia opus habet: vt vbi abundauit delictum, ſuperabundet & gratia, &c. item: Hæc eſt miſericordia magna, magnis neceſſaria

Pſal. 50.

peccatoribus, de qua dicitur: *Miſerere mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam tuam*, &c

Matth. 18.

Patientiam habe in me, petebat ſeruus; & Dominus, non ſolùm habuit patientiam, ſed etiam pœnitentiam. Etenim quia ſeruus egit pœnitentiam peccati, egit Dominus pœnitentiam ſupplicij intentati. Pœnituit ſeruum; pœnituit & Dominum, iuxta illud:

Ierem. 18.

Repente loquar aduerſus gentem, & aduerſus regnum, vt eradicem & diſperdam illud. ſi pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum aduerſus eam; agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui vt facerem ei, &c. Dicitur

Quomodo dicatur Deus agere pœnitentiam, vel pœnitere.

autem Deus agere pœnitentiam metaphorice, eo quòd in modum ſe habet hominis pœnitentis, & ſententiam reuocantis. Tulerat Rex ſententiam, iuſſit ſeruum venundari, & vxorem, & filios, & omnia quę habebat. Egit pœnitentiam ſeruus procidens ante Dominum; reuocauit ſententiam Dominus, idcirco pœnitentiam egiſſe dicitur.

Matth. 18. Negligens homo in peccatum relabitur.

EGRESSVS *autem ſeruus.* Graui ſolutus debito protinus nouum debitum contraxit hic ſeruus negligens atque ingratus. ſic peccator graui peccatorum debito per veram pœnitẽtiam liberatus, quia negligens eſt & ingratus, mox noua alia debita peccando contrahit. *De malo ad malum egreſſi ſunt*, &c. Hieronymus: De ſanctis dicitur, *Ibunt de virtute in virtutem*; de peccatoribus verò; *de malo in malum egreſſi ſunt*, &c. Seruus hic de malis, id eſt, peccatis ac debitis, quę remiſſa fuerant, in malum egreſſus eſt à domo Regis, id eſt, vt debitorem ſuum

Ierem. 9. Pſal. 83. Homo de malo in malum relabitur.

Luc. 11.

acerbè vexaret. Sed vt dicitur: *Facta ſunt nouiſſima hominis iſtius peiora prioribus.* priora enim debita remiſſa ſunt; propter nouiſsima in carcerem eſt miſſus, cruciandus in ſempiternum. dixit Dominus paralytico: *Iam noli peccare, ne tibi aliquid deterius contingat.*

Ioan. 5.

Seruus hic voluit peccare: deterius aliquid illi contigit. Contigerant minæ: poſt minas contigit ſupplicium. *Cui plus dimittitur*, ait Dominus, *plus diligit.*

Luc. 7.

Maximum decem millium talentorum debitum huic dimiſſum fuerat: maximè ergo Deum diligere debebat, proximumque propter Deum. At ille amorem debitum minimè exhibuit, quin potiùs Deum protinus offendit. *Qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.* Vide menſuram, qua menſus eſt ſeruus conſeruo: eâdem recepit ſupplicium. Non pepercit conſeruo: non parcenti, non pepercit Deus. Par pari retulit.

Luc. 4.

REDDE *quod debes.* Paulò antè ſeruus hic coram Domino prociderat, fleuerat, horruerat, oraſſerat. Heu quàm ſubitò hæc omnis humilitas, & afflictio ex animo euanuit! Tempeſtate graſſante procidunt coram Deo nauigantes, orant, multa vouent; vbi venti poſuere, mox ad ſolita reuertuntur: ſic ſeruus hic, exorta minarum tempeſtate, procidit, orauit, debitum ſe redditurum promiſit: poſt pacatũ mare, mox ad alia debita contrahenda reuerſus eſt. Sedata tempeſtate, à cõſpectu Domini ſeruus nequam egreditur, mox ad ſolita regreditur. Conſeruũ reperit, qui centum denariorum debito erat illi obſtrictus. Quidnam faciet debitor; cui procidenti ac roganti decem millia talenta paulò antè ſunt condonata? Nonne centum condonabit denarios, tantæ remiſsionis memor? Id quidem ratio gratitudoque poſtulabat. Ceterùm longè aliter res euenit. In guttur debitoris, auarus homo crudeles iniicit manus, miſerum ſuffocans centum flagitat denarios, procidentemque ad pedes, & temporis prorogationem ad ſoluendum precibus poſtulantem, in carcerem coniicit.

Matth. 18.

Nauta in periculo ad vota currit ſed poſt illud, ridet.

Videlicet egreſſus fuerat à facie Regis. *Egreſſus*, inquit, *inuenit vnum de conſeruis ſuis.* ſi Regem præſentem, omniaque cernentem cogitaſſet, tam turpe facinus non commiſiſſet. Quis enim eſt (ait D. Baſilius in regulis breuioribus interrogat. 29. alterius poteſtati ſubiectus, qui in oculis principis ſui, aliquid auſurus ſit vmquam, eorum quæ ipſi principi non placent? &c. Theophylactus: Nullus qui in Deo manet, compaſsionis expers eſt. Sed ille ſeruus egreſſus erat, & à Deo nunc alienus erat, &c.

Præſentia Dei ſemper cogitanda.

Intellige quæ ſunt proximi, ex te ipſo, &c. hoc eſt, ex te ipſo, intellige, quid proximo præſtare debeas, quomodo cum proximo debeas agere: quod tibi fieri vis, id illi facito. Ex ſe ipſo potuit ſeruus intelligere, quid conſeruo ſuo deberet præſtare. ex remiſſione ſibi data potuit intelligere, remiſsionem multò minoris pecuniæ ſupplicanti debitori dandam. ſed vt eſt in Pſalmo: *Noluit intelligere, vt bene ageret*, &c.

Eccli. 31.

Pſal. 35.

Præterea inexorabilem reddidit hunc hominem auaritia, centumque denariorum cupiditas. Inexorabilis eſt auarus. etſi vſque ad rauim roges, nihil pecuniæ ab auaro impetrabis. Vt argentum extorqueat, te ſuffocabit, atque opprimet. *tenens ſuffocabat eum*, &c. *Nouit iuſtus iumentorum ſuorum animas; viſcera impiorum crudelia*, &c. Iuſti etiam erga iumenta ſunt miſericordes, eorumque gerunt curam, nec plus exigunt, quàm poſsint ferre. At impiorum viſcera ſunt crudelia. homines enim opprimunt, pluſque ab illis expetunt, quàm præſtare queant. Vere ſerui huius viſcera crudelia, qui conſerui miſertus non eſt, ſed plus quàm præſtare poterat efflagitauit.

Auarus eſt inexorabilis.

Matth. 18. Prou. 12.

CONTRISTATI *ſunt valdè.* Serui Dei non poſſunt ſine triſtitia ac dolore, hominum peccata cernere. Sic Dauid: *Vidi*, inquit, *prævaricantes, & tabeſcebam, quia eloquia tua non cuſtodierunt*, &c. Item eodem Pſal. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non cuſtodierunt legem tuam:* hoc eſt, oculi mei præ mœſtitia doloreque cordis, lachrymarum fudere riuos: eò quòd impij legem tuam tranſgreſsi ſunt. Cùm enim oculi mei frangi cernerent legem Dei mei,

Matth. 18.

Pſal. 118. Dei ſerui peccata ſine mœſtitia videre non poſſunt.

fontium

Act. 17. fontium instar fundebant lacrymas. *Incitabatur spiritus eius*, id est, Pauli, *in ipso, videns idololatriæ deditam ciuitatem*; scilicet Athenas. *Quis*, inquit, *infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* Boni serui est, tabescere cum Dauide lacrymas q; profundere, si legē Dei videat frangi: incitari spiritu cum Paulo, si videat vitiis deditos homines: vri, si videat quemquam scandalizari.

2. Cor. 11.

1. Cor. 12. *Si quid patitur vnum membrum* (ait Paul.) *compatiuntur omnia membra*, &c. Patiebatur vnum membrum, ille videlicet seruus, à quo debitum acerbissimè est repetitum, quique coniectus est in carcerem: compassa sunt reliqua membra, scilicet conserui. *Contristati*, inquit, *sunt valdè*. Amos Iudæos reprehendit, quod fratribus patientibus, non compaterentur, *Nihil*, inquit, *patiebantur super contritione Ioseph*, id est, super calamitate & dolore decem tribuum. Si fratrem dolentem vides, condole; iuxta illud Pauli: *Flere cum flentibus*, &c. *Nouit iustus iumentorum suorum animas, viscera impiorum crudelia*. Iustus & misericors vir, non solùm hominibus, sed iumentis etiā compatitur. Auarorum ferrea sunt viscera, hominum calamitatibus & doloribus minimè condolent, vt pecuniam extorqueant, suffocabunt, oppriment, spoliabunt. *Conteritis pauperem, & deficere facitis egenos terræ, dicentes, quando transibit mensis*, &c. *vt posßideamus in argento egenos, & pauperes pro calceamentis*, &cæt.

Proximi miseriis cōdolendum. *Matth.* 18. *Amos* 6. *Rom.* 12. *Prou.* 12. *Amos* 8.

Matth. 18. *Deus non confert dimidiatam peccatorum mortalium ventam.* OMNE *debitum dimisi tibi.* Deus non confert dimidiatam remissionē si culpam spectes, non pœnam; omne dimittit debitum, cùm dimittit, liberalissimus est, peccata mortifera omnia per pœnitentiam condonat: veniam non dimidiat. *Omne*, inqui, *debitum dimisi tibi, quia rogasti me*, &c. Deus veniam non dimidiat, caueat peccator, ne dimidiet confessionē. Omnia Deus mortifera peccata per pœnitentiā remittit; omnia quoq; mortifera peccata debitor homo cōfiteatur, silentio nullū tegat. Omne debitū Deus dimittit; omne debitum nos in cōfessione numeremus, id est, omnia peccata. Debebat ei 10. millia talenta. Vides numerari talenta debita? Sic numeranda sunt debita, id est, crimina.

Confessio sit integra.

Matth. 18. *Deus parcit nobis, nos parcamus proximo.* *Luc.* 6. SICVT *& ego tui misertus sum.* Sic Deus nos vult misericordiam præstare proximis, quemadmodū ipse præstat nobis. *Nónne*, inquit, *oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum?* Deus nobis parcit, parcamus; Deus nobis miseretur, misereamur; Deus in nos mille beneficia confert, in proximum beneficia conferamus. *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est*, &c. Exemplar nostræ misericordiæ, est Dei misericordia. Dei proprium est misereri semper & parcere; iuxta illud Ecclesiasticæ precationis: *Deus cui proprium est misereri semper & parcere.* sic nobis quoq; veluti proprium, misereri proximo nō semel aut iterum, sed semper, & parcere, dixit Dauid: *Putas ne est aliquis, qui remanserit de domo Saul, vt faciam cum eo misericordiam, propter Ionatham?* &c. Ita Christianus quærere debet. Estne aliquis miser in pago, vel ciuitate, vt faciam cum eo misericordiam propter Christum? Estne aliquis, qui in me peccauerit? parcam. Est aliquis inops? eleemosynam largiar. Est aliquis ægrotus? inuisam, & consolabor. Saul hostis fuerat Dauidis; tamen Dauid rogat, an ex domo Saul, id est, hostis sui, sit aliquis superstes, vt beneficiis illum afficiat, propter Ionatham amicum suum. Est aliquis tibi Saul, est hostis? beneficiis affice Saulem, propter Ionatham, id est, inimicum propter maximum amicum Christum.

2. Reg. 9.

Matth. 18. *Iacob.* 2. TRADIDIT *eum tortoribus.* Iacob. *Iudicium sine misericordia ei, qui non facit misericordiam*, &c. Non fecit seruus hic misericordiam, iudicium expertus est sine misericordia liberante. Exegit acerbissimè à conseruo debitum; exegit acerbissime debitum ab illo Deus. Tradidit eum tortoribus, quousque redderet vniuersum debitum. Par pari retulit. Ita Agag punitus est: *Sicut fecit absque liberis*, ait Samuel, *mulieres gladius tuus: sic absque liberis inter mulieres erit mater tua*, &c. & Adonibezec, *Adonibezec comprehenderunt, cæsis summitatibus manuum ac pedum. Dixitque Adonibezec: Septuaginta reges amputatis manuum ac pedum summitatibus colligebant sub mensa mea ciborum reliquias. sicut feci, ita reddidit mihi Deus*, &c. Sap. 11. *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*, &c. Per aquā Pharao peccauit, innocētes infantes aquis demergendo; per aquam punitus est, Rubri maris fluctibus demersus. Peccauit seruus nequam propter debitū; propter debitum tortus est. *Cum sancto sanctus eris; & cum peruerso peruerteris.* hoc est, Domine cum viro iusto, sancte & benignè ages. aduersus peruersum præbebis te peruersum, seuerumque vltorem, & vindicem. Sic res se habuit in hac parabola. cum seruo conseruo, & pœnitentiam agente, conuersus est Dominus, & à supplicio auersus. At seruus factus est peruersus, cum peruerso peruersus est dominus: tradidit eum tortoribus, vniuersumque debitum exegit.

1. Reg. 15. *Iudicum* 1. *Sap.* 11. *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur.* *Psal.* 17.

Matth. 18. QVOADVSQVE *redderet vniuersum debitum.* Vnde redderet debitum homo hic pauperrimus? nihil habet vnde soluat. Quia igitur soluere non potest, in sempiternum torquebitur. Semper debitum permanebit; semper permanebit & supplicium. Theophylactus: Quousque reddat, quod debebatur: hoc significat, quòd tamdiu puniatur donec reddat. numquam autem reddet, quod debebat, videlicet pœnam, quam meruerat. semper ergo punietur. hæc ille.

An hic seruus punitus fuerit propter debitū iam remissum? Sed quæritur; An hic seruus punitus fuerit propter debitū iam remissum? Affirmans pars ex his verbis constat; *Tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuersum debitum:* ergo propter decem millia talenta iam remissa, torquebatur. Id tamen magnum habet dubiū; sequitur enim Deum propter peccata, quæ iam semel condonauit, hominem punire: quod à veritate abhorret. Concedere tamen videtur D. Gregorius libro 4. Dialog. cap. 6 Quia, inquit, seruus conseruo suo debitum non dimisit; & hoc est iussus exigi, quod ei fuerat iam dimissum. Ex quibus dictis constat, quia si hoc, quod in nos delinquitur, ex corde non dimittimus, & illud rursus exigitur, quod nobis iam per pœnitentiam dimissum fuisse gaudebamus, &c. Et Augustinus in lib. de Baptismo contra Donatistas, cap. 12. Redire, inquit, peccata dimissa, vbi fraterna caritas non est, apertissimè Dominus docet, de illo seruo, &c. Theophyl. quoque: Cogita, inquit, quantū malum sit vindictæ cupiditas; quando quidem etiam donationem Dei reuocat & irritat. Quamuis enim dona Dei ea sint, quorum illum non pœniteat, reuocantur tamen hac ratione, & irritantur, &c. Euthymius: Nisi erga nostros debitores misericordia vsi fuerimus, subuertemus etiam, quæ nobis supplicantibus remiserat, & postmodum omnium pœnæ à nobis sine vlla compassione expectentur, &c.

Matth. 18. *D. Greg.* *Augusti.* *Theophl.* *Euthym.*

Peccata quæ semel per pœnitētiam remissa sūt, nō redeunt. *Rom.* 11.

Respondemus dubio, in parabolis, vt diximus lib. 9. cap. 3. aliqua esse parerga, quæ ad significandum non ponuntur. Potest igitur hoc esse parergon parabolæ, quod in debito humano factum est. Rediit quidem debitum illud humanum, ita vt pro eo debitor à rege torqueretur. At non significat debitum, quod Deo debetur, si semel remittatur, iterum reuiuiscere. *Sine pœnitentia enim sunt dona Dei*, vt Paulus ait. Peccata quæ semel omnino condonat, nunquā iterum punit. Punit quidē illa, quæ per pœnitētiam non sunt remissa. de his verò

quæ

quæ omninò remiſſa ſunt, pœnas non expetit. Peccata omnino remiſſa illa appello, quæ tum quoad culpam, tum quoad pœnam à Deo per pœnitentiam, debitamque & plenam ſatisfactionem ſunt condonata. Vnde D. Proſper lib. 1. Reſponſionum in reſponſ. ad 2. obiectionem Gallorum: Qui, inquit, recedit à Chriſto, & alienatus à gratia finit hanc vitam, quid niſi in perditionem cadit? Sed non ſi in quod remiſſum eſt, non recidit, nec in originali peccato damnabitur. Qui tamen propter poſtrema crimina ea morte afficietur, quæ ei propter illa, quæ remiſſa ſunt, debebatur, &c. In hac ſententia eſt D. Thomas 3. par. quæſt. 88 & alij. Redire autem per nouum peccatũ poſſunt dici peccata dimiſſa: quia redit æterna pœna, quæ fuerat condonata. At non redit propter condonata peccata, ſed propter nouum non remiſſum. Redire etiam dicuntur propter ingratitudinem, tum alia, tum peccatum illius, qui dimittere noluit delictum fratri. Grauius enim torquebitur reus, cui remiſſa ſunt peccata, ſi nouum committat peccatum, propter ingratitudinem, quæ in relapſu illo, nouoque ſcelere reperitur. Itaque peccata condonata non reuiuiſcunt. Opera verò bona, quæ gratia Dei prædita fecit is, qui peccat, ſi pœnitentiam peccati agat, reuiuiſcunt.

D. Proſp.

D. Thom.

Opera bona per peccatũ mortua reuiuiſcant per pœnitentiam

SIC *Pater meus cæleſtis faciet vobis ſi non remiſeritis*, &c. Huc ſpectat tota parabola; Parce fratri, vt tibi parcat Deus. remiſsionem verò terminis ne circumſcribito, parce non vſque ſepties tantùm, vt Petrus aiebat, ſed vſque ſeptuagies ſepties, vt Dominus ait, id eſt, ſemper. *Oleum*, inquit Salomon, *de capite tuo non deficiat*, &c. Numquam de capite, de intellectu, de voluntate tua, miſericordiæ erga lædentem te deficiat oleum. Quotieſcunque te quiſpiam offenderit, toties oleum miſericordiæ in capite tuo reperiat. *Non ſit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta*, &c. Huius ſerui manus ad accipiendam remiſsionem decem millium talentorum porrecta fuit: ad dandum verò centum denariorum condonationem collecta. Ideoque Rex quoque collegit manum, debitumque repetiuit. Si ad accipienda infinita Dei beneficia, manus habes extenſas, ad largiendum fratri, illas ne contrahe; alioqui contrahet etiam Deus.

Matth. 18.

Eccle. 9.

Parcendum ſemper proximo.

Eccli. 4.

Egregiè Eccleſiaſticus de remittendis proximo debitis agit, his verbis: *Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam, & peccata illius ſeruans ſeruabit. Relinque*, id eſt, remitte, *proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata ſoluentur*, &c. Addit; *Homo homini ſeruat iram, & à Deo quærit medelam? in hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam, & de peccatis ſuis deprecatur? ipſe cum caro ſit reſeruat iram, & propitiationem petit à Deo? Quis exorabit pro delictis illius?* &c. Remedium deinde adhibet: *Memento nouiſſimorum, & deſine inimicari*, &c. Egregium remedium eſt, mortis gehennæque meminiſſe, & vltionis, quam Deus de nobis ſumet, ſi vltionem appetamus. Adiicit: *Memorare timorem Dei, & non irascaris proximo. Memorare teſtamentum*, id eſt, legem, *Altiſſimi, & deſpice ignorantiam proximi*, &c. Deſpice, inquit, ignorantiam proximi; hoc eſt, pro nihilo ducito eius offenſionem, ignoratiam reputa, & remitte.

Eccli. 28.

Ibid.

DE *cordibus veſtris*. Non ore ſolùm fratri debitum eſt remittendum, odiumque repellendũ, ſed corde etiam. Non enim fictam & ſimulatam, ſed veram ac ſolidam cum proximo pacem fieri vult Dominus. Ferebat in ore oſculum pacémque Iudas, ſed in corde bellum. Ioab quoque in ore quidem ferebat illud: *Salue mi frater*. In corde autem gladium, vulnera, mortemque Amaſæ. *Dixit Ioab ad Amaſam: Salue mi frater: & tenuit manu dextera mentum Amaſæ, quaſi oſculans eum. Porrò Amaſa non obſeruauit gladium, quem habebat Ioab, qui percuſsit eum in latere, & effudit inteſtina eius in terram*, &c. At verò columba illa ſimplex, & felle carens, *Venit ad Noë portans ramum oliuæ in ore ſuo*, &c. In ore portat ramum oliuæ, id eſt, pacis, columba nihil fictionis habens & in corde. Similem in modum, qui columbinis præditus eſt moribus non vulpinis, oliuam, id eſt, pacem in ore portat, neque in ore ſolùm, ſed in corde maximè. Diuus Hieronymus Matthæi 18. Quia poteſt vnuſquiſque dicere: Nihil habeo contra fratrem, ipſe nouit, habet Deum iudicem. Non mihi curæ eſt, quid velit agere. Ego ignoui ei. Confirmat Dominus ſententiam ſuam, & omnem ſimulationem fictæ pacis euertit dicens: *Si non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris*. Hæc Hieronymus.

Matth. 18.

Non ore tãtũ, ſed corde odiũ repellendum.

2. Reg. 20.

Gen. 8.

Hieron.

Matth. 18.

Huius ſecundi tomi hic finis ſit. In tertio de iis agimus, quæ Chriſtus Opt. Max. in Iudæa egit. Poſt hæc enim quæ expoſita ſunt, ex Galilæa in Iudęam abiit: ibique ad Crucem vſque permanſit.

LAVS DEO OMNIPOTENTI
Deiparæque Virgini.

Omnia S. Matris Eccleſiæ Romanæ iudicio ſubiecta.

Deo Ieſu Chriſto æterni Dei coæterno Filio honor iterum & gloria.

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ.

Prior numerus paginam, posterior columnam indigetat.

EX GENESI.

CAP. 1. Tenebræ erant super faciem abyssi: dixitque Deus fiat lux, *&c.* *pagina* 10. *columna* 1. c. 458. 2. a. 545. 1. b.
Factū est vespere, & mane dies vnus, *&c.* 410. 1. d
Producāt aquæ reptile animę viuētis, *&c.* 346. 2. e
Spiritus Domini ferebatur super aquas. ibid.
Vidit Deus, cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona. 612. 1. b
Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, *&c.* 137. 1. a 363. 1. e
Præsit bestiis, *&c.* 730. 1. a
2. Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea. 326. 2. d. 327. 1. b
Requieuit die septimo ab omni opere, *&c.* 390. 2. c. 392. 1. e. 410. 1. d. 514. 1. b. 737. 2. b.
Fluuius egrediebatur de loco voluptatis, *&c.* 111. 2. c. 306. 1. a.
Ædificauit Dominus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem. 156. 1. a
Plantauerat autem Dominus paradisum voluptatis. 2. d
Faciamus ei adiutorium simile sibi. 157. 1. d
Crescite, & multiplicamini. e. 160. 1. a
In quacumque die comederitis, morte moriemini. 241. 2. e
Ex omni ligno paradisi comede: de ligno scientiæ boni, & mali, ne comedas. 529. 2. d
3. Abscōdit se Adam à facie Domini, *&c.* 31. 1. d
Scit Deus, quia in quacumque die comederitis, aperientur oculi vestri. 71. 2. b
Ipsa conteret caput tuum. 103. 2. c
Nequaquam moriemini. 106. 2. a
In dolore paries filios. 157. 2. a
Eritis sicut Dij scientes bonū, & malum. 250. 2. d
Puluis es, & in puluerem reuerteris. 289. 2. b
Collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, *&c.* 448. 1. a
Terram comedet. 463. 2. a
Serpēs erat callidior cunctis animātibus. 640. 2. c
4. Vagus eris & profugus super terram. 514. 1. e
6. Omnis caro corruperat viam suam. 463. 2. d
Te vidi iustū corā me in generatione hac. 561. 2. a
8. Cùm non inuenisset, vbi requiesceret pes eius, reuersa est, *&c.* 437. 1. c. 591. 2. d
Coruus egrediebatur, & non reuertebatur. 59. 1. b. 347. 1. d. 596. 1. a.
Cataractæ cæli apertæ sunt, *&c.* 441. 2. e
Inclusit eum Dominus deforis. 702. 2. a
Apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis, *&c.* 212. 2. e
Cùm vidisset Cham verēda esse nudata. 480. 1. b
Patris virilia non viderunt. ibidem.
11. Venite, faciamus nobis ciuitatē, *&c.* 648. 2. c
Et diuisit eos Dominus ex illo loco in diuersas terras. ibid. d
13. Dixit Abraham ad Loth filium fratris sui: Ne sit iurgium, *&c.* 168. 1. c. 476. 1. a
Non poterat eos capere terra, vt habitarent simul. 386. 2. c
Recede à me, obsecro, si ad sinistram ieris, *&c.* 699. 2. e.
14. Da mihi animas, cætera tolle tibi. 175. 1. b
16. In monte saluum te fac. 163. 1. b
Est ciuitas hic parua, & saluabor in ea. ibid.
17. Appellaberis Abraham quia patrem multarum genitum posui te. 718. 1. b
Non vltra vocabitur nomen tuum Abram, *&c.* 139. 1. b.
28. Apparuit Dominus Abrahæ. 115. 1. b
Si inuenero Sodomis 50. iustos, *&c.* 356. 2. c
Clamor Sodomorum multiplicatus est. 591. 2. a
Accelera, tria fata similæ commisce. 620. 2. e
19. Apprehenderunt manum eius, & eduxerunt, *&c.* 713. 1. a
Salua animam tuam, noli respicere post tergum. 334. 1. b. 699. 2. e
Cùm subuerteret Deus ciuitates regionis illius, recordatus est Abrahæ, *&c.* 356. 2. c
Eduxerunt Angeli Lot, & posuerunt extra ciuitatem. 479. 1. b
Ne stes in omni circà regione. ibidem.
21. Fecit Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius. 655. 2. e
Risum fecit mihi Deus, *&c.* 365. 1. a
Eiice ancillam hanc, & filium eius. 698. 1. d
22. Vade in terram visionis. 179. 2. c. 180. 1. b
Possidebit semen tuum portas inimicorū suorum. 719. 2. e
In semine tuo benedicentur omnes gentes. 404. 2. e.
24. Occurrit ei seruus Abrahę, & ait: Pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe, *&c.* 287. 1. a
25. Collidebantur in vtero eius. 455. 1. a
26. Propter puteum iurgium fuit pastorum, *&c.* quamobrem vocauit Isaac nomen putei, calumniam. 290. 1. d
Alium aperuit Isaac puteum, *&c.* appellauitque eum Inimicitias. ibidem.
Isaac fodit alium puteum, pro quo non contenderunt: itaque vocauit nomen eius latitudo, *&c.* e.
Venerunt serui Isaac annuntiantes ei de puteo quem foderunt, *&c.* ibidem.
Seruiuit Isaac in terra illa; & inuenit in ipso anno centuplum. 435. 2. b
27. Det tibi Deus de rore cæli; & de pinguedine terræ. 515. 2. a
In pinguedine terræ, & in rore cæli desuper erit benedictio tua. b.
Vox quidem, vox Iacob: sed manus sunt Esau. 682. 1. c.
Frumento & vino stabiliui te, *&c.* 603. 1. a
28. Vidi Dominum facie ad faciem. 115. 1. b
Vidit in somnis Iacob scalam stātem super terram. 250. 2. b. 516. 1. b
29. Num quia frater meus es, gratis seruiet mihi? 168. 1. c
Indicauit Iacob Racheli: quod frater esset patris sui. ibid.
30. Exaudiet me cras iustitia mea. 512. 1. e
31. Ego sum merces tua magna nimis. 332. 1. b
32. Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, *&c.* 131. 1. d
Cur quæris nomen meum? 345. 2. b
In baculo meo transiui Iordanē istū, *&c.* 435. 2. b
Placabo illum in muneribus, quæ præcedūt, *&c.* 444. 2. d. 450. 1. d.
Dimitte me, iā enim ascēdit aurora, *&c.* 699. 1. c
33. Emit Iacob partem agri, in qua fixerat tabernacula, *&c.* 274. 2. a
Nosti quòd paruulos habeam, *&c.* quas si plus in ambulādo fecero laborare, morietur, *&c.* 368. 2. c
Sequar paulatim sicut videro paruulos meos posse.

posse. c.
37. Fratres oderant Ioseph, nec poterant ei quidquam pacificè loqui. 449.1.c
39. Per singulos dies, & mulier molesta erat adolescenti, &c. 29.1.e
45. Dabo vobis omnia bona Ægypti, &c. 386.1.b
48. Constituit Iacob Ephraim ante Manassem. 110.2.b
Do tibi partē vnā extra fratres tuos, &c. 274.2.a
49. Asinus fortis accubās inter terminos. 58.2.c
Lauabit in vino stolam suam, &c. 164.1.c. 375.2.a
Beniamin lupus rapax, &c. 180.2.d
Non auferetur sceptrum de Iuda, &c. 404.2.e
Fiat Dan coluber in via. Cerastes in semita. Mordebit, &c. 757.1.d

EX EXODO.

Cap. 2. Vocauit nomen eius Moyses; dicens, de aqua tuli eum. 114.1.b
3. Solue calceamentum de pedibus tuis, &c. 21. 2.e. 128.2.c. 175.2.d. 200.2.a
Apparuit ei Dominus. 25.2.d. 389.1.c
Cùm Moses minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb. 703.1.a
4. Virgā hanc sume in manu tua, &c. 153.1.e
Si non crediderint tibi, neque audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis, &c. 155.2.b
Non credent mihi, neque exaudient vocem meam, &c. ibid.
7. Constitui te Deum Pharaonis. 357.2.a. 464.2.b
8. Et venit musca grauissima in domo Pharaonis. 130.1.d
Dimitte populum meum, vt seruiat, &c. 516.2.e
9. Qui timuit verbum Domini de seruis Pharaonis, fecit confugere, &c. 698.1.c
10. Ecce ego inducā locustā in fines tuos. 130.1.d
Arreptam locustam ventus proiecit in mare rubrum. 530.1.b
12. Erit agnus absq; macula masculus, &c. 133.1.b
Immolabit eum vniuersa multitudo filiorum Israel. 135.2.d
Erit sanguis vobis in signum in ædibus, in quibus eritis, &c. 251.2.b
Non comedetis ex eo crudum quid, neque coctum aqua, &c. 255.2.c
Dies prima erit sancta, atque solennis, & dies septima, &c. 407.2.b
Accipies tibi oviculam anniculam, &c. & erit tibi Sabbathum dies sancta, &c. d
Septem diebus fermentum non inuenietur in domibus vestris. 47.1.b
13. Sic autem comedetis illum; Renes vestros accingetis, &c. 128.2.e
15. Filij Israel ambulauerunt per siccum in medio maris. 433.2.e. 464.1.e
16. Gomor decima pars est Ephi, &c. 190.1.e
Colligat vnusquisque ex eo quantum sufficit, &c. 708.2.d
17. Manus Moysi erant graues, &c. 562.1.b
19. Veniam ad te in caligine nubis. 735.2.e
20. Non ascendes per gradus, ad altare meum, &c. 198.2.c. 221.1.b
Altare de terra facietis mihi, &c. 198.2.d
Non periurabis, & non assumes nomen Domini, &c. 481.1.b. 483.2.e
Nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini, &c. 483.2.e
Honora patrem tuum, &c. 692.2.e
24. Operuit nubes montem. 735.2.e
Si occurreris boui inimici, aut asino erranti, reduc ad eum, &c. 355.1.a. 488.2.b. 491.2.b. 761.2.a
35. Fac secūdùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est. 181.1.b
Omne pondus candelabri cum vniuersis suis habebit talentum auri purissimi. 181.2.e
Pones in arca testificationem, &c. 283.2.b
In qua pones testimonium, quod dabo tibi. ibid. 184.1.b
Inde præcipiam, & loquar ad te, &c. 184.2.d
Duos Cherubim aureos & productiles facies, &c. 185.1.a. 558.2.a
Facies mensæ labium aureum per circuitum, &c. 292.2.a
Emunctoria, & vbi quæ emuncta sunt extinguantur, fiant de auro purissimo. 691.2.c
26. Facies decem cortinas de byssō retorta, &c. 185.2.c
Facies, & velum de hyacintho, &c. ibid.
27. Pones contra mensam candelabrum in latere tabernaculi, &c. 190.1.b
Collocabit eam, vtque mane luceat. 194.1.a
Præcipe filiis Israel, vt afferant tibi oleum de arboribus oliuarum, &c. b
Non solidum, sed inane, & cauum intrinsecus facies illud. 199.1.c
28. Vestietur ea Aaron, in officio ministerij, vt audiatur sonitus, &c. 124.2.a. 212.1.a
Facies & tunicam superhumeralem totam hyacinthinam, &c. 211.2.c
Facient superhumerale de auro, & hyacintho, &c. 212.1.c
Sumes duos lapides, &c. & sculpes in eis nomina filiorum Israel. 2.b
Portabit Aaron nomina filiorum Israel in rationali, &c. c.e
Rationale facies iudicij opere polymito, &c. 213.1.d
Pones in eo quatuor ordines lapidum, in primo versu erit lapis Sardius & Topazius, &c. 2.a
Duodecim nominibus cælabuntur singuli lapides, &c. 215.2.c
Pones in rationali iudicij doctrinam, & veritatem, &c. 216.2.a. 219.1.a. 271.2.b
Facies balteum opere plumarij. 219.2.a
Facies laminam de auro purissimo, in qua sculpes opere cælatoris sanctum Dño. ibid.b. 220.1.a.c
Facies tunicam oculatam. 220.2.b
Facies feminalia linea, vt operiant carnem, &c. ibid. e. 221.1.c. 223.2.b
Et vtentur eis Aaron, & filij eius, &c. 220.2.c
Filiis Aaron tunicas lineas parabis, & balteos, &c. 221.2.b
29. Septem diebus consecrabis manus eorum, & vitulum, &c. 209.1.d
30. Pones altare coram propitiatorio, quo tegitur testimonium. 184.2.b
Pones altare contra velum, &c. 188.1.d. 2.c
Adolebit incensum super altare Aaron suaue, &c. 193.2.d. 194.1.b
Missa aqua lauabunt in ea Aaron, & filij eius manus suas, &c. 194.1.c. 200.a.2.b
Sume tibi aromata primæ myrrhæ, & electæ. 500. siclos, &c. 209.1.b
32. Peccauit populus iste peccatum maximum, &c. Aut dimitte eis hāc noxam, &c. 373.2.d. 465.2.e
33. Stabis supra petram, & videbis posteriora mea. 723.2.d. 738.2.d
34. Dominator Domine Deus misericors, & clemens, &c. 356.1.c
35. Qui fecerit opus in eo occidetur, non succendetis ignem, &c. 407.2.a
36. Plus offert populus quàm necessarium, &c. 708.1.a
37. Fecit & lucernas septem cum emunctoriis suis, & vasa, &c. 468.2.b
39. Fe-

39. Fecerunt cingulum de byſſo retorta, hyacintho, &c. 219.2.b
Fecerunt & laminam ſacræ venerationis, ſcripſeruntque in ea ſanctum Domini, &c. 219.2.b. 220.1.a.c.
Fecerunt & tunicas byſſinas opere textili Aaron, &c. 221.2.e.
40. Demittes ante illam velum. 684.2.a
Operuit nubes tabernaculum. 735.2.e

EX LEVITICO.

Cap. 1. Plumas proiiciet prope altare, in loco in quo cineres effundi ſolent. 549.2.b
Omnis oblatio, quæ offertur Domino abſque fermento fiet, &c. 190.1.d
Quidquid obtuleris ſacrificij, ſale condies. 190.1.e.457.2.a.464.1.a.754.2.b.
Vnus Sacerdos tollet pugillum plenum ſimilæ, &c. 213.1.a.
Nec quidquam frumenti, ac mellis adolebitur in ſacrificio, &c. 404.1.a
6. Hæc eſt lex holocauſti, tota nocte in altari cremabitur, &c. 231.2.d
8. Veſtiuit Pontificem ſubucula linea, accingens eum balteo, &c. 219.1.c.220.1.e.223.1.e
De oſtio tabernaculi non exibitis 7. diebus, &c. 209.1.e
9. Ignis in altari meo ſemper ardebit; quem nutriet Sacerdos, &c. 199.2.e
Ignis eſt iſte perpetuus, qui numquam deficiet in altari. ibid.
10. Vt habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & prophanum, &c. 228.1.e
Dixit Dominus ad Aaron, vinũ, & omne quod inebriare poteſt non bibetis, &c. 230.1.e
11. Quidquid ambulat ſuper quatuor pedes, ſed habet longiora retro cura, &c. comedere debetis, vt eſt Bruchus, &c. 11.2.e
13. Quicumque maculatus fuerit lepra, & ſeparatus, &c. habebit veſtimenta diſſuta, &c. 32.1.a
Homo, in cuius cute ortus fuerit diuerſus color, &c. adducetur ad Aaron Sacerdotem, &c. 228.2.b
Omni tempore, quo leproſus eſt & immundus ſolus habitabit, &c. 535.1.c
Sin autem efflorueriſ diſcurrens lepra, &c. conſiderabit eum Sacerdos, &c. 536.2.e
14. Adducetur ad Sacerdotem, qui egreſſus de caſtris, &c. præcipiet ei, qui purificatur, vt offerat duos paſſeres, &c. 538.2.a
Vnum ex paſſeribus immolari iubebit in vaſe fictili. ibid.
15. Mulier, quæ patitur multis diebus fluxum ſanguinis, &c. quamdiu ſubiacet huic paſſioni, immunda erit, &c. 371.2.d
Mulier, quæ redeunte menſe patitur fluxum ſanguinis, 7. diebus ſeparabitur, &c. e
16. Decima die affligetis animas veſtras. In hac die expiatio erit veſtri, &c. 27.1.c.187.1.d
In nube apparebo ſuper oraculum. 735.2.e.
Tunica linea veſtietur, fœminalibus lineis verenda celabit, &c. 187.1.e.
Aſſumpto thuribulo, quod de prunis altaris impleuerit, &c. vltra velum intrabit in Sancta, &c. 189.1.a
18. Semen tuum non dabis traiiciendum idolo Moloch. 473.2.a
Turpitudinem patris tui, &c. non diſcooperies, 480.1.b.
19. Non corrũpetis effigiẽ barbæ veſtræ. 35.2.d
Egreſſus ignis à Domino deuorauit holocauſtum, &c. 199.2.a
Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ, &c. 477.2.b.488.1.b
Non periurabis in nomine meo. 481.1.b
Diliges amicum tuum ſicut te ipſum. 488.1.a.2.b
Agrum tuum non feres diuerſo ſemine 607.1.e.609.1.c
21. Loquere ad Aaron; homo de ſemine tuo, &c. qui habuerit maculam, non offeret panes Deo ſuo, &c. 226.2.c
23. Cum ingreſſi fueritis terram, &c. feretis ſpicarum primitias meſsis veſtræ ad Sacerdotem. 284.2.d.406.1.a
A veſpera vſque ad veſperam celebrabitis Sabbatha veſtra. 321.1.a.406.2.a
Numerabitis ab altero die Sabbati, in quo obtuliſtis manipulum, &c. ſeptem hebdomadas plenas. 406.1.c
Menſe ſeptimo prima die mẽſis, erit vobis Sabbatum, &c. e
Sabbatum requietionis eſt. 2.a.
Septem diebus azyma comedetis. Dies primus erit vobis celeberrimus, &c. 407.2.e
24. Senos altrinſecus ſupra menſam puriſsimam coram Domino ſtatues. 190.1.d.191.2.a
Pones ſuper eos thus luctdiſsimum 191.2.a
Ponet eas Aaron à veſpere vſque ad mane coram Domino. 194.1.a
Per ſingula Sabbata mutabuntur coram Domino. c
Qui irrogauerit maculam cuilibet ciuium ſuorum, ſicut fecit ſic fiet ei. &c. 485.1.a.486.2.d
25. Santificabis annum quinquageſimum & vocabis remiſsionem. 630.1.c

EX NVMERIS.

Cap. 2. Populus congregauit coturnicum multitudinem, &c. 621.1.a
4. Nolite perdere populum Caath, &c. Aaron, & filij eius intrabunt, &c. 230.2.b.
Alij nulla curioſitate videãt, quę ſuntin Sanctuario, &c. ibid.
Cum inuoluerint Aaron, & filij eius Sanctuarium, &c. tunc intrabunt filij Caath. e
5. Præcipe filiis Iſrael, vt eiiciant de caſtris omnem leproſum, &c. 372.1.a.5 35.1.c
6. Locutus eſt Dominus ad Moyſen, &c. Sic benedicetis filiis Iſrael, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus, &c. 228.1.d
Conuertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem, &c. ibid.
7. Cùm ingrederetur Moyſes, &c. audiebat vocem loquentis, &c. 184.2.d
10. Si exieritis ad bellum, clangetis vlulantibus tubis, & erit recordatio, &c. 213.1.a.228.1.a
Si quando habebitis epulũ, &c. canetis tubis ſuper holucauſtis, &c. 228.1.b
Fac tibi duas tubas argenteas, quibus conuocare, &c. 492.2.c
11. Sepulchra concupiſcentiæ. ibi enim ſepelierunt populum, &c. 299.2.c
Auferam de ſpiritu meo, tradamque eis, vt ſuſtentent tecum, &c. 309.2.d
12. Ore ad os loquor ei, & palam, &c. 115.1.b
13. Ibi vidimus monſtra quędam filiorum Enac, &c. 592.2.c
15. Loquere filiis Iſrael, &c. vt faciant ſibi fimbrias per angulos, &c. 212.1.c.375.2.a
16. Dixit Dominus ad Aaron; tolle thuribulum, & hauſto igne de altari mitte incenſum, &c. 373.2.d
Cùm cucurriſſet ad mediam multitudinem, &c.

obtulit thymiama, &c. c.
17. Quem ex his elegero, germinabit virga eius. 424. 2.c
18. Omnia, quæ adultum altaris pertinent, &c. per Sacerdotes administrabuntur. 194.1.d
Si quis externus accesserit, occidatur. ibidem.
Dixit Dominus ad Aaron, in terra eorum nihil possidebitis, &c. 232. 2. e
Filiis autem Leui dedi omnes decimas Israelis in possessionem, &c. ibidem.
Omnes primitias Sanctuarij, &c. tibi dedi, &c. 457. 1. e.
20. Hæc est aqua contradictionis. 290. 1. d
21. Fac tibi serpentē æneum, &c. 240. 2. b. 255. 2. d
Misit Dominus in populum ignitos serpentes. 255. 2. e.
23. Moriatur anima mea morte iustorū. 333. 1. a
27. Pro hoc si quid agendum erit, Eleazar Sacerdos cōsulet Dominum. Ad verbum eius egredietur, &c. 218. 1. c.
Prouideat Dominus, &c. hominem, qui sit super multitudinem, &c. 424. 2. e
35. Præcipe filiis Israel, vt dent Leuitis de possessionibus suis, &c. 233. 1. a
Quæ à muris ciuitatum forinsecus per circuitum mille passuum spatio tenētur, contra Orientem, &c. ibid.
De oppidis, quæ Leuitis dabitis, sex erunt in fugitiuorum auxilia, &c. b.
De ipsis autem vrbibus quę ad fugitiuorum, &c. tres erunt trans Iordanem, &c. ibid.

EX DEVTERONOMIO.

Cap. 4. Vocem eius audiuimus de medio ignis. 402. 1. b.
5. Memento quòd eduxerit te Deus in manu forti, &c. 594. 1. c
6. Erunt verba hæc in corde tuo, narrabis ea filiis tuis, &c. 184. 1. d
Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies. 481. 1. c
8. Afflixit te Deus penuria, & dedit tibi cibum manna, &c. 71. 2. e. 104. 1. c
Deus ductor tuus fuit in solitudine magna, in qua erat serpens, &c. 256. 1. a
Vt cùm comederis, & satiatus fueris, benedicas Domino, &c. 663. 2. b
9. Dedit mihi Dominus duas tabulas fœderis. 183. 2. b.
11. Pones benedictionem super montem Garizim, maledictionem, &c. 480. 1. a
Terra ad quam ingrederis possidendam, non est sicut terra Ægypti, &c. 387. 1. c
12. Caue ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris, &c. 279. 1. d
13. Si resurrexerit in medio tui prophetes, &c. dixerit tibi sequamur deos alienos, &c. Non audias verba, &c. 258. 1. b
Maleficos non patieris viuere. 613. 1. b
15. Cùm tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus, & sex annis seruierit, &c. 168. 1. c
Si vnus de fratribus tuis ad paupertatem deuenerit, non obdurabis cor tuum, &c. 415. 1. e
16. Munera excæcant oculos sapientium, &c. 137. 2. e.
Septem hebdomadas numerabis tibi, & celebrabis diem festum, &c. 406. 1. b
Obserua mensem nouarum frugum, & verni primum temporis, &c. c.
Non plantabis lucum, & omnem arborem iuxta altare Domini. 609. 1. c
17. Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, &c. Surge & ascēde ad locum, &c. 228. 2. b.
Veniesque ad Sacerdotes Leuitici generis, &c. qui iudicabunt tibi, &c. ibidem.
Et facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco, &c. c.
Qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, morietur. ibidem.
18. Prophetam de gente tua, &c. suscitabit tibi Dominus, &c. 662. 2. d
Non habebunt Sacerdotes, & Leuitæ, &c. hæreditatem cùm reliquo Israel. 232. 2. d
Sacrificia Domini, & oblationes comedēt. ibid. e
19. Oculum pro oculo, dentem pro dente. 112. 2. d.
In ore duorum, aut trium testium stabit omne verbum. 732. 2. b. 756. 1. c
20. Appropinquante prælio stabit Sacerdos ante aciem, & sic loquetur, &c. Non pertimescat cor vestrum, &c. quia Dominus Deus vester in medio vestri est, &c. 228. 2. c
21. Maledictus omnis, qui pendet in ligno, &c. 248. 1. e.
22. Funiculos in fimbriis facies tibi, &c. 74. 1. a
Cùm ædificaueris domum nouam, facies murum, &c. c. 107. 2. c.
23. Si intraueris segetem amici tui, franges spicas. 406. 1. d
Non erit meretrix de filiabus Israel. 169. 2. c
24. Si vxor non inuenerit gratiam ante oculos, &c. scribet libellum, &c. 480. 1. b
25. Non alligabis os boui trituranti. 292. 1. c
Pro mensura peccati erit & plagarum modus. 385. 2. b.
Pondus habebitis iustum, & verum, &c. 533. 1. e
31. Tollite librum istum, & ponite eum in latere, &c. 183. 1. e
32. Concrescat in pluuiam doctrina mea, &c. 38. 2. b.
Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit, &c. 164. 2. b. 663. 2. d.
Hæccine reddis Domino populе stulte & insipiens: Nunquid non ipse, &c. 257. 2. a
Mea est vltio, & ego retribuam eis. 476. 1. d
Sicut aquila prouocans ad volādum pullos, &c. 547. 1. b.
Expandit alas, & assumpsit eum, &c. ibid.
33. Beniamin amantissimus Domini habitabit confidenter, &c. 191. 1. a
Qui dixit patri suo, & matri suæ, Nescio vos, &c. 164. 2. e.
Perfectio tua, & doctrina viro sancto, &c. 218. 1. e
34. Non surrexit vltra Propheta sicut Moyses, &c. 554. 1. a

EX IOSVE.

Cap. 1. Steterunt aquæ descendentes in loco vno, & ab instar montium, &c. 45. 2. b
Transite armati ante fratres vestros. 168. 1. c
Non recedat volumen legis huius ab ore tuo, &c. 184. 1. c.
2. Virum cum vidisset stantem, &c. rogauit: Noster es? &c. 104. 2. b
3. Iordanis ripas aluei sui tempore messis impleuerat. 284. 2. 1. e
4. Populus ascendit de Iordane 10. die mensis primi. ibid.
Festinauit populus, & transiit. 298. 1. d
5. Defecit manna postquam comederunt de frugibus terræ, &c. 165. 1. a 284. 2. d
Fecerunt Phase quarta decima die mensis ad vesperam, &c. 284. 2. d

Cum esset Iosue in agro vrbis Iericho. 535.1.b
6. Sacerdotes tollent septem buccinas, quarum vsus est in Iubileo. 630.1.e
Iericó clausa erat. 702.1.e
9. Non deficiet de stirpe vestra, ligna cedens, &c. 233.2.a
Liberauit eos Iosue de manu filiorum Israel, &c. ibid.
13. Tribui Leui non dedit possessionẽ, &c. 232.2.d
Omnis Galilæa, Philistiim: & vniuersa Gessuri, &c. 303.1.d
14. Separate vrbes fugitiuorum. 233.1.b
15. Dedit Caleb ei irriguum superius, & inferius. 441.1.
Suspirauit Axa: cui Caleb; quid habes? inquit, &c. ibid.d.
16. Habitauit Chananeus in medio Ephraim, &c. 95.1.a
21. Crasdicent filij vestri filiis nostris. 512.2.a
Vos hodie reliquistis Dominum, & cras in vniuersum Israel, &c. ibid.
24. Ossa Ioseph quæ tulerant filij Israel de Ægypto sepelierunt in Sichem, &c. 274.2.a

EX LIB. IVDICVM.

Cap. 1. Septuaginta Reges amputatis manuum ac pedum summitatibus colligebant sub mensa mea, &c. 767.2.a
3. Hæ sunt gentes quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Israelem, &c. 93.2.d
5. Portas hostium ipse subuertit. 719.2.e
Propria voluntate obtulistis vos discrimini, &c. 728.1.d
7. Panis hordeaceus tabernaculum Madianitarum subuertit. 87.1.d
Dedit tubas in manibus eorum lagenasque vacuas, &c. 505.2.a
9. Quod me videtis facere, cito facite. 55.1.a
Certatim ramos de arboribus præcidentes sequebantur ducem. ibid.
Cepit vrbem interfectis habitatoribus eius, &c. 457.2.d
11. Aperui os meum ad Dominum, 425.1.e
14. Samson declinauit à via, vt videret cadauer leonis. 506.1.c
De comedente exiuit cibus, &c. 682.1.e
Si non arassetis in vitula mea, &c. ibid.2.a

EX LIB. RVTH.

Cap. 2. Inuenit hordei quasi Ephi mensuram, &c. 620.2.e

EX LIB. I. REGVM.

Cap. 1. Vultus illius non sunt amplius in diuersa mutati. 443.1.c
2. Samuel ministrabat ante faciem Domini puer accinctus Ephod. 232.2.c
Quare calce abiecisti victimam, &c. 522.2.a
4. Cecidit de sella retrorsum, & fractis ceruicibus, &c. 107.2.c
7. Conuenerunt Israelitæ in Masphath, hauseruntque aquam, & effuderunt in conspectu Domini, &c. 36.1.b
9. Saul electus & bonus, &c. 424.1.d
Cuius erunt optima quæque Israel? Nonne tibi? 126.2.c
10. Vnxit te Deus super hæreditatem suam in principem, &c. 423.2.d
Certè videtis, quem elegit Dominus, &c. 424.1.c
13. Faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Israel, &c. 106.1.a
14. Nullus applicuit manum ad os suum, timebat enim populus iuramentum. 85.2.b
Maledictus vir, qui comederit panem vsque ad vesperam, &c. 1.e
Porrò Ionathas non audierat, &c. extenditque summitatem virgæ, &c. 2.c
Turbauit pater meus terram: vidistis ipsi quia illuminati sunt oculi mei, &c. ibid.
15. Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus: sic absque liberis inter mulieres erit mater tua. 767.2.a
Nonne cum paruulus esses, caput in tribubus Israel factus es? 126.2.d
16. Num coram Domino est Christus eius? 308.2.
Ne respicias vultum eius, neque altitudinem staturæ eius, quoniam abieci eum, &c. ibid.
Vnges quem monstrauero tibi. 423.2.b
Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu sua, &c. 590.2.b
17. Egressus est vir spurius de castris Philistinorum nomine Goliath, &c. 89.2.a
Nouerit vniuersa Ecclesia hæc. 314.1.a
Domum patris eius faciet Rex absque tributo in Israel. 360.2.a
Veniebat leo, vel vrsus, consurgebant aduersum me. Apprehendebam mentum eorum, &c. 475.1.b
18. Dauid psallebat manu sua, tenebatque lanceam Saul, &c. 592.1.b
Non rectis oculis Saul aspiciebat Dauid. ibid.c
21. Quis est Dauid? & quis est filius Isai? hodie increuerũt serui, qui fugiũt dominos suos. 122.2.c
Non habeo laicos panes ad manum, sed tantùm panem sanctum. 190.2.c. 191.1.d
Si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus? 191.2.a
Quare tu solus, & nullus est tecum? 408.2.d. 409.1.c
Pueris conduxi in illum locum. 409.1.d
23. Dixit Dauid ad Abiathar Sacerdotem. Applica Ephod, & ait Dauid: Si tradẽt me viri Ceilæ, &c. 218.1.b
24. Prȩcidit Dauid oram chlamydis Saul. 74.1.a
Quem persequeris Rex Israel? canem mortuum persequeris, &c. 127.1.e
Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo. 127.1.e
Inclinans se Dauid prõnus in terra adorauit, dixitque ad Saul, &c. vide & cognosce oram chlamydis. 449.1.d
Iustior es, quàm ego: tu enim tribuisti mihi bona, &c. 450.1.c
Percussit cor suum Dauid, eo quod abscidisset oram chlamydis, &c. 692.1.c
25. Hæc faciat Deus inimicis Dauid, & hæc addat, si reliquero de omnibus, quæ ad ipsum pertinent, &c. 449.1.e
Benedictus Dominus qui misit te hodie in occursum meum, &c. quia prohibuisti me hodie, ne irem ad sanguinem. 2.a
26. Peccaui, reuertere fili mi Dauid, nequaquam enim vltra tibi malefaciam, &c. 450.1.c
28. Consuluit Saul Dominũ, & non respondit ei, neque per somnium, neque per Vrim. 218.1.d
Cras eris mecum. 514.1.e
30. Ait Dauid ad Abiathar Sacerdotem, Applica ad me Ephod: & applicauit, &c. & consuluit Dauid Dominum dicens, Persequar latrunculos, &c. 228.1.c
Æqua pars erit descendentis in prælium, &c. 645.1.c

Planxerunt donec deficerent in eis lacrymæ. 44. 1. 2. e.
Puer Ægyptius ego sum, seruus viri Amalecitæ, &c. 544. 1. a

EX LIBRO II. REGVM.

Cap. 2. A Dan vsque Bersabee. 714. 1. c
3. Nolite timere, ego enim sum, qui præcipio vobis, roboramini, &c. 640. 1. e
4. Ostiaria domus purgans triticum obdormiuit: Ingressi sunt autem, & percusserunt eum, &c. 29. 2. c.
6. Abiit Dauid, & vniuersus populus, qui erat cum eo de viris Iuda, vt adduceret arcam Dei, &c. 185. 1. b.
Percussit eũ Dominus super temeritate. 230. 2. d
Porrò Dauid accinctus erat Ephod lineo. 232. 2. c
8. Fecit sibi Dauid nomen, cùm reuerteretur capta Syria in valle Salinarum. 250. 1. d. 256. 2. e
9. Putásne est aliquis qui remanserit de domo Saul, vt faciam cum eo misericordiam propter Ionatham? 767. 1. e
11. Arca Dei, & Israel, & Iuda habitant in papilionibus, & Dominus meus Ioab, &c. 643. 2. a
12. Pauper nihil habebat omnino, præter vnam ouem paruulam, quam emerat, & nutrierat, &c. 158. 2. c.
Peccaui Domino, Dominus transtulit peccatum tuum. 762. 1. d
Vriam Hethæum percussisti gladio, & vxorem illius accepisti, &c. Quamobrem non recedet gladius de domo tua. 176. 2. d
Et tulit diadema Regis eorum de capite eius, pondo auri talentum, &c. 181. 2. e
Tu fecisti abscondite. 356. 1. b
Populum eius adducens ferrauit, & circumegit super eos ferrata carpenta, &c. 395. 2. b
15. Sollicitabat Absalon corda virorum Israel. 121. 1. d.
Venit nuntius ad Dauid dicens, toto corde vniuersus Israel sequitur Absalon. ibid. e. 728. 2. d
19. Quid mihi, & vobis filij Saruiæ? 147. 2. a. 343. 1. b. 726. 2. c.
14. Desiderauit Dauid aquam de lacu. 443. 2. b
O si quis mihi daret potum aquæ, de cisterna quæ est in Bethlehem iuxta portam. ibidem.

EX LIB. III. REGVM.

Cap. 1. Iurauit Rex Dauid, & ait: Viuit Dominus. 481. 2. b
Sicut iuraui per Deum Israel dicens, Salomon regnabit, sic faciam. ibidem.
5. Fuerunt Salomoni septuaginta millia eorum, qui onera portabant, &c. 178. 1. b
6. Domus cùm exædificaretur de lapidibus dolatis ædificata est; malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt exaudita, &c. 178. 1. e
Quadringentesimo, & octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Ægypti. 181. 1. d
In ingressu oraculi fecit ostia de lignis oliuarum. 182. 2. e. 445. 1. e. 507. 2. b
Oraculum habebat viginti cubitos longitudinis, &c. 183. 1. a
Quadraginta cubitorum erat ipsum templum pro foribus oraculi, & cedro omnis domus intrinsecus vestiebatur, &c. 187. 2. c
Pauimentum domus texit auro intrinsecus, & extrinsecus. ibid. d.
Omnes parietes ampli per circuitum sculpsit Salomon variis celaturis, & torno, & fecit in eis Cherubim, & palmas, &c. 188. 1. a
Domum quoque ante oraculum operuit auro purissimo, &c. 187. 2. c
Nihil erat in tẽplo quod auro non tegeretur. d.
Texit pauimentũ domus tabulis abiegnis. ibid.
Altare vestiuit Salomon cedro. 189. 1. b. 2. a
Totum altare oraculi texit auro. 1. c
Fecit Salomon in templo fenestras obliquas. 192. 2. c.
Ædificauit Salomon atriũ interius tribus ordinibus lapidum politorum, & vno ordine lignorum cedri. 196. 2. a
Et porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis, &c. 189. 1. c
Ædificauit super parietem templi tabulata per gyrum in parietibus domus, &c. 200. 2. d. 208. 1. b
Tabulatum quod subter erat quinq; cubitos habebat latitudinis, & medium tabulatum sex cubitorum latitudinis & tertium tabulatũ, &c. 200. 2. e
Ædificauit tabulatum super omnem domum quinque cubitis, &c. 201. 1. a
Ostium lateris medij in parte erat domus dextræ: & per cochleam ascendebant in medium cœnaculum, &c. 201. 1. a. 208. 1. c
7. Fecit Salomon omnia vasa in domo Domini, altare aureum. 189. 1. c
Finxit Hiram duas columnas æreas decem & octo cubitorum, &c. 195. 1. d
Linea duodecim cubitorum ambiebat columnam vtrámque. 2. a
Capitella, quæ erant super capita columnarum, quasi opere lilij fabricata erant, &c. b.
8. In arca non erat aliud nisi duæ tabulæ lapideæ, &c. 183. 1. e
Dominus dixit vt habitaret in nebula. 736. 1. a
Omnis Ecclesia Israel stabat. 314. 1. a
Stetit Salomon ante altare Domini in conspectu Ecclesiæ Israel. ibidem.
Tu solus nosti corda filiorum hominũ. 353. 1. b
Intulerunt Sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum, &c. 685. 1. a
10. Fecit Rex de lignis thyinis, fulcra domus Domini, &c. 201. 2. b
Videns Regina Saba holocausta, quæ Salomon offerebat in domo Domini. ibidem.
Vniuersa terra desiderabat vultum Salomonis, vt audiret sapientiam eius. 311. 1. e
Videns Regina Saba omnem sapientiam Salomonis & cibos mensæ eius, &c. 682. 2. e
11. Impegerunt eam per viam introitus equo iuxta palatium. 201. 2. e
Constituit Salomon Ieroboam præfectum super tributa, &c. 360. 2. a
13. Locutus est Rex ad virum Dei: Veni mecum domum, vt prandeas, & dabo tibi munera; Respondítque vir Dei ad Regem: si dederis mihi mediam partem domus tuæ, non veniam tecum. 90. 1. c.
Ego Propheta sum similis tui, & Angelus locutus est mihi in sermone dicens: Reduc eum tecum in domum tuam, &c. ibidem.
17. Expandit se, atque mensus est super puerum tribus viribus, &c. 268. 2. e. 536. 1. e
Hydria farinæ non deficiet, & lecythus olei non minuetur. 665. 1. a
18. Implete quatuor hydrias aquæ, & fundite super holocaustum, &c. 28. 1. d
Ecce nubecula parua quasi vestigium hominis ascendebat de mari. 308. 2. d. 490. 1. a
Ecce cæli contenebrati sunt, & nubes, & ventus, &c. 490. 1. a
19. Comedit, & bibiti, & ambulauit in fortitudine

dine tibi illius 40. diebus, &c. 65.2.a. 68.1.b
Zelo zelatus sum pro domo Domini exercituum. 615.2.b
21. Ieiunauit, & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite. 373.1.e
23. Hæc nomina fortium Dauid. 419.2.d

EX LIB. IV. REGVM.

Cap. 1. Cuius figuræ, & habitus est vir ille, qui occurrit vobis? responderunt, Vir pilosus, &c. 11.1.e
Ite: consulite Beelzebub Deum Accaron: vtrùm viuere queam de infirmitate mea hac, &c. 579.2.e
2. Ecce habitatio ciuitatis huius optima est, sed aquæ pessimæ sunt. 457.1.c
4. Accinge lumbos tuos, & tolle baculū meum in manu tua, & vade: si occurrerit tibi homo, non salutes eum, &c. 298.1.b
Orauit ad Dominum, & incubuit super puerum. 546.1.e
Anima eius in amaritudine est, & Dominus celauit à me, &c. 566.2.d
5. Nunquid non meliores sunt Abana, & Pharphar fluuij Damasci omnibus aquis Israel, vt lauer in eis, &c. 384.1.b
Putabam quòd egrederetur ad me, & stans invocaret nomen Domini Dei sui, & tangeret manu suâ locum lepræ, &c. 537.1.e
Accesserunt ad eum serui sui, & locuti sunt ei: Pater etsi rem grandem dixisset tibi, &c. 544.1.b
6. Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis. 100.2.e
Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit; & ecce mons plenus equorum, &c. ibid.
Accidit, vt cùm vnus materiam succidisset, caderet ferrum securis in aquam: & exclamauit ille, & ait: Heu heu Domine mi: & hoc ipsum mutuo acceperam. 250.2.e
Dixit autē homo Dei: vbi cecidit? At ille monstrauit ei locum. Præcidit ergo lignum, & misit illuc; natauitque ferrum, & ait, tolle, &c. 251.1.a
Pone panem coram eis. Apposita est eis ciborum magna præparatio. 500.1.b
7. Si tacuerimus, & noluerimus nuntiare, &c. 117.2.b
9. Quid tibi & paci? 147.2.a
15. In diebus Phacee Regis Israel, venit Theglath Phalasar Rex Assur, & cepit Aion, & Abel domum Malcha, &c. & transtulit eos in Assyrios. 303.2.a
16. Achaz ingressum Regis exterius conuertit in templum Domini. 201.2.c
17. Cùm Dominum colerent, diis quoque suis seruiebant iuxta consuetudinem gentium, &c. 276.1.d
Fuerunt gentes istæ timentes quidē Dominum, sed nihilominus & idolis suis seruientes. Nam filij eorum, & nepotes sicut fecerunt patres sui, ita faciunt, &c. ibid.
18. Tacuit populus: & non respondit. 117.2.b
Ascendit Salmanasar Rex Assyriorum in Samariam, & oppugnauit eam, &c. 303.2.a
19. Non ingredietur vrbem hanc nec mittet in eam sagittam, &c. 70.1.e
20. Protegam vrbem istam propter me, & propter Dauid seruum meum. 456.2.c
23. Iosias Rex contaminauit Tophet, quod est in conualle filij Ennon, vt nemo consecraret filium suum, aut filiam suam per ignem Moloch. 473.2.b

EX LIB. I. PARALIPOMENON.

Cap. 6. Aaron, & filij eius adolebant incensum super altare holocausti: & super altare thymiamatis. 227.1.d
9. De filiis Caath super panes erant propositionis, vt semper nouos per singula Sabbatha pararent. 190.1.a
Hi sunt principes cantorum, per familias leuitarum qui in exedris morabantur, &c. 201.1.d. 231.2.d
13. Percussit Deus Ozam, eo quod tetigerit arcam. 230.2.e
15. Sacerdotes clangebant tubis corā arca Dei. 228.1.b
Tulerunt filij Leui arcam Dei sicut præceperat Moyses, &c. 230.2.c
Vos qui estis principes familiarum Leuitarum sanctificamini cum fratribus, & afferte arcam Dei ad locum, &c. 231.1.a
Cùm adiuuisset Deus Leuitas, qui portabant arcam. b
16. Dauid constituit Banaiam, & Ieziel Sacerdotes, canere tuba iugiter coram arca fœderis Domini. 228.1.b
18. Omnia vasa aurea, & argentea, & ænea consecrauit Dauid Rex Domino, cum argento & auro, quod tulerat de vniuersis gentibus, &c. 182.1.d
21. Dedit Dauid Ornam pro loco siclos auri iustissimi ponderis sexcentos. 179.1.a
22. Voluntatis meæ fuit, vt ædificarem domum nomini Dei mei, sed factus est sermo Domini ad me dicens: multum sanguinem fudisti, &c. 177.2.d
Filius qui nascetur ex te, erit vir quietissimus, &c. ipse ædificabit domum nomini meo. e
Hæc est Domus Dei, &c. 178.2.e
Ecce ego in paupertate mea paraui impensas domus Domini, auri talenta centum millia, &c. 181.2.a
23. Requiem dedit Dominus Deus Israel populo suo, & habitationem Ierusalem vsque in æternum. Nec erit officij Leuitarum, vt portent tabernaculum, &c. 231.2.a
Et erunt sub manu filiorum Aaron in cultu domus Domini, &c. ibid.
Numerati sunt Leuitæ à triginta annis, & supra, & inuenta sunt 38. millia virorum, ex his electi sunt, &c. b
Porrò quatuor millia ianitores, & totidem psaltæ canentes Domino in organis, quę fecerat ad canendum: ibid.
Leuitæ stent manè ad confitendum, & canendum Domino: similiterque ad vesperam, &c. d
24. Diuisit Dauid filiis Eleazar Principes per familias sexdecim: & filiis Ithamar per familias, & domos suas octo. Porrò diuisit vtrisque inter se familias sortibus. 229.2.a
Exiuit autem sors prima Ioiarib, secunda Iedei, &c. b
Hæ vices eorum secundùm ministeria sua, vt ingrediantur domum Domini. c
25. Dauid, & magistratus exercitus segregauerunt in ministerium filios Asaph & Heman, & Idithum, &c. 232.1.a
28. Dedit Dauid Salomon descriptionem porticus, & templi, &c. 181.1.c. 201.1.c
Omnia venerunt scripta in manu Domini ad me, vt intelligerem vniuersa opera exemplaris. 181.1.c
Cogitaui, vt ædificarem domum, in qua requiesceret arca fœderis, &c. 185.1.c

Altari in quo adoletur incenſum, aurum puriſſimum dedit Dauid, vt ex ipſo fieret ſimilitudo quadrigæ Cherubim extendentium alas, &c. ibid. 189.1.c

Aurum dedit Dauid in menſas propoſitionis, pro diuerſitate menſarum, &c. 190.2.d

Dedit Dauid Salomoni filio ſuo exemplar, quod habuit in Spiritu ſuo atriorum domus Domini, &c. 201.1.d

29. Ego totis viribus meis præparaui impenſas domus Domini: aurum ad vaſa aurea, &c. 181.1.e

EX LIB. II. PARALIPOMENON.

Cap. 2. Miſi tibi virum prudentem, & ſcientiſſimum, qui nouerit operari in auro, &c. 178.1.c

3. Cœpit Salomon ædificare domum in monte Moria, qui demonſtratus fuerat Dauid patri eius, &c. 179.1.d

Salomon ſtrauit pauimentum templi pretioſiſſimo marmore, &c. 187.2.c

Domum quoque maiorem texit tabulis ligneis abiegnis: & laminas auri obryzi affixit per totum, &c. 188.1.a

Fecit Salomon velum ex hyacintho, purpura, &c. 193.1.c

Porrò altitudo centum cubitorum erat. 194.2.c

Cœnacula quoque texit auro. e

Ante fores templi fecit Salomon duas columnas, quæ 35. cubitos habebant altitudinis. 195.1.d

4. Fecit Salomon altare aureum. 189.1.c

Fecit Salomon candelabra aurea decem, &c. Nec non & menſas decem, &c. 190.2.d

Fecit Salomon menſas, & ſuper eas panes propoſitionis. e

Fecit Salomon atrium Sacerdotum, & baſilicam grandem, &c. 197.1.c.198.1.e

Fecit conchas decem, &c. vt lauarent in eis omnia, quæ in holocauſtum oblaturi erant. Porrò in mari Sacerdotes lauabantur. 200.1.e

5. Tam Leuitæ quàm cantores, &c. veſtiti byſſinis, cymbalis & pſalteriis concrepabant ſtantes ad Orientalem plagam altaris, &c. 232.2.b

6. Fecerat Salomon baſim æneam, & poſuerat eam in medio Baſilicæ, habentem quinque cubitos longitudinis, &c. 197.1.e

Ergo ne credibile eſt, vt habitet Deus cum hominibus ſuper terram, &c. 545.2.b

9. De lignis thyinis fecit Rex gradus in domo Domini, &c. 201.2.d

13. In exercitu noſtro dux Deus eſt, & Sacerdotes eius qui clangunt tubis, &c. 228.1.b

Num ignoratis quòd Dominus Deus Iſrael dederit regnum Dauid ſuper Iſrael, &c. in pactum ſalis? 457.2.a

15. Tranſibunt multi dies in Iſrael abſque Deo vero, & abſque Sacerdote doctore. 228.1.e

16. Ægrotauit Aſa Rex dolore pedum vehementiſſimo, & nec in infirmitate ſua quæſiuit Dominum, &c. 355.2.d

17. Tertio anno regni ſui miſit de principibus ſuis, vt docerent in ciuitatibus Iuda, &c. 646.1.b

19. Ioſaphat conſtituit iudices terræ in cunctis ciuitatibus Iuda munitis, &c. 472.2.a

20. Cumque ſtetiſſet Ioſaphat in medio cœtu Iudæ, & Ieruſalem in domo Domini ante atrium nouum. 197.2.b

Timore perterritus totum ſe contulit ad rogandum Dominum, & prædicauit ieiunium, &c. 339.2.a.747.2.a

29. Conſtituit Ezechias Leuitas in domo Domini cum cymbalis & pſalteriis, &c. 231.2.c

Steteruntque Leuitæ tenentes organa Dauid, & Sacerdotes tubas: & iuſſit Ezechias, vt offerrent holocauſta ſuper altare, &c. ibid.

33. Qui poſtquam coanguſtatus eſt, orauit Dominum Deum ſuum, &c. 373.1.e

Locutus eſt Dominus Deus ad eum, & ad populum illius, & attendere noluerũt. Idcircò ſuperinduxit eis principes exercitus Aſſyriorum, &c. ibidem.

EX LIB. I. ESDRÆ.

Cap. 2. Hi quæſierunt ſcripturam genealogiæ ſuæ, & non inuenerunt, & eiecti ſunt de Sacerdotio, &c. 218.1.d

4. Tunc intermiſſum eſt opus domus Domini in Ieruſalem, & non fiebat vſque ad annum ſecundum regni Darij. 172.2.b

Memores ſalis quod in palatio comedimus. 457.2.b

6. Ponant fundamẽta ſupportantia altitudinem ſexaginta cubitorum. 202.1.b

EX LIB. II. ESDRÆ.

Cap. 4. Si aſcenderit vulpes, tranſiliet murum eorum. 30.1.a

7. Dixit eis, vt nõ manducarent de Sancto ſanctorum, donec ſtaret Sacerdos doctus & eruditus. 218.2.c

EX LIB. IVDITH.

Cap. 8. In ſuperioribus domus ſuæ, fecit ſibi ſecretum cubiculum, in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur: & habens ſuper lumbos ſuos cilicium, &c. 86.1.b

Vſque dum renuntiem vobis, nihil aliud fiat, niſi oratio pro me ad Dominum. 423.1.c

13. Stetit ante lectum orans cum lachrymis. d

Confirma me Domine Deus in hac hora. ibidem.

16. Non filij Titan percuſſerunt eum, nec excelſi Gigantes oppoſuerunt ſe illi, ſed Iudith in ſpecie faciei ſuæ diſſoluit eum, &c. 136.1.c

Dabit ignem, & vermes in carnes eorum, vt vrantur & ſentiant vſque in ſempiternum. 754.2.b

EX LIB. ESTHER.

Cap. 1. Vinum, vt magnificentia regia dignum erat, abundans, & præcipuum ponebatur. 164.1.c

3. Rex Aſſuerus exaltauit Aman, & poſuit ſolium eius ſuper omnes principes, quos habebat, &c. 165.2.c

4. Vade, & congrega omnes Iudæos, quos in Suſan repereris, & orate pro me. Non comedatis, & non bibatis tribus diebus, &c. 423.1.d

5. Conuocauit ad ſe amicos ſuos, & Zares vxorem ſuam; & expoſuit illis magnitudinem diuitiarum ſuarum, filiorumque turbam, &c. 288.2.d

Et poſt hæc ait, Regina quoque Eſther nullum alium vocauit ad conuiuium cum Rege præter me, &c. ibid.

Et cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum Iudæum ſedentem ante fores regias, &c. e

6. Rex iussit sibi afferri historias, & annales priorum temporum, &c. 706.2.e

7. Suspensus est Aman in patibulo, quod parauerat Mardochæo. 165.2.c.249.1.d

Quæ est petitio tua Esther, vt detur tibi: & quid vis fieri? 654.1.a

14. Tribue sermonem compositum in ore meo, &c. 607.1.b

15. Erat Assuerus terribilis aspectu, cumque eleuasset faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, Regina corruit. 288.1.b

EX LIB. TOBIÆ.

Cap. 1. Tobias ex tribu, & ciuitate Nephthali, quę est in superioribus Galilææ supra Naasson, &c. 302.1.b

2. Hanc tentationem ideò permisit Dominus euenire illi, vt posteà daretur exemplum patientiæ eius, &c. 93.1.e

Hirundinum stercore excæcatus Tobias. 712.2.e

Cùm ab infantia sua semper Deum timuerit, & mandata eius custodierit, non est contristatus contra Deum, quòd plaga cæcitatis euenerit ei. 93.2.b

Nuntiauit Tobiæ filius, vnum ex filiis Israel iugulatum iacere in platea. Statimque exiliens de accubitu suo, relinquens prandium ieiunus peruenit ad corpus, &c. 292.1.a

3. Hoc pro certo habet omnis, qui colit te, quia vita eius si in probatione fuerit, coronabitur. 92.2.a

Tradita fuerat Sara septem viris, & dæmonium nomine Asmodæus occiderat eos, mox vt ingressi fuissent ad eam. 162.2.b

Post tempestatem tranquillum facit, &c. 443.1.a

4. Attende tibi fili ab omni fornicatione: & præter vxorem tuam, &c. 159.2.a

Quomodo potueris, esto misericors. 708.1.e

Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum impertire studę, præmium enim bonum tibi thesaurizas. 508.1.b

Quod ab alio oderis fieri tibi; vide ne tu aliquando alteri facias. 520.2.d.523.1.e

6. Illi qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum à se & à sua mente excludant, &c. habet potestatem super eos dæmonium. 162.2.b

Tu cùm acceperis eam, ingressus cubiculum per tres dies continens esto ab ea, & nihil aliud nisi orationibus vacabis cum ea, &c. e

8. Exurge, & deprecemur Deum, hodie, & cras, & secundum cras: quia his tribus noctibus Deo iungimur, &c. e

Filij sanctorum sumus, & non possumus ita coniungi sicut gentes, &c. ibid.

Domine tu scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meam coniugem: sed sola posteritatis dilectione, &c. d

12. Videbar vobiscum manducare, & bibere: sed ego cibo inuisibili vtor. 48.1.a

Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te. 93.2.1.c

Opera Dei reuelare, & confiteri honorificum est. 349.2.d

Vos benedicite Domino, & narrate omnia mirabilia eius. ibid.

Bona est oratio cum ieiunio, & eleemosyna, &c. 508.1.b

EX LIB. IOB.

Cap. 1. Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. 57.1.e.93.2.b.99.2.e

Egressus est Satan à facie Domini. 94.1.e

Circuiui terram, & perambulaui eam. 175.1.c

Nudus egressus sum de vtero matris meę, & nudus reuertar illuc. 549.2.b

Considerastis seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, &c. 99.1.e.561.1.e

2. Animam illius seruá. 503.1.c

Adhuc retinens innocentiam. 706.2.a

Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua. 112.2.c

Commouisti me aduersus eum. 323.1.b

3. Nunc dormiens silerem, & somno meo requiescerem cum Regibus, & consulibus, &c. 26.1.a

Qui parati sunt suscitare Leuiathan. 92.1.b

Non exaudierunt vocem exactoris. 101.2.c

Post hæc aperuit Iob os suum. 427.2.c

4. Rugitus leenæ, &c. contriti sunt. 592.2.e

5. Ingredieris in abundantia sepulchrũ. 63.1.e

Bestiæ terræ pacificæ erunt tibi. 448.2.e

Visitans speciem tuam non peccabis. 523.1.e

6. Nec fortitudo lapidum, fortitudo mea, nec caro mea ænea est. 249.2.e

7. Militia est vita hominis super terram, &c. 24.2.c

Sicut dies mercenarij dies eius, &c. 706.2.c

Nunquid mare sum ego. 594.1.d

9. Dies mei velociores fuerunt cursore, fugerunt, & non viderunt bonum, &c. 506.2.d

10. Nunquid oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo, & tu videbis? 362.1.e

Tædet animam meam vitæ meæ, dimittam aduersum me eloquium meum, &c. 591.2.b

11. Multiplex lex eius. 523.1.e

14. Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, &c. 386.1.d

Gressus meos dinumerasti. 706.2.d

Putásne mortuus homo rursum viuet; cunctis diebus quibus nunc milito expecto donec veniat immutatio mea. 398.2.a

Homó natus de muliere breui viuens tempore, &c. 686.1.c

15. Sapientes confitentur, & non abscondunt patres suos. 117.2.b

Abominabilis, & inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem. 136.1.b

Congregatio hypocritæ sterilis. 494.2.e

17. Solum mihi superest sepulchrum. 506.2.b

18. Abscondita est in terra pedica eius, & decipula illius super semitam. 103.1.b

Mare loquitur, Non est mecum. 375.1.c

20. Non videat riuulos fluminis, torrentes mellis, & butyri. 267.1.a

Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur, &c. ibid.

21. Non sunt in manu eorum bona sua. 436.2.c. 517.1.b

22. Quid prodest Deo si iustus fueris, &c. 287.1.c

24. Oculus adulteri obseruat caliginem dicēs, Non me videbit oculus. 242.1.a

Si subitò apparuerit aurora, arbitrantur vmbram mortis, &c. ibid.

26. Ligat aquas in nubibus suis, vt non erumpant pariter deorsum. 99.2.e.312.1.e

Obstetricante manu eius eductus est coluber tortuosus. 590.2.a

28. Deus fecit ventis pondus. 96.1.a.562.1.d

Omne

Omne pretioſum vidit oculus eius. 126.2.e
29. Oculus fui cæco,& pes claudo. 387.1.d
Pater eram pauperum. ibid. 416.2.b
Auris audiens beatificabat me, & oculus videns teſtimonium reddebat mihi,&c. 416.2.b
Iuſtitia indutus ſum, & veſtiuit me ſicut veſtimento, &c. ibid.
30. Frater fui draconum, & ſocius ſtruthionum. 455.1.a
31. Si abſcondi,vt homo peccatũ meum. 31.1.e
Si negaui quod volebant, pauperibus, oculos viduæ expectare feci, &c. 387.1.d
Si expectaui ad multitudinem, &c. 436.1.a
Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine, &c. 694.2.a
34. Regnare facit Deus hypocritam, propter peccata populi. 79.1.a
36. Omnes homines vident eum. 115.1.b
Cauſa tua quaſi impij iudicata eſt, &c. 397.2.e
37. Ingredietur beſtia latibulum ſuum. 595.2.c
Super omnes cælos ipſe conſiderat. 572.2.c
38. In ſimilitudinem lapidis durantur aquæ. 415.1.a
Circundedi illud terminis meis, & poſui vectem, & oſtia, &c. 475.2.c
Quis præparat coruo eſcam ſuam, quando pulli eius clamant ad Deum, &c. 510.2.a
Super quo baſes illius ſolidatæ ſunt. 517.2.c
39. Suſcitabis eum quaſi locuſtas. 63.1.e
Clamorem exactoris non audit. 86.2.e. 366.2.b
Incuruantur ad fœtum, & pariunt, & rugitus emittunt. 124.1.d
Quis dimiſit onagrum liberum, & vincula eius quis ſoluit? &c. 437.1.a
Tabernacula eius in terra ſalſuginis. 437.2.a. 457.2.d
40. Fœnum ſicut bos comedet. 39.2.b
Diſperge ſuperbos in furore tuo. 59.2.b
Abſorbebit fluuium,& non mirabitur. 92.1.a
Habet fiduciam, quod influat Iordanis in os eius. d
Nunquid illudes ei quaſi aui? 323.1.b
Sub vmbra dormit, & in ſecreto calami, &c. 595.1.d
41. Halitus eius prunas ardere facit. 102.2.a
Quis reuelabit faciem indumenti eius? 102.2.a
Auditu auris audiui te: nũc autem oculus meus videt te, &c. 294.2.e
Cor eius indurabitur quaſi lapis; & ſtringetur quaſi malleatoris incus. 590.2.e
Non eſt poteſtas ſuper terram,quæ comparetur ei. 592.2.c
42. Non ſunt inuentæ mulieres ſpecioſæ, ſicut filiæ Iob, &c. 298.2.a
Dominus benedixit nouiſſimis Iob,&c. 706.2.a

EX LIBRO PSALMORVM.

Pſal. 1. Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum, & in viâ peccatorum nõ ſtetit,&c. 134.2.b. 656.1.e
In lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die,ac nocte. Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt, &c. 134.2.a. 142.1.d. 184.1.c. 289.2.c. 527.1.b
Non reſurgent impij in iudicio,& peccatores in concilio iuſtorum. 243.1.a.b.d
Non ſic impij nõ ſic, ſed tanquam puluis quem proiicit ventus, &c. 289.2.c. 530.1.a. 547.2.b
2. Reges eos in virga ferrea. 24.1.b
Et nunc Reges intelligite. Seruite Domino in timore. 720.2.d
Filius meus es tu, ego hodie genui te. 49.1.d. 262.2.b
Poſtula à me,& dabo tibi gentes, &c. 618.1.a. 675.2.c. 720.2.d
4. Iraſcimini,& nolite peccare. 439.1.b
Filij hominum vſquequo graui corde, &c. 456.2.c. 684.1.b
In tribulatione dilataſti mihi. 523.2.e
Scitote,quoniam mirificauit Dominus ſanctum ſuum. 671.2.a
Miſerere mei, & exaudi orationem meam. 699.2.d
6. Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo. 441.2.b.d
7. Conuertetur dolor eius in caput, & in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet. 103.2.b
8. Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem, &c. 596.1.b. 757.1.a
9. Pſalite Domino, qui habitat in Sion. 180.1.d
Inſidiatur in abſcondito, quaſi leo in ſpelunca ſua. 614.1.d
Inclinabit ſe, & cadet, cùm dominatus fuerit pauperum. ibid.
Vt annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion. 720.1.c
Qui exaltas me de portis mortis. ibid.d
10. Dominus in cælo ſedes eius. 585.2.e
11. In circuitu impij ambulant. 289.2.a.448.2.e
13. Venenum aſpidum ſub labiis eorum. 105.1.b
Omnes declinauerunt, &c. 618.2.b
Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem. 656.1.e
Sepulchrum patens eſt guttur eorum, &c. ibid.
15. Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt, non eſt,qui faciat bonum, &c. 463.2.d
Nõ dabis ſanctum tuum videre corruptionem. 183.2.d
Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. 708.1.b
16. Satiabor cum apparuerit gloria tua. 430.2.d
Ego clamaui,quoniam exaudiſti me. 567.2.c
17. Deus qui præcinxit me virtute. 102.2.a
Aſcendit ſuper Cherubin, & volauit. 185.1.c
Cum ſancto ſanctus eris, & cum innocente innocens eris,&c. 534.1.a. 767.2.b
Populus, quem non cognoui, ſeruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. 285.2.e. 543.2.a
Filij alieni mentiti ſunt mihi: filij alieni inueterati ſunt. 543.2.a
Inclinauit cælos,& deſcendit. 639.1.d
18. Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius, &c. 25.2.b. 155.1.a
In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. 132.1.e. 154.2.e. 249.2.d. 418.1.a. 462.1.e
In ſole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tanquam ſponſus,&c. 132.2.b. 247.1.a. 490.1.c. 596.2.c. 697.1.d
Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam. 142.2.a. 155.1.a
Non eſt qui ſe abſcondat à calore eius. 256.2.d 490.2.d
A ſummo cælo egreſſio eius,& occurſus eius vſque ad ſummum eius. 462.1.a. 490.1.c
Exultauit vt gigas ad currendam viam. 490.1.c
22. Calix meus inebrians quam præclarus eſt. 164.1.d
Paraſti in conſpectu meo menſam, aduerſus eos, qui tribulant me. 191.1.a.2.d. 566.1.d. 685.2.b.

Dominus

Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit. Super aquam refectionis, &c. 191.1.a.648.2.b

Etsi ambulauero in medio vmbræ mortis non timebo mala quoniam tu mecum es. 339.1.a. 648.2.b

Impinguasti in oleo caput meum. 566.1.d

23. Quis est iste Rex gloriæ? 326.2.a

Tollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, &c. b

Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio, ipse est Rex gloriæ. ibid.

Quis ascendet in montem Domini, & quis stabit in monte sancto eius? Innocens manibus, &c. 327.1.c.431.1.d.445.1.d

24. Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos. 102.1.d

Vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas. 196.1.b

25. Dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. 175.2.a

Circũdabo altare tuum Domine, vt audiam vocem laudis tuæ, & enarrem, &c. 232.1.c

26. Dominus illuminatio mea, & salus mea; quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, &c. 100.1.d

Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius hostiam vociferationis. 232.1.b

Credo videre bona Domini in terra viuentium. 429.1.d

Viriliter age, & confortetur cor tuum; & sustine Dominum. 669.1.a

28. Vox Domini concutientis desertum, & commouebit Dominus desertum Cades. 20. 2.b

Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit. 50.1.a.123.2.b

Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia: vox Domini confringentis cedros, &c. 122.1.e.124.1.a

Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum. 354.2.c

30. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te. 191.1.a

31. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum, nec est in spiritu eius dolus. 33.1.d. 591.2.e

In camo, & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. 373.1.e

Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea: dum clamarem tota die. 591.1.e

33. Declina à malo, & fac bonum. 19.1.a. 134.2.b

Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus. 142.1.a

Inquire pacem, & persequere eam. 450.1.b

Accedite ad eum, & illuminamini, &c. 693.2.a

34. Oratio mea in sinu meo conuertetur. 639.1.c

35. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. 166.2.a. 444.2.b.738.2.a

Apud te est fons vitæ. 397.1.a

36. Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. 72.1.d.104.1.c

Reuela Domino viam tuam, & spera in eo, &c. 643.2.d

Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur. 72.1.e

Deficientes quemadmodum fumus deficient. 107.2.a

Mansueti hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. 429.1.d.439.2.b

Cùm ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam. 669.2.d

37. Quoniam iniquitatem meam annuntiabo. 31.2.b.34.1.b

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum. 31.2.c

Miser factus sum, & curuatus sum vsq; in finem, afflictus sum, &c. 124.1.d

Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ, a facie insipientiæ meæ. 465.2.d.595.2.e

Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum. 593.2.b

Ego autem tanquam surdus non audiebam, &c. 702.2.a

39. In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem, &c. 183.2.d.538.1.c

Annuntiaui, & locutus sum, & multiplicati sunt super numerum. 537.2.e

Aures perfecisti mihi. 608.1.b

Ego mendicus sum, & pauper, Dominus sollicitus est mei. 648.2.a

40. Vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius. 389.1.a

Qui edebat panes meos magnificauit super me supplantationem. 422.2.b

41. Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat, &c. 189.2.d.289.1.d. 290.2.a

Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. 289.1.d.430.2.c

Quando veniam, & apparebo ante faciem Domini. 431.2.c

In die mandabit Dominus misericordiam suam, &c. 619.2.c

Abyssus abyssum inuocat. 656.2.d

41. Iudica me Deus, & discerne causam meam. 455.1.c

43. Posuisti me opprobrium vicinis nostris. 697.1.e

Exurge, quare obdormis Domine? exurge, & ne repellas in finem: quare faciem tuam, &c. 339.1.b

Propter te mortificamur tota die, &c. 727.1.c

44. Vnxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. 225.2.e.507.2.c.567.1.e

Constitues eos principes super omnem terram. 309.2.a.362.2.c

Speciosus forma præ filiis hominum. 359.2.a

Omnis gloria eius, filiæ Regis ab intus. 434.1.e

Concupiscet Rex decorem tuum. 490.1.e. 648.2.e

Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, &c. 563.1.b.607.2.b

Sagittæ tuæ acutæ (populi sub te cadent) in corda inimicorum Regis. 609.2.c

Adducentur Regi virgines post eam, &c. 623.1.d

Diffusa est gratia in labiis tuis. 630.2.e

Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, &c. 648.2.e

45. Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. 277.1.c

Deus noster refugium & virtus: adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis. 339.1.a

Propterea non timebimus dum turbabitur terra, &c. ibid.

Vacate, & videte, quoniam suauis est Dominus. 703.1.a

48. Homo cùm in honore eſſet non intellexit: comparatus eſt iumentis, &c. 157.1.b.288.2.b
Audite hæc omnes gentes. 460.1.d
Sepulchra eorum domus illorum in æternum. 506.2.b
Dives cùm interierit, non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius. 513.1.e
49. Arguam te, & ſtatuam te ante faciem tuam. 36.1.a
In circuitu eius tempeſtas valida. 39.2.c
Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. 337.1.e
50. Ampliùs laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo, &c. 28.1.d
Miſerere mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam. 766.1.b
Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. 28.2.c.199.1.c.385.2.a.573.1.d
Benignè fac Domnine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri, &c. 29.2.d
In iniquitate conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. 132.2.e.157.1.b
Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper. 249.2.c. 593.2.b
Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam: & exultabunt oſſa, &c. 354.2.c
Tibi ſoli peccaui. 356.1.a
Secũdum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem, &c. c
Spiritu principali confirma me. 728.2.d
53. Voluntariè ſacrificabo tibi. ibid.c
54. Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet. 515.1.d
Deſcendant in Infernum viuentes. 757.2.c
55. Pro nihilo ſaluos facies eos. 388.1.d
56. Exurge gloria mea, & exurge pſalterium & cithara, &c. 328.1.a
57. Furor illius ſecundùm multitudinem ſerpentis: ſicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas. 105.1.b.641.1.d.762.1.e
58. In columna nubis loquebar ad eos. 244.1.a
Miſericordia eius præueniet me. 547.1.c
59. In Idumęam extendam calceamentum meum, mihi alienigenæ, &c. 133.1.a
Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus. 764.2.e
61. Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. 517.1.b
62. Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea; & labiis exultationis, &c. 507.2.d.703.1.c
In terra deſerta, inuia & inaquoſa; ſic in ſancto apparui tibi. 595.2.a
63. Narrauerunt, vt abſconderent laqueos mihi, &c. 614.1.d
64. Valles abundabunt frumento. 126.2.b
Ad te omnis caro veniet. 625.2.a
Beatus quem elegiſti, & aſſumpſiſti, &c. 737.1.d
65. Tranſiuimus per ignem, & aquam: eduxiſti nos in refrigerium. 101.2.e.166.2.a.663.1.b
67. Si dormiatis inter medios cleros: pennæ columbæ deargentatæ, &c. 58.2.d
Qui aſcendit ſuper occaſum. 124.2.e
Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati ſuæ. 387.1.c
Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium, &c. 185.1.c
Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa. 305.2.e
Æthiopia præueniet manus eius Deo. 373.1.b
Speciei domus diuidere ſpolia. 594.2.d
68. Zelus domus tuæ comedit eum. 165.2.c. 466.1.e. 761.1.e
71. Deſcendet ſicut pluuia in vellus. 133.2.c
Honorabile nomen eorum coram ipſo. 226.1.a. 544.2.b
Liberabit pauperem à potente, & pauperem, cui non erat adiutor. 416.2.a
Ex vſuris & iniquitate redimet animas eorum. 502.1.a
Erit firmamentũ in terra in ſummis montium. 683.1.a
Dominabitur à mari vſque ad mare, &c. 618.1.a
72. Deieciſti eos dum alleuarentur. 107.2.a
Quid enim mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? 289.1.c
Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea, &c. ibid.
Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, &c. 680.1.b.683.1.d
Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me, &c. 737.1.e
73. Mons Sion, in quo habitaſti in eo. 180.1.d
Contribulaſti capita draconum in aquis, &c. 383.2.e. 575.1.a. 590.2.c
Deus Rex noſter operatus eſt ſalutem in medio terræ. 590.2.c. 597.1.c
74. Calix in manu Domini vini meri. 192.1.d
75. Notus in Iudæa Deus, & in Iſrael magnum nomen eius. 462.1.e
Dormierũt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum. 517.1.e
76. Semitæ tuæ in aquis multis: & veſtigia tua non cognoſcentur. 434.1.b
Non apponet, vt complacitior ſit adhuc, &c. 736.1.e
Cùm occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur, &c. 164.2.a
Elegit tribum Iuda montem Sion, quem dilexit, & ædificauit, &c. 180.1.d
Aperiam in parabolis os meum, &c. 622.1.a
Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos. 655.2.a
Panem Angelorum manducauit homo, cibaria miſit eis, &c. 664.1.e.684.1.d.2.a
Et pluit illis manna ad manducandum, panem cæli dedit eis. 672.2.a
Dilexerunt eum in ore ſuo, & lingua ſua mentiti ſunt ei, &c. 693.1.e
78. Operuit montes vmbra eius, & arbuſta eius cedros Dei. 417.1.c.618.1.a
79. Qui ſedes ſuper Cherubim manifeſtare, &c. 185.1.b
Potum dabis nobis in lachrymis in menſura. 339.1.c
Redde vicinis noſtris ſeptuplum in ſinu eorum. 533.2.d
Deducis velut ouem Ioſeph. 636.1.a
80. Buccinate in Neomenia tuba, in inſigni die, &c. 646.1.a
Linguam quam non nouerat, audiuit. 703.1.b
Diuertit ab oneribus dorſum ſuum, manus eius in cophino ſeruierunt. ibid.c
81. Deus ſtetit in Synagoga deorum, &c. 313.2.b. 385.1.e
82. Deus meus pone illos, vt rotam. 107.2.d
Teſtamentum diſpoſuerunt tabernacula Idumæorum, &c. 183.2.b
Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. 373.2.a

83. Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiſcit, &c. Cor meum & caro mea exultauerunt, &c. 141.2.b 175.1.e
Concupiſcit & deficit anima mea, &c. 740.1.b
Videbitur Deus Deorũ in Sion 108.1.d.431.2.b
Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lacrymarum, &c. 442.1.d
Exponitur hic Pſal. 740.2.d.e
84. Quid loquatur in me Dominus. 25.2.e
Veritas de terra orta eſt, & iuſtitia de cælo proſpexit. 33.1.c
Iuſtitia & pax oſculatæ ſunt. 450.2.e
86. Fundamenta eius in montibus ſanctis, &c. 173.1.e
Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic. 618.1.b
88. Oleo ſancto meo vnxi eum. 209.1.e
Tu dominaris poteſtati maris, motum autem fluctuum eius, &c. 337.2.a
Iuſtitia, & iudicium præparatio ſedis tuę. 685.1.a
Thabor, & Hermon, in nomine tuo exultabunt. 737.2.c
90. Super aſpidem & baſilicum ambulabis, conculcabis leonem, &c. 61.2.a.75.2.c.83.1.b.101.1.b.129.1.a
In manibus portabunt te, &c. 758.1.c
Non timebis à timore nocturno, à ſagitta volante in die, &c. 83.1.a
Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, &c. ibid. 105.1.e
Scapulis ſuis obumbrabit tibi. 97.1.b.100.2.c
Qui habitat in adiutorio altiſſimi, in protectione Dei cœli commorabitur. 100.2.b
Scuto circundabit te veritas eius. c
Angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te, &c. d.758.1.c
In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem, &c. 103.2.d.177.2.d.356.2.a
Cum ipſo ſum in tribulatione. 339.1.a
91. Delectaſti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. Quia magnificata ſunt opera tua, &c. 154.2.c
92. Domum tuam decet ſanctitudo Domine in longitudine dierum. 169.2.e.687.1.a
Dominus regnauit, decorem indutus eſt, &c. 597.1.e
Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus. 756.2.c
93. Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes, &c. 443.1.e
94. Incipite Dño in confeſsione. 33.2.a.444.2.e
Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra. 364.1.d.501.1.d
Nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius. 636.1.a
96. Montes ſicut cera fluxerunt. 25.1.d
98. Qui ſedes ſuper Cherubim, moueatur terra. 185.1.b
Adorate ſcabellum pedum eius. ibid.c.690.1.a
Moyſes, & Aaron in Sacerdotibus eius. 208.2.b
100. Miſericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine. 174.1.a.241.1.c
Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ, &c. 174.1.b
Facientes præuaricationes odiui. Non adhæſit mihi cor prauum, &c. ibidem
Superbo oculo, & inſatiabili corde, cum hoc non edebam, &c. ibid.
Oculi mei ad fideles terræ, vt ſedeãt mecũ, &c. c
In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, &c. ibid.
101. Cinerẽ tanquã panem mãducabam. 506.2.b
102. Quantum diſtat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates, &c. 693.2.b
103. Confeſsionem, & decorem induiſti. 33.2.a
Qui tegis aquis ſuperiora eius. 442.2.e
Omnia à te expectant, vt des illis eſcam in tempore: dante te illis colligent, aperiente te manum, &c. 500.1.c.547.2.b.741.2.b
Emittis fontes in conuallibus. Potabunt omnes beſtiæ, &c. 126.2.b.537.2.a
Auertente te faciem turbabuntur. Auferes ſpiritum eorum, &c. 547.2.b
Panis cor hominis confirmet. 681.1.a
104. Dixit, & venit cœnomyia, & cinifes in omnibus finibus eorum. 410.2.b
105. Mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum. 469.1.a
Commixti ſunt inter gentes, & didicerũt opera eorum, & ſeruierunt, &c. 473.2.a.615.1.a
Et immolauerunt filios ſuos, & filias ſuas dæmoniis, & effuderunt ſanguinem, &c. 473.2.a
106. Stetit ſpiritus procellæ, & exaltati ſunt fluctus eius, aſcendunt, &c. 357.2.a.91.2.b
Omnem eſcam abominata eſt anima eorum: & appropinquauerunt, &c. 299.2.b
Anima eorum in malis tabeſcebat. 337.2.a
Turbati ſunt, & moti ſunt ſicut ebrius, & omnis ſapientia eorum deuorata eſt. ibid.
Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur, &c. ibidem
Et ſtatuit procellam eius in auram, & ſiluerunt fluctus eius, &c. ibid.
Confiteantur Domino miſericordiæ eius, & mirabilia eius, &c. 349.2.e
Et exaltent eum in Eccleſia plebis, & in cathedra Seniorum, &c. ibidem
Poſuit Deus terram fructiferam in ſalſuginem à malitia inhabitantium in ea. 457.2.d
109. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion. 24.1.c
Tecum principium in die virtutis tuæ. 728.2.c
Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech. 262.2.b.481.2.c
Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum. 481.2.c
Ex vtero ante luciferum genui te. 597.1.d
De torrente in via bibet, propterea exaltauit caput. 655.2.b.657.1.b
110. Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors, &c. 191.1.e
112. Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, &c. Suſcitãs à terrà inopem, &c. 363.1.a
Laudate pueri Dominum. 661.2.c
Ecce ſicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum, &c. 699.1.d.705.2.a
113. Similes illis fiant, qui faciunt ea: & omnes qui confidunt in eis. 20.1.a
Iordanis conuerſus eſt retrorſum. 60.1.b
Montes exultaſtis ſicut arietes, à facie Domini mota eſt terra, &c. 737.2.b
Conuertit petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum. 424.1.a
Non nobis Domine non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. 467.2.b
115. Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius. 456.1.d
O Domine quia ego ſeruus tuus, & filius ancillę tuæ. 516.2.d
117. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli, &c. 560.2.d
Impulſus euerſus ſum vt caderem, & Dominus ſuſcepit me. 669.2.d
118. Iuraui, & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ. 30.1.a

Paratus ſum, & non ſum turbatus, vt cuſtodiam mandata tua. ibid.
Aperui os meum, & attraxi ſpiritum. 590.b.d
Vidi præuaricantes & tabeſcebam. 766.2.e
Exitus aquarum deduxerũt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam. ibid.
Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas, &c. 30.1.b.610.2.a.737.1.a
Longe à peccatoribus ſalus. 124.1.e
Dilexi mandata tua ſuper aurum, &c. 184.1.d. 444.2.b.692.1.e
Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi ſuper iudicia iuſtitiæ, &c. 245.1.a
Bonum mihi quia humiliaſti me vt diſcam, &c. 373.2.b
Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas, &c. 444.1.d
Pax multa diligentibus legem tuam, &c. 449.1.a
Larum mandatum tuum nimis. 490.2.c
Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum. 507.2.c
Ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquiſiui. 524.1.a
Non me derelinquas vſquequaque. 669.1.b
Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis, &c. 692.1.e
119. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt, &c. 703.2.c
123. Cùm iraſceretur furor eorum in nos, forſitan aqua, &c. 102.1.a
125. Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent. 292.2.d.443.1.e.607.1.d
126. Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, &c. 291.2.d.643.1.b.723.1.b
128. Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores. 487.1.b
131. Si introiero in tabernaculum domus meæ, ſi aſcendreo in lectum ſtrati mei, &c. donec inueniam locum Domino, &c. 177.1.b.614.2.c
Ecce audiuimus eam in Ephrata, inuenimus eam, &c. 179.1.a
Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco vbi ſteterunt pedes, &c. 185.1.d
Sacerdotes tui induãt iuſtitiã, &c. 209.2.b.467.1.b
Paraui lucernam Chriſto meo. 401.1.e
Memento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis, &c. 439.1.d
132. Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, &c. 209.1.b
133. In noctibus extollite manus veſtras, &c. 231.2.e.245.1.b
134. Qui producit vẽtos de theſauris ſuis. 435.1.b
135. Dat eſcam omni carni. 707.1.d
Exinanite, exinanite, vſq; ad fund. in ea. 722.1.c
136. Super flumina Babylonis illic ſedimus, &c. 441.2.a.562.2.a.703.2.c
Obliuioni detur dextera mea, ſi non meminero, &c. 495.2.a
In ſalicibus in medio eius ſuſpendimus organa noſtra. 562.2.b
Beatus qui tenebit, & allidet paruulos, &c. 694.2.a
Adhæreat lingua mea faucibus meis, &c. 703.1.c
137. Excelſus Dñs, & humilia reſpicit, &c. 545.1.a.
138. Mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcet nimis. 154.2.b
Dixi, Forſitan tenebræ conculcabunt me? & nox illuminatio mea, &c. Quia tenebræ non obſcurabantur à te, &c. 362.1.c
Nox ſicut dies illuminabitur. 655.1.d
140. Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. 48.1.d
Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. 189.2.e
Corripiet me iuſtus in miſericordia & increpabit me, oleum autem, &c. 671.2.b
141. In via hac qua ambulabam, abſconderunt laqueum mihi. 614.1.d
142. In me turbatum eſt cor meum. 475.2.d
144. Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcam illorum, &c. 705.2.a.707.1.c
146. Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum, &c. 104.1.d.510.2.a
Qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones, &c. 629.1.d
147. Lauda Ieruſalẽ Dominũ, lauda Deum Sion, quoniam confortauit ſeras portarũ. 39.1.d.507.2.b
Flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ. 442.2.e
Emittit eloquium ſuum terræ, velociter currit ſermo, &c. 545.1.b
148. Aquæ quæ ſuper cælos ſunt laudent nomen Domini. 442.2.e
Ipſe dixit & facta ſunt. 545.1.b.682.1.a
Hymnus omnibus ſanctis eius, filiis Iſrael populo appropinquanti, &c. 693.2.b
149. Ad alligandos reges eorum in compedibus, &c. 38.1.c
Beneplacitũ eſt Dño in populo ſuo. 49.2.e.736.1.e

EX LIB. PROVERBIORVM.

Cap. 1. Vocaui, & renuiſtis; extendi manum meam, & non fuit, &c. Ego quoque in interitu, &c. 547.1.e
Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum. 614.1.d
2. Si ſapientiam inuocaueris, & inclinaueris cor tuum prudentiæ, &c. tunc intelliges timorem Domini, &c. 444.1.e
4. Omni cuſtodia ſerua cor tuum, ex ipſo vita procedit. 447.2.e
Semita iuſtitiæ leuis. 524.1.b
Remoue à te os prauũ & detrahẽtia labia, 492.1.a
5. Bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta putei tui, Habeto eas ſolus, &c. Sit vena tua benedicta, &c. 159.1.a
Deriuentur fontes tui foras, &c. 111.1.e.159.1.a
Cerua chariſſima, & gratiſſimus hinnulus, vbera eius inebrient te, &c. 159.1.a.d
Quare ſeduceris fili mi ab aliena, & foueris in ſinu alterius? Reſpicit Dominus vias hominis, &c. Iniquitates ſuę capiunt impium, &c. 159.1.e.176.2.c
Pene fui in omni malo, in medio eccleſiæ, & ſynagogæ. 314.1.a
6. Nunquid alligabit quis ignem in ſinu ſuo, &c. aut ambulabit quis ſuper prunas, & non comburentur plantæ eius? 291.2.b
Mulier pretioſam viri animam capit. ibid.
7. Non eſt vir in domo ſua: abiit via longiſſima, ſacculum pecuniæ ſecum tulit, in die plenæ lunæ reuerſurus eſt, &c. 106.2.a
Statim eam ſequitur, quaſi bos ductus ad victimam. 521.2.a.559.1.a.657.2.b
8. Nunquid non ſapientia clamitat, & prudentia dat vocẽ, &c. In ſummis verticibus, &c. 244.1.c
Iuſti ſunt omnes ſermones mei: non eſt in eis prauum quid, &c. ibidem. O viri ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum. Audite quoniam de rebus magnis locutura ſum, &c. ibid.
9. Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas 7. propoſuit menſam, &c. b.244.1.b
Argue ſapientem, & diliget te. 762.1.a.418.2.c
Si quis eſt paruulus, veniat ad me. & inſipientibus locuta eſt, venite, &c. 244.1.b
Relinquite infantiam, & venite, & ambulate per vias prudentiæ. ibidem
Sapientia immolauit victimas ſuas. 649.2.a
11. Qui abſcondit frumenta, maledicetur in populis, benedictio autem ſuper caput vendentium.

tium. 333.2.d
Circulus aureus in naribus ſuis mulier pulchra, & fatua. 272.1.a
12. Non contriſtabit iuſtum quidquid ei acciderit. 339.2.e
Nouit iuſtus iumentorum ſuorum animas: viſcera impiorum crudelia. 766.2.d
Odit increpationes, inſipiens eſt. 761.2.b
13. Qui illuſor eſt, non audit cum arguitur. ibid.
14. Cor quod nouit amaritudinem animæ ſuæ, in gaudio eius non miſcebitur extraneus. 443.1.d
15. Reſponſio mollis frangit iram, ſermo durus ſuſcitat furorem. 449.1.e
Lingua placabilis lignum vitæ. 452.1.c
Qui abiicit diſciplinã, deſpicit animam ſuam. Qui acquieſcit increpationibus, poſſeſſor eſt cordis. 761.2.b
Non amat peſtilens eum, qui ſe corripit, nec ad ſapientes graditur. 762.1.b
Abominatio Domini cogitationes malę. 471.1.e
16. Doctrina ſtultorum fatuitas. 465.1.c
Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium. 476.2.d
17. Omni tempore diligit qui amicus eſt, & frater in anguſtiis comprobatur. 379.2.a
18. Iuſtus accuſator eſt ſui in principio ſermonis. 359.1.b
Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit. 548.1.e
Mors, & vita in manibus linguæ. 591.1.c
19. Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis. 700.2.c
20. Suauis homini panis mendacij. 105.2.e
Propter frigus piger arare noluit. 334.2.b
Rex qui ſedet ſuper ſolium iudicij, diſſipat omne malum intuitu ſuo. 362.1.d
Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato, &c. 431.1.e
21. Melius eſt ſedere in angulo domatis, quàm cum muliere litigioſa. 74.1.b
Regis enim cor in manu Dei. 79.1.b
Melius eſt habitare in terra deſerta, quam cum muliere rixoſa, &c. 477.2.d
22. Appone cor tuum ad doctrinam meam, &c. 610.1.a
23. Noli ſubtrahere à puero diſciplinam: ſi enim percuſſeris eum, &c. 162.2.a
Ne intuearis vinum, cum ſplenduerit in vitro color eius, &c. 165.2.c
Quando ſederis vt comedas cum principe, diligenter attende, &c. & ſtatue cultrum in gutture tuo, &c. e.
Ne deſideres de cibis eius, in quo eſt panis mendacij. 780.2.c
Ingrediatur ad doctrinam cor tuum, &c. 610.1.a
Fouea profunda eſt meretrix, & puteus anguſtus aliena. 657.2.a
24. Qui cogitat mala facere, ſtultus vocabitur, &c. 471.1.e
Si ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, &c. 488.2.b
Per agrum hominis pigri tranſiui, & ecce totum repleuerant vrticæ. 614.1.e
25. Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit ſapientem. & aurem obedientem. 672.1.d
Lingua mollis confringet duritiem. 449.1.e
Si eſurierit inimicus tuus ciba illum, & ſi ſitierit, &c. 488.2.b
Ventus aquilo diſſipat pluuias, & facies triſtis linguam detrahentem. 692.1.a
26. Sicut oſtium vertitur in cardine ſuo, ita piger in lecto ſuo. 388.2.a
Sicut carbones ad prunas, &c. ſic homo iracundus ſuſcitat rixas. 477.2.d
Sicut canis qui reuertitur ad vomitum ſuum, ſic imprudens, &c. 561.2.e
27. Laudet te alienus, & non os tuum, extraneus, & non labia tua. 400.1.e. 561.1.e
Quomodo probatur in conflatorio argentum, &c. ſic homo probatur ore laudantis. 400.1.e
28. Qui dat pauperi non indigebit, qui deſpicit deprecantem ſuſtinebit penuriam. 164.2.d
Iuſtus quaſi leo confidens abſque terrore erit. 339.2.e. 340.1.d
Anima ſaturata calcabit fauum, &c. 443.2.d
Qui corripit hominẽ, gratiam poſtea inueniet apud eum, magis quàm ille qui per linguæ blandimenta decipit. 762.1.b
29. Viro qui corripiẽtem dura ceruice contemnit, repẽtinus ei ſuperueniet interitus, &c. 761.2.b
30. Quis aſcendit in cælum atque deſcendit? Quis continuit ſpiritum in naribus ſuis? 240.1.b
Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro. Viam aquilæ in cælo, &c. viam viri in adoleſcentia. 109.2.d
Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ, dicentes, affer, affer. 595.1.e
31. Aperi os tuum muto & cauſis omnium filiorum qui pertranſeunt. Aperi os tuum & iudica inopem. 416.2.a. 425.2.b
Laudent eam in porta opera eius. 560.1.a
Mulierem fortem quis inueniet, &c. 571.2.b
Guſtauit, & vidit quia bona eſt negotiatio eius. 624.1.b
Conſiderauit agrum, & emit eum. 2.a

EX LIBRO ECCLESIASTÆ.

Cap. 1. Verba Eccleſiaſtæ filij Dauid. 313.2.b
Ad locum de quo exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant. 54.1.a
Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. 121.2.a. 506.2.d. 708.2.c
Omnia flumina intrant in mare. 165.2.c. 664.2.a
2. Riſum reputaui errorem, & gaudio dixi: quid fruſtra deciperis? 440.2.b
4. Cuſtodi pedem tuum ingrediens domum Domini, &c. Multo enim melior eſt obedientia, quam ſtultorum victima, &c. 175.2.c
5. Dulcis eſt ſomnus operanti: ſiue parum comedat ſiue multum. Saturitas autem, &c. 375.1.a
7. Ira in ſinu ſtulti requieſcit. 438.2.c
Melius eſt ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij. 440.1.b. 656.1.a
In illa finis cunctorum admonetur hominum, &c. 440.1.b
Cor ſapientium vbi triſtitia eſt, & cor ſtultorum vbi lætitia. 440.1.e
Inueni amariorẽ morte mulierem, quæ laqueus venatorũ eſt, & ſagena cor eius, &c. 291.2.b. 657.2.a
Melior eſt dies mortis die natiuitatis. 656.1.a
9. Oleum de capite tuo non deficiat. 768.1.c
10. Muſcæ morientes perdunt ſuauitatem vnguenti. 293.2.a. 514.2.b
Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit. 691.2.e. 692.1.c
Qui diſſipat ſepẽ, mordebit eũ coluber. 692.2.d
11. Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminiſſe debet tenebroſi temporis, &c. 506.2.d
Lætare iuuenis, & ſcito quia pro iis omnibus adducet te Deus in iudicium, &c. 764.1.b
12. Ibit homo in domũ æternitatis ſuæ. 357.2.d
Verba ſapientum ſicut ſtimuli ſunt, &c. 654.2.e
Cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium, pro omni creato, &c. 765.1.b

EX CANTICIS.

Cap. 1. Oculi tui columbarum. 58.2.b
Oleum effusum nomen tuum. 128.1.c.209.2.c
Similitudines auri faciemus tibi: cum distinctionibus argenti, &c. 163.1.d
Meliora sunt vbera tua vino. 165.1.a.365.1.d
Exultabimus & lætabimur in te memores vberum tuorum, &c. 367.2.b
Fasciculus myrrhę dilectus meus mihi, &c. 376.2.b
Trahe me post te, curremus in odorem, &c. 537.2.a
Dum esset Rex in accubitu suo, nardus meadedit odorem, &c. 565.2.c
2. Ecce iste venit saliens in montibus, &c. 25.1.d. 125.2.a
Vox turturis audita est in terra nostra. 26.1.d. 123.2.a
Columba mea in foraminibus petrę, in cauerna maceriæ: ostēde mihi faciem tuā, &c. 33.1.e.575.1.e
En ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, &c. 125.2.a
Sicut malus inter ligna syluarum, &c. 128.1.a
Sub vmbra illius quem desiderauerā sedi, &c. b
Ordinauit in me caritatē. 332.2.c.574.2.e.644.2.b
Similis est dilectus meus hinnulo ceruorum. 590.1.e
3. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, &c. 64.2.b.189.2.c.575.2.a
Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem, &c. 126.1.b
In lectulo meo quæsiui per noctem, quem diligit anima mea. 245.1.b
Tenui eum, nec dimittam. 367.2.b
Columnas eius fecit argenteas. 497.1.c
4. Vadam ad montem myrrhæ. 27.1.a
Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificatà est, &c. 105.1.d.194.2.b
Sicut vitta coccinea labia tua, &c. 453.1.c
Hortus conclusus soror mea sponsa, &c. 694.1.b
Mel, & lac sub lingua tua. 703.1.d
5. Surrexi vt aperirem dilecto meo: manus meæ distillauerunt myrrham, &c. 27.1.a
Vna est columba mea. 57.2.d
Electus ex millibus. 127.2.c
Crura eius columnæ marmoreæ. 142.1.c
Quæ fundatæ sunt super bases aureas. 196.1.b
Manus eius tornatiles aureæ, &c. 153.1.d.191.2.c
Messui myrrhā cū aromatibus meis. &c. 655.2.a
Labia eius lilia, distillātia myrrhā primā. 691.2.c
6. Terribilis vt castrorū acies ordinata. 592.1.c
Dentes tui sicut grex tonsarum, &c. 691.2.c
7. Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, &c. 129.2.a.226.2.d
Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus liliis. 597.2.b
Noua, & vetera, dilecte mi, seruaui tibi. 626.1.b
8. Sub arbore malo suscitauit te, ibi corrupta est mater tua, &c. 143.1.b
Fortis vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. 174.1.c.466.2.a.575.2.a.648.2.c
Ducam te in domum matris meæ, ibi me docebis, &c. 291.1.a
Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens. 410.2.d
Pone me vt signaculū super cor tuum. 694.1.c
Emissiones tuæ paradisus malorum punicorū, &c. ibidem.

EX LIB. SAPIENTIÆ.

Cap. 1. Deus cordis scrutator est verus. 353.1.b
Vino pretioso & vnguētis nos impleamus, non prætereat nos flos temporis, &c. 571.2.c
Inuidia diaboli mors intrāuit in orbem terrārum. 595.1.a
3. Deus tentauit illos, &c. tanquam aurum in fornace probauit illos. 92.2.d.649.2.a
Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace, &c. 649.2.b
Etsi coram hominibus tormēta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est, &c. ibid.
5. Stabunt iusti in magna constantia. 243.1.
6. Initium illius verissima est disciplinæ concupiscentia. 444.1.a
8. Accipite disciplinā meam, & non pecuniam, doctrinam magis, quam aurum eligite, &c. 243.2.c
Qui me inuenerit, inueniet vitam: & hauriet salutem à Domino. ibid.
Non habet amaritudinem cōuersatio illius: nec tædium conuictus illius, sed læt. &c. 707.1.c
10. Ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam sanctorum. 516.1.b
11. Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuit. 339.1.b
Per quę peccat quis, per hęc & torquetur. 767.2.a
Tu autē Domine cū trāquillitate iudicas. 477.2.c
16. Vt scirent filij tui, quos dilexisti Domine, quoniam non natiuitatis fructus pascūt homines, sed sermo tuus, &c. 72.1.d
17. Cùm sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis, &c. 340.2.a
18. In veste poderis totus erat orbis terrarum. 211.1.d.222.1.a
Magnificentia tua in diademate capitis illius scripta erat. 220.1.c
Properans homo sine querela deprecari pro populis, proferens seruitutis suæ scutum orationem, & per incensum deprecationem allegans restitit iræ, &c. 373.2.c

EX ECCLESIASTICO.

Cap. 2. Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in timore, &c. 166.2.c
Vę dissolutis corde, qui nō credūt Deo, &c. 610.1.c
3. Auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam. 608.1.b
Qui honorat patrem suum, vita viuet longiore, &c. 693.1.a
In opere & sermone, & omni patientia honora atrem tuum, &c. ibidem
Eleemosyna patris non erit in obliuione, ibid. b
4. Non sit porrecta manus tua ad accipiēdum: & ad dandum collecta. 768.1.c
5. Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. 33.2.b.385.2.d
Ne dixeris peccaui, & quid mihi accidit triste? Altissimus est patiēs redditor. De propitiato peccato noli esse sine metu, &c. 34.1.a
Subitò enim veniet ira illius, &c. 385.2.d
Excelso excelsior est alius: & super hos quoque eminentiores sunt alij, &c. 544.2.a
6. Est amicus secundum tempus suum, & non permanebit in die, &c. 338.2.a
Est amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis. ibid.
Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos, &c. 449.2.a
7. Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, &c. 416.2.b.518.2.a
Humilia valdè spiritum tuum, quoniam vindicta carnis impij, ignis, & vermis. 754.2.b
Nemo potest corrigere quem Deus despexerit. 607.1.d
9. Omnis mulier, quæ est fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur. 458.1.d
11. Est homo marcidus, egens recuperatione, plus

plus deficiens virtute, &c. Et oculus Dei respexit illũ in bono,& erexit eũ ab humilitate,&c. 362.2.d
Ante mortem neminem beatum dicas. 598.1.b
12. Humiliare Deo,& exspecta manus eius. 126. 2.c
Omne animal diligit sibi simile. 281.2.e
14. Memor esto quoniam mors non tardat. 506.2.c
Nequam est oculus liuidi. 691.2.b
18. In omni dato non des tristitiam verbi mali: Nónne verbum super datũ bonum,&c. 445.2.a
19. Qui spernit modica paulatim decidet. 487. 1.a
20. Sapientia absconsa,& thesaurus inuisus,quę vtilitas in vtrisque. 132.1.c
Quàm bonum est, correptum manifestare pœnitentiam. 762.1.d
21. Stuppa collecta synagoga peccantiũ. 313.2.b
Fatuus in risu exaltat vocem suam,&c. 440.1.d
23. Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem. 362.1.b
Circunspiciẽtes omnes vias hominum, & profundum abyssi; & hominum corda intuentes, &c. ibidem
Gloria magna est sequi Dominum. 455.2.b
Iurationi ne assuescas os tuum; Multi enim casus in illa, &c. 483.2.c
Sicut seruus interrogatus assiduè, à liuore non minuitur, sic omnis, &c. ibidem
Vir multum iurans implebitur iniquitate, &c.e
24. Ego ex ore altissimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam. 72.2.a
A generationibus meis adimplemini. 112.2.d
Thronus meus in columna nubis. 244.1.a
In hæreditate Domini morabor: & dixit mihi: in Iacob inhabita, &c. b
In Sion firmata sum, & in ciuitate sanctificata similiter requieui, &c. e
Ego effudi flumina, ego quasi trames aquæ, &c. Ego quasi fluuij diorix, &c. Dixi rigabo hortum meum plantationum, &c. ibidem
Ecce factus est mihi trames abundans; & fluuius meus appropinquauit ad mare. Quoniam doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus, &c. 2.a
Posuit Dauid puero suo; Excitare regem ex ipso fortissimum, &c. ibidem
Qui implet quasi Phison sapientiam, & quasi Tygris in diebus nouorum, &c. c
Qui mittit disciplinam sicut lucem; & assistens quasi Gehon in die vindemiæ. d
Qui perficit primus scire ipsam: & infirmior non inuestigabit eam, &c. ibid.
Qui edũt me, adhuc esuriẽt, &c. 432.2.b.444.1.b
25. In tribus placitũ est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo,& hominibus. Concordia fratrum, & amor proximorum, &c. 158.2.c.453.2.b
26. Gratia super gratiam mulier sancta, & pudorata. 112.2.e.159.2.b
Sicut sol oriens mũdo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species, &c. 159.2.b
Lucerna lucẽs super candelabrũ sanctum, &c. c
Columnæ aureæ super bases argenteas, & pedes firmi super plantas stabilis mulieris. d
Fundamenta æterna super petram solidam, & mandata Dei in corde mulieris, &c. e
In duobus contristatum est cor meum: & in tertio iracundia mihi aduenit. Vir bellator deficiens per inopiam, &c. 385.2.e
27. Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. 93.1.c
Vir peccator turbauit amicos, & in medio pacem habentium, &c. 453.1.e
Susurro & bilinguis maledictus, &c. ibidem
Lingua tetra multos commouit, & dispersit illos de gente in gentem, &c. ibidem
Qui vindicari vult à Domino, inueniet vindictã, &c. relinq; proximo tuo nocẽti, &c. 502.2.b 768.1.c
Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire. 692.1.b
Memorare timorem Domini, & non irascaris proximo, despice ignorantiam proximi. 768.2.a
Homo homini seruat iram,& à Deo quærit medelam? ibidem
Memento nouissimorum, & desine inimicari. ibidem.
31. Intellige quę sunt proximi, exte ipso. 766.2.c
32. A filiis tuis caue, & à domesticis tuis attende. 649.1.b
33. Si est tibi seruus, sit tibi quasi anima tua, fratrem sic eum tracta. 544.1.b
Panis, & disciplina,& opus seruo. e
34. Timentis Dominum, beata est anima eius, &c. 648.2.a
35. Oratio humiliãtis se nubes penetrat. 190.1.a
In omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas. Da Altissimo secundùm data eius, &c. 357.1.c
38. Fili, in tua infirmitate ne despicias te ipsum, sed ora Dominum,& sanabit te. Auerte à delicto, & dirige munus, &c. 355.2.b
Da suauitatem, & memoriam similaginis,& impingua oblationem ibidem
Da locum medico. ibid. c.
Qui delinquit in conspectu eius qui fecit eum, incidit in manus medici. ibidem
Memor esto iudicij mei; sic enim erit & tuum, &c. 548.2.c
39. Dominus spiritu intelligentiæ replebit illum, &c. 38.2.b
Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, &c. 328.1.a
40. Iugum graue super filios Adam, à die exitus eorum de ventre matris, &c. 703.2.b
44. Laudemus viros glorioſos, &c. 561.2.b
Enoch placuit Deo, & translatus est in paradisum, vt det gentibus pœnitentiam. 743.2.a
Multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua à sæculo. 561.2.b
45. Cinxit illum tintinnabulis aureis plurimis in gyro dare sonitum, &c. 211.2.e.212.1.b
Circuninxit eum zona gloriæ, & inducit eum stola gloriæ,& coronauit eum, &c. 219.1.d
Corona super mitram eius expressa signo sanctitatis. ibid. 2.c.220.1.d
50. In ascensu altaris sancti gloriam dedit sanctitatis, &c. 210.2.b
In accipiendo partes de manu Sacerdotum, & ipse iuxta aram & circa illum corona fratrum. Quasi plantatio cedri in monte Libano. ibid.
Oblatio Domini in manibus ipsorum coram omni Synagoga Israel, & in consummatione fungens in ara, &c. c.d
Tunc exclamauerunt filij Aaron, in tubis productilibus sonuerunt, &c. e
Tunc omnis populus simul properauerunt, & ceciderunt in faciem super terram adorare Dominum, &c. 211.1.a
Et amplificauerunt psallentes in vicibus, &c. ibidem
Et rogauit populus Dominus excelsum in prece, &c. ibidem
Tunc descendens manus suas extulit in omnem congregationem filiorum Israel, &c. b.

EX ISAIA.

Cap. 1. Vinum tuum mixtum est aqua. 464.2.d
Lauamini, mundi estote, auferte malum, &c. 471. 1. e
A planta pedis vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas, &c. 505. 1. d
Dabo iudices sicut prius, & consiliarios sicut ab initio. 544. 2. d
Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis, &c. 575. 2. c
Nisi Dominus reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, &c. 607. 2. d. 614. 1. a
2. Erit in nouissimis diebus, præparatus mons domus Domini, &c. 128. 1. c. 179. 2. c
Ingredere in petram, & absconde in fossa humo. 719. 2. e
3. Dabo adolescentulos principes eorum, & illusores dominabuntur, &c. 544. 2. e
5. Vinea Domini exercituum, &c. expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas. Auferam sepem eius, &c. 165. 1. d
Væ iis qui trahunt peccata sua sicut restem longam. 176. 2. c
Plantauit vineam, & ædificauit turrim in medio eius. 195. 2. b
Quid debui facere & non feci? 464. 2. b. 557. 2. d. 608. 1. d
Væ qui dicitis bonum malum, ponentes lucem tenebras, &c. 592. 1. b
Triginta modij sementis facient modios tres, &c. 621. 1. a
Vinea facta est dilecto meo, in cornu filio olei, &c. 692. 2. d
6. Regem Dominum vidi oculis meis. 115. 1. b
Vidi Dominum sedentem super solium excelsum. ibid.
Ea quæ sub ipso erãt replebant templũ. 375. 2. c
7. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, &c. 671. 2. d
Si non credideritis, non intelligetis. 680. 1. c. 682. 1. e
8. A Domino qui habitat in mõte Sion. 180. 1. d
Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine, &c. 249. 2. b
Accelera spolia detrahere. 594. 2. e
9. Erit princeps pacis. 177. 2. e. 448. 1. c
Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, &c. 195. 2. c
Factus est principatus eius semper humerum eius. 226. 1. c
Primo tempore alleuiata est terra Zabulon, & Nephthali, & nouissimo aggrauata est via maris, &c. 303. 1. e
Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. 2. a
Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, &c. 292. 2. d. 537. 2. d
Sceptrum exactoris eius superasti. 366. 2. b
Multiplicabitur eius imperium, & pacis nõ erit finis. 448. c
Multiplicasti gentem, non multiplicasti lætitiam, &c. 537. 2. d
10. Subtus gloriã eius lucerna ardebit, quasi cõbustio ignis, & erit lumẽ Israel in igne, &c. 474. 1. d
Inuenit quasi nidum manus mea, fortitudinem populorum, &c. 593. 1. c
11. Leo sicut bos comedet paleas. 39. 2. b
Requiescet super eum spiritus Domini. 137. 2. a
Delectabitur infans ab vbere; super foramine aspidis, &c. 590. 2. b
12. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. 111. 2. d. 287. 1. b
13. Requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus. 595. 1. e
14. Dicebat in corde suo: In cælum conscendam, super astra Dei, &c. 91. 2. c. 756. 1. d
Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, &c. 580. 1. d 758. 1. d
21. Quærens quære, & apud me habita. 210. 1. b
22. Erit quasi patet habitantibus Ierusalem; Dabo clauem Dauid super humerum, &c. 723. 1. c
Figam illum paxillum in loco fideli, & suspendent super eũ omnẽ gloriã domus patris, &c. ibid.
26. Anima mea desiderauit te in nocte. 245. 1. b
Domine in angustia requisierunt te, &c. 373. 2. a
Morientes igitur viuant, Gigantes qui te oppresserunt, &c. 384. 2. e
28. Pallium breue est, vtrumque operire non potest. 386. 1. c
Percussimus fœdus in morte, & cum inferno fecimus pactum. 593. 1. e
Delebitur fœdus vestrum cum morte, &c. ibid.
Tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui. 700. 1. a
29. Væ Ariel ciuitas, quam expugnauit Dauid 196. 2. c
Populus iste labiis suis glorificat me, cor autem eorum, &c. 689. 2. b. 693. 2. e
Conuertetur Libanus in Charmel in saltũ, &c. 698. 2. a
30. Præparata est ab heri Tophet, à Rege præparata profunda, &c. 474. 1. e
31. Dixit Dominus cuius ignis est in Siõ. 180. 1. d
33. Ipsi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei nostri. 50. 1. b
Angeli paris amarè flebunt. 450. 1. d
34. Victima Domini in Bosra, & interfectio, &c. 754. 1. e
35. Tunc aures surdorum patebunt, &c. 702. 1. b
Deus ipse veniet & saluabit nos, tunc aperientur oculi cæcorum. 710. 2. b
38. Conuertit Ezechias faciem suam ad parietem. 201. 2. e
Sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor vt columba, &c. 522. 2. d
40. Vox clamantis in deserto. 8. 1. b
Consolamini populc meus dicit, Deus vester, loquimini ad cor Ierusalem, &c. 9. 1. d. 609. 2. b
Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, &c. 468. 1. a. 664. 1. c
Exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Ierusalem, &c. 644. 1. a
42. Ecce seruus meus susciplam eum, electus meus, &c. 413. 2. a. 492. 2. e
Non clamabit, neque audietur vox eius foris; calamum, &c. 133. 2. a. 416. 1. a
Complacuit sibi in illo anima mea. 736. 1. d
Non erit tristis, neque turbulentus. 133. 2. d
Dedi spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet, &c. 416. 1.
43. Dic tu iniquitates tuas prior, vt iustificeris. 32. 1. c
Cum transieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te. 339. 1. a
Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me. 356. 1. c
44. Deleui vt nubẽ iniquitates tuas, &c. 135. 2. b
47. Vtinam attendisses ad mandata mea; facta fuisset sicut flumen pax tua. 450. 2. e
48. Ego Dominus Deus iustus, docens te vtilia. 243. 2. c
49. Nunquid tolletur à forti præda? aut quod captum fuerit à robusto, &c. 593. 2. e

50. Faciem meam non auerti ab increpantibus, &c. 486.1.e
51. Non est qui sustentet eam ex omnibus filiis quos genuit. 134.1.b
Filij tui proiecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum: sicut oryx illaqueatus, &c. ibid.
Incuruare, vt transeamus. 106.2.c
Attendite ad petram, vnde excisi estis. 719.2.a
52. Iniquitates eorum ipse portabit. 130.2.c
Mundamini qui fertis vasa Domini. 137.1.b
Peccatis nostris venundati sumus. 249.1.e
53. Generationem eius quis enarrabit? 128.1.e
Quasi agnus coram tondēte se obmutescet, &c. 130.1.a.133.2.a.434.1.b
Posuit in eo Dominus iniquitates omnium nostrum. 130.2.c
Iniquitatem non fecit, nec dolus fuit in ore eius. 133.1.a
Languores nostros ipse tulit. 321.1.c
Disciplina pacis nostræ super eum. 448.1.d
Ascendet sicut virgultum, & sicut radix de terra sitienti. 671.1.d
54. Ad punctum & in modico dereliqui te, & in miserationibus, &c. 669.1.c
Ponam vniuersos filios tuos doctos à Domino. 675.1.b
Ego creaui fabrum sufflantem in igne prunas, & proferentem vas, &c. 348.2.b
55. Omnes sitientes venite ad aquas, &c. 290.1.d.636.2.c.671.1.e
Ecce gentem, quam nesciebas, vocabis, & gentes quæ te non nouerunt, &c. 543.2.b
Quare appenditis argētum non in panibus, &c. 671.1.d
Comedite bonum, & delectabitur in crassitudine. ibid.
56. Canes impudentissimi nescierunt saturitatem. 105.1.b
57. Impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest. 448.2.c
Creaui fructum labiorum pacem. 453.1.b
58. Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, &c. 646.1.a
Vocaberis ædificator sepium, &c. 692.2.d
60. Qui sunt isti qui vt nubes volant, &c. 57.1.c.308.2.e
Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore, &c. 466.1.b
61. Spiritus Domini super me, eo quòd vnxerit me, ad annunciandum mansuetis misit me, &c. 48.1.c.560.2.a
62. Vocaberis voluntas mea. 599.2.c
63. Quis es iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? &c. 326.1.e
64. Cecidimus quasi folium vniuersi, & iniquitates nostræ, &c. 39.1.e
65. Quæsierunt me, qui ante non interrogabant, &c. Dixi ecce ego, ecce ego, ad gentem quæ non inuocabat nomen meum. 543.2.b
Ponitis fortunæ mensam. 708.1.a
66. Super quem requiescit spiritus meus, nisi super humilem, &c. 126.2.b
Vermis eorum non morietur. 757.2.c
Egredientur, & videbunt cadauera, &c. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt vsque ad satietatem visionis omni carni. 757.2.c

EX IEREMIA.

Cap. 1. Ollam succensam ego video. 97.1.3
Ab Aquilone pandetur omne malum. 191.2.d
Dedi te in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æneum, super omnem terram, &c. 249.2.e
2. Quid inuenerunt in me patres vestri iniquitatis, quia elongauerunt à me, &c. 121.1.a
Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, &c. b
Sanctus Israel Domino, primitiæ frugum eius. 419.1.a
Ego te plantaui vineam electam, omne semen verum, &c. 690.2.d
Portæ eius desolamini vehementer. 720.1.c
3. Dabo eis pastores, secundum cor meum, & pascent eos pascentes cum scientia. 544.2.d
Deus enim appropinquans ego sum, & nō Deus procul. 699.2.c
4. Ne fortè egrediatur, vt ignis indignatio mea; propter malitiam, &c. 471.1.e
Laua à malitia cor meum; vt salua fias. Vsquequò morabuntur in te cogitationes, &c. 2.a
Iurabis, viuit Dominus, in veritate, & in iudicio, & in iustitia. 484.2.b
5. Equi amatores, & emissarij facti sunt, vnusquisque ad vxorem proximi, &c. 105.1.b
6. Quem cōtestabor, vt audiat? ecce incircumcisæ aures eorum, &c. 608.1.c
7. Ædificauerunt excelsa Tophet, quæ est in valle filij Hennon, &c. 473.1.d
Ecce dies veniunt dicit Dominus, & non dicetur amplius Tophet, &c. 474.1.a
8. Omnes conuersi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prælium. 373.2.a
9. Vnusquisq; se à proximo suo custodiat, &c. 649.1.b
De malo ad malum egressi sunt. 649.1.b.766.2.e
12. Propè es tu ori eorum, & longè à renibus eorum, &c. 693.2.e
Congregā eos quasi gregem ad victimam, &c. 754.1.e
16. Ecce ego mittam piscatores, & venatores, qui venentur vos de omni colle, &c. 142.2.e
17. Prauum est cor hominis, & inscrutabile, quis cognoscet illud? ego Dominus, &c. 353.1.b
Perdix fouit quæ non peperit. 363.2.d
Erit quasi miricæ in deserto, & non videbit, cùm venerit bonum. 530.1.a
18. Si pœnitentiam egerit gens illa, agam & ego pœnitentiam, &c. 766.1.d
19. Ecce ego inducam afflictionem super locum istum, ita vt omnis qui audierit illam, tinniant aures eius. Eo quòd dereliquit me, &c. 473.2.c
Propterea ecce dies veniunt, dicit Dominus, & non vocabitur amplius locus iste Tophet, &c. ibidem.
Ponam ciuitatem istam sicut Tophet, & erunt domus Ierusalem. 474.1.b
23. Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant. Non loquebar ad eos, &c. 525.1.c.646.1.c
25. Facta est terra eorum in desolationem à facie iræ columbæ. 59.1.b
28. Væ qui opus Domini facitis negligenter. 292.1.a
31. Mulier circundabit virum. 111.1.a.597.1.b
Dabo legem meam in visceribus eorum. 609.2.d
32. Ædificauerunt excelsa Baal, quæ sunt in valle filij Ennon, &c. 473.2.b

35. Introduces eos in domum Domini in vnam exedram thesaurorum. 201.1.c
46. Ceciditque vir ad proximum suum, & dicent: Surge, reuertamur ad populum nostrum, &c. à facie gladij columbæ. 59.1.c.2.a
Victima Domini in terra Aquilonis, &c. 754.1.e
48. Maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine. 730.1.a
50. Disperdite satorem de Babylone, &c. à facie gladij columbæ. 59.1.d
52. Decem & octo cubiti altitudinis erant in columna vna, & funiculis, &c. 195.2.a

EX THRENIS.

Cap. 2. Non est recordatus scabelli pedum suorum. 185.1.c
Dissipauit Dominus, quasi hortum tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum, &c. 207.1.b
Consurge, lauda in nocte: in principio vigiliarum, effunde sicut aquam, &c. 245.1.b
3. Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti, &c. 707.1.d
4. Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore, &c. 299.1.a
Denigrata est super carbone facies eorum, & non sunt cogniti in plateis, adhæsit cutis eorum ossibus, &c. ibid. 507.1.c. 536.2.d
Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, &c. 311.2.e

EX BARVCH.

Cap. 1. Orate pro vita Nabuchodonosor, quoniam in ipsius vita est salus vestra. 96.2.e
3. Vbi sunt principes gentium, &c. exterminati sunt, & ad inferos, &c. 25.1.d. 506.1.e. 530.1.c
O Israel quàm magna est domus Dei, &c. 141.2.b
Si in via Dei ambulasses, habitasset vtique in pace super terram. 450.2.e
Alij loco eorum surrexerunt. 506.1.e
4. In terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. 115.1.c
5. Constituit Deus humiliare omnem montem excelsum, & rupes perennes, &c. vt ambulet Israel diligenter in honorem Dei. 9.2.d

EX EZECHIELE.

Cap. 1. Animalia ibant, & reuertebantur, in similitudinem fulguris coruscantis. 64.1.c
Vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur. 85.1.a
Vnumquodque, eorum coram facie sua ambulabat. 122.1.b
Similitudo vultus eorum, facies hominis, & facies leonis, &c. 185.2.a
Aspectus animalium, quasi carbonum ignis ardentium, &c. 469.2.d
2. Increduli, & subuersores sunt tecum, &c. 455.1.b
3. Aperui os meũ, & cibauit me volumine, &c. 366.1.a
7. Venit finis super quatuor cenaphoth, id est, quatuor orbis partes. 74.1.b
8. Vbi erat idolum Zeli ad prouocandam æmulationem. 176.2.a
9. Transite per ciuitatẽ, & percutite. Non parcat oculus vester, &c. 173.2.c
Ecce sex viri veniebant, & vniuscuiusque vas in manu eius. 176.2.a
Omnem, super quem videritis Thau, ne occidatis. 251.2.b
Notabis signum super frontes. c
10. Imple manum tuam prunis ignis, & effunde super ciuitatem. 176.2.a
11. Auferã cor lapideum de carne eorum, &c. 609.1.a
16. Transiui per te, & vidi te. 362.2.c
Ingressus sum pactum tecum, & facta es mihi, & vestiui te discoloribus, & calceaui te hyacintho, &c. ibidem.
Et profecisti in regnum, & egressum est nomen tuum in gentes, &c. ibid.
18. Anima enim quæ peccauerit ipsa morietur. 439.1.e
29. Draco magne qui cubas in medio fluminum. 595.2.a
Rex Babylonis seruire fecit exercituum suum seruitute magna aduersus Tyrum, &c. Dedi ei terram Ægypti, pro eo quod laborauerit mihi, ait Dominus, &c. 707.1.a
33. Es eis quasi carmen musicum, &c. 609.2.e
34. Errauerũt greges mei in cunctis montibus, & in vniuerso colle excelso, &c. 286.2.d
Ecce ego ipse requiram oues meas. e
Quod confractum fuerat alligabo, & quod infirmum fuerat solidabo. 415.2.d
Dispersæ sunt oues, eo quòd nõ esset pastor, &c. 636.1.a
36. Effundam super vos aquam mundam, &c. & dabo vobis cor nouum, &c. 238.2.b
37. Viuent omnia ad quæ venerit torrens: & super torrentem orietur in ripis eius, ex vtraque parte omne lignum pomiferum, &c. c
39. Concurrite vndique ad victimam meam, quàm ego immolo vobis. 754.1.e
44. Sacerdotes caput suum non radant, nec comam nutriant, &c. 312.1.a
47. Aquæ ex templo egressæ mare mortuum ingrediuntur, & sanant, &c. 290.1.b
Aquæ istæ intrabunt in mare, & exibunt, & sanabuntur aquæ, & omnis anima viuens quæ serpit, quocumque venerit torrens, viuet, &c. ibidem.

EX DANIELE.

Cap. 2. Ipse mutat tempora, & ætates, transfert regna atque constituit. 386.2.b
3. Cadentes omnes populi, tribus & linguæ adorauerunt statuam auream, &c. 79.2.a
Fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem. 524.1.a
4. Rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, &c. 20.2.d
Septem tempora mutabuntur super te, donec scias, quod dominetur excelsus, &c. 79.1.a. 386.2.b
Cum bestiis terræ erit habitatio tua, &c. 104.2.e. 486.2.b
Succidite arborem, & præcidite ramos eius, &c. 297.2.e
5. Numerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud. Appensus es in statera. 706.2.d
7. Surge, comede carnes plurimas. 654.2.e
9. Vngatur Sanctus sanctorum. 322.1.b
12. Euigilabunt in vitam æternam, alij in opprobrium, vt videant semper. 398.2.e

Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, &c. 292.1.e

13. Ecce ostia pomarij clausa sunt, & nemo nos videt. 106.2.a

Suspexit in cælum: erat enim cor eius fiduciam habens in cælo. 340.1.d

14. Iste intrinsecus luteus, & forinsecus æreus. 756.2.e

EX OSEA.

Cap. 2. Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor, &c. 25.2.c. 609.2.b. 703.1.a

Ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceria, &c. 700.1.a

3. Vade, dilige mulierem dilectam amico, & adulteram, &c. 257.1.d

4. Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi. 626.2.c. 721.1.e

6. Misericordiam volo, & non sacrificium. 361. 1.d.e. 409.1.e

7. Omnes adulterantes, quasi clibanus corda eorum. 86.2.c

Circunderunt eos adinuentiones suæ, coram facie mea factæ sunt. 362.1.c

8. Culmus stans non est in eo, germen non facit farinam, &c. 495.1.a

10. Transire fecit Samaria Regem suum, quasi spumam, &c. 128.2.a

11. Sicut mane pertransiit Rex Israel. 122. 2.a

In funiculis Adam traham eos. 177.1.a. 297.2.d. 450.1.c

12. Ephraim pascit ventum, & sequitur æstum. 126.2.a

13. Ero mors tua ô mors; morsus tuus ero inferne. 249.1.b

Perditio tua Israel, tantummodò in me auxilium tuum. 547.1.c

Ipse diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis. 594.2.e

14. Viuent tritico. 683.1.a

EX AMOS.

Cap. 6. Nihil patiebantur super contritione Ioseph. 767.1.a

7. Ecce Dominus stans super murum adamantinum, & in manu eius adamas. 29.2.e

8. Conteritis pauperem, & deficere facitis egenos terræ, dicentes quando transibit mensis, vt possideamus in arg. egenos, & pauperes pro calceamentis. 767.1.b

EX ABDIA.

Cap. 1. Si exaltatus fueris vt aquila, & inter sidera posueris nomen tuum, inde detraham te, dicit Dominus. 332.1.e

EX IONA.

Cap. 1. Tempestate iactati nautæ miserunt vasa, quæ erant in naui, vt alleuiaretur ab eis. 339. 1. e. 435. 1. c

Timuerunt nautæ, & clamauerunt viri ad Deum suum. 339.1.e

Accessit gubernator ad Ionam, & dixit ei: Surge inuoca Deum tuum. ibid.

Stetit mare à feruore suo, & timuerunt viri timore magno Dominum, &c. 2.a

Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis. 587.2.b

3. Adhuc quadraginta dies, & Ninive subuertetur. 27.2.b. 765.1.a

Homines, & iumenta, boues, & pecora non gustent quidquam, &c. 89.1.e

EX MICHÆA.

Cap. 3. Principes eius in muneribus iudicabant, & Sacerdotes eius in mercede docebant, &c. 646.1.e

7. Vir fratrem suum ad mortem venatur. 287. 1.b

Filius contumeliam facit patri, & filia consurgit, &c. 644.2.a

EX HABACVC.

Cap. 1. Super omnem munitionem ridebit: comportabit aggerem, & capiet eam. 108.2.d

2. Si moram fecerit, expecta eum. 669.1.a

3. Ante faciem eius ibit mors. 27.1.a

Incuruati sunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius. 764.2.d

Ibi abscondita est fortitudo eius. 196.2.d

Cornua in manibus eius. 256.1.b

EX AGGÆO.

Cap. 1. Domus mea deserta est, & vos festinatis vnusquisque in domum suam. 515.2.b.d

Populus iste dicit. Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ. Et factum est verbum Domini in manu Aggæi, &c. Nunquid vobis tempus est, vt habitetis, &c. c

Respexistis ad amplius, & ecce factum est minus, & intulistis in domum, &c. d

2. Si tulerit homo carnem sanctificatam, in ora vestimenti sui. 74.1.a

Magna erit gloria domus istius, plusquam primæ. 172.1.e. 177.2.a

Ascendite in montem, portate ligna, & ædificate domum, & acceptabilis, &c. 207.1.c

Interrogate Sacerdotes legem. 228. 1. e. 721. 2. c

EX ZACHARIA.

Cap. 1. Conuertimini ad me, & conuertar ad vos. 574.1.d

5. Video falcem volantem longitudine cubitorum viginti; & latitudine cubitorum decem, & ingredietur domum iurantis nomine meo, &c. 481. 2. e

6. Ecce vir nomen eius, & ædificabit templum Domino. 178.1.a

7. Cùm ieiunaretis, & plangeretis, nunquid ieiunium ieiunastis mihi. 90.2.c

9. Ecce Rex tuus venit iustus, & Saluator. 256. 2.e

Loquetur pacem gentibus. 448.1.d

11. O pastor, & idolum. 487.1.b

13. Non operientur pallio saccino, vt mentiantur. 525.1.d

In illa die erit fons patens domui Dauid. 238. 2.c

In illa die confundentur Prophetæ, vnusquisque ex visione sua, &c. 525.1.e

Cùm prophetauerit quispiam vltra, dicent ei pater eius, & mater eius, qui genuerunt eum, Non viuas, quia mendacium locutus es, &c. 2.a

EX MALACHIA.

Cap. 1. Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. 291.1.b

Ab ortu Solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, &c. c

2. Labia Sacerdotis custodient scientiam, &c. 228.1.e

Legem requirent ex ore eius. Angelus Dominus exercituum est. 721.2.b

3. Ecce ego mitto Angelum meum, &c. 10.1.a. 13.1.d. 553.2.b. 743.1.c

4. Ecce ego mitto vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini, &c. 117.2.d

Orietur vobis Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius. 256.2.c

Conuertet cor patrum ad filios, &c. 743.1.a

EX LIB. I. MACHABÆORVM.

Cap. 2. Disponamus testamentum cum gentibus. 183.2.b

Cogitauit Iudas de altari holocaustorum, quod prophanatum erat, quid de eo faceret, & incidit illis consilium bonum, vt destruerent illud, &c. 198.2.e

2. Constituerunt aduersus eos prælium in die Sabbathorum. 408.1.c

Neque faciamus verbum Regis, vt polluamus verba Sabbathorum. ibid.

Intulerunt illis bellum Sabbathis. ibid.

4. Ascenderunt in montem Sion, & viderunt sanctificationem desertam, & altare profanatum, & in atriis virgulta nata. 180.1.d

Posuerunt super mensam panes, & appenderunt vela. 193.1.d

15. Venit Athenobius, & vidit gloriam Simonis; & obstupuit, &c. 723.1.e

EX LIB. II. MACHABÆORVM.

Cap. 6. Misit Rex Antiochus senem quendam Antiochenũ, qui compelleret Iudæos, vt se transferrent à patriis & Dei legibus, &c. 229.2.b

7. Non obedio præcepto Regis, sed præcepto legis. 389.2.a

Rex mundi defunctos nos pro suis legibus, in æternæ vitæ resurrectione suscitabit. 730.2.d

9. Supra humanum modum superbia repletus, videbatur sibi etiam fluctibus maris imperare, &c. 91.2.b

11. Apparuit præcedens eos eques in veste candida, armis aureis, hastam vibrans; tunc conualuerunt animis, &c. 730.2.b

EX MATTHÆO.

Cap. 1. Ipse saluũ faciet populum suum à peccatis eorum. 324.2.c. 718.1.b

2. Procidentes adorauerunt eum. 79.2.a

3. Cuius ventilabrũ in manu eius, & ipse mundabit aream suam, congregabit triticum in horreum suum, &c. 123.2.e. 124.1.b

Ipse vos baptizabit Spiritu sancto, & igni. 131. 2. c.

4. Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. 155. 1. e

Cùm audisset Iesus quòd Ioannes traditus esset, secessit in Galilæam, &c. 168.1.a. 267.2.b. 268.2.a. 294.1.a

5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. 115.2.a

Non potest ciuitas abscondi super montem posita. 179.2.d

4. Vos estis lux mundi. 132. 2. a. 192. 1. c. 721. 2. a

Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent, &c. 242.2.e. 492.1.c. 2.a

Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. 292.1.e

Nonne & publicani hoc faciunt. 360.2.e

Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum, &c. non intrabitis, &c. 461.2.c

Beati pauperes spiritu, &c. 564.2.a. 629.1.b

6. Primum quærite regnum Dei, & iustitiam eius, &c. 104.1.c

Thesaurizate vobis thesauros in cælo, vbi neque ærugo, &c. 184.1.a

Exterminant facies suas, vt appareant hominibus, &c. 446.1.a

Cùm ieiunas, vnge caput tuum. 565.2.c

Si lumen quod in te est tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? 721.2.a

7. Erat docens eos sicut potestatem habens, &c. 314.1.d

Neque mittatis margaritas vestras ante porcos. 349.1.c

Admirabantur turbæ super doctrina eius. 424. 1.b. 2.c

Petite, & dabitur vobis, &c. pulsate, &c. 520. 1.d

Ex fructibus eorum cognoscetis eos. 615.1.b

Descendit pluuia, & venerunt flumina, irruerunt in domum, non cecidit, &c. 722.1.c

8. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. 383.1.b

Vulpes foueas habent, &c. Filius autem hominis, &c. 434.1.b

Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent, &c. 565.2.d

9. Messis quidem multa, operarij autem pauci, rogate ergo Dominum, &c. 292.2.e

Nunquid possunt filij sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? 365.1.d

Aperti sunt oculi eorum, & comminatus est Iesus dicens: Videte ne quis sciat. 536.1.e

Videns Iesus turbas misertus est eis, quia erant vexati, &c. 636.1.a

Circuibat Iesus omnes ciuitates, & castella, &c. 645.2.d

10. Nolite possidere argentum, neque pecunias in zonis vestris: non peram, &c. 22.1.d

Estote simplices sicut columbæ. 57.2.a

Si persequuntur vos in vna ciuitate, fugite in aliam. 177.2.b

Qui me cõfessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum, &c. 236.1.d. 404.1.e

Quicumque potum dederit vni ex minimis istis, &c. non perdet mercedem, &c. 287.1.d

Quicumque non receperit vos, &c. exeuntes foras, &c. excutite puluerem, &c. 377.2.d

Quicumque negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum, &c. 404.1.e

Non estis vos qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, &c. 442.2.d

Gratis accepistis, gratis date. 466.2.b

Non veni pacem mittere, sed gladium. 593. 2.c

In viam gentium ne abieritis, &c. 695.2.c

Capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt. 706.2.d

11. Ecce qui mollibus veſtiuntur in domibus Regum ſunt. 8.1.e

Venit Ioannes nec comedens, neque bibens. 11.2.a

A diebus Ioannis Baptiſtæ regnũ cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. 27.2.e.52.2.e. 385.2.d.438.1.a

Tu es qui venturus es, an alium expectamus? 120.2.d

Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, &c. 153.2.d

Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, &c. 191.1.a.143.2.b.288.1.b

Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me quia mitis ſum, &c. 288.1.b.388.2.e

Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida. 308.1.e

Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue. 81.1.a.460.2.d

Tollite iugum meum ſuper vos, & inuenietis requiem animabus, &c. 449.1.a

Omnes Prophetæ, & lex vſque ad Ioannem prophetauerunt. 305.2.b

12. Generatio mala, & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ, &c. 171.2.b

Quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem. 348.2.c

Sacerdotes in templo Sabbathum violant, & ſine crimine ſunt. 391.2.b

Tunc oblatus eſt ei dæmonium habens. 417.1.a

Ex abundantia cordis os loquitur. 449.1.d. 703.1.b

Omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo, &c. 474.2.c

Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta, &c. 580.2.e

Omnis Scriba doctus in regno cæleſti ſimilis eſt patri familias. 721.2.b

13. Nonne mater eius dicitur Maria: & fratres Iacobus, & Ioſeph, &c. 167.2.c. 168.1.d

Inuenta vna pretioſa margarita abiit, & vendidit omnia, &c. 287.2.d.435.2.e

Nonne hic eſt filius fabri? 294.1.c

Non eſt Propheta ſine honore, niſi in patria ſua. c.d

Ediſſere nobis parabolam zizaniorum. 335.2.a

Solicitudo huius ſæculi, & fallacia diuitiarum ſuffocant verbum. 513.1.c

15. Quæ procedunt de ore, de corde exeunt, & coinquinant hominem, &c. 431.1.c

Hypocritæ, benè prophetauit Iſaias *cap.* 27. dicens: Populus hic labiis me honorat, &c. 445.2.e. 446.1.a

Cæcus ſi cęco ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt. 446.2.c.721.1.e

Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt, &c. 462.1.d

Omnis plantatio quam non plantauit pater meus, eradicabitur. 669.1.e

16. Alij Eliam, alij Ieremiam, aut vnum ex Prophetis. 118.1.c

Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo, &c. 139.2.a.195.2.d

Qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam. 730.2.d.e

Quem dicunt homines eſſe Filium hominis? 312.2.b

Vos verò quem me eſſe dicitis? ibid.

Præcepit diſcipulis ſuis, vt nemini dicerent, quia ipſe eſſet Chriſtus. 322.2.e

Tu es Chriſtus Filius Dei viui. 323.2.d

Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, &c. 225.2.c.538.2.b

17. Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis huic monti, tranſi hinc, & tranſibit. 93.2.a

Quomodo dicunt Scribæ, quòd Eliam oportet primum venire? 117.2.d

Aſſumpſit Ieſus Petrum, Iacobum, &c. & tranſfiguratus eſt, &c. 141.2.e

Elias iam venit, & non cognouerunt eum, ſed fecerunt in eo quæcumque voluerunt, &c. 268.1.e

Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. 323.2.d. 324.1.d. 392.2.e. 401.2.e. 421.1.b

18. Væ mundo à ſcandalis; væ homini illi per quem, &c. 69.1.a

Angeli eorum ſemper vident faciem Patris. 115.2.a

Sit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus. 360.2.e

Seruus qui conſeruo ſuo nolit demittere, in carcerem relegatur. 502.1.d

19. Omnis qui reliquit domum, vel fratres, aut ſorores, &c. centuplum accipiet, &c. 320.1.a

Non legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & fœminam fecit eos, & relinquet homo patrem & matrem; & adhærebit vxori ſuæ, &c. 326.2.e

Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. 596.1.e. 500.1.b

Si vis perfectus eſſe, vade vende omnia quæ habes, &c. 428.1.e.513.2.d

Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet. 479.2.e

Quicumque dimiſerit vxorem niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. 480.1.c

Sedebitis ſuper ſedes duodecim iudicantes duodecim tribus, &c. 588.2.a

20. An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? 691.2.b

Neſcitis quid petatis. 757.1.e

Voca operarios, & redde illis mercedem. 707.1.b

21. Baptiſmus Ioannis vnde erat, è cælo an ex hominibus, &c. 55.1.e

Intrauit Ieſus in templum Dei, & eiecit omnes vendentes. 170.2.a

Qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur. 560.2.e

22. Ecce prandium meum paraui, tauri mei, &c. Venite ad nuptias. 191.1.a

In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet, & Prophetæ, &c. 520.2.e

23. Alligant onera grauia, & importabilia, & imponunt ea in humeros hominum, &c. 123.1.e. 368.2.b.526.2.d

Ieruſalem quæ occidis Prophetas. 292.1.a

Similes eſtis ſepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus ſpecioſa, &c. 431.2.a.526.2.d

Væ vobis Scribæ, & Phariſæi, quia mundatis, quod deforis eſt calicis, &c. 431.2.a.526.2.c

Dilatant phylacteria ſua, & magnificant fimbrias. 446.1.a

Munda priùs quod intus eſt calicis, vt fiat, &c. d

Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi, ſecundùm opera, &c. 462.1.a. 628.1.a

Omnia opera ſua faciunt, vt videantur ab hominibus. 467.2.c
Quicumq; iurauerit per templum, nihil eſt, &c. 482.2.b
Qui iurat in cælo, iurat in throno Dei, & in eo qui ſedet, &c. 483.1.b
Quicunque iurauerit in templo, iurat in illo, & in eo qui habitat, &c. ibid.
Amant primos recubitus in cœnis, primas cathedras in Synagogis, &c. 526.2.d
Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat, &c. 547.1.e
24. Tunc apparebit ſignum Filij hominis in cælo. 253.1.d
Vbicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ. 385.1.d
Prædicabitur hoc Euangelium in vniuerſo orbe, & tunc veniet conſummatio. 462.2.c
25. Quamdiu feciſtis vni ex his fratribus meis, mihi feciſtis. 164.2.b.663.2.a
Statuet oues à dextris, hœdos autem à ſiniſtris. 399.1.a
Venite benedicti, poſſidete regnum vobis paratum. 394.2.a. 445.2.a
Eſuriui & dediſtis mihi manducare, ſitiui, &c. ibidem.
Lampades noſtræ extinguuntur. 608.2.e
26. Venerunt duo falſi teſtes, & dixerunt: Hic dixit, poſſum deſtruere templum Dei, &c. 171.2.b
Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte. 399.2.a. 451.2.e. 673.2.e
Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. 399.2.b
Pater mi, ſi non poteſt calix hic tranſire, &c. 498.1.e
Vigilate, & orate: ne intretis in tentationem. 503.2.a.c
Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt. 519.1.e
27. Nihil tibi, & iuſto illi. 147.2.a
Velum templi ſciſſum eſt. 193.1.c
Multa corpora Sanctorum tunc ſurrexerunt. 393.2.e
Non licet eos mittere in corbonam, &c. 689.2.a
28. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. 200.1.c.236.1.b. 247.1.c. 273.2.e

EX MARCO.

Cap. 1. Initium Euangelij Ieſu Chriſti Filij Dei. 10.1.b
Poſtquam traditus eſt Ioannes, venit Ieſus in Galilæam. 267.2.b
Quid nobis & tibi Ieſus Nazarene, veniſti perdere nos. 322.1.e
3. Aſcendens in montem, vocauit ad ſe quos voluit ipſe, & venerunt ad eum, & fecit vt eſſent duodecim cum illo, &c. 139.1.e.634.2.b
Et impoſuit Simoni nomen Petrus. 139.1.e
4. In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis. 502.1.d
5. Adiuro te per Deum, ne me torqueas. 324.1.a
6. Præcepit eis ne quid tollerent in via, niſi virgam tantùm, non peram, &c. 222.a
Audito Ioanne multa faciebat, & libenter eum audiebat. 8.1.d
Dicebat Herodes: quem ego decollaui Ioannem, hic ſurrexit à mortuis. 118.1.b
7. Phariſæi, & omnes Iudæi, niſi crebrò lauerint manus, non manducant, &c. 149.2.d.431.1.e
8. Cauete à fermento Phariſæorum. 467.2.c. 620.1.b
9. Habete ſal in vobis, & pacem habete inter vos. 450.1.a
Bonum eſt ſal. Quòd ſi ſal inſulſum fuerit, in quo illud condietis. 458.1.b
12. Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper pluſquam omnes miſit. 504.1.d
13. Magiſter aſpice quales lapides, & quales ſtructuræ. 202.2.e.207.1.a
Non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur. 207.1.a
14. Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem. 94.1.d
Vbicumque prædicatum fuerit Euangelium iſtud, &c. & quod hæc fecit narrabitur. 572.1.c
15. Erant mulieres de longè aſpicientes, inter quas erat Maria Magdalena, &c. 168.1.e
16. Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ. 132.1.e. 192.1.e. 200.1.c
Viderunt iuuenem ſedentem opertum ſtola candida. 739.1.a

EX LVCA.

Cap. 1. Puer creſcebat, & confortabatur ſpiritu, & erat in deſertis, &c. 12.2.a
Abiit virgo in montana cum feſtinatione, &c. b
Spiritu ſancto replebitur, iam inde ab vtero matris ſuæ. 48.2.e
Ipſe præcedet ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ. 117.2.e
Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. 163.2.d
Sorte exiit vt incenſum poneret ingreſſus in templum, &c. 193.2.c. 227.1.d.2.c
Fuit Sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia. 229.2.c. 230.1.b
Factum eſt, vt impleti ſunt dies officij eius, abiit in domum ſuam. 229.2.d
Hic erit magnus, & filius altiſſimi vocabitur. 324.1.c
Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me. ibid.
Illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent, &c. 458.1.e
Iuſiurandum quod iurauit ad Abraham. 481.2.c
Ipſe præibit ante illum, vt conuertat corda patrum in filios. 556.2.b
Apertum eſt illicò os & lingua eius, &c. 702.1.b
2. Tu puer Propheta altiſſimi vocaberis, præibis, &c. 13.1.d
Ieſus proficiebat ſapientia, & ætate & gratia apud Deum, &c. 53.2.b
Hic menſis eſt ſextus illi, quæ vocatur ſterilis. 111.1.e.
Viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod paraſti, &c. 132.1.d
Natus eſt vobis hodie Saluator mundi. 324.1.c
Ecce poſitus eſt in ruinam, &c. 552.2.b
Ex hoc beatam me dicent omnes generationes. 598.2.a
Maria conſeruabat omnia verba hęc conferens in corde ſuo. 610.1.a
Nunc dimittis ſeruum tuum Domine ſecũdum verbum tuum, &c. 656.2.e
3. Qui poſt me venturus eſt, fortior me eſt. 132.2.d

Magiſter, quid faciemus? Nihil ampliùs, quàm quod conſtitutum eſt vobis, faciatis. 360. 2. e

Omnes in corde ſuo cogitauerant, ne fortè ipſe eſſet Meſſias. 554.2.e

Qui habet duas tunicas, det non habenti. 637. 1. d

4. Cogitantibus omnibus in cordibus ſuis, ne forte ipſe eſſet Chriſtus, reſpondit Ioannes dicens omnibus: Veniet fortior me. 117.2.a.715. 1. b.

Regreſſus eſt in virtute ſpiritus in Galilæam, & fama exiit, &c. 306.2.b

5. Quis poteſt peccata dimittere niſi ſolus Deus. 502.2.a

Laxate retia veſtra in capturam. 195.2.e

Exi à me Domine quia homo peccator ſum. 347.2.b.540.2.c.

Aſcendens in vnam nauim, quæ erat Simonis, &c. Sedens docebat de nauicula turbas. 311. 2. a

Elegit duodecim ex ipſis, quos & Apoſtolos nominauit, &c. 139.1 e

Erat pernoctans in oratione Dei. 245. 1. b

Menſuràm bonam, & confertam, &c. dabunt in ſinum veſtrum. 257.1.b

Ipſe eleuatis oculis in diſcipulos ſuos dicebat, Beati pauperes. 426.2.d

Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, &c. 318.1.b

Date & dabitur vobis. 664.2.e

7. Omnis populus audiens, & publicani iuſtificauerunt Deum baptizati baptiſmo Ioannis. 360. 1.e.556.2.b

Vade in pace. 450.2.e

Mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit, quod Ieſus accubuiſſet in domo Simonis, attulit alabaſtrum, &c. 723.2.a

Adoleſcens tibi dico ſurge. 396.2.c.398.2.d

8. Quid mihi & tibi eſt fili Dei altiſsimi. 147. 2.a

Nauigauerunt ad regionem Geraſenorum, quę eſt contra Galilæam. 303.1.a

9. Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde. 53.1.b

Vis dicamus vt ignis de cælo conſumat eos? neſcitis cuius ſpiritus eſtis. ibidem.

Qui non eſt aduerſus vos, pro vobis eſt. 582. 2.a

10. Nolite portare ſacculum, neque peram, neque calceamenta. 22.1.d

Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, &c. 101.1.d.737.1.c

Ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos. 137.1.a

Dignus eſt operarius mercede ſua. 292.1.b

Miſericordia motus appropians alligauit vulnera eius, &c. 465.2.c

Beati oculi qui vident quæ vos videtis. 596.1.d

11. Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur. 452.2.d

Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum. Si autem fortior eo ſuperueniens vicerit eum, &c. 720.1.a

Regina Auſtri venit à finibus terræ, &c. 698.1.d

Si ille perſeuerauit pulſans, propter improbitatem ſurget, & dabit illi. 699.1.c

Si perſeuerauerit pulſans, &c. 706.2.b

12. Faciem cæli & terræ noſtis probare, hoc autem tempus quomodo non probatis? 710. 2.a

Quis putas eſt fidelis diſpenſator & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illi, &c. 38.2.e

Sic eſt, qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum dives. 184.1.d

Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt accendatur. 255.1.e

Deſtruam horrea mea. 415.1.c

Dicam animæ meæ: habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, &c. 437. 1. e. 593. 2. a

Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te, &c. ibidem

Sint lucernæ ardentes in manibus veſtris. 466. 2.d

Vendite quæ poſsidetis, & date eleemoſynam, facite vobis ſacculos, &c. 508.1.b

Conſiderate coruos, qui non ſeminant, neque metunt, quibus non eſt cellarium, & Deus paſcit illos, &c. 510.1.e

Quis veſtrum cogitando poteſt adiicere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum? ſi ergo neque quod minimum eſt poteſtis, quid de cæteris, &c. 2. b. 511.1.a

Attendite à fermento Phariſæorum quod eſt hypocriſis. 526.2.c

13. Ecce tres anni ſunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio, ſuccide ergo illam, &c. 134.2.c

Ite dicite vulpi illi. 654.1.d

14. Quis ex vobis volens turrim ædificare, nonne prius ſedens computat ſumptus, qui neceſſarij ſunt, ſi habeat ad perficiendum, &c. 182.1.d

Exi citò in plateas, & pauperes, ac debiles, &c. introduc huc. 244.1.b

15. Gaudium erit in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, &c. 361.2.c

Peregrè profectus eſt in regionem longinquam. 707.2.b

16. Lex & Prophetæ vſque ad Ioannem. 13. 2.c

Epulabatur quotidie ſplendidè. 165.2.b

Recordare quia recepiſti bona in vita tua, &c. ibidem

Lazarus recepit mala in vita ſua, &c. 166.1.a

Facilius eſt cœlum & terram præterire, quàm de lege vnum apicem cadere. 459 2. d

Recipient vos in æterna tabernacula. 533. 1.e.

Mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in inferno. 548.2.b

Regnum Dei euangelizatur, & omnis in illud vim facit. 556.2.d

17. Memores eſtote vxoris Lot. 334.1.b

Cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſerui inutiles ſumus, 460.2.d

18. Non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, iniuſti, &c. 127.2.a

Deſcendit hic in domum ſuam iuſtificatus ab illo. 158.1.b

19. Domus mea, domus orationis eſt. 176. 1.a

Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis. c

Negotiamini dum venio. 333.2.d

Quare non dediſti pecuniam meam ad menſam, & ego veniens, &c. 647.1.d

21. Ponite, ergo in cordibus veſtris, non præ-

meditari quemadmodum reſpondeatis, &c. 642.1.b
22. Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calceamentis, &c. 22.1.d
Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis, & ego diſpono vobis, &c. 706.1.e
Facta eſt contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe maior. 421.1.d
23. Herodes viſo Ieſu grauiſus eſt valde, erat enim cupiens ex multo tempor evidere eum. 8.1.e.652.2.b.658.1.b
Commouit populum docens per vniuerſam Iudæam, incipiens, &c. 305.2.c
24. Aperuit illis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas. 165.1.b
Neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, &c. c.

EX IOANNE.

Cap. 1 Hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine. 13.2.d
Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. 117.2.b
Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. 123.2.e.551.1.a
Vidi ſpiritum deſcendentem quaſi columbam de cælo, &c. 137.1.c
Medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis. 132.1.c
Plenum gratiæ & veritatis. 183.2.c
Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine eius, qui non ex ſanguinibus, &c. 235.2.c.245.2.d.385.1.b.682.2.c.698.1.e
In principio erat verbum. 286.2.b.421.1.b
Verbum Caro factum eſt. 286.2.b
A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe? 304.2.a
Non erat ille lux. 401.1.b
Es tu Chriſtus? Es ne Elias? Es ne Propheta? Non ſum. ibid.
Cuius ego non ſum dignus vt ſoluam corrigiam calceamenti. c.555.1.a
2. Cùm eſſet Ieroſolymis in paſcha in die feſto, multi crediderunt in nomine eius, &c. 295.1.b
Prope erat Paſcha Iudæorum, & aſcendit Ieſus Ieroſolymam. 379.1.d
Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud, &c. 586.2.c
3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto. 231.d.56.1.b.60.1.b.259.1.a
Illum oportet creſcere. 110.2.e.123.2.e.657.1.a
Amen dico tibi, quia quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur. Nemo aſcendit in cælum niſi qui deſcendit de cælo, filius hominis, qui eſt in cælo. 114.2.b
Deum nemo vidit vnquam. e
Qui de cœlo venit, id eſt, Chriſtus, ſuper omnes eſt. b
Scimus quia à Deo veniſti magiſter. 153,1.c
Qui credit in eum non iudicatur, qui autem non credit, iam iudicatus eſt. 173.1.b
Qui male agit, odit lucem, 245.1.b.614.1.c 655.1.b
Qui facit veritatem venit ad lucem. 245.2.b
Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. 276.2.d.324.2.c
Nemo poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis. 295.1.b
Non enim miſit Deus filium ſuum, vt iudicet mundum. 324.2.c
Qui habet ſponſam ſponſus eſt: amicus autem ſponſi qui ſtat, & audit eum. 367.1.c
In hoc apparuit filius Dei, vt diſſoluat opera diaboli. 590.2.c
Quomodo poteſt homo naſci, cùm ſit ſenex. 675.2.e
4. Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis. 72.1.c
Patres noſtri in monte hoc adorauerunt. 180.1.c
Audierunt Phariſæi, quod Ieſus plures diſcipulos facit, & baptizat quam Ioannes. 258.2.a.261.1.a.265.1.b
Deus Spiritus eſt. 266.1.b
Non ne vos dicitis, quod adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit? 300.1.a.379.1.b
Ego ſum qui loquor tecum. 322.2.d
Scimus quia hic eſt vere Saluator mundi. 324.2.c
Quinque viros habuiſti. 548.2.b
Ego miſi vos metere, quod vos non laboraſtis. 635.1.b
Qui bibit ex hac aqua, ſitiet iterum. 671.1.d
5. Pater omne iudicium dedit filio. 23.1.e
Qui miſit me pater, ipſe teſtimonium perhibuit deme. 50.1.e
Ille erat lucerna ardens, & lucens. Vos autem voluiſtis, &c. 117.1.c.192.2.b
Ego teſtimonium habeo maius Ioanne, &c. 153.1.b
Procedent qui bona fecerunt in reſurrectione vitę, &c. 241.2.c
Qui verbum meum audit, &c. 680.1.d
6. Abiit Ieſus trans mare Galilææ. 4.1.b
Cum cognouiſſet, quia venturi eſſent, vt raperent eum, & facerent eum Regem. 107.1.e
Nunquid & vos vultis abire? 707.1.c
Hunc pater ſignauit Deus. 153.1.b.559.2.d
Hæc eſt voluntas Patris mei qui miſit me, vt omnis qui videt filium, &c. 324.2.c
Erat autem proximum Paſcha dies feſtus Iudæorum, 379.1.d
7. Quidam dicebant; Nunquid à Galilæa venit Chriſtus? &c. 140.1.b
Oſtende te ipſum mundo. 148.2.d
Ego non aſcendam ad diem feſtum iſtum, &c. c
Mundus me odit. quia ego teſtimonium perhibeo de illo, &c. 242.2.b
Nondum erat ſpiritus datus, quia nondum erat glorificatus. 259.1.d
Nunquid & tu Galilæus es? ſcrutare ſcripturas, &c. 304.2.a
Totum hominem ſanum feci in Sabbatho. 356.1.d
Eſt verus qui miſit me, quem vos neſcitis. 402.1.b
In nouiſſima die feſtiuitatis ſtabat Ieſus, & clamabat. 413.2.e
Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent. 277.1.d
8. Eſt qui quærat & iudicet. 395.1.a
Tu de te ipſo teſtimonium perhibes. 400.1.b
Si ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, teſtimonium meum non eſt verum. c
Eſt pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus veſter eſt. 402.1.b
Si Deus pater veſter eſſet, diligeretis vtique me, 403.2.b

Vos ex patre diabolo estis. 432.2.b.611.2.a
Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. 432. 2.c. 543.2.c
Qui sine peccato est vestrum, &c. 522.1.e
In peccato vestro moriemini. 584.2.d
Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum. 586.2.e
Mendax est, & pater eius. 606.2.d
10. Ambulabat Iesus in templo in porticu Salomonis. 198.1.c
Quousque animam nostram tollis? 260.2.e.282. 1.d.559.2.a
Oues meæ vocem meam audiunt, & ego vitam æternam do eis. 530.2.c
Bonus pastor animam dat. 465.2.e
Opera quæ ego facio, &c. testimonium perhibent de me. 559.2.b
Lupus rapit & dispergit oues. 592.2.a
11. Lazare veni foras. 21.2.a
Ecce quem amas infirmatur. 363.2.b
Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei. 572.1.b
Iesus moriturus erat, vt filios Dei, &c. congregaret in vnum. 592.2.a
12. Et clarificaui & iterum clarificabo. 50.1.e. 506.2.a
Nunc iudicium est mundi. 413.2.b
Nunc Princeps huius mundi eiicietur foras. c.594.1.b
Granum frumenti si mortuum fuerit, multum fructum affert. 73.1.a
13. Domine tu mihi lauas pedes. 42.2.d
Post buccellam tunc introiuit in Iudam Satanas. 85.1.d
Sciens quia venit hora eius. 148.1.a
In hoc cognoscent homines, quod mei estis discipuli, &c. 310.1.a
Non est Apostolus maior eo, qui misit illum. 418.2.a
Cùm diabolus iam misisset in cor, &c. 694. 1.c
14. Venit Princeps huius mundi, & in me non habet quidquam. 80.2.c
Qui videt me, videt & patrem meum. 115. 1.c
Alium paracletum dabit vobis pater, &c. 137. 2.a
In domo patris mei mansiones sunt multæ, &c. 141.2.d
Ego sum via & veritas, & vita. 226.1.b
Pacem meam relinquo vobis, &c. 448.1.d.451. 2.b
Nunc dixi vobis antequam fiat, vt cùm factum fuerit, &c. 586.2.d
Vado & venio ad vos. 843.1.c
Ostende nobis patrem, & sufficit nobis. 661. 2.a
15. Qui manet in me, &c. hic fert fructum multum. 128.1.a
Ego sum vitis vera. 203.2.a
Manete in me, & ego in vobis, &c. 677.1.d
Sine me nihil potestis facere. 522.2.b
16. Quæcunque audiet, loquetur. 393.2.a
De meo accipiet. ibidem
17. Serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, &c. 452.1.a
Pater, venit hora. 148.1.a
18. Adduxerunt eum ad Annam. 6.2.d
Ego in hoc natus sum, &c. vt testimonium perhibeam veritati. 226.1.b.606.2.d
Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo, &c. 486.1.c
19. Non habemus regem, nisi Cæsarem. 24. 1.c
Vnus militum lancea latus eius aperuit, &c. 111.2.c
20. Si tu sustulisti eum. 173.1.e
Vidit duos angelos in albis sedentes. 734.1.a
Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. 538.2.b
Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata. 582.1.e.
Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum. 498.1.e
21. Pasce agnos meos. 133.2.e.354.2.c
Multa alia fecit Iesus, quæ si scripta essent, &c. 374.2.a.393.2.d
Diligis me plus his? 424.1.d
Alius cinget te, & ducet quo tu non vis. 729 1.e

EX ACTIBVS APOSTOLORVM.

Cap. 1. Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizamini Spiritu Sancto. 25.1.c.258. 2.d
Duo viri astiterunt in vestibus albis. 734.1.a
Oportet ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Iesus, &c. 41.2.b.52.1.b
Eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni, &c. 312.2.a
Tu Domine qui corda omnium nosti. 353.1.b. 721.1.a
2. Apparuerunt dispertitæ linguæ tamquam ignis. 47.2.b
Factus est repente de cælo sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis. 85.1.a
Sedit super singulos eorum. 137.2.a
Quidam vir qui erat claudus ex vtero matris suæ baiulabatur, &c. vt peteret eleemosynam ab introeuntibus. 204.1.e
4. Factum est vt congregarentur Principes eorum & seniores, & scribæ in Hierusalem, &c. 6. 1.d
Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna. 452.1.c.683.2.b
Non possumus quæ vidimus & audiuimus, non loqui. 703.1.a
5. Erant vnanimiter omnes in porticu Salomonis. 198.1.c
Non potestis id dissoluere, ne quando & Deo repugnare reperiamini.
Ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. 455.2.a.711.2.b
Si est ex hominibus consilium hoc, dissoluetur. 669 2.a
6. Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. 333.2.c
Non poterant resistere sapientiæ & spiritui, qui loquebatur. 642.1.c
7. Intendens in cælum vidit gloriam Dei, &c. Ecce video cælos apertos, &c. 46.1.b.650.1.c. 730.2.d
Quem Prophetarum non sunt persecuti Patres vestri.
8. Ecce vir Æthiops Eunuchus potens Candacis Reginæ, &c. 588.1.c

Pecunia tua tecum sit in perditionem, &c. 636. 2.d
9. Vt inimicorum manus effugeret. 76.1.c
Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum, &c. 183.2.e.1646..c
Saule, Saule, quid me persequeris? 455.1.a
10. Vos scitis quod factum est verbum per vniuersam Iudæam, incipiens enim à Galilæa, &c. 42.1.e.305.2.b
Vnxit eum Deus Spiritu sancto. 48.1.c.624. 1.a
Surge Petre, occide, & manduca. 365.1.e
Vos scitis quomodo abominatum sit viro Iudæo coniungi, aut accedere ad alienigenam. 540. 2.b
In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus. 625.1.e
Quod Deus sanctificauit, tu ne commune dixeris. 690.1.e
12. Calcea te caligas tuas. 637.2.c
13. Cum impleret Ioannes cursum suum dicebat; quem me arbitramini esse, &c. 117.2.a
Ingressi synagogam die sabbatorum sederunt. post lectionem autem legis, & Prophetarum miserunt Principes synagogæ ad eos, &c. 228.2.a. 408.1.d
Inueni Dauid filium Iesse, virum secundum cor meum, &c. 561.2.a
Vobis oportebat primum loqui verbum Dei. Sed, quoniam repellitis illud. 635.2.d.697.1.d
16. Isti homines serui Dei excelsi sunt, qui annunciant vobis viam salutis. 316.2.a
Die sabbatorum egressi sumus foras portam, iuxta flumen vbi videbatur oratio esse. 408.1.c
17. Incitabatur spiritus eius in ipso, videns idololatriæ deditam ciuitatem. 767.1.a
Deus nunc annunciat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agant, eoque statuit diem, in quo iudicaturus est orbem in æquitate, &c. 20.2.b
In ipso viuimus, mouemur, & sumus. 390.2.b. 397.1.e
19. Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ populum: dicens, in eum qui venturus esset post ipsum, vt crederent. 15.1.b
Multi credentium veniebant confitentes,& annunciantes actus suos, &c. 16.1.a
20. Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. 174. 2.e
Argentum & aurum,aut vestem nullius concupiui, sicut ipsi scitis. 175.1.b
Ex vobis ipsis exurgent viri loquentes peruersa, &c. 559.1.c
27. Ne timeas Paule, ecce donauit tibi Deus omnes, qui nauigant tecum. 356.2.b

EX EPIST. PAVLI AD ROMANOS.

Cap. 1. Græcis ac barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum. 66.1.a.192.1.e.625.1.e
Seruio Deo in spiritu meo. 282.1.a
Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. 227. 1.c
Non erubesco Euangelium. 245.1.c.731.2.b
Euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. 432.1.a.465.1.c.
Accepimus gratiam, & Apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus. 466.1.a
Testis mihi est Deus. 481.2.b
Euangelium virtus Dei est in salutem omni credenti. 635.2.d
2. Ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, &c. 400.1.a
Qui doces alium, te ipsum non doces? 470. 1.b
Quem posuit Deus propitiatorium. 184.2.d
4. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. 361.2.c
4. Tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem, probatio vero spem,spes autem non confundit. 97.2.a
Gloriamur in tribulationibus. 97.2.c.433.2.a. 455.2.a
Si vnius Adam delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donum, in gratia vnius 113. hominis Iesu Christi, in plures abundauit, &c. 1.c
Commendat caritatem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est. 256. 1.e
Vix pro iusto quis moritur; nam pro bono forsitan quis audeat mori. 2.a
Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum. 450.2.e
6. Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo. 246.1.d
An ignoratis, fratres, quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. ibidem.
Stipendia peccati mors. 456.1.d
Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, &c. 594.2.c.729.2.d
Sicuit exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem,ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. 19.1.c
Christo enim consepelitur per baptismum in mortem. 34.2.c
7. Quæ sub viro est mulier, viuente viro alligata est legi. Si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri. 158.2.e
Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. 471.b
8. Quis nos separabit à charitate Christi; tribulatio? an angustia? &c. 29.2.a.490.2.a
Postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. 58.1.b.442.2.d.699.2.a.
Filij Dei spiritu Dei aguntur. 62.1.c
Scimus quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum. 94.2.e
Si Deus pro nobis, quis contra nos? 101.1.d
Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati. 248.1.a
Quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui. 362.2.a
Nos ipsi primitias spiritus habentes. 419.1.a
Ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptione corporis nostri. 499.2.b
Expectatio creaturæ reuelationem filiorũ Dei expectat. c
Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. 521.2.a
9. Salus ex Iudæis est, ex quibus est Christus secundum

cundùm carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus. 281.1.b
Optabam anathema eſſe pro fratribus meis. 465.2.e
Suſtinuit in multa patientia vaſa iræ aptata in interitum, vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ parauit in gloriam. 574.1.a
10. Fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti. 285.2.e.607.2.c.682.1.d
Corde creditur ad iuſtitiam. 432.1.a.644.1.d
Ore fidei confeſſio fit ad ſalutem. 525.2.d
Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem. 607.2.c
Quomodo credent ei quem non audierunt, &c. ibidem
Quomodo prædicabunt niſi mittantur. 7.2.a. 636.1.d.646.1.c
11. Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei? 112.2.e.547.1.c
Sine pœnitentia enim ſunt dona & vocatio Dei. 767.2.e
Cæcitas ex parte contingit in Iſraël, donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret. 373.1.c.
12. Obſecro vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem ſanctam Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum. 199.1.b
Qui tribuit in ſimplicitate, &c. 708.2.b
Qui miſeretur in hilaritate, &c. 357.1.a.708.1.d
Flere cum flentibus, &c. 767.1.b
Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum, ſi ſitierit, potum da illi. 450.1.b
Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum. e
Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes. 451.2.c
Non vos metipſos defendentes, ſed date locum iræ. 476.1.d
13. Omnibus poteſtatibus ſublimioribus ſubiecti eſtote. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo. 79.1.c.544.2.c
14. Quæ pacis ſunt ſectemur. 451.2.c
15. Dico Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circunciſionis, propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones patrum. 113.2.c.462.1.e
Deus autem ſpei, repleat vos omni gaudio, & pace in credendo. 449.2.c
Deus det vobis id ipſum ſapere in alterutrum, ſecundùm Ieſum Chriſtum, vt vnanimes vno ore honorificetis Deum. ibidem
Vnuſquiſque proximo ſuo placeat in bonum ad ædificationem. 451.2.c
Etenim Chriſtus non ſibi placuit. d
Sed ſicut ſcriptum eſt, improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me. ibidem
16. Deus pacis conterat ſatanam ſub pedibus veſtris velociter. 103.2.c
Commendo vobis Phœbem ſororem noſtram, quæ eſt in miniſterio Eccleſiæ, eſt in Cenchris. 319.2.e
Salutate inuicem in oſculo ſancto. 567.1.d
Volo vos ſapientes eſſe in bono. 641.2.b

EX EPIST. I. AD CORINTH.

Cap. 1. Prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam. 226.1.d. 255.2.b. 552.2.c. 560.2.c. 561.1.a
Ipſis vocatis Iudæis, atque Græcis prædicamus Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam. 226.1.d
Factus eſt nobis ſapientia à Deo, & Iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio. 243.2.d.561.1.d
Quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus. 286.2.c
Obſecro vos, fratres, per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt ipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata: ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſcientia. 309.2.d.449.2.c
Infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia. 383.2.e
2. Sermo meus & prædicatio mea non fuit in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis, vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominis, ſed in virtute Dei. 305.2.e
Si cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. 322.1.b.324.1.b
Loquimur non ſapientiam huius ſæculi, neque principum huius ſæculi, qui deſtruuntur, ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinauit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram. 324.1.b.325.1.c
Quam nemo principum huius mundi cognouit, ſi enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. 324.1.b
3. Tamquam paruulis lac vobis potum dedi, non eſcam. 12.1.d.369.2.c
Non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus. 21.1.d.38.2.c
Neſcitis quia templum Dei eſtis: & ſpiritus Dei habitat in vobis, ſi quis autem templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus. 176.1.b
Ego plantaui, Apollo rigauit, ſed Deus incrementum dedit. itaque neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. 291.2.d.607.1.d.617.2.b
Si linguis hominum loquar & Angelorum. 346.1.b
Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, &c. caritatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. 256.1.c
4. Spectaculum facti ſumus Deo, Angelis, & hominibus. 458.2.d
Colaphis cædimur, maledicimur, & benedicimus. 486.1.e
Nolite ante tempus iudicare, quouſque veniat Dominus qui illuminabit abſcondita tenebrarum, &c. 521.2.d
Quod momentaneum eſt & leue tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 532.2.a
Ego cognoſcam non ſermonem eorum qui inflati ſunt, ſed virtutem, &c. 559.2.c
Nunquid vultis in virga veniam ad vos? 638.1.c.
5. Modicum fermentum totam maſſam corrumpit. 711.1.d
Ego abſens corpore, præſens autem ſpiritu, iam iudicaui, vt præſens in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, congregatis vobis, tradere huiuſmodi ſatanæ. 759.2.b
6. Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro. 184.1.a
7. Præterit figura huius mundi. 109.1.b

Bonum est homini mulierem non tangere, propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum habeat. 162.2.e

Volo omnes esse sicut me ipsum. 319.1.a

Dico autem non nuptis, & viduis. Bonum est illis si sic permaneant sicut & ego. ibidem

De virginibus præceptum non habeo. ibidem.d

Iis qui matrimonio iuncti sunt præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, &c. 480. 2. d

8. Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, &c. 750. 2. b

9. Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos carnalia nostra metamus? c. 292. 1. b

Quis militat suis stipendiis vnquam? quis plantat vineam & de fructu eius non edit? quis pascit gregem, & de lacte eius non manducat? c. 466. 2. b

Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt: & qui altari deseruiunt cum altari participant. 292. 1. c

Ita & Dominus ordinauit iis, qui Euangelium enuntiant, de Euangelio viuere. d.637.2.c

Quæ est merces mea? vt Euangelium prædicans sine sumptu ponam Euangelium. 292. 1. d

Non vsi sumus hac potestate, sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Christi. ibidem

Bonum est mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet. ibidem

Nonne habemus potestatem mulierem sororem circunducendi, sicut & cæteri Apostoli. 318. 1. c. 638. 2. a

Sic currite vt comprehendatis. 334. 1. c

Non alligabis os boui trituranti. 417. 2. c. 466. 2. c

Debet in spe qui arat, arare, &c. 606. 1. b

Nunquid de bobus cura est Deo? 468. 2. a

Qui parcè seminat, parcè & metet. 664. 2. e

10. Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis. 99. 2. d

Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus, &c. 718. 1. d

Bibebant de spiritali, consequente eos petra, petra autem erat Christus. 113. 2. d. 424. 1. a

Per omnia omnibus placeo? non quærens quod mihi vtile est sed quod multis, vt salui fiant. 175. 1. a

Vnus panis, & vnum corpus multi sumus omnes, qui de vno pane & de vno calice participamus. 452. 2. b. 683. 2. d

Vnus panis multi sumus. 592. 2. a

11. Si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur. 35. 2. e

Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini; ideò inter vos, &c. 210. 1. e. 375. 2. e

Oportet hæreses esse, vt qui probati sunt manifesti fiant in vobis. 753. 2. e

12. Alij quidem datur per spiritum sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alij fides in eodem spiritu, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, &c. 265. 2. d. 581. 1. c. 746. 1. e

Si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra, &c. 767. 1. a

13. Videmus nunc per speculum in ænigmate. 115. 1. e

Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, &c. 746. 1. b

Charitas nunquam excidit. 386. 2. b

Etsi tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. 455. 1. d

Caritas non cogitat malum. 521. 2. e

15. Si corrumpunt bonos mores colloquia praua. 105. 2. e

Vt quid & nos periclitamur omni hora? Quotidie morior, &c. 727. 1. c

Omnia subiecit sub pedibus eius. Cùm autem dicat omnia subiecta sunt ei, sine dubio præter eum qui subiecit ei omnia. 127. 2. e

In momento, in ictu oculi mortui resurgent. 374. 2. c

Visus est post hæc illis vndecim, deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul; deinde visus est Iacobo, deinde Apostolis omnibus. 419. 2. a

Quotidie morior per vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo. 481. 2. b

Gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit. 547. 2. a

Seminatur corpus in ignobilitate, surget in gloria. 548. 2. e

Auferte malum ex vobis ipsis. 615. 2. b

EX EPISTOLA II. AD CORINT.

Cap. 1. Prædicamus Christum, & hunc crucifixum. 334. 2. b

Testem Deum inuoco in animam meam. 581. 2. b

2. Sufficit illi, qui eiusmodi est obiurgatio, quæ sit à pluribus, &c. 759. 2. b

Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi, &c. 94. 2. c. 95. 1. b

Christi bonus odor sumus. 209. 2. c

Ecce nunc tempus acceptabile, &c. 630. 1. c

3. Epistola estis Christi ministrata à nobis. 600. 1. a

Nos omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur, &c. 738. 1. a

4. Quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum, in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 456. 1. a

Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, 727. 1. c

Licet is qui foris est noster homo corrumpatur, qui intus est renouatur, &c. 135. 1. e. 693. 2. b

5. Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso. 133. 1. d

Pro Christo legatione fungimur. 419. 1. a. 478. 1. b. 645. 1. b

Deus nos reconciliauit sibi per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis. 450. 2. b

Deus posuit in nobis Verbum reconciliationis. ibidem

Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi. 448. 1. e

Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. 478. 1. b

6. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. 377.2.d.630.1.c

Os nostrum patet ad vos, Corinthij, cor nostrum dilatatum est, non angustiamini in nobis, angustiamini autem in visceribus vestris, &c. 491. 1.d

Quæ participatio lucis ad tenebras? quæ conuentio Christi ad Belial? 516.1.e

7. Gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam: contristati enim estis secundùm Deum. 450.2.d

8. Siue Apostoli Ecclesiarum in gloria Dei. 419.1.e

9. Qui parcè seminat, parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. 534.1.a

Non ex tristitia, aut necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus, &c. 357.1.a. 708.1.d. 728.2.e

10. Neque enim qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. 404.1.a. 561.1.e

11. Eiusmodi pseudo Apostoli sunt, operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi, & non mirum: ipse enim satanas transfigurat se in Angelum lucis, &c. 104.2.a. 525. 1.c

Despondi vos vni viro, virginem castam exhibere Christo. 158.1.e

Quis infirmatur & ego non infirmor? &c. 465. 2.d. 767.1.a

In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. 490.2.a

12. Cum infirmor, tunc potens sum. 86. 2.a

Virtus in infirmitate perficitur. 97.2.c. 640. 2.b

Non quæro quæ vestra sunt, sed vos. 175.1.a. 310.1.d

Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. 403.2.c

Ego libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris. 465.2.e

15. Non ex tristitia, aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus. 357.1.a

EX EPIST. AD GALATAS.

Cap. 1. Continuò non acquieui carni, & sanguini. 717.1.c

2. Cùm cognouissent gratiam quę data est mihi, Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse. 420.2.a

Viuo iam non ego, viuit verò in me Christus. 684.1.a. 731.1.a

3. Christus nos redemit de maledicto legis. 13.1.b. 248.1.d

Lex propter transgressiones posita est, donec veniret semen. 13.1.b

Si autem vos Christi, ergo Abrahæ semen estis. 20.1.a

Maledictus omnis qui pendet in ligno. 248. 1.d

4. Vbi venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum, &c. 9.2.b. 148.1.e. 305.1.c. 459. 2.a

Scitis quia per infirmitatem carnis euangelizaui vobis iam pridem, &c. 95.2.e

Testimonium vobis perhibeo, quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis. 645.1.b

Non me respuistis, sed sicut Angelum Dei excepistis. ibid.

Factus est sub lege. 749.2.e

5. Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, &c. 254.2.e. 692.2.c. 729.2.a. 370. 1.c

Omnis lex in vno sermone impletur, Diliges proximum tuum, &c. 520.2.d

6. Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi. 245.1.c. 252.1.b. 494.2.b. 731.2.a

Ego stigmata Domini nostri Iesu Christi in corpore meo porto. 245.1.e. 455.2.c

Si quis existimat se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit. 126.1.e

Etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, &c. 762.2.c

EX EPIST. AD EPHESIOS.

Cap. 1. Non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciẽs in orationibus meis, vt Deus det vobis spiritum sapientiæ, & reuelationis, in agnitione eius. Illuminatos oculos cordis vestri, &c. 112.2.c.

Gratificauit nos Deus in dilecto Filio suo. 113. 1.c

Benedixit nos in omni benedictione spiritali in cælestibus, in Christo. d

Vt Deus det vobis illuminatos oculos cordis vestri. 432.1.a

2. Ipse est pax nostra: Qui fecit vtraque vnum. 178.1.a. 183.2.e. 287.2.c

Superædificati supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, &c. 718.1.e

Qui dives est in misericordia, &c. 767. 1.b

Deus qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo. 255. 1.c

Veniens euangelizauit pacem vobis, qui longè fuistis, & pacem iis, qui propè. 448.1.b

Gratia estis saluati per fidem, &c. 625. 1.a

3. Vt possitis comprehendere quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum. 112. 1.d

Mihi data est gratia hæc, in gentibus euangelizare inuestigabiles, (*id est*, non vestigabiles) diuitias Christi, &c. 2.a

Vt impleamini in omnem plenitudinem Dei. d

Quæ sit latitudo, & altitudo, & profundum. 253.2.a.d

Vt innotescat nunc principatibus, & potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei. 326.1.a. 327.1.b

Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi: & illuminare omnes, quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à sæculis in Deo, qui creauit omnia. 326.1.d

Christum habitare per fidem in cordibus vestris: in charitate radicati & fundati. 446. 2.a

4. Ipſe dedit quoſdam Apoſtolos : quoſdam Prophetas ; alios autem Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores, ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti. 178.1.c.462.2.a.e

Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram, nolite locum dare diabolo. 438.2.d

Vt iam nō ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, &c. 449.2.d

Solliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. 452.1.b

Vnum corpus, & vnus ſpiritus: ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ. Vnus Dominus, vna fides, &c. ibid.

Dedit paſtores, & Doctores ad ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionem filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. 462.2.e

Obſecro vos, vt dignè ambuletis in vocatione, qua vocati eſtis, cum omni humilitate, & manſuetudine, &c. 543.2.d

Ego vinctus in Domino. 558.2.c

5. Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria. 87.2.d

Chriſtus tradidit ſemetipſum. Vt exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, &c. 57.2.d

Membra ſumus corporis Chriſti de carne eius, & de oſſibus eius: propter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, &c. 157.2.e

Viri, diligite vxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. 158.1.e

Mulieres viri ſubditæ ſint, ſicut Domino: quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ. Sicut Eccleſia ſubiecta eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis. ibid.

Eratis aliquando tenebræ. 242.1.d

Gratias agentes ſemper pro omnibus. 663.2.c

Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus mundi poteſtates, contra ſpiritualia nequitiæ. 86.1.e. 100.1.d. 502.2.e. 564.1.a

Filij obedite patribus veſtris in Domino, &c. 692.2.e

EX EPIST. AD PHILIPPENSES.

Cap. 1. Teſtis mihi eſt Deus, quomodo cupiam vos in viſceribus Chriſti. 481.1.b

Paulus, & Timotheus ſeruus Ieſu Chriſti. 516.2.d

2. Omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Ieſu Chriſti. 175.1.a

Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, &c. 250.1.c

In nomine IESV omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. ibid.e. 254.1.d. 385.1.e

Neceſſarium exiſtimaui Epaphroditum veſtrum Apoſtolum mittere ad vos. 418.2.a.419.1.e

Implete gaudium meum, vt idem ſapiatis, eandem charitatem habētes, vnanimes id ipſum ſentientes, &c. 449.2.c

Non quæ ſua ſunt, ſinguli conſiderantes, ſed ea quæ aliorum. 451.2.e

Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu. 452.1.a

Exinaniuit ſemetipſum, &c. propter quod & Deus exaltauit illum. 413.2.a.665.2.a

3. Quorum Deus venter eſt. 87.1.a

Quæ retrò oblitus, in ea quæ ſunt priora me extendens. 107.2.b. 334.1.c. 444.1.c

Saluatorem expectamus, qui reformauit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ. 135.1.a. 563.1.b. 739.1.a

Eadem vobis ſcribere, mihi quidem non pigrum, vobis autem neceſſarium. 141.1.d

Conuerſatio noſtra in cælis eſt. 458.2.b

Omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, &c. 624.1.b

Obſeruate eos, qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram. 467.1.e

4. Rogo te Germane compar, adiuua illas quæ mecum laborauerunt in Euangelio. 319.1.c

Quorum nomina ſunt in libro vitæ. 346.1.a

Pax Dei quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat intelligentias veſtras. 449.2.e

Quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, &c. hæc cogitate. 560.1.c

EX EPIST. AD COLOSSENSES.

Cap. 1. In quo inhabitat plenitudo diuinitatis corporaliter. 112.1.b

Pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt. 432.2.d. 448.2.a.c

Vos cùm eſſetis aliquando alienati, & inimici ſenſu, id eſt, mente, in operibus malis, nunc autem reconciliauit in corpore carnis eius per mortem. 448.1.e

In ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipſum. ibidem.

Nunc gaudeo in tribulationibus pro vobis. 455.2.a

2. In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei abſconditi. 183.2.c. 243.2.d

Delens quòd aduerſus nos erat chirographum, & affigens illud Cruci, traduxit principatus, & poteſtates triumphans in ſemetipſo. 249.1.e

3. Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram. 411.2.b

Pax Chriſti exultet in cordibus veſtris. 448.2.c. 452.1.c

Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo, &c. 609.2.c.731.2.c

Expoliantes veterem hominem cum actibus ſuis. 411.2.b. 641.1.d

EX EPIST. I. AD THESSALON.

2. Neque aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis, neq; in occaſione auaritiæ, Deus teſtis eſt, neque quærentes ab hominibus gloriam. 464.2.d

Cùm

Cùm accepiſſetis à nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud non vt verbum hominum. 645. 1. c

Sicut probati ſumus à Deo, vt crederetur nobis Euangelium. 636.1.c

Loquimur non quaſi hominibus placentes, ſed Deo, qui probat corda noſtra. e

EX EPIST. AD TIMOTH. I.

Cap. 1. Circa fidem naufragauerunt. 528. 2. c

2. Vult omnes homines ſaluos fieri. 283. 2. b

3. Vt ſcias quomodo oporteat te in domo Dei conuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei viui, columna & firmamentum veritatis. 195.2.d

Magnum eſt pietatis Sacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, & iuſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus. 326. 1. e

4. Cauteriatam habentes conſcientiam. 507. 1. c

Exemplum eſto fidelium in verbo, & conuerſatione. 560.1.d

5. Quædam conuerſæ ſunt retro poſt ſatanam. 680.2.b

Seniorem ne increpaueris, ſed obſecra vt patrem, iuuenes vt fratres, *&c.* 762.2.c

Viduas honora, quæ verè viduæ ſunt. 688. 1. a

6. Diuitibus huius ſæculi præcipe, non ſublimè ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo, qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendum. 508.1.b

Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum. 437.1.c.609.1.b

Theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant vitam æternam. 508. 1. d

Radix omnium malorum cupiditas. 609.1.d. 622.2.d

Deus præſtat nobis omnia abundè ad fruendum. 664.1.b

EX EPIST. II. AD TIMOTH.

Cap. 2. Qui certat in agone non coronatur, niſi legitimè certauerit. 97.2.a

In Euangelio prædicando laboro, vſque ad vincula, ſed verbum Dei non eſt alligatum. 142. 1. c. 559. 1. b

Nouit enim Dominus, qui ſunt eius. 242. 1. b

3. Ab infantia ſacras litteras noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem. 402.2.d.721.2.d

Omnes, qui piè volunt viuere in Chriſto, perſecutionem patientur. 454.1.a

4. Opportunè, importunè, argue, obſecra, increpa. 142.1.c.646.1.b

Curſum conſummaui. 645.2.e

EX EPISTOLA AD TITVM.

Cap. 1. Vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, *&c.* 721.2.d

2. Argue cum omni imperio. 314.1.c

Apparuit gratia Saluatoris noſtri, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria, ſobrie viuamus in hoc ſæculo. 499.2.b. 727.1.a. 730.1.d

3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus ſancti. 246. 1. b

EX EPISTOLA AD HEBRÆOS.

Cap. 1. Multifariam multiſq; modis olim Deus loquens patribus, nouiſſime, *&c.* locutus eſt nobis in Filio. 184.2.c

Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi, *&c.* 327.1.c

2. Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ, *&c.* 125.2.c

3. Quamdiu dicitur hodie. 501.1.d

4. Non habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum per omnia, *&c.* 62. 2. e. 77. 1. e. 82. 2. c. 183. 2. d. 338. 2. c. 465. 2. d

Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt miſericordiam conſequamur, *&c.* 288. 1. c. 338. 2. c

Relinquitur Sabbatiſmus populo Dei. 410. 1. c. 514. 1. b. 737. 2. b

Qui enim ingreſſus eſt in requiem eius, etiam ipſe requieuit, *&c.* 410. 1. d

Viuus eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio, *&c.* 521. 2. c

5. Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron: ſic & Chriſtus non ſemetipſum clarificauit, *&c.* 262. 2. b

Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, *&c.* 465. 2. d

Qui condolere poſſit iis qui ignorant, & errant. ibidem.

6. Omnis controuerſiæ hominum finis ad confirmationem, eſt iuramentum. 481. 2. b

Homines per maiorem ſui iurant. 482. 1. a

7. Talis decebat vt nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, *&c.* 133. 1. c

9. Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata. 136. 1. e

Chriſtus per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta æterna redemptione inuenta. 2. a. 182. 2. c. 187. 1. b

Munera & hoſtiæ offeruntur quæ non poſſunt iuxta conſcientiam perfectum facere ſeruientem, *&c.* 164. 1. b

In qua vrna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti erant. 183. 2. a

In priori tabernaculo ſemper introibant Sacerdotes ſacrificiorum officia conſummantes. In ſecundo autem ſemel in anno ſolus Pontifex non ſine ſanguine, *&c.* 186. 2. c. 187. 1. b. 194. 1. d

Hoc ſignificante Spiritu ſancto, nondum propalatam eſſe ſanctorum vitam, *&c.* 187. 1. b

Chriſtus aſſiſtēs Pontifex futurorum bonorum per amplius & perfectius tabernaculum. 136. 2. a. 187. 1. b

Poſt

Post velamentum secundum tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum. 188.2.a. 193.2.d

Habens thuribulum aureum, & arcam testamenti. 188.2.e

10. Impossibile est sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata. Ideò ingressus in mundum dicit, hostiam & oblationem noluisti, &c. 136.1.a

Omnis sacerdos præsto est quotidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias, &c. hic autem vnam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet in dextera Dei. ibid.

Christus vna oblatione consummauit in æternum sanctificatos. ibid.

Sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel. 2.a

Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, &c. 447.2.e

Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, &c. 456.1.e

11. Negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi, &c. 2.a

Moyses elegit affligi cum populo Dei, aspiciebat enim in remunerationem. 737.1.a

12. In disciplina perseuerate. 706.1.e

Propter vnam escam vendidit primitiua sua. 86.1.a

Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini, &c. 136.1.d. 376.1.c

Rectos gressus facite pedibus vestris. 226.2.d

Remissas manus, & dissoluta genua erigite: vt non claudicans quis erret, &c. 227.1.a

Proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta. 245.1.d

Nondum vsque ad sanguinem restitistis. 376.1.c

Pacem sectamini & sanctimoniam, &c. 431.1.b

13. Sint mores sine auaritia contenti præsentibus, &c. 104.1.d

Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci, optimum est enim gratia stabilire cor. 449.2.d

Pacem sequimini cum omnibus. 452.1.a

EX EPISTOLA IACOBI.

Cap. 1. Nemo cùm tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur, Deus enim intentator malorum est, &c. 68.2.e

Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, &c. 92.2.a

Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus: deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum, &c. 102.2.b

Ira viri iustitiam Dei non operatur. 474.2.d

Omne gaudium existimate cùm in varias tentationes incideritis. 503.1.a

Voluntariè genuit nos verbo veritatis. 606.2.d. 607.2.d

Si quis est auditor verbi, & non factor, comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo, &c. 608.2.b

In mansuetudine suscipite insitum verbum. 609.1.c

2. Fides sine operibus mortua est in semetipsa. 399.1.b

Iudicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam, &c. 445.1.a. 767.1.e

Tu fidem habes, & ego opera habeo, ostende mihi fidem tuam sine operibus, &c. 560.1.a

3. Quæ de sursum est sapientia, primum quidem pudica est, &c. 449.2.e

Nolite plures magistri fieri, fratres mei: scientes, &c. 518.2.a

Obsecro vos, tanquam aduenas, & peregrinos, &c. 730.1.c

4. Resistite diabolo, & fugiet à vobis. 80.1.e

Vnde bella & lites in vobis? nónne hinc? ex concupiscentiis vestris, &c. 729.2.d

5. Ante omnia, fratres mei, nolite iurare, neque per cælum, &c. 482.2.a. 483.2.a

Sit sermo vester, Est, est; Non, non; vt non sub iudicio decidatis. 483.2.a

Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, &c. 610.1.c

Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, &c. 645.2.b

Sufferentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis. 706.2.b

Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quę fraudata est à vobis, clamat, &c. 707.1.b

EX EPISTOLA I. PETRI.

Cap. 1. Non corruptibilibus, auro vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine, &c. 129.2.a

Hæc est gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias patiens iniustè. 455.1.e

2. Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum. 130.2.c

Cùm malediceretur non maledicebat, cùm pateretur non comminabatur. 133.2.a

Sicut modò geniti infantes rationabile sine dolo lac concupiscite. 160.1.c

Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini, &c. 434.1.c. 455.2.b. 730.1.e

In hoc vocati estis. 455.1.b

Vobis credentibus honor; non credentibus lapis offensionis, &c. 552.2.b

3. Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circundatio auri; aut indumenti vestimentorum cultus, &c. 447.2.e

Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, &c. 449.2.b

4. Christo in carne passo, & vos eadem cogitatione armamini, &c. 730.1.e

Tempus est, vt incipiat iudicium à domo Dei. 173.2.c

Nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis fit, &c. 454.1.b

Nemo vestrum patiatur, vt homicida, aut vt fur, &c. Si autem vt Christianus, non erubescat. 455.1.e. 731.2.b

Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis, &c. 455.1.e

Communicantes Christi passionibus, gaudete. 455.2.a

Vt in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. 456.1.a
Vnuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes. 663.1.d
5. Neque dominantes in cleris. 58.2.e
Aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens, &c. 80.1.a. 94.1.d. 101.1.e
Cui reſiſtite fortes in fide. 485.1.e
Omnem ſolicitudinem proiicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis. 510.1.c

EX EPISTOLA II. PETRI.

Cap. 1. Hanc vocem nos audiuimus de cælo allatam, cùm eſſemus cum ipſo in monte ſancto. 49.1.c.2.d
Magis ſatagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis. 543.2.d
Non doctas fabulas ſecuti, notam fecimus vobis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem, & præſentiam, &c. 736.2.a
Speculatores facti magnitudinis Chriſti. 737.2.a
2. Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed carceribus caliginis inferi detrudens, tradidit, &c. 343.2.d
Contigit eis illud veri prouerbij, canis reuerſus ad vomitum ſuum, &c. 362.1.a
In auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur. 646.1.e
Cor exercitatum auaritia habentes maledictionis filij, &c. ibid.

EX EPISTOLA I. IOANNIS.

Cap. 2. Omne quod eſt in mundo concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, &c. 81.2.a
Nouiſſima hora eſt. 751.1.a
Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi. 130.2.d.136.2.b.184.2.d
3. Videbimus eum ſicuti eſt. 115.2.a
Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſe habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? 164.2.c
Filioli mei non diligamus verbo, nec lingua, ſed opere, &c. 445.2.b
Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. 471.1.d
Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur. 497.2.a
Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus accipiemus ab eo. 520.2.b
4. Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt, &c. 104.2.b.525.2.b
In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium ſuum vnigenitum miſit Deus in mundum, &c. 256.2.b
In hoc cognoſcitur ſpiritus Dei, qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt, &c. 525.2.b
Deus charitas eſt, & qui manet in charitate in Deo manet, &c. 677.1.c

EX EPISTOLA IVDÆ.

Arbores ſunt autumnales infructuoſæ, bis mortuæ & eradicatæ. 529.2.b

EX APOCALYPSI.

Cap. 1. Quaſi vox aquarum multarum. 179.2.b
Habeo claues mortis, & inferni. 720.1.e
De ore eius gladius vtraque parte acutus exibat. 363.2.c
Ecce venit in nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. 397.2.a
Ambulat in medio ſeptem candelabrorum aureorum. 468.1.b
Ego ſto ad oſtium & pulſo. 547.1.a
2. Eſto fidelis vſque ad mortem & dabo, &c. 642.1.e
3. Sto ad oſtium & pulſo, &c. 27.1.a
Qui habet clauē Dauid, qui aperit, & nemo claudit, &c. 720.1.e
4. De throno Dei procedebant fulgura, & voces & tonitrua & ſeptem lampades ardentes ante thronum, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei. 416.1.a
5. Habentes phialas aureas plenas odoramentorum quæ ſunt orationes Sanctorum. 189.2.e
6. Cadite ſuper nos & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira agni. 136.2.e
Exiuit alius equus ruffus, & qui ſedebat ſuper illum, datum eſt ei, vt ſumeret pacem de terra, & datus eſt gladius magnus. 453.1.d
Vidi, & ecce equus albus: & qui ſedebat ſuper illum habebat arcum, & data eſt ei corona, & exiuit vincens, vt vinceret. 454.2.c
Et ecce equus pallidus, & qui ſedebat ſuper eum, nomen illi mors, & infernus ſequebatur eum. 455.1.b
7. Et palmæ in manibus eorum. 183.1.a
Vidi turbam magnam ex omnibus gentibus ſtantes ante thronum, amicti ſtolis albis, &c. 734.1.a
8. Aſcendit fumus incenſorum de orationibus ſanctorum de manu Angeli coram Deo. 189.2.e
10. Vidi Angelum deſcendentem de cælo, habentem clauem abyſſi, &c. 594.1.c
12. Væ terræ, & mari, quia deſcendit ad vos diabolus, habens iram magnam, &c. 758.2.a
Michael & Angeli eius præliabantur cum dracone. 502.2.c.758.1.c
Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, &c. 563.1.d
14. Beati mortui qui in Domino moriuntur, vt requieſcant à laboribus ſuis, opera enim illorum ſequuntur illos. 375.1.a. 410.1.d. & 2.a. 671.1.c. 739.1.b
17. Vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam, plenam nominibus blaſphemiæ, &c. 723.2.a
Vidi mulierem ebriam de ſanguine ſanctorum, &c. ibid.b
Aquæ multæ populi multi ſunt. 387.1.e
Aquæ quas vidiſti populi ſunt, & gentes & linguæ. 457.1.d
Mulier erat circumdata purpura & coccino & inaurata auro, &c. 563.1.d.575.2.b
Veni oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ, &c. 575.2.b

18. Quantùm glorificauit ſe, & in deliciis fuit, tantùm date illi tormentum. 19.1.d. 385. 2. c

19. Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt. 543.2.e

20. Dedit mare mortuos ſuos, qui in eo erant, & mors & infernus dederunt mortuos ſuos. 398.2.b

21. Vidi ciuitatem ſanctam deſcendentem de cælo. 143.2.b

Murus ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis nomina duodecim Apoſtolorum Agni, &c. 718.1.e

Non intrabit in eam aliquod coinquinatum. 720.2.a. 739.2.a

Ciuitas in quadro poſita eſt. 182.2.d

Duodecim portæ duodecim margaritæ ſunt per ſingulas, & ſingulæ portæ erant ex ſingulis margaritis. 433.2.c

Abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum. 443.1.d.739.2.a

22. Qui audit dicat, Veni, & qui ſitit, veniat, & qui vult accipiat aquam vitæ gratis. 283. 1. d

Qui iuſtus eſt iuſtificetur adhuc, & ſanctus ſanctificetur adhuc. 444.1.c

Finis Indicis locorum omnium Sacræ Scripturæ.

INDEX

INDEX RERVM.

Prior numerus paginam ; alter verò columnam indicat.

Aaron.

AARON Mosis frater à Deo creatus Pontifex primus populi Israel, *pag.* 208. *col.* 2. b. Duos habuit filios, ex quibus duæ familiæ sacerdotum, 229. 1. c. Ab Aarone omnes sacerdotes orti sunt, ibidem.

Abila.

Abila & Abilina, 5. 1. b. c.

Abnegatio.

De Abnegatione, 727. 2. a. b. 729. 1. a. b. Abnegatio est Martyrium, ibid. *Vide* Mortificatio.

Absconditus.

Absconditus sub carbonarij vita, 424. 1. c. Abscondita est vita Sanctorum sicut radix arboris, 97. 2. e. Absconditi iusti, 469. 2. e. Absconditus venit Christus, 132. 1. c. Abscondit Deus Sanctos vt thesaurum, 424. 2. c.

Abstinentia.

Abstinentia panis ordeaceus subuertens castra Madian. 87. 1. d. Abstinentia reddit animum aptum doctrinæ, 89. 1. a. *vide* Ieiunium.

Abyssus.

Abyssus appellatur infernus, 348. 2. a.

Adam.

Adamus fons peccati & mortis, ab eo hæc accepimus, 111. 2. c. Adam cognouit futuram Dei incarnationem, 326. 2. d. Adam primus Propheta, ibid. Adami reuelatio, ibid. Adami & Euæ coniugium, 156. 1. b. Adam si confessus fuisset peccatum suum, forsitan statum recuperasset, 30. 2. d.

Adamas.

Adamas quomodo probetur, 93. 1. c.

Adulator.

De Adulatore, 166. 2. d. 333. 2. a. Verba sapientum non adulantur, sed stimuli sunt, 65. 1. a. Laudes & adulationes periculosæ, 665. 2. a. Adulatio est venenum, 761. 2. c.

Adultera.

Adultera generatio quæ, 710. 2. a.

Admiratio.

Quomodo Christus sit admiratus fidem Centurionis, 541. 1. e. Admiramur rara: assiduitas tollit admirationem, 154. 1. a. b. Admiratur alia homo non se, cùm sit magnum miraculum, 155. 1. d.

Adolescens.

In adolescentibus maior est concupiscentiæ tempestas, 547. 2. e. In adolescentibus ratio est infirmior, & consilium, ibid. Adolescentes sustinent acriora corporis bella, ibidem. De adolescentibus habenda cura diligens, ibid. Adolescentis illius anima vidua est, qui non considerat futura, 548. 1. a.

Adoratio.

Quid sit adorare in spiritu & veritate, 281. 1. d. e. Adoratio duplex, interna & externa, 2. d. Adoratores veri sunt Christiani, 291. 1. d.

Aduersitas.

Per aduersa & prospera ducimur, 712. 1. a. Aduersitate trahuntur homines, 297. 2. d. Res aduersæ donum sunt Dei, 298. 1. a. b. Aduersitas probat amicos, 338. 1. e. Aduersitas ad Deum ducit, 373. 1. d. 700. 1. b. Aduersitatis commoda, 107. 1. e. In rebus aduersis animosè agendum, 669. 1. a. b.

Aduentus Christi.

Ante aduentum ex voce cognitus erat Christus, 125. 2. b. Venit Christus transiliens montes & colles, id est, Angelos, hominum assumens naturam, e. d. Post parietem quomodo stetit Christus, e. Christi aduentum præcessit longa Patriarcharum & Prophetarum pompa, 126. 1. b. Aduentu suo Christus indubitata diuinitatis signa attulit, 52. 2. a. Aduentus Christi tranquillus & mitis, 133. 2. d. Aduentus Christi vt pluuia in vellus, ibid. c. In primo aduentu Christus reformauit animum, in secundo reformabit corpus, 135. 1. a. Aduentus primus, vt agni, non vt leonis, 137. 2. d. Cur venit Christus priùs ad seruandos homines, quàm ad iudicandos, 241. 1. c. d. Si Christus priùs veniisset ad iudicandum omnes periissent, ibid. d. Non venit Christus vt in terra regnaret instar terrenorum regum, e. Primus aduentus fuit amoris, secundus erit iustitiæ, 256. 2. d. Christus non venisset, si homo non periisset, 361. 2. d. Venit Christus, vt leprosum hominem sanaret, 537. 1. e. Post aduentum turbæ multæ secutæ sunt Christum, 2. a. Aduentus Christi, 125. 2. a. Venit Christus absconditus, oportuit manifestari, 132. 1. c. Aduentus Christi ab initio humani generis est annuntiatus, 327. 1. b. Aduentus primi alia sunt signa, alia secundi, 710. 1. b.

Ægyptus.

In Ægypto nemo aratorum aspicit cælum, 387. 1. b. Ægyptum Deus donauit Nabuchodonosor pro expugnata Tyro, 707. 1. a.

Ænnon.

De loco Ænnon iuxta Salim, in quo Ioannes baptizabat, 260. 2. b. c. d.

Æternitas.

Æterna sunt ante nos, temporalia post nos, 334. 1. d. Æterna quærenda, temporalia deserenda, ibidem. Æterna meditanda, 2. c. Æterna sint in intentione, temporalia in vsu, 515. 1. d. Æterna iusti priùs quærunt, ibid. a. 2. a. Æterna bona magna sunt: temporalia sunt adiectitia, 2. d. Æternitatis periculum, 37. 1. c.

Ætas.

Ætas Christi, 3. 1. b. 41. 1. c. 52. 1. c. Quoto anno ætatis sit baptizatus, 40. 1. b. Ætas triginta annorum perfecta, 26. 2. a. Ætas concionatoris, & perfectio, ibid. b.

Agnus.

Agnus Dei cur dicatur Christus, 129. 2. b. Agnus fortior leone, 130. 2. c. Agnus grauissimum peccatorum pondus tulit, ibid. d. Agnus Dei tollit peccata semper, & totius mundi, ibid. Agnus Dei Christus super pectus aduersus omnia mala antidotum, 132. 2. e. Agnus Dei absque macula, masculus, anniculus, 133. 1. b. Agni Dei mansuetudo, e. 2. a. Agnus Dei mansuetudine vicit leonem, non fuit tristis aut turbulentus, ibid. d. e. Agnus vult nos esse Agnos, e. 134. 1. a. Agnus Dei immolatus peccata sustulit, 135. 2. b. c. Agnus Paschalis Christi typus, d. e. Agni ira, 136. 2. c. Agnus comedendus assus igne caritatis, 255. 2. c. d.

Alabastrum.

De alabastro, 565. 2. b.

Alexander.

Alexander fleuit, cùm audisset mundos esse infinitos, 299. 1. d. Alexandro vnus orbis non erat satis, ibidem. Alexander pluribus indigebat, quàm Diogenes, 437. 2. d. Alexandri equus Bucephalus neminem præter Alexandrum admittebat, 438. 1. e. Alexander cupit Homerum reuiuiscere, vt ab eo laudetur, 467. 2. c. Alexander lacrymatus est, quod vnum orbem non possideret, 703. 2. c.

Altare thymiamatis.

De altari thymiamatis. 188. 1. d. e. An altare thymiamatis fuerit intra Sancta Sanctorum? 2. a. An fuerit in templo Salomonis, an idem, quod erat in tabernaculo? 189. 1. b. An fuerit in altari thymiamatis quadriga Cherubinorum. d. An fuerit confectum ex lapide? 2. a. Quid adumbret altare thymiamatis. ibid. b. In altari thymiamatis quotidie bis thymiama incendebatur. 193. 2. e. Manè ante omnia sacrificia thymiama offerebatur. ibid. d.

Altare holocaustorum.

De altari holocaustorum. 198. 2. c. An habuerit gradus? an fuerit ex terra, an ex lapidibus. ibid. d. e. Altare Iudæorum erat concauum, non solidum: Christianorum altare pleniſſimum. 199. 1. c. Altare ex impolitis lapidibus. ibid. d. Altaria sunt cacumina montium, id est Ecclesiarum. 683. 1. b.

Amarus.

Amara solent plus prodesse corporibus & animis. 88. 1. d.

Ambitio.

Ambitio vt dominetur prius seruit. 109. 1. c. *Vide* Honores.

Amen.

Amen, dictio Hebræa quid significet. 504. b. c. d.

Amicitia.

Amicitiam probat procella, 338. 1. c. Amicitia perpetua, 2. a. Amici ſocij menſæ, ibid. Amicus Deus ſuper omnes, 649. 1. c. Amici nos ſcandalizantes fugiendi, 754. 1. b. 557. 1. d. Amici qui nos in crimina ducunt ſunt inimici, 649. 1. a. Amici qui bonis operibus obſtant, ſunt fugiendi, 726. 2. b. c.

Amor.

Amoris funibus ducimur, 177. 1. a. Amoris Chriſti teſtimonia, 183. 2. e. Arca teſtimonij amoris Dei, eſt Chriſtus, ibid. De amore Dei erga homines, 240. 2. d. e. 255. 1. b. Chriſti vulnera feneſtræ amoris, 193. 1. a. Amor, ſiue charitas Dei, nimia, diues, vehemens, 255. 1. c. Amoris Dei donum infinitum, ibid. d. Agnus comedendus aſſus igne amoris, 2. c. d. Amor Dei maximè elucet in cruce, ibid. d. Amor Chriſti in Cruce robuſtiſſimus, 256. 1. c. Amauit nos Deus dulciter, fortiter, ſapienter, ibid. Amauit fœdos, vt faceret pulchros, 2. a. Amor Dei amabiles reddit homines, ibid. b. Amoris, miſſio Chriſti miſſio, ibid. c. Amorem ſuum Chriſtus in cruce exaltauit, ibidem d. Amor de Deo triumphat, ibid. e. Amor dulcis tyrannus, 257. 1. a. Liberalis, ibid. b. Amat Deus, vt redametur, ibid. c. Amor eſt cauſa donorum, 266. 2. b. Amat Pater Chriſtum ſecundùm naturam humanam, pluſquam totum mundum, ibid. c. d. Amor Dei eſt calor animæ ſupernaturalis, 298. 2. d. De amore fraterno, 300. 2. e. Amor Dei eſt pes animæ, 437. 1. d. Amor exhibendus verbis & operibus, 445. 2. a. Amor Chriſtianorum, 452. 1. a. b. Amor amicorum ſuſpectus negotiationis nomine, 491. 1. b. Amant amantes, etiam latrones & dracones, ibidem, a. Amor amicorum perſuadet, 649. 1. 2. b. De amore inimicorum, 489. *&c.* Amandus Deus ſuper omnia, 649. 1. c. Amor mundi cor inquinat, 508. 2. c. Amor purgandus & mutandus à mundo in Deum, 574. 2. c. Amoris impetus ignei, ibid. *Vide* Charitas. Amor nimius hominis, non bonus eſt iudex, 592. 2. b.

Angeli.

Angeli cur diſcalceati pingantur, 128. 2. d. De Angelorum cuſtodia, 143. 2. b. Deſcendit ad nos ciuitas cæleſtis Angelorum, ibid. Angeli Eccleſiæ tabernaculum portant, 177. 2. c. Angeli poſt victoriam victorem ſuſcipiunt, 110. 2. a. De auxilio Angelorum, 100. 2. d. Angelorum exercitus & dæmonum, 101. 1. a. Angeli qua in re miniſtrarunt Chriſto in deſerto, 87. 1. e. Angeli ſemper cum Chriſto erant, ibid. Angeli an apparuerint in deſerto, in corporibus aſſumptis, 2. b. Angeli vnde adduxerint cibum ad Chriſtum, ibid. c. Angelis quomodo innotuerit ſapientia Dei per Eccleſiam, 327. 1. a. Angeli an præſciuerint Incarnationem Verbi, 326. 1. b. c. Angeli an habeant nomina propria? 345. 2. a. Angeli pacis qui, 450. 2. d. 755. 1. c. Angeli intuentur Deum etiam cùm in terra verſantur, 758. 2. d. Angeli liberant nos à ſcandalis mundi, 758. 1. c. Sunt Angeli Dei, Angeli Michaelis, Angeli hominum, Angeli draconis, ibid. Angeli gratiam in creatione acceperunt, ibid. d. Angelos ſuperbia ex cælo deturbauit, ibid. e. Angeli cuſtodiunt nos, ibid. b. c. Cur nos libenter cuſtodiant, cauſæ tres, ibidem.

Anima.

Animas lucrantium lucrum maximum, 762. 2. a. Animam reformauit Chriſtus in primo aduentu: in ſecundo reformabit corpus, 135. 1. a. Animæ prima ſit cura, ſecunda corporis, ibid. b. De cura animæ, e. Animas lucrari Chriſto, 142. 2. a. 174. 1. e. 287. 1. a. 758. 2. e. 761. 1. c. d. Aurum magis quàm animas curant mali paſtores, 174. 2. b. Animarum pretium infinitum ſanguis Chriſti, ibid. e. Animas quærit Deus, non aurum à Sacerdote, ibid. d. Animas ſolas ſatanas quærit, 175. 1. b. Animarum ſalus cibus Chriſti, 283. 2. b. 291. 2. c. Animarum redemptio Dei opus, 283. 2. c. Animas ex peccato ſuſcitare prædicando, maius eſt quàm ſuſcitare corpora, 333. 2. c. Animam vendit homo dæmoni vili pretio, 291. 2. c. 731. 2. a. Animarum ſalus noſter ſit cibus, voluntas, & opus, 291. 2. d. Animarum negotia cibo ipſi præferenda, 298. 1. a. Animæ ſuccurrendum velociter, 298. 1. b. c. Animæ collata eleemoſyna præſtantior eſt, quàm collata corpori, 761. 1. a. Plus eſt mentem reficere, quàm ventrem, ibid. Tantò celerius quiſquam à peccatis abſoluitur, quantò per eius vitam & linguam, aliorum animæ à peccatis liberantur, 762. 2. c. Anima immortalis quomodo moriatur à Deo ſeparata, 332. 2. e. Anima mortua fœtet, & in corpore velut ſepulchro circumfertur, 333. 1. a. b. Animæ mortuæ ſepulchrum eſt corpus viuum, ibidem. Animas quidam in cælum ducunt, alij in orcum, 354. 1. a. b. Animæ priuſquam corpori medicina adhibenda, 355. 2. a. Animam habemus vnicam, ideo diligenter cuſtodienda, 374. 1. a. Anima mortua excitanda ſtatim, ibid. b. Anima eſt cibus Dei, 463. 2. c. Animæ pulchritudinem ſi quis videret, ſæpe pro illius ſalute mortem ferret, 466. 1. e. Animarum cura amorem erga Chriſtum maximè indicat, 470. 1. a. Omnia potius amittenda, quàm anima, 727. 2. c. Animæ nihil præferendum huius mundi, 731. 1 c. Nulla poteſt dari commutatio pro anima, ibid. Diabolus porrigit pomum, & ſurripit animam, ibidem 2. a. Anima mortua excitanda contritione, 547. 2. c. Anima conſideratione & meditatione carens vidua eſt, 548. 1. a. Anima ornanda non corpus, 565. 1. b. Cum anima ne totius quidem mundi pretium conferendum, 761. 1 a. Animæ cibus, à quo debet ieiunare, 91. 1. d. e. Anima & corpus duæ lances: ſi vna degrauatur, altera eleuatur, 88. 1. c. De errore trãſmigrationis animarum in alia corpora, 118. 1. b. 653. 1. c. 714. 2. b.

Annas.

Annas & Caiphas an ſimul fuerint Pontifices, 6. 2. c.

Anna.

Annæ vultus quomodo non ſint in diuerſa mutati, 443. 1. b.

Annus.

Anni primi Chriſti poſt baptiſmum finis, 144. 1. a. Annus ſecundus poſt baptiſmum, 300. 1. b. Annus primus poſt baptiſmum Chriſti, 167. 1. a. Annus ſecundus poſt baptiſmum, ibid. b. Quoto ætatis anno ſit Chriſtus baptizatus? 40. 1. b. An diuerſis annis ſed eodem die fuerit baptizatus, à Magis adoratus, & aquam in vinum conuerterit? 40. 41. Annus Domini receptus, 377. 2. c. 630. 1. b. Annus Iubilæi, 630. 1. d.

Antichriſtus.

Antichriſtum recipient Iudæi, 403. 2. c.

Apertus.

Apertum omnibus eſt Chriſti latus, 184. 1. a. Nihil opertum quod non reueletur, 643. 2. b. Aperire os quid ſignificet, 425. 1. e. Aperuit Chriſtus os quaſi theſaurum, & fluuium paradiſi, 2. d. Vita magnatum aperta & expoſita oculis, 468. 2. b.

Appetitus.

Ex appetitu noſtro arma ſumit diabolus, veluti ex armamentario, 98. 2. c. Appetitus praui nidi ſunt, & foueæ dæmonum, 330. 1. c. Appetitus excitant in nobis tempeſtates, 339. 2. b. Appetitui imperandum, ibid. Appetitus circumcurandi, vt greges, 363. 1. e. Appetitus prauus abſque mora repellendus, 438. 2. c. Appetitui domandi vt feræ, 448. 2. e. Appetitum vincere maius eſt, quàm barbaros hoſtes, 449. 1. a. Appetitus bellum inteſtinum, ibid. b. Appetitus inuadit nos vt beſtia, 454. 1. d. Appetitus bellum, putatur pax, ibid. *Vide* Cupiditas. Appetitus bellum inteſtinum, non extinguitur hic omnino, 432. 1. b. Deus noluit animi appetitus omnino extirpare, 616. 1. a. Appetitus, ſiue affectus terram non tangant, cælo aperti ſint, 647. 1. e. Appetitus inimici domeſtici, 649. 1. c. Appetitus ſunt belluæ, brutis ſunt animantibus ſimiles, mortificandi, 730. 1. a. b.

Apoſtolus.

Apoſtolorum nomina. 419. 420. Apoſtoli cur dicantur ſal terræ. 456. 2. e. Apoſtoli ſaliebant corpora in æternitatem. 457. 1. e. Apoſtoli ſale doctrinæ mundum reſperſerunt. ibid. Apoſtoli in mundum vniuerſum miſſi. 458. 1. e. 466. 1. a. Apoſtoli lux & ſol mundi. 458. 1. & 2. Apoſtoli radij ſolis, id eſt, Chriſti. ibid. b. c. Apoſtolicum munus eſt publicum, vt ciuitas ſupra montem, & lucerna ſuper candelabrum. c. d. e. De miſſione Apoſtolorum. 634. 2. a. b. Bini miſſi ſunt, & quinam ſocij fuerint. 635. 1. c. d. e. Præcepta ab Apoſtolis ſeruanda in miſſione. ead. 2. c. *&c.* An ſint ſeruata præcepta ab Apoſtolis in reliquis miſſionibus inter Ethnicos? 638 1. e. Apoſtoli miſſi ſunt vt oues in medio luporum, cur. 640. 1. e. Apoſtoli à Chriſto diuelli, eiuſque præſentia vel ad punctum temporis carere nolebant. De cognitione diuinitatis Chriſti quam habuerunt Apoſtoli. 668. 1. a. b. Apoſtoli diſputarunt de primatu. 752. 1. 2. An Apoſtoli commiſerint crimen graue ſuperbiæ in hac diſputatione? ibid. 2. e. Apoſtolorum exemplum. 459. 1. a. Apoſtolorum vita typus noſter. 467. 1. e. Apoſtoli fuerunt lux mundi, Ioannes Baptiſta fuit lucerna domus Iacob. 132. 1. e. 2. a. Apoſtoli extenderunt calceamentum Chriſti vſque in Idumæam, & portauerunt calceamenta Chriſti. 2. a. Apoſtolorum duplex vocatio. 307. 1. a. 312. 2. a. Apoſtolis opus fuit, qui fundamenta Eccleſiæ locarent. 308. 2. b. Apoſtolos vocauit Dominus non oratores, ſed piſcatores. ibid. d. Apoſtoli ſimiles nubibus. ibi. Apoſtolos pauperes elegit Chriſtus, non nobiles. 309. 1. a. Apoſtolos idiotas vocauit Dominus, vt confunderet mundum. b. Per piſcatorem Chriſtus lucratus eſt Imperatorem. ibid. In electione humilium Apoſtolorum, ſplendeſcit Dei potentia. ibid. c. d. Piſcatores Deus elegit, vt potentiæ Dei tribuerentur ea, quæ facerent. ibid. d. Apoſtolorum dona voluit Dominus in humilitate fundare. e. Per Apoſtolos piſcatores Chriſtus expiſcatus eſt orbem. 2. a. Apoſtoli gemmæ à Chriſto expolitæ. ibidem b. Duo fratrum paria

paria vocauit Chriſtus ad Apoſtolatum, vt caritatem & concordiam in gubernando inſinuaret, ibid.c. Apoſtoli Chriſtum ſunt ſecuti imitando,310.2.e. Apoſtoli pauca reliquerunt & multa,311.1.b. Apoſtoli priùs in propinquis, poſteà in remotis regionibus prædicauerunt, 312. 1.e. An Apoſtoli alij præter Petrum habuerint vxores? 318.1.e.2.a.b. Apoſtoli duodecim,ſigna Zodiaci duodecim, boues duodecim, columnæ duodecim,tintinnabula, gemmæ,417.2.d.e. Apoſtoli nomen quid ſignificet,418. 1.a.b. Apoſtoli non bello, ſed Dei virtute orbem viceruntt,418.1.e.2.d. Quod fuerit Apoſtolorum munus, ibidem e. Apoſtoli ſuperant alios Sanctos,419.1.a. Apoſtoli cur feminas circumducebant, & an fuerint illorum vxores, 318. 2.c. d. Apoſtolos cur Dominus numero duodenario elegerit, 417.2.a. Duodenarij numeri Apoſtolorum ſimilia, 417.2.d.e. 418. 1. a. Apoſtoli appellati ſunt alij præter duodecim Apoſtolos,419.1.b.c.

Aqua.

Aquam cur Iſraelitæ effuderunt in Maſphat,36.1.b. Vt aqua effundenda ſunt peccata, ibid.c. Aqua viua quæ dicatur,276.2.e. Aqua viua gratiam adumbrat,& Spiritum ſanctum, & doctrinam,277. 1. a. b. Aqua viua aqua Baptiſmi, 2. b. Aqua putei ſignificat voluntatem,& caduca bona,288.1.d. Aqua pecorum, bona mundi caduca,ibidem.e. Aqua Angelorum eſt gratia,2. a. Aqua Chriſti extinguit ſitim mundi,289. 1.b. Aqua mundi, aqua molendini, in circuitu trahit corda. Aqua Chriſti impellit in cælum,2.a. Aqua viua cur dicitur gratia,290. 1.a. De aqua mundi & aqua Chriſti,c.d.e. Aquæ ex templo egredientes,& mare mortuum ſanantes,ibid.b. Pro potu aquæ Lyſimachus ſe exercitumque tradidit hoſtibus,299.1.a.

Aquila.

Aquilæ cum ceruo pugna,108.2.e.

Arabia.

Arabia appellatur Saba, 587.2.d.

Aratrum.

Ad aratrum manum mittens,retro ne reſpiciat, 333.2.e. Ad aratrum manum quis dicatur mittere, 334.2.b.

Arbitrium.

Liberum arbitrium,615.1.c.d.617.1.a.b.680.2.d. Neminem cogit Deus,728.2.b. Voluntarios milites vult Dominus,ibid.c.d.

Arca.

De arca teſtamenti,183.1.c. An fuerit in arca vrna Manna, & virga Aaron? ibid.e. Arca totius gratiæ Chriſtus, ibid.2.b. Arca non habebat clauem, 184.1.a. Arca cur dicatur ſcabellum pedum Dei?185.1.c. Arca quid ſignificet allegoricè,185.2.d.e.187. Arcam humeris portabant Leuitæ,230.2.a. An Dominus percuſſerit Ozam,quòd Leuitæ non portarent humeris arcam ? ibid. c. Quomodo iuuerit Deus Leuitas, cùm portauerunt arcam in domum Dauid,231. 1. b. An Leuitæ ſenſerint pondus arcæ ? An arca ſubito trans Iordanem volarit ? ibid.

Architriclinus.

Architriclinus quis appelletur in conuiuio, 150.2.c.d.

Archelaus.

Loca quibus imperabant Archel. Herodes,& Philippus, 653.2.b.c. Archelao Herodis filio obuenit Iudæa.4.1.d. Archelaus miſſus eſt in exilium, ibid.e.

Aſcendo.

Quomodo Chriſtus exiſtens in terris,dicat ſe aſcendiſſe in cælum,239.2.e.

Aſſiduitas.

Aſſiduitas contemptum parit laborum, & periculorum, 98.1. a. Aſſiduitate viluerunt opera Dei mirabilia, 154. 1. b. Aſſiduitas aufert admirationem, ibid. c.d. *Vide* Conſuetudo.

Atrium.

De atrio ſacerdotum, 196. 1. e. In atrio Sacerdotum ſacrificia offerebantur,ibid 2.a. Atrium feminarum,197. 2.a. De atrio mundorum,1.c. An fuerit in templo primo,atrium immundorum? 2.b. Atria templi ſecundi,202. 1.d. Atria templi Herodis,204. 2.e. In atrium Sacerdotum lacis non licebat introire,206.2.b.

Auaritia.

Auaritia ſi in minimis non compeſcitur, ſine menſura dilatatur,227. 1.c. Auari diuites vulpes ſunt ; foueas & nidos in terra habent, 332. 1. c. Auaritia fugienda concionatori,647.1.e. Auarus piſcis pecuniam habens in ore, 750. 2. c. Auari manus aridæ erga pauperes, 415. 1. c. Auaritia cor durum reddit,2.a. Auari ſitis,444.2.a. Aurum ſitiſti, aurum bibe,2.b. Auaritia inexorabilis, 766. 2.d. *Vide* Diuitiæ.

Auditor.

Auditor concionum verba audita vertat in facta,38.2.c. Auditor,niſi Deus opem ferat,non conuertitur,607.1.d.e. Concionator rigat, incrementum dat Deus auditori, ibid. Quomodo audiendum ſit verbum Dei,2.d.e. Quibus auribus,qua attentione, ibid. Excipiendum corde,vt ſemen excipitur terra, ibid. Auditor obliuioſus,608.2.b. Auditor attentus,& verbi ruminator, ibid. c. Auditor deuotus, e. Auditoris boni cor bonum & optimum ad excipiendum verbum Dei, 609. 2. e. Bonus auditor quid faciat,610. 2.c. Bonus auditor quis, 617.2.c. Auditor accipit verbum Dei tanquam pecuniam, vt vſuras ſoluat operum,647.1. d. e. Auditorum capacitati concionatoris doctrina reſpondeat, 38. 2. d. Auditoris boni eſt libenter audire & facere,270. 1. d. Deſiderium audiendi verbum Dei,311.1.d. Auditoris auiditas excitat concionatorem, e. Auditor vinum verbi bibat auidè, & velociter operetur, 304. 2. e. Auditor bonus cum perdice confertur,363.2.d.e. Auditor verbum Dei in ſe non habens quis,402. 1.e. Auditor tunc proficit, cùm concionator auſteriora prædicat,464.2.d.

Audaces.

Audaces ad docendum, 53.1.e.

Auguſtus.

Auguſtus Cæſar imperauit annis 56. 3.1. b. Auguſtus fuit Imperator felix & infelix, ibid.e. Auguſto felicior, Traiano melior, acclamatum olim Imperatoribus, ibid. Auguſtus Romam accepit lateritiam, reliquit marmoream, ibid.

Auguſtinus.

Auguſtinus flebat ordinationis ſuæ tempore, propter periculum miniſterij,107.1.b. Auguſtinus elegit abiectus eſſe in domo Dei, Epiſcopatum fugiebat, in humili loco ſaluari volebat, ibid. Auguſtino dixit Dominus, Aſcende ſurſum, ibid.

Aures.

Aures audiendi quæ,603.2.e.608.1.a. Aures perforatæ,ſiue perfoſſæ, b.c.

Auxilium.

Auxilium Dei videtur aliquando tardare, 669.1.a.b.c. De auxilio Dei,97.1. b.c. Ad auxilium Dei confugiendum,ibid. Auxiliatur nobis Deus,100.1.e. Si Deus pro nobis,quis contra nos? ibid. Vndique ſunt bella, & vndique auxilia,2.c.d. De auxilio Angelorum,ibid.d. Auxilium fert Dominus ſuis,339.1.a.b. Auxilium à Deo poſtulandum quomodo, ibid. d. Auxilium carnis non portandum,647.2.a. Deus ſanctos ſuos iuuat,& tentat,& non derelinquit,669.1.c.d. Auxilium differt Dominus, 339. 1. c. Auxilium Dei quomodo impetrarit Ioſaphat, 2. a. Auxilium dat Deus etiam propter preces & merita aliorum,352. 1.a. Reſurgit peccator, Deo auxiliante, 765. 2.b.c. Auxilium Dei precibus implorandum, 423. 1. e. Neceſſarium eſt Dei auxilium & petendum,522.2.c. Deus etiam non rogatus auxiliatur,547.1.a. Deus auxiliis ſuis nos portat,veluti in humeris,ibid.b. Perditio ex nobis, auxilium ex Deo, ibid. c. Auxilium Dei celeriter accipiendum,ibid.d. De auxilio Dei,ibid.& 2.a.b.615.1.d.e. Nullum eſt peccatum,quod homo non poſſit facere,ſi deſit auxilium Dei,573.2.c.

B

Baptiſmus Ioannis.

Baptizare iuſſit Deus Ioannem,16.2.b. Cauſæ cur Ioannes baptizauit, ibid. c. Baptiſmus Ioannis longè diſtat à Baptiſmo Chriſti,13.2.a. Baptiſmus Ioannis erat Iſagogicus: non conferebat gratiam ex opere operato : non imprimebat characterem, c. d. Baptiſmus Ioannis non remittebat peccata, 14. 1. e. Baptiſmus Chriſti ſuperat omnia Baptiſmata,14.1.b. Baptiſmus Ioannis cur dictus ſit pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum, ibid. 2.a. Baptiſmus Ioannis an habuerit formam verborum ? 15. 1. a. An fuerit Sacramentum ? ibid. d. An datus ſit Ethnicis & infantibus? 2.a. Baptiſmus Chriſti fuit neceſſarius baptizatis Baptiſmo Ioannis, 15.1.e. An Ioannes fuerit à Chriſto baptizatus?42.2. d.e. Quibus locis baptizarit Ioannes,15.2.c. Ioannes non baptizabat per diſcipulos, 261. 1.c. Ioannes baptizauit vſque ad carcerem,ibid. d. Quæſtio diſcipulorum Ioannis de Baptiſmo,2.b.

Baptiſmus Chriſtianorum.

Baptiſmi Sacramentum an fuerit inſtitutum in Iordane? 51.1.b. Aquas ſanctificauit Chriſtus in Iordane, & materiam Baptiſmi deſignauit, ibid. Cur dicatur Chriſtus vim regenerantem dediſſe aquis?2.b. Chriſtus in ſuo Baptiſmo demonſtrauit noſtri Baptiſmi materiam, formam, & effectus,55. 1. e. Baptiſmi aquis extinguitur igneus gladius, 2. b. Baptizatis reſerantur myſteria cæleſtia, patet illis in cælum via,ibid.a. b. Baptiſmi typus mare æneum templi

Salom, 200. 1. e. Baptizati ex aqua ascendunt in virtutes, 55.2.c. 56. 2. d. Baptizatorum virtutes indicat columba, 57. 1.a. Baptizari igne quid sit, 23. 1.a. Baptismi character, ibid. d. Baptizati adoptantur à Deo, 56. 1. e. In baptizatos descendit Spiritus sanctus, ibid. Baptismus necessarius ad consequendum regnum cælorum, 235. 2. d. An Baptismus fuerit necessarius post illa verba: *Nisi quis renatus*, &c. ibidem e. Baptismi tria genera, aquæ, flaminis & sanguinis, 236. 1. e. De effectu Baptismi, ibid. In Baptismo mortem Domini & Resurrectionem imitamur, assequimur nouum esse spirituale & diuinum, 245. 2. 246. 1. De Baptismo latè, ibid. &c. In Baptismo renuntiamus diabolo, & eius operibus, 247. 1. b. Baptizatorum est mandata seruare, & bene operari, ibid. In Baptismo peccata sepeliuntur, ne resurgant, 2. b. Baptismus est virtutum vita, mors criminum, ibidem c. Baptismi aqua est viua, 277. 2. b. In piscina sanitas Baptismi indicabatur, 381. 2. c. Baptismi typus fuit piscina, 383. 2. c. Aqua Baptismi peccata demergit, ibid. e. 384. 1. a. Aquas Baptismi dulces fecit crux, 384. 1. d. In aqua Baptismi vt pisces nascimur, 2. a. Post Baptismum peccata fugienda, ibid. d. Baptismus animum reuocat, 385. 1. a. Signa renouati hominis, ibid. Christus baptizauit Deiparam Virginem, & diuum Petrum; Petrus baptizauit Andream, Ioannem, & Iacobum: hi reliquos Apostolos, 258. 2. d. e. Apostoli baptizati sunt Baptismo Christi, ibid. e. Septuaginta discipulos Petrus & Ioannes baptizarunt in nomine sanctissimæ Trinitatis ? 259. 2. c. De tempore quo discipuli baptizarunt, 273. 1. d. An Baptismus discipulorum fuerit præstantior Baptismo Ioannis? 259. 1. b. Baptismus Christi. *Vide* Christi Baptismus.

Bartholomæus.

Bartholomæus an fuerit Nathanael? 140. 2. d. 421. 1. c. Bartholomæus an fuerit regiæ stirpis? 421. 1. c. d. Bartholomæi dictum, ibid. e.

Beatitudines.

Sermo de Beatitudinibus quo loco sit habitus, 426. 1. d. An sit idem apud Matthæum & Lucam, 425. 2. a. Cur in monte habitus? 426. 2. e. An coram turbis, ibid. b. Cur à sedente Domino habitus ? 427. 1. d. Octo Beatitudinum canticum graduum, 2. d. e. Beatitudo duplex, in cælo re, & in terra spe, 428. 1. b. Beatitudines cur dicantur virtutes, ibid. c. Octo Beatitudines, octo margaritæ, siue gradus ex margaritis in cælum, 433. 2. c. d. Octo viæ apertæ in mari, ibid. Beatitudo Christiana interna est animi, 434. 1. d. Octo Beatitudines continentur his duobus verbis, *Sustine & abstine*, 2. c. Beatitudinum catena aurea, 453. 2. c..

Beelzebub.

Beelzebub quid significet, & quod idolum fuerit, 579. 2. c. d.

Benedictio.

Benedictio, qua Sacerdotes antiquæ legis populo benedicebant Sacrificio peracto, 228. 1. d.

S. Benedictus.

Diuus Benedictus quonam modo viderit mundum collectum, 77. 1. e.

Beniamin.

In sorte Beniamin fuit Ierusalem, & templum Salomonis, 180. 2. d. e. Beniamin benedictio exponitur, ibid.

Bethania, Bethabara.

Bethania duplex, 120. 2. b. Bethabara & Bethania idem locus, ibid. b. c.

Bethsaida.

Bethsaida vicus, postea ciuitas dicta Iulias, 712. 2. b. Bethsaida domus venatorum, patria D. Petri & D. Andreæ, 142. 2. e. Bethsaidæ desertum vbi fuerit, 658. b. d.

Boanerges.

Boanerges quid significet, nomen Ioannis & Iacobi, 420. 2. d. e.

Blasphemia.

Blasphemia in Spiritum sanctum quæ dicatur, 582. 2. &c. Quomodo dicatur irremissibilis, 583. 2. d.

Bona.

Bona caduca animum inescant, 334. 2. d. Bona caduca momento temporis euanescunt, 109. 1. b. 121. 2. a. 122. 2. a. Bona caduca dat Deus quærentibus regnum Dei, 121. 2. a. Bona caduca sunt adiectitia, 512. 1. a. b. Bona cælestia desideranda, 387. 1. b. c.

C

Cabus.

Cabus quæ mensura fuerit, 620. 2. d.

Calamus.

Calamus quassatus, & linum fumigans, quid significet, 414. 1. c. d. e.

Calceamentum.

Corrigia calceamenti Christi quid significet, 128. 1. e. Calceamenta significant mortua, & carnalia opera, 2. c. Calceamenta significant cautionem & tutelam, e. Calceamenta Christi portare quid sit, 132. 2. b. An Christus vsus sit calceis, 22. 1. c. 566. 2. b.

Caluariæ mons.

In montem Caluariæ ductus est Isaac, vt immolaretur, 180. 1. a. b. Caluariæ mons, mons Moria, b. c.

Caligula.

Caligula in auro volutatus, 436. 2. d.

Cana.

Cana oppidum vbi sit, 154. 2. b. Cana significat zelum, Cananæus zelotem, ibid.

Candelabrum.

De candelabro templi, 191. 2. e. &c. Candelabris similes Doctores, 192. 1. c. Septem lucernis Candelabri septem planetæ indicantur, 2. a. Et septem dona Spiritus sancti, ibid. b. An omnes lucernæ candelabri interdiu extinguerentur? 194. 1. 2. Lucernas candelabri Sacerdotes componebant, ibid.

Canis.

Canis reuersus ad vomitum peccator, 561. 2. e. Canem mortuum se appellat Dauid, 127. 1. e. Canis viuus est detractor mordens: mortuus est, qui non mordet, nec latrat, ibid.

Cantor.

De Leuitis cantoribus, 231. 2. &c. Cantorum sortes 24. siue vices, ibid. c. Canebant etiam nocte, ibidem d. Cantorum Principes Asaph, Heman, & Idithun, 232. 1. a. Cantorum vestes, 2. a. De loco cantorum in templo, 1. b.

Caput.

In capite plenitudo sensuum est, 111. 2. e. Caput & pedes alebat Plato, non debere velari, & assuefieri mollitiei, 129. 2. a.

Capharnaum.

Capharnaum ciuitas maritima, 167. 1. a. De ciuitate Capharnaum, 300. 2. b. 301. De fonte Capharnaum, 301. 1. a. b. Quid significet nomen Capharnaum, ibid. b. c. Capharnaum fuit velut metropolis Galilææ, 300. 2. e. Capharnaum sita iuxta lacum Galilææ, 308. 1. d. Capharnaum dicitur ciuitas Christi, 351. 1. e.

Caro.

Carnis stimulus, quo diuus Paulus stimulabatur, quid fuerit? 95. 1. e. 2. Caro & sanguis, quid significent, 717. 1. d.

Carbonarius.

Carbonarius in Episcopum electus à diuo Gregorio, 424. 1. c.

Caritas.

De caritate & concordia, 56. 2. e. Caritas Dei & proximi, 63. 2. a. Caritas sæuit sine felle more columbino, non continuo, 57. 1. b.. Totum Dei viuum templum auro caritatis fulgeat, 187. 2. d. Caritas erga omnes, ibidem e. Caritas aurum, 456. 2. b. Caritatis catenæ, 1. e. Duæ radices in animo: altera caritatis, altera cupiditatis, 2. b. Caritas fermentum, 629. 2. a. Caritas est margarita, 623. 1. a. Caritas similis igni altaris, sacro & perpetuo, 200. 1. a. Amor mundi similis igni alieno, ibidem. Subiicienda ligna ne extinguatur ignis caritatis, ibidem b. Caritas ordinata Deum præfert omnibus, 332. 2. c. De caritate erga inimicos, 488. 2. c. 489. 2. b. Caritatis ardor absumit iniurias, 490. 1. a. Caritatis pulchritudo, ardor, impetus, ibid. d. e. Caritas cum sole confertur, ibidem. Est inter virtutes gigas, 2. a. Caritatis cursus superat cursum solis, ibid. d. Caritas cor dilatat, vt inimicos etiam capiat, ibid. e. De caritate fraterna, 309. 2. c. d. e. Vt lapides calce, sic Christiani caritate conglutinantur, 310. 1. a. Fratrum paria vocauit Christus ad Apostolatum, vt fraternam caritatem indicaret, 309. 2. e. *vide* Pax.

Castitas.

Castitas liliis significatur, 192. 1. e. De castitate Sacerdotum, 229. 2. e. Castitas mundat cor, vt scientiam Dei, & Scripturam suscipiat, 431. 1. b. c. Castitas contemplationi apta, 447. 1. c. Carbonum sordibus pulchritudinem quidam occultauit, propter castitatem tuendam, 424. 2. a. Sustine & abstine, 434. 2. c. Castitatis dura prælia, 87. 2. b. Castitatem tuetur ieiunium, ibidem.

Cella.

De cellis, quæ cingebant templum, 200. 2. c. De cellis templi, in quibus virgines habitabant, 207. 2. c.

Cæsarea.

De Cæsarea Philippi,& Cæsarea Palestinæ.714. 1. a.b. De Cæsarea Philippi.5.1.a

Cælum.

Cælorum regnum cur dicitur appropinquasse. 17. 1. e. Cæli quomodo sint aperti in Baptismo Domini. 45. 2. e. 46.1.a. Cælos quomodo viderit apertos D.Stephanus. 46. 1.b.Cælum aperuit Christus, & expugnauit. 52.2. d. Vim cælo Christus intulit. ibid. e. Cælum appropinquat, cùm desinit terra,24.1.a.Cælorum harmonia,25.2.a. Cæli suas habent voces, quibus enarrant gloriam Dei,154. 2.c. Cur Deus in cælis esse dicatur,498.2.a.b.Cælum patria,ibid.c. Cælestia bona desideranda,387.1. b.c. Cælestia bona cogitanda & quærenda, 514. 2. e. Cælum fit ex terra homo, 500.1.a.

Cæcitas.

De cæcitate hominum,287.2.c.d. 386.2.e.693.2.e.712. 2.c.d. Caducæ res excæcant, 712.2.d.

Cœnaculum.

De cœnaculis templi,194.1.e.2.

Cephas.

De nomine Cephas,420.2.c.

Centurio.

De Centurione,559.An fuerit Iudæus?ibid.1.a.Centurionis fides,540.2.b. Quomodo Christus sit admiratus fidem Centurionis,541.1.b.c.An fides Centurionis superarit fidem omnium Iudæorum?2.d.e. An fides leprosi fuerit maior fide Centurionis? 542.1.c.d.

Cera.

Ceræ vsus non fuit in templo antiquo,sed olei,192.1.b.

Ceruus.

Ceruus serpentes extrahit ex cauernis, 590. 1. e. Ceruæ difficilis partus, 124. 1. d. Cerui cum aquila pugna, 108.2.e.

Cibus.

Antiqui cibum sumebant recumbentes,565.2.d.

Chananæa.

De Chananæa,695. &c. Vnde dicatur Chananæa & Syrophœnissa, 696.1.c.d.e. Perseuerat repulsa, micas petit, 697.2.c.d.e. Fides Chananææ & perseuerantia,698.2.e.

Cherubin.

De Cherubinis templi,185.1.a. Cur Deus dicatur sedere super Cherubim? ibid. b. 186.1.a. Cherubim dicuntur currus Dei,185.1.c.De figura Cherubinorum,ibid.e.Cherubim nomen quid significet, 2. c. d. Cherubim cælestes spiritus, ibid. Cherubim duo hemisphæria, 186. 1. a. b. Cherubim duo testamenta, ibid. d. Cherubim indicant scientiam S. Trinitatis, 2. b. Cherubinorum quadriga, an fuerit in altari thymiamatis? 189.1.d.

CHRISTVS.

Christus cur dicatur venisse post Ioannem, 110. 1. b. Christi patria, 627. 2. a. Christus quorsum venerit, 628. 1.d.e. Christus an exercuerit artem fabrilem? 631.1.d.e. Christus quomodo dicitur non potuisse miracula facere in patria, 632. 2. b. c. Christus omnibus hominibus præpositus, 671. 2. a. A Patre manifestatus & signatus, ibid. Imago Patris,ibid.b. Vnctus, ibid. In natura humana Pater impressit imaginem suam,id est,Verbum, ibid.c. Christum quomodo signarit Pater,ibid. d. Christus omnes ad se venientes excipit,673. 2.c. Quomodo dicitur non potuisse latère, 695. 2. Viso Christo stupefactus est populus,745. 1. b. Christi merita,765. 2.c. Merita Christi non excludunt pœnitentiam,& opera nostra, ibid. d. e. Christus quomodo existens in terris, dicat se ascendisse in cælum? 239. 2. e. Christus quomodo dicatur ante Ioannem factus,110. 1. c. Christus factus mons, 111. 1. a. Christus plenus gratia,de plenitudine eius nos accepimus,ibid.1.d. Christus,fons,origo,mare virtutum, 2.b. Christus similis fonti igneo,ibid. In Christo quomodo habitet omnis plenitudo diuinitatis corporaliter,112.1.c.Christus medicus suauissimè curans, 113. 2. e. Quomodo Christus gratiam fecerit & veritatem,114.1.c. Christus testis oculatus omnium,quæ docebat,2.a. Christi dignitas super omnes Angelos & homines,127.2. e. Christus malus inter ligna siluarum, 128. 1. a. Christus abscondit us, manifestatus est Iudæis à Ioanne,gentibus,ab Apostolis,132. 1. d. Christi mansuetudo,133.1.e.414.1.b. Christi innocentia necessaria redemptioni,133.1.d.134.1. a. In vna persona Christi est natura diuina & humana, 240. 1. c. Christus Pontifex & victima, 136. 2.a. Christum Pontifex antiquus adumbrauit, 225. 2. d. Christum adumbrauit arca testamenti, 183.2.b.Christi vulnera fenestræ caritatis,193.1. b. Christus in propria persona fuit Doctor Iudæorum, 462. 1. d. Christus sapientia Patris, ad Iudæos venit & ad gentes, 244.1.d.e.Flumina sapientiæ Christi,ibi. Christus in propria persona solùm missus est ad Iudæos, 697. 1. e. Christus vocat omnes ad suum gymnasium, ibid. Christus Rex fortissimus & sempiternus. 244. 2. a. Christus sapientia irrigauit orbem,vt flumina paradisi,ibid.c. Christus sustinuit crucem,pudore & confusione contempta, 245.1. c.d. Christus vicit diabolum sua imbecillitate,286.2. c. Christus concionari cœpit in Galilæa, 305. 1. d. Christus circuibat oppida Galilææ docendo,306.1.a. In vultu Christi quiddam sydereum, 359. 2. a. Christus docuit homines ius,415.2.c. Christus ius ad victoriam adduxit, 414. 2. d. Christus quomodo non placuerit sibi, 451. 2. d. Christus feris similes,conuertit in homines,354.2.c. Christus quos sanabat perfectè sanabat, corpus & animam, 356. 1. d. Christus probat se Deum esse, 353. 1. b. Christus probat se habere potestatem remittendi peccata, ibidem. Christus æqualem se facit Patri, 391. 1. c. 393. 2. d. 395. 1. c. Christus cur se appellet Filium hominis, 409. 2. b. Christi nomen Constantinus ferebat in galea,252. 2.a. Christi nomen in labaro, vexillo Imper. ibidem. Columbæ similis Christus, 52.2. d. Christi ætas. *vide* Aetas. De Christi baptismo,40.& seqq. Quo mense fuerit Christus baptizatus,& quo die,41. 2. a. An fuerit baptizatus sexta die Ianuarij? An sit eodem die baptizatus, quo à Magis est adoratus,& aquam conuertit in vinum? ibidem. Quo Iordanis loco fuerit baptizatus. An per aspersionem,44.2.b. c. An fuerit baptizatus in loco transitus Israelitarum?45.2.a. An miracula baptismi viderint Iudæi,qui adstant? 50.1.c. Post baptismum orauit Christus, & facta sunt miracula, 51.2. c. Baptismi locus quot milliaribus distet ab Hierusalem. 61. 2. b. Cur Christus voluerit baptizari,54.1.c.d. Exemplum humilitatis Christi in baptismo,ead.2.a.Christus per discipulos baptizauit,258. 2. a. De Christi deserto, 61. & seqq. Desertum petiuit Dominus post baptismum, Ianuarij die 6. Vbi sit hoc desertum, quot milliaribus distet ab Ierusalem,& Iericho, & loco baptismi,61. 62.Cur Christus desertum petiuerit,63. 1. a. Quibus cum bestiis fuerit in deserto,61.1. b. Christus ductus à Spiritu sancto in desertum,62.1.c. De Christi ieiunio,66.1.2. An ieiunium Christo attulerit debilitatem, maciem, & esuriem? 67. 1. a. De Christi tentationibus. *Vide* Tentatio. Christus diabolum quomodo ligarit,594.1.d. Quæ spolia diabolo abstulerit,2.1.d.e

Claues.

Claues significant potestatem,720.1.e.Claues regni cælorum,ibid.2.a.

Cleopatra.

Cleopatræ duo vniones summi pretij, 442.2.b.

Cogitatio.

Cogitatio est fons operum, 134. 2. d. Cogitationes solus Deus intuetur, 353. 1. b. Cogitationes Angeli non cognoscunt, d. Cogitationem præmittit diabolus, antequam veniat, 438. 2 e. A malis cogitationibus Christus purificat mentem,478.1. d. Exordia peccatorum cogitationes, ibidem. Cogitatio diaboli protinus abiicienda, 438.2.d.e. Cogitationes primi hostes in aciem prodeunt, 694. 1. d. Cogitationes statim perimendæ in ipso initio, ibid. 2. b.

Cognati.

Mali cognati sunt inimici, 649. 1. a. Cognatio virtutis maior est, quàm cognatio sanguinis, 20. 1. c. Cognatis mortuus est vir religiosus,310.2.d. Cognati scandalizantes fugiendi.754.1.b.Deus magis amandus,quàm cognati, 332.2.c.Cognatio spiritualis,ibid.c.d.

Cognitio sui.

De cognitione sui,121.2.d. Cognitioni sui vacant viri probi,ibidem.Cognoscimus alia, non nos,ibidem.& 710. 2.a.b.Crimina nostra vt cognoscamus ante oculos ponenda, 477. 1. d. Non cognoscimus nos vt Harpaste, 693. 2. d.e. 694. 1.a.

Columba.

An columba vera fuerit, quæ in Baptismo Christi apparuit? 47.1.c. Cur Christi capiti insederit, 48.1.a. Quid indicabat,52.2.a.Quoties apparuerit,131.2.e. Columbæ similis Christus, 52.2.e. Columbæ proprietates recensentur,57. 1. 2. Columbæ proprietates indicant dona Spiritus sancti, & virtutes Christianorum, ibidem. Columbæ Syriæ & Indicæ pulchriores, 58.2. a. b. Columba Baptismi, similis columbæ Noe, 1. c. Columbarum oculi dicuntur oculi spiritales,2.b. Columbas colebant Palæstini & Syri, 2. c. De columba deargentata, Psalm. 67. ibidem d. Columbæ ira quæ dicatur, 59. 1. b. Columba indicat qualis sit Spiritus sanctus, 57. 2. c. Columba

gemens in foraminibus petræ, est pœnitens, 33. 1. e. Columbina simplicitas cum prudentia serpentis, 641. 2. a. b.

Color.

Color venerabilis pallor, 89. 1. c.

Columna.

De columnis vestibuli templi, 193. 1. b. Columnarum nomina quid significent; de altitudine, & linea ambiente, & capitellis, ibid. c. d. e. Columnæ templi stabilitatem regni Christi adumbrant, 2. d. Herculeis columnis præstantiores, ibid. d.

Commune. Communicare.

Communicare significat inquinare: & Commune immundum, 690. 1. e. 2. a.

Concionator.

Concionatoris laus, lacrymæ auditorum, 466. 1. d. Concionator non sit acceptor personarum, 560. 2. a. Concionator curet salutem auditorum, 559. 1. b. Cùm concionator austeriora prædicat, proficit auditor, 464. 2. d. Concionando animas suscitare, maius est quàm suscitare corpora, 333. 2. d. Qui verbum Dei abscondit, frumentum abscondit, ibid. Arat concionator corda, crucis aratro, 334. 2. b. Ad concionandum vocatur contemplator, 350. 1. a. Concionatores ardeant sibi, luceant proximo, 401. 1. d. 466. 1. b. Ardere & lucere per doctrinam, perfectum, 466. 1. b. Concionatores sunt Angeli pacis, 450. 2. d. Non deerunt vsque ad iudicium Ecclesiæ Doctores, 462. 2. a. Concionatoris vita sublimis, 427. 1. a. 647. 1. d. Concionator doceat verbo & facto, 462. 1. b. c. Concionatoris exemplum, 560. 1. c. Concionator fugiat hominum familiaritatem, 63. 1. b. Eat ad prædicandum, & reuertatur ad orandum, ibidem e. Concionator à contemplatione exit ad concionem; & redit ad contemplationem, ibid. 606. 2. e. Concionatores sunt flumina, 63. 1. e. De fonte amoris Dei hauriunt, & amando discunt, ibid. Ex contemplatione valentiùs ad animarum lucra exeunt, 2. e. A caritate ducatur concionator, 621. b. c. Per concionatorem loquitur Spiritus sanctus, 647. 2. a. Sapientia concionatoris vnde hauriatur, ibid. b. c. Vita concionatoris maius pondus habet, quàm eloquentia, 647. 1. b. c. Concionatoris superpelliceum quod, ibidem. Concionatoris eloquentia & sapientia, 646. 2. c. Genus dicendi concitatum complectendum, e. Pauperibus concionatus est Christus, 629. 1. c. Mos in concionibus synagogæ, 627. 2. b. Concionator oret priùs quàm concionetur: sit orator priùs quàm doctor, 607. 1. a. Illi concionatori, qui dat doctrinam, datur doctrina à Deo, 604. 2. e. Concionator efficitur mater Christi, quomodo, 600. 2 a. An olim in tectis haberentur conciones? 74. 1. d. e. Concionatoris ætas & perfectio, 26. 2. a. Concionator imploret Dei auxilium, & lauet retia, 312. 1. a. Concionator ille cum potestate loquitur, qui facit, quod docet, 314. 1. d. Verbum Dei non est alligatum, 142. 1. d. Concionator ferat arcam humeris, 183. 2. e. Concionator similis candelabro templi, 192. 1. c. d. Paræciis dandi concionatores, 224. 1. c. Concionatores indicant tintinnabula aurea, ibidem. Concionatorem indicat mensa cum labio aureo, 292. 2. a. De præmio concionatoris, ibid. c. Concionatoris cupiditas non auri, sed animarum, e. Concionator congregat fructum in vitam æternam, c. d. Concionatoris caritas, 63. 2. a. Conciones pluuiæ cælestes, 38. 2. b. Concionator capacitati auditorum accommodet concionem, d. e. 312. 1. c. Concionum verba conuertenda sunt in facta, 38. 2. c. Concionator Leo, Bos, & Cherubim, ibidem a. Concionatori necessaria est potentia spiritus, 305. 2. e. Concionator percurrat oppida, vt Christus, 306. 1. a. 607. 2. c. 645. 2. d. Concionatorum in docendo concordia, 309. 2. d. Concionatoris finis est, homines expiscari, non pecunias aut laudes, 310. 1. c. Concionator doceat verbo & exemplo, 123. 1. e. Similis est citharæ, ibidem. Est Dei præco, & Dei vox clamans, 124. 1. e. Priùs virtutem comparet, postea concionetur, 2. a. Clamare oportet, id est, concionari ardenter aduersus lupos, ibidem b. Sæpe oportet concionari, & homines admonere, 141. 1. d. Concionatori non perit præmium, quamuis auditores doctrinam non recipiant, ibidem e. 761. 2. Doceat priùs factis, quàm verbis, 607. 1. a.

Concordia.

Concordia mater conseruationis, 452. 2. d. Concordia Doctorum in docendo, 310. 1. a. *Vide* Pax. De concordia & discordia, 592. 1. e. Sunt aliqui peruerso amore concordes, mala concordia in scelere dissoluenda est, 648. 2. c. d. De concordia, 683. 2. d. e. 760. 1. e.

Confessio.

De confessione, 30. 1. d. *&c.* Confessio sit integra, 767. 1. c. Confessionem nostram adumbrat confessio Iudæorum, 30. 1. 2. Ad confessionem vocat Deus, vt absoluat. Deus iudex est pius in confessione, ibidem 2. a. Ad confessionem vocatus est Adam, non est vocatus serpens, cur? ibid. c. d. Si Adam peccatum fuisset confessus, forsitan recuperasset statum, ibid. d. Qui confitetur peccata, diaboli os obstruit, 22. 1. c. In confessione peccata detegenda sunt, non occultanda, 31. 1. e. 762. 1. c. Os confutum habemus, vt nos accusemus, non vt excusemus, 31. 1. c. d. Si te in confessione accusaueris, accusatorem non timebis, 32. 1. e. Confessio pulchritudinem affert animo, 33. 2. b. Ad confessionem est properandum, d. e. De pudore obstante confessioni, 32. 2. b. De veritate seruanda in confessione, 33. 1. d. De tribunali & iudicio confessionis, 538. 2. a. b. Peccata in confessione occultans qualis sit, 333. 1. e. Confitens est columba gemens, 33. 1. e. Confessio, quam Ioannes exigebat, qualis fuerit, 15. 2. d. Confitebantur Iudæi peccata Ioanni sigillatim, 16. 1. c. Cõfessio Ioannis non erat sacramentalis, ibidem. Typus fuit nostræ confessionis, ibidem. An Iudæi habuerint aliquem confessionis modum? 16. 1. d. Fueritne præceptum de confessione Ioannis? 16. 2. a. An confitentibus, Ioannes satisfactoria imponeret opera, ibidem. De confessione, 591. 592.

Conscientia.

Conscientia bona, mater tranquillitatis, & cerui cal molle, 340. 1. c. Malæ conscientiæ flagella, & furiæ, ead. 2. b. Conscientia testis est semper præsens, ibid. c. Malæ conscientiæ tormenta, ibid. d. Impium laniat, rimatur viscera, monet, ibidem. Conscientiæ vermis immortalis, 97. 2. d. Conscientia bona domus est quietis, 348. 2. c. Conscientia est facies interna hominis, 507. 1. a. Lauandfacies, id est, conscientia, ibidem. Conscientia examinanda quotidie, 765. 1. c. Conscientia sit arcta porta, non lata. 507. 2. a. Conscientiæ bonæ testimonium gloria est nostra, 403. 2. e. Conscientia recta aduersarius, cui oportet assentiri, 475. 1. e. Conscientia est testis, 36. 1. a. Conscientiæ stimulos diabolus nititur tollere, 593. 1. c. Conscientiæ increpatio sacra anchora, 2. a. b.

Consideratio.

De consideratione, 610. 1. a. b. 619. 1. c. 713. 2. a. b. Consideratio thesaurum absconditum inuenit, 624. 1. c. Anima considerans si nilis est nauis institoris, de longè panem portanti, 2. a. Consideratio gehennæ, 625. 2. a. Qui bene considerat, bene loquitur, 703. 1. c. Consideratione confugiendum in turrim, id est, Christum, dum pugnamus, 730. 2. b. Consideratio cælestis gloriæ, 737. 1. c. 739, 1. c. d. Rapit hominem gloriæ consideratio, 740. 1. b. Qui gloriam non considerat caducis rebus adhæret, ibidem c. Consideratio ignis tartarei est sal, quo à peccatis præseruamur, 754. 2. a. Æterni ignis consideratio tollit scandala, 757. 2. a. De consideratione ignis æterni, ibidem b. c. Consideratio ignis sit frequens, quæ satiet, ibid. d. Considerationes sunt alæ animæ, quibus volat, & peccata fugit vt aues, ibid. c. Considerare oportet res caducas, 121. 2. 122. 1. Consideratio fugere facit peccata, 102. 1. d. Ratiocinationes & considerationes alæ hominis, ibid. e. Consideratione est opus, quia laquei sunt tecti, 104. 2. c. Consideranda præterita, præsentia, & futura, 122. 1. c. Considerationi vacandum, 64. 1. a. b. Consideratio spicas confricat, 410. 2. e. Considerandæ sunt res diuinæ & degustandæ, 142. 1. a. Considerandæ sunt opera Dei mirabilia, 154. 2. b. c. Considerandæ mundi deliciæ, vt contemnantur, 166. 1. Per considerationem quodammodo crescit in nobis Deus, 264. 1. c. Absque intellectu considerante anima vidua est, & sequitur sensus, 290. 2. a. b. 548. 1. a. A rebus sensibilibus transferenda est consideratio ad res insensibiles & diuinas, 293. 1. 2. Consideratio necessaria est, 334. 1. c. Considerandæ præsentia Dei vbique, 362. 1. b. c. Considerandus finis viæ, 364. 1. d. Considerationi vacandum, curæ tumultuantes fugiendæ, 375. 1. b. c. Consideratio passionis Christi magnum fert fructum, 376. 1. c. Consideratio gehennæ peccatum fugat, 386. 1. a. Considerandæ granitas morborum animi, vt curentur, 387. 2. b. c. Cor & consideratio sapientis, in domo luctus æterni, 440. 1. d. e. Consideratio parit fletum, 442. 2. a. Consideratio menti affert pondus, 562. 1. c. Considerationem tollunt curæ superfluæ, 514. 2. c. 609. 1. c.

Constantia.

Actiones Sanctorum sunt graues & constantes, 562. 1. b. De constantia, 339. 340. Iustus constans est in periculis, 339. 2. e. De inconstantia, 561. 2. d. e.

Consuetudo.

Consuetudo vincitur consuetudine, 656. 2. a. Consuetudo abit in naturam, 134. 2. e. Consuetudo in peccato, est sessio in cathedra pestilentiæ, ibid. d. Consuetudo magnum habet momentum ad virtutem parandam, 162. 1. d. Consuetudo parit rei contemptum, 294. 2. b. De consuetudine peccandi,

peccandi,374.1.c.548.1.e. Consuetudinis peccata,374.2. a.b.747.2. b. Consuetudo viam virtutis reddit facilem, 524.1.b

Contemptus.

Contemptus mundi admirabilem reddit hominem, 647.2.a

Continentia.

Sustine, & abstine, siue contine,434.2.c

Contritio.

De contritione,28.1.b.c. Contritionis dolor,lacrymæ, decretum non peccandi, 28.2.e. 29.1.a. Contritio hominem mutat, 29. 1. a. De propositi stabili numquam peccandi,ibid.c. Item de contritione, 124.1.c.249.2.b. *Vide*, Lacrymæ.

Conuersio.

Vt conuertamur opus est Dei auxilio, 702. 2. c. Conuersio impij ex palea in triticum,39.2.d.e. Conuersio peccatoris lætissima est, 364. 2. d. Ad conuersionem festinandum,385.2.c. Conuersio non differenda in aliud tempus.364.1.c

Cor.

Ars cor non curat : gratia & natura curant maximè, 445. 2. d. Cor primum ex membris producitur, ibid. e. Cor vice fundamenti natura præstruit, ibid. Gratia primam curam confert ad expurgandum cor, 456. 1. a. Cor mundum, est fons bonitatis, d. Cor est altare Dei, thronus, & templum,2.a. Cor est hominis auriga, & rector, c. Cor graue malorum causa, ibidem d. Cor immundum efficit mundus,ibidem. Cor oportet esse alatum, ibidem e. Cor iustorum est cœlum, 447. 1. a. Corde mundo Deus in cœlo videtur, & in terra,ibidem b. Cor mundum est imago diuinæ puritatis, ibidem d Cor immundum imago est dæmonis, 2. c. De cordis custodia,ibid. e. Cor impij inquietum, cor iusti tranquillum, 448. 2.c. Sursum corda,456.2.e. Cor inquinat amor mundi,508. 2. c. Cor per desideria in cœlo collocandum, 513. 2. d. e. Cor putrescit in terra positum, vt pomum, ibidem. Cor diuitis repertum inter nummos,514.1.a. In corde nostro sit monarchia vnius Regis Dei, 516. 1. e. Duos dominos contrarios idem cor habere nequit, ibid. d. In corde est bonus, vel malus dominus, qui bona, vel mala iubet, 2. b. Cor terræ dicitur sepulchrum, & limbus patrum,587.1.d. Cor altare thymiamatis, 189.2.b. De corde mundo, 431. 1.2. Corde mundo Deus videtur,2.b. Cor mentem significat,2. e. Cor tranquillum facit paupertas, 435. 2. e. De corde mundo latè, 445. 2. d. & seq. Cor in pœnitentia effundendum, 36.1.d. Cereum cor ac tenerum, 609. 1. a. Cor bonum, & optimum, Cor minimè vagum, ruminans verbum Dei, 2.e. 610. 1.a.b. Cor stomachus verbum Dei coquens, ibid. Cor graue reddit leuitas & vanitas mundi, 684.1.b. Cor peccatoris longè distat à Deo, 692.1. e. Cor præcipuè mundandum. ead.2.c. Terra in corde habet orcum,sic impius, ibid. Cordis homo absconditus, ibid. d. Cor fons cogitationum,verborum, & operum, oportet signare fontem,*&c* 694.1.b. Ex corde exit exercitus aduersus hominem pugnans, ibid. d. Cor apertum Deo sit,clausum mundo,702.2.a

Corban.

Corban quid significet,688.2.b.689.1.e

Correctio & Correptio.

Correctio magna cum charitate exhibenda, 691. 2. c.d. Homines indigent correptione, & increpatione, & mansuetudine,711.2. d. De correctione fraterna, 759. & seq. Correctio fratris est eleemosyna animæ, præstantior eleemosyna corporis,761.1. a. b. Succurrendum fratri; qui in peccato hæret.ibid. c. Qui nos corripiunt libenter sunt audiendi,2.a b. Correptio vnguentum odoriferum,ibid.c. etiam à nobilibus audienda est libenter correptio, ibid e. Nolumus corripi propter superbiam.762. 1. b. Correptio inauris aurea, ibid. d. Pœnitentia correpti pulchra. ibid. Qui correptionem non audit surda est aspis, ibid.e. Correptio sit lenis,non aspera,ead.2.d

Corona.

Corona aureola mensæ,190. 1. b. Corona Sacerdotum, quæ radendo fit,quid indicet,191.2.b

Corozaim.

Corozaim,308.1.d.e

Corpus.

Corpus domat ieiunium, 86.2.c. Corpori fert suppetias aduersus gulã, 88.1.b. Corpus & animus stateræ duæ lances,si vna degrauatur,altera eleuatur, ibid. c. Corpus impij est viuum sepulchrum animæ,333.1.b. Corpus nos persequitur, 454. 1. d. e. Corporis reformatio reseruatur in tempus resurrectionis, 511. 2. a. Corporis mancipia, 515. 1.b. Corpus est feretrum animæ mortuæ; portitores ad Orcum sunt peccata, 549.2. a. Corpus est laqueus animæ, 757.1.e. Corpora iustorum vasa sunt, & organa Spiritus sancti, 549. 2. c. Corpora Christianorum in templis sepeliuntur, 549. 1.a. Corporis ornatus Deo relinquendus; anima ornanda,563.1.b. Corpus improbi hominis est mola asinaria,758.1.b

Corus.

Corus mensura quæ, 621.1.a

Cotys.

Cotys vasa fregit, vt iræ non haberet occasionem, 479.1.c

Cras.

Cras, quid significet, 512. 1. d. e. Diabolus suadet in tempus futurum differre conuersionem,364.1.c.d

Crassus.

Crasso aurum in os infusum. 444. 2. b. Crassus quòd Pompeio & Cæsare inferior esset, iniquo ferebat animo, 755.1.b

Creaturæ.

Creaturæ sunt voces Deum prædicantes, 120. 2. e. Ex creaturis voluptas breuis,121.1. a. Creaturas Deo relicto quærunt multi, ibid. d. Creaturæ docent vnum esse creatorem, 222. 2. e. 390. 2.a. Creaturæ pendent omninò ex creatore,391.1.b

Crux.

Deus per contraria attulit medicinam, per crucis mortem,attulit vitam, *&c.* 250. 1.b.251.1.b. Crucem tollere quid significet, 644.2.c.d. Crucem sibi facere debet Christianus, cui cupiditates affligat, 682.2.c. Crux Christiani abnegatio, 729.1. d. Per crucem Christi peruenimus ad gloriam,739.1. a. Crux tabula fuit hominibus, post naufragium,scala cæli,250.2.a. Arbor scientiæ boni, & mali: ex cruce cognoscitur malum peccati, & gratiæ bonum, ibid.d. Crux ex profundo malorum hominem extraxit,e. Crux omnium gentium salus, 251.1. d. Crux vitam venturam significabat, 2. a. Typi salutis partæ per crucem, ibidem b. Crucis partes 4. indicant partes 4. mundi, ad quas virtus crucis peruenit, 253. 2. b.c.d. Sub arbore paradisi vidit nos Deus perditos, sub arbore crucis vidit saluos,143.1. a.b, Crux cathedra ex qua docet Christus, 189.1.c. Crux est Ariel, id est, leo Dei, 196. 2. d. Crux est superhumerale Summi Pontificis Christi, 226. 1.c. In cruce summa ratio & sapientia elucet, ibidem e. Christus crucem exaltauit, 251.2.c.252.1. c. In frontibus regum illam collocauit, 251. 2.c. Crux Christum exaltauit, 250. 1. c. In cruce Christus homines exaltauit, ibidem d. Crux in domibus olim, in foro, in viis, 252. 1. a. Crucis reliquiæ,ibidem. Crucis effigiem Christus ostendit Constantino Imper. ibidem c. Crux in benedictione sacerdotum veteris testamenti, 228.1. d. Crux hasta, & gladius, quo diabolus est vulneratus, 249. 1. d. Crucis claui fixere diabolum, ibidem c. In cruce diabolus est triumphatus, ibid. d. In cruce suffixum est chirographum peccati, ibidem e. Epitaphium diaboli cruce prostrati, 2. a. Crucem Constantinus Imper. efformauit ex auro & gemmis. In crucem labarum efformatum est, ibidem. Crucis vexillo languentem exercitus partem iuuabat Constantin. Imper. 2. c. d. Miles vexilli crucis defertor occisus, ibid. Crucis signo arma militum signauit Constantin. Imper. 253.1.b. Crux vexillum Christianorum,ibid.d. Columnæ effigie ostensa, ibid. Crux signum pretiosæ rei impressum, ibid. e. Crux nostra inuicta, & lenis,371.2. Quid significet latitudo,longitudo,altitudo,& profundum.253.2.b.c. Crux cernitur in aue volante, naue nauigante, *&c.* 254.2. b.c. Cruce signanda frons,& mores, ibid.e. Crux Ethnicis stultitia, quia amorem Dei ignorarunt, 255. 2. b. c. In cruce maximè elucet amor Dei, ibid. d. Crucis cornibus Christus ventilauit dæmones, 256.1.c. In cruce caritas Christi robustissima, ibidem. In cruce amorem suum exaltauit Christus, & iustitiam,2.d. e. Christus in cruce nomen sibi fecit, ibidem e. Caritas in cruce triumphauit, ibid. Crux scandalum Iudæis, 560.2.b. Crux Christi fons amoris, sapientia,& potentia,ibid. e. Crux dulces fecit aquas baptismi,384.1.e

Cupiditas, siue Concupiscentia.

Cupiditas allicit ad peccandum, abstrahit à Deo; conuertit ad creata; peccatum parit;generat mortem.102.2.c. Cupiditas est Eua nostra,cui serpens suader.ibid.d. Cupiditas non satiatur, 190.2.e.288.2. c. 299. 2. b. Cupiditas hostibus nos tradit, 299.2.a. Cupiditas est hostis,qui nobiscum nascitur, ibid. d. Cupiditas hominem deorsum mittit,106.2.c. Cupiditas arma diabolo subministrat, 98. 2.c. Cupiditts in retia diaboli inducit,102.1.c. Cupiditas frenanda,ibid.d.e. Cupiditas certantè impedit,vt oblonga vestis,ibid.e. Cupiditatis igné halitu excitat diabolus,2.b Cupiditas mater peccati,ibid. d. Cupiditati imperandum, 339.2.b. Mala radix cupiditas plãtata à dæmone. 456.2.b.

Cupiunt carnales terræ bona, non cœli 387. 1.b. Cupiditas febris, & ignis est, 298. 2. c. Cupiditas est tempestas, 669.2.a. Cupiditas consumit oleum caritatis, 685.2.a. Cupiditas est mola asinaria, 757.2.c. Concupiscētiæ effectus, 298.2. e. Cupiditas rete, & vinculum, 310. 2.b. Cupiditates muscæ Ægypti, 410. 2. c. Cupiditas acrior in adolescentia, 547.2.e. *Vide* Appetitus.

Cura.

Cura prima & prædominans sit, quærendi regnum cælorum, 515. 1. d. Cura omnis Sanctorum in animo orando versatur, 693.2.d. Homines curam habent non sui, sed rerum terrenarum, 160.2. c. Curæ sæculares distrahunt animum, 375.1. c. d. Curas sæculi pellit paupertas, 435. 2. e. Curæ auari, 436.1.a. Cura animarum indicat amorem erga Deum, 470.1.a. De cura proximi, ibid.b. Feriandum à curis mundi, 514.2.c. Diabolus in curas terrenas nos conatur mittere. 106.2.c. Cura prima spiritualium rerum, 663.1.d. Propterea multa præter sententiam nobis eueniunt, quia prima cura non est spiritalium, ibid.

D

Dalmanutha.

Dalmanutha quis sit locus, 709.1.b

Dan.

Dan extrema Israëlitarum ciuitas, versus Septentrionem, 5.1.a. *A Dan, vsque Bersabee*, quid significet, ibid. 714. 1.c. Dan. ibid.

Dauid.

Dauidis diuitiæ, 182.1.b. in sepulchrum Dauidis illatæ maximæ diuitiæ, ibidem. Vnde pararit Dauid impensas templi. ibid. e. Dauid panes propositionis comedit. 408. 2.c. De aduentu Dauidis ad Achimelech. ibid. d. Dauid Saulem beneficiis traxit. 450. 1. c. Dauid Saulem hostem blandè alloquitur, 449. 1.c. Dauidis iram sedat Abigail. ibid.e. Dauidis victoria cùm Sauli hosti pepercit, 476.2.e

Decapolis.

Decapolis regio decem ciuitatum, & quæ sint. 295.2.d. e. 701.1.c

Delectatio.

Delectatio momenti est; cruciatus æternitatis. 291.2.c. Delectatio retinet in peccato impios, 387. 2.e. *Vide*, Voluptas.

Deliciæ.

Deliciæ Dei tunc dantur, cùm deliciæ mundi pelluntur, 165.1.a.b. Delicias qui cupit Dei, spernat delicias mundi, 443.1.c. De dulcedine Dei, 524. 1. a. Deliciæ lugentium, 429.2.e. Delicatum Sabbatum animæ, 410. 2. d. Deliciæ conuersi peccatoris ad Deum, 364.2. d. e. Deliciæ mundi considerandæ, vt contemnātur, 165.2.c. *&c.* Delicias mundi sequitur amaritudo, ibid. c. Deliciis destruitur virtus, duritia extruitur. 110.1.a. Dulciores sunt lachrymæ orantium, quàm gaudia theatrorum, 443.1.c

Desertum.

Desertum Iudæę in quo versatus est Baptista, 7.2.c.d.e. Desertum Cades, 20. 2. b. De deserto Christi, 61. & sequ. De desertis in quibus Ioannes vixit, 7. 2.8.1. De Vita solitaria. *Vide*, Solitudo.

Desiderium.

Desideriis Dei cor inflammatum est altare Thymiamatis, 189.2.b. Vita probi Christiani, est sanctū desiderium, ibid.c. Desiderium virtutis, fames est, & sitis, ibid. 443.2. c.d. Magno cum desiderio quærenda virtus. 444.1.e. Futura bona desideranda, non præsentes honores, 499.2.c. Desideria noxia fugienda, 609. 1. 2. Desiderium cœleste est thesaurus absconditus, 622. 2. d. Desideria mala militant aduersus animam, 730.1.c

Desperatio.

Desperatio. 33.2.b.c.d

Detractor.

Detractor aliorum vitia carpit, oblitus sui, 122.2.c. Abiecta profert, gloriosa præterit. ibid. d. Detractor de aliis abiectè loquitur, humilis gloriosè, 127. 1. d. e. Detractor est canis viuus, ibid.e. De detractione, 691.2.d. Detractor non est audiendus, 692.1.a

Deuotio.

Deuotio parit lætitiam, 507. 2. b. Deuotionem extinguunt curæ superfluæ. 514.2.b. De dulcedine Dei, 524.1.a Deuotio oleum lucem nutriens. 608.2. e. Deuotio humor semen nutriens, ibidem. Cor tenerum & cereum reddit. 609.1.a. Deuotio linguam mouet in verba diuina. 703.1.c. Deuotio lingua est animæ, ibid. d. Deuotio oritur ex oratione, ibidem. Deuotio, 707.2.a

Deus.

Nomine Dei vtuntur Hebræi ad exaggerādum, 417.1.c. Deus ex sua natura beatus, homines & Angeli ex Deo, 428.1.a. Deus vbique est, omnia videt. 496.1.b. Cur dicatur esse in cælis, cùm sit vbique, 498.2.a.b. Dei proprium solo verbo facere. 545.1.b.

Dextera.

Quid significet dextera, & sinistra, 493.1.c. Is operatur dextera, qui recta intentione operatur. ibid. d.

Diabolus, siue Dæmon.

Diabolus cur dicatur Satan, 80.1.a. Diaboli nomen quid significet, ibid. & b. De Diabolo qui Christum tentauit, 68.2.d.e. Diaboli officium tentare, ibid.e. Diabolus an agnouerit Christum esse Deum, cùm illum tentauit? 69.1.b. Diabolus cognouerat Dei Filium venturum, ibid. e. Diaboli intellectus impeditus ad cognoscendum, 2. e. Cur non intellexerit Christum esse Deum, ibidem. An diabolus Christum assumpserit in pinnaculum templi? 72.2. e. Quomodo assumpserit, ibidem. Diabolus an intelligat scripturam? 75.2. e. Diabolus quomodo ostendit Christo omnia regna. 77. 1. a. An diabolus per visionem tantùm Christum assumpserit in montem, & in Ierusalem? 78.1.c. Diabolus mentitur, non potest regna dare, 79.1.b. Diabolus quomodo dicatur princeps mundi, ibid. d. Diabolus nihil habuit in Christo. 80.2.c. Diaboli regnum impij homines, 78.1.d. Diabolus cauendus, 57.1.d. Diaboli vnicum officium tentare, 79. 1. e. Diabolus refugit triumphari, non est pertinax in stadio. 80.1.e. Dæmones è cœlo ceciderunt, & sunt scandalum, & offendiculum hominibus. 757. 1. b. Innumeræ remoræ & impedimenta dæmonis, ibid.c. Obstruit cursum in cælū, ibid. Conterendus sub pedibus velociter, ibid. Cecidit ex cælo dæmonum pestilens pluuia, 758.2.a. Diabolus animas opulentas cupit deprædari, 91.2.e. Diabolus non vincitur, nisi contemnatur, 71.2.d. Diaboli esca electa, 92.1.b. 98.2.c. Diab. terretur ieiunij pallore, 89.1.d.e. Diabolus cupit sanctos vincere, 91.2.d. Diabolus tunc accenditur cùm extinguitur, 92.1.c. 106.1.c. Diabolus Christianos oppugnat, 92.1. c. Diabolus nobis seruit, cùm nos tentat, 96.1.e. Diabolum ex hoste seruum facimus, ibidem. Diabolus coronas nobis fabricat, 2.a. Diabolus malleus vniuersæ terræ, ibid.b. Diabolus similis Giganti Goliath, 98. 1. e. Diabolus habet armigeros, ibid. 2. b. Multi dæmones cum vno electo pugnant, ibid. d. Diabolus magis eos oppugnat, quos videt virtutibus studere, 99.1.a. Diaboli quadruplex certamen, ibid.b. Hominis cum diabolo certamen spectaculum dignum Deo & Angelis, ibid. c. Dæmones sunt superiores nobis, natura, loco, astutia, bellica exercitatione, 2. a. b. Gigantes illi, nos locustæ videmur, ibid.c. 101.1.c. Dæmones ligatas habent vires: si non haberent ligatas, omnes perderent homines, 99. 2. d. Deus frænat dæmones, ad mensuram tentare permittit, ibid. d. e. De astutia diaboli, ibid. b. Diabolus conculcatur ab iis qui pugnant fortiter, 101.1.b. Facile vincitur diabolus præsidio Dei, ibid. c. Deus de locustis vincit Gigantes. ibid.d. Diabolus rugire potest, vulnerare non potest nisi volentem ibid. e. 106.1.e. Diaboli vocem audiunt iusti, sed non exaudiunt, 101.2.c. Diaboli laquei, & decipula, 102.1.c. Diaboli laqueos effugimus, si ad superiora volamus, ibid.d. Diabolus vt tentet, mores & propensiones hominum explorat, 103.1.a. Diabolus offert lapides, vt in panes conuertantur, ibid. d. e. Diabolus similis cani mensæ assistenti. 2. a. Diabolus suadere potest, non cogere, 104. 2. d. Diaboli dona cauenda, 109.2.a. Diabolus serpit vt serpens clàm, & sensus pertentat, ibid. d. e. Diabolus coluber, in petra, id est, Christo, nulla peccati vestigia potuit imprimere, ibid. d. Vestigia peccati diabolus imprimit in molli puluere, non in petra, ibid.e. De voce, *Abrenuntio tibi Satana*, 247.1.b. Diabolus dicitur malus per antonomasiam, 503.2.d. Diabolus mittit cogitationes, vt ipsius præcurrant aduentum, 438.1.e. Qui sint dæmones qui sine ieiunio, & oratione nequeunt eiici, 746.2.e. Diabolus porrigit pomum, & surripit paradisum, 731.2.a. Diab. sanctitatis prætextu aliquādo fallit, 104.2.a. Diabolus quærit aditum in cor, 438. 2. e. Diabolo locus non dandus, per quem intret, ibid. Diaboli cibus est peccator, 463.2. b. Dæmones sunt serpentes igniti, 255. 2. e. Dæmones exactores peccatorum, 366.2. b. Dæmones nemini nocere possunt nisi permissi, 349.1.e. Dæmones non sunt timendi, sed Deus, 2.b. Dæmon faber coronarum, 348. 2.b. Dæmones, legio dicuntur, quia pugnant nobiscum, ibid. Dæmones hic manent, vt pugnent, ibid. Dæmonis requies quæ sit, 589. 1. a. Nomen dæmon quid significet, 314. 2. d. Nomen dæmon in bonam partem accipiebatur, 315.1.b.c. Dæmones dicuntur vulpes, 330. 1. c. 332.2. b. Cur dæmon dicatur immundus, 315. 1. d. Dæmon quomodo sit in homine, ibid. e. Cur permittat Deus vexari hominem à dæmone, 2. c. Dæmon non potest illabi in mentem, ibid.a. Perditio dæmonis quæ, ibid.c. Cur iusserit Dominus obmutescere dæmonem, 316.2.a. Dominus noluit

luit habere teſtimonium à dæmone,ibidem. Dæmon vera dicit, vt fallat, ibidem. An dæmones nouerint Dominum eſſe Meſſiam? 321.2.e. & ſeq. An dæmones cognouerint Chriſtum eſſe Deum?322. 323. An dæmones cognouerint Chriſtum eſſe Redemptorem, tartareiq; regni euerſorem?324.1.d.e. An dæmones cognouerint Dei ſapientiam, quam Paulus prædicabat?325.1.a. An dæmones cognouerint redemptionem per ſanguinem Chriſti, & mortem, perficiendam?324.2.e. An dæmon cognoſcens Chriſtum eſſe Deum, illum occiderit?325.2.c.d. An dæmones ante peccatum cognouerint Dei Incarnationem futuram? 326.1.a. De regno dæmonum in impios, 580.1.e. Principes dæmonum multi, ibid. 2. a. Dæmones in impiis habent nidos, & foueas. 581.2.d. Dæmones obſiſtunt, & repugnant hominibus. 564.1.a. An dæmones habeant propria nomina? 345.2.a. An dæmones qui in aëre, & terra verſantur, igne torqueantur?343.2.d. Cur dæmon in porcos voluerit intrare, & Dominus permiſerit?347.1.a. Dæmonibus lapſus fuit id, quod hominibus eſt mors, 344.1.a. Dæmones quomodo in hoc aëre torqueantur, ibidem d. De eiectione dæmonis muti. 579.1.d.e. 590.1.d.e. & ſeq. Vt dæmonem ex mundo pelleret venit Chriſtus, 590.1.d. Dæmon in ſcelere obſtinatus eſt, & ad cõfeſſionem peccati mutus. ibid.2.e. Dæmon eſt muſca, & muſcarum poſſeſſor. 592.1.c. Diabolus eſt fortis armatus, 2.c. Negligentibus prævalet. 593. 1.a. Debilis eſt contra reſiſtentes, & muſca, ibid. Alligatus eſt vt canis, ibid. Diabolus à Chriſto quomodo ſit ligatus 594. 1. d. Diaboli arma quæ, 2.a. Diabolus hominem perſequitur propter inuidiã, & odium Dei. 595.1.b. Dæmon eſt ſanguiſuga, ibid. e. Dæmon requieſcit in deliciis, & voluptatibus. 2.a. Diabolus inimicus noſter. 611.2.b. Diabolus noctu ſuperſeminat. 612.1.d Diabolus creatus eſt à Deo bonus, ipſe ſe fecit malum, 615.1.c. Dæmones cur dicãtur ſpiritus immundi. 635.2.a.

Didymus.

Didymus quid ſignificet, 421.2.a.

Dies.

Dies retributionis quis dicatur, 630.2.b. Diem natalem ſuum Pharao, & Herodes celebrarunt, 653.1.e. Natalis dies quomodo celebrandus, 656.1.b. Die natali cur plorent infantes, 655.2.e. Diem ablactationis celebrat Abraham, ibid.d.e. Dies mortis cur melior die natiuitatis, 656.1.a

Digitus.

Digitus Dei ſignificat Spiritum ſanctum, 581.1.a. Dei ſignificat potentiam Dei, 2.a

Dignitates.

Dignitates donandæ iis, qui illas meriti ſunt, 468.2.c. Dignitatum nomina, re præſtanda, ibidem. Dignitatum menſura implenda, ibid.d. In dignitate conſtituti non ſuperbiant, e. Dignitates non ſunt appetendæ, 469.1.a. Dignitates dignis dandæ, non indignis, 468.2.a. In candelabro Eccleſiæ lucerna extincta, aut fumigans non collocanda, ibidem.

Diſcipulus.

Quomodo Diſcipulus non ſit ſuper magiſtrum, 534.1.b. 643.1.d. De diſcipulo volente ſepelire patrem, 330. 2. a. & ſeq.

Diſcretio.

Diſcretio ſignificata naſo. 227.1.a

Diſcordia.

Diſcordia mater euerſionis, concordia mater eſt conſeruationis, 452.2.d. *Leg verb.* Pax, & Odium.

Dives, Diuitiæ.

Diuites tranſmiſſores ſunt diuitiarum, non poſſeſſores, 160.2.d. Diuites in Deum, & pauperes in Deum qui, 184. 1.d. Diuitiæ pariunt ſuperbiam, 332.1.d. Diuitis auari ſollicitudines, 436.1.a. Diuitiarum ſitis non expletur diuitiis, ibid.c. Diuitiæ D. Baſilij, & D. Greg. Naz. erat paupertas. 2.a. Diuitẽ facit paupertas, ibid.b. Diuites ſemper ſunt pauperes. ibidem. Diues eſt animus, non arca. ibidem. Diues Deo, diues æternitati. ibid. Diuitiarum quis ſit ſeruus, quis poſſeſſor, 505. 2. e. Diuitiis poteſt dives benè vti, ita vt virtutem non ſuffocent, 609. 1. e. Diuitiarum ſollicitudines ſunt ſpinæ, 2. a. Diuitiæ ſunt fallaces, ibidem. Diuitiæ, & honores, non efficiunt hominem verè magnum, ſed virtus, 757.2.b.c. Diuites captiui diuitiarum, ibid. & 514.1.c.d. Diuitiarum ſeruitus excutienda, 510. 1.b. Diuitiæ in cœlum transferẽdæ per pauperes. 513.2.a. à diuitiarum ſollicitudine quieſcunt ſerui Dei, 514. 1. c. Diuitiarum vel Mammonæ imperium inquietum, ibid. c. Mammona tyrannus, ibid. 1. d. Diuitum curæ, & perturbationes, ibid.e. Diuitiis imperandum, non ſeruiendum, 517.1.b. Diuitum vita ſomnium, ibid.e. Non cenſus, ſed affectus in crimine eſt, 532.2.c. Væ diuitibus, quia hîc habent ſuam conſolationem, ibidem. Diuitiæ quid. 410. 2.c. Diuitiæ rete, & vinculum, 310.2.b. Diuitiarum cupiditas fortior aliis vitiis, 108. 2.c. Diuitiarum cupiditate nos oppugnat diabolus, ibidem e. Diuitiæ grauant hominem, 364.2.b.c. Pondus diuitiarum mergit hominem, 435. 1.d. Pondus diuitiarum abiiciendum ne mergamur, ibid. Diuitiæ non ſatiant hominem, 288.2.c. Diuitiarum ſerui diuites, 436. 2. b. Pecunias Philoſophi reliquerunt, ibid.d.e. Diuitiarum ſeruitus, 437.1.a. b. Diuitiæ impedimenta itineris cœleſtis, ibid.c. Diuitis auari typus coruus, typus pauperis columba, ibid.d. Diuitiæ hominem veluti incantant, 438. 1. b. Diuitiæ materia vel virtutis, vel vitiorum, ibidem c. Diuitiæ pariunt ſuperbiam, vt phaleræ Bucephalo equo, ibidem e. Diuitiæ incertæ, & fugaces, 508.1.c. Diuitiæ ſunt opera bona, ibidem. Diuitiæ in cœlo recondendæ, ibidem d. Diuitiarum cupiditas inquinat cor, ead.2.b. Diuitiis ſeruire, & diuitias poſſidere, 510.1.a

Doctrina, Docere.

Doctrina cæleſtis omnium eſt temporum, 142.1.b. Doctrina, & veritas, quomodo fuerint in Rationali, 216.2.a. Doctrina, & veritas, quid ſignificent. 222.2.a.225.1.c. Docere officium erat Sacerdotum vet. leg. laicis habita facultate fas erat docere. 228.1.e. Doctrina Chriſti cœleſtis, certiſſima, vtiliſſima. 243.2.c. Chriſtus doctrina irrigauit orbem. 244.2.c. Ad doctrinam & gymnaſium ſuum vocat Chriſtus. ead.1.b. Doctrina Chriſti eſt magiſtri cœleſtis, & oculati, & ſapientiſſimi. 264.2. a. In docendo ſeruanda charitas inter Doctores, & concordia. 309.2.c. Doctrina vt ſuaue vinum propinatur cum operibus coniungenda. 304.2.e. Quid ſit docere in poteſtate. 314. 1. d. Quanti momenti ſit docere, & animas conuertere. 333.2.d. Doctrina catholica vno ore & conſenſu tradenda. 449. 2. c. Diſſentiens doctrina parit diſcordiam. ibid.d.e. Doctrina non eſt ponenda ſub modio, ſed communicanda. 458.2.e. 606.1.c.647.1.c. Docendum verbo & facto. 461.2.e.262. 1.2. Docendum ſine perſonarum acceptione. 466.1.a. Doctor luceat & ardeat. ibid.b. Doctorum laus lacrymæ auditorum. ibid.d. Doctorum zelus. ibidem. Qui docent, monẽt, & animas remouent à peccato, maiori præmio digni, quàm qui pecunias donãt, &c. 761.1.a. Diſcipuli Dei, & docti à Deo, ſchola Dei, 675.1.b.c

Doctor.

Doctor orbis Chriſtus indicatur à Patre. 736.1.e. Gratis lux Euangelij datur. 466.2.b. Doctor non quærat ſuperflua. ibid.c. De exemplo, & vita Doctoris. 467. 1. De doctrina, & iuſtitia. ibidem. Doctores columnæ Eccleſiæ. ibid.c. Doctorum vita eſt typus. ibidem e. Doctoris vita non repugnet verbis. 466.2.467.1. Doctrina quæ verbo, & exemplo datur, eſt doctrina duplex. 467.2.b. Doctrinæ ſcopus laus Dei. ibidem. Doctorum, & ſimilium vita, hominum oculis eſt expoſita. 468.1.b.c. Doctores ne fument è ſublimi. 469. 1. e. Qui docent lampades ſunt. 469.2.d. Prius fac, poſteà doce. 470.1.b. De iis, qui docent, & non faciunt. ibid.2.a. Doctores Euangelicos reliquit Chriſtus in terra. 462. 1.e. Doctoris theſaurus, ex quo noua profert & vetera. 626.1.b.c

Domus.

Domus Chriſti quæ anima. 595.2 b. Domus dæmonis. ibidem c. Domus luctus, & domus conuiuij. 656. 1.b. Domus æterna in cœlis extruenda. 740.2.b. Domus terreſtres breuis temporis. ibid. c. De cœleſtibus tabernaculis ſiue palatiis. ibid.d.e

Dona Dei.

Dona hominum, & dignitates, ex cælo ſunt, 262. 2. a. Deus non dat Spiritum ſanctum hominibus eadem menſura. 266.1.e. Pater omnia dedit in manu Chriſti. ibid. 2.a. Sine menſura dedit illi ſpiritum, & imperium. ibid.b. De dono Dei. 276.2.c.d. Deus petit, vt donet. 287.1.c. Cognoſcere oportet dona Dei. ibidem. Deus dona dat, propter peccatores. 352.2.a. Deus dona dat animo inhærentia, Reges dant externa. 533.2.d.

Ducere.

Is quem Chriſtus duxit, alios ducat. 142.2.a. Samaritana vocata alios duxit. 283. 1. d. Ducere ad Chriſtum caritatis eſt. ibid. 702.2.c. Ductores ſiue portitores in cœlum ſunt quidam, alij ductores in Orcum, vt Charon. 354.1.e. Ducere homines ad Chriſtum, angelicum eſt. 759.2.e. Qui non poteſt plures, ſaltem vnum ducat. ibid. 762.2

Duritia.

Regionis aſperitas, & duritia victus, hominem fortem reddit. 562.2.d. Duritia, virtus extruitur. 110.1.a. In dura petra, coluber Orci non imprimit veſtigia peccati. ibid. Duritia, & aſperitas vitæ, & veſtitus. 562. 2. d.e. Induratos milites vult Chriſtus. 370.1.c

E

Eccleſia.

Eccleſia eſt magiſtra veritatis, 682. 1. e. Eccleſia eſt Chriſti regnum firmiſſimum, 195. 2. d. Eccleſiam columnæ templi indicant, ibidem. Eccleſia ædificatur à paſtoribus, & Doctoribus, 462. 2. e. Eccleſia ſimilis Reginæ Saba. 698. 1 d. Eccleſia humilis, ibid. 2. c. Eccleſiæ principatus monarchicus vnũ habet ſummum Põtificem, 719. 2. a. Eccleſia eſt ædificium ſtabile, & fortiſſimum, ibid. b. Eccleſia regnum Chriſti ampliſſimum, 720. 2. d. Eſt regnum cœlorum, cur, ibidem. Habet in cœlis Regem Chriſtum, in terris Chriſti vicarium S. Pontificem, ibid. e. Chriſtus ædificauit Eccleſiam non ſuper arenam, ſed ſuper petram, 721. 2. e. Eccleſiam oppugnant hoſtes, ſed non præualebunt, 722. 1. c. d. Eccleſia confertur cum Arcturo, ibidem c. Eccleſia permanet, hæretici, & cæteri hoſtes euaneſcunt, ibidem 2. a. b. Eccleſiæ ædificium ſola diuina potentia ædificare potuit, ibidem e. Eccleſia operarios habebit ſemper, 723. 1. a. b. Eccleſiæ corpus virile, 463. 1. b. Eccleſiæ ſagena ex omni genere piſcium congregat, 625. 1. a. Eccleſiæ nomen quid ſignificet. Cur congregatio Chriſtianorum dicatur Eccleſia; Iudæorum ſynagoga, 313. 1. b. Eccleſia ciuitas ſuper montem, 458. 2. c. Eccleſia perpetua eſt, & fortiſſima, & ſimilis templo, 177. 1. e. Eccleſia militans adumbrata tabernaculo; triumphans templo, ibidem 2. a. Eccleſia à populo in populum transfertur. ibidem c. Eccleſiæ tabernaculum geſtant Sacerdotes, & Angeli. ibidem. Eccleſiam ædificauit Meſſias pacificus, non bellator. ibid. e. Eccleſia multos habet operarios. 178. 1. b. Eccleſia mons Moria, 179. 2. a. Eccleſia terra viſionis, excelſa, diuini cultus, illuminans, ibid. c. Eccleſiæ templum quando extrui cœpit, 181. 1. d. Eccleſiæ cœleſtis typus Sancta Sanctorum, 182. 2. c. Eccleſiæ typus fœmina profluuio ſanguinis laborans, 373. 1. b. Eccleſiæ incrementum, 618. 1. a. b. In Eccleſia boni ſunt permixti malis. 625. 1. a. b

Educatio.

De educatione, 160. 1. 2. Educatio magnum habet momentum. 162. 1. e. Exemplum Lycurgi de educatione, ibidem. Facile eſt teneros animos componere, ibid. d. Educandi filij & diſcipuli Domino, 559. 1. c

Electio.

Electores Deum ante oculos habeant, non carnem, & ſang. 424. 2. e. Quales paſtores eligendi, 423. 2. c. Ante electionem orandus Deus, vt bonum indicet paſtorem eligendum, ibidem a. Oratio, & conſideratio præcedat electionem, 771. 1. a. b. Eligendus digniſſimus, 424. 1. c. Electores affectibus ſint liberi, ibidem d. e. Electio mira Carbonarij in Epiſcopum, 2. a. Docet eligere D. Greg. Thaumaturgus, ibidem. Quærendi boni paſtores, vt eligantur, ibidem b. c. Moſes non elegit filios ſuos ad gubernandum populum, ibidem d. e. Subornatio electorum. 665. 2. c.

Eleemoſyna.

Eleemoſyna medicina animi, medici ſunt mendici, 20. 2. d. De eleemoſyna, 90. 2. a. b. 533. 1. d. 356. 2. d. e. 575. 2. c. Etiamſi pauper non petat, donanda eleemoſyna, 164. 2. c. Dat Deus ei, qui dat, ibidem. Eleemoſyna cum oratione, & ieiunio, 90. 1. a. 415. 1. c. Eleemoſyna cum alacritate danda, 356. 2. e. Eleemoſyna in cœlum mittit aurum, 764. 2. c. Propterea diuites ſunt, vt tribuant pauperibus, 415. 1. d. Eleemoſyna largienda, ibid. e. Is habet vnde largiatur, qui contentus eſt mediocritate, 2. a. De theſauro recondendo in cœlo per eleemoſynam, 508. 1. b. 513. 1. e Pauperes in cœlum diuitas ferunt, 513. 2. c. Quod pauperi dãtur, non amittitur, ſed præmittitur. ibid. d. Eleemoſynas etiam minimas Deus afficit præmio, 650. 2. b. Qui Euangelij diſſeminatores alit, ſementis eſt particeps, ibid. a. Eleemoſyna animi, & altera corporis. 663. 1. c. Qui dat eleemoſynam, reſpiciat in cœlum. ibid. e. Fecit Deus diuitem, vt probet illum de paupere. 664. 1. b. Eleemoſyna eſt donum, & fœnus, 700. 2. c. Non eſt bonum ſumere panem pauperũ, & mittere canibus, ibid. b. Eleemoſynæ obiectæ difficultates ſunt ſuperandæ, 707. 2. d. Eleemoſyna eſt ſemen meſſis glorioſæ, 708. 1. b. Fertilis ager, Chriſti manus, ibidem. Eleemoſyna danda eſt cum hilaritate, ibid. d. Pro facultatum ratione danda eleemoſyna, ibidem e. Parſimonia ſeruanda, vt aliquid pauperibus ſuperſit. ead. 2. d. Pauperes in cœlo nobis domum ædificant, 740. 2. c. Præſtantior eleemoſyna animi, quàm corporis, 761. 1. a. b. Eleemoſynam da facilem verbi, doctrinæ, admonitionis, orationis, ibidem b. Eleemoſynæ ars à diuitibus diſcenda, 665. 1. a. Eleemoſynæ vtilitas, 664. 2. c

Elias.

Eliæ panis ſubcinericius an vim habuerit ad præſtandum robur? 672. b. c. Eliæ panis vmbra S. Euchariſtiæ. 68. 1. a. Elias an ieiunauerit pluribus diebus quàm 40, ibid. b. Eliæ ieiunium, 65. 2. a. Elias in transfiguratione, 734. 1. c. d. e. &c. Elias ſecundum aduentum præcedit. 743. 1. c. Elias quomodo reſtituet omnia, 742. 2. b. c.

Epha.

Epha, ſiue Ephi quæ menſura ſit, 620. 2. d

Ephod.

De Ephod Pontificis, & ſuperhumerali, 212. 1. d

Epiphania.

Triplex Chriſti Epiphania, id eſt, manifeſtatio, 153. 1. a

Epictetus.

Epictetus Philoſophus, duo verba commendabat, *Suſtine & Abſtine.* 434. 2. b. c. Epicteti lucerna fictilis magno pretio vendita, ibidem b.

Epiſcopus.

Quid ſignificet nomen Epiſcopi, 469. 1. a. *Vide*, Paſtor, & Doctor, & Pontifex.

Ethnici.

Ethnici lapides dicuntur, ex quibus ſuſcitantur filij Abrahæ. 20. 1. a. Ethnicorum exemplum, qui fortiter tulerunt cruciatus, 456. 2. b. c

S. Euchariſtia.

De Euchariſtia, 191. 1. c. 545. 2. b. 664. 1. d. 671. 2. e. 676. 1. 2. Panis eſt ſanctus, non laicus, de cœlo deſcendens, &c. 191. 1. d. Puriſſima mente accipienda, 2. a. Mens a Euchariſt. parata aduerſus hoſtes. ibid. c. Fides neceſſaria accedenti ad Euch. oratio adhibenda, ibid. d. Menſa Euchariſtiæ velata eſt, & altare, 231. 1. e. Euchariſtiæ reuerentia ſumma exhibenda, ibidem. Euchariſtiæ ſacrificium toto orbe offertur, abrogatis antiquis, 291. 1. b. Altare Iudæorum non erat ſolidum, ſed concauum, noſtrum altare ſolidiſſimum eſt, ac pleniſſimum, 199. 1. c. d. Altare Iudæorum factum ex lapidibus impolitis, noſtrum expoliti ſſimum, propter tantum ſacrificium, ibidem. Ingreſſus in altare, eſt ingreſſus in Sancta Sanctorum, 210. 1. d Quomodo oporteat ingredi, ſine peccato, &c. ibid. Mortes & ægritudines propter Euchariſtiam malè acceptam, 2. a. Euchariſtia puro animo ſumenda, 375. 2. d. Euchariſtiæ effectus, 376. 1. b. Sanguis Chriſti vinum nouum, poſcit vaſa noua, id eſt, corda, 369. 2. d. Euchariſtia panis ſuperſubſtantialis, 500. 2. e. Fides Euchar. 675. 2. e Communio ſub vtraque ſpecie, non eſt neceſſaria non ſacrificanti, 676. 1. a. b. Caro Chriſti cur verè ſit cibus, ibid. 2. a. Quomodo dicatur panis de cœlo deſcendens, 677. 2. c. d. Euchariſtia eſt vita, 678. 1. a. Fides neceſſaria ad intelligendum myſteriũ Euchariſtiæ, 681. 2. & ſeq. Euchariſtia eſt memorabile triticum, panis ſubſtantificus, 683. 1. a. Eſt firmamentum, & remedium ad præſeruandum, ibid. *Alia de Euchariſtia lege lib. 10. cap. 9. in quo de Euchariſtia agitur.*

Eudokia.

Eudokia quid ſignificet, 736. 1. c

Examen.

Examen conſcientiæ, 765. 1. c

Excuſatio.

Excuſant ſe iniqui, 531. d. Excuſationes arborum folia, 31. 1. d. Excuſatio à confeſſione abſit, 2. a. 591. 2. b. De excuſatione, 762. 1. c

Excutere.

Quomodo Apoſtoli pedum puluerem excuterent, 639. 1. e. Quid ſignificaret hæc excuſſio, 2. a. b.

Exemplum.

Exemplum boni Prælati, 54. 2. e. Exemplum boni Doctoris, 43. 2. c. Exemplum bonum in tentationibus præbendum 43. 1. e. Exemplum prauum, ſiue ruina viri præclari, magnum affert detrimentum, 99. 1. a. Validior eſt vox operis, quàm oris, 123. 1. e. Exemplum Sanctorum, 561. 2. c. Exemplo vitæ Deum glorificamus, 499. 1. b. Exemplum Ethnicorum, qui cruciatus tulerunt, 456. 2. b. c Exemplum mirum boni ſcholaſtici, 162. 1. a. Exempla Sanctorum meditanda, 224. 2. b. Exemplum Chriſti ad patiendum, 455. 2. d. Milites Othonis ſequentes Imperatorem occiderunt ſe, ibid. c. Exemplum Martyrum, ibid. e. Exemplo parentum docendi filij. 162. 1. d. Exemplum Magnatum, 245. 2. b. Exempli vis in patre familias, & Rege, 297. 1. c. Exemplo præeat Paſtor ouibus, 311. 2. c. Exemplum vitæ bonæ præbeat is, qui peccata reliquit, 388. 2. e. Exemplum concionatorum, 427. 2. a. Homines exemplo venantur, vt aues cantu, 287. 1. a. De exemplo eorum, qui docent, 466. 2. 461. 1. a. Exemplum

lux, 459.1.a. De exemplo, 123. 1.e. 469.2. c. 646. 1.d. Vita maius pondus habet, quàm eloquentia, 647. 1. b. Christus præit exemplo, & armat nos. 730. 1.e

Exequiæ.

De exequiis, & funere mortuorum, 549.1.a.b. Exequiæ sunt solatia viuorum, & mortuorum, ibid. b. Sacrificia, preces, eleemosynæ exequiarum, ibidem.

Exercitium.

Exercitium solida reddit membra, 97.2.e

Exedra.

De exedris templi, 201. 1. b. Exedræ thesaurorum, ibid.c. In exedris habitabant Sacerdotes, & Leuitæ, ibidem. Exedræ vnde dicantur, ibidem d.

Exorcistæ.

Exorcistæ Iudæorum, 580.2.c.d

Experientia.

Experientia valeat Doctor animarum, 338.2.b.

F

Fames.

De fame & siti iustitiæ, id est, virtutis, 430.1.d.443.2.a. & seq. Fames suauem reddit cibum quemcumque, & sitis potum, 443.2.d.e. Fames virtutis suauem reddit laborem, ibid. c. Fames virtutis affert robur. 441. 1. c. Mundus famem non satiat, sed Deus, 664.2.a. In conuiuio mundi non pellitur fames, 708.2.b. Deus satiat hominem, non mundus, 741.1.e. Si sabiari vis, Deum quære, 742.1.a. Fames diuitiarum non expletur diuitiis, 436. 1.c. Fames amica virginitatis, inimica lasciuiæ, 532.2.a. Fames mundi, saturitas. 190. 2.e. & seq. Famem non extinguit mundus, 288. 2. c. Famem & sitim mundi extinguit aqua Christi, 289.1.b.290.1.d. Famem cur voluit Christus experiri in deserto, 65. 2. e. Esuriit Christus hominum salutem, 66.1.a. An Christus esurierit toto ieiunij tempore? ibid. b. An Elias, & Moses famem passi sint, cùm ieiunarunt? 67.1.c

Familia.

Ex familia pellenda vitia, 173. 2. b. Familia Pontificis, ibid.d. Familiæ zelus, Familiæ custos disciplina. ibid. e. 174.1.a. Familia Regis Dauidis qualis, 174.1.a. à familia Dauidis impij exulabant, probi illi ministrabant, ibid.b. Familiam vir bonus velut Angelus gubernat. Multis benefacit. 387.1.c. Piscinæ similis familia, ibid.

Familiaritas.

Familiaritas parit contemptum, 294. 2. b. Cur familiaritas pariat contemptum, ibid. c. Familiaritas Dei parit reuerentiam, cur, ibidem. Familiaritas improborum fugienda, 365.2.c. Familiaritas improborum mores bonos corrumpit, 614. 2.e. Familiaritas impiorum fugienda, 648.2.d.e

Febris.

De febri latè, 298.2.d.&c. Febris animi concupiscentia. Febris effectus. ibid d.e

Felicitas.

De felicitate fucata impiorum, 242. 2. b. Felicitatem terrenam habent etiam impij. ibid. a. Quæ felicitas sit expetenda, ibid. & seq. Felicitas Christiana est interna animi, 434.1.d. Mundi felicitas externa, ibid. Felicitas vera pingitur à Domino, ibid. e. *Vide*, Prosperitas. Magnæ virtutis est luctari cum felicitate, 669.2.c

Fenestra.

De fenestris templi, 192. 2. c. Cur dicantur fenestræ obliquæ, ibidem.

Fermentum.

Fermentum doctrina est hæreticorum, & Pharisæorum, 711.1.c. Fermentum à sacrificiis repellebatur, 190.1.d. Panes propositionis carebant fermento, ibid. Fermentum indicat superbiam, & inanem gloriam, 467.2.d. Fermentum in bonam & malam partem accipitur, 620. 1. a. De vt fermenti, ibid.c. Fermento simile verbum Dei, & Apostoli, e. 2. a. Fermentum bonum caritas, ibid. 2.c

Feria.

Feriæ cur dicantur dies hebdomadæ, 514.2.b.

Feruor.

Cum feruore quærenda est virtus, 439. 1. a. b. Cum feruore vis cœlo inferenda, 563.2.c

Festinare.

Cùm Deus petit aliquid, festinandum, 287.1. d.e. Ad gratiam Dei festinandum, 290. 2. a. Ad negotia animarum festinandum. 292.1.a. Ad ferendum animæ sanitatem festinandum, 298 1.b.c. Festinat obediens, 310.1.e. Festinatio ad operandum audita, 311.1. d. e. Cùm Deus vocat festinandum, 334.1.a. Gratia beneficij festinatione conduplicatur, 357. 1. a. Festinandum ad pœnitentiam, ibid.d. 385.2.c. 388.1.e. 415.2.c. Festinatio ad sequendum Christum, 359.1.e. Festinandum cùm vocamur à Deo, 363.1.a. Cum festinatione cum fratre in gratiam redire oportet, 475. 1.a. 477.2.e. Cum festinatione extinguendus est ignis iracundiæ. 475.2 b. Cunctatio ad opera bona est perniciosa, 477. 2. e. Cum festinatione templum in anima Deo est extruendum, 177. 1. b. Diabolus conterendus sub pedibus velociter, 757.1.c.

Festum.

Festa Dei sunt, Deus festum perpetuum agit, 410. 1. a.b.c.

Fides.

De rebus Fidei aliter cogitandum, quàm de rebus corporeis, 235.1.d. Res fidei imperscrutabiles. ibid. e. Fides certior visu. ibid. Fide opus est ad cognoscenda mysteria Dei, 238.2.d. Christus Fidei fuit testis oculatus, ibid.e. 239.2.a.b. 243.2.d. Qui non credit, cur dicatur iam iudicatus, 241.2.d. Fides Christi, est cœlestis, vtilissima, & certissima, 243.2.d. Fides est certissima, sed ineuidens, ibid.e. Fides sigillum est, Deum veracem esse testatur, 265.1.d.e. Fidei viuæ fructus, 267.1.a. Fides dicitur scientia propter certitudinem. 286. 1.a. De Fide Samaritanæ, ibid. Sine Fide non possunt cognosci res diuinæ, 290.2.e. Fidei ineuidentiam postulat ratio meriti, 291.1.d. Ad sapientiam non peruenitur nisi per fidem, 396.2.e. Fides ardens, & humilis. 747.2.b. Fides sicut granum sinapis, quæ, 746.1.c. Fides miraculorum, ibid. In Fide Ecclesiæ Rom. stemus & viuamus, 723.2.c. Oportet eum qui credere vult, egredi ex finibus naturæ, 698.2.a. Fides sine operibus bonis non sufficit, 399.1.a. Fidei vnitas & doctrina, 452.1.b. Diab. quibus non potest auferre fidem, conatur auferre charitatem, 530. 2. b. Non sufficit sola fides, ibid.b 526.1.e. 542.2.d. Fides, 543. 1.2. 675.2.d. Fides donum Dei; non est omnium fides, 624.1.d. 2. d. Fides sine operibus & caritate non est satis, 625. 1. c. Credere oportet, vt intelligamus, 681.1. c. Intellectus est merces fidei, ibid. In cœlo videtur Deus lumine gloriæ, in terra lumine fidei, 684.1.e

Filius.

Filij dicuntur natura, & imitatione, 432.2.b. Nomine filij vtuntur sæpè Hebræi, 542.2. b. Filium Dei naturalem, Deum esse necesse est. 53.2. d. De filiorum educatione, & disciplina, 160. 1. 2. Filiis duplex hæreditas prouidenda, ibid. 2. Filiorum animi instar statuæ effingendi, 161.1.a.2 e. Bonæ educationis exemplum egregium, ibid.1.d. Mater de filij educatione maximè sollicita, ibid. 2.b.

Fimbria.

Fimbriæ humanitatis Christi, vulnera quinque, 375.2.d Quomodo hæ fimbriæ tangantur, ibid.

Finis.

In finem reseruat Christus optima, 166. 1.d. Non est consideranda viæ asperitas, sed viæ finis, 364. 1. d. Viæ finis reddit arctam, vel latam viam, 521. 1. e. Considerandum quò via tendat, in cælum ne, an in Orcum, ibid. c.d

Fratres.

Fratres Domini, quinam appellentur, 168.1.b.c.d.631. 2.a. Fratres quot modis dicantur in Scriptura, ibid.

Fuga.

Fuga in persecutione, 642.2.a.

Funus.

In funere tibicines. 372.1.c. In funere fœminæ præficæ, ibid. 2.a.

Futurum.

Diabolus surripit præsens, offert futurum, 364 1.c.

G

Galbanum.

Galbanum, 193.2.e

Galilæa.

Galilæa duplex, superior, & inferior, 302.1.d. Galilæa fertilis, & populosa. ead.2.a. Galilæi pugnaces, ibid. 1.e. Vtriusque Galilææ longitudo, & latitudo. ibid. 2.c. Vnde sit appellata Galilæa gentium. ibid.d. Quid significet nomen Galilææ. 303. 1. d. In Galilæa cœpit publicè concionari Dominus. 305.2.c. Galilææ duæ vrbes maximæ, Tiberias, & Sepphorus. 308.2.a. Galilææ Metropolis Tiberias. ibid. 1.e. Galilææ velut Metropolis Capharnaum. ibid. Galilææ mare. ead. 1.b.

Gaudium.

Gaudium Christi salus hominum, 245. 1. d. Proposito gaudio sustinuit Christus crucem, ibid. Gaudium Martyrum in passione. 455.2.e

Garizim.

Garizim mons.276.1.e. An mons Garizim sit iuxta Sichem?ibid.2.c. Garizim mons imminet Samariæ cæteris celsior.280.1.b. In monte Garizim extructum templum Samaritanorum.279.2.a. Templum hoc quot annis steterit.ibid. Super montes Garizim, & Hebal, dictæ sunt benedictiones, & maledictiones ibid. 2.e. An Isaac ductus sit in montem Garizim vt immolaretur. 280.1.c

Gehenna, Infernus.

De Gehenna.647.2.d.Cur Infernus appelletur gehenna. 473.1.b. Gehenna siue infernus cur appelletur Tophet. ibid.d. Gehennæ timor gladius, quo resciduntur occasiones peccati. 479.1.e. Gehennam timebat D.Bernardus.440.2.a. De timore gehennæ.38.1.b.106.2.b. Finis viæ impiorum gehennæ considerandus. 364.1.d.521. 2.a.530.2.d. In gehenna sepulchra cõcupiscentiæ.299.2.c Gehenn a sepulchrum impiorum.548.2.b.Gehennam qui considerat peccatum fugit. 386.1.b. Gehennæ flammæ non extinguuntur, quemadmodũ nec flammæ solis.39.2.c Damnatorum fasciculi,613.1.e. Damnati instar victimæ, saliuntur igne tartareo, 754. 1. e. De verme immortali damnatorum,ibid.2.b

Gentes, Ethnici.

De fide gentium,543.1.e. Superauit fidem Iudæorum, ibid. Gentes Iudæis eripuerunt regnum cælorum,556.1.a. Iudæis cur primum, posteà Gentibus Euangelium prædicatum,635.2.d.e. Gentes ex canibus mutatæ in filios Dei, 698.d.e

Genesar.

De fertilitate terræ Genesar,301.1.c.668.2.a

Geraseni.

Qui sint Geraseni, & Gergeseni, & Gadareni, 342.1.a. Gerasa vrbs.ibid.b.d. Gerasẽi cur petierint à Christo vt discederet,347.2.b

Gloria cœlestis.

Gloria cœlestis multis modis nominatur,433.1.d. Gloriæ consideratio, 141. 2. b. Gloriæ desiderium cum lacrymis,703 2.b.c. Gloria conuiuio similis,542.2.a.543. 2.e. In gloria dolati lapides locantur, atque hic dolantur,178.2.a. Typus cœli Sancta Sanctorum, 182. 2. c. Ciuitas cœlestis quadrata,cur. ibid. d. Plures capit Ecclesia terrestris, quàm cœlestis, ibidem e. Gloria ostia. ibid. Gloria est palmarum,id est, victorum,ibid, Gloria in iniuriis cogitanda,433. 2.a. Gloriæ fons æternus salit in corde beati, 289.1.d. Glorię eorum qui docent, 292.1.e. Finis viæ gloria cogitanda, 364. 1. d. Gloriæ consideratio in persecutione exhilarat, 456.1.e. In gloria tabernacula extruuntur bonis operibus, 740.2.a. De tabernaculis cœlestibus, ibidem d.e. Qui gloriam cœlestem considerat, tributa soluit Deo, 366.2. a. Beati omnes videntur in maiestate. 778. 2. e. Gloria cœlestis consideranda, & desideranda, 739. 1. c.e.737.1.c. Gloria cœlesti nihil melius, ibidem e. In gloria omne bonum est,nullum malum, ibidem 2.a. Ad gloriam per labores ascenditur. ibid. b. In cœlo posita palma, in terra certamina,ibidem e. Rapit hominem gloria considerata. 740.1.b. Si tanti vitreum mundi margaritum, quanti verum gloriæ.356.2.d. Gloriæ spes ad operandum dextram excitat, 495.2.a.737.1.a. In gloria Deus est omnia in omnibus. 741.2. e. Gloriæ dona implent non arcam, sed animum.533.2.c. Spes gloriæ cœlestis,anchora,737. 1. c. In gloriam ducit Christus homines. ibidem d. e. Quosnam ducat. e. Gloria & requies sequitur post opera, ibid.2.b. Gloria Christi, & beatorum ab intus est: gloria principum, & Regum à foris emẽdicatur,738.1.c.d Gloriæ rimam in transfiguratione Christus aperuit,in cœlo pelagus aperit. ibid. d.e. Si Deus præscitis tot dedit, quid dabit prædestinatis? 738.2.b

Gloria inanis.

De inani gloria,403. 1. e. 2.c. 467.2.c.492. 493. De fermento gloriæ vanæ, 467.2.d. Vana gloria incredulitatis causa, 403.2.b. Inanis gloria homines excæcat, vt puluis, 404.1. b. Gloriam vanam fugientis exemplum, 424.1.e. Gloriæ inani opponenda est gloria cœlestis, 404.1.c. Gloria vana cauenda, 493. 2. c. d. Insidiatur virtuti, ibid. 2.e. Vltimum vitium, quod vincitur est gloria vana,494.1.a. Miraculum iubet tacere Christus, vt exemplum præbeat cauendæ vanæ gloriæ,556.1.e. In iudicio spectatores habebimus, omnes homines, 193.2.b

Gomor.

Gomor quæ mensura sit,621.1.a

Gratis.

Gratis donanda spiritualia, 636. 2. c. Gratis danda concio absque mercede inanis gloriæ,647.2.b

Gratia.

Gratiam dat Deus, pellitque peccatum, pellit malum, dat bonum, 134.1.d. Totius gratiæ arca Christus, 183. 2.c. Gratia æterna est, si peccato non abiiciatur,278.1.e. 289.2.e.Gratiæ aqua extinguit æternam sitim,ibidem 1.b Extinguit concupiscentiæ ignem ibid. Gratia est aqua Angelorum, 288. 2. a. Gratia salit in cælum, & cor in cœlum pellit,289.2.a. Gratia est aqua hominem irrigans, & fœcundans, ibid.b. Gratiæ aqua aridas etiam arbores virescere facit,ibid.c. Gratia tartareum ignem extinguit, ibid.e. Gratia aqua viua,in Deum mouetur,& salit,290. 1.a. Gratia vitam mortuis restituit, ibid. Sine gratia mundus est mare mortuum, ibid.b. Cur Paulus prius gratiam, posteà pacem in Epistolis ponat.451.1.a. Quomodo per Christum accepimus gratiam pro gratia, 112. 2. d.e.113.1.a.b.c. Gratia omnis tum noui, tum veteris testamenti à Christo est.113.1.e. Et naturam, & gratiam habet homo à Christo,114.1.a. Gratia maximè conseruanda,vt fiat fons perennis gratiæ, non cisterna arescens. 290.1.c. Festinandum ad gratiam.ibid.2.a.298.1.d.e

Gratitudo. Gratias agere.

De gratiis agendis in tribulatione. 93. 2.b. De gratiis agendis post cibum.663.2.a. De gratitudine, & memoria beneficiorum,329.2.d. Beneficij memoria,& monumentum.371.2.a.376.2.c. De gratitudine.377.1.d. Onerat nos Deus beneficio, cùm exonerat peccato.389.1.b Prædicare beneficium.536.2.a. Debeatne Deo maiores gratias innocens, an pœnitens? 573.2d. Gratias Deo debemus pro peccatis, quæ non commisimus.ibid. Proprium est Christiani etiam pro aduersis agere gratias. 663.2.c.d

Grauitas morum.

De grauitate morum,56.2.1.d.e

Gubernator.

Deus hominis gubernator, 225. 1. d. Gubernatorum concordia,& caritas.309.2.c.d. Gubernatores Reipublicæ quales esse debeant,416.1.a.b.

Gula.

Gula mala domina,semper expetit,86.2.e. Gulam comprimunt abstinentes, 87.1.a. Gulosi Deus, venter, qui debita frangit ieiunia, ibidem. Gulosi venter Nabuzardan, coquorum Princeps. ibid.b.c. Gula morbos parit. 2.4. Gula nauim mergit onustam cibis. ibid. b. Gula morborum, & mortis causa ibid.c.d. Gula parit vitia,& libidinem,ibidem e. Gula fert suppetias carni,88.1.a.b. Gula offundit tenebras menti, 2.b.c. Gula grauat mentem.ibidem. Gula orationi, & contemplationi inimica. ibid.d. Gula capiuntur homines,vt pisces, & aues cibo. 89.1.d. Gula, & crapula, fastidij, & morborum mater. ead.2.c. Mors in olla gulæ,latro gula.90.1.c. Prophetà à leone occisus,quia cibum vetito loco sumpsit. ibid.d. Gula non gignit sensum tenuem,411.1.b. Gula fugienda. ibid. In mensa sunt naufragia.764.2.d

H

Harpaste.

Harpaste cæca, cæcam se esse nesciebat,693.2.e.694.1.a

Hebal.

De monte Hebal,279.2.a.& seq.

Heli.

Heli ex throno cecidit,107.2.c.d

Hæretici.

Hæretici sal infatuatum, & absynthiatum,465. 1.a. b. Hæretici abiectissimi.461.1.e.Hæretici euanuerunt,453. 1.d.Hæretica dogmata fatua,465.1. b. c.Hæretici errores suos scripturis tegere nituntur. 107.2.e. Hæretici imitantur diabolum. 108. 1. b. Hæreticorum vox, mittite deorsum, ibid.d.e. Hæreses nascuntur, dum Scripturæ bonæ exponuntur malè.ibid.2.c. Hæreses Doctores excitant,465.1.b. De hæreticis,525.& seq.613.2.c. Hæretici veniunt non missi,mittit illos superbia,& diabolus. 525.1 c. Hæreticorum supplicium, ibid. 2.a. 526. 2.c. 530.1.a. A fermento hæreticorum cauendum, 711.1.b.c. Hæretici numquam præualebunt aduersus Ecclesiam,722. 1.c. Hæretici cognoscuntur ex fructibus,525.2.526.1.2 Hæretici spinæ, & tribuli.526. 1.b. Cur Deus hæreticos permittat,528.1.b. Hæretici probant Catholicorum fidem,& caritatem. ibid. c.d. Apud hæreticos Scriptura plena est scandalis. 690. 2. a. Hæreticos sequuntur paleæ,528.1.c. Hæretici exercent patientiam Ecclesiæ.ibid. d. Cauendi hi lupi. ibid.e. Hæretici similes serpenti, qui decepit Euam,ibid.2. d. Hæretici in scopulos trahunt,ibidem c. Hæreticorum mater superbia,d. Post profligatam idololatriam diabolus immisit hæreses. ibid. Hæretici virtutis specie se induunt, ibidem e. Hæretici Scripturæ verba proferunt, sensum furantur. 529. 1. a. Vestimenta ouium scripturæ, 528. 2. e. Scripturis abutuntur

hæretici. 529.1.b. Hæreſes naſcuntur, quia Scripturæ malè exponuntur.ibid.c. Hæretici ex margaritis Scripturæ turpe hæreſis monſtrum effingunt. ibid. d. Hæretici arbores autumnales bis mortuæ, ead. 2. b. Hæretici ſimiles arbori vetitæ.ibid.d. Hæreticorum fructus peſſimi,& ſupplicium. ibid. e. Hæretici locuſtæ ex fumo ſuperbiæ & cæcitatis. 530. 1.b. Hæretici euaneſcunt,Eccleſia permanet.ibid.c.669.1.e.722.2.a.b. Hæretici cæci ſunt. 534.1.a.693.2.d. Hæretici Eccleſiam perſequuntur.454.b.c.d. Hæretici corui extra arcam.59.1.b. Hæretici ſuperſeminant zizania. 612. 1.b. De combuſtione hæreticorum.ibid.2.e.

Herodes.

Tetrarcha Herod.receptus in amicitiam Tiberij,vrbem condidit Tiberiadem à Tiberio dictam.4.1.b. Ab Herode Agrippa eſt accuſatus. 4.2.d. Romam petiuit,vt regnum compararet,ſed exilium inuenit.ibid.b. In Hiſpania dicitur obiiſſe. ibid. Herodes Tetrarcha Ioannem coniecit in carcerem.268.1.a. Herodes Agrippa,nepos Herodis infanticidæ,coluit Caium Imperatorem : Tiberij iuſſu in vincula coniectus eſt, à Caio libertati reſtitutus,& Rex creatus,pro ferrea catena donatus aurea æqualis ponderis. Inuidit illi regni honorem ſoror Herodias.4.2.b.c.d. De filiis Herodis infanticidæ.268.1.a.b. Herodes cur famam Chriſti ſerò audiuit.652.1.d. Segnis Herodes ad videndum Chriſtum. ibid.2.b. Herodes Baptiſtam iuſſit occidi. 654. 2. & ſeq. An ſimulatè ſit contriſtatus Herodes. ibid.1.c.

Herodias.

Herodiadis filia ſaltatrix, non erat filia Herodis. 653. 2. d. Hæc puella ſaltatrix morte periit inaudita. ibid. e. Herodias transfixit acu linguam Baptiſtæ. 655. 1.a. Herodias, ſoror Herodis Agrippæ, neptis Herodis infanticidæ. 269.1.c. Herodias inſidiata eſt Baptiſtæ. 270. 1. b. Herodias an fuerit filia Regis Aretæ? 269. 1. d. An Herodiadem acceperit Herodes viuente viro? ead.2.c. Herodias cuius fuerit vxor,cuius filia.268.2.e.

Hydria.

Hydriæ Cana ſex, mundi ſex ætates: Auguſtinus. 165. 1.b. Hydriæ ſex poſitæ in Eccleſia.ibid.d.

Hypocrita.

Hypocrita quid ſignificet.493.1.a.b. Hypocritæ arbores ſteriles.494.2.d. Hypocrita non curat cor,ſed externa.445.2.e.446.1.a. Hypocrita feneſtras habet intus arctas,foris latas. 193.1.b. De hypocritis. 104. 2. a. 687. 2.d.689.2.b.

Hiram.

Hiram artifex eximius.178.1.c.

Homo.

Homo eſt magnum miraculum. 154.1.a.155.1.c. Hominis ſymbolum eſt tabernaculum. 186. 2. a. Homines ferarum mores aſſumunt.355.1.a.363.1.c. Homines improbi non ſunt homines. 363.1. c. Homo erat Noe, alij belluæ.ibid. Homo quis ſit. ibid.d.2.b. 105. 2.a. Hominem non habe nus, quia rationem non ſequimur. 388. 2.b. Hominis vita beſtialis. ibid. c. d. Homo cæleſtis planta, in cælo habeat radices. 515. 1. a. Homo vetus exuendus.411.2.b. Cura Sanctorum in ornando homine interno verſatur.693.2.d. Homo vnus habet duos homines,internum & externum.ibid.& 477.2.c.d. Interni hominis ornatus.ibidem. Homines in belluas mutati.105. 1.a. Hominis fragilitas.656.1.c.

Honor.

Honores in opinione noſtra cari, in ſe viles. 708. 2. c. Pinnacula honorum muro cingenda virtutum. 107. 2.c. Honorum throni ſimiles throno Salomonis : Fulcimenta honorum.ibidem d. Honores non efficiunt hominem verè magnum,ſed virtus. 756.2.a. b. c. Honorum pinnacula ventis periculiſque expoſita.106.2.e.107.1.d. Periculoſa templi pinnacula,id eſt, honores Eccleſiaſtici. 107. 1.a. Auguſtinus flebat ordinationis ſuæ tempore, conſiderans periculum, fugiebat Epiſcopatum, in loco humili volebat ſaluari, ne in alto periclitaretur.ibid.b.c. Honorum pinnacula horrent verubus. ibid.c. Honores breui tempore euaneſcunt. 109.1.a.b.741.2.a.b. Honorum onera penſantibus tædio ſunt honores & formidini.ibid. Honores ſunt deſpiciendi.109.1.d.e. Honores ſunt onera.177.2.c. Honores dandi dignis.109.2.a. Honores fugit Chriſtus, opprobria amplexatus eſt.665.1.c. Honor ſignificat etiam munera.688.1.a.

Hora.

Horæ Iudæorum quales. 138.1.b. Horam ſuam quam appellet Dominus.148.1.a.

Hoſtia.

Hoſtia vociferationis quæ.232.1.b.

Hoſpes.

Hoſpes probus eligendus. hoſpitia non mutanda. 638. 2.c.

Humilitas.

Humilitatis exemplum Chriſti.54.1.2.750.2.b. Humiliatus Chriſtus in Baptiſmo,& exaltatus.54.2.c. Humilitate confecta eſt Chriſti victoria.ibid.d. Humiliare ſe & inferiori ſubdere,ſummainuſtitia.441.1.b.Humilitatis gradus.a. Humilitas eſt omnis iuſtitia. ibidem. De humilitate.ibid. 126. 1.e. Humilitas eſt remedium aduerſus tentationes.95.1.d. Humili appropinquat Deus.545.1.a. De humilitate Centurionis. 544.2.e. Humiliat animam tentationis pondus.96.1.b. Locus humilitatis tranquillus & fœcundus. 126. 2.a. Aquæ & gratiæ confluunt in valles humiles. ibid. b. Humilitas reddit capaces donorum Dei. ibid.c. Humilis magnus eſt & pretioſus Deo. ibid.d. Minimum & humiliter de ſe ſentire, maximum eſt.127.1. c. Non ſunt extollenda bona, quæ habemus. ibid.d. Humilis de ſe abiectè,de aliis loquitur gloriosè. ibid. Humilis nulli ſe proponit. ibid. 2.b. Humiliat ſe doloſus nequiter. 166. 2. d. Pupilla nigra videt, id eſt, humilis, albuginem habens, i. ſuperbiam non videt. 227. 1. b. Cùm nos per humilitatem veluti decreſcimus, in nobis Chriſtus creſcit.264.1.b. Superbus malo ſuo creſcit.ibid.c. Humiles virtutes occultant,& produntur inuiti,ad exemplum.373.1.a. Humiliare oportet ſuperbum ſpiritum. ibid.2.b. Humilis non oſtentat bona ſua. 424. 2.c. Deus Sanctos velut theſaurum occultat. ibid. c. e. Humiles dicuntur pauperes ſpiritu.428.1.c. In humilitate voluit Dominus fundare dona Apoſtolorum. 309. 1. e. Humilis carbonarius.424.1.e. Peccata iuſtis cooperantur in humilitate. 94.2.d. Peccata leuiora,& concupiſcentia ſoluunt tributum humilitatis.95.1.a. Humilitas fulgentiſſimum affert finem. 665. 2. a. Humilitatis exemplar puer.752.2.a. Qui vult eſſe magnus,fiat paruus.756.2.a. Humiles vera magnitudine ſunt magni, ſuperbi falſa, ibidem d. Humiles complectitur Dominus, ſuperbos reiicit.757.1.a. Paruulis vbera præbet,non ſuperbis. ibid.

I

Iacobus.

An fuerint tres Iacobi, an duo tantùm ? 422. 1. c. An Iacobus minor fuerit is qui dicitur frater Domini, & qui fuit Epiſcopus Ieruſalem? ibidem. Iacobus minor an fuerit Matthæi frater? 421. 2. e. Iacobus minor an fuerit filius Ioſeph? An fuerit publicanus ? 422. 1. a. Iacobi Minoris genua & frons propter orationis vſum calloſa. ibid. De ſanctitate Iacobi.ibid.b.

Ieiunium.

Ieiunia Eccleſiæ ſeruanda. Vetiti cibi, peccati veneno ſunt infecti. 85. 1.c. Infirmitas ieiunij eſt fortis.86.1.e. Ieiunium frangens ſimilis Eſau.ibid.a. Ieiunium Iudith. ibid.b. Ieiunij commoda,& prærogatiuæ.ibid.d.& ſeq. Ieiunium hominem roborat aduerſus hoſtes, diabolum terret ; caſtitatem tuetur; armat hominem aduerſus carnem; carnem domat. ibid.1.2. Ieiunium ſanitatem tuetur,mater eſt ſanitatis.87.2.c.d.e. Ieiunium nutrit caſtitatem & ceteras virtutes. ibid.e. Fert ſuppetias ſpiritui. ibid. Eſt cibus virtutis. Ad doctrinam capiendam animam aptiorem reddit: ieiunio ſenſus vigent. 88. 1. e. 2.a. Ieiunium amicum contemplationi & orationi. ead. 2. d. Ieiunium mater orationis,fons ſapientiæ. ibid.e. Armatura aduerſus dæmones. 89. 1.a. Martyres multi in die martyrij ieiunabant. Daniel ieiunio armatus. ibidem a. b. Ieiunium gignit modeſtiam.ibid.c. Laqueo gulæ nos liberat,Deum placat.ibid.d.e. Ieiunium Niniuitarum mirabile,ieiunarunt etiam iumenta & pecora.ibid. Ad ieiunium confugiendum cùm punimur.ibid.2.a. Ieiunabant Apoſtoli ferè ſemper. ibid. b. Ieiunium eſt cibi condimentum.ibid. Ieiunium optimum viaticum in cælum. Comes bonus diuitibus & pauperibus.ibid.e.90 1.a. Ieiunij exemplum Prophetæ à leone occiſus. 90.1. d. Ieiunij comites oratio & elecmoſyna. ibid. e. Ieiunium duplex,corporis & animi; cibi & peccati.ead.2.e. Ieiunium magnum quod. 91.1.a. Ieiunium omnium membrorum. ibid.d. Ieiunium excipit menſa angelica. ibid. 2. a. In ieiunio fugienda gloria inanis. 505. 1. b. Ieiunia longa nonnullorum. 68.1.c. Ieiunium Quadrageſimæ. 65.1.2. Ieiunium Eliæ & Moſis. 65.1.e. Ieiunia arma aduerſus diabolum.ibid.a. Ieiunatores Elias & Moyſes viſi cum Chriſto glorioſi. 738.2.e. Ieiunium & oratio antidotum aduerſus omnia mala. 747.1.b.

Iehoua.

Nomen Iehoua continet myſterium S. Trinitatis. 217. 1. d. Quomodo exponatur per nomen 12 litterarum, &

per nomen 40. litterarum. ibid. 2. a. An ſolum hoc nomen in corona Pontif. fuerit inſculptum? 220. 1. c. Nomina hominum, quæ litteras huius nominis habebant mutata. 421. 2. c. d.

Ieruſalem.

Ieruſalem erat in ſorte Beniamin. 180. 2. d. Ieruſalem cur dicta Ariel, i. Leo Dei. 196. 2. c. Cur appelletur ſancta ab Euang. 73. 2. b. Quantum diſtet à monte in quo Dominus ieiunauit, & ab Iericho. ibid.

Ignis.

De igne altaris holocauſtorum. 199. 1. c. Ignis ex cælo miſſus. ibid. 2. a. Ignis alienus quis dicatur. ibid. An primus ignis ex cælo miſſus fuerit ſeruatus? ibid. b. Ignis ex cælo miſſus in Dedicatione templi. ibid. d. Feſtiuitas qua ligna ad nutriendum ignem ferebantur in templum, dicta xylophoria. ibid. e.

Imitatio.

Imitandus Chriſtus. 310. 2. e. Imitemur Patrem cæleſtem. 385. 1. b. Imitatio facit filios, vel Dei, vel diaboli. 432. 2. b. Chriſtus imitandus in quibus. 310. 2. e. Patrem Deum imitari debent filij. 497. 2. c. Imitandi pauci, via arcta gradientes. 525. 2. a. b. Imitatio Chriſti. 643. 2. b. 737. 2. e.

Impedimenta.

Impedimenta virtutis ſuperanda. 334. 2. d. 357. 1. d. 389. 2. c. Impedimentum eſt viatori amœnitas viæ, id eſt, vitæ. 437. 1. e. Impedimenta ſunt diuitiæ. 438. 1. b.

Imperare.

Imperandum cum manſuetudine & humilitate. 311. 2. c. Modeſtius imperanti melius obtemperatur. ibid. d. Imperioſitas nimia, & auſteritas remittenda. ibid. Imperandum cupiditatibus. 339. 2. b. Duo Reges eidem regno imperare nequeunt. 516. 1. d. Imperator noſter intus in corde imperat. ibid. 2. a. Ordo Reipub. vt alij imperent, alij obediant. 544. 2. a. Superiores ſubditos charos habeant, & honorent. ibid. b. Poteſtas omnis à Deo. ibid. e.

Impetus.

Impetu Spiritus ſancti aguntur filij Dei. 84. 2. d. e. Impetus alius carnis, alius ſpiritus. 185. 1. b. Impetus alius electorum, alius reproborum. ibid.

Impunitas.

Impunitas parit auſum. 174. 1. a.

Incipere.

Incipiendum ab oratione. 176. 1. e. Incipientes in virtutis via incedere, quomodo tractandi. 368. 2. b. Principiis obſtandum. 438. 2. c

Incarnatio.

Incarnatio. 112. 2. a. Incarnatio excedit hominum intellectum. 451. 1. e. *vide* Aduentus.

Indigere.

Deus bonorum noſtrorum non indiget: Deus petit, vt donet. 287. 1. c. Chriſtus hominum gloria non indigebat. 403. 1. e. Alexander pluribus indigebat, quàm Diogenes pauper. 437. 2. d.

Inebriare.

Inebriare ſignificat abundantiam. 151. 1. c. d.

Inimicus.

De inimicorum dilectione. 487. 2. d. 489. 2. 490. 1. Merces diligentium inimicos. 489. 1. b. Ex inimicis magna vtilitas percipi poteſt. 2. c. Qui ſtomacho valent, inimicos diligunt ibid. c. Inimicis vt ægrotis condolere debemus, & bene facere. 491. 2. a. Exemplum Chriſti de diligendis inimicis. ibid. c. Inimicitiæ eadem die extinguendæ. 438. 2. d. *vide* Parcere, Odium, Pax, Concordia.

Iniuria.

Iniuriæ læto animo ferendæ pro Chriſto. 245. 1. c. Chriſtus ignominiam crucis tulit confuſione contempta. d. In ignominiis pro Chriſto gloriandum. ibid. e. Ignominiæ beatitudinem pariunt. 433. 2. a. Læto animo ferendæ iniuriæ. ibidem. Merces pro tolerata iniuria. ibid. b. Puſilli animi eſt mordentem repetere, Magni iniurias deſpicere. 439. 1. e. Sapiens vt feras domat iniurias, ibid. 2. a. Iniuriæ deſpiciendæ. 476. 1. b. Qui iniuriam fert patienter, is eſt victor. ead. 2. c. 485. 2. c. 487. 1. b. c. Iniuriæ vincendæ beneficiis. 487. 1. b. Iniuriæ tradendæ obliuioni. ibid. c. Exempla de iniuriis ferendis. ibid. d.

Inſpiratio.

Inſpirationes Spiritus ſancti à terra ſeparant. 435. 1. b. Inſpirationes venti qui educuntur ex theſauris Dei. ibid. Malas cogitationes dæmon vt iacula præmittit. 438. 2. e. Diaboli ſuggeſtiones protinus abiiciendæ. ibid. Per inſpirationes nos vocat Deus. 547. 1. c. Inſpirationes Dei non ſint in nobis inanes. ibid. 2. b.

Intellectus.

Intellectus eſt vir animæ. 290. 2. b. Intellectus operatio maximè eſt vita. 396. 2. a. Intellectio Dei æterna, eſt vita æterna. ibid. Intellectus eſt oculus animi. 509. 1. b. Qui caret intellectu, cæcus eſt. ibid. b. c.

Intentio.

Opus in publico, intentio in occulto. 494. 1. c. Intentio bona ſubleuat opera. 495. 1. a. Is operatur ſiniſtra manu, qui non bona intentione operatur. ibid. b. Intentio animi oculus. 509. 1. e. De intentione. ibid. In oculo intentionis ne feſtuca quidem toleranda. 517. 2. b. Intentio eſt baſis & fundamentum operis. ibid. c. De intentione. ibid. Intentio lucerna animi. 590. 1. a. Intentio ſemen. 617. 1. b.

Inuidia.

Inuidus inſipiens. 415. 2. b. Inuidia ſimilis viperæ. 18. 1. e. De inuidia. 592. 1. a. b. Inuidus non eſt bonus iudex. ibid. 2. b. Diabolus propter inuidiam homines perſequitur. 595. 1. a.

Ioannes Baptiſta.

Ioannis ſpelunca. 7. 2. e. Ioan. eremi. ibid. 1. & 2. Quot annos vixerit Ioan. 652. 1. a. Ioannes Elias erat non perſona, ſed ſpiritu. 557. 1. b. 743. 1. a. b. Deſertum Iudææ in quo verſatus. 8. 1. a. Ioan. veſtitus, victus, officium. 10. 2. b. & ſeq. Ioan. indumentum aſperum. 11. 1. a. Ioan. zona an adhæſerit carni? ibid. d. Ioan. habitauit in deſerto, non in domo parentum. 12. 2. a. Ioan. paruulus eremum incoluit. ibid. b. Circa ſpeluncam Ioan. D. Helena templum extruxit. ibid. e. Ioan. officium. 13. 1. d. Non abrogauit legem veterem. ibid. a. b. Ad Ioan. concurſus miri. 16. 2. d. Abſque miraculis Ioan. vita Iudæos traxit. ibid. e. Ioannes prædicauit regnum cælorum. 17. 1. b. c. Ioan. voce, veſtitu, & victu pœnitentiam prædicauit. 26. 2. d. Ioannes ſupplicium gehennæ prædicauit. 23. 2. a. Dubitabat populus an Ioan. eſſet Meſſias. 21. 2. a. b. Ioan. militibus & publicanis dedit lac, non eſcam. ead. 1. d. Ioan. prædixit Iudæorum euerſionem. 20. 1. e. De nece Ioan. 651. 652. *&c.* Quo tempore ſit occiſus. ibid. Quot annis fuerit in carcere. 652. 1. c. Caput Ioan. ſepultum Ieroſolymis. 653. 2. a. Vbi ſit exhibitum conuiuium. ibid. Baptiſtæ corpus vbi ſepultum, & caput. 654. 2. b. c. De legatione miſſa ad Ioan. 116. Quorſum miſſa fuerit legatio. An Iudæi voluerint creare Meſſiam Ioannem? ibid. 1. a. b. An ſit miſſa duplex legatio? 119. 2. c. Ioan. cur vox clamans. 124. 1. e. Ioan. vox turturis. 123. 2. a. Ioan. vox Domini ſuper aquas: vox Domini in virtute & magnificentia, *&c.* ibid. b. d. Ioan. totus vox. ibid. 1. d. Ioan. cur dicatur vox. ibidem. Ioannes quomodo negauerit ſe eſſe Prophetam. 117. 2. a. Ioan. etiam hodie clamat. 124. 2. c. Ioan. cur diſcipulos miſerit ad Chriſtum. 559. 1. c. e. Ioan. humilitas. 127. 1. d. Ioan. cur appelletur Apoſtolus, & plus quàm Propheta. 129. 2. a. Ioan. Agnum Dei indicat. ibid. b. Ioannis officium Chriſtum manifeſtare. 130. 2. e. An Ioan. nouerit Chriſtum cùm venit ad Baptiſmum? 131. 1. d. Ioan. lucerna domus Iacob, Apoſtoli lux mundi totius. 132. 1. e. Ioan. ſimilis candelabro templi. ead. 2. c. Ioannes Chriſtum oſtendit abſentem & præſentem. ibid. d. Quomodo Ioan. ſit imminutus, & Chriſtus creuerit. 263. 2. b. c. Quonam tempore miſſus ſit Ioan. in carcerem. 267. 1. b. De loco carceris. 268. 1. b. Cur Ioan. ſit coniectus in carcerem. An Phariſæis cooperantibus. ibid. c. An Ioan. publicè arguerit Herodem? ead. 2. d. Teſtimonium Ioſephi de Ioanne. 269. 2. b. Quomodo dicatur Ioan. traditus. 273. 2. c. Cur Chriſtus prædicare noluerit, prædicante Ioanne. 305. 1. d. Ioannis teſtimonium citat Chriſtus. 400. 2. d. Ioan. cur dictus ſit lucerna. 401. 1. a. b. Cur dicatur lucerna lucens & ardens. ibidem d. Ioan. Angelus vitæ ſanctitate. 553. 2. b. Nonnulli Ioan. Angelum fuiſſe exiſtimarunt. ibid. Ioan. tempore & ſanctitate propinquus Chriſto. ibid. a. Quomodo Ioanne non ſurrexit maior. 554. 1. a. Quis in regno cælorum minor, dicatur maior Ioanne. ibidem b. c. Ioan. cur dicatur pluſquàm Propheta. 553. 1. c. 2. e. Ioannis conſtantiam laudat Chriſtus, & aſperitatem veſtitus. ibid. 1. a. De nuncio Ioannis miſſo ex carcere. 550. 1. 2. Quomodo Ioan. rogarit Chriſtum an eſſet Meſſias. ibid.

Ioannes Euangeliſta.

Ioannes fuerit ne ſponſus nuptiarum Cana? 145. 2. b. Ioan. quot annos vixerit. 146. 1. a. Ioan. filius tonitrui. 420. 2. d. An venturus ſit ante iudicium cum Elia. 743. 2. b.

Ionathas.

Ionathas vitæ diſcrimen incurrit, quod cibum à patre vetitum guſtaſſet. 85. 1. d. Ionathæ ſimilis eſt qui ieiunium frangit. ibid.

Ioſaphat.

Ioſaphat totum ſe conuertit ad rogandũ Deum, 339. 2. a.

Ioſeph.

Ioſeph ſponſus Virginis quonam tempore obierit, 145. 1. c. Ioſeph an habuerit filios ex alia vxore? 168. 2. b. Ioſeph an fuerit virgo? ibid. d. Quam artem exercuerit, 631. 1. b.

Iordanis.

De Iordane fluuio. 8. 2. e. De ortu illius, curſu, longitudine, & fine, ibid. e. & 9. 1. a. Pons Iordanis in Capharnaum, 658. 2. b.

Ira.

Ira columbæ quæ dicatur, 59. 1. c. Cur ira Dominus circumſpexit Phariſæos & Scribas, 412. 2. b. Ira tyrannorum, & Iudæorum furor, lino fumanti ſimilis, 414. 1. c. Iræ protinus occurrendum, 438. 2. c. Inimicitiæ extinguendæ, eadem die, ibid. d. Ira ne requieſcat in ſinu, ibid. Frenabat iram Theodoſius Imp. Plato, Socrates, 439. 1. b. c. Philoſ. Athenodorus docuit iram frænare, ibid. Puſilli animi eſt malum reddere pro malo, ibid. e. Iracundus ſibi & aliis eſt moleſtus, ead. 2. c. d. Iracundus ſimilis hyemi, 440. 1. a. Verba dura iram excitant, mollia verba iram frangunt, 449. 1. e. Iræ ignis confeſtim extinguendus, 475. 2. b. 477. 2. b. Ira terminis rationis circumſcribenda, 475. 2. c. Ira conſideratione iræ Dei extinguenda, ibid. e. Iræ remedia, 476. 1. b. c. Ira inſaniæ eſt ſimilis, ibid. e. Ira ſimilis idolo Moloch, ead. 2. b. Ad ſuperandam iram remedia, 477. 1. d. *&c.* Iræ mala, ead. 2. c. Ira fel eſt, ibidem d. Iræ mortificatio ſacrificium eſt, ibid. a. Ira vincitur manſuetudine, 485. 2. c.

Iſaac.

Iſaac ductus eſt in montem Caluariæ, vt immolaretur, 180. 1. a. b. Opinio Chryſoſtomi & aliorum, Iſaac ductum in montem Garizim, 280. 1. c.

Iubilæi annus.

Iubilæi annus, 630. 1. b. c. Vnde dicatur Iubilæus, ibidem d. e. Adumbrat tempus Chriſti, ibid. 2. a.

Iudex.

Iudices quales eſſe debeant, 416. 1. a. b. 468. 1. c. d. Vita iudicis & ſimilium expoſita oculis, ibid. Iudicum tria fuere tribunalia apud Iudæos, primum trium iudicum. Secundum, 23. Tertium, 72. iudicum, 472. 1. e. De iudicio ſiue concilio Sanhedrim, ibid. 2. b. Iudiciorum duo genera apud Iudæos, pecuniæ & vitæ, ibidem 1. e. Iudex malè iudicat vel ex ignorantia intellectus, vel ex prauitate voluntatis, 399. 1. c.

Iudicium.

Iudicium ſignificat damnationem, & iudicare condemnare, 241. 2. c. Iam iudicatus is, qui non credit, cur dicatur, ibid. d. Ira Dei in iudicio, 136. 2. e. Omnes homines iudicandi ſunt, 242. 2. d. Quomodo dicantur impij non reſurgere in iudicio, 243. 1. c. Cur dicatur Pater non iudicare quemquam, & dediſſe Filio omne iudicium, 334. 1. c. e. Quomodo Pater dederit omne iudicium Filio, ead. 2. c. Dies iudicij maximum honorem afferet Chriſto, 393. 1. e. Iudicium duplex diſcretionis & damnationis, ibid. 2. e. In iudicium damnationis non venient iuſti, 396. 1. a. Iudicium viſibile poſcit iudicem viſibilem, 397. 2. a. Iudiciariam poteſtatem meritus eſt Chriſtus, ibid. b. Iudicaria poteſtas cur data ſit Chriſto, ibidem c. Iudex iuſtiſſimus Chriſtus, 399. 1. b. In iudicio omnes homines reſurgent, 398. 2. b. Quomodo homines excitandi audient vocem Chriſti, ibid. c. Iudicabit homines Deus homo viſibilis, 397. 2. e. Iudicij tempore regnum & gloria Chriſti apparebit, 499. 1 d. In iudicio conſcientia loquetur, 400. 1. a. Omnia etiam minima numerat, vt remuneret, vel puniat Dominus, 706. 2. c. Ante iudicium veniet Elias & Enoch, 743. 1. c. An venturus ſit Ierem. Moyſ. Ioan. Euang. ibid. d. Iudicium extremum, 728. 1. b.

Iudicium temerarium.

De iudicio temerario, 518. 1. 2. 519. Iudicare periculoſum, 518. 1. c. Non iudicandum temerè, iudicium Deo relinquendum, 521. 2. c. Caritas iudicat bene de omnibus, ibid. e. Iudicia amantium, & inimicorum cæca, 522. 1. a. Iudicemus nos ipſos, ibid. Vitia proximi iudicamus, non noſtra. Duas manticas habet homo, ibid. b.

Iudæi. Iudæa.

Iudæi ex ſignis Chriſti aduentum Meſſiæ cognoſcere potuerunt, 710. 1. 2. Iudæorum regnum ſimile ſtatuæ Nabuchodonoſor, 23. 2. c. Cùm Iudæorum regnum deſinebat, cælorum regnum appropinquabat, 24. 1. a. Iudæa in prouinciam redacta, 4. 1. d. Iudaicæ Reipub. forma miſerrima, 7. 1. c. A Iudæis diſtabat regnum cælorum tempore, notitia, affectu, & acceſſu, 17. 1. d. Iudæi an crediderint animas tranſmigrare in aliena corpora? 118. 1. b. 714. 2. c. d. Iudæi ſignum petunt, 586. 1. 2. Iudæi dilexerunt magis tenebras, quàm lucem, 244. 1. c. Iudæi calamus quaſſatus & lignum fumigans, 414. 1. c. Iudaici pop. typus piſcina, 387. 1. d. Iudæi in Chriſti humilitatem impegerunt, 560. 2. c. Iudæi quomodo intulerunt vim regno cælorum, 556. 2. a. Quomodo Iudæos Moſes accuſet, 404. 2. b. Iudæi puniti, quia Chriſtum occiderunt, 395. 2. c. Iudæi cur dicuntur filij regni, 542. 2. b. Iudæorum purificationes & ablutiones, 149. 2. d. 687. 1. 2. Iudæis primum Euangelium cur prædicatum, 635. 2. d. 697. 1. d. Iudæi vocantur filij à Chriſto, 697. 2. b. Iudæis data cognitio Dei propter Chriſtum, 281. 1. a. Iudæi in fine conuertentur, 373. 1. c. Typus Iudæorum puella mortua, ibid. Defecit vinum in vinea Iudæorum, 165. 1. e. *Vide* Synagoga. Iudæi de Meſſia craſſas habent cogitationes, 605. 1. a. b.

Iudas Iacobi.

Iudas dictus Thaddæus & Lebbæus, 421. 2. b. c. Cur Iudas dictus ſit Thaddæus & Lebbæus, ibid.

Iudas Iſcariotes.

An propter Iudam ſit orta tempeſtas? 336. 2. e. Cur dictus ſit Iudas Iſcariotes, 422. 1. e. An Iudas fuerit improbus cùm eſt electus, ibidem 2. b. Iudas per negligentiam paulatim decidit, ibid. Cur Chriſtus Iudam crearit Apoſtolum, præſciens fore improbum? 423. 1. 2. Cur vocetur diabolus à Domino, 681. 1. d.

Iugum.

Iugum Chriſti ſuaue, 389. 1. a.

Iulius.

Iulius Cæſar Rom. Reip. formam mutauit, & traxit ad Monarchiam, occiſus eſt, 3. 1. d.

Iuramentum.

An liceat iurare? 481. 1. c. d. Non iurandum, ne peieremus, ibid. 2. d. Iuramentum neceſſitatis eſt, vt medicina, 482. 1. b. 483. 2. d. Prohibeat ne Chriſtus iuramenta per Deum ſuſcepta? 482. 1. d. Quomodo iuretur per creaturas, 483. 1. a. b. Iuramenti cauſa eſt infirmitas hominum, ibid. d. Iuramentum quomodo ſit à malo, ibid. In ſtatu innocentiæ non fuiſſet opus iuramento, ibid. e. In conſuetudine iurandi caſus, ibid. 2. c. Iurandi conſuetudo quibus de cauſis fugienda, ibid. Punitio periurij, ibid. e. Eſſeni fugiebant iuramentum, 484. 1. a. Flamini iurare non licebat, ibid. b. Sacerdotes & religioſi iuramenta fugiant, ibid. Veritas Chriſtiani iuramento non indigeat, ibid. c. Iuramentum tormenti genus, ibid. b. Remedia ad vincendam conſuetudinem iurandi, e. Iuramenti comites, ibid. 2. b. Exemplo Cliniæ Philoſophi, ibid. d. e. Conſuetudo iurandi pellenda, 656. 2. a. Primum elementum diſciplinę non iurare, ibid. Iuramenta & vota ſeruanda, ibid. c.

Iuſtitia.

Iuſtitia virtus peculiaris, 430. 1. c.

Iuſtificatio.

Deus poſtulat voluntatem ad iuſtificationem, 388. 1. b. Deus excitat voluntatem, & preuenit ad iuſtific. ibidem. Iuſtificatus bene operetur, & ambulet in cælum, 2. d. Iuſtificata ſapientia Dei à filiis ſuis, quomodo dicatur, 557. 2. c. Iuſtificata Dei ſapientia, ibid. d.

L

Labarum.

Labarum vexillum imperatorum, 252. 2. b. Labarum in crucem efformatum, ibid. 1. e. In labaro Chriſti nomen, ibid. 2. c.

Labor.

Labor noſter leuis, 24. 2. b. Iuſti vita militia & labor, ibid. c. d. In hac vita labor ſubeundus, ibid. e. Laboribus propter Chriſtum aſſueti, fortes ſunt, 98. 1. b. c. Laboribus aſſuefaciendum corpus & animus, ibid. Per labores aſcendimus in gloriam, 739. 2. b. Laboris filia eſt gloria, ibid. Labores ſunt pignora gloriæ, ibid. c. Terra locus eſt laboris & certaminis, ibid. d. e. Filij adoptiui, filio naturali Dei ſimiles laboribus exantlandis & gloria, 741. 1. c.

Lacryma.

De lacrymis, 429. 2. a. b. 440. 1. a. b. Lacrymarum fontem poſtulat hortus Chriſti, 440. 1. b. Lacrymæ virtutibus afferunt virorem, ibid. Lacrymas fudiſſe Chriſtum legimus, non riſiſſe, ibid. d. Cor ſapientium in domo luctus æterni, ibid. d. e. Lacrymæ hic vtiliſſimæ, poſt mortem inutiles, ibid. 2. b. Lacrymarum larga materia, 441. 1. b. Duæ cauſæ ſiue duo genera lacrymarum, ibid. c. Lacrymæ propter timorem gehennæ, vel propter deſiderium cæli, ibid. Irriguum inferius & ſuperius, ibid. Lacrymæ donum Dei, ibid. d. Peccati medicamentum, ibid. 2. b. Lacrymis extinguitur flamma peccati, c. Lacrymarum baptiſmus ſecundus, purgatorium peccati & diluuium, ibi. d.

Animæ captiuitas deploranda, ibid. e. Culpa deplorandæ, ne pœna æterna deploretur inutiliter, 442. 1. a. Pœnam multi deflent, non culpam, ibid. Nugas ac nænias deploramus, non crimina, ibid. Lacrymarum multæ cauſæ, ibid. c. Incipimus vitam à lacrymis, finem imponimus cum lacrymis, ibid. Medium diſſentit ab extremis, ibid. Vallis lacrymarum mundus, ibid. c. d. Lacrymas prouocant mala præſentia, præterita, & futura. ibid. 2. a. Lacrymarum magnum pretium. ibid. Lacrymæ margaritæ magni pretij quæ oculos ornant. c. Lacrymæ ſunt potentiſſimæ. ibid. Lacrymæ odoriferæ aquæ expreſſæ igne. ibidem d. Ad lacrymas mouet Spiritus ſanctus. ibid. Lacrymæ ſunt aquæ ſuper cælos. ibid. e. Solus homo lacrymatur, & ſoli homini proſunt lacrymæ. 443. 1. a. Lacrymas ſequitur conſolatio & gaudium. ibid. Vis lacrymarum 572. 2. b. Lacrymatur qui peccati nouit grauitatem. ibid. c. Lacrymæ vniones. d. Lacrymis ſuffocantur peccata. 575. 1. a. b. Lacrymæ pro peccatis. 36. 1. c. Lacrymæ reſpondent ſenſui peccatorum. 28. 2. a. Lacrymarum fons cor ſentiens peccati vulnus. ibid. Lacrymæ vim Deo faciunt. 28. 1. a. Lacrymis abluendus animus. ibid. b. Lacrymis excitanda mortua anima. ibid. e. *Vide* Contritio. de Gemitu *vide* 703. 2. c. Serui Dei cum dolore hominum peccata cernunt. 766. 2. c.

Lapis.

Lapidibus ſimiles tentationes & offendicula. 103. 1. c. 758. 1. c. De lapidibus quos Baptiſta demonſtrauit. 19. 2. a. b.

Lapides pretioſi.

Duo lapides pretioſi in quibus nomina Iſraelitarum inſculpta erant. 212. 2. b. Cur lapides dicantur recordationis. ibid. d. De 12. lapidibus pretioſis Rationalis. 213. 1. d. De lapide Sardio, Topazio, & Smaragdo. ibid. 2. b. De Carbunculo, Sapphiro, & Iaſpide. ibid. d. De Ligurio. ibid. e. De Achate & Amethyſto. 214. 1. e. 2. d. & ſeq. De Chryſolito, Onychino, & Berillo. 215. 1. b. An in lapidibus Rationalis inſculpta fuerint nomina Leui & Ioſeph? 2. b. Quo ordine fuerint inſculpta gemmis nomina. ibid. c. Per lapides Rationalis victoria prænunciata. 217. 2. e. Lapides pretioſi ſignificant viros iuſtos. 226. 1. b.

Laqueus.

Laquei diaboli ſunt tecti, opus eſt conſideratione. 104. 2. c.

Latus.

Latus ſiniſtrum & dextrum, quid ſignificent. 105. 1. e. Latus dextrum clypeo protegendum. ibidem.

Laus.

Laus in proprio vileſcit ore, & eſt ſuſpecta de falſitate. 400. 1. d. e. Os laudantis eſt conflatorium. ibid. e. Laus concionatorem facit euaneſcere. 464. 2. c. Laus Dei quærenda, non noſtra. 467. 2. b. c. Laus vera & ſolida à Deo eſt. 561. 1. e. Deus aliquos laudauit. ibidem. Laudandi viri ſancti. 2. b. Laudes periculoſæ & adulationes. 665. 2. a. Laudandus Deus ardenter. 702. 1. c.

Legatio.

Legatio miſſa à Iudæis ad Ioan. quorſum ſit miſſa. 116. 1. a. b.

Legio.

Legio quot milites complectatur, & quot dæmones. 344. 2. d. e.

Leproſus.

De leproſo ſanato. 534. An licuerit leproſis habitare in ciuitatibus? 535. 1. b. An leproſus Chriſti diuinitatem agnouerit. 2. a. An lex vetuerit tangere leproſos? ibid. c. d. Lepræ iudicium pertinebat ad Sacerdotes. 536. 2. d. e. Leproſus peccatorem adumbrat, Dei ſanguine ſanatum. 538. 1. c. d. Lepræ, id eſt, peccati, iudicium ſpectat ad ſacerdotes. ibid. 2. b. c. An leproſi fides ſuperarit fidem Centurionis? 542. 1. b. c. Cur leproſi fidem non ſit miratus Dominus. ibid. d.

Lætitia.

Lætitia immoderata, & riſus arefaciunt virtutem. 440. 1. 2. Riſus raro tribuitur ſapienti, ſtultus cachinnatur. ibid. d. Sapiens vix ridet tacitè, cor ſtultorum in domo lætitiæ. ibid. e. Gaudium quomodo dicatur decipi. 2. b. Homines in iis lætantur, quæ digna ſunt planctu. c. Lætitia immodica dicitur error, amentia, & circumlatio, & tumultus. ibidem. Ad cachinnos mouet mundus, ad lachrymas Spir. S. 442. 2. e. Lætitia ſpiritalis ad labores tolerandos neceſſaria. 507. 2. b. Lætitiam ſpiritalem parit deuotio. ibid. c. Lætitia ſequentium Chriſtum. 537. 2. b. c.

Leuitæ.

Leui 3. filios habuit Gerſon, Caath, & Merari, ex quibus 3. familiæ Leuitarum ortæ ſunt, Caathitarum, Gerſonitarum, & Meraritarum. 230. 1. c. Filij Moſis Leuitæ erant non Sacerdotes. ibid. d. Leuitarum officia in deſerto. e. Leuitæ portabant tabernaculum. ibid. 2. a. c. Leuitarum officia in terra promiſſionis. 231. 2. a. Leuitæ duo ſingulis magiſtratibus dabantur. ibid. c. Leuitæ miniſtrabant per hebdomadas, diuiſi in ſortes. ibid. De conſecratione Leuitarum. 232. 1. c. Leuitæ non habuerunt ſortem inter tribus, ex decimis alebantur. ibid. 2. d. e. Leuiticæ tribui data oppida 48. cum ſuburbanis. 233. 1. a. Ex vrbibus Leuitarum ſex erant vrbes refugij. ibid. b.

Lex.

Legem ſeruauit Dominus dum vixit, neque abrogauit dum vixit. 459. 2. a. Legem impleuit 4. modis. ibid. Lex typica eſt etiam in minimis. ibid. b. c. An lex vetus vetuerit actus peccati internos? 471. 1. b. Quomodo dicatur lex cohibuiſſe manum, non animum. ibid. c. An Iudæi putarint actus internos eſſe peccata? ibid. Lex dicitur aduerſarius, quia aduerſatur cupiditatibus. 475. 1. c. Lex Chriſti ſeruanda ne tradat nos iudici. ibid. d. Lex vſque ad Ioannem quomodo. 556. 2. e. Lex ad Chriſtum Iudæos mittebat. 559. 2. a. Lex data per Moſem, quæ vmbra erat. 114. 1. b. Lex habuit mandata & typos. ibid. c. Lex Chriſti non eſt tranſgredienda, ſed ſeruanda. 692. 1. c. Lex eſt theſaurus. ibid. Lex eſt ſepes & murus. ead. 2. c.

Libido.

Libido vrſa, quæ comedit carnes multas. 654. 2. e. Libido fugienda. 657. 1. b. Libidinoſus victima tartari. ibi. 2. b.

Libri.

Libri de rebus ſpiritualibus conſcripti legendi. 105. 2. b. c. d. e. Libri praui fugiendi. ibid. e. Libri praui corrumpunt mores. ibidem.

Lingua.

Cor iratum linguam in irata mouet verba. 449. 1. c. Lingus pacifica iram ſedat. ibid. e. Linguam exaſperat ira, vt febris. ead. 2. b. Lingua Eucharis. ibid. Lingua placabilis, & lingua ſanans. 453. 1. c. Vitta coccinea labia. ibid. Linguas ſuas improbi dæmoni tradunt velut gladios. ibidem d. Lingua tetra, & perturbans. ibid. e. Lingua eſt membrum optimum & peſſimum. 591. 1. c.

Lyſimachus.

Lyſimachus pro potu aquæ, ſe & exercitum tradidit hoſtibus. 299. 1. a.

Locuſta.

Locuſtæ Ioannis an fuerint animalia. 11. 2. d. Locuſtæ in cibum vſurpatæ. ibid. d. e.

Loqui.

Loqui ad cor quid ſignificet. 9. 1. d.

Lot.

Lot cruciabant Sodomitæ. 454. 2. e. Lot vxor verſa in ſtatuam ſalis, condit exemplo. 462. 1. c.

Lotophagi.

Lotophagis ſimiles ij, qui patriæ cęleſtis obliuiſcuntur. 740. 1. c.

Lunaticus.

De lunaticis. 745. 1. c. De lunatico à Chriſto ſanato. ibidem, *&c.* Lunatici mo aliter. 747. 1. b.

Luza.

Luza ſiue Bethel, ant ſit Ieruſalem? 180. 2. b. c.

M

Magdalena.

Quo loco vnxerit Chriſtum. 565. 1. c. Magdalenæ quatuor obſequia. 566. 1. c. An Magdalena & ſoror Lazari fuerit mulier peccatrix, quæ vnxit Dominum? 569. 1. d. e. Magdalena vnde dicatur. ibid. 2. a. Magdal. à 7. dæmoniis vexabatur. ibid. Magdal. in Galilæa nupſit, mortuoque viro impudica fuit. 571. 1. a. Magdal. quid adduxerit ad Chriſtum. ibid. b 2. c. Magdal. exemplar pœnitentiæ, & amoris in Deum. ibid. 2. c. De laudibus Magdalenę. ibid. Magdal. & ſanctorum peccata cur ſcriptura memoriæ prodat. ibid. c. Vitæ Magdalenæ tria tempora. ibid. d. Lacrymæ Magdal. 572. 1. e. 2. a. Magdal. epulum & menſa. 573. 1. c. Magdal. vas miſericordiæ. 574. 2. a. Magdal. columba in foraminibus petræ. 575. 1. e. Magdalenæ purgatorium dilectio. 574. 2. b. Magdal. mutauit amorem. ibidem. Magdalena ſignificat turrim, turris fuit expugnata. ibid. c. d.

Magedan.

Magedan quis locus ſit. 709. 1. b.

Magiſter.

Magiſtri boni quærendi. 534. 1. c.

Magnes.

Magnes ferrum rapit,annulos,*&c.*142.2.c.

Magnitudo.

Magnitudo vera eſt interna virtutum,non externa diuitiarum,*&c.*755.2.d.

Malum.

Malum vnde nam ſit ortum, 615. 1. b. c. Mali ſoli in inferno ſunt: boni ſoli,in cælo, & igne purgante. In terra boni & mali, 625. 1. b. Omne malum aut pudore aut timore natura perfudit,242.2.a. Malus fugit lucem, ibid.b. Malis vtendum bene,434.2.d. Malis breuibus ſuccedunt bona longa,25.1.a.b.

Mammona.

De ſeruitute Mammonæ, 505.2.c.506.1.a.b.

Manus.

Manus aridas qui habeant,415. 1.b.c. Manum aridam cœmentarij ſanat Dominus,412.1.b.c.

Mandata.

Mandata Dei vitæ regula, 124. 2. d. In mandatis ſeruandis conſtantia, 159. 2. c. Mandata Dei ſeruantibus Deus cibum ſuppeditat,721.1.d. Mandata Dei verus theſaurus,magna cura cuſtodienda,184.1.c.d. Mandata ſeruanda,451.2.b. *vide* Obedientia. Quænam dicantur mandata minima,460.1.2. Mandata cuſtodienda, 459. *&c.* Decem mandata, legis erant medulla,460.1.d. Mandata etiam minima ſeruanda, ibid.b. Decem mandata ſignificantur decem digitis manuum & pedum,469.2.a. Mandatorum obſeruatio ſolidum fundamentum,530.2.c. Mandata claui quibus cruci affigimur, 692.2.c. *Vide* Lex.

Manſuetudo.

Manſuetudine vincit Chriſtus vt Agnus. Manſuetudine vincit Eccleſia & Martyres, *&c.* 133.2.e. Mites nos eſſe vult Chriſtus,ibid. De manſuetudine Chriſti & benignitate, 288. 1. a. Chriſtus mitis calamum quaſſatum non confregit,*&c.*414.1.2.415.2.c.d. De manſuetudine,ibidem.429.1.2.438.*&c.* Manſuetorum præmium,439.2.b. Pax comes manſuetudinis, ibid.c. Chriſtianus manſuetudine vincit, 641. 2. b. Manſuetudine & increpatione indigent homines,711.2.d.

Mare æneum templi.

De mari æneo templi, 200. Mare æneum typus baptiſmi,ibid.c. Mare ex quo ære fabricatum,ibid. d.

Mare.

Mare dicitur vita ſæcularis,375.1.d. Mariş Dominum ſe oſtendit Chriſtus, 338. 1. c. Mare Chriſto obediuit, ibidem. Mare Galilææ, ſiue Tiberiadis, 308. 1. b. c. d. De latitudine & longitudine illius, ibidem. Iuxta mare Galilææ ſita Capharnaum, Corozaim, Bethſaida, Magdalum,& Tiberias,ibid.e.

Margarita.

Margaritæ pretioſæ homines iuſti,623.1.a. Margarita pretioſa Chriſtus auro includenda, ibidem b. Margarita Verbum diuinum, tectum integumento mortalitatis quaſi concha,ibid.b. Margaritæ ſunt ſtatus Eccleſiæ,623.2.a. Pretioſa margarita ſtatus religioſus,ibid. Quæ falſæ margaritæ,quæ bonæ, ibid. Margaritæ pretium nos ipſi, 624. 2. b.

Maria Virgo Deipara.

Virginem cur Dominus appellarit mulierem, 147. 2.c. Virg. fiducia circa miraculum in nuptiis, 149.1.a. Virginis miſericordia,163.1.e. Virginis breuiloquentia,ibid. 2.a. Virgo quater locuta in Euangelio, b. Typus Virginis mons Moria,179.2.e. Vteri Virginei laudes, 596. *&c.* Deipara beata eſt,quia Dei mater eſt,598.1.a. Virgo bis eſt mater Chriſti,599.2.d.

Martyr.

Martyrum beatitudo octaua, 432. 2.e. Martyrem non facit pœna, ſed cauſa, 433.1.e. Martyr emit vitam morte,456. 1.d. Martyr inermis vincit armatos,ibid.a. Martyrum lætitia, ibid. Martyri protinus patet cælum, ſine impedimento, ibid. d. Martyri omnia delicta donantur, ibid. e. Per mare rubrum tranſeunt Martyres, ibidem d. Martyres ſunt holocauſta digna Deo, 649.2.a. Vita inuenitur in morte Martyrum,ibid. c. Pretioſa mors Martyrum,emit immortalitatem, ibid. d. Martyris ſanguis extinguit flammas Orci, 650.1.a. Martyris tum pugna illuſtriſſima,tum corona,ibid. Mors Martyris eſt ſcala vitæ, ibid.b. Angeli ſi poſſent eſſe Martyres,libenter pro Chriſto ſubirent mortem,ibid. Martyrium porta cæli,ibid.c. Martyrum dies natalis, 655.2.c. Ad martyrium hortatur Chriſtus, 727.1.a. Martyrum ſapientia, 729.1.a. Martyrium duplex,alterum quo corpus,alterum quo cupiditas occiditur,ibid.b. Habet pax ſuos Martyres,ibid. Martyr ſignificat teſtem,ibid.c. Teſtis eſt Chriſti qui illius mandata ſeruat, ibid. In martyrio mors ſit fons vitæ: morte vita emitur,730.2.c.d. Martyr cùm perdit,lucratur, ibidem d.e. Eſt feliciter infelix,ibid.

Matrimonium.

Deus matrimonium inſtituit & honorauit, 156. 1. a. Matrimonium Adami & Euæ,ibid.b. Vir eſt fundamentum & coſta vxoris & totius domus,ibid.2.a. Matrimon. Adami & Euæ quæ nobilitauerint, ibid. b. Coniugium Adami & Euæ initum in paradiſo terreſtri, d. An in ſtatu innocentiæ,fuiſſent homines propagandi per matrimonium?157.1.b. Quales nuptiæ & matrim.fuiſſent in ſtatu innocentiæ,2.a. In nuptiis Adami & Euæ defecit vinum, ibid. b. Matrim. ante peccatum erat inſtitutum in officium naturæ, poſt peccatum etiam in remedium concupiſcentiæ, ibid. c. Matrimonium factum ſacramentum à Chriſto,d. Matrim.eſt ſacramentum magnum ratione ſignificationis, ibid. Matrim. quæ ſit ſignificatio, ibid.e. Vxoris & viri concordia in matrimonio, 158.2.a. Vxor qualis eſſe debeat & vir, ibid. 1. e. Matrim. tria bona, proles,fides,ſacramentum,2.e. Adulteria fugienda, fides ſeruanda in matrim.159.1.a. Matrim. eſt Eccleſiæ ſeminarium, 160. 1. a. Ex matrim. oritur virginitas,ibid.b. Matrim. eſt inferius continentia ac virginitate, 163. 1. a. Matrim. ciuitas parua, mons ſtatus virginitatis & contin. ibid.b. Matrim.eſt argentum,virginitas aurum,ibid.c.

Matthæus.

Matth. vbi fuerit vocatus,358.2.b. An Matth. in exigendis tributis peccarit?ibid. Duo nomina habuit,359.1. Publicanum ſe fuiſſe confitetur, ibid.b. An Matth. hoc nomen acceperit poſt conuerſionem? ibid. c. An fuerit ex tribu Leui?ibid. d. An confecerit rationes vectigalium? ead. 2. d. Feſtinatio Matth. ad ſequendum Chriſtum.ead.1.e. De conuiuio Matth. ead.2.d.e. 365.1.e. Vidit Chriſtus Matthæum oculis miſericordia plenis,362. 1.b.c. Inſigne Matthæi,homo alatus, 363.1.b. De potentiſſima vocatione Matth. ead.2.c.d. Matth. victima virginitatis,365.2.c. Deo conuiuium exhibuit,& nobis Euangelium,ibid.d. Euangelium Matth.366.1.a.

Meditatio.

Meditatio in turrim qua protegamur nos inducit, 97. 1.c.d. *Vide* Conſideratio.

Medicina.

Medicina priùs adhibenda animo, quàm corpori, 355. 2.a. Peccata priùs curanda,poſtea corpus,ibid. In morbis ad preces confugiendum,ibid.b. In manus medici incidit qui peccat, ibid.c. Non nimis fidendum medicorum arti, ibid.d. Deus eſt medicus omnipotens, qui ſanat certus, & gratis, ibid. e. Sanabat Chriſtus perfectè corpus & animam, 356. 1. d. Medicus opus eſt malè habentibus,361.1.b.c.

Mel.

Mel ſylueſtre Ioan.quale fuerit,12.1.c.d. Mel non offerebatur Deo in ſacrificiis, 190.1.d. Mel reiicit Dominus & fermentum, ſalem in omnibus ſacrificiis poſtulat, 464.1.a.

Menſa.

De menſa panibuſque propoſitionis,190.191.*&c.* Quot menſæ fuerint in templo, 190. 2.c.d. Menſa Dei ſemper eſt parata,191.1.b.c.

Meretrix.

Meretrices eſſe ex Iſraelitis lex non permiſit, 569. 2. c. An fuerit meretrix mulier illa peccatrix, 570.2.c.d.e.

Menſura.

Menſura Dei magna, conferta,cogitata, ſupereffluens, 533.2.a. Menſura qua menſi fuerimus,remetietur nobis, ibid.d. De menſuris Hebræis Sato,Epha,Gomor,Coro, & Cabo,620.2.d.e.621.1.a.

Meſſias.

Meſſiam expectabant etiam Samaritani, 282. 1.c. Cur Dominus Samaritanæ Meſſiam ſe eſſe aperuerit, ibid. d. Cur Dominus non aperuerit Iudæis ſe eſſe Meſſiam, ibidem e. Meſſiæ tempus, à Ioanne, 556. 2. d. e. Probat Dominus ſe eſſe Meſſiam, 557. 1. b. Cur Dominus non dicebat apertè ſe eſſe Meſſiam,559.2.c. Meſſiæ ſceptrum, 24.1. c.d. Cur Dominus præceperit diſcipulis, vt nemini dicerent ſe eſſe Meſſiam,724.1.c. An diſcipuli Iudæis ante paſſionem Meſſiam eſſe Dominum prædicarint? 725. 1.c.2.a.

Meſſis.

Albæ meſſes homines, metendi ab operariis Chriſti, 284.1.a. b.c. Quodnam tempus fuerit meſſis in Iudæa, ibid.2. 285.1.a 406.1.a.b. Meſſorum Chriſti præmium, 285.1.c.292.1.c.2.a. Meſſis Chriſti lætiſſima,292.2.c.d. Prima falx an mitteretur in ſegetem tempore Paſchatis,an Pentecoſtes? 406.1.a.b.

Metreta.

Metreta quæ menſura ſit, 150.1.e.

Miles.

Miles virtutem poteſt colere, 21.1. b.c.d. Militis vita animi expoſita periculis, ibid. Militia iuſta non damnatur, ibid.b.

Mina.

De Mina Hebræa, 181.2.b. De Mina Græca, ibid.c.

Minæ Dei.

Minatur Deus, ne puniat corrector, 764.2.d. Minatur Deus ignem æternum, ibid.e. Minatur Deus vt ſupplicium fugiamus, 765.1.a.

Miraculum.

Miraculum quod dæmon petiuit, cur Chriſtus noluerit facere, 71.2.d.e. Miracula fiunt ad vtilitatem, ibid. Quæ per miraculum Chriſtus faciebat, præſtantiora erant naturalibus, 150.1.a. Cur Chriſtus vinum non fecit ex nihilo, ſed ex aqua, b. Quantum vini in nuptiis præbuerit Dominus, ibid. d. An primum Chriſti miraculum fuerit in nuptiis editum? 151.1.d. An Chriſtus in pueritia fecerit miracula? ibid. 2. c. Cur Chriſtus miracula faciebat, 152.1.d.e. Chriſtus miracula non niſi cùm opus erat, faciebat, 705.1.a. Ex miraculis Chriſti debuerunt Iudæi aduentum Meſſiæ cognoſcere, 710. 1. 2. Alia ſunt ſigna primi, alia ſecundi aduentus, ibid. 1.b. Miracula ſunt radij diuinitatis, 152.2.e. Miracula Chriſtum manifeſtarunt, 153. 1. a. Miracula annuli manus Meſſiæ, ibid. d. Miracula Chriſti cum miraculis Moſis conferuntur, 2. b. Miracula non curioſa, ſed vtilia faciebat Dominus, ibid. De curioſitate in miraculis ibid. c. Miraculum magnum eſt homo, 154.1.a. 155.1.c. Miraculis aufert admirationem aſſiduitas, 154.1.c. d. Magnum miraculum gubernatio mundi, ibid.b. Miracula viſibilium naturarum inuſitatis maiora ſunt, ibid.e. Miracula Chriſti, ſigna erant, quia ſignificabant illum eſſe Meſſiam & Deum, 155. 1. d. Miraculorum fructus fides in Chriſtum, ibid.e. Miracula edere ſolet Deus, cùm nouam legem aut politiam introducit, ibid.2.c.306.1.a. Miracula ſunt pignora potentiæ Dei, 155.2.c. Miracula Chriſti ſignificant nobis aliquid, 348. 1.c.d. Cur Chriſtus nonnullis præcepit vt miracula tacerent, aliis vt vulgarent, c. Chriſtus cùm ſanabat corpus, ſanabat etiam animam, 356.1.d. De virtute, quæ exibat à Domino ad miracula efficienda, 370.2. d. 532. 1. c. Miraculorum teſtimonium profert Chriſtus, 401. 2. c. Miraculorum operatores qui damnantur, 527.1.b. Miraculum iubet Chriſtus tacere propter exemplum, 536. 1. e. Miracula Chriſti habent linguam ſuam 538.1.b. Miraculis probat Dominus ſe eſſe Meſſiam, 551.2.c. 559.2.a.b. Regnum Dei in virtute ad facienda miracula, ibid. c. Miracula annuli Meſſiæ, ſigilla, radij, & ſigna Meſſiæ, ibidem c. 153.1.b.c 671. 2.e. Miraculum ex cælo petunt Phariſæi, 709.1. 2. Diuinitas Chriſti per opera miranda oſtendebatur, 126.1.a. Miraculis Deus Chriſtum ſignauit, 671.2.e.

Miſericordia Dei.

Miſericordia Dei & iuſtitia duabus columnis templi adumbrata, 169.1.b. Chriſtus miſericors calamum quaſſatum non confringit, *&c.* 414.1.b. Duo pedes Dei miſericordia & iuſtitia, 575.2.d. Miſericordia Chriſti, 705. 1.c. Miſericordiæ Chriſti flumina, 706.1.b. Deus diues in miſericordia, 766.1.b.c.

Miſericordia.

De miſericordia, 444.2.c. *&c.* Placandus iudex Deus pecunia data pauperibus per miſericordiam, ibid.d. Miſericordia ſuperexaltat iudicium, 445.1.a. Miſericordia ſimilis oleo, quo vncti elabuntur, ibid. b. Miſericordia coniungenda cum pœnitentia, ibid.d. Miſericordiam Dei emimus noſtra miſericordia, ibid. Oſtia domus quæ Sancta Sanctorum dicitur, ex oliua: Chriſtus ex monte Oliueti aſcendit: columba excepta à Noe oliuam portat. hæc indicant miſericordiam, ibid.e. Miſericordia ſit in corde, ore, & opere, ead. 2.a. Miſericordia non expectat preces pauperis, ibid.b. Per miſericordiam ingredimur in cælum, ſi adſint cetera neceſſaria, 182.2.e. Per miſericordiam theſaurizandum in cælo, in cælo arca, 184.1.c. Miſericordia eſt ſacrificium, quod præponitur ſacrificiis pecorum, 361.1.e.

Miſſio.

Mittendus concionator, 664. 1.c. Miſſiones, ibidem. Non mittuntur hæretici, & docent, ibid.

Modeſtia.

Sit homo vnus & idem in pictura, 451. 2.c. Modeſtiæ velo operiendi ſenſus, 193. 1. c. Modeſtia ſacerdotum, 229. 1.b.

Morbus.

Morborum cauſa peccata, 352.1.c.355.2.c. Cur morbis corporis ſtatim medicinam adhibemus, non animi, 387. 2. b. Morborum animi grauitatem non conſideramus, ibid. Morbi corporis cruciant, morbi animi delectant, ideo non curantur, c.d. Morbus grauiſſimus eſt, qui faciem maximè immutat, 476.2.b.

Mons.

Mons Oliueti, 408. 2. a. De monte in quo habitus eſt ſermo de beatitudinibus, 426. 2.a.b. De monte Moria, 179. 1. d. In monte Moria extructum templum, ibidem. Quid ſignificet nomen Moria, ead. 2. a. Terra viſionis dicitur Moria, ibid.b. In monte Moria Abraham immolare voluit Iſaac, ibid.e. Terra Moria vel viſionis quæ ſit, 180. 1. a. An Iacob viderit ſcalam in monte Moria? ibid. 2.b. Mons Moria deſcribitur, 179.1.d.e.205.2.b. Mons in quem diabolus adduxit Chriſtum vbi ſit, 76. 2. a. b.

Mors.

Mortis memoria animi pedes munit, 129. 1.a. Pulchri greſſus animæ in mortis memoria, ibid. 2. a. Duplex mors, corporis mortalis, & immortalis animi, 332. 2. c. Moritur anima immortalis, quia ſeparatur à vita, id eſt, Deo, ibid. Mors triplex corporis, animi, voluptatum, ibid. Mors voluptatis quærenda, mortua anima fœtet in corpore, velut ſepulchro, 333.1.a.b. Mortem qui cogitat contemnit omnia, 109.1.a. De morte latè, 505.1.& ſeq. Mors ſenibus in ianua, adoleſcentibus in inſidiis, 506.2.c. De mortis memoria, 505.1.e. Mors deplumatos proiicit in locum cinerum, 549.2.b. Mori incipimus, cùm incipimus viuere, 297. 2. a. Mundus eſt regio morientium, ibid. Mors iuſtorum eſt nubes lucida, mors impiorum nubes tenebroſa cum tonitruo, 741. 1. b. Per multas mortes expletur vita, ibid. Singulæ ætates moriuntur, anni, dies. 297.2.a.b.c. Facilè eſt Deo hominem à morte velut ſomno excitare. 374. 2.c. Mors iuſtorum eſt ſimilis ſomno. ibid.e. Mors impiorum peſſima. 375. 1. b. Mors piſcinam mouet, mundi bona transfert. 386. 2.c. In morte Deus verſat lectum ſanctis viris. 389. 1. a. Mors duplex, prima & ſecunda in gehenna. 396. 1.a. b. Mors triplex. ibid. b. Vita damnatorum dicitur mors æterna. ibidem. Nulla peior eſt mors, quàm vbi non moritur mors. ibid. d. Mors metuenda propoſita eſt contra peccatum. 456.1.c. Mors vitam affert Martyri. ibidem d. Mortis optimus vſus quis. ibid. Mors iuſti. 617.1.c. Mors eſt falx. ibid.d. Mortem animæ afferre non poſſunt tyranni, impius ſe occidit. 648.1.c. Melior eſt dies mortis die natiuitatis. 655.2.e. Mors in martyrio eſt fons vitæ. 730. 2. c. Morte emitur vita. ibid d. Mors duplex, naturæ & abnegationis. 729. 2.b. Mortis memoria admiſcenda proſperis rebus. 739.1.b.

Mortui.

An Chriſtus plures mortuos quàm tres ſuſcitauerit? 393. 2. d. Quid indicent tres mortui à Chriſto ſuſcitati. 374.2.b. De mortuis à Chriſto in vitam reuocatis. 396. 1. d. Quomodo mortui iudicij tempore audient vocem Chriſti. 398. 2. c. Quomodo Lazarus & alij mortui audierint vocem Chriſti. ibid. d. Mortuorum ſepulchra & exequiæ. 549.1.a. Mortui dicuntur dij Ethnicorum, id eſt, idola. 716.1.a.b.

Mortificatio.

Mortificatio eſt Martyrium. 763.2.c. Mortificatio eſt fundamentum exædificandæ virtutis. 180. 1.a. Mortificatio orationis ſocia. 199. 1. b. Mortificatio frumenti ſpicas confricat. 411.1.b. Mortificatio parit pacem cordis. 448.2.e. Mortificatio cohibet affectiones veluti feras. ibid. Maius eſt mortificare paſſiones, quàm barbaros hoſtes vincere. 449. 1. a. Crucem ſibi debet fabricare Chriſtianus, id eſt, mortificationem. 692.2.c. De mortificatione vitiorum. 727. 2. a. Mortificationis crux tollenda. 729.1.d. Mors eſt mortificatio. ibid.2.b. Confertur martyrium mortificationis, cum martyrio quo homo occiditur. ibid. 1.e. Mortificatio brutorum affectuum. 730. 1.a.b. Non licet hoſtem, id eſt, carnem occidere; ſuperanda eſt mortificatione. Mortificatio eſt ſignum militis Chriſti. ibid. c.d. Profeſſionis Chriſtianæ diſciplina, non in miraculis, ſed in mortificatione commendatur. ibid. e. Qui ſe mortificant, vitam inueniunt. 831. 1. a. Mutant vitam beſtialem, in vitam diuinam. ibid. Mortificatio renouat animam. ibid.b. Mortificatorum vita apparebit in iudicio. 2.b.c. Mortificatio tollit ſcandala & offendicula animæ. 757. 2.a.

Moſes.

Moſis manus graues. Moſis nomen vnde ducatur. 114. 1. a. b. Moſes an viderit Deum in hac vita? ead. 2. c. Moſes an fuerit Sacerdos? 208. 2.b. Moſes quomodo accuſet Iudæos. 404. 2. b. In Moſe quomodo dicantur Iudæi ſperaſſe. ibid. c.d. Moſes de Chriſto ſcripſit. ibid.e. Moſi non credidiſſe cur dicantur Iudæi. 405. 1. a. Moſes non elegit filios ſuos ad gubernandum populum. 424. 2. c. Moſes apparuit in transfiguratione, quo modo. 734. 1.c.d.

Mulier.

Mulier dicta, iſſa, ab, is, id eſt, virago, à viro, 156.1.c. Mulier cur ſit condita ex latere viri? ibid.c. Cur mirabantur diſcipuli, quòd Chriſtus cum muliere loqueretur.282.2.b. Mulierum familiaritas maximè fugienda,291.2.a.b Mulier ignis,laqueus,peccati occaſio.ibidem b. An mulieres quas Apoſtoli circumducebant, fuerint eorum vxores?318.2.b. Cur Apoſtoli mulieres circũducebant.ibid.c. De muliere quæ ſanguinis fluxum patiebatur, 370. *&c.* Quænam fuerit hæc mulier. 371.2.a.b. Imaginem Chriſto poſuit.ibid.a. An mulieres fluxum ſanguinis patientes vrbibus excluderentur?ibid. d. Mulieres præficæ,372. 2.a. Mulier non eſt digna coniugio, quæ eſt digna iurgio,453.2.b. Mulierum locus in templo ſeparatus erat à loco virorum,204.1.e. Mulierum vera ornamenta,563. 2. a. b. De muliere quæ vocem extulit in turba, 596. 1.a.b

Munditia.

Munditia duplex cordis,& manuum,445.2.d.e. Munditia externa pendet ex interna, 446. 1. d. Externam munditiam multi quærunt, non internam, 447. 2. d. De interna munditia animi,ibidem.

Mundus.

Mundi opera diuina contemplanda,154.2.a. *&c.* Mundus eſt liber in quo diuina legitur ſapientia,ibid.b. Mundus ſcala Iacob, creaturæ gradus, ibid. Mundum ſignificabat veſtis antiqui Pontificis. Pontifex erat imago mundi. 222.1.d.e. Mundus enarrat gloriam Dei, 511.1.d.e. Mundus eſt liber, 529. 1.b. Abuntuntur mundo idolorum cultores, ibid. Si Deus mundum non conſeruaret, in nihilum redigeretur,391.1.b.c.

Mundus.

Mundi proſperitatem ſequitur aduerſitas, 165. Mundus eſt mare,quod amatores abſorbet.669.2.a b. Mundo adhærentes homines, lotophagis, & piſciculis ſimiles qui petris adhærent. 740.1.c.e. Qui offendicula fugere vult; fugiat mundum, 757. 2. e. Mundi cupiditas, & actiones, mola ſunt aſinaria. ibidem. Mundus periculoſior eſt blandus, quàm moleſtus. 107.1.a. Mundi honores pleni periculis,ibid. Mundum multi ſequũtur,121.1.d. Mundi vinum vaſe vitreo, & fragili continetur. 165.2.d. Finis voluptatis mundanæ venenum, ibid. Mundi voluptas exploranda,vt abiiciatur, 166.1.2. Mundi caduca bona, aqua pecorum, 288. 2. a. Mundi bona abſorbent intellectum,ibid. b. Mundi bona non ſatiant hominem, 190. 2. e. 191. 1. 288.2.c. Mundi ſitim extinguit aqua Chriſti,289.1.a.b. Mundi bona aqua contradictionis calumniæ, inimicitiæ, 290. 1.d. Mundus deſerendus cum feſtinatione, 334.1.a. Mundanæ res ineſcant homines, ibid.2.d. Mundi domus paſſerculorum nidis ſimiles,357. 2.d. Deſeramus mundum audita voce Chriſti, vt perdices.363.2.d.e. Mundus, & terra ſuſpenſo pede tangenda,516.1.a. Mundus auguſtus non capit omnes, excludit,vt capiat, 106.2.a. Mundi rebus obiectis capit animam dæmon,ibid.1.c d. Qui terrena quærunt, habitant in locis planis, facilè ab hoſtibus expugnantur.106.2.d.e. Diabolus conatur nos in terrenas curas mittere, ibidem c. Mundi bona adiectitia, 515.2.d. Mundi bona puluis, & cinis, 386. 2.e. Impiorum bona breuia, mala æterna ſequuntur,524.2.b. Mundi bona non ſufficiunt omnibus, 486.2.d. Mundi bona vinacia ruarum, 257.2. Mundi bona mobilia ſunt,386. 2.a. Mundi bona pallium breue. ibidem c. Mundus furatur corda hominum, 121. 1.d. Mundanarum rerum vanitas, & breuitas, ibid. e. 122.1.a. b. Mundus piſcinæ ſimilis, 386. 1. e. Mundi regna Deus transfert, ibid. 2. b. In medio mari, id eſt, mundo, iuſti ambulant per ſiccum,434.1.a.464.1.e. Mundi fames: ſaturitas domus Dei. 291. 1. a. b. c. Mundus primum bonum vinum ponit, tandem amaras fæces, 165. 2.b.c. Mundani non aſpiciunt cœlum, ſed terram, 387. 1.a. Mundi honor & gloria breuis,741.2.a

Mutuum.

Ex mutuo quomodo nihil ſperandum,533.1.b

N

Naim.

Naim ciuitas,546.1.a

Nathanaël.

Nathanaël an nouerit Chriſti diuinitatem, cùm dixit, *Tu es Filius Dei?* 140.1.e. 716. 1.b. Nathanaël qui fuerit: 140.2.c. An fuerit D.Bartholomæus?ibid.d. An fuerit legiſperitus? 141. 1. a. Nathanaël cur non fuerit creatus Apoſtolus, ibid.

Nathinæi.

De Nathinæis.233.2.a

Natiuitas.

Natiuitas hominis duplex carnalis, & ſpiritualis, 235. 2.c. *&c.* De generatione ſpiritali,236.2.b.246.1.2

Negligentia.

Diabolus negligentibus præualet, 593. 1.a. Qui diligentiam, & ſtudium adhibet, datur ei virtus, & comparat literas.604.2.c. De negligentia paſtorum,614.1.e. De negligentia hominum, ibid.2.b.c.765.2.d.e. Negligens relabitur in peccatum,766.1.d

Negotiatio.

Negotiationis ſpiritalis domus eſt templum. 176.1.c. à negotiatione ſpiritali incipiendum.ibid.e. Nundinæ mirabiles.445.1.d. Negotiatores ſumus.623.2.e. Qualis ſit noſtra negotiatio. 624.1.b.c. Vita mercatus eſt. ibid.

Nephthali.

Vbi fuerit fors Nephthalim. 301.2.a

Nilus.

Nili ſtrepitu aures obſurdeſcunt, ita mundi.25.2.d.Nilus eſt cœlum Ægypti.387.1.a.b

Nicodemus.

Nicodemus cur venit noctu ad Chriſtum.234.1.a Cur dicatur Princeps Iudæorum. ibid.2.a. Quo loco cum Chriſto locutus fuerit.ibid.b

Niſan.

Prima Luna menſis Niſan eſt illa, quæ propinquior eſt æquinoctio verno.284.2.e. Niſan reſpondet Martio, & Aprili.285.1.a

Nobilitas.

De nobilitate 37.1.e. Nobiles Reges ex ſeruis,& ſerui ex Regibus.ibid.2.b.c. Nobilitas quid habeat boni. ibid. c. Nobiles, & multis noti, multis ſunt auctoritati ad ſalutem.245.2.b

Nubes.

Nubes indicat gloriam Dei. 735.2.e. Nubes indicat Spiritum ſanctum.736.1.b

Nummularij.

Nummularij qui dicantur.170.1.a

Nuptiæ.

Nuptijs cur interfuerit Chriſtus. 145.1.a. An Ioſeph interfuerit nuptiis Canæ.ibid.b. In nuptijs Canæ quis fuerit ſponſus, quæ ſponſa. 146.1.2. In nuptiis vinum liberaliter Chriſtus præbuit.150.1.e. Ad nuptias vt fœlices ſint, vocandus Chriſtus. 162.2.a. Ad nuptias non eſt inuitandus dæmon. ibid.b. Tobias Deum inuitauit ad nuptias.ibid.b.d. Nuptiæ ſanctè, & caſtè ineundæ.ibid.c In nuptiis Eccleſiæ conuertit Chriſtus aquam in vinum. 164.1.2. In nuptiis Eccleſiæ numquam deficiet vinum, ibid.1.e.*Lege* Matrimonium.

O

Obedientia.

Obedientia fundamentum vitæ Chriſtianæ. 527. 2.c. 530.2.c. Obedientiam poſtulat Dei amicitia.451.2 b. Obediendum iuſſis patrum. 85.2.e. Obedientia populi in ſeruando præcepto Regis Saulis, ibid.a. Ionathæ periculum quod ignoranter non obediuit. ibid.c. Obedientia in omnibus ſeruanda.163.2.d. Obedientia vſque ad ſummum.ibid.e. Obedientia ſimplex.ibid. Obedientis aures molles,manus,pedeſque robuſti.209.2.e. Qui ſuperbiens nõ obediebat voci Sacerdotis, occidebatur,228.2.c Obedientia ad mandata feſtinat. 310.1.e. Obeditur meliùs ſuperiori, qui imperat modeſtius.311.2.c. Obedientia Paralytici, 382.2.e. Deo obediendum. 389.2.a. In via lata peccatorum non eſt obedientia. 413.2.e. Obedientia ſubditorum. 544.2.c. Obedientia talis ſit in terra,qualis eſt in cœlo. 499.2.e.Obedientiam poſtulamus in oratione Dominica.ibid. Obedientia Chriſti fratres facit,matres, & ſorores.600.2.d. Obedientia. 703.2.d.

Occaſio.

Peccati occaſiones fugiendæ.331.1.c.699.2.e. Occaſiones peccati extirpandæ etiam cum dolore. 478.2.c.d Occaſiones longè proiicendæ, ne redeant.479.1.a.b. Occaſio etiam iuſtos decipit. ibid.b. Cotys vaſa fregit, vt occaſionem iraſcendi tolleret. ibid. c. Cæſar Auguſtus occaſionem abſtulit. ibid.d. Gladius quo reſcinduntur occaſiones peccati, eſt timor gehennæ.ibid.e

Oculi.

Occuli auertendi à terrenis rebus. Ineſcant terrenæ viſiones.334 2.d.Oculi Dei omnia intuentur.Coram oculis Dei peccamus. 362.1.b.c. De oculis Chriſti. ibid. Oculis miſericordiæ Deus ſuos reſpicit ead.2.b. Oculi

maximè cuſtodiendi. 479. 2.a. Spoliant nos homines ſuis oculis per inanem gloriam, 494.1.b. Oculi columbarum, oculi ſpiritales, 58.2.b. Oculi ſe ipſos non vident, alia vident: ſic homines. 121. 2.c. Oculi quadruplices quibus iuſti cernunt, 122.1.c. Oculi feneſtræ cancellatæ, 125.2.c. Oculorũ modeſtia, ibi. Oculi Chriſti retia, quibus Matthæum illaqueauit, 126.1.a. Oculus animi fides, & ſcientia, ratio, & intentio, 589.2.c

Odium.

Odia eodem die extinguenda. 438.2.d. Ex inimicitiis & odiis multa mala naſcuntur. 439.1.a.b. Qui proximum lædunt moriuntur, vt apes infixo aculeo. ibid.d. Puſilli animi eſt mordentem repetere, ibid.e. Dauidis caritas erga hoſtem, non odium. 449.1.d. Pax, quæ per odium fugit, perſequenda, 450.1.b.c. Inimici beneficiis proſequendi, non perſequendi, ibid. c. Inimicum traxit Cæſar beneficiis, d. Non odium, ſed pax vincat in corde. ibid. 2. a.b. Pax cum inimicis, 451.1.c. Odium fugiendum, amicitia conſeruanda, ibid. 2. c. Cum aduerſario pax facienda, 475.1.e. Cum feſtinatione in gratiam cum aduerſario redeundum, ibid. a. Fratrum reconciliatio eſt ſacrificium, 478.1.b. Deus offenſus, prior nos rogauit: ſic nos priores rogemus fratres, ibid. De reconciliatione, 477.2.478.1.2. Odium cor reddit anguſtum, 491.1. d. Odium in aqua ſcribendum, amicitia in ære, 487.1.c. Odio habendum hominis vitium, diligendus homo, 488. 1.b. De dilectione inimicorum. 488.489.

Oleum.

De oleo ſacro vnctionis, quo antiqui Pontifices vngebantur, 209.1.a.b.c

Onyx.

Onyx quid ſit, 193.2.c

Opera.

Bona opera, 610.2.b. Non ſatis eſt malum fugere, oportet etiam bonum operari, 134. 2. b. c. Qui bonos fructus non producit, terram occupat, ibid.c. Opera bona veluti oleum flammam Spiritus ſancti fouet, 137.2.a Operibus diaboli in Baptiſmo renuntiamus, 247.1.b. Bene operari baptizatorum eſt, ibid. Chriſtus plantauit nos, & irrigauit, vt fructum afferamus. ibid.e. Opera non ſunt facienda propter inanem gloriam, 494.2.a.b. Opus in publico, intentio in occulto, 494.1.c. Poſt opera requieuit Deus, poſt bona opera requieſcet homo, 392.1.e. Diuites bonis operibus, 508. 1.d. Opera bona fundamentum gloriæ, ibid. Opera bona non pereunt, ſed ſequuntur operantem. 671.1.c. Gloria & requies ſequitur opera, 737.2.b. Bonis operibus extruuntur tabernacula in cœlo, 740.2.a. Paraſceue, id eſt, præparatio operum bonorum, 410.1.e. Operibus bonis vacandum, 559.2.c. Opera Dei mirabilia aſſiduitate viluerunt, 154.1.b. Opera Dei viri ſapientes contemplantur, ibid.2.d. Vide Facta & quære Factorem, 155.1.c.

Operarius.

Operarij Eccleſiaſtici typus Hiram, 178.1.c. De operariis templi Salomonis, ibid. Operariorum Chriſti duplex merces, temporalis & æterna, 292.1.a.b. *&c.* Operarius abſq; ſumptu annuntians Euangelium Paulus, ibid.d Hanc vocat gloriam ſuam, ibid. Operariorum præmium, ibid.e. Doctorum aureola, ibid.2. c. Operariis merces citò reddenda, 707.1 b.

Operari.

Semper operatur Deus. 390. 1. 2. Quomodo dicatur Deus requieuiſſe poſtquam operatus eſt. ibid.2.c.392.1.e An Deus nouas creaturas creet? 391. 1. a Quomodo Filius non operetur à ſe, ibid.2.d.e. Quomodo videat Patrem operantem, ibid.e. Quomodo Pater opera demonſtret Filio, 392. 2.a.b. Filius omnia operatur cum Patre, ibidem.

Oratio.

Oratio aliena prodeſt nobis, 352.2.a. Oratio ſanctorum iuuat nos, 356.1.e. Oratio ſcutum, & gladius. 373. 2.e. Oratio hominem transfigurat, & immutat, 737.2.d Oratio & ieiunij, eſt antidotum aduerſus omnia mala, 747 1.b. Orationis potentia, ibid.2.a. Orationis attentio, ibid.b. Oratio neceſſaria ad adminiſtranda Eccleſiæ negotia. 760.2.d. In oratione multorum conſenſus impetrat, ibid.b. Oratio Dei quæ dicatur à D. Luca, 417.1.c Orationi opportunum tempus, ibid.d. Ab oratione negotia inchoanda, 423.1.c. Oratione auxilium Dei implorandum, ibid.d.e. Oratio cœleſtis, aquæ ductus, ibid.e Timetur à dæmone, 2.a. Oratio mentalis, adumbratur altari thymiamatis, vocalis altari holocauſtorum, 189.2.d Oratio ſimilis ſuffimento, ibid. Oratio præmittenda electioni Paſtorum, 423. 2.a. Oratio ſocia mortificationis. 199.1.b. Orationi aptum tempus nocturnum, 245. 1.a. Orationi aptum tempus matutinum, 328.2.c. Orantem Deus non exaudiuit ad voluntatem ſed ad ſanitatem, vt expedit, 349. 2. c. In oratione cauenda inanis gloria, 495.1.c. Oratio ſit attenta, 496.1.b. 498.2.c. Quæ cauſæ orandi, 496.2.b. De oratione Dominica, 497. & ſeq. Oramus pro omnibus. 498.1.c.d. Oratio ſit plena attentione, reuerẽtia, & vigilantia, 2.d. De oratione, & ſupplicatione, 520.1. Conditiones, vt accipiamus, quod petimus, ibid. Oratio præcedat negotia. 522.2.c. Cum magna ſedulitate, & patientia orandum. ibid. d. Omni tempore pulſare poſſumus fores Domini, e. Chriſtus vult ſuam ianuam pulſatoribus abundare, 523.1.a.b. Faſtidia petitionum delectabilia Domino, i bid.c. Non dat Deus, quia non expedit, ibid. Oratio ſocia ieiunii & eleemoſynæ, 90.1.2. Oratio ſit ardens non negligens, 699.2.a. Perſeuerans ſit oratio, ibid.1.c. Importunos vult Deus eſſe petitores, ibid.d Orandi ſancti, ibid, 2.a. Omni tempore Deus orandus: patent ſemper illius fores, & aures, ibid.b.c

Oraculum.

Oracula Deus olim reddebet præſente Ephod, & Rationali, & quomodo, 218.2. *&c.*

Os.

Quid ſignificet aperire os, 427.1.e. Chriſtus os aperit tanquam theſaurum, & fluuium paradiſi. Sic aperiendum os, eadem 2.d.e

Oſculum.

Oſculum pacis dare antiquis mos fuit, 567.1.d

Oſtentatio.

Oſtentatio fugienda, 127.1.b. Humilis non oſtentat bona ſua, 377.1.a.b.2.a

P

Palatium

Palatium Salomonis iuxta templum erat, 201.2.a. De ſcala palatij in templum, ibid.b

Panis.

Panis mundi panis mendacij, 708.2.c. De pane Eliæ ſubcinericio, 67.2.b. Panis nomine etiam reliqui cibi ſignificantur, 500.1.b. Panis ſuperſubſtantialis quis dicatur, ibid.2.b. Panem cur petimus hodie, 501.2.b. Panis quomodo accipiatur de manu Dei, ibid. c. Panes propoſitionis cur dicantur facierum, 190. 1. a. Panes erant azymi, ibid.d. Quomodo collocabantur, ibid. Illorum magnitudo, & figura, ibid.e.2.a. An coquerentur à Sacerdotibus? 2. a. Panes Sancti qui, & qui panes Laici, ibid.b. Panis cœleſtis neceſſarius in via, 707.2.a. Si Deus panem, id eſt, cibum, non ſuppeditet, deficiemus in via, ibid.1.d

Parabola.

Parabolæ ſunt accommodatæ ad explicandas res ſpirituales. Sunt iucundæ auditoribus, 603.1.a.b. Cur parabolis vtatur Dominus, ibid. d. Syris mos erat parabolis vti, ibid.e. Antiqui ſapientes parabolis vtebantur, ibid.2.a. Parabolæ erant facta Domini. 604.1.d. Parabola, *Exiit qui ſeminat*, explicatur, 605.2.606.1. Parabola zizaniorum, 611.2.c. *&c.* In parabolis ſunt aliqua parerga, 612. 1.e. Parabola ſeminis ſenſim creſcentis, 616.1.2. *&c.* Parabola grani ſinapis, 619. *&c.* Parabolas Dominus ex quotidiano vſu ſumebat, 618.1.c. Parabola fermenti, 619. *&c.* An Chriſtus ſemper parabolis vteretur, 621.1.a. Deus in veteri, & nouo teſtamento vſus eſt parabolis, ibid.d. Quæ ſunt ſcripta in teſtamento veteri ſunt parabolæ, ibid.2.c. Parabola theſauri abſconditi, & margaritæ, 622. *&c.* Parabola ſagenæ miſſæ in mare, 624. *&c.* Parabola Regis, qui decem millia talenta dimiſit, 763. & ſeq.

Parcere.

De remittendis debitis proximo, 502.1.d.e. Parcit Dominus, ſi parcimus, ibid. 504.2.c. Parcendo manifeſtat homo animi potentiam, 502.2.b. Parcere eſt opus nobiliſſimum, ibid. Parcendum ſine numero, 763.2.a. De Rege, qui remiſit debitum, & ſeruo, qui remittere noluit, ibid. & 764. Parcendum proximo, quia Deus parcit nobis, 767.1.c. Parcendum propter Chriſtum, ibi. Parcendum proximo ſemper, & omni tempore, 768.1.c. Recordare gehennæ, vt parcas, ead.2.a Parcendum ex corde, ibid.b. Odium.

Parentes.

Parentum cura non ſollicitet viros religioſos. 164.2.d. Deus magis amandus quàm parentes, 332.2.c.644.2.b. 649.1.d. *Vide* cognati. De honorandis parentibus, 692.2.c

Paraſceue.

Paraſceue cur dicatur feria ſexta, 410.1.e

Phariſæi.

Phariſæi & Scribæ hypocritæ, dicuntur pſeudoprophetæ,

tæ, 526.2.c. A fructibus cognoſcuntur, ibid.

Paralyticus.

An paralyticus permanſerit apud piſcinam. 38. annis? 382.1.b. De Paralytico portato à quatuor portitoribus, 551.2.&c. Paralytici fidem vidit Chriſtus, & portitorum, 352.1.b.c. Propter portitores tulit opem Paralytico Dominus, ibid.2.a. Paralytico cur iuſſit Dominus lectum tollere. 354.1.d.d De animo Paralytico, 357.1.c.

Paſcha.

Paſcha primum poſt baptiſmum Chriſti, 144.1.b. Paſcha ſecundum poſt baptiſmum Chriſti. 169.1.d.e. Paſchata quatuor memorat Ioannes, 379.1.d. Quinque Paſchata poſt baptiſmum Chriſti, ibid. Quatuor Chriſti Paſchata, 651.2.b

Paſsio Domini.

Chriſtus introiuit in Sancta Sanctorum non ſine ſanguine, 187.1.c.d. Paſſio cœlum patefecit, ibid. Paſſio Chriſti meditanda, 376. 1. c. Chriſtus quò in Paſſione vilior, eò charior, 560.2.e. *Vide*, Sanguis Chriſti.

Paſtor.

Paſtorum concordia in doctrina eadem, 449.2.c. Paſtor malus oues ducit in præceps, 107.1.d. Paſtor ouium curam gerat, & animæ præcipuè ſuæ. 312.1.a. Paſtor non imponat onera grauia prædītis virtute te renera, quibus ſuccumbant, 368.2.b. Precibus petendus à Deo bonus Paſtor. 423.2.a.b. Quales paſtores eligendi, ibid.c. Paſtor quærat animas, non opes, ibid.d.e. Paſtori neceſſaria virtus, fortitudo & doctrina, 124.2.b. Paſtorem oportet clamare aduerſus lupos, 424.1.a. Paſtor eſt vox clamantis, ibid. Paſtoris boni zelus, 174.2.175.1. Paſtores viſitēt oues, percurrāt oppida vt Chriſtus, 306.2.a. Paſtorum concordia in gubernando, 309.2.c. Paſtores gerant curam animarum, 373.2.c. Quod nomina ſignificant paſtoralium dignitatum, id faciendum, 468. 2.c. Menſura paſtoralis dignitatis implenda, ibid. d. Non ſuperbiat paſtor in loco excelſo, e. Paſtor ſpeculator eſt vigilans, 469.1.a. Non ſit Paſtor idolum, ibid.b. Paſtores & Doctores inſtituti, vt ædificent & conſumment Eccleſiam, 462.2.a. Non deerunt vſque ad iudicium, ibid.c Paſtor ſic cæteris proſit, vt animæ ſuæ non obſit, 463.2.a Paſtor ſeipſum curet, vt aliis proſit, 519.2.c. De paſtore dormiente. 612.1.c.d. 614.1.e. Paſtoris abſentia. 669. 1.d. Paſtorum poteſtas, 760.1.b.c. Paſtoribus adeſt Chriſtus, ibid.2.c. Paſtor ſit miſericors: populi, non corporis ſui vtilitatem quærat, ibid. Eccleſia candelabrum aureum, poſtulat lucernas aureas, 468.2.b. *Vide*, Sacerdos, Pontifex, Operarius, Doctor, & Concionator.

Paſtophoria.

Quæ dicantur Paſtophoria. 201.1.d. An dicantur à paſtu? ibid.c

Pater.

Patrem cur appellemus Deum. 497.1.2. Patrem Deum oportet filios imitari, ibid.2.d. Pater noſter Deus, nos filij eiuſdem patris ac nobilitatis, ibid.e

Patientia.

De Patientia, 57.1.c. 610.1. 616.1.a. Peccata noſtra anteoculos ponenda, vt patienter feramus aliena, 477.1.d. Parandus animus ad ferenda mala omnia pro Chriſto, ibid. Patienter ferens iniuriam, vincit ferēdo, 476.2.c.485.2.a. Iuſti facies eſt dextra, id eſt, fortis ad excipiendas pro Chriſto alapas, 386. 1. b. Pati mala, & dare bona, eſt Chriſtiani 485.1.2 Chriſtiana religio vocat ad faciendum bona, & patiendum mala, 454.1.b. Patientia opus perfectum habet, ſi perſeueret, 642.1.d. Chriſtus vt pro nobis pateretur miraculum fecit. 738.1.e. Pati eſt magnorum, 558.1.c.d. Pati pro Chriſto glorioſum. ibid.2.d. Patientia Chriſtianum maximè demonſtrat, ibid. 1. c. Abel non eſt, qui Cain non fert, 455.1.a. Patiuntur quidam vt bonus latro, alij vt malus, ibid.d. De patientia paralytici apud piſcinam, 382.1.e. Duo ſeruanda, Suſtine, & Abſtine, 434.2.c. Mala quæ patimur breuia, bona quæ conſequimur, æterna, 524.2.a.b. Nemo patiatur, vt fur, ſed vt Chriſtianus, 455.1.c. Tolerāda perſecutio cum patientia & gaudio, ibid.2.a. Patiens communicat paſſionibus Chriſti, Prophetarum & Martyrum, ibid.b. Patientia, & gaudium Martyrum, ibid.d. Ad patiendum Chriſti, & Martyrum exemplum, ibid. Patientia inermis vincit armatos, 456.1.a. Regnum cœlorum patientia expugnatur, ibid.d.e. Patientiæ præmium, ibid. Patientia pœnam conuertit in gloriam, ibid. Patientia optimè vtitur morte, & malis, ibid.c. Ethnicorum exemplum, ibid.2.b. Magnus honor pro Chriſto ferre iniurias, 487. 2.d. Philoſophorum exempla, ibid. 1. d. e. Chriſtus præit nos in laboribus, & patientiæ armat exemplo. 730. 1.c. *Vide*, Perſecutio, Iniuriæ.

Paulus.

An Paulus habuerit vxorem? An virgo fuerit? 318.2.e. 319.1.c.d. Paulus precibus D. Stephani donatus. 356. 2.b. Tuba magniſona. 96.2.b. Pauli ſtimulus carnis quid ſit. 95.1.e. Paulus Euangelium annuntiabat abſque ſumptu. 292.1.c.d. Hanc vocat ſuam gloriam. ibid.

Paupertas.

Pauper Euangelicus nihil habet, & omnia poſſidet. 332. 1.c. De paupertate. ibid.1. 2.435. 1.2. Chriſtus non habuit vbi caput reclinaret. ibid.1.d. Pauperes diſcipulos voluit habere Dominus, 364.2.b. Paupertas expedita, diuitiæ graues. ibid. Cur alios pauperes eſſe velit Deus, alios diuites. 415.1.d. Pauperes ſpiritu qui ſint. 428.1.c.e. Cur dicantur pauperes ſpiritu. ead.2.b. Paupertas genus martyrij. 433.1.d. Pauperes ſpiritu facit Spiritus ſanctus. 435.1.a. Magnum facinus opes relinquere. ibid.b. Pauper ſpiritu facit iacturam vtiliſſimam. ibid.c. Ne mergat, pondus diuitiarum abiicitur. ibid.d Paupertas commutat terrena cum cœleſtibus. ibid.2.a. Vberrimus fructus paupertatis, ibid.b. Paupertas emit Chriſtum opibus. ibid. Paupertas eſt margarita, cuius pretium Chriſtus oſtendit. ibid. c. Paupertas eſt ſecura, tranquillat cor, ibid.e. Sitim explet diuitiarum, ditiſſimum hominem reddit. 436. 1. c.d. Paupertas hominem liberat ex ſeruitute, ibid. 2.c. Paupertatis libertas. 437. 1.b. Paupertas tollit viæ impedimenta, ibid.c. Sitim cœli accendit. ibid.2.a. Habet pro ſeruis dominos regum. ibid. b. Paupertas docet quis ſit optimus vſus diuitiarum. d. Abiicit ex manibus opes, vt cœlum rapiat. 438.1.2. Velut incantationem diuitiarum euertit. ibid.b Fundamentum eſt & radix perfectionis. ibid. d. Euertit fundamentum Babylonis, ibid. Parit manſuetudinem, & humilitatem. ibid. e. Pauperes ſpiritu rapiunt cœlum, 564.1.d. Pauperes ſpiritu ſimiles ſunt Angelis. 437.2.c. Paupertas eripit nos ex captiuitate. 624. 2. c. Pauperibus euangelizauit Chriſtus, 629.1.c

Pax.

Pacis tempore conceptus pacificus Dominus. 178.1.b. De pacificis. 432.1.a.b. 448.1.2.&c. Pax hominis eſt, cùm pacatæ ſunt paſſiones, & rationi ſubiectæ, ibidem b. Bellum inteſtinum non poteſt omninò hîc extingui, ibid. Pacifici qui pacem faciunt in ſe, & in aliis. c. Cur Pacifici vocentur filij Dei. ibid. 2.a. Pacificare filij Dei officium, ibid.c. Chriſtus dicitur pax noſtra, Princeps pacis, Rex Salem, Salomon. 448.1.c. Pacificator maximus Chriſtus, ibid.d. Pacificationis Chriſti magnum beneficium.e. Chriſtus pacem fecit inter nos & Angelos. 2.a. Pax triplex, cordis, oris, & operis. ibid.b. Pacem cordis habent mortificati. ibid. Pacifica verba ſedant iram, 449. 1.c. Pacificus homo benedictus, ibid.2.a. Pax quæ fugit perſequēda eſt, 450.1.b.451.2.c. Pax beneficiis comparanda, 450.1.c. Pax vincat in corde, non odium, & inimicitia. ead.2.c. Pax triplex, cum Deo, cum proximo, pax hominis in ſe ipſo. ibidem b. Ad pacem nos inuitat per legatos Deus prior. ibid.c.d. Deus pacis, bellum non vult gerere, ibid.b. Pax cum Deo per pœnitentiam. ibid.e Pax Dei quomodo ſuperet omnem intellectum, 451. 1. a. De pace & concordia Chriſtianorum, 452. 1.a.b.c. Pax Rempublicam conſeruat, eſt murus Reipublicæ, ibid.2.c. d. Pax perfecta in cœlo, 453. 1. b. Pax fructus labiorum, ibid. De pacis perturbatoribus, ibid.d.e. Pax vobis, ſalutatio Hebræorum, 639.1.a. Pacis nomine felicitas ſignificatur. ibid. Quomodo reuertitur ad nos pax. ibidem b. Pax mala quædam eſt & diſſoluenda, 48.2.c

Peccatum.

Peccata ſunt trabes, & feſtucæ, 519.2.b. Peccata quædam mortalia, alia venialia, 502.1.b. Peccata ſunt debita noſtra, 501.2.e. Diabolus in peccata deorſum nos conatur mittere. 106.1.d. Peccata ſunt cibus diaboli, 103. 2.a. Conſenſus in peccatum, 102. 2. e. In peccato eſt auerſio à Deo, & conuerſio ad creaturam, ibid.c 121.1.b. Peccata iuſtis cooperantur in humilitatem. 94.2.e. Peccata leuiora, & concupiſcentia ſoluunt tributum humilitatis, 95.1.a. Primus gradus ad ſanctitatem eſt, peccatum pellere animo. 134.1.e. Non ſatis eſt peccatum fugere, fac bonum. ibid. Peccatorum ſeruus eſt impius. 96.2.b. Peccatum eſt debitum grauiſſimum, 765. 1. d. Vnde ſoluatur. ibid.2.b. Peccati remiſſum debitum an redeat? 767.2.e. Peccatum ſi tegitur, inardeſcit vt febris. 31.2.d. De peccatis detegendis confeſſario. ibid. Peccata in die iudicij omnia apparebunt. 32. 1. 2. Peccare non erubeſcimus, & erubeſcimus confiteri. ibid.2.c. Peccatum cum clamore eſt culpa cum libertate, 591.2.a. Peccata ſunt veræ ſordes. 691.2.a.b. Satius eſt mori, quàm peccare, 753. 1. d. Peccatum mundi quod ſit. 130. 1. b.

Peccata tollit Chriſtus,ibid.2.b.c.135.2.a.b. Peccatum quomodo Chriſtum fecerit Pater, 133. 1. d. Peccatum magna facilitate intrauit in orbem. Magno labore pulſum eſt.136.1.b.c. Peccatum homo improbus facilè committit,ibid. Peccato toto conatu reſiſtendum, c. Peccata tollit Chriſtus vt Agnus cum miſericordia & manſuetudine,& tollit omni tempore vitæ, ibid, e. 2.a.b. Peccata aufert Chriſtus vt leo,& vt Agnus,ibid.2.d.e. Peccata cum manſuetudine tollenda, 137. 1. b. Qui vult aliorum peccata tollere, ſua tollat priùs, 522.1.d.e. Peccata impium vinculis conſtringunt vt ſatellites, 159. 2. a. Peccata ſunt ſerpentes: cum contritione aſpicienda, vt ſanemur,249.2.b.c. Peccata animam decore priuant, 299. 1.a.b. Peccata dimittere Deus ſolus poteſt propria poteſtate,352.2.e. 356.1.c. Peccata remittere eſt miſericordiæ Dei,356.1.c. Peccata mortifera remittuntur ſolùm in terra,357.2.b. Peccata cordis,operis, conſuetudinis,374.2.a. Peccata retinent homines delectatione, 387.2.c. Peccata etiam minora, & venialia fugienda, 469,2.a. Peccata cauſa morborum, 352. 2. c. 355. 2. b. 383.1.b.

Peccator.

Peccator vt mortuus fœtet, putreſcit, &c. 333. 1. b. c. Peccatoris imago dæmoniacus,348.2.b. Peccatoris vita porcina,349.1.b. Peccatores ferarum ſpeciem referunt, 355.1.a. Peccatoribus naufragis ſuccurrendum,ibid.b.c Peccatores quærit Deus, & vocat, 369. 2.b. Peccatores inſtar equorum ruunt in peccata, 373. 2. a. Peccator calamus quaſſatus,& linum fumigans,414,1.c.415.2.d. Peccator cibus diaboli, 461. 2. b. Peccatores zizania, 612. 1.a. Cur Deus non occidat omnes peccatores, ibid. 2.c. Peccator reſurgit à peccato Deo auxiliante, 765. 2. b.c. Peccatores animam, corpúſque diabolo vendunt minimo pretio,648.2.b. Peccator eſt clauſus Deo,702.1.c

Pecunia.

Pecunia malo yſu conſpurcatur,656.1.d

Pedes.

Pedes duo Chriſti, miſericordia, & iuſtitia, 575. 2. c. Pedes animi indicant affectus, ij ſunt abluendi. 200. 2. b. Pedibus nudis miniſtrabant antiqui Sacerdotes, ibid a. Pedes animi amor, 437. 1.d.e. Pedum ablutio in conuiuiis. 567.1.b. Pedum excuſſio Apoſtolorum,639.1.c

Pendêre.

Pendent ex Deo creaturæ omnes & mundus, 390. 2. & 391.1.b

Pœnitentia.

De Pœnitentia, 262. c. & ſeq. Viam Chriſto parat, clauſas Deo fores aperit. Myrrha eſt probatiſſima. Viam parat in cœlum. Tabula eſt poſt naufragium. Anguſta porta. Arcta via ducens ad vitam. Sententiam reuocat. Parit gaudium. Virga eſt. Regnum cœlorum expugnat. Vim cœlo infert. Baptiſmus eſt lacrymarum. Mate templi. Pœnitentiæ exemplum,ibid.27.1.a.b.&c. Pœnitentiam ſequitur confidentia. Peccatorum confuſio, 32.2.c. Pœnitentiæ fructus,19.1.2. Pœnitens iudex ſui ipſius, aduerſus ſe exercet iudicium, 35. 2. c. Pœnitentia vim facit regno cœlorum,& rapit illud,556.1.c. Pœnitentia non eſt differenda in mortem, 36. 2. d. Pœnitentiæ commoda. 37. 1.a. Pœnitentia dulcis, ibid. Pœnitentia parat viam Domino, 9.2.d.125.1.a.b. Quodnam ſit maius donum, pœnitentia,an innocentia? 573.2.d.e. Vter Deo debeat gratias maiores,pœnitens,an innocens,ibid.d. Parcit illi Deus,qui ſibi non parcit,33.1.c. Per pœnitentiam pax cum Deo fit,450.2.e. Pœnitentia aperit cœlum,187.2.a. Pœnitentem decet veſtis humilis, ibid. Pœnitentia & oratio,199.1.b. Pœnitentiæ typus,200.1.c. Pœnitentiam Chriſtus prædicare incipit, 305.2.c. à Pœnitentiæ prædicatione cœperunt Chriſtus,& Ioannes, ibid. Pœnitentia lætitiam parit,365.1.2. Pœnitentia non eſt differenda,ſed mox agenda, 364.1.a.373.2.a.b.766.1.a. Typus pœnitentiæ,385.1.c. Humilis pœnitentia,ibid.2.a. Feſtinandum ad pœnitentiam, 357.1.d.389.1.c. 298. 1.2. Expectat Dominus pœnitentiam peccatorum, 615. 2. e. Deus quomodo dicatur agere pœnitentiam vel pœnitere, 766.1.c. Pœnitentes qui de longè veniunt, egent refectione meditationis,707.2.d

Pœna.

Pœna damni,& pœna ſenſus,267.2.a

Perdix.

Perdix oua furatur aliena,excludit pullos, à quibus deſeritur,363.2.d.e

Perſeuerantia.

De perſeuerantia, 210.1.a.619.1.c.642.1.d.e. Remedium ad perſeuerandum eſt Euchariſtia,682.2.e. Perſeuerantia in petendo,699.1.b. Perſeuerantia in labore,& patientia,706.1.c. In hac vita non eſt tempus deſcendendi de cruce,729.2.a

Perſecutio.

De perſecutionis tolerantia,453.2.&c. Extrema beatitudo & apex beatitudinũ,palma horti Domini,Cur vltimo loco ſit poſita. ibid. 1.c.d. Non deſunt perſecutiones Chriſtiano,454.1.a.b. Tempus hoc certandi eſt cum perſecutionibus, ibid.b. Non eſt res noua perſecutio, ibid. Vaticinium Chriſti de perſecutionibus.642.1.c. Ad ferendas perſecutiones, Chriſtus ante oculos ponendus, 643.1.d.2.b. Nos ipſi nos perſequimur, hæc perſecutio putatur pax, 454.1.c.d. Perſequuntur nos vitia, perſequitur corpus, dæmones, ibid.d. Perſequuntur Eccleſiam Tyranni, & hæretici,ibid. 2. b. Perſequuntur improbi probos,ibid.c.b. Lot Perſecutio. ibid.e. Typus perſecutionis,455.1.a. Cauſa ferendæ perſecutionis iuſtitia,ibid b. Qui perſecutionem tolerant,Chriſtum ſequuntur, ibid.2.a.b. Gaudium in perſecutione, ibid. e. Perſecutoris præmium, 456. 1.a. Perſecutio hominem clarificat,probat,& conſummatum oſtendit,432.2.d. Perſecutio non facit martyrem, ſed perſecutionis cauſa, 433. 1.2.e.455.1.d

Petrus.

Nomen Petri quando fuerit impoſitum Simoni, 139. 1. c.d.420.2.c. Nominis Petri magnam Chriſtus habuit rationem. Rem ſummi momenti ſignificabat. Petra Eccleſiæ,ibid.717.2.c. Petrus Apoſtolorum primus,420.1.c. 2.a.b. An Petrus fuerit ætate prouectior Andrea?139.2.c. Petrus petra ædificio Eccleſiæ aptiſſima,142.1.e. Ex naui Petri, id eſt, Eccleſia docet Chriſtus,311. 2.a. Petrus duxit in altum fidei, 312. 2. a. b. Petri piſcatio quid adumbret,ibid.c. De domo Petri in Capharnaum,de vxore Petri,& ſocru,317.1.b. De nomine Cephas, 420.2.c. Petrum non eſt allocutus Chriſtus verbis, quibus repulit diabolum, 79. 2. a.b.725.2.c. Petrus cur primus ſit dictus à Matthæo,635.2.b. Petri fides & amor,667.1.c.d. 669.2.b.680.2.e. Adumbratio negationis Petri, 669.2. d.e. Petrus duas in vno ſuppoſito Chriſti naturas confeſſus eſt,diuinam & humanam, 715. 2. d. e. An Nathanaël,& alij Chriſtum filium Dei ſint confeſſi eodem ſenſu quo Petrus,716.1.b. Petrus fuit filius Ionæ, id eſt, columbæ Spir. S.ibid.2.d.e. Petro pollicetur Dominus ſummum Pontificatum, 717. 2. a. Petra appellatur Petrus à Chriſto, ibid. c.d. Petrus eſt fundamentum Eccleſiæ poſt Chriſtum,qui primum eſt fundamentum, 718. 1.d.e. Ex ſententia Patrum Petrus oſtenditur eſſe petra, & fundamentum Eccleſiæ, ibid.2.a. Petro promittuntur claues regni cœlorum,720.2.e. Petro datus Pontificatus Ioan. 21. ibid. c. Petri gloria admirabilis,723.1.e. Petrus columna Eccleſiæ fundata ſuper baſes aureas,ibid.2.e.Petrus non paxillus in loco fideli, vt Eliacim,ſed petra,& rupes, ibid.1.d. Petrum Chriſtus honore affecit,cùm pro ſe, & Petro tributum ſolui iuſſit, 749.2.e. Petri fides,750.2.a

Pica.

Mirum de pica,quæ tibicines eſt imitata,372.1.e

Pilatus.

Pilatus præſes Iudææ quintus,annis decem,4.1.c. Quo tempore miſſus in Iudæam,ibid.d. In exiliũ miſſus mortem ſibi conſciuit,ibid.e.Pilatus ſcripſit ad Tiberium Cæſarem de Chriſto, 3.2.b.c.d. Sub Pilato Acta publica in Iudæa,ibid.e. Pilatus multis exagitatus calamitatibus, 4.1.d.e. De Pilato quid Philo,ibidem 2.a

Philippus.

Philippus frater Herodis vir quietus,ibid.2.e.Faciebat inter ſella ſubſequẽte,ex qua ius dicebat,ibi. Cæſareã Philippi inſtaurauit,5.1.a. Deprehẽdit Iordanis originẽ,8.2.d

Philautia, Amor proprius.

Suum cuique pulchrũ,400.2.a. Homines ſunt amantes ſui,& ideò amãtes adulatorũ,ibid.Nemo vnquã neq; Poëta, neq; Orator fuit,qui quemquam meliorem quã ſe arbitraretur,ibid. Excæcat Philautia oculos mentis,559.1.d

Pinnaculum.

De Pinnaculo templi,73.2.d

Piſcina.

De piſcina probatica,379.2.&c. An victimæ in piſcina abluerentur? ibid.c. Cur dicatur probatica. Vbi fuerit, 380. 2. a. b.c. Quo tempore ab Angelo mouebatur, ibid.d. Cur in piſcina miraculum Deus ederet, 381.2.a. Piſcinæ miraculum quando deſierit, ibid. d

Podêris.

Quid ſit veſtis podêris, 211. 1. d. e. In veſte podêris quomodo totus erat orbis terrarum,222.1.a

Polymitum.

De opere polymito,212.1.c

Pontifex antiquus.

In veteri lege vnus erat Pontifex. Erat præterea alij 24. qui dicebantur Principes Sacerdotũ, & ſanctuarij, 229. 2. a b. c. *Vide* Sacerdotes. Pontificatus quanta dignitas apud Iudæos, pluris illam faciebant quãregiam. 209. 1. a. Pontificis vnctio. ibid. Pontificis boni typus. ibid. 2. b. c. Pontificiæ vnctionis oleum, ibid. 1. a. De Pontificis ingreſſu in Sancta Sanctorum, ſemel in anno, 210. 1. c. Quibus diebus Pontifex miniſtraret in templo, ibid. 2. a. Pontifex antiquus in templo miniſtrans oſtenditur, ibid. b. c. De veſtibus Pontificis, 211. 1. c. Pontificis tunica hyacinthina. ibid. d. De tintinnabulis, ibid. 2. d. Quorſum appoſita veſti Pontificis tintinnabula, 212. 1. a. Fimbriæ veſtis Pontificis. ibid. c. De ſuperhumerali, ſiue Ephod. ibidem d. e. &c. De Rationali iudicij, 213. 1. d. e. *&c.* Pontifex cur portabat nomina filiorum Iſraël in pectore, & humeris, 212. 2. c. 213. 1. c. Pontifex erat imago mundi. In veſte Pontificis erat orbis terrarum, 222. 1. a. Cur Pontifex imago mundi. 223. 1. b. c. Quid adumbrent veſtes Pontificis, 222. 223. Pontifex Chriſti vmbra, 225. 2. d. De cingulo Pontificis, & tiara, 219. *&c.* De tunica ſtricta, & femoralibus, 220. 1. e. *&c.* An tunica ſtricta habuerit oculorum figuras? ead. 2. b. Cingulum Pontificis duplex. ibid. d. Mille veſtes Pontifici fieri iuſſit Salomon, 221. 1. d.

Pontifex ſummus Eccleſiæ.

Summum Pontificem adumbrat antiquus Pontifex, 225 2. *&c.* Summus Pontifex fert orbem humeris, habet ſub poteſtate ſua omnes Epiſcopatus, ibid. 2. a. Doctrinæ cognitio ad Summum Pontificem pertinet. ibid. b. Summus Pontifex portat totam Eccleſiam. Fert pectore doctrinam, & veritatem, ibid. b. c. Summus Pontifex iudicium dicit toti orbi. ibid. d. Summum Pontificem Deus gubernat, & illuminat, Eccleſia vnum habet Summũ Pontificem, eſt Principatus Monarchicus, 719. 2. a. 720. 2. e. Pontifex ſummus gubernatur à Spiritu ſancto. 722. 1 a. b. Pontifex dignitatem, à qua exornatur, moribus exornet, 210. 2. a. b Pontifex ſuperet virtute Sacerdotes, 223. 1. d. Pontificis vitam oportet eſſe pretioſam, ibid. e. Pontifices proſequendi reuerentia, 224. 1. c. Pontifices portent ones in corde, & humeris, ibidem. Pontificum onus graue. ead. 2. a. De ſapientia Pontificis, 225. 1. a. b. 721. 1. d. e

Porcus.

Porcina caro cur Iudæis interdicta, 349. 1. d. Porcina vita, ibid. Porcis delectatur diabolus, ibid. B. Improbi ſimiles ſunt porcis. ibidem.

Porta.

Quid ſignificant portæ, 719. 2. e. 720. 1. a. b. Chriſti porta patet omnibus, 243. 2. a. Porta gregis. 380. 2. a. Porta anguſta ad vitam, 521. 1. a. 524. 1. b. Porta templi ſpecioſa quæ. 204. 1. e. Portæ templi decem, ibid. c. Portæ inferi quid ſignificent, 720. 1. c. In portis erat curia, & forum, ibid. c

Porticus.

De porticibus templi, 197. 2. d. e. De porticu Salomonis, 198. 1.

Prædium.

De prædio, quod Iacob dedit Ioſeph, 274. 2.

Prælatus.

Deus propitius dat bonos Prælatos, & Reges, 544. 2. d. e. Omnis poteſtas à Deo eſt, ibid. c. *Vide.* Paſtor, Doctor, Sacerdos.

Præmium.

Deus etiam minima afficit præmio, 645. 1. e. Omnia etiam minima munerat, vt afficiat præmio vel ſupplicio, 706. 2. c. Præmia laborum reddenda famulis, *&c.* ibid. e.

Præparare.

Præparauit Dauid impenſas templo ædificando. 182. 1. d. Præparare oportet neceſſarias impenſas ad officia. ibid. c. Qui turrim ædificare vult, præparat ſumptus, ibidem.

Præſides.

Præſides prouinciarum muſcis cur ſimiles dixit quidam. 4. 1. a. Præſides Iudææ vſque ad Pilatum, ibidem b.

Præſentia.

Præſentia Dei vbique conſideranda, 362. 1. b. c. 766. 2. c Deus vbique eſt, omnia cernit, 496. 1. b. Deum præſentem ſemper intueri, eximium eſt aduerſus peccata remedium, 758. 2. d. Angeli ſemper, etiam in terris, Deum cernunt, imitandi à nobis, ibid. e.

Probatio.

Probantur homines in rebus arduis. 92. 2. d. e. Quomodo probetur adamas, 93. 1. a. Probantur iuſti, vt adamantes, & vt vaſa figuli, ibid. c. Probant amicos res aduerſæ, 338. 1. e. Probat Deus homines non ſibi, ſed nobis, & Angelis. 93. 1. d. Probandi ſunt ſpiritus, 104. 2. b.

Procraſtinare.

Non procraſtinandum, 141. 2. e 298. 1. d. e. Diabolus ſuadet procraſtinare, 364. 1. a. b. 374. 1. Procraſtinatio in bonis pernicioſa, 477. 2. e

Prodigalitas.

Prodigalitas fugienda, 656. 1. d. 665. 1. b

Propheta.

Propheta cur honorem non habet in patria, 294. 2. a. 632. 1. a. Pluſquam Propheta cur dicatur Ioannes, 553. 1. c. 2. d. e. Prophetis non ſunt nota omnia, 566. 2. e. Prophetarum habitus, cilicium, 10. 2. d.

Proſperitas.

Proſperitas obeſt, aduerſitas prodeſt. 107. 1. e. Proſperitatis damna, ibidem, Proſperitas eſt breuis temporis, 109. 1. d. Proſperitas pompæ prætereunti ſimilis, ibid. Proſperitas, & aduerſitas citò eunt, 125. 1 d. Proſperitatem mundi ſequitur aduerſitas, 165. 2. b. Proſperitas vitreo continetur fragilique vaſe, ibid. d. Proſperitas abſorbet intellectum, 288. 2. b. Proſperitas velut amœnitas viæ, remoratur viatorem, 437. 1. e. Proſperitas impiorum indicium damnationis, 532. 2. c. *Vide*, Fœlices. Etiam ventus proſper naufragium affert. 669. 2. b. Magnæ fœlicitatis eſt, non vinci à fœlicitate, ibid.

Propitiatorium.

De propitiatorio, 184. 1. 2. An fuerit tegmen Arcæ? ibid, 2. b. Quid abumbret. ibid. d

Propoſitum.

De propoſito firmo non peccandi, 29. 1. a. 124. 2. e

Propoſitio.

Quid ſit propoſitio, ſiue problema in ſcriptura, 622. 2. a.

Prouidentia.

Prouidentia Dei etiam ad minima pertingit, 644. 1. b c. Prouidentiam hominis peculiarem habet Deus, 648. 2. a. Deus liberaliſſimè prouidit hominibus cibum, 664. 1. c. d.

Proximus.

Proximi calamitatibus condolendum, 767. 1. a. Proximus eſt omnis homo, 488. 2. b. Quod tibi vis fieri, proximo fac, 520. 2. c 523. 1. d. e. 766. 2. d. Proximi commoda quærenda non noſtra, 451. 2. d. Proximi ſalus magno ſtudio procuranda, 355. 1. c. De cura proximi habenda, 470. 1. b. 668 2. c. Cura proximi maximè indicat amorem Chriſti. 470 1. a. Angelicum eſt ſaluti proximi inſeruire, 758. 2. e. Succurrendum eſt proximo. 761. 1. e. 762. 2. a

Pſeudopropheta.

Pſeudoprophetæ pallio ſaccino induebantur vt mentirentur, 525. 1. d. Pſeudoprophetarum ſupplicium. ibid. 2. a. Falſi Prophetæ qui, 526. 2. c

Publicanus.

An publicani fuerint Ethnici? 360. 1. c. Quinam fuerint publicani? ead. 2. b. Publicani cur apud Iudæos infames fuerint, ibid. c

Puer.

Puer ſignificat famulum, 661. 2. c. Puer proponitur exemplar humilitatis, 752. 2. a. Pueri non ſcandalizandi, 753. 2. d

Pugna.

Tempus hoc eſt, tempus pugnandi, 454. 1. a. b. c. De pugna dæmonum contra homines, 99. 2. 100. 1. Pugnat Deus pro nobis, 100. 1. e. Vndique ſunt bella, & vndique præſidia, ibid. 2. c. d. Conculcatur diabolus ab iis, qui fortiter pugnãt. 101. 1. b. c. De modo pugnandi cum dæmone, ibi. d. Diabolus non vulnerat niſi volentes, ibid. e. Pugna cum diabolo nullas habet inducias, vbique nos inuadunt dæmones, oportet ſemper eſſe armatos. 105. 2. a. Omni ex parte tela volant. ibid. Vncti ſumus ad pugnam, 384. 2. e. Ex nobis prodeunt hoſtes, 694. 1. d. Duæ vrbes bellum gerunt, Ieruſalem, & Babylon: Eccleſia, & Tartarus, 719. 2. d. Non præualebit Babylon. ibid. e. Intra nos armati ſunt

ſunt hoſtes, 729. 2. d. Semper gladio diſtricto ſtandum in acie. ibid. c. Non licet hoſtem, id eſt, carnem occidere: mortificatione ſuperanda eſt. 730.1.a b. Terra locus eſt pugnæ: cœlum triumphi, & coronæ, 739.2.c

Pulchritudo.

Pulchritudo impudici, annulus eſt aureus in naribus ſuis. 572.1.a. Pulchritudo bonæ fœminæ ſancta, eſt ſimilis lucernæ ſanctæ templi. 159.2.c.d. Pulchritudo animæ bonæ, 298.2.c. Pulchra anima iuſta in terra, pulchrior in cœlo, 741.2.c.d

Punica mala.

Punica mala quid ſignificent. 196.1.a.224.1.c. Punicummalum Hebraicè, Rimon, habet litteras nominis Roma. 225.2.b

Purgatorium.

De purgatorio. 583.1.a.b

Puteus.

Puteus Samaritanæ. 288.1.d. Putei Mundi. 290.1.d.e

Q

Quadrans.

Quadrans & minutum, & as. 475.2.a

Quadratum.

Vir bonus eſt quadratum, 182.2.d. Ciuitas cœleſtis quadrata, ibid.

Quadrageſima.

Quadrageſima eſt vita iuſtorum, quam ſequitur lętũ Paſcha. 91.1.a.b. De Quadrageſimæ ieiunio. 652. 661. Quadrageſimæ typus. 187.2.c

Quærere.

Quærentibus æterna bona, dat Deus temporalia, 98.1.2. Prius quærendum regnum Dei, & ante omnia, 515.1.c.d. *&c.* Suſpenſo pede quærenda terra, 516.1.a

Quies.

Quies æterna cœli, 410.1.c. Quies Deo propria ibid.b. Quies animi iuſti. ead.2.a. Quietem perturbant cupiditates. ibid.b. Quies conſcientæ bonæ. 340.1.c.348.2.c Quieſcendum à labore puſillum. 658.1.c. Quies in ſolo Deo. 681.1.a

R

Raca.

Raca quid ſignificet. 471.2.c. *&c.*

Ratio.

Hominem non habet is qui non regitur ratione. 388. 2.b.c. Qui rationem non ſequitur ducem, viuit beſtialiter. ibid.c. Ratio & intellectus vir animæ, 290.2.b. Ratio ſequenda, non ſenſus. ibid.c.d. Rationem reddemus ante tribunal Chriſti. 795. 1. b. Oportet parare animam ad reddendam hanc rationem per examen conſcientiæ. ibid.

Rationale.

Rationali præſente, & Ephod, olim Deus reddebat orala, & quomodo, 218. 1. 2. *&c.* De rationali Pontificis, 213. 1. 2. De Gemmis Rationalis. *Vide*, Lapides. De Vrim, & Thumim. 216.2. Doctrina, & Veritas quomodo fuerint in Rationali. ibid.b

Redemptor.

Redemptorem mundi oportebat eſſe innocentiſſimum abſque omni peccato. 133.1.c.134.1.a Redemptio Chriſti vna & æterna. 136.2.a. Chriſtus Redemptor mundi totius ibid. c. Redemptor eſt propitiatorium aureum, in quod omnium ſæculorum homines reſpiciunt. ibid. Redemptio Chriſti clementiſſima, vniuerſalis, æterna, ibid.

Regulus.

Regulus quis fuerit? An fuerit Iudæus? An fuerit Regis inſtar? 295.2.a.b. An Regulus venerit ad Chriſtum animo tentandi? 296.1.c. Regulus confertur cum Centurione. ead.2.c. Cur Dominus voluit ad Centurionem ire; & noluit ire ad Regulum. ibid.

Reges.

Reges ſunt columnæ Reip. coronatæ lilijs, catenis, & malis punicis exornatæ. 196.1.c. Deus propitius dat Reges bonos, & magiſtratus. 544. 2. d. Regibus ſubditi chari ſint & & pretioſi 544.2.545.1.2. Reges & Principes famulis laborum præmia reddant. 706.2.c

Regnum.

Regnum quod tuetur Deus eſt leo Dei. 196.2.c. Regnum Chriſti. 266.2.b. Regnum cur fugit Chriſtus, 665.1.c Regnum Dei ſumitur quatuor modis. 449.1.d. Regnum Dei tempore iudicij. ibid.2.b. Vnum regnum non capit duos Reges. 516.1.d. In Republica alij imperant, alij parent. 544.2 a. Regno cœlorum inferenda eſt vis, 563.2. d.e *&c.* Regnum cœlorum in veteri teſtamento non promittebatur, 17.1.c. Regnum cœlorum primus Ioannes expreſſo nomine prædicauit. ibid. Regnum cœlorum cur appelletur Eccleſia, ibid.2.a. Regnum cœlorum cur Ioannes dixerit appropinquare. ibid. 1. c. Regnum cœlorum quid ſignificet, ibid.e. Regnum diaboli in impios. 78.1.d. Regna diabolus dare non poteſt, mentitur. 79.1.b. Regna dat Deus bonis, & malis. c. Regna orbis parui facit Deus 24.1.c

Relapſus in peccatum.

Qui in peccatum relabitur ſimilis arundinibus, porcis, & canibus. 561.2.e. Fugiendus relapſus. 187.2.a Qui relabitur dat pœnas grauiores. 383.1.c.d. Qui relabitur ſimilis eſt vxori Lot. 463.1.e. Fugiendus relapſus, 385.2.e. 766.1.d. Delectatio, cauſa relapſus, 387.2.e. De relapſu in peccatum, 596.1.a

Religio, Religioſus.

Religio, & cultus Dei eſt columna populi. 195.1.d.196. 2.d. Vir religioſus ſit mortuus cognatis. 310.2.d.600. 1.b. Religioſus ſit ſimilis picturæ, procul ab oculis hominum, 63.1.d. Religioſus facit mercaturam quæſtuoſiſſimam, 623.1.e. Religioſus pauper, dives eſt. ibid.d. Religionis ſtatus cum gaudio quærendus, ibid. e. Religionis ſtatus pretioſa margarita, ibid.2.a

Reliquiæ.

Corpora ſanctorum ſunt organa Spiritus ſancti, & vaſa, 548.2.c. Reliquiæ ſanctorum auro, & argento ornandæ, ibid.e

Relinquere.

Relinquendæ opes quomodo, 517.1.b. In relinquendo affectus potius penſatur, quàm cenſus, 310.1.c. Multum reliquit, qui nihil ſibi reliquit, ibid. Relinquendæ retia, ibid.b. Relinquendi cognati, ibid. d. Mundum & impedimenta relinquere, 333.2.e. Relinquere temporalia, quærere æterna, 334.1.c. De relinquendis diuitiis, 435.1.2. Reliquerunt pecunias Philoſophi, 436. 2. d. Omnibus relictis nos liberos recipimus, vt Deo nos tradamus, 624.2.c

Renouatio.

Signa hominis renouati, ſunt mores, 385.1.a. De Renouatione per Baptiſmum, ibid.b

Repudium.

Repudium vxoris reiicitur à Chriſto, 479. 2.c.d. Repudium permiſit lex vetus, ibidem c. An fuerit licitum? ibid.D. An propter adulterium tantummodò permiſſum fuerit repudium? ibid. De libello repudij, 480.1.e

Reſpondere.

Reſpondere ſignificat aliquando ſimpliciter loqui, 691.1.a

Reſurrectio.

Velut ex ſomno homines ex morte ſuſcitabuntur, 375.1.a

Retia.

Retia prædicationis, 195. 2.e, Oculi Domini retia illaqueantia, 125.2.e

Reuelatio.

Reuelationes quomodo occultandæ, 742.1.a

Roma, Romanus.

Romanus Senatus noluit Chriſtum Deum coli. 3.2.c. Romani ſenatus approbatione cur Chriſtus nolueris haberi Deus, ibid. Romanum Imperium pedes ferrei. 24. 1.b. Romanum Imperium virga ferrea, ibid.c. Roma conuerſa ad Chriſtum inſtar Magdalenæ, 575. 2. b. Roma ante conuerſionem qualis, & qualis poſt conuerſionem, 723.2.a

S

Sabbatum.

Sabbatum Dei proprium. 410.1.b. Sabbatum ſignificat æternam requiẽ. Sabbatiſmus populi Dei. ibid. & 514. 1.b. Ante Sabbatũ paraſceue. ibi. 1.c. Sabbatum animę delicatum

licatum.ibid.2.c. In Sabbato operari fas ſibi eſſe probat Chriſtus,390.2.a. Deus operatur in Sabbato.ibid. An Chriſtus Sabbatum ſolueret miraculoſè operãdo? 391.2.a. Sabbatum etiam ſignificat alios dies feſtos.406.1.e. Sabbatum ſecundo primum quod dicatur.ibid.2.a.&c. Sabbato non licebat parare cibos. 407.2.a. Dies Sabbatorum dicitur pro die Sabbati. 408. 1. c. Sabbati iter. ibid.e. Sabbatum quomodo dicantur violare Sacerdotes. 409. 1.d. Sabbatum propter hominem eſt.ead.2.a. Chriſtus eſt Domiuus Sabbati.ibid.b

Saba.

Quæ regio fuerit Saba 587.2.d. Duplex Saba.ibid. Saba Meroë. 588.1.a. De Regina Saba, quæ venit ad Salomonem.587.2.c.d

Sacerdotes noui teſtamenti.

Sacerdotum zelus.174.1.2.&c. Sacerdotes curam animarum gerunt. 373. 2. c. Sacerdotum zelus,& cura materialis templi. 175.1.d. Sacerdotum arma, quibus populum defendunt, oratio, 373.2.e. Sacerdotum corona, quid indicet.191.2.b. Sacerdotum puritas & ſanctimonia.ibid.c. Sacerdotum puritas, & caſtitas.192.1.e.209. 1.a. Sacerdotes aquilæ dicuntur, Angeli, & Dij.385.1.c. Sacerdotum munditiam indicat mare æneum.200.1.e. De Sacerdotibus. 209.1.c.d. Sacerdotis perſeuerantia, & cum Deo conuerſatio. 210.1. a. Sacerdos ſine peccato accedat ad altare. ibid.e. 368.2.d. Sacerdos dignitatem ſacerdotalem virtute exornet.222.2.e. Sacerdotes veluti quoſdam Deos, Deus in terra poſuit ad remittenda peccata. 357. 2.a. Sacerdoti nihil hæreat ſordis, vt luci. 464.2.a. Sacerdotes Cedri, & Palmæ. 210. 2. c. Sacerdotis vita ſit tota pretioſa. 223. 1.e. Sacerdotis puri mores.224.1.a. Sacerdotalium virtutum varietas, ibid. 2.c.223.2.a. Sapientia Sacerdotis, 223.2.a.225.1.a. De caſtitate Sacerdotis. 223. 2. b. 229. 2. e. &c. Sacerdotis conuerſatio cæleſtis.224.1.a. Sacerdotis fama immaculata. ibid. b. Officium Sacerdotis Deum prædicare, ibid. Sacerdotes ſanctorum exemplum vitámque meditentur. ead.2.b. Sacerdotes in medio mari.i. mundo ambulent per ſiccũ.464.1.e. Sacerdos inſtar ſalis omnes condiat admonitionibus.465.1.d.e.Sacerdotes in tẽplo ſilentium ſeruent, & modeſtiam.224.1.b. Sacerdotum pectus ſit quadratum,& ratione plenum.224.2.d. Fulgeat gemmis virtutum, habeat illuminationes,& perfectiones.425.1.d. Sacerdos in ſacris ordinibus quærat virtutum merita,671. 1.a.b. De ſcientia Sacerdotis, 424. 1.a.721.1.2. Prior virtus quàm ſcientia, 225. 1. c. Quis dicatur Sacerdos cæcus,lippus,gibboſus,claudus,&c.226.2.e. Conferuntur Sacerdotes noui teſtamenti cum antiquis,228.2.c. Sacerdotum munus Eccleſiam inſtar muri circumdare,& inſtar exercitus Dei,230. 1. e. Sacerdotes Eccleſiam velut tabernaculum per orbem portant, 231. 1. c. Qui ferunt maius onus,accipiant maius ſubſidium,ibid. Sacerdotes & Leuitæ,ſunt vocati ad onus,ibidem. Sacerdotem oportet eſſe populo præcellentiorem virtute,311. 2.d. Sacerdotis eſt iudicium lepræ,id eſt,peccati, 538.2. Sacerdotum in moribus geſtandum,424.1.d.e. Improbis hominibus non ſunt dandi ſacri ordines, & beneficia Eccleſiaſtica,52.2.1.e

Sacerdotes veteris teſtamenti.

De vicibus Sacerdotum,229. 1.e. &c. Aaron duo filij Eleazar & Ithamar, ex his duæ familiæ Sacerdotum, ibid. Omnes Sacerdotes orti ſunt ex Aarone, ibid. Sacerdotes ex familia Eleazar, in ſortes 16. diuiſi ſunt, & Sacerdotes ex familia Ithamar,in ſortes 8.ibid.2.a. Sacerdotum ſortes 24. ſingulæ ſuum habebant principem Sacerdotum, ibid. b. Sacerdotes per vices, & hebdomadas miniſtrabant in templo,ibid.c. Vna ſors miniſtrabat vna hebdomada,ibid. Sacerdotes habitabant in templo illa hebdomada, qua miniſtrabant, ibid.d. Sacerdotes abſtinebant ab vxoribus tempore,quo miniſtrabant, ibid. e. A vino quoque abſtinebant,230.1.a. Sortibus functiones diſtribuebantur, ibid. b. De conſecratione ſacerdotum, 208. 2.b.232.1.c. Sacerdotes adolebant thymiama,lucernascõponebant, panes proponebant,193.2.194.1. Lepræ iudicium ad Sacerdotes ſpectabat,536. 2.d. Sacerdotes tantùm intra velum ingrediebantur, & miniſtrabant,194.1.d. Sacerdotes nudis pedibus miniſtrabant, 200. 2. b. De vnctione Sacerdotis & oleo,209. 1. a. d. e. De veſtibus Sacerdotum tiara,balteo, femoralibus, tunica linea, 221. 1.2. De integritate Sacerdotum,226.2.c.d.e. De officiis Sacerdotum,227.1.c.d.e. Sacerdotes offerebant victimas etiam pro ethnicis,ibid.2.e. Sacerdotum officium benedicere populo,208.1 d. Sacerdotis officium erat docere, ibid. e. Sacerdotes veteris legis nec habebant claues,nec characterem,ibid.2.d.

Sacramenta.

Sacramenta pretioſa vaſa ſanguinis Chriſti, 137. 1. b. 164.1.b. Sacerdotibus puris adminiſtranda, 137. 1. b. Sacramenta 4.dicuntur magna, 184.1.a. Sacramenta foris viſibilia,intus vim continent ſpiritualem;384.1.a. Meritorum Chriſti theſauri,ſacramenta,375.2.c. Sacramenta aquæ ductus ex fonte Chriſto,111.1.e. Sacramenta Chriſto ſimilia, ibid. Sacramenta flumina paradiſi, ead. 2. c. Fontes Saluatoris, ibid.d.

Sacrificium.

Sacrificium antiquũm à Pontifice quomodo oblatum, 210. 1. 2. Populus quomodo ſacrificio aderat, 211. 1. a. Miſſæ ſacrificium magna cum maieſtate & ceremoniis offerendum,ibid.b. Inter media tela Sacerdotes nihil omiſerunt ceremoniarum,229.1.c. Sacrificium Agni veſpertinum per totam durabat noctem,231.2.d. Sacrificare Iudæis licebat ſolùm in templo, 279.1. d. De loco ſacrificiorum contentio inter Iudæos & Samaritanos,ibid. Sacrificia legis veteris abroganda prædicit Chriſtus, 280. 1.d. Sacrificium Euchariſtiæ toto orbe offertur,abrogatis ſacrificiis antiquis,291.1.c.

Sal.

Sale condiebatur omnis oblatio ſacrificij,190.1.d.457. 1.e. Sal conſeruat corpora, ibid.a. Sal ſignificat ſapientiam,ibid.b. Sal Apoſtoli,ibid.c. Salis pactum quod,e. Salſugo maris ſterilitatem attulit terræ,ead.2.c. Sale ſeminatæ vrbes,ibid.d. Quomodo ſal euaneſcat, 458.1.a. Sale ac ſole nihil vtilius corporibus, 463.2.d. Salis officia,ibid. Sal Chriſti fœcunditatem terræ attulit, ibid.c. Mordacitas ſalis,464.2.c. Sal non repetat mare,ibid.1.c. Igne ſaliri quid ſignificet,754.1. b. Sale prudentiæ ſalienda opera & verba,ibid.2.e.

Salim.

De Salim,260.2.b.c.

Samaria, Samaritani.

Samaria prouincia ſita inter Galilæam & Iudæam,273. 2. e. Samaria nomen eſt prouinciæ & vrbis, ibid. De Samaritanis quinam fuerint, &c. 276. 1. c. Cur appellarent patrem Iacob,277.2.d. Quid ſenſerint de Deo,280. 2.b. Meſſiam expectabant magiſtrum, 282.1.c. Samaritanorum fides,285.2.d. 286.1.e. De fide Samaritanæ, 286. 1. a. Samariæ non imperauit Herodes Tetrarcha, 653.2.b.

Sancti.

Sancti ſunt inuocandi & orandi, 356. 1.e. Sanctorum oratio iuuat nos, ead. 2.a. Sancti murus patriæ, ibid. c. Propter ſanctos protegit nos Deus,ibid. Sanctos hic occultat Deus velut theſaurum ſuum,424.2.b. Sancti ſunt cæli, 498.2.a. Sunt aſtra in nocte,561.2.c. Sanctorum exemplum, ibid. Sanctorum exempla meditanda, 224. 2.b. Sanctorum peccata cur ſcriptura prodit memoriæ, 571.2.c.

Sancta Sanctorum.

De Sanctis Sanctorum, 182.2.183.1. S.Sanctorum typus cæleſtis Eccleſiæ, 182. 2. c. De ingreſſu in Sancta Sanctorum,186.2.c.d. Solus Pontifex ſemel in anno introibat in S.Sanctorum, ibid.

Sandalia.

Sandalia quæ dicantur,637.2.b. Quid ſignificent myſticè,647.1.c.

Sanguis.

Sanguis victimarum non auferebat peccatum, hoc ſanguinis Chriſti eſt,135.2.c.164 1.b. Sanguis Agni Paſchalis adumbrat ſanguinem Chriſti,135.2.d. Adumbrat etiam ſanguis victimarum,ibid. Sanguis Chriſti vinum pretioſum, 164.1.c. Calix Domini quomodo inebriet, ibid.d. Hoc vinum numquam deficiet in nuptiis Eccleſiæ, ibid.e. Sanguis Chriſti animarum pretium, 174. 2. c. Sanguis Chriſti memoria patientiam efficit,178.2.d. Sanguinem Chriſti conſiderent concionatores, 224. 1. d. Sanguinis Chriſti vna gutta ſufficiebat redemptioni mundi, 257. 1.b.c.

Satanas.

Satanas nomen quid ſignificet,80.1.a.

Satisfactio.

De ſatisfactione,182.385.2.b. Satisfactoria opera neceſſaria.342.&c. Satisfactio peccato congruens. ibid.e. Satisfactoriæ pœnæ reuocant à peccato.35.2.a. Satisfactio à Confeſſario impoſita. 36.1.a. Satisfactio Chriſti non tollit ſatisfactionem noſtram.35.2.a

Saturitas.

Saturitas domus Dei, fames mundi. 191.1.a.b.

Satum.

Satum quæ menſura ſit.620.2.d

Saul.

De præcepto Saulis, quo cibum ſumere vetuit 85.1.e

Scandalum.

Scandala non præbenda proximo,750.2.b. Quid ſignificet ſcandalizare. 753.2.a.b. De ſcandalo paruulorum. ibid. b. Quomodo neceſſe eſt vt veniant ſcandala. c. Scandalizantium ſupplicium. ibid. Fugiendi ij qui nos ſcandalizant. 754. 1. a.b. Scandalis plenus eſt mundus. 757.1.b. Dæmonum ſcandala. ibid. Scandala hominum. ibid d. Scandala carnis, ibid.e. Scandala tollit mortificatio,& ignis æterni meditatio.ead.2.a.b

Scientia.

Scientia cum virtute copulanda. 225.1.c. Scientia Sacerdoti neceſſaria.ibid.

Scholaſticus.

Scholaſtici mirum exemplum ex Diuo Chryſoſtomo. 161.2.d.e

Schola.

Schola Dei remota à ſenſibus 675.1.c

Scriba.

De Scriba volente ſequi Chriſtum, 338.1.2. An ſolis Scribis liceret ſcribere litteras Hebræas,480.2.2.Apoſtoli dicuntur Scribæ, 626.1. a. Scriba doctus in regno cælorum,ibid.

Scripturæ.

Scripturam Pſal. 90. an diabolus in germano ſenſu citarit? 74. 2.c. Scripturis hæretici impiè vtuntur ad hæreſes ſuadendas, 75.2.a. 529.1.a.b. Scripturam an intelligat diabolus?75.2.c. Scripturæ clypeo repellitur diabolus,105. 1.c. Scriptura fluuius paradiſi, turris Dauidica; monilibus ornata,ibid.d. Naſcuntur hæreſes ex falſa interpretatione Scripturæ,108.2.c. Scriptura loquitur humano more,393.2.a. Scripturæ ſpicæ confricandæ, 410. 2. d. e. Quæ minima videntur in Scriptura, typica ſunt, 459. 2.c. Scripturæ ſtudium neceſſarium concionatori, 466.1.d. Scriptura diligenter eſt perſcrutanda, 402. 2.c. 403. 1.a. Scriptura teſtimonium perhibet de Chriſto, 403.1.d. Scriptura eſt theſaurus abſconditus, 622. 2. c. Scripturas aperuit Chriſtus,628.1.b. Iudæis ſunt clauſæ, ibid. Scripturæ explicandæ canon, 630.1.a. Scriptura quam eloquentiam habeat,646.2.c. Sapientia ſolida hauritur ex Scriptura, 647. 2. c. Apud hæreticos Scriptura plena eſt ſcandalis,690.2.a.

Securitas.

Securitas mala in peccato,34.1.c. Securitas periculoſa,94. 2.a. Securitas mala, 106.2.b. Securum reddere peccatorem conatur diabolus,ibid.a.

Semen.

Impij ſemen ſunt malum, iuſti ſunt ſemen bonum, alios ſibi ſimiles producunt,613.2.c.

Senſus.

Senſum qui ſequitur viuit vt bellua,290.2.d. Per ſenſus ingrediuntur vitia,& mentis arcem capiunt, 479. 2. a. Senſuum modeſtia,193.2.a.

Sepulchrum.

Sepulchra Iudæorum extra vrbes,342.2.c.546.1.b. Sepulchrum impiorum infernus,548.2.b. Sepelire mortuos opus miſericordiæ bonum,ibid.c. Sepulchra cur dicantur monumenta,ibid.d. In ſepulchro ſeminatur corpus,ibid.e. Sepulchrum animæ mortuæ per peccatum, eſt corpus viuum, 333.1.b. In nouo Teſtamento in templis ſepulchra ſunt,in veteri extra vrbes,549.1.a.

Sequi.

Chriſtus præit,vt dux ſequendus,730.1.e. Sequendus Chriſtus,364.2.a. Non ſunt ſequendi impij,ibid. Ne ſequamur impiorum gregem pecorum more,ibid. Sequamur quâ eſt eundum,non quâ itur,ibid. Sequi Dominum gloria magna eſt,455.2.c. Chriſtum ſequuntur multi: etiam ſuper numerum, 538. 1. a. Sequendus cum ardore, 663. 1. b.

Serpens.

Serpens caput cuſtodit maximè,641.1.a. Serpens diabolus, 640. 2. c. Serpens per anguſtam cauernam ſe circumgyrat, exuitque pellem, 641.1.b. Occludit aures incantanti, ibid.d. Venenum euomit, agit aſtutia non viribus,acutè videt, ibid.e.2.a. De ſerpente æneo, 240.2.b. Cur ſerpente æneo ſit Chriſtus adumbratus,248.1.a. 249. 1. a. Serpens mortem ſignificat & diabolum, 248.2.b.d. Serpente indicatus Dominus,ſed abſque veneno, 249.1.a. Serpens diabolus in cruce transfixus,d. Serpens ſignificat peccatum,2.a. Æs ſerpentis quid ſignificet,ibidem c. Serpentes igniti Hebræos occiderunt, 255.2.e. Serpentes igniti dæmones, ibid. De ſerpentis prudentia, 640. 2.c.d.

Seruitus, Seruus.

Tot dominis ſeruit homo, quot vitiis,98.2.b. Chriſti ſeruitus nobilis, 516.2.c. Vnum cor vnum dominum habeat Deum,ibid.b. Nemo poteſt duobus dominis ſeruire,ibid. 1.c. Ex dimidio ſerui, ibid. Bonus dominus eligendus, ibid. 2.a. Seruo bonus Dominus Deus bona iubet,malus dæmon mala, ibid.b. Seruorum cura magna gerenda, 544. 1. 2. Seruus dicitur à ſeruando , ibidem 1.e. Seruos oportet dominis eſſe pretioſos , ibidem 2. b. Dominus ſit pater ſeruorum, ſerui humaniter tractandi, &c. ibid.

Setim.

De lignis Setim,183.1.d.

Sichem.

De Sichem,274.1.2. Iuxta Sichem erat puteus Iacob, & prædium Ioſeph,ibid.1.c.

Sidon.

Sidon vrbs,695.1.a.

Signare.

Signare ſignificat claudere,671.2.e.

Simon.

De Simone Oniæ filio Pontifice in templo miniſtrante, 210. 2.b. An Phariſæus, in cuius domum venit Magdalena, fuerit Simon leproſus ? 565. 1.a. Simon Apoſtolus an fuerit Epiſcopus Ieruſalem?421.2.a.b. An fuerit ſponſus nuptiarum Canæ? ibidem a. Cur dictus ſit Zelotes, ibidem.

Simplicitas.

Simplicitas quid ſit, 641. 2.c. Simplicitas coniungenda cum prudentia,ibid.d. Duplicitas animi,647.1.c.

Synagoga.

Synagogæ nomen quid ſignificet. cur dicatur Synagoga Iudæorum, 313.1.b Synagogæ habebant Præfectos,370. 1. a. Synagoga ſimilis tabernaculo mobili, Eccleſia templo fixo,177.1.c. Synagoga ſimilis Agar,698.1.d.

Sinapis.

Sinapis granum quomodo minimum,618 2.a. De ſinapi,ibid. c.d. Sinapis granum doctrina Euangelica , 619. 1.c. Sinapis grano Chriſtus ſimilis, a. Grano ſinapis ſimilis bonus Chriſtianus, ead.2.b.

Sinus.

Quid ſignificet ſinus Patris : & cur Filius dicatur eſſe in ſinu Patris,114.2.d.

Sion.

Sion mons complectitur tres montes: Sionem,Moriam, & Caluariæ, 180. 2. a. An templum fuerit extructum in monte Sion? ibid. 1.c.

Sol.

Soli tria tribuit Dauid,pulchritudinem,impetum,ardorem,490.1.c. Soli ſimilis eſt charitas,ibid.d.

Solitudo.

In ſolitudinem negotiorum animus ducendus, 25. 1. c. Solitudo mentis quærenda , ibid. 2.c. 389. 2.b. In otio ſolitudinis agit anima ſuum negotium,25.2.c. Iuſti ædificant ſibi mentis ſolitudines, 26. 1. a. Solitudo corporis iuuat mentem , ibid. b. Solitudinem diligit vir probus, ibid.375.1.d. Solitudinis laus,25.2.26.1.

Sollicitudo.

Sollicitudo non neceſſaria pellenda,510.1.b. Sollicitudo ſuffocat verbum,609.1.b.c. Sollicitudo ſæcularis relinquenda,647. 1.c. Sollicitudo Dei de iuſtis, 648. 2. a. Cur ſollicitudo temporalium pellenda,rationes , ibidem. Sollicitudo collocanda in quærendo regno Dei,511.2.d.e, Sollicitudo cauenda quæ ſit, 513. 1. a.b. Sollicitus dies quomodo dicatur, 512.2.d. Feriandum à curis mundi, 514.2.b.515.2.e. Sollicitudo in ſanandis vulneribus peccatorum,34.1.c.

Sordes.

Sordes veræ quæ, 692.1.a.b. Sordes animi abluendæ, 693.2.c.694.1.b.2.c.

Spectaculum.

Spectaculum Deo & Angelis dignum , homo certans, vincenſque dæmonem,90.1.c.

Spes.

Spes & deſperatio timenda in peccatis , 33. 2. c. Spem parit tribulatio, 97. 2. b. Spes in Deo non confundit, ibid. Spes præmij magnum incitamentum,737.1.a. Spes cæleſtis gloriæ,ibid.c. Spes gloriæ anchora,ibid.

Spiritus ſanctus.

Spiritus ſancti charitas, 58.1.e. Mitis inſtar columbæ, felle carens, dulcis, gemere nos facit, &c. 57.2.d.e. Spiritu ſancto agebatur Chriſtus, 62.1. d. &c. Spiritui ſancto tribuuntur ſanctæ inſpirationes, 2. a. Spiritus ſanctus Chriſtum vnxit, 48.1.c. d. e. Spiritus ſancti ductum ſequi debet baptizatus, 84. 2.c. Spiritus ſanctus filiorum Dei gubernator, d. Spiritus ſanctus vehemens ſpiritus, eius impetu mouentur viri ſancti, ibid. e. Spiritus ſanctus ad alta ſuſtollit, 96.1.c. Cur deſcendit in Chriſtum tamquam columba, 137. 1. c. Spiritus ſanctus manet in homine probo, ibid. Spiritus ſancti flamma fouenda oleo bonorum operum, ibid. 2.a. Quomodo ſine menſura dederit Deus Spiritum ſanctum Chriſto, 265 2.a. d. Deus non dat Spiritum ſanctum omnibus eâdem menſura, 266. 1.e. Spiritus ſanctus dicitur aqua viua, & fluuius lætificans ciuitatem Dei, 277.1.d. Spiritus ſancti effectus, d. Peccata in Spiritum ſanctum quæ dicantur, 582. 2. b. c. De blaſphemia in Spiritum ſanctum, 583.1.b. Quomodo ſit irremiſſibilis blaſphemia in Spiritum ſanctum, ibidem 2. d. Spiritus ſanctus cur in lignis igneis apparuerit? 124.1. e. Cur dicatur digitus Dei, 581.1.c.d. Cur Spiritui ſancto tribuatur dæmonum expulſio, ibid.e.

Spolia.

De ſpoliis ablatis dæmoni, à Chriſto, id eſt, hominibus, 594.2.d.e.

Sponſus.

Sponſus Eccleſiæ Chriſtus, 263. 1. c. Sponſi amicus Ioannes, ibid. d. Chriſtus ſponſus lætiſſimus, 367. 2. a. Sponſus numquam dimittendus, ibid.b.

Stacte.

Stacte quid ſit, 193.2.e.

Suffragium.

Qui fert ſuffragium, ſciat & neſciat eum, pro quo fert, 137.2.d. Non ſubornetur, 665.2.c.

Superbia.

Superbus Deo vilis, 126 2.c. Superbi oſtentatio, ibid. Superbus aliis ſe præponit inſolenter, 127.2.a. Magni ſe facit, ibid. Periculum eſt ſi te præponas, nullum ſi caput demittas, ibid.c. Superbus malo ſuo ſuperbit, 264. 1. c. Superba oſtentatio fugienda, 377. 1.b. Superbia in benefactis timenda, 494. 1. a. Superbia vltimo vincitur, ibidem. Superbia hominem attollit, & demergit, 91.2.b. Superbiam domant tentationes, 94.2.c. Superbiæ venenum quo curatur veneno, 99. 1. b. Superbus primatum appetit, 756.1.b. De Craſſo & Cæſare, ibid. Superbia eſt igni ſimilis, ſurſum ſemper tendit, ibid. d. Anguſta cæli porta non capit ſuperbos, ibid Superbia regnum cælorum concuſſit, & ex parte proſtrauit, ibid. e. Ciuitas cæleſtis odit vehementer ſuperbiam, per quam illius corruere ciues, ibid. 2. a. Superbi acceptis altis ſoccis magni videntur, ſed parui ſunt, ibidem c. *Vide* Humilitas.

Superfluitas.

Neceſſitati ſeruiendum, non ſuperfluitati, 664.2.b. 708. 2.d.

Supplicium.

Deus per ſe beneficia confert, per alios ſupplicia, 616. 2.a. Deus expeccatis flagella facit, quibus flagellat, 176. 2. c. Suppliciis tamquam funibus trahuntur homines, ibid.e. 764.2.c.d. Suppliciis tamquam fræno reducuntur homines, 373.1.e. Bene pungeris, ſi compungeris, ibid.2.b. Pœnis & ſuppliciis ducimur ad Deum, 548.2.b. Deus ſupplicia ſumit grauiora & leuiora, 176.2.c. Supplicia dant intellectum, & ducunt ad Deum, 700. 1. a. De ſupplicio, 767.2.a.

T

Thabor.

De monte Thabor, 733.1.a. Thabor mons certauit cum cælo in transfiguratione, 737.2.c.d.

Thamir.

De Thamir vermiculo, 178.2.c.

Talentum.

De talento, 181.2. Talentum maius & minus, ibid. d. Talentum numarium Hebræum, 764 1.a.

Tangere.

Qui tangant Chriſti fimbriam, 375.2.c. Qui tangant, quique premant Chriſtum, ibid.d.

Tecta.

Tecta Palæſtinæ plana erant, 74.1.c. 643.2.c. An in tectis haberentur conciones, 74.1.d.

Tempeſtas.

Tempeſtatem Chriſtus ſedat, 337.2.a. Tempeſtas probat gubernatorem, 338.2.d. In tempeſtate adeſt Chriſtus ſuis, 339.1.a. Tempeſtates Deus moderatur, ibid.b.

Templum Ieroſolymitanum.

Chriſtus bis ex templo nundinantes expulit, 169. 2. c. An fuerint Sacerdotes ij, quos ex templo expulit Dominus? 170. 2. e. Templum quomodo dicatur ædificatum annis quadraginta ſex, 171.2.c. &c. De templo Salomonis agitur libro 3. à cap. 10. De templi ædificatore & operariis, 177.2.d.e. &c. Cur non ſit in templo auditus mallei ſonitus & ferramentorum, 178.2.a.b.c. De loco templi, e. &c. In area Areunæ ædificatum templum, 179. 1.d. De pretio huius areæ dubium, ibidem. In monte Moria ædificatum templum, ibid. Templum ædificatum in ſolo tribus Beniamin, 180. 2. c. d. An fuerit extructum in monte Sion? ibid.b. De exemplari templi, 181.1. Quo rempore fuerit extructum. ibid. d. Tres partes templi, 187.2. De Sanctis Sanctorum, ibid.b. De ſanctis parte ſecunda templi, 187.2.b &c. De atrio ſacerdotum, 196. 1.e. &c. De atrio mundorum, 197.1.c.d. De atrio feminarum, ibid.2.a. De porticibus, ibid.d.e. De portico Salomonis, 198. 1. An fuerit in templo Salomonis atrium immundorum, 197.2.b. Mortis pœna propoſita iis, qui in Sancta ingrederentur, 194.1.d. Templi altitudo, ibid.e. Templum turris, ibid.2.a. Templi laquearia, ibid. e. An templum dicatur Ariel, id eſt, leo Dei, 196.2.c. De templo ſecundo, 202. 1.a. &c. Fuit altitudine minus, quàm primùm, ibid b. Secundum templum habuit tres muros, ibid. d. De ſubterraneis meatibus templi, ead.2.a. &c. In ſecundo templo quinque res defuerunt, 207.1.c. De templo extructo ab Herode, 202. 2.d. &c. In templo ab Herode extructo concionatus eſt Dominus, ibidem c. Quoto Herodis anno ſit extructum, 203.1.a. In templo ab Herode extructo non fuit arca Teſtamenti, fuit vna tantùm menſa, & vnum candelabrum, ibid.b.c. Templum hoc deſcribitur à Ioſepho, 204.1.d.e. &c. Habuit quatuor atria, 203.2.d. Templi atrium mundorum Ethnici ingredi prohibebantur, pœna mortis propoſita, 204.1.a. Septo arcebantur, ibid. Templi gradus quatuordecim vbi, ibid.b. Decem portæ templi, ibid.c. Locus feminarum in templo ſeparatus à loco virorum, ibidem. Templi porta ſpecioſa quæ, e. Quindecim gradus templi, quos Virgo Deipara aſcendit, ead.2.a. In Corinthia porta datum ſignum euerſionis templi, ibidem d. Templi planicies quomodo coæquata: & fundamenta templi, 205.1. a.b. Turris Antonia, repoſitorium Pontificiæ ſtolæ, ibid.e. Templum in ſummo aureis horrebat verubus, 206.2.e. De cellis virginum in templo, 207.2.c.&c. De cellis, quæ cingebant templum, 200.2.c. &c. De miniſtris templi, 208.2. &c. Templum ſolo æquatum propter cædem Meſſiæ, 207.1.b.

Templum Chriſtianorum.

Templi ornatus, 175.1.d.e. 232.1.c. In templo ſeruanda modeſtia & reuerentia. 175. 2. b.c. In templo orandum, non confabulandum. 176.1.a. Templum eſt domus negotiationis ſpiritalis. ibid.c. In templo nundinæ ſunt ſpiritales. ibid. Templa turres ſunt Chriſtiani populi & armamentaria. 194.2.b. Templa loca ſunt diuini auxilij. 197.1.d. In templo Iudæi non ſedebant. ibid.e. Templa ſunt ſanctiſſima. 73.2.c.

Telonium.

Telonium quid ſit, & vbi fuerit Matthæi telonium. 358. 1.b.2.a.

Tenebræ.

Tenebræ exteriores. 542.2.e.

Tentationes.

Deus tentationes permittit iuxta vires. 558.1.e. Tentationes rapiunt paleas, vt ventus, id eſt, inconſtantes & leues. 39.1.d. Tentationes intermittit diabolus, vt ad ſecuros redeat. 80. 2.b. Diabolus maximè tentat baptizatos. 64.2.d. Quem videt deſtitutum aliorum auxilio diabolus tentat. 62.2.c. Nemo ſe vltro tentationi offerre debet. ibidem b. Tentationes tegit diabolus, in caligine inſidiatur. 614. 1.c. Tentare poteſt, conſenſum extorquere non poteſt. 615. 1. a. Tentationum initiis reſiſtendum, eradicanda initia peccatorum. 694.2.b. Tentationum capita, gula, auaritia, inanis gloria. 81. 1.a.b. In tentationibus diabolus à leuioribus incipit, vt ducat ad grauiora. ibidem e. Tentationum exitus lætus. 83. 1.d. Tentat diabolus præcipuè diuites virtute. 91.2.d.e. Tentari nos oportet, vt coronemur. 92. 2. a. Tentatio probat hominem. ibid. b. Tentatio eſt materia triumphi. ibid.c. Tentari oportet, vt probemur. ibid.d. Tentantur iuſti, vt bonum præbeant exemplum. 93.1.e. De bono exemplo in tentationibus. ibid. Iuſti in tentatione virtutem, & ardorem oſtendunt. ibid.2.a. In tentatione

gratiæ Deo agendæ. ibid. b. Tentationibus erudimur. ibid.d. Tentatio hominem ſibi & aliis oſtendit. ibid. e. Tentationes velut cuſtodia adhibentur homini. 94. 1. b. Tentamur, vt vigilemus. ibid.d. Tentamur, ne extollamur ſuperbia.ead.2 b. Tentationes ſunt colaphi.ibid.d. Ex tentationibus colligitur humilitas. ibidem. Tentationes animam humiliant.95.1.c. Aduerſus tentationes remedium eſt humilitas.d. Tentationis pondus animam humiliat. 96.1.b. Tentamur, vt proficiamus. ibidem d. Tentationibus agitatus fortiores agit radices.ibid.e. Cùm tentat diabolus,coronas fabricat. 2. a. Nemo ſine tentatione viuit.ibid.d. Deus quibuſdam tentationibus patitur nos diutiùs occupari,ne periculoſiores occurrant. ibidem e. Quomodo orandum pro vita Nabuchodonoſor, id eſt, tentationis. ibid. Tentamur, vt ad auxilium Dei curramus.96.1.b. De auxilio Dei.ibid.b.c.&c. Tentamur,vt patientiam & ſpem exerceamus. ibid.2. Tentamur, vt aduerſus res aduerſas obducamus callum. ibid. e. Tentat prior diabolus, prior deſcendit in certamen. 98. 1.e. Tentatores quales ſint,quàm aſtuti.99.2. Ad menſuram tentamur,iuxta vires. 100. 1.a. Deus de locuſtis vincit gigantes.101.1.d. Tentare poteſt diabolus,cogere non poteſt.ibid e. Aures noſtræ poſitæ inter tentantem ſerpentem,& Deum monentem.ibid. 2.d. Tentatio ſimilis fluuio,in quo alij natant,alij ſubmerguntur.ibid.e. Tentat dæmon ęſurientes,id eſt,cupidos,102.1.c. Quomodo in tentatione reperiatur Eua, Adam, ſerpens. ibid. 2.b. c.d. Vt tentet diabolus explorat mores & propenſiones. 103. 1. a. In tentatione eſt peccati materia, non forma. ibid. e. Tentationes velut lapides conuertendæ in caput dæmonis.ibid.2.b. Tentationes ſimiles lapidibus. ibid. Tentationes tegit diabolus integumento neceſſitatis. ibid. e. Tegit diabolus laqueos tentationum. 104.2. c. Opus eſt conſideratione cum tentamur. ibid. In tentatione clypeus eſt Scriptura.105.1.c. Non ſemel, ſed ſæpiſſimè tentat diabolus.ibid.2.a. Omnes tentationes oportet vincere, non ſolùm vnam, vel alteram. 109. 2.c. Conſtantes in tentatione, & inconſtantes. 293.2.c. Tentamur ab hoſte,qui nobiſcum naſcitur.299.2.d. Tentamur à rebus terrenis,quibus ineſcamur.334.2.d. Opus eſt animi exercitio, id eſt, tentationibus, & probatione. 338.2. Chriſtus certa menſura metitur tentationem, & fert opem. 339. 1.a.b. Tempeſtatem dæmon excitat, & naufragium facit. ibid. 2. b. Vncti ſumus ad certamen, 576.2.a. Diabolus aditum quærit ad cor per cogitationem.438.2.e. Abiicienda protinus cogitatio.ibid. Non deſunt tentationes 454.1.a. Tempus certandi hæc vita. ibid.b. Neceſſe eſt probari milites Chriſti.503.1.a. An Deus inducat in tentationem.ibid.c. An petamus à Deo, ne permittat nos tentari? ibid.d. Tentationes ſunt pluuiæ & procellæ. 338.339. Tentare Deum quid. 76.1.a. Tentatores homines.69.1.a. Deus intentator malorum, quomodo tentet hominem. ibid. b. Reſiſtendum tentatori, debilis eſt contra reſiſtentes. 592. 2. e. Aliis muſca eſt, aliis leo. ibidem. Tentationes ſunt arma diaboli.594.2.a. Reſiſte tentatori in ipſo initio tentationis. 595. 1.a.

Chriſti tentationes.

Tentationes Chriſti fuerunt externæ.70.1.d. Cur diabolus lapides Chriſto obtulit non gallinas.ead.2.a. Tentationibus explorabat diabolus diuinitatem Chriſti. ibidem c.d. Tentatus Chriſtus docet nos reſiſtere tentationibus.65.1.b. Noſtras tentationes ſuis vicit. ibid. An diabolus tentarit Chriſtum ante deſertum? 62.2.d.e. De prima tentatione Chriſti. 70.1.2. De ſecunda tentatione.lib.2. cap. 4.&c. De tertia tentatione. lib. 2. cap. 5. An Chriſtus tentatione tertia tentatus ſit in monte in quo ieiunauit? 76.2.d. Quomodo omnem tentationem conſummauerit diabolus 80.2.e. Tentationes Chriſti,gulæ, inanis gloriæ,auaritiæ.81.1.b. Chriſtus tentatus dicitur de concupiſcentia oculorum,&c. ibid.2.a. An Chriſtus aliis tentationibus ſit oppugnatus præter tres? ibidem c. Quomodo dicatur à Paulo Chriſtus tentatus per omnia. 82.2.c. An Chriſtus ab vno tantum dæmone ſit tentatus,an à pluribus? e. Quot horis durarint Chriſti tentationes.83.2.d. Quota hora cæperint. ibid. Quo menſe fuerit tentatus Chriſtus.ibid. An diabolus alia verba addiderit? 84.1.a. Ordinem tentationum quis Euangeliſta ſequatur. ibid. d. Cur diabolus dixerit: *Si Filius Dei es?* 74.2 c

Teſtamentum.

Duo teſtamenta adumbrata duobus Cherubinis. 186.1. d. Duorum teſtamẽtorum ſcientiam flagitat Epiſcopatus, quam mitra indicat.626.2.b. Ex duobus teſtamentis doctus ſcriba profert noua & vetera.ibid.

Teſtimonium.

Teſtimonium rerum eſt præſtantius, quàm verborum. 551.2.c. Profert Chriſtus de ſe teſtimonium Ioannis Baptiſtæ. 400.2. Profert Chriſtus teſtimonium miraculorum.401.2.d. Profert teſtimonium Patris.ibid.e. Profert teſtimonium Scripturarum.402.2 b.

Tiberius.

Tiberius Imperator Rom.non obſtitit Chriſtianis.3. 2. b. Tiberius retulit ad ſanatum, vt Chriſtus Deus haberetur. ibid. Ad Tiberium ſcripſit Pilatus de Chriſto. ibidem c. Tiberij dictum.4.1.a. In amicitiam Tiber. receptus Herodes.ibid.b.

Tiberias.

Mare Tiberiadis.308.1.b. *&c.* Tiberias Galilææ Metropolis condita ab Herode Tetrarcha,à Tiberio dicta Tiberias, vrbs magna. ibid.660.1. a. Duæ vrbes maximæ Galilææ, Tiberias & Sepphoris.308.2.a.

Tyrus.

Tyrus ciuitas Metropolis Phœniciæ.728.1.a.

Tibicines.

Tibicines adhibiti in funere. 372.1.c. Tibicines imitata eſt pica mirabiliter.ibid.e.

Timor.

Timor mundi, timore Dei repellendus. 644. 1. b. 647. 2.e. Timor Dei initium ſalutis.713.2.a. Timet ſemper ſapiens.34.1.b. Timor iudicij & gehennæ à peccato deterret.38.1.a.d.e. A timore incipit homo,vt perueniat ad mortem. ibid. 1.c. Timoris catenæ ferreæ, mutantur in aureas amoris. ibidem. Timor Dei clauus aureus. 187. 2.c. Aqua timoris mutatur in vinum dilectionis. 166. 2.c. Timorem Dei diabolus conatur ab homine pellere. 106. 2. a. Timor Dei reuocat à malo. ibid.*&c.* Timor gehennæ. 124.1.d. Timemus non timenda vt pueri, non timemus timenda.648.1.a. Qui timent effugiunt pericula & ſupplicia.ibid.b.

Thymiama.

Thymiamatis compoſitio. 193.2 e.

Tophet.

Tophet locus quis & vnde dictus. 473.2.c.d. Tophet infernus. ibid.

Thomas.

Quid ſignificet nomen Thomas & Didymus.423.2.a.

Trahere.

Trahit nos Deus non inuitos, ſed liberè volentes. 674. 2.b.

Transfiguratio.

Cur Chriſtus voluerit transfigurari.723.1.b. An vultus figuram mutarit? ibid. d. An ſola facies ſplenduerit? ibid e. An fulgor corporis Chriſti fuerit miraculoſus? ibid.2. b.c. An fuerit affectum dote impaſſibilitatis, *&c.* Chriſti corpus in transfiguratione? d. De ſplendore veſtium. ibid. e. An verus Moſes & verus Elias apparuerint?734.1.c. An Moſes reſurrexerit?ibid.d. Cur Moſes & Elias apparuerint. ibid.e. An Angeli in Transfiguratione viſi ſint? ibid.2.a. De exceſſu,i.morte loquebatur Dominus in Transfiguratione,cur. ibid.c. Ordo Transfigurationis. ibid. d. An noctu ſit transfiguratus Dominus?ibid. De tabernaculis. 735.1.c.d. De nube. ibid. 2. a. b.c. De Transfiguratione agitur lib. 10. cap. 28. & 29.

Tribulatio.

Tribulatio oſtendit virum.93.2.e. Tribulatio amorem probat. ibid. Tribulatio ſtimulus eſt virtutis. 94. 1. e. Tribulatio parit ſpem. 97 2.a. In tribulatione ſolatium habet iuſtus, non habet improbus. ibid.2.c. In tribulatione gratiæ agendæ.93.2.b.663.2.c. Cùm tribulamur, tunc Chriſtum vocamus. 164.2.a. Tribulatio datur nobis mixta cum conſolatione.166.2.b. Tribulationum fel hic deguſtamus. ibid. Cum ſuis eſt Chriſtus in tribulatione. 339. 1.a. Certa menſura Deus metitur tribulationem.ibid.b. Tribulationis exercitium neceſſarium.ibid. In tribulatione vita emendanda, & auxilium Dei petendum.ibid.c. Finis tribulationis conſiderandus.364.1.d. Tribulationibus concutiuntur improbi,vt improbitas effluat.373.2.a. Tribulationes miſericordiæ Dei ſunt.ibidem b. Tribulationibus vexamur,ne viæ amœnitate retardemur. 437. 1. e. Sapiens vir tribulationes manſuefacit vt feras. 439. 2.a. Tribulationes efficit ſuaues fames & ſitis virtutum.443.2.c. Magni apud Deum tribulationes patiuntur.556.1.c. Granum ſinapis cùm teritur ardorem indicat ſuum: ſic iuſtus,cùm patitur.619.1.2. Omnis homo igne tribulationis eſt ſaliendus. 759.1.c. Tribulatio oſtendit virum.619.2.c. Tardare videtur Deus in tribulatione.669.1.2. Tribulationem quidam malè ferunt, alij bene: ſimilitudo eſt tribulationis,diſſimilitudo tribulatorum.700.1.c.2.a. In laboribus præit Dux Chriſtus. 730.1.e. Tribulationes ſunt glorioſæ.558.2.c.d.

Tributa.

Iudæi tributa soluebant, 360.2.a. 748.2.b. Tributorum conductores publicani. 360.2.b.c. Tributa Deo debita soluenda 366.2.b. Tributa impia exigit dæmon, ibid. Christus mirabiliter soluit tributum. 749.2.a. Quodnam tributum soluerent Iudæi, 748.2.&c. An Dominus debuerit aliquo modo tributum? 749.2.d.e. Cur pro se & Petro iusserit solui tributum, ibid.e

S. Trinitas.

S. Trinitas adumbrata in veste Pontificis, 224.2.c. S. Trinitatis opera sunt inseparabilia, 390.1.c. S. Trinitas in baptismo Christi indicata, 35.2.b. Indicata etiam in Transfiguratione, 736.1.b

Triticum.

Triticum iusti, paleæ impij 39.2.a. 613.2.e. Triticum mola teritur, iustus persecutione, 39.2.a

Tuba.

Tubis argenteis clangebant Sacerdotes. Tubis populus vel principes conuocabantur. Tubarum vsus in bello, in templo, in diebus festis, in sacrificiis, 228.1.a.b. Tubis Sacerdotes Sabbatha populo nuntiabant, ex edita turri, ibid.b. Figura tubarum, ibid.c. Tubarum ducenta millia fabricauit Salomon, ibid. Tubis vtebantur Iudæi ad conuocandum populum. 492.2.c. Tuba canere ante se quid, ibid.

V

Velum,

De Velo templi, 193.1.b.c.&c. An fuerit vnum tantùm velum in templo? ibid. An in morte Domini scissum sit vnum velum, an duo? ibid.e. Intra velum soli Sacerdotes ingrediebantur, cæteris mortis pœna proposita, 194.1.d

Verbum.

Verbum Dei cibus animi, 105.2.c. Verbum Dei est securis radicibus admota, 38.1.e. Verbum otiosum quod dicatur, 585.2.d. De verbo Dei, 607.2.c. Verba sapientum stimuli, 654.2.e. Verbum Dei simile fermento, 620.1.e. Verbi Dei semen non perit, quòd desit ex cœlo pluuia, vel Solis calor. 608.1.d. Verbum Dei acre granum sinapis, 619.1.a.b.2.b

Venator.

Boni venatores animarum, 142.2.e. Bethsaida domus venatorum, ibid. Venator diabolus, 614.1.d.e

Verecundia.

Verecundia ne faciat peccatum tacere in confessione, 32.2.b. 591.2.e

Veritas.

Veritas & doctrina quo modo fuerint in Rationali, 216.2.a. Veritas sit in ratione, oratio veritatem manifestet, 224.2.e. Veritas lucens amatur, sed non arguens, 242.2.b. Veritatis habenda cura, etiam in minimis, 275.1.a.b. Christiani veritatem maximè seruare debent, 484.1.c. Veritas quomodo per Christum facta, 113.2.a. Veritas quid significet, ibid.b. *Vide*, Iuramentum. Christus sementem fecit veritatis in mundo, diabolus mendacij, 606.2.d

Vestis.

Quot tunicis vsus sit Dominus, 677.1.d. Vestis mollis, & aspera, 562.2.d. Vestes molles reddunt homines molles, ibid. De vestitu, & ornatu Christiani, 563.1.d. Ornatus est non ornari, ibid. Vera fœminarum ornamenta, ibid.2.a. De vestibus Pontificis, *Vide*, Pontifex. De vestibus Sacerdotum, *Vide*, Sacerdotes. Cura sanctorum in ornando animo versatur, 693.2.d. Fulgida vestimenta Christi, sanctos indicant fulgentes: niuea, castos, 738.2.c

Vestibulum.

De vestibulo templi, 195.1.c.&c. In vestibulo templi quibus fas fuerit versari. 198.1.d. Vestibulum templi an fuerit porticus Salomonis? ibid.e

Via.

Via Domini quomodo paranda, 124.2.d. Via dicitur vita, 125.1.a. Duæ viæ, arcta, & lata, ibid. Viatores sumus: ad mortem semper pergimus, ibid.c. Post tergum relinquimus omnia temporalia, sicut viatores, ibid. Via maris trans Iordanem quæ sit, 301.2.c. De via lata, & arcta, 521.1.a.b. Via arcta, & iugum suaue quomodo, ibid.d. Arcta via sed amœna, ibid. Viæ finis considerandus, 364.1.d. 521.1.e. Via virtutis arcta incipientibus, & carni: sed lata proficientibus, & spiritui, 523.1.2. Viam facilem reddit consuetudo, ibid.e. Viæ arctæ malæ, sunt breuissimæ: bonæ, sunt æternæ: viæ latæ malæ sunt æternæ, bonæ sunt breuissimæ, 524.2.a. In via necessarius est panis cœlestis, 707.2.a

Vicissitudo.

Vicissitudo est iucunda, 89.2.e. Rerum diuturna continuatio parit fastidium. ibid.

Victoria.

Victoriam de dæmone reportauit Christus infirmitate sua, 286.2.c. Victoria maior appetitionum, quàm barbarorum. 449.1.b. Victoria est malorum perpessio patiens. 476.2.d.e. Victoria Dauidis cùm pepercit Sauli, ibid.e. Vincimus maiora aliquando, in minoribus vincimur. 669.2.c. Victoria de voluptatibus, 731.2.c. Victoria de hoste, qui nobiscum nascitur. 299.2.d. Vincere dæmonem, non potentia, sed humilitate voluit Dominus, 71.2.c. Vincunt diabolum qui fortiter dimicant, 101.2.b. Deus vincit gigantes de locustis, ibidem c. Locus palmarum est cœlum, 182.2.e. Qui magna vincit, non vincit minima, vt humilietur, 94.2.e. De victoria Christi ex diabolo reportata, 593.2.e. 594.1.a

Videre.

Videri dicitur Deus multis modis, 115.1.d. An viderit aliquis Deum in Veteri Testamento, ibidem b. Videt omnia Deus, 362.1.b. Deus videt suos oculis misericordia plenis, ead.2.c. Videt suos laborantes in remigando, 669.1.a

Vigilantia.

De vigilantia, 94.1.d

Vigiliæ.

Vigiliæ militares quatuor, 667.1.b

Vipera.

Viperarum filij cur dicantur Pharisæi, 17.2.d. 585.1.e. An viperarum catuli occisa matre nascantur? 18.1.e. Vipera inuidia, ibid.2.a. & de viperis

Virga.

De virga Apostolica, 637.2.d.e. 638.1.a.b.c.

Virginitas.

Virginitas est præstantior matrimonio, 163.2.a. Virgines oriuntur ex matrimonio, 160.1.b. Virginitas mons celsus, 163.1.b. Virginitas, aurum; matrimonium, argentum. ibid.c. Virginitas apta contemplationi. 447.1.b.c. Virgines vbinam in templo habitauerint. 207.2.c.d.e

Virtus.

Virtus magno desiderio quærenda est, 443.1.a. Virtus in hac vita non habet terminum, crescere potest semper, 444.1.b. Virtus ea saltem quærenda cupiditate, qua quæritur pecunia. ibid.e. Virtus interna, & externa. 446.1. 447.2.d. Virtus habitare dicitur in rupibus. Arcta illius via. 523.2.b. Virtus facilis, ibid.e. Virtutem consuetudo reddit facilem. ibid. In virtute progressus, 617.1.b. 740.2.a

Visio.

De visione Diui Stephani. 46.1.d. De visione Diui Benedicti. 77.1.e. 2.a.b. Visiones sensibiles apparent initio spiritualium dispensationum. 54.1.a

Vita.

Vitam habet Deus in semetipso, nos à Deo, 397.1.e. Vita hominum comparata cum vita Dei, mors est. ibidem. Vera vita est vita æterna, hæc falsa, 496.1.e. Vitæ quatuor gradus, ibid.2.a. Operatio intellectus maximè est vita, ibidem. Intellectio, qua Deus in æternum intelligitur, est vita æterna, ibidem. Vita Christiani probi Crux, & martyrium, 729.1.a.b. Vita plena est miseriis, 703.2.b. Vita, quàm donat Christus, est similis vitæ Christi. 683.2.e. Vitæ fons Christus. 397.1.a. Vita iustorum est vigilia æternitatis, 91.1.b. Vita contemplatrix est odorifera, 189.2.d.e. Hęc vita breuis est, 501.2.b. 506.1.c. Vitæ huius bona, & mala breuia, 24.2.b. 524.1.a. Vita animæ Deus est, 648.1.d. Vita hominibus maximè dilecta, 677.2.e. Promissio vitæ æternæ est Testamenti Noui, ibid.d

Vitis.

Vitis aurea in foribus templi, 203. Vitis aurea Christus, ead.2.a.

Vlysses.

Vlysses fumum patriæ videre cupit, 740.1.d

Vnctio.

Vnctio Aaronis, 209.1.a. An vnctio qua Apostoli in missione vsi sunt fuerit Sacramentum, 645.2.a.b.c.

Vnctio Sacerdotum.209.1.d. De oleo ſacro vnctionis. ibid.b. Vnctio Chriſti .48. 1. d.e. Vnctio Chriſti ab S.Sancto, ibid.628.1.2. An vnctus fuerit à S.Sancto in baptiſmo?48.2.a

Vnguenta.

Vnguentorum vſus in conuiuiis.565.2.d.566.1.d. Vnguenti tria genera, quo Chriſtus vngitur.576.2.a

Vnitas.

De vnitate Chriſtianorum, & concordia. 452. 1.a. b. Chriſtiani ſunt vnum corpus.ibid.c. Vnitas vocationis, Vnitas Domini, vnitas fidei, vnitas baptiſmi, vnitas Patris Dei, vnitas menſæ, vnitas domus,ibid.c.d.e. Vnitas Chriſtiana in Sacramento Euchariſtiæ commendatur. ibid 2.b. Vnitatem populi Chriſtiani cum Chriſto ſignificat aqua, quæ vino admiſcetur in Calice.ibid.c.683.2.a. Vnitas mater eſt conſeruationis.452.2.d. Vnio cum Chriſto in Euchariſtia. 677.683.2.d.1.a De vtilitate Chriſtianorum. 685.2.b.684.1.a

Vocatio.

De vocatione Petri,& aliorum Apoſtolorum.307.1.a.b. Vocatio Dei potentiſſima.363.2.c. Vocationi diuinæ obtemperandum cum feſtinatione.334.1.a.b.547.1.e. Perdicis pulli audita veræ matris voce, falſam deſerunt:ſic nos.363.2.d. Vocat Deus peccatores, & reuocat.295.2.b Dignè vocatione oportet ambulare. 543.2.d. Vocandi ſunt omnes homines in Eccleſiam, 624.2.d. Quomodo Chriſtus, nõ venerit vocare iuſtos,ſed peccatores. 361.2.a. Vocatio Dei magnifacienda. 112.2.a. Vocat omnes Chriſtus.243.2.b. Vocat ſapientia diuina ad ſuum gymnaſium. 244.1.b.c

Vox.

Vocibus mox euaneſcentibus ſimiles ſunt homines. 122.1.d. De voce audita in Baptiſmo Chriſti.49.1. A quo ſit efformata, quid ſignificarit, vnde audita. 2.a.b.c. Significabat Chriſtum eſſe Deum & hominem.52.2.b.Vox Domini ſuper aquas. Pſal.28.50.1.a. De voce Dei. 402. 1.a.b. Voces multas miſit Deus ante Verbum, 125.1.c. Ex voce Chriſtus cognitus erat ante Aduentum, poſteaex vultu eſt cognitus. ibid.2.b. Vox clamantis in deſerto. 9.1.c.119.2.b

Voluntas.

Voluntas adulti ad ſanitatem neceſſaria. 387.2.a. Voluntatis duo pulſus volo, & nolo.387.1.a.728.2.c Non iuſtificat nos Deus adultos, ſine voluntate noſtra.388.1.b. Voluntatem robuſtam flagitat Chriſtus à ſuis militibus, ibid. c. Voluntatem excitat Deus, & præuenit. ibid. De voluntatate Chriſti, an omnino fuerit conſentiens voluntati Patris,3991.c. Duæ voluntates Chriſti,diuina & humana 695.2.b. Voluntarios milites vult Dominus. 728.2.c. Quod voluntariumeſt perſeuerat.ibid. Amicus Dei voluntatem Dei facit. 451.2. b. Bona voluntate nihil ditius offertur Deo.311.1.c. De volũtate relinquendi omnia. ibid Voluntas eſt fundamentum bonitatis, & fons.446. 1. d. Voluntate ferrea ligatus eſt peccator. 558. 2.c. Voluntas impij eſt ferrea.ibid.

Voluptas.

Voluptatibus dedita corpora qualia: & animæ.98.1.b.c Pro modica voluptate dæmoni ſe tradunt homines. 299. 2.a. In voluptatibus requieſcit dæmon.595.1.d.e. Voluptas eſt hydra lernæa. 730. 1.b. De voluptatibus victoria.731.2.c

Vrim, & Thumim.

Vrim, & Thumim in pectore Pontificis, quid. 216.2. 217.1. Variæ hac de re opiniones.ibid.

Vſus.

Vſus optimus diuitiarum quis ſit.437.2.d. Quomodo benè vtamur bonis, & malis. 434.3.d. Vſus & exercitatio quantum poſſit.97.2.e.98.1.a

Vtilitas.

Vtilitatem ſuam & cibum quærunt homines, ibid.

Vxor.

Vxor bona ſol familiæ, & donum Dei.159.2.b.c. Vxor bona ſoli viro ſe ornat.d. Vxor bona lucerna ſancta templi.ibid.c. Vxor bona mandata ſeruat. ibid.e. Vxor, quæ eſt digna iurgio, non eſt digna coniugio, 453.2.b. Vxor qualis eſſe debeat.157.2.158.1.2.

X

Xylophoria.

Xylophoria feſtiuitas Iudæorum quæ.199.2.c. Xylophoria ſpiritalis.200.1.b

Z

Zabulon.

Zabulon ſors vbi.301.2.b

Zacharias.

Zacharias pater Baptiſtæ an fuerit ſummus Sacerdos? 227.1.e.&c. Fuit ex octaua ſorte Abiæ ſiue vice, 229.2.b. Cur obuenit ſorte Zachariæ, vt poneret incẽſum.230.1.b Cur priuatus ſit linguæ vſu. 123.1.b. Vbi viderit Angelum.193.2.c. Impletis diebus officij in templo, abiit domum.229.2.d

Zelus.

De zelo domus Dei,i.Eccleſiæ. 174.1.d.e.612.2.d. Zelus nunquam ſaturatur, 174.1.e. Zelus oritur ex amore Dei.ibid.2.a. Zelotypia erga crumenam. ibid. Zelus boni paſtoris.ibid.175.1. Zelus dæmonis, quo quærit animas. 175.1.b. Zelus ornatus templorum. ibid.d. De Zelo paſtoris, & concionatoris. 466.1.d. Zelus domus Dei comedit hominis commoda. ibid.e.De Zelo.615.1.e. 2.a.761.1.e.

Zelote.

Zelotes cur ſit appellatus Apoſtolus D.Simon. 421.2.a

Zizania.

Zizania quid ſignificent.612.2.e

Zona.

In zonis olim pecunia ferebatur.636.2.d

Zopyrus.

Zopyrus quid fecerit vt Babylonem caperet. 739.2.d

FINIS.

ANTVERPIÆ,

Typis HENRICI ÆRTSI.

BIBLIOTECA PROVINCIALA SORTA

Sumptibus Heredum Martini Nutij, & Ioannis Meursi.

11

Sient.ª Top.ª
Est. 20.ª
Tab 5.ª
Núm. 2

Descripcion de Filipinas

2387
2575